M M E



1 6 3 5

WiMBP
Opole
1796 st.



Sæpe parum juvit tam multos volvere *Libros*:
Chriſte, tuam *mortem* volvere ſæpe juvat.
Tot *Libros* inter quanta verſamur in *umbra*!
Hic *ſine* Sol *umbra* ſplendidus exoritur:
Lectio *Librorum* ſine Te labor omnis *in umbra* eſt.
In *Cruce* da Lucem cernere, *Chriſte*, tua.
M. Gottfried Belthasar Scharff.



COMMENTARIA IN DVODECIM PROPHETAS MINORES.

Auctore R.P. CORNELIO CORNELII A LAPIDE, è Societate IESV, *olim in Louaniensi, nunc in Romano Collegio Sacrarum Litterarum Professore.*

Johannis Sigismundi Pelleori Diaconi hum.

ANTVERPIÆ
APVD MARTINVM NVTIVM
ANNO M. DC. XXVIII.

Cum Priuilegio Cæsareo et Regis Hispaniarum.

Materia absq; volumine in 8vo. Min. ☞ Ep. ☜
Pandit constat 10. Rotge.
Ligatura 1 1/7 Rotge.


Cycle

Additionem ad Sanctitatem T. in fine Comment. in Eccles.

SANCTISSIMÆ TRINITATI INCREATAE ET CREATÆ IN CHRISTO IESV

trinum Prophetarum iubilum & votum.

EN tibi, ô S. Trinitas, nouus & numerosus quaternorum Cherubinorum ternio, τρὶς τετραφώνως, triplici inquam quaternarum vocum choro te celebrantium, consonoque dissonarum linguarum concentu tibi cum Seraphinis iugiter acclamantium: *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Hi sunt duodecim Prophetæ, tui præcones & Musici, duodecim scilicet Apostoli, Euangelistæ, & Choraules veteris testamenti, qui in ternos quaterniones, quasi ternos cælestis Musices choros, distributi te ambiunt, tibique famulantes circumstant, ac in quadriga Cherubica triplicata S. Triadis nomen & gloriam toto orbe discurrentes, concinendo circumferunt. Hisce ego, eos commentando, ἀνηφώνως cum alternante Seraphinorum choro succino: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis: Plena est omnis terra gloria tua.* Suscipe hosce meos in tuos Prophetas labores: susci pe mea, exilia licèt, tuæ Celsitudinis præconia. *De ventre enim matris meæ Deus meus es tu: in te proiectus sum ex vtero.* Ita *S. Ignatius*, tertius à S. Petro Antiochenus Episcopus, *visionem angelorum per responsorios hymnos sanctam Triadem laudantium vidit, & modum visionis Antiochenæ Ecclesiæ tradidit: vnde ad omnes Ecclesias ista traditio promanauit. & hæc est ratio hymnorum responsoriorum*, ait Socrates. Nimirum *felix beatarum mentium otium, iuge piæ doxologiæ est negotium; quique semel in diuinitatem se mersit animus, non nisi eius delicijs & laudibus pascitur:* in quibus proinde recitandis & explicandis S. Trinitati sit omnis honor, Ecclesiæ decor, lectoribus sapor, mihi labor. lib. 6. hist. c. 8.

Hocce ergo Sanctissima Trinitas, & trina Vnitas, vnaq; Deitas nouum sit iubilum, quo tibi duodecim melodis Prophetarum, quasi musicorum, vocibus iubilo in nouo hoc sancti anni Iubilæo, quod tertium in vita hac mihi cernere agereque ad plenam culparum veniam, gratiam & sanctimoniam indulsisti: quo pariter ternos tuos, Prophetarum & Ecclesiæ hostes, inauditis penè à sæculo prælijs & triumphis, per ternos Reges tuis auspicijs protritos, vel subactos cernimus, gratulamur & iubilamus. Turcarum innumeras copias roburque formidabile, per Serenissimum Poloniæ Regem SIGISMVNDVM III. Iagellonidem, & S. Casimiri abnepotem;

Cornel. in Proph. Min. † 2 Mosco-

Moſcorum & Tartarorum vindicem, tot cladibus attriuiſti; vt, ſi cæteri Principes ei ſuppetias tuliſſent, iam actum eſſet de Ottomannorum imperio. Porrò exceſſit ille libens patrio & auito Sueciæ regno, ne fidem Deumque perderet: hanc tui cauſa exiguæ ditionis iacturam, amplis illi in Moſcouia, Polonia, Liuonia, Walachia, Ruſſia, Aſia triumphis & imperijs centuplo fœnore compenſaſti.

II. Inſuper Reges præcipuos arcto inter ſe matrimoniorum vinculo colligaſti; ſimulque omnibus idem ſtudium hæreſis ſeditioſæ & rebellis extirpandæ aſpiraſti. Indidiſti enim eis hanc ſapientiam, vt clarè cognoſcerent enerue & imbelle eſſe regnum, in quo ciues inter ſe de religione digladiantur, vbi hæretici pro ſua perfidia vſque ad mortem dimicant, perfideque non tantùm ciues, ſed & Principes ſuos produnt perduntque. Fidei enim & religionis diſſidium, neceſſariò parit Eccleſiæ & reipubl. diſſidium, idque internecinum, vt Rex orthodoxus regni ſui dominus & rex non ſit, quamdiu in eo talis graſſatur hæreſis & hæretici, qui & ſeditiones conflare, & Turcæ aditum patefacere, & vicinos Principes ad bellum ſollicitare ſolent. Qua ratione enim Regi ſuo fideles ſint, qui Deo ſunt iniurij, blaſphemi, infideles? Qua ratione Principi fidem ſeruent, qui fidem Chriſto & Eccleſiæ datam violarunt, & aſſiduè ac pertinaciter violant, quique ſuam hanc perfidiam rebellione armant & propugnant? Non id ipſorum, non naturæ, non indolis, ſed phreneſis, hæreſis inquam ſeditioſæ & infidæ, eſt vitium. Aperuiſti Regum oculos, vt id liquidò cernerent, ideoque ſinguli in Caluiniſmum, vt regni ſui peſtem inſurgerent. Ita dediſti Chriſtianiſſimo Galliarum Regi LVDOVICO XIII. S. Ludouici heredi & æmulo, ſupra ætatem animos & vires, vt vrbes & arces plurimas quas Hugonotti inſederant, armata manu eis extorqueret, cæteras penè omnes ad deditionem cogeret. quod nemo maiorum cogitare, nedum aggredi auſus fuerat; vt iam ipſe Franciæ totius ſit Rex, qui ante triennium dimidiatus & precarius eius tantùm Rex eſſe videbatur. Ita FERDINANDVM Imperatorem inuictum, ſpem & columen Germaniæ, tot tantiſque victorijs, ijſque continuis decoraſti, vt te pro eo manifeſtè pugnante, illud Iulij Cæſaris, imò verò propatrui ſui Caroli V. Imp. iure dicere poſſit: *Veni, vidi, vicit Chriſtus.* Et illud Deboræ Iudic. 5. *Noua bella elegit Dominus, portas hoſtium ipſe ſubuertit*, &c. *De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo, aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Inſtar fulminis enim victor eius exercitus, Duce Bauaro, quaſi rediuiuo Iuda Machabæo, peruaſit ſubegitq; Auſtriam, Bohemiam, Morauiàm, Sileſiam, Hungariam, Palatinatum vtrumque, ex ijſq; hæreticorum patriarchas Huſſitas, ac rebellionum faces Caluiniſtas, expulit & profligauit. qua in re ſuas quoque egregiè præſtitere partes inſignes ex Italis Belgiſq; Duces, cum validis copijs ab optimo Rege Catholico oportunè in auxilium ſubmiſſi. vt iam Germania putidis & peſtiferis membris reſectis libera, redintegrari, reualeſcere, priſtinaſque vires & robur queat colligere: quibus in vnum collectis roborata, non tantùm Turcis reſiſtere, ſed & eos bello laceſſere & inuadere audeat, Hungariamq; hæreſis diſſidio perditam, vnitis Germanorum & vicinorum armis repetere & recuperare valeat. Hæc eorum æterna erit gloria, hi immortales triumphi, hæc trophea, quæ in omne æuum perennabunt. Agite Principes generoſi, pergite magnis animis, opus felicibus adeò auſpicijs cœptum conficite, paribus ſtudijs rebellem Caluini hæreſim penè euulſam ſtirpitus vbilibet eradicate.

Quare

Quare procul abſit à Chriſtiano fidelium pectore, vt hæreticos contra Orthodoxum ſuum Principem rebellantes adiuuare, aut fouere ſatagat. Qui enim hæreticos iuuat, hæreſin iuuat & propugnat, ipſamque Chriſti fidem & Eccleſiam oppugnat. Qui rebelles iuuat, rebellionem iuuat & propugnat. Quocirca iuſto Dei iudicio reddetur ei talio, vt in quo peccauit, in eodem puniatur, & ab hæreticis bello, à ſubditis rebellione exagitetur; vt, quod alijs fecit iniuſtè, idem iuſtè à ſuis patiatur. Sapienter Thucydides libr. 1. *Nullus Princeps*, inquit, *à ſuis ſubditis iuſtè puniendis arcendus eſt: & qui id facit, parem in ſe legem ſtatuit, ne & ipſe ſuos puniat delinquentes.* Ita grauem non tantùm cenſuram, ſed & vindictam Dei ſubijt Ioſaphat, pius alioqui Rex Iuda, quando oraculo Iehu caſtigatus audiuit: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris; & idcirco iram quidem Domini merebaris, ſed bona opera inuenta ſunt in te, eò quòd abſtuleris lucos de terra Iuda, & præparaueris cor tuum vt requireres Dominum.* Grauiorem verò excepit ab Eliezer Propheta, in eum detonante: *Quia habuiſti fœdus cum Ochozia, percuſſit Dominus opera tua, contritæque ſunt naues, nec potuerunt ire in Tharſis.* Et tamen Ioſaphat Ochoziam adiuuarat, non in impietate, ſed in re politica dumtaxat, nimirum ad nauigandum in Tharſis. Porrò veriſſimum eſt iſtud, licèt nonnullis paradoxum: *Chriſtianorum de Chriſtianis parta, cadit victoria victa*, vti euidenter demonſtrat in Politica peretuditus Chriſtophorus Varſeuicius in Paradoxis. Quamobrem ſapientes Conſiliarij hoc ſuis Principibus inſtillant principium: *Vt tuum regnum firmes & amplifices, omni ſtudio cole pacem & fœdus cum vicinis Chriſtianis Principibus. Horum enim amicitia, tibi erit murus & antemurale.* Nam, vt ait Rex ſapientiſſimus: *Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma.* Quin & Atticus Orator: *Præcipuum*, ait, *boni Principis opus eſt, amicos parare. Nullum enim maius boni imperij inſtrumentum, quàm boni amici.* Audiant Chriſtiani ſaluberrimum Anchiſæ apud Virgil. Romanos à ciuilibus bellis dehortantis, conſilium:

Ne quæſo, ne tanta animis aſſueſcite bella;
Neu patriæ validas in viſcera vertite vires.

III.

2. Paral. 19. v. 2.

2. Paral. 20. v. 37.

Prouer. 18. 19.

Plinius in Panegyr.

Iſta ergo magnifica Dei ſunt opera, qui Principibus ſibi fidelibus facit mirabilia magna ſolus; cui proinde tota Germania, tota Gallia, tota Polonia, imò totus orbis Chriſtianus ob tantas tamque recentes victorias, cum gratiarum actione canticum nouum concinat, totoque hoc Iubilæo cum Moſe & Hebræis iubilet: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Eia S. Trinitas, tribus virtutis tuæ lanceis, tua inquam potentia, ſapientia & gratia, trium hoſtium tuorum, pariter ac Prophetarum, Saracenorum inquam, Hæreticorum, & Schiſmaticorum mentes cordaque feri & ſaucia, vt omnes ſeſe tibi ſubdant, te agnoſcant, credant, ament, glorificent: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto: ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen.* Tunc tuæ Maieſtati & clementiæ verè & exultanter omnium gentium iubilis, illud regij Vatis oraculum iubilabimus: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite: quoniam Rex omnis terræ Deus: pſallite ſapienter. Iubilate Deo omnis terra, pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.*

Exod. 15.

Pſal. 46.

Pſal. 65. & 95.

IV. Tu Rex ſæculorum immortalis, inuiſibilis, glorioſus, qui lucem habitas inacceſſibilem, per Verbum incarnatum te mundo pandere, apparere & cerni; ac loqui, verſari & conueſci nobiſcu m dignatus es: per illud nos tibi reconcilias & vnis: in illo diuitias gloriæ tuæ nobis oſtēdis, *vt, dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inuiſibilium amorem rapiamur.* Chriſtus enim dum noſtram carnem aſſumpſit, nobiſque conſanguineus & cognatus, imò frater, fieri dignatus eſt, nos Deo concorporauit, ac S. Trinitatis affines effecit. Ipſe ergo eſt ſalus noſtra, honor noſter, amor noſter, deliciæ noſtræ. Nimirum hoc *manifeſtè magnum eſt pietatis tuæ ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.* Hoc diuini tui conſilij arcanum prioribus generationibus incognitum, & æternis temporibus tacitum reuelaſti Prophetis, quaſi aquilis cæleſtibus, vt idipſum nobis diſcordi vocum concordia præcinerent. Hoc eſt Verbum infans, puer ſapiens, Deus lactens, Chriſtus crucifixus, qui factus eſt nobis ſapientia, iuſtitia & redemptio. Hic eſt fidei noſtræ axis, ſapientiæ baſis, ſanctitatis apex, charitatis illicium, felicitatis centrum. Intonat de eo Michæas c. 5. *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda: ex te egredietur qui ſit dominator in Iſrael: & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Inſonat Aggæus c. 2. *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam: & mouebo omnes gentes. Et veniet deſideratus cunctis gentibus.* Conſonat Malachias c. 2. *Statim veniet ad templum ſuum dominator quem vos quæritis, & angelus teſtamenti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis ſtabit ad videndum eum?* Succinit Zacharias c. 3. *Adducam ſeruum meum Orientem.* Et c. 9. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu.* In Chriſto ergo, ô increata S. Trinitas, tui viuam imaginem expreſſiſti, & triadem creatam efformaſti. quod admirans S. Iohannes epiſt. 1. c. 5. *Tres ſunt,* inquit, *qui teſtimonium dant* (Verbo incarnato, Chriſto Ieſu) *in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, & aqua, & ſanguis: & hi tres vnum ſunt.*

1. Timot. 3.

Felix Bethlehem, felix Iudæa, felix Ieruſalem, quæ non tantùm Prophetas, ſed & ipſum Verbum incarnatum gignere, videre & audire digna fuiſti; quæ diuinis eius pedibus calcata, eius ſermonibus, ſudoribus, lachrymis, ſuſpirijs, quin & ſanguine pretioſo irrigata, eum hoſpitem, imò ciuem & filium, redemptorem & ſaluatorem habere meruiſti; ſcilicet, *factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Quæſiuimus locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis ſiluæ. Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius.* Ibi ſuam ipſe fundauit Eccleſiam, ibi refulſit aurora legis nouæ in ſplendoribus Sanctorum, Virginis Deiparæ, Apoſtolorum, Euangeliſtarum, ac primorum fidelium fide & charitate ardentium. Quocirca Chriſtus ſponſus hunc thalamum ſibi adamans, indeque ſponſam Eccleſiam alliciens: *Veni,* inquit, *de Libano* (de Ieruſalem & Iudæa) *ſponſa mea: veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon* (vtique Iudææ montium) *de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Idipſum præcinuit Zachar. c. 13. *In die illa erit fons patens* (gratiæ & baptiſmi) *domui Dauid, & habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum, diſperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà.* Et cap. 14. *Stabunt pedes eius in die illa*

Pſal. 131.

Cant. 4.

ſuper

ſuper montem Oliuarum, qui eſt contra Ieruſalem ad Orientem. Et erit in die illa, exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem, &c. *Et erit Dominus rex ſuper omnem terram: in die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum.* Michæas verò c. 4. *De Sion,* ait, *exibit lex, & Verbum Domini de Ieruſalem.*

Infelices ergo & miſeri Chriſtiani, qui à ſuis incunabulis exulant, qui ſanctam vrbem, ſanguine Chriſti purpuratam, quæ aurora fuit Eccleſiæ, primumque eius regnum, à Turcis & Saracenis poſſideri, profanari & ſacrilegè pollui cernunt & tolerant. Non tolerauit id Conſtantinus Imp. qui loca ſancta Chriſtianis reſtituit: cuius nutu & ſumptu mater S. Helena Hieroſolymam profecta, loca ſancta religiosè venerata, in Bethlehem, monte Caluariæ & Oliueti, alibique regiâ magnificentiâ templa & baſilicas exædificauit. Quare cœpit tum eò peregrinatio à fidelibus frequentari, confluentibus è toto orbe deuotionis ergô Chriſtianis. Ipſe S. Hieronymus relictâ Româ in Bethlehem ſe tranſtulit, vt ad Chriſti incunabula viueret & moreretur; quem ſecuta S. Paula, magnum poſt ſe trahens nobilitatis Romanæ agmen, ibidem quatuor extruxit monaſteria, in quibus ipſa cum filia Euſtochio Chriſti paupertatem, humilitatem & ſanctitatem imitata, vitam egit religioſam & cæleſtem. *Bethlehem ingreſſa,* ait S. Hieron. *& in ſpecum Saluatoris ingrediens, me audiente iurabat, cernere ſe oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præſepii Dominum, Magos adorantes, ſtellam fulgentem deſuper, matrem Virginem, paſtores nocte venientes, vt viderent Verbum quod factum erat, & iam tunc Iohannis Euangeliſtæ principium dedicarent: In principio erat Verbum, & Verbum caro factum eſt. mixtiſque gaudio lachrymis loquebatur: Salue Bethlehem domus panis, in qua natus eſt ille panis, qui de cælo deſcendit. Salue Ephrata regio vberrima, cuius fertilitas Deus eſt.* *In epitaph. Paulæ.*

Conſtantinum ſecutus Heraclius Imp. anno Domini 628. cæleſtibus de Coſroë Perſarum rege potitus victorijs, crucem Chriſti ipſi ereptam, Hieroſolymam victor reportauit, ac depoſito regali cultu, detractiſq; calceis, & plebeio amictu indutus, illam proprijs humeris retulit in eum montem quò eam Saluator tulerat; ac in eodem Caluariæ loco ſtatuit, vnde à Perſis fuerat aſportata. ita S. Trinitatis Chriſtiq; iniurias vltus Heraclius haſce de Perſis vindicias dedit, imò reddidit Hieroſolymæ. Ieruſalem enim eſt ciuitas Dei electa, ſancta & glorioſa, fundata in montibus ſanctis, centrum & vmbilicus mundi, vrbs perfecti decoris, gaudium vniuerſæ terræ, paradiſus orbis: quæ tamquam regia inter omnes vrbes, velut caput in corpore, ſicut ſol inter aſtra effulget; quaſi Eccleſiæ militantis Capitolium, triumphantis typus & præludium.

Poſt Conſtantinum & Heraclium Vrbanus II. Pontif. æternum decus & gloriam ſibi peperit (vnde & monumento eius hoc elogium inſcripſerunt, *Vrbanus II. auctor expeditionis in Infideles*) cùm Concilio apud Clarum montem habito anno Domini 1095. ita Principes Galliæ ad recuperãdam Hieroſolymam à Saracenis iamdiu occupatam, animauit, vt non dubitarẽt mori pro illa ciuitate, in qua Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Quare effecit vt trecenta hominum millia nomen in militiam Chriſti dederint, ſignumq; crucis ſuſceperint, atque inter illos multi Principes, Duces & Comites: in quibus eminuit Godefridus Bullonij Dux, præſtantis animi, religionis & fortitudinis vir: qui quàm facilè terra ſancta à Chriſtianis recipi poſſit, oſtendit, dum paruis copijs reſiduis Hieroſolymam anno Domini 1099. expugnauit, feria ſexta, hora qua Chriſtus mortuus eſt, ipſeq; V.

primus conſcenſis muris vrbem ingreſſus, primus deinde Hieroſolymæ Chriſtianus Rex, quaſi nouus Dauid creatus, regnum in poſteros ſex Reges, per LXXX. annos propagauit; idque merito ſuæ virtutis, pietatis & modeſtiæ, qua, vt alia præteream, Chriſtianis Principibus cum de more regio diademate coronare ſatagentibus, humilitatis ſtudio reſtitit, dictitans: *nolle ſe aurea corona inſigniri in vrbe ſancta, in qua Chriſtus Dominus pro noſtra ſalute ſpineam tuliſſet: vnde ea contentus, illique reuerentiam exhibens regiam reſpuit, Regum optimus, lumen & ſpeculum cæterorum*, ait Wilhelmus Archiepiſcopus Tyri lib. 9. Belli ſacri c. 9. Viuet Godefride, viuet Vrbane, tua virtus & gloria, quamdiu ſæculorum omnium viuet ÆTERNITAS.

Porrò orationem Vrbani, qua in Concilio Clarimontano omnes ad bellum ſacrum accendit, recitat idem Wilhelmus, in qua inter cætera ait: *Hæc igitur ſalutis noſtræ incunabula, Domini patriam, religionis matrem, populus abſque Deo, ancillæ filius Ægyptiæ poſſidet violenter, & captiuitatis liberæ filis extremas imponit conditiones, quibus versâ vice meritò ſeruire tenebatur: Saracenorum gens impia loca ſancta, in quibus ſteterunt pedes Domini, iam à multis retrò temporibus violenta premit tyrannide, ſubactis fidelibus & in ſeruitutem damnatis. Ingreſſi ſunt canes in ſancta: profanatum eſt ſanctuarium, humiliatus eſt cultor Dei populus, angarias patitur indignas genus electum, ſeruit in luto & latere regale ſacerdotium, princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo ciuitas Dei. Templum Domini, de quo zelans Dominus vendentes eiecit, ne domus Patris eius fieret ſpelunca latronum, facta eſt ſedes dæmoniorum. Templum Domini inquam, vt ait Mathathias, quaſi vir ignobilis, vaſa gloriæ eius abducta ſunt captiua. Ciuitas Regis Regum, quæ alijs regulas intemeratæ tradidit fidei, Gentium ſuperſtitionibus cogitur inuita deſeruire. Sancta Reſurrectionis eccleſia, requies dormientis Domini eorum fœdatur ſpurcitiis. Loca venerabilia, quæ Dominum in carne ſuſceperunt hoſpitem, ſigna viderunt, ſenſerunt beneficia, facta ſunt gregum præſepia, ſtabula iumentorum. Accingimini ergo & eſtote filij potentes, vt pugnetis aduerſus infideles: quoniam melius eſt mori nos in bello, quàm videre mala gentis noſtræ & ſanctorum.* Audite hæc Principes, audite Chriſtiani, ſummi Paſtoris veſtri, Chriſti Vicarij lamenta, imò oracula.

VI. Vrbani cœpta conſtanter proſecuti ſunt ſuccedentes ex ordine Pontifices, Paſchalis II. Gelaſius II. Calliſtus II. Lucius II. ſed maximè Eugenius III. qui anno Domini 1143. vrgente Ludouico Rege Francorum, & S. Bernardo, expeditionem in terram ſanctam ſuſcitauit, ac S. Bernardum ad omnes Galliæ & Germaniæ populos (qui eum vt Prophetam, vel Apoſtolum ſuſcipiebant) in eam concitandos auctorauit. quare ſequenti anno omnium conſenſu, S. Bernardus totius belli dux & Princeps militiæ electus eſt. Verùm ſatis viſum eſt Eugenio, ſi ille tuba ſacerdotali indiceret bellum, & tam verbis, quàm literis Chriſtianos ad id excitaret: quod illum feliciſſimè ſequentibus innumeris ſignis & prodigijs præſtitiſſe, teſtantur Acta vitæ ipſius, & Epiſtolæ ab eo conſcriptæ, nec non & Otto Friſingenſis; ſed magis ipſe rerum ſucceſſus, dum non ſolùm Ludouicus Rex celebrato apud Verzelacum conuentu, crucem, quaſi belli ſacri inſigne, ab eodem S. Bernardo ſumpſit vnà cum multis regni ſui Principibus & optimatibus, quos tam ingens populi multitudo ſecuta eſt, vt vacuarentur vrbes & caſtella; ſed & eiuſdem hortatu Conradus Romanorum Rex, generali apud Spiram conuentu indicto, æquè crucem vnà cum fratre ſuo Henrico Duce Noricorum alijſque Principibus & nobilibus plurimis (etiam Polonis, adeoq; Henrico Boleſlai Regis fratre, teſte Cromero lib. 6. Polon.)

Polon.) accepit: quibuſcum etiam ſignati ſunt nonnulli Epiſcopi, atque inter alios ipſe Otto Friſingenſis, virtutibus & meritis clarus. Qui demum addit, non ſolùm ex Romano Imperio, ſed etiam è vicinis regnis; putà Francia, Anglia, Pannonia, innumeris populis ac nationibus hac expeditionis famâ ad ſumendam crucem commotis, repentè ſic totum penè Occidentem ſiluiſſe, vt non ſolùm bella mouere, ſed & arma quempiam in publico portare nefas haberetur. Vtinam nunc iterum S. Bernardus, vel è cælo idem claſſicum fidelibus canat!

Ludouicum & Conradum æmulatus eſt S. Ludouicus, Francorum gloria dicam, an ſanctitas, an veriùs vtrumque? qui in Palæſtinam non tantùm copias tranſmiſit, ſed ipſe quaſi earum dux, relicto auito ſolo & regno, per tot terrarum mariumque ſpatia, maximis impendijs, laboribus & conatibus, ſemel & iterum traiecit; vt eam Saracenis extorqueret, & Chriſtianis priſtinis heredibus aſſereret: ſed cùm peccatis fidelium exigentibus, idipſum, quod tanto conamine, virtute & animo moliebatur, perficere non poſſet; mortem tamen in tam glorioſa expeditione oppetere anno Domini 1270. non dubitauit, fidenſque cygnæum cecinit: *Introibo in domum tuam Domine, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo*; nimirum *tendit ad aſtra per aſpera virtus:* quin & operis tam Chriſtiani proſequendi & perficiendi decus filijs poſteriſque ſuo exemplo, æquè ac teſtamento reliquit. Reſuſcita, Domine, hunc S. Ludouici zelum in Catholicis Regibus & Principibus, præſertim Turcæ limitaneis & confinibus, vt vnanimes in tantum opus conſpirent; ſed & remotiores excita, vt in partem tam glorioſi operis veniant, ac nominatim S. Ludouici ſequaces, heredes, & cognomines, vt victricia arma ab Hæreticis in Saracenos transferant, ac Francos, cæteróſque otiari neſcios opere tam ſancto occupent, ne ipſorum ardor quietis impatiens in bellum vel ciuile, vel Chriſtianum, quo ſeſe inuicem collidant, turpémque dent maculam in gloriam ſuam, ac iram Dei in ſe concitent, erumpat; ſed potiùs in Turcas, Tartaros & Saracenos, iuratos S. Trinitatis Chriſtique hoſtes, ad auitam & immortalem eorum gloriam, ſeſe exerat. Hoc nomen Chriſtianiſſimum eis hereditarium, hoc S. Ludouicus progenitor, hoc generoſa indoles & animi celſitudo, hoc S. Eccleſiæ amor & fidei ardor, hoc victoriæ & trophæa contra Chriſti perduelles cælitus data, hoc Præſules, hoc Pontifices, hoc fideles omnes iure ſuo ab eis efflagitant.

Sapienter S. Catharina Senenſis theodidacta (vti refert Raymundus Generalis Ordin. Prædicat. & ex ipſo Ambroſ. Catharinus in eius vita) Summos Pontifices, Gregorium XI. & Vrbanum VI. anno Domini 1375. & ſequent. acriter ad bellum Turcis inferendum exſtimulauit. Cumque Pontifex regereret, illud in tot inteſtinis Principum Italiæ aliarumque regionum diſſidijs, importunum videri; inſtitit illa, *Imò verò*, inquit, *nunc maximè oportunum eſt, adeoque nullum efficacius remedium ad diſſidia hæc tollenda ſuppetit, quàm ſi fœdus ſanctum ſanciatur, quo omnes paribus animis in communes Chriſti & Chriſtianorum hoſtes conſpirent: ibi ſuos animos & impetus, ſuos pugnandi ardores iraſque effundent, eaque ratione priuatas ponent lites & odia.* Ita, vt alios taceam, Rogerius & Boëmundus fratres, Siciliæ, Apuliæ & Calabriæ Principes, continuò inter ſe de Principatu digladiantes, ab Vrbano II. fœdere belloque ſancto conciliati, arma fraterna in Saracenos verterunt. Boëmundus enim occupatâ Melphi, cupi- VII.

cupiditate gloriæ incensus, cum duodecim millibus delectæ iuuentutis Italicæ in terram sanctam profectus, sua hac virtute animique præstantia adeò fratrem Rogerium permouit, vt positis armis dixerit, sibi omnia cum fratre deinceps fore communia, ac statim Tancredum filium pugnandi cupidum, belli comitem fratri tradiderit, ait Platina in Vrbano II. Pari modo acerba Germanorum, Bauarorum, Belgarum, Polonorum dissidia sopita fuisse expeditione in terram sanctam duce Conrado Imper. narrat Otto Frising. lib. 1. de gestis Frederici I. Imper. cap. 29. Sapienter Liuius libr. 2. *Bella externa*, inquit, *sedant domesticas seditiones. Externus timor, magnum concordiæ vinculum.* Idipsum peruidet metuitq; Turca, quocirca omni ratione Christianos Principes à sese inuicem diuellere, ac inter eos lites & bella serere molitur: ea de causa dum vicinum aggreditur, cum remotioribus fœdus init, imò eos in vicinum concitat, itaque eum Christianorum armis expugnat: quo facto remotiores gradatim eâdem arte & fraude circumuentos, ac ab alijs desertos aggreditur, occupat & subiugat. Fœdifragus enim ipse cùm sit, fœdus initum, dum ei lubet, quæsitâ occasione abrumpit: cùm ex aduerso Christiani, infidiosi fœderis nomine magis quàm religione irretiti, vicinos ab eo inuasos protegere non audeant, itaque ipsos eius prædæ exponant, mox & ipsi eius præda futuri. Norunt historiarum & rerum Turcicarum periti, Turcam subinde iurare super libro smegmatico, itaque impostutam Christianis facere, ac iuramentum violare, dictitando, se super libro ficto, non vero, ac proinde fictè non verè iurasse. Quare iure ei regerant Christiani: *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* Nimirum fœdifragus fuit Baiazetes, qui Venetis contra pacta Coronem, Methonem & Naupactum ademit. Baiazetem imitatus nepos Solymannus, qui anno Domini 1537. totis viribus Italiam aggredi destinabat, sed temeritate cuiusdam Veneti trierarchæ offensus, omnes iras & copias in Venetos sibi fœderatos effudit, Corcyrâ ipsorum insulâ longè lateque vastatâ, & insulis Cycladibus direptis, negotiatoribusque Venetis toto Turcico imperio cum vniuersis eorum opibus & pecunijs in prædam datis; insuper eosdem Nauplij & Epidaurici concessione, ac duabus in Dalmatia arcibus, Nadino & Lubiana, mulctauit. Solymanni enim erat vox: *Dummodo regnem, nil moror: sicut in cælo vnus Deus, ita in terra vnus Solymannus est colendus.* Solymannum patrem æmulatus Selymus, fœdus iureiurando cum Venetis initum violans, eis Cyprum extorsit: quin & eis insultans, *Barba*, inquit, *mihi à Venetis apud Naupactum abrasa succreuit; ego verò eis brachium dextrum capta Cypro amputaui, quod numquam recrescet.* Annon hæc societas leonina? Pari modo fecêre & faciunt cæteri. Cùm enim ab origine fuerint sintque orbis prædones, toti opibus regnisque Christianorum per fas & nefas inhiant. Interim lethargo quasi sopiti altùm dormiunt Christiani; quia quisque longè à se Turcam, & se ab eius iugo, abesse autumat. Qua in re errant omnes grauissimè. Idem censebant olim Constantinopolitani, Trapezuntij, Thraces, Bulgari, Bosnij, Seruij, Hungari, cæterique; at iam à Turca capti, errorem suum vident, & seriò, sed serò, lugent. Turca in limine, & penè in visceribus, est Christianorum omnium, & illi eum à se remotum dictitant? O cæcitas! ô stupor! Nuper tempore Pij V. inhiauit Cretæ, Venetijs, totique Italiæ: Viennam semel iterumque obsedit, inhians Augustæ totique Germaniæ. Ante triennium Poloniam se vnico prælio euoraturum pollicebatur. Imminet ergo, & penè incubat Italiæ, Germaniæ, Poloniæ. Nunc

silet, quia domesticis distinetur dissidijs: at occasionem præstolatur, eâ datâ ilico more suo imparatos Italos, Germanos, Polonos adorietur & opprimet. Vtinam periculum hoc adeò quàm certum est & præsens, conspiciant, & inito contra eum communi fœdere discutiãt Christiani, dum res est integra! ne serò cum cæteris iam à Turca occupatis suum torporem, suaque dissidia accusent & defleant. Nunc cùm domi rebellione graui variaque agitatur; cùm in Persam omne exercitus robur transmisit; cùm puer est; cùm Ducibus, consilio & ærario destituitur; cùm Principes Catholici tot victorijs à Deo datis ad bellum sacrum inuitantur; tempus est oportunum eum inuadendi & profligandi: quod si præterire neglexerimus, serò pœnitentes illud requiremus. Nihil enim tam volucre est, quàm occasio: nihil leuiùs, cùm se offert, penditur: nihil magis, cùm abijt, desideratur: nihil periculosiùs amittitur: nihil difficiliùs recuperatur. Porrò quis dubitet Turcam Italiæ & Christianis imminere, cùm Tunetanũ regnum ab eo occupatum à Sicilia; Epirum & Macedoniam à Dalmatia, Foroiulium à Dalmatia tenuissimo tractu videat disterminari? cùm Apolloniâ, Turcicõ oppido, Hydruntum regni Neapolis vrbem, antea quoque à Turcis possessam, vnius noctis spatio annauigari posse intueatur? Quid Hispanis, Italis, Gallis insidiosius Alligerio? Quid Fessa, Marroco, Biiserta, & tota illa Afrorum vafrorum societate est infestius? An Gallia ergo expers? Nequaquam. Maria quæ vtramque eius partem alluunt, adeõ Turcicis sunt infesta latrocinijs, vt non ora, non sinus, non portus aliquis tutus & ijs non exploratus esse videatur. Quocirca Iohannes ille Tarnouius Comes, qui sæpiùs Poloniæ exercitibus victor præfuit, dictitabat, *omnia Polonica Comitia perpetuam belli Turcici meditationem esse debere.* Idem dicas de Comitijs Germanicis, Gallicis, Italicis, Hispanicis. Celebre est illud Græcorum apud Pachymerem lib. 5. historiæ: *Cùm hostibus Crucis geratur bellum, vbi & victoria laudabilis est, & vinci salutare.* Item: *Pax colenda, vbi Dei iacturam non facimus: bellum gerendum, vbi religio periclitatur totaque Resp.*

Quapropter vt ad Pontifices sacri belli fæciales, imò tubicines redeam, Eugenij III. pro terra sancta zelum æmulati sunt Alexander III. Lucius III. Vrbanus III. Gregorius VIII. Clemens III. Cælestinus III. Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. cui mox succedens Innocentius IV. testibus Platina, Onuphrio & alijs, Legatos per Franciam & cæteras prouincias misit, qui fidelibus suaderent militiam Christi suscipere, & S. Ludouici signa castraque in terram sanctam sequi. Ad eamdem Christianos incitauit Alexander IV. Vrbanus IV. Nicolaus IV. Innocentius VI.

Eugenius IV. verò Pontificatum iniens anno Domini 1431. in Turcas mari classem, terra exercitum Legato Iuliano Cæsarino Cardinale misit, ac duce Ladislao Poloniæ Rege triginta Turcarum millia vno prælio inter Hadrianopolim & Danubium cecîdit. Tunc quoque Iohannes Hunniades à Ladislao Transyluaniæ præfectus, multos Amuratis exercitus deleuit, Moldauiam recepit, maximam Seruiæ & Bulgariæ partem victricibus armis percurrit.

Eugenio IV. succedens Nicolaus V. anno Domini 1447. vehementer institit, vt bellum communi omnium Christianorum consensu in Turcas decerneretur, quos iam parare arma contra Constantinopolitanos senserat: & ob eam Cardinalem Rutenum Constantinopolim miserat, qui Imperatori & ciuibus auxilium polliceretur, si ad Catholicam fidem, vt in Concilio Florentino promiserant, redire voluissent: sed illis in schismate per-

persistentibus, iustâ numinis vindictâ Mahomet Turcarum Imp. Constantinopolim paulò pòst expugnauit anno Domini 1453. ac occiso Imp. Palæologo, crudelissimè vrbem ferro flammaq; vastauit, teste Chalcondyla lib. 8. & alijs. Cuius rei labem Pontificatui suo impactam, dum abolere coactis in Turcas copijs studet Nicolaus, arthriticis doloribus extinguitur.

VIII. Nicolai studijs insistens successor Calliſtus III. creatus Pontifex anno Domini 1455. ilico Turcis bellum indixit. Repertum est in scrinio ipsius hac de re votum, ante Pontificatum hisce verbis futuri præsagis conceptum: *Ego Calliſtus Pontifex Deo omnipotenti voueo, & sanctæ individuæ Trinitati, me bello, maledictis, interdictis, execrationibus, & demum quibuscumque rebus potero, Turcos Christiani nominis hostes sæuissimos persecuturum.* Ea de causa ilico prædicatores per totam Europam misit, qui Christianos omnes ad arma contra Turcas concitarent; quin & per Legatos Vsumcassanum Persarum Regem contra eosdem accendit. Ipse sedecim triremes Romæ ædificatas in hostem misit Ludouico Patriarcha Aquileiensi Præfecto, qui triennio maritima hostium Asianorum vexauit, insulas quasdam cepit, ac magnas clades hostibus intulit. Alfonsus autem Rex & Burgundiæ Dux crucis signum suscipientes, ituros se quoque in hostem profitebantur, vel armatos milites eò missuros. Iussit insuper Calliſtus in meridie campanæ sono fideles admoneri, vt orationibus eos iuuarent qui contra Turcas dimicabant. Hac ratione parta fuit illustris illa de ipsis victoria. Christiani enim duce Iohanne Vaiuoda, adhortatore Iohanne Capistrano Minorita, apud Belgradum anno Domini 1456. sexaginta Turcarum millia ceciderunt, captis centum sexaginta bellicis tormentis: Mahometes tyrannus saucius, fugâ salutem quæsiuit. Ea victoriâ Pontifex Festum, putà officium solemne, Transfigurationis Iesu Christi die sexta Augusti instituit. Actum de crudelissimo hoste tunc fuisset, si Christiani Principes omissis intestinis odijs & bellis, terra ac mari tantam victoriam prosecuti fuissent, sicut Calliſtus monebat & vrgebat. Verùm, dum illi segniter rem agunt, Turca resumptis viribus Trapezuntem priùs, Imperatore interempto, Bosniam deinde, Rege capto atque interfecto, cepit. Præuidebat hæc è specula Calliſtus & gemebat, nec cessabat litteris & nuncijs Principes Christianos adhortari, vt in tantis malorum periculis oculos aliquando aperirent, frustra remedia deinceps quæsituros, vbi iam hostis inualuisset. Vide hîc, quàm Pontificibus ex officio continua, & quasi hereditaria fuerit cura sacri fœderis contra Turcas sanciendi.

Platina Onuph. Genebr. in Chronol. Suarez to. 1. de Relig. lib. 2. c. 5. Azor tom. 2 lib. 1. c. 15.

Quapropter Calliſto III. succedens Pius II. magni animi, sapientiæ, facundiæ & zeli vir, conuentu Principum è totâ Europa Mantuæ indicto, neruosâ & efficaci oratione ijsdem persuasit, vt bellum communi omnium decreto Turcis indiceretur. Verùm decretum hoc infregerunt mox intestina bella, quibus Germani, Hungari, Britanni, Hispani, Itali in se mutuo arma verterunt. Stetit tamen in sententia animosus Pontifex, dumq; classem, quæ passim in portubus Superi Inferiq́ue maris ad tantum bellum fuerat ædificata, atque Venetorum Ducem belli socium Anconæ exspectat, diutinâ & lentâ febri afflictatus moritur anno Domini 1464. Pontificatus 6. sepultus in basilica S. Petri, cum hoc elogio: *Pius II. Pontifex Max. natione Tuscus, patria Senensis, sedit annos sex. Breuis Pontificatus ingens fuit gloria. Oppugnatoribus Romanæ Sedis intra atque extra Italiam restitit. Conuentum Christianorum Mantuæ pro fide habuit. Catharinam Senensem inter Sanctas*

Sanctas Christi retulit,&c. Cultor iustitiæ & religionis. Admirabilis eloquio. Vadens in bellum quod Turcis indixerat, Anconæ decessit: ibi & classem paratam, & Ducem Venetorum cum suo Senatu commilitones Christi habuit.

Pio II. suffectus est Paulus II. anno Domini 1464. qui accepto nuncio Turcas captâ Epiro in Illyricum iter parare, legatos misit ad Reges & Principes, eos oratum vt, compositis rebus suis, de bello Turcis inferendo ad propulsandam iniuriam cogitarent.

Paulum II. excepit Sixtus IV. anno Domini 1471. qui, vt Christianos Principes inter se dissidentes ad concordiam reuocaret, & sacro in Turcas fœdere sociaret, Bessarionem Cardin. Nicænum misit in Galliam, Rodericum Borgiam in Hispaniam, M. Barbum in Germaniam & Pannoniam; Oliuerium Carafam maritimæ 24. triremium classi præfecit: hisce se iunxere quinquaginta Venetorum, 24. Ferdinandi Regis Aragonum, adeò vt illis Turcæ ex Bosphoro in Ægæum obuiàm prodire nõ sint ausi. Smyrna tunc in Asia capta, incolæq; omnes abacti. Constans fama est, Christianos eo anno magnam Asiæ partem occupaturos fuisse, si ipsi mari, sicut Vsumcassanus Persarum Rex terrâ, Turcas vexare perrexissent. Mox cùm Scodra, ditionis Venetæ oppidum, à Turcis oppugnaretur, Sixtus Scodranos commeatu & pecuniâ instruens, ad hosti resistendum animauit. Rursum cùm Turca, Hydrunte in Salentinis repentè vi captâ, Italiam omnem incredibili terrore complesset, Sixtus comparatâ classe hostem retrogredi compulit. Sub id tempus Cyprum occuparunt Veneti, ne in Turcarum potestatem veniret: Mahometes maximis viribus Rhodum oppugnans, eam fortiter tuente magno Rhodiensium Equitum Magistro, re infectâ discedere coactus est.

In Sixti IV. morientis locum suffectus Innocentius VIII. anno Domini 1484. omnes Christianos Principes frequentibus nuncijs hortatus est, vt, mutuis dissensionibus & bellis cõpositis, fœderibus iuncti, Turcarum vires toto iam orbe formidabiles retunderent. Zizimum Sultanum Baiazetis Imp. fratrem excepit, ac eius operâ bellum Baiazeti inferre meditabatur: qui vt illud à se auerteret, quotannis Romam quadraginta aureorum millia ad alendum fratrem submisit, atque Pontifici dono dedit ferrum lanceæ, quo latus Christi in cruce perforatum est, quod religiosè in Vaticana S. Petri basilica asseruatur & visitur. Igitur ad vnum omnes ab Eugenio IV. vsque ad Alexandrum VI. ex ordine Pontifices, fœderi belloque sacro totis animi viribus incubuere, nimirum Nicolaus V. Callistus III. Pius II. Paulus II. Sixtus IV. Innocentius VIII. Horum vestigiis institêre Leo X. Adrianus VI. Paulus III. Pius IV. cuius operâ Solymannus Melitensem obsidionem soluere coactus est.

Atque vt cæteros taceam, horum, ac nominatim Pij II. & IV. tam spiritus quàm nominis heres & æmulus Pius V. suis suorumque commodis neglectis, curas omnes ad publicam salutem conuertens, bellum sociale cum Rege Catholico & Venetis iniit, ac de Turcis memorabilem illam apud Naupactum in Sinu Lepantino victoriã retulit anno Domini 1571. Græciam multaque alia ijs erepturus, si ducum nationumque concordia constitisset, & expeditionem feliciter cœptam constanter prosecuta fuisset: sed Christianis accidit quod Maharbal à Cannensi pugna dixit Hannibali: *Vincere scit Hannibal, at victoria vti nescit.* Hoc ergo illustrium Pontificum Vrbanorum, Eugeniorum, Callistorum, Piorum, cæterorumq; penè omnium ab Vrbano II. vsque ad Gregorium XIII. illustre fuit opus, hoc

IX.

decus:quorum proinde nomen & gloria in terra apud homines, æquè ac in cælo apud Deum & Angelos Sanctosque in omne æuum perennabit. Vtique meminerant illi se Pastores esse nō vrbis dumtaxat,sed & vniuersi orbis. Sciebant primas Pontificis curas esse debere, vt fidem, Ecclesiam, cultum & regnum Christi vbiuis gentium propaget. Sciebant Præsulis Apostolici proprium esse munus,imitari S.Petrum, cæterosq; Apostolos, qui vel per se, vel per suos vniuersum mundum Christo subegerunt. Norant fideles,etiam infidelibus subditos,suas esse oues,sibi à Christo & B.Petro concreditas, ac proinde sui officij esse eas pascere, tueri, & in libertatem asserere. Quocirca muneri huic suo plenè satisfacere satetegerunt,esto voluntati eorum & voto exitus non semper responderit , siue Imperatorum Græcorum perfidiâ;siue quia promiscua,inops & imbellis fidelium turba deuotione excita ad bellum concurrit;siue quòd eadē acephala fuit & carens idoneo duce;siue quia inter Duces concordia nō constitit. Ad tantam enim expeditionem opus est vno summo,eoque insigni Imperatore, lecto & veterano milite, ac ærario solido: quæ tria Reges Christiani hoc tempore facilè præstare possunt. Auxilia deinde valida variæ prouinciæ & gentes vltrò præbebunt. Sanè Christiani qui prouincias Turcæ subditas incolunt,duramq; seruiunt seruitutem;quin & sola Christiana Turcarum mancipia multis subinde partibus ipsos Turcas numero superant,vti oculati testes referunt;adeoque hic Turca tria,ille decem, alius viginti possidet mancipia, quæ vt tyrannicū herile iugum excutiant, decertabunt vsque ad mortem; cùm seruitus Turcica eis ipsa morte sit acerbior. Exemplo sit Georgius Castriotus, qui anno Domini 1443. Amuratis iugum excutiens Epiri se Principem constituit, ac solus cū suis Epirotis per omnem vitam ἀσπονδον πόλεμον cum Turca gessit,multasque & magnificas de eo victorias reportauit. Vnde Turcis ita formidabilis extitit,vt ab eis Scanderbegius, id est Alexander Magnus, sit nuncupatus; quin & solo eius nomine audito,eum scilicet aduentare, ilico velut viso fulmine diffugerēt: de cuius gestis planè heroicis libri tredecim extant. Coæuus & quasi ei collega fuit Ioannes Hunniades, cuius paulò antè memini, cognomēto Fulmineus, Turcarum terror pariter & fulmen, qui varijs prælijs facilè millionē Turcarum cecîdit,cuius hoc erat axioma: *Turcam à Christianorum prouinciis,putà ab Italia,Germania,Polonia,longiùs esse submouendum; nec exspectandū donec ipse Christianorum regiones inuadat,sed in Thraciam & Turciam Christianis esse transeundum, ibique cum eo confligendum; perinde ac Alexander Magnus cum Dario in Asia,Hannibal cū Romanis in Italia,Scipio cum Carthaginensibus in Africa dimicarunt.* Hunniadis & Scanderbegij, æquè ac Ladislai asseclæ,imò successores sunt Reges & Principes Poloni & Hungari,qui,vtpote Turcis & Tartaris contermini,cum eisq; assiduè belligerantes & triumphantes,penè soli rem hanc conficient,si quis eis portionē pecuniæ ad tantum opus necessariæ suppeditet, imò dumtaxat prænumeret: facilè enim ipsi eam deinde ex victorum spolijs, & prouinciarum, quas subiugabunt, tributis refundent. Atque videtur Deus idipsum nuperâ eorum tam insigni victoriâ præsignificasse, adeoque inchoasse. Sanè apud Turcas in fatis est, & certum quasi oraculum, suum imperium à Polonis euertendum. Quocirca hæc præ alijs expedita viris sapientibus videtur ratio sine molestia, sine inuidia, sine ambitione & discordia, quæ inter plures intercedere solet, omne hoc negotium absoluendi. Polonum enim Principem vltrò sequentur non solum Kosaki Turcarum terror;

sed

sed & plurimi nobiles Poloni, Hungari, Germani, Itali, Walachi, Moschi, &c. suis expensis, spe gloriæ vel prædæ illecti. Sanè à Danubio ex Walachia, quæ Poloniæ adiacet, Constantinopolim vsque non nisi decem dierum est iter. Quare idipsum animo designabat Stephanus Battoreus, sapiens æquè ac magnanimus Poloniæ Rex, eaque de causa fœdus contra Turcam cum Philippo II. Hispan. Rege pepigerat, dictitans se Philippi in hoc bello fore stipendiarium: qui si vixisset, vtique vnus ille Turcam profligasset & imperio exuisset, præsertim Persâ ex altera parte eumdem inuadente. Polono enim & Persa ex fœdere in exitium Turcæ conspirantibus, Turca resistendo non est, sed succumbat & pereat oportet. Porrò Polonis Turcicum bellum penè est necessarium, tum vt Turcam longiùs à finibus suis submoueant; tum vt perpetuos & furtiuos Tartarorum incursus à sese in Turciam auertant, ibique cum vtrisque aperto marte confligant, vti nuper feliciter & gloriosè fecerunt. Poloni ergo & Germani cum auxiliis Summi Pontificis & Regis Catholici, Walachiam, Hungariam, cæteraque prouincias nuper à Turcis fraude sibi ereptas, facilè recuperabunt.

Proh pudor? proh scelus? Christiani in Christianos ob terræ angulum, ob exile honoris punctum internecinis odiis & præliis inter se decertant. A Christianis effunditur sanguis Christianus, Christi sanguine redemptus: madent manus Christianæ Christianorum sanguine, & carnem Christianam carni Christi consanguineam conscindunt, mactant, discerpunt. Vbi fides? vbi spes? vbi charitas? vbi philadelphia & amor fraternitatis? Christiani vno Christo patre, vna Ecclesia matre regenerati & alti; vna fide, vna spe, vna charitate consociati; vnius Dei, vnius religionis vinculo & sacramento constricti, sese quasi lupi spoliant, laniant, excarnificant. Hæc videt, & in sinu ridet Turca, ac quasi tigris hinnulos de gleba graminis inter se arietantes, occupat, rapit & deuorat. Nimirum Christianorum dissidia perdiderunt & Turcis prodiderunt Asiam, Græciam, Hungariam, aliaq; opulentissima regna. Hoc est quod queritur Michæas: *Filius contumeliam facit patri, &c. & inimici hominis domestici eius.* Et Ieremias: *Omnes amici eius spreuerunt eam, & facti sunt ei inimici.* Et sponsa Cantic. 1. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Prophetæ ad vnum omnes non aliud penè vaticinantur, dolent & deplorant, quàm exitium terræ sanctæ, quòd ipsa ob fidei, morum & animorum dissidia Chaldæis, aliisque infidelibus tradenda sit; atque omnes hortantur, orant & obsecrant, vt qua vitam corrigendo, qua orando, qua armis propugnando, qua in vnam fidem & sententiam conspirando, tantam Ecclesiæ & Reipubl. cladem auertant. Clamat Osee cap. 5. *Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama, vlulate in Bethauen.* Et Ieremias cap. 6. *Confortamini filij Beniamin in medio Ierusalem, & in Thecua clangite buccina, & super Bethacarem leuate vexillum.* Idipsum non solis Iudæis, sed & Christianis insonant: magis enim Christianis quàm Iudæis suas scripsere prophetias; atque Christianis terra sancta magis propria, longeque sanctior, charior & venerabilior effecta est per Christum, B. Virginem, Apostolos, primitiuos fideles, primamque Ecclesiam, quæ ibi nata adoleuit, seq; per totum orbem sparsit & propagauit. Quid ergo hæremus? Quid moramur? Prophetis obtemperemus, maiores nostros æmulemur: sagatamus terram Christi, Christo asserere; prima Ecclesiæ prædia, illi restituere; domicilium SS. Trinitatis, sublatis execrandis sacrilegiis, illi reddere, eiusque laudibus consecrare.

Cornel. in Proph. Min.

XI. Numquam tanta rei benè gerendæ ſpes affulſit, quanta nunc. Videtur Deus eam vltrò Chriſtianis offerre, & in manus dare; quando, vt alia taceam, Turcas animis cadere, copiis viribuſque minui, internecinis agitari diſcordiis, pauidos regni ſectæque ſuæ interitum expectare; Chriſtianos verò animoſos hiſce omnibus aſſurgere erigique conſpicimus; quando Catholicos Principes oppreſsâ vel ſuppreſsâ rebellium hæreſi dominari, arctoque inter ſe connubiorum vinculo fœderari, ac vniuerſos zelo religionis agi accendique cernimus & gratulamur. Quid enim debellatâ penè rebellium hæreſi ſupereſt, niſi vt eius reliquias ſubigant, ac deinde eius ſororem, alteram inquam rebellis infidelitatis ſpeciem, Mahometiſmum debellent? Ille iam effœtus conſeneſcit, & ſponte ſuâ ad interitum ruit: peregit ſuum ipſe ſæculum, ſuam vixit ætatem, magnam vtique mille annorum, quibus ſtetit viguitq; impia Mahometi lex, iiſque elapſis occaſurum olim Mahomet ipſe prædixit: iam ergo decrepitus occaſui vicinus eſt: occidentem & prolabentem impellant dumtaxat, & coniunctis manibus protrudant Chriſtiani, & acta res eſt; ilico eius ruinam videbunt & exultabunt. Et ſanè eam iam inchoatam conſpicimus, dum aſſidua & Vatiniana eorum inter ſe diſſidia, tumultus & ſeditiones intuemur. Falli enim neſcit & nequit æternæ Veritatis vox: *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur*. Concidunt ſeſe inuicem Turcæ, conciſos occupent Chriſtiani. Euigilent ergo, & occaſione tam commodâ vtantur. Vetus ſapientum fuit eſtque omen, Ianizerorum potentiam indomitamq; audaciam Ottomannicum perditurum imperium. Id iam in procinctu eſt. Ipſi Turcæ dum vident ſe deſtitui Principe, milite, conſilio, pecuniâ, concordiâ, animo, viribus, propalàm profitentur de ſuo iam conclamatum eſſe imperio: ipſi Chriſtianis vltrò ſe offerunt, ac tantùm-non aduocant. Tot Chriſtianorum millia miſerè ſub iugo Turcico gementia, paſſis manibus per ſacra omnia opem noſtram implorant, ſeque & fortunas omnes offerunt, vt iugum hoc excutiant. Hæc ipſa, à tam dira tyrannide & manicis ad pileum & libertatem vocata, ſi dumtaxat eis arma ſuggerantur, ac Ducem qui bellum inchoet videant, ilico ſequentur, ac penè ſola rem conficient: quia in eam immane tributum quod Turcæ pendunt, conferent. Multi etiam inter Chriſtianos, licet in fide heterodoxi, tamen quia Principibus ſuis fideles, & quia Chriſti profeſſores, lubentes præſentem occaſionem arripient, vt, ſi inuitentur, in ſocietatem belli vltrò veniant; tum vt contra communem Chriſtiani nominis hoſtem conſpirent (*Commune enim periculum concordiâ propulſandum eſt*, ait Corn. Tacitus) eiuſque iugum quàm longiſſimè à ſe amoliantur; tum vt Chriſtianum Imperium propugnent & propagent; tum vt ſias ditiones & fortunas ex opimis Turcarum ſpoliis augeant & locupletent.

Porrò agitur hîc non modò de ampliſſimo & ditiſſimo Ottomannorum imperio occupando, ſed & de multorum millium, imò millionum animarum ſalute æterna: quæ ſanè ſine impia crudelique ſocordia negligi nequit. Nunc enim magis quàm vmquam procliue & facile eſt Chriſtianis, vt Turcæ adimant regna omnia ſuis maioribus per ſummum ſcelus erepta, vt Eccleſiæ ſibique reſtituant Aſiam, Hungariam, Græciam, Macedoniam, Thraciam, Armeniam, Galatiam, Cappadociam, Epirum, Cyprum, Bithyniam, Pontum, Syriam, Palæſtinam (primas vtique orbis

orbis prouincias à S.Petro & Paulo ad Christum conuersas, eorumque & Ecclesiæ prima quasi prædia & patrimonia) Ægyptum, Africam, Æthiopiam, totumque Orientem. Quis hîc dormitet? Quis non protinus euigilet? Quis non opes omnes & vires, omne ingenium & consilium in opus tantum, tantique momenti offerat & conferat?

Quòd si Persa (aut quis nouus Tamerlanes, mundi terror, bellicosius & acer in armis) nobis otiantibus aut dormientibus, regiones illas præoccupet, vti cœpit, sanè magno terrori cuadet Christianis, eisque, vtpote duplo iam potentior, in armis exercitatior, tot victoriis insolentior, formidabiliùs quàm Turca imminebit; vt eum Monarchiam Europæ ambientem, ab vrbibus tectisque nostris submouere non valeamus, quem à vicinis arcere non voluimus. Sanè videtur Deus opt. max. claris suæ mentis indiciis ostendere, se velle, vt bellum hoc sacrum capessamus; cùm occasiones vndique tam euidentes illius conficiendi, quales à mille annis non dedit, modò suggerit, vltroque offert: quas si elabi è manibus sinamus, numquam ampliùs illæ redibunt. *Rerum occasiones tarditatem nostram & ignauiam non expectant*, ait sapienter Demosth. Philipp. 1. Sed nisi ilico prehendantur, cùm sese ostentant, diffugiunt, & irreuocabiles sunt. *Fronte capillata est, à tergo occasio calua.* Earum neglectum grauiter vlciscetur iustus omnium iudex vindexque Deus; atque illos ipsos dorso nostro dabit in flagellum, quos nunc vltrò in sinum offert, vt subiiciat. Ita Chananæos Iudæis dedit in flagellum perpetuum, eò quòd ipsi eos subigere & delere, sicuti iusserat Dominus, omisissent, ac pacis fœdera cum eis iniissent; vti videre est in tota Iudicum Historia: idque moriens eis prædixerat, & comminatus erat Iosue cap. 23. 13. *Vt sint*, inquit, *vobis in foueam ac laqueum, & offendiculum ex latere vestro, & sudes in oculis vestris, donec vos auferat atque disperdat de Terra hac optima, quam tradidit vobis.*

Ambabus ergo vlnis acceptemus & amplectamur præsens hoc tam liberale Dei donum; vtamur occasione quam nobis in manum dat; subdamus Mahometanos nobis, ne cogamur eis colla subdere, eosque habere dominos, imò tyrannos & tortores, quos modò possumus habere subditos & supplices; Deo opt. max. ad id tam manifestis ostentis vocanti pareamus, ne in die iudicij tantæ occasionis, totque millium animarum salutis neglectæ, rigidam à nobis rationem reposcat rigidus munerum suorum, æquè ac occasionum & bonorum operum exactor Christus Dominus. Si paruerimus, Prophetas honorabimus, Prophetarum votis satisfaciemus, Prophetarum oracula adimplebimus; adeoque Prophetas, Christum Dominum, Deiparam, Apostolos, eorumque fidem & religionem, quasi exules postliminio terræ sanctæ restituemus; Angelos sanctos miro gaudio afficiemus; Dei hominumque gratiam, & gloriam æternam nobis conciliabimus. XL

Pecuniâ, neruus belli, deesse non poterit, si quælibet vrbs & prouincia vel modicum conferat. Vnus S. Ludouicus olim omnes belli sacri expensas per plures annos præstitit, nunc eas non præstabunt vniuersi Principes Christiani illo longè ditiores? præsertim si militaris pragmatica obseruetur, vt milites frugales sint in victu & vestitu; nec auro vel cyathis, sed ferro & hastis depugnent, vti faciunt Turcæ & Tartari. Quin & hostiles prouinciæ, vtpote diuites & vastæ, si subigantur, exercitus nostros alent, vti priscorum Romanorum aluerunt. Ita anno elapso Asianus Bassi copias suas contra Ottomannos aluit ex ipsis prouinciarum

Ottomannicarum vectigalibus & ttibutis,idque copiosè & splendidè.Ità olim Alexander Magnus non nisi septuaginta talentis bellum orsus, spoliis hostium & gazâ Darij se & milites omnes locupletauit. Idem fecere Iulius Cæsar,Scipio,Pompeius, Hannibal, Cyrus, Nabuchodonosor, ac nuper Saladinus,Tamerlanes,Ismael Sophus, cæteriq; magni Duces,qui hostium opibus suos ditarunt, seque vel Asiæ,vel Europæ, vel orbis monarchas effecerunt. Soli penè Cosaki,si hæc præda illis offeratur,rem feliciter à se sæpiùs tentatam conficient, nec aliud stipendium deposcent. Opes Asiæ offeruntur,spolia Orientis;quis ad manubias tam opimas non accurrat,imò aduolet? Bessarion Card.memoriæ prodidit, Mahometem, qui duo imperia,duodecim regna,& trecentas vrbes ipsamq; Constantinopolim expugnauit,nõ nisi duos milliones annui census habuisse. Quis Christianorum Regum non habet longè plures ? Sed vna Constantinopolis dedit ei prædam sedecim millionum.Porrò facile erit Pontifici Max. solidum belli sacri ærarium in annos aliquot erigere, si à singulis Regibus & Principibus Christianis corroget id,quod quisque pro re tam pia, tam vtili,tam sibi & toti Reipubl.Christianæ necessaria volens lubensq; conferet. Vnus Rex Catholicus pro suo fidei zelo iam à 57.annis quotannis in Belgicum bellum,in vnam inquam modicam prouinciam, plures milliones expendit;quid non impendet in totum Orientem, ipsamque Ierusalem,cuius ipse se hereditario iure Regem indigitat? Rex quilibet conferat millionem,Princeps vel Respubl.quælibet aliquam millionis portionem; exurget ærarium non tantùm sufficiens, sed & abundans. Omitto vltroneas mercatorum, aliorumq; diuitum in tam pium bellum oblationes, pensiones opimis beneficiis, eleëmosynas fidelibus in Iubilæo in hanc rem à Pontifice indicendas: ex quibus multorum millionum summa conflabitur.Si quilibet ditiorum vel aureum conferat,ex tot diuitum per totum orbem millionibus, quot aureorum milliones consurgent? Taceo dispensationum,priuilegiorum,peccatorum aliorumque mulctas, quæ piè ad tam pium opus exigi queunt & applicari.Sanè Innocentius III. Pontif. quadragesimam reddituum partem Clericis omnibus in vsum belli sacri indixit: Regi verò Galliæ, & Regi Angliæ ita scribit & præscribit lib.2.epist.239. *Tu ipse ad defensionem terræ sanctæ competentem in expensis tuis dirigas numerum bellatorum,quasi decimas saltem Christo persoluens,ita quòd ex hoc diuinam gratiam possis pleniùs promereri.* Idem rursum Clericis per triennium vigesimam reddituum partem, in eumdem finem sub pœna excommunicationis indixit.Euntibus verò ad bellum sacrum tributa,quin & vsuras creditoribus debitas relaxauit: ac generalem inter Christianos toto orbe pacem per quadriennium seruandam, sub pœna anathematis sanxit.Paulus III.Carolo V. in Africam contra Saracenos castra mouenti, decimas omnium in Hispania beneficiorum attribuit.Pius V.Pontificios reditus omnes in vsum belli sacri,similiumque piorum operum contulit, ideoque illustrem illam de Turcis apud Naupactum victoriam retulit.

Iam verò dissensionis aut discordiæ inter nationes & principes numquam minus fuit periculum, quàm hoc sæculo. Deus enim opt.max.nobis dedit Reges & Principes mirè Catholicos, optimos, piissimos, Sedi Apostolicæ summè addictos & deuotos (vt taceam omnes affinitate arctâ inuicem deuinctos) cuius proinde distributionem, arbitrium & sententiam omnes promptè sequẽtur.Sic sæculo elapso Alexander VI.Pont. Indiarum limites diuisit,proprioque statuit Hispanis & Lusitanis : hinc

vtrorum-

vtrorumque mira in iis concordia. Hæc ergo Sedes Apostol. sacræ huius expeditionis, vti aliàs semper fuit, ita & nunc erit arbiter & iudex; imò choragus, director, moderator. Hæc cuique suas operas & prouincias partietur. Hæc spolia & lucra diuidet. Hæc lites omnes iudicabit & componet. Hæc nouos Principes & Reges, si opus sit, instituet & creabit. Atque ista est propria huius æui gratia & felicitas, ad commune hoc Ecclesiæ negotium conficiendum vti maximè oportuna & accommoda, ita hoc fine à Deo prouisa & donata. Denique obuia est concordiæ ratio, si quisque deorsim loco sibi commodo communem hostem inuadat, & quidquid ei adimit, iure belli occupet, sibiq; vendicet. Achilles Tarduccius libello, *Quòd Turca vincibilis*, demonstrat Turcam à solis Hungaris vinci posse, quinquaginta Christianorum millibus in aciem productis. Suffragatur Anonymus illi additus *De statu imperij Turcici*, qui per calculum arithmeticum ostendit bellũ contra Turcam geri conficiq; posse quotannis quatuor auri millionibus; exercitu verò quadraginta millium peditum, & bis mille equitum, addita ei classe centum triremium. Rursum fœdus Christianorum Principum à Leone X. Pont. contra Selymum sancitum, ac prouincias cuique ad inuadendum occupandumque attributas, recenset Fr. Guicciardinus, & ex eo Lazarus Sorantius in Ottomanno c. 118. Qui & addit Leonem decreuisse, ante omnia vim auri maximam congerendam, tum ex ordinariis Principum contributionibus, tum etiam vt singulis Christianis certum aliquod tributum, huius belli nomine imperaretur.

Porrò experientiâ constat, omnem in debellando hucusque Turca difficultatem constitisse in diuisione & dissensione Principum Christianorum; adeoque Reipubl. Christianæ languorem tum prodiisse & se prodidisse, cùm Monarchia transiit in Polyarchiam; sicut ex aduerso Turcarum robur emicuit, cùm Polyarchiam Ottomannus in Monarchiã transtulit. quocirca Turcæ, cùm sit Monarcha singulis Regibus potentior, à Christianis resisti nequit, nisi ad Monarchiam redeant, vt Monarchæ infideli Monarcham fidelem opponant. Et quis hîc magis idoneus, quàm Summus Pontifex? Bessarion Cardin. sapientissimus asserebat, *Turcam similem esse lupo, qui cùm sit pili concoloris, canes pilo discolores vel infinitos non metueret; paucis verò vnius pili conspectis, fugam adornaret.* Ita prorsus Christianos Principes, licèt plurimos & potentissimos, si discordes sint, non metuit, sed ridet Turca: paucos, si concordes sint, reformidat & fugit. Quin & Solymannus ipse Caroli V. æmulus & antagonista, vt Ferdinando Imp. Caroli fratre se potentiorem ostenderet, eius Legato insultans dixit: *Se esse draconem vnius capitis, sed multarum caudarum; Ferdinandum verò & Christianos esse draconem multorum capitum, sed vnius caudæ.* q.d. Christianorum imperium est polyarchicum, ideoque discors & imbecille: meum verò est monarchicum, ideoque concors & validum. Igitur in hoc bello subdant se Principes Christiani, vti faciunt, Romano Pontifici; atque hac ratione Monarchiam Christianam redintegrabunt, eamque Turcicâ longè validiorem constituent, ac mari æquè ac terra Turcam inuadent: quod omnino faciendum censuit Carolus V. Porrò ne quis fidelis vel hæreticus ditiones Principum, eo tempore quo bellum sacrum capessunt, quouis titulo inuaderet, Eugenius III. cauit sub pœna anathematis. Idem cauit Innocentius III. quem paulò antè citaui. Cauent & Principes fœderati: fœderis enim prima conditio est, vt, si quis vnum inuadat, cæteri omnes eum,

quasi publicum Christi & Christianæ Reip. hostem & proditorem persequantur, ac regno, principatu, dominio, opibus, rebusq; omnibus priuent & spolient. Det Deus, vt omnes omnino ad pristinam vnionem & Monarchiam ab eo sancitam, hoc Iubilæo reuertantur.

Quapropter de felici belli exitu optimè sperandum est, & vix dubitandum, præsertim si, vti Mose orante Iosue vincebat Amalec, ita & nos cum Machabæis Numinis opem, precibus, ieiuniis, sanctâ vitâ, bonisque operibus assiduè nobis conciliemus: quarum rerum Iubilæum hoc illicium est, imò inchoatio & præludium. Sanè hisce annis plures viri Religiosi sanctitatis & prophetiæ opinione celebres, prædixerunt certò instare ruinam Turcici imperij, ac Christianos breui potituros terra sancta.

Emitte, ô Sanctissima Trinitas, ex alto, per Verbi tui incarnati acerbissimos dolores, crucem & merita, Spiritum tuum sanctum, spiritum sapientiæ, consilij, pietatis & charitatis, vt omnes fideles & Principes in tua fide, cultu & amore concordes, studeant resistere, imò tuo regno subigere omnes Saracenos, Paganos & infideles; vt tuum nomen & gloriam agnoscant & celebrent omnes gentes; vt omnis terra confiteatur nomini tuo sancto. Dilexisti *Domine portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Vt quid ergo *Deus venerunt Gentes in hereditatem tuam, polluerunt nomen sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam?* Terra in qua te laudauerunt patres nostri, tradita est alienigenis, qui assiduè sacrilego ore blasphemant nomen tuum, & Christi tui. Locus in quo Christus operatus est salutem in medio terræ, possidetur ab Antichristianis. Exurge, Domine, vindica probrum tuum. Excita è Christianis Machabæos, qui gentes conterant & conuertant, qui tibi tuam gloriam, Ecclesiæ suum regnum, terræ sanctæ auitam fidem & sanctitatem asserant, ac postliminiò restituant. Excitasti nuper inuictum Poloniæ Regem, qui prælia hæc inchoaret tanta fortitudine, æquè ac felicitate, vt vnus ipse non solùm omnes Turcarum vires sustinuerit, sed & assiduis præliis eos attriuerit, fregerit, & ad pacem coëgerit; planè vtique protriturus, si auxiliariis aliorum Principum copiis opibusq; suffultus, bellum hoc suisset prosecutus. Sanè Christianis Regibus ipse vnus, Deo auspice, viam præiuit strauitque, ac pariter ostendit, quàm facilè communis ille Ecclesiæ hostis hactenus cunctis formidabilis, subigi, imò deleri & exterminari possit, si Christiani Principes iunctis animis malint bellum in ipsum capessere, quàm inerti desidiâ, & priuatarum rerum respectu communibus incendiis deflagrare; si communibus viribus eum impetant, diuersisque copiis & locis inuadant, vt non tantùm eum procul à suis finibus arceant, sed & planè profligent ac extirpent; si concordibus studiis in communi periculo quod quisque potest præsidij, id in medium conferat. Ita res Christiana beata, inuicta, & æterna hac concordiâ est futura. Idipsum ergo ingere & persuade cæteris Principibus, eosque sancto fidei & charitatis fœdere constringe, vt vnanimes, læti & alacres constanter prælientur prælium Domini, prælium Christi, prælium Patris & Filij & Spiritus S. ita vbique terrarum seruiemus tibi humero vno, vno corde & ore; vbique tibi psallemus; vbique agemus Iubilæum, cùm terra sancta, totusque orbis ad pristinam fidem, ad pristinum herum & dominum suum reuertetur; vbique tibi in linguæ mentisque iubilo, exultantibus animis & vocibus iubilabimus, *Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto.* Hocce fidelium, hocce meum vnicum est votum, quod mihi ab olim ô SS. Trinitas inspirasti, & inspirare non desinis,

vt

vt assiduè desiderem, & obsecrẽ te pro excidio Mahometismi, Hæresis & Paganismi. Vtinam triplicem trium horum tuorũ hostium ruinam, ante mortẽ videre contingat, vt toto orbe sit vnũ Christi ouile & vnus pastor! Tunc vtique lætus occumbam, canamque & iubilabo cum S. Simeone: *Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum: quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Tunc pariter occinet S. Iohannes suum illud: *Vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Tunc modulabitur Tobias illud c. 13. *Jerusalem ciuitas Dei, luce splendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te,* &c. *Portæ Ierusalem ex sapphiro & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido & mundo omnes plateæ eius sternentur, & per vicos eius Alleluia cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, & sit regnum eius in sæcula sæculorum super eam. Amen.* Tunc rursum psallet regius Vates: *Omnes Gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Elegit nobis hereditatem suam, speciem Jacob, quam dilexit. Magnus Dominus, & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius. Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni. Deus in domibus eius cognoscetur, cùm suscipiet eam. Lætentur cæli, & exultet terra, commoueatur mare, & plenitudo eius. Dominus regnauit, exultet terra, lætentur insulæ multæ: Adorate eum omnes angeli eius; audiuit & lætata est Sion. Exultauerunt filiæ Judæ propter iudicia tua Domine. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: omnis spiritus laudet Dominum. Alleluia.* Tunc exultabit Isaias: *Laudate cæli, quoniam misericordiam fecit Dominus: iubilate extrema terræ, resonate montes laudationem, saltus & omne lignum eius: quoniam redemit Dominus Iacob, & Israel gloriabitur. Ecce isti de longè venient* (ad Ieruſalem) *& ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terra Australi. Laudate cæli, & exulta terra, iubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur. Surge, illuminare Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui,* &c. Tunc buccinabit Sophonias: *Lauda filia Sion, iubila Israel: lætare, & exulta in omni corde filia Jerusalem. Abstulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos: rex Israel Dominus in medio tui: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude.* Tunc iubilabit Zacharias: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator,* &c. *quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius. Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

Apoc. 21.
Psal. 46. 47. 95 96 97. 150.
c. 44. 23.
c. 49. 12.
c. 60. 1.
c. 3. 14.
c. 9. 9.

Fac me voti mei, imò tui compotem Iesu Christe Saluator, amor noster. *Hæc est* enim, sicut ipse Patrem pro nobis precando dixisti, *vita æterna, vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*; ac vicissim Pater tibi promisit dixitque: *Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Tu quoque sancta Dei genitrix, Patris æterni filia, Verbi incarnati mater, Spiritus sancti sponsa, quæ sola cunctas hæreses interemisti in vniuerso mundo, has quoque nostri æui interime. Assere tibi terram sanctam, quasi tuum natale solum; assere Hungariam, olim tibi clientem & supplicem, ideoq; regnum Virginis nuncupatam; assere cæteras prouincias: quia cunctarũ es Regina & Domina. *Tu enim* (ait S. Cyrillus hom. 6. contra Nestorium) *es pretiosa margarita orbis terrarum: tu lucerna inextincti luminis, coro-*

Ioan. 17. 3.

na

na virginitatis, ſceptrum orthodoxæ fidei, templum indiſſolubile, continens eum qui nuſquam contineri poteſt, mater & virgo. Per te Trinitas ſanctificatur, per te crux pretioſa dicitur. Per te exultat cælum, lætantur Angeli & Archangeli, fugantur dæmones, & homo ipſe ad cælum reuocatur; omnis creatura idolorum errore detenta conuerſa eſt ad notitiam veritatis, & in toto orbe terrarum conſtructæ ſunt eccleſiæ. Te adiutrice gentes veniunt ad pœnitentiam. Per te vnigenitus Dei filius, vera illa lux, effulſit ſedentibus in tenebris & vmbra mortis. Te Prophetæ prænunciarunt, te Apoſtoli ſummis laudibus celebrarunt. Dirige ergo vniuerſos, ô inclyta maris ſtella, inter æſtuantes huius ſæculi fluctus & turbines, recto curſu ad orthodoxam fidem, virtutem, ſanctitatem, & tandem ad portum ſalutis æternæ: Monſtra te eſſe matrem monſtrantium ſe tuos cupere eſſe filios. Da per potentes tuas ad Filium preces nobis omnibus, VIVERE DEO, VIVERE CAELO, VIVERE ÆTERNITATI: DA CHRISTO FRVI, ILLI IVBILARE PER OMNIA SAECVLA. Hoc eſt enim omnis homo. Amen.

MVTIVS

MVTIVS VITELLESCVS, SOCIETATIS IESV PRÆPOSITVS GENERALIS.

CVm Commentarios in duodecim Minores Prophetas P. Cornelij Cornelij à Lapide, noſtræ Societatis, aliquot eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lucem edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, ſi ita ijs ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus Romæ 10. Octobris, anno 1623.

Mutius Vitelleſcus.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo Florentius de Montmorency Soc. IESV *in Prouincia Flandro-belgica Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi factâ à Reu. Admodum P. N. Mutio Vitelleſco, Præpoſito Generali; concedo Martino Nutio Typographo Antuerpienſi facultatem typis mandandi Commentarium in XII. Prophetas Minores, auctore R. P. Cornelio Cornelij à Lapide, Societ. noſtræ Theologo. In quorum fidem has litteras manu mea ſubſcriptas, & officij mei ſigillo munitas dedi, Louanij 7. Martij, anno 1624.*

Florentius de Montmorency.

APPROBATIO CENSORIS.

HÆc Commentaria R. Patris Cornelii Cornelii à Lapide Soc. IESV *in Prophetas Minores, ſtudio ac labore magno conſcripta, ſunt docta ac pia, & maximè digna, quæ tam doctiorum, quàm ſtudioſorum manibus terantur. Quod iudico 22. Januarii, anno 1625*

Egbertus Spitholdius, S.T. Licentiatus, Canonicus & Plebanus Antuerp. Librorum Cenſor.

SVMMA PRIVILEGII S. CÆSAREÆ MAIESTATIS.

FERDINANDVS diuina fauente clementia, electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hungariæ, &c. Rex, diplomate ſuo ſanxit, nequis *R. P. Cornelij Cornelij à Lapide Soc.* IESV, *& Sacrarum Litterarum in Collegio Romano Profeſſoris, in duodecim Prophetas Minores Commentaria*, per totum Romanum Imperium, aut regna ac prouincias Imperio ſubiectas, præter Martini Nutij Typographi Antuerpienſis voluntatem intra decennium imprimat, vel alibi impreſſa illuc inferat. Qui ſecùs faxit, præter exemplarium confiſcationem, decem marcharum auri puri fiſco Cæſareo inferendarum pœna multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Viennæ, die 27. Auguſti, anno Domini 1623.

Signat

FERDINANDVS.

Ad mandatum Sac. Cæſar. Maieſt. proprium.

V^t. Petrus Henricus à Stralendorff, I.D.

Hermannus à Queſtenbergh.

SVMMA PRIVILEGII REGIS HISPANIARVM.

PHILIPPVS Dei gratia Hiſpaniarum, &c. Rex Catholicus, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, ne quis præter Martini Nutij Typographi Antuerpienſis voluntatem, *R.P. Cornelij Cornelij à Lapide Soc.* IESV *ſacerdotis, & Sacrarum Litterarum in Collegio Romano Profeſſoris, Commentaria in duodecim Prophetas Minores*, intra decennium in Belgio excudat, aut alibi terrarum vel locorum excuſa in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venialiaúe exponat. Qui ſecùs faxit, præter exemplarium confiſcationem, duodecim florenorum Rhenenſium pro vnoquoque exemplari perſoluendorum pœna multabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 7. Martij, anno 1625.

Signat

I. Cools.

IN DVODECIM MINORES PROPHETAS COMMENTARIVS.

PROOEMIVM

PROLEGOMENA hîc pauciora prę-mitto: quæ enim Prophetis maioribus præfixi, eadē minoribus seruiunt. Rem ergo aggredior: studeo enim breuitati, vt totam S. Scripturam octo vel nouem tomis complectar, quod viri sapientes postulant. Notat S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. c. 19. & Ruffinus præfat. in Oseam, duodecim Prophetas minores dici respectu quatuor maiorum, putà Isaiæ, Ieremiæ, Ezechielis & Danielis, non eò quòd iis sententiarum grauitate, & rerum verborumque maiestate cedant; sed ob sermonis & librorum breuitatem. Potuissent & ipsi paria maioribus volumina scribere, si voluissent: per multos enim annos munere concionandi & prophetandi functi sunt, vti Oseas vsque ad annum ætatis nonagesimum strenuè hoc officio perfunctus est. Ex quo liquet, eos multa vaticinando & concionando dixisse, quæ scriptis non tradiderunt; idque ex studio modestiæ & humilitatis, vt minores essent & haberentur, nec maioribus æquarentur. Quo studio impulsus humilis S. Franciscus, se & suos fratres Minores esse & nuncupari voluit. Vnde cùm Cardin. Hostiensis, qui postea creatus Pontifex, Gregorius IX. dictus est, ab eo quæsisset: vtrùm sibi placeret, vt fratres sui promouerentur ad Ecclesiasticas dignitates; respondit: *Domine Minores ideo vocati sunt fratres mei, vt maiores fieri non præsumant. Si vultis vt faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos & conseruate in statu vocationis eorum, & ad Ecclesiasticas prælationes nullatenus ascendere permittatis.* Ita refert S. Bonauentura in vita S. Francisci c. 6. Eodem studio & spiritu actus S. Paulinus Nolæ Episcopus, vir nobilis genere, ingenio, virtute, sapientia & eloquentia, quam mirè extollūt S. Hieron. & Augustinus rogatus vt scriberet in S. Scripturam, respondit se minùs peritum esse, & indignum qui tam sublimes & diuinos libros interpretaretur. Quare numquam calamum huic operi admouere voluit, sed aliis minùs sublimibus, epistolis & carminibus, quæ etiamnum extant, & viri doctrinam, æquè ac modestiam, religionem, mundiq; contemptum testantur. Ita habet eius Vita. Addit S. Chrysost. hom. 9 in Matt. *Multa*, inquit, *ex Propheticis perierunt monumentis: desides enim cùm essent Iudæi, nec desides modò, sed & impij, alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tum incenderunt, tum conciderunt. Et de profanitate quidem tali Ieremias refert c. 36. 32. De negligentia verò 4. Reg. 22. legimus, quoniam post multum temporis vix Deuteronomij volumen sit repertum, defossum quodam in loco, ac penè deletum.*

Hi Prophetæ cur vocentur minores.

Itaque maluerunt hi nostri Prophetæ multis oraculis, pauca tantùm, nimirum præcipua, capita suorum oraculorum & concionum conscribere, quæ Iudæis dictorum à se, & ab iis auditorum, memoriam iugiter refricarēt, quæque ipsi, æquè ac posteri, præsertim Christiani, ob prolixitatem non fastidirent, sed ob breuitatem auidè legerent. Verbo enim paucis, scripto toti consulitur posteritati. *Zacharias* (& quilibet doctor) ait Tertull. lib. de Idolol. c. 23. *loquitur in stylo, auditur in cera: manus omni sono clarior, littera omni ore vocalior.* In hac ergo Prophetarum breuitate magna & prægnans est rerum copia, magnus dicendi neruus, magnum pathos, densus & multiplex sensus. Audi S. Hieron. proœmio in epist. ad Philemon. *Sed*, ait, *mihi videntur dum Epistolam simplicitatis arguunt, suam imperitiam prodere, non intelligentes quid in singulis sermonibus virtutis ac sapientiæ lateat. Si autem breuitas habetur contemptui, contemnatur Abdias, Nahum, Sophonias, & alij duodecim Prophetæ, in quibus tam mira, & tam grandia sunt quæ feruntur, vt nescias vtrùm breuitatem sermonum in illis demirari debeas, an magnitudinem sensuum.* Quocirca idem hîc in proœmio, Oseam vocat *commaticum, & quasi per sententias loquentem*: breuibus enim sententiis quasi per commata intercisis, multas magnasque respatheticè eloquitur; nimirum sapiens vti verum vno mentis cernit in ictu, ita idem enunciat, vnoque dentis verbique dicit & dictat in ictu. Sed audi ipsummet S. Hieron. *Osee commaticus est, & quasi per sententias loquens. Ioël planus in principiis, in fine obscurior. Et vsque ad Malachiam habent singuli proprietates suas.* Et in prologo Galeato: *Duodecim*, ait, *Prophetæ in vnius voluminis angustias coarctati, multò aliud, quàm sonet in littera, præfigurant.* Hîc ergo verum est istud quod de apibus cecinit Virgil. in Georgic.

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Nam, vt ait Eccles. c. 11. 3. *Breuis*, græcè μικρὸς, id est parua, *in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Hinc ista vox apum:

Magna etenim est nobis in paruo corpore virtus.

S. Paulus corpore Tydeus, animo Hercules.

Vt Tydeo illi, pusillo mole corporea, sed mente gigantea, qui Tydeus fuit statura, sed animo Hercules, solers Vlysses. Virtus enim compressa fit fortior, & maiores impetus plagasque aduersariis infligit. Apostolus, vti nomine, ita corpore Paulus fuit & pusillus; sed sapientia & spiritu excelsus, imò longolius. *Tricubitalis est*, ait S. Chrysost. *& cælos sideraq; transcendit.* Ita Prophetæ minores tricubitales sunt, si verba & sententias spectes; sed sapientia & sensibus æthera transcendunt. Egregiè S. Paulinus epist. 1. inter sex quas scripsit ad Amandum: *Sicut mellis*, inquit, *gutta idem sapit, quod totus fauus; sic & in vno licèt verbo stillicidium linguæ vestræ, totum sanctæ animæ vestræ saporem refert. Nec ideo margarita vilis est quia exigua, sed ideo magis pretiosa, quia & in exiguo modò magnum pretium habet. Sed & granum sinapis, quod minimum videtur in semine, maximum tamen extat in olere: ideo etiam breuis sermo vester, dulcedinem simul ac vigorem verbi cælestis tenet.* Sic Alanus in Anti-claudiano laudat Symmachum vrbis præfectum sub Theodosio Imp. à neruosa styli breuitate, dicens:

Symmachus in verbis parcus, sed mente profundus:
Prodigus in sensu, verbis angustus: abundans
Mente, sed ore minor: fructu, non fronde, beatus,
Sensus diuitias verbi breuitate coarctat.

Non dubitat Poëta muscam exiguam cum rege componere:

Deus in minimo eminet maximus.

An quisquam conferre neget cum principe muscam?
Eminet in minimis maximus ipse Deus.

Tria parua, sed efficacia:

Vipera, si memini, prima est, formica secunda,
Tertia cui proprio nectare lucet apis,
Non te parue culex, formica, aut vipera, non te
Vatis Bilbilici clarior esset apis.

Porrò Virgil. lib. 4. Georg. apim esse, vel habere quid numinis asserit:

Esse apibus partem diuinæ mentis, & haustus
Aethereos dixere: Deum namque ire per omnes
Terrasq; tractusq; maris, &c.

Homines statura parui, communiter magnanimi sunt. Cor membrorum minimum, ipsum tamen est quasi focus & arx corporis, & alterum quasi animal, primum viuens & vltimum moriens, vitæ, sensus & motus fons & origo: quin & animalia generosa, vt leo, paruum habent cor; quæ verò magnum habent, vt hyæna, lepus, ceruus, asinus, panthera, mustela, timida & pauida sunt, ait ex Aristot. Plinius l. 11. c. 37. Adeò Deus & natura, paruos & parua amant: & in paruis vasis sua cimelia recondunt. *Nulli* enim *paruus est census, cui magnus est animus*, ait S. Leo serm. 2. de Quadragesi. Quocirca Philosophus interrogatus, quid minimum esset simul & maximum; cùm vnus dixisset esse oculum, eò quòd membrorum sit minimum, & tamen totum mundum, qui maximus est, visu comprehendat; respondit non esse oculum, sed cor, tum ob rationem iam allatam, tum quia cor non solùm mundum, sed & ea quæ supra mundum sunt, adeoque res infinitas mente, amore & affectu complectitur, nec vlla re nisi Deo, qui immensus est, repleri & satiari potest. Denique cor humilitate minimum, virtute & gloria est maximum, vti docet Christus Matth. 18. 4. & c. 19. 26.

Præclarè Sapiens Prouerb. 30. 24. *Quatuor*, ait, *sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientioribus. Formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi. Lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum. Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas. Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.* Sapienter quoque Manilius lib. 4. Astron.

Nec contemne tuas, quasi paruo in corpore vires.
Quod volat, immensum est. Sic auri pondera parui,
Exuperant pretio numerosos aris aceruos.
Sic adamas punctum lapidis pretiosior auro est.
Paruula sic totum peruadit pupula cælum;
Quoq; vident oculi, minimum est, cùm maxima cernant.

Sic animi sedes tenui sub pede locata,
Per totum angusto regnat de limite corpus.

Gaudet ergo natura, æquè ac Deus qui est natura naturans auctorque naturæ, magna, imò magnitudinem suam imminuere, contrahere & coarctare ad parua, vt ibi vnita densetur, eoque magis resplendeat, quo in minori minor esse gestit. Quid maius macrocosmo & vniuerso? hoc tamen Deus totum collegit in homine, dum eum microcosmum effecit. Quid sublimius Verbo æterno, Dei filio? hic tamen in infantili corpore integer inhabitare voluit, eique se adæquauit. Hoc est Verbum abbreuiatum, portentum sæculorum, de quo Apostolus Roman. 9. 28. ait: *Verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Nam, vt de eodem vaticinatus est Isaias c. 10. 22. *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam.* Quid magnificentius Christo, vero Deo & homine? & tamen ipse in exigua Eucharistiæ hostia, imò in quolibet eius puncto totum se sistit. Magnus ergo esse cupis? Deum imitare: ab eo viam & modum grandescendi disce: humilia, abbreuia, coarcta te, & magnus euades, Deoque similis. Sic angelus in punctum loci se contrahit: sic & anima tota est in qualibet corporis particula. Sic Orator conuoluulum florem vocauit, rudimentum naturæ, lilium facere condiscentis: pari modo humilitas conuoluula est rudimentum animæ, qua ad apicem virtutum scandere condiscit. Denique aureum est istud Poëtæ:

Quidquid præcipies esto breuis, vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

Et Cicero lib. 1. de Orat. oratori hoc dicendi dat præceptum: *Satius est minus quàm nimis. Facilius enim cuiusque rei in vnum contracta species, quàm diuisa temporibus, oculis animisq; inhæret*, inquit Velleius Paterc. lib. 1. Hac de causa hi Prophetæ breues & contracti potiùs, quàm fusi & prolixi esse maluerunt.

Argumentum minorum Prophetarum.

Argumentum minorum Prophetarum idem est quod maiorum, nimirum arguunt idololatriam, aliaque Hebræorum peccata, quæ Ieroboam erigendo vitulos aureos, quasi Deos in Dan & Bethel, inuexerat, ad hoc, vt per schisma religionis, faceret & schisma regni decem tribuum à regno duarum, Iudæ scilicet & Beniamin, ne videlicet decem tribus occasione sacrorum & cultus diuini, ex lege celebrandi in Ierusalem, à se suoque regno ad duas tribus, & regem Roboam redirent. vt patet 3. Reg. 12. 26. Deus ergo quasi pius pater, ad eos reuocandos misit Prophe-

Prophetas, qui tum decem tribus, tum duas reliquas hoc quoque idololatriæ contagio, ob vicinitatem & affinitatem decem tribuum, infectas de hiſce ſceleribus corriperent, comminando eis captiuitatem Aſſyriacam & Babylonicam; itaque eas ad antiquam patrum fidem & pietatem reuocarent, ac ad Dei cultum & amorem accenderent: qua de cauſa addunt vaticinia lætaque promiſſa de Chriſto, deque Eccleſia, Sacramentis, gratia, omnique felicitate ab eo afferenda in nouo teſtamento: ideoque ſæpè hi Prophetæ à Chriſto, Paulo & Apoſtolis citantur. Nam, vt ſapienter ait S. Auguſt. in Sententiis n. 214. *Stultus eſt qui non credit denunciationibus Prophetarum in paucis quæ reſtant, cùm videat tam multa completa, quæ tunc non erant, quando prædicebantur implenda.*

Porrò facillimum eſt mutato tantùm nomine, quæ Iudæis hîc ob idololatriam, aliaque ſcelera ad litteram intentât Prophetæ, tropologicè applicare Chriſtianis, atque animæ cuilibet, quæ per peccatum à Deo ad ſuas cupiditates abit, ac præſertim ad hæreſin, cui paſſim hæc tropolog. adaptat S. Hieron. nam, vt ipſe ait in c. 14. Oſee, guloſi Deus & idolum eſt venter, auari mammona, hæretici ſua hæreſis, ſuumque commentum & dogma. & ita de cæteris. Quocirca æquè Chriſtianis ac Iudæis ſua oracula dictarunt & conſignarunt Prophetæ.

Sunt XII. numero.

Iam verò Prophetæ minores numero ſunt duodecim, inſtar duodecim Patriarcharum, & duodecim tribuum ad quas mittebantur. Fuerunt enim ipſi Patriarcharum ſuppares, imò ſui ævi duodecim Patriarchæ, duodecim tribuum duodecim Doctores, duodecim Apoſtolorum duodecim prodromi & antitypi, imò veri veteris teſtamenti Apoſtoli & Euangeliſtæ.

Meritò ergo Eccleſiaſticus celebrans heroës Hebræorum, hoc elogio duodecim hoſce Prophetas celebrat & condecorat cap. 49. 12. *Duodecim Prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo.* q. d Oſſium & ſepulchri, ac per conſequens ipſorum duodecim Prophetarum virens ſemper, grata & florida ſit memoria; nomen & fama eorum cum ſepulchris & monumentis ipſorum perennet, vt videantur reuiuiſcere, & magis viuere defuncti, quàm cùm reipſa viuerent; adeò eorum laus, decus & gloria promanet ad poſteros, imò permaneat in æternum, vt, quoties poſteri inſpexerint eorum oſſa & ſepulchra, toties eorum virtutum & oraculorum glorioſam memoriam renouent & celebrent, dignoſque prædicent quorum oſſa inter Patriarchas & Apoſtolos, ad gloriam cæleſtem reſurgant in vniuerſali hominum reſurrectione. Eſt metalepſis: oſſa enim ponuntur pro ſepulchro, ſepulchrum pro ſepultis, putà pro ipſiſmet Prophetis; nimirum contentum ponitur pro continente: & pullulare idem eſt quod ſemper vigere & florere. Cauſam ſubdit: *Nam corroborauerunt Iacob* in fide & pietate vnius veri Dei & Meſſiæ, quem prædixerunt venturum: *corroborauerunt*, inquam, tum vaticinando, tum ſuis meritis & precibus robur & auxilium Dei populo impetrando: *& redemerunt ſe in fide virtutis*, putà in fide non quali quali, ſed valentiſſima & potentiſſima; vel *in fide virtutis*, id eſt, in fidelitate maximè ſtrenua & efficaci, *redemerunt*, id eſt liberarunt & immunes præſeruarunt ſe ab omni culpa, pœna & calumnia: quia non niſi ea quæ Deus eis reuelabat, fideliter & conſtanter prolocuti & vaticinati ſunt. Simili enim phraſi de Ioſue, aliiſque Iudicibus Iſrael dicit idem Eccleſ. cap 46. 13. *Et Iudices, quorum non eſt corruptum cor, qui non auerſi ſunt à Domino vt ſit memoria illorum in benedictione, & oſſa eorum pullulent de loco ſuo*, hoc eſt, vt explicans ſubdit, *& nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, ſanctorum virorum gloria.* Oſſa ergo hæc Prophetarum etiamnum pullulant, & pullulabunt vſque ad finem mundi, dum ipſi per ſua monumenta & oracula Chriſtianis, Iudæis, omnibuſque gentibus aſſiduè prædicant, & prædicabunt Meſſiæ aduentum, eiuſque fidem, mores, ſpiritum, omnemque virtutem & ſanctimoniam.

Myſticè Prophetæ quid?

Myſticè S. Bernard. ſerm. 2. ad Fratres, in illud, *Hæc eſt generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob*, docet omnes verè Religioſos, myſticè eſſe Prophetas, eò quòd perſpicaci mentis acie eminus proſpiciant ſuperna, abſentia & futura; quòd eorum mens, cogitatio & conuerſatio in cælis ſit, indeque ex ſummo cælorum vertice, quaſi aquilæ, exiguum hoc terræ punctum reſpiciant & deſpiciant; quòd in altis æternitatis montibus commorentur, indeque ſub ſe videant & rideant inanes honorũ opumque pompas, reges & principes quaſi formicas intueantur; regnorum ortus & occaſus, rerum omnium viciſſitudines, temporum gyros & circumuolutiones, cunctoſque ſæculi turbines, flexus & reflexus, quaſi bullas naſcentes & mox denaſcentes, contemplentur. Hi nimirum veri videntes, veri vates, veri myſtæ ſunt; cæteri cæcutientes, præſentia exigua conſpicantur, futura licèt maxima, non præuident; *in terrenis lynces, in cæleſtibus talpæ. Magnum ſanè*, inquit Bernard. *prophetandi genus, cui vos* (Fratres ſuos alloquitur) *deditos eſſe conſpicio; magnum prophetiæ ſtudium, cui vos video mancipatos. Quid illud? Nempe iuxta Apoſtolum, non conſiderare quæ videntur, ſed quæ non videntur, ſine dubio prophetare eſt. Ambulare in ſpiritu, ex fide viuere, quærere quæ ſurſum, non quæ ſuper terram, obliuiſci quæ retrò ſunt, extendi in anteriora, ex magna parte prophetare eſt. Alioqui quonam modo, niſi per ſpiritum prophetiæ, conuerſatio noſtra in cælis eſt? Sic nimirum Prophetæ olim quaſi non inter homines erant ſui temporis, ſed virtute & impetu quodam ſpiritus dies illos tranſilientes, exultabant vt viderent diem Domini; & videbant & lætabantur in ea.* Talis Propheta, talis videns erat regius Vates, ſibi occinens: *Credo videre bona Domini, in terra viuentium.* Talis S. Hilarion, teſte S. Hieron. *qui monebat omnes præterire figuram huius ſæculi; & eam eſſe veram vitam, quæ vita præſentis emeretur incommodo.* Talis Paulus, qui in tertium cælum raptus exclamabat: *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quod enim momentaneum eſt & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et: *Fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum*, ergo futurarum: *argumentum non apparentium*, ergo obſcurarum & propheticarum. Fides eſt mente cernere bona cæleſtia, quæ oculis non vides. Talis videns & videntium pater erat Abraham, qui *fide demoratus eſt in terra repromiſſionis tanquam in aliena, in caſulis habitando cum Iſaac & Iacob, coheredibus repromiſ-*

promißionis eiuſdem. Expectabat enim fundamenta A *habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus.* Iuxta fidem & prophetiam defuncti ſunt Abel, Henoch, Noë, Iſaac, Iacob, Ioſeph, *non acceptis repromißionibus, ſed à longè eas aſpicientes & ſalutantes, & confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem. Fide Moſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: aſpiciebat enim in remunerationem. Fide reliquit Aegyptum.* Quare? *Inuiſibilem enim tamquam videns ſuſtinuit.* Alij fidei & prophetiæ heroës, res ſperandas & futuræ gloriæ brauia ſpeculantes, pro iis *diſtenti ſunt, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus, non ſuſcipientes redemptionem vt meliorem inuenirent reſurrectionem.* Myſtici ergo Prophetæ ſunt, qui vita magis quàm voce, ſingulis inclamant: *Deorſum corpora, ſurſum ſint corda: deſpice terrena, cæleſtia ſuſpice.*

Quibus prophetarint?

Iam QVÆRITVR PRIMÒ, Ad quas gentes propriè miſſi ſunt hi Prophetæ; quibus populis prophetarunt? RESP. Aliqui Prophetarum vaticinati ſunt duabus tribubus tantùm, putà Iuda & Beniamin, alij cæteris decem, alij vtriſque: idque nominibus regum, ſub quibus ſe prophetaſſe ſcribunt; aut nomine populi Iuda, vel Iſrael, aut aliis modis & circumſtantiis ſubindicant, imò ſæpè idipſum clarè exprimunt. Vbi rectè notat S. Hieron. in proœmio: Quoties, inquit, ad decem tribus prophetia tenditur, ſub his nominibus ferè deſignantur, ſcilicet *Ephraim, Samaria, Iſrael, Ioſeph, Iezrahel, Bethel, Bethauen,* & interdum *Iacob*; cùm verò ad duas tantùm, tunc notantur nomine *Iuda, Ieruſalem, Beniamin, domus Dauid*, & aliquando *Iacob*. Porrò decem tribus vocantur *Ephraim* & *Ioſeph*: quia primus eorum rex Ieroboam, & multi deinceps oriundi fuerunt ex tribu Ephraim, qui fuit filius Ioſeph Patriarchæ. Dicuntur eædem *Samaria* & *Iezrahel*: quia hæ duæ erant metropoles regni earumdem. Dicuntur *Iſrael* & *Iacob*: quia poſterorum eius maior erant pars; vnde quaſi plures parentis nomen ſibi appropriarunt. Iacob enim alio nomine vocatus eſt Iſrael, Geneſ. 32.28. Dicuntur *Bethel*: quia in Bethel à Ieroboam erecti fuerunt vituli aurei, putà idola, quæ ipſi coluerunt. Vnde & Bethel dicta eſt per antiphraſin *Bethauen*, id eſt domus iniquitatis: quæ enim tempore D Iacob vocabatur eratque *Bethel*, id eſt domus Dei, Geneſ. 28.19. à Ieroboam facta eſt Bethauen, id eſt, domus idoli & peccati. Porrò Prophetæ Iſraelitis, ob idola aliaque peccata minantur excidium, & captiuitatem Aſſyriacam, quam eis inflixit Salmanaſar anno 6. Ezechiæ regis Iuda: Iudæis verò minantur excidium & captiuitatem Babylonicam, quam eis irrogauit Nabuchodonoſor anno 11. & vltimo Sedeciæ. ſub vtraque verò repræſentant captiuitatem ſtragemque extremam, quam eiſdem inflixit Titus & Romani, ob occiſum ab eis Chriſtum. Illi ergo hæc facilè eſt adaptare, mutato tantùm nomine Salmanaſar & Nabuchodonoſor in nomen Titi, & Chaldæorum in Romanorum.

Nota, initio horum Prophetarum aliquibus Prophetis addi nomina patrum & auorum, aliis non addi. Cauſam diſcriminis nonnulli hanc aſſignant, quòd ex traditione Hebræorum (quam refert S. Hieron. initio in Sophoniam, & S. Baſil. in Iſaiæ c. 1.) patres & aui Prophetarum, qui in titulo eorumdem nominantur, fuerint quoque Prophetæ; cæteri taceantur, eò quòd non fuerint Prophetæ. Sed hæc traditio incerta eſt & dubia, etiam ipſi S. Hieronymo; quinimò eam reiicit & confutat Paulus Burgenſis Hebræorum doctiſſimus, in Oſee cap. 1. Facilior ergo & magis conſona S. Scripturæ ratio eſt, nomina patrum addi iis, quibus ad diſtinctionem & notitiam addere ea opus fuit. Plures enim eodem loci erant tunc viri illuſtres & ſapientes, qui vocabantur Oſee, Ioël, Ionas, Sophonias, Zacharias: hinc vt Prophetæ habentes eadem nomina ab illis ſecernerentur, addiderunt nomen patris, dicendo: Oſee filius Beeri, Ioël filius Phatuel, Ionas filius Amathi, Sophonias filius Chuſi, Zacharias filius Barachiæ. Hāc cauſam dat S. Chryſoſt. initio comment. in Iſaiam, Theodoret. initio comment. in Ioëlem, & S. Gregor. homil. 2. in Ezech. Secunda cauſa eſt: patres aliquorum nominantur, eò quòd fuerint nobiles; vel virtute, ſapientia, officio & auctoritate illuſtres: horum enim nominatio Prophetis aliquam dignitatem & fidem apud populum conciliabat. ita S. Baſil. & S. Hieron. in Iſaiæ 1. Hac enim de cauſa regibus & regali proſapia ortis, quales fuerunt Iſaias & Daniel, patrum nomina (vel certè ſtirps regia) adiiciuntur. Adde, nomina patrum aliquando iuuare ad Prophetæ intelligentiam, & ad quædam myſteria ſignificanda. quæ elegantèr aperit S. Hieron. in cuiuſque Prophetæ initiis, quæque inferiùs ex eodem recitabo.

Cur aliqui patres ſuos nominent, alij taceāt

Eædem cauſæ ſunt, cur in aliquibus nomen patriæ recenſeatur, putà in tribus, ſcilicet Amos, qui oriundus fuit ex Thecua: Michæa, qui ex Moraſthi: Nahum, qui fuit Elceſæus. Ex patria enim quiſque facilè dinoſcitur, & ab aliis ſecernitur. Quod ergo Rabbini nonnulli, vt R. Dauid, cenſent eum cui patria non additur, fuiſſe Hieroſolymitanum, commentum eſt, & falſum eſſe patet in Iona, cui patria non additur, qui tamen fuit Gethæus, non Hieroſolymitanus, vt patet 4. Reg. 14.25.

Quando prophetarint?

QVÆRITVR SECVNDÒ, de tempore & ordine duodecim Prophetarum: Quando nimirum, & quo ordine prophetarint?

Dico Primò: Aliqui Prophetæ non notant tempus quo prophetarunt, quia generales ſunt eorum prophetiæ, & ad omnia ſpectant tempora. Tales ſunt Abdias, Ioël, Nahum, Malachias, Ionas. Alij tempus prophetiæ exprimunt, quia eam aptant certo tempori, aut vt ex tempore adiecto faciliùs & meliùs ipſa materia & ſeries prophetiæ intelligatur. ita S. Baſil. in Iſaiæ 1. & Ruffinus initio comment. in Oſee. Secundò, aliqui tempus omittunt, quia breuitati ſtudent, æquè ac obſcuritati, vt videantur eſſe Prophetæ, non hiſtorici, ac lectoris ſtudium exerceant & acuant. Ita Chriſtoph. à Caſtro lib. 4. de Prophetis cap. 6. Tertiò, continua eſt traditio, ait S. Hieron. initio in Oſee, & Ruffinus in cap. 1. Ioëlis, medios Prophetas qui tempus non præferunt in titulo, prophetaſſe ſub illis regibus (ſaltem ſub extremo

extremo illorum) sub quibus prophetauit præcedens Propheta, qui temporis titulum præfert, excepto fortasse Ioële, qui non sub Ozia, Ioatham, Achaz & Ezechia, vti Osee, qui Ioëlem præcedit, sed sub Manasse ab Hebræis prophetasse perhibetur: & Habacuc, qui pariter sub Manasse prophetauit, non sub Ioatham, Achaz & Ezechia, vti Michæas & Nahum qui Habacuc immediatè præcedunt. Id patebit ex chronotaxi, quam mox subiiciam.

Dico Secundò, probabile est hosce Prophetas penè omnes in Bibliis ordine temporis quo prophetarunt, esse collocatos. Hunc enim ordinem dedit eis tam Synagoga in Bibliis Hebraicis, quàm Ecclesia in Bibliis Latinis. Negat id S. Hieron. hîc in prologo; sed locum eius vitiatum esse, liquet ex proœmio eiusdem in Ioëlem: quare pro *apud Hebræos*, legendum est *apud Græcos*. Græci enim in ordine Prophetarum à Latinis dissentiunt, sed Hebræi consentiunt. Quocirca vltimi fuerunt Zacharias & Malachias: hos enim fuisse vltimos patet ex lib. 1. Esdræ 5. 1. & ex eorum titulo, in quo asserunt se prophetasse sub Dario Hystaspis, qui post Cyrum quartus fuit Persarum rex. Primus ergo, qui ante omnes, etiam ante Isaiam, prophetauit, fuit Osee. Ipse enim ita orditur: *Principium loquendi Domino in Osee*, c. 1. 2. ita Euseb. in Chron. S. Hieron. & alij in Osee 1. 2. Negant hoc nonnulli; vt Christoph. à Castro, censentque Primum fuisse Abdiam: putant enim eum prophetasse tempore Iosaphat & Achab. Hi enim exciderunt Idumæos, vti prædicit Abdias, vt patet 4. Reg. 3. 4. & 1. Paral. 20. 1. Secundum esse Ionam, qui prophetam excidium Niniues, quod factum est sub Sardanapalo, anno 8 Azariæ vel Oziæ regis Iuda. Tertium esse Osee. Verùm hunc ordinem minùs verum videri, ostendam in Abdia & Iona. Certè in omnibus Bibliis Hebræis, Græcis & Latinis Osee primus ponitur; quin & ante Isaiam collocatur à Septuag. qui tamen in aliis nonnullis ordinem inuertunt. Nam in Bibliis Septuag. duodecim Prophetæ hoc ordine collocantur: Primò, Osee; Secundò, Amos; Tertiò, Michæas; Quartò, Ioël; Quintò, Abdias; Sextò, Ionas; Septimò, Nahum; Octauò, Habacuc; Nonò, Sophonias; Decimò, Aggæus; Vndecimò, Zacharias; Duodecimò, Malachias. Deinde subnectuntur Prophetæ maiores, Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel: idque vel quia Osee tempore fuit primus; Osee autem in eodem libro annectuntur cæteri minores: vel quia minores maioribus oraculorum & sententiarum pondere non cedunt, eosque numero superant: sunt enim duodecim, cùm illi sint quatuor. Dixi *penè omnes*: quia si initium cuiusque Prophetæ spectes, putà annum quo quisque cœpit prophetare, præponendi sunt nonnullis Ionas & Nahum, & postponendus Ioël. Hoc enim ordine cœperunt prophetare: Primus omnium fuit Osee, Secundus, Ionas; Tertius, Amos; Quartus, Abdias; Quintus, Michæas; Sextus, Nahum; Septimus, Ioël; Octauus, Habacuc; Nonus, Sophonias; Decimus, Aggæus; Vndecimus, Zacharias; Duodecimus, Malachias. Id ita esse patebit ex harmonia, siue chronotaxi, quam mox subiungam. Vnde S. Chrysost præfat. in epist. ad Rom probat in epistolis S. Pauli non seruari ordinem temporis, quo sunt scriptæ; Quia, inquit, is ordo non seruatur in Prophetis. Iam verò volut Deus prophetare per duodecim Prophetas, vt nemo de eorum veritate dubitare posset, vt pote cùm videt oraculum vnius cæterorum omnium oraculis confirmari, totque haberet testes, quot sunt Prophetæ. Blasphema enim & mendacissima apud Eusebium libr. 5. Histor. cap. 13. est Apellis vox: *Prophetias se ipsas redarguere: esse enim eas à se inuicem discordes, mendaces, & sibi ipsis contrarias*; ac proinde à contrario spiritu & sib repugnante editas.

Qui in minores Prophetas scripserint.

Porrò scripserunt in minores Prophetas S. Hieronymus, Cyrillus, Theodor. Theoph. Ruffinus, non ille Aquileiensis antagonista S. Hieron. nam stylus dissentit; & Gennadius, qui studiosè opera Ruffini Aquileiensis collegit, huius commentarij non meminit. alius ergo fuit hic Ruffinus ab illo. Scripsit & in omnes, vno Osee excepto, Remigius Altisiodorensis, qui vixit sub annum Domini 880. sub Carolo Caluo Imp. Extat in Biblioth. SS Patrum. Item Rabanus, Rupertus, Lyranus, Hugo, Dionysius. Et nouissimè ac exactissimè Christoph. à Castro, Gaspar Sanchez, & Franc. Ribera, qui passim post litteralem, minutim singulorum moralem sensum persequitur. Breuissimè scripserunt Emmanuel Sà & Iohannes Mariana, qui punctim multa tangunt. Hos omnes magno laboris & temporis impendio, à capite ad calcem perlegi, discussi, & in compendium redegi: ac penè decreueram post eos non scribere, iuxta illud: *In syluam ne ligna feras; ne sidera cælo, lucem soli, noctuas Athenis addas; vt videare Sapientum octauus, tertius Cato, quintus Euangelista.* Verùm multa alia vt hæc ederem impulerunt, nimirum, vt æquabili tenore commentarium in totam S. Scripturam perterexerem: sua enim cuique dicendi scribendique est methodus, ab aliis omnibus diuersa & dispar. Rursum vt multa propria adderem. S. Scriptura enim est abyssus, quæ nullis scriptis, vel commentationibus exhauriri, imò nec penetrari potest. Insuper, quia multa docet, nouaque affert ætas & tempus. Proficit enim Ecclesia sapientia, ac velut aurora crescit sensim ad claram vsque meridiem. Alioqui de me sentio & dico, quod de se S. Bernard. epist. 87. ad Ogerum, postulantem à se institutionem rectè viuendi: *Itáne lanam quærit ouis à capra, molendinum aquam à furno, sapiens verbum à stulto.* Extant hîc Romæ in Bibliotheca Vaticana & Medicea, versiones vetustæ Bibliorum duæ, Syriaca & Arabica; eaque duplex, Antiochena & Alexandrina, quas vti subinde citaui in Prophetis maioribus, ita & hîc citabo. Vtramque in Latinum idioma transtulit Illust. & Reuerendiss. Dom. Sergius Risius, Maronita, Archiepiscop. Damascenus, cui Aralbica lingua materna est, Syriaca familiaris; ea enim vtuntur Damasceni & Maronitæ in sacris. Citabo vtramque in locis difficilioribus & illustrioribus ad Prophetas hosce vel illustrandos, vel locupletandos. Varietas enim hæc versionum antiquarum seruit ad S. Scripturæ tum claritatem, tum copiam, quam ambiunt concionatores; quorum rogatu & commodo ad publicum bonum (cui omnes ad Dei gloriam consulere satagimus) hæc mihi edenda communicauit Illustriss. Dom. Risius, cui proinde ea accepta referat lector. Nota

est versio Pagnini; item Tigurina, quam Leo Hebræus, & Theodorus Bibliander, aliique eorum Symmystæ Zuinglij assectæ Tiguri in Heluetia concinnarunt, eamque commentariis breuibus illustrauit Franciscus Vatablus, regius Hebrææ linguæ Parisij Professor: quæ quia ab hæreticis edita est, multaque nouat, & à Vulgata studio dissidet, vt eam tacitè carpat & subruat, hinc sæpè lima & censura indiget.

Denique extat Targum, id est, Chaldaica paraphrasis in Prophetas (æquè ac in cæteros veteris testamenti libros) cuius auctor est R. Ionatham filius Vzielis; sicut Targum Pentateuchi auctor fertur R. Aquila, qui chaldaicè Onkelus dicitur; cæterorum verò R. Ioseph cæcus. Verùm hæc paraphrasis in cæteris libris præterquam in Pentateucho (vbi tamen aliquos quoque nævos habet, vti rectè ostendit Bellarm. l. 2. de Verbo Dei c. 3.) corrupta est aliquibus in locis, & fabulis merisque Thalmudistarum nugis, de duobus Messiis, de tertio templo ædificando Iudæis, de liberatione à captiuitate Titi & Vespasiani, de lamentatione Dei, de ascensione Mosis in cælum, de tabulis legis ex sapphiro throni diuini excisis, &c. conspersa. Quocirca Franciscus Ximenius Cardinalis & Archiepisc. Toletanus, in editione Bibliorum Complut. profitetur in Proœmio se solum Targum edere in Pentateucho. Verùm quia in cæteris libris nonnulla habet quæ valdè fauent Christianæ religioni, hinc illud ibidem quoque edidit Arias Montanus in editione Bibliorum Regiorum: vbi & Apologiam eiusdem scripsit Franciscus Lucas. Citabo illud frequenter ad versionis vel illustrationem, vel copiam, explosis fabulis Iudaicis.

QVÆRITVR TERTIÒ, De phrasi & obiecto Prophetarum, nimirum quo stylo vtantur, & quod obiectum spectent, quidque ad litteram significent?

Vtuntur phrasi & stylo symbolico.

Dico Primò, omnes quidem Prophetas, sed præcipuè hosce duodecim minores, abundare parabolis, symbolis, ænigmatibus: idque tum quia Prophetæ sunt, ideoque propheticè, id est obscurè & ænigmaticè, loquuntur: tum quia breues sunt & concisi: tum quia hoc poscit maiestas Spiritus sancti, ne hæc eius oracula, quasi patula & omnibus perspicua, vilescât, sed velut arcana sapientia plena, cunctis sui venerationem, æquè ac studium excitent: qua de causa Pythagoras, Heraclitus, Pherecydes, Plato & Ægyptij sua dogmata per symbola & ænigmata tradiderunt. Quocirca Origen. homil. 7. in Exodum, cælestia eloquia comparat cum manna, quod cùm esset minutum & rotundum, plenum tamen erat interna suauitate, & vigore admirabili. Et R. Moses apud Galatin. l. 5. c. 6. *Scito*, ait, *quòd clauis intelligentiæ vniuersorum, quæ Prophetæ dixerunt, est intelligere parabolicas & metaphoricas similitudines, ac ænigmata. Scis enim apud Oseam cap. 12. dictum esse: In manu Prophetarum assimilabo. Et apud Ezech. cap 17. Fili hominis ænigmatiza ænigma, & paraboliza parabolam ad domum Israel. Scis rursus quod dicit Sapiens Prouerb. 25. Poma aurea in cancellaturis argenteis, verbum dictum secundùm ambas facies suas. Cancellaturæ argenteæ sunt retiacula argentea, in quibus oculi sunt munitissimi, penetrabiles tamen visu. Est ergo sensus, quòd verbum dictum secundùm ambas facies suas, id est, secundùm interiorem* A *& exteriorem (putà mysticum & litteralem sensum) est sicut pomum aureum in retiaculo argenteo: ac si dicat, necessarium esse, vt sit sensus exterior pretiosus & bonus velut argentum, interior verò multò melior sicut aurum. necesse quoque est, vt sit aliquid in exteriori sensu quod ducat considerationem ad interiorem; quemadmodum pomum aureum vestitum retiaculo argenteo, cùm procul respicitur, vel absque multo intuitu, totum videtur argenteum; cùm habens visum accesserit prouocatus argenti decore, videbit profectò aureum pomum intus latere. Sic sunt verba Prophetarum.* Hucusque R. Moses. Extat hîc Romæ in picturis perelegantibus Bibliothecæ Vaticanæ hieroglyphicum prophetiæ. Pingitur enim ipsa quasi matrona velatis oculis; dextra tenet gladium euaginatum & tubam; sinistra catenam, quæ è sole supereminente descendit, capiti imB minet columba. Velati oculi significant prophetiæ obscuritatem; tuba clangorem prædicationis; gladius minas necis; catena seriem prouidentiæ omnes res & euentus inter se aptè connectentis, quæ à sole, id est à Deo, deriuatur. columba index est Spiritus S. qui locutus est per Prophetas. Verè ergo dixit S. Chrysost. hom. 23. in Acta: *Abyssus quæstionum S. Scriptura est.* Et S. August. serm. 11. de verb. Domin. sec. Matth. *Scriptura vbi aperta est, famem pascit; vbi obscura, fastidium leuat.* Rursum: *Scriptura vbi diluescit, ibi dulcescit.* Vide Clementem Alexandr. lib. 5. Stromat. Vbi inter cætera docet, non tantùm Græcos & Ægyptios, sed & barbaros hisce symbolis vsos. *Aiunt*, inquit, *Idanthuram, Scytharum regem (vt refert Pherecides Syrus) Dario qui Istrum traiecerat, bellum minitantem symbolum misisse pro*C *litteris, Murem, Ranam, Auem, Iaculum & Aratrum. Cùm autem de iis exorta esset dubitatio, Orontopagas tribunus militum dicebat eos tradituros imperium, coniectans ex Mure quidem domos, ex Rana aquas, ex Aue aërem, ex Iaculo arma, ex Aratro regionem. Xiphodres autem contrà est interpretatus. Dicebat enim: Nisi tamquam aues euolauerimus, aut tamquam mures terram, vel tamquam rana aquam subierimus, illorum tela non effugerimus: non enim sumus domini regionis.*

Hinc liquet, quàm profundum, sententiosum & elaboratum sit hoc exiguum Prophetarum opus, vtpotein quo per symbola conscribendo & concinnando, duodecim Prophetæ tanto tempore desudarint: per omnem enim vitam non scripserunt aliud. Fertur Virgilius vix quindenos versus per dies singulos composuisse, vt eos toto die lamberet, relamberet, limaret & expoliret, ideoque quælibet eius verba plena sunt D elegantiæ & doctrinæ. Quocirca paruo hoc suo poëmate inter Poëtas primas tulit, iureque habetur Poëtarum princeps. Verum est illud Apuleij in Floridis: *Nulla res potest esse eadem festinata, simul & examinata; nec esse quidquam omnium, quod habeat & laudem diligentiæ, simul & gratiam celeritatis.* Idem ego in hisce meis commentariis solitaque; breuitate consector, vt pauca scribam, sed succulenta, ac diu sepiusque; per annos viginti quinque, quibus tertiò hosce Prophetas in scholis pertractaui, librata, discussa & expensa.

Dico Secundò, Prophetas aliquando ad litteram loqui de Cyro, Nehemia, Zorobabele, &c. qui Iudæos è captiuitate Babylonica reduxerunt in patriam: aut de Dauide, Salomone, Eze-

Ezechia, qui regnum Israelis euexerunt tam opibus & gloria, quàm pietate & Dei cultu; allegoricè verò de Christo: aliquando tamen ad litteram loqui de Christo, etsi cum allusione aliqua ad Ezechiam, Dauidem, Zorobabelem, &c. Negabat id Theodorus Mopsuestenus iudaizans & ebionizans (contendebat Christum non esse Deum, sed purum hominem) qui omnia augusta de Christo oracula, ad litteram referenda esse censebat ad Aaronem, Zorobabelem, Dauidem & Iudæos; ab Apostolis verò & Euangelistis ea accommodari Christo sensu tantùm allegorico, vel accõmodatitio. Quod eius dogma generatim recensetur & damnatur in Conc. Oecumen. V. quod fuit Constantinopol. II. act. 5. ac particulatim in Concilio Romano sub Vigilio Papa, quod extat in Bibliotheca Vaticana, indeque illud transscripsit Antonius Augustinus, & noster Prado proœmio in Ezech. sect. 3. ac Turrianus, vt ipse refert commentans in l. 2. Constit. Apostol. c. 5. Porrò Concilium Romanum hæc affert exempla. Primum Ioël. 2. 28. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem*: Mopsuestenus hoc interpretabatur de fauore quo prosecutus esset Dominus exercitum Zorobabelis, pugnantem contra Scythas. Secundum, Michææ 5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel*: Mopsuestenus per dominatorem hunc accipiebat Zorobabelem. Tertium, Malach 3. 1. *Ecce ego mitto angelum meum: & statim veniet ad templum suum dominator*: Mopsuestenus per dominatorẽ accipiebat Esdram, vel quem similem, qui olim cultum Dei in templo Iudaico restituit. Quartum, Amos 9. 11. *In die illa suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius*, &c. Mopsuestenus, *Hoc loco*, inquit, *Amos reditum è Babylone prædicit, quando Zorobabel ex stirpe Dauid regem habuerunt: Iacobus verò Actor. 15 16. hunc locum ad Christum transtulit, in quo res est ad exitum verum perducta.* Quintum, Zachar. 9 9 *Ecce rex tuus venit tibi*: Mopsuestenus hunc regem aiebat esse Zorobabel redeuntem cum suis è Babylone. Ita & alij nonnulli, quorum ratio erat, Quia, inquiebãt, glorioſius est Christo & Ecclesiæ præsignari personis & rebus, quàm verbis. Sextum, psal. 5. 10. *Non derelinques animam meam in inferno*: Mopsuestenus id ad litteram non de Christo, sed de populo Israel erepto ex periculis prædictum esse censebat. Rursum illa psal. 21. *Foderunt manus meas & pedes meos. Dederunt in escam meam fel. Diuiserunt sibi vestimenta mea.* Mopsuestenus aiebat hæc ad litteram non de Christo, sed de Dauide esse prædicta propter tyrannidem Absalonis, qui regiam vrbem substantiamque peruaserat, & in terra omnia patris sui dinumerauerat; sed Euangelistam hæc ex euentu ad Christi traxisse personam. Quibus omnibus recitatis Vigilius Papa subiungit: *Qui hæc ita sapit, docet, credit aut prædicat, anathema sit.* De fide ergo est hæc loca ad litteram non de Dauide, aut Iudæo aliquo, sed de Christo esse intelligenda. Similiter in Synodo V. generali act. 5. vbi damnatur Mopsuestenus, de eo eiusque erroribus ex Ecclesiastica historia Hesychij sic dicitur: *Prima elementa doctrinæ suæ ex Iudaico vaniloquio incipiens, codicem in prophetiam Psalmorum conscripsit, omnes de Domino* (Christo) *prædictiones abnegantem.* Quocirca iure D. Thomas præfatione in psalmos, ait damnatum in V. Synodo Theodorum Mopsuestenum, eò quòd doceret in veteri Scriptura & Prophetis nihil expressè haberi de Christo, sed ex sola quadam accommodatione.

Error Mopsuesteni.

De abusu S. Scripturæ.

Porrò cauendi hîc moderni nonnulli, præsertim Concionatores, qui à Prophetis & Patribus degeneres, nouum concionandi, nouum Prophetas explicandi & pertractandi modum commenti sunt. Vt enim apud populum plausum inueniant, verba S. Scripturæ ad miros suos conceptus, sibi, vt videtur, ingenioſos & elegantes, violenter inflectunt & trahunt. Quæpropter nec sensum litteralem S. Scripturæ & Prophetarum, nec mysticum, qui litterali quasi basi & fundamento insistere, ipsique appositè ex æquo respondere debet, sed ingenij sui speculationes parergas pro verbo Dei populo proponunt, imò supponunt. Hi enim non Dei, sed sua sensa populo prodiuinis venditant, ipsamque S. Scripturam in alienas, imò in ipsi contrarias subinde expositiones detorquent; ac proinde eam temerant, illique violentas manus inferunt. quæ sanè audax & grauis in Deum, eiusque sacras Litteras est irreuerentia & iniuria: graue probrum & penè sacrilegium. est enim ingens sacrarum Litterarum abusus & profanatio.

Exempla.

Vis exempla? accipe. Extat liber concionum, qui asserit Dauidem vxoria difficultate, vtpote re in hac vita molestissima, afflictum, quotidie pro ea, proque vxore orasse. Probat id ex verbis psalm 37. 69. *Deus in adiutorium meum intende*, id est, inquit, Deus in vxorem meam intende, fac eam facilem & morigeram: vxor enim vocatur *adiutorium viri*, vt patet Genes. 2 18. *Faciamus ei* (Adæ) *adiutorium* (puta Euam) *simile sibi*. Spectatum admissi risum teneatis amici. Alterum audiui qui docebat, S. Scripturam asserere Mosen mortuum esse in osculo Domini: quia nimirum Deuter. 34. 5. in Hebræo dicitur, *Moses mortuus super os Domini*: Ergo, inquit, in osculo Domini. At quis nescit *os Domini* in Scriptura significare dictum, iussum, præceptum Domini? Quocirca Noster, Chald. Septuag. & alij passim vertunt, *iubente Domino*. Tertius ex illo Thren. 1 15. *Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iudæ: idcirco ego ploranS*, probabat B. Virginem conceptam esse sine peccato originali. Hunc enim loci sensum dabat: Christus torcular passionis præcipuè subiit pro B. Virgine, eique illius merita singulariter applicauit, curando vt præseruaretur à peccato originali: idcirco ego Ieremias ploro, quòd conceptus sim in peccato originali, licèt in vtero ab eo fuerim expiatus: esto enim hac re sim superior cæteris hominibus qui in hoc peccato nascuntur, inferior tamen sum B. Virgine, quæ in eo nec nata, nec concepta est. Hæc erat ipsi demonstratio: quasi verò hîc de B. Virgine agatur, & non potiùs de impia Ierusalem, quæ à peccatis non fuit expiata, sed ob ea oppressa & excisa. Torcular enim hoc fuit excidij Ierusalem, non passionis Christi. At, inquies, conceptus hi lepidi populo placent, videnturque appositi & elegantes. Non audiat lepores hos Satyricus, ne subsannans exclamet: O lepidum, sed leporinum caput, quod vt plebis rudis & indoctæ aures mulceat, & se, & S. Scripturam facit fabulam, quod

Humano capiti ceruicem iungit equinam.

Et alter:

Id sibi negotij credidit solùm dari,
Populo vt placerent quas fecisset fabulas.

Lepóres hi illepidi sunt, elegantiæ inelegantes, facetiæ inficetæ, sales insulsi, fabulæ ineffabiles, imò infandæ. Quis Philosophorum ferret, Aristotelem; quis Oratorum, Ciceronẽ; quis Theologorum, S. Thomam subtilibus explicationibus & commentis, in alios, & ab eius mente alienos sensus torqueri? Quihoc auderet, falsarius apud omnes audiret. Quis ergo ferat S. Scripturã, quæ ipsius Dei ad homines est epistola, vti ex S. August. ait S. Gregor. libr. 4. epist. 84. ad Theodorum, in proprios conceptus, qui à mente Dei alieni sunt, rapi & distorqueri? Quis rex sustineret præconem suas literas, sua edicta, aliena à sua mente explicatione interpretantem? sanè in eum vt læsæ maiestatis reum animaduerteret. Et Deus sustinebit verbi sui præcones illud aliena, imò sibi aduersa, interpretatione peruertere & adulterare?

Damnauit Ecclesia Origenem, quòd sui cerebri commenta fecerit S. Litterarum sacramenta, dum Euæ ex Adami costa formationem spiritaliter, arbores paradisi angelicam fortitudinem, tunicas pelliceas humana corpora; & plura similia mysticè interpretatus est, ac litteræ veritatem fugiens ad mysticos sensus confugit, symbolicus semper interpres, ait S. Hieron. Atque hæc vna lapsus eius fuit occasio. Præclarè Cassiodorus de Instit. diuin. lect. *Origenes*, inquit, *vbi bene, nemo melius: vbi malè, nemo peius.* Quare sic legendus est, sicut Virgilius dum Ennium legeret, à quodam quid faceret interrogatus, respondit: *Aurum ex stercore quæro.*

Eadem damnat Hæreticos, qui S. Scripturæ cereum masum assuunt, eamque in sua sensa volentem molentem flectere & trahere conantur. Quis pariter non damnet Orthodoxos, qui eidem Scripturæ sensum attexunt quem ipsa non habet, imò non patitur? Hæresis est aliquid sacræ Scripturæ contrarium asserere: hæresis ergo est S. Scripturæ alienos ab eius mente, & contrarios sensus affingere. Hoc enim est reipsa disertè contrarium dicere eius, quod dicit & significare intendit S. Scriptura. Non enim S. Scriptura in syllabis & verbis, sed in sensu & sententia consistit. Quod enim est gladius ad vaginam, granum ad aristam, anima ad corpus, hoc est sensus genuinus ad ipsa verba S. Scripturæ. Si hunc sensum tollis, & alienum substituis, ipsam Scripturam exanimas, imò pro anima propria quam ei auellis, spuriam ipsi substituis. Hac de causa idipsum ne fieret, graui sanctione veruit S. Tridentina Synodus, cuius verba mox recitabo, omnesq; Patres. Vnus omnium instar sit S. Hieron. qui scribens in c. 13. Haiæ, vbi ad litteram agitur de Babylonis excidio, taxat eos qui posthabito litterali sensu ad allegoricos & mysticos confugiunt, qui cum litterali non cohærent, nec ei superstruuntur. *Audiuimus*, inquit, *Medos, audiuimus Babylonem & inclytam in superbia Chaldæorum. Volumus intelligere quod fuit, & quærimus audire quod non fuit. Et hoc dicimus, non quòd tropologicam intelligentiam condemnemus, sed quia spiritalis interpretatio sequi debeat ordinẽ historiæ. quod plerique ignorantes lymphatico in Scriptura vagantur errore.* Audiant hoc conceptuum aëreorum architecti; sciant se nodum in scirpo quærere, se mente concipere quod non est in rerum natura, se fabricare chimæram: quærunt enim sensum in Scriptura quem ipsa non habet, ac proinde in ea lymphatico vagantur errore. Hic ergo eorum conceptus non est veritas, sed error fanaticorum, ideoque furor, si credimus S. Hieronymo. Monet S. Paulus Timotheum epist. 2. c. 4. *Prædica verbũ, argue, obsecra, increpa. Erit enim tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacernabunt sibi magistros, prurientes auribus.* Pariter hi sanam doctrinam, putà sensum genuinum, non sustinent, sed eum quasi vulgarem fastidiunt, ac vt auditoribus, qui prurientes habent aures, se accommodẽt, pruriunt mente pariter & lingua, Pruritus hic arguit iudicium minùs solidum, mentem leuem, puerilem & curiosam, quæ talibus commentis & figmentis pascitur; cùm solidum in S. Scripturæ germano sensu pabulum habeat, illudque nauseans reiiciat: perinde vt stomachi malè sani, vento turbidi & cacochymici, solidum vtilemq; cibum fastidiunt, appetũtq; cibos leues, fungosos, prauos & noxios. De Chrysippo argutiarũ opifice verè dixit Cicero: *Chrysippi acumen in seipso frangitur & euanescit.* Ita acumina hæc aures plebis prurientes titillant, sed si discutiantur, minùs vera, minùs germana inuenientur, & quasi fumi tenues vanescent in auras. Vbique enim verum est illud, Quæ nimis acuta & arguta, ea minùs sunt solida, & non rarò stolida. S. Scriptura pulcherrimas, æquè ac acutissimas, difficillimas & obscurissimas habet sententias & sensus de qualibet virtute & vitio, adeoq; sensus eius sunt cõceptus ipsius Spiritus sancti, vt quid ergo exiles homuncionum imaginationes, futiles sæpè & nugaces consectamur? Deus per Ieremiã c. 23. acriter increpat pseudoprophetas, qui suis somniis prætendebant visiones & verba Dei: *Audiui*, inquit, *quæ dixerunt Prophetæ prophetãtes in nomine meo mendacium, atque dicentes: Somniaui, somniaui. Vsquequo istud est in corde Prophetarum vaticinantium mendacium, & prophetantium seductiones cordis sui? Propheta qui habet somnium, narret somnium; & qui habet sermonẽ meum, loquatur sermonẽ meum verè. Quid paleis ad triticum? dicit Dominus. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi mallem cõterens petras?* Arguit Deus Prophetas, qui cùm sui cerebri commenta populo venditarent, dicebant, Hæc dicit Dominus: iubetque vt eo, vtpote falso, omisso, dicant, Hæc ego commentus sum, hæc ego somniaui, hæ sunt paleæ meæ; Dei verò verbum est ignis, & malleus conterens petras. Itidem dicant & hi, Hic est conceptus meus, hoc commentũ meum, non Dei, non S. Litterarum. Apostolus iubet Timotheo pastori & prædicatori epist. 2. cap. 2. *Sollicitè*, inquit, *cura teipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis: rectè*, inquit, non praue, non contortè, non fictè, nimirum vt primò sensum litteralem S. Scripturæ genuinum tradãs, deinde mysticum & moralem appositè illi inhærentem superstruas & quasi inædifices. Vnusquisque, ait idem Paulus 1. Corinth. 3. videat quomodo superædificet: alij enim aurum, argentum, lapides pretiosos superædificant; alij lignum, fœnum, stipulã. Sed hæc ignis in die Domini comburet;

buret: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Quocirca S. Hieron. in c. 40. Ezech. *Eiſdem*, ait, *lineis & hiſtoria currit & tropologia: ſed illa humilior eſt, iſta ſublimior.* Idem, vel quiſquis eſt auctor, in c. 3 epiſt. 2. ad Corinth. *Ille*, ait, *verè ſpiritualis intellectus eſt, qui non veriſimilibus coloribus pulchrum mendacium pingit. ſed virtute rerum ipſam rem exprimit veritatis.* Et S. Gregor. homil. 4. in Euang. *Tunc allegoriæ fructus ſuauiter carpitur, cùm priùs poſt hiſtoriam in veritatis radice ſolidatur.* Denique extat hac de re graue iuſtumque decretum ſacroſancti Oecumenici Concilij Tridentini ſeſſ. 4. quod ſic habet: *Præterea ad coërcenda petulantia ingenia decernit, vt nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ pertinentium, S. Scripturam ad ſuos ſenſus torquens, contra eum ſenſum quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra vnanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat, etiamſi huiuſmodi interpretationes nullo vmquam tempore in lucem edendæ ſint. Qui contrauenerint per Ordinarios declarentur, & pœnis à iure ſtatutis puniantur.* Et inferiùs, agens contra eos qui ſententias S. Scripturæ ad fabuloſa, vana, adulationes, &c. detorquent, iubet *vt omnes huius generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, iuris & arbitrij pœnis per Epiſcopos coërceantur.* Aduigilent ergo Epiſcopi, eorumque vicarij, & idipſum ſtrenuè exequantur, atque effrænem hanc nouos S. Scripturæ ſenſus effingendi, imò in eccleſiis deprædicandi licentiam, coërceant, ideoque theatrales hoſce mimos, comœdos, fabulones è ſacris pulpitis deturbent, vel emendent, vt auctoritatis S. Scripturæ, quæ liber eſt ipſiuſmet Dei, ſint tutores & vindices, vtque ab Eccleſia ſcandalum hoc, & monſtrum adeò fœdum & infame exterminent; meminerint huiuſce rei ſe Deo reddituros rationem, quam exactam ab eis in hora mortis ipſe iudex, vtpote S. Scripturæ auctor & dictator, expoſcet.

Diſpoſitio ad prophetiã prima, eſt quies mentis.

QVÆRITVR QVARTÒ, Quis fuit habitus, quæ diſpoſitio interna Prophetarum? Reſpond. Prima diſpoſitio animæ fuit quies, tranquillitas & ſerenitas: per hanc enim anima liberatur ab omni turbatione, & tumultu paſſionum & cogitationum diſtrahentium in diuerſa, ac colligitur in ſeipſam, vt planè pleneque poſſit intendere reuelationi diuinæ, quæ eſt cauſa prophetiæ. Ita S. Baſil. proœmio in Iſaiam: *Prophetarunt*, inquit, *puræ ac pellucidæ animæ, veluti ſpecula facta diuinæ operationis, quæ imaginem integram & inconfuſam, nullaque ex parte turbatam carnis affectibus, repræſentabant. Nam omnibus quidem adeſt Spiritus ſanctus, verùm in his qui puri ſunt affectibus, peculiarem vim oſtendit.* Quocirca S. Hieron. in c. 28. Matthæi: *In veteri*, ait, *& nouo teſtamento hoc ſemper obſeruandum eſt, quòd, quando auguſtior aliqua apparuit viſio, primùm timor pellitur, vt ſic mente pacata poſſint quæ dicuntur audiri.* Ita Chriſtus ſe poſt reſurrectionem reuelans mulieribus, viam præmunit dicens: *Nolite timere*, Matth. 28. & Gabriel oraculum de Iohanne Baptiſta naſcituro daturus Zachariæ, Luc. 1. 13. animum eius præparat abſtergendo timorem, dicens: *Ne timeas Zacharia.* Vbi Theophyl. auream dat regulam, & quaſi indicem boni maliue ſpiritus: *Si mens*, inquit, *primùm turbatur, & ſtatim timor ſolnitur, & iterum quieſcit, reuera diuina viſio eſt: ſi autem timor ac turbatio magis ac magis cẽſcat, damoniaca viſio eſt.* Hinc Caſſianus, & alij rerum ſpiritualium magiſtri docent, hoc indicio conſolationem angelicam ab illuſione diabolica ſecerni & dinoſci, quòd angeli primo aſpectu terreant, mox terrore abſterſo animam ſedent & conſolentur: ex aduerſo diabolus primò animam falſa conſolatione mulceat, mox eamden multis pauoribus & angoribus implicet.

Secunda, abſtractio mentis.

Secunda diſpoſitio fuit, animæ à ſenſibus & ſenſibilibus abſtractio, per crebram & aſſiduam orationem & meditationem. Hæc enim animam à rebus terrenis auellunt, & in Deum eleuant, vt eius inſpirationi excipiendæ tota vacet & attendat. Rationem dat S. Auguſt. lib. 10. de Trinit. c. 4. nimirum, quòd anima, cùm ſit limitatæ virtutis, non poſſit ſimul attendere rebus ſenſibilibus & diuinis, præſertim cùm hæ ab illis multùm diuerſæ, & quaſi contrariæ ſint: quocirca cùm attendit ſenſibilibus, parum ei reſtat virium, parumque attentionis quod impendat diuinis: quo ergo minùs attendit terrenis & corporalibus, eo magis poteſt attendere ſpiritualibus & cæleſtibus. Quocirca Patriarchæ maximè prophetarunt cùm morti eſſent vicini, vtpote quaſi iam ſeparati à curis, cogitationibus & affectibus huius vitæ: vti prophetauit moriturus Iacob Geneſ. 49. & Moſes Deuter. 33. Vide de hac re S. Gregor. 4. Dial. 26. Ad hoc quoque iuuat pſalmodia: hæc enim mentem excitat, eleuatque ad ſublimia. Vnde Eliſæus 4. Reg. 3. 15. poſtulaturus Dei oraculum, vocauit pſaltem: *Cumq; caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini, & ait: Hæc dicit Dominus*, &c. Huc quoque facit fuga voluptatum carnis & ſenſuum: hæc enim mentem valdè deprimit, incraſſat & inquinat, vt cæleſtes illuminationes & influxus cernere, excipere, haurire & guſtare nequeat. Quocirca Moſes ieiunio 40. dierum purgauit corpus & mentem, ad excipienda Dei oracula & præcepta in Sina, Exodi 34. 28. Huc quoque confert ſolitudo. Quocirca Orpheus & Zoroaſtres multis annis vixerunt in ſolitudine, vt ſupernis intenderent. Talibus comperit illud quod de Tireſia canit Homerus, & ex eo Plato in Menone:

Hic ſolus ſapit, aſt illi volitant velut vmbræ.

Tertia, ſanctitas.

Tertia eſt ſanctitas vitæ. Licèt enim Deus ſubinde impijs det donum prophetiæ quaſi obiter, & per tranſennam: nam in die iudicij, vti docet Chriſtus Matth. 7. 22. improbi nonnulli dicent: *Domine, Domine, nónne in nomine tuo prophetauimus?* atque talis fuit Caiphas Iohan. 11. 51. & Balaam Num. 22. 32. & Saul 1. Reg. 19 24. qui cùm eſſent impij, prophetarunt; tamen donum prophetiæ continuum, & quaſi habituale non ſolet dare niſi Sanctis, vti videre eſt in hiſce duodecim, qui omnes catalogo Sanctorum in Martyrologio aſcripti ſunt. Ratio eſt. Prima, quòd deceat tantum donum (Prophetæ enim ſunt quaſi os Dei) non dari niſi ſanctis: impij enim eo non tantùm indigni, ſed & ad id inepti ſunt. Secunda, quòd ſanctitas mentem eleuet, diſponatque ad Dei illuſtrationes hauriendas. Tertia, quòd Prophetæ mittantur à Deo vt ſint concionatores, qui quaſi mallei contundant ſaxea

Prophetiæ continua non datur niſi Sanctis ob tres cauſas.

saxea hominum corda. Ad hoc autem sanctitas non vulgaris, sed eximia requiritur, putà ingens zelus, tum gloriæ diuinæ, tum salutis animarum promouendæ. Nam qua ratione peccator conuertat peccatorem ad vitam puram & sanctam? quomodo frigidus accendat frigidum? Calore & amore opus est, eoque ingenti, vt quis alium Dei amore inflammet: non aqua, sed ignis maior minorem accendit. Præclarè S. Chrysost. hom. in titulum psalm. 50. *Prophetæ*, inquit, *velut quidam pictores sunt virtutis*: virtus autem melius pingitur vita quàm voce. Viuacior enim est imago morum, quàm verborum. Quocirca Philo lib. *Quis rerum diuinarum heres: Malum*, ait, *virum non est fas interpretem esse numinis, sed in solum sapientem hoc competit: quia is solus est instrumentum Dei, resonans ab eo contactum & pulsatum inuisibiliter.* Et Origen. lib 3. Periarch. cap. 3. *Sanæ*, inquit, *& immaculatæ animæ, si cum omni affectu omnique puritate se vouerint Deo, & alienas se ab omni dæmonum contagione seruauerint, & per multam abstinentiam purificauerint, & piis sacræ religionis imbutæ fuerint disciplinis, participium per hoc diuinitatis assumunt, & prophetiæ, ac cæterorum diuinorum donorum gratiam merentur.* Præclariùs S. Basil. prœmio in Isaiam: *Cùm anima*, inquit, *omni virtutis studio dedita, vehementi in Deum amore perpetuam Dei memoriam sibi impressam seruat, atque hac re primùm apparat sese, vt Deum habeat velut inhabitantem, ex vehementissima in Deum intentione, & arcano amore numine afflata, digna prophetiæ dono redditur, Deo diuinam virtutem impertiente, animique oculos aperiente ad intelligendas quas velit speculationes.* S. Maximus centuria 1. de Charitate c. 95. *Quemadmodum*, inquit, *sol exoriens & mundum illuminans, cùm seipsum, tum res à se illuminatas demonstrat; ita quoque sol iustitiæ purgato animo exoriens, & seipsum videndum exhibet, & rerum quæ à se factæ sunt, & deinceps fient, rationes demonstrat.*

Prophetæ sunt pictores virtutis.

Modus assequendi prophetiam.

Quocirca S. Bernard. lib. de Interiori domo c. 69. in fine: *Certum*, ait, *signum tibi sit, quæcumque es anima, quòd dilectum tuum minùs diligis, vel ab illo minùs diligeris, si ad theoricos illos excessus nondum vocaris, vel vocantem sequi nondum merueris. Vis nosse, quia sublimitas diuinarum reuelationum sit manifestum diuinæ dilectionis indicium? Iam non dicam, inquit, vos seruos, sed amicos: quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. Satage ergo Deum tuum intimè & summè diligere, & omni hora in diuinæ contemplationis gaudium summo cum desiderio anhelare. Collige teipsam ad temetipsam, & in solo diuinitatis desiderio requiesce.* Prophetæ ergo Deo fuerunt familiarissimi, eiusque quasi secretarij, interpretes & præcones.

Porrò inter cæteras virtutes, animam disponentes ad illustrationem & reuelationem Dei, prima & maximè necessaria est humilitas. Nam, vt ait S. Laurent. Iustinian. libr. de Connubio Verbi, sub finem, *Cùm humilitatis virtus animam compleuerit, deiecerit, liquefecerit, tunc incipiet dilatari dilectione, irradiari veritate, repleri lumine, eleuari spiritu. Hinc secretorum oritur reuelatio, Scripturarum declaratio, futurorum cognitio, sensuum corporalium alienatio.* Humilitas enim subiicit & substernit mentem Deo, vt in eam illustrationes suas immittat. Vnde S. Gregor. lib. 1 Dialog. cap. 1. *Mens*, ait, *quæ diuino spiritu impletur, habet euidentissima signa sua, virtutes scilicet, & humilitatem, quasi vtraque perfectè in vna mente conueniunt, liquet quòd de præsentia sancti Spiritus testimonium ferant.* Hoc est quod ait Sapiens cap. 7. 27. *Sapientia Dei per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit.* Quinimò id per vmbram vidit, Gentilis licèt, Aristoteles libr. de Diuinat. per somnium cap. 1. dicens: *Si diuinatio somniorum à Deo est, inconueniens est eam immittere quibuslibet, & non optimis viris.* Hac ratione posterioribus sæculis multi Anachoretæ & Sancti spiritum propheticum adepti sunt. Audi Ruffinum oculatum testem, præfatione in Vitas Patrum lib. 2. *Vidimus*, ait, *apud eos multos Patres, cælestem vitam in terra agentes, & nouos quosdam Prophetas, tam virtutibus animi, quàm vaticinandi officio suscitatos, quibus ad testimonium meritorum, nec signorum quidem, ac prodigiorum deerat efficacia.* Cur enim hi qui nihil terrenum, nihil carnale cupiunt, non accipiant cælestium potestatem? Nonnullos namque eorum ita ab omni malitiæ cogitatione ac suspicione vidimus defæcatos, vt nec si aliquid mali adhuc gereretur in sæculo, meminissent. Tanta in eis inerat tranquillitas animi, tantusque inoleuerat eis bonitatis affectus, vt merito de eis dictum sit: *Pax multa diligentibus nomen tuum Domine.* Et mox, *Tanta namque in eis fides est, quòd etiam montibus vt transferantur valeat imperare*, &c. *Sunt ergo ornati moribus, quieti, lenes, tranquilli, & charitatis vinculo velut quadam germanitate constricti. Ad amulationem verò virtutum certamen ingens exercent & agones: studet enim vnusquisque clementior altero, benignior, humilior ac patientior inueniri: si quis autem sapientior cæteris fuerit, hic ita communis erga omnes & mediocris exiliit, vt secundùm mandatum Domini, omnium minimus & omnium seruus esse videatur.* Ecce qua ratione, quibus virtutibus Sancti illi donum prophetiæ & miraculorum meruerunt & obtinuerunt; quin & hodie merentur & obtinent.

Humilitas ad reuelationem Dei accipiendã maximè animã disponit.

Denique quatuor sunt indicia, quibus verus Propheta & prophetia à pseudopropheta, falsisque oraculis secernitur & dinoscitur. Primum est sanctitas: Prophetæ enim erant viri sancti: pseudoprophetæ verò erant idololatræ, hæretici, impij, superbi, vani luxuriosi, &c. vti etiamnum sunt. Secundum est, quòd vera prophetia conformis sit verbo Dei, fidei & doctrinæ Ecclesiæ, eique quasi iudici se submittat: pseudoprophetia verò vtrique difformis est; quocirca nullius iudicium aut censuram admittit. Tertium est rei euentus: nam veræ prophetiæ reipsa eueniunt, falsæ neutiquam. Hoc signum dat Deus Deuter. 18. v. 22. Quartum, vera prophetia vtilis est ad ædificationem Ecclesiæ, prodestque pietati & moribus: pseudoprophetia inutilis est, vana, curiosa, futilis, imò noxia & pestilens. Ita S. Chrysost. homil 19. in Matth. & S. Petrus apud S. Clementem libr. 3. Recognit. Accedunt non rarò miracula, quæ vera & solida patrant Prophetæ, ficta verò & simulata pseudoprophetæ.

Quatuor signa veri Prophetæ.

Qværitvr Qvintò, Quisnam fuit habitus exterior Prophetarum? Respond. Primò, nonnulli censent eodem sacro vnctionis oleo ex eodem cornu, quo ex præscripto legis inungebantur sacerdotes & reges, inunctos quoque fuisse Prophetas. Verùm hoc de vnico dumtaxat Elisæo legimus, scilicet cum iussu Dei vnctum ab Elia,

Prophetæ an vncti oleo?

Elia, itaque auctoratum & quasi consecratum Prophetam. Ita enim Eliæ iussit Deus 3. Reg. 19.16. de cæteris id non legimus: imò Isaias c.6. 7. ait se constitutum Prophetam tactu Seraphini, carbone ignito labia sua tangentis, & purgantis: Ieremias verò voce diuina c.1.4. eadem cæteri constituti & auctorati sunt Prophetæ. Accedit, quòd aliqui remotè à Ierusalem & templo, imò in Samaria & Bethel apud idololatras prophetarint, vbi non erat oleum sacrum, quo vngi possent, nec idololatræ vnctionem hanc permisissent. Quare non est verisimile omnes Prophetas oleo sacro vnctos & consecratos fuisse. Ita à Castro l.4. Proleg.c.5. quin & S. Chrysost. hom. 1. in epist. ad Rom. initio ad illa verba, *Seruus Iesu Christi*; & S. August. l.1. Retract. c.26.

Vestiebantur sacco.

Secundò, vestis Prophetarum erat saccus, siue cilicium ex pilis hircorum, vel camelorum, vel equorum, &c. contextum. Patet id Isaiæ 20.2. *Solue*, inquit, *saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis.* Et Elias erat *vir pilosus, & zona pellicea accinctus*, 4.Reg.18. Et Zacharias c. 13.4. loquens de falsis Prophetis habitum verorum assumentibus; *Nec operientur*, inquit, *pallio saccino*; Septuag. *veste cilicina.* Vbi S. Hieron. asserit Prophetas, cùm prophetarent, induisse cilicium, vt populum incitarent ad pœnitentiam. Idem docet Clemens Alexandr. lib.3. Strom. Ita S. Ioannes Baptista pœnitentiæ præco, vestitus erat cilicio è pilis camelorum, & zona pellicea, Matth.3.4. Porrò sacco huic, siue tunicæ saccinæ vel cilicinæ iniiciebant pallium, vti patet de Elia, qui pallium suum iniiciens Elisæo, eum ad se sequendum & prophetandum vocauit, imò vi diuina compulit, 3.Reg.19.17. Id ipsum tradit Orig. hom.13. in Numer. Incedebant ergo Prophetæ tali, vel simili habitu, quali iam Patres Capuccini, quasi contemptores mundi, & prædicatores regni vitæque cælestis. Sic qui olim à gentilismo ad christianismum conuertebantur, reiecta toga pallium induebant, quasi modestiæ professores, & mundi contemptores, vti Tertull. se fecisse narrat & gloriatur l. de Pallio. Subinde iussu Dei alia quoque oraculis suis conformia assumebat, & induebat, vti Ieremias c.27.2. iussu Dei induit catenas & vincula, vt repræsentaret instantem captiuitatem, in qua vinciendi erant Iudæi aliæque gentes à Chaldæis. Eadem de causa iussus est Ezechiel c.12.3. assumere habitu transmigrantis: & incedere raso capite c.5 1.

Victus & gestus Prophetarum quales?

Tertiò, victus Prophetarum fuit sobrius, adeoque vilis & asper; vox grauis, oculi in cælum suspicientes, imò suspensi, vita austera & insolita, incessus motusque omnis ad modestiam & pietatem compositus, factusque ad commouendos & compungendos duros Iudæorū animos; ita vt viderentur esse homines noui & alterius sæculi, ac quasi angeli è cælo venientes, & legati à Deo missi ad homines conuertendos. Hoc est quod ait Isaias c.8.18. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israel.* Ita Amos cibus erant sycomori, id est, ficus fatuæ & insipidæ, vt patet c.7.14. Ezechielis c.4.12. panis hordeaceus subcinericius, & aqua; Danielis legumina: ea enim ipse refutatis cibis regiis poposcit, ideoque meruit donum prophetiæ, vt patet Daniel 1.17. Ioannis Baptistæ locustæ & mel siluestre, Matth.3.4. Sic & filij Prophetarum vitabant oleribus, vt patet 4.Reg.4.v.39. Similis fuit victus & vita Christi & Apostolorum, iuxta illud Apostoli: *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar*, 1.Corinth.9.27. Et, *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum*, Rom.14. 21. Apostolus enim fuit perfectionis magister, & magis opere quàm ore docuit, non solùm præcepta, sed & consilia Euangelica, quale est non bibere vinum, nec edere carnem. Hinc rursum ait: *Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus*, 1.Corinth.4.11. Quocirca abstemium fuisse Paulum, & numquam bibisse vinum censet Baron. anno Christi 36. Porro S. Hieron. contra Iouin. cap.10. cùm dixisset homines initio mundi, toto tempore quod diluuium præcessit, abstinuisse carnibus, æquè ac vino (eas enim post diluuium primùm concessas Noë Genes.9.v.3. qui & primus vitem plantauit, vinumque ex ea elicuit) subdit: *Postquam Christus venit in fine temporum, & extremitatem traxit ad principium, nec repudium nobis dare permittitur, nec circumcidimur, nec comedimus carnes, dicente Apostolo: Bonum est vinum non bibere, & carnem non manducare. Vinum enim cum carnibus post diluuium dedicatum est.* Sic Hegesippus, & ex eo S. Hieron. libr. de Viris illustr. scribit de Iacobo fratre Domini: *Hic ex vtero matris suæ sanctus fuit, vinum & siceram non bibiit, carnes numquam manducauit.* S. Petrum lupinis, herbis & leguminibus victitasse, tradit S. Gregor. Nazianz. orat. de amore pauper. Sic & S. Marcum Alexandriæ cum suis Essæis quotidie ieiunasse, ita vt vespere dumtaxat pane & sale, aut herbis vescerentur, ac aquam biberent, tradit Euseb. Ioseph. & Philo l. de Essæis. Rursum S. Hieron. epist. ad Lucinum Bæticum, *Vtinam*, ait, *omni tempore ieiunare possemus, quod in Actibus Apostolorum, diebus Pentecostes, & die Dominico Apostolum Paulum, & cum eo credentes, fecisse legimus.*

An Christus & Apostoli comederint carnes?

Ex quibus locis Vincentius Consentinus, Doctor & Prouincialis Ordinis Minimorū, libello hac de re edito probare contendit Christum & Apostolos numquam carnes comedisse; & ad illud quod obiici posset ex Lucæ 10. 8. *Manducate quæ apponuntur vobis*, respondet limitando, *quæ apponuntur*, scilicet vilia & modica, inter quæ carnes numerari nequeunt. Hoc cum grano salis accipiendum, nimirum hoc sensu, quòd Apostoli abstinentiæ & ædificationis studiosi, vtpote perfectionis magistri, vitarint quantum honestè poterant, delicias, carnes & vina; non tamen ea religione & voto, quo faciunt Minimi. Nam si necessitas cogeret, aut si pietas & vtilitas aliud suaderet, v.g. si inuitatti commodè alium cibum habere non poterant, liberè carnibus vescebantur. Hoc enim poscebat vita illorum Apostolica, vt per totum orbem discurrere, & cum omnibus agere viuereque possent, vt omnibus omnia fierent. Vnde hoc eis permissum, imò præceptum est verbis iam citatis Lucæ 10.

Prophetæ angeli terrestres.

Denique mores, gestus & actiones omnes Prophetarum tales erant, vt viderentur esse homines cælestes, & angeli terrestres. Ad hoc enim eos Deus mittebat in mundum, vt homines à terrenis cupiditatibus auocarent, & cælestium desiderium eis imprimerent. Eadem de causa in mundum missus fuit S. Dominicus, qui quasi

sui

sui æui Paulus è cælo lapsus, & verbo & vita omnes, etiam Prælatos & Cardinales, ad mundi contemptum, ac Dei amorem incitabat. Quocirca præter alia, ter singulis noctibus acriter ad sanguinem sese diuerberabat, vt peccata aliorum in suo corpore lueret; multas Albigensium persecutiones sustinuit, suaque patientia eos ab hæresi ad fidem conuertit: zelo martyrij, salutis animarum, & gloriæ Dei flagrabat. Orabat adeò ardenter, vt spiritus in Deum eleuatus eleuaret & corpus in aëre pendulum. Hinc proceres & plebeij eum vt virum diuinum audiebant, & vt angelum Dei sequebantur, beatosque se existimabant si vel eum contingere possent: plurimi in eius disciplinam se dantes, eumque moribus exprimentes orbi admirationi & saluti fuêre. Circinatus enim ad illius normam Religiosus (quod de Philosopho dixit Tertull. libr. de Pallio) dum videtur, auditur: magis enim exemplo quàm verbo loquitur & concionatur. Socius ei à Deo datus est S. Franciscus, qui proinde animo oculisque in cælum intentus, non aliud vita & voce, habitu & vultu concionabatur, quàm, *Ad cælum, ad cælum.* Audi S. Bonauent. in Vita eius cap. 4. *Euangelicus præco*, inquit, *ciuitates circuibat & castra, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus annuncians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius sæculi: quippe qui mente ac facie in cælum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur.* Vnde & fructum ingentem subdit: *Nam prædicationis ipsius feruore succensi quàm plurimi, secundùm formam à Dei viro acceptam, nouis se pœnitentiæ legibus vinciebant, quorum idem Christi famulus Ordinem fratrum de pœnitentia nominare decreuit. Conuertebantur etiam virgines ad perpetuum cælibatum: inter quas virgo Deo charissima Clara, ipsarum plantula prima, tamquam flos vernans & candidus odorem dedit, & tamquam stella præfulgida radiauit. Multi etiam non solùm deuotione compuncti, sed & perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contempta, Francisci vestigia sequebantur: qui quotidianis succrescentes profectibus, vsque ad fines orbis terræ celeriter peruenerunt.* Et cap. 12. *Erat enim verbum eius velut ignis ardens, penetrans intima cordis, omniumq; mentes admiratione replebat; cùm non humanæ inuentionis ornatum prætenderet, sed diuinæ reuelationis afflatum redoleret.* Et mox, *Tam efficacibus subitò cœpit verbis affluere, tamq; potenti virtute illorum mentes virorum sublimium* (Papæ scilicet, & Cardinalium) *ad compunctionem inflectere, vt apertè clareret, quòd non ipse, sed spiritus Domini loquebatur. Nesciebat aliquorum culpas palpare, sed pungere; nec vitam fouere peccantium, sed aspera increpatione ferire. Eadem mentis constantia magnis loquebatur & paruis, eademq; spiritus iucunditate paucis loquebatur, & multis: omnis ætas, omnisq; sexus properabat virum nouum mundo cælitus datum & cernere, & audire.* Eius assecla fuere S. Antonius de Padua, de quo Auctor vitæ ita scribit: *Videbatur quasi alter quidam prodisse Elias, zelo Dei feruens, inflammatusq; igne Spiritus sancti ignitis sermonibus accendebat & vrebat auditorum tepida, torpentia, frigida & obscura corda.* Item B. Petrus Martyr, cuius hoc continuum concionis erat thema, è nostro Iona petitum, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur.* Et S. Bonauentura, S. Thomas, S. Bernardinus, S. Vincentius Ferrerius, alii-

A B C D

que similes oratores cælestes. Hosce sibi imitandos proponant nostri Prophetæ, Concionatores inquam & Doctores, qui Clerum & populum reformare, sanctificare, ad cælum deducere contendant.

Homonymus & suppar S. Francisco Assisio fuit nostro sæculo noster S. Franciscus Xauerius, hoc anno Domini 1622. inter cælites relatus, qui mente oculisque in cælum defixus, non nisi cælum cogitabat, aspiciebat, prædicabat, ac quasi homo cælo lapsus ad cælum omnes traducere satagebat. Huius enim vnius rei causa à Deo in mundum missus videbatur. Cælestia enim iugiter non tantùm contemplabatur, sed & reipsa gustabat & sapiebat, vt ineffabiles illas cælitum delicias præcipere & prælibare videretur. Hinc illæ eius voces: *Satis est Domine, satis est. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Hinc ardens eius vultus instar Seraphini spirans amorem, imò ardorem diuinum effulgurans. Hinc illa corporis eius in oratione à terra eleuatio, vt inter cælum & terram suspensus, spiritu secum rapiente molem corporis, in alta conscenderet, vt videretur, quod ait S. Gregor. hom. 37. *angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, incorruptionis perpetuæ munere lætari.* Quapropter patria exul, parentibus amicisque orbus, quasi terræ hospes & ciuis cæli, inter exteros, extremosque Indos viuere & mori ambiuit, sciens vtique eo se Deo viciniorem, quo à notis & amicis esset remotior. Deo ergo nixus, eius vnius amore instar fulguris, imò instar angeli, tanta terræ marisque spatia, totumque Orientem euangelizando celerrimè peruasit. Xauerius enim (quod de S. Paulo Prophetarum & Apostolorum patriarcha ait Chrysost. hom. 2. de eius laudibus) *in terra gradiens sic se agebat in cunctis, quasi angelorum societate frueretur. Passibili enim colligatus corpori, illorum perfectione gaudebat, tantisq; fragilitatibus subditus, in nullo inferior superni virtutibus apparere certabat. Quippe vt pennatus totum docendo peruolauit orbem, & velut incorporeus labores omnes periculaq; contempsit, ac quasi iam cælum possidens, tamquam cum ipsis iam incorporeis degeret, ita iugi mentis intentione vigilauit. Angelis quidem diuersarum gentium cura commissa est, sed nullus eorum ita creditum sibi gubernauit populum, vti Paulus orbem, & Franciscus vniuersum illuminauit Orientem. Quàm hoc admirabile, cùm ex terrena lingua sermo profluens velut oraculum, mortem fugauit, peccata dissoluit, tenebras infidelitatis discussit, atque mutatione mirifica terram conuertit in cælum? Hac de causa ad confusionem & iniurias, quas ob prædicandi studium sustinebat, magis quàm ad bonorum oblectamenta properabat, mortem potiùs quàm vitam appetens, paupertatem quàm opulentiam, & multò magis laborem desiderans quàm alij requiem post laborem: studiosiùs pro inimicis orans, quàm alij aduersus inimicos. Conuertebat enim orbem terrarum, quem nos peruertimus. Huius rei studio non tantùm vrbes, gentes, exercitus, prouincias, pecunias, potestates velut arenam vilia reputauit; sed & præ Christi dulcedine non angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, nec quidquam simile concupiuit. Perfrui enim Christo, hoc illi vita erat, hoc mundus, hoc angeli, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum,*

regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera. Præter hæc verò nihil in tristium parte ponebat. Horum enim quæ hic habentur nihil asperum, nihil etiam suaue reputabat. Sic despiciebat vniuersa quæ cernimus, vt solet herba iam putrefacta contemni. Tyrannos verò ipsos, ac populos spirantes furorẽ, velut quosdam culices æstimabat. Mortem verò & cruciatu, & mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret. Hunc enim amplectebatur libenter, & decorabatur vinctus catena magis, quàm diademate coronatus. Etenim coarctatus carcere habitabat cælum, ac libentiùs verbera excipiebat & vulnera, quàm alij bratia diripiunt: dolores non minùs quàm præmia diligebat, cùm ipsos vtique dolores loco duceret præmiorum: propterea enim illos & gratiam nominabat. Denique illi viuere Christus erat, & mori lucrum. Hucusque Chrysost. de Paulo, nos de Xauerio. Hæc apostolatus Pauli & Xauerij insignia, hæc prophetiæ decora, hæc heroica virtutum facinora, quibus infidelitatis mõstra, & vitiorum portenta vbique debellauit, imò in Euangelicæ veritatis & virtutum splendorem transmutauit, ac paucorum annorum spatio seipsum meritis, Europam & Indiam beneficijs, Societatem Iesu exemplis, orbem fama, Ecclesiam gloria, cælum ciuibus sanctisque quos eò transmisit, implcuit & decorauit. En tibi ideam veri Prophetæ, veri Apostoli.

Cœtus & filij Prophetarum qui?

Quartò, de cœtu Prophetarũ legimus 1. Reg. 10. 5. dictum Samuelis ad Saulem: *Cùm ingressus*, inquit, *fueris ibi vrbem, obuium habebis gregem Prophetarum descendentium de excelso, & ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes. Et insiliet in te spiritus Domini, & prophetabis cum eis, & mutaberis in alium virum.* Hi Prophetæ erant viri religiosi, semoti à sæculo, vacantes Dei laudibus & psalmodiæ, ideoque psalterio, tympano, tibia & cithara, tum Deum laudabant, tum se inuicem ad laudes Dei concinendas prouocabant. Inter eos tamen erant aliqui Prophetæ propriè dicti, vt Elias, Elisæus, &c. 4. Reg. 6. 1. Vnde S. Hieron. epist. 4. ad Rusticum, Religiosos & Monachos vocat filios Prophetarum. Horum enim in vita & moribus pijs sunt imitatores & asseclæ, æquè ac Essenorum & Therapeutarum, tum eorum qui apud Iudæos ante Christum, tum eorum qui Christiani extiterunt, quorum parens & dux fuit S. Marcus, de quibus Eusebius, Ioseph. & Philolib. de Essæis.

Porrò secedebant à populo Prophetæ, tum orationis & sanctitatis, tum auctoritatis causa. Nam, vt ait Tacitus, *Maior est rebus ex longinquo honor*; &, vt B. Petrus Damiani in epistolis, sicut pictura si procul absistat, inhianter & cum cupiditate perspicitur; si iuxtà sit, contemptibilis iudicatur: ita ex secessu doctis & sanctis oritur apud omnes reuerentia; ex aduerso *minuit præsentia famam.*

Porrò, an aliqui è duodecim hisce Prophetis fuerint ex hoc cœtu Prophetarum, incertum est: certum est non omnes fuisse. Nam Amos c. 1. 1. ab armentis raptus est ad prophetandum. Rursum eos certas non habuisse sedes & domos, liquet ex eo, quòd diuersis in locis, vrbibus & prouincijs prophetarunt. Alij enim in Iudæa, alij in Samaria, alij in Bethel, &c. prophetarũt. De Holda prophetissa legimus 4. Reg. 22. 14. cam Hiero-

A lymis habitasse *in secunda*, scilicet in media vrbis parte. Ierusalem enim in tres parte, quasi vicos & regiones, erat distributa, scilicet in primam, secundam siue mediam, & tertiam, vt patet ex eius chorographia. Tradũt Hebræi in secunda, vtpote quietiori & securiori vrbis parte fuisse gymnasia, ibique habitasse viros literatos & studiosos. Quocirca verisimile est ibi pariter non nullos habitasse Prophetas.

Etyma Prophetarum.

Denique nominum Prophetarum etymologias & significata ita paucis perstringit S. Hieron. præfat. in Ioëlem: *Osee*, inquit, *interpretatur σώζων, quem nos Saluatorem possumus dicere. Ioël* ἀρχόμενος, *id est, incipiens. Amos* βαστάζων, *qui apud Latinos portans dicitur. Abdias* δοῦλος κυρίου, *id est, seruus Domini. Ionas* περιστερά, *id est, columba. Michæas* τίς ὧδε, *quod apud nos sonat, quis quasi, aut quis velut? Nahum* παράκλησις, *id est, consolatio. Habacuc* περιλαμβάνων, *id est, amplexans, siue luctans. Sophonias* κεκρυμμένος κυρίου, *hoc est, arcanus Domini. Aggæus* ἑορτάζων, *quem nos festiuum, siue solemnem possumus dicere. Zacharias* μνήμη κυρίου, *id est, memoria Domini. Malachias* ἄγγελός μου, *id est, nuncius meus. Quæ omnia quo sensu accipienda sint, in suis voluminibus differetur.* Attexit deinde etyma quatuor maiorum Prophetarum: *Isaias*, ait, σωτηρία κυρίου *dicitur, id est, salus Domini. Ezechiel* κραταίωσις κυρίου, *id est, robur Domini. Ieremias* ὕψωσις κυρίου, *id est, excelsus Domini. Daniel* ἐκδικήσας κύριος, *id est, iudicauit me Dominus.*

Denique mores, vitam & mortem singulorum Prophetarum scripserunt S. Epiphan. Isidorus, & Dorotheus, quem multi censent fuisse Episcopum Tyri, & Martyrem sub Iuliano Apostata. Verùm Baronius vtrumque negat, rectèq; ostendit Dorotheum hunc alium esse à Dorotheo qui fuit presbyter (non Episcopus) Tyri, Martyrque à Iuliano effectus est annum agens ætatis 107. de quo in Martyrolog. die 5. Iunij. Consentit Bellarm. de Scriptorib. Eccles. asseritque Synopsin hanc Dorothei de vita Prophetarum plenam esse fabulis. Nam Priscam vxorem Aquilæ ponit inter 72. Christi discipulos, facitque Episcopum Colophonæ. Imò omnes quos S. Paulus in epistolis suis nominat aut salutat, facit discipulos Christi. Vide de Synopsi Epiphanij & Isidori Bellarminum libro citato; Baronium, & Possevinum in Bibliotheca.

Finis & fructus Prophetarum.

QVÆRITVR SEXTÒ. Quis sit scopus, quis vsus, quis fructus Prophetarum? Resp. finis est, enarrare nobis ipsa sensa & arcana mentis diuinæ: fructus, docere nos sapientiam diuinam, æquè ac vitam cælestem; docere nos sapere secundùm Deum, sapere diuina, viuere Deo, ex Deo, cum Deo. S. Carolus Borromæus, Italiæ & nostri æui fulgor, & fulgur, asserebat hanc esse basin vitæ sapientis & sanctæ, nimirum semper & vbique tendere ad Deum, vt omnes actiones & passiones nostræ incipiant, dirigantur & desinant in Deum. Si vis, inquit, proficere in vita Christiana, perfici in doctrina, virtute & spiritu Christi, hæc tria obserua: Primum, quotidie incipere & inchoare te existima, vt scilicet eo feruore quotidie seruias Deo, ac si eo die primùm ei seruire inciperes. Secundum, in mente semper habeto Deum, & iugiter cogita te in eius præsentia versari: spectaculum enim facti sumus mundo & angelis & hominibus. Tertium, effice vt omnia tua

opera tendant ad Deum. Ita habet auctor Vitæ S. Borromæi lib. 8. cap. 18. *Indicabo tibi ô homo*, ait Michæas cap. 6. 8. *quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique diligere iudicium, & facere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo*, vt quasi altior terra, maior homine, cæli ciuis, par angelis cum Deo ambules, cum Deo iugiter verseris & agas, ex Deo omnes tuas cogitationes, sermones & actiones haurias, metiaris & dirigas. Sollicitudo hæc ambulandi cum Deo multa magnaque complectitur, magnorum & heroicorum operum est parens, vti in Michæa ostendam. Prophetæ ergo sunt *os & oraculum Dei*, per quos secreta sua, sensa & placita mundo Deus reuelauit, præsertim quid credere, sperare, amare, agere debeamus, vt vitam beatam assequamur. *Multifariam*, ait Paulus Hebr. 2. 1. *multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio*. Et Zacharias Luc. 1. 70. *Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius.*

Tria ad proficiendũ in virtute media.

Prophetæ ergo non ex se, sed ex Deo locuti sunt, fueruntque os eius & lingua. Quocirca docent ipsi nos sapientiam Dei, *scientiam sanctorum*, & prudentiam iustorum, vt eamdem & alios doceamus, ac cum Iohanne Baptista paremus Domino plebem perfectam. D. Thom. 1. p. q. 1. a. 1. quærit, an præter scientias naturales necessaria sit alia reuelata & supernaturalis: ac respondet, omnino eam necessariam esse, quam deinde ponit basin totius Scripturæ sacræ, & Theologiæ, totiusque doctrinæ & vitæ Christianæ. Causam à priori assignat, quòd finis noster & beatitudo supernaturalis sit, quam lumen naturale, ratio & scientia naturalis non cognoscunt, non attingunt, ac proinde ad eam eiusque viam demonstrandam, necessarium est lumen reuelatum & supernaturale: finienim supernaturali media supernaturalia danda & coaptãda sunt. Multa subtiliter de natura, de elementis, de animalibus, de homine, de vita œconomica & politica disseruerunt Gentilium Philosophi, sed hæc omnia intra naturæ fines consistunt, terræ limites non excedunt: alijs ergo doctoribus opus, qui viam in cælum, iter ad Deum nobis commonstrent. *Narrauerunt*, inquit Psaltes psal. 118. *mihi iniqui fabulationes: sed non vt lex tua.* Quæ Plato, quæ Pythagoras, quæ Socrates, quæ philosophi omnes de mundo, de moribus, de beatitudine scripserunt, fabulæ sunt, si cum lege tua, ô Domine, si cum oraculis, cum Prophetis tuis comparentur. *Vani*, inquit Sapiens c. 13. 1. *sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei*: hanc autem Dei scientiam enunciant Prophetæ. Ipse enim Deus per Osee cap. 12. 10 proclamat: *In manu* (in oraculo) *Prophetarum assimilatus sum*. Disertè verò Baruch veram sapientiam inuestigans cap. 3. 14. *Audi*, ait, *Israel, disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, vt scias simul vbi sit longitudo vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum & pax. Vbi sunt principes Gentium, &c. qui in auibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant & aurum: exterminati sunt, & ad inferos descenderunt; viam autem disciplinæ ignorauerunt. Non est audita in terra Chanaan, neque visa est in Theman. Filij quoque Agar, qui exquirunt prudentiam quæ de terra est, negotiatores Merrha & Theman, & fabulatores, & exquisitores prudentiæ & intelligentiæ: viam autẽ sapientiæ nescierunt. Non est qui possit scire vias eius, sed qui scit vniuersa nouit eam, & adinuenit eam prudentia sua. Hic est Deus noster: hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam* (per Prophetas) *Iacob puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc*, vt ore tenus hanc sapientiam doceret homines, *in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*, cùm scilicet *Verbum caro factum est.*

Hic ergo fuit error, hæc caligo vitæ humanæ, quòd mortales quasi talpæ, terram & terrena tãtùm saperent, diuina verò, iterque ad diuinam beatitudinem ignorarẽt. Quinimo hic error etiamnum multos tenet Christianos, qui vitam suam instituunt secundùm prudentiam politicam & humanam, secundùm rationes naturales & temporaneas, vt honestè, decorè, honoratè, sapienter inter homines viuant, vt suam ætatem commodè transigant, eaque transacta cum Augusto Cæsare morituro dicant: Sat commodè, sat decorè personam nostram egimus: valete & plaudite. Interim non considerant, non prouidẽt, non consulunt animæ suæ, saluti suæ, æternitati suæ. Ad hunc scopulum allidit, diffilit & perit maior hominum pars. Deus ergo huic malo mederi, hunc*que* errorem dispellere volens, misit Prophetas, qui quasi videntes ea quæ remota, cælestia, futura & æterna sunt, ex alta prophetiæ specula, quasi è cælo, speculantes ostendant nobis viam ad salutem, erudiant nos sapere & viuere secundùm rationes, non naturales, terrenas & temporaneas, sed supernaturales, cælestes & æternas, quæ conscriptæ sunt viuuntque in mente Dei, quæque solæmentem satiant & beant. Verissimum enim est illud August. epist. 39. *Vincula huius mundi asperitatem habent veram, iucunditatem falsam: certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidam quietem: rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.* Hoc est quod Zacharias de filio S. Iohanne Baptista, qui Prophetarum fuit vltimus, finisque legis & prophetiæ, ac Euangelij Christique lucifer, canit: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum: per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Quapropter Prophetæ fuerunt quasi stellæ noctem orbis illuminantes, imò quasi soles mundi. Nam, vt ait Origen. S. Scriptura & verbum Dei, quod præferunt Prophetæ, est sol, non corporalis hic & materialis; sed spiritalis & intelligibilis, mundum vniuersum illustrans. Quantum ergo cælum superat terram, quantum sol lumine & fulgore vincit candelam & lampadem, tantum oracula S. Scripturæ & Prophetarum superant sapientiam & dogmata omnium Philosophorum. Viderat S. Petrus in transfiguratione Christi, cominus oculis corporeis gloriam Christi, vocem audierat suis auribus: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* & tamen hanc ipsam visionem recensens epist. 2. c. 1. 17. prophetiæ postponit: oculus enim perstringi potest, auris falli; sed prophetia perstringi aut falli nequit. *Hanc vocem*, inquit, *nos audiuimus de cælo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto. Et habemus firmiorem propheticum sermonem: cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordi-*

cordibus vestris. Lucifer est clarior illa Christi doctrina, putà fulgor Euangelij, succedens nocti tenebrarum gentilismi & iudaismi, ducens quead claram meridiem beatæ æternitatis & visionis Dei. *Hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines.*

Quocirca cælesti luce hîc opus, vt cælestes Dei voces, cælestes hosce doctores capiamus & intelligamus. Eapropter cum D. Thoma meditatione & oratione magis, quàm studio hîc nitendum & vtendum. Hinc S. Bernardi hoc fuit axioma: *Mēs hominis sapientis qui Deum diligit, non est in terra, sed in cælo*: quia semper cælestia considerat & desiderat. Sanctus verò Augustin. in psal. 64. *E cælis*, ait, *misit ad nos epistolas Pater noster, ministrauit nobis Scripturas Deus, quibus epistolis fieret in nobis redeundi desiderium: quia peregrinationem nostram diligendo ad hostes facies posueramus, & dorsum ad patriam.* Et S. Gregorius libr. 4. epist. 84. ad Theodorum medicum: *Imperator*, ait, *cæli Dominus hominum & angelorum, pro vita tua tibi suas epistolas transmisit: & tamen, glorioſe fili, easdem epistolas ardenter legere negligis. Stude ergo, quæso, & quotidie Creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, vt ardentiùs ad æterna suspires, vt mens vestra ad cælestia regna maioribus desiderijs accendatur. Tanto enim tunc maior ei erit requies, quanto modò ab amore conditoris sui requies nulla fuerit.* Ita S. Bernardus totus meditationi deditus, *confessus est aliquãdo sibi meditanti, vel oranti sacram omnem velut sub se positam & expositam apparuisse Scripturam*, ait Auctor Vitæ eius lib. 3. c. 3. De S. Francisco scribit S. Bonau. in eius Vita c. 11. *Ad tantam*, ait, *mentis serenitatem indefessum orationis studium, cum continua exercitatione virtutum, virum Dei perduxerat, vt, quamuis non habuerit S. literarum peritiam per doctrinam, æterna tamen lucis irradiatus fulgoribus, Scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita, & vbi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis.* Vnde & Doctor quidam Theologus admirans eius responsa, dixit: *Verè Theologia sancti Patris illius, puritate ac contemplatione tamquam alis in altum subuecta, est quasi aquila volans: nostra verò scientia ventre graditur super terram. Nec absonum, si vir sanctus Scripturæ à Deo intellectum acceperat, cùm per imitationem Christi perfectam, veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere, & per Spiritus S. vnctionem plenariam, doctorem earum apud se haberet in corde.*

Meditatio ergo, oratio, & sancta vita sunt claues S. Scripturæ & Prophetarum: & hi viciſſim claues sunt cælorum. Nam Prophetarum & *Scripturarum lectio cælorum est reseratio*, ait S. Chrysost. hom. 2. in verba Isaiæ, *Vidi Dominum*, &c. Idem conc. 3. de Lazaro: *Fieri*, ait, *non potest, vt quisquam salutem assequatur, ni perpetuò versetur in lectione spirituali.* Ex quo infert, non tantùm Monachos, sed & laicos coniugatos debere lectioni S. Scripturæ vacare, idque eo magis, quo maioribus quàm Monachi distractionibus, tentationibus & periculis implicantur. *Vnde necesse est*, inquit, *indesinenter à Scripturis armaturam sumere.* Additque: *Vbicumque fuerint libri spirituales, illuc omnis expellitur vis diabolica, multaq; inhabitantibus accedit consolatio: quia ipse etiam sacrorum librorum*

A *aspectus segniores nos reddit ad peccandum. Rursum siue in sanctimonia persteterimus, ex libris reddimur tutiores firmioresque. Quòd si accesserit sacra lectio, non aliter quàm in sacris adytis rebus diuinis vacans anima, sic repurgatur, meliorq; redditur, Deo cum ipsa per illas Scripturas colloquente.* Et inferiùs: *Memẽto Eunuchi reginæ Aethiopum* (Act 8.) *qui cùm esset homo barbarus, innumerisq; distentus curis, nec intelligeret quæ legebat, legebat tamen in curru sedens* Isaiam Prophetam: *quòd si in via tantam præstitit diligentiam, cogita qualis fuerit domi versans. Magna aduersus peccatum munitio est Scripturarum lectio; magnum præcipitium, profundum barathrum Scripturarum ignoratio, magna solutio, perditio*, &c. *Sicut mordent conscientiam, ita nonparum afferunt vtilitatis animis eorum qui mordentur.* Auctor Im-
B perfect. in S. Matth. hom. 27. Prophetas nuncupat angelos & paranymphos Christi. *Ecce*, ait, *omnes Prophetæ ante faciem Christi transmissi sunt, & angeli sunt vocati: sicut scriptum est* Act. 7. *Qui accepistis legem in præceptis angelorum, & non custodistis.* Et superiùs: *Prophetæ est, de Christo prædicare. Propheta est, pro merito conuersationis & fidei prophetiam accipere. Prophetæ est, beneficium à Deo accipere. Prophetæ est, verbum ante tempus significare de Christo. Prophetæ est, vt ipse de Deo prophetet.* Et homil. 41. *Via est Christus, quæ ducit ad vitam. Et viæ dicuntur omnes Prophetæ, & omnes Apostoli: hæ enim omnes viæ ducunt ad Christum: Christus autem ad Patrem. sic generalis & publica via est diabolus, quæ ducit ad mortem: & viæ sunt omnes professiones sæculi istius, vt putà professio philosophiæ* (vanæ, gẽtilitiæ & erroneæ) *vna est via: professio militiæ via altera, mundialis dignitas, altera.* Quocirca S. Chrysost. hom. in
C titul. psal. 50. *Prophetæ*, ait, *velut quidam pictores sunt virtutis, ac militiæ quæ contra peccata & diabolum decertamus.* Idem hom. 1. in c. 1. Isaiæ initio, docet prophetias esse oracula diuina, ac literas è cælis delatas. Vnde hom. 4. in c. 6. Isaiæ, asserit *silẽtium Prophetarum esse signum iræ diuinæ.* Idem in c. 8. Isaiæ: *Deus*, ait, *confecit medicamentum prophetiæ, delinquentes erudiens præscientiam pœnarum, non item doctrice experientia earum; vt si quidem respipiscerent comminationibus auditis, experimentum euitarent intentati supplicij.*

Porrò in Prophetis non est quærenda eloquẽtia, sed sapientia. Audi memorabilem historiam, quam in hoc argũmento sibi in iuuentute obuenisse narrat S. Hieron. scribens ad Eustochium de custodia virgin. *Post noctium*, inquit, *crebras vigilias, post lachrymas, quas mihi præteritorum recordatio peccatorum ex imis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manus. Si quando in memetipsum reuersus, Prophetas legere cœpissem, sermo horrebat incultus: & quia lumen cæcis oculis non videbam, non oculorum putabam culpam esse, sed solis. Dum ita me antiquus serpens illuderet, &c. raptus in spiritu ad tribunal iudicis pertrahor, &c. Interrogatus de conditione, Christianum me esse respondi. Et ille qui præsidebat, Mentiris, ait, Ciceronianus es, non Christianus. Vbi enim thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Subdit deinde se acriter flagellatum, donec promitteret, & iuraret: *Domine si vnquam habuero codices sæculares, si legero, te negaui.* Qua de causa idem S. Hieron. proœmio in l. 3. Comment. in Amos: *In explanatione*, ait, *S. Scripturæ non verba composita & oratorijs floribus adornata, sed eruditio & simplicitas quæritur veritatis.* Nimirum hisce sublimibus Prophetarum my-

Flagellatur S. Hieron. quòd profanos legeret, non S. Scripturam.

sterijs congruit illud Manilij : *Ornari res ipsa vetat, contenta doceri.* Et illud Fabij: *A Philosopho si asserat eloquentiam, non aspernor : si non asserat, non admodum efflagitem. Res magnæ seipsis ornatæ sunt, non indigent fuco vt amentur.* Et S. Basil. Græcorum facundissimus ad Diodorum: *Lectionis*, ait, *inaffectata & incomposita simplicitas, decora mihi videbatur, & conuenientis professioni Christiani hominis, cuius est non ad ostentationem magis scribere, quàm ad publicam vtilitatem.* Rursum S. Hieron. ad Damasum q. 2. *Scio*, ait, *hæc molesta esse lectori, sed de Hebraicis literis disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, neque ex flumine Tullianæ eloquentiæ ducendus est riuulus, neque aures Quintiliani flosculu, & scholarum declamatione mulcendæ: pedestris & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem redolens oratio necessaria est, quæ rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet, non quæ verborum compositione frondescat.*

Obscuritas Prophetarum.

Porrò tãta est obscuritas & profunditas Prophetarum, vt singulæ penè eorum sententiæ ænigmata videantur : nimirum prophetia obscuritatem in sua ratione & essentia includit: eam ergo affectant Prophetæ. *Mira*, inquit S. August. l. 12. Confess. c. 14. *profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas. Horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* In ijs itaque verum est illud Auctoris Imperf. apud S. Chrysost hom. 4. *Sicut in cælo celatur Deus, sic in Scriptura absconditur.* Et sicut hoc cælum omnes homines vident, Deum autem inhabitantem cernere nequeunt; sic & sacras Literas omnes ferè legunt, non tamen omnes Deum veritatis in arcanis sensibus latentem intelligunt, nisi sapientiæ lumine illustrati. Quocirca Origenes assiduè versabat, meditabatur & scrutabatur S. Scripturas, indeque orbis doctor & penè oraculum euasit, qui vtique maior extitisset, si minori affectu plausus orbis excipiens, minor esse voluisset. Audi de eo S. Hieron. ad Marcellam epist. 18. *Ambrosius, quo chartas, sumptus, notarios ministrante, tam innumerabiles libros verè Adamantius & Chalcenterus noster explicauit, in quadam epistola quam ad eumdem de Athenis scripserat, refert, numquã se cibum Origene præsente sine lectione sumpsisse: numquam iniisse somnum, nisi vnus è fratribus sacris literis personaret: hoc diebus egisse & noctibus, vt & lectio orationem exciperet, & oratio lectionẽ. Quid nos ventris animalia tale vmquam fecimus? quos si vel secunda hora legentes inuenerit, oscitamus, manu faciem defricantes continemus stomachum; & quasi post multum laborem, mundialibus rursum negotijs occupamur.* Perdius & pernox in S. Literis fuit Origenes; at nimis ingenio & studio suo confisus, in errores iusto Dei, qui excelsa deprimit sternitque, iudicio prolapsus, suo malo nos docuit nõ altum sapere, sed cum metu & reuerentia ad Deum Deique libros accedere, ipsi fidere, nobis ipsis diffidere: ab ipso humili prece assiduè poscere, vt in sacra sua adyta, sensaque mentis suæ nos introducere dignetur.

Iam penè à quadraginta annis sacro huic studio incumbo, à triginta annis non aliud ago, quin & continuè S. Literas doceo : & tamen sentio quàm parum in eis profecerim, longè plura me ignorare quàm didicerim, imò quo profundiùs eas scrutor, eo maiorem sapientiæ abyssum intueor. Vt clarè videam verum hîc esse vetus Sapientis dictum: *Cùm consummauerit homo, tunc incipiet.* O æterna veritas, & vera charitas, & chara claritas, Deus meus & omnia, cui suspiro die ac nocte, illumina tenebras meas (quas in dies in me maiores deprehendo) fulgore lucis tuæ irradia menti meæ in splendoribus Sanctorum, vt in lumine tuo videam lumen; quo & alios pariter illuminem, & tui amore inflammem. Reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua, tu qui mentes & linguas infantium facis disertas. *Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* *Iacobi 2. 17.* Profiteor palàm, dicoque cum S. August. libr. 1. Confess. c. 15. *Ecce tu Domine, rex meus & Deus; tibi seruiat quidquid vtile puer didici; & tibi seruiat quod loquor, quod scribo, & lego, & numero.* Tibi enim, & tuæ gloriæ, tuæque Ecclesiæ vsibus laboro, scribo, viuo, non mihi, nec meis. Faue ergo, & cœptis meis radijs tui fauoris benignus aspira. Hominum iudicia aut plausus non moror : tibi enim soli placere cupio, & displicere timeo, dicoque cum Apostolo : *Mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Sed neque me ipsum iudico : qui autem iudicat me, Dominus est.* Et cum S. Hieron. præfat. lib. 1. Comment. in Osee: *Optarem illud mihi contingere, quod Titus Liuius scribit de Catone, cuius gloriæ neque profuit quisquam laudando, neque vituperando quisquam nocuit; cùm vtrumque summis præditi fecerint ingenijs. Significat autem M. Ciceronem, & C. Cæsarem, quorum alter Laudes, alter vituperationes supradicti scripsit viri. Dum enim viuimus, & in vase fragili continemur; videntur amicorum prodesse studia, & nocere æmulorum opprobria. Postquam autem reuersa fuerit terra in terram suam, & tam nos qui scribimus, quàm eos qui de nobis iudicant, pallida mors subtraxerit, & alia venerit generatio, primisq; cadentibus foliis virens sylua succreuerit, tunc sine nominum dignitate, sola iudicantur ingenia, non honorum diuersitate, sed operum merito.* Si quid in me, meisque dictis & scriptis est veritatis, virtutis pulchritudinis, totum, quantum quantum, tuum est, ô Sacrosancta Trinitas, quæ es prima, increata & fontalis veritas, virtus, pulchritudo. Ergo non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Omnia enim nostra bona, tua sunt dona. Si quid verò in me meisque est erroris, vitij, deformitatis, vti plurimum est, totum ex me est, totum mihi deputo, in me recipio, & supplex veniam posco. Tibi itaque laus, tibi decus omnis boni; mihi dedecus omnis mali, & confusio faciei meę: tibi benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen. Dixisti Domine tuis Apostolis & Prophetis, eorumque assectis & interpretibus: *Vos estis sal terræ, vos estis lux mundi*, Matth. 5. 13. Dixisti, ac dicendo fanxisti & effecisti. Nam, vt ait ibidem S. Hilarius, *Apostoli sunt rerum cælestium prædicatores, & æternitatis velut satores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum sermo aspersus fuerit, conferentes.* Da Domine, vt eorum adinstar simus & nos cæli prædicatores, & æternitatis satores, vt instar salis mentes hominum terrenas & insulsas condiamus, eisq; incorruptionem impertiamur; vt quicumq; hæc legunt, ex S. oraculorum tuorum cognitione, ex tua-

tuarum promissionum minarumque grauitate & pondere, illecebrosas terræ cupedias despiciant, ac cælestium bonorum amore, & beatæ æternitatis desiderio studioque efficaci accendantur. Hoc vnum specto, hoc vnum postulo: huc omnis mea lectio & scriptio, huc omnis labor desudat, vt sanctum nomen tuum sanctificetur, tuaque sancta voluntas fiat sicut in cælo, sic & in terra; ac sanctum tuum regnum gratiæ, gloriæ & felicitatis sempiternæ, vbi tu eris omnia in omnibus, nobis aduenat. Amen.

CANONES
IN PROPHETAS MINORES.

CANON I. PRÆTER canones quos maioribus Prophetis præfixi, hos minoribus penè propriosaccipe. Prophetæ in nominibus proprijs hominum vel vrbium, alludunt ad eorum significata, tum ad elegantiam, tum ad vim & energiam: quocirca Noster interpres sæpè pro ipsis nominibus Hebraicis, eorum significata reddidit. Tale est Primò, Osee 1.v.6. vbi Osee, cùm iussu Dei filiam ex fornicaria genuisset, à Deo audit: *Voca nomen eius Absque misericordia*, hebr. לֹא רֻחָמָה *lo rachuma*. Hoc ergo erat nomē proprium filiæ. Verùm quia *lo rachuma* significat *absque misericordia*, ac significatum hoc vrget hîc Deus dicens: *Quia non addam vltrà misereri domui Israel*, hinc Interpres soloecè vertit, *Absque misericordia*. Ibidem v.9. cùm Osee rursum ex eagenuisset filium, audit: *Voca nomen eius, Non populus meus*; hebr. לֹא עַמִּי *lo ammi*. Hoc ergo erat nomen proprium filij. Verùm Interpres perspicax vidensque ad nominis significatum alludi, rectè vertit, *non populus meus*. Sequitur enim: *Quia vos non populus meus, & ego non ero vester*. Sic c.10.5. *Vaccas*, inquit, *Bethauen coluerunt habitatores Samaria*. Ieroboam enim vaccas, siue vitulos aureos colēdos erexit in Bethel, quod hebraicè idem est quod domus Dei, Genes.28.17. Verùm quia Ieroboam ibidem collocauit idola, hinc Osee & Prophetæ Bethel vocant Bethauen, id est domum idoli. q.d. Vos Bethel mutastis in Bethauen, id est, vos ex domo Dei fecistis domum idoli & diaboli.

Secundò, tale est Michææ 1.10. *In domo puluerū puluere vos conspergite*. Pro *puluerū* hebraicè est עָפְרָה *aphra*, quod est nomē proprium vrbis. Verùm quia *aphra* significat puluerem, eoq; alludit Propheta, hinc eleganter vertit Noster: *In domo Aphra*, id est *pulueris, puluere vos conspergite*. Et v.11. *Transite vobis habitatio pulchra*, hebr. שָׁפִיר *sapir*, quod est nomen vrbis; sed significat pulchram. Et mox: *Non est egressa quæ habitat in Exitu*, hebr. *in Saanan*, quod est nomen vrbis, sed exitum significat. Et v.12. *Infirmata est in bonum quæ habitat in Amaritudinibus*. hebr. in *Maroth*, quod est nomen vrbis; sed significat amaritudines. q.d. Quæ habitat in Maroth, id est in amaritudinibus, iuxta nomen suum infirmata & amaricata est. Et v.14. *Dabit*, &c. *domos mendacij in deceptionem regibus Israel*, hebr. אַכְזִיב *accib*, quod est nomen vrbis, sed significat mendacium, eoq; alludit dicens: לְאַכְזָב *leaczab*, id est, ad mentiendum & decipiendum reges Israel.

Tertiò, tale est Zachar.3.8. *Adducam seruum meum Orientem*, hebr. צֶמַח *tsemach*, quod est nomen Christi; sed significat germen nascens, & oriens ex terra virgine, vti Christus ex matre virgine sine patre natus est.

Quartò, tale est Genes.26 20. vbi Isaac ex iurgio pastorum puteum vocauit *Calumniam*, hebr. עֵשֶׂק *esec*. Hoc ergo erat nomen proprium putei. Et v.21. alium ob similem causam vocauit *Inimicitias*, hebr. שִׂטְנָה *sitna*. Et v.22. tertium vocauit *Latitudo*, hebr. רְחֹבוֹת *rechobot*, dicens: *Nunc dilatauit nos Dominus*. Et v.33 quartum vocauit *Abundantiam*, heb. שִׁבְעָה *sabea*: *Vnde nomen vrbi impositum est* Bersabee, q.d. Puteus saturitatis & abundantiæ.

Quintò, tale est 2.Reg.8.1. *Tulit Daauid Frenum tributi de manu Philisthiim*, hebr. *Tulit Dauid Metheghamma*, quod est nomen proprium loci, vel vrbis, significatque *Frenum tributi*.

Sextò, tale est 2.Reg.21.19. *A Deo datus filius saltus*, hebr. *El chanan ben iaare*, quod fuit nomen proprium viri vnius ex fortibus Dauidis: sed *El* idem est quod Deus, *chanan* dedit, *ben* filius, *iaare* saltus.

Septimò, tale est Proverb.30.1. *Verba congregantis filij vomentis*: hebr. *verba Agur filij Iake*. Agur enim fuit vir & doctor, filius Iake, qui verba sequentia dictauit, sed *Agur* significat congregantem, *Iake* vomentem.

Octauò, tale est 1.Paral.4.22. *Qui stare fecit solem, viriq; mendacij, & securus, & incendens*. Hebr. est, *Ioakim, & viri Kozba, & Ioas, & Saraph*: quæ sunt nomina propria virorum: vnde ea retinuerunt Septuag. Sequitur enim: *Qui principes fuerunt in Moab*. Sed *Ioakim* idem est quod stare faciens, *Kozba* est mendacium, *Ioas* securus, *Saraph* incendens. Ibidem c.2.55. *Cinæi venerunt de Calore patriu domus Rechab*. Hebr. *Cinæi venerunt de Chamath patre domus Rechab*. ita Septuag. Pagnin. & Tigurina; sed *Chamath* hebr. significat calorem.

Nonò, tale est nomen Petrus: nam S. Petrus in Syria Syriaco nomine à Christo vocatus est *Cephas*, cùm priùs vocaretur *Simon*, Iohan 1.42. sed quia syriacè *Cephas* idem est quod græcè & latinè Petrus & petra, scilicet super quam Christus ædificauit Ecclesiam; hinc à S. Matthæo cap.16. 18. & veniens Romā à Romanis deinceps vocatus est *Petrus*: sicut Saulus vocatus est Paulus: *Saulus* enim est nomen Hebræum, *Paulus* Romanum.

Decimò, tale est quod Iob vltimo v.14. de tribus filiabus Iob dicitur: *Et vocauit nomen vnius Diem, & nomen secundæ Cassiam, & nomē tertiæ Cornustibij*. Hebr. *& vocauit nomen eius Iemima*; id est diem, aut pressiùs Diariam (*Iom* enim est dies: inde *Iemima* est diaria) *& nomen secundæ Ketsia*, id est Cassiam, *& nomen tertiæ Kerenhaphuc*, id est Cornustibij.

ſtibij. Hæ ergo tres filiæ propriè à Iobo vocatæ ſunt, *Iemima, Ketſia, Kerenhaphuc*: ſed Interpres nominum earum ſignificata reddidit, quia ad ea alluſit Iob. Audi Nicetam: *Ideo*, inquit, *primam filiam Diem nominauit, quòd ab obſcuriſſimaærumnarum nocte ad felicitatem reſtitutam diuinitus, quaſi ad diei aſpiciendam lucem, eſſet reuocatus: ſecundam Caſſiam appellauit, quòd iam ſimilis odoris quadã ſuauitate bonorum q̃, voluptate frueretur. Tertiam Amaltheæ cornu* (ſic enim vertũt Septuag.) *vocauit, quòd vitam deinde vixerit omni bonorum genere pereffluentem.* Et Olympiodor. atque ex eo Vatabl. Filias, ait, ita vocauit in monumentum vtriuſq; fortunę, proſperæ & aduerſæ, quaſi iã ex tenebris ad diem & lucem, à fœtore ſterquilinij, in quo ſederat, ad fragrantiam; ex ſordibus ſanici & vlcerum, ad nitorem & elegantiam redijſſet. Vnde pro *cornu ſtibij*, R. Abraham vertit, *cornu*, vel *robur immutatum* (hoc enim ſignificat Hebr. *haphuc*) ſcilicet ex infirmitate & aduerſitate in hanc fortitudinem & felicitatem, priori & priſtina longè maiorem. Tropol. Olympiod. Dies ſumus, inquit, cùm lucifer Domini ortus fuerit in cordibus noſtris: Caſſia, cùm ſuauis Chriſti odor progreſſu virtutum euadimus: Cornu ſtibij, vel Amaltheæ, cùm ſpiritualium chariſmatum vbertate complemur, & ad perfectionem properamus. Symbolicè, S. Gregor. per tres haſce Iobi filias accipit tres ſtatus generis humani. Qui enim lux fuimus conditi, & nunc redempti, inquit, ſumus caſſia id eſt, fragrãtes fortitudine, patientia & pœnitentia, erimus aliquando cornu ſtibij, in clangorem & exultationem æternæ laudis aſſumpti. Ita ipſe in verba citata Iobi c. 42.

CANON 2. Metonymia crebrò vtuntur Prophetæ, æquè ac Poëtæ (vtrique enim ſunt vates) metonymia enim inter omnes figuras & ſchemata eſt elegantiſſima. Sic ciuitas capitur pro ciuibus, Samaria pro Samaritis, Ieruſalem pro Hieroſolymitis, idolum pro idololatris, templum pro ſacerdotibus, ſchola pro diſcipulis, Bacchus pro vino, peccatum Ieroboam pro cultu vitulorũ aureorum, Iſaias pro ſuis oraculis, Vulcanus pro igne, cælum pro cælitibus, terra pro terrigenis, Ceres pro frugibus, bene moratæ vrbes pro bene moratis incolis, mors pallida pro mortuis pallidis, ſidera pro cælo, penates pro domo, os pro vultu, cuſpis pro telo, ignis pro excidio, arx pro vrbe, acies pro oculis, Mars pro bello, vertex pro capite, tellus pro terra, Neptunus pro mari, Pluto pro inferis, vnda pro flumine, oliua pro oleo, toga pro pace, merces pro merito, peccatum pro ſupplicio, meritum pro præmio. Iuxta hoc ſchema Troiam in Latio conſignat Virgilius, dum ita canit:

Non Xanthus tibi, non Simois, non Dorica caſtra
Defuerint, alius Latio iam partus Achilles,
Natus & ipſe Dea.

Vbi Latinum Achillem vocat Turnum, Dorica caſtra Rutulos, Xanthum & Simoẽnta Anienem, Tiberim, &c.

CANON 3. Ablatiui, Infinitiui, Gerundia ſuis verbis iuncta, eorumdem ſignificationem adaugent, & actionem complent, ſimulque important & indicant modum, quo ea fieri & peragi ſolet. Sic *videndo videre* eſt clarè & dilucidè videre; quia viſio fit media luce: *Audiendo audire*, eſt rectè audire & percipere; quia auditio fit auribus excipiendo, & mente retinendo verbum quod profertur. Sic *ore loqui*, vel *loquendo loqui*, eſt cordatè vel A præmeditatè loqui: quia verè verbum oris eſt id, quod corde, id eſt mente, præconcipitur & prægogitatur.

Oculus corporis ſignificat oculum mẽtis, putà intellectum: ſic & auris ſignificat aurem mentis, putà voluntatem, quæ iuſſa audit, ijſque obedit. ſic Matt. 13. 9. dicitur: *Qui habet aures audiendi, audiat.* q.d. Qui habet voluntatem obſequentem & morigeram, hiſce meis dictis obſequatur & obediat. Geminatio enim eiuſdem vocis, putà *auris* & *audiendi*, ſignificat perfectionem & complementum actionis, vti dixi can. 2. CANON 4.

Metalepſis eſt crebra apud Prophetas hoſce minores, qua verbũ, vel nomen ſumitur, non præciſè pro eo quod ſignificat, ſed pro eo quod inde conſequitur: vt Oſee 2. 21. *Exaudiam cælos, & illi* B *exaudient terram*, hoc eſt, ego reſpondebo cælis in ſiccitate tacitè petẽtibus pluuiam, qua terram ſibi ſubiectam irrigent, nimirum eos ipſos nubibus complendo: & viciſſim cæli reſpondebunt terræ ſitienti & petenti pluuiam, illam in eam diſtillando. Ex reſponſione enim intelligitur poſtulatio: hanc enim illa conſequi ſoler; nemo enim reſpõdet niſi rogatus. *Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudient Iezrahel.* q.d. Iezrahel, id eſt ſemen & populus Dei, putà Iſraelitæ petunt triticum, vinum & oleum, illiſque quaſi dicũt. Eia date nobis copiam veſtri, cibate & paſcite nos; hæc viciſſim dicunt terræ, Eia eſto fœcunda parturi nos, vt ſatiemus Iezrahel; terra rurſum inuocat cælum, Eia da mihi pluuiam, vt germinare poſſim triticum, vinum & oleum. Cælum denique inuocat Deum, Eia Domine imple me C nube, rore & pluuia, vt ea diſtillem in terram, eãque fœcundem. Deus exaudit cælum, dando ei nubes & pluuiam: cælum exaudit terram, diſtillando ea: terra deinde exaudit triticum, vinum & oleum, germinando & producendo ea: hæc denique exaudiunt Iezrahel, copioſè germinando & naſcendo, dandoque ſe Iezraheli in meſſem & cibum. Itaque omnium votis ſatisfit à Deo, qui omne animal implet benedictione; ſed debito ordine & gradatione iam dicta. CANON 5.

Prophetæ minores mira quadã harmonia ma- CANON 6.
ioribus concinunt: quia eaſdem penè res prænunciant quas maiores, putà captiuitatem Aſſyriacam & Babylonicam, aduentum Meſſiæ, Eccleſiæ Sacramenta, &c. Voluit enim Deus oraculi ſui tot teſtes dare, vt nemo de eo dubitare poſſit, cùm idem omnes prænuncient, ac in omnibus conſonent, in nullo diſſonent. Hoc enim inuincibile veritatis, veræque diuinationis eſt argumen- D tum, quo paſſim vtuntur S. Auguſt. contra Manichæos, & Tertullianus contra Marcionem, vt probent auctoritatem tam noui quàm veteris teſtamenti, ac vtriuſque auctorem fuiſſe Deum, ex eo quòd per omnia vnum alteri pulchra & diſcordi quadam concordia, velut voces diuerſæ & diſcordes in muſico concentu, conſonet & conſentiat. Sicut enim vmbra conſentit, & ad amuſſim correſpondet corpori, ſic & vetus teſtamentum nouo. Hinc minores Prophetæ maioribus ſunt quaſi ſuppares: quod enim hi fuſiùs & fluentiùs, hoc illi conciſiùs & neruoſiùs dicunt. Ita Michæas ſuppar & æmulus eſt Iſaiæ, imò ad verbum ſubinde idem cum eo dicit; vt cùm c. 4. v. 1. ait: *Et erit in nouiſſimo dierum mons domus Domini præparatus in vertice montium*, & cætera vſq;

ad

ad v.4. Eadem penè ad verbum habet Isaias c.2. Rursum quod Michæas de castris Sennacherib ait c.5.1. *Nunc vastaberis filia latronis, obsidionem posuerunt super nos*; hoc idem de ijsdem ait Isaias c. 33.1. *Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis? & qui spernis, nónne & ipse sperneris?* &c. Sic quod ait Osee c.10.8. *Et dicent montibus, Operite nos: & collibus, Cadite super nos*; hoc Isaias c.2.19. dicit: *Et introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cùm surrexerit percutere terram.* Sic prophetia Abdiæ contra Idumæos, eadem est cum prophetia Ieremiæ contra eosdem c.49.14. & seq. vt patet conferenti vtramque. Sic quod ait Nahum c.1.15. *Ecce super montes pedes euangelizantis & annunciantis pacem*, totidem verbis habet Isaias cap.52.7. Sic quod ait Zacharias c.9.9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator*; ijsdem verbis recenset Isaias c 62.11. Similia sunt perplura.

CANON 7. Apud Prophetas, præsertim minores, crebere est sarcasmus, id est, hostilis irrisio, vel iocus cum amaritudine: qualis est ille Pyrrhi ad Priamum iamiam occidendum apud Virgil. Æneid.2.

— Referes ergo hæc, & nuncius ibis
Pelida genitori: illi mea tristia facta,
Degeneremq; Neoptolemum narrare memento.

Talis est Prouerb.1.16. *Despexisti omne consilium meum*, &c. *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis euenerit.* Sic regem Babylonis à Cyro cæsum irridet Isaias c. 14.12. *Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris?* Et Ezechiel regem Tyri c.28.12. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in delicijs paradisi Dei fuisti*, &c. *donec inuenta est iniquitas in te: & eieci te de mõte Dei, & perdidi te ô Cherub.* Talis est illa gentium vox de Ierusalem: *Lapidetur, & aspiciat in Sion oculus noster*, Michææ 4.11.

CANON 8. Creber quoq; est mycterismus, id est, subsannatio, siue irrisio cũ suspensione nasi, ac risus Sardonius, de quo Cicero lib.7. epist.26. ad Fabium Gallum: *Videris* inquit, *mihi vereri, ne, si istum habuerimus, rideamus* γέλωτα σαρδόνιον significans futurum, vt, si Cæsar rerum potiretur, multis arridere atque applaudere cogerentur, quæ magnopere displicerent: μυκτὴρ enim græcè significat nasum, qui index est iræ & irrisionis. Vnde Plinius l.11.c.37. *Et altior* (nasus) *homini tantùm, queis noui mores subdolæ irrisioni dicauere.* Hinc nasum suspendere, est tacitè & vafrè irridere. Vnde Horat. lib 1 serm. satyr. 6.

Naso suspendis adunco.

Et Persius satyra 1. de Horatio:

Callidus excusso populum suspendere naso.

Idem satyra 5.

Disce, sed ira cadat naso, rugosaq; sanna.

Et Martial lib.1. epigram.32.

Et pueri (dicaces) *nasum Rhinocerotis habent.*

Hinc *nasutus* vocatur, qui doctè nouit alios irridere. Vnde Martial. lib.13. epigr.2.

Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus.

Ita Cicero subsannat Verrem, comparans eũ verri, id est porco, act.3. *Homines*, ait, *negabant mirandum esse, ius tam nequam esse verrinum.* Verres enim & hominẽ, & suem significat; ac ius tam ciuile est, quàm suillum. Et act.6. *Siculi*, ait, *Sacerdotẽ execrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset.* Nam C. Sacerdos Siciliæ prætura abiens, successorem reliquerat Verrem; & sacerdos, id est mactator, reliquit verrẽ, id est suem, quam non mactauit, vtpote victimam fœdam & Dijs ingratam. Talis est Michææ 6.3. *Populе meus quid feci tibi? aut quid molestus fui? respõde mihi. Quia eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruientiũ liberaui te, & misi ante faciem tuam Mosen, & Aaron, & Mariam?* q.d. Quid mali tibi feci ô Israel? anne summa mea beneficia quæ in te cõtuli, maleficia æstimas, & vt talia mihi improperas? Liberaui te ex Ægyptio carcere, deduxi per Mosen vsq; in Chanaan: hæccine mihi objicis? non enim habes aliud quod mihi objicias. Similis est Osee 7.16. *Reuersi sunt vt essent absq; iugo, facti sunt quasi arcus dolosus: cadent in gladio principes eorum à furore linguæ suæ. Ita subsannatio eorum in terra Aegypti.* Et Amos cap.2.13. *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.* Et c. 4.12. *Quapropter hæc faciam tibi Israel: postquam autẽ hæc fecero tibi, præparare in occursum Dei tui*, q.d. Occurre, si potes, Deo te inuadenti, cum illo manus confer, vim vi propulsa, si vales. Et Isaiæ 57. 13. *Cùm clamaueris, liberent te congregati tui*, q.d. Reliquisti me ô Sion, vade ergo ad Deos tuos: in tribulatione eos inclama: illi liberent te.

Solent Prophetæ post oracula excidij & cædium, subiũgere carmen funebre, siue epitaphia, vel ad maius pathos, vel ad leniendam oraculi atrocitatẽ. Ita Michæas c.2.4 Samariæ exscindendæ hoc pangit carmen funerale: *In illa die sumetur super vos parabola, & cantabitur canticum cũ suauitate dicentiũ: Depopulatione vastati sumus, pars populi mei cõmutata est. Quomodo recedet à me, cùm reuertatur qui regiones nostras diuidat.* Simile Babyloni & Baltassari pãgit Isaias c.14.4. Et Ezechiel Tyro c.26.17. *Quomodo*, inquit, *peristi, quæ habitas in mari vrbs inclyta?* &c. Et Ægypto c.32.19. Et Ieremias Hierosolymæ in Threnis. Porrò primum orbis & commune Patriarcharum epitaphiũ extat Gen.5.3. *Vixit Adam nongentis triginta annis, & mortuus est. Vixit Seth nongentis duodecim annis, & mortuus est*, &c. Ita Dauid Sauli & Ionathæ occisis hunc planctum planxit 2.Reg.1.18. *Inclyti Israel super montes tuos interfecti sunt: quomodo ceciderunt fortes? Montes Gelboë nec ros, nec pluuia veniãt super vos: quia ibi abiectus est clypeus fortium. Sagitta Ionathæ numquam redijt retrorsum, & gladius Saul non est reuersus inanis. Saul & Ionathas amabiles, & decori in vita sua, in morte quoque non sunt diuisi: aquilis velociores, leonibus fortiores.* Solebant enim in hoc carmine defunctorũ virtutes & victorias decantare. Vnde Virgil. ecloga 5. Daphnidis, id est Cæsaris, vel Quintilij Vari, cædem deflens, hoc eius epitaphium, imò apotheosin canit:

Et tumulũ facite, & tumulo superaddite carmen:
Daphnis ego in siluis, hinc vsque ad sidera notus.

Et paulò antè:

Daphnin tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesq; feri, syluæq; loquuntur.
Daphnis & Armenias curru subiungere tigres
Instituit (quia Cæsar sacra Liberi patris ex Armenia Romam transtulit) *Daphnis thyasos inducere Baccho,*
Et foliis lentas intexere mollibus hastas, &c.

CANON 9. Nimirum epitaphia hæc duplici fine inuẽta sunt. Prior est, vt viuentibus sint mortis specula, eosque moneant vitam hãc esse comœdiam, in qua quisque personam agit vel rustici, vel regis, vel

Epitaphiorum quatuor causa. Prima.

Pontificis, donec finiatur actio comica, vel tragica. Posterior, vt ijsdem sint virtutum exempla & incitamenta. Ita Virgil. 11. Æneid.

Secunda.

Ite, ait, egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus.

Idipsum ad viuum in seipso repræsentauit modestiès Augustus Cæsar, vti refert Sueton. in eius vita. Nam astantibus dixit: *Satisne bellè, amici, personam nostram egimus?* Illis respondètibus, *Bellè: Valete ergo*, inquit, *& plaudite:* ac reducta cortina animam exhalauit, significans vitam hanc esse fabulam, in eaque se egisse personam Imperatoris: eam se nunc in morte ponere, ac in terram, è qua formatus erat, redire; posteris autem fortunati Imperatoris effigiem relinquere, vt iure singuli ei succedentes sibi acclamari optent: *Augusto felicior, Traiano melior.* Tertiò epitaphia hæc sunt heroicorum facinorum decora, æquè ac defunctorum monumenta, vt viuant in memoria charorum & posterorum, itaque æternitatem nominis consequantur. hanc enim ex instinctu naturæ optat & ambit homo, quod ipsum signum est immortalitatis & æternitatis animæ, ac resurrectionis: nisi enim ipsa æterna esset, non ambiret æternam sui memoriam: nam ideo in mentibus hominum semper viuere exoptat, quia in seipsa semper viuit sentitque, & gaudet se viuere in mentibus aliorum. Adde, cùm natura hoc æternitatis desiderium animis hominum inseuerit, sequitur ipsos æternos esse. Natura enim nihil facit frustra, nec appetitus frustraneos inserit, aut à se insertos frustrari patitur. Deniq; quartam causam assignat S. Augustinus scilicet vt pro defunctis fidelibus oretur. Audi eum libr. de Cura pro mortuis cap. 4. *Non ob aliud*, ait, *Memoriæ, vel monumenta dicuntur ea, quæ insignita fiunt sepulchra mortuorum, nisi quia eos qui viuentium oculis morte subtracti sunt, ne obliuione etiam cordibus subtraherentur, in memoriam reuocant, & admonendo faciunt cogitari.* Et mox: *Cùm itaque recolit animus, vbi sepultum sit charissimi corpus, & occurrit locus nomine Martyris venerabilis, eidem Martyri animam dilectam commẽdat recordantis & precantis affectus. Qui cùm defuncti à fidelibus charissimis exhibetur, eum prodesse non dubium est ijs, qui cùm in corpore viuerent, talia sibi post hanc vitam prodesse meruerunt.* Pergit deinde ostendere hæc monumenta non tantùm esse viuorum solatia, sed & mortuorum adiumenta. Iisdem de causis quotidie in Martyrologio legimus Sanctorum eo die defunctorum agones & triumphos.

Tertia.

Quarta.

CANON 10.

Prophetæ minores, quia concisi sunt & pathetici, hinc affectibus abundant, eosq; alternant & miscent, vt nunc peccatoribus minentur irã Dei, nunc blandiantur; nunc terreant, nunc consolentur; nunc irascantur, nunc misereantur; nunc fulminent, nunc gemant; nunc rideant, nunc plorẽt: perinde vt videmus homines in ira, mœrore gaudio, vel desperatione constitutos, hosce affectus alternare: loquuntur enim quæcumque affectus varij & inter se pugnantes, putà nunc ira, nunc spes, nunc timor, nunc mœror, vicissim exurgentes suggerunt. Hac de causa abundant hyperbatis, apostropesibus, emphasibus, aliisq; figuris pathericis, quæ vel indignationem, vel misericordiam concitant: hinc etiam sententiæ sequentes, subinde immediatè præcedentibus non sunt connexæ; sed eas quæ multò antè præcesserunt, respiciunt: vt Michææ 7. v. 5. *Nolite credere amico*, non cohæret cum eo quod præcessit, *Nunc erit vastitas eorum*; sed eũ eo quod superiùs dixit v. 2. *Periit vir sanctus de terra*, &c. *Vir fratrem suum ad mortem venatur.*

CANON 11.

Omnes Prophetæ pro fine & scopo habent Christum, in eumque toti collimant. Quocirca sæpè ad eum auolant: & quod obseruatione dignum est, omnes, excepto Iona & Nahum, expresse in Christo desinunt, in eoque oracula sua finiunt, quasi ei coronidem operis sui assignantes. Primus enim Oseee vlt. v. 6. ita Christum pingit: *Ero quasi ros Israel: germinabit sicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani.* Secundus Ioël c. 3. v. 18. ita concludit: *Et erit in die illa* (Euangelij) *stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iudæ ibunt aquæ*, &c. *Et Dominus commorabitur in Sion.* Tertius Amos c. 3. 11. *In die illa*, inquit, *suscitabo tabernaculum Dauid* (putà regnum & Ecclesiam Christi) *quod cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius*, &c. *Vt possideant reliquias Idumææ & omnes nationes, eò quòd inuocatum sit nomen meum super eos.* Quartus Abdias ita desinit: *Et ascendent saluatores in montem Sion, iudicare montem Esau, & erit Domino regnum.* Quintus Michæas ita finit: *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum?* &c. *Reuertetur & miserebitur nostri, & deponet iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra: dabis veritatem Iacob, misericordiam Abraham, quæ iurasti patribus nostris à diebus antiquis.* Christus enim est veritas & misericordia, olim promissa Abrahæ & Patribus. Sextus Habacuc ita clarè in Christo exultans conquiescit: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo*, cap. 3. 18. Septimus Sophonias cap. vlt. v 9. *Tunc*, ait, *reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno. Vltra flumina Aethiopiæ inde supplices mei filij dispersorum meorum deferent munus mihi.* Et v. 14. *Lauda filia Sion, iubila Israel, lætare & exulta in omni corde filia Ierusalem*, &c. Octauus Aggæus ita concludit: *Ego mouebo cælum pariter & terram. In die illa, dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel* (in Christo ex te nascituro) *fili Salathiel, serue meus, dicit Dominus; & ponam te quasi signaculum: quia te elegi.* Zorobabel enim hic repræsentat Christum, quasi pater filium. Nonus Zacharias cap. vlt. v. 7. *Et erit*, ait, *dies vna, quæ nota est Domino: non dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux. Et erit in die illa, exibunt aquæ viuæ de Ierusalem. Et erit Dominus rex super omnem terram: in die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum.* Decimus Malachias ita finit in Elia, qui secundum Christi aduentum præcurret: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum.* Vndecimus Daniel pari modo cap. 12. oracula sua obsignat resurrectione & iudicio Christi. *Multi*, inquit, *de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium, vt videant semper. Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Duodecimus Isaias simili argumento librum terminat: *Assumam ex eis*, inquit, *sacerdotes & Leuitas, dicit Dominus: quia sicut*

Prophetæ desinunt in Christo.

ſicut cæli noui & terra noua, quæ ego ſtare facio coram me, dicit Dominus, ſic ſtabit ſemen veſtrum & nomen veſtrum. Et erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato, &c. Decimus tertius Ezechiel, cùm nouam Ieruſalem, putà Eccleſiam Chriſti, deſcripſiſſet, in ea deſinit, dicens: *Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Decimus quartus Ieremias. Threnos ita claudit c. 4. 20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus, captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus: In vmbra tua viuemus in gentibus.* Ita Prophetæ, Apoſtoli, Sanctiq; omnes quodlibet opus in Chriſto incipiunt, in Chriſto finiunt & deſinunt, eiq́ue quaſi centro cordis ſui dicunt cum S. Nazianzeno: *A te principium, tibi deſinet:* vti S. Paulus omnes omnino epiſtolas ſuas orditur à Ieſu Chriſto, & penè omnes in eodem terminat. Vides hîc vt finis legis & Prophetarum, æquè ac Apoſtolorum & Sanctorum, ſit Chriſtus. Sicut enim is qui aliquid vehementer amat, de eo crebrò cogitat, loquitur, ſomniat; ſic & Prophetæ quaſi diuini amoris ſauciati vulnere, quo futurum Meſſiam ardebant, omnes ſuos cogitatus, verba & facta eò flectebant, vt illum quærerent, illum ſonarent; illius denique, in quo vno ſalus & redemptio mundi poſita erat, vitam, mores & myſteria, vbicumque commodè poſſent, repræſentarent.

CANON 11. Verba S. Scripturæ & Prophetarum diuerſos, imò contrarios ſubinde, habent ſenſus, idq́ue quia à diuerſis, imò contraria ſentientibus proferuntur; vel diuerſas, imò contrarias cauſas, effectus aut fines reſpiciunt. Exemplum illuſtre eſt Iohan. 11. 50. vbi Caiphas de Chriſto ait: *Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Quibus verbis Caiphas intendebat ſignificare, expedire Iudæis vt Chriſtum neci darent, ne Romani Iudæam, quæ Chriſtum quaſi Meſſiam regem Iudæorum Cæſari oppoſitum colebat, inuaderent; quod ſanè politicum, ſceleſtum & diabolicum erat cōſilium. Verùm Spiritus S. qui mouebat linguam Caiphæ, non cor, vt ait S. Chryſoſt. per hæc eius verba longè aliud intendebat ſignificare; nimirum, expedire vt Chriſtus pro ſalute populi moreretur, ac morte ſua redimeret Iudæos, omneſq́ue gentes; quod non intelligebat Caiphas. Vnde ſubdit S. Iohannes: *Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex* (ideoq́ue caput Eccleſiæ veteris) *anni illius prophetauit* (materialiter, non formaliter) *quòd Ieſus moriturus erat pro gente. & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in vnum.*

Sic 4. Reg. 8. v. 10. Hazael conſulens Eliſæum, roganſq́ue an Benadad rex Syriæ à morbo reualeſceret nec ne, ab eo audit: *Vade, dic ei: Sanaberis: porrò oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Si ſanabitur, quomodo morte morietur? An verò iubet Propheta Hazaeli, vt regi ſuo mentiatur? Abſit. Itaque duo contraria ſignificat hîc Propheta, quorum vtrumque erat verum. Prius, morbum regis non eſſe lethalem. vnde ait, *Sanaberis*, ſcilicet quantum eſt ex parte morbi. q.d. Morbus tuus non eſt lethalis, morbo tuo non morieris; idq́ue erat verum: poſterius, *morte tamen morietur*, ſcilicet non naturali, ſed violenta: nam Hazael regnum ambiens, & inuadens, v. 15. *tulit ſtragulum, & infudit aquam, & expandit ſuper faciem eius*, itaq́ue ſuffocauit eum A prætextu refrigerationis: *quo mortuo regnauit Hazael pro eo.*

Simulis antiphraſis eſt 3. Reg. 22. 15. vbi Michæas Propheta conſultus ab Achab rege Iſrael, an oppugnatio vrbis Ramoth ſibi fieret proſpera, nec ne, reſpondet: *Aſcende, & vaæ proſperè, & tradet eam Dominus in manus regis.* qd. Quia vis aſcendere, aſcende, optoq́ue vt proſper hic ſit aſcenſus, vrbſq́ue tibi tradatur: verumtamen per prophetiam ſcio contrarium euenturum: ſcio enim quia ibi occideris, vti paulò pòſt occiſus eſt. Eſt ergo ironia, vt notant ibidem Abulenſ. & Vatabl. 3. R. 22. 15

Huc facit quod ſcribit Ambroſ. Catharinus in Vita S. Catharinæ Senenſis libr. 1. c. 28. & 29. ipſi à Deo reuelatos eſſe duos ſenſus illius orationis Chriſti in horto: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*, Matth. 26. 39. Senſus, inquam, nouos & diuerſos, imò in ſpeciem contrarios vulgari expoſitioni. Prior eſt, q.d. Pater mi, illico da mihi bibere calicem paſſionis; illum enim auidiſſimè ſitio: da vt illico patiar & moriar: ardor enim meus patiendi nullas patitur moras, ne quidem horæ, vel inſtantis vnius: fac ergo vt illico per me tranſeat, ac deinde à me tranſeat calix iſte, vt per paſſionem meam abolita morte & peccato, illico redimam genus humanum, itaq́ue ad te reuertar, vt te fruar, mi pater. Hoc enim Chriſtus optabat ſecundùm ſpiritum: optabat enim accelerare & abſoluere opus redemptionis noſtræ, ad quod à Patre erat miſſus. Vnde ipſe ait: *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor vſque dum perficiatur?* Lucæ 12. 50. Et paulò ante paſſionem: *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum.* Voluit enim dare exemplum S. Ignatio, Laurentio, Vincentio, aliiſq́ue generoſis Martyribus deſiderandi cruces, & ambiendi martyria. Secundùm carnem tamen optabat contrarium, nimirum, *tranſeat*, id eſt, auferatur à me calix paſſionis. Porrò hi duo ſenſus ſe inuicem compatiuntur: poterat enim Chriſtus vnum orare ſecundùm carnem, alterum ſecundùm ſpiritum. Si poterat, probabile eſt eum feciſſe. Nam ſi Apoſtolus ait 1. Corinth. 14. *Orabo ſpiritu, orabo & mente*; multò magis Chriſtus orans carne, orauit & ſpiritu: ſpiritus autem deſiderium erat contrarium deſiderio carnis: caro ergo hiſce verbis optabat trāsferri à ſe paſſionem, ſpiritus verò optabat eam accelerari, & celeriter pertranſire. Poſterior ſenſus illius orationis S. Catharinæ reuelatus eſt hic: Videbat, inquit ipſa, Chriſtus Dominus multos fore ingratos ſuæ paſſioni, manſuros in peccatis, ac damnandos: hic erat ei ſummus dolor, huncq́ue vocat ſuum calicem. q.d. Tranſeat à me calix iſte, iid eſt, amoue à me hunc dolorem, hoc tormentum, putà hunc numerum damnandorum: fac vt omnes meæ paſſionis ita ſint participes, vt ſaluentur. Et ſi hoc Chriſtus abſolutè & efficaciter oraſſet, vtique impetraſſet; quia Pater nil negat Filio: ſed maluit Chriſtus ex reuerentia ſe conformare Patris voluntati & iuſtitiæ, ideoq́; ſubiunxit: *Verumtamen non ſicut ego volo. ſed ſicut tu.* Ita S. Catharina. Hoſce S. Catharinæ Senenſis ſenſus citat & ſequitur inter alios noſter Ludouicus de Pōte. Meditatione de oratione Chriſti in horto. Verùm hæc ſobriè accipiēda ſunt, nec imitanda, niſi M. 26. 39

nisi ex Dei reuelatione, vel aliunde constet illos sensus intentos fuisse à Spiritu sancto. Qua in re peccant multi concionatores, qui ex cerebro suo fingunt sensus S. Scripturæ, sæpè ipsi literæ & menti Spiritus S. contrarios, contra quos egi superiùs quæst 3.

Simili modo vox carnis afflictissimæ est illa Iob, maledicentis diei suo c. 3. 2. *Pereat dies in qua natus sum*; vox verò spiritus est: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit. Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Iob 1. 21. Sic vox carnis est illa Ieremiæ cap. 20. 14. *Maledicta dies in qua natus sum*, &c. *Quare de vulua egressus sum, vt viderem laborem & dolorem, & consumerentur in confusione dies mei?* Vox verò spiritus: *Cãtate Domino, laudate Deum: quia liberauit animam pauperis de manu malorum.* Ibidem v. 13. Sic sæpè aliud caro nostra orat, aliud per eamdem orationem petit & impetrat Spiritus sanctus. Nam, vt ait Apostolus Rom. 8. 26. *Quid oremus sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus: quia secundùm Deum postulat pro sanctis.* Pari modo in Scriptura solerter secernendæ sunt sententiæ fidelium & piorum, à sententijs dictisq; infidelium & impiorum: vt Ecclesiastæ 3. 19. *Vnus interitus est hominis & iumentorum, & aqua vtriusque conditio*, &c. *& nihil habet homo iumẽto amplius.* Quæ verba S. Gregor. l. 4. Dialog. 4. Olympiod. & alij interpretes, censent dici à Salomone, non in persona propria, sed in persona Epicureorum, negantium animæ immortalitatem. Sic in libro Iob solerter distinguenda sunt verba Iob à verbis Eliphaz, aliorumq; amicorum eius: illa enim probantur à Deo, hæc improbantur, Iob vlt. v. 7. Simili modo in Euangelio S. Iohannis, secernẽda sunt verba Iudæorum Christo credentium, à verbis incredulorum. In eadem enim turba alij credebant Christo, alij non credebant. Vnde contraria sentiunt & dicunt: illi enim probant, hi improbant dicta Christi. Quare videndum quid cuique sit tribuendum. Hoc canone multas soluemus antilogias, multa loca in speciem contraria conciliabimus.

CANON 13. Hebræum כִּי *ki*, id est, *quia*, *quoniam*, sæpè non causam significat, nec rationale est, sed exceptiuum, vel aduersatiuũ, vel sermonis inchoatiuũ, vel enclyticum, & ornatus dumtaxat gratia additum. Hinc Primò, *ki*, id est *quoniam*, ponitur pro *quamuis*, psal. 77. 20. *Quoniam*, id est quamuis, *percussit petram, & fluxerunt aquæ*, &c *numquid & panem poterit dare, aut parare mensam in deserto?* Habacuc 2. 18. *Quid prodest sculptile, quia*, id est quamuis, *sculpsit illud fictor suus?*

Secundò, *ki*, id est *quoniam*, est nota asseuerationis, & capitur pro *sanè, certè, enimuerò*. Psal. 17. 30. *Quoniam*, id est enimuerò, *in te eripiar à tentatione.* Psal. 51. 13. *Quoniam*, id est sanè, *si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique.*

Tertiò, *ki* sæpè est nota initij sermonis, & periodum inchoat, vti videre est in Psalmis. Sic Lucæ 1. 61. dicitur: *Et dixerunt ad illum, Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Osee 11. 1. *Quia puer Israel, & dilexi eum.*

Quartò, *ki*, id est *quia*, ponitur pro *quòd*. Lucæ 2. vers. 13. *Sicut scriptum est in lege Domini, quia*, id est quòd, *omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.*

Quintò, *ki*, id est, *quia*, sumitur pro *porrò, adhæc, insuper*. Sophon. 3. 9. *Quia*, id est insuper, *tunc reddam populis labium electum.*

Sextò, *ki* ponitur pro אֲשֶׁר *asher*, relatiuo, id est *qui*. Genes. 4. 25. *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem* (hebr. *ki*, id est *quia*) *occidit Cain.* Exodi 13. 17. *Non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim, quæ* (hebr. *ki*, id est *quia*) *vicina est.*

Septimò, *ki*, id est, *quia*, est aduersatiuum, capiturque pro *sed*. 2. Reg. 16. 18. *Nequaquam, quia*, id est sed, *illius ero, quem elegit Dominus.*

Octauò, *ki* est nota temporis, significans *quãdo, cùm*. Genes. 4. 12. *Cùm* (hebr. *ki*) *operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.*

Nonò, *ki* est exceptiuum, idem valens quod *nisi*. 1. Reg. 30. 17. *Et non euasit ex eis quisquam nisi*, hebr. *ki, quadringenti viri.* Est apocope כִּי *ki* enim ponitur pro כִּי אִם *kiim*, id est, nisi.

Decimò, *ki* cùm geminatur, est disiunctiuũ, significans *aut, vel*, vt 3 Reg. 18. 27. *Aut*, hebr. *ki, in diuersorio est, aut in itinere, aut certè dormit* vester Deus Baal.

Vndecimò, est negatiuum, significans *ne, non*. Isaiæ 30. 21. *Hæc est via, ambulate in ea, & non* (hebr. *ki*) *declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram.*

CANON 14. Post schisma Ieroboam & decem tribuum à duabus, earumque rege Roboam, vsque ad captiuitatem Babylonicam, distinguuntur hæc duo nomina, *Israel* & *Iuda*. *Israel* enim decem, *Iuda* duas tribus significat. Post captiuitatem verò Babylonicam, *Israel* & *Iuda* pro eodem accipiuntur, scilicet pro duabus tribubus: tum quia in his solis perstitit familia & nomen Israelis, id est, Iacobi Patriarchæ: cæteræ enim tribus toto orbe dispersæ fuerunt: tum quia multi fideles è decem tribubus, iunxerunt se Iudæ. Tribus ergo Iuda cæteras decem, quæ Israel vocabantur, complexa est. ita S. Cyrill. Ribera & Arias in cap. 12. Zachariæ v. 1. Sic Zacharias pater Iohannis Baptistæ canit: *Benedictus Dominus Deus Israel*, id est Iudæorum. Sic Christus ait se missum ad oues quæ perierunt domus Israel. Sic Euangelistæ sæpè nominant *Israel*; nec alium intelligunt, quàm populum Iudaicum, vtpote qui solus ex stirpe Israelis restabat, eratque heres promissionum Abrahæ & Israeli, id est Iacobo, à Deo factarum.

CANON 15. Verba actiua Hebræorum sæpè non actionem & effectum, sed agendi virtutem, vim & potentiam significant. Sic Christus Iohannis 1. vocatur *Agnus, qui tollit peccata mundi*: *Lux quæ in tenebris lucet, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, scilicet quantum in se est. q d. Christus in se habet virtutem tollendi peccata, dispellendi tenebras, & illuminandi omnem hominem, nimirum, nisi ipse oculos claudat & lucem hanc videre nolit, vti multi infideles & impij fecerunt, & faciunt. Simili modo dicimus: Hic ignis vrit; hæc aqua humectat, id est, habet vim vrendi, humectandi, &c. etiamsi sæpè nil vrat, nec humectet. Ita intellige illud Marci vltimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*, scilicet quantum est ex natura & vi fidei & baptismi; si nimirum is qui credidit, leges & præcepta fidei, ac spiritum baptismo acceptum sequatur, & exequatur in seruandis Christi mandatis. Et illud Iohan. 6. 55. *Qui manducat meam carnem: & bibit meum*

meum sanguinem, habet vitam æternam, scilicet quantum est ex vi Eucharistiæ; cui tamen peccator obicem suis peccatis ponere potest, eamque elidere. Sic sæpè Scriptura cùm enarret opera Dei, magis significat ea quæ facere potest, quàm quæ re ipsa facit: vt, *Qui respicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigant*, psalm. 103.32. *Qui præcipit soli, & non oritur: & stellas claudit quasi sub signaculo*. Iob 9.7. Et clariùs v.6. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur*, hoc est, concutere & commouere potest. Sic Zacharias c.12.12. dicit, quòd omnes familiæ Iudæorum videntes Christum in cruce cõfixum, plangent, id est, iure plangere poterunt & debebunt. Quem enim ad planctũ non moueat Deus in cruce fixus? etiamsi de facto multi increduli eum non planxerint, sed subsannarint. Et Amos c.8.10. *Conuertam*, inquit, *omnes festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum, & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput calvitium*. Non est necesse omnes sacco indui, aut omnia capita decaluari; sed sensus est q.d. Tanta erit clades, vt meritò omnes possint saccum induere, & caput decaluare. Et Isaiæ c.4.1. *Apprehendent septem mulieres virum vnum in illa die*. Id factum nusquam legimus; sed sensus est q.d. Tanta erit cædes virorum, vt vix vnus maritus septem mulieribus reperiatur, ac consequenter vt septem mulieres pro vno marito certare possint, vel debeant, si more gentis suæ nubere velint.

CANON 16. *Apologi vtitur Zacharias.*

Prophetæ, præsertim Zacharias, sæpè vtuntur apologis, tum ad obscuritatem, quæ propria est prophetiæ; tum ad elegantiam; tum ad excitandam auditorum torpentium, imò oracula Dei auersantium ijsque aduersantium, attentionem: sicut Demosthenes iudicum oscitantium attentionem excitauit, narrando fabulam mulionis de vmbra asini in ardente sole contendentis cum asini conductore. Ea enim est curiositas hominum, vt ad fabulas & res nouas aures arrigant, ad graues & serias demittant, velut iniquæ sortis aselli. Insignis apologus est Ioas filij Gedeonis, dictatus ab eo contra Sichimitas, qui regem sibi crearant spurium & tyrannum Abimelech, Iudic.9.8. *Ierunt*, ait, *ligna vt vngerent super se regem, dixeruntq; oliuæ: Impera nobis. Quæ respondit: Numquid possum deserere pinguedinem meam, qua & dij vtuntur & homines, & venire vt inter ligna promouear? Dixerúntque ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere dulcedinem meam, fructusq; suauissimos, & ire vt inter cætera ligna promouear? Locutæq; sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. Quæ respondit eis: Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter ligna cætera promoueri? Dixeruntq; omnia ligna ad rhamnum: Veni, & impera super nos. Quæ respondet eis: Si verè me regem vobis constituitis, venite & sub vmbra mea requiescite: si autẽ non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani*. Sensus est, q.d. Vos, ô Sichimitæ, elegistis vobis in regem Abimelech parricidam & tyrannum, quasi rhamnum, qui proinde vos pungat & cruciabit. Iusto ergo Dei iudicio vobis eueniet, vt lis & bellum inter vos & Abimelech concitetur, quo & vos ipsum conficiatis, & ipse vicissim vos, vt vtrique pereatis. Tyrannus enim in suos, etiam nobilissimos, si, vt communiter fit, ob tyrannidem ei litem moueant, exitium immittit; quo tamen & ipse afflatur pariter, interitque, vti in plerisque tyrannis visum est. Verus Propheta fuit Ioas: nam Sichimitæ & Abimelech se inuicem confecerunt. Similis apologus est Ioas regis Israel, ad Amasiam regem Iuda se prouocantem ad bellum: *Carduus*, inquit, *Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo vxorem. Transieruntq; bestiæ saltus quæ sunt in Libano, & conculcauerunt carduum*. Apologum explicat dicens: *Percutiens inualuisti super Edom, & subleuauit te cor tuum: contentus esto gloria, & sede in domo tua: quare prouocas malum, vt cadas tu & Iudas tecum?* 4.Regum 14.9. Similis est Zachariæ 11.2. *Vlula abies, quia cecidit cedrus*. q.d. Vlulate plebeij, quia ceciderunt magnates. Et v.1. *Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuos*, hoc est, aperii ô Ierusalem portas tuas Tito & Romanis, qui ii domos tuas cedrinas comburent. Idem toto cap. 5. eleganti apologo describit captiuitatem Iudæorum in Babylone, per mulierem impositam amphoræ, & ab alis miluinis translatam in Sennaar, id est in Babylonem. Plurimi similes sunt apud Zachariam & cæteros Prophetas, quas paulò pòst inter Hieroglyphica, vel Ænigmata, ordine recensebo.

CANON 17.

Prophetæ subinde alludunt ad fabulas Gentilium & Poëtarum: tum quia hæ fabulæ apud Gentiles erant tritæ & celebres; tum quia subinde non tam fabulæ, quàm ænigmata, aut mythologiæ sunt, ad morum informationem compositæ: quales sunt fabulæ Æsopi, quæ magnam sapientiam & prudentiam continent; Ethicam enim docent per appositas rerum fictiones & fabulas. Hinc celebris fuit apud veteres Theologia μυθικὴ, id est fabulosa (& Mythologi habiti sunt Philosophi, imò Theologi) de qua Fulgentius librum scripsit; eiusque meminit S. Augustl.libr.6.de Ciuit.c.5. & Euseb.libr.13.Præpar.c.2. Sic Malachias c.4.2. dicens: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius*, alludit ad fabulam phœnicis: quidã phœnix symbolum est & ænigma solis, qui raddijs suis quasi pennis vestitur, ijsque vitam & sanitatem cunctis viuentibus impertit. Sensus ergo est, q.d. Orietur Christus, qui à morte redituus quasi phœnix, id est, quasi sol salutaris, radijs gratiæ & gloriæ suæ, velut pennis contingens iustos mortuos & sepultos, eos à morte ad vitam suscitabit, sanabit, beabit & glorificabit. Sic Iudith cap.16.8. dicitur: *Nec filij Titan percusserunt eum*, Holofernem. Vbi alluditur ad fabulam Titanum, quos Poëtæ fabulantur fuisse gigantes, cæli & terræ filios, ac bellum gessisse cum Ioue, ab eoque fulmine adactos in tartara: de quibus Virgil. 6.Æneid.

Hic genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine deiecti fundo voluuntur in imo.

Non quòd fabulas Poëtarum approbet S. Scriptura, sed vt loquatur more vulgi, eiusque sermone rem veram significet: quia *non bene possumus intelligere quod dicitur, nisi per ea vocabula quæ vsu didicimus, & errore combibimus*, ait S. Hieron. in cap. 5. Amos v.8. & S. Gregor libr.9.Moral.c.6. præsertim quando fabulæ ex S. Scriptura ortum ducunt, vti Pererius alijq; viri docti censent, fabulã Titanum originem accepisse ex historia & factis gigan-

gigantum Geneſ.6.4.& c.11.4. Filij ergo Titan, per catachreſin vocantur bellicoſiſſimi & robuſtiſſimi gigantes, quales poëtæ nuncupant, cenſentq́ue fuiſſe Titanes. Vnde explicando ſubdit Scriptura Iudith 16.8. *Nec excelſi gigantes oppoſuerunt ſe illi; ſed Iudith filia Merari in ſpecie faciei ſuæ diſſoluit eum.* Ita S Hieron. in cap.3. epiſt.ad Galat. ſub initium. Sic Iſaias cap.34.14. alludit ad fabulas Onocentaurorum & Lamiarum, vt ibi dixi. Sic Iob 42.14. filia Iob, quæ hebr.& à Noſtro vocatur *Cornuſtibij*, à Septuag. nuncupatur *Cornu Amalthea*, quam Poëtæ fingunt eſſe capram altricem Iouis. Sic Iob 21.33 dicitur: *Dulcis fuit glareis Cocyti*: glarea eſt terra prope fluuium, arenoſa & lapidoſa. Cocytus eſt fluuius in Arcadia, à Styge palude fluens, quem inferorum eſſe fluuium Poëtæ finxerunt, eò quòd in illam paludem multa cadauera conijciebantur, vt citò exederentur. Veterum enim ſepulchra erant iuxta flumina, vt cadauera flumine conſumerentur, eoq́ue purgaretur aër. Senſus ergo eſt. q.d. Impio bene conuenit cum ſepulchro: nihil enim ibi mali ſentit, ſed in eo dulciter & ſuauiter quieſcit, vti Poëtæ fingunt defunctos quieſcere in Cocyto. Myſticè S.Gregor. Impius, ait, dulcis eſt Cocyto, id eſt, diabolo & inferno, qui morte & pœnis improborum gaudet & paſcitur. Alludit itaque Iob ad fabulam tritam Cocyti: dictus enim eſt Cocytus ἀπὸ τῦ κωκύειν, id eſt lugere: luctus enim conuenit mortuis. Hinc Cocytum fingunt vicinum Acheronti. Audi Virgil.6.Æneid.

—*Tenent media omnia ſyluæ,*
Cocytuſq́; ſinu labens circumfluit atro.

Et Claudian.

— *Preſſo lachrymarum fonte reſedit*
Cocytus, Acheron tacitis obmutuit vndis.

Rurſum Virgil.6.Æneid.

Acheron omnem Cocyto eructat arenam.

Vbi Seruius, ad Phyſiologiam hoc figmentum pertinere ait, quòd qui caret gaudio, ſine dubio triſtis eſt. Triſtitia autem vicina luctui eſt, qui ex morte procreatur: rectè ergo in Cocytum per Stygem arenas eructare ſuas Acherontem fingit Virgil. Quocirca iure hæc quaſi fabuloſa ridet Cicero Tuſcul.1. *Dic quæſo*, ait, *num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, tranſuectio Acherontis, mento ſummam aquam attingens ſiti enectus Tantalus?* Sic Amos c.5.8. ait de Deo: *Facientem Arcturum & Orionem.* Vbi alludit ad fabulas Poëtarum: ex illis enim impoſita ſunt nomina ſtellis. Vnde Virgil.

Arcturum, pluuiaſq́; Hyadas, geminoſq́; Triones,
Armatumq́; auro circumſpicit Orionа.

CANON 18. Ex titulo prophetiæ ſæpè colligere licet qualis ſit futura, an triſtis, an læta, an mixta. Nam cùm titulus eius eſt משא *maſſa*, id eſt onus, vel pondus, ſignum eſt euidens triſtem fore. Onus enim ſignificat pondus graue & importabile vindictæ & pœnæ, ex certo & irreuocabili Dei decreto inferendum impijs, vt duram eorum ceruicem premat & curuet, vel frangat, qui Dei patientiam expectantem eos ad pœnitentiam contempſerunt, & in ſceleribus ſuis obdurati perſtiterunt. Vnde ſæpè ſignificat plenum vrbis & gentis excidium, vt, *Onus verbi Domini in terra Hadrac, & Damaſci requies eius*, Zachar.9.1. *Onus verbi Domini ſuper Iſrael*, Zachar.12.1. Onus domus Achab, A quo exciſa eſt eius familia, 4.Reg.9.25. Vide Lerem.23.33. & ſequ. Cùm verò titulus prophetiæ eſt *viſio*, vel certè *verbum Domini*: tunc ordinariè læta eſt, *& proſpera pollicetur, ſiue poſt comminationem meliora promittit*, ait S.Hieron. in c.23.Ierem. ſub finem. Cùm denique titulus eſt, *Onus viſionis*, vt Iſaiæ 22.1. aut, *Onus verbi Domini*, vt Malach. 1.1. tunc partim triſtis eſt, partim læta. Hic canon S.Hieron. crebrò verus eſt, non tamen ſemper. Nã viſio exhibita Ieremiæ c.1.& Ioëli c.1.& Amos c.1.& Nahum c.1. nil ferè lætum habet, ſed omnia triſtia, ac proinde onus includit, vti rectè aduertit Ribera Oſee 1.1. Porrò ſolus Abdias prophetiam ſuam inſcribit, & vocat Viſionem: Nahum verò, Habacuc & Malachias eam inſcribunt Onus: cæteri omnes Prophetæ minores eam inſcribunt Verbum Domini. In decurſu tamen prophetiæ, illam ſubinde viſionem nuncupant, vt eius certitudinem indicent. Viſus enim omnium ſenſuum eſt certiſſimus. Vnde Theophraſtus apud Rhodig.lib.10.28. viſum ſcitè appellauit formam ſenſuum: quia ſcilicet experimenta illorum ille ſolus quaſi actuat, perficit & certificat. Et S.Auguſt.lib.10.Confeſſ.cap. 35. experientiam ſenſuum, & eorum quaſi fidei reſolutionem, in viſu ſitam eſſe docet: quocirca omnes ſenſus quaſi oculatos exhibentes, dicere ſolemus: Vide vt ſapiat, vide vt ſonet, &c. Et Ariſtot. gnome eſt libr.2 Metaphyſ. finem contemplationis eſſe veritatem viſam: vnde & beatitudo noſtra conſiſtit in viſione Dei. Prophetæ ergo abſtracti à cæteris rebus, & mentis intuitum figentes in contemplatione vnius ſimplicis veritatis, habuerunt præguſtum quemdam & initium beatitudinis, iuxta illud Apoſtoli 1.Corint. 13. *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* quæ verba citans S.Auguſt. lib.1.de Trinit.cap.8. *Hic*, inquit, *nobis contemplatio promittitur, actionum omnium finis, atque æternæ perfectio gaudiorum.*

In viſã ſit fidei ſenſuũ reſolutio.

CANON 19. *Ecſtaſis differt à prophetia.* Differunt prophetia & ecſtaſis. Prophetæ enim ſæpè viderunt futura ſine ecſtaſi; ſubinde tamen fuerunt alienati à ſenſibus, raptiq́ue in ecſtaſin, vti contigit Adæ Geneſ.2.21. Abrahæ Geneſ. 15.v.12. S.Petro Actor.10.v.10. & S.Iohanni in Apocalypſi (quæ ecſtaſes ordinariè factæ ſunt, fiuntq́ue per angelos: hi enim ſunt adminiſtri Dei.) omnibus enim hiſce locis græcè eſt ἔκστασις, quæ propriè eſt raptus mentis alienatæ à ſenſibus in aliquid ſublimius. Vnde S.Gregor.libr.5. Moral.c.22. docet in ecſtaſi mentem à ſenſibus D auulſam dormire mundo, ſed laborioſiùs vigilare Deo. Eſt ergo *ecſtaſis dormitio vigilans*, ſeu *vigilia dormiens*, iuxta illud Cant.5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* q.d. Senſus meus dormit, ſed mens vigilat. Nota.S.Thom.q.13.de veritate ar. 2.ad vlt.& 2.2.q.175.a.3.ad 1. & in 2.Corinth.12. lect.1.docet, quòd exceſſus mentis, ecſtaſis & raptus aliquando contingat ſine alienatione mentis à ſenſibus, nimirum cùm quis exterioribus ſenſibus & rebus vtitur, ſed tota eius intentio diuinis contemplandis & amandis vacat. qua ratione S.Dionyſ.cap.4.Diuin.nom.aſſerit, quòd diuinus amor ecſtaſim facit: amor enim transfert amantem à ſe in Deum amatum. Anima enim magis eſt vbi amat, quàm vbi animat: magis eſt ergo in Deo, quàm in ſeipſa. Vnde S.Bonauent.tract. de Gradibus contempl. *Ecſtaſis*, ait, *eſt deſerto exte-*

exteriori homine, sui ipsius super se voluptuosa quadam eleuatio, ad superintellectualem diuini amoris fontem. Aliter verò, & secundùm magis vsitatam significationē, *Fit*, inquit S. Thomas, *dictus excessus mentis, ecstasis & raptus, cùm aliquis etiam actu ab vsu sensuum & sensibilium rerum abstrahitur, ad aliqua supernaturaliter videnda; idq; per abstractionem à sensibus externis ad imaginariam visionē, vel ab imaginatione quoque ad intellectualem: & hoc iterum aut per intelligibiles immissiones, aut secundùm quod intellectus videt Deum per essentiam.* Quod S. Thom. censet concessum S. Paulo in raptu 2. Corinth. 12. 2. sed contrarium est verius, scilicet S. Paulum non vidisse Dei essentiam, vt ibidem ostendi. Cæteris verò vt Adæ, Abrahæ, S. Petro & S. Iohanni censet ecstasim contigisse per abstractionem à sensibus, sed cum imaginaria visione. quod verum est, & liquet ex locis citatis Scripturæ. Ordinariè enim mens in cognitione vtitur phantasmatibus: vnde licèt rapiatur, habet tamen comites cogitationes phantasiæ.

Porrò opera dæmonis, imò vi morbi, posse aliquem alienari à sensibus, rapiq; in ecstasin quasi naturalem, docet noster Delrio lib. 2. Disquis. Magic. q. 25. Vbi refellit Cardanum, qui asserit, *cùm libeat, posse quempiam vi naturali rapi*; & Bodinum, qui censet, *in eiusmodi ecstasi animā reipsa migrare de corpore.* Denique S. Augustl lib. 12. de Genesi ad liter. c. 26. *Cùm rapitur*, inquit, *anima ad ea visa, quæ spiritu cernuntur similia corporalibus, omnino à sensibus corporis auertitur, amplius quàm in somno solet; sed minùs quàm in morte.* Nam in somno non ita auertitur à sensibus, quin illi leui sono, motu pulsuq; euigilent; in ecstasi autem nullum motum, sonū pulsumq;, etiamsi acriùs vellicetur aut pulsetur, sentit: in morte verò auertitur non tantùm à sensibus externis, sed etiam internis, imò à toto corpore, ita vt illud amplius non informet, nec animet aut viuificet.

Lingua Dei ad animā. Iam verò linguam, qua loquitur Deus animæ, & anima Deo, piè explicat S. Bernard. serm. 45. in Cant. *Verbum & anima*, inquit, *habent linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur, præsentesq; indicent. Verbi lingua, fauor dignationis eius: animæ verò, deuotionis feruor. Elinguis est anima atque infans, quæ hunc non habet, & non potest illi esse sermocinatio cum Verbo: ergo cùm huiusmodi linguam suam mouet, volens ad animam loqui, non potest anima non sentire. Viuus est enim sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ. Et rursum cùm suam linguam anima mouet, Verbum latere multo minus potest, non solùm quia vbique præsens, sed quia nisi ipso stimulante, deuotionis lingua minimè ad loquendum mouetur. Verbo ergo dicere animæ, Pulchra es, & appellare amicam, infundere est vnde amet, & se præsumat amari.* Et S. Gregor. lib. 5 Moral. 20. explicans illud Iob cap. 4. 12. *Quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius: Venas*, inquit, *superni susurri auris cordis furtiuè suscipit, quia subtilitatem locutionis intimæ afflata mens, & raptim, & occulte cognoscit: nisi enim se ab exterioribus desiderijs abscondat, interna non penetrat: occultatur autem vt audiat, & audit vt occultetur; quia & subtracta à visibilibus, inuisibilia cōspicit; & repleta inuisibilibus, visibilia perfectè contemnit.* Cùm ergo loquitur Deus animæ, & illa loquentem audit; nō duæ actiones sunt, sed vna eademq; quæ vt à Deo proficiscitur, vocatur

A locutio; vt recipitur in homine, vocatur auditio. In phantasia loquitur Deus per angelos in mente per se. Solus enim ipse illabi potest immediatè intellectui & voluntati, quod facere nequit angelus. Angeli autem in phantasia loquuntur, per motum humorum & spirituum animalium, in quibus deferuntur internæ rerum species; nimirum ita illos commiscendo & componendo, vt hanc illámue speciem, & consequenter rem quam volunt, phantasiæ, & per phantasiam intellectui repræsentent. Varios locutionis Dei & angelorum modos recensēt S. Gregor. 18. Moral. 2.

Prophetia omnis cùm sit supernaturalis, ex- CANON 10
poscit pariter lumen supernaturale, quod vulgò propheticum vocatur; sicut enim ad visionem corporalem tria requiruntur, scilicet Primò, obiectum emittens sui speciem in oculum; Se-
B cundò, lumen obiectum illuminans; Tertiò ipsa visio, putà oculus recipiens speciem, & per illam obiectum illuminatum inspiciens & videns, eaq; ratione visionem in se eliciens & producēs; ita pariter ad visionem propheticam requiruntur tria, scilicet Primò, obiectum, putà res futura quæ præuidetur; Secundò, lumen propheticum mentem Prophetæ eleuans, vt quasi ex alto eminus rem futuram videat; Tertiò, ipsa visio & cognitio rei futuræ. Porrò lumen propheticum non est aliud, quàm ipsa Dei illustratio & reuelatio, siue locutio interna qua mentem Prophetæ illustrat, eiq; reuelat futura: quæ partim Dei est, quatenus à Deo immittitur partim Prophetæ, quatenus in eius mente recipitur, imò in ea, & per eam vitaliter cōcurrentem à Deo pro-
C ducitur. quà Dei est, vocatur illustratio; quà Prophetæ est, vocatur visio, auditio, cognitio, vt dixi in fine can. 19. Lumen ergo hoc, siue illustratio est instar coruscationis, vel fulguris spiritalis mentem perstringens & illustrans (iuxta illud psal. 76. 19. *Illuxerūt coruscationes tuæ orbi terræ.* Et illud psal. 143. 6. *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos*) qua mens certò cognoscit rem futuram quæ à Deo reuelatur, & simul eam non à dæmone, sed à Deo reuelari, vti fit in actu fidei: illius enim obiectum materiale est res reuelata, formale reuelatio diuina, vel ipse Deus reuelans. Ideo enim fide credo Deum esse trinum & vnū, quia Deus ipse, qui est prima veritas quæ nec falli nec fallere potest, id reuelauit. Quocirca Prophetæ excipientes Dei reuelationem, fide diuina tenebantur credere tam sua oracula, quàm
D illa sibi reuelata esse à Deo.

Lumen propheticum quod ψ. 76. 19. 143. 6

Similes illustrationes, quasi coruscationes sentiunt sæpè viri spirituales, præsertim vacantes orationi & contemplationi, quibus mens eorum partim illustratur, ad clariùs & sublimiùs cognoscenda attributa Dei, vaticinia Prophetarū, alaq; mysteria fidei & Scripturæ partim amore Dei rerumq; cælestium afflatur & accenditur. Similes sentiunt subinde peccatores, cùm Deus eis immittit cogitationes & illuminationes pas de morte, de iudicio, de breuitate vitæ, de vanitate cōcupiscentiarum, de inferno, de cælo, quibus clarè vident se malè & imprudenter agere, ac in periculo salutis versari, ideoq; timore & dolore percelluntur, qui eos impellit ad pœnitentiā vitæq; mutationem. Porrò istæ illustrationes menti non sunt liberæ, sed necessariò in ea

Est necessarium, non liberum mentis.

recipiuntur, cùm Deus illas ei immittit: perinde ac visio fulguris aperto ac vigilanti oculo est necessaria, non libera: ijs tamen receptis, libera manet mens, vt circa eas liberum fidei actum eliciat, libereque credat illa esse vera, atque exinde alios liberos doloris pœnitentiæ, amoris, aliarumque virtutum actus in se concipiat & efformet. Illustrationes enim, quas intellectui; & pij impulsus affectusque, quos voluntati Deus immittit & indit, sunt gratiæ præuenientes, & excitantes mentem peccato vel torpore sopitam, vt euigilet, & ijs liberè cooperetur, itaque in se actus pœnitentiæ, timoris, amoris & heroicarum virtutum producat. Pro talibus, vt scilicet crebrò eas nobis immittat Deus, continuè orare debemus. Ex ijs enim omnis noster profectus & salus pendet. Ita pro ijs orat Psaltes psalm. 12. 4. *Illumina*, ait, *oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus: Præualui aduersus eum.* Psalm. 17. v. 19. *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.* Psalm. 33. 6. *Accedite ad eum, & illuminamini.* Psalm. 66. 1. *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos.* Psalm. 75. 5. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Isaiæ 60. 1. *Surge, illuminare Ierusalem: quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Lucæ 1. 79. *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* Iohannis 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Ephes. 5. 14. *Exurge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Psal. 26 1. *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo?* Iob 11. 17. *Quasi meridianus fulgor consurget tibi: ad vesperam; & cùm te consumptum putaueris, orieris vt lucifer.* Psal. 96 4. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ.* Ezech. 1. 13. *Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Iob 36. 29. *Si voluerit*, &c. *fulgurare lumine suo desuper.* Psal 89. 17. *Sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige.* Isaiæ 58. 11. *Implebit splendoribus animam.* Habacuc 3. 4. *Splendor eius vt lux erit.* Baruch 4. 2. *Ambulabimus per viam ad splendorem eius.*

Illustrationes pia quæ optandæ?

CANON 21
In anima moribundi, vel maniaci non est vis diuinandi.

Ex dictis patet errare veteres Philosophos, qui censuerunt diuinationem fieri naturaliter: nam in anima inesse vim fatidicam, putà virtutem diuinandi, præsertim dum ea morti vicina est, aut melancholia, mania, vel furore poëtico exagitatur. Ratio eorum erat, quòd anima habeat aliquid diuinitatis, sitque quasi diuinæ particula auræ: creata enim est ad imaginem Dei: ergo & diuinationis Deo propriæ est particeps. Ita censuit Plato dialog. de Natura: *Quòd*, inquit, *dementiæ humanæ Deus diuinandi vim dederit, illud argumento esse potest, quòd nemo dum sanæ mentis est, diuinum & verum vaticinium vllum assequitur; sed cùm vel somno prudentis vis præpedita est, vel oppressa morbo, vel diuino aliquo raptu à sua sede dimota, fieri diuinatio solet.* Et in Apolog. pro Socrate, ex eius mente asserit, eos qui proximi sunt morti, solere diuinare. Et Aristot. in Problem. sect. 30. probl. 1. *Multi*, inquit, *propterea quòd ille calor sedi mentis in vicino est, morbis vesaniæ implicantur, aut instinctu lymphatico inseruescunt; ex quo Sibyllæ efficiuntur, & Bacchæ, & omnes qui diuino spiraculo inflagari creduntur, cùm scilicet id non morbo, sed naturali intemperie accidit.* Similia habet Cicero lib. 1. de Diuinat. additque rationem. *Cùm est*, inquit, *somno seuocatus animus à societate & contagione corporis, tum meminit præteritorum, præsentia cernit, futura prouidet. Iacet enim corpus dormientis vt mortui, viget autem & viuit animus. Quod multò magis faciet post mortem, cùm omnino ex corpore excesserit: itaque appropinquante morte multo est diuinior.* Quocirca concludit triplicem esse diuinationem: *omnem enim diuinandi vim à Deo, à fato, & à natura dimanare.* Et libr. 2. *Sæpè audiui*, ait, *pœtam bonum neminem sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam quasi afflatu furoris.* Nam

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.
Impetus ille sacra semina mentis habet.

Idem censuit Porphyrius, vti refert Iamblicus lib de Myster. Ægypt. 3. de somniis diuinis. Videtur huic sententiæ fauere S. August. libr. 12. Confess. citatus à S. Thoma 1. p q 86. a 4. ad 2. *Anima*, inquit, *habet quamdam vim sortis, vt ex sui natura possit futura cognoscere: & ideo quando retrahitur à corporis sensibus, & quodammodo reuertitur ad seipsam, fit particeps notitiæ futurorum.* Sed rectè eum excusat, mentemque eius explicat ibidem D. Thom. dicendo, animam separatam à sensibus fieri aptam & dispositam, vt recipiat impressiones Dei, angelorum, vel dæmonum, ac per eas accipiat notitiam futurorum, quam non habet ex seipsa; & hoc dumtaxat velle S. Augustinum. Adde, quæsiui hæc verba studiosè in S. August. nec hactènus ea reperire potui. Illud tantùm reperi lib 4. Confess. c. 3. & lib. 7. 6 Mathematicos planetarios subinde diuinare, & futura prædicere, non arte, sed sorte, putà casu. quod verum est, nec ad rem præsentem facit, imò eius oppositum insinuat: inter multa enim quæ prædicunt, subinde casu verum tangunt, dicuntque: ergo non naturæ vi, non artis certitudine, sed sortis casu coniectant verumque attingunt, quasi aleatores rei futuræ.

Prophetia est verbum Dei reuelans rem futuram.

Hæc Philosophorum sententia est erronea, & repugnans non tantùm S. Scripturæ, sed & Philosophiæ. De fide enim est, prophetiam esse opus diuinum, & prænotionem futurorum contingentium esse dotem propriam Dei, adeoque esse notam & indicem diuinitatis. Nam, vt ait Tertull. Apolog. 20. *Testimonium diuinitatis est veritas diuinationis.* Vnde Deus cum idolis decertans, *Annunciate*, inquit, *quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dij estis vos*, Isaiæ 41. 23. Et S. Petrus epist. 2. cap. 1. *Omnis*, inquit, *prophetia propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.* Hinc & Prophetæ omnes passim hunc titulum oraculis suis præfigunt: *Verbum Domini: Hæc dicit Dominus*, &c. Prophetia ergo est verbum à Deo præscitum & prædictum, non ab homine. Ratio physica est. Prima, quia futura contingentia sunt planè indeterminata: determinabuntur enim ab agente libero, cùm scilicet voluntas libera in tempore futuro, liberè ad alteram contradictoriorum partem se determinabit. Ergo impossibile est, vt homo, dæmon, vel angelus ea determinatè præsciat & prænoscat, sed id est virtutis & omniscientiæ diuinæ, quæ infinita mentis suæ acie & vi præuidet quid libera voluntas tali

tali tempore, loco & circumstantijs sit electura, & determinatura. Secunda: Mens humana pendet à phantasia & sensibus. Nihil enim est in intellectu, quod non fuerit priùs in sensu, vt ait Aristot. At futura contingentia nullo sensu percipi possunt: ergo nec ab homine intelligi queunt, non magis quam à cæco colores videri. Tertia: Quod non existit vel in se, vel in sua causa, ab homine & angelo cognosci nequit. At futura contingentia nec in se, nec in suis causis, vtpote adhuc futuris & indeterminatis, existunt. Ergo ab homine & angelo prænosci nequeunt. Ita S. August. lib. de Diuinat. dæmon. & S. Thom. 2.2. q. 55. art. 1. ad 3.

Maniaci quomodo diuinent.

Porrò argumentum Platonis & Ciceronis tantùm probat, animam, cùm morti vicina separatur à sensibus, aut cùm amore, vino, igne, mania, bile, &c. incalescit, excitari & acui, vt quasi se supra se attollat, videatque & cognoscat ea, quæ aliàs non videret & cognosceret; sed intra terminos & limites naturæ. Vnde tunc præsagit ea, ad quæ vel ipsa bilis & humor inclinat, vel quorum causas & principia videt, vel quæ spiritus animales excitati & feruidi naturaliter ei suggerunt, vt patet in Poëtis. Quocirca viri prudentes simili praxi vtuntur, cùm carmen, orationem, aut concionem, vel quid aliud componere volunt: curat enim, vt corpus & caput igne, somno, veste, &c. incalescat, itaque calente cerebro sua componunt. Calor enim excitat spiritus animales, qui excitati multos & insignes conceptus suggerunt; sed deinde deferuescente calore, ea relegunt, seligunt, iudicant, digerunt. Ingenium enim in calore consistit, iudicium in frigore. Vnde iuuenes ingenio & inuentione pollent, senes iudicio & censura, vtpote qui habent sedatas passiones, frigidosque affectus. Adde, sæpè in maniacis immiscere se dæmonem, & suggerere ea quæ remota sunt, vel futura; illa enim præsciunt ex probabili & subtili coniectura causarum præcedentium. Hac enim cõiectandi vi & sagacia, mens eorum acerrima, præ homine prædita est: Sanctis verò in morte suggerunt subinde angeli, vel Deus oracula de futuris, vti cõtigit Iacobo Genes. 49 & Mosi Deuter. 33. Altera Philosophorum ratio, petita ab imagine, non concludit. Anima enim est imago Dei naturalis, non supernaturalis: quocirca naturaliter tantùm naturalia Dei attributa repræsentat, & participat; qualia sunt intellectus, voluntas, memoria, cognitio, amor, libertas, &c. non verò supernaturalia; qualis est præuisio futurorum contingentium, vis patrandi miracula, charitas gratia, gloria, beatitudo, &c. Adde, anima habet aliquid diuinationis vti & diuinitatis, dum ex signis & causis præuijs præsagit futura naturaliter, sed sagaciter.

CANON 22 Prophetæ & scriptores hagiographi, dum ad certas prouincias & gentes prophetant aut loquuntur, consuetudines, ritus, leges, merces, &c. quin & multas voces illis gentibus proprias consultò vsurpant, vt eis se accommodent, vtque meliùs res suas eis dilucidas faciant. Ita S. Hieron. in Abdiam, scribit eum vsurpare vocem Assyriacam *Sepharad*, id est, *terminum*, quam ipse in textu Abdiæ vertit *Bosphorum*, quia de Dan. 2. 3. Assyrijs erat sermo. Sic Daniel c. 2. 3. & seq. multa ponit Babylonica nomina musicorum instru-

A mentorum, æquè ac Magistratuum, vti sunt Satrapæ, Signæi, Adargazæi, Gedrebaæi, Detrabaæi, Tiphthaæi. Sic Iob, quia in Arabia vixit, & arabicè liber eius primitus conscriptus fuit; hinc multas voces, æquè ac consuetudines Arabicas vsurpat, vti testatur S. Hieron in eius prologo. Idem ad Algasiam epist. 151. q. 10. scribit Apostolum *humanum diem* nominare ex Cilicum lingua (erat enim ipse Cilix, putà Thasensis) dum dicit 1. Corinth 4. 3. *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Talequoque esse κατ' ἔθος, Coloss 2. 18. Vide ibi dicta. Additque, *Multa sunt verba, quibus iuxta morem vrbis & prouinciæ suæ, familiarius Apostolus vtitur.* Rursum Prophetæ sæpè alludunt ad historias & gesta sui temporis, quæ tunc omnibus erant nota, nunc autem sunt incognita, eaque de causa subinde nobis obscuri sunt.

1. Cor. 4. 3

Col. 2. 18.

B

Prophetia propriè est de tempore futuro: per catachresin tamen ad præteritum quoque & præsens sese extendit. Vnde Homerus Iliad. 1. ait, Calchantem vatem nosse omnia, præterita, præsentia & futura. Quod imitatus Virgil 4. Georgic. ait:

CANON 23

— *Nouit namque omnia vates,*
Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahãtur.

Exempla dat S. Gregor. hom. 1. in Ezech. *Prophetia*, ait, *de futuro est: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, Isaiæ 7. Prophetia de præterito: in principio creauit Deus cælum & terram. De illo enim tempore dixit homo; quo non erat homo. Prophetia de præsenti, 1. Corinth. 14. Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis, vel idiota, conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus: occulta enim cordis eius manifesta fiunt,* &c. *Quod rectè prophetia dicitur, nõ quia prædicit futura, sed quia prodit occulta. Ventura etenim res occultatur in futuro tempore, præsens autem cogitatio absconditur in latenti corde.* vtriusque ergo notitia est paris virtutis, putà non humanæ, sed diuinæ. Sic Elisæus Propheta absens vidit Giezi petentem, & accipientem pecuniam à Naaman: *Nonne*, inquit, *cor meum in præsenti erat, quando reuersus est homo de curru suo in occursum tibi?* 4. Reg. 5. Addit S. Gregor. Prophetas præteritis ventura permiscere, itaque fecisse Mosen, *vt dum implentur ea quæ de futuro prædiceret, ostenderet etiam quia de præterito vera dixisset.*

C

Ex prædicto canone 23. S Gregorius eadem homil 1. in Ezech. colligit octo prophetiæ modos & species. Prima est: *Aliquando*, inquit, *spiritus prophetiæ ex præsenti tangit animum prophetantis, & ex futuro nequaquam tangit.* Dat exemplum: *Sicut Iohannes Baptista venientem Dominum videns, ait, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi: sed cùm iam moriturus esset, missis discipulis requirebat dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? In quibus verbis ostenditur, quia in terris quidem venisse redemptorem nouerat, sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet, dubitabat. Ex præsenti enim prophetia spiritu tactus fuerat, qui humanitatem mediatoris videns, & diuinitatem eius intelligens, confitebatur agnum qui peccata mundi tolleret. Sed tactus ex futuro non fuerat, quia aduentum illius in inferno nesciebat.*

CANON 24 *Octo modi prophetiæ.*

Secunda: *Aliquando verò prophetiæ spiritus animum prophetantis ex futuro tangit, atque ex præsenti non tangit, sicut apertè libri Geneseos historia testatur, cùm Isaac Esau filium suum ad venandum mi-*

D

sit, cui minorem filium Rebecca ad benedicendum A suppoſuit, qui hœdinis pellibus indutus, paterno palpatui corpus fraternum finxit. Cui ille minori filio, tamquam maiori, benedictionem dedit, quæq; ei eſſent longè futura nunciauit: ſed quis eſſet qui coram ſe aßiſteret, ſcire non potuit. Prophetiæ ergo ſpiritus ex futuro animum prophetantis tetigit, atque ex præſenti non tetigit, quando caligantibus oculis pater & ventura prædicebat, & præſentem filium neſciebat.

Tertia: Aliquando prophetantis animum ex præſenti, pariter & ex futuro tangit; quod ex eodem libro Geneſeos liquidò docemur. In illo quippe ſcriptum eſt, quia cùm ad vitæ iam terminum propinquaret Iacob, & duos filios ſuos Ioſeph ſecißet aßiſtere ante eum, vt ex benedictione illius poſſent longe pòſt futura promereri, cui maiorem ad dexteram, minorem verò poſuit ad ſiniſtram. Cumq; ille oculis ſenectute caligantibus nepotes ſuos, quis prior, quiſve eſſet minor, humano viſu diſcernere nequaquam poſſet, ductis in B obliquum brachiis, dexteram manum minori, ſiniſtram maiori impoſuit. Quod dum corrigere filius vellet, ait: Non ita conuenit pater; quia hic eſt primogenitus; audiuit: Scio fili mi, ſcio. Et iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur: ſed frater eius iunior maior illo erit. Prophetiæ ergo ſpiritus ex præſenti, pariter & ex futuro, prophetantis animum tetigit, dū Iacob & ventura nunciabat, & eos quos corporeis oculis videre non poterat, ante ſe poſitos per ſpiritum diſcernebat. Sic Abiæ Prophetæ animum prophetiæ ſpiritus & ex præſenti, atque ex futuro tetigerat, cùm caligantibus oculis eam, quæ ſe eſſe aliam ſimulabat, & vxorem Ieroboam eſſe cognouit, & quidquid ei futurum eſſet aperuit, dicens: Ingredere vxor Ieroboam; hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Quia operatus es malè ſuper omnes qui fuerunt ante te, & feciſti tibi Deos alienos & conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares, me autem proieciſti poſt corpus tuum, idcirco ego inducam mala ſuper domum Ieroboam. Ex præſenti ergo, atque ex futuro pariter prophetantis animus tactus fuerat, qui & ingredientem deprehendere potuit, & ei ventura nunciare.

Quarta: Aliquando autem ex præterito, & ex præſenti, atque ex futuro pariter tangitur animus prophetantis: ſicut Eliſabeth venire ad ſe Mariam conſpiciens, quia incarnatum Verbum geſtaret in vtero, agnouit; eamq; iam Domini ſui matrem vocauit, dicens: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? De cuius conceptione per angelum quoque ad Ioſeph dicitur: Quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. Quæ videlicet Elizabeth dicit: Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino. Dicens enim: Beata quæ credidiſti, apertè indicat, quia verba angeli quæ dicta ad Mariam fuerant, per ſpiritum agnouit; atque ſubiungens: Perficientur ea quæ ſunt dicta tibi à Domino, quæ eam in futuro ſequerentur præuidit. Simul ergo de præterito, & præſenti, atque ex futuro per prophetiæ ſpiritum tacta eſt, quæ & eam promißionibus angeli credidiſſe cognouit; & matrem nominans, quia redemptorem humani generis in vtero portaret, intellexit. Et cùm omnia perficienda prædiceret, quid etiam de futuro ſequeretur, aſpexit.

Quinta: Aliquando verò prophetiæ ſpiritus ex præterito tangit animum, nec tangit ex futuro: ſicut in Paulo Apoſtolo apertè oſtenditur, qui Diſcipulis dicit: Notum vobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundùm hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici; ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. Vnde alijs quoque diſcipulis dicit: Secundum reuelationem notum factum eſt mihi ſacramentum. Qui tamen hoc ipſum Euangelium, quod per reuelationem cognouerat, cùm Hieroſolymam prædicaturus aſcenderet, ait: Ecce ego alligatus ſpiritu vado in Ieruſalem, quæ in ea ventura ſunt mihi ignorans.

Sexta: Aliquando prophetiæ ſpiritus tangit ex futuro, nec tangit ex præterito: ſicut in Eliſæi facto ſcriptum eſt, quia cùm vnus ex filijs Prophetarum materiam ſuccideret, huic ferrum ſecuris in aquam cecidit, qui exclamauit: Heu, heu Domine mi, & hoc ipſum mutuo acceperam. Dixit autem homo Dei: Vbi cecidit? At ille monſtrauit ei locum. Præcidit ergo lignum, & miſit illud, natauitq; ferrum. In quo videlicet prophetæ facto cognoſcitur, quia qui requirit vbi ceciderat, quid eßet facturus nouerat: ſed tamen cùm requirit, conſtat, quia vbi ferrum cecidiſſet, ignorabat. Prophetiæ ergo ſpiritus Eliſæi mentem ex futuro tetigerat, ſed ex præterito non tangebat, qui & ferrum ex profundis demerſum quia reuocaturus eſſet ad ſuperficiem ſcire potuit; ſed vbi ceciderat omnino neſciuit.

Septima: Aliquando prophetiæ ſpiritus in præſenti ex parte tangit, & ex parte non tangit. Quod Petri Apoſtoli hiſtoria teſtatur, cùm miſſi ad eum à Cornelio milites, ei ſunt per ſpiritum nunciati. Scriptum quippe eſt: Et dixit ſpiritus ei: Ecce viri tres quærunt te. Ad quos ille deſcendens, & requirens dixit: Quæ cauſa eſt propter quam veniſtis? In cuius verbis oſtenditur, quia eamdem cauſam per ſpiritum non audierat, quam à militibus requirebat. In præſenti ergo mentem Petri ſpiritus ex parte tetigerat, & ex parte non tetigerat, qui & adeße milites dixit, & pro qua cauſa venerant, tacuit.

Octaua: Aliquando ſpiritus in futuro ex parte C tangit; & ex parte non tangit: ſicut Prophetarum filij de auferendo Elia ad Eliſæum dicunt: Numquid noſti quia hodie Dominus tollat dominum tuum à te? Quo tamen ablato ſeſe per diuerſa diſpergunt, eumq; in rupibus & vallibus quærunt. In futuro ergo eorum mentem prophetiæ ſpiritus ex parte tetigerat, & ex parte non tangebat, quando eum quem tollendum nouerāt, non inueniendum quærebant. Ex parte itaque tacti ſunt, atque ex parte non tacti, qui & ſciebant quòd tolli poſſet, & neſciebant quòd inueniri non poſſet. Idem quoque Eliſæus per prophetiæ ſpiritum de futuro ex parte tactus eſt, & ex parte non tactus, cùm regi Iſrael diceret: Percute iaculo terram. Et cùm percußiſſet tribus vicibus, & ſteriſſet, iratus eſt contra eum vir Dei, & ait: Si percußiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percußiſſes Syriam vſque ad conſumptionem; nunc autem tribus vicibus percuties eam. Qui itaque nouerat quia toties percuteret Syriam, quoties percuſſiſſet terram; ſed cum ei diceret: Percute terram, quoties eā percußurus eſſet ignorabat: quippe & indignatus eſt terram tertiò fuiſſe percuſſam; profectò conſtat quia de futuro ex parte tactus fuerat, & ex parte non tactus, qui Syriam percuti prædixit, ſed terram ampliùs percuti voluit.

Aliquando, inquit ibidem S. Gregor. prophetiæ CANON II.
ſpiritus Prophetis deeſt, nec ſemper eorū mentibus præſtò eſt, quatenus cùm hunc non habent, & hunc agnoſcant ex dono habere cùm habent. Vnde Eliſæus cùm ſtentem Sunamitem mulierem à ſuis pedibus per Giezi puerum auelli prohiberet, dixit: Dimitte illam; anima enim eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. Sic quoque cùm eum Ioſaphat de futuris requireret & prophetia ei ſpiritus deeßet,

desſet, pſaltem fecit applicari, vt prophetiæ ad hanc ſpiritus per laudem pſalmodiæ deſcenderet, atque eius animum de venturis repleret. Vox etenim pſalmodiæ cùm per intentionem cordis agitur, per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, vt intentæ menti vel prophetiæ myſteria, vel compunctionis gratiã infundat.

CANON 16 *Aliquando Prophetæ ſancti dum conſuluntur*, inquit ibidem S. Gregor. *ex magno vſu prophetandi quædam ex ſuo ſpiritu proferunt, & ſe hæc ex prophetiæ ſpiritu dicere ſuſpicantur: ſed quia ſancti ſunt, per Spiritum ſanctum citiùs correcti, ab eo quæ veræ ſunt audiunt, & ſemetipſos quia falſa dixerunt, reprehendunt.* Ita Nathan, inquit S. Gregor. Propheta fuit, quia occultum Dauidis adulterium & homicidium ei reuelauit & redarguit; ſed prædicens Dauidi fabricam templi, quaſi Deus illud à Dauide vellet ædificari, errauit. Vnde mox de errore admonitus à Deo, eum correxit. *Qua in re inter Prophetas falſos ac veros iſta diſtantia eſt, quia Prophetæ veri ſi quid aliquando per ſuum ſpiritum dicunt, hoc ab auditorum mentibus per Spiritum S. eruditi citiùs corrigunt. Prophetæ autem falſi & falſa denunciant, & alieni à ſancto Spiritu, in ſua falſitate perdurant.*

CANON 17 Hæ voces *non amplius, non vltrà*, in Scriptura & Prophetis ſæpè non ſignificant æternitatem, ſed longitudinem temporis, ſcilicet rem illam non fore longo admodum tempore, etiamſi poſtea futura ſit, ſcilicet poſt hominum tum viuentium mortem & memoriam: tunc enim videtur fore quaſi aliud nouumque ſeculum, ad quod non ſe extendit vulgaris hominum ſermo, vti nec vita, vel memoria. Sic de ortu Chriſti ait Iſaias c. 2. 4. *Nec exercebuntur vltrà ad prælium*: quia naſcente Chriſto fuit pax vniuerſalis in orbe, eaque durauit diu. Sic idem c. 23. 12. ait de Tyro: *Non adijcies vltrà vt glorieris.* Et Ezechiel de eadem c. 26. v. 13 *Sonitus cithararum tuarum non audietur* 26. 14 *amplius.* Et v. 14. *Non ædificaberis vltrà*, ſcilicet ad longum tempus: nam poſtea reædificata eſt, & priſtinam gloriam reſumpſit: vnde ab Alexandro Magno rurſum vaſtata eſt. Simili modo *æternum, ſæculum, generatio generationis*, ſæpè non æternitatem abſolutam, ſed temporariam & humanam, hoc eſt longum tempus denotant; vt cùm lex Moſis dicitur fore æterna. vide can. 4. in Pentateuch.

CANON 18 Verba Hebræorum nunc actum perfectum, nunc continuatum, nunc inchoatum, nunc deſtinatũ duntaxat ſignificant. v. g. *credo*, nunc ſignificat credere deſtino, nunc credere incipio, nũc credere pergo & in fide confirmor, nunc planè & perfectè credo, vt alibi oſtendi. Rurſum, id fieri dicitur, quod aptum eſt & procliue vt fiat: atque id facere dicitur quis cuius faciendi poteſtatem habet: vt *facio* ſit idem, quod poſſum facere. Sic Iob c. 9. 7. ait: *Qui præcipit ſoli, & non oritur*, id eſt præcipere poteſt. Et v. 6. *Qui commouet* (id eſt, ad nutum commouere poteſt) *terram de loco ſuo, & columnæ eius concutiuntur.* Amos 9. 5. *Qui tangit terram, & tabeſcet. tangit*, id eſt ita tangere poteſt, vt tabeſcat. Plura vide apud Salmer. prolegom. 20. quin. 2. can. 12. Sic Prophetæ dicunt ſub Chriſto abolenda omnia peccata; iuſtitiam, pacem, ſanctitatem, omnemque virtutem toto orbe germinaturam: quia ſcilicet hoc natũ erat fieri, atque Chriſtus id ipſum, quantum eſt ex parte ſua, effecit. Dedit enim nobis lytrum ſanguinis ſui, & gratiam ſuam potentem & copioſam, qua quiſque omnia peccata abolere, omneſque virtutes menti inſerere poteſt, ſi ea vti, eique cooperari velit; eſto multi ea non aboleant, nec virtutes inſerant, quia Chriſti gratiam reſpuunt, vel negligunt. Rurſum, non ſimul & ſemel id fit, ſed ſenſim, creſcente anima, æquè ac Eccleſia, in fide & virtutibus.

Dicitur conditor, vel auctor rei, qui illam ornauit & auxit, etſi eam primus nõ fecerit. Sic Alexander Magnus dicitur conditor Alexandriæ, quia eam iamdiu conditã auxit & decorauit, eique nomẽ ſuum indidit. Sic Nabuchodonoſor de Babylone ait Daniel. 4. 17. *Nónne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui?* id eſt ampli ficaui & decoraui: nam Babylon diu antè condita eſt à Nemrod Geneſ. 10 v. 10. Sic Romulus dicitur condidiſſe Romam, cùm tamen de Euandro, qui ante Romulum fuit, dicat Virgil. Æneid. 8. CANON 19

Dan. 4. 17.

Tunc rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

Sic ſæpè in Scriptura dicitur ædificaſſe locum, vel vrbem, qui eam collapſam, dirutam, vel vaſtatam reædificauit aut reſtaurauit.

Datiuus ſæpè apud Hebræos per paragogen redundat, vt Cantic. 1. *Si ignoras te* (hebr. *tibi*) *ô pulcherrima inter mulieres, egredere*: vbi *te* & *tibi* redundãt. Ibidem c. 2. 10 & 13. *Surge & veni*: hebr. *Surge tibi, veni tibi.* Sic Hebræi dicunt: *Vade tibi*, id eſt vade, abi. Sic Iſaiæ 6. 8. *Quem mittã, & quis ibit nobis?* nonnulli cenſent *to nobis*, per paragogen addi ornatus cauſa; vti & *to ſibi* Iſaiæ 59. 16. *Saluauit ſibi brachium ſuum*; eſto alius iſtorum locorum ſit ſenſus magis genuinus, vt ibidem dixi. CANON 30

In Prophetis ſæpè eſt climax, id eſt ſcala, ſiue gradatio ad orationis tum elegantiam, tum energiam. Talis eſt Oſee 2. 21. *Exaudiam cælos, & illi exaudient terram; & terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudient Iezrahel.* Talis eſt Ioëlis 1. 4. *Reſiduum eruca comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi cõedit rubigo.* Talis eſt illa, quæ ſepties iteratur Amos cap. 1. & 2. *Super tribus ſceleribus Gazæ, & ſuper quatuor non conuertam eum.* Similis eſt illa B. Petri Damiani ſerm. de S. Andrea: *Solum cor hominis capax eſt rationis & myſteriorum Dei. Cor* eſt *in pectore, anima in corde, mens in anima, fides in mẽte, Chriſtus in fide; & hoc eſſe puto quod ait Apoſtolus, habitare Chriſtum per fidẽ in cordibus veſtris.* Et illa S. Gregorij hom. 29. Euang. *Ecce iſte venit ſaliẽs in montibus, tranſiliens colles; nam de cælo venit in vterum, de vtero venit in præſepe, de præſepi venit in crucem, de cruce venit in ſepulchrum, de ſepulchro redijt in cælum.* Porrò *Gradatio*, inquit Cicero ad Herenn. lib. 4. *eſt, in qua non ante ad conſequens verbum deſcenditur, quàm ad ſuperius conſcenſum eſt, hoc modo: Nam qua reliqua ſpes libertatis manet, ſi illis & quod libet licet, & quod licet poſſunt, & quod poſſunt audent, & quod audent faciunt, & quod faciunt vobis moleſtum non eſt?* CANON 31

Paradoxa crebra ſunt apud Prophetas. Tale eſt Oſee 1. 2. *Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum.* Et Oſee 13. 14. *Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne.* Et Ionæ 1. 2 *Erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus & tribus noctibus.* Et Michææ 5. 2. *Ex te* (ô Bethlehem) *mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael; & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Si enim egreſſus eius eſt ab æterno, quomodo fiet in tempore? Tale eſt: *Qui totum cupit, totum perdit; dimidium* CANON 32

ergo plus est toto, de quo dixi Habacuc 1.15. Sic Zachariasc.5.8. vidit impietatem quasi mulierem amphoræ inclusam, ferri in Babylonem. Et cap.9.17. vinum germinans virgines, cùm vinum incitet ad libidinem. Maximè verò paradoxa dicunt cùm vaticinantur de Christi incarnatione, vita, passione, resurrectione, Ecclesia, missione Spiritus sancti. Tota enim œconomia vitæ Christi plena est paradoxis, æquè ac doctrina & philosophia eiusdem. Quid enim magis apud mundi sapientes paradoxum & incredibile: quàm *humilitas exaltat, paupertas ditat, ieiunium satiat, in luctu sita est consolatio, in cruce gaudium*? Hæc tamen Christus palàm edicit: *Omnis qui se humiliat, exaltabitur: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur: Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur: Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, &c gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*, Matth.5.1.& sequent. *Prophetæ* enim fuerunt *viri portendentes*, vt ait Zachar c.3 8.& *portentum Israel*, vt ait Isaias cap. 8.v.18. Sic Cicero scripsit sua, aut potiùs Stoicorum Paradoxa, id est, admirabilia, inquit, & contra opinionem omnium. nimirum hæc: Solum honestum esse bonum: virtute prædito nihil deesse ad beatè viuendum: æqualia esse peccata, & rectè facta (sed hoc non tam est paradoxum, quàm error exploratus Stoicorum) solum sapientem esse liberum, & omnem stultum seruum; solum sapientem esse diuitem.

CANON 33

Pleræque omnes veteris testamenti prophetiæ adimpletæ sunt vel ante Christum, vel per Christum. Excipio pauculas de Gog, Magog, Antichristo, iudicio & fine mundi, quæ extant Ezech.38.& 39. Daniel.7.25.& cap.11.36.& sequent. & cap.12. Nonnulli tamen ex ijs diuinarunt adhuc futura. Primò, per accommodationem, vti Proclus Episcopus Constantinop. Theodosio iuniori contra Scythas pugnanti accommodauit ea, quæ Deus intentat Gog & Magog (nam hi erunt Scythæ & Tartari) Ezech.34.42. quia ex plagis cælitus in Scythas immissis, probabiliter coniectabat eorum excidium, vti refert Socrates lib.7. Histor.cap.42. Secundò per omen diuinum, vt cùm S. Antonius, S. Franciscus, S. Martinus, Clodouæus, & alij, quorum exempla recensui Isaiæ 8.v.10. iussu, vel instinctu Dei, ex lectione Prophetarum, vel S. Scripturæ primò occurrente acceperunt normam viuendi, vel didicerunt euentum belli, aut alterius rei futuræ. Dixi, instinctu Dei: quia alioqui id facere est superstitio, & tentatio Dei. Tertiò, per nouam prophetiam. Ita Ioachim Abbas Floriacensis scribens in Isaiæ c.13. & seq. Onus Babylonis, ait, tangit Romam; Chaldæorum, Alemanniam; Philistinorum, Lombardos; Moabitarum, Græcos. Tyri, Siculos; Ægypti, Francos, &c. vti dixi in fine procemij in Isaiam. Verùm in omnibus ipse obscurus & ænigmaticus est, in nonnullis falsus & fallens; esto à multis habitus sit Propheta. Ita sæculo præcedenti Hieron. Sauanarola per oracula Amos, Zachariæ & Danielis, vaticinatus est aduersa & prospera, quæ intra centum annos euentura erant Florentinis; quòd Turcarum Imperator occupaturus esset Italiam & Romam, ac futurus Christianus, æquè ac cæteri Turcæ & Saraceni; quòd Pontifex cathedram è Roma translaturus esset Hierosolymam; quòd breui venturus esset Papa angelicus, qui totam Ecclesiam reformaret. quæ ita asseueranter asserebat, vt diceret ea sibi reuelata esse à Deo, & multos audientium visuros illa reipsa compleri. Sed experientia docuit in plerisque eum à vero aberrasse, & illusum fuisse, ac Florentiam paulò pòst expugnatam: vnde tandem ipse misero fine vitam concluſit. Vide Ambros. Catharin.lib. de Prophetijs Sauanarolæ, & Raphaelem Volater.lib.5.Geogr.in fine. Similis est liber propheticus, qui circumfertur nomine Methodij Martyris, sed falsò: nam libri auctor non est Methodius Martyr, Olympiæ in Lycia Episcopus, & postea Tyri; sed Methodius Cyrensis: in quo cùm citetur Magister sentent. & alia non satis rationi consona, videri posset hic liber ab aliquo magno nebulone compositus, ait Salmeron tom.1. Proleg.7. sub finem. Dixi *veteris testamenti*: nam in Apocalypsi, quæ est prophetia noui testamenti, multa prædicuntur adhuc futura, vti in ea ostendam: sed in ea multi errant, dum oracula eius generalia, & totam Ecclesiam spectantia, ad particulares homines, vel euentus detorquent. Egi Romæ cum quodam, qui integrum volumen talium diuinationum, vel potiùs imaginationum coniecturalium in Apocalypsin conscripserat, ac nominatim quinam futuri essent Pontifices & Cardinales, ex ea se colligere iactitabat. Verè Comicus: *Amantes sibi somnia fingunt*: & sunt, qui indigent helleboro.

CANON

Multum valet ad genuinum sensum S. Scripturæ capiendum, capitum, sententiarum & vocum eius apta vel coniunctio, vel distinctio, systole, vel diastole. Exemplis res erit clara. Eccles.24.20. multi Codices legunt: *In plateis sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi*. & ita etiamnum legitur in Officio Eccles. B. Virginis ad Nonam, sensu obscuro & difficili, quem Romana Biblia illustrant aliter distungendo, nimirum sic: *Quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi*. In plateis enim plantantur platani, non cinnama & balsama. Sic 1.Reg.3.2. multi legunt: *Oculi eius* (Heli) *caligauerant, nec poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur*. Quid hoc? Ergóne extincta lucerna in tenebris meliùs videbat Heli, quàm in luce ea splendente? ergóne noctuæ similis erat Heli, & noctiluca? Rem elucidant Romani Codices, dum ita legunt & distungunt: *Oculi eius caligauerant, nec poterat videre: lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini* Est periphrasis noctis, q.d. Cùm adhuc arderent lucernæ, & Samuel dormiret, apparuit ei Dominus: noctu enim ardebant lucernæ in tabernaculo, manè extinguebantur. ita S. Hieron. Sic Aggæi c.2. versus primus referendus est ad finem capitis primi; alioqui enim manifestè pugnat cum versu secundo, qui proximè sequitur, vt patet intuenti. Similem diastolen esse Ierem.28.v.1. censet S. Hieron. & alij, vt ibi dixi. Talia nonnulla sunt, quæ suis locis annotaui.

Vbi Nota. Distinctio moderna capitum S. Scripturæ non est facta à Prophetis, nec à Patri-

tribus Græcis aut Latinis, sed ijs posterior & recentior est, vti fusè docet Sixtus Senensis lib. 3. Biblioth. in methodo partitionis. Excipio Psalmos, qui singuli seorsim dictati & scripti sunt. Patres enim citant S. Scripturam, per citationem non capitum, sed historiarum, vel materiarum. Sic S. August. dicit se scripsisse Comment. à principio Geneseos vsque ad eiectionem Adæ de paradiso, quod nos diceremus, in tria prima capita Geneseos. S. Gregor. ait se scripsisse in librum Regum, à principio vsque ad vnctionem Dauidis regis, quod nos diceremus, in quindecim prima capita lib. 1. Regum. Sic Elias Leuita Præfat. in Masor. ait olim legem totam, putà Pentateuchum, fuisse vnum Pasuc, id est, vnum tractatum sine incisione, vel diuisione. Hinc S. Hilar. scribens in Matthæum, eum distinxit in canones 33. & Ambrosius S. Lucam diuisit in 64. titulos, Beda verò in 93. capita: licèt Sixtus Senensis suspicetur hanc diuisionem ab alijs esse factam. Ammonius Alexandrinus, vel, vt alij volunt, Eusebius Cæsariensis, aut Tatianus, pro numero materiarum cõcordiæ Euangelicæ, distribuit S. Matthæum in capita 350. Marcum in 235. Lucam in 345. Ioannem in 232. Porrò in Interpretibus Græcis à sexcentis annis, putà Euthymio, Oecumenio, Areta, Andrea Cretensi, Suida, in nouo Testamento capitum distributio inuenitur similis nostræ, sed ea paulò maior. Ergo paulò post illud tempus videtur facta ea capitum diuisio, quam nunc in Biblijs cernimus. Vnde illa vtuntur S. Thomas, Alensis, Albertus, S. Bonauentura, illisque coæui. Denique veteres, libros æstimabant numero versuum, non capitum: versus autem constabat sex dictionibus. Sic S. Hieron. præfat. in homil. Orig. super Cant. ait Origenem scripsisse in Cantica versus ferè viginti millia. Idem de Script. Eccles. ait Nazianzenum omnia opera sua conclusisse versibus triginta millibus. Et Apolog. in Ruffinum, ait Hilarium mutuatum ex Origene versus propè quadraginta millia: seipsum verò, dum exponeret epistolam ad Ephesios, dictasse quotidie versus mille. Ita Sixtus. Non mirum ergo si diuisio hæc subinde minùs apta aut commoda sit, vti suis locis annotaui.

CANON 35. Euphemismus Græcis est boni ominis captatio; Rhetoribus est figura, qua nomina, vel res mali ominis in boni commutant, aut certè auertunt, & deprecantur; vt Terent. in Andria: *Si euenerit (quod Dij prohibeant) discessio.* Hæc non rarò occurrit in Script. Sic enim maledictionem & blasphemiam ob sui enormitatem & execrationem, non audent suo nomine nominare, sed per euphemismum eam contrario nomine vocant benedictionem: vt, *Benedixit*, id est maledixit, *Naboth Deum & regem*, 3. Reg. 21.13. *Benedic*, id est maledic, *Deo, & morere*, Iob 2.9. Sic in iuramento execratorio dicunt: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat*: sed per euphemismum silent malum quod quis sibi imprecatur, quasi rem tristem & malo ominis. Sic milites Dauidis à Nabal tondente oues petunt alimoniam, dicentes per euphemismum: *In die enim bona venimus*, 1. Reg. 25.9. Huic vicinus est *Charientismus*, id est, vrbanitas, lepos & festiuitas sermonis; quæ figura est Rhetorices, qua dura dictu gratiùs proferuntur, vt si interrogantibus, num quis nos quæsierit? responsum detur, *Bona fortuna*, exinde intelligitur nos neminem quæsisse. Sic roganti matri: Audio filium meum in bello esse captum, estne verum? respondent amici eius dolorem festiuè leuantes, Non; est redemptus: quo tacitè significant eum fuisse captum & malè habitum, sed iam esse redemptum. Sic Cicero pro lege Manilia, ne diceret consulares fasces esse captos, dixit esse redemptos. Sic sanatum esse vulnus libentiùs auditur, quàm illatum; instauratam esse domum, quàm dirutam; suppllemento nouo refectas esse legiones, quàm occisis militibus imminutas. Sic ait Isaias cap. 40.1. *Consolamini, consolamini populo meus*, &c. *quoniam completa est malitia eius, dimissa est iniquitas eius.* quo tacitè significat eam fuisse malam & iniquam. Sic sapiens illa mulier Thecuitis, festiuè Absalonis scelus & fratricidium in se suosque filios transtulit, vt ei à Dauide veniam impetraret, 2. Reg. 14. 6. Sic Nathan Propheta, vt regem Dauidem de adulterio & homicidio Vriæ corriperet, vsus est apologo diuitis, qui pauperi ouiculam rapuit, & mactauit, vt in eius enormitate rex videret immanitatem sui flagitij, 2 Reg. 12. v. 2. Atque hic est modus commodissimus corripiendi magnates, qui opibus & titulis superbi, non ferunt se apertè & in fronte reprehendi. Charientismi illustres extant in epist. Valerij ad Ruffinum, qua ei suadet ne ducat vxorem, tom. 9. operum S. Hieron. Sic enim habet: *Pacuuius flens ait Arrio vicino suo: Amice arborem habeo in horto meo infelicem, de qua prima vxor mea se suspendit, postmodum secunda, iam nunc tertia. Cui Arrius: Miror te in tot successibus lachrymas inuenisse. Dij boni, quot tibi dispendia arbor illa suspendit. Da mihi & de arbore surculos, quos seram. Timeo ne & te oporteat arboris illius surculos mendicare, cùm iam inueniri non poterunt. Cato Vticensis dixit: Si absque femina posset esse mundus, conuersatio nostra non esset absque diis. Phoroneus rex ait Leontio fratri suo: Ad summam felicitatem nihil mihi deesset, si vxor mihi semper defuisset. Metellus Mario respondit, cùm eius filiam dote aiuitem, forma nobilem, genere claram, fama felicem duccere noluit: Malo meus esse, quàm suus. Cui Marius: Imò ipsa tua erit. At ille: Imò virum oportet vxoris esse. Logicum est enim: Talia erunt subiecta, qualia permiserint prædicata. Lais Corinthia petiuit à Demosthene centum talenta pro consensu. At ille suspiciens in cælum, ait: Non emo tanti pœnitere.*

HARMONIA CHRONOLOGICA
DVODECIM PROPHETARVM.

HOc est, tabula chronologica, per annos mundi & Christi consignans oracula duodecim minorũ Prophetarum, conformis & subalterna illi, quam quasi probabilem tum Pentateucho, tũ Prophetis maioribus prefixi. Scio varios variè hæc consignare, omnesque probabiliter; sed paucis annis, quibus vna chronologia ab alia distat, additis, vel demptis, hæc tabula cuilibet computui & chronologiæ seruiet.

Reges Iuda sibi continuò succedentes, sub quibus prophetarunt Prophetæ.

Ozias, vel Azarias regnauit annis	52
Ioatham	16
Achaz	16
Ezechias	29
Amon	2
Iosias	31
Ioachas mensibus	3
Ioakim annis	11
A Ioakim anno XI. finito, putà ab eius cæde, & filij eius Ioachin transmigratione in Babylonem, incipiunt anni 70. captiuitatis Babylonicæ, de quibus Ieremias c. 25. 11. Vnde hinc annos prophetiæ suæ inchoat, & consignat Ezechiel in tota sua prophetia, vti ibidẽ dixi.	
Ioachin mensibus	3
Sedecias annis	11
Anno 11. Sedeciæ Nabuchodonosor Ierusalem & regnum Iuda euertit, anno regni sui 18.	
Regnauit post excisam Ierusalem Nabuchodonosor annis	26
Vniuersim enim regnauit annis	44
Et successit ei filius Euilmerodach, siue Baltassar, qui regnauit annis	34
Baltassarem capta Babylone occidit Darius Medus & Cyrus.	
Itaque post Baltassarem in Babylone regnauit Darius Medus anno	1
Post Darium, Cyrus iam Monarchia regnauit annis	3
In anno 3. Cyri finiuntur prophetiæ Danielis, qui vltimus omnium quatuor maiorum Prophetarum prophetauit.	
Cyro successit Cambyses regnans annis	8
Cambysi post magos (qui paucis mensibus regnarunt) successit Darius Hystaspis, qui regnauit annis	36
Dario successit filius Xerxes, qui regnauit annis	20
Xerxi successit filius Artaxerxes, à manu vna longiore altera, cognominatus Longimanus, qui regnauit annis	40
ANNO MVNDI 3156. ante Christum 814.	

qui fuit à diluuio annus 1479. à natiuitate Abrahæ annus 1187. ab exitu Hebræorum ex Ægypto annus 682. cœpit regnare in Ierusalem & Iuda Ozias, siue Azarias rex, regnauitque per 52. annos: sub quo prophetauit Osee, Ionas, Amos, & Isaias. Itaque Osee, qui fuit primus omnium prophetarum, cœpit prophetare sub initia regni Oziæ. Nam Isaias, qui eum secutus est, cœpit prophetare sub annum 17. Oziæ, vt habet Euseb. in Chronico, qui fuit annus ante Christum 797. Ionas verò cœpit ante annũ 14. Oziæ, vti mox ostendam. Insuper sub Ozia rege cœperunt Olympiades. Annus enim 40. Oziæ, qui fuit ante Christum 774. fuit annus primus Olympiadis 1. Ante Olympiades autem omnia apud Gentiles scriptores & historicos sunt incerta. Ab Olympiadibus enim cœpit apud eos historiæ fides. Audi Eusebium in Chronico ad Olympiadem 1. *Ab hoc tempore Græca de temporibus historia vera creditur: nam ante hoc, vt cuique visum est, diuersas sententias protulerunt.* Vnde Varro apud Censorinum de Die natali cap. 21. duplicem ponit sæculorum ordinem, priorem à diluuio ad primam Olympiadem, eumque vocat μυθικὸν, id est fabulosum: posteriorem ἱστορικὸν, id est historicum. Prophetæ ergo nostri antecesserunt omnem Gentilium historiam & sapiẽtiam, æquè ac Romam. Roma enim condita est anno 23. post inchoatas Olympiades, vti passim docent Chronologi.

Olympiades cœperunt anno 40 Oziæ.

Osee quando cœperit prophetare.

Osee ergo sub initia regni Oziæ, iussũ Dei duxit vxorem fornicariam, & ex ea procreauit duos filios & vnam filiam: primum nominauit *Iezrahel*: secundam filiam, *Lo rachuma*, id est, *Absque misericordia*: tertium, *Lo ammi*, id est, *Non populus meus*; vt tam factis, quàm verbis portenderet sanguinem Iezrahel breui vindicandum super domum Iehu; ac Israelem ob fornicationem cum idolis, aliaque scelera grauissimè sine misericordia puniendum, atque cum vitulo aureo quem colebat in Dan & Bethel, transferendum in Assyriam. Post Oziam perrexit Osee prophetare sub Ioatham, Achaz & Ezechia, vt ipse ait cap. 1. 1 sed quid præcisè sub hoc illóve rege prophetarit, ignoramus: quia ipse, vt & alij minores Prophetæ, sua oracula per annos regum sigillatim non consignant, vti consignant Ieremias, Ezechiel, Daniel, & subinde Isaias. Porrò sub hisce regibus Osee prædixit, Christum deuictà morte & inferno, die tertia resurrecturum; Synagogam Iudæorum, tamquam adulteram, à Deo repudiandam; Ecclesiam verò ex Gentibus, Christo per fidem sponsandam in sempiternum: denique Synagogam diebus multis fore sine rege & lege, sine sacerdotio & sacrificio, exspectantem Messiam, ad quem in fine mundi conuertetur.

Ionas.

Paulò post Osee prophetauit Ionas contra Niniuen, nimirum regnante in Iuda Ozia, in Israel Ieroboam, vt patet 4. Reg. 14. 25. Quare necesse est Ionam prophetasse primis 14. annis regni Oziæ: illis enim dumtaxat cum Ozia regnauit Ieroboam. Ipse enim vita & regno decessit anno 14. Oziæ, vt colligitur ex 4. Regum 15. 1. iuncto cum cap. 14. 23. Eodem tempore in Latio regnabat Procas Sylujus, auus Romuli, & in Assyria Sardanapalus, qui videtur fuisse rex Niniues à Iona conuersus ad pœnitentiam. Ionas ergo præcessit Amos paucis annis

annis. Amos enim cœpit anno 25. Oziæ, vt iam dicam.

ANNO MVNDI 3161. ante Christum 789.

qui fuit Oziæ regis annus 25. cœpit prophetare Amos. Cœpit enim *ante duos annos terræmotus* (vt ipse ait cap. 1.1.) qui contigit anno 27. Oziæ. Prophetat autem vindictam Dei in Damascum, Philistæam, Tyrum, Edom, Ammon, Moab, Iudam, & maximè contra Israel, id est, decem tribus, quibus ob idololatriam aliaque flagitia excidium per Assyrios intentat. Adhæc, tenebras è solis eclipsi, meridie futuras per totum orbem in passione Christi; ac per eum tabernaculum Dauidis collapsum restaurandum vaticinatur. Insuper in Bethel prædicat captiuitatem & excidium Israelis. Quocirca ab Amasia sacerdote idolorum accusatur rebellionis, ac tandem vecte per tempora transfixus, Martyr occumbit. *Amos.*

Paulò post Amos cœpit prophetare Abdias, qui Idumæis excidium per Chaldæos prædicit, eò quòd ipsi perpetui fuerint Iudæorũ hostes. *Abdias.*

ANNO MVNDI 3188. ante Christum 761.

cœpit regnare in Iuda Ioatham, filius Oziæ: sub quo cœpit prophetare Michæas, vt ipse ait c.1.1. Prædicit autem initio Samariæ & Israelis excidium per Assyrios. *Michæas.*

ANNO MVNDI 3198. ante Christum 751.

qui fuit regni Ioatham x1. Roma condita est à Romulo, qui in ea regnauit annis 29. Quocirca solerter & appositè notat S. August. libr. 18. Ciuit. 27. hosce Prophetas cœpisse prophetare sub exordia vrbis Romæ, quia eorum oracula Romanis, & Gentibus Christi fidem amplexuris scribebantur. Audi eum: *Ezechias quippe rex Iuda eò vsque regnauit, ac per hoc per ea tempora, ipsi velut fontes prophetiæ pariter eruperunt, quando regnum defecit Assyriorum, cœpitq; Romanorum; vt scilicet quemadmodum regni Assyriorum primo tempore extitit Abraham, cui promissiones apertissimæ fierent in eius semine benedictionis omnium gentium: ita in Occidentali Babylonis exordio, qua fuerat Christus imperante venturus, in quo implerentur illa promissa oracula Prophetarum, non solùm loquentium, verùm etiam scribentium in tantæ rei futuræ testimonium soluerentur. Cùm enim Prophetæ numquam ferè defuissent populo Israel, ex quo ibi reges esse cœperunt, in vsum tantummodo eorum fuere, non Gentium. Quando autem ea Scriptura manifestiùs prophetica condebatur, quæ Gentibus quandoque prodesset, tunc oportebat incipere, quando condebatur hæc ciuitas, quæ Gentibus imperaret.* *Roma quãdo condita.*

ANNO MVNDI 3220. ante Christum 730.

cœpit in Iuda regnare Ezechias: sub huius annum 7. vel 8. cùm iam euersa esset ab Assyrijs Samaria, & Israel abductus in Assyriam anno 6. Ezechiæ, ita vt sola restaret intacta Ierusalem & Iuda, Michæas cap. 3.12. prædicit quòd Ierusalem à Chaldæis exscindetur. *Sion*, inquit, *quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelsa siluarum.* vide Ierem. 26.18.

Sub idem tempus prophetauit Nahum excidium Niniues, eò quòd Niniuitæ post prædicationem Ionæ, in pristina scelera relapsi essent, vti dicam proœmio in Nahum. *Nahum.*

ANNO MVNDI 3230. ante Christum 720.

Ezechias in regno agebat annum decimum: sub hunc annum edidit Michæas illustre illud oraculum c. 5. 2. de Christo in Bethlehem nascituro, vti ibidem ostendam.

ANNO MVNDI 3234. ante Christum 716.

Ezechias agebat annum regni 14. sub hunc annum Michæas protulit prophetiam illam c. 4. 1. de Ecclesia in Sion à Christo instituenda, vti ibidem demonstrabo.

ANNO MVNDI 3249 ante Christum 701.

cœpit in Ierusalem & Iuda regnare Manasses rex impius: sub quo probabile est prophetasse Ioël: quia ipse soli Iudæ (quasi Israele iam vastato anno 6. Ezechiæ) vaticinatur excidium ob idololatriam, & ob occisos ab eis Prophetas, quod factum est tempore & iussu Manassis. S. Hieron. tamen, Euseb. & alij permulti censent, Ioëlem prophetasse longè anteriùs, scilicet paulò post Osee, sub Ozia rege. Porrò Ioël prædicit Iudææ instare vastitatem per noxias bestias, & hostes Chaldæos, quos sub specie locustarum, erucarum & bruchorum depingit; ideoque hortatur omnes, & præsertim sacerdotes, ad planctum, ieiunium & orationem; & conuersis magnam pollicetur prosperitatem, dandum Doctorem iustitiæ, Spiritum sanctum effusum iri super credentes, inuocantes Dominum saluos fore. Denique diem iudicij prænunciat, ac graphicè describit eius horrorem, & prodigia præuia; locum quoque significat, nimirum in valle Iosaphat peragendum esse. *Ioël*

Sub Manasse etiam prophetauit Habacuc, qui pariter Manassi, ac toti Iudææ ob impietatem, extremam cladem per Chaldæos prænunciat. *Habacuc.*

ANNO MVNDI 3306. ante Christum 644.

cœpit regnare in Iuda Iosias: sub quo prophetauit Sophonias, vt patet cap 1.1. æquè ac Ieremias: quos secuti sunt Ezechiel & Daniel, qui prophetarunt sub Ioakim filio Iosiæ. Quocirca hi soli Iudæ, vtpote Israele iam sub Ezechia vastato, comminantur Dei vindictam: *Scrutabor*, inquit Deus per Sophoniam c. 1 12. *Ierusalem in lucernis*: atque in typo excidij Ierusalem, æquè ac Niniues, orbis excidium, diemque horribilem iudicij graphicè depingit. *Sophonias.*

Nouem Prophetæ iam recensiti, prophetarunt ante excidium Ierusalem, & ante captiuitatem Babylonicam. Nam hæc contigit sub Ioakim & Sedecia filiis Iosiæ. Cæteri tres qui sequuntur, putà Aggæus, Zacharias & Malachias, prophetarunt post captiuitatem Babylonicam, postque reditum Iudæorum ex Babylone, qui contigit anno 1. monarchiæ Cyri. Quocirca

ANNO MVNDI 3433. ante Christum 517.

qui fuit annus 2. Darij Hystaspis, Tarquinij Superbi, Romanorum septimi & vltimi regis, annus 27 ait S. Hieron. cœpit propherare Aggæus, ac Iudæos hortari, vt templum à Chaldæis combustum reædificent. Aggæi oraculis excitati Iesus pontifex & Zorobabel dux, cum populo templi fabricam ordiuntur, quibus Aggæus promittit tum frugum copiam, tum maiorem fore huius templi, quàm prioris Salomonici gloriam: Christum enim ex Zorobabel nasciturum, hoc templum sua præsentia, concionibus & miraculis condecoraturum. *Aggæus.*

Eodem anno, sed bimestri post Aggæum (putà mense 8. Aggæus enim mense 6.) cœpit prophetare Zacharias, Aggæi adiutor, stimulans populum vt, postpositis priuatis suis commodis & domi- *Zacharias.*

domibus, fabricæ templi insistat. Vnde vidit virum metientem ciuitatem c.2.1. & Iesum pontificem templi c.3. & candelabrum templi c.4.

ANNO MVNDI 3434. ante Christum 516.
qui fuit annus 3. regni Darij Hystaspis, Zacharias cap.5. vidit amphoram, in qua sedebat mulier nomine impietas per aërem raptari in Babylonem. Et cap.6. vidit quatuor quadrigas, repræsentantes quatuor imperia, & monarchias sibi inuicem ex ordine successuras; ac post eas Christum Christique regnum: *Ecce*, inquit, *vir, Oriens nomen eius.*

ANNO MVNDI 3435. ante Christum 515.
qui fuit annus 4. Darij Hystaspis, Zacharias, vt ipse asserit c.7. 1. rogatus, an pristina captiuitatis ieiunia, ea iam soluta, adhuc seruanda forent? respondet, ea commutanda in festiuitates præclaras, ac Iudæos hortatur, vt in fabrica templi animosè pergant. Vnde c.9. monet, ne timeant Philistæos; eò quòd hi ipsis à Deo sint subiugandi, ac rursum promittens Christum, *Ecce*, ait, *rex tuus veniet tibi iustus & saluator ipse pauper, & ascendens super asinam, & pullum filium asinæ.*

ANNO MVNDI 3437. ante Christum 513.
qui fuit annus 6. Darij Hystaspis, perfecta est templi fabrica: in cuius dedicatione Aggæus & Zacharias cecinerunt alleluia. ita Epiphan. & Doroth. in eorum Vita. Quocirca Zacharias sequentibus annis vaticinatur ea, quæ cap.10. & deinceps enarrat, nimirum summam vrbis & templi fore felicitatem, per Machabæos pontifices, duces & vindices populi: ac præsertim per Christum, qui in eo versabitur, & victimam pro hominibus se offeret Deo, ideoque à Iuda vendetur Iudæis 30. argenteis; percutietur vt pastor, & dispergentur oues: denique perfossis manibus affigetur cruci. *Quid sunt*, inquit, *plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me*, Zachar.13.6. Quocirca per Christum effundendum spiritum gratiæ, & fontem baptismatis super habitatores Ierusalem, omnesque gentes ad Christum & Ecclesiam concursuras prædicit & promittit.

ANNO MVNDI 3467. ante Christum 483.
qui fuit annus Darij Hystaspis 36. & vltimus, Aggæum & Zachariam diem obiisse tradunt Hebræi in Seder Olam, & innuunt S. Epiphan. & Doroth. in eorum Vita.

ANNO MVNDI 3487. ante Christum 463.
cœpit in Perside regnare Artaxerxes Longimanus, filius Xerxis: sub cuius annum 5. vel 6. prophetat Malachias, Prophetarum omnium vltimus, contra vitia sacerdotum & populi, præsertim quòd contra legem vxores alienigenas duxissent. Nam anno sequenti, putà 7. Artaxerxis, venit Esdras in Ierusalem, omnibusque persuasit vt eas repudiarent. Insuper prædicit Malachias sacrificia Iudæorum à Deo repudianda, ac eorum loco oblationem mundam Eucharistiæ à Christo sanciendam, quæ vbiuis gentium toto orbe offeratur & sacrificetur: denique Christum venturum ad templum quasi angelum testamenti, eiusque præcursorem fore minorem angelum, scilicet Iohannem Baptistam: Eliam verò venturum ante secundum Christi aduentum, qui conuertet corda patrum ad filios. *Malachias.*

Ex dictis patet, hosce duodecim Prophetas vicissim & successiuè prophetasse per 300. annos: tot enim fluxerunt ab Ozia rege Iuda vsque ad Artaxerxem Longimanum. *Prophetarunt per 300. annos.*

HIEROGLYPHICA E DVODECIM MINORIBVS PROPHETIS EXCERPTA.

Ex Osee.

Cap.1. v.2. VADE, *sume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum.* Ad literam iubet Deus Prophetæ, vt ducat meretricem in vxorem, indeque procreet filios qui à matre infami vocentur filij fornicationum, id est, filij fornicariæ & meretricis: idque ad hoc, vt repræsentet idololatriam Israelis. Osee enim repræsentat Deum, vxor meretrix Synagogam, filij Israelitas. Vnde explicans subdit: *Quia fornicans fornicabitur terra à Domino.* q.d. Quia incolæ terræ, putà Israelitæ, à Deo apostatabunt, & colent idola quasi amasios suos.

Vers.4. *Et peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrahel: quia adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu.* Iezrahel, id est semen Dei, repræsentat Israel, qui erat populus Dei. Osee ergo iubetur à Deo primogenitum suum vocare Iezrahel, vt per eum repræsentet stragem posterorum Iehu, regum Israel. q.d. Succidam posteros Iehu ob idololatriam, & quia ipsi Iezrahel, id est, pios Israelitas, Deum verum colentes persecuti sunt, sicut succidi stirpem Achab in Iezrahel ob idololatriam, & quia ipse in Iezrahel pium Naboth occidit. Vnde subdit: *Et conteram arcum Israel in valle Iezrahel.* *Vers.6.*

Et peperit filiam. Et dixit (Dominus) *ei: Voca nomen eius, Absque misericordia.* Causam subdit, scilicet vt suo nomine repræsentet, *quia non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum.* *Vers.9.*

Et concepit, & peperit filium. Et dixit: Voca nomen eius, Non populus meus, vt hic filius suo nomine Israeli assiduè in os ingerat, *Quia vos non populus meus, & ego non ero vester.* *Cap.3.1.*

Dilige mulierem dilectam amico & adulteram, sicut diligit Dominus filios Israel. Et fodi, id est pretio conduxi, *eam. Et dixi ad eam: Dies multos exspectabis me, non fornicaberis, & non eris viro; sed & ego exspectabo te.* Quid hoc symbolum significet, explicat subdens: *Quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim: & post hæc reuertentur & quarent Dominum, &c. in nouissimo dierum.*

Cap.6.3. *Quasi diluculum præparatus est egressus eius: & veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ.* Christi aduentum, eiusque gratiam & Euangelium

gelium rectè denotat per ſymbolum auroræ: ſicut enim hæc poſt longam noctem, lucis & diei omniſque boni eſt initium & cauſa, ita & Chriſtus: atque per ſymbolum imbris temporanei, qui ſementem rigat; ac ſerotini, qui meſſem impinguat & maturat: pari enim modo Chriſtus & ſemen gratiæ, & meſſem bonorum operum, ac gloriæ æternæ in nobis operatur.

Cap. 9 9. *Profundè peccauerunt ſicut in diebus Gabaa.* q.d. Sicut Gabaitæ grauiſſimè peccauerunt, enormi ſtupro occidentes vxorem Leuitæ, illudque inſano bello contra cæteras omnes tribus defendentes, quo proinde vſque ad internecionem cæſi ſunt Iudic. 19. & 20. ita nunc Iſraelitæ grauiſſimè peccant ſtupro ſpirituali, id eſt idololatria: quia illam pertinaciſſimè retinent & tuentur, ideoque exſcindentur ab Aſſyriis.

Verſ. 13. *Ephraim Tyrus erat fundata in pulchritudine.* q.d. Iſrael cùm Deum coleret, erat pulcherrimus, opulentiſſimus & fortiſſimus, vti eſt Tyrus, quæ in rupe ſita, & mari cincta, pulcherrima eſt, opulentiſſima & inexpugnabilis, omniumque gentium accolis & opibus, quaſi regina coronatur. At iam cùm Deum dereliquit vaſtabitur & perdetur vt Sodoma.

Cap. 10 1. *Vitis frondoſa Iſrael: fructus adæquatus eſt ei.* q.d. Iſrael vitis eſt frondibus luxurians, & in eas totam ſe effundens; hinc ſimiles parit fœtus, folia nimirum inania, non ſolidos fructus. q.d. Iſrael frondibus abundat, fructu vacuatur: quia opes reſque externas conſectatur, internum verò in mente pietatis cultuſque Dei fructum negligit: fructus ergo eius eſt ventris, non mentis; carnis, non ſpiritus, putà opes, fruges, luxus, indeque conſequens impietas & idololatria.

Verſ. 11. *Ephraim vitula docta diligere triturам.* Idem dicit metaphora vitulæ, quod priùs dixit per metaphoram vitis. q. d. Ephraim diligit triturам, id eſt, fruges & opes, ideoque amat laborem triturandi, id eſt, colendi idola: quia per ea ſe putat haſce fruges nanciſci. Hinc facta eſt pinguis & obeſa: ſed ego collum eius pingue & craſſum domabo, faciamque vt Aſſyrij in illud inſcendant, cumque frænent & regant, vti eques frænat & regit equum. Hoc eſt quod ait: *Aſcendam ſuper Ephraim.*

Cap 11. 3. *Ego quaſi nutricius Ephraim: portabo eos in brachijs meis: & neſcierunt quòd curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis.* Funiculi Adam ſunt amor & beneficentia, quibus allici trahique ſolent homines ad redamandum: illex enim & magnes amoris eſt amor.

Cap. 13. 3. *Idcirco* (quia ſcilicet vitulos aureos coluerunt, meque Deum ad iram concitarunt, exſcindam eos per Aſſyrios: vnde tunc) *erunt quaſi nubes matutina, & ſicut ros matutinus prætereuns, ſicut pulvis turbine raptus ex area, & ſicut fumus de fumario,* id eſt, de camino, qui in aëre mox diſpellitur & euaneſcit: pari enim modo ipſi in captiuitate diſpergentur.

Verſ. 7. *Et ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſyriorum* (ab Aſſyrijs enim quaſi pardis in Aſſyriam ducentur) *occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, & dirumpam interiora pectoris eorum.* Solent enim leones & feræ prædam findere & lacerare vſque ad cor, illudque cum iecore primò deuorare. q. d. Pari modo ego cor, id eſt, mentem; & iecur, id eſt, appetitum & concupiſcentiam, Iſraelitarum triſtiſſimis cogitationibus, anxietatibus, melancholijs, pauoribus & mœroribus affligam, & quaſi diſrumpam.

Ero mors tua, ô mors: morſus tuus ero inferne. *Verſ. 14.* Chriſtus moriens fuit mors mortis, quia moriendo mortem occidit: momordit verò infernum, cùm poſt mortem eò deſcendit, & patres exiplo eduxit, ac vires inferorum & dæmonum confregit.

Ero quaſi ros Iſrael: germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani. Ibunt (diffundent ſe) *rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani.* Iſraelis, id eſt fidelis & iuſti, fœcunditatem, gratiam & felicitatem comparat. Primò, rori & irrorationi; Secundò, lilio; Tertiò, cedro, pino, aliiſque arboribus Libani proceris, lætis & odoratis. Quartò, oliuæ pingui & fertili. Addit Quintò, *Conuertentur ſedentes in vmbra eius.* Sextò, *Viuent tritico.* Septimò, *Germinabunt quaſi vinea.* Octauò, *Memoriale eius ſicut vinum Libani.* q.d. Iſraelitæ, id eſt, fideles verique Chriſtiani, abundabunt omni annona ſpiritali verbi Dei & Sacramentorum, præſertim Euchariſtiæ; ideque florebunt & creſcent omnibus virtutibus, bonis operibus & meritis. *Cap. 13. 6.*

Ex Ioële.

Reſiduum eruca comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo. q d. Vna clades alteri ſuccedit, ſequès antecedentem continua ſerie excipit: Aſſyrij aſſiduis incurſionibus populantur & vaſtant terram Iſrael. Loquitur enim de Aſſyrijs figuratè, quaſi de locuſtis & bruchis agros & vineas depaſcentibus, dicens: *Gens enim aſcendit ſuper terram meam fortis & innumerabilis: dentes eius vt dentes leonis, & molares eius vt catuli leonis. Poſuit vineam meam in deſertum, & ficum meam decorticauit.* *Cap. 1. 4.*

Reddam vobis annos quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca, fortitudo mea magna, quam miſi in vos. q.d. Priſtinam cladem & vaſtitatem noua pace & vbertate ſarciam & compenſabo. *Cap. 2. 25.*

Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ. Id factum in Pentecoſte, Act. 2. *Verſ. 28.*

Et dabo prodigia in cælo, & in terra, ſanguinem, ignem & vaporem fumi, in fine mundi, *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis,* putà dies iudicij. *Verſ. 30.*

Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo cum eis ibi. In valle enim Ioſaphat, quæ eſt prope Ieruſalem, fiet iudicium, ac ſuper eam ſedebit in nube gloriioſa Chriſtus Iudex. *Cap. 3. 2.*

Mittite falces, quoniam maturauit meſſis. Venite & deſcendite, quia plenum eſt torcular. Meſſis eſt conſummatio ſæculi: tunc enim angeli quaſi falce demetent homines, impioſque prement quaſi in torculari, *in valle concisionis,* id eſt, in gehenna inferni. *Verſ. 13.*

In die illa ſtillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum, Hebr. *torrentem Setim.* Ligna Setim erant imputribilia: vnde ex eis facta erat area, & tabernaculum; hinc ſignificat Eccleſiam triumphantem & Beatos. q. d. In cælo omnia erunt

bona

plena dulcedinis, suauitatis & gaudij & per beatissimos riuos, id est, choros laudantium Deum, aquæ voluptatum decurrent; & fons, id est, lumẽ gloriæ, & visio beatifica de throno Dei egredietur, irrigans & beans omnes electos

Ex Amos.

Cap. 3. v. 3. *Numquid ambulabũt duo pariter, nisi conuenerit eis?* q. d. Sic ego non ambulabo cum Israele, quia ille mecum non conuenit, sed cum idolis.

Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? Numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit? q. d. Sic Deus rugire non desinet contra Israel, donec eum quasi prædam capiat & laniet per Assyrios.

Vers. 5. *Numquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe? Numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit?* q. d. Sic Deus laqueum Assyriorum, quem quasi auceps tetendit Israeli, non auferet, donec eodem Israelem capiat & strangulet.

Vers. 6. *Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet?* Sic Deo clangente per Amos, ac indicente prælium & stragem, meritò expauescat Israel. Vnde hæc omnia hieroglyphica explicans, & applicans subdit: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit? Quia non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. Leo rugiet, quis non timebit? Deus locutus est, quis non prophetabit?*

Vers. 12. *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filij Israel qui habitant in Samaria, in plaga lectuli, & in Damasci grabato.* q. d. Sicut pastor leoni ex oue deuorata eripit duo crura, sic pauci Israelitæ euadent manus Assyriorum, ijque viles & inutiles, scilicet pauperes, & ægri macie morboque confecti, qui in plaga, id est latere & angulo, lecti decumbunt, vel in Samaria, vel in Damasco.

Cap. 4. 13. *Formans montes, & creans ventum, & annuncians homini eloquium suum: faciens matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ. Dominus Deus exercituum nomen eius.* Est hypotyposis potentiæ & magnificentiæ Dei.

Cap. 5. v. 5. *Bethel erit inutilis.* Hebr. *Bethel erit in Auen.* q. d. Domus Dei fortis fiet domus vanitatis, doloris & diaboli.

Vers. 19. *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus, & ingrediatur domum, & innitatur manus sua super parietem & mordeat eum coluber.* q. d. Samaritæ ex vno periculo in aliud, ex vno hoste in alium, v. g. ex Phul in Teglatphalasar, ex hoc in Salmanasar incident.

Cap. 7. 1. *Ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, & ecce serotinus post tonsionẽ regis.* Locustæ sunt Assyrij, fictor est Deus, imber serotinus est Ieroboam, tonsio regis est vastatio Israelis facta à Benadad q. d. Post vastitatem Israeli inflictam à Benadad, res Israelis per Ieroboam regem reflorescere cœperunt: sed ecce mox Deus immisit Phul & Assyrios, qui quasi locustæ eas depascerent.

Vers. 4. *Et ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus, & deuorauit abyssum multam, & comedit simul partem.* q. d. Post Phul, qui mille talentis à Manahen rege Israel acceptis, sine noxa abijt, Deus iusto suo iudicio immisit Israeli *ignem*, id est, Salmanasar, qui ignito quasi ardore & impetu eum inuadens, deuorauit *abyssum multam*, id est, magnam multitudinem populi, putà tribum Ruben, Gad, & dimidiam Manasse, trans Iordanem humili loco quasi in abysso habitantes: *Et comedit simul partem* Israelis selectam, scilicet tribum Nephthalim, Aser & Zabulon, cis Iordanem commorantes.

Et ecce Dominus stans super murum litum (calce incrustatum, id est, elegantem & firmum) *& in manu eius trulla cæmentarij. Et dixit Dominus ad me. Quid tu vides Amos? Et dixi: Trullam cæmentarii. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel: non adiiciam vltrà superinducere eum.* Trulla est cura & prouidentia, qua Deus murum Israelis calce illiniuit id est, speciosum, æquè ac fortem & hostibus inuictum effecit, quãdiu Israel Deo fidelis adhæsit. At nunc cùm infidelis ad vitulos aureos deflexit, Deus deponit trullam, id est, curam eiusdem finitque eum inuadi ab Assyrijs, & ruere in interitum. *Vers. 7.*

Ecce vncinus pomorum. Et dixit: Quid tu vides Amos? Et dixi: Vncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israel. q. d. Sicut vncino poma ex arbore carpuntur, sic per Assyrios carpam Israelitas, & in captiuitatem abducam. ita S. Hieron Mysticè, poma sunt homines, quos vncinus, id est, mors carpit; nunc hunc, nunc illum, donec omnes colligat. *Cap. 8. 1.*

Ascendet quasi fluuius vniuersus, & eiicietur, & defluet quasi riuus Ægypti. q. d. Sicut Nilus exundans opplet totam Ægyptum, eamque abluit & euerrit secum in mare, in quod defluit; ita Assyrij operient terram Israel, omnesque eius opes & incolas in cumulum colligent, eosque secum abducent in Assyriam. *Vers. 8.*

Vidi Dominum stantem super altare, & dixit (angelo) *Percute cardinem, & commoueantur superliminaria.* Iubet hic Deus angelo, vt conuulso cardine euertat templum, ob auaritiam & scelera populi. *Cap. 9. 1.*

In die illa suscitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, &c. *Vt possideant reliquias Idumææ, & omnes nationes,* &c. *& stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt.* q. d. Regnum Dauidis collapsum restaurabo per Christum, faciamque vt ipse per fidem possideat Idumæam omnesque gentes, tanta donorum spiritualium vbertate & felicitate, vt montes & colles vina & mella fundere videantur. patet Actor. 15. 16. *Vers. 11.*

Ex Abdia.

Erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula. q. d Iudæi & Israelitæ subigent sibi Idumæos, sicut ignis subigit sibi stipulam. Vnde explicans subdit: *Et succendentur in eis, & deuorabunt eos.* *Vers. 18.*

Ex Iona.

Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus, Matth. 12 40. Post triduum piscis *euomuit Ionam in aridam*, vers. 11. Sic Christus post triduum ex inferis rediuiuus & gloriosus resurrexit. *Cap. 2. 1.*

Et præparauit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius. Et lætatus est Ionas. Et præparauit Deus vermem, & percussit *Cap. 4 6.*

cussit hederam, & exaruit, &c. *Et percussit sol super caput Ionæ,* &c. Tropol. docet Deus omnes res & spes humanas esse vmbram hederæ, quam subitò vermis aduersitatis erodit, tumque homines in ea recumbentes ferit sol angoris & tribulationis. Qui ergo sapit, non in creatura aliqua, sed in creatore spes resque suas deponat. Ille iuge præbebit vmbraculum, ille iugis certusque erit protector.

Ex Michæa.

Cap. 4. 1. *ET erit in nouissimo dierum, mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi, & properabunt gentes multæ, & dicent: Venite ascendamus ad montẽ Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos de vijs suis, & ibimus in semitis eius: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Est hieroglyphicum Ecclesiæ quam Christus inchoauit in Sion. Hæc est enim ciuitas in monte posita, quam eminus intuentur omnes gentes, & ad eam confluunt, vt discant legem Dei & Christi, ac iuxta eam vitam Christianam & sanctam ineant in pace, concordia & gaudio Spiritus sancti. Vnde subdit: *Et concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens aduersus gentem gladium, & non discent vltrà belligerare. Et sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & nõ erit qui deterreat,* &c. *& regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsque in æternum.*

Vers. 8. *Et tu turris gregis nebulosa* (hebr. *ophel*, quæ erat turris altissima iuxta templum, ideoque intuentibus apparebat caliginosa) *filiæ Sion, vsque ad te veniet: & veniet potestas prima, regnum filiæ Ierusalem.* q.d. Tu ô Sion quæ turribus Ophel, gregis, & alijs celsis & nebulosis excelsa es, nebulosa & munita, felix eris & beata. Nam ad te primò veniet Christus, ipse primò in te regnabit, prima eius potestas & imperium tibi ab eo communicabitur, nimirum priscum & auitum regnũ Dauidis, qui regnauit in Sion & Ierusalem, ipse quasi eius filius & heres suscipiet, & restaurabit, ac fortissimum efficiet, non corporale, sed spirituale; illudque tibi consignabit. Ecclesia enim quæ cœpit in Sion, quasi regina regis Christi, dominatur omnibus Christianis toto orbe dispersis. Vnde subdit vers. 13. *Surge & tritura* (hostes tuos infideles, cosque tibi subige) *filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos, & interficies* (hebr. חַחֲרַמְתִּי *hacharamti*, id est, quasi anathemata cõsecrabis) *Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino vniuersæ terræ.*

Cap. 5. 2. *Et tu Bethlehem* (sita in regione) *Ephratá* (id est, frugifera & fertili) *parvulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur* (Christus) *qui sit dominator in Israel: & egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Egressus Christi duplex, symbolum est duplicis natiuitatis Christi. Prior fuit in cælo æterna, in qua Christus genitus est à solo Patre, fuitque ἀμήτωρ. Posterior est temporalis, in qua Christus natus est in Bethlehem ex Virgine Deipara, fuitque ἀπάτωρ.

Ex Habacuc.

Cap. 3. 4. *CORNUA in manibus eius.* q.d. *Manus*, id est, potentia, operatio & vindicta Dei est cornuta, id est, valida, acris & penetrans. Mystice, cornua sunt anguli & claui in manibus Christi crucifixi. Nam *ibi abscondita est* (diuinitas &) *fortitudo eius.* Vnde quasi in triumphum, *ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius,* &c. *Incuruati sunt colles* (putà reges & principes) *mundi ab itineribus æternitatis eius.* In quemcumque enim locum pedem suum intulit Christi æternitas, & æterna maiestas circumiens orbem, & euangelizans per Apostolos, illum, eiusque principes, sibi suaque fidei & cultui subiugauit.

Ex Sophonia.

Cap. 3. 1. *VAE prouocatrix & redempta ciuitas columba.* Columba symbolum est stoliditatis: quia ablatis pullis è nido, ad illum tamen reuertitur. q.d. Væ Hierosolymæ, quæ stolida est & excors vt columba: nam cùm à me ex Ægypto & aliàs sæpè sit redempta & liberata, ipsa tamen mei obliuiscitur, ad idola pergit, itaque me ad iram prouocat.

Vers. 8. *In igne zeli mei deuorabitur omnis terra.* Hic ignis zeli apparuit in Pentecoste, quando Spiritus sanctus, in linguis igneis insedit Apostolis, per quos consumpsit & deuorauit omnem terram Gentilium & gentilismi. *Qua tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.* Labium electum est lingua fidelis & Christiana, qua omnes gentes ab Apostolis conuersæ inuocant nomen Domini, eique seruiunt humero vno, id est, vnanimiter, summa concordia & charitate. Vnde de ijs subdit:

Vers. 17. *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua,* id est, in tui amore silenter & gaudenter cõquiescet. *exultabit super te in laude,* laudando tuam fidem, constantiam, patientiam, martyrium, &c.

Vers. 18. *Nugas qui à lege recesserant congregabo.* Nugas vocat nugaces, leues & viles Iudæos, qui à lege recesserant, quos Christus in Sionem, id est in suam Ecclesiam, congregauit & adunauit.

Ex Aggæo.

Cap. 2. 8. *ADHUC vnum modicum, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam. Et mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria.* Desideratus est Messias, qui fuit gloria templi secundi, dum illud sua præsentia, doctrina & miraculis condecorauit. Commota sunt cælum & terra, dum prodigia stupenda ediderunt in eius natiuitate & morte, quibus quasi clamabant se stupere hanc creatoris sui exinanitionem & dignationem, ac homines ad similem stuporem, gratitudinem, amorem & laudem Dei prouocabant. Vnde explicans subdit: *Magna erit gloria domus istius nouissimæ,* id est templi Zorobabelis, *plus quam prima,* putà templi Salomonis.

Vers. 24. *In die illa dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel fili Salathiel serue meus, dicit Dominus, & ponã te quasi signaculum: quia te elegi.* Signaculum, id est, sigillum, vel annulus signatorius, quia hic omnia obsignat & custodit, ac literis & edictis regijs dat fidem: vnde regi est ad manum, eiusque digito inseritur: hinc symbolum est amoris, fidei, auctoritatis, honoris, excellentiæ, quæ

Cornel. in Proph. Min.

Deus contulit Zorobabeli, dum ex eius stirpe fecit nasci Christum quem statuit suum in orbe Legatum, Regem, Doctorem, Prophetam, Pontificem, Redemptorem, vt legem Euangelicam, salutem & reconciliationem à Deo decretam, omnibus sibi credentibus promulgaret, & reipsa conferret: *Hunc enim Pater signauit Deus*, Iohan. 6. 27.

Ex Zacharia.

Cap. 1. 8. *Ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrtetа quæ erant in profundo* (in valle, v.g. ad ripam Euphratis, cui adiacet Babylon:) *& post eum equi rufi, varii, & albi.* Hic vir fuit S. Michael custos Synagogæ: insidet equo rufo, quasi vindex, fusurus sanguinem hostium populi Dei: stat inter myrteta, id est, inter Prophetas pioſque Iudæos, qui in profundum captiuitatis & ærumnarum in Babylone fuerant demersi. Sequuntur eum equi & equites rufi, id est, angeli præsides gentium quæ persecutæ fuerant Iudæos: & albi, id est, angeli præsides gentium Iudæis beneuolarum: & varij, id est, angeli præsides gentium variantium affectum, vt nunc Iudæis essent amicæ, nunc inimicæ. Omnes hi perlustratis regionibus sibi commissis, dicunt gentes omnes in pace degere. Vnde orat Michael, vt eadem Iudæis detur: *Vsquequo*, inquit, *tu non miserebaris Ierusalem? iste iam septuagesimus annus est* desolationis vrbis & templi.

Vers. 19. *Ecce quatuor cornua*, &c. *Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros*, &c. *Hæc sunt cornua quæ ventilauerunt Iudam per singulos viros, & nemo eorum leuauit caput suum. Et venerunt isti deterrere ea, vt deiciant cornua gentium, quæ leuauerunt cornu super terram Iuda.* Quatuor cornua sunt quatuor gentes degentes ad quatuor mundi plagas, quæ vexarunt Iudæos, scilicet ab Oriente Ammonitæ, ab Occidente Philistini, à Meridie Idumæi, ab Aquilone Assyrij & Chaldæi. Porrò quatuor fabri, sunt quatuor angeli tutelares Iudææ, qui hasce gentes & timore perculerunt, & perculsas prostrauerunt.

Cap. 2. 5. *Ego ero ei* (Ierusalem, & magis Ecclesiæ) *ait Dominus, murus ignis in circuitu.* q. d. Instar muri ignei cingam & tuebor Ecclesiam, ne quis hostis eam inuadat: sicut Cherub flammeo gladio tuetur paradisum, Genes. 3. Vnde subdit: *Et in gloria ero in medio eius.* q. d. Intrinsecus ciuibus ero consolationi, & gloriæ: forinsecus verò hostibus, instar muri ignei ero terrori & vastitati.

Vers. 8. *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad gentes.* Est vox Christi, q. d. Olim ego Dei filius, gloriã meam ostẽdi in Ierusalem & Iudæis: nunc mittor à Patre in carnem, vt maiorẽ gloriã ostendam in Ecclesia & gentibus Christianis. *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.*

Cap. 3. 3. *Et Iesus pontifex filius Iosedec, erat indutus vestibus sordidis. Et stabat ante faciem angeli. Qui respondit, & ait ad eos qui stabant coram se* (angelos inferiores) *dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce ablati à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorio.* q. d. Ablati à te peccata tua, & restituo tibi pontificatum, ideoque pro vestibus sordidis reddo tibi stolam pontificiam, vt deinceps templum cultumque meum instaures, in eoque pontificatu fungaris. Allegoricè, Iesus filius Iosedec repræsentat Iesum Christum, ob peccata nostra sputis & plagis in passione sordidatum, sed die tertia resurgentem, & stola gloriæ circumdatum.

Vers. 8. *Audi Iesu sacerdos magne, tu, & amici tui qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt*, hebr. *viri portenti.* q. d. Tu ô Iesu, Zacharia, Aggæe, &c. estis Prophetæ, & tam verbis, quàm factis portenditis Christum, eiusque Ecclesiam. Vnde subdit: *Ecce enim ego adducam seruum meum Orientem*, hebr. צמח *tsemach*, id est, germen oriens ex Virgine & radice Iesse, putà Christum.

Vers. 9. *Quia ecce Lapis quem dedi coram Iesu: super Lapidem vnum septem oculi sunt. Ecce ego calabo sculpturã eius, ait Dominus.* Lapis hic angularis & fundamẽtalis templi, id est Ecclesiæ, est Christus. Septem eius oculi, sunt septem angeli primarij protectores Ecclesiæ: sculpturæ, sunt vulnera & stigmata Christo in passione incisa, per quæ abstulit iniquitatem terræ, vt sequitur:

Cap. 4. 2. *Vidi, & ecce candelabrum aureum totum: & lampas eius super caput ipsius: & septem lucernæ eius super illud: & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius. Et duæ oliuæ, super*, id est iuxta, *illud: vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.* Candelabrum repræsentat lucidissimam Dei prouidentiam, qua futurum erat, vt mox candelabrũ materiale, id est, templum à Iudæis reædificaretur. Lampas est ipsa diuinitas, & mens diuina omniscia. Septem lucernæ lucentes instar oculorum, sunt septem angeli primarij, administri & executores diuinæ prouidentiæ, præsertim in hac templi fabrica. Sic enim eas explicat angelus v. 10. dicens: *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.* Septem infusoria, id est, calami concaui instar canalium & fistularũ, per quos oleum è lampade deriuabatur & defluebat in septem lucernas, totidem calamis insistentes, significant varias diuinæ prouidentiæ rationes, modos & influxus, quas septem angelis administris suis communicat, vt eas exequantur. Duæ oliuæ, sunt Iesus pontifex & Zorobabel princeps, qui astant candelabro repræsentanti Deum Deique prouidentiam, vt eam exequantur, templumque reædificent, ac Ecclesiam, æquè ac rempubl. Iudæorum instaurent. Ita enim explicat angelus vers. vltimo dicens: *Isti sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ.*

Allegor. Candelabrum est Ecclesia: Lampas est Christus: Oleum est Christi sanguis, merita & gratia. Hæc enim Christus per septem Sacramẽta, quasi infusoria, influit in septem lucernas, id est, in omnes fideles & Ecclesias. Duæ oliuæ, sunt S. Petrus & Paulus, qui Christo assistunt quasi primipili in fundanda & exornanda Ecclesia. Item Elias & Henoch in fine mundi, qui Iudæos gentesque omnes ad Christum conuertent; itaque consummationem & culmen imponent Ecclesiæ, tam militanti, quàm triumphanti.

Vers. 7. *Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum.* q. d. Quis tu ô Sanaballat potens & superbe, vt resistas Zorobabeli in fabrica templi? complanare, deprime tuam potentiam & superbiam. Non enim valebis Zorobabelem Deo nixũ impedire, quo minùs templum consummet. Mysticè: Quis tu, ô Satan potens & superbe, vt Zorobabelis filio, id est, Christo & Christianis, resistas in erigenda & propaganda Ecclesia? complanare:

nare: illi enim te calcabunt, & te inuito Ecclesiæ A fabricam consummabunt.

Et educet lapidem primarium, qui in culmine emineat. q d. Zorobabel culmen templo imponet, illudque consummabit. *Et exæquabit gratiam gratiæ eius.* q.d. Faciet Zorobabel vt gratia consummationis templi, gratiæ inchoationis eiusdē commensuretur, & quasi ex æquo respondeat. Vnde explicans subdit: *Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam.*

Vers.10. *Quis enim despexit dies paruos? Dies paruos* vocat, quibus parua & exilia templi fundamenta iaciebantur à pauperibus Iudæis, ita vt non viderentur ad culmen posse deduci, multò minùs æquare magnificentiam prioris templi à Salomone ædificati.

Et lætabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. q.d. Videbunt mox Zorobabelem perpendiculo dimetientem & perficientem fabricam templi, tumque lætabuntur quasi in die magno & mirabili. Lapis enim stanneus est, qui funem perpendiculi distendit, vt recta & ad libellam fabrica mensurari & assurgere possit. B

Cap.5.1. *Ego video volumen volans: longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum.* Volumen hoc continebat furta, periuria & scelera impiorum, æquè ac pœnas cuique pro mensura scelerum debitas, & imminētes: hinc volat & quasi inuolat in fures, periuros, &c. præsertim qui opes à Dario aliisque datas pro fabrica templi, in suos vsus sacrilegè conuerrebant. Quocirca visum fuit egredi ex templo, vel circa illud volare: vnde & ei in mensura fuit par. Tabernaculum enim Mosis, quod erat instar templi, longum erat viginti cubitis, latum decem; tantumdem C longum & latum erat hoc volumen. Ita explicat Zacharias dum subdit: *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur; & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur.*

Vers.6. *Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in vniuersa terra. Et ecce talentum plumbi portabatur: & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ. Et dixit: Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earum, & habebant alas quasi milui; & leuauerunt amphoram inter terram & cælum. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quò istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & D ponatur ibi super basem suam.* Amphora est mensura peccatorum, qua impleta Deus ea castigat & vindicat. Oculus omnium impiorum in eam respicit: quia impij non nisi ad suas cupedias & scelera respiciunt, itaque eam sensim adimplent, qua impleta, talento plumbi ipsa obtegitur; quo significatur grauis Dei vltio & sententia, quæ impietatem amphoræ, id est, mensuræ pœnarum, culpis parium, adæquat & includit, vt eam euadere nequeat. Impietas est idololatria, aliaque crimina. Duæ mulieres sunt Nabuchodonosor & Nabuzardan, qui quasi milui alati celerrimè & rapacissimè impietatem cum amphora, putà impios Iudæos, qui iam mensuram scelerū suorum impleuerant, transtulerunt in Babylonem, vt ibi quasi in sua sede & regno commoretur

impietas, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam. Vide dicta Zachariæ 5.

Et quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium; & montes montes ærei. Quatuor quadrigæ sunt quatuor monarchiæ, quarum vna alteri continuè succedit: hæ prodierunt è duobus montibus, id est è celsitudine & arcana profunditate diuini consilij & prouidentiæ; cuius duæ sunt partes, quasi duo montes, scilicet sapientia & potentia, siue prædestinatio & executio: vtraque fortis & efficax instar æris, adeò vt nemo eis reluctari potuerit, aut possit. *Cap.6.1.*

In quadriga prima equi rufi, & in quadriga secūda equi nigri, & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij fortes. Equi rufi significant primam monarchiam Chaldæorum, qui rufa veste, id est purpurea & coccinea, amiciebamtur; quique erant rufi, id est, crudeles & sanguinarij, prælertim in Iudæos. Nigri significant secundam monarchiam Persarum: nigror repræsentat pauorem & horrorem, quem incusserūt Iudæis sub Cambyse, & sub Assuero marito Esther per dolos Aman. Albi significant Græcos, qui albati incedebant, ait Cyril. quique in Iudæos fuerūt clementes & beneuoli. Varij significant Romanos, quorum varium fuit regimen, nunc monarchicum, nunc aristocraticum, nunc democraticum. *Vers.1.*

Equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis q.d. Persæ aggressi sunt & vastarunt impiam Babylonem. Vnde de ijs subdit v.8. *Qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum* (Septuag. *furorem*) *meum in terra Aquilonis*, putà in Babylone, quæ Aquilonaris est Iudææ. *Vers.6.*

Et albi egressi sunt post eos. Quia Alexander & Græci successerunt Persis, eosque cum suo rege Dario profligarunt iuxta Babylonem. *Et varii egressi sunt ad terram Austri.* q d. Augustus & Romani inuaserunt Ægyptum, quæ Iudæa est ad Austrum, eamque deuicto apud Actium Antonio & Cleopatra (quæ vltima ex Græcis, putà Ptolemæis, fuit Ægypti regina) sibi subiugauit, eaque ratione, extinctis planè Græcis, eorum monarchiam ad se transtulit.

Sumes aurum & argentum, & facies coronas duas, vnam pontificiam, alteram ducalem; *& ponces in capite Iesu filii Iosedec, sacerdotis magni,* vt significes deinceps pontifices fore duces & principes Iudæorum: ac magis, vt allegoricè Iesus filius Iosedec, id est, iustitiæ Dei, repræsentet Iesum Christum fore summum orbis Pontificem, æquè ac regem. Vnde de eo subdit: *Ecce vir oriens* (Chald. *Messias*) *nomen eius. Et subter eum orietur* multitudo fidelium & sanctorum. *Et ædificabit templum*, id est, Ecclesiam tam militantem, quàm triumphantem, *Domino: & ipse portabit gloriam*, &c. gloriosè resurgens, & ascendens cum triumpho in cælum, ibique residens ad dexteram Patris, quasi Rex regum & Dominus dominantium. *Vers.11.*

Et habitabo in Ierusalem: & vocabitur Ierusalem ciuitas veritatis, & mons Domini exercituum, mons sanctificatus. Ierusalem typus est Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis; ac mons sanctitatis, tam doctrinæ, quàm vitæ diuinæ. Vnde subdit: *Cap.8.3.*

Ecce ego saluabo populum meum de terra Orientis, & de terra occasus solis. Hoc est quod Iudæis ait Christus de Gentibus: *Multi venient ab Oriente & Occi-* *Vers.7.*

Occidente, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno calorum. Matth.8.11. Vnde & subdit Zacharias v.23. *Apprehendent decẽ*, id est multi, *homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi* (id est, confitentis Deum, & credentis in Christum eumq; prædicantis, putà Apostoli, viriq́ue Apostolici) *dicentes: Ibimus vobiscum: audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est.* A

Verſ.19. *Ieiunium quarti* (mensis) *& ieiunium quinti, & ieiunium septimi, & ieiunium decimi, erit domui Iuda in gaudium & lætitiam, & in solemnitates præclaras.* Hæc fuerunt symbola ieiunij quatuor temporum, quod vsurpat Ecclesia, vti docet S.Leo. Vide dicta Zach.8.19.

Cap.11,12. *Et dixi ad eos: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; & si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteis. Et dixit Dominus ad me: Proice illud ad statuarium, decorum pretium quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos: & proieci illos in domo Domini, ad statuarium.* Zacharias hac actione sua symbolica, per visionem ipsi, vt videtur, in mente à Deo obiecta & efformata, repræsentauit venditionem Christi, qua Iudas eum vendidit triginta argenteis, quod proinde per ironiam vocat decorum, id est vile & infame, pretium. Vnde iussu Dei proiecit illud in templo, vt eo à statuario, id est à figulo, emeretur ager in sepulturam peregrinorum, Matth.27.3. B

Cap.13.1. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris & menstruatæ.* Fons hic est Christus in cruce lancea & clauis perforatus, ex quo scaturiuit Baptismus, Eucharistia, cæteraq́ue Sacramenta, ac omnis gratia: quibus abluitur peccator, & menstruata, id est, peccatrix. Peccatum enim est menstruum, id est sordes & virus, animæ. Vnde hunc fontem explicans subdit: C

Verſ.6. *Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuũ tuarum? Et dicet: His plagatus sum in domo eorum* (putà in Iudæa & Ierusalem) *qui diligebant me.* q.d. Has plagas mihi inflixerunt mei ciues & cognati, putà Iudæi, qui erant populus colens & diligens Deum, & consequenter me. Ego enim sum Deus, & Dei filius.

Verſ.7. *Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum.* Est vox Dei Patris, qua significat suo decreto occidendum esse Christum. q d. Iubeo tibi, ô framea, ô gladie (sub quo claues, lanceam, flagella, & omnia mortis instrumenta, per synecdochen intellige) vt ferias & occidas Christum, qui est vir cohærens mihi, & pastor quem dedi meis fidelibus, vt ipsi eius morte redimantur. *Percute* ergo *Pastorem, & dispergentur oues.* D

Cap.14.4. *Et stabunt pedes eius in die illa super montem Oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem: & scindetur mons Oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem præruptu grandi valdè, & separabitur medium ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem.* Symbolum est Christi ex monte Oliueti ascendentis in cælum, indeq́ue mittentis Apostolos in quatuor mundi plagas. Anagog. Christo ibidem confidente ad iudicium, findetur totus mons, vt impios, æquè ac Antichristum, absorbeat, mittatq́ue in tartara.

Verſ.7. *Et erit in die illa: non erit lux, sed frigus & gelu. Et erit dies vna quæ nota est Domino, non dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux.* Ad literam dies hic fuit tempus persecutionis Antiochi Epiphanis, qua Iudæis afflictis dies videbatur non esse dies, sed nox. Verùm vespere, id est in fine persecutionis, successit lux, id est, lætitia & cõsolatio per victorias Iudæ & Machabæorum. Anagog. dies iudicij, qui soli Deo est notus, ita erit horridus, vt sub illud tempus sol obscurandus sit, & stellæ de cælo casuræ: sed vespere, id est in fine eius, succedet Sanctis lux beatitudinis & gloriæ æternæ.

Verſ.8. *Et erit in die illa: exibunt aquæ viuæ de Ierusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earũ ad mare nouissimum: in æstate & hieme erunt.* Alludit ad fontes Gihon, qui ad Occidentem; & Cedron, alioſq́ue qui ad Orientem cingebant & decorabãt Ierusalem. Per hos intelligit Machabæos, qui suis prælijs & victorijs, quasi fontes aquas viuas consolationis, lætitiæ, & rerum abundantiæ attulerunt Iudæis. Parabolicè significantur Apostoli, qui è Ierusalem exeuntes in totum orbem emanarunt aquas gratiæ & doctrinæ Euangelicæ. Anagog. significantur gaudia Beatorum ex visione Dei, quasi ex fonte manantia. Vnde huc alludens S.Iohannes Apoc.22.1 in descriptione cæleſtis Ierusalem: *Et ostendit mihi*, inquit, *fluuium aquæ splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei, & agni*, &c.

Verſ.16. *Et omnes qui reliqui fuerint de vniuersis gentibus, quæ venerunt contra Ierusalem, ascendent ab anno in annum, vt adorent regem Dominum exercituum, & celebrent festiuitatem tabernaculorum.* Tenuiter id factum à Machabæos, qui Idumæos, Philistæos aliaſq́ue vicinas gentes coëgerunt ad suscipienda sacra Iudaica, eorumq́ue festa colenda. Plenè id factum ab Apostolis, qui omnes gentes conuerterũt & induxerũt ad celebranda festa Christiana, adumbrata per Iudaica; & præsertim vt mysticè agant festum tabernaculorum, nimirum vt quasi peregrini degant in hoc mundo, tamquam in tabernaculo; ac fide, spe & charitate iugiter contendant ad patriam cæleſtem.

Verſ.20. *In die illa erit quod super frenum equi est, sanctum Domino.* q.d. Machabæi phaleras equorũ, aliaſq́ue manubias hostium consecrabunt Deo, quasi victoriæ auctori. Idem facient de suis spolijs & opibus Principes, Reges & Imperatores conuersi ad Christum: quorum primus fuit Constantinus, qui proinde ad literam clauum sanctũ quo crucifixus est Christus, imposuit fræno equi sui, tum ad ostendendam suam fidem & pietatem in Christum, tum vt eius ope communitus in prælijs, victoria potiretur.

Et erunt lebetes in domo Domini, quasi phialæ coram altari. q.d. Ob victorias Machabæorum, multi cõfluent ad sacrificandum Deo: hinc plurimos adducent lebetes ad coquendas carnes victimarum, quos deinde relinquẽt templo, Deoq́ue consecrabunt: ita fiet, vt tot sint lebetes sanctificati, quot phialæ; ac lebetes in nitorẽ & sanctitatem phialarum quasi transeant. Mysticè lebetes sunt corda fidelium, in quibus igne charitatis excoquitur quidquid carnale est, vt fiant sancta instar thymiamatis quod est in phialis, iugiter exhalantia incensum orationis & laudis Deo. Hinc de S.Magdalena canit Ecclesia:

Fit ex lebete phiala,
In vas translata gloriæ,
Ex vase contumeliæ.

q.d.

q.d. Priùs erat lebes concupiscentiæ, deinde facta est phiala continentiæ & pœnitentiæ.

Ex Malachia.

Cap.1.11. *A ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* hebr. מִנְחָה *mincha*, id est, sacrificium farreum, putà farinæ & panis, Leuitici 2. quod erat typus Eucharistiæ, quæ hîc ad literam significatur, & prædicitur in lege noua fore non tantùm Sacramentum, sed & sacrificium.

Cap 3.1. *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viã ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis.* Duos hîc angelos prænunciat Malachias, vnum communem & priorẽ, qui sit præcursor posterioris. Hic est S. Iohannes Baptista, qui fuit angelus, id est legatus, Christi; idque ante faciem eius, id est, coram eo: quia Christum præsentem populo ostẽdit, & digito demonstrauit. Alterum angelum testamenti, putà Christũ, qui fuit angelus, id est legatus, Patris ad sanciendum nouum testamentum, id est, fœdus inter Deum & homines. Hic post Iohannem concionantem & præsertim incarceratum, venit ad templum, ibique prædicauit & miracula patrauit, quibus comprobàuit se esse angelum testamenti, putà Messiam. Vnde de eo sequitur: *Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius. Et quis stabit ad videndũ eum?* q.d. Ecce ego Malachias eminus in spiritu eũ aduentantem conspicio. Et quis comprehẽdat, imò quis appendat, ponderet & penetret pro dignitate, vti meretur, eius in carnem aduenientis dignationem, charitatem, potentiam, sapiẽtiam, maiestatem, gloriam? Quis verò coram tanta maiestate consistere queat? quis tantam lucem irretortis oculis intueri valeat? Quis hominum impurorum coram tanta puritate, imò igne conflante & purificante, illæsus consistat?

A *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum.* Vers. 2. q.d. Christus instar ignis conflabit, & instar herbæ saponariæ, qua fullones expurgant pannos, emundabit ab omni peccato & immunditie suos fideles, præsertim sacerdotes.

Et sedebit conflans, & emundans argentum. Et purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & erunt Domino sacrificia offerentes in iustitia. Vers. 3. q.d. Christus quasi aurifex, igne diuino excoquet suos sacerdotes, vt niteant instar argenti, & splendeant instar auri, itaque iusta & sancta Deo offerant sacrificia. Aaronici enim sacerdotes fuerunt terreni, Christiani verò sunt argentei & aurei.

Ecce dies veniet succensa quasi caminus: & erunt Cap. 4.1.
B *omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen.* Dies hæc est dies iudicij, *succensa* igne, tum conflagrationis mundi, tum gehennæ, tum acris examinis & iudicij diuini, in qua impij cum omni sua gloria, opibus, delicijs & pompis funditus exscindentur, & comburentur vt stipula, cuius nulla radix supereſt, aut germen; ita tamen vt illæsi ipsi semper perdurent in igne, ad pœnam continuam & æternam.

Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam, antequam Vers. 5.
veniat dies Domini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorũ ad patres eorum, ne
C *fortè veniam & percutiam terram anathemate.* Hinc patet Eliam Thesbitem, vt habent Septuag. cum Henoch venturum ante diem iudicij, vt Iudæos conuertat. Elias ergo cor, id est, mentem, fidem & deuotionem patrum erga Christum venturum reducet, imprimetque filijs, vt cor, id est, mens, fides & deuotio filiorum erga Christum iam præsentem, imitetur & sequatur cor, id est mentem, fidem & spem patrum; ne veniens Christus ad iudicium incolas terræ terrenis bonis affixos perdat anathemate, id est, pleno excidio & exterminio; sed credentes in se saluet beetque.

ÆNIGMATA.

Ex Osee.

Cap.1.10. *Et erit in loco vbi dicetur* (dicebatur) *eis: Non populus meus vos, dicetur eis, Filij Dei viuentis. Et congratulabuntur filij Iuda & filij Israel pariter, & ponent sibi caput vnum, & ascendent de terra.* Est ænigma vocationis Iudæorum, & Gentium ad fidem & salutem per Christum. Hi enim antea non erant populus Dei, sed per fidem in Christum facti sunt populus Dei, & filij Dei, verique Iudæi & Israelitæ, cùm scilicet vnum caput sibi posuerunt Christum, & cum eo ascendere cœperunt mente & conuersatione sancta de terra in cælum.

Vers.7. *Quia magnus dies Iezrahel.* q.d. Celeberrimus & felicissimus erit dies ille, quo Iezrahel, id est, semen & filij Dei antea dispersi, per Christum vnigenitum Dei filium congregabuntur in vnam Ecclesiam, nunc militantem, postea triumphaturam in cælis.

Cornel. in Proph. Min.

D *Dabo vallem Achor* (id est turbationis) *ad aperiendam spem.* Cap.2.15. q.d. Turbatio & desperatio erit occasio, & initium spei: vbi omnia videbuntur perdita & desperata, ibi affulgebit spes salutis. Deus enim in arctis extremisque difficultatibus maximè adesse solet, suisque aperire viam ad euadendum.

Exaudiam cælos, & illi exaudient terram. Et terra Vers.21.
exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudient Iezrahel. q.d. Dabo cælis pluuiam, quam tacitè poscunt, vt eam communicent terræ, quæ per eam fœcundata dabit triticum, vinum & oleum, quo alatur Iezrahel, id est, populus Dei: Iezrahel enim poscit triticum &c. triticum poscit terram fœcundam, terra fœcunda poscit pluuiam è cælo. Horum omnium votis satisfaecit Deus, dum facit vt cælum impluat terræ, ex eaque producat fruges, ad alendum Iezrahel.

Laqueus factus eius speculationi, & rete expansum Cap.5.1.
super Thabor. *Speculationem* vocat populum speculandum,

landum, ſiue ſpeculationi & cuſtodiæ ſacerdotũ & procerum commiſſum. q.d. Veſtrum erat ſpeculari, præmonere, itaque auertere pericula à populo: at vos pro ſpecula eidem facti eſtis laqueus; quia verbo & exemplo eum idolis implicaſtis & illaqueaſtis itaque in ruinam & exitium egiſtis: perinde ac venatores reti capiunt & illaqueant feras & aues in monte Thabor.

Verſ.7. *Deuorabit eos menſis*; Aquila, *neomenia*, id eſt, noua luna, putà nouus rex, nouum imperium, quæ ſub luna, cum luna, & inſtar lunæ mutantur & innouantur.

Cap.6.3. *Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos.* Ad literam primus dies, eſt captiuitatis Aſſyriacæ: ſecundus, Babylonicæ: tertius, redemptionis & libertatis per Cyrum, & multò magis per Chriſtum. Allegoricè primus dies fuit paſſionis Chriſti, ſecundus ſepulturæ, tertius reſurrectionis, quo ſeipſum, noſque in ſeipſo à B morte ad vitam Chriſtus ſuſcitauit. Tropolog. q.d. Citò Deus pœnitentem ſua gratia viuificat; & patientem in tribulatione citò conſolatur & liberat.

Verſ.5. *Propter hoc dolaui in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei.* q.d. Iudæi erant duri vt marmora: conatus ergo ſum eos dolare & ſcalpere per Prophetas, aſſiduè eos tundens & pulſans, nunc minando, nunc blandiendo, adeò vt Prophetas tot oraculis, verbis & concionibus fatigarim, & quaſi enecarim; ſed fruſtra: ſcalpra enim mea hebetaui, & Prophetas meos tantùm non occidi; at ipſi marmora manent, ſculpi ſcalpique nollunt.

Cap.7.8. *Ephraim factus eſt ſubcinericius panis qui non reuerſatur.* qui non inuertitur, ideoque ab igne aduritur q.d. Iſrael quaſi panis ſubcinericius, manet in ſuo cinere & ſordibus idololatriæ, nec ſe ab ijs auertit, vt per pœnitentiã redeat ad Deum: quocirca igne Aſſyriaco ſenſim comburetur & conſumetur. Vnde ſubdit: *Comederunt alieni robur eius*, putà fruges & opes eius diripuerunt & deuorarunt Aſſyrij: *& ipſe neſciuit*, ipſe non aduertit ſe conſumi, & rendere in ruinam.

Cap.8.7. *Ventum ſeminabunt, & turbinem metent.* q.d. Sicut qui ſerit ventum, metit turbinem, quem cauſat ventus in terram iactus & concluſus: ita qui ſeminant idololatriam, ſuperbiam, aliaque ſcelera, metent turbinem calamitatum & ærumnarũ, quarum cauſa eſt idololatria, ſuperbia, &c. Vnde affini adagio idem explicans ſubdit:

Culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam. q.d. Sicut ex vento ſeminato naſci nequit culmus conſiſtens, germenque creſcens in granum quod faciat farinam: ita & ex idololatria & ſuperbia naſci nequit aliquid boni, quod operantem paſcat & reficiat; ſed potiùs omne malum, quod eum cruciet, affligat, & mille moleſtijs curiſque exagitet. D

Verſ.8. *Iſrael factus eſt quaſi vas immundum*, putà matula, in quam Aſſyrij, aliæque gentes ſuas ſordes conijciant. ita S. Hieron.

Verſ.9. *Iſrael eſt onager ſolitarius ſibi*, q.d. Iſrael iugum Dei & legis excuſſit: vult eſſe liber, ſibique, vt lubet, viuere, inſtar aſini feri & ſylueſtris.

Cap 9.8. *Speculator Ephraim cum Deo meo: Propheta laqueus ruinæ factus eſt.* q.d. Propheta qui debebat eſſe ſpeculator populi, verſarique cum Deo, & ex eius ore loqui, hic factus eſt populo laqueus A ruinæ: quia ſuis falſis oraculis & doctrinis populum induxit in exitium & ruinam.

Verſ.14. *Da eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia.* q.d. Inflige Iſraelitis pœnam raram & acrem, ſcilicet ſterilitatem & orbitatem, vt vel filios non concipiant, vel ſi conceperint, lactare & educare nequeant; idque quia in filijs ſuperbierunt, ijſque ſacrilegè abuſi ſunt, immolando eos Moloch.

Ex Ioële.

Cap.2.20. *Eum qui ab Aquilone eſt procul faciam à vobis.* Scilicet Nabuchodonoſorem & Holofernem, qui ex Aquilonari plaga, putà Chaldæa & Aſſyria, veniunt, auertam ab Iſraele. Myſticè, diabolum auertam à fidelibus. Ipſe enim eſt frigidus Aquilo, qui ſuo frigore omnia bona deſiccat, acediam & torporem piorum operum inducit.

Ex Amos.

Cap.1.3. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non conuertam eum: eò quòd triturauerint in plauſtris ferreis Galaad.* q.d. Ob tria, id eſt multa, ſcelera Damaſci, ſed maximè ob quartum, quia ſcilicet crudeliter ſæuijt in Iſraelitas, putà Galaaditas, triturando eos quaſi triticum, non parcam ei; ſed pariter in eum ſæuiam, & acriter eum puniam.

Cap.6.13. *Numquid currere queunt in petris equi, aut arari poteſt in bubalis? quoniam conuertiſtis in amaritudinem iudicium, & fructum iuſtitiæ in abſynthium.* q.d. Equi & bubali ſequuntur naturæ ductum: vnde nil faciunt naturæ repugnans, v.g vt equi currãt C in petris, vt bubali indomiti iugo domentur, & arent. At vos, ô Iſraelitæ, naturas rerum inuertitis; quia facitis naturæ repugnantia: nam iuſtitiam in iniuſtitiam, virtutem in vitium, dulcedinem in amaritudinem conuertitis.

Cap.9.6. *Qui ædificat in cælo aſcenſionem ſuam*, id eſt, thronum, ad quem ſancti è terra aſcendunt; *& faſciculum ſuum ſuper terram. Faſciculum* vocat colligationem trium elementorum, aëris, aquæ & terræ. Myſticè, faſciculus Dei eſt Eccleſia, fide, lege & charitate Dei conſtricta & colligata: Eccleſia, inquam, tum mixta & militans, tum electa & triumphans.

Ex Michæa.

Cap.1.7. *Quia de mercedibus meretricis congregata ſunt, & vſque ad mercedem meretricis reuertentur.* q.d. Quia Samaria ſuas opes collegit ex idololatria (hæc enim eſt meretricatus ſpiritalis) hinc eædem ad idololatras, putà ad Aſſyrios raptores deuoluentur.

Verſ.15. *Adhuc heredem adducam tibi quæ habitas in Mareſa.* Eſt ſarcaſmus: *heredem* enim vocat Aſſyrios, qui vaſtabunt & hereditabunt Mareſa, cæteraſque vrbes Iudææ. Vnde ſubdit: *Vſque ad Odollam veniet gloria Iſrael.* q.d. Gloria Iſrael propulſa quaſi ab Aſſyrijs, qui eius vrbes capient, fugiet vſque ad Odollam, quæ eſt in finibus Iudææ, ibique cadet & extinguetur, cùm Odollam capiet Aſſyrius. Ergo tu, ô Samaria, æquè ac tu, ô Iudæa, *decaluare & tondere* (in ſignum extremi luctus) *ſuper filios deliciarum tuarum* (Septuag. *ſuper filios tuos delicatos*) *dilata caluitium tuum ſicut aquila,*

aquila, quæ seneſcens toto corpore deplumatur & decaluatur: *quoniam captiui ducti sunt ex te.*

vers.6.10. *Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena.* q.d. Adhuc ignis cupiditatis, toties à nobis Prophetis repressus & restinctus, quasi sopitus reuiuiscit, inardescit & increscit, nimirum thesauri qui ex iniquitate comparantur, & vsus mensurarum quæ iusto sunt minores, sed ira Dei plenæ: quia quod eis deest in pondere, hoc Deus supplebit & implebit sua vindicta, onereque supplicij.

Ex Nahum.

Cap.1.10. *Quia sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic cõuiuium* (id est, cœtus conuiuarum, siue conuiuæ) *eorum pariter potantium, consumentur quasi stipula ariditate plena.* q.d. Conuiuantes & compotantes Assyrij, qui in sympoſijs instar coronæ spinis contextæ & implexæ, sibi inuicem in orbem sociantur, dum mẽsas & vina coronant: hi, inquam, ab angelo, & à Medis, quasi stipula aridissima comburentur & consumentur.

Cap.3.16. *Plures fecisti negotiationes tuas, quàm stellæ sint cæli: bruchus expansus est & auolauit.* q.d. Sicut bruchus sole calente alas expandit & auolat; ita merces & opes tuæ, ô Niniue, quæ numero certant cum stellis, persequente te Chaldæo, à te ad eum auolabunt.

Vers.17. *Custodes tui quasi locustæ, & paruuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigoris: sol ortus est, & auolauerunt.* q.d. Sicut locustæ tam magnæ, quàm paruæ, nocturno frigore torpentes, solis radijs excitatæ, & calefactæ auolant, ita tui duces & milites, ô Niniue, qui te custodiebant, veniente Chaldæo aufugient.

Ex Sophonia.

Cap.1.7. *Præparauit Dominus hostiam, sanctificauit vocatos suos.* Hostia pro peccato immolanda diuinæ vindictæ est impia Ierusalem. Sacerdotes eam immolaturi, sunt Chaldæi, quos Deus ad hoc vocauit, & *sanctificauit*, id est, auctorauit, designauit, & quasi consecrauit ministros & executores suę iustitiæ & sententiæ.

Vers.12. *Scrutabor Ierusalem in lucernis.* q.d. Scrutabor Iudæos in speluncis se abdentes, per Chaldæos, qui eos vbique inuestigabunt, vt occidant, vel capiant. Vnde subdit: *Et visitabo* (puniendo) *super viros defixos in faecibus suis*, putà in peccatis suis. q.d. Sicut vinum iugiter residens in fæcibus suis, fit olidum, vapidum & insipidum; ideoque ab cœnopola ab ijs depromitur, & in aliud vas transfertur: ita Iudæi in Iudæa degentes in otio, & rerum abundantia, lasciuiunt & luxuriãt, putent & fœtent; quocirca eos inde transferam in Babylonem.

Vers.15. *Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tènebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris.* Dies hæc ad literam, est dies excidij Ierusalẽ per Chaldæos. Allegor. est dies mortis, & dies iudicij. Vnde de ea subdit: *In igne zeli eius deuorabitur omnis terra; quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.* Deus enim iudex & vindex, quasi zelotes impulsus zelo iustitiæ, honoris & amoris sui, ad vindicandum iniurias sibi irrogatas, acriter puniet Iudæos, & fideles, qui quasi sponsæ ab eo adamatæ, eo spreto, cum creaturis adulteratæ sunt.

Ex Zacharia.

Cap.10.4. *Ex ipso* (Iudâ) *angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælij, ex ipso egredietur omnis exactor simul.* Hæc sunt quatuor ænigmata principis, putà Machabæorum, & mysticè Apostolorum. Princeps enim Primò, est angulus reipubl. vtpote qui omnia eius latera stringit, continet & roborat. Secundò, est quasi paxillus, quia ex ipso omnium subditorũ fortunæ, res & spes pendent, quasi ex paxillo. Tertiò, est quasi arcus, hostes Reip sternens & profligans. Quartò, est exactor, id est victor qui victis leges, iura & tributa imponit.

Cap.11.1. *Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.* q.d. Aperi ô Ierusalem, portas tuas Tito & Romanis, qui domos tuas cedrinas comburent. Libanus enim est ænigma Ierusalem & templi, tum quia ex cedris piniſque Libani erant constructa: tum quia vt Libanus arboribus, ita Ierusalem populis abundabat.

Vers.2. *Vlula abies, quia cecidit cedrus.* Vlulate plebeij, quia ceciderunt magnates, qui vos protegebant: illis ergo cadentibus, cadetis & vos. Vnde explicans subdit: *Quoniam magnifici vastati sunt.*

Vers.7. *Et assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui Decorẽ, & alteram vocaui, Funiculum: & paui gregem.* Duæ virgæ pastorales, siue duplex pedum significat duplex regimen Dei. Primò enim rexit Iudæos amore, sceptro quasi decoris, per promissa & beneficia, deditque principes & pontifices beneuolos & beneficos; quales fuerunt ante Zachariam Moses, Iosue, Dauid, &c. post eum Machabæi, & maximè Christus. Verùm, quia Iudæi his recalcitrarũt, hinc fracto sceptro decoris, assumpsit sceptrum funiculi, quo cœpit eos regere terroribus, minis, vinculis & flagellis, præsertim post Christum, ac tandem planè eos abiecit, tradiditque vastandos Tito & Romanis, vti in sequentibus docet Zacharias.

Vers.15. *Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti,* id est improbi; qui gregem negligit, imò expilat, vt se vnum pascat & ditet. Huius vasa, id est instrumenta sunt machæra, vel culter ad iugulandum oues; baculus ad confringendum earum crura; laqueus ad eas strangulandum; cithara, quam neglectis ouibus pulset, vt se oblectet. Vnde subdit:

Vers.17. *O pastor & idolum, derelinquens gregem,* q.d. Tu, ô stulte & improbe pastor, non es pastor, sed vmbra & idolum pastoris. Habes nomen & pedum, sed curam & vigilantiam pastoris non habes. Tales fuere Iason & Menelaus tempore Machabæorum, atque Annas, Caiphas & Scribæ tempore Christi. Talis erit Antichristus in fine mundi, qui volet adorari vt idolum & numen.

Cap.12.2. *Ecce ponam Ierusalem in superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu.* Alludit ad profanationem templi factam sub Antiocho, adeò vt in eo comessationibus & scortationibus vacarent, vt patet 2. Machab. 6. Quocirca templum iam non erat templum, sed popina, ganea & domus crapulæ, ita vt in eius superliminari tituli loco scyphus, quasi insigne compotationis & crapulæ, exponi potuerit, & fortè reipsa expositus sit.

q.d.Græci,& nonnulli Iudæi ex domo Dei fecerunt domum crapulæ:ego faciam, vt quaſi ebrij in illam impingant, vtque à Machabæis cædantur, & iam non vino, ſed ſanguine ſuo inebrientur: propinabo eis calicẽ tremoris,ſtuporis & ſoporis(hæc enim omnia ſignificat Hebr. לענ *laal*) vt eo conſopiti æternum ſomnum dormiant.

Verſ.3. *Ponam Ieruſalem lapidem oneris cunctis populis:omnes qui leuabunt eum,conciſione lacerabuntur.* Alludit ad palæſtram Gentilium, quam impius Iaſon in Ieruſalem induxit,in qua certabant diſco, id eſt,maſſa plumbea,vel ſaxea, quis ſcilicet eam altiùs eleuare, vel longiùs proijcere poſſet, qua ſæpè lacerabantur manus leuantium,imò ipſi leuantes ſubinde opprimebantur. q. d. Certant Græci,vt Iudæos, quaſi diſcum & lapidem oneris è Iudæa in Græciam proijciant; ſed ego faciam, vt ab eodem per Machabæos lanientur & opprimantur.

Ex Malachia.

Cap.4.3. *Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius: & egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento.* Alludit ad ænigma phœnicis:huius enim ſunt pennæ. Phœnix enim eſt auis ſolaris,quia ſymbolum eſt ſolis.q.d.Chriſtus ex morte rediuiuus orietur vobis, ô iuſti, quaſi phœnix, id eſt, quaſi ſol iuſtitiæ poſt occaſum exoriens,qui ſuis radijs,quaſi pennis expanſis, vobis irradians, à morte vos reſuſcitabit, ac gloria beatitudinis & dote agilitatis donabit, vt vegeti,læti & felices exiliatis,ſicut exiliunt vituli bene paſti & ſaginati.

ADAGIA.

Ex Oſee.

Cap.2.6. *Sepiam viam tuam ſpinis.* Hoc eſt,impediam ne curras ad tuos amaſios,putà ad idola.

Verſ.9. *Liberabo lanam meam & linum meum.* Auferam à te veſtes laneas & lineas, quibus abuteris ad cultum idolorum. Significat creaturas inuitè ſeruire impietati ideoque ab impijs quaſi captiuari: quia creatæ ſunt & deſtinatæ ad hunc finem, vt ſeruiant pijs in cultu Dei. Ab hac captiuitate liberat eas Deus,dum illas impijs adimit,& tranſfert ad pios vel homines,vel vſus.

Verſ.13. *Viſitabo ſuper eam dies Baalim.* Puniam eum ob cultum Baal.

Verſ.14. *Lactabo eam, & ducam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Seducam eam ab amaſiis,& ſolus cum ſola agam eique abblandiar.

Verſ.19. *Sponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia & miſerationibus.* Aſſumam te mihi in ſponſam cum ſumma miſericordia,æquè ac iuſtitia,qua te tuebor,& hoſtes tuos proſternam.

Cap.3.1. *Diligunt vinacia vuarum.* Peccator relicta vua pingui & plena,id eſt vero ſummoque bono,diligit vinacia,id eſt, folliculos vuæ paſſæ, putà picta & ficta bona, falſas delicias, falſos honores, falſas opes,falſa gaudia.

Cap.4.2. *Sanguis ſanguinem tetigit.* Cædes cædibus adduntur peccata peccatis cumulantur.

Verſ.11. *Fornicatio & vinum, & ebrietas auferunt cor*, id eſt,rationem,iudicium,mentem,ſpiritum,hominemque dementant & infatuant.

Verſ.15. *Si fornicaris tu Iſrael,non delinquat ſaltem Iuda*, habens Dei templum, Deoque quaſi dedicatus & intimus. *Quoniã ſicut vacca laſciuiens declinauit Iſrael* Iſrael vt vacca laſciuiat, Iuda in Dei lege conſiſtat vt leo.

Cap.5.3. *Ego ſcio Ephraim, & Iſrael non eſt abſconditus à me.* q.d.Ego ſum cardiognoſtes, ideoque video intimas Iſraelitarum cogitationes, deſideria, & propenſiones in fornicationem & idololatriam. Vnde ſequitur: *Quia nunc fornicatus eſt Ephraim, contaminatus eſt Iſrael: quia ſpiritus fornicationum in medio eorum.*

Verſ.5. *Reſpondebit arrogantia Iſrael in facie eius.* q.d. Arrogans faſtus Iſraelis,Deique contemptus publica clade ſternetur,& punietur;hæcq;humiliatio & pœna oſtendet eius ſcelera;eique interroganti, Cur adeò punior? in faciem non voce, ſed facto & reipſa reſpondebit: Quia tam arrogans fuiſti.q.d.Pœna reſpondebit culpæ; pœna culpã prodet,totiq;orbi demonſtrabit. Vnde ſequitur: *Et Iſrael,& Ephraim ruent in iniquitate ſua.*

Verſ.11. *Ego quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo* (hebr. teredo) *domui Iuda.* q.d.Vt tinea molli lentoque, ſed certo morſu corrodit veſtem, ac teredo lignum:ita ego corrodam & conſumam Iſraelitas & Iudæos.

Verſ.14. *Ego quaſi leæna Ephraim, & quaſi catulus leonis domui Iuda.* q.d. Laniabo Iſraelitas quaſi leæna,& Iudæos quaſi leunculus.

Cap.6.6. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium: & ſcientiam Dei pluſquam holocauſta.* q.d.Requiro internam pietatem, non externam; actus,non ceremonias;victimas mentis,non carnis;cordis, non oris.

Cap.7.4. *Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente.* Sicut adulterandi libido adulterando increſcit, magiſque accenditur; ita libido colendi idola in Iſraelitis, ipſa eorum cultura magis increuit, & incenſa eſt inſtar fornacis, quam ſuccendit piſtor; ita vt viderentur in idola furere & inſanire.

Verſ.11. *Factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta,non habens cor.* Sicut columba ſtolida ſinit ſibi pullos auferri, & ad eumdem nidum redit: rurſum, ob eſcam in retia ſe dat, ſinitque ſe capi: ita Iſraelitæ ſtolidi implorant opem deorum & Aſſyriorum, à quibus vident ſe ſenſim ſpoliari,& vaſtari,agique in exitium.

Verſ.16. *Facti ſunt quaſi arcus doloſus.* Videbantur Iehu & Iſraelitæ, euerſo Baal, ſtudia ſua directuri ad ſtabiliendum Dei cultum;ſed ecce reſilierunt ad colendos vitulos Ieroboam.

Cap.8.4. *Ipſi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* q.d. Reges Iſrael fecerunt ſchiſma à domo Dauid, & regnarunt in Iſrael non me auctore, ſed populo tumultuante, & deficiente à Roboam. Ego enim vnum inſtitui regnum,putà Iuda, non Iſrael: ego ſum auctor

vnius

vnius Synagogæ & regni,non duplicis:odi enim diuiſionem & ſchiſma , præſertim tendens ad idololatriam.

Cap.9.4. *Sacrificia eorum quaſi panis lugentium.* q.d.Iſraelitæ idololatræ,& mœrentes in captiuitate offerunt & comedunt victimas immundas & illegitimas, æquè ac lugubres & funeſtas, quale eſt epulum funebre.

Verſ.10. *Facti ſunt abominabiles ſicut ea* (idola , & meretrices Beelphegor , id eſt Priapi obſcœniſſimi) *quæ dilexerunt.*

Cap 10.12. *Seminate vobis in iuſtitia* (hebr.*iuſtitiam*. id eſt, opera pia,iuſta& ſancta) *& metite* (id eſt, certò meteris) *in ore miſericordiæ*.heb.*iuxta os miſericordiæ*, ſcilicet Dei. Os ſymbolum eſt capacitatis & amplitudinis. q.d.Ampliſſimam à Deo recipietis mercedem , gratiam & miſericordiam, tantam ſcilicet,quanta decet os,id eſt,amplitudinem miſericordiæ Dei.

Innouate ergo vobis nouale. q.d.Cor veſtrum,euulſis vitiorum ſpinis & lolijs, quaſi nouale,id eſt nouum agrum,Deo præparate, vt in eo ipſe ſerat copioſa ſuæ gratiæ & miſericordiæ ſemina.

Verſ.13. *Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis.* q.d. Hactenus araſtis, & ſeminaſtis impietatis ſemina & opera,ideoq; pœnas iniquitati debitas meſſuiſtis : *accomediſtis frugem mendacij.* q.d.Paucas tenueſque comediſtis fruges , ideoque mendaces & fallaces: quia ſpem magnæ ſegetis , quam dabant in germine,in meſſe non præſtiterunt.

Verſ.11.9. *Deus ego, & non homo.* q.d. Homo regitur ira, ego iram moderor & rego : homo offenſus ſpirat vindictam, ego miſericordiam: hominis cogitationes ſunt naturales , terrenæ & depreſſæ; meæ ſunt ſupernaturales , cæleſtes, & tranſcendentes omnem angelorum intellectum : homo eſt inconſtans,& mutabilis, ego conſtans & immutabilis.

Verſ.12. *Circumdedit me in negatione Ephraim: Iudas autem teſtis deſcendit cum Deo , & cum ſanctis fidelis.* q.d.Cùm Ephraim, id eſt decem tribus, abnegauit Dei cultum; & coluit vitulos aureos, tunc Iudas,id eſt duæ tribus,Deo fideliter, cum ſanctis ſacerdotibus alijſque fidelibus adhæſit , ac quaſi deſcendit cum Deo : Deus enim parte ſui regni & Eccleſiæ ab Ephraim quaſi ſpoliatus, deſcendere & deprimi videbatur : illi tamen in hoc deſcenſu & contumelia , fidelis comes & aſſecla fuit Iudas. Iudas ergo fidem & amicitiam ſuam ſtabilem Deo in hac perſecutione , & tribulatione probauit. Vulgò enim fieri ſolet illud Poëtæ:

Cùm fueris felix,multos numerabis amicos;
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Cap.12.1. *Ephraim paſcit ventum,& ſequitur æſtum.* q.d.Iſrael facit rem futilem , perinde ac ſi quis ventos vellet paſcere & regere, quaſi oues; imò rem noxiam , perinde ac ſi quis perſequeretur æſtum: eum enim non comprehendet,nec lædet,ſed potiùs ab eo lædetur & vretur.Colit enim idola vana & noxia, in ijſque ſpes ſuas reponit ; ob quæ vaſtabitur & comburetur.

Verſ.7. *Chanaan in manu eius ſtatera doloſa.* q.d Iſrael iam non eſt Iſrael, ſed Chanaan, id eſt, mercator fraudulentus: in manu enim eius eſt ſtatera doloſa; quia per iniqua pondera & menſuras decipit ementes & vendentes , ac iniqua lucra aucupatur.

Si in Galaad idolum, ergo fruſtra erant in Galgal bobus immolantes. q.d. Si Galaaditæ, id eſt Iſraelitæ,experti ſunt ſuos deos eſſe *idolum*, id eſt rem vanam & noxiam, ideoq; ſe cum ijs exciſos eſſe, & in vanum abijſſe : ergo fruſtra eoſdem colunt Iudæi in Galgal : pariter enim ſentient eos eſſe idolum,id eſt,rem vanam & noxiam,cum eoque exſcindentur & euaneſcent. *Verſ.11.*

Perditio tua Iſrael : tantummodò in me auxilium tuum. q.d.Excidium tuum tibi tuiſque ſceleribus aſcribe,non mihi, meæq; ſæuitiæ: ego enim tantùm tibi auxiliari poſſum,idque deſidero, ſi pœnitere & ad me redire velis. Tuum ergo exitium habes ex te:ex me verò non niſi auxilium. *Cap.13 9.*

Dabo tibi regem in furore meo , & auferam in indignatione mea. q.d. Non eſt quòd ſperes auxilium à regibus tuis, Ieroboã & poſteris eius: quia ſicut eos tibi iratus dedi , ita & iratus auferam, tradamque vnà tecum Aſſyrijs. Id fecit Deus in Hoſee vltimo rege Iſrael. *Verſ.11.*

Dicite ei (Deo quem offendiſtis) *Omnem auſer iniquitatem,accipe bonum* (id eſt, da veniam gratiam, omneq; bonum, quod rurſum per gratiarum actionem à nobis accipias. Vnde ſubdit) *& reddemus vitulos labiorum noſtrorum*, putà laudem & hymnodiam labijs noſtris expreſſam. Præſcribit Propheta Iſraeli pœnitenti formulam confeſſionis & deprecationis. *Cap.13.4.*

Quis ſapiens, & intelliget iſta? intelligens & ſciet hæc? quia recta via Domini, & iuſti ambulabunt in eis. q.d.Soli ſapientes.id eſt,fideles & iuſti intelligunt vias legeſque Domini,ac in eis ambulant rectè in cælum:cæteri,infideles ſcilicet & impij,inſipientes ſunt:quia vias Dei practicè non cognoſcunt, nec in eis ambulant, ſed in eis impingunt, corruuntque in ſcelera , ac deinde in ſupplicia, putà in gehennam. *Verſ.10.*

Ex Ioële.

A A A diei : quia propè eſt dies Domini, putà dies excidij Samariæ , & typicè totius mundi. q.d. Inſtat extrema clades vrbi & orbi, *& quaſi vaſtitas à potente veniet.* Vnde de eodem ait c.2.1. *Canite tuba in Sion, vlulate in monte ſancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: quia venit dies Domini; quia propè eſt dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis: quaſi manè expanſum ſuper montes, populus multus & fortis.* q. d. Sicuti ſummo manè ſol expandit ſpargitque radios in montes, eoſque præoccupat: ita Aſſyrij ſumma celeritate aduolarunt,& præoccuparunt montes Iſraelis,antequam eos aduentare ſcirent & ſentirent Iſraelitæ. *Cap.1.15.*

Ante faciem eius ignis vorans , & poſt eum exurens flamma: quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti:neque eſt qui effugiat eum. q.d.Exercitus Aſſyriorum ita omnia vaſtabit,ac ſi ignem cuncta afflantem ante ſe præferret, & poſt ſe exhalaret, ita vt terram, quæ antea erat florens quaſi paradiſus, redigat in ſolitudinem & vaſtitatem. Hinc *Cap.2.3.*

A facie eius contremuit terra: moti ſunt cæli, ſol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerũt ſplendorem ſuum. Hæc propriè fient in fine mundi ; ſed impropriè facta ſunt in excidio Iſraelis: quia ſcilicet Iſraelitis pauore perculſis , cæli & terra inuerti,cõcuti & obſcurari viſa ſunt. Eſt hypallage. *Verſ.19.*

Ex

Ex Amos.

Cap.5 7. **Q***Vi conuertitis in absynthium iudicium.* Qui iniustas, amaras & acerbas fertis sententias in paupere & innocentes, itaque eos quos iuuare & consolari debebatis, exacerbatis & mœrore conficitis.

Vers.9. *Qui subridet vastitatem super robustum.* Qui ludens, & quasi subridens immittit plagas in robustos, quibus eos vastat & conculcat.

Vers.11. *Pro eo quod diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo, domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum.*

Vers.13. *Prudens in tempore illo* (excidij, considerans iustum Dei iudicium & vindictam) *tacebit, quia tempus malum est.*

Vers.23. *Aufer à me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam.* Quia Deus quærit cantica cordis, nõ oris; planctum mentis, non vocis.

Vers.24. *Et reuelabitur quasi aqua iudicium, & iustitia quasi torrens fortis.* q.d. Dei iusta vindicta vos obruet, instar torrentis longè lateque exundantis, qui omnia secum conuoluit & abripit.

Cap.6.1. *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel. Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris. Qui comeditis agnũ de grege. Qui canitis ad vocem psalterii. Bibentes vinum in phialis, &c. & nihil patiebantur super contritione Ioseph* (populi sui.) *Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium* (in captiuitatẽ Assyriacam) *& auferetur factio lasciuientium. Iurauit Dominus Deus in anima sua, &c.*

Vers.12. *Quia ecce Dominus mandabit, & percutiet domũ maiorem* (decem tribus) *ruinis* (excidio pleno & perpetuo) *& domum minorem scissionibus.* id est, duas tribus scindet & carpet; sed non delebit: quinimò post 70. annos captiuitatis Babyloni-cæ, eas sibi & patriæ restituet.

Cap.7.14. *Non sum Propheta, & non sum filius Prophetæ, sed armentarius: ego sum, vellicans sycomoros. Et tulit me Dominus cùm sequerer gregem, & dixit Dominus ad me: Vade, propheta ad populum meum Israel.* Ita stulta & ignobilia mundi eligit Deus, impletque suo spiritu, vt confundat nobiles & sapientes.

Cap.8.11. *Emittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.* q. d. Redigam Israel in obsidione, Samariæ ad tantas angustias, vt Prophetas, quos antea spreuit, vndique conquirat, vt ex ijs scisciteur oraculum de futuro obsidionis euentu, an, & quomodo manus Assyriorum possit euadere.

Cap.9.7. *Numquid non vt filii Aethiopum vos estis mihi filii Israel?* Quia sicut Æthiopes colore, ita vos moribus atri estis, deformes, obdurati & immutabiles.

Ex Abdia.

Vers.3. **D***Icis* (ô Edom) *in corde tuo: Quis detrahet me* (ex rupe in qua securus habito) *in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.*

Ex Iona.

Cap.2.9. **Q***Vi custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt.* q.d. Qui colunt idola, A quique voluptates suas à Deo vetitas sectantur, derelinquunt Deum, à quo omnem misericordiam, & omne bonum exspectare debent.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur. *Cap.3 4.*

Ex Michæa.

Cap.1.5. **Q***Vod scelus Iacob? nónne Samaria? & quæ excelsa Iudæ? nónne Ierusalem?* q.d. Samaria quasi metropolis, quæ decem tribubus debebat esse dux fidei & religionis, facta est eisdem dux idolatriæ, 'æquè ac Ierusalem Iudæ, siue duabus tribubus.

Vers.8. *Super hoc plangam & vlulabo, vadam spoliatus & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.* q.d. Miserabiliter & inconsolabiliter plangam excidium Samariæ.

Vers.10. B *In domo puluere* (hebr. *in Aphra*) *puluere vos conspergite.* q.d Aphra, vrbs Samariæ, rectè vocatur Aphra id est puluis: quia in puluerem ab Assyrijs est redigenda. In ea ergo quasi in domo pulueris, vos ô Samaritæ puluere vos conspergite, & lugete excidium eius & vestrum.

Cap.2.13. *Ascendet pandens iter ante eos: diuident & transibunt portam, & ingredientur per eam: & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum* q.d. Christus præibit pandetq; viam fidelibus suis in Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem.

Cap.3.6. *Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione: & occumbet sol super Prophetas, & obtenebrabitur super eos dies.* q.d. Quia vos ô pseudoprophetæ, non lucem, id est veritatem, sed noctem & tenebras, id est mendacia, prophetastis, prædicendo impijs pacem, id est prospera: idcirco puniam vos, faciamque vt visiones id est prophetiæ vestræ, vertantur in noctem, tum falsitatis, vt omnibus appareat eas fuisse tenebras, id est errores & figmenta: tum calamitatis & excidij. Redigam enim vos in eas angustias, vt sol vobis pauidis & attonitis occumbere, dieique in meridie obtenebrari videatur.

Vers.8. *Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio & virtute, vt annunciem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum.* Doctori & concionatori necessaria sunt hæc tria; Primò, fortitudo, id est libertas, & constantia docendi & arguendi peccata, & peccatores potentes; Secundò, iudicium, id est veritas, æquitas & discretio; Tertiò, virtus, id est efficacia dicendi.

Vers.10. *Qui ædificatis Sion in sanguinibus & Ierusalem in iniquitate.* q.d Qui domos magnificas in Ierusalem ædificatis ex iniustis vectigalibus, donis, vsuris, cõtractibus, fraudibus, rapinis & oppressionibus pauperum. Vnde explicans subdit: *Principes eius in muneribus iudicabant*, &c.

Vers.11. *Propter hoc causa vestri* (ob vestras rapinas & scelera) *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi acerus lapidum erit, & mons templi in excelsa siluarum.* q.d. Demoliar Sionem, & in ea domos vestras: quia eas ædificatis ex rapinis & sanguine pauperum. Vrbs enim plectitur, propter ciues: & templum igni destinatur, propter impios & sacrilegos indigenas. Satius enim est illud dari igni, quàm sceleri; excidio, quàm sacrilegio; hosti Chaldæo, quàm idololatræ & homicidæ Iudæo.

Cap.6.3. *Populo meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi. Quia eduxi te de terra Aegypti, & de domo seruientium liberaui te, & misi ante faciem tuam*

tuam Moysen, & Aaron, & Mariam? q.d. Estne hoc maleficium quod mihi imputas, nimirum beneficium, quo te è carcere Ægyptiaco redemi, & ex mancipio effeci ingenuum & liberum? Est mysteriſmus.

Verſ.8. *Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium* (iuſtitiam) *& diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo.* Sicut reus ſupplex & ſollicitus ambulat cum iudice, à quo veniam & vitā petit: & ſicut famuli ſolliciti ambulant cum dominis ſuis, à quibus victum & omnia bona ſperant.

Verſ.14. *Humiliatio tua in medio tui.* In te reſidet tam culpa, quàm pœna afflictionis tuæ.

Cap.7.1. *Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non eſt botrus ad comedendum.* q d. Heu mihi: nam ego Michæas prædicatione mea excolui vineam Iuda; ſed oleum & operam perdidi: vix vnum alterúmue conuerti: diabolo & idoliscedunt botri groſſi & plurimi; Deo & mihi pauculi acini. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

Verſ.4. *Qui optimus in eis eſt, quaſi paliurus; & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe.* q.d. Optimus inter Iudæos, nocens eſt & aculeatus, pungitque & lædit vt paliurus & ſpinæ: cogitate ergo quales ſint cæteri, quales peſſimi.

Verſ.5. *Ab ea quæ dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* q.d. Vxori ne reueles ſecreta tua: prodet enim te, vtpote infida & garrula: *Nam inimici hominis domeſtici eius.*

Verſ.8. *Ne lætetur inimica mea* (ô æmula Idumæa) *ſuper me* (Ieruſalem, quæ vaſtata ſum à Chaldæis) *quia cecidi: conſurgam, cùm ſedero in tenebris: Dominus lux mea eſt. Iram Domini* (captiuitatem 70. annorum in Babylone) *portabo, quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet: educet me in lucem* (in libertatem per Cyrum, & magis per Chriſtum) *videbo iuſtitiam eius*, iuſtam vindictam in Chaldæos, alioſque fideliu n tyrannos.

Verſ.18. *Quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem, & tranſis peccatum reliquiarū hereditatis tuæ? Reuertetur & miſerebitur noſtri: deponet iniquitates noſtras, & proÿciet in profundū maris omnia peccata noſtra. Dabis veritatem Iacob, miſericordiam Abraham, quæ iurasti patribus noſtris à diebus antiquis.* q.d. Tu, ô Domine Deus, verè & fideliter præſtabis libertatem per Cyrum & magis per Chriſtum, Iacobo, id eſt Iacobæis, ſiue Iudæis, quam miſericorditer olim promiſiſti, & iurasti Abrahæ cæteriſque Patriarchis, te daturum poſteris eorum.

Ex Nahum.

Cap.1.9. NOn conſurget *duplex tribulatio*, id eſt, vt Septuag. *non vindicabit bis in idipſum in tribulatione.* q.d. Deus idem ſcelus non punit bis. ita S. Cyril. & Theoph.

Verſ.15. *Ecce ſuper montes pedes* (greſſus, aduentus: huius enim ſymbolum & cauſa ſunt pedes) *euangelizantis & annunciantis pacem: celebra Iuda feſtiuitates tuas, & redde vota tua: quia non adiiciet vltrà vt pertranſeat in te Belial, vniuerſus interiit.* Belial hîc ad literam eſt Sennacherib: allegoricè eſt diabolus: tropologicè eſt peccatum: anagogicè eſt mors, quæ tolletur in reſurrectione, qua ſublata Beati in cælo celebrabunt perenne feſtum & iubileum.

Vbi eſt habitaculum leonum, & paſcua catulorum leonum? Vbi eſt Niniue, quæ erat luſtrum leonum, id eſt tyrannorum, qui prædabantur omnes gentes, earumque ſpolia & opes diſtribuebant ſuis catulis, id eſt, filijs & optimatibus? q.d. Euerſa eſt & expilata à Chaldæis, ſicut ipſa euertit & expilauit alias. *Cap.2.11.*

Væ ciuitas ſanguinum, vniuerſa mendacij dilacerationis plena: non recedet à te rapina. q.d. Væ ciuitati Niniue, quæ tota eſt ſanguinaria, mendax, plena rapinis & prædis: quia ſicuti prædata eſt, & lacerauit alias gentes; ſic pariter ipſa lacerabitur, eritque prædæ Chaldæis. *Cap 3.1.*

Propter multitudinem fornicationum meretricis ſpecioſæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus ſuis, & familias in maleficiis ſuis. q.d. Exſcindetur Niniue ob idololatrias ſuas, ſuperſtitiones & veneficia, quibus infecit & imbuit omnes gentes ſibi ſubiectas. *Verſ.4.*

Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? aqua in circuitu eius; cuius diuitiæ, mare: aqua, muri eius: Aethiopia, fortitudo eius. q.d. Ne fidas tuis viribus & opibus ô Niniue: nam Alexandria quæ te eſt fortior & opulentior, vtpote adiacens mari, & aquis cincta, ijs ſe tutari non poterit, ſed capietur à Chaldæo: pariter ergo ab eo capieris & tu. *Verſ.8.*

Ex Habacuc.

ECce *ego ſuſcitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem ſuper latitudinem terræ*, &c. *Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis*, &c. *Volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum.* In pardo notatur Chaldæorum ſæuitia, in lupo voracitas, in aquila rapacitas: in omnibus velocitas. *Cap.1.6.*

Quare non reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces deuorante impio iuſtiorem ſe? Et facies homines quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens principem? q.d. Cur permittis, ô Domine, Nabuchodonoſorem quaſi balænam impunè graſſari, noſque quaſi piſciculos tyrannicè opprimere & deglutire? Cur nos quaſi lumbricos, ſinis ab eo iniuſtè calcari & proteri? *Verſ.13.*

Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit veti ſuo: quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus. Sagenam & vete vocat arma, vires & caſtra Nabuchodonoſoris, quibus quaſi retibus ipſe illaqueabat, & capiebat gentes inſtar piſcium. q.d. Ipſe ſibi ſuiſque viribus, non Deo, aſcribit ſuas victorias. Vnde eas habet pro numine: quocirca ipſe vt Deus, in ſtatua aurea quam erexit, Daniel. c.3. coli & adorari voluit. *Verſ.16.*

Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem, & contemplabor vt videam, quid dicatur mihi. q.d. Ego diſputans & argumentans cum Deo, cur ſinat impios Chaldæos vaſtare populum Dei; vt meam theſin quaſi munitionem propugnem, ſtabo vigil in excubijs, vt argumenta Dei excipiam, eaque alijs argumentis, ſi poſſim, repellam & refellam. *Cap.2.1.*

Et reſpondit mihi Dominus, &c. *apparebit in finē, & non mentietur: ſi moram fecerit, exſpecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit: iuſtus autem in fide ſua viuet.* q.d. Tandē Deus puniet Chaldæos, & è Babylone liberabit Iudæos, ſcilicet poſt 70. annos: quare ſi moram fecerit, exſpectate eum; *Verſ.2.*

eum; quia certò veniet, idque breui. Nolite ergo in ista mora esse impatientes, increduli, & diffidentes de hisce Dei promissis; sed in eorum fide & spe vestram captiuitatem, & ærumnas generosè sustentate, alacresque viuite. A

Vers.6. *Væ ei qui multiplicat non sua? vsquequò & aggrauat contra se densum lutum?* q. d. O miser Nabuchodonosor, cur rapis alienas opes? quid enim hæ sunt aliud, quàm densum lutum, quo te opples & aggrauas?

Vers.11. *Quia lapis de pariete clamabit.* q.d. Lapides, ligna & tigna quæ rapuisti, vel ex rapto emisti, ad superba tua palatia exstruenda, propalam omnibus inclamabunt tuam auaritiam & rapinam, ideoq; te iustè à Deo puniri, vastari & disperdi.

Vers.18. *Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam?* q. d. Quid in idolo tui Beli confidis? Hoc enim non est numen, sed numinis imago falsa, quam plastes finxit. *Dominus autem in templo sancto suo: fileat à facie eius omnis terra.* B

Cap.3.16. *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum.* q. d. Veniant in me omnes ærumnæ, omnes morbi, omnes afflictiones, vt in die illa horrenda excidij Babylonis, communem Chaldæorum cladem euadam, & ascendam ad populum accinctum ad iter, cum eoque sospes redeam in Iudæam. Alleg. vt in die excidij mundi, dieque iudicij sim securus, & ascendam ad populum electorum, iam accinctum ad iter in cælum.

Vers.18. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo,* id est, liberatore & saluatore meo, tum è Babylone, tum mysticè à peccato & gehenna. *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi cerui rum, & super excelsa mea deducet me victor,* in Ieruſalem tum terrestrem, tum cælestem, *in psalmis canentem.* C

Ex Sophonia.

Cap.2.9. *Moab vt Sodoma erit, & filii Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, & acerus salis, & desertum vsque in æternum.* Est periphrasis extremæ vastitatis & desolationis, qua Moab & Ammon regiones olim florentes, per Chaldæos conuertendæ erant in spineta, & aceruos salis instar Sodomæ. Causam subdit v.10. *Hoc eis eueniet pro superbia sua: quia blasphemauerunt, & magnificati sunt super populum Domini,* hebr. *magnificarunt.* scilicet os & linguam, subsannando Iudæos cùm vastarentur à Chaldæis, & blasphemando, ac dicendo, quòd Deus eorum non potuisset eos contra Chaldæos tutari. Quocirca *horribilis,* hebr. terribilis, erit *Dominus super eos, & attenuabit omnes deos terræ, & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.* Hoc impletum est per Euangelium Christi, & prædicationem Apostolorum. D

Vers.13. *Ponet speciosam* (Niniuen) *in solitudinem,* &c. *Hæc est ciuitas gloriosa habitans in confidentia: quæ dicebat in corde suo: Ego sum, & extra me non est alius. Quomodo facta est in desertum, cubile bestiæ?* q.d. Niniue, vrbs illa inclyta, superba & gloriosa, orbis domina, à Chaldæis vastabitur, ita vt in ea deinceps non habitent homines, sed bestiæ & feræ.

Ex Aggæo.

Cap.1.6. *Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.* Causam dat v.9. *Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam.* q.d. Quia vos prætulistis vestras domos & commoda Deo, indeque neglexistis fabricam templi, vt illud maneret desertum; hinc Deus punit vos sterilitate & penuria, vt agri, horrea, vineæ & cellaria vestra sint arida, deserta & squalida, nec vos satient aut reficiant. Vnde v.11. *Vocaui,* inquit, *siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum,* &c.

Ex Zacharia.

Cap.1.12. *Et respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum vsquequò tu non misereberis Ierusalem & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est.* Hi 70. anni sunt desolationis, siue excidij Ieruſalem & templi; qui inchoantur anno 18. Nabuchodonosoris, & finiuntur anno 2. Darij Hystaspis, quo hæc dixit angelus: ac proinde diuersi sunt ab annis 70. captiuitatis Babylonicæ. Hi enim finiuntur anno 1 Cyri, & inchoantur anno 11. Ioakim, vel, vt alij, anno 3 eiusdem.

Cap.2.6. *O, ô fugite de terra Aquilonis.* Putà de Babylone, quæ est confusio errorum & vitiorum, ideoque rursum breui capietur & vastabitur à Dario Hystaspis. Tropol. fugite de mundo, qui plenus est pompis, vanitatibus, erroribus, concupiscentijs, ærumnis, periculis.

Cap.3.2. *Numquid non iste torris est erutus de igne?* q. d. Iesus filius Iosedec rediens à captiuitate, est quasi torris vstulatus & fuliginosus, è fornace Babylonia erutus, id est miser, squalidus & pauper. Cur ergo tu, ô Satan, ei aduersaris, vt eum planè comburas & disperdas, ne templum cultumque meum quasi pontifex restauret?

Vers.10. *In die illa,* &c. *vocabit vir amicum suum subter vineam, & subter ficum.* q.d Tempore Christi & Euangelij erit summa pax, lætitia & communicatio, vt fideles inter se bona habeant cõmunia, in ijsque conuiuentur, tum corporaliter, tum potiùs spiritualiter in Eucharistia, vita, doctrina & gratia Christi Ipse enim est nostra vitis & ficus.

Cap.7.13. *Et factum est sicut locutus est* (Deus) *& non audierunt: sic clamabunt, & non exaudiam.* q.d. Lege talionis par pari referam: ipsi me vocantem noluerunt audire, vicissim ego quoque eos in necessitate me inuocantes non exaudiam.

Cap.9.1. *Domini est oculus hominis, & omnium tribuum Israel.* q.d. Deus est *oculus,* tum actiuus, & videns omnes gentes, æquè ac tribus Israel, ijsque prouidens: tum passiuus & visus. q.d. Deus est obiectum oculi: Deus est in quem oculum intendũt omnes homines, ab eo sperantes opem & omne bonum. Sic Ægyptij Deum & numen, siue prouidentiam, pingebant quasi oculum baculo insistentem. Baculus significat sceptrum, putà dominium & potestatem regiam; oculus, vigilantiam & prouidentiam Dei.

Vers.9. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem. Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.*

Rex

Rex est Christus, qui in die Palmarum quasi rex certò debellaturus dæmones, peccata & mortem, triumphans ingressus est Ierusalem, vectus asina, Matth. 21 5.

Vers.11. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* q.d Tu ô Christe, merito, & pretio sanguinis tui, quo sanciuisti nouum fœdus inter Deum & homines, liberasti Patres in limbo detentos, vt tecum resurgerent, & ascenderent in cælum.

Vers.13. *Et suscitabo filios tuos Sion super filios tuos, Græcia, & ponam te quasi gladium fortium. Et Dominus Deus super eos videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius: & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri.* q.d. Apostoli ex Sione, id est, è Iudæa oriundi, erunt quasi gladius fortis, arcus, iacula fulgurantia, lapides fundæ, tubæ & turbines Dei, quibus Græcos, id est omnes gentes, clangore, & potenti virtute Euangelij prosternet, sibiq́ue subiiciet. Vnde de iisdem subdit:

Vers.16. *Quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius.* q.d. Apostoli erunt quasi lapides sancti, in titulum & trophæum victoriæ, de toto mundo partæ, erecti & eleuati; vt quisquis eos viderit, vel nominari audierit, cogitet & stupeat tantam eorum gratiam & vim, qua pauci totum orbem Christo subegerunt.

Vers.17. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* q.d. Apostoli eorumq́ asseclæ tantæ erunt virtutis, tantaq́ue patrabunt, non vi sua, sed ope Dei, qui omne suum bonum & pulchrum eis communicabit, scilicet S. Eucharistiam, quæ eos quasi frumentum alet, roborabit; & velut iuuenes, agiles, electos & validos reddet; ac quasi vinum cæleste, eos virgines, cælestes & angelicos efficiet.

Cap.10.3. *Posuit eos quasi equum gloriæ suæ.* Eos, scilicet Machabæos pugnaces & victoriosos. Mysticè Apostolos. Sic equus gloriæ Christi fuit S. Paulus. Vnde de iis subdit v.5 *Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio, & bellabunt; quia Dominus cum eis.* Et v.12. *Confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt.*

Cap.12.6. *In die illo ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, & sicut faciem ignis in fœno, & deuorabunt ad dexteram & ad sinistram omnes populos in circuitu.* q.d Ponam Machabæos quasi caminos & faces, qui omnes gentes in circuitu succendant, sibiq; subiiciant. Allegor. Dabo Apostolos, qui instar ignis totum mundum amore Dei inflammabũt.

Vers.8. *Et erit qui offenderit ex eis in die illa,* vt resurgat fortior, *quasi Dauid: & domus Dauid quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum.* q d Iudæi qui metu Antiochi à fide apostatarint, videntes Machabæorum victorias, animos resument, & fortiores resurgent instar Dauidis post lapsum. Rursum proceres & posteri Dauidis, erunt validi quasi angeli Dei. Hoc verum in Machabæis, verius in Apostolis & Christianis.

Vers.10. *Effundam super, &c. Ierusalem spiritum gratiæ & precum, & aspicient ad me quem confixerunt.* Est prophetia de Christo in cruce spinis, clauis & lancea transfixo, quẽ Iudæi pij aspexerunt cum intimo dolore & compassione, precantes Deum, vt tam indignam filij sui & Messiæ necem auerteret, & vlcisceretur.

In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon. Vers.12. ē.d Magno planctu plangent mortem Christi; sicut olim planxerunt necem Iosiæ, qui occisus est in Mageddo, iuxta Adadremmon vrbem, ità dictam à copia malogranatorum.

Ex Malachia.

Dilexi Iacob, Esau autem odio habui. Quia scilicet Iacobæos è Babylone in patriam reduxi, Idumæos autem in captiuitate reliqui. Vnde explicans subdit: *Posui montes eius in solitudinem, & hereditatem eius in dracones deserti.* Et v. 4 *Isti ædificabant, & ego destruam: & vocabuntur termini iniquitatis, & populus cui iratus est Dominus vsque in æternum.* Allegor. Iacob, id est sanctos & electos, dilexi, & elegi ad vitam æternam: Esau, iid est impios & reprobos, odio habui, & damnaui ad gehennam. Vide dicta Rom. 9 13. Cap.1.3.

Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Vers.6.

Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus. Deo enim summo & optimo, summa & optima sunt danda, præsertim quæ illi voto promissa sunt. Vers.14.

Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est. *Angelus*, id est nuncius & legatus, vt vertit Vatabl. quem scilicet Deus legat ad homines, vt eis suam voluntatem & legem enuncie:. Cap.2.7.

Ego Dominus, & non mutor. Sum immutabilis, ideoq́ue non reuoco mea decreta, promissa & minas. Cap.3.6.

Dixistis: Vanus est qui seruit Deo: & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum? Et ecce nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem. Est vox impiorum negantium numen & prouidentiam Dei, eò quòd videant pios in hoc mundo deprimi, impios exaltari. Hisce respondet Propheta: *Et attendit Dominus, & audiuit* hosce sermones impiorum prouidentiam Dei impugnantium, & piorum eam defendentium: *& scriptus est liber monumenti*, id est memoriæ, *coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius.* q d. Deus in memoria & mente sua, quasi in libro conscripsit omnium hominum dicta & facta, eaq́ue in die iudicij leget, & cuique pro merito præmium vel pœnam decernet: præmium, scilicet timentibus & assiduè cogitantibus Dominum. Nam *hi erunt mihi*, ait *Dominus exercituum, in die qua ego facio*, id est faciam, scilicet iudicium, *in peculium*, hoc est populus peculiaris, peculiariter à me electus, dilectus & exaltatus, quem omnibus meis bonis beabo & glorificabo: *& parcam*, id est misereb or, indulgens & munificus ero *eu, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi.* Quocirca in die iudicij *videbitis, quid sit* differentiæ *inter iustum & impium, & inter seruientem Deo & non seruientem ei.* Vers.14.

COMMENTARIA IN OSEE PROPHETAM.

ARGVMENTVM.

Osee idem quod Iosue, Iesus, vti & Isaias.

OSEE vti oraculis, factis & moribus, ita & nomine præfigurat, imò repræsentat Christum, vti notat S. Hieron. & Leo Castrius hîc. Osee enim idem est quod Iosue, & Iesus, id est saluator: vnde Iosue antè vocatus est Osee, vt patet Numer. 13.17. Sicut ergo Ioſue in ducatu & regimine populi, Isaias in prophetia & gestis, ita pariter & Osee sua voce & vita repræsentauit Christum: ac proinde hi tres idem nomen, putà Iesu, prætulerunt. Ab eadem enim radice יָשַׁע *iasca*, id est saluauit, deducitur nomen Iosue, vel Iesus, id est saluator; & nomen Isaias, id est salus Dei; & nomen Osee, id est saluans populum, nimirum sanctitate doctrinæ suæ, æquè ac precum & morum, vitæque exemplo. Vbi Nota, *Osee* propriè hebr. significare *salua*: hebr. enim הוֹשֵׁעַ *hoscea* est imperatiuus *hiphil*, à rad. *iasca*, significans *salua*. Appositè: Osee enim optat oratque Dominum, dicens: Salua nos Domine ab Assyriis, Chaldæis, & præsertim à peccato & morte per Messiam, quem missurus es. Huic optioni respondit Deus mittendo Iesum, id est, Saluatorem postulatum.

Prophetat Iuda & Israeli.

Fuit ergo ipse iuxta nomen suum Osee, id est saluator, quia salutem populi sui qua orando, qua prædicando, qua sanctæ vitæ exempla dando procurauit, æquè ac Iosue pugnando: de quo ait Eccles. c. 46.2. *Qui fuit magnus secundùm nomen suum in salutem electorum.* Ac proinde vterque typus fuit Iesu Christi. Hinc & noster hic fuit filius *Beeri*, id est *putei mei*, quia ex Deo quasi puteo hausit aquas doctrinæ cælestis, quas in Iudæos, velut agros aridos effunderet, iuxta illud Isaiæ 12. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris* ita S. Hieron hîc, & epist. 151. ad Ruffin.

Porrò Osee tam ad Iuda, quàm ad Israel siue decem tribus prophetat: vnde vtriusque reges in titulo præfigit.

Synchronos Isaiæ, imò Prophetarũ primus.

Osee fuit synchronos Isaiæ, ait S. Hieron. imò ante Isaiam Prophetarum primus, vt patet c. 1.2. Osee ergo cœpit prophetare sub initium regni Oziæ vel Azariæ, ante Olympiades, & ante Romam conditam: cùm Albæ regnaret Procas Siluius auus Romuli. Itaque Osee prænunciat Israel, id est decem tribus exscindẽdas ab Assyriis, quòd primum regem suum Ieroboam, eiusque posteros in idololatria vitulorum aureorum secutas sint: Iudam verò ab hac Assyriorum clade immunem seruandum, quòd Prophetarum vocibus obtemperans resipuerit, secutusque suum regem Ezechiam idola abiecerit, templumque purgarit, licèt postea ad eadem redierit; ideoque sub Sedecia à Chaldæis vastatus sit. Quocirca Christum saluatorem & consolatorem ei aliisq; fidelibus miseris & afflictis, qui sunt veri Israelitæ in spiritu, esto non in carne, promittit. Primò ergò prædicit Israelitarum carnalium excidium & reprobationem, ac spiritualium Israelitarum, præsertim Gentilium, vocationem & electionem; idque reipsa repræsentat, dum Dei iussu ducit vxorem meretricem, ex eaque gignit proles, quibus dat nomina, primo, *Iezrahel*; secundo, *Absque misericordia*; tertio, *Non populus meus: quia*, inquit, *vos non populus meus, & erit in loco vbi dicetur eis, Non populus meus vos: dicetur eis, Filij Dei viuentis.* Secundò, continua oratione idololatriam aliaq; peccata populi acriter insectatur, minando ei Dei plagas & excidium tantum, vt dicant *montibus, Operite nos; & collibus, Cadite super nos.* Tertiò, Dei clementiam, gratiam & gloriam pœnitentibus promittit. Hinc ait c. 13.14. *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero inferne.* Et cap. 14.6. *Ero quasi ros, Israel germinabit sicut lilium*, &c.

An angelus de quo Apocal. 5.

Censet Alcazar, Apoc. 5.2. angelum fortem, qui ibi inducitur, ad litteram esse Osee Prophetam. De angelo enim hoc ibidem ita legimus: *Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius?* Quibus verbis alludit Iohannes ad illud Osee 14.10. *Quis sapiens, & intelliget? intelligens & sciet hæc? quia rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis: præuaricatores verò corruent in eis.* Liber enim ille signatus Apocal. 5. continet vias tam piorum, qui legem Domini sequendo beantur; quàm impiorum, qui eam spernendo damnantur. Iure autem Oseas nuncupatur angelus fortis, tum ob robur animi, quo primus concionando perfregit glaciem duricordium Iudæorum, & profligauit idola ac vitulos aureos: tum quia Epiphan. in eius Vita scribit, eum verborum suorum vi, ingentem quercum in duodecim partes diuisisse, vt probaret Dominum venturum cælitus in terram, hocque fore signum aduentus eius: *Si quercus*, inquit, *in Selom findatur à seipsa in portiones bis senas, & fierent totidem quercus. Et accidit ita.* Hæc appositè dicuntur, veraque sunt in sensu non litterali, sed mystico. Nam ad litteram angelus ille Apocal. 5. non fuit homo, sed verus & propriè

propriè dictus angelus, vti ibidem oſtendi.

Eſt commaticus, quia patheticus.

Porrò patheticus eſt Oſee, ideoque commaticus, vt ait S. Hieron. hoc eſt concisus. Agit enim perſonam Dei qui quaſi ſponſus ſponſam Synagogam deperiens, eamque in adulterio deprehendens, grauiſſimos concitat affectus; hinc indignationis & minarum, inde amoris & zeli. Inde pariter obſcurus eſt, tum quia affectus plenè non eloquitur, ſed per apoſiopeſin ob pa- A thos incidit; tum quia verum eſt iſtud Poëtæ: *Breuis eſſe laboro, obſcurus fio:* tum quia profundus eſt. *Oſee Propheta quanto profundiùs loquitur, tanto operoſiùs penetratur*, ait S. Auguſt. lib. 18. Ciuit. 28.

Denique Oſee obedientia & vitæ ſanctitate illuſtris ab Eccleſia Sanctorum catalogo aſſcriptus eſt 4. Iulij. Vide Epiphan. Doroth. & Iſidor. in vita Oſee.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbetur Oſee vxorem ducere fornicariam, & fornicationis ex ea filios procreare, vt hoc ſuo facto & connubio repræſentet Synagogam, putà Iſraelitas, religionem & fidem vni Deo datam violaſſe, & ad idola quaſi adulterinos Deos declinaſſe. Obedit Propheta, & meretricem ducit, ex eaq; gignit tres proles, quarum primæ dat nomen Iezrahel, *id eſt ſemen Dei; ſecundæ* Lo rachuma, *id eſt, abſque miſericordia; tertiæ* Lo ammi, *id eſt, non populus meus; quibus Iſraelis impietatem, ideoq; punitionem & repudium, velut in quotidiana imagine Iudæis obiicit: quæ deinde fuſiùs per ſequentia capita proſequitur. Denique v. 10. promittit ſpiritalem Iſraelem innumerabilem fore populum Dei, & filios Dei viuentis.*

Vers. 1. VErbum Domini, quod factum eſt ad Oſee filium Beeri, in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechiæ regum Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Iſrael.

2. Principium loquendi Domino in Oſee: & dixit Dominus ad Oſee: Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra à Domino.

VERS. 1. VERBVM DOMINI, QVOD FACTVM EST AD OSEE FILIVM BEERI] Eſt hic titulus prophetiæ, præfixus non ab Eſdra (vti aliqui putarunt) qui poſt captiuitatem reſtituiſſe & reſtauraſſe dicitur codices S. Scripturæ; ſed ab ipſomet Oſea, vti & tituli cæterorum Prophetarum ab ipſiſmet, prophetiis eorum præfixi ſunt, quibus teſtabantur ſe eſſe earum auctores, ſeque eas à Deo per reuelationem accepiſſe; cui C proinde omnes credere & fidem adhibere debeant. *Verbum* ergo idem eſt quod oraculum, prophetia, ſermo Domini, vt vertit Chald. Addit Caietan. in illud Lucæ 3. *Factum eſt verbum Domini ſuper Iohannem*: Diuina, inquit, inſpiratio, inſtructio & miſſio, vocatur verbum Domini: verbum ergo non tantùm prophetiam, ſed & miſſionem ſonat. Hoc enim Dei verbo mittebantur ad populum, eique hæc Dei oracula edicere iubebantur. Hoc ergo verbo conſtituebantur legati Dei, Prophetæ, Doctores & præcones ad populum. Cur prophetia nunc vocetur *verbum*, nunc *viſio*, dixi can. 1. in Prophetas maiores.

Luc. 3.

AD OSEE FILIVM BEERI] Hebræi, & ex eis Lyran. Arias & Guadalupenſis, cenſent hunc Beeri eſſe Beera, qui fuit princeps tribus Ruben, ac à Teglathphalaſar captus ductus eſt in Aſſyriam 1. Paral. 5. 6. Verùm obſtat ratio temporum: nam Oſee & pater eius Beeri diu præceſſerunt Teglathphalaſar. Oſee enim cœpit prophetare B initio regni Oziæ: Teglathphalaſar verò inuaſit Samariam, ex eaque captiuos abduxit anno Oziæ 52. vt patet 4. Reg. 15. v. 27. & 29. Accedit quòd S. Epiphan. Dorotheus & Iſidorus in vita Oſee, aſſerunt Oſee fuiſſe oriundum ex tribu Iſſachar, non Ruben. Quare fabuloſum eſt quod tradit R. Dauid, & ex eo Vatabl. Oſee & cæteros Prophetas qui nomen patriæ non præferunt, fuiſſe Hieroſolymitas.

Cornel. in Proph. Min.

Allegor. S. Hieron. Oſee, inquit, eſt Ieſus, eſt filius Beeri, id eſt putei mei, hoc eſt, Dei Patris. Deus enim Pater non eſt ciſterna nunc aquis plena, nunc vacua & ſicca; ſed eſt quaſi puteus perennes viuaſque ſcaturiens aquas, tum generationis Filij, tum ſapientiæ, & bonorum omnium, quæ ſuo filio communicauit & iugiter communicat, quibus ipſe per Oſee alioſque Prophetas & Apoſtolos, Iudæorum & Gentium ſiccitatem rigat, humectat & fœcundat. *Allegor.*

Aliter Leo Caſtrius: Beeri, inquit, idem eſt quod *in lumine meo*. Significat ergo Ieſum, qui quaſi lumen de lumine, eſt Verbum à Patre & in Patre exiſtens. Verùm ſic dicendū fuiſſet בְּאוֹרִי *beori*, non *Beeri*, vti rectè aduertit S. Hieron.

INDIEBVS OZIÆ, IOATHAN, ACHAZ, EZECHIÆ REGVM IVDA, ET IN DIEBVS IEROBOAM FILII IOAS REGIS ISRAEL] Nominat reges tam Iuda quàm Iſrael; quia tam contra Iudam, quàm contra Iſrael, id eſt decem tribus, prophetat. magis tamen contra Iſrael: vnde toties nominat Ephraim, Iſrael, Bethel, Bethauen, quæ non niſi Iſrael, id eſt decem tribus, ſignificant. ita S. Hieron. Athanaſ. in Synopſi, & Euſeb. in libr. de Appellationibus librorum propheticorum. Hinc patet Primò, has prophetias licèt breues, ſucceſſiuè tamen & per longum tempus fuiſſe dictas, deinde ſcriptas. Secundò, Oſee fuiſſe primum Prophetarum, vti mox oſtendam, ac diutiſſimè prophetaſſe, nec tantùm prædixiſſe, ſed etiam vidiſſe excidium decem tribuum à ſe prædictum: hoc enim contigit anno 6. Ezechiæ. ita S. Hieron. & Ruffin. Quocirca tradunt Hebræi Oſee prophetando ſuperaſſe

Annis 90. prophetauit Oſee.

annos 90. quibus multa dixit quæ non ſcripſit; multa etiam à populo rebelli perpeſſus, confeſſionis, id eſt lenti, ſed longi martyrij palmam obtinuit.

IEROBOAM] Hic non fuit primus rex Iſrael, qui ſchiſma fecit ſub Roboam 3. Regum 12.20. ſed eo longè fuit poſterior, nimirum fuit pronepos Iehu regis Iſrael, cui Deus 4. Reg. 10. 3. promiſerat regnum vſque ad quartam generationem, itaque præſtitit. Nam Iehu ſucceſſit filius Ioachas, huic Ioas, huic Ieroboam hic, huic Zacharias, quem regno ac vita ſpoliauit Sellum: in quarto ergo rege ſuæ proſapiæ, putà in Zacharia, defecit ſtirps regalis Iehu, 4. Reg. 15. 10.

Nominat Oſee præter reges Iuda etiam Ieroboam regem Iſrael, vt ſignificet ſe tam, imò magis, contra Iſrael, quàm contra Iudam prophetare. Sed curè regibus Iſrael ſolum nominat Ieroboam, omittens Zachariam, Sellum, Manahem, Phacee, Phaceam & Hoſee, qui in Iſrael regnarunt eo tempore, quo in Iuda regnabant Ozias, Ioathan, Achaz & Ezechias? nam anno 6. Ezechiæ, qui fuit annus 9. Hoſee, euerſum eſt ab Aſſyriis regnum Iſrael. Reſpond. varij varias dant cauſas, ſed vera & genuina eſt, vt Propheta indicet ſe non extremo, nec medio tempore regni Oziæ vel Azariæ, (vtpote qui 52. annos regnauit) ſed eius initio prophetare cœpiſſe. Nam anno Ieroboam regis Iſrael 27. cœpit in Iuda regnare Ozias: Ieroboam autem regnauit 41. annis: vnde ſequitur vltimos tantùm 14. annos Ieroboam concurrere cum primis 14. annis Oziæ, quibus ſimul regnarunt, Ieroboam in Iſrael, Ozias in Iuda, quibus neceſſe eſt prophetaſſe Oſee: cœpit enim cùm vterque ſimul regnaret. Vide 4. Regum 14. 23. & 4. Regum 15. 1. Tunc quoque, putà paulò poſt Oſee, prophetare cœpit Amos ſub vtroque hoc rege, vti ipſe ait c. 1. v. 1. ita Arias, Ribera & à Caſtro.

Cæpit 90. annis ante excidium Samariæ, & 224. ante excidium Ieruſalem.

Ex dictis ſequitur, Oſee prophetaſſe excidium Samariæ & regni Iſrael ferè nonaginta annis (tot enim ſunt ab initio regni Oziæ vſque ad 6. Ezechiæ, quo capta eſt Samaria) antequam illud contingeret: excidium verò Ieruſalem & Iuda prædixit circiter 224. annis (tot enim ſunt à 1. anno Oziæ vſque ad vltimum Sedeciæ, quo euerſa à Chaldæis eſt Ieruſalem) antequam eueniret. Nam excidium Ieruſalē poſterius fuit excidio Samariæ 34. annis. Ita tempeſtiuè Deus peccatores præmonet de imminenti plaga, datque ſignificationem vt fugiant à facie arcus, eumque pœnitendo euadant, ne querantur ſe ſeriùs eſſe monitos. Ita centum annis ante diluuium iuſſit Noë fabricare arcam, & monere homines de inſtante diluuio. Hinc rurſum ſequitur, Oſee cœpiſſe prophetare paulò ante Iſaiam. Nam Iſaias cœpit anno 17. Oziæ, vti habet Euſeb. in Chronico.

VERS. 2. PRINCIPIVM LOQVENDI DOMINO IN OSEE] Duplex hîc eſt ſenſus litteralis. Prior, q.d. Primò omnium ante Iſaiam, Ioëlem alioſque Prophetas locutus eſt Dominus ipſi Oſee, vel ad Oſee. Vnde ſequitur, Oſee fuiſſe primum omnium Prophetarum. Negat hoc Chriſt. à Caſtro; ſed aſſerunt S. Hieron. Rupert. Haymo, Vatabl. Albert. Hugo, Cardin. Dionyſ. hîc, & S. Baſil. ac Ruffin. in Iſaiæ c. 1. Idque confirmant Hebræa, prout nunc punctantur. Sic enim habent: *Principio locutus eſt Dominus per Oſee*, vt vertit Vatabl. Iam enim punctant דִּבֶּר *dibber*, id eſt, *locutus eſt* in præterito, cùm Noſter & Septuag. legerint in infinitiuo *dabber*, id eſt *loquendi*. Fauet inſuper noſtra verſio. Nam *principium loquendi Domino* (ſubaudi *fuit*) *in Oſee*, idem eſt quod, principium loquendi Dominus ſumpſit fecitque in Oſee, ſiue primò loqui cœpit in Oſee.

Secundus ſenſus eſt, q.d. Hoc eſt principium quo Dominus cœpit loqui cum Oſee, ſcilicet illud quod ſequitur: *Sume tibi vxorem fornicationum*, &c. Ita quoque explicat S. Hieron. Theodoret. Haymo, Hugo, Lyran à Caſtro & Vatabl. qui rurſum ſic vertit, *initio quo locutus eſt Dominus per Oſeam, dixit ad ipſum Oſeam: Vade ſume tibi vxorem*, &c. q.d. Aduerte, ô lector, & admirare, quare principium oraculis ſuis dederit Deus, nimirum iubendo Oſee ducere meretricem, vt hoc ipſo meretricios populi mores repræſentaret & carperet.

Verùm hoc ſenſu cæteri omnes Prophetæ idem principium vſurpare potuiſſent, ac pari modo dicere: principium loquendi Domini in Iſaia, Abdia, Ioël, &c. Iam autem nemo alius hoc dicit, ſed ſolus Oſee. Signum ergo eſt eum non tantùm hunc ſenſum, ſed vel maximè priorem, qui ſoli ei competit, expoſcere.

DOMINO] Id eſt *Domini*. vtrouis enim modo ex Hebræo vertas, ſignificantiùs tamen *Domino*: ב enim *Domino* ſignificat cauſam & auctorem principij loquendi, q.d. Dominus principium & quaſi fundamentum oraculorum ſuorum dedit, & iecit in Oſee.

IN OSEE] Interiùs inſpirando illi ea quæ faceret & diceret populo. Secundò, *in*, id eſt ad, *Oſee*, vt vertunt Septuag. Vatabl. & alij. Tertiò, *in*, id eſt, per Oſee ad populum. Quartò, *in*, id eſt cum Oſee. Hæc enim omnia ſignificat Hebr. *beth* præpoſitionis.

VADE SVME TIBI VXOREM FORNICATIONVM] Id eſt, multis fornicationibus deditam & infamem, inſignem fornicariam, publicam meretricem vel in taberna, vel in lupanari, vel alio loco corpus pro turpi lucro cuilibet proſtituentem. Simili hebraiſmo vocatur vir ſanguinum, vir dolorum, vir miſericordiæ, vir virtutis, is qui valdè eſt ſanguinolentus, valdè dolens, inſigniter miſericors, inſigni virtute præditus. Iubetur ergo Oſee ducere famoſam meretricem, eamque ſibi legitimo copulare matrimonio, ac filios ex ea procreare, vt hoc ſymbolo quaſi verbis & ſermone reali, carpat apoſtaſiam & idololatriam populi ſui. Propheta enim hîc Deum refert; vxor fornicaria Synagogam, id eſt populum Iſrael ſiue decem tribuum, vt patet ex ſequent. fornicatio enim hîc, & paſſim apud Prophetas ſignificat peccata, præſertim idololatriæ; qua Iſraelitæ, relicto Deo ſponſo ſuo, licentioris vitæ deſiderio, idolis voluptatibuſque ſuis quaſi amaſiis adhærebant. Ita enim explicat Propheta, dum mox cauſam huius ſui connubij à Deo præcepti ſubnectens, ſubdit: *Quia fornicans fornicabitur terra*, id eſt, quia Iſraelitæ valdè addicent ſe idololatriæ, prono & communi impetu proruent ad colenda idola. q.d. Ego Deus te, ô Oſee, habere volo vxorem fornicationi hactenus addictiſſimam, vt deſignem vxorem meam, putà Synagogam, myſticè fornicariam, id eſt idololatram,

Iatram, esse & fore, vt quod cœpit esse sub Ieroboam, deinceps sit magis. ita S. Hieron. Chald. & alij.

Primus error, Osee nõ iubetur fornicari.

Errant ergo illi qui censent, hoc loco iuberi Prophetæ vt fornicetur, vt scilicet accedat ad meretricem manentem meretricem, ita vt eam non ducat in vxorem. vnde colligunt, fornicationem esse licitam. Hic enim est error manifestus, quem Græcis attribuit Alfonsus à Castro lib. 7. contra hæres. v. *Fornicatio*: fornicatio enim non tantùm in nouo, sed & in veteri testamento iure naturali & diuino fuit prohibita, vti ostendi in fornicatione Thamar, Genes. 38. 16. ex communi Patrum & Interpretum sententia. Et fusiùs 1. Corinth. 6. 9.

Denique iubet Deus Prophetæ: *Sume tibi vxorem*; ergo iubet vt eam matrimonio sibi copulet, non vt cum ea fornicetur. ita passim Patres & Interpretes. B

Dices, S. Thom. 1. 2. q. 100. a. 8. ad 3. & 2. 2. qu. 154. a. 2. ad 2. Caietan. & nonnulli Thomistæ dicunt Osee fornicatum esse, & tamen non peccasse, quia Deus matrimonij rerumque omnium dominus cum eo dispensauit, eique dedit potestatem & ius in corpus meretricis. Hæcque omnia putant significari verbis Dei ad Prophetam, quibus ait: *Sume tibi vxorem*, non matrimonij, sed *fornicationum*.

An Deus possit dispensare vt fornicatio sit licita.

Resp. disputant Theologi an Deus dispensare possit in lege naturæ, putà in Decalogo: ac varij variè respondent. Primò, Occam in 2. q. 19. ad 3. & 4. dubium, Gerson in tract. de Vita spirituali lect. 1. corol. 10. in Alphabeto 61. litt. E. & C Almainus tract. 3. Moral. cap. 15. asserunt Deum in omni omnino præcepto Decalogi & legis naturæ posse dispensare: imò Occam ait, Deum posse præcipere odium Dei, facereque vt illud non sit malum, sed bonum. Ratio eorum est: omne peccatum, inquiunt, ideo est peccatum, quia voluntate Dei prohibitum est. Si ergo Deus velit vt aliquid non sit peccatum, hoc ipso non erit peccatum.

Secunda est, S. Bonauenturæ in 1. d. 47. q. 4. Scoti in 3. d. 37. q. 1. §. *Hic dicitur*. & Gabriel in 3. d. 37. q. 1. a. 2. concl. 1. Deum posse dispensare in præceptis secundæ tabulæ, non verò primæ, putà posse in iis quæ tangunt proximum, non verò in iis quæ tangunt Deum.

Tertia est, Durandi in 1. d. 47. q. 4 n. 16. Deum posse dispensare in præceptis affirmatiuis secundæ tabulæ, non verò in negatiuis. D

Verùm dico, Deum in nullo præcepto legis naturæ directè & formaliter posse dispensare. Ratio est, quia lex naturæ continet & præcipit id quod natura sua & intrinsecè bonum est. quocirca quæ contra eam fiunt, natura sua & intrinsecè mala sunt, non quia voluntate Dei prohibita, sed quia suapte natura contraria & dissentanea sunt naturæ & rationi naturali. Sicut enim res possibiles sunt possibiles, non quia Deus voluit eas esse possibiles, sed quia ex se non implicat contradictionem vt esse possint: eodem modo opera contra legem naturæ suapte natura sunt mala, non quia Deus voluit ea vt mala prohibere, sed quia ex seipsis naturæ rationali, vt rationalis est, contraria sunt & repugnantia. Cùm ergo Deus non possit pro voluntate sua mutare naturas rerum, non poterit etiam mutare legem naturæ, vt quod illa dictat esse conueniens rationi esseque bonum, Deus decernat non esse conueniens esseque malum. Quocirca nullus, ne Deus quidem, facere potest vt odium Dei sit bonum, vel licitum (hoc enim repugnat non tantùm rationi & naturæ, sed & ipsi diuinitati) vt furari, mœchari, mentiri liceat: furari enim est accipere rem alienam inuito domino: mœchari est turpiter vti femina non sua, sed aliena: mentiri est contra mentem loqui & fallere. Hæc autem intrinsecè & natura sua ita mala & praua sunt, vt nequeant esse bona & honesta. Quocirca Deus vti hæc non potest suadere, ita nec facere, nec præcipere, multò minùs velle & efficere vt sint honesta & licita. Hinc patet falsam esse primam sententiam, eiusque fundamentum. Non enim ideo fornicatio est mala, quia Deus ita vult, eamque odit; sed potiùs ideo eam odit, quia ipsa in se suaque natura est inhonesta & turpis. Sicut ergo creaturæ suam existentiam habent à voluntate Dei, suam verò possibilitatem habent ab ipsa natura Dei; posito enim quòd sit Deus omnipotens, naturaliter sequitur & quasi resultat quòd possit creare hominem, equum, &c. ac consequenter quòd illæ creaturæ sint possibiles, quæ sine Deo essent impossibiles: ita pariter lex positiua, tam diuina quàm humana, pendet & fit à voluntate Dei; lex verò naturalis deriuatur à lege æterna, quæ est in mente & ratione Dei. ita S. Thom. Caietan. Richard. & ex iis Gabr. Vasquez 1. 2. disp. 179. num. 12. Indirectè tamen & materialiter potest Deus in iisdem dispensare, nimirum mutando materiam rei præceptæ, itaque eam subtrahendo legi naturæ & obligationi Decalogi. Hoc autem ferè fit in præceptis dumtaxat secundæ tabulæ, non verò primæ, vti dixerunt auctores secundæ sententiæ. Explico: potest Deus mihi dare ius in bona, corpus & vitam alterius, & tunc licitè potero illi eripere bona, quod aliàs fuisset furtum; vti corpore alterius, quod aliàs fuisset mœchatio; occidere alterum, quod aliàs fuisset homicidium. Sic Deus iussit Hebræis Exoddi 12. v. 36. vt spoliarent Ægyptios, quia hoc ipso eis dedit bona Ægyptiorum, fecitque vt illa iam non essent Ægyptiorum, sed Hebræorum: quocirca Hebræi ea occupantes, non aliena, sed sua occuparunt, sua, inquam, ex donatione Dei, qui est summus omnium, imò vitæ necisque dominus. Sic hic dedit Osee ius in corpus fornicariæ, & hoc ipso fecit vt illa esset sua vxor, non aliena. Quocirca vtens ea Osee non est fornicatus, sed actu maritali in coniugio illi quasi suæ vxori est copulatus. Sic si Deus alicui præciperet, vel permitteret ire ad lupanar, ibique copulari meretrici semel dumtaxat, ad prolem ex ea suscitandam, illa copula iam non esset fornicatio, sed esset actus coniugij temporarij: copularetur enim non alienæ, sed suæ, ac consequenter vxori saltem temporariæ ex dispensatione Dei. Deus enim potest remittere obligationem, qua se vxor marito in coniugio ad perpetuam fidem obligauit, ideoque potest dispensare in matrimonij vinculo, ac facere vt non sit perpetuum, sed temporarium, quamdiu scilicet ei libuerit; præsertim quia potest educationem prolis, ob quam matrimonium requirit perpetuitatem, vel negligere tamquam eius dominus, vel aliis modis

Ex. 12. 36

procurare. Ita olim diſpenſauit cum Iudæis in matrimonio, cùm eis permiſit dare vxoribus libellum repudij, quo verè ſoluebatur matrimonium, ita vt vterque coniux quaſi liber & ſolutus poſſet cum alio aliud coniugium contrahere. Sicut ergo tunc maritus quolibet tempore, imò poſt primam copulam poterat vxorem repudiare; ita poſſet & nunc copulari ſemel cum vna, ac mox illam dimittere, ſi Deus pari modo nunc cum illo diſpenſaret.

Cenſet ergo S. Thom. Oſee iuſſu & diſpenſatione Dei cum fornicaria copulatum fuiſſe tantùm copula temporali (ideoque eam copulam per catachreſin vocat fornicationem) non verò matrimonio ſtabili & perpetuo. Itaque opinatur hanc Oſee vxorem fuiſſe temporariam, & matrimonium cum ea temporarium, ſcilicet ad aliquos actus generationis, & ad tres proles ex ea generandas: deinde dimiſiſſe illam, itaq; ſolutum fuiſſe temporarium cum ea matrimonium. Ergo docet S. Thomas Oſee acceſſiſſe ad fornicariam, non tamquam ad concubinam, ſed tamquam ad vxorem, licèt temporariam tantùm: cenſet enim Deum cum eo diſpenſaſſe, vt ad tempus dumtaxat cum ea contraheret, eaque vteretur vt ſua; cenſet ergo Oſee non eſſe fornicatum, ſed vſum matrimonio licèt temporali tantùm. Verba eius ſunt: *Oſee accedens ad vxorem fornicariam vel mulierem adulteram, non eſt mœchatus, nec fornicatus: quia acceßit ad eam quæ ſua erat ſecundùm mandatum diuinum, qui eſt auctor inſtitutionis matrimonij.* Quomodo verò hic eius actus matrimonij vocetur fornicatio, explicat 2.2.q.154.a.1.ad 2. *Oſee*, ait, *non peccauit fornicando ex præcepto diuino, nec talis concubitus propriè fornicatio dicet dici, quamuis fornicatio nominetur* (dum dicitur: *Sume tibi vxorem fornicationum*) *referendo ad curſum communem*, quo ſcilicet communiter à vulgo vocatur fornicator, qui cum fornicaria ad tempus copulatur, & expleta libidine eam deſerit. Vnde liquet D. Thomam docere, quòd Oſee hîc non ſit fornicatus, ſed cum fornicaria quaſi ſua vxore, concedente & diſpenſante Deo, ad tempus ſit copulatus. Verùm verius eſt quod paſſim cenſent alij Doctores & Interpretes, ſcilicet Oſee non temporarium, ſed ſtabile & perpetuum cum fornicaria iniiſſe coniugium. Ideo enim iubetur eam ducere vxorem: atque ex ſequentibus patet, eum per quatuor, imò plures, annos illi cohabitaſſe; nam dicitur ex ea tres proles genuiſſe, eaſque deinde per eam lactaſſe & educaſſe. Quo fit vt nulla hîc fuerit diſpenſatio, ſed ſola iuſſio Dei: licitè enim poterat Oſee fornicariam in vxorem accipere, ſed non tenebatur: vt ergo teneatur, iubet & obligat eum Deus.

Inſtabis: Vxor hæc fornicaria repræſentat Synagogam idololatrantem; atqui hæc poſt connubium cum Deo initum rediit ad ſua idola: ergo & hæc fornicaria poſt connubium cum Oſee, rediit ad ſuas fornicationes: alioqui enim non ex æquo repræſentaret Synagogam, nec typus reſponderet antitypo. Reſp. Simile per omnia non eſt ſimile; ſed in eo tantùm, in quo collocatur ſimilitudo: quocirca non eſt neceſſe in allegoriis & typis, vt omnes circumſtantiæ temporis, modi, actionis, &c. reſpondeant rei ſignificatæ, ſed eæ tantùm in quibus fit repræſentatio, & comparatio ſignificantis cum ſignificato, putà typi cum antitypo. Ita hîc iubetur Propheta ducere fornicariam, vt per hoc repræſentet Synagogam eſſe fornicariam. In eo ergo tantùm ponitur hîc comparatio & ſimilitudo, quòd, ſicut Propheta ducit fornicariam, ex eaque gignit proles, quæ à probro matris vocantur filij fornicationum, id eſt fornicariæ: ita Dei vxor, id eſt Synagoga, fit fornicaria, id eſt idololatra, ſimileſque ſibi gignat & educet filios, putà idololatras. Nec enim hæc res licitè aliter repræſentari potuit. Non enim potuit Deus præcipere Prophetæ fornicationem, vt ad fornicariam accederet tamquam non ſuam, ſicut Synagoga idola colebat & Deos non ſuos: aut vt poſt copulam & proles, remitteret eam ad lupanar, & ad ſua ſtupra. hoc enim fuiſſet peccatum. Erat ergo hîc matrimonium Oſee cum fornicaria (etiam ex ſententia S. Thomæ, ſaltem temporarium) ac conſequenter filij fornicationum vocantur filij ex matrimonio hoc nati; ideoque verè non erant filij fornicationum, ſed tantùm hoc nomine vulgò cenſebantur & nominabantur, ob præcedentes ante connubium matris fornicationes. Simpliciter ergo & in genere iubetur hîc Propheta per vxorem fornicariam repræſentare Synagogæ idololatriam, abſtrahendo à tempore & loco, vbi & quando; an ante connubium cum Deo, an poſt eam perpetraret. Adde, Iudæos poſt hanc Oſee prophetiam, putà poſt punitionem & excidium à Chaldæis illatum, poſtquam puniti & pœnitentes connubium cum Deo per Eſdram renouarunt, ampliùs non rediiſſe ad ſua idola, ſicut vxor hæc Oſee poſt poſt connubium cum eo, non legitur rediiſſe ad ſuas fornicationes. Verum eſt, maiorem eſſe ſpeciem fornicationis, & conſequenter ſimilitudinis, ſi cum D. Thoma quis dicat, non ſtabile, ſed temporarium fuiſſe matrimonium: ſed ex altera parte, res ipſa turpior & magis inhoneſta apparet: videtur enim reuera eſſe fornicaria copula, & ſimulatum tantùm matrimonium.

Secundus, Oſee non aſciuit ſibi filios adulterinos, ſed ſuos procreauit.

Errat Secundò, Haymo, qui vxorem fornicationum interpretatur vxorem quæ poſt matrimonium ex priori fornicandi habitu rurſum cum aliis procis fornicetur, id eſt adulteretur; ex eiſque gignat filios, qui proinde vocantur filij fornicationis, id eſt, ex adulterio nati, quos Propheta iubeatur ſibi aſſciſcere & educare, æquè ac matrem retinere & alere. Hoc enim fuiſſet non tantùm infame, ſed & ſcandaloſum, ideoq; illicitum: viſus enim fuiſſet Propheta vxorem in adulteriis fouere, eiſque conſentire. Vnde edicit Sapiens: *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt & impius*, Prouerb. 18.22. vide Sanchez l.10. de Diuortio diſp.13. Quocirca infamis, & publicum orbis probrum fuit Claudius Imp. eò quòd eius vxor Meſſalina publicè ſcortaretur. ita Sueton. in Claudio. & M. Antoninus Philoſophus ob Fauſtinam coniugē, quæ in continuis ſtupris verſabatur: cumque de ea re moneretur, amiciq; ſuaderent vt eam repudiaret, ſi nollet occidere, effeminatè reſpondit: *Si vxorem dimittimus, reddamus & dotem*: dotis nomine ſignificās Imperium, quod ab Antonino Pio patre Fauſtinæ, ita volēte Adriano Imper. adoptatus acceperat. ita Iulius Capitolinus in Antonino.

Tertius, Oſee nō duxit idololatrā.

Errant Tertiò, Lyran. & Burgenſ. qui fornicationem

tionem hîc myſticè accipiunt pro idololatria, putantq́ue Oſee hîc iuberi vt ducat vxorem fornicationum, id eſt, Gentilem & idololatram. Ratio eorum eſt, quia hæc vxor repræſentat Synagogam idololatrantem: ergo ipſa quoque vxor fuit idololatra. Reſp. negando conſequentiam. Idem enim non repræſentatur per idem, ſed per ſimile: atque Prophetæ ſolent repræſentare idololatriam per fornicationem; quia hæc illius aptiſſimum eſt ſymbolum, ſpeculum & imago. ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Hugo, & paſſim Interpretes. Quocirca cùm Deus Prophetæ ait: *Sume tibi vxorem fornicationum*, fornicationem litteraliter vt ſonat accipit: cùm verò huius iuſſionis cauſam & ſymbolum ſubdit, explicatq́ue dicens, *Quia fornicans fornicabitur terra*; fornicationem myſticè accipit, pro idololatria: quia illam ſymbolicè per veram & realem fornicationem vxoris Prophetæ repræſentari iuſſerat.

Quæres, an verè & realiter hæc geſta ſint, an verò tantùm per viſionem imaginariam; ſiue, an reuera Oſee duxerit fornicariam, ex eaq́; genuerit filios fornicationum, an verò Deus idipſum tantùm in imaginatione illi repræſentarit, vt videretur ſibi eam ducere, & ex ea gignere; quomodo ſomniantes videntur ſibi facere ea, quæ ſomniant? Viſionem tantùm fuiſſe cenſent Chaldæus & Rabbini nonnulli, quos ſequuntur Origenis ſectatores, teſte Ruffino, Haymo, Iſidorus, Burgenſis & Vatabl. imò S. Hieron. idipſum cenſet ſcribens in Ezech. 4. Et hîc in proœmio, *Oſee*, ait, *audiens à Domino, Accipe vxorem fornicariam, non frontem rugat, non mœrorem pallore teſtatur, non verecundiam mutato genarum rubore demonſtrat: ſed pergit ad lupanar, & ſcortum ducit ad lectulum. Et non initiat illam pudicitiæ matronali, ſed ſe luxurioſum & nepotem probat. Qui enim adhæret meretrici, vnum cum ea corpus efficitur. Quis ſapiens, & intelliget iſta?* ac poſtea reſpondet, infertq́ue hæc typicè & figuraliter eſſe interpretanda. Ratio ergo fundamentalis huius ſententiæ eſt hæc, quia res turpis & indigna fuiſſet, ſi vir ſanctus & Propheta duxiſſet ſcortum.

Verùm longè verius eſt quod cõmuniter cenſent alij omnes Patres & Interpretes, rem hanc non per viſionem, ſed realiter eſſe peractam. Ita Theodor. Cyrill. Hebræi, Arias, Hugo, Dionyſ. & alij hîc, ac S. Auguſt. l. 3. de Doctrina Chriſt. c. 12. & lib. 22. contra Fauſtum c. 23. S. Baſil. in Iſaiæ 8. Irenæus l. 4. contra hær. c. 37. S. Thomas loco citato & alij paſſim: imò idem cẽſet hîc S. Hieron. vti videbit qui verba eius accuratè expenderit. Ait enim more ſuo, hiſtoriam hanc ad antitypum eſſe referendam, id eſt, Oſee duxiſſe fornicariam, nõ ex eius amore & libidine, ſed vt Chriſti & Eccleſiæ coniugium repræſentaret. Hoc ergo, non aliud, voluit, cùm dixit, hoc Oſee factum typicè & figuraliter eſſe interpretandum. Ratio huius ſententiæ eſt, quia hoc exigit ſimplex narratio præcepti diuini & facti, putà obedientiæ Prophetæ; aliàs enim cùm viſio eſt, ſolet id exprimere, vel ſigno aliquo indicare Script. vt patet Apocal. 1. 4. Ezech. 40. 1. & alibi. Adde, nominatur hîc maritus, ſcilicet Oſee; vxor, ſcilicet Gomer; vxoris mater, ſcilicet Debelaim; tres eius proles, ſcilicet *Iezrahel, Lo ammi, Lorachuma*. quæ omnia ſignificant non eſſe parabolam, ſed veram hiſtoriam. Cauſa eſt, quòd populus in idolis & peccatis ſuis obdormierat, itaq́; ordinarias increpationes & monitiones Prophetarum ſpernebat, imò non audiebat: voluit ergo Deus reali & portentoſa prophetia, iubendo ſcilicet Prophetæ ducere fornicariam, ex eaq́ue proles procreare, populum in peccatis dormientem à ſomno ſcelerum excitare, & commouere ad pœnitentiam. Eadem de cauſa iuſſit Iſaiæ c. 20. vt ipſe, cùm eſſet vir nobilis & magnæ auctoritatis, nudus per vrbem Ieruſalem media luce diſcurreret, vt hoc portento omnium oculos in ſe conuerteret, ac reipſa daret eis typum & ſpeciem imminentis ſpoliationis & excidij, itaq́ue populum ad lamenta conuerteret. Eadem de cauſa iuſſit Ezechieli c. 4. ſtercore boum veſci, vt eo inſtantem vrbi famem & cladem præmonſtraret.

Ad argumentum reſpondeo, Dei iuſſionem & auctoritatem abſterſiſſe ab hoc Prophetę connubio, omnem infamiæ & turpitudinis maculam, præſertim quia aſſumebatur ad prophetiam & rei futuræ ſacramentum. Adde, non eſſe turpe, ſed ſanctum & honeſtum, fornicariam ducere hoc fine, vt ipſa vitam turpem cum honeſta, fornicationem cum matrimonio commutet; imò confeſſarij ſolent, & debent concubinariis ſuadere vt concubinatum in connubium vertant.

Ita S. Auguſt. l. 22. contra Fauſt. c. 80. reſpondet Manichæis impugnantibus vetus teſtamentum, & obiicientibus illi, quòd in eo fornicatio Prophetæ ſit imperata. Reſpondet enim S. Auguſt. Non imperata eſt fornicatio, ſed meretrix relicta fornicatione in caſtum & ſanctum coniugium aſſumpta eſt. de quo mox plura.

Idem Gentilibus reſpondet hîc S. Hieron. eiſq́ue ſimilia Gentilium exempla opponit. *Qua ratione*, inquit, *prædicent virum eruditiſſimum Xenocratem, qui Polemonem luxurioſiſſimum iuuenem, & inter pſaltrias atque tibicines & impudicas mulieres ebrium, & hedera coronatum fecit obedire ſapientiæ, & adoleſcentem turpiſſimum mutauit in ſapientiſſimum Philoſophum? Cur Socratem ad cælum leuent, qui Phædonem, ex cuius nomine Platonis liber eſt, de lupanari, ob crudelitatem & auaritiam domini, multorum libidini ſeruientem, in Academiam tranſtulerit? Et quidquid illi de Philoſophiæ magiſtris reſponderint, nos ad Prophetæ defenſionem referemus.*

ET FAC TIBI FILIOS FORNICATIONVM] *τὸ fac* non eſt in Hebræo, nec in Septuag. nec in Syro, nec in Arabico. Sic enim habent: *accipe tibi matrem fornicationum, & filios fornicationum.* Vnde Primò, aliqui *filios fornicationũ* propriè accipiunt filios ex fornicatione procreatos, quos velut teſtes fornicationis maternæ, Oſee cum matre iubeatur vt ſuos recipere, alere, & quaſi adoptare. quæ ingens erat ignominia & pœna Prophetæ; idq́ue ad hoc, vt per hæc repræſentaret pari modo Synagogam peperiſſe filios idololatras, quos tamen Deus quaſi Patriarcharum ſuoſq́; filios, cum ignominia & dolore alat in Ieruſalem. Ita explicant Theodor. Hugo Lyran. & Arias.

Filij fornicationum quid

Prima expoſitio.

Verùm hos filios non fuiſſe adoptiuos, ſed naturales; nec antea genitos, ſed à Propheta ex fornicaria generandos, patet ex ſeq. Ait enim: *Et abiit (Oſee) & accepit Gomer filiam Debelaim, & concepit & peperit ei filium*, &c. Vox ergo *fac*, licèt expreſsè non ſit in Hebræo, tamen ſubauditur; imò includitur in voce, *accipe*. Accipere enim ex vxore filios, Hebræis idem eſt quod ſuſcipere & procreare.

creare. Verbum enim לקח *lacach*, id eſt accipio, ſumo, tollo, apud Hebræos eſt ampliſſimæ ſignificationis. ita S.Hieron.Auguſt.Baſil. Vatabl. & alij ſuperiùs citati.

Secunda. Secundò, Ribera cenſet vocari *filios fornicationum*, id eſt fornicariæ; quia erant filij matris idololatræ. Verùm hoc ſuperiùs refutaui. Idololatria enim eſt fornicatio myſtica; non litteralis, de qua hîc agitur.

Tertia & genuina. Dico ergo, filij procreandi ab Oſee ex legitimo cum fornicaria coniugio, vocantur *filij fornicationum*, id eſt, filij matris, quæ antea tota fornicationibus fuit dedita. Hanc enim ſuam turpitudinem & infamiam prolibus afflabat mater, quæ fuerat publica meretrix; nec eam matrimonium ſubſequens apud populum detergere & delere poterat. A matre ergo proles infamiæ notam & fornicationis nomen ſortiuntur. ita S.Hieron. & alij iam citati.

Adde, vocantur hi *filij fornicationum*, quòd & ipſi in fornicationem futuri ſint procliues, hocq; vitium, hancque libidinoſam indolem vnà cum natura à matre fornicaria ſint hauſturi & ſucturi. Hoc enim aptè reſpondet rei ſignificatæ. hi enim filij libidinoſi, ſignificant Iudæos myſticè libidinoſos, id eſt, idola procliues: vnde iis æquè ac matri exitium intentat c.2.4. dicens: *Filiorum eius non miſerebor, quia filij fornicationum ſunt.* Ita Emmanuel Sà, Mariana, & Pineda l.1. de Rebus Salom.c.4.n.3. Simili enim phraſi in Script. vocantur filij obedientiæ, diffidentiæ, ſuperbiæ ii qui in obedientiam, diffidentiam, ſuperbiam ſunt valdè propenſi, adeò vt ex ipſa obedientia, diffidentia, ſuperbia geniti & procreati videantur. Vnde Syrus vertit, *ſume tibi mulierem quæ fornicatur, & filios qui fornicantur: quia fornicando fornicabitur terra de poſt Dominum*, à Domino.

Meretrices indolem ſuam proli communicant. Vbi moraliter Nota, vitia parentum, præſertim matrum, transfundi in filios: vitiata enim matre, vitiatur ſemen, quod vitiat prolem quæ ex ſemine formatur. Quocirca ſponſis qui quærunt ſponſas, valdè inquirendũ eſt non tam an ſponſæ ſint opulentæ & pulchræ, quàm an ſint caſtæ, honeſtæ, virtuoſæ, ne, ſi ſint inceſtæ, inhoneſtæ vitioſæ, ſimiles generent proles. *Iuſti* ergo *mores*, ait Antiphanes Philoſ. *ſunt peculium præſtantiſſimum, & dos omni auro nobilior.*

Id ita eſſe docent Phyſici & Medici, ipſaque ratio & experientia. Hac enim de cauſa paſſim in libris Regum, Salomonis, Abiæ, Ioſaphat, Manaſſis, aliorumque regum matres ſtudioſè nominantur, quia à matre pendet indoles & educatio prolium vel in bonum, vel in malum; & qualis eſt mater, talis eſt & proles: præſertim quia proles ſequitur affectum & amorem, quem magis in matre, quàm in patre experitur. Cauſam dat Ariſtot.lib.9.Ethic.7. Magis, inquit, à matribus amantur proles, quia generatio earum laborioſa eſt, & magis ſciunt eas eſſe ſuas. Ita Spartani, teſte Plutarcho in Apophtheg. Lacon. continentes fuerunt, forteſq; in bellis & laboribus, quia matres habebant viragines, quæ ex inſtitutione Lycurgi continentiæ, laboribus & duritiei tam ſe quàm proles aſſuefaciebant. Vnde Gorgon Leonidæ vxor cuidam ſibi exprobranti: *Vos Spartanæ ſolæ viris veſtris imperatis*; reſpondit: *Quia ſolæ viros parimus.* Hinc filius meretricis vocatur is, qui habet mores meretricios. Ita Saul Ionatham filium ſuum pro Dauide intercedentem, vocat filium *mulieris vltro virum rapientis*, 1.Reg.20.30. id eſt, filium meretricis, q.d. Meretricius es, quia mater tua fuit meretrix. Aut q.d. Nõ videris filius meus; ſed filius adulteræ, quia Dauidem hoſtem meum magis amas quàm me; quaſi mater tua non ex me, ſed ex Dauide te genuerit, ideoque Dauidis amorem tibi ingenerarit. Ita Agrippina Neronis mater in libidines fuit effuſa, adeò vt & Neronem ad ſui inceſtum prouocaret, ideoq; quale libidinis & crudelitatis monſtrum, Neronem, orbi dedit? Ita ex Cornel.Tacito Sabell.libr.2. Enn.7.

Heliogabalus Imp. Græcæ meretricis filius, ab ea ſuam ſpurcitiem & obſcœnitatem hauſit. ita Lamprid. & Rhodigin.lib.11.c.13.

Quin & Salomon trecentarum vxorum maritus, & ſeptingentarum pellicum concubinus, matrem habuit Betſabee adulteram.

Semiramis Ninum filium ad ſtuprum compellauit, ideoque ab eo interfecta eſt, ſi credimus Cteſiæ, quem citat Sabell. lib.1.Enn.1.

S.Aphra Martyr, antea meretrix (quæ à Narciſſo Hieroſolymorum Epiſcopo à turpi & immundo quæſtu reuocata fuit) matrem habuit Hilariam, quæ ſolis lenociniis ſibi victum comparabat. ita habet eius Vita.

Venus inceſta inceſtuoſiſſimi Iouis fuit filia, ait Ouid.10.Metamorph.

Iulia Cæſaris Auguſti filia, libidinum paternarum fuit æmula, teſte Sueton. in Auguſto. Hac de cauſa, æquè ac ob ignominiam, ſpurij Iure Canonico arcentur ſacerdotio, ſuntque irregulares: ſacerdotium enim angelicam puritatem requirit.

Simili modo infantes dum ſugunt, nutricum indolem, affectus, & vitia vnà cum lacte ſugere & imbibere, multis exemplis oſtendi Geneſ. 21.v.7.

Denique filios matribus quàm patribus ſimiliores naturam efficere ſolere, tum corpore, tum moribus, docent Ariſt.libr.de Gener.anim.c.4. & in Probl.lib.10.c.12. ac Hippocrates de Genitura. Quocirca pium æquè ac prudens eſt nonnullarum vrbium inſtitutum, vt impudicarum matrum ſpuriæ proles per magiſtratum à matribus auellantur, ne matres vitiatam in ſemine filiorum indolem, magis vitiata educatione prauoque exemplo corrumpant; ac grauibus matronis alendæ tradantur, quæ deprauatam natiuitatem graui ſeueraque inſtitutione caſtigent & reforment: quales videmus Romæ in Hoſpitali S.Spiritus, & in monaſterio S.Catharinæ de Funariis. Simili modo in aliis vrbibus ſpuriotrophia erecta & dotata ſunt.

Cur Oſ. iuſſus dicere fornicariam. Quæres quibus de cauſis voluit Deus vt Propheta fornicariam duceret, ex eaque filios procrearet. Reſpond. litteralis cauſa primaria eſt ea, quam paulò antè dedi, vt nimirum hoc quaſi viuum ſpeculum daret Iudæis, in quo clarè conſpicerent & contemplarentur ſuam turpitudinem & idololatriam. *Secunda* Secundaria fuit, charitas, vt ſcilicet fornicariæ pudori & conſcientiæ conſuleret, dum eam commutat in vxorem. Ita S.Auguſtinus libr.21. contra Fauſtum cap.80. *Quid*, ait, *aduerſum clementiæ Veritatis* (qua Chriſtus, qui eſt veritas, dixit Phariſæis, *Meretrices & publicani præcedent vos in regno cælorũ*) *quid*

quid inimicum fidei Chriſtianæ, ſi meretrix relicta A *fornicatione in caſtum coniugium commutetur? Et quid tam incongruum & alienum à fide Prophetæ, quàm ſi non crederet omnia peccata impudicitiæ dimiſſa eſſe in meliùs commutata? Itaque meretricem Propheta* (Oſee) *fecit vxorem, & ad vitam corrigendam mulieri conſultum eſt, & figuræ Sacramentum, de quo mox loquemur, expreſſum.* Subdit deinde ibidem, & fuſiùs c. 89. Manichæos carpſiſſe hoc factum Oſee, non quia infame, ſed quia ipſi matrimonia damnabant, malebantque liberi fornicari, quàm prole grauare vterum vxoris, & ſe onere illam alendi: ideoque fingebant Deum, ſiue diuinæ ſubſtantiæ partem, in prole quaſi ligari & vinculis conſtringi.

Tertia. Inſuper voluit hîc Deus Prophetæ obedientiam exercere æquè ac patientiam, *vt quanto illa* (vxor) *ſordidior eſt, tanto ſit Propheta patientior, qui talem vxorem duxerit*, B ait S. Hieron. præſertim quia Oſee erat iuuenis, virgineus, ſanctus, & in flore ætatis, æquè ac puritatis & virtutis, dum meretricem duxit: fuit enim hæc prima eius prophetia quam habuit initio regni Oziæ, ac deinde prorogauit vitam per annos 52. Oziæ, 16. Ioathan, totidem Achaz, peruenitque ad tempora Ezechiæ. Iuuenis ergo, dum duxit fornicariam, fuerit oportet.

Allegor. Allegorica cauſa eſt, vt Oſee per connubium cum fornicaria repræſentaret ſimile, ſed myſticum, idque duplex, Chriſti coniugium: Prius cum carne noſtra, quæ erat fornicaria, id eſt caro peccati, quam depuratam ſibi vniuit & deſponDit per incarnationem. Ita S. Ambroſ. lib. 2. Apolog. Dauid. cap. 10. myſticè explicat non tantùm hoc Oſee connubium, ſed & Dauidis adulterium. *Ad Prophetam*, inquit, *dictum eſt: Vade, accipe* C *tibi vxorem fornicariam. Dominus iubet cum ea quæ fornicaria fuerit, eſſe coniugium, cuius coniugij fructus eſt Chriſtus. Namque filio qui ex fornicatione* (id eſt, ex vxore Oſee quæ antea fuerat fornicaria) *eſt natus, à Domino nomen impoſitum eſt Iezrahel, quod eſt diuina generatio. Si ergo pia illa copula fornicaria, etiam iſta vtique pia ſocietas adultera copula eſt*, &c. Et mox: *Ex diſparibus copulis contubernium pium factum eſt, quando ſcilicet Verbum caro factum eſt. non ſunt legitima conſortia diuinitatis & carnis. Suſcepit carnem Deus, aſſumpſit animam, per inuſitatam nec legitimam incarnationem conſortium fecit eſſe legitimum, vt ſit Deus omnia in omnibus.* vnde nomen filij eſt Iezrahel, id eſt ſemen Dei, vel brachium Dei. Chriſtus enim eſt brachium, id eſt virtus, Dei, vti eum vocat Iſaias c. 53. 1. Chriſtus etiam eſt ſemen Dei, quia non ex D ſemine viri, ſed ex Spiritu ſancto conceptus & natus eſt. Quocirca Tertull. lib. de Carne Chriſti c. 18 & 19. *Dei filius*, inquit, *ex Patris Dei ſemine, id eſt Spiritu, vt eſſet hominis filius, caro ei ſola erat ex hominis carne ſumenda ſine viri ſemine: vacabat enim viri ſemen apud habentem Dei ſemen.* Et c. 19. *Quid eſt ergo? Non ex ſanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt.* Ita & Leo Caſtrius, qui tamen perperam contendit hunc ſenſum ſolum eſſe litteralem, & alios omnes excludit. Obiter hîc Nota, Spiritum ſanctum propriè nō eſſe ſemen Dei. Deus enim nullum ex ſe ſemen decidit, vti facit homo: impropriè ergo & per catachreſin Tertull. Spiritum ſanctum vocat ſemen Dei, quia ſcilicet ipſe diuina virtute à Patre & Filio accepta fecit in Virgine, quod in vxore facit ſemen viri; vocatur ergo *ſemen*, quia fuit loco & vice ſeminis: formauit enim & organizauit corpus Chriſti in Virgine, vti embryonis corpus in vtero matris ex eius ſemine & ſanguine coagulat, coagmentat, format & organizat ſemen virile.

Poſterius Chriſti connubium eſt cum Eccleſia, quod Oſee ſuo hîc repræſentat. Ità S. Ambr. lib. de Salomone c. 5. *Meretrix*, inquit, *iſta Eccleſiæ typus eſt, aliquando in Gentibus conſtituta, idolorum cultibus vitiata, quam vanæ ſuperſtitionis ſtupra polluerant, quam falſorum Deorum adulteram fecerat multitudo: laſciuoſq; ac turpes incompoſitis motibus ſaltus, nemorum & lucorum inculta luſtrabat, dedita luxuriæ, pompæ Gentilium mancipata. Hanc poſtea quam Dominus noſter Ieſus Chriſtus puro baptiſmatis fonte perfudit, ablutionem & criminis accepit & nominis.* Ita & S. Auguſt. l. 22. contra Fauſtum c. 89. ac S. Proſper lib. de Prædictionib. & promiſſ. c. 15. p. 2. imò S. Paulus Rom. 9. 24. In huius rei typum Moſes duxit vxorem Æthiopiſſam Num. 12. 1. *contra quam*, inquit S. Hieron. in procœmio, *Aaron & Maria, carnale ſacerdotium Iudæorum & prophetiæ littera ſeruiens, muſſitant, & offenduntur Deum. Quæ dicit in Cantico cantici: Fuſca ſum & formoſa, filiæ Ieruſalem.* Chriſto ergo venienti i in mundum dixit iuſſitque Pater: *Sume tibi vxorem fornicariam*, putà Eccleſiam ex Gentibus, ex ea- que procrea filios, qui ſint filij fornicationum, iid eſt, matris Gentilis; ſed ex patre, vtpote filio Dei, ſint & ipſi filij Dei, ex quibus multi ad priſtinam matris fornicationem ſunt rediturі, id eſt, concupiſcentias ſuas ſecuturi & peccaturi, ideoque à Deo puniendi & reiiciendi.

Mira ſanè miſericordia & dignatio fuit Oſee ducentis fornicariam, ſed longè maior Chriſti carnem & Eccleſiam noſtram arctiſſimè ſibi wnientis & deſponDentis, vt eam depuraret, ſanctificaret, & glorificaret, & quaſi diuinam redderet; tumque Oſee, id eſt, Iehu & Saluatoris nomen adeptus eſt. Ita Oſee æmuli, & Chriſti ſectatores ſunt, qui ad dura, vilia & abiecta quæuis ſeſe demittunt, & quoſlibet labores & dolores ſubeunt, vt animas cum concupiſcentiis fornicantes, ſordidas & horridas conuertant, puraſque efficiant, & ad Deum ſponſum reducant.

Vnde tropologica cauſa eſt, vt hoc exemplo *Tropolog.* doceret Deus Oſee, id eſt, prædicatores, confeſſarios, alioſque zelo proximorum flagrantes abducere animas à Satana, carne & peccato; eaſque per pœnitentiam & caſtimoniam deſpondere Chriſto, vti Paulus Corinthios deſpondit epiſt. 2. c. 11. v. 2. Anima enim peccatrix eſt fornicaria, imò adultera, gignitque filios fornicationum, id eſt, opera luxuriæ gulæ, ſuperbiæ.

Vnde S. Hieron. in procœmio, per fornicariam hanc tropologicè accipit S. Magdalenam, quam pœnitentem ſibi Chriſtus deſpondit: *Hæc*, inquit, *eſt meretrix & adultera, quæ in Euangelio pedes Domini lauit, crine deterſit, & confeſſionis ſuæ honorauit vnguento.* Et inferiùs: *Hæc eſt meretrix de qua loquitur Dominus ad Iudæos: Amen dico vobis, meretrices & publicani præcedent vos in regno Dei. Illa meretrix* (Rahab Ioſue 2.) *exploratores meos duos, fortiſſimos iuuenes, quorum alterum in circumciſionem miſi, alterum ad Gentes, humanitate ſuſcepit, abſcondit ſtudio, leuauit in tectum, operuit lini ſtipula.*

Quæ

Quæ caſa perſecutionibus, & lota in baptiſmate immutat colorem, & de tetro in album vertitur.

QVIA FORNICANS FORNICABITVR TERRA] Hoc eſt, impensè & continuò fornicabitur Iſrael, id eſt, decem tribus. De his enim loquitur, non de Iuda, vt patet ex ſeq. Nam futurum iunctum participio vel gerundio eiuſdem verbi, Hebræis ſignificat actus vehementiam, & continuationem, ſiue conſuetudinem. Fornicationem hîc myſticam intellige, putà idololatriam: hîc enim Deus ſymbolum ſiue parabolam applicat, & explicat, q.d. Iuſſi te, ô Oſee, ducere fornicariam, & ex ea generare filios fornicationum, vt per hoc Iudæis repræſentem quòd ipſi pari modo myſticè fornicabuntur, id eſt, amabunt colentq́ue idola me vero Deo relicto.

3. Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim: & concepit, & peperit ei filium.

4. Et dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrahel, quoniam adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrahel ſuper domum Iehu, & quieſcere faciam regnum domus Iſrael.

5. Et in illa die conteram arcum Iſrael in valle Iezrahel.

VERS. 3. ET ABIIT ET ACCEPIT GOMER FILIAM DEBELAIM] Perperam Hugo & Dionyſ. per diaſtolen legunt *de Belaim*, quaſi *Belaim* ſit nomen proprium loci, ex quo oriunda fuerit Gomer. *Debelaim* enim vnam eſſe vocem, eamq́ue Hebræam patet ex Hebræo. *Debelaim* ergo eſt nomen matris Gomer, ait S. Hieron. & Rupert. licèt aliqui velint eſſe nomen patris eiuſdem. Notat vxorem ex nomine & ſtirpe, vt ſciamus hanc eſſe hiſtoriam, non viſionem. Suſpicatur Sanchez Debelaim quoque fuiſſe fornicariam, tum quia tacetur nomen mariti eius, tum quia talis fuit eius filia Gomer: nam *ſicut mater, ita & filia eius*, ait Ezech. c. 16. v. 44. Appoſitè vxor vocata eſt Gomer, & parens Debelaim: Gomer enim hebr. idem eſt quod conſummatio vel conſumptio; Debelaim idem eſt quod duæ maſſæ ficuum aridarum. quo ſignificatur conſumendam & vaſtandam eſſe Synagogam; *quæ conſummata in fornicatione atque perfecta filia voluptatis, quæ fruentibus ſuauis videtur & dulcis*, ait S. Hieron. eò quòd animo & corpore idolis & voluptatibus ſeruierit. Debelaim enim, id eſt ficus geminæ, ſymbolum eſt voluptatis & dulcedinis geminæ. Vnde Vatabl. *Gomer*, ait, *ſignificat conſumptionem, & Debelaim palatas duas, quibus animi & corporis voluptates intelliguntur, quæ parimt conſumptionem & interitum*, iuxta illud Apoſtoli: *Qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem.* Poteſt quoque hæc gemina voluptas accipi, ſpiritus & carnis, ſiue ambitionis & ventris, putà gulæ & libidinis. Ex his enim duabus oritur omnis concupiſcentia, omne peccatum, omnis ruina hominum. Eſt ergo elegans hîc gnome: Gomer eſt filia Debelaim, id eſt, corruptio eſt filia ficuum, putà eſt filia voluptatis, pœna eſt filia culpæ: hæc enim quaſi mater illam parit; vti enim ficui & pomo vermis, ita & amori ac voluptati dolor, putor & pudor innaſcitur. Præclarè Valer. lib. 9. c. 1. Campana, ait, *luxuria inuictum armis Hannibalem, ſuis illecebris amplexata, vincendum Romano militi tribuit.*

Tropol. corruptio eſt filia voluptatis.

A Denique Arias per geminas ficus ad litteram accipit geminum regnum Hebræorum, ſcilicet Iſrael & Iuda: vtrumque enim idolis & cupediis ſuis erat deditum, ideoq́ue excidio à Deo addictum. Licèt enim hæc prophetia capitis primi propriè & primariò ad Iſrael (hunc enim vocat Iezrahel v. 4.) dirigatur, tamen ſecundariò & conſequenter ad Iuda Iſraelis æmulum & aſſeclam quoque dirigitur.

VOCA NOMEN EIVS IEZRAHEL] Oſee iubetur VERS. 4. à Deo primum filium ſuum ex fornicaria vxore genitum vocare Iezrahel, vt per eum Hebræis repræſentet cladem imminentem Iezraheli, id eſt Iſraeli, ſiue decem tribubus.

Iezrahel hebr. quadruplex habet etymon, & quatuor ſignificat. Primò, Iezrahel dicitur quaſi זֶרַע אֵל *zera el*, id eſt, ſemen Dei. Secundò, quaſi זְרוֹעַ אֵל *zeroa el*, id eſt, brachiũ Dei. Tertiò, quaſi יִזְרֶה אֵל *iizzera el*, id eſt, aſperget malum vel contritionem Deus. Quartò, quaſi זָרָה אֵל *zara el*, id eſt, ſparget vel diſperget Deus, ſcilicet Iſraelitas, vt captiui eant in Aſſyriam, & ſpargantur per totum orbem. Rurſum Iezrahel notat Iſrael, imò idem eſt cum Iſrael, ſi litteram ז commutes in שׁ, & ע in א affine. *Iezrahel ſignificata quatuor.*

B Nota. Iezrahel erat vrbs regalis, & metropolis decem tribuum, ait S. Hieron. eratq́ue terminus tribus Manaſſe & Iſſachar, ſita in pede montis Gelboë ad Occidentem, inſigni turri & ſpecula, qua per totam Galilæam vſque ad Carmelum, Thabor, Libanum, ac vltra Iordanem patebat proſpectus, illuſtris. Iuxta hanc vrbem erant campi amœniſſimi & fertiliſſimi, ac vallis vaſtiſſima, quæ plus quàm decem millibus paſ-
C ſuum tendebatur, quæ ab vrbe vicina, vallis Iezrahel dicebatur; ſicut viciſſim vrbs à valle fertiliſſima dicta eſt Iezrahel, id eſt, ſemen Dei, quod ſemen in meſſe vberrimum, putà centuplum redderet, vt videretur eſſe ſemen Dei, & à Deo benedictum. Ante vrbem erat vinea & ager Nabot, qui adhuc temporibus Borchardi & Bredembachij oſtendebatur, vt ipſi ſcribunt in deſcriptione terræ ſanctæ. Porrò Deus iubet Oſee, vt ſuum primogenitum ab hac vrbe & valle vocet Iezrahel, vt per eum repræſentet Iſrael. Vnde cauſam nominis ſubdit dicens:

QVONIAM ADHVC MODICVM, ET VISITABO SANGVINEM IEZRAHEL SVPER DOMVM IEHV] *Iehu* nominat, quia eius poſteri tum regnabant in Iſrael, erantq́ue propagatores idololatriæ. Regnabat enim tunc Ieroboam, qui fuit tertius à Iehu: Iehu enim ſucceſſit Ioachas filius,
D huic Ioas, huic Ieroboam, huic Zacharias qui occiſus eſt à Sellum, in eoq́ue ſtirps Iehu exciſa eſt.

Ex verbis Oſee liquet, & omnes fatentur, alludi hîc ad hiſtoriam Achab, Iezabel, Nabot, & Iehu. Iezabel enim vxor Achab per calumniam curauit occidi Nabot in Iezrahel, vt eius vineam ibidem ſitam inuaderet & poſſideret. Quocirca Deus per Eliſæum vnxit Iehu in regem, iuſſitq́; ei vt hoc ſcelus eodem in loco vindicaret. Iehu ergo occidit Iezabel, & curauit eam ſepeliri in agro Iezrahel. Inſuper omnes filios Achab iuſſit occidi in Samaria, eorumq́ue capita ad ſe miti in Iezrahel, 4. Reg. c. 9. & ſeqq.

Iam Primò, Arias verba textus ſic explicat, *Primus explicatio.* q.d. Voca ô Oſee filium tuum Iezrahel, id eſt

brachium

brachium Dei, quia ſicut ego Deus brachio meo in Iezrahel effudi ſanguinem Iezabel & filiorum eius, ita eodem effundam ſanguinem poſterorum Iehu, quia Achabo & Iezabeli ſimiles ſunt in ſcelere. Hic ſenſus alienior videtur. Sanguis enim Iezrahel in genitiuo hic accipiendus eſt, quaſi ſanguis Iezrahelis, velut perſonæ cuius ſanguis effunditur; non in datiuo vel ablatiuo, quaſi ſanguis Iezrahele vt brachio, vel inſtrumento effuſus.

Secunda. Secundò, Theodoret quem ſequitur noſter Emmanuel, Iezrahel, inquit, id eſt, ſemen Dei eſt Iſrael, qui eſt populus Dei, putà decem tribus. Sanguis autem in Scriptura vocatur homicidium, & per catachreſin quoduis enorme peccatum & ſcelus, quale hîc eſt idololatria, præſertim quia idololatræ non rarò fundebant ſanguinem occidendo pueros, alioſque homines, eoſque immolando Moloch, Baal, aliiſque idolis, atque ſemper occidebant animas tum ſuas, tum ſuorum. Hic ſenſus myſticus potiùs videtur, quàm litteralis.

Tertia. Tertiò Rupert. Vatabl. & Anton Fernan. in viſione 1. lect. 3. exponunt, q d. Puniam ſanguinem Iezabelis & filiorum eius à Iehu effuſum in Iezrahel; quia licèt me iubente id fecerit, tamen ipſe in illa cæde non tam ſtuduit meæ voluntati, quàm ſuæ ambitioni ſeruire: vt ſcilicet occiſo ſemine regio, ipſe regnum inuaderet, & quaſi tyrannus regnaret. Hic ſenſus non ſatis reſpondet Scripturæ, quæ ob hoc factum laudat Iehu, eiq; regnum promittit vſque ad quartam generationem 4. Reg. 9. & ſeq.

Quarta. Quartò, Chriſt. à Caſtro, Iezrahel, inquit, eſt Iſrael, eiuſque primus rex Ieroboam, cæterique eius reges: q. d. Vindicabo ſanguinem Iezrahel, id eſt Iſraelitarum, effuſum per Ieroboam & cæteros Reges, præſertim oriundos è familia Iehu, eò quòd ipſi pios Iſraelitas renuentes ire in Dan & Bethel ad adorandos eorum vitulos aureos, occiderunt. Id enim feciſſe Ieroboam patebit cap. 5. quocirca euertam domum Iehu, totumque regnum Iſrael. Verùm hoc incertum eſt: nuſquam enim legimus quòd Iehu renuentes adorare idola occiderit. Hic tamen ſenſus, vti & alij iam recenſiti, quaſi acceſſorij & partiales locum habere & admitti poſſunt, ſuntque probabiles. Sed quærendus eſt ſenſus principalis & genuinus.

Quinta & genuina. Dico ergo, quia verba Prophetæ manifeſtè alludunt ad ſtragem domus Achab editam à Iehu in Iezrahel, eique ſimilem minantur; hinc primus & principalis ſenſus hic eſt, q. d Ego Deus, ô Iehu, elegeram te vt idololatriam inuectam à Ieroboam & promotam ab Achab & Iezabel in Iſrael, euerteres; ideoque te regem conſtitui, iuſſique vt occideres & ſepelires omnes poſteros Achab, idque in valle Iezrahel, eò quòd ipſe in eadem fidelem meique cultorem Nabot interemerat. Quòd ſi id non faceres, ſed eis occiſis foueres nihilominus eorum idola, ſcires te ſimilem horribilem, imò horribiliorem, Dei vindictam experturum. At tu quaſi vecors & temerarius huius ſeueræ vltionis Dei contra Achab, cuius ipſe miniſter & carnifex fueras, oblitus, in eumdem lapidem impegiſti, eadē idola coluiſti. Hoc eſt enim quod dicitur 4. Reg. 10. 29. *Deleuit itaque Iehu Baal de Iſrael; verumtamen à peccatis Ieroboam, qui peccare fecit Iſrael, non receſſit, nec dereliquit vitulos aureos. Viſitabo* ergo *ſanguinem Iezrahel ſuper domum* tuam, hoc eſt, domui tuę ſimilem plagam & ſtragē inducam, qualem tu meo iuſſu induxiſti ſuper domum Achab in Iezrahel. Itaque ſicut tu filiorum eius omnium ſanguinem effudiſti, ita & omnium tuorum effundetur, omneſque poſteri tui regno & vita ſpoliabuntur, ac paulò pòſt, putà poſt quadraginta annos, totus Iſrael qui te in idololatria ſecutus eſt, vel occidetur, vel captiuus abducetur in Aſſyriam. Quocirca vt hoc Iſraelitis, ô Oſee, repræſentes, iubeo vt filium tuum voces Iezrahel, eiſque explices ideo eum vocari Iezrahel, vt meminerint Iezabelis & filiorum Achab occiſorum & ſepultorum in Iezrahel ob idololatriam, fugiantque ſe ob eamdem cauſam pari modo occidendos vt quoties nominarint vel audient nominari nomen filij tui Iezrahel, toties eis recurrat & redeat in mentem ſtrages domus Achab, facta in Iezrahel, & eorū ſimilis propediem facienda, quam ego hîc per te eis intēto, ita Mariana & alij. Vnde Iezrahel, æquè ac Sodoma, prouerbialiter ſignificat ingentem vindictā, ingēs excidium, ait Sanchez.

Vbi Nota. Pro *viſitabo* Syrus vertit, *vleiſcar*: hebr. eſt פָּקַדְתִּי *pakadti*, quod valdè generalis & anguſtæ eſt ſignificationis; nec tantùm vindicare, vleiſci & punire ſignificat, ſed in genere idē eſt quod requirere, recenſere, imponere, inducere. Senſus ergo eſt, q d *Viſitabo*, id eſt requiram, *ſanguinem Iezrahel ſuper domum Iehu*, dicamque: Cur tu ô Iehu effudiſti ſanguinem domus Achab in Iezrahel? nónne id feciſti meo iuſſu quia idololatræ erant, & idololatriæ duces in Iſrael? Quare ergo tu non es veritus eadem idola colere & propugnare? Eſto ergo eis ſimilis in pœna, quibus fuiſti ſimilis in culpa: illorum ſanguis à te effuſus eſt; tuus quoque effundatur: ſtirps illorū exciſa eſt; & tua exſcindatur. *Viſitabo* ergo, id eſt requiram, & recenſebo ac annumerabo ſupplicia domus Achab domui tuæ, dicamque: Ecce Achab peccauit in tot tantiſque idolis & ſceleribus tu ô Iehu in totidem peccaſti. Quocirca ſicut Achab tot plagis, omniumque (puta à ſeptuaginta) filiorum ſtrage puniui, ita & totidem plagis te puniam: ac ſicut numerum culparum, ita & plagarum Achab, tibi tuæque domui annumerabo & accenſebo, hoc eſt, inducam & infligam.

Hic eſt ſenſus principalis, cui tamen cæteri annexi & connexi ſunt. Itaque ſecundam Theodoreti expoſitionem & quartam Chriſtoph à Caſtro hîc iam addas, hoc modo, q d. Quia tu ô Iehu, inſtar Achab, piorum Iſraelitarum Deum verum colentium, tuoſque vitulos aureos ſpernentium, qui erant Iezrahel, id eſt ſemen, hoc eſt populus, Dei, ſanguinem effudiſti; & quia omnes Iſraelitas ad ſanguinem, id eſt ad enorme ſcelus idololatriæ, compuliſti, ideo inſtar Achab ſanguis tuorum omnium effundetur. Et ſicut ſanguinem Nabot ab Achab effuſum, in Achabi domo omnem eius ſtirpem occidendo vltus ſum, ita & ſanguinem fidelium à te & tuis effuſum in tua familia, eam euertendo, vleiſcar; graue enim crimen, & in cælum clamans vindictam eſt occiſio innocentis, præſertim fidelis & ſancti. Nam, vt ait S. Auguſtinus in pſal. 9, explicans illud: *Sedet in inſidiis*, &c. *vt interficiat innō-*

innocentem; *Innocentem interficere eſt ex innocente facere nocentem*. quæ eſt peruerſio tam iuſtitiæ, quàm naturæ.

Dices, Sanguis poſterorum Achab effuſus eſt in Iezrahel, non ob eius idololatriam, ſed quia ipſe ibidem effuderat ſanguinem Nabot, vt eius vineam occuparet. Ergo hæc non rectè adaptantur ſanguini poſterorum Iehu effundendo ob idololatriam. Reſpond. antecedens eſſe falſum. Hæc enim ſtrages inducta eſt domui Achab ob idololatriam, vti diſertè dicitur 4. Reg. 21.22.26: determinatio verò loci, quòd ſcilicet fieret in Iezrahel, facta eſt ob occiſum ibidem Nabot, qui erat idolorum hoſtis, & vnius veri Dei cultor.

Nam ad idololatriæ pœnam hæc omnia ſpectare, patet ex eo, quòd ea de cauſa iubeatur Oſee ducere fornicariam, & gignere filios fornicationum, vt idololatriam Iſraelitarum repræſentet. Vnde ait: *Quia fornicans fornicabitur terra*, myſticè ſcilicet cum idolis; ideoque ei ſanguinem & exitium intentat.

Huc pertinet explicatio quam ex Chaldæo afferunt Haymo, Hugo, & Albertus, quæ talis eſt: Viſitabo, id eſt, imputabo ſanguinem domus Achab à Iehu effuſum in Iezrahel, ipſi Iehu eiuſque domui, eò quòd ipſe eadem idola coluerit, ob quæ filios Achab occidit, eiuſque ſtirpem euertit; ac proinde opere ipſo oſtendit ſe iniquè & iniuſtè occidiſſe idololatras; nec tam paruiſſe Dei iuſſui, quàm ſecutum eſſe ſuam ambitionem & tyrannidem, vti dixit Vatabl. cùm ipſe æquè ac illi fuerit idololatra. Itaque ſanguis Iezrahel contra ipſum reuertetur, & in eius domum recurret: meruit enim ipſe qui iniquè idololatras occidit, vt eius, vtpote pariter idololatræ, domus & ſtirps tota ſimiliter exſcindatur, vt, ſicut ipſe idololatras gladio puniuit, ita & eius idololatria gladio puniatur & ſuccidatur. In Iezrahel pulchra eſt annominatio ad eius etymon, q.d. Viſitabo ſanguinem Iezrahel, id eſt, ſeminis & populi Dei, putà piorum Iſraelitarum, quos afflixerunt & occiderunt Achab (vt patet 4. Reg. 9. 7.) & Iehu, ſuper eorum domum & familiam, eroque eis Iezrahel, id eſt, יזרעאל *iizra ra el*, id eſt, inducens malum & contritionem Deus, putà conteram & euertam eos.

Allegor. Denique Septuag. & poſt eos Arabicus, planè aliter vertunt, nimirum, *vlciſcar ſanguinem Iſrael ſuper domum Iuda*. Suſpicor cum S. Hieronymo in eis typographicum eſſe mendum, & pro *Iſrael* legendum eſſe *Iezrahel*, ac pro *Iuda Iehu*. Sic enim habent Hebr. Chald. Latina, & Syrus. Perperam ergo Leo Caſtrius ex verſione Septuag. & ex eo quòd non dicit Propheta, Viſitabo vitulos Ieroboam, ſed, *Viſitabo ſanguinem Iezrahel ſuper domum Iuda*, contendit hæc ad litteram accipienda eſſe de excidio Iudææ & Hieroſolymæ per Titum. Senſum enim eſſe, q.d. Sanguinem Iezrahel, id eſt Chriſti (hic enim dicitur Iezrahel, id eſt ſemen Dei quia non ex ſemine viri, ſed ex Spiritu ſancto eſt conceptus) à Iudæis occiſi vlciſcar ſuper Iuda, euertendo Ieruſalem & Iudæam per Romanos. Perperam, inquam: nam ex toto contextu liquet hîc agi de idololatria Iſrael, eiuſque punitione per Aſſyrios, non de excidio Iudæ per Titum. Hic ergo eius ſenſus myſticus eſt & allegoricus, iſque congruus, non litteralis.

Moraliter diſce hîc, quàm ſeuerè puniat Deus illos qui Dei iudicia & caſtigationes impiorum non æſtimant, nec propter eas ad Dei timorem & vitæ mutationem inducuntur, ſed eadem peccata perpetrant, ob quæ vident alios à Deo caſtigari, imò ſe iuſſu Dei alios caſtigaſſe, quales ſunt impij Principes, Iudices, Prætores, Prælati, Prædicatores, &c. qui ea quæ in aliis puniunt, ipſimet perpetrant. Hac enim de cauſa excidium minatur Deus domui Iehu, quòd peccata Achab, quæ per eum caſtigauerat, non deuitarit. Qui enim tam manifeſtis & acribus diuinæ vindictæ exemplis non emendantur, merentur vt eamdem ſubeundo, aliis ſtatuantur in exemplum. *Tropolog.*

Simili modo & ſenſu dixit Lamech Geneſ 4. 24. *Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties*. q.d. Si Cain qui vnum occidit, ſeptuplum, id eſt multipliciter, punitus eſt; ergo ego Lamech, qui duos occidi, quique pœnam Caini vidi, nec tamen ab eius peccato abſtinui, ſeptuagies ſepties, id eſt, longè grauiùs & multiplicius puniendus ſum. ita S. Chryſoſt ibidem. Sic & Ezech. c. 16. vt & alij Prophetæ Iudæ intentat excidium, eò quòd habuerit legem & tabernaculum Dei (ideoque vocat illum Oolla) ac conſequenter debuerit caſtigare idololatriam Iſraelis ſiue decem tribuum (quas proinde vocat Ooliba) & tamen hoc adeò non fecerit, vt etiam dum videret Iſraelem puniri & exſcindi à Deo, nihilominus in eius ſcelere & idololatria perſtiterit. Talibus meritò intonat Apoſtolus Rom. 2. 1. *Propter quod inexcuſabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas. Eadem enim agis, quæ iudicas. Exiſtimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* Et v. 21. *Qui ergo alium doces, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis*, &c.

ET QVIESCERE FACIAM REGNVM DOMVS ISRAEL] Id eſt, abolebo & euertam regnum Iſrael, ſiue decem tribuum. ita Vatabl. *Domum* vocat tribum & gentem: Hebræi enim ſub Roboam in duas quaſi tribus & gentes fuerunt diuiſi, ſcilicet in Iſrael & Iuda. Præſtitit id Deus paulò poſt hanc prophetiam, ſed ſenſim & paulatim. Hæc enim prophetia facta eſt vltimis annis Ieroboam, qui fuit pronepos Iehu, & pater Zachariæ. Zacharias autem tantùm ſex menſibus regnauit, occiſus à Sellum: ac paulò pòſt regnum Iſrael inuaſit Phul rex Aſſyriorum, eique tributum indixit: deinde Teglathphalaſar, qui cepit & tranſtulit in Aſſyriam tribum Ruben, Gad, & dimidiam Manaſſe. Denique Salmanaſar, qui anno 9. Hoſee vltimi regis Iſrael (qui erat annus 6. Ezechiæ regis Iuda) Samariam cepit, totumq; regnum Iſrael euertit. Poſt Ieroboam ergo & Zachariam circiter 40. anno (mendosè codex S. Hieron. habet 49.) euerſus & captus eſt Iſrael. Vide hiſtoriam 4. Reg. 15. & ſeq.

ET IN ILLA DIE CONTERAM ARCVM ISRAEL IN VALLE IEZRAHEL] *Arcum* vocat robur, vires, arma, milites Iſraelitarum, ſiue decem tribuum. ita S. Hieron. Rupert. Haymo, Lyran. Hugo & alij. Malè ergo Arias per *Iſrael* accipit duodecim tribus, putà tam Iuda, quàm Iſrael. Vers. 5.

Quæres

Quæres, quando & quomodo in valle Iezrahel contritum ſit regnum Iſrael? nihil enim de eo in Scriptura legimus. Aliqui per Iezrahel accipiunt Samariam: ad illam enim confluxit totus populus imminente Aſſyrio, ibidemque ab eo victus & captus eſt. Verùm nuſquam *vallis Iezrahel* capitur pro Samaria, præſertim quia Samaria ſita erat in monte, non in valle. Meliùs ergo alij cenſent ex hoc loco Prophetæ, ante excidiũ Samariæ & gentis, Iſraelitas de more collatis ſignis conflixiſſe cum Aſſyrijs in vicina valle Iezrahel. Hæc enim longiſſimè patet, & aptiſſima erat conflictui. Ibi ergo ſuperati & cæſi ſunt Iſraelitæ ab Aſſyrijs, qui deinde victoriam proſecuti Samariam obſederunt, & euerterunt cum toto regno. ita S. Hieron. Cyril. Theodor. Haymo & alij Interpretes. Vnde Borchard. Breidemb. & ex eis Adrichomius in Deſcriptione terræ ſanctæ, de hac valle ita ſcribit: *Vallis Iezrahel lata duobus milliaribus* (ſed multò longior) *quæ & planicies Galilææ. In valle hac ſeu planicie intermedia magni & multi habiti ſunt conflictus. Hic enim pugnauit Gedeon contra Madianitas, Iudic 6. & 7. Et Saul contra Philiſthæos 1. Reg. 31. Item Achab contra Syros, 3. Regum 20. & poſtea Tartari ibi conflixerunt contra Saracenos.*

Porrò aptè Deus ſtatuit vt Iſrael in Iezrahel cæderetur. Eſt enim magna vis & emphaſis in verborum & rerum tum vicinitate, tum alluſione. q.d. Olim ô decem tribus eratis Iſrael, id eſt populus dominans Deo, cùm pietatem veſtri patris Iacobi ſecuti vni Deo ſeruientes, ab eo impetrabatis benedictionem & omne bonũ quod petebatis, qua de cauſa Iacob vocatus eſt Iſrael, Geneſ. 32. 28. Eratis pariter tunc Iezrahel, id eſt, ſemen & populus Dei. At nunc Deo rebelles & apoſtatæ, cùm ad idola deflexiſtis, non eſtis Iezrahel, id eſt, ſemen Dei; nec Iſrael, id eſt, dominantes Deo; ſed Deusiã iam dominabitur vobis, quaſi hoſtis dominans, ſæuiens & graſſans in vrbe quam capit & vaſtat.

Ipſe ergo cædet vos per Aſſyrios in valle Iezrahel: tum quia ibidem cæſa eſt ſtirps Achab idololatræ, quem vos imitati eſtis; tum quia huic loco aptè conuenit triplex etymon Iezrahel, quod recenſui initio capitis. Eò enim alludit, quaſi dicat: In hac valle ſentietis Iezrahel, hoc eſt Primò, זְרֹעַ אֵל *zeroa el*, hoc eſt, brachium Dei vos feriens & occidens. Secundò, quia ibidem erit Iezrahel, hoc eſt, יִזְרְעֶאל *iizra el*, id eſt, aſperget in vos malum & contritionem Deus. Tertiò, ibidem erit Iezrahel, id eſt, זָרָה אֵל *zara el*, hoc eſt, diſpergens vos Deus in Aſſyriam, omnemque ventum & plagam orbis. Alium ſenſum affert Leo Caſtrius: Vallis, inquit, Iezrahel, id eſt, ſeminis Dei, putà Chriſti, eſt Ieruſalem; quia Chriſtus in Ieruſalem docuit, vixit, crucifixus & mortuus eſt: q.d. Adhuc modicum, id eſt poſt paruum tempus, ſcilicet 40. poſt Chriſti crucem anno, *viſitabo ſanguinem Iezrahel*, hoc eſt, Chriſti à Iudæis crucifixi, *ſuper domum Iehu*, id eſt, ſuper decem tribus: *& conteram Iſrael*, id eſt, Iudæos omnes tam ex decem, quàm ex duabus tribubus, *in valle Iezrahel*, id eſt, in Ieruſalem per Titum. Succreuerant enim poſt captiuitatem decem tribus ex reſiduis captiuitatis, itaque tam regnum Iſrael, quàm Iuda deletum eſt à Tito & Romanis. Verùm hic ſenſus non eſt literalis, vt ipſe contendit, ſed allegoricus & myſticus, iſque appoſitus. Si enim Deus ſanguinem Iezrahel, id eſt Iſrael, vindicauit tam atrociter in domo Iehu; quidni atrociſſimè vindicaret ſanguinẽ vnigeniti filij ſui in gente Iudaica, tam perfidè & ſceleratè ab ea trucidati?

Tropol. pari modo vindicabit Deus & puniet Chriſtianos impiè viuentes, qui, vt ait Apoſtol. Hebr. 10. 29. *Filium Dei conculcauerint, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerint, in quo ſanctificati ſunt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerint. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.*

6. Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen eius, Abiſque miſericordia: quia non addam vltrà miſereri domui Iſrael, ſed obliuione obliuiſcar eorum.

7. Et domui Iuda miſerebor, & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo: & non ſaluabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.

ET CONCEPIT ADHVC, ET PEPERIT FILIAM] Quia Iſraelitæ duri erant & obſtinatii, hinc multis Prophetarum ictibus tundendi erant. Priori ergo filio & oraculo triſti additur hîc ſecundum oraculum & portentum æquè triſte & minax, imò triſtius & minacius; quaſi ſecundus aries, qui ferrea eorum pectora feriat & quatiat. Audi S. Cyrill. lib. 6. Glaphyrorum: *S. Oſeas, inquit, meretricem duxit vxorem, neque infames deprecatus eſt nuptias, & paſſus eſt ſe eſſe patrem infamium liberorum, quorum nomina fuerunt: Non populus meus, Non conſecuta miſericordiam. Prophetarum prædictionibus aduerſabantur Iſraelitæ, neque recipiebant, neque legebant legem Dei. Iubebatur ergo Deus facere ea quæ velut picturæ eſſent rerum futurarum, vt velut in tabula quadam futura planè & apertè depingerentur, vt in aures & in oculos vel nolentium incurrerent, vt qui ſaperent diligerent potiora; vt quos poſſent ab impietate abducerent.* Quoties enim Iſraelitæ has proles Prophetæ, toties ſeipſos quaſi in imagine intuebantur; & quoties eas nomine ſuo compellabant, toties ſeipſos ſuaque fata ſibi à Deo decreta nuncupabant & recenſebant; v.g. cùm vocantes hoſce pueros dicebant, Veni huc *lo rachuma*, id eſt *abſque miſericordia*; adeſdum *lo ammi*, id eſt *non populus meus*, tacitè ſibiipſis dicebant & cogitabant, *Mutato nomine de te fabula narratur.* Tu es quem puer hic repræſentat, tui ille perſonam gerit. Tu ergo es non populus Dei, tu es abſque miſericordia, quem Deus reiecit & reprobauit.

VERS. 6. *Secunda proles Oſee quid ſignificet*

FILIAM] Filia hæc idem repræſentat quod primus Oſee filius Iezrahel, ſcilicet Iſraelis ſiue decem tribuum vaſtationem. Sed cur primus eſt filius, ſecunda filia? Reſp. cauſa phyſica eſt, quia ſolent coniuges nunc filios, nunc filias generare. Cauſa ſymbolica eſt prima, vt repræſentet tam viros, quàm feminas, vtpote idololatriæ participes, hac clade inuoluendas. Secunda, filia repræſentat infirmitatem & debilitatem Iſraelitarum, qua ob peccata non tam viri, quàm feminæ facti, Aſſyrijs non potuerunt reſiſtere. ita S. Hieron. Chaldæus, Cyrill. Haymo, Hugo & Rabbini. Tertia, hi tres filij repræſentant idem,

Cur filia, non filius?

scilicet Israelitarum cladem & excidium; sed simul repræsentant huius cladis tres quasi partes & gradus. Itaque primus Iezrahel repræsentat stragem stirpis Iehu, vti expresè dicitur v. 4. nam regnante ea stirpe validum adhuc & quasi masculum erat regnum Israel. Iehu autem stirps excisa est in Zacharia abnepote quem occidit Sellum tyrannus. Secunda filia repræsentat statum debilem & infirmum, quę habuit regnum Israel post Zachariam sub Sellum, Manahē, & Phacea regibus Israel; quando Salmanasar multis rapinis, cladibus & captiuitatibus ita attriuit & attenuauit regnum Israel, vt iam inclinaret ad ruinam. Tertius filius repræsentat plenam gentis stragem & regni excidium sub Phacee penultimo, & sub Hosee vltimo rege Israel. ita Isidorus Clarius & R. Dauid. Phacee enim rex impius & crudelis centum Iudæorum millia occidens, & Ierusalem cum Rasin rege Syriæ obsidens, concitauit in se suumque regnum Israel iram Dei, eiusque excidium accelerauit, vti prædixit Isaias cap. 8. 6. & seq. Possent quoque tres hæ proles repræsentare tres reges Assyriorum, scilicet Phul, Teglathphalasar, & Salmanasar, qui vastarunt & carpserunt regnum Israel, donec Salmanasar capta Samaria illud planè euertit.

ET DIXIT (Deus) EI (Osee) VOCA NOMEN EIVS, ABSQVE MISERICORDIA] vt per hanc prolem significes Israelitas misericordia Dei indignos & incapaces, iusto Dei decreto certo exitio esse destinatos; vnde explicans subdit, *Quia non addam vltrà misereri domui Israel*; Septuag. *non addam vltrà vt diligam eos*, q.d. Sæpiùs antehac Israelitis ob peccata afflictis & pœnitentibus misertus sum, dum eis misi Gedeonem, Samsonem, Dauidem, aliosque reges & iudices, siue vindices populi: at nunc, quia peccandi & idololatrandi finem nullum faciunt, & quia in sceleribus suis sunt obstinati & impœnitentes, eorum ampliùs non miserebor, sed sine vlla spe veniæ aut misericordiæ, tradam eos gladio & igni Assyriorum.

Hebr. pro *absque misericordia*, est לֹא רֻחָמָה *lo rachuma*. Hoc ergo fuit nomen proprium filiæ Osee. Censet Arias לֹ *lo*, id est *non*, scilicet, *miserebor*, ad Israel siue decem tribus spectare; רחמה verò *rachuma*, id est *misericordiam consecuta*, spectare ad Iudam: de quo subdit, *Et domui Iuda miserebor*: quia Iuda ex captiuitate redijt, non Israel. Verùm hoc subtilius est quàm solidius: רחמה enim *lo rachuma* vnicum est nomen, vnumque significat, scilicet Israelis derelictionem à Deo: quare לא *lo* à *rachuma* diuelli nequit. De Israele enim propriè hîc agitur, non de Iuda: obiter verò tantùm additur illud, *Et domui Iuda miserebor*, vt per hoc Israelis pœna augeatur, dum se solum exitio destinatum, sibique vindictam, Iudæ verò vicino & fratri suo misericordiam parari audit.

SED OBLIVIONE OBLIVISCAR EORVM] Hebr. כִּי־נָשֹׂא אֶשָּׂא לָהֶם *ki naso essa lahem*. quod variè vertitur: Hebr. enim נָשָׂא *nasa* varia significat, scilicet portare, tollere, eleuare, parcere.

Quocirca Primò, Chald. vertit, *si resipuerint parcendo parcam eis*. Sed hæc versio repugnat nomini, *Absque misericordia*.

Secundò, Vatabl. vertit, *tollendo tollam eos à facie mea*.

Tertiò, R. Dauid, *eleuando eleuabo super eos*, scilicet, hostes Assyrios.

Quartò, Septuag. non verbotenus, sed sensum reddentes vertunt, *aduersans aduersabor eis*, vel potiùs, vt alij legunt, *auersans auersabor eos*.

Quintò, alij, *exportando exportabo eos* in captiuitatem.

Sextò, alij, *decipiendo decipiam eos*, vel, *seducendo seducam eos*. Hebr. enim *nasa*, si *sin* habeat punctum in dextro cornu, significat seducere, decipere.

Septimò, Nosier & alij vertunt, *obliuiscendo obliuiscar eorum*, id est, planè & omnino obliuiscar eorum; eradam eos ex mea memoria, vt numquam amplùs velim de eis cogitare aut loqui. Hebr. enim *nasa* per *he* significat obliuisci. Literæ enim *aleph* & *he* apud Hebræos sunt commutabiles, & sæpè vna pro alia ponitur.

Nota catachresin. in Deo enim propriè nullius rei est obliuio, vtpote qui summa pollet sapientia, cuique omnia & præterita & futura obiectiuè semper præsentia sunt: dicitur tamen obliuisci, cùm abijcit, negligit, & derelinquit aliquē, ita vt hominibus videatur eius esse oblitus. Sicut ergo irasci dicitur, cùm punit; recordari, cùm benefacit; dormire, cùm differt vel pœnam, vel præmium: ita obliuisci, cùm negligit & abijcit. Pulchrè S. August. libr. 1. Confess. cap. 4. *Amas*, inquit (ô Domine) *nec æstuas zelas, & securus es; pœnitet te, & non dolet; trascris, & tranquillus es; opera mutas, nec mutat consilium.*

Moral. ingens est pœna peccatoris cùm Deus illius obliuiscitur: quia signum est eius impœnitentiæ & obstinationis, æquè ac derelictionis & reprobationis diuinæ. Talis ergo nihil gratiæ, nihil sapientiæ, nihil boni expectare potest à Deo, à quo quasi à sole omnis lux & omne bonum dimanet necesse est. Causa huius obliuionis Dei est, quòd peccator priùs obliuiscatur Dei; quæ ei omnium malorum est causa. Vnde vt hanc sui obliuionem Deus populo excutiat, clamat per Ieremiam cap. 2. 31. *Numquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris.* & Isaias cap. 17. 1. *Oblita es Saluatoris tui.* Et cap. 51. 13. *Oblitus es Domini factoris tui.* Etc. 44. 21. *Memento horum Iacob & Israel, quoniam seruus meus es tu: formaui te,* &c. *ne obliuiscaris mei.* Ex aduerso orat Psaltes psal. 12. 2. *Vsquequo Domine obliuisceris mei in finem?* Et psalm. 41. 10. *Quare oblitus es mei, & quare contristatus incedo dum affligit me inimicus?* Porrò hanc pœnitentiam infligit Deus peccatori iustè & congruè: qui enim obliuiscitur Dei, lege talionis meretur viciſſim vt Deus eius obliuiscatur.

Mor. obliuio Dei quantum malum.

Vis ergo vt Deus tui non obliuiscatur, sed iugiter recordetur? noli eius obliuisci, sed iugiter eius recordare, semper eum ante oculos & in mente habe. Hinc B. Catharinæ Senensi hoc dogma dedit Christus: *Filia recordare mei, & ego recordabor tui. De me semper cogita, & ego de te pariter cogitabo.* ita habet eius Vita. Quocirca S. Dominicus suis edicebat, *vt continuò cum Deo, vel de Deo loquerentur.* & S. Thomas Aquinas dicere solebat: *Religiosus non est, qui non semper in mente habet Deum.* Hoc est quod clamat Psaltes psal. 63. 7. *Miserationum Domini recordabor.* Et Ieremias c. 51. 50. *Recordamini procul Domini.* Ita Ionas in ventre

tre ceti cap. 2. 8. *Cùm angustiaretur*, ait, *in me anima mea, Domini recordatus sum, vt veniat ad te oratio mea*: & mox Deus vicissim eius recordatus *dixit pisci, & euomuit Ionam in aridam.* Rursum Psaltes fructū huius memoriæ significat dum ait psal. 76. 4. *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Et psal. 113. 12. *Dominus memor fuit nostri, & benedixit nobis.* Ergo cum Isaia c. 26. 8. assiduè dicamus: *Domine nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis manè vigilabo ad te.*

VERS. 7. ET DOMVI IVDA MISEREBOR] Quia Iuda licèt aliquos habuerit impios reges, & nonnullos è populo; multos tamen habuit fideles & pios reges, quos secutus est populus: vt Iosaphat, Oziam, Ezechiam, Iosiam, & præsertim Dauid, cui Deus promisit & iurauit psal. 88. misericordiam & regnum stabile, ac Christum ex eius semine nasciturum. Israel verò cum omnibus suis regibus à primo Ieroboam, vsque ad vltimum Hosee per annos 256. continuè coluit idola, putà vitulos aureos in Dan & Bethel, ideoque Deus eius misereri noluit, sed eum funditus excidit. Secundò, quia ex Iuda nasciturus erat Christus, ita enim decreuerat Deus. vnde subdit, *Et saluabo*, &c. Nota. In Deo nulla est passio, sed sola omnisque virtus. Misericordia ergo qua virtus est in Deo, non qua passio. Misericordia enim in Deo est affectus beneuolentiæ, quo cupit succurrere miseriæ nostræ, eamque leuare & tollere, vel certè mitigare. In hominibus verò est virtus, & simul est passio, concitans teneritudinem animi, compassionem & sensum miseriæ alienæ, lachrymas, planctum, &c. quæ in Deo esse nequeunt. Deus enim est ἀπαθὴς & impassibilis. Quocirca verè Lactant. lib. de Ira Dei cap. 16. reprehendit eos, qui nullum animi motum, nullum affectum putant esse in Deo, ac subdit: *Et quia sunt aliqui affectus qui non cadunt in Deum, vt libido, timor, auaritia, mœror, inuidia, omni prorsus affectu eum vacare dixerunt: his enim vacat, quia vitiorum affectus sunt: eos autem qui sunt virtutis id est, ira in malos, charitas in bonos, miseratio in afflictos, quoniam diuina potestate sunt digna, proprios, & iustos, & veros habet.*

Misericordia qua virtus, est in Deo, non qua passio.

Vnde & Ecclesia orat: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere*, &c. In Deo ergo est verus & proprius actus misericordiæ, æquè ac charitatis, sapientiæ, aliarumque virtutum. Deus enim cùm sit vita, habet hosce actus vitales virtutum; sed hi non sunt in eo accidentia, vti sunt in nobis, sed sunt idem cum eius essentia. Hæc enim cùm sit immensa, & infinitæ virtutis, perfectionis, & actiuitatis (est enim ipsa actus quidam immensus & efficacissimus) in se continet & absorbet omnes actus virtutum, qui in angelis & hominibus sunt diuisi & discreti, quia finiti & terminati. Sicut ergo mare absorbet omnia flumina, nec ijs augescit vel intumescit, quia vastum est & quasi immensum, vt eius respectu flumina sint instar guttæ, quam illico sorbet; ita & diuinitas est mare quod omnes dotes & perfectiones sorbet, aut potiùs in se continet. Rursum, sicut diuina essentia ob sui immensitatem eadem est cum Patre, & eadem cum Filio, & eadem cum Spiritu S. quæ sunt tres personæ distinctissimæ & realiter diuersæ, ita multò magis eadem essentia diuina identificatur cum intellectu, voluntate, amore, alijsq; potentijs & actibus diuinis tum circa se, tum circa creaturas. Cùm enim ipsa quaquauersum plenè & planè sit infinita, hinc nihil prorsus ei addi potest: quia quidquid cogites vel optes, iam antè in ipsa extitit, illudq; ipsum cōmunicat creaturis sine vlla sui imminutione vel mutatione. Tanta enim est in ipsa omnis boni plenitudo, vt nulla fingi possit accessio; tanta firmitas, vt nulla diminutio. Quidquid ergo in tota multitudine angelorum, hominum, & creaturarum omnium sparsim habetur boni, id totum in Deo est collectum in simplicem vnitatem, idque sine limitatione & infinitè. Hinc fit vt Deus per simplicissimam suam essentiam formaliter sit sapiens, iustus, misericors, &c. adeoque sit ipsa sapientia, bonitas, iustitia, misericordia, &c. Ipsa ergo essentia Dei per se præstat sola, quod in creaturis præstant bonitas, sapientia, misericordia, aliæque plurimæ & diuersissimæ virtutes, sed modo eminentissimo & illimitato. Quis iam non amet hoc bonum in quo omne bonum? imò quis amet aliud bonum, quood cum eo comparatum vmbra est, & potiùs priuatio boni quàm bonum?

ET SALVABO EOS IN DOMINO DEO SVO] Idd est, per Dominum, ope & viribus non ipsorum, sed Domini. Nota hebraismum. Hebræi enimm de se loquuntur in tertia persona ac si de aliquoo alio loquerentur. Sic dicitur Genes. 19. 24. *Dominus pluit super Sodomam ignem à Domino*, id est, à se ipso. Et Numer. 12. 7. *At non talis seruus meus Moses, qui*, &c. *palàm Dominum*, id est me, *videt.*

Chald. vertit, *saluabo eos per verbum Domini Dei sui*, id est, per Dei promissionem fidelem & firmam, qua salutem à se promissam reipsa præstabit. Mysticè per *verbum*, id est, per filium suū, qui ex Iudæis carnem assumet & homo nascetur; q d. Saluabo eos per Iesum, id est, saluatorem mundi. Ita S. Hieron. & S. Hilar. lib. 4 de Trinit. sub finem. Imò Leo Castrius ad literam putat Propheram hîc loqui de Christo, qui salutem attulit Iudæ, id est, credentibus; & repulit Israel, id est, incredulos. Verùm patet ex dictis, hæc allegorica esse, non literalia. Porrò licèt hæc verba sint generalia & communia toti S. Trinitati, tamen mysticè appropriari possunt Filio: illi enim appropriatur salus, liberatio & redemptio. Quæres, de qua salute Iudæ ad literam loquitur hîc Propheta? Primò, S. Hieron. Cyrill. Haymo, Theodor. Rupert. Lyran. Hugo & Vatab. putant eum loqui de ea qua liberauit Ezechiam, & duas tribus à manu Sennacherib, occidendo in eius castris vna nocte per angelum 185 millia Assyriorum, 4. Reg. 19.

Secundò, & potiùs, loquitur Propheta de salute, quam Iudæis attulit Cyrus liberans eos è captiuitate Babylonica. Hæc enim longè maior magisque optata, iucunda, plena, & vniuersalis omnium fuit salus: & in hac rectè Iuda opponitur & anteponitur Israeli, qui numquam ex captiuitate Assyriaca redijt. Ita ijdem auctores paulò antè citati.

Nota. Duas tribus, scilicet Iuda & Beniamin, sub Cyro eos laxante ex Babylone, redijsse in Iudæam, certum est ex 1. Esdræ c. 1. Idem de decem tribubus quæ ante duas abductæ erant in Assyriam, scilicet eas inde redijsse in Samariam, censent

sent S.Cyril.in Osee 11.Theodor.& Theoph.in Osee 3.Verùm contrariũ, scilicet has ex Assyria numquã redijsse patet ex hoc loco,& ex 3.Reg. 17.23.& ex Iosepho lib.11.Antiq.c.5.Estq; communis S.Hieron.hîc & in Malach.2. Catholicorum æquè ac Hebræorum omnium sententia.

An decem tribus ex Assyria redierint

Dices,eas redituras prædicit hîc Osee v.11. & c.11.v.8. & seq. & c.12.v.9. & c.14.v.6. ac Ezechiel c.37.v.16.& 22.& Ieremias c.50.4.ac Tobias c.14.v.6. dicens: *Propè erit interitus Niniue, & fratres nostri qui dispersi sunt à terra Israel, reuertentur ad eam.* Respondeo, Osee, Ieremias, Ezechiel loquuntur de reditu & libertate spirituali (non corporali) quam multi ex Israelitis, æquè ac ex Iudæis, adepti sunt per fidem in Christum. de quo plura inferiùs. Tobias verò loquitur de reditu Iudæorum non in Samariam, sed in Ierusalem. Ait enim: *Domus Dei quæ in ea incensa est iterum readificabitur; ibiq; reuertentur omnes timentes Deum, & relinquent Gentes idola sua, & venient in Ierusalem, & inhabitabunt in ea.* Fateor tamen non paucos ex Israelitis siue Samaritis, excisa Niniue vbi detinebantur captiui, fugisse in Ierusalem, ibiq́ue cum Iudæis in templo coluisse Deum: & hoc videtur innuere Tobias, cùm post excisam Niniuen statim subiungit: *Et fratres nostri qui dispersi sunt à terra Israel, reuertentur ad eam.* Verùm hæc reuersio fuit priuata paucorum fugientium, non communis & publica; quia nec auctoritate publica Assyriorum vel Chaldæorum, nec communi consilio & conspiratione Israelitarũ peracta est (vti Iudæorum reuersio è Babylone facta est auctoritate Cyri, & communi populi consensu, duce Nehemia & Esdra) sed quisque vel mansit in Niniue, vel redijt in Iudæam, vel aliò migrauit, prout cuique libuit, vel commodius fuit. Simili modo anteriùs non pauci Israelitæ fideles & pij, fugientes idololatriam Ieroboam & cladem Israeli instantem, ex Samaria fugerunt in Iudæam, ibiq́ue sedem fixerunt, vt patet 2.Paral.11.16.& c.15.v. 9.& cap.30.v.1.& ex Iosepho lib.8. Antiq.c.3. Hi cum Iudæis in Babylonem abducti, indeq́ue cum ijs reducti, postea valdè multiplicati sunt. Multi etiam in ipso excidio Samariæ profugerunt in vicinam Iudæam. Multi etiam pauperiores relicti sunt in Samaria, ad eam colendam, cùm cæteri ducerentur in Assyriam: sicut in excidio Iudææ & Hierosolymæ, Chaldæi in ea reliquerunt aliquot Iudæos, vt essent vinitores, agricolæ &c. vt patet 4.Reg. vlt.12. Vnde his, putà ex Zabulon & Nephthalim prognatis, prædicauit Christus Matth.4.13. & ex his plerosque Apostolos elegit, vt patet psalm.67.28.& Isaiæ 9.1. Hinc & Anna Prophetissa quæ erat ex tribu Aser, habitabat in Iuda & Ierusalem, Lucæ 2.36.

8. Et ablactauit eam, quæ erat Absque misericordia. Et concepit, & peperit filium.

9. Et dixit: Voca nomen eius: Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero vester.

10. Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quæ sine mensura est, & non numerabitur,

ET ABLACTAVIT EAM] Hæc ablactatio filiæ typicè significabat pari modo Israelitas priuandos esse lacte, id est, doctrina, oraculis, promissis, lege, gratia, omniq́ue fauore & consolatione Dei. ita S.Hieron. Haymo, Lyran.& Vatabl. ac iugi captiuitati tradendos, in qua Gentilium cibis, moribus & ritibus sustentarentur. ita Rupert.& à Castro. VERS.8.

ET CONCEPIT, ET PEPERIT FILIVM, putà tertiam prolem. ET DIXIT ei, scilicet Deus Osee, vt patet v.4. VOCA NOMEN EIVS, NON POPVLVS MEVS] Nomen ergo tertiæ prolis erat לא עמי *loammi*, id est, *non populus meus*. Iam Primò, Ruffinus & Albertus putant hanc prolem significare duas tribus, putà Iudæos in Babylonicam captiuitatem à Deo abiectos: Vatabl. & Arias eosdem à Tito & Romanis planè excisos. Verùm hoc cap. vaticinatur Propheta excidium Israelis, siue decem tribuum; non duarum, siue Iudæorum. De his enim paulò antè contrarium dixit v.7. nimirum: *Domui Iuda miserebor, & saluabo eos.* Secundò, alij putant hîc significari Cuthæos, id est, Assyrios, qui ex Cuth alijsq́ue locis à Salmanasar translati sunt in Samariam, cùm ipse inde Israelitas in Assyriam abduceret. Cuthæi enim non fuerunt populus Dei, quia cum Deo Israel coluerunt idola Assyriorum, vti dicitur 4.Reg.17.v.41. Verùm Cuthæi non fuerunt Israelitæ, sed Gentiles. Pergit ergo Propheta prophetare de excidio & vastitate Israelis, siue decem tribuum, earumq́; omnimodam abiectionem & reprobationem à Deo, tertiæ huius prolis nomine repræsentare iubetur, quòd scilicet Israel amplius non sit futurus populus Dei, sed Gentium & idolorum, atque inter Gentes victurus, ibiq́ue prole & robore crescens, quasi puer masculus in gentilismo vir fortis & robustus sit euasurus. ita S.Cyrill. S.Hieron. Theodor. Chald. Rupert. Haymo & alij. Sic ex aduerso Isaias cap.8.3. à Deo iubetur vocare filium suum, *Sear Iasub*, id est, reliquiæ conuertentur; vt significet reliquias Iudæorum ad Deum & Christum conuertendas, vti ibidem dixi. Talia nomina prophetica, & quasi omina à Deo indita, crebra sunt in Scriptura: vt, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth.16.18. Sic Christus Iacobum & Iohannem vocauit *Boanerges*, id est, filios tonitrui, tonantes scilicet & fulminantes. Sic Isaias c.8.1. nomen pueri Emmanuelis dicit fore: *Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Simili schemate dixit Poëta: VERS.9.

Sint Mæcenates, non deerunt, Flacce, Marones.

Et Virgil. eclog.4. Iulium Cæsarem 13. vulneribus in curia confossum vocat Daphnidem, eiusq́ue apotheosin canit:

Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusq́; videt nubes, & sidera Daphnis.
Ipsa sonant arbusta, Deum Deus ille, Menalca.

Porrò Gentiles sæpè ab euentu vel præsenti, vel futuro nomina accipiebant, vel commutabant. Sic apud Græcos teste Cicer. lib.de Orat. Tyrtamus, postea ab eloquentia Euphrastes, tandem à diuinitate loquendi Theophrasti nomen inuenit. Philosophorum Homerus, qui ab auo Aristoclis nomen acceperat, à pectoris latitudine, vel potiùs à latissima felicissimi ingenij ad disputandũ copia, Plato fuit appellatus teste Plutarch.

Plato vocatus rifluchi

in

in Platon. Apud Romanos ille Tyrius, qui priùs Malchus (quod priſca Hebræorum & Phœnicum lingua regem ſonat) dicebatur, demũ Longino Caſſio præceptore ſuo id volente, à regum purpura Porphyrium ſe trãſnominauit. ita Porphyrius in Vita Plotini. Ita & Imperatores recèns creati noua accipiebant vel nomina, vel cognomina. Seuerus Afer vt populo Romano placeret, Pertinacis; Iulianus vt militibus voluptuarijs ſatisfaceret, Commodi cognomen accepit. Ita Herodian. lib.2. Sic nunc in Sacramento Confirmationis cuique licet nomẽ ſuum permutare: quin & in ingreſſu Religionis multi illud permutant, vt v.g. apud Franciſcanos Franciſci, apud Dominicanos Dominici, apud Benedictinos Benedicti nomen accipiant, vt fundatorum Ordinis ſui virtutes cum nomine ſemper ob oculos ponant, eaſq́ue æmulari & moribus exprimere conentur.

QVIA VOS NON POPVLVS MEVS, ET EGO NON ERO DEVS VESTER] Hebr. *ego non ero vobis*, ſcilicet, Deus, gubernator, tutor, prouiſor, nutritor, pater, mater, vti hactenus fui. Quanta ſit felicitas & benedictio eſſe populum Dei, Deumq́ue habere patrem; ex aduerſo quanta ſit infelicitas non eſſe populum Dei, Deumq́ue habere hoſtem, fusè deſcribit Moſes in Leuitico toto c.26. & in Deuter. toto cap.28. Myſticè hæ tres proles ſignificant tres gradus peccati, & tres gradationes peccatoris, quibus ſenſim ruit in gehennam. Prima enim proles Iezrahel, id eſt, ſemen Dei, ſcilicet perditum & effuſum, ac quaſi occiſum, vti dixit v.4. ſignificat primum gradum peccati, quo peccator ſuis illecebris intẽtus negligit & non curat monitiones, conciones, inſpirationes Dei, ideoq́ue Deus illas ſuam q; gratiam ſenſim ei ſubtrahit. Hinc deſcendit ad ſecundum gradum, qui eſt impœnitentia & obſtinatio, vt ſit abſque miſericordia. Inde ruit ad tertium, vt non ſit è populo Dei, ſed à Deo reprobatus trudatur in gehennam.

Myſticè tres proles ſunt tres gradus peccatorũ.

VERS. 10. ET ERIT NVMERVS FILIORVM ISRAEL QVASI ARENA MARIS, QVÆ SINE MENSVRA EST, ET NON NVMERABITVR] Hîc aliò tranſit Propheta, & à triſtibus ad læta de more ſe conuertit. vnde Hebræi & Lyranus hîc inchoant caput ſecundum. Quocirca minùs rectè Theodor. & Cyrill. hæc cõnectunt præcedentibus per exaggerationem hoc ſenſu, q.d. Firmum manet manebitq́ue meum decretum de excidio Iſraelis, etiamſi ille creſceret vt arena maris, fieretq́ue innumerabilis. Nam contrarium ſignificat τὸ & *erit*, & quæ ſequuntur. Itaque hoc loco aſſurgit Propheta ab Iſraele carnali ad ſpiritualem, à bonis terrenis ad cæleſtia & diuina. Ne quis enim obijciat, dicatq́ue: Quomodo, ô Propheta, prædicis Iſrael perdendum & exſcindendum, cùm Deus Abrahæ promiſerit, ſemen eius, putà Iſraelem, fore inſtar arenæ maris innumerabilem Geneſ.22.17. occurrit & reſpondet, id verum ratumq́ue eſſe & fore, ſed in Iſraele ſpirituali, non carnali.

Iſraelita quãdo ſaluati, & quis

Quæres, quando & per quem impleta ſit hæc prophetia? Primò, Hugo cenſet impletam eſſe per Ezechiam, qui 2.Paral.30. vndequaque Iſraelitas euocauit ad colendum Deum in Ieruſalem: item per Ioſiam, qui inſtituit ſolemne paſcha, ad quod tam Iſraelitæ, quàm Iudæi vndique confluxerunt. Hi ergo tunc caput vnum ſibi conſtituerunt, ſcilicet pium regem Ioſiam, vel Ezechiam.

Verùm Ezechias conuocauit Iſraelitas initio regni ſui, cùm nondum eſſet exciſa Samaria, nec diſperſi Iſraelitæ. Oſee autem loquitur hîc de Iſraelitis iam diſperſis, imò reiectis, à Deo rurſum congregandis. Ioſias verò poſt exciſam Samariam eos diſperſos quidem congregauit, ſed paucos: at Oſee ait eos fore innumeros.

Secundò, Ruffinus, Theodor. & Hugo putant impletam eſſe ſub Cyro: tunc enim Iſraelitæ mixti Iudæis duce Zorobabele è Babylone redierunt in Ieruſalem. Verùm & hi perpauci fuerunt.

Dico ergo, prophetiam hanc impleri cœptam eſſe à Chriſto, qui tam Iſraelitis quàm Iudæis per ſe euangelizauit; prædicauit enim in Galilæa & Samaria, ac nominatim in terra Zabulõ & Nephthali, vt ait S. Matth.c.4.15. indeq́ue ſuos euocauit & collegit Apoſtolos. Rurſum paulò pòſt Samaria per Philippum recepit verbum Dei, quocirca eò miſſus eſt S. Petrus & S. Iohannes Act. 8. Adde, in dies plures ex Iſrael conuertuntur. Denique omnes Iſraelitæ conuertentur in fine mundi, vt ait Apoſtolus Rom.11 v.26. tuncq́ue perfectè implebitur hæc Oſee prophetia. ita S. Hieron. & Chriſtoph. à Caſtro hîc. Verùm quia hi Iſraelitæ ſunt eruntq́ue pauci, nec poſſunt dici innumerabiles, hinc

Dico Secundò, ſub Iſraelitis intelligi quoque Gentiles conuerſos ad Chriſtum, in ijſq́ue perfectè impleri hanc prophetiam. Hi enim ſunt innumerabiles, & hi ſunt veri Iſraelitæ ſecundùm ſpiritum, nõ ſecundùm carnem; quia ſecundùm fidem ſunt filij Abrahæ & Iſraelis, & conſequenter benedictionis & bonorum à Deo vtriq́ue promiſſorum heredes. Per fidem enim cooptantur in familiam Abrahæ & Iſraelis, ideoq́ue vocantur & coram Deo ſunt filij Iſrael: ſicut filij adoptati ciuiliter, vocantur & ſunt filij & heredes adoptantis. Senſus ergo eſt q.d. Licèt dixerim Iſraelitas ſecundùm carnem exterminandos & proijciendos à Deo, tamen promiſſio Abrahæ facta Geneſ.12.17. qua ait: *Benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris*, non excidet nec erit irrita: quia eorum loco in familiam Abrahæ ſuccedent & adoptabũtur alij qui ex Gentibus credent in Chriſtum, eruntq́ue filij Abrahæ ſecundùm fidem & ſpiritũ: hi enim erunt inſtar arenæ maris quaſi innumerabiles. Id ita eſſe patet Primò, quia Apoſtolus Roman.9. 5. diſertè hunc Oſee locum explicat de Gentibus, ex eoq́ue contra Iudæos probat non ſolùm Iudæos, ſed & Gentes Chriſti vocationis & gratiæ participes fore. *Quos &*, inquit, *vocauit nos non ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex Gentibus, ſicut in Oſee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Et erit in loco vbi dictum eſt eis: Non plebs mea vos; ibi vocabuntur filii Dei viui.* Deinde Iſraelitas, ſiue Iudæos quoque vocandos & ſaluandos per Chriſtum, ſed paucos, non innumerabiles, probat ex Iſaia dicens: *Iſaias autem clamat pro Iſrael: Si fuerit numerus filiorum Iſrael tamquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient*, &c. Quid clarius?

Geneſ. 17.

Dices, Oſee verba ad literam intelligenda ſunt de Iſraelitis naturalibus, Apoſtolus verò per analogiam & ſimilitudinem tantùm accommodat ea Gentibus: quia vti Iſraelitæ, ita & Gentiles non erant populus Dei, ſed à Chriſto vocati facti ſunt populus Dei, vti explicāt S. Chryſoſt. Theophyl. & Chriſt. à Caſtro. Verùm hoc dici nequit. Nam Apoſtolus didacticè loquitur, & contra Iudæos ſcholaſticè argumentatur, probatque ex hoc loco Oſee Gentes vocandas à Chriſto: ergo de Gentibus verè & propriè locutus eſt Oſee. Alioqui enim reſpondiſſent Paulo Iudæi, hocque eius argumētum eluiſſent dicendo: Oſee loquitur de Iſraelitis tantùm, non de Gentibus: ergo tu, ô Paule, perperam & falsò trahis, imò detorques eius verba ad Gentes.

Secundò, quia Apoſtolus clarè alibi docet benedictionem Abrahæ & Iſraeli promiſſam, ac bona quæ Iſraelitis eorum poſteris per Chriſtum promittunt Oſee alijque Prophetæ, non pertinere ad carnales Iſraelitas, ſed ad ſpirituales, id eſt, ad credentes tam ex Gentibus, quàm ex Iſraelitis: optimus autem interpres Prophetarum eſt S. Paulus. Audi eum clarè id pronunciantem Rom. 9. 6. itaque ſoluentem & explicantem ſimilia veteris teſtamenti loca à Iudæis obiecta: *Non autem quòd exciderit verbum* (promiſſio poſteris Abrahæ & Iſraelis facta) *Dei: non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, Iſraelitæ: neque qui ſemen Abrahæ, omnes filij: ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, id eſt, non qui filij carnis, hi filij Dei; ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine*, &c. Et Galat. 3. 6 *Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam: cognoſcite ergo quia qui ex fide ſunt, ij ſunt filii Abrahæ. Prouidens autem Scriptura, quia ex fide iuſtificat Gentes Deus, prænunciauit Abrahæ dicens: Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.* Ergo hæc Oſee promiſſio pertinet ad Gentes Iſraelis fidem imitantes & credentes in Chriſtum.

Tertiò, hæc eſt communis Patrum expoſitio; ſcilicet per Iſrael hic tam intelligi Gentes quàm Iſraelitas naturales ad Chriſtum conuerſos. ita S. Hieron. Cyrill. Ruffinus, Haymo, Hugo, Albertus, & alij hîc, ac S. Auguſt. l. 22. contra Fauſtum c. 89. & ſæpè alibi, Cyprian. l. 1. teſtimon. contra Iudæos c. 19. Tertull. l. 4. contra Marc. c. 16. Irenæus l. 2. c. 4. Proſper l. 2. de Vocat. Gentium c. 18. Primaſ. Anſelm. & S. Thom. in Rom. 9.

Denique id ipſum verba ſequentia planè ſignificant, quibus ait eos qui aliquando non erant populus Dei, vocandos filios Dei viuentis, congregandos in vnam Eccleſiam ſub vno capite Chriſto, aſcenſuros de terra, foreque hunc magnum diem Iezrahel: quæ omnia magis Gentibus fidelibus, quàm Iſraelitis conueniunt.

10. Et erit in loco vbi dicetur eis: Non populus meus vos; dicetur eis: Filij Dei viuentis.

11. Et congregabuntur filij Iuda, & filij Iſrael pariter; & ponent ſibimet caput vnum, & aſcendent de terra: quia magnus dies Iezrahel.

VERS. 10. ET ERIT IN LOCO VBI DICETVR (id eſt, dicebatur tàm à Deo, quàm ab hominibus. ita Vatabl. vnde Septuag. vertunt, *vbi dictum eſt*) EIS: NON POPVLVS MEVS VOS; DICETVR EIS: FILII DEI VIVENTIS] Locum hunc intellige non Chaldæam, in quam abducti erant Iudæi, vti vult Albert. nec Ieruſalem & Iudæam, vti cenſent Haymo & Hugo, ſed quemcunque locum in toto orbe vbi fuerint fideles & credentes Chriſto. Ita ex Chald. S. Hieron & S. Auguſt. libr. 1. ad Simplic q. 2. imò S. Petrus epiſt. 1. c. 2. Scribens enim Chriſtianis diſperſis per Bithyniam, Pontum, Galatiam, Aſiam, &c. quibus ipſe euangelizauerat, graphiceque explicans hæc Oſee verba ait: *Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.* Locus ergo hic eſt Eccleſia Chriſti vbiuis gentium & toto orbe diſperſa.

Filiatio Dei qui quanta

FILII DEI VIVENTIS] Maxima eſt hæc hominis dignitas & ſublimatio, per quam ſimus diuinæ conſortes naturæ, ait S. Petrus. Verè S. Leo ſerm. 6. de Natiuit. *Omnia*, inquit, *dona excedit hoc donum, vt Deus hominem vocet filium, & homo Deū nominet patrem.* Quocirca idem ſerm. 1. de Natiuit. docet hominē debere imitari Deum patrem, eiuſque mores induere, vt vitam agat diuinam, non terrenam, non animalem. *Agnoſce*, inquit, *ô Chriſtiane dignitatem tuam, & diuina conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degenere conuerſatione redire.* Et ſerm. 6. *Genus electum & regium regenerationis ſuæ reſpondeat dignitati: diligat quod diligit pater, & in nullo ab auctore ſuo diſſentiat, ne iterum dicat Dominus illud Iſaiæ c. 1. Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me;* ſed ſequatur illud Chriſti Matth. 5. *Eſtote perfecti ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Hi ergo *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*, ſimiles vnigenito Dei, cui Pater ab æterno dixit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Porrò τὸ *viuentis* habet emphaſin; q.d. Non ſunt deorum mutorum & mortuorum, non idolorum; ſed Dei veri & viuentis filij, qui eſt ipſa vita diuina & increata, eamque illis aſpirat & communicat.

Nota. In hac generatione & filiatione pater eſt Deus, ſemen eſt gratia præueniens, mater eſt voluntas ei conſentiens & cooperans, proles eſt homo iuſtus, anima eſt charitas. Rurſum exemplar huius filiationis eſt filiatio Verbi Dei: ſicut enim Deus Pater ab æterno genuit filiū ſibi conſubſtantialem & æqualem per omnia, ita illius adinſtar in tempore gignit filios, qui per gratiam ſint id quod filius Dei eſt per naturam. Noſtra ergo filiatio eſt imago filiationis diuinæ. Hoc eſt quod ait Apoſtolus Rom. 8. 29. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Et v. 14. *Quicumque ſpiritu Dei aguntur, ij ſunt filii Dei. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* Idipſum probat ſubdens: *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei. Si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti: ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.*

Fit per ritū S. perſonā ter dam filijs Di

Porrò vt hanc Dei adoptionem profundiùs inſpiciamus, ambiamus & ſuſpiciamus, notādum eſt, in ea non tātùm animæ infundi gratiā, charitatē, aliaq; dona Spiritus ſancti, ſed etiam ipſum Spiri-

Spiritum sanctum, qui est primum & increatum donum, quod Deus donat hominibus. Potuisset Deus in iustificatione, per gratiam & charitatem infusam nos tantùm facere iustos & sanctos, illaque magna fuisset Dei gratia & beneficentia, etiamsi nos in filios suos non adoptasset: sed hac non contentus, voluit nos ita facere iustos, vt simul faceret & adoptaret in filios. Rursum hanc adoptionem facere potuisset, dando nobis solam charitatem, gratiam & dona creata: gratia enim est participatio diuinæ naturæ in summo gradu, quantum scilicet deitas à creatura non tantùm naturaliter, sed & supernaturaliter participari potest. Maius itaque priori fuisset hoc Dei beneficium. Verùm eo non contenta immensa Dei bonitas, voluit simul nobis dare seipsam, ac per se nos sanctificare & adoptare. Quocirca Spiritus sanctus sponte sua se annexuit suis donis, gratiæ & charitati, vt quandocumque ea infundit animæ, simul cum eis & per ea infundat seipsum personaliter ac substantialiter, iuxta illud Apostoli: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*, Rom. 5. 5. Quocirca Apostolus eum vocat *Spiritum adoptionis. Non enim*, inquit, *accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filii Dei: si autem filii, & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur, vt & conglorificemur*, Rom. 8. 15. Et, *Quicumque spiritu Dei aguntur: ii sunt filii Dei*, ibid. v. 14. Et *Quoniam autem estis filii, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater*, Galat. 4. 6. Hæc ergo est summa Dei nostri dignatio, æquè ac nostra summa dignitas & exaltatio, qua recipientes charitatem & gratiam, simul recipimus ipsam personam Spiritus sancti, quæ se sponte charitati & gratiæ inserit & annectit, ac per ea nos inhabitat, viuificat, adoptat, deificat, agitque ad omne bonum. Vis maiora? Accipe. Spiritus sanctus descendens personaliter in animam iustam, secum adducit cæteras diuinas personas, Patrem & Filium, vtpote à quibus separari nequit. Tota ergo Trinitas personaliter & substantialiter venit ad animam quæ iustificatur & adoptatur, in eaque quasi in suo templo manet & inhabitat, quamdiu illa in iustitia perdurat, iuxta illud 1. Iohan. 4. 16. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Et 1. Corinth. 6. 17. *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est*. Hoc est quod Christus moriturus, in diuinissima illa oratione ad Patrem rogauit & impetrauit, dicens: *Vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint*, Iohan. 17. 21. vt scilicet Spiritum sanctum vnum & eumdem participent, & in ipso vniantur, & per ipsum cæteris personis diuinis: itaque in ipso omnes vnum sint: quia Spiritus sanctus, qui ab omnibus participatur, & qui in omnibus est, vnus & idem est. Vnde omnes in vnica re indiuidua vnum sunt, scilicet in Spiritu sancto, sicut tres personæ diuinæ vnum sunt in vna natura diuina, eaque singulari & indiuidua. ita explicat S. Cyrill. libr. 11. in Iohan. c. 26. S. Athanas. orat. 4. contra Arrian. & ex eis Toletus. In iustificatione ergo & adoptione animæ infunditur gratia & charitas, ac cum ijs Spiritus sanctus, totaque deitas, & SS. Trinitas, quæ se hisce suis donis substantialiter quasi annexuit & inclusit, vt nos sibi substantialiter vniat, sanctificet, deificet & adoptet: qua adoptione primò accipimus summam dignitatem filiationis diuinæ, vt reipsa non tantùm accidentaliter per gratiam, sed & quasi substantialiter per naturam simus filij Dei, & quasi dij: Deus enim suam naturam realiter nobis communicat & donat. Secundò, per eamdem quasi filij accipimus ius ad hereditatem cælestem, putà ad beatitudinem omniaque Dei patris nostri bona. Tertiò, per eamdem nanciscimur miram dignitatem operum & meritorum, vt scilicet opera nostra quasi filiorum Dei substantialium, vt ita dicam, maximæ sint dignitatis, valoris & pretij, ac planè commensa & condigna suo præmio, putà æternæ vitæ & gloriæ cælesti, vtpote quasi procedentia ab ipso Deo spirituque diuino, qui nos inhabitat, ad eaque nos impellit, ijsque cooperatur.

Ex dictis sequitur Primò, quòd iustitia inhærens, siue gratia iustificans, per quam sanctificamur & adoptamur in filios Dei, non sit vna simplex qualitas, vt quidam imaginantur, sed multa complectatur, scilicet remissionem peccatorum, fidem, spem, charitatem, aliaque dona, acipsum Spiritum sanctum donorum auctorem (ac consequenter totam S. Trinitatem.) Hæc enim omnia in iustificatione infusa accipit homo, vt ait Concilium Trident. sess. 6. c. 7.

Deum substantialiter nouo modo inesse iusto.

Sequitur Secundò, falli eos, qui in iustificatione & adoptione censent dari Spiritum sanctum dumtaxat quoad sua dona, non autem quoad suam substantiam & personam. Contrarium enim docet S. Bonauent. in 1. sent. d. 14. art. 2. qu. 1. qua tota ostendit Spiritum sanctum non tantùm in effectu, sed etiam in propria persona, quasi donum increatum iustis dari, vt sit eorum perfecta possessio. Idem docet Magister sent. lib. 1. dist. 14. & 15. ex S. Augustino & alijs. Et Scotus, Gabriel, Marsilius ibidem. Idem clarè asseuerat S. Thomas 1. p. q. 43. a. 3. & 6. & q. 38 art. 8. Vbi ostendit Spiritus sancti nomen proprium esse donum, quia ipse donatur omnibus iustis. S. Thomam sequuntur eius discipuli, ac nostri PP. Vasquez, Valentia, & maximè Suarez lib. 12 de Deo trino & vno c. 5. n. 8. 11. 12. qui inde infert, quòd Spiritus sanctus nouo modo secundùm substantiam suam incipiat præsens esse in anima iusti, quo antè non erat: citatque pro hac sententia S. Leonem, S. August. S. Ambros. adeoque eam certam esse asserit, vt contrarium dicere censeat esse errorem. Probatque ex S. Scriptura: 1. Corinth. 6. *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis à Deo*. Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. 1. Iohan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Iohan. 14. *Quem mittet Pater in nomine meo*. Et, *Apud vos manebit, & in vobis erit*. Et, *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Et Iohan. 16. *Si abiero, mittam eum ad vos*. Rationem dat Suarez n. 12. *Quia*, inquit, *dona gratiæ vi sua & quasi connaturali iure, postulant realem ac personalem præsentiam Dei in anima, per talia dona sanctificata: quia si per impossibile fingamus, Spiritum sanctum non esse aliàs realiter præsentem intra animam, eo ipso quòd anima talibus donis afficeretur, ipsemet Spiritus sanctus veniret ad eam per præsentiam personalem, & maneret quamdiu gratia in illa dura-*

ret. Simili modo,inquit,Verbum præſens eſt humanitati Chriſti, vt,ſi per impoſſibile antea non fuiſſet illi præſens, iam per vnionem hypoſtaticam illi fieret perſonaliter & intimè præſens. Addit deinde rationem moralem: quòd ſcilicet per gratiam fiat perfectiſſima amicitia inter Deum & hominem,quæ poſtulat præſentiam amici,putà Spiritus ſancti, qui manet in anima amici ſui, vt illi intimè vniatur, in eaque tamquam in templo ſuo reſideat,colatur,ametur & adoretur.

Ex hac communicatione ipſiuſmet perſonæ Spiritus ſancti & diuinitatis, ſequitur animæ ſumma cum eo vnio,eleuatio, & quaſi deificatio, ac conſequenter adoptio perfectiſſima, ſcilicet non tantùm per gratiam, ſed & per ſubſtantiam diuinam: quia per eam non tantùm ius ad hereditatem Dei patris, ſed & naturæ diuinæ participationem, ipſumque Spiritum ſanctum ac Dei filiationem,non tantùm accidentaliter,ſed quaſi ſubſtantialiter,eo ſenſu quo paulò antè dixi, adipiſcimur. Sicut enim apud homines propriè pater dicitur, qui naturam ſuam filio communicat; ſic Deus, dando nobis cum donis & per dona Spiritum ſanctum,naturam ſuam diuinam communicat, eoque modo propriè & perfectè nos facit & adoptat in filios. Vnde S.Baſil.hom.de Spiritu ſancto ait Sanctos propter inhabitantem Spiritum ſanctum eſſe Deos. Dictum enim eſt illis à Deo: *Ego dixi: Dii eſtis, & filii Excelſi omnes.* indeque probat Spiritum ſanctum eſſe Deum. *Neceſſe eſt enim,* inquit, *diuinum eſſe Spiritum, & ex Deo eſſe, qui dijs diuinitatis eſt cauſa.* Iā ſicut prioris adoptionis per gratiam cauſa formalis eſt ipſa gratia, ita huius ſecundæ adoptionis, quæ fit per communicationem ipſius Spiritus ſancti, cauſa formalis eſt ipſe Spiritus ſanctus animam iuſti inhabitans,medium verò eſt ipſa gratia.

Sequitur Tertiò, quòd adoptio noſtra licèt in ſe vna ſit,virtute tamen ſit duplex. Prior eſt,qua adoptamur in filios Dei per charitatem creatam, & gratiam animæ infuſam. Hæc enim eſt ſumma participatio diuinæ naturæ. Poſterior eſt,qua per gratiā adipiſcimur ipſum Spiritum ſanctum eiuſque naturam diuinam; ac per eum quaſi deificamur,& in filios Dei adſciſcimur. Porrò vtraque hæc adoptio hîc inchoatur per gratiam, ſed in cælo perficietur & ſoli dabitur per gloriam æternam, qua hereditatis Dei poſſeſſionem reipſa nanciſcemur ridq; firmè & immobiliter, ſine vllo timore vel periculo eam vmquam amittendi) Deoque intimè vniemur & fruemur per viſionem beatificam, qua nouo modo Deus ſeipſum ſubſtantialiter animæ beatæ communicabit, illiq; intimè & ſuauiſſimè illabetur, ſeq; inſinuabit. De hac ait Apoſt.Rom 8.23. *Ipſi intra nos gemimus adoptionem* (id eſt,adoptionis,putà hereditatis ad quam adoptati ſumus, poſſeſſionem) *filiorum Dei exſpectantes.* Et S.Iohan.Apoc.21.v.3. *Ecce,* ait,*tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.* Et v.7. *Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.*

Sequitur Quartò, quòd, ſicut Chriſtus eſt filius Dei naturalis, tum qua Deus per generationem æternam, tum qua homo per vnionem hypoſtaticam; ita nos ſimus filij Dei adoptiui, ſed longè nobiliùs, quàm ſunt filij adoptiui hominum. Illi enim nihil phyſicum recipiunt à patre adoptante, ſed tantùm denominationem moralem, per quam ius ad eius hereditatem conſequuntur: nos verò recipimus à Deo gratiam, & cum gratia ipſam Dei naturam,vt ſicut apud homines pater propriè dicitur,qui alteri communicat ſuam naturam humanam, generatque hominem; ita Deus dicatur pater non tantùm Chriſti,ſed & noſter: quia naturam ſuam nobis communicat per gratiam, quam Chriſto communicauit per vnionem hypoſtaticam, vt eius fratres nos efficeret,iuxta illud Rom.8.29. *Quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filii ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Et Iohan.1. 12. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus,&c. ſed ex Deo nati ſunt.*

Moral. Ex his diſce,quantum,& quàm inæſtimabile ſit filiationis & adoptionis diuinæ beneficium. Pauci illud tantæ dignitatis eſſe ſciunt, quantæ iam eſſe oſtendi: pauciores illud ponderant eo pondere quod meretur. Sanè quiſque in ſe illud venerabundus admirari deberet, ac doctores & prædicatores illud populo, eo modo quo iam expoſui,explicare & inculcare, vt fideles & ſancti ſciant ſe eſſe templa animata Dei, ſeque Deum ipſum in corde portare: ac proinde diuinè cum Deo ambulent, & dignè cum tanto hoſpite conuerſentur, qui vbique eos comitatur, vbique adeſt,vbique intuetur. Meritò Apoſtolus 1.Corinth.6.19. *An neſcitis,* ait, *quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus ſancti qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno: glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Et S.Leo ſerm.1.de Natiuit. *Agnoſce,* ait,*ô Chriſtiane,dignitatem tuam, & diuinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degenere conuerſatione redire. Memento cuius capitis & cuius corporis ſis membrum. Reminiſcere quia ereptus de poteſtate tenebrarum, tranſlatus es in Dei lumen & regnum. Per baptiſmatis Sacramentum Spiritus ſancti factus es templum. Noli tantum habitatorem prauis de te actibus effugare, & diaboli te iterum ſubiicere ſeruituti: quia pretium tuum ſanguis eſt Chriſti, qui in veritate te iudicabit, quia miſericordia te redemit.* Et S.Auguſt.ſerm.24.de Tempore,tomo 10. *Prima,* ait,*natiuitas ex maſculo & femina: ſecunda natiuitas ex Deo & Eccleſia. Ecce ex Deo nati ſunt. Vnde factum eſt,vt habitaret in nobis. Magna mutatio. Ille factus caro,iſte ſpiritus. Quid eſt hoc? qualis dignatio, fratres mei? Et erigite animum ad ſperanda & capienda potiora, nolite adiicere cupiditatibus ſæcularibus. Pretio empti eſtis: propter vos Verbum caro factum eſt, propter vos qui erat filius Dei, factus eſt filius hominis, vt qui eratis filii hominum, efficeremini filii Dei.* Idem in pſalm.52.*Filii,* ait,*hominum ſunt, quando malè faciunt; quando bene, filii Dei. Hos enim facit Deus ex filiis hominum filios Dei, quia ex filio Dei fecit Deus filium hominis. Videte qua ſit illa participatio diuinitatis! Filius enim Dei particeps noſtræ mortalitatis effectus eſt, vt mortalis homo fiat particeps diuinitatis ſuæ. Qui tibi promiſit diuinitatem, oſtendit in te charitatem.*

Audi & S.Cyrillum Hieroſol.catecheſi 7. *Hoc itaque,* ait,*cognoſcentes ſpiritaliter conuerſemur, vt adoptione Dei digni efficiamur. Qui enim ſpiritu Dei ducuntur, iſti ſunt filij Dei,&c. Ne fortè & illud nobis dicatur: Si filij Abraham eſſetis, opera Abraham faceretis. Si enim eum patrem vocamus, qui opus cuiuſque fi-*

ne

ne perſonæ acceptione iudicat, non ſine timore, incolatus ſeu peregrinationis noſtræ tempus tranſigemus, non diligentes mundum, nec ea quæ in mundo ſunt. Qui enim diligit mundum, non eſt dilectio Patris in illo. Itaque dilectiſſimi Patrem cæleſtem per opera glorificemus, vt videant opera noſtra bona, & glorificent Patrem noſtrum qui in cælis eſt. Omnem ſollicitudinem noſtram in illum proiiciamus: ſcit enim Pater noſter, quibus opus habeamus.

Audi & S. Ambroſ. l. 5. de Fide c. 3. *In quibus*, inquit, *Deus filium ſuum ad imaginem ſuam cernit, eos per Filium adſciſcit in gratiam filiorum: vt quemadmodum per imaginem ad imaginem ſumus, ſic per generationem filij in adoptionem vocemur.* Et mox: *Eſtote perfecti ſicut & pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Quòd ſi ille ſecundùm plenitudinem maieſtatis ſuæ perfectus eſt, nos autem perfecti ſecundùm virtutis accedentis profectum.*

Hoc eſt quod admirans ſtupenſque Chriſtianis inculcat S. Iohan. epiſt. 1. c. 3. 1. *Videte*, ait, *qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus. Chariſſimi, nunc filij Dei ſumus: & nõdum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Cogita in humanis quanta ſit dignitas eſſe filium principis, regis, Imperatoris (hic enim filius hoc ipſo dignior eſt cæteris omnibus totius regni hominibus) & ſcito idem in diuinis eſſe, cõferi filium Dei. Eſſe ergo filium Dei in immenſum amplius eſt, quàm eſſe Regem, Pontificem, Imperatorẽ, dominum cæli & terræ; imò quàm eſſe angelum, Archangelum, Cherubinum, Seraphinum. Quàm ergo hæc filiatio Dei ambienda, quàm ſuſcipienda, quàm ſollicitè conſeruanda, &, ſi amiſſa ſit, recuperanda! Quantæ pro ea à quolibet iuſto gratiæ Deo agendæ? Quanta fiducia, amore & reuerentia ipſe iuſtus cum Deo, quaſi filius cum patre, iugiter agere & verſari debet? Nimirum cum Noë, Enoch, Abraham, in generatione ſua ſit perfectus, ambuletque cum Deo; & angelis potiùs ſit familiaris, quàm hominibus. Verè S. Cyprian. libr. de Spectaculis, *Numquam*, inquit, *humana opera mirabitur, quiſquis ſe cognouerit filium Dei. Deijcit ſe de culmine generoſitatis ſuæ, qui admirari aliquid poſt Deum poteſt.* Idem tract. de Orat. Domin. *Quando*, ait, *Deum Patrem dicimus, quaſi filij Dei agere debemus; vt quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, ſic ſibi placeat & ille de nobis. Conuerſemur quaſi Dei templa, & Deum in nobis conſtet habitare, vt qui cæleſtes & ſpiritales eſſe cœpimus, non niſi ſpiritalia & cæleſtia cogitemus & agamus.*

VERS. 12. CONGREGABVNTVR FILII IVDA ET FILII ISRAEL | Tum naturales, putà Iudæi & Iſraelitæ, qui conuertentur ad Chriſtum. ita S. Hieron. Haymo, Albert. Vatabl. Arias & à Caſtro: tum filij Iuda & Iſrael ſecundùm ſpiritum, putà Gentiles qui familiæ Iudæ & Iſraelis accenſebuntur, in eamque tranſibunt imitando Abrahæ fidem in Chriſtum, itaque erunt eius filij adoptiui: *congregabuntur*, inquam, in vnam Chriſti Eccleſiam. Scio S. Auguſt. locis citatis & Lyran. hæc duo diſtinguere, & per Iſrael accipere Gentes, per Iudam Iudæos: ex aduerſo S. Hieron. & Rupert. per Iudam accipere Gentiles, per Iſrael Iudæos ad Chriſtum conuerſos. Sed puto hac diſtinctione opus non eſſe. cùm enim per Iſrael & Iuda fundamentaliter intelligantur veri Iſraelitæ & Iudæi, qui ad Chriſtum conuertẽtur; ſymbolicè verò & myſticè Gentiles ad Chriſtũ conuertẽdi, qui tam Iudæis quàm Iſraelitis conuerſis in vna eademq; Eccleſia aſſociabuntur; non video ad quid, vel quomodo in Gẽtibus fidelibus ea diſtinguere debeamus, aut poſſimus. Quocirca cẽſeo in Gentibus Iſrael à Iuda non ſecerni; ſed Gentes tam Iudæ, quàm Iſraeli fideli & credenti in Chriſtum aſſociari & accenſeri, ac proinde eas tam Iuda, quàm Iſrael vocari.

ET PONENT SIBI CAPVT VNVM] Putà Chriſtum ducem & ductorem, eiuſque vicarium Romanum Pontificem.

ET ASCENDENT DE TERRA] Alludit ad reditum è captiuitate Babylonica, vt inotãt Chald. Theodor. & Hugo, q.d. Vti olim Iudæi in Babylone depreſſi, & quaſi mancipia curuato collo & capite incedẽtes, dum per Cyrũ liberi effecti ſunt, inde erecto capite exultabundi exierunt & aſcẽderunt in Ieruſalem: ita è ſimili captiuitate ſpirituali, qua ſub peccato & dæmoni poteſtate incarcerati tenebantur Iudæi, Iſraelitæ & Gentes, per Chriſtum liberabuntur, indeque exibunt, & alacres ac lætabundi aſcendent pergentque in terram promiſſam, putà in Ieruſalem, id eſt, in Eccleſiam tum militantem in terris, tum per eam ad triumphantem in cælis.

Vocatur hic tranſitus ab infidelitate gẽtiliſmo & iudaiſmo, ad fidem & Eccleſiam, aſcẽſus, tum quia fuit è tenebris & carcere in lucẽ & ciuitatẽ, putà in Eccleſiam ſublimẽ, & in admirabile lumẽ Dei, vt ait S. Petrus. Secũdò, quia fuit tranſitus à ſeruitute in libertatem: ſerui enim curui, depreſſi & quaſi deſcendentes; liberi verò ceruice erecta, & quaſi aſcendentes incedunt.

Tertiò, vox *aſcendere* notat Chriſtianorum vitam non eſſe terrenam, vti eſt infidelium; ſed cæleſtem, eoſque à terris mente & conuerſatione conſcendere in cælum: *noſtra enim conuerſatio in cælis eſt*, vt ait S. Paulus.

Quartò, addit Lyran. & Ribera, voce aſcendẽdi ſignificari incremẽtum & propagationem fidei & Eccleſiæ, q.d. *Fideles aſcendent de terra*, id eſt creſcent ſenſim, lateq; ſe per vniuerſum orbem ſpargent & propagabunt inſtar fontis, qui è terra exiliẽs eructat aquas, ſed modicas, quæ tamen partim continua fontis eructatione, partim aliorum fontium & riuulorum confluxu ita creſcũt, vt ingentẽ lacum vel flumen efficiant. Sic aſcendere pro creſcere capitur Ierem. 46. 6. vbi de Pharaone, eiuſq; copioſo exercitu dicitur: *Quis eſt iſte qui quaſi flumen aſcendit, & velut fluuiorum intumeſcunt gurgites eius? Aegyptius fluminis inſtar aſcendit, & velut flumina mouebuntur fluctus eius; & dicet: aſcendens operiam terram.* Et de Nabuchodonoſoris copijs c. 47. 2. *Ecce*, inquit, *aquæ aſcendunt ab Aquilone, & erunt quaſi torrens inundans, & operient terrã.* Sic Ezech. c. 19. 3. ait, *Eduxit vnum de catulis ſuis, & leo factus eſt*: pro *eduxit* hebr. eſt, *aſcẽdere fecit*, id eſt, exaltauit eum & promouit in regem. Et Pſaltes pſal. 96. 9. *Nimis exaltatus es*, heb. *nimis aſcendiſti* (ô Domine) *ſuper omnes deos*, hoc eſt præ omnibus Gentium dijs tuum robur & gloriam exaltaſti & dilataſti.

QVIA (hebr. כי *ki*, quod ſæpè non eſt cauſale, ſed aſſertiuum & admiratiuũ, idemq; valet quod *ſanè, equidem, profectò*) MAGNVS EST DIES IEZRAHEL] *Magnus*, id eſt celeberrimus, iucundiſſimus & *Magnus dies Iezrahel quis?*

& feliciſſimus. Sic Romani magnos dies vocabāt eos qui magnis moleſtijs, longiſque laboribus & miſerijs finem dabant, ideoque erant lætiſſimi, optatiſſimi & fauſtiſſimi. Sic de hoc eodem Oſee die, putà de diebus Meſſiæ, cecinit Sibylla apud Virgil. ecloga 4.

Incipient magni procedere menſes.

Sic Mathematici magnum annum vocant eum, quo ſeptem planetæ expletis proprijs curſibus ſibi cōcordant, de quo Cicero l. 2. de Natura deorum. Magnus, inquit, annus eſt, qui tenet duodecim millia quingentos quinquaginta quatuor annos, poſt quos Platonici dicebant omnium rerum fore reditum & reuolutionem. Ita Chriſtus reduxit magnum annum, dum omnia reparauit, & ad primæuam originem & felicitatem reduxit. Ex aduerſo dies parui vocantur dies humiliationis, paupertatis & angustiæ, Zachar. 4. 10. *Quis*, inquit, *deſpexit dies parvos?* quibus ſcilicet Zorobabel parua & exilia iecit noui templi fundamenta.

Iam *Iezrahel*, id eſt ſemen Dei, vocatur populus Dei, ſiue Eccleſia ex Iudæis, Iſraelitis & Gentibus congregata, cuius caput eſt Chriſtus, quem Apoſtolus Galat. 6 16. vocat *Iſrael Dei*. Senſus ergo eſt q.d Equidem magnus, illuſtris, fauſtus, admirabilis, & terq; quaterque beatus erit ille dies, illud ſæculum, quo Iſraelitæ & Iudæi tum naturales, tum myſtici & adoptiui, putà Gentiles conuerſi ad Chriſtum, antea diſperſi & errabundi, congregabuntur in vnum, vt fiant *Iezrabel*, id eſt vnus populus, vna Eccleſia, putà filij Dei viuentis, vt ponant ſibi vnum caput Chriſtum, & aſcendere incipiant de terra in cælum. O quàm felix, quàm nouus & numquam viſus, quàm clarus & glorioſus erit, quantamque mutationem ſingulis fidelibus totiq; orbi inducet dies ille, quo *Lo ammi* fiet *ammi*, id eſt non populus meus, fiet populus meus; quo *lo rachuma* fiet *rachuma*, id eſt, ea quæ erat abſque miſericordia, plena erit gratia & miſericordia Dei. ita Albert. Haymo, Hugo, Lyran. & Vatabl. O quàm ſalutaris, auguſtus, cæleſtis & beatus erit dies ille, ſæculum illud quo naſcetur, prædicabit, & regnabit *Iezrabel*, id eſt filius Dei, putà Chriſtus Dominus, qui *Iezrabel*, id eſt ſemen benedictum, putà plurimos filios fideles, ſanctos & glorioſos Deo pariet per prædicationem & cæleſtem vitam, tum ſuam, tum Apoſtolorum ſuorum. ita S. Hieron. Rupert. Albert. Leo Caſtrius, Emmanuel & Mariana.

Hinc dies hic *Iezrahel* accipi poteſt dies Incarnationis, Natiuitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Chriſti, ac Pentecoſtes, ſiue miſſionis Spiritus ſancti, & prædicationis Apoſtolorum per totum orbem. Hiſce enim omnibus Chriſtus operatus eſt & operatur indies ſalutem noſtram, noſque Deo generauit & generat: vnde Haymo magnum diem Iezrahel interpretatur totum tēpus chriſtianiſmi, putà totum quod fluxit à Chriſto, fluetque ad finem mundi: toto enim hoc tempore generatur & propagatur Iezrahel, id eſt Eccleſia, ſiue populus Dei.

Hinc Primò, Leo Caſtrius hîc, & S. Cyril. in Glaphyris l. 5. hæc intelligunt de die Incarnationis & Natiuitatis Chriſti: Magnus, inquiunt, dies Iezrahel, quia de Iezrahel, id eſt de ſemine Dei, putà de Spiritu S. conceptus eſt filius Dei; de quo dixit Pſaltes: *Hæc dies quam fecit Dominus*. Et Paulus: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. Et Ieremias c. 31. 22. *Creauit Dominus nouū ſuper terram: femina circumdabit virum*. Et Iſaias c. 6. 9. *Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis: & factus eſt principatus ſuper humerum eius: & vocabitur nomen eius, Admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis*. Quin & Sibylla apud Virgilium ecloga 4. de eo ita canit:

Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo:
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna,
Iam noua progenies cælo demittitur alto,
Chara Deūm ſoboles, magnum Iouis incrementum.
Tu modò naſcenti puero, quo ferrea primùm
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta faue Lucina.

Secūdò, magnus erit dies Iezrahel, quo ſcilicet in cruce diriſſima paſſurus & moriturus eſt filius Dei *pro gente, & non tantùm pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in vnum*, ait S. Iohan. cap. 11. 52. Hi enim ſunt *Iezrahel*, id eſt, *ſemen cui benedixit Dominus*, Iſaiæ 61. 9 de quo idem Iſaias ait c. 6. v. 13. *Semen ſanctum erit id, quod ſteterit in ea.*

Tertiò, magnus erit dies Iezrahel, quo ſcilicet ſemen Dei, id eſt Chriſtus, reſurget & reuiuiſcet. *Magnus*, inquit Rupert. *erit dies, & magna illuſtratio ſeminis Dei, quod eſt Chriſtus; ſeminis, inquam, reſurgentis ex mortuis, cum quo conſurgentes vtique aſcendant de terra, faciendo quod ait Apoſtolus: Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Sic nimirum prima aſcenſione facta, quæ eſt reſurrectio prima, tandem aſcendent corpora quoque de terra, quæ erit reſurrectio ſecunda & ſequentur caput ſuum ſicut membra capiti connuncta, & ſicut ipſe Chriſtus expreſsit dicendo: Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.*

Hinc Quartò, magnus dies Iezrahel erit dies iudicij & reſurrectionis, quo Chriſtus iudex diſcernet ſemen Dei à ſemine diaboli; putà electos à reprobis, illoſque ad beatam & glorioſam vitam euocabit, ſecumq; ducet in cælum ad triumphum æternum. ita Cyrill. *Magnus*, ait, *reuera dies Chriſti, quo omnes vita functos excitabit, & deſcendet quidem de cælo, ſedebit autem ſuper throno gloriæ ſuæ, & reddet vnicuique iuxta opera ſua.* Vnde de hac die ait Ioël c. 2. 11. *Magnus dies Domini, & terribilis valdè, & quis ſuſtinebit eum?* Et v. 31. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et erit, omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit: quia in mōte Sion & in Ieruſalem erit ſaluatio, ſicut dixit Dominus, & in reſiduis, quos Dominus vocauerit.* Hi ecce ſunt dies Iezrahel.

Rurſum Iezrahel ſignificat brachium Dei. Itahi omnes dies ſunt Iezrahel, id eſt, dies & opera magni brachij, id eſt, magnæ virtutis & potentiæ diuinæ. ita Arias. Simili modo magnus fuit dies Madian, quo ſcilicet Gedeon contriuit Madianitas, & ab eorum iugo Hebræos liberauit, qui dies fuit typus huius diei Chriſti redemptoris noſtri, de quo proinde canit Iſaias c. 9. 4 *Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius* (putà diaboli, ô Chriſte) *ſuperaſti, ſicut* (Gedeon) *in die Madian.* Vbi Nota. In hac eadem valle Iezrahel Gedeon Madianitas proſtrauit,

uit; vt dicitur Iudic. 6. 33. vt planè eò alludere videatur hîc Propheta. vide quæ de die Madian dixi Iſaiæ 9. 4.

Hic eſt ergo magnus dies Iezrahel, quo per Chriſtum incarnatum magnum illud myſterium vocationis & adoptionis fidelium peractum eſt, quod in omnibus ſuis epiſtolis Apoſtolus ita ſtupet & admiratur. Vnde Epheſ. 2. 11. Gentes ad gratiarum actionem & iubilum excitans: *Memores*, inquit, *eſtote quòd aliquando vos Gentes*, &c. *eratis ſine Chriſto, alienati à cõuerſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, & promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſto Ieſu vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti.* Et mox: *Ergo iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei.* Hinc rurſum attonitus exclamat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius!* Rom. 11. 33.

Tropol. Tropolog. Magnus dies Iezrahel Eccleſiæ eſt, quo multi ad illam conuerſi facti ſunt Iezrahel, id eſt ſemen, hoc eſt filij Dei. Talis fuit dies quo Conſtantinus Magnus conuerſus conuertit orbem ſibi ſubiectum. Magnus dies genti vel vrbi eſt, quo ab hæreticorum vel Turcarum iugo liberata, tranſijt in libertatem filiorum Dei, & in regnum Chriſti; vt illum iugiter recolere debeat, ac gratulabunda cum Pſalte canere: *Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.* Sic magnus dies fideli animæ eſt, quo baptizata & fide- A liſ effecta eſt; quo relapſa in peccatum per pœnitentiam ad Dei gratiam redijt; quo è ſæculi turbinibus ad ſtatum perfectionis à Deo euocata eſt; quo profeſſionem emiſit; quo ſacerdotio initiata eſt, &c. Hiſce enim diebus vel ſimpliciter, vel excellentiùs facta eſt Iezrahel, id eſt ſemen, ſiue filia, Dei; vt meritò illos quotannis recurrentes cum ingenti gratiarum actione, laude & iubilo celebrare debeat, ac canere cum B. Virgine: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen eius. Fecit potentiam in brachio ſuo.*

Sic magnus dies Iezrahel fuit, quo Iudith occidens Holofernem, patriam liberauit. quem proinde B Hebræi annuo feſto celebrarunt, vt patet Iudith vlt. v. 31. Sic magnus fuit dies Iezrahel, quo Eſther Iudæos neci deſtinatos eripuit, quem proinde annuo feſto phurim, id eſt ſortium, recoluerunt poſteri, Eſther c. 9. v. 26 & 31. Sic magnus fuit dies Encæniorum, id eſt dedicationis templi, tum factę primitus per Salomonem 1. Regum 8. tum reſtauratæ per Eſdram 1. Eſdræ 6. & poſtea per Iudam Machabæum, 1. Machab. 4. 52. Sic magnus fuit dies cæſi à Iuda Nicanoris, annuumque feſtum, 1. Machab. 7. 49. Sic magnus fuit dies cælitus dati Aaroni, & ſub Iuda Machabæo recuperati ignis ſacri, quo comburendæ erant victimæ, 2. Machab. 1. 18. Sic magnus dies, imò annus, fuit quinquageſimus, putà iubileus, Leuit. 25.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbet Deus arguì Iſraelem de idololatria & ingratitudine, quòd nimirum vinum, frumentum, linum, &c. quæ acceperat à Deo, accepta tulerat idolis, vnde ſe ea ablaturum minatur, quodq; viſitabit ſuper eum dies Baalim. Hinc Secundò, prædicit Iſraelis pœnitentiam; ac conſequenter v. 14 promittit quòd eum lactabit, ducet in ſolitudinem, & loquetur ad cor eius, eritq; vir eius. Denique v. 18. Percutiam, *inquit*, cum eis fœdus. Et ſponſabo te mihi in ſempiternum. Et ſeminabo mihi eam in terra, & miſerebor eius quæ fuit abſque miſericordia.

Verſ. 1. DIcite fratribus veſtris, Populus C meus: & ſorori veſtræ, Miſericordiam conſecuta.

2. Iudicate matrem veſtram, iudicate: quoniam ipſa non vxor mea, & ego non vir eius, auferat fornicationes ſuas à facie ſua, & adulteria ſua de medio vberum ſuorum.

3. Ne fortè expoliem eam nudam, & ſtatuam eam ſecundùm diem natiuitatis ſuæ: & ponam eam quaſi ſolitudinem, & D ſtatuam eam velut terram inuiam, & interficiam eam ſiti.

4. Et filiorum illius non miſerebor: quoniam filij fornicationum ſunt.

5. Quia fornicata eſt mater eorum, confuſa eſt, quæ concepit eos: quia dixit: Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linũ meum, oleum meum, & potum meũ.

VERS. 1. DICITE FRATRIBVS VESTRIS] Hæc videntur pertinere ad finem capitis primi: vnde S. Hieron. Lyran. Vatabl. & alij hæc connectunt cum cap. 1. & caput ſecundum inchoant à verbis proximè ſequentibus, *Iudicate matrem.* Planè enim alludit ad tres proles Oſee, ſcilicet, *Iezrahel, Lo ammi*, & *Lo rachuma*; quaſi *Iezrahel*, id eſt ſemen Dei, loquatur fratri ſuo *Lo ammi*, id eſt non populus meus, & eum conſoletur, eiq; congratuletur de tam felici mutatione, quâ à Deo iam factus ſit *Ammi*, id eſt populus meus; itemque ſorori ſuæ *Lo rachuma*, id eſt abſque miſericordia, quòd iam ſit *Rachuma*, id eſt, miſericordiam conſecuta: vnde ex Hebræo ſi pro punćto *tſere* ſubſtituas *chiric*, vt pro אֲחֵיכֶם *achechem*, legas אֲחִיכֶם *achichem*, vertas, *dic fratri veſtro*, æquè ac, *dic ſorori veſtræ*. ſed eôdem res redit, ſiue in ſingulari, ſiue in plurali vertas, fratri, vel fratribus; ſorori, vel ſororibus; tuæ, vel veſtræ: ſingula enim hæc filiorum nomina licèt voce ſint ſingularia, ſignificatione tamen & repræſentatione ſunt pluralia: ſignificant enim ſemen Dei, &

& populum Iſraeliticum, in quo hominum erat multitudo & pluralitas.

Hinc patet fratres & ſorores hîc vocari eos, quos c.1.10. vocauit filios Iſrael, & filios Dei viuentis. Iam, cùm ex dictis cap.1 pateat, hostres Oſee filios ſignificaſſe Primò, Iſraelem, ſiue decem tribus, ob impietatem à Deo defertas; Secundò, Gentes paris impietatis & idololatriæ; ſed quæ æquè ac Iſraelitæ poſtea per gratiam Dei ad Chriſtum conuerſæ, factæ ſunt populus Dei, & miſericordiam conſecutæ; hinc ſenſus huius loci eſt, q d.O vos viri Iuda, qui eſtis fidelis Dei populus, nolite abijcere decem tribus & Gentes, qui fratres veſtri ſunt per Dei prædeſtinationem, vocationem & gratiam, per quam ad Chriſtum ſunt conuerſi; vocate ergo eos, populum meum & miſericordiam conſecutum, qui olim erant & vocabantur, Non populus meus, & abſque miſericordia. Nam τὸ *dicite fratribus*, ſcilicet Iſraelitis, eſt vox Iudæ. Hic enim fuit frater Iſrael: quia duæ tribus erant fratres duodecim tribuum: aut, ſi mauis, eſt vox Iezrahelis: hic enim fuit frater *Lo ammi* & *Lo rachuma*. Iam per Iuda aut Iezrahel intelligit primos fideles Chriſto credentes. Hi enim fuerunt ex Iuda & ex Iſrael: hi enim mirè gauiſi ſunt, cùm viderunt Samaritas, Galilæos, & Gentes ad Chriſtum conuerti: ijſque quaſi iam fratribus ſuis in Chriſto & Eccleſia applaudebant, eoſque vocabant fratres & populum Dei, ac miſericordiam conſecutum, vti eos vocat S.Petrus epiſt.1. cap.2.10. & S.Paulus Rom.9.25.

Hunc ſenſum expoſcunt nomina *Ammi*, id eſt populus meus; & *Rachuma*, id eſt miſericordiam conſecuta: his enim planè alludit ad finem capitis primi, vbi Iſraelitis iam conuerſis ad Chriſtum hæc nomina indidit. ita cenſent S.Hieron. Albert. Hugo, Haymo, Lyran. Iſidor. Vatabl. & Arias. Audi S.Hieron. qui ita explicat, q.d. *O homines tribus Iuda, nolite deſperare decem tribuum ſalutem; ſed eam quotidie & ſermone, & voto, & literis ad pœnitentiam prouocate: quia frater veſter appellatur & ſoror; frater ex eo quòd dicatur, Populus meus: ſoror ex eo quòd appellatur, Miſericordiam conſecuta.* Deinde aliter explicat, hæc applicando Iudæis: *Qui*, inquit, *in Chriſtum creditu, & eſtis tam ex Iudæis, quam ex Gentibus, dicite fractis ramis & priori populo, qui proiectus eſt: Populus meus, quia frater tuus eſt: & miſericordiam conſecutæ; quia ſoror tua eſt: cùm enim intrauerit plenitudo Gentium, tunc omnis Iſrael ſaluus fiet.* Addit que tropolog. *Hoc idem nobis præcipitur, ne hæreticos penitus deſperemus; ſed prouocemus ad pœnitentiam, & illorum ſalutem germanitatis optemus affectu.*

Verùm quia in Biblijs Latinis & Græcis hæc diuelluntur à fine capitis primi, ita vt ab his incipiat caput ſecundum, hinc iuxta hanc diſtinctionem aliter hæc explicanda ſunt, cum Chald. & Chriſtoph. à Caſtro, nimirum vt ſpectent ad ſequentia, *Iudicate matrem*; quaſi Propheta hîc redeat ad initium cap.1. ac per eum iubeat hîc Deus Prophetis, & pijs quibuſlibet viris Iſraelitis, vt, dum adhuc retinent nomen populi Dei, & miſericordiam conſecuti, plebem Iſraeliticam matrem ſuam, cuius ſinguli ipſi ſunt membra ac filij, iudicent, id eſt moneant, & coarguant; ne, ſi in ſua impietate perſeueret, & ſibi & filijs interitum pariat. Vnde Chald. vertit, *prophetæ dicite fratribus veſtris: Populo mi, conuertimini ad legem meam, & congregationis veſtræ miſerebor.* Senſus ergo eſt, quaſi dicat, Vos ô Prophetæ dicite fratribus veſtris, ſcilicet ijs, qui ſunt veri Iſraelitæ, id eſt Dei cultores: qui proinde ſunt & vocantur *Ammi*, id eſt populus meus; & ſororibus veſtris, ſcilicet mulieribus, quæ ſunt veræ Iſraelitides, ideoque ſunt & vocantur *Rachuma*, id eſt, miſericordiam conſecuta; vt iudicent, id eſt arguant, & increpent matrem ſuam, ſcilicet Synagogam, ſiue cœtum Iſraelitarum colentium idola; eique denuncient ex me & meo nomine, quòd ipſa iam non ſit vxor mea, nec ego maritus eius: auferat ergo fornicationes, id eſt, idololatrias ſuas, vt mereatur ad me redire, & in gratiam thorum que recipi. Vnde Syrus vertit, *vocate fratres veſtros, Populum meum, & ſorores veſtras miſericordiam conſecutas, inite iudicium* (iudicate) *cum matre veſtra*; & Arabicus Antiochenus, *dicite, Populo meus, fratri veſtro, & ſorori veſtræ dilectæ, & iudicium decernite ad matrem veſtram*; & Arabicus Alexandrinus diuerſis verbis, ſed eodem ſenſu, *dicite fratribus veſtris* (Iudæis infidelibus) *Vos non populus meus; & ſorori veſtræ, quòd non eſt miſericordiam conſecuta: inite iudicium cum matre veſtra.*

SORORI VESTRAE] Hebraicè eſt *iod* plurale לַאֲחוֹתֵיכֶם *laachotechem*, vnde Vatabl. Pagnin. & alij recentiores vertunt, *ſororibus veſtris*. Sed eôdem res redit, ſiue in ſingulari, ſiue in plurali vertas, vt paulò antè oſtendi. Congruentiùs tamen Noſter interpres vertit in ſingulari: quia vna erat filia Gomer, nomine *Lo rachuma*, ſoror *Iezrahel* & *Lo ammi*, filiorum Oſee: ad illam enim alludit. Porrò *iod* iſtud additur voci huic etiam in ſingulari, vt patet Cantic.8.v.8. *Quid faciemus ſorori noſtræ?* hebraicè לַאֲחוֹתֵנוּ *laachotenu*.

IVDICATE MATREM VESTRAM] Hic propriè iuxta S.Hieron. & alios permultos, quos paulò antè citaui, incipit caput ſecundum. Hîc enim redit Propheta à ſæculo Chriſti de more ad ſuum, & ad ſuos Iſraelitas, putà ad ſui ſæculi deprauatos mores, ſcilicet vt Iſraelitas qui toti idololatriæ dediti ruebant in exitium, increpet & ab ea reuocet.

Quæritur, quænam hæc mater? Aliqui accipiunt Iudam & Ieruſalem, ſiue Synagogam duarum tribuum, quaſi hîc Propheta increpet duas tribus, ſicut primo cap. increpauit decem. ita Ribera, vt ſenſus ſit, q.d. Vos ô pij Iudæi, qui pios Iſraelitas vocatis fratres, & pias Iſraelitides ſorores; arguite Ieruſalem & Synagogam, ſiue cœtum populi, qui in ea eſt, quæ eſt quaſi mater veſtra (ad vos enim loqui cœpi:) arguite, inquam, eam, eò quòd iam cœperit imitari decem tribus, & cùm eſſet vxor cultrixque Dei, iterum ſe adulterijs, id eſt, idololatriæ ſordibus inquinarit: ne idem illi faciam, quod feci decem tribubus; ſcilicet vt eam repudiem & abijciam. Hoc enim facere planè cogito & deſtino.

Meliùs alij per matrem accipiunt Samariam, ſiue Synagogam Iſraelitarum. Alludit enim ad Gomer vxorem Oſee, quæ fornicando repræſentabat idololatriam Iſrael, vt dixi c.1.2. Iubet ergo Propheta, vt *Ammi* & *Rachuma*, id eſt fratres

tres & sorores, putà fideles Israelitæ & Israelitides, arguant hanc matrem suam de infidelitate & idololatria. vnde v. 4. ait, *Et filiorum eius non miserebor, quia filij fornicationum sunt: quia fornicata est mater eorum*, vbi planè notatur Gomer eiusque filij, id est Israelitæ impij. Denique v. 13. & 14. expressè nominantur eius filij, scilicet *Iezrahel, Lo ammi, Lo rachuma.* Pergit ergo Propheta hîc insectari Israelis idola. Iam sensus est idem quem paulò antè dedi; illum ergo hîc repete & applica, mutato tantùm nomine Iuda in Israel. ita S. Hieron. Chald. Albert. Hugo, Arias & alij. Hinc patet Prophetam hîc increpare Israelitas idololatras sui æui, non autem Iudæos qui erant futuri tempore captiuitatis Babylonicæ, vt vult Theodor. multò minùs Iudæos futuros tempore Christi. Allegor. tamen hæc rectè ijs adaptes hoc sensu, quasi scilicet hîc veri Israelitæ, putà B Apostoli, iubeantur increpare Synagogam, eò quòd Christum sponsum suum non recipiat nec agnoscat. ita Haymo & Vatabl.

Iudicare pro accusare.

Nota. Pro *iudicate*, alij vertunt, *litigate*, id est iudicio contendite, litem ei intentate; Vatabl. *expostulate.* Iudicare ergo hîc non est sententiam ferre; sed accusare, siue partes accusatoris agere: hoc enim significat Heb. ריבו *ribu*. Est catachresis, vel metonymia; ponitur enim causa pro effectu, antecedens pro consequente; scilicet accusatio pro iudicio, siue lata sententia, hæc enim certò ferenda est in reum certum & confessum, putà in publicos idôlolatras Israelitas, sicut ex lege Deuter. 13. 6. certa & lata erat sententia mortis, putà lapidationis, in adulteram. Sententia ergo de iure lata, & per iudicem certò ferenda, habetur moraliter quasi iam lata.

C

Septuag. vertunt κρίνεσθε, id est, *iudicamini cum matre vestra*, eodem sensu: qui enim iudicio contendit cum parte aduersa, vti facit actor siue accusator cum reo, hic dicitur cum eo iudicari, id est in iudicio disceptare, in iudicio agitari & ventilari, vt à iudice sententiam vel fauorabilẽ, vel aduersam excipiat. Aliter à Castro: *iudicamini*, inquit, id est, vos inuicem arguite & increpate. Sed prior expositio est genuina, eamque exposcit vox Hebr. *ribu*, & consensus cæterorum Interpretum.

VT AVFERAT FORNICATIONES SVAS A FACIE MEA, ET ADVLTERIA] Tritum est in Scriptura apud Prophetas, fornicationes & adulteria vocari idololatriam, eiusq; actus, præsertim sacrificia, quia per hæc anima, vel gens, relicto Deo sponso suo, copulatur idolo & dæmoni, quasi fornicario & adultero. Fornicatio ab adulterio distinguitur quasi genus à specie: fornicatio enim est copula tam cum soluta, quàm cum coniugata: adulterium, cum coniugata tantùm. Aliter S. Hieron. *Fornicaria*, inquit, *est quæ cum pluribus copulatur, adultera quæ vnum virum deserens, alteri iungitur.* Hinc psalm. 72. cùm Psaltes dixisset v. 25. *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* pro quo Hebr. S. Hieron. & Aquila habent: *Quis mihi est in cælo? & tecum nolui in terra*, scilicet habere alium sponsum, amicum, & adiutorem, vt exponit Theodor. &, vt Chald. socium. Arnobius legit, *Quid mihi restat in cælo, & à te quid volui super terram?* q. d. Ego Christus in terra positus ita cælestem vitam egi, vt, cùm in cælum ascendero, nihil mihi superfit, quod in terra positus non impleuerim: nil enim præter te ô Deus meus volui super terram; nihil ergo in terra relinquo nisi obedientiam & adimpletionem voluntatis tuæ; nihil in cælo nisi amorem & cultum tui: tu enim es omne quod in cælo & in terra volo & adamo. Subdit v. 27. *Quia ecce qui elongant se à te peribunt, perdidisti* (perdes) *omnes qui fornicantur abs te*, qui scilicet à te sponso suo, tuaque fide, amore & cultu desciscunt adhærendo idolis vel creaturis, quasi adulteris. *Quorum anima*, inquit Arnob. *alterum ducit Deum* (quasi maritum) *aut à veritatis & sanctitatis coniugio se falsitate & iniquitate commiscet.* Quocirca subdit & infert Psaltes v. 28 *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, græcè προσκολλᾶσθαι, id est, mihi agglutinari Deo bonum est. Triplici vinculo, inquit S. Bernard. anima colligatur Deo. Primò, honestate & promissione, quasi fune; Secundò, timore inferni, quasi clauis, de quo dicitur psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.* Tertiò, amore, quasi glutino.

A FACIE MEA] Est emphasis, q. d. Non pudet te, ô impudens meretrix & adultera, quòd me vidente, & in oculis meis forniceris. Scis me zelotypum, & non metuis, ne te in flagranti delicto confodiam, siderem aut fulmine affiem?

ET ADVLTERIA DE MEDIO VBERVM SVORVM]] Per hæc grammaticè intelligit illecebras & signa adulterij; putà omnem ornatum & gestum meretriciũ. Solent enim meretrices nuda ostentare vbera, eaque onerare floribus, gemmis, bullis, vnguentis, philtris & amatorijs carminibus, vt amasios in sui concupiscentiam illiciant. Denique contrectatione vberum inchoatur, accenditur & expletur libido. Iam per hæc literaliter intelligit ornamenta faciei, capitis, pectoris, bullas, annulos, torques, aliaque quæ ad vbera gestabant in honorem idolorum, ac præsertim medallia & imagines idolorũ, quas è collo suspensas, vel in lamina cælatas ad pectus deferebant. Idipsum poscit sponsus à sponsa, sed sancto & casto amore dicens, Cantic. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* q. d. O sponsa, cor tuum æquè ac brachium mei imagine obsigna, mei imaginem cæla & gesta tam in bullis appensis ad cor, id est ad pectus, quàm in armillis appensis ad manus & brachia, vt hæc tibi iugem mei memoriam & amorem refricent & ingerant, vt assiduè non aliud, quàm me cogites & ames. C. 8

NE FORTE EXPOLIEM EAM NVDAM, ET STATVAM EAM SECVNDVM DIEM NATIVITATIS SVÆ] *Diem natiuitatis* Israelis vel Synagogæ, vocat ortum vel propagationem primam Gentis Israeliticæ in Ægypto: in Mose enim, & cum Mose quasi orta est Synagoga, creuit & adoleuit, ac quasi pubes desponsata est Deo, quando in Sina per Mosen à Deo legem, & cæremonias, & ritum sacrorum, quibus Deum coleret, accepit. Ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Haymo, Hugo & alij. Paulò aliter Arias: censet enim ortam Synagogam in Chaldæa, cùm Abraham eius parens ibidem ortus est. Verùm ibi non tam gens ipsa, quàm gentis pater, putà Abraham, ortus est. WERS. 3.

Nuditatem vocat, tum inopiam & paupertatem Israelis in Ægypto, vbi affligebatur, viuebat & victitabat quasi mancipium Ægyptiorũ, tum infirmitatem & impotentiam eiusdem, qua quasi iner-

inermis & imbellis, carenſque duce, ſe tutari non poterat; ideoque Pharaoni erat in prædam & rapinam: tum quòd deſtitutus lege, religione, tabernaculo, Prophetis, à Deo quaſi derelictus & nudus, omnique veſte tam corporali, quàm ſpirituali deſtitutus videretur. Senſus ergo eſt, q. d. In Ægypto Iſrael natus eſt nudus, miſer, pauper, imbellis, abiectus, informis; carens rege, duce, lege, religione, Synagoga, repub. imò Deo, omnique bono, expoſitus prædæ & neci, ac infanticidio Pharaonis. Ego eius miſerrimi commiſeratus, eum per Moſen collegi, liberaui, eduxi, armaui, ſpolijs Ægyptiorum ditaui, manna paui, lege & ſacris inſtruxi, in Synagogâ & rempubl. efformaui, mihique eam deſpondi. At illa iam dines facta, luxuque abundans, laſciuire & recalcitrare cœpit, fornicari & idola colere, me aſpernari. Itaque moneo, vt priſtinæ ſuæ conditionis, meæque beneficentiæ memor reſipiſcat, alioqui eam derelinquam, finamque reuolui in primæuam infantiæ ſuæ miſeriam & nuditatem; vt ſit ſine opibus, ſine rege, ſine lege, ſine Deo, vt vaſtetur & ſpolietur ab Aſſyrijs, omnibuſq; bonis & rebus ſuis nudetur. Hoc eſt quod ſubdit: *Ponam eam quaſi ſolitudinem; eam*, ſcilicet terram, & conſequenter gentem Iſrael: deſolatio enim gentis, eſt deſolatio terræ; & viciſſim deſolatio terræ, eſt deſolatio gentis. Quocirca Oſee, alijque Prophetæ de Iſraele nunc loquuntur quaſi de gente, nunc quaſi de regione & terra. vnde ſubdit: *Et ſtatuam velut terram inuiam*; Hebr. & Sèptuag. *terram ſine aqua*; Chald. *terram deſertam*: hæc enim eſt inuia. *Et interficiam eam ſiti*, q. d. Faciam eam arentè & ſiticuloſam, ita vt ſiti enecetur tam terra, quàm gens quæ eam incolit. Cùm enim agri & prata carent aqua, itaque ſitiunt & ateſcunt, nullas dant fruges, nullam ſegetem, nullos fructus, nulla germina, ac conſequenter iumenta & homines tunc ſuo pabulo potuque deſtituti, ſitiunt & tabeſcunt. Hoc idem ſchema Synagogæ, quaſi puellæ recèns natæ, nudæ & miſeræ, à Deo veſtitæ, ditatæ, & deſponſatæ, ac deinde laſciuientis, adulterantis & idololatrantis; ideoque à Deo rurſum derelinquendæ, ac per Chaldæos denudandæ & vaſtandæ, graphicè & fusè proponit Ezech. c. 16 & Ierem. cap. 2. Vide ibi dicta. Tropol. pari modo Deus gentes & animas ſui olim cultrices, ſi eo ſpreto ad hæreſin aliaque ſcelera deflectant, omnibus ſuis gratijs, beneficiis & donis denudat; itaque facit, vt incultæ & inutiles iaceant, ac redigantur in ſolitudinem: punitque eas ſiti, id eſt deſiderio, voluptatū, quas obtinere nequeant; vt inſtar Tantali ſitientes aquas videant & tangant, ſed eas ore contingere & haurire nequeant. Rurſum ſiti, id eſt deſiderio felicitatis, quam aſſequi non poſſunt: vera enim & ſolida felicitas ſolis iuſtis à Deo deſtinatur & obtingit.

Secundò, ſicut in locis aridis ſunt feræ, quæ venenum ab immodico æſtu trahunt virulentiſſimum, vti ſunt ſerpentes & dracones, eorumq; variæ ſpecies; ita anima arida & ſitiens non parit niſi cupiditatum feras, & vitiorum venena.

Tertiò, terra arida generat monſtra; vnde de Libya dicitur, *Semper Libya aliquid mali affert*; & de Africa, *Semper Africa aliquid noui parit*. Rationem dat Ariſtot. lib. 2. de Gener. animal. cap. 5. quòd, cùm regio ſit æſtuans & arida, paucos habeat fontes, ad quos ſitis leuandæ cauſa congregantur animalia & feræ, ibique inter ſe commiſcentur, itaque è commixtione diuerſarum ſpecierum generentur monſtra; & è monſtrorum cōmixtione noua rurſum procreentur monſtra, fœtuſque biformes, imò triformes & quadriformes. Ita anima cùm relicto ſponſo Deo, vagatur per opum, honorum, deliciarum amores, innumera parit peccatorum monſtra, vti videre eſt in aulis, ciuitatibus, imò & collegijs Clericorum & Monachorum, in quibus dominatur ambitio, auaritia, gula, libido, &c. ita Sanchez.

ET FILIARVM ILLIVS NON MISEREBOR. Notat parabolicè filios Gomer, putà *Iezrahel*, *Non populus meus*, *Abſque miſericordia*, & per eos ad literam intelligit Iſraelitas idololatras, Synagogæ idololatrantis filios; vti dixi cap. 1. Horum dicit Deus ſe non miſerturum; ſed eos per Aſſyrios exciſurum. QVIA FILII FORNICATIONVM SVNT] id eſt, quia imitari ſunt matrem ſuam in idolorum cultu, quem ab ea didicerunt & imbiberūt. Alioqui enim ſi ſola mater peccaſſet, filijque innoxij fuiſſent & pij, ſola mater merita fuiſſet ſupplicium, non filij. *Anima enim quæ peccauerit, ipſa morietur; & filius non portabit iniquitatem patris*, vti ſancit Deus Ezech. 18. 20. ita S. Hieron. Chald. Theodor. & Lyran. Nota. Per matrem intelligit Synagogam, id eſt, primores & ſenes Synagogæ; hos enim quaſi duces, iumores & populus in idolorum cultu ſequebantur. vnde ſubdit: *Quia fornicata eſt mater eorum*; q. d. Principes ſuo exemplo, inſtitutione & iuſſu docuerunt, imò compulerunt populum ſecum fornicari & idola colere. VERS. 4.

CONFVSA EST QVAE CONCEPIT EOS] Primò, Rupert. & Albert. *confuſa eſt*, inquiunt, confuſione non verecundiæ, ſed ignominiæ: quia in peccato (adulterij, id eſt idololatriæ) deprehenſa eſt. VERS. 5.

Secundò & meliùs, confuſa eſt, quia ſpe ſua fruſtrata eſt; quia id quod ſperabat non obtinuit. Sperabat enim luxuriari cum ſuis amaſiis, id eſt idolis & idololatris, ab iiſque ditari; ſed Deus ei iter ad illos intercluſit. Hoc eſt enim quod ſubdit, *Quia dixit: Vadam poſt amatores meos*; ſed à Deo viam intercipiente audit, *Sepiam viam tuam ſpinis*. Sic ait Apoſtolus, *Spes non confundit*, id eſt, non fruſtratur hiantem & ſperantem; ſed eum certò deducit ad rem ſperatam. Sic ſæpè Pſaltes orat, dicitque: *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum*; id eſt, ſpe mea non excidam, ſed certò à te aſſequar quod à te ſpero. Spes enim & ſperans pudefit & confunditur, cùm ſpe ſua deluditur, nec rem ſperatam aſſequitur.

QVIA DIXIT: SEQVAR AMATORES MEOS] Meretrix hæc, ait S. Hieron. *in tantam venit impudentiam, vt audiret per Ieremiam: Facies meretricis facta eſt tibi, impudorata es tu. An non eſt hoc dura frontis, & meretricia impudentia, vt in ſuo ſcelere glorietur, & dicat: Sequar amatores meos, vadam ad idola, quia mihi & ad victum, & ad veſtitum neceſſaria præbuerunt*: ita quoque Theodor. Haymo & Vatablus.

Alij per *amatores* intelligunt ipſos Gentiles, quorum idola Iſrael colebat, ſperans ab eis protectionem & auxilium contra hoſtes; vt ſuis agris & bonis ſecurè frui, indeque honeſtè imò lautè viuere poſſet. ita Chald. Haymo, Hugo & Iſidor.

Isidor. nec malè. Nam Prophetæ *amatores* vocant tam idololatras, quàm eorum idola; vt patet Ezech. 16. 36. Sed eódem res redit: ab idolis enim, quasi dijs, alimoniam, ab idololatris amicitiam & subsidia sperabant Israelitæ.

QVI DANT PANES MIHI. Hebr. *panem meum*: per panem Hebræi significãt quemlibet cibum, quodlibet obsonium, quasuis delicias: ET AQVAS MEAS, tum fontium, tum pluuiarum, ad irrigandam & fœcundandam terram. nam de potu mox sequetur. LANAM MEAM ET LINVM, ex quibus vestes laneas & lineas mihi meisque conficiam: OLEVM MEVM, quo vtar ad cibum, ad lumen, & ad vnctionem: ET POTVM MEVM,] tum vini, tum siceræ, quæ fiebat nunc ex aqua in farina tritici & hordei elixa & cocta (qua etiamnum vtuntur Transalpini, vocantq; cereuisiam) nunc ex contusis pomis, pyris, cerasis, alijsque fructibus; quin & ex herbis, saluia, cicorea, origano, &c. & ex radicibus, atque ex incisione arborum: inde enim lachryma copiosa stillans potum dat, vti fit in Brasilia, quæ proinde multis in locis alio non vtitur potu.

6. Propter hoc ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet.

7. Et sequetur amatores suos, & non apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet, & dicet: Vadam; & reuertar ad virum meum priorem: quia bene mihi erat tunc magis quàm nunc.

8. Et hæc nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.

9. Idcirco conuertar, & sumam frumentũ meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & liberabo lanam meam & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius.

10. Et nunc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius: & vir non eruet eam de manu mea.

11. Et cessare faciam omne gaudium eius, solemnitatem eius, neomeniam eius, sabbatum eius, & omnia festa tempore eius.

12. Et corrumpam vineam eius, & ficum eius: de quibus dixit: Mercedes hæ, meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei: & ponam eam in saltum, & comedet eam bestia agri.

13. Et visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, & ornabatur inaure sua, & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei obliuiscebatur, dicit Dominus.

VERS. 6. PROPTER HOC] Hic versus, & proximè sequens recto ordine collocandi essent immediatè ante v. 14. *Propter hoc ecce ego lactabo eam.* Sic enim omnia optimè cohærẽt. Primò enim Deus sponsæ scelera recensens ei pœnam infligit, illa afflicta de more confugit ad suos deos; sed Deus viam sepit & intercludit; illa ergo pœnitens ad Deum reuertitur: Deus misericors eam pœnitentem & reuertentem excipit, dicitque: *Propter hoc ecce ego lactabo eam.* Hic enim est rectus ordo, quem passim videmus seruari in reconciliatione coniugum. Quocirca nonnulli hos duos versus, sextum scilicet & septimum, parentheſi intercludendos censent. Est enim hic vehemens pathos sponsi Dei, indignantis sponsæ ob adulteria; in quo proinde affectus ex vehementia & copia inciduntur, miscentur & turbantur.

SEPIAM VIAM TVAM SPINIS] Syrus, *sepiam viam tuam spina*, scilicet Arabica, quæ acuta, densa & multa est in Palæstina. Sensus est, q.d. Quia tu, ô Synagoga, confugis ad deos Gentium; quia frumentum, lanam, linum, omneque bonum petis, non à me, sed à tuis amasijs, putà idolis & idololatris; idcirco ego tibi viam ad eos intercludam, nimirum tot calamitatibus te premam, taanta hostium incursione & obsidione te cinganm, vt ad tuos amasios egredi, opemque ab eis poscere non valeas. Fecit hoc Deus, cùm in Samnariam immisit Phul, Teglathphalasar, & Salmnanasar reges Assyriorum. Hi enim suis copijs omnes vias ita obsidebant, vt Israelitæ neque in Syriam, neque in Ægyptum, neque in Ammonitidem, Damascum, Idumæam profugere possent.

Moral. Deus sepit & obstruit vias peccatoribus, cùm eos à peccatis morbo, ærumnis, odijs, persecutionibus (hæ enim sunt sepes & maceria, quibus Deus iter eis ad peccata intercludit) cohibet, vel ipsas occasiones peccatorum aufert: quæ ingens est Dei misericordia, licèt peccatori suas delicias concupiscenti, ingrata & exosa. Ita Adamo superbienti, & ex ligno scientiæ boni & mali ambienti omniscientiam & diuinitatem, Deus sepiuit viam, ponens ante paradisum Cherubim, cum flammeo & versatili gladio, qui eunm aditu paradisi prohiberet; ne ad lignum scienntiæ boni & mali posset accedere. Ita sepit vianm libidinosis, dum occultas eorum libidines orbbi pandit & prodit; percutiens eos lue Gallica, vt publicè confundantur, subeantque grauem cruciatum æquè ac ignominiam & infamiam: hæc enim est sepes & maceria, qua à peccatis cohibentur, vitamque emendant. Sic sepiuit viam Israelitis fornicantibus cum filiabus Moab, occidendo 24. millia, Num. 25. 9. & Sodomitis, afflando eos igne cælesti, Genes. 19. Ita sepit gulosis viam ad delicias & vina, dum eos paupertate vel morbo affligit, vt ad omnem cibum nauseent; vti fecit filijs Israel, desiderantibus carnes pro manna, Num. 11. 20. & 34. Sic sepit auaris viam ad lucra, dum merces per naufragium perdit, aut per piratas & latrones diripit. Sic ambitiosis sepit viam ad honores, dum eis patronorum, per quos promoueri sperabant, fauorem & gratiam aufert; vt eis sint odio, quibus antea erant in delicijs: dum eis æmulos opponit, dum eis alios maiori pollentes dexteritate, prudentia, gratia anteponit. vti quotidie in aulis & sæcularium, & Ecclesiasticorum principum fieri videmus. Hæ sunt sepes, hæ maceriæ, quæ assiduè eis inclamant: *Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium*, imò spinas & cruces?

Mor. Deus obstruit vias peccatorum.

Audi S. Greg. 34. Moral. cap. 2. & hom. 36. in Euang. *Spinis electorum viæ sepiuntur, dum dolorum*

punctiones inueniunt in hoc, quod temporaliter concupiscunt. Quasi interposita maceria vis eorum obuiat, quorum nimirum desideria perfectionis difficultas impugnat. Horum profectò animæ amatores suos quærunt, & non inueniunt; dum sequendo malignos spiritus, nequaquam eas, quas appetunt, huius sæculi voluptates apprehendunt. Tunc dicit: Vadam ad virum meum priorem, id est ad Deũ: *quem tunc mens vniuscuiusque desiderat, cùm multiplices amaritudines, velut quasdam spinas inuenit in iis delectationibus, quas temporaliter concupiscit. Nam dum aduersitatibus mundi, quem diligit anima, morderi cœpit, tunc plenius intelligit, quanto illi cum priori viro melius fuit. Eos ergo quos voluntas praua peruertit, plerumque aduersitas corrigit,* vti correxit filium prodigum fame pereuntem, Lucæ 15.17.

ET SEMITAS SVAS (quibus ad idola & idololatras currebat) NON INVENIET] vtpote spinis à me obseptas. Est enallage personæ, crebra apud Prophetas. Transit enim à secunda persona in tertiã, à *tuas* in *suas*. vnde explicans subdit:

VERS. 7. ET SEQVETVR AMATORES SVOS, ET NON APPREHENDET EOS] q.d. Implorabit opem idolorum & Gentium, quibus religione & fœdere se deuinxit; sed non obtinebit, tum quia ipsæ vias medias spinis à me intercluſas transire non poterunt; tum quia sine me imbelles sunt, & inualidæ ad opitulandum. Quocirca Synagoga omni eorum spe destituta, ad se & ad Deum redibit & dicet: *Vadam & reuertar ad virum meum priorem* (ad Deum) *quia bene mihi erat tunc magis, quàm nunc.* Comparat deos Gentiũ amatoribus, eò quòd Synagogam comparauerit meretrici.

Tropolog. Tropolog. hoc dicit & sentit anima pœnitens, dum videt se à suis amasiis, id est, socijs, voluptatibus, applausibus, derelictam & deceptam. Tunc enim damnat illas, & ad Deum, in quo antea veram experta est requiem & gaudium, recurrit. Ita ad Christum recurrit Magdalena, filius prodigus, S. Paulus, & S. Matthæus, & alij. Pulchris apologis fallaciam harum amasiarum declarat Damascenus in historia Barlaam & Iosaphat c.12.& 13.

VERS. 8. ET HÆC NESCIVIT] Redit ad v.5. eò enim hæc pertinent, vti dixi initio v.6. q.d. Synagoga coluit Deos, dicens, Hi dant mihi panes, aquas, lanam, linum, oleum; & tam impudens fuit, vt nesciret, id est non recognosceret, me illi hæc dedisse, quin & argentũ & aurum, quod ipsi dedi, consecrauit Baal, ex eisq; fecit simulachra Baal. In voce *nesciuit*, est catachresis: sciebat enim Synagoga se habere hęc à Deo; sed *nesciuit*, id est, scire noluit, non agnouit, ita se gessit ac si nesciret. ita Vatab. Sic Terent. in Andria ait: *Tu ædepol si sapis, quod sis nescies*, id est, nescire te simulabis.

Tropol. Tropol. S. Hieron. Panis, inquit, hæreticorum est luctus perpetuus: aqua, cœnosa doctrina, qua etiam baptizatos suffocant: lana & linum, simulata sanctitas & munditia, quia veniunt in vestimentis ouium: oleum est adulatio, vnde dicitur: Oleum peccatoris non impinguet caput meum. potus, S. Scriptura, quam illi peruertunt.

QVAE FECERVNT BAAL] *Baal* est datiui casus, vt patet ex articulo Hebr. *lamed*, לְבַעַל *lebaal*, q.d. Quæ fecerunt, id est obtulerunt, & accepta tulerunt ipsi Baal, quasi eorum auctori & datori; vel quæ dedicarunt ipsi Baal. Sic *facere* Latinis idem est quod sacrificare; vnde *rò quæ*, non tantùm ad argentum & aurum, sed & ad frumentum, vinum & oleum referri potest: hæc enim faciebant, id est, offerebant & libabant Baal. vide Ezech. 16.17. Secundò, *quæ fecerunt*, id est, ex quibus fabricarunt & ornarunt *Baal*. Vnde ex Hebræo verti potest, *aurum fecerunt Baal*, q.d. Ex auro Dei, & à Deo accepto, fabricarunt idolum Baal: facere enim aurum, vel argentum, est illud cælare, polire, aut in vas vel effigiem aliquam efformare: infectum enim dicitur, quod rude est & impolitum. Audi Isidorum lib.15. c.17. *Tria sunt genera argenti, & auri, & aris; signatum, factum, infectum. Signatum est, quod in nummis est: factum est, quod in vasis, & signis: infectum, quod in massis, quod & graue dicitur, id est massa.*

Tropol. peccatores suas cupiditates faciunt suos deos. Vnde S. Hieron. in psal. 80.10. *Non erit in te Deus recens. Cui Deus,* ait, *venter est, Deus ei recens est: quotcumque vitia habemus, quotcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est: vidi & concupiui mulierem, libido mihi Deus est. Vnusquisque enim quod cupit & veneratur, hoc illi Deus est.* Ità fornicatores corpus, vires, opesque quas à Deo acceperunt, mancipant suis veneribus. Vnde Syrus vertit, *ex eo* (auro & argento) *fecerunt Baal*; Arabicus, *conflauit ea Baal*. Portò Baal, siue Baalim, siue Bel, Bal, Belus, erat Iupiter Belus, qui fuit Deus primus Chaldæorum, de quo plura dixi Genes. 10. 9. & Daniel. 14.2.

Tropol. Origenes hom. 2. in Cant. per aurum accipit sensum & intellectum; per argentum facundiam & gratiam sermonis; quæ dum ad vanam gloriam, vel ad lucra sectanda, non verò ad Dei gloriam, & animarum salutem expendimus, tunc ea Baalim offerimus. *Dedi*, inquit Origen. *vobis sensum & rationem, qua me Deum & sentire possetis, & colere: vos autem sensum & rationem, qua in vobis est, ad colenda dæmonia transtuliſtis.* Simile est Ezech. 7. 20. vide ibi dicta. Glossa verò ex Haymone: *Per vinum*, inquit, *lætitia spiritualis signatur, quam non in hoc sæculo, sed in Deo habere debuerunt; per oleum, sensus illuminatio; per argentum, nitor eloquij; per aurum, præceptum dilectionis Dei & proximi: in quibus omnibus non Deum, sed dæmones venerabantur.* Similia habet S. Gregor. 3. p. Pastor. admon. 25.

IDCIRCO CONVERTAR, ET SVMAM FRVMENTVM MEVM] Conuertar ab amore in odium, à beneficentia in vindictam; conuertar, inquam, ab alimonia qua tam liberaliter eam alui, dedique frumentum, vinum, &c. ad puniendum eam sterilitate & fame; vt ex prophetia hac, & ipsa eius experientia discat, sciatque meum esse frumentum & vinum, illaque à me dari, non ab idolis. *Sumam* ergo, *& auferam frumentum meum in tempore suo*, putà in tempore messis; *& vinum meum in tempore suo*, putà in tempore vindemiæ. q.d. Faciam vt parum frumenti in messe, & parum vini in vindemia colligant, aut si multum collectum sit, euanidum sit, parumque det panis & vini; aut certè incendio, grassatione hostili, alióue modo illud disperdam. VERS.

ET LIBERABO LANAM MEAM ET LINVM MEVM] *Liberabo*, scilicet, quasi è captiuitate, qua detinentur ab iniquo vel iniusto possessore. vnde Chald. vertit, *detraham vestem sericam & byssinam, quam dederam ei ad operiendum ignominiam suam*; Septuag. *auferam linteamina mea, & vestimenta*

vitæ,

mea, ne tegant ignominiam eius; ignominiam, id est, nuditatem: hanc enim significat Hebr. עֶרְוָה *erua*, & hæc est turpis & ignominiosa. q.d. Spoliabo & nudabo eam vestibus, nudamque ignominiosè ad ludibrium exponam, vt ab omnibus rideatur & illudatur. Est prosopopœia: tamquã enim lana & linum inuitè seruirent ingratis & impiis idololatris, quasi iniustis possessoribus; inde ea dicit se liberaturum. Ergo τὸ *liberabo*, significat quòd creaturæ coactè seruiant impijs, superbis & ingratis: Deus enim eas creauit ad hunc finem, vt homini seruirent ad cognoscendum & amandum Deum, earum creatorem & largitorẽ. Quocirca dum hoc suo fine, ad quem conditæ sunt, priuantur, imò contra Deum assumuntur ad superbiam & luxum, naturaliter idipsum auersantur, captiuantur, & vim patiuntur, ac reipsa dolerent, gemerent, & de iniuria protestarentur, si sensum haberent. Hoc est quod ait Apost. Rom. 8. 20. *Vanitati enim creatura subiecta est, non volens; sed propter eum qui subiecit eam in spe.* Et mox: *Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.*

Creatura creauit seruiunt impijs.

Deus ergo creaturas ita gementes sub hac seruitute liberat, dum impijs eas aufert, & pijs eas tradit, aut facit eas sibi suoque obsequio, ad quod conditæ sunt, & ad quod naturaliter propendẽt, totoque naturæ pondere feruntur, impendi.

Audiui in Belgio celebrem concionatorem, qui calumniatoribus nonnullis obiectantibus Clericos & Religiosos quosdam lautè viuere, pro concione respondit, Primò, hanc esse calumniam & mendacium; Secundò, esto id verum esset, non esse iniquum, sed secundùm ordinem rerum: Deus enim creauit creaturas vt seruirent pijs, non impijs; famulis, non hostibus. Quocirca, inquit, si panis, si vinum, si oua, si perdices loqui possent: clamarent, Comedant nos viri sancti, serui Dei nostri, non comedamur ab inimicis Domini nostri. Substantia nostra, caro nostra incorporetur sanctis, vt in ijs ad gloriam resurgat, non peccatoribus: in illis enim resurget ad gehennam. Quæ enim creatura non malit esse in cælo & gloria, quàm in inferno & igne?

Hac de causa in fine mundi, & maximè in die iudicij omnes creaturæ, quasi vindices creatoris sui, insurgent in impios, eosque disperdent. Hoc est enim quod ait Sapiens cap. 5. v. 21. *Pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulguris, & tamquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur. Et à petrosa ira mittentur grandines, & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbo venti, diuidet illos.*

VERS. 10. ET NVNC REVELABO STVLTITIAM EIVS] Septuag. *immunditiam*; Vatabl. *turpitudinẽ*; Pagnin. *spurcitiam*; Chaldæus, *ignominiam eius*. Propriè Hebr. נִבְלוּת *nablut*, significat rem stolidam & stultam: vnde de Nabal marito stolido, appositè dixit Abigail vxor Dauidi: *Ne ponat, oro, Dominus meus rex cor suum super virum istum iniquum Nabal: quoniam secundùm nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo*, 1. Regum 25. 25.

Porrò *stultitia* Israelis siue decem tribuum (de his enim loquitur, vt antè dixi) erat hæc, quòd relicto Deo optimo patre & prouisore, à quo percipiebant frumentum, vinum, linum, omniaque bona, colerent muta & surda idola, eisque

A suum frumentum, vinum, &c. ascriberent, & accepta referrent: quæ sanè ingens erat stoliditas, ingratitudo & impietas. Hanc reuelaturum se toti orbi minatur hîc Deus, idque reipsa præstitit, cùm Israelem bonis omnibus nudauit, eumque prædæ, captiuitati & irrisioni Assyriorum (quorum deos Israel colẽbat) exposuit.

Similis est stultitia cuiusque peccatoris; vtpote qui creaturam creatori, terram cælo, diabolum Deo, infernum paradiso, peccatum sanctitati, malum bono præfert.

ET CESSARE FACIAM OMNE GAVDIVM EIVS] VERS. 11. quia cessare faciam omnes fruges eius; item omnia sabbata, omnesque dies festos eius, vt sequitur; in his enim feriari, gaudere, & recreare se solent Iudæi æquè ac Christiani.

ET CORRVMPAM, Vatabl. *deuastabo*, tum per VERS. 12.
B grandinem & procellas, tum per Assyrios, VINEAM EIVS, ET FICVM, q.d. Non tantùm vuas & ficus; sed & ipsas vineas, ipsasque ficuum arboress exscindam & demoliar. Causam subdit: DE QVIBVS DIXIT: MERCEDES (meretricatus, id est culturæ idolorum) HÆ, MEAE SVNT, QVAS DEDERVNT MIHI AMATORES MEI] q.d. Exscindetur, quia fruges & opes quas ego ei dedi, ipsa ingratè & stolidè acceptas retulit suis idolis.

ET PONAM EAM IN SALTVM] Ribera ex Hebræo, Chald. & Septuag. contendit legendum *ea*, scilicet vineam & ficum: verùm Romana legunt *eam*, scilicet Synagogam, & terram Israel; hæc enim ab Assyrijs vastata, data est bestijs terræ deuoranda; huic enim continuè loquitur, eamque peccati coarguit. Minùs ergo genuinè S. Hieron. Theodor. & Lyran. Ierusalẽ, eiusque excidium hîc significari volunt: nam, vt dixi, agit
C hîc Propheta de decẽ, non de duabus tribubus. Septuag. pro יַעַר *iaar*, id est saltum, vel siluam, legentes יַעַד *iaad*, id est testimonium, vertunt, *ponam eam in testimonium*, vt scilicet toti orbi atteste tur quanta sit Dei in sceleratos ira, iustitia, potentia & vindicta.

ET VISITABO SVPER EAM DIES BAALIM] q.d. VERS. 13.
Puniam *dies*, id est, peccata illis diebus, putà idolorum festis, commissa, quibus ornabat se, coluitque Baalim, id est, varios Gentium deos, festiuis sacrificijs & vestibus, vti sequitur. ita Chaldæus, Haymo, Hugo & Vatabl. Nota. Baal hebr. Primò, significat dominum à rad. בָּעַל *baal*, id est dominatus est: indè Secundò, significat sponsum & maritum, maritus enim est caput & dominus vxoris suæ, 1. Cor. 11. 3. hinc Tertiò, Gentiles suum Iouem vocabant Baal, quasi dominum cæli & terræ. Baal in plurali habet *Baalim*, quasi dicas, multi domini, multi mariti, multi dij: hos multos opponit solitudini, & singulari *Baali*, vti mox dicam.

Aliter S. Hieron. q. d. Faciam vt illis ipsis festis diebus, quibus colebat Baalim, puniatur & exscindatur. Sic tropol. dies Baalim sunt, quibus quis seruit Veneri, Mammonæ, spiritui superbiæ & ambitionis, quasi Baalim, id est, amasiis, dominis & heris, imò dijs suis. Hos Deus visitat cùm peccatorem punit lue venerea, paupertate, amissione honoris & status.

Mysticè dies Baalim quid

Rursum visitat dies Baalim, cùm peccatorem licèt pœnitentem, punit tribulationibus, rebus aduersis, desolationibus; & præsertim tentationibus pristinorum peccatorum, ad eum quasi ad

veterem amicum recurrentium; vti S.Maria Ægyptiaca totidem annos, putà 17. quot peccarat, obſcœnis cogitationibus tentata fuit. Idem paſſim alijs contingit. Vide S.Bernard. ſerm.3.& 4. in Cantic.

QVIBVS ACCENDEBAT INCENSVM, ſcilicet Baalim, putà idolis: ET ORNABATVR INAVRE SVA, ET MONILI SVO | quaſi meretrix, quæ ſe adornat & fucat amaſiis ſuis. Iudæi enim in feſtis cultiores induebant veſtes, ad cultum feſti & idoli ſui; vti & faciunt Chriſtiani, ſed in honorem Dei & Sanctorum quorum feſta colunt.

14. Propter hoc, ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem: & loquar ad cor eius.

15. Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam ſpem: & canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ, & iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Ægypti.

16. Et erit in die illa, ait Dominus: vocabit me: Vir meus: & non vocabit me vltrà Baali.

17. Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum.

18. Et percutiam cum eis fœdus in die illa, cum beſtia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ: & arcum, & gladium, & bellum conteram de terra: & dormire eos faciam fiducialiter.

19. Et ſponſabo te mihi in ſempiternum: & ſponſabo te mihi in iuſtitia, & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus.

20. Et ſponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego Dominus.

21. Et erit in die illa: Exaudiam, dicit Dominus, exaudiam cælos, & illi exaudient terram.

22. Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hæc exaudiēt Iezrahel.

23. Et ſeminabo eam mihi in terra, & miſerebor eius, quæ fuit abſque miſericordia.

24. Et dicam non populo meo: Populus meus es tu: & ipſe dicet, Deus meus es tu.

VERS. 14. PROPTER HOC ECCE EGO LACTABO EAM] Difficile eſt τὸ *propter hoc*: quæ enim eſt cauſa, imò quæ conſequētia & connexio dicere, Vxor adulterata eſt, ideoq; puniam & perdam illam, propterea lactabo eam? Primò, aliqui qui ſic connectunt & exponunt; q.d. Quia Iſrael tam grauiter peccauit, quia tam grauiter errat & delirat, quia in tantis verſatur animæ miſerijs & periculis ſalutis, vt mihi miſerationem potiùs moueat, quàm iram & bilem; hac de cauſa ego poſt eius caſtigationem, iram in miſericordiam vertam; & oſtendam ei diuitias potentiæ & miſericordiæ meæ; nimirum lactabo eam, & loquar ad cor eius: itaque eam ad me conuertam & reducam. ita Ribera. Secundò, Lyran. hæc connectit cum initio capitis: *Dicite fratribus veſtris, Populus meus: & ſorori veſtræ, Miſericordiam conſecuta.*

Verùm dico eſſe hîc hyſterologiam, vti oſtendi v.6. Hæc ergo verba, *Propter hoc ecce ego lactabo eam*, referenda & cōnectenda ſunt cum v.6.& 7. Sic enim omnia ordinatè cohærent & fluunt. Senſus ergo eſt, q.d. Dixi v.6.& 7. *Sepiam viam eius ſpinis*, vexabo & caſtigabo eam; ne ſcilicet ſponſa mea Synagoga, Gentes & deos alienos adire & colere poſſit: vnde ipſa in ſe reuertetur, pœnitenſque vitæ prioris, dicet: *Vadam & reuertar ad virum meum priorem. Propter hoc*, quia ſcilicet ipſa pœnitens ad me redit; *ecce ego lactabo eam*, q.d. Ego priorum eius ſcelerum oblitus, eam redeuntem excipiam, quaſi ſponſus amantiſſimus, & in eius amplexus ruam, vt ruit pater in amplexus filij prodigi ad ſe redeūtis, Lucæ c.15.

Præclarè S. Bernardus ſerm.83. in Cant. docet tantum eſſe ſponſi Dei noſtri amorem, vt anima quantumcumque vitijs corrupta, adhuc per amorem caſtum & ſanctum poſſit redire ad nuptias, & thalamum ſponſi. *Magna*, inquit, *res eſt amor, ſponſæ res & ſpes vnus eſt amor. Hoc ſponſa abundat; hoc contentus eſt ſponſus; nec is aliud quærit, nec illa aliud habet. Hinc ille ſponſus, & ſponſa illa eſt.* Et inferiùs: *Quidni amet ſponſa & ſponſa amorius? Quidni ametur amor?* vide ſequentia.

ECCE EGO LACTABO EAM | Ruffinus, *Lactabo*, inquit, id eſt, dabo manna Hebræis in deſertò: manna enim dicitur lac, quia lacti erat ſimile in colore & ſapore. Verùm hoc manna olim dederat Deus; hîc autem ait, *lactabo*, in futuro. Rurſum, *lactare* hîc non ſignificat lac dare, vel lacte nutrire; ſed eſt verbum frequentatiuum, deriuatum à primitiuo lacio; cuius ſignificatio patet ex compoſitis allicio, illicio, pellicio, & ex frequentatiuis lacto, illecto, delecto: lactare ergo idem eſt, quod allicere, ſuadere, pellicere, & velut lacte dato ineſcare, decipere & capere: vti docet Feſt. Pompeius lib.10. Sic vulgò dicimus: Herus meus hac ſpe me lactat, magnis promiſſis lactor, & c. Sic Prouerb.1. dicitur: *Si te lactauerint*, id eſt, pellicere & ſeducere voluerint, *peccatores, ne acquieſcas eis.* Et hoc ſignificat Hebr. פתה *patha*, vnde Græcum πείθω, id eſt ſuadeo, perſuadeo. Quocirca Septuag. vertunt, ἐγὼ πλανῶ αὐτὴν, *ego ſeduco eam, & ponam eam quaſi deſertum*; Vatabl. *ego pelliciam eam*; Syrus, *ecce decipio eam*; Arabicus Antioch. *errare faciam eam*; Arabicus Alexand. *perdam eam*; alij, *ego ineſcabo eam*, ſicut piſces & aues data eſca ineſcantur, itaque capiuntur. Iam Primò, Theodor. & Theoph. hoc in malam partem accipiunt, atque ex Septuag. hunc dant ſenſum, quaſi dicant: *Ecce ego faciam eam ſeduci, & erroribus implicari, ac labi; vt ducatur in captiuitatem* (in Aſſyriam) *& captiuam factam his omnibus bonis faciam deſtitui.* Verùm hæc in bonam accipienda eſſe, & ſignificare læta promiſſa, non triſtia & minas, docent paſſim alij Interpretes; & patet ex ſequentibus. Ait enim: *Loquar ad cor eius: dabo ei vinitores eius; canet ibi iuxta dies iuuentutis ſuæ: vocabit me, Vir meus: auferam nomina Baalim: percutiam cum eis fœdus: ſponſabo te mihi in ſempiternum. Lactabo* ergo *eam*, id eſt ſuadebo, alliciam, & quaſi pio dolo ineſcabo, & decipiam eam; vt vltrò idola ſua contemnat, & mihi quaſi ſponſo & Deo ſuo ſe totam addicat & mancipet. Vnde Chald. vertit, *ecce ego ſubiiciam eam legi, &*

& operabor illi miracula, & grandia facinora, qualia edidi illi in deserto. Hoc est, quod ait Ezech. c. 36. 25. *Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis carneum.*

Mer quomodo lactet Deus suos.

Tropol. ita Christus lactabat S. Magdalenā, vt opes, delicias, veneres, & quidquid est in mūdo fastidiret; vt famam & iudicia Pharisæorum contemneret, qui putabant eam non tantùm deceptam; sed & insanam, cùm in publico conuiuio Christi pedes lachrymis lauit, & capillis tersit. Sic lactauit Deus S. Antonium, Hilarionem, Franciscum, Claram, totq́ue nobiles & diuites, qui spretis sæculi oblectamentis, religiosam & austeram pœnitentiæ vitam amplexi sunt, & in dies amplectuntur, quos mundani deceptos, imò fatuos æstimant. Ita lactatus S. Paulus dicebat: *Domine quid me vis facere?* Actor. 9. Et, *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et, *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Ita lactauit primos Christianos & Martyres; vt dulcedine diuinæ consolationis, & amore Christi pro eis crucifixi illecti, imò ebrij procurrerent ad martyria, ambirent ignes, bestias, cruces; ac in ipsis cataستis, craticulis, & ignibus exultarent, tyrannisq́ue & tortoribus insultarent, vti videre est in vita S. Ignatij, Laurentij, Vincentij, Agathæ, & aliorū plurimorum.

Israel ducta in solitudinem, quam

ET DVCAM EAM IN SOLITVDINEM] Alludit Primò, ad sponsam adulterantem, quæ turbis sese inferens, & per multorum adulterorum cubilia & lupanaria diuagata, tandē pœnitens à marito domum reducitur, quasi in solitudinem; vt ibi sola cum solo marito degat. Secundò, alludit ad Synagogam Hebræorum, quæ in Ægypto turbis Ægyptiorum & idolorum, putà Apis, Isidis, Osiridis, Canopi, Hammon, & aliorum plurimorum commista, iussu Dei à Mose educta est in desertum Sina; ibiq́ue à Deo legem, tabernaculum, & religionem accipiens, in sponsam, id est Ecclesiam & rempubl. ab eo electa & assumpta est. Sensus ergo est, q.d. Sicut olim te ô Israel vagantem, & meretricantem cum turba Gentilium, & deorum Ægypti, inde eduxi in solitudinem; ita pariter nunc ex turba Assyriorum, Medorum, Chaldæorum, Persarum, Parthorum, inter quos captiuus & dispersus diuagaris, nunc horum, nunc illorum deos colens, ducam te in solitudinem, qua itur in Iudæam & in Ierusalem, vt per illam te in patriam sedem & religionem, quasi in solitudinem reducam. Erant enim Iudæi in Iudæa à Gentibus separati; imò post excidium, Iudæa erat solitudo. Hoc est quod ait Ezechiel cap. 20. 34. *Educam vos de populis, & congregabo vos de terris, in quibus dispersi estis*, &c. Et *adducam vos in desertum populorum, & iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem; sicut iudicio contendi aduersum patres vestros in deserto terræ Aegypti.* qui locus huic nostro persimilis est, eumq́ue explicat. ita Chald. Haymo & alij.

Tertiò, & potiùs, ducam eam in solitudinem, hoc est, ducam Synagogam, putà Israelitas, ab idololatria Ægyptia & Assyria, æquè ac à superstitione Iudaica, ad Ecclesiam Christi, in qua quasi sponsus solus cum sola segregata iam à pristinis amasiis & peccatis, & à multitudine ac tumultu sæculi, cum illa agam blandè & secretè; illam protegam, illi miracula faciam, qua-

A lia olim feci Hebræis in deserto.

Nota. Hunc locum R. Salomon & Iudæi accipiunt de solo reditu ex captiuitate Babylonis: tunc enim multi Israelitæ cum Iudæis redierunt in Ierusalem, nec deinceps nominarunt aut coluerunt Baalim: sed quieti & læti Deo vero seruierunt. Christiani verò permulti, vt Hieron. Cyrill. Ruffin. Theodor. Theophyl. Lyran. Vatablus, Arias, Ribera & alij, hæc accipiunt de redemptione hominum è captiuitate diaboli, facta per Christum.

Verùm mediam sententiam ego sequor, dicoq́ue Prophetam alludere ad reditum è captiuitate Babylonica, eumq́ue obiter perstringere; sed sub eo quasi tenui typo, potiùs significare reditum è captiuitate diaboli, per redemptionē Christi. ita Theodor. *Hæc*, inquit, *typicè & adumbratè sub Zorobabel acciderunt: expressè verò, & veritate ipsa, vbi Christus se hominem fecit.* Idq́ue patet ex verbis & promissis Prophetæ, quæ augustiora sunt, quàm vt Israelitis, ijsq́ue paucis è Babylone cum Iudæis redeuntibus, conueniant. Talia sunt: *Arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.* Nam Iudæi Babylone redeuntes, mox seruierūt Persis, Græcis, Romanis. Et, *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Et, *Dicam non populo meo: Populus meus es tu; & ipse dicet: Deus meus es tu.* Quod Apost. Rom. 9. 25. & S. Petrus 2. ep. 1. 10 de populo Christiano explicāt.

Ecclesia vocatur solitudo. cur?

Quæres, cur Ecclesia vocetur *solitudo*, cùm in ea sit Gentium multitudo? Respond. Primò, quia ipsa colit vnum Deum, qui solus verus est Deus; ideoq́ue est Baal, vel Baali v. 16. Hunc enim opponit Baalim, id est multis amasijs, dominis, & dijs, quos Israel coluit in Ægypto, & in Assyria. In Ecclesia ergo est solitudo Dei, & cōsequenter solitudo fidei, & solitudo religionis; cùm apud idololatras, & hæreticos, sit multitudo & confusio vti deorum, ita & errorum, & sectarum. Hoc est quod ait Apost. Ephes. 4. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* Hinc consequenter Ecclesia est sola, id est vna, cùm hæretici & idololatræ plurimas, sibiq́ue inuicem contrarias habeant synagogas & congregationes.

Prima causa.

Secunda.

Secundò, quia, sicut Deus Hebræos duce Mose deduxit per mare rubrū mersis Ægyptijs, in desertum Sina; ibiq́ue eos in suam Synagogam efformauit, dando legem & sacerdotium; ita & Christianos per mare rubrum sanguinis Christi in baptismo, mersis peccatis & vitijs, deducit in Ecclesiā; ibiq́; eis dat suas leges, & sacra.

Tertia.

Tertiò, sicut Hebræos in deserto aluit manna, & aqua ex petra; ita Christianos in Ecclesia alit Eucharistia, alijsq́ue Sacramentis & gratijs, ac consolationibus spiritualibus.

Quarta.

Quartò, sicut Hebræis in deserto dedit victoriam contra Amalec, Og, Sehon, aliosq́ue hostes; ita Christianis in Ecclesia dat victoriam contra dæmones, carnem & mundum.

Quinta.

Quintò, sicut Hebræos per desertum duce columna ignis per noctem, & nubis per diem, protexit ab æstu & procellis; eosq́ue illuminauit & deduxit in terram promissam: ita Christianos in Ecclesia per desertum huius vitæ deducit, duce Spiritu sancto, qui in aduersis eos illuminat & inflammat, in prosperis protegit & humiles facit, vt securi tendant in terram viuentium, promissam in cælis.

Mor. de loco ſolitudinis.

Tropol. Deus verè pœnitentes deducit ad ſolitudinem, ibique eos diuinis donis exercet & perficit, vbi ſcilicet ſeparati ſunt ab omni ſæculi, illecebrarum, & hominum turba & tumultu. Ita Magdalenam ſeparauit à turba, fecitque vt ſe ſequeretur in ſolitudinem; ac poſt mortem & reſurrectionē deduxit eam in ſolitudinem, montemque vicinum Maſſiliæ, vbi in Bauma peccata priſtina deflens, cum Chriſto & angelis verſabatur; vitam angelicam magis quàm humanam agens. Sanè, qui è peccatis emergere, vitamque ſeriò emendare & mutare volunt, neceſſe eſt, vt à turba declinent, & in ſolitarium locum, ſaltem ad tempus ſe recipiant; vbi & priſtina vitia dediſcant, & occaſiones peccatorum diſtractionumque declinent; & meditationibus ſanctis, piiſque exercitijs inſiſtentes, diſcant qua ratione & modo vitam corrigere debeant; denique vbi à Deo viſitentur, illuminentur, & corroborentur in hoc melioris vitæ propoſito. Nam, vt ait Iob c. 12. *Ad me dictum eſt verbum abſconditum, & quaſi furtiuè ſuſcepit auris mea venas ſuſurri eius.* Loquitur enim Deus, ait S. Dionyſ. lib. de Diuin. nom. aut per lumen quoddam, aut per inſpirationes internas, rarò verò per vocem ſenſibilem. Vt quis ergo eum audiat, recipiat ſe in ſolitudinem & ſilentium, vbi mentem & aures à rebus alijs auulſas introuertat, & ad Deum qui in centro cordis eſt reflectat: ibi ſilentem eius ſibilum & ſuſurrum excipiet. Quæ eauſa mouit Carolum V. Imper. vt abdicatis tot regnis in ſolitarium locum ſe reciperet, vbi liber à curis & turbis, totus ſibi & Deo vacaret, atque ad inſtantem mortem vitamque beatam ſe compararet, vti reipſa præſtitit perſtitiitque vſque ad vitæ finem. Quocirca Franciſcus Borja, olim ſub eo Dux Gandiæ, in eius funere rogatus vt oratione funebri illi parentaret, hoc thema propoſuit, Caroloq; adaptauit: *Elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine*, oſtendens quàm piè & ſapienter egiſſet, qui mundum priùs reliquiſſet quàm mundus ipſum: quod propediem futurum erat. Nouum hoc, & orbi noſtro ſæculo inauditum fuit tanti viri exemplum. Maior fuit Carolus in ſua eremo quàm in imperio: quia maior mundo æquè ac ſeipſo. ita noſter P. Sacchinus tomo 2. Annal. Societatis Ieſu, ad annum Domini 1558.

Caroli aui ſui ſenſa animi ſecutus eſt Philippus III. Hiſp. Rex, moriens hoc anno Domini 1621. licèt enim vitam iuſtè, innocenter & piè traduxiſſet, adeò vt hoc obfirmatum haberet, malle ſe omnibus regnis priuari, quàm ſcienter Deum vel venialiter offendere; tamen in mortis agone penitiùs rationem regni adminiſtrati Deo mox reddendam conſiderans, & expaueſcens, in has voces & vota erupit: *Vtinam numquam fuiſſem Rex; vtinam annos quos in regno egi, exegiſſem priuatus in eremo; vtinam vitam ſolitariam cum Deo duxiſſem in Thebaide! Quàm nunc ſecuriùs morerer? quàm fidentiùs ad Dei tribunal pergerem?* Ita habet eius mors typis vulgata, & teſtantur quotquot ei interfuere. Audit Lot in Sodomorum incendio: *Saluà animam tuam, noli reſpicere poſt tergum, neque ſtes in omni circà regione; ſed in monte ſaluum te fac*, Geneſ. 19. Ita S. Ioannes Baptiſta receſſit in deſertum, vt ibi verbo & exemplo prædicaret pœnitentiam, eoque ab vrbium ſtrepitu ſeuocans turbas, omnibus inclamabat: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorū.* Ita Chriſtus Dominus inchoaturus opus ſuæ prædicationis, & noſtræ redemptionis, ſibi à Patre impoſitum, à Spiritu ſancto ductus eſt in deſertum, ibique ad illud quadraginta dierum meditatione, oratione, & ieiunio ſe comparauit, Matth. 4. eōdemque prædicaturus turbas eduxit, vti & Apoſtolos in montem, apicem Euangelij eos docturus, Matth. 5. 1. Solitudo enim facit mentem quietam, ſibi præſentem, collectam, eamque compungit cogitatione rerum cæleſtium & æternarum. Ita S. Hieron. pœnitens abijt in ſolitudinem Syriæ, & ad illam inuitans Heliodorum, epiſtolam hoc epilogo quaſi celeuſmate concludit: *O deſertum Chriſti floribus vernans! ô ſolitudo in qua illi naſcuntur lapides, de quibus in Apocalypſi ciuitas regis magni extruitur! O eremus familiarius Deo gaudens! Quid agis frater in ſæculo, qui maior es mundo? quamdiu te tectorum vmbra premunt? quamdiu fumoſarum vrbium carcer includit?* Tertull. lib. de Pallio c. 5. *Receſſi*, inquit, *de populo, imò vnicum mihi negotium eſt, nec aliud nunc curo quàm ne curem. Via meliore in receſſu fruare, quàm in promptu*, id eſt, in publico. *Nemo alij naſcitur, moriturus ſibi.*

Ex S. Hieron.

S. Baſilius cum S. Gregor. Nazianz. in eremo orationi & ſtudio ſacrarum Literarum vacans, ſcripſit tractatum de laudibus eremi, quem ſic inchoat: *Solitaria vita cæleſtis doctrinæ eſt ſchola, ac diuinarum artium diſciplina. Illic Deus eſt totum, quod diſcitur; via, qua tenditur: totum, per quod ad ſummæ veritatis notitiam peruenitur. Eremus eſt paradiſus deliciarum, vbi ſpirant ornamenta virtutum: ibi roſæ charitatis igneo rubore flammeſcunt: ibi lilia caſtitatis niueo candore candeſcunt; cum quibus etiam humilitatis violæ: ibi myrrha mortificationis, non ſolùm carnis; ſed, quod glorioſius eſt, propriæ voluntatis exundat: & thus aſſiduæ orationis indefinēter emanat.* Et paulò pòſt: *O eremus ſanctarum mentium delectatio, & intimi guſtus inexhauſta dulcedo. Tu caminus ille Chaldaicus, vbi ſancti pueri feruentis incendij vires orationibus reprimunt, & extinguunt. Tu fornax, vbi ſuperni regis vaſa formantur, & ad perpetuū nitorem malleo pœnitentiæ percuſſa, ac lima ſalutiferæ correctionis eraſa perueniunt. O cella negotiatorum cæleſtium apotheca. Felix commercium, vbi terrenis cæleſtia, tranſitoriis mutantur æterna.* Et inferiùs: *O cella ſpiritalis exercitij mirabilu officina, in qua humana anima creatoris ſui imaginem in ſe reſtaurat, & ad ſua redit originis puritatem. Tu das vt homo mundo corde Deum conſpiciat, qui ſuis obuolutus tenebris, Deum & ſeipſum priùs ignorabat. Tu facis vt homo in mentis arce conſtitutus, cuncta ſub ſe videat terrena defluere, ſemetipſum quoque proſpiciat in ipſa rerum labentium decurſione tranſire. O cella caſtrum Dei, turris Dauid, angelorum ſpectaculum, palæſtra fortiter dimicantium. O eremus mors vitiorum, fomes & vita virtutum. Tibi Moyſes debet bis accepta legis decalogum. Per te Elias nouit Domini pertranſeuntis aduentum. Per te Eliſæus duplicem magiſtri ſortitus eſt ſpiritum. Tu ſcala illa Iacob, qua homines vehis ad cælum, & angelos ad humanum deponis auxilium. O vita eremitica, balneum animarum, purgatorium ſordidorum; cella nempe eſt conciliabulum Dei & hominum.* Et ſub finem: *O eremus mundi perſequentis felix effugium, laborantium quies, mœrentium conſolatio, ab æſtu ſæculi refrigerium, peccandi repudium, recluſio corporum, libertas animarum, exedræ gemmarum cæleſtium, curia cæleſtium ſenatorum; vbi victor*

Ex S. Baſilio.

victor dæmonum, ſocius efficitur angelorũ: exul mundi, heres eſt paradiſi: abnegator ſui, ſectator eſt Chriſti.

Ex S. Bernardo.

S. Bernard. epiſt. ad Fratres de Monte Dei: *Cella*, ait, *& cæli habitatio cognata ſunt: ſicut enim cælum & cella adinuicem videntur habere aliquam cognationem nominis, ſic & pietatis. A celando enim cælum, & cella nomen habere videntur: & quod celatur in cælis, hoc & in cellis. Quod quæritur in cælis, hoc & in cellis. Quidnã eſt hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cum ſecundùm ordinem piè & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, Sancti angeli Dei cellas habent pro cælis, & æquè delectantur in cellis, ac in cælis.* Et paulò pòſt: *A cella in cælum ſæpè aſcenditur: vix autem vnquam à cella in infernum deſcenditur: quia vix vnquam niſi cælo prædeſtinatus, in ea vſque ad mortem perſtitit.* Et inferiùs: *Cella terra ſancta, & locus ſanctus eſt, in qua crebrò fidelis anima cum Verbo Dei coniungitur, ſponſa ſponſo ſociatur, terrenis cæleſtia, humana diuinis vniuntur. Siquidem ſicut templum ſanctũ Dei, ſic cella eſt ſerui Dei.* Et, *In templo enim & in cella diuina tractãtur, ſed crebriùs in cella.* Idẽ tract. de Modo bene viuendi ad ſororẽ, c. 58. *Si*, ait, *propter Deum in terra vitaueris ſocietatem vivorum, per Deum in cælo habebis ſocietatem angelorũ.*

Ex S. Hieron.

Porrò hic receſſus maximè quærendus eſt ei, qui deliberat de vitæ ſtatu, dubitatque quem capeſſere debeat. Docet id S. Bernard. epiſt. 107. in fine, Thomam Præpoſitum, vt, ſi cupiat cæli vocem audire, ſecedat. *Huic*, ait, *voci Dei tui, dulcioris ſuper mel & fauum ſi præparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, vt expedito & vacante interno ſenſu, dicas & tu cum Samuele: Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Vox hac non ſonat in foro, ſed nec auditur in publico: ſecretum conſilium, ſecretum quærit auditum. Auditui tuo gaudium pro certo dabit & lætitiam, ſi ſobria aure perceperis.* Hoc modo ſe præparabat Dauid, cùm dixit: *Audiam quid loquatur in me Dominus, quia loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui conuertuntur ad cor*: id ſignificans, quòd Deus non loquatur iis qui extra cor ſunt in res externas effuſi; ſed iis qui ſe recipiunt ad interna cogitanda. B. Petrus Damian. epiſt. ad Teuzonem ait, ſe quemdam ſanctum Eremitam conſuluiſſe de ſe ſuoque ſtatu; an ſcilicet ſibi expediret, Eccleſiæ & proximis ſeruire in cardinalatu & epiſcopatu Oſtienſi: an verò ijs abdicatis recipere ſe ad monaſterium, eò quòd vitam illam actiuam ſentiret ſpiritum ſuum diſtrahere & minuere, eiuſque profectum impedire. Cui Eremita: *Quid prodeſt lucerna ſi aliis luceat, & ipſa ſe flamma vorax abſumat?* Quocirca Petrus relicto epiſcopatu & cardinalatu ad ſuum monaſterium redijt, ibique totus ſuæ ſaluti & perfectioni vacauit. Hæc enim erat prima eius vocatio, putà monaſtica.

Ex S. Hilario.

Iam verò non ſufficit ſolitudo corporis, ſi deſit ſolitudo mentis, ad quam illa ducit, ſi nimirum mens per ea, quæ vidit vel audiuit, diuagetur, totumque mundum cogitando oberret. Deus, inquit S. Bernard. ſerm. 40. in Cant. eſt ſpiritus: requirit ergo à nobis ſolitudinem ſpiritalem magis, quàm corporalem. *Sola*, inquit, *indicitur tibi mentis & ſpiritus ſolitudo. Solus es ſi non communia cogites, ſi non affectes præſentia, ſi deſpicias quod multi ſuſpiciunt, ſi faſtidias quod omnes deſiderant, ſi iurgia deuites, ſi damna non ſentias, ſi non recorderis iniuriarum. Alioquin nec ſi ſolus corpore es, ſolus es.* Et paulò ſuperiùs docens quomodo anima fiat ſponſa Dei: *Omnino*, inquit, *ſupra te eſt angelorum Domino deſponſari. Annon ſupra te, adhærere Deo, atque vnum ſpiritũ eſſe cum eo? Sede itaque ſolitarius ſicut turtur, nihil tibi & turbis; etiam ipſum obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet rex decorem tuum. O ſancta anima ſola eſto, vt ſoli omnium ſeruies teipſum, quem ex omnibus tibi elegiſti. Fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos. An neſcis te verecundũ habere ſponſum, & qui nequaquam ſuam velit tibi indulgere præſentiam præſentibus cæteris? Secede ergo, ſed mente, non corpore, ſed intentione, ſed deuotione, ſed ſpiritu.*

S. Greg. 30. Moral. 12. explicans illud Iob 39. *Quis demiſit onagrum liberum in ſolitudinẽ, & vincula eius quis ſoluit? Viri*, inquit, *contemplatiui quaſi onagri ſolitudinem mentis inhabitant, & liberi à ſæcularium negotiorum tumultibus, Deum ſitiunt. Quidni enim prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo defuerit cordi? Itaq; benè conuerſantibus primùm ſolitudo mentis tribuitur, vt exurgentem intrinſecus ſtrepitum terrenorum deſideriorum premant, vt ebullientes ab infimis curas cordis, per ſuperni gratiam reſtringant amoris, omneſq; motus importunè ſe offerentium leuium cogitationum, quaſi quaſdam circumuolantes muſcas, ab oculis mentis abigant manu grauitatis, & quoddam ſibi cum Domino intra ſe ſecretum quærant, vbi cum illo, exteriori ceſſante ſtrepitu, per interna deſideria ſilenter loquantur.*

Denique ſcripſit Cornelius Muſius, illuſtris noſtro æuo Delfis in Hollandia Chriſti Martyr, carmen doctum in laudem vitæ ſolitariæ, cui hanc patheticam dat clauſulam:

Viue vt vis, ſed cùm ægrotabis
Iuſtis lachrymis damnabis
Omnes mundi inſulas.
Et cùm morti propinquabis,
Tunc, ſed ſerò, prouocabis
Ad beatas cellulas.
O beata ſolitudo,
O ſola beatitudo,
Fiis ſeceßicolis,
Quam beati candidati,
Qui ad te volant alati,
Porrò à mundicolis!

Notatu dignum eſt quod ſcribit Ioannes Mauburnus Abbas Liuriacenſis in Roſeto 1. c. 3. ſub finem, nimirum varios Ordines variis de cauſis à primæua ſanctitate & ſplendore decidiſſe, vt Cluniacenſes propter otium, Ciſtercienſes propter negotia nimia ruralia, Præmonſtratenſes ob nimia Miſſarum & chori onera; Mendicantes ob nimiam cum ſæcularibus familiaritatem, quia nimis ſe populo immiſcuerunt, iuxta illud pſal. 105. 35. *Commiſti ſunt inter Gentes, didicerunt opera eorum, & factum eſt illis in ſcandalum.* Benedictinos ob nimias opes, iuxta illud: *Filia amplæ dotationis, ſuffocauit matrem deuotæ religionis.* Addit, præ cæteris in ſuo nitore & vigore ſtetiſſe Carthuſienſes ob ſtudium ſolitudinis & ſilentij, ac ob ſtrenuam obſeruantiam viſitationum. Vnde hæc tria carmine complexus, ait:

Per tria, ſi, ſo, vi, Carthuſia permanet in vi, id eſt vigore.

Si eſt ſilentium, *ſo* ſolitudo, *vi* viſitatio. Epiſcopus enim, Rector, Superior viſitans ſubditos, corrigit eos ſi prolapſi ſint; ſi ſtent integri, vigiles & conſtantes, eos conſeruat. Silentium & ſolitudo faciunt Primò, ne ſubditi ſuas murmurationes & tentationes inuicem communicent & affri-

affricent. Secundò, ne mentem terrenis & vanis A phantasmatibus, quæ concupiscentiarũ sunt excitamenta, impleant. Tertiò, disponunt animum vt satus diuinos excipiat. Deus enim hoc suum balsamum non infundit nisi animo libero, puro, à fæcibus terræ secreto, & soli Deo attendenti. hoc enim dignum & iustum est. Audi Thomam Theodidactum lib. 1. de Imitat. Christi cap. 20. *Dixit quidam: Quoties inter homines fui, minor homo redij. Nemo securè apparet, nisi qui libenter latet. Nemo securè loquitur, nisi qui libenter tacet. Nemo securè præest, nisi qui libenter subest. Qui se abstrahit à notis & amicis, appropinquabit illi Deus cum angelis sanctis. Maximi sanctorum humanæ consortia, vbi poterant, vitabant, & Deo in secreto viuere eligebant.*

Et Gentilibus. Idipsum Gentiles per vmbram viderunt, suaserunt, & reipsa præstiterunt. Scipio Africanus, B teste Plutarc. in eius vita dicebat, *numquam se minùs esse solùm, quàm cùm solus esset; nec vnquam minùs otiosum, quàm cùm otiosus esset.* Alius ex aduerso aiebat, *numquam se minùs hominem esse, quàm cùm inter homines versaretur.* Ptolemæi, vt habetur in eius vita, in prologo Almagesti, hæc erat gnome: *Securitas solitudinis dolorem remouet, pauor multitudinis consolationẽ aufert.* Cicero senescens, forensis vitæ pertæsus Tusculum secessit, ibique philosophatus est, ac Tusculanas quæstiones, quibus alterum Senecam se exhibet, conscripsit. Seneca epist. ad Lucilium, c. 7. dans ei præcepta honestæ & beatæ vitæ: *Quid tibi*, inquit, *vitandum præcipuè existimem, quæris? Turbam. Nondum illi tutò te commiseris. Ego certè confiteor imbecillitatem meam, numquam mores quos extuli, refero. Aliquid ex eo quod composui turbatur, aliquid ex his quæ fugani, redit.* Et mox: *Inimica est multorum conuersatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commodat,* C *aut imprimit, aut nescientibus illinit. Nihil verò est tam damnosum, quàm in aliquo spectaculo desidere. Tunc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt. Quid me existimas dicere? Auarior redeo, ambitiosior, luxuriosior, imò verò crudelior & inhumanior, quia inter homines fui.* Et inferiùs: *Socrati, Catoni & Lælio excutere mentem suam dissimilis multitudo potuisset: adeò nemo nostrûm qui maximè concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest; conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit; vicinus diues cupiditatem irritat; malignus comes quantumuis candido & simplici, rubiginem suam affricat.* Et paulò pòst: *Recede in te ipsum quantum potes, cum his versare qui te meliorem facturi sunt: illos admitte, quos tu potes facere melio-* D *res. Mutuò ista sunt, & homines dum docent, discunt. Non est ergo quòd gloria publicandi ingenij te producat in medium, vt recitare istis velis. Cui ergo, inquis, ista didici? Tibi didicisti. Democritus ait: Vnus mihi pro populo est, & populus pro vno. Alius cùm quareretur ex illo, quò tanta diligentia artis spectaret adpauca peruentura: Satis*, inquit, *mihi sunt pauci, satis est vnus, satis est nullus. Epicurus cùm vni ex consortibus studiorum suorum scriberet: Hæc*, inquit, *ego non multis, sed tibi: satis enim magnum alter alteri theatrum sumus.* Et c. 8. *Secessi non tantùm ab hominibus, sed etiam à rebus, & primùm à rebus meis. Duriùs tractandum est corpus, ne anima malè pereat. Contemne omnia, quæ superuacuus labor velut ornamentum ad decus ponit. Cogita in te præter animum nihil esse mirabile, cui magno nihil magnum est.* Nónne hæc aurea sunt? nónne quot sententiæ, tot margaritæ?

Qui ergo ad vitam solitariam vel monasticam à Deo vocantur, hac solitudine iugiter gaudeant, vitamque angelorum agant in Dei laudibus: ac ea vtantur non tantùm ad suam, sed & ad aliorum salutem, orando, docendo, concionando, scribendo, &c. pro suo quisque talento. Non enim sibi solis sunt nati, sed & alijs. Atque ea est perfecta contemplatio, quæ in actionem dimanat: hæc enim illam fouet, oblectat, perficit & consummat. Qui verò ad vitam actiuam destinantur, subinde ad solitudinem hanc se recipiant, mentemque à curarum tumultu reuocent, & se sibi reddant; vt interquiescat tam corpus, quàm spiritus: vtque errata sua multiplicia introspiciant & corrigant; vtque Deo se vniant, ab eoque ad cor loquente nouum lumen, nouas vires & animos hauriant, ad labores vitæ illius molestæ sustinendos, & difficultates omnes fortiter superandas, propter Ecclesiæ & Reipubl. publicum bonum.

Memorabilis hac in re fuit Thomas à Kempis, auctor libri de Imitatione Christi, anno Domini 1441. qui inter fratres sui Ordinis occupatus, cum ipsque colloquens, quoties sentiebat cælestis sponsi vocem & inspirationem, se quasi sponsam ad colloquium euocantem, humiliter, sed liberè fratribus valedicens & secedens, aiebat: *Charissimi fratres oportet me secedere: est enim qui in cella me expectat.* Illico ergo in cellam se proripiens, deuotè instar Samuelis inquiebat: *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* ita habet eius Vita à viro graui ipsi coæuo conscripta. Lege c. 20. lib. 1. & videbis profunda eius sensa de amore solitudinis & silentij, ac asseres eum in C cella ex Dei instinctu hausisse illum cælestem spiritum, quem ipse cuique eius libellum legenti iugiter exhalat & afflat. Denique Hugo de S. Victor. li. 4. de Arca Noë c. 4. *Scrutemur*, ait, *Scripturas, & inueniemus vix aut numquam Deum locutum fuisse in multitudine; sed quotiescumque innotescere voluit aliquid hominibus, non gentibus & populis, sed vel singulis, vel admodum paucis, & à communi hominum frequentia segregatis, vel per nocturna silentia, vel in campis & solitudinibus, & montibus & vallibus se manifestauit. Sic locutus est cum Noë, cum Abraham, cum Isaac, cum Iacob, & Mose, Samuele, Dauid, & omnibus Prophetis.* Ac paulò pòst: *Quid est quòd semper loquitur in secreto Deus, nisi quòd nos ad secretum vocat? Et quid quòd cum paucis loquitur, nisi vt nos colligat siue vniat?*

ET LOQVAR AD COR EIVS] Sensus est Primò, D q.d. Loquar ei interiùs, non exteriùs; loquar ei in mente & voluntate, non in aure, ingerendo ei suæ ingratitudinis & peccatorum pudorem, terrorem, odium, ac spem veniæ, & desiderium & amorẽ melioris vitæ, vt ad sponsum suum Deum pœnitens redeat.

Secundò, q.d. Cor eius verbis meis mulcebo, flectam, & ad me, meique amorẽ & cultum conuertam. Vnde Leo Hebræus vertit, *loquar in cor eius.* Hoc est, quod ait Ezechiel c. 36. 26. *Dabo vobis cor nouum & spiritum nouum.* Vide ibi dicta.

Tertiò, ex Hebr. propriè vertas, *loquar secundùm cor*, id est affectum, *eius*, q.d. Alloquar eum blandis verbis & plenis cõsolatione, quasi sponsus sponsam ad me reuertentem; quibus eius cor, id est amorem & affectum, lactabo, vt præcessit, mulcebo, & ad me rapiam. Sicut Isaias

cap. 40.

cap.40.2. ait: *Loquimini ad cor Ieruſalem*, id eſt, *conſolamini eam*, vti præceſſit. Vnde Syrus vertit, *demulcebo cor illius*; Arabicus, *loquar in corde eius, & detrimentum non ingredietur intellectum illius*, vti fit ab amaſiis carnalibus & fallacibus. Sic Geneſ. 34. 3. de Sichem conſolante Dinam à ſe violatam, dicitur: *Triſtemq; deliniuit blanditijs*; hebr. *locutus eſt ad cor puellæ.* Sic Booz conſolatus eſt Ruth: *Et locutus eſt ad cor eius*, Ruth 2.13. Fecit hoc Deus Synagogæ per Eſdram, vt patet lib.2. c.8.10. vbi Eſdras legens populo legem, illi flenti dixit: *ite, comedite pinguia, & bibite mulſum*, &c. *quia ſanctus dies Domini eſt, & nolite cõtriſtari: gaudium enim Domini eſt fortitudo noſtra.* Sed maximè fecit id Eccleſiæ per Chriſtum & Apoſtolos, præſertim in Pentecoſte mittendo Spiritum ſanctum quaſi paracletum, id eſt, conſolatorem fidelium; in quo, vt ait Apoſt. Rom.8. *clamamus: Abba Pater.* Vnde ipſe hoc Spiritu plenus & exultans, in omnibus ſuis laboribus & tribulationibus iubilabat dicens: *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra.* & c. 12.9. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti: propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto. Cùm enim infirmor, tunc potens ſum.* Ita Deus Eremitas in ſua auſtera vita, Magdalenam & pœnitentes in ſuis lachrymis, Martyres in tormentis conſolatus eſt; adeò, vt illa omnibus epulis præferrent. Hoc eſt quod ait Iſaias c. 10.27. *Computreſcet iugum à facie olei.* vide ibi dicta.

Myſticè, loquitur Deus ad cor ſanctorum, qui ſe totos illi deſpondẽt, imò conſecrant, dum ſtudent illi per omnia placere, illi iugiter inhærere, cum illo ambulare & colloqui. His enim præſentẽ ſe iſtit quaſi ſponſus, loquitur, erudit, conſolatur: *quo præſente*, ait Richard. Victor. in Cantica (explicans illud c.3.4. *Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea*) *innouatur anima, & quaſi ei adhærens ſentit interni guſtus dulcedinem, intelligentiam ſpiritualem, fidei illuminationem, ſpei augmentum, charitatis incentiuum, compaſſionis affectum, iuſtitiæ zelum, delectationem virtutum. Habet in oratione cum Deo familiare colloquium, audiri ſe ſentiens, & plerumque exaudiri, facie ad faciem cum Deo loquens, & audiens quid loquatur in ea Dominus Deus, in oratione Deum cogens, & interdum conuincens.* Ecce hæc loquitur ad cor ſponſæ ſponſus, facitq́ue eam loqui, vt ei poſtulanti eadem largiatur.

Idẽ docet S Bernard. ſerm. 57. & 58. in Cant. vbi explicans illud: *En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera amica mea*, ait Deum in anima deuota loqui humilitatem, patientiam, fraternam charitatem, obedientiam, pacem, mortificationẽ vitiorum, compunctionem, omnemq́ue ſanctimoniam. *Porrò*, inquit, *hoc igne conſumpta omni labe peccati, & rubigine vitiorum, ſi iam emundata ac ſerenata conſcientia, ſequatur ſubita quædam atque inſolita latitudo mentis, & infuſio luminis illuminantis intellectum, vel ad ſcientiam Scripturarum, vel ad myſteriorum notitiam, quorum alterum propter nos oblectandos, alterũ propter proximos ædificandos reor dari, oculus procul dubio reſpicientis eſt iſte, educens quaſi lumen iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tamquam meridiem.* Subdit, ſponſum hortari ſponſam, id eſt, viros perfectos ad regimen imperfectorum, vt ex eis vitia extirpent, & virtutes inſerant, dicendo: *Surge, propera amica mea.* Idem ſerm. 74. *Viuum*, ait, *& efficax eſt* Dei verbum, *moxq; vt intus venit, expergefecit dormitantem animam meam, mouit & molliuit & vulnerauit cor meum, quoniam durum lapideumq́; erat, & malè ſanum. Cœpit quoque euellere & deſtruere, ædificare & plantare, rigare arida, tenebroſa illuminare, clauſa reſerare, frigida inflammare, nec non & mittere prauа in directa, & aſpera in vias planas, ita vt benediceret anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.*

ET DABO EI VINITORES EIVS EX EODEM VERS. 15.
loco] Ita & Chald. qui proinde in Hebræo legit cum Noſtro כרמיה *coremeha*, id eſt, vinitores eius. Iam alijs punctis legunt כַּרְמֶיהָ *keramehа*, id eſt, vineas eius: vnde & Septuag. vertunt, *poſſeſſiones eius.* q.d. Vineta quæ in terra Chanaan *eodem loco*, putà in ſolitudine, de qua præceſſit, incipiunt; quæque Iſraelitis abſtulerũt Aſſyrij v.12. reſtituam eis ibidem. ita Vatabl. Et Myſticè, per Chriſtum reſtituam eis gratiam & dona Spiritus ſancti qui eſt pignus hereditatis æternæ, Epheſ.1.23. hæ enim ſunt vineæ, quas fideles hic poſſident inchoatè, ſed planè poſſeſſuri ſunt in cælo ita Arias. Verùm eòdem redit ſenſus, ſiue vineas legas, ſiue vinitores: vbi enim eſt vinea, ibi eſt & vinitor, & vice verſa. Quocirca Sanchez cenſet hic alludi ad ritus nuptiales, in quibus dos ſponſæ data, erat dotalis ager. ita enim Deum hic ſuæ ſponſæ, putà Synagogæ, in dotem dare vineam fertiliſſimam Engaddi: illam enim vel eamdem, vel vicinam eſſe valli Achor. Vnde eò alludi Cantic.1.14. *Dilectus meus in vineis Engaddi.* Et Cantic 8.11. *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos*, hebr. *in Baal hamon.* Idem enim videtur locus qui hic vocatur *vallis Achor*, & ibi *Engaddi*, ac *Baal hamon.* Vallis Achor hic ergo præ cæteris Iudææ locis meminit Oſee, quia hæc fuit velut prima dos à Deo data Synagogæ, per quam quaſi accepit ſpem & arrham totius Chananææ breui poſſidendæ.

Aptiùs tamen Noſter legit, *corehema*, id eſt, vinitores eius; vinea enim Dei erat olim Synagoga, nunc eſt Eccleſia, vt patet Iſaiæ 5.7. *Vinea Domini exercituum, domus Iſrael eſt.* Et Matth.21. v.23. vinitores ſunt Prophetæ & Apoſtoli. Vnde Chald. vertit, *conſtituam ei inde gubernatores eius.* Senſus ergo eſt, q.d. Sicut olim vineæ meæ, id eſt Synagogæ, putà Iſraeli exeunti ex Ægypto dedi curatores & cultores, putà Moſen, Ioſue, & Aaron: ita poſtea eidem redeunti ex Aſſyria & ex Babylone, dabo ſimiles, putà Eſdram, Nehemiam, Aggæum, Malachiam, &c. ac tempore Chriſti dabo ei Apoſtolos, Euangeliſtas, alioſq́ue paſtores & doctores, qui primi erunt *ex eodem loco*, putà oriundi ex Iſraele æquè ac Moſes, Eſdras, &c. nam poſtea eorum ſucceſſores erunt alieni & peregrini, vti prædicit Iſaias cap.61.5. putà Gentiles conuerſi ad Chriſtũ; cùm ſcilicet Eccleſia per Gentes ſparſa & propagata fuerit. Hi ergo erunt vinitores maximè ſeduli & ſtrenui, qui aſſiduè Eccleſiam, putà fideles, cuſtodient, dirigent, corrigent, excitabunt, vt fructus bonorũ operum, quibus vitam æternam mereantur, proferãt; perinde ac vinitores vineam ſolent plantare, dirigere, putare, ablaqueare, &c.

vt

vt vuarum copiam proferat. ita S.Hieron. Emmanuel,Mariana & alij paſſim. Moraliter diſcāt hîc paſtores & Prælati, ſe eſſe vinitores ſuæ parochiæ vel diœceſeos, illamq́ue tanta cura & aſſiduitate excolere debere, quanta vinitor excolit vineam.

ET VALLEM ACHOR AD APERIENDAM SPEM] Vallis Achor ſita eſt iuxta Iericho: dicta eſt *Achor*, id eſt, turbationis, eò quòd Hebræis duce Ioſue ingredientibus terram promiſſam, ob ſacrilegium Achan, ibidem Iſrael turbatus ſit & cæſus ab hoſtibus. Nam Ioſue c.7.25. dixit ad Achan: *Quia turbaſti nos, exturbet te Dominus in die hac, indeq́; vocatum eſt nomen loci illius, vallis Achor vſque hodie.* Erat hæc vallis amœna, compaſcua, & fœcunda, vt patet Iſaiæ 65.10. Vnde Iſrael ingrediens in Chanaan, in ea primùm ex longa quadraginta annorum peregrinatione conquieuit, ſeq́ue refecit & recreauit.

Vallis Achor aperit ſpem quomodo?

Pro *ad aperiendā ſpem*, hebr. eſt, *ad*, vel *in, oſtium ſpei*, vt vertit Vatabl. Pagnin. R. Dauid, & alij. Sic Latini dicunt, aperire fores amicitiæ, cùm cui ad eam aditum vel occaſionem præbent. Theodot. vertit, *ad aperiendam ὑπομονὴν*, id eſt, *ſuſtinentiam & expectationem eius.* Hebr. enim תִּקְוָה *tiqva* ſignificat filum, lineam & extenſionem; indeq́ue per metaphoram longam ſpem & expectationem: ſpes enim eſt quaſi linea, qua ſe animus ſperantis ad rem ſperatam extendit & prolongat, dum ad eam ſperando anhelat. Hoc ſpectaſſe videtur Chald. dum vertit, *ad delicias animæ.* Anima enim rem ſperatam adipiſcens, ea deliciatur. Mirum eſt Septuag. & Syrum vertere, *ad aperiendam intelligentiam*, vel, vt Syrus, *ſenſum ſuum*; quod tamen Theodor. & Theoph. congruè ſic exponunt, q.d. Sicut ex pœna Achan, & conturbatione Iſrael in valle Achor, ob furtum Achan, intellexit & didicit Iſrael timere Deum, eiuſq́ue plagas & vindictam; ita pariter ex captiuitate Babylonica didicit eumdem reuereri, eiq́ue obedire. multò magis exinde Chriſtiani timent Chriſtum, eiuſq́ue legi parent, ne in vallem Achor, id eſt, perturbationis & gehennę, vbi nullus eſt ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, detrudantur; ſicut Achan in valle Achor lapidatus & combuſtus eſt. Ita moraliter ex aduerſis eruditur anima, & deuenit ad conſolationem ſperatam.

Porrò noſtræ verſionis multiplex eſt ſenſus. Primò, à Caſtro explicat, q.d. Sicut in valle fertiliſſima, quæ poſtea à peccato & punitione Achan, dicta eſt Achor, Iſrael ex longo itinere recreatus eſt, & vberrimos terræ promiſſæ fructus prælibare & guſtare incepit; indeq́ue intellexit quanta eſſet totius terræ illius vbertas, eamq́ue certa ſpe concepit & quaſi deuorauit: ita pariter eadem vallis Achor, prima eidem ex Babylone redeunti occurret, in qua requieſcat, & primitias fructuum terræ cum gaudio prælibet: ac tempore Chriſti Iſraelitis ex captiuitate diaboli redeuntibus, & ingreſſis terram Euangelicam prima occurret eadem vallis, putà Eccleſia Hieroſolymitana, omni virtutum genere florens: indeq́ue aperietur ianua ſpei, ſimili modo totum orbem ſubiiciendi Chriſto & Euangelio, ex eoq́ue vberrimos virtutum fructus colligēdi. Nam ex vbertate vallis illius, tamquam ex vngue leonem, & ex filo glomum eruerunt, collegerunt & intellexerunt vbertatem terræ reliquæ, quam inuolutè cognouerant & ſperabāt. Vnde Chald. vertit, *vallem Achor, ad delicias animæ.* illas enim guſtarunt primi Chriſtiani, qui cum Apoſtolis primitias ſpiritus hauſerunt. Idem experiuntur qui vitam malam in bonam, aut bonam in meliorem & perfectiorem cōmutant: ſentiunt enim miram animæ quietem, ſuauitatem, conſolationem; ac ex illa coniiciunt longè maiorem ſentire eos, qui prouecti ſunt; & maximam, qui poſt luctam in cælis coronantur; *vbi erit vita ſine morte, ſine errore veritas, ſine perturbatione felicitas*, ait S.Auguſt. Enchir. 23. ex quo ſpem concipiant idem ſibi euenturum, ſi perſeuerent.

Hic ſenſus appoſitus eſt; ſed non plenus, nec adæquatus: non enim explicat, nec applicat, cur hæc vallis dicatur Achor: in voce enim Achor magna eſt emphaſis, vti omnes Interpretes docent. Quocirca

Secundò, Vatabl. putat hîc eſſe antitheſin vallis Achor & Eccleſiæ, q.d. Non erit in iſta mutatione, putà in Eccleſiæ fundatione, tale initium, quale fuit in ingreſſu terræ ſanctæ: illic enim fuit turbatio; hîc, nempe initio Eccleſiæ, læta & proſpera erunt omnia.

Tertiò, optimè S.Hieron. quem ſequuntur Haymo, Rupert. Lyran. Ribera, & alij, cenſent hîc alludi ad factum Ioſue, qui Achan ſacrilegū occidit, omniaq́ue quæ eius erant, igne conſumpſit; indeq́ue potitus eſt vrbe Hai, totaq́ue Chananæa. Significat ergo quòd *in prima Iſraelis victoria*, inquit S.Hieron. *mœror in gaudium commutatus ſit: ibiq; aperta eſt ſpes, vbi fuerat deſperatio; vt punitis his qui peccauere in Chriſto, & commiſere ſacrilegiū, ſaluentur ex eis qui blaſphemātes Iudæos fuerint deteſtati, & quantum in ſe eſt, interfecerint.* q.d. Olim in valle Achor punito Achan conturbatio in quietem, & in ſpem conuerſa eſt deſperatio Iſraelis. Ita & tempore Chriſti punientur Iudæi ſacrilegi, & Chriſticidæ; tumq́; ſalutis ſpem concipient veri Iſraelitæ, qui eorum incredulitatem & ſcelus fuerint deteſtati; & quantum in ſe eſt, ſuſtulerint. Ioſue enim fuit typus Ieſu Chriſti; Achan, Iudæorum incredulorū; vallis Achor, Iudææ & Ieruſalē. Quocirca Beda, & ex eo Haymo: *Sicut*, inquit, *occiſo Achan populi perturbatore, omnis Iſrael ſpem concepit hoſtes ſuos deuincendi, eorumq́; vrbes capiendi; ita deſtructa Ieruſalem per Romanos, Apoſtolis cæteriſq́; credentibus aperta eſt ſpes victoriæ de vniuerſo mundo reportandæ*, vt ſcilicet Gentes ſubiicerentur Chriſto & Eccleſiæ.

Moraliter hîc ſignificatur Primò, Eccleſiam ob ſcelera impiorum, præſertim ſacrilegorum, puniri & turbari; ideoq́ue illam impios plectere & expellere debere, tumq́ue fore ei omnia proſpera: ſic enim punito Achan, Iſrael habuit maximas victorias contra Chananæos. Sic ergo ait S.Auguſt. q.8. in lib. Ioſue, *Diſciplina ſancitur, vt non ſe ſolùm quiſque curet in populo, ſed inuicem adhibeant diligentiam, & tamquam vnius corporis & vnius hominis, alia pro aliis ſint membra ſollicita.* Sicut enim manu furis peccante & furante, totum eius corpus plectitur: ita fit & in corpore politico, putà in Eccleſia, vt ſcilicet Deus eam caſtiget ob membrorum, id eſt fidelium paucorum, & ſubinde vnius, enormia peccata. Vallis ergo Achor, eſt vallis iuſtitiæ & vindictæ; ac conſequenter ſpei.

Secun-

Secundò, hîc docemur pœnitentiam aperire oſtium ſpei & ſalutis: pœnitentia enim eſt vallis Achor, qua mens timore Dei percellitur. Nam, vt ait Albert. & Dionyſ. *Interfecto Achan, debilitas populi verſa eſt in fortitudinem, paupertas in abundantiam, triſtitia in gaudium, & hæc omnia in valle pœnitentiæ ſeu contritionis promittuntur: in ea enim aperitur ex perceptione præſentium bonorum ſpes futurorum.*

Moral. ex deſperatione nascitur ſpes.

Tertiò, diſcimus hîc Deum permittere Eccleſiam & fideles tentari, vexari, turbari extremè, & ad reſtim quaſi adigi, tuncque ſi ipſi in ſpe, & inuocatione Dei perſiſtant, celerem & admirabilem afferre opem: vallis enim Achor, eſt humiliatio & tribulatio, quæ eſt ianua ſpei. Ita Chriſto crucifixo & occiſo, turbati ſunt Apoſtoli & Eccleſia, illaque videbatur peritura; ſed mox tertio die Chriſtus reſurgens, eam in miram lætitiam & ſpem erexit. Ita ſub Diocletiano ſumma erat fidelium perſecutio: iurauerat enim ipſe ſe illos extirpaturum, aut imperium depoſiturum, quod proinde de facto depoſuit, & ecce ſubitò Deus affuit, ac per Conſtantinum Eccleſiæ libertatem & triumphum dedit. Idem paſſim in particularibus Eccleſijs, congregationibus, Ordinibus, & fidelibus quibuſque ſemper fuit, & etiamnum eſt videre. Qui ergo eſt in valle Achor, id eſt, in turbatione, tentatione & perſecutione, ſtet in fiducia Dei, ſciatque certò vicinam eſſe conſolationem, Deumque mox aperturum oſtium ſpei & ſalutis. Hoc eſt Dei paradoxum: *Vallis Achor aperit oſtium ſpei*, nimirum deſperatio (res deſperata) parit ſpem, turbatio quietem, tentatio gaudium, tribulatio coronam, lucta triumphum. Sic ſæpè deſperatio victis eſt ſtimulus & cauſa victoriæ. Hinc ait Abner ad Ioab in conflictu nimis ſe ſuoſque vrgentem: *An ignoras quòd periculoſa ſit deſperatio?* 2. Reg. 1. Hinc illud in prælijs aureum præceptum: *Hoſti fugienti aureum ſterne pontem.* Qui enim deſperant de vita & ſalute, extrema tentant, & in rabiem acti, ne inulti moriantur, victores ſecum in exitium trahunt. Talibus enim *vna in audacia eſt ſpes ſalutis*, ait Tacitus lib. 4. Vnde Ouidius lib. 3. de Ponto eleg. 7.

Proximus huic gradus eſt bene deſperare ſalutem,
Segq; ſemel vera ſciſſe periſſe fide.

Et Seneca in Medea:

Qui nihil poteſt ſperare, deſperet nihil.

Et alius:

Vnica ſpes victis eſt deſperare ſalutem.

Verè Triuerius apophtheg. 50. *Qui in ſummo*, inquit, *periculo omnem liberationis ſpem abijcit, Deum cum malo duce comparat, qui militis oblectatur interitu, aut exercitum in præcipitio collocat.*

Quocirca Abbas Iſidorus apud Sophron. in Prato ſpirit. cap 110. dicebat: *Dæmonum opus eſt vt cùm animam in peccatum deiecerint, tunc nos in deſperationem præcipitent, vt perfectè nos perdant: ſemper enim dæmones dicunt animæ: Quando morietur & peribit nomen eius? At pœnitens è contra clamabit: Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini. Ipſi impudentes rurſum clamant: Tranſmigra in montem ſicut paſſer. Idcirco & nos ad illos dicere debemus: Nam & ipſe Deus meus, & ſaluator meus, adiutor meus, non emigrabo.*

Idem Iſidorus dæmoni ſuggerenti ei deſperationem, ac dicenti: *Quoniam poſt hæc omnia iturus*

A *es in tormenta*; reſpondebat: *Quamuis ego in tormenta mittar, tamen vos ſubtus me inuenio.* teſte Ruffino in Vitis Patr. lib. 3. n. 101. cui ſimilia refert n. 102. & ſequenti.

Porrò cauſa cur Deus ſuos permittat ad extrema adigi, eſt, vt planè diffidant ſibi omniq́ue opi creatæ, ac toti fidant Deo, in eumque ſe totos conijciant; quod dum faciunt, non poteſt nō ſuccurrere. Ipſe enim promiſit dicens: *Quoniã in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniã cognouit nomen meum.* pſal. 90. 14. Hoc eſt quod Propheta ait ad Ioſaphat regem hoſtibus circumſeſſum 2. Paral. 20. 15. *Nolite timere, nec paueatis hanc multitudinem: non eſt enim veſtra pugna, ſed Dei: non eritis vos qui dimicabitis, ſed tantummodo confidenter ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos.* Sic & Moſes Hebræos à Pharaone cinctos ac

B pauidos animans, ait Exodi 14. 13. *Nolite timere: ſtate & videte magnalia Domini quæ facturus eſt hodie: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Hoc eſt quod canit Pſaltes pſal 21. 5. *In te ſperauerunt patres noſtri, & liberaſti eos: ad te clamauerunt & ſalui facti ſunt; in te ſperauerunt, & non ſunt confuſi.* Et Ezechiel c. 2. 11. *Reſpicite filii nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt.* Et Iob 13. 15. *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo.* q. d Dum ſpiro ſpero; & viuēs, & moriens ſpero in Deo meo. Et Ioſue cæſus ab hoſtibus c. 7. 9. *Quid facies* inquit, *nomini tuo magno?* & Pſaltes rurſum pſal. 113. 9. *Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* Idem ſecurus & exultans in Deo: *Dominus*, ait, *illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?* pſal. 26 1. vide equentia. Hoc eſt quod Græci dicunt, Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς: & Latini, *Deus ex machina, Deus ex improuiſo apparens.* Et Eurip. in Oreſte: *Apollo in medijs tumultibus apparens, res turbariſſimas ſubitò componit.* Sic Priamus apud Homerum Iliade ω.

C

Numen adhuc aliquod dextrã mi obtendit amicã.

Et adagium vetus: *Adhuc aliquis Deus reſpicit nos.*

Alleg. Leo Caſtrius (licèt ipſe id putet eſſe literale) vallis Achor, id eſt, paſſio & turbatio Chriſti, ac nominatim vallis Getſemani, vbi orans captus eſt Chriſtus, turbatique ſunt & fugerunt Apoſtoli, facta eſt credentibus ſpes & ianua vitæ æternæ: per illam enim redempti & ſaluati ſumus.

Et canet ibi ivxta dies ivventvtis svæ.] Septuag. & Syrus, *& humiliabitur ibi*, Symmach. *& affligetur ibi*; Theodotion, *reſpondebit ei*; Aquila, *& audiet*; Chald. *dedent ſeſe ibi verbo meo*; Noſter, Vatabl. & alij meliùs vertunt, *& canet ibi.* licèt enim Hebr. ענה *ana* & humiliari, & affligi, & reſpondere, & audire & canere ſignificet: & licèt Iſrael in Ægypto à Pharaone afflictus ſit: tamen hîc non agitur de afflictione, ſed de liberatione, & ob eam lætitia & cantu. q. d. Sicut olim Synagoga Iſraelis liberata à Pharaone merſo in mari rubro, cecinit alternis choris Deo carmen euchariſticum dicens: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus eſt: equum & aſcenſorem proiecit in mare*, Exod. 15. ita pariter canet cùm ex Aſſyria, & ex Babylone liberata à Cyro redibit in patriam; ac multò magis cùm è captiuitate peccati & diaboli liberata à Chriſto redibit in Eccleſiam, vt tendat in patriam & Ieruſalem cæleſtem: canet, inquam, quaſi alternis

D

choris, his præcinentibus, alijs ſuccinentibus, tamquam exultans de tanto dono, tripudians & triumphans. ita S. Hieron. Vatabl. & alij. Simili modo anagogicè Beati in cælo qui mare huius ſæculi feliciter quaſi victores tranſierunt, canunt canticum Moſis & Agni Apoc. 15.3.

Nota. *Dies iuuentutis* Synagogæ, vocat tempus Moſis, quo illa recèns nata, euocata à Deo ex Ægypto, & educta per Moſen, lætabunda cecinit, gratiaſque egit Deo, Exodi 15. vnde explicans ſubdit: *Et iuxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Aegypti.* Vox enim ימי, eſt ἀναγωγική, idemque valet quod *id eſt*.

VERS. 16. ET ERIT IN DIE ILLA, AIT DOMINVS: VOCABIT ME, VIR MEVS; ET NON VOCABIT ME VLTRA, BAALI] Ita legendum cum Hebr. Rom. & Septuag. non *Baalim*. Nota. *Baali* idem eſt quod dominus meus, habens vel poſſidens me, maritus meus. Et ſic vocabant vxores Hebrææ maritos ſuos, dicentes: *Baali*, id eſt, domine & marite mi, peto hoc vel illud abs te. vnde idem eſt *Baali*, quod אישי *iſci*, id eſt, vir meus: quo ſenſu Arabicus vertit, *vocabunt me Baali, & non Baalim.* Verùm quia Baal in plurali addita litera, m, puta Baalim, ſignificat deos & idola; & quia Baal, ſiue Bel, & Belus, Deus erat Gentium idololatrarum; hinc in odium idololatriæ, & ad eius extirpationem, nomen hoc abolet Deus, *ne, dum Iſrael aliud loquitur, alterius recordetur; & virum nominans idolum cogitet*, ait S. Hieron. q.d. Eſto ſim veſter Baal, id eſt, dominus & maritus; nolo tamen me hoc nomine compelletis, ne videar eſſe Baal, vel Baalim, id eſt, Deus Chaldæorum, Tyriorum, & aliarum gentium. Simile eſſet ſi diceret: Nolo à vobis vocari Iehoua, vel Ioua (vti Caluinus, Caſtalion, & alij Nouātes vertunt vocantque Deum) ne me Iouem æſtimetis. q.d Iſraelitæ Babylone redeuntes, & multò magis credentes in Chriſtum, adeò Baalim, id eſt idola, deteſtabuntur, vt nec nominare ea velint, nec memores eorum futuri ſint per labia ſua. ita Rupert. Haymo, Dionyſ. Vatabl. Emmanuel & alij. Vnde Syrus vertit, *vocabit me, Vir meus, & non, Baal meus.*

Deus vult vocari vir, non Dominus, cur? Primò.

Secundò. Aliter R. Salomon, Lyran. Leo Caſtrius, Mariana, Iſidorus, & Arias exponunt, q.d. Iſrael in lege noua compellabit me *iſci*, id eſt, vir meus, quod amoris eſt nomen: ſponſum enim amantiſſimum ſignificat; non Baali, quod timoris & dominatus eſt nomen: Baal enim ſignificat herum, ſiue dominum imperioſum, vxori & alijs heriliiure dominātem. Sic Auguſtus Cæſar noluit vocari Dominus, eò quòd domini ad ſeruos referantur, vt tyranni; non vt reges in ſubditos, qui eis ſint id quod eſt paſtor ouibus. Dominus enim & ſeruus correlatiua ſunt. Hoc eſt quod ait Apoſt. Rom. 8. 15. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed ſpiritum adoptionis filiorum Dei.* Iudæis ergo Deus fuit Baal, id eſt Dominus: Chriſtianis eſt *iſc*, id eſt, vir & ſponſus. Verùm priorem ſenſum exigit id quod ſequitur: *Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum.* Poteſt tamē hic ſecundus ſenſus vt acceſſorius & alluſiuus admitti. Ad varia enim alludunt Hebrææ voces.

Tertiò. Vnde voce *iſci*, id eſt, vir meus, alluſio eſſe poteſt ad אש *eſc*, id eſt, ignis. q.d. Deum inuocabis nomine *iſci*, id eſt vir meus; quaſi *eſci*, id eſt, ignis meus, amor meus. Deus enim noſter ignis conſumens eſt, totus amor, totus ardor: ardet enim amore noſtri. Quocirca Hebræi dicunt virum vocari *iſc* ab אש *eſc*, id eſt ignis, eò quòd calidæ ſit naturæ & igneæ complexionis, cùm femina ſit aqueæ & phlegmaticæ. Ita in Pētecoſte Deus oſtendit ſe eſſe *eſci*, id eſt, ignem noſtrum; quando in ſpecie ignis, & linguarum ignearum deſcendit in Apoſtolos, eiſque dedit cor igneum, & linguam igneam.

Quarto. Alij, vt Forſterus, cenſent virum dici hebr. *iſc* à verbo יש *ieſc*, id eſt *eſt*, vel *exiſtit*; eò quòd vir prior ſit eſſentia ſeu exiſtentia feminâ: femina enim ex viri coſta formata eſt, indeque dicta eſt אישה *iſca*, quaſi virago, aut potiùs vira à viro. vtvt eſt, ſicut Latinis vir dicitur à virtute, Græcis ἀνὴρ ab ἀνδρεία, id eſt fortitudine: ita Hebræis *iſc* ſignificat virum, qui ætate, auctoritate, dignitate, virtute, robore, iudicio & gloria non tantùm feminis, ſed & iuuenibus, omnibuſque plebeijs præſtat & anteponitur. vir ergo idem eſt quod virilis, præſtans, illuſtris. Sicut ergo homo dicitur *Adam* ab *adama*, quaſi terrenus à terra, luteus à luto, & אנוש *enoſc* ab infirmitate, quaſi deſperatæ vitæ, & breui moriturus: ita ex aduerſo dicitur *iſc* à robore, præſtantia, virtute. Quocirca appoſitè hîc iubet Deus ſe à Synagoga vocari *iſc*, vtpote qui omnibus rebus præſtet & tempore, & dignitate, & potentia, & prouidentia. Ipſius enim nomen eſt Iehoua, ſiue *Ego ſum qui ſum*. Et, *Qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt*, Apoc. 1.4. Et ſic appoſitè opponitur Baalim, id eſt idolis, quæ non habent eſſe verum, ſed fictum; ſuntque dij non veri, ſed mendaces. *Idolum* enim *nihil eſt in mundo*, ait Apoſt. 1. Cor. 8.4. vide ibi dicta.

ET PERCVTIAM CVM EIS FOEDVS IN DIE ILLA, CVM BESTIA AGRI] Pro *cum eis*, Hebr. & Septuag. habent *eis*. vnde S. Hieron. in comment. legit: *Percutiam fœdus inter eos, & beſtias.* Loquitur de Synagoga ſiue Iſraele nunc in ſingulari, nunc in plurali: quia in populo ſunt multi. Theodor. & Theophyl. putant hæc præſtita Iſraelitis Babylone redeuntibus. Hi enim Deo auctore fœdus & pacem habuerunt cum beſtijs, id eſt, cum barbaris, putà cum Perſis, Græcis & Romanis: item propriè cum beſtijs, inquit Theophyl. quia Deus effecit vt feræ & beſtiæ fruges eorum non conſumerent aut læderent. Verùm hæc leuia & exilia fuerunt: quare plenius & perfectius hæc eis præſtita ſunt per Chriſtum.

Vbi Nota. Symbolicè hîc *beſtiæ* ſignificant homines barbaros & truces: *volucres* ſignificant timidos & ambitioſos: *reptilia* denotant vafros & ventri deditos. q.d. Hi omnes per Chriſtum & Apoſtolos contrarijs virtutibus exculti & manſuefacti, pacem inibunt & colent tam cum Deo, quàm inter ſe. Hoc eſt quod prædixit Iſaiæ c. 11.6 *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit*, &c. Hinc & S. Petrus Act. 10.13. mittendus ad Cornelium alioſq; Gentiles, vidit linteum plenum quadrupedibus, ſerpentibus & volatilibus, audijtque, *Occide, & manduca*: ex quo intellexit Gentibus eſſe prædicandum Euangelium, eaſq; conuertendas ad Chriſtum. ita S. Hieron. Theod. Haymo, Albert. Hugo, Vatabl. Ribera & alij. vide dicta Iſaiæ 24.

In-

Inſuper Apoſtoli aliíque nonnulli illuſtres Sancti, vt S. Antonius, Franciſcus, verè & propriè acceperunt à Chriſto poteſtatem in ſerpentes, ſcorpiones, piſces, aues & beſtias terræ, Lucæ 10.9. ita Rupert. Iſidor. & Arias. Verùm hoc paucorum fuit priuilegium: prius verò omnibus fidelibus eſt commune. Prior ergo ſenſus eſt genuinus & plenus.

VERS. 18. ET SPONSABO TE MIHI IN SEMPITERNVM] q.d. Iſraelem olim ob adulteria, id eſt idololatriam, repudiaui, & Aſſyrijs in prædam dediſſem iam Babylone reduces, & longè magis tempore Chriſti veros Iſraelitas, eos ſcilicet qui ex Iſraele, & ex Gentibus ab infidelitate & impietate conuertentur, credentéque in Chriſtum, adſciſcam mihi in ſponſam, putà in Eccleſiam, quam numquā repudiabo, ſed mihi copulabo in æternum; ideoque vt ſponſalia hæc & connubium confirmem ſanciamque in æternum, dotem ei excellentem & multiplicem dabo, qua exornata non poſſit non mihi iugiter placere, vt eam cogar ſemper amare, & vt coniugem retinere. Dotes hæ ſunt iuſtitia, iudicium, miſericordia & fides. Rectè Theodor. Rupert. Lyran. Arias & alij paſſim ex τῷ *in ſempiternum*, inferunt hîc agi de Eccleſia Chriſti: nam Synagoga eſt repudiata, & eſſe deſijt. Senſus ergo eſt, q.d. Synagogam mihi deſponſabo vſque ad Chriſtum, tuncque per Chriſtum vertam eam in Eccleſiam, quæ erit mihi ſponſa æterna. Hinc patet Eccleſiam numquam in fide defeciſſe, nec poſſe deficere.

VERS. 19. ET SPONSABO TE MIHI IN IVSTITIA ET IVDICIO] Primò, Sanchez explicat q.d. Regam te, & in officio (hoc enim eſt iuſtitia & iudicium) continebo, ac viuendi leges præſcribam, quaſi maritus vxori, quomodo filia in officio continetur à patre, à quo leges accipit, quas ſequatur, vtpote qui illius pudori & honori conſulit, deque rebus omnibus neceſſarijs prouidet. Cui per patrium nomen ac poteſtatem licet admonere liberè, atque etiam ſeuerè, ſi quando in eo quod ius exigit coniugale, peccauerit. Maritus enim ſuccedit in locum patris, quem ſponſa relinquit, vt totum amorē & ſtudium in maritū transferat. Vnde Ierem. 3. v. 4. à Deo ſponſo audit Synagoga: *Amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ.* Hæc ergo eſt mutua inter ſponſum & ſponſam iuſtitia, ſiue officium. Rurſum, q.d. Iuſtificando te, & iudicando, ſiue vindicando te in ſponſam accipiam. *Iuſtitia* enim hîc Primò, ſignificat iuſtificationem Eccleſiæ & fidelium, qua Deus eis infundit iuſtitiam, id eſt gratiam, charitatem, cæteraſque virtutes, quibus abolentur peccata, & conſtituuntur iuſti gratique Deo, Deique filij & heredes; imò vxores & ſponſæ, vt hîc ait Propheta. *Iudicium* ſignificat ius & ſententiam iudicialem, quam pro Eccleſia tulit Deus contra diabolum, qui vt tyrannus eam iniuſtè poſſidebat, eique dominabatur. Secundò, *iuſtitia & iudicium* cùm iunguntur in Scriptura, ſignificant duas partes, ſiue duo officia iuſti iudicis & iudicij. Iudex enim per iuſtitiam iuſtos defendit, ei'q; dat & conſeruat, id quod eſt ipſorum: per iudicium verò iudicat & condemnat impios, qui iuſtos iniuſtè vexant & perſequuntur. q.d. Ego, ô Eccleſia, ô ſponſa, te tuaque ſemper tuebor, ego hoſtes & perſecutores tuos puniam & diſperdam.

Cornel. in Proph. Min.

ET IN MISERICORDIA ET MISERATIONIBVS] Eſt hendiadys: q.d. In miſericordia ſummæ miſerationis, in miſericordia maxima, vtpote profecta ex intimis viſceribus, & ex viſcerali commiſeratione: hanc enim ſignificat Hebr. רַחֲמִים *rachamim*. Eſt hæc ſecunda arrha & dos ſponſæ, qua Deus eam in æternum ſibi deſpondet; nimirum intima miſeratio & ſumma miſericordia illi à Deo exhibita, & iugiter exhibenda. Hoc eſt quod ait Paulus Tit. 3. 5. *Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum.* Hæc ſunt viſcera miſericordiæ Dei, quæ in nos effudit per Chriſtum, Luc. 1. 78.

ET SPONSABO TE MIHI IN FIDE] Tertia dos ſponſæ eſt fides. vnde tertiò repetit τὸ *ſponſabo*, vt certam, plenam, perfectam, & in æternum duraturam deſponſationem ſanciat, & ſignificet. Quocirca Chald. vertit, *conſolidabo & ſtabiliam ſedem meam in te.* Sicut enim in matrimonio eſt mutua corporum traditio, ita hîc ſponſa ſe tradit Deo, ac viciſſim Deus ſe tradit ſponſæ, vt in ea thronū ſibi æternum cōſtituat, in quo quaſi rex & iudex habitet & ſedeat, ac iudicium exerceat, iuſtos tuendo, impios puniendo. Vnde thronus hic Dei quatuor virtutibus quaſi colūnis fulcitur: nimirū iuſtitia, iudicio, miſericordia, & fide. Sic pſal. 88. 15. *Iuſtitia & iudicium præparatio* (id eſt fulcimentum: hoc enim ſignificat Hebr מְכוֹן *mechon*) *ſedis tuæ.* Et Prouerb. 20. 28. *Miſericordia & veritas cuſtodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius.* Porrò fides hæc in Deo eſt fidelitas & conſtantia in promiſſis, quæ in Scriptura vocatur veritas. Per hāc enim Deus ſpōſæ aſſecurat nuptias has cum illa fore perpetuas, nec vllo repudio diuellendas, ita à Caſtro. In ſponſa verò accipi poteſt, tum eadem fidelitas, qua ſponſa ſe fidelem promittat & præſtet ſuo ſponſo, vt nil præter eum amet; tum fides Chriſtiana, quæ eſt initium iuſtitiæ & gratiæ, per quam deſpondemur Deo. Hæc enim Chriſti fides initio Eccleſiæ maximè inculcanda fuit, vt homines crederent in Deū incarnatum & crucifixum, itaque fierent fideles, & ſponſæ Dei ac Chriſti. Vide de deſponſatione animæ cum Deo ea quæ dixi 2. Cor. 11. 2. ad illa verba: *Deſponſi vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Intuere hîc amorem & zelum ſponſi Dei in ſponſam Synagogam. Meritò S. Bernard. ſerm 5. de Dedicat. Eccleſ. citans hæc Oſee verba ſubdit: *Si non ſecit ille quod ſponſus, ſi non tamquam ſponſus amauit, ſi non zelatus eſt tamquam ſponſus, nolī acquieſcere ſponſam te arbitrari.*

Porrò Philo Carpathiorum Epiſcopus ordinatus à S. Epiphanio, tempore Arcadij & Honorij Imp. ſcribens in Cantica Cant. to. 1. Biblioth. SS. Patrum, explicans illud Cant 3. 11. *Egredimini & videte filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius*, docet Chriſtum ter, ſiue tribus diebus, ſibi deſpondiſſe Eccleſiam. Primò, dum incarnatus eſt: tunc enim ſibi carnem noſtram, & per eam hominum Eccleſiam cœtumque hypoſtaticè copulauit. Secundò, in paſſione: tunc enim ſuo ſanguine Eccleſiam lauit, ſibique in ſponſam emit. Tertiò, in Pentecoſte: tunc enim deſponſationis arrham Eccleſiæ dedit, nimirum Spiritum ſanctum.

Denique hac Oseæ sententia, quasi formula sponsaliorum, Christus Dominus S.Catharinam Senensem in sponsam assumpsit, eamque sibi visibiliter despondit. Rem miram narrat Auctor grauis Vitæ eiusdē P.Raymundus, qui Generalis fuit Ordinis S.Dominici Magister, S.Theologiæ Doctor, & S.Catharinæ Confessarius. *Vt posset, inquit, sponso cælesti immutabili quodam modo & inuiolabili fidelitate semper manere subiecta, valdè aspirabat ad perfectum fidei gradum, dicens cum Apostolis: Domine, adauge mihi fidem, eamq; adeò in me perfice, vt nulla possit vi aduersantium concuti vel prosterni. Cumq; sæpè illi id oranti, sæpè etiam responderet Dominus: Desponsabo te mihi in fide; tandem in Bacchanalibus, aliis ventris festa celebrantibus, ipsa se includit in suam cellulam, non respicientem vanitates & insanias falsas, sed ardentissimè petens à Domino eam, quam diximus, fidei perfectionem. Et quia verissimè dixit Propheta: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui; Christus ei apparuit cum sanctissima matre sua & aliquot Sanctis, & eam mirabili modo sibi despondit, hortatusq; est eam, vt deinceps ageret viriliter & incunctanter ea, quæ ex diuina prouidentia ipsi facienda incumberent. Post eam autem desponsationem cœpit Dominus eam sensim trahere ad hominum conuictum & consuetudinem. Volebat enim eius operâ vti ad multorum hominum promouendam salutem.* Ex hac desponsatione secuta est mira virginis cum Christo familiaritas & vnio. Nam etiamsi familiæ & ægris seruiret, *nihil ab æterni sponsi castis amplexibus recedebat. Versa enim propemodum ei in naturam videbatur incredibilis quædam habilitas & prōptitudo mentem suam cum Christo coniungendi, etiam quouis loco & tempore, nec ab hac felicissima cōiunctione vllo actu externo impediatur, semper & vbique tendens ad cælestia. Vnde fiebat, vt propè innumeris vicibus extra se raperetur.* Porrò causam desponsationis & quasi meritum, hanc dedit Christus: *Quia tu, inquit, spreuisti vanitates mundi, amplexa es crucem & pœnitentiam, quæris summum & æternum bonum, atque hisce diebus Bacchanalium, quibus mundani vacant gulæ & luxuriæ, tu studes mortificationi & orationi, idcirco ego te mihi desponsabo.* Modus rituq; fuit hic: *B.Virgo accipiens dexteram Catharinæ, extendendo eius digitum annularem petebat à Filio, vt illam sibi desponderet. Matri annuit Christus, ac accipiens Catharinæ dexteram, digito eius annulum sponsalitium* (qui etiamnum Romæ seruatur in monasterio Virginum Dominicanarū in Magnanapoli, vbi eum clarè intuitus sum) *inseruit, dicens: Ecce ego qui sum Creator & Saluator tuus, te mihi desponseo in fide, quæ perdurabit in te ex hac hora semper immutabilis, donec nuptijs æternis tibi in cælo coniungar, vbi videbis me facie ad faciem, meq; perfrueris. Superest ergo, vt viriliter decertes, & in robore fidei, quam tuo cordi infixi, superes omnes illecebras & angustias mundi, omnes stimulos carnis, & omnem tentationem inimici.* Ita Raymundus in Vita S.Catharinæ Senens. quam in Italicum idioma transtulit Ambros. Catharinus, lib.1.cap.23.

VERS. 21. EXAVDIAM CAELOS] Nimirum mandando id quod mando per Ezech.cap.36.8. *Vos montes Israel ramos vestros germinetis, & fructum vestrum afferatis populo meo Israel.*

Nota Primò, ad emphasin & elegantiam hîc in cælis, &c. proponi prosopopœiam per gradationem, q.d.Cæli appetitu naturali, quo terræ, hominum, totiusq; vniuersi, cuius ipsi pars sunt, bonum & commoda desiderant, videntur à me Deo poscere nubes & pluuiam: ego illam eis annuam, statimque dabo; & sic consequenter cæli respondebunt votis terræ sitientis, & pluuiam fœcundam desiderantis, eam distillando; & terra satisfaciet votis tritici multipliciter crescere cupientis; & triticum explebit vota Iezrahel, id est, seminis & populi Dei, qui hasce fruges exoptat. Hæc gradatio significat tum miram fertilitatem bonorum, etiam temporalium, quam populo suo pollicetur Deus; tum subordinationem congruam, & ordinatam causarum secundarum seriem à Deo institutam, qua infimæ à medijs, mediæ à summis, summæ à Deo pendent & reguntur, quam Gentiles fatum, fideles harmoniam mundi appellarunt, de qua Iob 38.37. *Concentum cæli quis dormire faciet?* Sic hîc Israelis, id est populi Dei, vita pendet & sustentatur à tritico, hoc à terra, hæc à cælo, hoc à Deo; vnde pro *exaudiam*, hebr. est ענה *ana*, quod, vt dixi, inter alia significat respondere, & canere alternis. Vnde hîc vertas, *respondebo cæli*, vel *illis præcinentibus succinam*, & accinam: cæli enim postulando canent Deo: Domine da nobis pluuiam vt terra producat triticum, vinum, & oleum, quo alatur Iezrahel, id est, populus tuus, cui nos & omnia creata seruire decreuisti. Respondebit & succinet Deus: Æquum mihique gratum postulatis: idipsum præstabo: amo enim Iezrahel, id est Israel, quasi sponsam charissimam.

Concentus creaturarum.

Vnde moraliter hîc aduertit Pineda in Iob 37. v.11. num.3. quòd vniuersitas creaturarum cum suo creatore consPirans in commoda hominum, præsertim fidelium & Sanctorum, videatur mirabilem concentum efficere, &, vt Sapiens ait cap.19.17. *sicut in organo suum sonum custodire*, q.d. Sicut cùm in musico instrumento sonus vnius chordæ ex variatione modulationis & toni, aliam & aliam efficit harmoniam in gratiam audientium; ita Deo ludente in elementis Ægypti, elementum suam naturam & ordinem retinens, iunctum alteri, in eius conditionem & vsum transisse visum est, ad punitionem Ægyptiorum, in gratiam Hebræorum. Nam iumenta Hebræorum terrestria transeuntia mare rubrum à Deo diuisum, videbantur piscium naturam induisse; & natantia, putà ranæ, in terra degentia Ægyptios affligebant, ac si fuissent terrestria. Simili schemate ait Euripides apud Arist.8. Ethic.cap.1.

Cùm est sicca tellus, ipsa certè tunc imbrem amat.
Cùm turget æther imbre, cùm cælum tumet,
Affectat, vt telluris in sinus cadat.

Tollit hîc Deus prius maledictum, quod Israeli adulteranti cum idolis intentauit v.9. *Sumam frumentum meum in tempore meo.* De Iezrahel dixi c.1.4. Chaldæus cēset Iezrahel hîc significare populum Dei antea dispersum, nunc à Deo in Ecclesia collectum & benedictum.

Nota Secundò, hîc esse continuam allegoriam. Alludit enim ad Israelem ex Assyria & Babylone redeuntem in Iudæam, cui Deus dedit pluuiam, triticum, oleum & vinum, vti notant S.Hieron.Theodor.Theophyl.Albert. & Hugo: sed sub his allegoricè significat Deum tempore Christi

Chriſti pro votis fidelium eis abundantiam gratiæ, Sacramentorum, concionum, omniumque donorum ſpiritualium daturum. ita S. Hieron. & Rupert. Vterque ſenſus eſt literalis; ſed prior eſt quaſi typus & vmbra poſterioris; vnde ad illum tantùm alludit, eumque obiter perſtringit: intendit verò per eum ſignificare poſteriorem, in eoque hæret, ſeſeque explet, vti fieri ſoletin allegoria. Deus enim & populus Dei, putà veri Chriſtiani, paruí æſtimant omnia bona temporalia & caduca. Hi enim didicerũt à Chriſto calcare terrena, & amare cæleſtia, eiſque toto affectu inhiare, vt viuãt æternitati. Hinc ſymbolicè ex Theophyl. Leo Caſtrius, Vinum, ait, & frumentum, id eſt Euchariſtia, aliaque Sacramenta exaudient Iezrahel, id eſt, ſemen vel brachium Dei, putà Chriſtum, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, quique eſt virtus & brachium Patris, vt ſcilicet ipſa Sacramenta faciant opus ſuum, quod eſt fideles Chriſti purgare, ſanctificare, paſcere, roborare: Chriſtus enim eſt qui per ea hæc operatur in fidelibus. Rurſum Deus Pater Chriſti causâ è cælo depluit in Eccleſiam vbertatẽ bonorũ ſpiritalium. Idem Caſtrius ex S. Auguſt. Exaudiam, inquit, cælos, id eſt cælites, putà angelos & Sanctos, qui pro Iezrahel, id eſt fidelibus militantibus, Deum precantur: & cæli, id eſt ſancti, exaudient terram, id eſt Eccleſiam, vt à Deo pluuias cæleſtium bonorum Iezraheli, id eſt fidelibus, impetrent. Ante Chriſtum enim eiuſq; ſanctos, iuſſum erat cælis ne pluerent: Mandabo, inquit Deus, nubibus cæli ne pluant ſuper terram. ita ipſe ad literam, ego ſymbolicè. Hinc & anagogicè Cyrill. *Exaudiam cælum*, inquit, *id eſt, munerum meorum largum diſpenſatorem faciam cælum, ſiue calicolas, vt & ipſi miſericordiam conſecutos exhortari poſſint. Et tunc planè terra exaudiet frumentum, vinum & oleum, id eſt, fructum ferent qui ſunt in terra, ſpem vitæ, letitiæ, hilaritudinis. Et typus quidem vitæ frumentum eſt, vinum autem letitiæ, oleum hilaritatis & bonæ habitudinis.*

VERS. 23. ET SEMINABO EAM MIHI IN TERRA] *Seminabo*, id eſt, inſtar ſeminis ſpargam ipſam, ait Vatabl. q.d. Ego Eccleſiam, eiuſque Apoſtolos & Principes ſpargam per totam terram, vt illi per ſemen doctrinæ & martyrij ſui multam fidelium & ſanctorum ſegetem producant. ita Haymo & Rupert.

Nota. Vox *eam* grammaticè non refert *Iezrahel*, vtpote maſculinum; ſed *matrem eius*, putà Synagogam: de ea enim egit hoc capite. Alludit & obiter perſtringit, vti iam dixi, Iſraelitas è Babylone redeuntes in Iudæam, vbi inſtar ſeminis iacti in terram vbertim creuerunt & propagati ſunt. ita Chald. Theodor. Theoph. & alij. Simile eſt Ieremiæ 31.27. vide ibi dicta. Nota. τὸ *ſeminabo*, ſignificat actionem & mortificationem ſeminis, putà Apoſtolorum & poſterorum. Nam vt ait Chriſtus Iohan. 12. 14. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Non minuitur*, ait S. Leo ſerm. 1. de S. Petro & Paulo, *Eccleſia perſecutionibus, ſed augetur: & ſemper Dominicus ager ſegete ditiore veſtitur, dum grana quæ ſingula cadunt, multiplicata naſcuntur.* Idem fit in qualibet anima fideli & ſancta.

ET MISEREBOR EIVS QVAE FVIT ABSQVE MISERICORDIA] Hæc explicata ſunt cap 1. 6. Tantùm Nota. Pro *miſerebor*, &c. Vaticana Biblia legunt, *diligam non dilectam*. Hebr. enim רחמה *racham*, ſignificat intimum affectum tam dilectionis, quàm miſerationis & miſericordiæ. Vnde S. Paulus citans hunc locum Rom. 9. 25. vtrumque ponit. Ait enim: *Sicut in Oſee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.* Quod enim Paulus dicit: *Vocabo non plebem meam, plebem meam*; Oſee dicit: *Dicam non populo meo, Populus meus es tu.* Præponit enim ea Paulus, quæ Oſee poſtponit. Porrò quod addit Paulus: *Et erit in loco vbi dictum eſt eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viuentis*, non ex hoc cap. ſed ex cap. 1. v. 10. deſumpſit. Ibi enim dixit Oſee: *Et erit in loco vbi dicetur eis: Non populus meus vos; dicetur eis: Filij Dei viuentis.*

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

IVbetur Oſee adulteram domum ſuam abducere, cum eaq; paciſci vt ibi multo tempore celebs ſedeat, nec fornicetur, nec ad virum ſuum redeat; ac per hoc repræſentat Iſrael multo tempore fore ſine Deo, ſine idolis, ſine lege, ſine rege, ſine theraphim; ſed in nouiſſimo dierum reuerſurum ad Dominum.

Verſ. 1. ET dixit Dominus ad me: Adhuc vade, & dilige mulierem dilectam amico & adulteram: ſicut diligit Dominus filios Iſrael, & ipſi reſpiciunt ad deos alienos, & diligunt vinacea vuarum.

2. Et fodi eam mihi quindecim argenteis, & coro hordei, & dimidio coro hordei.

3. Et dixi ad eam: Dies multos exſpectabis me: non fornicaberis, & non eris viro: ſed & ego exſpectabo te.

VERS. 1. ADHVC VADE] Iubetur hîc Oſee amare & pretio conducere, inque domum ſuam inducere adulteram: quia prior fornicaria Gomer non plenè repræſentabat Iſraelis adulteria, id eſt, idololatrias cum dijs Gentium quaſi adulteris commiſſas, ſpreto vero amico, putà Deo.

Quæres, contra quos hoc ſignum aſſumitur, ſiue quoſnam repræſentat hæc adultera? Duodecim tribus repræſentare cenſet S. Hieron. & Lyran. Duas tantùm, putà Iuda & Beniamin, ſignificare cenſent alij, vt, ſicut Ezechiel c. 23. per duas ſorores meretricantes notauit omnes Hebræos idololatrantes, putà per Oolla decem tribus,

bus, per Ooliba duas; ita hîc Osee per Gomer fornicariam cap.1 significet decem tribus, per adulteram verò hoc capite significet duas, quæ decem in idolorum cultu secutæ & imitatæ sunt. ita Haymo, Rupert. Albert. Hugo, Vatabl. Ribera & Sanchez. A

Verùm melius Chald. Theodor. Theoph & à Castro, censent hîc eosdem notari, qui cap.1. notati sunt: putà Israelem, siue decem tribus. Hisce enim comminatur ob idololatriam plenum excidium & desolationem, vt sint sine rege, sine lege, Deo, republ. &c. quod ita euenisse post Samariæ excidium anno 6. Ezechiæ regis peractũ cernimus: cùm ex aduerso duæ tribus Babylone redeuntes habuerint duces, legem, & rempubl. vsq; ad excidium per Titum, quod non ob idololatriam, sed ob occisum Christum perpessæ sunt, & etiamnum perpetiuntur.

B

DILIGE MVLIEREM DILECTAM AMICO] Ita & Chald. S. Hieron. & alij passim: legunt enim in Hebr. רֵעַ *rea*, id est amico. Verùm Septuag. alijs punctis legentes רָע *ra*, id est malum, vertunt *dilige mulierem diligentem mala*, scilicet adulteria: & ita legunt Theodor. & Theophyl. vtpote Græci, qui proinde Græcam versionem Septuag. sequuntur. sed eôdem redit sensus.

Quænam sit mulier dilecta amico.

Quæres, quænam hæc? an Gomer quam duxit Osee cap.1. an quæ alia? Primò Ruffinus, Ribera, & aliqui alij censent fuisse Gomer, quæ, inquiunt, post coniugium cum Osee, tresque prolesex eo susceptas, adulteris se miscuerat: vnde Osee eius repudium cogitabat. Sed Deus eam recipi, diligi & retineri renouato & redintegrato per nouum contractum cum ea matrimonio, iubet; vt hoc facto repræsentet Synagogã Deo desponsam, licèt adulterãtem, diligi à Deo, eamque ipsum post adulteria idololatriæ amare, & retinere sibi sponsam. Ratio est, quia Osee non potuit aliam adulteram, quæ alterius esset vxor, in vxorem ducere: fuisset enim hoc nouum adulterium: debuisset ergo illa ad priorem verumq; maritum remitti (eius enim erat vxor) non ab Osee duci.

C

Secundò, Chald. S. Hieron. Cyrill. Theodor. Hugo, Isidor. Paulus à Palatio, à Castro, Emmanuel, & alij, censent hanc mulierem non fuisse Gomer, sed aliam (vti verba textus innuunt, præsertim קְנֵה *adhuc*, & *fodi*, id est emi: ergo hactenus non erat empta nec comparata) quæ à viro suo discedens adultera effecta sit, quam Osee iubetur à scelere auocare, & emere non in vxorem, sed in ancillam, ac domi retinere castam, vt nec cum viro, nec cum adultero copuletur; donec post multum tempus ad virum suum reuocetur, & in eius gratiam thorumque redeat. Audi S. Hieron. *Propheta diligit adulteram, & tamen non ei matrimonio copulatur, neque fornicatione coniungitur, sed tantùm diligit delinquentem.* Hoc enim verba Osee significant v.7. *Et dixi ad eam: Dies multos exspectabis me: non fornicaberis, & non eris viro: sed & ego exspectabo te.* Quod deinde explicãs, & ad scopum per eam propheticè repræsentatum applicans, subdit: *Quia dies multos sedebunt filij Israel sine rege, &c. & post hæc reuertentur, & quærent Dominum Deum suum.*

D

Tertia sententia, quam Theoph. Rupert. (qui vult hanc fuisse sororẽ Gomer) Vatabl. Sanchez & alij sequuntur, media est; nimirum mulierem hanc aliam fuisse à Gomer, emptamque ab Osee in sponsam & vxorem, non in ancillam. Hoc enim significat τὸ *dilige mulierem*, q.d. Duc in vxorem, & vt vxorem dilige. Rursum τὸ *Exspectabis me, sed & ego exspectabo te*, vnde liquet eam ab Osee fuisse desponsatam, vt fieret vxor; sed Osee consummatione coniugij & copula abstinuisse ad longum tempus, quo expleto, ei copulatus est; vt repræsentaret pari modo Synagogam multo tempore fore sine rege, lege, Deo, eoque expleto, ad Dei amplexus redituram. Osee enim videtur hîc personam Dei gerere, mulier Synagogæ, coniugium & copula religionis & cultus Dei. Ergo fuit hæc vxor Osee, sicut Synagoga erat vxor Dei. Vnde sequitur, virum eius priorem sub quo adulterata erat, iam fuisse mortuum, aut certè per libellum repudij ei à viro ob adulteria datum, scissum & solutum fuisse prius cum eo coniugium, ita vt iam soluta potuerit nubere Osee Prophetæ.

Hæ sententiæ probabiles sunt; sed secunda probabilior, ob nostram versionem, quæ vertit, *dilectam amico*, id est marito: sequitur enim, *Sicut Dominus Deus diligit filios Israel.* q.d. Sicut hæc mulier, licèt multùm dilecta à marito, tamen adulteratur; ita filij Israel, licèt multùm dilecti à Deo, tamen copulantur idolis. Amicus ergo hîc non potest accipi adulter, sed maritus: talis enim erat Deus respectu Synagogæ. Hinc sequitur mulierem hanc habuisse amicum, id est, maritum superstitem, ac proinde non potuisse appeti ab Osee in vxorem, sed tantùm in ancillam, aut potiùs Osee eam perditam & profugam adamasse ex charitate, vt proximam, eique dedisse pretium & hospitium, vt adulterare desineret. ita auctores citati, ac nominatim per amicum hunc accipiunt maritum, nõ adulterum, Chald. Lyran. Isidor. Paulus à Palatio, Arias, Guadalupensis, Vatabl. & alij multi: licèt S. Hieron. Theodor. & Theophyl. ex Septuag. intelligant adulterum. Et sic *rea*, id est, amicus vel socius, significat maritum Ierem 3.20. *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum*, hebr. *rea*, id est amicum, putà maritum. Hic ergo amicus gerit typum Dei, non Osee, qui tantùm mulieris huius est conductor.

Porrò Chald. Isidor. & Vatabl. censent hæc facta esse in Osee non realiter, sed tantùm in spiritu per visionem imaginariam. Melius Theodor. à Castro, & alij, censent reipsa ab eo esse facta & patrata. vide dicta c.1.1.

ET ADVLTERAM] Septuag. Complut. & Regia legunt, καὶ μοιχαλίδα, id est *& adulteras*, sed corruptè: legendum enim cum Codice Vatic. S. Hieron. & Theoph. καὶ μοιχαλίδα, id est, *& adulteram*. Patet ex Hebræo, Syro, Arabico, & alijs. Vide hîc tenerum Dei cor, quo amat & sequitur peccatores à se auersos.

Moral. S. Augustin. homil. 38. inter 50. *Euelle*, ait, *cor tuum ab amore creaturæ, vt inhæreas creatori, quia si amas illa quæ fecit, adulter es, & quæris iram, quia amicitia huius sæculi inimica est Deo. Quicumque ergo voluerit esse amicus huius sæculi, inimicus cõstituitur Dei. Anima deserto creatore, amans creaturam adultera est. Illius enim amore nihil castius, nihil delectabilius. O anima vt illius amplexibus digna sis, dimitte ista, & illi inhære gratis. Nam inde dixit Psaltes psal. 72. Mihi adhærere Deo bonum est, ideoq;*

versum

verſum priorem præmiſit dicens: Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.

Vinacea ſunt folliculi vuarum.

ET DILIGVNT VINACEA VVARVM] Pro *vinacea*, hebr. eſt אֲשִׁישֵׁי *aſiſſe*, quod Chald. Lyran. Marinus, Forſterus, R. Dauid, & ex eo Vatabl. & Pagnin. vertunt *œnophora*, vel *lagenas vuarum*, quaſi notetur hîc idololatrarum gula & ebrioſitas. Solebant enim idololatræ in ſuis ſacrificijs & feſtis ſolemnioribus epulari & potare, imò præſentibus certam vini & cibi menſuram diſtribuere, vti & fecit Dauid cùm arcam tranſtulit in Sion. 2. Reg. 6. 19. Hinc & Septuag. vertunt πέμματα, id eſt bellaria, panes ex ſimila factos & placentas, quæ idolis offeruntur, ait S. Hieron. & Theophyl.

Verùm meliùs S. Hieron. Vatabl. & alij vertunt *vinacea*. Nam & Aquila vertit, παλαιὰ, id eſt *vetuſta*; & Symmach. ἀκάρπους, id eſt *infrugiferos*, ſiue aridos & ſteriles vuarum folliculos: vinacea enim ſunt folliculi ſiue pelliculæ vuarum, quæ in torculari expreſſa vua, vinoque defluente remanent. Vnde hebr. vocantur אֲשִׁישִׁים *aſiſſim*, quaſi dicas *ima*, ſeu *fundamenta*, quæ in torculari ſubſidunt; à rad. אָשַׁשׁ *aſſaſſ*, id eſt fundauit. ita Columella lib. 6. c. 3. (vbi vocat *ſiccata vinacea*) & Varro libr. 3. de Re ruſtica cap. 11. & Cato c. 10. & Plinius lib. 17. 22. Eadem vocantur *lora, quod lota acina: ac pro vino operarijs datur hieme*, ait Varro libr. 1. c. 54. & Plinius libr. 14. 10. *Non poſſunt*, ait, *iure dici vina, quæ Græci deuterias appellant, Cato & nos loram, maceratis aqua vinaceis: ſed tamen inter vina operaria numerantur.* Audi & Hugonem: *Vinacea*, ait, *ſunt pellicula, botrus plures racemi, racemi plures vuæ, acinum granum, glarea liquor.* Significat ergo hîc Propheta idololatras idolis ſuis obtuliſſe hæc vinacea, inquit Theodor. & Theophyl. aut potiùs acri ſarcaſmo perſtringit eos, quòd relicto domi vino puro & præſtanti, adirent idola & idolothyta, vbi ob aduenarum turbam ſingulis dabatur lora ex vinaceis aquâ dilutis, non vinum.

Vnde tropolog. vinacea & inanes vuarum folliculi ſignificant res vanas & futiles, in quibus nihil eſt ſucci, nihil medullæ, nihil boni, quales erant idola & idolothyta, aliaque quæ amabant Iſraelitæ relicto Deo: omnis enim peccati voluptas inanis eſt, inſipida & exſucca, non ſolida, non ſatians. Hinc Hugo: *Vinacea*, inquit, *ſunt dæmones, qui creati in magna pinguedine Spiritus ſancti, ſed per ſuperbiam arefacti, proiecti ſunt de cælo. Nam Deus in eis, ait S. Auguſt. fuit ſimul & largiens gratiam, & condens naturam*; ſed effuſa gratia per peccatum, manſit natura vacua, quaſi vinaceum. Sic, ô peccator, cùm ſectaris honores & dignitates, vina & veneres, vinacea ſectaris, folliculos inanes, & mero aëre aut vento turgidos ſectaris. Veſcebaris in domo Dei pane cæli, pane angelorum; nunc vagus & profugus cum filio prodigo ambis ſiliquas porcorum. Quod enim in tritico ſunt ſiliquæ, hoc in vuis ſunt vinacea. Itáne, ô ſtolide, mundo te credis, qui pro tritico ſiliquas, pro vino loram tibi propinat? Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum miſtum eſt aqua, imò aqua eſt mera, eaque putrida. Quin ad patrem, ad Deum tuum redis? Inuitat te ille ad menſam ſuam vino & delicijs inſtructiſſimam, ac clamat: *Venite, comedite panem meum, & vinum quod miſcui vobis* Prouerb. 9. 5. *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*, Iohan. 6. 51. *Quid enim bonum eius eſt, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zachar. 9. 17. *Venite, & bibite, & inebriamini chariſſimi*, Cantic. 5. 1. Quin accedis, quin accurris? vt ſentias dicaſque cum ſponſa: *Introduxit me rex in cellaria ſua: exultabimus & lætabimur in te.* Pulchrè S. Bernardus in Sentent. *Vinum*, inquit, *gratia eſt, quod ex botro Cypri, id eſt, conditoris largitate decurrit: & hoc eſt muſtum quo ſponſi filij inebriantur, quod mittitur etiam in vtres nouos.* Et rurſum: *Triforme vinum eſt in ſcypho Dei: rubicundum in longanimitate ſanctorum, quod lætificat Iſaac in ægritudine: album in remuneratione iuſtorum, quo ebrietatur Noë: nigrum & acidum in damnatione prauorum, quod Ieſus guſtat, ſed non vult bibere.* Et ex hoc vino, ait idem tract. de Diligendo Deo, *ſobria illa ebrietas vero, non mero, ingurgitans: non madens vino, ſed ardens Deo.* Et ſerm. 18. in Cant. *Orando bibitur vinum lætificans cor hominis, vinum ſpiritus quod inebriat, & carnalium voluptatum infundit obliuionem.*

ET FODI EAM] Id eſt conduxi, comparaui eam. ita Septuag. Chald. S. Hieron. Hugo, Lyran. Vatabl. Arias, & alij paſſim. Vnde Syrus vertit, *emi eam*; Arabicus, *conduxi eam*. Nota. hebr. כָּרָה *cara* propriè ſignificat fodere, exſcindere, excauare: inde per metalepſin ſignificat comparare vel emere. Olim enim quiſque fodiebat ſibi cryptas ad habitationem & ad ſepulturam, ac multò magis vineas, agros puteos & ciſternas, quibus maximè in Meſopotamia lociſque vicinis (vbi habitarunt Patriarchæ Iſraelis) ob terræ ſiccitatem & calorem indigent, indeque tot & tanta iurgia paſtorum Iſaac cum paſtoribus Abimelech ob hoſce puteos, Geneſ. 26. v. 17 20. 22. adeò vt etiamnum viatores ibidem ad puteos communes anhelent & diuertant, æquè ac in Europa anhelant ad hoſpitia, vt mihi retulit oculatus teſtis R. P. Marietus. Puteos ergo olim fodiendo ſibi comparabant, vt patet Gen. 50 5 & alibi. Hinc *fodere* ſignificat *emere, comparare*, vt Deuter. 2. 6. pro *aquam emptam hauriet is*, hebr. eſt, *aquam fodietis ab eis argento*, id eſt, emetis argẽto, emptamque haurietis. Addit S. Hieron. Haymo & Lyran. Oſee vti hoc verbo fodiendi, quia alludit ad vinacea iam dicta. Iſrael enim erat quaſi vinea, quæ fodi ſolet. Vnde cap 2. 15 dixit: *Dabo ei vinitores ex ea.* Quocirca Leo Caſtrius: Fodi, inquit, & paſtinaui vineam, impendens in foſſores quindecim argenteos. Secundò, Forſterus: *Cara*, inquit, ſignificat fodere & ſcindere, indeque emere: quia ementes & vendentes dextras inuicem percutiendo quaſi diſcindunt, earumque diſciſſione & diuiſione ſtipulantur venditionem vtriuſque eſſe factam, ratamque emptionem ſignificant. Tertiò Arias: *fodi eam*, id eſt, emi in ſeruam perpetuam: huic enim fodi & perforari ſolebant aures, iuxta legem Exodi 21. 6. Deuter. 15. 16.

VERS. 2. *Fodi, id eſt emi. curt*

Vnde Nota. Licèt Ruffin. & Ribera paulò antè citati cenſeant hanc feminam ab Oſee fuiſſe emptam in vxorẽ: apud veteres enim, etiam Hebræos, ſponſi & mariti emebant ſponſas & vxores, tum ab earum parẽtibus, tum ab ipſiſmet, dãdo eis pro dignitate cuiuſq; munera: ac ſponſæ

viciſſim dotẽ dando,ea ſibi maritos coëmebant. Ita Dauid emit Michol centum præputijs Philiſthinorum, Iacob Rachelẽ emit ſeruitio ſeptem annorum, Gen.29.18. Sephora emit Moſen ſanguine filij, quem circumcidit, Exodi 4.25. vide ibi dicta. Idem mos fuit apud Romanos, vt patet ex Cicerone oratione pro Murena, & Gellio lib.18.6. atque apud Græcos: vnde Iliad.9. Agamemnon Achilli offert filiam ſine ἑδνοις, id eſt donis, quæ ſponſi ſolẽt dare ſponſis. Vnde ab Ouidio dona ingalia vocantur; ab alijs, ſponſalia. Sic ergo Oſee hîc videtur emiſſe vxorem. Tamẽ verius eſt, ipſum eam non emiſſe in coniugem, ſed conduxiſſe in ancillam, ad hoc vt adulteris & adulterijs abſtineret. Vnde Septuag vertunt, ἐμισθωσάμην αὐτὴν, id eſt, *mercede & pretio conduxi eam*. μισθὸς enim eſt merces. ita S.Hieron. Albert. Hugo, & alij ſuprà citati.

QVINDECIM ARGENTEIS] ſcilicet ſiclis. Siclus autem pendebat quatuor drachmas Atticas, id eſt ſemiunciam, putà 4.regales Hiſpanicos, ſiue quatuor Iulios Italicos, vti dixi Exodi 30.13. Ergo ſiclus argenteus erat florenus Brabanticus, & 15.ſicli 15.floreni Brabantici.

CORO HORDEI] Corus, hebr. חֹמֶר *chomer*, (diuerſus eſt ab עֹמֶר ſiue *gomor*, quæ menſura erat victus diurni, Exodi 16.16.) erat menſura continens 30.modios. ita S.Hieron. & Epiphan. lib. de Menſuris, qui ait, corum continere 30. modios, eſſeque cameli onus. Addit Paulus à Palatio, corum ſiue chomer eſſe onus aſinariũ, quod ſcilicet fortis aſinus ferat, indeque dici *chomer* à חֲמוֹר *chamor*, id eſt aſinus. *Antiquiſſimum*, ait Plinius l. 8.7. *in cibis hordeum, ſicut in Athenienſium ritu apparet; & gladiatorum cognomine, qui Hordearij vocantur.*

ET DIMIDIO CORO HORDEI] Heb. eſt לֶתֶךְ שְׂעֹרִים *letech ſeorim*, quod mirum eſt Septuag. vertere νέβελ οἴνου, id eſt lagenam vini: *ſeorim* enim hordeum ſignificat, non vinum. Et cæteri Interpretes verterunt ἡμιμναῖον, id eſt medium corum, hoc eſt quindecim modios hordei. ita S.Hieron. Epiphan. & alij.

Porrò empta fuit hæc vxor dimidio coro hordei: quia olim confarreatione nuptiæ contrahebantur, cùm certis verbis coram teſtibus ſolemni ſacrificio, in quo panis farreus adhibebatur, in manum conueniebant, ait Vlpianus; quod à Romulo inſtitutum fuiſſe teſtatur Dionyſ. nam farreatio illa ſignificabat vitæ communionem; quocirca diffarreatio apud Feſtum eſt diſſolutio matrimonij confarreatione contracti. ita Vlpian. l 9. Inſtit. Pliniusl. 18.c.3. & ex ijs Pineda l. 5 de Rebus Salomonis cap.2.

Quæres, quidnam hæc ſignificent? Primò, Chald. S.Hieron. Hugo, Lyran. & alij cenſent quindecim argenteis ſignificari decimam quintam diem primi menſis Niſan, putà Paſcha, quo Hebræi ſanguine agni paſchalis à morte, quam inferebat angelus percutiẽs primogenita Ægyptiorum, redemerunt ſuos primogenitos, ideoque deinceps eoſdem quinq; ſiclis redimere ſunt iuſſi. Corus & dimidius, id eſt, 45.modij, ſignificant 45.dies quibus ex Ægypto peruenerunt ad montem Sina, vbi legem acceperunt, in qua ſanxit Deus primitias hordei ſibi offerri altera die Paſchatis, inquit Chald. Verùm eſto eò alludi poſſit, tamen hæc iam pridẽ tranſacta erant: hîc autem eſt prophetia de futuro, quæritur ergo quid in futurum portendant?

Secundò, Arias cenſet quindecim argenteis ſignificari quindecim Prophetas tam maiores, quã minores, qui Iſraeli prædicarunt eumq; conduxerunt ad pœnitentiam: corus ſiue chomer, inquit, eſt cumulus; *ſeorim* eſt hordeum, item turbo & tempeſtas, 45.modij ſunt 45.pœnæ quas Deus Iudæis Leuit.26.intentauit, ſi legem violarent, quas Propheta hîc Iudæos ſubituros ſignificat. Alij alia afferunt, ſed impertinentia, quæ vide, ſi lubet, apud Chriſt. à Caſtro.

Simpliciùs dicendum videtur, hoc pretium taxatum fuiſſe huic mulieri ad annuum victum: ad hunc enim Romani deſignabant modios ſuos 48. quos efficiunt Hebræorum modij 45. putà corus cum dimidio. Vnde Terentius in Phormione docet, quòd ſerui quatuor modios in mẽſe accipiebant pro victu: iam multiplica quatuor per duodecim (tot enim ſunt menſes in anno) habebis modios 48. quæ erat menſura annui victus Romæ. Porrò hordeum & hordeaceus panis erat cibus ſeruorum, ancillarum & pauperum; apud Hebræos etiam adulterarum: vnde mulieri de adulterio accuſata, ait S.Hieron. iubetur accipere gomor farinæ hordeaceæ, Num. 5.15. Per hæc ergo omnia ſignificat Propheta, quòd Deus Iſraelitis ob peccata ſeruituti deſtinatis, & quaſi iumentis terrenis (horum enim pabulum eſt hordeum) dabat bona terrena, ſed cum labore & pauca, putà tanta quanta ad victum ſufficiunt. tale enim eſt corus cum dimidio hordei ad victum annuum, ac quindecim ſicli ad veſtitum & cætera neceſſaria; idq; ad hoc, ne cogantur Gentes & idola ſequi, ſicut olim faciebant, ſed ſciant ſe non omnino à Deo eſſe derelictos, quinimò eius in ſecuram, alimoniam & bonitatem agnoſcant, & ſpe maiorum donorum ad Deum reuertantur. quod fiet in nouiſſimo dierum, vt dicitur v.5. Hoc eſt quod ait Apoſtolus Roman.11. *Non repulit Deus plebem ſuam quam præſciuit*, ſed exſpectat donec in fine *omnis Iſrael ſaluus fiat*. ita Ribera, à Caſtro & alij. Moral. de pretio hoc vide S.Hieron. hîc, & S.Ambroſ. l.4. epiſt.39 & l.8.epiſt.77.

ET DIXI] Propheta conduxit adulteram pretio quindecim argenteorum, & ſeſquicoro hordei: nunc conductionis pacta & conditiones quas ab ea exigit, illi proponit. VER.

Prima eſt, *Dies multos* (putà annum integrum: hunc enim Hebræi vocant יָמִים *ianim*, id eſt dies; quia annus eſt omnium dierum complexio & reuolutio: & ad annuum victum dederat ei pretium, vti iam dixi) *exſpectabis me*, hebr. *ſedebis mihi*, vel mecum, q.d. Per annum apud me habitabis & deſidebis, nec vagaberis per domos & hoſpitia tuorum amaſiorum. ita Theod. Theoph. Pagnin & alij. vnde Iſidor. & Vatabl. exponunt q.d. *Multos dies in luctu ſedebis quaſi vidua*. Oſee hîc repræſentat non Deum, ſed Salmanaſar, qui Iſraelitas in Aſſyria quaſi in hoſpitio captiuos detinuit. Noſter vertit, *exſpectabis me*, quia reſpicit rẽ ſignificatam: ad hoc enim ſedebat domi Prophetæ, vt exſpectaret tempus quo ab eo reconciliaretur, & reduceretur ad maritum. ita S.Hieron. Haymo & alij.

Secunda eſt, *Non fornicaberis*: hic enim fuit præ-

præcipuus ſcopus Prophetæ, nimirum vt auocaret eam à fornicatione. Vbi Nota inſignem eius charitatem & zelum animarum. Ita S. Ephrem celebrat zelum & ſolertiam Abramij Eremitæ (in eius vita) qui Mariam neptē ſuam in fornicationem lapſam, indeque publicè in hoſpitio meretricantem, re cognita inſecutus, magno labore æquè ac induſtria inde abduxit, & in eremum ad priſtinam vitæ ſanctitatem perennemque pœnitentiam reduxit. Ita S. P. N. Ignatius Romæ monaſterium S. Marthæ extruendum curauit, vt in eo reciperentur mulierculæ, quæ à turpi quæſtu abductæ vitam in melius mutare vellent, ipſeque; exiſtens Generalis illas eò deducebat. Cumq; ei obijceretur in illis operam perdi, quòd facilè ad vomitum redirent: *Minimè ſanè*, inquit Ignatius, *ſed ſi omnibus vitæ meæ curis atque laboribus id poſſim efficere, vt vel vnam noctem peccato vacuam præterire iſtarum aliqua velit, omnes ego quidem neruos contendam, vt vel illo tam exiguo tempore Deus & Dominus noſter non offendatur, etiamſi ſciam illam ſtatim ad ingenium redituram.* ita Ribaden. l. 3. Vitæ eius c. 9. Nimirum clarè perſpiciebat quantum malum, quanta Dei offenſa & iniuria ſit vnum peccatum mortale, vna fornicatio, ad quam proinde auertendam quilibet Dei zelotes omnes vires corporis & animi contendere & impendere debeat.

Tertia eſt, *Et non erìs viro*, id eſt nulli viro nubes, aut copulaberis; & conſequēter nec ad tuum virum (ille enim te ob adulteria negligit & ſpernit) redibis, eíve copulaberis; multo minùs mihi, qui ſum merus tui cuſtos, hoſpes & conductor.

Quarta eſt, *Et ego exſpectabo te*; heb. *& ego ad te*, ſcilicet reſpiciam & veniam; vt ſuo tempore, putà poſt annum, te ex hoc meæ domus hoſpitio educam, & ad maritum reducam. Noſter vertit, *exſpectabo*, quia reſpicit rem ſignificatam, q. d. Exſpectabo vt tu pœnitens conuertaris, tumque ego te marito reſtituam. ita Chald. S. Hier. Haymo, Hugo & Lyran. Aliter Ribera, Exſpectabo, inquit, te vt tecum copuler, & ex te rurſum liberos procreem. Cenſet enim hanc fuiſſe Gomer vxorem Oſee, à qua ipſe ad tēpus iuſſu Dei abſtinuerit, iuſſeritq; eam domi ſedere quietam, nec fornicari; ſed exſpectare ſe, ſuumque thorum, ad quem denuo eam reuocaturus erat, vt repræſentaret quòd Deus qui Synagogam Iudæorum iam quaſi dereliquerat, data interim frugali ſuſtentatione bonorum temporalium, exſpectaret eam vſque in finem mundi, vt tunc ei rurſum deſponſetur, eique liberos procreet. Aliter quoque Vatabl. Pagnin. & Arias: vertunt enim, *non erìs viro, nec etiam ego ad te*, ſupple, ingrediar, vt tecum copuler. Significationem & cauſam harum conditionum explicat Oſee, & applicat Iſraeli dum ſubdit:

4. Quia dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine ephod, & ſine theraphim.

5. Et poſt hæc reuertentur filij Iſrael, & quærent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum: & pauebunt ad Dominum, & ad bonum eius, in nouiſſimo dierum.

A QVIA DIES MVLTOS SEDEBVNT, deſolati & diſperſi, ideoque lugentes, afflicti & ſqualidi, FILII ISRAEL SINE REGE, &c.] Primò, Rabbini, Ruffin. Albert. & Hugo, hæc accipiunt de captiuitate Babylonica duarum tribuum, vſq; ad eius laxationem per Cyrum. Verùm obſtat quòd in illa captiuitate habuerint hæ tribus pontificem, ſcilicet Ioſedec: item legem & iudices, vt patet Daniel. 15. 5. quin & regem Ioachin, & principes Zorobabel & Salathiel: inſuper altare, vt patet Baruch 1. 10. & ſacerdotes ac Prophetas, vt Danielem, Ezechielem, &c. atque Deum colebant, quæ tamē omnia hîc eis defore prædicitur. Rurſum Zorobabel aut Salathiel non poteſt dici Dauid rex. ita S. Hieron. Cyrillus, Rupert & S. Auguſt. 18. Ciuit. 28.

Secundò, R. Dauid hæc contigiſſe putat tem-
B pore Machabæorum & Herodis: tunc enim ſubacti fuerunt Iudæi ab Antiocho Epiphane eiuſque poſteris, qui ſacra Iudæorum profanarūt, & pontificatum vendebant; ac licèt tunc Machabæi eſſent principes, non tamen erant legitimi, quia oriundi ex tribu Leui, non Iuda, cui ſceptrū dedit Deus, Gen. 49. 10. Verùm errat: tunc enim ſub Machabæis maximè floruit religio, virtus & fortitudo Iudæorum, erantq; ipſi legitimi principes, vtpote à toto populo electi. Nec obſtat locus Geneſ. 49. 10. vt ibi oſtendi.

Tertiò, Hieron. S. Cyril Haymo, Hugo, Lyran. Paulus à Palatio, Vatabl. Ribera, Sanchez & paſſim alij, ac S. Auguſt. l. 18 Ciuit. 28. cenſent hæc pati Iudæos nunc, putà poſt Chriſtum, & paſſuros eadem vſque ad finem mundi. Iam enim carent rege, ſacerdotio, altari, &c. Verùm hoc pa-
C tiuntur Iudæi ob occiſum ab eis Chriſtum, non ob idololatriam; quod tamen aſſerit hîc Propheta. Rurſum hucuſque Propheta egit de Iſraelitis, id eſt decem tribubus, non de duabus, putà Iudæis: Iudæorum enim dixit ſe miſerturum, c. 1. 7. Fateor tamen à pari ad eos hæc poſſe extendi. vnde

Quartò, dico cum Theodor. Theoph. Chaldæo, & à Caſtro, Prophetam pergere loqui de Iſraelitis, id eſt decem tribubus, ac prædicere earum excidium, & deſolationem duraturam vſq; ad finem mundi. In Aſſyriam enim abducti, inde numquam redierunt, niſi perpauci mixti Iudæis; ſed ſparſi, & incogniti vagantur etiamnum toto orbe, vnde carent rege, lege, repub. ſacerdotio, &c. ſeruiuntq; viles, pauperes, & miſeri alijs gentibus & principibus, vti mulier illa (quæ
D horum erat typus) ſedebat apud Oſee deſolata, quaſi vidua, carens marito, omnique alia ope diuina & humana, habens ſolam tenuem ſuſtentationem quam dabat illi Oſee. Hoc eſt quod eis pariter prædixit Azarias Propheta 2. Paral. 15. 3. *Tranſibunt multi dies in Iſrael abſque Deo vero, & abſque ſacerdote, doctore, & abſque lege.* q. d. Exciſa Samaria ab Aſſyrijs anno 6. Ezechiæ regis Iuda, Iſraelitæ captiui erunt & profugi, carebuntque tam repub. quàm Eccleſia; tam rege, quàm pontifice; tam curia, quàm templo; tam ciuili iure, quàm ſacro.

SINE ALTARI] Hebr. eſt מַצֵּבָה *matſeba*, id eſt ſtatua. vnde Leo Hebr. Iſidor. Arias, Pagnin. & alij vertunt, *ſine idolis*. Verùm melius vertit Noſter, *ſine altari*: ita enim vertunt Septuag. altare enim directè & correlatiuè reſpōdet ſacrificio, quod

quod anteceſſit. Hinc & Chald. vertit, *neque erit in Samaria excelſum*, ſcilicet altare. *Matſeba* enim ſignificat omne id quod erigitur, ſtatuitur, firmatur, quale in primis eſt altare, à rad. נָצַב *iatſab*, id eſt *ſtetit*: & in hiphil הִצִּיב *hitſib*, id eſt *ſtatuit*, erexit, firmauit.

SINE EPHOD] *Ephod*, ſiue ſuperhumerale, erat primaria veſtis pontificum, vt dixi Exod. 28. 6. Vnde ſignificat pontificatum & ſacerdotium Iſraeli auferēdum, vti iam pridem ablatum eſt. ita S. Hieron. Theodor. Theophyl. Hugo & Lyran. quocirca Septuag. vertunt, *ſine ſacerdotio*. Verùm quia in τῷ *ſine ſacrificio, & ſine altari*, ſat ſignificauit auferēdum pariter ſacerdotium, hoc enim ſine altari & ſacrificio eſſe nequit; hinc preſſiùs & meliùs per ephod accipiemus oracula & prophetiam, quæ fiebat per vrim & thummim poſita in ephod, vti dixi Exodi 28. 30. Significat ergo ab Iſraele auferendos Prophetas & pontifices, qui per vrim & thummim dent oracula, & conſulti reſpondeant de futuris. ita S. Cyrill. Theodor. & Theoph.

Theraphim quid? Prima ſent.

SINE THERAPHIM] Quæres, quid eſt *theraphim*? Primò, Iudæi cenſent fuiſſe ſacras imagines, quibus priuandæ erant decem tribus in Aſſyriaca captiuitate; vnde Aben-ezra & alij Rabbini ex hoc loco colligunt ſacras imagines non fuiſſe Iudæis vetitas, ſed tantùm profanas & idololatricas. Sileat ergo Lutherus & hæretici, qui volunt theraphim fuiſſe ſacras imagines ſimiles imaginibus Catholicorum, vnde eas eſſe vetitas, quia alibi paſſim Scriptura vetat & damnat theraphim. Legant hi fabulones Bellarm. libr. 2. de Sanctis.

Secunda.

Secundò, Arias & Caiet. in Iudic. 17. & Oleaſter in Geneſ. 31. 19. cenſent eſſe imagines quas certo aſtrorum ſitu conficiebant Aſtrologi, vt ex ijs loquentibus, reſponſaq; dantibus cognoſcerent futura. Vnde R. Eliezer in ſuis capitulis cap 36. *Quare*, inquit, *vocantur theraphim?* ac reſpondet: *Adducebant hominem primogenitum & mactabant, eiq; caput abſcindebant, atque hoc ſale & aromate condiebant, ac inſcribebant ſuper laminam nomen cuiuſdam ſpiritus immundi. Porrò ſuponebant nomen illud ſub lingua ipſius, eamq; reponebant in pariete, atque coram eo accendebant lucernas, & adorabant eum: ipſe verò alloquebatur eos.* Et Aben-ezra in Geneſ. 31. Teraphim, ait, erant hominum imagines, ad ſuperiorum virtutum & cælorum influxum ſuſcipiendum. Sic & Lyranus in Iudic. cap. 17.

Tertia.

Tertiò, alij Rabbini cenſent eſſe inſtrumenta quædam ærea, ad horarum partes internoſcendas, ſeu eſſe horologia, cylindros, aſtrolabos.

Quarta.

Quartò, Moncenus l. 1. de Vitulo aureo c. 8. & 20. putat theraphim fuiſſe Cherubim, alij Seraphim. vnde Cedrenus referens hiſtoriam Iudic. 17. pro *theraphim* habet *Seraphim*. Chaldæi enim ita dicunt: nam pro literā, s, ponunt, t, vt pro *ſçalos*, id eſt tria, dicunt *thelath*: pro *ſces*, id eſt ſex, dicunt *ſcet*: pro *meſçalim*, id eſt prouerbia, dicunt *methalim*: pro *matſeca*, id eſt fuſile, *matheca*: pro *ſçaar*, id eſt ianua, dicunt *therah* cum metatheſi, è qua Græcorum θύρα, & Germanorum *thur*, inquit Serarius in Iudic. 17. qu. 5. Hinc & S. Hieron. Theraphim, ait, ſunt Cherubim & Seraphim, ſiue alia quæ in templi ornamenta iuſſa ſunt fieri. hæc enim omnia per ſynecdochen ſignificantur in ſui parte, putà in theraphim, hoc eſt, Cherubim & Seraphim. ita & Haymo, Albert. Hugo & Dionyſ.

Quinta.

Quintò, Chriſt. à Caſtro, Sanchez & Leo Caſtrius cenſent theraphim eſſe vrim & thummim, quæ erant duo lapides, vel duo ſimulachra, vt putat Chriſt. à Caſtro, in rationali pontificis, dantia oracula & reſponſa conſulentibus. Probant, quia Septuag. & Aquila vertunt, *illuminationes*, vel *manifeſtationes*: ſic autem ijdem vertunt vrim & thummim Exodi 28. v. 30. Verùm hoc vti nouum, ita parum veriſimile videtur: præſertim quia hoc periculoſum valdè fuiſſet apud Iudæos, ſi imagines vidiſſent, vel audiſſent loquentes & vaticinantes. Erant enim ipſi in imaginum adorationem & idololatriam propenſiſſimi.

Sexta & ſeptima.

Quocirca dico Primò, *theraphim* ſignificat imagines ſiue ſimulacra. Patet, quia ita vertit Noſter 1. Reg. 19. 16. in ſtatua quam pro Dauide profugo ſuppoſuit vxor Michol. vbi Septuag. vertunt, κενοτάφια, id eſt, ſtatuas repræſentantes mortuum hominem, ſed inanes & euanidas, cùm ipſum corpus hominis non adſit, ſed abſit. Secundò, quia Aquila vertit μορφώματα, id eſt, figuras ſeu imagines: Chald. צַלְמָנַיָּא *tſalmenaia*, id eſt, ſimilitudines & ſimulacra.

Dico Secundò, hinc conſequenter theraphim, ſicut & ſimulachra, ſumuntur pro idolis, quia priſcæ imagines, præſertim apud Iudæos, vix fiebant niſi dijs & idolis. Patet, quia Noſter interpres & alij Geneſ. 31. 19. Indic. 17. 5. Ezech. 21. 21. & alibi paſſim *theraphim* vertūt idola. Hæc dicuntur *theraphim*, vel à rad. רָפָה *rapha*, id eſt demittere, vt vult Marinus & Forſter. quòd idololatræ coram ijs ſe demitterent & humiliarent, ea adorando: vel à Chaldæo רְפַי *teraph*, id eſt putreſcere, exprobrare, & probris afficere. vnde Chaldæi *beth hatturpha*, id eſt domum turpitudinis, vocant fanum idoli: & fortè inde manauit Latina vox turpis & turpitudo, ait Serarius loco citato. *Theraphim* ergo idem eſt quod turpe, probroſum, immundum, pūtridum & putrefactione dignum; tale enim eſt idolum, quod proinde hebr. vocatur ſtercus & ſordes: vel potiùs *theraphim* dicta ſunt à ſeraphim & cherubim. de quo mox plura.

Porrò *theraphim* hîc, vti & alibi, ſignificare idola, ex eo colligitur, quòd per τὸ *ſine theraphim*, explicat illud quod de muliere dixit v. 3. *Non fornicaberis, & non eris viro*. q. d Volote ô mulier domi meæ degere ſolam, ita vt nec adulteris, nec marito tuo copuleris; vt repræſentes quòd Iſraelitæ poſt excidium pari modo ſedebunt ſine ſacrificijs & altari, vt non colant Deū verum, quaſi maritum ſuum; & ſine theraphim, vt non colant deos alienos, quaſi adulteros. ſignificat ergo Iſraelitas longo tempore non colituros Deum verum, nec theraphim, id eſt idola.

Dico Tertiò, *theraphim* ſignificat idola, tum qua deos, tum qua dabant oracula, & conſulentibus reſpondebant de futuris euentis. Patet, quia Ezech. 21. 21. de rege Babylonis dicitur: *Interrogauit idola* (hebr. *theraphim*) *exta conſuluit*. Et Zachar. 10. 2. *Quia theraphim locuta ſunt, & diuini viderunt mendacium*. vnde & Chald. vertit, *non erit qui reſponſum reddat*. Idē patet Iudic. 17. 5.

&c

& cap.18. 20. in theraphim Michæ. Secundò, quia Septuag. pro *theraphim*, vertunt δήλωσιν & manifeſtationem; & Aquila φωτισμὸν, id eſt illuminationem, hoc eſt, prophetiam & oraculum. Denique Rabbini *theraphim*, inquiunt, *ſunt imagines futura prænuntiantes.*

Theraphim ergo erant ſimulachra & idola, quæ idololatræ domi habebant, inuocabant, & in omnibus difficultatibus dubijſq; conſulebant, quaſi Lares & Penates ſuos. Sic Rachel furata eſt theraphim, id eſt idola & Lares patris ſui, Geneſ.31.19. Sic Micha habuit theraphim, quaſi Penates ſuos, Iudic.17.v.5. Itaque ſignificatur hîc quòd Iſrael in captiuitate carebit theraphim, id eſt, dijs patrijs, Laribus & Penatibus ſuis, putà vitulis aureis, & Baalim, quos colebat in Samaria: licèt enim miſtus Gentibus coluerit earum idola, tamen hi non erant eius theraphim, id eſt dij patrij, Lares & proprij Penates quos coluerat in Samaria. ita Hebræi, Lyran. Vatabl. Pagnin. Iſidor. Arias, Serarius loco citato, & alij. Simili modo Gentiles coluerunt ſuos Lares, adeò vt etiam poſt excidium domo & vrbe fugiẽtes, eos ſecum peregrè aſportarent, vti Æneas exciſa Troia extulit ſecum idola patria, quaſi Lares ſuos: quod tacitè irridens Virgil. ait:

Ilium in Italiam portans victoſq; Penates.

Hinc narrant Gentiles, quòd, cùm Troiæ in honorem Palladis arx, & in eius ſummo templum illi ædificaretur, è cælo ceciderit Palladium, id eſt, Palladis ſimulachrum ligneum mouens oculos & haſtam quam manu geſtabat, vt ſcribit Seruius. Hoc Palladium ſibi locum in eo templo delegit, moxq́ue oraculũ ab Apolline datum eſt, Troiam exſcindendam ſi Palladium hoc ex vrbe efferretur. Quocirca Diomedes & Vlyſſes clanculum occiſis cuſtodibus, illud extulerunt; ac paulò pòſt à Græcis capta eſt Troia. ita Ouid. 3. Faſtor. & Virgil. 2. Æneid.

Fatale, inquit, aggreſſi ſacrato auellere templo
Palladium, &c.

Palladium enim erant Penates Troiæ. Et S. Auguſt. in libr. de Ciuit. ridet hoſce deos vrbium-que tutores, qui oculos habent & non vident, pedes & non ambulant, manus & non poſſunt opitulari. *Tales*, inquit, *fuerunt præſides & cuſtodes Capitolij, qui cùm ſeipſos non poſſent defendere, quanto minùs valebant ciuitatem tueri?* De his ait Plautus:

Ego Lar ſum familiaris ex hac familia,
Vnde exeuntem me aſpexiſti.

Inde Lararium vocabatur locus ſiue oratorium in quo theraphim, id eſt Lares & dij domeſtici ſeruabantur & colebantur. Scribit Lampridius Alexandrum Seuerum Imper. in Larario rem diuinam manè factitaſſe ad effigies deorũ, in quibus habebat Abrahamum & Chriſtum: in ſecũdo autem Larario habebat ſimulachrum Virgilij & Ciceronis. Iidem dicti ſunt Penates, *ſiue à penu dicto nomine (eſt enim omne quo veſcuntur homines penus) ſiue ab eo quòd penitus inſident, ex quo etiam penetrales à Poëtis vocantur*, inquit Cicero libr. 2. de Natura deorum. Et Macrob. libr. 3. Saturn. cap. 4. *Penates*, ait, *eſſe dixerunt per quos penitus ſpiramus, per quos habemus corpus, per quos rationem animi poſſidemus.* Vnde Plaut. in Mercat. *Ego mihi alios Penates deos perſequar, alium Larem.* Et Terent. in Phormione: *At ego deos Penates hinc ſalutatum domum diuertar.*

Hinc rurſum ſuſpicari quis poteſt, theraphim ortum habere à cherubim & ſeraphim, vti ſuperiùs dixi. Cùm enim Gentes viderent Iudæos tanta veneratione proſequi cherubim & ſeraphim, tum poſt fabricam arcæ & cherubim per Moſem, tum ante eam. Nam ante eam Geneſ.31. Rachel dicitur furata theraphim, id eſt idola patris ſui: atque ab initio mundi cherubim poſiti erant ad cuſtodiam paradiſi; deniq; ex traditione Adæ, Noæ, Abrahæ, filij & nepotes eorum ante Moſen cognoſcebant & venerabantur angelos, ſeraphim & cherubim. inde Gentiles ſuſpicati ſunt hæc eſſe eorum numina & deos tutelares; vnde ipſi pariter ſuos Lares & Penates nonnihil immutata & corrupta voce (vti fieri ſolet, cùm voces è primæua lingua in aliam peregrinã trãſferuntur) pro ſeraphim & cherubim vocaſſe videntur theraphim, præſertim Chaldæi, qui litera t gaudent, & s in t commutant, vti initio dixi. Hinc & theraphim ſæpè iungũtur cum ephod, vti hoc loco, & Iudic. 17.5. & c.18.v.4.17. & 20. conſtat enim ephod veſtem fuiſſe ſacerdotalem Iudæorum.

ET QVAERENT Iſraelitæ, ſiue decem tribus, VERS. 5. tot centenorum annorum deſolatione & derelictione afflicti, pœnitentes, & reſipiſcentes, DOMINVM DEVM SVVM, ET DAVID REGEM SVVM *Dauid*, id eſt Meſſiam, ſiue Chriſtum Dauidis filium, & in regno (non temporali, ſed ſpirituali Eccleſiæ) ſucceſſorem. ita Chald. S. Hieron Hugo, Vatabl. Iſidor Arias & alij paſſim. Ita Chriſtus vocatur Dauid Ezech. 34.23. *Suſcitabo ſuper ſeruum meum Dauid.* Ierem. 30.9. *Seruient Dauid regi ſuo, quem ſuſcitabo eis*, & alibi, vti docet S. Auguſt. to. 4. lib. de octo Dulcitij quæſtionibus q. 5. & vlt. ac fusè Galatin. l. 4. c. 23. nomina enim parentum apud Hebræos ſæpè patronymicè ſumuntur pro filijs & poſteris.

ET PAVEBVNT AD DOMINVM ET AD BONVM EIVS] Pauor in Scriptura, cùm Deo & rebus diuinis tribuitur, ſignificat ſummam venerationem & reuerentiam: q.d. Summa reuerẽtia proſequentur & colent Dominum. Septuag. vertunt, *ſtupebunt in Domino, & in bonis eius.* Porrò *ad Dominum*, id eſt, audito nomine Domini, q.d. Solo nominis diuini auditu perculſi & attoniti, eum reuerebuntur. Bonum autem hîc ſignificat Dei erga Iſraelitas largitatem & beneficentiam, quam Deus fidelibus per innumeras gratias, dona & beneficia demonſtrat, & teſtatiſſimam facit, ita vt fideles ijs viſis in Dei tam liberalis & benefici admirationem & ſtuporem rapiantur: q.d. Iſraelitæ mira deuotione & reuerentia venerabuntur Dei bonitatem & magnificentiam; quia videbunt tam magnifica dona & beneficia ab ea ſibi, licèt tam diu rebellibus, poſt tot ſæcula exhiberi, iuxta promiſſa Abrahæ & patribus facta. Vnde Primò, particulatim S. Hieron. Albert. & Hugo per *bonum* accipiunt Ieſum Chriſtum, quem vnigenitum ſuum (ac conſequenter omnia dona per eũ & cum eo) nobis donauit Deus Pater. Secũdò, Haymo, Albert. & Arias per *bonum* accipiunt Spiritum ſanctum, hic enim eſt primum & increatum bonũ & donum Patris & Filij, qui omnia creata dona in ſe cõplectens, ea vbertim in nos effundit. Tertiò, alij per *bonũ* accipiunt Euchariſtiã, in hac enim ſummam

boni-

bonitatem, opes & gratias nobis in dies ostendit & communicat Deus Pater, & Christus Dominus, iuxta illud Zachariæ 9.17. *Quid est bonum eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

IN NOVISSIMO DIERVM] in fine mundi, quando sub aduentum Antichristi, maximè post eum occisum, Israelitæ & Iudæi, qui ei viuenti & regnanti adhæserant, partim memores concionum & miraculorũ Eliæ & Henoch, partim aliorum A concionatorum exhortatione, conuertentur ad Christum, vti dixi Apocal. 11. tunc enim omnis Israel saluus fiet, Roman. 11. 25. ita S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. & alij passim. Secundò, Isidor. & à Castro hæc facta putant in incarnatione, & primo aduentu & prædicatione Christi, scilicet inchoatè: tunc enim pauci ex Israel conuerti cœperunt. Errant alij, qui hæc præstita putant in laxatione Iudæorum è Babylone facta per Cyrum.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CAusas iræ Dei & vindictæ in Israelem recenset, maledictum, mendacium, homicidium, furtum, adulterium, &c. quorum omnium origo fuit, quòd in eo non esset scientia Dei. Rursum horum omnium causam v. 8. assignat ignorantiam & malitiam sacerdotum, qui peccata populi adulando fouebant, vt pro ijs hostias ab eo acciperent. Tertiò, v. 19. arguit Israelis lasciuiam & libidinem, ideoq; ei ignominiosum excidium & captiuitatem comminatur.

Vers. 1. AVdite verbum Domini filij Israel, B quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra.

2. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.

3. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cæli: sed & pisces maris congregabuntur.

4. Verumtamen vnusquisque non C iudicet: & non arguatur vir: populus enim tuus, sicut hi, qui contradicunt sacerdoti.

5. Et corrues hodie, & corruet etiam Propheta tecum: nocte tacere feci matrem tuam.

6. Conticuit populus meus, eò quòd non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego.

7. Secundùm multitudinem eorum sic peccauerunt mihi: gloriam eorum in ignominiam commutabo.

VERS. 1. AVDITE VERBVM DOMINI FILII ISRAEL] Hinc patet Prophetam adhuc alloqui decem tribus. ita Chald. S. Hieron. Hugo, Vatabl. & alij: hæ enim vocantur Israel, & Ephraim v. 17. licèt aliqui, vt Haymo & Arias, hæc accipiant de duabus tribubus, eò quòd v. 15. nominet Iuda; sed id facit obiter, per subitam depressionem, imò per comparationem & oppositionem ad Israel, id est ad decem tribus. Alij denique, vt Ribera, hæc accipiunt, tã de Israel quàm de Iuda, id est, de duodecim tribubus. quod non est improbabile; licèt primum quod dixi sit probabilius, magisque proprium & connexum.

QVIA IVDICIVM DOMINO CVM HABITATORIBVS TERRAE] *Iudicium*, id est, accusatio & expostulatio: vnde Chald. vertit, *disceptatio*. q. d. Habet Deus quod in iudicio accuset, iusteque expostulet cum incolis Samariæ. ita Vatabl. & alij.

NON EST ENIM VERITAS] id est fidelitas, siue fides promissorum & factorum: q. d. Israelitæ non seruant fidem, sed dolosi sunt & fraudulenti: decipiunt enim & fraudant proximos suos ita passim Interpretes. Solus Albert quem sequitur Dionys. accipit veritatem morum & vitæ, qua scilicet vita dicitur vera, id est recta, iusta & conformis suæ regulæ, putà rectæ rationi.

NON EST MISERICORDIA] q. d. Non est qui misereatur, & miserendo subueniat egenti & afflicto. ita Haymo, Hugo, Vatabl. Arias, ac S. Cyprian. epist. ad Demetrianum: vbi & addit: *De sterilitate aut fame quereris, quasi famem maiorem ficitas quàm rapacitas faciat, quasi non de captatis annonarum incrementis & pretiorum cumulis flagrantior inopiæ ardor excrescat. Quereris cludi imbribus cælum, cùm sic horrea cludantur in terris. Quereris minus nasci, quasi quæ nata sunt, indigentibus præbeantur. Pestem & luem criminaris, cùm peste ipsa & lue detecta sint vel aucta crimina singulorum; dum nec infirmis exhibetur misericordia, & defunctis auaritia inhiat ac rapina; ijdem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarij, fugientes morientium funera, & appetentes spolia mortuorum; vt appareat in ægritudine sua miseros ad hoc forsitan & derelictos* D *esse, ne possint dum curantur, euadere.* Ita sanè & hodie sæpè immisericordia est causa miseriarum priuatarum & publicarum.

ET NON EST SCIENTIA DEI IN TERRA] Et, id est, *quia* (hoc enim significat Hebr. *vau*) q. d. Defectus scientiæ Dei, quasi luminis practici, est causa cur deficiat misericordia & veritas, siue fidelitas. Porrò *scientiam Dei* accipe non speculatiuam, sed practicã, qua cognoscimus, æstimamus, & reueremur Dei numen, prouidentiam, iustitiam, vindictam, &c. ideoque hæc Dei scientia cum eiusdem timore, amore, cultu & obedientia coniuncta est. Hæc enim est scientia, sapientia & prudentia quam passim commendat Scriptura, præsertim in Prouerbijs, Ecclesiastico, & alijs libris

libris sapientialibus, q. d. Non est qui Deum practicè cognoscat, putà qui eius maiestatem & prouidentiam apprehendat & æstimet vti par est, qui eum timeat, colat & reuereatur; vt cogitans eius prouidentiam qua punit impios, & præmiat pios, studeat ei placere; ideoque vacet operibus pijs, & abstineat ab impijs: de quo ait S. Iohan. epist. 1. cap. 2. 4. *Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.* Vnde Chald. vertit, *non est qui ambulet in timore Domini.* Sic & S. Cyrill. & S. Cyprian. libr. ad Demetrianum. Quod enim homines à peccato absterret, & ad bonum impellit, est Numinis metus & reuerentia: hoc si tollas, homines impunè fræna laxabunt suis concupiscentijs, & ruent in omnia scelera. Hoc est quod queritur Psaltes psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus*: hac de causa *corrupti sunt, & abominabiles facti.*

Beatitudo est nosse Deum.

Ex aduerso S. August. serm. 112. de Tempor. B *Cognitione*, ait, *Dei nihil melius est, quia nihil beatius est, & ipsa vera beatitudo est. Vnde & Saluator ad Patrem ait: Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* Et mox: *Beata siquidem vita est cognitio diuinitatis: cognitio diuinitatis, virtus boni operis est: virtus boni operis, fructus est æternæ beatitudinis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare & legere. Nam cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur: cùm verò legimus, Deus nobiscum loquitur.* Idem scripsit librum de Beata vita, quo toto docet non aliud esse beatam vitam, quàm perfectam Dei cognitionem. S. Bernard. tract. de Interiori domo in fine: *Deum*, ait, *cognoscere, plenitudo est scientiæ: plenitudo autem huius scientiæ, plenitudo est gloriæ, consummatio gratiæ, perpetuitas vitæ. Ad huius verò scientiæ plenitudinem, opus est potiùs intima compunctione, quàm profunda inuestigatione; suspirijs quàm arguentijs: lachrymis, quàm sententijs: oratione quàm lectione: cælestium potiùs contemplatione, quàm terrestrium occupatione.* Idem lib. de Conscientia, docet multos quærere scientiam, paucos conscientiam, cùm vera scientia consistat in pura & sancta coram Deo conscientia.

Vers. 2. MALEDICTVM ET MENDACIVM] Chald. vertit, *peierant incolæ huius terræ, mentiuntur*, &c. *committunt adulteria, perfringunt* (scilicet sepem mandatorum Dei) *& sanguis sanguinem tangit, cædes cædem excipit.* Sic & Vatabl. Alij vertunt, & explicant: *Maledictis, calumnijs, conuicijs & execrationibus infectantur proximos* ita Theoph Haymo, Lyran. & Hugo. Vtrumque significat Hebr. אָלָה *ala*, sed magis prius: ostendit enim non esse veritatem in terra ex contrario, quia scilicet in ea regnat *ala*, id est periurium execratorium, vt vertunt Septuag. q. d. Execrantur, dicuntque: Dispeream, terra mihi dehiscat si hoc non sit verum, vel si hoc non fecero. & mentiuntur fidemque fallunt; ideoque sunt periuri.

INVNDAVERVNT] Chald. & Vatabl. *eruperunt instar diluuij*, quod omnes aggeres & sepes sua vi diffringens & disrumpens, campos implet & opplet aquis. hoc enim est Hebr. פָּרָצוּ *parats*: pari enim modo Israelitæ suis sceleribus plurimis & maximis diffringebant omnia iura iustaque Dei, atque omnia replebant furtis, fraudibus, adulterijs, cædibus, &c.

ET SANGVIS SANGVINEM TETIGIT] Septuag. *sanguines in sanguinibus miscent.* Sic enim A legit codex Vatican Hebr. ad verbum est, *sanguines in sanguines tetigerunt. In sanguines*, id est *sanguines*: verba enim contactus apud Hebræos construuntur cum *beth*, id est *in*. Dicunt enim percutere in manu, pro, percutere manum: occidere in anima, id est occidere animam. *Sanguis* in Scriptura significat Primò, homicidium, per metonymiam, qua obiectum ponitur pro actu; putà sanguis, pro effusione sanguinis, indeq; extenditur per catachresin ad quamuis vim, fraudē & iniuriam proximo illatam: hæc enim viam sternit ad homicidium, eiusque est quasi inchoatio: vnde prohibetur quinto Decalogi præcepto, *Non occides.* Secundò, significat omnem contaminationem, pollutionem & immunditiem: sanguis enim effusus omnia contaminat, polluit, cruentat & fœdat. Tertiò, per synecdochen significat quodlibet scelus: quia enim maximum scelus in proximum est homicidium, hinc ab eo, vtpote famosiori, sumitur denominatio, vt quodlibet aliud facinus à pari vel simili vocetur sanguis. Hisce omnibus modis hîc accipitur.

Primò, ergo Vatabl. exponit, *sanguis sanguinem tetigit*, id est, cædes cædi fuit continua, vel cædes cædem tetigit: q. d. Sunt continuæ cædes in Samaria, mutuis vulneribus sese passim interficiunt. Sic Latinis priscis alternum dare sanguinem dicebantur qui se inuicem vulnerabant. Vnde Seneca in Thyeste:

Quis vos exagitat furor
Alternum dare sanguinem,
Et sceptrum scelere aggredi?

Vnde Syrus vertit, *sanguinem sanguine miscuerūt*; Arabicus; *sanguinem super sanguinem effuderunt.* In Hebræo maior est emphasis. Habet enim in plurali, *sanguines tetigerunt sanguines*, q. d. Tanta est effusio sanguinis, vt non guttatim is stillet, sed instar riui & torrentis decurrat, atque ad sanguinem alibi effusum confluat, efficiatque quasi lacum sanguineum, & campos sanguinantes. Inde *vir sanguinem* vocatur homicida & latro, vti Dauid vocatur à Semei 2. Reg. 16. 7.

Secundò, Rupert. sanguinem accipit pro cōmixtione seminis & sanguinis (semen enim est sanguis optimus, & planè percoctus) consanguineorum, q. d. Consanguinei inuicem sanguinem, id est semen, commiscent, inuicem incestant & polluunt.

Tertiò, pleniſſimè, Chald. S. Cyrill. S. Hieron. Haymo & Hugo *sanguines* accipiunt pro peccatis, q. d. Addunt peccata peccatis, scelera sceleribus accumulant. Audi S. Gregor. hom. 11. in Ezech. *Sanguis sanguinem tangit, quando peccatum peccato additur; vt ante Dei oculos adiunctis iniquitatibus anima cruentetur. Paulus Apostolus ait: Vt impleant peccata sua semper. Iohanni quoque per angelum dicitur: Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sordibus est, sordescat adhuc.* q. d. Domus, vici, fora, templa, muri, agri peccatis inundant & exundant.

Peccatum vocatur sanguis ob quatuor analogias.

Quæres, cur sanguis sit symbolum peccati? Respond. Primò, quia effusio sanguinis, putà homicidium, inter homines censetur grauissimum esse peccatum. Secundò, quia sanguis est sedes & instrumentum concupiscentiæ, quæ est causa peccati. Sanguis enim subministrat materiam tam libidini, quàm iræ & superbiæ, eaq; accendit & inflammat. Vnde sanguis est symbolū carnalis sensus & cupiditatis, vti ex Theodor. docui

Leuit.17.11. Tertiò, quia sanguis Iudæis ex lege erat immundus & abominabilis, nec eo licebat vesci, idque in odium & detestationem homicidij. Leuit.17.10. Rursum, sanguis menstruatarū & naturaliter, & ex lege immundissimus erat, Leuit.15.19. & seq. Tale est & peccatum quod est menstruum, & teterrimū virus animæ. Quartò, quia peccatum occidit animam, eiusq; quasi sanguinem & vitam effundit.

Allegor. Theophyl. & ex eo Leo Castrius (qui hunc sensum affert quasi literalem) Iudæi sanguini Prophetarum miscuerunt sanguinē Christi, Apostolorum, & Martyrum, dum eos æquè ac Prophetas occiderunt, vti Christus eis obijcit Matth.23.35. Rursum ijdem, ait Castrius, Christum inter duos latrones crucifixerunt, vt crederetur esse latro. Sic ergo sanguinem Christi sanguini latronum miscuerunt.

VERS.3. PROPTER HOC LVGEBIT TERRA] Hìc pœnam tot tantisque sceleribus debitam intentat. Ait ergo: *Lugebit*, id est, vt Chald. *vastabitur & desolabitur, terra*, vt metaphoricè lugere videatur: sicuti ex aduerso prata ridere dicuntur, cùm germine, floribus & fructibus vernant. ita Lyran. Arias & Vatabl. Secundò, *lugebit* metonymicè, quia vastata luctum incolis inducet. ita Haymo & Hugo. Quocirca huius luctus terræ effectum subdit, dicens:

ET INFIRMABITVR] id est languebit, fame conficietur, tabescet & morietur. ita Chald. Est metonymia: ponitur enim antecedens pro consequente, putà infirmitas pro morte.

OMNIS QVI HABITAT IN EA, IN (id est cum) BESTIA AGRI, ET IN (id est cum) VOLVCRE CÆLI] q.d Desolata terra non tantùm homines, sed & bestiæ aues(que, quin & pisces morientur: tum quia hæc omnia ex terræ frugibus viuunt; ijs ergo sublatis emoriuntur: tum quia per hæc omnia punitur à Deo homo peccans, qui est eorum dominus.

ET PISCES MARIS CONGREGABVNTVR] id est, deficient & morientur. ita Septuag. & Chald.

Congregari, id est mori. cur?

Quæres, cur defectus animalium & mors, vocatur congregatiō? Respond. Primò, quia animalia, etiam fera, vt leones, cerui, lupi, apri, sparsa per agros & syluas dum periculū mortis sentiunt, naturæ instinctu solent congregari in vnum agmen, vt simul iuncta validiùs periculo resistant. Secundò, quia pisces cùm ob vitium aquarum, aëris, aliáve de causa (vt ob fœturam, vel cùm balæna grauida onus ventris sentiens agitat seipsam, totumque mare, & consequenter omnes pisces) aliò migraturi sunt, solent congregari in vnum agmen, itaque simul proficisci: vnde tunc piscatores qui id præsentiunt, eos piscari solent; vti quotannis stato tempore videmus fieri piscationem halecum, mugilum, salmonum. Tertiò, Ribera & alij exponunt: *Congregabuntur*, scilicet ad multitudinem & cōgregationem mortuorum, id est, tabescēt & morientur. Hinc enim illa trita phrasis, *Apponi* vel *congregari ad patres*, id est mori. Est metalepsis, vel metonymia: ponitur enim consequens pro antecedente scilicet descensus in sepulchrum & limbum, pro morte præuia. Quarta & genuina, quia Hebræum אסף *asaph*, significat congregare, colligere, auferre. Sic enim poma dicuntur cōgregari vel colligi, dum carptim auferuntur. Sic pisces congregantur in sagenam, dum expiscando auferuntur. Vnde Lucilius:

Ruis huc, & colligis omnia furtim.

Congregare ergo vel colligere, idem est quod auferre.

Porrò hæc mors vel descensus piscium in desolatione terræ contingit partim naturaliter; siccitas enim & combustio terræ arefacit torrentes & riuos, qui alebant pisces; partim & potiùs iusto Dei iudicio, qui hominum impiorum terra & aqua, bestijs & piscibus abutentium luxum calligat, omnium defectu & desolatione. Hoc est quod minatur Isaias Ægyptijs cap.19 v.5. *Arescit aqua de mari, & fluuius desolabitur atque siccabitur; & deficient flumina, & mœrebunt piscatores.* Ita in historijs legimus, & hoc sæculo vidimus, in Francia, Scotia, Hollandia vrbes olim piscatione & piscibus diuites, postquam hæresim admiserunt, piscibus emorientibus, vel aliò commigrantibus sterilitate & paupertate à Deo vindice punitas. Refert Platina sub Victore III Pontif. ob peccata illius æui, pisces tam in mari quàm in fluminibus defeciisse. Idem Hiberniæ contigisse, sed precibus S. Malachiæ correctum esse, in eius Vita scribit S. Bernard. Sic ex aduerso Christus semel & iterum ingentem copiam piscium adduxit in retia S. Petri, vtpote fidelium principis, Lucæ 5 6. & Iohan.21.6. Theodor. per aues accipit diuites, qui in pisces, id est pauperes, grassantur, eosque consumunt. sed hoc mysticum est, non literale.

VERVMTAMEN VNVSQVISQVE NON IVDICET (id est, non expostulet, vt vertit Vatablus, non increpet) ET NON ARGVATVR VIR] q. d. Nemo increpet & arguat homines huius regionis: frustra enim id faciet, nam monenti obstrepunt & contradicunt. ita S. Hieron Lyran. & Vatabl. Loquitur quasi desperans de eorum emendatione, simulque significat eos planè indignos esse monitione & correptione, ait Rupert. Audi S. Hieron, *Prouocati erant ad iudicium Dei filij Israel, vt causas Dominicæ indignationis audirent, & præteritæ peccata cognoscerent, propter quæ hostibus traderentur. Nunc quia in scelere perseuerant, & impudenti Deum fronte contemnunt, audiunt: Non necesse est vt veniatis ad iudicium, vt in vestris flagitijs arguamini: quia tantæ est in impudentia, vt nec conuicti quidem, pudorem habeatis & verecundiam; sed contradicatis mihi, quasi sidiscipulus magistro, sacerdoti plebecula contradicat.*

POPVLVS ENIM TVVS SICVT HI, QVI CONTRADICVNT SACERDOTI] Vatabl. *sicut hi qui litigant cum sacerdote*, q. d. Israelitæ contradicunt mihi & Prophetis, sicut improba & impudens plebs contradicit sacerdoti, cum eoque litigat. ita S. Hieron. Alleg. Iudæi contradixerūt Christo, qui est summus sacerdos, dicentes: Non habemus regem nisi Cæsarem, ait Leo Castrius. Secundò, τὸ *sicut* potest accipi vt nota non similitudinis, sed veritatis, vti est Iohan.1.14. q.d Populus tuus est obstreperus & vitilitigator, vti decet eum qui litigat & iurgatur cum suis sacerdotibus. Quocirca Arias sic exponit, q.d. Nemo est qui arguat populum. Nam sacerdotes quorum est eum arguere, æquè improbi sunt. Vnde si hi populum increpent, ille recalcitrat, & scelus sceleri regerit, illud occinens:

Va tibi tu nigræ dicebat cacabus ollæ.

VERS. 5. ET CORRVES HODIE] id est breui: q. d. Iam iam tibi, ô Israel, imminet ruina & calamitas captiuitatis Assyriacæ; tibi, inquam, & tuis pseudoprophetis, qui tibi quasi numquam vastandæ falsò abblandiebantur. ita Chald. S. Hieron. Theodor. Lyran. & Isidor.

Alij pro *hodie*, vertunt, *interdiu*, aliterque sequentia dispungentes, sic transferunt: *Corrues igitur interdiu*, id est palàm, media luce, nō per tenebras & insidias, *corruet & Propheta tecum nocte*, id est in sua calamitate & strage, æquè ac ignorantia, imprudentia, & inopia consilij. ita Chald. Vatabl. Pagnin. Isidor. & Arias. vnde sequitur:

NOCTE TACERE FECI (præ pudore & confusione) MATREM TVAM] Putà Synagogam, siue Samariam. q.d. Puniam eius obstreperam contradictionem silentio, vt se excusare, imò loqui nec audeat, nec possit. *Nulla flendi maior est causa, quàm flere non posse*, vel metu tyranni fletum prohibentis, vel præ grauitate mali, quæ oculis mentique stuporem inducit. *Cùm miserrimum sit flere, quàm infelix sum, cui ne hoc quidem licet!* ait Seneca libr. 1 Controu. 1. *Noctem* vocat tempus calamitatis & excidij; putà captiuitatis cædis & spoliationis Samariæ: fortè etiam quia noctu capta est ab Assyrijs. Vnde hebr. est *nocte*, & *tacere feci*, vel compescui *matrem tuam*. q.d. Cùm nox erit, tunc tacebit. Rursum Hebr. דָּמִיתִי *damiti*, verti potest cum Vatabl. Pagnino & alijs *succidi*, q.d. Nocte succidi matrem tuam. Tertiò, verti potest cum Septuag. *nocti assimilaui matrem tuã*. q d. Ita cladibus obruetur, vt dies videatur esse nox, vtque ipsa nocti tenebrosæ & horridæ similis esse videatur.

VERS. 6. CONTICVIT POPVLVS MEVS] Vatabl. *ad silentiũ redactus est*, vel *succisus est populus meus, eò quòd non habuerit scientiam Dei*, de qua vers. 1.

QVIA TV SCIENTIAM REPVLISTI, REPELLAM TE, NE SACERDOTIO FVNGARIS MIHI] *Scientiam* vocat Dei legisque diuinæ studium & cognitionem, non tantùm speculatiuam, sed & practicam, vti dixi v. 1. vnde Chald. vertit, *quia tu repulisti timorem Dei, repellam te*, &c. Nota Primò. Alloquitur Synagogam siue populum Israel: vnde de ea loquitur nunc in genere masculino, nunc in femininо dicens: *Oblita es legem Dei tui*, q.d. Repellam te, ô Israel, ne vllus ex filiis tuis, aut ex cœtu tuo sit mihi sacerdos. Maximè tamē alloquitur ipsos sacerdotes, vt patet ex sequentibus. Nam v. 8. ait, *Peccata populi mei comedent*, scilicet sacerdotes. ita Chald. & Arias. Iam sacerdotium intelligit non falsum & idololatricum, institutum à Ierobeam, vt vult Albert. hoc enim non *mihi*, id est Deo, sed vitulis aureis fuit dicatum: sed verum & diuinum. Sensus ergo est, q.d. Quia tu ô Israel, & maximè vos ô sacerdotes sparsi per Israelem, vt eum Dei cultum & timorem doceretis, repulistis studium meæ legis; hinc ex lege & pœna talionis vobiscum agam; nimirum quia vos legem meam adeò neglexistis, vt nec eam legeretis, nec ipsos legis libros haberetis, ego vicissim vobis ipsam legem, scientiam, sacerdotium, omnemque mei cultum & religionem auferam, vt quasi ad atheismum & paganismum redigamini. Ex sacerdotio enim pendet totius populi fides, cultus, & religio. Eo ergo ablato necesse est vt hæc pariter auferantur & pereant. Ingens ergo pœna quam Deus Israeli hîc socordi in suo cultu comminatur, est sacerdotij ablatio. Videant nunc respubl. hæreticæ, quæ sacerdotes & sacerdotium Christianũ exterminant, quàm non tantùm illis & Christo, sed & sibi ipsis sint iniuriæ: hoc enim ipso auferunt sibi Dei fidem, Dei Ecclesiam, Dei cultum, veramque religionem. Denique Arabicus vertit, *quia tu es qui dilexisti sæculum, & consolationem eius, & ego repellam te, ne fungaris mihi sacerdotio.* Quod notent sacerdotes, ne se implicent rebus sæcularibus, vt monet Apostolus, si Deo seruire & frui velint. Rursum ex hac Oseæ sententia, Synodus VII. generalis probat arcendos esse episcopatu indoctos, qui carent sacræ Scripturæ scientia, vt habetur dist. 38. cap. *Omnes*.

SECVNDVM MVLTITVDINEM EORVM SIC PECCAVERVNT MIHI. *Eorum*, scilicet *filiorum*, vt præcessit. q.d. Multiplicaui Israelitas sicut stellas cæli, sed quo plures fuerunt, eo plus peccarũt, & grauiùs; vt quot Israeli filios dedi, tot mihi videar hostes genuisse: ipse enim eos educat in mei odio, & in idolorum amore cultuque. Quocirca GLORIAM EORVM IN IGNOMINIAM COMMVTABO] q. d. Auferam eis filios (hi enim sunt gloria parentum, præsertim in lege veteri) quod eis erit valdè probrosum & ignominiosum. ita S. Cyrill. Theodor. & Theoph. Secundò, S. Hieron. explicat, q.d. *Quot homines habuit Israel, tot aras extruxit dæmonibus, in quorum victimis peccauit mihi. Propterea gloriam eorum, in qua gloriabantur sibi, cùm Deo idola præferebant, in ignominiam commutabo; vt & sacerdotes capiantur, & populi. Siquidem sacerdotes peccata populi mei comedunt: quia cùm eum peccare perspexerint, non solùm non arguũt, sed laudant, atque sustollunt, ac beatos prædicant.* Tertiò, Chald. לְהוֹן *eorum*, ad opes & prouentus refert: vertit enim, *sicut multiplicaui eis prouentus, sic ipsi multiplicauerunt contra me peccata.* Ita sæpè videmus non tantùm laicos, sed & sacerdotes ex opibus insolescere & luxuriari, iuxta illud Deuter. 32. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.* Quocirca appositè, ait S. Ambros. *Diuitiæ de vitijs nomen acceperunt*, quia diuitiæ vitiorum sunt fomes.

8. Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum subleuabunt animas eorum.

9. Et erit sicut populus, sic sacerdos: & visitabo super eum vias eius, & cogitationes eius reddam ei.

10. Et comedent, & non saturabuntur: fornicati sunt, & non cessauerunt: quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo.

11. Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.

12. Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annunciauit ei: spiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo.

13. Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama: subtus quercum, & populum, & terebinthum, quia bona erat vmbra eius:

ideo fornicabuntur filiæ veſtræ, & ſponſæ veſtræ adulteræ erunt.

14. Non viſitabo ſuper filias veſtras cùm fuerint fornicatæ, & ſuper ſponſas veſtras cùm adulterauerint: quoniam ipſi cum meretricibus conuerſabantur, & cum effeminatis ſacrificabant, & populus non intelligens vapulabit.

VERS. 8. PECCATA POPVLI MEI COMEDENT] *Comedent*, id eſt comedere ſolent: futurum enim Hebræis ſæpè ſignificat morem, conſuetudinem actionis. *Peccatum* in Scriptura tripliciter ſumitur. Primò, pro peccato propriè dicto. Secundò, metonymicè pro pœna peccati. Tertiò, pro hoſtia pro peccato; vt, cùm ait Apoſtolus 1. Corinth. 5. 21 *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum*, id eſt hoſtiam pro peccato, *fecit*.

Peccata populi comedunt ſacerdotes tripliciter.

Triplex ergo hìc affertur ſenſus. Primus, q d. Sacerdotes comedent, id eſt, luent pœnas peccatorum populi, quorum cauſa fuere ſua diſſimulatione: efficiam ergo vt quæ comederunt peccata, & quorum ipſi fuerunt cauſa, euomant cum viſceribus, inquit Chriſt. à Caſtro. Vnde & Theodor. ſic exponit, q d. *Metent quæ ſeuerunt, & ſuorum peccatorum fructum vindemiabunt.* Verùm cum hac explicatione non rectè cohæret id quod ſequitur: *Et ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum.*

Secundus, q.d Peccata, id eſt, hoſtias pro peccato à populo oblatas comedunt ſacerdotes, in iiſque conuiuantur, & epulantur. Vnde S Bernard. ſerm. 77 in Cant. *Peccata*, inquit, *populi mei comedunt. q.d. Peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam ſollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero præpoſitorum, qui non plus inuigilet ſubditorum vacuandis marſupijs, quàm vitijs extirpandis?* Vnde Proſper l. 2. de Vita contemplat. cap. 10. ex hoc loco docet grauiter peccare eos, qui ex bonis Eccleſiæ locupletari volunt. *De Clericis*, inquit, *dicit Spiritus ſanctus. Peccata populi mei comedunt: ſed ſicut nihil habentes proprium non peccata, ſed alimenta quibus indigere videntur, accipiunt; ita poſſeſſores non alimenta quibus abundant, ſed aliena peccata ſuſcipiunt.*

Tertius, *Peccata populi comedunt*, qui precibus & victimis ſuis ea abolent & conſumunt. ita Ruffinus, & alij. Verùm hæc eſt laus ſacerdotis, non probrum, de quo hîc agitur.

Dico ergo, ſenſus eſt q.d Sacerdotes *peccata populi mei comedunt*, non ea conſumendo per orationes & oblationes, vti par erat (hoc enim eorũ officiũ, æquè ac oblationes fidelium poſcunt & exigunt) ſed ea laudando, diſſimulando, & in ſe ſuamque conſcientiam ac caput ea ſuſcipiendo. Ita enim agendo quaſi hauriebant & abſorbebant peccata populi, erantque cauſa vt illa multiplicarentur, idque ad hoc vt *peccata*, id eſt, hoſtias pro peccato plurimas à populo acciperent & comederent. Dicebant enim adulãdo, & extenuando peccata populi: Illud nullum, vel leue eſt peccatum; Deus ſcit nos eſſe fragiles & infirmos: tales ergo ſciens tolerat, iiſque compatitur; non ergo ſitis anxij, ego illud in me ſuſcipio, ego pro te ſatisfaciam Deo; &, vt ait Theophyl. *ſuper nos ſit condemnatio*, vti Iudæi dicentes Pilato: *Sanguis eius ſit ſuper nos, & ſuper filios noſtros.* ita S. Hieron. Haymo, Rupert. Hugo, Lyran. Ribera & alij. Et S. Gregor. hom. 17. in Euãg. *Cur*, inquit, *peccata populi comedunt, niſi quia peccata delinquentium fouent, ne temporalia ſtipendia amittant?* Et Arias: *Optant*, inquit, *magnam peccatorum eſſe copiam; quæ ſuam illis mercem cum quæſtu compendioq; ſuppeditent.* Sic apud Iapones peccata populi comedunt ſacerdotes, quos ipſi Bonzios vocant, qui cuilibet omnium ſcelerum impunitatem ſpondent, dummodo eis largas det oblationes & eleëmoſynas: huiuſque ſponſionis ſuæ dant ſyngraphas, quas morituri ſecum deferunt ad ſepulchrum, quaſi eas exhibituri iudici & vindici Deo. ita habent epiſtolæ Iaponicæ.

Duo ergo hac phraſi ſignificat Propheta, adeoque peccatum accipit dupliciter: ſcilicet propriè, & metaphoricè, pro hoſtia pro peccato: hanc enim offerebant, & ex parte comedebant ſacerdotes iuxta legem Leuit. 7. 7. eò ergo alludit, q. d. Hi ſacerdotes ex lege comedunt peccata, id eſt, hoſtias pro peccato à populo oblatas; & quia auari ſunt & guloſi, inhiant hiſce oblationibus & hoſtijs, ideoque ipſa peccata populi extenuando & adulando ſorbent & deglutiũt, &, vt ait S. Iob, bibunt quaſi aquam iniquitatem. Ita ſorbebat peccata Henrici VIII. regis Anglicus ille palpo, qui regi volenti ducere Annam Bolenam, quæ putabatur regis eſſe filia ex pellice, acroganti quantum peccatũ eſſet cognoſcere matrem & filiam, reſpondit: Tantum, quantum ſi quis deuoret pullum cum matre, putà cũ gallina, vti refert Sanderus l. 1. de Schiſmate Anglicano. Hunc ſenſum poſcit id quod ſequitur:

ET AD INIQVITATEM EORVM SVBLEVABVNT ANIMAS EORVM] Hebr. ad verbum præcisè ſic habent, *peccata populi mei comedent* ſacerdotes: & *ad iniquitatem eorum* (ſcilicet ſacerdotum, id eſt ſuam) *eleuabunt*, vel *portabunt animam eius*, ſcilicet populi, in quo quia ſunt multi, hinc Noſter vertit in plurali, *eorum*, ſcilicet populorum: q.d. Sacerdotes reſpuentes Deum, Deique ſcientiã, epulantur in hoſtijs & oblationibus populi, indulgent genio & ventri: & ad hanc ſimileſque iniquitates ſuas imitandas inuitant, erigunt, & inducunt animas populi verbo & exemplo. Vnde ſubdit: *Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos*; q.d Sacerdos qui, populum præire debebat virtute, par eſt ei, imò præit eum, in ſcelere. Hinc Secundò, R. Dauid, Vatabl. Arias ſic explicant, q.d. Inhiant, & auidè exſpectant iniquitates populi, ſiue vt contra legem peccet populus, vt exinde ab eo hoſtias pro illis peccatis expiandis accipiant, quibus epulentur. inhiant ergo peccatis populi, quaſi inde toti pendeant & viuant; nam ſubleuare animam hebr. ſignificat erigere animam in ſpem, ſperare, inhiare, vt patet Ezech. 24. 25. & alibi. Tertiò, Haymo: *Subleuant*, inquit, *dicentes: Quoniam populus Dei eſtis, ex genere Abraham deſcendiſtis, propter illius amicitiam parcet vobis Deus, ſi peccaueritis ei.* Et Ribera ſic explicat, q d. Sacerdotes addunt animos popularibus ad hoc vt magis peccent, dum peccatis eorum conniuent, ea palpant, iiſque adulantur. Quartò, alij *ſubleuant* exponunt per *exonerant*, q.d. Sacerdotes animas oneratas peccatis adulando ſubleuant, alleuiant, exonerant. ita S Hieron. Haymo, Rupert. Hugo, Lyran. & alij. Quintò, pro *ſuble-*

ſubleuabunt; Septuag vertũt, *accipient*. q.d. Sacerdotes pro iniquitatibus populi accipiunt, id eſt, offerunt Deo animas ſuas, ſeipſos deuouẽdo iræ Dei pro populo. ita Cyril. Verùm primus ſenſus maximè genuinus eſt, ac deinde ſecundus, & tertius. Porrò Cyrill. pulchrè docet ſacerdotes debere ſe orando & ſanctè viuendo, hoſtiã Deo pro peccatis populi offerre. *Talis enim*, ait, *poteſt populum qui in offenſam Dei incurrit, legemq; Dei violauit, in gradum priſtinum reſtituere.*

ET ERIT SICVT POPVLVS SIC SACERDOS] Hebr. *& erit* (vel *& eſt*) *ſicut populus, ſicut ſacerdos.* Eſt hebraiſmus. Hebræi enim ſimilitudinem exprimunt nota ſimilitudinis, putà כ *ſicut* apponendo vtrique rei cõparatæ, vel ſimili: quod Latinus Interpres aptè Latina phraſi reddidit vni apponendo *ſicut*, alteri *ſic*, quod reſpondet voci *ſicut*, eſtq; redditio ſimilitudinis. Senſus eſt, q.d. Similis eſt eritq; populus ſacerdoti, & ſacerdos populo; qualis populus, talis ſacerdos, & vice verſa. Hoc enim exigit non tantùm ipſa notæ ſimilitudinis reciprocatio, vt vult Martin. Martines l. 8. Hypotypoſ. c. 8. ſed & ipſa ſimilitudinis ratio. ſimile enim eſt ſimili ſimile, & vice verſa: ſimile enim eſt relatiuum æquiparantiæ. Siue ergo dicas, *Sicut populus ſicut ſacerdos*, ſiue dicas, *Populus eſt ſicut ſacerdos*. idem dicis, idemq; ſignificas: ſimilis, inquam, eſt in culpa. Vnde Vatabl. vertit, *hinc fit vt ſit talis populus, qualis ſacerdos*: ac conſequenter ſimilis erit in pœna. Hanc enim ſententiam infert tum ex eo quod proximè præceſſit, ſcilicet: *Peccata populi mei comedent* (ſacerdotes) *& ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum*, quibus verbis ſacerdotes æquantur, imò præferuntur, populo in culpa; tum ex eo quod paulò antè dixit, *Gloriam eorum in ignominiam commutabo*; q.d. Nulla erit differentia inter ſacerdotes & plebeios: nam omnes erunt captiui citra delectum; & ob id omnes afficientur ignominia & contumelia. *Eximiorum enim & magnatum rationem hoſtes habere non ſolent*, ait Procop. in Iſaiæ 24. 2. vnde & ſequitur: *Et viſitabo ſuper eum vias eius.* Nam ſacerdotes erant decus & gloria Iſraelis, vtpote conſecrati Deo, & mediatores inter Deum & populum. Debebant ergo hanc ſuam gloriam tueri antecellendo populo tum in legis ſcientia, tum in ſanctitate Deique cultu. At quia neutrum præſtiterunt, ſed populo tam in ignorantia, quàm nequitia fuerunt pares, imò ſuperiores; hinc ijſdem pares, imò ſuperiores fuerunt in pœna & ignominia. ita S. Hieron. Haymo & Hugo. Simili modo dicas de indiſciplinatis clericis & Religioſis: Qualis laicus, talis clericus: qualis ſæcularis, talis Religioſus. Tolle habitum, hunc ab illo non diſcernes: quia eadem vtriuſque eſt lingua, ſermo, actio, vita & mores.

Præclarè vrget hunc locũ S. Gregor. hom. 17. in Euang & 2. p. Paſtor. cap. 7. Verè S. Chryſoſt. *Sacerdotes multi, ſacerdotes pauci: non omnis ſacerdos ſanctus, ſed omnis ſanctus eſt ſacerdos*, ſcilicet myſticus, qui myſticas laudis, orationis & ſanctorum operum hoſtias Deo offert. Audi & Gilbertum Abbatem in append. ad ſerm. S. Bernardi in Cant. ſerm. 13. *Factus eſt ſacerdos ſicut populus, vt licentiùs populus ſicut ſacerdos fiat. Mundo ſe monachi ſtudio conformant, & qui in mundo ſunt errorem ſuum noſtrorum ſatis verſutè & nimis verè tuentur*

Cornel. in Proph. Min.

A *exemplo. Mutuis ad vitia ſeſe aut informant aut fouent exemplis paſtores, populi, ſæculares & Religioſi: promptuaria plena ſunt huiuſmodi, eructantia ex hoc in illud, aut turpis, aut tepidæ conuerſationis ſpiritum peſtilentem. Heu quàm auido cordis ore prauum hunc attrahimus ſpiritum, & corrumpentem haurimus auram! Ieſu bone quando erit, ſi tamen aliquando erit, ſicut fides integra, ſic & incorrupti mores.*

ET VISITABO SVPER EVM VIAS EIVS] q.d. Puniam eius actus & peccata. *Via* enim in Scriptura vocantur actus, modus viuendi, tenor viæ, conuerſatio: per hæc enim mens incedit, ſicut per vias corpus.

ET COGITATIONES EIVS REDDAM EI] Hebr. עלליו *maalalav* ſignificat ſtudia, machinationes, moliones, opera. hæc ergo vocantur hic *cogitationes*, ſcilicet ipſæ machinationes ſcelerum:
B has reddit Deus peccatori, cùm illum propter eaſdem ex æquo punit & affligit.

ET COMEDENT, ET NON SATVRABVNTVR] VERS. 10. Pauperes ſpiritu, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, ſaturabuntur, ideoq; beati prædicantur à Chriſto, Matth. 5. 6. At hi auari ſacerdotes & epulones, qui peccata populi comedunt, ijſq; inhiant inexplebili auiditate, iuſto Dei iudicio ad tantam famem redigentur in captiuitate Aſſyriaca, vt eam ſaturare & explere nequeant. ita Theophyl. & Arias, qui addit: *Qui hoſtias captant, ipſi in hoſtias conuertentur*, vt ſpolientur & mactentur ab Aſſyrijs.

Secundò, Ribera & Arias, q. d. Licèt gulæ, ventri, & ſceleribus ſe immergant, numquam tamen deſiderium ſuum explebunt. Nam, vt ait
C S. Hieron. & ex eo Haymo, *voluptas inſatiabilis eſt, & quanto magis capitur, tantoplus vtentibus ſe famem creat. E contrario beati eſurientes & ſitientes iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Sicut iuſtitia ſaturat, ſic iniquitas ſubſtantiam non habens, vana comedentes fraude deludit, & vteros deuorantium vacuos derelinquit.* *Voluptas eſt inſatiabilis.*

Alieniùs Theodor. Comedent, inquit, pœnas & ſupplicia, at numquam ijs ſaturabuntur, id eſt numquam illa deſinent: quia vnum alteri continuò ſuccedet.

FORNICATI SVNT, ET NON CESSAVERVNT] Chald. Vatabl. Pagnin. Arias, & Iſidor. hæc accipiunt de corporali fornicatione, de qua ſequitur: *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* vnde vertunt, *ſcortabuntur, & non prorumpẽt*; Syrus, *non ſunt multiplicati*, id eſt non creſcent, non auge-
D buntur filijs, q.d. Quærunt liberos, ideoq; non tantùm vxoribus, ſed & meretricibus copulantur: ſed Deus puniet eos ſterilitate, vt filios non procreent: ſicut paulò antè eoſdem, quia epulones, puniuit fame, vt eam ſaturare nequeant. Cõgrua enim & iuſta pœna fornicantium eſt ἀπεκνία & ſterilitas illiberis, vt qui ex matrimonio ad proles à Deo inſtituto eas procreare nolunt, ex meretricibus eas procreare cupientes non poſſint, aut ſi procreent, prauæ ſint & miſeræ, breuiſque æui; vti hodierna ſæpè docet experientia. Hoc eſt quod dicitur Sapient. 4. 3. *Spuria vitulamina*, græcè μοσχεύματα, id eſt propagines, & noui ſurculi, *non dabunt radices altas*. quod clarè explicans c. 3. 16. ait: *Filii adulterorum in inconſummatione erunt*, id eſt inconſummati erunt, nec peruenient ad perfectam ætatem: *& ab iniquo thoro ſemen exterminabitur.*

Secundò, & meliùs S. Hieron. Theodor. Cyrill. Theoph. Haymo, Hugo & Lyran. hæc accipiunt de fornicatione myſtica, id eſt de idololatria: de hac enim continuè agit hîc Propheta, de eaque ſtatim, cauſam huius ſui dicti dans, ſubdit: *Quoniam dereliquerunt Dominum.* Senſus ergo eſt, q.d. Comedent, & non ſaturabuntur: quia fornicati ſunt cum idolis, & non ceſſauerunt, nec ſua fornicatione ſaturati ſunt; ſed inexplebili libidine fornicari, id eſt idololatrare, continuè perrexerunt. *Vires*, inquit S. Hieron. *in fornicatione deficiunt, & fornicandi deſiderium non quieſcit.* vnde pro *ceſſauerunt*, hebr. eſt לֹא יִפְרָצוּ *lo iiprotſu*, id eſt, *non ſunt diuiſi*, ſcilicet à ſua fornicatione, ſuiſque amaſiis, putà idolis; ſed ijs iugiter copulati ſunt: radix enim פָּרַץ *parats* ſignificat diuidere. Inde locus, in quo Deus pro Dauide pugnans, diuiſit & diſperſit Philiſthæos, dictus eſt *Baal pharaſim*, id eſt habens diuiſionem, q.d. Planities diuiſionum, vel campus fracturæ & rupturæ, dicente Dauide: *Diuiſit Dominus inimicos meos coram me, ſicut diuiduntur aquæ*, 2 Reg. 5. 20. Vterque ſenſus verus & genuinus eſt. Fornicatio enim hîc & in ſequent. tum propriè pro ſcortatione, tum myſticè pro idololatria capitur. Ratio eſt, quia illa huius erat non tantùm imago & ſymbolum, ſed comes quoque & aſſecla, imò & inſtrumentum. Idola enim, præſertim Beelphegor, ſiue Priapum, colebant fornicatione, omnique obſcœnitate, etiam infanda & Sodomitica cum effeminatis, vt patebit v. 14.

A

QVONIAM DOMINVM DERELIQVERVNT IN NON CVSTODIENDO] ſcilicet eius legem & præcepta. ita S. Hieron. Hugo, Albert. Lyran. & alij. Hebr. habent, *quia deſeruerunt Dominum ad cuſtodiendum*, id eſt, quia deſeruerunt cuſtodire Dominum, ſiue cuſtodiam Domini. *Cuſtodia Domini* hebr. vocantur leges, præſertim cæremoniales Domini. Hæ vocantur cuſtodia per metonymiam, quia ſummè obſeruandæ & cuſtodiendæ ſunt; vt qui eas cuſtodit, Deum ipſum qui eas ſanxit, quique ijs colitur & honoratur, cuſtodire videatur. vnde Chald. vertit, *quia cultum Domini dereliquerunt, & non cuſtodierunt*; & Vatabl. *quia deſeruerunt Dominum, quò minùs eum* (id eſt, eius iuſſa) *obſeruarent.* Sicut ergo aulici & ſtipatores, putà Heluetij, ſumma cura iugiter cuſtodiunt principem, & omnia quæ eum tangunt, nec faciunt aliud tota vita: ita nos, præſertim ſacerdotes, cuſtodire decet cultum rituſque ſacros Dei. Sic Sapient. 6. 19. dicitur: *Cura diſciplinæ dilectio eſt: & dilectio cuſtodia legum illius eſt: cuſtoditio autem legum conſummatio incorruptionis eſt.* Alludit ad Leuitas, qui dicuntur in tabernaculo excubare, & cuſtodire cuſtodias Domini, id eſt, tabernaculum, vaſa, tituſque Domini, Leuit. 8. 33. Numer. 1. 53. & cap. 3. 32. 36. 38. & cap. 8. 26. cap. 18 4 5. 8. & alibi.

Cuſtodia, id eſt lex. Cur?

Quocirca minùs rectè Cyrill. & Theoph. ſic exponunt, q.d. Dereliquerunt Dominum, vt cuſtodirent vias ſuas malas, ebrietatem, fornicationem, &c. Rupert. qui ex aduerſo, *Non cuſtodierunt ſe*, inquit, *ne ſeruirent peccatis.*

B

C

VERS. II. FORNICATIO, ET VINVM, ET EBRIETAS AVFERVNT COR] *Fornicatio*, tum corporalis, iungitur enim vino & ebrietati; tum quæ inde conſequi ſolet ſpiritalis, id eſt, infidelitas & idololatria, aufert cor, id eſt, mentem, rationem, iudicium, animum, ac hominem dementat, facitque vecordem. ita Theodor. Theoph. & alij. Idque tum quia ipſa fornicatio eſt fœda & veſana, ac repugnans rectæ rationi: tum quia corporalis ſubijcit hominem meretriculæ, quæ veſanis cupiditatibus agitur; ſpiritalis verò ſubijcit hominem idolo & dæmoni, qui eſt iuratus eius hoſtis; tum quia exhaurit & perdit eius opes, famam, ſanitatem, conſcientiam. Ita Dalila Philiſthina cor, vires & vitam eripuit Samſoni. Ita ſeptingentæ concubinæ Salomonis dementarunt regem ſapientiſſimum, eumque ad ſua idola colè dapertraxerunt, & perdiderunt, 3. Reg. 11. v. 1. Porrò fornicario & peccatori excordi cor reſtituit timor Dei, iudicij & gehennæ: Deus enim per timorem cor pulſat, & ad vitam ſpiritalem excitat. Nam vt ait Sapiens Eccli 25. *Qui timet Dominum, conuertetur ad cor ſuum.* Iuſtos verò & generoſos, ſed dormitantes vel incogitantes, excitat Deus per amorem & beneficia: vt Dauidis cor excitauit 2 Reg 7. cùm dixit: *Reuelaſti aurem ſerui tui dicens: Domum adificabo tibi: propterea inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret.*

D

Moral. Diſce hîc, quàm bruta ſit libido, quæ præ alijs vitijs homini, etiam ſapienti & principi, eripit cor & mentem eripit. Quocirca Diogenes teſte Laërtio lib. 6. dicebat *ſcorta eſſe regum reginas*; quòd reges dementarent, ac ab illis quidquid collibuiſſet, peterent & impetrarent, ideoque in ipſos reges quaſi regnum, imò tyrannidē, exercerent. reges enim à populo non ſemper obtinent quod exigunt: at ſcorto nihil negatur. Idem Diogenes dicebat ſcorta ſimilia eſſe mulſo lethalibus venenis temperato: eò quòd afferrent quidem initio voluptatem, ſed quam perpetuus dolor conſequeretur. *Mor. lib. eripit le xuriæ cor.*

Quocirca Demoſthenes Corinthi poſtulans à Laide famoſa meretrice corporis copiam, cùm illa pro nocte ſtipularetur drachmarum decem millia, deterritus magnitudine pretij, mutauit ſententiam dicens: *Non emo tanti pœnitere*, ſignificans inhoneſtæ voluptati comitem eſſe dementiam, æquè ac pœnitentiam.

Xerxes iratus Babylonijs quòd à ſe defeciſſent, poſtquam illos in ſuam poteſtatem redegit, vetuit ne ferrent arma; ſed pſalterijs tibijſque canerent, ſcorta alerent, cauponas haberent, quò voluptatibus euirati & excordes, non molirentur denuo defectionem. teſtis eſt Plutarch. in Apophtheg. regum.

Demetrius Phalereus cùm vidiſſet iuuenem luxurioſum: *Ecce*, ait, *quadratam ſtatuam, habentem ſyrma, ventrem, pudenda, & barbam.* Ita Bruſſon. lib. 3. cap. 33.

Hæc Gentiles, quid iam dicāt Chriſtiani, quibus maior à Chriſto puritas & ſanctitas indicitur, quibuſque magis nota eſt libidinis turpitudo, noxa, & vindicta æternorum ignium?

Præclarè Salomon ſua experientia & periculo (ideo enim fortè damnatus eſt, eius enim ſalus eſt dubia) edoctus: *Vinum*, inquit, *& mulieres faciunt apoſtatare ſapientes.* nam, vt ait Poëta:

Nox & amor, vinumq; nihil moderabile ſuadent;
Illa pudore caret, Liber amorq; metu.

Præclarè S. Ambroſ. lib 4. in Lucam cap. 4. *Nec minorem*, ait, *febrem amoris eſſe dixerim quàm caloris. Itaque illa animum, hic corpus inflammat. Febris enim*

enim nostra auaritia est, febris nostra libido est, eò A *quòd ignitæ sint cupiditates.* Et mox: *Vehementior tamen est animi, quàm corporis febris, & ideo pro animi voluptate corporis salus plerumq; contemnitur, nec à periculis abstinetur.* Affert exemplũ illustre: *Theotimus cùm graui oculorum incommodo laboraret, & amaret vxorem, interdicta sibi à medico facultate coëundi, cupiditatis impatiens, atque impetu libidinis raptus: I'ale,* inquit, *amicum lumen.* In æstu ergo cupiditatis sciens se oculos amissurum, maluit illos amittere, quàm libidine abstinere. An non libido ei cor mentemq; eripuerat? Vtique: idque sensit cùm libido deferbuit, & oculos amisit: tũc enim errorem cæcitatemque suam deflens, sed serò, nec libidinis voluptatem retinere, nec oculos perditos recuperare valuit.

Appositè quoque tres illi Heroës custodes Darij regis, cùm inter se quærerent & disputarent quidnam esset fortissimum? primus eorum respondit: *Forte est vinum. Alius: Fortior est rex. Tertius Zorobabel: Fortiores sunt mulieres: super omnia autem vincit veritas,* 3 Esdræ 3. 10. Mulieres ergo sunt Sirenes, quæ socios Vlyssis sua forma & cantu inescarunt, dementarunt, & perdiderunt. Vis remedium? Vnicum est in fuga: *Fugite fornicationem,* ait Apostolus, fugite aspectum vocemque mulierum. Illustre hac de re exemplum extat in vita S. Martiniani apud Surium, qui grauiter & crebrò tentatus à mulieribus, vt eas effugeret toto orbe factus est profugus, cuius hic iugis erat stimulus: *Fuge Martiniane.*

Denique fornicatio eripit homini cor, id est, mentem & cerebrum: quia in ipso eius actu homo videtur esse impos sui, æstuare & furere instar epileptici. Vnde Philosophi nonnulli dixerunt actum venereum esse meram epilepsiam; præsertim quia ille si frequentetur, realiter hanc inducit, vti experientia vidi, & ratio physica clarè id demonstrat. Quocirca Alexander Magnus licèt ab adulatoribus audiret se esse filium Iouis, tamen hominem se fateri coactus: *Ex vsu,* inquit, *Veneris, & ex somno manifestè me esse hominem conijico.* ita Plutarch. in eius vita.

VINVM ET (& capitur pro, *id est*: ita Emmanuel) EBRIETAS AVFERVNT COR] Septuag. hæc aliter distpungunt & vertunt, nimirum: *Fornicationem, vinum, & ebrietatem suscepit cor populi mei:* verùm alij passim distpungunt, & vertunt, vti Noster interpres. Hebr. ad verbum est, *fornicatio, vinum, & mustum* (vel, vt Vatabl. vertit, *potus inebrians capiunt,*) vel accipiunt, vel eripiunt, *cor.* Alludit Hebr. תירש *tiroſ,* id est, mustum, siue vinum recèns expressum, ad rad. ירש *iaraſ,* id est, possedit & occupauit; eò quòd cùm crassum sit, turbidum, bulliens & fumosum, statim occupet & possideat cor, id est, arcem mentis, faciatque hominem ebrium & amentem. Notat originem idololatriæ, omnisque mali fuisse comessationes & compotationes: hæ enim eripiunt mentem, & iudicium rectæ rationis, simulque libidinem inflammant, itaque hominem præcipitant in fornicationem, aliaque scelera, ac tandem in infidelitatem & idololatriam; eius enim Deus est venter. Id ita esse patet ex prima hominum post diluuium propagatione. Cùm enim vinum inuentum fuit à Noë, mox ipsi, & multò magis eius posteris cor ad se rapuit, & mentem eripuit, adeò vt plerique omnes ad vitia, imò ad idololatriam deflexerint. Noë enim moriens, gemens fremensque vidit penè totum orbem, id est, omnes suos posteros impios & idololatras, vti dixi Gen. 9 sub finem capitis. Hinc nonnulli notarunt vinum à Noë inuentum, adeò auidè citoque ab omnibus arreptum tentumque fuisse, vt ipsum eius nomen in omnes linguas transierit, idemque quod priùs, apud omnes, licèt iam linguis diuisos, remanserit. Vinum enim hebr. dicitur יין *iain,* vel *ien*: inde Ianus (putà Noë) vini inuentor: inde Græcum οἶνος: inde Latinum *vinum*: Gallicum *vin*: Italicum, Sclauonicum, & Hispan. *vino*: Germanicum, Anglicum, & Belgicum *vvijn*, & ita de cæteris gentibus & linguis. Porrò quàm vinum & deliciæ eripiant cor. non tantùm Prophetæ, sed & Gentium Philosophi docuerunt.

B Antisthenes quodam prædicante delicias, *Mor. vinũ eripit cor.* *Hostium,* inquit, *filiis contingat in deliciis viuere,* vt rem amentem & pestilentem detestans delicias, quas plerique pro summo bono complectuntur. ita Laërtius lib. 6. de Vitis Philos. cap. 1.

Diogenes apud Laërtium eodẽ lib. distomachabatur in eos, qui pro bona valetudine dijs munera offerrent, & in ipso sacro omnibus voluptatibus se obruentes perderent. Idem eos qui per luxum in coquos, nepores, scorta & adulatores facultates suas profunderent, similes dicebat arboribus per præcipitia nascentibus, quarum fructus homo non gustaret, sed à coruis & vulturibus ederentur: sentiens eos qui gulæ ventriq; seruiunt, non esse homines.

Socrates apud Laërtium l. 2. c. 5. aiebat esse turpe, si quis sua sponte seruiens voluptatibus talem C se faceret, quales nemo domi suæ vellet habere seruos. Talibus autem nullam salutis spem reliquam esse, nisi si pro eis deos comprecarentur alij, vt bonos dominos nanciscipossent, quando prorsus decretum esset seruire: indicans nullos fœdiorem & miseriorem seruire seruitutẽ, quàm qui & animo & corpore seruirent voluptatibus. Idem admonebat, voluptates non aliter quàm Sirenas esse prætereundas, obturata aure instar Vlyssis, ei, qui properat vt Ithacam, id est, virtutem veluti patriam, conspiciat.

Plato cùm videret Agrigentinos magnis impensis ædificare, eodemque modo cœnare: *Agrigentini,* inquit, *ædificant quasi semper victuri, & comedunt quasi semper morituri.* ita Ælian. lib 12.

Arcesilaus Scytha percunctanti, quî fieret vt ab alijs sectis multi deficerent ad Epicureos, ab D Epicureis nulli desciscerent ad alios: *Quoniam,* inquit, *ex viris Galli fiunt, ex Gallis viri nequaquam.* Gallos dixit sacerdotes Cybeles euiratos, quasi diceret: In voluptatem proniores sumus, quàm in virtutem, cùm tamen hæc ex feminis viros, illa ex viris feminas efficiat. ita Laërt. libr. 4. c. 6. Idem respondit b. Thomas Morus cuidam roganti, cur tam multi ad Lutheri hæresin voluptuariam deficerent.

Cato senior vinoso cuipiam & guloso eius familiaritatem ambienti abnuit, causamque addidit: *Quia,* inquit, *viuere non possum cum eo, qui melius & subtilius palato, quàm corde sentit.* ita Brusson. lib. 3. cap. 7.

Tiberius Cæsar Attilio Butæ viro prætorio, cùm ad inopiam per luxum redactus eam deploraret: *Serò,* inquit, *experrectus es.* Dormiunt

nimirum temulentiæ ac luxui dediti veriùs, A quàm viuunt. Nam *vita mortalium vigilia eſt.* Ita Seneca in epiſtol.

Scipio Æmilianus Cenſor declaratus, audiens iuuenem placentam ex melle in vrbis formam compactam, Carthaginemq́ue nuncupatam cõuiuis diripiendam dediſſe, equo priuauit. Rogatus cur? *Quia*, inquit, *me prior Carthaginem diripuit.* Quo dicto militem damnauit ignauum & vecordem, qui gulæ deditus cum placentis potiùs melle conditis, quàm contra hoſtes pugnaces belligeraret. ita Bruſſo lib. 3. c. 1.

Sed accipe propria vini & crapulæ. Pythagoras dicere ſolebat: *ebrietatem eſſe inſania meditationem.* ita Maximus ſerm. 30.

Leontichidas Spartiara rogatus cur parum bibant Spartiatæ? *Ne*, inquit, *alij pro nobis conſultent.* q.d. Nequit prudenter de rebus conſultare, cui ſanum iudicium à vino ablatum eſt. ita Plutarch. in Lacon.

Aſtyages cùm rogaſſet Cyrum, cur vinum nõ hauſiſſet? *Quia*, inquit, *metuebam, ne increpare mixta venena forent. Etenim cùm tu in natalitiis amicum adhibuiſti, perſpicuè didici eum vobis venena infudiſſe. Et quo pacto*, inquit ille, *ô fili, hoc dignouiſti? Quòd videbam vos*, reſpondit, *neque corporis eſſe, neque mentis compotes.* Ita Xenophon in Pædia.

Androclides vir ſapiens ad Alexandrum Magnum vino deditum dixit: *Vinum potaturus, rex, memento te bibere terræ ſanguinem: cicuta homini venenum, cicuta eſt vinum.* ita Bruſſo lib. 1 c. 19.

De Bonoſo bibaciſſimo, qui poſtea Imperator creatus eſt, dixit Aurelianus: *Non vt viuat, ſed vt bibat natus eſt.* ita Vopiſcus in Aureliano. Idem Bonoſus ſe ſuſpendit: ac roganti cuipiam quis eſſet ſuſpenſus, reſpondet alter; non hominem eſſe, ſed amphoram. Æſchines dicebat, *Speculum formæ eſt as* (olim enim ſpecula fiebant ex ære polito) *vinum autem animi*: nihil enim tam occultum in corde, quod ebrius non effutiat. ita Maxim. ſerm. 30.

Luxurioſa res eſt vinum & tumultuoſa ebrietas. Prouerb. 20. 1.

Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nónne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Prouerb. 23. 29.

Noli regibus ô Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum ſecretum eſt, vbi regnat ebrietas. Prouerb. 31. 4. D

S. Baſil. & Ambroſ. dicunt ebrietatem eſſe voluntariam inſaniam. Amplius ait S. Bernard. lib. de Modo bene viuendi cap. 25. *Multi*, ait, *per vinum à dæmonibus capti ſunt, nec eſt aliud ebrietas, quàm manifeſtiſſimus dæmon.* Et paulò antè: *Ebrietas corpus debilitat: ebrietas generat perturbationem mentis; auget furorem cordis; ita alienat mentem, vt homo neſciat ſeipſum.*

Monachus quidã Ægyptius interrogatus, cur aſſiduè ſibi voluptates ſubtraheret? reſpondit: *Subtraho eas mihi, vt auferam cauſam & occaſionem pracidam. Scio enim illam ſemper de voluptatibus belligerari, mentemq́; meam perturbare, & cognitionem ipſam fugare.* ita Niceph. lib. 11. hiſt. cap. 43.

VERS. 12. POPVLVS MEVS IN LIGNO SVO INTERROGAVIT] Probat quòd fornicatio & ebrietas auferant cor, ex eo quòd homines deducant ad idololatriam, vt idola lignea, ſurda, cæca, muta & inania interrogent quaſi deos ſuos, & conſulant de futuris rerum euentis. Aut potiùs ſenſus eſt, q.d. Adeò luxus & libido tam fornicandi, quàm idololatrandi dementauit eos, vt à lignis & baculis oracula poſcant.

Quæres quodnam ſit hoc lignum? Primò, Chald. Rupert. & Lyran. reſpondent eſſe ligneum idolum. Secundò, Iſidor. eſſe pſeudoprophetas quos conſulebat populus. Hi metaphoricè vocantur *lignum*, quia eis quaſi ligno & ſcipioni innitebatur vulgus. Tertiò, melius S. Hieron. Haymo, Hugo & Vatabl. per *lignum* hoc accipiunt baculum diuinatorium, eo enim quaſi inſtrumento diuinabant. vnde Septuag. B vertunt, *in ſymbolis eorum interrogabant*: erant enim hi baculi ſuperſtitionis & diuinationis ſymbola. Hinc & ſubdit: *Et baculus eius* (ab eo interrogatus) *reſpondit ei.*

Nota. Veteres Chaldæi, eoſque ſecuti Hebræi vtebantur ῥαβδομαντίᾳ & βελομαντίᾳ, id eſt, diuinatione per virgas & ſagittas. Ita Nabuchodonoſor dubitãs an Ieruſalem, an Philadelphiam oporteret bello appetere, accepit duas ſagittas, quarum vni inſcripſit nomen Ieruſalem, alteri nomen Philadelphiæ; deinde ſorte eas commiſcuit, vnamq́; eduxit, cui cùm videret inſcriptum nomen Ieruſalem, coniecit illam ſibi primò eſſe expugnandam, Ezech. 21. 21. vide ibi dicta. Rurſum ſagittas iaciebant in altum, & aſpiciebant quò illæ caderent: an antrorſum, an retrorſum; C an ad dextram, an ad ſiniſtram, eoq́; ſibi pergẽdum eſſe coniectabant. ita Theoph. Tertiò, Moſes Samſonis filius, in explicatione præcepti negatiui 52. commemorat huiuſmodi ritum: decorticabant baculum ligneum vno tantùm ex latere, tum in aërem proijciebant; ſi primo iactu apparuiſſet ſuperior pars decorticata, at ſecundo iactu ſuperior pars adhuc veſtita, proſperum ſucceſſum augurabantur: ſin è contra primùm pars veſtita, infelicem: ſi vtroque iactu veſtitum vel nudatum latus ſuperius fuiſſet, mixtum euentum ſibi pollicebantur. & hoc ab Oſee hîc notari & carpi. Vide Rhodiginum lib. 4. cap. 29. & Delrio lib. 4. Diſquiſ. Magic. cap. 2. q. 7 ſect. 1. ſub finem, & ſectione 3. ſub initium.

SPIRITVS ENIM FORNICATIONVM DECEPIT EOS] Aliqui per hunc *ſpiritum* accipiunt ſtimulum carnis, putà vehementem inclinationem D & impulſum ad fornicandum. Huc accedit Caſſian. collat. 7. cap. 32. qui ex Sereno Abbate docet ſpiritum fornicationis eſſe dæmonem incitantem ad fornicationem: licèt enim dæmones ſint incorporei, & quiſque eorum homines ad quælibet vitia ſollicitet, tamen vt ſit inter eos aliquis ordô, vtq́ue ordinatiùs, ideoq́ue potentiùs & efficaciùs homines oppugnent, ipſimet inter ſe operas & vitia diſtribuerunt; ita vt hi præſint huic vitio, ad illudq́ue ſollicitent; iſti illi, alij alteri, inde enim in Script. vocari videntur ſpiritus iræ, ſuperbiæ, gulæ, luxuriæ &c. Sic Moabitides puellæ deceperunt Hebræos, dum eos primò induxerunt vt ſecum fornicarentur, deinde vt idolum ſuum Beelphegor colerent, itaq́ue Dei iram & plagam eis acciuerunt, Numer. 25.

Secun-

Secundò, *spiritus fornicationum* est ardor & impetus animi, incitans eum ad idololatriam. ita Theodor. Theophyl. Arias & alij. Hoc spiritu quasi œstro acti vesani Israelitæ ruebant ad idola colenda, vti fornicator ruit ad scorta; vti patet ex Prophetis, qui passim in hunc ardorem inuehuntur & detonant. Vnde sequitur: *Et fornicati sunt cum Deo suo.* q.d. Fornicando, id est, idololatrando desciuerunt à Deo, Deique cultu. Vterque sensus huic loco congruit, vti dixi vers. 10. sed posteriorem magis intendit Spiritus sanctus.

VERS. 13. SVPER CAPITA MONTIVM SACRIFICABANT] Hæc capita sunt quæ à loci altitudine *excelsa* vocantur passim in libris Regum.

ET SVPER COLLES ACCENDEBANT THYMIAMA] id est incensum, suffitum. Græcũ enim θυμιᾶν significat suffire, suffumigare, adolere incensum: & hoc significat Hebr. קִטֵּר *katar*: thymiama ergo hîc non tantùm est illud compositum ex stacte, onyche, galbano, & thure, quod Deus iussit adoleri in altari thymiamatis, Exodi 30.34. sed etiam thus, ambra, & quodlibet incensum edens suffitum.

QVIA BONA, amœna, iucunda, ERAT VMBRA EIVS] Idem de arbore populo candida (hanc enim significat Hebr. *libne*: sunt enim & populi nigræ) ait Virgil. eclog. 9.

Hic candida populus antro
Imminet, & lentæ texunt vmbracula vites.

IDEO FORNICABVNTVR FILIÆ VESTRÆ] q.d. In pœnam vestræ fornicationis, tum corporalis, tum spiritalis, scilicet idololatriæ, Deus permittet, vt filiæ vestræ corporaliter fornicentur, tum cum amasiis suis, tum cum hostibus vestris, putà Assyrijs; qui eis abutentur, cùm eas captiuas abducent. nec eas impediet aut puniet: quo fiet vt magis & magis fornicentur, ac maiori dolore & ignominia vos afficiant, animosque vestros vulnerent. ita Theodor. Haymo, Albert. & Hugo.

Secundò, Chald. Vatabl. & Pagnin. vertunt in præsenti, *ideo fornicantur filiæ vestræ.* q.d. Quia vos fornicamini, hinc vestro exemplo fornicantur & filiæ ac sponsæ vestræ, præsertim quia absunt ab ædibus & oculis vestris, ac versantur apud excelsa in locis syluosis & amœnis, quæ sceluslliectant; vt, sicut vos fidem frangitis Deo, ita iusto Dei iudicio frangant & sponsæ fidem vobis datam. Lex enim est talionis:

Frangenti fidem fides frangatur eidem.

Pro *sponsa* hebr. est כַּלָּה *callot*, quod verti potest cum Chald. Theophyl. & Vatabl. *nurus*, id est, vxores filiorum vestrorum. q. d. Hæ fidem frangent datam filijs vestris, fornicando cum adulteris; sicut vos fidem fregistis Deo datam, fornicando cum idolis: itaque tam vos, quàm filios vestros, maritos suos pudore & mœrore afficient & conficient.

VERS. 14. NON VISITABO] Id est, deseram, negligam, peccare impunè permittam. ita S. Hieron. Theodor. Hugo, Lyran. aut, vt Isidor. & Vatabl. q. d. Non puniam tam seuerè vt vos, filias & sponsas vestras, cùm adulterauerunt. Causam subdit: QVONIAM IPSI CVM MERETRICIBVS CONVERSABANTVR] Est enallage personæ: ex indignatione enim quasi auertens faciem ab ipsis, mutat secundam personam in tertiam dicens, *Ipsi*, id est, vos ipsi, q.d. Quia vos relictis filiabus & vxoribus, aditis meretrices, cum eisque scortamini; hinc ipsæ vestro exemplo iritatæ, & à vobis derelictæ, pari modo & iure relictis vobis adibunt amasios & adulteros, cum eisque fornicabuntur. Hebr. habent: *quoniam ipsi cum meretricibus separabantur*, id est, separatim relictis filiabus & vxoribus conuersabantur & scortabantur: licèt Marinus in Lexico Hebr. יִפָּרֵדוּ *ipparedu*, id est separabũtur, deriuet à פָּרַד *pered*, id est, mulus (qui sic dicitur, quòd sit generatione separatus) q.d. Mulos, id est spurios, gignent; vel q.d. Ad instar mulorum abuntur matrimonio, non generandi causâ, sed explendæ libidinis ergò dumtaxat. Porrò meretrices hæ erant sacerdotissæ Beelphegor, id est Priapi, & sua prostitutione eum colebant, ait S. Hieron. Cyrill. & Theodor. de quibus 3. Reg. 15.12. aut Veneris cultrices, vt vult Albert. quæ sedentes ad eius templum aduentantibus se prostituebant, vti dixi Baruch 6.42.

Moraliter disce hîc proles & vxores imitari parentes & maritos in scelere, Deumque horum peccata, prolium & vxorum peccatis & ignominia vlciscì. Ita vltus est adulterium Dauidis scelere Absalonis, qui vxores Dauidis patris sui incestauit, 2. Reg. 12.11. Præclarè Iuuenalis satyra 4. *Mor. Deus punit peccata patrũ peccatis filiorum & vxorum.*

Et quod maiorum vitio sequitur q̃ minores,
Et nitidis maculam ac rugam figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris tradunt q̃ parentes.
Si damnosa senem iuuat alea, ludit & heres
Bullatus, paruoq; eadem mouet arma fritillo.
Sic natura iubet.

Quocirca illud in mente recondant parentes:

Et peccaturo obsistat tibi paruulus infans.

Et illud Plauti in Pseudol.

Probum patrem esse oportet, qui gnatum suum
Probiorem, quàm ipsus fuerit, postulet.

Denique illud Verini:

Et verbo & facto paruis sit regula natis,
Optima sitq; omni tempore norma pater.

Sanè pueri dum circa mores inconditos monentur vel arguuntur, illam quasi naturâ insitam excusationem regerunt: A patre hoc didici. Id mater me docuit: Sic faciebat mater mea, sic pater. vulgò dicitur, *Mali corui, malũ ouum.* Audiui non raro parentes grauiter querentes de filijs, quòd essent spurci, vinosi, maledici, ceruicosi, inobedientes, intractabiles. Quibus ego, Parentes horum sæpè sunt causa: quia ipsi ijsdem vitijs addicti filijs prauo exemplo præeunt, illosque eadem verbis & factis docent. Si ergo cuperent filios mores corrigere, ipsi priùs suos corrigerent, quibus illos dedocerent ea quæ antè docuerant.

Ita Augusti Cæsaris libidines & sordes imitatæ sunt duæ Iuliæ, filia & neptis; quæ proinde publicum illi probrum extiterunt: vnde ipse tertiam adoptauit, Agrippinam; sed & hanc mox ob sordes abdicauit: nec aliter tres illas, quàm tres vomicas, seu tria carcinomata sua appellare solebat: quin & testamento cauit, ne mortuæ in sepulchrum suum inferrentur. Denique exclamare solebat illud Homericum:

O vtinam calebs vixissem, orbusq; perissem!

ita Sueton. in eius vita.

Eadem, imò maior est ratio vxorum, quàm filiorum. Nam, vt ait Seneca epist. 95. *improbus est, qui*

qui ab vxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor vxorum: vxor enim mariti adulteri exemplo ipso incitata, aut imitari se putat, aut vindicare, ait Quintil. Quocirca de multis dici potest, quod de Clytæmnestra ait Ouid. libr. 1. de Arte amandi:

Dum fuit Atrides vna contentus & illa
Casta fuit: vitio est improba facta viri.

Et illud Euripidis de eadem:

Stultæ quidem fumus mulieres, non nego:
Cùm autem insit hoc animis, peccat maritus
Fastidiens connubia, imitari vult
Mulier virum, & alium parare amasium.

Denique Aristot. in Oeconom. *Primùm itaque*, inquit, *leges sint viro ad vxorem, vt iniuria cesset; sic nec ipse iniurias patietur*: alioqui talionem rependet ei vxor, & lege talionis se tuebitur.

ET CVM EFFEMINATIS] Hi erant viri siue scorta masculà, vt sunt pueri pathici, sacerdotes Priapi, qui mollitie & venere succuba Sodomitis seruiendo, ex viris quasi feminas se efficiebãt, ideoque vocantur effeminati. vnde Aquila vertit, ἐναλλαγμένους, id est mutatos, scilicet ex officio virili, in femineum; Septuag. πεπλεσμένους, id est cõsecratos, scilicet Priapo aut Veneri; Theodotio, κεχωρισμένους, id est, separatos à vulgo, quasi sacerdotes Priapi. ita Cyrill qui ait, Erant viri, sed in feminas mollicie mutati, qui muliebri vociferatione & cymbalis vtentes, facesque ferentes circumcursabant. Sic & Theodor. Rupert. Haymo, Hugo, Lyran & alij, qui & addunt aliam causam cur vocentur effeminati, quia, inquiunt, multi ex illis castrabantur, fiebantque eunuchi; vt ad venerem tantùm passiuam valerent, quasi feminæ, non actiuam. Porrò hosce viros succubos Beelphegor, id est Priapo, consecratos fuisse in Israel & Iuda, patet 3. Reg. 14. 24. & 4 Reg. 23. 7. Sed audi S. Hieron. *Nos*, ait, *effeminatos vertimus. Hi sunt quos hodie Romæ matri non deorum, sed dæmonum seruientes, Gallos vocant: eò quòd de hac gente Romani truncatos libidine in honorem Atys (quem eunuchum meretrix fecerat) sacerdotes illius manciparint: propterea autem Gallorum gentis homines effeminantur, vt qui vrbem Romam ceperãt, hac seriantur ignominia. Iliusmodi idololatria erat in Israel, colentibus maximè feminis Beelphegor, ob obscœni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare.*

Secundò, tamen non minùs aptè pro effeminatis, vertas meretrices. Has enim propriè significat Hebr. קְדֵשׁוֹת *kedeşot*, quod est femininũ: viri enim & mares masculinè vocantur קְדֵשִׁים *kedeşim* (possunt tamen & hi femininè vocari *kedeşot* per catachresin, quia erant effeminati, vti iam dixi.) Fauet S. Hieron. *Sciendum*, inquit, *quòd in præsenti kedeşot, meretrices ἱερείας, id est, sacerdotes Priapo mancipatas vocet.* Verùm rectè suspicatur Ribera in codice S. Hieron. esse mẽdum librariorum, & legendum esse, *ἱερεῖς, sacerdotes Priapo mancipatos vocet*, ne secum pugnet: nam paulò antè eos viros vocauit. Erant ergo viri sexu, sed meretrices & feminæ abusu libidinis & naturæ. Fauet & Symmachus qui ἑταίρους (id est socias, amicas, amasias) propriè meretrices appellauit. Sic & Theoph. *Initiatos*, inquit, *huiusmodi vocat sacros mystas, dignos tam arcanis apud illos sacris iudicatos, ceu perfectiores: qui mares esse visi, femellæ fuerunt, cymbalis vtentes, femineisq; vlulatibus circumibant trivia, Beelphegor sacramenta perficientes.* Et Chald. qui vertit, *cum scortis comessantur & potant.* Vbi Nota. Hebræis plus est *kedeşa*, quàm זוֹנָה *zona*: *zona* enim significat quamlibet meretricem, *kedeşa* verò famosam, publicam, quasi lupanari iam auctoratam & consecratam: hæc enim dicitur *kedeşa*, id est sancta, per antiphrasim, quia spurcissima & fœdissima, aĕ spurcitie sua infamis & celebris. Rursum *kedeşa*, id est sancta, vocabatur meretrix, quæ Priapo aut Veneri erat consecrata quasi sacerdos, quales hæ erant.

ET (id est idcirco, scilicet ob scelera iam recensita) POPVLVS NON INTELLIGENS VAPVLABIT] cùm scilicet tandem à me punietur, exscindetur, & in captiuitatem, putà in Assyriam, ducetur. ita S. Hieron. Tigurina vertit, *& populus qui intelligere noluit, variis iactabitur malis*; Vatablus, *populus non intelligens peribit*, vel *corruet*: q.d. *Populus ignorans Deum, corruere solet. Aut stupore afficietur, cùm scilicet sentiet tanta Dei flagella, qui licèt sit misericors, est tamen & iustus in puniendis peccatis*, & tarditatẽ supplicij grauitate compensat.

Hebr. לָבַט *labat* propriè significat impingere, offendere, ruere, vapulare; R. Dauid vertit, *pernertetur*; R. Ioseph, *claudicabit*; Thargum, *capietur*; R. Salomon, *laborabit, fatigabitur*; Pagnin. *festinabit, anceps erit & dubius, nesciens quò se vertat.*

15. Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Iuda: & nolite ingredi in Galgala, & ne ascenderitis in Bethauen, neque iuraueritis: Viuit Dominus.

16. Quoniam sicut vacca lasciuiens declinauit Israel: nunc pascet eos Dominus, quasi agnum in latitudine.

17. Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum.

18. Separatum est conuiuium eorum, fornicatione fornicati sunt, dilexerunt afferre ignominiam protectores eius.

19. Ligauit eum spiritus in alis suis, & confundentur à sacrificijs suis.

SI FORNICARIS TV ISRAEL, NON DELINQVAT SALTEM IVDA] Ab Israel sermonem conuertit ad Iuda, eumque monet vt memor templi & regni Dei (in Iuda enim regnabat Deus per posteros Dauidis, ibique suam habebat domum & templum) non imitetur Israel fornicando, & fornicatione sua honorando & colendo Beelphegor, aliosque deos, id est dæmones.

ET NOLITE INGREDI IN GALGALA] Galgala locus erat & ciuitas inclyta, distans à Iordane stadijs quinquaginta, à Iericho stadijs decem: miraculis & religione patrum sancta & illustris. Nam primò hîc transito Iordane castra longo tempore posuerunt filij Israel, ibique prima publica facta est gentis circumcisio. Ibi enim Iosue circumcidit omnes masculos Hebræorum, qui per 40. annos peregrinationis nati erant in deserto. ibique primum in Chanaan Pascha celebrauit: vnde in Galgala Hebræi adierunt quasi possessionem terræ promissæ. Nam deficiente

deficiente manna, ibidem primùm comederunt de frugibus terræ. Inde locus nomen accepit, dictusque est Galgala, Iosue 5. 9. vbi sic legimus: *Dixitq; Dominus ad Iosue* (peracta circumcisione) *Hodie abstuli opprobrium Aegypti à vobis*: quia hodie vos à vita & moribus incircumcisorum Ægyptiorum, per circumcisionem transtuli in sanctam meam legem & gentem: ideoque *vocatum est nomen loci illius Galgala*. Galgala enim, vel Gilgal, vel Galgal, vel, vt S. Hieron. vocat, Golgol, hebr. idem est quod amotio & ablatio; scilicet præputij, & consequenter opprobrij, & gentilismi Ægyptiorum: radix enim גלל *galal* significat deuoluere, remouere, auferre: inde geminata *ghimel* litera, *ghilgal*, vel *galgal*, idem est quod deuolutio, remotio, ablatio.

Secundò, in Galgala Iosue accepit omen victoriæ & possessionis Chananææ: videns enim angelum euaginatum habentem gladium, perrexit ad eum, & ait: *Noster es, an aduersariorum?* audiuitque ab eo: *Nequaquam, sed sum princeps exercitus Domini, & nunc venio*, vt tibi Chananæam subiugem. *Solue calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est*, Iosue 5. 13.

Tertiò, in Galgalis Iosue reposuit duodecim lapides, quos tulerat de medio Iordanis alueo, idque vt ibi essent in perpetuum monumentum transitus miraculosi, quo duodecim tribus sicco pede per Iordanem transierant in Chananæam, Iosue 4. 20. Vnde S. Hieron. in Epitaphio S. Paulæ ait, hosce lapides ibidem visos à S. Paula. Hi duodecim lapides repræsentant duodecim tribus, & patriarchas; ac consequenter duodecim Apostolos, quasi duodecim petras & fundamenta Ecclesiæ Apocal. 21. 14. ita Tertul. lib. 4 contra Marcion c. 13.

Quartò, in Galgalis per multos annos constitit tabernaculum Dei, cum arca & propitiatorio: vnde ibidem Samuel iudicabat populum, ibique Saulem secundò in regem vnxit, 1. Reg. 10. 8. Ibi quoque Agag regem Amalec occidit, 1 Regum 15 33.

Quintò, Elias & Elisæus frequenter versabantur in Galgalis, ibique prophetabant, & faciebant miracula, 4 Reg. 2. 1. & c. 4. 38.

Hac de causa idololatræ idola sua iam inde ab initio statuerunt in Galgalis; vt pote loco sancto adeò, & celebri. Nam tempore Aod, qui tertius à Iosue fuit Iudex Israelis, erant idola in Galgalis: vt patet Iudic. 3. 19.

Vbi Nota, dæmonem esse simiam Dei, ideoque coli velle vbi cultus fuit Deus, tum vt Deum possessione sua excludat, tum vt celebrior sit eius honos & veneratio. Ideirco Antichristus sedem regiam constituet in Ierusalem, vti ostendi Apocal. 11. 8. ibique in templo sedebit & coletur vt Deus, tum vt habeatur verus rex Sionis, id est Messias, successor Dauidis & Salomonis: tum vt profanet vrbem olim sanctam, & pro templo Dei suum constituat: tum vt euertat monumenta omnia passionis, resurrectionis, & ascensionis Christi, cuius ipse erit hostis, & Antichristus. Sic experientia constat dæmonem maximè insidiari monasterijs tum virorum, tum feminarum, vt magum vel magam, lubricam, turbulentam, &c. aliquam in illud inducat, quæ cæteras omnes vel turbet, vel inficiat, vt vbi maximè cultus fuit Deus, colatur ipse, itaque Deum suo templo quasi expellat, de eoque se vindicet.

IN BETHAVEN] *Bethauen* vrbs fuit Iudææ, sed ignobilis, sita iuxta Bethel, de qua Iosue 7. 2 & de ea hîc loqui Prophetam censet à Castro. Verùm S. Cyrill. Hieron. Theophyl. Theodor. Haymo, Lyran. Vatabl. & alij passim, putant ipsam Bethel vocari *Bethauen*: tum quia ei erat vicina; tum quia Bethel erat celeberrima: primò sanctitate & pietate, postea idolis & idololatria. Ieroboam enim vitulos aureos collocauit in Dan & Bethel, quasi in duobus regni limitibus, ibique hisce vitulis per se sacrificauit. Nota. Bethel priùs dicta est Luza, ob copiam nucum & amygdalarum (hæc enim hebr. vocantur לוז *luz*) à Iacobo verò Patriarcha, qui ibi vidit Deũ scalæ innixum, & angelos per scalam ascendentes & descendentes, vocata est Bethel, id est, domus Dei, Genes. 28 19. Eadem à Prophetis per antiphrasin vocatur *Bethauen*, id est, *domus iniquitatis*, vt vertit Theodotion: aut *domus nihili*, vt vertit Symmachus & Aquila. Septuag. pro אוון *auen* per crasin legentes איך *on*, vertunt, *domus doloris*, vel *domus idoli*: quia in ea erat templum, in quo colebantur vituli aurei Ieroboam. Id ita esse patet Amos 5. 5. vbi Propheta eadem penè verba, quæ hîc habet Osee, vsurpat, aitque: *Nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare*, &c. *quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis*, hebr. *auen*. Bethel ergo est Bethauen. Monet itaque Iudam, putà duas tribus, ne adeant idola vicina posita in Galgalis, & in Bethel. Dico vicina, quia Galgala & Bethel erant in sorte tribus Beniamin, vt patet Iosue 18. v. 12. & 22. ideoque ea potiùs nominat, quàm Dan aut Samariam. Dicit autem: *Ne ascenderitis in Bethauen*, quia Bethel sita erat in loco alto. ita Vatabl.

Bethel est Bethauen, id est, domus idoli.

Tropol. Bethel fit Bethauen, cùm regnũ, populus, vrbs, vti Anglia, Scotia, Dania, à fide & cultu Dei ad hæresim desciscit: cùm templa in stabula, monasteria in armamentaria, hospitalia in tabernas & ganeas conuertuntur, quibus competit illud Ieremiæ, & Christi: *Domus mea domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam speluncam latronum*, Matth. 21. 13. Rursum sancta anima fit Bethauen, cùm à Dei gratia per peccatum excidit: tunc enim à regno & dominio Dei transit in ius & potestatem diaboli.

Nota, Prophetam hîc, & deinceps vsque ad finem capitis, maximè loqui duabus tribubus: ad illas enim conuertit sermonem v. 15. dicens: *Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Iuda.*

NEQVE IVRAVERITIS: VIVIT DOMINVS] q. d. Ne iuretis per vitam idoli, quod est in Galgalis, vel in Bethel, ei attribuendo nomen *Dominus*, hebr. *Iehoua*, quod est nomen incommunicabile, & proprium Deo vero. Iuramentum enim est actus latriæ: iurando enim per aliquem, testabantur eum esse infallibilem, primam & increatam veritatem; ac consequẽter esse numen & Deum: eum enim iurantes in testem suæ assertionis vocabant dicentes v. g. Viuit Dominus, quòd hoc illúdve fecerim, aut faciam. quasi dicerent: Iuro per Deum, vitamque Dei, quòd hoc illúdve feci, aut faciam. Sicut ergo paulò antè vetuit cultum idoli, ita hîc vetat iuramentum per idolum: hoc enim est protesta-

tio

tio & inuocatio numinis, Deiq́ue veri. ita Theodor. Albert. Hugo, Lyran. & alij.

Alij exponunt, q.d. Ego Deus & Dominus, ſiue Ichoua veſter, nolo vt per me meamq́ue vitam ampliùs iuretis, cùm ſitis idololatræ; nolo vt ore, quod inuocatione idolorum polluiſtis, iuretis, nominetis, & inuocetis, itaq́ue polluatis nomen ſanctum meum. ita S. Hieron. Cyrill. Theophyl. Haymo, Iſidor. Vatabl. & alij. Verùm hæc expoſitio non rectè cohæret cum eo quod præceſſit: *Nolite ingredi in Galgala, & ne aſcenderitis in Bethauen*; huic enim annectit: *Neque iuraueritis: Viuit Dominus*: hæc enim tria pari caſu, tenore & nexu dicuntur, vt patet ex Hebræo. Eôdem ergo ſpectant; ſcilicet ad hoc ne colant idola in Galgalis & Bethauen, néue per ea iurent. Alioqui quæ eſſet connexio dicere: Nolite colere idola in Galgalis & Bethauen, &, Nolite iurare per nomen meum? Contrarium enim potiùs dicendum eſſet, hoc modo: Nolite colere nec iurare per idola, quæ ſunt in Galgalis; ſed potiùs colite me, & iurate per nomen meum.

VERS. 16. QVONIAM SICVT VACCA LASCIVIENS DECLINAVIT ISRAEL] Proponit Iudæ petulantiam & laſciuiam Iſraelis, quaſi rem fœdam, indignam, & Dei indignationem exitiumq́ue gentis prouocantem; vt Iuda aliena inſania & periculo ſapiat, illudq́ue declinet, q.d. Iſrael carens cerebro laſciuiat vt vacca; at tu ô Iuda, perſta in Dei lege, quaſi leo: huic enim te aſſimilaui Geneſ. 49. 10. ita S. Hieron. Theodor. Theophyl. Haymo & alij.

In Hebræo eſt elegans paronomaſia: *Sicut vacca* vel *vitula* שְׂרָרָה שָׂרַר *ſarera ſarar Iſrael*, q.d. Sicut vacca rebellis rebellauit Deo Iſrael. ita Vatabl. *Sarera* enim ſignificat vaccam quæ laſciuia vel œſtro agitatur, ideoq́ue indomita & rebellis iugum omne excutit, & quaſi furens huc illucq́ue diſcurrit.

Quocirca Septuag. vertunt, *ſicut vacca aſilo percuſſa inſaniuit Iſrael*: aſilo, id eſt œſtro, vti ex Virgilio docet S. Hieron. ſic enim canit Virgil. lib. 3. Georg.

Eſt lucos Silari circa, ilicibuſq́; virentem
Plurimus Alburnum volitans, cui nomen aſilo
Romanum eſt, œſtron Graij vertêre vocantes,
Aſper, acerba ſonans: quo tota exterrita ſyluis
Diffugiunt armenta.

Aſilum ſignificat furorem Hebræorum, quo impetu inſano ferebantur & ruebant ad cultum idolorum. Noſter generaliùs, magiſq́ue propriè & adæquatè vertit *laſciuiens*: nõ enim ſolo œſtro, ſed & paſtu, amore, alijſq́ue de cauſis laſciuiunt vaccæ. vnde Chald. vertit, *ſicut bos qui ſaginatur & recalcitrat, ſic rebellat Iſrael propter multitudinem bonorum*: iuxta illud Deuter. 32. 15. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit*, &c. Noſter verò melius vertit *vacca*, quàm *bos*: tum quia Hebr. פָּרָה *para* vaccam ſignificat, non bouem; tum quia fœminæ omnium penè animantium magis laſciuæ ſunt, petulcæ & deliræ, quàm mares, vti docet Ariſtot. libr. de Phyſiognomia, & ex eo Auguſtin. Niphus, qui huiuſce rei phyſicas rationes adducit. *Magis maleſica*, inquit Ariſtot. *ſunt fœmina maſculo, & proteruiora, & minùs defenſiua*. Rurſum: *Maſculina natura ſunt fortiore, & iuſtiore genere: feminina autem ſunt timidiora & iuſtiora natura*. Feminina tamen quia minus habent cerebri, iudicij, animi & virium, hinc natura id aliunde compenſante, plus habent affectus, paſſionum, procaciæ & impudentiæ: hiſce enim illa ſupplet.

Denique Propheta comparat Iſraelem vaccæ, non cani vel aſino. Primò, quia coluit vaccas, putà vitulos aureos, vocatur vacca potiùs, quàm vitulus, ad maiorem confuſionem: quia ſic miro fornicationis modo à vitulis ſubigebatur, quibus viſibiliter adorando ſe ſubſternebat: inuiſibiliter verò ſuam animam tauro, id eſt dæmoni, proſtituebat. Secundò, quia Deus eius erat venter, & vt ait Dauid, *prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum*. Tertiò, quia eius laſciuia commutanda erat in iugulationem, iubilus in mugitum & planctum. ita Ruſſinus, Rupert. & ex ijs Delrio adagio 977. Denique quia vitulabatur & laſciuiebat, vti vaccæ & vituli quos colebat.

NVNC PASCET EOS DOMINVS QVASI AGNVM IN LATITVDINE] id eſt, in loco lato & ſpatioſo. q.d. Sicut agnus qui ſaginatur latiſſimè in paſcuis vberrimis paſci ſinitur, vt impinguatus ſtatim mactetur: ita Deus ſinit Iſraelem bonis affluere & laſciuire, vt ſit prædæ Aſſyrijs, ab eiſque ſpolietur & iuguletur. ita S. Hieron. Vatabl. & Lyran.

Secundò, alij. q.d. Iſrael captiuus ibit in Aſſyriam, vbi non laſciuiet vt vacca, ſed ducetur quò hoſtes volent, ageturq́ue ad nutum Aſſyriorum tãquam agnus manſuetus. ita Haymo, Hugo & à Caſtro. Aut, ſicut agnus manſuetus vbique matris vbera requirit; ita Iſrael in captiuitate domitus & manſuefactus, me meaq́ue vbera requiret. ita Theodor. & Theophyl.

Tropol. S. Hieron. per Iſrael hæreticum, per Iuda fidelem & Eccleſiaſticum accipit. *Si ſemel*, inquit, *fornicaris haretice; ſaltem tu, Eccleſiaſtice, non delinquas; nec ingrediaris in Galgala, hæreticorum conciliabula, vbi peccata omnia reuelantur, & inſtar porcorum volutantur in cœno* (alludit enim Galgala ad גָּלָה *gala*, id eſt reuelauit, & ad גָּלַל *galal*, id eſt reuoluit, volutauit) *ne te aſcendere putes ad ſuperbas & arrogantes falſorum dogmatum fictiones. Non eſt enim ibi domus Dei, ſed domus idoli. Sicut enim vacca percuſſa aſilo, percuſſi ſunt hæretici ardentibus diaboli ſagittis, & legis notitiam reliquerunt: ideò paſcentur in lata & ſpatioſa via, quæ ducit ad mortem, & patientia Domini boniq́; paſtoris eos nutriet ad interitum.* Idem mutato nomine hæretici, adaptes ambitioſo, luxurioſo, auaro, & cuilibet peccatori.

PARTICEPS IDOLORVM EPHRAIM, DIMITTE EVM] q.d. O Iuda, dimitte Ephraim, id eſt Iſrael, putà decem tribus, quæ ſunt participes cultus & menſæ idolorum: comedunt enim idolothyta, ſcilicet carnes & cibos idolis immolatos: noli ergo eum imitari, noli cum eo participare in idolis & idolothytis. ita S. Hieronym. Theophyl. Hugo, Lyran. & alij. Minùs rectè Rupert. & Vatabl. cenſent hæc eſſe verba Dei ad Prophetam, q.d. Luſeris operam ſi ad pœnitentiam inuitaris Ephraim: dimitte ergo eum cum ſuis cupidinibus & idolis. Grauiſſima enim eſt pœna dimitti à Deo, & tradi ſibi ſuiſq́ue concupiſcentijs.

SEPARATVM EST CONVIVIVM EORVM] Dat cauſas Iudæ, cur Iſraelis commercium & ſocietatem

rem vitare debeat. Prima eſt hæc. q.d. Quia illorum cultus, religio & conuiuium à tuo, ô Iuda, ſeparatum & diuerſum eſt: tu enim abſtines cibis lege Leuit. 11. vetitis; illi ſine ſcrupulo iis veſcuntur: tu participas ex hoſtiis pacificis Deo immolatis; illi participant & comedunt idolothyta. ita S. Hieron. Albert. & Hugo: tu poſt epulas caſtum te conſeruas; illi epulis diſtenti ardēt in libidines. Hoc eſt quòd ſequitur: *Fornicatione fornicati ſunt.* Pro *ſeparatum eſt conuiuium*, hebr. eſt סָר סָבְאָם *ſar ſobeam*, id eſt, receſſit potatio vel compotatio, id eſt conuiuium eorum. Hebræi enim vocant *miſte*, id eſt compotationem, vti & Græci συμπόσιον, à communione potus, quod Latini à communione victus & cibi vocant conuiuium. Eſt metaphora à vinis acidis. Nam recedere venuſtè ab Hebræis vſurpatur de vino, quādo in vappam reſoluitur. Vnde & Græci tale vinum ἐξίτηλον, Cicero *vinum fugiens*, Flandri *afgaenden vrijn* vocant. Chald. R. Dauid, Vatabl. Pagnin. & alij recentiores vertunt, *putruit* vel *fœtuit potus eorum*, q.d. Vinum eorum erat olim vinum *eos*, id eſt coloratum, odoratum, ſapidum; iam per ſcelera eorum receſſit à ſuo colore, odore, ſapore; factumque eſt decolor, putidum, acidum. q.d. Lætitia eorum in triſtitiam verſa eſt, gaudia in luctum, epulæ in abſynthium.

Mirum eſt Septuag. vertere, *prouocauit Chananæos.* quod ſic explicat S. Hieron. q.d. *Tantum ſtudium habuit Iſrael in idolorum cultu, vt non imitatus ſit Chananæos, id eſt Ethnicos, ſed ad imitationem ſui eos prouocauerit erroris.*

Denique Iſidor. vertit, Receſſit ebrietas & crapula eorum; quaſi Iſraelitis hîc tacitè obiiciatur, quòd vſque ad crapulam & vomitum ſeſe ingurgitarent.

DILEXERVNT IGNOMINIAM PROTECTORES EIVS] Altera ratio qua vrget Propheta Iudam, vt recedat ab Iſrael; quia, inquit, *protectores*, id eſt, dij quos colunt, vel, vt Chald. Hebr. Pagnin. & Vatabl. principes eius, qui ſanciunt idololatriam, fornicationem, crapulam, illumque ad ea inducunt verbo & exemplo, iiſdem non niſi ignominiam & probrum ipſi accerſunt. Itaq; per ignominiam intellige probroſam & ignominioſam tam idololatriam, cum S. Hieron. Haymone, Hugone & Lyrano; quàm gulam & fornicationem, cum Aria & Chaldæo, qui vertit, *fornicationem dilexerunt, vt venirent ſibi in ignominiam proceres eorum.*

Legit Interpres הָבוּ *habo*, id eſt afferre: iam aliis punctis legunt, הָבִי *habu*, id eſt afferte, date. Vnde vertunt, *diligunt, date ad ignominiam, clypei eius*, id eſt protectores eius qui eum tuentur vt clypei, q.d. Protectores & principes Iſraelis, diligunt munera, dicūtque, Date, date nobis dona, quod eſt illis, æquè ac populo ignominioſum. ita Vatabl. Pagnin. Iſidor. Rabbini. Aut, vt Arias, *date*, ſcilicet vina & delicias, q.d. Aſſiduè poſtulant vina & delicias, quaſi Epicurei, quæ eſt ſumma ignominia. Verùm hæc verſio obſcurior eſt, ac textui nonnulla addit & ſupplet: noſtra verò clarior, planior, magiſque adæquata eſt, ideoque verior & germanior.

VERS. 19. LIGAVIT EVM SPIRITVS (id eſt ventus, ſiue turbo) IN ALIS SVIS] Septuag. *turbo ſpiritus ſibilabit in alis eius*, q.d. Turbo diuinæ indignationis & vindictæ, quaſi alis ſuis colligabit Iſraelem, ſiue Synagogam, eamque auferet in captiuitatem Aſſyriacam; ibique celerrimè diſperget in omnes mundi plagas: ſicut turbo contorquere, iactare & diſpergere ſolet paleas. Aut q.d. Quocumque ventus perflauerit, eò ſecum deferet alligatum Iſraelem: quare celerrimè hinc auolabit, quaſi impulſus velociſſimo & rapidiſſimo vento. Ventis enim dantur alæ per metaphoram, ob velocitatem: vnde & pinguntur alati, æquè ac angeli, ait Iſidor. lib. 7. Etymol. c. 5. Hinc Ouid. 1. Metam.

Emittitq; Notum, madidis Notus euolat alis.

Sic aquæ pluuiæ dicuntur in nubibus, non tantùm includi, ſed & ligari. Iob 26 v. 8. vt niſi ſimul cum nubibus, moueri & diſcurrere non poſſint: nubes enim ſunt pluuiæ vehiculum. ita Pineda ibidem. Vnde Syrus vertit, *colligabitur ſpiritus in alis eorum*; Arabicus Antiochenus, *venit ſpiritus inflexus* (retortus) *in alis eius*; Arabicus Alexandrinus, *flauerunt venti ex alis eius.*

Eſt Poëtica deſcriptio captiuitatis. ita Ruffin. Theodoret. Theophyl. Pro *ligauit*, hebr. eſt צָרַר *tſarar*, id eſt ligauit, conſtrinxit, contorſit, arctauit, afflixit, tribulauit. Cyrill. & Theophyl. pro אֹתָהּ *ota*, id eſt, *eam*, aliis punctis legunt אַתָּה *atta*, id eſt *tu*: vnde vertunt, *turbo ſpiritus tu es in alis eius*, quaſi Propheta loquatur Deo, dicatq; eum eſſe ipſum turbinem, qui auferet Iſraelem: aut, vt Cyrill. q.d. Tu Iuda fuiſti Iſraeli quaſi turbo ſpiritus in alis volucris: cùm enim Iſrael vidit te, qui habes templum, tam inertem & ſupinum, iiſdemque peccatis illigatum, magis citiuſque apoſtatauit.

Ex aduerſo S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo & Lyran. per ſpiritum hunc accipiunt diabolum, q.d. Diabolus eſt qui impellit Iſraelem ad idololatriam, aliaque ſcelera, adeò vt videatur ei mentem & voluntatem colligaſſe, eaque aſtrinxiſſe idolis. Sic dæmon peccatorem alligat amaſiæ, vino, ambitioni, itaque ligatum agitat & raptat quaſi mancipium, quocumque vult, vti magas & ſagas tam corpore, quàm ſpiritu raptat vbilibet.

Secundò, Leo Hebr. vertit, *ligauit ventum in alis ſuis.* quod Vatabl. exponit, q.d. *Ventus conſtrictam tenebat illam congregationem* (hanc enim ſignificat Hebr. אֹתָהּ *ota*, quod eſt femininum) *Iſraelitarum in alis ſuis, & ita eos aliò transferet*, putà in captiuitatem Aſſyriacam: alas enim vocat oras & ſinus veſtium, quaſi Iſrael in iis ligatum habeat ventum ſiue turbinem, qui eum ita alatum celerrimè transferat in Aſſyriam. Vnde & Symmach. vertit, *ligauit ventum in alis venti.* quod explicans S. Hieron. *Ligauit*, ait, *eos diaboli ſpiritus in alis ſuis, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, & ſtabili in Eccleſia pede permanere non poſſunt.*

Secundus hic ſenſus coincidit cum primo: ſiue enim dicas Iſraelem in Aſſyriam abreptum alis turbinis iræ Dei, ſiue alis turbinis ſui, eôdem res redit: turbo enim Iſraelis non eſt alius, quàm turbo iræ Dei, quem ſcilicet ei ira Dei indidit & impreſſit, vt eum auferat in Aſſyriam; ſicuti vis iacientis lapidem, & vis iacti lapidis, eadem eſt. Iaciens enim vim ſuam lapidi iacto imprimit, vt eum proiiciat quò vult: vis ergo hæc tam eſt hominis iacientis, quaſi efficientis, quàm lapidis iacti, quaſi recipientis & patientis. Denique

Hebr. *ota*, id eſt eam, aliqui referunt ad ignominiam, q.d. Turbo iræ Dei ligauit ignominiam in alis Iſraelis, vt illam excutere nequeat. vnde ſubdit: *Confundentur à ſacrificiis ſuis*, id eſt, ob ſacrificia quæ idolis obtulerunt.

Tropolog. diſce hîc peccata creare turbinem qui peccatores ignominiosè diſpergat, & tandem deturbet in tartará. Quocirca Zacharias c. 5. v. 7. vidit mulierem, cui nomen erat impietas, amphoræ inſidentem, à duabus mulieribus habentibus alas milui, & ſpiritum in alis, rapi in Babylonem, quæ eſt ſymbolum gehennæ. Vide quæ de funibus & vinculis peccatorum dixi Iſaiæ 5. 18.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VOcat Deus ad iudicium ſacerdotes & primores, eoſq; accuſat quòd laqueus fuerint populo, eumq; ſuis idolis & ſceleribus implicarint: Quia ſpiritus, *inquit*, fornicationum in medio eorum. *Hinc eis cum populo, & cum Iuda, qui Iſraelis ſcelus ſecutus eſt, hoſtile excidium intentat, dicens v.* 5. Reſpondebit arrogantia Iſrael in facie eius: ruet etiam Iudas cum eis. *Denique v.* 12. *ait ſe eos quaſi tineam & cariem corroſurum, ac v.* 14 *quaſi leænam diſcerpturum.*

Verſ. 1. AVdite hoc ſacerdotes, & attendite domus Iſrael, & domus regis auſcultate: quia vobis iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor.

2. Et victimas declinaſtis in profundum: & ego eruditor omnium eorum.

3. Ego ſcio Ephraim, & Iſrael non eſt abſconditus à me: quia nunc fornicatus eſt Ephraim, contaminatus eſt Iſrael.

4. Non dabunt cogitationes ſuas vt reuertantur ad Deum ſuum: quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt.

VERS. 1. AVDITE HOC SACERDOTES] Increpat primò ſacerdotes, deinde populum, præſertim primores populi, demum regis aulicos & principes Iſraelis de idololatria: hanc enim ſacerdotes & primores abolere, & populum dedocere debebant, eumque docere verum Dei cultum. Per ſacerdotes S. Hieron. Haymo, Hugo, Ribera, & alij accipiunt pſeudoſacerdotes idolorum in Iſrael: hi enim non erant veri & legitimi: tum quia non erant ex tribu Leui: tum quia erant idolorum: tum quia non à Deo, ſed à Ieroboam idololatra rege conſtituti, 3. Reg. 12. v. 28. Poſſunt tamen accipi veri Dei ſacerdotes. Hi enim ſparſi erant per Iſrael, vt eum in Dei cultu continerent; ſed cùm Ieroboam vitulos ſuos induxit, non tantùm populus, ſed & ſacerdotes regis ſui imperium ſecuti, vitulos hoſce & Baalim coluerunt, alioſque colere docuerunt, imò compulerunt.

QVIA VOBIS (Septuag. *ad vos*) IVDICIVM EST] q.d. Vos Deus vocat ad iudicium, & condemnationem; vt ſcilicet vos ob idololatriam in iuſto iudicio accuſet, & condemnet ad excidium inferendum ab Aſſyriis. *Iudicium* ergo hîc Primò, propriè ſumi poteſt: Secundò, impropriè, per catachreſin pro diſceptatione, accuſatione, redargutione, increpatione, quæ fieri ſolet in iudicio; Tertiò, metonymicè pro condemnatione, q.d. Adeſte in iudicio Dei, vt veſtram ſententiam & condemnationem audiatis. ita S. Hieron. Theodoret. Theophyl. Hugo, Ribera & alij. Aliter Chald. & Iſidor. q.d. Quia veſtrum eſt iudicium, id eſt, quia ad vos ſpectat iudicare, quia polletis auctoritate in iudiciis; hinc adeſte in hoc Dei iudicio, verùm non vt iudices, ſed vt rei.

QVONIAM LAQVEVS FACTI ESTIS SPECVLATIONI, ET RETE EXPANSVM SVPER THABOR] Pro *ſpeculationi* hebr. eſt *mitſpha*, vulgò *maſpha*, quod Vatabl. Arias, Pagnin. & paſſim hebraizantes ac Nouantes accipiunt vt nomen proprium vrbis. Maſpha enim fuit vrbs ſita in monte, eaque celebris: nam in ea fuit arca teſtamenti; vnde eò conueniebat populus ad orationem. Hinc & Samuel in Maſpha iudicabat populum, 1. Reg. 7. 10. In Maſpha quoque habitauit Godolias & Ieremias, Ierem. 40. 41. Vertunt ergo hebraizantes, *nam laqueus facti eſtis in Maſpha, & rete expanſum ſuper Thabor*. idque dupliciter exponunt. Primò, Vatabl. Kimchi & Pagnin. ſubaudiendo vocem *ſicut*, exponunt q.d. Vos ſcandalo & offendiculo eſtis populo, vt eum capiatis & inducatis ad idololatriam, indeque in exitium & ruinam; ſicut venatores laqueos extendunt in Maſpha, & retia in Thabor, ad capiendas aues & feras. Secundò, Arias exponit, q.d. Ieroboam in Maſpha & Thabor ſtatuit ſpeculatores & cuſtodes, qui capiebant Iſraelitas euntes Ieruſalem ad templum, eoſque cogebant ire in Dan vel Bethel, ibique adorare vitulos aureos Ieroboam. Verùm, vt alia omittam, huic verſioni obſtat, quòd Maſpha non erat in Iſrael, vbi regnabat Ieroboam; ſed in Iuda, vbi regnabat Roboam, vti docet S. Hieron. in Locis Hebr. Adrichom. & paſſim alij.

Quocirca noſter à Caſtro cenſet vrbem hanc Maſpha, aliam fuiſſe ab iſta Maſpha Iudææ, ac fuiſſe ſitam in Iſrael, putà in monte Galaad. Mons enim Galaad dictus eſt Mitſphe vel Maſpha, id eſt ſpecula; vel, vt Septuag. vertunt, ὅρασις, id eſt viſio: ex eo quòd Laban ſanciens fœdus cum Iacob, ibi Deum, quaſi ſpeculatorem, in teſtem & vindicem ſui fœderis per iuramentum vocarit, vt dixi Geneſ. 31. 48. Itaque cenſet à Caſtro, Ieroboam ſpeculatores conſtituiſſe in Galaad, qui populum auerterent à templo, & cogerent adorare in Dan & Bethel. Hic ſenſus probabilis & plauſibilis videtur.

Verùm obſtat Primò, quòd de his ſpeculatoribus in libris Regum, & in tota Script. nulla fiat mentio; aliquid tamen de iis innuitur Oſee c. 6. 9. vti eo loco dicam. Secundò, quòd Galaad nuſquam vocetur Maſpha, niſi Geneſ. 31. v. 48.

idque

idque tantùm in Hebræo. Tertiò, quòd *Mitspha* hîc in Hebræo habet articulum datiui casus: sic enim Hebr. ad verbum habent: *Quia laqueus fuistis ipsi Matspha, & rete expansum super Thabor.* Malè ergo recentiores vertunt, *in Mitspha*, vel *super Mitspha*: *Mitspha* enim hîc est datiui casus. Quartò, quia Septuag. Chald. S. Hieron. planè consentiunt nostræ versioni, vertuntque, *quia laqueus facti estis speculationi*, vel speculæ. Itaque *Mitspha* hîc est nomen non proprium vrbis, sed appellatiuum significans speculationem, vel speculam.

Speculatio quid

Quæres, quænam est hæc *speculatio*? Primò, S. Hieron. exponit, q.d. Facti estis laqueus pro speculatione, eo sensu quem mox afferã. Hebr. enim *lamed* in *lemitspha*, subinde significat *pro*. Secundò, abstractum hîc accipi potest pro concreto, more Hebræo: *speculatio* ergo accipi potest pro populo speculato, seu vestræ, ô sacerdotes & principes populi, curæ & speculationi commisso, q.d. Vos ô primores (hos enim alloquitur) qui debebatis speculari, excubare, & custodire populum in cultu Dei, eumdem verbis & exemplis pertraxistis ad idololatriam. Sic Ezechiel à Deo constitutus est speculator populi c. 3.17. vide ibi dicta. ita Cyrill. Albert. Hugo, Emmanuel, Mariana & Lyran. Aut certè *speculationi*, id est prophetiæ: hoc est Prophetis, q.d. Vos ô Israelitæ facti estis laqueus Prophetis & doctoribus, quia eis insidias tenditis, eosque capitis & occiditis ita Chald. Theodor. Theophyl. *Mitspha* ergo, id est speculatio, significat vel *nitspbe*, id est speculatum, scilicet populum; vel *tsophim*, id est speculatores, scilicet Prophetas; perinde ac si dicas. Laqueus facti estis episcopio, id est Episcopo, & subditis Episcopo. vnde Syrus vertit, *Laquei enim facti est speculatori.*

Quocirca allegor. Cyrill. hæc accipit de Iudæis Christo (hic enim est speculator & Episcopus animarum nostrarum, vt ait S. Petrus epist. 1. c. 2. v. vlt.) eiusque verbis & factis vbique insidiantibus, vt eum in necem & crucem agerent, vti tandem fecerunt Sic & Leo Castrius, qui putat hunc esse sensum litteralem; adeoque de Christo totum hoc caput, imò totum Prophetam explicat ad litteram, in quo hallucinatur. De Christo enim Propheta loquitur allegoricè, non litteraliter.

Nota. In Hebr. pulchra est paronomasia inter מִשְׁפָּט *mispat*, id est iudicium, & מִצְפָּה *mitspha*, id est speculationem, q.d. *Vobis mitspat*, id est *iudicium, est* hoc est, cito vos ad iudicium; quia fuistis laqueus *lemitspha*, id est speculationi. Rursum inter פַּח *pach*, id est laqueus, & מִצְפָּה *mitspha*, id est specula, q.d. Pro specula facti estis laqueus: vestrum enim erat speculari, & præmonere ac custodire populum; sed vosipsi eum illaqueastis, & in laqueum, id est, in captiuitatem hostium induxistis, iuxta expositionem S Hieron. primo loco assignatam. Perinde ac si latinè ludas, ac dicas: Vos speculatores facti estis expilatores aut spiculatores. vos tutores traditores; vos curatores proditores; vos defensores direptores; vos pastores perditores; vos Episcopi apostatæ. Ita Synodus generalis V. actione 5. ex verbis S. Cyrilli, hunc Osee laqueum ait esse Theodorum Mopsuestenum, & similes hæresis & falsitatis doctores.

ET RETE SVPER MONTEM THABOR] Subaudi

A voculam *sicut*, q.d. Sicut venatores rete tendunt auibus & feris in Thabor, ita vos insidias tetendistis vel populo, vel Prophetis & prædicatoribus. Porrò Thabor, vel, vt Septuag. & Ioseph. vocant, Itabyrius, mons est pulcherrimus in medio Galilææ campo, mira æqualitate ex omni parte rotundus: in vertice viginti sex stadiorum campestris planicies patet: cæli temperie est saluberrimus: vineis, oliuis, aliisque arboribus fructiferis vndique consitus: rore perpetuo vuidus: arborum frondibus, & versicoloribus herbis semper viridis, atque suaui omnigenûm florum odore fragrantissimus. Hinc magna ferarum, maximeque auium in eo est frequentia, quarum & grato concentu amœnissimus est, & venatu celebris: vnde in eo venatores retia tendebant, vt ait hîc Osee. Denique totus hic mons pascendis oculis, reficiendisque animis natus factusque videtur: ideoque eum Christus Dominus meritò delegit tum orationi, tum transfigurationi suæ, in quo sole lucidior & niue candidior refulgens coram Mose & Elia, cælestis beatitudinis & gloriæ specimen aliquod discipulis suis dedit. ita Borchard. Bredembach. & Adrichom. in Descript. terræ sanctæ. *Thabor qualis*

Tropolog. Theophyl. speculatores, id est Episcopi, Pastores & Prælati, quorum erat inuigilare saluti subditorum, eis fiunt rete, cùm vel falsa doctrina, aut prauis consiliis, vel moribus & exemplis eos secum implicant, trahuntque ad scelera, & in ruinam; idque in Thabor, quod nomen hebraicè significat, puritas, vel veniens lumen, ait S. Hieron. quia in ipsa sacerdotij pulchritudine animis fœditatem afferunt; in ipsa puritate inquinant; in ipso lumine tenebras offundunt; in ipsa celsitudine in profundum plebem præcipitant, ait Sebast. Barrad. lib. 7. cap. 5. Vnde Arabicus Antioch. vertit, *quia facti estis laqueus in offensionem, & quasi rete expansum super abyssum*; & Arabicus Alexandr. *iam facti estis sicut laquei in locis insidiarum, & sicut cibus qui ponitur in venationem in nemoribus animalium.*

ET VICTIMAS DECLINASTIS, scilicet à Deo, eiusque templo, & altari Hierosolymitano, ad idola eorumque aras erectas in Dan & Bethel: idque IN PROFVNDVM] scilicet impietatis. Vnde Chald. vertit, *sacrificant idolis largissimè.* Hebræi enim sumunt verba pro aduerbiis. ita Ribera. Hebr. ad verbum habent, *victimam declinantes profundauerunt*, id est, in profundum scelerum abierunt, profundè descenderunt, in fundum idololatriæ prolapsi sunt; &, vt ait Osee cap. 9. 9. *profundè peccauerunt.* Eadem phrasi vtitur Isaias c. 31. 6. *Conuertimini sicut in profundum recesseratis* (hebr. *sicut profundastis*) *filij Israel.* Et c. 30. 33. dicitur Tophet, id est gehenna, profunda & dilatata; hebr. *profundauit & dilatauit se.* ita S. Hieron. Albert. Lyran. Arias, Ribera & alij. Aliter Vatabl. & Clarius, qui per profunditatem intelligunt calliditatem & versutiam, q.d. Apostatæ qui declinant à vera religione, rationem subtilem & callidam inuenerunt immolandi diis alienis: dicunt enim se colere idola in honorem Dei. Sic Galli dicunt: *Voyla vn homme profond*, cùm callidum & astutum denotare volunt. VERS. 2.

Septuag. hæc referunt ad rete quod præcessit: vertunt enim, *qui capiunt venationem confixerunt*; vt Hebr. *profundauerunt*, idem sit quod, profundè

vel retia in terram, vel lanceas & venabula in corpora defixerunt, ſcilicet venatores: legendum enim *confixerunt*, vt habet editio Romana Caraffæ. S. Hieron. Theodoret. & Theophyl. non *timuerunt*, vt habent Complut. & Regia. Syrus vertit, *& venatores qui venantur operuerunt laquei*. q.d. Capti ſunt laqueis ſuis, quos aliis tetenderunt: *ego autem erudiam* (corripiam) *eos omnes, ego ſcio*. Myſticè S. Gregor. homil. 4 in Ezech. *Sunt*, ait, *nonnulli qui idcirco ſe in prece lamentis afficiunt, vt aut terrena commoda acquirant, aut hominibus ſancti videantur. Quid hi niſi victimas in profundum deferunt? qui per hoc quòd in imo ſunt quæ requirunt, orationis ſuæ ſacrificium deorſum deponunt.*

ET EGO ERVDITOR OMNIVM EORVM] q.d. Profundè peccant, cùm tamen ego numquam deſtiterim eos corripere per Prophetas & erudire, ne tantùm ſcelus patrarẽt. ita S. Hieron. & Septuag. qui vertunt, *& ego magiſter eorum*. Minùs rectè vertit Lyran. *& ego cognitor eorum*, q.d. Non pudet eos peccare in mea præſentia; ego enim omnium eorum ſcelera cognoſco & video. Nam Hebr. מוסר *muſar*, non ſignificat cognitionem, ſed correptionem, obiurgationem, caſtigationem: vnde diſciplina & caſtigatio puerorum vocatur *muſar*. Quocirca Chald. vertit, *ego adduco correptiones*, vel *caſtigationes ſuper omnes illos*: quod Theodor. & Theophyl. exponunt per futurum, q.d. Ego caſtigabo eos excidio, puniam eos captiuitate.

VERS. 3. EGO SCIO EPHRAIM, id eſt, vt rhythmicè more Hebr. quaſi per carmen antiſtrophum explicat, dum ſubdit: ET ISRAEL NON EST ABSCONDITVS A ME] Aut potiùs Ephraim vocat tribum regiam & capitalem, Iſrael verò reliquas nouem, quæ Ephraim idololatriam & imperium ſecutæ ſunt: diſtinguit enim Ephraim ab Iſrael v. 5. q.d. Noui ingenium & indolem Iſraelis, quòd ſcilicet in idola ſit propenſiſſimus, & à me maximè auerſus, quodque idololatriam & vitulos Ieroboam, qui fuit primus eorum rex ex tribu Ephraim, mox prono animo ſecutus ſit, adeoque altè animo ſuo impreſſerit, vt eum quaſi contribulem ſuum totus populus, omneſque deinceps reges in ſcelere imitati & affectati ſint; nec vllis Prophetarum monitis aut minis ab eo reuocari poſſint, niſi excidio conterantur, & captiuitate dura eorum corda frangantur. ita S. Hieron. Theodoret. Rupert. Albert. Arias, Lyran. & Vatabl.

Tropol. hic Nota, Deum cognoſcere & præuidere intimas & ſecretiſſimas mentium cogitationes, deſideria, propẽſiones, intentiones. vnde in Script. vocatur cardiognoſtes, quia ſcrutatur renes & corda. Quocirca Iſaias c. 29. 15. grauiter redarguit impios, qui putant ſe Deum latere dicentes: *Quis videt nos, & quis nouit nos?* quod tantumdem eſt ac ſi *figmentum*, inquit, *dicat figuli ſuo: Non intelligis*, non me cognoſcis. quod impium eſt: Dei enim eſt creaturas ſuas quas ex nihilo creauit & finxit regere & conſeruare: ergo qui eas creauit, eas pariter intimè cognoſcit, penetrat & peruidet. Præclarè Sapiens Prouerb. 15. 11. *Infernus*, ait, *& perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum: perditio*, id eſt, damnatio æterna, q.d. Nouit Deus ima inferni; & qui, quot, quantumque ob ſcelera ſua ſint damnandi, aut damnati: ergo multò magis nouit ſecreta cordium cuiuſque. Ita valet, ſtringitque hoc argumentum à maiore ad minus, q.d. Cùm in cubili, imò in corde occultiſſimè peccas, cùm te latere credis, adeò Deum non lates, vt ſimul ipſe videat pœnas, quas præciſè mereris, quaſque ipſe tibi in gehenna pro illo crimine præparauit. Tu peccas, & inanem concupiſcentiam exples, interimque non cogitas gehennam & ignes æternos, qui tibi à Deo parantur. Hoc eſt quod grauiter & ſignificanter ait Apoſt. Hebr. 4. 12. *Viuus eſt ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius.* vide ibi dicta. Atque hæc eſt cauſa cur Deus præuideat & præcognoſcat omnia contingentia futura, omneſque actus voluntatis liberos futuros vel abſolutè vel conditionatè, ſi videlicet in tali, vel tali rerum ſerie, talibuſque circumſtantiis voluntas poneretur, quid ipſa factura & electura eſſet: quia ſcilicet ipſe præuidet, & planè comprehendit totam voluntatem, omneſque eius occultas affectiones & propenſiones, vti & circumſtantiarum rerumque omnium, itaque; videt ipſam poſitam & compoſitam cum tali gratia, tentatione, aliiſque circumſtantiis certò & infallibiliter, ſed liberè ad hoc illudue ſe determinaturam. Qui enim cauſam comprehenſiua cognitione cognoſcit & comprehendit, comprehendit & omnes eius effectus actuſque, etiam liberos.

NON DABVNT COGITATIONES SVAS VT REVERTANTVR AD DOMINVM] Aliter verti poteſt ex Hebræo, ſcilicet, *non permittent opera eorum* (impia & idololatrica, quibus aſſiduè vacant) *vt reuertantur ad Dominum*. ita Chald. & Vatabl. cui aptè cohæret quod ſequitur. VERS.

QVIA SPIRITVS FORNICATIONVM IN MEDIO EORVM] q.d. Ita dediti ſunt idololatriæ, vt videantur ſpiritu & œſtro idololatrandi agi & furere, vti vaccæ actu œſtro furentes diſcurrunt, & à bubulco reuocari compeſciique nequeunt. Aliter Vatabl. intelligit enim ſpiritum pſeudoprophetarum, q.d. Decepti ſunt à pſeudoprophetis, illorumque doctrina & ſpiritu idololatrico imbuti, in idola inſaniunt.

5. Et reſpondebit arrogantia Iſrael in facie eius: & Iſrael & Ephraim ruent in iniquitate ſua, ruet etiam Iudas cum eis.

6. In gregibus ſuis & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient: ablatus eſt ab eis.

7. In Dominum præuaricati ſunt, quia filios alienos genuerunt: nunc deuorabit eos menſis cum partibus ſuis.

8. Clangite buccina in Gabaa, tuba in Rama: vlulate in Bethauen, poſt tergum tuum Beniamin.

9. Ephraim in deſolatione erit in die correptionis: in tribubus Iſrael oſtendi fidem.

10. Facti ſunt principes Iuda quaſi aſſumentes terminum: ſuper eos effundam quaſi aquam iram meam.

ET

VERS. 5. ET RESPONDEBIT ARROGANTIA ISRAEL IN FACIE EIVS] *Arrogantiam* vocat ſuperbiam Iſraelis, qua ſpernens Deum, ſequebatur idola: rurſum *arrogantia* hîc ſumitur pro pœna culpæ arrogantiæ debita, q.d. Punietur hæc arrogantia Iſraelis, ita vt pœna reſpondeat culpæ, eiq́ue publicè, quaſi in faciem dicat: Ecce, quia, ô Iſrael, tam arrogans fuiſti & rebellis in Deum tuum, hinc meritò nunc ab eo humiliaris & plecteris. Hinc Vatabl. & Pagnin. vertunt, *teſtificabitur faſtus Iſraelis contra eum*, idq́ue *in faciem eius*. Vnde explicans ſubdit: *Et Iſrael & Ephraim ruent in iniquitate ſua.* Quocirca Septuag. pro *reſpondebit*, vertunt, *humiliabitur iniuria* (iniurioſa in Deum arrogantia) *Iſrael in faciem eius*; Chald. *deprimetur gloria Iſrael ipſis videntibus. Reſpondebit* ergo, id eſt, ex æquo punietur & humiliabitur, vt conquerenti iuſtè reſpondere poſſit, eum ita puniri, quia fuit tam arrogans. Nam pœna debetur & commenſuratur, itaq́ue ex æquo reſpondet culpæ ac peccanti; ſicut præmium virtuti, merces labori, fructus agricolæ, vti ait Iacob ad Laban, Geneſ. 30.33. quò hîc alluditur. ita S. Hieron. Theodor. Albert. Hugo, Lyran. & Ribera.

IN FACIE] Id eſt, palàm, publicè, ipſis aliiſq́ue omnibus videntibus, & iuſtum Dei iudicium ac vindictam approbantibus. ita Chald. Theophyl. & alij iam citati. Aliter Arias, qui τῷ *in facie*, putat ſignificari impudentiam, q.d. Arrogantia & faſtus Iſraelis cernitur & relucet in facie eius, oculis & ſuperciliis inflatis, altis & tumidis, iuxta illud Iſaiæ 3.9. *Agnitio vultus eorum reſpondit eis.* vide ibi dicta. Verè dixit B. Cæſarius Epiſcopus Arelat. hom. 23. *Quiſquis ſuperbus eſt, damone plenus eſt.*

Mor. Libido eſt pœna ſuperbiæ.

Moraliter S. Gregor. lib. 26. Moral. cap. 13. ex hoc Oſee loco docet luxuriam eſſe pœnam arrogantiæ: *Occultam*, inquit, *culpam ſequitur aperta percuſſio; vt malis exterioribus interiora puniantur, & cor publicè corruat, quod latenter tumebat.* Probat id ex eo quod Oſee hîc dixit: *Spiritus fornicationum in medio eorum.* eiuſq́ue cauſam aſſignans ſubdit: *Et reſpondebit arrogantia Iſrael in faciem eius; ac ſi diceret: Culpa quæ per elationem mentis in occulto latuit, per carnis luxuriam in aperto reſpondit. Proinde per humilitatis cuſtodiam ſeruanda eſt munditia caſtitatis. Si enim piè ſpiritus ſub Deo premitur, caro illicitè ſuper ſpiritum non leuatur. Habet quippe ſpiritus commiſſum ſibi dominium carnis, ſi tamen ſub Deo recognoſcit iura legitimæ ſeruitutis. Nam ſi auctorem ſuum ſuperbiendo cõtemnit, iure & à ſubiecta carne prælium ſuſcipit.* Probat id exemplo Adæ, qui mox vt inobediens contra Deum ſuperbiit, ſtimulum carnis ſenſit; ideoq́ue erubeſcens, nuda membra foliis ficus contexit; *vt ſuperatus diſceret, quid elatus amiſiſſet.*

ET ISRAEL ET EPHRAIM RVENT IN INIQVITATE SVA] Hæc eſt reſponſio realis, non verbalis; de qua iam dixit: *Et reſpondebit arrogantia Iſrael in faciem eius.* Diſtinguit Iſrael ab Ephraim, vt corpus à capite, regnum à metropoli. Tribus enim Ephraim dedit primum regem Ieroboam, multoſque deinde eius ſucceſſores Iſraeli: vnde Ephraim continebat imperium & regnum Iſraelis, ſiue decem tribuum, earumq́ue erat quaſi caput & metropolis. Senſus ergo eſt, q.d. Decem tribus ruent cum ſuo capite, putà cum ſuo imperio, cum ſua tribu regali Ephraim, eiuſq́ue rege & regno, idq́ue *in iniquitate ſua*, id eſt, merito iniquitatis, propter iniquitatem ſuam. Sic enim præpoſitio *in*, Hebræis ſæpè ſignificat meritum vel demeritum, idemq́ue valet quod propter, vti legenti Pſalmos notiſſimum eſt.

RVET ETIAM IVDAS CVM EIS] q.d. Etiam duæ tribus, ſiue regnum Iuda ruet; quia Iſraelis idololatriam ſecutum eſt.

VERS. 6. IN GREGIBVS SVIS ET IN ARMENTIS] q.d. Poſiti in calamitate, & ab hoſte circumdati, quærent Deum per victimas gregum & armentorum; ſed fruſtra: nec enim eum inuenient; vtpote qui derelinquentes ſe pariter dereliquerit. ita S. Hieron. Hoc eſt enim quod ſubdit: *Ablatus eſt ab eis*; Chald. *ſubduxit ſe maieſtas eius ab eis.* Allegor. q.d. Iudæi poſt Chriſtum volent Deo offerre priſtinas gregum victimas, iiſq́ue Deum placare; ſed fruſtra: ipſe enim receſſit ab eis ad Chriſtianos, & gregum victimas in Euchariſtiam corporis Chriſti commutauit. ita Theophyl. & Leo Caſtrius.

VERS. 7. QVIA FILIOS ALIENOS GENVERVNT] *Alienos*, ſcilicet à Deo, Deiq́ue cultu; ſiue quos ab infantia in idololatria educarunt, aut Moloch aliiſq́; idolis per ignem conſecrarunt. Hi enim me non cognoſcunt, nec ego illos vt meos cognoſco, ſed vt alienos æſtimo. ita S. Hieron. Cyrill. Albert. Hugo & Clarius. Huc accedit Rupertus & Lyran. qui per *filios alienos* intelligunt diſcipulos, familiares aut ſubditos, quos ipſi docebant ſuam idololatriam.

Secundò, Cyrill. Theodoret. Theophyl. Clarius, Emmanuel & Mariana, cenſent vocari *filios alienos*, quos ex alienigenis, putà ex filiabus Gentium, quarum connubia eis erant à Deo vetita, Exodi 34.v.16. & Deuteron. 7.v.3. procreabant. vnde Chald. vertit, *in verbum Domini perperam egerunt, quia filios de filiabus gentium ſibi ſtatuerunt.*

NVNC DEVORABIT EOS MENSIS] q.d. Per ſingulos menſes irruet in eos hoſtis & plaga, eoſq́ue percutiet & vaſtabit. Vnde Chald. vertit, *nunc adducam aduerſus eos populos per ſingulos menſes, qui populabuntur fructus terræ eorum*; & Arabicus Antiochen. *nunc deuorabunt eos latrones, & gentem eorum*; & Arabicus Alexandr. *comedet eos Aſſur, & omnia bona eorum.* ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Vatabl. Emmanuel & alij: & patet ex 4.Reg.15.v.19.& 29. ſub Phul, Teglathphalaſar, & Salmanaſar crebras fuiſſe irruptiones Aſſyriorum in Samariam. Rurſum Deum plagas alias & alias ſucceſſiuè & continuè in Iſraelitas immiſiſſe, ſignificat illud Ioël cap. 1. 4. *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo.*

Secundò, Clarius & Vatabl. per menſem, ſynecdochicè accipiunt breue tempus. Declarat, inquiunt, illud *nunc*, quod dixerat, cùm dicit *menſis*, q.d. Poſt tempus menſtruum, id eſt breuiſſimum, perituri ſunt cum ſuis facultatibus: aut, hoc menſe vaſtabuntur & deuorabuntur. Videtur enim Propheta hæc dixiſſe iamiam imminente hoſte & clade: vnde ſubdit: *Clangite buccina in Gabaa.* Hic ſenſus planus videtur & facilis.

Tertiò, Lyran. Mariana & Arias ex R. Salomone, per menſem accipiunt *Ab*, id eſt Iulium: cenſent enim in Iulio captam & exciſam eſſe Samariam

mariam cum regno Iſrael. Sed hoc incertum eſt: certum eſt eodem menſe Iulio combuſtam eſſe Ieruſalem cum templo à Chaldæis, totumque regnum Hebræorum, ſiue poſterorum Iſraelis, 4.Reg.25.8. illi ergo certiùs hæc attribuas.

Denique Septuag. pro *menſis*, vertunt, *rubigo*; videntur ergo pro חֹדֶשׁ *chodeſc*, id eſt menſis, legiſſe חָסִיל *chaſil*, id eſt rubigo. Aquila verò vertit, *neomenia*, fortè quia cenſuit primo die menſis exciſam eſſe Samariam. Hæc Aquilæ verſio illuſtrem dat allegoriam & tropologiam. Neomenia enim, ſiue nouilunium, quod erat Hebræis prima dies menſis (hunc enim inchoabant à noua luna) ſymbolicè repræſentat nouum imperium, ac conſequenter mutationem ſtatus, gentis & regni, q.d. Breui veniet neomenia, id eſt nouus monarcha, putà Salmanaſar & Nabuchodonoſor, ac nouum eorum imperium, quod deuorabit Iſraelitas & Iudæos, veteremque eorum gentem, mores & regnum. *Nouus enim rex, noua lex, noua plebs*, vt vulgò dicitur. Et hoc ſignificat Hebræum חֹדֶשׁ *chodeſc*, ſcilicet innouationem, nouitatem, à rad. חָדַשׁ *chadaſc*, id eſt innouauit, nouum fecit: inde enim neomenia, ſiue calendæ vocantur *chodeſc*, eò quòd tum fiat innouatio lunæ, & conſequenter menſis lunaris, quo vtebantur Hebræi. Itaque omnes res humanæ, omnes gentes, omnia imperia ſub luna ſunt, & reguntur à luna, id eſt à viciſſitudine, mutabilitate, & quaſi à fortuna. Sunt ergo lunatica, ac inſtar lunæ, & cum luna citò decurrunt, tranſeunt, & finiuntur in nouilunio, dum ſcilicet nouus rex, nouumque imperium aſſurgit.

Quocirca mulier illa cæleſtis Apocal.12.1. Eccleſiam & fideles repræſentans, lunam habet ſub pedibus: quia fideles & ſancti terra ſunt altiores & luna, id eſt, omni rerum temporalium mutabilitate, ac cum S. Paulo mentem & conuerſationem habent in cælis.

CVM PARTIBVS SVIS] Septuag. *& cleros eorum: cleros*, id eſt ſortes, putà terras & agros, quæ ſorti-tò cuilibet tribui & familiæ obuenerant, Ioſue c.15. vnde Leo Hebr. vertit, *cum agris ſuis*.

VERS. 8. CLANGITE BVCCINA IN GABAA, TVBA IN RAMA] *Buccina* erat è cornu cornea: *tuba* ex ære ærea; ſubinde ex argento argentea, q.d. Adeſt hoſtis, imminet prælium, vel obſidio: ergo clangite & conuocate populum ad arma, vt hoſti reſiſtat. Nota. *Gabaa* & *Rama* vrbes erant celebres in tribu Beniamin, vicinæ, & in monte ſitæ: vnde & nomen acceperunt. *Rama* enim ſignificat excelſum, *Gabaa* collem. Quocirca Septuag. vertunt, *clangite tuba ſuper colles, reſonate in excelſis.* Potrò Beniamin Iudæ adhæſit, fueruntque hæ duæ tribus vnitæ ſceptro & familiæ Dauidis tempore Roboam, cùm ab ea decem reliquæ tribus fecerunt ſchiſma, electo rege Ieroboam. Hiſce ergo poſt Iſraelem exitium denunciat, explicat enim illud quod dixit, *Ruet etiam Iudas cum eis*. q.d. O duæ tribus, ne putetis vos immunes fore à clade & excidio Iſraelis; quin potiùs tubis clangite: video enim in ſpiritu imminere bellum & excidium decem tribubus, quæ colunt idola in Bethel & Bethauen: video pariter quòd iis abductis, in vos quaſi vicinos ſeſe conuertet hoſtis, voſque pariter vaſtabit & exſcindet. ita S. Hieron. Hugo. Lyran. Ribera, à Caſtro, & alij. Hac de cauſa cùm dixiſſet: *Vlulate in Bethauen*, quæ vrbs erat decem tribuum, ſubdit: *Poſt tergum tuum Beniamin*, q.d. Poſt Bethauen, quæ tibi à tergo eſt ô Beniamin, te hoſtis quaſi flamma proſerpens pariter inuadet & corripiet:

Nam tua res agitur paries cùm proximus ardet.

Aliam cauſam cur in Gabaa & Rama clangere iubeat, dat Chald. dum vertit, *buccinate prophetate venturos contra eos populos interfectores eò quòd crearunt regem ſuper ſe Saulem, qui erat de Gabaa Beniamin*, &c. *& eò quòd minimè ſuſceperint verba Samuelis Prophetæ, qui erat de Ramata.* Verùm eſto hæc de Saule & Samuele vera ſint, tamen remotiora ſunt; nec de iis hîc agitur, ſed de præſenti idololatria, ob quam Iſraelitæ puniendi erant excidio ab Aſſyriis, & Iudæi à Chaldæis.

VLVLATE] Hebr. הָרִיעוּ *hariu*, id eſt vociferamini, conclamate, ſcilicet ad arma, eò quòd hoſtis adſit. Vnde Vatablus vertit, *clangite*; Septuag. *prædicate in domo ὠν*; aut *vociferamini*, quaſi de re iam deſperata & conclamata, quòd ſcilicet hoſtis iam expilet & incendat vrbem, omneſque trucidet: tunc enim ſolet audiri clamor & vlulatus puerorum & feminarum: & hoc videtur voluiſſe Noſter, dum vertit, *vlulate*. ita Rupert. Haymo & Albert. Porrò Septuag. vertunt, *in domo ὠν*, in quo Græci interpretes ſe torquent; ſed dico Septuag. pro בֵּית אָוֶן *beth auen*, per craſin legiſſe בֵּית אֹן *beth on*. Idem ergo eſt *Bethauen*, id eſt domus iniquitatis, putà idoli, quod *Bethon*, id eſt *domus doloris*. idolum enim & ſcelus hebr. vocatur *labor & dolor*, quia eius eſt cauſa. Ex *Bethauen* ergo, id eſt ex domo peccati, itur in *Bethon*, id eſt, in domum doloris tum præſentis, tum æterni, putà in gehennam.

POST TERGVM TVVM BENIAMIN] q.d. A tergo tibi inſtat & imminet hoſtis ô Beniamin; iam enim expugnat Bethauen, quæ tibi à tergo adiacet. ita Clarius Vatabl. & alij. Hebr. eſt, *poſt te Beniamin*, ſcilicet eſt hoſtis in Bethauen. Mirum Septuag. vertere ἐξέστη, id eſt mente exceſſit, vel in mentis ſtuporem & ecſtaſin raptus eſt Beniamin.

IN DIE CORREPTIONIS, punitionis, vindictæ & excidij. Refer hæc verba tum ad id quod præcedit: *Ephraim in deſolatione erit.* ita Hebr. Chald. Septuag & Latina Romana, q.d. O quantum deſolabitur Ephraim in die excidij! tum ad id quod ſequitur: IN TRIBVBVS ISRAEL OSTENDI FIDEM] q.d. In die excidij *oſtendi*, id eſt, oſtendam fideles & veras fuiſſe meas minas, quibus per Prophetas eis hoc excidium intentaui & prædixi; oſtendam ergo eis meam fidem, id eſt, veritatem ſeu fidelitatem: fiet enim excidium quod prædixi, & comminatus ſum, ita S. Hieron. Theodoret. Theophyl. Arias & Ribera. Alij tamen hæc à ſequentibus dirimunt, ac tantùm ad id quod præcedit referunt. Vnde id quod ſequitur *oſtendi*, propriè accipiunt in præterito, q.d. Sæpiùs fideliter admonui decem tribus de excidio futuro, niſi reſipiſcerent: liberaui ergo fidem meam per fidelem admonitionē: ideo me accuſare, ſeque excuſare non poſſunt, quòd à me non fuerint præmonitæ. Hiſce ergo verbis occludit eis os: fidem enim vocat ſinceram, amicam & fidelem præmonitionem. ita Chald. Clarius, Vatabl. & à Caſtro. Hic ſenſus appoſitus eſt, magiſque reſpondet diſpunctioni Bibliorum Hebr. Chald. Græcor. & Latinorum Roman.

FACTI

VERS. 10. FACTI SVNT PRINCIPES IVDA QVASI ASSVMENTES TERMINVM] ſcilicet alienum, putà alieni agri & fundi, id eſt *transferentes*, vt vertunt Septuag. ac Syrus, & promouentes terminum, id eſt lapidem, ſtipitem, vel columnam terminalem (quo agri proprij limitantur, & ab alienis diuiduntur) ſcilicet ad hoc, vt eos, vel eorum partem ſuis agris & fundis adiungant: quod eſt peccatum iniuſtitiæ & furti, vetitum lege Dei, Deuteron. 19. 18. Solebant enim veteres vel lapide in terram defoſſo, vti etiamnum fit, vel erecta columna, aut titulo fundos ſuos limitare, vt conſtaret quouſque eorum fundus porrigeretur, ne ab alio inuadi aut occupari poſſet. Hic lapis limes, & ſignum diuidens agrum ab agro, vocabatur terminus. Hinc Terminus Gentilibus erat Deus, in cuius tutela credebant eſſe fines agrorum, cuius feſta dicebãtur Terminalia. Tales deos Terminos paſſim Romæ, quaſi antiquitatis monumenta, in hortis magnatum aſſeruari & exponi videmus. Iam ſenſus hîc eſt multiplex. Primò, q.d. Principes Iuda transferunt terminos agrorum, & alienos agros inuadunt, fuiſque contra ius & fas adiiciunt. ita Chald. Vatabl. Arias & à Caſtro. Verùm eſto huc alludat, & quaſi obiter hoc eorum ſcelus perſtringat, tamen omnia præcedentia & ſequentia aliò, ſcilicet ad idololatriam, ſpectant.

Secundò, S. Hieron. Haymo, Hugo, Lyranus, Mariana & alij exponunt, q.d. Principes Iuda, ipſique Iudæi gaudent decem tribus eſſe abductas ab Aſſyriis, vt ipſi ſuos terminos prorogare, eorumque terram occupare poſſint. Verum hoc parum credibile eſt de Ezechia pio rege, ſub quo decem tribus abductæ ſunt. Rurſum, eſto id feciſſet, licitè feciſſet: iuſtè enim potuiſſet Iudas Iſraele abducto, eius terram occupare; erat enim eius proximus heres, ciique vt frater fratri ſuccedere poterat & debebat. Tota enim Chananæa data erat à Deo Iacobo, & poſteris eius; vnde ſi qui ex eis moriebantur, vel abducebantur, fratres in eorum poſſeſſiones ſuccedebant. Denique obſtat ratio priori ſententiæ oppoſita.

Tertiò, ergo melius ſic exponemus, q.d. Principes Iuda ſimiles ſunt raptoribus, qui terminos ſuos transferunt, vt alienos inuadant. Pari enim modo ipſi terminos fidei & cultus mei, meæque Eccleſiæ tranſferunt, voluntque ſibi adiungere & copulare deos Gentium, eorumque cultus templa & aras, ipſaſque Gentes & Synagogam infidelium. ita Theophyl. Theodor. & Theodorus Antioch. qui ait: *Transferunt terminos meos & iura, honorem qui mihi debetur in idola transferentes, more eorum qui contra ius alienos terminos transferunt.* Hoc enim exigit vox *quaſi*: hæc enim ſignificat eos non eſſe propriè tranſlatores terminorum, ſed tantùm illis eſſe ſimiles. Addit Ribera, q.d. Iudæi non contenti adorare idola, quæ erant in Iudæa, tranſierunt quoque in alienos terminos, vtin Bethauen, quæ erat decem tribuum, imò in Aſſyriam, vt earum idola coleret, templaque & aras victimis ſuis impleret; imò vt idola hæc ex Aſſyria traduceret in Iudæam, vti fecit Achaz 4. Regum 16. v. 10. & 18. Hunc ſenſum expoſcunt ſequentia. ſequitur enim: *Quoniam cœpit abire poſt ſordes*, id eſt idola. Et clariùs v. 13. *Et abiit Ephraim ad Aſſur, & miſit ad regem vltorem.* Iudæi enim, æquè ac Iſraelitæ, preſſi ab hoſtibus, ad vicinas gentes opem poſtulantes confugiebant; vtque eam impetrarent, eis in fide & religione ſe ſociabant, eorumque idola colebant, imò transferebant in Iudæam: vnde hoc paſſim redarguit Ieremias, Ezechiel, Oſee hîc, aliique Prophetæ. Hac de cauſa Noſter vertit, non *tranſferentes*, ſed *aſſumentes terminum*: quia idola hæc Gentium aſſumebant ſibi Iudæi quaſi Deum ſuum tutorem & terminalem, qualis Romanis erat Deus Terminus. Prophetæ enim minores loquuntur concisè, ænigmaticè & parabolicè, ideoque obſcuri ſunt, quia paucis verbis multa ſignificant, & ad multa alludunt.

Denique Arabicus Alexandr. vertit, *tamquam qui immutati ſunt in funibus ſuis*: olim enim agros & fundos dimetiebantur funibus; Arabicus verò Antioch. *facti ſunt principes Iuda, tamquam qui dimiſſus eſt cum alis ſuis.* Videtur reſpicere ad id quod dictum eſt c. 4. 19. *Ligauit eum ſpiritus in alis ſuis.*

Tropol. *aſſumentes terminum* in fide, ſunt hæretici, qui tranſgredientes terminos religionis à Patribus ſancitos, aſſumunt ſibi quaſi idolum hæreſin Lutheri, Caluini, &c. In moribus verò, qui tranſgredientes iuſtitiæ aut charitatis terminos Decalogo ſancitos, aſſumunt ſibi concubinas, vſurpant fundos, domos & prædia aliena. Rurſum qui actionum ſuarum ſcopum & finem ſibi præfigunt, non Dei honorem, ſed ſuum; qui ambiunt dignitates & prælaturas; qui nomen & famam non in cælis, ſed in terri, aucupantur; qui familias ſuas præter ius & fas euehere & extollere moliuntur.

VERS. 10. SVPER EOS EFFVNDAM QVASI AQVAM IRAM MEAM] q.d. *Hoſtium multitudine velut inundatione quadam fluminis* (aut torrentis) *occupabo eos*, ait S. Hieron. & Theodoret. Vnde à Caſtro: *Effundam*, ait. *ſuper eos quaſi diluuium indignationem meam.* Videtur alludere ad diluuium Noë, quo Deus omnes impios obruit. Verùm quia ait, *aquam*, non flumen, non torrentem, non diluuium; hinc Secundò, ſimpliciùs cum Vatablo & Ribera accipiemus de aqua, quæ è vaſe euerſo & inuerſo tota effunditur, ita vt vix gutta hæreat aut reſtet: aqua enim tota eſt liquida & fluida, quia nihil habet glutinoſum aut viſcoſum, quod vaſi adhæreat, vti habet oleum, lac, mel, &c. quæ proinde ſi effundantur, ſui partem vaſi adhærentem relinquunt. q.d. Sicut aqua ex vaſe inuerſo vniuerſa ſimul effunditur, ita ego meam excandeſcentiam totumque furorem meum, ſimul & ſemel in eos effundam. Sic Chriſtus pſal. 21. 15. ait: *Effuſus ſum ſicut aqua*, q.d. Omnes vires, ſpiritus, & ſanguinem effudi inſtar aquæ effuſæ. Sic Iſraelitæ cincti à Philiſthæis, pœnitentes inuocarunt Dominum, *hauſeruntq; aquam & effuderunt in conſpectu Domini*, quaſi dicerent: Sumus coram te Domine vt aqua iſta effuſa. vnde ſequitur: *Atque dixerunt: Tibi peccauimus Domine.* Quocirca Chald. vertit, *& impleuerunt aquas, & effuderunt cor ſuum in pœnitentia.* Et S. Gregor. in illum locum: *Quid enim*, ait, *eſt aquam haurire, niſi de profunda animi pœnitentis confuſione fluenta lachrymarum producere*: &c.

11. Calumniam patiens est Ephraim, A fractus iudicio: quoniam cœpit abire post sordes.

12. Et ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Iuda.

13. Et vidit Ephraim languorem suum, & Iuda vinculum suum: & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad regem vltorem: & ipse non poterit sanare vos, nec soluere poterit à vobis vinculum.

14. Quoniã ego quasi leæna Ephraim, & quasi catulus leonis domui Iuda: ego ego capiam & vadam: tollam, & non est qui eruat.

15. Vadens reuertar ad locum meum: donec deficiatis, & quæratis faciem B meam.

VERS. 11. CALVMNIAM PATIENS EST EPHRAIM. *Calumniam* Hebræi vocant oppressionem, siue ab hoste, siue ab accusatore fiat, siue à quo alio, vim aut iniuriam faciente: hanc enim significat עָשַׁק *oseec*. q.d. Israel opprimetur ab Assyriis iniustè, vtpote tyrannis; iustè tamen respectu suorum scelerum, Deique iusti vindicis: vnde FRACTVS EST IVDICIO] tum iusto Dei, tum iniusto Assyriorum. ita S. Hieron. Haymo, Hugo & Lyran. Alludit ad iudicium in quo quis per calumniam falsorum testium, aut iniusti iudicis opprimitur, damnatur, plectitur. vnde pro *fractus* hebr. est רָצוּץ *retsuts*, id est concussus, oppressus, conculcatus, stratus, prostratus est. Sic enim hîc C quasi iudex erat tyrannus Salmanasar, qui Israelitas iniustè concussit, oppressit, spoliauit, occidit. Iudicium ergo hîc est vindicta & supplicium per iudicium quasi irrogatum, quod ex parte Dei erat iustum iustaque scelerum vltio, ex parte Salmanasar iniustum: ei enim non nocuerant Israelitæ.

Secundò, Vatabl. *iudicium* propriè accipit, q.d. Israel vi opprimetur & iniquis iudiciis apud gentes, inter quas erit captiuus. Sic enim fieri solet peregrinis, præsertim captiuis. Cùm ergo Israelitæ oppressi ab Assyriis iudicio cum eis contenderent, suumque ius & res in eo repeterent, ab Assyrio iudice quasi exteri & captiui repellebantur, & causa Assyrio oppressori adiudicabatur.

Tertiò, Septuag. censent hîc denotari crimen D Ephraim, ob quod Deus in eum iram effundere decreuit. vnde vertunt, *oppressit Ephraim aduersarium suum, conculcauit iudicium; quia cœpit abire post vana*, putà post idola. Iniuria enim in Deum per idololatriam, est origo iniuriæ, oppressionis & iniustitiæ in proximum: sicut ex aduerso qui fideles sunt Deo, fideles sunt & proximo. Nimirum pro עָשׁוּק *asçuc*, id est calumniam patiens, Septuag. alio puncto legerunt עָשׁוֹק *asçoc*, id est opprimere, calumniã facere; sic pro רָצוּץ *retsuts*, id est fractus, legerunt רָצוֹץ *ratsots*, id est frangere, hoc est oppressit, fregit: Hebræi enim infinitiuis vtuntur pro præterito.

QVONIAM COEPIT ABIRE POST SORDES] id est post idola. hæc enim Scriptura vocat sordes & stercora: quia sunt numina vilissima & putidissima; vt ea adducat in odium & contemptum. Secundò, Chald. vertit, *quia abiit vt erraret post mammona iniquitatis*: q.d. Ideo Ephraim vim patitur & iudicio opprimitur, quia ipse pari modo pro muneribus in iudicio oppressit pauperes, insonteque damnauit. Tertiò, Clarius, Arias, Vatabl. & Pagnin. vertunt, *quia cœpit abire post præceptum*; sicque exponunt, q.d. Ephraim volens & vltrò secutus est præceptum Ieroboam de adorandis vitulis, quos proinde adorauit. In Hebræo enim iam legitur צַו *tsav*, id est præceptum. Verùm aliter legerunt prisci, Septuag. Chald. S. Hieron. & alij, nimirum צוא, & elisò א quiescenti, יָצוֹ *iso*, id est sordes, stercora, putà idola. Hæc enim Septuag. vocant *vana*.

ET EGO QVASI TINEA EPHRAIM, q.d. Sensim VERS. 12. per Assyrios carpam, corrodam, consumam & perdam decem tribus. ET QVASI PVTREDO, hebr. רָקָב *rachab*, id est teredo, (& sic aliqui hîc legendum censent cum R. Dauid: teredo enim respondet tineæ quæ præcessit) vel caries (hæc enim est putredo ossium & lignorum, quæ ea corrodit & consumit) DOMVI IVDA] q.d. Decem tribus per Assyrios consumam citiùs, vti tinea pannum, vtpote mollem, citò exedit; duas verò tribus tardiùs, vti caries lignum, vtpote durum, tardiùs erodit. ita S. Hieron. Lyran. Vatabl. Porrò Septuag. vertunt, *ego quasi conturbatio Ephraim, & quasi stimulus domui Iuda*; Syrus, *ego ero quasi commotio Ephraim, & commotio domui Iuda*; Arabicus Antiochen. *ego qui perturbaui Ephraim, & ego tamquam mordens domum Iuda*; Arabicus Alexandrinus, *& ego deturbabo Ephraim*. Ita & hodie Deum videmus instar tineæ familias, vrbes & prouincias sceleratas sensim sine sensu corrodere, depauperare & consumere. Idem Tropol. sentit fidelis, clericus & Religiosus in anima, dum peccat, aut in Dei obsequio suoque officio intepescit: nunc enim hanc gratiam, virtutem & fortitudinem, nunc illam, nunc aliam sibi auferri persentiscit.

Nota. Appositè Deum comparat tineæ & teredini, quia Israelem eiusque idololatriam vocauit sordes: tinea enim & teredo inuadunt vestem aut lignum, non sanum & elimatum, sed vetustate, puluere, aliisque sordibus obsitum, squalidum & quasi emaciatum. Nam tineas ex puluere, situ & putredine nasci docet experientia. vnde Plinius lib. 11 cap. 35. *Idem*, ait, *puluis in lanis & veste tineas creat, præcipuè si araneus vnà includatur: sitit enim, & omnem humorem absorbens, ariditatem ampliat* Et Horat. l. 2. Serm. satyr. 3.

Cui stragula vestis,
Blattarum ac tinearum epulæ putrescat in arca.

Hinc homini sordido tineas minatur Martial. lib. 2.

Non metuas mortem Naeuole, sed tineas.

Quocirca tropolog. tinea aptè repræsentat homines carni & voluptati deditos: hos enim ipsa voluptas quasi tinea consumit. Vnde S. Gregor explicans illud Iob 4. 19. *Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea*, sic ait: *Tinea quippe damnum facit, & sonitum non facit: ita iniquorum mentes, quia damna sua considerare negligunt, integritatem quasi nescientes perdunt. Amittunt namque à corde innocentiam, ab ore veritatem, à carne continentiam, & per accessum temporis ab ætate vitam.* Sed id non sentiunt,

ſentiunt, *dum toto deſiderio curis temporalibus implicantur. Quaſi ergo à tinea conſumuntur, quia ſine ſonitu culpæ morſum tolerant, dum quanta detrimenta vitæ & innocentiæ patiantur, ignorant.* Rurſum tinea, ait idem Gregor. 18. Moral. 11. *ſibi domum corrumpendo ædificat*, ita gula & luxuria carnem in qua exoritur, corrumpit. Inſuper tinea chartas & pannos ſine vllo cuiuſquam fructu, ac tandem ſeipſam conſumit; itidem facit gula & luxuria. Extat hac de re elegans ænigma tineæ:

Littera me pauit, nec quid ſit littera noui.
In libris vixi, nec ſum ſtudioſior inde.
Exedi Muſas, nec adhuc tamen ipſa profeci.

Denique tinea clanculum rodens pannos, ſignificat occultum Dei iudicium, indeque occulta damna & ſtrages, vti notat Pineda in locum Iob citatum.

VERS. 13. ET VIDIT EPHRAIM LANGVOREM SVVM] Putà ſuum imperium infirmari, langueſcere, deficere, & ad occaſum tendere.

ET IVDA VINCVLVM SVVM. Hebr. מוסרו *mazor*, id eſt colligationem ſuam, hoc eſt plagam ſuam pannis obuolutam & obligatam. Significat plagam & cladem quam accepit Iuda à Raſin rege Syriæ, & à Phacee rege Iſrael, qui multos Iudæos abduxerunt, 4. Regum 15. 38. & c. 16. v. 5. & 6. ita S. Hieron. qui Secundò addit, per vinculum hoc poſſe accipi colligationem & conſociationem, qua Iuda Iſraeli in idololatria & ſcelere fuit colligatus; aut potiùs conſpirationem & coniurationem, qua Raſin & Phacee contra Achaz & Iudam coniurarunt. Porrò EPHRAIM, vt hanc plagam ſuam ſanaret, ABIIT AD ASSVR] quaſi ad medicum & chirurgum, hoc eſt, miſit legatos ad regem Aſſyriorum, petens ab eo opem & protectionem. Id fecit Manahem rex Iſrael mittens ad Phul regem Aſſur mille talenta argenti ad hoc, vt ſuum regnum confirmaret & protegeret, 4. Reg. 15. 19 ita S. Hieron. Haymo & Hugo. Rurſum id fecit Hoſee vltimus rex Iſrael, qui ſe quaſi vaſallum ſubdidit Salmanaſar, pendens ei annuum tributum, vt ſub eius alis turò & quietè viueret & regnaret, 4. Regum 17. 3 ita Theophyl. & Arias.

ET MISIT AD REGEM VLTOREM] *Miſit*, ſcilicet Iudas, vt ſolueret vinculum ſuum, de quo paulò antè dixit. Alternè enim Propheta hîc loquitur de Iſrael & de Iuda, vt patet ex antecedentibus & ſequentibus. ita S. Hieron. Cyrill. Haymo, Dionyſ. Arias, Ribera & alij, qui ſic exponunt: Iudas, inquiunt, id eſt, Achaz rex Iudæ, preſſus & quaſi obſeſſus à Raſin rege Syriæ, & Phacee rege Iſrael, miſit legatos & munera opis petendæ cauſa ad Teglatphalaſar regem Aſſur 4 Regum 16. 7. Hunc ergo vocat Propheta *regem vltorem*; Aquila & Theodot. *iudicem*; Symmach. ἐκδικητὴν, id eſt *defenſorem* (vindicare enim, vel vlciſci, apud veteres ſignificabat defendere, & ita ſubinde capitur in Scriptura, vt dixi Roman. 12 19.) quia erat monarcha potentiſſimus; ita vt ad eum quaſi tutorem & vindicem omnes principes & reguli confugerent. Hebr eſt יָרֵב *iareb*, id eſt qui vlciſcetur, id eſt vltor; Chald. *vt aduentaret vltum eos*; Septuag. Syrus, Arabic. Vatab. Pagnin. Arias & Clarius retinet Hebr *iareb*: ſed falluntur in eo, quòd putent illud nomen eſſe vrbis Aſſyriæ in qua rex regnarit. Sic Gedeon à *iareb* dictus eſt *Ierobaal*, id eſt vltor vel vindex Baal, eò quòd deſtructo ab eo altari Baal, Ioas pater vt eum contra vim vicinorum tueretur, dixerit: *Vlciſcatur ſe de eo Baal, qui ſuffodit aram eius*, Iudic 6. v. 31. Videtur ergo alludere ad Gedeon, æquè ac ad Ieroboam: vterque enim fuit *iareb*, id eſt vltor, iudex & vindex Iſraelis: ille contra Madianitas, hic contra Roboam: ab eo enim oppreſſus Iſrael, miſit ad Ieroboam, poſtulans eum libertatis ſuæ vindicem & principem 3. Regum 12. 20.

Minùs rectè Chald. Theodoret & Lyranus per *regem vltorem* accipiunt, Sua regem Ægypti, ad quem confugit Hoſee rex Iſrael, preſſus à Salmanaſar, ideoque ab eodem cum toto regno captus & euerſus eſt, 4 Reg 17. 4 hæc enim pertinent ad Iuda, non ad Iſrael, vt dixi. Adde, Sua impotens erat, nec potuit Iſraelitas tutari. Vnde nō rectè vocatur rex *Iareb*, id eſt iudex & vindex.

Myſticè aliqui, ait S. Hieron. per regem *Iareb*, id eſt vltorem, accipiunt Chriſtum, qui peccatores ſaluare non poterit in die iudicij, ſicut ſcriptum eſt: *In inferno quis confitebitur tibi?* Allegor. Theophyl. & Leo Caſtrius per *regem vltorem* accipiunt Romanos, quorum opem inuocauit Hyrcanus pontifex & Iudæi, ſed ab eis per Titum exciſi ſunt; aut certè Iulianum Apoſtatam, qui Chriſtianis infenſiſſimus, in eorum odium ſe fecit Iudæorum vindicem, eiſque templum reſtaurare aggreſſus eſt; ſed fruſtra: Deus enim immiſſo in fabricam igne, opus conſumpſit. ita Socrates lib. 3. 20.

QVONIAM EGO QVASI LEÆNA EPHRAIM] VERS 14. *Ira Dei comparatur leænæ, curè* q.d. Rex vltor non poterit ab hoſte liberare; quia ego Deus ſum qui hoſtes immitto & roboro, imò ego ſum veſter hoſtis, qui quaſi leæna inuado Ephraim. Aptè Dei vindicta comparatur leænæ: quia hæc fortiſſima eſt & ferociſſima, præſertim cùm peperit alitque catulos; ad quos, omnibus inuitis & fruſtra obſiſtentibus, prædam quam cepit & diſcerpſit, domum aſportat. Docent Phyſici, & ex eis Geſnerus in leone, leonem tam eſſe ferum, vt ad retundendam eius feritatem indita ei ſit à natura febris quartana, qua iugiter laborat, quamque abſtinentia ſuperat. Hæc enim ei eſt medicina, cui horologium eſt fames & venter. Hebr. שחל *ſchachal* ſignificat beſtiam quamuis trucem & efferatam, qualis eſt leo; Septuag. vertunt, pardalim, quæ velociſſima eſt & fœtiſſima. ita S. Hieron. qui addit: *Vt quidquid ſæuum in beſtiis eſt, hoc in Dei indignatione cognoſcas. Nihil panthere velocius, nihil leone fortius. In panthere velox per Aſſyrios regni Samariæ ſignificatur interitus: & in leone fortiſſimum contra Ieruſalem & Iudam aliquanto pòſt tempore oſtenditur regnum Chaldæorum, &c. vt fiat* (Deus) *quaſi panther, vertatur in leonem, mutetur in beſtias.* Vnde ſubdit: *Ego ego capiam & vadam; tollam, & non eſt qui eruat.*

Rex vltor quis?

Nota. Sicut v. 12. Deum quaſi tineam opposuit ſordibus Iſraelis, ita hîc appoſitè Deum quaſi leænam opponit regi vltori, ad quem recurrebat Iſrael: hoc enim fortior eſt leæna; ſic & Deus fortior erat Teglathphalaſare. Symbolicè. Deus in hac vita peccatores caſtigat leniter vt tinea; at in die iudicij & in gehenna ſeuiet & lacerabit eos quaſi leæna. Tunc horrendo ſonitu in eos rugiet: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius*, Matth. 25.

ET

ET QVASI CATVLVS LEONIS DOMVI IVDA] Hi enim catuli ſolent eſſe audaciores, vtpote ignari periculorum & inſidiarum: ac ferociores, vtpote auidiores ſanguinis, quem recèns degustarunt, præſertim quia feruet & bullit in iuuentute ſanguis. Quocirca Iudas aggrediens hoſtes, comparatur catulo leonis; quieſcens verò, leoni, Geneſ. 49. 9 *Catulus leonis Iuda. Ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt leo.* Iuſti quoque confidentia comparatur catulo leonis, Prouerb. 28. 1 *Fugit impius nemine perſequente: iuſtus autem quaſi leo* (Hebr. כְּפִיר *kephir*, id eſt leunculus) *confidens abſque terrore erit.* Leunculus enim animoſus eſt & læuus, quia iugiter ei latrat ſtomachus; ac fame, æquè ac ſpecie & forma, oriſque rictu & rugitu, videtur eſſe quaſi latrator Anubis, præſertim cùm grandeſcit, fitque leo.

VERS. 15. VADENS REVERTAR AD LOCVM MEVM] Vti ſolent leænæ laniata fera raptaque præda in ſpeluncam reuerti, eamque ibi cum catulis deuorare: ita ego per Aſſyrios & Chaldæos tam Iſraelitas, quàm Iudæos prædabor, eoſque in captiuitatem abducam, ibique eos ſeruitute, tributis & oneribus conſumam & quaſi deuorabo. ita Haymo, Arias & Vatabl. Chald. vertit, *auferam maieſtatem meam, & in locum ſanctitatis meæ reuertar, qui eſt in cælis, donec norint ſe peccaſſe.* q.d. Deſeram Iudæos cum templo, & quaſi oblitus eorum tradenſque eos hoſtibus, abibo in cælum: hic enim eſt locus ſolij & gloriæ Dei, ex quo eminus ſpectat reorum carceres & ſupplicia. ita S. Cyrill. Hieron. Theodoret. & alij. Vatabl. hæc refert ad cap. ſequens, hicque inchoat caput 6. cum eo enim cohærent, eoque ſpectant, vti mox patebit.

A DONEC DEFICIATIS] Hebr. עַד יֶאְשְׁמוּ *ad ieſcemu*, id eſt, donec peccatũ ſuum & culpam agnoſcant. ita Chald. Vatabl. Clarius, Arias & alij. אָשַׁם *aſçam* enim peccare & peccatum ſignificat. Verùm *aſçam* ſubinde ponitur pro שָׁמַם *ſçamam*, id eſt deſolauit: ordines enim verborum imperfectorum ſæpè apud Hebræos inter ſe commutantur, v.g. defectiua *Pe aleph*, quale eſt *aſçam*, commutantur cum duplicantibus ſecundam, quale eſt *ſçamam*. Vnde Septuag. vertunt, *donec diſpereant*; Noſter, *donec deficiatis*. Hic ſenſus priori ſubſeruit, eumque antecedit. Iudæi enim per cladem & excidium excitati peccata ſua agnouerunt, & pœnitentes ad Deum redierunt, vti patet ex libro Baruch. Huc enim tendunt plagæ omnes à Deo in vrbes, gentes, familias & homines immiſſæ, vt ſcilicet iis ſternat eorum

B ſuperbiam, vtque cor concupiſcentiis obſtructum & obduratum aperiat, cruciet & ſauciet, quo afflicti ſua ſcelera Deumque vindicem agnoſcant, ad eumque pœnitentes recurrant; cùm videant non eſſe alium qui plagas haſce depellere, maliſque tantis ſuccurrere poſſit, iuxta illud pſal. 15. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraſſe.* Dum ergo flagellaris à Deo, non ad Aſſyrios, id eſt, non ad principes & potentes, qui te è manibus Dei eripere non poſſunt, ſed ad Deum ipſum cum Dauide & Niniuitis recurre; ac ſupplex dicito: *Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* Ita mulcebis iram Dei, ac flagellum ex manibus irati extorquebis, priſtinumque eius fauorem, gratiam & opem tibi conciliabis & reſtitues.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRomittit afflictis Chriſtum redemptorem, quia eos viuificabit tertia die, quique orietur quaſi diluculum, & quaſi imber temporaneus & ſerotinus. Inde v. 4. redit ad ſua tempora, & accuſat duritiem Ephraim, quòd eum per Prophetas dolare voluerit, ſed ipſe omnes dolabras reſpuerit: item immiſericordiam, cùm Deus miſericordiam velit, non ſacrificium. Denique v. 8. inuehitur in Galaaditas, qui Dei cultores euntes in Ieruſalem in via occidebant.

Verſ. 1. IN tribulatione ſua manè conſurgent C ad me: Venite, & reuertamur ad Dominum.

2. Quia ipſe cepit, & ſanabit nos: percutiet, & curabit nos.

3. Viuificabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius. Sciemus, ſequemurque vt cognoſcamus Dominum: quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus eius, & veniet quaſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus terræ.

VERS. 1. IN TRIBVLATIONE SVA CONSVRGENT AD ME] Hæc pertinent ad finem capitis quinti, vnde eò hæc referunt Hebræi, Chald. & Pagnin. & caput ſextum inchoant ab illis verbis: *Venite & reuertamur ad Dominum.* Vatabl. verò caput ſextum inchoat à v. vlt. cap. 5. vti ibi dixi. Sed eõdem omnia recidunt, indicantque initium huius capitis connexum eſſe cum fine cap. præcedentis, hoc modo & hoc ſenſu: Reuertar ad locum meum, ait Dominus, donec tribulatione afflicti & deficientes Iſraelitæ culpam ſuam agnoſcant, & quærant faciem meam. Cùm enim fuerint in tribulatione, manè conſurgent ad me. Hinc patet tribulationem hîc intelligi tum eam, quam paſſi ſunt Iſraelitæ in captiuitate Aſſyriaca, tum eam quam paſſi ſunt Iudæi in captiuitate Babylonica. ita S. Hieron. Theodoret. & Theophyl. vtramque enim vtriſque comminatus eſt cap. præced. v. 5. dicens: *Iſrael & Ephraim ruent in iniquitate ſua, ruet etiam Iudas cum eis.* Et v. 12. *Ego quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo domui Iuda.* Vnde eius remedium quærens tam Iſrael quàm Iuda, *abiit ad regem vltorem, & ipſe*, inquit Propheta, *non poterit ſanare vos:* quocirca opem humanam ab iis deſperantes, in tribulatione recurretis ad me Deum veſtrum, vti hîc dicitur.

Aliter Arias, qui per *tribulationem* accipit captiuitatem Iudæorum, quam paſſi ſunt à Tito & Roma-

Romanis. Verùm illius nulla cap. præced. facta A est mentio: nec in illa Iudæi conuersi sunt sincerè ad Dominum, nec Deus tertia die illos viuificauit; quin potiùs eos excidit & internecione deleuit.

MANE] Id est citò, maturè, festinè petentes à me vt eos tribulatione liberem: putà manè hoc symbolicum fuit, cùm transacta nocte captiuitatis, impletisque eius septuaginta annis à Deo decretis, Iudæi excitante eos in spem Daniele, Esdra, Aggæo, aliisque Prophetis, ad vicinam sub Cyro liberationem anhelantes, supplices à Deo eam postularunt & impetrarunt: manè enim & aurora Iudæis captiuis fuit spes vicinæ liberationis, mox expletis 70. annis præstandæ per Cyrum.

Mysticè S. Hieron. *manè*, inquit, id est, cùm B ortum fuerit eis lumen pœnitentiæ per facem fidei. Allegor. Lyran *manè*, ait, id est, in prædicatione Iohannis Baptistæ, qui quasi lucifer & aurora præiuit Christum solem iustitiæ, exhortans homines ad pœnitentiam, vt per eam illos ad Christi gratiam & iustitiam præpararet. Tertull. l. 4. contra Marc. 43. hæc accipit de mulieribus piis, quæ afflictæ ob mortem Christi, venerunt manè ad monumentum vt eum vngerent: vnde meruerunt primæ videre eum resurgentem, qui mirè eas consolatus est. Verùm hic sensus est accommodatitius.

VERS. 1. & 2. VENITE, subaudi, dicentes, & se inuicem adhortantes, ET REVERTAMVR AD DOMINVM: QVIA IPSE CEPIT] Hebr. טָרָף *taraph*, id est rapuit. vel abripuit nos, q.d. Non Salmanasar, non Nabu- C chodonosor, sed Deus vindex fuit, qui ob scelera nostra, per Salmanasar & Nabuchodonosor nos vinctos abripuit in Assyriam & Babylonem: vnde ipse solus potest nos liberare, & plagam hanc sanare, vti se sanaturum promisit, ideoque breui reipsa sanabit. Respicit ad illud quod dixit cap. præced. v. 14. *Ego quasi leæna Ephraim: ego capiam & vadam: tollam, & non est qui eruat:* & v. 13. *Ipse* (rex vltor, putà Assyrius) *non poterit sanare vos, nec soluere poterit à vobis vinculum*; sed ego solus qui illud vobis induxi, vnde subdit:

VERS. 2. PERCVTIET ET CVRABIT NOS] Hebr. יְחַבְּשֵׁנוּ *iachbesenu*, id est, obligabit nos, putà fasciis vulnera nostra alligabit, itaque curabit. Vnde Septuag. vertunt, μοτώσει: μότα enim, ait S. Hieron. *appellantur linteola quæ inseruntur vulneribus, vt putridas carnes comedant, & extrahant purulentias: artisq; medicorum est grandia vulnera longo sanare tempore, & per dolorem reddere sanitatem. Percutit ergo nos Dominus, & curat nos: quia quem diligit corripit, & nō solùm curat, sed & viuificat post duos dies.* Sic & Isagoge Galeno adscripta; vbi μότ& cùcitur esse quadruplex: σπειρὰς, id est tortilis: ξυστὸς, id est rasilis, quòd de rasa linteorum materia formaretur: πλατὺς, id est concerptilis, à concerptu vellicatuque materiæ: ἀπλυγισιτὸς, quòd ex ellychnio cōflaretur. Interpres Biblior. Reg. μοτώσει vertit, *turbabit nos*: quia chirurgus vt vulnus curet & pus eximat, penicillo illud expurget, turbet & radat oportet: vt deinde μόσιν, siue ellychnium sanans inserat. Eleganter S. August in psalm. 50. *Illa*, ait, *est vox Domini: Ego percutiam, & ego sanabo. Percutit putredinem facinoris, sanat dolorē vulneris. Faciunt hoc medici, secant, percutiunt, & sanant: armant se vt feriant, ferrum gestant & curare veniunt.*

Moral. disce hîc tribulationem esse telum Dei, quo Deus homines à se fugientes & abeuntes in ruinam, ad se & ad salutem reuocat. Tribulati enim hoc telo confixi, prostrati & humiliati, ponunt fastum, culpam agnoscunt, & pœnitentes poscunt à Deo veniam; qui mox supplicibus parcit, eosque vlnis maternis amplectitur. Hoc est quod ait Psalmista: *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam*, psal. 37. 3 Ita S. August. in psalm 21. serm. 2. docet Deum esse medicum, qui tribulatione quasi medicamento curat vitia nostra. *Sub medicamento*, inquit, *positus vreris secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed ad sanitatem.* Et lib. 1. de Verbis Domini serm. 18. *Bibe*, ait, *amarum calicem: tu enim tibi fecisti. Præcepta illa mea quæ sano data sunt tam dulcia, tam leuia, contempta sunt: cœpisti laborare, sanari non potes nisi amarum bibas calicem tentationum, tribulationum, angustiarum & passionum. Bibe vt viuas. Et ne responderet ei languidus, Non possum, non fero, non bibo; prior bibit medicus sanus, vt bibere non dubitaret ægrotus. Quid enim amarum est in tali poculo quod ille non biberit? Si contumelia, prior audiuit cùm dæmones expelleret: In Beelzebub eiicit dæmonia. Si dolores amari sunt, ligatus, & flagellatus, & crucifixus est. Si mors amara est, etiam mortuus est. Si genus mortis exhorrescit & infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius quàm mors crucis.* Idem sermone 3 de Machabæis: *Totus mundus fornax aurificis est. Ibi iustus tamquam aurum, impij tamquam palea. Ibi tribulatio sicut ignis, ibi Deus sicut aurifex. Pius Deum laudat, aurum rutilat, impius Deum blasphemat, palea fumat: iste purgatur, ille vastatur eodem igne; Deus in vtroque laudatur.* Idem in psal. 40. *Patitur quis tribulationes, docetur amare meliora per amaritudinem inferiorum, ne viator tendens ad patriam, stabulum amet pro domo sua.* Idem lib. de Vera innocentia: *Cùm Dominus permittit, aut facit vt aliqua tribulatione vexemur, etiam tunc misericors est: qui exercitans fidem, & differens adiutorium, non auxilium negat, sed desiderium monet.* Idem epist. 87. *Res prospera donum est consolantis, res autem aduersa donum est monentis Dei.* S. Gregor. in Moral. *Aurem cordis*, inquit, *tribulatio aperit, quā sæpè prosperitas huius mundi claudit.* S. Chrysost. hom 4. de Pœnitentia, tribulationem vocat aratrum: *Illo ergo*, inquit, *corda scindamus, vt si qua dolosa herba, & improba cogitatio nobis ineſt, radicitus eam euellamus, vt puras pietatis seminibus terras exhibeamus.* Idem homil. 4. de diuite & paupere: D *Nisi tentatio*, inquit, *nec corona: nisi certamina, nec brauia: nisi stadia, nec honores: nisi tribulatio, nec remissio: nisi hiems, nec æstas. Et hoc non tantùm in hominibus, sed & in seminibus intueri licet. In his enim multam pluuiam, multam nubium collisionem, multam glaciem fieri oportet, si vernans spica exurgere debet. Cùm ergo ingruit hiems animarum, seramus & nos in hac hieme, vt in æstate metamus.* Hic fuit sensus, hæc praxis Sanctorum omnium. Saræ, Tobiæ c. 3 21. *Hoc habet pro certo omnis qui colit te, quòd vita eius si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur.* Iob, c 5. 17. *Beatus homo qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.* Psaltis, psalm. 15. v. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.* Salomonis, Prouerb. 3. v. 11. *Disciplinam Domini fili mi ne abiicias, nec deficias cùm ab*

Morale, tribulatio est telum Dei, quo fugientes ad se retrahit.

eo corriperis: quem enim diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Ieremiæ, c.31.18. *Castigasti me, & eruditus sum quasi iuvenculus indomitus.* Ionæ, c.2.8. *Cùm angustiaretur in me anima mea. Domini recordatus sum.* Danielis, c.11.35. *Et de eruditis ruent, vt conflentur, & eligantur, & dealbentur.* Zachariæ, c.13.9. *Vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum.* Malachiæ, c.3.2. *Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans & emundans argentum; & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum.* Quin & Philo cum aliis Iudæis apud C. Caligulam accusatus ab Appione, quòd Cæsari diuinos honores non tribueret, eiectus ex aula, sociis Iudæis respondit: *Bono animo nos esse oportet, quibus iratus est Caius: quia necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium.* ita Euseb. lib.2. Histor. c.5. Denique S. Bernardus in Sententiis, *Tribulatio*, ait, *tria confert. Exercitium, ne virtus amoris, otij tepore frigescat. Probationem, vt nostræ constantiæ fortitudo, ad exemplum hominibus innotescat. Præmium, vt iuxta tribulationis modum immensum gloriæ pondus accipiat.* Subdit deinde totidem remedia. *Aduersitati*, ait, *tria sunt opponenda. Electorum agones & angustiæ, quas patiuntur qui piè viuunt. Redemptoris afflictiones & molestiæ, quas ei sæuissimi principes intulerunt. Dispositio moderatricis iustitiæ cuius altitudinem, quasi virgæ Ioseph summitatem, non discutere, sed adorare debemus.*

VERS. 3. VIVIFICABIT NOS POST DVOS DIES] Primò, Hebræi sic exponunt, q.d. Post duos, id est paucos, dies Deus liberabit nos Babylone, in qua captiui, afflicti, & quasi mortui, &, vt ait Ezech. c. 37. quasi ossa arida in sepulchro degimus: liberans ergo nos ab hac morte ciuili, putà captiuitate, *viuificabit nos*, vt videamur nobis resurgere in libertatem, quasi in nouam vitam. Sicut enim seruitus, carcer, mœror, sunt mors quædam ciuilis & moralis, ita libertas, lux & lætitia est vita moralis & ciuilis: *nec enim viuere, sed vigere & valere est vita*, ait Poëta. Verùm id locum habet in solis Iudæis, non in Israelitis: hi enim ex Assyria numquam liberati sunt. De vtrisque autem egit, & agit Propheta. Adde, Catholicos omnes hæc referre ad Christum. Fateor tamen ad liberationem Iudæorum è Babylone per Cyrum hîc alludi, eamque obiter & allusiuè perstringi. Loquitur enim Israelitis, quorum primus dies fuit tempus captiuitatis Assyriacæ, & Iudæis, quorum fuit secundus æquè miser dies captiuitatis Babylonicæ: post quos successit tertius dies lætus & faustus redemptionis & liberationis, quam inchoauit Cyrus, perfecit Christus.

Viuificauit nos Christus die tertia, quo sensu?

Secundò, ergo Patres & Interpretes Orthodoxi omnes, docent hîc prædici Iudæis & Israelitis aduentum Christi redemptoris. Hunc enim eis in captiuitate afflictis identidem ingerebant Esdras, Zorobabel, Aggæus, Zacharias, Iesus filius Iosedec, aliique sacerdotes & Prophetæ. Sensus ergo est, q.d. Sustinete, ô Hebræi, modicum, sperate, inuocate Deum: quia post duos dies, id est, post breue tempus, ipse vos liberabit, inchoatè per Cyrum, sed plenè & perfectè per Christum (à Cyro enim ad Christum assurgere, & subitò quasi auolare solent Prophetæ, vti dixi Isaiæ 45.8.) qui Abrahæ, nobisque à tot sæculis promissus est saluator & redemptor. Ipse enim nos à peccato, morte & inferno liberabit, ac gratiæ, vitæ & cælo restituet; itaque viuificabit nos vita sancta, cælesti & diuina. Sic *duo dies* sumuntur pro paucis & breuibus, Numer. 9.22. *Si verò biduo* (id est, pauco tempore) *aut vno mense, vel longiore tempore fuisset* (columna nubis) *super tabernaculo.* Sic & c.11.19. Isaiæ 17.6. & alibi. Tempus ergo 591. annorum (tot enim fuerunt à captiuitate Babylonica, vsque ad natiuitatē Christi) vocatur hîc duo dies: quia Deo (& Prophetis in lumine Dei eleuatis) respectu æternitatis suæ, & respectu æternæ & cælestis salutis afferendæ per Christum, *mille anni sunt sicut dies hesterna quæ præteriit*, vt ait Psaltes psal. 89.4. Hinc eodem respectu & sensu ait de Christo Aggæus c.2.7. *Adhuc vnum modicum est, &c. & veniet desideratus cunctis gentibus.* ita Cyrill. Arias, Vatabl. à Castro, & alij. Itaque tempus natiuitatis & primi aduentus Christi, putà tempus gratiæ, noui testamenti & christianismi, vocatur hîc dies tertia, tum quia breui erat aduentura, tum quia plenam vitam, lætitiam, lucem, cumulumque (hunc enim significat ternarius) bonorum omnium erat allatura: tum quia post primam diem legis naturæ, & secundam diem legis Mosaicæ, immediatè quasi tertia erat successura: propriè verò post primam diem captiuitatis Assyriacæ, & secundam captiuitatis Babylonicæ, quasi tertia erat hæc dies liberationis futura, vti paulò antè dixi; tum quia alludit hîc Osee ad diem tertium quo Christus à morte resurrexit. Vnde dico

Tertiò, planè respicit hîc Propheta ad resurrectionem Christi, quæ tertio die à passione eius facta est, eamque hîc significat & prophetat. Liberatio enim & redemptio Israelitarum & Iudæorum, æquè ac nostra, facta per Christum, completa & planè perfecta fuit in eius resurrectione: hæc enim eius fuit terminus & coronis. In ea ergo Christus, plenè nos viuificauit, tum quia in ea plenè nos redemit & sanctificauit, tum quia ipsa nostræ resurrectionis est causa, tam exemplaris, quàm efficiens: vnde in ea Christus nos secum quasi viuificauit, & suscitauit ad vitam beatam & immortalem. Vnde Arabicus Antioch. vertit, *sanabit nos post duos dies, & in tertia surgemus, & manebimus* (habitabimus) *in conspectu eius*, coram eo. & Arabic. Alex. *ipse est qui sanabit nos, & liberabit nos post duos dies, & in tertia stabimus viui coram eo.* Hoc est quod ait Apostolus Rom. 4.25. *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationē nostram.* Et Ephes. 2.5. *Cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu.* Ex resurrectione enim Christi tam certam habemus fidem & spem nostræ resurrectionis, ac si iam cum ipso de facto resurrexissemus. vide ibi dicta. Ita hunc locum passim intelligunt Patres, qui ex hoc loco probant resurrectionem Christi & nostram, vt S. Hieron. Theodoret. Haymo, Hugo, Lyran. Emmanuel, Mariana & alij hîc, Origen. hom.5. in Exod. Tertul. lib.4. contra Marc. c.43. Cyprian l.2. contra Iudæos c.25. Lactant. l.4.19. Cyrill. Hierosol. catech.14. August. libr.18. Ciuit. 28. Ruffin. in expos. Symbol. Gregor. hom.20. in Ezech. Nyssen. libr. de Cognitione Dei, qui tres putant hæc dici in persona Sanctorum qui resurrexerunt cum Christo Hierosolymis, ibique multis apparuerunt, Matth. 27.53. Idem docuerunt

runt veteres Hebræi apud Galatin. lib. 8. 22. Et R. Moſes in Bereſith rabba, id eſt, Geneſi magna, explicans illud Geneſ. 22. *Die autem tertia eleuatis oculis vidit locum procul*, dicit: *Multæ ſunt in S. Script. dierum trinitates, quarum vna eſt reſurrectio Meſſiæ.* Vnde illud 1. Corinth. 15. 4 *Et quia reſurrexit tertio die ſecundum ſcripturas*, Anſelm. ibi, & Doroth. in vita Oſee, exponunt de hac ſcriptura Oſee: nec enim alibi dies tertius reſurrectioni Chriſti præſcribitur. Accedit Iſidorus Peluſ qui lib. 2. epiſt. 112. ſic legit: *Tunc mors lugebit ſortiore morte deuicta. Sanabit nos poſt duos dies: in tertio reſurgemus, ac viuemus cum eo*; atque explicat de reſurrectione Chriſti, in qua & ſuam & noſtram mortem ipſe ſuperauit & profligauit.

Porrò hos tres dies ita conſignant Orig. loco iam citato, S. Auguſt. ſerm. 90. de Tempore, & alij, primum diem numerant eum, quo paſſus & crucifixus eſt Chriſtus: ſecundum, quo ſepultus eſt & deſcendit ad inferos: tertium, quo reſurrexit. Aliter Ribera: Primus, inquit, dies fuit, decima quarta luna, qua poſt celebrationem paſchæ & inſtitutionē Euchariſtiæ, in horto orans captus eſt, patiq́ue cœpit Chriſtus. Secundus eſt luna decima quinta, putà paraſceue, qua paſſus & occiſus eſt. Tertius eſt luna decima ſexta, qua reſurrexit. Verùm ſic ſabbatum eſſet luna decima ſexta: hoc enim ſuccedit lunæ 15. ſiue paraſceuæ; cùm tamen conſtet Chriſtum non ſabbato, ſed Dominico die reſurrexiſſe. vide Interpretes in Matth. 12. v. 40.

Tertia die Chriſtus reſurrexit ob ſex cauſas.

Porrò Chriſtus reſurrexit præcisè tertio die, variis de cauſis. Prima eſt, quia Ionas ca. 2. tribus diebus fuit in ventre ceti, & hoc facto portendit Chriſtum tribus diebus fore in ſepulchro, ac tertio die reſurrecturum, vt ipſe tertio die viuus è ventre ceti prodijt. Hanc cauſam dat Chriſtus Matth. 12. 40. Secunda, quia Chriſtus idipſum prædixerat Ioan. 2. 19. *Soluite*, ait, *templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Tertia, quia, ſi caro eius diutiùs manſiſſet in ſepulchro, fuiſſet corrupta. Hoc autem non decebat, iuxta illud pſal. 15. 10. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Quarta, ne videretur quis alius reſurrexiſſe. Quinta, quia Chriſtus moriendo mortem deſtruxit: decebat ergo, vt in morte diu non teneretur, ſed mox quaſi eius domitor & triumphator gloriosè reſurgeret. Sexta, quia vita Chriſti hominis fuit diuina, & inter res omnes creatas nobiliſſima: decebat ergo eam peracta redemptione & ſatisfactione noſtra, illico reſtaurari, præſertim quia diuinitas ſemper, etiam in morte, manſit tam corpori, quàm animæ Chriſti coniuncta. Quod enim ſemel aſſumpſit, hoc numquā dimiſit. Audi S. Leonem ſerm. 1. de reſurrect. *Ne turbatos diſcipulorum animos longa mœſtitudo vinciaret, denunciatam tridui moram tam mira celeritate breuiauit, vt dum ad integrum ſecundum diem, pars primi nouiſſima, & pars tertij prima concurrit, & aliquantum ſpatio temporis decideret, & nihil dierum numero periret.* Et mox: *Tam velox incorruptæ carnis viuificatio fuit, vt maior ibi eſſet ſoporis ſimilitudo quàm mortis. Quoniam deitas, quæ ab vtraque ſuſcepti hominis ſubſtantia non receſſit, quod poteſtate diuiſit, poteſtate coniunxit.* Moralis cauſa fuit, vt doceret crucem & mortem fidelium breuem fore, & quaſi triduum reſpectu beatæ æternitatis. Ergo quaſi animat eos ad crucem & mortem, quòd ex ea quaſi ex ſomno ſecum mox reſurrecturi ſint ad vitam æternam.

Myſticè tres dies quit

Myſticè, varij variè tres hoſce dies annumerant. Primò, S. Auguſtin. ſerm. 90. de Tempore: *Tres*, ait, *dies non incongruè poſſumus dicere, Patrem, & Filium, & Spiritum S. quia & Pater dies eſt, & Filius dies eſt, & Spiritus S. dies eſt, & hi tres, vnus dies.* Viuificauit nos Pater, creando & dando naturam: Filius, redimendo, & dando ſuum ſanguinem: Spiritus S. ſanctificando & dando gratiam & iuſtitiam. Secundò, Fulgentius apud Albertum, primum diem numerat quo ab æterno à Deo Patre genitus eſt Filius: ſecundum, quo in tempore ex Virgine natus eſt homo: tertium, quo è ſepulchro reſurrexit. Tertiò, alij: Primus, inquiunt, dies eſt natiuitatis Chriſti; ſecundus, paſſionis; tertius, reſurrectionis. Quartò, Lyran. & R. Salomon, per tres dies tria templa, eorumq́ue tempora accipit: Primus, inquit, dies fuit tempus templi Salomonici, cui ſucceſſit nox captiuitatis Babylonicæ: ſecundus templi Zorobabelis, cui ſucceſſit nox excidij Titi & Romanorum: tertius templi Chriſti, id eſt, Eccleſiæ ſemper duraturæ.

Tropolog.

Tropol. S. Bernard. Tres dies, ait, ſignificant triplicem vitam; primam naturæ & culpæ, putà peccati originalis: ſecundam gratiæ: tertiam gloriæ. nam ſerm. 72. in Cant. explicās illud Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ*, ſic in fine ait: *Cùm igitur duo in nobis præcedant dies, vnus quidem inſpirans pro corporis vita, alter verò reſpirans in ſanctificationis gratia, porrò tertius ſuperſit in reſurrectionis gloria; claret profectò aliquando implendum in corpore quod præceſſit in capite, magnum vtique pietatis ſacramentum, & Prophetæ teſtimonium, qui ait: Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in conſpectu eius.* Et fuſiùs ſerm. 2. in vigilia Natiuit. *Tres*, ait, *dies ſunt de quibus legimus: Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia reſuſcitabit nos; vnus ſub Adam, alter in Chriſto, tertius cum Chriſto. Vnde & ibi ſubditur: Sciemus, ſequemurq́, vt cognoſcamus Dominum. Et hic dicitur: Cras egrediemini, & Dominus erit vobiſcum. His enim dicitur, qui dimidiauerunt dies ſuos, in quibus perit dies in quæ nati ſunt, quæ eſt dies Adæ, dies peccati, cui Ieremias quoque maledicebat: Maledicta dies in qua natus ſum: omnes enim in illa naſcimur. Vtinam pereat in nobis omnibus dies illa, dies nebulæ & caliginis, dies tenebrarum & turbinis, quam nobis fecit Adam.* Deinde agens de ſecundo die gratiæ Chriſti: *Ecce*, ait, *illuxit nobis dies redemptionis nouæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ. Hac eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea: quia cras egrediemur. Vnde, niſi de conclaui huius ſæculi, de ergaſtulo huius corporis, de compedibus neceſſitatis, curioſitatis, vanitatis, voluptatis? Quid enim ſpiritui noſtro cum terrenis*, &c. *Agite diem iſtum in Chriſto, vt ambuletis ſicut & ipſe ambulauit.* Tertiū deinde explicans ait: *O Iuda & Ieruſalem nolite timere, cras egrediemini, id eſt, quàm citò à corpore exierit anima, omnes ſimul affectiones, omnia deſideria, quibus per vniuerſum interim mundum diſperſa & ligata tenebatur, diſſoluentur, & egredietur de viſco hoc, & Dominus erit vobiſcum*, &c. Idem rurſus ſerm. 5. inter paruos: *Viuificabit*, ait, *nos poſt duos dies, ſcilicet cognitionis & conuerſionis: in die tertia ſuſcitabit nos voce Verbi incarnati per primam ſuam*

reſurrectionem: & viuemus in conſpectu eius viuificati per paſsionem, ſereniùs illuminati per miraculorum cognitionem: ſequemurq́, vt cognoſcamus Dominum, inſtructi per doctrinæ conuerſionem.

Anagog. S. Hieron. quem ſequuntur Albert. Hugo & Clarius, putant hîc notari tres Chriſti aduentus: *primum in humilitate*, cùm natus eſt homo: *ſecundum in gloria*, cùm reſurrexit: *tertium in habitu iudicantis*; itaque dies tertia erit dies iudicij & reſurrectionis vniuerſalis, qua Sancti reſurgent ad vitam & gloriam æternam. Vnde Chald. vertit, *vita donabit nos in diebus conſolationis qui venturi ſunt, & in die reſurrectionis mortuorum ſuſcitabit nos, & viuemus cum eo.*

IN DIE TERTIA SVSCITABIT NOS] Explicat quod dixit, *Poſt duos dies*: hoc enim idē eſt quod, *die tertia*. Vnde Lactant. loco iam citato, *Viuificabit*, inquit, *nos poſt biduum die tertio*. Sic & Tertull. Theodor. Clarius, Arias & à Caſtro hîc, & S. Gregor. ac Origenes ſuperiùs citati. Quis ſit hic dies tertius, iam dixi. Pro *ſuſcitabit*, hebr. eſt, יְקִימֵנוּ *iekimenu*, quod Hebræi & Chald. vertunt *ſtare faciet, fulciet, ſuſtentabit nos*. Sed alij paſſim vertunt, *ſuſcitabit nos*; ſequitur enim, *Et viuemus*; & præceſſit, *viuificabit nos*. Agitur ergo hîc de ſuſcitatione ad vitam, non de ſuſtentatione in vita.

ET VIVEMVS IN CONSPECTV EIVS] Primò, Theodor. Theophyl. & Rupert. exponunt q.d. *Viuemus*, ſcilicet vita gloriæ & beatitudinis, præſertim cùm poſt generalem reſurrectionem in corpore glorioſo reſurgemus; tunc enim non tantùm Deum oculis mentis videbimus facie ad faciem, ſed & Chriſtum oculis corporeis. Verùm quia ſequitur, *Sciemus, ſequemurq́, vt cognoſcamus Dominum*, hinc melius hæc accipiemus de vita gratiæ, q.d. Viuemus in eius (Dei & Chriſti) gratia & cura quam habet de nobis, imò in eius conſpectu: videbimus enim eum facie ad faciem, & viciſſim videbimur ab eo, ac proinde illi vt nos intuenti ſemper placere conabimur, itaque eum eiuſque leges & doctrinam ſequemur in ſancta conuerſatione, vt in dies eum magis magiſque cognoſcamus, amemus, colamus, donec eum aſſequamur, & videamus facie ad faciem in cælis. ita S. Hieron. Albert. Hugo, Lyran. Arias, Vatab. Ribera & à Caſtro. Vbi Nota. τὸ *in conſpectu eius*, tripliciter exponi poteſt: Primò, q d. Viuentes videbimus eum facie ad faciem, inquit Vatabl. putà Chriſtum in carne natum.

Secundò, q.d. Ita ſanctè viuemus, vt ſemper ſimus memores nos in eius præſentia oculiſque verſari, ac proinde ei per omnia placere & obſequi ſtudebimus; quomodo Henoch, Noë, alijq́; viri ſancti & perfecti dicuntur ambulaſſe cum Domino, Geneſ. c. 5. 22 & c. 6. 9. vide ibi dicta.

Tertiò, q.d. Securi & felices viuemus in conſpectu eius, ſcientes eum iugiter nos intueri, curare, regere, tueri, qui antea cùm viueremus in peccatis, oculos, mentemque & curam à nobis auerterat. τὸ enim *in conſpectu eius*, opponit ei quod dixit c. 5. v. vlt. *Reuertar ad locum meum donec deficiant, & quærant faciem meam*, ſiue, vt ait Ieremias, c. 7. 15. *Proiiciam vos à facie mea, ſicut proieci fratres veſtros, vniuerſum ſemen Ephraim*. Sicut enim Deus Cainum Geneſ. 4. 14. omneſque impios proiicit à facie ſua, ita ex aduerſo pios iugiter in oculis & mente habet. Quocirca id ſibi ſuiſque expoſcens Dauid orabat pſalm. 122. 2. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec* ipſe viciſſim oculos ſuos benignè conuertat ad nos, & *miſereatur noſtri*. Sicut enim ſol quæcumque luce ſua, quaſi oculo aſpicit, ea illuſtrat, calefacit, viuificat, lætificat, fœcundat; ita prorſus facit & Deus, qui eſt ſol increatus & immenſus. Hinc rurſum Pſaltes paſſim orat dicens: *Reſpice in me & miſerare mei*; reſpiciendo enim miſereris & benefacis: *Non auertas faciem tuam à me: ne proïcias me à facie tua: oſtende mihi faciem tuam: faciem tuam Domine requiram*. Item: *Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum*, pſal. 30. 17. *Dominus illuminet vultum ſuum ſuper nos*, pſal. 66. 2. *Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum*, pſal. 118. 135. q.d. Lucidam, id eſt ſerenam, lætam, hilarem, benignam, amicam & beneficam mihi faciem vultumque oſtende, non atram, ſeueram, triſtem, iratam, minacem.

Quartò, *viuemus*, id eſt erimus viuaces, ſani, vegeti, alacres, fortes, glorioſi. Hæc enim omnia complectitur vita, quaſi mater & radix omniū. nam vt ait Martial. li. 9. epigram. 69.

Non eſt viuere, ſed valere, vita.

Et Seneca:

Mortis habet vices
Lentis qua trahitur vita gemitibus.

Hinc gloria Beatorum vocatur vita æterna.

QVASI DILVCVLVM PRAEPARATVS EST EGRESSVS EIVS] q.d. Chriſti natiuitas & ortus, quo è cælo in terram naſcendo & conuerſando egredietur à Deo, paratus eſt inſtar auroræ: quia vt aurora depellet tenebras ignorantiæ & peccati, ac Iſraelitas omneſque homines luce ſuæ doctrinæ & ſanctæ vitæ colluſtrabit. Hoc eſt quod ait Apoſt. Rom. 13. *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit*. Pro *præparatus eſt*, hebr. eſt כָּוֹן *nachon*: id eſt, firmiter & certiſſimò præparatus, ac fixo Dei decreto confirmatus eſt, putà in Dei prædeſtinatione, aduentus Chriſti. ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo, Lyran. & Vatabl.

Anagog. Iſidor. hæc accipit de gloria reſurrectionis, qua Chriſtus cœpit tòti orbi velut aurora coruſcare, ſuamque vim & fortitudinem exerere, iuxta illud pſalm. 109. v. 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum*, q.d. Princeps eris, ô Chriſte, in die, non humilitatis & crucis, ſed in die virtutis, id eſt, potentiæ & regni tui, cum ſplendore, gloria & maieſtate ſanctiſſima & ſacratiſſima, quæ apparebit in tua diuina reſurrectione, aſcenſione, ſeſſione ad dexteram Patris, miſſione Spiritus ſancti, & conuerſione omnium gentium.

Nota. Chriſti ortus tum diuinus, tum humanus, rectè comparatur auroræ. Primò, quia, ſicut aurora eſt prima diei lux, ita primum opus Dei Patris fuit generatio æterna Filij. per auroram ergo ſignificatur eius antiquitas & æterni tas, iuxta illud pſal. 109. 3. *Ex vtero ante luciferum genui te*. pari modo primum opus redemptionis noſtræ fuit eius generatio humana, ſiue incarnatio. Vnde S. Auguſt. & Iuſtin. contra Tryphon. illud, *Ex vtero ante luciferum genui te*, ſic exponūt, Quia, inquiunt, ex ſolo vtero Virginis, ſine viri ſemine, ante luciferi ortum, poſt mediam noctē genitus & natus eſt Chriſtus. Addit Tertul. lib. 5. contra Marcion. c. 9. Sicut in diluculo apparent ſtellæ, ſic in diluculo quo natus eſt Chriſtus,

ſtella

ſtella noua Magis apparuit, indicans eis Chriſti quaſi auroræ ortum.

Secundò. Secundò, ſicut aurora ſolem tegit, & quaſi parit, ita caro Chriſti naſcens tegebat eius diuinitatem, eamque nobis ſecum afferebat, & quaſi pariebat.

Tertiò. Tertiò, ſicut aurora eſt lux exigua, quæ creſcit vſque ad meridiem; ita & creuit Chriſtus infans ætate, ſapientia & gratia apud Deum & homines, vſque ad crucem.

Quarta. Quartò, ſicut in aurora producitur ros ex aëre, qui herbas & plantas irrorat, vegetat & fœcundat; ita & Chriſtus ex cælo per Virginem opera Spiritus S. prodijt, qui animas peccato mortuas ſua gratia irrorans viuificat, & bonis operibus meritiſque fœcundat. vnde pro *Ex vtero ante luciferum genui te*, Hebræa, Symmach. Aquila & V. editio habent, *ab aurora tibi ros adoleſcentiæ tuæ*; alij vertunt, *ab aurora rorem genui te.* Sic Iſaias comparat Chriſti generationem rori c. 45. 8. dicens: *Rorate cæli deſuper.* vide ibi dicta. Rurſum ros adoleſcentiæ Hebræis idem eſt, quod flos & decor adoleſcentiæ. Ros ergo Primò, deſignat ſuauitatem, hilaritatem & dulcedinem Chriſti. Secundò, eius generationem cæleſtem ex Virgine, ſicut ros naſcitur ex aurora virtute cæleſti, ait R. Hadarſan. Vnde ex Hebræo verti poteſt, *ex vtero auroræ ros iuuentutis tuæ.* Tertiò, gratiarum copiam, quæ inſtar roris in Chriſtum effuſa eſt. Hinc Chald. vertit, *miſericordiæ Dei præſtò erunt tibi tamquam ros, ſedebunt confidenter nati tui.* Vnde ex hoc loco probat Vatabl. & Suarius 3. p. tom. 1. diſp. 18. ſect. 3. plenitudinem gratiæ animæ Chriſti infuſam eſſe in vtero, putà in primo conceptionis eius inſtanti. Sic ergo Chriſtus genitus vt ros, fuit filius auroræ, id eſt, Patris æterni qua Deus, & matris virginis qua homo. Hinc ſumpſit Triſmegiſtus ſuum illud: *Deus cùm maris & fœminæ vim haberet, peperit verbum*: atque ex eodem Lactant. li. 4. 13 docet quòd Deus eſt ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, ac proinde oportuiſſe vt bis naſceretur filius, in prima ſpiritali natiuitate ἀμήτωρ, in ſecunda carnali ἀπάτωρ. Inſuper per rorem ſignificatur filium eſſe tam patri, quàm matri conſubſtantialem: ros enim eiuſdem ſubſtantiæ eſt cum materia ex qua fit. ita Molina 1. p. q. 27. a. 1. diſp 2. Deniq; noſter Maldon. (cui fauet Caietan. & verſio Chaldæi iam recitata) commentans in pſal. 109 ſic exponit: Ex vtero, id eſt ex baptiſmo, tibi ô Chriſte naſcetur ros pueritiæ, id eſt, multitudo puerorum; vel ros adoleſcentiæ & iuuentutis, id eſt, multitudo adoleſcentiũ & iuuenum, putà fidelium & Chriſtianorum: ros enim in copia gignitur, totamque terram quaſi operit: eſt enim inſtar minutiſſimæ pluuiæ, ſiue ſtillarum, quæ frequentiſſimè & creberrimè cadunt. Rurſum ros ſignificat gratiam largam fidelibus hiſce Chriſti filiis datam. Senſus ergo eſt, q. d. Generatio, progenies & poſteritas tua, ô Chriſte, non erit carnalis, ſed ſpiritalis, eaque copioſa tum numero, tum gratia, qualis eſt roris.

Quinta. Quintò, ſicut auroræ lux hominibus, qui cæcis longæ noctis tenebris fatigantur, optatiſſima eſt, gratiſſima & iucundiſſima, ita & hominibus ſedentibus in tenebris & in vmbra mortis exoptatiſſimus & fauſtiſſimus fuit Chriſti ortus. Hinc enim eſt iſtud quod ait Iob c. 11. 17. *Cùm te conſumptum putaueris, orieris vt lucifer.* Et S. Petrus Chriſtum, Chriſtiſque Euangelium vocat luciferum, epiſt. 2. c. 1. 19. *Donec dies illuceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.*

ET VENIET QVASI IMBER NOBIS TEMPORANEVS ET SEROTINVS TERRAE] Imber temporaneus, vel tempeſtiuus in Palæſtina eſt, qui cadit in autumno iactis in terra ſeminibus, vt ea radices figant in terra, & germinare incipiant: ſerotinus, qui cadit in vere, vt ſegetem incraſſet, impinguet & maturet. Dicitur ille tempeſtiuus, quia eſt ſementis, hic ſerotinus, quia eſt ſegetis & meſſis. In Syria enim tota æſtate vix pluit, ſed ſudi ſereniſque ſunt dies. ita S. Hieron. & Vatabl. Vtrique Chriſtum comparant Prophetæ; quia æquè vt illi optatus aduenit, terramque, id eſt hominum animas, fœcundauit & viuificauit.

4. Quid faciam tibi Ephraim? quid faciam tibi Iuda? miſericordia veſtra quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens.

5. Propter hoc dolaui in Prophetis, occidi eos in verbis oris mei: & iudicia tua quaſi lux egredientur.

6. Quia miſericordiam volui, & non ſacrificium: & ſcientiam Dei, pluſquàm holocauſta.

7. Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, ibi prævaricati ſunt in me.

QVID FACIAM TIBI EPHRAIM] *Parentis in perditos filios monſtrat affectum*, ait S. Hieron. iuxta illud Iſaiæ 5. *Quid eſt quod vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci?* & Michææ 6. *Populе meus quid feci tibi?* Redit hîc Propheta ad ſua tempora, ac mores incorrigibiles Hebræorum ſui ævi, ob quos à Deo deſtinati ſunt excidio, vti ait in ſequentibus. Hîc ergo oſtendit ipſos ſuæ perditionis eſſe cauſam, non Deum, qui de ea dolet, eamque omnibus modis auertere conatus eſt, pulſando aſſiduè animos eorum duros & rebelles per Prophetas, nunc minis, nunc promiſſis, nunc flagellis; ita vt ex parte ſua omnia adhibuerit, quæ eos ſanare, & ad ſalutem tam animæ quàm corporis perducere poterant. Quocirca moral Dionyſ. Carthuſ. *Hæc*, ait, *poſſunt eſſe verba clementiſſimi Dei ad Chriſtianos peccatores temporalia congregantes, & labiis tantùm confitentes, vel aliis vitiis implicitos, quos Deus ad pœnitentiam indefinenter inuitat, eorum damnationi velut compatiens. De quo dicit Apoſtolus, quòd vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Hinc & S. Petrus epiſt. 2. c. 3. ait: Patienter agit Dominus propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. Cui conſonat Iſaias ca. 30. Propterea, inquit, exſpectat Dominus vt miſereatur veſtri. Non ergo diuitias bonitatis & longanimitatis eius contemnamus. Mallet etiam Chriſtus animarum amator denuo crucifigi, quàm fineret quempiam (quantum in ſe eſt) condemnari.* Hæc ergo voluntas in Deo ſincera eſt, ſeria, & quantum eſt ex eius parte, efficax: eſt ergo voluntas non ſigni tantùm, vt quidã volunt, ſed beneplaciti: alioquin enim fictè & ſimulatè Deus ageret, dum inuitat peccatores ad ſe tanto dolore & affectu, ſi eum tantùm in ore & verbis haberet, non in mente & corde. quod cogitare eſt nefas. de quo plura c. 11. 9. *Vers. 4.*

MISERICORDIA VESTRA] Hebr. חֶסֶד *cheſed*, significat pietatem & misericordiam, indeque sanctitatem; huius enim signum & causa est misericordia. vnde *chasidim* vocantur viri misericordes & pij. Sensus est, q.d. Quid faciam vobis, ô Hebræi? obstinati enim estis in vestris sceleribus, nec pia mea monita & inspirationes in mentem admittitis: licèt enim aliquādo aliqua pietatis & misericordiæ in proximos egentes & miseros vos tangat cogitatio & sensus, tamen is instar nubis & roris matutini, qui statim ad ortum & calorē solis euanescit, subitò præterit & pertransit. q. d. Pietas & misericordia vestra inconstans est, instabilis & euanida. ita Chald. Rupert. Lyran. Vatabl. & Arias. Secundò, alij hîc accipiunt *misericordiam* Dei, non Iudæorū, q. d. Ego Deus cuperem vestri, ô Iudæi, misereri, idque assiduè & continuò; sed vos hanc meam voluntatem & misericordiam vestra nequitia dispellitis, æquè ac ventus subitò dispellit nubes, & sol oriens subitò sorbet rorē. ita S. Hieron. Theophyl. Hugo & Ribera. Priori sensui magis fauet id quod sequitur: *Misericordiam volo, & non sacrificium.*

VERS. 5. PROPTER HOC DOLAVI IN PROPHETIS] Pro *dolaui* hebr. est, חָצַבְתִּי *chatsabti*, id est excidi, succidi, occidi; ac tribuitur lignis & lapidibus, dum cæduntur vt dolentur & quadrentur: vnde Septuag. vertunt, *propterea succidi* (Syrus, *dilacerauī*; Arabicus, *messui*) *Prophetas vestros*: quod S. Hieron. Haymo, Rupert. & Hugo exponūt de falsis Prophetis, q.d. Occidi pseudoprophetas, qui vos à me, & à pietate vera abducebāt ad impietatem & superstitionem, vt qui causa erroris fuerant prospera promittentes, interfecti verterentur in occasionem salutis, ait S. Hieron. ita Deus per Eliam occidit 450. Prophetas Baal, 3 Reg. 18. Leo Castrius verò, vti & Theophyl. accipiunt veros Prophetas, sicque exponūt q.d. Occidi, id est, occisioni & neci certæ exposui, meos Prophetas, dum eis iussi vt assiduè vestrām impietatē redarguerent: sciebam enim ideo illos à vobis occidendos. Aut, vt Vatabl. & à Castro, q.d. Obtudi Prophetas meos, & quasi enecaui: nam eos fatigaui assiduis stimulis, adeò vt eos quasi ad necem redegerim; iugiter scilicet eos impellendo & pulsando, vt vos assiduè monerent & pulsarent, nunc minis, nunc promissis.

Verùm, quia Hebræa habent, *in Prophetis*, itaque vertit Noster, Chald. & alij; hinc melior & illustrior sensus erit, si hanc dolationem ad populum referamus. vnde S. Hieron, quem sequūtur Haymo, Albert. & Hugo, sic exponit: *Dolaui vos in Prophetis* (id est per Prophetas) *& verbis terribilibus comminatus sum, scalpellum, ignes & cauteria protuli, vt quem clementē contemnebatis, timeatis offensum.* Explicat & probat id quod dixit: *Quid faciam tibi Ephraim?* tua enim pietas & misericordia leuissima est, impietas solidissima, & durissima instar marmoris & adamantis: propterea eam frāgere & dedolare conatus sum per Prophetas, sed frustra: nam dum marmora isthæc silice duriora sculpere nitor, hebetaui dolabras & scalpra mea, scilicet ministros & Prophetas meos; nam *occidi eos in verbis oris mei*, q.d. Continuis oraculis, monitis & iussis eos fatigaui, & confeci: hæc enim magno eis stabant: oportuit enim illos sæpiùs cum sermone omnia bona, & vitā ipsam simul exponere & profundere: sed obdurueruntmarmora, cælari recusant, nihil profecimus tanto labore, tantis impendijs, nolunt effingi ad imaginē Dei homines ipsius figmenta. Similis est querela & pathos Dei per Ieremiam c. 6. 27. *Probatorem dedi te in populo meo robustum, &c. æs & ferrum: vniuersi corrupti sunt. Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbū, frustra conflauit conflator: malitiæ enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos: quia Dominus proiecit illos.* vide ibi dicta. ita Hieron. Prado in Ezech. 24. 12. Emmanuel, Mariana, & alij.

ET OCCIDI EOS IN VERBIS ORIS MEI] S. Hieron. hoc æquè ac præcedens refert ad Iudæos, q.d. *Occidi negligentes in verbis oris mei, vt antè peccatores verborum terrore punirem, quàm captiuitas immineret.* q.d. Occidi eos, non reipsa, sed verbis & minis. Meliùs & efficaciùs alij, *dolaui* ad *Iudæos*, *occidi* verò ad Prophetas referunt. ita Lyran. Arias, à Castro & Prado iam citatus. Sensus est, quem paulò antè dedi.

ET IVDICIA TVA QVASI LVX EGREDIENTVR] q.d. Dolaui & occidi vos ad hoc, *vt iudicia*, id est iustitiæ vestræ, instar lucis orirentur ac splendescerent. Sicut enim sol per radios splendet, ita iudicia & leges Dei per opera emicant, ait à Castro. Secundò, Vatabl. q.d. Res tuæ feliciter & prosperè tibi cesserunt. Sicut enim tenebræ infausta, ita lux prospera & fausta significat. q.d. Propter Prophetas quibus te dolaui, cumulaui te beneficijs meis. Verùm *iudicia* non significant beneficia. Tertiò ergo aptissimè, q.d. *Et*, id est idcirco, *iudicia tua*, id est, condemnatio tua velut in luce clara videbitur, & apparebit omnibus esse iusta, tuumque scelus esse inexcusabile, vtpote obstinatum post tot Dei monita, dolationes & verbera. ita S. Hieron. Theodor. Hugo, Lyran. Arias & alij.

QVIA MISERICORDIAM VOLVI, ET NON SACRIFICIVM] S. Hieron. hîc, & S. Chrysost. Hilar. & Euthym. in Matth. cap. 9. 13. accipiunt misericordiam non hominum, sed Dei, quasi dicat, Iucundius mihi est misereri vestri, quàm à vobis sacrificia recipere; magis delector vestra conuersione & salute quàm victimis. Fauet Christus Matth. 12. 7. Cùm enim Pharisæi carperent Apostolos, quòd sabbato vellerent spicas, vt fami suæ succurrerēt; Christus eis hæc Oſee verba obijcit, dicens: *Si autem sciretis, quid est Misericordiam volo, & non sacrificium, numquam condemnassetis innocentes.* q. d. Si sciretis quanta sit Dei misericordia, sciretis pariter gratius ei esse, ad famem pauperum subleuandam velli spicas in sabbato, quàm sabbatum tam rigido ab operibus otio, cum tanta meorum fame obseruari. Verùm sic non rectè cohærent hæc cum præcedentibus, quibus minatus est eis iudicia, id est condemnationē; nec cum sequentibus, *Et scientiam Dei plusquam holocausta.* hæc enim scientia est hominum: ergo & misericordia. Adde, non congruè misericordiam Dei cum victimis hominum comparari.

Meliùs ergo hæc accipiemus de misericordia, id est, eleëmosyna & beneficentia hominum in proximos egentes & miseros. ita Chald. Theod. Theoph. Haymo, Albert. Lyran. Arias, Vatabl. & August. li. 10. Ciuit. S. Cyprian. lib. 3. contra Iudæos c. 5. & alij, imò Christus Matth. 12. 7. Sensus enim eius est, q. d. Permisi discipulos meos famen-

famentes ſabbato vellere ſpicas, quia miſereor eorum, cupioque vt fami ſuæ ſuccurrant. Scio enim Deo gratiorem eſſe miſericordiam quàm otium ſabbati, imò ſacrificium: hoc ergo à me diſcite, mecumque miſericordiam hanc in diſcipulos meos famentes induite & exercete, vt eos non accuſetis ob ſabbatum violatum, ſed ob famem leuatam excuſetis, eiſque compati mini.

Nota Primò. Vox *quia* dat cauſam præcedentium, præſertim eorum quæ dixit v.4. vbi accuſauit eorum miſericordiam, qua vnà ſcelera ſua expiare, Deumque placare poterant, quòd eſſet inſtabilis & fallax, eò quòd mox in ſolitam immiſericordiam & crudelitatē (idololatria enim crudelis eſt, æquè ac hæreſis) relaberentur. q.d. Commendaui vobis miſericordiam, & immiſericordiam accuſaui, quia illa Deo gratiſſima eſt, B hæc exoſa & ingratiſſima: miſericordiam enim Deus mauult & præfert ſacrificio. Erant enim Iudæi, vti immiſericordes in proximos, ita miſericordes & propenſi ad ſacrificia & oblationes externas, quaſi in illis tota pietas Deique reconciliatio conſiſteret, putantes ſi illa præſtarent, omnia ſibi fore ſecura, Deumque eorum ſcelera diſſimulaturū quem errorē eis hīc Deus adimit, aſſerens contrariū, nimirum: *Miſericordiam volo, & non ſacrificiū.* Et Chriſtus Matth 23.23. *Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiam, & fidem.*

Nota Secundò, ex eo quod ait, *non ſacrificium*, putarunt aliqui vetera ſacrificia Deo non placuiſſe, imò ei exoſa fuiſſe. Sed hic eſt error: erant enim ab eo inſtituta & præcepta toto Leuitico, erantque actus religionis & latriæ Dei. Itaque C *non ſacrificium*, idem eſt quod *quàm ſacrificium*, vti vertunt Septuag. Chald. & alij Hebræi enim quia carent comparatiuo, hinc eum exprimunt per negationem eius quod minus eſt. Itaque quod Hebræi dicunt, *Miſericordiam volo* (id eſt, amo, cupio, diligo, opto; hoc enim eſt Hebr. חָפֵץ *chaphats*) *non ſacrificium*, hoc Latini dicunt: Miſericordiam malo quàm ſacrificium, vel miſericordiam præopto, præeligo, præfero, præpono ſacrificio. vnde S. Auguſt. lib. 10. de Ciuit. cap. 5. *Vbi ſcriptum eſt*, inquit, *Miſericordiam volo magis quàm ſacrificium, nihil aliud quàm ſacrificium* (myſticum miſericordiæ) *ſacrificio* (propriè dicto) *prælatum oportet intelligi.*

Miſericordia præſtat ſacrificio.

Quæres, quomodo reuera miſericordia præſtet ſacrificio? Reſp. & dico Primò: Actus ſacrifi- D cij, vti manat à religione & deuotione interna, melior & nobilior eſt actu miſericordiæ. Patet, quia ille Deum, hic hominem ſpectat: ille eſt actus religionis & latriæ; hic miſericordiæ, quæ eſt virtus moralis: religio autem præſtat omnibus virtutibus moralibus: eſt enim cultus ipſius Dei. ita S. Thom. 2 2. q. 81. a 6.

Dico Secundò: Miſericordia tamen præſtat ſacrificio externo, quia illud in lege veteri ſecundùm ſe, ſiue ex opere operato Deo non placebat, ſed tantùm ex deuotione offerentium: miſericordia autem per ſe placet Deo. Et hoc intendit hīc Propheta: Iudæi enim immiſericordes ſummam ſanctitatem, pietatem & placationem Dei ponebant in externis hiſce ſacrificijs, quaſi per ſe Deo placerent, eumque placarent victimæ ouium & boum. Hoc Deus hīc repre-

A hendit per Oſee, vti & per Iſaiam cap. 1. 11. *Quò mihi, multitudinem victimarum veſtrarum?* &c. *quieſcite agere peruerſè*, &c. *ſubuenite oppreſſo.* & Ierem. 7. v. 22. *Holocauſtomata veſtra addite victimis veſtris, & comedite carnes: quia non locutus ſum cum patribus veſtris, & non præcepi eis*, &c. *de verbo holocauſtomatum & victimarum.* Et pſal. 49. 13. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinē hircorum potabo?* Et pſalm. 50. 18. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis.* Simili modo dicitur 1. Reg. 15. 22. *Melior eſt obedientia quàm victimæ.* Et pſal. 50. 19. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Simili ergo modo verè dici poſſet charitatem, humilitatem, obedientiam, pœnitentiam internam volo, non ſacrificium, id eſt, præfero ſacrificio externo. Rurſum, licèt ſacrificium nobilius ſit ratione obiecti, quod eſt honor Dei, tamen ratione neceſſitatis ſæpè nobilior eſt miſericordia, ideoque præferenda, adeò vt tunc malum eſſet ſacrificare, v.g. cùm ægroto eſt miniſtrandum. Sic Chriſtus reprehendit filios, dicentes parentibus egentibus *corban*, hoc eſt, munus illud Deo offerre præſtat, quàm dare tibi ô pater, Matth. 15. v. 6. Sic S. Auguſtin. damnat parentes, qui bona ſua dant monaſterio, cùm habeant filios indigentes, adeoque talium oblationes ipſe refutare ſolebat, vti refert Poſſidonius in eius Vita c. 24. Tertiò, quia miſericordia ſæpè imperatur à charitate, eamque includit: conſtat autem actus charitatis nobiliores eſſe actibus religionis. Vbi Nota, per ſacrificium hīc omnem cultum externum, vt cultum ſabbati Matth. 12. 7. intelligi: per miſericordiam verò, omnia opera charitatis & pietatis internæ: hanc enim ſignificat Hebræū חֶסֶד *cheſed*, idque patet ex eo quod ſubdit: *Et ſcientiam Dei pluſquam holocauſtum.* Vnde Pineda lib. 8. de Rebus Salom. cap. 1. ſic explicat: *Miſericordiam*, id eſt, animum bene erga me affectum, *volo, non ſacrificium.* Quartò, miſericordia præſtat ſacrificio, ſi miſericordia referatur ad cultum Dei, & imperetur à virtute religionis; tunc enim ſunt duo actus, vnus elicitus à miſericordia, alter imperatus à religione, qui duo præſtant vni religionis & ſacrificij.

Moral. de præſtantia miſericordiæ.

Moraliter diſce hīc, quanta ſit excellentia miſericordiæ, quamq; ea grata ſit Deo, qui eam præfert ſuis ſacrificijs. Ratio eſt, quia ipſa eſt virtus diuina & propria Deo: ſummum enim bonum ſummè eſt miſericors & beneficum. hinc ait Pſaltes: *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.* Et Eccleſia orat: *Deus cuius proprium eſt miſereri ſemper & parcere.* Præfert ergo Deus ea quæ per miſericordiam homini conferuntur ijs, quæ ipſi per ſacrificium donantur, tum quia iis non indiget, iiſque nihil honoris aut gloriæ ei accreſcit; tum quia plus quærit hominis vtilitatem quàm ſuam: quod puri eſt amoris, quodque glorioſius eſt & ſummè magnanimum, planeque regium & diuinum. Hinc B. Nazianz. orat. de cura pauperum: *Eſto*, inquit, *calamitoſo Deus.* Et S. Cyprian. tract. de orat. Dominica: *Quando*, ait, *quis miſeretur pauperis, Deo fœnerat: & qui dat minimis, Deo donat, ſpiritaliter Deo ſuauitatis odorem ſacrificat.* Neque enim, ait idem tract. de Opere & eleëmoſyna, *promereri miſericordiam Domini poterit, qui miſericors ipſe non fuerit.* Vnde inferiùs docet, in fame miſericordiā eſſe cibo præponendam, exem-

Matth. 15.

plo viduæ, quæ primò fecit panem Heliæ, deinde sibi & filijs, 3. Reg. 17. *Esurientibus*, ait, *liberis alter priùs pascitur, neque in penuria & fame cibus ante quàm misericordia cogitatur.* S. Chrysost. homil. 36. ad popul. *Misericordia*, ait, *maior est gratia quam mortuos suscitare.* Idem hom. 51. in Matth. docet pluris esse misericordiam facere, quàm templa magnifica condere: *hoc enim templum* (viuum, putà pauperum) *illo* (materiali) *est multò præstantius.* Et hom. 53. *Misericordia*, ait, *ars quædam liberalis est, in cœlis habens officinam, & non hominem, sed Deum magistrum possidet. Hæc nobis mansionem in cœlo ædificat, & æterna tabernacula præparat.* S. Augustl. lib. de Eleëmosyna: *Hæ*, ait, *sunt, hostiæ gratissimæ, misericordia, humilitas, confessio, pax & charitas.* Idem li. 9. de Ciuit. c. 5. *Cicero*, ait, *in Cæsaris laude locutus est, dicens: Nulla de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior est misericordia.* Idem serm. 34. de resurrectione Domini: *Vide*, ait, *si non magnam Deus tibi dat misericordiæ mercedem. Si dimittis homini in quo te læsit homo hominem, & Deus tibi ignoscet in quo offendisti homo Deum.* Idem tract. de Auaritia & luxuria: *Ego*, inquit, *Dominus accepi, ego reddam. Esuriui, & dedistis mihi manducare*, &c. *Terram accepi, cælum dabo: temporalia accepi, æterna restituam: panem accepi, panem dabo, sed cælestem & æternum: hospitium accepi, domum dabo: ager visitatus sum, salutem dabo: in carcere visitatus sum, libertatem dabo*, &c. Idem serm. 203. de Tempore: *Multa*, ait, *sunt genera miserationum, quæ cùm facimus adiuuamur, vt dimittantur nobis nostra peccata: sed ea nihil est maius, qua ex corde dimittimus quæ quisque peccauit.* Auctor serm. ad Fratres in eremo serm. 5. *Sola*, ait, *misericordia ad Deum deducit hominem, sola Deum deducit ad hominem, sola Deum humilians nos sublimat.* Quocirca Iosaphat rex apud Damasc. in hist. c. 36. relicto regno tendens ad vitam anachoreticam, Barachiæ, quem sibi in regno substituerat, valedicens, hoc ei primum dedit præceptum, non suum, sed Christi: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et rursum: *Estote misericordes, sicut & pater vester cælestis misericors est. Hoc enim præceptum*, inquit, *potissimùm ab iis exponitur, qui in summo imperio constituti sunt, vt eum imitentur à quo potentiam acceperunt. Hac porrò in re maximè quis Deum imitabitur, si misericordia nihil potius antiquiusq; habeat. Huc accedit, quòd subditos nihil æquè ad beneuolentiã alliciat, vt beneficij gratia egentibus concessa.*

Iohannis eleëmosynarij misericordia in pauperes.

S. Ioannes, qui à misericordia, Eleëmon, id est misericors, vel Eleëmosynarius est dictus, omnes miseros iuuabat, & vesperi lachrymabatur, si nemo afflictus eo die opem eius postulasset. Hinc ditatus à Deo est bonis tam temporalibus, quàm spiritalibus. Porrò originem huius suæ virtutis ita ipse alijs enarrat apud Leontium: *Mihi*, ait, *cùm essem quindecim annos natus, & versarer in Cypro, quadam nocte puella quædam apparuit in somnis eximia pulchritudine, splendidè vestita, & oleagina corona in capite redimita. Cùm verò prope me stetisset, & manu latus pupugisset, me territum è somno excitat. Rogaui autem eam, quænam esset, & vnde veniret, & quomodo ausa esset accedere ad me dormientem. Illa autem subridenti & lato vultu me hilariter & placidè intuens: Sum, inquit, prima ex filiabus magni regis. Si tu me tibi amicam parauero, potero te ei efficere familiarem: nulli enim maior est apud eum, quàm mihi fiducia: quoniam ei, vt è cælo descenderet in terram, & carnem acciperet humanam, ego persuasi. Ego verò cùm ad me rediissem, & id quod visum fuerat mente versarem, iudicabam eam esse misericordiam: statim ergo surgens, iui solus ad ecclesiam: & fio obuiam pauperi, qui erat nudus, & valdè affligebatur frigore. Ei, cùm me mea veste exuissem, eam trado, apud me dicens: Sciam, an sit verum, & non deceptio, id quod à me est visum: & priùs quàm venissem in ecclesiam, ad me accedens vir quidam candidatus, tradit mihi auri centum nummos, qui mox euanuit. Tunc intellexi visionem non esse phantasiam, sed apertam visionem.* Vnde ipse deinceps in misericordiæ opera ita se effudit, vt in ijs fuerit exemplum & portentum orbis. Dictitabat autem se cùm quid erogaret, mox à Deo duplum, imò centuplum recipere. Proinde eius hæc erant axiomata.

Non est iustum vllius alterius rei curam nos gerere priùs quàm Christi. Ite ergo per vrbem, & sigillatim describite dominos meos. Cumq; rogarent sui, quos suos vocaret dominos? *Quos vos*, inquit, *pauperes & mendicos soletis appellare, eos ego dominos meos & adiutores nomino. Nam ij soli mihi possunt opem ferre, vt à Christi regno non excidam.*

Si nobis qui homines sumus, licet omnino ad Deum accedere absque vllo intercessore, & de quibus volumus eum rogare; quomodo non ipsi quoque nostris conseruis portas aperuerimus, absque vllo impedimento? & non cuilibet, cui est opus, benignam aurem præbuerimus? Scimus enim, qua mensi fuerimus mensura, eadem nobis remetiendum.

Sophronius videns eum quadam die tristem, causam rogans audiuit: *Hodie miserandus Ioannes non ab aliquo vllam accepit mercedem, neque vllum vel minimũ piaculum potuit offerre Christo pro multis & magnis suis delictis.* Quid hoc minus illo Titi Imper. *Hodie non regnauimus, quia neminem affecimus beneficio?*

Christus iubet dari cuiuis petenti: si autem dicitis, vos esse alicuius alterius, qui imperat vt examinetis vitam & statum mendicantium, sciatis quòd neque Christus, neque humilis Ioannes opus habet curiosis ministris.

Si nostra essent quæ dantur, & ea à nobis illata essent in mundum, fortè aliqua venia danda esset ei qui parcè vteretur. Si autem Dei sunt omnia quæ sunt, eius omnino iussum in iis quæ sunt eius, seruare oportet.

Si subit vos timor ex incredulitate, ne fortè multitudo impensarum superet Ecclesiasticos reditus, ego ne tantillum sustinebo esse socius vestræ modicæ fidei. Persuasum enim habeo, quòd, etiamsi totus mundus veniret simul Alexandriam, egens beneficentia, hos Dei thesauros nequaquam in angustum redigeret. Hæc omnia narrat Leontius in eius Vita. Palladius in Lausiaca c. 115 narrat Eleëmonem monachum adeò in omnes fuisse misericordem, vt etiam libros venderet, eorumque pretium mox in pauperes erogaret. Rogatus cur id faceret, dixit: *Qui possum meo persuadere magistro, me eius artem accurate didicisse, nisi illo ipso vsus fuero ad artem rectè exercendam?*

Et cap. sequenti Bisarionem ab eadem virtute commendat, quòd nudum pauperem vestiret suo habitu, ipse interim nudus; quin & Euangelium vendiderit vt pauperi subueniret, dicens: *Vt illic habeamus fiduciam, propter obedientiam vendidi ipsum sermonem, qui mihi semper dicebat: Vende quæ habes, & da pauperibus.*

Et cap. 118. celebrat Melaniam Romanam, quòd

quòd in totum orbem fuerit benefica: & Olympiadem neptem Ablauij Præfecti c. 144. quòd omnia ſua in pauperes erogaret.

Denique vt alia omittam, viuum & ardens miſericordiæ ſpeculum, æquè ac ſpiculum nobis eſt Chriſtus Dominus, qui per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitauit nos oriens ex alto, vt noſtris miſerijs, quæ plurimæ erant & grauiſſimæ, ſubueniret. Quamobrem hæc ipſa tota in nos effudit, tum in incarnatione, tum in vita, tum in cruce, vt verè dixerit Iſaias c. 53. 4. de eo: *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Vis ergo viuam miſericordiæ effigiem, intuere Chriſtum in cruce, vbi totus eſt miſeria, quia totus eſt miſericordia noſtra. Nec tãtùm in cruce, ſed & poſt mortem per omnia ſæcula, imò in æternum totum ſe per miſericordiam in ſuos effundit: *ſe naſcens enim dedit ſocium, conuieſcens in edulium, ſe moriens in pretium, ſe regnans dat in præmium.* Naſcendo enim curauit miſerias natiuitatis & vitæ noſtræ, eas in ſe ſuſcipiendo, moriendo curauit miſerias peccatorum noſtrorum, pro iis ſatisfaciendo; conuieſcendo dandoque ſe in Euchariſtia ad manducandum, curat ſingulorũ infirmitates & paſſiones animæ, cibando eam alimonia cæleſti; regnando curat miſeriam mortis & mortalitatis, dando corpus ſuo conforme, putà immortale & glorioſum. Sanè qui miſerias infinitas animæ ſuæ, æquè ac corporis clarè perſpicit, videtque eas per ſingula momenta à Chriſto curari nouis & infinitis miſerationibus, non poteſt non eas admirari, æmulari, in eaſq; tranſformari, vt iugiter canat cum Pſalte: *Miſericordias Domini in æternum cantabo.*

ET SCIENTIAM DEI PLVSQVAM HOLOCAVSTA] Scientiam Dei practicam intellige, putà coniunctam cum interna Dei reuerentia, pietate, charitate, miſericordia. Opponit enim internam pietatem externæ, putà holocauſtis. Vnde ſequitur, Hebr. חֶסֶד *cheſed*, hîc non tantùm miſericordiam, ſed quoſlibet veræ & internæ pietatis actus denotare & comprehendere, vti ſuperiùs dixi. *Cheſed* enim propriè ſignificat pietatem tum in Deum, tum in homines, putà pium & propenſum affectum, benignitatem, beneficentiam gratiam, charitatem, beneuolentiam, gratitudinem, ſanctitatem ſiue bonitatem. Inde enim חָסִיד *chaſid*, id eſt pius, vocatur vir bonus & ſanctus. & *chaſida* vocatur ciconia, auis pia in parentes, ideoque pietatis ſymbolum. ita à Caſtro hîc, & Marinus, Forſterus, Pagnin. & alij in lexicis. Sic Ionæ 2. 9. dicitur: *Qui cuſtodiunt vanitates* (idola) *fruſtra miſericordiam ſuam* (hebr. חַסְדָּם *chaſdam*, id eſt, pietatẽ ſuam erga Deum, & conſequenter erga homines) *derelinquunt*: vbi *cheſed* proprie ſignificat Dei timorem & cultum.

IPSI AVTEM SICVT ADAM (primus parens in paradiſo violans pactum cum Deo, eiuſque conditionem & legem de non comedendo pomo vetito) TRANSGRESSI SVNT PACTVM] q. d. Imitantur parentem ſuum, putà primum legis & pacti Dei præuaricatorem, ideoque ſicut ille paradiſo expulſus eſt, ita & ipſi terra ſua, quæ inſtar paradiſi eſt, putà Iudæa, expellentur. ita S. Hieron. Cyrill. Ruper. Hugo. & Lyranus. Addit Clarius, ſicut Adam non fame preſſus, non concupiſcentia incitatus, ſed mera ſua lubentia pomum vetitum comedit, ita hi peccant ex mera petulantia,

Secundò, Septuag. τὸ *Adam* acceperunt vt nomen commune, non proprium, ſignificans hominem; vnde vertunt, *ipſi verò ſunt ſicut homo præuaricans teſtamentum*, vel *fœdus*. Sic & Vatabl. & Clarius: ſed hi duo cum Theodor. vertunt in genitiuo, *ipſi autem tranſgreſſi ſunt fœdus meum ſicut hominis*, id eſt, vt fœdus ictum cum homine. q. d. Non pluris fecerũt fœdus mecum initum, quàm ſi cum homine iniuiſſent: vnde ex leuitate mox illud reſciderunt & violarunt. Aut, vt Arias, q. d. Ipſi externis victimis me colunt, quaſi cum hominibus agerent, qui non vident cor. falluntur: ego enim ſum cardiognoſtes, ideoque internam pietatem & miſericordiam volo, non ſacrificiũ.

IBI PRAEVARICATI SVNT IN ME] Tὸ *ibi* quadrupliciter exponi poteſt. Primò, *ibi*, ſcilicet in Adamo, q. d. Ex eo tempore quo Adam peccauit, cœperunt præuaricarii in me: inſigniter ergo hanc Adæ præuaricationẽ imitati ſunt, imò continuarunt. Secundò, *ibi*, ſcilicet in paradiſo, q. d. In terra ſua, putà in Iudæa, quæ amœna & fertilis erat inſtar paradiſi terreſtris, in qua ego eos benignè collocaueram, vti Adamum in paradiſo; *ibi*, inquam, paradiſo hoc ſuo, meaque benignitate abuſi & laſciuientes recalcitrarunt. ita S. Hieron. Chald. & Vatabl.

Tertiò, *ibi*, ſcilicet in ſuo ſacrificio & holocauſto, quod vel idolis cum idololatria, vel mihi cum impia mente & conſcientia ſcelerata offerunt. Quartò & genuinè, *ibi*, ſcilicet in tranſgreſſione qua pactum meum tranſgreſſi ſunt, ſicut Adam *præuaricati ſunt in me*, quia hoc pactum mecum, non cum angelo, non cum homine iniuerunt.

8. Galaad ciuitas operantium idolũ, ſupplantata ſanguine.

9. Et quaſi fauces virorum latronum, particeps ſacerdotum in via interficientium pergentes de Sichem: quia ſcelus operati ſunt.

10. In domo Iſrael vidi horrendum: ibi fornicationes Ephraim: contaminatus eſt Iſrael.

11. Sed & Iuda pone meſſem tibi, cùm conuertero captiuitatem populi mei.

GALAAD CIVITAS OPERANTIVM, id eſt, fabricantiũm, ornantium & colentium, IDOLVM] Galaad erat mons celebris terræ ſanctæ, ita dictus à fœdere inito inter Laban & Iacob, Gen. 31. 48. qui ceſſit in ſortem tribubus Ruben & Gad. Inde ciuitas in eo ædificata dicta eſt pariter Galaad, & ab altitudine Ramatha, ex qua ortus eſt Iephte Iudic. 11. 1. & Ramoth Galaad, in qua vnctus fuit Iehu in regem, 4. Reg. 9. 1. Hæc erat ciuitas refugij, vt patet Ioſue 21. 36. & 1. Paral. 6. 78. ideoque in ea erat multitudo ſacerdotum. Quocirca ob vrbis celebritatem idololatræ poſuerant in ea ſedem idololatriæ, templumque & aras idolis exædificarant, vti hîc ſignificat & taxat Propheta, q. d. Galaad ciuitas ſacerdotalis & ſancta, facta eſt metropolis idololatriæ & iniquitatis, adeò vt ad eam tota compoſita factaque videatur. ita S. Hieron. Chald. vertit, *Galaad ciuitas vim inferentium*. Hebræum e- VERS. 8. *Galaad quæ*

nim אָוֶן *auen*, ſignificat iniquitatem, indeque violentiam, vti & idololatriam. Vtraque enim inſignis eſt iniquitas.

SVPPLANTATA SANGVINE] q.d. Galaad ſupplantabitur, capietur & vaſtabitur ob ſanguinē piorum Deum colentium, quem ipſa idololatra copiosè & iniuſtè effudit. Eſt emphaſis in verbo *ſupplantata*, q.d. Ipſa ſupplantauit, & per dolos ac inſidias deiecit Dei cultores, hinc ipſa pari modo ſupplantabitur, decipietur & deiicietur in ruinam. Vnde hebr. eſt. *Supplantata à ſanguine*; & ita latinè legendum hîc contendit Ribera. Ita reipſa factum eſt, vt Galaad quæ prima erat in ſcelere, prima pariter eſſet in clade & excidio. Nam quia Syris erat vicina, hinc prima expugnata eſt ab Aſſyrijs tempore Phacee, 4. Regum 15. 29. ita S. Hiero. Haymo, Hugo, Ribera & alij.

Hinc Secundò, pro *ſupplantata à ſanguine*, Leo Hebr vertit, *oppreſſa ſanguine*; Hebræi & Pagnin. *fœdata ſanguine*; Chald. *dolosè effundens ſanguinem*; Lyran. *inſidiatrix ſanguinis*, q.d. Galaad ita dedita fuit inſidiis & cædibus piorum & innocentiū, vt eorū ſanguine quaſi ſupplantata, oppreſſa & ſubmerſa videatur: natauit in ſanguine alieno & innocenti, iam natabit in ſanguine ſuo & nocēti.

Tertiò, Septuag. pro מִדָּם *middam* legentes מַיִם *maim*, vertunt, *perturbans aquas*, id eſt, ſanam doctrinam, vti faciunt idololatræ & hæretici, inquit Theodor.

Alleg. *Galaad*, id eſt, tumulus teſtimonij, eſt Ieruſalem polluta ſanguine Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum, aliorumque eius teſtium, quos ipſa cum ſuis Scribis & Sacerdotibus occidit & tumulauit, vti eis obiicit Chriſtus Matth. 23. 29. ita Leo Caſtrius ad litteram, ego allegoricè.

ET QVASI FAVCES VIRORVM LATRONVM] q.d. Galaaditæ habent fauces hiantes ad prædam inſtar latronum, imò luporum: fitiunt enim ſanguinem & cædem innocentium. Sic de voraci famelico ait Silius lib. 3.

Immani fauces diducit hiatu.

Legit Interpres in Hebr. חִכֵּי *chicke*, id eſt fauces, iam legunt alio puncto חָכֵּי *chacke*, id eſt expectare, inhiare; vnde vertunt, *ſicut latrones qui expectant virum*, vt eum occidant vel ſpolient, putà qui prædæ inhiant. ita R. Dauid, Pagnin. Vatabl. & alij. Alio caſu & ſyntaxi, ſed eōdem redeunte ſenſu, vertit Chald. *ſicut obſeruat vir latrunculos, conſociati ſunt ipſi & ſacerdotes eorum.* q.d. Deicolæ euntes ad templum in Ieruſalē, ita timebant & cauebant Galaaditas eorumque ſacerdotes, vt viator timet & cauet latrunculos.

Aliter Haymo & Albert. per fauces enim metaphoricè accipiunt ſtrictos ingreſſus vallium aut collium, in quibus latere ſolent latrones, & inſidiari viatoribus, eoſque inopinantes repentè aggredi. Sic enim vocantur fauces terræ, fauces portus, fauces ſcopuli, fauces Orci, de quibus Virgil. 6. Æneid.

Veſtibulum ante ipſum primiſq́, in faucibus Orci.

Ita Græci pauci numero expectarunt Xerxem cum innumeris copijs ad fauces Thermopylarum, ibique eum ceciderunt. Sic ergo ſenſus eſt, q.d. Galaaditæ inſidebant fauces montium, vt euntes Hieroſolymam caperent, ſpoliarent, occiderent. Vnde Symmach. vertit, *fauces tuæ quaſi viri inſidiatoris.*

Verùm Hebr. *chicke*, fauces hominis, non terræ ſignificat: à radice enim חָכָה *chaka*, id eſt expectare, anhelare, inhiare, deducitur nomen חֵךְ *chec*, id eſt, palatum, gula, fauces, eò quòd cibo inhient: ſunt enim ipſæ quaſi os ſtomachi, ſcilicet interior pars gulę, vbi os anguſtatur tenditq́; in ſtomachum, quam partem Græci & Latini laryngem, vel pharyngem vocant. Vnde de ea Plin. lib. 11. 37. *Summum gulæ*, inquit, *fauces vocantur, extremum ſtomachus.* Hæ enim fauces magis ſignificant auiditatem inexplebilē cædis & ſanguinis, quàm illæ montium & vallium. Sic Cæſar apud Lucan. Pompeium comparat tigridi, quæ aſſueta ſanguini ferarum, ſemper eum ſitit:

Sic & Syllanum ſolito tibi lambere ferrum,
Durat Magne ſitis: nullus ſemel ore receptus
Pollutas patitur ſanguis manſueſcere fauces.

Porrò Septuag. pro חִכֵּי *kechicke*, alijs punctis legentes כֹּחֲבִי *cochachi*, vertunt, *fortitudo tua quaſi viri piratæ.* q.d. Summa vi & fortitudine inuadis tranſeuntes in Ieruſalem, vti faciunt piratæ: כּוֹחַ *coach* enim eſt vis, virtus & fortitudo.

PARTICEPS SACERDOTVM, putà, Galaad habens fauces latronum, particeps & ſocia fuit ſacerdotum, qui in via interficiebant PERGENTES DE SICHEM] q.d. Galaaditæ fuerunt ſocij ſacerdotum Bethel, putà idolorum & vitulorum aureorum, qui Deicolas euntes à Sichem in Ieruſalem in Paſchate, Pentecoſte, & Scenopegia, vt iuxta legem Deum in templo adorarent, trucidabant vel per ſe, vel per ſubmiſſos à ſe ſicarios. ita S. Hieron.

Hebr. iam ad verbum habent, *ſicut latrones qui obſeruant virum, ita conſpiratio ſacerdotum in via qua itur Sichem, trucidant*, ſcilicet viatores. Pro *conſpiratio* Vatabl. vertit, *congregatio*; Pagnin. *collegium*; alij, *ſocietas*. Notatur hîc ſceleris atrocitas & imperium. Nam vbi in illud multi conſpirant, nihil non perficiunt: armata enim tot manibus, totque conſilijs impietas, omnia perfringit & ſternit.

PERGENTES DE SICHEM] Hebr. שְׁכְמָה *ſechma*, id eſt, in Sichem: hoc enim ſignificat ה locale. ita Vatabl. & Arias. Verùm dico ה hîc non eſſe locale, ſed terminatiuum nominis proprij. Vrbs enim hæc dicta eſt *Sichem*, vel addito ה *Sichima*. Vnde Septuag. & Symmach. vertunt, *interfecerunt Sichima*, id eſt, *Sichimitas*. Noſter verò, quia hîc fit mentio viæ in Ieruſalē, rectè ſubaudiens præpoſitionem מִן *min*, id eſt *de*, vertit, *pergentes de Sichem*. Hi enim idololatræ non occidebant euntes in Sichem, ſed ex *Sichem* euntes in Ieruſalem. *Sichem* enim vrbs, dicta à Sichem principe, qui vitiauit Dinam Iacobi filiam Gen. 34. 2. tempore Chriſti dicebatur *Sichar*, quam Chriſtus per mulierem Samaritanam conuertit Ioan. 4. 5. deinde dicta Neapolis, hodie Napoloza. Errant qui putant ad has inſidias alluſiſſe Chriſtum Lucæ 10. in parabola euntis è Ieruſalem in Iericho, qui incidit in latrones. Nam Iericho erat ad Orientem Hieroſolymæ, Sichem verò ad Septentrionem. Quare nulla erat via, quæ ex Ieruſalem per Sichem tenderet in Iericho. Nominat Sichem præ alijs vrbibus, tum quia ex Samaria, quæ erat metropolis decem tribuum, recta erat via in Ieruſalem per Sichem: tum quia Sichem religione erat celebris: in ea enim habitarunt

runt Abraham & Iacob, cuius & puteus ibidem A oſtenditur: in ea quoque ſepultus eſt Ioſeph, Ioſue 24. 32. Rurſum Sichem erat iuxta montes Hebal & Garizim, in quibus Moſes proclamauit legem, & benedictiones eam ſeruantibus, & maledictiones eam præuaricantibus Deuter. 27. 4. Hinc multi Sichimitæ in cultu Dei perſtiterunt, cùm alij declinarunt ad vitulos Ieroboam. Hinc quoque peregrini viſentes loca ſancta, viſebant (vt etiamnum viſunt) Sichem & Ieruſalem. Sicut Chriſtiani in Italia viſitant Lauretum & Romam: tum denique quia iuxta Sichem erat Dan & Bethel, vbi Ieroboam poſuit vitulos aureos. Ibi ergo erat ſedes idololatriæ: ac conſequenter ibi vigebat perſecutio in pios & fideles euntes in Ieruſalem, quos in via intercipiebant & malè mulctabant.

Porrò Chald. Aquila, Theodot. Vatabl. Clarius & Pagnin. *τὸ Sichem* accipiunt vt nomen, B non proprium, ſed appellatiuum, ſignificans humerum. Vnde vertunt, *turma*, vel *conſpiratio ſacerdotum in via interficit humero vno*, id eſt, conſenſu vnanimi, pari ſtudio & conatu. Sic enim fures & milites dum conſpirant in domus vel vrbis expilationem, vno quaſi humero ferunt ſcalas, trabes, aliaque inſtrumenta quibus turres cõſcendant, aut oſtia ſternant ad irrumpendum & prædandum. Aquila vertit in accuſatiuo, *participatio ſacerdotum in via occidebant*, id eſt amputabant, *humeros* viatorum euntium in Ieruſalem.

QVIA SCELVS OPERATI SVNT] q.d. Inſidiantur Galaaditæ Deicolis eoſque occidunt, quia totos ſe ſceleribus dediderũt. Pro *ſcelus* hebr. eſt זִמָּה *zimma*, id eſt, piaculum, nefas, abominatio, putà ſcelus horrendum & execrabile. C

Diſce hîc moraliter, quantum ſcelus ſit impedire opera pietatis, ac remorari eos qui tendunt ad ſalutem & ad Dei cultum, v. g. ad ſtatum perfectionis. Vnde S. Hieron. hæc applicans hæreticis: *Nos dicamus*, inquit, *hæreticos* (tu dic libertinos aliàs Catholicos, vt irriſores & ſanniones operum piorum) *intercludere viam, ne de Sichem, id eſt de bonis operibus, pergamus in Ieruſalem, id eſt, in Eccleſiam. Iſti ſunt quaſi fauces latronum, & interficiunt eos qui per huius ſæculi viam ad veritatem pergere cupiunt. Sichem interpretatur ὦμος, id eſt, humeri: in humeris opus intelligimus: & omnes falſi ſacerdotes abſcondunt viam, & occidunt homines malis operibus, ne perueniant Ieruſalem. Quòd autem humerus opus ſignificet, illud oſtendit Ierem. 31. iuxta Septuag. Da cor tuum in humerum tuum, hoc eſt, quæ intelligis verte in opera. Et de Iſſachar legimus Gen. 49. quòd ſuppoſuerit humerum ſuum ad laborandum, & vir agricola ſit* Quocirca S. Chryſoſt. lib. 3. Contra vituper. vitæ monaſt. hunc ponit nonum & ſummum malitiæ gradum. Primus, ait, malitiæ & impietatis gradus eſt, iumenta & pecora ipſa inimicorum errantia, vel lapſa negligere. Secundus & maior, inimicis ipſis, ſi qua re egeant, non ſubuenire. Tertius, proximos ignotos aſpernari. Quartus, deſpicere familiares. Quintus, non ſolùm corpora, ſed etiam animas fratrum pereuntes negligere. Sextus, ipſos filios pereuntes negligere. Septimus, nec eos per ſe curare, nec alios qui curent comparare. Octauus, prohibere inſuper eos qui ſponte iuuare illos velint. Nonus, non modò eos à ſalute arcere, ſed etiam eorum ſalutem vltrò oppugnare. Hoc eſt quod tam ſedulò monet & præcipit Apoſt. 1. Theſſal. 5. v. 19. *Spiritum nolite extinguere.* vide ibi dicta, ac præſertim mirum hac de re exemplum Prætextatæ, quod refert S. Hieron. epiſt. 7. ad Lætam.

Nouem gradus impietatis.

IN DOMO ISRAEL, putà in regno decem tribuum, VIDI HORRENDVM, putà FORNICATIONES EPHRAIM] ſcilicet idola & vitulos aureos, quos induxit Ieroboam rex oriundus ex Ephraim, quemque tribus Ephraim quaſi ciuem & regem ſuum ſecuta eſt, & mox totus Iſrael. hoc eſt quod ait, *Contaminatus eſt Iſrael.* Pro *horrendum* hebr. eſt שַׁעֲרוּרִיָּה *ſçaaruria*, idem quod *ſçaarurit*, ſed per auxeſin quid amplius & maius ſignificat, vti notat Marinus in lexico. Vatabl. vertit, *pollutiones*, inquinamenta; Pagnin. & Marin. *turpitudinem*, fœditatem; Noſter Ierem. 5. 3. *mirabilia. Stupor*, inquit *& mirabilia facta ſunt in terra.* Hic verò propriè vertit *horrendum*, quod horripilationem excitet, faciatque vt pili & crines audientium ex horrore erigantur: שְׂעָרָה *ſear* enim pilum ſignificat; & inde *ſeirim* vocantur ſatyri piloſi & hirſuti. Talis eſt idololatria, præſertim communis totius gentis, Deo olim addictæ & deuotæ, quæ vnum hominem, putà Ieroboam, ſecuta eſt, Deo omnium Domino relicto & ſpreto. VERS. 10.

SED ET IVDA] Hæc verba connectenda ſunt cum præcedentibus hoc modo: *Contaminatus eſt Iſrael, ſed & Iuda* ita Hebr. Chald. & Septuag. Iuda enim ſecutus eſt idola Iſraelis. VERS. 11.

PONE MESSEM TIBI] *Pone*, ſcilicet, ô Iſrael, vel potiùs, tu ô Iuda, q.d. O Iuda tu etiam capieris, æquè ac Iſrael, quia eius ſcelera imitatus es: nec tu, vt putas, pones & recondes meſſem tuam, quia eam hoſtis Chaldæus vaſtabit: is enim metet ea quæ tu ſeminaſti: pones tamen & recondes tibi meſſem, quæ ex ſpicis deciduis per tot annos captiuitatis tuæ ſponte & copiosè ſuccreſcet, cùm te è captiuitate reduxero per Cyrum, q.d. Antè ne ponas, quia hoſtes id non permittent; tunc verò pones: tu enim redibis è captiuitate, non Iſrael, qui in ea iugiter manebit. Oſee enim concisè loquitur; & paucis multa complectitur, vti dixi in proœmio. ita Hugo, Dionyſ. Ribera & Lyran. qui ſic breuiter & planè exponit: Relinque meſſem tuam in tempus quo conuertam captiuitatem tuam, & nunc ei ne impliceris: tunc enim meſſem colliges, licèt nunc captiua ducaris. Simili ſchemate Virgil. in perſona paſtoris Mantuani, finibus ſuis à milite veterano pulſi, ait eclog. 1.

Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas.
Impius hæc tam culta noualia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en quò diſcordia ciues
Perduxit miſeros! en queis conſeuimus agros!

Secundò, Haymo & Hugo per meſſem intelligunt filios, q. d. Pone meſſem, id eſt, genera filios, quos demetat, id eſt, capiat, vel occidat hoſtis Chaldæus. Sed huic expoſitioni non conſentiunt, nec cohærent ſequentia: *Cùm conuertero captiuitatem populi mei.* Licèt enim id Ruffinus ſic exponat, q.d. Tu quoque ô Iuda, demeteris, cùm captiuitas populi mei Iſrael conuertetur ad te, vt tu ſimiliter capiaris; tamen id non reſpondet hebraiſmo, quo conuertere captiuitatem ſignificat liberare è captiuitate, non verò in captiuitatem ducere.

Tertiò, Arias hæc refert ad tempora Chriſti, q.d. Demetetur Iudæa à Tito & Romanis, cùm

capti-

captiuitatem generis humani è poteſtate diaboli ſoluam per Chriſtum. hoc allegoricum eſt. Adde, ponere meſſem ſignificat metere, non demeti: eſt enim actus eius qui metit, non qui metitur; vnde Septuag. vertunt θερίζειν, id eſt, vindemiare.

Recentiores aliter vertunt, ideoque aliter explicant: pro *pone* enim legunt שָׁת *ſçat* in præterito, id eſt, poſuit; vnde vertunt, *etiam Iudas poſuit*, vel *ponit meſſem*, vel plantarium. Quod Primò, aliqui ſic explicant, q. d. O Iuda tuis ſceleribus continuis paras tibi demeſſionẽ, id eſt excidium, cùm conuertenda erat captiuitas populi mei, id eſt, dum ego cogito de captiuitate tua auertenda. Vnde Theodor & Theophyl. ex Septuag. legunt, *ſed & Iudas dimiſit meſſem ſuam*, putà ſuas ſegetes & opes, quia ſecutus eſt idola Iſraelis, ideoque à Chaldæis ſpoliatus & exciſus eſt.

Secundò, Clarius vertit & explicat, q.d. Etiam ô Iuda, Ephraim poſuit plantulam tibi, vel contra te. Nam plantauit tibi lucos, & docuit idololatriam, qua re effecit ne te conuerterem, ſed à me abiectus abires in captiuitatem.

Tertiò, Vatabl. putant hîc notari factum Ieroboam, quo reſtituit Damaſcum & Emath Iudæ, 4. Regum 14. 25 & 28. q.d. Ephraim, id eſt Ieroboam filius Ioas, rex in Ephraim, poſuit tibi, ô Iuda, plantarium in Damaſco & Emath: ipſe enim has vrbes tibi reſtituit, in iiſque Iudæos incolas plantauit tunc, cùm conuertit captiuitatem populi, cùm ſcilicet iugum regis Syriæ à populo ſuo, putà ab Iſraele, depulit & excuſſit: & tamen tu, ô Iuda, cùm accepiſſes tantum à Deo beneficium, ei ingratus fuiſti, eum ſpreuiſti, & deos Gentium tibi adſciuiſti.

CVM CONVERTERO, vſque dum conuertam: hebr. enim eſt בְּשׁוּבִי *beſçubi*, id eſt in, vel ad, conuerſionem CAPTIVITATIS POPVLI MEI] id eſt, tuam, ô Iuda. Eſt hebraiſmus: Hebræi enim eum quem alloquuntur, ſæpè compellant in tertia perſona, vti faciunt & Germani, dum honoris cauſa dicunt: Dominus hoc dicat, vel faciat, id eſt, tu ô Domine hoc dicas, vel facias.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deſcribit nequitiam & malitiam Iehu, & Iſraelis idololatrantis, comparando eam Primò, furno ſuccenſo; Secundò fermento v. 4. & pani ſubcinericio v. 8. Tertiò, columbæ ſeductæ non habenti cor v. 11. Quartò, arcui doloſo v. 16.

Verſ. 1. CVm ſanare vellem Iſrael, reuelata eſt iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ, quia operati ſunt mendacium: & fur ingreſſus eſt ſpolians, latrunculus foris.

2. Et ne fortè dicant in cordibus ſuis, omnem malitiam eorum me recordatũ: nunc circumdederunt eos adinuentiones ſuæ, coram facie mea factæ ſunt.

3. In malitia ſua lætificauerũt regem: & in mendacijs ſuis principes.

4. Omnes adulterantes, quaſi clibanus ſuccenſus à coquente: quieuit paulùm ciuitas à commiſtione fermenti, donec fermentaretur totum.

5. Dies regis noſtri: cœperunt principes furere à vino: extendit manum ſuam cum illuſoribus.

6. Quia applicauerunt quaſi clibanum cor ſuum, cùm inſidiaretur eis: tota nocte dormiuit coquens eos, manè ipſe ſuccenſus quaſi ignis flammæ.

7. Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus, & deuorauerunt iudices ſuos: omnes reges eorum ceciderunt, non eſt qui clamet in eis ad me.

VERS. 1. CVM SANARE VELLEM ISRAEL, REVELATA EST INIQVITAS EPHRAIM] Multi hæc accipiunt de tempore Ieroboam, qui fecit ſchiſma à Roboam, factuſque rex decem tribuum induxit idola, putà vitulos aureos in Iſrael, q.d. Cùm ſanare vellem Iſrael à ſceleribus & idololatria quam induxit Salomon colens deos concubinarum ſuarum alienigenarũ, 3. Reg. 11. 31. tunc erupit Ieroboam ortus è tribu Ephraim, qui vitulos aureos erexit in Dan & Bethel, quem ſecuta eſt tota Samaria operans mendacium, id eſt, colens idola vitulorũ. ita S. Hieron. Cyrill. Haymo, Hugo, Lyran. Clarius & Ribera. Huc accedunt Theodor. Theophyl. Arias & Sanchez, qui hæc accipiunt de Ieroboam, cæteriſque omnibus regibus Iſrael: hi enim Ieroboam ducem in ſcelere & idololatria ſunt æmulati. Verùm obſtat, quòd tempore Ieroboam necdum erat Samaria: quia illa condita eſt poſt 60. annos ab Amri patre Achab, 3. Reg. 16. 14. Rurſum, Deus tunc ſanare volebat non ſolùm Iſrael, ſed magis Iuda, qui erat fons mali & idololatriæ: nec tunc reuelata eſt, quaſi antea latuiſſet abſcondita iniquitas Ephraim, ſed eſſe & exiſtere cœpit.

Dico ergo Prophetam loqui de tempore Iehu: ſub Iehu enim cœpit prophetare; vnde eum nominat initio prophetiæ dicens cap. 1. 4. *Adhuc modicum, & viſitabo ſanguinem Iezrahel ſuper domum Iehu.* Per Iehu enim Deus volebat ſanare & extirpare idololatriam: vnde iuſſit ei 4. Reg. 9. 6. euertere Baal & domum Achab, eiuſque prophetas 450. occidere; quod & præſtitit Iehu initio regni. Verùm mox metuens idem quod Ieroboam, ne ſcilicet, ſi populus ad Deum eiuſque templum in Ieruſalẽ rediret, pariter ad regnum regemque Iuda rediret; hac de cauſa in idololatriam relapſus eſt, populoque vitulos aureos Ieroboam colendos propoſuit. Quocirca in eum hîc detonat Deus.

Porrò Deus hîc perſonam medici induit, qui chirurgum ſibi aſciuit Iehu ad reſecanda putida membra Iſraelis, & reliqua ſananda. Alludit enim

enim ad Ramoth Galaad, vbi rex creatus est Iehu, 4. Reg. 9. 1. & sequ. In Galaad enim erant aromata & pharmaca optima, æquè ac chirurgi & medici. vnde de ea ait Ierem. cap 8. 22. *Numquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* vide ibi dicta. Sensus ergo est, q. d. Cùm per Iehu quasi chirurgum meum in Galaad sanare vellem vulnus idololatriæ Israelis, ideoque per eum resecassem Achab & Iezabelem (quæ, vtpote Tyria, fuerat fax & incentrix cultus Baal Dei Tyri) eiusq; prosapiam, putà septuaginta filios, videbatur iam euersum regnum idololatriæ, omnesque idololatræ timentes Iehu quasi vindicē & excisorem Baalitarum, diffugiebant aut latitabant: sed ecce Samaria, quæ erat metropolis in Ephraim putà consiliarij regij aliique politici in Samaria, fraudulenter suggesserunt & suaserunt Iehu stabilire cultum vitulorum in suo regno, si illud statumque suum conseruare vellet. Hoc enim exigere politiam; alioqui enim populum, si permittatur redire ad Dei cultum in Ierusalem, pariter rediturum ad pristinum eius sceptrum & regnum, putà ad stirpem Dauidis. Hoc consilio politico & satanico ictus captusque Iehu, in eorum sententiam concessit, cultumq; vitulorum restituit & sanxit. Tunc ergo reuelata est malitia Samariæ, à Iehu paulò antè compressa, ideoque latitans, postquam scilicet Samaritæ subdole pertraxerunt Iehu in suam idololatriam, idque paulò ante hanc Osee prophetiam; ipse enim prophetauit sub Ieroboam pronepote Iehu, vt patet ex procemio.

Ita etiamnū videmus politicos suadere principibus hæresin, vt statum & principatum suum tueantur, vel adaugeāt Ita hæresis inuecta est in Hollandiam: qui enim in ea dominari cupiebant, hæresin induxerunt hoc prætextu, quòd, si Hollandi Catholicam fidem permitterent, certò iugum Hispanicum essent subituri: Catholici enim, inquiebant illi, scrupulo conscientiæ adacti ad suum autum & legitimum principem, putà ad regem Hispaniæ, redire volent: vt ergo excludamus Hispanum, excludamus fidem Catholicam oportet. Idem fuit paralogismus Elizabethæ reginæ Angliæ. Cùm enim ipsa ob natales spurios, & à Pontifice Romano damnatos, incapax esset regni, vt fulmen Pontificis & Pontificiorum auerteret, regnumque sibi stabiliret, schisma fecit à Pontifice & fide, ac hæresin inuexit: ideoque Deus illico succidit eius regnum stirpemque, vti olim succidit domum Ieroboam, Achab, Iehu, aliorumq; regum, qui cultum Dei abiecerunt. & cultum idolorum sanxerunt. Idem euenit Hollandis, qui cùm caput sibi præciderint, acephali sunt, ac inter se hæresibus odijsque internecinis digladiantur, quibus sese consument, nisi ad vnitatem priscæ religionis, æquè ac reipubl. & ad caput auitum redeant. Det eis Deus id ipsum sapere.

Veritas triplex.

QVIA OPERATI SVNT MENDACIVM] In Script. vti triplex est veritas, mentis, oris & operis: mentis, cùm eius cognitio adæquatur & conformis est suo obiecto, putà cùm mens res cognoscit prout verè à parte rei sunt: oris, cùm verba conformia sunt menti: operis, cùm opera conformia sunt suæ regulæ, putà rectæ rationi, officio & legi. Ita ex aduerso triplex est mendacium,

A scilicet mentis, oris, & operis: mentis, est error quo mens difformis est suo obiecto, putà quo falsò iudicat de re: oris, est mendax locutio, qua cōtra quàm in mente sentit, proloquitur: operis, est scelus quo homo deuiat à suo officio, à recta ratione & lege. Tribus hisce modis hîc accipi potest. Samaritæ enim inuehentes idololatriam & falsam religionem, inuehebant mentis errorem in fide; blasphemiam in lingua, qua spernebant Deum & laudabant idola; scelus in opere, putà in sacrificio & externo cultu idolorum.

Propriè ergo *mendacium* significat hîc cultum falsum & mendacem idolorum, ipsumque idolum. Idolum enim est numen & Deus mendax: cùm enim sit lapis vel lignum, mentitur se esse Deū, seq; opponit Deo, qui est veritas verumq; numen. ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Theodor. Theophyl. & alij. Quocirca Socrates dicebat *se*
B *malle adorare canem quàm idolum*, eò quòd canis cùm sit opus naturæ, idque viuum, dignior sit idolo, quod est opus artis, idque inanime. Idem aiebat se mirari, quòd, cùm simulacrorū artifices id summo studio conniterentur, vt lapis quàm simillimus homini redderetur, non pariter hoc curarent, ne ipsi lapidibus similes & viderentur, & essent. Hoc est quod ait Propheta psal. 113. *Simulacra Gentium argentū & aurum, opera manuum hominum: oculos habent, & non vident: aures habent, & non audiunt*, &c. *similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis*. Diogenes teste Laërtio lib. 6. solebat subinde adire simulacra, & aliquid ab eis petere. Demirantibus cur id faceret? *Vt consuescam*, inquit, *non commoueri, si quando ab hominibus non impetro quod peto*. Idem rogatus à tyranno, è cuiusmodi ære potissimùm oporteret
C fieri simulacra? *Ex eo*, inquit, *ex quo fusi sunt Harmodius & Aristogiton*; innuens illa cum ipso esse tollenda, quòd illi tyrannicidæ fuerint. Idem dicebat *bonos viros esse deorum simulacra*. Deorum, cùm sint optimi, naturæ proprium est benefacere omnibus, nocere nemini. Hæc imago meliùs relucet in sapientibus ac bonis viris, quàm in statuis, cùm dij sint incorporei. Fabius Hannibalis domitor, capto direptoque Tarento, scribæ percunctanti quid de statuis templorum statuisset? *Relinquamus*, inquit, *Tarentinis deos iratos*. ita Plutarch. in Apophth. Roman.

Secundò, vt Clarius & Arias, sicut *facere veritatem* in Script. est facere id quod officium cuiusque requirit, ita *facere mendacium* est facere contra officium & debitum. Sic diabolus mendax,
D *in veritate*, id est, in officio, subiectione & fide quam Deo debebat, *non stetit*, Ioan. 8. 44. Sensus ergo est, q. d. Consiliarij & primores Samariæ transgressi sunt officium suum, fidemque quam Deo & reipubl. debebant. Debebant enim regi Iehu suadere veram religionem, verumq; vnius Dei cultum; at ipsi induxerunt eum in idololatriam, indeque in excidiū & ruinam, tum suam, tum gentis totius & regni. Mentiebantur enim regnum Iehu stabile fore, si populū domi in cultu vitulorum contineret, vt non iret in Ierusalē. Mentiebantur, inquam: nam omne regni firmamentum est vera religio, vera fides, verus Dei cultus. Docet hoc S. Augustin. in lib. de Ciuit. quos hoc argumento conscripsit: vbi lib. 1. cap. 33. ait *Scipio non censebat felicem esse rempub. stantibus mœnibus, ruentibus moribus*, inter quos primas tenet religio

ligio & pietas. Et li. 2. 18. enarratis vitijs quæ Romam Gentilem inuaſere & penè perdidere, addit, eius imperium cruce Chriſti firmatum eſſe & ſtabilitum. Ait enim: *In iſta colluuione morum peſſimorum, maximè venire ac ſubuenire debuit cæleſtis auctoritas, quæ voluntariam paupertatem, continentiam & beneuolentiam, iuſtitiam atque concordiam, veramq; pietatem perſuaderet, cæteraſq; vitæ luminoſas validaſq; virtutes, non tantùm propter iſtam vitam honeſtiſſimè gerendam, nec tantùm propter ciuitatis terrenæ concordiſſimam ſocietatem, verùm etiam propter adipiſcendam ſalutem ſempiternam, & ſempiterni cuiuſdam populi cæleſtem diuinamq; rempubl. cui nos ciues adſciſcit fides, ſpes, charitas.* Et mox: *Deus enim ſic oſtendit in opulentiſſimo & præclaro imperio Romano, quantùm valerent ciuiles etiam ſine religione virtutes, vt intelligeretur hac addita fieri homines ciues alterius ciuitatis, cuius rex veritas, cuius lex charitas, cuius modus æternitas.*

Tertiò, aliqui vertunt, *quia ſibi mutuo non ſeruant fidem*: qui enim fidem Deo non ſeruant, nec ſeruant homini: quocirca vbi eſt hæreſis, ibi pariter graſſantur fraudes & doli. Caſtrius hoc refert ad Samaritas, qui contra fidem Achab regi datam, occiderant 70. eius filios, cùm Iehu id iuberet, 4. Reg. 10. 7. Verùm hos occidi iuſſerat Deus: ergo magis ob idololatriã, quàm ob hanc cædem eos per Prophetã hîc redarguit, præſertim quia periculum erat, ne impij parentis idola impiæ proles ſequerentur. Taxat tamen quoque Prophęta hanc cædem ob perfidiam, vti inferiùs dicam.

ET FVR INGRESSVS EST SPOLIANS, LATRVNCVLVS FORIS] Τὸ & explicat *mendacium*, idemque valet, quod *id eſt*: aut certè &, id eſt, *ideo*. quaſi dicat, Quia Samaritæ fraudulenter & mendaciter ſuaſerunt cultum vitulorum regi Iehu (S. Hieron. cum alijs, vti dixi initio capitis, hæc attribuit regi Ieroboam) idcirco ipſe Iehu ſecutus eorum fraudulenta conſilia, clanculum in regni gubernacula ingreſſus eſt vt fur, diſſimulans occultam ſuam nequitiam & idololatriam: at vbi rerum planè potitus eſt, quaſi latro publicè graſſatus eſt, cogens omnes ad ſua idola, & nolentes ſpolians, vel occidens. Sic Nabuchodonoſor vocatur latro Ierem. 18. v. 22. vide ibi dicta.

Secundò, ſic exponas, q. d. &, id eſt idcirco, fures & latrones tum domeſtici, tum externi inuadunt vrbes & agros Iſraelitarum, eoſq; vaſtant & expilant. Namdum in republ. eliminatur vera religio, ſubintrant furta, latrocinia, omniaque ſcelera, vti hæc in Galaad & Samariam ſubintraſſe dixit c. præced. v. 9. ita Chald. Lyran. & Arias. Rurſum, Deus in eos Syros & Aſſyrios, qui eos vaſtarent, immiſit, vti dicitur 4. Reg. 10. v. 32. ita Theodor. Theoph. Dionyſ. & Ribera. Hi enim in libris Regum vocantur latrunculi, id eſt, prædones, graſſatores, quos Belgæ vocant *vrybuyters*. Septuag. vertere ſolent μονοζωμένους, id eſt, vnius, ſcilicet eximiæ, zonæ, quaſi dicant, excellentes bello, & qui cingulo eximio à cæteris differunt, egregieque ſunt accincti & armati. ita Suidas. Hebr. enim גדוד *gadid*, ſignificat accinctum & expeditum militem. Sic & olim milites vocabantur latrones, vel ὅτι δ' λατρεύειν, id eſt, à ſeruiendo, vt vult Feſtus lib. 10. vel à latendo, quia ex inſidijs more latronum hoſtes adoriuntur. Nota, Iehu hîc Primò, comparatur furi & latroni: Secundò, v. 4 piſtori ſuccendenti furnum idololatriæ, eiuſque fermento fermentanti populum: Tertiò, columbario ſeducenti & capienti columbas v. 11 Quartò, arcui doloſo v. 16. quia euertendo Baal, videbatur idola euerſurus, at mox ea reſtituit.

ET NE FORTE DICANT] q. d. Ne cogitent & querantur me in memoriam reuocare præterita parentum ſuorum peccata, ac propterea filios plectere ex vindicta magis, quàm ex deſiderio ſanandi eos, enumerabo illis modernas eorum machinationes impias, quas hiſce diebus coram facie mea impudenter perpetrarũt, vt eas negare vel excuſare non potuerint. ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Lyran. Ribera & Arias. Vatabl.

Septuag. hæc referunt ad præcedentia, vertuntque, *vt concinant quaſi canentes in corde ſuo*, id eſt, vt S. Hieron. vt quaſi ſocij conſentiant cum fure & latrone, & cum eis quaſi canant eamdem cantilenam. vel, vt Theodor. vt videntes tantas ſuas clades gemant canantque threnos; non publicè, ne hoſtis eos ſubſannet, vel acriùs puniat, ſed tacitè in corde ſuo.

Tertiò, Chald. vertit, *nec interim reputant in cordibus ſuis, omnia ipſorũ maleficia manifeſta eſſe coram me; mox circumuenient eos opera eorum mala* (id eſt, vindicta & ſupplicia operum malorum) *quæ coram me aperta ſunt*. q. d. Breui fiet, vt videant me opera eorum cognoſcere & videre, cùm ſcilicet ſentient mea verbera & flagella. ita Vatabl.

IN MALITIA SVA LÆTIFICAVERVNT REGEM] Ieroboam, ait S. Hieron. vel potiùs Iehu. q. d Sua mala & impia voluntate applauſerunt Iehu eiuſq; principibus, deficiendo à ſuo rege Achab, eiuſque familia regia, ac in gratiam Iehu colendo vitulos pro Baal; item perfidè occidendo 70. filios Achab fidei ſuæ commiſſos, & 40. fratres Ochoziæ: hanc enim defectionem & perfidiam vocat mendacia. Licèt enim Iehu à Deo per Prophetam vnctus & creatus rex, mandante Deo, eos occidi iuſſerit, tamen Samaritæ ignorabant Dei iuſſu hæc fieri. Secretò enim vnxerat Propheta Iehu in regem: quocirca non Dei iuſſu, ſed metu Iehu tyranni eos occiderunt, ideoque iniuſtè & perfidè. Septuag. vertunt, *reges*: non enim ſoli Iehu, ſed & anteceſſoribus & ſucceſſoribus eius in idololatria conſenſerunt. Ita ſolet vulgus mobile adulari regibus, & ad eorum libitum mutare fidem & religionẽ inſtar arundinis, vti hodie in Germania fieri videmus. Quàm verum eſt illud:

Regis ad exemplum totus componitur orbis!

Quocirca melior eſſe nequit oratio, quàm illa qua oratur pro regibus & principibus, tum Eccleſiaſticis, tum ſæcularibus, vt eos prudentes, & pios, & ſtrenuos vel largiatur, vel efficiat Deus. Hoc eſt quod inculcat Apoſt. 1. Timoth. 2. v. 1. *Obſecro igitur primò omnium fieri obſecrationes*, &c. *pro regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate.*

Viderunt idipſum Gentiles. Euripidis eſt hæc vox: *Gubernari oportet malos à bonis, & parere ſe melioribus: ſi verò impios in ciuitate promoueris, ſurſum atque deorſum vita noſtra inopinatò tota peruertetur.* Platonis iſta: *Sutores, ſi praui & perditi ſint, quamquam diſſimulent, nihil inde periculi ciuitati imminet: cuſtodes verò legum & ciuitatis, ſi non re-*

metæ

uera ſint, ſed videantur tantùm. vrbem totam ſundi-
tus perdunt. Velleij Paterculi: *Princeps optimè fa-*
ciendo docet; cumq; ſit imperio maximus, exemplo
eſt maior. Neoptolemi apud Sophoclem in Phi-
loct.

Principibus omnia, quos penes rerum fuit
Summa, imputo: nam vrbs à magiſtratu, à duce
Exercitus dependet: exemplo ducum
Peccant frequenter milites.

Hoc eſt quod clamat Eccleſiaſt. cap. 10. 2. *Secun-*
dùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius: & qualis eſt
rector ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Rex inſi-
piens perdet populum ſuum. Hinc Arabicus hoc lo-
co vertit, *lætati ſunt reges eorum in iniquitate, &*
principes eorum in mendacio: & fiducia eorum ſicut
ſues grunniunt, & ſicut qui paſtam conficit, & exſpe-
ctat eam donec fermentetur, ſic erunt dies regum ip-
ſorum; & Syrus, *in malitia ſua lætificauerunt reges,*
& in malitia ſua omnes principes eorum: exardeſcunt
quaſi clibanus ardens in decoctionem.

VERS. 4. OMNES ADVLTERANTES] Id eſt, omnes idolo-
latrantes. Eſt metaphora à piſtore furnum ac-
cendente, q.d. Iſraelitæ inſtar furni accenſi æ-
ſtuant libidine & ardore colendi idola. ita S.
Hieron. Cyrill. Vatabl. Vnde Hebr. habent, *omnes*
illi adulterio (idololatria) *incaleſcunt, vti fornax*
ſuccenſa à piſtore. Hebræi enim coquentem vo-
cant piſtorem, vti & veteres Latini. Vnde Feſtus
Pompeius: *Cocum*, ait, *& piſtorem apud veteres*
eumdem fuiſſe accipimus. Grammaticè ſignificat li-
bidinem & concupiſcentiam adulterandi, ipſo
adulterij actu non extingui, ſed quaſi fornacem
iniectis ſarmentis magis accendi. Vnde Salonius
in Parab. Salom. qui extat tomo 1. Biblioth. SS.
Patrum, ſic explicat illud Prouerb. 30. *Sanguiſu-*
gæ duæ ſunt filiæ, dicentes, Affer, affer; & numquam
ſatiantur. Sanguiſuga diabolus eſt qui ſemper
ſanguinem ſitit, id eſt, ad peccata homines tra-
here cupit, & ſitim peccandi inceſſanter accen-
dit: duæ filiæ ſunt luxuria & auaritia, quæ diabo-
li ſitim & ardorem imitantur, dicentes, Affer,
affer: quia ſicut ille numquam peccando ſatia-
tur, ſic nec luxuria & auaritia. Nam quanto
quiſque magis luxuriatur & fornicatur, tanto
amplius delectatur. Similiter quanto quiſque
diuitias ſibi accumulat, tanto magis eas ſemper
augmentat. Hinc & S. Gaudentius Epiſc. Brixiēſ.
tempore S. Ambroſij, tomo 2. Biblioth. SS. Pa-
trum tract. 13. ad Neophytos: *Stupri*, inquit, *aſſi-*
duitas luxuriam carnis non cohibet, ſed accendit, di-
cente Propheta: Omnes fornicantes, velut ardens cli-
banus corda eorum. Prædatoria quoque rapacitas non
comprimit auaritiam, ſed irritat. Scriptum eſt enim:
Qui amat pecuniam, non ſatiabitur pecunijs, Eccleſ.
5. Sic guloſus gula, iratus ira, ſuperbus honore,
&c. magis inflatur & accenditur. Nam

Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ.

QVIEVIT PAVLVLVM CIVITAS A COMMI-
STIONE FERMENTI, DONEC FERMENTARETVR
TOTVM] q.d. Sicut piſtor fermentum indit maſ-
ſæ farinæ, ac deinde ſuccenſa fornace quieſcit:
mox enim fermentum quietè & tacitè proſer-
pit per totam maſſam, eamque ſuo acore inficit
& fermentat: quo facto piſtor in fornacem ſuc-
cenſam maſſam infert, in eaque coquit panem
(vnde Syrus vertit, *ceſſabit de ciuitate conficiens*
paſtam donec fermentetur:) ita Iehu noluit vim
facere populo. *Quidquid enim neceſſitate fit, citò*

A *ſoluitur*; *quod voluntate arripitur, perſeuerat*, ait
S. Hieron. Iehu ergo non coëgit populum ad
colendos vitulos, ſed permiſit idololatras ſen-
ſim & occultè fermentum idololatriæ ſuæ per
populum ſpargere, donec eius permiſſione &
conniuentia, imò beneuolentia, totus populus
hoc ſcelere inficeretur & corrumperetur: tunc
eo conuocato ſuo decreto cultum vitulorum
ſanxit, quod populus auidè excepit, fauſtaque
regi acclamauit. Ita totus ab eo in clibanum ſuc-
cenſum, id eſt, in impetum & ardorem, imò
furorem idololatrandi coniectus eſt, atque ido-
lolatria publica ardenſque inſtar fornacis ab eo
ſuccenſæ exarſit. ita S. Hieron. Cyril. Albert. Hu-
go Lyran. & Ribera.

Eleganter hunc Oſee locum tractat Petrus
B Abbas Cellenſis anno Domini 1181. libr. de Pa-
nibus cap. 4. in fine, tomo 8. Biblioth. SS. Pa-
trum: *Etiam quieſcens Aegyptius ab operatione ex-*
teriori, inquit, *dum non animaduertit, fermentatur.*
Sicut paſta, non ſolùm cùm ei admiſcetur fermen-
tum, fermentatur; ſed multò magis cùm à commix-
tione ceſſat qui commiſcuit, & ipſa paſta bene coo-
perta quaſi quieſcens obdormit: ſic animo concepta
malitia, etſi videatur aliquanto tempore (fortè, quia
deeſt occaſio) à malo opere ceſſare, eo tamen quaſi a-
criùs ſeuit in corde, quo non tranſit in opere. Vnde O-
ſeas: Paululùm ciuitas ceſſauit à commixtione fer-
menti, donec fermentaretur totum, q.d. *Vt ſtudioſiùs*
cogitatum perpetret malum, callidius pro tempore re-
trahit manum. Confotum enim ſtuparum ſuperinie-
ctione incendium, non dormit, ſed ſerpit; non extin-
guitur, ſed reſicitur: ſic voluntas mala, velut flamma
latens, vorat tandem ſuperpoſitos neceſſitatis, & reji-
C *cit velut torrens, dilationum obices.* Vnde infert: er-
go Religionem profeſſus, periculosè guſtat ſæ-
culi fermentum. Audit Nouitius verbum ſæcu-
lare, ambitioſum, illecebroſum, non mouetur;
ſed phantaſia excipit fermentum, quod in cella
menti recurret, eumque ad ſæculum repeten-
dum, ad ambitionem, ad nuptias ſollicitabit, &
fortè expugnabit. Idem videmus in pueris &
puellis innocentibus.

Ad hanc Oſee ſententiam pertinet illud Oe-
dipi: *Ab inquieto ſæpe ſimulatur quies.* Sic tropol.
Hæretici, ait S. Hieron. initio quieſcunt & omnia
pacifica promittunt, ſed occultè ſua docent, ita-
que cancer paulatim ſerpit in populos. Addit S.
Hieron. ex Hebræorum traditione, Ieroboam
(de eo enim ipſe hæc accipit, vti dixi; ego de Ie-
hu) cùm ſubitò religionem nouare non auderet
D metu ſeditionis & rebellionis, occultè quoſdam
ſubmiſiſſe qui populum excitarent, vt à re-
ge peteret Deum domeſticum, putà Lares &
Penates, ſcilicet vitulum quem coluerant in Æ-
gypto: id ita factum libentibus illis, ſed maximè
rege Ieroboam. *Ergo*, inquit, *ſimiles erant clibano*
ardenti, parato ad coquendum ſi quid immittas: ar-
debant enim cupiditate. Ita Eliſabetha regina An-
gliæ, teſte Sandero de Schiſm. Anglic. reſtitutam
à Maria ſorore ſua regina fidem Catholicam in
Anglia, ſuccedens ei primo anno regni ſui ſub-
uertit, conſtituens magiſtratus hæreticos, qui in
parlamento hæreſin reſtitui peterent, imò de-
cernerent. Politicè, principes ſapientes & boni
hoc Ieroboam, vel Iehu conſiliū imitentur, ſed
in bono. Ita Alfonſus Aragonum rex, teſte Guic-
ciardino, cùm cogitaret bellum, aut quid aliud

moliretur, priuſquam deliberationes animiq́; ſui cogitata intelligerẽtur, tacitè per ſuos rumorem ſpargebat, regem his illiſũe de cauſis meritò talia moliri debere. Hinc fiebat, vt magno omnium applauſu & laude, cõſilia & molimina eius probarentur, cùm publicè proponebantur ea, quæ iam omnium calculis, & quaſi præiudicijs iuſta aut neceſſaria habebantur.

Hebr. eſt hendiadys: *Quieuit à ciuitate, à commiſtione*, id eſt, quieuit rex à commiſtione, id eſt deprauatione, ciuitatis. quod in re idem eſt cum eo quod vertit Noſter: *quieuit ciuitas*, rege videlicet quieſcente, & tacitè diſſimulante, *à commiſtione*, id eſt, à corruptione & deprauatione regis aperta. ita Ribera. Hebr. enim מֵעִיר *meir*, idem eſt quod *à ciuitate*. Recentiores vertunt, *ab excitando*, ſcilicet, quieuit furnarius, vt furnum accendat, huncq́ue dant ſenſum: Quibus in locis furni ſunt publici, ſolent furnarij noctu vicatim inclamare mulieres & excitare, vt paſtam ſubigant: quas poſtquam excitare quieuerunt, furnum interim accendunt, tamdiuq́; vehementer calefaciunt, donec fermentatam paſtam & in panes conformatam ipſæ afferant, vt coquatur in furno vehementiſſimè calido. cuius calori comparat hîc Propheta feruentiſſimũ idololatrarum ſtudium in colendis idolis. Sũt, inquit, vt fornax à furnario accenſa, quam accendere ſolet ſtatim, poſtquam ceſſauit excitare mulieres ſubigendæ paſtæ cauſa, quæ tantiſper vehementiſſimè æſtuat, donec à mulieribus inferatur panis. ita Vatabl. & Clarius ex R. Dauid. Hæc verſio conſentit cum eo quod præceſſit: *Omnes adulterantes quaſi clibanus ſuccenſus à coquente*, illudq́ue explicat.

Verùm iuxta Noſtrum interpretem eſt hîc alia ſimilitudo, eaq́ue valdè appoſita: ſicut enim priùs ardorem idololatrandi Iehu & Iſraelis cõparauit fornaci ſuccenſæ, ita hîc comparat fermento, quod totam maſſam illico peruadit. Vnde eadem comparatione vtitur Apoſt. 1. Cor. 5. *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio.* Quamquam eõdem res redit, & ſecundus ſenſus primum continet & includit. Iehu ergo fuit quaſi furnarius, qui fornacem idololatriæ accendit, tum permittendo vitulos aureos, tũ ſua conniuentia excitando alios, qui fermentũ idololatriæ in maſſam, id eſt, in cœtum populi ſpargerent, qui dum totus eo infectus fuit, Iehu eam publico decreto, templo & cultu in hanc idololatriæ ſuæ fornacem intulit, & percoxit.

Denique Pagnin. vertit, *ceſſauit piſtor à ciuitate*, id eſt, vt Chald. vertit, *migrabunt citò à ciuitatibus ſuis*.

Allegor. Leo Caſtrius (licèt id ipſe putet eſſe literale) hæc refert ad Iudæos, qui fermento iræ & ſuperbiæ tumidi, cùm plebem corrupiſſent, Chriſtum cruci affigi à Pilato poſtularunt, & impetrarunt. Sic ait Plautus: *Mea vxor propter illam tota in fermento iacet*, id eſt, præ ira tumet & turget, vti fermentum eleuat & tumefacit paſtam.

VERS. 5. DIES REGIS NOSTRI. Eſt mimeſis: imitatur enim & exprimit vocem populi applaudentis, & congratulantis tam regi, quàm dijs ſuis, putà vitulis à rege ſancitis & erectis, q.d. Populus cum iam omnino fermento idololatriæ eſſet corruptus, acclamauit regi Ieroboam, ait S. Hieron. vel potiùs regi Iehu dicens: Hæc eſt dies regis noſtri, ſcilicet regalis, læta & fauſta (ſic ait Pſaltes: *Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea*) tumq́ue & ipſi principes cœperunt furere quaſi ebrij, & comeſſantes Deiq́ue obliti idola colere: tumq́ue ipſe rex EXTENDIT MANVM SVAM (ad calices) CVM ILLVSORIBVS] id eſt cœpit agere idem quod illuſores iam dicti, putà principes eorumq́ue aſſeclæ, qui Deo, aut potiùs regi vanis laudibus & acclamationibus illudebant, q.d. Libenter cœpit cum eis potare, illudere, ſcurram agere, laudare idola, ſpernere Deum. ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Lyran. Ribera & alij. Vide hîc, vt magis adulatio, quàm hoſtis reges & principes perdat. ita Mariana.

Nota. Hebr. לֵצִים *lets*, quod Noſter illuſorem vertit, ſignificat hominem ſuperbum, irriſorem, qui omnia diuina & humana irridet, planè corruptum, peſtilentem, qui quaſi peſtis alios inficit & corrumpit, quales ſæpè ſunt in aulis, qui principes etiam bonos omnino immutant & deprauant. Aliter Chald. Arias, Pagnin. & Vatabl. exponunt enim q.d. Die illo quo regem inaugurarunt, cœperunt principes cum eo compotare. indeq́ue iugiter vacant compotationi, non reipubl. aut, vt Clarius, ægrotare eum fecerunt propinantes ei lagenam vino plenam, vt eum aſſuefacerent potationi, itaq́ue eneruarent, mentemq́ue & conſilium ei adimerent, vt cum potatoribus aſſiduè potaret, cũ nugatoribus nugaretur, cum illuſoribus alijs illuderet. Hebr. enim הֵחֱלוּ *hecheluu*, ſignificat tam ægrotare, quàm incipere. Rurſum pro חֲמַת *chamat*, id eſt furere (eſt enim infinitiuus à rad. יָחַם *iacham*, id eſt incaluit, iratus eſt, furit) ipſi legunt חֲמַת *chemet*, id eſt vtrem, lagenam.

QVIA APPLICAVERVNT QVASI CLIBANVM VEL COR SVVM, CVM INSIDIARETVR EIS. Tò *quia* cauſam dat, cur Ieroboam, vel potiùs Iehu tam facilè populum totum, putà omnes Iſraelitas induxerit ad cultum idolorum, ſcilicet vitulorum. Cauſa eſt hæc: quia Iſraelitæ in corde & mente erant corrupti, & libidine, id eſt, amore idololatriæ, æſtuabant: vnde cùm rex Iehu inſidiaretur eis, vt eos pelliceret ad idololatriam, ipſi ei mox applauſerunt, corq́ue ſuum quaſi clibanum idololatria æſtuantem aperuerunt & applicuerunt, ideoq́ue totius populi communi conſenſu & decreto vitulorum cultus receptus, ſancitus & ſtabilitus eſt. Quocirca rex Iehu priùs anxius & timens, ne aliqui ex populo volũtati & idololatriæ ſuæ reſiſterent, cognita populi mente & cõſenſu dormiuit, id eſt, ſecurus fuit inſtar hominis qui tota nocte dormit, COQVENS EOS, id eſt, permittens eos per ſe coqui, hoc eſt, fermentari planè, maſſamq́ue impietatis efficere: vnde ſicut piſtor per noctem fermentata maſſa, manè eam infert in furnũ quem eadem nocte calefecit, quemq́ue rurſum eodem manè extremo igne & flãma calefacit: ita Iehu populum in idololatriæ furnum conſentientem & volentem iniecit; imò MANE IPSE SVCCENSVS QVASI IGNIS FLAMMAE. q.d. Ipſe Iehu non tantùm quaſi piſtor flammam idololatriæ, qua idololatras percoqueret, ſuccendit; ſed & quaſi conuerſus in ipſam flammam, inflammauit omnes Iſraelitas. Quocirca hac flamma OMNES CALEFACTI SVNT QVASI CLIBANVS VEL

ſum-

ſummo ardore, quo inſtar ignis DEVORAVERVNT IVDICES SVOS, alliciendo & cogendo eos, vt & ipſi furentem populum ſequerentur, cum eoque idola colerent, imò ſuo decreto colenda præciperent: hinc & OMNES REGES EORVM, qui Ieroboam, aut potiùs Iehu ſecuti ſunt, in eumdem impietatis furnum CECIDERVNT] ita S. Hieron. Albert. Haymo, Hugo, & Lyran. Nota. Amor ardens vocatur ignis, & clibanus ſuccenſus: quia amor ciet motum cordis vehementem, qui cauſat calorem in homine, imò feruorem & æſtum. Vnde Iob 31. dicitur: *Ignis eſt vſque ad perditionem deuorans.* Et iſtud Sapientis: *Qui non zelat, non amat.*

Amor eſt ignis & ardor.

Quocirca Epictetus rogatus ab Adriano Imper. *Quid eſt amor?* reſpondit: *Otioſi pectoris moleſtia, in puero pudor, in virgine rubor, in femina furor, in iuuene ardor, in ſene riſus.* Cur Venus Vulcano nupta dicitur? *Vt oſtendat amorem ardore incendi.* Hinc Virgil de Didone amante Æneam Æneid. 4 *Et caco carpitur igne. Vritur infelix Dido. Ardet amans Dido* Et alibi:

Eſt mollis flamma medullas
Interea, & tacito viuit ſub pectore vulnus.

Porrò amor, quia ignis eſt & calor, hinc emollit & liquefacit partes corporis: & quia eo calore reſoluuntur ſpiritus vitales & animales, adiuuãte ad eam reſolutionem & conſumptionẽ vehementi cogitatione, quæ fixa eſt in re amata; hinc ex amore vehementi ſequitur deliquium, & languor totiuſque corporis infirmitas: ad quam iuuat triſtitia, & ægritudo animi de abſentia rei amatæ. Vide Richardum de S. Victore libr. de Gradibus charitatis cap. 4. & libr. de Gradibus violentæ charitatis, vbi fusè explicat, quomodo amor vulneret, liget, liquefaciat, deliquium & lãguorem adducat. Hos amoris æſtus & effectus ſentiebat ſponſa, dicens Cant. 2. 5. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis: quia amore langueo.* Et c. 8. 6. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum.*

Secundò, Chald. & alij hanc flammam cẽſent eſſe inſidiarum, iniuriæ & violẽtiæ in proximos, quæ ex flamma idololatriæ proſerpere & exoriri ſolet. Chald. enim ſic vertit, *inſtar clibani ardet cor eorũ in inſidijs ſuis: tota nocte protrahitur furor eorum, vſque manè æſtuat in morem ignis flamminigeri*, q.d. Vti piſtor noctu ſuccenſo furno dormit vſque manè, tumque rurſum ignem furni ſuſcitat & auget, quo furnus ſuccẽſus nouas & ſcintillantes euomit flammas: ita Iſraelitæ noctu quieſcunt, cogitãtes & meditantes modos inſidiandi & nocendi proximo, vſque manè: tum enim quiſque ſurgit, vt quaſi ignis ſuccenſus inſidias & noxas noctu meditatas in proximum euomat & opere conſummet: quocirca Iſraelitæ *omnes caleſacti ſunt* hac malignitate *quaſi clibanus*, vt regi Iehu placerent, ideoque *deuorauerunt*, id eſt occiderunt *iudices ſuos*: & *omnes reges*, id eſt 70. filij Achab regis *eorum*, manu ipſorum cæſi *ceciderunt: non eſt qui clamet in eis ad me*, q.d. Nullum eis ſpatium dederunt ante mortem conuertendi ſe ad Dominum, eumque inuocandi, ſed ſubitò omnes trucidarunt, itaque tam animas quàm corpora eorum perdiderunt. ita Theodor. Theophyl. Arias & Vatabl.

Tropol. rex impius, qualis fuit Ieroboam, eſt piſtor cacodæmonis; regi enim omnes ſubditi applicant cor ſuum quaſi clibanum ſuccendendum. videat rex quem ignem inijciat, cæleſtémne diuini amoris, an tartareum vitiorum. Rex impius tartareum inijcit, eoque panes ſuauiſſimos, id eſt peccata, coquit cacodæmoni, qui parẽ illi gratiam referet: nam in inferno clibanum ei ſuccendet, quo in æternum ardeat. ita Sebaſt. Barrad. lib. 9. c. 12. Concord. Euang.

8. Ephraim in populis ipſe commiſcebatur: Ephraim factus eſt ſubcinericius panis, qui non reuerſatur.

9. Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit: ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit.

10. Et humiliabitur ſuperbia Iſrael in facie eius, nec reuerſi ſunt ad Dominum Deum ſuum, & non quæſierunt eum in omnibus his.

EPHRAIM IN POPVLIS IPSE COMMISCEBATVR] Dat cauſam tantorum ſcelerum, q.d. Cauſa cur Ephraim, id eſt, Iſrael ſuccenſus fuerit vt fornax impietatis, eſt, quòd fœdus & amicitiam inierit cum vicinis populis & gentibus, cum ijſque conuerſans eorum impietatem & ſcelera imbiberit, iuxta illud pſal. 105. 35. *Commiſti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum*, &c. ita Theodor. Vatabl. & Arias. VERS. 8.

EPHRAIM FACTVS EST SVBCINERICIVS PANIS, QVI NON REVERSATVR] q.d. Sicut paſta quæ ſub cineribus iuxta ignem coquitur, ſi non vertatur, inſenſibiliter exuritur & conſumitur, ita & Iſrael in cineribus & ſordibus idololatriæ manens, nec per pœnitentiam ſe conuertens ad Deum, exuretur ab hoſtibus. Nam *comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit*, q.d. Aſſyrij paulatim vires Iſraelis atterent, eumque expilabunt, quod tamẽ ipſe non aduertet, putà ſe in ruinam & exitium tendere, ſeque à Deo puniri ob eum derelictum per cultum vitulorum. ita Cyrill. Theodor. & Theophyl. Vel *neſciuit*, id eſt, non ſapuit, non reſipuit. vnde Chald. vertit, *ſimilis eſt domus Ephraim ſubcinericio pani, qui antequam verſetur comeditur*, vel à famelico, vel potiùs ab igne quo coquitur; *diripuerunt populi ſubſtantias eorum.*

Nota. In pane ſubcinericio multas notat Iſraelis conditiones. Primò, pertinaciam, ſcilicet eum cinere, id eſt ſordibus, vndique eſſe circumdatum, in ijſque perdurare, nec ab ijs recedere & reuerti ad Deum, etiam dum ab eo igne tribulationis excoquitur. ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. & Theophyl. Vnde tropol. S. Gregor. libr. 32. Moral. 7. *Factus eſt*, ait, *Ephraim quaſi panis ſubcinericius qui non reuerſatur. Ex natura quippe bene condita eſt nobis intentio, quæ ſurgat in Deum, ſed ex conuerſatione nequiter aſſueta ineſt voluptas, quæ præſens premat in ſæculum. Panis autem ſubcinericius ex ea parte mundior eſt, quam inferiùs occultat; atque ex ea parte ſordidior, qua deſuper cinerem portat. Quiſquis ergo intentionem qua Deum debuiſſet quærere, negligit, quaſi more panis ſubcinericij mundiorem partem inferius premit: & cùm curas ſæculi libenter tolerat, quaſi congeſtum cinerem ſuperiùs portat.* Et libr. 11. cap. 6. *Si terrenarum cogitationum cinerem à mente excutimus, quaſi panem ſubcinericium reuerſamus.*

Iſrael ſubcinericius panis eſt.

Tropol.

Secundò, celerem vindictam & exitium: panis enim ſub cinere coquitur, non in furno, à pauperibus & famentibus, vt ſtatim ab eis comedatur; rurſum panis ille ſi non vertatur, mox exuritur: ſic & Iſrael ſtatim ab Aſſyrijs deuoratus & exuſtus eſt. ita Chald. Albert. & Vatabl. A

Tertiò, imprudentiam, quòd ſcilicet Iſrael in cupidinibus ſuis ſordidis & exitioſis reſidēs, non verterit ſe in alteram partem, vt videret clades & exitium ob illas ſibi imminens. ita Clarius. Cupiditates enim & peccata ſunt inſtar panis ſubcinericii, qui duas habet facies, ſiue ſuperficies; inferiorem, qua terræ; ſuperiorem, qua igni & cineribus adhæret: ita peccati facies inferior eſt voluptas terrena, quam intuetur & arripit peccator; ſuperior eſt cinis, id eſt mors & ignis, hoc eſt pœna & gehenna quæ voluptatem peccati certò quaſi à tergo ſequitur, eique connexa eſt: hanc non intuetur peccator: vnde ab ea imprudens & incautus cùm minimè putat, comprehenditur & exuritur. Quocirca Syrus vertit, *Ephraim factus eſt placenta paruuli, decocta eſt, comeſta eſt.* q.d. Mox vt facta & cocta, comeſta quoque eſt. Sic enim pueri placentam mox vt cocta eſt comedunt. Arabicus Alexand. *Ephraim factus velut locus combuſtus, & ipſe non mutatur*; Arabicus Antioch. *Ephraim erat ſuccenſus, non reuertens.* B

VERS. 9. COMEDERVNT ALIENI (Aſſyrij) ROBVR EIVS] *Robur*, id eſt, fruges & opes eum roborantes: *panis* enim *cor hominis confirmat*, pſalm. 103. 15. Myſticè, alieni ſunt dæmones, qui vires animæ, ſuggerendo cupiditates, eneruant, eo non aduertente. vnde ait: *Et ipſe neſciuit, aduerſarios amicos putans, & deuoratores ſuos arbitrans eſſe conuiuas*; ait S. Hieron. Sic & S. Gregor. 34. Moral. c. 3. Quocirca rectè S. Bernard. ſerm. 2. de Quadrag. id adaptat Religioſo, qui in exteriora cor effundit, itaque eius robur ſpirituale diſſipat & perdit. *Miſer*, ait, *homo, qui totus pergens in ea quæ foris ſunt, & ignarus interiorum ſuorum, putans aliquid ſe eſſe cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. Sicut aqua effuſus ſum* (ait Pſalmiſta in perſona hominis) *& diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Et alius quidam Propheta: Comederunt, inquit, alieni robur eius, & ignorauit. Exteriorem quippe ſuperficiem intuens, ſalua ſibi omnia ſuſpicatur, non ſentiens vermem occultum, qui interiora corrodit. Manet tonſura, veſtis necdum mutata eſt, ieiuniorum regula cuſtoditur, ſtatutis pſallitur horis; ſed cor longè eſt à me, dicit Dominus. Attende ſolerter quid diligas, quid metuas, vnde gaudeas aut contriſteris: & ſub habitu religionis animum ſæcularem, ſub pannis conuerſionis inuenies cor peruerſum.* C

SED ET CANI EFFVSI SVNT IN EO, q.d. Iam Iſrael captiuitati & excidio proximus eſt, vti homo ſenex & canus morti: Iſrael caneſcit, ſeneſcit, tēdit ad interitum. Eſt catachreſis. ET IPSE IGNORAVIT] ſe excidio proximū, multò magis ignorauit ſe ob derelictum Deum, & obidola exſcindendum. ita S. Hieron. Aliter Haymo, Hugo & Lyran. q.d. Iſrael peruenit ad canitiem, mortem & excidium; itaque tunc cœpit ſapere, & agnoſcere ſuam culpam cauſamque excidij. Nemo enim tam inſipiens eſt, qui non in morte ſapiat. Sic Ptolemæus, vt habetur in eius vita præfixa Almageſto, dicere ſolebat: *Vltimæ promiſſiones hominis canæ ſunt*, id eſt ſapientes, ſeriæ, æquè ac ſeræ & vltimæ. Verùm cum hac explicatione non rectè cohæret ע *& ipſe ignorauit.*

Tropolog. S. Hieron. hæc referens ad hæreticos, alioſque impios: *Comederunt*, inquit, *alieni, id eſt dæmones, robur eius: ſed & cani effuſi ſunt in eo, imò efflorauerunt, id eſt, multo errauit tempore, & nihilominus ignorauit ſenectutem & vetuſtatem ſuam, de qua ſcriptum eſt Hebr. 4. Quod veteratur & ſeneſcit prope exterminium eſt. Et ſi ad iuſtum virū, & ad Eccleſiaſticum dicitur Sapient. 4. Cani hominis ſapientia eius; quare non dicatur ad iniquum & hæreticum, Cani hominis ſtultitia eius? De hac ſenectute Daniel dicebat ad presbyterum: Inueterate dierum malorum. Vnde & in libro Paſtoris (ſi cui tamen placet illius recipere lectionem) Hermæ primùm videtur Eccleſia cano capite; deinde adoleſcentula & ſponſa crinibus adornata.* Tropol.

Appoſitè ergo hæc Oſee verbo Pelagio hæreſiarchæ ſeni, & inueterato malorum dierum, cùm iam ipſe hæreſin antea occultatam detegeret, ac inſtar Cain vagabundus eamdem per Ægypti monaſteria ſpargeret, adaptat & intorquet B. Iſidorus Peluſiota, ſcribens ad eum ſub annum Domini 405. libr. 1. epiſt. 314. *Cani*, inquit, *effuſi ſunt in Ephraim, & ipſe ignorauit, vitioſis nimirum affectibus inueneſcens. Eodem modo tibi quoque ingens annorum turba caniciem inuexit, & tamen rigidum & inflexum animum habes, ex alio monaſterio in aliud migrans, atque omnium menſas perſcrutans & explorans.*

ET HVMILIABITVR SVPERBIA ISRAEL IN FACIE EIVS] Hebr. *reſpondebit ergo faſtus Iſraelis ei in faciē*, id eſt, teſtificabitur contra eum palàm & apertè, quòd ſcilicet iuſtè ob ſuperbiam deprimatur & euertatur. vide dicta c. 5. 7. VERS. 10.

11. Et factus eſt Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor: Ægyptum inuocabant, ad Aſſyrios abierunt.

12. Et cùm profecti fuerint, expandam ſuper eos rete meum: quaſi volucrem cæli detraham eos, cædam eos ſecundùm auditionem cœtus eorum.

13. Væ eis, quoniam receſſerunt à me: vaſtabuntur, quia pręuaricati ſunt in me, & ego redemi eos; & ipſi locuti ſunt contra me mendacia.

14. Et non clamauerūt ad me in corde ſuo, ſed vlulabant in cubilibus ſuis: ſuper triticum & vinum ruminabant, receſſerunt à me. D

15. Et ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum: & in me cogitauerunt malitiam.

16. Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo, facti ſunt quaſi arcus doloſus: cadent in gladio principes eorum, à furore linguæ ſuæ. Iſta ſubſannatio eorum in terra Ægypti.

ET FACTVS EST EPHRAIM QVASI COLVMBA SEDVCTA NON HABENS COR] *Cor*, id eſt mentem, ſenſum, prudentiam. Simile adagium eſt apud Suidam, *Columba ſedens*: hæc enim ſimplex, facilè ſeducitur & capitur vel à miluo, vel ab aucupe. Pro *ſeducta* hebr. eſt, פותה *potha*, id eſt flexilis, facilis, ſeductilis; Septuag. ἄνους, id eſt inſipiens, *amens*, vti legit Iſidor. Peluſ. l. 4. epiſt. 137. Aquila VERS. &

& Symmach *decepta*; Leo Hebræus, *ſtolida*, quæ ſcilicet facilè ſe ſinit capi & decipi, quia ſimplex & carens corde, id eſt, intelligentia & ſagacitate: rurſum corde, id eſt, cordato animo & memoria. Vnde Syrus vertit, *factus eſt Ephraim quaſi columba puella* (paruæ ætatis, ideoque ignara, inexperta & ſeductilis) *cui non eſt cor*, animus, animique fortitudo; Arabicus Alexand. *factus eſt Ephraim vt aues inſipientes, & non eſt illi intelligentia*; Arabicus Antioch. *factus eſt Ephraim ſicut columba, non habens intellectum, neque cor.*

Columba excors. Primò. Nam Primò, columba cùm ſingulis menſibus oua pariat & pullos excludat, videatque ſingulos è columbario & nido continuè auferri, ad eum tamen obliuioſa & ſtolida iterum iterumque, & millies redit; ibique rurſum oua fouet, pullos excludit, qui iterum auferantur. Secùs faciunt aliæ aues, quæ ouis aut pullis ſublatis aufugiunt, nidumque mutant: ita Iſrael licèt videret ſe ſpoliari, ſuaſque proles capi nunc à Phul, nunc à Teglathphalaſar, nunc à Salmanaſar regibus Aſſyriorum, tamen identidem ad Aſſyrios recurrebat opem poſtulans. Nota. Ariſt. l. de Generat. & part. animalium docet, nec columbam, nec vllum animal quod ſanguinem habeat, poſſe viuere ſine corde: cor hîc ergo non phyſicè, ſed ſymbolicè accipiendum pro ſenſu & ſapientia, qua præ reliquis auibus carent columbæ. Id maximè verum eſt in columbis Syriæ, quæ ita nidum & columbarium ſuum adamant, vt etiamſi per centum milliaria & ampliùs ab eo abducantur, & in peregrina ignotaque regione conſtituantur, tamen vel ex odoratu, vel ex ſagacitate & inſtinctu naturæ cognoſcentes vbi ſit ſuum columbarium, ſi liberè ex alto auolare ſinantur, mox ad illud directè paucis horis contento volatu reuolent: vnde Syri columbis pro nuncijs & veredarijs vtuntur, vti oculati teſtes mihi retulerunt. de quo plura cap. 11. 11. Tales erant Iſraelitæ in Syria, qui opes ſuas in idola ſtolidè profundebant, quin & filios proprios idolo Moloch comburendos quaſi inſani tradebant, atque ob hæc vaſtabantur ab Aſſyrijs: ipſi tamen ſpoliati opibus & orbati filijs, ſine vllo quaſi doloris aut diſpendij ſenſu redibant ad ſua idola, æquè ac ad Aſſyrios, eorumque opem & amicitiam ambiebant. quod æquè vecors & ſtultum erat, ac ſi quis lupo ouem aut prolem committeret. Erat ergo Iſrael excors, ingens ſine medulla pepo, & cucurbita. ita S. Hieron. Chald. Theodor. Theoph. Hugo, Arias, Ribera, Mariana & alij.

Secundò. Secundò, columba eſt vecors & excors, quia, vt ait Arias, cùm reliquæ aues retia cauèat & aucupem fugiant, columba tamen adeò ſtupida eſt, vt propter obiectam eſcam, prætertim tempore niuis, ſponte in retia incurrat: mox enim vt videt abeuntem eum qui retia tetendit, in illa ad eſcam deuolat. Rurſum S. Baſil. epiſt. 175. ad Iulittam: *Ars*, ait, *quædam eſt aucupandi columbas, videlicet talis: vbi vnam ceperunt qui capiendis illis ſtudent, cicurem illam reddunt, & ad humanum conſictum aſſuefaciunt. Deinde vnguento alas illius perungunt, ſinuntque coniungi agreſtibus: illa verò per vnguenti fragrantiam agreſtem illum ac liberi paſſu gregem, ad poſſeſſionem transfert eius cuius ipſa domeſtica eſt. Bene olentes autem ſequuntur & reliquæ, atque ita in poteſtatem columbarij veniunt.* Pru-

dentius quoque in Hamartigenia, luculenter omnes modos enumerans, quibus ab aucupibus columbæ decipiuntur, oſtendit totidem ferè illuſionibus hominum animas à dæmone in tartara detrudi. Hinc & Chriſtus Matth. 10. 16. monet, vt ſimplicitatem columbæ cum ſerpentis prudentia copulemus, eaque illam acuamus & cuſtodiamus, vt ſcilicet ita ſimus ſimplices, ne alijs noceamus; ſed & prudentes, ne aliorum inſidijs capiamur. prudentia enim ſine ſimplicitate, calliditas eſt: ſimplicitas ſine prudentia, ſtultitia eſt. Hinc Prudentius Euam à ſerpente deceptam columbæ comparat:

Eua columba fuit tum candida, nigra deinde
Facta per anguinum maleſuada fraude venenum.

Inſuper columba domeſtica à columbis alterius columbarij, ſibiloque; aucupis illecta, in illud ſponte ſe infert, ſeque capi permittit. Denique ſolent aucupes exoculatam columbam in reti ponere, quæ ſubſultans & in reti ludens, eoque ſe illaqueans, ad idem cæteras columbas alliciat. Ea Græcis πελὰς τρυγὼν, teſte Suida, dicitur, à πελεύειν, quod eſt ſeducere, ſeu in laqueum inducere. Vnde Ariſtophan. in Auibus, loquens de columbis, ait: *Et cogit paleutriam agere* (columbas) *alligatas in reti*. Similes paleutrias anates vidi in Belgio, quæ in lacubus & paludibus iungêtes ſe anatibus ſilueſtribus, eas abducebant in retia, magna herorum voluptate & quæſtu. Ita Iſraelitæ ſponte in laqueos & aucupes, putà in Aſſyrios & Ægyptios incurrebant, ſe ſuaque illis dedebant, hoſteſque ſuos æſtimabant amicos. Hoc ex quod explicans ſubdit Oſee: *Ægyptum inuocabant, ad Aſſyrios abierunt. Et cùm profecti fuerint, expandam ſuper eos rete meum, & quaſi volucrem cæli detraham eos.* Id maximè verum fuit in Hoſee vltimo rege Iſrael: hic enim cùm eſſet tributarius Salmanaſar regis Aſſyriorum potentiſſimi, ſtolidè rebellauit, ac contra eum implorauit opē Sua regis Ægypti: quare indignans Salmanaſar, Samariam cum rege & regno euertit, 4 Reg. 18 10.

Moraliter, tales ſunt qui occaſiones peccatorum, v.g. ſocietatem puellarum, aut prauorū ſociorum non vitant, imò ambiunt. vnde corruūt in peccata & gehennam. Quid ſtolidius quàm ſponte Aſſyrio, id eſt dæmoni, ſe dedere, quàm ſponte in ruinam æternam ſe præcipitare? ita Theoph. Verè S. Auguſt. l. 1. Confeſſ. 15. *Quid eſt miſerius miſero non miſerante ſeipſum?* Sapiēter monet S. Ephrem ode in eos qui aſſiduè peccant & rarò pœnitent, tom. 1. *Fuge*, ait, *ſcorpionem, cuius noſti ſtimulum: fuge ſerpentem, cuius exploratam habes perniciem. Qui ſecundò in eumdem impegerit lapidem, cæcus eſt aut mente captus.*

Tertiò. Tertiò, columba notat ingratum erga bene de ſe meritum. Nam mas vbi robuſtior euaſerit, ex conſortio matris patrem expellit, itaque; ei connubio iungitur, ait Horus hierogl. 54. & Aldrouandus in columba pag. 418. Sic Iſrael ingratus fuit Deo optimè de ſe merito, eumque; expulit è thoro matris ſuæ, putà Synagogæ, quam ſua idolatria conſtuprauit & conſpurcauit.

Quartò. Quartò, colūba eſt vecors, quia, vt docet Plinius l. 10. c. 36. & ex eo Sanchez, ſibi in colorum varietate mirè placet, vnde vt eam columbæ in pennis ſuis aliſque; oſtentent, inani quadam iactātia eas inter ſe collidunt & implicant, vt reſonent ſtrepitumque; edant. Ad ſtrepitum excitantur

accipitres, qui aduolant, eaſq́; implicitis alis auolare non potentes, facilè capiunt. Ita dum vanæ gloriæ, ſuæq́ue pulchritudini indulgent, vltrò ſibi mortem adſciſcunt: ſic & Iſrael ſua ſuperbia, iactando ſuas opes, ſuæq́ue terræ fertilitatem & amœnitatem, illexit Aſſyrios ad eam inuadendam & capiendam. Sic & hodie multis venuſtas & oſtentatio eſt cauſa ruinæ & interitus. Verè Poëta:

Sed tacitus paſci ſi poſſet coruus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus inuidiaq̃.

Denique Iſraelem imprudentem comparat columbæ ſeductæ & inſipienti, quia eſt & colũba ſapiens, de qua dicitur: *Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam?* &c. *cuius pennæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eius in pallore auri*, pſal. 67. ita S. Hieron.

Symbol. Symbolicè, cor eſt bulla pectoris, & bulla eſt cordis ſymbolum. Bullam enim geſtabant nobiles in pectore, vt eam inſpicientes ſe homines & rationales cogitarent, ſi corde & mente excellerent. Rurſum cor arcano ſermone notat conſilium, ait Pierius hierogl. 34. & viciſſim bulla Macrobio dicitur ἀπὸ τῆς βυλῆς, id eſt conſilio: tam ergo bulla, quàm cor, ſymbolum eſt, monitor, indexq́; conſilij. Hinc Salomon orat 3. Regum 3. 9. *Dabis ſeruo tuo cor docile*, id eſt ſapiens plenumq́ue conſilio, *vt populum tuum iudicare poſſit*. Ex aduerſo carent corde principes & ſubditi, qui ſine ratione & conſilio regunt aut reguntur, qui non animaduertunt quid eligant, quid faciant, quem finem ſit res habitura, in quas difficultates & ærumnas ſe conijciant; ſed temerè obiecta voluptatis, opum aut honorum eſca, eam inuadunt cum iactura vitæ, ſtatus & animæ. Sic Iudæis ait Ierem. c. 5. 21. *Audi populе ſtulte qui non habes cor.* Et Sapiens Prouerb. 6. 32. *Qui autem adulter eſt, propter inopiam cordis perdet animam ſuam.* Et c. 11. 12. *Qui deſpicit amicum, indigens corde eſt.* Et c. 10. 13. *Virga in dorſo eius qui indiget corde.* Sic Plautus ait de muliere: *Cui pectus ſapiat; nam cor non poteſt*: quia nullum habet. Sic Tertul. l. 4. c. 10. contra Marcionem ait, eum nec cor, nec cerebrum habere.

Videtur ergo peccator, qui ſtultè & imprudèter parua præ magnis, caduca præ ſolidis, momẽtanea præ æternis ambit & amplectitur, non habere cor: quia illud ei eripuit Plutus, Venus, faſtus, &c. Exempla ad literam illuſtria ſuppetũt. Narrat ex Proſpero Gabriel Inchino Canon. Eccleſ. Lateran. ſerm. 1. de puritate cordis, rem miram de diuite auaro, qui cùm mortuus eſſet, heredes aperuerunt corpus, ac ſingula luſtrantes, non inuenerunt cor: quod vndequaq; requirentes, tandem in cumulo nummorũ eius aureorum reconditum & ſepultum inuenerunt: quin & dęmonem ſpecie draconis cordi aſſidentem, illudq́ue diſcerpentem viderunt, eumq́ue ſibi dicentem audierunt: *Hoc aurum & argentum eſt pretium cordis, quod mihi vendidit amicus veſter, ideoq́; iure meum eſt, eoq́; pro arbitratu vti poſſum.* Simile eſt quod in Vita S. Antonij de Padua legimus: cùm enim ipſe orationem funebrem haberet in funere diuitis cuiuſdam auari, vrgeretq́ue verba Chriſti: *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*, enthuſiaſmo actus: Inſpicite, ait, mortui theſaurum, videbitis quàm hoc Chriſti dictum ſit verum: ibi cor diuitis inuenietis. quare illud in eo quæſiuerunt, & inuenerunt.

Eleganter verbiſq́ue neruoſis docet S. Bernard. libr de Natura & dignitate amoris cap. 1. impios & carnales non habere cor hominis, illudq́ue in ventrem eorum diffluxiſſe, & mutatum eſſe in brutum. Applicans enim eis illud pſalm. 21. *Factum eſt cor meum tamquam cera liqueſcens in medio ventris mei*, ſubdit: *In anguſta quippe corporis parte cor locatum eſt, vbi quaſi medium ſuperiorum ſenſuum arcem, & corporis inferioris ſicut populi humilioris, quaſi quamdam regeret & diſpenſaret remp. totamq́; circumquaque cogitatuum & actionum regionem; ſed ad concupiſcentiæ carnalis ignem degeneri quadam mollitie liqueſcens, totum diffluxit in ventrem, & in medium ventris, videlicet non ſapiens niſi ea quæ ventris ſunt, & de ventre in ventris inferiora omnia confundens, omnia degenerans, omnia adulterans, amoris naturalem affectum peruertens in brutum quemdam carnis appetitum; non ſolùm quæ non licet appetentem, cum contumelijs corporis in paßionibus ignominiæ, ſed adeò oblitum ſuæ antiquæ generoſitatis, vt qui creatus erat Deo ſoli, à corruptis & corruptoribus ſuis æſtimetur eſſe potiùs luxuriæ naturale domicilium, & vitiorum omnium proſtibulum. Infelices qui tantum naturæ reclamante ſibi viluerunt, vt animæ ſuæ locum, qui proprius Dei creatoris erat, & nulli creaturæ communicabilis, ſedem Satanæ, ſedem ſpurcitiarum & omnis immunditiæ conſtituerent.*

ÆGYPTVM INVOCABANT, AD ASSYRIOS ABIERVNT. q.d. Nunc Ægyptiorum, nunc Aſſyriorum opem inuocare ſolent Iſraelitæ. Vnde mox de more rurſum eam inuocabunt: ET CVM PROFECTI FVERINT, EXPANDAM SVPER EOS RETE MEVM] vt ab Aſſyrijs reti quaſi capiantur, à quibus opem ſperabant. patet 4. Reg. 15. 29. & cap. 17. 24. ita Theodor. *Rete* vocat exercitum Aſſyriorum. Hinc Secundò, q.d. Cùm Hoſee opem Sua regis Ægypti inuocabit, *abierunt*, id eſt, abibunt & captiui ducentur Iſraelitæ, *ad Aſſyrios* ita S. Hieron. Vnde ſic τὸ *abierunt* non reſpondet τῷ *cùm profecti fuerint expandam ſuper eos rete.* Nam hoc ſenſu rete expanſum erat à Deo, antequam abirent & proficiſcerentur in Aſſyriam, quia hoc reti capti & abducti ſunt.

Tropol. Ægyptios & Aſſyrios inuocant, qui non Dei, ſed hominum fauorem ambiunt, ijs adulantur, dant munera, vt præbendam, vel ſtatum ad quem aſpirant aſſequantur, ſed Deus ſuper eos expandit rete, putà faſtidia, moleſtias, æmulationes, ignominias, morbos, mortem, &c. quibus illaqueantur, & miſerè viuunt, & contabeſcunt.

QVASI VOLVCREM CAELI DETRAHAM EOS] q.d. Detraham Iſraelitas ex altiſſima & munitiſſima vrbe Samariæ (hæc enim ædificata erat in monte Somer, indeq́; vocata eſt Samaria 4 Reg. 16. 24.) quam dabo expugnandam & vaſtandam Aſſyrijs, perinde ac aues arte aucupum, putà per immiſſos falcones, ex altiſſimis arboribus detrahuntur, capiuntur & occiduntur.

SECVNDVM AVDITIONEM] q.d. Sicut olim audiuit & monitus eſt Iſrael à Moſe Deuter. cap. 27. & cap. 28. ſcilicet ſe puniendum à Deo, ſi ab eo deflecteret ad deos Gentium, ita nunc ab eo punietur & cædetur. ita Vatabl. Clarius & à Caſtro. Aliter alij, q.d. Sicut totus eorum cœtus auditus eſt inclamare & poſcere opem

pem deorum & Gentium, ita totum pariter cædam & plectam. ita S. Hieron. Haymo, Hugo & Lyran.

VERS. 13. EGO REDEMI EOS, liberaui eos tũ ex Ægypto, tũ ab alijs hoſtibus, putà Madianitis per Gedeonem, Philiſthæis per Samſonem, Ammonitis per Iephte, &c. ET IPSI LOCVTI SVNT CONTRA ME MENDACIVM] q.d. Ipſi tamẽ hanc redemptionem non mihi, ſed vel idolis, vel alijs Gentibus mendaciter aſcripſerunt, mentiti ſunt quòd dij Gentiũ eos ſaluaſſent, non ego. ita S. Hieron. Chald. Theodor. Cyril. Vatab. & alij. Sic Hebræi educti ex Ægypto cùm Moſes abeſſet, acciperetque legem à Deo in Sina, fabricarunt ſibi vitulum, putà Apin, eique acclamarunt: *Iſti ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti*, Exodi 32. 8.

VLVLABANT] q.d. Iſraelitæ vlulabant præ miſerijs & ærumnis, putà præ defectu tritici & vini, præ fame, ſiti, &c. neſcientes aliud quàm gemere & plorare, nec memores tunc opem meam eſſe implorandam. ita Arias, Ribera & à Caſtro. Secundò, S. Hieron. Theophyl. Hugo & alij, q.d. Vlulabant more Gentilium bacchantium aut furentium, qui vlulatu & horrendis clamoribus deorum opem expoſcunt, putantes quòd ijs aures deorum ferient & pertundent, vti fit apud homines.

VERS. 14. SVPER TRITICVM ET VINVM RVMINABANT] Non dicit, Comedebant, ſed *ruminabant*, vt eos ſimiles beſtijs oſtenderet, ait S. Hieron. quæ non faciũt aliud quàm comedere & ruminare, id eſt, cibum comeſtum in os regerere, rurſumq; mandere, itaq; iugiter cibum ex ore in ſtomachum, & ex ſtomacho in os mittere & remittere. q.d. Non aliud cogitant, non aliud ſomniant, quàm eſcas & ventrem, modumque ea comparandi, ob hoc plorant, ob hoc vlulant, dicentes cum patribus ſuis: *Quis dabit nobis carnes ad veſcendum? Recordamur piſcium quos comedebamus in Aegypto: in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones*, Num. 11. 4. De cætero non cogitant à quo ea petere, aut ſi eis donentur, cui gratias agere debeant: quia *receſſerunt à me*. Hinc omnia tribuunt fortunæ, aut dijs ſuis, non meæ prouidentiæ. ita Vatabl. Clarius & Arias.

Aliter S. Hieron. & Chald. quaſi dicant: Præ copia tritici & vini, quæ ruminant quaſi beſtiæ, recalcitrarunt & receſſerunt à me. Verùm quia vlulabant præ fame, hinc potiùs inopia laborabant, quàm copia. Pro *ruminabant*, hebr. eſt, יִתְגֹּרָרוּ *iitgoraru*, quod recentiores vertũt, conueniebant, congregabant ſe; Septuag. verò, *concidebant ſe*, ſcilicet cultris ad placandos deos, vt ab ijs impetrarent triticum & vinum. Sic enim fecerũt ſacerdotes Baal ad eliciendũ ignem è cælo, 3. Regum 18. 28. ita Cyril. & Theoph. qui addit, Virilia ſibi amputabant, vt ſanctiùs dijs miniſtrarent, vt faciebant cultores Rheæ matris. Noſter optimè vertit, *ruminabant*, quia hoc rectè ſignificat gulam Hebræorum, ob quam murmurare & vlulare ſolebant: & *iitgoraru* id propriè ſignificat. Nam גָּרוֹן *garon* eſt guttur, inde גָּרַר *gorer* idem eſt quod gargarizo, guttur mulceo, vel proluo, vti Philoxenus, teſte Ariſtot. in Ethicis, optabat ſibi guttur gruis. vt diutiùs cibi potuſq; voluptatem & delicias ſentiret. Et Alciatus hoc dat emblema gulosi:

Gurgulione gruis, tumida vir pingitur aluo,
Qui larum, aut manibus geſtet onocrotalum.

Ita Forſterus, Marinus, & paſſim Hebræi in Lexicis, docent quòd גָּרַר *ghera* ſignificet pabulum præmanſum, quod animal eximo trahit & denuo ruminat, quaſi dicas, Trahenda, ſeu rumen. radix enim *gor*, vel *gorer*, vel *gara*, ſignificat trahere, attrahere, quod in beſtiarum ſtomacho & ore eſt ruminare, indeque deducitur *garon*, & גַּרְגְּרָה *gargbera*, id eſt guttur, gurgulio, eò quòd gutture trahitur & retrahitur cibus, æquè ac halitus inſtar ſerræ, quæ proinde ab eadem radice, à continuo tractu & retractu hebr. dicitur מִגְרָה *meghera*, quaſi dicas, traha: gulonibus enim terra, æquè ac horologium, eſt gula & venter.

ET EGO ERVDIVI EOS, docui eos legem viamque ſalutis per Moſem. Secundò, *erudiui*, id eſt, reprehendi & caſtigaui prauos eorum mores per Prophetas: hoc enim ſignificat Hebræum יִצַּרְתִּי *iitſarti*. ita Leo Hebræus. Tertiò, Arias, *Erudiui*, inquit, id eſt, inſtar medici dedi doque eis ſana conſilia & remedia. Quartò, *eruditi* eos ad bellum, putà conſtrinxi & accinxi eos gladio, inquit Vatablus. ſequitur enim: *Et confortaui brachia eorum*, vt hoſtes ſuos debellarent. Sic ait Dauid pſalm. 143. 1. *Qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*. Erudiui ergo eos, & roboraui tot tantiſque modis: ET, id eſt at, IPSI IN ME COGITAVERVNT MALITIAM] vt mihi rebellarent, ac deos Gentium ſequerentur & colerent. VERS. 15.

REVERSI SVNT, ad priſtinum ſuum ingenium, prauamque indolem & mores, VT ESSENT ABSQVE IVGO] vt ſcilicet eſſent filij Belial, effrænes, exleges, rebelles, qui omne legis Deique iugum, quaſi vaccæ indomitæ, excutiunt. vnde Chald. vertit, *auerſi ſunt vt deſicerent à lege*. Legit Interpres cum Chaldæo עֹל *ol*, id eſt iugum, iam legunt עַל *al*, quod Rabbini, Vatabl. Pagnin. & Clarius vertunt, excelſus, altiſſimus, à rad. עָלָה *ala*, id eſt aſcendit in altum. Vertunt ergo, *reuertuntur, at non ad Altiſſimum*, ſed ad vitulos aureos. Videtur notare Iehu, qui cùm euertiſſet Baal, videreturque Deum verum culturus, mox redijt ad vomitum, iterumq; cultum vitulorum, quos Ieroboam erexerat, reſtituit. Septuag. vertunt, *reuerſi ſunt in vanum*, id eſt ad idola. Tropol. ad vanas opes & honores ſæculi. Alleg. Chriſtus erudiuit Iudæos, ſed ipſi ab eo auerſi, eius legem excuſſerunt, & ſagittis linguæ ſuæ eum confixerunt, clamantes: *Crucifige, crucifige eum*. ita ex Cyrillo Leo Caſtrius. VERS. 16.

FACTI SVNT QVASI ARCVS DOLOSVS] Qui ſcilicet, cùm ſuam ſagittam mittere & iaculari videatur in vnam partem, in quam à iaculante dirigitur, eam diuertit, & in aliam partem, imò in ipſum iaculantem, eam reflectit & retorquet, vel ex ſe, vel quia collimat & iaculatur in materiam duram, aut validam, quæ miſſam ſagittam reſilire facit in iacientem, vti accidit militibus Eugenij tyranni, pugnantibus contra Theodoſium Imp. quod miraculum ita celebrat Claudianus in eius Panegyr. *Arcus doloſus quis.*

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduerſas acies, reuolutaq; tela
Vertit in auctores, & turbine reppulit haſtas.

Pari modo Israel & Iehu, cùm à me dirigeretur ad excidium Baal & idolorum, reflexus est in me, meumque cultum excidit, & statuit aras vitulorum, easque suo arcu propugnauit. Propriè *arcus dolosus*, siue prauus, distortus & obliquus est, qui inter iaculandum aliò mox vertitur (vel à vafro iaculatore, vel ob fabricam arcus ita compositam, vel casu, vel ob defectum arcus) quàm in directum quò tenditur & respicit, sicq; alium, vel etiam ipsum iaculantem nec opinantè, dimissa ferit sagitta. Vnde Illyrica versio psalm. 77. 57. habet: *Conuerterunt se in arcum inuersum*, quales arcus arte fiunt, in quibus semicirculus cum sagitta in aduersam partè leui ferri motu reflectitur, insciumque iaculantem configit. Ita Fenella Kemethum regem Scotorum occidit, porrigens ei pomum aureum, ita fabrefactum, vt quicunque illud tetigisset, statim multis telis è pomo prosilientibus transfigeretur, vti narrat Cardan. l. 12. de Rerum variet. c. 56.

Arcus dolosus, ait S. Hieron. *est qui percutit dirigentem, & vulnerat dominum*: ita Israel qui contra Gentes, earumq; deos se armare debebat, aduersus se suumq; Deum armatus est. Seipsum enim lædit, qui Deum offendit. Vnde tropologicè S. Gregor. 17. Moral. 27. Conuertitur, ait, in arcum prauum arrogans doctor, quia dum contra elationē verba facit, in seipso sagittas figit, sicut arcus peruersus ipsum à quo intenditur, percutit, quod vulgò dicitur, *Cornicam oculos configere*. Addit S. Cyrill. Deus, ait, tetēdit Israelem, pugnans cum tyrannide diaboli, quasi proprium arcum aduersus idololatriam, quæ vniuersum mundum occupauerat: verùm ipsi conuersi sunt in contrarium, scilicet in Dei contumeliam & contemptum, ait Ruffinus. Alludit ad psal. 77. 9. *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli*: & ad arcum Iehu, quo dolosè occidit Ioram regem Israel, clamantem, *Insidiæ Ochozia*, 4. Reg. 9. 23.

Rursum Israel est arcus dolosus, quia aliò mittit sagittas fiduciæ & orationis suæ, scilicet ad idola me relicto, ad quē eas mittere debebat, ait à Castro. Secundò, arcus dolosus est, qui videtur tēsus & paratus ad iaculandum, cùm sit remissus & ineptus. vnde Theodor. legit ex Septuag. *facti sunt vt arcus non contentus*, sed laxatus, qui nullam perniciem hostibus infert: quamquam versionis Septuag. vera lectio sit cōtraria, scilicet *facti sunt quasi arcus intensus*. Quod S. Hieron. sic tropologicè de hæreticis explicat: *Quia*, inquit, *semper parati sunt ad pugnas & contentiones in perniciem audientium*. Iidē sunt arcus dolosus, vt habet nostra versio, *quia, sicut eorum patriarcha Iudæi, instructi de scripturis sanctis, aduersus Dominum legis, & Prophetarū, & Euangelij verba vertunt*: deprauant enim scripturas, eisq; Deum earum auctorem, ipsamq; eius fidem & veritatem impugnant. quibus rectè competit illud psal. 77. 57. *Conuersi sunt in arcum prauum*. vbi S. Augustin. *Arcus*, inquit, *peruersus non pro nomine Domini, sed contra nomen Domini, iuxta illud: Non erunt tibi dij alij præter me. Per arcum autem significat animi intentionem.* Ver. 1.

Hinc Tropol. arcus prauus vel dolosus sunt, qui intentionem quam in Deum dirigere debebant, dirigunt ad creaturas, v.g. qui ieiunia, orationes, eleēmosynas, quæ dirigere debebant in Dei honorem, dirigunt ad auram popularem. ita Guadalupensis. Tropol.

Rursum arcus dolosus sunt, qui per immanem ingratitudinem opibus & potentia sua abutuntur aduersus illos, quorum operâ fuerunt ea consecuti; vti de Eutropio & Habundantio narrat Claudianus libr. 1. in Eutrop. ita Delrio adagio 946. Sic maledicus lingua ferit Deum, qui eam dedit ad sui laudem. Sic homicida manu quasi ferit Deum datorem, dum Dei imaginem, putà hominem, occidit. Sic omnis qui peccat, vel ingenio suo, vel facundia, vel opibus, vel alijs naturæ aut fortunæ dotibus à Deo datis, contra Deum pro dæmone pugnat. Vers. 1.

CADENT IN GLADIO (Assyriorum) PRINCIPES EORVM (Israelitarum) A FVRORE LINGVÆ SVÆ] Quia scilicet furente & indignante insana lingua, blasphemias in me, pro suis idolis certantes euomuerunt, cùm ab ijs opem contra hostes peterent, me spreto. ita S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo & Lyran. Vnde Chald. vertit, *propter prauitatem linguæ eorum*; Septuag *propter imperitiam* (id est stoliditatem) *linguæ eorum*, qua dicunt ligno: Deus meus es tu; & lapidi: Tu me genuisti, ait Cyrill. Aliter Vatablus & Arias: furorem enim Dei accipiunt, q.d. Cadent, quia maledica sua lingua concitarunt furorem Dei, qui eos disperdet. C

ISTA EST SVBSANNATIO EORVM IN TERRA ÆGYPTI] q.d. Hic est mos olitanus, hæc auita indoles eorum: sic enim me derisérunt & subsannarunt olim habitantes in Ægypto, colentesq; Apin. Vnde Chald. vertit, *ista sunt opera eorum dum essent in terra Aegypti*. ita S. Hieron. Theoph. Albert. & Hugo. Aliter Clarius & Vatab. *Subsannationem* enim passiuè capiunt, q.d. Ridebuntur ab Ægyptijs, cùm ab eis opem poscent: dicēt enim, Ite ad Dominum Deum vestrum, ite ad vestros Assyrios; illi vos iuuēt. Aut, vt Lyran. ridebuntur ab ipso Deo, iuxta illud psal. 2. 4. *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.*

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur Deus Israeli excidium, quòd Ieroboam posteros q. eius, se inconsulto, creârit reges, cum eisq. vitulos aureos coluerit. Vnde ait: Ventum seminabunt, & turbinem metent. *Secundò, taxat quòd amicitiam Assyriorum ambierit, & dato tributo emerit, ideoq. ab illis ipsis exscindendum prædicit, excisis pariter vrbibus & delubris, quæ magnificè ædificauerat tam Iudas quàm Israel. Nota. Israelem, eiusq. opera & idola comparat Primò, v. 6. aranearum telis; Secundò, v. 7. vento & turbini, ac culmo euanido; Tertiò, v. 8. vasi immundo, id est matulæ; Quarto, v. 9. onagro.*

IN

Vers.1. IN gutture tuo ſit tuba quaſi aquila ſuper domum Domini: pro eo quòd tranſgreſſi ſunt fœdus meum, & legem meam præuaricati ſunt.

2. Me inuocabunt: Deus meus cognouimus te Iſrael.

3. Proiecit Iſrael bonum, inimicus perſequetur eum.

4. Ipſi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui: argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola, vt interirent.

5. Proiectus eſt vitulus tuus Samaria, iratus eſt furor meus in eos. Vſquequo non poterunt emundari?

6. Quia ex Iſrael & ipſe eſt: artifex fecit illum, & non eſt Deus: quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ.

Vers.1. IN GVTTVRE TVO] q.d. Admoue tubam ori tuo, aut potiùs maxima voce & clamore tubali, ac ſi tubam haberes in gutture, proclama & expectora id quod ſequitur, ſcilicet: Veniet hoſtis *quaſi aquila ſuper domum Domini*. Sic Iſaiæ c. 58 1. ait iubetque Deus: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* Septuag. vertunt, *in ſinu eorum quaſi terra.* Cur ita verterint neſcire ſe fatetur S. Hieron. nec enim quid tale eſt in Hebræo. Suſpicor pro שֹׁפָר *ſcophar*, id eſt tuba, eos legiſſe עָפָר *aphar*, id eſt puluis terræ; & pro חִכְּךָ *chickecha*, id eſt in gutture tuo, legiſſe חֵיקְךָ *chekecha*, id eſt in ſinu tuo. Theodor. refert iſtud ad finem capitis præcedentis, hoc ſenſu: *Subſannatio iſta recidet in ſinum eorum: fient enim quaſi terra inuia: nam* hoſtis veniet *quaſi aquila.* Porrò Theodor. miſcens verſionem Theodotionis verſioni Septuag. legit, *quaſi terra inuia ſicut tuba*; Syrus vertit, *tonitruum tuum velut tuba* ſit, *& quaſi aquila ſuper domum Domini*; Arabicus, *& erat in foraminibus eorum quaſi terra, & quaſi aquilæ in domo Domini.*

QVASI AQVILA SVPER DOMVM DOMINI] Subaudi veniet, aduolabit, inſiliet hoſtis. Hunc enim comparat aquilæ, quæ in ſublime elata, ex improuiſo inſtar tormenti inuolat in prædam, putà in agnos, capras, lepores. Per *aquilam* multi intelligunt Nabuchodonoſor: hic enim domum Domini, id eſt templum, vaſtauit & incendit; idemque ab Ezechiele c 17.3. Ieremia c.48. 40 & Habacuc c.1.8. comparatur aquilæ. ita S. Cyrill. Theodor. Hieron. Theoph. Albert. Hugo, Lyran. Vatabl. & Ribera. Verùm Nabuchodonoſor euertit regnum Iuda, non Iſrael, de quo continuè hîc agitur.

Secundò, Arias accipit Sennacherib, qui poſt exciſos Iſraelitas inuaſit Ieruſalem & templum. Alij accipiunt Salmanaſar, qui euertit *domum Domini*, id eſt Iſrael, qui erat populus quem inhabitabat Dominus.

Tertiò, à Caſtro hîc explicat, q.d. Veniet Salmanaſar tantis copijs & animis, vt videatur non tantùm Samariam, ſed & Ieruſalem templumque exciſurus: vnde ex Hebræo vertas, *quaſi aquila vſque ad domum Domini*, putà vſque ad Iudam & templum veniet, ſed Deo adhuc parcente Iudæis & templo, eumque abillis auertente, Iudam & templum reipſa non inuadet. Denique aliqui per *domum Domini* accipiunt fanum vitulorum: hoc enim idololatræ vocabant domum, id eſt templum, Domini.

Quartò & meliùs, iungendo primam expoſitionem cum ſecunda, per aquilam intelligas hoſtem in genere, tam Chaldæum, quàm Aſſyrium, putà Nabuchodonoſorem, qui Iudam & templum; ac Salmanaſar, qui Iſraelē euertit. Loquitur enim Propheta breuis confusè & concisè, miſcetque ſubinde Iudam cum Iſraele, & vtrique hoſtes excidiumq́; intētat: eſto crebriùs vaticinetur Iſraeli, vti hîc mox ad eum reſilit. Iſraelis enim excidium fuit præuium, vicinum, & affine, ac quaſi præludium excidij Iudæ; eò quòd tam Iudæi, quàm Iſraelitæ tranſgreſſi ſint fœdus legemque Dei, vt ſequitur.

Porrò *domus Domini* hîc vocatur templum, quod ex ſui origine, Deiq́; inſtitutione commune erat Iudę & Iſraeli; hincſymbolicè tam Iſrael, quàm Iuda, erat domus Domini: quia in vtroq; populo à ſe electo per ſui cultum & tēplum habitabat Deus. Sic Ierem. 12. 7. dicitur *Reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam*, id eſt, reliqui Iudæam. Et c. 11. 15. *Quid eſt quòd dilectus meus in domo mea* (in terra ſancta) *fecit ſcelera multa?* Sic paſſim apud Prophetas, populus Dei vocatur domus Iacob, domus Iſrael, domus Iuda. Senſus ergo eſt, q.d. Veniet hoſtis Aſſyrius & Chaldæus cum magno impetu, feritate & velocitate aduolans quaſi aquila ad prædam, vt domum Domini, id eſt terram ſanctam, tam duarum, quàm decem tribuum diripiat, imò ipſum Dei templum ſuccendat. Cur Chaldæi comparentur aquilæ, dixi Ezech. 17. 3.

Quintò & optimè, totus hic verſus ſic connecti (vti in Bibliis paſſim ſine diſpunctione media connectitur) explicariq́ue poteſt: *In gutture tuo ſit tuba quaſi aquila*, ſupple clange & exalta vocem tuam *ſuper domum Domini*. Clangor enim propriè aquilarum vox eſſe dicitur. Vnde auctor Philomelæ:

Dum clangunt aquilæ, vultur pulpare probatur.

Et Homer. Iliad. μ. *Ipſa verò* (aquila) *clangens volabat flatibus venti.* Quidam aquilæ vocem vocarunt reboatum, propter ſtrepitum grauem auibus alterius ſpeciei, maximè nocentibus, tam inimicum adeoque terribilem, vt earum feratur tardare motum & obtundere, qualis ſanè regiam auem decebat: quin & draco ipſe clangorem aquilæ audiens, terrore perculſus intra latebras ſuas mox ſe abſcondere dicitur. Verùm hoc verum eſt tantùm in degeneri aquila, quam vulturinam, vel ſubaquilam vocant. Nam vera aquila tantùm abeſt vt vocem aliquam edat, aut canat, vt mutam penè Phyſici tradant, aut vix vocalem, idque ex animi magnitudine, qua fame & ſiti ſuperior, animæ affectus & cupiditates regere & moderari nouit: voces enim huiuſmodi plerumque intemperantis impotentiſque animi affectus, putà inopiam, aut cupiditatem, aut timorem, aut lætitiam indicant. ita ex Plinio & Æliano Aldrouandus in Aquila pag 35. Quin & Ariſtot. libr. 9. Hiſt. anim. cap. 32. melanætum, ſiue pullam aquilam, quam liberalem vocat, inuidiæque expertem, ideò non clangere nec murmurare autumat, quia modeſta mini-

An clāgant aquilæ?

me-

meque petulans, affectus moderari ac cohibere melius possit quàm cæteræ. Hic sensus planus & appositus videtur. Iubetur enim Propheta tuba clangere instar aquilæ, vt repræsentet clangorem tubarum Chaldæorum & Assyriorum, qui quasi aquilæ feroces inuolabunt in Samariam, Iudæam & templum. Vnde hucvidetur alludere Iohan. Apoc. 8. 13. *Et vidi, & audiui vocem vnius aquilæ volantis per medium cælum, dicentis voce magna: Væ, væ, væ habitantibus in terra.* Hæc enim aquila erit Propheta, prædicens orbi calamitates imminentes sub tempora Antichristi, vti Osee hîc prædicit cladesIsraeli instantes. vide dicta Apocal. 8. Porrò in Scriptura non rarò aquila vocatur subaquila, vt Matth. 24. 28. *Vbicumque fuerit corpus* (cadauer) *illic congregabuntur & aquilæ*, scilicet vulturinæ, siue subaquilæ: vera enim aquila, quia generosa, non cadauer quærit, sed prædam viuam; nec comedit nisi quod ipsa necauerit, teste Aristot. Plinio, alijsque Physicis. Allegor. Leo Castrius: Aquila, ait, significat Titi & Romanorum exercitum ac vexilla: in his enim præferebant aquilas. q d. Romani vastabunt Ieru salem & templum, in eoque sua vexilla, putà aquilas, collocabunt, ob cæsum à Iudæis Christum.

VERS. 2. ME INVOCABVNT, cùm sibi exitium imminere sentient, dicentque: DEVS MEVS COGNOVIMVS TE ISRAEL]q.d. Nos qui sumus Israel, id est Israelis, putà Iacobi Patriarchæ, filij & heredes, inuocamus opem tuam: quia cognouimus & coluimus te, ô Deus noster: tu enim nobis tui cognitionem & cultum per Mosem & patres nostros indidisti. Verè Lactantius lib. 1. c. 1. *Nullus*, ais, *suauior est animæ cibus, quàm cognitio veritatis*, præsertim primæ & increatæ. Dicit *meus* in singulari, pro noster: quia respicit nomen *Israel*, quod pariter est singulare quoad vocem, sed plurale quoad significatum: significat enim totum populum. Vnde ait, *Inuocabunt* in plurali. Hic à toto cœtu Hebræorum, tam duarum, quàm decem tribuum, descendit ac salit Osee ad vnam eius partem, putà ad Israel, id est decem tribus: contra has enim maximè prophetat; eò quòd ipsæ idololatriæ & schismatis fecerint initium eo ipso tempore, quo viuebat & hæc prædicabat Osee; cùm duæ tribus post mortem Osee, sub Achaz & Manasse regibus adl idola deflexerint. ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Haymo, Hugo, Ribera & alij. Chald. vertit, *omni tempore in quo adduco super eos angustiam erant coram me dicentes: Nunc certò cognoscimus quòd non sit nobis Deus præter te: redime nos, quia sumus populus tuus Israel.* Sed frustra clamabunt, meque inuocabunt: causam subdit, dicens:

VERS. 3. PROIECIT enim ISRAEL BONVM] Deum scilicet, eiusque fidem & religionem. Deus enim est omne bonum, tam suum, quàm nostrum, vt ei singuli meritò dicere debeamus cum S. Francisco: *Deus meus, amor meus, & omnia.* Secundò, *proiecit Israel bonum* virtutis & pietatis, æquè ac diuinitatis meæ. Idcirco ego pariter à me abijciam & proijciam eum, quo facto, *inimicus persequetur eum.* Causam primam & fontem mali subdit, dicens:

VERS. 4. IPSI REGNAVERVNT, ET NON EX ME] Primò, taxatur hîc populus, quòd inconsulto Deo reges sibi crearit proprios, eosq; schismaticos: vnde & statim cum eis à Deo ad idola vitulorum defecit, tamq; schisma à fide, quàm à domo Dauidis fecit 3. Reg. 12. ita S. Hieron. Theophyl. Theodor. Vbi Nota. Pro *regnauerunt*, hebr. & chald. est מלכו *himlichu*, id est regnare fecerũt, reges sibi constituerunt. Quocirca Origen. hom. 4. in lib. Iudic. & Cyprian. epist. 55. legunt, *sibimet regem constituerunt, & non per me; principem, & non per consilium meum*; clariùs Chald. *regem sibi crearunt, & non ex sententia mea: constituerunt sibi principes, sed non ex voluntate mea.* Porrò Origen. & S. Hieron. putant hîc notari Saulem, cùm populus à Samuele regem peteret. Tunc enim Deus dixit Samueli: *Non te abiecerunt sed me, ne regnem super eos.* Verùm hoc factum iam exoletum erat, & emendatum per Dauidem, quem Deus ipse Sauli substitui, regemque à Samuele vngi iussit: nec Saul fuit causa schismatis & idolatriæ, sed tam Iudam, quàm Israelem, in vnius Dei cultu continuit.

Melius ergo idem S. Hieron. Cyrill. Theodor. Haymo, Lyran. Hugo, Ribera, cum Rabbinis, censent, hîc notari Ieroboam: hic enim ab Israele creatus fuit rex, fecitque schisma tam à Roboam & stirpe Dauidis, quàm Deo, eiusque cultu & templo, erigendo vitulos aureos in Dan & Bethel.

Dices, Ieroboam à Deo per Ahiam Silonitem Prophetam designatus fuit rex. Scisso enim pallio in duodecim partes, dixit ei Ahias: *Tolle tibi decem scissuras. Hæc enim dicit Dominus: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* Quocirca Abulens. in 3. Reg. 12. quæst. 8. & 9. cẽset decem tribus licitè fecisse schisma à Roboam, & elegisse Ieroboam in regem. Ratio eius est: Quia, inquit, ipsæ tribus liberæ erant, populusque liber; Roboam autem volebat eas in seruitutem redigere, easque regere vt tyrannus, non vt rex: poterant ergo ab eo recedere, & nouum regem sibi creare. Populus enim vel respubl. principibus & regibus dedit imperium in se, putà potestatem & ius regendi populum, sed certis iustisque conditionibus: vnde & potest illud ijsdem auferre, vel imminuere, si ipsi eo abutantur & tyranni euadant. Non enim populus absolutè se dedit regi, vti quis dat aurum vel equum amico, ita vt omne suum ius in eum transferat, nec vnquam illud reuocare possit; sed certis pactis interuenientibus, inter quæ primum est, vt iustè ab eo regatur, vtque contra hostes ab eo defendatur. quod si id negligat aut violet rex, potest populus reuocare potestatem quam illi dedit, eumque regno deponere. ita Abulensis.

Pro responsione Nota. Duplex de Ieroboam est sententia, vtraque probabilis. Prior asserit eum creatum esse regem tam à Deo, quàm à populo: posterior censet eum creatum à solo populo, non à Deo.

In primis ergo Pineda l. 2. de Rebus Salomonis cap. 2. ita respondet: Ieroboam, inquit, accepit à Deo ius regni super decem tribus ministerio Ahiæ Prophetæ, dicentis 3. Reg. 11. 37. *Te autem assumam, & regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisq; rex super Israel.* Sed postea suffragijs populi non tam cepit ius regni, quàm possessionem. 3. Reg. 12. 20. *Cùm audisset Israel quòd reuersus esset Ieroboam, miserunt & vocauerunt eum con-*

congregato cœtu: & constituerunt cum regem super omnem Israel. Quod nō tam pertinet ad ius regni, quàm ad solemnitatem quamdam inaugurandi regis, atque regij muneris exercendi. Qua ratione Origen. Cyprian. Theoph. & Theodor. docēt accipiendum hoc Osee 8.4. *Ipsi regnauerunt, & non ex me*, id est me inconsulto, suo tantùm libito & cupiditatis temeritate regem constituerunt Ieroboam. Queritur enim Deus non de ipso Ieroboam, cui diuinitus ius regni collatum fuerat; sed de decem tribubus, quæira potiùs & animi impatientia, quàm idonea aliqua ratione ductæ à domo Dauid defecerant, & alteri se regi regēdas permiserant. vnde in Hebr. pro *regnauerunt*, est המליכו *himlichu*, id est regnare fecerunt, regem crearunt ita ipse.

Alij ex aduerso, & fortè probabiliùs, censent, Ieroboam non à Deo, sed à populo creatum esse regem, idque Deum tantùm prædixisse, 3. Reg. 11.37. nam illa verba, *Regnabis, erisque rex*, prædictio sunt tantùm & promissio regni, non verò eius donatio, regisq; creatio: regni, inquam, dandi à populo per eius schisma & defectionem à Roboam. quod tamen permittere & non impedire intendit Deus, quia per illud punire volebat idololatriam Salomonis, vt ipse eidem prædixerat 3. Reg. 11.11. Quod ergo ait, *Te autem assumam*, idem est quod, Te autem assumi faciam, ita animos populi resque omnes disponam, meaque prouidentia dirigam, vt assumaris in regem tu, non alius. Idipsum, non aliud, nec amplius significat Deus, dum ait 4. Reg. 12.24. *A me factum est verbum hoc*; putà schisma Israelis, quo nouum regem sibi creauit. Huic sententiæ planè fauet nostra versio hîc, quæ habet: *Ipsi* (scilicet Ieroboam, & posteri eius reges Israel) *regnauerunt, & non ex me.* Hebræum enim *himlichu*, tam significat regnarunt, quàm regnare fecerunt: sæpè enim sumitur in significatione *kal*, esto sit *hiphil*. Fauet & historia lib. 3. Regum: nam cùm c. 11. Dominus tantùm prædixerit & promiserit Ieroboam regnum, dandum per populum, nusquam autem de facto ipsum vnxerit aut crearit regem, sed cap. 23. solus populus faciens schisma à Roboam per se inconsulto Deo eum regem constituerit; planè videtur à solo populo, non à Deo, ipse creatus fuisse rex. Populus autem creando eum regem peccauit: quia temerè, sine consilio & consensu Dei id fecit. Debebat enim in re tam graui ex prisco more consulere Deum per Pontificem, vel per Prophetam. Deus enim instituerat regnū Hebræorum per Samuelem, volueratque vnum esse, non duo: Hebræi enim erant populus & regnum Dei; ac proinde regnum hoc non tantùm humanum erat, vti est aliarum gentium, sed & spirituale & diuinum. Peccarunt ergo Israelitæ qui inconsulto Deo hoc regnum immutarunt, & merè humanum effecerunt, ac diuiserunt, nouumque regem sibi crearunt. Sic peccaret populus & clerus si Pontificem, etiam tyrannicè regentem, deponeret: Pontifex enim à Deo auctoritatem accipit & potestatem, non ab Ecclesia, ideoque à solo Deo deponi potest. Ieroboam quoque peccauit: quia licèt sciret à Deo prædictum & promissum sibi regnum, tamen illud inijt sine Deo, neque vnctus fuit à Pontifice, aut Propheta, sed solius populi tumultuantis vocibus & acclamationibus creatus, illud acceptauit & vsurpauit. Secùs est de Iehu, qui schismate iam facto, & regno Israelis iam instituto, à Deo creatus & vnctus est rex per Prophetam, 4. Reg. 9.6. Quod ergo Deus per Ahiam dicit Ieroboam, 3. Reg. 11.31. *Scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus*, intellige non actiuè per me, sed obiectiuè & permissiuè per Israelem, putà per populum. Obijciam enim eius oculis & animis imprudens & tyrannicum responsum & regimen Roboam, quo fiet vt ipse ab eo auersus, conuertat se ad Ieroboam, eumque creet: quod ego permittam, vt puniam peccata tam Salomonis, quàm Roboam. Sicut ergo Christus ait, ob hominum malitiam & infirmitatem necesse esse vt fiant scandala, væ tamen homini illi per quem scandalum venit: ita posita duritie Roboam, & auersione populi ab eo, necessum quasi erat alium, putà Ieroboam, à populo regem creari; væ tamen illi, qui huius creationis fuit causa & scandalum: Deo enim irato, ideoque inuito ea facta est; vnde Israelitæ non leguntur Deū consuluisse, nec ex eius oraculo aut directione, sed motu proprio & temerario regem sibi subitò creasse. ita S. Hieron. Theodor. Cyrill. Vatabl. Ribera, à Castro & alij. Prædixit ergo Deus Ahiæ & Ieroboam, eum regem futurum per tumultū populi, non verò ipse per se eum regem constituit. Taxat itaque Deus hîc Primò, populum, quòd sine suo nutu regnū Dauidis vnum à se constitutum, in duo diuiserit, quodq; ab eo fecerit schisma, ac nouum sceptrū & regnum sibi erexerit, creando sibi regem Ieroboam; præsertim quia per hoc schisma præuidebat eum inducturum schisma in fide, & idololatriam. Itaq; peccauit populus contra ius non humanum, sed diuinum, ac consequenter contra religionem, non cōtra iustitiam. Iure ergo queritur Deus, quòd reges in Israel non regnarunt ex se, vti regnarunt reges Iuda: quia ipse non instituit regnum Israel, vti instituit regnum regesque Iuda.

Secundò, taxat ipsos reges Israel, quòd non ex Deo, sed ex se regnarint: quia scilicet aliqui ex eis tyrannicè regnū inuaserunt, vt Zamri, Amri, Sellum, Manahem, Phaceia, Phacee & Hosee, sub quibus hæc prophetauit Osee, 4 Reg 15. & sequent. Alij verò, vt Ieroboam, Iehu, &c. licèt à Deo viderentur designati vel electi, tamen non tam ex diuina auctoritate & voluntate, quàm ex propria cupiditate & regnandi libidine regnum iniuerint: vnde & statim ad idola defecerunt, vt sequitur. Quocirca Septuag. vertunt, *ex semetipsis regnauerunt, & non ex me; principes extiterunt, & non indicauerunt mihi.* Denique regnarunt, id est, regnum administrarunt, non ex me, id est, non iuxta meam legem & voluntatem, sed iuxta suam tyrannidem & impietatem, præsertim quia per leges & edicta sua sanxerunt idololatriam. ita Sanchez.

Tropolog. hæc facile est adaptare tyrannis, qui regnum vel inuadunt, vel legitimè adeptum tyrannicè administrant, præsertim qui hæresim, schisma, sacrilegia in regnum inuehunt. Rursum ijs qui ex ambitione potiùs, quàm virtute imperium regimenque ambiunt, & capessunt principatum vel prælaturam. contra quos ait S. Gregor. 1. p. Pastor. cap. 1. *Dominus per Prophetam queritur dicens: Ipsi regnauerunt, & non ex me; prin-*

Tropol. ambitiosi non regnant ex Deo.

principes extiterunt, & ego ignoraui. Ex ſe namque, & non ex arbitrio ſummi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam diuinitus vocati, ſed ſua cupidine accenſi, culmen regiminis recipiunt potius, quàm aſſequuntur. Quos tamē internus iudex & prouehit, & non cognoſcit: quia quos permittendo tolerat, profectò per iudicium reprobationis ignorat. Et S. Bernard. de Conuerſ. ad cleric. cap. 27. taxans clericos ambientes prælaturas: *Tollitis*, inquit, *& non accipitis claues. De quibus Dominus queritur per Prophetam: Ipſi regnauerunt, & non ex me; principes extiterunt, & ego non vocaui eos. Vnde tantus prælationis ardor, vnde ambitionis impudentia tanta, vnde veſania tanta præſumptionis humanæ? Audeátne aliquis veſtrûm terreni cuiuſlibet reguli, non præcipiente, aut etiam prohibente eo, occupare miniſteria, præripere beneficia, negotia diſpenſare? Nec tu Deum putes, quæ in magna domo ſua à vaſis iræ aptis in interitum ſuſtinet, approbare. Multi quidem veniunt, ſed conſidera quis vocetur.* A B

Aptiùs hæc adaptat S. Cyprianus Fortunato & Feliciſſimo, alijſque ſchiſmaticis, qui cathedram Pontificiam S. Cornelij legitimi Papæ conuellere & inuadere moliebantur. vnde ſcribens ad Cornelium epiſt. 3. lib. 1. habet hanc auream ſententiam: *Neque enim aliunde hæreſes ortæ ſunt, aut natæ ſunt ſchiſmata, quàm inde quòd ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur: cui ſi ſecundùm magiſteria diuina* (notent hoc hæretici) *obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſum ſacerdotum collegium quidquam moueret: nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coëpiſcoporum conſenſum, iudicem ſe iam non Epiſcopi, ſed Dei faceret: nemo diſſidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet, nemo ſibi placēi ac tumens ſeorſim foris nouam hæreſin conderet.* Et inferiùs: *Planè Epiſcopi* (ſchiſmatici) *non de voluntate Dei fiunt; ſed qui extra Eccleſiam fiunt, ſed qui contra diſpoſitionem & traditionem Euangelij fiunt, ſicut ipſe Dominus in duodecim Prophetis ponit & dicit: Sibimet regem conſtituerunt, & non per me.* C

Reges à Deo dãtur.

Viderunt idipſum per vmbram Gentiles, qui reges & principes legitimos à Deo dari creariq; aſſerunt. Ita Callimachus: *Ex Ioue ſunt reges.* Et Homerus paſſim reges vocat διογενεῖς Ioue genitos; & διοτρεφέες, quaſi Iouis alumnos. Romulus quoque primus Romanorum rex hanc legem ſanxit, *vt nemo regnum magiſtratumq; iniret, niſi auctor fieret Deus ipſe*, vti refert Pompon. Lætus de Magiſtr. Rom. Titus Imp. teſte Suetonio in eius vita c. 9. duos patricios in necem ſuam coniurantes non occidit, ſed monuit vt deſiſterent: *principatum fato dari, inquiens, fruſtraq; tentari facinus potiundi ſpe, vel amittendi metu.* Plinius in Panegyr. Traiani, *Principem*, ait, *dat Deus, qui erga genus humanum vice ſua fungitur.* D

NON COGNOVI] Practicè id eſt, non approbaui principes Iſraelis. ita S. Hieron. Vatabl. & alij paulò antè citati. Sic dicet Chriſtus reprobis: *Neſcio vos*, id eſt auerſor vos, Matth. 25. 12. Similes phraſes plures recenſet S. Gregor l. 2. Moral. 4.

ARGENTVM SVVM ET AVRVM SVVM FECERVNT SIBI IDOLA, q.d. Ex auro & argento ſuo conflauerũt ſibi idola, VT INTERIRENT] id eſt, ad interitum eorum; vel, vnde interibũt. כי enim *vt* euentum & effectum ſignificat, non cauſam. Hebræa habent in ſingulari, *vt exſcinderetur*, id eſt vt interiret, ſcilicet argentũ & aurum eorum, cùm ab hoſte Aſſyrio vel rapietur, vel incendio cõſumetur. Quare minùs rectè hoc aliqui ad homines referũt eo ſenſu, q.d. Totam copiã auri & argenti contulerunt in fabricam idolorum, ita vt multum de ſuis opibus detraxerint. Heb. enim כָּרַת *carat* ſignificat exſcindere, ſuccidere, perdere; & ad hoſtes pertinet. vnde ſequitur, *Proiectus eſt vitulus tuus*, quem ex auro tuo fabricaſti.

Moral. propriè auari aurũ & argentũ faciunt ſuum idolum: quia illud præ rebus omnibus adamant, quærunt, tuentur, Deoq; ſæpè præferunt: vnde auaritia ab Apoſtolo vocatur idolorum ſeruitus, Epheſ. 5. 5. vide ibi dicta.

PROIECTVS EST VITVLVS TVVS SAMARIA] Vtg. Hebr. *proiecit* (ſcilicet Deus) *vitulum tuum, ô Samaria*, quia fecit vt tecum caperetur ab Aſſyrijs. Septuag. legentes alijs punctis זְנַח *zenach*, in imperatiuo, vertunt, *proijce vitulum tuum, ô Samaria.* R. Dauid & Arias vertunt, *elongabit ſe à te*, vel, *proijcietur vitulus tuus*, putà Apis, quem colis, quem amas, & in quo omnem ſpem tuam reponis. Hebræi enim carent caſibus: vnde עֵגֶל *egel* tam eſt *vitulus* in nominatiuo, quàm *vitulum* in accuſatiuo. Porrò præterita accipe pro futuris: *proiectus eſt*, id eſt proijcietur; *proiecit*, id eſt proijciet. Eſt enim prophetia.

VSQVEQVO NON POTERVNT EMVNDARI] q.d. Quamdiu durabit iſta obſtinata voluntas vitulos & idola colendi? vtique vſque ad excidium & captiuitatem Aſſyriacam. *Quæ tanta inſania*, ait S. Hieron. *me dante locum pœnitentiæ, illos ad ſanitatem nolle reuerti?* Chaldæus nectit hæc præcedentibus, itaque vertit, *exarſit furor meus in eos, quamdiu non potuerunt* (quia obſtinatè noluerunt) *ſe purgare* ab idololatria. Hebr. eſt, *vſquequando non poterunt innocentiam*, ſupple comparare ſibi Iſraelitæ, id eſt quamdiu impuris & immundis animis erunt propter idololatriam? ita Vatabl.

QVIA EX ISRAEL ET IPSE EST] q.d. Iſraelis opus & figmentum eſt hoc idolum vituli, putà Apis Ægyptij, vti & alia idola aliarum gentium ſtulta figmenta ſunt. patet ex ſeqq. Hunc enim vitulum primò finxerunt Ægyptij; inde Hebræi exeuntes ex Ægypto, eumdem formarunt in deſerto, Exodi 32. 4. Hos imitatus Ieroboam eumdem conflauit, cùm fecit ſchiſma à Roboam & Iuda. Senſus eſt, q.d. Apis non eſt Deus, non eſt numen, nil ex ſe habet diuinitatis aut potentiæ; ſed Deus effectus & formatus eſt à ſtultis Ægyptijs & Iſraelitis.

QVONIAM IN ARANEARVM TELAS ERIT VITVLVS] Probat Apin non eſſe Deum, quia ab Aſſyrijs diſperdetur. q.d. Licèt aureus hic vitulus, quaſi Deus iam magni fiat ab Iſraelitis, tamen breui ab hoſtibus exterminabitur, & diſſlabitur vt tela aranearum, ſiue vt fila in autumno per aërem volantia, quæ per ventum in atomos & in auram diſſoluuntur & abeunt. Vult dicere: Idolum eſt opus inutile, vile, euanidum; ac proinde ſe ſuoſque cultores adiuuare impotens, planeque infirmum & inualidum.

Pro *telas aranearum* hebr. eſt שְׁבָבִים *ſchebim*, quod R. Dauid, Arias & Vatabl. vertunt, *ſciſſilia, fragmenta, fruſta*; Chald. *aſſeres*; Symmach. *inflabile*; V. editio, *vagus & fluctuans*; Septuag.

ptuag. πλανῶν, id eſt: *ſeducẽs* vel *decipiens*. q.d. Aſſyrij confringent & captiuum abducent Apin, qui Iſraelitas ſeducit. R. Dauid, R. Abraham, & ex eis Pineda in Iob 18. 5. vertunt, *ſcintillas*, q.d. Samaritæ fecerunt vitulum æreum, ſplendẽtem & ſcintillantem: ſed ſcintillæ ſplendoris in ſuos cultores deſæuient, velut ſcintillæ ignis. Inſuper ipſi velut leuiſſimæ ſcintillæ ſtatim peribunt, & extinguentur. Moral. peccator per vſuras, fraudes, &c. parans ſibi opes, præbendas, dignitates magnis laboribus & moleſtijs, quid niſi telas aranearum texit? quæ mox vento caſuum humanorum, ac præſertim mortis, diſſlabuntur & euaneſcent, nec eum in Dei iudicio tegere aut veſtire poterunt; imò quæ quaſi ſcintillæ ignem gehennæ illi ſuccendent. vide dicta Iſaiæ c. 59. 6.

7. Quia ventum ſeminabunt, & turbinem metent: culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam: quod & ſi fecerit, alieni comedent eam.

8. Deuoratus eſt Iſrael: nunc factus eſt in nationibus quaſi vas immundum.

9. Quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur, onager ſolitarius ſibi: Ephraim munera dederunt amatoribus.

10. Sed & cùm mercede conduxerint nationes, nunc congregabo eos: & quieſcent pauliſper ab onere regis & principum.

11. Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandum: factæ ſunt ei aræ in delictum.

12. Scribam ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ ſunt.

13. Hoſtias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non ſuſcipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum: ipſi in Ægyptum conuertentur.

14. Et oblitus eſt Iſrael factoris ſui, & ædificauit delubra: & Iudas multiplicauit vrbes munitas: & mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes illius.

VERS. 7. VENTVM SEMINABVNT, ET TVRBINEM METENT] q.d. Fruſtra laborarũt colendo Apin: nullum enim ex eo fructum capient, niſi turbinem excidij & captiuitatis. Nota pulchram metaphoram, ab agricola ſeminante & metente mutuatã, quæ crebra eſt in Script. nam ſeminare ſignificat operari, metere, mercedem operis recipere; ventus, opus inane, ſterile, futile; turbo, calamitatem, ſcilicet captiuitatẽ. ita Mariana & alij. Rurſum, alluditur ad ventum, qui quaſi ſemen intra terrã ex exhalationibus conceptus & genitus, cùm in lucem & aërem eruperit, ciet pulueres, turbinemque infeſtum excitat. Significat ergo hoc adagium, laborem idololatrarum & impiorũ in colendis ſuis idolis, non tãtùm eſſe fruſtraneum, ſed & noxium. Quid enim fructus ſperet qui ventum ſeminat, niſi terræ motum & pulueris nubem? horum enim cauſa eſt ventus in terra concluſus. vnde Arabicus Alexand. vertit, *ſeminauerunt ventum, & in perditione auferentur; non implebitur manipulus de hordeo*; Arabicus Antioch. verò, *ſeminauerunt planities maiores eorum, vt paſceretur* (vitulus Samariæ, de quo præceſſit) *ea: non fuit autem illis arundo, neque virtus ad faciendũ.*

Notat Anton. Fernand. in viſion. 13. ſect. 1. quòd turbo puluerẽ diſſipans appoſitè quadret in tribulationes quibus homo iactatur, homo, inquam, qui eſt puluis & cinis à primæua illa maledictione peccati. vnde eſt illud pſalm 1. 4. *Non ſic impij, non ſic, ſed tamquam puluis quẽ proiicit ventus à facie terræ.* vbi S. Hilar. *Vt ſit*, inquit, *pœna ludibrioſa: leuiſſimus quippe terræ puluis, palea, & huiuſmodi aliæ quiſquiliæ nihil aliud ſunt, quàm rapidis ludibria ventis.* Et quid eſt homo poſt peccatum, niſi merum ludibrium tentationum & calamitatum vndique ingruentium, eumque huc illuc que raptantium? Hoc eſt quod ait Iſaias cap. 21. 1. excidium Babyloni miſerrimum denuncians: *Onus deſerti maris; ſicut turbines venient de terra horribili.*

Quærit S. Gregor. in illud Iob 38 1. *Reſpondens autem Dominus Iob de turbine dixit*, cur Deus de turbine ſit locutus? ac reſpondet quia flagellato loquebatur: durabat nempe illa adhuc tempeſtas malorum, qua Deus flagellabat Iob: idcirco non alius flagellanti è quo loqueretur conueniebat thronus, quàm turbo.

Tropol. ventum ſeminant, & turbinem metunt, qui bonum operantur vt inanem gloriam, vel quæſtum ſordidum aucupentur: hæc enim vt turbo, mille curarum, ſollicitudinum & dolorum flatibus æſtibuſque eos exagitat. ita Cyrill. Sic ferè & Theoph. quem audi: *ſeminans in carne, & ex carne corruptionem metens, ventis corrumpenda, leuia & vacua ſeminat, à ſpiritu, ſeu flamine nequitia noxam hanc recipiens. Nec iam roborepræſtat, vt faciat opus animam alens. Nec enim dicere cum D. Paulo poteſt: Omnia poſſum in eo qui me confortat, Chriſto. Si vmquam quidquam operetur boni, non iuxta diuinum hoc ſcopum faciens, ſed ad humanam quamdam gloriam, vel aliam rationem non commendabilem, dæmonibus iſtud impertit.* Vbi Nota, Theoph. de more ſequi verſionem Septuaginta. Septuag. enim ſic vertunt, *corrupta vento ſeminauerunt, & ſubuerſio eorum ſuſcipiet ea.* quod tropologicè de hæreticis explicans S. Hieron. *Iſti*, inquit, *ventum ſeminant, ſiue ἀνεμόφθορα, quæ à vento corrupta ſunt ſemina, quæ medullam non habent, quam Græci ἐσπερμόνλω vocant: & idcirco vacua ſeminantes, inania vacuaq; recipiunt: imò ſeminantes in carne, de carne metunt corruptionem, & circumferuntur omni vento doctrinæ.* Ita ſementi ſeges reſpondet.

CVLMVS STANS NON EST IN EO, GERMEN NON FACIET FARINAM] Ex Septuag. S. Cyril. legit & explicat, q. d. *Similes erunt manipulo ſpicarum carentium granis, quæ inutiles ſunt ad conficiendum panem.* Adagium eſt ſimile priori, imò prioris pars & explicatio, q.d. Idololatræ ventum ſeminant, & turbinem metent: quia ex ſemine eorum non naſcetur culmus & germen, quod creſcat & matureſcat in grana & ſegetem, vt ex ea fiat farina & panis edulis; ſed totus culmus in germen & inanem ſpicã abibit. q.d. Omne opus eorum, putà cultus idolorum, nullum eis afferet fructum, nil opis diuinæ, nil conſolationis, nil boni pariet; ac nominatim culmum, & germen faciens farinam, id eſt, meſſem & ſegetem, rerumq; copiam & opes, quas ab hiſce ſuis dijs ſperant, eis non dabit. Vnde Chald. vertit, *omnes eorum opes*

& segetes depradabitur hostis, vel disperdet Deus, vt fiant extremè pauperes. Est synecdoche: ex culmo enim & germine segetem, omnesque opes intelligendas relinquit. ita S Hieron & Ruffin. quem audi: *Apud te*, inquit, *nihil fertilitatis firmitatisq; remanebit, vt solet in culmo, cuius proceritas per aliquam aëris iniuriam, spicæ plenitudinem non creauerit. Ita igitur & tu nihil emolumenti consequeris, nec vlla culturæ respondebit industria.*

Loquitur, vt dixi, de idolis & idololatris: à pari tamen & simili hoc adagium adaptes, ait Delrio adagio 948. ostentationi virtutis non solidæ, rebusque modicè duraturis, nec ad felicem exitum peruenturis: quales esse solent diuitiæ malè partæ, immodicæ diligentiæ, studia intemperata, præcocia puerorum ingenia, conciones, disputationes & scriptiones supra vires, supra doctrinā & ingenium. De quibus verū est illud Ptolemæi dictum prol in Almagestum: *Qui scientiam suam vltra astutiam quæ in ipso est extendit, est sicut pastor debilis cum multis ouibus*: has enim regere pascere & impinguare nequit. Quocirca S Gregor. l 8. Moral. c. 28. tropologicè hæc Prophetæ verba hypocritis adaptat: *Culmus*, inquit, *germen nō habet, cùm vita virtutum meritis caret. Farinam culmus non facit, cùm is qui in præsenti sæculo proficit, nil subtilitatis intelligit, nullum boni operis fructum reddit. Sed sæpè & cùm fecerit, hanc alieni comedunt: quia & cùm bona opera hypocritæ ostendūt, de his malorū spirituum vota satiantur. Qui enim per hæc placere Deo non appetunt, nequaquam agri dominum, sed alienos pascunt. Facundo itaque hypocritæ & neglecto palmiti similis, seruare fructum non valet; quia botrus boni operis in terra iacet. Sed tamen hæc ipsa vecordia sua pascitur* (vt ait Iob) *quia pro bono opere à cunctis honoratur, cæteris præeminet, subiectas hominum mentes tenet, maioribus locis attollitur, fauoribus nutritur; sed tunc se illicitè egisse intelliget, cum pro delectatione laudis sententiam diuinæ correptionis acceperit.*

Tropol.

Denique Leo Castrius per culmen & germen non faciens farinam, accipit diram famem, qua à Deo puniti sunt Iudæi ob occisum Christum, quando obsessi à Tito fame extabuerunt, adeò vt & matres comederent filios.

VERS. 8. DEVORATVS EST ISRAEL, opes Israelis, vires, fama & gloria attrita & absumpta sunt ab Assyrijs, q d Israel mistus idolis & Gentibus, propriū & nobile Israelis nomen amisit, FACTVSQVE EST QVASI VAS IMMVNDVM] sordibus & fæcibus plenum, putà matula, vt omnium gentium sordes, ignominiam & probra vnus exciperet. matulam enim verterunt alij interpretes, teste Ruffino. Idem rectè dicas de quouis fideli peccatis inquinato & polluto. *Immundum vas siue inutile*, vt vertunt Septuag. *Hebræi matulam vocant*, ait S. Hieron. *quo ad proijcienda stercora vti solemus.* Et Ruffinus: *Numquam*, ait, *Israel honesto delegatus officio est, vt post libertatis ac dominationis insignia, saltē inter seruos liberaliter censeretur; sed quasi vas ad naturæ requisita compositum, ita contumeliarum sordibus implebatur.* Sic Varro, Plautus, & alij hominem vilissimum & sordidum vocant *matulam*, dicuntque, *non homo est, sed matula.* Vnde & Martial.

Dispercam si tu Pyladi præstare matellam
Dignus es, aut porcos pascere Pirithoi.

Ita Iudæi ob cæsum Christum à Romanis capti, & ad stercora exportanda damnati, stabularij & matularij effecti sunt. Vnde Iuuenal. satyra 3.

Iudæi, quorum cophinus fœnumq; supellex.

Quin & fœtorem genti toti proprium cōtraxerunt, quem non nisi baptismo eluere possunt, si conuertantur ad Christum. Vnde à Poëtis *fœtentes* appellantur, & tales experientia sentimus. Ita Martialis lib. 4 epigram. 4. fœtentem Iudęorum halitum coniungit cum exhausta palude, cum aqua sulphurea, cum fumante lychno, cum vulpino stercore, cum viperino cubili. Et Fortunatus l. 5. Carm. epist. ad Gregorium:

Abluitur Iudæus odor baptismate diuo,
Et noua progenies reddita surgit aquis.
Vincens ambrosios suaui spiramine rores,
Vertice per fuso chrismatis efflat odor.

Pari modo peccatores, præsertim scorta, sunt hominum, imò diaboli, matulæ, ait Delrio adagio 949. venter enim gulosi & luxurioſi quid aliud est, quàm matula, quā latrina, quàm cloaca? Dum ergo hanc per diem sæpè visere, inspicere & olfacere cogitur, cogitet talem esse ventrem, & multò magis talem esse animam suam. Huc pertinet illa meditatio S. Bernardi: *Cogita, ô homo, quid fuisti, quid es, quid eris: Fuisti sperma fœtidū: es vas stercorum: futurus esca vermium* Ira tentationem gulæ superauit B Iacoponus, carnes putidas identidem applicando ori & naribus: ac libidinis ignem superauit odorando cadauer purulentum mulieris adamatæ monachus ille in Vitis Pat. lib. 5. tract. 5. de fornicatione §. 22.

Stercora vulg. Iumenta.

Porrò quàm hoc nomen & obsequium matulæ vile & infame sit, docuit adolescēs Spartanus, qui, vt refert Plutarch. in Apophtheg. Lacon. ab Antigono captus ac venditus, paruit quidem in omnibus emptori quæ non essent indecora ingenuis: cæterùm iussus afferre matulam, detrectauit obsequium, addens: Non seruiam. Surgente domino puer, Senties, inquit, quem emeris, simulque conscenso tecto sese præcipitem dedit, malens mori, quàm tam viliter seruire.

VERS. QVIA IPSI ASCENDERVNT AD ASSVR, ONAGER SOLITARIVS SIBI] q.d. Israel petijt opem ab Assyrijs ad hoc, vt quasi onager, id est asinus siluester, omne iugum legis Dei excuteret, viueretq; liber, ac faceret quidquid libet more onagrorū, & more Gentium quibus idola hanc peccandi dant licentiam. ita Theodor. Theophyl. Arias, Vatabl. Ribera & à Castro. Hinc iusto Dei iudicio Israel derelictus, solus erit vt onager, destitutus tam Assyriorum, quàm Dei quem dereliquit auxilio. Idem dicas de hæresi & heretico. Aliter S. Hieron. & ex eo Haymo, Hugo & Lyran. *Ascenderunt*, inquit, id est, *ascendent, imitantes onagrum solitarium, nequaquam vt oues pasti à Domino, sed malè abutentes libertate sua, & educti in captiuitatem.* q.d. Ascendent Israelitæ captiui in Assyriam, quia voluerunt viuere vt onagri liberi, & absque iugo disciplinæ; ideoq; Assyriorum amicitiam & opem magnis muneribus & tributis coëmerūt. vnde Chald. vertit, *ascendent ad Assyrios pro eo quòd ambulauerint in voluntate animæ suæ, tāquam onager efferus*; Septuag. vertunt, *germinauit* (fructificauit, fœtus produxit) *apud semetipsum Ephraim.* Tradit enim Oppianus, onagrum marem ita esse zelotypum, vt pullos suos dentibus exsecet, ne generare queant, vt ipse solus onagra sua fruatur. Vnde & vocatur solitarius: licèt enim

enim feminarum agmine ſtipatus incedat, tamen eis ſolus imperare & frui vult, nec alium marem riualem, vel æmulum patitur. Incedit ergo ſolus non ab onagrarum, ſed ab onagrorum cõuictu. Audi Solinum Polyhiſt. cap. 30. *Africa onagros habet, in quo genere ſinguli imperitant gregibus feminarum; æmulos libidinis ſuæ metuunt. Inde eſt quod grauidas ſuas ſeruant, vt in editis maribus, ſi qua facultas fuerit ſpem generandi morſu detruncent: quod cauentes feminæ in ſeceßibus partus occulunt.* Idem tradit Plinius lib. 8. cap. 30.

Allegor. Leo Caſtrius: Iſrael, ait, poſt occiſum Chriſtum eſt onager ſolitarius, quia ſolus in ſuo errore & perfidia Iudaica pertinaciter perſiſtit; nec cum cæteris gentibus omnibus in religione cultuque Dei communicat.

Tropol. hæc facilè adaptes ſuperbis, præſertim apoſtatis à fide, vel Ordine. vnde Ruper. *Onager, ait, id eſt agreſtis aſinus, hominem ſtultũ atque ſuperbum ſignificat, ſicut in Iob cap. 11. 12. ſcriptum eſt: Vir vanus in ſuperbiam erigitur & quaſi pullum onagri liberum ſe natum putat.* Et inferiùs: *Onager ergo dicitur, id eſt, aſinus, ſed ſuperbus: aſinus per ſtultitiam; ſed infrenis, & præſepij dominici contemptor, vel ignarus præ ſuperbia: ſolitarius, à rectore Deo profugus, & ſolus, vtpote Dei deſertor, & à Deo deſertus.* vide & S. Gregor. in citatũ S. Iob locum l. 10. Moral. c. 15.

EPHRAIM MVNERA DEDERVNT AMATORIBVS] Aſſyrijs, quorum opem & amicitiam ambiebant, ideoque eorum idola colebant. Sic enim Phul regi Aſſyriorum in tributum dederunt mille talenta, ideoque Manahem rex Iſrael ſingulis indixit tributum quinquaginta ſiclorum, 4. Reg. 15. v. 19. & 20.

VERS. 10. SED ET CVM MERCEDE CONDVXERINT NATIONES. q. d. Quia muneribus & mercede conduxerunt Aſſyrios, hinc ne fruſtra conducti videantur, NVNC contra ipſoſmet Iſraelitas, in excidium Samariæ CONGREGABO EOS] ita Arias, Clarius, Vatabl & Pagnin. Dicit *eos*, & non *eas* (vti dicendum erat; reſpicit enim *nationes*) quia Hebr. גוֹיִם *goim*, id eſt *nationes*, eſt maſculinũ. Secundò, planiùs per *eos* accipias Ephraim, id eſt Iſraelitas. ita Chald. S. Hieron. Theodor. Haymo & Lyran. q. d. *Nunc congregabo eos*, ſcilicet Iſraelitas in Samariam aliaſque vrbes, vt in ijs præſidijs Ægyptiorum adiuti contra Aſſyrios ſe muniant, ibique quieſcant paululùm à tributo & muneribus, quæ pendebant regi Aſſyriorum & principibus. ſed modica erit hæc quies: nam mox ſequetur, vt ab Aſſyrijs ob rebellionem indignãtibus obſideantur, expugnentur & vaſtentur. vnde 4. Reg. 17. Ita hæretici vt excutiant iugum fidei & Catholicorum principum, implorant opem Turcarum: itaque paululùm videntur quieſcere à iugo & onere; ſed mox longè grauius iugum Turcicum ſubeunt, vti in Hungaria factum & fieri videmus & lugemus.

ET QVIESCENT PAVLISPER] Nota. Pro *quieſcent*, vti vertit Noſter & Septuag. hebr. eſt וְיָחֵלּוּ *vaiachelu*. quod ſi à חוּל *chul* deducatur, ſignificat dolere, cruciari: ſi à חִיל *chil*, in hiphil ſignificat incipere. vnde Arias & Pagnin. vertunt, *dolebunt & cruciabuntur paululùm propter onus regis & principum*: q. d. Modicum dolebunt ob tributum quod pendunt Aſſyrijs, ſed paulò pòſt longè magis dolebunt, cùm ab eiſdem vaſtabuntur. Alij verò vertunt, Incipient paululùm ab onere regis & principum, putà à tributo quod eis pendunt, ſupple *liberi eſſe & quieſcere*, vt vertit Noſter. Rurſum Clarius vertit, *incipient eos onerare* (tributis) *tam rex quàm principes*; & R. Dauid, Vatabl. & Pagnin. *incipient conqueri & murmurare paululùm propter onus regis & principũ*, putà propter tributum. q. d. Iam incipiunt grauari & queri ob tributa, ſed multò magis querentur, cùm mox exſcindentur & abducentur in captiuitatem. Ita impij, inquit à Caſtro, incipiunt deguſtare in oneribus quibus grauantur, æterni exilij inſtantis, & carceris gehennalis anguſtias & ſupplicia.

QVIA MVLTIPLICAVIT] q. d. Habuit Iſrael ſat idolorum & altarium, quid opus fuit ea ad inſaniam multiplicare, & cumulare peccata peccatis, vt ſibi iram Dei, vindictam & excidium accelerarent? Quocirca multipliciter punietur. Verè S. Ephrem tract. de Timore Dei tom. 3. *Cui, ait, non placet miniſtrare Domino vni, ſeruiet multis: & qui non vult ſubeße præfecto vni, ſubiicietur multis.* VERS. 11.

SCRIBAM EI MVLTIPLICES LEGES MEAS, QVÆ VELVT ALIENÆ COMPVTATÆ SVNT] Hîc expletur ſenſus prioris ſententiæ aliàs pendentis, q. d. Quia multiplicauit Iſrael altaria, idcirco & ego multiplicabo leges capitales contra eum. Nota. Alludit ad ſcripturam legis in lapidibus factam à Moſe, iuſſu Dei Deuter. 27. & 28. idque ad perpetuam legis memoriam apud Iſraelitas, vt eam eiuſque præmia, ſi eam obſeruarent; ac pœnas, ſi eam negligerent, cordi imprimerent, ac iugiter præ oculis haberẽt. Senſus ergo eſt, q. d. Leges meas, earumq; pœnas multiplices olim ſcripſi per Moſen in lapide; at iam ſcribam eas in dorſo Iſraelitarum virga & ſtylo ferreo; nimirum multiplices illas plagas à Moſe deſcriptas infligam eis gladio hoſtili, eò quòd leges meas, quaſi alienas, obliti neglexerint & contempſerint. Leges ergo hîc pœnales intellige, putà pœnas lege decretas ijs qui eam violent. eſt metonymia. ita Ruffinus. Sicut enim vir pius eſt quaſi lex viua, quæ ſuis moribus clamat quid facto opus, quid lex, quid Deus, quid religio poſcat, vt docet S. Auguſt. lib. de Mendacio c. 15. & S. Gregor. homil. 10. in Ezech. *In ſanctorum*, ait, *vita cognoſcimus, quid in Scriptura legere debeamus.* Et Philo lib. de Abraham ait legem ſcriptam eſſe commentarium vitæ ſanctorum: ita impius à lege punitus eſt lex viua, inclamans cæteris vt impietatem fugiant, ne in eaſdem pœnas incurrant. Sic fur ſuſpenſus, è patibulo reipſa omnibus inclamat: Cauete à furto, ne ſuſpendamini ſicut ego. Tradit Herodotus lib. 2. Aſſyrios depinxiſſe regis Sennacherib cladem & cæleſtem vindictam cum hoc lemmate: *In me intuens pius eſto.* Et Virgil. 6. Æneid.

Phlegyaſq; miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per vmbras:
Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos.

Aliter Vatabl. & alij recentiores vertunt, nimirum, *præſcripſeram eis* רִבֹּו *rubbe*, id eſt, *multiplicitates* vel *excellentiora*, vel *axiomata legis meæ. ſed reputarunt ea ceu quid alienum.* q. d. Vedi legem Iſraeli quaſi margaritam, eamque digito meo conſcripſi: at ipſe quaſi alienam eam reſpuit, tamquã ad eum non pertineret. Quid ergo vltrà ei faciam? ſcribam aliam legem? Nequaquam: quia pari modo eam ſpernet. ita S. Hieronym. & Syrus, qui vertit, *ſcripſi illi multitudinem legum*

mearum, & velut aliena computauit ipsa verba mea.

Verùm hic sensus non cohæret cum τῷ *quia*, nec cum versu præcedenti; additq́; notam interrogationis, qua carent Biblia: legunt enim hæc assertiuè, non interrogatiuè. Verisimiliùs Sanchez hæc accipit quasi ironicè dicta à Deo, ac si Deus suum consilium reprehendat, quòd laboret de corrigendis Israelis moribus, cùm tamen ipsi nihilo idcirco futuri sint meliores. q.d. Scilicet scribam Israeli nouas leges, quas æquè vt veteres contemnet: non scribam. Similis ironia est Isaiæ 26.11. *Misereamur impio, & non discet iustitiam facere.* Et apud Virgil.

En queis conseuimus agros!
Insere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites.

Sic vulgò dicitur: *Ale luporum catulos, & canes qui te lanient.*

VERS. 13. HOSTIAS (victimarum & *oblationum mearum*, vt addunt Hebræa) OFFERENT, ET DOMINVS NON SVSCIPIET EAS] Hebr. *Dominus non volet illa*, vel *non delectabitur illis.* q. d. Si quando mihi sacrificarunt, non idolis, hoc fecerunt vt vescerentur sacrificatis, non ad me placandum. ita Vatabl. Nota. Samaritæ cum idolis colebant quoque Deum verum & auitum, eiq́ue subinde sacrificabant, vt patet 4. Reg. 17. 33. Verùm quia id faciebant, non propter Deum, vt eum colerent, sed ad hoc, vt inde epularentur & opipara instruerent conuiuia, hac de causa reprehendit hîc eos Deus, eisq́ue minatur excidium. ita S. Hieron. Vatabl. Ribera, à Castro & alij.

IPSI IN ÆGYPTVM CONVERTENTVR] q.d. Cogentur fugere & reuerti in Ægyptum. Ita factum: nam post excidium Samariæ multi Israelitæ ex illo elapsi, vt se saluarent fugerunt in Ægyptum, ibiq́ue mortui sepulti sunt in Memphi, vt patebit c. 9. 3. ita S. Hieron. Theoph. Theodor. Arias & Vatabl. Idem fecerunt Iudæi post excidium Ierusalem, vt patet Ieremiæ c. 44. 12. Ægyptus enim erat iuge & commune Israelis refugium & asylum. Secundò, S. Hieron. sic quoque exponit q. d. Ipsi reuertentur ad eum viuẽdi modum, quem tenuerunt in Ægypto: colent enim idola, & vitia Gentium induent, sicut fecerũt in Ægypto. Tertiò, Lyran. & Sanchez q.d. Reuertentur in Ægyptum, hoc est, talia breui apud Assyrios patiẽtur, qualia ipsorum patres passi sunt ab Ægyptijs, scilicet duram seruitutem, ministeria sordida, paupertem, famem, &c. vt more Hebræo subintelligatur nota similitudinis *sicut, velut.* Ipsi ibunt in Assyriam, velut in nouam Ægyptum, hoc est, nouum carcerem. Primus sensus planissimus est, eiq́ue fauet v. 6. cap. sequentis, *Aegyptus congregabit eos, Memphis sepeliet eos.*

OBLITVS EST ISRAEL FACTORIS SVI] Dei creatoris sui, qui eum sibi populum peculiarem fecerat, & selegerat ex omnibus Gentibus, vti eidem prædixit & exprobrauit Moses in Deuter. toto c. 32. præsertim v. 18. *Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.*

VERS. 14. ET AEDIFICAVIT DELVBRA] putà templa, vel fana idolis, spreto Deo: spes enim suas omnes collocauit in idolis. *Delubra* dicta sunt loca ante aras, quòd in ijs essent labra, id est, conchæ & vasa ad abluenda mortuorum cadauera, inquit Asconius in Diuinat. vel, vt alij, à diluendis tum cadaueribus, tum manibus sacerdotum ante sacrificium. Quocirca delubra erigebant iuxta magnatum sepulchra, ibiq́ue captabant in somnis oracula per necromantiam. vnde Isaias cap. 65. 4. *Qui habitant*, inquit, *in sepulchris, & in delubris idolorum dormiunt*, ad captandam diuinationem. Festus verò *delubrum* dici putat quasi delibratum, id est, decorticatum fustem, quem pro Deo venerabantur. Seruius autem: Delubrum, inquit, dictum est, quòd vno tecto plura complectitur numina, vt est Capitolium, in quo est Minerua, Iupiter, Iuno.

ET IVDAS MVLTIPLICAVIT VRBES MVNITAS. ijs, non Deo, confidens, se fore tutum ab hoste Chaldæo, idcirco ego MITTAM IGNEM IN CIVITATES EIVS, ET DEVORABIT AEDES (hebr. אַרְמְנוֹתֶיהָ *armenot*, id est palatia, ædes magnificas) ILLIVS] Fecit id Deus per Nabuchodonosor. ita S. Hieron. Hugo, Lyran. & alij, licèt Haymo & Hugo hæc quoque facta putent per Sennacherib, qui cepit omnes vrbes munitas Iuda, excepta Ierusalem. Ciuitates & palatia, tum Iuda, tum à pari Israelis intellige: sicut enim vtrumq; culpauit de obliuione & neglectu Dei, ita vtrumque pariter reum damnat ad excidium & incendium vrbium & ædium. Minùs ergo rectè aliqui *ciuitates* referunt ad Israel, palatia ad *Iudam*: quia, inquiunt, Osee vsurpat hebr. Israel in genere masculino, Iuda in feminino; subaudit enim terram Iuda. Verùm hæc ratio non subsistit: nam Osee hîc Iudam vsurpat in genere masculino, dicens: *Iudas* הִרְבָּה *hirba*, id est, *multiplicauit vrbes*: *hirba* enim verbum est masculinum; femininè enim dicendum fuisset הִרְבְּתָה *hirbeta*, vti norunt hebraicè periti. Rursum cùm ait, *Mittam ignem in ciuitates*, planè intelligit eas de quibus paulò antè dixit, *Iudas multiplicauit vrbes*: in Hebræo enim vtrobiq́ue est eadem vox עָרִים *arim*. Ergo ciuitates intelligit Iudæ. Si quis tamen hæc distinguere velit, meliùs cum Aria vice versa, *ciuitates* ad Iudam, *ædes* vel palatia ad Israel referet: אַרְמְנוֹת *armenot* enim, id est palatia, vel domus augustæ & templa, sunt הֵיכָלוֹת *hechalot*, id est basilicæ, delubra, templa, quæ paulò antè dixit ædificasse Israel.

Verùm, vt dixi, verius est eôdem pertinere ciuitates, & ædes siue palatia, scilicet primò ad Iudam, deinde à pari ad Israel. vnde & Septuag. vertunt, *mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit fundamenta illius*: fundamenta enim sunt ciuitatum, quæ cum ciuitatibus deuorabit immissus ab hoste ignis. Porrò de Iuda, æquè ac de Israele, loquitur Propheta nunc in genere femininо, intelligens terram, vti cùm dicit אַרְמְנוֹתֶיהָ *armenoteha*, id est, ædes illius femininè; nunc masculinè, intelligens populum, vt cùm dicit הִרְבָּה *hirba*, id est, multiplicauit, & אָרָיו *arav*, id est, vrbes eius, cum affixo, siue pronomine masculino.

CAPVT

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iſraeli in frugibus & opibus laſciuienti, deoſq́; Gentium quaſi earum datores ludis & feſtis colenti, minatur captiuitatem, in qua panem lugentium & pollutum comeſturus ſit. Secundò, v.9. docet quòd imitentur parentes ſuos, qui coluerunt Beelphegor, Numer.25. & Gabaitas, qui vxorem Leuitæ ſtupro enecarunt. Hinc v.11. minatur eis cædem filiorum, vuluam ſine liberis, & vbera arentia, quodq́; eos in perpetuum deſerens & abdicans tradet hoſtibus, vt planè exſcindantur, fiantq́; toto orbe vagi & profugi.

Vers.1. NOli lætari Iſrael, noli exultare ſicut populi: quia fornicatus es à Deo tuo, dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici.

2. Area & torcular non paſcet eos, & vinum mentietur eis.

3. Non habitabunt in terra Domini: reuerſus eſt Ephraim in Ægyptum, & in Aſſyrijs pollutum comedit.

4. Non libabunt Domino vinum, & non placebunt ei: ſacrificia eorum quaſi panis lugentium, omnes qui comedent eum, contaminabuntur: quia panis eorum animæ ipſorum, non intrabit in domum Domini.

5. Quid facietis in die ſolemni, in die feſtiuitatis Domini?

6. Ecce enim profecti ſunt à vaſtitate: Ægyptus congregabit eos, Memphis ſepeliet eos: deſiderabile argentum eorum vrtica hereditabit, lappa in tabernaculis eorum.

7. Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retributionis: ſcitote Iſrael ſtultum Prophetam, inſanum virum ſpiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ.

8. Speculator Ephraim cum Deo meo: Propheta laqueus ruinæ factus eſt ſuper omnes vias eius, inſania in domo Dei eius.

VERS.1. NOLI LÆTARI ISRAEL. q.d. Ne exultes, ô Iſrael, ne publica feſta, ait Chald. tripudia & ludos inſtituas, vti inſtituunt Gentes in honorem deorum, quorum cultum numquam dereliquerunt, cùm ab eis abundantiam opum, victoriam, aut aliud inſigne beneficium accipere ſe putant: quia tu FORNICATVS ES, id eſt, coluiſti idola, itaq́; auerſus es A DEO TVO] ergo tibi lugendum eſt iugiter, non exultandum. ita Chald. Hugo, Clarius & alij. Aliter Arias, q. d. Noli lætari, ô Iſrael, vt cæteri populi; quia tu iam diſperſus per captiuitatem, non amplius es populus, ſed mancipium & fæx populorum omnium.

DILEXISTI MERCEDEM, ſcilicet meretriciam, vt nimirum pro mercede idola coleres SVPER AREAS, id eſt pro areis, TRITICI] Merces ergo fuerunt areæ tritici; q.d. Fornicatus es cum idolis quaſi meretrix, pro pretio & mercede tritici,

A vt ſcilicet idola darent tibi eius copiam. Vnde Chald. vertit, *dilexiſti ſeruire idolis pro omnibus areis frumenti.* q.d. Vbicumque erat ſpes frumenti, lucri, aut copiæ rerum, ibi quaſi meretrix, illarum ſpe idolis te ſubſternebas, eaq́; colebas, ſperans te ab eis ditandum; ideoq́; iuſtè à Deo [excede, putà frugibus & opibus priuaberis, vt ſequitur. ita S. Hieron.

Secundò, *ſuper*, id eſt *apud*, *omnes areas tritici fornicatus es*, putà coluiſti idola: quia in ipſis areis, æquè ac in torcularibus, vel iuxta eas, tripudia & ludos inſtituebant in gratiarum actionem, laudando deos ſuos, quòd copioſam meſſem aut vindemiam dediſſent. ita S. Hieron. Hugo, Lyran. & Arias; q.d. Plena horrea, & copioſam meſſem, quam Deus tibi dederat, tu non Deo, ſed idolis acceptam tuliſti, iſq́; feſta & ludos inſtituiſti. quæ ſumma eſt ingratitudo, æquè ac impietas. ita Theodor. & Theophyl. ac S. Cy-
B rill. quem audi: *Solebant*, ait, *Gentiles, cùm incipienda erat aratio, ſacrificare dæmonibus, petentes fertilitatem: item cùm metendum erat, & vindemia calcanda, libabant & ſacrificabant canentes odas* Ἐπιλωΐνε (vindemiales) *in ſumma latitia. Accuſat ergo nunc Dominus Iſrael, qui hoc idem faciebat quod Gentes, quæ Deum non cognouerant. Fornicatus es ergo, inquit, dilexiſti munera, &c. petiſti non à Deo, ſed ab idolis fertilitates agrorum, quas tibi non dederunt, hoc enim ſignificat, Area non cognouit eos, &c.*

AREA ET TORCVLAR NON PASCET EOS. q.d. Quia Iſrael dilexit areas & horrea meſſis, eaq́; petebat & accepta referebat, non mihi eorum datori, ſed idolis, qui nihil in ea iuris & poteſtatis habent: idcirco ego hæc Iſraeli ingrato & impio auferam, faciamq́; vt nec area det frumentum, nec torcular vinum quod paſcat eos: quocirca VINVM MENTIETVR EIS, q. d. Vineæ quæ
C eis multas vuas, multum vini promittere videbantur, fallent eos, & parum vel nihil vuarum & vini proferent, itaq́; ſpe ſua eos fruſtrabunt; quinimo faciam vt vaſtentur ab Aſſyrijs: vnde NON HABITABVNT IN TERRA DOMINI, & Chananæa, quam Deus eis promiſit & dedit; ſed REVERSVS EST (reuertetur) EPHRAIM, putà Iſrael, exciſus & profugus, IN ÆGYPTVM. ET IN ASSYRIIS captiuus POLLVTVM COMEDIT] Hoc eſt, comedet idolothyta, ac cibos lege Leuit.11. vetitos, ideoq́; immundos. ita S. Hieronym. Chald. Theoph. Haymo, Hugo, Lyran. & alij. Vide dicta cap.8.8. Erat ingens probrum ac pœna, æquè ac peccatum apud Iudæos, pro pane ſancto comedere pollutum. Vnde Machabæi excarnificari maluerunt, quàm ſuilla carne lege vetita veſci, 2. Machab.6.18. Sic & Daniel cap. 1.8. & S. Petrus Actor.11.8. exhorruerunt cibos

VERS.2. & 3.

Gentilium immundos. Simile eſt illud Horatij lib.2.epiſt.2.

Verùm vbi oues furto, morbo periere capellæ,
Spem mentita seges, bos eſt enectus arando.

VERS.4. NON LIBABVNT DOMINO VINVM] q. d. Non Deo, ſed idolis & dæmoni ſacrificabunt & libabunt, &, vt ait Apoſt.1.Corint.10.20. bibent *calicem dæmoniorum* (id eſt, dæmonibus oblatum) non Domini. ita S.Hieron.Haymo,Arias & Vatabl. Secundò & potiùs, q.d.Puniam eos ſterilitate & fame, vt ne quidem habeant vinum quod Deo in ſacrificijs libent. patet ex paulò antè dictis.

Nota.Deus in Leuitico & Numer.15 ſanxit, vt in omni ſacrificio carneo, putà ouis, capræ & bouis, adhiberentur libamina, quaſi condimēta, putà panis, vel ſimila oleo conſperſa, ſal & vinū. Sacrificium enim erat quaſi conuiuiū Dei. Vnde victimæ in Scriptura vocantur panis, id eſt cibus, Dei. In conuiuio autem requiritur tam cibus, putà panis & caro cum ſale, quàm potus, putà vinum; quod in honorem Dei vel in terram effundebatur, vel à ſacerdotibus bibebatur, hocq; vocabatur libare, & libamen. Vnde & Chriſtus in ſacrificio Euchariſtiæ inſtituit ſpeciem panis, quaſi cibum; & ſpeciem vini, quaſi potum libandum, id eſt, hauriendum à ſacerdote in honorem Dei. Vide dicta in Leuit. & Num.15.

Nota Secundò. Videntur Iſraelitæ ſaltem ſapientiores, errorem & dementiam ſuam in cultu vitulorum agnouiſſe, & damnaſſe; ac voluiſſe Deo vero ſacrificare, cui ſacrificarant patres eorum. Vnde de eis ait Deus cap.8.2. *Me inuocabunt; Deus meus cognouimus te Iſrael.* Verùm, quia non ex toto corde ad Deum ſe conuertebant, ſed partim Deo in occulto, partim vitijs & idolis in publico, vt communi populo ſe accommodarent, ſeruiebant; hinc Deus eos eorumq; victimas reſpuit & reprobat. ita ferè Sanchez. Vnde ſequitur:

ET NON PLACEBVNT EI] q.d. Hoſtiæ & ſacrificia Iſraelis deficiente libamine, putà vino, non placebunt Deo, quia imperfecta & illegitima, & quia ab idololatris oblata extra Ieruſalem & templū in Aſſyria, vbi captiuus detinetur Iſrael. Hebr. *non dulceſcent ei*, id eſt, non erunt Deo dulcia & iucunda, ſicut iniucundum & ingratum eſt epulum, in quo deeſt vinum, in quo editur tantùm, non bibitur. Vnde ſubdit:

SACRIFICIA EORVM QVASI PANIS LVGENTIVM] Supple immunda erunt, æquè ac triſtia & inſuauia, vti ſunt prandia lugentium; tum quia carentia vino; tum quia ab idololatris oblata inter idola & idololatras, ſæpè etiam ipſis idolis, vti cenſet S.Hieron. & Cyrill. eſtque valdè veriſimile: tum quia contra legem, extra templum & Ieruſalem in Aſſyriaca captiuitate oblata, in qua Iſrael degit mœrens & lugens, ac proinde feſta & ſacrificia ſua lætè & feſtiuè celebrare nequit, vti fecit in Ieruſalem & templo.

Nota.Explicat hîc cibum Iſraelis *pollutum*, de quo dixit v.3. per panem lugentium, qui ſcilicet comedi ſolet in exequijs & funeribus, quæ Græcis νεκρόδειπνα, id eſt, lugentium cœnæ dicuntur; Latinis *parentalia*, quòd parentibus mortuis immolentur, ait S.Hieron. ijſque hæc quaſi vltima iuſta & pietatis officia ſoluantur. Porrò hic panis & cibus Iudæis immundus erat: nam Numer. 19.v.11.14.& 16. ſancit Deus, vt omnes contaminentur, ſintque immundi per ſeptem dies, qui mortuum tetigerint, aut funeri interfuerint, aut ex pane epulóve funebri comederint. Panis ergo luctus, ſiue domus funeſtæ, tangentes & comedentes funeſtabit & contaminabit. Significat ergo totam vitam Iſraelis in Aſſyriaca captiuitate, fore continuam quamdam quaſi funebrem & feralem cœnam: in qua ſqualens & mœrens comedet cibos Gentium pollutos, eiuſque oblatio non ferijs, ſed inferijs erit aptior, inquit Ruffin.Albert.Hugo,Vatablus,& Arias.

Tropol. S.Hieron. Hæretici, ait, qui nonniſi lucra & ſympōſia aucupantur, omniaque deliciarum cauſa faciunt, vt populum decipiant, & domos deuorent viduarum, habent panem lugentium, id eſt, verba mortifera, quibus iniquitatem loquuntur contra Dominum, qui panis non ingreditur in domum Domini. Sic omnis peccator comedit panem lugentium, quia ei nihil eſt lætum, etiamſi epuletur & tripudiet; non enim poteſt eſſe vera lætitia, vbi eſt mala conſcientia. hæc enim vermem rodentem & remorſum pungentem ſemper ſecum defert.

QVIA PANIS EORVM ANIMÆ IPSORVM, ſcilicet, erit, q.d. Animæ, id eſt, concupiſcentiæ & gulæ ſuæ conſulunt & ſatisfaciunt ſacrificando, non autem ſacrificant vt Deum, vel idola colāt: ac propterea indigni ſunt vt panis, id eſt, victimæ eorum AD DOMVM DOMINI] id eſt ad templum, deferantur, quod proinde me puniente à Chaldæis igne ſuccendetur: in Aſſyria autem & Chaldæa *ad domum Domini* deferri non poterūt, quia nulla erit ibi domus Domini. ita S.Hieron. Theoph. Hugo,Arias,Ribera & alij.

Tropol. hæc rectè adaptes ſacerdotibus indignè ſacrificantibus, non pietatis, ſed lucri & gulæ cauſa: horum enim ſacrificium licèt ex parte hoſtiæ, putà filij Dei, ſit Deo gratiſſimum; tamen ex parte offerentiū eſt quaſi qui patri filium necat, ipſumque ſe offerentem occidit. Eſt ergo panis lugentium. vnde Chald vertit, *Sacrificia eorum eorum erunt inſtar panis abominabilis.* ita Delrio adagio 951. Rurſum Theophyl. hæc adaptat ſacrificio quod fit ex iniuſtè partis: hoc enim eſt panis lugentium, quia eſt de bonis oppreſſorum, ideoque lugentium.

Symbolicè hîc diſce, Deo non placere oblationes & victimas, quæ triſti, lugubri & melancholico animo ei offeruntur. ſed hilarem datorem diligere, vt ait S.Paul.2.Cor.9.7.

Hermes Epiſcopus & Martyr, S.Pauli diſcipulus, in libro Paſtoris, quem probauit S.Dorotheus, Damaſus, & multi veterum, viſione 5. mandato 10. narrat ſibi apparuiſſe angelum in figura paſtoris, & inter alia dixiſſe: *Triſtitia omnium ſpirituum nequiſſimus eſt, & peſſimus ſeruus Dei, & omnium ſpiritus exterminat, & contribulat Spiritum ſanctum, & oratio triſtis non habet virtutem vt aſcendat ad altare Dei. Quoniam triſtitia ſedet in corde eius. Cùm ergo mixta fuerit oratio viri cum triſtitia, hæc non patietur orationem mundam aſcendere ad altare Dei. Sicut enim vinum aceto mixtum eamdem ſuauitatem non habet: ſic & triſtitia Spiritus ſancto mixta eamdem orationem mundam non habet.* Hoc eſt quod ait Aaron, lugens in ſtrage filiorum: *Quomodo potui placere Domino in cæremoniis mente lugubri.* Quocirca Caſſianus collat. 9.cap.

9.cap.3.docet, quòd ad rectè orandum, iræ præ omnibus, ac triſtitiæ perturbatio funditus ex animo ſit eruenda.

Vers.5. QVID FACIETIS IN DIE SOLEMNI, IN DIE FESTIVITATIS DOMINI?]Primò, ſenſus eſt, q.d. In captiuitate non poterit Iſrael celebrare feſtum Paſchæ, Pentecoſtes, & ſimilia, quæ cum gaudio celebrabat in Ieruſalem. ita Theodor. Arias, & Lyran.

Secundò & neruoſiùs, S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo, Clarius & alij exponunt, q.d. Feſta priſtina non celebrabitis, ô Iſraelitæ, in templo, vtpote poſiti in captiuitate; ſed facietis perenne feſtum & ſolemnitatem vindictæ meæ, quo ſcilicet publicè puniam vos captiuitate, paupertate & gladio. Hæc enim dicitur ſolemnitas Domini, quia in ea ſolemnis Dei iuſtitia & gloria toto orbe ſplendebat, & ab omnibus gentibus celebrabatur. Sic ait Ieren. Thren. 2. v. 22. *Vocaſti quaſi ad diem ſolemnem, qui terrerent me de circuitu.* Ex eadem phraſi & tropo, impij exſcindendi & occidendi in hac Dei ſolemnitate vocantur hoſtiæ & victimæ, quæ immolantur iuſtitiæ diuinæ; ac Aſſyrij & Chaldæi, qui eos occidunt & immolant, vocantur ſacerdotes Dei. Sic ait Iſaias cap. 34. 6. *Victima Domini in Boſra, & interfectio magna in terra Edom, &c. quia dies vltionis Domini, annus retributionis iudicii Sion.* Hinc bellum contra impios vocatur ſanctum, militeſque ſancti, quaſi auctorati & conſecrati à Deo ſacerdotes. Sic ait Ierem. c. 6. 4. *Sanctificate*, ô Chaldæi, *ſuper eam* (Ieruſalem) *bellum.* Vide ibi dicta.

Anagog. S. Cyrill. lib. 4. in Iohannem cap. 35. q.d. Vos, ô impij, qui ſpreuiſtis viam arduam, laboreſque virtutis, non poteritis ingredi ſolemnitatem cœnæ & beatitudinis cæleſtis. Dicet enim vobis paterfamilias, Quomodo intraſtis huc abſque veſte nuptiali?

Vers.6. ECCE ENIM PROFECTI SVNT A VASTITATE]Id eſt proficiſcentur & fugient in Ægyptum, propter excidium & vaſtitatem Samariæ. Vide dicta c. 8. 8.

ÆGYPTVS CONGREGABIT EOS, MEMPHIS SEPELIET EOS]Memphis, nunc Cairus, vulgò *Alcairo* dicitur; aut potiùs Memphis vetus fuit è regione Cairi, ab alia parte fluminis Nili. vide dicta Ierem. 44. v. 1. Hieron. Haymo, Albert. & Hugo hæc accipiunt de Iudæis, qui occiſo Godolia, quem Chaldæi præfecerant Iudææ, timentes eorum vindictam, fugerunt cum Ieremia cap. 43. 7. in Ægyptum. Verùm hîc non agitur de Iudæis, ſed de Iſraelitis, id eſt Samaritis: eorum ergo excidium & fuga in Ægyptum hîc prædicitur, quodque morituri & ſepeliendi ſint in Memphi.

DESIDERABILE ARGENTVM EORVM VRTICA HEREDITABIT]Per *vrticas* ſignificat longam fore captiuitatem & Samariæ vaſtitatem, q.d. Domos ſplendidas, quas Samaritæ magno argento comparauerant, vaſiſque argenteis & pretioſis exornauerant, ac in quibus ſuos theſauros argentumque condiderant, vaſtabit & radet Aſſyrius vſque ad ſolum, adeò vt in eo tribuli, lappæ & vrticæ germinent. ita S. Hieron. Haymo, Albert. Arias. Vnde Chald. vertit, *in domo deſiderabili argenti eorum vrticæ degent.*

LAPPA IN TABERNACVLIS EORVM] Pro *lappa* Septuag. vertunt, *ſpina*; alij, *tribuli.* Eſt enim lappa ſpinoſa teſte Dioſcor. lib. 3. cap. 98. floſculum habens aculeis plenum, qui iniectus in veſtem tenaciter adhæret, quo ludo ſolent pueri delectari. Cuius tria ſunt genera, ait Perottus. Nam quædam dicitur canaria, quæ eſt exigua, canibus adhærens. Altera maior eſt, & philanthropos appellatur, quòd veſtibus hominum adhærens, eos amare videatur. Tertia appellatur perſonata, & maxima eſt, naſciturque iuxta riuos & flumina. Folia habet ampliora cucurbitis: ideoque veteres ea vtebantur ad perſonatos faciendos. Porrò Plinius lib. 21. 17. *Notabile*, ait, *eſt in lappa quæ adhæreſcit, quoniam in ipſa flos naſcitur non euidens, ſed intus occultus, & intra ſe germinat, velut animalia quæ in ſe pariunt.* Hebr. חוֹחַ *choach* propriè hamum ſignificat, indeque omnem plantam ſpinoſam, quæ inſtar hami tenet & capit id cui applicatur. Vnde noſter Interpres nunc lappam, nunc carduum, nunc tribulum, nunc paliurum vertit.

VENERVNT DIES VISITATIONIS, id eſt, punitionis & excidij, qui erunt DIES RETRIBVTIONIS]quibus Deus rependet eis ſupplicia pro ſceleribus. ita Syrus. Vers.7.

SCITOTE] Legit Interpres יְדֹו *ydeu* in Imperatiuo, iam legūt יֵדְעוּ *iedeu* in futuro, id eſt, ſcient. Septuag. verò legerunt יְרֹעַ *iaroa*, id eſt, *affligetur Iſrael ſicut Propheta inſaniens.* Senſus eſt, q.d. Nemo vobis aduletur, nemo vos decipiat; nam inſtant dies caſtigationis & ſupplicij veſtri: proinde ſcitote nunc, vel, tunc ipſa experientia ſcietis, ſtultos fuiſſe & inſanos Prophetas, qui vos non capiendos nec exſcindendos, ſed ſecurè & lætè victuros, omniaque proſpera pollicebantur; me verò, Iſaiam, Ioëlem, & ſimiles fuiſſe veros Prophetas, qui cladem hanc & ſtragem vobis prædiximus.

Secundò, S. Hieron. & Lyran. cenſent, hîc ipſummet Iſrael vocari *Prophetam ſtultum*, q.d. Scitote, vel tunc ſcient omnes, Iſrael fuiſſe Prophetam ſtultum & inſanum, hoc eſt multa effutientem temerè, inſtar inſani & furore quodam aut ſpiritu perciti: quia ipſe ſecuritatem & fauſta omnia ſibi promittebat, cùm ecce iam captus & vaſtatus ſit.

Tertiò, S. Hieron. rurſum, Haymo, Albert. & Hugo, hæc intelligunt de veris Prophetis, q.d. Scitote & aduertite nunc, vel tunc ſcietis & aduertetis, Prophetas qui excidium minabantur, quos vos ſtultos vocabatis, an inſani fuerint, an potiùs viri ſpirituales, id eſt, afflati Spiritu ſancto. Primus ſenſus & ſecundus aptiores & planiores ſunt: comparat enim populum auiculis, pſeudoprophetas aucupibus, prædicationem eorum laqueo. ita Vatabl.

VIRVM SPIRITVALEM] Id eſt, Prophetam. hunc enim Hebræi vocant *virum ſpiritus*, id eſt, ſpiritu Dei afflatum. Pro *virum ſpiritus*, vertas, *virum venti*; & pro *ſpiritualem*, *ventoſum*, id eſt, vanum & mendacem. Sic Ierem. 5. 13. ait: *Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & reſponſum* (oraculum, prophetia) *non fuit in eis.* Syrus, *cognoſcet Iſrael ſtultus Prophetam inſanum, virum qui amictus eſt ſpiritu ſtoliditatis*; Arabicus, *conſumetur Iſrael vt veſpera perturbata, aut ſicut homo indutus ſpiritu malo.*

PROPTER MVLTITVDINEM INIQVITATIS TVÆ, ET MVLTITVDINEM AMENTIÆ] q.d.

Habuisti falsos stultosque Prophetas qui te deciperent, & in exitium agerent; quia id merebatur multa tua iniquitas & amentia, qua Deum tuum, eiusque veros Prophetas semper spreuisti: aut, vt Hieron. Prado in Ezech. 13. v. 3 q.d. Propheta quidem vester stultus fuit, sed in hanc amentiam præcipitarunt eum iniquitates vestræ, atque odium Dei vestris impietatibus conceptū. Pro *amentia* hebr. est מְשֻׁטָּה *mastema*, quod R. Dauid, Vatabl. & alij recentiores vertunt, odium, iram, furorem (nam ira furor breuis est) radix enim שָׂטַם *satam* significat odisse, inimicari, aduersari: odium ergo est amentia, & odire Deum summa est amentia. Sensus est q.d. Adhæsisti idolis, eorumque falsis Prophetis; quia odisti Deum, eiusque Prophetis aduersatus es. quæ summa est vesania & dementia.

VERS. 8. SPECVLATOR EPHRAIM CVM DEO MEO: PROPHETA LAQVEVS RVINÆ (hebr. *aucupis*, qui auem capit agitque in ruinam) FACTVS EST SVPER OMNES VIAS EIVS, INSANIA (hebr. *mastema*, id est *odium*, vti iam dixi) IN DOMO DEI EIVS] Primò, Theodor. sic explicat, quasi dicat, Ephraim per legem & Prophetas, quos à Deo accepit, constitutus est quasi speculator & doctor gentium omnium, vt eas doceret verbo & exemplo Dei cultum, viamque virtutis & salutis. At ipse factus est eis laqueus, dum insanè coluit idola & vitia idololatrarum.

Secundò Vatabl. q.d. Ephraim fecit sibi speculatorem, id est, pseudoprophetas, eosque vult audire simul cum Deo suo, q.d. Vult audire & colere tam idola, quàm Deum, tam falsos quàm veros Prophetas. quæ est mera insania.

Tertiò, Chald. & Lyran. q.d. Speculator Dei, id est verus Propheta, est in Israel: at Israel ei laqueum tetendit, vt eum interficiat, itaque concitat sibi odium Dei, qui hunc speculatorem in domo, id est Ecclesia sua, constituit.

Quartò & genuinè, q.d. *Speculator cum Deo meo*, id est, Propheta qui debuerat secundùm Deum, & quasi à Deo auctoratus & constitutus Propheta, aut qui dicebat se Deo familiarem & ab eo missum, ideoque debebat Israeli vera prædicere & docere, ac hostes & imminentia mala ex alta prouidentiæ suæ specula prospicere, præmonere & auertere, hic eum illaqueauit, & quasi laqueus aucupis eum decepit sua falsa prophetia & doctrina, qua inter alia prædicabat quasi acceptum ex ore Dei, Israeli nihil timendum esse ab hoste & vastitate. itaque causa fuit, vt Israel perduraret in suis vijs, id est, impijs actionibus, ac præsertim in sua idololatria, quæ summa est *insania*: nam *in domo Dei eius*, id est, in templo idoli eius, quod ipse colit vt Deum suum, incitat eum ad adorandum idolum, id est, ligna & lapides: ex his enim compactum est idolum. Speculator ergo hic est pseudopropheta, & falsus fallaxque doctor. At quis? S. Hieron. Haymo & Hugo accipiunt Ieroboam. Hic enim creatus rex illaqueauit populum, eumque coëgit adorare vitulos aureos à se erectos in Dan & Bethel. Secundò, Albert. & Dionys. Carthus. accipiunt Ahiam Siloniten: qui licèt esset verus speculator, id est Propheta Dei, tamen per accidens factus est laqueus Israeli, quia prædixit, & quasi promisit regnum impio Ieroboam, qui causa fuit idololatriæ & ruinæ Israelis. Tertiò, planiùs & pleniùs accipias quosuis falsos prophetas. hi enim mentiebantur se à Deo missos, itaque illaqueabant & decipiebant populum. Hi quoque sunt stulti Prophetæ & insani, de quibus dixit v. præced.

Tropol. hæc rectè adaptes Tertulliano, Lucifero Calaritano, Origeni, alijsque viris sapientia & virtute illustribus: hi enim fuerunt quasi oraculum Dei, & quasi speculator cum Deo conuersans; sed per apostasiam & lapsum facti sunt laqueus in Ecclesia, multosque fideles secum traxerunt in ruinam. quibus rectè competit versio Arabica v. 11. *Ephraim quasi auis volauit, & eminentia* (claritas, nobilitas) *eorum quasi vallis, & quasi vada.*

9. Profundè peccauerunt, sicut in diebus Gabaa: recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum.

10. Quasi vuas in deserto, inueni Israel: quasi prima poma ficulneæ in cacumine eius, vidi patres eorum: ipsi autem intrauerunt ad Beelphegor, & abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt.

11. Ephraim quasi auis auolauit, gloria eorum à partu, & ab vtero, & à conceptu.

12. Quòd & si enutrierint filios suos: absque liberis eos faciam in hominibus, sed & væ eis cùm recessero ab eis.

13. Ephraim, vt vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine: & Ephraim educet ad interfectorem filios suos.

PROFVNDE PECCAVERVNT, SICVT IN DIEBVS GABAA] Hebr. est *profundarunt*; Syrus, *profundum petierunt*, id est, in profundum, putà in barathrum scelerum, prolapsi sunt; &, vt Vatabl. profundam fecerunt defectionem, ex qua scilicet emergendi vix videtur vlla esse spes, aut possibilitas; &, vt Prado in Ezechiel. 13. 3. q.d. Ex profundo & imo corde, ex toto affectu recesserunt à Deo, & coluerunt idola. Porrò *dies Gabaa* S. Hieron. Haymo & Hugo referunt ad tempus, quo Saul creatus est rex in Gabaa, cùm populus inuito Deo à Samuele regem sibi postularet. q.d. Vti Israel olim Saulem, ita nunc Ieroboam me inuito regem sibi constituit. Melius idem Hieron. Cyrill. Theophyl. Lyran. Vatabl. Ribera & alij, hæc referunt ad enorme stuprum à Gabaitis commissum in vxorem Leuitæ; ob quod omnes cæsi sunt. vide historiam Iudic. c. 19. & 20. Sensus ergo est, q.d. Sicut profundè, id est grauissimè, peccarunt viri Gabaa, & Beniaminitæ, fœdo & insano stupro occidentes vxorem Leuitæ, illudque deinde contra alias omnes tribus pertinacissimè defendentes stolido bello, quo omnes penè vsque ad internecionem totius tribus Beniamin occisi sunt: ita nunc Israelitæ grauissimè peccant stupro spirituali, id est, idololatria publica, & communi omnibus decem tribubus, illamque pertinacissimè tuentur & defendunt, nec vllis Prophetarum monitis aut minis ab ea auocari se finunt; quin potiùs Pseudoprophetarum vocibus & oraculis in ea confirmari & perfici

perfici gaudent: quocirca à Deo exſcindentur vt Gabaitæ.

VERS. 10. QVASI VVAS IN DESERTO INVENI ISRAEL. q.d. Elegi Iſrael, eduxiq́ue per Moſen ex Ægypto in deſertum, fuitq́ue ipſe mihi chariſſimus & in delicijs, vti ſolent eſſe viatori in deſerto fame, ſiti & fatigatione afflicto, vuæ repertæ, & PRIMA POMA FICVLNEÆ] id eſt, primæ & præcoces ficus (*pomum* enim Latinis ſignificat fructus omnes qui molliori ſunt cortice) quæ Ieremiæ 24.2. vocantur *præcoquæ*, alibi *primitiuæ*, vel *primi temporis*. Septuag. Iſaiæ 28.4. vertunt, *præmaturas*. Hæ enim, quia poſt longam earum carentiam auidè expetuntur, in prouerbium abierunt, ſignificantq́ue rem valdè deſiderabilem, diuq́ue expetitam. primos enim fructus, præſertim ficus, mirè concupiſcimus: quia ijs, vtpote immaturis, diu, putà toto anno, abſtinuimus. Immaturitas enim & mora cupiditatem acuit, vt vbi primùm maturuerint, aut ſeſe oſtenderint, cupidè arripiantur. Simili modo ego Iſraelem inopem & famelicum in deſerto manna de cælo alui. At ipſe ingratus & recalcitrans, me ſpreto defecit ad Beelphegor, id eſt Priapum, eumq́ue adorauit, Num. 25.1. vide ibi dicta. Senſus ergo eſt, q.d. Iſrael colens nunc vitulos, imitatur parentes ſuos, qui primitus coluerunt Beelphegor. ita Chald. Albert. & Arias. Ita quoque explicant S. Hieron. Theodor. Theophyl. Rupert. Haymo, Hugo & Lyran. niſi quòd ipſi per *patres* accipiant Abraham, Iſaac, Iacob, non Moſen. Verùm hi non fuerunt in deſerto.

Nota. Pro *quaſi prima poma ficulneæ*, Septuag. vertunt, *ſicut ſcopum in ficu temporaneũ*. Sicut enim ſcopus, id eſt, ſpeculator rem longè venientẽ annunciat, ita præcox ficus maturitatem, vti eruditè annotauit Billius in orat. 32. Nazianz.

ABALIENATI SVNT IN CONFVSIONEM] q.d. Conuerterunt ſe ad colendum pudendum idolum Priapi, quod vti obſcænum, ita per obſcenas libidines & fornicationes colebant. ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Theoph. & Lyran.

ET FACTI SVNT ABOMINABILES, SICVT EA QVÆ DILEXERVNT] Putà, ſicut idolum Priapi erat fœdiſſimum & abominandum, ac ſicut abominandæ erant meretrices Madianitæ quas dilexerunt, & cum quibus fornicabantur, quæ eos ad cultum Priapi illexerunt: vnde Arias & Vatabl. vertũt, *facti ſunt abominabiles ſecundùm amorem earum*, ſcilicet meretricum, id eſt, ſicut meretrices hæ, amorq́ue earum & fornicatio erant abominabiles. Sicut ait Pſaltes pſal. 113.8. *Similes illis* (ſimulacris & idolis) *fiant qui faciunt ea*, q.d. Idoloplaſtæ & idololatræ fiant trunci, ſtipites, ſtupidi ingenio, omniq́ue ſenſu homine digno, ac viribus deſtituti, clauſis & mortuis mentibus, ait S. Auguſt. & Hieron. tales enim ſolẽt eſſe idololatræ, idolis ſuis ſimiles. Hinc ſcholaſticè rectè docet D. Thomas 1.2.q.18.art.2. actus humanos ſumere ſpeciem ex obiectis, vt, ſi obiectum ſit bonum, actus ſit bonus; ſi obiectum ſit malum & abominandum, actus ſit malus & abominandus, idq́ue in tali ſpecie virtutis vel vitij, cuius eſt obiectum: obiectum enim à voluntate amatum & concupitum, ſuam bonitatem vel malitiam in eamdem transfundit. Arabicus vertit, *illuſi ſunt in operibus ſuis, & aſſimilati ſunt amenti*. Peccator ergo eſt ſtultus & amens.

Moral. Diſce hîc, quòd voluntas noſtra natura ſua ſit quaſi chamæleon: ſicut enim ille rerũ omnium quibus ſe applicat, colorem induit, præter rubrum & candidum, inquit Plin. lib. 8. c. 33. ideoq́ue in omnes formas & ſpecies ſe transmutat: ſic & voluntas omnium rerum ſpeciem & faciem quaſi induit, quibus ſe per amorem iungit & applicat. Hinc dixit vir ſapiens: *Quod per voluntatem reſolutè & efficaciter vis, hoc abſolutè es.* Vis reſolutè eſſe humilis, hoc ipſo humilis es: vis eſſe temperans, caſtus, obediens, patiens; ſi id efficaciter vis, de facto es temperans, caſtus, obediens, patiens. Hoc eſt quod ait S. Auguſt. epiſt. 52. ad Macedonium: *Non faciunt bonos vel malos mores niſi boni vel mali amores.* Sicut ergo facti ſunt abominabiles, qui dilexerunt peccata; ita facti ſunt, fiuntq́ue ſpecioſi & gratioſi, qui diligunt Deum ſpecioſiſſimum & gratioſiſſimum. Nam, vt ait S. Auguſt. tract. 2. in epiſt. S. Iohan. *talis eſt quiſque, qualis eſt eius dilectio. terram diligis? terra es: Deum diligis? quid dicam? Deus eris.* Amor enim transformat amantem in rem amatam. vnde *anima*, ait S. Auguſt. *magis eſt vbi amat, quàm vbi animat.* & viciſſim res amata magis eſt in amante, quàm in animante. Quocirca Cato Cenſorius amantis animum dicebat in alieno corpore viuere, vti refert Plutarch. in eius vita. Et Plato aſſerebat omnes qui perditè amarent, in ſuo & proprio corpore mortuos eſſe, eò quòd in alieno viuerent, vti refert Fulgoſ. libr. 7. cap. 2. Et Panætius Philoſophus amorem turpem aiebat eſſe rem impotentem alteri emancipatam, vilem ſibi, vti refert Bruſſon. lib. 1. c. 2. Eius enim officium non eſt aliud, quàm corpus proprium & creaturas alias, putà carnes, panes, vina, delicias, &c. in putredines deuorando, vel voluptuando conuertere. Hæc eius vtilitas, imò vilitas; hæc eius poteſtas, imò infirmitas, vt per eum noſtra ſanies tranſeat affluenter: non enim facere valet, vt maneat. Hoc eius ſtudium, hæc eius beatitudo, vt voluptatum creatarum ſordibus affluat, quibus votiuè ſuccumbit, corrumpente eum per illas diabolo: qui mirè gaudet de hominis deceptione & interitu, cùm rei creatæ quã turpiter homo adamat, imago ei maneat impreſſa, tamquam ſimulachrum in templo ſuo; cui non bouem, non hircum, ſed animam rationalem & corpus, id eſt, ſeipſum totum peccator immolat, cùm ea fruitur. An non ergo abominabilem ſe facit, cùm ſe pro vili delectatione, eaq́ue momentanea, putri carni, imò teterrimo dæmoni mancipat, & ſeruum addicit? quando creaturas quas fœdè diligit, ac cum eis ſeipſum in putidas vomicas, carcinomata, aliaſq́ue ſordes & putredines tranſmutat.

Volũtas eſt chamæleon.

Ex aduerſo anima amans Deum, fit ſpiritalis, angelica, diuina, & in Deũ illi inhærendo tranſit. Vnde S. Ambroſ. lib. de Iſaac & anima c. 3. *Tunc*, ait, *nos oſculatur Dei Verbum, cùm cor noſtrum lumine cognitionis illuminat, & amore bonitatis inflammat, vt adhæreat ipſi, & vnus cum ipſo ſpiritus efficiatur.* Neruoſiùs S. Gregor. explicans illud Cant. 1. 1. *Oſculetur me. Cùm eius* (ſponſi, ait ſponſa) *oſculum ſentio, ſubita mutatione me derelinquo, & in eius ſimilitudinẽ illico liquefacta trãsformor.* Amor enim eſt motus & impulſus, quo amans fertur in rem amatã, eiq́ue ſe vnit, & in eam ſe trãsformat. Secùs eſt in intellectu & intellectione. Hic enim non

non tendit extra ſe, ſed res intellectas per ſpecies & cognitionem ad ſe trahit, ſibi imprimit & incorporat, vt docet S. Thom. 1.2.q.22.art.2. Denique ex hoc loco & ſimilibus, rectè probant Theologi, quòd actus peccati tranſiens, poſt ſe relinquat in anima peccantis maculam habitualem peccati, per quam ipſa formaliter fit exoſa & abominabilis Deo. ita Iohannes Salas 1.2. q.86. initio.

EPHRAIM QVASI AVIS AVOLAVIT, GLORIA EORVM A PARTV] Eſt Hebraica metatheſis, ſiue verborum tranſpoſitio: ſic enim illa ordinanda ſunt: Gloria Ephraim quaſi auis, id eſt velociſſimè, auolauit à partu, &c. Gloriam vocat filios: hi enim ſunt parentum decus & gloria, vti dicitur Prouerb. 10.8. Senſus ergo eſt, q.d. Filij Ephraim in quorum multitudine, ſpecie & robore ipſe gloriabatur, citò morituri ſunt; alij *à partu*, cùm ſcilicet primùm prodierint in lucem, alij *ab vtero*, quia ſcilicet abortiui erunt. q.d. Faciam vt matres patiantur aborſum, fœtuſque ſuos abortiant, alij *à conceptu*, quia ſemen conceptum mox diffluet, vt ex eo embryo formari nequeat; q.d. Puniam vxores veſtras ſterilitate & vitio matricis, faciamque vt fœtum non concipiant, aut conceptum abortiant, aut natum mox perdant. Hunc eſſe ſenſum patet ex ſequentibus: *Quòd etſi enutrierint filios ſuos, abſque liberis eos faciam*, q. d. Quòd ſi filios aliquos procrearint & educarint, illos vel gladio hoſtili, vel peſte, aut morbo occidam, vt ad ætatem maturam non perueniant, nec computentur *in hominibus*. Idem patet ex v.14. vbi dicit: *Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia*. ita S. Hieron. Chald. Vatabl. Arias & alij. Aliter Theodor. Haymo & Lyran. quaſi dicat, Ephraim citò quaſi auis auolabit in captiuitatem Aſſyriacam, qui gloriabatur de ſobole copioſa, de vtero conceptuque fœcundo. Aliter quoque Theophyl. q.d. Ephraim citò quaſi auis auolauit, & receſſit à vijs & moribus patrum ſuorum: quia gloriam ſuam non in me, ſed in prole, partu & conceptu vbere conſtituit. Hinc ego illam ei adimam & ſuccidam.

Arabicus Antiochenus vertit, *Ephraim quaſi auis volauit, & eminentia* (claritas, nobilitas) *eorum quaſi vallis, & quaſi vada*; Arabicus Alexandrinus, *Ephraim velut auis volans, & quaſi dolor parturientis: ſic gloria eorum; quia enutrit filios ſuos vt exteros è filiis hominum. væ illis, quia receſſerunt à viis meis.*

Tropol. Tropol. *Gloria Ephraim à partu, ab vtero, à conceptu tranſit*, inquit Iulianus Archiepiſc. Toletan. qui in Nahum exſtat tom 2. Biblioth. SS. Patrum, *quando mens priùs honore, gloria quaſi ſemidea, pro fama infamiam, pro gloria miſeriam, odium pro gratia, contemptum pro reuerentia, lucrum pro iactura, inediam pro copia iuſto Dei iudicio recipit: partus eſt operatio, venter intentio, conceptus cogitatio. Gloria igitur Ephraim auolat à partu, à conceptu, ab vtero, quando priùs ſplendidè forinſecus viuentium, & de vitæ extrinſeca honeſtate in ſe gloriantium inhoneſtatur actio, corrumpitur intentio, fœdatur cogitatio.* de quo plura verſ. 14.

SED ET VAE EIS CVM RECESSERO AB EIS] Eſt gradatio: Primò enim minatus eſt eis, quòd ſobolem impediret ne naſceretur: Secundò, quòd natam occideret; & hìc Tertiò, minatur eis omnimodam deſolationem, indeque vaſtitatem & excidium, q. d. Væ eis cùm eos orbabo non tantùm filijs, ſed & mea cura & prouidentia, atque à me abdicabo; tunc enim inuadent eos perdentque Aſſyrij.

Nota. Eſt hìc duplex lectio: prior בְּסוּרִי *beſuri*, per *ſin*, quod idem eſt cum *ſamech*, id eſt, *cùm receſſero*. ita legunt & vertunt Noſter, Aquila, Symmach. Ionathan Chaldæus Paraphraſtes (quem Galatinus lib. 1. de Arcan. fidei cap. 3. aſſerit 42. annis præceſſiſſe Chriſtum) qui vertit, *væ eis cùm ſuſtulero maieſtatem meam ab eis*; R. Dauid, R. Abraham, R. Salomon, Vatabl. & alij. Poſterior בְּשָׂרִי *beſari*, id eſt, caro mea: vnde vertunt, *væ eis cùm caro mea ex eis*. ita Septuag. & Theodot quos ſequuntur Græci, vt Cyril. Theodor. Theophyl. Doroth. in Synopſi, Cyrill. Hieroſol. catecheſi 12. Quocirca Theodor. & Theophyl. putant hìc eſſe prophetiam de incarnatione Chriſti; imò Raymundus quem citat Lyran. ſic legit, *væ eis, incarnatio mea ex eis*; q.d. Væ nunc Iſraelitis cùm exſcindentur ab Aſſyrijs, ſed longè magis væ cùm ex eis carnem ego Chriſtus aſſumam: tunc enim ipſi me, licèt cognatum ſuum, perſequentur & occident, ideoque à Tito, & Romanis funditus delebuntur, & in æternum deſolabuntur. Sic & Lyran. Burgenſ. Mariana, Galatin. lib. 1. cap. 8. & Leo Caſtrius, qui contendunt Iudæos hunc locum corrupiſſe, ac pro *beſari*, id eſt, *caro mea*, ſcripſiſſe *beſçuri*, id eſt, *cùm receſſero*; idque, quia Verbum incarnatum oderunt & repudiarunt. Verùm id perperam dicitur. Primò: nam Chriſtus carnem ſumpſit ex Iudæis, non ex Iſraelitis. Secundò, quia paſſim in Biblijs ſcribitur בְּסוּרִי *beſuri*, per *vau*, quod nequit eſſe in בְּשָׂרִי *beſari*, id eſt, caro mea, vt patet intuenti. *beſuri* ergo, id eſt, *cùm receſſero*, legendum eſt, non *beſari*, id eſt, *caro mea*. Tertiò, quia verſionem hanc Vulgatam, qua legimus, *cùm receſſero*, recepit & probauit Eccleſia à mille annis: impium autem eſt dicere, Eccleſiam vitiata & falſa verſione vti.

Quocirca Cyrill. & Theoph. aliâ meliorem, & Vulgatæ editioni viciniorem huius verſionis Septuag. dant interpretationem, ſcilicet hanc: *Auditis*, inquit Theophyl. *Propheta minis Dei aduerſus Iſraelem precatur, ne vel ipſe, vel ſui contribules, & ſecundùm carnem cognati, ſint participes futura iſtius iræ. Idcirco inquit: Caro mea ex ipſis, hoc eſt extra ipſos. Longè quaſo ab ipſis remoueat, & ego, & caro mea, ſiue cognati & contribules.* Sic Apoſtolus Iudæos vocat *carnem ſuam*, id eſt, cognatos ſecundùm carnem, Roman. 11.14. Simili modo Cleon in tragœd. apud Senec. Iaſonem à communi culpa cœtuque eximit, dicens:

Proculq; veſtro purus à cœtu ſtetit.

EPHRAIM, VT VIDI, TYRVS ERAT] q.d. Ephraim, prout ego ipſe vidi, par erat Tyro in opibus, proſperitate, fortitudine, munitione, copia prolium, omnique decore & gloria, cùm Deum coleret eiuſque legem ſeruaret, inquit Chald. quia ſic vallabatur Dei auxilio, ſicut Tyrus marì, ait S. Hieron. At quia nunc Deum relinquit, ſibi ſuiſque idolis præfidens, hinc omnē ei gloriam Deus adimet, ac præſertim filios, in quibus ipſe adeò ſolet gloriari, dabit tū in bello pugnantes, tum poſt bellum victos & captos, occidendos Aſſyrijs eorumque regi. Hunc enim vocat

inter-

intersectorem. ita S. Hieron. Albert. Lyran. Vatabl. & alij. Tyrus olim erat quod nunc Venetiæ. De gloria Tyri dixi Isaiæ 23. & Ezech. 26. Huc accedit Vatabl. qui sic vertit & explicat: Vidi Ephraim sicut Tyrum, putà primò florentem pace rerumque copia, mox ob idololatriam vastatum.

Secundò, Arias putat esse antithesin Ephraim & Tyri, q. d. Esto Tyrus ad Ephraim, putà ad tribum Aser, pertineret, vt patet Iosue 19. 29. tamen vidi Ephraim à Tyro toto cælo differre: vidi enim Tyrum florentissimam opibus & pro-
libus, Ephraim verò ei vicinum vidi vtrisque orbatum & desolatum.

Tertiò, Aquila, Symmach. & Theodot. pro *Tyrus*, vertunt, *petra*: hanc enim significat Hebr. צור *tsor*, indeque vrbs in petra fundata dicta est hebr. *Tsor*, chald. *Tor*, græcè & latinè *Tyrus*; q. d. Ephraim erat vt arx munitissima, putà vt petra & scopulus durissimus, qui fixus in terra omnes contemnit procellas, turbines & ventos, putà omnes hostium incursus: sed quia in Deum peccauit, Deus ei vires roburque adimet, vt filios cogatur tradere Assyrijs mactandos. ita S. Hieron.

Quartò, Septuag. pro ר legentes ד, putà pro צור *tsor*, id est, Tyrus, צוד *tsud*, id est, venatio vel captura, vertunt, *Ephraim, sicut vidi, in Νεγεβ*, id est, *venationem* vel *captionem præbuit filios suos, vt educeret ad interfectionem.*

Nota. Deus Ephraim, id est Israeli, intentat filiorum necem & orbitatem præcæteris ærumnis: tum quia ipse in ijs gloriabatur & præfidebat, quasi ob eorum & ciuium copiam esset inexpugnabilis; vnde eos vocauit gloriã Ephraim vers. 11. tum quia Ephraim filijs suis abusus erat non tantùm ad fastum, sed & ad idololatriam; eos enim immolauerat idolo Moloch: iure ergo ijsdem à Deo spoliatur & orbatur: tum quia imitabatur fornicationem & idololatriam Gabaitarum, & parentum colentium Beelphegor. Fornicationis enim congrua & propria pœna est ἀπεκνία, siue liberorum orbitas, vti dixi cap. 4. 10.

14. Da eis Domine. Quid dabis eis? Da eis vuluam sine liberis, & vbera arentia.

15. Omnes nequitiæ eorum in Galgal, quia ibi exosos habui eos: propter malitiam adinuentionum eorum, de domo mea eiiciam eos: non addam vt diligam eos, omnes principes eorum recedentes.

16. Percussus est Ephraim, radix eorum exsiccata est, fructum nequaquam facient. Quòd & si genuerint, interficiam amantissima vteri eorum.

17. Abijciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi in nationibus.

Vers. 14. DA EIS DOMINE, pœnas & supplicia quæ merentur. Sed quas? QVID, inquam, DABIS EIS? quas pœnas in particulari decet me ijs imprecari, & te, ô Domine, ijs infligere? Vtique vt filios, quos perditè amant, quibusque abutuntur, perdant, itaque summè crucientur. DA ergo EIS

A VVLVAM SINE LIBERIS, ET VBERA ARENTIA] q. d. Puni vxores Ephraim sterilitate, vt liberos non concipiant, aut si quos conceperint & pepererint, lactare & nutrire nequeant: vbera enim arentia sunt, quæ lacte carent. Sic nimirum eis occasionem fastus & idololatriæ, quam per filios committunt, præcides, ô Domine: sic pariter tolles stirpem tibi inuisam. ita S. Hieron. Cyrill. Chald. Theophyl. Haymo, Hugo, Lyran. & alij. Solus Arias hæc in bonum accipit, quasi Deus hîc pœnam Israelitis decretam moderetur & imminuat, vt sensus sit: Ne Israelitæ nimis crucientur, videndo filios iam maturos ab Assyrijs capi & interfici; fac, ô Domine, vt illi vel non cõcipiantur, vel cõcepti & nati mox tabescãt & moriantur. Paulò aliter quoque Vatabl. vertit, nimirum sine interrogatione, sic: *Da eis Domine quod daturus es: da eis vuluã abortientem, & vbera arentia;* B Arabicus Alexand. *da eis, ô Domine, secũdùm retributionẽ eorũ; & da eis non parturientes, & mammam arentem*; Arabicus Antioch. *Ephraim vidi in statu quo vidi sterilem. Da eis Domine vuluam non parturientem, & vber siccum*; Syrus, *da eis Domine id quod das (dabis) eis: da illu matricẽ illiberẽ, & vbera arida.*

Moral. disce hîc Deum punire parẽtes orbitate filiorum, dum ipsi matrimonio turpiter, vel pro-
libus superbè vel impiè abutũtur ad Dei offensam: ex aduerso Deum pios parẽtes, sæpè donare egregia multaq; sobole. Exemplum est pia Anna, eiusque æmula Phenenna: hæc enim in filijs superbiens, Annamque sterilem irridens, ab ea supplantata est: Deus enim Annæ filium dedit Samuelem Prophetam, ac insuper quinq. alias proles, 2. Reg. 2. 21. vnde ipsa gratias agens Deo carmen eucharisticum cecinit, dicens: *Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo: dilatatum est os meũ super inimicos meos* (Phenennam, eiusque filios & assecl as, mihi sterili insultantes) &c. *donec sterilis* (vti ego) *peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est.* Tradunt Hebræi, & ex eis S. Hieron. Abulens. Vatabl. & alij, Phenennæ tot mortuos esse filios, quot nascebantur Annæ. Celebris est apud Gentiles Niobe, quæ septem filijs totidemque filiabus pulcherrimis superbiens, seque Latonæ præferens, ab Apolline Latonæ filio filijs & filiabus omnibus interfectis orbata, præ dolore attonita obmutuit, ac velut lapidescens malis diriguit, vti describit Ouid. 6. Metamorph & Statius lib. 5. Sic Augustus, Tiberius, Caligula, Ne-
ro, Domitianus, Traianus, Adrianus, cæterique pænè omnes Imperatores Gentiles, ob libidines & fastum sobole caruerunt, neque vllum ex se tanti imperij reliquerunt heredem. D

Mor. impij sunt illiberes.

Mystice id verius est in anima, quæ ob virtutes Deique gratias & dona vanè gloriatur & superbit, quasi illa sua sint opera non Dei munera. Hæc enim cùm humilis agnoscere Deum datorem, eique gratias ageret, pulchra erat & florens rerum spiritualium copia, vt Tyrus: at iam superbiens, sibique præfidens deseritur à Deo sponso; itaque ab eo semen & lac gratiæ non accipit, vt opera bona parturiat; aut si acceperit & pepererit, ea lactet & nutriat: vbera enim animæ arent, id est, succo gratiæ & spiritus destituta sunt: vnde proles, id est, opera bona grandescere nequeunt, sed tabescunt & euanescũt. Idem maximè locum habet in Prædicatoribus, Prælatis,

Sic & anima Dei domus superbiens.

Con-

Confeſſarijs, alijſque qui animas Deo parere ſatagunt. Dum enim purozelo gloriæ Dei & ſalutis animarum id faciunt, florent filiorum ſpiritualium copia & fructu; dum verò ſe, putà plauſum, lucra, aut commoda aucupantur, mox matrix eorum ſterileſcit, & vbera areſcunt, vt nec filios in ſpiritu gignere, nec ſi quos genuerint, alere & promouere poſſint. Hoc eſt quod ait Chriſtus: *Sicut palmes non poteſt ferre fructũ à ſemetipſo, niſi manſerit in vite; ſic nec vos, niſi in me manſeritis.* Et mox: *Si quis in me non manſerit mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Iohan. 15. 4. Omnis enim ſuccus vigorque gratiæ, qua ſpiritaliter viuimus, vegetamur, creſcimus, & fructificamus, deriuatur à Chriſto, quaſi à radice & humo. Vide S. Gregor. homil. 17. in Euangelia.

Præclarè S. Bernard. ſerm. 51. in Cant. *Ingratitudo*, inquit, *inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ* Idem tract. de Interiori domo cap. 41. *Superbia*, inquit *ſicut eſt origo omnium criminum, ita eſt ruina omnium virtutum. Sola ſuperbia contra cunctas animi virtutes ſe erigit, & quaſi generalis ac peſtifer morbus omnes corrumpit.* Idem ſerm. 54. in Cant. *Argumentum ſuperbiæ, priuatio eſt gratiæ.* Ex aduerſo, argumentum humilitatis, eſt copia gratiarum. Si quem ergo videris priuari gratia & donis ſuis, ſcias eum eſſe ſuperbum, ſi verò aliquem videris ijs abundare & creſcere, ſcito eum eſſe humilem. Humilitas enim eſt mater & conciliatrix donorum, quorum diſſipatrix eſt ſuperbia: Deus enim humilibus dat gratiam, quam ſuperbis aufert.

OMNES NEQVITIÆ EORVM IN GALGAL] In Galgal enim Iſraelitæ abiecerunt omne regimen Dei, tam politicum, quàm ſacrum. Politicum, quia à Deo regi nolentes, in Galgal petierunt à Samuele dari ſibi regem, qui proinde dedit eis Saulem. Sacrum, quia in Galgal ſtatuerunt idola, quæ ſpreto Deo coluerunt ita S. Hieron. Theodor. Hugo, Lyran. Vatabl. & alij. de Galgal vide dicta c. 4. 20.

VERS. 15. QVIA IBI EXOSOS HABVI EOS] Hebr. כי *ki*, id eſt *quia*, ſæpè non cauſam ſignificat, ſed encliticum eſt, & ornatus cauſa additur, imò ſubinde effectum ſignificat. Ita capitur hîc, q. d. *Quia*, id eſt idcirco, ibi cœpi eos odio habere & auerſari. ita Ribera, à Caſtro & alij.

DE DOMO MEA EIICIAM EOS] Putà de templo, vt explicat Chald. vel potiùs de terra ſancta quæ tota erat quaſi vna domus & familia Dei, in qua ſub eius alis & protectione ſecuri & felices degebant Iſraelitæ quaſi filij ſub parentis cura. vnde in ea habebant nomen Iſraelis & populi Dei: ibi quoque Deus ſuos Prophetas, quaſi paterfamilias ad eos erudiendos & formandos mittebat. De *domo* ergo *mea ejiciam eos*, vt alieni à me abeant captiui ad Gentes, & idola quæ coluerũt. ita S. Hieron. Theophyl. Lyran. Arias & alij.

NON ADDAM VT DILIGAM EOS] Id eſt, *non amplius diligam eos*, vt vertit Vatabl. Nam, vt ſequitur, & vt ait S. Hieron. *abiecit eos Deus omnium Prophetarum, quia non audierunt eum: & vagi erunt in nationibus, non habentes altare, non ſedem, non principem, donec ad Chriſtum conuertantur.*

OMNES PRINCIPES EORVM RECEDENTES] q. d. Omnes reges Iſrael à primo Ieroboam vſque ad vltimum Hoſee, à Deo ad vitulos aureos receſſerunt.

PERCVSSVS EST EPHRAIM, RADIX EORVM EXSICCATA EST] Comparat Ephraim arbori, priùs frondibus & fructibus luxurianti, poſtea percuſſæ aurugine & areſcenti, quòd radix eius ſiccata ſit, ideoque fructum producere non valenti, q. d. Ephraim, id eſt, populus Iſrael, inſtar arboris percuſſæ & areſcentis in radice, paucos vel nullos proferet fructus, id eſt filios. Patet ex ſequenti. Vnde Chald. vertit, *domus Iſrael ſimilis eſt arbori, cuius radix vredine percuſſa eſt deorſum, & ſiccatur folium eius ſurſum, fructum non faciet.* Porrò radix Iſrael accipi poteſt fœcũditas illi à Deo indita, cum Ruffin. & Lyrano; vel regia poteſtas, ſiue reges & principes, cum Theodor. & Theophyl. Hi enim inſtar radicis ſuſtentabant, & vegetabant totum populum. Vnde Arias appoſitè. Radix, inquit, eſt rex, truncus eſt regia tribus Ephraim, folia & rami cæteræ nouem tribus, q. d. Vltimus Samariæ rex (qui eſt quaſi radix) putà Hoſee, cum Samaria, totaque tribu Ephraim, quæ eſt quaſi truncus arboris, vaſtabitur à Salmanaſar: vnde ab eodem mox vaſtabuntur cæteræ omnes (quæ ſunt quaſi rami) vt planè areſcat, vtpote ſiccata radice, regnum & reſpubl. Iſrael; adeò vt, etiamſi aliquos *genuerint, interficiam amantiſſima*, vel, vt Vatabl. & alij vertũt, *deſiderabilia, vteri eorum*, id eſt, chariſſimos filios, qui erant eorum deſiderium & deliciæ: vnde Chald. vertit, *interficiam viſcera eorum pulchritudinem.* Proles enim ſunt parentum pignora, & quaſi viſcera.

Myſticè, radix regni & reipubl. eſt Deus. hic enim regnum & reſpubl. ſuſtentat, auget, florere & fructificare facit. ita S. Hieron. qui rurſum per radicem accipit Patriarchas Iſraelis, putà Abraham, Iſaac & Iacob. Hi enim licèt in ſe viui, aridi tamen, & quaſi mortui erant ſuæ ſoboli degeneri, putà Iſraelitis idololatris: quia eos auerſabantur, nec eos merito & prece ſua iuuabant.

ABIICIET EOS DEVS MEVS, non illorum QVIA NON AVDIERVNT EVM: ET ERVNT VAGI IN NATIONIBVS] Hoc eſt quod deplorat Ieremias Thren. 1. 8. *Peccatum* (fornicationis ſpiritalis, putà idololatriæ. loquitur enim de Ieruſalem quaſi de virgine meretricante) *peccauit Ieruſalem: propterea initabilis facta eſt*, q. d.

Aetherei ſcelus hoc agrè tulit ira mariti,
Inq; ſuam vetuit te remeare domum.
Inde vaga, huc illuc incertis ſedibus errat:
Nulla tibi domus eſt, cùm ſit vbique domus.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRimò, comparat Iſraelem viti frondoſæ, ſed fructibus vacuæ; quòd Dei opibus abuſus ſit ad augendum cultum idolorum, ideóq; minatur ei excidium, quodq; idolum eius, putà vitulus aureus, deferetur munus regis vltori, ſcilicet regi Aſſyriorum; tantaſq; ſtrages & ærumnas, vt dicturi ſint montibus, Operite nos; & collibus, Cadite ſuper nos. *Additq; id iure fieri, quia priſcum eſt hoc Iſraelis peccatum, putà ex diebus Gabaa, in quo pertinaciter perſiſtit, quod non niſi excidio extirpari poteſt. Secundò, v.11. comparat eum vitulæ amanti triturам, id eſt, fruges & opes, vnde ait: Hactenus araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis; nunc ſapite, ac ſeminate in iuſtitia, vt metatis in ore miſericordiæ. Deinde hortatur vt nouale cordis ſui innouent, & præparent ad gratiam quam afferet Chriſtus, iuſtitiæ doctor ac dator. Denique v.14. ſi in impietate perſtent, minatur quòd Bethel, id eſt, idola Bethel perdent eos; ſicut Beth Arbel, id eſt domus Gedeonis, perdidit Salmana cum Madianitis.*

Vers.1. VItis frondoſa Iſrael, fructus adæquatus eſt ei: ſecundùm multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulacris.

2. Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt: ipſe confringet ſimulacra eorum, depopulabitur aras eorum.

3. Quia nunc dicent: Non eſt rex nobis: non enim timemus Dominum: & rex quid faciet nobis?

4. Loquimini verba viſionis inutilis, & feretis fœdus: & germinabit quaſi amaritudo iudicium ſuper ſulcos agri.

A

Vers.1. VITIS FRONDOSA ISRAEL.] Pro *frondoſa* hebr. B eſt פּוֹקֵק *bokec*, id eſt euacuans quia ſcilicet ſe totam in frondes effundit, in eaſq; ſuccum ſuum exhaurit & euacuat, vt nil, vel parum ſuperſit quod in fructus & vuas transferat. Vnde Chald & Vatabl. vertunt, *vitis vacua*, vel *diſſipata*, id eſt, *ſuco carens & humore*. Sic Nahum 2.2. dicitur: *Vaſtatores diſſipauerunt eas*; hebr. eleganter *bokekim bokekim*, id eſt, euacuatores euacuarunt eos, hoc eſt prædatores prædati ſunt eos. Hinc & *Aquila*, ait S. Hieron. *bokec interpretatus eſt ἐνυδρον, quam nos aquoſam, vel ἐξαυον poſſumus dicere, eò quòd vim perdat ſaporem: Symmachus ὑλομανοῦσαν, quæ tota in frondibus creuerit: vites enim quæ putatæ à vinitore non fuerint, in flagella (id eſt palmites) frondeſq; luxuriant, & humorem quem debuerant in vina mutare, vana frondium & foliorum ambitione diſperdunt. Talis fuit Iſrael creſcens in multitudine populorum, & non reddens fructus agricolæ Deo.*

Addit deinde aliam, imò contrariam interpretationem: *Vitis*, inquit, *frondoſa ſiue iuxta* Septuag. *ἐυκληματοῦσα, id eſt, bonas habens propagines & flagella fructifera, multos botros attulit; & vuarum fecunditas ramorum magnitudinem coæquauit. ſed hæc quæ priùs talis erat antequam offenderet Deum, poſtea abundantiam fructuum vertit in offenſæ multitudinem: vt quanto plures haberet populos, tanto plura ædificaret altaria. & abundantiam terræ numero vinceret idolorum.* Hæc deinde more ſuo tropologicè appoſitè adaptat hæreticis: hi enim ſimiles, imò peiores ſunt idololatris.

Ratio huius diuerſæ, imò contrariæ verſionis & explicationis eſt, quòd *bokec*, idem ſit, quod *euacuans ſe*. Iam autem vitis ſe euacuare poteſt in frondes ſolas (ita vt nil, vel parum poſſit ſuppeditare fructibus & vuis) aut partim in frondes, partim & magis in vuas, itaque erit frondoſa, ſimulque fructifera. Sic Iſrael olim tempore Patriarcharum erat fructifer, id eſt affluebat tum vuis & fructibus, æquè ac hominibus, iuxta illud pſal.78. *Extendit palmites ſuos à mari vſque ad mare*: tum pietate, Dei cultu, boniſque operibus. ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Lyran. & alij. Sic ait Iſaias c.5. *Vinea Domini ſabaoth domus Iſrael eſt, & viri Iuda germen delectabile.* vnde *fructus adæquatus eſt ei*, id eſt, fructus eius reſpondit palmitum, id eſt familiarum, multitudini; tot tulit fruges, quot numero incolarum alendo ſufficerent.

Verùm prius veriſimilius eſt: *bokec* enim propriè euacuantem ſe, id eſt, vacuam & euanidam ſignificat, vt vertit Symmach. Aquila, Chald. & Vatabl. quin & Septuag. nam ἐυκληματοῦσα idem eſt quod, bonos habens palmites, ſurculis luxurians: κλήματα enim à Theophraſto, Columella & aliis vocantur palmites & pampini vitis, vel faſciculus ſarmentorum vitis: vnde ex eo fiebant κλήματα, id eſt, virgæ centurionales, quibus ſcilicet centuriones cædebant milites delinquentes. Hinc Macrobius vocat vitem centurionalem: lege enim Romana ſancitum erat, vt ciues non virgis cæderentur, ſed ſarmentis vitium, teſte Liuio lib.57. Huc facit quod Plutarch. in Apophthegm. & ex eo Valerius Maxim. l.6.c.4. ſcribunt, Popilium Lenam à Romanis miſſum ad Antiochum Epiphanem, vt eum iuberet recedere ab Ægypto, nec pugnare in Ptolemæos, cùm Antiochus moram faceret, deliberans quid eſſet reſponſurus, Antiochum κλήματι, id eſt virga, circumſcripſiſſe, eique dixiſſe: Non exibis hoc circulo, niſi reſponſum des mihi & Romanis. ἐυκληματοῦσα ergo idem eſt, frondoſa & pampinoſa.

C

Itaque de hac vinea in frondes euaneſcenti, id eſt de Iſraele in opes bonaque terræ effuſo, ait: *Fructus adæquatus eſt ei*, id eſt, eum fructum tulit, quem promittebat pampinorum & ſarmentorum laſciuia, ſcilicet nullum verum & ſolidum, quia totus abiit in frondes & ſurculos, totus terrenis bonis inhians, iiſque & prolibus luxurians, atque ea idolis accepta referens ſpreuit Deum,

itaque nullum pietatis, timoris Dei & ſanctitatis fructum dedit; non vuas religionis, ſed labruſcas protulit idololatriæ. ita S. Hieron. Vatabl. Arias, Prado in Ezech. c. 15. v. 2. fructus enim reſpondens & adæquatus viti frondoſæ, ſunt frondes & labruſcæ. Vnde Vatabl. vertit, *ponétne*, vel *aſſirétne fructum*? q.d. Non, niſi foliatum & futilem; alij vertunt, *fructus mentietur illi*, id eſt, fallet eum & fruſtrabit ſuaſpe. Hebr. enim יְשַׁקְּרֶנּוּ *ieſcarue*, id eſt, *adæquatus eſt*, ſi à שָׁקַר *ſcaue*, id eſt mendacium, deducatur, ſignificat, *mentietur*. Aliter Arabicus Alexandrinus vertit, *vitis florida habens ramos eſt Iſrael: multi ſunt fructus eius in templis eorum*, putà multæ in idoliis victimæ & impietates; Arabicus Antiochenus, *Iſrael quaſi vitis fertilis, & fructus eius facilis eſt ei*; Syrus, *vitis pampinorum* (pampinoſa) *Iſrael, quæ fecit fructus ſecundùm multitudinem fructuum eius, multiplicauerunt altaria*. Iuxta hos Sanchez ſic explicat, q.d. Iſrael quaſi vitis, vti frondes, ita & fructus multos protulit, & opibus abundauit, ſed has omnes ſuis idolis impendit, plures impenſurus, ſi plures habuiſſet. Alij, q.d. Vitis euacuat, id eſt, dementat Iſraelem. Nam *fornicatio & vinum auferunt cor*, cap. 4. 11. Sic Ierem. c. 51. ait, *iebokeku*, id eſt euacuabunt, terram eius. Chald. hæc ad captiuitatem refert: vertit enim, *vitis vaſtata eſt Iſrael, quæ erat plantata cùm legem exequeretur: & fructus reſpondet ei. Nam opera eius mala facient vt exulet.* Vitis ergo vaſtata ſimilem fructum feret, ſcilicet exilium & captiuitatem.

Vinea eſt Eccleſia & anima ob varias analogias.

Allegor. vinea eſt Eccleſia, & tropologicè anima quæuis fidelis, idque Primò, quia antiquis, præſertim Patriarchis, potiſſimum prædium erat vinea. Ita Noé mox à diluuio plantauit vineam, Geneſ. 9. v. 20. Sic Deus Iſraelitis in terra promiſſa promiſit vineta, Deuter. 6. 11. Sic ſponſa Cantic. 8. 11. hereditatem ſuam vocat vineam: *Vinea*, ait, *mea coram me eſt*, q.d. Mihi cariſſima eſt & viciniſſima, in ea vel iuxta eam dego, illa oculis meis ſemper obuerſatur. Solebant enim veteres, vti & moderni, in atrio domus ad ianuã plantare vineam, ad vmbrã, & ad amœnitatem. Eſt enim vinea quid medium inter hortum & agrum: nam hic quæſtuoſus eſt, ille delicioſus; vinea & quæſtuoſa, & delicioſa.

Secundò, quia vinea maximè fructifera eſt: tum quia vinum fert, quod Deum lætificat & homines, Iudic. 9. 13. tum quia nulla arbor vite feracior, ſi eius tenuitatem ſpectes: tum quia multæ vineæ bene excultæ copioſum dant fructum, vti fuit illa, de qua Cato, quæ ex ſingulis iugeribus dabat decem vini culeos. *Efficaci exemplo*, ait Plinius lib. 14. 4. *non maria plus temerata conferre mercatori, non in rubrũ littus Indicúmve merces petitas, quàm ſedulum ruris larem*. Hinc Sapientia ſeſe deprædicans: *Ego*, ait, *quaſi vitis fructificaui*, Eccli. 24. 23. Talis vitis fuit S. Polycarpus, diſcipulus S. Iohannis Apoſtoli, Chriſtianorum in Aſia doctor, pater, & dux ad martyrium, de quo proinde verè Poëta:

Fructificas Polycarpe Deo, more, ore, & amore:
A fructu meritò nomen & omen habes.

Nimirum polycarpos poſcit, amat & prouehit Deus, non polyphyllos; fructiferos, nõ frondoſos. Denique vinum quod profert vitis, ita vires hominis reficit & recreat, vt nõ tantùm lac ſenũ, ſed lignum vitæ, imò vita hominis dici poſſit.

Tertiò, quia vinea iucundiſſima eſt, ſiue ordines vitium, ſiue pampinos, ſiue botros vernantes & rubeſcentes ſpectes. Quocirca ſponſa ſponſum ad ambulandum per vineam inuitat in Canticis. Denique muſti ex vuis recèns expreſſi tanta eſt vis, vt lagenas & vaſa ſæpè diffringat, vt homines non tantùm ebrios, ſed & mentis impotes, & quaſi amentes efficiat.

Ita Eccleſia & anima fidelis, Primò eſt prædium Deo chariſſimum; Secundò, fertiliſſimum bonorum operum; Tertiò, amœniſſimum; Quartò, efficaciſſimum: licèt enim exteriùs inſtar ligni vitis ſit vilis & deſpecta, interiùs tamen habet ſuccum viuificum, putà ſpiritum Chriſti, quo languidi & quaſi emortui reuiuiſcunt, incaleſcunt, alioſque Dei amore inflammant ad ardua virtutum opera. Hoc ergo eſt vinum germinans virgines, id eſt, caſtos & immortales: virgo enim viuido roſeoque colore floreſcens, iuuentæ numquam ſeneſcentis & immortalis vitæ eſt ſymbolum. ita Prado loco citato. Et S. Bernard. ſerm. 63. in Cantic. *Viro ſapienti*, ait, *ſua vita vinea eſt, ſua mens, ſua conſcientia. nil quippe incultum deſertúmve in ſe ſapiens derelinquet.* Et mox: *Cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum teſtimonium conſcientiæ, cui lingua torcular expreſſionis; ſermo, cogitatio, conuerſatio, & ſi quid aliud eſt ex eo, quid ni totum Dei agricultura, Dei ædificatio eſt, & vinea Domini ſabaoth*? Vinea ergo hæc non tantùm frondoſa, ſed & florens, fructifera & vinoſa eſt. Idem ſerm. 65. Eccleſiam vocat vineam *grandem nimis*, Domini plantatam manu, redemptam ſanguine, rigatam verbo, propagatam gratia, fœcundatam ſpiritu. Et ſerm. 60. *Si vinea animæ flos opus, odor opinio eſt, fructus quid? martyrium. Et verè fructus vitis, ſanguis eſt Martyris. Quid ni muſtum rubens, probatum, pretioſum, planè de vinea Sorec, torculari paſſionis expreſſum*? Denique vide eumdem libr. de Paſſione Domini, qui totus eſt de myſtica hac vite & vinea. Explicans enim illud Iohan. 15. *Ego ſum vitis vera*, docet Chriſtum eſſe veram vitem, cuius proinde præciſionem, circumfoſſionem, vincula, culturam & ſpeciem Chriſto accommodat. Deinde c. 8. & ſeq. ſeptem vitis huius folia myſtica recenſet: mox c. 16. eiuſdem flores. *Habuit*, inquit, *vitis iſta vera non vnius, ſed omnium florum ſpeciem, violam humilitatis, lilium caſtitatis, roſam patientiæ & charitatis, & florem abſtinentiæ, quem crocum appellamus.* De his dicitur in Cant. *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Et, *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.*

SECVNDVM MVLTITVDINEM FRVCTVS SVI MVLTIPLICAVIT ALTARIA] *Fructus* vocat frondes; non enim vuas, ſed frondes proferebat hæc vitis, vti paulò antè dixi: per frondes intelligit filiorum frugumque copiam, q.d. Quanto plures habebat ciues & opes Iſrael, tanto plura ædificauit idola & altaria; quia inſtar vitis frondoſæ, in ea totus effluxit. ita S. Hieron. Theodor. Theoph. Chald. Lyran. & Vatabl. In Hebr. eſt elegans paronomaſia inter טוּב *tob*, & הֵיטִיבוּ *hetibu*, q.d. Secundùm bona terræ fecerunt bona idolis, quaſi earum largitoribus, vt quo plus bonorum ab iis ſe accipere putabant, eo plus iis impenderent. Sic ait de Deo frugum Virgil. eclog. 7.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu,
Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.

Hoc

Hoc eſt quod ſubdit hîc Propheta: *iuxta vbertatem terræ exuberauit ſimulacris.* Ita impij Deo reddunt mala pro bonis, & beneficia vertunt in maleficia, ac fruges in gladios, diuitias in vitia, quibus contra auctorem eorum pugnant pro diabolo.

VERS. 8. DIVISVM EST COR EORVM] Hebr. *diuiſit cor eorum*; Septuag. *diuiſit corda ſua*, quia ſcilicet Iſrael, putà Samaritæ, ſeparârunt mentem ſuam Primò, à Deo Deique lege, ait Chald. & Theophyl. Secundò, à ſeſe inuicem, q.d. Animis & odiis inter ſe diſſident, dum hi hæc, illi illa idola, alij alia inducere conantur. ita S. Cyrill. Theodoret. Albert. & Hugo. Simili modo inter hæreticos perpetua videmus ſchiſmata & iurgia, quæ parit ſuperbia. Cùm enim faſtu tumeant, nolunt aliorum hæreſes ſequi, eſſeque eorum diſcipuli; ſed ipſi nouorum dogmatum auctores & magiſtri eſſe ſatagunt. Porrò Hugo putat hîc notari ſchiſmata inter Iuda & Iſrael, ſiue inter Roboam & Ieroboam, ac conſequenter inter Deum & vitulos aureos: hos enim coluit Iſrael, illum Iuda. Verùm hoc remotius eſt: vicinùs S. Hieron. Haymo & Albert. putant hîc ſignificari ſchiſma inter Oſee vltimum regem Iſrael, & populum, dum populus vitulos, rex Deum colendum cenſeret: ſed huius ſchiſmatis in Scriptura nulla eſt mentio, imò de Oſee rege dicit 4. Regum 17. 2. *Fecitq; malum coram Domino*, quia, vt videtur, coluit vitulos aureos, non Deum. Tertiò, *diuiſum eſt cor eorum in ſeipſis*, dum partem eius Deo, partem idolis dare volunt. Cupiunt enim tam Deum, quàm idolum colere, vt vtrumque habeant propitium, vt patet 4. Reg. 17. 33 ita Lyran. Sic Romani colebant deos omnium gentium, vt omnes haberent propitios & fauentes, ne, ſi quem negligerent, eum contra ſe concitarent; vti Troiani colendo Venerem, concitarunt contra ſe Iunonem, vti narrat Virgil. 1. Æneid. Putabant enim inter Deos eſſe lites & bella, vti ſunt inter homines.

NVNC INTERIBVNT] q.d. Idcirco iam iam exſcindentur & deſolabuntur, vt vertunt Septuag. diuiſio enim & ſchiſma eſt cauſa ruinæ & interitus. Verum enim eſt illud Chriſti: *Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.* Secundò, cum Chald. Aria & Vatablo verti poteſt, *nunc delinquent*, q.d. Inſigne delictum & enorme flagitium eſt, hæc cordis eorum diuiſio à Deo & proximis, imò à ſeipſis. Hebr. enim שָׁמַם *aſcam* & delinquere, & deſolari, ſiue exſcindi & interire ſignificat.

IPSE, ſcilicet Deus, CONFRINGET per Aſſyrios SIMVLACRA EORVM] Iſraelitarum, ita S. Hieron. Theodor. Theophyl. Albert. & Vatabl. Hebræi enim ſæpè ſuppoſitũ ſubticent, & ex circũſtantiis ſubintelligendũ & ſupplendum relinquunt. Secundò, *ipſe*, id eſt *ipſum*, ſcilicet, cor diuiſum: לֵב *leb* enim, id eſt *cor*, hebr. eſt maſculini generis, æquè ac *ipſe*: vel certè *ipſe*, ſcilicet Iſrael, qui diuiſit cor ſuum, vt habent Hebræa, q.d. Ipſe diſſenſus animorum, ipſa diſcordia, ipſa ſchiſmata & factiones perdent eos, tradentque hoſti, qui ſimulacra, æquè ac domos & vrbes eorum euertet ita à Caſtro. Vnde ſequitur:

VERS. 3. QVIA TVNC DICENT: NON EST REX NOBIS, &c.] q.d. Cùm viderint aduentare Aſſyrios, ac Samariam obſidere, nec Oſee regem ſuum poſſe eis reſiſtere, tunc dicent: Non eſt rex qui nos poſſit tueri: rex noſter perinde eſt, ac ſi non eſſet rex, idque iuſtè accidit nobis, quia non timemus nec colimus Dominum, ſed idola. Deo enim, qui eſt Rex regum & dominus dominantium, irato, quis mortalis rex iuuare & ſaluare poterit? ita Lyran. & Vatabl. Vnde Secundò, S. Hieron. Theodor. & Albert. exponunt, q.d. Cùm Oſee rex capietur ab Aſſyriis, dicet Iſrael: Iam orbati ſumus rege; quia Deum regem regum reliquimus. Tertiò, à Caſtro, q.d. Deus qui ſolet nos regere, eſſeque rex noſter, nos deſeruit, quia non coluimus eum: quid ergo opis nobis conferet Oſee rex miſer, & ruinæ proximus? Denique Hugo & Arias exponunt, q.d. En regnum Iſrael quod inuito Deo inſtituimus, iam ſucciſum eſt: quia Deum non timuimus. Quid ergo illud nobis profuit, aut proderit, quod nos ſecum trahit in ruinam?

Moral. diſcant hîc reſp. & reges, omnem eorum potentiam eſſe imbellem & inualidam, niſi Dei cultu & ope fulciatur. Hoc profeſſus Salomon 3. Reg. 2. 24. *Viuit*, ait, *Dominus, qui firmauit me, & collocauit me ſuper ſolium Dauid patris mei.* Et Dauidi ait Deus pſalm. 88. 36. *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar: ſemen eius in æternum manebit, & thronus eius ſicut ſol in conſpectu meo.* Quocirca Dauid moriens Salomoni hæc vltima dedit monita: *Obſerua cuſtodias Domini Dei tui, vt ambules in viis eius, &c. vt confirmet Dominus ſermones, quos locutus eſt de me, dicens: Si cuſtodierint filij tui vias meas, & ambulauerint coram me in veritate in omni corde ſuo, & in omni anima ſua, non auferetur tibi vir de ſolio Iſrael.* Quin imò Moſes moriturus, ex ore Dei de regibus ita ſanxit Deuter. 17. 18. *Poſtquam ſederit (rex) in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium, &c. legetq; illud omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias eius, &c. vt longo tempore regnet ipſe, & filij eius.* Hoc ipſum æterna Sapientia edicit Prouerb. 8. v. 15. *Per me reges regnant.* Hinc de Ioſaphat pio rege dicitur 2. Paral. 2. *Fuit Dominus cum Ioſaphat, quia ambulauit in viis Dauid patris ſui, &c. cõfirmauitq; Dominus regnũ in manu eius, &c. factaq; ſunt ei infinita diuitiæ, & multa gloria.* Hac de cauſa Agapetus rectè monuit Iuſtinianum Imp. vti refert Baron. tom. 7. in Iuſtin. *Sceptrum*, inquit, *imperij cùm à Deo ſuſceperis, cogitato quibuſnam modis placebis ei, qui id tibi dedit, cumq; omnibus hominibus ab eo ſis prælatus, præ omnibus eum honorare feſtina.*

Moral. vir regni ſine Deo eſt inualida.

Videtũ idipſum Gentiles. Scribit Plinius de Viris illuſtr. c. 2. Numam Pompilium ſecundum Romanorum regem, ferum populum *religionis inſtitutione & vetitibus legibus domuiſſe, ſuumq; regnum ita firmaſſe, vt pendente eius regno nemo illi bellum mouerit.* Apud Liuium lib. 44. eſt illa vox C. Marcij, *fauere pietati fideiq; deos, per quæ populus Romanus ad tantum faſtigij peruenit.* De Ageſilao Spartanorum duce ita ſcribit Xenophon in eius laudibus: *Exiſtimabat diuina auxilia non minùs in hoſtili, quàm amico in ſolo imploranda eſſe.*

LOQVIMINI VERBA VISIONIS INVTILIS] Legit Interpres דַּבְּרוּ *dabberu* in Imperatiuo, id eſt, *loquimini*: iam legunt דִּבְּרוּ *dibberu* in præterito, id eſt locuti ſunt. Chald. vertit in præſenti, *loquuntur verba violenta*: quia Hebræi carent præſenti, & pro eo vtuntur præterito. Rurſum, pro

VERS. 4.

viſionis inutilis, hebr. eſt אָלוֹת שָׁוְא *aloth ſcau*, id eſt *iuramenti mendacis*, vel futilis & *inutilis*. Solebant enim Prophetæ ſuas viſiones, ſiue prophetias confirmare iuramento, dicendo: *Viuo ego dicit Dominus*, id eſt, iuro per vitam meam; aut potiùs ſe diris deuouendo, dicere; *Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat ſi mentior*. Hebr. enim *alot* ſignificat iuramentum execratorium, maledictionem & imprecationem triſtium. Talis ergo viſio & prophetia vocatur *ala*, id eſt execratio: quia fiebat cum execratione. Senſus eſt ergo, q.d. Loquimini ſanè, & iactate verba pſeudoprophetarum, qui afferunt ſuas viſiones, eaſque iurando & deierando confirmant, ſed mendaces & futiles. Pollicentur enim omnia proſpera, nec timendos eſſe Aſſyrios, ſed mentiuntur & decipiunt vos, aguntque in ruinam. Eſt ironia: ridet enim & ſublannat eos, quòd falſis Prophetis & ſeductoribus fidem habeant in ſuam perniciem: loquuntur enim viſiones, ſed futiles & mendaces, putà non Dei oracula, ſed cerebri ſui ſomnia. ita S. Hieron. Haymo, Hugo & alij.

FERIETIS FOEDVS] Hæc ſunt *verba viſionis inutilis*, ſeu oracula pſeudoprophetarum. Dicebant enim: *Ferietis*, vel ferite *fœdus*, ſcilicet cum diis veſtris, æquè ac regibus, iurando & deuouendo vos diris, ſi vnquam eos, eorumque ſchiſma deſeratis, & ad Deum domumque Dauid in Ieruſalem & templum redeatis. ita Vatabl. Arias & Clarius. Secundò, ferite fœdus cum Aſſyriis, aut cum Ægyptiis: ſi hoc feceritis, omnia erunt vobis ſecura & proſpera. ita ipſi. At fallunt: nam inſtat vobis amaritudo captiuitatis. vnde de ea ſubdit:

ET GERMINABIT QVASI AMARITVDO IVDICIVM SVPER SVLCOS AGRI] Pro *amaritudo* hebr. eſt רֹאשׁ *roſc*, quod ſignificat venenum, amaritudinem, reſque venenatas & amariſſimas, vti eſt fel, virus ſerpentum (vnde Chald. vertit, *caput ſerpentum maleficorum*) colocyntides, abſynthium, &c. Septuag. vertunt, *germen*, ſcilicet amarum & noxium. Senſus ergo eſt, q.d. *Iudicium*, id eſt, ſupplicium Iſraelis *germinabit*, & prodibit quaſi *amaritudo*, id eſt, amaræ & noxiæ herbæ, v.g. abſynthium, *ſuper ſulcos agri*, vbi copioſiùs germinant, vtpote terra ſulcata & elaborata, q.d. Vti noxiæ herbæ copioſè germinant in terra culta; ita copia ſuppliciorum germinabit in Iſrael, qui in agro tam terræ, quàm cordis duxit ſulcos non pietatis, ſed impietatis: hiſce enim cor ſuum ſulcauit, id eſt, ſtudioſè & data opera peccauit, ſculpendo & colendo idola, ac Deum Deique legem & minas ſpernendo; idque ex eo, quòd credidit pſeudoprophetis dicentibus, eum, ſi id faceret, fœduſque cum idolis feriret, tutum & ſecurũ fore. ita Theodor. Theoph. Arias, Vatabl. & S. Hieron. qui & addit de hac amaritudine ſupplicij: *Vt qui ſeminauerunt copioſè in gaudio, copioſè metant in lachrymis; qui riſerunt, fleant; qui habuerunt conſolationem, lugeant*. Alludit ad minas & execrationes Moſis Deuter. 29. 18. *Ne fortè ſit inter vos vir aut mulier, familia aut tribus, cuius cor auerſum eſt hodie à Domino, vt vadat & ſeruiat diis illarum Gentium, & ſit inter vos radix germinans fel & amaritudinem. Cumq; audierit verba iuramenti huius, benedicat ſibi in corde ſuo dicens: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei. Et Dominus non ignoſcat ei, ſed tunc quàm maximè furor eius fumet.* imò haſce minas in Iſraele iam implendas Oſee hîc prædicit. Secundò, *iudicium*, id eſt vindicta, *ſuper ſulcos agri*, accipi poteſt ſterilitas inducta agris, q.d. Deus puniet vos agrorum ſterilitate, vt, licet ſulcati & ſeminati, non proferant ſegetem, ſed potiùs ſpinas, tribulos, lolia, herbaſque amaras & venenatas.

5. Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ: quia luxit ſuper eum populus eius, & ædituì eius ſuper eum exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo.

6. Siquidem & ipſe in Aſſur delatus eſt, munus regi vltori confuſio Ephraim capiet, & confundetur Iſrael in voluntate ſua.

7. Tranſire fecit Samaria regem ſuum quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ.

8. Et diſperdentur excelſa idoli, peccatum Iſrael: lappa & tribulus aſcendet ſuper aras eorum: & dicent montibus: Operite nos; & collibus: Cadite ſuper nos.

9. Ex diebus Gabaa peccauit Iſrael, ibi ſteterunt: non comprehendet eos in Gabaa prælium ſuper filios iniquitatis.

10. Iuxta deſiderium meum corripiam eos: congregabuntur ſuper eos populi, cùm corripientur propter duas iniquitates ſuas.

VACCAS BETHAVEN COLVERVNT HABITATORES SAMARIÆ] *Bethauen* eſt Bethel. Bethel enim, id eſt domus Dei, dicta eſt, ob viſum ibi à Iacobo Deum ſcalæ innixum. Eadem deinde dicta eſt *Bethauen*, id eſt domus iniquitatis, vel idoli, ob vitulos aureos quos ibi adorandos propoſuit Ieroboam. *Vaccas* ergo, ſiue iuuencas, vocat hoſce vitulos. Vnde Septuag. hîc vertunt, *vitulum*; & de eo mox ſequitur: *Quia luxit ſuper eum* (vitulum) *populus*. Pro quo Nota. Vitulus hic fuit Apis, ſiue Serapis, Deus Ægyptiorum. Hunc enim cum Ægyptiis coluerunt Hebræi degentes in Ægypto, ideoque Deus, vt eos ab hoc idolo auelleret, iuſſit Moſi vt eos educeret ex Ægypto in Sina: vbi cùm Moſes accepturus legem, diutiùs cum Deo hæreret in monte, mox populus volens redire in Ægyptum, Apin, putà vitulum aureum, quaſi ducem viæ ſibi conflauit, Exodi 32. 4. Eumdẽ renouauit & reuocauit Ieroboam, faciens ſchiſma à Deo, & à domo Dauid. lege hiſtoriam 3. Reg. 12. v. 28. Porrò Ieroboam non vnum, vti videtur velle S. Hieron. Haymo, Rupert. Hugo & Lyran. ſed plures erexiſſe vitulos patet, tum 3. Reg. 12. 28. tum quia hîc eos vocat *vaccas* in plurali. *vaccæ* ergo *Bethauen*, ſunt duo vituli aurei, quos fecit Ieroboam, vnumq; poſuit in Bethel, alterum in Dan. Dan ergo, æquè ac Bethel, vocatur hîc *Bethauen*, id eſt, domus idoli.

Nota. Scriptura hos deos nunc vocat *vitulos*, nunc *vitulas*, vel *vaccas*. Primò, quia Patres quos citauì Exodi 32. v. 4. docent eos non fuiſſe integros vitulos, ſed tantùm capita vitulina, ita vt Aaron Hebræis tantùm conflauerit caput vituli. vnde an is mas eſſet, an femina, putà an vitulus, an

an vitula, vix dignoſci poterat. Secundò, quia valdè veriſimile eſt, ſi è capite ſexus dignoſci poterat, fuiſſe vitulas potiùs quàm vitulos: tum quia Herodot. lib. 2. id docet: *Boues mares*, inquit, *eoſdemq́; mandos, ac vitulos vniuerſi Aegyptij immolant: feminas eis immolare non licet, vtpote Iſidi conſecratas. Nam Iſidis ſimulacrum muliebre eſt bubulis præditum cornibus, quemadmodum Io Graci deſcribũt, bouesq́; feminas omnes itidem Aegyptij venerantur ex omnibus pecudibus longè plurimum*: tum quia hebr. vocantur עֶגְלוֹת *eglot* femininè, id eſt vitulæ, vti vertunt Septuag. 3. Reg. 12. 28. ac Ioſeph l. 8. Ant. c. 3. ſiue vaccæ, vti vertit Noſter hîc. *Vaccas* ergo nouellas accipe, id eſt vitulos adultos, aut potiùs adultas: vitulus enim, vti & bos, aſinus, equus, ouis, camelus, & cætera animalium nomina vtrumque ſexum, putà tam feminam, quàm marem ſignificant. Hæc ſententia valdè probabilis B eſt: contraria tamen, ſcilicet fuiſſe vitulum potiùs quàm vitulam, non eſt improbabilis, eamq́; videtur ſequi S. Hieron. Rupert. Vatabl & Arias. Ratio eſt, quia paſſim vocatur *vitulus*; hîc tantùm vocatur *vacca* ad irriſionem. Apis ergo, ſiue Serapis, erat bos, vel vitulus corpore nigro, candida fronte, habens in tergo albam notam vel maculam, vti dixi Exodi 32. 4.

Tropolog. peccator qui carni, abdomini, ventri & veneri indulget, colit vitulos & vaccas Bethauen, cum iiſq́ue vitulatur, fitq́ue quaſi vitulus. Sicut enim vituli & vaccæ ſtupidi ſunt, petulci, iugum ſubeunt, terram aratro ſubigunt, & collum oneri ſupponunt: ita & carnales ſtupidi fiunt mente, laſciuiunt, labores maximos ſubeunt vt ſuis deliciis fruantur, onera grauiſſima & penè importabilia ſuſcipiunt, fœno paſcuntur, C torq́ue in terram & terrena proiecti ſunt.

COLVERVNT] Hebr. eſt יָגוּרוּ *iagurv*, id eſt timuerunt, hoc eſt, coluerunt & veneratí ſunt, vt vertit Noſter, Chald. & alij: nam *primus in orbe deos fecit timor*. Hinc in Scriptura timor Dei, ſignificat venerationem & cultum Dei. Timor ergo hîc eſt reuerentia Dei. ita S. Hieron. Theodoret. Haymo & alij.

Aliter Vatabl. Arias. Pagnin. & Clarius, q. d. Samaritæ videntes ab Aſſyriis vaſtari Bethel & vitulos ſuos, pauebunt, timentes quòd & ipſimet propediem ſimili clade vaſtabuntur. Septuag. vertunt, *morati ſunt*: גּוּר *gur* enim ſignificat proprié peregrinari, morari, degere: inde גֵּר *gher* eſt peregrinus: & quia peregrini peregrè, apud exteros & incognitos ſunt timidi & pauidi, hinc *gur* ſignificat quoque timere, pauere. Vertunt ergo Septuag. *apud vitulum domus* (pro אָוֶן *auen* D enim legunt ipſi per craſin יִן *on*) *morabuntur habitatores Samariæ*. Hinc & Vatabl. vertit, *ad vitulas Bethauen concurrent Samaritæ*.

QVIA LVXIT SVPER EVM POPVLVS EIVS. *Eum*, ſcilicet vitulum, vt vertunt Septuag. Itaque quas antè *vaccas* vocauit, hîc *vitulum* vocat, ob cauſas iam dictas: & quia voluit ſubſtantiam tantùm idoli, non ſexum, non numerum ſignificare, ſcilicet quòd eſſet bos, ſiue vitulus, non equus, non hircus, non aries. Senſus ergo eſt: *Luxit*, id eſt lugebit, populus ſuper vitulum Deum ſuum, cùm ſcilicet videbit eum ab Aſſyriis capi, & captiuum auehi in Aſſyriam. lugebunt ET ÆDITVI EIVS, putà ſacerdotes & cuſtodes vituli eiuſq́ue templi, qui antea EXVLTAVERVNT IN A GLORIA EIVS, cùm ipſe ab omnibus coleretur: QVIA GLORIA hæc vituli MIGRAVIT AB EO.]

SIQVIDEMET IPSE (vitulus) IN ASSVR (Aſſyriam) DELATVS EST, MVNVS REGI VLTORI] Septuag. *& ipſum vinciendum duxerunt xenia regi*. q. d. Vitulum hunc captiuum, quaſi munus & xenium inſigne obtulerunt Aſſyrij regi ſuo. Nota Primò. τὸ *quia* hîc non cauſam ſignificat, ſed euentum: Hebr. enim כִּי *ki* ſæpè tantùm conſequentiæ & ornatus cauſa additur, idemq́ue valet quod *hinc, hac de cauſa, idcirco*. Secundò, poſt τὸ *aditui*, more Hebræo ſubauditur relatiuum אֲשֶׁר *aſcer*, id eſt *qui*. Tertiò, regem Aſſyriorum vocari *vltorem* id eſt vindicem, Symmach. ὑπερμάχοντα, id eſt præſulem & defenſorem, ob cauſam quam dedi c. 5. 13. Allegor. Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 42. *Oſeas*, inquit, *de Chriſto prophetauit: Et vinctum eum ducent xenium regi*; nempe cùm Pilatus eum miſit ad Herodem. Sed perperam; donum enim hoc fuit idolum, putà vitulus aureus, qui nequit eſſe typus Chriſti.

CONFVSIO EPHRAIM (Ephraimitas, id eſt Iſraelitas, ſiue Samaritas) CAPIET, ET CONFVNDETVR ISRAEL IN VOLVNTATE SVA] Hebr. מֵעֲצָתוֹ *meatſato*, id eſt *à conſilio ſuo*, vt vertunt Septuag. Vatabl. & alij.

Quæres quænam hæc confuſio, quæ voluntas, quodnam conſilium? Primò, S. Hieron. Theodoret Theophyl. Haymo & Hugo: *Tradunt*, inquiunt, *Hebræi vitulos aureos à ſacerdotibus furto eſſe ablatos, & pro his æneos & deauratos repoſitos. Cùm igitur lugeret populus tempore neceſſitatis & angustiæ, etiam vitulos aureos inter munera cætera Aſſyriis regibus, & maximè regi Sennacherib, ab Iſrael eſſe directos; exultabant aditui quòd fraus eorum nequaquam poſſet argui & deprehendi. Et hoc eſt quod ait: Aeditui eius, ſcilicet vituli, ſuper eo exultauerunt in gloria populi, hoc eſt, in vitulo quem habebant pro gloria; quia migraſſet ab eo, id eſt à populo, & tranſlatus eſſet ad Aſſyrios. Siquidem ipſe delatus eſt munus regi vltori. ſtatimq́; ſequitur: Confuſio capiet eos, &c. Deprehenſa enim fraus vitulorum deauratorum, regi Iſrael litteris indicatur; & vnde ſe placere exiſtimauerant, inde vel maximè confunduntur, & offendunt eos quibus munera miſerant, exiſtimantium non furto ſacerdotum, ſed fraude regum atque conſilio hoc eſſe perfectum*. Additq́ue S. Hieron. *Legimus* 4. Reg. 15. 19. *regem Iſrael Manahem regi Aſſyriorum Phul mille talenta argenti miſiſſe, vt ei præberet auxilium, inter quæ nonnulli arbitrantur etiam vitulos aureos eſſe directos*. Conſilium ergo hoc ſacerdotum fuit, quòd ſuaſerint regi Iſrael, vt vitulos deauratos mitteret dono regi Aſſyriorum, vt ſic fraus eorum lateret, qua ipſi furati vitulos aureos, ſuppoſuerant æneos deauratos: confuſio & pudor eorumdem fuit, cùm fraus eorum detecta per regem Aſſyriorum, redundauit in caput regis Iſrael, & tandem in caput ipſorummet ſacerdotum. Aliter Theophyl. opinatur enim ſacerdotes ſuaſiſſe principibus, vt vitulos hoſce mitterent in Aſſyriam, quòd ſperarent eos ab Aſſyriis adorandos. ſed confuſi ſunt: nam Aſſyrij eos confregerunt. Aliter & Theodor. Conſilium, ait, hoc fuit de mittendo vitulo in donum Sua regi Ægypti, vt is Iſraelitas tueretur contra Salmanaſar. Sed confuſi ſunt: nam & vitulum perdiderunt, & à Sua adiuti non ſunt.

VERS. 6.

Verùm hæc omnia incerta ſunt, & fabulas

Rabbinicas olent, præsertim quia Osee satis significat, vitulum hunc non datum, sed captum ab Assyriis c.8.5. *Proiectus est*, inquit, *vitulus tuus Samaria.* Et hic v.2. *Ipse confringet simulacra eorum.* Et v.8. *Disperdentur excelsa idoli, peccatum Israel.*

Dico ergo: Voluntas hæc & consilium Israelis fuit, quòd vitulum quasi numen suum elegerint, & Deo vero prætulerint, eique, non Deo, seruire voluerint, sperantes eius ope se tutos fore ab Assyriis. sed confusi sunt: nam vastati sunt cum vitulo, qui ab Assyriis captus & irrisus, in donum oblatus fuit regi vltori, putà Salmanasar, qui vltus est defectionem Israelitarum tam à Deo, quàm à se, quòd scilicet contra fœdus secum initum confugissent ad Sua regem Ægypti. ita Lyran. Arias, Vatabl. Ribera, à Castro & alij.

Tropol. S. Gregor. explicans illud S. Iob c.21. 16. *Consilium eorum longè sit à me; Quod est*, inquit, *iniquorum consilium, nisi terrenam gloriam quærere, æternam negligere; salutem temporalem cum damno interiori appetere, & dolores transitorios ad æternos gemitus commutare?* B

VERS. 7. TRANSIRE FECIT SAMARIA REGEM SVVM] Hebr. נִדְמָה *nidme*, quod Primò, verti potest, *exscindetur in Samaria rex eius*, scilicet rex Samariæ, putà Hosee occidetur in ea. ita Vatabl. Secundò, *Similis est cum Samaria rex eius spumæ, quæ est in superficie aquarū*, q.d. Rex cum regno instar spumæ dissipabitur & euanescet. ita Arias. Tertiò, *In silentium redacta est*, vel *obmutescta est*, id est periit, disperiit *Samaria cum rege suo.* ita Forster. Quartò, Noster passiuum *nidme* accepit pro actiuo דָּמָה *dama*, vel *dimma*, id est excidit. vnde vertit, *transire fecit*; Septuag. *abiecit.* fortè pro נִדְמָה *nidme* legerunt נִדְפָּה *niddepha*, id est impulit, propulit, propulsauit Samaria regem suum quasi spumam: spuma enim ab vnda & fluctu propriè propelli dicitur, q.d. Samaria idola colendo transire fecit, impulitque in exitium regem suum quasi spumam. Suo enim scelere apud Deum meruit & effecit, vt regnum suum cum rege ab eo exscinderetur, & transiret celerrimè, euanescereque vt spuma aquæ propulsa & dispulsa à fluctibus. Rursum, q.d. Cùm rex populo in idololatriam propenso obsecundaret; & hic sceleris auidus regi assentiretur & assentaretur, fecit populus, quem aquæ multæ repræsentabant, regem suum perire quasi spumam ex se natam, eam scilicet in seipso, velut in aqua consumens, perdens & euanescere faciens. Aliter Sanchez. qui per regem accipit idolum, putà Moloch, vel vitulos aureos, quos secum perdiderunt Samaritæ. C D

Nota. Pro *spumam* hebr. est קֶצֶף *ketseph*, quod propriè significat ebullitionem & efferuescentiam; inde iram ebullientem, inde bullam & spumam. Septuag. vertunt, φρύαγον, quod interpres *cremium* vertit, putà sarmenta, stipulæ, omniaque ignis fomenta ad cremandum facilia, quibus fornax incenditur, vel torretur aliquid atque frigitur: à frigendo enim vocatur φρύαγον. ita ex Columella & Plinio S. Hieron. Hæc enim sarmenta vel stipulæ, instar spumæ ab aqua propelluntur, & si accensa sint, ab ea mox extinguuntur, ait Theodoret. Symmachus vertit, ὁπίζεμα, *volens ostendere feruentis ollæ superiores aquas, & in spumam bullasq; surgentes, quas Graci* πομφό- A λυγας *vocant*, ait S. Hieron. Syrus vertit, *reiecit Samaria regem suum quasi paleam*, vel *quasi testudinem* (pro *ghelo* enim aliis punctis legi potest *golo*) *super faciem aquæ*; Arabicus Antioch. *despexit Samaria regem suum quasi herbam super aquas*, v.g. algam. Arabicus Alexandr. *sustulit Samaria regem suum sicut spumam, quæ est super faciem* (superficiem) *aquarum.*

ET DISPERDENTVR EXCELSA, altaria, sacella & templa (hæc enim Iudæi more Gentilium erigebant in montibus, locisque excelsis) IDOLI, putà vituli aurei in Bethel erecti, quod est PECCATVM ISRAEL. *Peccatum* vocat non actum, sed obiectum peccati, putà idololatriæ. Vers.

ET DICENT Israelitæ in excidio Samariæ per Salmanasar, MONTIBVS: OPERITE NOS] q.d. Tanta erit clades & cædes Israelitarum, tantus clamor, pauor & horror Assyriorum, vt qui poterunt abdant se in speluncas & cauernas: qui non poterunt, optent montibus & collibus operiri & contegi, ne hanc stragem videant & sentiant; *vt nemo futurus sit*, ait Theophyl. *qui non malit obrui aut terra discedente, aut repentino montium casu, quàm mala ab hostibus admissa sustinere.* Et Cyrill. *Dicent*, inquit, *montibus, in quibus idola colebant: Cadite super nos, & anticipate crudelitatem Babyloniorum, & captiuitatis extremam miseriam.*

Nota, ad litteram, vt patet ex antecedentibus & sequentibus, hæc intelligi de excidio & calamitate extrema ac desperata decem tribuum, cùm ab Assyriis exsisa est Samaria. ita S. Hieron. Cyrill. Ruffin. & alij. Allegor. verò hîc dari typum calamitatis & excidij, tum Ierusalem per Titum & Romanos, quæ tanta fuit, vt in cryptas & cloacas se abderent Iudæi, teste Iosepho; excidium enim Samariæ fuit typus & præludium excidij Ierusalem: vnde eidem hæc accommodat Christus Lucæ 23.30. ita S. Hieron. Haymo, Theophyl. & Hugo. imò Rupert. vult hunc esse sensum litteralem; sed perperam. Tum totius orbis in fine mundi: vnde eidem hæc adaptat S. Iohannes Apocal. 6.v.16. Simile est Isaiæ 2.19. *Introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini.* Sic apud Senecam in Troadibus vidua Hectoris occultans filium in sepulchro, ait ei:

Fata si miseros iuuant,
Habes salutem: fata si vitam negant,
Habes sepulchrum.

Quod Malchus Monachus, teste S. Hieron. in eius Vita, herum insequentem fugiens, abdensq; se in speluncam, sibi adaptans: *Si*, inquit, *Dominus miseros iuuat, habemus salutem: si despicit peccatores, habemus sepulchrum.*

Anag. hæc planè pleneque congruunt damnatis in gehenna, qui optant mortem, vt pœnas euadant, & mori nequeunt. De quibus S. Bernard. lib.5. de Consid. cap.12. *Horreo*, ait, *vermem mordacem, & mortem viuacem. Horreo incidere in manus mortis viuentis, & vitæ morientis. Quis det illis semel mori, vt non moriantur in æternum? Qui dicunt montibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos, quid nisi mortem mortis beneficio aut finire, aut euadere volunt? Denique inuocabunt mortem, & non veniet*; ait S. Iohannes Apocal. 9 Vnde Arabicus vertit, *& dicent montibus, & rupibus, & collibus: Cadite super nos.*

EX DIEBVS GABAA PECCAVIT ISRAEL] q.d. Vsq.

Priscum

Priſcum & inolitum eſt hoc idololatriæ Iſraelis peccatum, olitana & pertinax hæc in eo eſt labes & macula, quæ proinde non niſi igne & excidio purgari & euelli poteſt. A

Quæres, quinam ſunt dies Gabaa? Primò, Chald. hæc refert ad Saulem, qui creatus eſt rex in Gabaa: peccauit enim Iſrael petendo regem contra voluntatem Dei: q.d. A tempore Saulis peccauit Iſrael, & Deo rebellare cœpit in Gabaa ergo tam populus, quàm rex ſteterunt coram Domino: imò contra Dominum; & tamen non comprehendit eos prælium ſuſceptum *ſuper*, id eſt contra, *filios iniquitatis*, putà Philiſthinos incircumciſos & infideles. q.d. Licèt Iſrael peccauerit creando regem Saulem, tamen Deus eum non deſeruit, nec tradidit Philiſthæis, ſed potiùs eos illi ſubiugauit. Nam, vt dicitur 1. Reg. 14. 52. *Erat bellum potens aduerſus Philiſthæos omnibus diebus Saul.* At Iſrael tantæ Dei clementiæ immemor & ingratus, ab eo deſciuit ad idola. Ergo acriter ab eo punietur. Hoc eſt enim quod ſubdit: *Iuxta deſiderium meum corripiam eos.* Verùm in creando Saule rege non peccauit ſolus Iſrael, de quo hîc agitur, ſed & Iuda: nec ſub Saule, aut poſt Saulem ſub Dauide & Salomone à Deo deſciuit ad idola, ſed ſub Roboam. B

Secundò ergo, meliùs alij hæc referunt ad tempora Iudicum, putà ad tempus quo ſtuprum in Gabaa eſt commiſſum à Beniaminitis in vxorem Leuitæ, ob quod omnes penè in prælio deleti ſunt, Iudic. 19. 20. Senſus ergo eſt, q.d. Ex eo tempore, quo viri Gabaa & Beniaminitæ ſcelus in Leuitam, eiuſque vxorem admiſerunt, peccauit Iſrael, ſcilicet idololatria publica, putà colendo idolum à Micha erectum in vrbe Dan, C Iudic. 17. 5. & cap. 18. 30. Nam vtramque hiſtoriam, putà ſtuprum Gabaa & idolum Michæ eodem tempore contigiſſe, patet Iudic. 17. 1. nimirum ſtatim poſt tempora Ioſue, viuente adhuc Caleb, ſub Othoniele, vt docent Hebræi, S. Hieron, Ruffin. Rupert. Theodoret. Theoph. Lyran. à Caſtro & alij. Vnde & Ioſephus vtrumque morti Ioſue illico ſubnectit, ante hiſtoriam Iudicum. Idque demonſtratur ex eo quòd Phinees filius Eleazari filij Aaron iam tum viuebat, vti ibidem dicitur cap. 17 6. & cap. 18. 1. & cap. 20. 17. & ex eo quòd Ionatham filius Gerſam, filij Moſi, conſecratus fuerit ſacerdos idoli Michæ, vti dicitur cap. 18. 30. Rurſum, quòd tum necdum ab Iſraelitis expugnata eſſet Ieruſalem, vti dicitur cap. 19. 11. Cùm igitur Ieruſalem expugnatio narretur initio libri Iudic. c. 1. ſequi- D turſtuprum Gabaa & idolum Michæ contigiſſe ante tempora Iudicum, & hiſtorias eorum libro Iudicum eſſe præponendas. vide Abulenſ. ibid. Porrò nominat ſcelus & ſtuprum Gabaa, potiùs quàm idolum Michæ, quia illud enorme erat, infame & execrabile, non tantùm coram Deo, ſed & coram hominibus: & quia ſtuprum hoc myſticè repræſentabat idololatriam; hæc enim in Scriptura vocatur *fornicatio*, *adulterium*, &c. Denique, quia hæc duo vicina & cõiuncta ſunt: libido enim eſt mater idololatriæ, æquè ac hæreſis; & vice verſa idololatræ ſunt libidinoſi: ac Gabaitæ vtrumque fuiſſe videntur, & ex vno vitio in alterum prolapſi.

Tertiò pro *ex diebus*, hebr. eſt מִימֵי *mime*, quod verti poteſt, *præ diebus Gabaa* peccauit Iſrael, q.d. Grauiùs peccauit Iſrael colendo idola, quàm Gabaitæ violando vxorem Leuitæ: grauiùs ergo punientur quàm illi; cumque illi penè ad internecionem deleti ſint, multò magis Iſrael internecione delebitur. ita Vatabl. & Sanchez. Aliter Clarius, q d. O Iſraelitæ grauiùs nunc peccaſtis colendo vitulos Ieroboam, quàm in diebus Gabaa per ſtuprum: illud enim pauci Gabaitæ commiſerunt, totus verò reliquus Iſrael illi reſtitit, ſceluſque publico bello vindicauit. hîc autem nullus eſt qui idololatriæ vitulorum reſiſtat, ſed omnes in eam conſpirant. Ego ergo Deus ſceleris, æquè ac honoris mei vindex exurgam, omneſque vos ſontes plectam per Aſſyrios.

IBI STETERVNT] q.d. A diebus Gabaa, in idololatria Michæ immobiles perſtiterunt, vt patet Iudic. 18. v. 30. & 31. æquè ac Gabaitæ in defenſione ſtupri. ita Theodoret & Theophyl. perſtiterunt, inquam, vſque ad Ieroboam, qui idololatriam in vitulis ſuis renouauit & auxit. Aliter Rupert. & Lyran. q.d. Cùm Iſraelitæ vindicaſſent ſtuprum Gabaa, ibi ſteterunt, nec perrexerunt vindicare grauius ſcelus, putà idolum Michæ, vti facere debebant. Aliter & Clarius, q.d. In Gabaa vnanimiter ſteterunt Iſraelitæ ad vltionem ſceleris, & conſpirarunt ad vindicandum ſtuprum.

NON COMPREHENDET EOS IN GABAA PRÆLIVM. eſt hebraiſmus: cùm enim ait, *In Gabaa*, ſubauditur particula ſimilitudinis *ſicut*, q.d. *Comprehendet* Iſraelitas *prælium*, at *non* tale quale fuit Gabaitarum, vel ſicut fuit *in Gabaa*, SVPER, id eſt contra, FILIOS INIQVITATIS] putà Gabaitas, qui abuſi erant vxore Leuitæ; ſed longè grauius, quo ſcilicet planè exſcindetur tam Samaria, quàm rex & regnum totum Iſrael.

Aliter à Caſtro, q.d. In Gabaa filios iniquitatis id eſt Gabaitas, non comprehendit prælium Iſraelis: quia primo & ſecundo prælio Iſrael à Gabaitis victus & cæſus eſt. Verùm obſtat quod ait, *comprehendet* in futuro: loquitur ergo de futuro, non de præterito. Adde, ſenſum illum videri extra propoſitum, & difficulter toti ſententiæ adaptari.

IVXTA DESIDERIVM MEVM CORRIPIAM EOS, VERS. 10. ✠ q d. Cùm omnes ſtent & conſpirent in priſca idololatria, quam cœperunt à tempore Michæ, deſidero & aueo eos inſigniter corripere & caſtigare. Meo ergo nutu & prouidentia CONGREGABVNTVR SVPER EOS POPVLI (Aſſyrij) CVM CORRIPIENTVR, id eſt punientur, PROPTER DVAS INIQVITATES SVAS] putà duos vitulos (eſt metonymia: idololatria enim ponitur pro ipſo idolo) quos coluit, ſcilicet vnum in Bethel, quam v. 5. vocauit *Bethauen*, alterum in Dan, vbi primitus fuit idolum Michæ in diebus Gabaa, vti innuit v. 9. ita S. Hieron. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. & Clarius: qui Secundò, *duas iniquitates* accipiunt duplicem idololatriam, ſcilicet vnam priſcam idoli Michæ in diebus Gabaa, alteram recentem vitulorum Ieroboam. Tertiò, Arias exponit, q.d. Gabaitæ vnam ſtupri iniquitatem admiſerunt, hi verò duas, putà fornicationem & idololatriam. Quartò, S. Hieron addit vnam iniquitatem eſſe, quòd non coluerit Deum; ſecundam, quòd coluerit vitulos. Simile eſt Ieremiæ 2. 13. Interpres noſter Hebr. אֶפְרַיִם *aſram* accepit quaſi deriuatum à יָסַר *iaſar*, id eſt corri-

pere. Ordines enim verborum imperfectorum, qualia sunt אסר *asar* & יסר *iasar*, sæpè commutantur, ita vt vnum ab alio modos & tempora mutuetur. Recentiores verò propriè *asram* ab אסר *asar*, id est vincire, ligare, deriuant; vnde vertunt, *cùm colligarint*, vel coniunxerint *se in duobus iugeribus*, vel *sulcis*; hunc que dant sensum, vt sit metaphora à iugo, vel à pari boum arantium, q.d. Sicut duo boues vno iugo constringuntur ad arandum, & ad sulcandos agros, v.g. duo iugera; ita Israel & Iuda conspirabunt in eamdem idololatriam, putà ad colendos duos vitulos aureos. Cùm ergo vterque sic conspirauerit, tunc vtrumque, quasi duos boues colligatos, cædam & mactabo. Addit Chald. q.d. Sicut Israelitæ laborarunt in cultu duorum vitulorum, ita ipsimet capti & constricti ab hostibus, quasi duo illi vituli arabunt: damnabit enim eos hostis quasi boues & mancipia ad aratrum, & ad agricolationem. Vbi Aduerte. pro *iniquitates* hebr. est עוונות *onoth*, quod Chaldæus, R. Dauid, Vatablus & alij vertunt, *iugera*, vel *sulcos*. Verùm aliis punctis legendum est עונות *auonoth*: aut certè *onoth* per crasin ponitur pro *auoneth*, id est iniquitates; ita enim vertunt Septuag. Noster, Arias, Pagnin. Forster. in lexico & alij. nusquam enim alibi *ona* significat iugerum aut sulcum.

A

B

11. Ephraim vitula docta diligere triturам, & ego transiui super pulchritudinem colli eius: ascendam super Ephraim, arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob.

12. Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordiæ, innouate vobis nouale: tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit vos iustitiam.

C

13. Arastis impietatem, iniquitatem messuistis, comedistis frugem mendacij: quia confisus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum.

14. Consurget tumultus in populo tuo: & omnes munitiones tuæ vastabuntur, sicut vastatus est Salmana à domo eius qui iudicauit Baal in die prælij, matre super filios allisa.

15. Sic fecit vobis Bethel, à facie malitiæ nequitiarum vestrarum.

D

VERS. 11. EPHRAIM VITVLA DOCTA DILIGERE TRITVRAM] Sicut v. 1. Israelem comparauit viti frondosæ, sed fructibus vacuæ; ita hic eumdem comparat vitulæ, quæ arauit impietatem, & messuit iniquitatem: in eaque metaphora persistit vsque ad finem capitis. Porrò alludit ad multa. Primò, in voce *Ephraim*, id est frugifer, fertilis, ad fertilitatem terræ Ephraim. Secundò, in *vitula* ad aureos vitulos, vel potiùs vitulas, siue vaccas, vti dixi v. 5. quas colebat, q.d. Ephraim colendo vitulas vitulatur, œstroque insaniæ agitur quasi vitula. Tertiò *docta*, id est assueta, vt vertit Vatablus & alij. Vnus Lyran. vertit. *stimulata*. quod eòdem reduci potest: consuetudo enim illi erat pro stimulo. Alludit ad Apim, id est vitulum, quem Israel in Ægypto coluit; indeque eius cultui se assuefecit, eique pertinaciter adhæsit in Chanaan. Rursum ad fruges copiosas Ægypti, quibus Israel inescatus in Ægypto, ad eas earumque triturationem, æquè ac ad Apim, quasi earum datorem iugiter anhelabat. Quartò, pro *trituram* hebr. est דרוש *laduss*, id est ad triturandum, putà ad excutiendum grana è segete. In Palæstina enim, æquè ac in Italia, Canariis, aliisque regionibus grana excutiunt, non homines ligneis flagellis, vti faciunt Germani & Galli, sed boues & vaccæ, siue pedibus & vngulis segetem calcando & terendo, siue, vt ait S. Hieron. ferreos orbes super aceruum segetum trahendo. Quintò, in voce *docta* & *diligere*, significatur vitulas ad hanc laboriosam triturам condoceri per pabulum, quod ex area capiunt, sed sensim: sæpè enim laxantur; itaque spe pabuli discunt sponte ad aream, & ad triturandum redire; eò quòd dum triturant, subinde segetem ore carpere, ex eaque edere sinuntur, iuxta legem Deuter. 25. 4.

Sensus ergo huius allegoriæ est, q.d. Ephraim instar vitulæ amantis triturам & triturationem, eique assuefactæ, didicit idola colere, & idololatriæ se assuefecit; ac licèt subinde ea dimiserit, tamen mox ad ea recurrit: quia per ea sibi frugibus ditari, diuesque fieri & prosperari videbatur. Vnde labores & molestias, quas in idolorum cultu sustinet, vel non sentit, vel facilè superat: quia ex eo putat se frui libertate, opibus, rerumque copia. ita Rupert. Haymo, Lyran. Hugo. Notat S. Hieron. *docta*, significare consuetudinem & amorem. *Ephraim*, inquit, *similis est vaccæ, vel vitulæ, quæ à iuuentute sua didicit aream terere, & ferreos orbes super aceruum segetum trahere, vt paleæ à tritico separentur: & non solùm didicit, verùm nimia consuetudine cœpit amare quæ didicit*, &c.

Aliter explicat Vatabl. q.d. Ephraim mauult triturare, quàm arare, id est, mauult comedere quàm laborare: vnde est instar vitulæ saginatæ pinguis & obesus. Et alij: Ephraim, inquiunt, amat triturам, id est regnum, quo trituret, id est sibi subdat, & tributis exhauriat alias tribus & gentes. Hinc

Tertiò, Septuag. pro *trituram* vertunt *contentionem* & vexationem: *Ephraim*, inquiunt, *vitula docta diligere* νῖκος, id est *contentionem*: sicut enim tritura affligit & vexat segetem, ita contentio vexat homines, præsertim subditos. Aut potiùs, vt Theodor. Cyrill. Theophyl. & S. Hieron. contentio hæc est cum Deo. Sicut enim vitulus triturans contendit cum segete, vt ei grana adimat & excutiat; ita Israel contendebat cum Deo, nec eius iugum suscipere volebat, sed illud excutiebat. quocirca ego, inquit Deus, collum eius obesum & superbum premam & subigam per Assyrios. Versioni Septuag. consentit Chald. qui vertit, *similis est domus Israel vitulæ quam arare docent, & non discit*. Perperam Leo Castrius pro νῖκος legit νίκος, id est victoriam, q.d. Ephraim assuetus fuit non domari & vinci, sed vincere, vt ait S. Cyrillus. Sensus tamen eòdem redit.

Verùm prima expositio est genuina. Est enim adagium, significans indolem, vsumque & morem Israelis, quo assuetus libertati, gulæ & ventri, ardenter & constanter diligebat idola, quasi

per

per ea libertatem & gulam suam expleret. Alludit ad ingenium meretricum: hæ enim sunt, & vocantur vitulæ lasciuientes. Meretrices enim assuetæ amasiis, scortationi & symposiis, ad ea iugiter redeunt, nec vllis vel amicorum monitis, vel amasiorum contumeliis, vel lue venerea, dolore & sordibus, vel infamia, &c. ab illis auocari se sinunt, sed ad illa semper reuertuntur velut canis ad vomitum, etiamsi cum dolore, labore & confusione turpitudinē suam expleant. Sic & Israel assuetus idolis, & idololatrarum gentium commercijs, cum quibus epulabatur, quibusque se ditari putabat, nullis Dei minis, plagis, aut probris abiis auocari poterat; sed quasi vitula & meretrix lasciuiens, cum iis comessabatur & scortabatur assiduè. ita Martinus de Roa libr 3. Singul. c. 13. & Delrio adagio 954.

Mor. de ui consuetudinis.

Moral. hinc disce, quanta sit vis consuetudinis, præsertim meretriciæ. Vulgò & verè dicitur: *Consuetudo est altera natura.* Et Sapiens Prou. 22.6. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Vnde S. Gregor. lib. 20. Moral. 16. *Vitula, Ait, trituræ laboribus assueta, relaxata plerumque ad eumdem laboris vsum, etiam non compulsa reuertitur. Ita prauorum mens huius mundi seruitiis dedita, & rerum temporalium fatigationibus assueta, etiamsi sibi liberè vacare liceat, subesse tamen terrenis sudoribus festinat, & vsu miseræ conuersationis trituram laboris quærit, vt à iugo mundanæ seruitutis cessare non libeat, etiamsi liceat.* Et hom. 10. in Ezechiel. *Nonnulli, ait, vt in hoc mundo aliquid esse videantur, terrenis laboribus insudant, insistunt causis, permiscentur iurgiis. Et quamuis se corpore deficere inter labores sentiant, amore tamen terrenarum rerum demitti, delectabiliter fatigantur. Quibus per Prophetam dicitur: Ephraim vitula docta diligere triturā &c. Rogant vt premantur, graue se incurrisse periculum quietem putant.* Talibus congruit illud Iobi c. 30. 7. *Qui inter huiusmodi latabantur, & esse sub sentibus delicias computabant.* Et illud Isaiæ 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in vinculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* vide ibi dicta. Vide & S. August. l. 8. Confess. c. 5. vbi se à concubinatu cui assueuerat, non potuisse expedire narrat, etiamsi is displiceret, ideoque gemeret & suspiraret, donec efficaci Dei gratia tactus, nodum hunc quo concubinæ alligabatur discidit. Sic & hodie qui tractant animas, audiunt sæpè concubinarios, vsurarios, ebriosos, &c. suam infelicitatem plangentes, sibique indignantes, quin & verè pœnitentes, qui tamen data occasione ad vomitum statim redeunt. Nam, vt ibidem ait S. August. *Ego suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate peruersa facta est libido; & dum seruitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi anulis quibusdam sibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me obstrictum dura seruitus.*

Nota Secundò, Israelem vocari vitulam, quia vitulando cum vitulis, vitula potiùs erat quàm homo. Pulchrè Boëtius lib. 4. Consol. phil. prosa 3. ostendit, quomodo vitium hominem sua humanitate deiiciat, & in bestiam transformet: *Auaritia, inquit, feruet alienarum opum violentus ereptor? Similem lupi dixeris. Ferox atque inquietus, linguam litigiis exercet? canī comparabis. Insidiator occultos furripuisse fraudibus gaudet? Vulpeculis exæquetur. Ira intemperans fremit? Leonis animum gestare credatur. Pauidus ac fugax non metuenda formidat? Cerui similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet? Asinum viuit. Leuis atque inconstans studia permutat? Nihil ab auibus differt. Fœdis immundisq; libidinibus immergitur? Sordidæ suis voluptate detinetur. Ita fit, vt qui probitate deserta, homo esse desierit, cùm in diuinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam.*

Peccatum est homo fieri bestia.

ET EGO TRANSIVI SVPER PVLCHRITVDINEM COLLI EIVS] Vatabl. *& ego transiui ceruicem eius pinguem.* q.d. Quia Ephraim, id est Israel, pertinaciter diligit triturā idolorum, ex eaque facta est pinguis & obesa, vti ipsa putat; & id est *idcirco*, ego transiui, id est, transibo super pulchrum pingueque collum eius, & tumentes eius ceruicum toros iugo imposito edomabo, ait S. Hieron. scilicet per Assyrios. Nota. Transit Deus cùm plagas infligit; hinc *transire* in Scriptura significat punire. ita transiuit per domos Ægyptiorum occidens primogenita eorum, indeq; sancitum & nuncupatum est Pascha, Exodi 12.12. ita S. Hieron.

ASCENDAM SVPER EPHRAIM] vti solet eques ascendere super equum; hoc enim est Hebr. אַרְכִּיב *arkib*, q.d. Deinceps omnino Israelem mihi subiugabo, faciamque vt Assyrij inscendant in collum eius, perinde ac Sapores Persarum rex conscensurus equum, Aureliani Imper. dorsum, quasi scabellum priùs inscendebat. Idem fecit Tamberlanes Baiazeti Turcarum Imperatori. Simili schemate ait Ieremias c. 46. 20. *Vitula elegans atque formosa Aegyptus: stimulator* (hostis & vastator Nabuchodonosor) *ab Aquilone veniet ei.*

ARABIT IVDAS] Nota Hebræam metaphoram, qua *arare* significat operari & colere. Hebr. enim חָרַשׁ *charaſ* significat operari, arare & fabricare. Dicit ergo, quòd, cùm Deus vltor ascendet super Ephraim, id est, cùm decem tribus subiugabit Assyriis, trahetque eas captiuas in Assyriam, tunc Iudas, id est, duæ tribus hanc Israelis cladem videntes, sibique de eadem metuentes, resipiscent, & sub Ezechia pio rege aratrum legis resument, ideoque persistent in terra sua, ibique colent Deum verum: ac CONFRINGENT SVLCOS, id est opera & idola, IACOB] putà Israelis, siue decem tribuum. ita Theodor. & Theophyl. Aut q.d. Iacob, id est, reliqui ex decem tribubus profugi ex Samaria, confugient ad Iudam, cum eoque in vnum populum coalescent & conspirabunt in verum vnius Dei cultum, vti in agricolatione conspirant agricolæ, dum vnus arat, alter sulcos & glebas confringit. ita S. Hieron. Haymo, Albert. Lyran. & alij. Huc accedit Vatabl. vertit enim, *Iuda arabat, Iacob confringebat ei glebas.* quod tamen alij paulò aliter accipiunt, q.d. Ephraim, id est Israel, dilexit triturā, id est regnum: at Deus subiiciet illum tribui Iudæ, & Iudas arabit tamquam paterfamilias, Iacob verò, siue Israel confringet in glebas, quasi minister & famulus. Duo ergo hîc significantur: prius, quòd Israel profugus conspirabit cum Iuda in vnum sceptrum, vnamque religionem: posterius, quòd in hac re minor erit Iuda, eique subditus subseruiet; Iuda enim tenuit sceptrum, iuxta promissa Iacobi patriarchæ, Genes. 49 10.

SEMI-

VERS. 12. SEMINATE VOBIS IN IVSTITIA, ET METITE id eſt, metetis certiſſimè. Imperatiuum enim vſurpant Hebræi pro futuro, cùm eius certitudinem, quaſi illa ſit in manu noſtra, denotare volunt) IN ORE MISERICORDIÆ] Hebr. *ad os miſericordiæ*: & ita legit Origen. tract. 12. in Matth. & S. Ambroſ. lib. de Naboth c. 7. Iam *miſericordia* tripliciter accipi poteſt: Primò, vt idem ſit quod iuſtitia, & ſignificet opera pia, iuſta & ſancta, q.d. Date operam iuſtis, piis & ſanctis operibus; metetis enim & recipietis præmium in ore, id eſt ſecundùm menſuram miſericordiæ, hoc eſt, eorumdem ſanctorum operum. ita Chald. Theophyl. Haymo, Hugo, Dionyſ. & alij. Os enim hebraicè ſæpè ſignificat capacitatem, proportionem, menſuram: vnde לְפִי *lephi*, id eſt *ad os*, idem eſt quod *ſecundùm, iuxta, pro ratione, menſura* vel *merito* operum, cùm de iis agitur, vti norunt hebraicè periti, & docent Marinus, Pagninus & alij in lexicis. Sic Exodi 12. 4. dicitur: *Aſſumet vicinum iuxta* (hebr. *lephi*) *numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni.* Et c. 16. 16. *Colligat vnuſquiſque ex eo* (manna) *quantum ſufficit ad veſcendum*; hebr. *lephi achlo*, id eſt, *ſecundùm os cibi eius*, hoc eſt iuxta edacitatem eius, quantum os eius poteſt capere & comedere. Sic & Geneſ. 47. 12. de Ioſeph dicitur: *Alebat eos omnemq; domum patris ſui, præbens cibaria ſingulis*, hebr. לְפִי טַף *lephi hattaph*, id eſt, *ſecundùm os paruuli*, hoc eſt, quantum quiſque etiam paruulus comedere poterat. Porrò *miſericordia* in Scriptura ſæpè ſumitur pro ſanctitate & iuſtitia, putà pro operibus ſanctis & piis: quia propria ſanctorum virtus & index eſt miſericordia, vti oſtendi Daniel. 4. 24. & 2. Corinth 9 v. 8. Senſus eſt, q.d. Exercete vos in actibus miſericordiæ & iuſtitiæ, id eſt quarumlibet virtutum, & referetis mercedem ampliſſimam, *ſecundùm os*, id eſt, amplitudinem miſericordiæ & piorum operum, quæ exercuiſtis. Explicat enim id quod dixit verſ. præcedenti, *Arabit Iudas, confringet ſibi ſulcos Iacob*; vnde perſiſtens in metaphora arationis & agricolationis, explicans ſubdit: *Seminate vobis in iuſtitia, & metite in ore miſericordiæ*, q.d. Quantum iuſtitiæ, id eſt pietatis, miſericordiæ, cæterarumque virtutum quaſi arando ſeminaueritis, tantum meſſis & præmij ex iis percipietis. Huic Prophetæ adagio ſimile eſt illud S. Ephrem in ſerm. ad fratres tom. 2. *Poſt formicam apis, poſt laborem requies* & fructus, poſt tribulationem refrigerium, q.d. Poſt labores formicæ colliges mel & fauos apis. *Acerbitatem enim laboris dulcedo quietis excipit, & aſperitatem vitæ gaudium.* Sic Chriſtus *fauos poſt fella* (crucis & paſſionis) *guſtauit*, ait Tertull. libr. de Corona militis c. 14.

Miſericordia triplex.

Secundò, planiùs *miſericordia* hîc propriè accipi poteſt, & ad Deum referri, q.d. *Seminate in iuſtitia*, hebr. *iuſtitiam*, vel *ad iuſtitiam*, hoc eſt, iuſtitiæ & ſanctitatis ſemina, putà pia de Deo ritè colendo deſideria & propoſita cordi veſtro inſerite, vt inde opera iuſta & ſancta germinent, ſicque metetis eorum ſegetem, id eſt, mercedem ampliſſimam, quam Deus *in ore miſericordiæ*, id eſt, iuxta miſericordiam ſuam immenſam, quæ merita noſtra ſuperat & vota, vobis promittit, & reipſa præſtabit. ita Vatabl. qui vertit, *ſeminate vobis ad iuſtitiam, metite beneficentiam*, ſcilicet Dei; & Septuag. *ſeminate vobis in iuſtitia, vindemiate fructum vitæ*. Huc accedit explicatio Riberæ: *Seminate*, inquit, *opera iuſta, & metetis in ore miſericordiæ*, id eſt, quantum miſericordia voluerit, hoc eſt largiſſimè. Os enim ſubinde pro voluntate capitur, vt cùm dicitur: *Percuſſit eos in ore gladij*, id eſt, quantum gladius percutere & occidere valebat & volebat, q. d. Omnes occidit, nemini pepercit. Hæc explicatio ſubtilior videtur: planiùs & ſolidiùs dixerimus *os* ſignificare amplitudinem, capacitatem, quantitatem, menſuram, q.d. Seminate opera pia & ſancta, & metetis ſecundùm os, id eſt, ſecundùm capacitatem & amplitudinem miſericordiæ Dei, hoc eſt, ampliſſimam ab eo mercedem recipietis, tantam ſcilicet, quanta decet Deum Deique miſericordiam, quæ ampliſſima eſt, vtpote diuina & immenſa. Quocirca ex Hebræo verti poteſt cum Marino, *metite ori miſericordiæ: ori*, id eſt amplitudini, hoc eſt, ampliſſimè. Vnde Syrus vertit, *ſeminate vobis iuſtitiam, & metite os miſericordiæ*, q.d. Ex ſemine iuſtitiæ metetis os ipſius miſericordiæ & gratiæ, vt illud totum, quantum quantum eſt, metatis & capiatis. Porrò miſericordia hæc eſt remiſſio culparum præcedentium, & pœnarum eis debitarum, ac præſertim inſtantis excidij & captiuitatis. q.d. Parcet vobis Deus, nec ſinet vaſtari, quin & bonis temporalibus ac ſpiritualibus vos cumulabit, vt iis cumulatus eſt Iudas ſub Ezechia pio rege, ac liberatus de manu Salmanaſar & Sennacherib.

Tertiò, S. Ambroſ. lib. de Naboth c. 7. *iuſtitiam* accipit pro miſericordia, vti accipitur pſal. 111. 9. *Iuſtitia*, id eſt miſericordia & eleëmoſyna, *eius manet in ſæculum ſæculi*, & alibi. Et *miſericordiam* propriè capit pro eleëmoſyna, q.d. Stude te miſericordiæ & eleëmoſynæ, & amplam eius mercedem recipietis, iuxta illud 2. Corinth 9. 6. *Qui parcè ſeminat, parcè & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Sed audi Ambroſ. *Bonorum enim fructus munerum, in eos ipſos qui contulerunt conuertuntur, & gratia liberalitatis in auctorem boni operis redit. Denique ſcriptum eſt: Seminate vobis ad iuſtitiam. Eſto ſpiritalis agricola, ſere quod tibi proſit. Bona ſatio in corde viduarum. Si terra tibi reddit fructus vberiores quàm acceperit, quanto magis miſericordiæ remuneratio reddet multipliciora quàm dederis?* Deus enim liberalior eſt, quàm ſit terra vel natura. Si ergo terra ex vno ſemine dat centum, imò ſubinde trecenta grana; multò magis Deus pro vna eleëmoſyna dabit centum, trecentas, imò mille? Rurſum bonum opus ſemen eſt melioris. Humilias te, inde incitaris ad magis te humiliandum. Oras, magis cupis orare. Das eleëmoſynam, plura dare exoptas. Nam vti ſomnus ſomnum, ita virtus virtutem adeſcat: labor laborem, vigiliæ vigilias pariunt, vti aiebat S. Dominicus Loricatus.

Quartò, pro *miſericordia* hebr. eſt חֶסֶד *cheſed*, quæ vox tam pietatem, quàm miſericordiam ſignificat. Vnde vertit Marinus, *metite ori pietatis*. Propriè enim hîc agitur de operibus piis, quibus colitur Deus, quæ contraria ſunt operibus impietatis, quibus Iudæi coluerunt idola, de quibus ſubdit v. 13. *Arauiſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis*. q.d. Eſtote iuſti & pij in Deum, & Deus viciſſim pius, fidelis ac beneficus erit in vos: ſicut antea cùm impij eratis in Deum, Deus pariter quaſi iniquum, id eſt minùs humanum & maleficum,

cum ſe vobis exhibuit. Primus ſenſus, & magis ſecundus, planiſſimus & pleniſſimus eſt, hunc q; quartum in ſe complectitur. Quarto fauet Arabicus. dum vertit, *inquirant Dominum, & veniat fructus iuſtitiæ eorum.*

Symbolicè S. Hieron. Haymo, Arias & Hugo, ſic exponunt: Seminate in lege, & metetis in gratia, q.d. Studete legi, ô Iſraelitæ, ita præparabitis vos ad gratiam Chriſti. Lex enim Moſis fuit lex iuſtitiæ & rigoris, lex verò Chriſti eſt lex gratiæ, amoris & liberalitatis. vnde ſubdit: *Tempus autem requirendi Dominum.*

Anagog. S. Bernard. de Conuerſ. ad Clericos cap. 15. ſeminate in gratia, & metetis in gloria; ſeminate in terra cum labore, & metetis in cælo cum iubilo. *Nec enim,* inquit, *opera noſtra tranſeunt, vt videntur, ſed temporalia quæque velut æternitatis ſemina iaciuntur. ſtupebit inſipiens, cùm ex hoc copioſo ſemine copioſam videbit exurgere meſſem.* Nota, opera bona eſſe ſemina beatæ æternitatis. Idem ſerm. de S. Benedicto: *Seminemus,* inquit, *hominibus exemplum bonum per aperta opera: ſeminemus angelis gaudium magnum per occulta ſuſpiria. Seminate & vos, quia tam multi ante vos ſeminauerunt: fructificate, quia vobis ſeminauerunt. O genus Adam, quàm multi ſeminauerunt in te, & quàm pretioſum ſemen; quàm malè peribis, & quàm meritò, ſi perierit in te tantum ſemen, ſimul & ſeminantium labor! Seminauit in terra noſtra Trinitas, ſeminauerunt Angeli pariter & Apoſtoli, ſeminauerunt Martyres, Confeſſores & Virgines, &c. Seminauit Pater pacem de cælo, Filius veritatem, Spiritus S. charitatem. Apoſtoli ibant, & flebant mittentes ſemina ſua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Duo manipuli ſunt quos quæris, honoris ſcilicet & quietis. Qui ſeminauerunt laborem & vtilitatem, metent honorem pariter & quietem.*

INNOVATE VOBIS NOVALE] *Nouale* eſt ager nouus, cùm ſcilicet is exciſis ſpinis, loliis herbiſq; noxiis, primò colitur & ſeritur, q.d. Euellite è corde veſtro lolia cupiditatum & ſpinas vitiorum, quæ crebrò repullulant, vt innouati, velut nouus ager, ſemen diuinum gratiæ & virtutum excipiatis. Vatabl. vertit, *arate vobis arationem.* ſicque explicat, q.d. *Interim præparate corda veſtra ad aduentum Chriſti.* Septuag. vertunt, *illuminate vobis lumen ſcientiæ,* id eſt, vt Theophyl. illuſtrate lucernam mentis veſtræ lumine cognitionis Dei, deficientes ab idolis, eorumq; tenebris & erroribus. Hebr. enim נִיר *nir* ſulcum & deriuationum tam luminis, quàm fluminis, æquè ac agrorum ſignificat. Quocirca rectè S. Clemens Rom. lib. 2. Conſt. Apoſt. c. 5. *Habe,* inquit, *curam verbi Epiſcope, vt poſſis omnia ſecundùm verbum interpretari, ac multa doctrina populum tuum copioſè nutrias, & illuſtratione legis illumines. Accendite vobis,* ait *Dominus, lumen cognitionis dum tempus eſt.*

Mor. cognitio ſui eſt ad cognitionem Dei.

Moral. ex hac verſione Septuag. docet S. Ambroſ. cognitionem ſui debere præcedere cognitionem Dei, nec niſi per illam, perq; bona opera ad hãc peruenîri. Audi eum in pſal. 118. octonario primo: *Seminate vobis ad iuſtitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cognitionis: non priùs illuminate, ſed ſeminate: nec ſolùm priùs ſeminate ad iuſtitiam, ſed etiam vindemiate,* inquit, *ad fructum vitæ, & ſic illuminate lumen cognitionis, vt perfectio non ſolùm conſtitis, ſed etiam receptis fructibus approbetur.* Per lumen enim cognitionis S. Ambroſ. hîc, & clariùs libr. de Iſaac c. 4. accipit perfectionem charitatis. Plenius verò & pientiùs S. Bernard. ſerm. 37. in Cant. *Seminate,* ait, *vobis ad iuſtitiam, metite ſpem vitæ, & tunc demum illuminate vobis* (ait) *lumen ſcientiæ. Vltimam poſuit ſcientiam tamquam picturam, quæ ſtatum habere nequeat ſuper inane; & indè illa duo præmiſit, & ſubiecit illi tamquam ſe ſolidum aliquid picturo ſubſterneret. Securus iam intendam ſcientiæ, ſi vitæ priùs per beneficium ſpei ſecuritatem accepero. Tu ergo ſeminaſti tibi ad iuſtitiam, ſi ex vera notitia tui euigilaſti timere Deum, temetipſum humiliaſti, fudiſti lachrymas, eleëmoſynas profudiſti, ieiunaſti & vigilias afflixiſti corpus, ſi pectus tunſionibus, cælos clamoribus fatigaſti. Hoc ſiquidem ſeminare eſt ad iuſtitiam. Semina ſunt bona opera, bona ſtudia, ſemina lachrymæ ſunt. Ibant, inquit, & flebant mittentes ſemina ſua.* Idcirco metent manipulos gloriæ, quin & ſtatim metunt ſpem vitæ & gloriæ futuræ. Et epiſt. 108. *Veram ſcientiam,* inquit, *ſoli Chriſti diſcipuli, id eſt, mundi contemptores Dei munere aſſequuntur. Nec enim hanc lectio docet, ſed vnctio; non littera, ſed ſpiritus; non eruditio ſed exercitatio in mandatis Domini. Seminate,* inquit, *vobis ad iuſtitiam, metite ſpem vitæ: illuminate vobis lumen ſcientiæ. vides, quia non rectè proditur ad lumen ſcientiæ, niſi iuſtitiæ germen præcedat ad animam, ex quo formetur granum vitæ, & non paleæ gloriæ.*

Huc accedit S. Hilar. qui in pſal. 118. ſic legit & explicat: *Serite in iuſtitia* (alij legunt, in iuſtitiam) *voſmetipſos, & metite vos in fructu* (alij, in fructum) *vitæ, & illuminate vos in lumine ſcientiæ. Non illuminatio primùm, ſed ſatio noſtra præcepta eſt vt cùm antè noſmetipſos, id eſt vitæ noſtræ vſum, in ſpem fructuum ſeuerimus, deinde cùm quæ ſata ſunt meſſuerimus, tunc nos lumine ſcientiæ illuminemur. Tenendus igitur hic ordo eſt ſationis, meſſis & illuminationis. Plures enim noſtrûm illuminari ſe priuſquam ſerere ac metere feſtinant, cùm ſatio atque meſſis quædam conſequendi luminis præparatio ſit.*

TEMPVS AVTEM REQVIRENDI DOMINVM, CVM VENERIT QVI DOCEBIT VOS IVSTITIAM] q.d. Cùm venerit Chriſtus doctor iuſtitiæ, tunc erit tempus inquirendi ea quæ Dei ſunt & ſalutis: illud ergo obſeruate, ô Iſraelitæ, & ne ſinatis illud vobis elabi & effluere. ita S. Hieron. Haymo & Hugo, qui cenſent Prophetam hîc de more auolare ad Chriſtum.

Secundò, Lyran. hæc de Ezechia explicat: hic enim reduxit populum ad Dei cultum, itaque fuit doctor iuſtitiæ, ſed inchoatè & imperfectè, ac quaſi in typum Chriſti, qui plenè & perfectè idipſum præſtitit.

Tertiò, pro *cùm venerit,* ex Hebr. Septuag. Vatabl. & alij vertunt, *donec veniat, & depluat ſuper vos iuſtitiam.* q.d. Nunc eſt tempus quærendi Dominum voſque præparandi ad aduentum Meſſiæ; ille enim veniens docebit vos, immò dabit veram iuſtitiam, qua coram Deo iuſti ſitis, filij & heredes regni eius. Vnde Chald. vertit, *recipite vos ad timorem Domini: nunc enim reuelabitur, & afferet vobis iuſtitiam.* ita veteres Hebræi apud Galatin. lib. 3. c. 19. Theophyl. Vatabl. & alij.

Mor. de vſu temporis.

Moral. diſce hîc vti tempore gratiæ & ſalutis, dum datur: nam poſt hoc tempus non erit aliud gratiæ, ſed iuſtitiæ. Pulchrè S. Ephrem tract. de Morte tom. 1. *Nemo,* ait, *finitis nundinis, mercâ-*

mercaturam exercet: neque ille qui poſt certamina accedit, coronatur: neque qui iam confecto bello venit, laudem conſequitur. Meritò ergo nec is qui vita iam exacta poſt mortem pietatem exercet, pius eſſe cenſendus eſt. Ponderent hoc temporiperdæ.

VERS. 13. ARASTIS IMPIETATEM] Hebr. חָרַשְׁתֶּם *charas* ſignificat Primò, arare; Secundò, fabricare; Tertiò, machinari. vnde Primò exponas, q.d. Ager quem araſtis hactenus, & ſemen quod ſeminaſtis fuit impietas, ac conſequenter ſeges non fuit alia quàm impietas, q.d. Nihil cogitaſtis aliud, quàm impietatem impietati addere, ſcelera ſceleribus cumulare. Secundò, q.d. In corde veſtro extirpaſtis ſulcos & ſemina pietatis, cognitionis cultuſque Dei, ac duxiſtis & ſeminaſtis ſemina impietatis & idololatriæ: idcirco INIQVITATEM MESSVISTIS] putà fraudes, dolos, omneque nefas in Deum & proximum operati eſtis. Ex corde enim impio & iniquo, non niſi impietatis & iniquitatis fructus & opera proueniunt. Rurſum, q.d. Ex impietate in Deum prodiit omnis iniquitas in proximum, vti docet Apoſt. Roman. 1. 28. & 29. ita S. Hieron. Tertiò, *iniquitas* accipi poteſt pro pœna iniquitatis, putà pro deprædatione & captiuitate. q.d. Perpetraſtis culpam iniquitatis, hinc eius pœnam, putà ſpoliationem ab Aſſyriis & captiuitatem, luitis & ſuſtinetis. ita Theophyl. Opponit enim Propheta hunc v. 13. verſui 12. q.d. Hactenus araſtis & ſeminaſtis impietatem, ideoque iniquitatis huius pœnas meſſuiſtis: deinceps ergo ſapite, & ſeminate in iuſtitia, vt metatis miſericordiam & beneficentiam Dei: alioqui ſi perſiſtatis in ſcelere, certò vaſtabimini & exſcindemini, vt ſequitur.

COMEDISTIS FRVGEM MENDACII] id eſt mendacem & fallacem. Nota. Fructus & fruges dicuntur mentiri, cùm tantum non reddunt, quantum in germine promittebant, putà cùm ſeges ſiccitate vel aurugine in agro deperit, aut in horreis à vermibus, aut vento aëreue corrupto atteritur, conſumitur & euaneſcit. q.d. Simili modo vos, ô Iſraelitæ, ex veſtra impietate & idololatria non percipietis pacem, proſperitatem, rerum copiam, quæ ſperabatis, quæque pſeudoprophetæ vobis promittebant.

Omnis impius edit fructum mendacij.

Tropol. omnis guloſus, omnis auarus, omnis luxurioſus, omniſque impius comedit fructum mendacij. Nam, vt ait S. Hieron. *guloſus cor habet in ventre, laſciuus in libidine, cupidus in lucro.* Lucrum autem mendax eſt, libido mendax, gula mendax: nec enim ſatiant appetitum, nec veram afferunt delectationem, ſed fucatam, vmbraticam & euanidam. vnde Pſaltes pſal. 3. *Filij hominum vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Præclarè S. Gregor. hom. 36. in Euang. docet hoc diſtare inter delicias corporis & cordis, quòd *corporales*, inquit, *deliciæ cùm non habentur, graue in ſe deſiderium accendunt; cùm verò auidè eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. At contrà ſpiritales deliciæ cùm non habentur, in faſtidio ſunt; cùm verò habentur, in deſiderio, tantoq; à comedente ampliùs eſuriuntur, quanto & ab eſuriente ampliùs comeduntur. In illis appetitus placet, experientia diſplicet: in iſtis appetitus vilis eſt, & experientia magis placet. In illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat: in iſtis autem appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit. Augent enim ſpiritales deliciæ deſiderium in mente, dum ſatiant: quia quanto magis earum ſapor percipitur, tanto ampliùs cognoſcitur quod auidiùs ametur: & idcirco non habitæ amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur.* vide eumdem libr. 20. Moral. c. 16. Accedit, quòd carnales deliciæ ſpiritales & veras excludant, iiſque viam obſtruant, dum ipſæ omnes ſenſus occupant, totumq; hominē poſſident. Quocirca aſſerit verè S. Hieron. *animas in nimio ſanguine & adipibus quaſi luto inuolutas, nihil tenue, nihil cæleſte, ſed ſemper de carnalibus eructare, & ventris ingluuiem cogitare.* Tertiò, deliciæ & diuitiæ ſunt mendacium, quia pro delectatione ingerunt deſinuntque in faſtidium & cruciatum tam animæ, quàm corporis. Ita Cicero pro Cœlio: *Amores, ait, & deliciæ maturè & celeriter defloreſcũt, & in omnibus rebus, voluptatibus maximis faſtidium finitimum eſt.* Et Boëtius l. 3. metro 7.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulu agit fruentes,
Apiumq́, par volantum
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Quocirca Epictetus art. 120. *Dignus eſt*, inquit, *deorum conuiua, qui rebus creatis moderatè vtitur; qui verò licitas etiam voluptates contemnit, non iam conuiua Dei eſt, ſed conſors.*

QVIA CONFISVS ES IN VIIS TVIS] in operibus tuis impiis, ac præſertim in cultu idolorum. Eſt enallage numeri: tranſit enim à plurali numero ad ſingularem, quia loquitur populo, qui ſingularis eſt, ſi cœtum ſpectes; pluralis, ſi capita & homines.

IN MVLTITVDINE FORTIVM TVORVM] tum ciuium, tum amicorum Gentilium, tum idolorum: idcirco

CONSVRGET TVMVLTVS IN POPVLO TVO, cùm te inuadent hoſtes Aſſyrij, ET OMNES MVNITIONES TVÆ VASTABVNTVR.

SICVT VASTATVS EST SALMANA A DOMO (à familia, ſeruis & militibus) EIVS QVI IVDICAVIT (ita legendum cum Hebr. & Roman. non *vindicauit*, vti legunt nonnulli codices Latini) BAAL] putà à domo Gedeonis. Comparat enim excidium Iſraelis futurum per Salmanaſar regem Aſſyriorum, excidio Madianitarum, quorũ princeps erat Salmana, facto per Gedeonem, Iudic. 8. 2. & pſalm. 82. 12. ita S. Hieron. Cyrill. Ruffin. Theodor. Rupert. Albert. Hugo & alij paſſim. Senſus ergo eſt, q.d. Sicut Gedeon cecidit Salmana idololatram, hoſtem populi Dei; ita & Salmanaſar cædet Iſraelem, ob idola quæ coluit in Bethel.

Nota Primò. *Salmana* quem occidit Gedeon ſcribitur per *tſade*, hic verò *Salmana* ſcribitur per *ſcin*. vnde hunc eſſe diuerſum ab illo contendit Lyran. cum Chaldæo, qui proinde *Salmana* hic accipiunt vt nomen, non proprium, ſed appellatiuum ſignificans pacificum, idemque quod Salomon. ſic enim Turcarum Imp. vocatus eſt Solymannus, id eſt Salomon: vtrumque enim nomen ab eadem rad. שָׁלַם *ſalam*, id eſt pacificus fuit, deducitur. Vnde vertunt, *ſicut vaſtari ſolet pacificus per inſidias belli*, vel *ab inſidiatore in bello*, ſic vaſtabitur Iſrael. Verùm auctores iam citati aſſerunt vnanimiter, hunc *Salmana* eſſe eumdem cum illo quem occidit Gedeon, idq; mox clariùs patebit.

patebit. Nec obstat, quòd hic per *sin*, ille per *tsade*, scribatur: quia hæ duæ literæ vicinæ sunt & commutabiles, vtraque enim includit σῖγμα, licèt illud in *tsade* addito t, roboretur & duresceat, idemque valeat quod ts.

Arbel quid.

Nota Secundò. Pro *qui iudicauit Baal*, hebr. est vna vox אַרְבֵּאל *arbel*, quod variè à varijs explicatur. Primò, Chald. & Lyran. vti iam dixi, vertunt *insidias*, vel *insidiatorem*, à rad. אָרַב *arab*, id est, insidiatus est. Secundò, alij censent esse nomen proprium principis, vel vrbis, de qua 1. Machab 9. v. 2. dicitur: *Castra posuerunt in Masaloth, quæ est in Arbellis*, hunc que dant sensum: Sicut Salman, id est Salmanasar, 1. anno Hosee regis Israel, vastauit vrbem Arbel crudelissimè, ita vt infantes coram matribus, & matres coram infantibus collideret; sic Deus vastabit Israel & Samariam. Licèt enim hæc historia in Scriptura non narretur, tamen tempore Osee erat apud omnes vulgata & celebris. Porrò vrbs hæc dicta est *Arbel*, aut ab אַרְבַּע *arba*, id est quatuor, & אֵל *el*, id est *Deus*, vel *fortis*, quòd in ea celebres extarent & colerentur quatuor dij, vel quatuor Heroës: sicut dicta est *Cariat arbe*, id est ciuitas quatuor, scilicet Gigantum, Iosue 14. 15. aut ab אָרַב *arab*, id est insidiatus est, & אֵל *el*, id est Deus, vel Deo. ita Arias, Vatabl. & Marinus in Lexico. Syrus pro *Arbel* legit *Il*, vel *El*, id est Deus, vnde vertit, *sicut vastatio Salmana de domo El in die prælij.*

Verùm dico, *Arbel* idem esse per crasin quod *Ierobaal* (vt vertunt Septuag. vnde perperàm in Complut. æquè ac in Arabico vtroque legitur *Ieroboam*, pro *Ierobaal*) id est Gedeon. ita auctores iam citati. Audi S. Hieron. *Arbel idipsum significat quod & Ierobaal, sed breuiori disertioriq; sermone. Arbel* enim idem est quod litigator, vel iudex Dei, putà Baal: idem significat *Ierobaal*: רוּב *rub* enim idem est quod litigauit, contendit, iudicauit: *Baal*, est Deus Baal. Ex eo enim quòd Gedeon iudicauit, id est damnauit, & infirmum conuicit esse Baal, dum eius aram euertit, dictus est Ierubbaal, dicente Ioas patre Gedeonis: *Vlciscatur se de eo Baal* (si est Deus) *qui suffodit aram eius*, Iudic. 6. v. 31. Rursum Gedeon dicitur *Arbel*, id est insidiator Dei: quia Deum Baal clanculum noctu per insidias euertit.

Matre svper filios allisa] Quæres, vnde hoc petitum? Resp. S. Hiero. scriptum esse Iudic. 8. *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absq; liberis erit inter mulieres mater tua.* Verùm id non reperitur Iud. 8. sed 1. Reg. 15. 33. sunt enim verba Samuelis ad Agag regem Amalec, cùm eum occidi mandaret. Lapsus ergo memoria videtur S. Hieron. Dico ergo, id in libro Iudicum & historia Gedeonis non narrari, reipsa tamen accidisse, vti hîc asseritur, nimirũ fuit tantus pauor, consternatio & confusio in castris Madian, dum Gedeon & socij eius clangerent tubis trecentis, & faces trecentas ardentes ostentarent, vt vel gladiis Madianitarum in sese inuicem conuersis, vel festinatione & trepidatione fugientium, matres cum filijs alliderentur. ita Ribera, Emmanuel, Mariana & alij.

Sic fecit (id est faciet) nobis Bethel] q.d. Sic vos punient & cædent non tam hostes Assyrij. quàm *Bethel*, id est peccata, à vobis commissa, putà idola adorata in Bethel, sicut Salmana punitus & cæsus est à *Beth Arbel*, id est, à domo & exercitu Gedeonis. In Hebræo est elegans paronomasia, & antithesis inter *Beth Arbel* & *Bethel*. q.d. Sicut cecidit & prostrauit Madianitas idolatras *Beth Arbel*, id est domus Gedeonis, qui fuit *rub*, id est, iudex & vindex *El*, id est Dei falsi putà Baal; ita cædet vos *Bethel*, id est, domus Dei veri, quam vos violastis & fecistis *Bethauen*, id est domum idoli: propter sacrilegia enim commissa in Bethel exscindemini. vnde subdit:

Vers. 15.

A facie malitiae nequitiarvm vestrarvm] id est, propter pessimas nequitias vestras, quibus polluistis Bethel, id est domum Dei. Hac de causa ait Isaias cap. 31. 9. *Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.* vide ibi dicta.

Simili elegantia & tropo Isaias Ierusalem vocat *Ariel*, in eaque voce variè ludit cap. 29. v. 1. & 2. dicens: *Væ Ariel Ariel, ciuitas quam expugnauit Dauid. &c. Et circumuallabo Ariel, &c. Et erit mihi quasi Ariel.*

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Inuitat Deus, & in os iniicit Israeli amorem & beneficia à se ei iugiter præstita, vt ostendat eius ingratitudinem, quòd à se ad vitulos aureos defecerit. Puer, *inquit*, Israel, & dilexi eum & ex Ægypto vocaui filium meum. Et ego quasi nutricius Ephraim, & portabam eos in brachijs meis. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. *Quocirca ingrato captiuitatem & iram intentat, quam tamen ita misericordiâ temperat, vt ei reditum in patriam spondeat. Ab hac clade eximit Iudam, quia ipse fidelis à parte Dei stetit cum sanctis Leuitis.*

Vers. 1. SIcut manè transiit, pertransiit rex Israel. Quia puer Israel, & dilexi eum: & ex Ægypto vocaui filium meum.

2. Vocauerunt eos, sic abierunt à facie eorum: Baalim immolabant, & simulacris sacrificabant.

3. Et ego quasi nutricius Ephraim, portabam eos in brachiis meis: & nescierunt quòd curarem eos.

4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis: & ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum: & declinaui ad eum vt vesceretur.

5. Non reuertetur in terram Ægypti, & Assur ipse rex eius: quoniam noluerunt conuerti.

6. Cœpit gladius in ciuitatibus eius, & conſumet electos eius, & comedet capita eorum.

7. Et populus meus pendebit ad reditum meum: iugum autem imponetur eis ſimul, quod non auferetur.

VERS. 1. SICVT MANE TRANSIIT, PERTRANSIIT REX ISRAEL] Chald. Arias, Pagnin. & Vatabl. hæc verba referunt ad finem præcedentis capitis, quia eò pertinere videntur. Verùm Noſter, Septuag. & paſſim veteres Græci & Latini, ab hiſce verbis inchoant caput vndecimum. Hebr. eſt, *in aurora*, (vel *inſtar auroræ*: כ enim, id eſt *in*, ſæpè ſumitur pro כ, id eſt, *inſtar, ſicut*) *planè excisus eſt rex Iſrael*. q.d. Sub initium regni Hoſee, rex Iſrael cum Samaria & regno exſcindetur ab Aſſyrijs. Comparat Hoſee auroræ, quia ſicut aurora medium quid eſt inter noctem & diem, lucem & tenebras, eſtque poſt noctem initium diei & lucis: ita poſt longas ærumnas & ſpoliationes, quas Iſrael ſuſtinuerat ab Aſſyrijs, ſub Hoſee rege reſpirauit, & in ſpem melioris ſortis ſe erexit, præſertim cùm Sua rex Ægypti videretur illi opitulaturus: ſed hæc ſpes velociter inſtar auroræ, ſole oriente & auroram fugante, pertranſiit & euanuit. ita S. Hieron. Cyrill. Ruffin. Theodor. & Theoph. Simili modo Iſraelis regem comparauit ſpumæ cap. præced. v. 7. cùm ait: *Tranſire fecit Samaria regem ſuum quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ*. vbi pro *tranſire fecit* in Hebræo eſt idem verbum quod hîc, ſcilicet דָּמָה *nidme*, quod, vt ibi dixi, variè exponi poteſt.

Secundò S. Cyrill. per *manè* accipit expergefactionem Dei ad vindictam, qui antè diſſimulans peccata Iſraelis, dormire videbatur. *Cùm*, inquit Cyrill. *Deus nondum peccata aliquorum punit, dormire dicitur; vt ait Ieremias: Ne, inquit, ſis Domine tamquam ſomno dormiens, aut tamquam vir non potens ſaluare. Et Dauid: Surge Domine. Et alias videns auxilium Domini: Surrexit inquit, tamquam dormiens. Manè itaque vocat hîc tempus ipſius velut euigilationis in eos: manè enim ſolemus euigilare.* Verùm prior ſenſus & alluſio eſt aptior; manè enim hîc tribuitur regi pertranſeunti, non Deo euigilanti: quamquam hoc cum illo coniunctum eſt. Ideo enim rex manè pertranſiit & excisus eſt, quia Deus in eius excidium euigilauit.

Tertiò, nonnulli ex eo quod ſequitur, *Ex Ægypto vocaui filium meum*, id eſt Chriſtum, vti explicat S. Matth. cap. 2. v. 15. hæc omnia de Chriſto ad literam accipiunt, q.d. Chriſtus in mundo naſceturquaſi aurora, ſed & citò tranſibit vt aurora: poſt tres enim prædicationis annos redibit ad Patrem. Ergo, ô Iſraelitæ, venientem ſtudioſè excipite, eiuſque tempus diligenter obſeruate. Ego enim vos, quaſi Abrahæ amici mei filios, dilexi, ideoque ex Ægypto vocaui filium meum, vt vos eius præſentia, doctrina & gratia frueremini.

Verùm ad Hoſee regem hæc pertinere ad literã, non ad Chriſtum, patet ex eo quod ait, *Pertranſiit rex Iſrael*. Idẽ patebit ex ſequentibus: toto enim capite agitur de iudicio & excidio Iſraelis. Vnde moraliter diſce, reges terrenos ſimiles eſſe auroræ, quæ aurea videtur, ſed mox euaneſcit: eorum enim *vita* eſt quaſi *vapor*, vt ait S. Iacobus epiſt. c. 4. *ad modicum parens*; vapor, inquam, aurea quadam honoris regiæque; pompæ luce perfuſus. Somnia ſunt hominum regna, ideoque merito in ſomnis à Nabuchodonoſore, Chaldæorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum imperia viſa ſunt Daniel. 2. Quid ergo ſunt dignitates, ſtatus & ſceptra? nónne aureus quidam nubium color, temporis momento euaneſcens?

QVIA PVER ISRAEL, ET DILEXI EVM] Vox *quia* more Hebræo redundat, vti dixi c. 10. 17. vnde Leo Hebræus vertit, *quando Iſrael adhuc puer erat, dilexi eum*, cùm ſcilicet in Ægypto degeret, & quaſi oriretur creſceretque populus Iſrael, eſſetque paruus, imbellis, ignorans, afflictus quaſi puer, ex tunc dilexi eum, curamque eius egi, & quaſi puerum per Moſen inde liberaui & eduxi. ita S. Hieron. Vatabl. & alij.

Secundò tamen, *vè quia* propriè vt cauſale accipi poteſt, q.d. Quia Iſrael in Ægypto erat puer tenellus, ſui impos, ſe regere impotẽs, neglectus ab omnibus, ab Ægyptiis oppreſſus & neci deſtinatus, opiſque indigus; hac de cauſa eum dilexi, & enutriui quaſi mater. Solet enim puerorum paruitas, imbecillitas & pericula, matres allicere ad eorum amorem & curam. ita Theophyl.

Adde, *dilexi eum*, quia *puer* erat, eò quòd eſſet filius Iacobi Patriarchæ, quem puerum, imò in vtero adhuc exiſtentem dilexi, dicens Malach. 1. 2. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*. & Geneſ. 25. 23. *Maior ſeruiet minori*, putà Eſau Iacobo, nimirum Idumæi ſeruient Iacobitis, id eſt Iſraelitis. Sicut ergo Iacobum puerum, ita & filium eius Iſraelem puerum dilexi. Denique *vè quia* connectit hæc præcedentibus, q.d. Rex Iſrael cum ſuo populo tranſiit, id eſt, breui tranſibit & interibit, quia Iſrael, quem à puero dilexi, ex Ægypto eduxi, alui & nutriui vt mater, huic meæ dilectioni & beneficijs ingratus & rebellis, me ſpreuit, & ad Baalim declinauit.

ET EX ÆGYPTO VOCAVI FILIVM MEVM] Et, id eſt, id circo, q.d. Quia Iſrael puerum dilexi, id circo eum quaſi filium meum, ex Ægyptia ſeruitute per Moſen euocaui & eduxi. ita Septuag. & Chald. qui vertunt, *ex Ægypto vocaui filios eius*, ſcilicet Iſraelis: licèt enim in Hebræo ſit בְּנִי *beni*, id eſt, *filium meum*, tamẽ hoc in re idem eſt quod, *filios eius*: filij enim Iſraelis erant filij Dei; & quia Iſrael, vt ait S. Hieron. *ſingulariter dicitur, ſed pluraliter intelligitur*, vtpote populus. fortè etiam Septuag. & Chald. pro *beni* legerunt בָּנָיו *banau*, id eſt filios eius, vti opinatur Maldon. in Matth. 2. 15. Porrò populum ſuum Deus vocat filium, dicens Exodi 4. 22. *Filius meus primogenitus Iſrael*. Et, *Dimitte filium meum vt ſeruiat mihi*. ita S. Hieron. Theodor. Theophyl. Rupert. Hugo, Lyran. Arias, Vatabl. hîc, Ianſen. Maldon. Barrad. & alij in Matth. 2. 15. Et patet ex ijs, quæ hîc antecedunt & ſequuntur: hæc enim ſpectant populum Iſrael. Hic enim dicitur filius Dei primogenitus, quia dilectus ab eo fuit vt primogenitus, & ſolus primò electus ex omnibus gentibus, vt eſſet Dei peculium, reſpubl. regnum, ſacerdotium.

Dices, quomodo ergo S. Matth. c. 2. 15. ait hoc Oſee oraculum impletum eſſe in Chriſto puero cùm ex Ægypto reuocatus eſt in terram Iſrael? Iulianus Apoſt. teſte S. Hieron. hîc, hoc obijciebat Chriſtianis, vt S. Matthæum vel falſitatis, vel inſcitiæ argueret. Reſpondet Primò, Ianſenius

in

in Matth. 2. id impletum eſſe in Chriſto per accommodationem, quia quod dictum eſt de populo Iſrael, rectè Chriſto quaſi ſimili aptari & accommodari poteſt: perinde atque ſi quis de filio qui patri percharus eſt, diceret:

Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.

Verùm hoc liberiùs dicitur, & penè temerariè, inquit Suarez loco mox citando: nec enim prophetiæ impleri dicuntur, niſi cùm eueniunt ea quæ per eas prophetata ſunt. Quare aliud eſt accommodari, vel aptari Scripturam, aliud eam impleri. Igitur prophetia propriè impleri dici nequit, niſi cùm fit quod ipſa in ſenſu vel literali, vel allegorico futurum prædicit, vti docent communiter Interpretes.

Secundò, Euſebius lib. 9. Demonſtr. Euang. cap. 4. Lyranus & Dionyſ. cenſent hunc locum ad literam intelligi de Chriſto. Verùm ex antecedentibus & ſequentibus patet, hîc agi de populo Iſrael. Dices, duplicem hîc eſſe ſenſum literalem, vnum de populo, alterum de Chriſto. ita Prado prooemio in Ezech. ſect. 8. & 9. Reſpond. id minùs congruè dici, tum quia cætera non ſpectant Chriſtum, ſed populum: in ſenſu enim literali omnia & ſingula congruere debent rei de qua agitur; ſecùs eſt in allegorico: tum quia populus Iſrael fuit typus Chriſti. Ergo ad literam ſermo eſt de populo, typicè de Chriſto. ſenſus enim literalis non eſt typicus, ſed typici figura & imago: populus enim Iſrael exulans in Ægypto, Chriſti ibidem exulaturi figura fuit; ſicut nunc corpus myſticum Eccleſiæ, corporis naturalis Chriſti figura eſt.

Tertiò ergo, meliùs dicemus ad literam hanc ſententiam impletam eſſe in populo Iſrael per Moſen educto ex Ægypto, allegoricè verò & typicè in Chriſto puero reducto ex Ægypto: licèt autem hic ſenſus ſit allegoricus, tamen eſt priore literali dignior, potior & magis intentus à Spiritu ſancto: populus enim Iſrael in hoc reditu ex Ægypto geſſit typum Chriſti, præſertim quia Chriſtus illius populi fuit pars & propago, eaque nobiliſſima. Hac de cauſa ait, *filium meum*, non *filios meos*, vt denotet Chriſtum. Neque hoc mirum aut nouum eſt: nam magis noua & inſolens videtur allegoria, qua Sina & Sion, item Sara & Agar ſignificant duo teſtamenta, vetus & nouum, vti explicat Apoſtolus Galat. 4. 24. ita S. Hieron. Ribera & alij initio citati, ac S. Chryſoſt. & Theophyl. in cap. 2. Matth. atque Franciſc. Suarez 3. p. q. 37. art. 4. diſp. 7. ſect. 1. & Gabriel Vaſquez 1. p. q. 1. a. 10. diſp. 14. c. 4.

Obijcit Oſiander in c. 2. Matth. Fieri nequit vt populus Iſrael innumerabilis, vnius hominis ſit figura: ergo in ſenſu allegorico hic locus nequit accipi de Chriſto. Reſp. negando antecedens. Si enim vnus homo poteſt repræſentare totum populum ex ſe generandum, vti Patriarcha; ſicut de Iacob & Eſau dicitur Rebeccæ matri Geneſ. 25. *Duæ gentes ſunt in vtero tuo*, &c. vel ſibi ſubditum, vti rex repræſentat regnum; cur vice verſa vnus populus vnum hominem, quaſi Patriarcham & regem, ac præſertim Chriſtum Dominum repræſentare non poſſit? ita Patres paſſim & Doctores. Porrò qua ratione populus Iſrael fuerit figura Chriſti peregrinantis in Ægypto, & inde redeuntis, fuſè explicat Rupert. in locum citatum Matth. 2.

Ex hoc loco oſtendit S. Hieron. quædam non haberi in verſione Septuag. quæ habentur in Hebræo, ideoque ſe nouam ex Hebræo verſionem cudiſſe, idque ei obtrectantibus obijcit: *Qui*, inquit, *detrahunt noſtræ tranſlationi, videant Scripturam de qua Euangeliſta hoc teſtimonium ſumpſerit, & interpretatus eſt de Domino Saluatore, quando de Aegypto reductus eſt in terram Iſrael: & cùm inuenire non quiuerint, deſinant vulgare ſi ſontem, adducere ſupercilium, criſpare nares, digitis concrepare.*

VOCAVERVNT EOS, ex Ægypto & idololatria Moſes, Aaron, alijque Prophetæ, vt eos ad auitum Dei cultum reducerent; ſed ipſi licèt SIC id eſt, adeò & toties vocati & inuitati, ABIERVNT A FACIE EORVM] id eſt, obuerterunt eis terga, euntes ad Baalim. Vnde planè vertunt Septuag. *ſicut vocaui eos, ita abierunt à facie mea.* Hebræi enim ſæpè ſubaudiunt voculam *ſicut*, & ſimiles, quaſi dicant: Vti ego eos vocaui, ita ipſi impudentes auerterunt ſe à me: quanta fuit mea benignitas & aſſiduitas in vocando, tanta fuit eorum durities & contumacia in reſiſtendo, & reſpuendo meam vocationem. ita Chald. Cyrill. Hieron. & alij. Poteſt Secundò, *ſic* accipi pro *propterea*, q. d. Quia ego vocaui eos toties, propterea abierunt, vti ſolent facere pueri proterui & refractarij, qui eò quòd vocentur à parentibus, vt hoc illúdve faciant, idcirco rebelles auertunt faciem & abeunt. qua expoſitione ſignificatur Iſraelis maior plenaq; obdutatio & peruicacia. Sic Hebr. כֵּן *ken*, id eſt, *ſic*, ſumitur pro עַל כֵּן *alken*, id eſt, *ſuper ſic*, hoc eſt, *propterea*. Pſalm. 60. 9. *Miſericordiam & veritatem eius quis requiret? ſic* (id eſt, propterea, idcirco) *pſalmum dicam nomini tuo.* Ioan. 4. 6. *Ieſus autem fatigatus ex itinere ſedebat ſic* (id eſt, idcirco, quia ſcilicet fatigatus) *ſuper fontem*, vti exponunt Tolet & Maldon. ibidem. Sic enim vulgò dicimus, *Venit feſſus, & ita* (id eſt ideo) *conſedit*. Quin & Cicero 4. Tuſcul. *Sic*, inquit, (id eſt, idcirco) *tot ſimul virtutes, continentiæ, grauitatis, iuſtitiæ, fidei defecerunt.* VERS. 2.

Aliter Arias: Vocauerunt, ait, id eſt, inuocauerunt Iſraelitæ *eos*, ſcilicet deos Gentium: *ſicq; abierunt*, videlicet vt non tantùm eos inuocarent, ſed & ijs ſacrificarent, vnde ſequitur: *Baalim immolabant. abierunt*, inquam, *à facie*, id eſt, ante faciem, *eorum*, vti ſolet grex ouium ire ante faciem paſtoris, populus ante Epiſcopum, milites ante ducem, filij ante parentes. Verùm de diis Gentium nulla hîc præceſſit mentio.

BAALIM, id eſt, diis Gentium, putà idolis, nimirum vitulo aureo, Exodi 32. 4. & Beelphegor, ſiue Priapo, Num. 25. 1. IMMOLABANT] Quia enim Deus primarius Chaldæorum, Tyriorum, Carthaginenſium, &c. erat Baal, vel Bel, ſiue Belus; hinc quoſlibet deos vocarunt *Baalim* in plurali.

ET EGO QVASI NVTRICIVS EPHRAIM, PORTABAM EOS IN BRACHIIS MEIS] Legit Interpres זְרוֹעֹתַי *zerootai*, id eſt, *in brachijs meis*: iam addito *vau* legunt זְרוֹעֹתָיו *zerootav*, id eſt, *brachijs eius*. Pro *nutricius* hebr. eſt תִּרְגַּלְתִּי *tirgalti*, quod Rabbini, Vatabl. Arias, & alij hebraizantes dicunt poni pro הִרְגַּלְתִּי *hirgalti*, id eſt, incedere feci, in pedes erexi, ambulare docui, pedetentim deduxi, vti faciunt nutrices, dum infantes deducunt docentque incedere. Vnde vertunt, ego Ephraim, id eſt Iſraelem, puerum deduxi, & ambulare VERS. 3.

bulare docui per desertum. Aut, vt Vatabl. Ego A sensim & pedetentim eum deduxi, ne conficeretur labore viæ. Alij vertunt, *ego dedi pædagogum Ephraim* (putà Mosen) *qui portaret eos super brachia sua*. quasi alludat ad illud Mosis, *Vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum*. Numer. 11. 12.

Verùm melius magisque præcisè vertit Noster, *nutricius*, id est nutritor, vel nutrix. Hoc enim propriè significat תִּרְגֶּלֶת *tirghelet*, & addito iod paragogico תִּרְגַּלְתִּי *tirgalti* (quod planè diuersum est ab *hirgalti*, id est, incedere feci: hoc enim verbum est, illud nomen: deducitur enim à רֶגֶל *reghel*, id est, pes. Vnde Marinus in Lexico vertit, *pedatio*, q. d. *Itio*, vel *ambulatio mea erat ad Ephraim*) *tirghelet* ergo est nutrix, quæ pedes infantiũ format & firmat, eosq; deducit, docet & B assuefacit incessui. Vnde Septuag. vertunt, συνεπάτουν, id est, colligaui pedes, scilicet fascijs infantilibus, quod etiam est nutricũ, ait Theoph. Iam sensus est is, quem dat S. Hieron. *Narrat*, inquit, *Deus, quo Israel amore dilexerit, secundùm illud Deut. 1. 31. Portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulũ filium suum, in omni via per quam ambulasti, donec venires ad locũ istum. Et in alio loco* (Deut. 32. 11.) *Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis*. Et psal. 79. 2. *Qui deducit velut ouem Ioseph. Ego*, inquit, *qui pater eram, nutricius factus sum, & paruulũ meum in vlnis meis ipse portabã, ne læderetur in solitudine, & ne vel æstu, vel tenebris terreretur; in die nubes eram, in nocte ignis columna, vt quos protexerã, meo illustrarem & sanarem lumine: cumq; peccassent, & secissent sibi vituli caput, dedi eis locum pœnitentiæ, & ignorauerunt quòd curarem eos, vt vitium idololatriæ quadraginta annorum spatio obducerem, & pristinæ redderem sanitati.* Quod ergo subdit, *Et nescierunt*, idẽ est ac si dicat, Et tamen post tot beneficia, quibus quasi nutrix eos educaui, ipsi hæc officia prouidentiæ & maternæ curæ meæ erga se non agnouerunt, sed me spreto dixerunt vitulo: *Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti*, Exodi 32. 4.

PORTABAM EOS IN BRACHIIS MEIS] In deserto enim per Mosen, per columnam ignis & nubis, per manna, per vestium eorumdem conseruationem, &c. tam suauiter & benignè Deus Iudæos tractauit & deduxit, ac si quasi nutrix eos brachiis suis portasset.

VERS. 4. IN FVNICVLIS ADAM TRAHAM EOS, IN VINCVLIS CARITATIS] *Adam* hîc accipi potest vel vt nomen proprium protoplasti, vel vt commune, significans *hominem*. Si vt proprium, sensus erit D quem dat S. Hieron. q. d. Sicut ex amore Adamum naturæ simul ac gratiæ, & amicitia mea donaui, ita & vos posteros eius donabo. Adam enim ex mea gratia est vester protogenes & archigenes, id est, humanæ generationis princeps. Aut, vt noster Prado in Ezech. c. 6. v. 9. Funiculi, inquit, sunt dolores: illis enim quasi funibus homo arctatur & constringitur, iuxta illud psal. 17. 6. *Dolores* (hebr. חֶבְלֵי *chabli*, id est funes) *inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.* Hebræum enim *chebel* funiculum, ligamen, vinculum, indeq; dolorem, quasi ligantem & vincientem significat. Sensus ergo est, q. d. Ego Israelitas per dolores & afflictiones, quos ab Adamo parente suo hereditarunt, ad me traham, quæ sunt mei erga illos amoris pignora. Vnde sequitur: *In vinculis charitatis*, id est, in vinculis quibus soleo ad me allicere charissimos filios, quæ sunt castigationes & flagella.

Secundò, alij passim *Adam* accipiunt vt nomen commune, vertuntq; *hominis*. ita Aquila, Syrus, Symmach. Theodot. & Septuag. q. d. In funiculis quibus solent homines ligari & trahi, nempe amore & beneficiis, traham illos ad me. Vnde Chald. vertit, *sicut morũ est trahi filios dilectos, traxi eos fortitudine charitatis*; Arabicus, *attraxi eos pugillo protractionis meæ*. Alludit ad c. 10. 11. *Ephraim vitula docta diligere triturare*, q. d. Vitulæ lasciuientes, qualis est Israel, trahuntur funibus canabinis, vel ferreis; at ego Ephraim, licèt subinde mihi renitentem, nolo vt bestiam tractare, trahereq; inuitum fune verberum & terrorum; sed vt hominem (non seruum, sed filium) traham eum funiculis amoris: illis enim trahi solent homines, præsertim ingenui, & filij. ita S. Hieron. Vatablus, Emmanuel, Mariana & alij. Porrò S. Hieron. per *hominum* specialiter accipit Patriarchas, Abraham, Isaac & Iacob. *Curauí*, inquit, *eos propter funiculos & vincula charitatis, quibus mihi Abraham, Isaac & Iacob astrinxeram.* Hi enim fuerunt parentes Israelis, ob quos Deus Israelem amabat & curabat. Verùm planiùs quilibet homines accipi possunt: omnes enim trahuntur amore.

Tertiò, nonnulli funiculos Adam, id est hominis, actiuè accipiunt, non passiuè, id est, non quibus homo trahitur à Deo, sed quibus homines sancti, putà Abraham, Isaac, & Iacob traxerunt Deum in sui, suæq; familiæ & gentis amorem, vt eam diligeret, & eligeret ex omnibus gentibus in suam Ecclesiam & regnum. Verùm prior sensus est magis genuinus.

Quartò, Hebr. חֶבֶל *chebel* verti potest, *corruptio, vastatio*. Vnde Septuag. vertunt, *in corruptione hominũ extendi eos in vinculis charitatis meæ*, q. d. Esto sint peccatis infecti & corrupti, tamen adhuc conabor eis mederi ex charitate, sicut medicus ægro, v. g. contracto, volens mederi, extendit membra eius contracta, alligans ea vinculis, non vt eum affligat & torqueat, sed ex charitate vt sanet.

Nota Primò. *traham* potest propriè accipi vt futurum, q. d. Licet Israel me offenderit, tamen adhuc traham illum ad me. Verùm melius accipias pro præterito: *Traham*, id est, traxi: clariùs enim liquet, quòd Deus traxerit eos in deserto, quàm quòd post tempora Osee eos tracturus sit: paulò enim pòst eos vastauit, & tradidit Assyrijs: & quia sequitur, *Declinaui ad eum*, &c. in præterito. ita S. Hieron. Septuag. Chald. Rupert. Hugo, Lyran. Dionys. Arias & Sanchez. Præcessit enim præteritum: *Portabam eos in brachiis meis.* Rectè S. Aug. in psal. 36. *In prophetia*, ait, *bene miscentur futura præteritis, quo vtrumque significetur.*

Nota Secundò. Tractus & funiculi significant copiam, æquè ac suauitatem amoris, qua Deus homines ad se trahit: *Magnes enim amoris est amor.* Hoc est quod ait S. August. de sua ad Deum cõuersione & tractu, lib. 9. Confess. 1. *Quàm suauè mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me tu vera & summa suauitas, ejiciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior.* Idẽ Aug. serm. 2. de verbis Apostoli

tom. 10. *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum: Non dixit,* inquit, *Duxerit, sed Traxerit. Ista violentia cordi fit, non carni. Quid ergo miraris? crede, & venis; ama, & traheris. Non arbitreris illam asperam molestamq; violentiam; dulcis est, suauis est; ipsa suauitas te trahit. Nônne ouis trahitur, cùm esurienti herba monstratur? Et puto quia non corpore impellitur, sed desiderio colligatur: sic & tu veni ad Christum. Ad illum enim qui vbique est, amando venitur, non naurgando.*

Nota Tertiò. Ruffinus funiculos Adam censet esse beneficentiam, qua Deus Adamum post peccatum prosecutus est, dans ei cibos illaboratos, & sponte nascentes; sic vice versa funiculos Israelis esse manna, & aquam de petra quæ ei sine satione & fossione in deserto Deus dedit, quibus quasi charitatis vinculis eum alligauit: quæ fuerunt typus Eucharistiæ Vnde

Allegor. Allegor. traxit nos Christus in funiculis Adam, cùm pro nobis factus est Adam, id est, homo, caro nostra, & frater noster, vt docendo, patiendo, & moriendo pro nobis, nos ad se & ad Deum traheret, ac terrenum Adam redimeret, transformaret, faceretq; cælestem; cumque hominum morbos, tam corporis, quàm animæ curauit, inquit Theophyl. & Rupert. ac præsertim cùm quasi nutricius Ephraim, corpus & sanguinem suum nobis dedit in Eucharistia. Hic enim est funiculus Adam, quo nos sibi Deoque astrinxit. Est enim Christus in Eucharistia *amor amorum*, vt ait S. Bernard. serm. de Cœna Domini. ita Delrio adagio 956. Audi & S. Hieron. *Intantum dilexi, & tam demens pastor fui, vt morbidam ouem humeris meis ipse portarem: ipsi verò ignorauerunt, quòd mea illos passione curarem; & qui amator sum omnium hominum, traherem eos ad credendum in vinculis charitatis.*

Symbolicè. Symbolicè, Paulus à Palatio: Funiculi Adam, ait, sunt leges veteres datæ Iudæis, & multò magis nouæ datæ Christianis: hæ enim ligant, id est, obligant populũ quasi funiculi, suntque Adam, id est hominum, non bestiarum: quia humanæ sunt, & rectæ rationi ac æquitati conformes. Eædem sunt vincula charitatis: quia finis legis est charitas, vt scilicet nos ducat ad amorem Dei & proximi. Tales & debent esse leges humanæ, scilicet vincula charitatis, non tormina cupiditatis: quia publicæ vtilitati, non propriæ auiditati seruiant oportet.

Tropol. amor est telum violentissimum, quo hostes sibi conciliat. Tropol. disce hîc amorem esse telum violentissimum, quod hostes expugnat, immò immutat, & ex inimicis facit amicos. Errat hîc mundi sapientia, quæ hostem odijs, maleficijs & plagis vult vincere, cùm ijs magis accendatur odium & hostilitas. Vera ratio vincendi hostem est, eum vincere amore, & vincere beneficiis. Vidit hoc Philippus Macedo, qui, vt testatur Plutarch. in eius vita, cùm capitaneum quemdam haberet, qui fugiter illi eiusque famæ detrahebat, censerentque amici eum terrore & minis compescendum, Philippus alijs armis vtens, misit ad eum magnam pecuniæ vim, addens, si plura cuperet, se plura daturum. Hoc dono victa est eius lingua, victa maledicentia, ac qui primò Philippum carpebat, nunc eum laudabat & in cælum eucehebat. Mirabantur amici doni ignari tantam in calumniatore mutationem. quibus Philippus: *Eo, ait, in mea manu est facere, vt detractores mei sint lau-*

datores. Idem obsessurus arcem in rupe sitã, cùm sui dissuaderent, dicerentque eam esse inaccessam, ideoque inexpugnabilem, rogauit, num asinus onustus auro eò ascendere posset: asserentibus viam patere asino; Ergo, inquit, accessu & expugnatu facilis est. Quare submissa ingenti auri vi arcis præfectum sibi deuinxit, fecitque vt arcem sibi dederet. Nimirum *validiùs & facilius aureis hastis pugnatur, quàm ferreis.* Norunt hoc sapientes principes & duces. Docuerat id Philippum Apollo Pythius, dum ab eo consultus respondit:

Si telo ex auro pugnaueris, omnia vinces.

Seneca epist. 9. ad Lucill. *Si vis amari, ama.* Et Poëta:

Vt præstem Pyladen, aliquis mihi præstet Orestem.
Hoc non fit verbis: Marce, vt ameris, ama.

B Præclarè S. Chrysost. hom. 13. ad pop explicans illud Christi, *Omnia ergo quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis,* ait: *Vis beneficia capere? confer beneficium alteri: vis laudari? Lauda alium: vis amari? ama: vis partibus primis potiri? cede illas priùs alteri.*

ET ERO EIS QVASI EXALTANS IVGVM SVPER MAXILLAS EORVM] *Ero*, id est, *eram*: sicut paulò antè *traham* id est traxi. Sequitur enim, *& declinaui* in præterito. Iam quoad sensum, Albert. explicat, q d. Faciam vt maxillę eorum premantur iugo Assyriorum. Vnde Symmach. vertit, *putauerunt quòd imponerem iugum super maxillas eorum.* Iugũ scilicet, vel hostis, vel legis meæ, quam ipsi æstimant durissimum esse iugum. Meliùs alij contrariè exponunt, q d. Exaltabo, id est, auferam ab eis iugum aliarum gentium. Tertiò,

C Septuag. vertunt, *ero eis quasi dans alapas homo super maxillas eius.* quod explicans S. Hieron. *Quia,* inquit, *non sua sponte currebant, sed vincti funibus trahebantur, paululùm maxillas eorum verberaui, non puniẽs, sed corrigens & emendãs. Index lacerat carnes, torquet funiculis, flagellis atq; ignibus cruciat: qui autem pater est, lasciuientẽ filium palma percutit manus.* Sic & Cyrill. & Theodor. per alapam hominis accipiunt castigationem leuem, qua Deus quasi pater leniter castigat suos, quasi pueros; *quem enim diligit Deus, castigat.* Imò aliqui hæc accipiũt de alapa qua pater leniter tangit maxillas pueri, quasi applaudens ei poppysmo blandientis, vt doceant Dei alapas non esse aliud, quàm plausus quosdam, & manuum collisiones, quibus equisones, seu poppyzontes voce simul & manuum tractatione equos animare solent, & indomitos cicurare, vti Deus hîc cicurauit Israelem. ita Delrio adagio 957. Quare minùs rectè Leo Castrius hæc refert ad alapam à milite datam Christo in passione, coram Caipha põtifice; præsertim quia ipse contendit, in Hebræo pro *exaltans* על *ol*, id est *iugum*, legendum esse *exaltans* יד *iad*, id est *manum*, scilicet ad dandam alapam. quod est contra omnes codices.

D Sed quæres, qua ratione & qua allusione ad rem rusticanam, in nostra versione dicatur: *Ero eis quasi exaltans iugum super maxillas?* Nec enim rustici exaltant iugum super maxillas, sed super collum, vel cornua boum. Primò, Ruffinus censet alludi ad boues qui trahunt currus, *In quibus,* inquit, *iuga cùm soluuntur, eriguntur*: cùm enim boues è curru soluuntur & abeunt, eleuatur currus temo, qui pariter secum eleuat iugum. Verùm

rùm ſolutis bobus ſolet & iugum eorum ſolui, nec dimitti alligatum temoni. Adde, hîc magis ad boues arantes, vel triturantes, quàm ad currum trahentes reſpici. Alludit enim ad id quod paulò antè dixit c.10.v.11. *Ephraim vitula docta diligere triturам, & ego tranſiui ſuper pulchritudinẽ colli eius: aſcendam ſuper Ephraim, arabit Iudas*, &c.

Secundò, alij cenſent reſpici ad morem ruſticorum, qui ad ſingulos ſulcos eleuant iugum boum ad caput & cornua, ne eo collum nimis incaleſcat & grauetur. De eo enim ſic præcipit Columella li.2.c.2. *Sulcum longiorem facere quàm pedum centum viginti contrarium eſt pecori, quoniam plus æquo fatigatur, vbi hunc modum exceſſit. Cùm ventum erit ad verſuram, in priorem partem iugum propellat, & boues inhibeat, vt colla eorum refrigeſcãt, quia celeriter conflagrant, niſi aſſiduè refrigerentur; & ex eo tumor, ac deinde vlcera innadunt.* ita Figuerius. Verùm hæc ſpectant eleuationem iugi ad caput & cornua, non verò ad maxillas, quod quærimus.

Tertiò, veriſimiliùs Sanchez cenſet per *iugum* hîc ſignificari capiſtrum, quòd os boum & maxillas tegit & ſtringit, ne inter arandum germina carpant: hoc enim capiſtrum alligatur iugo, ne boues caput demittant, ſed eo erecto incedant. Hoc enim faciendum eſſe docet Columella loco citato, *Vt boum colla*, inquit, *minùs labefactentur, iugumq; meliùs aptatum ceruicibus inſideat.* Cùm enim boues ab arando vel triturando ceſſant, eleuatur & aufertur iugum, vnaque capiſtrum quod erat ori & maxillis alligatum; imò ſubinde inter arandum & triturandum agricolæ laxant eleuantque capiſtrum à maxillis, vt boues caput demittere, & germina vel grana quæ triturant carpere & edere poſſint. Subiugo ergo hîc intellige frænum ſiue capiſtrum: hoc enim propriè tangit maxillas, & eleuatur ſupra eas, vt boues comedere poſſint. Vnde & ſequitur: *Et declinaui ad eum cibum, vt veſceretur*, q.d. Iſrael quaſi traxit iugum meum peregrinans per deſertum 40. annis: ſed cùm aliquid laboris & modeſtiæ ſubiuit, in tam diuturno & difficili itinere, ego ſic eum releuaui & refeci, ſicut agricola ſolet laborantẽ bouem, à quo iugum & laborem amouet, vt ſuis ſe temporibus pabulo reficiat & reſtauret.

Quocirca optimè Hebræa vertit Chald. *verbum meum fuit ſicut bonus agricola, qui alleuat humerum boum, & relaxat* (frænum) *in maxillas eorum.* Alludit enim ad vitulos vel boues arantes & triturantes (his enim comparauit Iſrael c. 10. 11.) quibus iugum ceruici, capiſtrum ori imponitur, vt aſſiduè arent vel triturent, nec ab hoc opere diuertere poſſint os ſegeti vel cibo admouendo: hos agricola, ſi clemens & benignus ſit, ſubinde à iugo ſoluit aut laxat, vt quieſcant & comedant. q.d. Pari modo ego ceruicem Iſraelis iugo, maxillas capiſtro liberaui, dum in deſerto hoſtium arma & iugum ab eo auerti, fecique vt à labore itineris ſæpè interquieſceret, *& declinaui*, id eſt, demiſi è cælo manna, quo *veſceretur*. ita S. Hieron. Exaltatur ergo iugum ſuper maxillas, cùm ab illis attollitur & aufertur, aut, vt Vatabl. cùm more ruſticano è collo boum aufertur, & in cornibus eorum ſuſpenditur, vt per maxillas dependeat & defluat. Sic enim reſpirant boues, & refocillantur aliquantulum in medijs arandi & triturandi laboribus. Alleg. Chriſtus exaltat & aufert à nobis iugum peccati, dæmonis, & concupiſcentiæ dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, Matth. 11. v. 28. Aut enim tentationes & difficultates tollit, aut ſua gratia ita eas emollit, vt hoc earũ iugum non videatur maxillas ſtringere, neque collũ arctare.

ET DECLINAVI AD EVM VT VESCERETVR] Id eſt, vt Symmach. & Vatab. *declinaui ad eum cibum*: hunc enim ſignificat Hebr. אוכיל *ochil*: quod alij vertunt, *comedere faciam*, putà tum bona terræ Chanaan, tum manna, quo Iſraelem alui in deſerto. ita S. Hieron. Chald. Haymo, Albert. Lyran & alij. Allegor. per manna accipe Euchariſtiam, qua Chriſtus ſuos alit, de qua ait S. Hieron. *Declinaui* (ego Chriſtus) *ad eos, deſerens regna cælorum, vt cum eis veſcerer aſſumpta forma hominis: ſiue dedi eis eſum corporis mei ipſe & cibus & conuiua.*

Pro *declinaui* hebr. eſt אַט *at*, quod per apocopen ponitur pro אַטָּה *atte* futuro hiphil, à rad. נָטָה *nata*, id eſt declinauit. Aliqui *at* accipiunt vt aduerbium, ſignificans *quietè*, quaſi dicat, Exaltaui iugum gentium, abſtuliſque à maxillis Iſrael, feciſque vt quieſceret à bellis in Chananæa per Ioſue, vtque quietè eius frugibus veſceretur. Sed hæc ſignificatio & verſio dubia eſt & incerta. Docti enim Hebræi cenſent *at* cùm aduerbialiter ſit, ſignificare abſconditè, clàm, tectè, à rad. טָאַט *taat*, id eſt, abſcondit.

NON REVERTETVR IN TERRAM ÆGYPTI] Eſt hîc oratio pathetica, ideoque confuſa, in qua multa ſupplenda ſunt: Deus enim hîc induit pathos parentis, vel nutricis zelotypæ, q. d. Ego tanta charitate, tot beneficiis affeci, & allexi ad me Iſraelem: ſed ille cor habet algidum, & à me auerſum, ad me reuerti non vult, ſed reuerti cogitat in Ægyptum, vt eius opem imploret contra Aſſyrios. Quid ergo? impune hoc feret? Non feret: ſepiam viam eius ſpinis, faciamque vt viis ab hoſte obſeſſis in Ægyptum reuerti nequeat, vtque Aſſyrius eas ex improuiſo præoccupet, & in Aſſyriam captiuum abducat, ſitque *Aſſur ipſe Rex* (imò tyrannus) *eius*. Vnde Chaldæus vertit, *non reuertentur in terram Aegypti, ſed Aſſur* (putà Salmanaſar) *dominabitur eis*. ita S. Hieron. Albert. Lyran. & Hugo. Aliter Arias, q.d. Debebant ire & opem implorare, non Ægypti, nec Aſſur, ſed Domini Dei, vt לֹא יָשׁוּב *reuertetur*, non rem futuram, ſed debitum & obligationem ſignificet, idemque ſit quod *reuerti debet*: ſic enim Hebræi ſubinde loquuntur dicentes, *Hoc non fiet*, id eſt, hoc fieri non debet.

COEPIT GLADIVS] q.d. Iam Aſſyrij per crebras excurſiones cœperunt vaſtare, & occidere Iſraelitas, nec deſiſtent donec, *electos & capita*, id eſt, conſiliarios (vt habent Hebræa) & principes eorum cum tota gente conſumant. Id ita factum eſſe patet ex hiſtoria li. 4. Reg. c. 15. & ſequent.

ET POPVLVS MEVS Iſrael PENDEBIT AD REDITVM MEVM, q.d. Iſrael animo pendulus ſperabit & expectabit, vt ego de more rediens liberem eum ab Aſſyriis, qui velut recedens iam eum deſeruerat. ſed falletur: quia enim ipſe in ſua contra me rebellione & vitulorum cultu perſiſtit, faciam, vt IVGVM Aſſyriorum IMPONATVR EIS omnibus SIMVL, nemine excepto: QVOD NON AVFERETVR] ſed erit perpetuum. ita S. Hieron. Albert. Haymo, Clarius & alij.

Scem-

Secundò, q. d. Israel pendet & hæsitat an ad A
mè conuerti & redire velit, nécne. ita Leo Hebræus & Chald. qui vertit, *populus meus hæsitat se conuertere ad legem meam.* Accedit Arias, qui explicat, q. d. Israel superbus & peruicax non vult prior me de reconciliatione compellare, sed expectat vt ego prior ei reconciliari postulem, quasi ego sim offendens & reus, ille offensus & actor.

Huc quoq; accedit R. Dauid, quem sequitur Pagnin. & Vatabl. qui Hebr. מְשׁוּבָתִי *meschubati*, quod Noster vertit, *reditum meum*, vertunt, *auersionem*, vel *rebellionem meam*, huncque dant sensum: Israel in sua à me auersione vndique pressus angustiis & hostibus hæsitat quid agere, quò confugere, cuius opem implorare debeat.

Nota. Pro *iugum imponetur ei*, hebr. est, *ad iugum vocabunt eum*. Legit interpres עֹל *ol*, id est iugum, æquè ac Chald. qui vertit, *infirmitatem grauem incurrent simul*. Iam legunt alio puncto עַל B
al, id est, altus, excelsus, putà Deus. Vnde vertunt, *ad Altissimum vocabant eum*, q. d. Prophetæ vocabant Israelem vt ad Deum rediret. Septuag. vertunt, *Deus super pretiosa eius irascetur.*

Rursum pro *non auferetur*, hebr. est, *non exaltabit*, vel *non exaltabitur*, scilicet iugum, id est, non auferetur à maxillis Israelis, vti exposui v. 4. Alij aliud suppositū verbi subaudiunt, scilicet Theodot *non exaltabit*, putà *eos Deus*; Chald. *non exaltabit*, supple *caput* Israel depressus ab Assyriis; Vatabl. *non exaltabit*, supple *Israel Deum*, id est, non laudabit, nec celebrabit Deum, quia ab eo auertit se ad idola, q. d. Hæsitat Israel an mecum in gratiam rediturus sit: & licèt Prophetæ eum crebrò vocent, vt ad Altissimum redeat, nemo tamen est qui ad Deum redeat, eumque exaltet C
& colat.

8. Quomodo dabo te Ephraim, protegam te Israel? quomodo dabo te sicut Adama, ponam te vt Seboim? Conuersum est in me cor meum, pariter conturbata est pœnitudo mea.

9. Non faciam furorem iræ meæ: non conuertar vt disperdam Ephraim: quoniam Deus ego, & non homo: in medio tui sanctus, & non ingrediar ciuitatem.

Vers. 8. QVOMODO DABO TE EPHRAIM, PROTEGAM TE ISRAEL?] Pro *protegam* hebr. est. אֲמַגֶּנְּךָ *amaggen*. Quod si à radice גָּנַן *ganan*, id est tegere, obtegere, deducas, significat *protegam*, obtegam, D
&, vt Septuag. ac Aquila vertunt, *scuto circumdabo te*. Nonnulli tamē censent *amagghen* esse contrariæ significationis (talia enim sunt multa Hebræorum verba, quæ aliquando vnum, aliquando eius contrarium significant) vnde Theodotion vertit, ἀφοπλίσω σε, id est, nudabo te, & *auferam à te ὅπλον*, id est scutum, quo te antè protexeram, ait S. Hieron. & Chald. *exterminabo te.*

Secundò, si *amagghen* à rad. מָגַן *magan*, id est tradere, deducas, significat *tradam te*, scilicet hostibus Assyriis. ita Symmach. Leo Hebræus & Pagnin. Hi sensus licèt verbotenus diuersi, imò contrarij, in eumdem tamen sensum, quasi finem & scopum, collimant. Deus enim hîc duas personas & duos affectus alternantes induit, scilicet amantis patris, qui filium peccantem punire ex amore refugit; & seueri iudicis, qui eum vt reum plectere destinat. Est enim in hac Dei interrogatione ingens pathos, in quo quasi luctatur amor cum dolore & ira, putà summa Dei misericordia cum eiusdem iustitia & vindicta. Deus enim, ait Cyrillus hîc, quasi pendulus se versat vtrimque, hæsitatque an protegere, an perdere debeat Israelem tam perditæ & profligatæ vitæ, vt ostendat quàm eius misereri cupiat, si resipiscere velit, quamque inuitus ad eius impœnitentis excidium descendat. Sensus ergo est q. d. *Quomodo dabo*, id est, quid de te, vel tibi faciam, ô Israel? protegámne te more solito vt pater? at tua obstinata à me auersio & rebellio obsistit: tuaque scelera atrocia clamant in cælum, & vindictam à me efflagitant. Perdámne te per Assyrios, vt Sodomam, Adamam, Seboim, vrbes Pentapoleos? at quomodo id paternus meus in te affectus patietur? Cùm Sodomam perdidi, tactus fui dolore cordis intrinsecus: at nunc si te filium meum perdam, magis cor meum, quàm tuum, dolore fauciabo. Cor enim mihi findi, conuelli & dissecari (anthropopathōs) videtur, si te, quem amaui vt filium, vt viscera mea, abijciam, tradam Assyrijs, vastem & disperdā. Quid ergo faciam? quò me vertam? vincet amor, an dolor? misericordia, an iustitia? Vincat amor, vincat misericordia. Ait ergo:

CONVERSVM EST IN ME COR MEVM, PARITER CONTVRBATA EST POENITVDO MEA] Leo Hebræus vertit, *inuersum est in me cor meum, simulq; accensa sunt in me pœnitudines meæ.* q. d. Dum ita mecum luctor, misericordia & pietate paterna vincor. Itaque cor meum conuerto & inuerto, muto sententiam, reuoco decretum de exscindendo prorsus Israele; ac quasi pœnitens conturbor intimo animi sensu, percellorque quòd eum omnino perdere voluerim. Non ergo eum exscindam vt Sodomam, sed castigabo vt filium: puniam, non vt perdam, sed vt emendem. Vers. 9.
NON FACIAM FVROREM IRAE MEAE, VT CUM EXTERMINEM, prout scelera eius postulabant. Denique NON CONVERTAR VT DISPERDAM EPHRAIM] ita S. Cyrill. Hieron. Theodor. Theophyl. Albert. Hugo & alij. Causam subdit:

QVONIAM DEVS EGO SUM, ET NON HOMO] q. d. Non sum ego similis hominibus, qui in inferendo supplicio plerumque ex ira transiliunt metas iustitiæ: Deus sum, qui in puniendo, non solùm metas iustitiæ æquare non soleo, sed citra illas me cōtineo, ait Anton. Fernan. vis. 29. sect. 3. Nimirum homo furore ebrius naturæ moderari nescit, ego scio: homo in vindictam se effundit; ego vindictam misericordia tempero, imò supero: in me enim misericordia superexaltat iudicio. quantum ergo Deus homini, cælum terræ eminet, tantum magnifica & diuina clementia mea eminet iustitiæ & vindictæ, ipsisque omnibus hominum omnium sceleribus, quæ tam facilè absorbet, quàm mare sorbeat guttam aquæ. ita S. Cyrill. Theodor. & alij.

Aliter Chald. & R. Dauid, q. d Homo offensus reuocat promissa: at ego licèt offensus ab Israele, promissa tamen, quæ Abrahæ, Isaac & Iacob, patribus eius feci, seruabo & opere præstabo.

Omnes ergo hæc in bonum accipiunt: vnus Arias hoc in malum accipit, q. d. Fixum maneat decretū meum de exscindendo Israele: *quia Deus*

ego ſum, non homo. q.d. Quia ſum Deus immutabilis, non homo, qui facilè flectitur mutatque ſententiam. Verùm perperàm: cætera enim omnia hîc non vindictam & odium, ſed ſummum amorem & clementiam ſpirant.

Mor. quàm decorum ſit præuenire offenſum.

Moral. diſce hîc quàm in offenſis condonandis diſpar ſit ſenſus Dei & hominum. Homo offenſæ vindictam machinatur, Deus reconciliationem. Homo punit vt perdat. Deus punit vt emendet. Homo paſſione & ira, Deus ratione & iuſtitia mouetur. Homo ſtultè reputat ſibi fore dedecus, ſi prior reconciliationem poſtulet: Deus idipſum ſibi honori ducit. Eſt hæc mundana, imò diabolica, hominum magnanimitas, vt pertinaces ſint in offenſis & litibus: eaque de cauſa multi iuges alunt inimicitias, quia neutra pars vult prior reconciliationē, multò minùs veniam, etiamſi offenderit prior, poſtulare. Concionatores eos dedoceant hanc mundi ſapientiam, imò ſtultitiam & dementiam, oſtendantque non dedecus, ſed decus & laudem eſſe eximiam, ſi quis prior de reconciliatione aduerſarium interpellet. Hoc enim ſignum eſt animi liberalis, iræ potentis, manſueti, humani, imò diuini: Deum enim ducem imitatur, qui prior nos peccatores ſua gratia præuenit, & inuitat ad reditū in gratiam. Vide S. Chryſoſt. hom. de ſimultate & ira, tom. 5. vbi præclarè docet honorificum eſſe præuenire partem aduerſam, eamque inuitare ad reconciliationem; eò quòd hæc reconciliatio & præuentio, ſit heroica virtus, ingenſque bonum vtrimque, cuius cauſa & auctor eſt non rogatus, ſed rogans. *Qui enim prior venit, is,* inquit, *totum lucrum anticipat. Si enim ab alio exoratus iram relinquis, illi imputatur, cuius precibus impetratum eſt. Non enim Deo obtemperans, ſed illi gratificans legem adimpleuiſti.* Chriſtus prior è cælis deſcendit ad nos, vt nos ad ſe reuocaret. Chriſtianus ergo eſt, & Chriſti aſſecla, qui idipſum imitatur. Puſilli & arcti animi eſt fouere iniurias, ampli & celſi eas abolere. Vnde Moſes poſtulans à Deo veniam rebellionis à populo admiſſæ: *Magnificetur ergo,* inquit, *fortitudo Domini, ſicut iuraſti: dicens: Dominus patiens & multæ miſericordiæ, auferens iniquitatem & ſcelera,* Num. 14. 17. Sic Theodoſius Imp. teſte S. Ambroſ. ſerm. de eius obitu, beneficium ſe accepiſſe dicebat, cùm ignoſceret. quin & Hadrianus, licèt Gentilis, Imperator creatus dixit, ſibi, iam ereptam eſſe facultatem iniuriæ priuatæ vlciſcendæ; quòd Imperatorem deceat non niſi publicas reip. iniurias vindicare, priuatas verò condonare: eius enim dotem propriam eſſe clementiam. ita Sanchez ad v. 7.

IN MEDIO TVI SANCTVS, ET NON INGREDIAR CIVITATEM] q.d. Hoſtes crudeles dum ciuitatem obſeſſam capiunt, eam ingrediuntur, & vaſtant: non ita ego, non ingrediar vrbes tuas vt eas vaſtem: quia ſanctus ſum, & in medio tui habito, ideoque cupio te corrigere & correctum ſaluare. ita Ruffin. Rupert. & S. Hieron. Non ergo ponam te vt Sodomam, ſed tui reliquias conſeruabo, imò te totam, ô Ieruſalem, ſub Ezechia pio rege à Sennacherib tutabor & protegam. Hoc eſt enim quod prædixit Iſaias c. 36. 4. *Non ingredietur vrbem hanc, & non iaciet ibi ſagittam.* Licèt enim hæc ſpectent ad Ephraim, tamen ſpectant quoque ad Iuda & Ieruſalem, vti iam dicam: magis tamen ſpectant ad Ephraim. Vnde rectè noſter Prado in Ezech. 4. 3. ſic explicat: *In medio tui ſanctus,* id eſt, hucuſque à te cultus & honoratus fui, *& non ingrediar ciuitatem.* q.d. Non ergo decet me ciuitatem Sichem (vel Samariam, quæ erat metropolis Ephraim) idolorum ſentinam ingredi: quia decreui eius ciues ſeruare. Suſtinet enim Deus perſonam iudicis, qui aduertere animum non vult ad ea quæ plectere recuſat; ac proinde non ingreditur loca ſceleratorum, ne videns ſcelera, vrgēte iuſtitia, cogatur ea punire.

Secundò, Hebræi, Haymo, Albert. & Hugo exponunt, q.d. Ego in medio tui, ô Iſrael, moror & color; nec te ſedemque meam derelinquam, vt ingrediar aliam ciuitatem vel gentem. Hinc R. Salomon, R. Abraham, R. Dauid, & etiamnū Iudæi deliri exiſtimant, Deum tantùm apud Iudæos habitare. Huc accedit Chald. qui de Ieruſalem explicat, q.d Ieruſalem eſt mea ciuitas, ibi habeo templum, in medio eius habito: non ergo illud deſeram, vt aliud templum vel vrbem ingrediar. Licèt enim hæc ſpectent ad Iſrael, id eſt, ad decem tribus primariò, ſecundariò tamen ſpectant ad Iudam: vtriſque enim prophetat Oſee: præſertim quia decem tribus priſcum ex Dei inſtitutione ius habebant ad Ieruſalem, & ad templum, nec illud à ſe abdicare poterant, quantumuis ad idola deflecterent.

Tertiò, q. d. Ego Deus dignor in medio tui habitare, ô Iſrael, eſto nullam ingrediar ciuitatē aut locum: tum quia omnibus locis ſum præſens: tum quia loco non egeo, nec capior: ſum enim toti orbi infuſus, effuſus, & circumfuſus. ita Theodor. & Lyran.

Quartò, aliter Sanchez, q.d. In te, ô Ephraim, ſunt aliqui ſancti (vt Oſee, Ioël, Amos, aliique Prophetæ) qui in Sodoma totaque Pentapoli non fuerunt, qui ſi non omnino cohibere, obtundere tamen poſſint diſtrictum gladium vindicis iracundiæ. Quare non ingrediar ciuitates Ephraim eo modo, quo olim per angelos ſum ingreſſus Sodomam, ad eius ſcelera videndum, & incendio vindicandum.

Moraliter, vide hîc viſcera charitatis, clementiæ & dignationis Dei noſtri, qua peccatores ſceleratiſſimos, quales erant Iſraelitæ, ad ſe trahere conatur in funiculis Adam; dolet & pœnitet, gemit & ſuſpirat ex intimo corde, quòd eos caſtigare debeat, mutat & reuocat ſententiam de eorum excidio. Audi S. Hieron. *In medio tui ſanctus, & non ingrediar ciuitatem, hoc eſt, non ſum vnus de his qui in vrbibus habitant, qui humanis legibus viuunt, qui crudelitatem arbitrantur iuſtitiam. Ius ſummum ſumma malitia eſt: mea autem lex, meaque iuſtitia eſt ſaluare correptos.*

Conſiderent hæc penitiùs Theologi illi, qui ponunt in Deo reprobationem, vel poſitiuam, vel negatiuam damnandorum, non ob eorum demerita, ſed ex mero Dei beneplacito: cenſent enim Deum ante omnem præuiſionem operum, imò ante præuiſionem lapſus Adami & peccati originalis (vti illorum nonnulli volunt) ex hominibus hos, putà electos, abſoluta & efficaci voluntate elegiſſe ad gloriam, illiſque ſolis deſtinaſſe media & auxilia congrua & efficacia ad ſalutem; cæteros verò omnes, vtpote damnandos, neglexiſſe, reprobaſſe negatiuè, & poſuiſſe in ſerie damnandorum; ex quo infallibiliter fiet, vt hi ad vnum omnes damnentur; ideoque Deum negare

negare eis auxilia congrua, imò (vt aliqui volunt) etiam ſufficientia ad ſalutem, vtpote qui ſtatuerit eos relinquere in maſſa peccato originali dānata, ideoq; permittere eos labi in peccata actualia, in iſque obdurari & mori, itaque damnari.

Probatur primò.

Quomodo quæſo hæc conſentiunt cum verbis Prophetæ noſtri, & cæterorum omnium, in quibus proteſtatur, imò iurat Deus, ſe ex animo cupere omnium hominum, etiam peccatorum & obſtinatorum (quales erant hi Samaritæ) ſalutē, nolle ſe eorum mortem & perditionem; de eaque ex intimis viſceribus dolet & ingemiſcit, ideoque aſſiduè per Prophetas eorum ſcelera arguit, minatur pœnas, hortatur & inuitat ad pœnitentiam, promittens eis veniam & gratiam? Si quis rex aut princeps hæc omnia præſtaret populo rebelli, nónne diceretur ab omnibus ſincerè ſummeq; cupere, vt populus ad ſe ſibique reconcilietur, itaque mortem rebellibus debitam euadat, viuat & ſaluetur? At Deus longè melior, benignior & clementior, longè ſincerior, longè veracior eſt quouis rege aut principe.

Sanè qui aliter ſentiunt, videntur Primò Deo fucum vel hypocriſin aſcribere, vt exteriùs dicat & promittat, quod interiùs non putat, vel vult. Si enim Deus damnandos omnes ante præuiſionem demeritorum reiecit & reprobauit negatiuè, ergo interiùs in animo ſuo noluit eos ſaluare, imò voluit derelinquere vt perirent & damnarentur: ergo cùm exteriùs per Prophetas dicit ſe velle eorum ſalutem, nolle mortem; ſimulatè, & quoad ſpeciem & apparentiā externam tantùm id dicit: non enim reuera & ex animo poteſt velle contradictoria, nimirum velle eorum ſalutem, eamdemque ſimul nolle. Ficta ergo & ſimulata (quod cogitare horret mens Chriſtiana, imò humana) erit illa Dei per Iſaiam ca. 5. 4. ad Iudæos vox: *Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci?* & Ierem. c. 2. v. 5. *Quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongauerunt à me, & ambulauerunt poſt vanitatem?* Et v. 12. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer: duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas.* Similibus querelis Dei plenus eſt Ieremias. Talia quoque ſunt Prouerb. 1. 24. *Vocaui & renuiſtis: extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret.* Ezech. 20. 31. *Conuertimini & agite pœnitentiam, facite vobis cor nouum, &c. Et quare moriemini domus Iſrael? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: reuertimini & viuite.*

Secundò.

Secundò, hæc ſententia valdè coarctat Dei clementiam & bonitatem, ſcilicet ad ſolos electos, qui pauci ſunt; circa alios verò omnes qui plurimi ſunt, facit eum rigidiorem quàm ſit vllus rex, Turca aut Tartarus in populum ſuum. Abſit crudelitas à Deo benigniſſimo. Inſuper reprobationem, damnationē, obdurationem, & conſequenter peccatorum patrationem, quæ inde ſequitur, aſcribit Deo optimo & ſanctiſſimo, eiuſque prouidentiæ & curæ; cùm & Scripturæ, & rei natura doceat ea aſcribenda eſſe peccatori. Cur Deo clementiſſimo illa tribuunt, à quo ſunt alieniſſima, & non homini, cuius ea ſunt propria? Clamat Oſee ca. 13. 9. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* Quàm ergo perperam dicunt nonnulli: Perditio tua, non tua, ſed ex Deo eſt reprobante! Quid enim eſt reprobatio, etiam negatiua, niſi perditio, eaque extrema & æterna? Clamat Eccleſ. c. 15. 11. *Non dixeris: Per Deum abeſt à me ſapientia & ſcientia ſalutis: quæ enim odit ne feceris.* q.d. Non per Deum, ſed per te ſtat, quòd non capeſſas viam ſalutis, quia facis ea quæ Deus odit, ac proinde à via iſta recedis. Si enim non facias illa quæ Deus odit, accedet ad te Deus & ſapientia, ſiue ſcientia ſanctorum. *Non dicas: Ille me implanauit*, id eſt, in errorem impulit: *Non enim neceſſarij ſunt ei homines impij.* Iam ſi Deus ex ſe, ante præuiſionem operum in pios reprobauit, nónne rectè dicere poterunt impij? Non per me, ſed per Deum ſtat, quòd primitus ſim reprobatus ab eo: huic autem eius decreto reſiſtere ego non potui, nec reprobationem eius euadere. illi ergo imputanda eſt prima mei reprobatio, omneſq; eius effectus, non mihi. Quis enim ego ſum, qui reſiſtam Deo, eiuſque prouidentiæ ſeriem fruſtrer & euertam?

Adde, reprobare, punire, damnare ſunt actus iuſtitiæ vindicatiuæ: ergo non præcedunt, ſed ſequuntur & præſupponunt peccatum, & culpam reprobandi & damnandi. Princeps enim eſſet iniuſtus & tyrannus, ſi ſubditos impelleret vel induceret ad peccata eo fine, vt eos poſſet punire, damnare & occidere.

Tertiò.

Tertiò, Chriſti filij Dei vnigeniti redemptionem & œconomiā valdè hi doctores extenuant, eiuſq; gratiam & gloriam imminuunt: nam eam ad paucos electos reſtringunt; cæteros ab ea reipſa excludunt, etiamſi nomine tenus partē eius aliquam, aut potiùs apparentē aliquam vmbram ad eos extendere videantur. Iam ex aduerſo, ex S. Scriptura, & ex doctrina Patrum & Eccleſiæ conſtat, quòd Chriſtus hac de cauſa incarnatus ſit, laborauerit, ſudauerit, paſſus, crucifixus, & atrociſſima quæque perpeſſus ſit, vt omnes omnino homines, etiam eos qui ſua culpa damnantur, redimeret, vt omnibus gratiam non tantùm ſufficientem, ſed & copioſam ad ſalutem impetraret, pro eaque aſſiduè Patrē orauit, atque ad eam omnes toto Euangelio ex animo inuitat. Hinc amarè fleuit ſuper Ieruſalē, dicens: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodū gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Hac de cauſa per totum orbem miſit Apoſtolos, quia ſcilicet, vt ait Apoſtolus 1. Tim. 2. v. 4. *Omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Idcirco rurſum ſingulis ſæculis, imò ſingulis annis per vrbes ſingulas, vicos & caſtella mittit prædicatores, qui doceant & inuitent omnes ad eius gratiam & ſalutem: ergo neminem ab ea excluſit vel excludit, niſi nolentem venire.

Quartò.

Quartò, multi ex iis qui damnabuntur ſunt baptizati, pœnitentes & iuſti, in quibus omne peccatum, etiam originale, planè deletum & abolitum eſt. Ergo Deus eos tunc odiſſe, reprobare, negligere aut deſerere nequit; ſed amat, iuuat, protegit & deſtinat vt fiant heredes gloriæ & regni ſui, vti docet S. Scriptura, & Concil. Trident. quod inter cætera ait ſeſſ. 6. a. 11. Deum gratia ſua non deſerere iuſtum, niſi priùs ab eo deſeratur.

Quintò.

Quintò, ex hac ſententia Deus videtur inſidiari ſaluti omnium eorum qui damnātur. Nam ante omnem præuiſionem decreuit eos reprobare, vtque hoc decretum ſit infallibile & efficax, debet procurare illis paſſim offendicula

&

& gratias inefficaces & incongruas, vt peccent A iuſteq́ue damnari poſſint, vti rectè argumentatur Gregor. de Valentia. Hoc enim inuoluit id quod dicunt auctores illius ſententiæ, ſcilicet, Deum ante omnem præuiſionem ponere reprobos in ſerie damnationis & damnandorum.

Quocirca viri ſapientes non pauci auerſantur iſta dogmata, & præſertim reprobationem tam negatiuam, quàm poſitiuam ante præuiſionem operum & finis vitæ cuiuſque, eamq́ue è cathedris & pulpitis eliminandam cenſent, tamquam Dei æquitati, ſanctitati, bonitati & clementiæ, æquè ac Chriſti redemptioni, meritis & charitati iniuriam; quæq́ue hominibus teporem ad bona opera, & pronitatem ad peccata ingerat, ad caq́ue ſollicitet. Sanè noui plures, qui ex illius ſententiæ prædicatione & doctrina, vel in deſperationē, vel in inſaniam acti miſeri vixerunt; B aliquos etiam qui ſe occiderunt. Semper enim decretū Dei de ſua ſalute vel damnatione, quaſi fatum quoddam ineluctabile, idq́ue dubium & incertum, capiti ſuo impendens phantaſiæ ſuæ obiicientes, nec illud excutere valentes, ſuccubuerunt tandem, ac in diffidentiam, vel amentiam prolapſi ſunt Denique hæc ſententia impulit Caluinum & hæreticos ad hoc, vt dicant Deum eſſe auctorem operum malorum, æquè ac eſt bonorum.

Itaque ſentiamus, dicamus, doceamus & prædicemus quod Prophetæ & Apoſtoli prædicarunt, ſcilicet Deum benignum eſſe in omnes, velleq́ue & optare ex animo omnium ſalutem, ideoq́ue reprobationis cuiuſque cauſam eſſe peccata propria, non quæcumque, ſed ea tantùm in quibus quis vitam finit; Deumq́ue neminem re- C probaſſe, niſi quem in peccatis moriturum præuidit, vti docet S. Auguſt. lib. de Correp. & gratia cap. 14. & Proſper in reſponſ. ad c. 2. & 3 Gallorum. Deus enim cuique hanc vitam dedit quaſi ſtadium, in quo vſque ad mortem decurrat & decertet. ſi rite decertarit, eum eliget, coronabit & glorificabit: ſi nequiter, eum reprobabit & damnabit. Quamdiu ergo in hac vita ſumus, in via, ſtadio & agone ſumus, id eſt, in ſtatu merendi gloriam, vel demerendi gehennam: in morte erit terminus, vti vitæ, ita & meriti vel demeriti. Quocirca in cuiuſque arbitrio eſt quamdiu viuit, vel bene agere, itaq́ue mereri & eligi ad gloriam, vel malè, itaq́; reprobari. Hoc eſt quod per Moſen Deut. 30. 15. Deus Hebræis edixit: *Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum; & è contrario mortem & malum, vt diligas Dominum,* &c. *& viuas* Et Eccli. 15. 14. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata facere, conſeruabunt te. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manū tuam. Ante hominē vita & mors, bonū & malum, quod placuerit ei dabitur illi.* Ita feciſſe Deum cum angelis & Adamo clarum eſt, & fatentur auctores illius ſententiæ: ergo & idē facit cum hominibus poſt lapſum: per Chriſtum enim homines lapſos erigere, & in priſtinum, imò altiorem gradum reſtituere decreuit, & de facto reſtituere dignatus eſt. vti manifeſtiſſimum eſt in ijs qui baptizati & iuſti, imò magni Sancti euaſerunt, è quibus tamen poſtea nonnulli ſua ſuperbia, aliáve culpa perierunt, & etiamnum pereunt & damnantur.

Hic ſenſus dignus eſt Deo, dignus Chriſto, dignus Eccleſia. Sentiamus ergo cum Sapiente de Deo in bonitate, à quo, vt ait Iſaias c. 28. 21. mala infligere vel inferre alienum eſt & peregrinum, proprium verò miſereri & parcere. Nam, vt ait Pſaltes, *Miſerationes eius ſuper omnia opera* eius. Et Sapiens c. 11. 27. *Parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt Domine, qui amas animas.* græcè ſignificantiùs, δίοτι σὰ φιλόψυχος. Ipſe ergo eſt φιλόψυχος, &, vt ait Apoſtolus Tit. 3. 4. φιλάνθρωπος, qui ex mero amore animas creauit, eaſq́ue perditas Chriſti ſui ſanguine redemit, ac proinde non vult eas perire, ſed ſaluari, ideoq́ue ſingulis gratias & media ad ſalutē ſufficiētia, imò copioſa & abundantia, ex immenſo hoc amore quo eas proſequitur, ſuppeditat; vt qui pereunt, non Deo, ſed ſuæ ignauiæ, vel malitiæ id tribuere debeant, vti ait hic Propheta. Vide inter alios Gregor. de Valentia 1. p. q. 23. diſp. 1. puncto 3.

Dices, Deus elegit hanc rerum ſeriem, in qua præuidebat hoſce, putà reprobos omnes peccaturos, ideoq́ue damnandos: ergo voluit & intendit eos negligere, & reprobare ante omnem præuiſionem operum. Cur enim eos poſuit in hac ſerie rerum, in qua infallibiliter damnandi erant, niſi quia voluit eos abiicere? alioqui enim poſuiſſet eos in alia ſerie, in qua præuidebat illos ſaluandos. Reſp. negando conſequentiam: inde enim à pari ſequeretur, Deum intendiſſe peccata reproborum, quia ea pari modo præuidit in tali ſerie, in qua eos poſuit, certò futura. hoc autem dicere eſt impium & blaſphemum. Cauſa ergo cur eos poſuerit in tali ſerie, non fuit illa, quòd intenderet eos reprobare aut damnare; ſed quia liberum ei fuit eligere ſeriem quamcumque voluit, præſertim quia præuidebat Deus, quòd quamcumq; ſeriem eligeret, ſemper aliqui cum communibus gratiæ auxilijs (noluit enim omnibus dare extraordinaria & potentiſſima: hoc enim quaſi priuilegium paucis reſeruauit) ex arbitrij libertate, facilitate & fragilitate deficerent & peccarent, ideoq́ue reprobarentur & damnarentur. Quòd ergo hanc ſeriem de facto elegerit, in qua præuidebat hoſce defecturos & damnandos; non illam, in qua præuidebat hoſce in gratia perſtituros & ſaluandos, ſed alios defecturos & damnandos; hoc liberæ eius electionis & poteſtatis fuit: eſt enim ipſe ſummus rerum omnium Dominus. Taceo occultas alias huius electionis cauſas, quas plures in mente ſua habuit & habet: has enim homini ſcrutari nec poſſibile, nec fas eſt. ſufficiat nobis non fuiſſe hāc cauſam, quòd hos præ alijs vellet reprobare ante præuiſionem operum, vti iam oſtendi. Nam dedit eis, æquè ac aliis, cōmunia gratiæ auxilia, cum quibus facilè bene viuere & ſaluari poterant & debebant (hoc q́ue volebat & intendebat Deus) ſicut multi alij iiſdem bene vixerunt, & ſaluati ſunt. Tribuant ergo ſuæ libertati, fragilitati & negligentiæ, non Deo, nec Dei reprobationi, quòd gratiæ Dei cooperari ſtrenuē, prout res tanta poſcebat, noluerint, ideoq́; reprobati ſint.

10. Poſt Dominū ambulabunt, quaſi leo rugiet: quia ipſe rugiet, & formidabunt filij maris.

11. Et auolabunt quaſi auis ex Ægypto, & quaſi columba de terra Aſſyriorum:

rum: & collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus.

12. Circumdedit me in negatione Ephraim & in dolo domus Israel: Iudas autem testis descendit cum Deo, & cum sanctis fidelis.

VERS. 10. POST DOMINVM AMBVLABVNT, quia Dominus QVASI LEO RVGIET] suoque metu percellet cogetque omnes vt se sequantur, & post se ambulent. Id reipsa factum est. Primò, cùm Deus in vastitate & captiuitate Israelitarum rugijt & sæuijt quasi leo. Tunc enim multi ex ijs plagis fracti, & pauore Dei perculsi ad Deum redierunt, eumque in captiuitate Assyriaca coluerũt, & inuocarunt petentes veniam & liberationem. ita S. Hieron. Haymo, & alij.

Secundò, cùm Ezechias conuocauit & inuitauit Israelitas in Ierusalem ad Dei cultum, 2. Paral. 30. Rursum & potiùs, cùm Iudæi è Babylone redierunt in Iudæam: tunc enim multi ex Israel, id est è decem tribubus, Iudæis permisti, cum eis redierunt in Ierusalem, ibique in templo Deum coluerunt. ita S. Cyrill. Theodor. Chald. Albert. & Hugo.

Tertiò & maximè, Christo incarnato & prædicante, ac rugiente quasi leone tum per se, tum per Apostolos, multi Israelitæ tam ex Samaria & Iudæa, quàm ex Ægypto, Assyria, omniq; mundi plaga ad eum conuersi sunt, & quasi columbæ aduolarunt, quos ipse collocauit in domibus suis, putà in particularibus Ecclesiis, vbi piè sanctèque Deo seruierunt, seruiunt & seruient. Ad Christum enim auolare hîc Prophetam censent Hebræi, S. Hieron. & alij passim.

Nota. Christus per se & Apostolos euangelizans comparatur leoni. Primò, quia ipse vt leo terrore & minis iudicij & gehennæ terruit peccatores, & reipsa in iudicio terrebit damnatos infligendo illis ignem æternũ. Secundò, quia vti leo quasi rex dominatur cæteris feris & animalibus, ita Christus dominatus est philosophis, sectis & erroribus tam Gentilium, quàm Iudæorum. Tertiò, quia summa auctoritate & maiestate loquebatur quasi leo. Quartò, quia summa & leonina fortitudine è captiuitate peccati, diaboli & gehennæ veros Israelitas eduxit.

QVIA IPSE RVGIET, ET FORMIDABVNT FILII MARIS] id est, homines marini, v.g. insulani. Sic Isaiæ 23. 10. Tyrus dicitur *filia maris*, quia insula. Aut *filij maris*, id est, Occidentis (mare enim Mediterraneum est ad Occidentẽ Iudææ; hinc *mare* in Scriptura significat Occidentẽ) hoc est, Occidentales populi. q.d. Remotissimi quique Israelitæ qui in Occidentem profugerant, æquè ac gentes Occidentales, audito hoc leonis, id est Dei & Christi, rugitu, *formidabunt*, hebr. יֶחֶרְדוּ *iaherdu*, id est, trepidabunt, eique se subdent. Nam vt ait Amos c. 3. 8. *Leo rugiet, quis non timebit?* Significat quòd ad remotissimos quosque Israelitas, æquè ac nationes, perueniet vox, terror, potentia, & dominans gratia Christi.

Aliter Theodor. nam per *filios maris* accipit pisces quasi dicat, Tam horrendus erit Dei rugitus, vt pisces etiam fugituri sint, & in maris imo se abdituri.

Mysticè, *mare* est sæculum hoc varium, æstuans & tempestuosum: filij ergo maris sunt filij huius sæculi, quos Christus rugiens perculit & conuertit.

ET AVOLABVNT QVASI AVIS EX ÆGYPTO, ET QVASI COLVMBA DE TERRA ASSYRIORVM] Cùm scilicet ego Deus rugiam per Cyrum proclamando libertatẽ, vt Iudæi Babylone redeant in patriam, & multò magis cùm rugiam per Christum proclamando libertatem à peccato & gehenna, tunc Israelitæ inter Gentes dispersi vndique ad me confluent, scilicet à mari, id est, ab Occidente; ab Ægypto, id est, à Meridie; & ab Assur, id est, ab Aquilone & Oriente, vt me duce redeant per Esdram in Iudæam, & multò magis per Christum redeant ad Ecclesiam, quæ est prima veraque eorum patria, vbi *eos in domibus suis* & sedibus, putà in localibus Ecclesiis, *collocabo*. Ita Chald. qui vertit, *post Dominum ambulabunt, & verbum eius sicut leo erit qui rugit: statim enim ac rugiet congregabuntur exules ab Occidente. Sicut auis quæ aperte venit, sic venient qui in exilium acti fuerunt in terram Aegypti: & sicut columba quæ reuertitur ad columbare suum, sic redibunt qui deportati sunt in terram Assur.* q.d. Israelitæ, æquè ac Gentes, leonis, id est Dei & Christi, augusta voce territi & excitati, ad eum eiusque fidem & sequelam confluent.

Nota. Per Assyrios & Ægyptios, quaslibet regiones & gentes accipit per synecdochen: hos tamen præ alijs nominat, quia eò fugerant, vel abducti erant Israelitæ tempore captiuitatis, indeque quasi columbæ reuolarunt.

Quæres Primò, quænam sit auis Ægypti, & cur ei comparetur Israel rediens è captiuitate? *Auis Ægypti quæ*

Resp. esse ibin, vel accipitrem: vtraque enim Ægyptijs erat in honore, & sacra, imò diuinis honoribus colebatur. Per eam ergo significat Israelis, non tantùm celerem reditum, sed & indemnitatem, ac dignitatem, honorem & reuerentiã, quibus ab hostibus ipsis dimissus honorificè & gloriosè in patriã sit reuersurus. Ægyptij enim, ait Strabo, è terrestribus tria coluerunt, scilicet bouem, canem & felem: è volatilibus duo, accipitrem & ibin: ex aquatilibus duo, sepidotum piscem & oxyrynchum. Accipiter auis est rapax, ab accipiendo dicta, ideoque celerrima. Vnde Æthiopes rem citò factam significaturi, pingunt accipitrem; quòd hæc aliarum fermè omnium auis sit velocissima, ait Diodor. libr. 4. cap. 1. Eadem à Virgilio 11. Æneid. *sacra* vocatur, dum ita canit:

Quàm facile accipiter saxo sacer ales ab alto,
Consequitur pennis sublimem in nube columbam.

Porrò accipiter Ægyptijs erat in honore & veneratione. Primò, quia accipiter est hieroglyphicum solis, tum ob vim prolificam qua præditus est; est enim inter aues fœcundissimus. tum quia viuacissimus est: tum quia iubar radiosque solis firmiter intuetur: tum quia oculos & visum habet acutissimum. Vnde Plutarch. accipitrem interpretatur Osirim & solem. Origenes eumdem vocat Apollinis nuncium: tum quia trigesimo quoque die fœminæ solet coniungi æque ac sol lunæ. Hinc & Zoroastres, teste Eusebio, dixit Deum accipitris habere caput: Deus enim est sol iustitiæ, Malach. 4. 2. Secundò, quia cæteræ aues dum in sublime tendunt, non recto, sed obliquo feruntur tractu: solus autem accipiter sublimipeta recto meatu volat. Tertiò, quia accipiter

ter ſymbolum eſt animi alati, ac in altum cælumque euolantis, ac conſequenter ſacerdotis & ſacerdotij; quod verum & legitimum ſolus Iſrael poſſidebat. Quartò, quia accipiter ſymbolum eſt gloriæ & victoriæ, tum quia agilitatis in volatu principatum obtinet: tum quia auis eſt pugnaciſſima & ſolertiſſima; quo fit, vt dimicans alias aues ſemper vincat, vincatur numquam. Quocirca Darius Perſarum rex, qui ſibi totius orbis victorias promittebat, pallam geſtabat auro diſtinctam, in qua accipitres tres velut roſtris inter ſe concurrebant, inſcripta hac voce, νικητικώτατος, id eſt, victorioſiſſimus. Et Antiochus tot victorijs illuſtris, accipitris cognomine vocari geſtiebat. Hæc & plura tradit Pierius hierogl. 21. cap. 2. 6. & 19.

Ibis verò ita propria eſt Ægypto, vt alibi non reperiatur. Ibis autem eſt ciconiæ ſpecies, excelſa, rigidis cruribus, procero roſtro. Hinc Ægyptus in obeliſcis & nummis repræſentatur per ibin: tum quia ibis alibi quàm in Ægypto viuere nequit: tum quia Ægyptus habet ſpeciem Δ, vnde & delton vocatur; eamdem habet ibis, tum in roſtro, ſi illud patefaciat; tū in inceſſu, quo pedes ad æquales trianguli lineas deducit. Porrò ibis Mercurio dicata erat, qui totius cordis & ſermocinationis dominus habebatur: hinc & cordis eſt ſymbolum, præſertim quia ibis mirificè cordi confert, vti aſſerunt medici: & quia ibis duas æquè drachmas ponderat, teſte Plutarcho; quod vtique pondus eſt cordis pueri recèns nati. Inſuper ibis roſtro purgans aluum, docuit homines vſum clyſteris, hinc ſanitatis & ſalutis eſt ſymbolum. præſertim, quia, vt ait Cicero li. 1. de Natura deorum, *ibes maximam vim ſerpentum conficiunt, itaque auertunt peſtem ab Aegypto, cùm volucres angues, ex vaſtitate Libyæ vento Africo inuectas, interficiunt atque conſumunt: ex quo fit, vt illæ nec morſu viuæ noceant, nec odore mortuæ.* Vnde Poëta vocat *ſaturam ſerpentibus ibim.* Hinc & ſcribit Ioſephus li. 2. Antiq. 5. Moſen copiis Ægyptiorum à Pharaone præfectum, cùm in Æthiopas caſtra moueret, quia per loca ſerpentibus plena profecturus erat, vim ibum ingentem papyraceis arcis incluſiſſe, ijſque in ſerpentes immiſſis, ab ijs illæſum in Æthiopiam penetraſſe, eamq; ſubiugaſſe. Hæc Pierius hieroglyph. 24.

Columba cur vocatur auis Aſſyria. Reſp. Primò Secundò.

QVÆRES Secundò, cur *auem Aſſyriorum* vocat columbam, potiùs quàm aquilam, & cur Iſraelem reducem comparat columbæ, non alteri auí? Reſpond. Primò, quia volatus columbæ directus eſt, æquè ac conſtans. Secundò, quia apud Aſſyrios columbæ ſacræ habebantur, & nefas erat eas occidere: vnde tanta ibi creuit harum volucrum copia, vt accedentium mercatorum ora peruolarent. Hac de cauſa ait hîc Oſee: *Et auolabunt quaſi auis ex Aegypto, & quaſi columba de terra Aſſyriorum.* Hinc & Tibullus lib. 1.

Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes,
Alba Paleſtino culta columba Syro.

Teſtatur Euſebius l. 8. Præpar. 5. ſe, cùm ad Aſcalonem Syriæ ciuitatem appuliſſet, miratum eſſe multitudinem columbarum, cumque cauſam rogaret, audiuiſſe, lege apud eos columbarum vſum eſſe prohibitum. Cauſa fuit, quòd adulatores Semiramidis, reginæ primæ Aſſyriorum, finxerint eam commutatam in columbam, eaque ſpecie eam quaſi deam coluerint. Quocirca Martialis libr. 13. de columba ita canit:

Ne violes teneras præduro dente columbas,
Tradita ſi Gnidiæ ſunt tibi ſacra Deæ.

Tertiò, quia columba timida, ad vmbram etiam accipitris celeriter auolat. Nam vt ait Poëta,

Terretur minimo pennæ ſtridore columba.

Ita Iſraelitæ timidi data licentia à Cyro, ſtatim è Babylone aufugerunt, & deinceps ad ſolum Babylonis & idololatrarum nomen trepidarunt, iuxta vetus prouerbium:

Timeo naufragus omne fretum.

Et, *Vitaret cælum Phaëthon ſi viueret.*

Quartò, quia columbæ vnicè amant ſuum columbare, æquè ac nidum & pullos: vnde etiamſi aliò abducantur, mox vt liberæ euadunt, eò ſtatim reuolant: quocirca columbis vti ſolent in obſidione vrbium, quaſi tabellarijs. Obſeſſi enim per eas ad amicos vltro citroq; litteras tranſmittunt, & recipiunt. Ita ijs vſus eſt Brutus in obſidione Mutinenſi, de quibus Poëta:

Quid vigil obſidio, quid arces
Aut valla proſunt, per ſpatia inuij
Eunte cæli nuncio?

ait Plinius lib. 10. c. 37. Ita Chriſtiani Ptolemaidem obſidentes, per columbam tabellariam eam miro ſtratagemate obtinuerunt. Cùm enim per columbam Sultanus miſiſſet litteras, quibus ſe breui obſidionem ſoluturum ſignificabat, Chriſtiani eam intercipientes, contrarias fictaſque, Sultani nomine inſcriptas litteras, per eamdem in vrbem miſerunt, quibus ſignificabatur Sultanum alijs diſtrictum vrbi ſuccurrere non poſſe: ergo cum hoſte optimis conditionibus componerent. Ita obſeſſi vrbem Chriſtianis dediderūt, vti narrat Egnatius, & ex eo Aldrouandus prolegom. in Ornithol.

Quin & patresfamilias, vt docet Lipſius li. 2. Saturnal. c. 6. qui in theatrum aut circum ibant, vnde non tam citò dabatur reditus, columbas ſecum in ſinu ferebant, eaſque emittebant cum tabellis nuncias domum quid vellēt, idque probat ex Varrone lib. de Re ruſtica, qui ait: *Columbas redire ſolere ad locum licet animaduertere, quòd multi in theatro è ſinu miſſas faciunt, atque ad locum redeunt, quæ niſi reuerterentur non emitterentur.* Id maximè verum in columbis Syriæ & Palæſtinæ, quæ etiamſi ad centum milliaria à columbari abducantur, ſi è loco alto liberè auolare ſinantur, ſtatim directè mira vel odoratus, vel naturæ ſagacitate, ad columbare ſuum paucis horis reuolant: quibus proinde etiamnum mercatores & cines, vt merces aduectas aliaque nuncient, pro tabellarijs vtuntur. Nam eas ſecum deferentes ad portus, vel ad alias vrbes, inde cum litteris domum remittunt, vti mihi Romæ narrarunt viri graues, qui in Syria vixerunt oculiſque ipſum conſpexerunt.

Idipſum fusè narrat & confirmat R. P. Stephanus Mantegazza Ordinis S. Dominici, in ſuo Hieroſolymę itinerario li. 2. c. 22. & 23. vbi narrat ſe id vidiſſe Cairi in Ægypto, additque in toto Oriente incolas columbis vti pro nunciis & veredarijs, quibus carent, magno & pretij & temporis compendio, eaſque ad id edoceri: atque Godefridum Bullonium, qui terram ſanctam ante ſexcentos annos recuperauit, primuſque è Chriſtianis creatus eſt Hieroſolymæ rex, in obſidione Hieroſolymæ intercepiſſe columbam,

quæ

quæ à Sultano cum litteris ad obsessos mittebatur: ipsum viciſſim columbam cum litteris miſiſſe ad obſeſſos in caſtello Heſaræ.

Hiſce ergo columbis ſuis rectè Iſraelitas comparat Propheta. q.d. Auolabitis è captiuitate ad patriam, vti columbæ veſtræ alicubi detentæ auolant ad ſuum columbare & nidum.

Tropol. fidelis amet Eccleſiã, Religioſus ſuum Ordinem, vti columba amat ſuum columbare, & ſi quo caſu inde abducatur, mox vt poteſt eò reuolet, vt dicat cum Iob c. 29. 18. *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies.* Et cum Pſalte pſalm. 83. 4. *Etenim paſſer inuenit domum, & turtur nidum, vbi ponat pullos ſuos:* mea autem domus eſt templum, meus nidus altare. de quo ſubdit: *Altaria tua Domine virtutum, rex meus & Deus meus.* q.d. Altaria tua ſunt ad quæ anhelo, vti auis ad nidum ſuum. De his ait Iſaias c. 60. 8. *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* vide ibi dicta.

VERS. 12. CIRCVMDEDIT ME] Hîc redit Oſee ad ſua tempora & ad priſtinas minas. Vnde Lyran. Arias, Pagnin. & Vatabl. hinc inchoant c. 12. Senſus ergo eſt, q.d. Cupitis ſcire cauſam, cur non obſtãte mea tanta miſeratione & amore, Ephraim æterna captiuitate, vti iugiter inclamo, damnandus ſit? Ea in promptu eſt, quia ſcilicet circumuenit me ſuo mendacio, negauit enim cultum mihi debitum; & reliquas tribus dolo: nam dolosè eas ſeduxit ad colendos vitulos aureos, quos mihi aſtutè ſubſtituit.

IVDAS AVTEM TESTIS DESCENDIT CVM DEO, ET CVM SANCTIS FIDELIS] q.d. Iudas autem non fecit ſic: quia eodem tempore ſub Ezechia pio rege, ſua fide, cultu & vita Deo adhæſit, ad eiuſque partes ab Iſraele neglectas, ideoque quaſi inferiores, *deſcendit teſtis* veritatis. putà diuinitatis Dei; itaque *cum ſanctis* tum Patriarchis & Prophetis, tum potiùs Sacerdotibus & Leuitis (hi enim in ſchiſmate Ieroboam retinuerunt cultum Dei, ideoque ex Iſrael ad Iudam & Ieruſalem confugerunt, vt patet 2. Paral. 13. 9.) *fidelis* Deo fuit, veramque eius religionem & obedientiam fideliter, ſtabiliter & conſtanter (hoc enim ſignificat Hebr. נֶאֱמָן *neeman*) conſeruauit: ideoque cùm exſcindetur Ephraim & Samaria, tunc Iudas & Ieruſalem ſtabit & florebit. ita S. Hieron. Haymo, Hugo, Emmanuel, Mariana & alij. Perperam Compluten. pro *fidelis* legunt *fidelibus*. Nota. Noſter interpres legit עֵד *ed*, id eſt teſtis, iam legunt עוֹד *od*, id eſt adhuc. Rurſum יָרַד *rad* accepit vt infinitiuum à יָרַד *iarad*, id eſt, *deſcendit*: iam accipiunt vt præteritum verbi רוּד *rud*, id eſt, dominatus eſt; vnde vertunt, *Iudas autem adhuc dominatur cum Deo.* ita Chald. Leo Hebræus, Lyran. & Pagnin. quaſi alludat ad luctam Iacobi cum angelo vices Dei gerente, cui cùm præualeret Iacob, vocatus eſt *Iſrael*, id eſt, dominans Deo, Gen 32. 28. Verùm eôdem redit ſenſus, q.d. Cùm Ephraim vaſtabitur, Iudas ſuum retinebit dominatum & ſceptrum: quia cum Deo conſentit & conſpirat; retinet enim eius fidem & cultum, quaſi teſtis eius fidelis: vnde regnat adiutus & protectus à Deo, adeoque à Deo & cum Deo regnare videtur: Dei enim regnum terrenum erat in Iuda, vti cæleſte eſt in cælo. Vnde Chald. vertit, *proles verò*

A *Iuda validæ fuerunt in cultu Domini*; & Arabicus Alexand. *Iudas teſtis cum Deo remotus ab eis, & factus eſt fidelis & ſanctus.*

Aliter Arias & Albert. q.d. Iudas ſtetit in cultu Dei quaſi teſtis eius fidelis, etiam cùm deſcendit de ſplendore regni, dum ſcilicet Ephraim, id eſt Ieroboam, potiorem regni partem occupauit, eamque ad vitulos aureos abduxit.

Rurſum Vatabl. & Lyran. cenſent hîc innui myſterium S. Trinitatis. Nam pro *fidelis*, vertit in datiuo, *& cum ſanctis fideli*: ac per *ſanctis*, accipit Deum qui præceſſit, in perſonis trinum, in eſſentia vnum. q.d. Iudas deſcendit cum Deo, cum Deo, inquã, qui ſanctiſſimus eſt, ac ter ſanctus in tribus perſonis (vt pluraliter vocari poſſit קְדֹשִׁים *kedoſcim*, id eſt ſancti: tum quia ſanctiſſimus eſt, tum quia in eo ſunt tres perſonæ B ſanctiſſimæ) æque ac fideliſſimus. Simili enim modo & cauſa Deus vocatur *Eloim* in plurali. Verùm primus ſenſus vti planiſſimus, ita maximè genuinus eſt. Porrò Septuag. hæc aliter diſpungunt, itaque vertunt, *circumdedit me in mendacio Ephraim, & in impietate domus Iſrael & Iudas: nunc cognouit eos Deus, & populus ſanctus vocabitur Dei*; Septuag ſequitur Syrus, *circumdedit me Ephraim in mendacio, & domus Iſrael & Iuda dolo, donec deſcendit cum ipſo Deo populus ſanctus & fidelis*; & Arabicus Antiochenus, *conſiderate* (reperite modum) *quomodo remoueatis mendacium, ô domus Ephraim, & iniquitatem, ô domus Iſrael & Iuda; quoniam iam cognouiſtis Dominum, & vocabimini Deo populus ſanctus.*

Denique Hebræi hæc referunt ad tranſitum maris rubri, de quo hiſtoriam vel fabulam hanc narrant, ait S. Hieron. *In exitu Iſrael ex Aegypto,* C *quando ex alia parte mons, ex alia rubrum mare, & ex alia Pharaonis cingebatur exercitu, & incluſus populus tenebatur; cæteris tribubus deſperantibus ſalutem, & aut reuerti in Aegyptum, aut bellare cupientibus, ſolus Iuda fideliter ingreſſus eſt mare: vnde & regnum meruit accipere; & hoc eſſe quod nunc dicitur: Iudas teſtis ſermonum Dei, & aſtipulator ac vindex deſcendit cum Deo in mare, & inter ſanctos fuit fideliſſimus, vt verbis iubentis crederet Dei.*

Verùm quicquid ſit de hac hiſtoria, certè de ea hîc non agitur (eſto eò alludi poſſit) ſed de ſchiſmate Iſraelis facto per Ieroboam, in quo Iudas fideliter perſtitit in cultu veri Dei.

Moral. Iudas, id eſt, confeſſor & teſtis fidelis Dei, cum eo deſcendens in apoſtaſia Iſraelis, eſt verus Chriſtianus, qui cæteris à fide, pietate, caſtitate vel iuſtitia metu pœnarum, vel ſpe opum & honorum deficientibus, in ijs cum Deo & pro Deo conſtãs vſque ad mortem perſiſtit, cum iactura bonorum, famæ & vitæ. Sic toto penè orbe arrianizante, vnus pro fide Homouſij inuictus ſtetit S. Athanaſius, quaſi Atlas Eccleſiæ, hæreſimque profligauit, ac de ea triumphum egit. Horũ dux & anteſignanus eſt Chriſtus, de quo ait S. Iohan. Apoc. 1. 5. *Qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Tribunus eſt Moſes, dicens Deut. 4. 26. *Teſtes inuoco hodie cælum & terram, citò vos perituros eſſe,* ſi à Deo ad idola deſciſcatis. Chiliarchæ ſunt Apoſtoli, à Chriſto ad id deputati, Actor. 1. 8. *Eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudea & Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Signifer eſt

Morul. teſtes fideles Dei ſunt Apoſtoli, Doctores & Martyres.

D

Testium Dei acies.

S.Paulus,ad id à Christo electus,Actor.22.15. *Eris testis illius* (Christi) *ad omnes homines eorum quæ vidisti & audisti.* Hinc ipse ait Rom.1.9. *Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio filij eius,quòd sine intermissione memoriam vestri facio.* Et Philip.1.8. *Testis enim mihi est Deus,quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi.* Et 1.Thessal.2.10. *Vos testes estis, & Deus, quàm sanctè, & iustè, & sine querela vobis qui credidistis, fuimus.* Primicerius est S.Stephanus,vt patet Actor. 7. de quo proinde ait Paulus Actor.22.20. *Et cùm funderetur sanguis Stephani testis tui, ego astabam & consentiebam.* Prodromus est Iosue c.24. 22. *Testes,* inquit, *vos estis, quia ipsi elegeritis vobis Dominum, vt seruiatis ei.* Propheta est Samuel 1.Reg.12.5. *Testis,* ait,*est Dominus aduersum vos,& testis christus eius in die hac, quia non inueneritis in manu mea quippiam* muneris, oppressionis,vel iniustitiæ aut criminis. Milites sunt Christiani,qui alijs ad hæresim, libidinẽ, aliáue scelera deficientibus,perstant in fide,continẽtia & virtute. Triarij sunt Martyres, qualis fuit Antipas,qui boui æneo includi & cremari maluit,quàm Christi fidem negare.Apoc.2.13. *In diebus illis Antipas testis meus fidelis, qui occisus est apud vos.* Agmen claudẽt Elias & Henoch, Martyres Christi futuri, & occidendi ab Antichristo. Apocal.11.3. *Dabo,* inquit, *duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta.*

Atque vt veteres præteream,illustre,idque recens & domesticum habemus exemplum quadraginta Martyrum è Societate nostra,quorum Prouincialis & dux fuit P.Ignatius Azebedo, qui anno Domini 1570.die 15 Iulij missi in Brasiliam ad docendum & conuertendum barbaros, iuxta Palmam insulam intercepti à pirata Caluinista Iacobo Soria,segregati à cæteris omnibus laicis & Ecclesiasticis,qui eadem naui vehebantur, quia Iesuitæ, ad vnum omnes pro fide Christi,proque constanti professione religionis suæ confossi pugionibus,selopis & lanceis,in mare præcipitati sunt; cùm Ignatius quasi dux, elata in altum imagine B.Virginis,hortaretur omnes ad mortem & martyrium animosè obeundum: qui proinde capite gladio diffisso, immotus mortem operiens, tribus confossus lanceis vociferãdo cecidit: *Testes,* inquit,*appello mortales & angelos,me pro fidei Catholicæ Romanæ professione occumbere, à qua ne latum quidem vnguem resiliendum censeo.* socioque respiciens: *Filioli,* inquit, *mei mortem ne expauescite, præliate fortiter præliũ Domini: Deus vires suggeret, qui coronas ostentat. Illigratias agite,qui vos ad eas vocat.* Ei proximus Didacus Andrada, cùm pugionibus confossus in mare præcipitaretur: *Pugnemus,* inquit, *socij fortiter, sanguinis prodigi: Christi enim sanguine redempti sumus.* Quocirca duo è socijs infirmi, qui facilè latere potuissent, in pedes vltrò è lectulo desiliunt, iniectaque veste seminudos se iugulumque offerunt. Quin & Iohannes Sanctius, cùm è Societate non esset, cæteris tamen Socijs se adiunxit, vt hanc martyrij palmam aucuparetur; quam & obtinuit. Denique Emmanuel Aluarez martyrij ardore incensus, increpans hæreticos, multis plagis & vulneribus acceptis, cõtritis manibus, pedibus & ossibus, longa duraque nece emoriens: *Mihi,* inquit,*ô fratres nolite compati, sed potiùs inuidete: profiteor enim palàm me*

A *numquam tantum bonum, tam glorioſam mortem promeritum: quindecim annis seruiui Deo & Societati; oppidò quàm liberaliter Deus omnia obsequia mea, labores omnes hac nobili martyrij laurea compensat & remuneratur!* ita Petrus Ribadeneira in vita P.Francisci Borgiælib.3.c.11. *Nimirum sanctorum vita est interpretatio Scripturæ,* ait S.Hieron.imò viua concio, lectorem delectans, docens & mouens.

Præclarè S.Clemens lib.5. Constit.Apost.c.1. *Qui,* inquit, *propter nomen Domini Dei nostri damnatus est, hic est sanctus Martyr, frater Domini, filius Altissimi, receptaculum Spiritus sancti; per quem illuminationem gloriæ Euangelij singuli fideles acceperunt, cùm digni habiti sunt immortali corona & testimonio passionum eius, ac societate sanguinis ipsius, vt conformarentur morti Christi in adoptionem.* Et

B S.Cyprian ad Fortunat.de Exhort.martyr. *Martyrium,* ait,*est baptisma in gratia maius, in parte sublimius, in honore pretiosius: baptisma, in quo angeli baptizãt: baptisma, post quod nemo peccat: baptisma, quod fidei nostræ incrementa consummat: baptisma, quod de mundo recedentes statim Deo copulat.* Et in fine: *Clauduntur oculi in persecutionibus terræ, sed patet cælum: timetur Antichristus, sed Christus tuetur: mors infertur, sed immortalitas sequitur: occiso mundus eripitur, sed restituto paradisus exhibetur: vita temporalis extinguitur, sed æterna reparatur. Quanta est dignitas, & quanta securitas exire hinc lætum, exire inter pressuras & angustias glorioſum, claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eosdem statim vt Deus videatur & Christus?* Sicut balsami frutex incisus, balsamum stillat suauissimum, quo vulnera sa-

C nantur: ita Martyres sæcti & cæsi,virtutis suæ odorem & exemplum toto orbe sparserunt, quo infirmorum animi sanantur, & ad idem decus excitantur. de quibus S.Chrysost. homil.de S. Martyr. *Flamma,* ait,*illos vndique obsidente,ac scintillis in vlcera prosilientibus, & quauis fera crudeliùs vulnera vellicantibus, perinde atque si essent adamantini, & in alienis illa corporibus fieri cernerent, ita generosè, ac cum ea quæ illos decebat fortitudine, in confessionis verbis constantissimè perseuerabant; & in omnibus his malis durantes, simul & animi sui robur inuictum, & Dei gratiam egregiè præ se ferebãt.* Deinde eos comparans soli: *Dum,* ait,*velut crocei quidam radij rui sanguinis vndique illis diffluerent,eorumq; corpus multò quàm cælum ipse splendidiùs illustrarent.* S.Gregor.Nazianzen. vti citat S.Maximus serm.de patientia, apologum narrat arboris, quæ resecta pullulat, &

D cum ferro certat, & tantum abest vt moriatur, vt potiùs morte ipsa viuat, sectione germinet,ac decerpta succrescat. Arbor hæc,ait Nazianz.est *vir philosophus, qui infortunijs illustratur, & molesta quæque in virtutis materiam transfundit, ipsisq; aduersis venustatur.* Hunc Horatius ode 4.libr.4. ita pingit:

Duris vt ilex tonsa bipennibus,
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes animumq; ferro.

Ita *nimirum iuuat ire periclis ad Deum.*

Scribit Plinius l.37.c.9. & Isidor.l.13.16. alectoriam gemmam esse crystallina specie,magnitudine fabæ, quæ inuenitur in ventriculis gallorum gallinaceorum, eaque vsum Milonem

Cro-

Crotoniatem, in certaminibus inuictum fuiſſe. Vtvt hoc ſit, talis alectoria eſt animi conſtantia, quæ omnia hoſtium tela illæſa excipit & retundit. de qua Chryſoſt. apud Nicetam, *Beatus*, ait, *ille vndique petitus, firmiùs ſtetit, & ſexcẽta tela clypeo excipiens deditionem non fecit, exhauſit dæmonis pharetram, nec concidit, imò nec de gradu quidem tantiſper motus eſt.* Hic eſt amianthus lapis, qui impoſitus igni igneſcit, ſed exemptus cãdidatus apparet & purior, teſte Plinio l. 36. c. 19. Hic eſt ſalamandra, quæ in igne viuit: proinde eam pro inſigni aſſumpſit Franciſcus I. Galliarum rex, ſubſcripto hoc diſticho:

Vrſus atrox, aquilaq́, truces, & tortilis anguis
Ceſſerunt flammæ iam ſalamandra tuæ.

Sed audi ipſos Martyres è carcere ſcribentes & buccinantes ad S. Cyprian. lib. 5 epiſt. 12. *Quid glorioſius, quidúe felicius vlli hominum poterit ex diuina dignatione contingere, quàm inter ipſos carnifices interritum confiteri Dominum Deum? quàm inter ſeuientia ſæcularis poteſtatis varia & exquiſita tormenta, etiam extorto, & excruciato, & excarnificato corpore Chriſtum Dei filium, etſi recedente, ſed tamen libero ſpiritu confiteri? quàm relicto mundo celum petiſſe? quã deſertis hominibus inter angelos ſtare? quàm impedimentis omnibus ſæcularibus ruptis, in conſpectu Dei iam ſe liberum ſiſtere? quàm collegam paſſionis cum Chriſto in Chriſti nomine factum fuiſſe? quàm immaculatam conſcientiam de confeſſione nominis reportaſſe? quàm humanis & ſacrilegis legibus contra fidem non obediſſe? quàm veritatem publica voce teſtatum fuiſſe? quàm ipſam quæ ab omnibus metuitur moriẽdo mortem ſubegiſſe? quàm per ipſam mortem immortalitatem conſecutum fuiſſe? quàm omnibus ſæuitiæ inſtrumentis excarnificatũ & extortum, ipſis tormentis tormenta ſuperaſſe? quàm omnibus dilaniati corporis doloribus robore animi reluctatum fuiſſe? quàm ſanguinem ſuũ profluentem non horruiſſe? quàm ſupplicia ſua poſt fidem amare cœpiſſe? quàm detrimentum vitæ ſuæ putare, non exiſſe?* ô robora, ô nobiles triumphi!

Quid ſupereſt? niſi vt claſſicũ Apoſtoli Heb. 12. 1. audientes, eorum virtutis æmuli, cum Iuda quaſi teſtes fideles cum Deo deſcendamus in arenam, ac generosè pro Chriſto, religione & iuſtitia decertantes, eamdem, vel ſimilem martyrij palmam conſequamur. *Ideoq́, & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitũ nobis certamen, aſpicientes in auctorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta.* Nemo ſe excuſet, dicatq́ue, Felicia iſta martyrij tempora iam tranſierunt, deſierũt perſecutores, tranſiit Nero, Decius, Diocletianus. nam hoſtis nulli deeſt: perſecutor iugiter te infeſtat, nunc dæmon, nunc caro, nunc mundus: cum his acriter cõflige, hos ſupera, martyr eris. Si ſocios, ſi mulierculas ad obſcœna te ſollicitãtes fortiter repudies, & cum Ioſeph effugias, martyr eris pudicitiæ: ſi bonorum rapinas, fraudes, iniurias patienter ſuſtineas, martyr eris patientiæ: ſi tui contemptum, depreſſionem, opprobria hilariter feras, martyr eris humiliratis: ſi Superioris iuſſa varia & ardua ſtrenuè capeſſas & adimpleas, martyr eris obedientiæ.

Martyriũ ad obedientiæ virtũtem, martyrium, cæteras. &c.

Ita B. Petrus Faber, primus S. Ignatij fundatoris noſtri ſocius, ab eo per omnem vitam varijs iuſſionibus mandatiſq́ue exercitus, tandem Romam reuocatus, licèt medici ob intenſos calores iter diſſuaderent, maluit obedire quàm viuere: vitam ergo quam in obedientia traduxerat, in obedientia poſuit, ideoq́; inter alias in cælo laureas hanc vnam præcipuam obtinuit, quòd ſit hoſtia obedientiæ. Poſt mortem enim apparens ipſe cuidam perſonæ ſanctæ, oſtendit ei ſuam gloriam, cùm lætiſſimus ſæpiùs diceret, ſe obedientiæ nomine mortem oppetiuiſſe, ideoq́; miris in cælo gaudijs perfrui. Ita in eius Vita lib. 2. c. 28. narrat Nicol. Orlandinus, idq́ue ſe accepiſſe ex litteris R. P. Andreæ Ouiedo Patriarchæ Æthiopiæ aſſeuerat.

Hoc eſt quod ait S. Bernard. ſerm. 1. in feſto omnium Sanctorũ: *Martyrij veri genus eſt paupertas voluntaria*, multò magis caſtitas & obedientia. *Quid mirabilius, aut quod martyrium grauius, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas & pretioſas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mũdus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter ille appetitus? An non meritò coronabitur, qui ſic certauerit mundũ abijciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & (quod glorioſius eſt) de ſemetipſo triumphans, & crucifigens concupiſcentiam prurientem?* Idem ſerm. 1 in octaua Paſchæ: *Memento*, ait, *& vnicum, & quotidianum eſſe baptiſmum, ſimiliter & martyriũ. Eſt enim & martyrij genus, & quædam effuſio ſanguinis in quotidiana corporis afflictione. Eſt & baptiſmus aliquis in compunctione cordis, & lachrymarũ aſſiduitate.* Idem ſerm. de B. Virgin. in illud Apoc. 12. *Mulier amicta ſole, & in capite eius corona ſtellarũ duodecim*, duodecimam eius ſtellam & gemmam aſſignat *martyrium cordis*. Ipſa enim, vt idem ait ſerm. 4 in cœna Domini, fuit *Martyr non ferro carnificis, ſed acerbo dolore cordis: quàm amarè flebat, quàm amarè dolebat* aſtans Chriſto crucifixo! Idem in Sententijs: *Martyrium ſine ſanguine triplex eſt: Parcitas in vbertate, quam habuit Dauid & Iob: Largitas in paupertate, quam exercuit Tobias & vidua: Caſtitas in iuuentute, qua vſus eſt Ioſeph in Aegypto.* Idem docet S. Auguſt. ſerm. 250. de Temp. *Cõtra mortifera*, inquit, *blandimenta luctemur, ſcientes in eo etiam quotidiana martyria Chriſtianis non deeſſe.* Et S. Greg. hom. 35 in Euãgel. *Ferre*, ait, *contumelias, odientes diligere, martyriũ eſt in occulta cogitatione.* Et S. Hieron. in Epitaphio S. Paulę, eam vocat Martyrem: *Nam*, inquit, *non ſolùm effuſio ſanguinis in martyrio reputatur, ſed & deuota quoque mentis ſeruitus immaculata, quotidianum martyrium eſt. Illa corona de roſis & de violis texitur, iſta de lilijs.*

Quocirca ſapienter S. Pachomius (vt habet eius vita) cuidam monacho volenti clauſtrisegredi ad captandum martyrium: *Frater*, inquit, *monachi certamen fortiter & ſtrenuè ſuſtine, & cùm vitam tuam nulli reprehenſioni affinem ita geſſeris, vt Chriſto placeas, habebis in cælis communicationem martyrij.* Vide S. Cyprianum (vel quiſquis eſt auctor) tract. de Duplici martyrio, paſſionis ſcilicet, & actionis, putà ſanctæ vitæ: hac enim teſtimonium perhibemus Deo, illumq́; glorificamus æquè ac illa. *Fidelis*, inquit, *tota vita martyriũ, hoc eſt teſtimoniũ, reddat Deo: quod adeò negligẽdum non eſt, vt, niſi ea præceſſerit, martyrium quod ſanguine perhibetur, non ſit martyrium. Fruſtra enim ceruicem præbueris carnifici, niſi priùs occideris membra quæ ſunt ſuper terram, hoc eſt, affectus qui militant*

aduerſus ſpiritum, odium, inuidiam, ſuperbiam, libidinem, &c. Quiſquis ergo ſatagit eſſe Iudas & teſtis, cum Deo deſcendat in arenam, & perſiſtat cum ſanctis eius fidelis. Huic enim vtraque corona promiſſa eſt, & debetur dabiturque. Congruit enim, vt qui cum Deo & Sanctis eius fidelis deſcendit in arenam, cum eis pariter glorioſus ad palmam aſcendat in cælum.

Denique præ cæteris, Eccleſia Martyribus annumerat eos, qui morbo laborantibus miniſtrantes ex charitate, eodem afflantur & emoriuntur. Exemplum illuſtre eſt in Martyrol. Romano die 28. Februarij, vbi ſic legimus: *Alexandriæ commemoratio SS. Presbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui tempore Valeriani Imp. cùm peſtis ſæuiſſima graſſaretur, morbo laborantibus miniſtrantes, libentiſſimè mortem oppetiere, quos velut Martyres religioſa piorum fides venerari conſueuit.* Vbi Baronius ex Euſebio l. 7. Hiſtor. c. 16. & ſeq. citat S. Dionyſium Alexandrinũ Epiſcopum, epiſt. ad Hieracem, de eiſdem ſic loquentem: *Ex Patribus qui virtute erant præſtantiſſimi, in hunc modum mortem oppetierunt, quorum nonnulli erant Presbyteri, alij Diaconi, quidam è populo, virtutis ergò multum laudati: adeò vt iſtud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem & robuſtam fidem ſuſcipiebatur, nihil à martyrij ſplendore abeſſe videretur.*

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Diſceptat, litemq; intentat Iudæ & Iſraeli: Primò, quòd paſcat ventum implorando opem, non Dei, ſed Aegyptiorum & Aſſyriorum. Secundò, quòd ingratus ſit Dei beneficijs, tam Iacobe patri præſtitis, vt quòd eum prælegerit & prætulerit Eſau, quod eum fecerit Iſrael, id eſt, dominantem Deo, &c. quàm ſibi; vt quod per Moſen eductus ſit ex Aegypto. Tertiò, quod Iudas videns vanitatem & punitionem idololatriæ in excidio Iſraelis, eam tamen non cauerit: vnde offenſus minatur ei necem & opprobrium.

Verſ. 1. EPhraim paſcit ventum, & ſequitur æſtum: tota die mendacium & vaſtitatem multiplicat: & fœdus cum Aſſyrijs iniit, & oleum in Ægyptum ferebat.

2. Iudicium ergo Domini cum Iuda, & viſitatio ſuper Iacob: iuxta vias eius, & iuxta adinuentiones eius reddet ei.

3. In vtero ſupplantauit fratrem ſuum: & in fortitudine ſua directus eſt cum angelo.

4. Et inualuit ad angelum, & confortatus eſt: fleuit, & rogauit eum: in Bethel inuenit eum, & ibi locutus eſt nobiſcum.

5. Et Dominus Deus exercituum, Dominus memoriale eius.

6. Et tu ad Deum tuum conuerteris: miſericordiam & iudicium cuſtodi: & ſpera in Deo tuo ſemper.

VERS. 1. EPHRAIM PASCIT VENTVM] Primò, S. Hieron. Albert. Clarius & Dionyſius exponunt, q.d. Ephraim perdit oleum & operam, facitque rem inanem, inutilem, & futilem, imò noxiam & impoſſibilem, dum relicto Deo ad idola & ad idololatras in afflictione & vaſtatione confugiens, ab eis ſperat opem & ſalutem: perinde enim facit, ac ſi paſtor ventũ, velut gregem ſuum, vellet paſcere, vt eo ſe aleret & ſuſtentaret: hoc enim futile eſt & noxium (ventus enim homine eſt potentior, eique flando noxam infert;) imò impoſſibile. Pari enim modo Ephraim colit idola ſaxea, quæ iuuare nequeunt, imò nocent: prouocant enim iram & vindictam Dei. Secundò, ex Hebræo vertas, *Ephraim paſcitur vento.* Vnde R. Dauid explicat, q.d. Ephraim colens vitulos, ſimilis eſt homini aperienti os ſuum vento, & paſcenti illum, ex quo non viuit. Paſcor enim eſt verbum deponens, tamque accuſatiuum regit, quàm ablatiuum. Vnde Virgil. l. 4 Georg. ait, *apes paſcuntur arbuſta.* Et libr. 3. *Paſcuntur verò ſiluas.* Sic dicimus, Equus paſcitur gramen, æquè ac, paſcitur gramine. Itaq; *Ephraim paſcit ventum*, partim poteſt accipi actiuè, vt *paſcit*, ſit idem, quod paſcitur vento. ſic Ouid. ait lib 2. Faſtor.

Paſcit ouis pratum, verbenas improba carpſit.

Partim paſſiuè, vt *paſcit*, ſit idem quod, facit ſe cibum ventis, vt venti, putà Aſſyrij, eum deuorent. Sic S. Auguſt. lib. 5. contra Creſc. explicans illud Prouerb. 6. 10. *Qui nititur falſis, hic paſcit ventos: id eſt*, inquit, *fit eſca malis ſpiritibus.* Potiùs actiuè accipiendum hîc videtur. Sic enim qui vana ſpe lactatur, aut ſeipſum lactat, dicitur paſci vento, aut paſcere & comedere ventum.

Tropol. ambitioſi paſcuntur vento. Quid enim eſt honor, niſi popularis aura, & ventus in omnem partem mobilis, ſtatimque euaneſcens? ſunt ergo quaſi chamæleontes, qui feruntur viuere & nutriri vento. ita Sanchez. Similia huic prouerbia ſunt; Reti ventos venaris: cribro aquam hauris: in arena ædificas: in ſaxis ſeminas: ignem diſſecas: littus aras: Æthiopem lauas: lapidem elixas: laterem abluis: aranearum telas texis: ſurdo canis: vndas numeras: arenam metiris: ferrum natare doces: aquam in mortario tundis: aſinum ſub fræno currere doces.

ET SEQVITVR AESTVM] Idem dicit alia ſimilitudine. Pro *æſtum* hebr. eſt קָדִים *kadim*, id eſt, ventus Orientalis, qui vrens eſt & noxius, putà ſubſolanus, qui collaterales habet duos, ſcilicet Vulturnum ad Septemtrionem, Eurum ad Meridiem. Vnde R. Dauid intelligit Euroauſtrum, Chald. vertit, *turbinem Iſrael*, inquit, *ſeminat ventum, & metit turbinem.* Quin & S. Hieron. alibi ſæpè *kadim* vertit, Notum, ſiue Auſtrum; imò Geneſ. 41. 6. vertit, *vredinem. Kadim* ergo ſignificat omnem ventum vrentem, ipſamque vredinem & æſtum; quem LXX. vertunt καύσωνα, qui

qui febres, inflammationes, alioſq; morbos cauſare, frugeſque adurere & conſumere ſolet. ſic enim vertũt Septuag. *Spiritus malus* (id eſt volũtas mala, ait Theodor.) *perſecutus eſt καύσωνα*, id eſt æſtum. *Iſrael*, inquit Cyril. *appetiuit cauſonem, cùm poſſet ſe ſub meam vmbram recipere. Cauſonem*, id eſt *æſtum, vocat calamitates incendentes, & inflammantes dolore.* Cauſon, inquit Ariſtot. morbus eſt, quo pars extima corporis leuicula febri calet, intima tamen ferueutiſſimo calore æſtuant. Et ab Hippocrate cauſon vocatur febris, quam ardentem, & tertianam exquiſitam vocamus. Et Celſus lib. 2. c. 8. *Febrem*, inquit, *ardentem, quam Græci καυσώδη vocant, ſubitus horror exoluit.* Sic ſæpè in animi morbis, ait Delrio adagio 958. æſtus venis alitur, & in anima immane incendium eſt luxuriæ, auaritiæ, vel iræ, vixſe foris prodens, ſed ſuo tempore lethale fouenti, & in publicam tandem vrbis & reipubl. erumpens conflagrationem.

Cauſon quid

Talis eſt hæreſis, præſertim Caluini, quæ ſuos aſſeclas zelotas facit erroris, atque quaſi cauſon occultè ſerpens, in publicum tandem ciuitatis, vel prouinciæ graſſatur incendium, vti in Gallia, Scotia, Belgio, aliiſq; regnis hoc ſæculo vidimus. Hoc eſt quod ait S. Hieronymus: *Secundùm tropologiam omnes hæretici peßimo dæmonum ſpiritu continentur, de quo Epheſ. 6. Aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Et immundus ſpiritus cùm exierit ab homine, & requiem non inuenerit, ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe ſibi copulat, & priſtinam reuertitur ad domum. Spiritu ergo peßimo ſequuntur καύσωνα, id eſt ariditatem, ſiue ventum vrentem, qui contrarius eſt floribus, & germinantia cuncta* (virtutum opera) *diſperdit: totâ die inania vacuaq; ſectatur, nec proprio errore contentus eſt, ſed multos diſcipulos, imò comites ſuæ vanitatis erroriſq; multiplicat.* Fœdus quoque facit cum *Aſſyrijs, quorum princeps eſt ſenſus magnus, vt quæcumque finxerit, ſapienter ſimulaſſe videatur ea ſapientia quæ deſtruitur à Deo.* Hinc & Theophyl. & ex eo Leo Caſtrius, per cauſonem accipit zelum Iudæorum contra Chriſtum. Hoc allegoricum eſt, non litterale, vt ipſi volunt.

TOTA DIE MENDACIVM ET VASTITATEM MVLTIPLICAT] q. d. Iſrael iugiter concinnat res & ſpes fallaces, quæ ei vaſtitatis & excidij erunt cauſa. S. Hieron. hæc refert ad Manahem regem Iſrael, qui tributo emebat opem Aſſyriorum, 4. Reg. 15. 19. Meliùs Lyranus, & alij referunt ad Hoſee vltimum regem Iſrael: hic enim primò fœdus iniit cum Aſſyrijs, deinde contra eos implorauit opem Sua regis Ægypti, miſſis ei muneribus, 4. Reg. 17. 4. Porrò Lyranus hæc ita aptè diſtribuit, *Ephraim*, ait, *paſcit ventum*, tribuendo tributa Aſſyrio: *ſequitur æſtum*, dum opem petit ab Ægyptio: *mendacium multiplicat*, dum fœdus cum Aſſyrio abrumpit, negans ei pactum tributum: *& vaſtitatem*; hanc enim illi attulit violatio & negatio tributi.

ET OLEVM IN ÆGYPTVM FEREBAT] Sub oleo per ſynecdochen cæteras fruges & munera intellige, quæ Iſraelitæ mittebant regi Ægypti, vt eius fauorem & opem contra Salmanaſar ſibi conciliarent. ita S. Hieron. Chald. Arias & alij. *oleum* præ cæteris notat; quia illo excellebat Samaria (vti Romæ excellit oleum Tyburc allatum) carebat Ægyptus.

Cornel. in Proph. Min.

A IVDICIVM ERGO DOMINI CVM IVDA. *Iudicium*, id eſt, iuſta querela, iuſta expoſtulatio. heb. eſt רִיב *rib*, id eſt lis, diſceptatio, accuſatio iudiciaria, q. d. Quia Iuda ſecutus eſt Iſraelem in apoſtaſia à Deo, & cultura vitulorum, idcirco litem ei intentat Deus, reumque impietatis in iudicio peragit. ET VISITATIO SVPER IACOB] Per *Iacob* accipe Iſrael, ſiue decem tribus. q. d. Deus litem intentat Iudæ, ſed Iſraeli viſitationem, id eſt certam punitionem, qua eum viſitet, id eſt, puniat & plectat: vterque enim eſt reus idololatriæ, ſed Iſrael magis. ita Lyranus, Vatabl. Arias. licèt S. Hieron. Theodor. Hugo & alij, per *Iacob* accipiant Iudam, vt idem dicatur & repetatur alio nomine. Porrò Lyranus *ſ cum Iuda*, exponit *pro Iuda*. q. d. Litigat Dominus pro Iuda contra Iacob, vt ex pœna qua plectetur Iacob, ſapiat Iudas, nec eius ſcelera imitetur, ſed reſipiſcat. Meliùs Arias q. d. Litigat Dominus cum Iuda, eumque obiurgat, ne miretur Iacob, qui longè grauius peccauit, quòd à Deo viſitetur & plectatur. Optimè, q. d. Iudicium, ſiue litem intento Iudæ, quia eius ſcelus necdum liquidum eſt, quia necdum publicum & commune: eget ergo inquiſitione & examine, antequam ſententiam in eum pronunciem, eumque condemnem & plectam. *Viſitationem* verò, id eſt condemnationem, ſupplicium, & excidium intento Iacob, quia eius ſcelus eſt clarum, vniuerſale & inexcuſabile. VERS. 2.

B Similem differentiam & gradationem ponit Chriſtus inter iudicium, & viſitationẽ, purà gehennam, dum hanc & illud diuerſis iræ gradibus, quaſi pœnam commenſam aſſignat. *Quia*, inquit, *iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri, raca, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis*, Matth. 22. Similis gradatio fuit in trina voce Doctoris Pariſienſis defuncti, qui in vita vulgò habitus ſanctus, in exequijs, cùm ad illã lectionem ventum eſſet, *Reſponde mihi, quantas habeo iniquitates & peccata?* è feretro exurgens, primo die exclamauit: *Iuſto Dei iudicio accuſatus ſum.* Secundo die: *Iuſto Dei iudicio iudicatus ſum.* Tertio die: *Iuſto Dei iudicio condemnatus ſum.* Qua voce perculſus S. Bruno cum ſocijs, mundo rebuſque omnibus valedicens, in eremum ſeceſſit, & ordinem Carthuſienſem inſtituit.

C IN VTERO SVPPLANTAVIT (Iacob) FRATREM SVVM ESAV] Iacob enim naſcens tenebat plantas Eſau: quo ſignificabat Deus, ſe Iacobum D præeligere & prædiligere, ac prælaturum Eſau primogenito, quodque Iacob prærepturus eſſet Eſau ius primogenituræ & patris benedictionem, itaque eum ſupplantaret; indeque vocandus eſſet Iacob, id eſt ſupplantator. vide dicta Geneſ. 25. 25. ita S. Hieronym. Theodoret. & Chald. qui ita vertit, *nónne de Iacob patre veſtro antequam natus eſſet prædictum eſt, quòd maior euaderet fratre ſuo?* Commemorat hîc Propheta beneficia Iacobo olim in vtero, ante omne meritum ex mera Dei gratia præſtita: itemque Iacobi ſanctitatem, vt Iſraelitæ poſteri eius patrem imitentur, Deoque ſeruiant, & gratias agant. Hæc enim præelectio Iacob, qua à Deo prælatus eſt Eſau fratri, magis ad poſteros eius ſpectabat, putà ad Iſraelitas, quos Deus præelegit & prætulit Idumæis poſteris Eſau. Nam alioqui VERS. 3.

lioqui Eſau dum vineret, potentior & ditior fuit Iacobo.

ET IN FORTITVDINE SVA DIRECTVS EST CVM ANGELO] *Directus*, id eſt, feliciter luctatus eſt cum angelo: quia, vt vertunt Septuag. & Chald. *præualuit angelo* vicem Dei gerenti. vnde angelus hic in Hebræo vocatur *Elohim*, indeque Iacob vocatus eſt Iſrael, id eſt dominans Deo, Geneſ. 32. 28. vide ibi dicta. Hinc & Tigurina verſio habet, *præualuit Deo, præualuit, inquam, angelo*. Verùm Hebr. שָׂרִיתָ *iaſar*, propriè ſignificat *directus eſt*, indeque congruè ſequitur: *Et inualuit*, id eſt præualuit, *ad angelum*, id eſt angelo, vel contra angelum: licèt in Hebræo hæc verba trãſpoſita ſint. Eſt hoc ſecundum Dei erga Iacobum & Iacobæos inſigne beneficium. Nota. *Dirigi* in Scriptura eſt proſperè agere, vt pſalm. 139. 12. *Vir linguoſus non dirigetur in terra*, & ſæpè alibi. *Directus eſt* ergo Iacob cum angelo, id eſt proſperè egit, rectè ei ſucceſſit lucta cum angelo; quia vicit. Rectiùs forſan, *directus eſt cum angelo*, id eſt, nõ ſuccubuit angelo, ſed recta & imperterrito vultu & pectore aggreſſus eſt eum, latus lateri quaſi commiſcens, ac fortiter ſtringens, iuxta illud Poëtæ:

Hæſit pede pes, denſuſq; viro vir.

Et inualuit, id eſt, ſuperior euaſit & vicit, vt vertit Chald. nam angelus quaſi victus dixit Gen. 32. 26. *Dimitte me*. Et Iacob arctiùs eum ſtringens reſpondit: *Non dimittam te*, &c.

In voce *directus* alludit ad nomen *Iſrael*, quod deduci poteſt dicique quaſi יָשָׁר אֵל *ieſar el*, id rectus Dei, vel cum Deo, vel apud Deũ; etſi hæc non fuerit nominis origo, nec proprium etymon. Iſrael ergo dicitur hîc directus, vel dirigens ſe cum Deo, quia non quomodolibet, ſed recto & imperterrito vultu ac pectore adorſus eſt angelum, eumque luctando vicit, vt per hoc ſignificaretur eum intrepidum fore contra Eſau & omnes hoſtes, eoſque ſuperaturum. Hinc Sap. 10. 10. de eo dicitur: *Certamen forte dedit illi vt vinceret*. ita Anton. Fernand. viſione 1. in præfatione, & viſione 22. ſect. 2. Vnde Syrus vertit, *& potuit fortitudine angeli* (vt angelus) *fortitudine congreſſus eſt cum angelo*; Arabicus Alexand. *& corroboratus eſt in angelo*; Arabicus Antiochen. *reſtitit angelo, & potuit*, id eſt præualuit.

FLEVIT ET ROGAVIT EVM] putà angelum, q.d. Iacob timens fratrem ſuum Eſau contra ſe venientem cum quadringentis armatis, luctans cum angelo, ſupplex & flens petijt ab eo benedictionem, vt hoc fratris periculum ope angeli euaderet. Hæc de lachrymis & precibus Iacob in Geneſi non habentur expreſſa, ſed hîc ea ſupplet Oſee quaſi ex traditione, vel ex reuelatione Dei accepta. ita S. Hieron. Theodor. Haymo & Hugo. Vnde Aquila, Theodot. & Symmach. vertunt, *fleuit & deprecatus eſt me*, quaſi Deus loquatur. Aliter R. Salomon, & ex eo Lyran. & Vatabl. ipſi enim hæc de angelo, non de Iacob accipiunt. q.d. Fleuit angelus, & ſuppliciter rogauit Iacobum, qui eum luctando tenebat, vt ſineret ſe abire, quia aurora aſcendebat. Verùm prior expoſitio eſt verior: flendi enim occaſio erat in Iacobo, non in angelo. Iacob enim nolebat eum dimittere, niſi ſibi benediceret, flenſque petebat hanc eius benedictionem: poterat ergo angelus ei benedicere, itaque dimiſiſſet eum Iacob, ac liber abiiſſet angelus, vti de facto data ei benedictione ab eo dimiſſus liber abijt.

IN BETHEL INVENIT EVM] Putà Iacob angelum, vel etiam angelus Iacobum. cõdem enim res redit: ſignificatur enim reciprocatio occurrentium, putà mutuus occurſus Iacobi & angeli.

Eſt hoc tertium Dei in Iacob & Iacobæos beneficium, quòd ſcilicet Deus Iacobo, ob fratris iram profugo & miſero, apparuerit ſcalæ innixus, eum conſolans & confortans: indeque locus vocatus eſt Bethel, id eſt domus Dei, dicente Iacobo: *Verè non eſt hîc aliud niſi domus Dei, & porta cæli*, Geneſ. 28. 13. & ſequent. Qua viſione ſignificabat Deus, ſe Iacobi & poſterorum eius Deum fore, tutorem & prouiſorem in omnibus aduerſis, æquè ac proſperis; ſeque Iacobo, id eſt poſteris eius, terram illam lacte & melle manantem daturum in hereditatem. ita S. Hieron. Theod. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. Dionyſ. & alij.

Nota Primò. Pro *inuenit eum*, hebr. eſt יִמְצָאֶנּוּ *iimtſaénnu*: pro quo Aquila, Symmach. & Theodotion, alijs punctis legẽtes יִמְצָאֲנוּ *iimtſanu*, vertunt, *inuenit nos*, ſcilicet non in perſona noſtra, ſed in perſona patris noſtri Iacob, in cuius lumbis continebamur, dum ei in Bethel apparuit Deus. Septuag. verò legentes יִמְצָאוּנִי *iimtſauni*, vertunt, *in domo on* (id eſt, idoli & vitulorum, putà in Bethauen: hæc enim eſt Bethel, vti iam ſæpiùs dixi) *inuenerunt me*. Perperam Lyranus legit, *inueniemus eum*.

Nota Secũdò. Iacob bis inuenit & vidit Deũ, putà angelum Dei vicarium in Bethel. Primò, enim vidit eum ſcalæ innixum, vti iã dixi. Secundò, dum è Meſopotamia rediens cum tota familia, iuſſu Dei aſcendit in Bethel, ibique erigens altare, ſe ſuoſque omnes obſtrinxit ad iugiter colendum Deum, ac proinde à Deo accepit promiſſionem terræ Chanaan, & magnæ longæque poſteritatis, audiuitque: *Creſce & multiplicare*, Geneſ. 35. De hac ſecunda apparitione hîc vel maximè agitur. Sequitur enim:

ET IBI LOCVTVS EST NOBISCVM] ſcilicet Deus per angelum, promittens nobis in patre noſtro Iacob Chananæam, & poſteritatem iam dictam.

Aliter Vatabl. ex Chaldæo, q.d. *Ibi locutus eſt* Deus *nobiſcum*, id eſt mecum (putà cum Oſee Propheta) & cum Amos, iubens nobis, vt prædicatione noſtra inuitaremus populum Iſrael ad pœnitentiam. Nam Amos cap. 7. 12. dixit Amaſias pſeudoſacerdos Bethel ad Prophetam Amos: *Gradere, fuge in terram Iuda: in Bethel non adijcias vltrà vt prophetes, quia ſanctificatio regis eſt.*

ET DOMINVS DEVS EXERCITVVM, DOMINVS MEMORIALE EIVS] Hebr. eſt, *& Iehoua Elohim* (id eſt, Deus) *exercituum; Iehoua* (inquam) *eſt memoria*, vel *memoriale eius*. Eſt hîc multiplex ſenſus, iſque congruus & illuſtris. Primò, q.d. Deus in Bethel locutus eſt nobiſcum, inuitans & iubens vt eum coleremus: ſed videte, ô Iſraelitæ, ne ab idololatris decipiamini: ne, inquam, erretis in Deo falſo (quales pſeudoprophetæ & Gentiles multos vobis obtrudunt, mihique per fraudem

Ve

dem ſupponunt; vti diabolus pro Deo, perinde ac ſimia pro homine, ſe ſupponit, ſeque Deum ementitur) pro vero colendo. Ecce dico & repeto, nomen meum proprium eſt Iehoua: Deum ergo colite, qui eſt Iehoua, id eſt ipſum Ens, & eſſe tam ſuum, quàm creaturarum omnium, putà qui eſt plenitudo entis, creator rerum omnium, pelagus eſſentiæ, ſapientiæ, gloriæ, omniſque boni immenſum. Alludit ad Exodi 3.14. *Qui eſt* (id eſt Iehoua) *miſit me ad vos*, &c. *hoc nomen mihi eſt in æternum, & hoc memoriale meum in generatione & generationem.* q.d. O Iſraelitæ ne colatis Apin Ægyptium pro Deo: iſte enim eſt vitulus, non Deus; ſed colite me, qui ſum Iehoua, id eſt, *ſum qui ſum*, vel, *qui eſt*, fuit & erit. Hoc nomen mihi eſt æternum: hoc ergo nomine mei memoramini, meque inuocate. ita Chald. Arias, & Lyran. Secundò, q.d. Deus qui Iacob prætulit Eſau, aliaque beneficia ei & poſteris præſtitit, non eſt Baal, ſed Iehoua; hoc eſt nomen & memoriale eius, quo coli & nominari vult. ita à Caſtro.

Tertiò, q.d. Iacob Deum verum, putà Iehoua, ſemper in mente & memoria quaſi præſentem habebat, vel actu, vel virtute. Ergo & tu, ô Iſrael, patrem tuum imitare, iugemque Dei memoriam conſerua; ideoque ad Deum tuum conuertere, *miſericordiam & iudicium cuſtodi, & ſpera in Deo tuo ſemper.* ita Theodor. & Lyran. Quod vt facilius præſtes, voluit Deus nomen ſuum patri tuo tibique imponere, vocando eum & te Iſrael, id eſt, dominans Deo, vt in hoc nomine iugiter Dei memoria apud te perſeueraret, nec poſſes eius obliuiſci, ſicut tui nominis non potes obliuiſci: ac proinde quoties patrem tuum vel te nominas, aut nominari audis, memoreris & recorderis *El*, id eſt Dei tui, qui ita includitur in nomine *Iſrael*, vt ab eo ſeparari nequeat: quàm ergo *El* includitur in *Iſrael*, tam Deum in te tuaque mente include, vt ab eo numquam oculos vel mentem auertas. ita S. Hieron. & Haymo: licèt enim hîc in Hebræo nomen Dei ſit *Iehoua*, non *El*, tamen reipſa *Iehoua* idem eſt quod *El*.

Moraliter hîc diſce, quàm Dei iugiter memorari debeamus, vtpote qui nobis eſt præſentiſſimus vbique & intimus, magis quàm anima & ſpiritus vitalis, quo reſpiramus & viuimus. Ipſe enim eſt in quo viuimus, mouemur, & ſumus. Ipſe eſt qui halitum noſtrum manu ſua continet. Ipſe eſt qui mortem & vitam noſtram tam præſentem, quàm æternam in poteſtate habet, à quo pendemus vt radij à ſole, vt vmbra à corpore, qui ſemper nos aſpicit, ſemper in nobis operatur; denique eſt omnia in omnibus. Præclarè S. Auguſt. epiſt. 3. ad Fortunatianum: *Deus*, ait, *totus oculus eſt, totus manus eſt, totus pes eſt. Totus oculus eſt, quia omnia videt: totus manus eſt, quia omnia operatur: totus pes eſt, quia vbique eſt.* Quocirca idem in Soliqu. cap. 13. enumeratis perennibus Dei beneficijs: *Hæc*, ait, *& multa alia beneficia feciſti mihi Domine Deus meus, vita anima mea, de quibus dulce eſſet mihi ſemper loqui, ſemper cogitare, ſemper tibi gratias agere, vt poſſim te pro omnibus bonis tuis laudare & amare.* Idem libr. 1. de Verbis Domini ſerm. 6. *Sicut*, ait, *vita corporis anima eſt, ſic vita animæ Deus. Sicut expirat corpus cùm animam emittit, ita expirat anima cùm Deum amittit.* Meritò ergo Pſaltes pſalm. 76.4. *Memor*, ait, *fui Dei, & delectatus ſum.*

A Cauſam delectationis dat S. Bernard. tractat. de Diligendo Deo, dicens: *Iuſtum quippe eſt vt quos præſentia non delectant, præſtò eis ſit memoria futurorum; & qui de rerum fluentium qualibet affluentia deſpiciunt conſolari, recordatio illos delectet æternitatis. Et hæc eſt generatio quærentium Dominum. Dei ergo quærentibus & ſuſpirantibus præſentiam, præſtò interim & dulcis memoria eſt, non tamen qua ſatientur, ſed qua magis eſuriant vnde ſatientur.* Hoc ſapiebat Iſaias cap. 26 8. *Domine nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ. Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordijs meis de manè vigilabo ad te.* Et Ierem. Thren. 3.20. *Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.* vide ibi dicta.

ET (id eſt idcirco) TV AD DEVM TVVM CONVERTERIS] id eſt conuertaris, vel conuertere. VERS. 6.

B Eſt Hebræa enallage: ponitur enim futurum pro imperatiuo. q.d. Tu ergo, ô Iſrael, ad Deum patris tui Iacob ab idolis redi & conuertere, quaſi genuina Iacobi proles, hereſque pacti ab eo cum Deo initi.

IVDICIVM, id eſt iuſtitiam, CVSTODI] Tranſit enim à Deo ad proximum, vt ex honore & amore Dei iubentis, proximo ſuum ius, æquè ac miſericordiam debitam præſtet: veram enim fidem cultumque Dei ſequitur fides, id eſt, fidelitas erga proximum; ſicut ex aduerſo infidelitatem in Deum, ſequitur infidelitas & iniuſtitia in proximum. Vnde ſubdit:

7. Chanaan, in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit.

8. Et dixit Ephraim: Verumtamen diues effectus ſum, inueni idolum mihi: omnes labores mei non inuenient mihi iniquitatem, quam peccaui.

9. Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti, adhuc ſedere te faciam in tabernaculis, ſicut in diebus feſtiuitatis.

10. Et locutus ſum ſuper Prophetas, & ego viſionem multiplicaui, & in manu prophetarum aſſimilatus ſum.

C

CHANAAN, IN MANV EIVS STATERA DOLOSA] Hoc eſt, vt Syrus, *ſtatera doloſa* (Arabicus *ſtatera oppreſſionum*) *eſt in manu Chanaan.* Hebræi enim repetunt relatiuum, ponuntque cum ſuo antecedente. q.d. Ephraim eſt Chanaan, id eſt, mercator fraudulentus: in manu enim eius eſt ſtatera doloſa & iniuſta. Nota, hîc Ephraim, id eſt Iſrael, ſiue decem tribus, vt ſequitur, vocari *Chanaan* per catachreſin. Primò, quia Iſraelitæ impij erant vt Chananæi, vt potiùs filij Chanaan, quàm Iacob viderentur. Sic ait Daniel cap. 13.56. ſeni Suſannæ caſtitati inſidianti: *Semen Chanaan, & non Iuda.* Et Ezech. cap. 16.3. *Radix tua & generatio tua de terra Chanaan.* Sic Iſaias cap. 1.10. Scribis & Iudæis ait: *Audite verbum Domini principes Sodomorum.* ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Rupert. Hugo, Dionyſ. Emmanuel & Mariana. Secundò, quia *Chanaan* hebraicè ſignificat mercatorem, vti vertit hîc Leo Hebræus, Chald. Pagnin. Lyran. & Arias. Vnde Prouerb. 31.24. dicitur: *Cingulũ tradidit Chananæo*, id eſt mercatori. Chananæi enim terreni & auari, ob maris viciniam mercaturæ, & in ea fraudibus, VERS. 7.

D

dolis, furtis & rapinis vacabant: inde Hebr. כְּנַעֲנִי *kenaani*, id eſt Chananæus, ſignificat mercatorem. Alludit ergo Oſee hîc ad dolos & fraudes mercatoris, q.d. Iacob pater tuus ob ſanctitatem meruit vocari Iſrael, id eſt, dominans Deo; tu verò ô Ephraim non mereris hoc nomen, ſed potiùs vocandus es Chanaan, quia' habes mores Chananæorum, & quia defraudas proximos in pondere, vti facit mercator, præſertim Chananæus, qui doloſa ſtatera defraudat ementes, vtens maiori pondere dum merces emit, minori dum eas vendit. Vnde Chaldæus vertit, *ne ſitis ſicut mercatores, in quorum manibus ſunt bilances doloſæ, rapinæ ſtudentes.* Sicut ergo ſerui vocantur *Phryges*, fures *Lacones*, guloſi & delicioſi *Sybaritæ*, infames *Ambrones*; ita impij & iniuſti mercatores vocantur *Chananæi*, quorum vnicum eſt ſtudium decipere, & quæſtu iniuſto diteſcere, ideoque bilances habent fallaces, ſiue, vt ait Sapiens Prouerb. 20. 10. *pondus & pondus, menſuram & menſuram*, id eſt duplicia pondera, duplices menſuras. Tales etiamnum multi ſunt inter Iudæos, qui meri lucriones nil niſi fœnerari norunt, quos proinde in ſpiritu præuidens Propheta, meritò Chananæos ſtateræ doloſæ vocauit; adeò vt ſi inſtitorem auarum & fraudulentum pingere velis, pingas Iudæum inſtar Chananæi, cum bilance & ponderibus iniuſtis.

Moral. de nimia lucri auiditate.

Tales pariter ſunt non pauci mercatores, qui toti lucro inhiant. Fieri enim nequit, quin huiuſmodi ex tanta lucri auiditate, ſæpè extra metas iuris & iuſtitiæ ferantur. Quocirca de talibus ait S. Chryſoſt. hom. 38. in Matth. & habetur c. 11. *Eijciens*, diſtinct. 88. *Eijciens Dominus vendentes & ementes de templo, ſignificauit quòd mercator numquam poteſt Deo placere: & ideo nullus Chriſtianus debet eſſe mercator.* Loquitur enim de lucrionibus qui finem vltimum, ſummumque bonum in lucro conſtituunt, parati peccare mortaliter vt lucrentur, vti exponit S. Thom. 2. 2. quæſt. 77. art. 7. quique fraudibus & periurijs negotiationem exercent, vti exponit noſter Leſſius libr. 2. de Iuſtitia cap. 21. dub. 1. Sic Thales Mileſius aſſiduè in ore habuiſſe fertur: *Noli ditari nequiter: lucrum enim fraude partum, damnum eſt, non lucrum.* ita Laërt. lib. 1. de Vitis Philoſ. cap. 1. Chilon Lacedæmonius dicere ſolebat; *Damnum turpi lucro præferendum eſt: illud enim ſemel dolet, hoc autem ſemper.* Iactura facta ſarciri facilè poteſt addita induſtria, infamia autem ex lucro iniquo contracta numquam apud viros bonos diluitur. & ſic lucrum ſcelere partum, damnum eſt, non lucrum. ita Laërt. libr. 1. cap. 4. Antiphanes dictitabat: *Vſuram quæſtumq; breues habere delicias, longam autem calamitatem.* Ageſilaus fœneratorum chirographa publicè in foro combuſſit, dicens, *numquam ſe puriorem ignem vidiſſe.* ita Plutarch. in Lacon. Alfonſus rex Aragon. teſte Panorm. in eius vita *fœnus* non aliud eſſe dixit, quàm *animæ furtum.* Muſonius: *Iupiter*, inquit, *non fœneratur, multò minùs fœnerat*, q.d. Deus non accipit ad vſuram, multò minùs dat. Diuiniùs Pſaltes pſalm. 70. 81. ait: *Quoniam non cognoui literaturam* (hebr. סְפִרוֹת *ſiphrot*, id eſt ciphras, numeros, vt vertit Symmach. & Rabbini, ac Septuag. γραμματείας, vel, vt S. Auguſt. A Arnob. & Chryſoſt. legunt, πραγματείας, id eſt *negotiationem*, vti habet Roman. Pſalterium) *introibo in potentias Domini.* Vide ibi S. Auguſt. qui & in pſalm. 132. *Lucrum*, ait, *feciſti, ſed vt lucrum faceres Deum offendiſti: acquiſiuiſti aurum, fidem perdidiſti. De arca gaudes, de corde non plangis? plus perdidiſti quàm acquiſiuiſti. & perdidiſti quod nec naufragio tibi potuiſſet auferri.* Et inferiùs: *Ille habet aurum, qui nouit vti auro: qui autem auro vti non nouit, habetur, & non habet; poſſidetur, & non poſſidet. Eſtote domini auri, & non ſerui auri: quia & aurum Deus fecit, & te ſuper aurum ipſe fecit. Aurum fecit ad ſubſidium tuum, te ad imaginem ſuam. Vide quod ſuper te eſt, & calca quod infra te eſt. Quid ergo acquiſiuiſti? Tolle tecum ad inferos quod acquiſiuiſti. Cor tuum inane fidei ad pœnas exit, quod plenum fide ad* B *coronam exiret.*

Mercator ergo hoc lucri ſtudium temperet, & moderetur timore Dei, & deſiderio opum maiorum & cæleſtium, aureamque illam Sapientis ſententiam menti inſcribat: *Melius eſt parum cum timore Domini, quàm theſauri magni & inſatiabiles*, Prouerb. 15. 16. Et: *Melius eſt parum cum iuſtitia, quàm multi fructus cum iniquitate*, Prouerb. 16. 8. Secundò, iugiter audiat ſibi intonantem Apoſtolum: *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarū, ſed in Deo viuo (qui præſtat nobis abundè omnia ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam*, 1. Timoth. 6. 17. Tertiò, crebrò ruminet illud Iob c. 20. 25. de diuite impio & iniquo: *Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Et quod vulgò dicimus & C cernimus:

De malè quæſitis non gaudet tertius heres.

Denique illud Chriſti: *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te; quæ autem parauiſti, cuius erunt?* Luc. 12. 20.

Tropolog. Primò, Chananæus eſt hæreticus. Chanaan quippe, ait S. Hieron. interpretari poteſt *quaſi mouentes.* Et Nota, quòd dixerit *quaſi mouentes*, & non, *mouentes*. *Mouentes* ſunt eos, quos deceperint; *quaſi mouentes ſunt* eos, quos mouere tentauerint; ſed quia fundati ſunt ſupra petram, nullo poſſunt turbine concuti, nec pedum ſuorū mutare veſtigium. In iſtiuſmodi Chananæi manu, id eſt operibus, eſt *ſtatera doloſa* & iniqua: quidquid enim hæreticus loquitur, Dei iuſtitiam non habet, & plenum eſt doli & fraudum. D Hinc & eques equuſque niger Apocal. 6. 5. denotans hæreſim, *habebat ſtateram in manu.* Vide ibi dicta.

Secundò, ſtatera doloſa eſt praua intentio, ambitio & cupido primatus. Audi Theodor. *Tu, ô Ephraim, imitans malitiam Chanaan, iniquam mentis ſtateram habes. Iuſtitiam ſemper vilipendu, iniquam potentiam exoptas; in diuitijs elato ſpiritu es, & plurimum tibi arrogas in earum rationibus perſcribendis.* Et Proſperum p. 2. de Prædict. cap. 24. qui admonens reges & principes: *Ipſi*, inquit, *caueant qui has accipiunt poteſtates, ſi cupiditate dominantis, nec conſulentis affectu ſuſcipiunt: ſi miniſtrari eligunt, ac non potiùs miniſtrare, quod Dominus per ſeipſum, & per Prophetam Oſee increpat dicens: Chanaan in manu eius ſtatera iniuſtitiæ; dominationem enim elegit. Et in Euangelio ipſe: Qui voluerit*

maior

maior eſſe in vobis, erit veſter ſeruus; ſicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.

Tertiò, Rupert. *Statera doloſa*, inquit, *eſt malitioſa terrena cupiditatis duplicitas.*

Quartò, ſtatera doloſa ipſa malitia, & propoſitum deliberatum peccandi. Hoc enim, ait Ruffin. *cùm ſuſpenſis ab vtraque parte ponderibus nefanda committat, dicitur peccaſſe ſub trutina, de quo Dauid pſalm. 61. 10. Verumtamen mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum. Cùm ergo hoc ſit præcipuum huiuſmodi munus ingenij, vt quid obire debeat, quid vitare, perpendiculo rationis & momentis collationis examinet, profanatus populus veritatem in mendacio detinens, admouit quidem ſtateram negotijs, ſed doloſam, melioribus videlicet deteriora præponens, & noxijs magis quàm vtilibus acquieſcens.*

CALVMNIAM DILEXIT] Leo Hebr. *gaudet vim facere*; Septuag. καταδυναστεύειν ἠγάπησεν, id eſt, *opprimere per potentiam dilexit.* B

VERS. 8. ET DIXIT EPHRAIM: VERVMTAMEN DIVES EFFECTVS SVM, INVENI IDOLVM MIHI] *Idolum* vocat ſuas opes & diuitias. q.d. Obſtrepunt mihi Prophetæ, meque ob ſtateras doloſas culpant & arguunt: at ego has voces non moror, ſed vt garritus graculorum deſpicio: habeo enim penes me idolum, id eſt Deum fortiſſimum (putà Mammonam, id eſt diuitias, quas mea vnius induſtria mihi peperi) quo præſente neminem timeo: quia omnibus bonis abundo. ita S. Hieronymus.

Nota. Pro *idolum* hebr. eſt אוֹן *on*, quod propriè ſignificat iniquitatem, & *rapinam*, vt vertit Chald. aut *vim* & *robur*, vt vertit Arias & Vatabl. Porrò Lyran. & Pagnin. vertunt, *diuitias*, C ſcilicet iniquè partas; Septuag. *requiem*: opes enim auaro ſunt Primò, idolum; Secundò, rapina; Tertiò, omne eius robur; Quartò, eius diuitiæ; Quintò, omnis eius ſpes & requies; ſed futilis, fallax & euanida. Ex Chaldæo aliqui ſic vertunt & explicant, *inueni vim mihi*, ſcilicet pecuniam, quæ quaſi dominus mihi vim inferat, meque violenter opprimat. Ita S. Gregor. Nazianz. orat. 24. initio: *Aurum*, inquit, *eſt occultus tyrannus, per quem multa ſurſum deorſumq; velut in talorum ludo iactantur.* Quæ verba ſic explicat Elias Cretenſis: *Tyrannum vocat, quòd auri cupidis vim afferre, eoſq; velut tyrannide opprimere poſſit: inuiſibilem verò, propterea quòd tacens, minimeq; conſpectum auaros ſubijciat, ab eiſq; qua decreuerit, per vim abducat.*

OMNES LABORES MEI NON INVENIENT MIHI INIQVITATEM QVAM PECCAVI] q.d. Non poterit inueniri in meis negotijs, contractibus, ponderibus (eſto ſcrutetur ea quiſquis volet) vlla iniuſtitia qua peccauerim. Nota hîc vocem diuitum, quos cæcauit cupiditas & auaritia, qui Deo ſuo, putà Mammonæ, & opibus ſuperbientes & tumidi omnia iuſta & licita ſibi putant. Vni enim intendunt lucro: hoc eorum idolum eſt, hoc eorum ius, ſiue per fas, ſiue per nefas illud conquirant. ita Arias & Vatablus.

Tales etiamnũ ſunt inter Chriſtianos, qui cũ iugiter vſurarios, alioſq; illicitos contractus ineant, nullum tamen ſibi mouent ſcrupulum, imò in confeſſione ſacramentali etiam hac de re rogati reſpondent, ſe nullos niſi licitos iniuiſſe. ita in lucro & auaritia occalluerũt & obſurduerũt.

A Secundò, lucra mea *non inuenient iniquitatem*, id eſt iudicem qui ea iniquitatis & iniuſtitiæ dãnare audeat: quia enim diues ſum & potens, nullum iudicem timeo, aut ſi quem timeam, muneribus oculos eius excæcabo: ego enim nullius, omnes mea ope indigent. q.d. Non refert quomodo habeam opes, dummodo habeam. ita S. Hieron. & Albert.

Tertiò, Septuag. paſſiuè & contrariè vertunt, *omnes labores eius non inuenientur ei, propter iniquitates quibus peccauit.* q.d. Malè parta citò dilabuntur. Et Chald. *omnes diuitiæ veſtræ non permanebunt vobis in die retributionis peccatorum*, iuxta illud pſal. 75. 6. *Nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.*

Huic verſioni noſtram accommodat Lyran. quaſi ſit hîc correctio Prophetæ. q.d. Vos, ô diuites, diuitijs veſtris velut idolo confiditis & præfiditis; attamen ſcitote ex me, quòd ipſæ quantumuis labore veſtro partæ, non *inuenient* vobis *iniquitatem*, id eſt expiationem iniquitatis.

ET EGO DOMINVS DEVS TVVS EX TERRA ÆGYPTI] q.d. Ex eo tempore quo ex Ægypto te eduxi, fui iugis tui cuſtos, dux, Deus, pater. VERS. 9.

ADHVC TE SEDERE FACIAM IN TABERNACVLIS] q.d. Exſpectabo an pœnitere velis, ac proinde differam pœnam captiuitatis, quam tuis ſceleribus decreui, faciamque te in tuis ſedibus & vrbibus lætum habitare, & idcirco lætam feſtiuitatem Scenopegiæ, ea de cauſa olim inſtituram Leuit. 23. 39. quotannis de more celebraæ, ſicut hactenus illam celebraſti. ita S. Hieron. Quare minùs rectè Theodor. hæc accipit vt minas, ac contrariè exponit q.d. Quia immemor es liberationis tuæ, qua te eduxi ex Ægypto, è domo tua expellam te in Aſſyriam, vbi quaſi exul in tabernaculis habitabis, ac mœrens recordaberis Paſchatis, quo te ex Ægypto exultantem eduxi, aliarumque feſtiuitatum, quas in patria feſtiuè celebrare ſolebas.

Secundò, Albert. & à Caſtro hæc referunt ad reditum è captiuitate Babylonica: ex ea enim multi Iſraelitæ cum Iudæis miſti redierunt. q.d. O Iſrael ibis in captiuitatem ob tua ſcelera; at faciam vt inde redeas, tuncque in memoriam reditus & tranſitus felicis per deſertum celebrabis feſtum tabernaculorum, ſicut olim illud celebraſti in memoriam exitus ex Ægypto, & tranſitus per deſertum, quando ſcilicet Deus ipſos D quadraginta annos te, duce columna ignis & nubis, per horridam ſolitudinem deduxit vſque in Chanaan.

Allegor. q.d. Tempore Chriſti faciam te habitare in tabernaculis, id eſt in Eccleſijs, primò militantibus in terra, deinde triumphantibus in cælo, vbi continuas & perennes ages feſtiuitates, longè lætiores, quàm olim egiſti celebrando Paſcha, Pentecoſten, Scenopegiam, &c. ita Lyran. & Clarius, qui putant hunc eſſe ſenſum literalem.

ET LOCVTVS SVM SVPER (id eſt, *ad*, vt vertunt Septuag. Vatab. & alij) PROPHETAS, VT te ad pœnitentiam, & conſequenter ad feſtiuitatem hanc tabernaculorum mitarent, ideoque VISIONES, prophetias & correptiones tibi ingerendas, eis MVLTIPLICAVI, ET IN MANV PROPHETARVM ASSIMILATVS SVM] q.d. Per Prophetarum facta VERS. 10.

&

& verba varias formas & similitudines assumpsi, nunc monendo, nunc minando, nunc blandiendo. Rursum assimilaui me nunc pastori, nunc aurigæ, nunc patri, nunc regi, nunc sponso, &c. Denique iussi Prophetis, vt varias figuras & similitudines inducrent, quibus te permouerent ad emendationem. Sic Osee cap. 1. iussi vt suo matrimonio assimilaret me sponso, ambienti sponsam fornicariam. ita S. Hieron. Theodor Lyran. & alij.

Nota hebraismum: *in manu Prophetarum*, id est per Prophetas, quasi per meum organum & instrumentum: manus enim est organum organorum, ait Aristot. *In manu* ergo, id est ministerio, opera, sermonibus *Prophetarum assimilatus sum*. q.d. Quisego sim & qualis, quid velim, quid exigam, ex Prophetarum dictis & factis cognosci potest: Prophetæ enim suis me actionibus gestisque, æquè ac verbis repræsentarunt; ac meæ non tantùm mentis voluntatisque, sed & indolis ac ingenij quamdam quasi similitudinē & imaginem oculis hominum subiecerunt. ita Pineda l. 7. de Rebus Salom. c. 23. Emmanuel & Mariana hîc. Sic legatus repræsentat suum principem, Apostolus Christum.

Allegor. q.d. Ego Christus meam incarnationem, humanitatem, passionem, &c. varijs Prophetarum figuris adumbraui, assimilaui, & repræsentaui. ita S. Chrysost. hom. 58 in Gen. *Tunc*, ait, *quoniam initium & principia erant, in figura vnicuique illorum apparebat, sicut ipse per alium Prophetam dicit: Ego visiones multiplicaui, &c. quando autem dignatus est Dominus humanam formam suscipere, & primitias nostras recipere, non putatiuam tantùm neque apparentem sed veram carnem induit.* Sic de Cyro ait Deus Isaiæ 54. 4. *Assimilaui te & non cognouisti me.* q.d. Feci te similem Christo, eiusque typum: sicut enim tu Iudæos Babylone liberabis, ita Christus homines inferno liberabit: sed tu hoc non cognoscis. Hoc est quod ait Paulus Hebr. 1. 1. *Multifariam multisq; modis olim loquens Deus patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio*; vbi pro *multisq; modis* græcè est πολυτρόπως, id est, multis modis, formis, figuris, similitudinibus.

11. Si Galaad idolum, ergo frustra erant in Galgal bobus immolantes: nam & altaria eorum quasi acerui super sulcos agri.

12. Fugit Iacob in regionem Syriæ, & seruiuit Israel in vxorem, & in vxorem seruauit.

13. In propheta autem eduxit Dominus Israel de Ægypto: & in propheta seruatus est.

14. Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis, & sanguis eius super eum veniet, & opprobrium eius restituet ei Dominus suus.

VERS. 11. SI GALAAD IDOLVM, ERGO FRVSTRA ERANT IN GALGAL BOBVS IMMOLANTES] Nota. *Galaad* erat vrbs & regio trans Iordanem pertinens ad decem tribus, putà ad Ruben & Gad; vnde primò occurrit Assyrijs inuadentibus terram Israel, & ab eis expugnata est, 4. Reg. 15. 29. Galgal verò cis Iordanem erat, & spectabat ad tribum Iuda, ait S. Hieron. Porrò tam Galaad fuit celebris idolis, vt patet c. 6. v. 9. quàm Galgal, vt patet c. 9. v. 15. Sermo est ad duas tribus, putà ad Iudam. q.d. Vos ô duæ tribus agnoscitis Galaaditarum vitulos esse idolum, id est, rem vanam, numen fictum & pictum, ideoque iniquum & impium (hoc enim significat אָוֶן *auen*) eaque de causa vidistis aras illius dirui ab Assyrijs, vertique in aceruos lapidum, terramque eius desolari, ac desolatam aratro & sulcis subigi. cur ergo simile idolum, putà vitulos, siue boues frustri colitis, ijsque immolatis in Galgal? Idcirco enim terra vestra in similes aceruos lapidum redigetur ac desolabitur, & aratro sulcisque à bobus subigetur. ita S. Hieron Lyran. Clarius & alij. Vnde ex Hebræo expressius sic verti potest cum Vatabl. *Si in Galaad iniquitas*, vel *vanitas*, putà idolum iniquum & vanum, *fuit, vtique vani facti sunt*, id est, idcirco in vanum abierunt, exciti sunt & euanuerunt: cur *in Galgal bobus* (vel boues) *sacrificarunt*? Hoc est *iudicium Iuda*, de quo dicit v. 2. *Iudicium ergo Domini cum Iuda, & visitatio super Iacob*, q.d. Si Galaaditis idolum non profuit, sed obfuit, pariter & tibi, ô Iuda, idolum in Galgalis non proderit, sed oberit. In Hebræo est neruosa paronomasia in vocibus אָוֶן *auen*, אָוֹן *on*, & אָוָן *auon*. Respicit enim ad v. 8. q.d. *Dixit Ephraim: Diues effectus sum, inueni idolum*, hebr. *on: omnes labores mei non inuenient iniquitatem*, hebr. *auon*. Huic respondet hîc Galaad esse *auen*, id est iniquitatem, vanitatem & *idolum*, ideoque laborem & dolorem, idque probat ex eo, quòd eius aræ in aceruos & sulcos redactæ sint. Videtur ergo hæc prophetia edita ab Osee post vastatam ab Assyrijs vrbem Galaad in tribu Gad, antequam ab eisdem vastaretur Samaria & Galgala, quæ erant trans Iordanem, cùm cis eum esset tribus Gad & Galaad. ita Sanchez.

Secundò, pro *ergo*, hebr. est אַךְ *ach*, id est certè, vtique, ergo, verumtamen, *tamen*, vti legunt Biblia Plantin. & Haymo, qui proinde exponit, q.d. Si Galaad, id est Israel, colit idolum, ei ex parte condonandum est, quia templo & altari Dei caret: tibi tamen, ô Iuda, colenti eadem idola in Galgalis, condonandum non est: quia tu possides Dei templum, altare, sacerdotes, scribas, &c.

Tertiò, alij. q.d. Si vultis idola colere, ite in Galaad: ibi enim est sedes idololatriæ: nolite ergo ea colere in Galgalis; quia hic locus pertinet ad Iudam, & consequenter ad Deum, Deique templum.

NAM ET ALTARIA EORVM QVASI ACERVI SVPER SVLCOS AGRI] q.d. Ne mihi negetis idolum Galaaditis fuisse vanum, frustraneum & noxium; en appello ipsa altaria idolorum. Hæc enim redacta sunt in aceruos & terram arabilem, vti iam dixi. Aliter Clarius, q.d. Miseri vbique aceruos lapideos colligunt, vt ex eis altaria idolis construant, & dijs terminalibus immolent relicto Deo vero. Prior sensus est verus & genuinus. Sic enim in terris saxosis, qualis est Iudæa, solent eximi saxa, vt possint arari & sulcari, quod rustici vocant exossare agros: saxa enim sunt in agris, quod ossa in homine. Sic Persius satyra vlt. ait:

Exossa-

Exossatus ager iuxtà est.

Vers. 12. FVGIT IACOB IN REGIONEM SYRIÆ.] *Fugit*, scilicet à facie Esau fratris sui, indignantis ob erepta sibi ab eo primogenita, Gen. 28. Redit Propheta ad ostendendam Dei prouidentiam & curam, quam habuit de Iacob patre Israelitarum, & per consequens de ipsismet Israelitis, vt demonstret eorum ingratitudinem, vtque eos ad Deum redamandum rursumque colendum reuocet.

SERVIVIT ISRAEL IN VXOREM. q.d. Iacob pro vxore Rachel seruiuit Laban septem annis: ET IN VXOREM id est pro vxore altera, scilicet Lia, SERVAVIT] id est, custodiuit & pauit oues Laban. Hic enim *seruauit* legendum cum Hebr. Septuag. & Rom. non *seruiuit*, vti paulò antè.

Sensus est, q.d. Deus sua prouidentia effecit, vt Iacob seruiens Laban ditaretur, tam in ouibus quàm vxoribus ac prolibus, putà duodecim patriarchis, ex quibus vos prognati estis. Nota hebraismū: Hebræi enim per *beth*, id est *in*, significant pretium: dicunt enim, Emi domum in argento, id est argento: Comparaui mihi opes in labore, id est labore: Seruiui in vxore, id est pro vxore, hoc ergo est *beth* pretij. vel *in vxorem*, id est ad, propter vxorem sibi comparandam.

Vers. 13. IN PROPHETA, id est per Prophetā, putà Mosen. EDVXIT DOMINVS ISRAEL DE ÆGYPTO, ET IN PROPHETA (per eumdem Mosem) SERVATVS EST] à Pharaone aliisque hostibus.

Vers. 14. Quocirca AD IRACVNDIAM ME PROVOCAVIT EPHRAIM, (id est Israel) quia tot beneficijs meis ingratus me spernit, & vitulos adorat, IN AMARITVDINIBVS SVIS] id est, in peccatis suis, præsertim idololatriæ, quæ mihi amaritudinem, id est dolorem & bilem, mouent. Loquitur anthropopathōs. Nota hîc, peccata & idola vocari *amaritudines* Dei: quia maximè Deum offendunt, adeò vt, si dolor, mœror, anxietas, imò mors & interitus in Deum cadere possent, hæc non aliunde, nec alia sagitta, quàm peccato ei obuenirent.

SANGVIS EIVS SVPER EVM VENIET] *Sanguis* in Script. vocatur homicidium, & metonymicè pœna homicidij, vti hîc. q.d. Occidetur vt reus, ac pœna suæ necis & sui interitus ipsi obueniet, ipsique imputabitur.

ET OPPROBRIVM EIVS, id est pœnam opprobrij, RESTITVET EI DOMINVS SVVS] scilicet pro opprobrio quo ipse Deum affecit, adimens ei diuinitatem, eamque sacrilegè transcribens idolis. Deus enim peccatum nullum, præsertim tam enorme, finit inultum. Nā vt ait S. Augustin. in psal. 44. *Peccatum puniturus est (Deus) quia virga directionis est virga regni ipsius. Puniendum est peccatum: si puniendum non esset, nec peccatum esset. Præueni illum: non vis vt ipse puniat? tu puni.* Et mox: *Puniendum ergo evit aut à te, aut ab ipso. Tu agnosce, vt ille ignoscat.* Idem in psal. 58. *Quid est*, inquit, *Operantem æquitatem: quia hoc in te odisti quod & odit ille, vt incipias placere Deo, dū hoc in te punis quod displicet Deo. Nam non potest impunitum relinqui peccatum, quia verum est: Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem.* Idem in psal. 50. explicans illud: *Ecce enim veritatem dilexisti*, id est, inquit, *impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, non reliquisti: veritatem dilexisti, sic misericordiam prærogasti, vt seruares & veritatem. Ignoscis confitenti, ignoscis, sed seipsum punienti. Ita seruatur misericordia & veritas: misericordia, quia homo liberatur: veritas, quia peccatum punitur.* Vide eumdem epist. 122. ad Victorianum, vbi docet Deum nemini peccanti, ne sancto quidem, parcere; ideoque permisisse Barbaris Italiam & Hispaniam inuadentibus, affligere etiam sanctos viros, & violare sacras virgines.

Deus nullū peccatum impunitum relinquit.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Israeli minatur excidium, eo quòd homines immolauerit vitulis, vt dispergatur, & euanescat quasi nubes, ros, gluma & fumus: quia Deus inuadet eum quasi leæna, pardus, & vrsa raptu catulis. Ergo perditio tua, id est ex te, est Israel: in me verò auxilium tuum. Secundò, v. 14. uolat ad Christum, docetq; quòd Christus moriens eos, omnesq; credentes à morte liberabit, & ex inferno educet: erit enim quasi ventus vrens, qui per ignem conflagrationis perdens mundum impium in die iudicij, cuique sortem pro meritis diuidet & retribuet.

Vers. 1. LOquente Ephraim, horror inuasit Israel, & deliquit in Baal, & mortuus est.

2. Et nunc addiderunt ad peccandum: feceruntque sibi conflatile de argento suo quasi similitudinem idolorum, factura artificum totum est: his ipsi dicunt: Immolate homines vitulos adorantes.

3. Idcirco erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens, sicut pulvis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario.

4. Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti: & Deum absque me nescies, & saluator non est præter me.

5. Ego cognoui te in deserto, in terra solitudinis.

6. Iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt: & leuauerunt cor suum, & obliti sunt mei.

7. Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum.

8. Occurram eis quasi vrsa raptis catulis, & dirumpam interiora iecoris eorum: & consumam eos ibi quasi leo, bestia agri scindet eos.

LOQVEN-

VERS.1. LOQVENTE EPHRAIM. *Ephraim* vocat Ieroboam, qui ortus fuit ex tribu Ephraim, primuſque ex ea creatus eſt rex Iſraelis. q.d. Dum loqui cœpit Ieroboam Ephraimita, ac incitare plebem ad idola, putà ad vitulos aureos colēdos, HORROR vel, vt Symmach. & Theodotion, *tremor*, INVASIT ISRAEL. vt regi idololatræ reſiſtere non auderet, ſed eius metu quaſi tremore perculſus, Baal, id eſt idola, putà vitulos aureos ab eo propoſitos, coleret: itaque MORTVVS EST] tam ipſe, quàm rex eius, id eſt captiuitati, & morti temporali fuit addictus, ac multò magis ſpiritalem animæ mortem incurrit, perdens eum qui dicit: *Ego ſum vita*, Iohan. 14.6. iuxta illud Ezech. 18. 20: *Anima quæ peccauerit ipſa morietur*. ita S. Hieron. Rupert. Hugo, Lyran. Emmanuel & Mariana. Ad literam Baaſa occidit Nadab filium Ieroboam, eiuſque ſtirpem euertit, ac regnum ad ſe transtulit, 3 Reg. 15.29. Aliter Arias: *horrorem* enim accipit auerſionem à Roboam, quam populo impreſſit Ieroboam, proponens ei illius tyrannidem, & tributorum immanitatem, itaque à populo auerſante Roboam, creatus eſt rex Ieroboam.

Secundò, pro *inuaſit*, hebr. eſt נָשָׂא *naſa*, quod inter alia ſignificat *extulit*, *alienauit*. Vnde Chald. & Vatabl. ſic vertunt & explicant: Olim cùm ipſe Ephraim Deum coleret, tremebant omnes dum ipſe loqueretur, tuncque extulit caput, factuſque eſt rex; ſed poſtquam deflexit ad Baal, mortem incurrit, vitaque & regno priuatus eſt. Per *Ephraim* intellige Ieroboam, vel ipſammet tribum regiam: tribus enim Ephraim in Ieroboam & poſteris, regnum in cæteras tribus obtinuit.

VERS.2. ET NVNC ADDIDERVNT AD PECCANDVM, q.d. Inſuper peccata peccatis, idola idolis addunt & accumulant: nam FECERVNT SIBI CONFLATILE (conflauerunt idolum) DE ARGENTO SVO, vel auro, alióve metallo, QVASI SIMILITVDINEM IDOLORVM] hebr. *iuxta intelligentiam*, vel *conceptionem ſuam idolorum*, ſiue quam habebant de idolis, hoc eſt, prout cuique in mentem venit, prout quiſque phantaſia ſua concepit, prout cuique viſum fuit, vel libuit effingere aut formare hoc vel illud idolum, tali vel tali ſpecie, forma & figura; quod clarè Noſter vertit, *ſimilitudinem idolorum*. Hæc enim eorum mentis conceptio, vel idea non erat aliud, quàm idea & ſimilitudo idolorum. Vnde ſubdit:

FACTVRA ARTIFICVM TOTVM EST] q.d. Idolum nil habet numinis, vel diuini, ſed totum eſt artificis idea conceptum, & eiuſdem manu fabricatum, dum ergo idolum adoras, ideam & phantaſiam fabri adoras: illius enim eſt opus & imago, nec aliunde quàm ex hac eius officina prodijt. ſicut enim artifex mente priùs concipit ideam domus quam fabricare cogitat, ac deinde iuxta eam domum conſtruit & fabricat; ita & idoloplaſtes, ſiue artifex idoli, priùs format ſibi ideam idoli in mente, vt v.g. talem habeat menſuram, talem vultum, tales oculos, talem ſitum, &c. ac deinde iuxta eā illud ex argento vel auro conflat & efformat. Hebr. ergo תְּבוּנָה *tebuna* propriè intelligentiam ſignificat, non ideam, à rad. בָּנָה *bana*, id eſt intellexit; ſed in re, intelligentia architecti, artificis & fabri non eſt aliud, quàm exemplar & idea rei ædificandæ & fabricandæ, quam Hebræi propriè תַּבְנִית *tabnit* vocant, à rad. בָּנָה *bana*, id eſt ædificauit.

Hinc patet, magis ſubtiliter quàm ſolidè & genuinè, aliquos per *ſimilitudinem idolorum* accipere *imagines idolorum*. q.d. Quanta eſt Iſraelitarum vanitas & ſtultitia, quòd non tantùm ipſa idola, ſed & eorum effigies ac imagines expingat & exſculpant, eaſque colant quaſi deos!

HIS IPSI DICVNT: IMMOLATE HOMINES VITVLOS ADORANTES] Vox *homines* eſt accuſatiui caſus, non vocatiui. patet ex Hebr. זֹבְחֵי אָדָם *zobche adam*: & ex Septuag. θύοντα ἀνθρώπους, id eſt *immolate homines*, v.g. filios quaſi victimas: vituli enim defecerunt. Senſus eſt q.d. De idolis dicunt idololatræ, præſertim eorum ſacerdotes: Vos ô Iſraelitæ, qui vitulos aureos Ieroboam adoratis, immolate eis non tantùm oues & boues, ſed & homines; quia id faciunt Gentes, & quia id fecit Abraham, immolans Iſaac filium ſuum, Geneſ. 22. Sed vera cauſa erat, quia dæmon ſitit cruorem humanum, eorumque necem ſibi depoſcit. Eſt neruoſa antitheſis inter vitulos & homines. q.d. Quanta ſtupiditas eſt vitulis immolare homines, cùm vituli quaſi, beſtiæ homini ſeruire debeant, non homo vitulis? ita S. Hieron. Cyril. Hugo & alij. Aliqui tamen, vt Lyran. Pagnin. Vatab. & Arias, ה homines accipiunt in vocatiuo. q.d. Vos ô homines, immolate victimas vitulis aureis, eos adorantes.

Nota. Pro *adorantes*, hebr. eſt יִשָּׁקוּן *iiſſakun*, id eſt *oſculantes*. Vnde Vatabl. vertit, *vos ô homines qui ſacrificatis vitulis, oſculamini eos*. Solebant enim idololatræ, in ſignum veneration is & adorationis, oſculari idolum, aut ſi id non poſſent, manum propriam loco idoli. Hoc eſt quod ait Iob c. 31.27. *Si vidi ſolem cùm fulgeret*, &c. *& oſculatus ſum manum meam*, hoc eſt, ſi ſolem fulgentem adoraui oſculādo manum meam. Et Ezech. 8.17. *Ecce applicant manum ad nares ſuas*, quaſi adorantes & oſculantes Deum, cui ramuſcula hic ſacra erat. vide ibi dicta. Hinc *adoro* idem eſt quod ad ora applico, ſcilicet manum oſculando. ita Plinius lib. 28. c. 2.

IDCIRCO ERVNT QVASI NVBES MATVTINA] Culpæ intentat pœnā excidij, eamque celerem, acrem & plenam, quam proinde quatuor parabolis explicat & exaggerat. Prima eſt: *Erunt*, inquit, (ſcilicet Iſraelitæ qui vitulos adorarunt) *quaſi nubes matutina*, quæ citò à ſole oriente diſſoluta, vel diſpulſa interit.

Secunda, ſicut *ros matutinus præteriens*, quem ſc. ſol matutinus ſtatim ſorbet, ſiccat & aufert.

Tertia, *ſicut puluis turbine raptus ex area*: puluerem intellige, non arenæ, nec terræ, ſed palearum frumenti triturati, putà glumam & quiſquilias palearum (has enim ſignificat Heb. מֹץ *mots*) quas ventus turbinis rapit ex area, & huc illuc que diſſlat. Pari enim modo Iſraelitæ excita Samaria, ex ea quaſi area ſua ebrepti ſunt ab Aſſyrijs in captiuitatem, indeque quaquauerſum diſperſi.

Quarta, *ſicut fumus de fumario*, putà de fumibulo, vel camino, exit & propellitur, qui ſtatim tenues vaneſcit in auras: ita è Samaria expellentur Iſraelitæ in Aſſyriam. Pro *fumario* hebr. eſt אֲרֻבָּה *arubba*; quod Aquila, *cataractam*; Sym-

Symmach. *foramen*; Theodot. καπνοδόχον, id est fumibulum, vertit. Cataractam autem propriè vocant foramen in pariete fabricatum, per quod fumus egreditur, ait S. Hieron. Verùm Septuag. alijs punctis legentes אַרְבֶּה *arbe*, vertunt, *locustam*; quod explicans S. Hieron. Audiat, ait, Ephraim se ἀτμῷ, id est vapori, siue auræ & spiritui, comparari, qui ita tenuis de ore locustæ egreditur, vt non sentiatur.

Vers. 4. EGO AVTEM DOMINVS DEVS TVVS fui continuò EX TERRA ÆGYPTI] q.d. Ex olitano tempore, quo ex Ægypto te per tot portenta eduxi, iugem tui curam gessi, te protexi, alui, prosperaui quasi Deus, imò pater tuus. Quocirca dixi, & mandaui tibi vicissim id quod sequitur, scilicet: DEVM ABSQVE, id est præter, ME NESCIES. q. d. Non agnoscis, nec coles alium Deum quàm me: ET SALVATOR NON EST PRÆTER ME] Hebr. *vau*, significans *&*, est causale. *Et* ergo, id est *quia*. q.d. Coles me, quia redemptor & saluator tibi non est alius, quàm ego, qui ex Ægypto, alijsque hostibus te saluaui & liberaui. ita Cyrill. Theodor. Lyran. & alij.

Vers. 5. EGO COGNOVI, practicè, id est amaui, benefeci, rexi, & direxi, TE IN DESERTO] ita S. Hieron. Vnde Septuag. vertunt, *ego tepaui in solitudine*, nempe dans manna de cælo quotidie. Verè Psaltes psal. 22. 1. *Dominus*, ait, *regit me* (hebr. *pascit me*, vel *est pastor meus*) *& nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.*

Vers. 6. IVXTA PASCVA SVA ADIMPLETI SVNT] q.d. Cùm tam largiter & miraculosè eos per manna, coturnices, & aquam de petra pascerem in deserto aridissimo, ac si in pascuis vberrimis eos collocassem; ipsi saturi mihi recalcitrarunt. ita Chald. itaque impleuerunt illud Mosis de se vaticinium: *Incrassatus est dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum*, Deuter. 32. 15. ita S. Hieron. Chald. Hugo, Lyran. & alij.

Vers. 7. Et, id est idcirco. q.d. Quia ipsi mihi, se tam affluenter pascenti, ingrati & rebelles fuerūt, idcirco ERO EIS QVASI LEÆNA] Deum vindicem acrem & terribilem, ac consequenter Assyrios, quibus ad hanc vindictam vsus est Deus, comparat. Primò, leænæ, quæ sæuior est leone, præsertim dum catulos nutrit. Secundò, pardis *in via Assyriorum*, qui scilicet solent grassari in deserto, per quod ex Iudæa & Samaria itur in Assyriam. Notat captiuitatem per Assyrios factam: Assyrij enim quasi pardi, per hoc desertum Israelitas vexando, onerando, & verberando quasi mancipia, deduxerunt in Assyriam. Hebr. est אַשּׁוּר *Assur*, id est Assyrius: verùm Chald. Rabbini, Clarius, Arias, Pagnin. & Vatabl. pro Assur legunt אָשׁוּר *asur*, id est aspiciam, accingar ad prædam, insidiabor, à rad. שׁוּר *sur*, id est aspexit, insidiatus est. Vnde vertunt, *sicut pardus ad viam aspiciam, & insidiabor eis*, vt eos depræder & dilaniem.

Vers. 8. Tertiò: OCCVRRAM EIS QVASI VRSA RAPTIS CATVLIS] sæuiens in raptorem, & consequenter in obuios quosque. Mira est sæuitia vrsæ raptis catulis: quia mirus illius in eos amor. Vrsa enim catulos informes gignit, eosque deinde lambendo sensim format & perficit, quod non faciunt alia animalia. Vnde B. Isidorus Peluſiota, discipulus S. Chrysostomi, lib. 3. epist. 267.

Cornel. in Proph. Min.

A legit: *Occurram eis vt vrsa anxia.* aitque hoc simili significari vim Dei vltricem.

Tropol. si tantus est vrsæ amor in fœtus informes, tantusque furor in eum qui illos sibi eripit; quantus est amor Dei in suos fideles & filios, quātusque furor in eos, qui illos malo exemplo, vel prauis consilijs, illecebris, &c. à Deo auertunt, & in venerem aliaque scelera pelliciunt? Sanè in tales sæuiet Deus magis, quàm vrsa in raptorem catulorum. Vide de vrsæ in catulos studio Plinium lib. 8. c. 36. & Ælian. lib. 2. c. 19.

ET DIRVMPAM INTERIORA IECORIS EORVM] Hebr. Chald. & Septuag. *dirumpam clausuram cordis eorum*; Leo Hebr. *lacerabo pertinax cor eorum.* Alludit ad leones aliasque feras, quæ solēt captæ prædæ corpus scindere & findere vsq; ad B cor, ipsumque cor primò deuorare. Porrò Hebr. לֵב? *leb*, id est cor, in Scriptura per synecdochen significat interiora omnia, putà iecur, præcordia, aliaque viscera. Itaque noster Interpres maluit vertere *iecoris* quàm *cordis*, quia iecur est sedes amoris & cōcupiscentiæ; ac proinde iustè à Deo punitur, & dirumpitur. Hac de causa in hymno sabbathi, ad matutinas Horas orat Ecclesia:

Lumbos, iecurq́, morbidum
Adure igni congruo.

q.d. Concupiscentiam adure, quæ in lumbis & iecore maximè residet.

Ita sentiunt quoque & loquuntur Philosophi & Poëtæ, vt Plato & Horat libr. 1. ode 25. cùm ait:

Cùm tibi flagrans amor & libido
Sæuiet circa iecur vlceroſum.

Et lib. 4. ode 1. ad Venerem:

Si torrere iecur quæris idoneum.

Et lib 1. epist. 18.

Non ancilla tuum iecur vlceret.

Rursum dirumpet Deus iecur, id est vitam, felicitatem & gloriam Israelitarum; horum enim symbolum est iecur, vt dixi Thren. 2. 8.

ET CONSVMAM EOS IBI SICVT LEO: BESTIA AGRI SCINDET EOS] *Ibi*, scilicet *in via Assyriorum*, ipsaque Assyria. ita S. Hieron. Lyran. & Vatabl. Aliter Arias: *Ibi*, inquit, *id est in corde.* q. d. Sicut leo cor prædæ petit & vorat, adipemque & sanguinem circa cor diffusum exugit, cætera verò membra permittit vrsis, lupis, alijsque bestijs deuoranda: ita ego corda Israelitarum immissis assiduis curis, mœroribus, anxietatibus & terroribus exedam & consumam: sed bestia agri, id est, Assyrij reliquas corporis partes scindent, & laniabunt. Hæc expositio apposita est, æquè ac erudita.

Moraliter, Deus credentibus & pœnitentibus est mater, aitque: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, Matth. 11. 28. *Incredulis verò & nolentibus agere pœnitētiam, panther, pardus, vrsa, & leo efficitur*, ait S. Hieron.

9. Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.

10. Vbi est rex tuus? maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis, & iudices tui, de quibus dixisti: Da mihi regem, & principes.

11. Dabo tibi regem in furore meo, & auferam in indignatione mea.

12. Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum peccatum eius.

13. Dolores parturientis venient ei: ipse filius non sapiens, nunc enim non stabit in contritione filiorum.

VERS. 9. PERDITIO TVA ISRAEL: TANTVMMODO IN ME AVXILIVM TVVM] *Tua*, id est ex te, tuisq; peccatis & demeritis tibi obuenit. q.d. Tu ô Israel tibi es causa perditionis, id est, captiuitatis & excidij, non ego: quia in me non est perditio, sed auxilium tuum: nullus enim est qui tibi auxiliari possit & velit nisi ego. Tu vadis te perditū, ego non nisi tibi auxiliari, teque saluare opto & conor. Hinc Leo Hebr. Pagnin. & Vatabl. pro חשׁת *sçachet*, id est perdere, perditio, legētes שחת *sçichet*, id est perdidit, excidit, deleuit, vertunt, *perdidit te* vitulus tuus, quem me relicto coluisti; *sed in me auxilium tuum*. *Perditio* ergo hîc non significat peccatum & culpam, sed peccati pœnā & excidium: hoc enim significat Hebr. *sçachet*. ita Septuag. S. Hieron. Lyran. Vatabl. à Castro, Mariana & alij. Sensus ergo est, q.d. Tu, ô Israel semper tua rebellione, idolis & sceleribus asciuisti tibi clades, ruinas, & mille calamitates: ego ex aduerso, quantum in me est, curaui & curo tuam salutem mittendo Prophetas, qui te ad pœnitentiam, qua clades imminentes euaderes, hortarentur: tibi ergo tuum excidium imputa, non mihi. esto enim tandem occursurus sim tibi per Assyrios quasi leo, pardus, & vrsa sæuiens; tamen tu ad hoc me cogis tua obstinatione & impœnitentia, quæ tanta est, vt ipsa volenti mihi tui misereri & parcere, quasi inuito flagellum quo castigeris extorqueat. Hinc Chald. vertit, *tùm vos depraua tis opera vestra, ô domus Israel, dominantur in vos populi: sed quoties conuersi estis ad legem meam, verbum meum fuit vobis præsidio*; Syrus verò, *corrupi* (perdidi) *te Israel, quis adiuuabit te?* Arabicus Alexandr. *in perditione tua, ô Israel, quis est qui te adiuuet?* Arabicus Antioch. *corrumpent te* (hostes, v.g. Assyrij) *quis est qui te adiuuet?*

Vbi Nota. Vox *tantummodo* licèt expressè nō sit in Hebræo, tamen per antithesin intelligitur, duoque significat. Prius, Israelē nec ab Assyrio, nec ab Ægyptio, nec ab Hosee rege suo, nec ab vllo alio sperare debere auxilium, nisi tantùm à Deo. Posterius, Dei tantùm esse auxiliari, non perdere. q. d. Sicut tibi proprium est te perdere, ita Dei proprium est tibi auxiliari, teque saluare: per accidens enim ei est, & quasi alienum ab eo, si ob peccata cogatur te punire. ita noster Emmanuel Sa.

Secundò, S. Hieron. ex Hebræo hunc quoque dat sensum: *Dispereas Israel, quia nihil tibi reliquum est, nisi vt mea solùm clementia conserueris.*

Tertiò, Septuag. vertunt, *corruptioni tuæ Israel quis auxiliabitur?* id est captiuitati tuæ, *& vltima seruituti quis eorum, quos tibi præsules æstimasti, poterit ferre auxilium?* ait S. Hieron. Vnde sequitur: *Vbi est rex tuus?*

Loquitur Propheta de perditione & auxilio primò corporeo & temporali, deinde spiritali & æterno. Hoc enim illo longè grauius, maximique momenti est. Vnde sequitur, perditionem, reprobationem, obdurationem & damnationem, non esse propriè & per se ex Deo perdente, reprobante, obdurante, & damnante; sed ex homine peccante, seque in peccatis vsque ad finem vitæ obdurante. Ex aduerso prædestinationem, vocationem & gratiam non esse ex præuijs prædestinatorum meritis; sed ex Deo prædestinante, vocante, & gratia sua prædestinatos præueniente. Hæc enim sunt auxilium Dei. ita Theologi 1. p. q. 23.

Reprobatio est ex homine, prædestinatio ex Deo.

Quocirca licèt in prædestinatis non sit causa vel ratio cur prædestinentur, tamen in non prædestinatis est ratio seu causa cur non prædestinētur. Si enim Deus ex seipso motus, aliquos excluderet à beneficio prædestinationis, ipse esset prima causa perditionis illorum, cùm certum sit perituros qui non sunt prædestinati, ait Gregorius de Valentia 1. p. qu. 23. puncto 4. disp. 1.

Est ergo hæc sententia, *Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum*, generalis & vniuersalis, quam sic quasi per partes & parallela explices:

B

- Captiuitas tua Israel ex te: redemptio tua ex me.
- Interitus tuus ex te: salus tua ex me.
- Mors tua ex te: vita tua ex me.
- Malum tuum ex te: bonum tuum ex me.
- Reprobatio tua ex te: prædestinatio tua ex me, qui semper ad ostium cordis sto & misericorditer pulso.
- Derelictio tua ex te: vocatio tua ex me.
- Miseria tua ex te: felicitas tua ex me.
- Damnatio tua ex te: saluatio & beatificatio tua ex me.

Nam, vt ait S. August. in Sententijs n. 311. *Multa bona facit Deus in homine, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ Deus non facit vt faciat homo.*

C

Quod ergo nonnulli Doctores sic exponunt: *perditio*, id est, peccatum & culpa tua, qua te perdis, ô homo reprobe, est ex te, tuaque mala voluntate: perditio verò, id est reprobatio & permissio peccati, ex qua infallibiliter sequitur peccatum & damnatio, est ex Deo reprobante: Hæc, inquam, expositio, huic loco est impertinens: quia perditio, vti ostendi, hîc pœnam significat, non culpam. Est & falsa, vt videtur: prima enim permissio primi peccati hominis in Deo, non est effectus reprobationis, nec à Deo reprobante; sed est effectus communis prouidentiæ, qua Deus causas secūdas & liberas permittit suæ libertati, vt liberè bene faciant aut malè, prout voluerint. hoc enim exigit hominis libertas, & suauis diuinæ prouidentiæ dispositio. Nam reprobatio non est causa peccati, sed potiùs eius effectus. Deus enim neminem reprobat ideò, vt peccet; sed omnē reprobum ideo reprobat, quia peccauit & reproba gessit, ideoque se reprobum & damnatione dignum effecit. Reprobatio enim est actus iustitiæ vindicatiuæ, quæ necessariò peccatum vindicandum & puniendum, quasi obiectum proprium præsupponit, non facit, nec causat. vide dicta c. 11. v. 8. & 9.

D

Præclarè S. Bernard. serm. 8. in natali Domini: *Rectè*, inquit, *Deus, non pater iudiciorum vel vltionum dicitur, sed pater misericordiarum, eò quòd miserendi causam & originem sumat ex proprio, iudicandi vel vlciscendi magis ex nostro.* Et S. August. sententia 379. *Neminem*, ait, *Deus ad peccandum cogit: præuidet tamen omnes qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non vindicet iustus, quæ fieri non cogit præscius? Sicut enim nemo memoria sua cogit facta esse*

qua

quæ præterunt, sic Deus præscientia sua non cogit facienda quæ futura sunt. Et sicut homo quædam quæ fecit meminit, nec tamen omnia quæ meminit fecit; ita Deus omnia quorum ipse auctor est præscit, nec tamen omnium quæ præscit ipse auctor est: quorum autem non est auctor malus, iustus est vltor. Clariùs idem epist. 106. *Si Deus*, inquit, *quemquam immeritum damnare creditur, immunis ab iniquitate non creditur.* Et lib. de Bono perseuer. cap. 8. *Qui liberatur, gratiam diligat: qui non liberatur, debitum agnoscat.* & cap. 11. *Inuestigabilis ergo est misericordia Dei, qua cuius vult miseretur, nullis eius præcedentibus meritis; & inuestigabilis veritas* (id est iustitia) *qua quem vult indurat, eius quidem præcedentibus meritis, sed cum eo cuius miseretur plerumq; communibus.* Et epist. 105. *Quærimus causam prædestinationis, nec inuenimus: reprobationis autem causam quærimus, & inuenimus. Nam quibus Deus misericordiam non impertit, vt non impertiatur merentur.* Et lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. *Ille cui subuenit, & ille quem deserit, ex eadem massa sunt peccatorum. Et quamuis debeat vterque supplicium, ab vno tamen exigitur, alteri donatur.* Ibidem asserit Esau odio habitum à Deo propter peccata. Cùm ergo reprobatio sit odium; Deus autem nihil odiat in homine nisi peccata, vt ait S. Augustinus epist. 105. sequitur, Deum neminem reprobare nisi propter peccata.

S. Augustinum sequitur S. Prosper ad capitula Gallor. in sententia super cap. 7. vbi dicit: *Gratia Dei non priùs eos* (reprobos) *deseruit, quàm ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos voluntaria facturos defectione præuidit, ideo in prædestinationis electione illos non habuit.* Vtrumque secutus S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum: *Quæso*, inquit, *Monime charissime, vt hunc locum Apostoli diligenter attendas. Notum namque est, iram Dei dici non posse, nisi vbi creditur hominis iniquitas præcessisse.* Deus enim cũ reprobat, dicitur ab Apostolo velle *ostendere irã*, Rom. 9. 22. Idem docent Scotus, Herueus, Caietan. Ferrariensis, Iohannes Maior, Siluester, Domin. Soto, & alij, quos citat & sequitur Lud. Molina 1. par. q. 23. art. 4. & 5. disp. 3. Vasquez, Bellarm. Suarez & Gregor. de Valentia ibid. Hi omnes asserunt Deum neminem reprobare nisi ob eius peccata, in quibus vitam finit.

Tropolog. *perditio tua Israel*, non hostium, non infecti aëris, non concursus siderum, non virium accensi ignis, non armorum, non ducum, non hostium, nec exercituum validissimorum: hæc enim omnia imbellia & euanida forent, nec te perdere possent, nisi tu tuis peccatis iram Dei in te concitaris, eamq́ue in tui perditionem lacessêres & euocares: tibi ergo eam ascribe, tibi imputa, non hosti. Idem dicat quælibet respubl. ciuitas, & anima peccatrix, quæ suis sceleribus Dei vindictam sibi accersit, suosq́ue hostes in suum exitium concitat & armat.

Rursum idem S. Augustinus lib. 2. de Peccat. mer. & remiss. cap. 5. pulchra similitudine idipsum explicat. Sicut, inquit, corporis oculus non adiuuatur à lumine, si oculum claudas, aut si eum à luce auertas: ita si te auertas à Deo, qui lumẽ est quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, aut si claudas mentis oculos, incurres in laqueos dæmonum, & peribis: si verò te conuertas ad Deum, ille tuam mentem illustrabit, & tecum ad se conuertet. Itaque ô Israel, tua perditio ex te est, quia te auertis à Deo: salus tua tantum.

Cornel. in Propb. Min.

A modo ex me, quia conuersio ad Deum ex peccato à Deo incipiat necesse est. Hinc D. Thom. 1. 2. q. 112. a. 3. ad 2. sic explicat: *Defectus gratiæ prima causa est ex nobis; sed collationis gratiæ prima causa est à Deo, secundùm illud Osee: Perditio tua ex te Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Simili schemate de excidio Troiæ cecinit Poëta:

Non tibi Tyndaridæ facies inuisa Lacenæ,
Culpatúsue Paris; verùm inclementia Diuûm
Has euertit opes.

VBI EST REX TVVS? MAXIME NVNC SALVET TE] q.d. Reges quos tibi petiuisti & creasti, non possunt te ab instante Assyriorum excidio eripere & saluare; sed ego solus quem tu negligis & spernis. Probat id quod dixit v præcedenti: *Tantummodo in me auxilium tuum.* q.d Reges & prin- B cipes tui non possunt tibi in hac clade auxiliari: disce ergo ipsa experientia, quòd ego solus tibi opitulari possim. VERS. 10.

Pro *vbi* hebr. est אֵיֵּ *ehi*, quod Septuag. Chald. Noster, Leo Hebr. & alij vertunt, *vbi*. Aliqui tamen vertunt *ero*, quasi *ehi* sit futurum ab הָיָה *haia*, id est *fuit*, vt sensus sit: *Ero rex tuus nũc.* q. d. Nunc regam & frænabo te quasi equum rebellem & indomitum. Verùm huic versioni repugnant sequentia, *Saluet te*, &c. quæ de rege, non de Deo, accipienda esse liquet.

ET IVDICES (consiliarij & principes, vt sequitur) TVI, DE QVIBVS DIXISTI, 1. Reg. 8. 5. DA MIHI REGEM ET PRINCIPES] Hinc videtur, quòd populus petens regem à Samuele (qui ei annuens iussu Dei, dedit Saulem) simul ab eo petierit iu- C dices, quasi regis consiliarios: licèt hoc in historia lib. Regum non exprimatur.

DABO TIBI REGEM IN FVRORE MEO] *Dabo*, id est, dedi tibi Saulem iratus, quòd regem alium à me peteres: item Ieroboam, cæterosq́ue reges Israel, quos proinde mox abstuli, eò quòd impiè viuerent. Simili modo breui auferam vltimum regem Hosee pariter impium, & in eo, ac cum eo regnum tuum euertam. Verè S. Augustinus in Sentent. sententia 252. *Deus*, ait, *cùm male aliquid poscitur, dando irascitur, non dando miseretur.* VERS. 11.

Vnde S. Hieron. & Lyran. sic explicant: Dedi tibi Saulem primum regem in furore, & vltimum regem Sedeciam auferam pariter in furore. Aut potiùs, dedi Ieroboam primum regem tuum, ô Israel, in furore (de eo enim hîc agitur, non de Sedecia & Iuda) & auferam vltimum regem D tuum Hosee in furore.

Nota. Ieroboam, cæterosq́ue reges sequentes Israeli dedit Deus in ira, quia offensus peccatis populi, voluit eum abijcere à Ierusalem, temploq́ue ac regno suo, quod erat in Iuda: vnde in pœnam peccatorum eius, dedit ei reges qui schisma facerent à Iuda & Deo, populumq́ue ad vitulos aureos abducerent.

Probat quod dixit, Israelem à regibus suis nõ debere exspectare tutelam contra Assyrios & salutem: quia, inquit, ego reges hosce dedi Israeli, non ex amore, sed ex ira, ac proinde pariter auferã eos cum regno & populo ex ira. Quocirca ipsi nõ tam sunt sceptrum, quàm flagellũ Dei: quia sunt virga, qua Deus, non regat gregem suum, sed castiget hostes suos. Verè dixit Liuius lib. 9. *Imperia malè parta, malè gesta, malè retenta obruuntur.* Hoc est quod ait Iob cap. 34. 30. *Qui* *Mor. Deus impijs impios dat reges.*

regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. Quæ verba explicans S.Gregor. lib. 25. Moral.14. docet subditos non debere conqueri de regum & principum vitijs, sed de suis proprijs, quia ob ea Deus iniquos eis dat principes. *Culpam ergo*, inquit, *propriȝ magis accuset operis, quã iniustitiam gubernantis. Scriptum namque est: Dabo reges in furore meo. Quid ergo illos nobis præesse despicimus, quorum super nos regimina ex Domini furore suscipimus?* Vnde concludit: *Sic ergo secundùm merita subditorum, tribuuntur personæ regentium. Sic pro qualitatibus subditorum, disponuntur acta regentium, vt sæpè pro malo gregis etiã verè boni, delinquat vita pastoris.* Idem lib.6 epist.7. *Ita*, ait, *sibi regentium merita connectuntur & plebium, vt sæpè ex culpa præcedentium deterior fiat vita subiectorũ, & sæpè ex merito plebium delinquat vita pastorum.* Probat id exemplo Dauidis: *Ille enim Deo attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum conscius, tumore repentè elationis inflatus, populum numerando peccauit, & tamen vindictam populus Dauid peccante suscepit.* Cur hoc? *quia videlicet secundùm meritum plebium, disponuntur corda regentium.* Vnde infert, subditos maximè debere orare tam pro regibus, quàm pro toto populi cœtu. Sic Deus Iudæis & improbis in fine mundi, dabit Antichristum regem in furore suo, vti docet ibidem S.Gregor. imò S.Paulus, *eò quòd charitatem veritatis*, inquit, *non receperunt, vt salui fierent; ideo mittet illis operationem erroris, vt credant mendacio*, 2.Thess.2.10. q. d. Quia Iudæi noluerunt recipere Christum veracẽ, ideo mittet eis Deus Antichristum mendacem. Scelera ergo impiorum quæ in fine mũdi erunt maxima, parturient quasi Antichristum, eumque à Deo regem extorquebunt.

Præclarè Plutarch. lib. de Sera numinis vindicta cap.4. docet impios principes & tyrannos dari à Deo, quasi carnifices, ad sumendum de impio populo pœnas. Sicut enim fel hyænæ vtile est ad morbos sanandos, sic & sæuitia tyranni, vel magistratus, valet ad expurganda vitia populi: *Tale medicamentum*, inquit, *Agrigentinis fuit Phalaris, Marius Romanis, Orthagoras Myro, Clisthenes Sycionijs.* Hinc Theognides, cùm videret vrbem fastu & luxu turnentem:

Vterum, inquit, *fert ciuitas hæc: timeo autem ne pariat*
Virum correctorem malæ insolentiæ vestræ.

Anastas. Nicenus qu.15. in Script. duo illustria refert exempla. Primum, cùm Phocas, inquit, Imp. quasi tyrannus sæuiret in innocentes, Monachus quidã sæpè cum Deo expostulabat: *Cur Domine eum fecisti Imperatorem?* Cui responsum est cælitus: *Quoniam non inueni peiorem.* Secundũ: Monachus quidam hypocrita, sed scelestus, angeli monitu creatus Thebaidis corruptissimæ Episcopus, cùm ex sacro honore insolesceret, audiuit ab angelo: *Cur superbis, ô infelix? non es creatus Episcopus, quòd dignus sacerdotio sis, sed quòd ciuitas tali digna erat Episcopo.* Quin & S.Ambr. in Apolog Dauid, agens de eius lapsu: *Regum*, ait, *lapsus pœna populorũ est: sicut enim eorũ virtute seruamur, ita etiã errore periclitamur.* Porrò inter alia peccata, quæ impios principes merentur, Deumq; ad eos dandũ prouocant, excellit contemptus sacerdotũ & sacrorum: hunc enim Deus tyrannide principum castigat, inquit S.Cyprian. epist.67. ad Rogatianum, idq; probat exemplo Samuelis. Huic enim dixit Deus: *Non te spreuerunt, sed me, atque vt hoc vlcisceretur, excitauit eis Saul regem, qui eos iniurijs grauibus affligeret, & per omnes contumelias & pœnas superbum populũ calcaret & premeret; vt contemptus sacerdos, de superbo populo vltione diuina vindicaretur.*

COLLIGATA EST INIQVITAS EPHRAIM, q.d. Scelus Israel repositum & recõditum est in scrinio memoriæ meæ, vti pecunia in arca & loculis colligatur & reconditur: colligatur, inquam, ne excidat, ideoque in mente mea ABSCONDITVM EST PECCATVM EIVS] quia in ea reseruatur ad tempus vltionis, quod breui aderit, vt puniatur. ita Chald. S.Hieron. Theodor. Vatablus & alij. Alludit ad Deuter.32.34. *Nónne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?*

Tropol. nonnulli hæc referunt ad fideles, qui ex verecundia aut superbia nolunt Confessario sua peccata confiteri: & ad Religiosos, qui nolunt Superiori detegere suam conscientiam, animæque infirmitates & malas inclinationes. In his enim colligata est lingua, & consequenter iniquitas? sicut enim morbus ægri curari nequit nisi ipse eum detegat medico, ita nec vitia animi: quibus hoc proprium est, vt sola humilitate confessionis, & charitate, consolatione & instructione Patris spiritualis, vel sanentur, vel mitigentur, vti docet Cassianus, Vitæ Patrum, ipsaq; experientia. Vnde sequitur: *Dolores parturientis venient ei*: quo enim diutiùs quis silet peccatum, eo difficiliùs illud pandit & expellit; sicut puella quæ fœtum mortuum vtero gestat, quo diutiùs eum tacet & dissimulat, eo difficiliùs parturiet; quia in dies magis is corrumpitur, vt à matrice & virtute pariendi eijci nequeat. Audi Cassian. Collat.2.cap.10. *Illico vt patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, & antequam discretionis iudicium proferatur, serpens teterrimus velut è tenebroso & subterraneo specu, confessionis virtute protractus ad lucem, & traductus quodammodo, ac dehonestatus abscedit. Tamdiu enim suggestiones eius noxiæ dominantur in nobis, quamdiu celantur in corde.* Confirmat deinde idipsum exemplo Serapionis, qui solitus furari panem ad famem satiandam, furtum confitens, mox tentatione & fame omni liberatus est. vide & Dorotheum serm.5. Huc spectat illud psalm.31.v.3. *Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea.* Et Eccles.4.24. *Pro anima tua ne confundaris dicere verum. Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam.* Et S.August. lib. de Decem chordis: *Melior est modica amaritudo in faucibus, quàm æternus cruciatus in visceribus.*

DOLORES PARTVRIENTIS VENIENT EI, &c. NVNC ENIM NON STABIT IN CONTRITIONE FILIORVM] q.d. Israel dolebit vt parturiens, dũ cernet filios suos ab Assyrijs occidi & conteri. Pro *in contritione filiorum*, Pagnin. & Vatabl. vertunt, *in confractione fœtuum*, id est in ipso partu, & partus angustijs: per confractionem enim intelligit angustias vteri materni, ab effectu, eò quòd fœtus illic confringantur. q. d. Grauissimas de Israele sumam pœnas, & tamẽ non resipiscet: nam est tamquam fœtus insipiens, qui non conatur statim egredi ex angustijs vteri materni & prodire in lucem; sed illic diu moratur in confractione. Tam stolidi sunt peccatores, qui cùm sint sæpè in extremis angustijs, in illis hærent, ab ijsque confringuntur & conteruntur,

nec

nec ad pœnitentiã & ad Deum recurrunt. quod ſi facerent, mox ab ijs ſe expedirent: à Deo enim liberarẽtur. Aliter Rupert. & Arias, q.d. Ephraim non agnoſcit ſuam culpam & ſcelus, *dicitq́, Cuncti labores non inuenient mihi iniquitatem*: facit ergo ſicut ſtolida puella, quæ cùm fornicata ſit, ſcelus occultat: ſed dum ei partus anguſtiæ obueniunt, illud cum ſummo dedecore & dolore prodit: nam non ſtabit in contritione filiorum, id eſt, tantos in pariendo cruciatus & contritiones patietur, vt ſuſtinere & diſſimulare nequeat; ſed ſe parere vultu & voce prodat, imò proclamet. Pari modo accidet Iſraeli in excidio: tanta enim erit eius clades & dolor, vt omnes agnoſcãt eius ſcelus fuiſſe enorme, ob quod adeò punitur; licet illud nunc neget & occultet. ita Rupert. Arias, & Sanchez, quem vide.

Tropolog. ſicut puella fœtum, ſic peccator peccatum concipit cum modica & breuiſſima voluptate, ſed illud parturit & parit cum magno & longo dolore, præſenti & æterno. vide S. Hieron. hîc ad v. 15.

14. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ô mors, morſus tuus ero inferne: conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis.

15. Quia ipſe inter fratres diuidet: adducet vrentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem: & ſiccabit venas eius, & deſolabit fontem eius, & ipſe diripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis.

VERS. 14. DE MANV MORTIS LIBERABO EOS] Chald. vertit in præterito, *liberaui eos*. q.d. Hactenus ſæpiùs Iſraelitas pœnitentes, & me inuocantes liberaui ab hoſtibus, morte & excidio: at iam impœnitentes, mihiq́ue rebelles tradam hoſtibus & morti: imò ipſe ero eis mors, vt ſequitur. Verùm Hebr. Septuag. & alij paſſim legunt in futuro, *liberabo & redimam*. Secundò, Leo Hebræus & Clarius ſubaudiunt conditionalem voculam *Si*, vertuntq́ue per ſubiunctiuum, q.d. Si populus Iſrael eſſet filius ſapiens, & reſipiſceret à peccatis, ac ad me rediret, de faucibus inferni & mortis liberarem eum: at quia manet inſipiens & impœnitens, morti à me tradetur. Vbi Nota. Pro *mortis*, hebr. eſt שאול *ſceol*, id eſt *inferni*, vt vertit Syrus. ſed eôdem res redit: quia hæc duo tunc erant coniuncta. Nam ante reſurrectionem Chriſti, qui ibant in mortem, ibant pariter in infernum.

Verùm nec Hebr. nec Septuag. nec Chald. nec alij habent voculam *Si*, ſed legunt abſolutè *liberabo & redimam*. Hæc ergo eſt vera & genuina lectio.

Quæres, quis eius ſit ſenſus, & de qua liberatione hîc agatur? Primò, Ruffinus hæc accipit de liberatione vrbis Hieroſolymæ è manu Sennacherib eam obſidentis, quæ facta eſt per angelũ cædentem 185. millia Aſſyriorum, 4 Regum 19. 35. Verùm illa fuit liberatio Iudæ & Hieroſolymæ; hîc verò agitur de liberatione Ephraim, id eſt decem tribuum, vt patet v. 1.

Meliùs Theodor. & à Caſtro. cenſent hîc agi de liberatione è captiuitate Babylonica: licèt enim ea primariò fuerit Iudæorum, tamen ſecundariò fuit quoque Iſraelitarum: multi enim ex ijs miſcentes ſe Iudæis, cùm ijs è captiuitate, in Iudæam redierunt. In captiuitate enim erant quaſi in morte & inferno, erantq́ue ibi morituri & in infernum deſcenſuri, niſi Deus inde eos liberaſſet. Typicè autem agi hîc de liberatione & redemptione Chriſti, qui moriens & reſurgens Patres è limbo & morte liberauit, vitæq́ue reſtituit. Simili ſchemate Ezechiel cap. 37. 1. per oſſium aridorum viuificationem, repræſentat liberationem Iudæorum è captiuitate, & typicè reſurrectionem mortuorum.

Verùm alij paſſim hæc non typicè, ſed ad literam accipiunt de Chriſto qui ſua reſurrectione Patres inferno & morte liberauit, ſecumq́ue reſurgere fecit; ac in fine mundi omnes pariter à morte ad vitam reuocabit in vniuerſali reſurrectione. Tunc enim perfectè hoc oraculum implebit Chriſtus, qui inchoatè illud impleuit in ſua reſurrectione: in ea enim nos ſimul cum eo quaſi reſurreximus per fidem & ſpem. Ita cenſent S. Hieron. Haymo, Hugo, Rupert. Lyran. Vatabl. Arias, Ribera & alij paſſim hîc, & S. Auguſt. ſerm. 157. de Tempor. Euſeb. lib. 4. Demonſtrat. cap. 12. S. Gregor. hom. 22. in Euangel. & veteres Rabbini apud Galatin. lib. 8. cap. 21. vbi refert verba R. Moſis Hadarſan, dicentis: *Ibat mecũ Meſſias filius Dauid, quouſque perueni ad portas gehennæ, cumq́; viderent captiui qui in gehenna erant, lumen Meſſiæ, gauiſi ſunt eum recipere, dicentes: Hic educet nos de his tenebris, ſicut dictum eſt Oſeæ 13. De manu inferi redimam eos, de morte liberabo eos.* Probatur hæc ſententia, Primò: quia ita de Chriſto hæc explicat Apoſt. 1. Corint. 15. 54. dicens: *Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem* (in cõmuni reſurrectione) *tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus?* Vbi manifeſtè citat verba Oſee hoc loco, vti mox plenius dicam. Secundò, quia id arguunt ipſa verba ſequentia: *Ero mori tuæ, ô mors; morſus tuus ero, inferne.* quæ vmbraticè tantùm, & tenuiter admodum conueniunt Cyro Iudæos è Babylone liberanti; propriè verò competunt Chriſto, victori & triumphatori mortis & inferni, vt liquet ex ipſis verbis, & paſſim docent Patres & Interpretes, adeò vt hic videatur communis eſſe fidelium & Eccleſiæ ſenſus, cui contradicere eſt nefas. Tertiò, quia Iſraelitæ, de quibus hîc agi nonnulli cenſent, è captiuitate Aſſyriaca numquam ſunt liberati, ſed in ea manſerunt. Ergo de ijs dici nequit, *Liberabo & redimam eos*: licèt enim aliqui cum Iudæis è Babylone redierint, tamen id per accidẽs fuit, illiq́ue fuere perpauci. Hæc autem ſententia & promiſſio, *De manu mortis liberabo eos*, eſt generalis & vniuerſalis: ergo omnes ſpectat, & ad paucos arctanda non eſt.

Dico ergo, Prophetam hîc de more ab Iſraelitis ſui temporis auolare ad Chriſtum: ſolent enim Prophetæ triſtibus læta ſubiungere, ne populi animos in deſperationem adigant, ſed ad ſpem meliorum erigant. Illa autem læta ſunt, liberatio & redemptio facienda per Chriſtũ. Cùm enim hîc Propheta plenum Iſraelis prædixiſſet excidium, quæ erat res triſtiſſima, & extremæ deſperationis occaſio, vt hoc leniat conſolatione melioris ſortis, vtq́ue hoc quaſi fel melle iucunditatis dulcoret, ſubdit eos non tantùm è

captiuitate, sed & à morte ac inferno liberandos per Christum: Christum enim eos, si in ipsum credant, æquè ac alios omnes sibi credentes, à morte & inferno liberaturum.

Fateor tamen alludi hîc ad liberationem è captiuitate Babylonica, iuxta sensum ex Theodoreto paulò antè allatum; ita tamen vt in ea non sistat Propheta, sed eam obiter tantùm, quasi vmbram perstringat & præteruolet, ac mentis suæ aciem scopumque figat in Christo, quem vnum ad literam significare intendit. Simili modo Isaias à Cyro auolat ad Christum, dicens cap. 45. v. 8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Vide can. 4. & 5. quos præfixi Prophetis maioribus.

ERO MORS TVA, Ô MORS; MORSVS TVVS ERO, INFERNE] Rupert. lib. 6. in Iohannem post medium, *morsum* passiuè accipit pro cibo qui mordetur & comeditur, ac talem fuisse Christum, qui descendens ad inferos, seipso pauit, creauit, & viuificauit Patres in limbo: *Quem*, inquit, *agnum in cruce torridum, illa sacratissima vespera simul omnes in inferno positi velociter comederunt, impleta prophetia quæ dicit: O mors ero mors tua; morsus tuus, inquit, ero inferne: quem, inquam, agnum mortui in inferno comederunt, nos eumdem manducamus* (in Eucharistia) *vt in æternum viuamus.* Verùm hoc mysticum est, non literale, nec genuinum. Potiùs enim morsus hîc actiuè capitur æquè ac mors, quo scilicet Christus momordit infernum, æquè ac mori fecit mortem, eamque moriendo occidit. Hoc enim significat vox Hebræa, vt mox dicam. Vnde & pro *morsus*, Septuag. vertunt, *aculeus*, per quem Rupert. rursum hîc & 1. Cor. 15. accipit diuinitatem Christi. Ait enim: *Libera eos à morte. Sed quomodo id fiet? Mordebis me, ô inferne, & vt hamum deuorabis; sed postea hamo diuinitatis meæ disrumpam ventrem tuum, & exibo, ac simul exibunt Patres. Christus est de quo ait Iob c. 40. 20. An extrahere poteris Leuiathan hamo?* Hoc accommodatitium est & elegans: nam ad literam stimulus hic est mortis, non Christi: vertunt enim Septuag. *vbi est mors stimulus tuus?* Ergo quoad sensum literalem, Theodor. & à Castro per mortem & infernum accipiunt captiuitatem Babylonicam. q. d. E Babylone, quasi è faucibus mortis & inferni, Israelitas liberabo, itaque ipsis quasi mortem interficiam, & infernum destruam. Chaldæus contrariè vertit, *erit*, inquit, *verbum meum contra eos in necem, & verbum meum ad disperdendum.* q. d Verbo & iussu meo per Assyrios occidam Israelitas, trudamq; in infernum. Huc accedit Clarius: vertit enim, *ero pestes tuæ ad mortem, ero excidium tuum ad sepulchrũ*, q. d. Consumam te ô Israel, vsque ad internecionem, vsque ad mortem & sepulchrum.

Verùm ex definitione Ecclesiæ, & Concilij Tridentini sess. 4. sanctis, Vulgatam versionem esse genuinam S. Scripturam, de fide certum est, hanc huius loci esse sententiam: *Ero mors tua, ô mors; ero morsus tuus, ô inferne*: sic enim habet Vulgata versio. Certum pariter est, de Christo victore mortis & inferni hîc esse sermonem, vti paulò antè probaui. Mors enim & infernus significat regnum mortis & inferni, quo mors per Adæ peccatum in orbem inducta, omnibus eius posteris dominabatur, vti docet Apostolus Rom. 9. 12. & sequẽtibus, ac in omnes mortuos ius & imperium exercebat, eosque inferno, quasi affectæ & carcerario suo dedebat & mancipabat vsque ad Christi aduentum. Est prosopopœia: mors enim & infernus hîc quasi duæ personæ, & duo reges inducuntur latè dominantes, quos regno & vita spoliauit Christus è morte & inferno resurgens, ac de vtroque triumphauit: mortem quidem, quia post resurrectionem mors nulla erit; infernum verò, quia post eamdem nullum amplius poterit capere, & deuorare.

Hinc resurrectionis Christi & nostræ symbolum est Primò, phœnix, qui fertur emori, resurgere & iuuenescere: moriendo ergo occidit mortem, & suscitat vitam. Vnde illud Iob 29. 18. *Dixi: In nidulo meo moriar, & sicut palma* (Tertul. lib. de Resurrect. cap. 13. Vatabl. R. Salomon & alij vertunt, *& sicut phœnix*) *multiplicabo dies.* Hic enim longæuus est, & in nidulo moritur.

Secundò, sicut hydrus crocodilum interficit, sic Christus mortem & tartarum. Audi B. Petrum Damiani lib. 2. epist. 18. ad Cardin. *Hydrus*, ait, *animal est habitans in gurgitibus fluminum, crocodilis feraliter inimicum. Hic itaque cùm viderit crocodilum aperto ore in crepidine fluminis dormientem, pronoluitur in limo luti, vt faucibus illius lubrico corpore facilius possit illabi. Tunc in os crocodili dormientis perniciter insilit, quem ille desubitatus repentè deglutit. Hydrus verò viscera eius cuncta dilaniat, donec eo iam prorsus extincto, de cadauere illius viuus & victor erumpat. Quid hic crocodilus, nisi figuram tenet mortis & tartari? Quid hydrus nisi victoriam innuit Saluatoris? Limo ergo hydrus obuoluitur, dum Redemptor noster humanæ carnis luto vestitur. Hic ventrem ingreditur crocodili, quia Dominus claustra penetrauit inferni. Hic demolitur intima viscerum, & Dominus mortis euertit imperium. Ille corroso ac penetrato cadauere post victoriam redit, quia Saluator noster postquam infernum moriendo momordit, cùm triumphali de sepulchro gloria resurrexit. Vnde morti per Prophetam victor insultat: Vbi est, inquit, ô mors, victoria tua? vbi est stimulus tuus? Et iterum: O mors, ero mors tua: morsus tuus ero, inferne.*

Citat hunc Osee locum S. Paulus 1. Corinth. 15. 54. sed ex versione Septuag. hoc modo: *Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus?* Vnde patet hîc duplicem esse ex Hebræo versionem, vtramque canonicam: tam enim nostra hîc in Osee, quàm Septuag. quos sequitur Paulus, est canonica.

Vbi Nota Primò. Hebræum אַיֵּה *ehi* significat *ero*, vti vertit Noster hîc v. 14. Secundò, vt R. Iona, *ehi* per metathesin sumitur pro אַיֶּה *aiie*, id est *vbi*, vti vertunt Septuag. & Paulus 1. Corinth. 15. v. 55. & ita τὸ *ehi* vertit Noster, Septuag. & Chald. hîc v. 10.

Nota Secundò. Pro *mors tua*, hebr. est דִּבְרֵךְ *deuarecha*: quod si à דֶּבֶר *deuer* deducas, significat *pestes tuæ*, q. d. O mors ero pleniſſima pestis & mors tua: &, vt Symmachus vertit, *ero plaga tua.* Sin à דָּבַר *dauar*, id est verbum, deducas, significat, *vbi verba tua*, vel *sermones tui?* vt vertit Aquila & V. editio. Septuag. vertũt δίκη, hoc est, causa; pro quo Paulus hîc habet νῖκος, id est victoria. Vnde putãt aliqui Paulum apud Septuag. legisse νῖκος, vel νίκη, pro δίκη: sed omnia vetera exemplaria Septuag. interpretum, teste Hieronymo, habent δίκη, id est causa. Melius ergo dicemus

cemus, Apostolum immutasse verba, non sensum, cùm pro *causa* posuit *victoriam*: Græcum enim δίκη quatuor significat. Primò, causam forensem, &, vt Hieron. in Osee 13. vertit, contentionem. q. d. Vbi est, ô mors, causa tua contentiosa, qua in Dei iudicio homines ob peccatum mortis reos peragebas & vincebas? Secundò, significat δίκην sententiam. q. d. Vbi est ô mors, sententia tua, qua scilicet omnes tibi, id est morti, adiudicati sunt? Tertiò, significat ius. q. d. Vbi est ius quod olim habebas in omnes? Quartò, significat pœnam. q. d. Vbi est pœna illa durissima qua homines puniebas & perdebas? & hoc quartum alludit ad Hebræum *deuer*, id est pestis; priora tria alludunt ad *dauar*, id est verbum. Ex quibus patet in re causam idē esse quod victoriam.

Nota Tertiò. Pro *morsus tuus* hebr. est קָטָבְךָ *katabcha*, quod Symmachus occursum vertit, Theodotion & V. editio plagam & conclusionē, Septuaginta κέντρον, id est stimulus, aculeus, quo scilicet mors homines confodiebat & occidebat. Propriè *katabcha* significat excisionem, qua Christus mortem omnia succidentem succidit. Hoc enim est *katob*, scilicet euulsio, excisio, excidium, seu exitium, hoc est, lues subitò euellens & exscindens, qualis est febris valida, pestis, apoplexia, quæ subitò mortem adfert, ipsaque mors subitanea, quæ hominem auellit & exscindit.

Noster aptè vertit *morsum*. Vbi aduerte. *morsus* hîc tam passiuè, quàm actiuè sumi potest. q. d. Ego Christus mordebor à te, ô mors, & ô inferne; sed ita vt à te morsus te vicissim mordeam, ita vt à te quasi absorptus viscera tua disrumpā, itaque fideles electos educam è ventre tuo.

Nota Quartò. Pro *inferne*, vt habent Hebræa, & Noster, & Græca, 1. Corinth. 15 55. πῦ σου ᾅδη τὸ νῖκος; *vbi est ô inferne victoria tua?* interpres Noster hîc vertit, *vbi est mors victoria tua?* eodem sensu: infernus enim & mors significant statū mortuorum: omnes enim olim ante Christum post mortem in limbum descendebant. Sic Actor. 2. 24. & alibi, Græcum ᾅδης, id est *mortis*, Noster interpres vertit *inferni*. Eōdem ergo redit versio Septuag. quam sequitur Paulus, cum nostra & Hebræo. Sensus ergo est, Vbi est mors victoria & stimulus tuus, quo soles homines occidere, eisque dominari? q. d. Perijt, confractus est à Christo, qui est mors tua, ô mors, & morsu suo te, ô inferne, disrupit & absorpsit.

Vbi aduerte. hoc cœptum est impleri cùm Christus resurrexit, & animas sanctorum è limboreduxit, sicque ex inferis quasi morsu, hanc partem abstulit. ita Anselm. & Origen. hom. 22. in Euangelia, & Augustin. serm. 137. de Tempore: perfectè autem implebitur in communi resurrectione, vt docet Apostolus. Pulchrè S. Hieron. in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum, mortem alloquens, illique cum Paulo insultans: *Qui*, inquit, *per Osee quondam tibi rigidus minabatur, Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus, inferne; illius morte tu mortua es, illius morte nos viuimus! deuorasti, & deuorata es, dumq; assumpti corporis Christi sollicitatis illecebra, & auidis faucibus prædam putas, interiora tua adunco dente* (vel, vt alij legunt, *vnco*) *confossa sunt. Gratias tibi Christe Saluator, tua agimus creatura, quòd tam potentem aduersarium nostrum, dum occideres, occidisti.*

A Denique Syrus secutus Septuag. vertit, *vbi est igitur victoria tua, ô mors? aut vbi est aculeus tuus, inferne?* & Arabicus Alexandr. *vbinam scientia tua, ô mors? & vbi spina tua?* putà stimulus tuus. & Arabicus Antioch. *vbi est causa tua* (lis tua, ius tuum) *ô mors? Et vbi telum* (vel gladius) *tuum, ô inferne?*

Audi S. Augustin. serm. 137. de Tempore, & ex eo S. Gregor. hom. 22. in Euang. *Ero*, ait, *mors tua ô mors, ero morsus tuus, inferne. Id namque quod occidimus, agimus vt penitus non sit: ex eo enim quod mordemus, partem abstrahimus, partemq; relinquimus. Quia ergo in electis suis funditus occidit mortem, mors mortis extitit: quia verò ex inferno partem abstulit, & partem reliquit, non occidit funditus, sed momordit infernum. Ait ergo: Ero mors tua, ô* B *mors, ac si apertè dicat: Quia in electis meis te funditus perimo, ero mors tua. Ero morsus tuus inferne, quia sublatis eis, te ex parte transfigo.* Celebrant veteres robur, victorias, & triumphos Achillis, Herculis, Samsonis, Alexandri, Iulij Cæsaris, & similium, quibus nemo in hac vita resistere valuit: sed hi omnes à morte victi sunt, & ad inferos descenderunt. Solus Christus domitor est mortis & inferni. Vnde ait ipse Apoc. 1. 18. *Habeo claues mortis & inferni.* Et cap. 20. 13. *Mors & infernus dederunt* (Christo iudici) *mortuos suos. Et infernus & mors missi sunt in stagnum ignis.* Itaque in die iudicij mors & infernus in triumphum ducētur à Christo, eiusque currum triumphalem sequentur, iuxta illud Habac. 3. 4. *Ante faciem eius ibit mors. Egredietur diabolus ante pedes eius.* Insuper fecit Christus, vt non tantùm ipse, sed & omnes eius milites & sequaces infernum & mortem vincant de ijsque triumphent.

Mor. per Christum Christiani insultant morti.

Præclarè S. Bernard. serm. 26. in Cant. describens mortem lætam & felicem Gerardi fratris sui: *Non*, inquit, *dubium quin ad illos ieris, quos circa medium extremæ noctis tuæ inuitabas ad laudē, cùm in vultu & voce exultationis subitò erupisti in illud Dauidicum, stupentibus qui assistebant: Laudate Dominum de cælis, laudate eum in excelsis. Iam tibi, frater mi, nocte adhuc media diescebat, nox sicut dies illuminabatur. Prorsus illa nox illuminatio tua in deliciis tuis. Accitus sum ego ad id miraculi, videre exultantem in morte hominem, & insultantem morti: Vbi est mors victoria tua? Vbi est mors stimulus tuus? Iam non est stimulus, sed iubilus. Iam cantando moritur homo, & moriendo cantat. Vsurparis ad lætitiam mater mœroris, vsurparis ad gloriam gloriæ inimica, vsurparis ad introitum regni porta inferi, & fouea perditionis ad inuentionē salutis, idq; ab homine peccatore.* Causam subdit: *Iustè nimirum, quia tu iniquè in hominem innocentem & iustum potestatem temeraria vsurpasti. Mortuaes ô mors & perforata hamo quem incauta glutisti, cuius illa vox est in Propheta: O mors ero mors tua, morsus tuus ero inferne. Illo inquam hamo perforata, transeuntibus per medium tui fidelibus, latum latumq; exitum pandis ad vitam. Gerardus te non formidat latualis effigies. Gerardus per medias fauces tuas transit ad patriam, non modò* C *securus, sed & lætabundus & laudans.*

Ita S. Vincentius, Laurentius, Sebastianus, alijque Martyres tortoribus, tormentis, & morti per Christi gratiam & roburinsultarunt. Ita SS. Confessores, Anachoretæ, Religiosi in morte exultarunt, & etiamnum exultant: quia mortem moriendo superant, & ad beatam im-

mortalitatem tranſeunt, vti multis demonſtrat noſter Hieron. Platus libr. 1. de Bono ſtatus religioſi cap. 31. Neque Religioſi tantùm, ſed & fideles quique. Hinc illæ eorum voces: *Mors Chriſtiani ludus eſt. Maturus qui eſt, qui pro Chriſto poteſt mori. Vita mihi in tædio, mors in deſiderio. Vita mihi non eripitur, ſed in meliùs commutatur. Nunc mori deſino, & viuere incipio.* In hac enim vita *propter te*, ô Domine, *mortificamur tota die.* S. Cyprianus audiens ſententiam mortis: *Gratias*, inquit, *ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis huius corporis dignatur abſoluere.* Idem epiſt. 1. ad Cornelium, laudans eius & populi Rom. in fidei cõfeſſione conſtantiam: *Intellexit aduerſarius*, inquit, *milites Chriſti vinci non poſſe, mori poſſe, & hoc ipſo inuictos eſſe, quia mori non timent.* Nam, vt ait S. Bernard. tract. de Natura & dignitate diuini amoris c. 15. *Hunc tranſitum ad vitam miſeri infideles mortem appellant, fidelis autem quid, niſi Paſcha? quia moritur mundo, vt perfectè viuat Deo: ingreditur locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei.*

Denique ex hoc loco, & ex 1. Petr. 3. 19. vbi dicitur Chriſtus prædicaſſe inferis, Origenes, & nonnulli alij opinati ſunt, Chriſtum aliquando omnes damnatos ex inferno liberaturum, ac cõſequenter omnes damnatos aliquando ſaluandos. Ita cenſuit Marcion, Chriſtum in ſuo ad inferos deſcenſu omnes animas damnatas liberaſſe, vti referunt Iren. lib. 1 cap. 29. & Epiphan. hær. 24. Sic multi putant animam Traiani Imp. precibus S. Gregorij ex inferno fuiſſe liberatam. Et in nonnullis Patrum hiſtorijs (teſte Niceta in orat 42 Nazianzeni) refertur, Platonem apparuiſſe cuidam Chriſtiano, qui ei ſæpè maledicebat, ac dixiſſe: *Ego quidem peccatorem me eſſe non inficior; verùm cùm Chriſtus in infernum deſcendit, nemo ante me ad fidem accеſſit.* Verùm hæc apocrypha ſunt, fabuloſa & hæretica, vti docet Bellarm. lib. 2. de Purgat. cap. 8 Suarez 3. p. qu. 52. art. 8. diſp. 33. ſect. 3 & alij.

Chriſtus in limbo primum dedit iubileum.

Chriſtus ergo deſcendens ad inferos, ſolùm Patres è limbo, & animas purgatas, vel purgantes è Purgatorio liberauit. Piè enim multi cenſent, Chriſtum triumphatorem in ſuo deſcenſu ad inferos, omnibus in Purgatorio exiſtentibus dediſſe iubileum, & primas indulgentias, nimirũ plenariam culparum ac pœnarum remiſſionem. Sic enim ſolent reges cùm alicubi inaugurantur, reos omnes è carceribus liberare. Hoc enim decet beneficentiam & magnificẽtiam noui principis, vt felix ſit regni auſpicium, vtque opinionem clementiæ ſibi conciliet. Vnde S. Gregor. l. 13. Moral. 20. aſſerit Chriſtum deſcendendo ad inferos liberaſſe omnes electos. Et S. Auguſt. ſerm. 137. de Temp. *De electis ſuis*, inquit, *nullum apud inferos reliquit.* Et S. Anſelm. in Elucidario: *Omnes abſoluit, & in gloriam duxit rex gloriæ*, iuxta illud Iſaiæ 49. 9. *Dices his qui vincti ſunt: Exite; & his qui in tenebris ſunt: Reuelamini.* Huc quoque inclinat Marſil. in 3. qu. 13. ar. 2. dub. 3. Maior in 3. diſt. 22. Gabriel ibid. dub. vlt. Dom. Soto in 4. diſt. 45. qu. 1. art 1. Gerſon Alphabeto 83. lit. F. dicens, Chriſtum fortè Purgatorium euacuaſſe: licèt D. Thom. 3. p. quæſt. 52. art. 8. & ibidẽ Suarez ſuſpicentur Chriſtum non omnes Purgatorio liberaſſe, ſed aliquibus tantùm hanc gratiã indulſiſſe, nimirum illis ſolis, qui ad illam magis diſpoſiti erant, v. g. qui ſingulare aliquam affectionem fidei ac deuotionis erga Chriſtum, vel paſſionem, aut gloriam eius habuerunt dum viuerent. Durius eſt quod cenſent Durand. in 3. d. 22. q. 4. Richard. ibid. art. 3 q. 2. Abulenſ. paradoxo 5. cap 118. Chriſtum nil penitus indulſiſſe animabus Purgatorij, ſed tantùm illas liberaſſe, quæ iam omne debitum pœnæ exoluerant.

Myſticè, S. Auguſt. lib. 83 quæſt. quæſt. 70. & epiſt. 57. ad Dardanum, per mortem accipit cõcupiſcentiam, ſiue fomitem peccati; hæc enim concupiſcit & contendit contra ſpiritum: hanc enim mortem, inquit ipſe, peccato meruimus. Hæc mors & contentio auferetur in reſurrectione & gloria cæleſti: nulla enim erit contentio inter carnem & ſpiritum, cùm mortale hoc induerit immortalitatem: *Mortem*, inquit, *ſignificari arbitror hoc loco carnalem conſuetudinem, quæ reſiſtit bonæ voluntati delectatione bonorum temporalium fruendorum. Non enim diceretur, Vbi eſt contentio tua: ſi non reſtitiſſet & repugnaßet. Ipſius contentio etiam illo loco deſcribitur: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem reſiſtunt & aduerſantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Fit ergo per ſanctificationem perfectam, vt omnis carnalis appetitus ſpiritui noſtro illuminato & viuificato, id eſt, bonæ voluntati ſubijciatur. Hanc autem mortem meruimus.* Et mox: *Ergo aculeus mortis peccatum eſt, quia peccato facta eſt delectatio, quæ iam poſſit reſiſtere bonæ voluntati, & cum dolore cohiberi: quam delectationem, quia in defectu eſt animæ deterioris effectæ, iure mortem vocamus. Tunc itaque abſorpta erit mors in victoriam, cùm per ſanctificationem in omni parte hominis perfectam delectatione ſpiritualium delectatio carnalis obruitur.*

CONSOLATIO ABSCONDITA EST (hebr. *abſcondit ſe*) AB OCVLIS MEIS] Ita Hebr. Septuag. & alij paſſim. Perperam ergo Chald. & Theodot. vertunt, *ab oculis ipſorum*, putà Iſraelitarum cùm exſcindentur. q. d. Auferam ab illis omnem conſolationem, auferendo meam præſentiam & maieſtatem, & conſequenter omne bonum ab eis. Iam *abſcondita eſt*, id eſt, breui certoque abſcondetur.

Rurſum pro *conſolatio*. hebr. eſt נחם *nocham*, quod tria ſignificat, conſolationem, commiſerationem, & pœnitentiam. *Conſolationem* vertit Noſter & Septuag. ac recentiores, vt R. Dauid, & ex eo Leo Hebr. Pagnin. & Arias vertunt, *pœnitudinem*, q. d. Abſcondetur, id eſt, non veniet in conſpectum meum pœnitudo, hoc eſt, non mutabo ſententiam meam de Iſraelis excidio pœnitentia ductus, vt ſæpè hactenus feci, ſed ſine vlla commiſeratione certò & obſtinatè eum diſperdam. Verùm quomodo hæc cohærent cum conſolatione ſumma quæ præceſſit, *Ero mors tua, ô mors; morſus tuus ero, inferne?* Rurſum hæc ad Chriſtum ſpectant, non ad Iſraelem, vti paulò antè demonſtraui.

Dico ergo, ſenſus eſt quem dat S. Hieron. *Dum video & conſidero*, inquit, *duram mortis neceſſitatem (eò quòd nullus ſit hominum qui viuat, & non moriatur) non valeo conſolari: quidquid mente concepero, dolorem meum non poteſt mitigare, cernentis charißima inter ſe nomina morte ſeiungi: ipſe, inquit, infernus inter fratres diuidit.* q. d. Dum contemplor omnes homines mori & ad infernũ deſcendere, dum video mortem omnia depaſci, & fratres

fratres à fratribus separare, valdè contristor: sed me consolor, dum ad Christum mortis domitorem oculos reflecto. Ille enim id quod promisit, *Ero mors tua, ô mors; morsus tuus ero inferne;* sine dubio reipsa præstabit. Huc accedit Lyranus, qui hanc accipit quasi vocem à morte per Christum suscitandorum, sed anxiorum, eò quòd nesciant suam sortem, an scilicet in die iudicij inter electos ad dexteram, an inter reprobos ad sinistram collocandi sint, donec Christus iudex inter fratres diuidat, & cuique suam sortem, locum & mercedem pro meritis attribuat. Hæc expositio huic loco congrua est, & apposita.

Vers. 15. QVIA IPSE INTER FRATRES DIVIDET] *Ipse*, scilicet *infernus*, non captiuitatis Assyriacæ, vt vult Theodor. & Arias, q.d. Quia Ephraim fecit schisma, & diuisit se à fratribus, putà à duabus tribubus, idcirco adducet Deus ventum vrentem, putà Salmanasar, qui eum in captiuitate diuidat & dispergat. Sed infernus propriè dictus: hic enim diuidit fratres viuos à mortuis, quos absorbet: ipsos etiam mortuos diuidit, dum vnus hoc loco, alius alio in inferno pro operum diuersitate collocatur. ita S. Hieron. & Haymo. Aliter Lyran. Ipse, inquit, scilicet Christus, diuidet in iudicio homines iustos ab iniustis, putà electos à reprobis.

Nota. Pro *diuidet*, vti vertunt Noster & Septuag. legentes in Hebr. יפריד *iaphrid*, iam in Hebræo legitur יפריא *iaphri*, id est multiplicabit, crescet, fructificabit: vnde deducitur nomen Ephraim, id est frugifer, crescens, multiplicans. Inde enim Ioseph filium sibi natum vocauit Ephraim, dicens: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis mee*, putà in Ægypto, in qua fui incarceratus, pauper & miser, Genes. 41.52. Quā nomenclaturam confirmans & extendens Iacob, pater Ioseph, benedicens Ephraim dixit: *Semen illius crescat in gentes*, Genes. 48.19. Alludit ergo *iaphri* ad *Ephraim*, de quo est sermo, q.d. Ephraim iuxta etymon suum erat Ephraim, id est frugifer: creuit enim & germinauit in multam sobolem, iuxta benedictiones aui sui Iacob, quamdiu in cultu & lege Dei stetit: at quia iam ab eo desciuit, adducam ventum vrentem, qui omnia hæc eius germina arefaciat. ita Clarius & Pagnin. Aut, vt Chald. *Quia*, inquit, *multiplicauerunt opera corrupta, ideo adducam regem fortem*, putà Salmanasar, qui eos puniat & perdat. Meliùs Vatabl. & alij hoc de Christo accipiunt, q.d. Christus est Ephraim, qui *iaphri*, id est, multiplicabit electos suos in die iudicij, tum numero, tum gloria; vti in hac vita multiplicauit eos gratia, meritis & virtutibus. Optimè de inferno accipias. hunc enim demonstrat pronomen *ipse*, q.d. Quia infernus in immensum creuit, itaque dilatauit os suum, vt maiorem hominum partem absumpserit, idcirco adducet vrentem ventum Dominus, &c.

ADDVCET VRENTEM VENTVM DOMINVS] Per *ventum vrentem* Theodor. accipit Cyrum, Arias & Clarius Salmanasar. hic enim Israelitarum, ille Babyloniorum terram, venasque opum, omniaque desiderabilia & pretiosa quasi ventus vrens siccauit, perdidit & rapuit.

Verùm dico, *ventum vrentem* esse Christum, q.d. Quia infernus fratres à fratribus diuisit, idcirco Deus pater Christum quasi Austrum vrentem in orbem induxit, cùm eum de inculto huius mundi deserto, æquè ac de inarato B. Virginis vtero, quasi de deserto suscitauit, vt venas mortis, putà peccata quibus ad mortem & infernum, quasi ad communem plenumque malorum fontem tendimus, siccaret & aboleret, ipsumque fontem, putà mortem & infernum, desolaret, ac diriperet animas SS. patrum & Sanctorum, quas mors & infernus, vt supellectilem maximè pretiosam & desiderabilem, in thesauris suis habebat, & arctè retinebat. ita S. Cyrill. Hieron. Rupert. Haymo & alij.

Rursum non incongruè Lyran. & Vatabl. per *ventum vrentem* accipiunt ignem conflagrationis mundi, quem Christus quasi administrum præmittet, vt omnes mortis & inferni venas, putà peccata & peccatores, omnemque mundi concupiscentiam perdat & comburat. Hic enim ignis admixtum habebit ventum, quo propelletur per omnes mundi partes, vt vniuersa quaquauersum consumat. Ad Christum enim hæc omnia spectant. ad eum enim auolare cœpit v.14. de eoque loqui pergit vsque ad finem capitis. Hisce enim omnibus describit Christi de morte & inferno victoriam, spolia & triumphū, ita tamen vt alludat ad Cyri, vel Salmanasar victorias, spolia & triumphos. Sicut enim hi impios perdiderunt, ita & Christus: & sicut Cyrus pios Babylone, ita Christus credentes in se à morte & inferno liberauit. Quare accommodatitium est, non literale, quod S. Hippolytus Episcop. & Martyr tract. de Consummat. mundi. initio, per ventum hunc vrentem intelligit Antichristum: *Ecquis*, inquit, *alius ventus vrebinis à deserto, quàm Antichristus, qui temporibus suis deleturus est & desiccaturus venas aquarum, & fructus arborum, propterea quòd homines amplexuri sunt opera eius? Itaque delebit eos, ipsique seruient in impuritate ipsius.*

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRædicit Samariæ excidium, eò quòd toti Israeli fuerit dux idololatriæ. Hortatur ad pœnitentiam, eique formulam pœnitentiæ, confessionis & deprecationis præscribit, qua postea vsi sunt Israelitæ conuersi ad Christum, quibus proinde v.5. veniam omnemque Dei gratiam & benedictionem pollicetur, quam varijs promissis & parabolis explicat & exaggerat: versu enim 5. auolat ad Christum, indeque vsque ad finem capitis felicitatem Israelis, id est, populi fidelis & Christiani, amplè fusèque describit.

Pereat

Verſ. 1. PEreat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum: in gladio pereant, paruuli eorum elidantur, & fœtæ eius diſcindantur.

2. Conuertere Iſrael ad Dominum Deum tuum: quoniam corruiſti in iniquitate tua.

3. Tollite vobiſcum verba, & conuertimini ad Dominum: & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.

4. Aſſur non ſaluabit nos, ſuper equum non aſcendemus, nec dicemus vltrà: Dij noſtri opera manuum noſtrarum: quia eius, qui in te eſt, miſereberis pupilli.

VERS. 1. PEREAT SAMARIA] *Tò pereat* poteſt propriè accipi vt optatiuum, quaſi Propheta conformans ſe voluntati Dei vindicis, ex zelo iuſtitiæ iuſtæque vindictæ ad ſarciendum Dei honorem à Samaria violatum, optet vt ipſa diſpereat. Meliùs tamen accipias optatiuum pro futuro, ſcilicet *pereat* pro *peribit*, vt ſit propheticum. ita Hebr. & Septuag. Sic & alibi optationes extremorum malorum in viris ſanctis, pro prophetijs & prædictionibus eorumdem accipiuntur, vt pſalm. 68. 29. *Deleantur*, id eſt delebuntur, *de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur*, id eſt non ſcribentur. Senſus ergo eſt, q. d. Prima peccauit Samaria inducendo vitulos aureos, prima ergo & vltima puniatur: prima in ſuis contribulibus, quos videbit ab Aſſyrijs iugulari & vaſtari; poſtrema in ſeipſa, cùm ab ijſdem ipſa eiuſque populus iugulabitur & vaſtabitur, itaque diſperibit.

Pro *pereat* hebr. eſt אָשַׁם *teſçam*, quod & deſolari ſiue perire, & peccare ſignificat, quia ſæpè peccatum eſt cauſa deſolationis & perditionis. Vnde Chald. vertit, *peccati rea eſt Samaria*. Leo Hebr. & Pagnin. delinquet, vel peccabit, id eſt peccauit, Samaria. Vtrumque ſenſum nexuit Symmach. dum vertit, *pœnitebit*, id eſt, pœnam peccati luet *Samaria*, ideoque propriè pœnitebit eam peccati, ſed ſerò.

QVONIAM AD AMARITVDINEM CONCITAVIT (Leo Hebr. *exacerbauit*) DEVM SVVM] Septuag. ὅτι ἀντίκειται πρὸς τὸν θεόν, *quia reſtitit contra Deum*. Mira ergo eſt peccati acerbitas, vtpote quæ Deum benigniſſimum & dulciſſimum amaricet & exacerbet.

PARVVLI EORVM ELIDANTVR] id eſt elidentur, vt habent Hebr. putà ad ſaxa & muros, itaque occidentur.

ET FOETÆ, id eſt, matres grauidæ & prægnantes. ita Hebr. Septuag. & Chald. EIVS DISCINDANTVR] id eſt, diſcindentur vnà cum fœtu quem vtero geſtant. Vtrumque notat extremam iram, furorem & ſæuitiam barbaram hoſtium Aſſyriorum, ac conſequenter grauiſſimum ſcelus Samariæ, quod hanc in ſe Dei iram concitauit. Quocirca Eliſæus prædicens Azaeli quòd futurus eſſet rex Syriæ, quodque paruulos Iſraelis elideret, & prægnantes diuideret, conturbatus eſt vſque ad ſuffuſionem vultus & fleuit, 4. Reg. 8. v. 11. Ita acciditſſe re ipſa Samariæ certum eſt ex hoc oraculo, etiamſi in libris Regum id non narretur.

CONVERTERE ISRAEL AD DOMINVM] Nota hîc alternantes Dei & Prophetæ affectus. A minis enim ſubitò tranſeunt ad blanditias, vt oſtendant pietatem & clementiam Dei, quæ minatur non vt perdat, ſed vt corrigat, ſaluet & ad ſe reducat Iſraelem.

Moral. Nota hîc veram & plenam conuerſionem eſſe, qua mens à venere, vino, alijſque cupedijs, quas priùs adamabat, auerſa, tota cõuertitur ad Deum, illique tota copulatur & adhæret. Conuerſio, ait Albert. & ex eo Sanchez hîc, eſt mutatio ſitus, vt quæ ſiniſtra ſunt, dextra fiant; & contrà ſiniſtra, quæ dextra fuerant; quæ anteriora, poſteriora; quæ ſuperiora, inferiora. Ad quem locum & gradum niſi peruenerit qui ſibi in pœnitentiæ nomine gratulatur, ſanè ad Dominum vſque non peruenit. Auarus dextras, anteriores & ſuperiores habuit opes terrenas & caducas; ſiniſtras, poſteriores & inferiores habuit opes ſpirituales & cæleſtes: neceſſe eſt vt harum ſitum & ordinem conuertat, ſi Deo perplacere velit, vt ſcilicet ad dextram, antè & ſuperiori loco conſtituat opes cæleſtes; ad ſiniſtram verò, poſteriùs & inferiori loco terreſtres. Vnde S. Gregor. in lib. 1. Reg. c. 7. lib. 3. *Perfectè*, inquit, *conuertitur, qui quod ſemel prauè egerat, plangit: quod rurſum plangat, vltrà non repetit.* Et S. Auguſt. ſerm. 3. in Domin 1. Quadrag. docet illum non eſſe conuerſum, qui priorum vulnerum cicatrices aperit & reſauciat. Idem lib. 8. de Geneſ. ad liter. cap. 12. *Tota*, inquit, *hominis actio bona eſt, conuerti ad eum à quo factus eſt, & ab eo iuſtus, pius, ſapiens, beatuſque, ſemper fieri, non fieri & recedere, ſicut à corporis medico ſanari & abire.* Cùm enim quis ſanatus eſt, recedit à medico, & manet ſanus: cùm verò quis à peccato ſanatur, & conuertitur ad Deum, debet ſemper illi adhærere, ac dicere: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt: quia eius præſentia iuſtificatur, & illuminatur, & beatificatur, operante & cuſtodiente Deo, dum obedienti ſubiectoque dominatur*, &c. *eo autem abſente, continuò tenebratur.* S. Bernard. ſerm. 1. de S. Paulo, eum ſtatuit exemplar perfectæ conuerſionis. *Hæc planè fratres*, inquit, *perfecta conuerſionis eſt forma. Paratum, inquit, cor meum Deus, paratum cor meum. Domine quid me vis facere? O verbum breue, ſed plenum, ſed viuum, ſed efficax, ſed dignum omni acceptione! Quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui ſuam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipſum quidem cor proprium habeant, ſed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes ſine intermiſſione: Domine quid me vis facere?* &c. *Sic enim decet, ſic omnino dignum eſt, non meam à te, ſed à me tuam quæri & fieri voluntatem.*

CORRVISTI IN INIQVITATE TVA] q. d. Per, & propter iniquitatem tuam corruiſti in tot ærumnas.

TOLLITE VOBISCVM VERBA, ſcilicet mollia & lachrymoſa, æquè ac pia & ſancta, quaſi dona & munera gratiſſima, quæ Dei irati & exacerbati cor mulceant, leniant & ad miſericordiam inflectant, putà verba humilitatis, pœnitentiæ, confeſſionis, deprecationis & laudis Dei, nimirum DICITE EI: OMNEM AVFER INIQVITATEM] pœnitet nos peccaſſe, condona ergo, & condonando aufer, quæſumus, iniquitatem noſtram.

Et

ET ACCIPE BONVM] tam animum noſtrum, quàm verbum. q.d. Accipe cor noſtrum contritum, accipe bonum pœnitentiæ & deprecationis noſtræ.

Secundò, *accipe bonum*, id eſt, effice vt malitia & iniquitate noſtra ſublata, per te bono gratiæ tuæ cum vita & ſalute donemur, vt ſic deinceps bona noſtra tum opera, tum ſacrificia, noſq́ue totos quaſi tibi deditos, tuoſq́ue in gratiarum actionem accipias. Vnde Chald. vertit, *accipe nos iam bonos*, & tibi deuotos, ſimul & bona opeſq́ue quas tacitè à te petimus, vt ea tibi reddamus, tuq́ue ea à nobis in ſacrificium, vel oblationem euchariſticam accipias. *Accipe* ergo, id eſt *da, bonũ*, quod viciſſim à nobis accipias. Eſt metalepſis: ad blandiendum enim artificioſi mendici dicunt, Accipe, non, Da. q.d. Da non tam nobis, quàm tibi: quia nos illud tibi reddemus, tuq́ue illud rurſum à nobis in oblationem & gratiarũ actionem accipies. Simili ſchemate dicitur pſal. 67.19. *Aſcendiſti in altũ*, &c. *accepiſti dona in hominibus. accepiſti*, id eſt *dediſti*, mittens Spiritum ſanctum, eiuſq́ue dona in Apoſtolos in Pentecoſte, rurſus ab eis illa accepturus per laudem & euchariſtiam, vti explicat Apoſtolus Epheſ. 4.8. vide ibi dicta. Eſt ergo antitheſis, q.d. *Aufer iniquitatem*, & pro ea *accipe bonum*, id eſt confer gratiam, da iuſtitiam. Rurſum aufer iniquitates, pœnas & malà ob eam nobis inflicta, vel infligenda, & pro eis confer bonum, putà tuum fauorem, beneficentiam, omniaq́ue bona, tum corporalia, tum ſpiritualia, quæ tuis amicis conferre ſoles, vti patribus noſtris nobiſq́ue olim, dum te coleremus, ea contuliſti.

ET REDDEMVS VITVLOS LABIORVM NOSTRORVM] Hîc explicat quod dixit, *Accipe bonum*: bonum enim hoc, aut boni huius effectus & fructus ſunt vituli, id eſt hoſtiæ, *labiorum*, putà Dei laudes & gratiarum actiones, quas pro venia boniſq́ue à te acceptis, labijs noſtris tibi offeremus loco vitulorum. ita S. Hieron. Chald. Vatabl. Arias & alij. vel, vt alij, reddemus tibi vitulos, quos tibi labijs noſtris vouimus & oblaturos promiſimus. Ridiculè hæc accipiunt Iudæi, q.d. Cùm ob vaſtatum templum non poſſimus Deo offerre vitulos veros & reales, offerimus ei vitulos labiales, putà lectionem Leuitici de ſacrificijs in Synagogis, itaq́ue ſatisfacimus Deo & legi, vti prædixit Oſee. Septuag. vertunt, *fructus labiorum*. Hebr. enim פרים ſi punctes פָּרִים *parim*, ſignificat vitulos; ſi פְּרִיִים *periim*, ſignificat fructus. Huc alluſit Apoſt. Hebr. 13.15. cùm ait: *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructus labiorum confitentium nomini eius*; vox enim *id eſt*, ſignificat eum aliò, ſcilicet huc, alludere. Præſcribit hîc Propheta Iſraeli, & cuiuis pœnitenti formulam confeſſionis, pœnitentiæ & deprecationis, nimirum, vt dicant Deo, Primò, *Omnem aufer iniquitatem*; Secundò, *Accipe bonum*; Tertiò, *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum*; Quartò, *Aſſur*, &c. Hac vtamur in culpis & cladibus tum priuatis, tum publicis. Vnde S. Ambroſ. epiſt. 28. ad Theodoſium, per vitulos labiorum accipit confeſſionem peccatorum. *Erant*, inquit, *tunc* (tempore Dauidis) *ſacrificia pro delictis: hæc nunc ſunt ſacrificia pœnitentiæ*, qua quaſi cultro occidimus priores iniquitates & cupiditates, hominemq́ue veterem cum dolore & pudore, vt nouus homo incipiat viuere Deo, legi & virtuti.

ASSVR NON SALVABIT NOS] q.d. Poſthac non confidemus Aſſyriorum potentiæ, nec equitatui & equis Gentium, præſertim Ægyptiorum, vti hactenus fecimus, Iſaiæ 31.1. Spem ſalutis non in hominibus, nec in Gentibus, ſed in te Domine collocabimus. ita S. Hieron. Cyrill. Chald. & alij. Ægyptij enim valebant equorũ copia & robore: vnde ex Ægypto equos acciuit Salomon, 2. Paral. 1.16. Porrò equitatus & equorum copia vetita fuit Iudæis, eorumq́; regibus Deuter. 17.16. tum ne illis præfiderent & ſuperbirent, tum ne equorum emendorum cauſa in Ægyptum redirent, itaq́ue ſenſim in Ægyptiorum idololatriam & vitia relaberentur. vide dicta Deuter. 17. & Iſaiæ 2.8. Vers. 4.

QVIA EIVS, QVI IN TE EST, MISEREBERIS PVPILLI] q.d. Miſereberis, ô Domine, Iſraelis, qui quaſi ſine patre & matre, ac ab omnibus derelictus, quaſi pupillus *eſt in te*, id eſt, tuus eſt, ac tuæ curæ relictus & creditus, ideoq́ue in te vno omnes ſpes ſuas reponit: *Tibi enim derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor.* Sic 1. Petri 5.2. dicitur: *Paſcite qui in vobis eſt*, id eſt, qui vobis creditus, & veſtræ quaſi paſtorum curæ commiſſus eſt, *gregem Domini.* ita S. Hieron. Theodor. Cyrill. & alij.

Secũdò, pupillus *eſt in te*, ô Domine, per memoriam, miſerationẽ & curam: ſicut enim obiectum amatum eſt in amante per amorẽ, ita miſer, v.g. pupillus, eſt in Deo miſerante per miſericordiã. Hebræa enim habent: *Quia in te eſt miſeratio pupilli*; Septuag. *in te miſereberis pupilli.* q.d. In te tuiſq́; viſceribus, ô Domine, intimam & viſceralem compaſſionẽ, miſerationem & miſericordiã habet pupillus: hoc enim ſignificat יְרֻחַם יָתוֹם *ieruchâm iatom*. Hęc ergo eſt ingens cõſolatio pupillorum & miſerorum, quòd in Deo, Deiq́ue memoria, miſeratione & prouidentia, quaſi in Dei viſceribus ſint, in eaq́ue ſecuri viuant & habitent, iuxta illud pſal. 90.1. *Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* Hucuſq; formula precationis Iſraelis pœnitẽtis. Huic occurrit benignus Dominus ac reſpondet:

5. Sanabo contritiones eorum, diligam eos ſponteneè: quia auerſus eſt furor meus ab eis.

6. Ero quaſi ros, Iſrael germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius vt Libani.

7. Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani.

8. Conuertentur ſedentes in vmbra eius: viuent tritico, & germinabunt quaſi vinea: memoriale eius ſicut vinum Libani.

9. Ephraim quid mihi vltrà idola? ego exaudiam, & dirigam eum ego vt abietem virentem: ex me fructus tuus inuentus eſt.

10. Quis ſapiens, & intelliget iſta? intelligens, & ſciet hæc? quia rectæ viæ Domini, & iuſti ambulabunt in eis: præuaricatores verò corruent in eis.

SANA-

VERS. 5. SANABO CONTRITIONES EORVM] Hebr. A מְשׁוּבָתָם *meſçubatam*, id eſt, auerſionem eorum, putà apoſtaſiam qua à me ad idola deſciuerunt: *Sanabo*, inquam, cùm pœnitebunt, dicentq́ue, *Omnem aufer iniquitatem*, &c. vti præceſſit: quod fiet vmbraticè & typicè cùm è captiuitate dimittentur per Cyrum, inquit Ruffinus; planè verò & plenè fiet per Chriſtum. q d. Per Chriſtum euangelizantem ſanare incipiam, & ſub finem mundi per eumdem iudicantem & beantem perfectè ſanabo contritiones, id eſt vulnera, Iſraelitarum, quæ ex contritione vel confractione fieri ſolent, vulnera, inquam, animæ, putà auerſionem à Chriſto & Deo. Faciam enim vt videant ſuas ærumnas eſſe pœnas auerſionis ſuæ à me, indeq́ue pœnitentes conuertantur ad me, Chriſtumq́ue meum Saluatorem & Meſſiam ſuum agnoſcãt. Sequentia enim ſublimiora ſunt, B quàm vt Cyro conueniant. Ergo ad Chriſtum tranſit hîc de more Propheta, ſuaq́ue oracula concludit læto de Chriſto eiuſq́; redemptione nuncio. ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Haymo, Vatabl. & alij paſſim. *Diligam eos ſpontaneè*, putà ſine eorum meritis, gratuitè & ex mera beneuolentia. hebr. eſt נְדָבָה *nedaua*, id eſt, animo liberali, regio, magnifico. Vnde Leo Hebr. vertit *liberaliſſimè*.

VERS. 6. ERO QVASI ROS ISRAEL, &c.] Syrus, *ero quaſi ros Iſraeli, & germinabit quaſi lilium*; Arabicus vterque, *ero quaſi ros Iſraeli, germinabit autem vt roſa*. q.d. Sicut ros herbas leniter humectat & fœcundat, ita egolege, doctrina & gratia mea ſuauiter irrorans Iſraeli, eum virtutibus & bonis operibus fœcundabo. ita S. Hieron. Theodor. & Vatabl. Hinc Ægyptij, ait Horus Apollo libr. 1. C hierogl. 35. doctrinam indicantes cælum pingebant rorem fundens, innuentes quòd, ſicut ros mollit herbas, non ſaxa, ſic doctrina molliat & imbuat dociles, nò ſtupidos, duros & indociles.

Secundò, q.d. Sicut ros è cælo in terram noctu occultè deſcendit, ita ego Chriſtus, qui ſum filius Dei, è cælo in vterum Virginis Iſraeliticæ occultè deſcendam, ex eaq́ue carnem aſſumam, vt Iſraelem ſaluem: perinde ac ros in vellus Gedeonis deſcendit, ſignificans Gedeonem liberaturum Iſraelitas de oppreſſione Madianitarum, Iudic. 6. 37. Hoc eſt quod ait Iſaias cap. 45. 8. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet ſaluatorem.* ita Rupert. Lyran. & veteres Rabbini apud Galatin. lib. 3 cap. 17. & lib. 9. cap. 11. Cur Chriſtus comparetur rori & irrorationi, varias rationes & analogias aſſignaui Iſaiæ 45. 8.

Tertiò, aliqui per rorem accipiunt Euchariſtiam, in quam Chriſtus ſilenter & latenter inſtar roris illabitur, germinatq́ue lilia virginitatis, de quibus mox; præſertim quia manna, quod fuit expreſſus typus Euchariſtiæ, erat quaſi ros concretus & conglaciatus. imò Hebræi tradũt cum manna depluiſſe rorem, qui manna regeret, ſicut ſpecies panis in Euchariſtia tegunt velantq́; corpus Chriſti. de quo plura dixi Exodi 16. v. 13. & ſequent. Eſt ergo hîc proportio analogica primi ad ſecundum, qualis eſt tertij ad quartum. Sicut enim ſe habet ros ad terram cui illabitur, eam fœcundando, ſic ſe habet diuinitas, ſiue Verbum ad humanitatem tum Chriſti, cui per gratiam vnionis hypoſtaticæ; tum noſtram, cui per gratiam, creatam & Euchariſtiam illabitur, eam omnibus donis & bonis operibus fœcundans.

GERMINABIT, Leo Hebr. *florebit*, SICVT LILIVM] q.d. Iſrael rore gratiæ meæ irroratus, creſcet & florebit vt lilium: Primò, amplitudine & propagine. Sicut enim lilium mirificè creſcit, ſeque propagat; ita Iſrael, id eſt populus fidelis, per Chriſtum & Apoſtolos toto orbe propagatus eſt. Secundò, candore caſtitatis & puritatis vitæ. Tertiò, odore & fragrantia bonæ famæ. ita Cyrill. & Theoph. Lilium, inquit, odoris fragrãtiam habet, magnitudinem non habet, q. d. Sic vir doctus & ſanctus quo humilior eſt, eo maiorem virtutis & ſapientiæ exhalat fragrantiam. Quartò, admirabili ſplendore virtutum: nam, vt ait Theodor. *admirationem concitat lilij* ſplendor: & Theoph. *Cùm*, ait, *in Eccleſia videris aliquem bene viuere, & luce virtutum coram hominibus ſplendere, illum vocato lilium.* Quintò ſicut lilium folia ſurſum erigit, etiam inter nimbos & grandines; ita Iſrael, id eſt, ſanctus, cor in cælum ad Deum erectum habet tam in aduerſis, quàm in proſperis. ita Hebræi apud Galatin. lib. 3. c. 17. Iſrael ergo, id eſt fidelis & iuſtus, ſimilis eſt Chriſto, qui, vt ait S. Hieron. Cantic. 2. 1. *Ego flos campi, & lilium conuallium: ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Sicut enim Chriſtus in mũdi huius campo quaſi lilium æſtibus & imbribus laborũ, perſecutionum & dolorum, in medio ſpinarum, id eſt Iudæorum, expoſitus fuit, inquit S. Ambroſ. lib. de Inſtit. virg. cap. 14. ita & iuſtus. Sextò, lilium ſymbolum eſt ſpei. Hinc in Rom. Imperat. nummis ab altera parte viſitur Deus, dextera lilium protendens, cum hac inſcriptione, *ſpes publica*, vel *ſpes Auguſta*, vel *ſpes R. P.* teſte Pierio hierogl. 55. Vnde & Virgil. ſignificans ſpem de Marcello conceptam, ſic de eo canit 6. Æneid.

Nec puer Iliaca quiſquam de gente Latinos
In tantum ſpe tollet auos.

Et mox:

Tu Marcellus eris: manibus date lilia plenis.

Sicut enim lilium conuallium expoſitum eſt radijs ſolis corporei, ab ijſq́ue expectat & haurit ſpiritum, vitam, decorem, & omne bonum; illis enim vegetatur & viuificatur: ita & vir bonus, præſertim ſi ſit excellens, radijs diuinæ prouidẽtiæ iugiter irradiatur, ijſq́ue alitur & augeſcit; ideò ab ijs omne bonum ſperat, & poſtulat. Septimò, Gregor. Nyſſenus homil. 4. in Cant. & S. Ambroſ. lib. 1. de Virgin. *Lilium*, inquiunt, *inter* D *ſpinas ſignificat, caſtitatem & virtutem ſpiritalium nequitiarum ſentibus obſideri: vnde nemo fructũ referat, niſi qui cautus incedat.* Idem Ambroſ. libr. 3. de Virgin. explicans illud, *Lilium inter ſpinas: Nónne*, ait, *inter aſperitates laborum contritionesq́; animorum boni flos odoris aſſurgit? quia contrito corde Deus placatur.* Vide S. Bernard. ſerm. 48. in Cant. vbi inter cætera ait: *O candens lilium, ô tener & delicate flos, increduli & ſubuerſores ſunt tecum; vide quomodo cautè ambules. Plenus eſt mundus ſpinis. in terra ſunt, in aëre ſunt, in carne tua ſunt: verſari in his, & minimè lædi, diuinæ potentiæ eſt, non virtutis tuæ.* Idem ſerm. 70. in Cant. *Quot*, ait, *virtutes, tot lilia. Hinc Chriſtus ſe lilium appellauit, quòd totus verſetur in liliis; & omnia quæ ipſius ſunt, lilia ſunt: conceptio, ortus, conuerſatio, eloquia, miracula, ſacramenta, paſſio, mors, reſurrectio, aſcenſio; quid horum non candidũ, & non ſuauiſſimè redolens? Porrò ortum candi-*

candidauit incorrupta virginitas matris, conuerſationem innocentia vitæ, eloquia veritas, miracula puritas cordis, ſacramenta pietatis arcanum, paſſionē patiendi voluntas, mortem libertas non moriendi, reſurrectionem fortitudo, aſcenſionem exhibitio promiſionum.

A

ET ERVMPET RADIX EIVS VT LIBANI] Id eſt, iaciet Iſrael & fidelis radices ſuas ita profundas, vt cedri aliæque arbores Libani, quæ cùm ſint excelſæ & vaſtæ, ac ventorum flatibus agitentur, profundè iaciunt radices, nimirum quantum in auras conſurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, vt nulla tempeſtate quatiantur, ſed ſtabili mole diu conſiſtant, ait S. Hieron. q.d. Pari modo Iſrael in Dei præſidio tutus firmuſque per multa, imò omnia ſæcula conſiſtet, nec vllo hoſtium vel aduerſæ fortunæ vento loco ſuo dimoueri poterit. ita S. Hieron. Vatabl. & Chald. qui ita vertit, *habitabunt in robore terræ ſuæ, ſicut arbor Libani quæ diffundit ſuam propaginem.*

B

Secundò, Libanus hebr. ſignificat *thus*. Vnde de thure ſic explicat Cyrill. *Erit Iſrael ſic tutus & firmus, vti eſt thuris planta, quæ altè iacit radices: talis eſt mens credentium, qui non mouentur ventorum impulſu.* Talis fuit, & eſt conſtantia Martyrum.

Tertiò, Sanchez radicem metonymicè ſumit progermine è radice pullulante, quomodo Chriſtus vocatur *radix Dauid*, id eſt, germen è Dauide quaſi radice prognatum, Iſaiæ 11. & Apocal. 22. Germen enim propriè erumpere dicitur, non radix quæ ſub terra ſe abſcondit. Germen autem hoc Libano familiare eſſe cedrum, quæ eſt arbor procera & firma, ideoq; immortalitatis & æternitatis ſymbolum. Vnde Perſius: *Et cedro digna locutus*; quin & Plinius libr. 16. 40. cedrum & cupreſſum vocat arbores æternas, eò quòd vetuſtatem & cariem nō ſentiant. Senſus ergo erit, q d. Iſrael penè emortuus reuireſcet vt germen cedri, vt eius adinſtar in magnam celſitudinem & gloriam, eamque æternam excreſcat. Verùm primus ſenſus videtur genuinus. Primò, quia Hebræa & Septuag. habent, *mittet*, vel *proiiciet radices ſuas*: mittere autem vel iacere radices, eſt profundè eas in terra quaquauerſum ſpargere & firmare. Secundò, quia ſi radices propriè accipias, habebis hîc cauſam propriam eius quod ſequitur: *Ibunt rami eius, ibunt*, id eſt, ſpargent ſeſe longè lateque. Nam quantum arbor deorſum in profundum & latum mittit radices, tantum ſurſum in altum & latum ſpargit ramos, iuxta illud Virg. 4. Æneid. de quercu:

Ipſa haret ſcopulis, & quantum vertice ad auras
Aethereas, tantum radice ad tartara tendit.

Tertiò, quia ita ſeipſum in Comment. interpretatur S. Hieron. ipſe enim eſt auctor verſionis Vulgatæ. Vnde huic ſenſui non obſtat vox *erumpet*, quia radix non tantùm in germina, ſed & in fibras ſuas erumpere dicitur: cùm enim ipſa quæ priùs videbatur arida & emortua, vim vitalem & vegetantem in ſe latentem foras emittit, & in fibras, quibus ſe in terra ſpargat & figat, exerit, erumpere dicitur.

Vers. 7. IBVNT, id eſt, promouebunt ſe, creſcent, diffundent ſe, RAMI EIVS] Per ramos accipit ſobolem & liberos, præſertim ſpirituales. q.d. Iſrael magnam habebit ſobolem filiorum, putà fidelium, quos ad Deum conuertet, æquè ac virtutum & bonorum operum. Vnde Chald. vertit, *Iſraelita creſcent filij & filiabus.*

Cornel. in Pſeph. Min.

ET ERIT QVASI OLIVA GLORIA EIVS] q.d. Erit Iſrael fœcundus, ſpecioſus & glorioſus inſtar oliuæ frondibus, & fructibus vndique circumdatæ & quaſi coronatæ. hæc enim eſt gloria oleæ. Hoc eſt quod dicitur pſalm. 127. *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.*

Nota, Eccleſiam & ſanctum quemlibet vocari oliuam, ob fœcunditatem bonorum operum, ob præſtantem charitatem, miſericordiam, lenitatem, & ſplendorem virtutum. horum enim ſymbolū eſt oleum. Sic de Elia & Henoch dicitur Apocal. 11. 4. *Hi ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes.* Et Ieremiæ 11. 16. de Iſraele dicitur: *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum.* vide ibi dicta. Addit Martin. de Roa lib. 4. Sing. c. 6. oliuam pacis, deditionis & obedientiæ eſſe ſymbolum: ramos enim oliuæ victoribus prætendunt deditiij, vti fecerunt Iudæi Chriſto. dum in die palmarum quaſi rex, victor & triumphator ingreſſus eſt Ieruſalem: ſicque explicat illud pſal. 127. *Filij tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ.* q. d. Filij tui tibi ſe ſubmittent, eruntque obedientes, atque inter ſe non rixabuntur; ſed concordes erunt & pacifici quaſi oliuæ nouellæ. Chald. vertit, *ſplendor eorum ſicut ſplendor candelabri ſanctitatis.* Candelabrum enim templi habebat lucernas ſeptem ardentes oleo oliuarum.

Moral. ſanctus eſt oliua, cur?

C

ET ODOR EIVS VT LIBANI] Per *Libanum*, montem, vel etiam thus accipe: לְבוֹנָה? *lebona* enim hebr. vocatur thus; inde mons thure, cedro, pino, aliiſque reſinoſis & odoriferis arboribus abundans, vocatus eſt Libanus. Hinc Chald. vertit, *odor eorum velut odor incenſi aromatum.* Et Cyrill. *Odor*, inquit, *eius vt thuris, odoris optimi eſt. Idcirco lex Moſis eum ſacrauit Deo. Odoratus itaque eſt fructus electorum & vocatorum.* Et Theophyl. *Significatur*, ait, *eum qui ſeipſum offert Deo mente & ſpiritu orans, inſtar Libani fragrantiam ſuauis odoris habere.*

Vers. 8. CONVERTENTVR SEDENTES IN VMBRA EIVS] q.d. E captiuitate reuertentur Iſraelitæ, vt ſedeant planè ſecuri, ſtabiles & fortunati in vmbra, id eſt tutela, Chriſti. ita Chald. S. Hieron. Rupert. Lyran. & alij paſſim. Pronomen enim *eius*, reſpicit Chriſtum; ipſe enim eſt dux Iſraelis, id eſt, populi fidelis: de Chriſto enim continuò agit hîc Propheta à v. 5. vſque ad finem capitis.

Aliter à Caſtro: *Eius*, inquit, id eſt Iſraelis, q.d. Qui ſedent in vmbra Iſraelis, id eſt, qui ſe coniungunt Eccleſiæ & populo fideli, *conuertentur* à vita carnali ad Chriſtum, eiuſque mores puros & ſanctos induent.

D

Aliter & Arias: *Eius*, inquit, id eſt Libani. q.d. Fideles conuertentur vt ſedeant ſemper ſub vmbra Libani, eiuſq; ſuauiſſimo odore recreentur.

VIVENT TRITICO] q.d. Iſraelitæ, id eſt, fideles tempore Chriſti abundabunt annona ſpirituali, qua affluenter & deliciosè paſcant recreentque animas; annona, inquam, tum verbi Dei, vt ait Chald. S. Hieron. & Theodor. tum Euchariſtiæ, vt ait Emmanuel. Hæc enim panem cæleſtem, putà corpus Chriſti viuificum manducandum nobis exhibet ſub ſpecie panis triticei, & ſanguinem eiuſdem potandum præbet ſub ſpecie vini, de quo hîc ſubditur: *Germinabunt quaſi vinea, memoriale eius ſicut vinum Libani.* Hoc eſt *frumentum electorum*, de quo Zachar. 9. 17. & panis vitæ, de quo Chriſtus Iohan. 6. 50. *Hic eſt panis de cælo deſcen-*

descendens, vt si quis ex ipso manducet non moriatur. & v. 59. *Qui manducat hunc panē, viuet in æternum.* ita Haymo, Albert. & Lyran. Hinc & Septuag. vertunt, *bibent*, (vel, vt Romani codices Caraffæ legunt, *viuent*) *& inebriabuntur* (licet Complut. legant συναχθήσονται, id est firmabuntur, vel *conseruabuntur*) *tritico*. Triticum enim bibitur in potu ex eo confecto, putà in cereuisia, qua Transalpini vt vino deliciantur & inebriantur. Triticum ergo eis est cibus & potus, æquè ac Eucharistia fidelibus. Vnde S. Hieron. exponens Septuag. *bibent & inebriabuntur tritico*, hoc est, ait, *rerum omnium abundantia. Quòd autem ebrietas hic non euersionem mentis, sed copiam rerum omnium significet, versiculus ille declarat dicens: Visitasti terram, & inebriasti eam*, psal. 64. *& Ioseph conuiuium, in quo inebriasse dicitur fratres suos*, Gen. 43. *Et Dominus loquens ad Apostolos: Comedite amici mei, & bibite, & inebriamini fratres*, Cant. 5. *Siue quia Dominus noster ipse est frumentum, & vinea, quicumque crediderit in eo, inebriari dicitur. Denique sequitur: Et efflorebit quasi vinea, memoriale eius sicut vinum Libani.* Eucharistiæ ergo effectus vnus è multis est, vt ex ea fideles fiāt spiritualiter ebrij, iuxta illud psal. 22. *Calix tuus inebrians quàm præclarus est!* Et psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*: vbi S. Augustin. *Hoc calice*, ait, *inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant. Quid tam ebrium, quàm non agnoscere vxorem flentem, non filios, non parentes? Nolite mirari, ebrij erant. Vnde ebrij erant? Videte, acceperunt calicem vnde inebriarentur.* Idem in psal. 103. ad v. 15 *Et vinum lætificet cor hominis. Videbitur*, inquit, *ista ebrietas in operibus vestris, videbitur in sancto amore iustitiæ, videbitur postremò in alienatione mentis vestræ, sed à terrenis in cælum.*

Quin & Rabbini ex hoc similibusque locis agnoscunt, Messiam mutationem quamdam miram in frumento facturum, putà transubstantiationem panis in corpus suum; hocq; prædici psal. 71. 16. *Erit firmamentū in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus eius: firmamentum* enim idem est, quod panis cor hominis confirmans. nam hebr. est פִּסַּת בַּר *pissat bar*, quod Burgēsis vertit, *placentula frumenti*; R. Emmanuel, *vola*, id est manus plena, *frumenti*: propriè *pissat bar* est particula, libum, vel pugillus frumenti. S. Hieron. vertit, *erit memoriale triticum*; Chald. *erit substantificus panis*; Ionathan clarè, *erit placenta tritici in vertice sacer dotum*. Denique veteres Rabbini verba hæc Psaltis exponunt de sacrificio panis delicatissimo, tempore Messiæ offerendo & comedendo. Leo Hebræus hìc pro, *viuent frumento*, vertit, *reuiuiscent vt frumenta*; quod Vatabl. exponit, q.d. Fideles Christi gratia fortissimè ferent afflictiones & persecutiones, iisque quasi viuificabuntur, vti triticum fert frigora hiemis, ex iisque vegetius & copiosius resurgit. Tribulationes ergo non enecant, sed viuificant fideles, eosque in vita spirituali corroborant, vt magnum in ea faciant incrementum, æquè ac fructum in proximis. Vnde Arabicus Antiochen. vertit, *& viuent, & permanebunt sine peccato, & permanebit memoria eius sicut vitis, & sicut ligna* (arbores) *Libani, quæ sunt Ephraim: quid illi est cum idolis? Et ego qui corroboro eum velut arbores platani veteris*, quæ scilicet ramis & frondibus luxuriat. & Arabicus Alexandrinus, *& viuent & saturabuntur de tritico, & germinabit quasi vinea, & erit sicut incensum.*

Denique de hoc vino quod germinat virgines, æquè ac de frumento iuuenum, siue electorum, plura dicam Zachar. 9. 17.

GERMINABVNT QVASI VINEA] q.d. Fideles latissimè, vberrimè, felicissimè instar vineæ felicis & fertilis propagabunt se ad hunc non vpupæ, sed cyneam Dei vocem & promissionem. Nam vpupa, ait Horus Apollo l. 2. hierogl. 88. canens ante tempus vitium, magnam vini bonitatem & copiam prænunciat. Vnde Ægyptij præsagium copiæ vini significantes, pingebant vpupam.

MEMORIALE EIVS, hebr. זִכְרוֹ *zichro* id est *memoria eius*, SICVT VINVM LIBANI] ita Syrus, q.d. Memoria & commemoratio Israelis erit gratissima & suauissima, vti erat vinum crescens in Libano. Nam hoc præstantissimum fuisse, æquè ac odoratissimum ex afflatu arborum odoratarum, quibus abundabat Libanus, docent Geographi terræ sanctæ. Audi Burchardum in Antilibano: *Antilibanus*, ait, *distat ab ista ciuitate* (Sidone) *per leucam & dimidiam, & ibi habetur vinum delicatissimum, de quo dixit Propheta* (Osee hoc loco) *Memoriale tuum vt vinum Libani.* Quocirca Arabicus Alexandr. vertit, *& erit sicut incensum.* vinum ergo Libani, est vinum incensi, putà odoratū sicut thus, vel incensum: *Libanus* enim hebr. significat thus, vel incēsum. Vnde R. Dauid ex libro Asaph medici, docet vinum Libani fuisse vinum *eos*, id est colore, odore, sapore, imò & vi medica excelluisse. Certè Byblus vrbs est ad Libanum sita, quæ nomen dedit Byblino vino, quod ab Hesiodo, Achæo, Theocrito & aliis celebratur. Denique Patres Societ. nostræ oriundi è Libano, putà Maronitæ, Romæ mihi asseuerarunt, vinum Libani etiamnum esse valdè generosum & præstans, ideoque vim suam per multos annos conseruare. Adhæc, botros & vuas, è quibus exprimitur, esse ingentes, similes illis quas exploratores è terra sancta in vecte extulerunt Num. 13. 14. Idem suadet situs loci: Libanus enim est in regione calida, frugifera, montosa & vitifera. Bacchus enim amat colles calidos. Quocirca Theodor. sic explicat: *Israelitæ similiter vt vinum odoratum in Libano cultum, virtutis fragrantiam possidebunt; atque illinc manantem bonam existimationem quasi fructum percipient.* Et S. Cyrill. *Talis*, inquit, *est omnis Christi sermo & doctrina*, item vitæ eius mysteria & Sacramenta, præsertim Eucharistiæ, quæ sub specie panis & vini corpus & sanguinem Christi nobis exhibet. Hæc enim est memoria, & memoriale iuge Christi, de quo Psaltes psal. 110. 4 *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*; & Christus ipse: *Hoc facite in meam commemorationem*, Matth. 26. 26. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*, ait Paulus 1. Corinth. 11. 26. Sic de Iosiæ piissimi regis fama dicitur Eccli. 49. 1. *Memoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmentarij. In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio vini.*

Aliter aliqui apud S. Hieron. nam per *vinum Libani* accipiunt vinum thure conditum. Verùm hoc insuaue est. Aliter & Chald. S. Hieron. & Haymo: nam per vinū Libani accipiunt vinum templi, quod sacrificiis adhibebatur vt libamen, diciturque Libani, quia ex vuis Libani confectū. Vnde Chald. vertit, *erit memoriale bonitatis eorum fructi-*

fructificans & indeficiens, iuxtà ac memoria tubarum clangoris ſuper vino veteri, quod libari ſolet in domo ſanctuarij. Primus ſenſus vti ſimplex & planus, ita & germanus eſt; cui adde alium valdè appoſitum, quem tradit Sanchez, nimirum vinum Libani vocari vinum aromatibus Libani conditū ideoque odoratum. Libanus enim adeò adoratis guttis, herbis & aromatibus abundat, vt pro ipſis odoribus vſurpetur. Tale eſt vinum myrrhatum, foliatum, nardinum. Addit Sanchez, vinum condiri ſolitum non ſolùm ad ſuauitatem guſtus, & ad ſalubritatem corporis, ſed etiam ad vim odoris & vnguenti. Sic vinum in quo ſpica Ciliſſa, id eſt crocus, incoquitur, pro vnguento pretioſo ſpargebatur in theatris. Sic ait Martial. in Amphith. epigr. 3.

Et Cilices nimbis hîc maduere ſuis.

Nimbi enim Cilicum ſunt vina, quæ ſibi odorem ex croci coctione traxerunt. Senſus ergo eſt, q.d. Iſraelis nuper apud omnes Gentes exoſi, iam ad Deum conuerſi tam grata erit memoria, eiuſque nomen & commemoratio tantam audientibus ſuauitatem inhalabit, quantam inhalat vinum aromate Libani conditum, ſiue vnguentum fragrantiſſimum.

Vers. 9. EPHRAIM (ſupple, tot à Chriſto affectus beneficiis dicet; vt habent Hebræa & Chald.) QVID MIHI VLTRA IDOLA?] quid mihi cum idolis? abeant in malam crucem: mihi deinceps ſolus Deus paſtor & director erit, Chriſtus amor meus. Septuag. vertunt, *Ephraim quid vltrà & idola?* Huc alluſit Apoſtolus 2. Corinth. 6. 15. *Quæ conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis? vos enim eſtis templum Dei viui.*

Aliter S. Hieron. & Albert. accipiunt hæc verba; ſcilicet, non vt Iſraelis, ſed vt Dei. q.d. Quid mihi ô Ephraim, obiectas idola? vides eſſe idola, id eſt, res vmbraticas & vanas ea ergo defere, me vnum ſequere & cole.

EGO EXAVDIAM, ET DIRIGAM EVM (Ephraim, ſiue Iſraelem) EGO VT ABIETEM (Arabicus, *vt platanum*) VIRENTEM] Abies enim ſemper viret, nec hieme folia amittit, vt docet Plin. lib. 16. 21. q.d. Vt abies arbor enodis, procera, ſemper virens, recta, ſemper directè in altum aſcendit; ita ego Iſraelem virtutibus ſemper virentem dirigam in cælum ad me, & ad vitam beatam. ita Rupert. Abies, inquit Plinius l. 16. 10. *è cunctis amplißima eſt, & femina etiam prolixior* (eſt enim abies mas & femina) *materia mollior viliorq;, arbore rotundior, folio pinnato denſa, vt imbres non tranſmittat, atque hilarior in totum.* Talis eſt & Iſrael, id eſt fidelis, quem Deus facit virere ſemper, denſari, & hilareſcere gratia & virtutibus. ita S. Hieron.

Septuag. pro *abies* vertunt, *iuniperus*. Hebr. enim ברוש *beroſ*, & abietem, & iuniperum, & cupreſſum ſignificat. vertunt ergo, *ego ſicut iuniperus condenſa cooperiens*. Iuniperus enim, ait Cyrill. adeò frondibus denſatur, vt nec ſolis radios, nec imbres, quantumuis vehementes, tranſmittat: ſic & Deus Chriſtuſque fidelibus ſuis in omni tentatione & tribulatione denſam præſtat vmbram & protectionem: licèt enim Virgil. iuniperi vmbram vocet grauem, nimirum dormienti ſub ea; eadem tamen ſuauis eſt & tuta confugienti, vt imbrem vitet vel æſtum, ait Delrio adagio 965. Addit Theodoret. *Iuniperus*, inquit, *ſemper viridis exiſtit, nec putreſcit, & coma redimitur aculeata. His oſtendit, quòd omni ſtudio te curabo, ab omniq;, pernicie tutum efficiam, & inuadentem quaſi quibuſdam aculeis perterrefaciam.* Aculeos hoſce, ſiue ſpinas aliter interpretatur Theophyl. nimirum Deum eſſe ſpinam, quia ſuis fidelibus, qui ſecundùm Deum cupiunt viuere, imperat vitam aſperam, quæ eos pungat & compungat ex conſideratione iudicij extremi.

EX ME FRVCTVS TVVS INVENTVS EST] q.d. Dixi quòd faciam te pulchrum & virentem vt abietem; & ne putes te frondoſum tantùm fore, non fructiferum, vti eſt abies, addo me inſuper fructus bonorum operum, gratiæ & gloriæ tibi daturum. Eris ergo abies frondibus, vitis & oliua fructibus. ita Chald. S. Hieron. Lyran. & alij.

Moraliter, fidelis in verbis & præceptis ſanctis ſit abies, ſed ſimul in operibus & fructibus ſit oliua. Ita Ieſus erat potens in opere & ſermone. Cur? quia eius verba & dicta erant facta: quod docebat verbo, monſtrabat exemplo. Phocion teſte Plutarcho in eius vita, dicentes & docentes bona, ſed non facientes, aiebat ſimiles eſſe cupreſſis, quæ cùm ſint ſublimes & pulchræ, nullum tamen edunt fructum. Ita hîc Oſee ait, eos ſimiles eſſe abieti virenti.

QVIS SAPIENS, ET INTELLIGET ISTA?] ſcilicet oracula mea: illa enim profunda & remota ſunt à ſenſu hominum carnalium & impiorum, ſoliſque iuſtis peruia. ita S. Hieron. & Rupert. Aut potiùs *iſta*, ſcilicet myſteria & promiſſa Chriſti. q.d. Quàm pauci erunt Iudæi qui hæc Chriſti, qui eſt via, veritas & vita, myſteria credant, ſapiant, ament & faciant! Vers. 10.

QVIA RECTÆ ſunt VIÆ DOMINI, rectaque ducunt in altum ad Deum rectiſſimum: vnde à ſolis rectis cognoſci terique poſſunt. Soli enim IVSTI AMBVLABVNT IN EIS: ſed depreſſæ & curuæ in terras animæ, ac cæleſtium inanes, quales ſunt Iudæorum, has ſapere & ingredi nequeunt, quin verò impingent & CORRVENT IN EIS] præſertim cùm detrudentur ruentque in gehennam, eò quòd eas agnoſcere noluerint, nec per eas ambularint.

Secundò, ex Hebræo ſic verti poteſt cum Leone Hebræo, Vatabl. Lyrano & Aria, *ſi quis ſapiens eſt, intelligat iſta; ſi quis prudens, cognoſcat ea, quòd rectæ ſint viæ Domini, & iuſti in eis ambulabunt, præuaricatores verò corruent in eis.* q.d. Qui ſapiens eſt, intelligit & videt iuſta eſſe opera & iudicia Domini, tam circa iuſtos, quàm iniuſtos; dum illos dirigit, fouet & præmiat, hos negligit, reiicit & punit: iuſtum enim eſt quidquid à Deo fit. Vnde iuſti qui ſoli ſapiunt, ambulant, id eſt, obſeruant vias Domini, laudantque Deum in omnibus operibus ſuis: peccatores verò inſipientes eas negligunt, ſpernunt, vituperant, ideoque corruent in eis.

Cenſet Alcazar ad hæc Oſee verba alludere S. Iohannem Apocal 5. 2. vbi ait: *Et vidi angelum fortem prædicantem voce magna: Quis eſt dignus aperire librum, & ſoluere ſignacula eius?* imò cenſet hunc angelum fortem eſſe ipſummet Oſee, de qua re quid ſentiendum ſit dixi in procemio.

Moraliter: Pauci ſunt qui viam in cælum, iterque ad beatitudinem cognoſcant & capeſſant. Meritò ingemuit Moſes: *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Vtinam ſaperent, & intelligerent,* *Mor. pauci viam in cælum cognoſcunt.*

ac nouissima prouiderent, Deuter. 32. 28. & Christus: *Intrate per angustam portam, quia lata porta, & spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam!* Matth. 7. 13. *Sequamur ergo Domine Iesu te, per te, ad te; quia tu es via, veritas & vita: via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio*, ait S. Bernard. serm. 2. de Ascensione.

Porrò sapientum, putà fidelium, qui Christum sequuntur, felicitatem hîc quatuordecim partim promissis, partim phrasibus & parabolis graphicè depingit, omnibusque spectandam & amplectendam proponit Propheta. Nam Primò, iis promittit v. 5. *Sanabo contritiones eorum*; Secundò, *Diligam eos spontaneè*; Tertiò, *Ero quasi ros*; Quartò, *Israel germinabit sicut lilium*; Quintò, *Erumpet radix eius vt Libani*; Sextò, *Ibunt rami eius*; Septimò, *Erit quasi oliua gloria eius*; Octauò, *Odor eius erit vt Libani*; Nonò, *Conuertentur sedentes in vmbra eius*; Decimò, *Viuent tritico*; Vndecimò, *Germinabunt quasi vinea*; Duodecimò, *Memoriale eius sicut vini Libani*; Decimotertiò, *Ego exaudiam, & dirigam eum ego vt abietem virentem*; Decimoquartò, *Ex me fructus tuus inuentus est.*

O stulti ergo filij Adæ, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? vt quid instar chamæleontis aëre & aura inani vos pascitis? ô stolidi, vt quid caduca solidis, exilia immensis, terrena cælestibus, humana diuinis, momentanea æternis anteponitis? vt quid creaturæ Creatori, amasiam Christo, Mammonam Deo antefertis? vt quid vilissima, breuissima & fœdissima voluptate sempiternos gehennæ ignes, dolores & angores emitis? Pœnitebit vos, & in æternum pœnitebit; sed serò, & frustra. Sapite dum licet, operamini dum lux est, capessite gratiam dum offertur; ne cum fatuis virginibus in morte eam cum lacrymis requiratis, nec inueniatis; ne cum iis nuptiis cælestibus excluſi, audiatis à Christo: *Nescio vos. Suspicite in cælum*, despicite in tartara, Deum vindicem cogitate, viuite

ÆTERNITATI.

Appendè mille annos contra Æternitatem, imò millia millium, quid appendis cum infinito quantumcumque finitum? ait S. Augustin. in psal 36.



COM-

COMMENTARIA IN IOELEM PROPHETAM.

ARGVMENTVM.

IOEL, ait Epiphan. libr. de Vita & obitu Prophet. natus est in agro Bethor, de tribu Ruben sic & Dorotheus in vita Ioëlis, nisi quòd agrum nuncupat Bethomeron in Ruben. R. Salomon putat Ioëlem fuisse filium Samuelis Prophetæ, qui vnxit Dauidem in regem; eò quòd eius filius vocetur Ioël à Iosepho 6 Antiq. 3. Sed alius est iste Ioël à nostro: noster enim eo longè posterior fuit tempore, vt mox patebit. Censent nonnulli Ioëlem, æquè ac Osee, prophetasse tam contra decem, quàm cõtra duas tribus, putà tam contra Samariam, quàm contra Iudam. Ita S. Hieron. ex sententia Hebræorum epist. 103. ad Paulinum: *Ioël, ait, filius Phatuel describit terram duodecim* (licèt Albertus legat duarum) *tribuum eruca, bruchо, locusta, rubigine vastantem corruptam, & post euersionem prioris populi effusum in eis Spiritum sanctum super seruos Dei & ancillas, id est super centum viginti credentium nomina, & effusum in eis in cœnaculo Sion.* ita & Theodor. Remigius, R. Salomon, Lyran. Vatabl. & alij recentiores Hebræi, qui putant Ioëlem vixisse, & prophetasse cum Elisæo sub Ioram rege, ideoq; c. 1. prophetare famem, quæ illo tempore tam Samariam quàm Iudam afflixit, vt patet 4 Reg 6. 25.

Verùm meliùs idem S. Hieron. præfat. in Ioëlem, censet Ioëlem solis duabus tribubus, Iudæ scilicet & Beniamin, prophetasse. *Quomodo*, inquit, *in Osee Propheta sub nomine Ephraim ad decem tribus confertur vaticinium, quæ vel Samaria, vel Israel sæpè nominatur; sic in Ioël omne quod dicitur, ad tribum Iuda & ad Ierusalem pertinere credendum est, & nullam omnino Israelis, id est decem tribuum, in hoc fieri mentionem.* Ita & Epiphan. libr. de Vita Prophetarum, in Ioële. Hugo, Albertus, Haymo, Ribera, Dionys. à Castro, Sanchez & alij. & patet ex verbis Ioëlis c. 1. 13. *Plangite sacerdotes, vlulate ministri altaris.* & cap. 2. v. 1. 15 & 17. *Canite tubam in Sion. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes*, &c. Altare enim erat in Ierusalẽ, non alibi.

Porrò Ioël prophetauit eodem penè tempore quo Osee, sub Ozia, Ioatham, Achaz & Ezechia regibus Iudæ, ait S. Hieron. Cyrill. Theodor. Ruffin. & S. August. libr. 18. Ciuit. 27. licèt Hebræi in Seder Olam, & ex eis R. Dauid, Genebrard in Chronol. Arias & à Castro hìc, putent eum prophetasse sub Manasse, ac consequenter post excidium Samariæ & decem tribuum: hoc enim contigit anno sexto Ezechiæ, qui fuit pater Manassis: idque verisimile fit ex eo, quòd Ioël solis duabus tribubus prophetet, non reliquis decem; eò quòd illæ iam essent excisæ & abductæ. Rursum ex eo quòd Scriptura dicat, Deum misisse Prophetas, qui Iudææ clades nomine Dei intentarẽt ob scelera Manassis, 4. Reg. 21. 10. & c. 23. 26. Videtur ergo ex his fuisse Ioël: ipse enim Iudææ clades hasce comminatur, æquè ac Ieremias c. 15. 4. qui obscelera Manassis eas irrogandas disertè asserit. Hæc sententia est valdè probabilis: vnde & in editione Septuag. Romana, Ioël post Michæam ponitur. Hinc & diem excidij Hierosolymæ ita viuè & horrificè depingit, vt quasi instantem, & penè præsentem oculis eum cernere videatur.

Ex dictis sequitur, Ioëlem comminari captiuitatem non Assyriacam, qua vastata est Samaria; sed Babylonicam, qua vastata est Ierusalem & Iuda à Chaldæis.

Argumentum. Argumentum ergo Ioëlis est, prædicere Dei vindictam & captiuitatem Babylonicam, indeque eius antitypum iudicium extremum, in quo reprobi gehennæ, probi cælo adiudicabuntur.

Primò ergo, cap. 1. Iudæis excidium per Chaldæos comminatur, vtque hoc euadant, hortatur omnes ad lamenta & ad pœnitentiam.

Secundò, cap. 2. pergit atrocitatem huius diei & excidij describere, indeque excitat omnes ad luctum, & publicas supplicationes. Deinde pœnitentibus reditum è captiuitate & Babylone pollicetur. Adhæc promittit aduentum Christi, qui Spiritum sanctum in suos fideles effundet. Inde transit ad secundum Christi aduentum, eiusque signa præuia enarrat.

Tertiò, cap 3. docet Christum in valle Iosaphat quasi iudicem iudicaturum omnes gentes, ac damnaturum impios ad gehennam; pios verò translaturum in cælestem Ierusalem, cuius delicias gloriam & felicitatem describit.

Ioëlis etymon. Tropol. *Ioël* hebr. idem est quod *volens, incipiens*, vel *Domini descensus*: *Phatuel* verò pater eius, hebr. idem est quod *latitudo*, aut *ostium*, aut *suasio Dei*, vel *aperiens Deus*; vt moraliter significetur, quòd qui ostium, suasionem & scientiam habuerit Dei, rectè incipit prophetare, vt cum Paulo possit dicere: *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est*; quia audiebat à Domino: *Dilata os tuum, & implebo illud.* Ipsa

enim oris adapertio non in hominis, sed in Dei potestate est; dicente eodem Paulo: *Ostium mihi apertum est magnum & euidens*, 2.Corinth.6. ita S. Hieron. quin c.1. Osee ait: *Ioël* idem est quod *Dominus Deus*; vt Ioël per crasin idem sit quod *Iehoua el*, vel *Ia el*. quæ omnia sunt nomina Dei. Denique Ioël relatus est inter Sanctos, ac Romano Martyrologio inscriptus legitur 13. Iulij.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Iudææ excidium per erucam, locustam, bruchum & rubiginem, putà per varias hostium Chaldæorum populationes, prædicit. Hinc v.13 sacerdotes & populum hortatur ad pœnitentiam & supplicationem, vt iis Deum sibi reconcilient, plagasq; ab eo hic comminatas auertant.

Vers.1. VErbum Domini, quod factũ est ad Ioël filium Phatuel.

2. Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: si factum est istud in diebus vestris, aut in diebus patrum vestrorum.

3. Super hoc filiis vestris narrate, & filij vestri filiis suis, & filij eorum generationi alteræ.

4. Residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo.

VERS.2. AVDITE HOC SENES] Initio Prophetæ hisce verbis sibi attentionem conciliat, quòd res (putà clades) graues, nouas, & ab hominum, quantumuis senum, memoria inauditas sit dicturus, quæ tamen Iudæos maximè tangant, vt eorum planè interfit hæc nosse, posterisque tradere, vt ipsi hisce patrum suorum flagellis moniti resipiscant, vniq; Deo toto corde seruiant, cuius prouidentiam & vindictam in parentibus suis aspiciunt, itaque eamdem euadant, eiusque gratiam & beneficentiam sibi concilient.

SI FACTVM EST ISTVD] quod sequitur, quodque mox enarro.

VERS.3. SVPER HOC (de hoc) FILIIS VESTRIS NARRATE] iuxta præceptum Mosis Exodi 10.2. *Narres in auribus filij tui & nepotum tuorum quoties contriuerim Aegyptios, & signa mea fecerim in eis, & sciatis quia ego Dominus.* & Psaltis psalm.77.6. *Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filiis suis, vt cognoscat generatio altera filij qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis: vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operum Domini, & mandata eius exquirant.*

VERS.4. RESIDVVM ERVCÆ COMEDIT LOCVSTA] Quatuor hic pestes & plagas recensét & comminatur. Prima est *eruca*, Septuag. κάμπη; Chald. זַחְלָא *zachala*, id est, vermis qui post pluuiam nascitur, ac per caules, olera, arborumque folia repit, eaq; pigro & lento, sed exitiali morsu arrodit & depascitur. Vnde hebr. vocatur גָּזָם *gazam*, id est tonsor, rasor, rosor, excisor. Sic & *eruca* latinè ab eodem erodendo dicitur, ait Isidor. lib. 12. Orig. c.5 licèt Apuleius erucam ab hærendo dictam velit, quòd brassicis, aliisque herbis quas occupat tenaciter adhæreat. Vnde Columella lib 11. de Re rustica c.3. *Eruca*, ait, *vel manu colligi debent, vel matutinis temporibus frutices olerum concuti: sic enim dum adhuc torpent nocturno frigore, si deciderint, non iterum amplius in superiorem partem prorepunt.*

Quatuor plagæ. Prima est eruca.

Secunda est locusta, quæ erucam superat acrimonia, volatu & numero. Vnde hebr. dicitur אַרְבֶּה *arbe*, id est *plurima*, à rad. רָבָה *raba*, id est, *multus fuit*. ita Arias & Pagnin. tanta est enim locustarum copia, vt volando solem cælumque operiant, cubando verò integras prouincias obtegant, vt nil nisi locustas videas; quin & maria volando tegant & transeant, vt vnam regionem depastæ, aliam inuadant & aliam, singulas ex ordine deuorãtes. Vnde locustarum plaga fuit vna ex plagis grauissimis Ægypti, Exodi 10.v.4. Vide ibi dicta. Quocirca *locusta* dicta est quasi *loca vrens*, vel exustulans, inquiunt Grammatici: licèt Isidorus & Lyran. ita dictam velint, quòd *longis sit pedibus*: Albertus Magnus verò, *locusta*, inquit, dicitur quasi *loco stans*. ita Aldrouandus in locusta.

RESIDVVM LOCVSTÆ COMEDIT BRVCHVS] Tertia est hæc plaga, putà bruchus, pro quo hebraicè est יֶלֶק *ielec*: quod septies reperitur in Scriptura, & vbique Noster *bruchum* vertit. Psal. 104.34. *Dixit, & venit locusta* (hebr. *arbe*) *& bruchus* (hebr. *ielec.*) Ierem. 51 4. *Replebo te hominibus quasi brucho*: & v.27. *Adducite equum quasi bruchum.* Eodem modo vertit hic, & c. 2.25. & Nahum 3.15. *Deuorabit te vt bruchus; congregare vt bruchus, multiplicare vt locusta*: & v.16. *Bruchus expansus est & auolauit.*

Dicitur *ielec*, id est *liguris*, quòd herbas lingat, lambat & rodat: radix enim לָקַק *lacac*, significat lingere, lambere: vnde Aquila, teste S. Hieron. in Nahum c.3. vertit *comestor*.

Quæres, quid sit *ielec* & *bruchus*? Primò, Suidas, & Scaliger exerc.36. Bruchus, inquiunt, est κάμπη, id est, eruca, quam Lombardi *bruch*, Galli *bruyere* vocant; verùm erucam hic Ioël distinguit à brucho. Secundò, Ambros. Calepinus ex Sipontino, & nonnulla Lexica Latina & Græca: bruchus, inquiunt, est vermiculus similis locustæ, herbas erodens, sine alis. Verùm Nahum c.3. brucho dat alas. Tertiò, R. Dauid hic, censet bruchum esse animalculum alatum instar crabronis, sed minoris quantitatis, quod arborum folia depopuletur, & in maxima multitudine vastet: vnde aliqui putant bruchum esse insectum illud rubea tunica vestitum (quod statis annis humidioribus turmatim enascitur) quam dum expandit alas ostentat, quibus volat in arbores, earumque folia depascitur: solent id rustici colligere, & fossa

fossa facta sepelire, vti de brucho ait Isaias c. 33. A 4. Verùm hoc insectum genus est scarabæi, non bruchi, nec ab vllo classico auctore vocatur bruchus: etiamsi pueri in Gallia bruchũ, vel *bruyant* vocent à bombo, quem volando edit, à quo & Flandri eum vocant *prædicantem*.

Bruchus est pullus locustæ.

Dico ergo, bruchum esse paruam locustam, siue pullum locustæ: varij enim sunt locustarum gradus, &, vt ita dicam, species, secundùm earum ætates & incrementa distinctæ. Primò enim *locusta* relinquit semen: ex eo nascitur parua locusta instar vermis, qui vocatur *bruchus*; qui dum crescit & grandescit, ac modicis alis vestitur, vocatur *attacus*, vel *attelabus*. Hic rursùm dum increscit corpore & alis, vocatur *ophiomachus*, qui dum mole corporis & alis perficitur, vocatur *locusta*. Vnde appositè ait Propheta: *Residuum locustæ comedit bruchus*. Locustæ enim cùm grandiores sint, grandiora tantùm depascuntur, sed post se relinquunt pullos paruos, qui residuum, & minima germina quæque vsque ad radices stirpitus depascuntur. Id ita esse patet Primò, quia Septuag. Ierem. 51. 14. & alibi, pro *ielec*, id est brucho, vertunt ἀκρίδας, id est locustas. Secundò, quia omnes Physici, & classici scriptores dicunt bruchum esse speciem locustæ, vel locustam inchoatam & imperfectam. Vnde in Scriptura passim bruchus iungitur cum locusta, quasi proles cum matre. Et Aristot. lib. 5. Histor. animal. c. 29. bruchum nectit & subiungit locustæ. Sic & S. Hieron. in Nahum c. 3. *Bruchus*, ait, *est animal nihil volare valens, ventri tantùm studens: attelabus saltans potiùs, quàm volans paruis alis: locusta iam perfectas alas habens.* Albert. Magnus libr. 26. de Animal. *Bruchus*, inquit, *est primus partus locustæ, & cùm efficitur maior, vocatur archilabus* (corrige attelabus) *& quando perficitur, est locusta. Bruchus autem eò quòd immobilis est, totum depascitur vsque ad radices, nihil viroris relinquens.* Lyranus bruchum & locustam differre scribit sicut perfectum & imperfectum in eadem specie. *Bruchus*, ait Gloss. *vocatur fœtus locustæ antequam alas habeat: deinde cùm parum incipit volare, attelabus dicitur; cùm verò plenè volat, locusta dicitur: multoq; grauior est bruchus quàm locusta, vel attelabus; quòd iacens in vno loco, radicitus comedit fructus.*

S. Chrysost. in illud psal. 104. 34. *Venit locusta & bruchus*: Locusta, inquit, & bruchus non simul existere solent: aut enim præcedens locusta bruchum parit, aut bruchus auctus in locustam tandem enadit. Βρῦχος, inquit Varrinus, est οὐδὲ ἀκρὶς ἁπλῶς, οὐδὲ τὸ βρύκειν, ἢ τὸ ἐσθίειν· τὸ αὐτὸ δὲ ἐστὶ μάσταξ καλεῖται, οὐδὲ τὸ μασᾶσθαι· καὶ βρῦχος ἡ κάμπη ἡ νεογνὸς, καὶ ἄπτερος ἀκρίς. *Bruchus*, inquit, *est species locustæ, ita dicta à vorando, quæ & mastax dicitur, à mandendo. Item, bruchus eruca primùm nata, & locusta carens alis.* Sic & Hesychius in Lexico ait, bruchũ esse locustarum speciem, ac Cyprios viridem locustam vocare bruchum, Tarentinos attelabum.

Bruchus ergo dicitur vel à βρύκω, id est comedo; vel à βρύχω, id est dentibus stridio & frendeo; vel à βρύχω, id est sorbeo, deglutio, voro, inde βρύγχος est guttur: quia bruchus non videtur habere aliud quàm guttur & ventrem: pedes enim licet oblongos, graciles tamen habet: vnde fortè Italorum *broccare* pro vorare; & Germanorum *bruchen*, quod consumere & conficere significat, & Belgarum *bruycken*, quod est minutim conscindere, ait Aldrouandus. Hoc etymon verius est, quàm illud quod dat Anonymus in psal. 104. dicens: Bruchus dicitur quasi βραχὺς, id est breuis & paruus: est enim parvus vermis à locusta generatus. Denique bruchos esse genus locustæ, censent Remigius, Pagninus, Forsterus, Marianus (qui illud gryllum vocat: gryllus autem est parua locusta cinerei, vel grisei coloris) in lexicis, Cælius lib. 3. c. 25. Aldrouandus libr. de Insectis, in locusta, qui & pag. 414. omnes locustarum species, ac nominatim bruchum depingit, eiusq; formam in imagine spectandam exhibet. Accedit Syrus, qui vertit, *quod reliquit locusta non alata* (vermis corrodens frumentum in agro) *comedit locusta volans; & quod reliquit locusta volans, comedit locusta parua* (vel locusta quæ vocatur *separata*) *& quod reliquit locusta separata, comedit sarsur*, quæ etiam est locustæ species, vt mox dicam. Vnde patet, Syrum per has quatuor Ioëlis plagas accipere quatuor locustæ species. Syro planè consentit Arabicus vterque.

Dices, si bruchus est pullus locustæ instar vermis, carens alis, quomodo ergo Ieremias c. 51. 14. dat ei aculeum, eumque vocat aculeatũ; & Nahum c. 3. 16. dat ei alas, eumque vocat alatum?

Resp. nomen bruchi subinde extendi ad alias locustarum species, ac complecti attelabos & ophiomachos. Opponitur enim locustæ: ergo sicut locusta omnem perfectam, ita bruchus omnem imperfectam locustam (quales sunt attaci, attelabi, ophiomachi, qui alati, & pedibus, dentibus & cauda aculeati sunt) significat. Sic agnos, hœdos, vitulos subinde vocamus, non tantùm pullos recenter natos, sed adultiores etiam & grandiores, putà iuuencos anniculos, vel biennes, vsque dum generare incipiant: imò Hebræi vaccas nouellas dum primò pariunt, vocant עֶגְלוֹת *eglot*, id est vitulas. Id ita esse patet ex S. Hieron. qui est auctor versionis nostræ: ipse enim scribens in Nahum 3. per *ielec*, quem hîc vocat bruchum, accipit attelabum. *Attelabus*, ait, *quem significantiùs comestorem interpretatus est Aquila, parua locusta est inter locustam & bruchum, & modicis pennis reptans potiùs quàm volans, sempérque subsiliens, & ob hanc causam vbicumque orta fuerit, vsque ad puluerem cuncta consumit: quia donec crescant pennæ, abire non potest.* Et mox: *Confertur exilienti attelabo*, &c. Hinc Aldrouandus libr. de Insectis cap de brucho pag. 406. *Bruchus*, inquit, *S. Scripturæ differt à brucho profanorum, sicut perfectum ab eo quod suam perfectionem necdum est consecutum.* Et Cœlius libr. 3 Variar. lect. 25. docet locustas quaslibet rodentes fata, vocari bruchos, & attacos, & mastacas, vti est apud Nicandrum. Et Quinquarboreus in cap. 4. Amos, censet bruchum esse locustæ genus, quod præter numerum & copiam, volatu etiam præstet celeriore, & latiùs quàm cætera extenditur, pluresque agros celeriùs conficit & consumit, ideoque à Ieremia vocari aculeatum. Quocirca Chald hîc pro *ielec* siue brucho vertit פִּרְחָא *pircha*, id est motitans, cursitans, volitans, (radix enim פָּרַח *perach* significat motitauit se, volitauit, cursitauit) eò quòd huc atque illuc vastando fruges cursitet, & subsiliat. Ex dictis patet, vocem bruchus significare infimam & minimam speciem locustæ, cùm cæteræ omnes species numerentur; cùm verò illæ

subticentur.pro illis subſtitui,vt bruchus iam ſit attelabus, iam ophiomachus, iam quælibet alia locuſtarum ſpecies Quocirca cùm Ieremias bruchum vocat aculeatum, & Nahum alatum, nomen bruchi extendunt ad attelabum,ophiomachum, aliaſque locuſtæ maioris ſpecies. haſce ſpecies enarrat Moſes Leuit.11. vbi earum eſum Hebræis concedit.

Quarta plaga eſt rubigo.

ET RESIDVVM BRVCHI COMEDIT RVBIGO] Quarta eſt hæc ſegetum & germinum peſtis & plaga, ſcilicet rubigo. Hebr.eſt חסיל *chaſil*, id eſt perditor,depaſtor,abſumptor, à rad. חסל *chaſal*, id eſt abſumpſit, eò quòd omnia vaſtet & perdat,ac nil reliquum faciat.Recentiores,Pagnin. Arias & alij, cēſent eſſe tertiam locuſtæ ſpeciem, eamque voraciſſimam: primam enim vocauit Ioël bruchum,ſecundam *locuſtam*, tertiam *chaſil*: itaque pro *chaſil* vertunt *locuſtam* Septuag. & Noſter Iſaiæ 33.4. & 2.Paral.6.28. Vnde nonnulli per rubiginem hîc accipiunt animal: rubigo, inquiunt, eſt vermis qui maximè rorem ſequitur. Hinc Aldrouandus in locuſta, citans S.Hieron. Rubigo,inquit,rorem noxium ſequitur,qui cùm in folia depluit, ſole ſuperueniente animatur & viuit,varieque plantis nocet.

Suffragatur Syrus,qui pro *chaſil* vertit *ſarſur*: de quo Illuſtriſſ. Dominus Sergius Riſius, Archiep.Damaſcenus,natione Syrus,hæc mihi Romæ aſſeuerauit.Sarſur,inquit,eſt animal in Syria paruulum vt locuſta, imò è genere locuſtarum; ſed à locuſtis vulgaribus differt, quòd locuſtæ interdum,& certis quibuſdam annis pro cæli & auræ temperie proueniunt; hoc autem continuum & perpetuum eſt. Eſtque duplex: eius enim vnum genus domeſticum eſt, aliud ſilueſtre. Quatuor prorſus vt locuſta pedes habet,& alios duos paruulos quibus cibum ad ſe trahit & comedit. Colorem habet nigrum, & dorſum planum. Differt etiam à locuſtis, quòd ſilueſtre valdè nocet frumento & herbis, non autem arboribus vt locuſtæ,quæ ficuum & aliarum arborum corticem omnino corrodunt. Permoleſtum eſt ob ſonum & ſtrepitum,quem ingentem præcipuè noctu excitat, præſertim apud aquas in Ægypto, vbi poſt Nili inundationem vnà cum ranis procreatur & remanet;adeò vt vbi horum animalium copia fuerit,homines ob eorum ſtrepitum,& damna quæ inferunt, habitare nequeant. Aliud eius genus eſt domeſticum,habitans cum hominibus,quod in trabibus degit,earumq; puluere & excremen tis veſci perhibetur, moleſtum quoque ob rumorem & ſtrepitum.

Verùm pro Hebr. *chaſil*, hîc vertunt, *rubigo*, non *locuſta*,Septuag.Chald. Vatabl.& alij,æquè ac pſalm.78.4. & alibi. Hebræa enim nomina, præſertim animalium,arborum, gemmarum,lapidum,&c. ſunt amplæ & variæ ſignificationis, nunceque vnum,nunc aliud ſignificant. Quocirca *chaſil*,vertunt nunc locuſtam,nunc bruchum, nunc rubiginem:rubigo enim non minùs quàm locuſtæ ſegetes abſumit. Porrò rubigo,vel robigo Latinis ſignificat vitium ſegetum, non locuſtam. Eſt enim rubigo,ſiue aurugo, vel ærugo vitium ſegetum ex corrupto aëre, & quaſi earum morbus regius, quo ſcilicet culmi palleſcunt in modum auri vel æris, itaque paulatim areſcunt & euaneſcunt. *Rubigo*,inquit Albertus hîc,*eſt ros incenſus ab aëre defluens,qui primò ad minij colorem, poſtea in ſuliginem conuertit ſegetes marcidas, & in puluerem fœtidum verſas,ac friabiles.* Agricolæ nebulam vocant. Dicitur *rubigo* à rubedine: quia rubras facit ſegetes, vti & metalla, cùm ſitum contrahunt Hinc Apuleius lib.3.Florid. *Profectò*, ait,*vt gladius vſu ſplendeſcit,ſitu rubiginatur,ita vox in vagina ſilentij condita diutino torpore hebetatur.* Et Plinius lib.18.17. *Rubigo maxima ſegetum peſtis, lauri ramis in aruo defixis tranſit in earum folia ex aruis.* A rubigine dicta ſunt Rubiginalia,id eſt, feſti dies & ſacra ad amolliendam rubiginem inſtituta à Gentilibus, quales ſunt ſupplicationes amburbiales in diebus Rogationum apud Chriſtianos, quæ eadem de cauſa peraguntur. Hinc Plinius libr.18.19.*Rubiginalia*,inquit, *Numa conſtituit, quæ nunc aguntur ad ſeptimum Calend.Maij: quoniam tunc ferè rubigo ſegetes occupat.* Hæc de littera. Iam

Quid?

Quæritur, quid hæ quatuor plagæ,putà eruca,locuſta, bruchus & ærugo ſignificent? & an literaliter vt ſonāt,an ſymbolicè ſint accipiendæ?

Multi eas vt ſonant accipiunt, vt ſignificet Ioël verè ab hiſce animalculis ob ſcelera ſua vaſtatam fuiſſe Iudæam, indeque ſteriliratem ac famem eiinductam. Vnde cenſent hîc prædici famem ſeptem annorum, quam Eliſæus quoque prædixit ſub Ioram 4.Reg.8.v.1.& 2.Hanc enim famem aiunt fuiſſe inductam per erucas, locuſtas,bruchos & rubiginem per quatuor annos ſibi inuicem ſuccedentes,ac inſuper duraſſe tres alios annos, quibus Deus clauſit cælum ne plueret. ita Remigius, Ruffinus, Lyran.Vatabl. Arias,R.Salomon, & alij Rabbini. Theodoret. verò putat prædici hîc ſterilitatem & famem biennalem,quam prædicit Amos c.4.9. vbi minatur Iſraelitis auruginem, ſiue rubiginem & erucas, æquè ac Ioël hîc. Verùm Ioël diu poſt Eliſæum & Ioram prophetauit cum Oſee, ſub Ozia & poſteris eius,vti dixi in procemio.Amos autem prophetat Samariæ, id eſt,decem tribubus,vt patet Amos 1.1.non duabus,vti facit Ioël: nec meminit locuſtæ & bruchi, quæ nominat Ioël Quare ſi ad literam hæc accipias vti ſonant, de ipſa eruca, brucho, locuſta & rubigine, alio tempore in Iudæa illa contigiſſe neceſſe eſt.Multa enim comminantur Prophetæ, quæ omnia re ipſa accidiſſe credimus,etiamſi illa alibi non narrentur.Vnde Ioël cap.2.24.conſolans ſuos hiſce plagis afflictos, ſpe melioris ſortis & fertilitatis: *Implebuntur*,inquit,*areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo. Et reddam vobis annos quos comedit locuſta,bruchus,& rubigo,& eruca,fortitudo mea magna,quam miſi in vos*,&c.Ergo verè eis immiſit erucas, locuſtas, bruchum & rubiginem. Adde, haſce & plures alias plagas comminatus eſt Hebræis Moſes Leuit.26.22. & Deuter.28.22.ſi ipſi Deum deſererent, eumque offenderēt. Ergo cùm eum tempore Ioëlis offenderint, ideoque exciſi ſint,veriſimile eſt illas plagas Deum eis irrogaſſe,ac minas ſuas expleſſe. Inſuper,naturale & ordinarium Dei flagellum eſt ſterilitas & fames inuecta per erucas, locuſtas,bruchos & rubiginem.

Præclarè S.Chryſoſt.hom. *Quòd nemo læditur niſi à ſeipſo:Omne*,inquit,*quod eſt in rebus,habet aliquid quo corrumpi poſſit ac lædi: lanam tinea,ouium greges lupus,vinum acetì permutatio,dulcedinem mellis amaritudo corrūpit: lolium ſegetibus nocet,grando vineam*

vineam ledit, virgulta ac diuersa plantaria locusta ac bruchi exercitus vastant, & singulis quibusque corporibus variæ morborum species inserunt corruptelam. Plinius lib. 11. 29. cùm ostendisset quàm ingenti copia locustæ vento sublatæ greg atim maria volando tranent: *Tamquam*, inquit, *parum sit maria transisse, immensos tractus permeant, diraq; messibus contegunt nube, multa contactu adurentes, omnia verò morsu erodentes, & fores quoque tectorũ.* Quanta damna locustæ variis prouinciis intulerint, multis exemplis & historiis docet Aldrouandus in locusta pag. 422. & sequ. Extat emblema Alciati cum lemmate: *Nihil reliqui*, hoc carmine explicatum.

Scilicet hoc deerat post tot mala, denique nostris
Locusta vt raperent quidquid ineffet agris.
Vidimus innumeras Euro duce tendere turmas,
Qualia non Atilæ, castraq; Xerxis erant.
Hæ fœnum, milium, farra omnia consumpserunt:
Spes & in angusto est, stant nisi vota super.

Hinc Ægyptiis locusta erat hieroglyphicum famis, ait Pierius lib. 28. Porrò refert Theodoretus in Philotheo, S. Aphraatem agrum cuiusdam supplicis sibi, aspersione aquæ benedictæ ab exercitu locustarum, qui Persidem vastabat, tutatum esse, ita vt eum tangere non auderent. Idem fecisse S. Vincentium Ferrerium in agro Murisiæ, ciuitatis in Hispania, testatur auctor vitæ eius l. 3. sub finem. Sic S. Theodorum prece sua locustas agros populantes enecasse, scribit Georgius presbyter in eius Vita lib. 2.

Verùm esto hæ plagæ ad litteram accipi possint vt sonant, tamen per eas symbolicè, & potiùs significantur hostes vastaturi Iudæam. Sic enim eas explicat ipse Ioël v. 6. *Gens enim ascendit super terram fortis & innumerabilis, dentes eius vt dentes leonis.* Et v. 15. *A a a dici, quia propè est dies Domini, & quasi vastitas à potente veniet.* Et c. 21. *Venit dies Domini, dies tenebrarum, &c. quasi manè expansum super montes, populus multus & fortis.* Et v. 4. *Quasi equites sic current, &c.* Ita S. Hieron. Theodor. Lyran Hugo, Ribera, Emmanuel, Sanchez, & Mariana, qui ait: Vtrumque, scilicet fames & bellum, hic significatur. Est ergo hîc ænigma, siue allegoria & parabola continua; significans hostem hosti successurum, cladem cladi vsque ad excidium & internecionem Iudæorum. Simile est Isaiæ 24. v. 17. *Formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ. Et erit, qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam: & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo.* Et Ierem. 48 43. *Pauor, & fouea, & laqueus super te ô habitator Moab. Qui fugerit à facie pauoris, cadet in foueam: & qui* D *conscenderit de fouea, capietur laqueo.* Et c. 15. 2. *Qui ad mortem*, scilicet destinati sunt à Deo, *ad mortem*, supple ibunt: *& qui ad famem, ad famem: & qui ad captiuitatem, ad captiuitatem. Et visitabo super eos quatuor species, dicit Dominus: gladium ad occisionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cæli, & bestias terræ ad deuorandum & dissipandum: & dabo eos in fœnorem vniuersis regnis terræ, propter Manassen filium Ezechiæ regis Iuda, super omnibus quæ fecit in Ierusalem*, quò fortè alludit hîc Ioël. Simile est illud Homeri Odyss. ε.

Tradebat Notus hunc Boreæ quandoque vehendum:
Nunc rursum Zephyro iactandum tradidit Eurus.

Et Iliad. τ.

Tristia perpetuò mihi tristibus excipiuntur.

A Sic Ausonius in Epigram. eleganter hostes vocat *Labores* (& dolores) *catenatos*, cùm labor ex labore, dolor ex dolore seritur. Hinc adagium: *Malorum panegyris*, quo vtitur Pisides apud Suidam: *Omnes*, inquit, *simul malorum vt in panegyre, alios tenebat aliud infortunium.* Huc spectat illud Diogenianum: *Mali thripes, mali rursum ipes*, de duplici ac multiplici malo dici solitum. Thrips enim vermiculus est, qui lignis innascens, ea vitiat: ipsitem cornibus & vitibus infestus. Et illud Socratis apud Athenæum lib. 9. *Malis ter mala eueniunt.* Et illa, *Ilias malorum, thesaurus, & lerna malorũ, agmen & mare malorum*, cùm malum malo velut vnda vndæ, fluctus fluctui succedit, eumq; protrudit; quibus vtitur Euripides in Ione dicens: *Me miseram, vt ingens panditur thesaurus, ac penus malorum!* Et Æschylus in Supplicibus:

B *Tantum malorum pelagus aspicio miser,*
Vnde enatandi nulla spes alluceat.

In hoc pelago volutantur damnati in gehenna. Causa adagij est, quòd sæpè crucis succedant locustæ, locustis bruchi, brucho ærugo, eaq́ue ingentes calamitates afferant, idq́ue agminatim instar exercitus, & aciei hostilis. Hinc castra Madian, quæ prostrauit Gedeon, comparantur locustis, Iudic. 6. 5. vti & Apocal. 9. 1. exercitus dæmonis in fine mundi afflicturus impios, turmis locustarum assimilatur. Adde, locustas, bruchos & erucas non rarò præire & prænunciare hostium aduentum, & bellorum strages, vt liquet ex historiis. Inde locusta ab Hesychio, Nicandro, Suida, Theocrito idyl 10. & aliis vocatur μάντις, id est vates, vel diuinatrix & prænuncia, quòd semper famem prænũciet & inferat, sæpè etiam hostium incursus & clades. licèt aliam quoque causam det Cælius lib. 30. 22. *Mantis*, inquit, *locustæ genus est, quæ in stipulis enascitur, virens colore, corpore prælongo, pedibus item prælongis, quos & agitat assiduè. Aristarchus in Commentario Lycurgi scribit, locustam hanc si quod inspexerit animal, protinus illi quippiam prædicere mali: vnde mantis vocatur, quæ noxij molestiq́; aspectus est: vel dicitur mantis, quòd locustis aduentantibus præsagium sit ingruentis penuriæ.*

Exempla pauca, sed rara è multis accipe, quæ recenset Aldrouandus pag. 425. Anno, inquit, Domini 1534. locustæ illæ quæ ab Oriente per Illyricum stupendis agminibus in Italiam conuolarunt, maximaq́ue passim damna dederunt, Turcarum aduentũ portendere vsæ sunt. Nam & Turca Rhegium occupauit, Romæq́ue trepidatum est, dum Hostiæ subsediisset; Nicæam cepit, Christianorum multa millia in seruitutem abduxit. Tamberlanes, referente Crantzio, Hierosolymam expugnare statuerat, sed cùm bruchi exercitum eius vexarent, admonitum se interpretatus à Deo, ea re temperauit. Primam expeditionem sacram (vt Sigonius testatur) Hierosolymitanam anno Domini 1096. Claromonte institutam, locustarum repentè nata vis tanta præcessit, vt nubium instar Solis lucem adimerent. Mirum quod scribit Greg. Turonens. duas acies locustarum per Aruernum atque Lemouicum transeuntes, Romaniacũ campum ingressas, ibidem prælio inter se conflixisse, ingentemq́ue stragẽ edidisse, cùm Clotharius cum Chramno filio suo esset pugnaturus: quem deinde victum vnà cum vxore & filiis comburi iussit. *Locustæ portendunt bella.*

Sed

Quinam hi quatuor hostes, & clades Iudæorum? Prima sententia.

Sed quinam fuerunt hi hostes vastatores Iudææ, quos per erucas, locustas, bruchos & rubiginem denotat & repræsentat Propheta? Hebræi, & eos secuti S. Hieron. Rupert. Haymo, Hugo, Lyran. & Dionys. censent hic significari quatuor orbis monarchias sibi inuicem succedentes, quæ afflixerunt Iudæos: scilicet per erucam significari Assyrios & Babylonios: per locustam Medos & Persas: per bruchos Græcos, ac præsertim Antiochum Epiphanem, contra quem pugnarunt Machabæi: per rubiginem Romanos. Has enim quatuor monarchias simili modo recenset & depingit Daniel c.2. & c.7. per quatuor bestias; ac Zacharias c.1. & c.6. per quatuor quadrigas. Verùm Persæ & Medi, vt Cyrus & Darius, Iudæos non afflixerunt, quin potiùs è Babylone eos liberarunt: afflixit tamen eos Cambyses, impediens fabricam templi, 1. Esdræ 2. Per rubiginem verò non intelligi Titum & Romanos, qui Hierosolymam exciderunt, patet ex eo, quòd hisce plagis Propheta c.2.18. remedium afferendum dicit à Christo: Christus autem cladem Hierosolymæ per Titum illatam non reparauit, imò eam antecessit ac prædixit.

Secunda.

Secundò, Theodor. per quatuor hasce plagas accipit solos Assyrios & Babylonios, qui Israelitas vastarunt: scilicet per erucam accipit Teglathphalasar, per locustam Salmanasar, per bruchum Sennacherib, per rubiginem Nabuchodonosor. Verùm primi duo tantùm vastarunt decem tribus, non duas, de quibus hîc agitur. Ioël enim Iudæ dumtaxat & Ierusalem vaticinatur, clademque minatur, vti ostendi in proœmio, ac, vt ibidem dixi, videtur id fecisse sub Manasse, quando iam excisæ erant decem tribus.

Tertia & genuina.

Tertiò ergo, aptiùs & veriùs S. Hieron. per quatuor hasce plagas accipit Nabuchodonosorem, qui in suis castris habebat varias gentes quasi erucas, locustas & bruchos, quæ populatæ sunt ita Iudæam, vt quod vna relinquebat, altera raperet vel vastaret. Aut potiùs, magisque particulatim, appositè & genuinè, per quatuor hasce plagas intellige quatuor expeditiones Nabuchodonosoris, quibus sensim magis & magis carpsit Iudæam & Ierusalem, donec eam exscinderet; nimirum prima fuit anno 1. regni eius (qui fuit annus 3. Ioakim regis Iuda) quo ipse instar erucæ terram perrepentis, leuiter tantùm Iudæam rasit & perstrinxit. Nam dumtaxat Ioakim regem cum Daniele & sociis Babylonem abduxit, Daniel. 1. v. 1. Secunda fuit anno 8. eiusdem (qui fuit 11. & vltimus Ioakim) quo turmas suas instar locustarum alatarum & validarum in Iudæam immisit, ac summa germina carpsit. Nam regem Ioakim rebellantem cepit & occidit, eique substituit filium Ioachin, quem post tres menses Babylonem abduxit, surrogans ei patruum Sedeciam. Tertia fuit anno 18. eiusdem, qui fuit 11. Sedeciæ, quo instar bruchi residua germina etiam minima, erosit. Nam totum populum vel occidit, vel cepit, vrbem excidit, regem Sedeciam excæcauit, filios eius necauit, regnumque Iudæorum euertit. Quarta fuit, cùm post quatuor menses submisit Nabuzardan, qui vt rubigo templũ incendit, æquè ac regiam, domosque principum, omniaque in fauillas & cineres conuertit.

Huc accedit, imò in re penè eadem est, expositio Christ. à Castro, qui hasce quatuor plagas adaptat quatuor Iosiæ filiis, scilicet Ioachas, Ioakim, Ioachin & Sedeciæ, qui ob scelera Manassis vastati & occisi, vel in captiuitatẽ abducti sunt: nimirum, vt eruca, quæ leuiter tangit terram, significet Pharaonem Nechao, qui Ioachas abduxit in Ægyptum, relinquens Iudæam intactã, imò præficiens illi Ioakim, fratrem Ioachas: locustæ significent latrunculos Chaldæorum, Syrorum, Moab & Ammon, qui instar locustarum turmatim inuaserunt Iudæam, & Ioakim occiderunt: bruchus significet Nabuchodonosorem, qui post eos quasi pullus locustarum, putà bruchus, cepit Ierusalem, ac Ioachin pullum, id est filium, Ioakim, auexit in Babylonem; rubigo sit idem Nabuchodonosor, qui post vndecim annos rursum Ierusalem cum rege Sedecia cepit, templumque ac palatia combussit, & quasi rubigo in fauillas redegit, regnumque & remp. Iudæorum funditus euertit.

Allegor. Hugo de S. Victore scribens in hunc Ioëlis locum, per quatuor has plagas accipit quatuor persecutiones Ecclesiæ, quarum prima fuit Gentilium Imperatorum, Neronis, Domitiani, Decij, Diocletiani, &c. Secunda Arrij & hæreticorum, qui elati saliunt in alta quasi locustæ, quæ priori cessanti, per imperium Constantini, mox successit. Tertia malorum Christianorũ, qui carnales sunt & ventres, vt bruchi. Quarta Saracenorum & Antichristi, quæ quasi rubigo ferro & flamma omnia vastat, & vastabit. Vnde easdem penè quatuor equis, scilicet primo albo, secundo rufo, tertio nigro, quarto pallido repræsentat S. Iohannes Apocal. 6. 2. & sequentibus, vt ibi dixi.

Tropol. plagæ hæ sibi succedentes significant, quòd vnũ vitium alteri, imò subinde virtuti ipsi succedat, quodque vno abeunte, aliud nos oppugnet, vt residuum, quod prius reliquit, posterius depascatur & destruat: nimirũ post erucam, quæ toto corpore repens in terra, repræsentat libidinem, superatam, vel recedentem, succedit & inuadit nos volans locusta, id est, vana gloria & superbia. Locusta enim pedibus ambulare nescit, & cùm alas vix habeat, volare nititur, ideoque inanes dat saltus. Sic & Lucifer ambiit æqualitatem Dei, ad quam assurgere nõ potuit, sed corruit. Idẽ facit superbus. Post hanc sequitur ventrosus bruchus (totum enim eius corpus penè in ventrẽ colligitur) id est gula. Post hanc succedit ignea rubigo, quæ quidquid tangit incẽdit, puta ira & impatientia, cuius flamma omnes virtutum fructus tabescunt. Quare residuum erucæ, id est libidinis, est castitas: residuum locustæ, id est vanæ gloriæ, est humilitas: residuum bruchi, id est gulæ, est sobrietas: residuum rubiginis, id est iræ, est patientia. Residuum ergo erucæ comedit locusta, & locustæ bruchus, & bruchi rubigo: quia sæpè accidit, vt è continentia & castitate oriatur inanis gloria: humilitatem sequatur ebrietas & crapula: sobrietatem excipiat ira & impatientia, ita Hugo loco citato, & S. Greg. l. 33. Mor. c. 27. Alij per rubiginem vel æruginem accipiunt auaritiam, quæ versatur in illis quæ ærugo & tinea demolitur: ærugo enim aurum & argentum depascitur. Porrò primum, putà luxuriam, docuit corrupta natura: secundum, putà superbiam, inuenit Lucifer: tertium, scilicet gulam, parentes nostros perdidit, Adamũ & Euam: quartum gigantes & tyranni à Cain prognati adinuenerunt.

Sym-

Symbolicè quatuor passiones animi.

Symbolicè, siue physicè, S. Hieron. per hæc A quatuor accipit quatuor passiones & ægritudines animi, putà gaudium, tristitiam, spem & metum, quæ faciunt quasi quadrigam cursus & volubilitatis vitæ nostræ: mox enim gaudio succedit tristitia, tristitiæ spes, spei metus, hisque quatuor affectionibus continua successione agitatur & iactatur anima hominis, præsertim mundani & peccatoris.

Eruca repræsentat ægritudinem tristitiæ, locusta gaudium, bruchus metum, rubigo spem. Audi S. Hieron. *Has perturbationes vno, & nec pleno versiculo illustris Poëta comprehendit: Hi metuunt, cupiuntq; hoc de futuro) dolent, gaudentq; (hoc de præsenti) neque auras, inquit, respiciunt, clausi tenebris & carcere caco. Qui enim perturbationum tenebris obnoluuntur, clarum sapientiæ lumen non valent intueri. Cauendum est igitur, ne ægritudo quasi eruca nos comedat, ne locusta vastet in gaudio, huc illucq; volitans, & gestiente lætitia per diuersa se iactans: ne bruchus, id est, pauor & futurorum metus, radices sapientiæ deuoret: ne rubigo & desiderium futurorum res inutiles concupiscat, & nos perferat ad ruinam: sed vt in omnibus quatuor quadrigas, & quatuor cornua, & quatuor equos, russos, & varios, & albos, & nigros, id est vel aduersa, vel prospera, vel ex vtroque sociata frænis sapientiæ gubernemus.* Subdit deinde: *Ego reor trucam esse insipientem in animo passionem; quæ tarda est & discurrere non potest, & mora ipsa ac pertinacia obibit & exugit omnem virorem, quam si non occiderimus in nobis creuit, & auolat, & nunc deuorat quidquid attigerit, nunc semesa dimittens pergit ad alia, reuertensq; ad pristinam sedem bruchus efficitur, vt non solùm fruges, & folia, & cortices, sed & ipsam medullam deuoret tarditate.* Hisce verbis, vt hoc obiter notem, indicat S. Hieron. erucam esse vermiculum, qui crescens fiat bruchus, ac deinde euadat locusta. Sic & alij nonnulli, pullum locustæ vocant vermem & erucam.

Audi S. Paulinum epist. 30 quæ est ad Aprum secunda: *Vide*, inquit, *qualiter istæ sibi congruant in cordibus nostris monstra vitiorum, qualia in frugibus accidunt vitia monstrorum. Nam (verbi gratia) si quid vetitum concupiscam, & mox abiciam cogitationem, eruca est in folio sedens, quæ decussa, si abiecero quidem, sed rursus redierit cogitatio, & cœperit abici, & vbique crebrescat, locusta est auolans & reuertēs. Quòd si cœperit immorari, & matus habuerit spatium in comedendo, quàm auolando, bruchus dicitur. Quòd si ipse bruchus qui non satis auolat, sed magis sedet, non fuerit abiectus, in rubiginem vertitur: quæ iam penitus inhærescens, vt de stipula, sic de anima numquam, aut difficilè expellitur.*

Quiergo mentis quietem & celsitudinem ambit, has passiones inter se iugiter conflictantes supprimat & edomet: sic erit imperturbabilis, quietus, excelsus, felix. vide dicta Apocal. 3. v. 21. in fine.

5. Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam periit ab ore vestro.

6. Gens enim ascendit super terram meam, fortis & innumerabilis: dentes eius vt dentes leonis: & molares eius vt catuli leonis.

7. Posuit vineam meam in desertum, & ficum meam decorticauit: nudans spoliauit eam, & proiecit: albi facti sunt rami eius.

8. Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ.

9. Periit sacrificium & libatio de domo Domini: luxerunt sacerdotes ministri Domini.

10. Depopulata est regio, luxit humus: quoniam deuastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum.

11. Confusi sunt agricolæ, vlulauerunt vinitores super frumento & hordeo, quia periit messis agri.

12. Vinea confusa est, & ficus elanguit, malogranatum, & palma, & malum, & omnia ligna agri aruerunt: quia confusum est gaudium à filiis hominum.

EXPERGISCIMINI EBRII (propriè *à vino*, vt habent Septuag. ET FLETE QVI BIBITIS VINVM IN DVLCEDINE (Chald *vinum merum*; Pagnin. & Vatabl. *mustū* iam expressum: hoc enim est דסש *asis*, à rad. דסש *asas*, id est pressit, expressit) QVONIAM PERIIT, hebr. *excisum est*, id est, breui excindetur, AB ORE VESTRO] per erucas, locustas, bruchos & rubiginem, id est, per Chaldæorū turmas, incursus & populationes, quas Deus vinetis, agrisque vestris immittet. ita Chald. Lyran. & Arias. VERS. 5.

Tropol. voluptates omnes, æquè ac passiones & perturbationes mentem inebriant, id est dementāt, recto iudicio priuant, sopiunt, excæcant, ac insensibilem suique impotem efficiunt, perinde ac ebrietas hæc eadem causare solet in corpore & capite. ita S. Hieron. Remigius, Theodoret. Albert. Hugo. Audi S. Hieron. *Nulla res ita inebriat, vt animi perturbatio. Est ira quæ iustitiam Dei non operatur, & furori proxima, mentis suæ impotentem facit, in tantum vt labia tremant, dentes concrepent, vultus pallore mutetur. recteq; illud laudatur Architæ Tarentini, qui cùm villico suo esset iratus: Iam te, inquit occiderem, nisi iratus essem. Quid referam de gaudio & voluptate, & maximè de amore, qui excæcat cordis oculos, & nihil aliud amantē nisi id quod amat, cogitare permittit? An non est dicenda ebrietas, cùm propter vile scortum, & ignominiosam corporis partem, animæ libertas in seruiles blanditias inclinatur? cùm laborem suum alterius facit esse delectas: cùm furto, scelere atque periuriis opes futuræ præparat voluptati? & cùm videatur ab omnibus, se æstimat non videri, dummodo potiatur eo quod desiderat. Sed & auaritia excæcat animum eius cui nihil satis est, & muliebris amor, & dulcium cupido vitiorum.* Addit S. Hieron. Deum peccatori non rarò auferre hæc dulcia, quæ eum deceperant, *vt qui*, inquit, *Deum non cognouerunt in prosperis, cognoscant in aduersis; & qui diuitiis malè vsi sunt, ad virtutes penuria corrigantur*, imò cogantur. Sicut ergo virtus est animæ sobrietas & sapientia, ita vitium quodlibet est animæ ebrietas & insania, quam causat vinum malitiæ expressum ex vua cupiditatis, quod ei propinat dæmon. Audi & S. Gregor. 33. Mor. c. 27. *Ebrij vocati sunt, qui mundi huius amore confusi, mala non sentiunt quæ patiuntur.* Quid est ergo dicere *Expergiscimini ebrij, & flete, nisi somnum vestræ insensibilitatis excutite, & in deuastatione cordis tot sibi succedentibus vitiorum pestibus, vigilantibus lamentis obuiate?*

Mor. quàm passio mentem dementet.

GENS

VERS.6. GENS ENIM] S.Hieron.per *gentem* metaphoricè accipit locustas. Simili enim tropo de iis dixit Sapiens Prouerb.30.25. *Formica populus infirmus,lepusculus plebs inualida.* Et, *Locusta regem non habet, sed egreditur vniuersa per turmas suas.* Et Apoc.9.v.1.& sequ. myriades exercitus dæmonis immittendi in impios in fine mundi,voãctur locustæ.Sic & Theodor.Ruffin.à Castro,Mariana, Emmanuel & alij. Vnde c.2.Ioël locustas hasce comparat equis, equitibus & quadrigis : *Quasi aspectus,* ait, *equorum aspectus eorum, & quasi equites sic current,*&c. *Velut populus fortis præparatus ad prælium.* Est ergo hîc continua metaphora,siue allegoria.Nam toto hoc cap.& seq. loquitur de exercitu Chaldæorum Iudæam populantium, sub allegoria locustarum , quæ agros vastare solent & omnia obuia,quacumque eunt;*vt,cùm locustas legeris,hostes cogites:cùm hostes cogitaueris,redeas ad locustas,* ait S.Hieron. Vnde consequenter populum Iudæorum comparat vineæ & ficui,quas arrodere solent locustæ,iuxta illud Isaiæ 4.7.*Vinea Domini exercituum domus Israel est,& vir Iuda germen eius delectabile.* Locustæ ergo sunt Chaldæi: ficus & vineasunt Iudæi & Iudæa. Hinc & Christus Lucæ 13.6.Iudæorum impiorum excidium significauit per ficum sterilem,quam paterfamilias iussit exscindi:& Ieremias c.24 per ficus bonas & malas,significauit Iudæos bonos & malos. Sic Virgil.de formicis ait Georg.4.

It nigrum campis agmen,prædamq; per herbas
Conuectat.

DENTES EIVS (gentis, putà locustarum, hoc est Chaldæorum) VT DENTES LEONIS]q. d.Chaldæi numero innumeri,robore fortissimi, gladiis quasi dentibus omnia lacerabunt & succident, ac si leones essent , & leoninis dentibus prædam auidè , celeriter , audacter & crudeliter discerperent. Sic S.Iohannes locustis, id est,exercitui dæmonis in fine mundi, qui omnia vastabit,dat dentes leonum, Apocal.9. v.8. vtique alludens ad has Ioelis locustas , quasi præambulas & antitypas.

ET MOLARES (dentes) EIVS, VT CATVLI LEONIS]Ita & Septuag.& Chald. *Catulum* intellige grandiorem & prouectum (hunc enim significat Hebr. גור? *labi*) qui vt iuuenis ferox & robustus,dentibus suis omnia molit,frãgit & comminuit. Habet enim dentes acutiores & firmiores,vtpote non attritos, sed recentes & integros. Vnde Scriptura dentes leunculorum celebrat,vt Iob 4.10. *Rugitus leonis,& vox leænæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt.* Horum enim dentes valentiores & violentiores sunt: nam ob ætatem, & continuam prædæ lacerationem leonibus grandæuis dentes sæpè comminuuntur, vel excidunt,vti docet noster Pineda ibidem. Notat Theodoret.quòd, sicut locusta post se ducit bruchos minores & graciliores, & sicut leo post se ducit catulos ; sic Chaldæi bellicosi & strenui secum ducunt alias gentes minùs fortes,minusque in bello expertas , non minùs tamen feroces & noxias , ad vastandam Iudæam. Rursum, sicut per dentes, Chaldæorum gladios; sic per molares balistas, arietes, aliasque machinas, quibus concusserunt Hierosolymam , intellige. ita à Castro.

Tropolog.Rupert.notat,per locustas hîc nos doceri, quòd etiam infirmi, viles & abiecti, vti sunt locustæ , contra eos quibus Deus irascitur, robusti sint,inuicti & sæui,Deo dante illis robur, animos & iras: vnde Deum per tales solere contundere fastum arrogantium , vti per locustas, ciniphes , muscas & ranas contudit arrogantiam Pharaonis tempore Mosis. Rursum, detractor vocatur locusta:blandus enim & gracilis videtur in narratione lepida,sed habet linguam & dentes leonis,vti docet noster Viegas Apocal.9.8. com.2.sect.9. Denique de peccato quolibet dicitur Eccli.21.3. *Dentes leonis dentes eius,interficientes animas hominum.*

ET FICVM MEAM DECORTICAVIT]Solent locustæ arrodere cortices arborum, qui arborum succum & calorem quasi vestes fouent & continent. Vnde iis arrosis vel ablatis,rami quasi tunicis suis exuti,virore deperdito,albi fiunt & exsucci,& arescunt,ac quasi proiecti in terram corruunt.ita S.Hieron. *Ficus* significat sacerdotes & principes, qui in populo Iudaico eminebant, sicut ficus in vinea , quique populum S. Script. sapore diuino , & legum sanctarum dulcedine, quasi ficus pascebant & recreabant , quos Chaldæi vel vita,vel libertate,vel opibus, quasi corticibus spoliarunt.ita Ribera.

Tropol.cortex & tegmen virtutum est humilitas,quam si tollas, peribunt omnes. ita S.Greg. cuius mox verba recitabo.

ET PROIECIT]tum fructus, cortices & folia, quæ arrosit ; tum surculos , & ramos teneriores: hos enim arrodendo succidit & deiicit locusta: ipsamque denique ficum omni sua veste spolians,& arefaciens talem efficit,vt à colono succidi, & in focum proiici debeat. Tales fuere Iudæis Chaldæi.æquè ac Christianis Hunni,Alani, Gothi,Wandali, & etiamnum sunt Turcæ ; qui quasi erucæ,bruchi, locustæ & rubigo, sibi ordine succedentes , orbem Christianum populati sunt,& etiamnum populantur.

Tropolog.idem in animabus fidelium faciunt dæmones , ait S.Hieron. item hæretici , vt Lutherus,Caluinus: ac lenones, parasiti & morum corruptores. Hi enim omnes pietatis fructus, omnes cæremonias , quasi folia, omnem Sacramentorum efficaciam, quasi corticem arrodunt, omnemque Ecclesiæ, æquè ac animæ ornatum, opes , felicitatem & gloriam euertunt & dissipant, eamque faciunt inopem, aridam , desolatam & mortuam, instar ficus & vineæ à locustis erosæ,ac in desertum redactæ.

Rursum, id in bonis operibus facit vana gloria. Audi S.Gregor.8.Moral.30. *Insidiantibus spiritibus* (dæmonibus) *Dei vinea in desertum ponitur, cùm plena fructibus anima humanæ laudis cupiditate dissipatur. Ficum Dei gens illa decortitat, quia seductam mentem in fauoris appetitum rapiens, quo hanc ad ostentationem pertrahit, tegmen* (quasi corticem) *quo vestitur,ei humilitatis tollit, eamq; nudans expoliat,*& c. *Albi facti sunt rami eius:quia ostensa humanis oculis eius opera candescunt;de sanctitate nomen sumitur,cùm recta actio diuulgatur;sed subducto cortice rami arescunt:quia facta arrogantium humanis oculis ostensa,vnde placere appetunt,inde siccantur. Mens itaque quæ per iactantiam proditur, decorticata recte ficus vocatur:quia & candida est,per hoc quod cernitur; & siccitati proxima,per hoc quod tegmine corticis nudatur. Intus ergo seruãda sunt quæ agimus,si ab interno arbitro vicem recipere nostri operis expectamus.*

PLANGE

Vers. 8. PLANGE QVASI VIRGO ACCINCTA SACCO] q.d. O Ierusalem dirè plange & lamentare, quòd à Deo sponso tuo, cui in adolescentia & virginitate tua (scilicet cùm primùm nascereris in Ægypto) nupsisti, sis deserta, & tradita hostibus Chaldæis; sicut virgo quæ recèns nupta fuit, amarissimè solet plangere cùm perdit virũ suum, cui primò pubes effecta nupserat, quem proinde intimè & tenerrimè diligebat. Vnde Septuag. vertũt, ἀνδρα παρθενικὸν, id est virum virgineum, cui scilicet se virginem in vxorem tradiderat: *Plange*, inquiunt, *super virginem* (id est, præ virgine, magis quàm virgo) *præcinctam cilicio, quæ plangit super virum suum virgineum*, quem mors ei abstulit. Vbi aduerte, Hebr. *sac*, id est saccum, Septuag. vertere *cilicium*. Erat enim saccus vestis aspera & lugubris lugentium & pœnitentiũ, qua vtebantur in funere suorum luctus ergò, vel in publica calamitate pœnitentiæ causa, ad Deum propitiandum, vt is cladem auerteret. Simili modo Ezechiel c. 16. 8. hortatur Synagogam ad pudorẽ & dolorem, quòd Deũ sponsum suum dereliquerit, qui eam iuuenculã, & miserã ac proiectam in Ægypto sibi despondit, vt reginam vestiens subtilibus, armillis, torquibus, ac corona in capite eam coronans. Sic & Ierem. c. 2. 2. *Recordatus*, ait, *sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur*. Et c. 3. 4. *Saltem amodo voca me: Pater meus, dux virginitatis meæ tu es*. Porrò cubabant in sacco non solùm noctu, sed & per diem in graui calamitate, cùm Deo fiebant supplices, vt eum ad commiserationem hoc habitu commouerent. vide Sanchez hîc.

Moral. de pœnitentia. Tropol. plangat anima quæ per peccatum deseruit Deum, cui in baptismo se desponderat, iuxta illud Apostoli 2. Cor. 11. 2. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo*. Hæc enim à Deo vicissim deserta, omni gratiæ & virtutum dulcore & decore spoliata, quasi vinea & ficus comesta à locustis, mancipata & prostituta est dæmoni, qui ea quasi scorto vilissimo abutitur pro sua libidine & tyrannide ad omnem malitiam, iniuriam, opprobrium & miseriam. *Anima enim*, inquit Hugo de S. Victor. *est virgo conditionis natura, virgo priuilegio gratiæ, virgo quoque præmio gloriæ. Animam siquidem meretricem facit inordinata concupiscentia: castitatem ei reddit virilis pœnitentia: virginitatem sapiens innocentia. Fornicaria est igitur anima in prostibulo: coniugata in atrio: continens in domo: virgo in thalamo. In primo exponitur concupiscentiæ: in secundo operæ facit pœnitentiæ: in tertio plangens virum, desiderio afficitur iustitiæ: in quarto virgineis iocundatur amplexibus & osculis sapientiæ. Fornicaria igitur est anima per concupiscentiæ iniquitatem: casta per continentiæ humilitatem: continens per iustitiæ puritatem: virgo per contemplationis sublimitatem. Vir eius pubertatis Christus est, desponsator virginitatis.*

Ita peccatum suum planxit S. Fabiola Romana matrona prænobilis, quæ marito adultero repudiato, alteri nubens, putans id sibi licere, eo mortuo errorem suum & culpam agnoscens, publicam egit pœnitentiam, ac omnibus suis in pauperes erogatis, seipsam in nosocomio ægrorum ministerio mancipauit. Audi de ea S. Hieron. in eius Epitaphio ad Oceanum. *Quis hoc*, ait, *crederet, vt post mortem secundi viri in se reuersa*, &c.

Cornel. in Proph. Min.

A *saccum indueret, errorẽ publicè fateretur, & tota vrbe spectante Romana, ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, staret in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris, & omni populo collachrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, squalidas manus, sordida colla submitteret?* Et inferiùs: *Non est confusa Dominum in terris, & ille eam non confundet in cælo. Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit: descendit de solio deliciarum suarum, & discalceatis pedibus transiuit fluenta lachrymarum: sedit super carbones ignis. Faciem, per quam secundo viro placuerat, verberabat: oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat.* Et mox: *Omnẽ censum quem habere poterat (erat autem amplissimus, & respondens generi suo) dilapidauit ac vendidit: & in pecuniam congregatum in vsum pauperum præparauit, & prima nosocomium instituit. Quoties morbo regio & pædore confectos humeris suis ipsa portauit! quoties lauit purulentam vulnerum saniem, quam alius aspicere non valebat! Præbebat cibos propria manu, & spirans cadauer sorbitiunculis irrigabat*, &c. *Angusta misericordia eius Roma fuit. Peragrabat ergo insulas, & totum Hetruscum mare, imò Hierosolymam nauigauit*, &c. Quare meritò S. Hieron. eam nuncupat, *laudem Christianorum, miraculum Gentilium, luctum pauperum, solatium Monachorum.*

B Quin & S. Paula post conuersionem in Bethlehem commigrans, ita delicias vitæ prioris castigauit & planxit, vt ieiunijs, lacrymis, aliisque pœnis penè se conficeret. *Mollia*, ait S. Hieron. in eius vita, *etiam in grauissima febre lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis ciliciolis quiescebat: si tamen illa quies dicenda est, quæ iugibus penè orationibus dies noctesque iungebat, illud implens de psalterio: Lauabo per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratum meum rigabo: in qua fontes crederes lachrymarum: ita leuia plangebat peccata, vt illam grauissimorum criminum crederes ream. Cumque à nobis crebrius moneretur, vt parceret oculis, vt eos seruaret Euangelicæ lectioni, aiebat: Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum purpurisso & stibio sæpè depinxi; affligendum corpus, quod multis vacauit deliciis: longus risus perpeti cõpensandus est fletu: mollia linteamina asperitate cilicij commutanda: quæ viro & sæculo placuit, nunc Christo placere desidero.* Verè S. Gregor. hom. 10. in Ezech. *In sanctorum vita cognoscimus*, inquit, *quid in Scriptura legere debeamus.*

C

Vers. 9. PERIIT SACRIFICIVM ET LIBATIO DE DOMO DOMINI] Pro *sacrificium* hebr. est מִנְחָה *mincha*, id est, sacrificium ex farre vel pane, de quo Leuit. 2. *Libatio* erat oblatio libaminis, putà vini & olei, quo sacrificia tum farrea, tum carnea condiebantur. q.d. Quia locustæ, putà Chaldæi, vastarunt agros, vineas & oliueta Iudæorum, hinc perijt frumentum, vinum & oleum, quod Domino de more sacrificaretur & libaretur. Quocirca *luxerunt sacerdotes*, tum quia perijt cultus & oblatio Dei in templo; tum quia deficientibus oblationibus quibus viuunt (nec enim aliam habent hereditatẽ) non habent vnde se sustentent. ita S. Hieron. Theod. Ribera, à Castro & alij.

D

Vers. 10. CONFVSVM EST VINVM] Est prosopopœia, q.d. Erubuit vinum & quasi pudore suffusum est, videns se non respondere votis & laboribus vinitorum, nec spei à se datæ. Vnde Septuag. vertunt, *aruit vinum, aruerunt vites*. Hebræum enim הוֹבִישׁ *hobiss*, propriè est præteritum *hiphil* à

T rad.

rad. בּוֹשׁ *iabaſ*, id eſt aruit: ſed quia ordines verborum imperfectorum apud Hebræos ſæpè commutantur, hinc *hobiſ* poteſt deduci à בּוֹשׁ *boſ*, id eſt confuſus eſt, pudefactus eſt. Adde, ſi legas alijs punctis הוּבַשׁ *hubaſ*, propriè ſignificabit, *confuſum eſt gaudium*, hoc eſt, perijt, defecit, vt iam dixi.

13. Accingite vos, & plangite ſacerdotes, vlulate miniſtri altaris: ingredimini, cubate in ſacco miniſtri Dei mei: quoniam interijt de domo Dei veſtri ſacrificium & libatio.

14. Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate ſenes, omnes habitatores terræ in domum Dei veſtri, & clamate ad Dominum.

15. A a a, diei: quia propè eſt dies Domini, & quaſi vaſtitas à potente veniet.

16. Numquid non coram oculis veſtris alimenta perierunt de domo Dei noſtri, lætitia & exultatio?

17. Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo, demolita ſunt horrea, diſſipatæ ſunt apothecæ: quoniam confuſum eſt triticum.

18. Quid ingemuit animal, mugierunt greges armẽti? Quia non eſt paſcua eis: ſed & greges pecorum diſperierunt.

19 Ad te Domine clamabo: quia ignis comedit ſpecioſa deſerti, & flamma ſuccendit omnia ligna regionis.

20. Sed & beſtiæ agri, quaſi area ſitiens imbrem, ſuſpexerunt ad te: quoniam exſiccati ſunt fontes aquarum, & ignis deuorauit ſpecioſa deſerti.

VERS. 13. ACCINGITE VOS, ſcilicet ſaccis, ſiue cilicijs, vt dixit verſ. 8. ET PLANGITE SACERDOTES] veſtrum enim eſt pro populo Deum propitiare planctu precibus & pœnitentijs.

VERS. 14. SANCTIFICATE IEIVNIVM] Nota. *ſanctificare* Hebræis propriè eſt ſegregare ab vſibus profanis, & addicere ſacris. q.d. Vos, ô ſacerdotes, & pontifices, ac principes, ſegregate, deſignate & indicite tempus aptum ieiunio, illudque cum toto populo purè & ſanctè obite & celebrate, vt placetis Deũ peccatis veſtris offenſum. ita Theodor. Arias, & alij. Vnde Chald. vertit, *decernite ieiunium*; Vatabl. *indicite ieiunium*; Tertul. libr. de Ieiunijs c. 16. *ſancite ieiunium*.

Sanctificatur ieiunij dupliciter. Primò.

Secundò.

Secundò, S. Hieron. Haymo, Hugo & Lyran. *Sanctificate*, inquiunt, id eſt ſanctum facite, & condite ieiunium per eleëmoſynas, preces, aliaque pia opera, vt v. g. quod ieiunando ſubtrahitis ventri, detis pauperibus. Vnde S. Gregor. homil. 16. in Euang. *Ieiunium*, ait, *ſanctificare, eſt adiunctis bonis aliis dignam Deo abſtinentiam carnis oſtendere. Ceſſet ira, ſopiantur iurgia. Incaſſum enim caro atteritur, ſi à prauis voluptatibus animus non refrænatur, cùm per Prophetam Dominus dicat: Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.* Et ſuperiùs: *Illud ergo ieiunium Deus approbat, quod ad eius oculos manus eleëmoſynarum leuat, quod cum proximi dilectione agitur, quod cum pietate conditur. Hoc ergo quod tibi ſubtrahis, alteri largire; vt vnde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.*

VOCATE COETVM] Symmach. *ſynodum*; Aquila, *diem collectæ*, ſcilicet populi. quod fiebat in die feſto, vt in die octaua Paſchæ, & feſti tabernaculorum. vnde dies hæc octaua vocabatur hebr. עֲצֶרֶת *atſara*, id eſt cœtus, ſiue collecta populi. Septuag. κηρύξατε θεραπείαν, id eſt, *prædicate curationem*, id eſt, ieiunium quo curantur peccata, ait S. Hieron. aut potiùs *curationem*, id eſt, orationem & ſupplicationem publicam, qua curetur Dei cultus, inuocatio & propitiatio: θεραπεία enim ſignificat famulatum, obſequium, cultum. Vnde S. Dionyſ. Eccleſ. hierar. cap. 10. monachos vocat θεραπευτὰς, id eſt cultores & famulos, qui iugiter aſſiſtunt & obſequuntur Deo. Quocirca Tertul. lib. de Ieiunijs c. 16. vertit *prædicate officia curantia Deum*, additque: *Vnde, & qui in idolis mendis, & in hac re* (alij meliùs legunt, *in aris*) *mendis, & ad ſingulas horas ſalutandis adulantur, curationem facere dicuntur*. Curatio ergo idem eſt quod cultura, & curator idem quod cultor. Sic Parochi vocantur à vulgo Curati, vel Curatores, quia curant cultum Dei, geruntque cum Eccleſiæ & Parochianorum. Ita ex Platone Leo Caſtrius hîc, & Pamelius in Tertull. Sic apud Gentiles, ait Tertul. *cùm ſtupet cælum, & aretamus, nudipedalia denunciantur: magiſtratus purpura ponunt, faſces retro auertunt, preces indigitant, hoſtiæ inſtaurant*.

AAA DIEI] q. d. Væ diei quo Ieruſalem vaſtabitur à Chaldæis, væ Hieroſolymis, væ Iudæis in illo die. Hebr. eſt vnica dictio diſſyllaba אֲהָהּ *ahah*, quæ eſt interiectio dolentis & deſperantis. Noſter vertit vnica dictione, ſed triſyllaba, *Aaa*, tum quia hæc apud Latinos & Europæos eſt vox & ſuſpirium ſummè afflicti: tum quia Hebræa aſpiratio h ſæpè per a vertitur, vt docet S. Hieron. in Tradit. Hebr. in Geneſim: ſic enim pro Hebr. *Aharon* vertunt, Aaron, pro *Habel* Abel, pro *Halleluia* Alleluia.

Iam quia in Hebræo *ahah* duplex eſt h, & ſecundum eſt mappicatum in ventre, ac forte, quaſi proinde ſonare & audiri debet, ita vt *ahah* licet vox ſit diſſyllaba, virtute tamen ſit triſyllaba; hinc per duplex A noſter vertit, cui adde primum A in *ahah*, habebis triplex *a a a*. Quocirca Septuag. trinam pariter pro *ahah* habent vocem, ac ter repetunt, οἴμοι οἴμοι οἴμοι, id eſt, *oime, oime, oime*, vel *hei mihi, hei mihi, hei mihi in diem*; Syrus & Arabicus vterque, *heu, heu huic diei; quia prope eſt dies Domini, & direptio à Deo veniet*, q.d. O triſtem diem excidij, qui nobis imminet! Hæc Hugo de S. Victore per tria *a a a* putat ſignificari trinam calamitatem & cladem Iudæis à Deo per Chaldæos infligendam: *Tria ſiquidem*, inquit, *Babylonicæ captiuitatis fuerunt infortunia: templi ſcilicet euerſio, vrbis deſtructio, populi tranſmigratio*. q. d. *A ciuitas deſtruetur, ſed miſerere ciuitati ſanctificationis tuæ. A templum euertetur; ſed audi Domine orationem quam ſerui tui orant coram te hodie, vt ſint oculi tui aperti ſuper domum hanc die ac nocte. A populus tuus in captiuitatem ducetur; ſed miſerere Domine plebi tuæ ſuper quam inuocatũ eſt nomen tuum.*

Allegor. Idem patheticè & eleganter refert hæc ad ruinam Iudæorum tempore Chriſti, & ad excidium eorum per Titum & Romanos, ob repudiatum, imò occiſum ab eis Chriſtum. q.d.

A veniet qui auertet iniquitatem à Iacob, & eripiet regum ab Israel. A & non est ei species, neque decor, & vidimus eum, & non erat ei aspectus. A & quasi absconditus vultus eius & despectus: vnde nec reputauimus eum, & putauimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum. A quia vidimus, & non cognouimus. A quia audiuimus, & contempsimus. A quia operantem bona accepimus, & pro nobis orantem interfecimus. Audiuimus verba, accepimus beneficia, vidimus miracula. sed A verba contempsimus: A beneficia ingrati fuimus: A miraculis detraximus. Audiuimus docentem in monte; sed A surda aure transiuimus: inde dolor. Vidimus eum turbas pascentem; sed A non curauimus: inde mœror. Vidimus eum pendentem in cruce; sed A contempsimus: & inde terror. Audiuimus doctrinam, accepimus vitam, vidimus mortem. Doctrina illius nostram cæcitatem illuminauit: A cui non obtemperauimus. Vita eius nostram informauit: A quam non recepimus. Mors eius mortem nostram captiuauit: A quam contempsimus, imò quam fecimus. Idem concionator facilè accommodet animæ quæ damnanda est in iudicio, tum particulari, tum vniuersali.

Tropol. Symbol. & Tropol. idem: *A a a, quia sunt mala quoque tria* Iudæorum, æquè ac quorumlibet peccatorum: *ignorantia, concupiscentia & miseria. Lege naturali prænaricatio attulit ignorantiam: legis scriptæ transgressio inordinatam propagauit concupiscentiam: prophetiæ contemptus ministrauit miseriam. A prænaricata est lex naturalis: inde dolor; sed vindicatum est in ea captiuitate Aegyptiaca. A prænaricata est lex scripta: inde mœror; sed vindicatum est in ea captiuitate Assyriaca. A contemnitur prophetia: inde terror; sed & hoc disponis vindicare captiuitate Babylonica. A incidimus in miseriam quam vindicasti: A decidimus in concupiscentiam quam punisti: A incidemus in miseriam horrendam quam disposuisti.* Vnde causam doloris fusiùs explicans Ioël subdit, atque Synagogam, æquè ac animam, peccando perdidisse omnes suas opes & delicias: *Perut, inquit, sacrificium, id est, mortificatio carnis; & libatio, id est fletus compunctionis; & regio, id est seruitus conscientiæ: humus, humilitas cognitionis propriæ: triticum, amor iustitiæ: vinum, feruor sapientiæ: oleum, odor misericordiæ: ficus, dulcedo contemplationis & æternorum suauitas: hordeum, abiectio pœnitentiæ: agricolæ, tum efficaces concionatores & pastores, tum gemitus & motus confessionis: vinitores, desideria compunctionis & suspiria contemplationis: palma, contemptus terrenorum: malogranatum, tum charitas vnionis fraternæ, tum ardor & sitis præmiorum: malum simplex, boni affectus: ligna alia, cæterarum virtutum sunt desideria; vel potiùs opera & profectus. His amissis, confusum est gaudium; quibus possessis, ordinatum & gloriosum disponitur præmium.*

QVIA PROPE EST DIES DOMINI, putà dies iudicij, & vindictæ Domini, quam in Ierusalem exeret per Chaldæos. ET QVASI VASTITAS A POTENTE VENIET) Hebr. est pulchra & neruosa paronomasia כְּשׁוֹד מִשַּׁדַּי *keshod misshadai*, id est, quasi vastitas potens à vastante potente veniet: *Shadai* enim est nomen Dei, & Deum vel misericordem, vel potentem & vastantem significat, vti dixi Genes. 17. 1.

Vers. 16. CORAM OCVLIS VESTRIS. Ita & Septuag. licèt Hebr. & Chald. habeant, *coram oculis nostris*: sed eôdem redit sensus. q.d. Vobis & nobis spectantibus vastabitur Iudæa, ideoque ALIMENTA, scili-

A cet sacerdotum, putà sacrificia & oblationes, PERIERVNT, id est peribunt, DE DOMO (templo) DEI NOSTRI, ac consequenter peribit LAETITIA ET EXVLTATIO qua in festis & sacrificiis exultare solebant, Deumque festiuè colere psalmis, hymnis, organis, tympanis, &c.

COMPVTRVERVNT IVMENTA IN STERCORE SVO q.d. Hæc Chaldæorum strages non tantùm homines, sed & iumenta affliget. Nam illa ob metum hostium Ierusalem obsidentium, educi non poterunt ad pascua, sed in stabulis & stercore suo, deficiente herba & fœno, fame morientur, contabescent & computrescent. ita Remigius, Lyran. Albert. Ribera & à Castro. Pro *computruerũt* hebr. est יָבְשׁוּ *abesçu*, quod verbum hîc tantùm reperitur. Septuag. vertunt, *subsultauerunt vitulæ in præsepibus suis*, non præ lasciuia, sed B præ fame corruentes, pedesque ad terram allidentes, ait Theodor. Arabicus Antioch. *vox animalium super præsepibus, & non saltant animalia, & greges boum plorant præ carentia pabuli*; Arabicus Alexandr. *non gustant animalia, & armenta boum boant præ defectu pascuorum*; Syrus, *dormierunt vitulæ ieiunæ* (incœnatæ) *in præsepibus suis*. Melius Noster, R. Ionathan, R. Dauid & Abenezra vertunt, *computruerunt*, id est, putredine corrupta sunt.

Pro *iumenta* hebr. est פְּרֻרוֹת *perudot*, aut potiùs alijs punctis פִּרְדוֹת *pirdot*, id est *mulæ*, à rad. פָּרַד *parad*, id est diuisit, separauit: muli enim à patre & matre, putà ab equo & asina, specie distinguuntur. nec enim sunt equi, nec asini, sed tertia species, putà mulæ. Sub mulis qui frequêtes erant apud Iudæos (adeò vt filij regum ijs vterentur, vt patet 2. Reg. 13. 29.) equos, asinos, boues, cæteraque iumenta per synecdochen intellige. Septuag. vertunt, *vituli*; Chald. vertit, *dolia: Computruerunt*, inquit, *dolia vini sub operculis suis*, Tigurina vertit, *semina* sparsa & sata in agro: *computruerunt*, inquit, *semina dispersa subter glebas suas*, ac proinde ex tali semente nulla sperari poterat messis.

Tropol. in stercore & fœtoribus libidinis suæ computrescunt luxuriosi, inquit Remigius. Albert. & Hugo, ac S. Gregor. 24. Moral. cap. 6. vel iuxta aliam editionem, 8. *Iumenta*, ait, *in stercore suo computrescere, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire. Non enim esse homines, sed iumenta declarantur, de quibus per Prophetam* (Ieremiam cap. 5.) *dicitur: Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat. Et de quibus Propheta alius* (Ezechiel c. 23.) *dicit: Vt carnes asinorum carnes eorum, & fluxus equorum fluxus eorum.* Idem ad verbum habet Rupert. censetque id impletum in Iasone, aliisque apostatis 2. Machab. 4. æquè ac hoc æuo in Luthero, Caluino, Petro Martyre, Bucero, alijsque ab Ordine ad nuptias transuolantibus, completum vidimus. Et S. Bern. serm. 10. in psal. 90. *Quomodo*, ait, *dicunt nobis carnales homines: Crudelis est vita vestra, non parcitis carni vestræ? Esto non parcamus semini, in quo ei magis parcere poteramus? Annon melius est illi renouari & multiplicari in agro, quam in horreo putrefieri? Heu computruerunt iumẽta in stercore suo, sic vos parcetis carni vestræ? Simus nos crudeles interim non parcendo, at vos planè parcendo crudeliores: siquidẽ etiã nunc caro nostra requieseit in spe: videritis vos ipsi quid ignominiæ interim vestra sustineat, quid miseriæ eam maneat in futurũ.*

Denique S. Hieron. *Computrescit*, inquit, *in stercore, cuius Deus venter est, & qui dicit: Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.* Sicut enim luxuriosus in morbo Gallico; ita gulosus in phlegmonibus, vomitu & sordibus suis putrescit. Et sic accipi potest versio Chaldæi: *Computruerunt dolia vini*, id est, ebriosi & gulosi ventripotentes, vtpote quorum venter dolium est. ita Delrio adagio 967.

DEMOLITA SVNT (vastata vel combusta à Chaldæis) HORREA.

DISSIPATAE SVNT APOTHECAE] q.d. Apothecæ in quibus grana & annona recondebatur, euersæ sunt ab hoste, vel collapsæ ex incuria colonorum, eò quòd non haberent frumenta quæ in illis reponerent, ac consequenter nec sumptus ad earum sarta tecta restauranda: *quoniam confusum est* (exaruit, periit, vt dixi v. 10.) *triticum.*

VERS. 18. QVIA NON EST PASCVA EIS] Veteres Latini vsurparunt *pascuum* in genere neutro, & in plurali *pascua* substantiuè; sed adiectiuè vocabant siluam, vel regionem pascuam, æquè ac agrum pascuum, & rura pascua. Hinc vox *pascua* adiectiua, scilicet regio, vel terra, transiit in substantiuum. Script. enim tam vsurpat pascua pascuæ in singulari, quàm pascua pascuorum in plurali, vt psalm. 22. 2. *In loco pascuæ ibi me collocauit.* Iob 39. 11. *Montes pascuæ suæ.* 1. Paral. 4. 40. *Inuenerunt pascuas uberrimas.* Psalm. 78. 13. *Oues pascuæ tuæ.* Isaiæ 37. 27. *Gramen pascuæ.* Ezech. 38. 18. *Reliquias pascuarum.* Denique Anton. Nebrissensis in Dictionario, notat tam dici pascua pascuæ, quàm pascua pascuorũ. Desinant ergo Nouantes nostrum Interpretem quasi illatinum suggillare, eique barbarismum impingere.

VERS. 19. AD TE DOMINE CLAMABO] In tantis tamque immedicabilibus malis vnum supereſt confugium, vt scilicet tuam, ô Domine, opem implorem: tu enim solus potes & soles extremis malis mederi, cùm à tuis toto corde inuocaris.

QVIA IGNIS succensus ab homine COMEDIT SPECIOSA DESERTI] q.d. Chaldæi succenderunt speciosas villas, hortos, arbores, segetes, &c. Iudæorum. ita S. Hieron. Theod. Ribera & alij.

Causam doloris & planctus, ait Hugo de S. Victor. *subdit magna detrimenta. Detrimenta verò sunt hæc, putredo fœtida iumentorum, anxietas animalium, interitus pecorum, demolitio horreorum, apothecarum dissipatio, pascuæ inanitio. quorum causa hæc est, speciosorum combustio, lignorum succensio, fontium exsiccatio.*

Mysticè idem: quatuor sunt *speciosa deserti*, puta bona spiritualia Ecclesiæ, & animæ sanctæ, quæ ipsa peccando deperdit, scilicet *præcepta, exercitia, virtutes, charismata. Præcepta sunt ad sanitatem: exercitia ad fortitudinem: virtutes ad formam: charismata ad audaciam. Lætitia est de transitoriis: exultatio de æternis. Hæc autem alimenta, quæ sunt exultatio & lætitia, perierunt de domo Dei, id est, de Ecclesia: quia præcepta calcantur, virtutes contemnuntur, exercitia perierunt, charismata recesserunt.*

SED ET BESTIAE AGRI] q.d. Non solus ego, Vers. nec soli homines, sed & bestiæ esurientes & sitientes, vti solet area sicca imbrem sitire, v.g. oues suo balatu, boues & vaccæ mugitu, asini rudita, &c. ad te, ô Domine, suspiciunt & vociferantur, diuersis, ait Ruffin. faucium sonis, velut dissona consonantia, & musico concentu, taciteque opem tuam implorant, postulantes à te in tanta fame & siti pabulum & potum: fontes enim *exsiccati sunt* à Chaldæis, qui eos vel obturauerunt, vel riuos eorum interruperunt & auerterunt, ne in vrbem influerent. ita S. Hieron. Theodor. Lyran.

Tropol. Rupert. Homines, ait, brutis similes sunt, qui ingemiscere nesciunt, nisi pro penuria cibi, nullum habentes dolorem de peccatis suis, & solum esse miserum siue dolendum reputantes, si ventri quippiam desit.

Rursum Hugo de S. Victore: *Iumenta*, ait, *sunt luxuriosi: armenta curiosi: pecora, gulosi: animalia, petulantes & cupidi: bestiæ simplices & idiotæ: horrea, authentica eloquia: apothecæ, expositorum uoluminæ: pascua, passiones sanctorum & gesta: stercora, sunt vitia & peccata: fontes aquarum, doctores populorum: ignis, cupiditas: flamma, luxuria.*

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit horrorem diei excidij Ierusalem per Chaldæos, & sub eius typo allegoricè horrorem diei iudicij describere & comminari. Inde v. 12. hortatur omnes ad pœnitentiam & planctum, vt Deum sibi reconcilient, itaq; has eius minas euadant. Tertiò, v. 18. pœnitentibus promittit salutem per Cyrum, & multò magis per Christum Doctorem iustitiæ, per quem effundat Spiritum sanctum in fideles. Denique v. 30. dat signa præuia iudicio & Iudici Christo.

Vers. 1. CAnite tuba in Sion, vlulate in monte sancto meo, conturbentur omnes habitatores terræ: Quia venit dies Domini, quia propè est.

2. Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis: quasi manè expansum super montes populus multus & fortis: similis ei non fuit à principio, & post eum non erit vsque in annos generationis & generationis.

3. Antè faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma: quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum.

4. Quasi aspectus equorum, aspectus eorum: & quasi equites sic current.

5. Sicut sonitus quadrigarum super capita montium exilient, sicut sonitus flammæ ignis deuorantis stipulam, velut populus fortis præparatus ad prælium.

6. A facie eius cruciabuntur populi: om-

omnes vultus redigentur in ollam.

7. Sicut fortes current: quasi viri bellatores ascendent murum: viri in viis suis gradientur, & non declinabunt à semitis suis.

8. Vnusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt: sed & per fenestras cadent, & non demolientur.

9. Vrbem ingredientur, in muro current: domos conscendent, per fenestras intrabunt quasi fur.

10. A facie eius contremuit terra, moti sunt cæli: sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.

11. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui; quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia & facientia verbum eius: magnus enim dies Domini, & terribilis valdè: & quis sustinebit eum?

VERS. 1. VLVLATE] non tam voce, quàm buccina. Hebr. enim est תְּרִיעוּ *tariu*, id est, *taratantarainsonate*; Tigurina, *claßicum canite*, scilicet triste & horrisonum, quale solet cani in aduentu hostium, in prælio, in strage & excidio. q.d. En aduentat hostis, adest Chaldæus, instat vrbi obsidio & vastitas: personate ergo tubis, tum vt ad arma, tum potiùs vt ad Deum in templũ omnes confugiant, Deiq́ue opem implorent & impetrent; ac ibi habeant aut asylum, aut sepulcrum.

IN MONTE SANCTO MEO] in templo & arce montis Sion.

CONTVRBENTVR (Tigurina, *contremiscant*) OMNES HABITATORES TERRÆ] nostræ, putà Iudææ; ac tremuli & consternati Dei auxiliũ vnanimes vna voce omnes inclament.

VERS. 1. & 2. QVIA VENIT DIES DOMINI. putà dies iudicij & vindictæ Domini, quam Dominus in Iudæos exercebit per Chaldæos. Vnde hæc dies à Ioële mox vocatur DIES TENEBRARVM ET CALIGINIS, DIES NVBIS ET TVRBINIS] id est, summè funesta, tristis, nubila & calamitosa, in qua præ mœrore Iudæi caligabunt oculis, vt videatur meridies eis esse caligo, omniaq́ue videantur sibi videre tenebrosa & atra. Sicut enim lux est symbolum, & causa lætitiæ & prosperitatis; ita tenebræ sunt symbolum tristitiæ, aduersitatis, & carceris ac captiuitatis. Ad literam ergo loquitur de die excidij Ierusalem: tropol. de die mortis, iudicij & excidij orbis, cùm archangelus canet tuba nouissima, 1. Corinth. 15. 52. ita S. Hieron. Theodor. Albert. Hugo, Arias, Ribera & alij.

VERS. 2. QVASI MANE] q.d. Vti manè quaquauersum se spargit aurora, & prima lux solis, qui statim vt oritur omnia suis radiis illustrat, omniaq́ue sua luce occupat; ita populus multus & fortis, nimirum locustæ hæ, de quibus dixi c. 1. 4. putà Chaldæorum agmina, celerrimè omnes Iudææ montes occupabunt. Perstitit enim in parabola & allegoria locustarum. *Hoc autem*, inquit S. Hieron. *de locustis dicitur, vt de hostibus intelligatur; vt dum locustas legimus, Babylonios cogitemus.* ita & Theodor. Remig. Hugo, Clarius & alij, & patet ex sequent. vbi eos comparat equis & equitibus. Hisce enim similes sunt locustæ, non Chaldæi, qui non similes, sed ipsimet erant equites.

Aliter Arias, q d. Sicut manè luce oriente & occupante montes, tenebræ coguntur in valles; ita venientibus Chaldæis montesq́ue occupantibus, tenebræ calamitatis & vastitatis cogentur in Iudæam & in Ierusalem. Illi ergo erit *dies tenebrarum & caliginis*, vt præcessit; cùm Chaldæis, aliisq́ue Gentibus erit manè lucidum, lætum & felix.

SIMILIS EI NON FVIT A PRINCIPIO, ET POST EVM NON ERIT VSQVE AD ANNOS GENERATIONIS ET GENERATIONIS] q. d. Per duas, vel per multas generationes & sæcula, nullus hostis nocentior fuit, aut erit Iudææ, quàm Chaldæi. Nam post plura sæcula, Romanos sub Tito & Vespasiano magis illi nocuisse, planeq́ue eam euertisse & desolasse, liquet ex Iosepho, & ex moderna Iudæorum per totum orbem dispersione. ita Theodor.

ANTE FACIEM EIVS IGNIS VORANS] q.d. Quidquid attigerit hic populus locustarum putà Chaldæorum, idipsum totum ipse quasi flamma vorax consumet, ita vt ignem manibus præferre, eoq́ue omnia afflare & concremare videatur, adeò vt omnia in solitudinem redigat, & post se non nisi carbones & cineres relinquat. ita S. Hieron. Est catachresis. VERS. 3.

Aliter Sanchez, Ignis hic, inquit, est is qui præferebatur regibus & castris Chaldæorum, quasi comes & dux viæ: ignem enim vt Deum colebant Chaldæi. Ignis ergo erat eis quasi militare signum, minans & portendens incendia, cædes & strages. Idem à Chaldæis, iis euersis, acceperunt Persarũ reges, quibus prælatũ fuisse ignem docet Xenophon li. 8. Cyripædiæ, Curtius li. 3. & alij. Sic & Holoferni præferebantur lampades ardentes & ignitæ, Iudith 10. 17. iuxta Septuag. Hunc ergo huius loci sensum dat: Præcedet castra hostilia in Iudæam properantia ignis vorax, proprium insigne Chaldæorum: subsequetur alius, quem sparget hostis, vt Iudæam, quæ priùs erat hortus voluptatis, comburat & desolet. Simili modo & causa vidit Ieremias c. 1. ollam accensam, qua portendebatur aduentus Chaldæorum, qui omnia ferro & flammis erant vastaturi. S. Gregor. Nazianz. orat. 15 ex Septuag sic legit: *Anteriora eius, hortus voluptatis: posteriora autem, campus exterminij*; sicq́ue explicat: *Ioël*, inquit, *his ce verbis deplorat terræ corruptionem, & famis cruciatum, & agicè pristinæ pulchritudini posteriorem deformitatem opponens.* q. d. Terra quæ priùs erat florida & frugifera, postea effecta est arida & squalida, ac quasi exterminata.

QVASI ASPECTVS EQVORVM, ASPECTVS EORVM] q.d. Hæc castra locustarum, quæ repræsentant Chaldæorum agmina, erunt similia equis & equitibus. ita S. Hieron. Locusta enim speciem habet equi armati, & equitis cataphracti: vnde italicè vocatur *caualetta*, id est equulus. Huc alludit S. Ioan. in suis locustis futuris sub finem mundi Apoc. 9. 7. *Similitudines*, ait, *locustarum similes equis paratis in prælium.* & v. 9. *Et habebant loricas ferreas, & vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.* VERS. 4.

SICVT SONITVS (strepitus & crepitus) FLAMMÆ IGNIS DEVORANTIS STIPVLAM] quasi dicat, VERS. 5.

Sicut flamma stipulam allambens & succendens strepit & crepat, sic strepent hæ locustæ, id est Chaldæi, cùm arua Iudææ instar stipularum arrodent & adurent.

VERS.6. OMNES VULTUS REDIGENTUR IN OLLAM] Chald. *nigrescent quasi olla*, scilicet præ timore & pauore. Timor enim sanguinem reducit ad cor, vt illi quasi arci in periculo consulat; vnde extremæ partes velut exanimes & exsangues pallescunt, mox metu ingraueſcente nigrescunt. Leuis enim metus pallorem; grauis, vti est mortis, nigredinem inducit, vt facies, inquit Ruffinus, *futuræ mortis luridò vestiantur: hinc non solùm pallescent, sed etiam penitus atrabuntur* (sic enim lego cum Delrio adagio 969. non *attrahentur*.) Sic Isaias c.13.6. de Babyloniorum clade ait: *Facies combustæ facies eorum*, id est, nigrescunt pauore & mœrore: sicut enim lætitia vultus fit serenus & splendidus, ita tristitiâ & metu fuscatur & obnubilatur, ait S.Hieron. & Theoph. Secundò, Theodor. hæc refert ad famem, quasi ad causam. q.d. Præ fame fient luridi & atri: item solis ardore, cùm in Chaldæa quasi mancipia cogentur laborare in luto, & aliis sordidis ministeriis, ait Sanchez, præsertim cùm fient ollarij, cacabarij, ferrarij, furnarij, carbonarij: qui quàm atri sint, videre est in fodinis Leodiensibus.

Tropol. hic est typus, hic color decolor, hæc species, hæc facies peccatorum omnium coram Deo & angelis eius.

VERS.7. ASCENDENT MVRVM] Chaldæi Nota. In parabolis miscetur res cum parabola; vnde quædam dicuntur in iis quæ magis propriè rei quàm parabolæ ipsi conueniunt. Tale est hîc, ascendere muros Ierusalem, & per eos in vrbem obsessam irrumpere, quod magis Chaldæis, quàm locustis eorum antitypis, conuenit. Talia sunt & quæ sequuntur: *Vrbem ingredientur, in muro current, in domos conscendent.* & v.11. *Multa sunt nimis castra eius, quia fortia: viri in viis suis gradientur. Viri*, id est, singuli quasi viri fortes more exercitus, in acie & ordine suo procedent. Hebr. enim *vir* duo significat: primò *vir*, id est vnusquisque; secundò *vir*, id est fortis & virilis.

Ita locusta *egreditur vniuersa per turmas suas*, ait Sapiens Prouerb.30.27. *Hoc nuper*, inquit S.Hieron. *in hac prouincia* (Iudæa) *vidimus. Cum enim locustarum agmina venerint, & aërem qui inter cælum & terram est occuparint, tanto ordine & dispositione iubentis Dei volitant, vt instar tesserularum, quæ in pauimentis artificis figuntur manu, suum locum teneant, & ne puncto quidem, vt ita dicam, vngue transuerso decliment ad alteram.* Hoc est quod subdit Ioël: *Vnusquisque fratrem suum non coarctabit, singuli in calle suo ambulabunt*; Syrus, *singuli in semita sua ibunt, de pondere* (grauitate) *iudicij sui cadent, & non ascendent ad summum.* Per has locustarum acies, ordinatam Chaldæorum aciem intellige.

VERS. 8. SED ET PER FENESTRAS CADENT] *Nihil enim locustis inuium est, cùm & agros, & sata, & vrbes, & domos, & cubiculorum secreta penetrent*, ait S.Hieron. vti fecerunt locustæ à Mose immissæ in Pharaonem & Ægyptios, Exodi 10.14. Notat Chaldæorum impetum, impudentiam & audaciam; quòd quasi locustæ per fenestras portis clausis in domos Iudæorum irruituri sint.

ET NON DEMOLIENTVR] passiuè, id est non lædentur, non sauciabunt se in hoc saltu per fenestras. q.d. Molem corporis sui armis grauati ad humum non allident, de mole & robore suo nihil hoc casu decerpent. Hoc signo notat eorum dexteritatem, & exercitationem in pugnando, saltando, &c æquè ac audaciam, qua in ipsos hostium gladios intrepidi irruent; quin & illæsi, ex vsu & habitu saliendi & digladiandi. ita Sanchez. Posset quis suspicari, pro *demolientur*, legendum esse *demorientur*, id est, vulnerabuntur adeò vt moriantur. Hoc enim significat Hebr. יִבָּצֵעוּ *iibtsau*. Verùm codices Latini, etiam antiquissimi quos Romæ inspexi, constanter legunt *demolientur*, id est destruentur, &, vt Septuag. apud S.Hieron. *consumentur*; idque Latinum est, non barbarum. Veteres enim actiuè dicebant demolio, demoliui, prodestruo, destruxi; ac consequenter passiuè demolior, demolitus sum, pro destruor, destructus sum. Sic c.1.17. dicitur: *Demolita*, id est destructa, *sunt horrea*. Ita Alphenus in l. *Qui insulam*, in prin.ff. *Dominus*, ait, *insulæ, quia ædificia vitium facere diceret, demolierat eam* Et Vlpianus in l. *Quid tamen*, §.1.ff. Quibus modis vsusfructus amit. *Si demolitis*, ait, *ædibus testator alias nouas restituerit.* Et, *ædificium demolitum*, in l. *Qui insulam*, in prin.ff.locat. Sensus ergo est, q.d. Audaces Chaldæi prædæ auidi, clausis ostiis per fenestras irrumpent in domos, & non demolientur, id est, non concidentur, non lædentur, vel à se suisque armis in hoc saltu, vel ab incolarum, putà Iudæorum, se suasque domos defendentium, gladiis: tam enim fortes & dexteri erunt, vt saliendo in arma sua non impingant; tam terribiles, vt Iudæi eos inuadere non audeant, sed in latebras se abdant.

Nota. Pro *fenestras* hebr. est שֶׁלַח *scelach*, id est immissio & emissio, putà fenestra, per quam lux & aër in domum immittitur, sordes verò in plateam emittuntur & eiiciuntur. Rursum, *scelach* significat missile, putà telum, vel iaculum. Vnde Septuag. vertunt, *in iaculis cadent, & non consumentur*; Pagnin. & Vatabl. *super gladium deiicient se, & non sauciabuntur.* q.d. Chaldæi irruent in gladios Iudæorum, iisque non lædentur, sed eos sternent, suisq; ipsorum gladiis eos confodient. Rursum, pro *demolientur* hebr. est יִבָּצֵעוּ *iibtsau*, quod significat vulnerare, item esse auarum, ambire pecuniam. Vnde Chald. vertit, *ad locum ad quem missi sunt vadunt trucidantes, & non recipient pecuniam*. q.d. Chaldæi vitam Iudæis eripient, nec aurum ab eis pro lytro oblatum recipient. Arias & Tigurina vertunt, *lucro non inhiant*. Sic & tropol. dæmones animas quærunt, non aurum. Denique disce hîc auaritiam appositè hebr. vocari. בֶּצַע *betsa*, id est vulnus: quia lædit & vulnerat proximum per vsuras, fraudes, iniquos contractus, &c. Nam, vt ait Philosophus, *Pecunia est anima & sanguis mortalibus.*

A FACIE EIVS (populi, de quo v.2.) CONTREMVIT TERRA, MOTI SVNT CAELI] Est poëtica hyperbole, in qua partim alludit Propheta ad locustas, partim ad Chaldæos, per eas significatos. q.d. Tanta, tamque numerosa & densa erit hæc locusta, id est, exercitus Chaldæorum: tantus pariter erit eius horror & pauor in Iudæis, vt ipsis hoc metu perculsis & attonitis, per locustas hasce quasi nubes, perque puluerem ab eis excitatum, sol & luna obuelari & obtenebrari videantur (solent enim agmina locustarum ita densari sub-

subinde, vt dum volant expansis alis, solem cæ- A lumque obtegant:) quin & præ horrisono tubarum clangore, tympanorum & tormentorum sonitu, equorum fremitu & cursu, vngularum ad saxa collisione, militum clamore & furore, *cælum ruere, terra fluctuare videatur*, ait S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Ribera & alij. Simili modo Isaias c. 13. 10. & 13. ait in excidio Babylonis solem, lunam & stellas retraxisse suum lumen, cælum fuisse turbatum, & terram motam de loco suo. Sic Psaltes psalm. 17. poëticè pingit Deum descendentem ad vindictam impiorum, quasi cælos, aëra, terram, totamque mundi machinam quatientem, &, vt Poëta ait, *qui nutu concutit orbem.* Vide can. 32. in Prophet. maiores.

Secundò, Theodor. & Arias hæc non hyperbolicè, sed propriè accipiũt. censent enim Deum ante exercitum Chaldæorum præmisisse pro- B cellas, fulgura & tonitrua ad percellendum Iudæos. Hisce enim cælum, id est aër totus, æquè ac terra commouetur & quatitur, iuxta illud Virgilij, Æneid. 4.

Tonitru calum omne ciebo.

Rursum procellis hisce sol cælumque obducitur & obtenebratur. Vnde sequitur:

11. ET STELLAE RETRAXERVNT SPLENDOREM SVVM] Syrus, & Arabicus vterque, *occidit lumen* (fulgor) *stellarum.*

Et, id est quia, DOMINVS DEDIT VOCEM ANTE FACIEM EXERCITVS SVI] id est, ante exercitum suum, putà ante Chaldæos. Vox enim Dei est tonitru, vt patet psal. 28. 2. & seq. Alludit ad vocẽ ducis, qui suos milites ad instans prælium ingenti animo & voce cohortatur & acuit. q. d. Deus quasi dux belli milites suos, putà Chaldæos ve- C nientes in Iudæam, per tonitru animabit ad bellum; Iudæos verò per idem percellet & perterrefaciet, quia eius benignam vocem & inuitationem ad pœnitentiam audire noluerunt, eiusque legatos, putà Prophetas, contempserunt: tonitru ergo Dei audient & sentient qui eius blandiloquia audierunt & spreuerunt. Nota. Chaldæi hîc vocantur milites & exercitus Dei: quia quasi lictores fuerunt iustitiæ & vindictæ diuinæ exercitæ in Iudæos, aliasque gentes. Licèt enim ipsi dominandi libidine, & spoliis ditandi se cupidine Iudæos Gentesque tyrannicè inuaserint, ac proinde ad hoc directè à Deo excitari & positiuè immitti non potuerint: Deus tamen hanc eorum tyrannidem, libidinem & cupidinem directè permittere decreuit, reque ipsa permisit ad hoc, vt per eam Iudæorum Gentiumque lu- D xum, idololatriam, aliaque peccata castigaret. Vide can. 36. in maiores Prophetas.

Allegoricè, hæc veriora & maiora erunt in die mortis, & magis in die iudicij, cuius hîc viua imago datur in excidio Hierosolymæ per Chaldæos. Itaque hæc dies erit tenebrarum & caliginis, qua locustæ, id est, dæmones innumeri armati peccatis nostris quæ in vita commisimus, animam inuadent, percellent, lancinabunt, & in extremas anxietates redigent, vt terra, aër ac cælum nimis ei angustum videatur.

12. Nunc ergo dicit Dominus: Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.

13. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.

14. Quis scit si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem, sacrificium & libamen Domino Deo vestro?

15. Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum,

16. congregate populum, sanctificate ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos, & sugentes vbera: egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.

17. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent. Parce Domine parce populo tuo: & ne des hereditatẽ tuam in opprobriũ, vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis: Vbi est Deus eorum?

CONVERTIMINI AD ME, qui auersi eratis à me, VERS. 12. & conuersi ad varias illicesq; vestras cupidines: CONVERTIMINI, inquam, IN TOTO CORDE] tota mente, tota anima, toto spiritu, toto affectu. Ego enim cordis & mentis tum creator & dominus, ideoque totum illud mihi dedi, imò reddi volo, nec patior ex eo partem aliquam quæ idolis, veneri aut ventri detur, mihi suffurari. Vide S. Gregor. li. 7. Moral. c. 12. ad illud Iobi: *Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum*; vbi docet peccatores sæpè facere bona proposita, sed occurrente tentatione illico ad sua vitia relabi, quia cor non mutant, nec seriò & ex toto corde se ad Deum conuertunt. *Esse quippe humiles*, inquit, *sed tamen sine despectu: esse contenti propriis, sed sine necessitate: esse casti, sed sine maceratione corporis: esse patientes, sed sine contumeliis volunt: cumq; adipisci virtutes quærunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quàm exhibere belli certamina in campo nesciunt, & triumphare in vrbibus de bello concupiscunt?* Cùm ex aduerso, vt ait S. Bernard. humiliatio sit via ad humilitatem, passio ad patientiam, mortificatio ad castitatem, ieiunium ad abstinentiam. Vera ergo conuersio fit per solidum, serium & efficax voluntatis propositum de mutanda vita, si illud crebrò innouetur, & in opus conferatur. *Auersio à Deo*, inquit Hugo de S. Victor, *fit tribus modis, vanitate mundi, voluptate sui, curiositate proximi. At conuersio fit confessione oris, compunctione mentis, mortificatione carnis; vt scilicet in ore veritas, in mente puritas, in carne pudica sit sobrietas.* Porrò internam hanc cordis conuersionẽ, & compunctionem ostendite *in ieiunio*, quo puniatis peccata carnis & gulæ, *& in fletu & in planctu*: quo non tantùm lachrymis profusis defleatis, sed & cum gemitibus, suspiriis, tunsione pectoris, complosione manuum, &c. ploretis & plangatis pristina scelera & cæcitatem vestram, ac ingratitudinem & iniurias mihi illatas.

Rectè enim Tertul. lib. de Pœnit. c. 9. pœnitentibus hosce actus & gestus ex prisco Ecclesiæ more præscribit: *Exhomologesis*, inquit, *prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conuersionem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque*

habitu ac victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere, illa quæ peccauit tristi tractatione mutare: caterùm pastum & potum puram esse, non ventris scilicet, sed animæ causa: plerumque verò ieiuniis preces alere, ingemiscere, lachrymari, & mugire dies noctesq; ad Dominum. Idem lib. 3. contra Marc. c. 18. ait, afflictos *in rebus attonitis, genibus positis, & manibus cadentibus pectus, & facie humi volutante orationem commendare debere.* A

Conuertimini ergo *ad me in toto corde*, vt scilicet omnes affectiones in vnum Deum referatis. Audi S. Bern. serm. 2. de Quadrag. *Attende solerter quid diligas, quid metuas: vnde gaudeas, aut contristeris: & sub habitu religionis animum secularem, sub panno conuersionis inuenies cor peruersum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est, & de his accipiendum puto quod dicitur, vt in toto corde tuo cõuertaris ad Dominum. Conuertatur proinde amor tuus, vt nihil omnino diligas nisi ipsum, aut certè propter ipsum. Conuertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia peruersus est timor omnis, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum, sic & gaudium tuum & tristitia æquè conuertatur ad ipsum. Hoc autem ita fiet, si non nisi secundùm eum doleas, aut lætaris.* B

VERS. 13. SCINDITE CORDA VESTRA] Solebant enim Iudæi in blasphemia & simili atroci scelere, æquè ac in graui luctu scindere vestimenta à capite vsque ad pectus, ait Arias, vt hac scissione ostenderent internum animi dolorem & displicentiam. Sed in multis hæc scissio erat mera ceremonia, hærens tantùm in veste, nec ex corde promanans. Iubet ergo Deus hic cor scindi, potiùs quàm vestem.

Quinque epitheta clementiæ Dei. QVIA BENIGNVS] Quinque epithetis declarat immensam Dei pietatẽ & clementiam erga peccatores pœnitentes. Primum est, quòd in eos sit *benignus*, hebr. חַנּוּן *channun*, id est misericors, gratiosus, benignus. Secundum est, quòd in eos sit *misericors*, hebr. רַחוּם *rachum*, id est miserator visceralis, siue cõmiserans ex intimis visceribus. Tertium est, quòd sit *patiens*, heb. אֶרֶךְ אַפַּיִם *erech appaim*, hoc est *longis*, id est latis, *naribus*, hoc est longanimis, patiens, tardus ad vindictam, facilis ad veniam. Qui enim latas habent nares, tardè irascuntur, & citò placãtur, quia iræ fumos naribus efflant: ex aduerso קְצַר אַפַּיִם *ketsar appaim*, id est, *angustis naribus*, significat facilem ad iram, & tardum ad veniam: quia iræ spiritus & fumos efflare nequit, sed reseruat, & in corde menteque continet, vti dixi Exodi 34. 6. Quartũ est, *multæ misericordiæ*, hebr. est, *multus pietate* & bonitate. Quintum, *præstabilis*, id est placabilis & pœnitens, *super malitia*, id est, afflictione & punitione, quam cõminatus est peccatoribus, vt scilicet pœnitente homine pœniteat & Deum, nec minarum decreta iis infligat, sed ea reuocet & aboleat. ita Hebr. Chald. S. Hiero. & alij. Hebr. enim est נִחַם *nicham*, id est *pœnitens super malitia*, vt vertunt Septuag. & Vatabl. *Deus*, ait Hugo Victor. *benignus est, quia iram inimicorum vertit in mansuetudinem: misericors, quia sanctiam in pietatem: patiens, quia contemptum in compunctionem: multus misericordia, quia odium in dilectionem: præstabilis super malitia, quia barathrum desperationis in gratiam prouehit contemplationis.* Vnde Arabicus vertit, *multæ misericordiæ potentia eius, & gratia eius, & auertens malum;* Syrus, *conuertens malitiam.* C

Præstabilis, id est placabilis, cur?

Nota hic rursum latinitatem, imò elegantiam nostri interpretis. Nam *præstabilis super malitia*, latinè ad verbum idem est, quod præstans, vel qui præstat, excellit & eminet malitiæ, hoc est iræ & vindictæ, qui maior & melior est malitiã, nec sinit se ab ea vinci aut regi, sed eam ipse vt dominus vincit & regit. ita Ribera. Ira enim est quasi fera tigris, & quasi indomabilis leæna: quis enim hominum furens ira & cholerã, eam domet & regat? Ira ergo dominatur irato, eique habenas rationis & imperij excutit, imò verò eum quasi mancipium sibi seruire & obsequi facit. Vnde Poëta:

Ira furor breuis est.

Et Cicero Tusc. 4. *An*, ait, *est quicquam similius insaniæ, quàm ira? Quam bene Ennius initium dixit insaniæ: color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum atque factorum, quam partem habent sanitatis? Quid Achille Homerico fœdius? Quid Agamemnone in torgio? nam Aiacem quidem ira ad furorem mortemq; perduxit.* Deus autem tam potens, tam sanctus, tam mansuetus est, vt iræ & vindictæ suæ ad nutum imperet: tam præstans & excellens est eius bonitas, vt omnem malitiam culpæ, quàm pœnæ peccatoribus decretæ, omnem vindictæ cupidinem, omnem puniendi sententiam in eos lætam, si pœniteant, mox reuocet & deleat. Vnde Hebr. *nicham* verti potest *consolabilis super malitia*. q. d. Deus malitiam, id est, iram & vindictam, quantumuis trucem, amarissimam & acerbissimam consolari, flectere & dulcorare potest, imò ipsam iram vertere in consolationem & beneuolentiam summam. Quanta esset vis & dulcedo mellis, quod fel, imò mare felleum dulcoraret? Longè maior est vis bonitatis Dei, dulcorantis omnem malitiam & amaritudinem. Hanc sibi proponant irati, in eaque quasi abyssso iras suas mergant & sepeliant. D

Porrò *præstabilis* Latinis idem esse quod præstans, excellens, eximium, patet ex Cicerone lib. de Amicitia, vbi ait: *Nihil amicitia præstabilius esse potest.* Et libr. 2. de Natura deorum: *Nil melius mundo, nihil præstabilius, nihil pulchrius.* Et lib. 2. de Orat. *Sumenda autem res* (oratori) *erunt aut magnitudine præstabiles, aut nouitate primæ, aut genere ipso singulares. Neque enim paruæ, neque vsitatæ, neque vulgares admiratione, aut omnino laude dignæ videri solent.* Et Gellius: *Chilo*, ait, *præstabilis homo sapientiæ.* Sic Deus *præstabilis*, id est præcellentis, eminentis & transcendentis, est misericordiæ, quæ oritur partim ex eius celsitudine & magnitudine animi immensa. Verùm enim est illud Ouidij lib. 3. Tristium eleg. 5.

Quo quisque est maior, magis est placabilis iræ,
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni,
Pugna suum finem, cùm iacet hostis, habet.
At lupus, & turpes instant morientibus vsi,
Et quæcunque minor nobilitate fera est.

Partim ex eius infinita bonitate. Boni enim viri proprium est, ait Plato, opus suum non destruere, sed perficere: perficitur autem pœnitentia ex parte destructi, & remissione ex parte Dei. Quod videns Moses, inter alia arcana sibi ostensa in Sina, dum Deum corpore vestitum à tergo intueretur, exclamauit: *Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia*, id est, in mille

mille generationes,&c. *qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam generationem.* Quantum ergo mille excedit quatuor, tantum bonitas & clementia Dei excedit iustitiam. Hoc est quod Ecclesia profitetur dicens: *Deus cui proprium est misereri semper & parcere.* Vide dicta Exodi 34.6.

Moral. fidelis hæc Dei sui, ad cuius imaginem creatus & per Christum recreatus est, attributa iugiter consideret, eaque imitari, induere, & moribus exprimere studeat. Scripsit S. Thomas hac de re opusc. 62. quod inscribitur *De diuinis moribus*, quo docet quomodo quindecim attributa Dei æmulari debeamus, itaque fieri diuini. Primum, inquit, est immutabilitas. *Apud* Deum enim *non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, Iac. 3. & ideo immutabilia sunt opera eius secundùm essentiam, scilicet angelus, anima, cælum & quatuor elementa. mutat quidem multa in mundo, sed omnis hæc mutatio est in creaturis, non in creatore. sæculares assiduè mutantur, & constantes sunt in sua inconstantia: sancti verò tendunt iugiter ad mentis constantiam, vt nec aduersis fracti, nec prosperis illecti à via recta detlectant; insuper eumdem semper in statu, incessu, omnique conuersatione vitæ piæ tenorem seruant. Secundum, omne bonum Deo placet, omne malum displicet: ita & sanctis placet omne bonum semper & vbique, & in qualibet creatura, omnibusque bonum, id est, gloriam Dei & salutem proximi impugnantibus fortiter resistunt, multò magis omni malo, id est, peccato. Tertium, Deus præuidet & prouidet omnia: ita sancti præuidet tentationes, contra easq; se muniunt; item nouissima, putà mortem, iudicium, itaque suis rebus & saluti æternæ prospiciunt. Quartum, Deus patiens est, quin & solem suum oriri facit super bonos & malos, ac pluit super iustos & iniustos: ita & sanctorum propria virtus est patientia, qua inimicos non tantùm tolerant, sed & amant, eosque benefactis obruere & amicos reddere studeant. Rursum, patienter sustinent tot scelera, tot rapinas, tot oppressiones, tot strages & clades, publicas & priuatas, quæ in hoc mundo fiunt; sicut Deus eadem sustinet. Hoc enim commendat omnipotentiam Dei: non enim est magnæ potentiæ iniquum in foueam inferni demergere; sed misericordiam suam parcendo maximè, & miserendo manifestare. Quintum, Deus est iustus, adeò vt quantū est ex parte ipsius, nullus ex alterius malitia recipiat detrimentum. Nihil enim nocet S. Michaeli casus Luciferi, nec Iudæ malitia Petri charitatem imminuit: secùs faciunt mundani, qui vnius, v. g. Religiosi aut clerici peccatum, in totum Ordinem & statum Ecclesiasticū refundunt: at sancti Dei iustitiam imitantur. Sextum, Deus est rectus, nihil facit ex priuato amore vel odio, numquā propter iustitiam misericordiam deserit, nec propter misericordiam iustitiam derelinquit: idem facere student sancti. Septimum, Deus est liberalis, & cōmunicat ex suo quicquid communicabile est, etiam iis qui id non petunt, imò negligunt & contemnunt. Ita angelis communicauit suam beatitudinem, Apostolis suam potestatem ligandi & soluendi, Prophetis suam præscientiam, Doctoribus suam sapientiam, Martyribus suam fortitudinem, Confessoribus suam constantiam inter

A læta & tristia, virginibus suam puritatem: ac speciatim Mosi suam mansuetudinē, Iosepho suam prouidentiam, Eliæ suum zelum, Samsoni suum robur, Salomoni suam prudentiam, Dauidi suam misericordiam, B. Petro suam charitatem, S. Ioanni suam castitatem, S. Paulo suam magnanimitatem: sic & sancti oculos habent ad videndum pro aliis, aures ad audiendum confessiones, os ad prædicandum, pedes ad ambulandum, cor ad meditandum pro aliorum salute. Octauum, Deus est placabilis: nam pœnitentibus ita offensas, etiam grauissimas, condonat, vt numquam illarum recordetur, eosque ita diligit, imò magis, quàm antè: ita & sancti iniuriæ obliuiscuntur, familiaritatē suam lædentibus non subtrahunt, imò omnia probra condonant, & pro exprobrātibus orant. *Octauum.*

B Nonum. Deus est benignus iis qui eum grauissimè offenderunt, imò suis irrisoribus & crucifixoribus, quos gratia sua præuenit, vocauitque ad pœnitentiam, gratiam & gloriam: ita nihil facit Deo sic similem, ait S. Chrysost. atque malignis & lædentibus esse benignum & clementem, cùm sit cumulus perfectionis inimicos diligere, & pro ipsis orare, vti fecit Christus in cruce. Rursum, Deus à nemine exigit quidquam supra vires in pœnitentiis, ieiuniis, orationibus, eleemosynis, omnique disciplina; sed paucis lachrymis & gemitu, imò corde dolente & contrito contentus, omnia scelera indulget: sic sanctus neminem grauat supra vires, sed tantùm exigit id, quod facilè præstare potest. *Nonum.*

Decimum. Deus est verax in dictis & promissis, vt patet in C oraculis hisce Prophetarum: ita sanctus verax & fidelis est, tum Deo in fide, cultu, obedientia ac votis; tum proximo in omnibus dictis & factis: quia *qui veritatem odit, odit Christum*: &, vt ait S. Chrysost. *veritatis proditor est non tantùm ille qui mentitur, sed etiam qui liberè veritatem non pronunciat aut defendit, cùm opus est.* Vndecimū, Deus non est acceptor personarum, vt diuites & potentes præferat pauperibus & miseris, imò hos illis anteponit & euehit; vti euexit Dauidem, Saulem, Gedeonem, Iosue, &c. ad regnum & principatum. & in donis gratiæ non respicit naturæ dotes; atque in donis gloriæ nil nisi merita intuetur; denique æqualis est ei cura de omnibus: ita & sanctus tam amat & curat pauperes quàm diuites, tam peregrinos quàm ciues, tam imò magis, afflictos quàm felices: nam æquè omnes iuuare, & ad salutem dirigere satagit. Duo- *Vndecimū.*

Duodecimū. decimum, Deus nulla re turbatur, sed in omnibus rebus & euentis est æquanimis: ita sanctus D vitat omnem turbationem; quia modica, vel potiùs nulla gratia quiescere potest in anima turbata. Hinc maledicta & malefacta proximorum dissimulat, & cum Dauide quasi surdus ea non audit, & quasi cæcus ea non videt: quia totus in Deo, Deique voluntate & dilectione defixus est & conquiescit. Decimumtertium, Deus non quærit commodum suum, sed in omni opere creationis, cōseruationis, gubernationis, redemptionis, &c. spectat bonum hominum & creaturarum: sic & sanctus non quærit quæ sua sunt, sed purè Dei gloriam, & proximorum vtilitatem in omnibus actibus suis procurat: quia quanto magis & puriùs Deum respicimus, & quanto minùs nostram, magisque proximi vtilitatem attendimus, tanto acceptabilius est Deo, & tanto *Decimum-tertium.*

vni-

Decimum-quartum. vniuersitati fructuosius est opus nostrum. Decimumquartũ, Deus omnia bene & perfectè facit in operibus naturæ, æquè ac gratiæ, siue sit ventus, siue pluuia, siue calor, siue frigus, siue sterilitas, siue vbertas, &c. pro illo tempore nil melius fieri potest: quia immensa sua sapientia singula perfectè suo tempore operatur: sic & sanctus studet esse in singulis operibus suis perfectus, quia tota salus eius, & omnis laus Dei, ac vniuersitatis vtilitas ex vno opere penderet; & quasi numquã ad illud esset reuersurus, neque aliud opus incepturus: vnde in eo conquiescit, donec illud absoluat & compleat. Qui enim cupit aucto; absoluere, ideoq; festinat, vt ad aliud se transferat, minuit affectum & conatum operis, lasseſcit, & facilè ab incœpto desistit. Decimumquintum, Deus non punit bis idipsum: idem facit sanctus, qui in hoc, & in reliquis vniuersis studet se per omnia conformare sanctissimæ Dei voluntati. Hæc summatim, quæ fusè D. Thomas opusc. 62.

Decimum-quintum.

VERS. 14. QVIS SCIT SI CONVERTATVR?] Ita vertunt & Septuag. Vatabl. & alij passim, licèt enim י֝ *si* non sit in Hebræo, tamen de more ex phrasi Hebræa subintelligitur. Vox *si* significat dubitationem Prophetæ de venia Iudæis, etiam pœnitentibus apud Deum impetranda: licèt enim certò sciret Deum pœnitentibus semper remittere offensam, id est, culpam & pœnam æternam; tamẽ sciebat pariter Deum non semper pœnitentibus remittere pœnam temporalem, qualis hîc erat excidium Iudææ per Chaldæos à se decretum & comminatum. De illa ergo dubitans Propheta, ait: *Quis scit si conuertatur, & ignoscat?* id est, an fortè ignoscat. q.d. Spero eum ignosciturum, at asserere & promittere non audeo. Simili modo Deus Dauidi pœnitenti culpam homicidij & adulterij remisit, non pœnam: nam eum puniuit morte filij, & priuatione regni in persecutione Absalonis. 2. Reg. 12. 10. ita S. Hieron. Theodor. Ruffin. Rupert. & alij. Chald. ex Hebræo, omisso *si* vertit assertiuè, & paraphrasticè hoc modo: *Qui scit apud se esse peccata, discedat ab eis, & misericordia applicabitur ei, & quicumq; pœnitentiam egerit, remittẽtur ei peccata sua, & recipiet benedictiones ac consolationes, & erit eius oratio sicut viri qui offert oblationes, & libamina in domo sanctuarij Domini.*

ET IGNOSCAT] וְנִחַם *venicham*, id est *& pœniteat*, hoc est, reuocet sententiam, non vastando Iudæam per Chaldæos, vti decreuerat.

ET RELINQVAT POST SE BENEDICTIONEM] Est prosopopœia: loquitur enim de Deo, quasi de homine offenso, qui pœnitentia amici à quo offensus est placatus, iram & offensam ponens, ad amicum redit blandus & serenus, imò cum munusculis & donis, quæ deinde abiens illi relinquit, tamquam symbola amicitiæ redintegratæ. q.d. Simili modo Deus vobis, ô Iudæi, relinquet benedictionem, id est frugum & bonorum omnium copiam, ex qua illi in gratiarum actionem *sacrificium & libamen* crebrò & largè offerre possitis. Paulò aliter *ὀπίσω post se* explicat Christoph. à Castro. q.d. Post suam vindictam, putà post 70. annos captiuitatis Babylonicæ.

VERS. 15. CANITE TVBA IN SION] vt sono tubæ omnes conuocetis ad publicam supplicationem & litaniam ad tantam cladem auertendam. Iudæi enim ad populum conuocandum vtebantur tubis, ex præscripto Dei Num. 10. 1. non campanis. hæ enim propriæ sunt Christianorum: & initio quidem fuerunt minores, sed pace Ecclesiæ reddita per Constantinum paulatim grandiores factæ. nomen autem campanarum acceperunt à loco, vbi primò maiores factæ sunt, nempe à ciuitate Nola in Campania; vnde & minores campanulæ, dicuntur Nolæ. Ita Ration. diuin. offic. li. 1. c. 4. n. 1. Cardinal. Baron. tom. 1. anno Christi 58. Iudocus Lorichius in Thesauro Theolog. verbo *Campana*.

Ex hoc loco refellitur Lutherus, & eum secuti Magdeburgenses centuria 3. c. 10. in Tertull. qui processiones & litanias publicas referunt ad Montani hæretici ceremonias, & Tertullian. errores. Nam illas hoc loco Deus indici iubet per Prophetam, vti & Iosue cap. 6. 4. vbi per illas corruerunt muri Iericho. Easdem indixit Dauid 1. Paral. 13. 2. & Iosaphat 2. Paral. 20. 21. imò eas sanxit Christus suo facto & exemplo, dum publica populi processione ingressus est Hierosolymam in die palmarum, Matt. 21. 8. Ita Gregorius Magnus in publica lue & peste publicas litanias indixit, quibus auersa est ira Dei & plaga, vt ipse testatur li. 11. epist. 2. Et Carolus Magnus Imp. li. 6. legum c. 74. *Litania*, inquit, *maior mox Romano septimo Calend. Maij celebretur.* Eamdem sanxit Concilium Moguntinum habitum anno Christi 813. c. 33. Ita anno 36. imperij Theodosij Imp. cùm Constantinopolis terræ motu quateretur, totus populus supplicans inclamauit *Kyrie eleison*, acpuer raptus in cælum iussus est Episcopo & populo nunciare, vt litanias facerent, dicerentque: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis.* Proclus ergo Episcopus hac susceptа litania præcepit populo sic facere, & statim terræ motus cessauit, inquit Paulus Diaconus lib. 14. Var. hist. Plura vide apud Iodocum Coccium in Thesauro Cathol. p. 2. li. 3. a. 7. Verè S. Leo serm. 3. de ieiunio septimi mensis c. 3. *Plenissima*, ait, *peccatorum obtinetur abolitio quando totius Ecclesiæ vna est oratio, & vna cõfessio: si enim duorum vel trium sanctorum pio consensui, omnia quæ poposcerit, Dominus præstanda promittit, quid negabitur multorum millium plebi vnam obseruantiam pariter exequenti, & per vnum spiritum concorditer supplicanti?* Et Tertul. in Apologetico: Publica, ait, omnium oratione, *quasi manu facta expostulamus, & vim facimus Deo. Sed hæc vis grata est Deo.*

SANCTIFICATE IEIVNIVM, indicite sanctum ieiunium. Vide dicta cap. 1. v. 14. VOCATE COETVM] Mysticè S. Bernard. sermon. 4. de ieiunio Quadrag. *Sint*, ait, *ieiunio nostro, vt facilè cælos penetret, duæ alæ, orationis scilicet & iustitiæ*, vt reddas fratri vnitatem & pacem, quam debes. vnde ait: *Vocate cœtum. Quid est enim cœtum vocare? Vnitatem seruare, diligere pacem, fraternitatem amare. Superbus ille Pharisæus ieiunium habuit, ieiunii sanctificauit, qui nimirum & ieiunauit bis in sabbatho, & gratias egit Deo: sed non vocauit cœtum, dicens: Non sum sicut cæteri hominũ, ideoq; ala vna nitens ieiunium eius, non peruenit in cælum. Vos ergo charissimi lauate manus vestras in sanguine peccatoris, & omnino solliciti estote vt alas duas habeat ieiunium vestrũ, sanctimoniã scilicet, & pacem, sine qua nemo videbit Deum. sanctificate ieiunium, vt pura intentio & deuota oratio diuinæ illud offerat Maiestati. Vocate cœtum, vt congruat vnitati; laudate Dominum in tympano & choro, vt concors sit mortificatio carnis.*

SAN-

Vers. 16. SANCTIFICATE ECCLESIAM] q.d. Facite qua monendo, qua exhortando, qua minando, qua sanctæ vitæ exemplo præeundo, vt totus ecclesiæ populus se Deo suo sanctum præstet, itaque eius offensam placet, eumque sibi reconciliet. ita S. Hieron.

COADVNATE SENES] q. d. Congregate omnis ætatis, ordinis & sexus homines, vt omnes clamét in cælum, flagitentq; misericordiã, eamq; communi omnũ voce, quasi armata manu, à Deo extorqueant. Nominat præcæteris *senes*, quia hi efœta ætate solent esse puriores à vitijs carnis, & ob affectam debilemq; valetudinẽ proniores ad preces & vota. Item *paruulos & sugentes vbera*, vt hi innocentes suo miserabili vagitu aures Dei pulsent, flectantq; ad misericordiam. Sic de paruulis ab Herode occisis ait S. Aug. serm. 1. de Innocentibus: *Miserebatur lamentatio matrum, & ad cælum transibat oblatio paruulorũ*, Deum cõcilians matribus totique Iudææ. Sic pullos coruorũ lamentabili crocitatione, quasi naturali prece, poscere cibum à Deo, docet Psaltes psalm. 146. 9. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Et leunculos suo rugitu, *Catuli leonum*, inquit, *rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi*, psal. 103. 21. Et v. 27. de omnibus animalibus ait: *Omnia à te exspectant, vt des illis escam in tempore.* Hæ enim sunt quasi naturales animalium obsecrationes, quibus tacitè ab auctore naturæ postulant cibum & potum sibi congruum. Vnde Deus illorum conditor eas audit & exaudit, dum cuique escam prouidet & largitur. Adde, paruulos hos suo ploratu excitare parentes & vicinos, vt feruentiùs orent & plorent.

EGREDIATVR SPONSVS] q.d. Sponsi & sponsæ cõplexibus & voluptate thalami abstineant, ac dent se pœnitentiæ & lachrymis, adeantque ecclesiam, vt vna voce omnes vociferentur in cælum, flagitantes veniam. Docet hîc Propheta, tempore publicæ calamitatis, pœnitentiæ & supplicationis coniugibus abstinendum coniugio, vt meliùs se dent orationi: quod & docet Apost. 1. Cor. 7. 5. Et Rituale Romanum iubet, vt Pastores hac de re moneant coniuges, dum eos matrimonio coniungunt. Ita Nicolaus I. in respons. ad quæst. Bulgar. cap. 50. scribit vt toto tempore Quadragesimæ, vtpote orationis & ieiunij, vsu coniugij abstineant. Ita Noë eo abstinuit toto tempore diluuij degens in arca, idque volente Deo, vti ex S. Ambros. dixi Gen. 8. 16.

Symbol. Hugo Victor. *Sponsus*, inquit, id est *sapiens, egrediatur de cubili suo, id est, de studio sapientiæ: & sponsa de thalamo suo, id est, de priuilegio deserendat contemplatiuæ gratiæ: & squalorem subeant pœnitentiæ, obtentu quærendæ veniæ.*

Vers. 17. INTER VESTIBVLVM ET ALTARE] Nota ex lib. 3. Reg. 6. templum Iudæorum propriè tantùm duas continuisse partes, scilicet Sanctum, & Sanctum sanctorum; sed ante se habuisse vestibulum, siue porticum, quam Aquila vertit, προναον, quasi præuiam templo. Hebr. vocatur אולם *ulam*, id est, colligatum & connexum templo; Symmach. vertit, προπύλαιον, q.d. *Ante fores, proforium*: idque duplici de causa; prior, ad dignitatem basilicæ & ad maiestatem incolarum. Hac enim de causa palatiis addi solent vestibula, vt docet Vitruuius li. 6. c. 8 sic Romæ ante basilicã S. Petri, S. Laurentij, S. Clementis, S. Crucis, &c. A videmus vestibula, siue porticus suis columnis subnixas. Posterior, ad aduentantium stationem. Vnde Macrobius lib. 6. c. 8. *vestibulum* dici putat quasi *ve stabulum*, vel *ve statio*: *ve* autẽ tum intensionem significat, tum minutionẽ. Nam *vetus* dicitur abætatis magnitudine, quasi ve, id est magna, ætas: *vehemens* quasi vi mentis instructum. *Vecors* autem & *vesanus* priuationem significant sanitatis & cordis. Ergo locum ante fores relictũ dici putant vestibulũ à stationis excessu: quia in eo diu stabant aduentantes, domus dominũ saluraturi, exspectantes audientiã. Et Gellius li. 16. c. 1. Vestibulum dici putat, quasi venientium statio. Seruius verò, quòd ianuam vestiat; vel quòd Vestæ consecratum esset. Vnde nubentes puellæ limen non tangunt. Hinc Lucanus lib. 2.

Vestibulũ: quod eius etymon.

Transiata vetuit contingere limina planta.

B Porrò vestibulum hoc templi ad magnificentiã habebat in altitudine 120. cubitos, vti docet Villalpando li. 3 de Templo c. 46. Erat ergo instar ingentis turris: vnde in eius pinnaculo, hoc est culmine, statuit diabolus Christum, eum tentans & dicens: *Mitte te deorsum*. q. d. Si tu es filius Dei, ergo hoc tuum est templum: mitte ergo te deorsum, vt illæsum te sistas inter vestibulum & atrium sacerdotum; illiqueæquè ac laici, hoc miraculum videntes, te vt templi dominum, Deique filium agnoscant & colant. ita Franc. Lucas in Matth. 4. Nam ante hoc templi vestibulum, erat atrium sacerdotum sub dio: & in eo erat altare holocaustorum: post hoc atrium sacerdotum sequebatur atrium extimum laicorũ, quod ab atrio sacerdotum diuidebatur muro trium cubitorũ altitudinis, teste Iosepho li 8. Antiq. 2. ita vt populus spectare posset sacerdotes, holocausta, cæteraque quæ fiebant in atrio sacerdotum, non autem illud ingredi.

M. 4.

C Iubet ergo hîc Propheta sacerdotibus, vt inter templi vestibulum & altare holocaustorum, id est in atrio suo, sed proximè ad vestibulum & templum, supplices orent & plorent: idque Primò, quia decebat eos proximè ad templum, in tanta populi necessitate supplicare. Secundò, vt populus eos spectare posset, & eorum exemplo accendi ad communes preces & comploraciones. ita S. Hieron. Lyran. Ribera, à Castro, Villalpando & alij. Tertiò, quia sacerdotes priùs sacrificabant, & per victimas pro peccato, & holocausta parabant sibi aditum ad Deum, vt deinde accedentes ad vestibulum templi, sua vota precesque Deo supplices offerrent. Qua re tropol. significabatur, accedenti ad orationem præmittendam esse mortificationem: altare enim holocaustorum symbolum erat mortificationis, templum orationis.

D Denique in hoc loco à Ioële hîc designato occisus est & Martyr occubuit Zacharias Propheta, de quo Christus Matth. 23. v. 25. ait: *Vsq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare*: quod hîc dicitur, *Inter vestibulum & altare*. Vestibulum enim templo erat connexum, & quasi pars extima templi: quare nomine templi comprehendit illud Christus. *Plorabunt*, id est prostrati, cinereque & sacco operti plorent & dicant: *Parce Domine*. Hebræi enim sæpè futurum capiunt pro imperatiuo vel subiunctiuo. ita S. Hieron.

Nota hîc, sacerdotum esse flere & plorare peccata

cata populi. Ita olim pij sacerdotes fluebant lachrymis in sacrificio. hac de causa sudario vtebantur, vti etiamnum vtuntur. Audi Amalarium li. 3. de Eccles. offic. c. 24. *Propter effusionem lachrymarum tergendam fertur sudarium, vt in Martyrologio Bedæ legitur* 19. *Iulij, quòd Pater noster Arsenius propter redundationē lachrymarum tergendam, semper sudarium in sinu vel in manu habuerit. In manu sinistra portatur, vt ostendatur in temporali vita, tædium nos pati superflui humoris, hoc est, carnalis delectationis.* Porrò Beda in Collectan. agens de vestibus sacerdotum tom. 3. hoc sudarium vocat mappulam, siue amapham, ita dictā à mundando sudore & humore; eamque ait sacerdotē gestare in sinistra. Vnde videtur, quòd mappula hæc fuerit manipulus: nam & manipulus videtur dici quasi manus mappula; quodq; in locum mappulæ, deficiente deuotione & lachrymis sacerdotum, successerit noster manipulus. Quocirca Amalarius inter vestes sacerdotis non nominat manipulum, sed eius loco ponit sudarium. Hinc & sacerdos induens manipulum ait: *Merear Domine portare manipulum fletus & doloris, vt cum exultatione recipiam mercedem laboris.* Manipulus ergo eum moneat compunctionis, deuotionis, & lachrymarum priscorum sacerdotum.

Manipuli sacerd. origo & vsus.

A

B

NE DES HEREDITATEM TVAM (populum tuum, de quo dixisti: *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius*, Deut. 32. 9. &, *Eritis mihi in peculium de cunctis populis*, Exodi 19. v. 5.) IN OPPROBRIVM, VT DOMINENTVR EIS NATIONES] Chaldæi.

QVARE DICVNT (id est dicent; Septuag. *ne dicant*) VBI EST DEVS EORVM?] q. d. Si nos tradis Chaldæis, Gentes & nos, & te, ô Domine, subsannabunt & blasphemabūt dicentes: Deus Hebræorum suos Iudæos deseruit, quia infirmus eos contra Chaldæos tutari non valuit; aut, si valuit, immisericors & crudelis noluit. Auerte hæc probra à te, à nomine tuo glorioso.

C

18. Zelatus est Dominus terrā suam, & pepercit populo suo.

19. Et respondit Dominus, & dixit populo suo: Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini eis: & non dabo vos vltrà opprobrium in Gentibus.

20. Et eum, qui ab Aquilone est, procul faciam à vobis: & expellam eum in terram inuiam & desertam: faciem eius contra mare Orientale, & extremum eius ad mare nouissimum: & ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius, quia superbè egit.

D

21. Noli timere terra, exulta & lætare: quoniam magnificauit Dominus vt faceret.

22. Nolite timere animalia regionis: quia germinauerūt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus & vinea dederunt virtutem suam.

23. Et filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum, sicut in principio.

24. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo.

25. Et reddā vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca fortitudo mea magna, quam misi in vos.

26. Et comedetis vescentes, & saturabimini: & laudabitis nomē Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum: & non confundetur populus meus in sempiternum.

27. Et scietis quia in medio Israel ego sum, & ego Dominus Deus vester, & non est amplius: & non confundetur populus meus in æternum.

ZELATVS EST (zelabitur, id est, amore & zelo prosequetur) DOMINVS TERRAM SVAM, Iudæam: ET PEPERCIT, id est parcet, POPVLO SVO, cùm Cyrum flectet, vt eos è Babylone in Iudæam liberos dimittat, scilicet postquam eos captiuitate septuaginta annorū puniuerit, in eaque contritos, pœnitentes sibique supplicantes, vti præcessit, audierit. Consolatur de more Propheta suos post minas & supplicia. vide canon. 12. in S. Hieron. & alij passim. Vnde Arabicus vertit, *zelatus est Dominus terræ, & pepercit populo suo.*

Tropolog. vide hîc fructum contritionis & pœnitentiæ, quæ Deum non tantùm ad misericordiam & amorem, sed & ad zelum parcendi, & tuendi pœnitentes excitat & accendit. Quare meritò exclamat hîc Hugo Victor. *O fructuosa & virilis pœnitentia! O virago amplectenda, mediatrix peccatorum fidissima! O secunda naufragij tabula! O refugium pauperum, miserorū auxilium! exulum spes, debilium fomes, lumen cæcorum, petulantium vinga, vitiorum fera, virtutum apotheca! quæ sola iudicem flectis, conditorem arguis, Omnipotentem sternis, dum vinceris vincis, dum cruciaris crucias, dum vulneras sanas, dum salubriter succumbis gloriosè triumphas. Tu sola cæteris silentibus, thronum gratiæ audacter conscendis.* Probat id & illustrat exemplis: *Dauid*, inquit, *manu ducens reconcilias, Petrū restituis, Paulum illuminas, Publicanum sumptum de telonio Apostolorum fidenter inferis choro: Mariam de prostibulo leuas in æthera, & iungis Christo: Latronem affixum patibulo adhuc vernantem sanguine inseris paradiso. Quid plura? Tui iuris est cælestis curia.* Et mox per antitheta, mala culpæ inflicta c. 1. 10. bonis (quæ sequuntur v. 22.) pœnitētiæ opponens, & emendans: *Contra terræ vastitatem*, inquit, *ipsius opponit vbertatem: contra famem saturitatem: contra opprobrium gloriæ securitatem: contra crudelitatem & incursionem hostium, ipsorum fœtorem & interitum: contra sterilitatem fructuum, & arborum ariditatē, ipsorum germina & vbertatem: contra famem verbi & sitim doctrinæ fontem vitæ inducit, & doctorem iustitiæ: contra tristia gaudium, contra confusionem solatium, contra conuiciorum gloriam, contra mortem vitam, contra cinerem coronam.*

RESPONDIT DOMINVS, per me Ioëlem hoc vi loco: ECCE EGO MITTAM VOBIS FRVMENTVM] quod abstuli per erucam, locustam, bruchum & rubiginem, c. 1. 4.

ET NON DABO VOS VLTRA OPPROBRIVM] *Vltrà*, id est in longum tempus, putà hoc sæculo, vel

vel quamdiu durabit veſtri memoria. Sic ד *non vltrà*, non perpetuum, ſed longum, & immemoriale tempus ſignificat, 3.Reg.10.10. 4.Reg.6. 23.& alibi.

Et evm qvi ab Aqvilone est (Aquilonarem tyrannum) procvl faciam a vobis]

Quæres quiſnam hic Aquilonaris? S.Hieron. Theodor.Remigius,Albertus & Hugo accipiunt Sennacherib, quem Dominus longè fecit à Ieruſalem: quia dum eam obſideret, angelus Domini vna nocte percuſſit centum octuaginta quinque millia militum, itaque eum fugere compulit.4.Reg.19.35.

Verùm Ioël tota prophetia agit de vaſtitate Iudæis imminente, non à Sennacherib, ſed à Nabuchodonoſor & Chaldæis, vti iam ſæpiùs dixi. Hic enim veniens ab Aquilone, id eſt è Chaldæa, cepit & vaſtauit Ieruſalem, ac Iudæos in captiuitatem Babylonem abduxit. Vnde Ieremias c.1. 14. comminans eius cladem, eumdem vocat Aquilonem: *Ab Aquilone*, inquit, *pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ*. Hunc Deus procul fecit & abegit à Iudæis, dum eius filium, vel nepotem Balſaſarem cum vrbe Babylone, totoque regno per Cyrũ euertit. Quocirca Chaldæi, qui tum in Iudæa degebant, illique præſidebant, vt patet Ierem 40.10. audita hac Balſaſaris domini ſui clade, perterriti fugerunt in inuias ſolitudines partim verſus mare mortuum, ſitum ad Orientem Iudææ; partim verſus mare Mediterraneum ſitum ad Occidentem eiuſdem, multique ex illis à Iudæis & Perſis cæſi ſunt, ita vt occiſorum fœtor & putredo aërem compleret, ſicque puoita eſt eorum ſuperbia & tyrannis, qua populum Dei ſuperbè opprimebant. ita Theodor. & à Caſtro.

Secundò, S.Hieron. & alij multi mox citandi, per hunc venientem ab Aquilone, melius & plenius intelligunt Holofernem, qui miſſu alterius Nabuchodonoſoris regnantis in Niniue, Iudæos Babylone reuerſos inuaſit; ſed euerſus & cæſus eſt à Iudith. De eo enim dicitur; *Venit Aſſur ex montibus ab Aquilone, in multitudine fortitudinis ſuæ*, Iudith 16.5. Cæſo enim Holoferne, milites Aſſyrij fugerunt in inuia, diſperſique ſunt verſus mare Occidentale & Orientale. Iudæa enim ab Occaſu habet mare Mediterraneum, quòd hîc nouiſſimum dicitur, ab Oriente verò habet mare Galilææ, quod & Genezareth & Tiberiadis dicitur, è regione cuius erat Bethulia, vbi fugati ſunt Aſſyrij. q.d. Exercitum immenſum Holofernis, qui videbatur pertingere à mari Galilææ vſque ad mare Mediterraneum, quaquauerſum in omnem mundi plagam diſpergam. Probatur hæc explicatio ex eo, quòd poſt reditum populi è Babylone in Iudæam, in eaque pacem & copiam frugum, Deus promittit hanc de tyranno ab Aquilone venturo victoriam: at nec in Scriptura, nec apud Ioſephum, alium tunc ex Aquilone veniſſe legimus, niſi Holofernẽ. Adde, huic magis congruit, quòd hîc dicitur de fuga militũ ad mare Galilææ & Mediterraneum, quàm Nabuchodonoſori & Chaldæis. ita Ribera. Licèt enim Pererius in c.1. Danielis, Genebr l.2.Chronol. Canus l.11. de Locis c.6. à Caſtro hîc, Serarius in c.1.Iudith, & nonnulli alij putent hiſtoriã Iudith cõtigiſſe ante captiuitatem Babylonicam ſub Manaſſe rege Iuda; tamen Suidas v. *Iudith*, & Iulius Africanus apud eumdẽ, S.Auguſt.l.18.de Ciuit.26.Euſeb.in Chron. Beda de Tempor.Rabanus, Hugo Card. Dionyſ.in Iudith c.1.Gerardus Mercator in Chronol. Ribera & alij multi putant poſt eam contigiſſe, regnante vel Cambyſe, vel Dario Hyſtaſpis, vel eius filio Xerxe.de quo plura dixi in libro Iudith.

Alleg. Aquilonaris hic tyrannus eſt diabolus, qui quaſi Boreas frigus, id eſt acediam & torporem, mentibus hominum immittit, hiememque virtutum & bonorum operum inducit: ſed hunc fugauit Chriſtus, qui quaſi Auſter, calorem & feruorem mentibus Apoſtolorum & fidelium aſpirauit. Vnde de eo dicitur Cant.4.16. *Surge* (tranſi, abi) *Aquilo, & veni Auſter: perfla hortum meum, & fluant aromata illius*, putà aromata virtutum, ait ibidem Theodor.& Nyſſenus. Vnde Richard. de S.Victore ibidem addit: *Per Aquilonem enim colliguntur aquæ ne fluant; inde dictus eſt Aquilo quaſi aquas ligans.* Hinc & *Deus ab Auſtro veniet*, ait Habacuc cap.3.3. Porrò Hugo Victor. ſingula ita adaptat: Is qui ab Aquilone eſt *apoſtata angelus, qui per incarnationem Chriſti, per verbum fidei, per grátiam baptiſmi expulſus eſt in terram inuiam, id eſt, in ariditatem Gentilis & Iudaici populi.* Vnde Chriſtus: *Cùm*, ait, *immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiem*, Matth.12.43. Pergit Hugo: *Mare Orientale ſunt electi, nouiſſimum reprobi, facies intentio, extremum incluſio. vel mare Orientale ſunt primitiæ electionis Gentium, nouiſſimum crudelitas Iudæorum: fœtor eius eſt mors Antichriſti: putredo ſuper eum, ſententia iudicij.* Vnde de his ait Iſaias cap.vlt.v.vlt. *Egredientur* (beati) *& videbunt cadauera virorũ qui præuaricati ſunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.* Vide ibi dicta. Arabicus vterque vertit, *Occidentalem* (vel *Occidentem*) *expellam à vobis*. Sub Aquilone enim intelligitur ei vicinus Occidens, in quẽ tendunt reprobi: diabolus enim eos trahit in occaſum; ſicut ſub Auſtro intelligitur ei vicinus Oriens, in quem tendunt ſancti & beati.

Chriſtus eſt Auſter, diabolus eſt Aquilo.

Moraliter: *terra eſt reproba anima: inuia eſt, quia ſine viſitatione angelorum: deſerta, quia ſine fructu virtutum, & ſemine morum: dæmonis expulſio eſt peccati confeſſio: mare Occidentale, eſt mens per compunctionem amara, per deuotionem contemplationis Oriens facta: mare nouiſſimum, eſt mens fœtore conſcientiæ amara, deſperatione venia abſorpta: facies eius, aſtuta intentio nocendi: extremum eius, furor & inſania triumphandi: fœtor eſt odium peccati, putredo contemptus mundi.* Hucuſque Hugo.

Mare Orientale] *Mare Orientale* eſt mare Galilææ, vel potiùs mare mortuum, ſiue lacus Aſphaltites, in quem verſa eſt Sodoma & Pentapolis, dum cæleſti igne conflagrauit, quod proinde vocatur mare ſalſiſſimum, & ponitur limes Iudææ, ſiue terræ Iudæis promiſſæ ab Oriente, Num.34.3. Sicut ibid.v.9. limes eiuſdem ab Occidente ponitur mare magnum, ſiue Mediterraneum. ita S.Hieron. Albert.Lyran. Minùs rectè ergo aliqui per *mare Orientale* accipiunt Oceanum. Hic enim non tangit Iudæam, atque tam verſus Meridiem aliaſque mundi plagas, quàm verſus Orientem porrigitur.

Loquitur hîc iugiter Propheta de exercitu Aſſyriorum, vel Chaldæorum ſub allegoria locuſta-

cuſtarum, atque alludit ad plagam locuſtarum, Ægypto à Moſe inflictam. Has enim orãte Pharaone tollens Moſes, induxit ventum occidentalem, putà Zephyrum, qui *arreptam locuſtam proiecit in mare rubrum*, Exodi 10.19. Simili enim modo Deus Aſſyrios diſperſit ex Iudæa, vt fugerent verſus eius limites, putà verſus mare mortuum, & ad mare Mediterraneum in exteras regiones.

ASCENDET FVTREDO EIVS] Hebr. אַבְאָנוֹ *tſachanato*. quod S.Hieron. Tigur. & alij vertunt, *putredo eius*; Septuag vertunt βρόμος αὐτῶν, quod Romani vertunt pariter *putredo eius*. Sed Complut. vertunt, *ſonitus eius*: quia βρόμος & putredinem ſiue fœtorem putidum, & ſonitum ſiue crepitum, fremitum & mugitum ſignificat. Hic tamen potiùs putredinem & fœtorem vertas: hunc enim ſignificat hebr. *tſachanato*, vt vertit S.Hieron. Tigur. & alij. B

VERS.21. NOLI TIMERE TERRA] Iudææ ſcilicet, Iudææ enim, id eſt eius incolis, putà Iudæis poſt reditum è Babylone promittit bona quælibet temporalia, eaque per antitheſin malis ſingulis, quæ iiſdem comminatus eſt c.1.v.4. & ſequ. opponit. ita S.Hieron. Theodor. Hugo & alij. Myſticè, ſub hiſce temporalibus intelligit bona ſpiritualia per Chriſtum danda, ad quæ ſenſim aſſurgit: *Omnibus*, ait S.Hieron. *quibus ſuprà comminatus fuerat, nunc contraria pollicetur, & lætis triſtia mitigat, & lachrymas vertit in riſum.*

QVONIAM MAGNIFICAVIT DOMINVS VT FACERET] Hoc eſt magnificè Deus tecum fecit, id eſt faciet: magnifica tecum facturus eſt, magna tua rerum damna maiore copia & magnificentia ſarciet, imò obruet. Eſt hebraiſmus: repetitur enim ל *vt faceret*, quod continetur in voce *magnificauit*. C

VERS.22. NOLITE TIMERE ANIMALIA REGIONIS, præ fame & defectu paſcuorum ſqualentia & tabeſcentia, vt dixit c.1.v.vlt. QVONIAM GERMINAVERVNT SPECIOSA DESERTI] q.d. Poſt reditum è Babylone faciam vt germinent loca amœna, antea deſolata & deſerta, faciam vt prata, imò & ſteriles ericæ proferant pinguia paſcua, & agri lætas ſegetes, quibus vos, ô animalia, paſcamini & impinguemini.

FICVS ET VINEA DEDERVNT VIRTVTEM SVAM] Id eſt, fructum vigoris ſui, ait Chald. putà vigoroſas, ſapidas & ſucculctas vuas & ficus. Eſt metonymia: ponitur enim cauſa pro effectu, *virtus*, ſiue vigor pro fructu vegeto & vigoroſo.

VERS.23. ET FILII SION EXVLTATE ET LÆTAMINI IN DOMINO DEO VESTRO] Qui licèt omnium ſit communis Dominus, tamen propriè ſe veſtrum dumtaxat Deum oſtendit, dando vobis tanta & tam magnifica dona, ac ſi veſter tãtùm eſſet pater, prouiſor & procurator; cæteras verò gentes præ vobis negligeret. Porrò *Sion*, non carnalem, ſed ſpiritualem hîc accipit. *Filij* ergo *Sion* ſunt omnes filij Eccleſiæ Chriſti, omnes fideles & Chriſtiani. Ad Chriſtum enim ſalit & auolat Prophetа: hic enim eſt Doctor iuſtitiæ, vt iam dicam. Solent enim Prophetæ à ſolutione captiuitatis Babylonicæ, & libertate data per Cyrum, quaſi à typo ſalire ad antitypum, putà ad ſolutionem captiuitatis humanæ è poteſtate diaboli; & libertatem filiorum Dei datam per Chriſtum. D

QVIA DEDIT VOBIS DOCTOREM IVSTITIAE] Pro *doctorem* hebr. eſt מוֹרֶה *more*, quod aliqui A vertunt pluuiam, ſicque hunc locum transferunt, *quia dedit vobis pluuiam propter iuſtitiam*. Vnde appoſitè ſequitur: *Et deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum & ſerotinum*. Fauet verſio Septuag. *quoniam dedit vobis eſcas* (triticum ex pluuia fœcundante agros) *in iuſtitiam*. q.d. Poſt reditum è Babylone dabit vobis Deus pluuiam, indeque meſſem & annonam copioſam, in præmium veſtræ pietatis & iuſtitiæ, vtque ſtudioſius ei ſeruiatis in iuſtitia. ita S.Hieron & Theodor. Hinc & Syrus, & Arabicus vterque vertit, *dedit vobis cibum iuſtitiæ*.

Verùm melius *more* vertas *doctorem*. Primò, quia ita vertit S.Hieron. Chald. Vatabl. Clarius, Arias & paſſim alij. Secundò, quia de pluuia mox ſubdit: *Et deſcendere faciet ad vos imbrem*: ergo hîc *more* non imbrem, ſed doctorem ſignificat; alioqui eſſet tautologia, & idem bis diceretur. Tertiò, quia hebr. eſt, *Dedit vobis more ad iuſtitiam*, quòd proprie de doctore accipi debet, non de pluuia: nec enim pluuia, ſed doctor dãtur ad docendam iuſtitiam. Quartò, quia *more* ſemper alibi à Noſtro, Septuag. & alijs vertitur doctor, aut legiſlator: pluuia enim hebr. non *more*, ſed יוֹרֶה *iore* vocatur. Ita pſalm. 83.8. *Etenim benedictionem dabit legiſlator*, hebr. *more*; licèt R. Dauid ibi vertat, *piſcinas operiet pluuia*. Iſaiæ 30. 20. *Et non faciet auolare doctorem tuum*, hebr. מוֹרֶיךָ *moreca*. Et alibi paſſim. Vnde à *more* dicitur Syrum *mara* (vnde *maranata*, id eſt, *Dominus noſter venit*) Arabicum *mir*, id eſt magiſter, dominus: vnde *maria* idem eſt quod magiſtra, domina. Alludit tamen *more* ad תּוֹרָה *thora*, id eſt lex; & ad יוֹרֶה *iore* id eſt pluuia: quia Hebræi doctrinam vocant rorem vel pluuiam, eò quòd illam doctor iuſtar pluuiæ ſuauiter, ſenſim & guttatim inſtillet auribus & mentibus diſcipulorum, eaſque ſapientia irriget, lætificet & fœcundet. Vnde Moſes Deuter. 32.2. *Concreſcat*, ait, *vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtillæ ſuper gramina*. Quæ circa in Hebr. hîc eſt pulchra paronomaſia inter *more*, id eſt doctorem, *iore*, id eſt pluuiam, & יוֹרֵד *iored*, id eſt deſcendere faciet. q.d. Deus dabit vobis *more*, id eſt doctorem, qui *iored*, id eſt deſcendere faciet, & quaſi è cælo ſtillabit in vos *iore*, id eſt, pluuiam cæleſtis doctrinæ. Sic Iſaias Chriſtum comparat rori è cælis deſcendenti & terram irroranti cap. 45.8. *Rorate*, ait, *cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum*. vide ibi dicta.

Quæres, quiſnam hic *doctor iuſtitiæ*? Rabbini, quos ſequitur Ruffinus, aſſerunt eſſe Ezechiam regem, qui populum excitauit ad pietatem Deique cultum 2.Paral.30. Ideoque Ieruſalem ab obſidione Sennacherib liberauit. Alij volunt eſſe Ioſiam, pium pariter regem, qui aras idololatreuertit. Verùm hîc non agitur de Sennacherib, ſed de Nabuchodonoſor, vel Holoferne: hunc enim doctorem promittit poſt captiuitatem Babylonicam, vti dixi v.20. Adde, hîc auguſtus titulus *Doctor iuſtitiæ*, in Scripturis non datur Ezechiæ, Ioſiæ aut Prophetis, ſed ſoli Meſſiæ, vt patet Iſaiæ 30.20. & cap.55.4. *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus*. quò hîc alludit Ioël, præſertim quia hic doctor in Hebræo habet articulum, & vocatur הַמּוֹרֶה *hamore*,

mere, id est, ille eximius & singularis orbis doctor, putà Doctor doctorum & Prophetarum omnium, quem singuli auidè exspectamus, vtpote à Prophetis omnibus promissum. Vnde Ieremias c.23.6.loquens de Messia: *Hoc,ait,est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Et Daniel.c.9.24. *Vt adducatur iustitia sempiterna,& vngatur Sanctus sanctorum*,putà Christus. Tertiò, qua sequentia v.28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem,& prophetabunt filij vestri:& dabo prodigia in cælo*, &c. *Sol conuertetur in tenebras: & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis*, ad nullum nisi ad Christum pertinent.

A

Iisdem rationibus confutatur sententia recẽtiorum Rabbinorum, quos sequuntur Lyran. Hugo,& Dionys. qui per *doctorem* accipiunt doctores, id est, Prophetas Iudæorum post captiuitatem Babylonicam, quales fuerunt Zacharias, Aggæus & Malachias: fateor tamen ad eos alludi, eosque quasi obiter perstringi (alludit enim Ioël ad felicitatẽ populi Babylone redeuntis, cui dedit Deus frugum copiam. Vnde subdit: *Et implebuntur areæ frumento. Et reddam vobis annos quos comedit locusta*:) sed ita,vt aciesProphetę primariò & directè figatur, finiatur & expleatur in Christo:sicut Moses Deut.18.18 promisit post se Prophetam,id est Prophetas, & inter eos vnum eximium & singularem, putà Christum. Christus enim est vnus noster Magister & Rabbi per excellentiam, vt ipse ait Matth.23.8. ita Remig.Rupert.Haymo, Albert. Arias, Vatabl. Ribera,à Castro & alij.

B

Et descendere faciet Dominus ad vos imbrem matvtinvm et serotinvm] Apud Prophetas *imber matutinus* vocatur, qui in autumno depluit,cùm sementis fit in Iudæa,vt illius grana soluantur, & radices figant in terra. *Serotinus*, qui matureſcente segete descendit in Aprili aut Martio.ita Chaldæus,Rabbini, & passim Interpretes. In Iudæa enim calida & sicca regione, tota æstate, id est, à Maio vsque ad Octobrem, per quinque menses non pluit, sed sudum iupiter & serenum est cælum, tam nocte quàm die:vnde noctu in tectis sub dio dormiũt, vtà viris grauibus qui ibi habitarunt accepi. Quocirca duplex ibidẽ est tempus pluuiæ, prius post æstatem cùm iaciuntur semina, illudq; dicitur manè,siue matutinum respectu segetis quę tunc è terra erumpit, vti manè in aurora exurgit sol; posterius,ante æstatem, quod segetes incrassat & maturat, illudque dicitur serotinum respectu matutini iam dicti. Segetes enim suum quasi habent diem, cuius aurora est germen & germinatio:vespera,seges & messis,cùm scilicet in horrea conduntur.

C

Nota.Per hunc imbrem significat messem, & fruges temporales copiosè dandas Iudæis post reditum è Babylone.ita S.Hieron.Theodor.Remig.Albert.Hugo & Lyran. Verùm sub his tropicè & metaphoricè,longè magis intendit significare fruges, & bona spiritualia dãda per Christum. q.d. Christus doctor iustitiæ talem vobis doctrinam, & tantam vbertatem bonorum spiritualium dabit, qualis& quanta olim in veteri testamento,imbre illo matutino & serotino adũbrabatur. ita Rupert. Haymo, Arias, Ribera,à Castro & alij.Id ita esse patet ex rationibus pau-

D

lò antè allatis, & ex eo quòd hæc bona promittat *in æternum*: æterna autem sunt bona spiritualia Christi,non temporalia Iudæorum. Quocirca imber matutinus, est prædicatio prima, siue doctrina,illustratio & gratia præueniẽs, quæ primò peccatorem conuertit,facitq; iustum: serotinus,est illustratio, & gratia consequens, quæ iustum in iustitia promouet, & ad perfectionẽ deducit, ac præsertim est donum perseuerantiæ. hoc enim iustum ad gratiam consummatam, id est,ad gloriam & beatitudinem cælestem perducit.ita S.Hieron.Arias,à Castro & alij.

Symbol. imber matutinus fuit vetus testamentum, quod prima pietatis semina pullulare fecit: serotinus, est nouum, quod veteris semina maturauit.& ad messem virtutum perduxit. ita S.Hieron.& Haymo.

Rursum Rupert Matutinus, ait, imber fuit prædicatio Euangelij facta Iudæis à Christo & Apostolis: serotinus erit, quæ fiet ab Elia & Henoch in fine mundi,cùm omnis Israel saluus fiet.

Et implebvntvr aream frvmento] perstringit obiter fertilitatem Iudææ post reditum è Babylone.sed per hanc intelligit præcipuè copiam charismatum & virtutum datam agris, & areis, ac oliuetis & vinetis, id est,Ecclesijs particularibus per Christum.Porrò *torcularia*,in quibus exprimitur vinum & oleum, sunt tum gymnasia, monasteria,collegia,aliaq; ie asceteria: tum persecutiones & tribulationes, quibus vinum sapiẽtiæ & fortitudinis; ac oleum consolationis diuinæ exprimitur & hauritur. Vers.24.

Tropolog *Torcularia*,ait Hugo Victor.*sunt ipsa corda inter spem & timorem posita, constantiam superiùs, patientiam inferiùs habentia: constantiam in tentatione,patientiam in tribulatione. Constantia siquidem premit, & desuper arcet: patientia inferiùs iacet, & pondus sustinet. Inter hæc duo mens sancta quasi in torculari posita premitur,defæcatur, eliquatur. Premitur flagellis,defæcatur vitijs,eliquatur ab otijs. Premitur à calamitate defæcatur ab iniquitate, eliquatur à vanitate. Hinc namque elicitur gemitus puræ confessionis: hinc fluunt lachrymæ anxiæ compunctionis: hinc manant suspiria iucundæ deuotionis: hinc liquefiunt desideria suauissimæ dilectionis: hinc eliciuntur stillicidia limpidissimæ contemplationis. Frumentum est perfectio iustitiæ: vinum claritas spiritualis intelligentiæ: oleum suauitas purissimæ conscientiæ.* *Torcular est cor prossum.*

Et reddam vobis annos qvos comedit locvsta,brvchvs,&c.] q.d.Præteritam inopiam, quam vobis intulerunt Chaldæi, tum literales, tum potiùs mystici,id est,dæmones & vitia,compensabo gratiarum & opum cælestium vbertate. Vnde Chald.vertit, *reddam vobis annos bonos pro annis quibus vexarunt vos populi, gentes & reges*; Chaldæi enim fuerunt *fortitudo mea magna*; Heb. & Chald. *exercitus meus robustus*. Alludit ad id quod de locustis significantibus castra Chaldęorum dixit v.11. *Dominus dedit vocem ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia,& facientia verbum eius.* Vers. 25.

Porrò per locustas & Chaldæos, intelligit exercitum spiritualium hostium. q.d.Ego Deus tẽtationes, peccata, dæmones, carnẽ & mundum, quasi hostes & prædones vestros immisi in vos (eo sensu & modo quo dixi can.27.in Prophetasmaiores) ad puniendam vestram superbiam,

aliaq; peccata priora. Hi vastarunt agros Ecclesiarum & animarum vestrarum, ac depasti sunt omne germen virtutum & bonorum operum. At iam idem ego placatus & reconciliatus vobis, omnia hæc damna sarciam, vobisque pristinam bonorum cælestium copiam restituam, imò maiori fœnore cumulabo, vt dicatis cum Psalte psalmo 89. 15. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.*

Tropol. significatur hîc vis pœnitentiæ, quæ lapso, sed pœnitenti, omnes priores virtutes, omnia priora merita restituit, vt docet S. Hieron. hîc, ac S. Thom. & Theologi tract. de pœnitētia, ideoq; facit vt homo lapsus semper ad maiorem gratiam resurgat: præter enim gratiam præteritā, quem omnem reducit, addit insuper propriam, tum virtuti, tum Sacramento pœnitentiæ commensam. Vide Franc. Suarez opusc. 5. de Reditu B bonorum operum, vbi disp. 2. sect. 3. cum Iohan. Maiore, Gabriele, Ockam, Medina & Henrico à Gandauo docet, hunc reditum fieri vi pœnitentiæ non in altera vita, vti censuit Scotus & Durandus; sed in præsenti, adeoque in eodem pœnitentiæ instanti; nec tantùm per actus pœnitentię prioribus virtutum actibus intensiores, vti censuit D. Thomas & Paludanus, sed etiam per actus eiusdem remissiores.

Symbol. Hugo Victor. *In aduentu*, ait, *Christi redduntur nobis anni quos præfata pestis deuorauerat: quia in eo nobis contra locustam veram, id est contra fastum, dedit humilitatem, dicens: Discite à me quia mitis sum & humilis corde: contra bruchum, id est gulam, perfectam sobrietatem, dicens: Videte ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: contra rubiginem, id est iram, perfectam patientiam, dicens: Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram: contra erucam, id est luxuriam, perfectam castitatem, dicens: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Locustam igitur exterminauit, dicens: Beati pauperes spiritu; beati qui lugent. Bruchum, dicens: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam: beati misericordes. Rubiginem, dicens: Beati pacifici: beati mites. Erucam, dicens: Beati mundo corde.* Vides hîc quatuor hæc animalia & pestes octo beatitudines depasci, easq; reduci per Christum, & per pœnitentiam.

VERS. 26. ET COMEDETIS VESCENTES, ET SATVRABIMINI: ET LAVDABITIS NOMEN DOMINI] Ille enim dedit vobis escam, eamq; talem, tamque succulentam & copiosam, vt vos abundè saturaret, fortesque, vegetos & alacres efficeret.

Moral. disce hîc fruges, escas, omniaq; bona naturalia, & multò magis supernaturalia, esse dona Dei, eorumq; laudem & gloriam non nostro labori, sed Deo, eiusq; beneficentiæ ascribēdam. Qui secùs facit, Deo quod suum est suffuratur, & se Dei donis indignum facit, ijsq; spoliari meretur. Deus enim est zelotes suæ gloriæ, vtpote quæ ei omni iure debetur; vnde ait ipse: *Gloriam meam alteri non dabo*, Isaiæ 48. 11. Quocirca S. Franciscus hoc mirè suis inculcabat, ac inter alia illud documentum dabat: *Quando*, inquit, *seruus Dei orans, visitatur diuinitus, dicere debet: Istam consolationem mihi peccatori & indigno de cælo misisti Domine, & ego illam tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latronem*, dum eius laudem & gloriam tibi suffuror, & mihi ascribo. ita S. Bonauent. in eius Vita c. 10.

A 28. Et erit post hæc: effundam spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt.

29. Sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum.

ET ERIT POST-HAEC: EFFVNDAM SPIRITVM] Hebræi hinc inchoant nouum caput. Iam ijdem, & ex ijs Ruffinus, sicut per doctorem iustitiæ v. 23. acceperunt Ezechiam; ita spiritum à Deo effusum censent in eius nuncios, quos ipse misit per totam Iudæam, vt omnes ad auitam fidem, Deiq; cultum reuocaret: S. Petrum verò in concione sua Actor. 2. tantùm hæc accommodasse suo tempori, eo quòd illi quoque congruerent; ac Ruffinus audaces vocat eos qui contrarium censent. Sed audacior est hæc eius censura, vtpote repugnans SS. Patribus & Interpretibus penè omnibus, ipsique S. Petro Actor. 2. 17.

Alij sicut per doctorem accipiunt doctores, putà Prophetas qui fuerunt post reditum è Babylone, v. g. Aggæum, Zachariam, Malachiam; ita per eosdem ardenter concionantes, putant effusum spiritum pietatis in populū. Verùm cùm superiùs probatum sit, doctorem iustitiæ intelligi Christum, sequitur ad illius tempora hæc pertinere, præsertim quia numquam aliàs effusum Spiritum S. legimus. Adde, pro *Et erit post hæc*, S. Petrus Actor. 2. vertit, *& erit in diebus nouissimis*, C putà in diebus Messiæ. Illius enim ætas, lex & tempus in Script. vocatur *nouissimum*: quia illi nulla alia lex, religio, vel Ecclesia succedet. De fide ergo est, hæc ad literam non de Ezechia, Aggæo, aut quouis alio, sed de Christo esse intelligenda. Ita enim definit Vigilius Papa in Concil. Romano contra Theodor. Mopsuestenum, vt dixi in procemio.

Ait ergo & promittit dicens: *Post hæc*, id est, post Christum doctorem, eiusque mortem, & ascensum in cælum, ego Deus effundam Spiritum sanctum in Pentecoste, ac deinceps; primo Ecclesiæ sæculo visibiliter in Apostolos, & Christi discipulos; sequentibus verò sæculis inuisibiliter eumdem effundam in omnes, quotquot per baptismum in Christo renascentur, eiusque Eccle- D siæ incorporabuntur. De Pentecoste enim hunc locum explicat S. Petrus Actor. 2. 17. quem sequuntur omnes Patres, & Interpretes orthodoxi, vt S. Hieron. Cyrill. Theodor. Remig. Rupert. Albert. Haymo, Lyran. Hugo vterque, scilicet Cardinalis, & Victorinus, Dionys. Vatabl. Arias, Clarius, Ribera, à Castro hîc, Chrysost. Oecum. & alij in Act. 2. Didymus & Ambros. l. 1. de Spiritu S. c. 7. Iustin. contra Tryph Hilar. l. 8. de Trinit. & alij. Quin & Rabbini, vt Chald. R. Salomon, R. Dauid, R. Iesua apud Lyran. & Galat. l. 8 c. vlt. & alij hanc missionem Spiritus sancti ad tempus Messiæ referunt. Porrò cùm ait *Effundam*, loquitur idem qui dixit, *Mittam doctorem iustitiæ*, scilicet Deus Pater; esto ipse simul cum Filio vti spirat, ita & mittat Spiritum sanctum. ita Chrysost. in Actor. 2. Hinc Cyrill. Hierosol. catech. 17. censuit hîc loqui Christum, cui,

inquit,

inquit, Pater omnia dedit in manus, ac potestatem dandi Spiritum S. quem non ad mensuram accepit.

Nota. Vox *effundam* significat vbertatē & copiam donorum Spiritus sancti. tum gratum facientium, vt gratiæ, charitatis, fortitudinis, aliarumq; virtutum; tum gratis datorum, vt prophetiæ, &c. effundēdam in Apostolos & fideles. Vnde in Scriptura hæc effusio vocatur baptismus, vt Matth. 3. 11. ait Iohannes Baptista de Christo: *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni.* q.d. Ipse vos replebit Spiritu sancto, in eumque eiusque ignem quasi immerget, vt homo immergitur in aquam dum baptizatur. Et Christus ascensurus in cælum Act. 1. 5. ait: *Iohannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto, non post multos hos dies.* Quocirca pro *effundam*, Arabicus Antioch. vertit, *inundare faciam spiritum* B *meū super vniuersos homines*; & Arabicus Alexand. *inundabo de spiritu meo super omnes homines.* Sicut ergo flumen, vel mare turgidum exundat in agros, ita Spiritus S. in homines. ita S. Chrysost. & Theoph. Act. 2. Audi Hugonem Victor. *Christus*, ait, *spiritum suum effudit, non Moysi abstulit, nec Eliæ rapuit, sed suum largiter distribuit.*

Nota *τὸ effudit. Primò enim fudit, secundò infudit, tertiò effudit. Fudit in paradiso, infudit in deserto, effudit in cœnaculo. In paradiso legem dando naturæ: in deserto præcepta & cæremonias legis scriptæ: in cœnaculo plenitudinem gratiæ. Fudit ergo primò, rigando aream naturæ: secundò, infudit torrentem doctrinæ: tertiò, effudit fluuium gratiæ.* q.d. *In exordio mundi rigauit aridam naturam: in squalore deserti Moysi in sinum stillauit legis doctrinam, in plenitudine temporis vbertatem gratiæ effundam.* Et paulò pòst necessa- C riam docet fuisse hanc effusionem: *Tria namque*, inquit, *erant hominis mala: ignorantia boni, concupiscentia mali, malitia impœnitendi. Venit ergo Filius, Sapientia Dei & virtus; missus est Paraclitus, benignitas ipsius. Sapientia fusa nauum sustulit ignorātiæ; virtus infusa sordes purgauit concupiscentiæ: effusio Spiritus mundauit fœces malitiæ. siquidem sapientia illuminauit, virtus sanauit, benignitas sedauit. Quod Psalmista præuidēs ait: Secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius laua me Domine ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* q.d. *Dele fundendo, laua infundendo, mūda effundendo: fundendo sapientiam ob oculis dele ignorantiam: infundendo virtutem ab intimis laua concupiscentiam: effundendo benignitatem à toto corpore extermina malitiam.*

Nota Secundò. Pro *effundam spiritum meum*, D S. Petrus Actor. 2. 17. ait: *Effundam de spiritu meo*, vbi particula, *de*, significat hanc communicationem gratiæ, & donorum Dei prouenire à Spiritu sancto, tamquam patre luminum. Rursum Spiritum sanctum partiri inter fideles sua dona, vt vnidet gratiam docendi, alteri exhortandi, alteri miraculorum, &c. vti docet Apostolus Roman. 12. 6.

Nota Tertiò. Didymus & S. Ambros. libr. de Spiritu sancto, ex hoc loco probant Spiritum sanctum esse Deum: quia, inquiunt, non dicitur effundi à Deo, nisi quod de ipso participabile est. Angelus enim non dicitur effundi: quia cùm sit creatura, non est participabilis. Licet enim charitas, donaque Spiritus sancti, dicantur effundi quoque à Deo; tamen nulla substantia, vel per-

A sona (qualis est Spiritus sanctus) dicitur effundi in animam mentemque, ita vt eam possideat, illuminet, sanctificet, satiet & impleat, nisi Deus: solus enim Deus menti illabi potest, eamque docere, ignire, implere, flectere & mouere quocūque vult: hoc enim nequit angelus. Vbi Nota. cùm anima fit iusta & sancta, aut iustior & sanctior, non tantùm gratia & charitas, vel eius incrementum, sed ipse Spiritus sanctus, adeoq; tota Trinitas realiter per sanctificationē menti nostræ illabitur, in eaque inhabitat quasi in throno, & templo suo: perinde ac Verbum assumens humanam naturam, eidem illapsum est personaliter, ita vt in illa habitaret plenitudo diuinitatis corporaliter, vt ait Apost. Coloss. 2. 9. Hoc est quod ait Christus Iohannis 14. 23. *Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & pater meus diliget eū:* B *& ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sicut ergo Beatis Deus realiter est præsens, cùm illis suam essentiam per visionē beatificam, & lumen gloriæ ostendit, eamq; eis fruendam & possidendam communicat; sic & idem ipse est in anima sancta, ac proinde in ea suam gratiam, charitatem, aliaq; dona diuina diffundit: perinde ac sol vbi oritur, mox suam lucem, radios & calorem spargit. Posita ergo vltima dispositione ad iustitiam, v.g. contritione, statim subintrat in animam, quasi in templum suum, Spiritus S. totaque S. Trinitas, eam sanctificans, sibique quasi dedicans & consecrans; ac deinde eodem instanti temporis, sed posteriùs natura, eidem suam charitatem & gratiam communicat. Hoc significat *τὸ ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Est enim hæc summa Dei vnio cum C anima sancta, qua nulla puræ creaturæ maior dari potest. nam per eam simus diuinæ consortes naturæ, vt ait S. Petrus epist. 2. c. 1. 4. Vide hîc, ô Christiane, dignitatem sanctitatis ad quam vocatus es, eamque omni studio consectare, conserua & adauge.

Spiritus S. realiter illabitur animæ sanctæ.

Denique Nazianzen. orat. 49. sub finem, probat Spiritum sanctum mitti à Filio de propria ipsius substantia, ex hoc loco: *Effundam de spiritu meo.* & ex illo Iohan. 16. *De meo accipiet & annunciabit vobis. Ex eo vtique*, inquit, *quod est Filius, quia & Filius de eo, quod Pater est*, q.d. Spiritus ex eo quod à Filio accipit, annunciabit; sicut Filius annunciat Spiritui sancto, ex eo quod accepit à Patre.

SVPER OMNEM CARNEM] Id est, super omnem hominem; per synecdochen enim pars capitur pro toto, caro pro homine, vt cùm dicitur: *Verbum caro factum est; caro*, id est homo: poterat dicere pariter, Verbum anima, id est, animatus homo factum est; sed maluit dicere, *caro*: tum vt significaret summam dignationem Verbi, qua, vt ait S. August. epist. 120. cap. 4. se humiliauit ad nostram carnem, quæ inter omnes animalium carnes miserrima est & infirmissima: tum quia morbus noster, putà concupiscentia, residet in carne: hanc autem curare venit cælestis Medicus, putà Christus, æquè ac Spiritus sanctus. vnde Græcis *σάρκωσις* vocatur incarnatio, &, vt Tertull. ait l. de Carne Christi c. 1. incorporatio, id est, viuificatio carnis corruptæ, ait S. Thom. tum denique, quia per eam pro corde lapideo & duro, accepimus cor carneum, id est molle, flexile, obediens, 2. Corinth. 3. 3. Sensus ergo est,

q.d.Super omnem hominem Christo credẽtem, A cuiuscumque ætatis,sexus & status sit,effundam Spiritum sanctum in Pentecoste , & deinceps. Simpliciter itaque & planè capitur vox *omnem:* loquitur enim de fidelibus tantùm, credentibus & obedientibus Christo.Quocirca arctiùs nonnulli vocem *omnem* accipiunt , non pro singulis generum. q.d. Effundam spiritum super omne hominum genus, putà super aliquos viros , aliquas feminas; aliquos iuuenes,aliquos senes aliquos seruos,aliquos nobiles; non autem super omnes, id est singulos. Nam super singulos discipulos suos effudit , & effundit iugiter Christus Spiritum sanctum.

Nota. Sicut Ioël & Prophetæ solis Iudæis propriè & directè promittunt doctorem iustitię, putà Messiam, ita ijsdem solis Ioël hîc promittit Spiritum sanctum. ita Chrysost.Act.2. Vnde sequitur:*Et prophetabunt filij vestri.* Verùm quia ex misericordia Dei Gentes ascitæ sunt per fidem in familiam Abrahæ, putà in Ecclesiam & congregationem fidelium; hinc pariter benedictionum & promissionum Abrahæ à Deo factarum (inter quas prima est effusio Spiritus sancti,iustificatio & adoptio)sunt participes & heredes,vti docet Apostolus Rom.9.10.& 11. Et hoc significat τὸ *super omnem carnem* Quocirca in Cornelium Centurionem, aliosque credentes ex Gentibus effusus est Spiritus sanctus specie visibili, æquè ac in Apostolos & Iudæos, vt patet Actor. 10.44. ita S.Hieron.Theodor.Albert. Lyran.& alij passim.

Moral. Spiritus sanctus ostendit suam munificentiam animumque regium , dum in omnes indifferenter beneficus & liberalis est , nec priuatos habet amores & amicitias, sicque omnem excludit æmulationem & inuidiam , ait Chrysost.in Actor.2. C

ET PROPHETABVNT FILII VESTRI] tum propriè futura prædicendo , vti fecerunt Apostoli, B.Virgo Luc.1.46. Zacharias , Anna & Elizabeth Luc.2.38.Philippus Act.21.9. Agabus ibid. v.10.S.Iohan.in Apocalypsi, & alij in primitiua Ecclesia.Vide Bozium libr.6 de Signis Ecclesiæ cap.12. tum ex Spiritus sancti afflatu loquendo, & celebrando varijs linguis Deum, quod Actor. 2.11 dicitur: *Audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.* Prophetare enim in Script.amplè capitur pro docere,exhortari,orare, canere Dei laudes,miracula facere , &c. vti dixi 1.Corinth. 14.initio capitis.Sub prophetia ergo hîc donum linguarum , aliaque Spiritus sancti charismata intellige. D

SENES VESTRI SOMNIA SOMNIABVNT, ET IVVENES VESTRI VISIONES VIDEBVNT] *Somnia* intellige diuina & à Deo immissa, ideoque rerum arcanarum, vel futurarum præsaga, qualia fuerunt Pharaonis Genes.c.40.& 41. & Nabuchodonosoris Daniel.cap.2.& 4. Pari modo *visiones* accipe diuinas & propheticas. Appositè senibus ætate fessis,& in somnum propensis tribuit somnia ; iuuenibus verò excitatis & vigilibus visiones, quæ in vigilia hominibus à Deo immittuntur. Deus enim sæpè se suaque oracula attemperat conditioni hominum , & cuique pro suo statu & gradu accommodè & opportunè apparet ; aliaqui & senex Iohannes in Apocalypsi multas habuit visiones , & Paulus iuuenis somnia , vt patet Actor.16.9. Per *visiones* ergo & *somnia*, quaslibet reuelationes & prophetias accipe.Addit D.Thom.2.2.qu.174.a.3. quòd,licèt visio quæ fit vigilanti , in se sit perfectior somnio,quod fit dormienti; tamen quando in visione solùm videtur species & imago prognostica futurorum , nec auditur vox aut verbum illam explicans,quæ audiri solet in somnio (iuxta illud Mosis Num.12.6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*) tunc somnium diuinum est perfectius quàm visio. Vnde Moral.aliqui per *filios* ac *filias*, accipiunt incipientes in fide & virtute: per *iuuenes*, proficientes: per *senes*, perfectos. Primi prophetant, dum bona indole dant spem frugis; secundi vident, dum meditando & orando clariùs diuina hauriunt: tertij somniãt, ob passiones sedatas , mentemque pacatam. Hos tres gradus B distinguit S.Iohan epist.1. c.2.12. primisq; assignat condonationem peccatorum, secundis victoriam in agone, tertijs Dei cognitionem. *Scribo*,ait, *vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen eius : scribo vobis adolescentes & iuuenes,quoniam fortes estis,& verbum Dei manet in vobis : scribo vobis, quoniam cognouistis eum qui ab initio est.* De visione plura dixi can.1. in Proph. maior.De somnio Gen.40.& Dan.2.

SED ET SVPER SERVOS MEOS ET ANCILLAS,&c. EFFVNDAM SPIRITVM MEVM] Hebr.Chald.& Septuag. *& etiam super seruos & ancillas effundam de Spiritu meo.* q.d.Non tantùm super vos, ô Iudæi, sed & super seruos & ancillas vestras , æquè ac meas, effundam spiritum meum. Ne quis enim putet solos heros & dominos Spiritum sanctum accepturos,addit illius participes fore quoq; seruos & ancillas. Nullum enim quantumuis vilem & abiectum aspernatur Spiritus sanctus, non enim est personarũ acceptio apud Deum , Rom. 2.sed omnes promiscuè ad gratiam & salutẽ vocat,omnibus enim dedit animam æquè nobilem, putà rationalem ad imaginem sui creatam,eamque ad suam gratiam, gloriam & felicitatem ab æterno destinauit. ita Hebræi,Cyril.Hierosol.catechesi 17.Ruffinus,& à Castro.Alij per seruos & ancillas,accipiunt gentes: Iudæi enim in lege veteri erant quasi filij Dei, Gentes quasi serui; sed per Christum in filios sunt adoptati.ita Rupert. Ribera & alij.

Moral. illustris & perhonorificus titulus est *Seruus Dei.* seruire enim Deo regnare est. Hinc Psaltes psalm.115.16. *O Domine , quia ego seruus tuus,& filius ancillæ tuæ.* Sic Abraham Genes.24. 24. vocat se seruum Dei. Ita vocatur & Moses Num.12.7.Iob cap.1.8. Quin & Christus Isaiæ c.48.3. Sic *Abdias* hebr.idem est quod *seruus Dei*, quo nomine vocatur vnus è duodecim Prophetis. Sic Paulus initio epistolarum hoc titulo gloriatur: *Paulus seruus Iesu Christi.*Sic B.Virgo vocat se ancillam Dei: *Ecce*, ait, *ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*,Lucæ 1 Et B.Agath. Præsidi sibi obiectanti , Cur tu cùm sis nobilis seruilem vitam? respondit: *Christianorum humilitas & seruitus longè præstat regum opibus & superbia.*Deniq; B.Damasus epist. 2.ad Stephanum, S.Gregorius, & alij deinceps Pontifices hoc titulo: *Seruus seruorum Dei*,humilitatem,imò dignitatem suam significant.

30.Et

30. Et dabo prodigia in cælo, & in terra sanguinem, & ignem, & vaporem fumi.

31. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem: antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.

32. Et erit: omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit: quia in monte Sion & in Ierusalem erit saluatio, sicut dicit Dominus, & in residuis, quos Dominus vocauerit.

Vers. 30. ET DABO PRODIGIA] Prodigium est id, quod porrò dicit, id est futura prædicit, ait Cicero l. 1. de Diuinat. & ex eo S. Augustin. libr. 21. Ciuit. 8. *signum quo significatur aliud: illudq; in magnis est, & in cælo, hoc in paruis, & in terris*, ait Hugo Card. Origenes verò in Iohan. τέρατα ait, id est prodigia, *vocantur, quæ præter opinionem sunt, & humanam consuetudinem excedunt:* σημεῖα, id est signa, *quæ aliquid significant*, &, vt Ammon. ait in Catena Græc. in Iohannem, *quando non fit aliquid præter naturam.* Verùm sæpè hæc duo confunduntur, idemq; significant. Iam quoad sensum, Rabbini, qui hæc referunt ad Ezechiam, cessent prodigia hæc reuera vti sonant accidisse in cælo & terra, cùm angelus percussit castra Sennacherib, etsi in libris Regum id non narretur. Verùm hæc prodigia sunt Iudæorum commenta & figmenta: nec enim Script. nec Iosephus, nec Iosippus, nec quis alius, tunc prodigia aliqua in cælo extitisse commemorat.

Secundò, Catholici nonnulli putant hæc prodigia contigisse, Primò, in Christi natiuitate, cùm stella apparuit Magis, & angeli cecinerunt: *Gloria in excelsis Deo.* Secundò, in Christi resurrectione, cùm angeli fulgurantes percusserunt milites custodes sepulchri Christi, ac consolati sunt Magdalenam eiusque comites. Tertiò, in passione Christi, cùm sol vniuersali eclipsi toto orbe obscuratus est, terra contremuit, lapides scissi sunt, monumenta aperta, &c. tunc enim è latere Christi mortui, lancea militis aperto, exiuit sanguis & aqua, quæ ignem charitatis in discipulis & fidelibus accenderunt. idque ante diem resurrectionis Christi, qui Iudæis fuit horribilis. ita S. Hieron. Remig. Hugo. Quartò, in Pentecoste: tunc enim Spiritus sanctus in igne & linguis igneis apparuit & insedit Apostolis. ita S. Hieron. Et videtur fauere S. Petrus Act. 2. 17. vbi agens de missione Spiritus S. in Pentecoste, allegat hæc prodigia Ioëlis: ergo illa circa tempus Pentecostes videntur edita, putà tempore passionis & resurrectionis Christi. Hæc expositio probabilis est, sed incompleta. tunc enim cœperunt hæc prodigia, sed complebuntur sub diem iudicij, vti mox dicam.

Tertiò, S. Chrysost. & Oecum. hæc prodigia patrata putant paulò ante excidium Hierosolymæ per Titum: hic enim dies fuit Iudæis horribilis. Tunc enim plurimus Iudæorum fusus est sanguis, vrbs & templum igne combusta in fumum & vaporē abierunt. Et P. Prado in Ezech. 10. 2. *Dabo*, inquit, *Hierosolymæ tria supplicia, scilicet, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi, id est, cædem ciuium, & ædificiorum incendium, & quod grauius est, veritatis ignorationem, excæcationemq; ocu-*

A *lorum. quæ eadem tria in psalm. 68. 25. Iudæi vaticinatus est Christus: Furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, obscurentur oculi eorum ne videant.* Hanc autem cladem soli Christiani euaserunt, inuocantes nomē Domini: quia diuinitus præmoniti de vrbe exscindenda, ex illa fuga se proripuerunt in alias regiones & vrbes, vti docet Euseb. l. 3. histor. c. 5.

Quartò & genuinè, certum est hîc agi de signis & prodigijs quæ præibunt diem iudicij extremi: hic enim erit dies magnus & horribilis. Et de eo hîc agi patet ex sequentibus initio c. 3. cui hæc connectēda sunt (imò Hebræi hæc referunt ad caput 3. vt dixi v. 28.) *Quia ecce in diebus illis, & c. congregabo omnes gentes, & deducam illas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.* Hoc autem fiet in die iudicij. Porrò ante diem iudicij prodigia
B existent quæ prædixit Christus Matth. 24. 29. & Lucæ 21. 25. dicens: *Erunt signa in sole, & luna, & stellis: nam sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo.* Rursum luna videbitur sanguinea, Isaiæ 24. 23. item mare videbitur sanguineum, Apocal. 8. 8. multus etiam fidelium ab Antichristo, & tandem ipsius Antichristi, eiusque exercitus Gog & Magog sanguis effundetur. Ignis erit fulgurum & stellarum cadentium de cælo: rursum ignis conflagrationis mundi, quo omnia mundana in fumum & vaporem abibunt. Vnde Syrus & Arabicus fumum à vapore distinguunt, & quatuor prodigia assignant. vertunt enim, *dabo sanguinem, & ignem, & vaporem, & fumum.* Vapor enim est exhalatio subtilior & albior, fumus verò densior & nigrior. Hæc signa prædicta sunt à S. Iohanne Apoc. cap 8 & 9. ita Theodor Rupert Lyran. Vatabl. Arias, Ribera, à Castro hîc, S Chrysost. & Oecum. in Act. 2. Tertul. l. 4. contra Marc. 39 Origen. tract. 30. in Matth. S. Thom. in c. 24. Matt. & alij passim. Quin & S. Hieron. huc tandem inclinat, censetque hæc signa magis ad diem iudicij quàm ad passionem Christi esse referenda. Causam horum signorum dat S. Chrysostom. in Matth. 14. *Moriente*, ait, *patrefamilias domus turbatur, familia plangit, & nigris se vestimentis induit: sic humano genere, propter quod facta sunt, circa finem constituto, cæli mysteria lugent, & candore posito tenebris induuntur.*

Dices, Quomodo ergo S. Petrus hæc prodigia refert ad Pentecosten Act. 2. Resp. S. Petrus recensēt ea, non quasi tunc contigerint, sed hoc sensu q. d. Ne miremini, ô Iudæi, hæc Spiritus S. & linguarum ignearum prodigia, quæ cernitis
D in hac Pentecoste: videbitis enim maiora dari à Christo in vindictam infidelium in fine mundi. q. d. Aut ergo nunc in Christum credite, aut terribilem eius manum & vindictam tunc exspectate. Ideo enim Propheta post doctorem Christum, & effusionem Spiritus S. statim subiungit hæc prodigia futura in fine mundi, vt significet post Christi legem nullam aliam esse exspectandam, ideoque illam ab omnibus qui salui esse velint, capessendam. ita Ribera. Adde, hæc prodigia inchoari cœpisse tempore Christi: nam in eius passione obscuratus est sol & luna, in Pentecoste & deinceps Spiritus S. in specie ignis apparuit, &c. perfectè verò & completè fiēt in fine mundi. q. d. Ioël: O Iudæi cùm veniet Christus, licèt humilis & pauper, eum recipite:

quia ipse effundet Spiritum sanctum in vos, dabitque prodigia benefica credentibus, malefica & horrifica incredulis, eaque inchoabit viuens, sed perficiet in fine mundi; quando proigne Spiritus sancti, quem increduli respuerunt, dabit eis ignem conflagrationis mundi, indeque flammas gehennæ. Simili modo Iacob benedicens filijs suis ante mortem Genes. 49. quædam prædicit quæ paulò pòst, quædam quæ post longum tempus sub Christo euenerunt, quædam in fine mundi euentura.

Symbol. prodigia. Symbol. Hugo Victor. *Sol*, ait, *est Christus, Luna Ecclesia: Sol in tenebras versus, Christus cruci affixus. Vnde de cæcitate Iudæorũ Ieremias loquens Thren. 3. Dabis*, inquit, *eis Domine scutum cordis laborem tuum. Luna versa in sanguinem, Ecclesia est Christi imitans passionem. Sanguis professionẽ designat Martyrum: ignis chorũ virginum ardore dilectionis æstuãtium. Vapor est frequens & deuota compunctio continentium. Dies magnus & horribilis, dies est passionis & resurrectionis: magnus fidelibus, horribilis non credẽtibus, horribilis ijs qui dixerunt, Sanguis eius super nos & super filios nostros: magnus ijs qui dixerunt, Verè filius Dei erat hic. Aliter: Sol in tenebras versus, Christus est in cordibus electorum in articulo mortis obscuratus. Vnde & dixerunt: Nos autem sperabamus quòd ipse esset redempturus Israel. Luna in sanguinem versa, Synagoga est Christi passione cæcata.* Deinde per sanguinem accipit Iudæorum stragem sub Tito: per ignem, incendium vrbis & templi: per vaporem, Iudæorum per maria & insulas relegationem.

Tropol. Tropol. *Visio est propria cognitio sui, somnium excessus animi, prophetia contemplatio sponsi, cælum animus, terra caro: vel cælum contemplatiui, terra actiui: vapor compunctio mentis, sanguis mortificatio carnis, ignis feruor dilectionis. Sol versus in tenebras, animus est in sui confusus cognitione: Luna in sanguinem, caro in sui mortificationem.* hucusque Hugo. Et inferiùs: *Post data in cælo prodigia, post lucem propriæ cognitionis, post fumum deuotæ compunctionis, post sanguinem iustæ mortificationis, post ignem perfectæ dilectionis, sola restat suauitas contemplationis.* Hæc est inuocatio nominis Dei, de qua sequitur, *Quicumque inuocauerit nomen Domini saluus erit.* hæc Hugo.

VERS. 31. ANTEQVAM VENIAT DIES DOMINI] Dies huius vitæ sunt nostri, quibus agimus quod lubet: ille dies erit Domini, id est iudicis, quo aliorũ dierum nostrorum omnium rationes exiget, iuxta illud psalm 74. 3. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Sic dies singuli hebdomadæ sunt scholarium, sed sabbatum est dies magistri, quo rationem profectus & modestiæ à singulis exigit, & negligentes petulantesque flagellat.

Dies iudicij magnus. cur? MAGNVS] Magnus erit dies iudicij, quia Primò, finem dabit orbi, sceleri, merito & demerito. Secundò, quia erit horizon temporis & æternitatis: hanc enim ab illo diuidet & disterminabit. Nam hic dies erit vltimus tẽporis, & primus æternitatis. Tertiò, quia magna in eo fient, nimirum Christus cum omnibus angelis descendet in vallem Iosaphat, ibique in magnifico throno sedebit iudex: omnes homines qui vmquam fuerunt, sunt & erunt, coram eo iudicandi sistentur: omnium cogitata, dicta & facta exactissimè discutientur: de omnibus feretur sententia absoluta, & irreuocabilis per omnem æternitatem: sancti cælo, impij inferno addicẽtur: statuetur chaos magnum & medium, quod in æternum hos ab illis secludet, vt impij numquam Sanctos, numquam cælum, numquam Deũ visuri sint; sed carcere æterno concluſi igni cremabũtur, quamdiu cælum erit cælum, quamdiu Deus erit Deus. Sic Osee 1. 4. vocatur *magnus dies Iezrahel.* Sic apud Romanos *magnus dies* vocabatur, qui dabat victoriam, belloq; aut grauibus malis finem imponebat, vt docet Corn. Tacitus in vita Agricolæ, & Turnebus l. 1. Aduers. c. 24.

ET HORRIBILIS] Hebr. est נוֹרָא *nora*, quod Primò, propriè deductum à radice יָרֵא *iare*, id est timuit, significat tremendum, terribilem; & per catachresin mirabilem, glorioſum, augustum & reuerendum ob summam potestatẽ, æquitatem, maiestatẽ & gloriam. Hinc Chald. vertit דְּהִילָא *dechila*, id est formidabilis. Secundò, *nora*, deduci potest à רְאֵה *raa*, id est vidit, vt *raa* mutuetur tẽpora à *iara*: sæpè enim ordines verborum imperfectorum apud Hebræos inter se commutantur, vt vnus ab alio suam inflexionẽ desumat: & tunc *nora* significat illustrẽ & manifestum. Vnde Septuag. vertunt ἐπιφανὴς, id est clarus, conspicuus. Eos sequitur S. Petrus Act. 2. dicens: *Antequam veniat dies Domini magnus & manifestus.* Erit enim in die illa lux magna, & magna claritas Christi glorioſi, omniumque eius angelorum & Sanctorum. Et, *Ignis in conspectu eius exardescet*, psalm 49. 2. quæ omnia reis & damnandis extremum horrorẽ incutient. Videbunt enim se suaq; in tanta luce latere non posse: videbunt se oculos & manus Iudicis nusquam euasuros: videbũt excusationi, simulationi, fraudi, appellationi nullum fore locum: videbunt gehennæ incendia flammantia sibi parata & decreta in æternum, seque certissimè in illa præcipitandos.

Patheticè S. Basil. in illud psalm 33. *Venite filij, timorem Domini docebo vos*, horrorẽ huius diei describit, aitque: *Cùm te appetitus inuaserit peccandi, velim cogites horribile illud & intolerabile Christi tribunal, in quo præsidebit iudex in alto & excelso throno, astabit autem omnis creatura ad gloriosum eius conspectum contremiscens. Adducendi etiam nos sumus singuli, eorum quæ in vita gessimus rationem reddituri. Mox illis qui multa mala in vita perpetrarunt, terribiles quidam & deformes assistent angeli, igneos vultus præ se ferentes, atque ignem spirantes, noctiq; vultu similes, propter mœrorem & odium in humanum genus. Adhæc cogita profundũ barathrum, & inextricabiles tenebras, & ignem carentem splendore, vrendiq; vim habentem, sed priuatum lumine: deinde vermium genus venenum emittens, & carnem vorans, inexplebiliter esuriens, neque vmquam saturitatem sentiens, atque intolerabiles dolores corrosiones ipsa infigens. Postremò, quod supplicium omnium grauissimum est, considera opprobriũ illud & confusionem sempiternam. Hæc time, & hoc timore instructus, animam à peccatorum concupiscentia, tamquam frenum quodam reprime.*

Huius horribilis diei schema, & viuam hypotyposin dedit Deus in iudicio Vdonis, Antistitis Magdeburgensis. Cùm enim ille impurè & scandalosè viueret, cælitus ad eum missa est vox:

Da finem ludo, quia lusisti satis Vdo.

Eaque tertiò ab eo audita. Verùm cùm ille, licet ad horã perculsus, mox ad suas veneres rediret, cita-

citatus est ad tribunal Dei. Nam S. Mauricius euaginatum tenens gladium, in Ecclesia suâ (cuius Vdo erat Antistes) valenter exclamauit: *Omnes sancti quorum reliquiæ hic habentur, surgite, & venite ad iudicium Dei.* Mox maxima & præfulgida apparuit vtriusque sexus multitudo: Christus sole splendidior, stipatus B. Virgine, & duodecim Apostolis, regali solio consedit, iussitque Vdonem adduci. Raptus ille è lecto adductus est. Accusauit eum S. Mauricius, conclamarunt omnes: *Reus est mortis.* Tulit ergo Christus in eum sententiam mortis, quam executus S. Mauricius eum decollauit. Vidit hæc Canonicus quidam; simulque alius conspexit animam eius à dæmonibus ad gehennæ incendia abripi, ibique maledicere diei natiuitatis suæ, suisque amatis; ac manè clericis venientibus ad Ecclesiam, Vdonem in suo sanguine tabefactum ostendit. Porrò cruor Vdonis etiamnum adeò indelebiliter adhæret pauimento, vt quasi de essentia marmoris esse videatur. Cumque creantur noui Antistites, ibidem oraturi prosternunt se, vt videntes Vdonis sanguinem, sibi caueant, ne fortè pereant sicut ille. Rem gestam fusè & graphicè narrant Nauclerus volum. 2. gener. 34 noster Canisius lib. 5. Marial. cap. 20 Fulgos. libr. 9. cap. 12. & alij.

Simile iudicij schema, imò exemplum reale extat in Chrysaorio, cuius horribilem iudicij sui visionem & mortem enarrat S. Gregor. hom. 12. in Euang. & in Aulico Coënredi regis Merciorum, apud Bedam lib. 5. Hist. Angl. c. 14. & in visione Mauricij Imper. qui ob peccata citatus ad Dei tribunal, petijt in hac vita potiùs puniri, quàm in futura, idque obtinuit: vnde à Phoca & imperio & vita cum vxore & prolibus est spoliatus; vti narrat Eutropius lib. 17. Zonaras lib. 3. Nicephor. libr. 18. c. 40. Et in visione Petri Telonarij, qui auarus & immisericors, vidit se sisti iudici Christo, omniaque peccata in vnam lancem reponi, in alteram verò vnam dumtaxat eleëmosynam suam, qua à manibus dæmonum liberatus, audiuit: *Recedens adde huic pani, & operare.* Quare vitam & mores mutans, totum se dedit operibus misericordiæ & charitatis, vti narratur in vita S. Iohannis Eleëmosynarij. Quin & S. Hieron. raptus ad tribunal Christi, audiuit: *Ciceronianus es, non Christianus*; ideoque acriter vapulauit, vti ipse refert epist. ad Eustochium, quæ incipit, *Audi filia.* Ecce vt vita Sanctorũ est commentarius legis scriptæ, imò ipsa est lex viua, suis moribus edicens quid formidare & fugere, quid amare & prosequi debeamus. Graphicè quoque hunc iudicij diem describit Daniel c. 7. & S. Iohan. Apoc. 1. & Christus Matth. c. 24. & 25. & S. Petrus epist. 1. c. 3.

Patheticè etiam S. Hieron. ad Heliodor. *Tunc, ait, ad vocem tubæ pauebit terra, cum populis, tu gaudebis iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribum pectora ferient. Potentissimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Adducetur tum suis stultus Plato discipulis: Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus & pauper exultabis, & dices: Ecce iudex, qui inuolutus pannis in præsepio vagijt, &c.* S. Chrysost. in cap. 24. & 25. Matt. *Inillo, ait, die nihil est quod respondeamus, vbi cælum, terra, aër, aqua & totus mundus stabit aduersum nos in testimonium peccatorum nostrorum: & si omnia tacèant, ipsæ cogitationes nostræ, & ipsa opera specialiter stabunt ante oculos nostros nos ante Deum accusantes.*

S. Bernard. serm. de Virginibus: *Meritò*, ait, *dies illa dies iræ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis prædicatur, in qua*

Iudicij signum tellus sudore madescet:
in qua
Decidet è cælo ignisque & sulphuris amnis,
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens.

Ignis enim ante Dominum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius, quos tunc instar Sodomitarũ inueniet nudos & intectos. Et paulò antè: *Canet tuba, ad cuius clangorem timebit mundus. Fragor igitur tubæ illius, dum tubabit angelus, dum expergiscentur homines, tartara etiam tenebrosa concutiet. Audient miseri qui ibi sunt, audient tunc qui nunc audiunt & facere nolunt: Exite obuiàm ei: quando Dominus aduocabit cælum desursum, & terram, discernere volens populum suum ante se, & prudentes virgines ab infatuatis separare. Aduocabit cælum desursum, vt virtutes illæ cælorum de suis sedibus moueantur, & omnes angeli cum eo ad iudicandum congregentur. Tunc plãgent se omnes tribus terræ. Tunc dicent montibus: Cadite super nos; & collibus: Operite nos.* Idem in Cant. *Veniet dies illa, in qua plus valebunt pura corda, quàm astuta verba, conscientia bona, quàm marsupia plena: quoniam quidem iudex non falletur verbis, nec flectetur donis.*

S. Anselm. l. de Similitud. *A dextris, ait, erunt peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia, subtus horrendum chaos inferni, desuper iudex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia vrens. Ibi vix iustus saluabitur. Heu miser peccator sic deprehensus quò fugies: latere enim erit impossibile, apparere intolerabile.* Quàm sapiunt, qui hunc diem semper præ oculis habent, & ad illum se suasque actiones componunt, vt nihil dicant vel faciant, quod in illo die eis periculum salutis creare possit, quodque iustam Dei censuram & vindictam subeat! Nil, ait S. Ambros. in Offic. *est quod magis proficiat ad vitam honestam, quàm vt credamus eum iudicem futurum, quem & occulta non fallunt, & indecora offendũt, & honesta delectant.* Ita S. Hieron. *Siue comedo*, inquit, *siue bibo, siue quid aliud facio, semper tuba illa insonat auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium.* Hoc est quod Christus seriò præmonuit, Lucæ 21. 36. *Vigilate omni tempore orantes, vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt* (in die iudicij) *& stare ante filium hominis.* Hac de causa indictæ fuerũt olim nocturnæ vigiliæ & preces, quòd Christus ad iudicium media nocte venturus crederetur, iuxta illud Matth. 25. 6. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiàm ei*, inquit S. Hieron. & Hilarius ibidẽ, & Lactant. l. 7. c. 19. vide dicta Apoc. 6. in fine. Quocirca S. Bernard. epist. vltima hanc regulam vitæ sanctæ præfigit: *Talis studeas viuere, qualis affectas in extremo iudicio inueniri.*

ET ERIT: QVICVMQVE INVOCAVERIT NOMEN DOMINI, SALVVS ERIT. q. d. In die iudicij, ab hoc eius terrore, & horribili tot reorum & damnandorum sententia, liberabuntur, euadẽt (hoc enim significat Hebr. פלט *palat*) & saluabuntur veri Dei cultores, qui scilicet in hac vita Deum puro corde, in vera fide, spe & charitate coluerint, inuocarint, prædicarint & celebrarint. Hæc enim omnia significat vox *vocare*, vel *inuocare* apud Hebræos, VERS. 32.

Inuocare nomen Dei quid?

bræos, nimirum omnẽ tam internum, quàm externum Dei cultum, publicamque veræ fidei & religionis professionem in eius Ecclesia. Ecclesia enim dicta est hebr. קְרָא *micra*, à קָרָא *cara*, id est vocauit: græcè ἐκκλησία, ab ἐκκαλεῖν, id est, à vocando & inuocando; quòd à Deo vocata sit ad sincerum & publicum eius cultum & inuocationem. Vnde de ea subdit: *Quia in monte Sion*, &c. Porrò nomen Domini est ipse Dominus, quem per nomen inuocamus. Rursum, est ipse Christus, qui est nomen, id est notio & definitio, Patris, ait Cyrill. l. 11. in Iohan. c. 20.

Symbol. nomen Dei est eius virtus, gloria, potentia omnisque perfectio. Hinc psalm. 8. 2. dicitur: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum*, id est, tua sapientia, potentia, clemẽtia, &c. *in vniuersa terra!* & B. Virgo canit: *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius:* in incarnatione enim Verbi omnis Dei sanctitas, virtus & perfectio eluxit.

Deus semper inuocandus.

Moral. disce hîc quàm Deo grata sit sui inuocatio, quamq; inuocantibus adsit, opem & salutem afferat. Causa est, quòd inuocans Deum fateatur suam miseriam & impotentiam, Dei verò gloriam & omnipotentiam, vtpote à qua auxilium sperat & flagitat. Sibi ergo honori ducit Deus, quòd quis ad se in tribulatione confugiat, & sua magis vti velit, quàm aliena ope & misericordia, iuxta illud psal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me:* quia qui Deum inuocat, fidẽ & spem in eo collocat, eumque quasi facit Deum suum. Vnde Martialis l. 8. epigram 24. docet Deos non tam fieri ab idoloplastis, quàm à cultoribus eos inuocantibus:

Qui fingit sacros auro vel marmore vultus,
Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit.

Hinc passim in Psalmis Psaltes Deũ inuocat, eũque in afflictione inuocari iubet. Nam Deus ipse promittit Ierem. 33. 3. *Clama ad me, & exaudiã te.*

QVIA IN MONTE SION ET IN IERVSALEM ERIT SALVATIO] Per *Sion* & *Ierusalem* intelligit Ecclesiam, quam Christus primò erexit in Sion & Ierusalem. q.d. Qui fidem & pietatem Ecclesiæ, quam Christus docuit in Iudæa & Ierusalẽ, A sectati fuerint, hi saluabũtur. ita S. Hieron. Theodoret. Rupert. Lyran. Arias & alij. Alludit ad Isaiæ 4. 3. *Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur, omnis scriptus ad vitam in Ierusalem.* vide ibi dicta. Vnde subdit Ioël: *Sicut dixit Dominus*, scilicet tum mihi hîc, tum Isaiæ cap. 4. & cap. 2. 2. tum alijs Prophetis.

ET IN RESIDVIS] Repete, *erit saluatio*, q.d. In die iudicij soli saluabuntur qui in Sion, id est in Ecclesia, Deum inuocarint, sancteque coluerint: item *residui*, id est, reliquiæ Iudæorum, quæ in fine mundi à Deo vocatæ & electæ, Christo & Ecclesiæ aggregabuntur, itaque saluæ fient, vti docet Apostolus Rom. 11. 26. Secundò, à Castro B explicat q.d. Qui superioribus sæculis Deum inuocantes in Christi gratia obierint, hi in die iudicij saluabuntur: insuper residui, id est, ij qui in persecutione Antichristi cæteris cadentibus, fortes steterint in fide & professione Christi, itaque superstites remanserint tantæ fidelium cladi & ruinæ.

Nota. Pro *residuis* hebr. est בַּשְּׂרִידִים *basseridim*, quod Rabbini nonnulli, teste S. Hieron. putant esse nomen loci, putà montis vel vrbis. q.d. Cladem istius diei effugient qui profugerunt in Sion, in Ierusalem, aut in Seridim. Septuag. legerunt בְּשָׂרִים *bassarim*, id est, *euangelizati quos Dominus vocauit*, vti legunt codices Romani: licèt Theodor. legat *euangelizantes*, vel *annunciantes* actiuè, & S. Hieron. *euangelizans*, vel *annuncians* in singulari. quod sic explicat: *Hos residuos Dominus vocauit, siue euangelizauit eos quos vocauit: Sic enim Septuag. interpretati sunt.* Omnes enim saluandi vel sunt euangelizantes, vel euangelizati; nemoque nisi per Euangelium Christi saluatur. Hoc enim *virtus Dei est in salutem omni credenti*, vt ait Apost. Rom. 1. 16.

Simile huic loco est, quod pathetice proclamat Isaias c. 1. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen* (residuos, & reliquias aliquas, qui proseminarent & propagarent stirpem Israel) *quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* ita S. Hieron.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEscribit diem iudicij, pœnam reproborum, & gloriam electorum. Primò ergo docet, Christum in valle Iosaphat iudicaturum Tyrios, Sidonios, aliasq; gentes, quæ Iudæos & fideles afflixerunt, impieq; vixerunt. Secundò, v. 15. mittit Christus angelos cum falcibus, qui demetant omnes gentes, easq; adducant in vallem concisionis; vbi Christo contra eas irato & rugiente, sol, luna & stellæ obscurabuntur, ac cæli & terra mouebuntur. Tertiò, v. 17. docet Ierusalem cælestem tunc fore sanctam, felicem & gloriosam in æternum: Stillabunt, *inquit*, montes dulcedinem, & colles fluent lacte, *&c. Ita passim Interpretes. Quare minùs recte Mariana in fine capitis, suspicatur hoc capite describi ad literam stragem castrorum Sennacherib factam ab angelo 4. Reg. 19. 35. hanc enim factam esse prope Ierusalem in valle Iosaphat, ac sub eius typo depingi cladem impiorum in die iudicij. Fateor tamen ad stragem Sennacherib hîc alludi, eamq; allusiuè perstringi.*

Vers. 1. QVia ecce in diebus illis, & in tempore illo, cùm conuertero captiuitatem Iuda & Ierusalem:

D 2. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo,

meo, & hereditate mea Israel, quos dispersérunt in nationibus, & terram meam diuisérunt.

3. Et super populum meum miserunt sortem: & posuerunt puerum in prostibulo, & puellam vendiderunt pro vino vt biberent.

QVIA ECCE IN DIEBVS ILLIS] in die extremi iudicij, de quo præcessit in fine cap. præced. *Cùm conuertero captiuitatem Iuda*, non Babylonicam, sed eo longè acerbiorem, eaque tantùm adumbratam, scilicet captiuitatem peccati & cæcitatis, qua Iudæi tenentur captiui, & occæcati subiugo legis Mosaicæ, quam pertinacissimè retinent; quod fiet in fine mundi. q.d. Postquam Iudæos in fine mundi à iudaismo conuertero ad christianismum, & à seruitute Iudaica traduxero ad libertatem Euangelij, ad sortem, inquam, & gloriam filiorum Dei, *congregabo omnes gentes* ad iudicium extremum. ita S. Hieron. Rupert. & alij mox citandi.

ET DEDVCAM EAS IN VALLEM IOSAPHAT] Quæres Primò, quando, & vbi id factum? Primò, aliqui Rabbini censent hîc significari victoriam, quam Iosaphat rex Iuda consecutus est de Ammonitis, Moabitis & Idumæis, cùm illi ipsi mutua se cæde trucidarent; idque in valle Iosaphat, id est iudicij & vindictæ diuinæ, quam poposcit Iosaphat 2. Paral. 20. 12. dicens: *Ergo non iudicabis eos?* Verùm hæc vallis longè distabat à Ierusalem, eratque in Asasonthamar, quæ est Engaddi, vt ibi dicitur v. 3. Et licèt v. 26. vocetur vallis illa benedictionis, nusquam tamen ab historicis, vel chorographis vocatur vallis Iosaphat. Adde hæc victoria diu præcessit tempora Ioëlis, qui de futuro tempore vaticinatur hîc contra Tyrios, Sidonios & Ægyptios, non contra Ammonitas, Moabitas & Idumæos. Insuper sub Iosaphat nulla fuit captiuitas Iudæi: imò Iuda tunc erat hostibus suis dominans, & formidabilis. Eisdem rationibus refelluntur alij, qui hæc intelligunt de clade Sennacherib, cùm angelus cecidit in eius castris 185. millia, 4. Reg. 19. Fateor tamen hîc alludi ad hanc vallem & victoriam Iosaphat, q.d. Impij iudicabuntur & damnabuntur à Christo & Sanctis eius in valle Iosaphat, sicut Moabitæ cæsi sunt à Iosaphat in sua valle, huius antitypi. Vnde & in valle Iosaphat, aliàs amœnissima, erat Tophet & gehenna, vbi cremabant filios idolo Moloch; quæ proinde erat viua imago inferni, & damnatorum qui igne æterno cruciantur, ad quem à Christo in eadem valle damnabuntur, ita Sanchez.

Secundò, Cyril. & Theodor. hæc referunt ad tempora Esdræ & Nehemiæ: tunc enim Iudæi redierunt è captiuitate Babylonica. Verùm tunc nullæ gentes hostiles à Iudæis cæsæ sunt in valle Iosaphat. Porrò toto cælo errant Iudæi moderni qui hæc accipiunt de captiuitate & clade Romana, qua ipsi à Tito & Vespasiano vastati sunt, etsi hîc eis præmonstratur eius solutio & liberatio, cæsis Romanis, Gog & Magog in valle Iosaphat. Nam hæc non fuit captiuitas, sed excidium gentis, durabitque vsque ad finem mundi, vt prædixit Daniel cap. 9. 26. Vnde ipsi eamdem nunc patiuntur per 1600. annos, nec affulget, vel vnquam affulsit eis vlla spes restaurationis. Adde, nullam hîc Romanorum fieri mentionem, sed Tyri, Sidonis & Ægypti.

Tertiò, Christiani aliqui hæc referunt ad tempora persecutorum Ecclesiæ, putà Neronis, Decij, Diocletiani, &c. à quibus liberauit eos Christus per Constantinum. Verùm tunc gentes omnes congregatas in vallem Iosaphat, ibique cæsas nusquam legimus.

Dico ergo, certum est hæc spectare ad diem iudicij. De eo enim egit in fine cap. præced. cui hæc proximè subijcit Propheta, dicens; *Quia ecce in diebus illis, & in tempore illo*, vtique iam paulò antè à me designato, putà iudicij extremi. Tunc enim omnes omnino gentes congregabit Deus, & iudicabit in valle Iosaphat: numquam enim aliàs Deus congregauit omnes gentes toto orbe dispersas. ita S. Hieron. Rupert. Remigius, Haymo, Lyran. Vatab. Clarius, Ribera, à Castro & alij passim; quin & veteres Hebræi, quos citat S. Hieron & Galat. l. 12. c. 1.

Quæres Secundò, quænam & vbinam sit vallis Iosaphat, in quam congregabuntur omnes homines, & ad quam è cælo descendet Christus iudex, vt in eo omnium iudicium peragat? Aliqui censent nomen *Iosaphat*, hîc non esse proprium, sed appellatiuum significans *Domini iudicium*; ac proinde non designare certum locum aut vallem, sed indefinitè significare locum iudicij, quisquis ille sit futurus. Vnde v. 14. vocatur hæc vallis *concisionis*, quòd in ea Deus concidet gentes. ita Chaldæus, vertit enim, *congregabo omnes gentes in vallem diuisionis iudicij*. Et S. Hieron. hîc. & epist. 142. ad Damasum, ait gentes congregandas in vallem iudicij Domini, hoc est in iudicium Domini profundum: Græcum enim κατάγειον idem est, quod *deorsum ducam*. S. Hieronymum sequuntur Haymo & Albertus. Alij censent vallem Iosaphat certam esse vallem, sed adhuc innominatam & incognitam, quæ ab euentu, putà à iudicio Christi in ea peragendo, nominanda sit vallis Iosaphat, id est, iudicij Dei: Iosaphat enim idem est quod יְהוֹשָׁפָט *Iehoschaphat*, id est, *erit iudicium*, scilicet tali loco quem Deus nouit & decreuit. Sic locus in quo sedebit Antichristus, vocatur, id est vocabitur, *Apadno*, id est, palatium regale, Daniel. 11. 45. Sic locus in quo cædentur reges sub finem mundi, Apocal. 16. 16. vocatur, id est vocandus dicitur, *Armagedon*, id est, anathema excidij, siue plenum excidium. Sic locus in quo cædetur Gog Ezech. 39. 11. nominatur, id est nominandus prædicitur, Polyandrium, vel *vallis multitudinis Gog*. ita Rupert. Arias & Clarius.

Verùm melius, magisque genuinè cum Syro, Arabico vtroque, & alijs, nomen Iosaphat hîc accipias vt proprium. Est enim vallis Iosaphat sita inter Ierusalem & montem Oliueti, quam perluit torrens Cedron: *vbi hortus erat, in quo Iudas proditor tradidit Saluatorem*, ait S. Hieron. in Ieremiæ 31. ita V. Beda, Borchardus, Saligniacus, Adrichomius, & alij in Descriptione terræ sanctæ. *Vallis Iosaphat*, ait Adrichom. *quæ & vallis Cedron, & vallis montium vocatur, vallis est lata & profunda, inter Ierusalem & montem Oliueti interiecta, totam ab Oriente cingens vrbem, quam torrens Cedron transiens suis aquis egregiè fœcundat. In hac valle pij ac religiosi reges Iuda Asa, Ezechias & Iosias templi*

Vallis Iosaphat quæ

templi combusserunt idola, eorumq; cineres in torrentem Cedron proiecerunt. Hæc vallis communis totius ciuitatis erat cœmeterium, vbi vulgus & ignobiles sepeliebantur: extra vrbem enim Iudæis sepeliri mos erat: ibiq; nunc Turcæ sepeliuntur. In hac quoque valle die illa cunctis mortalibus tremenda omnes vndique homines ad extremum iudicium sunt congregandi, vt à Christo iudice recipiant debita pro meritis præmia quisque suis. Vnde & vallis concisionis appellatur, quòd ibi mali à bonis separabuntur. Tempore quo Christiani Palæstina potiebantur, erat hic Abbatia quædam, in qua Domina Melisendis, regina Ierusalem sepulta est. In valle ergo Iosaphat erat villa Getsemani, & hortus, in quo Christus orans sudansque sanguinem, proditus à Iuda, captus est à Iudæis; & in eadem sepulta est B. Virgo Maria, vt notat Adricho. Porrò vallis hæc nomen accepit à Iosaphat rege, quòd eam ipse insigni titulo & fabrica, v.g arcu triumphali post victoriam de Ammonitis & Idumæis, ornarit: vel quòd in ea mausolæum illi erectum sit, pulchra pyramide insignitum, vt tradunt Beda, & Saligniacus: licèt enim Iosaphat sepultus sit in Sion, vti dicitur 2. Paral. 21. 1. tamen mausolæum illi erigi potuit in hac valle, in quod fortè eius ossa translata sunt.

2. Par. 21. 1.

Hæc sententia probatur Primò, ex eo quòd Septuag. Noster, & alij retinent nomē Hebræum *Iosaphat* quasi proprium. Et sanè qui hebraicè sciunt, ex ipsa compositione & terminatione norunt Iosaphat esse nomen proprium, æquè ac Iosias, Iohannes, Iosue, &c. Secundò, quia in hac valle Iosaphat, Ezechias & Iosias idololatras & idola combusserunt, in typum quòd Christus in eadem iudicaturus esset infideles & impios, eosque in ignem gehennæ detrusurus. Tertiò, quia in eadem valle erat cœmeterium Ierusalem: ergo par est vt ibidem resurgant Hierosolymitæ, id est, fideles Ecclesiæ ciues iudicandi à Christo. Rursum in valle Iosaphat erat gehenna, in qua cremabant infantes idolo Moloch: ergo par est vt illi ibidem à Christo damnentur ad gehennam ignis æterni. Addit S. Thomas in Isaiæ 30. 33. Hebræos opinari ibidem esse fauces inferni, siue quædam infernalis incendij spiracula, qualia nonnulli opinantur esse in Ætna, olla Vulcania, Vesuuio, Hecla, & similibus montibus qui flammas vomunt. Indicium afferunt, quòd ibi duæ palmæ iugiter fument, vti fumat Ætna. Verùm huius rei fides sit penes ipsos: apud Latinos enim nil tale legi. Quartò, quia vallem Iosaphat esse iuxta Ierusalem patet ex eo, quòd v. 16. subdit Ioël: *Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam.* Confirmatur, quia Ierusalem censetur esse medium terræ, in quo Deus, vt ait Psaltes psalm. 73. 12. salutem operatus est, per passionem, mortem & ascensionem Christi: ergo decet vt ibidem Sancti fructum sanguinis & passionis eius, ac gloriam ascensionis participent Quintò, quia Christus Hierosolymis vixit, docuit, miracula fecit, iudicatus & occisus est: ac in monte Olueti, qui huic valli imminet, gloriam & maiestatem suam ascendens in cælum ostendit, ibique angeli eum rediturum ad iudicium prædixerunt Actor. 1. 11. dicentes: *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Ergo decet & conuenit, vt in eadem iudicet incredulos & inobedientes sibi, qui tantæ eius charitati, redemptioni, doctrinæ & miracolis, quibus doctrinam suam cælestem esse, seque à Deo missum Messiam & Saluatorem probauit, credere & obedire noluerunt. Iustum enim est, vt ibi Christus suæ gloriæ maiestatem ostendat, vbi summam ignominiam sustinuit; vtque ibi iudicet, vbi iudicatus est, & vindictam sumat de suis persecutoribus, alijsque omnibus quibus sanguine vti noluerunt. Ita S. Hilar. can. 25. in Matt. *Congregantibus*, ait, *angelis conuentū futurum in loco passionis ostendit: & dignè illic claritatis aduentus exspectabitur, vbi nobis gloriam æternitatis passione cōporeæ humilitatis operatus est.* ita & Remigius, Lyran. Vatabl. Emmanuel, Mariana hic, D. Thomas & Albert. in cap. 24. & 25 Matth. D. Soto, Paludanus, & passim alij Scholastici in 4. d. 47. aut 48. ac nominatim Suarez 3. p. q. 57. a. 6. disp. 53. sect. 3.

Porrò Christus iudex non descendet in ipsam vallem Iosaphat: sic enim à tot hominum millionibus iudicandis videri non posset, sed in aërem huic valli & monti Olueti incumbentem, & vicinum. Sedebit enim in nube lucida & glorioſa. Assidebit ei Virgo Mater, quæ in hac valle sepulta est & resurrexit: item Apostoli & viri Apostolici. In valle verò, locisque ei vicinis consistent homines iudicandi, circumstantibus angelis: sed electi & beati rapientur in nubibus obuiàm Christo in aëra, vt ait Apostol. 2. Thessal. 4. 16.

ET DISCEPTABO CVM EIS IBI] Hebr. *& iudicabor*, id est, *iudicio contendam cum eis*. vt vertit Syrus; Arabicus, *& diiudicabo eos ibi pro populo meo*. Alludit per paronomasiā in voce נִשְׁפַּטְתִּי *nispheti*, id est *iudicabor*, hoc est, disceptabo, ad nomen *Iosaphat*, quod hebr. significat *Domini iudicium*. q. d. In valle Iosaphat, id est, iudicij Dominī, ego Christus, quasi Deus & iudex, iudicio contendam cum omnibus gentibus, omnesque infideles & impios sceleris conuincam & condemnabo, quòd scilicet meam redemptionem vel non crediderint, vel neglexerint, & aspernati sint. Atque inter cætera argumenta hoc proferam: Ecce ego resurgens à morte ex hoc monte oliueti, publicè coram Apostolis, plurimisque discipulis in cælum conscendi, vt ostenderem me è cælis venisse, indeque à Patre æterno missum, eius legem & doctrinam cælestem vobis tradidisse, ac per vera miracula confirmasse: eoque eò me, peracto legationis & redemptionis officio, à Patre reuocari, & regredi, ac consequenter vitam meam fuisse innocentem & cælestem, nec mortem crucis me meis peccatis promeritum, sed pro vestris eamdem amplexum sponte subijsse. Cur ergo mihi non credidistis? cur meam redemptionem & salutem non accepistis? cur meæ legi non paruistis? Sanè nihil habetis causæ, quod vestræ incredulitati & inobedientiæ prætendatis, inexcusabiles estis: conuincit vos vestra ipsorum mens & ratio, iudicat & condemnat vos vestrum ipsorum iudicium, vestra ipsorum sententia, vestra conscientia vos reos & ingratos, mortem & gehennam promeritos; me verò æquum, misericordem & pium esse proclamat. Christus ergo supra vallem Iosaphat in throno iudiciario consi:dens disceptabit, & indignans rugiensque dicet impijs

vallecõsistentibus, & pauidis: Ecce ego in hoc ipso loco pro vobis laboraui, & atrocia passus sum: ecce hîc in Gethsemani pro vobis sudaui aquam & sanguinem, proditus & captus sum, ligatus quasi latro, tractusque per Cedron in vrbem: ecce iuxta hanc vallem in domo Caiphæ, ac mox in domo Pilati, pro vobis iudicatus & damnatus ad mortem, flagellatus, spinis coronatus, colaphis cæsus, irrisus & consputus sum: ecce hîc totam vrbem circumductus crucem baiulans tandem in Caluariæ mõte pro vobis crucifixus sum: ecce hîc nudus inter cælum & terram suspensus, distensis manibus, pedibus, totoque corpore memetipsum pro vobis in victimam Deo Patri obtuli. Testis es Pilate, testis Anna, testis Caipha, testis Iuda, testes pontifices, testes Iudæi, qui hoc ipso loco contra me contentis vocibus clamastis: *Reus est mortis: crucifigatur, crucifigatur.* Meministi Pilate, quòd quasi reus hîc steterim coram tuo tribunali, & sententiam mortis à te acceperim; cùm tamen tu innocentem me ferres, dicereque: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius.* Meministi Caipha; meministis pontifices, quòd in concilio à vobis adiuratus: *Dic nobis, si tu es Christus filius Dei viui,* responderim: *Tu dixisti: verumtamen dico vobis: Amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.* Mihi tamen non credidistis, imò subsannastis, & quasi blasphemum condemnastis & crucifixistis. Ecce nunc dies illa quam vobis prædixi, & intentaui: ecce nunc sors mea cum vestra commutata: iudices sedistis, steti ego reus: nunc rei vos, iudex ego. Nunc videtis me eum esse quem dixi, Messiam filium Dei, orbis dominum & iudicem: quomodo vos in me sceleratas manus immittere, quomodo sacrilegè filium Dei blasphemare & occidere ausi fuistis? Cernite manus quas fodistis, pedes quos perforastis: cernite sacra stigmata, quæ corpori meo impressistis. Hæc vos iudicant, hæc contra vos clamant, hæc condemnant. Ite ergo sacrilegi, ite deicidæ cum Lucifero in ignem æternum. Et vos, ô infideles, ô Turcæ, ô praui Christiani, hæc sciuistis, vel scire potuistis & debuistis; & tamen neglexistis, spreuistis meos labores, sudores, dolores: sanguinem testamenti pollutum duxistis: maluistis sequi vestras concupiscentias, quàm me, meamque doctrinam & legem: delicias, opes, honores momentaneos æternæ saluti à me promissæ prætulistis: gehennæ incendia minitantem me contempsistis. Ecce nunc videtis quem contempseritis: nunc cernitis minas meas non fuisse vanas, sed veras: promissa mea non vana, sed certa: nunc cernitis vanas & fallaces fuisse vestras amasias, diuitias, dignitates: nunc cernitis vos in earum amore fuisse stultos & insensatos: nunc gemitis & plangitis, nunc pectora tunditis; sed serò & frustra. Ite ergo improbi, ite ingrati, ite increduli, ite insensati, ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius à constitutione mundi.

Vos verò, ô Apostoli, qui me hoc in loco damnari, flagellari, crucifigi, occidi vidistis, & tamen in me credidistis, me secuti estis vsque ad mortem & crucem: vos pariter, ô viri Religiosi & Apostolici, qui meam paupertatem, humilitatem, mundi contemptum & crucem amplexi

A estis; quique meam fidem, doctrinam & religionem toto orbe propagastis: vos denique, ô fideles, qui me redemptorem vestrum credidistis, sperastis, amastis, coluistis, qui per omnia meæ legi paruistis, qui Christianam, meque dignam vitam egistis; qui sobriè, piè & iustè in hoc sæculo vixistis expectantes beatam spem, & hunc meum aduentum gloriæ magni Dei: Venite ô dilecti & electi, venite ô benedicti Patris mei, possidete regnum cælorum vobis paratum ante sæcula, ab omni æternitate. Et ibunt illi in ignem æternum, iusti autem in vitam æternam. Beatus qui hæc iugiter cogitat, præuidet & prouidet. Similem exprobrationem Christi iudicis ad impios habet S. Augustinus serm. 67. de Temp. qui est de die iudicij.

Exempl. S. Pelagiæ.

B Hæc cogitabat S. Pelagia pœnitens, quæ à vanitate mundi conuersa per B. Nonnum Episcopum Heliopoleos, perpetuæ pœnitentiæ se addixit, ad eamque delegit hunc locum. Nam in monte Oliueti tugurium erexit, ex quo in vallem Iosaphat despectus est, vt iugem Christi patientis, æquè ac iudicis venturi imaginem sibi ob oculos poneret. Ita habet eius Vita 8. Octob. & Adrichom. in Descript. tertæ sanctæ.

B. Xauerij.

Ad hanc quoque vallem B. Xauerius citauit Præfectum Malacæ, qui cupidine auri victus, iter eius in Sinas, ac consequenter Sinarum conuersionem impediebat: *Ego*, inquit, *numquam posthac illum, neque ille me visurus est in hac vita, nisi cùm apud suminum illum Iudicem in valle Iosaphat eum accusaturus sum, quòd improbissima turpissimaque cupiditate occæcatus, tantam animarum impedierit messem.* ita Tursell. in eius Vita lib. 5. cap. 7.

C Ad eamdem nos oraculo Ioëlis citat hîc Deus, reipsa citaturus per archangelum, cùm ille tubali voce omnes è monumentis euocabit ad tribunal Christi.

Patheticè S. Cyrillus orat. de animæ excessu, quam fusè recitat noster Raderus in Viridario Sanctorum pag. 186. *Metuo*, inquit, *mortem, quoniam acerba mihi est. Metuo gehennam, quoniam aterna est. Metuo tartarum* (ita vocat gehennam frigoris & glaciei, qua æquè ac igne torqueri damnatos in infesto multi censent, moti illo Iobi cap. 24. v. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium.* ita ibidem Philippus presbyter, S. Thomas, Titelm. Stunica & alij) *quoniã nihil habet caloris. Metuo vermem veneniferum, quoniam aternus est. Metuo angelos iudicio præficiendos,*

D *quoniam immisericordes sunt. Metuo cùm cogito illius dei terribile, & muneribus inexpugnabile concilium, tribunal horribile, iudicium incorruptum. Metuo flumen ignis ante tribunal illud fluens, vehementissimaque flamma torrens, & acutos enses. Metuo seuerissimas pœnas. Metuo supplicium finem non habens. Metuo tetram illam caliginem. Metuo profundas tenebras. Metuo infracta vincula, stridorem dentium, fletũ inconsolabilem. Metuo ineuitabiles probationes. Nihil enim accusationibus eget iudex ille, neque testibus, neque demonstrationibus, neque probationibus, sed quæcumq; fecimus, diximus, decreuimus, ea in medium adfert ob oculos nocentium. Tum nullus est qui adsit & pœnis eripiat, non pater, nõ mater, non filius, non filia, nõ amicus, non defensor, non pecuniarũ largitio, nõ diuitiarũ abundantia, non potentia factus: quin hæc omnia cineris ritu in puluerem abeunt, solusq; reus ex suis factis absoluentem aut condemnantem sustinet*

sententiam. Et inferiùs: *Tunc vbi huius mundi iactãtia? vbi inanis gloria? vbi apparatus? vbi reges? vbi ornatus? vbi pecunia? vbi nobilitas? vbi delectatio? vbi corporis virilitas? vbi falsa illa & inutilis mulierum pulchritudo? vbi tunc vestimentorum comptus? vbi qui cum tympanis & cithara vinum potant? vbi theatra? vbi venationes?* Et post nonnulla: *Acerbum est in igne esse, & clamare, neque subueniri. Insuperabiles fauces, immensus gurges, vbi incluſus quis & detentus euadere aut aufugere nequeat: insuperabilis custodia murus, immites custodes, tenebricosus carcer, tetri Aethiopes, infracta vincula, inconuulsæ catenæ, diri ferique flammæ illius ministri, graues illæ quæ ad supplicium adhibentur scuticæ, firmi vngues & infracti, duri nerui, turbida pix, atque torrens, fœtens sulphur, ignea illa cubicula: inextincta pyra, putidus viroſusque vermis: inexorabile concilium, inuictus gratia iudex, inexcusabilis defensio: notis compuncti magnatum vultus, exoleti optimates, mendici reges, imperiti sapientes, fatui oratores, dementes diuites: non auditæ falsa scribentium assentationes: manifestæ malitioſorũ versutiæ, perspicuæ fraudatorum calliditates: væ improbis. Profani, scelerati & impuri sunt in conspectu Dei: væ contumacibus, contentioſis & turbulentis: væ periuris: væ helluonibus, quorum Deus venter est.*

A

VERS. 3. SVPER POPVLO MEO ET HEREDITATE MEA ISRAEL] *Populum* suum, siue *Israel*, vocat suos fideles & sanctos. Horum enim typus erat populus Israel, olim à Deo electus, fidelis & sanctus: illique in eius à Deo & Christo apostatantis locum subrogati & adoptati sunt, vt docet Apost. Rom. 9 8. nam, vt idem ait Galat. 6. 16. *Quicumque hanc regulam* (Christi & Euangelij quod ego prædico) *secuti fuerint, pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei.* Vox & significat *id est*, q. d. *Pax* sit *super illos*, id est, super Israelitas: quia illi sunt veri Israelitæ, non carne, sed fide & spiritu: sequuntur enim fidem & virtutem Israelis, Isaaci & Abrahæ. Horum ergo dispersionem, id est persecutiones & exilia se vindicaturum hîc dicit Deus. Sensus ergo est, q. d. In valle Iosaphat disceptabo cum infidelibus & impijs, qui populum meum Israel, id est, fideles meos, & pios, veroſque Dei cultores afflixerunt, eoſque condemnabo & puniam æterna morte.

B

C

ET TERRAM MEAM (populi mei, ideoque meam, illo electo, inter se) DIVISERVNT] Persistit in typo & allegoria vastationis & excidij Iudææ per Chaldæos, sed per hoc intelligit expilationes & iniurias fidelibus irrogatas. Sic enim Turcæ Christianorum prædia & prouincias inuaserunt, occuparunt, diuiserunt: sic Angli etiamnum Orthodoxorum bona confiscant, & per mulctas exhauriunt, vti olim fecerunt Nero, Decius, Diocletianus, &c. quibus rectè competit id quod sequitur:

D

ET SVPER POPVLVM MEVM MISERVNT SORTEM] sortitò inter se dispertientes tam ipsum, quàm ipsius bona, vti milites Christi crucifixi vestimenta eo inspectante sortitò inter se diuiserunt quæ ingens fuit contumelia & afflictio. Alludit ad sortem quam iecit Aman super Iudæos de die & mense, quo eos trucidare destinabat, Esther 3 7. Arguit Gentium turbam *super tribus*, ait Hugo Victor. *De auaritia, de luxuria, de gula. De auaritia, quia super populum Domini sortem misit. De luxuria, quia puerum prostituit. De gula, quia pro vino puellam vendidit.*

Tropol. *Dæmones terram Domini, id est fidelem animam, vitiis diuidunt; superq; populum virtutum, peccatorum sortem mittunt. Tunc puerum, id est puritatem mentis, prostituunt illicitis desiderijs. Tunc puellam, id est cordis innocentiam, vendunt pro vino, id est, lætitia temporali & terreno delectamento.* huc usque Hugo.

ET POSVERVNT PVERVM IN PROSTIBVLO] q. d. Pueros populi mei posuerunt in lupanari, vt scilicet ex eorum corpore exposito pæderastis ad innaturalem & execrandam libidinem, lucrum & quæstum facerent. sic & puellas vendiderunt partim ad libidinem, partim ad seruitium, vt ex earum pretio vinum emerent, eoque gulam suam explerent. Vnde Hebræa ad verbum habent, *dederunt puerum in meretricem*, vel pro meretrice, quam S. Hieron. vertere & vocare solet *prostibulum*. Vnde in comment. hîc ait: *Posuerunt puerum in prostibulum*, hoc est, prostituerunt puerum lenonibus quasi scortum masculum, *vt eum virilem cogerent mutare naturam*, vti fecit Iason 2. Machab. 4. 9. Sic & Theodor. Remig. Rupert., Hugo & Vatabl. Quocirca Arabicus vterque vertit, *commutauerunt pueros in mercedem meretricum*, scilicet meretricibus substituendo pueros meritorios, ex quibus captarent turpem mercedem, qualis solet dari meretricibus. Syrus verò vertit, *dederunt pueros in mercedem adulterarum*, vt eis seruirent quasi famuli. Noster rectè vertit, *in prostibulum*. *Prostibulum* enim latinè non tantùm lupanar, sed & meretricem significat. Audi Plautum in Aulul. *Bellum & pudicum verò prostibulum populi.* Eadem dicebatur prostibula femininè. Audi Festum: *Alicariæ meretrices appellabantur, in campis solitæ ante pistrina alicariorum versari quæstus gratia; sicut hæ quæ ante stabula sedebant, dicebantur prostibula.*

Secundò, Septuag. vertunt, *puerum dederunt meretricibus*; scilicet pro pretio corporis earum sibi prostituti. q. d. Tam vili æstimarunt pueros Iudæorum, vt eos loco pretij darent meretricibus pro vsu corporis earum, siue pro mercede meretricandi. ita Chald. Lyran. Vatabl. Pagnin. Clarius, Arias, & à Castro. Huic sensui fauet Hebr. בְּזֹנָה *bazzona*, id est, pro meretrice, sicut mox de puellis ait, eas venditas בְּיַיִן *beiain*, id est, *pro vino*: vtrobique enim est *beth* pretij.

Tertiò, Hieron. Prado in Ezech. 16. 15. *Posuerunt puerum in prostibulo*, hoc est, inquit, ad edulia in caupona prostituta, vt vendantur hospitibus, emenda & comparanda. q. d. Dederunt in pretium esculentorum puerum Iudæum captiuum, æquè ac pro vino dederunt in pretium puellam Iudæam. Hebr. enim זוֹנָה *zona*, id est prostibulum, significat propriè cauponam, quæ prostituit edulia, vel merces, vel operas suas, vel etiam corpus, & tum vocatur meretrix. Verùm Latinum *prostibulum* numquam cauponam, nec esculenta venum prostituta significat. Primus ergo sensus est genuinus, eumque exigit nostra versio Latina: deinde secundus, qui valdè congruit textui Hebræo. Pauca hîc, sed enormia in innocentes pueros & puellas scelera, in die iudicij iudicanda & punienda recensèt Propheta, atque per synecdochen sub his quæuis alia subintelligit. ita Lyran.

4. Ve-

4. Verùm quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, & omnis terminus Palæstinorum? numquid vltionem vos reddetis mihi? & si vlciscimini vos contra me, citò velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum.

5. Argentum enim meum & aurum tulistis: & desiderabilia mea & pulcherrima intulistis in delubra vestra.

6. Et filios Iuda, & filios Ierusalem vendidistis filijs Græcorum: vt longè faceretis eos de finibus suis.

7. Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos: & conuertam retributionem vestram in caput vestrum.

8. Et vendam filios vestros, & filias vestras in manibus filiorum Iuda, & venundabunt eos Sabæis genti longinquæ, quia Dominus locutus est.

9. Clamate hoc in gentibus, sanctificate bellum, suscitate robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores.

10. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat: Quia fortis ego sum.

11. Erumpite, & venite omnes gentes de circuitu, & congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos.

12. Consurgant, & ascendant Gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes in circuitu.

A B C D

4. VERVM QVID MIHI ET VOBIS TYRVS ET SIDON, ET OMNIS TERMINVS PALÆSTINORVM?] Phrasis illa, *Quid mihi & vobis est?* auersantis, indignantis, abijcientis, reprobantis, & condemnantis est, quòd aduersus ipsum Deum bella mouere, odiaque & simultates exercere præsumpserint, cùm populum Dei persequebãtur. Nam, vt ait S. Hieron. *qui populum Dei persequitur, ipsum Deum persequitur, cuius est populus.* Vnde Christus Saulo ait: *Quid me persequeris? Ego sum Iesus, quem tu persequeris*, Act 9.4. Iam Haymo, Rupert. Arias, Vatabl. & Ribera censent Tyrum, Sidonem & Palæstinos hîc ad literam capi metaphoricè, pro quibusuis impijs: ac vice versa per Iudæos, significari omnes pios & sanctos. *Tyrus* enim hebr. idem est quod coarctatio, & Tyrij idem quòd coarctantes, angustiantes, affligentes: Sidonij, idem quod venantes, scilicet ad mortem: Philisthini, idem quod conspergentes cinere, id est, luctum afferentes, vt notat S. Hieron. Alij, & melius, hæc propriè accipiunt: sicut enim Ioël ex multis sceleribus in die iudicij iudicandis, pauca tantùm per modum exempli paulò antè recensuit, ex his cætera omnia synecdochicè subintelligens, ita & hîc ex omnibus gentibus tum iudicandis per modum exempli producit paucas & fama & vicinia & scelere apud Iudæos insigniores, atque ex his cæteras omnes partim per synecdochen, partim per metaphoram intelligendas relinquit. Tyrij enim, Sidonij, & Philisthini fuere acres, & penè perpetui, populi Dei, putà Iudæorum, hostes, in eosque sæpè crudeliter desæuierunt spoliando, occidendo & vendendo eos Græcis, id est, gentibus Asianis. Vnde contra eos tonant Prophetæ vno ore, & excidium per Chaldæos eis intentãt, vt Isaias cap. 14. 29. & toto cap. 23. Ieremias toto cap. 47. Ezechiel toto cap. 27. & 28. Eadem de causa Ioël hîc eisdem idem per Chaldæos temporale excidium (sed obiter perstringendo id tantùm) ac multò magis æternum in die iudicij, putà condemnationem & gehennam, intentat. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Lyran. Ribera & alij. Miscet ergo Ioël literam allegoriæ: quia mistim loquitur de hostibus Iudæorum sui temporis, & de hostibus fidelium & sanctorum quouis æuo. Sic Isaias cap. 14. miscet casum Balthasaris cum casu Luciferi; & Ezech cap. 28. miscet casum regis Tyri cum casu Cherubini. vide can. 4. & 52. in Prophetas maiores.

Quare minùs rectè aliqui hæc referunt ad Tyrios, Sidonios & Palæstinos, qui tempore Titi & Romanorum Iudæos afflixerunt. Alij ad eos, qui Christianos & nascentem Ecclesiam Christi in Iudæa persecuti sunt; præsertim cùm non legamus Tyrios, sed Iudæos ipsos persecutos fuisse Christum & Christianos. Sensus ergo est ad literam, q.d. Quid mihi vobiscum est, ô Tyrij, Sidonij & Palæstini, qui acerbi & continui fuistis hostes populi mei (Iudæorum) ac consequenter mei ipsius, qui populi huius mei tutor sum & Deus? Num vltionem de me, quòd sæpè per Iudæos vos ceciderim, sumere vultis hoc ipso, quòd cùm me non possitis, populum meum opprimitis, eiusque aurum & opes diripitis; templum meum spoliatis, vt delubra Beli & idolorum vestrorum ornetis; ac Iudæos quasi mancipia venditis Græcis, id est gentibus, vti fecit Nicanor 2. Machab. 8. 14. Sed agite, ecce ego vicissim vlciscar me, & hasce populi mei iniurias, ac talionem vobis rependam: suscitabo enim & liberabo populum meum de manu vestra, faciamque vt ille vestri dominetur, & vicissim filios vestros vendat Sabæis, qui sunt prædones notissimi, vt patet Iob 1. 15. licèt enim hoc reipsa factum alibi non narret Script. hîc tamen futurum prædicit, vnde factum esse, non dubium: sic enim multa à Prophetis prædicta, facta non legimus, & tamen facta non dubitamus. Credimus enim oracula eorum fuisse vera, ac proinde reipsa impleta. Vide can. 41. in Prophetas maiores. ita Theodor. Remig. Lyran.

Hic est sensus primus & quasi fundamentalis, sed sub hoc alium magis præcipuum intendit Propheta: nimirum per hæc Tyriorum, Sidoniorum & Palæstinorum scelera, & eorumdem punitionem, significat similia crimina tum Turcarum & Sacarenorum in Christianos, tum quorumuis impiorum qui pios persequuntur, quos Deus in die iudicij, cùm suos fideles & pios à morte suscitabit ad vitam, & in libertatem gloriæ filiorum Dei asseret, puniet, & vendet Sabæis, id est, tradet cruciandos dæmonibus. Hisce enim Sabæi moribus & nomine erant similes. Sabæi enim per *scin*, significat hebr. captiuitatẽ, vti vertunt hîc Septuag. & captiuantes, quales sunt dæmones. Vnde & Arabicus Alexand. vertit, *venundabunt eos in captiuitate, captiuitatem* (captiuos abducendos) *ad gentem remotam.* ita Rupert,

Sabæi etymon.

pert. Clarius, Arias, Vatabl. Ribera & à Castro. A Rursum Sabæi per *sin* hebr. significat epulantes, saturos, à rad. שָׂבַע *saba*, id est saturatus est; vel potantes, & ebrios. à rad. שָׁאָה *sçaah*, id est potauit, vt sit metathesis. Dæmones enim laniabunt impios in gehenna, eorumque carnibus, sanguine & pœnis se pascent, & quasi inebriabunt. De iudicio enim extremo agit hîc Propheta in præcedentibus, æquè ac in sequentibus: vnde symbolicè per Tyrios, Sidonios & Palæstinos notantur hîc tres, id est omnes, classes impiorum. Tyrus enim superba, & instar arcis in mari eminens, notat superbos: Sidon mercaturæ dedita, venanque opes notat auaros: Palæstini, id est cadentes, notant carnales, qui quasi porci corruunt in ventrem & venerem, ac volutantur in cœno gulæ & libidinis. Nam vt ait S. Iohan. epist. 1. c. 2. 16. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis* B *est, & concupiscentia oculorum* (auaritia, siue cupiditas auri & argenti) *& superbia vitæ.* Hos Deus, eiusque Sancti iudicabunt & damnabunt in die iudicij, iuxta illud psal. 149. *Exultabunt sancti in gloria* &c. *& gladii ancipites in manibus eorum ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius.*

Tyrij sunt superbi, Sidonij auari, Palæstini gulosi.

Et omnis terminvs Palæstinorvm] Ita & Tigurina, & alij passim. q. d. Et omnes fines omnesque regiones Palæstinorum. Verùm Septuag. Hebr. גְּלִילוֹת *ghelilot* retinuerunt quasi nomen proprium, verteruntque, *& omnis Galilæa alienigenarum*, id est, Philisthinorum. Mirum hoc: nam nulla Galilæa fuit in Philisthæa: vnde in Hebræo non est alienigenarum, sed Palæstinorum. Audi S. Hieron. *Pro Galilæa in Hebræo scriptum est gelilot, quod Aquila,* Σνὰς; *Symmachus, terminos transtulit:* Σνὰς *autem, id est, tumulum arenarum, referamus ad littora Palæstinæ, non ad Galilæam Philisthiim, quæ omnino nulla est.* Quare credo Septuag qui id sciebant, voluisse retinere Hebr. nomen *gelilot*, vt Galilæa sit nomen appellatiuũ, non proprium, significans fines, terminos: hi enim hebr. vocantur *gelilot*, indeque regio Galilæa nomen accepit, putà à reuolutionibus & molibus arenarum, quibus disterminatur. quia enim mari adiacet, hinc ab eo se diuidit, & tutatur cõgestis in littore arenarum tumulis: radix enim גָּלַל *galal* significat voluere, conuoluere. ita Andreas Masius in Iosue 13. v. 2. Vbi pariter Noster vertit, *omnis Galilæa Philisthiim & Gessuri*; Septuag. verò, Chald. & Rabbini vertunt, *omnes limites* vel *littora Philisthinorum & Gessuri.*

C

Vers. 8. *Sabæi qui & vbi*

Sabæis] Sic & Aquila, & Symmachus: licèt Septuag. vertant, *in captiuitatem*, שִׁבְיִ *scebi* enim hebr. est captiuitas. Sabæi autem sunt vel Æthiopes, vel Arabes Arabiæ Felicis, de quibus Poëta: *Centumq; Sabæo thure calent aræ.* Duplex enim est Saba, vna in Æthiopia, altera in Arabia: vtraque longinqua, longeque distans à Iudæa, vti doctè docet P. Pineda lib. 5. de Rebus Salom. c. 6. nu. 3. & 4. vnde Preto-Iohannes Imperator Abyssinorum hoc titulo gloriatur: *Dominus Sabaim* (id est vtriusque Sabææ, & vtrorumque Sabæorum) *& successor Reginæ Saba*, quæ cum muneribus venit ad Salomonem 3. Reg. 10. Porrò *Iudæi*, inquit S. Hieron. *promittunt sibi, imò sommiant, quòd in vltimo tempore congregentur à Domino, & reducãtur in Ierusalem. Nec hac felicitate contenti, ipsum Deum suis manibus Romanorũ filios & filias asserunt tradituros, vt vendant eos Iudæi non Persis, & Aethiopibus, & cæteris nationibus, quæ vicinæ sunt; sed Sabæis, genti longissimæ: quia Dominus locutus sit, & populi sui vlciscatur iniuriam. Hæc illi, & nostri iudaizantes* (Chiliastæ) *qui mille annorũ regnũ in Iudæa sibi finibus pollicentur, & auream Ierusalem & victimarum sanguinem, & filios ac nepotes, & delicias incredibiles, & portas gemmarum varietate distinctas* (de quibus Apoc. cap. 21.) *Nos autem dicamus, quòd & suscitauit Dominus post aduentũ suum, & quotidie suscitat, & suscitaturus est eos, quos varius error eduxerat de finibus suis: pulchrè ergo, Suscitabo, ait, quasi tacentes & corruentes, vt qui tacebant in hæresi, sient in Ecclesia, reddens hæreticis quod fecerant, vitiis eorum & filiis, quos in mystici & carnalibus eruditos tradat in manu filiorum Iuda, id est, in manibus eorum qui Ecclesiarum principes extiterunt, vt ad meliora conuersi, Ecclesiasticis dogmatibus incipiãt esse subiecti.* Hoc tropologicum est: nam ad literam agit Ioël de impijs, quos in die iudicij æternæ seruituti & carceri Deus mancipabit.

Clamate haec in Gentibvs, proclamate hęc voce præconis apud Gentes: SANCTIFICATE Tigurina, *indicite*; Chald. *præparate*, BELLVM] Est catachresis: quia enim festa futura solebant apud Iudæos sanctificari, id est, indici & præconis voce publicari, vt ad ea quasi sancta populus se sanctè compararet, hinc sanctificare idem est quod indicere & proclamare. Vide dicta Ieremiæ 6. 4. vnde Theodor. *Sanctificate bellum*, hoc est, inquit, *excitate pugnatores & segregate ad bellum: quoniam enim sanctus seipsum à sceleribus* Vide 11. C *segregat, hinc omne quod segregatur ad aliquid, vocat sanctificare.*

Tropol. Hugo Victor. *Sanctificare bellum, est bellum sanctitate donare. nónne bellum sanctificatur, vbi virtus triumphat, & vitium necatur?*

Nota hæc per ironiam dici q. d. Defendite vos, ô Tyrij, alique quælibet Gentes, quantum potestis; at non euadetis iudicium meum, manum meam, vindictam meam, quam exercebo in vos tum per Chaldæos, tum potiùs per Christum & angelos in die iudicij. ita S. Hieron. Lyran. Clarius & Vatabl. Addit Arias, omnes impios quasi classico euocatos, ruituros in bellum contra Christum & Sanctos, ac properaturos in vallem Iosaphat, itaque instar furentium ruituros in suum exitium, quod ibidem eis inferet D Christus. Verùm hoc parum est verisimile: nam morientur omnes ante iudicium, ac classicum archangeli audient: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* scient ergo se euocari ad iudicium, non ad bellum. Minùs etiam verisimile est quod censent Rupert. & Hugo, hæc dici concionatoribus, vt bellũ indicant peccatis & peccatoribus; aut viris sanctis, vt contra impios parent arma, de ijsque se vlciscantur. Patet enim ex sequen. hæc ad impios in fine mundi ironicè dici. Vnde sequitur:

Ascendant] prodeant in prælium, acies suas explicent, arma vireque suas ostentent.

Concidite aratra vestra in gladios. Vide Hæc phrasis significat bellandi cupidinem, atque ac necessitatem extremã, tantam scilicet, vt opus sit ex aratris fabricare gladios, quibus pro vita pugnetur, etiã à languidis & infirmis. Hoc est enim

enim quod subdit: INFIRMVS DICAT: QVIA FORTIS EGO SVM] q.d. Infirmus in tãta necessitate infirmitatem excutiat, vires & arma suscitet: agitur enim de eius & omnium aliorum capite & salute. Ex aduerso Isaias c. 2. 4. significans pacem summam à Christo nascente orbi afferendam, ait: *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Simili phrasi tempus belli exprimit Virgil. 1. Georg.

Et curuæ rigidum falces curuantur in ensem.

Et Ouidius lib. 1. Fastor.

Sarcula cessabant, versique in pila ligones:
Factaq; de rastri pondere cassis erat.

Et Martialis lib. 14. epigr. 34. cuius titulus: *Falx ex ense:*

Pax me certa ducis placidos conflauit in vsus.
Agricolæ nunc sum, militis ante fui.

Sic S. Paulum gladium persecutionis vertisse in vomerem Euangelij, cùm ex lupo factus est agnus, docet Tertul. contra Gnosticos c. 13. *Paulus Apostolus*, inquit, *de persecutore, qui priùs Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylo mutans, & conuertens machæram in aratrum: lupus rapax Beniamin, deinde afferens etiam ipse escam.*

Tropol. Hugo Victor. *Quid*, ait, *sunt aratra, nisi membra mortificata? Quid est aratra in gladios concidere, nisi membra mortificata pro cura fidei, pro virtute verbi neci frequenter opponere? Ligones sunt variæ mentis compunctiones: lanceæ sunt seueræ comminationes. Quid est autem ligones in lanceas concidere, nisi è varia mentis compunctione ardorem fidei, virtutem verbi, vim sententiarum concipere? Gladius est, de præsenti virilis conceptio: lancea, de futuris salubris comminatio.* Vnde sequitur:

VERS. 11. IBI OCCVMBERE FACIET DOMINVS ROBVSTOS TVOS] q. d. Quantumcumque, ô gentes, fitis armatæ, quantumlibet fortes & pugnaces, tamen in valle Iosaphat cædemini à Domino, occumbetis, & in tartara detrudemini. Dicit *robustos tuos*, non vestros, quia loquitur collectiuè toti gentium populo, tamquam vni. Omnes enim hi Dei hostes & impij, vnus censentur reproborum cœtus, vnus damnatorum populus. Sic sæpè alibi Script. de ijsdem loquitur nunc in plurali, respiciens singulos, qui sunt plures; nunc in singulari, respiciens populum, qui est vnus.

Pro *occumbere faciet* hebr. est הַנְחֵת *hanchat*, id est, descendere fecit, hoc est, faciet: propheticè enim præteritum capitur pro futuro. Vnde Tigurina versio habet, *ibi sternet Dominus heroës tuos.* Sic & Chald. & Pagninus. Rursum *hanchat*, potest accipi vt Imperatiuus. Vnde Vatabl. vertit, & explicat: *Descendere fac, ô Domine, fortes tuos, vt scilicet contra gentes pro Ecclesia tua dimicent:* vel *descendere facies è cælis angelos tuos fortes*, iuxta illud Iudic. 5. 20. *De cælis dimicatum est contra eos.*

Septuag. aliter hæc accipiunt: vertunt enim *mansuetus sit pugnator.* q. d. Fac, ô Domine, vt tui bellatores descendant de sua ferocia, ponant animos & iras, sintque mansueti, vt vindictam clementia temperent. fortè etiam pro *hanchat* legerunt הַעֲנָה *haane*, id est, humilia, humiles fac & mites.

Nota. Loquitur Ioël & Prophetæ de die iudicij quasi de die prælij, quo Christus confliget & proteret reprobos, vtpote hostes suos, calcans eos quasi in torculari, & concidens eos in valle concisionis. Idem Christi prælium describitur Apocal. 19. v. 11. Sapient. 5. 18. Isaiæ 66. v. 15. & 24.

CONSVRGANT ET ASCENDANT GENTES IN VALLEM IOSAPHAT] Sunt verba Christi omnes gentes euocantis & citantis ad suum tribunal. q.d. Gentes vbilibet mortuæ & sepultæ, à morte & è sepulchro resurgant, pergantque in vallem Iosaphat: *Quia ibi sedebo vt iudicem omnes gentes.* ita S. Hieron. Rupert. Remig. Lyran. Hugo, Vatabl. & alij. Dicit *ascendant.* Primò quia ascendere Hebræis idem est quod ire, pergere. Secundò, quia Ierusalem sita est loco alto, vt aliũde venientes eò scandere oporteat; alioqui ex ipsa Ierusalem in vallem Iosaphat descenditur, non ascenditur. Tertiò, quia tribunalia iudicum solèt esse loco sublimi & conspicuo, vt eò euntibus scandendũ sit: sic Christi tribunal erit loco edito super vallem Iosaphat, vt gentes ad illud euntes, rectè ascendere dicantur. Quartò, ascendere Hebræis est verbum militare & forense. Milites enim dicuntur ascendere in prælium, cùm pergunt contra hostem, cum eoque confligunt. ascẽdere enim significat aggredi rem arduam, ad quã animos erigere, viresque excitare & acuere opus: tale autem est prælium, vel militare, vel iudiciale, putà quo reus cum testibus & iudice disceptat, & quasi confligit pro se suoque capite. VERS. 12.

13. Mittite falces, quoniam maturauit messis: venite, & descendite, quia plenum est torcular, exuberant torcularia: quia multiplicata est malitia eorum.

14. Populi populi in valle concisionis: quia iuxta est dies Domini in valle concisionis.

15. Sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.

16. Et Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam: & mouebuntur cæli, & terra: & Dominus spes populi sui, & fortitudo filiorum Israel.

MITTITE FALCES] Loquitur hîc Christus ad Apostolos alioque qui secum sessuri sunt iudices in die iudicij, vt impios condemnent. ita S. Hieron. & Remig. vel potiùs ad angelos, qui demetent homines in fine mundi, ac mox eosdem resuscitabunt, & ducent ad tribunal Christi, ab eoque damnatos detrudent in tartara. q.d. Vos, ô angeli, demetite omnes homines viuentes, vt moriantur: *quoniam maturauit*, id est matura est, *messis*, id est, quia completus est electorum omniumq; hominum numerus, ac mundi sæcula à Deo præstituta iam euoluta sunt; ac proinde Deus illis finem imponere decreuit. ita Rupert. Haymo, Lyran. & Vatabl. Propriè autem impiorum maturitas significat tempus eorum post felicem vitam decursam, cùm nimirum illa in omni voluptate & turpitudine vsque ad maturam ætatem est transacta: tũc enim maturitas est tam ætatis, quàm iniquitatis, quasi segetis quæ poscit manum & falcem messoris, vt in tartaro, velut horreo condantur. Huc alluxit Christus Matth. 13. 39. *Messis*, ait, *consummatio sæculi est: messores autem angeli sunt.* Et mox vers. 41. *Mittet filius homi-* VERS. 13.

nis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Huc quoque alluſit S. Iohannes Apoc. 14. 15. vbi vidit tres angelos cum falcibus demetentes meſſem, & vindemiantes botros terræ. Ibidem P. Alcazar cenſet, primum angelum, qui v. 15. dicit: *Mitte falcem tuam & mete, quia venit hora vt metatur, quoniam aruit meſſis terræ*, ad literam eſſe Ioëlem, qui hîc idem dicit quod angelus ille Iohannis: ſecũdum, qui v. 17 vindemiat botros terræ, eſſe Moſen, qui eſt typus ſapientiæ: tertium v. 18. qui ſecundum admonet vt botros vindemiet, eſſe Eliam, qui eſt typus zeli: hæc enim demeſſio & vindemia terræ, erit opus ſummæ Dei ſapientiæ, æquè ac zeli. A

Porrò addit Alcazar, Ioëlem, æquè ac Iohannem, meſſi iungere vindemiam hoc ſenſu, q. d. Vos ô meſſores, id eſt prædicatores Euangelici, ſtrenuè prædicando inſiſtite meſſi Dei colligendæ; neque enim vobis laborantibus & ſudantibus deerit vini copia & affluentia, quæ vos reficiat & ſoletur. Nam cùm vos totos in meſſem Domini impendetis, Dominus viciſſim vindemiæ curam ſuſcipiet, imò meſſem veſtram illico in vineam maturam conuertet, & ex ea exprimet muſtum delicatiſſimum. Nihil enim eſt quod prædicatores ita recreet, nullum vinum ſapidius, quàm copioſa ſeges & fructus prædicationis ipſorum. Dum enim vident tot conuerti, adeò ſanctos euadere, imò Martyres fieri, bibunt vinum conſolationis ſuauiſſimum. Verùm hîc B ſenſus nec eſt literalis, vt patet, ſed potiùs literali, qui eſt de damnatione reproborum, aduerſus & oppoſitus: ac conſequenter nec eſt myſticus. Hic enim fundari debet in literali, eique congruè & ex æquo reſpondere, vt ei naturaliter inſertus, & quaſi innatus videatur. C

VENITE ET DESCENDITE, QVIA PLENVM EST TORCVLAR] botris & vuis: in illud ergo vos, ô angeli, deſcendite, vt haſce vuas prematis & calcetis, vti habent Septuag. Torcular hoc, ſiue prælum plenum vuis, id eſt impijs, premendis & conculcandis, erit gehenna, ſiue infernus. Vnde Chald. vertit, *conculcate interfectos.* Nota metaphoram: *calcare* enim *torcular*, in Scriptura ſignificat vlciſci, & acres pœnas de reo ſumere: quia ſicuti torculari vinum, ita vindicta & ſupplicio ſanguis, anima & vita exprimitur. Sic Thren. 1. v. 15. dicitur: *Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.* Et Iſaiæ 63. 3. *Torcular calcaui ſolus*, &c. *calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea.* Et Apocal. 19. 15. *Ipſe*, Chriſtus, *reget eas* D (gentes infideles & impias) *in virga ferrea, & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis.* vide ibi dicta.

VERS. 14. POPVLI POPVLI: hoc eſt plurimi populi, ſcilicet erunt, IN VALLE CONCISIONIS] id eſt, Ioſaphat, vbi concidentur, id eſt, perdentur impij, iuxta illud pſalmi 128. *Dominus iuſtus concidet cervices peccatorum.* ita S. Hieron. q. d. O quot populi, quot turbæ, ô quot gentes concidentur in valle Ioſaphat! ita Vatabl. Vnde Septuag. vertunt, *ſonitus auditi ſunt in valle iudicij.* Hebr. enim הֲמוֹנִים *hamonim* ſignificat tumultus & ſtrepitus turbarũ & populi multi. Vnde Syrus vertit, *murmur* (fremitus) *clamoris in profundo cœtuum* (in valle congregationis populi;) Arabicus, *hic eſt tumultus caſuum, quorum incurſus in valle Ioſaphat.*

Nota. Hebr. חָרוּץ *charuts*, Primò, verti poteſt *concisionis.* ita vertunt Aquila, Symmach. V. editio & Noſter.

Secundò, *charuts* verti poteſt, *tribulationis, triturationis*, vel tribulæ, ſiue trahæ ferratæ & dentatæ, inſtar ſerræ ad ſerrandum, quâ grana ex ariſtis quaſi ſerrando excutiuntur, triturantur, & à paleis ſeparantur. Vnde Tigurina vertunt, *turbæ, turbæ conueniunt in valle excuſſionis*; alij, *in valle ſerrationis*; Chald. *in valle diuiſionis iudicij*; alij, *in valle conciſionis*, id eſt, *ſeparationis*, in qua ſcilicet boni à malis, triticum à palea, agni ab hœdis ſeparabuntur. ita Remigius & Lyran. Vbi Nota. congruè reſpondet hæc tribula paſſiua impiorum tribulæ actiuæ eorumdem, qua ipſi tribularunt in hac vita pios & iuſtos. Iuſtum eſt enim, vt tribulationem iniuſtam, quam alijs intulerunt, ipſi ſentiant & ſubeant. Rurſum, tribula hæc aptè reſpondet torculari, de quo præceſſit. Tunc enim excutienda eſt, æquè ac exprimenda omnis impiorum felicitas, & humor priſtinæ felicitatis, ait P. Pineda in Iob 24. v. 24.

Tertiò, Vatabl. vallis, ait, dicitur *charuts*, id eſt, conciſionis, vel deciſionis, id eſt, *iudicij definiti, determinati, & conciſi.* Vnde Septuag. & Theodotion vertunt, δίκης καὶ τῆς κρίσεως, id eſt, *cauſæ & iudicii.* Rurſum vallis *conciſionis*, id eſt decurtationis & abbreuiationis, vt vertit Syrus hîc & Noſter Iſaiæ 10. v. 23. eſt vallis in qua conciſus, curtus, breuis & exiguus conflabitur Beatorum numerus. Vbi Nota. Pulchra eſt antitheſis inter gentium omnium immenſam multitudinem, & conciſionem ſiue abbreuiationem: amputatis enim, reſectis & reiectis impijs, quorum infinitus eſt numerus, colliget Deus breuem quamdam iuſtorum & electorum ſummam & numerum, iuxta illud Iſaiæ 10. 23. *Conſummationem & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*: ſicut in tritura reiectis paleis, pauca reſtant tritici grana.

Quartò, vallis *charuts* verti poteſt, *vallis exciſionis, conſumptionis, excidij*, ſcilicet impiorum.

Quintò, *charuts* ſignificat aurum conciſum, vel confuſum, aut potiùs præciſum, diſcretum & ſeparatum, id eſt expurgatiſſimum, quod obrizum vocant. Sicut ergo Romæ Vaticanus vocatur mons aureus, quia in eo crucifixus eſt S. Petrus Apoſtolorum princeps: ita vallis Ioſaphat vocari poteſt vallis aurea, tum quia ſanctis & electis erit aurea & feliciſſima, æquè ac reprobis ferrea & infeliciſſima: tum quia excoctis in iudicio ſordibus peccatorum, purum aurum remanebit, inquit ex Hebræis S. Hieron. tum quia in iudicio, Chriſti iuſtitia, & Sanctorum charitas & gloria fulgebit vt aurum.

Sextò, *charuts*, id eſt conciſus, vel præciſus vocatur vir acutus, ſollicitus, acer & ſtrenuus. Vallis ergo *charuts*, verti poteſt Primò, *vallis acuta*, vel aſpera, nimirum reprobis, vti apud Louanium eſt *Aſper collis*, ita dictus ab aſcenſu arduo olim & prærupto, in quo viſitur imago miraculoſa B. Virginis, quæ inde Aſpericollenſis nuncupatur. Secundò, *vallis ſollicitorum & anxiorũ*, vbi ſcilicet impij dicent montibus: *Cadite ſuper nos, & collibus, Operite nos*; Tertiò, *vallis acrium, fortium & ſtrenuorum*; vbi ſcilicet ſancti Apoſtoli, virgines & Martyres, qui fortiter vſque ad mortem pro virtute laborarunt & certarunt, à Chriſto iudice

iudice coronabuntur. ita P. Pineda in Salom. præuio lib. 4. c. 18. Vbi Nota, Hebræi non habent verba composita, sed ea per simplex significant. v.g. חרץ *charats* significat cædere cum suis compositis, putà concidere, excidere, præcidere, succidere, &c. Hinc tanta ex Hebræo sensuum varietas, & versionum multiplicitas, quæ magnam cõceptuum rerumque copiam concionatoribus subministrat, vti patet hîc in *charuts*.

Vers. 15. SOL ET LVNA OBTENEBRATI SVNT] in die iudicij tam calamitoso & horribili: non enim agit hic de signis iudicio præuijs: de his enim egit cap. 2 30. sed de ipso iudicio, cùm ad illud omnes cogentur in vallem Iosaphat. Nota hyperbolicam hypallagen crebram apud Prophetas, qua dicunt, solem, lunam & stellas obscurandas esse, cùm significare volunt magnitudinem & atrocitatem afflictionis, timoris & horroris. q. d. Dies ille (iudicij) tantæ calamitatis erit, vt hominibus ex illa attonitis & consternatis, ac ad vultum irati iudicis expauescentibus, sol, luna & stellæ deficere & obscurari videantur. Mœstis enim & pauidis omnia videntur tristia, mœsta & atra. Similis phrasis est Isaiæ 13. 10. Amos 8. 9. & alibi. Vide can. 32. in Isaiam. ita S. Hieron. Remig. & Rupert.

Addunt aliqui reuera in die iudicij obscurandum esse solem, lunam & stellas, vt iudici creatori suo se conforment, eiusque iram & indignationem partim induant, partim excipiant, eò quòd impijs in suis sceleribus luxerint & seruierint, ideoque verecundentur, & quasi sibi timentes à vultu irati iudicis se abscondant. ita S. Hieron. Aut quia tanta erit claritas Christi aliorumque corporum beatorum, vt suo fulgore offuscent lucem solis & stellarum. ita Remig. & Lyran.

Alij apud Origen. tractat. 30. in Matth. censent solem & stellas obscurandas à fumo, qui prodibit ex igne conflagrationis mundi. Alij ex defectu nutrimenti: censent enim sicut lucerna alitur oleo, sic & solem & stellas vapore, similíve re alij, eoque deficiente extingui. sed hoc refellunt Physici.

Symbol. Origen. ibidem: *Sicut*, inquit, *in dispensatione crucis* (dum Christus in cruce penderet) *sole deficiente tenebræ factæ sunt super vniuersam terram; sic signo* (cruce) *filii hominis apparente in cælo in die iudicii, deficiet solis lumen, & lunæ, & stellarum, quasi consumptum à multa virtute signi illius.*

Allegor. Haymo: Sol, ait, est Christus, luna B. Virgo, stellæ Sancti, qui lucem, id est serenitatem & fauorem vultus sui, retrahunt à reprobis. Ex aduerso Origen loco citato: Sol, ait, mũdi huius est diabolus, luna est Ecclesia malignantium, stellæ sunt pseudoprophetæ & hæretici, qui quasi stellæ cadent de cælo, id est, de sua dignitate & gradu excident in die iudicij, quando sententiam damnationis à Christo accipient.

Tropol. Hugo Victor. *Sol*, ait, *est mundi Philosophia: luna secularis potentia: stellæ cæteræ potestates subditæ. Sol ergo & luna in Iosaphat, id est, in humilitate iudicii, obtenebrati sunt: quia ex quo sapientes huius mundi, potentes huius sæculi ad fidei claritatem accesserunt, statim sui erroris tenebras agnouerũt. Stellæ verò retraxerunt splendorem suum: quia dum* A *discipulos Christi in causa fidei contemptum arripere mundi, & abiectionem sui, agonemq; sitire martyrii; dum eos fulgentes signis, ornatos prodigijs, glorioso miraculis prosperexerunt, mox ab elatione conuersi, à dignitate terrena prostrati, humilitatem Christi sectati, colla fidei subdiderunt.*

DOMINVS DE SION RVGIET] Christus iudex impijs terribilis, tamquam leo de tribu Iuda Apoc. 5, 5. rugiet de Sion, vti leo rugit cùm è specula speculatur & prospicit hostem. q. d. Christus iudex sedens in aëre super vallem Iosaphat, & supra Sion & Ierusalem (hæc enim vicina sunt & contigua) spiransiras & ignes in impios quasi leo, fulmen, id est, sententiam æternæ damnationis, horribili voce, & quasi rugitu in eosdem pronunciabit & intorquebit, adeò vt hac voce cæli & terra concuti & tremere videantur, sicut B ad rugitum leonis tremit tota domus. Est hyperbole. ita Lyran. VERS. 16.

Mysticè Rupert. de Sion & de Ierusalem, id est, inquit, de medio angelorum & hominum beatorum, quibus in die iudicij cingetur, Christus rugiet in impios. Minùs rectè Arias vertit, *pro Sion & pro Ierusalem*, id est, pro vindicanda Ecclesia sua, fuisque electis rugiet Christus contra sceleratos, qui eam afflixerunt.

ET MOVEBVNTVR CÆLI ET TERRA] Censent aliqui cælos & terram, totumque orbẽ quasi conturbatum, & indignantem ad passionem sui creatoris, in Christi cruce & morte fuisse concussum, & è suo centro conuulsum, pariqúe modo concutiendum & conuellendum cùm Christus iudex eius sedebit in valle Iosaphat. Pugnabit enim cum illo orbis terrarum contra in- C sensatos, Sapient. 5. 21. Prius probant ex Matth. 27. v. 51. vbi dicitur, quòd Christo pendente in cruce, non tantùm petræ scissæ, & monumenta aperta, sed & terra (vtique tota, putà globus ipse terræ) mota sit. Terra enim suo motu, & quasi sensu significabat, Christum qui patiebatur esse Deum, eumque terram conquassare; terramque ob tantum scelus in Dominum suum admissum, hominibus quasi indignari, in eosque vindicem insurgere.

Mysticè significabatur noua terra & nouus mundus fidelium, per Christum instituendus. Insuper commouenda fore per hanc Christi necem, terrea & saxea hominum corda ad pœnitentiam. Vtrumque probant ex illo Iob 9. 6. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur.* ita censet Didymus in catena Græcorum D Iob 1. 9. & fauet ibidem Philippus Presbyter, & Hugo Victor. hîc, qui ait: *Vox Christi tam excelsa erit atque terribilis, vt calorum cardines & terrarum fundamenta quatiantur.*

Secundò, mouebitur terra, quia dehiscet & absorbebit reprobos, mittetque in tartara: mouebitur & cælum, quia sinu suo excipiet beatos, eisque quasi applaudet. ita Lyran.

Tertiò, *mouebuntur cæli*, id est cælites, putà Beati, ad exultandum & iubilãdum, cùm à Christo iudice audient: *Venite benedicti patris mei. & terra*, id est, reprobi terrigenæ & terræ filij, ad tundendum pectora, vellendum crines, complodendum manus & brachia, cùm ab eodem rugiente audient: *Ite maledicti in ignem æternum.* ita Remigius & Haymo.

ET DOMINVS SPES POPVLI SVI] q. d. In illa

die (iudicij) rugiente Christo contremiscent cæ- A li & terra: populus autem eius, putà verus Israel, non carnalis, sed spiritualis, hoc est, fideles & sancti, securi & confidentes stabunt: nam confident in Deo suo, ab eoque sperabunt salutem, gloriam & regnum æternum: sperabunt, & obtinebunt. Deus enim erit *spes*, id est, complementum spei, siue adimplens & complens spem ipsorum. Idem erit eis *fortitudo*, corroborans eorum mentes & corpora, facienscque ea immortalia, æterna & glorioſa. Hoc est quod ait Sapiens cap. 5.1. *Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt.*

17. Et scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in Sion monte sancto meo, & erit Ierusalem sancta, & alieni non transibunt per eam ampliùs. B

18. Et erit in die illa: stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ: & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.

19. Ægyptus in desolationem erit, & Idumæa in desertum perditionis: pro eo quòd iniquè egerint in filios Iuda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua.

20. Et Iudæa in æternum habitabitur, & Ierusalem in generationem & generationem.

21. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaueram: & Dominus commorabitur in Sion. C

VERS. 17. ET SCIETIS QVIA EGO DOMINVS DEVS VESTER, HABITANS IN SION] Promittit hîc Deus Sioni & Hierosolymæ ingentia & multiplicia bona, quæ Iudæi carnales carnalia expectant in aduentu sui Messiæ. Accedunt iudaizantes Chiliastæ, qui ex hoc loco, & ex Apocal. 20.4. putarunt post resurrectionem & diem iudicij, sanctos hîc in terra, putà in Ierusalem, cum Christo victuros in omnibus carnis delicijs, & in omni felicitate terrena per mille annos, quibus exactis eos rapiendos in cælum ad æternam gloriam, vti dixi Apoc. 20. Verùm hîc agi de Sione spirituali, non carnali, id est, de Ecclesia & electis Dei, non de Synagoga & Iudæis, deque spiritualibus eius bonis, non carnalibus, patet Primò ex eo, quòd hæc futura sint in fine mundi, cùm scilicet Christus in valle Iosaphat iudicabit omnes omnium sæculorum gentes, vti dixit vers. 1.2.12. Vnde v.13. iubet mitti falces, quibus omnes gentes demetantur. Quocirca, vt ait, sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum, & mouebũtur cæli & terra. Quæ omnia significant hæc futura in fine, commotione & mutatione totius mundi. Frustra ergo Iudæi hæc in hoc mundo, & in hac vita expectant.

Secundò, quia Dan. c.9.26. prædixit euersionem Hierosolymæ & templi factam à Tito & Romanis, fore perpetuam, & duraturam vsque ad finem mundi: ergo hæc non spectant ad Sionis & Ierusalem terrestris restaurationem.

Tertiò, quia certum est multa hîc non posse, nisi absurdissimè, ad literam carnaliter, vti sonant, accipi, sed accipienda esse mysticè. Talia sunt v. 18. *Stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iuda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum*, &c. Quartò, quia v.20. ait: *Iudæa in æternum habitabitur, & Ieruſalem in generatione & generationem*: ergo agit de Iudæa & Ierusalem cœlesti, non terrestri: illa enim æterna erit, cùm hæc sit temporalis.

Secunda sententia est S. Hieron. Remigij, Rupert. Hugon. & Vatabli, qui hæc omnia vsque ad finem capitis referunt ad primitiuam Ecclesiam, & ad charismata Spiritus S. in Pentecoste, de qua dixit c.2.28. *Effundam ſpiritum meũ ſuper omnem carnem. Montes* ergo, inquit Vatabl. *ſunt Apoſtoli eorumq́, ſucceſſores: muſtum, verbũ Dei & doctrina Euangelica: itidem & lac: ſed vinũ robuſtis, lac paruulis datur. q.d. Apoſtoli aſſiduè docebunt Euangelium. Aluei & riui, ſunt Eccleſiæ particulares: aqua viua, verbum Dei: fons aquæ viuæ, copia prædicationis Euangelicæ, & inexhauſta illa doctrina Euangelij, vnde animæ fidelium irrigantur: domus Dei Eccleſia. Egredietur autem opera prædicatorum. Torrens, Eccleſiæ ſettim, genus cedri electi, quod vt cedrus neſciat corruptionem: ita fideles viuent vita æterna. Aegyptus & Idumæa, omnes nationes quæ non receperũt Chriſtum, quæ gratiis illis erunt vacuæ: Iuda & Ieruſalem, Eccleſia militans, in qua fideles ſunt viri Iudæi verè confitentes Deum. q.d. Licèt Eccleſia à multis opprimatur, tamen manebit inuicta. Et mundabo fonte baptiſmatis, vel ſanguine Chriſti, ſanguinem electorum, quam non mundaueram ante paſſionem Chriſti.*

Verùm etsi hæc inchoatè facta sint, & fiant in Ecclesia militante, tamen plenè & perfectè fient in triumphante. de ea enim propriè agit Propheta. Omnia enim hæc consequentur & cõnexa erunt cum die iudicij, quod fiet in valle Iosaphat, de quo egit toto cap. hucusque. Subiungit ergo congruo ordine, iudicio & damnationi impiorum gloriam piorum & electorum, quam ipsi à Christo iudice in illa die accipient, eiusque copiam & magnificentiam per varias metaphoras describit. Idem rursum confirmatur ex eo, quòd S. Iohannes alludens, imò citans & interpretans Ioëlem, ijsdem penè verbis describat cælestem Ierusalem ca.21. vti patebit ex parallelis vtriusque, quæ mox combinabo. Ita explicant Remigius, Haymo, Rupert. Hugo, Lyran. Ribera, à Castro & alij. D

De hac ergo cælesti Ierusalem, siue cœtu Beatorum triumphante dicit Ioel Primò, quòd ciues, putà beati, scient, id est sentient, videbunt & gustabunt, quòd in ea, & in illis ipsis, habitet Deus per gratiam & gloriam, illisque ibidem suas opes, felicitatem & magnificentiam ostendat & communicet, itaque eos beet, & ineffabili gaudio repleat. Hoc est quod huc alludens, eodem, imò pluribus verbis de eadem ait S. Iohannes Apoc. 21.3. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus.*

Secundò, quòd sit mons sanctus: quia sublimis est eius felicitas, æquè ac sanctitas, quod S. Iohannes Apoc. 21.10. ait: *Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum.*

Tertiò, quòd sit Ierusalem sancta; quod S. Iohannes

hannes ibidem ait: *Et ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cælo à Deo.* Dicitur *Ierusalem*, id est, visio pacis: quia in visione Dei Beati fruetur pace summa, amplissima & æterna, putà bonorũ omnium affluentia. hanc enim Hebræis significat pax. Dicitur sancta, quia in cælesti Ecclesia non est macula vel ruga, vt ait Apost. Ephes. 5.27. sed plena puritas, plena integritas, perfecta sanctitas. Vnde de ea subdit: *Et alieni non transibunt per eam amplius.* Alludit ad alienigenas, putà Tyrios, Sidonios, Philisthæos, Chaldæos, Romanos, qui profanarunt & vastarunt Ierusalem. q. d. Pari modo Ecclesiam militantem polluerunt, vexarunt & afflixerunt Pagani, Saraceni, hæretici, impij; sed eam translatam in cælum, & triumphantem non polluent, nec affligẽt amplius. Huic parallelum est quod ait Iohannes Apoc. 21.27. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens.* Tropol. Hugo Victor. *Ierusalem*, ait, *id est Ecclesia, est sancta, in Sacramentis, in præceptis, in iudiciis, in consiliis, in promissis. Sacramenta siquidem eius sunt sine fece: præcepta sine mole: iudicia sine lite: consilia sine zelo, promissa sine fuco fallaciæ, sine zelo inuidiæ, sine lite controuersiæ, sine mole angariæ, sine face concupiscentiæ. Est ergo sancta, cuius est contemplatiuus intellectus, cælestis affectus, spiritualis sensus, angelicus actus.*

Quartò, quòd in ea *stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iudæ ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum.* Huic respondet quod ait Iohannes Apocal. 22.1. *Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei, & agni; & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.*

Quintò, *Et Iudæa in æternum habitabitur, & Ierusalem in generatione & generationem.* Huic æquipollet id quod ait Iohannes c. 21.16. *Ciuitas in quadro posita est.* Et v. 18. *Et erat structura muri eius ex lapide iaspide.* Et c. 22.5. *Nox vltrà non erit, &c. quoniam Dominus illuminabit eam, & regnabunt in sæcula sæculorum.*

v. 18. STILLABVNT MONTES DVLCEDINEM] q. d. Tunc in montibus illis cælestibus, putà in Sione cælesti, quæ sita est & fundata in montibus tum cæli empyrei, tum æternitatis & diuinitatis S. Trinitatis, implebitur illud toties de terra sancta lacte & melle manante promissum ac decantatum; hoc est, tunc Beatis in cælo vita erit iucundissima, omnibus bonis & delicijs affluens: & omnes *riui Iudæ*, id est omnes potentiæ, omnes vires, omnes sensus, omnia ora, omnes linguæ Sanctorum Deo confitentium & laudantium (hos enim hebr. significat Iuda) manabunt, scilicet perennibus aquis laudis, gratiarum actionis & iubili, æquè ac voluptatum & bonorum omnium.

Symbolicè, à Castro per *montes* accipit tres personas diuinas, quæ creatis omnibus totoque mundo eminent, quasi diuini montes. Ex his enim omne genus suauitatis profluet in terram illam viuentium, qua inebriabuntur omnes Beati: & colles beatorum spirituum fluent candidissimum lac cognitionis & puritatis angelicæ: atque per omnes riuos, putà per cæteros beatos homines, fluent aquæ gaudiorum. quia omnes affluent Dei possessione & fruitione. Hoc est quod ait Psaltes psalm. 35.9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente* (non scypho, non poculo, sed torrente) *voluptatis tuæ potabis eos.* Torrens, ait ibidem S. Augustin. tum impetũ, tum copiam voluptatis significat. *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.*

Tropol. Hugo Victor: *Montes*, ait, *sunt contemplationum sublimia: colles innocentiæ opera: riui pœnitentiæ exercitia: dulcedo est perfecta dilectio: lac est sancta deuotio: aqua deuota compunctio. In illa ergo die, hoc est, in illa vnionis felicitate, sponsa per gaudiũ contemplationis dulcedinem accipit perfectæ dilectionis: à qua descendens, & ad seipsam rediens affluit lacte deuotionis: vnde sese præ amore supernorum crucians, immergitur aquis compunctionis, indeq; egrediens per pœnitentiam exercetur asperam. Post hæc ad innocentiæ trahitur opera: demum ad contemplationis auolat fastigia, dicens: Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?*

ET FONS DE DOMO DOMINI (de throno Dei) EGREDIETVR] Fons hic, siue, vt S. Iohan. Apoc. 22.1. vocat, fluuius procedens de sede Dei & agni, est profluuium bonorum, quod Deus emanat & effundit in Beatos per sui visionem beatificam, vti dixi Apoc. 22.

ET IRRIGABIT TORRENTEM SPINARVM] Nota Primò. Pro *torrentem* hebr. est נַחַל *nachal*, quod significat vallem angustam, indeque torrentem qui per eam decurrere solet. Vnde *torrens* hîc metonymicè pro valle tali capitur: & Symmach. vertit, *vallem*; sed maluit Interpres vertere *torrentem* quàm vallem, vt persistat in metaphora fontis, & eius exuberantiam ostendat. Nam, vt ait S. Bernard. in Meditat. cap. 4. *in torrente illius voluptatis nihil vltrà appetet cumulata satietas, tanta erit felicitas. Ibi siquidem erit cumulus felicitatis, supereminens gloria, & superabundans lætitia.*

Secundò, pro *spinarum* hebr. & chald. est שִׁטִּים *Settim*, illudque quasi nomen proprium in Latina versione retinent Lyran. & Vatabl. item Syrus, & Arabicus vterque: sed Theodot. Symmach. & Noster vertunt, *spinarum*; Septuag. *funiculorum*; Nazianz. orat. 40 in S. Baptisma, *funcorum*. Audi S. Hieron. *Septuag. transtulerunt torrentem funiculorum, id est, χοίμακρον τ῀ σχοίνων, quod aut funiculum significat, aut iuxta Ægyptios mensuram certi itineris. In Nilo enim solent naues funibus trahere certa habentes spatia, quæ appellant funiculos, vt labori defessorum recentia trahentium colla succedant.* Torrens ergo funiculorum, est torrens hereditarius, quem scilicet funiculis dimetiuntur, & inter heredes, putà cæli ciues, diuidunt. Porrò *Settim* locus est translacum Asphaltitem in Moab, sex milliaribus distans à Liuiade vrbe, vbi filij Israel fornicati sunt, coluerunt que Bœlphegor, ideoque à Deo cæsi sunt, Num. 25.1. Ibi arbores nascentes, à loco dictæ sunt settim: erantque hæc ligna settim imputribilia, &, vt vertunt Septuag. Exodi 25.5. ἀσηπτα. Vnde Hebræi censent ea fuisse optimum cedrorum genus. Erant enim leuissima, fortissima, solidissima, pulcherrima, & tam graues arbores, vt latissima ex illis tabulata cæderentur, ait S. Hieron quocirca ex illis facta erat arca testamenti, tabernaculum, eiusque vasa, vti dixi Exodi 25.5. Noster hîc, & Isaiæ 41.10. *settim* vertit *spinam*, non quòd spina sit, sed quòd

Settim & torrens spinarum quid

quòd ſpinæ albæ colore & foliis ſit ſimilis. Minùs ergo veriſimile eſt quod cenſet Lyran. *Settim* eſſe *Cettim*, id eſt Græciam, vnde egreſſus dicitur Alexander Magnus 1. Machab. 1. 1. nam *Settim* per *ſamech*, *Cettim* per *caph* ſcribitur, & longiſſimè diſtat à Ieruſalem. Nec placet quod ex R. Saadia ſcribit Arias, torrentem Settim eſſe torrentem qui in Iordanem influit iuxta vrbem Settim. Nemo enim chorographorum huius torrentis, vel vrbis meminit.

Ex dictis patet, hæc omnia non carnaliter, vt ſonant, ſed myſticè eſſe accipienda: nec enim vllus vnquam fuit, vel erit fons, qui de Ieruſalem egrediatur, & tanto terrarum tractu tranſmiſſo effundat ſe in campeſtria Moab, vbi eſt torrens & vallis Settim. Vallis ergo Settim, æquè ac arca & tabernaculum, facta ex lignis Settim, ſignificant locum Beatorum in cælo empyreo, quem Deus in ſua amœnitate, deliciis & pulchritudine in æternum conſeruabit: quia iugiter velut fons perennis in illum, æquè ac incolas eius, putà in Beatorum animas & corpora, influet perpetuum virorem omnis gratiæ & gloriæ, vt fiant ſetim, id eſt, immortalia & imputribilia, ac candicantia vt ſpinæ; inſtar fluuij irrigantis & fœcundantis paradiſum, qui perennem ei virorem & fructus amœniſſimos afferebat, Gen. 2. 6. ita Rupert. Lyran. Ribera, Emmanuel & alij. vide dicta Apoc. 22. 1. & 2.

Alleg. S. Hieron. in apolog. ad Pammachium pro lib. aduerſus Iouin. in fine: *Chriſtus*, inquit, *virgo, mater virginis noſtri, virgo perpetua, mater & virgo*, &c. *Hortus concluſus, fons ſignatus, de quo fonte ille fluuius manat iuxta Ioël, qui irrigat torrentem vel funium, vel ſpinarum; funium peccatorum, quibus antè alligabamur; ſpinarum, quæ ſuffocant ſementem patriſfamilias.* B. Virgo ergo eſt fons, ex quo manauit fluuius, id eſt, Chriſtus irrigans torrentem funium & ſpinarum, id eſt, peccatorum & vitiorum noſtrorum.

Hinc myſticè Nazianz. loco citato, per hunc fontem accipit baptiſmum: S. Hieron. hîc, gratiam Spiritus ſancti, quæ à Deo promanans, ex terra cordis ſpinas vitiorum euellit, & pro eis virtutes quaſi arbores fructiferas inſerit, vt ſpinas noſtras, ait S. Hieron. *& vitia atque peccata quæ nullam frugem habuere iuſtitiæ, commutent in Domini noualia, & ariditatem noſtram rigent aquis largiſſimis, & pro ſpinis & vepribus flores virtutum multiplices germinemus: & in eo loco vbi quondam fornicatus eſt Iſrael, & initiatus eſt Beelphegor* (deo obſcœnitatis) *lilia caſtitatis, & roſæ pudoris ac virginitatis exuberent.* Sic & Remigius, Hugo, Arias.

Vnde Hugo Victor. Torrens, ait, ſpinarum, eſt impetus, feruor & crudelitas gentium. Porrò fons de domo egreſſus torrentem ſpinarum rigauit, quando per Apoſtolos & eorum ſucceſſores, Euangelica doctrina Gentilem populum à crudelitate conuertit, fide initiauit, & ad baptiſmi gratiam perduxit.

Settim fuit typus cæli ob ſeptem analogias. Prima.

Quæres, cur *Settim* ſignificet locum Beatorum? Reſp. Primò, quia in Settim fuit vltima manſio Hebræorum in deſerto, Num. 33. 49. vbi Settim vocatur Abelſatim, ex qua proximè ingreſſi ſunt Hebræi in terram promiſſam. Vnde in eam ex Settim exploratores miſit Ioſue c. 2. 1 Sicut ergo terra promiſſa typus erat cæli, ſic & ei vicinum Settim.

A Secundò, quia in Settim, vt patet Num. 25. 1. Iſrael benedictus fuit à Deo per Balaam, magnificis multiſque benedictionibus, quæ recenſentur Num. 23. & 24. qui fuit typus, ſimili modo Sanctos in cælis benedicendos à Deo omni benedictione cæleſti.

Tertiò, quia Balaam Num. 24. 5. inter alias benedictiones, quas Deo afflatus Iſraeli imprecatur, affert hanc: *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael, vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri prope aquas! Fluet aqua de ſitula eius, & ſemen illius erit in aquas multas.* Quæ optimè conueniunt myſtico Iſraeli & Settim, id eſt cælitibus & cælo, eoque videtur hîc alludere Ioël, dum ait: *Per omnes riuos Iuda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit* B *torrentem ſpinarum*, hebr. *ſettim*. S. Gregentius Archiepiſc. Thephrenſis diſput. cum Herbano Iudæo, tom. 4. Biblioth. SS. Patrum legit *torrentem iuncorum*; & per *fontem* hunc accipit *narrabile illud gaudium & latitiam inexplicabilem, & fruitionem, & odoris ſuauitatem Spiritus ſancti, quæ ex ipſo præpotente Deo ineffabiliter & perenniter manat, & rigabit ſanctorum agmina, & cor ipſorum tremenda illa & incomparabili ſuauitate implebit.* Hæc comparantur iuncis; quia ſicut iunci, vtpote ſicci & fungoſi, ſitiunt & bibunt quam copioſam; ita Sancti ſitiunt & bibunt pelagus diuinæ voluptatis, iuxta illud: *Torrente* C *voluptatis tuæ potabis eos.*

Quartò, ligna ſettim imputribilia, ſignificant corpora Beatorum impaſſibilia. Rurſum, ſicut arca & tabernaculum compacta erant ex tabulis ſettim. ſic Eccleſia cæleſtis compagnabitur ex ſanctis & electis Dei: arca enim exiſtens in Sancto ſanctorum, habens ſuper ſe propitiatorium quaſi thronum Dei, & vtrinque Cherubinos, Eccleſiæ cæleſtis typum geſſit.

Quintò, in Settim Phinees ſuo zelo occidens fornicantes, placauit Deum, expiauit ſcelus populi, & maledictionem plagamque ei à Deo immiſſam vertit in benedictionem, Numer. 25. 7. Ita Chriſti zelus, quo aboleuit peccatum, & ab eo ſuos expiauit, in cælo ſettim, id eſt ſpinas mortalitatis, & maledictionem laborum & dolorum, à Deo Adæ & poſteris inflictam Gen. 3. 18. conuertet in benedictionem gaudiorum & bonorum omnium.

Sextò, in Settim Balaam dixit & prædixit de D Iſraele: *Orietur ſtella ex Iacob.* Stella eſt Chriſtus qui licèt corporaliter ortus & natus ſit ex Iacobæis ſiue Iſraelitis in Bethlehem, tamen ſpiritualiter & gloriosè orietur ex eis, imò præ eis per reſurrectionem, quaſi ſol in cælo, illuminans & beans omnes veros Iraelitas: ſtellæ enim proprius locus eſt cælum, non terra.

Denique iuxta Settim, putà in Cades, Moſes è petra elicuit fontem aquarum decurrentem per ſolitudinem, & fortè per Settim, Numer 20. 11. Rurſum, Numer. 21. 16. Deus dedit Moſi & Hebræis puteum aquarum, cui ipſi accinuerunt: *Aſcendat puteus, puteus quem foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis a datore legis & in baculis ſuis.* Ad hæc loca, & aquas haſce videtur alludere hîc Ioël in hiſce rigatis Iuda, & fonte Dei irrigante Settim; præſertim quia Chaldæus, & alij cenſent, petram il-

am Moysis, eiusque fontem aquarum comitatã fuisse Hebræos per Settim, aliaque deserti loca, illudque velle Apostolum 1.Corinth.10.4.cùm ait: *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra.* Vide dicta Numer.21.v.19. Pari enim modo fons ille aquarum viuentium vbique comitabitur Beatos in cælo empyreo.

Ver.19. ÆGYPTVS IN DESOLATIONEM ERIT: ET IDVMÆA IN DESERTVM PERDITIONIS] Nominat *Ægyptum*, quia ipsa superstitionis & idololatriæ fuit inuentrix & magistra, ideoque Iudæis & animo infesta, & exemplo ac viciniâ suâ noxia, vtpote pelliciens eos ad suum Apim: hunc enim Ieroboam expressit vitulis aureis, quos in Dan & Bethel erexit, populoque quasi numina adorandos proposuit. Nominat *Idumæam*, quia perpetuò fuit æmula & hostis populi Dei, scilicet Iudæorum. Vnde Edom vel Idumæa hebr. idem est quod terrena & cruenta: Misraim, id est Ægyptus idem est quod angustians, coarctans, tribulans, ait S.Hieron. sed sub his per synecdochem cæteras gentes ididololatras infideles & impias intelligit. q. d. Ægyptij, Idumæi, & eis in impietate similes cæteræ gentes perdentur, earumque regiones tot peccatis pollutæ desolabuntur, atque ipsi ibunt in tartara in die iudicij, cùm Iudæi, id est, fideles confitentes & laudantes Deum, saluabuntur ibuntque in Sion cælestem.

Ver.20. IVDÆA IN ÆTERNVM HABITABITVR] Patet hoc de terrena Iudæa, vt volunt Iudæi, non intelligi. Nam hæc in fine mundi pariter suum habebit finem: & quia S.Script. promittit Iudæis, æquè ac alijs gentibus, post hanc vitam, & post resurrectionem in fine mundi regnum æternum & glorioſum in cælis. Ergo necesse est hæc accipere de Iudæa & Ierusalem cælesti, vti pluribus ostendi v.17. Cælum ergo empyreum dicitur Iudæa, id est, confessio & laus Dei: quia in eo iugiter Sancti Deum laudant, laudabuntque in æternum; & vt ait Tobias cap.13.22. *Per vrbes eius alleluia cantabitur.* Et Psaltes psal.83.5. *Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.* Hoc enim est otiosum eorum negotium, & negotiosum otium.

Idem cælum, vel potiùs pars & ciuitas cæli, in qua simul quasi ciues degent Beati, fruentes Deo & Christo, vocatur Ierusalem, id est, visio pacis, id est possessio bonorum omnium, totiusque æternitatis, quin & ipsius Dei ac sanctissimæ Trinitatis: hæc enim erit sors & hereditas æterna Sanctorum. Ibi enim Deus erit omnia in omnibus, iuxta illud Sapientis:

Tecernere finis,
Principium, rector, dux, semita, terminus idem.

Tropol. Hugo Victor. *Iudæa* inquit, *& Ierusalem in æternum habitabuntur: Iudæa confessio, Ierusalem dicitur pacis visio. Mens enim deuota & perfecta, vel ad sui descendens cognitionem delicta confitetur Deo per humilitatem compunctionis: vel ad Dei ascendens cognitionem, per gratiam contemplationis sublimatur ad visionem pacis; & tunc in voce exultationis & confessionis sonus in ea sit epulantis: numquam fidelis anima deserit Iudæam: quia vel compuncta confitetur scelera, vel deuota gratias agit propter gratia munera, vel sublimata eructat hymnum recipiens præmia.*

Ver.21. ET MVNDABO SANGVINEM EORVM, QVEM (malè Complutens. legunt *quos*) NON MVNDAVERAM] Rabbini, vt R.Abraham & R.Kimchi, ex Hebræo sic vertunt & explicant, *& mundabo*, id est, spoliabo Ægyptios suis opibus, easq; dabo Iudæis in aduentu Messiæ: at *sanguinem eorum* (ab eis iniustè in Iudæa effusum) *non mundabo.* q.d Non condonabo eis cædes & strages Iudæis illatas, sed ob eas illos morte puniam. Verùm hiulca & torta est hæc versio & explicatio. Nam τὸ *sanguinem eorum*, pertinet ad *mundabo*, quod præcessit, non ad *non mundabo*, quod sequitur. Ergo supplendum est in Hebr. de more relatiuum אשר *ascer*, id est *quem*, sicque cum nostro vertendum, *& mundabo sanguinem eorum*, (putà Iudæorum & Hierosolymitanorum, de quibus proximè fuit sermo, id est, fidelium & electorum meorum) *quem non mundaui.*

Iam tripliciter id exponi potest. Primò q.d. Sanguinem, id est homicidia, & quæuis alia scelera (horum enim symbolum in Script. est sanguis) quæ ante passionem Christi, & ante aduentum Spiritus sancti non mundaui, eo aduenìte in Pentecoste emundabo: lustrationes enim & cæremoniæ veteris testamenti corpus tantùm abluebant, & conscientiam non emundabant, Hebr.9.9. ita S.Hieron. & Arias, qui putant Ioëlem redire ad effusionem Spiritus sancti, de qua dixit ca.2.28. aut, vt Haymo, q.d. Peccata quæ electi in hac vita perpetrarunt, nec plenè emendarunt, ego in morte, vel post mortem in Purgatorio expiabo, vt mundati cælum ingredi possint. Aut, vt Ribera, q d. Auferam peccata, & pœnam sanguinis Christi & Apostolorum à Iudæis, quem ipsi olim sibi imprecati sunt, dicentes: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*: nam sub diem iudicij conuertentur Iudæi ad Christum.

Secundò, & meliùs Lyran. & Dionys. *mundabo*, id est, mundum declarabo sanguinem seruorum meorum, ab Ægyptijs & Idumæis, aliisque tyrannis quasi immundum, & reum damnatum & effusum, quod antea nõ declaraui. Hebr enim נקה *nicka*, significat mundare, innocentem declarare, absoluere & eximere. Vnde Marinus in Lexico hunc locum ita vertit, *absoluam sanguinem quem non absolueram*; Syrus & Arabicus vterque, *vlciscar sanguinem eorum, & non parcam*: qui enim non absoluit reum, ei non parcit, si sit iudex, vti hic est.

Tertiò & genuinè, q.d. In die iudicij *mundabo*, id est, vlciscar sanguinem fidelium meorum, iniustè ab Ægyptijs alijsque impijs effusum, quem antea non sum vltus: quo facto *Dominus*, Christus, *commorabitur*, & glorioſè cum suis fidelibus regnabit perpetim *in Sion* cælesti. Vnde Chald. Septuag. Syrus, & Arabicus vterque pro *mundabo* vertunt, *vindicabo*. Hanc enim vindictam petunt animæ Sanctorum dicentes: *Vsquequo Domine sanctus & verus, non iudicas & vindicas sanguinem nostrum?* Apocal.6.10. ita S.Hieron. Theodor. Remig. Hugo & à Castro. Planè enim respicit ad sanguinem de quo paulò antè dixit: *Pro eo quòd iniquè egerint* (Ægyptij & Idumæi) *in filios Iuda, & effuderint sanguinem innocentem in terra sua.* Nec mireris *mundare sanguinem* significare vindicare sanguinem. Nam phrasi Script. terra recipiens sanguinem innocentem & iniustè effusum, eo ipso censetur pollui fierique immunda, à qua pollutione & immunditie mundatur

datur & expiatur, dum à iudice & vindice puniuntur & plectuntur homicidæ qui eum effuderunt, vt patet psal.105.39. *Infecta est terra in sanguinibus.* Ierem.2.24. *In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum.* q. d. Ob sanguinem fusum immunda es: ergo per vindictam emundabo te. Sic Salomon ait Banaiæ 3.Reg.2.31. *Amouebis sanguinem innocentem qui effusus est à Ioab, à me, & à domo patris mei: amouebis*, vindicando eius homicidia, quibus occidit Abner & Amasam, eumque pari modo occidendo. Ezech.7.23. *Terra plena est iudicio*, id est reatu, *sanguinum.* Isaiæ 26.2. *Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltrà interfectos suos:* ad quem locum videtur alludere hic Ioël: idem enim dicit. Hac de causa iubebat Deus Iudæis, vt inuento cadauere alicuius occisi, magistratus vrbis vicinæ pro expiatione terræ offerret vitulam Deuter.21.3 vide ibi dicta. Clarissimè verò Ezechiel c.24 6. *Væ*, ait, *ciuitati sanguinum*, &c. *Sanguis enim eius in medio eius est, super limpidissimam petram effudit illum*, &c. *vt superinducerem indignationem meam, & vindicta vlciscerer, dedi sanguinem eius super petram limpidissimam, ne operiretur.* Quod explicans v.13. *Immunditia*, ait, *tua execrabilis, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis; sed nec mundaberis priùs, donec quiescere faciam indignationem meam in te*, donec scilicet vindictam exeram in te: vindicta ergo sanguinis & scelerum, est eorumdem emundatio & expurgatio.

Dices, Hoc sensu potiùs mũdatur terra, quàm sanguis innocentium in terram effusus. Resp. vtrumque mundari. Nam sicut terra excipiens sanguinem iniustè effusum, censetur polluta, ita pariter sanguis ipse, iniustà & impiâ hac sui effusione censetur violatus, maculatus & pollutus: tum quia vis ei facta est, & iniuria ac læsio illata: tum quia maculam nominis & famæ apud homines incurrit; damnatus enim & effusus est quasi noxius & reus: vnde talẽ eum homines æstimarunt. Iam per vindictam vtraque hæc macula tollitur: nam & iniuria talione sarcitur, & infamia tollitur vindicta, qua declaratur eius innocentia hoc ipso, quo Deus iustè eum vindicat. Hac enim vindicta Deus declarat nocentes esse eos qui eum effuderunt, ac consequenter ipsum fuisse innocentem, & iniustè ab eis effusum.

Notent hoc principes & iudices, scilicet, se dum puniunt homicidas & fontes, emũdare sanguinem innocentium qui clamat vindictam in cælum, ac simul expiare terram suam eo pollutam, eiusque vindictam diuinam à suo capite & domo auertere. Ad hæc, se innocentibus occisis, quasi Manibus iusta persoluere & parentare; ac diuinæ iustitiæ & vindictæ placabilem & gratissimam hostiam offerre. Denique se imitari, imò præuenire iudicium rigidùm Christi, quo omnes omnino fontes plectet in valle Iosaphat. Porrò cogitent se non tantùm sanguinem fusum, sed & fundendum emundare: dum enim homicidas plectunt, terrent maleficos, eorumque audaciam, iras & rixas frænant, itaque multas multorum cædes inhibent. Nam, vt ait Apostolus, *Magistratus non sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit*, Rom.13.4. Meminerint oraculi diuini intentati Achab regi: *Quia dimisisti virum dignum morte* (Benadad regem Syriæ, homicidam & hostem Israelis) *de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius*, 3.Reg.20.42. Quippe, vt ait Seneca, *delictorum impunitas homines audaciores facit ad malum*; & vt Cicero lib.3.Offic. *impunitas peccandi maxima est illecebra.* veterem enim ferendo iniuriam, inuitas nouam. Quocirca Socrates apud Platonem lib.2.de Legibus asserit, *ciuitates optimè gubernari, cùm iniusti dant pœnas.* Idem dixit Solon teste Cicerone ad Brutum, Theophrastus apud Stobæum ca.41. rogatus quidnam vitam humanam conseruaret? respondit, *Beneficentia, honor, & pœna.* Lycurgus apud Ciceronem loco citato, censet Spartam omnesque resp. stare pœna & præmio. Quin & Democritus duos tantùm Deos credidit, pœnam & beneficium, ait Plin.lib.2.c.17. Modestius Pius IV.Pontif. emblema habuit laurum & virgam, hoc lemmate: *Pœna & præmium.* Denique Sapiens c.14.7. *Benedictum*, ait, *est lignum, per quod fit iustitia.*

COM-

COMMENTARIA IN AMOS PROPHETAM.

ARGVMENTVM.

Amos quis & cuius fuerit.

S. Epiphan. in vita Amos, & Clemens Alexand. li. 1. Strom. censent Amos fuisse patrem Isaiæ: ipse enim c. 1. 1. vocat se filium Amos. Verùm hunc Amos alium esse ab Amos patre Isaiæ, docent S. Hieron. S. Basilius in cap. 1. Isaiæ, S. August. 18. Ciuit. c. 27. Isidorus in vita Amos, & alij. *Amos Propheta*, inquit S. Hieron. *non est ipse, quem patrem Isaiæ Prophetæ legimus. Ille enim* אָמוֹץ *amots scribitur per primam literam aleph & vltimam tsade, & interpretatur fortis atque robustus: hic verò* עָמוֹס *amos per ain & samech, & interpretatur populus auulsus.* Et mox: *Fuit de oppido Thecue, quod sex millibus ad Meridianam plagam abest a sancta Bethlehem, quæ mundi genuit saluatorẽ: & vltrà nullus est vicus, ne agrestes quidem casæ & furnorum similes, quas Afri appellant mapalia. Tanta est eremi vastitas, quæ vsq; ad mare Rubrum, Persarumq; & Aethiopum, atque Indorum terminos dilatatur. Et quia humi aridò atque arenoso nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, vt sterilitatẽ terræ compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorum & Amos Propheta fuit, imperitus sermone, sed non sapiẽtia. Idem enim qui per omnes Prophetas, in eo Spiritus sanctus loquebatur.* ita S. Hieron. De solo arido dissentit S. Cyrill. qui censet Thecue fuisse irriguã, ideoque compascuam: *In qua*, ait, *gentes quamplurimæ pascunt pecudes: est enim propter amplitudinẽ, irrigationem, herbarumq; diuersitatẽ, ad ouium greges alendos percommoda.* Fuit ergo Amos rusticus & armentarius, indeque à Spiritu S. qui humiles exaltat, euectus ad prophetiam, æquè ac Dauid, & alij quos recenset Nazianz. orat. 25. & S. Gregor. hom. 30. in Euang. Hinc crebrò sumit similitudines à rure. Fabulantur R. Salomon & R. Dauid, terram Thecue, vtpote oliuarũ fertilem, progenuisse viros sapientes: regiones enim oleis abundantes gignere viros sapientes, ideoque Amos locum originis nominare Thecue, vt inde liqueat eius sapientia. Verùm hæc eorum de more fabella est, fortè à Gentilibus hausta, qui Mineruam, quæ Dea est sapientiæ, faciunt oliuæ inuentricem, iuxta illud Virgil. Georg. 1.

Adsis ô Tegeæ pater, olearq; Minerua
Inuentrix.

In hoc deserto Thecue, vbi vixit Amos, vitam egerunt postmodum multi miræ sanctitatis monachi, qui à Saracenis sunt interfecti, vti narrat Cassian. collat. 6. c. 1.

A Amos apud Septuag. & in codice Vaticano secundus est inter duodecim minores Prophetas, & proximè sequitur Osee: illi enim fuit coæuus, cum eoque prophetauit: cœpit enim prophetare anno 25. Oziæ, vti ostendam cap. 1. v. 1. Verùm Hebræi, æquè ac Latini, ponunt tertium; secundum enim collocant Ioël.

Argumentum Amos est: directè prophetat ad Israel. id est, ad decem tribus; sed obiter quoque ad Iudam, aliasque gentes: vtrique captiuitatem prænunciat, Israeli Assyriacam, Iudæ Babylonicam. Incusat Israelis scelera, ac nominatim immisericordiam, quòd fratres egenos ope & opibus non adiuuerit, sed vendiderit & oppresserit: ac tandem more Prophetarum læta tristibus subiungens, promissione Messiæ, qui libertatem, pacem, felicitatem, & quasi aureum sæculum sit allaturus, Israelitas consolatur. *Argumentum Amos.*

B Prophetam Amos luculenter citat S. Stephanus disputans contra Iudæos Actor. 7. 42. Isidorus in vita Amos scribit eum prophetasse sub Amasia rege Iuda, ab eoque percussum, & ab eius filio Ozia vecte transfixũ & occisum. Verùm lapsus est memoria, & deceptus identitate nominum Amasiæ & Oziæ. Nam hic Amasias percussor Amos, non fuit rex, sed sacerdos idolorum in Bethel, vt patet Amos 7. 10. Idipsum patet ex chronologia: Amos enim cœpit prophetare, non sub Amasia rege, sed sub filio eius Ozia, vt ipse ait c. 1. 1. ita Epiphan. in vita Amos, Rom. Martyrol. 31. Martij, Torniellus in Annal. anno mundi 3208. & alij passim. Amos, inquit Adrichom. in Descriptione terræ sanctæ, in Bethel C prophetans contra Israelem, vecte per tempora transfixus, in Thecua ex dolore expirauit, cuius sepulchrum ibi adhuc ostendebatur ætate S. Hieron. vti ipse scribit hîc c. 1. & in Ierem. c. 6. & in Locis Hebr. Sed audi ipsum S. Hieron. *Amos aliquantulum exersus est prophetare antequam Isaias* (vnde & Eusebius in Chronico, Amos æquè ac Osee, præponit Isaiæ) *maximè autem contra decem tribus locutus est, pauca de duabus interserens. Hunc ablatum de numero pastorum misit Dominus, vt in Samaria prophetaret, quem Amasias sacerdos* (vitulorum in Bethel) *frequenter plagis afflixit: tandem filius eius Osee vecte per tempora transfixit. Post hæc semiuiuus in terram suam deuectus, post aliquot dies dolore vulneris expirauit, sepultusq; est cum patribus suis.* *Martyriũ.*

Cornel. in Proph. Min.

Eadem habentur in Romano Martyrol. 31. Martij, vbi Amos Sanctorum catalogo quasi Martyr ascriptus legitur, Thecuæque sepultus dicitur. Eadem habent Isidorus, Dorotheus, ac Epiphan. in vita Amos, qui & causam martyrij addit, *quòd ipsum* (Osee) *de insidiis duarum iuuencarum ex auro suggillasset*, putà, quòd eum ob cultum vitulorum aureorum, quibus seducebat populum, increpasset. Arias censet Amos per biennium dumtaxat prophetasse, scilicet quod præcessit terræ motum, & lepram Oziæ regis, ob quam regno est amotus, de quo cap. 1. v. 1. idque valdè probabile esse censet Sanchez. Verùm incertum est an illi duo anni cap. 1. vers. 1. tantùm initium prophetiæ Amos, an totam eius prophetiam spectent.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Damasco ob tria & quatuor scelera, præsertim eo quòd sæuierit in Iudæos, excidium intentat. Idem facit Gazæ v. 6. & Tyro v. 9. & Idumææ v. 11. & Ammonitis v. 13.

Vers. 1. VErba Amos, qui fuit in pastoribus de Thecue: quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israel, ante duos annos terræ motus.

2. Et dixit: Dominus de Sion rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam: & luxerunt speciosa pastorum, & exiccatus est vertex Carmeli.

VERS. 1. IN PASTORIBVS] Ita legunt Rom. Chald. Symmach. & Vet. editio. q. d. Amos fuit vnus è pastoribus Thecue. Minùs rectè Aquila vertit, ἐν ποιμνοτρόφοις, id est, in pastoralibus (& ita legunt Biblia Plantini, ac textus S. Hieron. in comment.) quia tunc subaudire, & supplere oportet substantiuum *locis*, vel *opilionibus*. Septuag. retinent nomen Hebraicum, quasi proprium loci, vertuntque, *qui facti sunt in Accarim*, quia pro ר legerunt ר, putà pro נֹקְדִים *nokedim*, נַקָּרִים *naccarim*. Vnde in Septuag. pro *Accarim* legendum videtur *naccarim*. Quare perperam Theodot. & alij legunt *Cariathiarim*; Complut. *Accarpi*. Putant aliqui Amos non fuisse pastorē, sed mercatorē gregibus diuitem, qui sub se plures haberet suorum gregum pastores, qualis fuit Abraham, Iob, & Mesa rex Moab 4. Reg. 3. 4. qui in Hebræo vocatur נֹקֵד *noked*, æquè ac vocatur Amos hoc loco. Verùm idipsum refellit Amos c. 7. 14. dicens: *Armentarius ego sum vellicans sycomoros, & tulit me Dominus cùm sequerer gregem*: fuit ergo Amos bubulcus, vel, vt S. Hieron. ait, opilio. Vterque hebr. vocatur *noked* (vnde *nekoda* Esdræ c. 2. v. 48. id est *Nicodemus*, ait Marinus in Lexico) id est punctator, inustor, hoc est, armētarius & pastor, qui pecudes suas propriis notis, punctis vel maculis inurit, vt eas ab alienis secernat, omnibusq; constet eas esse suas. Radix enim נָקַד *naked*, significat punctum, stigma, maculam, quæ pecudi inuritur vel imprimitur. Vnde S. Isidorus in vita Amos: *Amos*, inquit, *pastor & rusticus*, &c.

Mòr quòd Deus euehat & eligat abiecta. Moral. discehīc, quòd infirma mundi eligat Deus, vt confundat fortia. virtus enim Dei in nostra infirmitate perficitur, 1. Cor. 12. 9. Spiritus enim sanctus tam potens est, vt inopes, ignorantes & miseros euehat ad summam scientiam, dignitatem & gradum. Audi S. Gregor. hom. 30. in Euang. *Ecce*, ait, *Dauid, Amos, Danielem, Petrum, Paulum, Matthæum intueor, & sanctus iste Spiritus qualis sit artifex, considerare volo, sed in ipsa mea consideratione deficio. Implet namque citharœdum puerum, & psalmistam facit. Implet pastorem armentarium sycomoros vellicantem, & Prophetam facit. Implet abstinentem puerum, & iudicem senum facit. Implet piscatorem, & prædicatorem facit. Implet persecutorem, & doctorem Gentium facit. Implet publicanū, & Euangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus! nulla ad discendum mora agitur in omne quid voluerit. Mox enim vt tetigerit mentem, docet, solúmque tetigisse docuisse est. Nam humanum animum subitò vt illustrat, immutat: abnegat hoc repentè quid erat, & habet repentè quod non erat.*

DE THECVE] Vrbs erat Iudææ, ex qua oriunda fuit mulier sapiens & diserta, quam Ioab misit ad Dauidem, vt Absaloni reditum ab exilio impetraret, quæ inde dicta est Thecuitis, 2. Reg. 14. 4. *Thecua*, inquit Adrichom. in Descript. terræ sanctæ, *ciuitas est in monte sita: vberrimis abundat pascuis: distat a Bethlehem milliaribus* (leuca, quarum quæque continet tria millia passuum: distabat enim à Bethlehē sex millibus passuum, vti initio dixi ex S. Hieron.) *duobus. Hanc Roboam muniuit adificiis: de hac fuit Amos pastor.* Ait Guil. Tyrius lib. 8. Belli sacri c. 1. & 15. *etiam fuisse domicilium Prophetæ Habacuc. Est autem nunc Thecua vicus, ait S. Hieron. in nono ab Aelia milliario, contra Meridionalem plagam.*

Mysticè, *Thecua* hebr. idem est quod clangor tubæ, vel buccinæ: quia, vt ait S. Hieron. *vita Amos, quo tempore populus Israel auulsus erat à Domino, & aureis vitulis seruiebat, siue auulsus à regno stirpis Dauid, clara voce cecinerunt instar clangentis tubæ.* Amos enim hîc classicum canit Chaldæo ad inuadendum, & puniendum Israelem: vnde & nomine suo prophetat. Amos enim idem est quod populus auulsus, vt quoties Israelitæ eum nominarent, meminissent se esse Amos, id est, populum à Deo & à Dauidis domo auulsum.

QVAE VIDIT (quæ reuelatione diuina accepit. hæc enim reuelatio & prophetia vocatur visio, vel verbum Domini, de quo plura Isaiæ 1.) SVPER ISRAEL] Potest verti *contra Israel*; sed melius *super Israel*: quia Amos non tantùm aduersùs, sed & prospera Israeli prænunciat. *Primus Osee*, ait S. Hieron. *prophetat ad decem tribus, quæ appellantur Ephraim, Samaria, domus Ioseph, & Israel. Secundus Ioël ad Ierusalem & duas tribus, nullam omis-*

omnino Israelis faciens mentionem. Tertiui Amos nequaquam ad Ierusalem, quæ regebatur à tribu Iuda, sed ad Israel & in Samaria prædicat. Idipsum patet ex c.7.10.vbi dicitur: *Misit Amasias sacerdos Bethel ad Ieroboam regem Israel, dicens: Rebellauit contra te Amos in medio domus Israel, non potest terra sustinere vniuersos sermones eius. Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Ieroboam, & Israel captiuus migrabit de terra sua. Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi: & in Bethel non adicies vltrà vt prophetes.* Obiter tamen Amos etiam de alijs gentibus, ac de Iuda quasi per contentionem, & oppositionem prophetat: cum illis enim confert, componit, & opponit Israelem.

In diebvs Oziae regis Ivda] qui alio nomine Azarias dicitur: *Quando*, inquit S. Hieron. *apud Assyrios regnabat Sardanapalus, de quo insignis orator: Turpior, inquit, vitiis quàm nomine: & apud Latinos Procas Syluius, cui Amulius expulso Numitore germano successit in regnum: quo interfecto, congregata pastorum & latronum manu, Romulus sui nominis condidit ciuitatem.* Ergo sub initia Romæ prophetauit hæc Amos. Porrò Ozias dictus est Azarias, id est, auxilium Dei: quia adiuuit eum Deus, vt occiso à rebellibus patre, regnum paternum occuparet, & victorias illustres contra Philisthinos, Arabes & Ammonitas obtineret, vti narratur 2. Paral. 26. v. 7. & 16. Dictus est Ozias, id est, fortitudo Dei, eadem de causa: vel quia, vt ait S. Hieron. fortitudine Dei percussus fuit lepra, cùm vsurpans sacerdotiũ obtulit incensum.

Et in diebvs Ieroboam] Hic Ieroboam non est filius Nabath, qui peccare fecit Israel erectis vitulis aureis; sed filius Ioas, filij Ioathan, filij Iehu, ac consequenter pronepos eiusdem Iehu, sub quo prophetarunt Osee, Ioël & Amos, ait S. Hieron.

Nota ex 3. Reg. 14. 23. Ieroboam cœpit regnare anno 15. Amasiæ patris Oziæ, & regnauit 41. annis, Amasias verò regnauit 29. annis: desiit ergo Amasias regnare & viuere anno 15. Ieroboam. Successit Amasiæ filius Ozias: sed quia puer erat trium dumtaxat annorum, per tutores administratum est regnum per 13. annos, vsque ad annum 27. Ieroboam: illo enim anno per se regnare cœpit Ozias, vel Azarias, cùm iam 16. esset annorum, & regnauit deinceps 52. annis, vti dicitur 4. Reg. 15. 1. vnde sequitur, vltimis 14. annis quibus in Israel regnauit Ieroboam, regnasse in Iuda Oziam; sic vt vltimi anni 14. Ieroboam coincidant cum annis primis 14 regni Oziæ, quibus necesse est prophetasse Amos. ita Arias & Ribera hîc. Meliùs alij, vt Torniellus in Annal Caietan. in 4. Reg. 15. & à Castro hîc, negant hoc interregnũ inter Amasiam & Oziam, censentq; eumdem annum Ieroboam nunc vocari 15. nunc 27. quia scilicet annus hic erat decimus quintus ab eo tempore, quo ipse post mortem patris solus regnauit: idem erat vigesimus septimus, sed ab eo tempore, quo viuente adhuc patre ab eo creatus rex, cum eo regnare cœperat: quo fit vt hi 27. anni inchoandi sint ab anno 4. Ioas, patris Ieroboam, quo ipse à patre regni cõsors factus, cum eo regnauit 11. annis. Ex qua sententia sequitur, Ieroboam cum Ozia regnasse non tantùm 14. sed 27. annis, vti fusiùs dixi Isaiæ 7. 8. vnde & Amos regnantibus Ozia &

A Ieroboam, prophetauit hoc anno 25. Oziæ, putà duobus annis ante terræ motum, qui contigit anno 27. Oziæ, vti iam ostendam. Fauet Eusebius in Chronico, dum ad annum 17. Oziæ, & sequentes annotat: *Prophetabant apud Hebræos Osee, Amos, Isaias, Ioël & Ionas Prophetæ.*

Ante dvos annos terrae motvs] Huius terræ motus meminit & Zachar. c. 14 5. dicens: *Fugietis sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Oziæ regis Iuda.*

Quæres, quis, quando, & qua de causa fuit hic terræ motus? Primò, Lyran secutus R. Salomonem, & Arias censent esse illum, de quo in visione Isaię c. 6. cùm scilicet ipse vidit Deum sedentem in throno, & Seraphinos illi acclamantes *Sanctus* dicitur: *Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantium, & domus repleta est* B *fumo.* Verùm obstat Primò, quòd hæc fuerit visio imaginaria, Isaiæ menti obiecta, non autem realis terræ motus. Secundò, quòd hæc fuerit imaginaria concussio templi, & cæli (in templo enim cælesti residebat Deus) non terræ. Tertiò, quòd illa visio contigerit anno quinquagesimo secundo Oziæ, quo ipse mortuus est, vt ait Isaias: tunc autem non regnabat, nec viuebat Ieroboam, vtpote qui mortuus sit anno 14 vel potiùs 27. Oziæ, vti paulò antè ostendi. Respondet Lyran. visionem illam Isaiæ cõtigisse eo anno quo mortuus est Ozias morte, non naturali, sed ciuili, scilicet cùm percussus lepra ob vsurpatum officium sacerdotale, templo, & hominum conuictu regnoque eiectus est, ac pro eo filius eius Ioathan regni administrationem suscepit. Vnde C Chald. vertit, *in anno quo percussus est Ozias.* Verùm τὸ *mortuus*, ad literam mortem naturalem, non ciuilem significat, vti cæteri omnes Interpretes docent; qui proinde communiter censent, visionem illam Isaiæ exhibitam fuisse anno 52. & vltimo Oziæ.

Dico ergo, hunc terræ motum contigisse anno 27. Oziæ, ac consequenter Amos hæc prophetantem biennio ante terræ motum, prophetasse ea anno 25. Oziæ. Vnde ab hoc anno 25. Oziæ, & ab hac prophetia Amos, Isaias cap. 7. 8. computat 65. annos, post quos regnum Israelis euertendum prædicit. Nam præcisè 65. anni fluxerunt ab anno 25. Oziæ, vsque ad annum 6. Ezechiæ, quo ab Assyriis euersa est Samaria & regnum Israel, vti ostendi Isaiæ 7. 8. Hæc sententia est communis Doctorum, & Interpretum, D putà Hebræorum, S. Hieronymi, Cyrilli, Remigij, Procopij, Ruperti, Hugonis, Lyrani, Clarij & aliorum. Accedit ferè Torniellus, & alij Chronologi, qui hunc terræ motum censent contigisse anno 25. Oziæ, ac consequenter Amos biennio antè, putà anno 23. Oziæ, cœpisse prophetare.

Terræ motus Amos. quando?

Porrò ijdem omnes, excepto Torniello, & vno alteroue, secuti Iosephum lib. 9. Antiq. 11. addunt, hunc terræ motum contigisse ob factum Oziæ regis, quo ipse victorijs & secundis rebus inflatus, arrogauit sibi munus sacerdotale, obtulitque incensum in altari thymiamatis. Hunc enim regis factum Deus tribus plagis, æquè ac portentis punitit, ait Iosephus. Nam Primò, mox vt rex sacerdotibus, prohibentibus eum aditu altaris, minatus est mortem, *ecce ibi terra vehementer concutitur.* Secundò, *fisso supernè templo, radius solis*

Quatuor plagæ Ozia.

V. 2. Chron 26

os regis ferit, quod è vestigio lepra contactum est. Tertiò, *eodem terræ motu ante vrbem, in loco qui dicitur Eroge dimidium montis ad Occidentem vergentis reuulsum. per quatuor stadia volutum, obiectu demum Orientalis montis constitit. obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regijs.* Hæc Iosephus, & alij iam citati ex ipso. Vide hîc obiter, quàm acriter Deus superbos, præsertim sacrilegos & sacra inuadentes, puniat. Accessit quarta plaga, quòd rex lepra tactus templo & regno eiectus, vsque ad mortem vitam priuatam & separatam, iuxta legem egerit: quocirca regnum administrauit filius eius Ioathan. Hæc Script. & Iosephus.

Censent ergo Auctores citati, anno 27. Oziæ eum adoleuisse incensum, ideoque percussum lepra, & terræ motu perculsum, è templo & regia secessisse, ac vixisse priuatum per annos 25. putà ad annum 52. quo mortuus est, successitque ei filius Ioathan, qui tum erat 25 annorum. Vnde sequitur Ioathán natum esse eodem anno 27. quo Ozias pater percussus est lepra. Quare necesse est dicere, Oziam per optimates deinceps regnum administrasse, donec Ioathan adolesceret & regeret: quod quia nusquam legimus, hinc aliqui de tota hac re dubitant, putantque hunc terræ motum ad peccatum & lepram Oziæ non pertinere, sed alio tempore, aliaque de causa accidisse, præsertim quia Iosephus loco citato innuit Oziam pauco dumtaxat tempore fuisse leprosum. Ait enim: *Et cùm aliquamdiu priuatus extra vrbem vixisset, filio Ioathamo remp. administrante, mœrore tandem confectus obiit anno ætatis sexagesimo tertio, regni quinquagesimo secundo.* Vnde Torniellus in Annal. censet, Oziam lepra percussum anno 48. regni sui, cùm iam Ioathan filius eius 16. esset annorum, vt pro eo regnum administrare posset. Fauet tamen priori sententiæ tot Auctorum iam dictæ, quòd ipsa appositè combinet & conciliet Amos cum Isaia c. 7. 8. ex eaque liquet Amos hæc prophetasse 65 annis ante excidium Samariæ, putà anno 25 Oziæ. Fauet etiã, quòd Script. 2. Paral. 26. v. 16. & 21. indicet Oziam citiùs lepra percussum, longiore tempore leprosum vixisse. Ait enim v. 16. *Cùm roboratus esset* (quod factum est victoriis, quas contra Philisthinos, Arabes & Ammonitas primis viginti quinque, vt videtur, annis regni obtinuit, vt ibidem dicitur v. 6. & seq.) *elevatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum, ingressusq; templum Domini adolere voluit incensum.* Et v. 21. *Fuit igitur Ozias rex leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata plenus lepra, ob quam eiectus fuerat de domo Domini:* vbi verba *vsque ad diem mortis*; & *habitauit*; & *eiectus fuerat*, indicant diutinam fuisse eius lepram, & separationem. Fauet Tertiò quòd videatur Deus insolescentem iam Oziam voluisse præmonere per Isaiam & Amos, ne imitaretur scelera & sacrilegia regum Israel, qui per se, & sacerdotes à se constitutos offerebant incensum suis diis, putà vitulis aureis in Dan & Bethel, 3. Reg. 13. 1. & 33. alioqui sciret se regno eiiciendum, sicut ob idem peccatum post 65 annos excindendum erat regnum Israel cum suo rege. Vicissim, vt reges Israel visa post biennium punitione & eiectione Oziæ ob vsurpatum sacerdotium, conijcerent sibi idem euenturum, veraque esse prophetias & comminationes excidij, quas Amos & Isaias eis intentarunt. Atque hæc videtur esse causa, cur Amos & Isaias tam præcisè tempus suæ prophetiæ consignent: Amos dicendo, *Ante duos annos terræ motus*: Isaias, *Adhuc sexaginta anni, & desinet Ephraim esse populus.* Fauet Quartò, quòd de alio terræ motu, & diuerso ab hoc Oziæ, nec in Script. nec apud Iosephum, Iosippum, Eusebium, alioque Historicos quidquam legamus. Ergo non videtur fuisse alius quàm hic Oziæ.

Denique Amos, vti nomine suo (Amos enim hebr. idem est quod *populus auulsus*, vt dixi) ita & hoc terræ motu significat motum animorum Israelis, quo ipse auellens se à Deo & à regno Dauid, schisma & diuortium fecerat, erigens colensque vitulos aureos, eaque de causa tunc, vti & aliàs sæpè, hunc terræ motum Deus immisit, vt simul minaretur terræ & populo, eiusque exilium & excidium portenderet. Ita anno Domini 458. Antiochia, cùm Nestorij schisma & hæresim amplexa est, ingenti terræ motu conquassata est, vti narrat ex Marcellino Baronius. Eodem Pontica regio ob Eutychetis hæresim concussa est anno Domini 499. vt idem narrat ex Theodoro Collectan. lib. 2. Ob eamdem hæresim anno Domini 518. in Dardania assiduo terræ motu viginti quatuor castella vno momento collapsa sunt, & ex iis duo cum omnibus, alia cum multis habitatoribus demersa; ac paulò pòst eodẽ anno Anastasius Imp. Eutychianus fulmine à Deo ictus interijt. ita Marcellin. in chronico. Ita cùm S. Ioannes Chrysost. in exilium pulsus est, Constantinopolis terræ motu cõtremuit, quo cubilis imperatorij pars collapsa est. Vnde territus Imperator misso notario eum reuocauit, vt planè constiterit *propter iustum suum Dominum commouisse terram*, ait Pallad. in Dial. & Theodoretus lib. 5. c. 33. Hucusque titulus Prophetæ, nunc orditur suam prophetiam, aitque:

DE SION RVGIET] quasi dicat, Deus verus, cuius in Sione (non autem in Dan & Bethel, vti vos ô Israelitæ, imò idololatræ, falsò præsumitis) est templum, solium & oraculum ex propitiatorio à Cherubinis sustentato; hic, inquam, Deus potens & acer sui templi, cultusque & sanctitatis vindex, per me, perque Osee, Isaiam, alioque Prophetas, ex Sione & Iudæa à se missos, instar leonis rugiet, dum horribilem vastationis & excidij sententiam contra impios Israelitas, aliasque vicinas gentes, ob varia earum scelera per nos proferet & proclamabit. Simili sensu ait Isaias cap. 31. v. 4. *Quomodo si rugiat leo & catulus leonis super prædam suam, &c. sic descendet Dominus exercituum vt prælietur super montem Sion.* Et v. 9. *Dixit Dominus, cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Ierusalem.* quasi dicat, Deus qui in Sione residet, ibique igne sacro & sacrificio colitur, inde quasi leo rugiens exiliet gratis vltor in hostes suos, putà in impios, qui eius cultum & numen vel idololatria, vel alijs sceleribus violarunt ita S. Hieron.

LVXERVNT (id est lugebunt) SPECIOSA PASTORVM] scilicet pascua: per quæ metaphoricè intelligit speciosas vrbes & palatia, æquè ac agros & prata Iudææ. q. d. Sicut leone rugiente aufugiunt pastores cum gregibus, ideoque pascua deserta ac desolata lugere & squalere videntur; ita Deo rugiente, & per Chaldæos sæ-

uiente

uiente contra Israelitas aliasque gentes, omnes eorum speciosæ vrbes & domus, æquè ac agri & campi vastabuntur & desolabuntur, cæsis, vel abductis eorum incolis & cultoribus, ita vt mœrere & lugere videantur. Sicut enim metaphoricè agri & prata ridere dicuntur, dum florent; ita & lugere, cùm desolantur. ita Remig. Hugo, & Vatablus, ac S. Hieron. qui notat Amos, vtpote pastorem, appositè vti metaphoris desumptis à pascuis, *Naturale est*, inquit, *vt omnes artifices suæ artis loquantur exemplis, & vnusquisque in quo tritit ætatem, illius similitudinem proferat. v. g. qui nauta est & gubernator, tristitiam suam comparat tempestati, damnum naufragium vocat, inimicos suos ventos contrarios appellat. Rursum, prosperitatem & lætitiam auram placidissimam & secundos nominat ventos, tranquilla maria & æquora. E regione miles quidquid dixerit, scutum, gladium, loricam, galeam, lanceam, arcum, sagittam, mortem, vulnus & victoriam sonat. In ore Philosophorum semper Socrates, Plato & Aristoteles. Oratores, Gracchos & Catones, Tullios & Hortensios in cælum laudibus ferunt*, &c. *Sic & Amos qui pastor fuit, non in locis cultis, sed in lata eremi vastitate, in qua versatur leonum ferocitas, & interfectio pecorum, artis suæ vsus est sermonibus; vt vocem Domini terribilem, rugitum leonum & fremitum nominaret, euersionem Israeliticarum vrbium pastorum solitudini, & ariditati montium comparans.* Hoc est quod vulgò dicitur:

Nauita de ventis, de bobus narrat arator.

Et Eccli. 38. 26. *Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo, stimulo boues agitat, & conuersatur in operibus eorum, & enarratio eius in filiis taurorum*, &c. Denique Arabicus Antioch. vertit, *contristati sunt pastores gregum*; Arabicus Alexandr. *lugent pascua pastores, quia exsiccatum est caput Carmeli.*

EXSICCATVS EST VERTEX CARMELI] *Duo*, ait S. Hieron. *sunt montes hoc nomine. Alter, in quo fuit Nabal Carmelus, maritus Abigail ad Australem plagam*, 1. Reg. 25. *Alter iuxta Ptolemaidem, quæ prius vocabatur Acho, mari imminens, in quo Elias Propheta flexis genibus pluuiæ impetrauit. Si ergo de Carmelo dicit in quo habitauit Nabal, magis pastorum gregibus conuenit: quia est iuxta solitudinem. Sin autem de illo qui vicinus est littori, ad reges, & ad superbiam pertinet regni Israel, quos imminente captiuitate instar montium desertorum dicit esse vastandos.* Vterlibet ergo Carmelus hîc accipi potest, & vterque fertilis in prouerbium abijt, estque symbolum fertilitatis, abundantiæ & lætitiæ. Vnde lingua Punica, siue Arabica, quæ Hebrææ vicina est, adhuc hodie in Bætica, amœnissimæ & pulcherrimæ villæ vocantur *Carmenes*, ait Delrio adagio 970. Commodiùs tamen accipias de priore, qui pascuorum & pastorum erat: ab eo enim Amos, vtpote pastor, pastoritiam duxit similitudinem. Sensus ergo est quasi dicat, Israelis, & vicinarum gentium Carmeli, id est, villæ, agri, vineæ, pascua, opes, copia & gaudium disperdentur per Chaldæos. Rursum, in voce *vertex* notantur reges, regumque arces, palatia, horti & villæ, & symbolicè potentia, imperium & gloria destruenda à Babyloniis. Vndè Chald. vertit, *desolabuntur habitacula regum, & desertum fiet præsidium arcium illorum*. Accedit Theodor. qui per *verticem* accepit tum Ierusalem, quæ erat caput & vertex Iudææ; tum Samariam, quæ erat vertex Israelis, siue decem tribuum, Isaiæ 7. 8. & 9. Denique Albert. & Hugo censent, hîc ad literam prædici siccitatem, sterilitatem, & famem Israeli & gentibus impiis immittendam & infligendam à Deo.

Porrò *Carmelus* hîc non tantùm notat agros & opes Iudææ, sed & aliarum gentium: omnis enim ager & locus fertilis, diues & speciosus, prouerbialiter vocatur *Carmelus*. Id ita esse patet ex sequentibus: nam hanc propositionem, *Dominus de Sion rugiet*, &c. *& luxerunt speciosa pastorum, & exsiccatus est vertex Carmeli*, initio quasi thema propositum, sic in sequentibus explicat, de Damasco v. 4. dicens, *Et mittam ignem in domum Azael, & deuorabit domos Benadad.* Speciosa ergo pastorum, & vertex Carmeli Damasci, sunt domus Azael & Benadad. Et de Gaza v. 7. *Mittam ignem in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius.* Speciosa ergo pastorum, & vertex Carmeli Gazæ, sunt murus & ædes eius. Et de Tyro v. 10. *Mittam ignem in murum Tyri, & deuorabit ædes eius.* Speciosa ergo & Carmelus Tyri, sunt murus & ædes eius. Idem de Idumæa dicit vers. 12. & de Ammon v. 14. & de Moab cap. 2. v. 2. & de Iuda c. 2. v. 5. & de Israel c. 2. v. 6. 13. & 15.

3. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum: eò quòd triturauerint in plaustris ferreis Galaad.

4. Et mittam ignem in domum Azael, & deuorabit domos Benadad.

5. Et conteram vectem Damasci, & disperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis: & transferetur populus Syriæ Cyrenem, dicit Dominus.

6. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non conuertam eum: eò quòd transtulerint captiuitatem perfectam, vt concluderet eam in Idumæa.

7. Et mittam ignem in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius.

8. Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone: & conuertam manum meam super Accaron: & peribunt reliqui Philisthinorum, dicit Dominus Deus.

VERS. 3. HAEC DICIT DOMINVS: SVPER TRIBVS SCELERIBVS (perperam Arabicus Antioch. vertit *regionibus*, vel *climatibus*) DAMASCI, ET SVPER QVATVOR NON CONVERTAM EVM] Incipit Amos à minis, quas Deus gentibus Israeli inimicis intentat, eò quòd Israelem afflixerint. Primò, vt ex hostium suorum vindicta sciat Israel, se Deo suo curæ & cordi esse. Secundò, vt ex pœna infidelium, putà Damascenorum, Gazensium, Tyriorum, Idumæorum, Ammonitarum & Moabitarum, suam, putà fidelium, æstimet. *Si enim in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* ait Christus Lucæ 23. 31.

Quæres Primò, quid sibi vult *trib. super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor?* *Tria & quatuor scelera Damasci quæ, & quot?*

Vatablus, Clarius, Emmanuel & Mariana per tria & quatuor accipiunt septem, id est, plurima

scelera Damasci. q. d. Damascus nullum facit finem peccandi, sed iugiter scelera sceleribus accumulat: si tantùm bis aut ter peccasset, pepercissem illi; nunc quia non cessat, sed alia alijs iugiter addit, non parcam ei. Septenarius enim in Script. symbolum est multitudinis & vniuersitatis, ex eo quòd septē diebus Deus omnia creauit, Genes. 1. & septem diebus hebdomadæ iugiter recurrentibus decurrant omnes dies, omniaque tempora. Sic dicitur Eccles. 11. 2. *Da partem septem, nec non & octo*, id est, omnibus indigentibus distribue partes panum & eleemosynarum. Prouerb. 24. 16. *Septies*, id est frequenter, *in die cadit iustus*. Zachar. 3. 9. *Super lapidem vnum septem oculi*, id est, multæ excubiæ. 1. Reg. 2. 5. *Donec sterilis peperit septem*, id est multos filios. Psalm. 118. 164. *Septies in die laudem dixi tibi*. Hic sensus videtur planus: tria enim & quatuor faciunt septem, præsertim quia repetit עַל *super*, dicens, *& super quatuor*: ergo hæc quatuor scelera alia sunt à tribus quæ præcesserunt: si alia, ergo iuncta tribus prioribus faciunt septem. Melius alij censent, hîc quatuor tantùm Damasci scelera denotari: רְבוּעַ enim *quatuor* idem est quod *quartum*, vt vertit Syrus & Arabicus: Hebræi enim sæpè numeros cardinales sumunt pro ordinalibus. Exempla sunt in hac eadem voce Prouerb. 30. 15. *Tria sunt insaturabilia, & quartum* (hebr. אַרְבַּע *vearba*, id est, *& quatuor*) *quod numquam dicit: Sufficit*. Et v. 18. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum* (hebr. *vearba*, id est, *& quatuor*) *penitus ignoro*. Similia sunt v. 21. & 29. Porrò hac phrasi vtuntur ad auxesin, vt significent quarti eminentiam super tribus quæ præcesserunt. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Haymo, Hugo, Lyran. & alij. Simile est illud Virgilij ecloga 3.

Triste lupus stabulis, maturis frugibus imber,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.

q. d. Quartum & vltimum, putà iræ Amaryllidis nobis sunt tristissimæ. Et Theocritus idyl. 8. ex quo more suo id mutuatus est Virgil. *Arboribus metuendum malum tempestas, aquis cœnum, auibus laqueus, feris agrestibus retia; viro autem tenera virginis amor*. q. d. Virginis amor præ cæteris omnibus viro metuendus est: quia illi eripit cor & mentem. Tale est illud Prouerb. 30. *Tria sunt insaturabilia, & quartum quod numquam dicit: Sufficit: infernus, & os vuluæ, & terra quæ non satiatur aqua; ignis verò numquam dicit: Sufficit*. q. d. Ignis omnium maximè est insaturabilis. Et Prouerb. 6. *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima eius*, putà *eum qui seminat inter fratres discordias*. q. d. Hunc maximè odit Deus.

Tria sunt omnia, eur?

Sensus ergo est, q. d. Super tribus sceleribus Damasci, & maximè super quarto irascor, nec parcam, sed puniam illam: quodnam sit hoc quartum explicat dicens: *Eò quòd triturauerint in plaustris ferreis Galaad*. Similiter explicat quartum scelus Gazæ v. 6. & quartum Tyri vers. 9 & quartum Idumææ vers. 11. & quartum Ammon v. 13. & quartum Moab c. 2. 1.

Quæres Secundò, quænam sint hæc quatuor scelera Damasci? Rursum, An hîc numerus scelerum sumendus sit definitè, an indefinitè? Definitè accipiunt Rupertus, Albertus, Lyranus, Dionys. Palacius, & Arias, qui censent tria scelera esse idololatriam, incestum, homicidium: Albertus verò, esse rapinam, mulctam & gladium, quibus Damasceni persecuti sunt & afflixerunt Israelitas. Quartum verò exprimit Propheta dicens: *Eò quòd triturauerint in plaustris ferreis Galaad*. Verùm tria priora non exprimit Propheta: quocirca illa ex cerebro Interpretum conficta videntur.

Dico ergo, tria & quatuor hîc indefinitè sumi, & significare plurima scelera Damascenorū, quæ ipsi perpetrarunt sub Asael rege, tum contra Hebræos, tum contra alias gentes, 4. Reg. 8. Ternarius enim familiaris est S. Scripturæ, & primus est numerus multitudinis: hinc eius est symbolum: *Tria enim sunt omnia, & ipsum ter in omnem partem se effundit*, ait Arist. lib. 1. de Cælo c. 1. Intellige *omnia*, non sola, sed prima: nec enim vnitas, nec duo, faciunt omnia, sed mox vt sunt tria, si ea singula adsint, dicimus adesse omnia. Vnde S. Chrysost. hom. 41. in Matth. explicans illud c. 13. 33. *In farinæ satis tribus*: Tria, inquit, sata, sunt multa. Quando verò ternario vnitas additur, vt fiat quaternarius, tunc maxima multitudo, quæ communem & ordinariam superat, significatur. Sic Virgil.

O terq; quaterq; beati,

id est, plurimùm beati, imò beatissimi. Et Seneca in Hippolyto; *O terq; quaterq; prospero fato dati*. Hinc & Deus vocatur *ter maximus, ter felix, ter sanctus*. Causa & origo huius rei & phrasis est, increatus ternarius, putà ipsa Sanctissima Trinitas, hæc enim est sanctissima, felicissima, maxima, ac omnia, imò infinita bona in se complectitur, eaque ternarijs à se creatis communicat, ideoque mentibus hominū, etiam Gentilium S. Trinitatem ignorantiū, inseruit hanc augustam de ternario opinionē, vt cum Aristot. lib. 1. de Cælo c. 1. censerent ternarium esse principium multitudinis, eoque in arcanis vterentur, quasi sacratiore, quòd vehementior atque efficacior ad omnia putaretur, vti ait Plinius li. 18. c. 3. & Macrob. li. 1. Saturn. ca. 6. Hinc priscis ternio, absolutissimus & sacer erat, adeò vt quidquid ter dictum aut factum esset, id ratum & efficax haberetur. Hinc & Galli per *tres*, id est ter, significant superlatiuum, putà summum & maximum in suo genere, vt *tresbon*, id est optimus: *tressage*, id est sapientissimus: *tresriche*, id est ditissimus, &c. Insuper *ternarius ad quæcumq; controuersias dirimendas maximè idoneus est, vt qui principium, medium & finem in se contineat*, ait Dionys. Halicar. li 3. Quocirca Plutarch. tract. de Pythag. discip. tradit vnitatem à Pythagoræis Apollinē nuncupari, dyada (id est dualitatē) litem & audaciam, triada iustitiam & virtutem, quæ est medium duorum vitiorum. In ternario enim, aiebant, ipsum vnum est medium, quasi centrū & numen, quo æqua distributio regitur, & ad quod quasi finem refertur. hinc ternarius est quasi circulus, & complexio omnium: in ternario enim est principiū, medium & finis: vnde & tria sunt omnia. Et prisci Theologi vt designarent principium, medium & finem referenda esse in Deum, tria in sacrificijs offerebant. Et tria posita sunt à Philosophis in cultu Dei; adoratio propter reuerentiam; thus ob distributionem suauissimæ cognitionis diuinæ, & cælestium ac terrestrium virtutum; hymnus secundū Pythagoram, propter concentum cæli. Hinc Nicomachus: *Ter*, ait, *libant, & ter sacrificant, qui vota sua petunt à Deo consummari*. Theocritus idyl. 2.

Tu

Ter libo, ter & hæc pronuncio mystica verba.
Virgil. 4. Georg. de sacrif. Oceani:

Ter liquido ardentem perfudit nectare Vestam:
Ter flamma ad summum tecti subiecta reluxit.
Ouid. 3. Fast.

Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas.
Idem dicunt alij passim. Seraphini ter clamant, *Sanctus, sanctus, sanctus*, Isaiæ 6.

Tres sunt virtutes Theologicæ, quibus Deum colimus, fides, spes, charitas. Tres partes pœnitẽtiæ, quibus eum cõciliamus, contritio, confessio, satisfactio. Tria opera bona, quibus eum demeremur, oratio, ieiunium, eleemosyna. Arithmetica docet ternariũ in qualibet re inueniri. Mundus enim est triplex, scilicet angelicus, corporeus, humanus. Anima tres habet potentias, intellectum, memoriam, voluntatem. Tres sunt angelorum hierarchiæ, & in singulis tres ordines. Tria eorum officia, purgare, illuminare, perficere. Triplex eorum cognitio: matutina, quæ est in Verbo: vespertina, quæ est rerum in se: meridiana, quæ est aperta Dei visio. Castitas triplex, virginalis, vidualis, coniugalis. Cælum triplex, empyreum, sidereum, aëreum, In sole sunt tria, substantia, radius & lumen: sic in Deo, qui est Sol increatus, sunt tres personæ, Pater, Filius & Spiritus S. In omni re sunt tria, essentia, virtus, operatio: vel entitas, species, ordo. In compositis est materia, forma & vnio. Tres sunt aëris regiones, infima, media, summa. In arbore & planta sunt tria, folia, flores, fructus. Ita in rebus omnibus S. Trinitas sui vestigia posuit, ex quibus eam agnoscere-
mus & contemplaremur. Tres in homine sunt spiritus: animalis, vitalis, naturalis. Tres animæ vegetatiuæ operationes: nutritio, augmentatio, generatio. Bonum est triplex: vtile, delectabile, honestum. Tres rerum sunt ordines: naturæ, gratiæ, gloriæ. Tres præcipuæ corporis partes: venter, cor, cerebrum. Tres causæ artificiales & artificum: efficiens, formalis, finalis. Philosophia triplex: Ethica, Physica, Mathematica. Syllogismi tres sunt propositiones: Maior, Minor, Conclusio. Triplex lex: naturæ, Mosis, Christi. Tres temporis differentiæ & partes: præteritum, præsens, futurũ. Locus triplex: summus, medius, infimus. Triangulus tres habet angulos, æquè ac lineas. Anguli sunt tres: rectus, acutus, obtusus. Quantitas corporis trina est: longitudo, latitudo, crassities. Deniq; omnia in ternario, putà in mensura, numero & pondere creauit & disposuit Deus, Sap. 11. v. 21. Hæc & plura Petrus Bongus li. de Numeror. mysterijs, in ternario. Hisce ergo de causis ternarius symbolum est multitudinis, plenitudinis, perfectionis, vniuersitatis.

Itaque sensus huius loci est, ait S. Hieron. q. d. *Expectaui multo tempore, vt Damasceni de suis sceleribus agerent pœnitentiam, & ideo nolui punire peccantes, vt aliquando conuersi reciperent sanitatem: verùm quia tertiò & quartò eadem faciunt, cogor mutare sententiam, & plagis corrigere delinquentes.* Sic & Theodor. *Quod verò*, inquit, *super tribus & super quatuor, multitudinem significat, hoc est, vt subdit, infinitas iniquitates.* Sic & Ribera, Delrio adagio 971. aliique suprà citati. Hic sensus appositus est, planeque genuinus videretur, si Propheta dixisset (*super tribus & quatuor sceleribus*) sic enim dicimus: *O terq; quaterq; beati.* Verùm quia tribus non iungit quatuor, sed potiùs quatuor à tribus separat & disiungit, dicens: *Et super quatuor*; hinc magis genuinus videtur sensus, quem quæst. 1. indicaui, nimirum vt *quatuor* sumatur pro *quarto*, sensusque sit: Quia Damascus tria, id est plurima, perpetrauit scelera, nec his contenta addidit quartum, præ cæteris omnibus insigne & enorme, hac de causa indigna planè est venia, ideoque non parcam, sed plectam eam. Aut vt à Castro, q. d. Cùm semel, iterum & tertiò pepercerim Damascenis, quarto enormi sceleri, quod cæteris addiderunt, nequaquam parcam, sed puniam. Quartum hoc scelus est, quod subdit: *Eò quòd triturauerint in plaustris ferreis Galaad.* Cur enim inter tot scelera hoc vnum exprimit & subdit Propheta, nisi quia hoc quartum erat, & enorme? Idem facit, idemque vt quartum scelus Gazæ, Tyri, Edom, Ammon & Moab nominat, & taxat v. 6. 9. 11. 13. & cap. 2. 1. Cùm enim post *quatuor*, id est quartum scelus, hoc vnum subijciat, planè significat illud ipsum esse quartum. Omnino enim enorme, cæteraque omnia superans erat hoc scelus, quòd inaudita crudelitate plaustris ferreis triturarent Israelitas, putà Galaaditas.

Tropol. S. Hieron. *Primum*, ait, *peccatum est, cogitasse quæ mala sunt: secundum, cogitationibus peruersis acquieuisse: tertium, quod mente decreueris, opere complesse: quartum, post peccatum non agere pœnitentiam, & in suo sibi complacere delicto. Hoc faciunt omnes hæretici, qui non solùm cogitant & faciunt mala, sed doctrina sua quosque simplices decipiunt, & in morem Damascenorum, qui interpretantur sanguinem bibentes, eorum quos deceperint sanguinẽ bibunt.* Et Rupert. *Primum*, ait, *scelus est voluntas peruersa, & tunc peccator moritur interiùs. Secundum, voluntatem opere compleuisse, & hoc facto mortuus est peccator, & foras elatus; sed adhuc suscitari potest, sicut illum iuuenem Dominus suscitauit, qui per portam ciuitatis mortuus efferebatur. Tertium scelus est, opus in consuetudinem vertisse: & tunc peccator mortuus & sepultus est, sed adhuc ad vitam suscitari potest, sicut Lazarum sepultum iam quatriduanum & fœtentem Dominus suscitauit. Quartum scelus est, in suo sibi peccato complacere, Deoq; ad pœnitentiam reuocanti, & legi eius redarguenti superbia spiritu resistere. Hoc scelus diabolicum est. est enim cor impœnitens, & rebellio, ac defensio scelerum*, ideoque planè venia indignum, & penè irremissibile. Tropol.

Denique Hebræi nonnulli, quos sequitur Georgius Venetus in problem. S. Script. to. 5. n. 114. censent Amos hîc significare, quòd difficilè conuertantur ij, qui quater vel pluries in idem peccatum corruunt. q. d. Super tribus sceleribus conuertam eos, super quarto autem non conuertam; sed ipsos sibi suisque sceleribus & consuetudini voluntariæ derelinquam. Hoc tropologicum pariter est, non literale, vt ipsi censent.

NON CONVERTAM EVM] Aliqui codices legunt *eam*, scilicet Damascum: sed Romana, Hebr. & Interpretes passim legunt *eum*, scilicet populum. hunc enim Damascus significat: metonymicè enim ponitur continens pro contento, ciuitas pro ciuibus & incolis. Hebraicè est לא אֲשִׁיבֶנּוּ *lo asçibennu*, id est, non faciam reuerti eum, non reducam eum; Vatabl. *non reuocabo eum*, scilicet furorem meum, sed effundam & complebo eum in Damasco; Septuag. *non auersabor eos*, id est, non auertam faciem meam, inquit Theodor. à Damasce-

masceenis, sed iratus firmiter illam conuertam ad eos, vt iras meas in eos effundam. Vnde Arabicus subinde vertit, *non reuertar ab eis*. Cùm enim Deus scelera alicuius vlciscitur, dicitur firmare in eum vultum suum: ex aduerso Dauid petens veniam & gratiam Dei, ait: *Auerte faciem tuam à peccatis meis*, psal. 50. 11. Verùm quia nulla furoris, nec faciei Dei præcessit mentio, hinc Secundò & genuinè, *non conuertam eum* (Damascum, id est, Damasci populum) scilicet ad me, seu ad veniam & misericordiam meam; sed eum in suis sceleribus, æquè ac ira & vindicta mea, derelinquam. Vnde Chald. & Pagninus vertunt, *non parcam ei*, sed acriter puniam. ita S. Hieron. Albert. & Hugo. Hinc Syrus vertit, *non retraham, non reuerti faciam ab eis*; Arabicus Antioch. *non ero pœnitens super eo*: vel, *non conuertam eum in locum suum*. q.d. E captiuitate non reducam eum in solum patrium. Huc pertinet expositio Sanchez, q.d. *Non conuertam eum*, id est, non reuocabo eum à morte, quæ ex iudicio & decreto Dei tam certò ei eueniet, vt iudicari debeat iam aduenisse. Videtur ergo iam esse mortuus, quia certæ morti destinatus: ab hac ego eum non cõuertam, id est non reducam, non liberabo.

Tertiò, Arias, *ascibennu* vertit *retribuam ei*, hoc est, scelera eius vlciscar, sicque per interrogationem legit, & explicat: Numquid ob tria & quatuor, id est plurima, scelera non retribuam ei? omnino retribuam, & plectam eum. Arabicus Alexandrinus vertit nouè, *super tribus & super quatuor sceleribus Damasci non sum tristitia affectus*. q.d. Peccata me non affligunt, sed ipsum peccantem. Meliùs idem cap. 2. 1. *Non differam, non prolongabo*, scilicet vindictam.

Impertinens est Ruperti expositio: *non conuertam eum*, scilicet verticem Carmeli, ad pristinum suum virorem & fertilitatem. Erronea est R. Salomonis, qui ex hoc loco contendit tribus tantùm vicibus peccatorem pœnitentem à Deo recipi, quartò non recipi. Quin & Theologi nonnulli, peccatorem quandoque adeò graviter & sæpè peccare censent, vt in pœnam Deus deneget illi auxilium sufficiens ad pœnitendũ: quo fit vt pœnitere & conuerti nequeat. Id autem fieri, cùm impleuit mensuram peccatorum à Deo determinatam, de qua accipiunt illud Matth. 23. 22. *Et vos implete mensuram patrum vestrorum*. Verùm hoc de copioso & efficaci auxilio verum est, de sufficienti falsum: sic enim peccator non esset amplius viator, sed cum damnatis quasi damnatus, vtpote priuatus auxilio necessario ad salutem, sine quo impossibile est eum saluari, & necesse damnari.

Impunitas est ingens flagellum.

Moraliter discе hîc grauem Dei esse punitionem, cùm ipse peccatores non conuertit, nec à peccatis reuocat, sed in iis derelinquit & obdurat, vti obdurauit Pharaonem: tunc enim ruunt in interitum præsentem, & æternum, vti contigit Pharaoni Exodi 7. 3. vide ibi dicta. *Impunitas incuria soboles, insolentia mater, radix impudentiæ, transgressionum nutrix*, ait S. Bernard. libr. 3. de Consid. cap. 5.

EO QVOD TRITVRAVERINT IN PLAVSTRIS FERREIS GALAAD] Quartum & summum hoc est scelus Damasci, ideoque irremissibile quoad vindictam: ob hoc enim Deus Damascum destinauit gladio & excidio Assyriorum. q.d. Damascus tria, id est plurima, scelera perpetrauit: ea dissimulaui, ijsque adhuc pepercissem. Verùm quia quartum addidit, tam crudele & horrendum; hinc vlteriùs non parcam, sed vltor exurgam, in eumq; desæuiam, vti ipse sæuijt in Israelem. Certa ergo eum manet vltio, certum excidium. Nota. Perpetua à tempore Iosuæ fuere bella inter Syros, quorum caput erat Damascus, & Israelitas: tum ob vicinitatem, tum ob disparitatem fidei & morum. Syri ergo sæpè afflixerunt Israelem, dissimulante Deo; sed intoleranda fuit afflictio, qua eos plaustris ferreis triturarunt, quã proinde Deus dissimulare & decoquere non potuit. Hæc afflictio contigit sub Azael rege Syriæ, illamque ei flens prædixit Elisæus, cùm ei regnum promitteret: *Scio*, inquit, *quæ facturus es filiis Israel mala: ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides*, 4. Regum 8. 12. ita que factum esse patet ibid. c. 13. v. 3. *Attriuerat*, inquit, *eos rex Syriæ*. & v. 7. *Interfecerat eos rex Syriæ, & redegerat quasi puluerem in trituram aræ*. Vnde perspicuum est, ait Theod. *quòd Damasceni in aream quamdam mulieres Israelitides proiicientes, rotis ferratis tamquam spicas crudeliter triturabant*.

IN PLAVSTRIS FERREIS] Hebr. חָרִיץ *charuts* significat traham, siue tribulam, qua super segetem circumacta grana ex ea excutiuntur, teruntur & triturantur. vnde & *tribula* à terendo dicta videtur. Radix enim חָרַץ *charats* significat stringere, excutere, concidere, excidere. Hebræi enim triturabant plaustris ferratis & dentatis, quasi tribulis. Hoc, ait S. Hieron. est genus plaustri, quod rotis subter ferreis atque dentatis voluitur, vt excussis frumentis, stipulam in area conterat & comminuat. Vnde Septuag. vertunt, *secuerunt in serris ferreis*; Symmach. *in rotis ferreis*; Tigurina, *in rastris ferreis*, alij, *in carpentis ferratis*; Vatabl. *in tribulis ferreis*.

Aliqui hæc metaphoricè accipiunt, vt hac phrasi tantùm significetur acerbitas afflictionis, qua Azael afflixit Israelitas, vt eos *instar tribulorum frumentum in areis triturantium, iugularet atque contereret*, inquit S. Hieron. & Clarius. Verùm alij passim idipsum propriè accipiunt: tum quia idipsum Azaeli prædixit Elizæus loco citato: tum quia enormis hîc sæuitia significatur, & punitur, tum quia olim victores victos, præsertim infideles, sæuos & barbaros ita mulctabant. Sic Dauid Ammonitas, eò quòd legatos à se missos violassent & subsannassent, *serrauit, & circumegit super eos ferrata carpenta, diuisitq; cultris, & traduxit in typo laterum*, 2. Regum 12. 13.

Moral. discе hîc, quàm crudelitas Deo & hominibus sit exosa, quamque Deus par pari referat, vt crudelis sit in crudeles, imò eos simili quod alijs intulerũt, tormento occumbere cogat: quia crudelitas hæc iustitia est, iustaque vindicta. Hoc de causa hîc per Amos, æque ac per Isaiam c. 14. 29. & sequ. Ieremiam c. 47. & sequ. Ezech. c. 25. & sequ. alios; Prophetas Philisthinis, Idumæis, Tyriis, alijsque gentibus acerrima supplicia intentat, eò quòd sæuierint in Israelem populum Dei. Quocirca Aristoteles ad Alexand. hoc ei dat documentum: *Parcè effunde humanum sanguinem: quia hoc illius est, qui nouit secreta cordium*. Periander Apud Auson.

Multis terribilis caueto multos.

Cassio-

Cassiodor. in psal. 10. *Quid prodest crudelibus persequi, quos vident persecutionibus semper augeri?* Exosa & explosa fuit vxor Hannibalis, ipséque Hannibal, qui inspecta humani sanguinis fossa, pulchrum in ea spectaculum dixerunt. ita Fulgos. li. 9. c. 11. Crudeli Syllæ dixit Q. Catulus, *Cum quibus tandem victuri sumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus?* ita Eutrop in Sylla. Augustus Cæsar audito Herodis infanticidio: *Mallem*, inquit, *Herodis porcus esse quàm filius.* porcos enim non mactabant Iudæi. ita Macrob. li. 2. Saturn. c. 4. Neroniana vox est: *Me mortuo terra misceatur incendio.* ita Dion Nicæus in vita Neronis. Quocirca mater Neronis Agrippina, cùm eius iussu occideretur, Centurioni ferrum stringenti ventrem ostendens, clamabat: *Hunc percute: hic est fervo fodiendus, qui portentum istud genuit.* ita Sueton. in Nerone. Hi sunt Phalarides, Mezentij, Maximini, Timones, Diocletiani. C. Caligula frequenter exclamare solebat: *Vtinam vniuersus populus Rom. vnicam ceruicem haberet*, scilicet ad eam vno ictu amputandam. ita Eutrop. Eiusdem fuit hæc vox: *Mementote mihi omnia in omnes licere.* Vitellius occiso Othone cum suis, dum eius assectæ tabem cadauerum abhorrerent, dixit, *optimè olere occisum hostem, & melius ciuem.* Sed hic tandem religatis post tergum manibus, iniecto ceruicibus laqueo, veste discissa, seminudus in forum tractus inter ludibria, tandē apud scalas Gemonias minutissimis ictibus excarnificatus, confectusque est, indeque vnco in Tiberim tractus. ita Fulgos. li. 9. c. 11. Sic miserè perijt Deo vindice, imò se occidit Nero. Sic & miserè perierunt Caligula, Maximianus, Diocletianus, Hannibal, Herodes. Verè Thales Milesius, rogatus quid difficilè vnquam vidisset, respondit, tyrannū senem. Quocirca Phalaris tyrannus dicere solebat: *Ego qui expertus vtrumque sum, tyrannidi malim subesse quàm praesse. Subditus enim aliorum malorum securus, vnum tyrannum metuit: tyrannus autem & eos qui sorti insidiantur, & illos per quos seruatur.* ita Stobæus serm. 47. Quidam tyrannicidam optans, Bruti statuæ subscripsit: *Vtinā viueres!* quòd operā Bruti Tarquinius ex vrbe pulsus esset. & Cæsaris statuæ hos versus subscripserunt:

Brutus quia reges eiecit, primus consul factus est:
Hic quia consules eiecit, rex postremus factus est.

Nec multò pòst Cæsar à senatoribus viginti tribus vulneribus in curia confossus est. Mithridates vna epistola octoginta millia Romanorum in Asia, per vrbes negotiandi causa dispersa, interemit; tantamque prouinciam iniusto, sed non inulto, sanguine respersit. Nā à Romanis in eas angustias redactus est, vt veneno mortem sibi consciuerit. Quocirca ipse cum maximo cruciatu, veneno repugnantem (ex longo eius vsu) spiritum suum tandem succumbere coëgit. S. Cyprianus tractat. de Oration. Domin. ait, homines superare bestias crudelitate: leones enim pepercerunt Danieli in lacu, in quem eum coniecerunt Medi: & cùm Achab persequeretur Eliam, pauerunt eum corui. 3. Reg. 17. *O humanæ malitiæ*, inquit, *detestanda crudelitas! feræ parcunt, aues pascunt, & homines insidiantur & saeuiunt.* Idem ad Demetrianum sub Decio, & cum Decio ac Valeriano, persecutorem Christianorum: *Innoxios*, ait, *iustos, Deo charos domo priuas, patrimonio spolias, exilijs premis, carcere includis, bestijs, gladio, ignibus punis. Nec saltem contentus es dolorum nostrorum compendio, & simplici ac veloci breuitate pœnarum: admones laniandis corporibus longa tormenta, multiplicas lacerandis visceribus numerosa supplicia; nec feritas, neque immanitas tua visitatis potest contenta esse tormentis: excogitat nouas pœnas ingeniosa crudelitas. Quæ hæc est insatiabilis carnificinæ rabies? quæ inexplebilis libido saeuiendi?* Sed & Decio vices rependit Deus, effecitque vt à Gothis acie victus, fugiens cum equo in paludem inciderit, à qua absorptus numquam postea comparuit. Valerianum verò Sapori Persarum regi captiuum tradidit, qui conscensurus equum eo pro scabello vtebatur. Denique septem illi Machabæi fratres, crudeliter ab Antiocho excruciati & frixi, eidem quasi leones insultarunt, & crudelem æquè necem ei quasi Prophetæ intentarunt, 2. Machab. 7. inter quos minimus natu v. 31. *Tu verò*, ait, *qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei.* Et mox: *Tu autem, ô sceleste, & omnium hominum flagitiosissime, noli extolli vanis spebus, in seruos eius inflammatus: nondum enim omnipotentis Dei, & omnia inspicientis iudicium effugisti: nam fratres mei modico nunc dolore sustentato, sub testamento aternæ vitæ efficti sunt: tu verò iudicio Dei iustas superbiæ tuæ pœnas exsolues.* Verus fuit vates: nam Antiochus paulò pòst acerrimo viscerum dolore, & fœtore intolerabili excruciatus, corrosus à vermibus, blasphemam animam dæmoni exhalauit, 2. Machab. 9.

A

B

C

D

ET MITTAM IGNEM IN DOMVM AZAEL] putà in familiam & posteros Azael. Iam enim Azael mortuus erat, & regnabat filius eius Benadad, de quo sequitur, vt patet 4. Reg. 13. 22. & seq. Ignem intellige, tum propriè dictum; solent enim victores dum vrbes rebelles capiunt & exscindunt, ferro flammaque in eas grassari; tum acres pœnas & efficaces strages, ac excidiū gentis & regni. Hoc enim in Script. per catachresin significat *ignis*, qui omnia depascitur & in cineres redigit. Porrò hæc strages Damasci facta est à Teglathphalasar rege Assyriorum, qui vocatus ab Achaz rege Iuda, presso & penè oppresso à Rasin rege Syriæ, & à Phacee rege Israel, in auxilium, Damascum obsedit, cepit, excidit, Rasin occidit, Damasci ciues transtulit Cyrenem, vt patet 4. Regum 15. 5. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Lyran. Arias & alij. Nominat Azael, quia is vixit, & afflixit Israelem paulò ante tempora Amos, putà sub Ioachas, auo Ieroboam sub quo prophetauit Amos. Porrò Deus non puniuit Damascum & Azaelem statim, sed de more exspectauit, vt posteri implerent mensuram peccatorum à se vindictæ præfinitam, quod factum est tempore Rasin: vnde tunc & filios, & patres in filiis puniuit, & euertit. VERS 4.

ET DEVORABIT DOMOS (palatia) BENADAD] Benadad hic fuit filius Azaelis, 4. Reg. 13. 24. ac proinde diuersus à Benadad, qui pugnauit contra Samariam tempore Achab 3. Reg. 20. 1. Illum enim occidit Azael, eiusque regnum occupauit 4 Reg. 8. 7 & seq. Porrò illo tempore multi reges Syriæ vocati sunt Benadad. Adad enim, siue Adarezer fuit primus rex Syriæ, quem deuicit Dauid 2. Reg. 8. ab hoc successores dicti sunt Benadad, id est filius, vel heres & successor Adad. Iam strages hæc facta est, non sub Benadad filio Azaelis, sed sub nepote eius Rasin, vt iam dixi.

ET

VERS.5. ET CONTERAM VECTEM DAMASCI] *Vectem*, id est portas: hæ enim vectibus obserari solent. Rursum *vectem*, id est robur, vt vertit Chald. (robur enim portarum est in vectibus: hinc vectis typus est roboris) puta duces, milites, arma, animos, munitiones, annonam, quibus quasi vectibus se communierant, & inuictos putabant Damasceni: sed nil horum Deo, per Assyrios oppugnanti eos, resistere valuit, imò omnia ab eo contrita, illicò prolapsa corruerunt.

ET DISPERDAM HABITATOREM DE CAMPO IDOLI] Damascus, eique adiacens planities, vocatur hîc *campus*, isque *idoli*: quia idolis abūdans, ijsque addictissima, inquit S. Hieron. & Theodor. Tigurina & Arias vertūt, *de valle vanitatis*. Talis & fuit Damascus: quæ vanitati dedita, ideoque Deo puniente excisa & euanescens, toti orbi vanitatis speculum dedit. Septuag. & Theodot. retinent vocem Hebræam, vertuntq; *de domo On*; Symmach. & V. editio, *de domo iniquitatis*; Aquila, *de domo inutili*. Eadem Damascus mox vocatur *domus voluptatis*, id est delicijs affluens: in qua sceptrum tenebat rex Rasin, quando ea, illo occiso, ab Assyrijs euersa est. Pro *voluptatis* hebr. est עֵדֶן *eden*: vnde Græcū ἐδὲμ, id est voluptas. Hinc pro *eden* Septuag. vertere solent ἐδὲμ; hoc tamē loco vertunt *Charran*: quia Eden regio, in qua situs erat paradisus terrestris, fuit in Mesopotamia, & locis vicinis, in quibus sunt Charræ vrbs Parthorum, vbi cæsus est Crassus Romanus, vt ostēdi Gen. 2. 8. Porrò Theodor. idipsum sic exponit q.d. Non solùm Damascum, sed & accolas omnes, & eos qui ex Charran eò habitatum cōmigrarunt, captiuos efficiam. Complut. retinent *Eden*, sed corruptè legunt *Adan*; vel, vt Villalpando in c. 27. Ezech. 23. legit, *Adam*; eò quòd Eden fuerit locus Adami: ipse enim à Deo in Eden collocatus est. Hinc & Syrus vertit, *in domo Adon*. Porrò Damasci regio & ditio non longè abest à Mesopotamia, in qua fuit Eden & paradisus terrestris. Rursum ipsa Damascus vrbs & regio amœna est & fertilis: quocirca & ipsa suam habuit Eden vrbem, vel regionem, ad quam hîc alludit Amos. Vnde de hac Damascena Eden loqui Ezechiel. c. 27. 23. & Isaiam c. 37. 12. censet Marinus in Lexico, & alij nōnulli. Alludit ergo Amos ad Eden paradisi, & ad Adam, quem nonnulli à Deo creatum censent in Damasceno agro, ex terra rubea, indeq; dictum Adam. Adam enim, vel Edom, hebr. idem est quod rubeus, vel rufus, de quo dixi Genes. 2. 7. q.d. Sicut Adamum ob peccata expuli ex Eden paradisi, sic Damascenos ob scelera expellam ex sua Eden, id est loco voluptatis. Addunt alij, in Damasco occisum esse Abelem à Cain, indeque nomen accepisse: Damascus enim hebr. idem est quod *sanguinem bibens* (ait S. Hieron in c. 27. Ezech.) scilicet Abelis. ita Sanchez. Sic etiamnū hodie Deus gentes suis regionibus, & priuatos suis ditionibus opulentis, & viridarijs, ac paradisis delicijsis expellit ob eorum crimina, præsertim illis ipsis locis commissa, vti vidimus in Belgio. Denique Arabicus vertit, *& concidam elationem* (fastum) *de virtute* (robore) *eius*.

ET TRANSFERETVR POPVLVS SYRIAE CYRENEM] Duæ vrbes dictæ fuerunt hebr. קִיר *kir*, & latinè Cyrene. Prima fuit in Libya, à qua denominata est regio Cyrenaica, ait S. Hieron. & Strabo lib. 17. de hac ait Lucas Actor. 2. 10. *Et partes Libyæ quæ est circa Cyrenem*. Secunda fuit in Media. Hîc agitur non de prima, vt censuit S. Hieron. Remig & Hugo; sed de secunda. hæc enim Assyrijs erat subiecta & vicina: vnde eò Syros expugnata Damasco transtulerunt Assyrij, 4. Reg. 16. 9. idque disertè asserit Ioseph. dicens li. 9. 13. *Teglathphalasar Damascenos* (à se victos & expugnatos) *in superiorem Mediam deportauit*.

Dicta est Cyrene ab Hebræo, & Chaldæo (lingua enim Assyria & Chaldæa vicinæ sunt, & dialecti dumtaxat linguæ Hebreæ) *kir*, id est paries, murus; quòd egregiè murata & munita esset, quasi arx & propugnaculum regionis. Id ita esse patet ex Isaiæ 16. 7. vbi tertia *kir*, siue Cyrene in Moab, heb. vocatur קִיר חֲרֶשֶׁת *kir chareseth*, id est, habens muros lateritios. Vnde Noster vertit, *muros cocti lateris*. vide ibi dicta. Septuag. pro Cyrene vertunt, Θλιψεως, id est nominatus: *Transferetur*, inquiunt, *populus Syriæ nominatus*: quia hebr. קיר *kir*, id est Cyrenen, acceperūt non vt proprium vrbis, sed vt appellatiuum: rursum *kir* censuerunt idem esse quod קרא *kira* per *aleph*, id est vocatio, nominatio. ita S. Hieron. Verum *kira* est femininum, non masculinum. Melius ergo Noster & alij vertunt vt proprium, *Cyrenen*.

SVPER TRIBVS SCELERIBVS GAZAE] A minis & onere Damasci transit ad minas & onus Gazæ & Philistinorum, ob tria, id est plurima, eorum scelera, & quatuor, id est quartum scilicet, quòd *transtulerint captiuitatem perfectam*, de quo mox. Phrasim hanc iam explicui in onere Damasci v. 3. Porrò Philisthæa quinque habuit vrbes & satrapias, totidem satrapis, siue principibus subiectas. Vrbium nomina sunt, Geth, ex qua natus est Goliath, quem occidit Dauid; Accaron, Azotus, Ascalon & Gaza, quæ Iudæis fuerunt infensissimæ, & perenne cum eis bellum gesserunt. Dicitur *Gaza* hebr. עַזָּה *hazza*, vel *Gaza* (Hebræum enim *ain*, quia gutturale, imò pectorale, solet sæpè verti per g, vt patet in Gomor, Gomorrha, Phegor, in quibus pro g, hebr. est *ain*) id est fortis, à munitione. ita S. Hieron. & alij. Errat ergo Pomponius Mela li. 1. de Situ orbis c. 11. dum ait, huic vrbi inditum esse nomen Persicum, diciq; Gazàm, id est ærarium: gaza enim persicè pecuniam opesque significat; eò quòd Cambyses, inquit, cùm Ægyptum inuaderet & spoliaret, in Gazam belli opes contulerit. Nam tempore Amos, imò Mosis & Abrahæ quæ longè præcesserunt Cambysen, hæc vrbs vocabatur Gaza, vt patet Gen. 10. 19. & Deut. 2. 23. Illud ergo etymon Gazæ quod affert Mela, verum esse potest de Gaza Mediæ (hæc enim Persis erat vicina) de qua Ptolem. lib. 6. c. 2. aut Æthiopiæ de qua Ptolem. li. 4. c. 7. non Palæstinæ, vt ipse habet. Gaza postea dicta est Gazera.

Contra Gazam & Philisthæos prophetat quoque Ieremias cap. 47. eisque excidium per Chaldæos intentat. Vide ibi dicta.

Tropolog. S. Hieron. *Gaza*, inquit, hebr. idem est quod fortitudo, vel imperium. *Edom* est rufus, sanguinarius & terrenus. *Azotus*, vel, vt hebr. *Asdod*, idem est quod ignis vberis, siue patrui. *Ascalon* idem est quod ignis homicida, siue appensa & ponderata. *Accaron* idem est quod στεῖρωσις, id est sterilitas; & ἐκριζωσις, id est eradicatio. Hisce omnibus significantur Iudæi (æquè ac hæretici

qui

qui persecuti sunt fideles. Hi enim dicuntur Gazæi: quia fortitudinẽ scientiæ suæ, & imperium sibi repromittunt. Vocantur Azotus: quia vbera Synagogæ iam non lacte, sed igne sunt plena; & quæ mentitur ignem habere se patrui, eius vniuersa generatio ignibus deputanda est. Vocantur Ascalon: sicut enim ignis Domini saluos faciet eos, quorum corda penetrauerit; sic ignis iste qui de cælo decidit quasi fulgur, qui succendit diaboli sagittas, quoscumq; afflauerit interficiet. Vocantur Accaron: quia steriles sunt & eradicati, iuxta illud Osee 9. *Quid dabis eis? Da eis vuluam sterilem, & vbera arentia.* Vocãtur Geth, id est torcular, scilicet diaboli. Vocantur Philisthiim, id est cadentes populo: cùm enim inebriati fuerint corruent, & in suo vomitu volutabuntur. hucusque S. Hieron. Presbius Rupert. *Gaza*, ait, *sonat fortitudinem, & Iudæorum designat rebellionem aduersus veritatem. Azotus interpretatur ignis veteris, siue patrui; & ardentem in illis significat inuidiam patrũ eorum diaboli, quæ exuberat in eis. Ascalon interpretatur ignis homicida, & homicidialem illorum furorem designat. Accaron, sterilitas, & inopiam illorum, quia fructum spiritus fugiunt, & paleam litteræ sectantur, significat. Philisthiim, potione cadentes, & illorum verè ebriosum hoc nomine intelligimus scandalum, iuxta illud psal. 68. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionẽ, & in scandalum: Obscurentur oculi eorum ne videant*, &c.

EO QVOD TRANSTVLERINT (Gazenses & Philisthæi) CAPTIVITATEM PERFECTAM, id est, plenam & absolutam, ita vt vix vnum Iudæum relinquerint, quem non captiuum abduxerint; VT CONCLVDERENT EAM IN IDVMAEA] Vatabl. *& tradiderint eam ipsi Edom.* q. d. Philisthini omnes penè Iudæos abduxerunt, eosque vendiderunt Idumæis infensissimis Iudæorum hostibus, vt ibi velut æterno carcere clauderentur, sine vllaspe liberationis & libertatis, ibique agerent vitam seruilem & asperam in sordidis, duris & continuis laboribus, seminudi, famelici, afflicti, oppressi. hæc enim est perfecta captiuitas. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. Arias, Ribera, Sanchez & alij. Quando hanc captiuitatem ex Iudæa abduxerint Philisthæi, nec ex Script. nec ex Iosepho liquet. Nam quòd Remigius & Hugo putant, eam contigisse in excidio Samariæ & decem tribuum: alij, in excidio Ierusalem & Iudææ per Chaldæos: alij, tempore Achaz 2. Paral. 28. v. 17. & 18. falluntur. Hæc enim omnia contigerunt post tempora Amos: ipse enim prophetauit sub Ozia, qui fuit auus Achaz: captiuitas autem hæc eius prophetiam antecessit, eratque iam præterita, vti ipse hîc ait. Pro *perfectam* hebr. est שְׁלֵמָה *scelema*, id est perfecta, vt vertunt Noster, Aquila, Symmach. & Theodor. Verùm Septuag alijs punctis legentes שְׁלֹמֹה *scelomo*, vertunt *Salomonis*. Iam captiuitas Salomonis, est captiuitas Iudæorum, qui fuerunt populus & posteri Salomonis: à rege enim tam præclaro & illustri, splendorem & claritatem populi demonstrat, inquit Theodor.

ET MITTAM IGNEM IN MVRVM GAZAE] *Ignem*, id est cladem & stragem; vel etiam ignem propriè dictum. Minatur Gazæ & Philisthinis excidium per Nabuchodonosor. Hic enim Philisthæos vastauit, vt patet Ierem. 25. 20. & c. 47. v. 4. vide dicta illis locis.

9. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Tyri, & super quattuor non conuertam eum: eò quòd concluserint captiuitatem perfectam in Idumæa, & non sint recordati fœderis fratrum.

10. Et mittam ignem in murum Tyri, & deuorabit ædes eius.

11. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Edom, & super quattuor non conuertam eum: eò quòd persecutus sit in gladio fratrem suum, & violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltrà furorem suum, & indignationem suam seruauerit vsque in finem.

12. Mittam ignem in Theman: & deuorabit ædes Bosræ.

13. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus filiorũ Ammon, & super quattuor non conuertam eum: eò quòd dissecuerit prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum.

14. Et succendam ignem in muro Rabba: & deuorabit ædes eius in vlulatu in die belli, & in turbine in die commotionis.

15. Et ibit Melchom in captiuitatem, ipse, & principes eius simul, dicit Dominus.

SVPER TRIBVS SCELERIBVS TYRI. A Philisthæis transit ad Tyrios, eisque præter tria, id est plurima, scelera, idem quartum de Iudæis in captiuitatem abductis obijcit, pœnamq; eamdem subijcit & intentat: NON CONVERTAM EVM] scilicet ad gratiam & veniam. q. d. Non parcam Tyro, sed *mittam ignem* in eam. Eadem scelera, idemque excidium per Chaldæos intentat Tyro Isaias c. 23 Ezechiel c. 27. Ieremias cap. 47. 4. vide dicta illis locis. VERS. 9.

EO QVOD CONCLVSERINT CAPTIVITATEM PERFECTAM IN IDVMAEA] Hebr. לְאֵדוֹם *leedom*, id est *ipsi Edom*. q. d. Quia captiuarunt omnes Iudæos, eosq; vendiderunt Idumæis, qui nati sunt hostes Iudæorum, æquè ac Philisthini; cum quibus alijsque vicinis gentibus conspirarunt in excidium Israelitarũ, iuxta illud psal. 82. *Aduersum te testamentũ disposuerunt tabernacula Idumæorum, & Ismaelitæ, Gebal, & Ammon, & Amalec, & alienigenæ* (Philisthini) *cum habitantibus Tyrum.* ita S. Hieron. Theodor. Lyran. Hugo & alij. Porrò quando hanc captiuitatem intulerint Iudæis Tyrij, ignoratur, vti de Philisthinis dixi v. 6. Albert. & Vatabl. censent eam illis intulisse, quãdo illi fugientes è Iudæa, ob inuasionem Assyriorũ & Chaldæorũ, in Tyrum, quasi in asylum, à Tyrijs capti & venditi sunt Idumæis. Remigius verò & Arias censent, Iudæos mercium causa venientes Tyrum à Tyrijs comprehensos venditosque fuisse. Theodor. autem: *Externi*, inquit, *Iudæ tribui vicini, continenter cum hac bellum gerentes, quos capiebant non aliùs quàm Idumæis vendebant, qui illorum inimici, & maximi hostes erant.*

ET NON SINT RECORDATI FOEDERIS FRATRVM] quod scilicet Hiram rex Tyri pepigit cum Salomone rege Iudæorum: illud enim tan-

tum

tum tamque arctum fuit, vt se inuicem fratres nominarent, vt pater 3. Reg. c. 5. & 9. ita S. Hieron. Theodor. Hugo. & Lyran.

Aliter Vatabl. *fœderis fratrum*, id est, quod debuerat esse inter fratres, putà inter Iacob & Esau, eorumque posteros Israelitas & Idumæos. q.d. Tyrij inter fratres excitarunt odia, nimirum Idumæos concitarunt contra Iudæos, dum eis Iudæos quasi seruos vendiderunt. Hoc scelus est ingens, mihique displicens; ideoque excidio Tyri illud puniam & vindicabo.

VERS. 10. MITTAM IGNEM IN MVRVM TYRI] *Ignis* synecdochicè, vel catachresticè quamuis pœnam, stragem & calamitatem significat, vt dixi v. 4. Hæc vastatio Tyri facta est per Nabuchodonosorem, qui post tredecim annorum obsidionem, eam expugnauit & vastauit, vti docet Ezechiel c. 29. 18. & Ieremias c. 27. 3. & c. 47. 4. vide ibi dicta. ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. & alij passim.

VERS. 11. SVPER TRIBVS SCELERIBVS EDOM] A Tyrijs transit ad Idumæos, idemque scelus persecutionis Iudæorum in ijs culpat & plectit. Cœpit enim hoc dissidium ab ipso Esau, qui ob erepta sibi primogenita à Iacobo, eum internecino odio persecutus est: vnde factum, vt odium fratrum seruaretur in posteris, ait S. Hieron. nam illud cum semine propagarunt, non tam ipse, quàm nepotes eius in posteros: quod tam acre & continuum fuit, vt psal. 136. 7. Numer. 20. 18. & alibi, acerbè de eo querantur Prophetæ. Porrò, quàm hoc scelus Deo displicuerit, declarat hîc ipse dicens: *Quòd persecutus sit in gladio fratrem suum* (alludit ad Gen. 24. 41. & magis ad Num. 20. 18. vbi Idumæi armati Israelitas ex Ægypto tendentes in Chanaan, transitu prohibuerunt) *& violauerit misericordiam eius;* Tigurina, *corrupit viscera miserationis suæ*, quibus scilicet debebat fratrem suum prosequi, eiusque afflicti misereri. Septuag. *quòd violauerit μήτρων*, id est *matricem*, siue vuluam matris (Hebr. enim רחם *rechem*, & vuluam, & misericordiam significat, ait S. Hieron.) *in terris*. Iacob enim & Esau fuerunt gemini, & ex eadem Rebeccæ matrice eodem tempore prodierunt: vnde inter se diffidentes, videntur vuluam matris, ipsamque matrem violasse & laceràsse. Quocirca Romana editio Septuag. habet, *quòd violauerit μητέρα*, id est *matrem*; & Symmachus, *quòd violauerit viscera propria, vt obtuisceretur germanitatis, & obduraret viscera misericordiæ, fratremq; se esse nesciret, & contemneret vuluam Rebeccæ, quæ vno partu geminos edidisset infantes*, ait S. Hieron. Et mox tropologicè Idumæos, id est terrenos & sanguinarios, ait esse Iudæos, qui persecuti sunt fratres, id est Christum, Apostolos & Christianos. *Hi enim violauerunt misericordiam ac iura naturæ, oblitiq; sunt matris suæ Rebeccæ, quæ interpretatur patientia, & simul eos genera uit in Christo, & dummodo nos interficiant, volunt igne comburi.* Denique Arabicus vertit, *& esurire fecerunt anxios in terra eorum, & furtim rapuerunt testimonium debitum animis eorum.*

Moral. de fratrum discordia.

Moral. Nota hic, quàm displiceat Deo fratrum discordia, lites & bella, quamque seuerè illa puniat & vindicet. Arctissima enim in fratribus sanguinis coniunctio, iure naturæ, diuino & humano, summam postulat concordiam & amorem. *Frater* enim dicitur, quasi *ferè alter*, ait Gellius lib. 13. & Cicero lib. 3. epist. 7. *Fratris*, ait, *officium est, erga fratrem ceu ferè alterum affici.* Hinc Sallustius in Iugurtha: *Quis*, ait, *amicior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum inuenies, si tam hostis fueris?* Quocirca Antisthenes, *fratres concordes* dicebat *omni pariete esse fortiores.* ita Laërt. lib. 6. c. 1. Et Sapiens Prouer. 18. 19. *Frater*, inquit, *qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Cain fratrem Abel occidens, à Deo maledictus, tremulus, vagus fuit & profugus, Gen. 4. 14. Et Ismael, quia persecutus est fratrem Isaac, iussu Dei ab Abrahamo domo pulsus, & exheredatus est. *Ismael*, ait S. August. lib. 1. de Vnico baptismo, & habetur dist. 56. can. *Ismael, vt separaretur à populo Dei, non obfuit mater ancilla, Agar; sed fraterna discordia.* Pygmalion rex Tyri, quia Sichæum patruelem occidit, vt eius opibus potiretur, obiit probrum, de quo Virgil. 1. Æneid.

Pygmalion scelere ante alios immanior omnes,
Quos inter medius venit furor. Ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore,
Clàm ferro incautum superat.

Romulus Remum fratrem occidit, itaque, vt ait Lucan. 1 Pharsal.

Fraterno primùm maduerunt sanguine muri.

Quocirca Horat. Epod. 7.

Acerba, ait, *fata Romanos agunt,*
Scelusq; fraternæ necis,
Vt immerentis fluxit in terram Remi,
Sacer nepotibus cruor.

Antiochus Epiphanes Demetrium, fratris Seleuci filium, regno paterno exclusit: hinc inter vtriusque posteros, continua per ducentos annos fuerunt bella, altero alterum vicissim obtruncante, & pro eo regnante. Audi Plutarch. tract. de Fraterno amore: *Antiochi, Seleuci, Gryphi, Cyziceni, cùm non didicissent secundo à fratribus esse loco, sed purpuras ac diademata appeterent, seipsos inuicem, ipsamq; adeò Graciam multis calamitatibus oppleuerunt.*

Iugurtha rex Numidarum, perfidè fratres regno spoliauit, ideoque à Mario Consule cæsus, captusque, Romæ in carcere necatus est, vt patet ex Sallustio in Bello Iugurthino.

Verè Petrarcha Dial. 83. *Vt fermè nullus amor æquior fraterno, sic nullum, vbi inceperit, iniquius odium, nulla acrior inuidia. Sic paritas incitat animos, atque incendit, cùm cedendi pudor, & amor excellentiæ ardentior, quo incunabulorum recordatio, & quæcumque beneuolentiam paritura viderentur, vbi semel à recto calle deflexum est, odium & contemptum parunt.* Et Aristot. lib. 7. Polit. 7. *Fratrum contentiones & iræ sunt acerbissimæ, & qui se nimiùm amant, hi se nimiùm oderunt.* Caracalla Imp. occidit fratrem Getam: ad mitigandam inuidiam parricidij, suasit ei Bassianus præfectus, vt fratrem Getam appellaret diuum: *Sit*, inquit, *diuus, dum non sit viuus.* & sic fratrem in diuos retulit. *Ita regnandi cupiditas nescit iura pietatis*, inquit Spartian. Quocirca Deo vindice pari modo à Martiali Tribuno Caracalla obtruncatus est, cùm paulò antè ei in somnis apparuisset pater cum gladio, dicens: *Vt tu fratrem tuum interfeciſti, ita ego te interficiam.* ita Dion Cassius lt. 78 Histor. Romanæ.

Ex aduerso amor fraternus, Dei & hominum gratiam conciliat. Cyrus apud Xenophont. li. 8. *Qui*, inquit, *ex eodem semine sunt orti, & nutriti ab eadem matre, & in eadem domo adoleuerunt, ab inuicem*

eisdem parentibus amati, eamdem matrem, eumdémque patrem appellant; quomodo hi non sint omnium inter se coniunctissimi? Tales inter Ethnicos fuere Agamemnon & Menelaus, Eumenes & Attalus, Ariamenes & Xerxes, Craterus & Antigonus, Cassander & Pirilaus, Castor & Pollux, ait Plutarch. loco citato. *Dulcior*, ait S. Chrysost. *ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat.*

Hierocles libr. de Fraterno amore: *Sicut oculi*, inquit, *manúsque, si animæ & mentis per se compotes fierent, reliquas partes omni studio curarent, propter intercedentem ipsis communionem; quoniam ne ipsæ quidem functionem suam rectè administrare possunt citra præsentiam aliarum partium; ita nobis etiam qui homines sumus, & animam nos habere fatemur, omnibus viribus annitendum est, vt fratribus decenter vtamur. Magis enim quàm partes corporis, ad auxilium mutuum fratres compositi esse videntur.* q.d. Fratres quodammodo corporis tui partes sunt, sicut oculi tui pedes, manus, &c. eos ergo dilige & iuua, vti pes iuuat manum, manus pedem. Intaphernis vxor Dario permittente vt vnum ex suis eligeret, cuius vitam sibi deposceret, fratrem elegit. Rege admirante, & causam scisciante: *Alium*, inquit, *maritum, alij liberi, si Deus volet, possunt contingere; alium fratrem parentibus vita functis, non est quòd sperem.* ita Plutarch. loco citato, qui & addit: *Sicut*, inquit, *minores numeri additi maioribus, eos multiplicant, & vicissim multiplicantur ipsi: sic frater obsequens fratri euecto ad honores, auget illius dignitatem, & vicissim ornatur illius splendore.*

Porrò Iosephi Abbas apud Cassian. collat. 16. c. 6. Fraterni, ait, amoris primum fundamentum est, superbiam mundi contemptui habere: iniustum enim est, vt supellex vilissima pretiosissimæ rei, putà dilectioni fratris, præferatur. Secundum, vt vnusquisque suas resecet voluntates, ne se sapientem & consultum esse iudicans, suis malit, quàm fratris definitionibus obedire. Tertium, vt sciat omnia, etiam quæ vtilia ac necessaria æstimat, postponenda bono charitatis & pacis. Quartum, vt credat nec iustis, nec iniustis de causis penitus irascendum. Quintum, vt aduersus se iracundiam fratris, etiam sine ratione conceptam, eo modo quo suam, curare desideret, sciens æqualiter sibi perniciosam esse alterius tristitiam, ac si aduersus alium ipse moueatur, nisi eam quantum in se est, de fratris etiam mente depulerit. Ita Pimenius Abbas in Vitis Patr. libr. 7. cap. 42. iussit fratribus, vt idolum lacesserent iniurijs: cumque idolum nulla iniuria moueretur, ait: *Fratres ecce septem sumus: si vultu ergo pariter manere, vt lucrum animæ faciamus; sit idolum istud nobis in exemplum, ne, quando iniuriatur aliquis, irascatur; ne, quando ab eo venia petitur, glorietur aut extollatur. quòd si non pavultu, vnusquisque vadat quò vult.* Præclarè S. Hieron. lib. 1. in Thren. c. 3. *Ille verè & non ex parte perfectus est, qui & in eremo squalorem solitudinis, & in cœnobio similitudines fratrum æquali magnanimitate sustentat.* Fratrum ergo & sororum concordia suauissimum edit concentum in auribus Dei & hominum, adeoque sorores concordes sunt quasi Musæ. Nam ob beneuolentiam & amorem sororium, Musæ quasi ὁμοῦ θεαι, id est, simul semper degentes, nuncupantur, ait Plutarc. loco citato.

Tales Musæ diuini consensus & concentus fuerunt SS. Fides, Spes & Charitas, tres filiæ S. Sophiæ: quæ tam sanguine, quàm sanctitate ac martyrio sorores, sicut in vita dilexerunt se, ita & in morte non sunt separatæ, quam glorioſam pro Christo obierunt die prima Augusti. Tales SS. Ruffina & Secũda die 10. Iulij: tales SS. Nymphodora, Menodora & Metrodora sorores, virgines & Martyres sub Maximiano 10. Septẽbris: tales S. Tarsilla & Æmiliana materteræ S. Gregorij, de quibus ipse homil. 28 in Euang. Tales S. Pulcheria, Placilla, Arcadia & Marina, sorores Theodosij Imp. quas S. Pulcheria in aula quasi in cœnobio educauit, secumque virginitatem Deo consecrare docuit. ita Cedrenus, Zonaras & alij, atque ex his noster Raderus in aula Theodosij; vt meritò Patres omnes in Conc. Chalcedonensi, Pulcheriæ iam Augustæ, vno ore acclamarint: *Noua Helena, munimen orthodoxorum, & gloria Ecclesiarum!* Tales Musæ & Musici cælestes, fuere S. Iohannes & Paulus sub Iuliano Apostata, quos eadem fides & passio verè fecit esse germanos: tales S. Basilius & S. Gregorius Nyssenus: tales S. Gregorius Thaumaturgus & Athenagoras: tales S. Gregorius Nazianzenus & Cæsarius cum S. Gorgonia: tales septem fratres Machabæi 2. Machab. 7. tales septem filij S. Felicitatis, & totidem S. Symphorosæ, quos ardens charitas & in vita & in morte coniunxit, ac simul omnes eadem martyrij laurea decorauit: tales Godefridus Bullonius & Balduinus eius frater, qui coniunctis animis & armis terram sanctam recuperarunt, primique Hierosolymæ reges coronati sunt: tales Iudas, Ionathas & Simon Machabæi, qui conspirantes, paucis copijs, sed vnitis, numerosos Antiochi exercitus profligarunt. Funiculus triplex difficilè rumpitur. Nota est Sciluri historia.

ET TENVERIT VLTRA FVROREM SVVM] Hebr. יִטְרוֹף *iitroph*, id est *& rapuerit*, id est, instar animalis rapacis sæuierit, ait Vatabl. Septuag. vertunt, *& rapuit in testimonium horrorem suum, & impetum suum custodiuit in victoriam*, id est, vt S. Hieron legit, *in æternum*, Hebr. enim לָנֶצַח *lanetsach*, id est *in victoriam*, idem est quod *in finem*, vt patet in inscriptione psalm. 4. 5. 6. 8. Complut. legunt εἰς νεῖκος, id est *in contentionem*, pro εἰς νίκην, id est *in victoriam*. Rursum pro לָעַד *laad*, id est, *vltrà* vel *in sæcula*, vt vertit Syrus; vel *in æternum*; Septuag & Arabicus legerunt לָעֵד *laed*, id est *in testimonium*. Noster optimè *iitroph* vertit, *tenuerit*: quia rapere vltra furorem suum, Hebræis idem est, quod eum seruare & retinere, nimirum ex furore rapere, sæuire & lacerare prædam, vel hostem: vel rapere furorem vltra metas humanitatis, & inhumaniter sæuire. Vnde Marinus in Lexico vertit, *eò quòd lacerarit in æternum furorem suo*. Denique Hebr. אַפּוֹ *appo*, & furorem, vt vertit Noster, & horrorem, vt vertũt Septuag. significat: atque עֶבְרָה *ebra*, tam indignationem, vt vertit Noster, quàm impetum, vt vertunt Septuag. denotat. ita S. Hieron.

MITTAM IGNEM] per Chaldæos & Nabuchodonosorem, vt patet Ierem. cap. 25. 27. & Ezech. 27. VERS. 12.

THEMAN] Vrbs est & regio Idumææ, cuius rex fuit Eliphaz amicus Iob, qui inde dictus est Themanites. distat à Petra vrbe Arabiæ quinque millibus passuum. In hac vrbe viguit studium sapientiæ, vt patet Baruch 3.22. Tempore S. Hieronymi villa erat. Ita ipse in Locis Hebr. Borchardus, Bredemb. & alij in Descript. terræ sanctæ.

BOSRA] Vrbs est in Idumæa, non longè à Theman, ita dicta à firmissima munitione, vel arce. *Bosra* enim hebr. idem est quod munita. Est alia Bosra in Arabia, & tertia in Moab. Est synecdoche: à parte enim præciput a, totam Idumæam intelligit.

VERS. 13. SVPER TRIBVS SCELERIBVS FILIORVM AMMON] Ab Idumæis transit ad Ammonitas, eodem stylo & censura. Ammon fuit filius Lot nothus ex eius incestu cum filia: inde prognati dicti sunt filij Ammon, vel Ammonitæ: habitarunt in Arabia: metropolis eorum erat Rabba, quæ postea dicta est Philadelphia. ita S. Hieron. & Theodor.

EO QVOD DISSECVERIT PRÆGNANTES (Syrus & Arabicus, *ventres prægnantium*; Arabicus verò Antiochen. *quia serris ferreis secabant prægnantes*) GALAAD] Ne scilicet ex matribus grauidis filij nascerentur, qui terram occuparent; sed heredibus & incolis deficientibus, ipsi terram eorum inuaderent & occuparent. Vnde sequitur: *Ad dilatandum terminos suos.* Idem auaritiæ crimen, & cupidinem dilatandi suos terminos, obijcit Ammonitis Ieremias c. 49.1. *Numquid*, ait, *non filij sunt Israel, aut heres non est ei? cur igitur hereditate possedit rex eorum Gad, & populus eius in vrbibus eius habitauit?* ita Theodor. Remig. Hugo, & Lyran. ac S. Hieron. qui censet Ammonitas dissecuisse prægnantes Israel eo tempore, quo regnabat Saul, cùm scilicet Naas res Ammon vastauit Iabes Galaad, 1. Reg. 11. licèt ibi dissectionis prægnantiũ non fiat mentio. Nota. Pro *prægnantes*, hebr. est הָרוֹת *harot*: quod si ab הָרָה *hara*, id est concepit, deducas, significat *prægnantes*; si ab הָר *har*, id est mons, significat *montes*. Vnde Arias, Vatabl. & Pagnin. vertunt, *eò quòd dissecuerunt montes Galaad*, vt scilicet ditionem tramontanam Galaaditarum suæ coniungerent: verùm Septuag. Chald. Noster, Tigurina & alij iam citati, vertunt, *prægnantes*. Hoc enim est quartum enorme scelus, ob quod Ammonitæ à Deo excidio destinantur. Diuidere autem montes non est enorme scelus; sed diuidere, siue secare prægnantes, vt fecit Azael rex Syriæ Israelitis grauidis, 4. Reg. 15. 16.

Symbol. Villalpando in Ezech. 24.14. Prægnantes, ait, vocantur ciuitates munitæ & populosæ: has enim meritò prægnantibus compares, vtpote populis plenas.

Secare prægnantes Galaad mysticè quid?

Tropolog. S. Gregor. 3. p. Pastor. c. 25. *Galaad*, inquit, *id est, aceruus testimonij, est Ecclesia, quæ ore cunctorum fidelium de Deo quæ vera sunt testatur. Prægnantes autem Galaad vocantur animæ, quæ intellectum verbi ex diutno amore concipiunt, & si ad perfectum tempus venant, conceptam animæ intelligentiam, boni operis ostensione parturæ sunt. Terminum verò suum dilatare, est opinionis suæ nomen extendere. Secuerunt ergo prægnantes Galaad, ad dilatandum terminum suum: quia nimirum hæretici mentes fidelium, quæ iam aliquid de veritatis intellectu conceperant, peruersa prædicatione perimunt, & scientiæ sibi nomen extendunt: paruulorum quippe corda iam de verbi conceptione grauida, erroris gladio scindunt, & quasi doctrinæ sibi nomen faciunt.* Sic & S. Hieronymus: *Prægnantes*, ait, *sunt animæ credentium, quæ in principio fidei possunt dicere: A timore tuo Domine concepimus, & parturiuimus*, &c. Notent hæc illi, qui pusillos scandalizant, atque eos qui parturiunt meliorem vitam, seducunt, & partum spiritualem impediunt. Hi enim sunt homicidæ, non corporum, sed animarum, ac vt tales horrendè à Deo punientur, qui hanc animarum à se creatarum & redemptarum ruinam ita sentit, sicut sentit mater dolorem, cùm eius disrumpuntur viscera, vt fœtus tradatur lacerandus canibus. Ipse enim de suis ait: *Qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vbera.* Isaiæ 46.3.

IN VLVLATV IN DIE BELLI. Vlulatum tum tubarum, tum militum confligentium, ac victorum & occisorum, æquè ac vincentium intelligo. Hinc Tigurina vertit, *in clasico in die belli*; Vatabl. *in vociferatione*, quæ scilicet fit sub conflictum. ET IN TVRBINE] Tigur. *in tempestate*, id est, in valido impetu, in horribili incursu hostium. Hunc enim comparat turbini, qui rapit & ventilat paleas, æquè ac hostes hi ventilaturi erant Ammonitas. Hostes hi fuere Chaldæi, vt patet Ezech. 21.20. Ierem. 27.6. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo & alij. Postea rursum vastati sunt Ammonitæ sub Antiocho, à Iuda Machabæo, 1. Machab. 5.6.

Vbi Nota ex Iosepho. Nabuchodonosor anno 28. regni sui, qui fuit vndecimus Sedeciæ regis Iuda, cepit & vastauit Ierusalé: deinde quinto anno pòst, putà anno regni sui 23. vastauit Ammonitas, Moabitas, Idumæos, cœpitque obsidere Tyrum, quam post 13. annos expugnauit, anno regni sui 35. vti ostendi Daniel. c. 2. initio.

ET IBIT MELCHOM IN CAPTIVITATEM] Melchom, siue Melech, vel Moloch, erat idolum Ammonitarum, speciem habens regis, putà Iouis. Vnde *Melchom* hebr. idem est quod *rex eorum*, vt vertit Chald. & Vatabl. Quis fuerit Melchom, an Iupiter, an Saturnus, dixi Leuit. 18.21. Septuag. in Vaticano, & apud S. Hieron. habent: *ibunt reges eorum in captiuitatem, principes eorum, & sacerdotes eorum simul.* Hæc de litera: nunc tropologiam totius capitis accipe.

Per hasce septem gentes, quæ persecutæ sunt Iudam, id est, animam & populum fidelem, significantur septem vitia capitalia, putà Primò, per Damascum (quæ hebr. idem est quod sanguinis saccus, vel sanguinem potans) gula & gulosi, qui totiin carne & sanguine volutantur. Secundò per Gazam, auaritia & auari, quorum totum robur est in gaza, id est in auro & argento. Idem significat *Ascalon*, id est, vt vertit S. Hieron. in Nomin. Hebr. in Acta, *ignis insanus*, vel corrige, *ignis infamis*, עֻנ esç enim est *ignis*, עֻנ *calon* est *infamia*. Idem significat *Accaron*, id est *sterilitas* (hanc enim parit auaritia) vel *eradicatio* (malè in S. Hier. in Nom. Hebr. in Iosue legitur *eruditio*) *tristitia*, ait S. Hieron. hîc. Tertiò, per Tyrũ, superbia & superbi: Tyrus enim superbus mari eminebat quasi arx. Quartò, per Edõ, id est sangu-

sanguinarium, ira & iracundi, qui in verba, verbera & cædes prorumpunt. Quintò, per Ammon, libido & libidinosi: Ammon enim ex incestu Lot cum filia natus est. Sextò, per Moab, de quo cap. sequenti v. 1. inuidia & inuidi: Moab enim idem est quod *de patre*: quia ipse patris sui ex filia fuit filius, simul & nepos; ac consequenter Lot ei fuit tam auus, quàm pater. Sic inuidi fratres excludunt, eorumque locum, opes & nomen sibi arrogant, perinde ac nepotes non rarò excludunt patruos, imò fratres & parentes suos ab auita hereditate. Septimò, Israel sunt acedia & acedi, qui ex pigritia ad paupertatem redacti, vendunt pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis, vti de ijs dicetur cap. 2. v. 6.

Cuiusque horum quatuor scelera sunt, quatuor gradus vitij cuiusque: scilicet Primus est, peccatum voluntatis; Secundus, operationis; Tertius, consuetudinis; Quartus, gloriationis, vti dixi vers. 3. ex S. Hieron. & Ruperto. Hosce omnes Deus disperdet in die iudicij, mittetque in ignem gehennæ, eò quòd pios persecuti sint, & fœdus fratrum ruperint, suscitando bellum inter carnem & spiritum, imò faciendo vt caro incarceraret & opprimeret spiritum, cui quasi frater, imò quasi seruus obsequi & seruire debuerat.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ob tria & quatuor scelera Moab v. 1. & Iudæ v. 4. & Israelis v. 6. cladem & excidium intentat, ac deinceps Israeli pergit exprobrare ingratitudinem, eò quòd cùm Chananæam, expulsis Chananæis, dono à Deo acceperit, insuper Prophetas & Nazaræos; ijs tamen ingratè contra Deum, Deiq; iussum abusus sit. Vnde minans subdit v. 13. Ecce ego stridebo subter vos, *&c.*

Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Moab, & super quattuor non conuertam eum: eò quòd incenderit ossa regis Idumææ vsque ad cinerem.

2. Et mittam ignem in Moab, & deuorabit ædes Carioth: & morietur in sonitu Moab, in clangore tubæ.

3. Et disperdam iudicem de medio eius, & omnes principes eius interficiam cum eo, dicit Dominus.

4. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Iuda, & super quattuor non conuertam eũ, eò quòd abiecerit legem Domini, & mandata eius non custodierit: deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierant patres eorum.

5. Et mittam ignem in Iuda, & deuorabit ædes Ierusalem.

SVPER TRIBVS SCELERIBVS MOAB] Cap. 1. quatuor gentium quatuor scelera arguit, eisque punitionem meritam intentauit; nunc hoc capite tres alias gentes subnectit, putà Moab, Israel & Iuda, isque singulis eodem schemate totidem scelera obijcit, & similem pœnam comminatur.

EO QVOD INCENDERIT (Moab) OSSA REGIS IDVMAEAE] R. Dauid, Clarius, & Arias censent, hunc regem fuisse filium regis Idumææ, qui à Mesa rege Moab in conflictu captus eo tempore, quo Mesa pugnabat contra Iosaphat regem Iuda, & contra regem Edom regemque Israel; quem tandem Mesa à tribus hisce regibus obsessus, & ad extrema redactus, ex ira & desperatione mactauit & obtulit dijs suis, eumque quasi catharma & piaculũ cum ossibus concremauit, & in cineres redegit in conspectu patris vrbem obsidentis: quo facto pater, putà rex Edom, indignans regi Israel, quòd eum ad hoc bellum excitasset, quo in conspectu suo filius mactabatur & cremabatur, fœdus abrupit, & domum redijt. idque censent significari illis verbis 4. Reg. 3. 27. *Accipiensq;* (rex Moab) *filium suum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocaustum super murum.* vbi בנו *filium suum*, exponunt *filium eius*, scilicet regis Edom: Hebr. enim *vau*, quæ est nota pronominis affixi, tam eum, quàm suum significat. Verùm Septuag. Chald. Hebræi, S. Hieron. Ruffin. Rupert. Lyran. Abulensis, Burgensis, Caietan. Vatab. Pagnin. quin & Philo Biblius, vetus Phœnicum historicus apud Euseb. l. 4. Præpar. Euangel. ac Iosephus l. 9. Antiq. cap. 3. tradunt regem Moab 4. Reg. 3. immolasse filium suum, id est proprium, non alienum, putà regis Edom. Cur id fecerit, varias causas afferunt Abulens. 4. Reg. 3. & Perer. tom. 3. in Genes. cap. 22. num. 98. Melius ergo Hebræi, S. Hieron. Ruffinus, Remigius, Albert. Hugo, Lyran. & Pererius loco iam citato, Ribera & à Castro censent, hunc fuisse ipsummet regem Idumææ, qui cũ Iosaphat & Ioram pugnauit contra Moabitas, eosque obsidens in tantam desperationem coëgit, vt rex Moab filium proprium dijs suis immolaret, vt eorum opem in tanta necessitate imploraret & impetraret. Quocirca Moabitas tanto in regem Idumææ odio exarsisse, vt eius postea mortui & sepulti ossa effoderint, cremarint & redegerint in cineres. Addunt aliqui, Moabitas ex his cineribus calcem feciſſe, eaque domos suas obliniuisse, vt perenne odium in regem Edom testarentur. Vnde Chald. vertit, *eò quòd combusserit ossa regis Idumææ, & oblinerit eis quasi calce domum suam.* Et Hebr. לשיד *lasid*, tam *in calcem*, quàm *in cineres*, verti potest. Vnde & Syrus vertit, *eò quòd incenderit ossa regis Idumææ vsque ad calcem*, vel *cinerem*. Quo præcisè tempore & anno id fecerint Moabitæ, non narrat Scriptura, nec Iosephus: sufficit ex hoc loco Amos constare, id contigisse, & tempore Amos fuisse rem

rem omnibus notam & celebrem : erant enim crebra bella inter regem Moab & Edom, ob viciniam & confinia : & in aliquo horum victor Moab hanc iniuriam & ignominiam intulit regi Edom.

Porrò minatur hîc Deus, se Moabitarum odia, & crudelitatem in ossa regis Edom exercitam puniturum, vt ostendat se non tantùm Iudæorum, sed & aliarum gentium esse Deũ creatorem, prouisorem & vindicem, vt quasi talis ab omnibus agnoscatur, timeatur & colatur. Porrò inhumanum est & probrosum valdè exhumare mortuos, & illorũ insultare cineribus : tum quia honor sepulchri sunt vltima iusta naturæ, quæ defunctis decreuit viuorum pietas apud omnes penè gentes : tum quia hoc est cum mortuis dimicare, & eos rursus quasi interficere : tum quia B animæ fit iniuria cùm eius corpus inhonoratur. Vnde Gentiles sepulchra dicabant & sæpè inscribebant *Dijs manibus*. Hinc pessimè apud omnes audiuit Cambyses, teste Herodoto l. 3. qui Amasis regis Ægypti iam defuncti effodit cadauer, illudque flagris cædi, vellicari, & stimulis pungi iussit. Crudelis Sylla C. Marij ossa effossa dispersit; quod ne sibi iure talionis fieret, iussit se post mortem cremari. Idem eamdem ob causam secuti sunt Romani, vt docet Plinius l. 7. cap. 54. Quin & Scythæ cætera despicientes, cùm Darius eis metum vel inertiam exprobraret, quòd bellum declinarent, responderunt ipsum cognituũ animos & vires Scytharum, cùm ad parentum suorum sepulchra venissent : pro ijs enim se vsq; ad mortem præliaturos ita Valer. l. 5. c. 4. Hac de causa Deus impio Ieroboam, alijsq; regibus Israel idololatris, quasi pœnam extremam minatur, quòd ossa eorum sepulchris eruta proijcienda sint canibus, Ierem. 8. 1. & Baruch 2. 24. C

Hinc moraliter discе, quantum nefas sit mortuorum famam lacerare : fama enim pluris est quàm ossa : ossa laniant canes, famam detractores : canini ergo sunt, & crudeliores canibus. ita Sanchez.

VERS. 2. MITTAM IGNEM IN MOAB] per Nabuchodonosorem, qui quasi flagellum gentium omnium in manu Dei, quinto anno post excisam Hierosolymam percussit & vastauit tam Moabitas, quàm Ammonitas, teste Iosepho l. 10. Antiq. cap. 11.

ET DEVORABIT ÆDES CARIOTH] Aliqui *Carioth* accipiunt vt nomen, non proprium, sed appellatiuum, vertuntque, *vrbes*. קריות *kiria* enim in singulari est vrbs : inde *carioth* in plurali vocãtur vrbes. Vnde Septuag. vertunt, *fundamenta vrbium suarum disperdet* sic & Chaldæus. D

Melius Noster, Tigurina & alij, *Carioth* accipiunt vt nomen proprium vrbis & metropolis Moab. Sic enim accipit Ieremias c. 48. 21. Fortè vrbs hæc ab amplitudine dicta est *Carioth*, eò quòd vrbes plures in se complecteretur, vti Praga, Cracouia, Leodium, Parisij, tres imò plures vrbes in se continent.

ET MORIETVR IN SONITV MOAB] Tigurina, *in fremitu*. q.d. In strepitu horrisono expugnationis vrbis Carioth, & cæterarum Moabitidarum occidentur & morientur Moabitæ. ita Vatabl. vnde explicans addit : *In clangore tubæ*. q.d. Tubis clangentibus, armis personantibus, & hostibus vociferantibus cædentur A Moabitæ, magno terrore & horrore.

SVPER TRIBVS SCELERIBVS IVDA] A Gentibus Vt transit ad Iudam (id est, ad duas tribus, Iudam & Beniamin) qui gentium idololatriam & scelera imitatus est, imò superauit, ideoq; ei excidium per eumdem Nabuchodonosorem & Chaldæos comminatur.

Tropol. S. Hieron. *Auarus*, inquit, *aurum, gulosus ventrem, libidinosus penem & Beelphegor colit : lasciua mulier, quæ cùm sit in delicijs, mortua est, adora venereas voluptates*. Hæc sunt idola Iudæ, id est, fidelium & Christianorum.

6. Hæc dicit Dominus : Super tribus sceleribus Israel, & super quattuor non conuertam eum : pro eo quod vendiderit pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis.

7. Qui conterunt super puluerem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant : & filius ac pater eius ierunt ad puellam, vt violarent nomen sanctum meum.

8. Et super vestimentis pignoratis accubuerunt iuxta omne altare : & vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.

SVPER TRIBVS SCELERIBVS ISRAEL] A Iuda Vt transit ad Israel, id est, ad decem reliquas tribus, quarum caput erat Samaria, easq; pariter arguit & plectit ob tria, id est multa scelera, & ob quatuor, id est quartum, quod est crudelitas & oppressio pauperum, nimirum, *eò quòd venundederint pro argento iustum & pauperem*.

R. Samuel Marochianus tractat de Aduentu Messiæ cap. 6. & ex eo Galatin. l. 4 cap. 24. & Adrianus Finus lib. 6. Flagelli Iudæorum cap. 47. censent quartum scelus fuisse, quòd Christum, qui iustus fuit per excellentiam & antonomasiam, vendiderint triginta argenteis. Primum, inquiunt, scelus fuit, quòd vendiderint Ioseph, Genes. 37. 28. propter quod puniti sunt captiuitate Ægyptiaca. Secundum, quòd Dauidem, & in eo Christum spreuerint, dicentes : *Non est nobis pars in Dauid* : atque adorauerint vitulos aureos, propter quod puniti sunt captiuitate Assyriaca. Tertium, quòd filios suos immolarint Moloch & idolis, ac Prophetas eos arguentes occiderint, propter quod puniti sunt captiuitate Babylonica. Quartum, quòd Christũ vendiderint & occiderint, propter quod planè excisi, & desolatione semper duratura vastati sunt à Tito & Romanis. Verùm obstat, quòd Christus nõ ab Israele, vtpote iam abducto in Assyriam, sed à Iuda venditus, & occisus sit. quocirca potius Iudæ, quàm Israeli hoc scelus ascribendum fuisset. Adde, quòd tempore Christi nec Iudæi, nec Israelitæ coluerunt idola, quæ hîc v. 4. in Iuda arguit Propheta. Ad literam ergo loquitur de quolibet iusto & paupere, ab Israelitis iniustè vendito & oppresso : sed quia inter hos excelluit Christus, quem Prophetæ habent pro scopo, hinc ad Christum quoque videtur acies Prophetæ finaliter dirigi. Primò enim Prophetæ taxant scelera sui sæculi, deinde sub ijs taxant similia posterorum crimina, maximè committen-

da tempore Christi contra ipsum Christũ: Prophetæ enim omnibus temporibus scripserunt hæc oracula. Vnde & inter septem gentium scelera, Amos hoc ponit vltimum, quasi maximum: tale enim est venditio & occisio Christi; præsertim quia non legimus Israelitas alio tempore quàm Christi, vendidisse iustum & pauperem verè & propriè. Porrò hoc fuit scelus tam Israelis, quàm Iudæ: quia post vastatam ab Assyrijs Samariam, Israelitæ cladi superstites fugerunt Hierosololymam, & cum Iuda commixti coaluerunt in vnam gentem. Nam ab olim, putà à Patriarcha Iacob, Israel & Iuda, id est, decem tribus & duæ, fuerunt quasi fratres: quocirca scelera hîc Israeli ascripta, ad Iudam quoque pertinent. Quartum enim scelus Damasci, & cæterarum gentium, hîc assignatur crudelitas: ergo eadem Iudæ quoque assignanda videtur: cumque in oraculo Iudæ v. 4. illa non inueniatur, ex onere Israelis hoc versu mutuanda est. Id clariùs patebit c. 3. v. 1. vbi S. Hieron. & alij passim, per filios Israel intelligunt tam duas, quàm decem tribus. Israeli tamen potiùs, quàm Iudæ ascribit eam Amos: quia ipse directè & propriè à Deo missus fuit ad Israelem, nõ ad Iudam, ac prophetauit in Samaria & Bethel, non in Iudæa & Hierosolyma: vnde in sequentibus pergit prophetare contra Israelem. Israelis ergo onus vltimò ponit, illudque aggrauat, vt de eo continua serie prophetet.

Sensus ergo est, q.d. Quartum & grauissimum scelus Israelis est, *quòd vendiderit pro argento iustum*, id est iustam iustorum, putà pauperum innocentiam, causam & substantiam, vt eam in iudicio adiudicaret diuitibus, propter pecunias & munera accepta ab eis, qui illos illorumque bona iniustè inuadebant, & à iudice sibi dari deposcebant. Venditio ergo hæc iustorum tempore Amos, non fuit ipsorummet iustorum, vt censuit Remig. hoc enim eos fecisse nusquam legimus, sed prædiorum & opum eorumdem, qua scilicet donis iudici oblatis pervertebant iudicium, ac emebant ab eo sententiam iniustam, per quam ipse eis adiudicabat bona pauperum. ita Chald. S. Hieron. Albert. Lyran. Clarius, Arias, Vatabl. Ribera & à Castro. Propriè verò quartum hoc scelus Iudæ & Israelis est, *quòd vendiderit*, id est venditurus sit *pro argento*, putà pro triginta argenteis, *iustum*, scilicet Christum, qui antonomasticè est iustus, quia Sanctus sanctorum. Christo enim propriè singula hæc verba competunt, & non alteri; & ad Christum, quasi ad scopum & amorem suum, data vel leui occasione & similitudine, subitò auolare solent Prophetæ. Est ergo hîc duplex sensus, isque literalis; vel potiùs prior de iustis quibuslibet tempore Amos literalis, posterior de Christo allegoricus. Denique Arabicus vertit, *eò quòd posuerunt contra veritatem pro argento & vestimentu.* q.d. Quia veritatem & iustitiam vendiderunt argento, & calceamentis, hoc est, vilissimo pretio.

ET PAVPEREM PRO CALCEAMENTIS] Hebr. est duale נַעֲלַיִם *nahalaim*, id est, pro duobus calceis, siue pro pari calceorum. Perperam R. Salomon, & ex eo Lyran. vertit, *pro clausuris.* q.d. Sepem qua pauper claudebat agrum, cogebat diues diru; vt eius agrum inuaderet, & suo, qui vicinus erat, copularet. Nam Septuag. Chald. & alij passim, *nahalaim* vertunt calceos: Remigius propriè id accipit, censetque Israelitas vendidisse pauperes in seruos vicinis gentibus, vel ipsis etiam Israelitis, idque vilissimo pretio, putà pro pari calceamentorum. Hoc scelus in Iure vocatur plagium, quo scilicet homo liber rapitur, venditurque in mancipium; quod proinde lege diuina morte punitur, Exodi 21. 15. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ morte moriatur.* Lege verò ciuili, putà lege Flauia, punitur verberibus & plagis, à quibus reus dictus est plagiarius, & crimen plagium. Verùm hoc iam refutaui: neque verisimile est hominem liberum ab eis tam vili pretio, putà duobus calceis, venditum fuisse.

Meliùs ergo alij censent, pauperem hîc dici venditum, eò quòd eius ius, causa & substantia sit vendita. Sic enim vulgò dicimus hominem vendi, dum in iudicio, vel extra iudicium eius status vel iura venduntur. ita S. Hieronym. Clarius, Vatabl. Arias, & alij paulò antè citati. Nota adagium, *pro calceamentũ*, id est, exiguo & vili pretio. Sic vulgò etiamnum dicitur: Non pluris eum facio quàm meos calceos: tanti eum æstimo, quanti veteres calceos: pro calceis istud dabo. ita S. Hieron. Sic Christus à Iudæis venditus est vili pretio, putà triginta argenteis, qui totidem florenos Brabanticos, vt aliqui; vel, vt alij, dimidiam eorum partem, putà quindecim flor. Brabant. conficiunt. florenus Brabanticus continet quatuor Iulios: quindecim ergo floreni faciunt sexaginta Iulios, putà quinque aureos. An non hoc vile pretium, quo Dominus vniuersorum æstimatus & venditus est? Minùs rectè Theodoret. sic exponit, q.d. Iudices, Aduocati & Procuratores, ita affligebant pauperes causam suam agentes, vt cùm non haberent quod pro stipendio eis soluerent, sordida auaritia & tyrannide calceos eis exuerẽt, & raperent. Et Clarius, q.d. Diues inuadens agrum pauperis, cogebat illum renunciare iuri suo extracto calceo, iuxta morem Israelitarum, qui narratur Ruth 4. 7. Denique Arabicus vertit, *fecerunt pauperem loco calceamentorum*, hoc est, vili æstimarunt, non pluris fecerunt quàm veteres calceos, vt vulgò dicitur.

QVI CONTERVNT SVPER PVLVEREM TERRÆ VERS. 7. CAPITA PAVPERVM] q.d. Deprimunt pauperes in iudicio, vt causa cadant; quin & extra iudicium eosdem deijciũt & conculcant, æquè ac conculcatur mancipium, vel bestia, quæ in puluerem deijcitur, ibique caput & capillos opplet luto & puluere, vt videatur tota esse puluerulenta. ita S. Hieron. Notat diuitum factum & sæuitiam in pauperes. Nam vt rectè aduertit P. Pineda libr. 6 de Rebus Salomon. c. 20. n. 14. apud insolentissimos diuites Israelis res non erat insolens, vt obuios pauperes pro libidine pessumdarent, & iniecto opprimerẽt pede, ac tantùm non suffocarent, animamque extorquerent. Vnde Septuag. vertunt, *conculcabant super puluerem terræ, & pugnis percutiebant in capite mendicum*; Vatabl. verò & Tigurina, *anhelabant super puluerem terræ in caput tenuium.* q.d. Desiderant opprimere pauperes, quos libenter vident proijci in terram & luto oppleri; Chald. *qui contemnunt quasi puluerem terræ caput mendicorum*; alij, *qui ad for-*

bent quasi puluerem terræ caput pauperum. Hebr. enim שָׁאַף *sçaaph* significat respirare, attrahere, anhelare, optare, inhiare, absorbere. ita Pagnin. Marinus. Forsterus, & alij in Lexicis.

ET VIAM HVMILIVM DECLINANT] q.d. *Viam*, id est ius, rem & causam pauperum in iudicio ob munera subuertunt, litemque & victoriam diuiti munera danti transcribunt. ita Theodor. Vatablus & Arias. Vnde Chald. vertit, *& ius obscuriorum peruertunt.* Secundò, generaliùs, q.d. *Viam*, id est consilia, instituta, conatus pauperum subuertunt, eosque cogunt incœpto desistere, illisque sua potentia & iniquitate omnis boni aditum & viam præcludunt. Tertiò, simpliciùs, & magis connexè ad præcedentia: *viam humilium*, id est, humiles & pauperes viatores, vt sit hypallage, *declinant*, id est deijciunt, & in terram prosternunt, ac conculcant. Hoc enim aptè respondet priori hemistichio, quo dixit: *Qui conterunt super puluerem terræ capita pauperum.* Solent enim Hebræi, in rhythmis præsertim & carminibus, posteriori hemistichio idem aut quasi idem dicere, quod dixerant priori. Simile est Iob 24.3. *Subuerterunt pauperũ viam, & oppresserunt pariter mansuetos terræ.* Vbi vide P. Pinedam, qui decem expositiones illius æquè ac huius loci affert. Aliter S. Hieron. q.d. *In tantum eleuantur superbia, vt nolint cum humilibus ambulare vel agere:* & Lyranus q.d. Cùm in via occurrunt pauperi, ex fastu cogunt eum sibi cedere, & de via declinare. Mystice Albertus, q.d. Pauperum bona diripiunt, itaque cogunt eos vel per impatientiam, vel per indigentiam à via virtutis & iustitiæ declinare ad furta, aliaque scelera, vt victum sibi comparent. Primus sensus est literalis & genuinus: *via* enim in Script sæpè rem, negotium, ius & causam significat.

Moral. ad Aduocatos iura peruertentes.

Notent hæc iudices & Aduocati, qui pauperes opprimunt, cùm ex iuramento eos tueri, imò ex officio causam eorum gratis agere teneantur. Audiant fulmen Dei Deuter. 27.19. *Maledictus qui peruertit iudicium aduenæ, & pupilli, & viduæ. Et dicet omnis populus: Amen.* Rectè S. Ambros. in serm. *Iustè Aduocato dicitur: Redde quod accepisti, quoniam contra veritatem fecisti, iniquitati adfuisti, iudicem fefellisti, iustam causam oppressisti, de falsitate vicisti.* Cassiod. in psalm. 73. *Hi*, ait, *sunt in conuiuijs scurræ, in exactionibus harpyiæ, ad fallẽdum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri. Hi sunt, quorum si uares afflauerit cuiusquam rubiginosi aura marsupij, confestim videbis illic oculos Argi, & manus Briarei, & Sphyngarum vngues, & periuria Laomedontis, Vlyssis argutias, Sinonis fallacias, fidem Polymnestoris, & pietatem pigri Leonis adhiberi.* Et Alanus l. de Conquestione naturæ: *Si quis armatus est pecunia, tamquam loricis argenteis, torrentis impetum Tulliani, fulgur incursus Hectorei, robur virtutis Herculeæ, verspelles Vlyssis vilipendit astutias. Intantum enim habendi fames incanduit, vt Dialectica muta sit subtilitas, Rhetorica langueſcat ciuilitas, vbi nummorum perorat pluralitas. Nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat vniuersis.* Hæc de rabulis litigiosis, auaris & iniquis: veri enim Aduocati Iuris tutores, pauperum patroni, noui Iuones sunt.

ET FILIVS, AC PATER EIVS IERVNT AD PVELLAM, *eamdem*, vt habent Septuag. Notat Israelitarum incestum, quòd filius socru, id est vxore patris, vel potiùs pater nuru, id est vxore filij abuteretur, inquit S. Hieron. Remig. Hugo & Lyran. Aut certè eamdem puellam & meretricem haberet vterque pro concubina: itaque VIOLARENT NOMEN SANCTVM DEI] exponendo illud infamiæ & ludibrio Gentibus, dicẽtibus: Ecce quàm spurci & obscœni sunt Israelitæ; quàm spurca ergo eorum fides & religio sit oportet: & qualis eorũ Deus, qui ista tolerat, nec punit! Huius blasphemiæ causam dabant suo incestu Israelitæ.

ET SVPER VESTIMENTIS PIGNORATIS ACCVBVERVNT IVXTA OMNE ALTARE] Israelitæ cœnaturi, vel conuiaturi non sedebant ad mensam, sed iuxta eam discumbebant, id est, iacebant in lectulis, qui inde cœnatorij dicebantur. Ita discubuit in lectulo Christus in domo Simonis leprosi, cùm à tergo ei Magdalena pedes lachrymis suis lauit. Taxat ergo eos, quòd immolantes victimas vitulis aureis in Dan & Bethel, ex ijsque deinde iuxta altare epulantes, discumberent in lectulis & vestibus, quas à pauperibus, præsertim nolentibus edere hoscе vitulos, vi extorserant, quasi pignora pro debitis: aut quòd ijs diuenditis ex pretio victimam & epulũ instruerent: vnde ad illud accumbentes, censebantur ad vestes pauperum pignoratas discumbere, & super ijs epulari; cùm tamen Deus iussisset pignus pauperi ante noctem reddi, Deuter. 24.12. ita Hebræi, & ex eis S. Hieron. Lyran. & Vatab. Peccabant ergo dupliciter. Primò, quòd has vestes eriperent pauperi; Secundò, quòd ijs colerent idola. ita Sanchez.

Aliter Septuag. qui per accubitum intelligunt concubitum. *Vestimenta*, inquiunt, *eorum ligantes funibus*, συνεπεσμαζε, id est *velamina, faciebant adherentia altari*, vt nemo eos ibi in idolio concumbentes & fornicantes videret. Sic enim Beelphegor colebant fornicando iuxta eius idolum & altare, vt patet Numer. 25.1. ita Septuag. explicat S. Hieron. & Theodor. Vnde Syrus & Arabicus vertunt, *colligauerunt vestimenta sua funibus, & fecerunt incessus coram templo meo, & biberunt vinum cum lusu in domo deorum suorum.*

Denique Clarius censet, eos dormiendo in vestibus hisce in pignus acceptis captasse oraculum, vti Græci dormientes in pelle arietis loui immolati, captabant eius responsum, teste Herodoto l. 8. Talia fuerunt lectisternia Gentilium in fano Serapidis, Æsculapij, Podalyrij & aliorum, quibus incubantes somnia captabant, de quibus P. Delrio Disquisit. Magic. libr. 4. cap. 3. q. 6. Huc accedit explicatio Martini de Roa lib. 2. Singular. cap. 9. qui per vestes pigneratas accipit sacras, quibus se suis dijs deuouebant & consecrabant. Erant hæ vestes, inquit, quæ quasi pignus deuotionis, aut initiationis, dijs consecrabantur; aut quæ ipsi initiati deuotique tamquam insigne eius numinis, cui sese dicauerant, gestabant. Sic ait Cicero Philip. 14. *Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet*, id est, tamquam suum, sibique deuotum & debitum vsurpare. Et Sueton. in Claudio cap. 10. *Primus Cæsarum*, inquit, *fidem militis etiam præmio pigneratus*, id est, quasi pignore sibi obligans. Et Seneca libr. 3. de Benef. cap. 4. *Nemo non victuram in animo suo memoriam dixit, nemo non deditũ se & deuotum professus est, & si quod aliud humilius verbũ, quo se oppigne-*

rari,

raret, inuenit, id est, quo se illi consecratum aut deuotum significaret. Simili modo erant hæ vestes dijs eorum oppigneratæ, per easque seipsos dijs suis oppignerabant & deuouebant. Subdit tamen Roa, pignora hîc potiùs iudicialia significari, quæ Iurisperitis ea dicuntur, in quorum possessionem quis à iudice mittitur: siue quæ aliquo iure cuipiam adiudicata attributaq; sunt, esto iniustè, vti hîc fiebat. Ergo vestis pignorata non est aliud quàm vestis damnatorũ, vt vinum etiam damnatorum, de quo sequitur:

ET VINVM DAMNATORVM (quos per calumniam & vim damnarant ad spolium, vel ad mortem. Vnde Septuag. vertunt, *vinum de calumnijs bibebant*; Chald. *bibebant vinum rapinæ*, vtique expressum ex oppressione & conculcatione pauperum) BIBEBANT IN DOMO DEI SVI] q.d Pauperes, præsertim Dei veri cultores, nec in Dan & Bethel, sed in Ierusalem sacrificantes, calumnijs & falsis testibus circumuentos damnabant, bonisq; mulctabant; ex quibus instituebant sympolia, seq; inebriabant in suis idolijs, quasi hac idololatria, calũnia, rapina & ebrietate deos suos honoraturi, & Deum verum Iudæorum offensuri. ita S. Hieron. Theodor. Lyran. & Vatabl. Paulò aliter P. Prado in Ezech. 23. 31. Bibebant, ait, vinum damnatorum, id est, vinum generosum, delicatum, pretiosum, quale propinari solet damnatis à familiaribus & amicis, vt animosiùs tolerent cruciatus, & supremum mortis agonem; quasi sola gula & ebrietas hîc eis improperetur. Verùm prior sensus simplicior, plenior & neruosior est. Simile scelus impijs improperat Iob cap. 24. 6. *Agrum*, ait, *non suum demetunt, & vineam eius quem vi oppresserunt, vindemiant*, vti fecit Achabin agro Naboth, 3. Reg. 21. Porrò ex damnatorum bonis olim dijs sacrificari consueuisse, docet Seruius in illud Æneid. 4.

Simul Diuûm templis indicit honorem.

Indici, inquit, *dicuntur, quia paupertas maiorum ex collatione sacrificabat, aut certè de bonis damnatorum; vnde & supplicia dicuntur.* Ac D. Isidorus libr. 6. ex Festo: *Supplicationes*, ait, *quæ sunt de bonis passorum supplicia.* Hinc etiam sacer homo, sacra bona, & sacrum pro execrando sumptum, quia sacrares de bonis execrandorum fiebant. Audi rursum Isidorum, & ex eo Martinum de Roa lib. 2. Singular. c. 9. *Supplicium proprie dicitur, non qui quoquo modo punitur, sed ita damnatur, vt bona eius consecrentur, & in publicum redigantur. Nam supplicia dicebantur supplicamenta, & supplicium dicitur de cuius damnatione delibatur aliquid Deo: vnde & supplicare.* Vinum ergo damnatorum est, quod ex damnatorum mulcta & supplicio comparabatur; ex quo dijs sacrificare, ac proinde conuiuari etiam peracto sacrificio veteres consueuere.

9. Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum: cuius altitudo, cedrorum altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus: & contriui fructum eius desuper, & radices eius subter.

10. Ego sum, qui ascendere vos feci de terra Ægypti, & duxi vos in deserto quadraginta annis, vt possideretis terram Amorrhæi.

A 11. Et suscitaui de filijs vestris in prophetas, & de iuuenibus vestris nazaræos: numquid non ita est filij Israel, dicit Dominus?

12. Et propinabitis nazaræis vinum: & prophetis mandabitis, dicentes: Ne prophetetis.

13. Ecce ego stridebo subter vos, sicut strident plaustrum onustum fœno.

14. Et peribit fuga à veloce, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam.

15. Et tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam.

B 16. Et robustus corde inter fortes nudus fugiet in illa die dicit Dominus.

EGO AVTEM EXTERMINAVI AMORRHAEVM] VERS. 9. q.d. Ego duce Iosue Chananæâ expuli Amorrhæos, aliasque sex gentes eius incolas, eamque dedi vobis, ô Israelitæ: hæccine ergo mihi rependitis? Recenset beneficia eis præstita, vt eorum ingratitudinem & apostasiam acriùs arguat. Nominat Amorrhæos præ cæteris: quia hi tam statura & robore, quàm sæuitia & scelere superabant cæteros Chananæos: inde dicti sunt Amorrhæi hebr. id est, loquentes, siue famosi & frequenti sermone celebrati, ait S. Hieron. Vnde subdit:

CVIVS ALTITVDO, CEDRORVM ALTITVDO EIVS] q.d. Amorrhæi alti & proceri erant instar C cedri. q.d. Erant gigantes. Est hyperbole: & hebraismo redundat pronomen eius. Simile est illud Virg.

Abietibus iuuenes patrijs & montibus æquos.

ET FORTIS IPSE (populus Amorrhæus) QVASI QVERCVS] De qua Seneca in Herc. Oetæo:

Gemit illa multo vulnere impresso minax,
Frangitq; cuneos, resilit excussus chalybs:
Vulnusq; ferrum patitur, & truncum fugit.

Sic Lucan. l. 1. Pompeium assimilat quercui: hæc enim est fortitudinis symbolum, ait Pierius hierogl. 51. Sic & Philo, ait S. Hieron. Esau vocat ἀρύϊνον, id est quercinum, roboreum, quasi ex quercu excisum: imò Festus à robore, id est quercur, obur dictũ putat. Sensus ergo est, ait Ruffinus, q.d. *Siluam Gentium longa iam ætate prauali-*
D *dam, ita celsis verticibus comminantem, & profundis radicibus innitentem, sedulus quasi castrorum metator excidi, ne habitationis leuia salem impedimenta sentirent. Quidquid ergo roboris fuerat, stirpitus amputaui.*

ET CONTRIVI FRVCTVM EIVS DESVPER, ET RADICES EIVS SVBTER] q.d. Penitus hunc populum euerti, instar cedri, cuius tam sursum rami quàm deorsum radices succinduntur. Perstat enim in metaphora & similitudine cedri. Porrò per ramos & radices accipi possunt filij & patres. Deus enim volens gentem & stirpem tam impiam radicitus delere, iusserat Mosi & Iosue, vt Chananæos omnes, etiam pueros & infantes, occiderent, itaq; omne eorum semen abolerent, Deut. 7. 2. Iosue 6. 21. Sapient. 12. 11. vbi Chananæi vocantur *semen maledictum*. ita Theodor. Remig. & Arias.

VERS. II. ET SVSCITAVI DE FILIIS VESTRIS IN PROPHETAS] q.d. Filios vestros impleui spiritu prophetiæ, feciq́ue Prophetas, eaq́ue ratione tam filios vestros, quàm vos in filijs euexi & honoraui.

ET DE IVVENIBVS VESTRIS NAZARÆOS] Repete *suscitaui*. Nazaræi erant quasi Religiosi legis veteris, qui vt Deo meliùs vacarent, ex voto abstinebant vino, & gestabant cæsariem intonsam, ideoq́ue dicti sunt Nazaræi, id est, separati à mundo, & addicti Deo. Vnde & Nazianz. orat. in laudem S. Basilij, Religiosos nostros vocat Nazaræos. Vide dicta Numer. 6. Nota hîc nazaræatum, id est statum Religionis, & vocationem ad eam, vitamq́ue in ea, esse opus Dei, quòd nec nisi Deo auctore suscipi, nec nisi eo adiutore retineri potest. Insuper eamdem esse magnum Dei donum quo Deus honorat familias, eisq́; benedicit dum filios earum in eum sibi, quasi in suam familiam, asciscit, eosq́; facit quasi aulicos aulæ suæ cælestis; vt meritò parentes hoc Dei donum in filijs impedire & euertere non debeant, nisi Deo ingrati esse, eiq́; resistere velint; sed potiùs de eo sibi gratulari, Deoq́; gratias agere, ac filios eò impellere, eosq́; Deo eorum creatori offerre, imò reddere, vti docent S. Basil. in Ascet. S. Chrysost. l. 3. Contra vituper. vitæ monast. S. Ambros. l. 1. de Virgin. S. Bernard. epist. 111. Vide P. Platum l. 3. de Bono status Religiosi c. 35. & l. 2. c. 12. 13. 14. 15. 16. & 19.

VERS. 12. ET PROPINABATIS EIS VINVM] Ita legunt omnes Codices Latini, Græci & Hebræi, in præterito. Vnde in Romanis vitio typographico irrepsisse videtur, *Propinabitis & mandabitis*, in futuro. Taxat enim præterita eorũ scelera, nimirum quòd Nazaræis contra votum & professionem eorum, propinarint vinum, & Prophetis à Deo missis ad prophetandũ mandarint, dixerintq́ue, *Ne prophetetis*, itaq́ue Nazaræis & Prophetis, ipsiq́ue Deo eorum datori non tantùm ingrati, sed & hostiliter obluctati fuerint. Quæ de causa iratus eis vindictam & excidium horribile comminatur. Notent hæc ij qui Clericos & Religiosos ad sua vota & instituta violanda inuitant & sollicitant. Audiant fulmen Dei quod sequitur: *Ecce ego stridebo*, &c.

VERS. 13. Ex hoc loco, ait S. Hieron. *hæresin suam Tatianus Encratitarum princeps statuere nititur, vinum asserens non bibendum; cùm & lege præceptum sit ne Nazaræi bibant vinum; & nunc accusentur à Prophetis, qui propinent Nazaræis vinum.* Eamdem ante sexennium renouauit fanaticus quidam in Hollandia, docens Christianis abstinendum esse vino & carne, quòd hisce vescens nequeat seruare castitatem: sed explosus ab œnopolis & lanionibus, ac à magistratu flagellatus, & in exilium pulsus, insaniæ suæ pœnas dedit.

ECCE EGO STRIDEBO SVBTER (malè quidam codices legunt *super*: hebr. enim est תַּחְתֵּי *tachat*, id est *subter*; & græcè ὑποκάτω, id est, *subtus*) VOS] Pro *stridebo* hebr. est פָּעַיְתִּי *meic*, quod Primò, Chald. vertit actiuè, *ecce ego adduco super vos angustiam, & angustijs afficiet vos in loco vestro, sicut angustijs premitur plaustrum onustum manipulis*, dum scilicet manipuli fœni vel segetum laxi, ab auriga comprimuntur & stringuntur, vt currus capiat multos, itaq́ue iustum onus suscipiat. Verùm Heb. Græci, & Latini codices legũt, A *subter vos*, non, *super vos*, vt dixi. Secundò ergo, alij sic vertunt, *coarctationem*, vel, *compressionem facio subter vos*, id est, coarctabo & angustiabo vos vndique, subtus & supra, sicut auriga densat & coarctat manipulos in curru, tam inferiores quàm superiores. q.d. Multiplicabo & densabo angustias vobis circumquaque, sicut stringuntur & densantur segetes in curru, præsertim imæ, quæ subtus sunt, vt alijs fiat locus, pluresq́ue super eas possint injici. Vnde Emmanuel & Mariana ex Chald. sic exponunt: *Stridebo*, id est, obsidione vos premam, sicut plaustrum premitur & coarctatur plenum manipulis. Hinc & Arabicus Alexand. vertit, *ego deuoluam vos vt plaustrum voluens*. Tertiò & optimè, vertit Noster, cui consentit Tigurina, quæ sic habet, *en ego onustum nimiùm premor, stridoq́; sub vobis, perinde ac plaustrum onustum manipulis premitur ac gemit.* quod B explicans Vatabl. *Conqueritur*, inquit, *Deus de Israelitis, quòd eum onerent peccatis & sceleribus suis: hinc sequitur, quòd & Deus eos in angustias duturus sit, è quibus eluctari non possint.* Et R. Abraham: *Non est robur, vt feram vos, sed gemo sub onere*, iuxta illud Isaiæ c. 1. 14. *Laboraui sustinens.* Et c. 43. 24. *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

Optimè S. Hieron. *Idcirco*, inquit, *sicut plaustrum stipulæ, vel fœni onere prægrauatum, stridet & sonitu longè exululat, sic ego peccata vestra vltrò non sustinens, & quasi stipulam tradens incendio, minabo & dicam: Peribit fuga à veloce*, &c. Hinc Syrus vertit, *ecce ego anxius* (compressus) *sum (ex) subter vos, vti comprimitur* (angitur) *plaustrum plenum spicis.* Et Arabicus Antioch. *ego deflectam C sim vester iudex, eo modo quo voluitur plaustrum plenum arundinibus.*

Vox ergo *stridebo* tria significat. Primò, Deum quasi grauatum mole peccatorum Israelitarum sub ijs gemere: vnde ait, *subter vos.* Secundò, indignari & stridere, ac diras omnes impijs cum excidio intentare: stridor enim est is qui sequitur: *Peribit fuga à veloce*, &c. Tertiò, *stridebo*, id est, stridere faciam, premam, & affligam vos vt illi deatis. Hebr. enim פָּעַיְתִּי *meic* est coniugationis *hiphil*, ac proinde planè actiuum. Vnde Chald. & alij vertunt, *coarctabo vos*, nimirum per Salmanasar & Assyrios, qui obsidebunt & vastabunt Samariam. Quocirca Ribera rectè sic exponit: *Stridebo subter vos*, id est, *in terra vestra audiri faciam magnum stridorem, & molestissimum auribus D vestris sonum*, putà clamorem hostium victorum & exultantium, vlulatum verò vestrorum ciuium occumbentium, vel captiuorum. Ergo *stridebo*, non tam est vox & stridor Dei sub onere gementis, quàm indignantis, vindicantis & punientis. Gemitus enim in Deo non est signum animi fracti, aut imbecilli; sed infensi, sese intendentis, & excitantis ad plagam. Aliter enim gemit qui grauius portat onus quàm vires ferunt, aliter gladiator aut lignator, qui tunc gemunt, cùm se ad firmitatem & conatum intendunt ad vt hostem feriat, hic vt quercum secundat. Sed in Deo videre est vtrumque, & gemitum ac stridorem ex fastidio, & ex offensione ob spirium, quo se Dominus excitat ad anhelatum plagam, ait Sanchez. Rursum *stridebo*, significat Deũ hîc comparari plaustro, non tã quatenus ipse hostes instar plaustri onusti premit & calcat, puta

putant Abenezra, Lyran. & Palacius, quàm quatenus instar plaustri fœno onusti, quod ex fœni leuitate nunc in hanc, nunc in illam partem inclinando conquassatur, fremit & stridet. Vbi Nota, strepitum hostium, armorum, præliorum & bellicæ vastitatis, rectè comparari stridori plaustri, quod re leui, putà fœno, vel stipula onustum magis stridet, quàm si lapidibus oneretur: lapides enim magis premunt, stringunt, onerant, ideoque firmiter degrauant plaustrum, eiusque succussionem & stridorem impediunt: contrarium per omnia facit fœnum. Simul appositè voluptates peccatorum rectè comparantur rebus leuibus & vilibus, putà fœno & stipulæ, quæ statim marcescunt, arescunt, à vento rapiuntur, igne consumuntur: pari enim modo voluptates transeunt, marcescunt, & igne gehennæ comburuntur. Rursum pro *fœno* hebr. est עֳמִיר *amir*, id est manipulus, id est manipuli, quibus significatur multitudo peccatorum. *Hoc est fœnum*, ait S. Hieronymus, *de quo Propheta psalm. 128. Fiant sicut fœnum adificiorum, quod priusquam euellatur exaruit. Et, Omnis caro fœnum: stipula autem illa est, super cuius incendio flebiliter Propheta Mich. c. 7. conplorat dicens: Heu mihi, quia factus sum sicut qui colligit stipulam in messe. &c. Hoc est fœnum, & stipula, de quo & Apostolus loquitur 1 Corinth. 3. Lignum, fœnum, stipula, vniuscuiusque opus manifestum fit: quoniã in die Domini in igne reuelabitur.* Quocirca aliqui apud Vatabl. sic vertunt, *ecce ego gemere faciam (vos) sub vobis, id est, in loco vestro*; vel *stridere vos faciam*, scilicet sub onere tribulationum. *Meic* enim significat ita aliquid premere, artare, grauare tot ponderibus & angustijs, vt res pressa & oppressa sub ijs gemat, & strideat instar plaustri nimis onusti. Et תחתיכם *sub vobis*, vel *subter vos*, Hebræis idem est quod *in loco vestro*, vt patet Exodi 16. 29. Habacuc 3. 16. & alibi. ita S. Hieron. Remig Hugo, Lyran. & alij. Consentiunt Septuag. qui vertunt, *ecce ego voluo* (angustias & tribulationes) *subter vos* (in loco vestro) *sicut voluitur plaustrum plenum stipula*; ita vt eas fugere & effugere non possitis. Vnde subdit: *Et peribit fuga à veloce*, &c. ita Theodor. & S. Hieron. *Voluere*, inquit, *se subter eos sicut plaustrum comminator Deus, fœno vel stipula prægrauatum, vt quia frumentum non habent quod in horrea condatur, fœnum eorum & stipula incendio concremetur.* Simili modo *stridula plaustra* dixit Ouid. l. 3. Trist. eleg. 12. & Virgil. l. 8. Æneid. *Stridunt̃, caminis stricturа chalybum.* Et 4. Georg.

Stridere apes vtero, & ruptis efferuere costis.

Et Æneid. 1.

—*Cardo sonibus stridebat ahenis.*

Moral. S. Gregor. lib. 32. Moral. cap. 6. *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno: quia enim fœnum est vita carnalium, sicut scriptum est: Omnis caro fœnum; in eo quòd Dominus vitam carnalium patitur, more plaustri fœnum se portare testatur. Cui sub fœni onere stridere, est pœnam & iniquitates peccantium cum querela tolerare.* Addit Ruffinus: Queritur, ait, Deus, quia diu peccantem populum sustinebat, se oneratum instar plaustri, sed cui onus vilis materiæ contigisset. q. d. *Si plaustrum onustum haberet aliquam discernendi facultatem, indignantius sine dubio strideret si vilia, quàm si pretiosa portaret; sic & Deus noster maiorem se sarcinam pronunciat experiri, eorum peccata tolerando, in quibus nihil queat de pretiosis studijs reperire, sed qui omnes ad vile fœnum, quod facilè ignibus consumitur, accesserunt.* Et Rupert Fœni, ait, similitudine vtitur, quia plaustrum fœni tardiùs progreditur, & ideo velociùs comprehenditur ab insequente, & celerrimè incendio absumitur.

Alleg. Christus stridebit contra reprobos in die iudicij dicens: *Ite maledicti in ignem æternum:* ibique instar ferri in igne, iugi follium flatu succenso, stridentis, stridere eos faciet. nam, vt ait Matth. 8. 12. *Ibi erit fletus, & stridor dentium.*

ET PERIBIT FVGA A VELOCE] Hæc verba accipi possunt dupliciter: Primò, quasi pendentia à verbo *stridebo*, quod præcessit, quasi stridor, vox & rugitus Dei contra impios Israelitas, sit hic: *Peribit* (pereat) *fuga à veloce*. Secundò, quasi non pendeãt à verbo *stridebo*, sed huius stridoris Dei sint fructus & effectus. q. d. Cùm stridebit Deus contra Israel, omnes communi clade inuoluet, à qua proinde velox eripere se non poterit velocitate sua, nec miles fortis bellica sua fortitudine, vel agilitate, &c. vt vitam suam tueatur & seruet. Id ita accidisse Israeli & Samariæ, cùm eam vastauit Salmanasar, patet 4. Reg 17. & 18. & 2. Paral 5. Porrò S. Hieron. (& ex eo Remig. Albert. & Hugo) scribit Rabbinos singula hæc adaptare singulis regibus Israel, à primo Ieroboam vsque ad vltimum Hosee, hoc modo: *Peribit*, inquit, *fuga à veloci, quem Hebræi Ieroboam filiũ Nabath intelligunt, qui prius in Aegyptum fugerat*, persequente eũ Salomone 3. Reg. 11. *Et fortis non obtinebit virtutem suam, fortem Baasam interpretantur, qui fuit ad bella promptissimus. Et robustus non saluabit animam suam, hunc Amri sentiunt. Et tenens arcum non stabit, siue sustinebit, de Iehu filio Namsi, qui Ioram regẽ Israel sagitta percussit, dictum putant. Et velox pedibus suis non saluabitur, Manahem intelligunt, qui frustra festinans, regi Assyriorum dona direxit. Et ascensor equi non saluabit animam suam, hunc Phacee filium Romeliæ interpretantur, qui iuncto Aram, id est Syro, sub rege Achaz, Iudææ multa vastauit. Et robustus corde, nudus fugiet in die illa: solus Hosee, qui vltimus rex decem tribuum fuit, & errantem populum ad Dei cultum reuocare conatus est, quasi nudus egreditur de incendio: nudum autem vocat, quia sub ipso decem tribus captæ sunt.* ita Hebræi apud S. Hieron. VERS. 14.

Verùm priora ex his iam erant præterita: hîc autem intentatur Israeli futura clades extrema, eiusque excidium, quod cœpit à Phul tempore Manahem, ac perfectũ est à Salmanasar tempore Hosee 4. Reg. 15. 19. & 4. Reg. 18. 9.

TENENS ARCVM NON STABIT] q. d. Sagittarij Israelitarum, qui eminus iaciendo sagittas pugnant, non consistent contra aduersarios, putà Assyrios. ita Vatabl. VERS. 15.

ROBVSTVS CORDE INTER FORTES NVDVS FVGIET] Tigurina, *qui inter heroës magnanimus est, nudus aufugiet in die illa*, putà proiecto clypeo & ense, inermis. q. d. Viri fortes tam corpore, quàm animo, non sustinebunt impetum Assyriorum, sed cadent animis, & proiectis armis terga vertentes aufugient. Hinc Septuag. vertunt, *fortis non inueniet cor suum in potentatibus*; S. Hieron. legit, *inter potentes nudus fugiet.* Ad literam agitur de Israelitis fugientibus Assyrios, vt patet ex præcedent. Quare minùs rectè Isidor. VERS. 16.

Po-

Pelus. libr. 1. epist. 53. ad literam censet hîc agi de passione Christi, & per *nudum* intelligi adolescẽtem, qui *sindone coopertus ad nudum, carnificum Domini sanitiam, relicta ipsis sindone, effugit.* Mystiᴀ cè censet notari hîc viros Religiosos, qui se terrenis nudant, vt leues & expediti à mortalium fæce, ad eam vitam quæ ab interitu remota est, quasi additis alis euolent.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRophetat Israelem Assyrijs, & Deo, quasi leoni rugienti, & aucupi in prædam dandum. Secundò, v. 9. aduocat Philisthinos & Aegyptios, vt videant scelera, indeq; stragem Israelis, quæ tanta erit, vt ex ea vix duo vel tres, ijq; miseri & ægri euadant; sed tam ipse, quàm eius idola & aræ, ac palatia domusq; eburneæ diruantur.

Vers. 1. AVdite verbum, quod locutus est Dominus super vos, filij Israel: super omnem cognationem, quam eduxi de terra Ægypti, dicens:

2. Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.

3. Numquid ambulabunt duo pariter, nisi conuenerit eis?

4. Numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam? numquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi aliquid apprehenderit?

5. Numquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe? numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit?

6. Si clanget tuba in ciuitate, & populus non expauescet? si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit?

7. Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas.

8. Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?

VERS. 1. FILII ISRAEL] S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. & alij, per *filios Israel* accipiunt omnes duodecim tribus, ac consequẽter & Iudam, eò quòd sequatur: *Super omnem cognationem quam eduxi de terra Aegypti.* Verùm ex sequ. v. 12. & 14. liquet, Prophetam propriè loqui Israeli, id est, Samariæ & decem tribubus, ita tamen, vt sermonem mox dilatet & extendat quoq; ad Iudam. q.d. Vos ô Israelitæ, quin & tu ô Iuda, adeoque omnes quos Deus eduxit ex Ægypto, qui cognati estis, vti sanguine, ita & scelere, futuri & similes in pœna stragequè, audite ex ore meo Dei iras, minas & onus, quod vobis imponit. ita Theodor. Albert. Arias & alij.

VERS. 2. TANTVMMODO VOS COGNOVI EX OMNIBVS COGNATIONIBVS TERRÆ] q.d. Vos, ô Israelitæ, solos ex omnibus gentibus *elegi*, vt vertit Chald. mihi in populum, in familiares, & amicos, imò in filios, vt vos quasi pater alerem, tuerer, proueherem & exaltarem. Subaudi cum Chald. Vatabl. & alijs: Cur ergo à me ad vitulos aureos defeciB stis? *idcirco visitabo* (puniam) *super vos omnes iniquitates vestras.*

Secundò, *cognoui*, id est curaui, & curo vos, resq; vestras per peculiarem prouidentiam, qua vobis legem dedi, tot miracula & bona contuli, pœnas & præmia proposui, rexi & direxi, imò rego & dirigo, ideoque bene agentibus mihiq; obedientibus prospera omnia, malè verò facientibus aduersa immitto, vt vos quasi pater castigem, eoque quasi fræno vos infrænem, & per viam virtutis ad me reducam, cùm alias gentes præ vobis non cognoscere, id est, non curare & negligere videar, easque vt alienas à me, dimittam sequi desideria cordis sui, in futuro acerima & æterna pœna eas puniturus. Magnum enim indicium animi verè paterni, & de filiorum commodis solliciti est, admouere aut ægrotanti cauterium, aut pigritanti aculeos, aut errantiC flagellum, ait Sanchez.

NVMQVID AMBVLABVNT DVO PARITER, NISI CONVENERIT EIS] Septuag. *nisi cognouerint se*; Aquila, *nisi constituerint inter se.* Quæres, quorsum dicitur, & quid significat hoc adagium, & quinque quæ sequuntur vsque ad v. 6. Et quinam sunt duo simul ambulantes? Respondent Primò, Theodoret. Remig. & à Castro in paraphrasi, hosce duos esse Deum & Assyrios. q.d. Deus & Assyrij pariter ambulant, perguntque ad vestrum excidium, ô Israelitæ: Deus enim est qui Assyrios in vos immittit, vt scelera vestra puniat. Idem censent significari sequentibus quinque adagijs: putant enim omnia eò spectare, vt significent nonnisi Deo indicante hostes immitti, sicut duo non ambulant simul, nisi priùs inter eos conuenerit, & sicut D leo non rugit, nisi capta præda, & sicut auceps non aufert laqueum, nisi capta aue, & ita de cæteris: nihil enim eorum fit, nisi posita conditione; sic nihil fit in cladibus & excidijs, nisi annuente & puniente Deo. Probant, quia Deus hæc adagia concludens, eorumque scopum & sententiam indicans, subdit v. 6. *Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit?* q.d. Hæc duo pariter, pariq; passu ambulant, Dominus & malum, siue numen & prouidentia, Deus & vindicta, putà castigatio impiorum: quia nec est Deus sine prouidentia, siue numen sine vindicta impiorum; nec aliqua eorum vindicta exercetur, sine Deo & numine. Hic sensus sublimis est, & moribus congruens.

Secundò, Arias censet hos duos esse Iudam & Israel, siue duas tribus & decem. Rursum, esse Nabu-

Nabuchodonosor & Salmanasar. q.d. Iuda & Israel schismate à se videntur distisi, sed tamen in idololatria & scelere consentiunt, & pariter ambulant ad colenda eadem idola. Idcirco pariter contra eos ambulabunt Nabuchodonosor & Salmanasar: ille vt Iudam, hic vt Israelem puniat & perdat. Deus enim vtrumque immittet, & diriget ad idem vtriusque excidium.

Tertiò, Hugo, Lyranus & Vatabl. per duos hos simul ambulantes, accipiunt Deum & Prophetam. v.g. Amos. q.d. ait Vatabl. *Sicut duo numquam aliquò simul proficisci solent ob aliquod negotium, nisi priùs de eo conueniat inter ipsos; sic Prophetæ per quos prædicam me visitaturum iniquitates vestras, vti iàm dixi, non accèdent ad vos vt hæc annuncient, nisi maximè illù mecum conueniat, vt de hac vos admoneant. Hac enim similitudine voluit ostendere præstantiam prophetiæ, magnumq; esse inter Deum & Prophetas consensum. Vnde paulò pòst v. 7. ipsum declarat his verbis: Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas.*

Quartò & congruentiùs, magisque genuinè Rupert. Clarius & Ribera censent, hos duos simul ambulantes esse Deum & populum Israel, q.d. Ego Deus ambulaui simul cum Israele, olim pio & obsequente, cùm scilicet eum quasi manu tenens eduxi ex Ægypto, & per desertum perduxi in Chanaan: quia tunc ipse mecum conueniebat, finebat se à me regi, meumque ductum & legem libens sequebatur. At nunc me relicto ambulat cum dijs alienis. Quocirca ego pariter non ambulabo cũ eo: quòd ipse cum idolis conuenit, non mecum; sed potiùs contra eum vt hostis incedam, vti minatus sum Leuit. 26. 24. putà ambulabo cum eo, vti carnifex cum reo, quem ducit ad furcam; sicut leo ambulat cum præda quam discerpsit; auceps cum aue quam cepit; venator instructus laqueo cum fera quam illaqueauit. Rugiam enim in eum quasi in prædam meam, & per Amos aliosque Prophetas, certum & ineuitabile ei per Assyrios exitium prædicam & intentabo.

Vt hæc expositio explicetur & probetur, suppono, quòd, sicut in fabulis & apologis (v.g. Æsopi) sunt tres partes, scilicet μῦθος, διήγημα, & ἐπιμύθιον, id est fabula, profabulatio & affabulatio: profabulatio est ipsa prælibatio & quasi prologus, significans in quos, & quorsum dicatur fabula: affabulatio est epilogus fabulæ, significans quid ex ea discere, quem fructum capere debeamus: ita pariter in adagijs, ænigmatibus & parabolis sint tres partes, putà parabola ipsa, proparabola & postparabola. Proparabola est ipse prologus parabolæ, indicans eius finẽ & scopum, qualis est illa Lucæ 14. 7. *Dicebat autem ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent.* q.d. Scopus Christi in parabola sequenti, quæ est de inuitatis, est, taxare ambitiosos, qui primas cathedras & discubitus primos ambiunt. Postparabola est conclusio parabolæ, significans eius vsum & fructũ, qualis est ibidem v. 11. *Quia omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.*

Hoc supposito dico, horum sex adagiorum siue parabolarum sensum venandum esse ex proparabola, siue prologo qui immediatè præcessit, & ex postparabola, quæ immediatè postea A subiungitur. Prologus autem hic est: *Audite verbum quod locutus est Dominus super vos, filij Israel, super omnem cognationem quam eduxi de terra Aegypti, dicens: Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ.* & maximè id quod mox sequitur, & immediatè adagia hæc præcedit, nimirum: *Idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* q.d. Puniam vestra in me scelera, eò quòd cùm ego eduxerim vos ex Ægypto, & vobiscum iugiter quasi pater ambulauerim, vos tamen superbè & ingratè vertentes mihi dorsum, me spreto ambulaueritis cum idolis & vitulis aureis. Postparabola est *v. 6. Si erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit? quia non facit Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. Leo rugiet, quis non timebit? Deus locutus est, quis non prophetabit?* q.d. Vti in B proparabola dixi, ita in postparabola dico & repeto, me, non alium, mala & clades vobis intentare per Prophetas, eaque mox reipsa per Assyrios inflicturum, vt in vos rugiam & sæuiam, sicut leo in prædam, eò quòd tamquam hostes contra me incesseritis, ambulantes cum idolis, qui sunt iurati mihi inimici. Ecce hìc videmus clarè tam prologum, quàm conclusionem parabolæ significare, eò spectare parabolas hasce, vt per eas indicet Deus, se olim cum Israele ambulasse quasi patrem cum filio, eò quòd rectè illi cum eo conueniret: at iam post eius apostasiam, schisma & idololatriam, se amicam illam præsentiam, & paternam curam opemque ab eo ablaturum, & contra eum incessurum, ac per Prophetas suos, strages & exitium ei intentaturum, illudque mox iliaturum per Assyrios. Ergo C hic est horum sex adagiorum & parabolarum scopus & sensus.

Vbi Nota. Duo hìc in postparabola significat Deus: prius, nihil mali immitti ciuitati, v.g. Samariæ, nisi à Deo. Secundum, illud ipsum malũ se ei non infligere, nisi priùs ipsam de eo præmoneat per Prophetas, vt vitam corrigat, & malum euadat; vtq; sciat malum, cùm id ei obuenerit, non aliunde quàm à Deo vindice, qui illud ei per Prophetas comminatus est, obuenire. Propheta enim hìc vult fidem & auctoritatem, æquè ac certitudinem conciliare suę prophetię ac minis, quæ ex Deo Israeli intentabit: auctoritatem, dicendo, Deum non facturum quippiam mali Samariæ, nisi illud priùs sibi reuelarit, & per se prænunciarit: certitudinem, dicendo, hæc sua minacia oracula esse sibi à Deo reuelata, esseque minas & verba ipsius Dei, qui est prima veritas, fallique aut fallere nequit. Credant ergo Israelitæ, has non esse minas verbales & inanes, sed reales & efficaces, vtpote Dei irati & sæuiẽtis instar leonis. Quocirca hìc se Propheta non constituit alterũ, vel secundum à Deo, sed quasi eumdem cum Deo, scilicet vt Dei os & tubam, quæ clangat & rugiat contra Israel, qui est alter, vel secundus à Deo. Duo ergo ambulantes hìc sunt, Deus per Prophetam minans, & Israel minas hasce Dei excipiens. Iam secundùm hæc, reliqua quinq; adagia figillatim explicanda & adaptanda sunt. Secundum ergo est, quod sequitur: *Numquid rugiet leo*, &c. ita S. Hieron. Emmanuel, Mariana & alij.

Allegor. S. Hieron. non possunt duo, putà Gẽtiles & Iudæi, ambulare simul, nisi conuenerint

in

in vna fide, vnoque capite Christo. Quòd si discordia separentur, statim eos leo rugiens, & auceps diabolus inuadet & capiet.

Tropolog. Rupert. Non potest Deus ambulare cum peccatore, si ille peccatum defendat. *Nos duo sumus*, inquit, *ego qui arguo, vel corripio Deus, & Israel qui corripitur; nimirum non conuenit nobis, quia me corripientem Deum correptus Israel non audit. In hoc nobis animus disconuenit: quia ego arguo, ille se defendit.* Et S. August. in psalm. 75. *Quamdiu*, inquit, *non cõfiteris peccata tua, quodammodo rixaris cum Deo. Quomodo enim non cum illo litigas, qui quod illi displicet laudas? Psalmi vox est dicentis: Incipite Domino in confessione. Quid est, Incipite Domino in confessione? Incipite adiungi Deo. Quomodo? Vt hoc vobis displiceat, quod & illi displicet. Displiceat illi vita tua mala: si placeat tibi, disiungeris ab illo; si displiceat tibi, per confessionem illi coniungeris.*

VERS. 4. NVMQVID RVGIET LEO IN SALTV, NISI HABVERIT PRAEDAM?] Leo est Deus, præda est Israel, rugitus sunt minæ Prophetarum, Israeli excidium per Assyrios ex Dei iussu intentantium. q d. Sicut leo famelicus rugit, dum in vnguibus, vel etiam in oculis habet prædam: rugit, inquam, vt iras & animos excitet, ad feram quam prædari vult inuadendam; aut si eam ceperit, ad eam contra lupos, vrsos, aliasque feras & homines tutandam, ne sibi eripiatur: ita Deus rugit, indignatur & minatur per me aliosque Prophetas, vobis, ô Israelitæ, quos iam inuadit per Assyrios, quosque quasi iam captos in manu habet, & proximæ cladi & captiuitati destinat. Sicut enim leo numquam rugit, quin prædam capiat, laceret & deuoret: ita Deus non minatur obstinatis pœnas, quin protinus illas eis infligat, eosque cædat & mactet, vti vos, ô Israelitæ, mactabit per Salmanasar. Nota ex Arist. Plinio & alijs mox citandis. leo solet rugire bis, primò, cùm famet, & quærit videtque prædam: secundò, cùm eam capit: tum enim partim ira ne sibi eripiatur, partim fame & ingluuie frendens & murmurans rugit. Leo enim gulosus est & helluatur, ita vt partes integras ossaque deglutiat, antequam dentibus ea comminuat. Vnde ita se infarcit, vt repletus ad biduum vel triduum non esuriat, nec comedat ordinariè nisi alternis diebus, putà semel in biduo, vti docet Aristot. lib. 8. Hist. anim. c 5. Plinius lib. 8. c. 16. & Ælian lib. 4. Hist. anim. c. 33. Hinc & ex ingluuie hac, halitus eius grauis est & fœtet. *Animæ leonis vitium graue*, ait Plinius lib. 11. c. 33. Simili modò rugijt Deus, tum ante excidium Israelis, per Prophetas ei minando; tum in excidio, Israelem per Assyrios concidendo, nec permittendo vt Ægyptij, alijue eum sibi eriperent. Magis tamen hîc Propheta loqui videtur de rugitu leonis ante prædam: suas enim prophetias minaces per Amos, Oseæ & alios editas de futuro & instante excidio, Deus hîc comparat rugitui leonis. Adde, maior & horribilior est rugitus leonis cùm videt hostem, vt eum inuadat & prædetur, quàm dum eum capit & deuorat. Porrò dicitur tùc eam habere, tum quia eam habet oculis suis propositam, tum quia in spe certa eam habet. Sequitur tertium adagium secundo simile:

Leo rugit bis, cur?

NVMQVID DABIT CATVLVS LEONIS VOCEM DE CVBILI SVO, NISI ALIQVID APPREHENDERIT?] A Tigurina, *nũ catulus leonis vocem suam edit egressus de lustro, cùm nihil præda cepit?* Repetitione hac Propheta Dei potentiam & oraculi certitudinem astruit. q.d. Si præda saluari nequit à leone, & à catulo leonis rugiente, quis vestrûm, ô Israelitæ, cuadet manus Dei irati? Leoni subiungit catulos: quia hi, vtpote petulci & latrante semper stomacho famelici rugiunt magis, iuxta illud psal. 103. 2. *Catuli leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo escam sibi.* Vnde in Script. ira Dei, æquè ac hostium acer insultus, comparatur rugitui leunculorum, vt Isaiæ 31. 4. *Quomodo si rugiat leo, & catulus leonis super prædam suam, &c. sic descendet Dominus vt prælietur.*

NVMQVID CADET AVIS IN LAQVEVM TERRÆ ABSQVE AVCVPE] qui aui laqueum posuit? q. d. B Non: sicut ergo auis non capitur laqueo nisi ab aucupe, ita & vos capiemini ab Assyrijs, non alio id agente, quàm Deo, qui Assyrios quasi laqueum vobis posuit. Hebr. מוקש *moker* significat illaqueatorem, putà aucupem, vt vertunt Septuag. Noster & alij. Potest Secundò, cum Vatablo verti *offendiculum*. q d. Sicut auis non cadit in laqueum sine offendiculo, id est, quin eo capiatur & stranguletur; sic nec vos cadetis in manus Dei & Assyriorum, quin ab eis capiamini & strangulemini. Verùm quia illud significatur proxima parabola, hinc vt sit gradatio, simpliciùs Noster & Septuag vertunt, *absque aucupe*. Sequitur ergo quartum adagium tertio connexum:

NVMQVID AVFERETVR LAQVEVS DE TERRA ANTEQVAM QVID CEPERIT?] q.d. Sicut laqueus à venatore non tollitur, nisi eo auem vel ferum illaqueauerit & ceperit, sic nec ego tollam expansum rete meum, putà Assyrios è Samaria, donec eam ceperint & vastarint. sed quasi auceps continuò assistam & intendam ijs, quasi meis laqueis, nec desistam donec vos capiant & rugulent. Excludit omnia effugia impiorum & incredulorum, qui hæc eius oracula vel eleuabant, vel eludebant dicendo: Minæ hæ sunt solitæ Prophetarum, sed minæ dumtaxat, sicut parentes pueris ostentant virgam, non vt feriant, sed vt minis eos percellant: veniet Assyrius, ostentabit se Samariæ, sed non audebit vrbem tam potentem & munitam aggredi: nobis ergo intactis & illæsis domum redibit. Hæc effugia & has elusiones minarum & oraculorum suorum hic cidit hîc Deus, certoque denunciat Assyrium non recessurum à Samaria, donec eam capiat, sicut venator non tollit laqueum, donec C D auem constrinxerit. Nota minas Prophetarum & prædicatorum hîc comparari rugitui leonis, tuti aucupis & clangori tubæ v. 6. Verè Nicetas in vita Alexij Comn. *Laqueus*, ait, *& retia diuinæ prouidentiæ nemo euadere potest*, vti eosdem euadere nequiuit Pharao, Diocletianus, Maximianus, Iulianus Apostata, Valens Imper. alijque similes. Similem laqueum Iudæis intentat Dauid psalm. 68. 23. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones & in scandalum.* Hæc est diuinæ iustitiæ venatio: sicut enim principes venantur apros lupos que, ita Dei vindicta venatur tyrannos & impios. Sic de Sedecia ait Deus Ezech. 12. v. 13. *Extendam rete meum super eum, & capietur in sagena mea*, per Chaldæos. Sequitur adagium quintum:

SI CLANGET TVBA IN CIVITATE, ET POPVLVS NON EXPAVESCET?] q.d. Sicut tuba tempore belli personante, & classico perstrepente, ac significante hostem adesse, parata esse arma & aciem, fieri nequit quin populus metu hostis & cladis, ac horrore clangoris bellici percellatur; sic multò magis vos, ô Israelitæ, deberetis pauere & percelli ad voces hasce meas quibus ex Deo classicum cano, ac hostem, ignem & flammam vobis prædico & intento. Clangor ergo tubæ, est prophetia: clangens est Deus: tuba est os Prophetæ: hostis est Assyrius: ciuitas, Samaria: populus, Israelitæ metu percellendi & exanimandi.

Vers. 6. SI ERIT MALVM IN CIVITATE QVOD DOMINVS NON FECERIT?] Hîc est postparabola, siue conclusio & applicatio parabolarum præcedentium, q.d. Quinque parabolæ quas iam recensui, significant malum, id est, afflictionem & cladem extremam afferendam Samariæ per Assyrios, non ab alio, quàm à Deo à quo apostatarunt, quemque irritarunt, præponendo ei vitulos aureos. Cùm ergo hæc clades vobis ô Israelitæ, aduenerit, certò scitote à me illam vobis inferri: ideo enim ego solus illam per Prophetas vobis prædico & comminor, quia solus illam vobis infligam, non Baal, non Chamos, non quis alius inanium deorum. Vnde explicans subdit: *Quia non facit Dominus*, &c.

Moral. disce hîc, rapinarum, incendiorum, stragum & calamitatum omnium, tum publicarum, tum priuatarum, quæ impiis & peccatoribus afflíguntur, Deum esse auctorem: Deus enim gubernator vniuersi, iudex est & vindex omnium. Rectè Plutarch. in Moral. *Vt ammes*, ait, *quidam repentè se condunt sub terram, nihilominus eò perferuntur quò tendunt: ita numinum iræ, licèt occultæ, tamen in extremas calamitates auferunt aliquando nocentes*, etiam dum non cogitant *vltorem post caput esse Deum* Et Horat.

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Et Ierem. Thren. 3 37. *Quis est qui dixit vt fieret, Domino non iubente? Ex ore Altissimi non egredientur mala nec bona? Quid murmurauit homo viuens, vir pro peccatis suis?* vide ibi dicta. Et c. 18. 11. *Ecce ego fingo contra vos malum.* Et Isaiæ cap 45 7. *Ego Dominus, & non est alter formans lucem, & creans tenebras: faciens pacem, & creans malum.* Vide S. Basil. homil. *Quòd Deus non est auctor malorum*, vbi ostendit propriè nihil malum esse nisi peccatũ; cuius auctor est voluntas creata, non Deus: cætera verò mala pœnæ, quæ vocantur, bona esse, non mala, præsertim quia per ea Deus interficit peccatum, & viuere facit iustitiam; aut potiùs facit hominem mori peccato, vt viuat iustitiæ. *Quantum enim*, inquit, *exterior homo noster corrumpitur, tantum interior renouatur. Non igitur alium interficit, & alium viuificat; sed eumdem per ea quæ interficit viuificat. Caro igitur percutitur, vt anima sanetur. Peccatum perimitur, vt iustitia viuat.*

Vers. 7. QVIA NON FACIT DOMINVS DEVS VERBVM, NISI REVELAVERIT SECRETVM SVVM AD SERVOS SVOS PROPHETAS] *Tò quia* potest accipi pro *veruntamen*, efficaciùs tamen accipias propriè, vt causale eius quod præcessit. q.d. Non est malum in ciuitate quod non faciat Dominus: quia ipse omnia mala ciuitati euentura priùs reuelat Prophetis, & per eos illa se ciuitati mox inflicturum comminatur: ergo cùm mox illa ciuitati infligantur, ipse est, non alius, qui ea ciuitati quasi iudex & vltor infligit, vti comminatus est. Porrò Deus hanc cladem ciuitati Samariæ non inferet, nisi vobis, ô Samaritæ, per Prophetas prænonitis, idque duas ob causas. Prior est, ne causari possitis vos numquam fuisse reprehensos. Posterior, vt certi sitis eam ob scelera vestra vobis infligi, Deumque eorum vindicem eius esse auctorem. Qua re Propheta declarat tum dignitatem, tum necessitatem sui muneris, putà prophetiæ, vtpote à Deo accepti, vt scilicet ipse esset quasi legatus Dei ad Israel, & inter eos internuncius, sequester & mediator: tum misericors Dei consilium, vti mox ostendam.

Quocirca Nota. *Verbum* metonymicè significat rem, putà cladem verbo significatam & prædictam. Vnde mox idem vocat *secretum suum*, &, vt Theodot. *consilium suum*, putà arcanum eius decretum de clade hac inferenda. Septuag. vertunt, παιδείαν, id est eruditionem, vel potiùs, vt S. Hieron. vertit, *correptionem suam*: quo significatur minas & plagas Dei non proficisci ex odio, sed ex amore paterno erga homines. Sicut enim pater corripit & castigat filium quem diligit, vt eum erudiat, sic & Deus peccatorem. Quapropter castigationem hanc inuitus, & quasi coactus infert, ideoque vt eam pœnitendo euadant homines, priùs per Prophetas & prædicatores eam comminatur & prænunciat, quæ omnia miram Dei clementiam significant, ait S. Hieron. Ita ante diluuium prænonuit peccatores per Noë, qui ea de causa centum annis arcam fabricauit, vt per centum annos homines sciscitantes fabricæ huius causam, monerentur de instante diluuio, illudque pœnitendo auerterent & euaderent, vti excidium euaserunt Niniuitæ prænoniti à Iona. Sic per Moysen nullam Ægypto plagam inflixit, nisi priùs per eumdem de ea Pharaonem & Ægyptios prænoneret, vt patet Exodi c. 7. 8. & 9. Sic clades per Syros, Ammonitas, Madianitas & Philisthæos, quæ narrantur in libris Iudicum, Hebræis non intulit, nisi iis prænonitis per Iosue c. 24. perque Deboram Iudic. 4. 4. & alios Prophetas. Sic excidium per Titum & Romanos Iudæis non irrogauit, nisi iis prænonitis per Christum Lucæ 19. 42. & Apostolos. Sic cladem extremam orbi non inferet, nisi præmissis Prophetis & angelis, qui septem tubis insonantes eamdem toto orbe proclamabunt, Apocal. c. 16. v. 1.

LEO RVGIET, QVIS NON TIMEBIT?] q.d. Quanto magis Deus rugiens & comminans ab omnibus timendus est? Vnde partim explicans, partim inferens subiungit: DEVS LOCVTVS EST, QVIS NON PROPHETABIT?] Hæc enim propositio prioris est parallela partim explicatio, partim illatio & cõclusio. q.d. Si leone rugiente omnes timent, ergo multò magis Deo fremente omnes timeant oportet; ac imprimis nos Prophetæ, qui primi hunc Dei in nobis loquentis rugitum audimus, illius metu percellimur, ideoque trepidi tacere non possumus, sed prophetamus & inclamamus omnibus, vt sibi caueant & prospiciant, ne eius præda fiant & ab eo discerpãtur, præsertim quia ideo in nobis loquitur & rugit, vt nos eumdem rugitum prophetando aliis promamus & exprimamus. q.d. Cùm Deus nos Prophetas mittat, Vers. 8.

iubeatque prophetare, silere non possumus. ita S. Hieron. Emmanuel. Mariana & alij. Amolitur aliud incredulorum Israelitarum effugium, vel potiùs improperium. Improperabant enim iugiter Prophetis, quòd ipsi tristia semper prophetantes Israeli, viderentur de eius clade gaudere, eique insultare. Respondet Amos, se inuitum hæc prophetare, cogique à Deo, nec posse se illi resistere. Deo enim loquente, mandante, & mittente Prophetam, quis non prophetet? quis silere, quis Dei imperium detrectare audeat? Deus enim est quasi leo rugiens, qui Prophetam inobedientem, æquè ac populum rebellem, discerpat: sicut per leonem discerpsit Prophetam illum in re modica inobedientem, scilicet quòd contra iussum Dei cibum sumpsisset in Bethel, deceptus licèt ab alio Propheta, qui Deum iussum suum reuocasse asserebat, 3. Reg. 13. 24. Sensus ergo est, q. d. Minæ meæ non sunt meæ, sed Dei: rugitus meus non est meus, sed Dei: Deus enim quasi leo rugit in mente nostra, & inde in ore nostro, vt vos percellat: ne ergo nobis hæc tristia oracula imputetis. Deo enim loquente per mentem & os nostrum, tacere non audemus, nec possumus. Rursum si leo fame, vel catulis raptis fremens & rugiens è saltu incurrat in vrbem, quis cum eminus videns, non inclamet omnibus: Fugite, leo fremens imminet, prospicite vobis? quin ergo ego Amos videns Deum iratum in Samariam incurrere, vt eam disperdat, omnibus inclamem, vt sibi caueant? Hoc est quod Deus Ezechieli edixit c. 3. 27. *Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israel*, &c. *si dicente me ad impium: Morte morieris, non annunciaueris ei*, &c. *sanguinem eius de manu tua requiram.*

Simile fuit responsum S. Aphraatis Eremitæ. Cùm enim ipse egressus eremo Arrianis grassantibus resisteret, ac Valentem Imp. de arrianismo & persecutione Orthodoxorum increparet, Valens autem ei obiiceret: Quid tu monache, qui vitam solitariam profiteris, silentio & quiete relicta, vrbem & forum ingrederis? respondit: Si virgo in thalamo abscondita, videret quempiam faces domui iniicientem, nónne à domo prosiliret, & inclamaret: Incendium, incendium; vt se suosque ab eo liberaret? ne ergo me reprehendas, qui quietem reliquerim, sed teipsum reprehende, qui hanc flammam in domum Dei inieceris, & non me, qui conor extinguere, ideoque omnibus inclamo, vt caueant à te, & à tua hæresi, qua quasi igne Ecclesiam Dei succendere conaris. ita refert Theodor. in Philotheo c. 8. Pari modo Amos obstrepentibus sibi Israelitis: Quid tu minaris nobis? armentarius es, non Propheta: quid nos flagellas? vade ad tua pascua, flagella tuos boues; respondet: *Leo rugiet, quis non timebit? Deus loquutus est, quis non prophetabit?* Hoc est quod in eadem causa Iudæis respondit Ierem. c. 9 v. 20. *Factus est*, ait, *mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die.* Et mox: *Et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, clausus[que] in ossibus meis, & defeci ferre non sustinens.* Et c. 6. 10. *Cui loquar? Et quem contestabor vt audiat? ecce incircumcisæ aures eorum*, &c. *Idcirco furore Domini plenus sum, laboraui sustinens.*

QVIS NON TIMEBIT] Verè S. Augustin. in Sententiis num. 77. *Omnia quæ timentur, rationabiliter declinantur: Deus sic timendus est, vt ab ipso ad ipsum confugiatur*, scilicet ab ipso irato ad ipsum clementem & placidum.

9. Auditum facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ Ægypti: & dicite: Congregamini super montes Samariæ, & videte insanias multas in medio eius, & calumniam patientes in penetralibus eius.

10. Et nescierunt facere rectum, dicit Dominus, thesaurizantes iniquitatem & rapinas in ædibus suis.

11. Propterea hæc dicit Dominus Deus: Tribulabitur, & circuietur terra, & detrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ.

12. Hæc dicit Dominus: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ: sic eruentur filij Israel, qui habitant in Samaria in plaga lectuli, & in Damasci grabato.

13. Audite, & contestamini in domo Iacob, dicit Dominus Deus exercituum.

14. Quia in die cùm visitare cœpero præuaricationes Israel, super eum visitabo, & super altaria Bethel: & amputabuntur cornua altaris, & cadent in terra.

15. Et percutiam domum hiemalem cum domo æstiua: & peribunt domus eburneæ, & dissipabuntur ædes multæ, dicit Dominus.

AVDITVM FACITE IN ÆDIBVS AZOTI] Aduocat Deus vicinas gentes, putà Azotios & Ægyptios, in Samariam. Primò, vt, visis eorum sceleribus ac punitione, testes sint, vti beneficiorum multiplicium & insignium Israelitis, tum in exitu ex Ægypto, tum in deserto, tum in Chanaan à Deo collatorum; ita & vindictæ mox ab eodem exercendæ in eumdem, vtpote ingratum. Secundò, vt magis doleant Israelitæ, videntes gentibus hostilibus in probrum & ludibrium exponi, quodque hostes clades ipsorum videant & rideant, gaudeantque de eorum strage & excidio, iuxta illud psal. 136. 7. *Memor esto Domine filiorum Edom in die* (excidij) *Ierusalem: qui dicunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Porrò hoc schemate & artificio conatur Deus Israelitas ad se reuocare, dum oculis eorum obiicit infamiam & probra, quæ laturi sunt à gentibus, si in apostasia pergant, ideoque à Deo, per Assyrios vastentur.

Per Azotios, cæteros Philisthinos accipe. Ita synecdoche. ita S. Hieron. Rupert. Hugo, Lyran. Arias & alij. Miratur, & meritò, S. Hieron apol. Septuag. pro Azotiis legi *in Assyriis*: videtur medium librariorum.

SVPER MONTES SAMARIÆ] Hi montes imminent Samariæ, quæ fuit vrbs ab Amri rege ædificata in monte Somer, indeque & vrbs, & ab ea, vtpote metropoli, tota regio dicta est Samaria. eam postea Herodes Ascalonita nominauit Sebasten, id est Augustam, in honorem Augusti Cæsaris: perinde vt nunc vocatur Augusta Vindelicorum, Augusta Treuirorum, &c. Herodes enim eam à fundamentis instaurans, firmissimo muro

muro per viginti stadia circumdedit, & in eius medio templum maximum sesquistadij magnitudine, modis omnibus ornatissimum Augusto Cæsari dedicauit, & Sebasten nuncupauit. ita Ioseph.lib.15.Antiq.c.10.& ex eo Adrichom.in Samaria.

ET VIDETE INSANIAS MVLTAS IN MEDIO EIVS] Hebr. מְהוּמוֹת *mehumot*, id est *tumultus*, & conturbationes ingentes, vt vertit Chald. Hinc Septuag. vertunt, *admirabilia*, quæ scilicet admiraturi erant Philisthini & Ægyptij, ad spectaculum hoc à Deo euocati.

Iam per *tumultus*, Arias accipit tumultus ciuium Samariæ, cùm ea capta ab Assyriis, ciues turmatim fugientes se inuicem obtriuerunt, & ab instantibus Assyriis obtriti sunt. Melius de culpa quàm de pœna hæc accipias. Vnde Noster vertit *insanias*, scilicet in colendis vitulis aureis, ait S. Hieron. Rupert. Hugo & Lyran. aut *insanias*, id est, insanos tumultus & seditiones, quibus se inuicem obtruncarunt. ita Theodoret. Vnde Vatabl. vertit, *confractiones multas*. has enim significat Hebr. *mehumot*. Hinc & sequitur, *Et calumniam patientes*, vel, vt Vatabl. *oppressos per vim & calumniam*, supple & repete, *videte*.

Tropolog. Insaniæ sunt figmenta hæreticorum, ait S. Hieron. *dum vnusquisque fingit quod voluerit, & adorat figmentum suum: vt Marcion bonum Deum & otiosum: vt Valentinus αἰῶνας triginta, & extremum Christum, quem appellat ἔκτρωμα, id est abortiuum: vt Basilides, qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat ἄβρασξαξ, & eundem secundùm Græcas litteras, & annui cursus numerum, dicit in solà circulo contineri.* Talia sunt hodie Caluini & Lutheri placita: hominem carere libero arbitrio, opera bona nil mereri, fidem solam iustificare, omnia opera sanctorum esse concupiscentiæ & peccato contaminata, Deum esse auctorem omnium operum, tam malorum, quàm bonorum; Christum in cruce quasi desperasse, & perstitisse pœnas damnatorum; vota castitatis Deo nuncupata esse impossibilia, nec seruanda; Deum præcepisse legem impossibilem. An non hæ insaniæ lymphaticorum, quibus nihil insanius vidit hæc ætas?

VERS. 10. THESAVRIZANTES INIQVITATEM] iniquas opes, scilicet partas per vim, calumniã, furta, &c. Vnde Vatabl. vertit, *hi sunt qui thesaurizant rapinam, & prædam in palatiis suis*, congregant opes per fas & nefas, vt dicitur.

ET RAPINAS] Septuag. *& miseriam*; Syrus, *& pressuram*, angustiam. Vnde videntur ipsi hæc de pœna Samariæ accipere, cùm potiùs de culpa accipienda videantur, vti dixi.

VERS. 11. PROPTEREA HÆC DICIT DOMINVS, puniens tuas rapinas & scelera: TRIBVLABITVR ET CIRCVIETVR (id est, cingetur obsidione, & circumcirca obsidebitur ab Assyriis) TERRA] ne quis effugiat. Tigurina vertit, *angustiæ tibi erunt, idq; vndique in terra*: quod explicans Vatabl. *Hostis*, ait, *venturus est, & in circuitu terræ huius castra metabitur, ne quis possit effugere.* Loquitur hîc Propheta tamquam attonitus magnitudine tribulationis & stragis futuræ, quam quasi præsentem spiritu prophetico intuebatur: propterea vtitur locutionibus concisis, multaque subticet & subaudit, vt admirationem & terrorem incutiat audientibus. Mirum est Septuag. hæc de Tyro accipere, eò quòd Hebr. צוּר *tsor* significet angustias, & petram angustam, indeque Tyrum in petra conditam. Vertunt enim, *Tyrus, & in circuitu terra tua deserta erit*. Agitur enim hîc de clade Samariæ, non Tyri. Melius ergo Symmach. *tsor* vertit πολιορκίαν, id est obsidionem; & Theodotion, *fortitudinem*.

DETRAHETVR EX TE FORTITVDO TVA] Tigurina, *deiiciet à te robur tuum, & diripientur palatia tua*: Vatabl. *hostis auferet tibi opes tuas, in quibus tuum belli robur consistit*. q.d. Assyrij rapient tuas opes, quas per vim, dolum & calumniam congessisti.

VERS. 12. QVOMODO SI ERVAT PASTOR DE ORE LEONIS DVO CRVRA, &c.] Per *pastorem*, Deum; per *leonem*, hostem, per *crura* & extremum auriculæ, paucitatem Israelis ab hoste seruandam intellige. q.d. Sicut pastor leoni rapienti & discerpenti ouem, aut bouem, aliquam ex eo partem, sed paruam & ad esum inutilem, v.g. duo crura, quæ leo non curat, eripit; sic aliqui Israelitæ, sed pauci, fiique infirmi, pauperes & viles ab hac eorum strage & captiuitate eruentur, ii scilicet, quos Assyrij contemnent, & vt quisquilias fæcesque plebis relinquent in Samaria ad colendum agros & vineas. ita Theodor. Clarius, Arias & Vatabl. Ecce Amos, vtpote pastor, crebrò à re pastoritia sibi familiari petit similitudines.

Aliter, imò contrariè S. Hieron. censet enim hæc ironicè per sarcasmum dici. q.d. Israelitæ præsidi robori Samariæ, & auxiliis Damasci, id est Syrorum, putant quòd eruent & expedient se de manibus Assyriorum, sicut pastor ope canum de ore leonis extorquet & eripit duo crura, &c. sed errant & falluntur. Verùm prior sensus, vti communior, ita simplicior est & verior: Deus enim post commendatam iustitiam, commendat hîc suam misericordiam, eaque illam temperat. q.d. Non omnes omnino peribunt: nam aliqui seruabuntur, licèt pauci. Porrò per crura & ossa significat eos nudos ac spoliatos, vita vix salua, stragi communi eripiendos.

Rursum censet Theodoret. duo hæc crura à pastore eripi, vt iis fidem faciat hero, pecus à leone esse laniatum, non à se venditum, aut furto sublatum.

Symbol. notat Rupert. duo crura & extremum auriculæ ad hoc reseruari, vt ex iis constet quale fuerit pecus deuoratum, an ouis, an bos, an equus: sic videlicet ex paruis Iudæorum reliquiis, colligi quales fuerint ipsi ante peccatum, & ante Christum, atque illas ipsas fidem Christianorum confirmare, dum testimonium legis & Prophetarum nobis circumferunt, ex quibus Christum salutis auctorem cognoscimus eumdemq; Gentilibus demonstramus per Iudæorum, fidei nostræ hostium, libros & monumenta.

Tropol. S. Hieron. hæc applicat doctoribus & prædicatoribus: *In crure*, ait, *via ostenditur doctrinarum, in aure sacramenta dictorum. Vnde Apostoli absque calceamentis & vlla mortui animalis pellicula iubentur incedere*, Matth.10. *Et ad credentes dicitur: Qui habet aures audiendi audiat*, Lucæ 8. In corporis ergo totius strage auris eripienda est, qua monita salutis audiamus; & crura, quibus in illis & iuxta illa ambulemus & conuersemur. Vnde Stephanus Cantuariensis in Sylua allegor. per duo crura accipit continentiam mentis & cor-

poris, per extremum verò auriculæ perseuerantiam in obedientia: crura verò restringit & applicat Prælatis. *Sic* enim, inquit, *cùm multi sint Prælati, maior pars peribit, & consumetur à leone, scilicet diabolo, & paruæ reliquiæ saluæ fient per illum pastorem qui dicit: Ego sum pastor bonus.*

IN PLAGA LECTVLI] Id est, in latere vel angulo lecti. Sic enim quatuor plagæ mundi vocãtur quatuor eius latera. Nam hebr. est פְּאַת מִטָּה *peath mitta*, id est, in angulo, latere, vel extremitate lecti: in angulo enim vtrimque corpus fulcitur; hinc meliùs & pleniùs in eo quiescit. Huc facit illud Thomæ à Kempis: *In omnibus requiem quæsiui, & non inueni, nisi in angello cum libello.* Porrò plaga vox est desumpta à Græcis: hi enim πλάγια vocant latera & angulos transuersos. Rursum plagæ & plagulæ tapetes græcè dicuntur, latinè stragula. Vnde Varro de Vita populi Rom. *Eburneis lectis & plagis sigillatis.* Et Liuius lib. 9. in bello Maced. *Luxuriæ*, ait, *peregrinæ origo ab exercitu Asiatico aducta in vrbem: ii primùm lectos aratos, vestem stragulam pretiosam, plagulas, & alia textilia*, &c. *Romam aduexerunt.* Nec hoc longè abit ab Hebræo *pea*, id est angulus, extremitas: stragula enim sunt angulata, & in angulis signata & plagulis insignita. Sensus est, q.d. Pauci Israelitæ, vt dixi, habitantes in Samaria, in eaque securè quasi in suaui lecti stragulo, vel angulo quiescentes eruentur à clade Assyriorum. Samariam vocat plagam, vel angulum lectuli, eò quòd instar lecti eleuata esset & montosa, æquè ac mollis, delicioſa, opulenta, indeque culta & populosa, vt videretur esse angulus & arx decem tribuum. Vnde in ea fidenter quasi in lectulo quiescebãt, non timentes Assyrios. ita S. Hieron. & alij. Adde, per *plagam* accipi potest clima, situs & regio Samariæ: hæc enim Hebræi vocant *pea*, id est, angulum terræ. Rursum, propriè Samaria sita erat in angulo respectu Iudææ, & montium Samariæ vrbi imminentium, vt patet in tabula eius chorographica, quam exhibet Adrichomius post paginam 24.

Iam Primò, Chald. sic vertit & explicat: *Eruentur qui habitant in Samaria, in fortitudine potestatis, & in Damasco innitentes.* q.d. Eruentur qui confidunt Samariæ munitioni, & opi Damascenorum ac Syrorum, in qua pariter quasi in grabato quiescunt & securi dormiunt.

Secundò, Lyran. per *plagam lectuli* accipit Ierusalem, in qua erat templum, in quo quasi in lecto requiescebat Deus. q.d. Saluabuntur pauci ex Israel, scilicet ii, qui profugerint in Ierusalem ad alas Dei & Ezechiæ regis, vel in Damascum ad alas Syrorum.

Tertiò, Vatabl. q.d. Cladem Assyriacam pauci effugient, scilicet ii dumtaxat, qui post lectum in angulo se absconderint: aut ægroti, qui in lectis decumbentes sua ægritudine mouebunt Assyrios, vt iis parcant. q.d. Assyrij parcent solis miseris, qui adeò pauperes erunt, vt bini vel terni in lecto, aut non tam in lecto, quàm in parte & angulo lecti requiescere cogantur.

Quartò, Septuag. pro, *In plaga lecti & Damasci grabato*, vertunt, *contra tribum & in Damasco, vt iuxta tropologiam referamus tribum* (Hebr. enim מַטֶּה *mitta* lectum, sed, si legas alio puncto מַטֶּה *matte*, virgam & tribum significat) *ad Iudam, & Damascum ad vocationem Gentium, de quibus vnus grex factus est Domini: cuius sæpè oues leonum feritas laniat, de quorum faucibus vix duo crura, aut extremum auferetur auricula*, ait S. Hieron.

Quintò, probabiliter P. Prado in Ezech. 4. 40. hæc accipit de lectulis mensalibus. q.d. Qui habitant (quiescunt) *in Samaria in plaga lectuli*, id est, qui primos habent discubitus in lectis stratisque inter conuiuas. Nam pro *plaga* hebr. est *in angulo lecti*, id est, in capite, in loco primario. De quibus rursum dicit c. 6. 4. *Qui dormitis* (cubatis) *in lectis eburneis, lasciuitis in stratis vestris.*

Ex his omnibus maximè genuina videtur tertia explicatio: tum quia vox *plaga*, vel angulus *lectuli*, ac vox *grabato*, significant hæc ad pauperes & ægros pertinere. Hi enim iacent in grabatis & angulis: tum quia hi rectè comparantur cum duobus cruribus, & extrema auricula, leoni ereptis; alioqui enim non constabit similitudo Prophetæ, eiusque vis & neruus, nisi his duo crura & extremum auriculæ adaptes. Sensus ergo totius huius versiculi est hic: Sicut pastor de ueece aut vitulo à leone deuorato eripit, seruatque duo crura, aut extremum auriculæ, ab illo carnibus iam satiato, vtpote ossea & insipida neglecta, vt ea ad herum deferat, quo demonstret ritulum non à se subductum, sed à leone laniatum: ita ex tota Samaria quasi è corpore politico, duo vel tres, id est, pauci dumtaxat cladi illius eruentur, iique viles & inutiles, putà pauperes macie confecti, vt sola crura ossea habere videantur; & ægri, qui bini vel terni in eiusdem lecti & grabati lateribus decumbant, siue in Samaria, siue in Damasco. ita à Castro. Quocirca fortè idcirco Interpres pro Hebr. *pea*, id est angulus, vertit *plaga*, quæ & latus, & vulnus morbumque significat, vt innueret eos in latere lectuli decumbere ex vulnere & morbo. q.d Saluabuntur ii, qui ex plaga vulneris & morbi decumbunt in plaga, id est, in latere & angulo, lectuli. Propriè plagæ, vel plagulæ sunt commissuræ, siue assumenta, quæ tapetibus, cæsulis, stragulis, lectis, vestibus attexuntur vel assuuntur; pretiosæ (vti sunt effigies aureæ & gemmeæ in cæsulis) à diuitibus ornatus & splendoris ergò; rudes & viles à pauperibus necessitatis causa. Laceris enim stragulis, lectis & vestibus pauperes assuunt partes, putà plagulas, vt rupturam farciant, præsertim ad angulos: ibi enim faciliùs ob affrictum parietis, aliarumque rerum, franguntur. Plaga ergo lectuli est angulus lectuli pauperis, assumento resarcti, &, vt S. Franciscus dicere solet, rappeciati. Pauperes enim lectos habent non integros, sed pluribus tum maioribus, tum minoribus consarcinatos, instar centonum. Quare dormire in plaga lectuli, idem est quod dormire in centone, aut potiùs in assumento & latere centonis, ita vt in altero lecti latere dormiat alius, vel plures. Sensus ergo est, q.d. In Samariæ excidio saluabuntur soli pauperes & miseri, qui in centonibus gregatim ob paupertatem dormiunt.

ET IN DAMASCI GRABATO] Sicut Samariam *lectum*, sic Damascum vocat *grabatum*: quia Israelitæ vexati ab Assyriis, miseri & afflicti confugiebant Damascum, ibique quasi ægri in lecto securè quiescebant, seque recreabant. Damascus ergo iis afflictis, fessis & ægris erat quasi lectus. ita S. Hieron. Rupert. Remig. Hugo & alij. *Vt quomodo qui fessus est refocillatur in lectulo, sicut fratia*

fractas vires vicinæ gentis (Damasci) *auxilio roborarent*, ait S. Hieron.

Perperam Recentiores, vt R. Dauid, Pagnin. & alij, Hebr. דַּמֶּשֶׂק *dammeśec*, id est Damasci, accipiunt non vt proprium, sed vt appellatiuum, quasi compositum ex ד *de* & מֶשֶׂק *meśec*: *meśec* autem significat tibiam vel crus. Vnde vertunt, *in crure*, id est, pede vel sponda lecti; aut, vt Arias, *in lecto mobili & agitabili*, vt eius agitatione ægro somnus concilietur, vti matres agitant cunas infantium, vt hoc motu ipsi somnum concipiant. Vnde ipse exponit, q. d. Assyrij iis solis parcent, qui ex graui longaque infirmitate decumbentes in lectulis, seipsos mouere, & ab vna parte in alam conuertere non poterunt, sed instar puerorum moueri, & conuerti ab aliis debeant. Perperam inquam: nam hebr. non est *meśec*, sed *dammeśec*, quod non aliud quàm Damascum significat, vti vertunt Septuag. Chald. Noster & B alij. Adde ד *de* Hebræis non esse articulum, nec solere præfigi nominibus.

Tropol. lectus auari est mammona, lectus superbi honor, lectus gulosi mensa opipara, lectus luxuriosi cubilia & impudicitiæ, lectus acediторpor & somnus. Nam *sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo*, Prouerb. 26. 14. Hi lecti varios habent angulos & stragula mollia, quæ quisque sibi fingit, captat & adaptat.

Vers. 13. AVDITE] Vos ô populi, ait S. Hieron. vel potiùs, vos ô Prophetæ, cladem ad quam non ego, sed Deus per os meum destinat domum Iacob, id est, posteros Iacobi siue Israelis, putà decem tribus earumq; aras & delubra, in quibus colunt vitulos aureos in Dan & Bethel. ita Albert. Hugo, Arias & Vatabl. Vnde Septuag. habent, *Sacerdotes audite*. Sed rectè notat S. Hieron. *Puto*, inquit, *Septuag. ipsum verbum posuisse, quod quidam* A *non intelligentes, pro* אֲרֵשׁ *aresc legerunt* ἱερεῖς, *id est sacerdotes*. *Ares* enim noster Interpres, & alij ad versum præcedentem referunt, vertuntque *lectulum*; sed Septuag. huc referunt, retinentque vt nomen proprium.

ET CONTESTAMINI] Id est, contestando Deum, eumque in testem vocando prædicite & prædicate instans eis exitium, nisi ab idolis & sceleribus resipiscant.

ET PERCVTIAM DOMVM HIEMALEM CVM DOMO ÆSTIVA] Ita & Aquila, Symmach. & Theodor. Verùm Septuag. vertunt, *domum pinnatam, cò quòd ostiola habeat per fenestras, & quasi pinnas ad magnitudinem frigoris repellendam*, ait S. Hieron. qui hac re significari putat, Israelitas delicioſos *tantarum fuisse opum, vt duplices haberent domos, hiemales & æstiuas, quarum alia* (hiemales) *versæ essent ad Aquilonem, alia* (æstiuæ) *ad Austrum, vt pro varietate temporum, frigoris & caloris caliq; temperiem prouiderent*. Sic Ierem. 36. 22. Ioakim dicitur fuisse in domo hiemali mense nono. Ita in Belgio domos æstiuas in villis ad delicias comparatas, obluxum in iis admissum, per bella hæc destruxit & rasit Deus. Vers. 15.

Mysticè idem S. Hieron. *Domus*, ait, *hiemalis erat regnum Israel, in qua frigus erat religionis & cultus Dei, variiq; ventorum turbines & sæua tempestas: & domus æstiua, Iuda & Ierusalem, in qua erat templum, & offerebantur holocausta manè & vespere, & vigebat calor religionis*.

ET PERIBVNT DOMVS EBVRNEÆ] *Legimus Achab regem Israel tantis fluxisse delicijs, vt domum sibi eburneam fecerit*, 3. Reg. 22. 39. ait S. Hieron. non quòd fecerit eam ex ebore solido: vnde enim tantum eboris habuisset? sed quòd illam ebore incrustarit: hæc enim vocatur *domus eburnea*, teste Plinio lib. 16. 43. vide Sanchez.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Minatur Deus Israelitis, quòd Assyrij leuabunt eos in contis, & reliquias eorum in ollis feruentibus. Deinde ob impura & sacrilega eorum sacrificia ait se eos percussisse sex plagis, scilicet fame, siccitate, vento vrente, aurugine, eruca, peste: denique penè eos subuertisse sicut Sodomam; eos tamen hisce plagis nihil meliores effectos, nec rediisse ad se. Quocirca dira & extrema quæque illis intentat, additq;: Præparare in occursum Dei tui, *qui creat montes, ventos, nebulas, &c.*

Vers. 1. AVdite verbum hoc vaccæ pingues, A quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis vestris: Afferte, & bibemus.

2. Iurauit Dominus Deus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.

3. Et per aperturas exibitis altera contra alteram, & proiiciemini in Armon, dicit Dominus.

4. Venite ad Bethel, & impiè agite, ad Galgalam, & multiplicate præuaricationem: & afferte manè victimas vestras, tribus diebus decimas vestras.

5. Et sacrifica te de fermentato laudem, & vocate voluntarias oblationes, & annunciate: sic enim voluistis filij Israel, dicit Dominus Deus.

6. Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris, & indigentiam panum in omnibus locis vestris: & non estis reuersi ad me, dicit Dominus.

7. Ego quoque prohibui à vobis imbrem, cùm adhuc tres menses superessent vsque ad messem: & plui super vnam ciuitatem, & super alteram ciuitatem non plui: pars vna compluta est: & pars super quam non plui, aruit.

8. Et venerunt duæ & tres ciuitates

vnam ciuitatem vt biberent aquam, & non sunt satiatæ: & non rediſtis ad me, dicit Dominus.

VERS. 1. AVDITE VERBVM HOC VACCÆ PINGVES] Hebr. *vaccæ Basan.* ita Septuag. Theodotion, Aquila & Hebræi passim. Verùm quia regio Basan pascuis opima, pingues alebat boues & vaccas, vt patet Deuter. 32. 14. hinc rectè vertit Noster, *vaccæ pingues*; & Symmach. *boues saginatæ*; alij, *vaccæ lasciuientes.* Iam Theodor per *vaccas* accipit mulieres Samariæ lasciuas, rapaces & imperiosas, *Vaccas*, inquit. *Basanitides, mulieres vocat luxu & voluptatibus diffluentes. Eiusmodi enim erant vaccæ Basanitides, ob pabuli copiam exultantes. Vnde fiebat, vt bona tenuiorum in rem suam conuerterent* (vti vaccæ depascebantur prata Basan) *atque viris, quibus ex diuina lege subditæ erant, imperare non verebantur, in ordinemq; eos redigi iubebant: qualis fuit Iezabel, viro* (Achab) *tamquam mancipio vtens.* Sic & Lyran. Arias & Vatabl. Est enim vacca, muliebris ingenij, petulantiæ & salacitatis symbolum. Vndè Ælianus lib. 4. c. 45. scribit, in Ægypto vaccam, simul & Venerem religiosè coli, eò quòd vacca affinitatem & conuenientiam cum dea habere existimetur: quin & vacca Veneri in Ægypto immolabatur, ait Girald. in Syntag. nam, vt ait Columella lib. 6. 24. vaccæ *post vernam pinguedinem gestientes, & pabuli nimietate exhilaratæ lasciuiunt.* Insuper *vacca quamuis plena fœtu, non expletur libidine.* Quocirca Amos hîc describere videtur familias & domus impiorum, quæ sunt *sicut congregatio taurorum in vaccis populorum*, psal. 67. 31.

Vaccæ Basan quæ

Melius S. Hieron. Ruffin. Rupert. Albertus, Glossa, Hugo, Clarius & alij, censent hæc tam, imò magis ad viros, quàm ad mulieres Samariæ spectare. viri enim, quia effeminati, lasciui & impudentes, vocantur vaccæ, vel vitulæ populorum psal. 67. v. 31. Osee 10. 11. & alibi. Id patet ex sequentibus: *Ecce dies venient super vos*, scilicet viri. Hebr. enim חֵם *chem* masculinum, viros notat: *vaccas* ergo *Basan*, vocat opulentos (vnde Chald. vertit, *diuites substantiarum*) & principes Samariæ, qui bona pauperum depascebantur, tum quia gulæ & ventri erant dediti, tum quia saginæ & mactationi destinabantur. Audi S. Hieron. *Loquitur ad principes Israel, & optimates quosque decem tribuum, qui deliciis ac rapinis vacabant, vt audiant sermonem Dei, & non aratores boues, sed vaccas pingues de armento se esse nouerint, siue quæ nutriantur in pascuis Basan, quæ sunt loca herbarum fertilissima, ac per hoc significat eos non agriculturæ, sed immolationi & esui præparatos.*

Porrò, cur hi vocentur *vaccæ Basan*, tres causas adfert Ruffinus. Prima, quòd gloria ipsorum in ignominia erat terminanda. *Basan* enim hebr. confusionem & ignominiam significat. Secunda, quòd vox eorum humana in vaccinam, putà in mugitum, præ dolore erat commutanda. Tertia, quia Deus eorum erat venter, ac iugibus vacabant conuiuiis & sympoſiis, ideoque, vt ait Psaltes, *prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Quartam adde, quòd vaccas, putà vitulos aureos, quasi deos coluerint. Vnde Rupert. per *vaccas Basan* accipit sacerdotes Bethel, qui visibiliter substracti vitulis quos colebant, erant instar vaccarum; inuisibiliter verò suas animas tauris infernalibus, id est dæmonibus, prostituebant. Hi enim dicebant principibus: Date nobis victimas & oblationes, quas comedamus & bibamus; nos vicissim vos vestraque peccata expiabimus apud Deum, & excusabimus apud populum.

Tropol. S. Hieron. *vaccæ Basan* sunt hæretici veneri & gulæ addicti, vti fuit Lutherus, Caluinus, Bucerus, &c. Item diuites & nobiles insolentes & rapaces, qui ex aliorum, præsertim pauperum bonis se ditant, iisque luxuriantur.

QVÆ DICITIS DOMINIS (putà regibus & principibus) VESTRIS: AFFERTE, ET BIBEMVS] q. d. Afferte spolia pauperum, vt inde vobiscum epulemur, & compotemus. vel, vt S. Hieron. *Date nobis, & bibemus, id est, iubete tantùm, & nos cuncta vastabimus*, id est, *diripiemus*, inquit Chald. vt lictores, vel vt ebrij absorbebimus. Nam *vox Bibemus, ebrietatem eorum significat in vino atque luxuria, quæ statum mentis euertunt*, ait S. Hieron.

Tropol. idem dicunt iniqui Aduocati & Procuratores Iudicibus, Consiliariis, Scabini & Prætores Principibus & Magistratibus, æquè impij. Hi enim quasi harpyiæ inhiant bonis populi, in eaque inuolantes illa inter se distribuunt, atque ex iis opipara conuiuia & sympoſia instruunt. Hoc scelus enorme, vti rempubl. euertit, ita horrendam certamque Dei iram & vindictam prouocat. Vnde subdit:

IVRAVIT DOMINVS DEVS IN SANCTO SVO] Hebr. בְּקָדְשׁוֹ *becodsò*, id est, *in sanctitate sua*, hoc est, per sanctitatem suam: Hebr. enim *beth*, id est *in*, est nota iurantis. ita Chald. Symmach. & passim Hebræi. q. d. Iurauit Deus per semetipsum: ipse enim est summa & increata iustitia & sanctitas, quam vos, ô iudices & principes, interna imitari & tueri debebatis, nunc autem eamdem violastis & euertistis. Quocirca hæc Dei sanctitas iurat, se huius violationis, & vt ita dicam sacrilegij, acerrimum fore vindicem. ita S. Hieron. Remig. Rupert. & alij, qui insuper tres alios afferunt sensus. Primus est, iurauit Deus per sanctitatem, id est, per sanctum templum suum. Secundus, per filium suum sanctum. Tertius, per sanctos Prophetas. Vnde Septuag. vertunt, *iurauit Dominus per sanctos suos.* Verùm quod initio dixi, literale est & genuinum.

QVIA ECCE DIES VENIENT SVPER VOS, ET LEVABVNT VOS IN CONTIS] Septuag. Syrus & Arabicus, *in armis*; Symmach *in clypeis*; melius Theodot. *in hastis*. q. d. Instant dies, quibus Assyrij vos, ô Samaritæ, contis & hastis suis configent. Vnde Tigurina vertit, *auferet vos lanceis. Seruat vaccarum metaphoram*, ait S. Hieron. *vt quas esse pingues dixerat vaccas, earum carnes narrat in contis, vel scutis esse portandas.* Fortè etiam alludit ad morem matum, putà ad feros sæuosque victores, qui capita cæsorum in lanceis gestant quasi in triumphum, vti faciunt Turcæ. Contus enim vocatur sudes & hasta longior, vel pertica oblonga nautarum, qua ipsi nauem protrudunt & dirigunt. vnde Virgil. 5. Æneid.

Et acuta cuspide conti.

ET RELIQVIAS VESTRAS IN OLLIS FERVENTIBVS] Arabicus, *in ollis ardentibus*; Syrus, *in ollis natoris*; Hebr. בְּסִירוֹת דּוּגָה *besirot duga*, id est, in ollis piscium, quas scilicet piscatores seruant plenas feruenti aqua, vt pisces recentes, quos è mari extrahunt, illico coquantur. q. d. *Sicut lebes feruens ſo-*

Vata 3.

uentissimus minutos pisces pariter inuoluit, ita & vaca Basan absque vllo ordine captiuitatis miseriis opprimentur, ait S Hieron. Aut pressiùs & concinniùs, q.d. Sicut lanciones capita boum & vaccarum à se mactatarum, longis contis & perticis ostentãt, vt inde populus cognoscat qualis quantaque vacca sit mactata, & ad eius carnes emendum accurrat; reliquias verò putà hepar, stomachum, intestina coniicit coquitque in ollis feruentibus: ita & milites Assyrij capita, id est optimates Samariæ à se occisos, vel captos ostentabunt, vt ex iis aliæ gentes coniiciant, qualis quantusque fuerit Samariæ populus, quantaque de iis strages & victoria: reliquias verò, putà milites cieuesque, qui in arces, vrbes, domosque munitas, aut in caueas & speluncas confugient, in illis ipsis quasi pisces in ollis feruentibus comburent. ita Lyran. & Dionys. *Sicut enim ternsalem*, ait S. Hieron. *habens clausos populos & obsessos, assimilatur ollæ feruenti & plenæ carnium*, Ezech. 24. 3. *sic & vrbes Samariæ ollis feruentibus comparantur, quæ fame & pestilentia clausos populos exire compellant, & ire in captiuitatem.* Addit à Castro, q.d. Corpora eorum dilacerata, & in frusta concisa in feruentes ollas iniicient, vti fecit Antiochus Epiphanes Machabæis, 2. Machab. 7.

Aliter Rupert. & Remig. q.d. Assyrij Samaritas confusè sine vllo ordine in Assyriacam captiuitatem quasi in ollam coniicient.

Secundò, Hebr. *besirot duga*, Pagnin. Vatabl. & Clarius exponunt, *in hamis piscatorius*. q.d. Sicut piscatores hamis pisces extrahunt ex mari, ita Assyrij suis armis vos extrahent ex Samaria, abducentque in Assyriam.

Tertiò, Chald. vertit, *eleuabunt vos in clypeis, & filios vestros in scaphis*, vel nauibus piscatoriis. q.d. Per naues quæ excauantur & orbiculantur instar clypeorum, è Samaria auehent & ablegabunt vos in Cyprum, aliasque remotas insulas.

Quartò, R. Abraham & R. Dauid pro *ollis*, vertunt *spinis*: has enim quoque significat Hebr. *sirot* Iam *spinis*. id est hamis: vel *spinis*, id est contis, & lanceis acutis instar spinarum, vt more Hebræo idem dicat hemistichio posteriore quod dixit priore. vel *spinis*, id est flagellis: ex spinis enim tyranni faciebant flagella, quæ quia suis aculeis carnes pungebant, lacerabant & discerpebant, vocabantur scorpiones, quos Roboam tyrannus minatus est populo dicens: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego cadam vos scorpionibus*, 3. Reg. 12. 14.

Quintò, Arias pro *in contis*, vertit, *in frigoribus*, sensumq; dat, q.d. Assyrij vos, ô Samaritæ, quasi vaccas æstate lasciuientes transferent in regiones frigidas & algentes, vbi pro cibis non aliud habeatis quàm viles pisciculos, qui olim mancipiis dabantur in escam.

Denique Septuag. vertunt, *tollent vos in armis, & eos qui vobiscum sunt in ollas feruentes pestilentes*: ἐμπορεῖα enim feruentes significat; pro quo aliqui legunt ἔρημοι, id est desolati, vel desolatores; Complut ἔμποροι, id est mercatores. Vnde sic habent, *tollent vos in armis, & eos qui vobiscum sunt in labetes negotiatores pestilentes.*

A ordine suo exibunt captiui abducti ab Assyriis. ita S. Hieron. Vnde Chald. vertit, *confringent super vos muros, & educent vos quasi mulieres, singuli ante se.* Dicit, *altera contra alteram*, id est, alter contra alterum: quia persistit in nomenclatura vaccarum, qua eos vocauit v. 1. solent enim vaccæ gregatim educi per portas, ita vt binæ, ternæ & quaternæ, simul egrediantur; aliæ pari ordine & turma sequantur. Aliter alij, q.d. *Altera*, scilicet *vacca, egredietur contra alteram*, scilicet aperturam muri. q.d. Quælibet egredietur per aperturam sibi oppositam. quo significat multas fore muri rupturas; sicuti de muris Iericho circumcirca corruentibus, ait Iosue c. 6. 5. *Muri funditus corruent, ingredienturq; singuli per locum contra quem steterint.* Vnde Vatabl. vertit, *egrediemini vnaquæque ante se, id est, per rupturam quæ prima vobis occurret.* Sic & Clarius & Arias.

B

Ver. 3. Et per aperturas (muri Samariæ, qui ab Assyriis eam obsidentibus arietibus diruetur & aperietur) exibitis altera contra alteram] id est, vna cum altera, vel vna post alteram, hoc est singuli, vel simul bini & terni, vel vicissim &

Et proiicemini in Armon] q.d Assyrij abducent vos in Armeniam, quæ adiacet Assyriæ. ita S. Hieron. Chaldæus, Symmach. Remig. Rupert. Hugo & Clarius. Hebr. est הַרְמֹנָה *harmona*. quod Primò, Noster & alij iam dicti vertunt, *in Armon*, vel *in Armeniam*. Hæc enim ab Aram filio *Sem*, primo incola, dicta est *Aram*, vel *Harmon*: littera enim *aleph* sæpè cum *he* commutatur. Secundò, alij, *Harmona* per diastolen diuidunt. vnde Theodotion vertit, *in montem* (*hor* enim hebr. significat montem) *Mona*; Aquila, Syrus & Arabicus, *in montem Armona*; Septuag. *in montem Remnam*, vel, vt Theodor. legit, *Armana*. q.d. Abducemini in montes Armeniæ. hæc enim montosa est: vnde in eius montibus primùm quieuit & subsedit arca Noë, Genes. 8. 4. imò à montibus dictam esse hebraicè Aram, siue Armeniam, q.d. Altam, excelsam, censent viri docti; eò quòd cæteris prouinciis omnibus excelsior & montosior sit. V. editio vertit, *in montem excelsum.*

C

Tertiò, recentiores, R. Dauid, Vatabl. Arias, à Castro, Marinus & Pagnin. Harmon, vel Armon accipiunt vt nomen, non proprium, sed appellatiuum, significans palatium, domum excelsam, arcem: Hebr. enim רם *ram*. altum, celsum significat: vnde Abram vocatus est, quasi *Ab*, id est pater, *ram*, id est excelsus. Sensus est, q.d. Assyrius Samariam expugnando, obuiosque trucidando, vel capiendo, reliquos vestrum stringet & coget confugere, & conitere se in arces munitas. sed frustra: nam & illas expugnabit, vosq; capiet & trucidabit. Aliter Pagnin. vertit enim: *Deiicietis palatium*, scilicet regis muro adhærens, vt per illud manus instantis Assyrij effugiatis.

D

Tropolog. Vaccæ Basan id est hæretici, proiiciuntur à dæmone in montes Armeniæ, id est superbiæ: omnis enim hæreticus est superbus, quia suum iudicium præfert toti Ecclesiæ. Hinc Remnam, idem est quod visio alicuius, ait S. Hieron. quia hæretici non omnia Ecclesiæ dogmata carpunt, *sed partis alicuius scientiam sibi promittunt, vt proiiciantur, eo quòd scire se credunt*: sui enim ingenij & iudicij lima politula limare volunt fidem & Ecclesiam.

Venite] Est sarcasmus id est, hostilis irrisio. Vers. 4. q.d. Agite sacrilegi, vitulamini cum vitulis vestris in Bethel, cum idolis in Galgalis; satiate vos eorum victimis, ingurgitate vos vestris idolothytis: at scitote vos ibidem ab Assyriis mactandos,

quasi victimas Deo vltori. ita S. Hieron. Quocirca hunc sarcasmum candidè explicant Chald. & Septuag. dum assertiuè & increpando vertunt, *ingressi estis in Bethel, & iniquè egistis in Galgala, multiplicastis impiè agere.* A

AFFERTE MANE VICTIMAS VESTRAS] q.d. Iuge sacrificium agni, quod ex lege solebatis manè & vespere offerre Deo vero Hierosolymis, nunc vitulatores illud ipsum manè offerte vitulis vestris. ita Clarius, Arias, Vatabl. & alij. Quodnam & quale fuerit hoc iuge sacrificium, dixi Exodi 29.38. Secundò, S. Hieron. putat per *manè* significari auiditatem, celeritatem & multitudinem sacrificiorum. q.d. Agite quod agitis, pergite summo manè ex ardore idololatrandi offerre victimas, vt aliis & aliis superuenientibus ante vesperam omnia absoluere possitis, ne dies citiùs vos deficiat quàm sacrificia & scelera vestra. Addit S. Hieron. *manè* notare victimas pridie immolatas, & contra legem seruatas in posterum manè. q.d. Vos ex lege Leuit. 7.15. debebatis victimas eodem die comedere quo eas immolastis: at nunc contra legem vel ex auaritia, vel ex crapula, quia scilicet tot victimas eodem die vorare non potestis, seruatis multas eorum reliquias in manè sequentis diei: nam & mox taxat eos, quòd contra legem fermentum offerrent in sacrificio. B

TRIBVS DIEBVS DECIMAS VESTRAS] Septuag. *tertio die*, vel, vt habet codex Vatican. *in triduum decimas vestras* q. d. Vos contra legem Leuit. 7.17. seruatis victimas in tertium diem. ita S. Hieron. Remig. & Hugo. Verùm lex illa Leuit. vetat tantùm victimas seruari, non decimas, de quibus hîc agitur. C

Secundò, Arias, Vatabl. & Pagnin. vertunt, *afferte ad tertium dierum*, id est tertio die, hoc est, tertio anno decimas idolis vestris, iuxta legem Deuter. 14.29. Nam *dies* apud Hebr. sæpè significat annum, vt Genes. 24.1. *Erat Abraham senex, dierumq́;* (id est annorum) *multorum*. Verùm illa lex Deuter. non iubet afferri ad templum, sed tantùm domi suæ seruari decimas, easque tertio anno distribui in Leuitas, peregrinos, pupillos & viduas, vti fecit Tobias c. 1.7. *Ita vt in tertio anno proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem.*

Dico ergo, propriè hîc tres dies accipi. Iusserat enim Deus Hebræis Exod. 23. v. 14. & 19. vt tribus diebus, siue festis præcipuis per annum, putà in die Paschatis, Pentecostes, & festi tabernaculorum, adirent templum sacrificij & orationis causa: & tunc partim ad iter, partim ad oblationes & epulum sacrum (quo cum Leuitis ex victimis suis pacificis epulaturi erant coram Domino, id est, in templo coram arca & Sancto sanctorum in quo residebat Deus) ferebant secum vnam decimam suarum frugum & opum, quam ad hoc separare iubentur Deuter. 14.22. itaque fecit Tobias, vt patet c. 1.6. & 7. Idem feciſſe Israelitas in Bethel, quasi simias Iudæorum, docet hîc Propheta. q.d. Agite, ter in anno, siue tribus præcipuè festis afferte decimas in Bethel vitulis, quas olim afferre solebatis Deo in Ierusalem. ita Rupert. Lyran. à Castro & alij. D

VERS. 5. ET SACRIFICATE DE FERMENTATO LAVDEM] *Laudem*, id est, *sacrificium laudis*, vt vertit Tigurina, seu *gratiarum actionis*. Vnde Aquila vertit, *eucharistiam*. hoc enim à fine vocatur hebraicè תּוֹדָה *toda*, id est confessio, laus, gratiarum actio. Est ironia & sarcasmus. irridet enim eorum sacrificia fermentata, ideoque impura: nam Iudæorum erant azyma & pura, idque ex præscripto Dei Leuit. 2.11. & cap. 7.12. & ita S. Hieron. Rupert. Lyran. & Hugo. Quare imperitè Græci nonnulli hunc locum citant, vt contra Latinos probent Eucharistiam celebrandam esse in pane fermentato, non azymo. Nam Amos non laudat, sed culpat & damnat hîc sacrificium fermentatum.

Nota. Nihil fermentatum inferri poterat altari; poterant tamen panes fermentati afferri tamquam donaria pro sacerdotibus, vt ipsi illis vescerentur, vti ostendi Leuit. 7.13. Quare minùs rectè Vatabl. & Arias censent, in sacrificio laudis potuisse offerri fermentum. hoc enim dsertè vetatur Leuit. 2.11.

Mysticè fermentum est symbolum corruptionis & malitiæ, 1. Corinth. 5. v. 6. vnde Chaldæus vertit, *colligunt ex rapina sacrificium laudis. Quia de fermentato laudem immolat, qui Deo de rapina sacrificium parat*, ait S. Gregor. hom. 22. in Euang.

ET VOCATE, celebrate, proclamate, & deprædicate vestras victimas, quasi liberales, spontaneas & VOLVNTARIAS OBLATIONES] sed frustra. Nam Deus eas, vti impuras & idololatricas, abominatur. ita S. Hieron. Rupert Remig. & Hugo. Secundò, *Vocate*, id est, vt Vatabl. *indicite, voluntaria sacrificia* & oblationes, æquè ac festa vitulorum, atque in iis conuocate populum, vt voluntarias oblationes iis offerat, vt fecit Aaron in fabricatione & dedicatione vituli aurei, Exodi 32.2. *Tollite*, ait, *inaures aureas de vxorum, filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecitq́; populus quod iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cùm ille accepisset, &c. fecit ex eis vitulum aureum.* Ita homines in rebus diuinis parci & auari sunt, sed in iis quæ spectant pompam, ac ventrem, putà in obsequio mundi & diaboli, profusi sunt, suasque opes libenter & liberaliter exhauriunt. vnde Arias vertit, *vota nuncupate*, Pagnin. *vocate ad solemnitatem, voluntaria congregari facite*. nam à קָרָא *kirá*, id est vocate, dicta est מִקְרָא *micra*, id est conuocatio, & cœtus populi, indeque solemnitas & festum. In festo enim conuocabant *micra*, id est, Ecclesiam & cœtum populi, ad celebrandam solemnitatem, & ad offerendum victimas ac alias quaslibet oblationes. VERS. 7.

VNDE ET EGO DEDI VOBIS STVPOREM DENTIVM (perperam Arabicus vertit, *benedictionem*) IN CVNCTIS VRBIBVS VESTRIS] Ita & Chald. & Septuag. *Stuporem dentium* intellige ex fame subdit enim quasi explicando: *Et indigentiam panum in omnibus locis vestris.* nam longè fames, vti hebetat sopitque appetitum, ita pariter contrahit gingiuas, itaque hebetat & stupefacit dentes. ita Ruffin. Vnde Hebr. נִקְיוֹן *nikion*, significat vacuitatem (vt dentes vacui sint à cibo) & *munditiem dentium*. vti vertunt Aquila, Symmach. Theodotion, S. Hieron. Arias, Vatabl. Pagnin. Marinus & alij. Cùm enim in fame & penuria dentes non habent quod mordeant & mandant, innocentes sunt & mundi, indeque arescentibus & contrahentibus se gingiuis & nerus hebe-

hebetantur, conſtipantur & obſtupeſcunt æquè ac oculi deficientibus ſpirituibs caligāt & obſtupeſcunt: idcirco Noſter, & Septuag. vertunt *ſtuporem dentium*. Eſt metalepſis, niſi malis eſſe onomatopœiam, vt vox *nikion* ſuo ſono repræſentet ſoonm & ſtridorem dentium ſtupentium. Senſus eſt, q.d. Quia vos me priuatis ſacrificiis mihi debitis, ego pariter priuabo vos pane & cibo neceſſario ad vitam, faciamque vt dentes veſtri ex fame, & ex comeſtione fructuum immaturorum, qui acerbi ſunt & pontici, obſtupeſcant. Nota, *dedi*, ſcilicet propriè in præterito. ſæpiùs enim Deus per Eliam & Eliſæum Iſraelitis, ob idola & ſcelera intentauit & induxit ſiccitatem, indeque famem, vt patet 3. Reg. 17. & 4. Reg. 6. 25. ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo & Lyran. licèt Vatabl. & Clarius propheticè accipiant *dedi* pro *dabo*, quaſi Deus hîc comminetur famem futuram. Plenus foret ſenſus, ſi *dedi* amplè acciperes pro *do*, *dedi* & *dabo*. q.d. Ob idola & ſcelera veſtra ſæpiùs vobis induxi famem, & etiamnum induco, ac in poſterum inducam, tum per me cohibendo pluuias, tum per hoſtes, præſertim Aſſyrios, populando vrbes & agros Samariæ. Verùm primum ſenſum expoſcit id, quod poſt hanc plagam aliaſque quatuor ſequentes ſingulis verſibus ſubdit, *Et non rediſtis ad me*. Et illud v. 12. *Quapropter hæc faciam tibi Iſrael*: quæ verba ſignificant famem hanc aliaſque plagas fuiſſe præteritas, non futuras.

Nota, quod ait, *ſtuporem dentium in cunctis vrbibus*, ſignificat communem & publicam foré hanc cladem & famem, vt non tam ſinguli, quàm vrbes integræ à ſe alienari & obſtupeſcere videantur. Eſt enim ſtupor alienatio quædam vel mentis, vel ſenſuum, quòd ſcilicet ſenſus conſtipentur. Sic ait Liuius lib. 5. *Priuatos deinde luctus ſtupefecit publicus pauor, poſtquam hoſtes adeſſe nunciatum eſt.*

7. EGO QVOQVE PROHIBVI A VOBIS IMBREM, CVM ADHVC TRES MENSES SVPERESSENT.] Extraordinaria & miraculoſa fuit hæc ſiccitatis & ſterilitatis plaga, vtpote qua vna pars vrbis innocens & pia fuerit compluta, non altera, quæ erat nocens & impia. Similiter ager heri iuſti fuerit complutus, cùm vicinus heri iniuſti pluuiam non ſenſerit, idque ad hoc vt omnibus manifeſtò pateret, hoc diſcrimen Dei vindicis eſſe opus. Sic diſcriminauit Deus agros Geſſen, vbi erant Hebræi, vt non ſentirent plagas, quas cæteris agris Ægypti infligebat Moſes, Exodi 8. v. 22. Simile contigiſſe Græcij per merita & preces S. Franciſci, in eius Vita c. 8. commemorat S. Bonauent. Cùm enim lupi & grandines agros vaſtarent, S. Franciſcus dixit ad indigenas: *Ad honorem & laudem omnipotentis Dei fideiubeo vobis, quòd peſtilentia hæc omnis abſcedet, & reſpiciens vos Dominus multiplicabit in temporalibus bonis, ſi mihi credentes, miſereamini veſtri, vt veſtra confeſſione præmiſſa, dignos faciatis pœnitentiæ fructus. Iterum hoc annuncio vobis, quòd ſi beneficiis ingrati ad vomitum conuerſi fueritis, innouabitur plaga, duplicabitur pœna, maiori in vos ira deſeuiet. Ab illa vtique hora, pœnitentiam ad exhortationem ipſius agentibus illis, ceſſauerunt clades. Imò quod maius eſt, ſi quando victorum arua grando peruaderet, iſtorum terminis appropinquans, terminabatur ibidem, aut in partem aliam diuertebat.* Porrò in Palæſtina tantus eſt ardor & ſiccitas, vt, ſi deſit pluuia, hominibus & beſtiis ſiti pereundum ſit. *In his locis*, ait S. Hieron. *præter paruos fontes, omnes ciſternarum aquæ ſunt: & ſi imbres diutina ira ſuſpenderit, maius ſitis quàm famis periculum eſt.*

Quando hæc ſterilitas Amos contigerit, ignoratur. Nam quòd alij ad famem quæ contigit tempore Eliæ, alij ad eam quæ tempore Eliſæi, hæc referunt, non ſatis congruè id fieri videtur: nam illa ſiccitas & fames Eliæ, vti & illa Eliſæi, fuit vniuerſalis & æqua omnibus; ſine diſcriminatione nocentum & innocentum; hæc autem diſcriminabat noxios ab innoxiis. Rurſum illa Eliæ fuit trium annorum, Eliſæi etiam diutina extitit; hæc verò Amos fuit trium dumtaxat menſium, illorū ſcilicet, qui præibant meſſem. Cœpit ergo hæc ſiccitas in fine Aprilis, quando incipere ſolebat in Iudæa pluuia ſerotina, maximè neceſſaria. Hæc enim faciebat, vt germina creſcerent, & culmi euaderent in ſpicas, ſpicæque turgentes conciperent grana & parerent triticum, quod ſine hac pluuia exaruiſſet, & in fronde ſola, ſiue granis & fructu deſiiſſet. Erat ergo hæc pluuia ſerotina in Aprile, meſſis; ſicut matutina in Octobri, erat ſeminis, ſcilicet ad ſemina ſataque riganda, vt radices figerent in terra. ita S. Hieron.

Notent hîc agrorum domini & coloni, ſiccitatem & ſterilitatem agris immitti peculiari Dei prouidentia & vindicta. Cùm ergo eam ſentiunt, ad Deum per pœnitentiam preceſque recurrant, vti faciunt coloni Hiſpani, qui tempore ſiccitatis publicas proceſſiones & diuerberationes agricolarum indicunt, itaque ſæpè pluuiam à Deo reconciliato eliciunt, imò quaſi vi facta extorquent.

Tropolog. S. Gregor. hom. 10. in Ezech. Dominus, ait, pluit ſuper vnam ciuitatis partem, non ſuper aliam, cùm facit vt vna pars populi, prædicationis verbique Dei ſemina excipiat, non alia. Rurſum pars vna eiuſdem agri compluitur, non alia, cùm aliqui vnum vitium edomant, non aliud, v. g. gulam, ſed non iram; aut patientes ſunt, ſed auari remanent; aut caſti ſunt, ſed ſuperbi, &c.

9. Percuſſi vos in vento vrente, & in aurugine, multitudinem hortorum veſtrorum, & vinearum veſtrarum: oliueta veſtra, & ficeta veſtra comedit eruca: & non rediſtis ad me, dicit Dominus.

10. Miſi in vos mortem in via Ægypti, percuſſi in gladio iuuenes veſtros, vſque ad captiuitatem equorum veſtrorum: & aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras: & non rediſtis ad me, dicit Dominus.

11. Subuerti vos, ſicut ſubuertit Deus Sodomam & Gomorrham, & facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio: & non rediſtis ad me, dicit Dominus.

12. Quapropter hæc faciam tibi Iſrael: poſtquam autem hæc fecero tibi, præparare in occurſum Dei tui Iſrael.

13. Quia ecce formans montes, & creans ventum, & annuncians homini eloquium

quium suum, faciens matutinam nebulam, & gradiens super excelsa terræ: Dominus Deus exercituum nomen eius.

VERS. 9. PERCVSSI VOS IN VENTO VRENTE] Tres hîc nominat agrorum plagas, ventum vrentem, aruginem, & erucam germina depascentem, quæ æquè vt siccitas, sterilitatem & famem afferunt. Ventus vrens, vel vredo, est Eurus æstuans, qui suo æstu, omnem succum aristarum & germinum desiccat & adurit: vel Boreas qui suo acerrimo frigore, nebula & pruina pariter segetes adurit & arefacit. Vnde dicitur frigus vrens. Audi Poëtam:

Illigat aquoream immodici vis frigoris vndam,
Et prata algenti mordet adusta gelu.

Ventus vrens quid? Quocirca Theodot. Symmach. & Aquila vertunt ἀνεμοφθορίαν, id est, corruptionem à vento, vel aërem corruptum: à Plinio lib. 18. c. 28. vocatur carbunculus in vitibus, eò quòd illæ vredinis quasi carbone exustæ videantur: in segetibus ab eodem vocatur rubigo, à rubore quem culmis indit: à Theophrasto lib. 4. dicitur ærugo, quòd colorem quasi æneum segetibus affiet. Pagnin. & Vatabl. vertunt *ariditas*, ab effectu, quem segeti inducit. Secunda plaga est aurugo, quæ propriè vitium est, & quasi morbus regius segetum, cùm scilicet culmi ex nimio humore (vnde hebr. vocatur יְרָקוֹן *ierakon*, quasi virescens) marcescunt, & pallescunt in modum auri vel æris; vnde & ærugo ac rubigo dicitur: marcidæ verò arescunt & euanescunt. Hinc à Theodotione vocatur ὠχρίασις, id est pallor; ab Aquila, Symmacho, & Septuag. ἴκτερος, id est, morbus regius: hic enim color est in ictericis. Vnde vice versâ morbus regius, vel ictericus, à Cornelio Celso & Apuleio vocatur *aurugo*, à colore auri quem in homine producit. Et quia idem color ex timore oritur, hinc Ierem. 30. 6. dicitur: *Conuersæ sunt vniuersæ facies* (Israelitarum ex nimio pauore) *in aruginem*. Vbi Nota, *ierakon*, id est aurugo, vel ærugo, aut rubigo propriè oritur ex humore, quo marcescunt segetes: quia tamen idem color, eademque corruptio & arefactio segetum oritur ex vredine & æstu (licèt Plinius loco citato contendat ex solo frigore oriri) hinc pariter vredo interdum vocatur aurugo, ærugo & rubigo, vti paulò antè dixi. Tertia plaga est eruca, de qua dixi Ioëlis 1. 4.

VERS. 10. MISI IN VOS MORTEM IN VIA ÆGYPTI] Quinta est hæc plaga, sed hominibus inflicta, scilicet *pestis*, vt habent Hebr. & Chald. quam Noster vocat mortem, quia pestis certam mortem affert. Adde, Hebr. דֶּבֶר *deber*, id est pestis, per catachresin significare famem, gladium, & quidquid instar pestis exitiale est & mortiferum.

Quæres, quænam & quando contigit hæc plaga? S. Hieron. Theodor. Rupertus, Hugo, Lyran. & alij, putant contigisse Israelitis illis qui mittebantur ad Ægyptios, vt ab iis poscerent opem contra Assyrios: Vatabl. & Arias illis, qui cum milite præsidiario ibant in Ægyptum, vt ibi coëmerent frumenta ad leuandam famem Samariæ. Hos enim in itinere partim peste, partim à latronibus occisos, ac cadauera eorum insepulta & putida fœtorem exhalasse, qui post longam priorum moram, aliorum in eorum locum submissorum nares offenderit. Verisimilius A Ribera & à Castro hæc referunt ad cladem quam Ioachaz rex Israel accepit à rege Syriæ, quæ tanta fuit, vt ex toto Israelis exercitu non superfuerint nisi quinquaginta equites, 4. Reg. 13. 7. Tunc enim partim aër corruptus & æstuans, partim ex tot cæsorum cadaueribus orta putredo, fœtorem & pestem superstitibus afflauit.

Dices, Hæc clades contigit in Samaria, non in via Ægypti. Respond. Verum id est; quocirca subintelligenda videtur more Hebræo particula *sicut*, sicque vertendum cum Chaldæo, *misi in vos pestilentiam* (Arabicus, *percussi vos febribus, & malis insipientibus*, incognitis) *sicut in via Ægypti*, scilicet cùm in deserto patres vestros ex Ægypto tendentes in Chanaan, ob eorum murmura peste, aliisque plagis puniui & occidi, v. g. cùm misi serpentes ignitos, qui ardorem pestiferum morsu suo eis inferrent, Numer. 21. 6. Adde, fortè hoc prælium & hanc stragem contigisse in via, qua ex Samaria tendebant in Ægyptum; sicut enim nunc strata & trita est via Romana, via Mediolanensis, via Parisina, sic tùc celebris & publica erat via Ægypti, vt patet Ierem. 2. v. 18. Isaiæ 10. 24. vnde eam in tabulis chorographicis terræ sanctæ depingit Adrichom. & alij.

Denique per hebraismum בְּדֶרֶךְ *bederech*, id est *in via*, exponi potest per כְּדֶרֶךְ *kederech*, id est *instar viæ, secundùm viam*, hoc est, secundùm rationem, modum & morem Ægypti. q. d. Puniam peste ea ratione & acerbitate, qua puniui Ægyptios per Mosen: quinta enim plaga Ægypti fuit pestis adeò grauis, vt per eam occisi sint omnes equi, asini, cameli, omniaque animantia quæ erant in tota Ægypto, vt patet Exodi 9. v. 3. & 6. Sic *bederech*, id est in via, accipitur pro *kederech*, id est secundùm viam, id est morem, Isaiæ 10. v. 25. & 26. *Suscitabit*, ait, *super eum Dominus exercituum flagellum iuxta plagam Madian in Petra Oreb; & virgam suam super mare, & leuabit eam in via Aegypti*, id est, secundùm viam Ægypti, hoc est, secundùm modum quo per virgam Mosis percussit Ægyptum, eique decem plagas inflixit; simili modo percutiet Sennacherib & Assyrios per Angelum occidens vna nocte 185. millia in eorum castris.

VSQVE AD CAPTIVITATEM (Chald. & Septuag. *cum captiuitate*) EQVORVM VESTRORVM] Videtur, vt dixi, alludere ad tempora Ioachaz, quando Israelitæ à Syris ita attriti sunt, vt sòlùm eis superessent quinquaginta equites, 4. Reg. 13.

ASCENDERE FECI PVTREDINEM] Hebr. enim בְּאֵשׁ *beosc* significat putredinem & fœtorem: sed Septuag. aliis punctis legentes בְּאֵשׁ *beesc*, id est *in igne*, vertunt, *adduxi in igne castra vestra*. Complut. licèt Romana legant *eduxi*.

SVBVERTI VOS] Primò, per Teglathphalasar regem Assyriorum, inquit Arias, qui cepit & euertit omnes vrbes Israelis, vna excepta Samaria. 4 Reg. 15. 29. Id enim factum est sub annum 52. Oziæ, siue Azariæ regis Iuda, vt dicitur ibid. v. 27. Amos autem cœpit prophetare anno 15. Oziæ, vti dixi in proœmio: facilè ergo fieri potuit, vt idem superstes sub annum 52. Oziæ, post cladem Israeli à Teglathphalasar illatam, hæc proloqueretur: Prophetæ enim per plurimos annos prophetarunt, vt Isaias annos 96. Ieremias annos 45. Daniel annos 76.

Secundò, per Syros, qui tum aliàs, tum mini-

mis

mè tempore Ioachaz, vti iam dixi, ita attriuerunt Israel, vt penè euerterint eum instar Sodomæ, paucis dumtaxat euadentibus & reliquis. Id ita esse patet ex prophetia Ionæ, quæ refertur 4. Reg. 14. v. 26. *Vidit*, ait, *Dominus afflictionem Israel amaram nimis, & quòd consumpti essent vsque ad clausos carcere & extremos, & non esset qui auxiliaretur Israeli. Nec locutus est Dominus, vt deleret nomen Israel de sub cælo, sed saluauit eos in manu Ieroboam filij Ioas, qui restituit terminos Israel ab introitu Emath vsque ad mare solitudinis.* Quòd enim hæc prophetia Ionæ ad tempora Ioachaz maximè spectet, non ad alia aliorum regum, vt volunt aliqui, patet ex serie & gestis regum Israel. Nam Iehu, qui regnum Israel familiæ Achab ademit, & ad se transtulit, fuit bello potens & felix, sub eoque floruit regnum Israel. Successit ei Ioachaz, sub quo à Syris attritus est, vt dixi. Ioachaz successit filius Ioas, cui Elisæus per trinam sagittæ percussionem prædixit trinam victoriam contra Syros, quam re ipsa Ioas adeptus est, vt patet 4. Reg. 13. v. 18. & 25. sub Ioas ergo floruit pariter regnum Israel. Ioas successit filius Ieroboam, qui cœpit regnare ante Oziam regem Iuda, & cum eo regnauit 14. vltimis vitæ suæ annis, de quo prædicit Ionas, quòd ipse restituet collapsum statum Israel cunctis diebus Ioachaz. idque disertè ait Script. 4. Reg. 13. 22. *Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Israel cunctis diebus Ioachaz.*

Denique Albertus hæc accipit propheticè de futuro. q. d. *Subuerti*, id est, subuertam Israel per Salmanasar: hic enim anno sexto Ezechiæ cepit Samariam, & regnum Israel planè euertit. Sic & Rupert. qui accipit hæc de excidio Ierusalem, tum per Chaldæos, tum per Titum & Romanos. Verùm patet ex dictis, hæc propriè pertinere ad Israel, id est, ad decem tribus; posse tamen extendi ad Iudam & Ierusalem non nego. Prophetæ enim qui Iudæ prophetarunt directè, indirectè quoque respexerunt Israel, & vice versa. Rursum hæc non ad futurum, sed ad præteritum tempus spectare, patet ex eo quod subdit Amos: *Nec rediistis ad me. Quapropter hæc faciam tibi Israel.* Quod enim Rupert. respondet, hæc omnia præterita exponenda esse in actu inchoato, vel destinato, hoc modo: *Percussi, misi in vos mortem, subuerti*, &c. hoc est, percutere, mittere in mortem, subuertere vos decreui, & per Prophetas comminatus sum; sed tamen vos has minas non curatis, nec rediistis ad me; quocirca hæc faciam tibi Israel. Hæc, inquam, expositio dura & contorta videtur in tam multis præteritis, quæ omnia actionem realem, non destinationem, vel minas significant. Quapropter S. Hieron. Remig. Lyran. Clarius, Dionys. Ribera, à Castro, & alij passim, hæc præterita propriè vt sonat accipiunt.

SICVT SVBVERTIT DEVS SODOMAM] q. d. Sicut ego subuerti Sodomam. Loquitur Deus more Hebræo de seipso in tertia persona honoris causa, vti faciunt Germani. Sic dicitur Genes. 19. 24. *Pluit Dominus à Domino sulphur & ignem super Sodomam*, id est, pluit à seipso: licèt Euseb. lib. Demonstr. c. 23. censeat Patrem hîc loqui de Filio. q. d. Ego Pater subuerti Israel, sicut Filius meus subuertit Sodomam. Sic multi exponunt illud Genes. 19. *Pluit Dominus à Domino*. q. d. Pluit Filius à Patre. vide ibi dicta.

QVASI TORRIS] q. d. Penè euersi & ad interneciónem consumpti estis, instar Sodomæ; sed Deus miserens vestri, volensque seruare reliquias seminis & gentis vestræ, manum suam hostesque cohibuit, & paucos hac clade eripuit, sicut ex incendio eripitur torris aliquis ambustus & fumigans. A

QVAPROPTER, quia scilicet sex plagis iam recensitis, putà fame, siccitate, vento vrente, aurugine, erica, peste, quas tibi inflixi, non resipuisti, nec rediisti ad me; sed iis instar Pharaonis magis obduruisti; HÆC FACIAM TIBI ISRAEL] *Hæc* scilicet, quæ initio capitis comminatus sum, nimirum, *Leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus, & proiicieminí in Armon.* ita à Castro. Verùm hæc minora videntur plagis quas iam inflixit, dicens: *Subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomam*, &c. Hîc autem grauiorem plagam se inflicturum minatur, eò quòd præteritas omnes contempserint. Quocirca neruosiùs & efficaciùs alij: *hæc*, inquiunt, scilicet dirissima & atrocissima quæ indignans mente concepi, nec eloqui præ horrore possum. Loquitur enim anthropopathῶς, & ad pathos per aposiopesin verba minasque incidit, vti Virgil. Æneid. 1. B

Quos ego, scilicet acerrimè puniam; *sed* nunc *motos præstat componere fluctus.*

Ita solent Hebræi in iuramentis, maximè comminatoriis & execratoriis, vti hac formula: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc mihi addat*, nec exprimunt quænam sibi addi vel fieri imprecentur, quasi non audeant illa nominare præ timore & detestatione, vrpote mala horrenda & atrocia. Simili euphemismo, id est, bona ominatione, maledictionem & blasphemiam significant voce contraria, eamque vocant benedictionem, vt Iob 2. 9. & 3. Reg. 21. 10. C

POSTQVAM AVTEM HÆC (has atroces plagas quas mente concepi) FECERO (facere & infligere cœpero: significatur enim hîc actus inchoatus) TIBI, PRÆPARARE IN OCCVRSVM DEI TVI ISRAEL] q. d. Si præteritæ plagæ tibi leues videntur, si hos contemnis satellites, si cum peditibus pugnare dedignaris; en ego formans montes & creans ventos, &c. te inuadam quasi eques cataphractus, vires exeram, hastas telaque mea omnia in te contorquebo: obfirma pectus, clypeum apta, oppone te mihi, mecum manus confere, ictum dexteræ meæ declina aut sustine, si potes. Est sarcasmus. Vnde Symmach. & Aquila vertunt, *cùm hoc fecero, præparare vt aduersèris Deo tuo.* ita Albertus, Arias, à Castro & Prado in Ezechiel c. 5. v. 8.

Ita suo Ioui occurrit vecors C. Caligula Imp. qui iratus cælo, quòd turbidius suis pantomimis & spectaculis officeret, Iouem ad pugnam prouocauit, immò ad duellum internecinum, illud Homeri exclamans: *Aut tolle me, aut ego te.* D

Secundò, alij, iique plurimi contrariè hæc accipiunt, quasi Deus hîc Israelem euersum, ne planè desperet, consoletur, inuitetque vt per pœnitentiam & conuersionē se præparet ad Deum (Deique clementiam & gratiam) præsertim post aliquot sæcula nasciturū in Bethlehem: eò enim censent assurgere Amos more prophetico. Vnde in sequentibus Dei omnipotentiam & magnificentiam graphicè describit, ne eius in carne paupertatem & humilitatem despiciat Israel, vti fecit. Quocirca Septuag. Syrus & Arabicus vterque

VERS. 12.

que vertunt, *verumtamen quia sic faciam, præpara-* A *te vt inuoces Deum tuum Israel.* Et in sequentibus, pro, *Annuncians homini eloquium suum,* vertunt, *annuncians in homines Christum suum*; & Chald. *prepara*, ait, *tevt suscipias doctrinam legis Dei tui Israel.* q.d. Præpara te, vt Deum carnem factum, in assumpta humanitate venientem toto mentis affectu excipias. ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Vatabl. & Lyran. qui putant hanc prophetiam complendam in fine mundi: tunc enim omnis Israel conuertetur ad Christum, & saluus fiet, vt ait Apost. Rom. 11. Perperam ergo Theodor. hæc refert ad Cyrum, qui Iudæos Babylone liberauit. Agitur enim hîc non de Iudæis, sed de Israelitis in Assyriam abductis, quos inde nec Syrus, nec quis alius vnquam liberauit. Prior sensus videtur litteralis & genuinus: posterior, quia plurimorum, probabilis & accommodus est, ac B vel vt litteralis, vel vt mysticus admittendus est, vti mox ostendam; vt sit antiphrasis, q.d. Occurre & resiste Deo irato & vindici, si vales; sed quia id non vales, occurre ei vt saluatori humili & mansueto, venienti in carnem vt te redimat & saluet. Aut, vt S. Hieron. q.d. *Feci vt te corrigerem quæ præteritus sermo defecerit: & quia noluisti reuerti ad me, faciam tibi quæ meo continentur arcano. Occidisti seruos meos quos ad te miseram, mittam nouissimè filium meum: tu autem iuxta consuetudinē tuam, qua semper voluntati Dei restitisti, præpara te vt contradicas & aduerseris Deo tuo, iuxta illud quod scriptū est: Ecce hic positus est in ruinam & in resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur. Loquitur non præcipiendo, sed prædicendo, quasi arguens, & increpans, vt saltem correptus non faciat quod prædictum est.* Huic sententiæ fauet vox *postquam*, pro qua hebr. est עֵקֶב *ekeb*, C id est finis, vel merces: merces enim est finis operis & operantis. Vnde ex Hebræo sic vertas, *in fine*, vel, vt Aquila, *postea*; vel, vt Theodot. *nouissimè occurre ei.* In fine enim sæculorum incarnatus est Christus, & in fine mundi eidem occurret Israel. Aut sic: *pro mercede*, qua ego te vt filium flagellaui, totque flagellis conatus sum te ad me reducere, pro hac, inquam, mea in te paterna cura, loco mercedis hoc saltem mihi da, vt, cùm in carnem veniam, mihi occurras, meque vt tuum Messiam recipias. Vnde Ecclesia in officio Ecclesiastico hisce Amos verbis suos excitat, vt Christo occurrant. Causam subdit Propheta, immensam eius maiestatem & potestatem: *Quia*, inquit, ecce *ipse* est *formans montes*, &c. Quod tropol. exponens S. Hieron. *Excelsus*, ait, *in excelsis est Dominus, & non habitat in humilibus qui excelsus est; sed creator montium ascendit* D *in montes, in his qui municipatum habent in cælestibus, & in carne ambulantes non viuunt secundùm carnem, sed secundùm spiritum.* Septuag. vertunt, *firmans tonitruum*, ne scilicet orbem conquassetet, vti suo fragore minari videtur.

VERS. 13. CREANS VENTVM] Hebr. רוּחַ *ruach*, significat spiritum, animam, ventum. Vnde Primò, Chald. Septuag. & S. Hieron. in comment. vertunt, *creans spiritum*, quod Macedoniani hæretici negantes diuinitatem Spiritus sancti auidè arripiebant, indeque probabant Spiritum sanctum non esse Deum, sed creaturam Dei: quos refutant S. Athanas. epist. ad Serapionem, S. Basil. lib. 3. contra Eunomium, S. Hieron. hîc, & S. Ambros. libr. 2. de Spiritu sancto c. 7. non enim agitur hîc de Spiritu sancto & cælesti, sed de spiritu sublunari & corporeo: iungitur enim nebulæ, montibus, &c. Secundò, S. Hieron. Rupert. & Remig. vertunt, *creans animam*; vel, vt Arias, *creans spiritus* & animos militares, id est, indens militibus audaciam & virtutem bellicam. Tertiò, Arabicus Alexandr. vertit, *ego sum qui formauit montium, & creauit spiritum*; Arabicus verò Antioch. *& reduco in homines spiritum*, halitum.

Verùm optimè Noster & Tertull. libr. contra Hermog. cap. 32. ac Clarius, Vatabl. Pagnin. aliique Recentiores vertunt, *creans ventum.* Recte enim venti iunguntur montibus, nebulis, &c. aliisque creatis sublunaribus, quæ cùm homini obuiæ sint & admirabiles, ostendunt ei Dei creatoris potentiam & magnificentiam, præsertim venti, qui, cùm eorum natura sit inuisibilis, & tamen sensibilis, origo incognita, motus item varius, sed status, & pro loco ac tempore fixus, rectè demonstrant se à Deo creari, regi, mutari ad eius nutum. Vnde Deus dicitur insidere & inequitare ventis psal. 17. 11. *Ascendit super Cherubim, & volauit super pennas ventorum.* Et ventus turbinis vehebat Deum sedentem in solio cherubico Ezech 1. 4. Quocirca angeli comparantur ventis psal. 103. 4. *Qui facis angelos tuos spiritus* (subtiles, celeres & fortes vt ventos) *& ministros tuos ignem vrentem.* Hinc & Deus dicitur ventos educere de thesauris suis Ierem. 10. 11. ac proinde ex iis Iob c. 28. v. 25. ostendit Dei potentiam: *Qui*, inquit, *fecit ventis pondus, & aquas appendit in mensura.* Hinc & Sancti inuitant ventos, vt opus magnificum Dei, ad laudandum creatorem suum tam potentem, vt Psaltes psal. 148. 8. *Laudate Dominum de cælis*, &c. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Nam, vt ait Seneca libr. 5. Natur. quæst. c. 18. *Inter cætera prouidentia opera, hoc quoque aliquis vt dignum admiratione suspexerit. Non enim vna causa ventos aut inuenit, aut per diuersa diffudit. Primùm, vt aëra non sinerent pigrescere, sed assidua vexatione vtilem redderent, vitalemq; terris. Deinde vt imbres terris subministrarent, eidemq; nocuum compescerent. Nam modò adducunt nubes, modò deducunt, vt per totum orbem pluuiæ diuidi possent. In Italiam Auster impellit, Aquilo in Africam reuocat. Etesiæ non patiuntur apud nos nubes consistere: eadem totam Indiam & Aethiopiam continuis per id tempus aquis irrigant.* Et Plinius libr. 2. c. 47. *Omnes venti vicibus suis spirant maioriex parte, aut vt contrarius desinenti incipiat*, &c. *Sol & auget & comprimit flatus, auget exoriens occidensq;, comprimit meridianus æstiuis temporibus. Itaque medio diei aut nocte plerumque sopiuntur: quia aut nimio frigore aut æstu soluuntur*, &c.

ANNVNCIANS HOMINI ELOQVIVM SVVM] Hebr. מַה שִּׂיחוֹ *ma sicho*, id est, quænam sit meditatio, cogitatio, consilium, eloquium, opus suum. שִׂיחַ *siach* enim significat meditationem, & rem meditatam, grauem & seriam, quam ore proloquimur & opere perficimus. ita vertunt Aquila, Symmach. Theodot. Chaldæus, & passim Hebræi. Soli Septuag. verbi similitudine & ambiguitate decepti, ait S. Hieron. nimirū pro מַה שִּׂיחוֹ *ma sicho*, legentes מְשִׁיחוֹ *mesicho*, id est Messiam vel Christum eius, verterunt, *annuncians in homines Christum suum*: per quem licèt Theodot. accipiat Cyrū, omnes tamen alij accipiunt Christum Domi-

Dominum. ita S Athanas. libr. de Fide vnit. & Trinit. Didymus lib. 2. de Sp. sancto, Tertull. loco citato, Basil. lib. 4. contra Eunom. Ambros. li. 1 de Spiritu sancto cap. 7. August. libr. 18. Ciuit. 2. imò Concil. Sardicense apud Socrat. libr. 2. c. 20. Quare non est credibile Septuag. hîc esse deceptos, sed consilio ita vertisse; vel quia in Codicibus Hebræis tunc erat duplex lectio, vna *mesficho*, altera *masficho*; vel quia per *masficho*, intellexerunt significari *mesficho*. Messias enim, siue Christus, est Patris meditatio, conceptio, dictio, eloquium & opus summum, immensum, increatum ac diuinum.

Est hîc ergo duplex versio, est & duplex sensus, sed prior posteriori subordinatus. Prior *annũcians homini eloquium suum*. q. d. Deus per Prophetas annunciat hominibus sua consilia, decreta & eloquia. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo & Lyran. Quocirca Syrus vertit, *ostendens hominibus quid sit gloria* (laus) *sua*; & Arabicus, *mittens laudantem* (præcinentem) *in hominibus*. Quis enim Dei consilia, & gloriam agnitam non laudet?

Posset quoque verti, ait S. Hieron. *annuncians homini eloquium eius* (quia Hebræi idem habent pronomen reciprocum & absolutum. Nam per *vau* cum *cholem* significant tam *eius*, quàm *suum*) q. d. Deus nouit secretas hominis cogitationes, quid scilicet animo meditetur & destinet, imò illa ipsi, si bonæ sint vel indifferentes, ingerit & suggerit, easque ipsi per internam inspirationem, vel alijs per Prophetas enunciare & eloqui potest. ita Arias & Vatabl.

Posterior est, *annuncians homini eloquium suũ*, putà Christum, qui est vnicus Patris conceptus, vnicum verbum, quo omnia dicit, creat, mandat & gubernat: hoc enim Dei verbum & eloquium cætera omnia complectitur. Simile est Deuter. 18. 18. vbi Moses Prophetam, id est, Prophetas alios post se à Deo dandos promittit, sed inter eos vnum eximium & principem, qui antonomasticè vocetur Propheta, putà Christus. Sensus ergo est, q. d. Deus Pater annunciat per nos Prophetas, se ad homines missurum in carnem Verbum suum, vt hominibus eius voluntatem, legem, salutem, gratiam & gloriam reuelet, eamque illis reipsa conferat & impertiatur. Quocirca vos, ô Israelitæ, huic Messiæ vestro venienti occurrite, in eum credite, sperate, illum amate, colite, seamini; ipsi obedite: ita ipse vos ab ira Dei, à peccato, à morte, à gehenna, ab omni hoste liberabit, ipse vos Dei amicos, filios & heredes, ac beatos in æternum efficiet. Solent enim Prophetæ omnium captiuitatum & miseriarum finem & liberatorem statuere Christum. Vnde cùm multas clades multaque tristia prædixerũt, omnia hæc mitigant & dulcorant promittendo Christum: Christus enim est finis & scopus legis & Prophetarum. Confirmatur, quia pro *eloquiũ suum*, Aquila vertit, τὴν ὁμιλίαν αὐτοῦ, Symmach. τὸ ῥῆνημα αὐτοῦ, Theodot. τὸ λόγον αὐτοῦ, id est, sermonem & verbum eius. Atque ex hoc loco & similibus videtur S. Iohannes sumpsisse nomen λόγου, quo iugiter vocat Christum, dicens: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. Vbi pro *Verbum*, græcè est λόγος: non quòd vocem λόγος S. Iohannes acceperit à Theodotione, qui duobus sæculis S. Iohanne fuit posterior: sed quòd Hebr. מַחְשַׁבְתּוֹ *siach*, idem sit quod λόγος, ideoque Theodot. vertit λόγος. Denique Theophanes Nicænus in Symbolo noui & veteris Testamenti, quem citat Turrianus lib. 2 de Hierar. ordin. c. 1. ex versione Septuag. censet hîc esse prophetiam de Transfiguratione Christi. *Ecce*, inquit Amos, *firmans tonitru* (id est creans nubem, ex cuius collisu erumpit tonitru) *& creans spiritum*, siue *ventum*, ex cuius verberatione, cum intentione significandi, existit vox de qua subdit: *Et annuncians hominibus Christum suum*, scilicet cùm vox Patris de nube intonuit: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*, Matth. 17. 5.

FACIENS MATVTINAM NEBVLAM] Ita propriè sonant Hebræa, quæ tamen alij variè vertunt. Primò, Septuag. addentes &, vertunt, *faciẽs manè & nebulam*; Secundò, Pagnin. *qui facit auroram & tenebras*, id est, diem & noctem, lætam & tristia; Tertiò, Tigurina, *qui auroram facit caliginem*; Quartò, Clarius, *qui facit auroram ex caligine*, id est, ex tenebris noctis, vt scilicet nocti succedat aurora & dies; Quintò alij ex aduerso, *qui facit ex aurora caliginem*, id est, diem mutat in noctem, prospera in aduersa; Sextò, Arabicus vertit, *creauit abyssum primò, & ascendi super altitudinẽ terræ, & mittens laudantem* (præcinentem) *in hominibus*; Septimò, mysticè Chaldæus, *qui præparat lumen iustis quasi lumen auroræ, & præparat tenebras impiis*. Porrò matutina nebula ostendit magnam Dei potentiam & sapientiam. Primò, quia hæc nebulam post noctes serenas subitò in aurora producit per solem orientem, qui vapores & exhalationes è terra educens & eleuans, ijs quasi nebula tegit aërem. Secundò quia manè nebula maxima est & latissima, velatque, vestit & ornat totum horizontem instar tapetis. Tertiò, quia hæc nebula cingit & fasciat solem orientem, vti infans dum oritur & nascitur, fasciatur linteolis. Sic enim de prima nebula, primisque tenebris recèns creatum mundum & mare inuoluentibus, loquitur Iob c. 38. 9. *Cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem*. Vbi auctor Catenæ: *Sicut*, inquit, *infanti panni sunt perquam commodi, sic etiam mari nubes ac nebulæ*. Quartò, quia hæc nebula Deum, quasi cum sole manè orientem, velat, vt homines eum intueri nequeant: sed eum vt inuisibilem suspiciant & reuereantur. Sic Virgil. li. 1. Æneid. ait de Ænea & Achate heroibus,

At Venus obscuro gradientes aëre sepsit,
Et multo nebulæ circum Dea fudit amictu.

Quintò, quia hæc nebula est roscida & fœcunda. Producit enim manna & rorem, quo herbæ & sata irrorantur & impinguantur. Insuper calorem & halitum vitalem terræ, & terrestribus omnibus affert. Hinc experimur *nebulas nec æstate, nec maximo frigore existere: rorei neque gelu, neque aridoribus, neque ventis, nisi serena nocte*, ait Plin. lib. 2. cap. 60. Quocirca ex nebula Dei magnificentiam celebrat Ierem. c. 10. 13. *Eleuat*, ait, *nebulas ab extremitatibus terræ*. Psalm. 147. 26. *Qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit*. Eccli. 24. 6. *Ego* (Sapientia) *sicut nebula texi omnem terram*. Et c. 43. 15. *Aperti sunt thesauri, & euolauerunt nebulæ sicut aues*. Etc. 50. 6. de Simone pontif. dicitur: *Quasi stella matutina in medio nebulæ*.

Nebulæ commoda quinque.

GRADIENS SVPER EXCELSA TERRAE] putà super montes altissimos, & petras rupesque hominibus

minibus inuias & inaccessas. q d. Deus omnia terrena, quantumuis celsa & inaccessa maiestate sua peruadit & transcendit, suaque prouidentia continet & gubernat, ita vt ventos & turbines ciere, nebulas hostibus suis superbis & impijs offundere, montes transferre, & in valles deiicere possit. q. d. Deus est qui montes, ventos, fulgura, tonitrua, omnesque res sublunares, æquè ac cæleſtes producit, temperat, regit. Vnde omnes creaturæ sunt exercitus Dei, qui illi ad nutum obediunt, semperque ei præstò sunt, vt ad eius nutum ferantur, eiusque inimicos & impios inuadant & sternant. ita S. Hieron. Albertus, Clarius, & alij. Audi S. Hieron. *Præparare*, inquit, *in occursum Dei tui, vt venientem ad te Dominum tota auiditate suscipias. Iste est qui firmat tonitruum, siue montes confirmat: ad cuius vocem cælorum cardines, & terræ fundamenta quatiuntur. Iste est qui creat spiritum.* Quocirca Timæus Pythagoricus Deum vocat *mundum exemplarem.* Sicut enim mundus suo complexu omnia cingit & stringit, sic & Deus. Ipse enim est maxima vniuersalisque natura, vbique præsens, omnia videns audiensque, cuncta continens, nullius verò ambitu contenta. Ipse est mundus increatus sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ, rationum, formarum, causa, fons, creator & rector cæterorum omnium. Quocirca Ægyptij, ait Eusebius libr. 3. de Præpar. Euangel. cap. 3. Deum, quem ipsi *Eneph* vocant, pingunt humana forma, colore cæruleo, zonam tenentem & sceptrum, ac pennam gerentem in capite, ouum insuper ab ore producentem. Testa enim oui, cæli omnia cingentis imaginem exhibet: vitellus, ignis: spiritus qui sunt in ouo, aëris: albumen, aquæ: terræ porrò symbolum sunt partes magis concretæ. Addit Euseb. aliud Dei hieroglyphicum. Illud est, homo complicatos habens pedes, vestem talarem, camque auream, pilam capite sustinens, quo mundi forma, immobilis constitutio, rotunditas, & stellarum varietas significatur, eaque omnia regi à Deo sustentarique, & in Dei cognitionem mentes hominum perducere. Nam ex ventis, nebulis, montibus, alijsque creatis Deus agnoscitur, quasi ex vngue leo, quasi ex linea Apelles, quasi ex voce choraules, quasi ex carmine poëta. Vnde S. August. epist. 28. docet mundum hunc esse Dei carmen & canticum. *Si homo*, inquit, *carminis artifex nouit quas quibus moras vocibus tribuat, vt illud quod canitur succedentibus ac decedentibus sonis, pulcherrimè currat ac transeat: quantò magis Deus, nulla in natura nascentibus & occidentibus temporum spatia, quæ tamquam syllabæ ac verba ad particulas huius sæculi pertinent, in hoc labentium rerum quasi mirabilitantico, vel breuius, vel productius quàm modulatio præcognita & præfinita deposcit, præterire permittit?* Insuper S. Dionys. Cæleſt. hier. c. 15. docet, Deum designari per ventum, propter naturalem vim mouendi atque animandi, & celerem insuperabilemque discessum, ac nobilium principiorum & finium incognitas & inuisibiles latebras. Pari modo Euseb. loco citato docet, Ægyptios, vt Dei prouidentiam significarent, pinxisse solem radijs circumfusum in naui, quæ aduerso flumine rapiebatur remis velisque incitatis, ac deportabatur à substernente se crocodilo. Sic enim Deus quasi gubernator regit hanc mundi nauim, omniaque in eo animalia & inanima, quantumuis fera, horrenda & vasta, edomat ac regit. Rursum Deus princeps temporum est, quasi sol, qui, vt ait Lucan. lib. 12.

Hieroglyph. Dei. Primum.

Secundum.

Tempora diuidit æui,
Mutat nocte diem, radijsque potentibus astra
Ire vetat, cursusque vagos statione moratur.

Denique S. Paulinus natali 9. S. Felicis:

Est naturæ opifex Deus omnis & artis, in omni
Fons opere, & finis, faciens bona, factaque seruans.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit & plangit Samariæ vastitatem extremam & æternam, infligendam à Deo terribili, qui facit Arcturum & Orionem, ac subridet vastitatem super robustum, ob eius scelera, præsertim ob rapinas & oppressiones pauperum. Deinde v. 14. hortatur eam ad pœnitentiam: Nam v. 21. asserit se eius victimas & cæremonias externas non curare, imò detestari.

Vers. 1. AVdite verbum istud, quod ego leuo super vos planctum: Domus Israel cecidit, & non adijciet vt resurgat.

2. Virgo Israel proiecta est in terram suam, non est qui suscitet eam.

3. Quia hæc dicit Dominus Deus: Vrbs de qua egrediebantur mille, relinquentur in ea centum: & de qua egrediebantur centum, relinquentur in ea decem in domo Israel.

4. Quia hæc dicit Dominus domui Israel: Quærite me, & viuetis.

5. Et nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare, & in Bersabee non transibitis: quia Galgala captiua ducetur, & Bethel erit inutilis.

6. Quærite Dominum, & viuite: nè fortè comburatur vt ignis domus Ioseph, & deuorabit, & non erit qui extinguat Bethel.

7. Qui conuertitis in absinthium iudicium, & iustitiam in terra relinquitis.

8. Facientem Arcturum & Orionem, & conuertentem in mane tenebras, & diem in noctem mutantem: qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ: Dominus nomen est eius.

9. Qui subridet vastitatem super robustum, & depopulationem super potentem affert.

Aduer-

Vers. 1. AVDITE VERBVM ISTVD, QVOD EGO LEVO SVPER VOS (Chald. & Septuag. *assumo contra vos*) PLANCTVM] Est appositio, q.d. Audite verbum, id est, planctum & lamentum, siue lugubre carmen, quod ego pango & plango de instante excidio vestro, ô ciues Samariæ. Vnde Tigurina clarè vertit, *audite sermonem istum, ô domus Israel, quem de vobis sumo, lugubre scilicet carmen*; alij, *audite verbum quod ego leuo super vos in planctum & lamentum*. Propheta ergo præuidens suorum cladem, commiserans & ingemiscens edit hoc lugubre carmen, quo publicè miseram Samariæ sortem iam imminentem deplorat. Simile carmen & lamentum de Tyro, eiusque rege & ciuibus excisis canit Ezechiel cap. 27. 2. & de Ægypto ac Pharaone euersis c. 32. v. 2. ac de Babylone & Balsasare à Cyro vastatis Isaias c. 14. 4. ac de Hierosolymæ excidio Ieremias in Threnis. Porrò lugubre hoc carmen, & quasi epitaphium Samariæ, est id quod mox subdit Propheta dicens: *Domus Israel cecidit*, &c.

A

DOMVS ISRAEL CECIDIT] Ita & Septuag. S. Hieron. in comment. Remig. Lyran. & alij. Licèt enim Hebr. בֵּית *beth*, id est domus, sit masculinum; נָפְלָה *naphela* verò, id est *cecidit*, sit femininum, tamen in re & sensu est concordantia: nam per *beth*, id est, domum Israel, intelligit עֵדָה *eda*, id est synagogam, & congregationem populi, quæ est feminini generis, & rectè concordat cum feminino *naphela*, id est cecidit. Comparat enim hîc domum, id est populum Israel, fœminæ, putà virgini afflictæ & prostratæ. Immeritò ergo Massoretæ & Chaldæus Hebræa aliter dispungentes, nimirum ponentes hypocolon post τὸ *domus Israel*, ita legunt: *Audite verbum istud, quod ego leuo super vos, planctum domus Israel: Cecidit, & non adijciet vt resurgat virgo Israel.* Sed quomodocumque dispungas & legas, eòdem redit sensus.

B

C

CECIDIT] Id est, cadet prostrata in terra sua ab Assyrijs Samaria, eiusque regnum, adeò vt numquam resurgat & reflorescat. Decem enim tribus, quarum fuit hoc regnum, abductæ in Assyriam, numquam inde redierunt.

Vers. 2. VIRGO ISRAEL] Solent Hebræi vrbes & regna, ob speciem, opes & gloriam vocare virgines. Hinc Ierusalem vocatur *virgo filia Sion*, & de Babylone ait Isaias cap. 47. v. 1. *Descende, sede in pulue re virgo filia Babylon.* Sic Ægyptus vocatur *virgo & filia* Ierem 46. 11. Virgo ergo Israel, est Samaria, eiusque regnum speciosum & opimũ, quod defloratum & vastatum ab Assyrijs, simile fuit virgini regiæ olim ornatæ, nunc spoliatæ, violatæ, prostratæ & conculcatæ. Secundò, vocatur *virgo*, quia intacta à iugo hostis: numquam enim antea Samaria ab Assyrijs, alijsue gentibus subacta fuerat; sed eius regnum & respubl. instar virginis, liberum & illibatum efflorescebat. ita Ruffinus, Clarius & Arias.

D

Addit S. Hieron. & Theodor. Samariam olim fuisse virginem, id est, puram in cultu Dei, cùm in suis patribus Deum verum coluit. Sed hoc accipi debet de priscis patribus, qui schisma, quo diuisum & erectum est regnum Israel, præcesserunt. Nam cum schismate, adeoque cum regno Israel cœpit eius impietas & idololatria vitulorum aureorum, quos erexit primus Israelis rex Ieroboam.

Cornel. in Proph. Min.

PROIECTA EST IN TERRAM SVAM] Hebr. נִטְּשָׁה *nitteſa*, quod Tigurina vertit, *afflicta est ad terram suam*; Vatabl. *derelinquetur in terra sua*; Pagnin. & alij propriè, *dimissa est in terra sua*, q.d. Cecidit virgo Israel, tamque valido ictu ab Assyrijs prostrata est, non qualitercumque, sed vsque in imam terram, vt iaceat humi toto corpore prona, planè afflicta, proiecta est quasi desperata, ab omnibus derelicta dimissaque, sine vlla ope & spe resurgendi: quia nec ipsa, vtpote conquassata & confracta, se erigere poterit; nec rex Ægypti, ait Theodor. aut quis alius tanta est eius clades, adeò attrita, membris luxata, & diffracta est, vt nemo eam sibi restituere possit: perinde ac olla testacea allisa ad petram, dissilit & diffringitur, vt à nullo figulo redintegrari queat. Vnde sequitur:

NON EST QVI SVSCITET EAM] Alludit ad medicos, qui videntes quem ex turri lapsum & omnibus membris confractum, vt curari & sibi restitui nequeat, cum vt desperatum humi iacentem dimittunt & derelinquunt. Physicè alludit ad virginem, quæ si lapsa & corrupta libidine virginitatem amisit, suscitari nequit, vt decus virginitatis recuperet. Vnde S. Hieron. ad Eustoch. de custodia virginit. *Caue*, inquit, *quæso, nequando de te dicat Deus: Virgo Israel cecidit, & non est qui suscitet eam. Audenter loquar. Cùm omnia possit Deus, suscitare virginem non potest post ruinam: valet quidem liberare de pœna, sed non vult coronare corruptam.* Rursum τὸ *suam*, auget cladẽ, & mouet commiserationem. q.d. Proiecta est, & afflicta in terra, non aliena & hostili, quod minùs mirum & miserandum est; sed in sua, quam vnicè amabat, & à qua vicissim quasi à matre & nutrice amabatur & alebatur: sicuti res miseranda est, si filia occidatur in sinu matris.

Vers. 3. VRBS, DE QVA EGREDIEBANTVR MILLE, RELINQVENTVR IN EA CENTVM] q.d. Tot cladibus afficientur Israelitæ ab Assyrijs, tum in obsidione triennali Samariæ, 4 Reg. 18. 10. tum ante & post eam, vt gladio, fame & peste pleriq; omnes absumantur, ita vt mille redigãtur ad centum, & centum ad decem, adeoq; ex tanto Israelitarum numero vix decimus quisque tãtæ stragi superstes sit. ita Remigius, Hugo, Arias & alij. Idem Iudæ comminatur Isaias c. 6. 11. *Et dixi*, ait, *Vsquequo Domine? Et dixit: Donec desolentur ciuitates absque habitatore, & domus sine homine*, &c. *Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur*, id est, rursum erit in deprædationem & ostensionem, vti ibidem explicat S. Hieron.

Tropol. ex Origen. homil. 8. in Iosue, Ribera, Vrbs, ait, est cuiusque anima, quæ ædificatur à Domino ex lapidibus viuis, id est, ex virtutibus varijs, de qua quisque sanctus pugnando eijcit peccatores, id est, cogitationes & cupiditates prauas: ac contra eas sanctificat bellum, hoc est, ijs sancto sui odio mortificatis, sanctum se efficit corpore & spiritu, vt mereatur venire in conspectum Dei viuentis, & pro palma victoriæ virtutis merito coronari à Christo. Egrediebantur olim ex anima hac feruida, quæ Deo adhærebat, mille, id est omnium, virtutum opera, quasi milites strenui cum diabolo & vitijs pugnaturi: at postea, cùm cupiditate rerum terrenarum capta, feruorem hunc remittit, profert centum, numerum decuplo minorem; & si priùs

Tropol. de fabrica & ruina animæ.

centum educebat, decem in ea relinquũtur: quia A hæc remissio & declinatio animæ, non vnius alicuius, sed omnium virtutum opera minuit, & omnibus modis efficit imperfectiora. idque sensim magis & magis, vt tandem planè ab ijs cesset, totaque à dæmone & vitijs opprimatur & possideatur, itaque in extremam ruinam & interitum abeat.

IN DOMO ISRAEL] *Domum* vocat familiam, id est remp. & Synagogam Israel, in qua multæ erant vrbes, oppida & pagi.

VERS. 4. QVIA HAEC DICIT DOMINVS: QVAERITE ME, ET VIVETIS] *Quia* ponitur pro *igitur*, q.d. Hoc quod iam dictum est, accidet domui Israel propter idololatriam: agite igitur pœnitentiam, relinquite idola, & quærite Dominum. Nã Hebr. כִּי *ki*, id est *quia*, ponitur pro *igitur*, *quocirca*, vel *verumenimuero*: *ki* enim Hebræis sæpè tantùm est B initium & exordium orationis. Post minas enim Deus hîc inuitat Israelem ad pœnitentiã, vt minis territus resipiscat. Paulò aliter Vatabl. nã pro *quia*, vertit. *sic enim* dixit Dominus (quærite me) volens scilicet reuocare ab idololatria, propter quàm multa mala illi euentura erant, nisi resipisceret & quæreret Dominum.

VERS. 5. NOLITE QVAERERE BETHEL] vt colatis vitulos aureos, quos in Bethel erexit Ieroboam.

ET IN BERSABEE NON TRANSIBITIS] *Bersabee* vrbs erat vltima terræ sanctæ, eiusq; terminus ad Meridiem, sicut Dan erat eiusdẽ terminus ad Septemtrionẽ (vnde de tota terra sancta dicitur, *A Dan vsque ad Bersabee*) ita dicta à iuramento & fœdere quod ibidem iuxta puteum Abraham inijt cum Abimelech, dando ei septem agnas. C בְּאֵר *beer* enim hebr. est puteus; שֶׁבַע *saba* per *sin* iuramentũ, per *scin* septem significat. *Bersabee* ergo idem est quod puteus iuramenti, vel puteus septem, scilicet agnarum. Vide dicta Gen. 21. 31.

Pertinebat hæc vrbs ad tribum Simeonis, sed quia Simeonis sors erat exigua, eaque intra sortem tribus Iudæ continebatur, hinc Iosue 15. 28. Bersabee ponitur inter vrbes Iuda. Hîc multo tempore habitarunt Abraham, Isaac & Iacob: vnde & vocatur oppidum Isaac. Tempore S. Hieron. erat vicus grandis, in eoque erat præsidium Romanorum, & Vicus salutaris vocabatur: nunc Gibelina nuncupatur. ita Adrichom. in Descript. terræ sanctæ. Porrò in Bersabee posita erant idola, æquè ac in Bethel & Galgalis, vt patet 4. Reg. 23. 8. Vnde iubet hîc Propheta, ne eò transeant, ad colenda scilicet idola. Quia enim Abraham in Bersabee oratorium Deo statuerat, in quo eum inuocauerat, Genes. 21. 33. hinc D posteri eius ibidem altare statuerunt, at nõ Deo, sed suis idolis. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. & alij. Vnus Arias aliter explicat, q.d. Ne colatis idola in Bethel & Galgalis: ita fiet, vt non abducamini in captiuitatem, nec per Bersabee transeatis in Assyriam. Verùm sic potiùs dixisset, *Et in Dan non transibitis*. nam per Dan, vtpote Aquilonarem, ibatur in Assyriam; per Bersabee verò, vtpote Meridionalem, ibatur in Ægyptum.

QVIA GALGALA CAPTIVA DVCETVR] *Galgala* erat ciuitas duarum tribuum, putà sortis Iuda; sed vicina decem tribubus, & cum iis excisa. In Hebræo est elegãs agnominatio: *Galgal galo iigale*, id est, volubilitas voluendo voluetur, vel rota rotando rotabitur, vel migratio migrando migrabit. *Galgal* enim dicitur à גָּלַל *galal*, id est voluit, deuoluit, migrauit. vnde Tigurina vertit, *Galgal transmigrans transmigrabit*; Pagnin. *Gilgal demigrando demigrabit*.

ET BETHEL ERIT INVTILIS] Septuag. & Syrus, *Bethel erit quasi non sit*; Hebr. *Bethel erit in Auen*. q.d. *Bethel fiet Bethauen*, id est, domus fortis fiet domus vanitatis, inanitatis (*inanis & vacua*, vt vertit Arabicus) & nihili, vel domus Dei fiet domus iniquitatis, & doloris luctusque.

Tropol. per peccatum anima quæ erat Bethel, id est, domus & templum Dei, fit Bethauen, id est, domus scelerum & diaboli. Rursum, domus cæli fit domus gehennæ, vt in ea ardeat in æternum. Hoc videt & sentit anima peccatrix in hora mortis, quando opes, honores & deliciæ, quibus illecta Deum offendit, vertentur ei in nauseam, opprobrium, miseriam, & tormentum æternum.

QVAERITE DOMINVM, ET VIVITE] id est, & V viuetis, vel vt viuatis. ita Vatabl & Pagnin.

NE FORTE COMBVRATVR, id est, ardeat & deflagret, VT IGNIS DOMVS IOSEPH, ET DEVORABIT vicina, ET NON ERIT QVI EXTINGVAT BETHEL] hoc est, ignem immissum à Deo in Bethel, vt patet ex Hebræo & Græco. Pagnin & Vatabl. vertunt, *ne fortè diffindat vt ignis domum Ioseph*: diffindat, inquit Vatabl. id est, perrumpat & disperdat. Ignis enim validissima quæq; perrumpit & consumit. Per *Ioseph* intelligit Ephraim, qui fuit filius Ioseph: per Ephraim autem intelligit decem tribus: quia Ieroboam primus earum rex, & regni conditor, fuit ex tribu Ephraim. ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo & Vatabl. Israel ergo nunc vocatur Ephraim, nunc Ioseph, nunc Iacob, nunc Samaria.

QVI CONVERTITIS IN ABSINTHIVM IVDICIVM] Cohærent hæc cum initio versus præcedentis q.d. Quærite Dominum vos, ô Israelitæ, qui ab eo auersi conuertitis iudicium, eiusque suauitatem & dulcedinem in absinthij amaritudinem. ita Rupert. Aliter Vatabl. connectite nim hæc cum verbo *deuorabit*. q.d. Ignis hic deuorabit vos, qui conuertitis iudicium in absinthium. Iam *iudicium* Primò, accipe propriè dictũ. Sæpè enim Prophetæ culpãt Israelem, quòd peruerteret iudicium adiudicando causam nocentibus, vtpote amicis, vel diuitibus & dantibus munera; atque innocentes, quia pauperes vel inimici, condemnando, quibus proinde æquitas & consolatio, quam quærebant ex iudicio, vertebatur in amaritudinem iniustitiæ & condemnationis, quæ illis acerba & amara erat instar absinthij. ita Rupert. Hugo & Lyran. Vnde explicandõ subdit Amos: *Et iustitiam in terra relinquitis*; Tigurina, *iustitiam in terra affligitis*; Vatabl. *in terra iacere finitis*.

Secundò, S. Hieron. *iudicium* generatim accipit pro iustitia & sanctitate, putà pro debito & officio virtutis, quod quisque Deo & proximo præstare debet. Sic sæpè Psaltes psalm. 118. aitde feciſſe iudicium, id est, quod æquum est, debitũ & gratum Deo. q. d. Vos qui conuertitis virtutem in vitium, iustam & sanctam vitam in peccati amaritudinem, eaq; quasi absinthio potatis Deum. Hinc peccata in Scriptura vocãtur amaritudines, quia amaricant, exacerbant, offendunt

&

& ad iram concitant Deum. Ita ait Osee c.12. 14. *Ad iracundiam prouocauit me Ephraim in amaritudinibus suis.* Rursum, peccatum per catachresin vocatur, fel, toxicũ, absinthium: Primò, quia animam vellicat, lædit, occidit. Secundò, quia qui peccat, Deo quasi fel propinat. Tertiò, quia modicum mel & voluptas peccati æternum fel & dolores amarissimos peccatori accersit. Hinc ait Moses Deuter.32.32. *Vua eorum vua fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Et S Petrus ad Simonem Magum, Actor.8.23. *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse.*

Huc pertinet expositio Ariæ, qui per iudicium accepit legem Dei. Hæc enim psalm. 118. & alibi sæpè vocatur *iudicium*, quia secundùm eam iudicandum est quid sit bonum, quid malum. q.d. Vos legem Dei, quæ suauior est melle & fauo psal.18.11.ob vestras prauas concupiscẽtias & consuetudines, abominamini, quia æstimatis eam amaram vt absinthium, illamque vt talem apud alios depingitis & traducitis, itaque eos ab illa ad scelera vestra abducitis.

Tertiò, Septuag. hæc referunt ad Deum. sic enim vertunt, *quærite Dominum, & viuite*, &c. *qui facit in excelso iudicium, & iustitiam in terra posuit.* q.d. Quærite Deum, timentes iustum æquè ac rigidum eius vtpote acerrimi vindicis, iudicium. Et Arabicus, *Dominus faciens iudicium in altissimis, & ipse est qui fundauit iustitiam in terra, & operatur omne, & parat illud.*

ET IVSTITIAM IN TERRA RELINQVITIS] *Iustitia* idem est quod *iudicium*, de quo iam dixi: Hebræi enim versu posteriore explicant priorẽ. Aliter S.Hieron.Lyran.& Ribera. Hi enim per *iustitiam* accipiunt Deum, qui est iustitia essentialis & increata, q.d. Vos adoratis iniusta & sordida idola, relinquitis verò, imò in terra quasi iacentem contemnitis & conculcatis ipsam iustitiam, id est, Deum iustissimum & omnipotẽtem, vtpote *facientem Arcturum & Orionem*, &c. vnde & Chald. vertit, *desierunt timere à facie Domini, qui fecit Arcturum*, &c. Sed prior sensus, vti simplicior & communior, ita germanior est.

Vide I. FACIENTEM ARCTVRVM] Ribera ex Remigio hæc connectit cum verbo *relinquitis*: illud enim hîc repetit. q.d. Relinquitis iustitiam, quin & ipsum Deum facientem Arcturum. Vnde Syrus vertit, *dereliquerunt illum qui facit Arcturum & Orionem.* Rursum planè hæc referas ad v.6. *Quærite Dominum.* q.d Quærite Deum creatorem, gubernatorem, iudicem & vindicem, æquè ac remuneratorem omnium; vtpote qui facit Arcturum, Orionem, &c. cætera enim hîc intermedia, quasi per parenthesin interijciuntur. Sensus est, q.d. Quærite Deum non idola: solus enim Deus creat, gubernat, iudicat, vindicat, præmiat vniuersa, non idola. vnde Septuag. vertunt, *qui facit omnia & transformat.* ita S.Hieron. Vatabl.& Lyran. Quocirca si illum quæsieritis, viuetis etiam in medijs periculis & hostibus, securi & incolumes: ille enim potens est dare suis vitam, salutem & omne bonum: sin autem, moriemini, & ab hoste Assyrio exscindemini: Deus enim immittet ignem in domum Ioseph, vt dixit vers.6. ipse enim facit Arcturum, Orionem, cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt & fiunt.

Cornel. in Proph. Min.

ARCTVRVM] Ita Hebr. כִּימָה *kima* Arcturum vertunt Septuag. Iob c.9.9. Pagnin. Vatabl. Arias hîc. Secundò, Symmach. & Theodotion vertunt *Pleiadas*, siue *Vergilias*, quæ sunt septem stellæ in cauda Arietis, aut potiùs in tauro; & ita vertit Noster Iob 38.31. Tertiò, Tigurina vertit *Cynosuram*, id est, vrsam minorem. Quartò, Arabicus & alij vertunt, *succulas*, quæ sunt in capite Tauri, & à Græcis vocantur hyadæ ab ὕειν, id est pluere, eò quòd pluuias concitent. Alij aliter vertunt: Hebræa enim nomina arborum, animalium, stellarum plures earum species significant. Porrò *Arcturus* est vrsa minor, putà septem stellæ quæ litæ sunt iuxta polum Arcticum, ideoque circa eas voluitur axis cæli, nobisque semper apparent & numquam occidunt, inquit Albertus. *Arcturus quis?*

B Verius Arcturus est stella ingens in sidere Bootæ, siue bubulci post caudam maioris vrsæ, indeque vocatur Arcturus. q.d. Vrsæ cauda: ἄρκτος enim est vrsa, οὐρὰ cauda. Oritur Arcturus die 5. Septembris, ait Columella l.2. cap.4. suoque ortu, æquè ac occasu, grandines & procellas ingentes concitat, ait Plinius lib.2.c.39. Vnde Virgil.1.Æneid.

Vnde imber, & ignes,
Arcturum, pluuiasq; Hyadas geminosq; Triones.

Et Horat.lib.3.Carm.

Stella micans radijs Arcturus nomine claro.

Et Cicero lib.2.de Natura deorum ait, eam sitam subter præcordia Bootis, qui & Arctophylax, id est, custos vrsæ dicitur, quia eam sequitur quasi custos. Vnde Cicero ibid.

Arctophylax vulgò qui dicitur esse Bootes,
Quòd quasi temone adiunctã præ se quatit Arctum.

C Et Ouid.3.Fast.

Siue est Arctophylax, siue est piger ille Bootes.

Horum omnium situs clarè patet inspicienti globum astronomicum: in eo enim pingitur Arcturus vt clara stella inter femora Bootis, siue Arctophylacis, qui sequitur vrsam maiorem, siue plaustrum, vt vulgus vocat, eò quòd septem eius stellæ formam plaustri vel currus exhibeant. Porrò Arcturus acer est & vehemens in ciendis procellis. Vnde Plautus in Rudent.

Arcturus signum sum omnium quàm acerrimum:
Vehemens sum exoriens, occidens vehementior.

Quocirca Plinius vim ordinaria maiorem, & quasi diuinam in concitandis tempestatibus in Arcturo agnoscit libr.18.28. Et hoc innuit hîc Propheta dicens: Deus est *qui facit Arcturum*, hoc est, qui vim tantam iaculandi nimbos, grandines, fulgetra ei indit, quantam quotannis cernimus & experimur. Iampridem enim Deus fecit, id est creauit, Arcturum, putà ab origine mundi: quare Propheta cùm ait hîc, *facientem Arcturum* in præsenti, non videtur de præterita eius creatione loqui.

D ET ORIONA] Sic & Syrus, & alij passim. Arabicus verò vertit, *Geminos*. *Orion* sidus est Meridionale ante taurum constans 18. stellis, & pingitur in globo astronomico quasi vir pede insistens lepori, inter Hyades & Syrium, siue canem maiorem. Dictus est græcè Orion, ὀρθὸς τῷ ὄρει, id est turbare, eò quòd eius ortu oritur pariter hiems, & quia oriens nimbis & procellis aërem terramque turbat. Inde hebr. dicitur כְּסִיל *kesil*, id est inconstans, eò quòd inconstans sit in micando, & inconstantiam auræ, *Orion quis?*

putà serenitatis & tempestatis adducat: nascitur nono mense, putà Nouembri, quiinde hebr. dicitur *kasleu*. In Nouembri enim magna est cæli inconstantia & intemperies, quam significat & inducit *kesil*, id est Orion. Vnde Virgil. 1. Æneid.

Cùm subitò assurgens fluctu nimbosus Orion.

Hinc Poëtæ fabulati sunt, Orionem, vel Vrionem filium esse Neptuni, itaque dictum ab vrina Iouis. Plautus Iugulam vocat, quòd sit quasi armatorum gladius, stellarum fulgore (vnde Noster Isaiæ 13.10. Hebr. *kesil* vertit *splendor*) terribilis. Idcirco ab Ouidio libr. 4. Fastor. Orion vocatur ensifer. Hic si fulget, serenitatem; si obscuratur, tempestatem denotat. Quocirca Horat. lib. 1. Carm.

Notus, inquit, *deuexi rapidus comes Orionis.*

Deuexum vocat, quia in deuexa cæli parte, id est, in occasu positus: comitem verò eius Notum facit, quia tempestatem & ventos secum fert Orion.

Sub Arcturo & Orione per synecdochen, reliquas stellas & astra omnia accipe. Vnde Symmach. pro *Orione* vertit, *stellas*; Theodotion, *vesperum*, qui secum stellas omnes adducit, vt idem hîc dicatur quod psalm. 146.4. *Qui facit multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Quamobrem Septuag. hîc vertunt, *omnia faciens & fabricans.*

Quæres, cur hæc duo astra præ cæteris nominat Propheta? Resp. Primò, S. Hieron. quia hæc duo sunt celebriora & nobis notiora. Secundò, quia grandines, procellæ, &c. ab horridis sideribus exeunt, velut Arcturo, Orione & Hœdis, ait Plinius lib. 18.28. Hæc ergo sidera cientia tempestates, iræ Dei sunt symbola: iram autem & vindictam hîc Israelitis minatur Deus, ita Ribera & Pineda in Iob 9 9. quæ sanè ratio huic loco valdè congruit. Tertiò, quia Orion præcipuum est sidus Meridionale, Arcturus præcipuum Septemtrionale: sub his ergo duobus omnia, putà tam Meridionalia, quàm Septemtrionalia comprehendit.

Addunt aliqui, hæc duo iuuare ad producendos flores & fructus vernos. Vnde Iob 38 v. 31. pro eo quod nos legimus: *Numquid coniungere valebis micantes stellas pleiadas* (hebr. *kima*) *aut gyrum Arcturi* (hebr. *kesil*) *poteris dissipare?* sic transfert Pagninus, *numquid ligare poteris manibus tuis fructus delicatos Vergiliarum, vel serotinos fructus Orionis aperire facies?* & Tigurina, *num prohibebis delicias pleiadum, aut contractiones Orionis aperies?*

Quartò, Christ. à Castro: Videntur, inquit, posse his duobus præcipuis sideribus æstatis & hiemis, significari quatuor anni tempora: nam ver æstati adiungitur, hiemi autumnus. q d. Qui facit quatuor anni tempora; sicut mox adijcit: *Qui facit noctem & hiemem.* Qui enim adeò facilè tempora commutat ex ortu siderum, æquè facilè è periculis eruet, & sortes infestas in felices faustasque commutabit, & captiuitatem instantem auertet.

Tropolog. S. Gregor. lib. 9. Moral. c. 6. *Arcturus*, inquit, *semper versatur, & numquam mergitur: sic & Ecclesia persecutiones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen vsque ad mundi terminum sine defectu perdurat. Arcturus dum versatur, erigitur: quia tunc S. Ecclesia valentiùs in veritate reficitur, cùm ardentiùs pro veritate fatigatur. Quid post Arcturum per Orionem, nisi Martyres designantur? Ex Orione igitur hiems inhorruit, quia clarescente sanctorum constantia, frigida mens infidelium ad tempestatem persecutionis excitauit. Orionas ergo cælum edidit, cùm S. Ecclesia Martyres misit. Qui dum loquentibus recta ausi sunt, omne pondus ex frigoris aduersitate pertulerunt.* Subdit deinde; Post Orionem loquuntur Hyades, id est doctores, qui post Martyres doctrinæ suæ pluuia rigarunt Ecclesiam: nam post tria sæcula Martyrum, sub Constantino cœpit quartum sæculum Doctorum.

CONVERTENTEM IN MANE TENEBRAS] q.d. Qui tenebras noctis conuertit in mane & lucem auroræ, qua noctem conuertit in diem, ac vicissim *diem in noctem mutat.* Vnde Pagnin. vertit, *qui conuertit in mane vmbram mortis, & diem in noctem tenebrescere facit*; Tigurina, *qui tenebras mortis*, id est mortiferas, *conuertit in lucem matutinæ, & diem nocte obtenebrat.* Nota. tenebræ noctis hebr. vocantur צַלְמָוֶת *tsalmauet*, id est vmbra mortis, hoc est, maximæ & densissimæ, æquè ac horribiles, vti est vmbra mortis, in sepulchris, & in inferno. Syrus, *conuertit in mane vmbras mortis*, id est vmbras tristissimas, & tenebras densissimas.

Porrò hæc vmbra & tenebræ symbolicè denotant ingentia pericula, ait Theodor. clades & ærumnas. q.d. Deus consolationem in desolationem, risum in luctum, prospera in aduersa, securitatem in timores, plausum in planctum commutat, & vice versa desolationem in consolationem, &c prout ei libuerit, & prout merentur vel demerentur homines. Ita Chæremon Abbas apud Cassian. collat. 12. cap 12. hunc Amos locũ explicat de mira mutatione cordium, quam facit sua gratia potens æquè ac misericors Deus. *Quis*, inquit, *planè non miretur opera Dei, ac non proclamet affectu: Quia ego cognoui quòd magnus est Dominus; cùm se vel alium quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato ac tenero squalidum hirtumq; prospexerit, & egestate atque angustia præsentium rerum etiam voluntariè perfruentem? Ista sunt prodigia quæ posuit Deus super terram, quæ Propheta considerans, ad admirationem eorum cunctos populos aduocat, dicens: Venite & videte opera Dei, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad fines terræ: arcum conteret, & confringet arma, & scuta combaret igni. Quod enim maius potest esse prodigium, quàm sub momento breuissimo ex rapacissimis publicanis Apostolos fieri, ex persecutoribus truculentis Euangelij prædicatores patientissimos reddi, ita vt eam quàm persequebantur fidem, etiam effusione sui sanguinis propagarent? Ista sunt opera Dei quæ se quotidie vnà cum Patre operari Filius protestatur, dicens: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor, Iohan 5. De istis operibus B. Dauid in spiritu canens: Benedictus, inquit, Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus, psalm. 71. De istis & Amos Propheta: Qui facit, inquit, omnia, & conuertit ea, & transmutat in matutinum vmbram mortis. Hæc nempe est mutatio dextera Excelsi.*

Rursum Cassianus collat. 15. cap. 8. hasce mutationes mentium miraculis præfert, dicens: *Et reuera maius miraculum est, de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quàm expellere immundos spiritus de corporibus alienis. Et magnificentius signum est, virtute patientiæ truculentos motus iracundiæ cohibere,*

Psal. 9.

bibere, quàm aëreis potestatibus imperare: plusq; est exclusisse edacissimos de corde proprio tristitiæ morbos, quàm valetudines alterius febresq; corporeas expulisse. Postremò multis modis præclarior virtus, sublimiórque profectus est, animæ propriæ curare languores, quàm corporis alieni. Causam dat. *Quanto enim hæc sublimior carne est, tanto præstantior eius est salus; quantóque pretiosioris excellentiorisq; est substantiæ, tanto grauioris ac perniciosioris est & ruinæ.* Notent hoc qui in animabus conuertendis desudant: sciant se tot miracula patrare quot animas conuertunt, imò quot vitia extirpant; eaque non corporalia & transitoria, sed spiritalia & in omne æuum in cælis ad perenne trophæum mansura.

QVI VOCAT AQVAS MARIS, q.d. Qui calore solis euocat & attollit in aërem vapores ex aquis maris, eosque resoluit in pluuiam; itaque EFFVNDIT EAS (aquas) SVPER FACIEM TERRÆ: DOMINVS NOMEN EIVS] Pro *Dominus* hebr. est *Iehoua*, id est *qui est*, vel τὸ ὤν, qui est ipsum esse, tum suum formale, tum causale rerũ omnium, putà qui est plenitudo, vniuersitas & complexus entis, essentiæ & existentiæ; qui est Oceanus essendi, & immensum pelagus existendi. Suspicatur Sanchez, Amos, vtpote rusticum, alludere ad rusticorum opinionem, licèt falsam, quæ censet iridem bibere & haurire aquas è mari, de qua Rhodigin. lib. 22. cap. 29.

Tropol. *S. Paulus*, ait S. Hieron. *quasi turbo violentus, & sæua tempestas, & tumentis maris gurges persequebatur & opprimere nitebatur Ecclesiam Dei. Qui vocatus à Domino, effusus est super faciem vniuersæ terræ, vt prædicaret Euangelium de Hierosolymis vsque ad Illyricum, &c. vt vsque ad Hispanias tenderet, & à mari rubro, imò ab Oceano vsque ad Oceanum curreret, imitans Dominum suum, & solem, de quo legimus: A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius; vt antè eum deficeret terra, quàm studium prædicandi.*

Amos 5. QVI SVBRIDET VASTITATEM SVPER ROBVSTVM] Hebr. est מַבְלִיג *mablig*, quod Primò, Septuag. vertunt, *qui diuidit contritionem super fortitudinem*, id est, qui varias contritiones quasi diuisas & dissectas iaculatur in fortes & potentes, vt eos sternat; quique, vt explicat Theodor. facilè infirmos corroborat, & robustos infirmat & conterit. Secundò, Chald. Vatabl. & Arias, *qui fortificat debiles, eosq; facit præualere robustis & fortibus*; Tertiò, Lyran. *qui contemnit vastationem à robusto factam, & depopulationem*, id est populi strages, *& abductionem è regno potenti facit*; Quartò, Pagninus, *qui roborat vastatorem super populum robustum*; Quintò, Tigurina, *qui contorquet vastatorem super fortem*; Sextò, Arabicus, *exaltans humilem super fortem, & infirmum super magnificantem se*; & Syrus, *qui præsidet vilem* (abiectum) *forti, & humilem super excelsum* (eleuatum) *eleuat*. Hæ omnes interpretationes eòdem tendunt, scilicet significant, Deum esse qui dat robur & victoriam cui vult, ac sæpè infirmos roborare, vt præualeant fortibus. Sic tropologicè ait S. Hieron. *Fortitudo corporis imbecillitas animæ est: rursum animæ fortitudo imbecillitas corporis est.*

Noster eodem ferè sensu, sed neruosiùs magisque propriè, cum Aquila vertit, *qui subridet*, id est, subridendo comminatur & immittit vastitatem. Iræ enim magnitudo subinde subridendo ostenditur, aut potiùs ab heroibus per risum dissimulatur, vti patet ex illo Virgil. Æneid. 10.

Ad quem subridens mista Mezentius ira:
Nunc morere.

Ita Deus omnem humanam potentiam sibi aduersam subridet, id est, subridendo despicit, deridet & sternit. Risu ergo ostendit eam minorem esse sua ira, & indignam cui succenseat & irascatur; vti leo canes, lupos, vrsos non dignatur sua ira; sed si ei obsistant, quasi ludens & ridens eos discerpit. Sic Deus ludens in orbe terrarum, deridet fastum homuncionum, & subridens mactat impios; cùm per homines debiles & infirmos, resque viles eos contundit, vti Pharaonem contudit per ranas, locustas, cinifes & muscas. Hic est ludus, hic risus Dei omnipotentis. Hinc à Castro ita explicat: *Qui subridet*, &c. id est, qui solet quasi per risum exstimulare debilem quemque in robustissimum, vt eũ deuastet. Et Mariana: Deus, ait, *subridet*, id est, videtur ludere in nostris malis. Et Emmanuel: *Subridet*, id est ridendo, vel deridendo facilè immittit *vastitatem*. Sic de struthione ait Iob c. 39. 18. *Deridet equum & ascensorem eius.* Et de Leuiathan cap. 41. 20. *Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam.* Et Psaltes de Deo ait psalm. 2. 4. *Qui habitat in cælo irridebit eos.* Et psal. 36. 13. *Dominus autem irridebit eum.* Et Prouerb. 1. 26. *Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Pulchrè verò Sapiens cap. 12. 25. cùm dixisset impios Chananæos impiè & insipienter instar infantium insensatorum vixisse, subdit: *Propter hoc tamquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti.* q. d. Velut puerilibus & ridiculis pœnis (putà per vespas & crabrones) eos quasi pueros, graviter tamen & acriter puniuisti: vbi in Græco pulchra est paronomasia inter παισὶν & ἐμπαιγμόν. q.d. Ridiculos ridiculè irrisisti, pueros pueriliter lusisti & castigasti. Hoc est quod ait Claud. 2. in Eutrop. *Subrisit crudele pater.* Sic felis subridet murem quem cepit, id est, subridens deuorat: nam antequam deuoret, cum eo quasi ridens gesticulatur & ludit. Sic est risus Sardonicus, risus equinus, risus caninus: equi enim & canes dum ringunt & mordere parant, dentes nudant quasi ridentes. Sic Iupiter, inquit Hesiodus, iratus Prometheo, quòd ignem è cælo furatus in terram detulisset, risit risum subamarulentum. Dioscorides lib. 6. inter venena prodidit, herbam, quæ latinè ranunculus, græcè batrachion dicitur, & à regione in qua copiosiùs prouenit, Sardoa, vel Sardonia nuncupatur, si potetur, vel comedatur, mentem adimere, labijsque contractis risus speciem præbere. Atque inde prouerbium de Sardonio risu. Strabo lib. 11. Geographiæ scribit, in Cambysene, quæ flumen Alazonium accolit, aranearum genus quoddam nasci, quod alios ridendo cogat emori, alios flendo, desiderio suorum. Quin & Aristot. lib. 3. de Partibus animalium, ait, ictu etiam traiecta præcordia in prælijs, risum attulisse subinde, idque accidere calore quem moueat vulnus. Iam verò *ridere de hoste risus est suauissimus*, ait Sophocles in tragœdia cui titulus, *Aiax flagellifer*. Ita lætatur non tantùm Deus, sed & iustus, cùm videt vindictam peccatorum.

Porrò Hebr. מַבְלִיג *mablig* significare *qui subridet*, patet ex Aquila, qui vertit μειδιῶν, id est

subridens; & ex S.Hieron. dum ait: *Propriè μειδίαμα dicitur, quod nos subrisionem possumus appellare, quando quis irascitur, & apertis paululùm labijs subridere se simulat, vt iræ ostendat magnitudinem.* Idem in caput Ierem.8.18. Hebr. ait, מִבְלִיגִּיתִי *mabligit est μειδίαμα, quod nos interpretari possumus rictum oris dolore contracti, & habentis risus similitudinem, qualis est risus caninus & Sardonicus.* Iam quis non videt magis credendum Aquilæ & S.Hieron. quàm modernis indoctis & infidelibus Rabbinis?

10. Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt.

11. Idcirco pro eo quòd diripiebatis pauperem, & prædam electam tollebatis ab eo: domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum.

12. Quia cognoui multa scelera vestra, & fortia peccata vestra: hostes iusti accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta.

13. Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.

14. Quærite bonum, & non malum, vt viuatis: & erit Dominus Deus exercituum vobiscum, sicut dixistis.

15. Odite malum, & diligite bonum, & constituite in porta iudicium: si fortè misereatur Dominus Deus exercituum reliquijs Ioseph.

16. Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator: In omnibus plateis planctus: & in cunctis, quæ foris sunt, dicerur væ væ: & vocabunt agricolam ad luctum: & ad planctum eos qui sciunt plangere.

17. Et in omnibus vineis erit planctus, quia pertranſibo in medio tui, dicit Dominus.

18. Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam vobis? dies Domini ista, tenebræ, & non lux.

19. Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus: & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber.

20. Numquid non tenebræ dies Domini, & non lux: & caligo, & non splendor in ea?

VERS.10. ODIO HABVERVNT CORRIPIENTEM (Prophetam) IN PORTA] Prophetæ enim prædicabant in publicis plateis, & magis in portis, tum ob confluxum hominum, tum quia in portis sedebant Iudices, Procuratores & Aduocati iniqui, peruertentes iudicia & causas pauperum, quos redarguebat Amos alijque Prophetæ. Iudæi enim sua tribunalia & iudicia exercebant in portis, quia ad eos liberè & facilè conuenire A & confluere poterant, tam alienigenæ quàm indigenæ, tam coloni quàm ciues. Ita sanxit Moses Deuter.21.19. *Ducent*, inquit, *reum ad seniores ciuitatis & ad portam iudicij.* Ita in portis prophetauit & prædicauit Ieremias cap.17.17. & Esdræ lib.2.cap.8.1. ita S.Hieron. Theodor. Lyran. Vatabl. & alij passim. In portis ergo erat quasi forum, tum ciuile rerum venalium, tum iudiciale causarum forensium. Vnde Tigurina vertit, *in foro*. Audi S.Gregor.21.Moral.15. *Mos apud veteres fuit, vt ad portam sederent seniores, qui certantium iurgia iudiciaria examinatione discernerent, quatenus vrbem in qua concorditer oportet viuere, discordia minimè intrarent. Vnde & per Prophetam dicitur: Constituite in porta iudicium.* Quocirca subdit, portam subinde capi pro iudicio quod exercebatur in porta, vt cùm Iob ait: *Cùm viderem meum* B *porta superiorem: in porta*, id est in iudicio.

LOQVENTEM PERFECTE ABOMINATI SVNT] *Perfectè*, id est, perfectum & sanctum sermonem, vt vertunt Septuag. & Symmach. ac *immaculatum*, vt vertit Theodotion; Tigurina, *loquentem integra*. Est periphrasis Prophetæ.

DIRIPIEBATIS PAVPEREM] Septuag. *pugno* Vat. *percutiebatis pauperem*; alij, *spreuistis*, confudistis & pudore affecistis; Pagnin. *oneraſtis pauperem*; propriè Tigurina, *conculcastis tenuem*, vt scilicet diripueretis & spoliaretis. Hebr. enim בּוֹשֵׁם *bosem*, potest deduci à rad. בּוּשׁ *bos*, id est confundere, pudefacere; & à rad. בּוֹס *bos* per *samech*, id est spernere, calcare, conculcare, polluere, inquinare, diripere. Porrò *bosc* vicinum est; alluditque ad בָּז *baz*, id est spoliare, prædari, diripere.

ET PRÆDAM ELECTAM] Septuag. *munera electa*. q.d. Iudices alijque potentes extorquebant à pauperibus dona, non vulgaria, sed selecta & pretiosa. Clarius, Pagnin. Vatabl. Arias & R. Dauid vertunt, *& onus frumenti ab eo accepistis*, putà vi aut dolo extorsistis: onus intellige equi, vel hominis, quantum scilicet equus vel homo baiulus portare potest. Hebr. enim בַּר *bar*, & *electum*, & *frumentum* significat. Hinc iustam & congruam eius pœnam subiungit dicens:

DOMOS QVADRO LAPIDE ÆDIFICABITIS, ET NON HABITABITIS IN EIS: VINEAS PLANTABITIS AMANTISSIMAS, ET NON BIBETIS VINVM EARVM] Iusta enim vindicta est, vt qui rapuit aliena, perdat sua. Æquum est, vt qui ex rapina domos & vineas comparat vel acquirit, eas non possideat, ijs non gaudeat, earum vsu & D gustu non fruatur, vti sæpè raptoribus & iniustis iusto Dei iudicio accidere videmus.

QVIA COGNOVI MVLTA SCELERA VESTRA, ET FORTIA PECCATA VESTRA] *Fortia*, id est, grauia, grandia, crudelia, adeò vt meam clementiam vincant, ligent, & quasi obruant, illique iustam vindictam & flagellum è manu extorqueant.

HOSTES IVSTI, id est iustorum, supple eratis; Tigurina, *constringentes*; Vatabl. *affligentes iustum*; ACCIPIENTES MVNVS, vt reum nocentem ob munera absolueretis, & innocentem impotêtem ad ea dandum condemnaretis. Pro *munus*, Septuag. Symmach. & Theodot. vertût, ἀντάλλαγματα, id est commutationes. Porrò ἄντάλλαγμα iuxta idioma Scripturæ pretium dicitur, ait S.Hieron. ET PAVPERES DEPRIMENTES (Septuag. *declinantes*; Symmachus, *opprimentes*) IN PORTA] id est, in iudicio quod fiebat in portis.

Vers.13. QVIDEO PRVDENS IN TEMPORE ILLO TACEBIT, IA TEMPVS MALVM EST] Tigurina, *idcirco prudens hoc tempore silere cogitur; quandoquidem periculosum est.* q.d. Propter iniustitiam iudicum, & imprudentiam hominum huius temporis odientium veritatem, tacent tum ipsi oppressi, feruntque in silentio suas iniurias, & rapinas; ne si clament aut conquerantur, grauiùs affligantur, inquit Arias. tum Prophetæ: irridentur enim eorum minæ & monita, nec illa monitio cederet ad emendationem, sed ad incrementum rapinarum & peccatorum. ita Remig. Albert. Lyran. & Vatabl. Ita V. Beda libr. 3. Histor. Anglic. cap. 19. narrat S Furseum raptum ad tribunal Christi, accusatum à dæmonibus, inter alia dicentibus: *Scriptum est; Nisi annunciaueris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius requiram de manu tua. Hic non annunciauit dignè peccantibus pœnitentiam.* Verùm angelum sanctum pro eo respondisse: *De hoc tempore scriptum est: Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus pessimum est: quando enim auditores despiciunt verbum, lingua etiam doctoris præpeditur, dum videt quòd audita prædicatio despicitur.* Subdit Beda: *In omni contradictione dæmonum prævalida nimis extitit pugna, donec iudice Domino, triumphantibus eius angelis, contritu deuictisque aduersarijs, immensa claritate vir sanctus circumfusus est, sanctorum angelorum choris concinentibus: Nullus labor durus videri debet, nullum longum tempus, quo gloria æternitatis acquiritur.*

Secundò, magisque appositè S. Hieron. & Theodor. q.d. Idcirco, scilicet ob tot rapinas & scelera quæ iam recensui, prudens in tempore illo captiuitatis Assyriacæ, videns Israelitas adeò horrendè à Deo puniri; non conqueretur, quia tempus malum est, quo scilicet Deus decreuit impios plectere & perdere; sed tacebit, probans & laudans iustum Dei iudicium, & impiorum supplicium. de hoc enim agit, vt patet ex præcedentibus. Nam alioqui Amos alijque Prophetæ non tacebant, sed acriter reprehendebant scelerato s, eisque dira quæque minabantur; esto scelesti ea contemnerent & riderent.

Tertiò, nouè Iohannes Alba Electorũ c. 23. sic explicat: *In tempore illo prudens tacebit*, q. d. Sapientes & principes populi ad silentium redigentur, & obmutescent, ac præ malorum pondere profunda silentia seruabunt. Sic dicitur 1. Reg. 29. *Impij in tenebris conticescent*, hoc est, præ malis obmutescent. Et de Tyro euertẽda ait Ezech. c. 27 32. *Quæ est vt Tyrus, quæ obmutuit?* id est obmutescet. Et Sap. 10. 21. *Sapientia aperuit os mutorum.* Mutos vocat afflictos Hebræos, & ob Ægyptiam seruitutem obmutescentes: vehemens enim dolor loquelam adimit. Horum Deus ora aperuit, cùm dolorem ademit, & illos exhilarauit liberando ex Ægypto. tunc enim eruperunt in hymnos laudesque Dei, ac cecinerunt: *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem proiecit in mare*, Exod. 15.

Vers.14. SICVT DIXISTIS] scilicet apud vosipsos, id est, sicut desideraſtis. Nil enim aliud optabant, quàm Deum manere secum in terra, quàm eis dederat: eo enim manente, mansuri erant & ipsi; eo abeunte, ipsi quoque abituri erant in captiuitatem. ita Lyran. & Clarius. Secundò, q.d. Præstate quod promisistis, scilicet vos quæsituros bonum, non malum, ad hoc, vt Dominus sit vobiscum: agite quæ dixistis, & facta verbis consentiant, vt mores malos in bonos conuertatis, quibus Deum vobis concilietis. ita Theodor. Prior sensus simplicior, secundus plenior est.

Vers.15. CONSTITVITE IN PORTA IVDICIVM] scilicet iustum, hoc est, iustos iudices, qui munera non accipiant, sed pauperes & innocentes tueantur.

SI FORTE MISEREATVR DOMINVS RELIQVIIS IOSEPH] id est regno Israel, cuius institutor fuit Ieroboam, ortus ex Ephraim filio Ioseph.

Vers.16. IN OMNIBVS PLATEIS ERIT PLANCTVS, ET IN CVNCTIS QVÆ FORIS SVNT (putà *in cunctis vicis*, vt vertit Vatabl. & Arias, pagis & villis) DICETVR: VÆ, VÆ] hebr. הוֹי *hoho*, id est heu heu, quæ vox est gementis & plangentis stragem Samariæ. ita S. Hieron.

VOCABVNT AGRICOLAM AD LVCTVM, ET AD PLANCTVM EOS QVI SCIVNT PLANGERE] putà planctores, & planctrices, siue præficas, qui ad funus mortui vocabantur, vt eum voce, & gestu, & tibiæ sonitu plangerent, de quibus dixi Ierem. 9. 17. q.d. Tanta erit clades, vt omnes plangant, & vrbani & rustici: hi naturaliter more rustico, illi ex arte & vsu ciuili.

Vers.17. QVIA TRANSIBO IN MEDIO TVI] quasi fulgur momento omnia peruadens, percellens & sternens. Vnde Aquila vertit, ἀνυποστασίαν, quasi citam & curationis minimè capacem calamitatem, ait S. Hieron.

Vers.18. VAE DESIDERANTIBVS DIEM DOMINI] S. Hieron. Rupert. & Hugo, hæc intelligunt de Iudæis, æquè ac Israelitis: Arias de solis Iudæis. Nam c. sequenti v. 1. nominat Sionem, quæ erat vrbs & arx Iudæorum, ac hìc v. 22. agit de victimis Deo vero oblatis: hæ autem offerebantur in Iudæa, non in Israele. Sensus ergo est, ait S. Hieron. q.d. Dicunt impudentes Iudæi & Samaritæ: Veniat dies prædicta à Prophetis, veniat intentata captiuitas, dummodo quod promittitur per Prophetas, etiam restitutionis tempus consequatur. Non est enim tantum mali in captiuitatis iniuria, quantum boni in his quæ post captiuitatem Dominus pollicetur. Quibus Propheta respondet, eos falli & falsa præstolari. nam post 70. annos captiuitatis grauiores clades eis obuenturas. Cùm enim iugum Chaldæorum euaseritis, inquit, incidetis in vrsum, id est Cyrum & Darium, à quo eruti occurretis colubro, id est Alexandro Magno, & Antiocho Epiphan. Verùm ad Israelitas solos hactenus fuit sermo, hiq; vocantur v. 15 reliquiæ Ioseph: hi etiam habuerunt sua altaria Deo vero dicata, quæ destruxit Achab & Iezabel, vti plangit Elias 3. Reg. 19 10. Loquitur ergo Israelitis, qui irridebant minas captiuitatis & excidij, quas eis intentabant Prophetæ, dicentes; *Manda, remanda; exspecta, reexspecta*, Isaiæ 28. 10. Sensus ergo est, q.d. Vos, ô Israelitæ, irridetis nostra oracula, & irrisorie dicitis: Vbi est dies Domini? vbi est dies & vindictæ & excidij, quam ad rauim inclamant & intentant nobis Prophetæ? veniat, veniat. Nam ad hanc diem & vocem iampridem occalluerũt aures nostræ: dies enim illa semper nobis obijcitur, & numquam venit. Quare minas hasce vt inanes spernimus: diem illum venturum non credimus, nec timemus. Et si veniat, non adeò horribilis

ribilis erit, atque abibit vti venit: nec Deus populũ suum derelinquet, sed paulò pòst restituet & restaurabit, vti vos, ô Prophetæ, promittitis. Quibus respondet Propheta, diem Domini fore terribilem, foreque diem nubis, caliginis & tenebrarum, id est plenam miseriarum, tristitiæ & ærumnarum, ac omnia infausta & acerba allaturam. ita Theodor. Lyran & Vatabl.

VERS. 19. *Vrsus, leo, coluber qui?*

QVOMODO SI FVGIAT VIR A FACIE LEONIS] Sensus est, Dies illa periculum ex periculo, cladem ex clade ferret, perinde ac si quis leonem fugiens incidat in vrsum; & vrsum fugiens in domum, ibi mordeatur à colubro. q.d. In die illa omnia vbique erunt plena periculis & stragibus: nec foris nec domi quis tutus erit: foris enim grassantur leones & vrsi, domi in parietinis & foraminibus latent angues. Rursum, minori periculo & malo succedet maius, sicut sæuior est vrsus leone. leo enim supplicibus parcit & mortuis, vrsus nulli, quin & cadauera inuadit & laniat. Addit à Castro, per leonem intelligi Teglathphalasar, cui successit vrsus sæuior, scilicet Salmanasar, excurrens & populans agros Samariæ: vrsum excepit nocentior coluber, id est, idem Salmanasar Samariam euertens, regnumque Israel exscindens.

Allegor.

Alleg. Rupert. hæc refert ad duplicem Christi aduentum: Leo, inquit, est Christus resurgens vt leo de tribu Iuda, à cuius facie fugerunt Iudæi: sed in eumdem incidêt quasi in vrsum, cùm secundo veniet vt iudex orbis, quando Iudæi conabuntur se tueri, & abscondere in maceria & parietinis, hoc est, in lege Mosis iam pridem ruente & abolita: sed ibi comprehendet eos coluber, id est, Antichristus tyrannorum omnium sæuissimus, de quo dixit Iacob Genes. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* Sic enim de Deo ait Ierem. Thren. 3. 10. *Vrsus insidians factus est mihi, leo in absconditis.*

Tropol.

Tropolog. S. Hieron. Diabolus, ait, est leo, vrsus, coluber: putà leo in hac vita, vrsus in morte, coluber in gehenna: ibi enim damnatos mordet & cruciat vt aspis. Rursum Clarius: Væ, ait, illis qui desiderant diem Domini, id est diem mortis, vt præsentis vitæ mala euadant. nam incident in vrsum, id est, in terribile Christi iudicium; & in colubrum, id est in gehennam, vbi ab vno dæmone & tortore incident in alium & alium iugiter.

Denique hæc rectè Epicuræis, politicis & tatheis adaptes, qui hîc voluptuantur, ventrique & veneri indulgent, ideoque sibi persuadere conãtur animam hominis esse mortalem, & in morte cum corpore interituram. Hi enim non timent mortem, sed saturi & oppleti eam optant, vt in ea quiescant. Verùm in morte incident in vrsum & colubrum, id est in dæmones, qui ostendent eis animam esse immortalem, dum eam rapient ad æterna tormenta. Ibi agnoscent suam stoliditatem, cùm dæmones eis obijcient testimonium ipsius animæ, dicentque: Si nolebas credere S. Script. Ecclesiæ, consensui SS. Patrum & sapientum, qui omnes vno ore credunt & docent animam esse immortalem, debebas saltem credere animæ tuæ, quæ testatur se liberam, rationalem, creatam ad imaginem Dei, Deumque fore suum iudicem & vindicem, præsertim ijs, qui omnem hanc vitam in voluptatibus & sceleribus transegerunt. Vbi? nisi in altera vita, eaque æterna. Id clamauit, id iugiter occlamauit tibi conscientia tua. Clamorem eius surditate tua sopire voluisti, at extinguere non potuisti: semper tibi hæsit scrupulus, semper dubitatio, semper metus, Quid si anima sit immortalis? quid mihi post hanc vitam accidet? quas scelerũ pœnas dabo? Stolide, in dubio tanto, ex quo sciebas æternitatem tuam pendere, eamque vel beatissimam, vel miserrimam, cur non tutiorem, cur non securiorem partem elegisti? Si dubites an via sit obsessa latronibus, aliam capessis, licèt longiorem & difficiliorem. Cur idem non fecisti in hoc cæco animæ biuio? Hoc dilemma (quo nuper politicus quidam moriens conuictus & conuersus est) te sapientiam & prudentiam docere debebat: Vel est numen, & vindex Deus post hanc vitam, vel non est. Si non est, attamẽ si id credidero, non mihi nocebit, imò proderit: inducet enim me ad vitam honestam & homine dignam. si est, & ego illud non credidero, imò negauero, quas eius iras, quæ tormenta ab eo ob hanc perfidiam & blasphemiam exspectare me oportet? Potiùs ergo illud credam & confitebor, cùm illud credere nocere nequeat; non credere autem grauissimos cruciatus mihi accersere possit. Rursum, vel sunt præmia bonorum & supplicia malorum, vti ipsa ratio dictat, post hanc vitam, vel non sunt. Si non sunt, ea tamen credere, sperare & timere non oberit, imò proderit ad omnem virtutem: si sunt, & ego ea non credens turpiter & sceleratè vixerim, vtique supplicijs hisce æternis mancipabor. longè ergo satius & prudentius est, ea credere, quàm non credere. Vide Tertull. lib. de Testimonio animæ.

NVMQVID NON TENEBRÆ DIES DOMINI, ET NON LVX? Tenebræ symbolum sunt aduersitatis, calamitatis & mœroris: lux verò prosperitatis, felicitatis & gaudij. q.d. Vt quid contemnitis, imò irridendo prouocatis & desideratis diem vindictæ Domini? nescitis illam diem vobis fore tenebrosam, id est, ærumnosam maximè & luctuosam, in qua bonis, libertate & vita spoliabimini? in qua occidet vobis sol huius lucis, omnisque consolationis & boni, ac nox vna perpetua vobis erit dormienda, in qua nullus erit splendor, sed vmbra mortis, & æterna caligo, mœror & desolatio.

21. Odi & proieci festiuitates vestras: & non capiam odorem cœtuum vestrorum.

22. Quòd si obtuleritis mihi holocautomata, & munera vestra, non suscipiam: & vota pinguium vestrorum non respiciam.

23. Auser à me tumultum carminum tuorum: & cantica lyræ tuæ non audiam.

24. Et reuelabitur quasi aqua iudicium, & iustitia quasi torrens fortis.

25. Numquid hostias & sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel?

26. Et portastis tabernaculum Moloch

loch vestro, & imaginem idolorum vestrorum, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis.

27. Et migrare vos faciam trans Damascum, dicit Dominus, Deus exercituum nomen eius.

Vers. 21. ODI ET PROIECI FESTIVITATES VESTRAS] Est prolepsis. Occurrit enim tacitæ obiectioni. q.d. Vos confidentes in templo ciusque sacrificijs, dicitis & ingeminatis: Templum Domini, templum Domini est apud nos. Deus non sinet suum templum ab hostibus euerti, nec populum se tot victimis colentem, ab ijsdem capi & trucidari. Quibus Deus respondet: Fruſtra hæc iactatis, fruſtra in hisce confiditis. Nam ego odi B sacrificia & festa vestra; odore & nidore eorum, dum cremantur, æquè ac thymiamatis incensique vestri, non capior, imò offendor: quia ab hostibus meis, impijs & sceleratis mihi offeruntur, iuxta illud Isaiæ 1. 13. *Incensum abominatio est mihi: calendas vestras, & solemnitates vestras odit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.* Illa enim sacrificia valebant tantùm & placebant Deo ex opere operantis, non ex opere operato, vti placet sacrificium legis nouæ. vide ibi dicta.

Vers. 22. ET VOTA] Septuag. vertunt, *& salutares*, scilicet hostias, putà pacificas, quæ pro pace & salute domus vel populi offerebantur, vel sponte, vel ex voto. vnde Noster vertit, *vota pinguium vestrorum*. Hoc significat Hebr. מְרִיאֵכֶם *meri athem*: sed Septuag. legêtes alijs punctis מְרִיאֲכֶם *marechem*, vertunt Τὴν φανέιαν, id est apparitio- C nis, vel præsentiæ vestræ. q.d. Hostias ad quas offerendas vos Deo præsentes in templo sistitis, non respiciam.

AVFER A ME TVMVLTVM (Septuag. *sonitum*; S. Iustin. contra Tryphon. *multitudinem*) CARMINVM TVORVM] Canebant Iudæi psalmos Dauidis & cantica in templo in laudem Dei: sed Deus ea hic fastidit, vocatque *tumultum carminum*: Primò, quia eadem canebant idolis. Secundò, quia non prodibant ex interna deuotione, sed ex vsu & vanitate. Tertiò, quia erant hominum impiorum. ita S. Hieron. Quartò, quia inconditis & confusis vocibus tumultuariè boabant, vel vlulabant. Vnde Syrus vertit, *transfer à me vocem iubilationis tuæ.*

CANTICA LYRÆ TVÆ NON AVDIAM] Septuag. *psalmum organorum tuorum non audiam.* D Psalmos enim & cantica partim canebant voce, partim instrumentis musicis, putà lyra, psalterio, organo, &c. Putabant crassi Iudæi, se sua deliria lyrando tegere, se suaui concentu aures Dei iraci mulcere, eumque quasi incantare, vti incantantur cerui & serpentes. Hinc Ægyptij hominem adulatione deceptum, significabant per cervum cum tibicine, ait Horus libr. 2. hierogl. 87. Huius enim concentu capitur cervus, & facilè in venatorũ manus incidit. Simili modo Circe voluptuaria incantauit socios Vlyssis, eosque in porcos & bestias conuertit, vti fabulãtur Poëtæ: sed Vlysses ijs aures clausit, inde incantari non potuit. Verùm errabant: Deus enim canticis cordis, non oris capitur.

Videant hic choraules & cantores Christia-

A ni, ne in psalmodia ex festinatione versus præcipitent, præmordeant, cum altero choro commisceant & confundant, ne audiant à Deo: *Auferte me tumultum carminum tuorum.* Videant pariter, ne totam psallendi deuotionẽ collocent in voce canora, in subtilitate modulandi, in agilitate tonos minuendi, &c. dum instar auium minuriunt, vt curiosorum aures titillent, ad se rapiant, & ab oratione auocent; ne audiant à Deo, *Cantica lyræ tuæ non audiam.* pro quo Arabicus vertit, *ne distinctionem* (varietatem, flexus & gyros) *faciatis mihi in vocibus laudum vestrarum.* Quocirca discant illud Apostoli: *Psallam spiritu, psallam & mente.* Et illud S. Augustini & S. Athanasij quem citat S. August. l. 10 Confess. cap. 32. *Tutius*, ait, *mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpè mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare lectorem psalmi, vt pronuncianti vicinior esset, quàm canenti.* Et mox: *Commoueor non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce & conuenientissima modulatione cantantur, magnam instituti huius vtilitatem agnosco, vt per oblectamenta aurium, infirmior animus in affectum pietatis assurgat. Tamen cùm mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm res quæ canitur, moueat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* Idem in psalm. 30. concione initio docet psallenti induendos esse psalmi cuiusque affectus. *Si orat psalmus*, inquit, *orate: & si gemit, gemite: & si gratulatur, gaudete: & si timet, timete. Omnia enim quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt.* Idem in psal 42. initio: *Eius* (Christi) *vocem in omnibus psalmis, vel psallentem, vel gementem, vel lætantem in spe, vel suspirantem in re, notissimam iam & familiarissimam habere debemus, tamquam nostram.* Idem in psalm. 119. *Quàm multi*, inquit, *sonant voce, & corde muti sunt? Et quàm multi tacent labijs, & clamant affectu? quia ad cor hominis aures Dei: sicut aures corporales ad os hominis. sic cor hominis ad aures Dei. Multi clauso ore exaudiuntur, & multi in magno clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus, & dicere: Multum peregrinata est anima mea: cum his qui oderunt pacem eram pacificus.* Hoc est quod Psaltes ait psalm 46. v. 1. & 7. *Iubilate*, ait, *Deo in voce exultationis. Psallite Deo nostro, psallite, psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terræ Deus: psallite sapienter*; S. August. legit, *psallite intelligenter.* Quod explicans S. Bernard. serm. 7. in Cant. *Attendite*, ait, *principes vestros* (angelos) *cùm statis ad orandum vel psallendum, & state cum reuerentia & disciplina; & gloriamini, quia angeli vestri quotidie vident faciem Patris. Vsurpemus officium, quorum sortimur consortium. Dicamus eis: Psallite Deo nostro, psallite. atque audiamus eos vicissim respondentes: Psallite regi nostro, psallite. Laudem ergo cum cælicantoribus in commune dicentes, vtpote ciues sanctorum & domestici Dei, psallite sapienter. Cibus in ore, psalmus in corde sapit, &c. Mel in cera, deuotio in litera est. Alioquin litera occidit, si absque spiritus condimento glutieris. Si autem cum Apostolo psallæ spiritu, psallas & mente, cognosces & tu de illius veritate sermonis, quem dixit Iesus: Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Idem de Modo bene viuendi ad sororem cap. 52. *Hoc*, ait, *tracta in mente, quod cantas in voce. Mens tua cum voce concordet, non aliud cogites, aliud cantes.* Et mox: *Psalmorum decantatio significat perpetuam laudem Dei in æterna gaudia, sicut* *Mor. de cãtu, vt is sit grauis,*

scriptum

scriptum est. Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Quicumque fideliter & intenta mente psalmos decantat, quodammodo angelis Dei sociatur. Quomodo? Quia homo illum pro modulo suo laudat in terris, quem angeli sine intermissione adorant & glorificant in cœlis. Et inferiùs: *Sacrificium laudis honorificabit me, inquit, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Ac si apertiùs diceret: In psalmis est iter laudis, quo ad æternam laudem pervenire possis.*

VERS. 24. ET REVELABITVR QVASI AQVA IVDICIVM] *Et*, id est *idcirco*, scilicet ob scelera vestra tam recensita, impiaque vestra sacrificia & carmina, revelabitur & profluet à Deo iudicium, id est supplicium, quod ipse ex improviso in vos immittet, sicut revelatur & profluit aqua è fonte occluso & obturato, si is aperiatur, & multò magis ex torrente in valle aggeribus coarctato, si is increscat & exundet: tunc enim prata & campos obruit & sepelit.

Pro *revelabitur* hebr. est יִגַּל *iiggal*: quod si à radice גָּלָה *gala* deducatur, vt sit futurum niphal per apocopen, *iiggal* pro יִגָּלֶה *iiggale*, tunc significat *revelabitur*: sin autem deducas à rad. גָּלַל *galal*, & per crasin גַּל *gal*, tunc significat *voluet, convoluet, obruet*. Vnde Septuag. vertunt, *voluetur sicut aqua iudicium, & iustitia sicut torrens inuius*; Pagninus, *voluet se sicut aqua iudicium*, &c. R. Dauid, *iudicium vltionũ meæ quasi moles aquarũ inundantium affluet, & reuoluetur ad vos* q. d. Ira & vindicta mea instar torrentis furioso impetu exundantis vos inuoluet, obruet & auferet. Secundò, Tigurina, Arias & Vatabl. vertunt per optatiuũ, vocemque, &, capiunt aduersatiuè pro, *sed*. Vnde sic vertunt, *sed profluat*, vel *deuoluat se, aqua instar iudicium, & iustitia ceu torrens vehemens*. q. d. Corrigite vestra iudicia iniqua & oppressiones pauperum, quas paulò antè reprehendi v. 7 neque ijs ampliùs indulgete, sed ex aduerso colite iudicium & iustitiam, pauperes & innocentes protegendo: quod si feceritis, me vobis reconciliabitis, minasque à me intentatas euadetis. Verùm priorem sensum exigit versio nostra, Septuag. & Chaldæi: omnia enim hæc pœnam & vindictam inculcant.

VERS. 25. NVMQVID HOSTIAS ET SACRIFICIVM OBTVLISTIS MIHI IN DESERTO QVADRAGINTA ANNIS?] Quibus peregrinati estis in deserto. q. d. Non.

Quæres, quomodo hoc sit verum? Respondent S. Hieron. Albert. Rupert. Hugo hîc, & S. Chrysost. & Beda in Actor. 7 Iudæos primo anno quo in pascha te, putà in Martio, egressi sunt ex Ægypto, adorasse vitulum aureum 4. mense, putà 24. die Iunij: & ab illo tempore non sacrificasse Deo vero sponte sua, sed coactos à Deo & Mose. Verùm obstat, quòd mox eos adorationis vituli pœnituerit, Deoque reconciliati sint. vnde Deus cum eis fœdus inijt, ac tabernaculum sibi dedicari iussit anno 2 ab exitu ex Ægypto, mense 1. in qua dedicatione Hebræi multas victimas sponte obtulerunt Deo, vt patet Exodi 40. Leuit. 9. & 10 Num. 7. Secundò, ergo melius respondent alij, Hebræos post hanc dedicationẽ tabernaculi, & consecrationem Aaronis & filiorum eius in sacerdotes, numquam, vel rarò obtulisse Deo solemne sacrificium in deserto, sicut in eodem non fuerũt circumcisi, vt patet Iosue 5. 7. quia versabãtur in continua peregrinatione, nec certi erant de statione ad vnum diem: quia mox vt mouebatur ab angelo columna nubis incubans tabernaculo, debebant mouere castra & proficisci. vnde deinceps post caput 10 Leuitici, toto reliquo Leuitico, Numeris & Deuteronomio nusquam legimus eos sacrificasse. ita Lyran. Vatabl. Arias & alij. Adde, Hebræos in deserto procliues fuisse in murmura, ac crebrò contra Deum & Mosem rebellasse, atque ad idola quæ recenter in Ægypto coluerant, redijsse.

Nota Vocantur hîc quadraginta anni, cùm fuerint tantùm 38. & aliquot menses. Nam 1. anno ab egressu ex Ægypto erectum est tabernaculum, & in eo obtulerunt victimas, deinceps verò nullas, vel raras: hi ergo duo anni ex quadraginta subtrahẽdi sunt. Solet enim Script. integros numeros consignare, etiamsi illis aliquid desit, vel supersit. Sic vocantur septuaginta discipuli Christi, cùm fuerint 72. Sic Iudic. 9. dicitur Abimelech occidisse septuaginta fratres, filios Gedeonis, cùm fuerint tantùm sexaginta nouem; nam vnus, putà Ioathan, fuga elapsus euasit.

ET PORTASTIS TABERNACVLVM Moloch (*Deo*, vti aliqui codices legunt) VESTRO] Hebr. נְשָׂאתֶם *nesatem*, id est eleuastis, erexistis, sustulistis in humeros vestros. S. Stephan. Actor 7. legit, *suscepistis*. Pro *tabernaculum* hebr. est סִכּוּת *siccut*, quod Chald. & Vatabl. censent esse nomen idoli, vnde vertunt, *portastis Siccut regem vestrum*; Arias verò ex R. Iona, *portastis*, vel *sustinuistis assultationem regis vestri*; Theodotion vertit, *refrenem*. Verùm *siccut* incognitum est nomen, nec alibi reperitur. Pro *siccut* ergo alio puncto legẽdum סִכּוֹת *succot*, id est tabernacula. ita Septuag. Symmach. Noster, Tigurina, & Aquila, quia vertit σκηνασμὸς, id est vmbracula. Quin & S. Stephanus Actor. 7. 43. legit *tabernaculum*. Denique pro *Moloch* hebr. est מַלְכְּכֶם *malkekem*, id est regis vestri, vel regi vestro, vt vertunt Symmach. Theodotion & Tigurina, putà Moloch. *Moloch* enim idem erat qui *Melchom*, vt vertit hîc Aquila, & *Melech*, id est, rex summus hominumque Deũmque, putà Iupiter, siue Deus Ammonitarum. Quis fuerit Moloch, dixi Leuit. 18 21.

Quæres, quando Israelitæ portarunt tabernaculum Moloch, eumque coluerunt? Lyran Vatabl. Arias & à Castro, hæc propheticè accipiunt quasi futura: *portastis*, inquiunt, id est *portabitis*. q. d. Transferam vos trans Damascum in Assyriam, ibiq; Assyrij cogent vos captiuos humera portare Moloch, aliaque idola vestra per ludibrium, quòd illi dij vani sint, qui vos à clade Assyriorum tutari non potuerint. Aut *portastis*, id est, portabitis & luetis supplicium excidij & captiuitatis, propter tabernaculũ & idolũ Moloch quod erexistis. Verùm hic sensus durus est: tamen Hebræa quàm Septuag. Chald. & alij omnes vertũt, *portastis* in præterito: τὸ enim *portastis* pertinet ad 40. annos in deserto, qui præcesserunt. q. d. Quadraginta annis in deserto sacrificastis, non mihi, sed Moloch & idolis? Ita explicat S. Stephan. Actor. 7. 41. *Et vitulũ*, inquit, *fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulacro, &c. Conuertit autem Deus, & tradidit eos seruire militiæ cæli* (stellis) *sicut scriptũ est in libro Prophetarũ* (in Amos hoc loco,) *Numquid victimas & hostias obtulistis*

Vid Seldenum de Dis Syris. Synt. 1. c. 6. p. 190. & Syntag. 2. c. 17. p. 378.

mihi in deserto quadraginta annis domus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch. Vbi vocula, &, aduersatiua est, capiturq́, pro *sed*. q.d. Non meum, sed Moloch tabernaculū & cultum suscepistis. Alij vt Lyran. cēsent Hebræos coluisse Moloch, non in deserto, sed in terra sancta, vti fecit Salomon 3.Reg.11.5. Verùm hoc huic loco non cōuenire, patet ijsdem rationibus iam allatis. Quare alij possim, vt S.Hieron. Theodor. Remig. Rupert. & alij sensent, Hebræos in deserto coluisse Moloch. Oecumen. in Actor.7. putat eos coluisse Moloch tunc, quando Moses cum Deo agebat in monte Sina: tunc enim conflarunt vitulum aureum, Exodi 32. Verùm quia id accidit paulò post egressum ex Ægypto, cùm necdum attigerant fines Ammonitarum, quorum Deus & idolū erat Moloch; hinc verius videtur quod ait Ribera, id eos fecisse Num. 25. 1. dum fornicantes cum filiabus Moab coluerunt Beelphegor. nam Iosephus li.4. Antiq.6. ait eos tunc non vnum, sed multos deos coluisse: & Ammonitæ vicini erant & cognati Moabitis: quocirca hi ab illis acceperunt idolum & cultum Moloch. Nec Moses id impedire potuit, sicut impedire non valuit cultum Beelphegor in populo furente, & principibus populo consentientibus, imò illi in scelere præeuntibus, vt habetur Numer. 25. 4. Licèt ergo id Moses in Pentateucho non scripserit, tamen id reuera contigisse patet ex Amos, & ex S. Stephano, qui vel traditione maiorum, vel reuelatione Dei id acceperunt.

Sensus ergo est q.d. Iam inde ab initio synagogæ vos, ô Israelitæ, coluistis idola in deserto, & exinde numquam ab eorum cultu planè recessistis. Ergo ego Deus detestor sacrificia vestra, etiam mihi oblata: quia me cum Moloch & idolis componitis & colitis. Quare exscindam vos, vti minatus sum v.1. traducamq́; per Damascum in Assyriam. Nota τὸ *portastis*. Iudæi enim more Gentium, solemni pompa in tabernaculo secum circumferebant Moloch Deum suum, religionis & protectionis ergò, quasi vitæ suæ comitem & ducem; sicut per desertum portarunt arcam & propitiatorium, in quo quasi throno residebat Deus. Sic Gentes per viam secum duxisse tutelares deos docet Seruius in illud Æneid.6.

Errantesq́; Deos, agitataǵ; numina Troiæ.

Sic Rachel furata idola patris sui, ea secum duxit in Chanaan, Genes.31.34. Iacob verò de Deo ait, *Socius fuit itineris mei*, Genes.35.3.

ET IMAGINEM IDOLORVM VESTRORVM] Pro *imaginem* hebr. est כִּיּוּן *kiun*, quod retinuerunt in sua versione Aquila, Symmach. & Chaldæus. Quin & Syrus *portastis*, inquit, *tabernaculum Malchum, & Keuan similitudinem* (imaginem, simulachrum, idolum) *vestram, sidus quod fecistis vobis Deum*. R. Dauid. Pagnin. & Vatabl. vertunt, *placentam*, quam suis idolis offerebant; Theodot. vertit ἀμαύρωσιν, id est obscuritatem; Noster rectè vertit *imaginem*, vel statuam affabrè apparatam, concinnatam & erectam ad cultum. radix enim כון *kon* significat parare, cōcinnare, firmare, engere. Septuag vertunt, *sidus Dei vestri Remphan* vel potiùs, vt Romani codices legunt, *Rephas*. Septuag. sequitur S. Stephanus Actor.7.

Quæres, vnde Septuag. acceperunt τὸ *Rephan*, quod non est in Hebræo, nec in vllo interprete? Theodor. Ribera & à Castro censent, eos τὸ *Rephan* de suo addidisse, vt nomen idoli exprimerent. Verùm dico Septuag. Hebræum *kiun* vertisse *Rephan*. Id enim expressè asserit S. Hieron. *Pro eo*, inquit, *quod in Septuag. legitur Ῥαφάν, Aquila & Symmach. ipsum Hebraicum transferentes, posuerunt kiun*. Et patet: nam Hebræo *kiun*, apud Septuag. non est vox alia quæ respondeat, nisi *Rephan*. Vbi aduerte, Septuag. & ex eis S. Stephanum legisse Hebræas voces inuerso ordine, ac nonnullas transposuisse. sic enim legerunt: *Cocab elohechem kiun tsalmechem ascer asistim*, id est, *sidus Dei vestri kiun* (pro quo ipsi vertunt *Rephan*) *figuras eorum quas fecistis*. Iam verò in Hebræo legitur: *kiun tsalmechem cocab elohechem ascer asistim*, id est *kiun* (quod Noster vertit *imaginem*) *figurarum*, vel *idolorum vestrorum*, *sidus deorum vestrorum, quos*, vel *quæ fecistis*. Sed qua ratione Septuag. pro *kiun* verterunt *Rephan*? Respondet Primò, Christ. à Castro, id eos fecisse, quia idolum & sidus quod hebr. vocabatur *Kiun*, græcè vocabatur ῥαιφάν, à ῥαιφάσσω, id est, purè & castè viuo, eò quòd purè luceret; siue à ῥαφή, id est futura, eò quòd sidus hoc positum esset in idoli caluaria, ea parte, qua ipsa futuram habet & cōmissuram: aut vocari ῥεμφάν à ῥέμφω, id est rostrum aut os, eò quòd sidus hoc in ore idoli positū esset. Verùm obstat, quòd Repha, vel Rempham non videatur esse Græca vox, sed Hebræa, aut Arabica, vel Persica. nam S. Stephanus loquens Hebræis hebraicè, non græcè, Actor.7. vocat illud *Rephan*, aut potiùs significat, ab illis ipsis vocari & inuocari *Rephan*. Ait enim: *Sidus Dei vestri Rephan*, q.d. Vos Deum vestrum vocatis Rephan. Illi autem loquebantur hebraicè, non græcè; nec cum Græcis vllam adhuc communicationem habuerant.

Secundò, ergo verisimilius nonnulli Hebraicæ periti respondent, *kiun* idem esse quod *Rephan*: Septuag. enim pro יוּן *kiun*, alijs punctis legisse יְוָן *keuan*: & deinde mutatione vnius literæ similis in similem, putà ב in ר, pro *keuan* legisse *Rephan*: aut certè errore librariorum & descriptorum id factum esse, vt pro k scripserint r. ita Auctor Thesauri Hebraici, Drusius & Forsterus in Lexico, & aliqui similes, in fide licèt heterodoxi. Fauet huic coniecturæ, quòd simili modo Nahum 1.6. pro eadem litera ב Septuag. legerūt ר, nimirū pro כַּאֲשׁ *kaesh*, id est sicut ignis, alio puncto legerunt רֹאשׁ *rosh*, id est caput, princeps, vnde vertunt ἀρχὰς, id est principatus. Sic pro Achan legunt Achar, pro Abimelech Achimelech, pro Casdim Chaldæi, vbi literā s in l transmutant, perinde ac Latini, dum pro ὀδυσσεύς, vertunt dicuntque Vlysses. Sic alibi crebræ sunt similes litterarum metatheses. Sic hoc loco pro *Rephan*, Arabicus Alexand. vertit, *Bacham simulachrum quod fecistis vobis*. Verùm obstat huic sententiæ, quòd omnes codices Hebræi habeant *Kiun*, non *Rephan*; ex aduerso omnes codices Græci & Latini Actor.7. constanter habeant *Rephan*, non *Keuan*, aut *Kiun*. Non ergo est verisimile, solos Septuag. legisse in vno Hebræo codice *Rephan*, pro *Keuan*; aut descriptores pro *Keuan* in Septuag. descripsisse *Rephan*, præsertim cùm tota Ecclesia in Vulgata editione Actor.7. constanter legat *Rephan*, quasi hæc vera & genuina sit lectio. Accedit, quòd in Hebræo apud Amos hoc loco non sit *Keuan*, sed *Kiun*, vti legit S. Hieron.

ron. Aquila, Symmach, & alij passim; *Kiun* autem procul abest à *Rephan*.

Dico ergo cum Leone Castrio Apologet. l. 6. *Kiun* & *Keuan* idem esse quod *Rephan*, eò quòd hoc idolum primitus nominatum & cultum ab Ismaelitis & Persis (vti passim Interpretes confitentur, & Rabini tradunt) eorum lingua dictum sit *Kiuan*, vel *Keuan*. quam vocem vt barbaram cùm non intelligerent Hebræi, leui vnius literæ commutatione, sua lingua vocarunt illud *Rephan*, id est gigantem: quomodo Syri Deum vocant gigantem sæculorum, quia ipse vt gigas omnia mundi, æquè ac temporum spatia, sua immensitate & æternitate ambit & complectitur: aut certè *Rephan*, id est sanatorē. q. d. Hic est qui nos sanat & saluat. Vnde ab eadem Hebræa radice vocatur angelus Raphael q. d. Medicina, vel sanatio Dei. Aliqui codices pro *Rephan* legunt *Rompha*, quod hebr. dicitur רומפה *rumpe*, idemque est quod *celsitudo oris*. fortè idolum hoc habebat magnum altumque os, vti habent pleraque idola prisca quæ dabant oracula. Talia enim vidi in Vaticano, ac tale est celebre illud quod iuxta ecclesiam S. Mariæ in Schola Græca, siue in Cosmedin, Romæ visitur, & vulgò vocatur *Bocca della verità*, id est os, vel oraculum veritatis. Porrò licet vulgus Hebræorum nomen barbarum *Keuan* verterit vocaritque hebraicè *Rephan*, *Remphan* & *Rompha*, doctiores tamen Hebræi retinuerunt originale *Keuan* quoad literas, & leui punctorū siue vocalium mutatione, Hebræa voce vocarunt illud *Kiun*: ita enim habet hîc Amos, Aquila & Symmachus. Nam *Kiun* deducitur à radice כון *kun*, quod significat parauit, aptauit, rectus fuit, direxit, verificauit, certificauit, firmauit, perfecit, decreuit. Vnde *Kiun* idem est quod paratus aptatus, erectus, perfectus, dans vera, certa & firma oracula ac decreta.

Quæres Secundò: Quis fuit hic *Rephan*? Girald. in Syntagmat. li. de Hercule, censet Rephā significare gigantē, ab Hebr. *Rapha*, qui fuit pater gigantū. vnde hebr. gigantes dicti sunt *Raphaim*: Repham ergo esse nomen Herculis; qui etiam à Gentilibus dictus sit hebræa voce *Con*, vel *Conen*, id est stator, vel erectus, excelsus; ita vt Hercules dictus sit *Kon*, vel *Kiun*, & *Rapha*, sicut Iupiter dictus est stator. Secūdò, Hebræi recentiores censent esse Saturnum: quia is ab Arabibus & Persis vocatur *Kiuan*, quod idem videtur esse cum *Keuan* & *Rephan*. Tertiò, Ribera censet fuisse Iouē, qui habuerit stellam in vertice. Quartò, alij volunt fuisse Martem. Quintò, verisimilius S. Hieron. Remig. Albert. Beda, Lyran. & alij censent esse stellam Veneris, quæ manè præiens solem vocatur Lucifer, vespere sequens solem vocatur Hesperus. Probatur idipsum ex eo quòd hanc stellam quasi cæli reginam coluerint olim Syri, teste S. Hieron. in vita S. Hilarionis, & etiamnum colunt Saraceni: quin & Giraldus Syntagm. 13. ex Æliano & aliis docet, Venerem Vraniam, id est cælestem, quæ non videtur alia esse quàm Lucifer, cultam fuisse ab Ægyptijs, Phœnicibus & Assyrijs. Huc eos pellexit splendor & fulgor Luciferi, quem ita depingit Ouidius:

Rephan est Lucifer.

Ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas aurora fores, & plena rosarum
Atria, diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, & cæli statione nouissimus exit.

Porrò Lucifer dictus videtur *Kiun*, vel *Keuan*, a rad. קוה *caua*, id est ardere, vrere: quia habet speciem ignis. Vnde Poëta:

Hesperе, qui luces cælo iucundior ignis.

Vnde pro *keuan*, Arabicus vertit, *bachan*, quod est nomen arboris cortice rubeo, qualem lignum quod vulgò Brasilicum dicitur, quasi ex ea fabricarint idolum. Color enim rubeus est ardens & igneus, ideoque refert ardorem stellæ Veneris. Aut dicitur *kiun*, à radice כון *cun*, id est dirigere, præparare; quòd solem vesperi sequens, manè verò præcedens, illum quasi dirigat, illique viam præparet. Luciferum ergo videntur coluisse Hebræi peregrinantes in deserto, tamquam ducem itineris, instar columnæ ignis & nubis, quia Lucifer auroræ, solis & diei dux est: solem enim adducit. Theodotion, & ex eo Oecumen. Actor. 7. *keuan*, vel *Rephan* vertit *obscuritatem*, qui Vos ô Hebræi lucem à stella hac Luciferi, quam Deo & idolo vestro, petitis, qui non est lux, sed tenebrosus & nocturnus, ipsaque obscuritas; proinde lumine suo ad viam vobis præire nequit; sed vos obscurat & excæcat, & in auia itaque abducit. Porrò verisimile est, idololatras hosce Luciferum figurasse quasi hominem excelsum & fulgidum, eique affixisse in fronte aut vertice stellam Luciferi; sicuti Romani statuæ Iulij Cæsaris stellam in vertice appingebant, teste Suetonio in vita eius c. 88. & Plinio lib. 2. [illegible] Vnde Horat. li. 1. ode 12.

Micat inter omnes
Iulium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Et Virgil. eclog. 9

Ecce Dionæi processit Cæsaris astrum,
Astrum quo segetes gauderent frugibus.

Hinc patet *Rephan*, vel *Remphan* alium fuisse a Moloch: nam Lucifer, siue sidus Veneris, aliud fuit à Moloch: vterque ergo fuit Deus Gentis & Hebræorū, vti hîc dicitur. Quare minùs recte censent aliqui, vt Beda, Lyran. & Glossa, Repham fuisse sidus, & stellam quæ affixa fuerit fronti, vel vertici Moloch. Non improbabiliter tamen Sanchez hîc & Actor. 7. censet Moloch esse solem, Rempham Luciferum. Hinc stellæ, ait, Luciferi posita erat in fronte Moloch; quia Lucifer Solem orientem antecedit: Sol enim est Melech, id est rex stellarum. Hinc & Iudæi cum Moloch filios suos consecrarent, eos per ignem traducebant, quia solis ignem esse naturam putabant. Quocirca reges Persarum censentes Solem esse Deum, Solis nomen sibi aut imaginem assumebant, quasi dij quidam terrestres. Ita Sapor, vt tradit Marcellinus li. 7. scripsit ad Constantium Imp. *Rex regum Sapor, particeps fidere, & frater Solis & Lunæ, Constantio fratri salutem.* Hac quoque de causa ignem sibi præferri curabant, cuius speciem habet stella Luciferi. Ita Q. Curtius li. 3. & Rhodiginus lib. 8. c. 2. tradit in castris regum Persarum, super tabernaculum regis conspicuam omnibus promicare solis imaginem crystallino inclusam globo, & illi ignem prælucere: quia enim Solem Persæ & Chaldæi colebant, hinc & ignem pro Deo coluere, vtpote qui viua sit solis imago. Hæc Sanchez.

Tropol. Repham, id est Luciferū, colunt superbi, qui excellere, suamq; lucē, id est doctrinā & sapientiam, ostentare satagunt, qui ambitio-

hono-

honores & prælaturas mox perituras. Hi enim Luciferiani ex Lucifero fient Hesperi, ex ortu ibunt in occasum, ex summo in imum, à luce in tenebras, vti facit stella quæ vocatur Lucifer; atque à cælo in gehennam, sicuti contigit Lucifero angelo superbo. Hinc Lucifer variæ fortunæ & sortis, ac inconstantiæ, æquè ac calamitatis est symbolum, vti dixi Isaiæ 14. 12. ad illa verba: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* Omnis ergo mundi honor & gloria, est stella cadens: splendet enim ad modicum vt Lucifer, sed mox occidit vt Hesperus, idque occasu æterno, & in omne ævum duraturo. Verè S. August. in illud psal. 89. *Dies nostri sicut aranea meditabuntur: aranea*, ait, *texit tota die, & labor grandis est sed effectus nullus; sic & vita hominum: possessiones quærimus, diuitias appetimus, procreamus filios, in regna sustollimur, & omnia facimus; & non intelligimus quòd araneæ telam teximus*, & interim æternæ felicitatis, ad quam creati & vocati sumus, obliuiscimur. Ita Heliogabalus Imp. ait Lamprid. in eius vita, iubebat sibi deferri millena pondo aranearum, proposito præmio, dicitur que collegisse decem millia pondo, dicens, & hinc coniiciendum, quàm magna esset Roma. Quàm multi hodie sunt Heliogabali, quàm multi aranearum venatores, qui non aliud quàm opes & honores, id est aranearum telas, aucupantur!

Vers. 27. ET MIGRARE VOS FACIAM TRANS DAMASCVM] in Assyriam: eò enim ab Assyriis ex Samaria traductæ sunt decem tribus, vt patet 4. Reg. 17. 6. ita S. Hieron. Theodor. Remigius, Hugo, Arias & alij.

Dices, quomodo S. Stephanus Actor. 7. 43. citans hunc locum, ait: *Et transferam vos trans Babylonem?* alia enim est Babylon, alia Damascus. Respondet ibidem Oecumen. & Caietan. Damascum hîc sumi non pro vrbe, sed pro regione & ditione Damascena, quæ se extendebat vsque ad Babylonem. Verùm hoc non videtur verum: quia circum Babylonē quaquauersum latè dominabantur Babylonij Monarchæ, non Damasceni. Rursum S. Stephanus non ait, *Transferam vos Babylonem*, sed *trans Babylonem*: Damasceni autem numquam trans Babylonē dominati sunt. B Resp. ergo S. Stephanum citare Amos, non quoad verba, sed quoad sensum & rem. Nam reipsa decem tribus abductæ trans Damascum in Babylonem, etiam trans Babylonem in Mediam, Persiam, aliasque regiones traductæ & dispersæ sunt. Salmanasar enim *transtulit Israel in Assyrios, posuitq; eos in Hala & in Habor, iuxta fluuiū Gozam in ciuitatibus Medorum*, 4. Reg. 17. 6. Vnde Tobias c. 1. 16. inuisit suos contribules captiuos in Rages, ciuitate Medorum. Idem docet Ioseph. li. 9. Antiq. cap. vlt. & lib. 11. c. 5. ita S. Hieron. Beda, Rupert. Ribera, à Castro & alij. Porrò S. Stephanus id ex se, non ex Septuag. dixit: Septuag. enim hîc habent vt Noster, *trans Damascum*, non *trans Babylonem*.

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

CArpit Deus optimates, qui ex rapinis pauperum lasciuiebant in stratis, bibebant vinum in phialis, &c. & nihil patiebantur super contritione Ioseph (*populi.*) *Quocirca vers. 8. iurat per animam suam, quòd illos funditus perdet & mactabit.*

Vers. 1. VÆ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel.

2. Transite in Chalanne, & videte, & ite inde in Emath magnam: & descendite in Geth Palæstinorum, & ad optima quæque regna horum: si latior terminus eorum termino vestro est.

3. Qui separati estis in diem malum: & appropinquatis solio iniquitatis.

4. Qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.

5. Qui canitis ad vocem psalterij: sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici.

6. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti: & nihil patiebātur super contritione Ioseph.

7. Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium: & auferetur factio lasciuientium.

Cornel. in Proph. Min.

C VÆ QVI OPVLENTI ESTIS IN SION] Hinc Arias putat, Prophetam hîc ab Israele diuertere sermonem ad Iudam: hic enim erat incola Sionis & Ierusalem. Vnde ipse sic vertit, *væ opulentis in Sion, &* (id est sicut) *confidentibus in monte Samariæ.* q. d. Sionitis idem væ imminet, quod hucusque intentaui Samaritis. Vox enim, *&*, quando duo similia nectit & iungit, est nota comparationis, idemque valet quod *sicut*, vt patet in Prouerbiis, singulis sæpè versibus. Vers. 1.

Ex aduerso Theodor. ex Septuag. putat, hîc sermonem esse ad solos Samaritas. Sic enim vertunt Septuag. *væ spernentibus Sion*, id est Samaritis, qui despiciunt templum Dei in Sion, vt extollant sua fana in Dan & Bethel. Verùm media hîc via incedendum, vt vtrumque iungamus. Propheta enim hîc directè & primariò pergit, vti cœpit, loqui Samaritis; secundariò tamen compellat quoque Sionitas & Iudæos. Id enim clarè significat, cùm ait: *Væ qui opulenti estis in Sion, & confidentibus in monte Samariæ.* Et quia v. 6. & 8. vocat eos Ioseph & Iacob, quibus nominibus propriè significantur Samaritæ. Denique clarè v. 15. *Ecce*, inquit, *suscitabo super vos domus Israel*, &c. Propriè ergo Israelem, id est Samaritas, hæc spectant, comitanter tamen ad Iudæos quoque qui Israelis erant fratres tam scelere, quàm sanguine, ideoque fratres pariter futuri

turi in pœna & excidio, minas suas extendit Propheta, vt illos ab idololatria Israelis, per eius cladem & stragem imminentẽ auertat. Vnde Chald. v. 12. sic habet: *Percutiet regnum magnum Israel percussione forti, & regnum minus Iuda plaga remissiori.* ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyranus & Vatablus.

Nota. Pro *opulenti*, hebr. est הַשַּׁאֲנַנִּים *hassçaannannim*, id est fertiles, diuites, abundantes, securi. Vnde S. Iustinus contra Tryphon. vertit, *væ qui deliciis affluitis in Sion*; Pagnin. *væ quietis in Sion*; Vatabl. *væ tranquillis*, id est, vitam degentibus in summo otio. Radix enim שַׁאֲנַן *sçaan* videtur conflata ex שׁ אֵי *sçe en*, id est *qui nihil*, scilicet timent, nihil curant, nihil agunt. Rursum, quibus nihil deest, sed in summa pace & rerum affluentia securam, tranquillam, otiosam & delicatam agunt vitam. Vnde R. Dauid vertit, *væ diuitibus qui sunt quieti, qui fidunt quòd nihil eis mali continget. Sçaanan* ergo est diues, qui securè & deliciosè quiescit in suis opibus. Alij, *væ insolentibus*: ex diuitijs enim & deliciis homines insolescunt, instar vitulorum in pascuis lasciuientium. Hoc spectasse videntur Septuag. Syrus & Arabicus, qui vertunt *væ spernentibus*: insolentes enim fastum induunt, alioqui spernunt. Aut certè Hebr. *hassçaanannim* deriuarunt à rad. אַיִן *ain*, & per crasin *en*, id est *non, nihil*, vt litera *scin* non sit radicalis, sed seruilis, idem valens quod אֲשֶׁר *asçer*, id est *qui*, quasi *hassçaanannim* sint *annihilantes*, id est nihili facientes, qui non æstimant & nihili faciunt suos vicinos & fratres. Hoc enim innuit Græcum ἐξουδενοῦν, quod pariter ab οὐδὲν, id est *nullus, nihil*, deriuatur. q.d. Qui alios annullant, nullos putant, nihili pendunt. Nisi quis suspicetur Septuag. pro duplici *nun*, legisse literam *tet*, cuius character est quasi duplex *nun*, putà pro הַשַּׁאֲנַנִּים *hassçaanannim*, legisse הַשַּׁאֲטִים *hassçoatim*, id est spernẽtes. Radix enim שָׁאַט *sçaat*, propriè significat, spernere, despicere, contemnere, diripere.

Huc alluſit Christus Lucæ 6. 24. dicens: *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram: væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.*

Optimates] Hebr. נְקֻבֵי *nekube*, id est *perforati*, hoc est, nominati, famosi, celebres, quos vulgò dicimus currere per linguas & ora hominum, vti sunt optimates & principes.

Capita populorvm] Hebr. רֵאשִׁית *resçit* significat principium, primitiua, primitias, præcipua, id est, duces & capita gentium, id est populorum, putà decem tribuum Israel. q.d. Ad vos, ô optimates, qui estis capita Israelis, mihi est sermo. ita S. Hieron. Aut *Gentium*, id est, Gentilium, quia inter eos eminebat Israel, eiusque optimates, tamquam populus à Deo electus, Deique quasi primogenitus. Vnde Arias vertit, *notatissimi primitiæ gentium*; Tigurina, *celebratissimi primitiarum gentium*. Alij hæc referunt non ad optimates, sed ad montes Sionis & Samariæ. q.d. Væ opulentis habitantibus in montibus Sionis & Samariæ, qui montes nominati & famosi fuerunt ab olim, putà *ab initio gentium*, vt vertit Pagnin. vel, vt Vatab. *à primitijs gentium*. q.d. Montes isti nominati sunt à gentibus nobilissimis: in Sion enim & in Samaria habitarunt Chananæi, Amorrhæi, Iebusæi, aliæque gentes vsque ad septem, antiquitate & robore celebres. q. d. Ego Deus dedi vobis, ô Hebræi, montes hosce inclytos, expulique propter vos priores incolas robustos & celebres, cur ergo iis contra me ad luxum, lasciuiam & idololatriam superbè & ingratè abusi estis? Huic sensui fauent sequentia, vbi Sion & Samariam confert & præfert Chalanne, Emath, Geth, alijsque insignibus Gentiũ vrbibus.

Tertiò, Chald. vertit, *væ opulentis*, &c. *qui imponunt nomen filiis suis secundùm nomen filiorum gentium*, quasi hîc taxentur Iudæi, quòd filiis suis imponant nomina Gentilia gentium vicinarum, putà Ægyptiorum, Tyriorum, Moabitarum, &c. cum quibus commercia & fœdera ibant. Quod notent Christianî, qui suis filiis imponunt Gentilium, quàm Christianorum nomina indere. Quartò, Syrus vertit, *seiuncti* (designati) *sunt in capita gentium*; Arabicus Antioch. *depicti sunt cum capitibus populorum*; Arabicus Alexand. *dilexerunt capita populorum; capita*, id est, prima dignitates & officia. Quintò, nouè vertunt Septuag. in codice Complut. *vindemiaui principatus*, vel *principes gentium*. q.d. Sustuli principes Chananæos ex Sion & Samaria, vt vos, ô optimates Hebræorum, ijs surrogarem. Vnde in codice Romano, & apud Iustin. contra Tryphon. legitur: *Vindemiarunt* Israelitæ *primitiæ*, vel *principatus*, id est, principes *Gentium, & ingressi sunt ipsi*, supple in eorum locum & gradum: fortè pro נְקֻבֵי *nekube*, legerũt נְקֻבְתִּי *nakabti*, id est pectoraui, gladio traieci, occidi vel נְקַמְתִּי *nakamti*, id est, vindicaui, puniui; pro quo Septuag. vertunt, *vindemiaui*, eò quòd agatur hîc de montibus Sion & Samariæ vitiferis, in quorum vindemia hi principes opulenti luxuriabantur. q.d. Vindemiabo vos, sicut vos vindemiastis vineas Samariæ, in ijsque vino & ventri indulsistis. *Et confidatis in monte Samariæ.* ita Hebræa, Syrus & alij passim. Quare malè vertit Arabicus, *qui confidunt in sideribus cæli.*

Ingredientes pompatice domvm Israel] Domum vocat cœtum, congregationem, siue populum Israel adunatũ. Pro *pompatice* hebræè לָהֶם *lahem*, id est, sibi, vel ad seipsos. tanto enim satellitio & pompa incedebant, tanto fastu & ostentatione pedes figebant, tanto studio per mulos turbam submouebant, soliique cum suis plateas occupabant, vt reliquis contemptis viderentur sibi soli ingredi & incedere; vti videmus & hodie nonnullos potentes, & nonnullas matronas etiam vulgares, ita pompaticè tanto syrmate incedere, vt ipsæ solæ pompæ, imò pauones & pappi esse videantur. Hinc vocauit eos *capita gentium*, quòd Gentilium principum quibus successerant, fastum, præsertim in incessu, imitarentur & referrent. ita Remig. Rupert. & S. Hieron. qui & addit: *Vt tumorem animi corporis ostendat, & pomparum ferculis similes esse videantur.* de quibus ita præcipit Cicero lib. 1. Offic. *Cauendum est, ne tarditatibus vtamur in gressu melioribus, vt pomparum ferculis similes esse videamur.* Recentiores vertunt, *& ingressa est ad eos domus Israelis* Pagnin. Tigurina, Vatabl. Rursum Chald. *quibus innititur domus Israel*; aut, *& putant quòd ingratur ad eos domus Israel*; Arabicus, *ingressi sunt cum parte* (secta) *Israelis*; Syrus, *captiuauerunt ibi filios Israel.* Verùm nostra versio, vti clarior & simplicior, ita germanior & neruosior est. Nam idem in incessu pompatico vitium apud

Isra-

Israelitas & Israelitides, taxat Isaias c.3. 16. *Pro eo ait, quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant; decaluabit Dominus verticem filiarum Sion,* &c. vide ibi dicta. Præclarè Solon dicebat, *magnam curam incessus habendam.* Ex incessu enim colligitur animus: præceps arguit præcipitem, nimiùm lentus ignauum, pomparicus arrogantem. ita Laërt. lib.1. c.4. Imò Sapiens Eccli.19. 27. tres indices animi assignat, vestitum, risum & incessum. *Amictus corporis,* inquit, *& risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.* Quocirca Maximus Tyrius oratione 4. ita virtutem pingit: *Decora, ait, aspectu, incessu quieta, sermone musica, oculis placidis & clementibus.*

TRANSITE (perperam Arias vertit, *transibitis*) IN CHALANNE] Id est, in Babyloniam captiui, & in Antiochiam, & in Geth vrbem Palæstinorum. Nusquam enim Iudæos Antiochiam, vel Geth abductos legimus. Chalanne autem celebris potensq; fuit ciuitas iuxta Babylonem, condita à Nemrod Genes. 10. 10. quæ postea aucta à Parthis, ad exhauriendam Babylonem & Seleuciam, dicta est Ctesiphon, factaque regni metropolis vide Plinium lib.6. cap.26. Sensus est, q.d. Transite, ô Hebræi, in Chalanne, Emath & Geth, vrbes maximas & potentissimas, atque videbitis quòd ipsæ non sint maiores, fertiliores & meliores terminis & regione vestra, quam ex me dono possidetis. Aduertite ergo, quàm me spernendo, & idola colendo, ac peccata peccatis cumulando, in me ingrati & inhumani sitis, qui vobis dedi terram hanc, qua nulla est feracior nec præstantior. ita S. Hieron. Theodor. Lyran. Vatabl. & alij.

IN EMATH MAGNA] *Emath*, quæ & Hemath, Amath, Hammath, hebr. *Chamath* dicitur, ciuitas fuit potens, ita dicta, ait Ioseph. 1. Antiq. cap. 7. à conditore Amath, vel Amathæo, qui hebr. *Chamati* vocatur, fuitque filius Chanaan, filij Cham, Genes. 10. 18. Porrò duplex erat Emath, ait S. Hieron. Ribera & alij: vna maior, quæ hîc vocatur Magna, atque ab Antiocho conditore dicta est Antiochia, fuitque caput Syriæ. Altera minor, quæ ab Antiocho Epiphane dicta est Epiphania, & Reblata, iuxta Emesam, vbi à Nabuchodonosore excæcatus fuit Sedecias, 4. Reg. 25.6. Vnde Epiphaniam inter Apamiam & Palmyram, versus Mesopotamiam ponit Ortelius in Theatro orbis. *Hemath magna*, ait S. Hieron. *quæ nunc Antiochia nominatur. Magnam autem vocat ad distinctionem minoris Hemath, quæ appellatur Epiphania. Vnde vsque hodie pergentibus Mesopotamiam prima mansio vocatur Emmas, corrupto quidem vocabulo, sed pristini nominis vestigia retinens: cuius regio appellatur Reblata, in qua præsente Nabuchodonosor regis Iudæ Sedeciæ interfecti sunt filij, & oculi illius excæcati.* Et in Locis Hebr. *Emath*, ait, *Damasci ciuitas, quam oppugnauit rex Assyriorum*, &c. *Diximus de hac & supra, quòd nobis videretur hanc esse Epiphaniam iuxta Emesam, quæ vsque hodie Syro sermone sic dicitur.* Nota quod ait, *nobis videretur*: non ergo certò id asserit, sed dubitanter & coniectando. Fauet huic opinioni, quòd etiamnum extet vrbs insignis nomine Emath, inter Tripolim & Aleppo, vti Romæ accepi à Reuerendissimo D. Archiepiscopo Damasceno Maronita, & alijs qui recenter Syriam perlustrarunt. quæ sanè Emath eodem penè sita est loco, quo fuit veterum Epiphania, vt patet ex tabulis cosmographicis.

Secundò. Secundò, alij ex aduerso probabiliùs censent, Script. tantùm vnam ponere Emath, scilicet Antiochiam, sitam post Libanum, ad Orontem fluuium in Syria Damasci (vnde numquam nominat Emath minorem) in qua primùm S. Petrus cathedram collocauit, atque discipuli primitus vocati sunt Christiani. Hæc ab Amos, volente ex eius magnitudine ostendere magnitudinem Hierosolymæ & Samariæ, dicta est *magna*, non respectu alterius minoris, sed quia amplissima fuit, adeò vt Strabo lib. 16. tradat eam fuisse tetrapolim, hoc est suo ambitu complexam quatuor ciuitates. Primam, inquit, Antigonus filius Philippi construxerat: alteram multitudo habitatorum: tertiam Seleucus Callinicus: quartam Antiochus Epiphanes, à quo Epiphania, sicut & Antiochia, dicta est. Vnde liquet eamdē ciuitatem nunc vocari Antiochiam, nunc Epiphaniā, nunc Reblata. hinc Aquila hîc vertit, *Epiphaniam.* Sic & Ioseph. 1. Antiq. 7. & à Castro hîc. Quin & S. Hieron. in Locis Hebr. videtur dicere Rabbath magnam, id est Antiochiam, esse Epiphaniam, quamquam concisè & confusè loquitur. Iuxta hanc sententiam, omnia quæ in Script. de Emath dicuntur accipienda sunt de Antiochia. Antiochia igitur fuit terminus terræ sanctæ ad Septemtrionem: vnde eius longitudo in Script. ab introitu Emath (Antiochiæ) vsque ad torrentem, seu riuum Ægypti censetur. Hinc eò vsque peruenerunt exploratores terræ sanctæ missi à Mose, Num. 13. 22. Insuper Thou rex Emath, missis muneribus pacem à Dauide petijt & impetrauit, 2. Reg. 8. 9. sed Salomon Emath, id est Antiochiam, expugnauit, & eiectis inde Chananæis restaurauit, valideque communiuit, 2. Paral. 8. 3. Obtinuerunt deinde eam Syri: sed Ieroboam rex Israel tempore Amasiæ regis Iuda, Ionæ Prophetæ verbis excitatus, eamdem recuperauit & Israeli restituit. Deinde expugnauit eam Sennacherib 4. Reg. 18. 24. Hinc eius mentio crebra fit in Isaia, Ieremia, Ezechiele & Zacharia. Tenuit eam Nabuchodonosor, in eaque resedit dum castra eius obsiderent Hierosolymam, 4. Reg. 23. 33. & cap. 25. 21. Postea ab Alexandro Magno occupata, & ab Antiocho illustrata sedesque regni facta dicta est Antiochia. Ibidem Ionathas Machabæus contra Demetriū castrametatus fuit, 1. Machab. 12. 25. Demum Romani, ac tandem Saraceni eamdem sui iuris fecerunt, vti etiamnum Turcis subiacet.

Tertiò. Obiicit huic sententiæ Andreas Masius, exactus locorum terræ sanctæ indagator, scribens in Iosue 19. 35. quòd Emath à Zacharia c. 9. 2. & Ieremia c. 49. 23. ponatur intra ditionem & terminos Damasci: Antiochia autem duobus gradibus cum dimidio, Epiphania verò sesquigradu altior Damasco collocetur à Ptolemæo, quousque non videtur se extendisse ditio & regnum Damasci: ergo Emath non videtur esse Antiochia, nec Epiphania, sed tertia aliqua vrbs post Sephaniam infra Iordanis ortum. Nam ibi ponitur Rebla (quæ dicitur fuisse in Emath Ieremiæ 39. 5.) Num. 34. 11. eaque vicina erat Nephthalitis, quibus in sorte cecidit Emath Iosue 19.

v.35. Huic opinioni fauet Ortelius, qui in priscæ Chananææ descriptione ponit Chamath, siue Emath, iuxta Libanum & Sephaniam, inter Tyrum & Cæsaream Philippi: idē facit Adrichom. in Descript. terræ sanctæ. Videtur id valdè probabile? nam Emath hæc fuit in tribu Nephthalim, cuius sors non videtur se extendisse vsque ad Antiochiam. Vnde Marinus in Lexico, Emath Nephthaliam diuersam ponit ab Emath vulgata & cōmuni, ex eaque prognatos dicit Cinæos, vt liquet 2. Paral. 2.55. vbi dicitur, *hi sunt Cinæi qui venerunt de calore patris*, hebr. *de Chamath*, vel *Emath*. Verùm Masij ratio non planè conuincit: nam ditio Damasci, æquè ac Israelis, primitus longè admodum se extendit, scilicet vsque ad Euphratem, vt patet Iosue 1.4. Deut. 11.24. Imò non desunt qui censeant Damasci fines se extendisse vsque ad Babylonem, ideoque pro eo quod B ait Amos c.5.27. *Transferam vos trans Damascum*, S. Stephanum Actor. 7. dum citat verba Amos, dicere, *Transferam vos trans Babylonem*. Damascus enim totus Syriæ erat caput & domina. Magis vrget ratio Marini, quòd sors Nephthalim non videatur se extendisse vsque ad Antiochiam. Sic enim longè superasset sortes aliarū tribuum. Rursum, quòd ex Stephano lib. de Vrbibus, constet plures vrbes (facilè decem) dictas esse Antiochias, quatuor verò Epiphanias, sed in diuersis prouincijs. Ergo pariter plures videntur fuisse Emath. Denique maximè vrget quòd Iosue 1. v.4. Deuter. 12.24. pro Emath, terminus terræ sanctæ ponatur Libanus, imò, vt Septuag. vertunt, Antilibanus, à quo vlteriùs progrediendo Antiochia distat itinere quinque dierum. quis credat vltra Libanum tanto spatio se extendisse C fines Israelis, imò vnius tribus Nephthalim? huic enim Emath attribuitur Iosue 19.35. Quocirca nulli chorographi terræ sanctæ, in eius descriptione ponunt Antiochiam quasi eius terminū, sed Libanum, & iuxta eum Emath, vt patet ex tabulis Adrichomij, Ortelij & aliorum. Emath ergo, quæ ponitur terminus terræ sanctæ ad Aquilonem, fuit vicina Libano, nec longè à Damasco: cui ex aduerso ad Meridiem, terminus eiusdem terræ sanctæ ponitur desertum, scilicet Arabiæ, per quod transierunt Hebræi venientes ex Ægypto in Chanaan, ac præcisè torrens Rinocoluræ: sicut ad Orientem terminus eiusdem ponitur Euphrates: ad Occidentem mare Mediterraneum. Tertia ergo hæc sententia chorographorum valdè probabilis est. Sed quidquid de ea sit, consentiunt omnes, hîc apud Amos per D Emath magnam intelligi Antiochiam ad Orontem, illustrem & potentem Syriæ vrbem, quæ & Epidaphnis dicta est, à suburbano & vicino fonte Daphnes, lauris & amœnitate inclyto. Hæc dicta est hebr. *Chamat*, & *Chamma* id est sol, quòd quasi sol inter vrbes Orientis effulgeret, vti postea effulsit in christianismo, cùm S. Petrus in eadem primò cathedram Pontificiam collocauit.

ET AD OPTIMA QVÆQVE REGNA HORVM] Septuag. *& ad optimas*, scilicet ciuitates, *de regnis istis*. q. d. Ite & lustrate optimas vrbes Syriæ, & videbitis Samariam & Sion ijs præstare. vnde Arias, Pagnin. & Vatabl. vertunt, *si meliora sunt regna horum regnis vestris?*

Moral. de finibus pios Mysticè, Israel sunt fideles & sancti: hi præ cæteris gentibus latiores habent terminos, cosque optimos: quia non exigui temporis limitibus, terræque puncto, vt impij & mundani, sed immensis æternitatis cælique spatijs spes suas hinesque felicitatis suæ, metiuntur, ita vt fidenter impijs dicere possint: *Si terminus vester latior termino nostro est*: Et illud Zachar. 4. 10. *Quis vestri despexit dies paruos* huius æui momentanei? Et illud Iob 24. v.24. *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent, & humiliabuntur sicut omnia, & auferentur*. Et illud psal. 36.35. *Vidi impium superexaltatū & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat: & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius*. Impij verò regerant piis & sanctis illud Baruch 3.24. *O Israel quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius! Magnus est & non habet finem, excelsus & immensus*. Ipsi verò gementes suam sortem defleant, eò quòd stultè parua magnis, breuia æternis, terrena cælestibus prætulerint, dicantque illud Sap. 5.8. *Quid nobis profuit superbia aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt enim omnia illa tamquā vmbra, & tamquam nuncius percurrens, & tamquam nauis*. &c. Quàm sapit qui cum Magdalena audit illud Christi: *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum*.

QVI SEPARATI ESTIS IN DIEM MALVM] scilicet captiuitatis & excidij. q.d. A Deo ob scelera vestra, quasi anathemata separati, & dicati estis mactationi & excidio. Secundò, efficacius Hebr. מַנְדִּים *menaddim*, vertas actiuè, *separantes* vos ad diem malum. q.d. Ipsimet vos separatis & deuouetis excidio, dum minas Prophetarum contemnitis, & vltrò in scelera ruitis, ob quæ quasi oues à Deo mactabimini: vnde Septuag. vertunt, *venientes*, vel, *qui venitis ad diem malum*, ita S. Hieron. Albert. Hugo & alij. Tertiò, Chald. Clarius, Vatablus & Rabbini vertunt, *separantes diem malum*, id est, qui à vobis separatis, & amoliri conamini diem excidij, quem Prophetæ intentant, vt liberiùs peccetis, dicentes illos falli, vel de futuris & longinquis sæculis loqui. vnde Tigurina vertit, *qui in longinquum reiicitis diem malum*; Pagnin. *qui longinquum putant diem malum*. Nam vt ait Aristot. 2. Rhetor. c.5. *Quæ longinqua sunt, non metuuntur: sciunt enim omnes fore vt moriantur, sed quia id propè esse non putant, ideo nullam curam suscipiunt*.

ET APPROPINQVATIS SOLIO INIQVITATIS] *Solium iniquitatis*, quod inducet Israelitis diem malum, est regnum, tyrannis & solium imperij Assyriorum, qua Israelitas iudicabunt, id est, vindicabunt, capient & punient, quasi submissi iudices & vindices à Deo, ad vlciscendam idololatriam aliaque scelera in Deum commissa. q.d. Vestris continuis sceleribus accersitis Assyrios, & acceleratis vestrum excidium. Sic tropologicè peccatores qui peccata peccatis cumulant, appropinquant solio Luciferi & inferno. ita S. Hieron. Albert. Hugo, Lyran. & S. August. lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 7. vbi ex hoc loco Amos ostendit, quanta in S. Script. sit eloquentia, neruus & vis dicendi.

Secundò, Chald. Rabbini, Pagnin, Clarius & Vatablus, iam citati sic vertunt & exponunt per antithesin: Separatis & amouetis à vobis diem malum excidij solium autem violentiæ & iniustitiæ (quo iniustè iudicatis, pauperesque oppressis & spoliatis) propè adducitis. q. d. Vultis amo-

amouere à vobis pœnam,& interim acceditis ad culpam; cùm non possitis à vobis amoliri pœnã, nisi priùs amoliamini culpam.

Tertiò,alij moraliter sic exponunt: Separatis à vobis diem malum,putà diem laboris,ideoque accersitis solium iniquitatis. q. d. Non vultis laborare, otiosi estis & pigri, ideoque vos ditare vultis ex iniquitate, iniustitia & rapina pauperum, vt eorum bonis otiosè lasciuiatis & luxuriemini, vt sequitur.

Vers. 4. QVI DORMITIS IN LECTIS EBVRNEIS, ET LASCIVITIS IN STRATIS VESTRIS] Ad lasciuiam libidinis hæc referũt S.Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. & S. Augustl.li.4. de Doctr. Christ. c.7.q.d. Væ vobis lasciui & libidinosi: vnde pro *lasciuitis*, Vatabl. & Pagnin. vertunt, *indecorè se distendentes in stratis suis*; Chald. *qui submergunt se in stratis suis*. Secundò & aptiùs ad triclinlorum & mensarum luxum, putà ad pretiosos tapetes & stragula, quibus vestiebant cubicula & triclinia, & ad pretiosos toros & lectulos, in quibus molliter iacentes more gentis accumbebant mensæ, hæc referunt R. Dauid, Arias, à Castro & Prado in Ezec. cap. 23.41. Taxantur enim hîc optimates & iudices Israelis, quòd ex rapinis pauperum luxu diffluerent, ac splendida & opipara instruerent conuiuia. Vnde sequitur: *Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij*, &c. *bibentes vinum in phialis*. Epulæ enim & cantilenæ triclinio & mensæ adhibentur, non cubili & veneri. Quocirca Septuag. hîc vertunt, *qui affluitis deliciis in stratis vestris*. Ex Hebræo sic vertas, *qui cubatis in toris eboris, & superfluitis in lectulis vestris*. quasi dicat, Qui superbo & superfluo apparatu & ornatu condecoratis lectulos vestros. Rursum, superfluis ferculis & deliciis instruitis mensas, ijsque distenditis ventres vestros: quod est peccatum luxus & gulæ, æquè ac lasciuiæ. vnde Noster vertit, *lasciuitis*: sicut enim vituli bene pasti sunt petulci, & lasciuiunt saltitando, cornutando,erecta cauda cursitando:ita & conuiuæ bene saginati petulantes sunt; & quasi asoti lasciuiunt indecoris verbis & gestibus. Vnde Apostolus Ephes.5.v.18. *Nolite*, ait, *inebriari vino in quo est luxuria*, græcè ἀσωτία, id est lasciuia, qualis exercetur in saltationibus, choreis, psalterijs, &c. item in pretiosis vnguentis, coronis, balneis, tum præuis conuiuio, tum illud comitantibus & sequentibus. Vterque hîc sensus huic loco congruit, & posterior priori subordinatur, in eumque desinit: nam ex mensis itur ad cubilia, ex gula in venerem: venter enim mero æstuans despumat in libidinem.

Portò lecti mensales dicti sunt lecti, à legendis herbis & stramentis, ex quibus olim fiebant, ait Varro. Idem dicti sunt tori à tortis herbis, quæ accumbentium humeris supponebantur, ait Isidor.lib.2.Etymol. & Seruius in illud lib.5. Æneid.

Proxima vt viridante toro considerat herba.

Inde triclinium dictum à tribus lectis,in quibus veteres epulabantur. Insuper triclinia fieri, insterni,& ornari solita ebore,auro & argento,docet illud li.Esther cap.1.v.6. in conuiuio Assueri: *Lectuli quoque aurei & argentei super pauimentum, smaragdino & pario stratum lapide, dispositi erant*. Idem docet Plinius li.33.cap.11.& Varro lib.8.& Horat.lib.2.satyr.6.dum ita canit:

A

—— Rubro vbi cocco
Tincta super lectos canderet vestis eburnos.

QVI COMEDITIS AGNVM DE GREGE] de grege selectum, vt pinguiorem & meliorem cæteris.

ET VITVLOS DE MEDIO ARMENTI] selectum, pinguem & saginatum. Hebr. *& vitulum de medio saginarij*, id est, de loco saginæ, in quo saginantur & impinguantur. Is locus vitulis grandioribus sunt pascua: vnde Noster 1.Reg.28.24. vertit, *vitulum pascualem*. Vitulis verò tenerioribus est stabulum,in quo, vtpote loco obscuro & quieto (tam enim quies quàm obscuritas facit ad concoctionem, rũminationem & impinguationem animalium) lacte,præsertim materno, saginantur & incrassantur.

Vers. 5. QVI CANITIS AD VOCEM PSALTERII] Septuag. B Παιζοντες, id est *præualentes* (S. Hieron. legit Παιζοτυπτες, id est, *concrepantes*) *ad vocem organorum*; Hebr. מפרטים *happoretim*, id est, qui *particularizant ad os nabli*, id est, qui propria & particularia cantica concinunt, eaque varia iuxta varium concentum nabli.ita Pagnin.& Vatablus. Vel, vt R. Dauid, & à Castro, qui vocem varijs incisionibus, minutionibus, tonis, inflexionibus & modulationibus incidunt, & variant instar philomelæ minurientes. Taxat nimiam mollitiem & delicias musices in conuiuiis optimatum Israelis, qui huic suæ musicæ præexebant exemplum Dauid. Vnde subdit:

SICVT DAVID PVTAVERVNT SE HABERE VASA CANTICI] id est, instrumenta musica. quasi dicat. Luxum suæ musices conuiualis excusant C exemplo Dauidis; sed perperam: nam ille eam adhibuit ad Dei laudes, eamque grauem; hi verò ea molli & lasciua abutuntur ad gulam & luxuriam.ita S.Hieron. Mirum est Septuag. vertere, *sicut stantia putauerunt, & non sicut fugientia*. q.d Putarunt has delicias fore stabiles, cùm sint fugaces & euanidæ. Aurea est hæc gnome, quam vrgens & exaggerans S. Chrysost. homil. 1. in Genes. *Et hæc*, ait, *cùm experientia didicerint, quasi stantia arbitrati sunt & manentia, & non quasi fugientia; hoc est, auolantia, & ne ad momentum quidem permanentia. Talia enim sunt humana omnia, & carnalia. nondum rectè aduenerunt, & auolarunt: tale quiddam sunt deliciæ; & tale quiddam humanæ gloria & potentia; tale quiddam diuitiæ; tale quiddam vniuersa huius vitæ prosperitas, nihil firmum habens, nihil subsistens, nihil fixum; sed magis quam fluminum fluenta pretercurrit, nudosq; ac solos relinquit eos qui illis inhiant. Atqui spiritualia sunt firma, immobilia, vicissitudinem non accipientia, ad omne seculum se extendentia. Quanta igitur fuerit dementia nutantia cum immobilibus commutare; temporaria cum his quæ in seculum duratura sunt, perpetuò manentia cum his quæ auolant; & ea quæ nobis illic graue supplicium paritura sunt, cum his quæ in futuro seculo felicitatem summam afferunt?*

D

Nota. Veteres Hebræos & Gentiles in conuiuijs ad recreationem conuiuarum adhibebant musicam, & vocum & instrumentorum, quam si moderata sit & honesta, laudat Eccles. cap. 32. v.1.2.4. loquens enim de symposiarcha, siue moderatore conuiuij: *Non impedias*, ait, *musicam. Gemmula carbunculi in ornamento auri, &* (sic est, sic ornat conuiuium) *comparatio*, id est concentus, *Musica veterum in conuiuia.*

musicorum in conuiuio vini. Sicut in fabricatione auri (in aureo annulo v.g.) *signum*, id est sigillum & pala, *est smaragdi: sic numerus*, id est numerosa harmonia, *musicorum in iucundo & moderato vino.* Et c.49.10. *Vinum & musica lætificant cor, & super vtraque dilectio sapientiæ. Tibia & psalterium suauem faciunt melodiam: super vtraque lingua suauis.* Idem vsus fuit tempore Christi, vnde Lucæ 15.25. senior filius *audiuit symphoniam & chorum*, quibus pater celebrabat conuiuium ob filij iunioris reditum. Verùm Prophetæ subinde hanc musicam carpunt, vel ob excessum, vel ob intemperantiam, vel quòd canerent cantica inhonesta, vel irrisoria: aut quòd ita ijs vacarent, vt negligerent curam reip. & iustitiæ, imò ea adornarent & instruerent ex rapinis pauperum. ita Isaias c. 5.11. *Væ*, ait, *qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam*, &c. *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris*; vt suauiùs & plenius vos inebrietis. Psalm.68.13. *In me psallebant qui bibebant vinum*, id est, in me dictabant carmina: ego eram eorum cantilena, risus & fabula. Quocirca Apostolus Christianos monet de sua agape & conuiuio Eucharistico: *Nolite*, ait, *inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in hymnis & canticis spiritualibus.* Ephes.5.18. Idem mos apud Gentiles. Vnde Athen.lib.14.de Cœnis sapientum, docet lege & more maiorum sancitum esse, vt in conuiuijs canerentur deorum hymni, idque voce communi, omnibus pæana canentibus, ait Clemens li.2.Pædag.4. Quin & conuiuis tradebatur lyra, quam iuxta propinationes resignabant alternatim & transuersè: vnde obobliquam & transuersam hanc lyræ circumlationem, carmina illa dicebantur λοξιὰ, id est obliqua, de quibus Athenæus lib.8.& lib.15.

A

B

C

VERS. 6. BIBENTES VINVM IN PHIALIS] Septuag. *vinum defæcatum.* Hoc enim bibitur ab opulentis in phialis aureis, aut vitreis, vt præstans & limpidum; Tigurina, *qui bibunt vinum in pateris*; Vatab. *in vasis amplis & magnis.* q.d. Vinipotentes, qui ingentes pateras & crateres exhauriunt.

Vnguenta in conuiuiis, cur?

ET OPTIMO VNGVENTO DELIBVTI] Chald. *excellentia pretiosorum vnguentorum vnguntur*; hebraicè est, *capite vnguentorũ*, id est, præcipuo aromate & vnguento, v.g. balsamo, de quo Iuuenal. satyra 2.

Hirsuto spirant opobalsama collo,

ex capite enim defluebant in faciem & collum. Veteres in conuiuiis adhibebant vnguenta, tum ad voluptatem, tum ad sanitatem; eò quòd cerebrum natura frigidum & concretum, suo fragranti odore, calore & lenitate resoluant & recreent, inquit ex Aristot. Plutarch. lib. de Iside, & Massarius apud Athenæum: *O felix*, inquit, *an non nosti sensus nostros qui sunt in cerebro, excitari suauibus odoribus, & puriores suauioresq; effici, sicut Alexis ait: sanitatis maximam partem bonos odores cerebro conciliare?* Hinc illud psal.103.13. *Vt exhilaret faciem in oleo.* & psal. 22.5. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me: impinguasti in oleo caput meum.* Ita Magdalena effudit vnguentum super caput Christi discumbentis Matth.26.7. Et Christus Matth. 6.17. *Tu autem*, ait, *cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* q.d. Vt tuum ieiunium dissimules & tegas, adhibe vnctionem & lotionem in conuiuio adhiberi solitam, quasi ex eo prodeas. Denique Ecclesiastes c.9.8. *Omni*, ait, *tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* q.d. Indulge balneis & conuiuijs: nam vestes candidæ & oleum, symbola sunt balneorum & compotationum, eò quòd à balneis exeuntes albis vestibus induebantur, quas cœnatorias Romani vocabant, quòd cum ipsis in cœna mensæ accumberent. Ita Philo lib. de Vita ruretica, tradit Iudæos in festis conuiuia albatos celebrare solitos. Idem de Romanis tradit Horat. libr.1. satyr.2.

Ille nepotia, natales, aliósve dierum
Festos albatus celebret.

D

Iisdem de causis coronabant capita conuiuatum coronis rosaceis, myrteis, alijsque floribus & herbis odoriferis, simul ad hoc, vt cerebrum ijs confortatum minùs læderetur vino, magisque resisteret ebrietati. ita Ouid. Fast. libr.5.

Tempora sutilibus pinguntur tecta coronis,
Et latet iniecta splendida mensa rosa.

Rosa enim odoris sui prodiga, citissimè euaporatur: emittit enim odoris fluxum, indeque rosa à Græcis ῥόδον vocatur, q.d. Fluens odor, ait Plutarch. li.3.Sympos.c.3. qui & addit: *Quo fit vt etiam celerrimè marcescat: naturalem enim habet vim refrigerandi, aspectu igneum aliquid ostentans. Nam in superficie eius tenuis efloresc at calor, eo à frigore expulsus.* Hic calor profusi odoris est causa. Vnde voluptuarij dicunt Sapient. 2.7. *Vino pretioso & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis: coronemus nos rosis antequam marcescant.* Vide Plutarch. 3.Sympos.probl.1. Athen.lib.5. Plinium li.21.c.3. Meritò nimias in hisce delicias carpit hîc Propheta: quia effeminant animos viriles, adiguntque ad dolos, rapinas, aliaque scelera. Quocirca Epaminondas dux Thebanorũ, à quodam ad cœnam inuitatus, cùm bellariorum, obsoniorum & vnguentorum mirum apparatum inuenisset, subitò recessit dicens: *Egone sacrificare, non lasciuire putabam.* ita Brusson. lib.2. cap.2. Et Cicero in Pisonem, de Gabinio: *Erant compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ.* Et Tibullus lib.3. eleg.7. *Iamdudum Syrio madefactus tempora nardo.* Hinc videtur quòd Hebræi, æquè ac Romani, incesserint nudo capite; alioquinim indecorè illud perfusum fuisset vnguento. ita Sanchez.

ET NIHIL PATIEBANTVR SVPER CONTRITIONE IOSEPH] Tigurina, *neque illis dolet quòd Ioseph*, id est regnũ Israel, *atteritur*, q.d. Non compatiebantur calamitati & paupertati multorum popularium suorum inter decem tribus, quæ hîc à suorum regum patre & patriarcha vocantur Ioseph: nimirum hi optimates Israel ex rapinis pauperum se ditantes, conuiuantes, & lasciuientes, ærumnas populi tum priuatas, tum publicas non curabant, ac præsertim instans illi Dei iudicium & excidium Assyriorum, per sana consilia, per pœnitentiam & emendationem vitæ, per preces, per leges pias & sanctas non conabantur abeo auertere & amoliri ita S.Hieron. Theodor. Lyran. Emmanuel, Mariana & Vatab. Addit S.Augustl.4 de Doctr.Christ.c.7. *Ioseph* pro quouis fratre & proximo hîc poni: quia in fratribus, inquit, Ioseph est celebris, vel in malis quæ pependit, vel in bonis quæ rependit.

Moralit. hîc innuitur, quòd voluptatis filij pro-

propria & genuina sit immisericordia, iuxta illud Prouerb. 12. v. 10. *Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.* Ita Sodomitæ ex delicijs crudeles euaserunt, iuxta illud Ezech. 16. 49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, &c. superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius & filiarum eius: & (vnde) manum egeno & pauperi non porrigebant:* quia putabant suo ventri, id est, gurgiti voluptatum, decessurum id, quod in eos expendissent. Ex aduerso piorum & Sanctorum nota & virtus est misericordia. Vnde sanctus hebr. vocatur חסיד *chasid*, id est misericors; & eleëmosyna solet vocari iustitia, id est sanctitas, vt psal. 111. v. 9. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia* (id est misericordia, eleëmosyna) *eius manet in seculum seculi.* Vide S. Chrysost. concione 1. de Lazaro.

Ita videmus id quod deplorat hîc Amos, etiamnum subinde fieri, nimirum optimates & magistratus qui sua quærunt, suo genio indulgent, suis commodis student, ærarium in conuiuia expendunt, dies in epulis transigũt, rem pauperum & populi negligere, iura habere venalia, muneribus iustitiam vendere, pauperes opprimere atque, vt verbo dicam, remp perdere, imò hosti, si is eam emere velit, prodere. Ita olim de Roma luxu diffluente dixit Iugurtha, ait Brusson. li. 1. c. 1. *O vrbem venalem, & citò perituram, si emptorem inuenerit!* Nam vt ait Pythagoras apud Laërt. li. 7. 1. in ciuitates primò deliciæ irrepunt, mox saturitas, deinde violentia, denique exitium. Quocirca Sapiens Prouerb. 31. 4. *Noli*, ait, *regibus Lamuel, noli regibus dare vinum: quia nullum secretum est vbi regnat ebrietas: & ne fortè bibant, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.* Et Eccles. 10. 16. *Væ tibi terra cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt. Beata terra cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Huic enim dediti, tam temperantiam & castitatem, quàm famam perdunt, vitamque abbreuiant, & mortem accelerant.

7. QVAPROPTER MIGRABVNT IN CAPITE TRANSMIGRANTIVM] q. d. Optimates Israel inter primos capientur ab Assyriis, ipsi quasi hirci gregis duces, ducent agmen captiuorum euntium in Assyriam. ita S. Hieron.

ET AVFERETVR FACTIO LASCIVIENTIVM] *Factionem* vocat cœtum optimatum qui in scelere, puta in rapinis, conuiuijs, luxu & lasciuia, simul conuiuantes & compotantes conspirabant. q. d. Ipsi factiones & sympolia instituunt; sed ego Deus illas dissoluam & dissipabo. Septuag. vertunt, *hinnitum: Et auferetur*, inquiunt, *hinnitus ex Ephraim.* Est metaphora ab equis: sicut enim equi auena bene pasti & saginati hinniunt & lasciuiunt, ita & hi optimates. Hebr. est מרזח *mirzeah*, quod propriè significat conuiuium funebre in exequijs mortui. q. d. Vestra conuiuia sunt funebria: quia ex rapinis pauperum quos emaciatis, itaque occiditis, ea instituitis. vnde Tigurina vertit, *tunc recedet conuiuium luxuriosorum*, Syrus, *auferetur gaudium à principibus eorum*; Arabicus, *auferetur varietas* (ornatus & variegatæ vestes) *ab equitibus*; Vatabl. & Pagnin. *tunc appropinquabit luctus extensorum*, id est, eorum qui se extendere solebant in lectis eburneis, vt dixit v. 4. Hebr. enim סור *sur* significat & recedere, & accedere. Hebræi enim verbum simplex vsurpant pro omnibus compositis, eò quòd ijs careant.

Politicè hîc Nota: vt factio & rebellio gentis tollatur, tollendos esse optimates: hi enim factionis sunt capita & duces. Id probè norat Tarquinius Superbus, qui nuncio dubiæ fidei ad filium nullas dedit literas, sed eo in hortum adducto summa papauerum capita baculo decussit: quo facto nunciato filius intellexit quid pater vellet, nimirum præcipi sibi vt capita & optimates Gabinorum sibi resistentium demeteret, hoc est, vel occideret, vel in exilium relegaret. Ita refert Liuius decad. 1. lib. 1. Valer. Maxim. li. 7. c. 4. Plinius li. 17. c. 4. & 8. Idem suasit Thrasybulus Milesiorum tyrannus Periandro Corinthiorum tyranno, qui eum per nuncium rogarat quid facto opus esset vt securus regnaret? Respondit enim ipso facto: nam nuncio in messem maturam adducto, summas frumenti aristas baculo decussit: ex quo cognouit Periander principum capita tollenda, si tyrannide potiri vellet. ita narrat Aristot. li. 3. Polit. cap. 9. & li. 5. c. 10. & Laërtius in Periandro.

Factio tollenda sublato capite.

8. Iurauit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus Deus exercituum: Detestor ego superbiam Iacob, & domos eius odi, & tradam ciuitatem cum habitatoribus suis.

9. Quòd si reliqui fuerint decem viri in domo vna, & ipsi morientur.

10. Et tollet eum propinquus suus, & comburet eum, vt efferat ossa de domo: & dicet ei, qui in penetralibus domus est: Numquid adhuc est penes te?

11. Et respondebit: Finis est. Et dicet ei: Tace, & non recorderis nominis Domini.

12. Quia ecce Dominus mandabit, & percutiet domum maiorem ruinis, & domum minorem scissionibus.

13. Numquid currere queunt in petris equi, aut arari potest in bubalis, quoniam conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iustitiæ in absinthium?

14. Qui lætamini in nihilo: qui dicitis: Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?

15. Ecce enim suscitabo super vos domus Israel, dicit Dominus Deus exercituum, gentem: conteret vos ab introitu Emath, vsque ad torrentem deserti.

VERS. 8. IVRAVIT DOMINVS DEVS IN ANIMA SVA] per animam & vitam suam, dicendo: *Viuo ego*, id est, iuro per vitam meam.

DETESTOR EGO SVPERBIAM IACOB (Israelis) ET DOMOS EIVS ODI] *Domos*, scilicet magnificas & superbas, quas ex vsuris & rapinis ædificant, cùm patres eius, Abraham, Isaac & Iacob in casis & tentorijs habitarint, quasi exules & peregrini in terra, ac ciues cæli. Vnde hebr. est ארמנות *armanot*, id est, palatia. ita Chaldæus. Ita Deus superbas domos Ioakim regis detestatur Ierem.

Ierem.22.13. dicens: *Væ qui ædificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio. Qui dicit: Ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa: qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitq; sinopide.* Hinc ei pœnam intentans v.19. *Sepultura,* ait, *asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* Et Isaiæ c.5.8. *Væ qui coniungitis domum ad domum: numquid vos soli habitabitis in medio terræ?* vide ibi dicta.

ET TRADAM CIVITATEM CVM HABITATORIBVS SVIS] Hebr. *tradam vrbem & plenitudinem eius,* hoc est, Assyrijs tradam Samariam & incolas eius. Hi enim vocantur eius plenitudo, quia eam suo numero & turba implent & replent. Per ciuitatem enim intelligi Samariam probat Theodor. ex eo, quòd agat de decem tribubus: has enim vocat Ephraim, Iacob & Ioseph: harum autem caput & metropolis erat Samaria. ita & S.Hieron.Remig.& Hugo, qui tamen Secundò, per *ciuitatem* accipiunt Ierusalem, quæ erat caput Iacob, id est duodecim, & postea duarum tribuum. Censent ergo excidium Ierusalem per Chaldæos, ac deinde per Titum & Romanos hîc denotari. Vtramque expositionem conciliabis si cum Lyrano dicas, per ciuitatem synecdochicè hîc accipi ciuitates quaslibet Hebræorum. Porrò directè loquitur Propheta de Samaria & decem tribubus, indirectè & comitanter de Ierusalem & Iudæis, vti dixi initio capitis.

VERS.9. QVOD SI RELIQVI FVERINT DECEM VIRI IN DOMO VNA, ET IPSI MORIENTVR] q.d. Si qui Israelitæ in domo aliqua absconditi manus Assyriorum effugerint, aut ab eis vt pauperes, viles vel ægri derelicti fuerint, hi quoque in eadem domo peste aut fame morientur.

VERS. 10. ET TOLLET EVM, id est, vnumquemque eorum (ita Septuag.) qui scilicet peste & fame mortui sunt, PROPINQVVS (Pagnin.& Vatablus *patruus*) SVVS] vt comburat nepotis vel cognati sui cadauer, ossaque reliqua sepeliat. Hæc enim erant iusta funebria, quæ propinqui cognatis defunctis persoluebant, tam apud Hebræos, quàm apud Romanos.

ET COMBVRET EVM] Hebr. וּמְשָׂרְפוֹ *vmesarepho*, id est, *& comburens eum: saraph* enim siue per *samech*, siue per *sin* scribatur (hæ enim duæ literæ æquipollent) significat comburere. Vnde angeli vocantur Seraphim, id est, incendentes: quia Dei amore ardent, aliosque accendunt. Hinc Tigurina vertit, *rescillo*: huius enim erat cadauer curare, & more gentis comburere ac tumulare. Et Chald. *tollet eum ab incendio propinquus eius ad efferendum.* Imperitè ergo Rabbini recentiores, quos sequitur Pagnin. & Vatabl. vertunt, *auunculus eius.* Porrò combusta fuisse mortuorum Israelitarum cadauera patet ex eo quod subdit, *Vt efferat ossa* reliqua ex combustione cadaueris: ex quo patet Israelitas ad vrendum cadauerum fœtorem, putrefactionem, tabem & luem, ne scilicet illa pestem viuis afflarent, ea combussisse. Idem fecisse Romanos norunt qui Romam viderunt: Romæ enim in priscis sepulchris passim ingentes vrnas testaceas conspicimus, in quibus cadauerum combustorum cineres seruabantur. Græcos quoque cremasse defunctorum cadauera docet Thucydides li.2. & Lucianus lib. de Luctu: *Græcus,* ait, *exurit, Persa defodit.* Porrò fuerunt hac de re diuersæ sapientũ sententiæ. Nam vt ait Seruius in lib.11. Æneid. *Heraclitus qui vult omnia igne constare, dicit debere corpora in ignem resolui: Thales verò qui confirmat omnia ex humore procreari, dicit obruenda corpora, vt possint humore resolui.* Rursum Varro li.de Sepultura: *Heraclides,* ait, *Ponticus plus sapit, qui præcepit vt comburerentur, quàm Democritus, qui vt mille seruarent* (quasi resurrectura & rursum victura:) *quem si vulgus secutus esset, pereram, si centum denarijs calicem mihi emere possemus.* Insuper Seruius in lib.3. Æneid. Romanos crematione funerum vsos esse docet: *Romani,* ait, *contrà faciebant comburentes cadauera, vt statim anima in generalitatem, id est, in suam rediret naturam* Et Ouid.li.1.Trist.eleg.4.

Spiritus hic vacuas primùs extenuandus in auras
Ibit, & in tepido deseret ossa rogo.

Et Silius Italic.li.10.in funere Pauli, vbi & causam assignat:

Hæc Libys: atque recèns crepitantibus vndiq; flammis,
Aethereas anima exultans euasit in auras.

Causam aliam dat Quintilian.declam.10. *Dixerunt,* inquit, *animam flammei vigoris impetum perennitatemq; non ex nostro igne sumentem, sed quò sidera volant, & quò sacri torquentur axes, inde venire, vnde omnium rerum auctorem parentemq; spiritum ducimus, nec interire, nec solui, nec vllo mortalitatis affici fato: sed quoties humani pectoris carcerem effregerit, & exonerata membris mortalibus leui se igne lustrauerit, petere sedes inter astra.* Christiani hanc cremationem sustulerunt, tum vt Dei sententiæ in Adam eiusque posteros latæ Genes.3. magis se conformarent, *Puluis es & in puluerem reuertere:* tum vt naturam sequerentur, quæ sponte corpora defuncta in elementa sua resoluit: tum maximè vt fidem & spem resurrectionis superstitibus ingererent. Ideo enim cadauera terræ commendabant quasi in depositum, quòd in die resurrectionis ea repetiturus sit Deus, vt resuscitet & viuificet. Idem fecisse Iudæos fideles verique Dei cultores, patet Genes.50.3.& 25 Iosue 8.29. 1.Reg.13.22.Tobiæ 1.22.Ioan.29.43. Excipio funera regum, quæ publica pompa cum aromatibus honoris causa cremabantur. Israelitæ verò etiam plebeiorum ossa cremabant, vel quia idololatræ gentium idololatrarum ritus sequebantur: vel quia in communi lue & peste, eamdem reprimere igneque purgare, ne in superstites proserperet, conabantur. Cadauera ergo cum tabe & peste comburebãt. Post cremationẽ faciebant ossilegium: cognati enim & amici ossa cremata colligebant, & in æneam, auream, argenteam vel marmoream vrnam recondebant magna cura & cæremonia. Docet hoc Virgil. Æneid.6.

Ossaq; lecta cado texit Corinæus aheno.

Quin & suorum coniugum, fratrum, filiorum, parentum, si alibi defuncti essent, ossa in patriam reuehebant. Vnde Ouid. in Scythia moriturus, ita de suis ossibus præcipit li.3.Trist.eleg.3.

Ossa tamen facito parua referantur in vrna:
Sic ego non etiam mortuus exul ero.

Ritum huius ossilegij describit Tibullus lib.3. eleg.20. Primò enim, docet lecta fuisse ab amicis & propinquis.

Ergo ego cùm tenuem fuero mutatus in vmbrã, &c.
Mœreat hæc genero, lugeat illa viro.
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa,
Incinctæ nigra candida veste legant.

Hebræi, Græci & Romani cadauera comburebant.

Vbi Secundò docet, collectores ossium fuisse inunctos, id est, soluta fluxaque veste more mulierum; & atratos, hoc est, nigra veste indutos. Insuper priùs manus abluisse, dum ait: *Perfusaq; prius ante liquore manus.* Tertiò, in ossa collecta hic & vinum infudisse, ac deinde in linteo ea ventilasse, vt humor vini infusi exugeretur. Subdit enim:

Et primùm annoso spargant collecta Lyæo:
Mox etiam niueo fundere lacte parent.

(vt aptentur circulo lacteo, ad quem heroum animas post mortem deduci censebant Romani, teste Cicer. in Somn. Scip.)

Posthæc carbaseis humorem tollere ventis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.

Quartò, in ossa immisisse odores & aromata, ac denique lachrymas:

Illic quas mittit diues Panchaia merces,
Eoiq; Arabes, diues & Assyria.
Et nostri memores lachrymæ fundantur eodem.
Sic ego componi versus in ossa velim.

Sextò, matres & cognatæ ossa priùs in sinum colligebant, quàm ea in vrnam inferrent. Docet id Tibullus li. 1. eleg. 3.

Abstineas mors atra precor: non hîc mihi mater,
Quæ legat in mœstis ossa perusta sinus.

Et Seneca Consol. ad Heluiam c. 11. *Modò in eundem sinum ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti.*

Porrò Augusti ossa, ait Sueton. in eius vita cap. 100. legerũt primores equestris ordinis, tunicati & discincti, pedibusq; nudis. Hoc vltimum reverentiæ Augusti datum: nam nudipedes fuisse aliorum ossium collectores, non legimus. Hæc Gentiles Gentilibus, quid iam faciant Christiani Christianorum, imò Sanctorum & Martyrum, ossibus & reliquiis? quo honore ea prosequẽtur?

ET DICET, scilicet propinquus, qui quasi vespillo, siue pollinctor è domo mortuaria sibi cognatorum extulit ossa ad sepulturam: *dicet*, inquam, cùm à sepultura redierit, ET QVI IN PENETRALIBVS, id est, incolæ DOMVS mortuariæ suos defunctos lugenti: NVMQVID ADHVC EST PENES TE, aliquis mortuus, cuius ossa efferam & sepeliam? ET RESPONDEBIT incola domus: FINIS EST] q.d. Omnes mortui elati sunt, nemo restat præter me, qui meam orbitatem & solitudinem lugeo. Vnde Syrus vertit, *& dicet illi: Non est, quoniam perierunt, pro eo quòd recordationem non fecerunt in nomine Domini.*

ET DICET EI: TACE, ET NON RECORDERIS NOMINIS DOMINI] Quæres, quis dicet? an incola domus, an propinquus vespillo? Et cur? Primò, Chald. Dicet, inquit, propinquus, incolæ domus lamentanti suos defunctos, *Tace*, noli flere: defunctus enim tuus iustè à Deo morte punitus est, quia Deum non colebat, Deique nominis oblitus, eum non inuocabat. Sic enim vertit, *remoue* lachrymas & lamenta, *quia dum vita fruebatur* (cognatus tuus defunctus) *non fundebat preces in nomine Domini.* Secundò, S. Hieron. & Varabl. Solebant, inquit, in lamentis & ærumnis, vt in funeribus nominare & inuocare nomen Domini: Israelitæ verò adeò erant idolis addicti, vt nec in funere vellent Deum verum nominare & inuocare. Tertiò, Lyran. Sanchez & Ribera censent esse verba incolæ domus, qui ex impatientia dicat propinquo eum solanti, & vt Dei opem inuocet suadenti: Noli mihi refricare nomen Domini, ipse enim horum funerum & malorum omnium mihi est auctor. Ita ex impatientia delirant impij, cùm, si saperent in tribulatione ad Deum recurrerent, & omne suum refugium in eo collocarent. Imò Gentiles in afflictione suis dijs, quasi eius auctoribus maledicebant, vti etiamnum faciunt Sinæ & Iapones, qui deos suos flagellant. Sic Æneas ob mortuam vxorem Æneid. 2.

Quem non incusauit amens, hominumq; Deumq;?

Sapienter enim Seneca lib. 8. declamat. *Diligentiùs* ait, *dij coluntur irati.* Ita sapuit Iob à Deo tot flagellis exercitus, cùm dixit cap. 13. 3. *Quis mihi tribuat, vt cognoscam & inueniam illum, & veniam vsque ad solium eius?* Quartò, alij censent ex desperatione dici. q. d. Ne mihi nomines Deũ, eumque inuocare suadeas: periimus enim, actum est de nobis; nec ipsa salus si velit, nos seruare possit. Quintò, Ruffinus censet dici ex omine & terrore. Adeò enim malis à Deo inflictis perculsi erãt, vt vel Deum nominare non auderent, formidantes, ne, si vel eum nominarent, nouam ab eo cladem & quasi nouum fulmen exciperent. Vnde Arabicus vertit, *tacete, vt non nominetis in nomine* (nomen) *Domini.* Sextò, Arias & à Castro censent esse verba Amos, qui hoc epiphonemate ærumnas hasce extremas concludat. q. d. Dicet propinquus incolæ domus lugenti suorum funera: Tace, ne fleueris: *Et ne recorderis*, id est, nam tunc recordari non licebit, *nominis Domini.* Tunc enim tanta omnes obruet calamitas & afflictio, vt non lubeat, nec liceat Deum nominare & inuocare. Sic sæpè iusto Dei iudicio accidit peccatoribus, qui vitam in delicijs transigunt, & pœnitentiam in mortem differunt, vt in morte tot curis, doloribus & angoribus opprimantur, vt Dei & salutis suæ obliuiscantur. Omnes penè hi sensus probabiles sunt: secundus tamen, tertius & quartus planiores sunt? Porrò contrariè vertit Pagnin. *nos enim sumus assueti commemorare nomen Domini.* q. d Vespillo solabitur incolam domus, dicendo: Noli flere, sed de more inuoca nomen Domini.

QVIA ECCE DOMINVS MANDAVIT (id est ordinauit, disposuit, decreuit, ac sicut decreuit, sic & exequetur, atque) PERCVTIET DOMVM MAIOREM RVINIS, ET DOMVM MINOREM SCISSIONIBVS] *Tò quia* rectè cohæret cum sensu tertio Lyrani iam dato, Verùm generaliùs referri potest ad omnia præcedentia. q. d. Tantæ clades & stragis imminent tam Sioni, quàm Samariæ, quas à v. 1. hucusque recensui, quia Dominus iustus iniuriarum suarum vindex *percutiet domum maiorẽ*, id est regnum decem tribuum ac Samariam, *ruinis*, id est, pleno interitu & perpetua captiuitate, vt planè corruat & pereat regnum Israel instar testæ casu diffractæ, quæ reparari & redintegrari nequit. *Domum minorem* verò, id est regnum Sionis & Iudæ, *percutiet scissionibus*, id est, rupturas & scissuras ex eo auferet; partem eius scilicet occidendo, partem captiuando: sed has scissuras sarciet & restituet per Esdram & Nehemiam, cùm annuente Cyro captiuos ex Babylone in Iudæam remittet. ita S. Hieron. Chald. Remig. Rupertus, Hugo, Lyranus, Ribera & alij. Vnde Chald. vertit, *& percutiet regnum magnum percussione forti, regnum verò minus plaga remissiori.*

VERS. 12.

Nota.

Nota. Pro *ruinis* Pagnin. & Vatabl. vertunt, *rimis*, vel fissuris, quasi hîc Deus minetur Samariæ terræ motum, quo domus tam magnæ quàm paruæ findendæ, & rimas acturæ sint. Hebr. est רְסִיסִים *resisim*, quod Marinus, Forsterus & à Castro vertunt, *stillis*, vel *distillationibus*, quæ causant rimas & fissuras in domo, iuxta illud Cant. 5. 2. *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei resisim*, id est, distillationibus, & *guttis noctium*. Sensus est, ait à Castro, q. d. Deus per Assyrios percutiet & subuertet omnes domos Samariæ, tam maiores, quæ multis constant habitatoribus, sigillatim illos interimendo; quàm minores, quæ minùs possunt resistere, simul & semel eas confringendo. Verùm primus sensus iam datus, vti cõmunior, ita verior & certior est. Vnde Hebr. *resisim* non tantùm cõplutiones & distillationes, sed & fracturas & cõtritiones validas significat: ita enim vertunt Septuag. Chald. & Noster. Alludit enim רְסִיסִים *resisim* per *samech*, ad רְצִיצִים *retsitsim* per *tsade*, quod propriè fracturas & contritiones significat, omnium Hebræorum consensu. Adde, hîc non agi de vnius Samariæ & decem tribuum, sed & de duarum, id est omnium duodecim, tribuum excidio. Hoc enim significat illa verba v. 15. *Et conteret vos ab introitu Emath vsque ad torrentem deserti*. Hîc enim limes & terminus ponitur non decem, sed duodecim tribuum, adeoque totius terræ promissæ, vti dixi vers. 2. ita S. Hieron. Porrò causam tanti vtriusque gentis excidij subdit, eius scelera, quòd scilicet iniustitiæ, rerumq; naturam & ordinem peruerterit & subuerterit: ideò enim lege talionis mereri, vt & ipsa vtraque subuertatur & intereat. Ait ergo:

VERS. 13. NVMQVID CVRRERE QVEVNT IN PETRIS EQVI, AVT ARARI POTEST IN BVBALIS?] Hebr. est, *num current in petra equi? num arabit* (arator) *in bobus?* scilicet feris & indomitis, putà bubalis, vris, bisontibus: vnde Noster vertit, *in bubalis*. Nam alijs bobus cicuribus & domesticis tam aratur, quàm equis. Porrò bubali olim tempore Amos, præsertim in Iudæa, feri erant & indomiti, vt iugum & aratrum excuterent. Vnde Martial. lib. 1.

Illi cessatrox bubalus atque bison.

Iam verò in Italia videmus eos catenus cicurari, vt subiugales fiant, iugumque currus admittant, & aratris seruiant. Sensus est q. d. Sicut impossibile est, vt in petris currant equi, & arent iugumq; suscipiant bubali indomiti: ita impossibile est vos currere in via mandatorũ Domini, quæ vobis dura & saxea videtur; aut subire iugũ legis Dei: quia vos estis quasi bubali indomiti, iugum omne excutientes. Ita libertas libertate perit. Qui enim renuit seruire Deo, cui seruire regnare est, seruiet suis concupiscentijs, suæque præfractæ voluntati & diabolo, quæ grauissima est seruitus. Quocirca Christus repudiatis Iudæis, iugi Euangelici impatientibus, quasi bubalis, elegit Gentes quasi boues cicures & domitos, dixitque illis: *Tollite iugum meum super vos*: qui proinde vomere Euangelicæ doctrinæ & vitæ terram infidelium proscindentes, fructum regno Dei operati sunt, magnamque animarum messem collegerunt. ita Rupert. qui putat ab Amos hîc prædici Iudæorum, quasi bubalorum, reprobationem; Gentium verò, quasi cicurum, electionem.

Secundò, recentiores passim repetunt τὸ *impetrii*, sicque facilè ad quosuis boues hæc adaptãt hoc modo: *Numquid current in petra equi? numquid arabit arans bobus in petra?* q. d. Vos ô Israelitæ perinde agitis, ac si in rupe quis equum ad cursum, aut bubalum vel bouem ad arandum incitaret, hoc est, agitis omnia ordine inuerso & præpostero. Sicut enim ista naturæ repugnant, ita vos agitis repugnantia naturæ, rationi & Deo: quia iudicium, id est iustitiam, quæ naturæ, Deo & rationi consona, dulcis est, & placet, vertistis in peccati absinthium & amaritudinem, quæ naturæ, Deo & rationi dissona, amara est & execranda ita Pagnin. & Vatabl. Rursum, *sicut non solent equi currere in petra, neque agricolæ arare in petrosis locis, cùm nullus inde fructus sit sperandus; sic ex tam impœnitenti vita vestra, nequaquam felicitas erit speranda*, inquit Clarius. Vnde Syrus vertit, *numquid currunt supra petram equi, aut trahunt in ea aratrum*, vel *vomerem*?

Insuper contra naturam est equi, inquit Palacius, *currere super rupe, & contra naturam bouis est arare super eadem rupe; itidem contra naturam iudicij est, currere, & arare super iniustitia. Si enim velint boues aut equus currere, vel arare super petra, frangent crura, & pectora lacerabunt.* Parœmia hæc ergo tria significat. Primò, Israelitas in sua iniusta & prava vita præposterè laborare; Secundò, inutilem laborem eumq; molestum suscipere, ac rem impossibilem tentare. Sic ait Poëta:

Non profecturis littora bobus aras.

Tertiò, laborem hunc non tantùm fore inutilem eis, sed & noxium ac exitialem. Hic sensus facilis est & planus, ac valdè Hebræo consonat. Simile prouerbium est: *Fronti ocream, tibiæ galeam applicas.*

Huc pertinet expositio Sanchez, qui censet esse amplificationem ab impossibili. Cùm enim quid inexpectatum aut valdè absurdum fieri videmus, dicimus in rerum natura nihil fore iam impossibile factu. quasi dicat, Cùm video quòd Israel Deum dulcissimum amaricarit, & conuerterit in fel & absinthium, quod videbatur impossibile, dico iam naturam rerum inuerti, vt deinceps equi cursuri sint in petris, bubali araturi, quod hactenus credebam esse impossibile. Sic Ouidius videns se proditum ab amico intimo, quod putabat esse impossibile, ait, iam nihil impossibile esse iudicandum. Sic enim canit lib. 1. Trist eleg. 7.

Terra ferat stellas, cælum findetur aratro,
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt,
Parsq; suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia iam fient, fieri quæ posse negabam;
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
Hæc ego vaticinor, quia sum deceptus ab illo,
Laturum misero quem mihi rebar opem.

Et pastor ille videns Nisam nymphamspecioſam nupsisse Mopso stolido, apud Virgil. ecloga 8.

Mopso Nisa datur; quid non speremus amantes?
Iungentur iam gryphes equis, aevoq; sequenti
Cum canibus timidæ venient ad pocula damæ.

Porrò idem pressiùs hæc applicat Israeli, q. d. Non est ô Israelitæ, quòd putetis ciuitates vestras esse inexpugnabiles ab hoste, sicut petræ sunt inarabiles ab equis & bubalis: quia cùm vos sceleribus vestris rerum naturam immutaueritis,

&

& Deum suauissimum in fel conuerteritis; pariter ipse soli locique vestri naturam immutabit, faciétque vt equi hostiles in petris vestris currere, easq; subiugare, ac in ijs bubali arare possint. Hæc expositio videtur concinna & plausibilis.

Tertiò, S. Hieron. quem sequuntur Remig. Albert. & Hugo, censent Israelem ruinis, Iudam scissionibus comparari, quia scissa domus sarciri potest, ruinæ verò debent reædificari, restaurari nequeunt: ruinas Israelis comparari equis, qui nequeunt in petris currere; scissiones Iudæ cõparari bubalis, qui siluestres boues sunt, & tam indomiti, vt iugum ceruicibus non recipiant, & propter feritatem nolint arare. q.d Vos ô Israelitæ stolidiores, duriores & deteriores estis equis & bubalis. *Cùm enim bi naturam suam mutare non possint, vos mutastis naturam Dei, vt dulcem amatam faceretis, & fructum iustitiæ eius in absinthium verteretis, quæ est herba amarissima.* Hæc expositio mutationem naturæ & repugnantiam non in Israelitis eorumque moribus, sed in Deo constituit, quòd scilicet Israelitæ suis sceleribus irritando Dei naturam, quæ est ipsa clementia, eam quasi commutarint in seueritatem & vindictam acerrimam.

Quartò, Ruffinus: Certum est, inquit, quòd nec bubalus iuga portet, nec per saxa equus spõte incedat: vos autem, qui vos & iuga discussisse, & frena rupisse gaudentes, videbamini vobis esse equi in luxuria, in virtute & libertate bubali, rebus probate quòd spebus hausistis, id est, quòd nullis subiaceatis imperijs. Quod cùm vtique in contrarium cadit, atque ad arbitrium hostium, perque itinera asperrima ingredimini; ac graues labores contracta ceruice toleratis, confiteamini necesse, nec equos vos esse, nec bubalos, nec quidquam præsidij ac virium ad opes vestras comparasse. Sensus ergo Ruffini hic est: O Israelitæ iactabatis vos esse liberos, quasi equos salaces & effrænes, qui non in petris, sed in campis quò volunt currunt; & bubalos indomitos, qui iugum aratri excutiunt. At ego iugum captiuitatis per Assyrios vestro collo impositi, cogoque incedere & currere per petras & rupes, quasi mancipia in Babylonem. Ergo non estis equi effrænes, sed frænati; non bubali indomiti, sed domiti & capistrati. Verùm hæc expositio multa subaudit & supplet, quæ in textu non habentur. Quocirca prima & secunda expositio magis planæ sunt & genuinæ.

Quintò, Septuag. hæc omnia de equis, non de bubalis accipiunt. Vertunt enim, *si persequentur in petris equi, si tacebunt ad seminas?* Hebr. enim יחרוש *iacharos*, & arare, vt vertit Noster; & tacere, vt vertũt Septuag. significat. Rursum ipsi pro בבקרים *babbekarim*, id est, in bobus, videntur legisse בנקבים *bannekebim*, id est in feminis, ad feminas: vtrobique enim Hebraicæ literæ sunt similes. Alludunt ad id quod v. 7. verterunt, *auferetur hinnitus equorum ex Ephraim*, pro quo Noster vertit, *auferetur factio lasciuientium*. Porrò versionis Septuag. hunc sensum dat Theodoret. Sicut equi ad equas quas prospexerunt non tacent, sed adhinniunt: sic hostes Assyrij in vos, ô Israelitæ, expeditissimo impetu & clamore, quasi hinnientes ad prædã, irruent & grassabuntur. Tropol. S. Hieron. per equos accipit dæmones,

Cornel. in Proph. Min.

A qui formidant viros, insaniunt in feminas, id est, homines molles & effeminatos. *Quando* inquit, *virilem viderint animum & Dei fortitudine roboratum, non audent accedere, quando verò effeminatam mentem, vnguentis ac delicijs eneruatam, & in muliebrem versam mollitiem, statim insaniunt, & se tenere non possunt, & gestiunt ad libidinem.* Vnde Arabicus vertit, *qui currere nimis faciunt equos in tædio, vt fileant* (quiescant) *à feminis.*

CONVERTISTIS IN AMARITVDINEM IVDICIVM, ET FRVCTVM IVSTITIÆ IN ABSINTHIVM] *Iudicii* & *iustitia* Primò, hîc propriè accipi possunt, q.d. Peruertitis iura & iustitiam in iudicijs, absoluendo diuites nocentes ob munera, & pauperes innocentes condemnando. Hoc enim taxauit c. 4. 1. Secundò, generatim pro eo quod æquum & B iustum est q.d. Pro æquo facitis iniqua, pro iusto iniusta & impia, pro honesto inhonesta, putà pro virtute vitia & scelera.

QVI LÆTAMINI IN NIHILI] Hebr. *in non verbo*, id est, *in non re*, in nihilo, *in* eo quod *non est aliquid*, vt vertit Pagnin. Sed Symmach. ἀλόγως, id est frustra, absque ratione & causa. q.d. Qui exultatis in vestris idolis, quæ sunt res nihili, aut in vanis fluxisque opibus & voluptatibus, ac præsertim in potentia huius sæculi vestroque robore ac viribus, dicentes: VERS. 14.

NVMQVID NON IN FORTITVDINE NOSTRA ASSVMPSIMVS NOBIS CORNVA?] id est vires, animos & robur, quibus remp. tueamur & hostes inuadamus. Ita superbi vires, quas à Deo acceperũt, imò quas non habent, sibi arrogant. Humiliùs & verius Psaltes psal. 43. 6. *In te*, ait, *inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis*, in nos. C Est metaphora à tauris, quorum audacia & robur est in cornibus. Vnde tauro rhinocerotem comparans Martial. in Amphith. sic ait:

Namq; grauem gemino cornu sic extulit vrsum,
lactat vt impositas taurus ad astra pilas.

Sic Horatius ait vinum addere cornua, id est, animos viresque, timido & pauperi. Nam l. 3. ode 21. alloquens amphoram:

Tu, ait, *spem reducis mentibus anxijs*
Viresq;, & addis cornua pauperi.

Sic Plautus ait, *Cornutam bestiam petis*, id est, lacessis animosum & paratum vlcisci. Et Moses Deuter. 33. 17. de Ioseph ait: *Cornua rhinocerotis cornua illius: in illis ventilabit gentes vsque ad terminos terræ.* Porrò quia opes dant animos viresque, suntque quasi cornua diuitum; hinc per *cornua* D aliqui cum Chaldæo hîc intelligunt substantiam & diuitias.

Tropol. peccator lætatur in nihili, id est, in rebus friuolis & euanidis. Hinc peccatum vocatur nihil: Primò, quia ipsum est res nihili, id est vana, & nullius pretij vel momenti. Secundò, quia citò voluptas eius transit & euanescit. Vnde Psaltes psal. 75. 6. *Et nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Tertiò, quia peccatum peccatorem ducit ad nihil, id est, ad interitũ & mortem, tum præsentem, tum æternã. Quartò, peccatum est nihil in genere moris & virtutis, quod est bonum morale: peccatum enim non est bonum, sed malum morale. Quintò, quia peccatum est priuatio boni: priuatio autẽ non est ens positiuum, sed negatiuum, putà nihil. Sextò, quia peccatum priuat Deo, qui est omnia & omniũ opifex, sine *Mor. peccator lætatur in nihili ob septem rationes.*

quo factum est nihil : cùm ergo peccatum & peccator sit sine Deo, sequitur ipsum esse nihil in genere moris. Audi S. Augustin. in Soliloq. c. 3. & 4. *Nihil est mors: nam per ipsam ad nihilum tendimus, dum nos nihil facere per peccatum non formidamus. Et iustè quidem hoc Domine: nam digna factis recipimus, dum ad nihilum deuenimus tamquam aqua decurrens: quia sine te factum est nihil, & nos faciendo nihil, facti sumus nihil: quia sine te sumus nihil, per quem facta sunt omnia. sine quo factum est nihil. Væ mihi misero toties annihilato: quia tu verbum per quod facta sunt omnia, & ego sine te, sine quo factum est nihil.* Et c. 5. *Miser factus sum, & ad nihilum redactus sum, & nescivi: quia tu es veritas, & ego non eram tecum. Ad nihilum duxerunt me iniquitates: quia tu es Verbum per quod facta sunt omnia, sine quo factum est nihil: & ideo sine te factus sum nihil: quia est nihil, quod ad nihilum ducit. Quæcumque per Verbum facta sunt, valdè bona sunt. Quare bona sunt? quia omnia per verbum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: quia nihil bonum sine summo bono est: sed malum est, vbi non est illud bonum, quod vtique nihil est: quia nihil aliud est malum, quàm priuatio boni: sicut nihil aliud est cæcitas, quàm priuatio luminis. Malum ergo nihil est: quia factum non est: sed qualiter malum est, si factum non est? Quia malum priuatio boni est, per quod factum bonum est: esse ergo sine Verbo, malum est: quod esse non est: quia sine ipso nihil est. Separari ergo a Verbo, est esse sine via, sine veritate, sine vita; & ideo sine ipso nihil, & ideo malum quia separatur à Verbo, per quod facta sunt omnia valde bona. Separari autem à Verbo per quod omnia facta sunt, nihil aliud est, quàm deficere, & à facto transire in defectum: quia sine ipso est nihil. Quoties ergo à bono deuiat, à Verbo te separat: quia ipsum est bonum: & ideo nihil efficeris, quia sine Verbo es, sine quo factum est nihil.* Et paulò pòst: *Si ergo nihil sui cùm sine te sit, quasi nihil sis, & velut idolum quod nihil est, quod quidem aures habet, & non audit; nares habet, & non odoratur; oculos habet, & non videt.* Sic Ezechiel de Tyro peccatrice ait c. 26. *Ad nihilum deducta es, & non eris in perpetuum.* Et de eius rege superbo c. 28. 20. *Nihil factus es, & non eris in perpetuum.* Et Apost. Galat. 6. 3 *Si quis*, ait, *existimat se aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.* Septimò propriè & physicè peccatum est nihil, quia adhæret & lætatur in creaturis, ealque opponit & anteponit creatori: creaturæ autem si cum creatore comparentur, sunt vmbræ rerum, non veræ res, ideoque sunt nihil: Dei enim essentia & nomen est, *Ego sum qui sum.* q.d. Ego sum qui solus habeo verum, plenum, solidum, æternũ & immensum esse; creaturæ verò à me participant vmbram tantùm huius veri esse; quia esse ipsarum tam est exile, diminutum, breue, fugax, instabile & caducum, vt si cum meo esse comparentur, potiùs dicendæ sint non esse, quàm esse. Consequenter creaturæ sicut non habent verum esse, sic nec habent verum bonum, sed vmbram tantùm boni: ens enim & bonum conuertuntur: quale ergo & quantum est esse, tale & tantum est bonum, quod intima entis est proprietas. Hinc Christus: *Quid*, inquit, *me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus*, Luc. 18. 19. q.d. Tu censes me esse merum hominem, non Deum: noli ergo me vocare bonum; quia vera bonitas, sicut & vera entitas, non homini, sed soli competit Deo. Hinc & Philosophi docent,

Solus Deus est, creaturæ sunt vmbræ rerum.

A Deum in nullo esse prædicamento: quia prædicamenta sunt series rerum dumtaxat creatarum. Deus ergo hæc omnia transcendens, solus num verumque substantiæ rerumque omnium prædicamentum constituit, cuius respectu nostra prædicamenta, omnesque res eis contentæ sunt tantùm vmbræ, imò nihil. Quod dixi de bono, idem dico de veritate, sapientia, potentia, iustitia, sanctitate, alijsque attributis. Hæc enim in Deo habent verum esse, in creaturis vmbræ essendi dumtaxat. Quocirca Deus in Scriptura vocatur *solus sapiens*, Rom. 16. 17. *solus potens*, 1. Timoth. 6. 15. *solus immortalis*, ibidem v. 16. *solus Dominus*, Isaiæ 37. 20. *solus bonus, solus præstans, solus iustus*, 2. Machab. 1. 24. *solus pius*. Apoc. 15. 4. *solus gloriosus*, 1. Corinth. 1. 17. quia ipse solus habet veram, plenam, increatam & immensam sapien-
B tiam, potentiam, bonitatem, &c. Peccator ergo, quia in creaturis delectatur, non in creatore, hinc delectatur in vmbra, in nihili, non in ente vero: sed quia hæ vmbræ creaturarum in huius vitæ caligine homini cæco magnæ apparent, perinde vt occidente sole magnæ altæque cadunt de montibus vmbræ; hinc vmbras has ipse admiratur & sectatur instar canis Æsopici, qui visa vmbra carnis in aqua, eam inuasit (vpote quæ maior carne apparebat in aqua) itaque carnem amisit, nec vmbram obtinuit. Ea Domine, aspiret dies tuæ claritatis æternæ, & inclinentur vmbræ huius caliginis, vanitatis & mortalitatis. Eia Domine, dispelle tenebras nostras, illumina oculos nostros, vt non vmbras honorum, opum & deliciarum, quæ quasi præstigiæ in terra aciem mentis nostræ præstringunt,
C sed ipsos veros honores, opes & delicias, quas tu cælis diligentibus te abscondisti & præparasti ab æterno, fixo obtutu intueamur, amemus & ambiamus. Amen.

Nota. Peccatum hebr. vocatur אָוֶן *auen*, quod multa significat, scilicet mendacium, vanitatem, iniquitatem, laborem, fatigationem, afflictionem, idolum, nihil & nihilum. Hæc enim omnia in se reuera habet, imò reipsa est peccatum. Rursum אָוֶן *auen* per crasin est אוֹן *on*, id est dolor, primum peccatum in se contrahit paritque omnem dolorem. Insuper אֵין *auen* per crasin est אַיִן vel אֵן, id est, *en* vel *ain*, hoc est *non*, siue negatio entis omnisque boni. Hoc enim est peccatum, vti iam ostendi. *Auen* ergo est *benoni*, hoc est, peccatum est filius, imò & pater doloris.

D GENTEM] Assyrios, qui vastent Samariam; & Chaldæos, qui vastent Ieruſalem, itaque totam Chananæam: huius enim terminus Aquilonaris est Emath, Meridionalis est torrens Ægypti, putà riuus ex Nilo deriuatus de eremo veniens, qui Iudæam diuidit ab Ægypto, & inter Rinocoluram & Pelusium in mare influit. Vnde alibi sæpè vocatur torrens Ægypti, aliquando torrens deserti, aliquando fluuius turbidus, id est Nilus, quia ex eo oritur & profluit, ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, Lyran & Arias. Alij tamen, vt Theodor. Vatabl. à Castro, per gentes solos Assyrios accipiunt: censent enim hîc agi tantùm de Samariæ & decem tribuum excidio, atq; alludi ad robur & potentiam Ieroboã regis Israel, sub quo prophetauit Amos. Hisce enim verbis obterit eius animos & vires, de quibus

quibus dicitur 4. Regum 14.28. *Reliqua autem sermonum Ieroboam, & fortitudo eius qua præliatus est, & quomodo restituit Damascum & Emath Iudæ in Israel, nónne hæc scripta sunt,* &c. Et v.25. *Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath vsque ad mare solitudinis.* Huic præfidentiæ & robori Ieroboam & Israelis opponit se Deus per Amos, dicens totidem verbis, sed antistrophis: Ecce ego adducam Assyrios qui vastent Israel, ab Emath vsque ad mare solitudinis, imò vlteriùs A vsque ad riuum Ægypti, & tunc videbunt quàm infirma fuerit eorum firmitas, quàm inane robur, quàm vana & falsa præfidentia, cùm eorum virtus in debilitatem, gloria in contumeliam, iactantia in gemitus & lamenta transibit. Vtraque sententia ita concilianda est, vt dicamus Prophetam primariò agere contra Samariam & decem tribus, secundariò contra Ierusalem & Iudæos, vti initio capitis ostendi. Quænam sit Emath dixi v.2.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Amos Primò, locustam depascentem terram Israel. Secundò, ignem in illam immitti, sed vtramq; plagam deprecans precibus suis auertit. videt Tertiò, Deum deponere trullam suæ curæ & prouidentiæ, qua incrustare & conseruare solebat murum Israelis, indeq; Israelem ruere in interitum. Rursum v.10. Amasias accusat Amos apud Ieroboam, quasi seditiosum, eiq; suadet vt in Bethel non prophetet; sed redeat in Ierusalem. Cui respondet Amos, se non esse Prophetam, sed armentarium, à Deo tamen iussum prophetare in Bethel: quod cùm impedire velit Amasias, ex Deo intentat illi vxoris stuprum, liberorum necem, expilationem, exilium, totiq; Israeli captiuitatem & excidium.

HÆc ostendit mihi Dominus Deus: B & ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris, & ecce serotinus post tonsionem regis.

2. Et factum est: cùm consummasset comedere herbam terræ, dixi, Domine Deus propitius esto, obsecro: quis suscitabit Iacob, quia paruulus est?

3. Misertus est Dominus super hoc: Non erit, dixit Dominus.

ECCE FICTOR LOCVSTAE] *Fictor*, id est figulus, plastes & formator locustarum: hoc enim significat Hebr. יֹצֵר *iotser*. Alij legerunt alijs pūctis יֵצֶר *ietser*, id est figmentum, plasma. Vnde Chald. vertit, *ecce creatio locustarum*; Septuag. *ecce fœtus locustarum*; Tigurina, *ecce examen locustarum*. q.d. Vidi Deum quasi plastem, fingere & formare ingens examen locustarum, ipsumque examen ab eo iam formatum & productum inuadere terram Israel. Solus Arias vertit, *fingens exactores*.

Porrò Hebr. גֹּבַי *gobe* significat locustas, eò quòd eleuent & exaltent pedes, à rad. גָּבַר *gabar* id est exaltauit: *gobe* ergo, q.d. Gibbosi (&, vt Itali dicunt, *gobi*) cruribus. Iam *gobim* plurale, in regimine habet *gobe*. Est enim hîc quasi regimen genitiui, nimirum, *locustæ in principio*, id est, locustæ principij, hoc est, primi temporis germinantis: tunc enim locustæ teneram herbam & gemen, quo mirè delectantur, depascentes, ingens suis campisque damnum inferunt. Nota. Prophetæ non tantùm per verba, putà per locutionem internam, excipiebant & audiebant oracula Dei, sed subinde etiam videbant ideas, vel species quasdam oculis, aut potiùs imaginationi suæ obiectas, per quas quasi per symbola edocebantur à Deo de futuris rerum euentis. Hæ enim species significabant, & symbolicè repræsentabant res futuras, vel arcanas. Sic Ieremias c.1.11. & 13. vidit virgam vigilantem, & ollam succensam, per quæ significabatur Nabuchodonosor, qui quasi virga percussurus, & quasi olla accensa combusturus erat Hierosolymam. Sic Ezechiel c.1. vidit currum cherubicum, quasi solium gloriosum iudicis & vindicis Dei. Sic Isaias c.7.20. vidit nouaculam acutam, quæ repræsentabat Assyrios, qui quasi nouacula rasuri erant terram Israel. Pari modo Amos hîc vidit fictorem quemdam & plasten, qui agmina locustarum fingeret & formaret, vti figulus fingit vasa vel animalia ex luto. Iā fictor hic est Deus, qui omnium animalium rerumque est creator & plasmator: hoc enim significat Hebr. יֹצֵר *iotser*. Hic ergo examina locustarum, id est innumeros milites Assyrios, producit, & per turmas educit, vt terram decem tribuum depascantur & deuastent. Locusta enim habet speciem militis armati, volentis insilire in hostem. Similes locustas vidit Ioël c.1.4. & 5. Iohānes Apoc. c.9.1. & 2. vbi multa de ijs dixi, quæ proinde hîc non repetam. Porrò Lyran. Clarius, Vatabl. & Arias, locustas hîc propriè accipiunt, quasi Deus famem & sterilitatem, ex frumenti corrosione futura à locustis, minetur Israeli. hoc non est improbabile: sub his tamen potiùs symbolicè intelligit Assyrios, qui populum corroserunt, id est occiderunt, vel captiuarunt. Vnde Propheta eius clade ingemiscens, ait v.2. *Domine Deus propitius esto, obsecro: quis suscitabit Iacob, quia paruulus est?* id est, ad paucitatem redactus. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Haymo, Dion. & alij passim.

Moral. Nota *fictor*, significare Deum artem & curam suam intendere in locustis efformandis, sicut figulus omnem cogitationem & industriam adhibet in excogitando & effingēdo vase figlino. In hisce enim animalculis elucet ars & potentia diuina, *nec in vllo magis quàm in his tota natura est*, ait Plinius l.11.c.2. Nimirum locusta, apis, musca, &c. si naturam, organa, membra que omnia spectes, magnum mirumque est Dei opus

Moral. Deus fingit pœnam commēsam culpæ.

& artificium: sin vsum consideres, multo est maius. Nam Deus quasi mirus artifex, locustas & muscas ita fingit & format, vt per eas domet tyrannos & reges potentissimos (vti Pharaonem) ac grauissima eis inferat supplicia. Hoc est quod ait per Ieremiam c.18.11. *Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem: fingo*, id est, excogito & formo ita appositè, vt malum & pœna ad amussim culpæ vestræ respondeat, eāque suo modo & modulo adæquet: sicut iudex excogitat supplicium sceleri latronis congruum & commensum. vide Tertull. lib.2. contra Marc. c.24. Sciant ergo coloni, sciant ciues, cùm grando vuas percutit, cùm aurugo segetes afflat, cùm tonitru & fulmen agros siderant, cùm locustæ, crucæ, bruchi, &c. sata depascuntur, ea à Deo immitti: Deus enim horum omnium est factor & fictor. Quocirca ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum eius, vt ad eius nutum feriant peccatores. Itaque procellis hisce & creaturis non indignentur mortales, vti faciunt stolidi canes, qui lapidem quo appetiti sunt insectantur & mordent, non hominem iacientem: sed ad creatorem & vindicem, qui eas fingit & format, oculos conuertāt: ab eo veniam & indulgentiam scelerum humili confessione efflagitent. Qui enim ipsi obstrepit & obmurmurat, maiorem in se eius iram prouocat. *Nam cùm culpa sua feriri se denegat, quid aliud quàm iustitiam ferientis accusat?* ait S.Gregor. libr 32. Moral. c.5. Cogitet ergo illud S.Pauli Rom.9.20. *Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me fecisti sic?*

IN PRINCIPIO GERMINANTIVM SEROTINI IMBRIS] Id est, in principio veris, cùm omnia germinare solent per imbrem serotinum, id est vernum. Hebr. est, *in principio cùm ascenderet serotinus*, scilicet imber vernus, qui prima educit & crescere facit germina. Matutinus enim imber Hebræis est, qui manè, id est tempore sementis, depluit in Octobri, vt semina riget, soluat & radicet in terra. Serotinus est, qui serò, id est, tempore aristarum & messis, depluit in vere, vt aristas granis impleat, fœcundet & maturet. Aut potiùs, hunc serotinum explicat, dum subdit: *Et ecce serotinus post tonsionem regis*. q.d. Serotinum imbrem intelligo eum, qui postquam prima herba & gramina luxuriantia detonsa essent pro fœno, ad alendos equos regios, depluit, facitque vt detonsa herba repullularet & recresceret, ac in culmos spicasque euaderet. Sensus est, q.d. Deus has locustas, id est Assyrios, finxit & emisit in terram Israel tempore verno, id est, illo quo res Israeliticæ à cladibus respirare, vernare, prosperari, & in segetem ingentem crescere incipiebant, adeò vt Israelitæ regi Assyriorum monarchæ tam potenti rebellare auderent, ita S Hieron. Pro *serotinus* hebr. est לֶקֶשׁ *lekesc*, quod proprie significat imbrem serotinum: huic enim significat מַלְקוֹשׁ *malcosc*, vti omnes Hebræi fatentur, quod ab eadem radice descendit, imò idem est cum *lekesc*. Pagnin. tamen *lekesc* vertit, *herba serotina*; Tigurina, *herba renascens & repullulans*: per quam Vatabl. accipit fœnum autumnale, siue *cordum*, putà herbam quæ in pratis, postquam illa falce demessa sunt, succrescere solet, estque apprime commoda ouibus; sicut vice versa fœnum vernum commodum est equis. q.d. Locusta hæc inuolauit in fœnum autumnale quo pasci solent oues, illudque depasta magnam famem & cladem intulit ouibus. Alij, vt Clarius, melius per herbam serotinam accipiunt non autumnalem, sed vernam, eam nimirum, quæ post primam graminis luxuriem & copiam resecta ad alimentum equorum regiorum mox repullulauit, ac in spicas & culmos succreuit: & sic hæc versio cum nostra in idem redit. Sensus enim est q.d. Deus finxit locustas in principio germinationis, quæ post demessionem in pabulum equorum regiorum factam, rorem imbre serotino repullulauit in culmos; at tunc illam inuadens locusta radicitus depasta est.

Allegor. S.Cyrill. in Zachar.c.10. & S.Hieron. in Iob 28. pluuia matutina fuit lex vetus data per Mosen, qua semina iacta per patres legis naturæ germinabant: serotina verò est lex nouo data per Christum, qua semina legis veteris germinantia maturuerunt, & ad perfectionem perducta sunt.

ET ECCE SEROTINVS POST TONSIONEM REGIS Ita legendum cum Romanis, non, *post tonsorem gregis*, vti legunt nonnulli: sicque explicant ea. Locustæ hæ de more eo tempore enatæ sunt, quæ depluente imbre serotino segetes (quas depascuntur) succreuerunt, & quo pariter tonderibant oues, scilicet sub æquinoctium vernum, *quo oues neque frigus, si lanam detraxeris; nequitiam, si nondum detonderis, sentiant*, ait Columella lib.7.c.4. Verùm legendum est, *post tonsionem regis*, non *gregis*. Hoc enim significat Hebræum אַחַר גִּזֵּי הַמֶּלֶךְ *achar ghizzi hammelech*. Secundum Septuag. pro ר legentes affine ג, scilicet pro גִּזֵּי *ghizzi* גּוֹג *gog*, vertunt, *& ecce bruchus vnus Gog rex*, vel, vt Complut. *in Gog regem*. nam pro אַחַר *achar*, id est *post*, legerunt אֶחָד *achad*, id est *vnus*, atque *lekesc*, quod priùs verterant *serotinus*, ac Noster & alij, hìc vertunt *bruchus*: fortè pro *lekesc* legerunt לֶקֶק *lekec*, id est ligurio, qui omnia lambit & lingit, qualis est bruchus. Videtur ergo Septuag. bruchi innumerabilem multitudinem, Gog genti sæuissimæ comparasse, quæ terram Iudææ vastatura describitur, ait S.Hieron. Septuag. sequitur Arabicus Antioch. qui vertit *ostendit mihi Dominus, & (quòd) ipse veniens ostendit pullis* (paruulis) *locustæ, aduenientes, currens. Et hæc quæ tuit in terram Og regis Basan, ad comedendam herbam eius*. Et viciniùs Arabicus Alexandr. *locusta congregata est, & efferuet* (ebullit) *de valle prima in principio hiemis, & ignis venit in fine æstatis: ipse est Gog rex*. Tertiò, Aquila pro *ghizzi* per ram legens עֲזָה *aza*, id est *Gaza*, vertit, *ecce serotinus post Gazæ regem*. Quartò, S.Hieron. in hunc ment. vertit, *ecce post serotinum tonsor* (siue tonsura) *regis*, sicque explicat: *Ostendit*, inquit, *Dominus Sennacherib regem Assyriorum cum infinita exercitus multitudine, instar locustæ vniuersa tondere esse venturum in principio imbris serotini, quando cuncta virent, & cunctarum rerum abundantia pollicentur. Has autem locustas, quæ primo vere vastabant, bruchus innumerabilis sequebatur, qui vocabat post imbrem serotinum, & appellabatur tonsor vel tonsura regis, eò quòd vniuersa vastauerit.* Et *tonsorem* Isaias cap.7.20. *acutam nouaculam vo-*

& statim explicat vocatq, regem Assyriorum: nouacula igitur & tonsor regis, exercitus Chaldæorum est, qui in modum bruchi vniuersa populatus est. Locusta ergo est Sennacherib cum suis agminibus: post quem sequitur bruchus, id est, Nabuchodonosor cum suis, qui relicta à Sennacherib vastant. ita & Theodor. Remigius, Haymo, Albert. & Hugo. Aliter Rupert. & Ribera: Locusta, aiūt, est Salmanasar, qui decem tribus vastauit: bruchus est Sennacherib, qui duas tribus afflixit; sed orante Ezechia rege, per angelum cæsa sunt eius castra.

Verùm hæc omnia proprie ad decem, non ad duas tribus spectare, colligitur Primò, ex eo, quòd in Bethel, quæ erat decem tribuum, prophetabat Amos. Vnde v. 13. ab Amasia inde iubetur egredi, & pergere ad duas tribus. Secundò, quia v. 9. in tertia plaga comminatur regi Ieroboam & Israeli excidium: ergo prima vel secunda plaga nequeunt referri ad Sennacherib, qui duas tribus post excidium Ieroboam & Israelis afflixit. Tertiò, quia duas priores hasce plagas à se intentatas Deus placatus precibus Amos suspendit & remisit. Constat autem cladem à Salmanasar & Nabuchodonosor ipsa Iudæis fuisse inflictam, non autem suspensam, eamque fuisse integram & extremam. nam Salmanasar decem tribus, Nabuchodonosor duas euertit & abduxit. Denique in Hebr. & Latinis codicibus non habetur: *Et ecce post serotinum tonsor regis*, vt legit S. Hieron. sed vice versa *ro* post transponitur, dicturque: *Et ecce serotinum post tonsionem regis.* Quæ verba sensum S. Hieron. non admittunt, sed elidunt: significant enim serotinum imbrem non ante, sed post detonsam & demessam à ministris regis, pro eius equis herbam, eam fecisse repullulare, actum in eam inuolasse locustam, vt eam depasceret, eo sensu quem iam subiungo.

Dico ergo, hæc tantùm ad decem tribus spectare: illarum enim tres clades ab Assyrijs inflictas, sibi ordine succedentes, totidem visionibus præuidit ac prædicit hîc Propheta. Vnde ter repetit: *Hæc ostendit mihi Dominus.* Prima, quam hîc describit, inflicta fuit à Phul, qui primus è regibus Assyriorum Israelem inuasit. Huic ergo singulæ huius prophetiæ & visionis partes exæquo respondent. Propheta eas concisè enarrat, aut potiùs conuoluit. Accipe eas explicatas & adaptatas. Vidit Amos Primò herbam primò germinantem & luxuriantem: illa significabat res Israelis efflorescentes. Secundò, vidit eam tonderi & demeti à rege: hic est Benadad rex Syriæ, qui valdè afflixit Israelem, eiusque opes totondit & demessuit. Tertiò, *vidit serotinum post tonsionem regis*, hoc est, vidit herbam à rege Benadad demessam, per imbrem serotinum, id est subsequentem, repullulare & reflorescere. Id factum tempore Amos, per Ieroboam filium Ioas regem Israel, qui suo robore & armis res Israelis afflictas restituit, vt patet 4. Regum 14. 25. Inde Quartò, vidit Amos in herbam repullulantem inuolare locustas à Deo formatas, eamque depasci. Id factum per Phul regem Assyriorum, qui regnum Israelis restauratum & restitutum à Ieroboam, inuasit magno exercitu, regnante in Israele Manahem, sub finem regni Oziæ regis Iuda. Quintò, Amos præuidens hanc

A locustarum id est Assyriorum, irruptionem, precatur Deum, vt cladem hanc ab Israele auertat: precatur & impetrat. *Misertus enim Dominus super hoc, dixit: Non erit.* Id ita contigisse patet: nam Manahem ex tributo quinquaginta siclorū singulis capitibus indicto, dedit Phul mille talenta argenti, quibus acceptis Phul *reuersus est, nec moratus in terra*, vt dicitur 4. Reg. 15. 20. ita à Castro quoad rem, licèt in modo non tam explicatè, nec tam adæquatè.

Et factvm est cvm consvmmasset (locusta) comedere herbam terrae. *Cùm consummasset*, id est, cœpisset consummare: significatur enim actus inchoatus, non perfectus. Sic dicitur Lucæ c. 2. 21. *Postquam consummati* (id est, cœpti sunt consummari) *dies octo*, id est die octauo. Vers. 2.

B Sensus est, q. d. Cùm in visione v. dissem locustarum agmen incipere depascere terram Israel, adeò vt videretur eam omnino depasturum, & intellexissem à Deo per hoc significari, quòd exercitus Phul & Assyriorum planè expilaturus & vastaturus esset terram Israel, dixi ego Amos, tantam Israelis vastitatem futuram præuidens, & ingemiscens: Domine Devs propitivs esto, obsecro, miserere Israelis tui ita affligendi, & atterendi, eiusque expilationem & stragem tantam auerte. Causam subdit: qvis svscitabit Iacob, qvia parvvlvs est?]*paruulus*, scilicet Primò, numero, id est paucus; Secundò, robore, quia infirmus & inualidus; Tertiò, opibus, quia pauper & miser. Sensus est: Quis eriget Iacob, id est Israelem, si permittas Phul eum atterere, exhaurire & accidere? q. d. Nisi auertas, ô Domine hasce strages Phul, populus Israel ab eo ita accidetur & minuetur, ita fiet paruulus, id est paucus, & modicus, vt instaurari nequeat, sed intereat & pereat. ita S. Hieron. Dicit, *paruulus est*, non quòd iam esset: nam iam Israel per vires & arma Ieroboam recreuerat; sed *est* ponitur pro *erit*. Dicit tamen *est*, quia in symbolo locustarum terram depascentium, iam eum paruulum, id est, certò expilandum & atterendum videbat Amos.

C Misertvs Dominvs, dixit: Non erit] hæc plaga locustarum quam vidisti. q. d. Ego exoratus tuis & aliorum Prophetarum precibus, plagam hanc à me comminatam reuoco, faciamque vt non veniat locusta, id est Phul, qui vastet terram Israel. Ita contigit: quia vastationem imminentem auertit & redemit Manahem rex Israel, dando Phul mille talenta argenti, vti superiùs dixi. Hîc verum est istud Themistoclis apud Plutarch. in Apophtheg. *Periissemus pueri, nisi periissemus.* Perditus enim ad Deum confugiens, ab eo salutem & omne bonum impetrat; vti impetrauit Themistocles exul & profugus à Xerxe rege Persarum, nuper hoste suo, cùm eius opem implorans, ab eo magnis donis ornatus & ditatus est. Ita hîc perditio Israelis præuisa à Propheta mouit eum ad ardentes preces, quibus illi veniam opemque ac dona Dei conciliauit. Vers. 3.

D 4. Hæc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus: & deuorauit abyssum multam, & comedit simul partem.

5. Et dixi: Domine Deus quiesce, obsecro: quis suscitabit Iacob, quia paruulus est?

6. Misertus est Dominus super hoc. Sed & istud non erit, dixit Dominus Deus.

VERS. 4. HAEC OSTENDIT MIHI DOMINVS. Hæc est secunda ostensio Dei, & visio Prophetæ, qua vidit Deum iudicem mittere ignem in terram Israel, qui priùs abyssum, id est, molem magnam aquarum, absumpsit; deinde partem terræ selectam; ac pari modo reliqua omnia combussisset, nisi Amos precibus suis iram ignemque Dei stitisset & repressisset. Hoc est enim quod ait: ET ECCE VOCABAT IVDICIVM AD IGNEM DOMINVS] Arabicus, *vocauit in iustitia ignem*; Syrus, *vocauit ad iudicandum in igne*, per ignem. sic & Septuag. Est prosopopœia. tribuit enim Deus hîc iudicio personam quasi iudicis, aut lictoris. quasi dicat, Deus iudicium, id est, sententiam suæ condemnationis & vltionis quasi iustum vindicem mittet ad ignem, quasi ad tormentum, vt scilicet ignem excitet, eoque consumat terram Israel; & deuoret *abyssum multam*; Tigurina, *abyssum profundam*; Pagnin. *voraginem magnam*, id est populi, domorum & opum immensitatem; *& partem*, id est portionem selectam & hereditariam vnde & Chald. vertit, *hereditatem*. q. d. Deus sæpiùs varijs supplicijs corripuit Israelitas, at cùm vidit illos non resipiscere, decreuit tandem rem ad ignem reducere, & obduratos concremare. ita Emmanuel, Mariana & alij.

Secundò, Heb. לָרִיב *larib*, sic verti potest cum Tigurina & Aria, *& ecce vocans ad litem*, vel *ad iurgium in igne Dominus*. q. d. Deus iuridicè citauit, & in ius ad suum tribunal vocauit terram Israel, prouocans ad ignem; atque illi litem intendit, vt ageret eam ream ignis, & ad incendium damnaret. Tertiò, Vatabl. vertit, *& ecce vocabat Dominus ad litigandum cum igne*, q. d. Vocabat Dominus ad sese angelos ministros iustitiæ suæ, vt iudicio suo damnatos plecterent igne, hoc est incendio magno abyssum multam, id est, multam terræ regionem, & partem, scilicet regiorum pratorum, absumerent.

Quæres, quodnam fuit hoc iudicium ignis? Resp. Lyran. & Vatab. Deum immisisse in terram Israel ignem propriè dictum, aut, vt alij, ingentem solis ardorem, qui abyssum, id est mare Galilææ, siccaret, ac magnam frugum fructuumque partem torreret & perderet. Tale fuit incêdium quod sub Phaëthonte rege contigit tẽpore Mosis, vti notat Euseb. in Chron. de quo multa fingunt & fabulantur Poëtæ.

Incendium Phaëthontis quod.

Audi Ciceronem libr. 2. Officior. *Phaëthonti*, inquit, *filio Sol facturum se esse dixit quicquid optasset. optauit vt in currum patrij tolleretur: sublatus est, atque ut antequam constitit, ictu fulminis deflagrauit. Quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse seruatum?* Hinc dictus est Phaëthon ἀπὸ τοῦ φάους, id est à luce, & αἴθω, id est vro, ait Seruius in illud Æneid. 5.

Auroram Phaëthontis equi iam luce vehebant.

Et Ouid. 2. Metamorph. fusè fabulam enarrans ait:

Tunc verò Phaëthon cunctis è partibus orbem
Aspicit accensum, nec tantos sustinet æstus:
Et mox arbitrio volucrum raptatur equorum,
Sanguine tum credunt in corpora summa vocari
Aethiopum populos nigrum traxisse colorem.
Tum facta est Libye raptis humoribus æstu
Arida.
Arsit & Euphrates, Babylonius arsit Orontes.
Aestuat Alphæus, ripæ Sperchiades ardent:
Quodq; suo Tagus amne vehit, fluit ignibus auru.

Et inferiùs Iouem fulmine afflantem Phaëthontem ita pingit:

Intonat, & dextra libratum fulmen ab aure
Misit in aurigam, pariterq; animaq; rotisq;
Exuit, & sæuis compescuit ignibus ignes.
At Phaëthon rutilos flamma populante capillos
Voluitur in præceps, longoq; per aëra tractu
Fertur.

Hoc est quod pater ei prædixerat;

Phaëthon pœnam pro munere poscis.

Secundò. Arias per *ignem* accipit pestem, qui ait Deum immisisse Israeli, quæ abyssum, id est magnam populi multitudinem, & partem optimatum & principum absumpserit.

Tertiò, S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo & Liberа, censent post cladem decem tribuum prima visione Amos præsignificatam, hac secunda eius visione præsignificari cladem duarum tribuum, & excidium ac incendium Hierosolymæ infligendum à Nabuchodonosor & Chaldæis. nam c. præcedenti v. 1. & 12. significauit Amos, se non tantùm contra Samariam & decem tribus, sed etiam contra Sionem & duas tribus prophetare. Hæ enim deuorarunt abyssum, id est, ingentem populi multitudinem & opum, quæ erat Hierosolymæ (ipsa enim erat quasi abyssus & oceanus hominum) ac partem, id est templum: hoc enim erat pars & hereditas Dei, æquè ac vrbis sanctæ. Sed huic expositioni obstat Primò, quòd hoc capite directè contra decem tribus, non contra duas vaticinetur Amos, vti ostendi v. 1. Secundò, quòd Amos orauit hanc cladem precibus suis auerterit: constat autem eum non auertisse excidium Hierosolymæ. Hoc enim de facto contigit, vrbique rempublicam inflictum est. Dices, Amos suis precibus impetrauit, vt hoc excidium sarciretur, scilicet vt Iudæi post 70. annos Babylone redeuntes restaurarent Ierusalem. Resp. id non sufficit. Nam Deus flexus precibus Amos, dixit: *Sed & istud non erit*; quæ verba significant plagæ non restaurationem, sed omnimodam cessationem & reuocationem. q. d. Plaga hæc à me comminata non eueniet, retinebo eam, ignem quem comminatus sum, non immittam.

Quartò ergo & genuinè, iudicium hoc ignis in Israelem exercuit Deus per Theglatphalasar regem Assyriorum, qui post Phul quasi ignis ingenti ardore & ferocia inuasit Israelitas, atque abyssum multam, id est innumeram turbam populi, putà tribus Ruben, & Gad, ac dimidiam tribum Manasse humiliore loco trans Iordanem, quasi in abysso sitas, insuper partem illam ignem Israelis cis Iordanem positam, putà tribus Nephthalim, Aser & Zabulon, abduxit in Assyrios, 4. Reg. 15. 29. qui reliquas omnes pariter abduxisset, ac Samariam cum regno Israel euertisset, ni Deus flexus precibus Amos eius ardo-

rem

rem inhibuisset, ac reliquias Israelis conseruasset. ita à Castro.

Mysticè, Christus iudex vocabit iudicium ad ignem, id est, ignem ad iudicium, per hypallagen, vt ignis quasi lictor ipsi in die iudicij assistat, & damnatos ab ipso comprehendat, & conuoluat in tartara. iuxta illud psalm. 96. 3. *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Et psalm. 49. 3. *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.*

Audi S. Gregor. 33. Moral. c. 6. *Iudicium*, ait, *ad ignem vocatur, cùm iustitiæ sententia ad pœnam iam æternæ concremationis ostenditur. Et multam abyssum diuerat, quia iniquas atque incomprehensibiles hominum mentes concremat, quæ nunc se hominibus etiam sub signorum miraculis occultant. Pars autem domus Domini comeditur, quia illos quoque gehenna deuorat, qui nunc quasi in sanctis actibus de electorum numero se esse gloriantur.*

7. Hæc ostendit mihi Dominus: & ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij.

8. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides Amos? Et dixi: Trullam cæmentarij. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel: non adijciam vltrà superinducere eum.

9. Et demolientur excelsa idoli, & sanctificationes Israel desolabuntur: & consurgam super domum Ieroboam in gladio.

HAC OSTENDIT MIHI DOMINVS] Est hæc tertia huius capitis visio, qua Propheta videt Deum quasi cæmentarium stare cum trulla in manu, qua murum Israelis oblinere & incrustare solebat, pertæsum iam scelerum Israelis, deponere trullam, vt significet se curam & tutelam Israelis, qua eum suis legibus, fide & cultu quasi muris, quos sua ope & defensione quasi trulla & calce oblinere & roborare solebat, ob eiusdem idololatriam & crimina deponere & abijcere; itaque eum resignare, & tradere Assyrijs, qui eum ferro flammaque vastent. ita S. Hieron. Remig. Haymo, Hugo. Lyran. Ribera, Fernandius in vision. cap. & alij. Vbi Nota, maximæ Dei iræ pœnæque signum esse, cùm ipse à republ. vel ab anima cuique abit, eam deserit & derelinquit: hoc enim ipso tradit eam hostibus, vtpote quibus illa sine Dei auxilio resistere nequit.

SVPER MVRVM LITVM] ideoque pulchrum aspectu, & firmum robore. Hinc & Aquila, ait S. Hieron. vertit ἀλείφατον, id est stagnaturam, vel inunctionem, aut illituram, qua murus stagnatur, id est inungitur, illinitur, incrustatur à cæmentario per trullam. Theodotion vertit, τηκόμενον, id est tabescentem. Hinc & Rupertus putat, Amos hîc prædicere excidium Hierosolymæ per Titum & Romanos. Verùm obstat quod sequitur: *Et demolientur excelsa idoli.* Tempore enim Titi Iudæi non coluerunt idola. Agit ergo Amos de excidio Samariæ, post quinquaginta circiter annos futuro sub Hosee, anno sexto Ezechiæ regis Iuda.

Nota. Murus litus est qui calce illinitur & incrustatur, non tantùm vt sit elegantior, sed etiam, idque magis, vt perseueret firmior contra nimbos & procellas. Muri enim malè illiti procellis quassantur, finduntur, & tandem in ruinam eunt, iuxta illud Ezech. 13. 11. *Dic ad eos qui liniunt absque temperatura, quòd casurus sit: erit enim imber inundans.* Trulla est instrumentum quo fabri lapides in fabrica componunt, ac calcem è vase hauriunt, & muro inijciunt illinuntque. Murus ergo illitus trulla Dei, significat Israelem dum à Deo oblinebatur & incrustabatur, id est tegebatur, roborabatur & protegebatur, stetisse integrum & inuictum contra omnes hostium insultus. Porrò trulla in manu Dei stantis super, id est iuxta, prope (sic enim dicitur Lucæ 4. 38. *Stans super*, id est iuxta, *illam, imperauit febri*) murum, significat peruigilem iugemque Dei in tuendo Israele curam ac prouidentiam. Sicut enim cæmentarius cum trulla astat parieti, ex quo pluuia calcem deiecit, vt damna ruinasque omnes impacti trulla farciat: ita pariter Israeli ab olim hucusque astitit Deus; sed iam offensus, & quasi desperans de restauratione tam ruinosi muri, id est Israelis, ponit abijcitque trullam suæ curæ & protectionis, finitque eum ruere in interitum. Vnde ait: *Non adijciam vltrà superinducere*, superlinere trulla & incrustare. Heb. *non adijciam vt pertranseam eum*, scilicet eum oblinendo, farciendo & roborando. q.d. Non pertransibo illum impunè, sed puniam & occidam eum. Sic enim ait c. 8. 5. *Non adijciam vltrà vt pertranseam eum.* Deus enim sua clementia, condonatione & gratia, quasi calce oblinit tegitque; peccata, iuxta illud psal. 31. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata:* hebr. *Beati dimissi prævaricatione, & tecti*, vel *operti peccato.* Cùm verò Deus calcem & trullam ponit, finit peccata cum peccatoribus quasi aperta & hiantia, vt pateant pluuiæ & nimbis, id est, diuinæ vindictæ ac hostibus, à quibus deijciuntur & aguntur in ruinam. Ita hîc Deus ponens trullam Israelis, hoc ipso eum tradidit Assyrijs. Significatur ergo hac depositione trullæ, vltima Israelis derelictio & strages; ac extremum excidium illi infligendum à Salmanasar anno 6. Ezechiæ regis Iuda. Vnde symbolicè Clarius, per trullam & calcem accipit flagella & clades Israeli impactas à Deo, vt resipisceret, & rectus in fide cultuque Dei consisteret. Has iam deponit Deus, quia eum obduratum & impœnitentem statuit omnino deserere, & hostili ferro ignique tradere & resignare.

Secundò, pro *trulla* hebr. est אֲנָךְ *anac*, quod hîc tantùm reperitur. Rabbini & hebraizantes moderni vertunt, *perpendiculum plumbeum*, vel stanneum, aut *normam* & *amussim*, ad quam fabri ædificare solent, vt recta, æqualis & commensa sit fabrica & muri. ita R. Dauid. Lyran. Pagnin. Arias, Vatabl. vnde vertunt, *ecce Dominus stans super murum perpendiculi, & in manu eius perpendiculum*; vel, vt Tigurina, *ecce Dominus constitit super murum ad normam extructum, & habebat normam in manu sua.* Quod eodem sensu, quem iam de trulla dedi, accipi potest. q. d. Dominus ponit, id est deponit, perpendiculum, ad quod ædificare & restaurare solebat murum Israelis, hoc est, Dominus deponit reip. & regni Israelis curam, finitque illud ruere. Alij tamen, vt Vatabl. & Arias, per perpendiculum accipiunt Dei iudi-

cium, & iustæ vindictæ mensuram. quasi dicat, Deus pro circulo & curuatura suæ misericordiæ, applicuit Israeli perpendiculum suæ iustitiæ, vt cum ex æquo pro sceleribus puniat, vt deinceps non misericorditer ei parcat, sed iustè eum plectat. vnde Chald. vertit, *ecce Dominus consistit super murum iudicij, & coram illo erat iudicium. Et dixit Dominus: Quid tu vides Amos? & respondi, iudicium. Dixit ergo Dominus ad me: Ecce ego iudicium exercebo in medio populi mei Israel, non addam vltrà vt dimittam eis.*

Tertiò, Symmach. Syrus & Septuag. pro *trulla* hebr. *anach*, vertunt, *adamantem*. Aiunt enim, *& stabat super murum adamantinum, & in manu eius adamas. Et dixit Dominus ad me: Ecce ego pono adamantem in medio populi mei Israel.* Hebr. enim *anach* nonnulli deducunt à radice נָכָה *nacha*, id est percussit, vt *anach* sit idem quòd *percussor*, qui scilicet alia omnia percutit & confringit, ac à nullo alio percutitur & confringitur, qualis est adamas. Hinc adamas symbolum est duri iudicij, ac rigidæ, irreuocabilis & ineuitabilis vindictæ, æquè ac perpendiculum, de quo iam dixi. Idem significat sartago ferrea, quam vidit Ezechiel c. 4. 3. scilicet firmum Dei decretum euertendi Ierusalem. Hoc enim opponit hîc Israeli in sceleribus suis obfirmato & obdurato. Vnde Arabicus Alexandrinus vertit, *ostendit quasi hominem stantem super arcem de lapide adamantino, & in manu eius lapis ex eo: & ego proijcio hunc lapidem in medio populi mei Israel, & non addam requirere eũ, & peribit subsannatio.* Quare mirum est Arabicum Antiochenum pro adamante vertere *legem*, sensumque dare contrarium. Sic enim vertit, *& ecce ipse murus stans super respicientes. Et dixit mihi Dominus: Quid est hoc quod vidisti? Et dixi: Est lex. Et dixit Dominus mihi: Ecce ego confirmo legem in medio populi Israel, & non adijciam declinare ab eo.*

Adamas symb. est Dei decretum rigidum.

Sensus ergo est q. d. Etiãsi animus, æquè ac murus Israelis & Samariæ, sit durissimus & adamãtinus, ego tamen vt adamas longè durior & fortior, eum confringã & conteram. Significat ergo adamas, cuilibet potentiæ etiã adamantinæ oppositã Dei omnipotentiam & vindictam quouis adamante fortiorem, iuxta illud Zachar. 7. 12. *Et cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirẽt legem & verba, &c. & facta est indignatio magna à Domino exercituum, &c. Et dispersi eos per omnia regna quæ nesciunt, & terra desolata est.* ita Fernandez in Vision. c. 33. Simili modo Ezechiel c. 3. 7. cùm audisset à Deo: *Domus Israel attrita frõte & duro corde est*, audit illicò: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum: vt adamantem & vt silicem dedi faciem tuam.* Malo enim nodo malus quærendus est cuneus, & mens ac facies adamantino malleo contundenda est. ita Theodor. Rursum, adamas significat rigidos, & ad misericordiã inflexiles sæuosque Assyrios: hos enim imposuit Deus Israeli quasi malleos adamantinos, vt eum contunderent. Sic Ouidius l. 4. Metamorph. dicit inferni aditus clausos esse adamante, vel, vt Virgil. 6. Æneid. columnis adamantinis: & Statius l. 7. regias Martis fores obserat adamante: ac Horatius Marti dat loricam adamantinã, id est, inuictam & omnia vincentem. Vide quæ de adamante dixi Ezech. 3. 9.

Audi & S. Hieron. hîc ex Xenocrate: *Adamas* ait, *sui nominis lapis est, quem nos indomitum possumus appellare. eò quòd* Primò, *nulli cedat materiæ. ferro quidem. Nam si ponatur super incudem, & grauissimi ictu feriatur mallei, antea incus & malleus vulnus accipiunt, quàm adamas conteratur.* Secundò, *Cui igni omnia domet, & vniuersa metalla cõsumat, vidit adamãtem duriorem, vt ne paruulum quidem angulum vis nimij ardoris obtundat.* Tertiò, *Vidi quo auro adamantem magnitudine milij, cumq; vicinus consumatur aurum longo vsu ac nimia vetustate, ipse adamas nõ atteritur.* Quartò, *Nulla lima inuenit potest, sed è contrario limam terit, & quidquid atterit lineis sulcat.* Quintò, *Hic lapis durissimus indomabilis, solo hircorum cruore dissoluitur, & ipsius in calidum sanguinem perdit fortitudinem.* (hoc tamen alij negant, vt dixi Ezech. 3.) Sexto, *Est autem parvus & indecorus, ferrugineum habens colorem, & splendorem crystalli.* Septimò, *Quatuor adamantis genera describuntur. Primus est Indus, secundus Arabicus: tertius Macedonicus: quartus Cyprius, pro qualitate regionum plus vel minùs duros possidentes.* Octauò, *Dicitur quoque in electri fortitudinem venena deprehẽdere, & maleficijs resistentibus.* Deindè hæc symbolicè applicans Christo: *Talis, ait, est Dominus & Saluator, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, &c. factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. De quo Isaias scribit cap. 53. Non est species illi, neque decor: vidimus eum, & non erat pulchritudo: despectum & nouissimum hominum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Hic stat super murum adamantinum, id est, super Sanctos & Apostolos suos, quibus tribuit vt & ipsi adamantei vocarentur, & à nullo superati dicerent: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Petrus quoque qui erat fortissimus adamas, porta inferorum non præualuerunt aduersus eum* (hac de causa Pontifices Romani gestant crucem ex adamante, vt moneãtur ex eis Christi & S. Petri, ac vtriusque fortitudinis adamantinæ, eamque imitentur.) *Hic vir & Dominus qui stat super murum adamantinum, habens in manu sua adamantem, quia nisi Dei teneatur manu, & illius valletur auxilio, omnem perdit fortitudinem, dicente Domino in Euang.* Iohan. 10. *Nemo potest rapere de manu patris mei. Et in tantum robustus, vt dicatur ad eum: Si transieris per ignem, flamma non comburet te,* Isaiæ 43. *quantoq; magis tentationibus caditur, tanto fortior fit, & pro nomine victoris inter flagella latatur. Cumq; à nullo superari queat, solo mortifero libidinis calore dissoluitur. Fel enim sanguinis hircorũ & ipsius hirci dicitur esse natura, vt sit ad libidinem calidissimus, & quod ignis domare nequeat, solus illius dissoluat cruor. Potens Dominus huiusmodi adamantem in medio populi Israel, &c. vt omnia hæreticorum mysteria, dogmata Ieroboam, qui primus populum Dei separauit, penitus gladio atque subuertat.*

Hactenus S. Hieron. quem secutus Victor. c. 12. Apoc. comment. 1. sect. 2. Adamas, id est, Christus in manu Petris: murus adamantinus

est Ecclesia, super quam est Christus. Pater ergo Christum quasi adamantem in medio Gentium & principum misit, quem tamen nulla potentia frangere vnquam potuit; quam inuictam fortitudinem ipse muro adamantino, id est, Ecclesiæ suæ communicauit, dicens S. Petro Ecclesiæ capiti: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, Matth. 16. 18.

ET DEMOLIENTVR, (passiuè, & actiuè, id est, destruentur & destruent Assyrij,) EXCELSA IDOLI] *Excelsa*, intellige fana, & altaria idolis dicata, in quibus ijs sacrificabant. Hebr. *excelsa Isaac*: *Isaac*, id est Israelis, siue populi Israel, qui ab Isaac & Iacob, prognatus est. ita Vatabl. vel, vt Clarus & R. Dauid, dicuntur *excelsa Isaac*, quòd in ijs ad similitudinem & memoriam Isaac à patre Abrahamo immolati, filios suos idolis, vti Moloch, immolarent & concremarent. Melius B Septuag. Arabicus, & Syrus *excelsa Isaac*, vertunt, *altaria risus*, vel derisionis (Isaac enim hebr. risum significat, & à risu nomen accepit: quia nascens risum & gaudium ingens sterilibus parentibus attulit) id est, ridicula & deridenda, hoc est, *excelsa idola*, vt vertit Noster. Idola enim hebr. vocantur *auen*, id est, res vanæ, leuiculæ ludicræ; & *elilim*, id est deiculi, siue dij leuiculi & ridiculi. Sic Ierem. c. 10. 15. idolum vocat *opus risu dignum*. Et c. 51. 18. *Vana*, ait, *sunt opera* (sculptilia idolorum) *& risu digna*. Quid enim magis ridiculum, quàm inanime idolum ex ligno, ære vel auro manu hominis effotmatum, æstimare & colere vt Deum, vt Numē, quod omnia cognoscat, creet, gubernet? vide Baruch toto c. 6. Aiter Theodor. censet enim *arasrisus* dici, quòd idololatræ apud eas conuiuijs, hilaritati, risibus, cantibus & lusibus vacarent, iuxta illud Exodi 32. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*.

ET SANCTIFICATIONES ISRAEL DESOLABVNTVR] *Sanctificationes*, hebr. מקדשׁ *micdeste*, id est *sanctuaria*, putà templa vitulis aureis in Dan & Bethel, aliisque vrbibus consecrata: quæ enim paulò antè vocauit *excelsa idola* ab obiecto, hîc à subiecto vocat *sanctuaria Israel*. ita Lyran. Vatabl. Arias & alij: licèt Septuag. vertant, *sacrificia*; Chald. *sacra*. Remig. Hugo & à Castro intelligunt ipsa idola, putà ipsos vitulos aureos. Verum Hebr. *micdeste* propriè significat *sanctuaria*, id est templa. Significat ergo, Assyrios combussuros templa vitulorum & idolorum Israelis, in quibus Deum ad iram & æmulationem prouocauerat.

ET CONSVRGAM SVPER DOMVM IEROBOAM IN GLADIO] q. d. Trucidabo posteros Ieroboam, eiusque stirpem regiam exscindam. Ieroboam hic non est filius Nabat, auctor regni, schismatis & idolatriæ; sed alter eodem nomine, filius Ioas, nepos Iehu, pater Zachariæ. Id ita contigisse, patet. nam Zacharias filius Ieroboam, occisus est à Sellum; qui regnum ab eius familia ad suā trāstulit, 4. Reg. 15. 13. vti Iehueius proauo intermatus erat Deus 4. Reg. 10. 30. ita S. Hieron Remig. Albert. Lyran. & alij. Quare minùs rectè, & minus amplè Theodor. per *domum Ieroboam* accipit totum regnum Israel. q. d. Regnum Israel cum suo rege Hosee exscindam per Salmanasar, anno 6. Ezechiæ regis Iuda. Nam Hosee vltimus rex Israel, non fuit è domo & stirpe Ieroboam. A Hæc enim iam succisa erat in vltimo ex ea rege Zacharia.

10. Et misit Amasias sacerdos Bethel ad Ieroboam regem Israel, dicens: Rebellauit cōtra te Amos in medio domus Israel: non poterit terra sustinere vniuersos sermones eius.

11. Hæc enim dicit Amos: in gladio morietur Ieroboam, & Israel captiuus migrabit de terra sua.

12. Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi.

13. Et in Bethel non adijcies vltrà vt prophetes: quia sanctificatio regis est, & B domus regni est.

ET MISIT AMASIAS SACERDOS BETHEL AD IEROBOAM] Amasias pontifex idolorum, putà vitulorum aureorum in Bethel, timens ne populus Israel oraculis & minis Amos perculsus idola abijceret, & cultum veri Dei amplecteretur, itaque sibi oblationes & victimæ vitulis offerri solitæ decederent, ipseque pontificatu, fortè etiam vita, priuaretur; tamquam pseudopontifex & pseudopropheta, hac de causa accusat Prophetā Amos apud Ieroboā regem, tamquam seditiosum & regni perturbatorem, quasi qui populum à Ieroboā auocare, & ad sceptrum Iuda traducere & reuocare moliretur. Ita faciunt hodie hæretici, & politici in Anglia, Hollādia, Bohemia, &c. qui Catholicos & sacerdotes insectantur, eosque apud Magistratus accusant & calumniātur, reosque perduellionis agunt, quasi qui prætextu religionis reges & principes solio suo deturbare, alioque reges & principes Catholicos inducere moliantur, & ad id plebem sollicitent. *Rebellauit*, inquiūt, *contra te* nouus hic *Amos*, &, vt Septuag. *συσροφὰς*, id est, *congregationes & coniurationes facit contra te*: omnes enim congregationes ad verbum Dei, & ad Missæ sacrificium, æstimant esse coniurationes contra magistratum & statum politicum. C

HAEC ENIM DICIT AMOS: IN GLADIO MORIETVR IEROBOAM] Mentitur pseudopropheta. Non enim dixerat Amos: *In gladio morietur Ieroboam*, sed, *Consurgam super domum Ieroboam in gladio*, scilicet occidendo, non ipsum Ieroboam, sed eius filium Zachariam, vt dixi v. 9. VERS. 11.

D ET DIXIT AMASIAS AD AMOS] Cùm videret Amasias pseudopropheta, regem Ieroboā suis criminationibus contra Amos non moueri, eumq; vt Prophetā habere ac reuereri, aggreditur ipsummet Amos, lenioratione & adulatione suadens ei, vt relicta Bethel transeat in Iudam: Noli, ait, mihi hanc facere iniuriam, cùm ego tibi non sim iniurius: noli inuadere parochiam & diœcesin meam, ego non inuado tuam: noli populum meum à me auocare, ego non auoco tuum. Ego pontifex & Propheta sum in Israel & Bethel: tu ex Thecua vrbe Iudæ oriundus Iudæus es; vade ergo ad tuos Thecuitas, age Prophetam in Iuda: nil tibi cum meis Bethelitis. Hoc est quod sequitur: VERS. 12.

QVI VIDES, id est, ô videns, ô Propheta Amos, FVGE IN TERRAM IVDA] q. d. Ego tamquam amicus tibi amico suadeo fugā, quia in Bethel & Israel,

Israel, vtpote vrbe & regione idolorum, rex ipse, A cæteriq́ue omnes idololatræ tibi parant insidias, necemq́; machinantur. In Iuda verò securus eris, ac in pretio & honore habeberis, vtpote Propheta Domini.

COMEDE ERGO IBI PANEM] Id est, ibi exerce munus prædicandi, ex eoq́ue alimoniam & lucrum capta, vti ego capto in Bethel. q.d. Quietè & lautè ibi viue ex tua prophetia', ac sine me pariter in Bethel pacificè & splendidè viuere ex meo sacerdotio, oblationibus & victimis idolorum; nec mihi hanc offam tam pinguem è faucibus eripias. ita S. Hieron. Remig. & Lyran. Addit Arias, q.d. Fuge in terram Iuda, vt ibi habeas panem, ac euadas famem quam Israeli obuenturam vaticinatus es.

VERS. 13. ET IN BETHEL NON ADIICIES VLTRA VT B PROPHETES, QVIA SANCTIFICATIO, hebr. מקדש *micdaſ*, id est sanctuarium, REGIS EST, ET DOMVS REGNI EST] q d. Bethel est locus sanctus dicatus vitulis aureis, in quo rex habet suum palatium, æquè ac templum & basilicam, in quo eosdem colit, quod est quasi domus sacra & fanum totius regni, ad quod orationis & sacrificij causa confluunt omnes Israelitæ ex toto regno decem tribuum. Bethel ergo est locus sacer, quem rex suis idolis sibiq́ue segregauit & sanctificauit. Si igitur videat ipse & populus te contra illud illiusq́ue Deos vaticinari, planè metuendum est, ne capiat & occidat te. Quare consule tibi, & migra ex Bethel in Iudam. ita Remig. Albertus & Arias. Nota. Templa à regibus in palatio, vel iuxta palatium, aut alibi, pro toto regno regio sumptu & magnificentia ædificata, dictæ sunt basilicæ, q.d. Regales, scilicet domus & delubra: C βασιλεὺς enim Græcis est rex. Ita Constantinus Romæ palatium suum Lateranum in templum conuertit, indeq́ue vocata est Basilica Lateranensis & Constantiniana.

Secundò, Bethel erat sanctuarium regis: quia à Ieroboam filio Nabat, primo rege Israel, in Bethel erecti sunt vituli aurei, eisq́ue templum erectum 3. Reg. 12. 32. ita Lyran. & Arias.

Aliter S. Hieron. per regem enim accipit Deũ, putà Baal, siue Iouem, qui est *Rex hominumq́; Deúmq́;*. q.d. Bethel regi, id est Baal, est sacra & dicata, ne ergo in illam Deum Iuda, vtpote alienum & contrarium, concionando inducas.

14. Respondit́que Amos, & dixit ad Amasiam: Non sum propheta, & non sum filius prophetæ: sed armentarius ego sum vellicans sycomoros. D

15. Et tulit me Dominus cùm sequerer gregem: & dixit Dominus ad me: Vade, propheta ad populum meum Israel.

16. Et nunc audi verbum Domini: Tu dicis: Non prophetabis super Israel, & non stillabis super domum idoli.

17. Propter hoc hæc dicit Dominus: Vxor tua in ciuitate fornicabitur, & filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & tu in terra polluta morieris, & Israel captiuus migrabit de terra sua.

RESPONDITQVE AMOS, &c. NON SVM PROPHETA] Septuag. *non eram Propheta*, scilicet ex arte, instituto & professione mea. q d. Officium meum non est prophetare, sed pascere armenta. Dominus tamen ab ijs me abripuit, vt hæc vobis prophetem & annunciem, quo peracto rursus rediturus sum ad mea armenta. Alij enim Prophetæ, siue prædicatores, à puero vel à Deo, vel à parentibus, vel ab alijs Prophetis & prædicatoribus instituebantur & docebantur prophetare, id est prædicare. Amos verò à nullo fuerat institutus, nullas eiusmodi scholas frequentarat, sed ab armentis subitò raptus est à Deo, factusq́ue Propheta. ita S. Hieron. Albert & Arias. Alii S. Gregor. lib. 2. Moral. c. 41. Remigius & Hugo putant enim eo tempore quo dixit hæc Amos, recessisse ab eo spiritum prophetiæ, vt verè dixerit Amos, *Non sum Propheta*, id est, nunc non habeo, non sentio spiritum prophetiæ. Hic enim spiritus per interualla Prophetas corripiebat, docebat, mouebatq́ue ad prophetandum: non enim erat permanens & stabilis, sed transiens & abiens. Verùm de hoc non agitur hîc: nec enim Amasias postulabat ab Amos, ne hoc instãti, sed vt deinceps numquam ampliùs prophetaret in Bethel contra vitulos aureos. Prior ergo sensus genuinus est, cui addo Secundò: *Non sum Propheta*. q.d. Ex arte prophetãdi, non viuo, non accupor lucrũ, vt tu facis Amasia, quia viuo ex meis armentis. ita Sanchez. Tertiò, alij, q.d. *Non sum Propheta*, vestitu & habitu, quia vestitum habeo rusticanum vt rusticus retineo. Prophetæ enim proprium habebant habitum, putà saccum & cilicium, Zachar. 13. 4.

SED ARMENTARIVS EGO SVM] Putà pastor boũ, camelorum, mulorum, equorum, & similium maiorum animalium. Hæc enim vocantur armenta, quia idonea sunt ad opus armorum, ait Festus: vel, vt Valla, ab arando, quasi aramenta, indeq́ue per crasin armenta. Vnde Aquila, Symmachus, & Theodotion vertunt, βουκόλος, id est, vt Arias, *bubulcus*, vnde Bucolica vocantur carmina ruralia pastorum apud Virgilium. Hæc enim propriè significat Hebr. בוקר *boker*, à nom. בקר *bacar*, id est bos, q.d. boum custos. Secundò, Septuag. vertunt, αἰπόλος, id est *caprarius*, siue pastor caprarum; S. Hieron. *opilio*, id est, *pastoritium*, vt vertit Arabicus, qui addit, *& agnola*. Nam mox ait Amos: *Et tulit me Dominus cùm sequerer gregem*, hebr. הצאן *hatsan*, id est oues, vel capras. Grex enim propriè est ouium, caprarum, porcorum, & similium minorum animalium. S. Cyrill. præfat. in Amos: *Amos*, ait, *fuit opilio, pastoritijs moribus & instituto educatus*. Et Nazianzen. orat. 25. *Quid ait Amos? nónne caprarius eram, morosq́; carpebam, cùm Prophetæ illi delegatum est munus?* Hinc patet Amos & bubulcum fuisse, & caprarium, & opilionem. Nec id mirum: solent enim bobus & vaccis immisceri capræ & oues, cum ijsq́ue ire ad campos pabulatum. Vnde Ouid. 4. Metam.

Mille greges illic, totidemq́; armenta per herbas
Pascebant.

Et Virgil. 3. Georg.

Hæc satis armentis: superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges, hirtasq́; capellas.

Porrò officio Amos aptè respondet eius nomen,

nalis enim בקר *amas*, significat onerare: inde Amos, ait S. Hieron. epist. ad Paulinum, idem est quod *onustus*, scilicet gregibus; vel *onerans* & exercens, scilicet boues & armenta.

Moral. discite hîc, Deum eligere infirma & stulta mundi, vt in eis ostendat suam sapientiã & potentiam, ac per ea confundat sapientes & potentes mundi. Ita elegit pauperes, rudes & viles Apostolos, per quos fidei suæ totum subegit orbẽ. Ita S. Iohannes Baptista secutus humilitatem & verba Amos, negauit se esse Prophetam, dicẽs se vocem esse: *Ego*, inquit, *vox clamantis in deserto: Parate viam Domini* Matth. 3. 3. Quocirca à Christo meruit vocari plusquam Propheta, lucerna ardens & lucens, hominibus maior, par angelis, imò angelus, Matth. 11. v. 9. 10. 11.

Palchrè S. August. serm. 59. de Verbis Domini: *Cui, ait, tu pauper, nihil habes, nihil nosti? sequere magnam largo fonti vas inane admouendum est.* Et S. Hieron. Quia, ait, Amos humiliauit se dicẽs, Non sum Propheta, sed armentarius, hinc meruit illicò spiritu prophetico donari contra ipsum Amasiã, ea dura ex Deo supplicia liberè intentauit. Hic verum est illud psalm. 8. 3. *Ex ore infantium & lactentium* (rusticorum & rudium instar infantium) *perfecisti laudem propter inimicos tuos, vt destruas inimicum & vltorem.*

VELLICANS SYCOMOROS] Sic & Theodot. & Septuag. Id tripliciter accipi potest. Primò, q. d. *vellicans*, id est, vellendo euellens & decerpens folia sycomororum, easque defrondans, vt earum frondibus pascã mea pecora. ita Remig. Albert. & Hugo. Tria, inquit Seruius in 1. Æneid. sunt frondium genera: *Frondator, qui arbores amputat, & qui è frondibus manipulos facit hiemis tempore animalibus ad pastum offerendos; & qui manibus vel falce euellit, quò ardor solis vtiam maturiorem reddat.* Secundò, *vellicans*, id est, euellens & colligens fructus sycomororũ, putà ipsa sycomora, vt vellicar. ita Pagnin. & Tigurin. Vnde aliqui legunt בולס *bolet*, vertunt *comportator, collector* sycomorum, quasi *bolet* per metathesin idem sit quod בוסל *bobel*, id est portans, comportans. Hinc Aquila vertit, ἐρεθόμενος συκομόρους, id est, scrutans sycomoros; Symmach. ἐγχέων συκαμίνους, id est incidens vel sycomoros. Tertiò & propriè, *vellans*, id est, vnguibus ferreis incidens & scalpẽs fructus, &, vt Hesychius ait, *pungens* vt maturescant sycomora enim, quia dura æquè ac amara admodum sunt, incidi scalpiq; solent, vt à sole percoquantur, maturescant & dulcescant, teste Theophrasto, Athenæo & Dioscoride l. 1. c. 144. aliqui à culicibus corrumpuntur, ait S. Hieron. adde ad hoc, vt ijs vescãtur tum boues mei, inquit Deus, tum ego ipse. q. d. Ego non propheto speciosis & luci, vt tu facis, ô Amasia, sed sycomoris agrestibus contentus victito. Hæc mihi ad vicem suffician: quocirca mensis & bursis alienis abstineo, vt tu.

SYCOMOROS] *Sycomorus*, vel *inuersè moroscyca*, ut feminine *sycomorea*, dicta est à σύκη, id est ficus, & μόρος, id est morus, eò quòd arbor hæc fici similis sit fructu, moro verò foliis: aut à μωρὸς *mega*, id est fatuus, q. d. ficus fatua, quòd insipidi & fatui saporis sit. A Plinio l. 13. 7. vocatur *ficus Aegyptia*, quòd in Ægypto sola reperiatur, inquit ipse, sed fallitur. Nam, vt alia taceam, frequens erat hæc arbor in Iudæa, vt patet ex hoc loco & alijs: crebra enim huius mẽtio est in Script. Porrò sycomorum ex Galeno, Dioscoride, Theophrasto, Celso, Plinio, ita describit Ruellius l. 1. de Stirpib. c. 79. *Est arbor amplissimæ ficus similitudine, largo succo, foliis moro quàm proximis. Fructus ex argumento gustu ignaui cognominis, ternos aut quaternos anno fundit, eosq; non ramis vt ficus, sed caudice ipso gerit, similes caprificis, dulciores q; grossulis, hoc est, primitiuis in fico pomis, sine granis interioribus. Nec matureſcunt aliter quàm scalpendo ferreis vnguibus, magno prouentu eorum in Caria & Rhodo, lociſq; prorsus parum tritici feracibus, populis in annonæ caritate propane frumento q; satisfaciunt. Tam restibilis pomi eius vbertas & copia est. Pomum ventri quidem amicum, sed minimam præbet alimoniam.* Hebr. vocatur שקם *sekem*, in plurali *sekamim*: inde Septuag. & Theodot. vertunt συκάμινα, & Latini sycaminus. Porrò S. Hieron. censet per *sekem* hoc loco Amos non significare sycomorum, sed mora quæ in rubis crescunt: *Nobis*, inquit (*quia solitudo in qua morabatur Amos*, Thecue, *nullam huiusce modi gignit arborem*) *magis videtur rubos dicere, qui afferunt mora, ac pastorum famem & penuriam consolantur.* Verùm omnes alij, quin & ipse S. Hieronym. alibi passim, Hebr. *sekem* vertit morum, vel sycomorum. Videtur ergo, quòd Thecue tempore Amos abundarit sycomoris, sed ijs vel excisis, vel arefactis caruerit tempore S. Hieronymi. Sic regionum natura & feracitas varijs temporum mutationibus, aut culturæ defectu perit & immutatur. Olim Libanus cedris abundabat, nunc ijs penè caret. Olim Iudæa erat terra lacte & melle manãs, nũc lapidosa est & sterilis. Asia minor olim paradisus erat, nunc sub Turca multis in locis inculta squalet; quinimo vulgare dictum est: Quocumque pedem infert Turca, eôdem sterilitatem inducit, vtpote agricolis ob eius tyrannidem diffugientibus. Vide Num. in hom. p. 345.

Porrò sycomorum, vel sycaminum Syriæ, ita mihi Romæ descripsit Illustriss. Dominus Sergius Risius, Archiep. Damascenus, oculatus testis: Arbor, inquit, hæc in Syria frequens, magna est & lata, sed moderatæ altitudinis, instar nucis non nimis altæ, dissimilis tamen foliis & cortice. Nam folia habet parua & rotunda; cortice planum & penè expolitum, in album colorem vergentem: fructus fert plurimos quidem, sed admodum paruos, qui mespilum forma & magnitudine referunt, verguntque in rubedinem dulces sunt, sed non adeò vt ficus. Dicitur autem hæc arbor *gemmayz*, indigna quæ in vineis aut hortis inter cæteras habeatur, eò quòd ingratos & insuaues fructus producens, inutiliter sua magnitudine terram meliorum feracem occupet: quare in plateis vt plurimum, vel ad viam consistere solet, vulgo subiecta, vt quisque ex eius fructibus, vtpote abiectis, & nullius decoris, sporis aut pretij colligat quantum libuerit. Hinc in prouerbium abijt, vt de arbore, æquè ac homine inutili, vel non in loco, qui ei conuenit, cõmorante dicatur: *Est vt gemmayz in horto*: rhamnus inter quercus: anser inter olores. Hac de causa qui eius fructus colligunt, tenues, egeni & viles habentur. Quocirca paupertatem suam, humilemque conditionem & statum sponte confitetur hîc humilis, sanctus & à Deo electus Propheta,

pheta, dicendo se ex eorum numero & ordine esse, qui sycomoros colligunt, ijsque victitant, vt inde eluceat mira Dei opt. max. qui ignobilia & infirma mundi eligit, vt confundat gloriosa & fortia, bonitas & magnificentia, quæ eum ex imo in summum euexit, & ex pastore ac bubulco Prophetam illustrem effecit. A

Ex dictis liquet Primò, sycomorum aliam esse arborem à caprifico: distinguit enim eas Dioscorides & Ruellius verbis iã citatis: illa tamen huic est similis. vnde Theoph. & Euthym. Lucæ 19.1. pro sycomoro legunt caprificum. Secundò, sycomorum in penultima scribi tam per omicron, quàm per ω mega, ideoque eam habere in carmine communem, id est, breuem & longam: breuem, quia morus arbor à Græcis plerisque scribitur per omicron: longã, tum quia μῶρος, id est fatuus, scribitur per ωmega; tum quia morus arbor græcè scribitur quoque per ω mega in lexicis Hesychij, Henrici Stephani, Iohannis Scapulæ, æquè ac à S. Luca c. 19.1. vnde Poëta: B

Cornaq́, & in duris hærentia mora rubetis.

Et patet ex etymo: dicta est enim arbor morus per antiphrasin, quasi minimè μῶρος, id est fatua: nã vt ait Plinius l. 16. 25. morus arborum est prudentissima, quia lædi se à frigore non sinit: vnde non nisi planè exacto frigore germen emittit, sed cùm germinare incipit, in tantum germinatio erumpit, vt vna nocte peragat etiam cum strepitu. Alij sycomorum dictã volunt à ficu & mora, eò quòd si vnum pomum ex ea decerpas, illico alterum sine mora protuberet: tãtæ enim est fœcunditatis, vt vno anno septies fructus ferat. Verùm hoc etymon Latinum est, nec conuenit Græco μόρος, vel μῶρος. C

Sycomorus est crux. Hier.

Symbolicè, sycomorus est crux Christi, eiusque doctrina, quæ gentibus & terrenis hominibus videtur fatua: sycomorus enim respondet arbori scientiæ boni & mali Adamo vetitæ: hæc enim à multis putatur fuisse σύκη, id est ficus. ita Theoph. & Beda in Luc. 19.1. Porrò Amos & viri sancti hanc sycomorum, id est crucem, crucisque doctrinam vellicare, id est, mente & meditatione scalpere, & profundè expendere, ruminare & penetrare debent: quo magis id faciunt, eo magis eius dulcedinem & arcana mysteria penetrant & gustant; præsertim cùm simul vellicant affines sycomoros, id est, expendunt & minutim inspiciunt corpora Martyrum à tyrannis vellicata, id est scalpris, pectinibus, cultris incisa, laniata & lancinata. Huius rei symbolo Zachæus cupiens videre Christum ascendit in arborem sycomorum Lucæ 19.1. vti ibidem notat Ambros. D

VERS. 16. NON STILLABIS SVPER DOMVM IDOLI]q.d. Nô Amos prophetes amplius in & contra Bethel, quæ olim fuit Bethel, id est domus Dei, nunc à regibus nostris facta est Bethauen (vt tu ô Amos eã nuncupas) id est, domus idoli, putà vitulorum aureorũ. Nota vox *stillare* Prophetis est frequens, & metaphoricè significat effundere sensim, siue verba, siue res, easque vel bonas & beneficas, vel malas & pœnosas. Doctor enim & concionator, quando cum rudibus vel duris agit, debet stillare, nõ profundere suum sermonem. si enim profundat, perdet: si stillet, sensim eos imbuet & emolliet. Verum est illud vulgi:

Stillastillando cauat lapidem, non vi, sed sæpè cadendo:

Stillare quid?

Sic homo fit doctus, non vi, sed sæpè studendo.

Id sciebat Moses, qui docens rudes & duros Hebræos Deut. 32.2. *Concrescat*, ait, *vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramina.* Id imitantur sapientes ludimagistri, qui pueros sensim leuiq; docent: sicut enim vasa angusti oris stillãdo sensim implentur, effundendo verò parum vel nihil liquoris hauriunt, ita & ingenia puerorum.

Huc spectat exemplum memorabile S. Isidori Hispalensis archiepiscopi, qui floruit tempore S. Gregorij Magni Rom. Pontificis, fuitque frater S. Leandri (cui S. Gregor. libros Moralium dedicauit) ipsique in archiepiscopatu Hispalensi successit. Hic enim in iuuentute à parentibus applicitus studijs, cùm ingenio tardior parum in ijs proficeret, etsi ingenti labore in incumberet, cogitauit ijs relictis alteri rei se dedere. Cumq́; hæc cogitans staret iuxta puteum, vidit & considerauit in eius limbo, licèt lapideo, sulcos, quos funes sitularum longo earum attactu, in lapide sensim effecerant. Id ipsum sibi explicans: Si funes, inquit, longo vsu possunt excauare lapidem, quidni longo studio poterò diuturnam ingenij emollire, illiq; scientiam & doctrinam imprimere? Resumptis ergo ingenti animo libris, continua lectione & meditatione tantum in ijs profecit, vt sui sæculi vir doctissimus in sacris æquè ac profanis literis, quin & in lingua Latina, Græca & Hebraica euaserit, nec illa quo haberet sibi parem; cui proinde Hispania sua doctrinam, & seminaria, in quibus S. Ildephonsus, S. Braulius, alijque Prælati sancti æquè ac eruditi, fuerunt & educati & instructi, debet. Ita habet eius Vita apud P. Ribadeneiram & alios die 4 Aprilis.

Secundò, vox *stilla* significat minas & pœnas præsentes, quas intentãt sceleratis Israelitis Prophetæ, esse tantùm guttam si comparentur cum pœnis inferni, vbi imber est & torrẽs, imò Oceanus ignis ardentis pice & sulphure, qui ingens cremat, voluit & reuoluit damnatos. iuxta Iob 26.14. *Cùm vix paruam stillam sermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Hîc ergo est stilla & sibilus, in inferno erit mare & tonitru iræ Dei.

PROPTER HOC HAEC DICIT DOMINVS: VXOR TVA IN CIVITATE FORNICABITVR]q.d. Quia tu ô Amasia, ob quæstum & lucra tua populum ad fornicationem spiritalem, id est ad idolatriam, impellis, mihique eam impugnanti adstis, idcirco congruè & iustè punieris hac ignominia & indignatione, vt videas, licèt fremas & frendens, vxorem tuam in ciuitate tecum fornicari & adulterari, vel cum amasijs tuis, vt vult Arias; vel cum hostibus tuis, putà Assyriis, quibus capta vrbe violabitur. ita S. Hieron. Theodor. Remig. & Hugo. Vnde S. Hieron ex Symmacho vertit, πορνεύσεται, id est, *fallaci prostitutione.*

Hæc prima Amasiæ est pœna, de qua S. Hieron. *Grandis*, ait, *dolor incredibilisq; ignominia, quando maritus in media ciuitate vxori moechanti prohibere non potest. Non est tantus dolor in filia stuprata, quantus in vxore polluta: maritus enim audit vxorem interfici, quàm pollui. Secunda est, filiorum strages: Filij tui, inquit, & filiæ in gladio cadent. Tertia est, spoliatio & bonorum*

pri-

priuatio: *Humus, ait, tua funiculo metietur.* q.d. Assyrij & Cuthæi inuadentes & occupantes Samariam & Bethel, tuos fundos agrosque funiculo inter se dimetientur, & diuident. Olim enim funiculis pro virgis mensoriis vtebantur, ad mensurandam & diuidendam terram. Hinc funiculus in Script. significat sortem hereditariam siue portionem quæ cuique in hereditatis diuisione sorti ò obtingit, vt psal. 15.6 *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* quod more suo, posteriore hemistichio explicat dicens: *Etenim hereditas mea præclara est mihi.* Deuter. 32.9. *Iacob funiculus hereditatis eius.* q.d. Iacobæi, siue Israelitæ sunt sors & hereditas Domini. Iosue 17.5. *Ceciderunt funiculi* (id est sortes) *Manasse decem.* Et v.14. *Dedisti mihi possessionem sortis & funiculi vnius.* Et cap. 19. v. 9. *In possessione & funiculo Iuda.* Et v.29. *De funiculo Achziba.* Quarta est: *Tu in terra polluta* (idololatria, infidelitate & sceleribus, putà in Assyria, ad quam captiuus duceris) *morieris.* Quinta, non tantùm tu, sed & totus *Israel*, quem tu decipis, & in idololatriam sceleraque adigis, *captiuus migrabit de terra sua* in Assyriam. ita S. Hieron. Cyrillus, Theodoret. Remig. Rupertus, Haymo, Hugo, & alij.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Amos vncinum pomorum, vt significet, quòd, sicut vncino poma ex arbore carpuntur, ita Israelitas ab Assyriis fore carpendos, & abducendos in Assyriam. Causam dat v.4. quòd pauperes oppresserint, eisq; nimis care & fraudulenter frumenta vendiderint, vtentes mensuris dolosis. Vnde v.9. tam atrox eorum fore excidium prædicit, vt sol obtenebrescat, omnesq; saccum & caluitium sibi inducant. Denique v.11. famem extremam tum corporalem, tum spiritalem eis intentat.

Psal. HÆc ostendit mihi Dominus Deus, & ecce vncinus pomorum.

2. Et dixit: Quid tu vides Amos? Et dixi: Vncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israel: non adiiciam vltrà vt pertranseam eum.

3. Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus: multi morientur, in omni loco proiicietur silentium.

Hæc. HÆC OSTENDIT MIHI DOMINVS] q.d. Post tot visiones & minas, Deus hanc quoque vncini pomorum addidit, vt tot comminationibus quasi ictibus repetitis dura Hebræorum corda molliret & flecteret. Sic de Pharaone & Ægyptijs, quos obduratos Deus mersit in mari rubro, ait Psaltes psal. 17.15. *Fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.*

ECCE VNCINVS POMORVM] Hebr. כֶּלוּב קָיִץ *kelub kaits*, quod Chald. Rabbini, Pagnin. & Tigurina vertunt, *canistrum*, vel *corbem æstatis*, hoc est *fructuum æstiuorum*, qui scilicet in æstate maturantur & maturi colliguntur. Syrus, *ecce signum fructus*: legit enim קֵץ *kets*, id est *finis*; Arabicus vertit, *vasa venationis*, & mox, *sagittam venationis*, vel capturæ.

Melius Noster vertit, *vncinum pomorum*. Primò, quia agitur hîc de instrumento quo poma attrahuntur & capiuntur: hoc autem est vncinus, non corbis: per vncinum enim significantur hastæ & arma Assyriorum. Secundò, quia Hebr. *kelub* significat instrumentum venatorium & attractorium: deducitur enim à כֶּלֶב *keleb*, id est canis: quia sicut canis venatur & capit leporem aliasque feras, sic *kelub* venatur capitque poma: vterque enim longus est, gracilis, & acuto rostro rictuque. Tertiò, quia Septuag. vertunt *vas*, id est instrumentum, *aucupij*. Et Ierem. 5.v.27. tam Septuag. quàm Noster vertunt *decipulam*, qua decipiuntur & capiuntur aues. Quartò, quia vncinus pomorum multis in locis comprehendit & includit corbē, non verò econtrà corbis comprehendit vncinū. *Vncinus* enim *pomorum* est vncus, putà fustis ab vno latere incuruus & hamatus, alligatus, vel appensus corbi, quo hortulani attrahunt ramos, vt poma decerpant & iniiciant in corbem; aut quo corbem ad ramos suspendunt vt ex iis lecta poma in illum inferant. Vidit ergo Amos vncinum, eique adiunctum corbem, ad colligendum poma. Per poma intellige quoque ficus, pyra, cerasa, pruna: omnes enim fructus, præsertim qui molliori sunt cortice, vocantur poma. Quinimò Plinius l.15.c.22. etiam nuces pomorum genere comprehendit.

Symbolicè, vncinus hîc significat Dei iram & vindictam, qua Deus tempus captiuitatis populi Israel accelerabat, & quasi attrahebat, vt Israelitæ quasi poma ex sua regione decerperentur & caperentur ab Assyriis; quorum proinde arma bellica, quibus Israelitas in potestatē redegerunt, rectè quoque per vncinum intelliguntur. Vnde explicans vncinum subdit: *Venit finis Israel* ita S. Hieron. *Est*, inquit, *sensus: Sicut vncino rami arborum detrahuntur ad poma carpenda, ita ego proximum captiuitatis tempus attraxi.* Vnde Hebr. *kelub*, per metathesin alludit ad כֶּבֶל *kebel*, id est compes vel catena ferrea, qua Israelitæ captiui constringendi erant. Poma enim in æstate matura, symbolum sunt captiuitatis opportunæ, & punitionis tempestiuæ. q.d. Iam arbor Israelitica maturos dat fructus, scilicet ficus pessimas (quales vidit Ieremias in Iuda c.24.1.) restat ergo vt colligantur & conterantur. Sic Apocal. 14.15. ait angelus vnus alteri: *Mitte falcem tuam, quoniam aruit messis terræ*, id est, quoniam adest tempus maturum & opportunum puniendi impios, vtpote cùm ipsi mensuram peccatorum suorum iam impleuerint. Hoc est quod ait Ezechiel c.7. 6. *Venit finis: euigilauit aduersum te*, id est, maturo

& opportuno tempore surrexit: quasi fructus æstiui, qui in æstate maturi sunt, sic maturauit tuum exitium, sic finis adest tibi: colliges enim fructum arboris quam plantasti, & frugem quam seminasti metes.

Vncus reorum qualis.

Alludit vncinus ad vncum, quo olim vincti trahebantur, vel etiam feriebantur rei, & hostes prælio victi captique. Vnde Iuuenalis de Seiano à Tiberio Imp. capitis damnato satyr. 10. ait:

Impactus Seianus ducitur vnco.

Et Cicero Philip. 1. *Vncus impactus est fugitiuo illi, qui C. Marij nomen inuaserat.* Idem pro C. Rabirio: *Nos à verberibus, ab vnco, à cruce denique terroribus neque res gestæ, neque acta ætas, neque nostri honores vindicabunt.* Et Horat. lib. 1. Carm. ode 35. ad Fortunam:

Te semper anteit saua necessitas,
Clauos trabales, & cuneos manu
Gestans ahena, nec seuerus
Vncus abest liquidumq; plumbum.

Lampridius in Commodo, scribit ipsi mortuo acclamatum à populo: *Qui senatum occidit, & templa spoliauit, vnco trahatur.* Et Suetonius in Vitellio, scribit eum post mortem vnco tractum in Tiberim: hoc summum erat probrum. Insuper vnco suspendebantur reorum, æquè ac Martyrum, corpora, vti in Actis S. Sebastiani legimus, corpus eius inuentum in cloaca pendens ex vnco. Adhæc Martyres vncis perinde ac vngulis lacerabantur, vti legimus in Actis S. Platonis & Pontiani Martyrum. vide Gallonium de cruciatibus Martyrum. Significat ergo vncinus, quòd Israelitæ quasi captiui & damnati, vnco ab Assyriis trahendi sint vel ad necem, vel in captiuitatem. Secundò vncino solent colligi paucula poma, quæ in arbore post excussionem sunt reliqua in ramis altioribus: vncinus ergo significat hîc, Israelitas post varias clades & strages Syrorum & Assyriorum reliquos, ad extremum vltimo plenoque excidio vrbis & gentis vastandos, etiam illos qui in locis editis, munitis vel abstrusis, remotis & inaccessis degebant, à Salmanasar anno sexto Ezechiæ. ita Lyran. Emmanuel, Mariana & alij. vnde Chald. vertit, *ecce vas plenum extremis ætatis fructibus.* q. d. Sicut collectis vuis extremisque agri vel vineæ fructibus, deferitur ager, vel vinea, fructusque in vase collecti domum asportantur; ita desolabitur Samaria, ciuesque eius vniuersi in Assyriam abducentur.

Idem significant Septuag. sed alia metaphora, caueæ scilicet, vel retis & aucupis: vertunt enim, *ecce vas*, id est instrumentum, *aucupis*, putà rete, cauea, vel baeilli visco infecti, vt ei se implicent aues. Auceps est Salmanasar, rete sunt eius castra & arma, quibus illaqueauit, cepit & abduxit Israelitas. Audi Theodoretum: *Visio*, ait, *hac celerem & expeditam venationem Israel significat: sicut enim aues visco facilè capiuntur sic ab Assyriis populus apprehendetur.*

Tropolog. Rupert. Vncinus, inquit, est auaritia: rami & poma sunt diuites, eorumque opes: pomum quippe res leuis est, maximeque pueros mulcet: viris autem, & maximè sanis, pro minimo est. Sic nimirum bona præsentis sæculi leuia sunt, & eos quidem qui sensu paruuli sunt nimis oblectant; sapientibus autem qui cælestia sapiunt, contemptibilia sunt. Hinc primus homo cupiditatis crimen per quod periit, non per aurum, neque per argentum, sed per exiguum pomum commisit. Addit Rupert. Sicut hortulanus vncino sensim sine strepitu, ramum quò vult crebro motu contorquet, donec poma decerpat; sic auarus, fur & fraudulentus mille habet capiendi & attrahendi artes, quibus innectit & aduncat opes aliorum, adeò occultè & dolosè, vt ipsi sua damna nisi depauperati, feroque gementes, non sentiant: iuxta illud psal. 10. 9. *Insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua: insidiatur vt rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se & cadet, cùm dominatus fuerit pauperum.*

Mysticè Ribera: Vncinus, inquit, est mors, quæ ramos & poma, id est, omnes hominis dotes, virtutes & vitia, quamuis recondita attrahit, vt à Deo carpantur, & suis locis singula colligentur. Distinctiùs Fernandius visione 23. Mors, inquit, variis vncinis, id est, variis morborum & casuum generibus, attrahit ramos, in quibus plura sunt poma, id est, familias in quibus plura sunt capita, eaque robusta & valentia, quæ à morte videntur remotissima.

Vita enim humana rectè comparatur pomis. Primò, quia, sicut poma citò in gemmas erumpunt, crescunt, matureſcunt, carpuntur: ita & homines. Secundò, sicut è pomis alia matura, alia immatura sponte decidunt, alia in arbore putrescunt, alia rubent; sed si aperias, vermibus plena & corrosa inuenies: alia manu carpuntur, alia baculo & vi decutiuntur: ita hominum alij in ætate virili, alij in iuuenili naturali morte decedunt, alij in putri senectute; alij exteriùs rubent vt rosæ, sed intus sordibus & morbis scatent; alij in lecto, alij in bello, pugna, &c. violenta morte occumbunt. Hinc ait S. Iob 9. 26. *Dies mei pertransierunt quasi naues poma portantes.* hæ enim naues celeriùs aguntur cæteris, ne poma quæ citò putrescunt, corrumpantur antequam ad portum, vbi vendenda sunt, appellant. ita celerrimè transit æuum nostrum.

Tertiò, Varro lib. 1. de Re rustica cap. 35. pomum dictum esse censet eò quòd potu indigeat: *Poma*, inquit, *quæ insita erunt sitientibus, aquam addi quotidie vesperi: à quo, quòd indigent potu, poma dicta esse possunt.* Ita vita hominum potu non tantùm indiget, sed & abundat, ac deliciatur maximè.

Quartò, pomum Persicum in Perside, ob frigus veneni vim habere dicitur, eaque de causa in Italiam transmissum, vt incolis noceret. verùm mutato solo mutauit naturam, & salubre repertum est, vt ait Columella:

Pomis quæ barbara Persis
Miserat, vt fama est, patriis armata venenis:
At nunc expositi paruo discrimine lethi,
Ambrosios præbent succos oblita nocendi.

Ita voluptas vitæ humanæ in se, & in solo quasi natiuo, venenata est: at, si solum mutet, & in campum virtutis transplantetur, vitium ponit, & pro morte vitam & salutem affert.

Quintò, pomum rotundum gerit speciem orbis, qui rotundus est; & vitæ humanæ, quæ gyrat & in orbem semper recurrit. Quocirca anno Domini 1013. cùm Henricus Imp. recèns creatus Romam ingrederetur, Benedictus Papa cum Clero & Senatu ei obuiàm processit, eique

insigne Imperij obtulit: pomum id erat aureum, circumcirca pretiosissimis gemmis distinctum, aurea cruce desuper eminente, vt dum illud respiceret, cogitaret, se sic debere imperare in mundo, vt illum crucis Christi vexillo subderet. Accepit pomum Imperator, ac manu tractans: *Nulla*, ait, *melius hoc pomum cernere & possidere congruit, quàm illa qui pompis mundi calcatis crucem Christi sequuntur*: ac proindè illico misit illud ad Cluniacense monasterium in Gallia. ita Glaber, & Baron. anno Christi 1013. Sic in bulla aurea Caroli IV. c. 22. traditur & sancitur, vt in processione solemni, postquam creatus est Imperator, ante illum deferat ensem Dux Saxoniæ, sceptrum Marchio Brandeburgensis, pomum Comes Palatinus. pomum, quia sphæricum, repræsentat orbem. Vnde Chronicon Hirsaug. in inauguratione Comitis Hollandiæ, tradit Imperatori inaugurato globum aureum in manum dari his verbis, quæ profert Palatinus Rheni: *Accipe globum sphæricum, vt omnes nationes Romano Imperio subiicias, & Augustus gloriosus appellari valeas.* Se ergo, suumque cor in manu Dei statuat Imperator, vt cum mundo gestet, regatque illum Deus: ac simul meminerit orbis imperium parum esse & exile instar pomi & globi, si cum cæleſti regno comparetur. Ad illud ergo anhelet, seque & suos omnes transferre satagat. Sapienter S. Franciscus Xauerius l. 2. epist. 5. Iohanni III. Lusitaniæ regi (ac in eo cæteris Principibus & Prælatis) hoc saluberrimum dat consilium, vt quotidie per quadrantem horæ diuinam illam sententiam meditando: *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* germanam eius intelligentiam à Deo petat, cum sensu animi interiore coniunctam & simul omnium suarum precationum illam velit esse clausulam: *Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur*, &c. Quoniam propè, inquit, quàm ille existimat, abest hora, qua illam Rex regum, & Dominus dominantium ad rationem reddendam euocaturus est, illud intonans: *Redde rationem villicationis tuæ.* Verus fuit vates: nam paulò pòst rex vita functus est.

Sextò, pomo sæpè venenum homini propinatur, aut aliò modo mors affertur. Mirum hac de re exemplum narrat Cardan. de Rerum varietate lib. 12. c. 56. Cùm, inquit, Kemethus rex Scotorum, Eruthlinthum Fenellæ filium occidisset; tum etiam Malconum Druffum regem & affinem Fenellæ; illa statuam mira arte fabricari iussit, in cuius manu pomum aureum gemmis refertum erat: quod quicumque tetigisset, statim multis iaculis è pomo prosilientibus confodiebatur: eo regem nihil suspicantem inuitatum in Fetticarij oppido occidit. Ita voluptas huius vitæ blandum est, sed exitiale pomum, quod inani quodam fulgore perstringit & illectat eorum oculos, quos decepturum & necaturum est: *Equo ne credite Teucri* ita Nicol. Causinus lib. 11. Parab. histor. c. 5. Rursum si offeras puero pomum & simul aureum, puer pomum eliget præ aureo; quia pomi specie capitur, auri pretium non nouit. Annon ergo bis pueri senes, qui voluptatem virtuti, id est mala bonis, terrena cælestibus, caduca æternis, fallacia veris anteponunt? Verè pomum hoc illecebrosum est, diciturque malum. Quam-

A obrem apud Martial. lib. 13. nuces pineæ ita viatorem affantur:

Poma sumu Cybeles, procul hinc discede viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Præclarè S. Bernard. tract. de Gradib. humilit. *Serpens Euæ*, ait, *porrigit pomum, & surripit paradisum. Hauris virus peritura, & perituros paritura. Perit salus, non destitit partus. Nascimur, morimur, ideoq; nascimur morituri, quia priùs morimur nascituri. Propterea graue iugum super omnes filios tuos vsque in hodiernum diem.*

Septimò, est & alia pomi cum homine analogia, consideratione & commiseratione digna. Vides arborem florentem & floribus comptam, imò onustam; aduerte, ex quinquaginta floribus quibuslibet, vix vnus in pomum maturum euadet: antequam enim gemmescant, plurimi vel B vento decussi, vel æstu arefacti, vel à vermibus arrosi, vel humore deficiente marcescentes decident: ex iis verò qui gemmescent, plurimi pariter antequam in poma matureſcant, similibus casibus in terram corruent. Ita prorsus ex quinquaginta infantibus qui nascũtur, vix vnus in virum euadit, sed alij in infantia, alij in pueritia, alij in adolescentia moriuntur. Quis non lugeat, quis non gemat miseram hanc hominum sortem? Sapienter Philosophus ille: *Breuis*, ait, *vita prohibet suscipere longas spes, vel ad eas aspirare.*

Octauò, inter arbores *infirmissima est malus, maximeq; quæ dulcia est*, ait Plinius libr. 17. 24. qui & addit: *Aegrotant aliquando & poma ipsa per se sine arbore, si necessariis temporibus imbres, aut tepores, vel afflatus defuere: aut contrà abundauere: decidũt enim, aut deteriora fiunt.* Idem lib. 17. c. 2. *Si*, ait, *cùm de-* C *fluere protinus sequantur imbres, in totum poma depereunt, adeò vt amygdala & pyri, etiam si omnino nubilam austrinúsve flatus, amittant fœtus.* Pari modo quid inter animalia infirmius homine? qui catharro, id est guttula aquæ, suffocatur, æstu vritur, aura infecta pestem haurit, qui plurimis, imò innumerabilibus, & sæpè nouis, ac medicis ignotis morbis laborat. In solo hominis oculo morbos centum numerat & nominat Galenus lib. qui inscribitur *Introductio*, seu *Medicus*, cap. de Oculorum affectibus. Verè S. Iob hæc expertus, hominem describens c. 14. 1. *Homo*, ait, *natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miseriis; qui quasi flos egredietur & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet.* Flos pomi mox vt efflorvit, flauescit: pomum si decortices, aut scindas, antequam illud ori admoueas, illico cultrum nigrore inficit, vigorem D perdit, marcescere incipit: ita & iuuenis ætate florenti & vultu roseo, mox defloreſcit, palleſcit, seneſcit. *Quasi vuas in deserto inueni Israel, quasi primam poma ficulneæ in cacumine eius vidi patres eorum*, ait Deus Osee 9. 10. Annon ergo cœtus hominum est vncinus & corbis pomorum? Quotidie ex arbore aliqua aut cadunt, aut leguntur poma, donec omnia in corbem inferantur: quotidie aliqui hominum vita hac decedunt, & in cœtum mortuorum transcribuntur, donec omnes ad vnum sensim, sed breui temporis spatio, in eumdem transferantur. Quocirca Cæsar à Ripa in Iconographia, mortem pingit cum falce, & vncino pomorum, ex hoc loco Amos: quia sicut falce omnia demetit, ita vncino omnia carpit, instar pomilegi & pomicarpi. Ite nunc iuuenes, flore-

te,gaudete,exultate,dicite: Nos poma natamus, cras mergendi,cras morituri.

Hæc considerans Cicero,Gentilis licet,sapienter censet animum ab omni voluptate caduca & terrena auocandum, atque in stabili & cælesti defigendum. *Altè*, inquit ipse in Somn.Scipion. *spectare si voles, atque hanc sedem & aternam domum contueri, neque sermonibus vulgi dederis te, nec in præmiis humanis spem posueris rerum tuarum: suis te illecebris oportet ipsa virtus trahat ad rerum decus. Vestra quæ dicitur vita, mors est.* Idem Quæst.4. Academ. *Cogitantes superiora atque cælestia, hæc nostra vt exigua & minima contemnamus.* Et Tusculan. 1. *Confer nostram longissimam ætatem cum æternitate, & breuissima reperietur: tunc erimus beati, cùm corporibus relictis cupiditatum & æmulationum erimus expertes.* Et in Catone Maiore: *Ex ipsa vita discedimus tamquam ex hospitio, non tamquam ex domo: commorandi enim nobis natura diuersorium, non habitandi dedit. Quis est,quamuis sit adolescens, cui sit exploratum se ad vesperum esse victurum? O dij boni, quid est in hominis vita diu? Mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur,in quo est aliquid extremum. Cùm enim id aduenit, tum illud, quod præteriit effluxit, tantùm remanet quod virtute & rectè factis sis consecutus. Horæ quidem cedunt, & dies, & menses, & anni, nec præteritum tempus vmquam reuertitur,nec quid sequatur sciri potest.* Rursum Tusculan. 1. *Duæ sunt viæ, vt ait Socrates, dupliceſq; cursus animorum è corpore excedentium. Nam qui se humanis vitiis contaminarunt, & se totos libidinibus dediderunt, iis demum quoddam iter est seclusum à concilio Deorum: qui autem se integros castosq; seruarunt, quibus fuit minima cum corporibus contagio, suntq; in corporibus humanis vitam imitati Deorum, his ad illos, à quibus sunt profecti, facilis patet reditus.* Quid iam dicat,quid faciat Christianus?

VERS.2. VENIT FINIS SVPER POPVLVM MEVM ISRAEL] *Finis*, id est, excidium Israeli à me decretum & præfinitum. In Hebræo pulchra est paronomasia inter קַיִץ *kaits*,id est poma æstatis,& קֵץ *kets*, id est finis. Radix enim est קוץ *kots*,quæ significat compungi, angustiari, affligi: inde קוֹץ *kots*, significat spinam pungentem; & קַיִץ *kaits* significat æstatem, qua sol pungit, vrit & maturat fructus. q.d.Vncinus hic *kaits*, id est pomorum æstiuorum,vret te,ô Israel,vt sol æstiuus;& punget te vt *kots*,id est spina; ac denique tibi *kets*, id est finem & exitium, adducet. Quocirca הֵקִיץ *hekits*,id est,euigilauit & maturauit prauũ tuum *kaits*,id est pomum æstiuum;& tua *kots*,id est spina;& tuus *kets*,id est finis,vt ait Ezechiel c.7.6.

NON ADIICIAM VLTRA VT PERTRANSEAM EVM] vt dissimulem peccata eius,vt eum sontem præteream & impunitum relinquam, vti pertransit prætor, cùm scelera & sceleratos videns præterit & dissimulat. q.d.Tanta sunt crimina Israelis, vt non possim vlteriùs connivere, non possim tacere & parcere;sed illa sui enormitate & multitudine, quasi clamore iugi & valido cogant me ad ea vindicandũ. ita S.Hieron. Theodoret.Rupert.& alij.

VERS.3. STRIDEBVNT CARDINES TEMPLI IN DIE ILLA] Ita vertunt quoque Tigurina & Pagnin. q.d. Stridebunt cardines templi, cùm hostes vi ianuas eius perrumpent, vt illud spolient & vastent. Rursum stridebunt ex crepitu postium conflagrantium, cùm templum ab hostibus incendetur.ita Theodoret.Arabicus, *cadent altaria templi in die illa*: quia scilicet Israelitæ templum idolis & sceleribus contaminarunt. Stridebunt ergo eius cardines, cùm illos illisus aries, aut mallei hostiles frangent, aut reuellent; cumque per illos agmina hostium in templum irrumpent. Aliter quoque Sanchez: Signum,ait,belli prisci erat, templi portas perfringere, iuxta illud Æneid.7.

Sunt geminæ belli portæ,formidine Martis.
Has vbi certa sedet patribus sententia pugnæ, &c.
Insignis referat stridentia limina consul.

Verùm hic mos fuit Romanorum,non Hebræorum. Adde, agi hîc de excidio vrbis & templi, non de belli signo. Ad verbum Hebræa vertit, *vlulabunt cantica templi*,id est,cantica templi vertentur in vlulatus;Syrus,*corruent laudationes* (cantica,fama & gloria) *templi*. Secundò,Lyran.vertit,*stridebunt cardines palatij*,scilicet regis & optimatum, cùm hostes illorum palatia irrumpent. Tertiò,Chald. vertit, *vlulabunt vice canticorum carmina palatij*,siue palatiorum,in quibus festiuæ cantiones & musica instrumenta personare solebant; & Vatabl. *vlulabunt cantica palatij*. Per *cantica* lætitiam intelligit. q.d. Cantica principum & potentum vertentur in vlulatum & mœrorem. Noster cum Septuag. & aliis iam citatis, meliùs vertit, *cardines templi*:quia Hebr. הֵיכָל *hechal*, propriè augustum & potens templum,siue basilicam significat, à rad. יָכוֹל *iachol*, id est potuit,prævaluit, q.d.Basilica potens,cæteris q; sua magnificentia prævalens. Quartò,Septuag.vertunt, *vlulabunt laquearia templi*. q.d.Tantus erit clamor hostium, & cæsorum ab iis in templo, vt totum templum vlulatu compleatur,ipsaque laquearia voces vlulantium instar echo reuerberantia,vlulare videantur. Sic & nostram versionem explicat, & cum Septuag. conciliat S.Hieron. *Stridebunt*,inquit,*cardines templi,siue laquearia. Hoc autem ὑπερβολικῶς accipiendum est, quòd tam graue malorum pondus incumbat, vt ipsi quoque portarum cardines & excelsa laquearia vlulent, & incredibilem sentiant vastitatem.* Vnde patet,licèt Hebr. שִׁירוֹת *scirot*, passim alibi significet *cantica*, hîc tamen significare *cardines* & *laquearia* (ita enim vertunt Septuag.& S. Hieron.qui Hebraicæ linguæ erant peritissimi) fortè per onomatopœiam: vox enim *scirot*,refert & exprimit sonum cardinum stridentium,qui ipsorum quasi est cantus. Adde, à rad. שׁוּר *scur*, quæ recta intendere,extendere,canere, multaque alia significat, deducitur nomen שׁוּר *scor*, id est murus, & ædificium ex quo prospicitur,vel quod procurrit & foras extenditur: inde *scirot* vocantur laquearia,quæ per totum templum supernè extenduntur,quæque in totum templum prospiciunt.

Quæres, de quo templo loquatur hîc Amos? an de Hierosolymitano Dei, an de Bethelino idolorum? De Hierosolymitano accipiunt S.Hieron.Theodor. & Rupert. Alij,& planiùs, accipiunt de eo quod erat in Bethel dicatum vitulis aureis. In Bethel enim degebat & prophetabat contra vitulos aureos Amos, vt patet c.7. v.13. vnde hîc v.2. celerem ei finem comminatur,qui & ei obuenit; cùm Ierusalem multò tardiùs vastata sit. Sicut ergo Iudæi suum templum in Ierusalem vocabant *hechal*, id est basilicam,ita eorum æmuli Samaritæ suum fanum in Bethel

Bethel pariter nuncupabant *hechal*. Id ita esse patet ex v.7. *Iurauit Dominus in superbiam Iacob.* Iacob enim vocantur decem tribus, non duæ. Et ex v.14. *Qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt: Viuit Deus tuus Dan.* Vndeliquet hæc dici contra Samaritas, eorumque deos collocatos in terminis regni, putà in Dan & Bethel. ita Ruffinus, Lyran. Clarius, Arias & à Castro.

MVLTI MORIENTVR] Hebr. *multiplicabitur cadauer*, id est, multa erũt cadauera, multi occidentur, *in omni loco proiiciet tace*, id est silentium. q.d. *Multi morientur, & captiu habitatoribus vel occisis, in omni loco proiicietur silentium*, ait S. Hieron. hoc est, summam vastitatem inducam, omniaque plena populo redigam in solitudinem. Est metalepsis: silentium enim ponitur pro strage & desolatione: ex occisione enim & strage sequetur desolatio, ex desolatione solitudo, ex solitudine silentium. Vnde Septuag. vertunt, *in omni loco iniiciam silentium.* Sic modò ait S. Hieron. *In toto orbe terrarum prouectum est silentium tudæorum: vbicumque fuerint, mussitant potiùs quàm loquuntur:* oppressi licèt, mutire & hiscere non audent. Secundò, contrariè vertit & explicat Lyran. nimirum accipiendo *beth*, id est *in*, pro *min*, id est *à, ab*, sic vertit, *ab omni loco proiicietur silentium*, quia in omni loco erit clamor, tam hostium occidentium, quàm incolarum occisorum. Tertiò, Vatabl. sic vertit, *multiplicabitur cadauer in omni loco (qui) proiiciet* (dicet) *tace*. q.d. Pollinctor qui curam habet proiiciendi cadauera in sepulchrum, agnoscendo iustam Dei vindictam in tanta Israelitarum strage, dicet socio suo: Tace, noli conqueri de Domino Deo, quòd tot nobis det funera: quia iustè hæc patimur propter idololatriam & peccata nostra. Verùm hîc multa supplenda sunt, quæ non habentur in textu. Quartò, Tigurina vertit, *multa cadauera* (hostis) *prosternet in omni loco, idq; silentio.* Quintò, Arias hæc aliter dispungens, & ad Amasiam sacerdotem idolorum referens, sic vertit & explicat: Adeò multa erunt cadauera, vt in omni loco proiiciantur insepulta: at tu, ô Amasia, quia hisce meis oraculis & minis non credis, tace, & tacens exspecta rei euentum. videbis enim hæc omnia compleri, & tunc serò credes vel inuitus. Verùm primus sensus planus & genuinus est. Simili modo regio vmbræ mortis, id est, status & locus defunctorum, in quo summa est vastitas & horror, vocatur *terra* silentum, & hebr. *duma*, id est *silentium*. Nam, vt ait Ouid. 5. Fastor.

Mox etiam lemures animas dixere silentum.

Et Virgil. 6. Æneid.

Dij quibus imperium est animarũ, vmbræq; silentes,
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte silentia latè.

Et infrà:

Quæsitor Minos vrnam mouet, ille silentum
Conciliumq; vocat, vitasq; & crimina discit.

Moral. disce hîc, strepitum & tumultum Israelitarum congruè puniri contrario, solitudine & silentio. Sicut enim medicorum in morbis axioma & praxis est, contraria contrariis curari, ita & iudex Deus contraria scelera contrariis supplicijs curat, nimirum superbiam depressione gulam fame, libidinem morbis & doloribus, ambitionem laboribus & sudoribus, tumultum desolatione. Quia enim Israelitæ magno strepitu, pompa, turba & tumultu celebrabant festa idolorum, putà vitulorum aureorum, eodemque inuadebant & vastabant bona pauperum, vt dicitur v.4. & 5. hinc pariter Deus congruè mulctat eos omnium rerum spoliatione, strage & vastitate. Simili modo apud Christianos, vrbes & prouincias in quibus magnus fuit rerum hominumque luxus, merciumque, vsurarum & fraudum turba, punit deprædatione & desolatione. Pari ratione & iure monasteria & Ordines, in quibus abiecto silentio viguit dissolutio, garrulitas, detractio, murmuratio, inuidia, &c. punit silentio, sinendo ea ab hæreticis vastari, comburi & redigi in solitudinem. Exempla sunt in Gallia, Germania, Belgio, Anglia, in qua sola sub Henrico VIII. teste Sandero,

Millia dena vnus templorum sustulit annus.

In cæteris prouinciis similiter plurima monasteria funditus euersa videmus, atque in nonnullis causa publica fuit omnibusque nota, nimirum silentij & disciplinæ Religiosæ abiectio, vitaque Monachorum licentiosa, & plusquam sæcularis. Dicat ergo talibus Deus: Quia vos proiecistis disciplinam & silentium, ego silentio, quod vim à vobis patitur, succurram, illudque in omni loco restituam, imò proiiciam, redigendo omnia in cineres camposque silentes.

4. Audite hoc qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ.

5. Dicentes: Quando transibit mensis, & venundabimus merces, & sabbatum, & aperiemus frumentum: vt imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas.

6. Vt possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus?

7. Iurauit Dominus in superbiam Iacob: Si oblitus fuero vsque ad finem omnia opera eorum.

8. Numquid super isto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius: & ascendet quasi fluuius vniuersus, & eiicietur, & defluet quasi riuus Ægypti?

QVANDO TRANSIBIT MENSIS. ita Roman. Hebr. & Septuag. malè ergo Remig. Rupertus, Hugo & Lyranus legunt *messis*. ET VENVNDABIMVS MERCES (Septuag. *& negotiabimur*) ET *quando transibit* (ita Syrus) SABBATVM, ET APERIEMVS FRVMENTVM] Syrus *horrea. Mensis & sabbatum* tripliciter accipi possunt. Primò synecdochicè pro quolibet tempore generatim. Hebræi enim tempus omne mensurabant & diuidebant per menses & sabbata. Secundò, magis particulatim mensis, hebr. *chodes*, vocabatur neomenia, id est, prima dies cuiuslibet mensis: & sabbatum propriè erat septima dies hebdomadæ. Tertiò, specialissimè, mensis sacer erat mensis septimus, putà September, quo post collectas fruges totum penè mensem sacrum festumque agebant, vti dixi Leuit. 23. 23. & sequent. ac proinde idem mensis erat sabbatum, non dierum, sed mensium: quia erat septimus mensis, isque festus. Iuxta primam mensis & sabbati acceptionem, *Triplex mensis & sabbatum.*

nem, primus huius loci sensus erit hic: Quolibet A
mense & sabbato, id est, quolibet tempore, quo
vos, ô auari frumentipolæ, videtis frumentum
vilis esse pretij, illud reconditis, vt tempus hoc
transeat, & succedat post tempus copiæ tempus
inopiæ, quo illud carius vendatis. ita à Castro &
Vatabl.

Iuxta secundam acceptionem sensus secun-
dus erit hic: Ita inhiatis lucro, vt doleatis adue-
nire festum neomeniæ & sabbati, ac optetis illa
citò transire, vt illis transactis illico ad merci-
monia & lucra vestra redeatis, ac de more ve-
stro carè vendatis frumentum. ita S. Hieron.
Theodor. Ruffin. Remig. Lyran. & Ribera. Vbi
Nota auarorum mercatorum vota, qui nil nisi
merces, mercatus & lucra somniant, quibus pro-
inde omnis res diuina est longa, adeoque Missa B
dimidiæ horæ sæpè nimis est prolixa. Addit San-
chez: Calendas, inquit, siue primum mensis diem
auidè exspectabant auari mercatores: quia tunc
pecunias dabant fœnori, & fœnebres exigebant
vsuras, vt patet ex Plutarcho libr. de Non fœne-
rando, & ex Horatio libr. 1. satyra 3. vnde tunc
debitorum, qui fœnus soluere non poterant,
pignora vendebant, vel bona inuadebant. Huc
refertur expositio Chaldæi & Pauli Burgensis,
qui per mensem accipiunt non quemuis, sed em-
bolismalē, qui scilicet tertio quoque anno quasi
decimus tertius, aliis duodecim anni mensibus
addebatur ab Hebræis ad hoc, vt annum suum
lunarem æquarent solari, vt dixi Exodi 12. v. 2.
q. d. Quando transierit annus ille tertius longior,
post quem ob additum mensem solet citiùs fru- C
mentum deficere, & cariùs vendi, nos illud carè
vendemus. Rursum Chald. Burgensis, Albert &
Arias, sabbatum accipiunt non dierum, nec men-
sium, sed annorum, putà annum septimum re-
missionis, qui totus erat sacer & sabbatum, id est
festus. q. d. Quando transierit annus septimus
quo serere non licet, vnde sequetur frumenti
penuria, tunc carè illud vendemus; quasi hoc
Propheta dixerit instante vel præsente anno se-
ptimo & sabbatico, taxans abusus auarorum qui
illo abutebantur ad turpia sua lucra.

Iuxta tertiam acceptionem tertius sensus erit
hic: Quando transierit tempus messis, quo ob
copiam vilius solet esse frumentum; pariter &
mensis septimus, quo feriantur Iudæi, ac libera-
liter fruges suas consumunt, mense octauo &
sequentibus, cùm frumentum iam deficere inci- D
pit, nos illud pretio caro ad libitum vendemus.
Hunc sensum afferunt quoque Remig. Albert.
Rupert. Lyran. & Hugo. Fauet huic expositioni
articulus hebraicus *he* additus voci *chodes*, qui
certum mensem, eumque cæteris illustriorem si-
gnificat, qui sanè alius esse nequit quàm mensis
septimus. Rursum fauet rei natura: post mensem
enim septimum carius erat frumentum, idque
ordinariè quolibet anno. Non enim videtur lo-
qui Propheta de anno septimo, vel simili extra-
ordinario & rariùs occurrente. Denique posset
quis opinari, per mensem hîc significari mensem
messis, quo scilicet metebant nouas fruges, putà
Maium, vel Iunium: ac per sabbatum significari
festum Pentecostes, quo ex messe primos panes
quasi primitias Deo offerebant. Sabbatum enim
Hebræis erat quintuplex. Primum dierum, putà
septima dies hebdomadæ. Secundum hebdo-
madum, putà septem hebdomades numerate à
Paschate, quæ conficiunt quadraginta nouem
dies, quibus expletis sequens dies quinquage-
sima erat Pentecoste. Tertium, mensium, putà se-
ptimus mensis, de quo iam dixi. Quartum, anno-
rum, putà annus septimus remissionis, qui pro-
de vocabatur sabbaticus, eratque festus. Quin-
tum, hebdomadis annorū: septem enim hebdo-
mades, siue septenarij annorum, faciunt qua-
ginta nouem annos, post quos annus sequens
quinquagesimus erat iubileus, & totus sabbati-
id est festum. Verùm quia statim à messe & Pen-
tecoste erat copia frumenti, ac proinde illud vile
erat pretij, hinc aliud tempus hi auari mercato-
res hîc notare videntur, videlicet post septimum
mensem, quando iam illud deficere, eiusque pre-
tium carius effici incipiebat.

Et aperiemvs frvmentvm] aperiemus gra-
naria tempore copiæ clausa, vt tempore pe-
riæ promamus, careque pro libito nostro ve-
damus frumentum. Porrò quàm hoc Deo sit
uisum, docet ipse hoc loco, dum mox multas g
uesque talibus pœnas intentat. Deum imitent
principes & magistratus, vt hosce monopo
quasi mures tritici corrasores, imò corroso
famem publicam afferentes capiant & plect
Ita fecit B. Carolus Comes Flandriæ: cum e
Lambertus Stratensis, frater Bertolfi Præpo
S. Donatiani, decimas in multos annos rede
set, plenaque horrea haberet, atque ingru
annonæ caritate ea egenis communicare no
iussit B. Carolus eius horrea effringi, tritici
vim ingentem egentibus gratis admetiri. Q
de causa à monopolis ei in templo oranti sa
legè mors violenta illata est, ipseque iustitiæ
què ac annonæ publicæ tutor pro muneris
fortiter obiti merito martyrij palmam tulit.
habet eius Vita nuper à Belgis edita, & Æ
l. 5. Celebris & sancta huius facti memoria e
num Brugis Flandrorum perdurat, vbi loc
quo Comes occisus, mihi olim ostensus est.

Narrat Procopius li. 3. Iohannem præfect
prætorio Belisarij, bello Wandalico nautic
panem, ne bis coctus pondere leuior redderet
adhuc crudum ad publici balnei fornacem a
ri fecisse, ne quid ponderi decederet: at vix M
thonem peruenisse, cùm panes dissolui cœpe
& militibus per modios distributi grauissim
morbos inuexere. Ita vnius auaritia totum ex
citum afflixit, & penè perdidit. Ad hosce aua
Tantali fabulam ingeniosè transfert Horat
Serm. satyra 1. qui

Congestis vndique saccis
Indormit inhians, & tamquam parcere sacris
Cogitur, aut pictis tamquam gaudere tabellis.

Porrò Deus iusto iudicio auaros penuria pu
facitque vt frumentum quod auarè asseruant
muribus corrodatur, vel tempestate aut nauf
gio mergatur, vel ab hostibus diripiatur, vel a
casu pereat.

Memorabile est quod in vita S. Paulini le
mus, eum Christi imitatione & amore opes a
plissimas in pauperes erogasse, & ex diuiti
factum pauperrimum. Cùm quadam die pa
per ab eo stipem peteret, dixit B. Terasiæ ol
coniugi, nunc sorori suæ (cum ea enim viue
in continentia) vt eam illi daret. Respondit T
rasia, se non habere nisi vnicum panem. Iu

tam

tamen Paulinus illum dari. Terasia timens ne in pondio non haberet quod apponeret Paulino, panem non dedit, sed seruauit. *Interea*, inquit Gregor. Turon lib. de Gloria Confess. c. 107 *admirantur quidam dicentes se missos à dominis suis, vt illi annona ac vini deferrent speciem; sed pro hoc se morator, quòd orta tempestas vnam eis cum tritico abstulerit nauim. Tunc vir Dei conuersus ad mulierem ait: Intellige te illi pauperi vnum panem fuisse furatam, & ideo hanc nauim esse mersam.* Ex aduerso dum idem Paulinus iam Nolæ Episcopus, adeò liberalis esset, vt cùm fruges omnes erogasset in pauperes, tandem seipsum pro filio viduæ redimendo seruituti manciparet, paulò pòst Dei nutu à rege Wandalorum agnitus, cum suis ciuibus omnibus, atque onustis frumento nauibus Nolam est remissus: *sicq; factum est, vt qui se in seruitium solum tradiderat, cum multis à seruitio ad libertatem reliceret, illum videlicet imitatus, qui formam serui assumpsit, ne nos essemus serui peccati. Cuius sequens vestigia Paulinus, ad tempus voluntariè seruus factus est solus, vt esset postmodum liber cum multis*, ait S. Gregor. 3. Dialog. 1.

Simile est quod narrat Leontius in Vita S. Iohannis Eleëmosynarij, de mercatore quodam opulento, cuius fruges & merces naufragio perierunt, qui cùm hoc suum infortunium lamentans narraret S. Iohanni, audiuit ab eo: *Scias, hoc tibi nulla alia de causa accidisse, visi quòd hæc nauis non iustè, non honestè à te esset acquisita.* Iussit ergo ei dari vnam ex nauibus Ecclesiæ, onustam viginti millibus modiorum frumenti: cum qua felicissimè nauigans mercator, appulit in Britanniam fame tunc laborantem, vbi moderato pretio vendens frumentum, Britannorum indigentiæ dum consulit, ipse ditatus est. Hoc est quod ait Sapiens Prouerb. 11. 24. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Anima quæ benedicit impinguabitur, & qui inebriat ipse inebriabitur. Qui abscondit frumenta maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.* Et S. Paulus 2. Corinth. 9. v. 6. *Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat in benedictionibus* (beneficè, largiter, copiosè) *de benedictionibus & metet.* vide ibi dicta.

Quocirca grauiter & acriter monopolas insectans S. Ambros. libr. 3. Offic. cap. 6. *Cur*, ait, *ad fraudem conuertis naturæ indulgentiam, quæ copiosas dat fruges? Cur inuides vsibus hominum publicos partus? Cur populis minuis abundantiam? Cur affectas inopiam? Cur optari facis à pauperibus sterilitatem? Cum enim non sentiant beneficia fœcunditatis, te auctionante pretium, te condente frumentum, optant potiùs nihil nasci, quàm te de fame publica negotiari.* Et mox: *Latrocinium hoc, an fœnus appellem? Captantur tanquam latrocinij tempora, quibus in viscera hominum durus insidiator obrepas. Lucrum tuum damnum publicum est. Ioseph sanctus omnibus aperuit horrea, non clausit. Recte Salomon* (Prouerb. 11.) *Qui continet, inquit, frumentum, relinquet illud nationibus, non heredibus: quoniam auaritiæ emolumentum ad successorum iura non peruenit. Quod non legitimè acquiritur, quasi ventis quibusdam, ita extraneis diripientibus dissipatur.*

VT IMMINVAMVS MENSVRAM, ET AVGEAMVS SICLVM. Pro *mensurâ* hebr. est *epha*, quæ erat ærea, vsitata & communis mensura, sub qua omnes alias per synecdochen intelligit. Porrò *epha* erat decima pars cori: corus autem continebat 30. modios Italicos: ergo epha continebat tres modios Italicos & sex Hispanicos (modius enim Italicus duplus est ad Hispanicum.) Quocirca epha Hebræum idem erat quod medimnus Atticus, teste Iosepho l. 10. Antiq. 12. Rursum satum erat tertia pars epha, putà modius vnus Italicus. vide ea quæ dixi de mensuris in fine Pentateuchi. Notat non tantùm auaritiam, qua carissimè vendebant, sed etiam dolum & fraudem mercatorum, quo in vendendo mensuram minuebant, id est, mensura æquo minori rem quam vendebant emptoribus admetiebantur; è contrario verò augebant *siclum*, supponendo scilicet stateras dolosas, vt sequitur, quarum videlicet lanx altera in qua appendendus erat siclus (vt videretur an iusti esset ponderis) quem ementes pro merce empta soluebant, esset depressior & grauior, ita vt siclus alioqui iusti ponderis, his dolosis stateris appensus, iusto leuior videretur, ac per consequens illi drachmas aliquas argenti vel auri, ementes adiicere deberent. ita Clarius, Ribera, Arias & à Castro. Olim enim omnis pecunia, præsertim cùm rudis esset, nec signata, semper ponderabatur, & ad pondus annumerabatur, atque pro pondere maiori vel minori suum habebat pretium maius vel minus, vt patet Genes. 23. 16. Ierem. 32. 9. Isaiæ 55. 2.

Secundò, S. Hieron. & Vatabl. per *siclum* accipiunt, non monetam, sed pondus. Siclus enim hebr. idem est quod pondus. q.d. *Augeamus siclum*, hoc est, cùm ememus merces, maiori æquo siclo, id est pondere, eas ponderemus; cùm verò easdem aliis vendemus, minori æquo pondere easdem appendamus. Vnde Vatabl. vertit, *diminuamus modium, & augeamus pondus, & peruertamus bilancem dolosam.* huncque dat sensum: *Vendamus triticum nostrum mensura æquo minori, & peruertendo supponamus bilancem dolosam.* q.d. *In his quæ mensura vendi solent, vt modio, vtemur mensura æquo minori: in his verò quæ accipiemus, maiori æquo pondere vtemur.*

Tertiò, Remig. & Lyran. sic exponunt: *Augeamus siclum*, id est, augeamus pretium frumenti. q.d. Conspiremus in pretium iusto maius, vt nemo nostrùm infra illud minoris vendat, ita vt cogantur emptores omnes pretio illo iniusto à nobis taxato merces nostras emere. quod vitium vocatur monopolium, de quo vide P. Lessium de Iustitia & iure lib. 2. c. 21. de emptione dub. 11.

Quartò, Mariana explicat, q.d. Post venditum frumentum & receptam pecuniam augeamus siclum, id est sicli pretium, vt sic crescat pretium pecuniæ, opesque nostræ.

Nota. *Siclus*, hebr. idem est quod pondus, à rad. שָׁקַל *shakal*, id est appendit, ponderauit. Sic græcè siclus dicitur στατὴρ à σταθμὸς, id est libra, pondus, statera. Siclus enim erat nummus vulgaris, communis & vsitatus, pondere quatuor drachmarum, siue semunciæ, quo non tantùm pecunia, sed & metalla, adeoque res quaslibet ponderabant. Valebat ergo siclus quatuor Iulios, siue quatuor regales Hispanicos: Iulius enim, æquè ac regalis, pendit drachmam argenti. Erat & siclus æreus & aureus, eiusdem ponderis, sed pro materia maioris vel minoris pretij. vide quæ de siclo dixi Exodi 30. 13.

VT POSSIDEAMVS IN ARGENTO (id est argen- VERS. 6.

to, pretio argenti. Hebr. enim *beth*. id est *in*. est nota pretij) EGENOS. ET PAVPERES PRO CALCEAMENTIS] q.d. Vt hisce nostris artibus & fraudibus redigamus pauperes ad extremam inopiam, qua cogantur se vendere nobis in mancipia, itaque possideamus eos, vt nobis quasi iumenta seruiant, idque paruo pretio, imò pro pari calceamentorum.

ET QVISQVILIAS FRVMENTI VENDAMVS] pro puro frumento. Nota hic auarorum mercatorum varias artes & dolos, quibus alios expilant & se ditant. Primus est, quòd carissimè merces suas diuendant. Secundus, quòd minuant mensuras. Tertius, quòd augeant siclum, id est pondus. Quartus, quòd supponant stateras dolosas. Quintus, quòd cogant pauperes non tantùm sua, sed & seipsos vendere pro calceamentis. Sextus, quòd frumentū mistum paleis, cicere, auena, arena, &c. vendant pro puro frumento. Vnde Arabicus vertit, *vendemus vasorū purgationes*, id est, quod post sublatum frumentū scopis aream purgando, conuerritur & congeritur. Hinc ira Dei excita detonat in eos, aitque:

VERS. 7. IVRAVIT DOMINVS IN SVPERBIAM IACOB] id est, contra superbiam Israelis, qua superbè dominatur pauperibus, eosque deprædatur. ita Septuag. S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. & alij. Hebr. pro *superbiam* est גאון *gheon*, id est magnificentia, celsitudo, arrogātia. Vnde Chald. vertit, *iurauit Dominus qui dedit magnitudinem Iacob*; Pagnin. *iurauit Dominus per celsitudinem suam notam in Iacob*; Arias & Tigurina, *iurauit Dominus per excellentiam ipsius Iacob*. q.d. Iurauit per templum, quod erat gloria, præstantia, magnificentia, & quasi superbia Iacob. Sic ait Isaias c. 60. 15. *Ponam te in superbiam*, id est, in magnificentiam & gloriam, *saculorum*. ita Vatabl. & Prado in Ezech. c. 7. 24. explicans illud: *Et quiescere faciam superbiam potentium*. Templum, inquit, vocat superbiam potentium, id est arcem potentissimam, superbissimam, magnificentissimam & celsissimam. Prima versio & sensus nostri Interpretis, vti Hebræo congruentior, ita & neruosior est.

SI OBLITVS FVERO] Vox *si* est nota iurantis, & signum iuramenti execratorij apud Hebræos. q.d. Iurauit Deus dicens: Iuro per me, meamque veritatem, quod non obliuiscar hæc opera & scelera Israelis, sed ea acriter puniam, adeò vt si eorum oblitus fuero, non habeat verax, non habeat Deus. Vox ergo *si* in iuramento vel impropriè capitur pro *non*, vel propriè si subaudias execrationē, v.g. hanc, Non habeat Deus. Hanc enim Hebræi per euphemismum tam horroris, quàm boni ominis causa subticent, & subaudiendam relinquunt.

VERS. 8. VSQVE AD FINEM] in perpetuum.

NVMQVID SVPER ISTO NON COMMOVEBITVR TERRA] scilicet vastitate, vt diripiatur & vastetur. Vnde Chald. vertit, *desolabitur terra*. Secundò, hebr est רגז *tirgaz*, id est *contremiscet*, vt vertit Tigurina; Pagnin. *mouebit se*. q.d. Tanta sunt scelera Israelis, tantæque ob ea illi clades imminent, vt meritò terra hæc audiens, sustinens & sentiens, quasi terrore & stupore perculsa contremiscere, omnesque incolæ plangere & eiulare debeant. Est prosopopœia: ad pathos enim terræ insensili sensum, indignationem, horrorem & tremorē attribuit. Omnes enim creaturæ A sensu naturali sentiunt vocem & nutum sui creatoris, multoque magis eiusdem offensam & iram.

ET ASCENDET QVASI FLVVIVS VNIVERSVS, ET DEFLVET QVASI RIVVS ÆGYPTI] Aliqui, vt à Castro, per riuum accipiunt torrentem deserti, qui Iudæam disterminat à deserto & ab Ægypto, de quo dixi c. 6. v. 15. q.d. Sicut hic torrens in mare defluit, & ampliùs non apparet, aquis eius à mari haustis; ita Israelitæ haurientur ab Assyriis, ab eisque abducentur & dispergentur, vt ampliùs non appareant. ita à Castro, qui & citat pro hac expositione S. Hieron. & alios: sed in S. Hieron. idipsum non reperi: atque ille torrens deserti, torrens est & vocatur, non fluuius. Adde, riuus Ægypti non alius est quàm Nilus, vel riuus Nili: vnde Septuag. pro *riuus*, vertunt *fluuius* Ægypti.

B Melius ergo Clarius, Arias, Vatabl. & alij passim, per *fluuium* intelligunt Nilum: hic enim paulò pòst vocatur riuus Ægypti, præsertim quia Nilus in septem riuos se diuidit, quibus per totidem ostia in mare defluit. Appositè autem adducit Nilum, potiùs quàm alios fluuios: quia Nilus quotannis exundans & restagnans, oblimat fertilemque facit Ægyptum (non enim pluit in Ægypto, sed vice pluuiæ est Nilus exæstuans.) Vnde Messis Ægypti dicitur esse in Nilo, quasi in causa, iuxta illud Isaiæ 23. 3. *In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges eius, & facta est negotiatio gentium*. Adde, Israelitæ mercatores frumentum emebant ex Ægypto: Ægyptus enim ita fertilis erat, vt esset horreum Romanorum, imò totius Orientis. q.d. Quia vos, ô Israelitæ, frumentum Niliacum in Ægypto vili pretio C emptum reconditis, vt carè vendatis, quin & illud mixtis quisquiliis vitiatis, & iniustis mensuris dolosè diuenditis; hac de causa ego adducam exercitum Assyriorum, qui instar Nili copia sua inundabit Israelem, eumque cum suo frumento & opibus euertet, & transferet in Assyriam. Alludit ergo ad ascensum, id est, incrementum Nili intumescentis & exundantis, qui deinde statim detumescit & subsidit, ac partim absorbetur à terra, partim refluit in suum alueum, & ex eo in mare delabitur. q.d. Pari modo ascendente exercitu Assyrio in terram Israel, vos pariter ascendetis, & ab eis in magnam turbam conglobabimini, & conglobati turmatim expellemini in Assyrios, ibique dispergemini & absorbebimini, vt inter numerosissimam gentem dispersi, vix vlli esse appareatis. Vnde Chald. vertit, *irruet in eam rex cum exercitu suo maximo sicut aquæ fluuij, & eluet eam omnem, expelletq; habitatores eius vt fluuius Aegypti*; alij actiuè vertunt, *& transcendit* (Assyrius) *sicut fluuius vniuersam illam* (terram Israel) *& deprimetur tamquam fluuio Aegypti*. q.d. Sicut terra Ægypti obruitur Nilo, sic terra Israel obruetur & opprimetur ab Assyriis. Rursum, sicut Nilus exundans euerrit totam Ægyptum, sic Assyrij euerrent omnes fruges & opes Israel. Secundò, Vatabl. vertit, *& ascendet tamquam amnis vniuersa ipsa* (terra Israel) *& pellet* (loco suo) *& absorbebitur sicut fluuius Aegypti*, sicque explicat, q.d. Terra Israel tota operietur aquis, & vertetur tota quasi in amnem: per aquam & amnem significat omnes clades & calamitates, quibus illa quasi aquis obruenda erat ab ira & vindicta diuina.

Tertiò

Tertiò, Clarius explicat, q.d. Sicut Nilus euo- A
uat ea quæ ipsi innatant, sic terra Israel euomet
exle Israelitas, proiicietque eos in Assyriam.

Nota 10 *ascendet*, scilicet non *habitator*, sed *terra*: Hebr. enim עָלְתָה *aleta*, cùm sit femininum, respicit terram: terra ergo Israel ascendet, eiicietur & defluet: *terra*, id est incolæ, fruges & opes terræ ascendent, id est, in cumulum redigentur, vt auferantur ab Assyriis hostibus & prædatoribus.

Hinc consequenter τὸ *vniuersus*, supple non *habitator*, *sed fluuius*. q.d. Sicut fluuius vniuersus, id est totus, in Ægypto collectus ascendit & in altum assurgit, ita pariter totus cumulus Israelis abducendi ab Assyriis ingens erit, & in magnam summam ascendet. Iam in Hebr. legitur כֻּלָּהּ *tulla*, id est *omnis illa*, scilicet terra Israel, ascendet: sed noster Interpres aliis punctis legit כְּלָה *cala*, id est completus, perfectus, vniuersus, scilicet fluuius ascendet. Sic etiam legerunt Septuag. vertunt enim, *& ascendet quasi flumen consummatio, & descendet quasi fluuius Aegypti. consummatio*, id est, tota & consummata multitudo, æquè ac substantia Israelis. quod mysticè, vel potiùs accommodatitiè electis & reprobis adaptat S. Hieron. *vt qui egerit*, inquit, *pœnitentiam, ascendat cum fluuio scandente; qui autem perseuerauerit in delicto, descendat sicut fluuius Aegypti, & ingressu mare absorbeatur: ac per hoc ostendit superbiam Iacob, contra quam iurat Dominus, æternis suppliciis deuorandam.*

Denique pro *defluet* hebr. est נִשְׁקְעָה *niskea*, id est, demergatur in profundum, absorbeatur, eat in abyssum. Vbi Nota, pro נִשְׁקְעָה legendum נִשְׁקָעָה, vti legendum docent Masoretæ, littera C
ergo *ain* suppressa est vel vitio scriptorum, vel studio ab ipso Propheta, vt omnimodam demersionem innueret, inquit Marinus in Lexico. Radix enim est שָׁקַע per *ain*, id est profundari, demergi, ad ima trahi; non שָׁקַה per *he*, id est irrigari, potari: sic enim dicendum fuisset נִשְׁקְהָה *nisketa* in genere feminino, eò quòd אֶרֶץ *erets*, id est terra, sit nomen femininum. Israel ergo ibit in abyssum perinde ac Babylon, de qua dicit Ieremias c. 51. v. 63. & ex eo S. Iohannes Apocal. 18. 21. *Et sustulit vnus angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltrà iam non inuenietur.* Postremò Syrus hoc loco vertit, *ascendet quasi fluuius finis eius, & repellet* (opprimet) *& descendet sicut fluuius Aegypti*; Arabicus D
Alexandr. *ascendet quasi fluuius, & descendet quasi Nilus Aegypti*; Arabicus Antiochen. *& adueniet finis eius quasi fluuius, & defluet, & eiicietur quasi fluuius Aegypti.*

9. Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.

10. Et conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum: & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput caluitium: & ponam eam quasi luctum vnigeniti, & nouissima eius quasi diem amarum.

11. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam famem in terram; non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.

12. Et commouebuntur à mari vsque ad mare, & ab Aquilone vsque ad Orientem: circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient.

13. In die illa deficient virgines pulchræ, & adolescentes in siti.

14. Qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt: Viuit Deus tuus Dan: & viuit via Bersabee: & cadent, & non resurgent vltrà.

B OCCIDET SOL IN MERIDIE] Non quòd reuera sol Israelitis occidet & abscondetur; sed quòd nimio pauore & mœrore consternatis occidere & abscondi videatur. Pauor enim & mœror caliginem oculis, æquè ac menti inducit, vt mœrentes in meridie videantur sibi versari in tenebris, nec lucem solis conspicere. Hoc est enim quod explicans subdit: *Et tenebrescere faciam terram in die luminis.* ita S. Hieron. Theodoret. & S. Chrysost. homil. 2. ad populum, vbi idipsum Antiochenis suo illo tempore contigisse asseuerat, eò quòd ipsi ob violatam Theodosij Imper. imaginem pauidi & anxij, in horas singulas ab eius ira laqueos, furcas & ignes exspectarent. VERS. 9.

Secundò, symbolicè, *occidet sol in meridie*, id est, in summa prosperitate & felicitate Israelis maxima ei accidet calamitas & captiuitas; vt sit parabolica catachresis: sol enim & lux sunt causa & symbolū lætitiæ & prosperitatis, æquè ac tenebræ calamitatis & tristitiæ. ita Remig. Rupert. Hugo, Lyran. & S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 1. Rursum sol, id est mens & ratio, occidit irato & peccatori: quia tenebræ iræ & perturbationum animam eius occupant, vt velut in nocte cæca positus, non videat quid agere debeat. ita Cassianus lib. 8. de Institutis renunc. c. 9.

Allegor. hæc de occasu & eclipsi solis, quæ per miraculum facta est in passione Christi, qua sol quasi pullatus incessit, & luxit necem sui creatoris, exponunt S. Hieron. Ruffin. Rupert. hic, & Euseb. libr. 10. de Demonstr. c. 6. S. August. libr. quæst. ex vtroque Testamento quæst. 15. Cyrillus cateches. 13. Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 42. S. Cyprian. lib. 2. ad Quirinum c. 23. Isidor. libr. de Passione Domini c. 45.

ET INDVCAM SVPER OMNE DORSVM VESTRVM SACCVM, &c.] Efficiam vt omnes Israelitæ induant saccum, & capita radant, eaque decaluent: saccus enim & caluitium apud Iudæos signa erant lugentium, & luctus maximi, vt patet Ierem. 6. 26. VERS. 10.

ET PONAM EAM QVASI LVCTVM VNIGENITI] q.d. Affligam terram Israel grauissimè, itaque faciam vt acerbissimè lugeat: mortuo enim filio vnigenito parentes, & maximè mater luget inconsolabiliter.

ET NOVISSIMA EIVS (ponam) QVASI DIEM AMARVM] q.d. Efficiam vt nouissima & vltima Israelis sint luctuosissima & amarissima. Tropol. cogitet hoc peccator dum voluptuatur, quòd scilicet Deus in hora mortis omnes delicias in

dolores

dolores & angores conuertet. Verè Pythagoras: *Omnium, ait, malorum maximum est voluptas, qua tanquam clauo ac fibula anima nectitur.*

VERS. 11. MITTAM FAMEM IN TERRAM; NON FAMEM PANIS, NEQVE SITIM AQVÆ, SED AVDIENDI VERBVM DOMINI] q.d. Efficiam vt tempore obsidionis & expugnationis Samariæ, ita affligantur, angantur, inopesque sint mentis & consilij Israelitæ, vt Prophetas quos iam contemnunt, toto orbe perquirant, vt ex iis sciscitentur & audiant tum oracula de obsidionis exitu, tum consilia ad eam euadendam: an videlicet, quando & quomodo sint liberandi.

Tropol. S. Basil. homil. de Laudibus ieiunij in fine, citans hæc Amos verba, *Non famem panis, sed famem audiendi verbum Dei*, subdit: *Quam ideo immisit iustus iudex, quòd perspiceret eorum mentem verorum dogmatum penuria macrescere, externum verò hominem supra modum pinguescere, & obesum fieri.* Sæpè enim Deus diuites & gulones punit fame & penuria cibi spiritalis, vt qui pinguescũt corpore, macrescant & emoriantur in spiritu; sicut ex aduerso pauperes & abstinentes ditat & impinguat sua doctrina & gratia. Rursum hinc docet S. Gregor. 30. Moral. 35. *Sapè*, inquit, *doctori verbum pro gratia tribuitur auditoris, & sapè propter culpam auditoris subtrahitur sermo doctori*, vt Ezechieli, cui ait Deus c. 3. 26. *Linguam tuam faciam adhærere palato tuo, & eris mutus, quia domus exasperans est.*

VERS. 12. ET COMMOVEBVNTVR A MARI, &c.] q.d. Calamitate iam dicta, & fame, id est, desiderio audiendi oracula commoti Israelitæ, vel mittent legatos in omnes terræ angulos, vt à mari Galilææ vsque ad mare Mediterraneum Prophetam aliquem perquirant, qui hæc eis enunciet: fiet enim eis iuxta illud psal. 73. 9. *Signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius.* ita Chald. Lyran. & alij. Secundò, S. Hieron. Remig. Hugo & Arias, hæc sensu vel litterali, vel allegorico extendunt ad desolationem extremam Iudæorum, quam etiamnum ob occisum Christum patiuntur, & patientur vsque ad finem mundi. Amos enim licèt directè prophetet contra decem tribus, indirectè tamen & comitanter prophetat quoque contra duas, putà contra Iudam & Beniamin. Sicut enim Iudas in scelere, sic & in vastitate similis fuit Israeli fratri suo. Huius ergo excidium illius fuit typus & præambulum.

Audi S. Hieron. totum hunc locum Christo & Iudæis adaptantem: *Possumus hunc locum & in Domini passione intelligere, quando sol hora sexta retraxit radios suos, & pendentem in cruce Dominum suum spectare non ausus est: quando tenebris cuncta complentibus, festiuitates eorum & cantica, Vespasiano Titoq; superantibus, in planctum luctumq; mutata sunt: quando lachrymarum, & pœnitudinis, & ciliciorum repleta sunt omnia; & capita habuere calui tium, quæ priùs nazaræorum decorata cæsarie comam Domino nutriebant. Tunc primogenitus filius Dei populus Israel, qui in vnigenitum & verè filium Dei misserat manum, æterno luctui traditus est. Nunc ergo illis habentibus tenebræ qui repulerunt solem iustitiæ, nos qui sedebamus in tenebris & in vmbra mortis, vidimus lucem magnam, & illorum vniuersa festiuitas ad Ecclesia translata est mysteria.* Et post pauca: *Illi dormierunt in meretricis Synagogæ genibus, & diabolo tondente derasi, virtutem capitis perdiderunt, amittentes cum robore oculos*, instar Samsonis. Et inferiùs: *Ablata est ab eis lex, & Prophetæ æterno conticuere silentio: mouentur à mari ad mare, & ab Oceano Britannico vsque ad Oceanum Atlanticum, id est, ab Occidente ad Meridiem, & ab Aquilone vsque ad Orientem toto orbe peregrini* (& vagi) *verbum Dei non valent inuenire.* Et mox famem verbi Dei explicans: *Quibus*, inquit, *ingerimus famem esse præclaram intelligentiæ spiritualis, in qua Christus cernitur, passio Domini & resurrectio reperitur. Circumeunt orbem, & quærunt verbum Domini, & non inueniunt: quia Verbum Domini negauerunt, quod factum est in manibus omnium Prophetarũ, quod in principio apud Patrem erat, quod caro factũ est & habitauit in nobis.*

IN DIE ILLA DEFICIENT VIRGINES PVLCHRÆ, ET ADOLESCENTES IN SITI] q.d. Non tantùm spiritualis, sed & corporalis fames & sitis eis obueniet: hac enim tabescent virgines innuptæ, æquè ac iuuenes, ita vt iis enectis nulla posteritatis sit spes, sed tota quasi gens intereat. Vnde Chald. vertit, *in illo tempore deliquium patietur cœtus Israel.* ita Theodoret. Albert. Lyran. & Clarius.

Mysticè, S. Hieron. *Deficient*, ait, *virgines, quæ verbum Domini non inuenient. Ex quo intelligimus quando doctrina non fuerit in Ecclesia, perire pudicitiam, castitatem mori, abire virtutes: quia non comederunt verbum Domini, quod qui comederit, sagina tus eius cibo audiet per Salomonem: Iustus comedens saturat animam suam, animæ autem impiorum egebunt*, Prouerb. 13.

QVI IVRANT IN DELICTO SAMARIÆ] q.d. Ideo virgines, adolescentes & Israelitæ omnes punientur fame, siti & morte, quia adorant, colunt & iurant per vitulum aureum, quem Ieroboam erexit, & collocauit in Dan quasi Deum Samariæ, eumque opponunt & anteponunt Dei verbo.

ET VIVIT VIA BERSABEE] Nota, Israelitas non tantùm per vitulos suos in Bersabee erectos iurasse, sed etiam per viam qua ad eos ibatur in Bersabee, quasi hæc sancta esset à sancto idolo. q.d. Punientur qui iurant per vitam viæ, quæ itur in Bersabee. Non quòd via hæc viueret, sed vitam vel metaphoricam, vel metonymicam intelligunt. Metaphoricam, q.d. Viuat, id est floreat, teratur & frequentetur iugiter via Bersabee. Sic enim ex aduerso viæ dicuntur mortuæ vel lugere, cùm neglectæ & desertæ iacent, iuxta illud Thren. 1. 4. *Viæ Sion lugẽt, eò quòd non sint qui veniant ad solemnitatem.* Metonymicam, q.d. Viuat vitulus aureus Deus noster, ad quem ducit via tendens in Bersabee: viuat vitulus, cuius colendi causa tam longam inimus viam, vt à domo nostra eamus ad fines Israelis: ibi enim sita erat Bersabee. ita Albertus & Lyran. Iurant per hanc viam, quia in illa multa erant sacella & aræ idolis erecta (eò quòd illis in locis diu versatus fuisset Abraham Patriarcha) quæ peregrinantes adibant. Id patet 4. Reg. 23. v. 8. vbi Iosias dicitur contaminasse *excelsa, vbi sacrificabant sacerdotes à Gabaa vsque Bersabee.* Addit Vatabl. significari hîc idololatrarum studium, qui sanctitatem constituebant in longitudine itineris, ideoque ab vno termino Iudææ peregrinabantur vsque ad alterum, putà à Dan vsque in Bersabee. q.d. Viget quæ peregrinatio quæ incipit à Bersabee

& desinit in Dan. In Dan enim & Bersabee quasi in duobus regni sui limitibus vitulos aureos collocauit Ieroboam, quasi tutelares Israelis Deos. Arabicus vertit, *iurant in indulgentia Samariæ, & dicunt, quòd Dan est Deus tuus & Bersabee.* Vide hîc insanum idololatrandi studium, quo non tantùm idolo, vel templo, sed & viæ bene precantur, imò per illam quasi numen iurant.

CADENT (ob hanc idololatriam) ET NON RESVRGENT VLTRA] q.d. Omnino & irreparabiliter corruent & peribunt. Ita contigit: nam decem tribus excisa Samaria abductæ in Assyrios numquam inde redierunt.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Amos Deum stantem super altare, & iubentem angelo, vt percusso cardine illud euertat, ob auaritiam & scelera populi, quem se perquisiturum & perditurum asserit, etiamsi is se in cælo, abyssò, vel inferno absconderet. Secundò, v. 7. comparat Israelitas Aethiopibus, Syris & Palæstinis, tam in culpa, quàm in pœna excidij & dispersionis. Tertiò, v. 11. se eos per Christum restauraturum promittit, daturumq; copiam frumenti & vini, adeò vt montes stillent dulcedinem.

VIdi Dominum stantem super altare, & dixit: Percute cardinem, & commoueantur superliminaria: auaritia enim in capite omnium, & nouissimum eorum in gladio interficiam: non erit fuga eis. Fugient, & non saluabitur ex eis qui fugerit.

2. Si descenderint vsque ad infernum, inde manus mea educet eos: & si ascenderint vsque in cælum, inde detraham eos.

3. Et si absconditi fuerint in vertice Carmeli, inde scrutans auferam eos: & si celauerint se ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo serpenti, & mordebit eos.

4. Et si abierint in captiuitatem coram inimicis suis, ibi mandabo gladio, & occidet eos: & ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum.

5. Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabescet: & lugebunt omnes habitantes in ea: & ascendet sicut riuus omnis, & defluet sicut fluuius Ægypti.

6. Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit: qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomen eius.

VIDI DOMINVM STANTEM SVPER ALTARE] S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. Arias, Vatabl. & Ribera censent, Amos hîc prophetare excidium duarum tribuum, & templi Hierosolymitani per Chaldæos. Probant, quia eius restitutio, quæ facta est per Esdram & Nehemiam, promittitur v. 11. Fauet Chald. qui non verbotenus, sed paraphrasticè ita vertit, *vidi gloriam Domini conscendentis à Cherub, qui manfit super altare: nisi populus domus Israel conuertatur ad legem, extinguetur candelabrum, occidetur rex Iosias, & destruetur domus Dei*, putà templum, *& dissipabuntur atria, & vasa domus sanctuarij in captiuitatem ibunt.*

Probabilius est quod censent Ruffinus, Clarius & à Castro, Prophetam hîc pergere prophetare contra decem tribus, ac consequenter hîc prædicere excidium altaris & templi idololatrici, quod ipsæ sibi erexerant in Bethel. Probatur. Primò, quia ad decem tribus propriè missus fuit Amos in Bethel, vt patet c. 7 13. Secundò, quia cap. 8. egit contra decem tribus: ergo & hoc c. 9. Nam nihil est quod significet eum diuertere sermonem à decem tribubus ad duas; imò eum continuare sermonem ad decem tribus, patet ex v. 5. qui idem est cum v. 8. cap. 8. Tertiò, quia v. 8. & 9. ait se loqui de domo Iacob & Israel: sic autem post schisma Ieroboam vocantur decem tribus, non duæ præsertim quia addit: *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel.* Hoc autem verum est de decem tribubus, non de duabus. Decem enim traductæ in Assyriam, Mediam & Persidem, inde per omnes gentes sparsæ sunt, teste Iosepho: duæ autem traductæ in Babylonem, ibi manserunt, indeque post septuaginta annos sub Cyro reductæ sunt in Iudæam. Ad argumentum prioris sententiæ respondebitur v. 11.

Quæres, quomodo vidit hæc Amos, an oculis corporis, an mentis? Corpoream fuisse visionem censent Albert. Arias & Euseb. l. de Demonstr. c. 18. ac proinde censent angelum in corpore assumpto reipsa concussisse cardines templi, idque oculis corporeis vidisse Prophetam.

Verius est hanc visionem fuisse imaginariam, non corpoream, tum quia tales fuerunt communiter visiones Prophetarum: tum quia si visio hæc spectat templum Hierosolymitanum, vt multi volunt, non potuit hæc oculis corporeis videre Amos, vtpote qui longè ab eo aberat, agebatque in Bethel: tum quia non est verisimile Deum hîc assumpsisse corpus humanum, in eoque visum ab Amos, præsertim cùm id non fecerit Isaiæ cap. 6. 1. vbi visus fuit ab Isaia oculis mentis, non corporis, sedere in throno excelso; nec Ezech. cap. 1. 26. vbi visus fuit ab Ezechiele oculis pariter mentis insidere currui cherubico. Sanè si Deus voluisset videri oculis corporeis, id potiùs concessisset Isaiæ & Ezechieli, quorum visiones fuerunt augustissimæ, quàm Amos Prophetæ rusticano.

SVPER ALTARE] Vel thymiamatis, quod erat in

in Sancto sanctorum, vbi erat sedes & thronus Dei, vt vult Arias: vel holocaustorum, quod erat in atrio ante Sanctum, vt volunt Lyran. & Vatabl. Samaritæ enim æmuli Iudæorum, templum simile Hierosolymitano, ac consequenter simile atrium, Sanctum & Sanctum sanctorum, atque similia altaria thymiamatis & holocaustorum in Samaria, Dan & Bethel erexerunt. Porrò de altari Bethel potiùs, quàm Dan aut Samariæ, hîc agi, liquet ex eo, quòd in Bethel vaticinabatur Amos, vtpote loco Samaritis sacratissimo; tum quòd Iacob Patriarcha in eodem sacrificasset, & vidisset Deum scalæ innixum, ideoque locum vocasset Bethel, id est domus Dei: tum quòd Ieroboam primus Israelis rex, schismatis & nouæ religionis auctor, in Bethel non tantùm altare vitulis aureis dedicasset, sed & ipse sua manu iisdem in eodem sacerdotis officio functus incensum adoleuisset, vt patet 3. Reg. 12. 33. tum quòd Iacobi & Ieroboami æmuli & assecla posteri eorum, reges Israelis, in Bethel sacrificantes, ibi quasi commune regni sui fanum statuissent: vnde ab eis Bethel vocabatur *sanctificatio regis*, & *domus regni*, vti dixi cap. 7. 18. In Bethel ergo, quasi in publico Israelis idolio, visus est Prophetæ Deus templo & altari vltor insistere, ac iubere illud exscindi, vnàcum idololatria & idololatrico Israelis regno. Vnde appositè visus est hîc Deus stans, quasi instans operi, scilicet subuersioni altaris & templi.

ET DIXIT Dominus, vel Prophetæ Amos, vt opinatur S. Hieron. & Remig. vel potiùs angelo sibi assistenti, quasi voluntatis & operis sui administro, vt censet idem S. Hieron. Remigius, Ruffinus, Theodoret. & alij. Per angelos enim solet Deus vlcisci & plectere hostes suos. Angelo ergo dixit: PERCVTE CARDINEM] scilicet templi, vt hac percussione symbolica & imaginaria menti Amos obiecta, repræsentes & significes, quòd Assyrij templũ à cardine & ab imis fundamẽtis conuulsuri & subuersuri sint, vnà cũ impio eius cultu & cultoribus Israelitis. ita S. Hieron. Emmanuel, Mariana, & alij iam citati. Vnde Septuag. vertunt, *percute propitiatorium*; Arabicus Antioch. *percute pauimentum*; Arabicus Alexand. *percute Rationale põtificis*; Hebr. est *percute* הַכַּפְתּוֹר *haccaphtor*, quod Tigurina vertit, *limen*; Pagnin. & Vatabl. *superliminare*, scilicet portæ templi. Propriè *caphtor* significat pomum (vt vertit Syrus) & sphærulam: & quia hæc sculpi solebant in liminibus, hinc significat limen. Noster hîc vertit *cardinem*, non limen, vel superliminare, quia ab eo distinguitur. Sequitur enim: *Et commoueantur superliminaria*, hæc enim commoueri nequeunt, nisi commoto cardine æquè ac limine, cui supernè quasi insistunt. Cardo ergo dicitur *caphtor*, quia habet figuram sphærulæ, & quia sua vertebra tegitur. Radix enim כָּפַר *caphar* significat tegere, inuoluere, operire. Iubet ergo Deus angelo, vt percutiat tam limen portæ templi, quàm cardinem; liminis in quo ostium voluebatur, id est, aperiebatur & claudebatur, vt significet portam templi, ipsumque templum, ac ingredientes in illud percutiendos & subuertendos ab Assyriis. Cardo enim est basis & fulcrum rei quam sustinet: vnde cardo dicitur quasi cor ianuæ, quo scilicet illa mouetur, ait Seruius in illud Æneid. 1. *Foribus cardo stridebat ahenis*. Hinc Romani coluerunt deam Cardineam, quæ cardinibus præesset. Ita Seneca in Hippol. Ioui ait: *Celeriq; polum cardine verſas*. Verùs S. Anna mater Samuelis 1. Reg. 2. 8. *Domini*, ait, *sunt cardines terræ*. Et Sapiens Prouerb. 8. 26. *Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ*. Porrò in cardine notatur stridor & horror conuulsi & ruentis templi; iuxta illud Statij Thebaid. 1.

Venti transuersa frementes
Conſligunt, axemq; emoto à cardine vellunt.

Et Virgil. Æneid. 6.

Tum demum horriſono ſtridentes cardine ſacræ
Panduntur portæ.

Ita in passione Christi terram vniuersali terræ motu concussam, & è cardinibus fuisse conuulsam censent Didymus in Catena Græcorum in Iob c. 9. & alij. Pari modo multi censent, totum orbem in die iudicij concutiendum & è cardinibus conuellendum, idque significari illis verbis Christi Matth. 24. 29. *Et virtutes cælorum commouebuntur*. Et Iob 9. 6. *Qui commouet terram de loco suo, & columnæ eius concutiuntur*. vide dicta Apocal. 6. in fine.

ET COMMOVEANTVR SVPERLIMINARIA] Syrus, *limina*; Hebr. סִפִּים *ſippim*, quod R. Dauid & ex eo Pagnin. vertit, *& contremiſcent poſtes*; Tigurina, *& commoueantur poſtes*, putà laterales, quas architecti vocant antas. Sed eôdem redit sensus: concusso enim & conuulso limine & cardine ab angelo, necesse erat tam postes, quàm superliminaria quæ postibus incumbebant, concuti & commoueri, imò ruere. Significatur enim hîc ruina portæ & templi. Vnde Arabicus vertit, *commouebuntur portæ extrinſecæ*. Angelus enim tam validè quassauit cardines & portam, vt totus murus, ac consequenter totum templum illi incumbens ruere videretur. Arias & Euseb. lib. 2. de Demonstr. c. 18. censent hæc realiter esse peracta, ac realem fuisse hunc terræ motum, ellegis illum cuius meminit Amos c. 1. 1. vbi ex eo numerat & consignat annum suæ prophetiæ. Verùm ex dictis liquet, aliam fuisse hanc concussionem ab illo terræ motu: ille enim fuit realis, hæc verò fuit imaginaria.

AVARITIA (Syrus, *dolus*) IN CAPITE OMNIVM] Causam excidij templi, vrbis & totius Israelis assignat auaritiam. Pro *auaritia* hebr. est בִּצְעָם *betſaam*, id est *auaritia eorum*. Radix בָּצַע *batſa* propriè significat lædere & vulnerare. Hebræi enim vsuram & auaritiam vocant vulnus: quia tamquam gladius hominem vulnerat, & ipsum sanguinem exugit. Pari modo vsuram vocant נֶשֶׁךְ *neſcech*, id est morsum, quia mordet & lædit proximum: sicut Latini fœnus vocant quasi fœtinus. Hinc Secundò, Septuag. Hebr. *betſaam* accipientes non vt nomen, sed vt verbum Imperatiui *kal*, vertunt, *diſſeca in capita omnium*. Diſſeca, scilicet tum gladio hostili, tum fustis postium & superliminarium ex percussione angeli dissilientibus. vnde alij legunt *diſſice*. q. d. Dissilientia fusta postium dissice in capita eorum, iisque dissecа. Quocirca Tigurina vertit, *vniuerſorum capitibus vulnus inflige*; Arias accipit vt nomen, sed pari modo vertit, *concisio eorum in capite omnium*. Tertiò, Vatabl. *betſaam* accipiens vt verbum præteriti temporis, vertit, *in fruſta concidit eos* (nempe qui sunt) *in capite omnium*; id est, qui præsunt aliis omnibus. Hoc pertinet

ad sacerdotes & magistratus: hos enim concidet Deus, vel angelus vice Dei: loquitur enim Deus, vel angelus de se in tertia persona. Hinc Pagninus pro *betsaam* legens in Benoni בצעם *betsam*, vertit in prima persona, *in frusta concidam eos, in capite omnes ipsos.* Hic sensus priori subordinatur hoc modo, q d. Quia ipsi sua auaritia, putà suis vsuris & fraudibus vulnerarunt & conciderunt pauperes, idcirco pariter ipsi vulnerabuntur & concidentur ab hostibus. Hinc aliqui vertunt, *auaritia in capita omnium*, scilicet recidet, meritaque ab eis supplicia exiget: quæ versio valdè consonat cum verbis præcedentibus & sequentibus. Vnde Arabicus vertit, *percute caput vniuscuiusque, & reliqui eorum gladio interficientur.*

A

Porrò auaritia dicitur esse *in capite omnium*, quia omnibus dominatur, omnes possidet: omnes enim caput, sensus, curasque omnes eò intendunt, vt iniquis lucris se ditent, iuxta illud Ieremiæ 6.13. *A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student.* Auarus enim dicitur quasi auidus, quòd immensas opes aueat. Vnde P. Nigidius apud Gellium lib.10.c.5. *Auarus*, inquit, *appellatur, qui auidus æris est: sed in ea copula, E, litera detrita est.* Item *locupletem ait dictum, qui pleraque loca, hoc est, qui multas possessiones tenet.* Sic Threnor.c.1.5. dicitur: *Facti sunt hostes eius in capite*, id est, hostes dominati sunt Hierosolymæ. Auaritia ergo est *in capite*, non in calce; quia caput, id est phantasiam animumque occupat, itaque illi est infixa vt vix euelli possit; quia tenet arcem mentis, indeque quasi regina, imò quasi dea omnibus cogitationibus, sensibus, potentijs, membris & actibus imperat tamquam mancipijs, cogitq; ea sibi seruire, suum regnum propagare, lucra vbique captare, opes sine termino coaceruare. Hinc rursum ipsa est *in capite*, id est, est capitalis, & quasi caput auari, illi per omnia dominans, sicut caput dominatur toti corpori. Quocirca S. Paulus auaritiam nuncupat idolorum seruitutem, id est idololatriam, Ephes 5.5. Auarus enim in mente gerit idolum quod adorat, scilicet pecuniam & plutum. Hoc idolum est ipsi numen & Deus, cui se substernit totumque se mancipat. Ita videmus auaros nil somniare, nil cogitare, nil loqui, nil tractare nisi lucra, nisi *affer, affer*, Prouerb.30.15. Annon ergo auaritia est in capite auari? Secundò, Lyran. Auaritia, ait, est in capite, id est in regibus, ducibus & sacerdotibus populi. Quàm enim hi dediti fuerint auaritiæ, patet tum ex Prophetis, tum ex Christo Matth. 15.5. & cap.23.v.14 & 23. qui acriter eorum auaritiam incusant. sic & modernos Iudæos quosuis totos vsuris & lucris intentos videmus. Porrò sacerdotum auaritiam hîc propriè taxari patet ex v.1. *Vidi Dominum stantem super altare, & dixit: Percute cardinem.*

B

Notat fontem omnis mali, scilicet auaritiam, indeque manantes fraudes & dolos. Nam, vt ait Apost.1. Timoth.6.10. *radix omnium malorum est cupiditas.* vnde Sapiens Eccles.10 *Auaro*, inquit, *nihil est scelestius.* Porrò hæc auaritia à summis manabat ad infimos; perinde vt vitia principum & Prælatorum manant ad subditos. Simili modo B. Petrus Damianj lib.2.epist.2. ad S.R.E. Cardinales, & S. Bernard. de Consid. ad Eugenium Pontif. & in Declamationibus, docent omnia mala Ecclesiæ prouenire ex auaritia; hancque valdè foueri & augeri cupiditate Ecclesiasticorum & Prælatorum. Idque verum esse luce clariùs vidi dum agerem in prouincijs transalpinis. Quis enim laicus credat Pastori ex Euangelio concionanti bona terrena esse contemnenda, & cælestia ambienda, si terrena ab eodē alijsque Prælatis ita appeti, tam studiosè congeri & conseruari cernat? Qua fronte Prælatus audebit suos hortari ad liberalitatem & eleēmosynam, si ipse auarè suas opes recondat, & in pauperes sit immitis & immisericors? Quis non inhiet diuitijs, prædijs, officijs congerendis, si Ecclesiasticos videat beneficijs, pensionibus, redditibus, domibus, prædijs coaceruandis totos intendere? Clericus es, cur sortem non in cælo, sed in terra quæris? quo ore impudenter & mendaciter quotidie Deo, qui cor tuum auarum & terræ inhians intuetur, dicis: *Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi?* Annon meritò obijciet laicus Ecclesiastico, Deus Leuitis voluit esse sors & hereditas, terram verò inter laicos, putà inter cæteras vndecim tribus, distribuit. Nostra ergo est terra, tu cælum & Deum quære. nobis laborandum est, vt opes comparemus, quibus nos, vxores, filios, filias, famulos & ancillas alamus; tu qui solus es, cuius Deus est sors, eaque sufficiens & liberalis, cur plura semper appetis? vt quid studes ditandis adeò nepotibus & cognatis ex patrimonio Christi? Itáne res sacras Ecclesiæ adimis, easque laicis tibi propinquis, carnalis & infidelis Domini dispensator impendis? Annon hoc furtum, imò sacrilegium? ait S. Bernard. Sanxit olim S. Vrbanus Pontifex & Martyr anno Domini 233. qui S. Cæciliam, plureſque alios docuit, & animauit ad martyrium, ne bona Ecclesiæ in laicorum vsus impendantur, idque sub graui pœna: *Quia*, inquit, *hæc bona sunt oblationes fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum*, vt habetur 17.q.4.cap. *Attendendum.* Idem sanxerunt alij Pontifices. Vnde S. Hieron. ad Pammach. *Pars*, inquit, *sacrilegii est, rem pauperum dare non pauperibus.* Res enim pauperum sunt res & bona Christi crucifixi. Quocirca omnes Doctores censent esse peccatum mortale, si quis Ecclesiasticus opes, quas ex beneficio suo percepit, relinquat cognatis laicis, ijsque eos locupletet. Cur ergo tu immodicè, ait Doctor sapiens, beneficia beneficijs accumulas, pensiones pensionibus, itaque Ecclesiam ministris suis defraudas, vt paucos, eosque indignos habeat? cur patrimonium pauperum deuoras, vt amicos dites? Itáne demens es, vt animam tuam propter amicos damnare, & æternis gehennæ incendijs addicere velis? stulte hac nocte animam tuam dæmones repetent à te, & quæ parasti cuius erunt? Amici quos ditasti te ex inferno non liberabunt: imò pro gratijs sannas & maledictiones tibi in inferno rependent, quòd eis per opes fueris causa luxus, scelerum, indeque damnationis eiusdem. Euigilate Prælati, aperite oculos Ecclesiastici. Ne vos amor stolidus cognatorum infatuet vt serò gematis in æternum, dicatisque: Heu, quàm fui fatuus quàm insensatus, qui non pro me, sed pro alio ditando, animam meam vēdidi, occidi, perdidi. Heu me! nepotes mei, cognati mei traxerūt me ad tartara. *Frater non redimit,*

C

D

redimet homo? non dabit Deo placationem pro anima sua. Deo nemo fucum suis ratiunculis efficiet. Quo maior es, eo maius das scandalum: quo potentior, eo potentiùs tormenta patieris: quia hereditate possedisti sanctuarium Dei; imò feciſti vt gentes, vt laici venirent in hereditatem Dei, & hereditate possiderent sanctuarium eius: ideoque tam Catholicos, quàm hæreticos à fide & salute auertisti, eosque sanctum Christi & Ecclesiæ eius Christianæ nomen blasphemare feciſti. Aspice ex alto sponsam tuam, ô Christe: maculam hanc è veste eius, imò tua, emunda. Vtinam vel sanguine meo illam eluas! quàm libens occumbam, vt ipsa suo nitori & decori cælesti restituatur! Mitte è cælis angelum qui rursum percutiat cardinem templi. Mitte nouum Ieremiam qui iterum intonet illud c. 6. 12. *Extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus. A minore quippe vsque ad maiorem omnes student auaritiæ: & à Propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt dolum.*

Moral. de Auaritia. Moral. disce quantum malum sit auaritia, quæ cùm omnibus dominetur, omnes vulnerat, atque tam animæ auari, quàm corpori proximi lethale sæpè vulnus infligit. Narrat Sabellicus lib. 7. Enneade 9. Calipham Mahometanorum pontificem, inter auri aceruos volutatũ fame interiſſe. Cùm enim Halao Tartarorum regis frater occupasset Babylonem, omnemque populum trucidasset, Caliphas, qui magnum thesaurum cõgesserat, comprehensus, cumulo auri sui impositus, & per multos dies asseruatus, inedia, vel sanè pretiosa fame consumptus est. Sic & C. Caligulam pecuniæ auidissimũ, inter immensos aureorum thesauros volutari solitum scribit Sueton. in eius vita c. 43. qui ijs non diu gauisus, paulò pòst miserabili nece occubuit. Auaritiæ symbolum est serpens græcè dictus dipsas, quòd inextinguibilem sitim morsu suo excitet. Dipsas, ait Lucian. l. de Dipsade, est serpens non adeò magnus viperæ similis, violento ictu, veneno crasso, qui dolores inducit intolerabiles. Ardores enim immittit inextinguibiles, & putredines, ac totum corpus adurit incẽdio. Insuper qui ab illa icti fuerint, clamant perinde atq; illi, qui in ignem coniecti sunt: quo plus bibunt, eo plus sitiunt; nec sitim extinxeris, etiamsi totum Nilum aut Danubium epotandum præstiteris. Ita & Ælian. l. 6. de Animal. c. 51. Dipsas est auaritia, quæ inexplebili opum siti, æquè ac curis, doloribus, periculis & cædibus auaros incendit. Nam

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit. Multò concitatior est auaritia in magnarum opum congestu collocata; vt flammæ infinitò acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit, ait Seneca lib. 2. de Benef. c. 27. Tales fuerunt Æneanes, qui ex oraculo persuadebant fore vt patriam terram amitterent, si particulam aliquam largirentur, vt ait Plutarch. in Quæst. Græcan. c. 14. Et illi de quibus Arnobius libr. 2. Contra Gentes: *Exercent,* ait, *auidum atque insatiabilissimum fœnus, & è miserorum sanguine supputandi se augent insania: millibus pessessionum semper producunt fines, & quamuis prouincias totas rus faciant vnum, pro arbore vna, pro sulco forum litibus terunt: cum amicis, fratribus inexpiabiles suscipiunt simultates.* Verè Cyprian. epist. 2. *Nec intelligit miser auarus,* inquit, *speciosa sibi esse supplicia, auro se alligatum teneri, possideri magis, quàm possidere diuitias atque opes. O detestabilis cæcitas mentium, & cupiditatis insanæ profunda caligo, cùm exonerare se possit & leuare ponderibus, pergit magis fortunis augentibus incubare, pergit cumulo pertinaciter adhærere.*

Quocirca Patres omnes acriter auaritiam & auaros insectantur, ac imprimis S. Augustinus, cuius hæc de ea sunt axiomata. Primũ: Auaritia dura iubet quàm Christus. *Quid vis,* inquit in psalm. 12. 8. *ab auaritia possideri? dura iubet, leuia iubemus eius graue, sarcina mea leuis est. Iubet auaritia vt mare transeas, & obtemperas. Iubet vt te vnda procellisq; committas. Iubeo ego vt ante ostium tuum ex eo quod habes des pauperi. Piger es ad faciendum ante te opus bonum, & strenuus es ad transeundum mare: quia auaritia imperat, seruis; quia Deus iubet, odisti.* Secundum in psalm. 30. conc. B *Dico auaro, Quare inuocas Deum? vt det tibi lucrum. Lucrum ergo inuocas, non Deum. Ministrum habes tui facis Deum. Viluit tibi Deus. Deus si ad te veniat sine auro & argento, non vis illum. Quid ergo tibi de his quæ fecit Deus sufficit, cui Deus ipse non sufficit?* Tertium in psalm. 38. *Vide, ô auare, ne forte dum colligis, colligaris: ne fortè cùm vis esse pro minoris, sis præda maioris. Non enim sentis te esse amari, nec cernis minores pisces à maioribus æquora. Dic mihi, thesaurizas, cui congregabis ea? Dicturus es: Filio meo seruo. Hæc est vox pietatis, excusatio iniquitatis. Seruas transiturus transituris, imò vt transiens transeuntibus. Scis eum possessurum cui seruas, aut si nondum natus est, scis nasciturum? Seruo filio, incertum est an futuris, an possessuris: nec reperis thesaurum vbi reponendus est. Thesaurizate vobis thesaurum in cælo.* Quartum in psalm. 137. C *Auaris etiam ipsa fœcunditas* filiorum (quæ ceteris felicior est) *molesta est. Timent enim ne pauperes relinquantur, qui multi nasci potuerunt.* Quintum Auctor serm. ad Fratres in eremo, qui extat tomo 10. S. Augustini serm. 48. *O homo,* ait, *an ignoras quòd radix omnium malorum auaritia est, & seruitus idololatriæ, mater vsuræ, genitrix simoniæ, fomes culpæ, æternæ pœnæ via, nutrix gehennæ? O auaritia abyssus insatiabilis! Omnia in homine senescunt vitia, sola auaritia iuuenescit.* Deinde subdit, quàm fatuum sit filijs vel nepotibus thesaurizare, qui eos in morte deserunt. *O admirabilis infidelitas! ecce maritus dilectus ab vxore dilecta reliquitur, filius à matre proijcitur, & pater à filijs, & filij à patre sub terrâ reconduntur. Solus ille dimittitur, & quilibet ad propria reuertitur, & citò oblitioni traditur* D *tamquam mortuus à corde.* Et sub finem: *Memorare nouissima tua, quia conceptus es in culpa, natus in pœna, viuens in miseria, & necessariò morieris in angustia.* Sextum lib. de Conflictu virtut. & vitior. c. 16. *Auaritiæ morbus numquam melius compescitur, nisi cùm dies mortis sine fine meditatur, cùm quasi post modicum in sepulchro futurus sit homo considerat. Hoc certè fixum manebat in illius* (S. Iob c. 15.) *corde qui dicebat: Homo putredo, & filius hominis vermis. Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc.* Et Apostolus: *Nihil intulimus in hunc mundum, sed nec auferre quid possumus.* Septimum lib. de Salutar. documen. c. 30. *Auarus vt inferno est similis. Infernus enim quantoscumque deuorauerit, numquam dicit: Satis est; sic etsi omnes thesauri confluxerint in auarum, numquam satiabitur.*

S. Ambrosij hæc de auaritia axiomata sunt.

Primum

Primum libr. 1. in Lucam sub finem: *Est arugo mentis, cùm sæcularium sordibus cupiditatum religiosæ mentis intentionis obducitur, aut fidei puritas decolorata rubigine perfidiæ.* Secundum libr. 2. Offic. cap. 21. *Auaritia est veluti quædam bonorum ariditas officiorum.* Tertium serm. in Domin 8. post Pentecost. docet auarum esse similem insanienti, eumque semper aurum cogitare, omniaque in aurum conuertere, ac gratiùs aurum intueri quàm solem. Vnde concludit: *Caueamus exemplum diuitis illius, qui dum præsentes diuitias concludit, & de futuro sollicitudinem gerit, diuitiis pariter abreptus & vita protrahitur ad tribunal horrificum, in quo accusatrix quidem eius adsistit ipsa illa quæ & totius eius vitæ comes extitit, auaritia, defensor verò & intercessor nusquam vllus apparet.* Quartum serm. 13. *Qui pecuniam appetit, fidem perdit: qui aurum redigit gratiam prodigit. Auaritia enim cæcitas est, erroris religionis inducit. Cæca, inquam, est auaritia, sed* B *diuersis fraudum oculata ingeniis: non videt quæ diuitiarum sunt, sed cogitat quæ cupiditatis sunt.* Quintum in psal. 38. *Fides militat Deo, auaritia tentatori* (diabolo.) Sextum lib. 1. Offic. cap. 49. *Sæpè quod auarus summa congesserit sollicitudine, præcipiti casu dilapidat heres luxuriosus, & diu quæsita turpe belluo, præsentium cæcus, futuri improuidus, quadam absorbet voragine.*

Vt cæteros præteream, S. Isidorus Peluſiota, S. Chrysostomi discipulus, monachorum Peluſiaci montis in Ægypto Abbas, doctrina & sanctitate illustris, sub Theodosio Iuniore anno Domini 440. epistola 233. egregiè docet, quantum vulnus capiti totique homini infligat auaritia, dum eum tantùm non mutilat, & truncat oculis, auribus, pedibus, &c. Primò enim graphicè eam comparat hydræ, quæ ventrem habet C inexplebilem, & Briareo centum manibus armato, ac Scyllæ, quæ omnia sorbet. *Deinde feminæ, inquit, forma præditæ, ignemq; spiranti, ac sexcentas viperas crinium loco in capite habenti, perpetuò sibilantes ac mortiferum venenum euomenti: sexcentis item manus unguibus abundantes, quarum opus alios lacerat, alios sagittis imperit, ab aliis pecunias extorquet. Ac denique sexcenta ora. Neque enim minatur damnatos, aut calumnias struit; verùm unum adulatur, ac seruilem in modum alloquitur, & per artes quæsitas causa innumeras occasiones congitat.* Mox eius oculos depingit: *Oculos habet, non vt naturæ consentaneum est cernentes, aut quamquam verentes, non amicum, non fratrem, non cognatum, non benefactorem: verùm asperum quiddam & acre, atque crudele, & inhumanum, igneumque obtutum.* Paulò pòst aures & pedes ita de- D scribit: *Aures vsque adeò septas & obturatas habet, vt nullas supplices preces, nec gemitus, nec fletus, nec vituperationes audiat. Tantum verò abest vt pennas habeat (quæ futuritatem designant) vt ne pedes quidem ipsi per vllum verbatus tribuere queat. Neque enim ingredi, aut ab eo qui captus est secedere potest, verùm manus omnes immittens, ferro quouis ac plumbo quasi insidet, vt omnia accipiat & omnes expilet, nunquam autem explicatur: verùm eorum quæ accepit multitudinem, fomitis & incitamenti materiam habeat, rerumque acceptarum finem accipiendarum vicium efficiat.* Vnde concludit: *Ecquis igitur acerrima huiusmodi & inexplebili furore, atque innumerapicata, & maledicta, & dedecora, & intemperantias ac petulantias nobis constante capiatur? Ecquis*

A *animum inducat, tum in hac vita miserè viuere, vt dies noctesq; velut flagris quibusdam laceretur, nec requiem vllam aut somnum sentiat; & in futura suppliciorum atque cruciatuum initium accipere. Quid autem initium dico? Hic enim eos quos ceperit, tyranno quouis acerbiùs torquet & excruciat, imò grauiorem eis pœnam infert quàm ij luant, qui ad metalla damnati sunt: nam illis confecto opere, somno ac quiete frui licet; his autem ea somni quoque portum velut aggesta terra obstruens, noctu quoque sæua illa & inhumana edicta proponit. Est ergo bellua tetra, ignem spiraus, oculis auribusq; captæ, execranda, Deo inuisa, implacabilis & crudelis.*

ET NOVISSIMVM EORVM IN GLADIO INTERFICIAM] *Nouissimum*, id est, vltimum, aut abiectissimum & vilissimum. q.d. Omnes Israelitas vsque ad vltimum & vilissimum gladio occidã. Loquitur enim de infinita multitudine quæ in Samaria, vel, vt alij volunt, in Ierusalẽ obsessa, & paulò pòst expugnãda, erat trucidanda. Est hyperbole: *Omnes*, id est, plerosque omnes: nonnullos enim euasisse, & cladi fuisse superstites constat; sed ij respectu cæsorum fuere perpauci.

SI DESCENDERINT VSQVE AD INFERNVM. INDE MANVS MEA EDVCET EOS] Pro *descenderint*, hebr. est יחתרו *iachteru*, quod Septuag. passiuè vertunt, *si defodiantur in infernum*; Pagnin. & Vatabl. actiuè, *si foderint in inferno*. q.d. Si Israelitæ serobem aut foueam foderint in inferno, vt in ea se abscondant à conspectu meo, inde extraham eos ad supplicium. Similiter, *Si ascenderint vsque in cælum, inde detrahamcos.* Est hyperbole: per foueam enim inferni accipit foueam profundissimam, adeò vt videatur vsque ad infernum descendere: per cælum intelligit montes altissimos, qui suo vertice cælum tangere videntur. ita S. Hieron. Chald. Lyran. & Arias. Aut certè propriè accipit cælum & infernum. q.d. Si fieri posset vt in infernum descenderent, aut in cælum ascenderent, inde tamen per Assyrios detraham eos ita Vatabl. Simili modo S. Iob immensitatem & omnipotentiam Dei, quam nemo euadere potest, describit c. 11. 8 *Excelsior, ait, cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? Longior terra mensura eius, & latior mari.* Et psaltes psal. 138 7. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, adest: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me.* Ita manu sua claudit homines & creaturas omnes, qui ceu is digitis appendit molem terræ, & montes pondere.

ET SI ABSCONDITI FVERINT IN VERTICE CARMELI] Duo erant Carmeli montes, vnus in Iudæa, vbi versati sunt Nabal & Dauid. 1. Reg. 25. 2. alter in Israel, imminens mari Mediterraneo, vbi versatus est, & latuit fugiens a facie Iezabel Elias, Elisæus, & filij Prophetarum. De eo videtur hic agi: quia sit hîc mentio maris, & quia in Israel & contra Israel vaticinatur Amos.

ET SI CELAVERINT, id est, celare conati fuerint (reuera enim nemo celari potest) SERPENTI MANDABO VT MORDEAT EOS IN PROFVNDO MARIS, id est, in insulis maris Mediterranei, IBI MANDABO SERPENTI] id est, hominibus feris & serpẽtinis, vt eos trucident, inquit Chald. & Arias. Sic Attila Hunnorum rex

rege vastante Italiam, direptisque Aquileia, Ticino & Mediolano, cùm infestus pergeret Romam, quam vtique cepisset, nisi occurrens S. Leo eum auertisset, multi ex Italia vt Hunnorum manus euaderent, profugerunt ad mare, putà ad insulas & æstuaria barbaris inaccessa, ibique vrbem aduentantium, putà Venetorum, condiderunt anno Domini 452. qui fuit Leonis Pontif. primi 13. Valentiniani Imp. 28. Marciani 3. Atque hæc est nobilis Venetiarum vrbis & Reipubl origo, ita Baron. anno Christi 452.

Secundò, simpliciùs S. Hieron. Theodor. Albert. & alij, propriè accipiunt hîc profundũ maris pro ipso fundo maris, vt vertit Vatabl. Quamobrem Pagnin. transfert, *in pauimento maris*, hoc enim propriè hebr. significat רקע *karka*, scilicet pauimentum, fundum, solum: deducitur enim per metathesin à rad. רקע *raka*, id est firmauit, extendit, solidauit. vnde *rakia* vocatur firmamentum. Quocirca Septuag. vertunt, *si mersi fuerint ex oculis meis in fundamenta maris.* q.d. Etiamsi se mergant in fundum maris, vt ibi ab oculis & ira mea se abscondant, ibi tamen videbo eos. Est hyperbole.

ET MANDABO SERPENTI] Septuag. *draconi*, hoc est piscialicui ingenti & horrido, v.g. ceto, vt mordeat & deuoret eum. *mandabo*, id est, dabo illi hunc instinctum, & hanc phantasiam mordendi & deuorandi: bruta enim hunc phantasiæ instinctum sequuntur quasi legem naturæ sibi à Deo inditam. Sic ceto dedit instinctum vt absorberet Ionam c. 2. v. 1. ad quem hîc alludi censet S. Hieron. Simili modo Deus dicitur mandare pesti, fami, gladio, cùm ea exerit & immittit prouincijs vel vrbibus.

Tropol. S. Gregor. in psalm. 7. Pœnitent. *Quid est, ait, celari in profundo maris, nisi in altitudine delitescere desperationis? Celat verò se qui non confitetur peccata sua: non confitetur autem qui desperat de misericordia Dei: vel certè ille se ab oculis Dei celat, qui à mandatis eius auertitur. Oculi enim Domini spiritus Dei, qui legem, id est mandata, dedit. Qui ergo se ab oculis Dei in profundo desperationis celauerint, potestatem accipit diabolus vt eos mordeat, & vt in ventrem eos suæ malitiæ inducat. Ipse est enim serpens cui dictum est: Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.*

VERS. 4. ET SI ABIERINT IN CAPTIVITATEM CORAM INIMICIS SVIS, IBI MANDABO GLADIO, ET OCCIDET EOS] q.d. Quòd si non fuerint occisi in Samaria, faciam vt occidantur in Assyria à suis hostibus, putà ab Assyrijs. Sic Romani captiuos aliarum gentium, quos Romam ducebant in triumphum, post triumphum iugulabant. Secundò, Arias & à Castro *gladium* per catachresim accipiunt pro misera & ærumnosa vita & seruitute, quam acturi erant Israelitæ in Assyria: seruitus enim in Iure æquiparatur morti, vocaturque mors ciuilis. Nam Israelitas in Assyria occisos non legimus. Verùm multa à Prophetis prædicta sunt, quæ expleta non dubitamus, etsi in historijs id scriptum non legamus. Prior ergo sensus vti literalior, ita genuinior & communior est, putà S. Hieron. Remig. Albert. Lyrani & Vatabli.

ET PONAM OCVLOS MEOS SVPER EOS IN MALVM, ET NON IN BONVM] q.d. Vbique eis malefaciam, vbique affligam & puniam, donec perdam eos. ita Vatabl. Nota, negatio illa, *& non in bonum*, magnam auxesim cõtinet. q.d. Nil boni, sed omne malum eis afferam & infligam.

ET DOMINVS DEVS EXERCITVVM QVI TANGIT TERRAM, ET TABESCET] Arias, *& sterilescit*, siue fit sterilis; Tigurina, *& liquescit*; Pagnin. *& defluit*; Septuag. *& commouet eam*: quia, vt ait S. Hieron. concutit fundamenta terræ. Hebr. מוג *amog* propriè significat *resolui, liquescere*, vti cera ad ignem, nix ad solem in aquam resoluitur & liquescit. q.d. Ne vanas Dei minas putetis, scitote eum tam esse terribilem, quàm omnipotentem: ipse enim solo attactu virtutis suæ, imò solo nutu facere potest, facitque interdum, vt terra tabescat & consumatur, vti dum dedit legem in Sina, mons Sina fumo & igne tabescere videbatur, Exodi 19. & 20. iuxta illud: *Qui tangit montes, & fumigant*: aut facit vt terra in aquam mergatur vel vertatur & diffluat, vti fecit in diluuio tempore Noë, & in mari rubro dum per illud siccò alueo traduxit Hebræos, insequentem verò Pharaonẽ & Ægyptios redeuntibus aquis inuoluit & obruit. Sic sæpè insulas, & continentem mari mergit, & in mare conuertit. Simili modo, esto non eodem, Samariam per Assyrios vastabit, consumet, & quasi tabescere faciet. Hoc est quod dicitur psalm 17. 8. *Commota est & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis.* Et v. 16. *Et apparuerunt fontes aquarum, reuelata sunt fundamenta orbis terrarum ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ.* Et Isaiæ 64. 1. *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes, à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aqua arderent igni.*

ET ASCENDET SICVT RIVVS] Hunc versum iterat & repetit ex c. 8. 22. vbi eum explicui.

QVI AEDIFICAT IN CAELO ASCENSIONEM SVAM] Hebr. מַעֲלוֹתָיו *maalotav*, id est, *ascensiones* (ita Syrus) *suas*; Vatabl. *gradus suos.* q.d. Qui fecit cælum quod multis sphæris constat, quæ certum ordinem habent inter se, ac velut gradus, per quos ascenditur gradatim vsque ad cælum summum & empyreum. Proba omnipotentiam & sapientiam Dei ex rebus creatis, ac præsertim ex cælis. Vnde Pagnin. *qui edificat in cælo sphæras eius, & elementa tria eius super terram fundauit*; Arabicus Alexandrinus, *qui edificauit cælum & superiora, qui firmauit pactum suum super terram.* Secundò, ascensio, vel ascensiones vocatur altissimum Dei palatium in cælo, ad quod multis ascensionibus scandendum est. Vnde Chald. vertit, *qui collocauit in excelso maiestatem gloriæ suæ.* ita Theodoret. Lyran. Arias, Mariana & alij. Hinc & Arabicus Antiochen. vertit, *qui ædificat cælum quasi tabernaculum, & præparatio eius in terra dirigitur.* Est metonymia: ponitur enim ascensio pro sui termino, puta cælo, in quod ascenditur. Sic sæpè actio capitur pro loco, in quo actio exercetur; vt oratio pro oratorio, in quo oratur; cœnatio pro cœnaculo, in quo cœnatur; deambulatio pro ambulacro, in quo ambulatur. Sic congregatio, quies, Ecclesia, mansio, habitatio locum significant illis actionibus destinatum. ita Sanchez.

Mysti

Mystice, R. Haccados apud Galatin. libr. 7. c. 15. *Via*, ait, *aquilæ in cælis, est rex Messias, qui post passionem suam ascendet in cælum, sicut dictum est Amos 9. Qui ædificat in cælo ascensionem suam.* Vnde & Tertull. lib. 4 contra Marc. c. 34. sic legit & explicat: *Ad quam* (resurrectionis promissionem) *ascensum suum Christus ædificat in cælum, secundum Amos: vtique suis: vbi est & locus æternus, de quo Isaias: Quis annunciabit vobis locum æternum, nisi scilicet Christus incedens in iustitia?* Isaiæ 33.

Tropolog. S. Hieron. Remig & Hugo, per *ascensiones* accipiunt viros sanctos, quorum conuersatio in cælis est, quique eò ascensiones in corde suo disponunt, vt ait Psaltes psal. 83. v. 6. eúntque de virtute in virtutem, donec videant Deum deorum in Sion. *Deus*, ait S. Hieron. *quotidie credentes de terris ad cælum leuat, vt in illis confundat: Ascendit Dominus in cælum cum Enoch: ascendit cum Elia: ascendit cum Moyse, cuius sepultura locus, quia in cælum ascenderat, in terra non potuit inueniri: ascendit cum Paulo in tertium cælum.*

ET FASCICVLVM (Syrus vertit, *promissionem*; Arabicus Alexand. *pactum*; Arabicus Antioch. *preparationem*) SVVM SVPER TERRAM FVNDAVIT] Primò Lyran. Clarius & Vatabl. *Fasciculum*, inquiunt, vocat colligationem trium elementorũ, putà ignis, aëris & aquæ, quæ in terra quasi basi & centro fundata sunt. Vnde Pagnin. vertit, & *elementa tria eius super terram fundauit.* Hæc enim opponit ascensionibus, id est, sphæris cælestibus: q. d. Sicut Deus ædificauit magnas multasque, & tot stellis illustres sphæras in cælo, ita pariter in terra fundauit tria rerum omnium sublunarium elementa, ex quibus cætera omnia fabricauit, eaque apta serie, ordine & nexu compaginauit, & quasi in vnum fasciculum colligauit. Hic sensus videtur genuinus: celebrat enim Dei magnificentiam ex fabrica cæli & terræ. Vnde & sequitur: *Qui vocat aquas maris, & effundit eas* (vel per exundationem ex hoc suo alueo, vel per pluuiam ex nubium fasciculo) *super faciem terræ.* Ipse enim *ligat aquas in nubibus suis*, quasi in fasciculo, *vt non erumpant pariter deorsum.* Iob 26 8. Secundò, Sanchez per *fasciculum* intelligit scabellum: in scabello enim est colligatio, vel lignorum & asserum, vel tomentorum & pannorum, putà cùm scabellum est puluinar, quod pedibus principum substerni solet instar scabelli. q. d. Dei sedes & thronus est cœlum, scabellum verò est terra, & omnia quæ super eam sunt.

Tertiò, alij per *fasciculum* intelligunt legem multiplicem, qua Deus homines quasi colligat & coërcet; ac, si eam violent, in ergastulo alligat & constringit.

Verùm primus sensus est genuinus. Hebr. enim צרור *agudda* propriè significat aggregationem, turbam, turmam, congregationem, colligationem, fascem, conglobationem, globum, vt patet 2. Reg. 2. 25. quod vltimum huic loco optimè congruit. Mundum enim sublunarem vocat conglobationem, vel globum elementarem, sicut à Mathematicis idem vocatur globus vel sphæra terrestris. Hic ergo globus vocatur fasciculus, Primò, ob rerum aggregationẽ: quia sicut fasciculus ex multis lignis, floribus, vel herbis componitur; ita & globus hic terrestris ex multis elementis, mixtis & compositis conflatur. In eo enim sunt variæ species herbarum, arborum, plantarum, animalium, auium, piscium, lapidum, gemmarum, &c. mixtorum enim innumeræ sunt species. Simili modo de damnatis ait Isaias cap. 24 22. *Congregabuntur in congregatione vnius fascis* (instar fascis) *in lacum.* Secundò, globus hic vocatur *fasciculus*, ob rerum tam variarum, tam disparium, tam inæqualium, tam cõtrariarum & inter se pugnantium coniũctionem, & amicam consociationem. Deus enim sphæram hanc ex tam varijs & contrarijs aptè colligauit, sicut fascis ex lignis tortuosis, rubis & spinis à perito baiulo aptè colligatur. Tertiò, fasciculus significat vnam esse mundi inferioris congregationem & rempubl. in qua res diuersissimæ & plurimæ quasi in fasciculo alligatæ & congregatæ sunt à Deo. Vnde rursum fasciculus significat Dei prouidentiam & curam, qua mundum hunc quasi suum fasciculum in hac vnione & colligatione tuetur & conseruat, ne elementum vnum destruat contrarium, ne lupi deuorent omnes oues, ne ignis omnia comburat, &c. Quartò, vocatur diminutiuè *fasciculus*, non fascis: quia in manibus Dei, qui, vt ait Isaias, tribus digitis appendit molem terræ, est instar exigui fasciculi. Quintò, quia ob sui elegantiam, in oculis & naribus Dei est quasi fasciculus aromatum vel florum. Vnde fasciculus subinde idem est quod olfactoriolum. ita Cicero 3 Tusc. *Fasciculum*, ait, *ad nares admouebis, incendes vt dorei, & sertis redimiri tubebis & rosa.* Et sponsa Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.* Sextò, fasciculus significat singularum rerum & specierum inter se aptum ordinem & collocationẽ, vt quasi in fasce vnaquæque suo loco appositè & congruè ordinata & collocata esse videatur: in hoc enim ordine elucet mira Dei ordinatoris sapientia & prouidentia. Narrat Gellius lib. 5. cap. 3. Protagoram ex baiulo per fasciculum factum esse philosophum. Cùm enim ipse in agro caudices ligni plurimos valdè concinnè colligasset in vnum fasciculum, eumque humeris portaret, occurrit ei Democritus philosophus: *videt eum cum illo genere oneris tam impedito, ac tam incoibili facilè atque expeditè incedentem. Et propè accedit, & iuncturam posituramque ligni scitè peritèque factam considerat; petitq; vt paulum acquiescat. Quod vbi Protagoras, vt erat petitum, fecit; atque itidem Democritus aceruum illum & quasi orbem caudicum breui vinculo compressum ratione quadam quasi geometrica librari continerique animaduertit, interrogauit, quis id lignum ita composuisset. Et cùm ille à se compositum dixisset, desiderauit vti solueret, ac denuo in modum eumdem collocaret. At postquam ille soluit, ac similiter composuit, tum Democritus animi aciem, solertiamq; hominis non docti demiratus: Mi adolescens, inquit, cùm ingenium bene faciendi habeas, sunt maiora meliora q; quæ facere mecum possis. Abduxitq; eum statim, secumque habuit, & sumptum ministrauit, & philosophias docuit, & esse eum fecit, quantus postea fuit.* Si in Protagoræ fasciculo coordinationem lignorum, concinnitatem & ingenium mirabatur Democritus, quis non miretur in hoc Dei fasciculo, & globo sublunari adeò concinnam & sapientem tot generum, tot specierum, tot indiuiduorum diuersissimorum, imò inter se pugnantium dispositionem, connexionem & ordinem? Quis non

exclamet cum Sapiente cap. 11. 21. & cum Apo- A
stolo Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* quàm appositè *omnia in mensura, numero & pondere disposuisti!* imò in vno quasi fasciculo colligasti!

Fasciculus est Ecclesia. Mysticè, *fasciculus* hic est Ecclesia cœtusque fidelium Israelitarum, quos Deus fasciculo legis, æquè ac prouidentiæ suæ fortiter colligatos, in terra Chanaan collocauit & formauit, vti pepigit & promisit. Vnde Chald. vertit, *& Ecclesiam suam in terra decorauit.* ita Ruffin. Hugo & Dionys.

Fasciculus electorum cœtus. Anagog. *fasciculus* hic est Sanctorum & electorum, vinculo charitatis in terra, & vinculo prædestinationis in mente Dei colligatus, de quo in Euangelio: *Ne timeas grex paruule, quia cõplacuit patri meo habitare in te*, inquit S. Hieron. B
qui & de eo ita loqui pergit: *Fasciculus vna Domini religione constrictus est: vnde & ipsa religio à religando, & in fascem Domini vinciendo nomen accepit.* Septuag. vertunt, *repromissionem suam fundat super terram, vt omnes illius repromissiones, quas* (de Christo & Christianis) *SS. Prophetæ suo ore cecinerunt, fundentur in terra*, &c. *vt quotidie peccato mortui, & vitiorum funibus alligati* (instar Lazari à Christo suscitati) *de sepulchro scelerum suorum iubeantur exire: quotidie sanguinis opera constringantur*, &c. Sic 1. Reg. 25. 29. Abigail ait Dauid: *Erit anima domini mei c ustodita quasi in fasciculo viuentium: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur in impetu & circulo fundæ.* q. d. Diutissimè & securissimè viues: hostes verò tui ruent in interitum. nam res recondita in ligamine, quo ligantur vitæ, seu viui, ad hoc reconditur, vt seruetur C
inter viuos: quod verò ponitur in funda, ad hoc ponitur, vt funda illud eiaculetur, ait ibidem Caietan. Anagogicè id ipsum de electis & reprobis exponunt ibidem Eucherius & Angelomus. Fasciculus, inquiunt, viuentium est numerus prædestinatorum, idque Primò, quia vt ait Eucher. fasciculus astringitur vt conseruetur, pari modo electi afflictionibus constringuntur, vt Deo fidem seruent: reprobi verò, quia laxiùs viuunt, quasi lapides fundæ à Deo abijciuntur. Secundò, quia, vt ait idem Eucher. sicut fasciculus vinculo colligatur, ita sanctorum cœtus eadem fide & spe, eodemque charitatis nexu constringitur, & vno eodemque Dei præsidio vndique vallatur. Tertiò, quia, sicut fasciculus florum in manu ad oblectationem gestatur, ita electos omnes Deus in manu sua gestat, & virtutum odore qui ex illis continuò efflatur, mirè delectatur. D
Quartò, quia sicut fasciculus nõ nisi ex certis ijsque selectis floribus conficitur; ita electorum numerus ex certis, ijsque selectis, ac charitate omnique virtute præstantibus constituitur.

QVI VOCAT AQVAS MARIS] Tigurina, *qui euocat ad se aquas maris*, scilicet resoluendo aquas per calorem solis in vaporem, eumque ad se sursum eleuando in mediam aëris regionem: vbi facit eum concrescere in nubem, & nubem vi solis resoluit in pluuiã, quam effundit super terram. ita S. Hieron. Theodor. Hugo, Lyran & Vatabl. Solus Arias hæc accipit de exundatione maris, qua vicinam terram obruit. Symbolicè Chald. per aquas accipit turmas Assyriorum, quasi Deus hîc Israeli minetur eorum aduentum.

7. Numquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi, filij Israel, ait Dominus? numquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti: & Palæstinos de Cappodocia, & Syros de Cyrene?

8. Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ: veruntamen conterens non conteram domum Iacob, dicit Dominus.

9. Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel: sicut concutitur triticum in cribro: & non cadet lapillus super terram.

10. In gladio morientur omnes peccatores populi mei: qui dicunt: Non appropinquabit, & non veniet super nos malum.

NVMQVID NON VT FILII ÆTHIOPVM VOS ESTIS MIHI FILII ISRAEL?] Primò, Chald. vertit, *numquid non vt filij dilecti reputati estis coram me?* Videntur enim Æthiopes Iudæis de coloris differentiam & singularitatem, quid quid rarum & mirabile, fuisse in pretio & in delicijs, vti etiamnum principes in suis aulis alunt Æthiopem, vel Pygmæum ad delicias, & ostentationem. Vnde & Numer. 11. vxor Mosis Æthiopissa, à Chaldæo vocatur vxor pulchra, nisi dicas esse antiphrasin, pulchra, id est, nigra & deformis. Et vice versa, Æthiops, id est, minimè Æthiops & niger, sed candidus & speciosus. Vnde sic ex Hebræo vertas, *numquid sicut filij Aethiopum vos mihi estis, ô filij Israel?* q. d. Minimè: nam Æthiopes sunt atri, deformes, inuisi, vos verò mihi estis candidi, formosi, gratiosi, & dilecti. Porrò hanc dilectionem, æquè ac vsum, sic explicat Arias. q. d. Æthiopes sunt symbolum seruitutis: ab olim enim à Noë seruituti sunt addicti, cùm dixit Genes. 9. 25. *Maledictus puer Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis.* Cham enim ortus est Chanaan, & frater eius Chus, qui fuit pater Æthiopum, qui inde hodie vocantur *Chusim* Genes. 10. 6. Vos ergo, ô Israelitæ, fuistis quasi Æthiopes, cùm ab Ægyptijs, alijsque gentibus dura seruitute premeremini, sed ego vos diligens ea vos liberaui, mihique asciui. Æquum ergo est vt me redametis, mihique seruiatis, qui liberatori & Domino vestro seruiatis.

Secundò & aptiùs, Syrus & Arabicus hæc conuertiuè accipiunt, quasi dicat, Vos ô Israelitæ similes estis Æthiopibus, quia sicut Æthiopes ex Ægypto traduxi in Æthiopiam (hæc enim iacet vltra Ægyptum, illique adiacens & quasi subiecta est) ita & vos ex Ægypto traduxi in Chanaan. Vnde explicans mox subdit: *Numquid non Israel ascendere feci de terra Aegypti?* Huic etiã consonat quod præcessit: *Et fasciculum suum super terram fundauit.* q. d. Deus Israelem quasi suum fasciculum & peculium ex Ægypto traduxit in Chanaan, ibique eum stabiliuit & fundauit. Item illud vers. 5. *Et defluet sicut fluuius Aegypti.* Peribit enim in comparatione Nili & Ægypti. q. d. Nolite gloriari quòd patrem habeatis Abraham, quia proximiores parentes habetis Ægyptios,

Is

Ibi enim nati sunt Moses, eiusque coæui patres vestri, quos ex Ægypto traduxi in Chanaan; perinde ac Æthiopes ex eadem traduxi in Æthiopiam: vos ergo estis congeneres, & quasi fratres Æthiopum, tum origine & genere, tum moribus. Estis enim atri, deformes, indurati, & immutabiles in sceleribus vestris, vt non tam Abraham, quàm Æthiopum fratres & filij esse videamini, ideoque vos à me abijciam tradamque Assyrijs. Simili modo ait Ierem. cap. 13. 23. *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cùm didiceritis malè.* Et Ezech. 16. v. 3. *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Vnde S. Hieron. *In omnibus*, ait, *Script. Aethiopes dicuntur qui penitus in vitia demersi sunt.* ita S. Chrysost. hom. 11. in Matth. Lyran. Pagnin. Vatabl. & Ribera. Huc spectant vulgata adagia: *Aethiopem lauas*, id est, tentas rem frustraneam & impossibilem: Æthiops enim quantauis lotione, quantouis lixiuio non albescit. *Aethiopem ex vultu iudico*: Æthiops enim nigrore vultus, intortis capillis, labris tumentibus, dentium candore præ se fert patriam suam. nam vestem mutare potest Æthiops, faciem non potest. Hinc epigramma Luciani:

Abluis Aethiopem frustra, quin desinis artem?
Haud vmquam efficies nox sit vt atra dies.

Monebat Pythagoras, ne gustaremus de his quibus nigra est cauda, quo vetabat cum ijs versari, qui nigri essent morum improbitate. Thren. 4. v. 4. *Candidiores nazaræi eius niue, candidiores lacte*, nimirum cùm purè viuebant, cùm castè Deum colebant; at cùm impurè & incestè, *denigrata est super carbones facies eorum.* Porrò licèt quæuis improbitas vocetur nigredo, tamen propriè ita vocatur detractio, qua quis alienam famam, & suam conscientiam denigrat: quocirca *niger* vocatur inuidus, detractor, calumniator. ita in titulo psalm. 7. Saul Dauidis insectator vocatur Chus, id est Æthiops. Et Horat. satyra 4. lib. 1.

— *Absentem qui rodit amicum, &c.*
Hunc niger est, hunc tu Romane caueto.

Hinc vulgare prouerbium: *Albus, an ater sis nescio.* Et:

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Candor enim candidi animi, nigror maligni est symbolum. Addit S. Hieron. Remig. Rupert. & à Castro. Deum hîc significare suam potestatem & vltionem in gentibus trãsferendis & euertendis. q. d Vos, ô Israelitæ, non superiores, vt iactatis, sed pares per omnia estis alijs gentibus. Nam æquè ac Æthiopes, Palæstini & Syri à me creati, pari iure mihi subditi estis. Vnde pari prouidentia, qua illas gentes in suis prouincijs collocaui, collocaui & vos in Chananæa: atque pari iustitia, qua illas ex ijsdem ob scelera expuli & contriui, etiam vos è Samaria expellam & conteram. Vnde subdit: *Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans, & conteram illud à facie terræ.* Porrò quomodo & quando Æthiopes à Deo expulsi aut contriti sint, non liquet. Aliqui referunt hoc ad bellum quod Moses nomine Pharaonis gessit contra Æthiopes, quo eos subegit, vti narrat Ioseph. lib. 2. Antiq. cap. 5. Verùm historia hæc dubia est, quæ solo nititur Iosepho: atque idem addit, illo bello Mosen non contriuisse Æthiopes, sed ad pacem coëgisse, ac ducta regis Æthiopum filia in vxorem, amicum, imò generum ex ea recessisse.

Alij probabiliùs id referunt ad Asa regem Iuda, qui millionem Æthiopum cum suo duce Zara cecîdit, 2. Paralip. 14. v. 9. & 13. Verùm hi cæsi sunt extra Æthiopiam, nec Asa Æthiopes coëgit mutare sedes, aut ex Æthiopia in aliam regionem traduxit. Hæ ergo historiæ notæ erant tempore Amos: vnde ipse de ijs quasi tunc publicis loquitur; fortè etiam conscriptæ fuerunt in Chronicis illius æui, quæ iam non extant. Nam multi libri sacri, æquè ac profani per tot annorum centurias, totque vrbium & bibliothecarum exustiones aut vastationes, perierunt.

ET PALÆSTINOS DE CAPPADOCIA] Cappadoces, hebr. כַּפְתֹרִים *caphtorim*, occuparunt Palæstinam, exclusis ab ea Heuæis primis incolis, vti narratur Deuteron. 2. 19. & Ierem. 47. 7. vide ea quæ vtrobique dixi. ET SYROS DE CYRENE] q. d. Cyrenenses venientes ex *Kir*, vrbe & regione Assyriæ (vti dixi cap. 1. v. 5. malè ergo Theodor. censet *Kir* esse Haran, siue Charras vrbem Parthorum, in quam ex Vr, vrbe Chaldæorum, Deus traduxit Abraham cum Thare, Genes. 11. 27. transtuli in Syriam Damasci, quæ priùs ab Aram filio Sem, vocabatur *Aram*, à nouis verò hisce incolis venientibus ex *Kir*, dicta est *Kiria*, indeque, vt nonnulli putant, euphoniæ causa *Syria*, sicut postea vice versa, cùm Teglathphalasar expugnauit Damascum, ex ea rursum transtulit Syros in Mediam & Assyriam, putà in Kir, ex qua olim venerant. *Syriæ etymon.* Sensus est, q. d. Ne blandiamini vobis, ô Israelitæ, de mea in vos cura & prouidentia, qua vos olim eduxi de Ægypto & collocaui in Chanaan. Nam pari modo Cappadoces collocaui in Palæstina, Kirenses in Syria; & tamen illos ob sua scelera Palæstina per vos expuli, hos Syria per Teglathphalasar expellam. Scitote ergo me idem vobis facturum, ni scelera vestra castigetis, vitamque & mores emendetis. Nominat Palæstinos & Syros, quia his contermini tam situ, quàm moribus erant Israelitæ: vnde tacitè eos taxat: Syri enim malè audiebant olim ob morum molhitiem. Vnde prouerbium: *Cùm non sis Syrus, ne syrissa*, id est, ne sumas personam parùm decoram; aut, cùm sis ingenuus, ne moribus agas seruum & barbarum. Est acutus iocus ex amphibolia verbi συρίζω, quod significat & syrissare, & fistula canere. Et Cicero lib. 2. ad Q. fratrem: *Nos*, ait, *ita philologi sumus, vt vel cum fabru habitare possimus. Habemus hanc Philosophiam non ab Hymetto, sed ab area* (aliqui legunt hara) *Syra*, id est, à rusticana simplicitate.

VERVMTAMEN CONTERENS NON CONTERAM] q. d. Planè & omnino non conteram Israelem, sed reliquias ex eo seruabo & saluabo. Vers. 8.

SICVT CONCVTIT VR TRITICVM IN CRIBRO] Romæ enim, & alibi in Italia cribrãt frumentũ, cribroque pro vanno vtuntur. Idem videntur fecisse Israelitæ, vti hîc indicat Amos. q. d. Sicut cùm frumenta ventilãtur in vanno, vt vertit Tigurina, vel cribrantur in cribro, paleæ vel auolãt, vel per foramina cribri decidunt in pauimentum, lapilli verò & grana remanent in cribro; Vers. 9.

ita electi & probi ex Israel seruabuntur, cæteri A improbi peribunt. Vnde Theodor. *Nec verò secùs*, ait, *quàm agricola à quisquiliis & purgamentis frumentum secernit, ego etiam salutè dignos seruabo, reliquos necandos tradam.* Metaphora cribri, ait S. Hieron. significatur ipsa terra Israel, cuius margines Deus magnitudine sua vtraque manu tenens, quasi cribrum huc illucque concutiet, vt paleis ac sordibus peccatorum concussis, id est, labore & calamitate exagitatis, & in terram cadentibus, ac gladio morientibus, purum frumentum remaneat, quod in horrea condatur. Quocirca cùm subdit Amos:

ET NON CADET LAPILLVS SVPER TERRAM] per lapillum intelligit *granum*, vt vertunt alij: quia granum est durum instar scrupuli & lapilli. Est catachresis: vnde hebr. צְרוֹר B *tseror* significat fasciculum, & sacculum; ac metonymicè res quæ in fasciculum colligi, aut in sacculum colligari solent, qualia sunt grana, item lapilli pretiosi aut pulchri, margaritæ, nummi aurei, argentei, &c. Radix enim צָרַר *tsarar* significat stringere, arctare, premere. Vnde *tseror* est res arcta, stricta, pressa, quæ in sacco vel loculo stringi, densari & arctari solet, qualis est triticum. Vnde Septuag. vertunt σύμμεμα, id est, conuolutio, globus, coagmentum, compactile, putà *granum* maiusculum conglobatum & compactum, vt vertit interpres Complut.

Alij tamen *lapillum* hîc propriè capiunt; idque variè. Primò, Rupert. censet hic agi de cribro, non frumentario, sed murario, quo lapides à pulueribus secernuntur. hoc refellit Ribera. Secundò, Palacius lapillis censet significari improbos, qui per cribri foramina nequeant euadere manum & vindictam Dei, & ideo manu eiusdem sint è cribro eijciendi, id est, ab hostibus occidendi, vel captiuandi; ac consequenter per triticum significari probos. Sed hoc rectè refellit Delrio adagio 981. Nam triticum per foramina cribri descendere, & secerni non solet; nisi per triticum non grana, sed farinam accipias: hæc enim à suis folliculis & glumis cribro transmissa secernitur.

Tertiò, Ruffinus censet purgantes triticum illi iungere lapillos in cribro. *Ad hoc*, inquit, *vt vim concussui addant marginibus illisi, & nihil de quisquiliis remanere patiantur.* Symbolicè verò, *nomine lapillorum eorum indicat firmitatem, qui malis haud facilè corrumpantur exemplis, vt illis temporibus Prophetas, & alios iustos fuisse legimus, qui cùm reliquum vulgus, ve ligna ac stipulæ deperirent, illi velut solidi, perq; hoc pretiosi lapides, permanebant, super quos meritò Ecclesia fundaretur.* ita & Sanchez. Quartò, Ribera putat Prophetam de more hîc duas metaphoras iungere, scilicet vnam tritici, alteram lapillorum, atque à cribri & frumenti similitudine transire ad rem significatam, putà ad domum Israel, de qua immediatè antè dixit: *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel.* ideoque nominare lapillos: lapides enim apti, imò necessarij sunt ad domum Israel reædificandam. Verùm primus sensus quem dedi vti simplicior, ita germanior est, eumque exigit versio Septuag. Aliter Iohannes Alba Electorum c. 61. Lapilli, inquit, siue lapides parui sunt infimæ sortis homines, pauperes, plebeij, totumq; ignobile vulgus. q. d. Vniuersus populus ducetur captiuus; ac proinde non in terra sua, sed in captiuitate morietur. Solet enim inter homines loco infelicitatis haberi, quòd quis extra patriam moriatur, præsertim in captiuitate. Explicat enim id quod præcessit: *Concutiam in omnibus gentibus domum Israel.* Verùm hæc phrasis nusquam eo sensu sumitur, præsertim quia Amos non ait, Super terram suam, vel super terram Israel, sed absolutè *super terram*, quod tam de terra Assyriæ, quàm Israelis accipi potest. Constat autem Israelem in terra Assyriæ cecidisse & mortuum esse.

11. In die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum eius, & ea quæ corruerant, instaurabo: & reædificabo illud sicut in diebus antiquis.

12. Vt possideant reliquias Idumææ & omnes nationes, eò quod inuocatum sit nomen meum super eos: dicit Dominus faciens hæc.

13. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & comprehendet arator messorem, & calcator vuæ mittentem semen: & stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt.

14. Et conuertam captiuitatem populi mei Israel: & ædificabunt ciuitates desertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: C & facient hortos, & comedent fructus eorum.

15. Et plantabo eos super humum suam: & non euellam eos vltrà de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.

IN DIE ILLA (Chald. *in tempore illo*) SVSCITABO (Septuag. *resuscitabo*; S. Iacobus Act. 15. *reædificabo*; Syrus, *erigam*, scilicet firmiter & stabiliter) TABERNACVLVM DAVID, QVOD CECIDIT] Aliqui hanc suscitationem factam esse censent ab Ezechia, qui post abductas ab Assyrijs decem tribus anno sexto regni sui, earum reliquias profugas excepit, & in veri Dei cultu veraque Ecclesia confirmauit, 4. Reg. 18. & 19. Alij, vt Ruffin. & Chrysost homil. 33. in Acta, eam factam censent esse ab Esdra & Zorobabel, qui Cyro annuente Iudæos è Babylone reduxerunt in Ierusalem, ibique eorum Rempubl. & Ecclesiam restituerunt. Verùm hi à vero sensu aberrant. nam exilis fuit vtraque hæc suscitatio; ea autem quæ hîc promittitur, ampla fuit & augusta. Ait enim: *Reædificabo illud sicut in diebus antiquis, vt possideant reliquias Idumææ, & omnes nationes.* Quando quæso Ezechias, aut Zorobabel possedit omnes nationes? Rursum, quando factum est istud: *Et stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt?* Adde, Zorobabelem non tùm reduxisse duas tribus, æquè ac Ezechiam duabus ferè tantùm imperauit: hîc autem promittitur Israelis, id est decem tribuum, instauratio. Respondeo ergo, hanc promissionem ad

Chri-

Christum spectare, per eumque expletam esse. Ita esse clarè patet ex oratione S. Iacobi, qui Actor. 15. 16. in Concil. Hierosol. hæc verba Amos de Christo, & Gentium ad Christum conuersione interpretatur. S. Iacobum sequuntur omnes Interpretes Orthodoxi. Quocirca idipsum sub anathemate definiuit Vigilius Papa. Cùm enim hæc Amos verba Theodorus Mopsuestenus sic explicaret: *Hoc loco*, inquit, *reditum à Babylone prædicit, quando Zorobabel ex stirpe Dauid regem habuerunt: Iacobus verò in Actis Apost. hunc locum ad Christum transtulit, in quo res est ad exitum verum perducta*; hanc eius explicationem sub anathemate damnauit Vigilius Papa in Concil. Romano, quod habetur in Bibliotheca Vaticana, & ex ea transcripsit P. Turrianus super libr. 2. Const. Apost. cap. 5. eò quòd locum, qui primariò & in sensu litterali seu historico in Actis exponitur de Christo, asserat intelligendum esse in primo & literali sensu de Zorobabele; in secundo, & per translationem de Christo. Vbi, vt alia omittam, manifestè Theodorus errat, cùm Zorobabel facit regem, qui tantùm dux fuit populi ex Babylone redeuntis. Pari modo idem Theodorus censebat, oracula omnia quæ ad literam de Christo edita sunt, historicè ad Dauidem, Ezechiam, Zorobabelem & Iudæos spectare; sed ex accommodatione, & ex reuentu ab Apostolis & Euangelistis dumtaxat adaptari Christo. Hoc est quod sub anathemate damnat Vigilius, & ante eum damnarat Synodus generalis quinta, quæ fuit Constantinopolitana secunda, vt patet ex eius actione quinta, & ex Leontio, qui vixit tempore Iustiniani Imper. & Theodori errores recenset. vide dicta in proœmio notat. 5. Propheta ergo hîc de more post expositam Dei vltionem, & desolationem Israelis, eius restaurationem, & consolationem per Christum afferendam subiungit.

A

B

C

Tabernaculum ergo Dauidis, propriè & formaliter non significat Ecclesiam (nec enim Dauid fuit Ecclesiæ sacerdos, aut pontifex) sed regnum Dauidis, putà domum eius regiam, palatium & thronum regium. Orientales enim olim in tabernaculis ex ramis, corio aut tabulis constructis degebant: inde quæuis domus aut palatium vocatur tabernaculum, præsertim quia Hebr. סכה *succa*, ad verbum idem est quod opertorium, velamentum, tegumentum, tectum; à rad. סכך *sacach*, id est, velauit, operuit, texit; quod tam domui & palatio, quàm tabernaculo congruit. Tabernaculum verò propriè hebr. dicitur אהל *ohel*, id est, tentorium extensum & expansum à rad. אהל *ahal*, id est, extendit, expandit. Vocat id tabernaculum, potiùs quàm palatium, tum quia Dauid in assiduis bellis exercitus communiter in tabernaculis castrensibus degebat: tum vt significet regnum hoc Dauidis mobile fuisse & temporaneum; Christi verò regnum ei successurum fore immobile & æternũ. Hoc enim promisit angelus B. Virgini, dicens Lucæ 1. 32. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis*: tum quia alludit ad tabernaculum Mosis in deserto, quod præerat, & quasi dirigebat omnia castra Hebræorum, quæ ex ipsum dispositi erant: vnde erat typus Ecclesiæ peregrinantis & militantis. q. d. Sicut olim tabernaculum, & cum illo Moses & Hebræi per desertum peregrinati sunt, perrexerunt quę in terram promissam; ita Ecclesia Christi per desertum huius vitæ peregrinatur, tenditque in cęlum. Est ergo ipsa tabernaculũ Dauidis, id est, Christi & Christianorum. Hebr. 13. 14.

D

Quocirca materialiter & reipsa regnum hoc Christi est Ecclesia: quia regnum hoc Christi spirituale est & Ecclesiasticum, quo nimirum Christus credentibus per fidem & gratiam dominatur. Itaque cùm dicit: *Suscitabo tabernaculum Dauid*, reipsa dicit, suscitabo Ecclesiam, siue cœtum populi fidelis, cui olim dominatus est Dauid. Porrò regnum hoc Dauidis, æquè ac Ecclesia fidelium, per varias rupturas cecidit, scilicet Primò, cùm Ieroboam decem tribus à regno Dauidis & ab Ecclesia cultuque Dei ad se & ad vitulos aureos traduxit. Secundò, cùm Israelitæ à Syris, Philisthinis, Ægyptijs, alijsque gentibus multoties fuerunt attriti. Tertiò, cùm decem tribus in Assyriam, duæ in Babylonem fuerunt abductæ. Quartò, cùm Antiochus Epiphanes eiusque posteri, tempore Machabæorum posteros Dauidis afflixerunt. Quintò, cùm Herodes, sub quo natus est Christus, stirpem Dauidis regiam quasi extinxit, totumque regnum ad se, putà ad alienigenam, transtulit. *In die* ergo *illa*, id est, in tempore illo, quo per tot ruinas, ac tandem per tyrannidem Herodis, regnum Dauidis planè cadet & corruet, Deus, qui in rebus deploratis succurrere solet, mittet Messiam siue Christum, qui in tabernaculum hoc, quasi in propriam domum & in regnum auitum Dauidis patris sui, iure hereditario succedet, illudque restituet, imò augustius reddet, non dominio & dominatione temporali, sed spirituali, quæ sublimior & diuinior est. Christus enim tam Iudæos quàm Israelitas in suum regnum suamque Ecclesiam asciuit & cooptauit, ac vice incredulorũ, qui in illud ascribi noluerunt, surrogauit & adoptauit omnes gentes ex toto mundo, itaque fecit vt hoc regnum amplissimum totum orbem complecteretur, vt à Christo omnes vocentur Christiani, & profiteantur se Christi subditos & discipulos: Gentes ergo loco Iudæorum huic Dauidis tabernaculo, quasi viui lapides, inædificatæ sunt, &, vt ait Apostolus Rom. 11. 17. in hanc Dauidis Deique oleam insertæ sunt. ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. Vatabl. Arias, Ribera, à Castro & alij passim.

Alleg. Alleg. tabernaculum Dauid est corpus Christi à Iudæis occisum per varias rupturas, id est, vulnera ei inflicta, quod Deus tertio die à morte ad vitam glorioſum suscitauit, de quo Christus ait: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, Iohan. 2, v. 19. Christus enim vocatur Dauid, quia Dauidis filius & heres. ita Theodor. & Cyrill. lib 4. in Ioannem c. 35. imò Rabbini apud Galat. lib. 8. c. 22. vbi R. Nahaman hunc locum sic legit: *Suscitabo casulam Dauid deiectam*, id est, corpus Christi crucifixum resuscitabo, ex eoque probat Messiam moriturum, ideoque eum ab Hebræis vocari *Barnephili*, id est, *filium caducum*, asseuerat. Hinc consequenter S. Chrysost. hom. 16. in Ioannem, per tabernaculum Dauid accipit naturam humanam peccato Adæ collapsam, quam Christus assumens reparauit & restaurauit.

Ex

Refutatur Messias Iudæorum.

Ex dictis patet, perperam Iudæos hoc loco & similibus abuti, vt probent Messiam necdum venisse, sed venturum, vt temporale Dauidis regnum restituat, ac Iudæos in illud quasi primores regni asciscat. Nam, vt alia taceam, Primò Amos hic propriè non agit de Iudæis, sed de Israelitis, id est, decem tribubus (has enim v.8. 9. & 14. vocauit domum Iacob, & domum Israel) eisque post cladem restitutionem promittit, vt regno Dauidis, à quo per schisma exciderunt, rursum inserantur & vniantur. Frustra ergo hæc sibi attribuunt Iudæi moderni. Cumque constet Israelem numquam ex captiuitate Assyriaca redijsse, aut rediturum, æquè ac Iudæi è captiuitate Titi & Romanorum per 1600. annos numquam redierunt, nec redibunt: sequitur hæc de mystico Israelis reditu, putà de Gentium in Christum credentium, qui sunt Israelitæ secundùm spiritum, non secundùm carnem, vt ait Apostol. Roman. 9. v. 8. conuersione & salute intelligenda esse, vti fusiùs probaui Danielis c. 2. v. 44. & Daniel. 9. v. 24. Idem rursus patet ex eo quòd Deus similem restaurationem promittat Sodomitis, Assyrijs, Ægyptijs, Ammon & Moab, qualem promittit hîc & alibi Israelitis atqui illa non fuit temporalis, sed spiritalis per Christum: ergo talis quoque fuit Israelitarum. Maior liquet Ezech. 16. v. 55. *Et soror, ait, tua Sodoma, & filiæ eius reuertentur ad antiquitatem suam*, id est, ad antiquam suam sedem, opes & gloriam. Constat autem Sodomam & vicinas vrbes cælest. incendio cum omnibus suis incolis conflagrasse. Ergo hæc Sodomæ restitutio mysticè accipienda est, non ad literam vt sonat. Idem de Samaria promittit ibidem Ezechiel constat autem Samaritas ad literam ex Assyriaca captiuitate non redijsse: ergo Samariæ hæc restitutio spiritualis per Christum, non literalis & temporalis accipienda est. Idem Assyrijs & Ægyptijs, æquè ac Israelitis promittit Isaias cap. 19. 24. *In die illa erit Israel tertius Ægyptio & Assyrio, benedictio in medio terræ.* Hoc ad literam vt sonat falsum est, nec admittent, aut patientur Iudæi sibi associari & æquari Ægyptios & Assyrios. Ergo mysticè id accipi debet. Idem Moabitis promittit Ieremias cap. 48. 47. *Et conuertam captiuitatem Moab in nouissimis diebus, ait Dominus.* Et Ammonitis c. 49. v. 6. *Et post hæc reuerti faciam captiuos filiorum Ammon, ait Dominus.* Ad literam autem nec Moabitæ, nec Ammonitæ è Babylone redierunt. Ergo reditus hic mysticus est, putà conuersio ad Deum per Christum. Ergo pariter talis reditus & restauratio Israelis intelligenda est. Simile est templum quod promittit Ezechiel cap. 40. & sequ. scilicet magis mysticum quàm literale. Vnde c. 47. v. 1. 8. 9. vidit ex eo egredi aquas, & sensim in fluuium ingentem crescere, cuius riuulo sanabantur & dulcorabantur aquæ maris mortui, quod in Scriptura vocatur salsissimum. quæ omnia mysticè accipienda esse manifestum est. Discere hinc canonem morem que Prophetarum. nimirum solent ipsi post tristia læta subiungere, post desolationem consolationem, post excidia & ruinas gentium, earumdem restitutionem per Christum. Ipse enim est Messias, putà salus, consolatio, gaudium & desiderium cunctarum gentium, Aggæi 2. 8.

Secundò assero, hoc Christi regnum non tantùm esse spirituale, sed & temporale. Cum enim per Imperatores Reges & Principes Christianos dominatur & imperat etiam ciuiliter toti orbi Christiano. Denique in die iudicij hoc regnum suum tam spirituale, quàm temporale perficiet faciétque gloriosum, vt toti cælo terræ cum suis fidelibus dominetur in æternumque plenissimè hæc & similes prophetiæ plebuntur.

ET REÆDIFICABO APERTVRAS MVRORVM IVS] Hebr. גדרתי *gadarti*, id est *sepiam*, vt vert. Pagnin. *instaurabo*, vt Vatabl. *sepe circumdabo*. Tigurina. q.d. Sarciam hiatus & aperturas morum Dauidis & Israelis. Nimirùm Deus instaurauit ruinas Israelis, eásque sarciuit multitudo Gentium credentium Christo, quæ in locum Iudæorum & Samaritarum incredulorum successerunt; sicut dæmonibus labentibus è cælo rogauit homines, ijsque instaurauit ruinas ciuitatis Ierusalem. De fide enim, vocatione & conuersione Gentium hunc locum explicat S. Iacobus Actor. 15. 6. Censet Ribera hanc prophetiam impletam esse post excidium templi & vrbis Hierosolymæ factum à Tito: tunc enim Iudæis in sua cæcitate persistentibus, & per totum orbem dispersis, eorum loco Gentes in Ecclesiam esse ascitas. Verùm S. Iacobus Actor. 15. tempore, id est, mox à passione Christi, cum Paulus & Barnabas primi euangelizantes Gentibus multos ex ijs conuerterunt, impletam, vt est impleri cœptam, asserit. Adde non agi hîc de Iuda & Hierosolyma, templúmque & vrbis excidio & ruina per Titum, præsertim quia Christus templum hoc, iam tum Iudaicum, sibique è diametro oppositum & resistens, non restaurauit, sed vetus Dauidis regnum & Ecclesiam legitimam. Fateor tamen post excidium Hierosolymæ plenius hanc prophetiam impletam esse. Fuit enim S. Iohannes, qui vnus ex Apostolis superstes viuebat, ac viri Apostolici relictis Iudæis, vt pote iam euersis & dispersis, conuerterunt se ad prædicandum Gentibus.

SICVT IN DIEBVS ANTIQVIS] sicut in diebus Dauidis & Salomonis. Dauidem enim nominauit paulò antè: & tunc maximè floruit, imò cœpit gloria regni Israelis. ita Remigius. Sic antiqua sæcula vocabantur aurea, in quibus cum virtute florebat resp. de quibus Virgil. 6. Æneid.

Hic genus antiquum, Teucri pulcherrima proles,
Magnanimi Heroës, nati melioribus annis.

VT POSSIDEANT RELIQVIAS IDVMAEAE] q.d. Vt, sicut Dauid subiugauit Idumæos, cæteraque vicinas gentes 2. Reg 8. 14. psalm. 59. v 10. & 11. vbi dicitur: *In Idumæam extendam calceamentum meum*, id est possessionem capiam Idumææ: hæc enim olim capiebatur immissione calceamenti in rem possidendam: ita Christus per Apostolos virosque Apostolicos, Episcopos & presbyteros subiuget sibi suæque fidei, & subiugatas possideat easdem gentes, imò totum mundum. Nominat Idumæos, quia sicut Esau internecino odio persecutus est Iacobum fratrem suum, ita & posteri eius Idumæi persecuti sunt posteros huius, putà Iacobæos & Israelitas, eorumque fuere hostes iurati & infensissimi q.d. Idumæi sub Christo & per Christum ponent hæc auita odia, & cum Israelitis conspirabũt in vnum Christi iugum & regnum. Rursum nominat *reliquias Idumææ*,

Idumæa, tum quia literaliter Dauid per Ioab cæsis plerisque Idumęis, eorum tantùm reliquias seruauit & subiugauit, vt patet 3. Reg. 11. v. 14. Ac rursum paulò ante tempora Amos, cùm Idumæa Iudæis rebellaret, sibique proprium regem constitueret, Amasias rex Iuda eamdem rursum subegerat, itaque ceciderat, vt eius tantùm reliquiæ remanerent, 4. Reg. 14. 7. Tum quia parabolicè sicut reliquias Israelis, sic & reliquias Idumææ aliarumque gentium, putà eas quæ crediderunt prædicationi Apostolorum, seruauit Christus, cæteris manentibus incredulis, & ob infidelitatem pereuntibus: paucos enim ad Christum conuerterunt Apostoli, si comparentur cum illis qui non fuerunt conuersi, & perstiterunt in infidelitate. ita S. Hieron. & alij. Nota. Septuag. quos sequitur S. Iacobus Act. 15. hunc locum non verbotenus, sed paraphrasticè vertunt hoc modo: *vt quærant me reliqui hominum.* Per Idumæos enim Propheta synecdochicè quoslibet gentes & homines, præsertim à Christo alienissimas intelligit. Vnde se explicans addit, *Et omnes gentes*: hæ enim in regnum Christi ascitæ sunt, cùm illud requisierunt: nemo enim nisi volens & postulans in regnum Christi cooptatur. Quare quærere regnum Christi, idem est quod illud possidere, & ab eo possideri. Vnde ex Hebræo verti potest, *vt possideant*, scilicet regnum hoc Dauidis, id est Christi, *reliquiæ Idumææ, & omnes gentes.* Qui enim possidetur à Christo, vicissim possidet Christum, eiusque regnum. Addunt aliqui Hebr. אדום *Edom* significare Idumęam; Septuag. verò alijs pūctis legisse אדם *Adam*, id est homo, ideoque vertere, *vt quærant me reliqui hominum.* Verùm Septuag vtpote quos sequitur S. Iacobus & S. Lucas, veram & genuinam hic secuti sunt tam lectionem, quàm scriptionem. Ea autem habet *Edom*, id est Idumæa; non *Adam*, id est homo, præsertim quia exprimit literam *vau*, quæ est in voce *Edom*, non verò in voce *Adam* Propheta enim vti concionādo pronunciauit, ita concionem & prophetiam suam enarando, scripsit *Edom*, non *Adam*. Aliter Ribera: Iudæa, inquit, id est, laudans & confitēs olim Deum, post occisum à se Christum facta est Idumæa, id est, terrena & cruenta (Edom enim hebr. significat terrenum, ac rufum, rubrum, cruentum) sanguine Christi quem occidit; & hanc (Iudæam) per cæteros hominum significarunt Septuag. Sed hoc vti obscurius, ita & alienius arcuique videtur, vti fatetur ipse Ribera in Abdiam num. 6. Idumæa ergo hîc propriè capitur, ac præ cæteris nominatur, quia vti natura loci (vtpote sita in rupe & monte) ac gentis robore erat munitissima, sic ad suscipiendum Christum, vtpote è Iudæis sibi inimicissimis prognatum, erat difficillima: cuius rei typo Dauid inuasurus eam psal. 59. 11. ait: *Quis deducet me in ciuitatem munitam? Quis deducet me vsque in Idumæam?* Et respondet: *Nónne tu Deus?* q.d. Non meis, sed Dei viribus id fiet. Id verius fuit in Idumæorum cōuersione ad Christum. Vnde Amos pariter hîc subdit: *Dicit Dominus faciens hæc*; Syrus, *omnia hæc.*

A

B

C

D

EÒ QVÒD INVOCATVM SIT NOMEN MEVM SVPER EOS] q.d. Eò quòd vocemini populus Dei, cœtus & Ecclesia Christi, putà Christiani, ac vicissim Christus vocetur vester Deus, Dominus & Pater, quæ ingens est gloria, æquè ac tutela & præsidium in omni re, vt meritò de hoc nomine tam nobili vobis gratulari, Deo gratias agere, & apud Gentes gloriari possitis. Habetis enim nomen Dei, tamquam res propria illius, & cuius ipse propriè est dominus, quæque est eius peculium ipsique tota dicata.

Alij actiuè exponunt q. d. Eò quòd inuocetis, id est, publicè colatis, celebretis, & prædicetis nomen Domini. Hic sensus sequitur ex priori: ideo enim vocantur Ecclesia Dei, quia Deum colunt & celebrant. Propriè tamen hæc phrasis priorem sensum significat, vt patet Isaiæ 4. v. 1. *Apprehendent septem mulieres virum vnum dicentes: Tantummodo inuocetur nomen tuum super nos.* q.d. Non aliud à te petimus, quàm vt tu sis & voceris noster maritus, nosque simus & vocemur tuæ vxores, de cætero nos ipsæ nos alemus & vestiemus. Et Genes. 48. v. 16. ait Iacob de nepotibus suis Ephraim & Manasse: *Inuocetur super eos nomen meum*, id est, vocentur filij mei, & constituant duas tribus in Israel, vti constituunt cæteri filij mei, sicut de facto Ephraim & Manasse suam quisque tribum constituit, eamque ex nomine suo vocauit & denominauit, vt patet ex vers. 5. ibid.

ET COMPREHENDET ARATOR MESSOREM] VERS. 13. q.d. Tanta erit fertilitas frugum, vt duret messis vsque ad tempus arandi, & vindemia vsque ad sementem siue tempus seminandi, illudque occupet: non sufficies frugibus demetendis, sed nouæ sementis tempus vrgebit te manum aratro admouere, & copia vuarum ac vini adiget te vuis colligendis & prælo exprimendis vacare, etiam tunc cùm premet te tempus serendi. Audi Ruffinum, qui hîc finit suum commentum in minores Prophetas: *Frugum quoque vos faciam vbertate gaudere, ita vt toto anno colligenda suppeditent, & ad vindemiæ tempus messis nimium opima procedat, vindemiam sementis excipiat, secundùm illud psalm 64. 12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ.* coronam vocat continuationem illam fructuum toto anno, quæ annum vndique quasi cingit & coronat, quæque homines continuò occupat ad eos colligendos & fruendos. Nota hæc typicè & figuratè dici: nam ad literam vult dicere, tantam fore copiam bonorum spiritualium tempore Euangelij, vt ea capere & explicare non possimus; tantam fore animarum conuersionem, vt nullum permittant agricolis, id est, Apostolis & presbyteris quietis tempus, sed ipsi agrum hunc Domini, putà Ecclesiam, assiduè excolere debeant, nunc arando, nunc metendo, nunc vindemiando spiritualiter & mysticè, putà nunc docendo & monendo, nunc baptizando, nunc reconciliando, nunc perfectiori statui consecrando, &c. ita S. Hieron. Rupert. Hugo, Lyran. Vatabl. Ribera & alij. Audi S. Hieron. *Sic*, ait, *sibi inuicem cuncta succedent, vt nulla dies sit absque frumento, vino & gaudio. In illo tempore plenis torcularibus vua calcabitur, & de Christi ac Martyrum sanguine rubentia musta fundentur, & huiusce modi calcator erit seminarium sermonis Dei, vt sanguis eorum magis clamet in mundo, quàm clamauit sanguis Abel iusti. Quicumque autem merito virtutum suarum ad montana conscenderit, mella sudabit, imò stillabit dulcedinem sermonis Dei, de quo scriptum est: Gustate & videte quàm suauis est Dominus. Et, Quàm dulcia eloquia tua gutturi meo*

meo, super mel & fauum: ori meo. Et qui infra montes, A *imò secundi à montibus fuerint (quos sponsus transilit Cantic.2. & appellat colles) consiti erunt, & imitabuntur paradisum Dei, vt omnia in illu poma pendeant doctrinarum.*

Idipsum clarè cernere fuit, & etiamnum est, in Apostolis & viris Apostolicis, vt S.Paulo, S. Vincentio Ferrerio, S.Antonio de Padua, S.Xauerio & alijs, qui serendo verbum Dei cum sanctitate, miraculis & efficacia concionandi, ita cõmouerunt populos fideles & infideles, vt cùm tempus adesset messis, id est, eos inserendi Ecclesiæ putà baptizandi, confirmandi, absoluẽdi, &c. aliæ gentes vrbesque vicinæ inaudientes de hisce viris diuinis, eorumque virtute & fructu, certatim eos ambirent, cogerentque vt pari modo apud se sererent verbum salutis, illicoque ad se transirent. Perperam ergo Iudæi hæc ad literam, B vt sonant, exspectant sub suo Messia. Perperam quoque Theodor. hæc planè ad literam impleta censet in reditu è captiuitate Babylonica, cùm potiùs contrarium Iudæis tunc acciderit, putà sterilitas frumenti & vini, vt patet Aggæi 1.v.6. Adde, de Israelitis hîc agi, non de Iudæis, vti ostendi initio capitis. Denique Iudæis non conuenit illud v.15. *Et plantabo eos super humum suam, & non euellam eos vltrà de terra sua.* Nam Iudæi per Titum è Iudæa euulsi sunt, manebuntque vsque ad finem mundi, vti prædixit Daniel cap.9. vers.vltimo.

STILLABVNT MONTES DVLCEDINEM, succum dulcem, putà mustum: hoc enim significat Hebr. עָסִיס *asis*: ET OMNES COLLES CVLTI ERVNT] Septuag. *consiti erunt*, scilicet, vineis & oleis: nam *Bacchus amat colles.* Hebr. est תִּתְמוֹגַגְנָה *titmogagna*, liquescent, id est, præ copia diffluent oleo & vino, aut lacte & melle, ex abundantia apum & pecorum, vt videantur, ait Ruffinus, effluere vina de rupibus, mella de montibus. Montes sunt Apostoli & viri Apostolici, qui stillarunt mustum dulcissimum Euangelicæ doctrinæ, gratiæ, charitatis, lætitiæ, omniumque donorum Spiritus sancti; colles sunt concionatores, qui idem mustum, aut lac, id est suauitatem doctrinæ, effuderunt. Aut montes sunt Ecclesiæ magnæ & generales; colles, paruæ & particulares. Aut montes sunt homines gradu aut virtute eminentes; colles sunt parui & plebeij. q.d. Omnes tam parui, quàm magni, affluent doctrina & gratia Euangelica. Alludit ad montes vinetis & oliuetis luxuriantes olim in Iudæa, æquè ac ad hortos quibus gaudebant & abundabant Syri. Syria, inquit Plinius lib.20.cap.5. *in hortis operosissima: inde quoque Græcis prouerbium, Multa Syrorum olera.*

VERS.14. ET CONVERTAM CAPTIVITATEM] q.d. Reducam populum meum Israel, id est, fidelem credentem Christo, ex captiuitate Salmanasar, id est diaboli & peccati, vt ædificent ciuitates, id est Ecclesias, in quibus plantent vineas & hortos, id est cœtus fidelium, ac corda piorum virtutibus & gratijs consita, quæ dabunt fructus & vinum operum suauissimorum & sanctissimorum Hæc enim mysticè debere accipi, non ad literam, patet ex eo, quòd Israel, id est, decem tribus è captiuitate Assyria numquam redierint, nec redituræ sint. Est ergo continua metaphora, petita ab ijs qui è captiuitate redeunt in patriam. Hi enim solent ædificare vrbes, plantare vineas & hortos.

ET PLANTABO EOS SVPER HVMVM] Putà in Ecclesia, quæ fundata est super petram, & cui portæ inferi non præualebunt, Matt.16.18. Plenius id fiet in Ecclesia triumphante in cælo, vt S. Hieron. Albertus, Ribera, à Castro, & alij. Et hoc fiet, quia Dominus Deus tuus, qui est omnipotens, id *dicit* & promittit, *cuius promissio lex nostra est*, ait S.Hieron. putà firma & inuiolabilis est, vti est lex naturæ.

Tropol. anima fidelis & sancta est tabernaculum Dauidis, id est, domus & templum Christi, iuxta illud 2.Cor.6.16. *Vos estis templum Dei viui*, in quo pauimentum est humilitas, penuarium timor iudiciorum Dei, tectum charitas, caminus oratio, parietes quatuor virtutes cardinales, fortitudo, iustitia, temperantia & prudentia. Si tectum stillet, id est, soluta vel laxata sit charitas, caminus, id est oratio, corruerit; si pauimentum confractum sit, id est, humilitas conuulsa; si parietes, id est virtutes cardinales, rimas vel ruinas egerint, illico singula hæc sarcienda & reparanda sunt, ne sensim crescentibus ruptura & ruinis tandem tota domus corruat, iuxta illud Sap.10.18 *In pigritijs* (in tarda & pigra restauratione vnius tabulæ, vnius tegulæ, vnius claui) *humiliabitur* (corruet) *contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.*

Secundò, anima sancta est vinea Domini, de multas analogias quas recensui Ezech.15. Item S. Bernard. serm 63. in Cant. *Vir*, ait, *sapiens sancta vinea est, sua mens, sua conscientia. Nil quippe* C *cultum desertumue in se sapiens derelinquet: stulta non ita. Cuncta apud eum neglecta inuenies, omnia iacentia, cuncta inculta & sordida.* Et infrà: *Bona vinea iustus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vnum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis. Vides apud sapientem vacare nihil: sermo, cogitatio, conuersatio, & si quid aliud est ex eo, quòd totum Dei agricultura, Dei ædificatio est, & vinea Domini sabaoth?*

Quod ergo facit vinitor in vinea, hoc facit cultor animæ in anima. Vinitor vites plantat, gerat, rigat, ligat, putat, sarrit, ablaqueat, defricat, vindemiat, torculari premit vt vinum exprimat. Eadem mysticè faciat, qui vineam animæ suæ vel alienæ excolit, quales omnes fideles esse debent. Hinc Christus Matth.20.1. singulis horis misit operarios in vineam suam. Et sponsa D Cant.1.5. ait: *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.* Essentia ergo animæ est quasi vinea plantata in terra huius corporis, cuius potentiæ, putà intellectus, voluntas, memoria, &c. sunt quasi vites, quarum vinum fructus opera charitatis, misericordiæ. vites hæ alligantur sunt palo crucis, cuius pedi foueam facientes dum mortem instare cogitamus, & foueam sepulturæ meditamur. Seruanda est hæc vinea ab apro exterminatore de sylua, psal.79.14. id est de vitio obscœnæ voluptatis, quod omnia bona exterminat: & à singulari fero, id est, à vitio superbiæ, quod singularem hominem facit: & à vulpe astutæ adulationis: & à lupo voracitatis: & à cane detractionis. Rursum roganda est Dominus, vt mittat pluuiam doctrinæ suæ, & cadorem gratiæ suæ, & stercora, id est, memoriam mor-

mortis filij sui & SS. Martyrum, quibus hæc vinea ad fructum ferendum excitetur & impinguetur. Flores & folia sunt sancta desideria, & pia colloquia, ac bene ædificantes sermones, quibus anima quasi vinea reuiresçit, ac producit lachrymas compunctionis, & suauem virtutis odorem emittit, iuxta illud Cantic. 2. 13. *Vineæ florentes dederunt odorem suum*: ac tandem edit & producit vuas maturrimas, & dulcissimas bonorum operum & virtutum omnium. Porrò notandum quod scribit S. Bernard. serm. 60. in Cant. *Aiunt*, inquit *floreſcentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec vllatenus nouorum ferre odorem florem. Quod volo attendant nouitij nostri, & sollicitius agant cogitantes qualem spiritum acceperint, cuius primitias dæmones non sustinent. Si sic nouitius seruor, quid erit absoluta perfectio?* Et mox: *Cæterùm si vineæ anima flos, opus odor, opinio est; fructus quid? martyrium. Et verè fructus vitis, sanguis est Martyrum*,

Tertiò, anima est hortus, imò paradisus Domini, iuxta illud Cant. 4. 12. *Hortus conclusus soror mea sponsa. Emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, &c. Surge Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meum, & fluant aromata illius.* Et c. 5. 1. *Veniat dilectus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Et c. 6. 1. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Eccli. 24. 42. ait Sapientia: *Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructū*, Num. 24. 6. Balaam videns agmina Israelis exclamat: *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, tentoria tua Israel, vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas!* Quod ergo facit hortulanus in horto vt eum excolat, hoc fidelis faciat in anima, vt in ea plantet nardum humilitatis, lilia castitatis, malogranata charitatis, heliotropium resignationis, qua suam voluntatem cum diuina conformet, cedrum spei & contemplationis, quercum constantiæ, hyacinthum cælestium cogitationum & desideriorum, amaranthum crucis, thus orationis, myrrham mortificationis, rosas odoratas bonæ ædificationis & exempli, palmam contemptus mundi, humanæ laudis & vituperij, &c. Quoties ergo elicis vel exerces actum, præsertim heroicum, humilitatis, charitatis, mortificationis, resignationis, &c. toties illustrem nardum, speciosum malogranatum, insignem myrrham, præstans heliotropiū, &c. offers Deo, eoque Dei hortum & paradisum quasi noua planta, quasi illustri flore & fructu exornas, vt ei cum sponsa fidenter dicas: *In portis nostris omnia poma: noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi*, Cantic. 7. 13.

COMMENTARIA IN ABDIAM PROPHETAM.

ARGVMENTVM.

DOROTHEVS Episcopus Tyri, qui sub Constantino Magno vixit, & sub Iuliano Apostata grandæuus annorũ 107. inter tormenta Martyr obijt, lib. de Vita & morte Prophetarum: *Abdias*, inquit, *ille ex terra Sichem agro Bethacaram, fuit discipulus Eliæ & cùm illius nomine multa passus esset, seruatus est. Tertius fuerat ex quinquagenarijs, cui Elias pepercerat, descenderatq; ad Ochoziam; ac ministerio regis sui postea relicto, prophetiæ gratiam acquisiuit, mortuusq; est, ac sepultus cum patribus suis.* Eadem habet S. Epiphan in vita Abdiæ. Audi & S. Hieron hîc. *Hunc* (Abdiam) *aiunt esse Hebræũ qui sub rege Samariæ Achab, & impiissima Iezabel, 3. Reg. 18. 12. pauit centum Prophetas in specubus, qui non curuauerunt genu Baal. Hic igitur, quia centum Prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, & de duce exercitus fit dux Ecclesiæ.* Additq́ue: *Sepulchrum eius vsque hodie in Sebaste* (vbi & Elisæus & Ioannes Baptista sepulti sunt) *veneration habetur, quæ olim Samaria dicebatur. Hanc Herodes in honorem Augusti Cæsarij, Græco sermone vocauit Sebasten*, id est Augustam. Vbi Nota, S. Hieron. non dicere hoc ex se, sed ex Hebræorum sententia: ex qua sequitur, Abdiam vixisse & prophetasse tempore Eliæ, sub Achab rege Israel & Iosaphat rege Iuda; & fuisse primum omnium Prophetarum qui sua oracula scripserunt. Hanc Hebræorum sententiam sequuntur, vel potiùs citant S. Doroth. S. Epiphan. S. Isidor. Euseb. in Chronico (sed mendosè mendo librariorum, ait S. August. li. 18. Ciuit. c. 31.) Clemens Alexand. 1 Strom. Rupert. Hugo, Lyranus, Sanchez & à Castro in proœmio lib. 4. c. 3. Addit ex Hebræis Masiana, Abdiam hunc esse tertium pentacontarchum, quem Ochozias misit accitum Eliam; cui supplici Elias pepercit, 4. Reg. 1. 13. Inde enim videtur renunciasse aulæ, adhæsisse Eliæ, totumq́ue se Deo tradidisse, ac idcirco donum prophetiæ assecutus. Imò nonnulli censent Abdiam esse Obdiam, quem Iosaphat rex misit, 2. Paral. 17. 7. cum Michæa & alijs, vt docerent in ciuitatibus Iuda. Vide Septuag. ibi pro *Obdiam* legunt *Abdiam*. verùm ille Obdias dicitur fuisse princeps, non Propheta: vnde alius fuisse videtur ab hoc nostro Abdia.

Abdias an discipulus Eliæ?

A

B

C

Totum ergo fundamentum huius opinionis, nimirum quòd Abdias fuerit pentacontarchus Achab regis Israel, nititur traditione Hebræorum. Hæc autem traditio incerta est & dubia. Nam R. Dauid & R. Abraham dicunt, non constare quo tempore prophetarit Abdias.

Probabiliùs ergo alij censent, Abdiam longè posteriùs vixisse & prophetasse, nimirum sub Ioathan, Achaz & Ezechia regibus Iuda, actuisse coæuum Oseæ, Ioëli, Amos & Michææ Prophetis; vti asserit S. Hieron. initio comment. in Oseæ, Theodor. Cyrill. hîc, Ribera in proœmio præludio 2. & alij. Probatur hæc sententia Primò, quia Oseæ cõmuniter ponitur primus Propheta rum, iuxta illud: *Principium loquendi Domino in Oseæ*, c. 1. 2. Oseæ autẽ cœpit prophetare sub Ozia & Ioathan, vt ibidẽ dicitur. Ergo Abdias non fuit primus, nec sub Iosaphat, sed sub Ioathan prophetauit. Secundò, quia Abdias ait v. 1. *Auditum à Domino*, scilicet, ergo & Isaias c. 21. & Amos c. 1. 11. stragem Idumææ. Ergo Abdias non antecessit Isaiam & Amos, sed eis fuit contemporaneus. Tertiò, si Abdias Propheta fuisset pentacontarchus Achab regis, vtique hoc non tacuisset Script. nec Iosephus, dum historiam illam Achab & Abdiæ fusè enarrat. Quartò, si Abdias sub Iosaphat prophetasset, prædixisset cladem Idumęæ viciniorem, nimirum factam ab Amasia rege Iuda 4. Reg. 14. 17. Iam autẽ eam non prædicit, sed illam dumtaxat quæ facta est à Chaldæis. Ergo post Amasiam, sub Ioathan prophetauit; præsertim cùm non multò ante tempora Iosaphat, Idumęi vastati & subacti sint à Dauide 3. Reg. 11. 15 vt non euerint Propheta, nouoq́ue excidio. Quintò, quia prophetia Amos eadem penè est cũ prophetia Ieremiæ contra Idumæos c. 49. 24. Ergo sub tempora, non Eliæ, sed Ieremiæ prophetasse videtur. Sextò, quia à tempore Eliæ & Iosaphat vsque ad excidium Iudææ & Idumęæ per Chaldæos, fluxerunt 300. anni; quis credat Abdiam omissis alijs vicinioribus cladibus, prophetasse excidium Idumęæ post trecentos annos futurum? Deus ergo videtur Idumęos per Dauidem, Amasiam & alios castigare voluisse: verùm cùm eos hisce flagellis emendari non videret, per Abdiam intentauit eis plenum vltimumq́ue per Chaldæos excidium. Porrò causam excidij assignat eamdem quam Amos & Ieremias, nimirum odium inueteratum & internecinum Idumæorum contra Iudæos, adeò

vt ab hostibus profugos occiderint, vel spoliarint, imò Chaldæos in expugnatione Hierosolymæ opibus armisque adiuuerint. Quocirca eis idem ab eisdem Chaldæis exitium iure talionis intentat: Iudæis verò reditum è Babylone, & felicitatem tum temporalem, tum spiritualem sub Christo pollicetur. ita S. Hieron. Theodor. Remigius, Rupertus, Albert. Vatablus, Hugo & alij. Id ita accidisse patet: nam Nabuchodonosor anno quinto post excisam Ieruſalem, qui fuit annus regni eius 23. inuasit & vastauit Idumæam, vti narrat Ioſephus libro 10. Antiquit. cap. 11. Rursum Idumæos adiuuisse Chaldæos in excidio Ieruſalem, ideoque excisos esse patet 3 Esdræ 4. 45. *Et tu*, ait, *vouisti ædificare templum quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Iudæa à Chaldæis.* Et psalm. 136. 7. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ieruſalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Addit R. Salomon Abdiam fuisse Idumæum, ideoque ad Idumæos missum, vt scelera suæ gentis liberiùs argueret. *Dicunt*, inquit, *Rabbini, Abdiam proselytum esse Idumæum. Dixit ergo Dominus: Ex ipsis adducam aduersus eos. Veniet Abdias, qui vixit inter duos impios, Achab & Iezabel, neque imitatus est mores eorum, & sumet pœnas de impio Esau, qui vixit inter duos iustos, Isaac & Rebeccam, & non est imitatus opera eorum.* Idem tradit R. Dauid hîc, qui proinde Abdiæ applicat illud Hebræorum adagium: *Ipsummet cochleare quod artifex exsculpsit, combussit ei ipsius acri sinapi*: quod dicere solent in artifices, qui ex opere suo damnum aut molestiam capiunt. Sic enim Abdias cùm esset Idumæus & Propheta, tamen Idumæorum, hoc est gentis suæ, prædixit excidium; vnde ex suo artificio, putà ex prophetia, videtur damnum passus.

Verùm S. Dorotheus, Epiphan. & alij initio citati, tradunt Abdiam fuisse Iudæum, putà Sichimitam, sicut & cæteri Prophetæ fuere Iudæi. Scribit S. Hieron. in epitaphio S. Paulæ, ipsam in Samaria, siue Sebaste visisse sepulchrum Elizæi, Abdiæ & Ioannis Baptistæ; *Vbi multis*, inquit, *intremuit consternata mirabilibus: namque cernebat varijs damones rugire cruciatibus, & ante sepulchra sanctorum vlulare homines more luporum* (notent hoc nostri Hagiomachi) *vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum; alios rotare caput, & post tergum terram vertice tangere, suspensisq; pede feminis vestes defluere in faciem.* Ascriptus est Abdias catalogo Sanctorum die 19. Nouemb.

Porro *Abdias* hebr. idem est quod *seruus Dei*, vt nomine repræsentet Christum, qui formam seruj induit, Deique seruus vocatur Isaiæ 42. 1. ait S. Hieron. Qui & in proœmio asserit, se iuuenem ante triginta annos scripsisse in Abdiam, eumque mysticè exposuisse; quod redarguit, eò quòd primò tradi debeat sensus literalis Prophetæ, eique deinde congruè inædificari sensus mysticus. *Infans*, ait, *eram, nondum scribere noueram, titubabat manus, tremebant articuli. Nunc vt nihil aliud profecerim, saltem Socraticum illud habeo: Scio quòd nescio.* Et mox: *Liberè profitebor, & illud fuisse puerilis ingenij, & hoc maturæ senectutis.*

Rursum omnium Prophetarum breuissimus est Abdias & minimus, *versuum supputatione, non sensuum*, ait S. Hieron. & ex eo Ribera. Homines, inquit, pusilli ita ingenio & arte præstant, vt locus prouerbio datus sit, ἄνθρ ὁ μακρὸς, id est amens qui longus. Aristot. in Physiognom. *Parui valdè acuti sunt*, inquit, *motu enim sanguinis paruum locum continente, motiones quoque valdè velociter accedunt ad sapere. Qui autem sunt valdè magni, tardi: motu enim sanguinis magnum locum continente, motus tardè accedunt ad sapere* Ex quo rectè Eccles. cap. 11. *Non laudes virum in specie suâ, neque spernas hominem in visu suo. Breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* Quid de bombycibus, quid de muscis & apibus dicam? Sanè S. August. lib. de Duabus animabus contra Manichæos cap. 3. & 4. non dubitat asserere, muscam præstantiorem esse sole: quia animam, vitam, motum, organaque omnia viuentium habet, quibus caret sol. Ita res paruæ plus vitæ & vigoris habent quàm magnæ. Quid remoram recenseam, qui cùm sit paruus piscículus, ingentes naues valido vento actas sistit & remoratur, si se eis applicet & affigat? Ita Deus excelsus in rebus paruis suam virtutem, sapientiam & magnitudinem ostendit. Abdias, inquit Hugo de S. Victore (qui in Abdiam scripsit more suo acutè & argutè, sed mysticè) *sermone simplex, & sensu multiplex: rarus in verbis, sed copiosus in sententijs, iuxta illud* Eccli. 20. *Sapiens verbis innotescit paucis. Prophetiam suam litteraliter aduersus Idumæam dirigit, allegoricè contra mundum, tropologicè contra carnem stylum suum acuit. Saluatoris typum gerens, ipsius aduentum subtiliter introducit, per quem mundus destruitur, per quem caro atteritur, per quem libertas redditur.* Quocirca meritò Isidor. lib. Allegor. S. Script. *Abdias*, inquit, *id est seruus Domini, inter omnes Prophetas breuior numero verborum, sed gratia mysteriorum æqualis.* Vnde Abdiam ad verbum penè imitatur Ieremias cap. 49. 24. & sequentibus.

CAPVT VNICVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dumæorum superbiam arguit, quòd in rupe siti putarent se inuincibiles: vnde ex ea se illos per Chaldæos detracturum minatur. Secundò, v. 10. excidij eius causam assignat, quòd in fratres suos Iudæos, ab hostibus afflictos, inhumani fuerint & crudeles. Tertiò, v. 17. Sionidis, id est Iudæis, è Babylone reditum & imperium pollicetur, nimirum quòd per Machabæos Idumæis, Philisthæis, viciniisq; gentibus, ac multò magis per Christum iisdem, totiq; Australi plagæ dominabuntur.

Vers. 1. VISIO Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom: Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes misit. Surgite, & consurgamus aduersus eum in prælium.

2. Ecce paruulum dedi te in Gentibus: contemptibilis tu es valdè.

3. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum: qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram?

4. Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus.

5. Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticuisses? nónne furati essent sufficientia sibi? si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi?

6. Quomodo scrutati sunt Esau: inuestigauerunt abscondita eius?

7. Vsque ad terminum emiserunt te: omnes viri fœderis tui illuserunt tibi: inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ: qui comedunt tecum, ponent insidias subter te: non est prudentia in eo.

8. Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau?

9. Et timebunt fortes tui à Meridie, vt intereat vir de monte Esau.

VERS. 1. VISIO ABDIÆ] *Visio* vocatur prophetia, *videns* Propheta. Eamdem mox vocat *auditum*. Causas dedi Isaiæ 1.1.

HÆC DICIT DOMINVS DEVS AD EDOM] Hebr. *leedom*, id est, *de Edom*, vel *ad Edom*. Esau, frater Iacobi gemellus, dictus est Edom, quia rufus; & Seir, quia pilosus: hinc posteri eius, putà populus Idumæus ab eo prognatus, vocatur pariter Edom, & Seir. Porrò Hebræi tam antiqui, teste S. Hieron. quàm moderni, vt R. Dauid, R. Salomon, & similes constanter asseuerant, Idumæos esse Romanos. Primò, quia *Edom*, & per aphæresim *Duma*, est Roma, si literam ד in vicinam ר commutes. Secundò, quia tradunt ipsi, hoc est fingunt, Iulium Cæsarem primum Rom. Imp. fuisse Idumæum. Addunt alij, Æneam fuisse Idumæum, atque ex Idumæa venisse in Ægyptum, inde in Libyam, inde Carthaginem, inde in Italiam, ibique Albam, ex qua prognata est Roma, condidisse. ita refert Arias. Origo huius opinionis, id est fabulæ, fuisse videtur excidium, quod Iudæi passi sunt à Tito & Romanis: inde enim Romanos quasi hostes infensissimos vocarunt nouos Idumæos. Consequenter, cùm fideles & Christiani vocentur Romani, à suo capite Romano Pontifice, & Romana Ecclesia, quæ matrix est omnium Ecclesiarũ; hinc Iudæi per Idumæos accipiunt Christianos, quos ex odio Christi infensissimos pariter hostes suos æstimant. Quare quæcumque contra

Iudæi censent Idumæos esse Romanos, cur?

A Idumæos ab Abdia aliisque Prophetis dicuntur, censent dici contra Christianos, ac proinde expectant suum Messiam, qui hoc imperium Romanorum, id est Christi & Christianorum, euertat, ac iudaismum restituat, Iudæosque opibus & honoribus quasi alter Salomon ditet & exaltet. ita refert Burgensis hîc, & Galatin. li. 4. c. 18. Atque hæc est causa immanis odij in Christianos, quod eis quasi innatum videtur. Verùm hoc eorum somnium (vti vocat S. Hieron.) confutant omnes historiæ Græcorum, Latinorum, & omnium Gentium, quæ Romam à Romulo Italo & Albano conditam, Iulium Cæsarem ex familia Iulia Romana prognatum, Æneam Troianum fuisse, non Idumæum, asserunt. Porrò quantum Alba & Roma distent ab Idumæa, sciunt omnes. Ridiculum verò est, quòd *Duma* transforment in *Roma*. Literæ enim *resc & daleth*, licèt characterè sint similes, sono tamen & sensu sunt dissimillimæ. Perinde ergo faciunt, atque si Cyrus transformes in *Irum*, *medicum* in *mendicum*, *mares* in *mares*, ac (quod in metathesi earumdem litterarum r & d planè simile est) si *Medus* in *merum*, *modum* in *morum*, *sedes* in *seres* transmutes. Longè facilius & propius Idumæos transformes in Iudæos, præsertim cùm hi illorum sint fratres, vtrique enim prognati ex Iacob & Esau fratribus, atque sede & regione sint vicinissimi. Quocirca Iudæos mysticè verè esse Idumæos, iam ostendam.

B Ad litteram ergo hîc, non Romanos, non Italos, sed Idumæos, id est, posteros Esau, degentes in montibus Idumææ iuxta Iudæam, Ammonitidem & Moabitidem, accipe.

C Mysticè, Idumæi sunt infideles hostes populi fidelis, putà Iudæi, Pagani, hæretici. Sicut enim Iacob fidelium, sic Esau & Idumæi infidelium sunt typus, vti docet Apostolus Rom. 9. 7. & 13. ita Euseb. lib. 5. Demonstrat. c. 24. Theodor. Rupert. S. Hieron. qui & ex etymo nominis analogiam affert: *Idumæa*, inquit, *terrena interpretatur, & propter colorem rubrum, cruenta quoque intelligi potest. Idcirco Saluator reportans ad Patrem de mundo victoriam, quando angeli conclamabant: Aperite portas principes vestras, & introibit rex gloriæ. & Isaia stupentes interrogabant: Quis est iste qui ascendit de Edom fulgida veste de Bosor, hic formosus in stola candida, &c. ipse loquitur in triumpho, exponens palmas crucis suæ; Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum.*

D Tropol. idem S. Hieron. *Sunt*, ait, *qui Idumæam ad carnem referunt, & aduersus illius pugnam animam æstimant prouocari, vt mortificantes membra nostra super terram, fornicationem, immunditiam, passionem, æternam in Christo victoriam consequamur.* Nam fratres Iacob & Esau assiduè inter se luctantes, sunt anima & caro. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Galat. 5. 17.

Rursum, Hugo de S. Victor. *Edom*, ait, *est terrenus, Esau sanguineus, Seir pilosus: sanguineus peccatis, pilosus negotiis, terrenus curis: sanguineus mundus vocatur in idololatrũ, pilosus in hæreticis, terrenus in carnalibus & pseudochristianis.* Et inferiùs ad v. 17. *Iacob ter luctatus est cum Esau fratre suo, semel cum angelo. Primò in vtero, secundò de lentis edulio, tertiò de benedictionis paternæ oraculo. Noster Iacob, id est luctator Christus, ter iam luctatus dicitur contra diabolum,*

bolum, quartò luctaturus pro certo creditur. Primò in vtero, secundò in patibulo, tertiò in sepulchro, quartò in extremo iudicio contra agmen hœdorum & semen pessimum. In vtero immunitate peccati, in patibulo acquisitione gloriæ & honore regni, in sepulchro immortalitate vitæ & gloria triumphi, in iudicio iure victoria & rigore iustitiæ. Et mox: *Primò luctatus est pro te, vt tu diaboli fastum & eius regna vinceres: secundò, vt mundi luxum & gloriam superares: tertiò, vt carnis concupiscentiam & petulantiam sensuum expelleres: vltimam verò faciet luctam, vt præfatis omnibus spretis, victor possideas gloriæ coronam.*

AVDITVM] Nota Primò, hæc esse verba non Dei, sed Prophetæ, vt patet Ierem. 49. 14. vbi eadem verba ex Amos vsurpat, sibique applicat. Vnde sequitur, hic esse hyperbaton, id est, inuersum ordinem. Nec enim hæc verba cohærent cum proximè præcedentibus. Sic ergo totus hic B versus ordinandus est: *Visio Abdiæ ad Edom. Auditum audiuimus, & legatum ad gentes misit. Surgite, & consurgamus aduersus eum in prælium. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce paruulum dedi te in gentibus,* &c. Verba enim Dei sunt hæc: *Ecce paruulum dedi te.* Verba autem Prophetę sunt: *Auditum audiuimus,* &c. Aut certè hæc verba, *Auditum audiuimus,* &c. parenthesi intercipienda sunt; q. d. *Hæc dicit Dominus,* idque scimus, quia *auditum audiuimus* ab ea ita Vatabl. idque expeditius & planius videtur. Secundò, *auditus* metonymicè ponitur pro re audita. Vnde Chald. vertit, *nuncium*; Tigurina, *rumorem*; Vatabl *famam*. Tertiò non dicit, Audiui, sed *audiuimus*: q. d. Non ego solus, sed multi Prophetæ mecum hæc Dei contra Idumæos decreta audiuerũt, vel mox audient, putà Isaias c. 21. C 11. Amos c. 1. 11 Ioël c. 3. 19. Ieremias c. 49. 7. Ezechiel c. 15. 31. ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran Clarius & Arias. Septuag. tamen verunt in singulari, *auditum audiui à Domino*. & sic habet Ierem c. 49. 14 Vnde Hugo putat, *audiuimus* plurale, poni pro singulari *audiui*. Sensus est q. d. Audiuimus à Deo hoc nuncium, vel Deus nobis annunciauit se misisse legatum ad gentes, qui eis diceret: Surgite, armate vos ad bellum, vt coniunctis viribus & armis Idumæos inuadamus & vastemus: vt enim *surgite*, non est vox gentium se inuicem excitantium ad bellum, vti volunt Arias & Vatabl. sed est vox legati, siue Dei, qui per legatum gentes excitat, vt secum consurgant in prælium contra Idumæos. ita S. Hieron. Theodor. Remig. & Lyran. idque patet ex ipsa serie narrationis & verborum contextu. D

LEGATVM AD GENTES MISIT] Quæres quis hic legatus? Albertus & Arias censent fuisse legatos quos Nabuchodonosor misit ad gentes vicinas sibique subditas, vt coniunctis armis inuaderent Idumæam. Secundò, Hugo, Dionys. & à Castro, censent fuisse angelum, siue bonum, siue malum, à Deo missum ad Chaldæos, vt eos concitaret ad excidium Idumæorum, iuxta illud Psalm. 77. 49. *Immissiones per angelos malos*. Tertiò simpliciùs & planiùs dicemus esse catachresin, qua ipsa motio & concitatio Dei vocetur legatus. q. d. Deus concitauit Chaldæos ad bellum Idumæis inferendum, perinde ac si legatum ad eos misisset. ita Lyran. Ribera & alij. Id ita esse colligitur ex simili loco Isaiæ 5. 26. *Et eleuabit, vt signum in nationibus, & sibilabit ad eum de finibus terræ: & ecce festinus velociter veniet.* Et c. 7.

A v. 18. *Sibilabit Dominus muscæ quæ est in extremo fluminum Aegypti, & api quæ est in terra Assur.* vbi hæc euocatio Dei & concitatio Ægyptiorum & Assyriorum ad bellum, vocatur sibilus, quo euocantur & concitantur muscæ & apes. vide ibi dicta. Verùm quia hic sibilus, hæc motio & concitatio Dei fieri solet per angelos, hinc non malè per legatum accipies angelos, iuxta secundam expositionem. Pari modo Nisus pugnandi auidus dixit ad Euryalum:

Diine hunc ardorem mentibus indunt
Euryale, an sua cuique Deus fit dira cupido?

Porrò qua ratione Deus concitet reges, etiam tyrannos ad bellum, vt vindictam suam per eos, licèt iniustos, in gentes impias exerceat, dixi canone 36. & 37 quos præfixi Isaiæ.

Allegor. hic legatus est Christus, magni con- *Christus est legatus triũ- silij angelus, qui prælio vicit Edom, id est mun- fliciter.* dum, carnem, diabolũ: & ad se, æquè ac ad hocce suum bellũ, vocauit Gentes. Vnde de vocatione Gentium hunc locum accipit Euseb. lib. 5. Demonstr. 24. ita quoq; S. Hieron. Remig Rupert. Hugo Cardin. & Hugo Victor. *Legatus iste*, ait Hugo Victor. *tria secum attulit: lucem, vnguentum, panem. Lucem cæco, vnguentum ægroto, panem famelico. Lucem exposuit in monte, panem in cœnaculo, vnguentum in crucis patibulo. Christus namque mundum illuminauit pulsa ignorantia: ipse eum satiauit ordinata concupiscentia: idem ipsum in melius commutauit exterminata miseria. Vnde ipse in Euangelio: Ego sum, ait, via, veritas & vita: via illuminando, veritas sanando, vita felicitando: primum contra ignorantiam, secundum contra concupiscentiam, tertium contra miseriam.* Et inferiùs docet legatum hunc loqui cæteris personis SS. Trinitatis, ac dicere: *Surgite, & consurgamus aduersus eum in prælium.* q. d. *Surgat Pater hostem Filio potenter prosternendo, ego surgam sapienter nescium docendo. Pater vincula soluat humanæ captiuitatis: Filius tenebras illustret humanæ cæcitatis: Spiritus munera suggerat & desideria charitatis.*

ECCE PARVVLVM DEDI TE] Hæc verba per- VERS. 2. tinent ad, *Hæc dicit Dominus Deus ad Edom.* Hic enim incipit prophetia & vox Dei cõtra Edom, vti paulò antè ostendi. Vatablus, Lyranus & Hugo, præteritum *dedi* exponunt propheticè per futurum *dabo*. q. d. Ob superbiam puniam te ô Edom, teque de fastigio gloriæ & magnitudinis tuæ deiiciam, faciamque paruulum. Verùm melius S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Arias, Pagninus & alij, propriè accipiunt *te dedi*. Exaggerat enim fastum Idumææ, quòd cùm paruulus formatus sit à Deo, caput vsque ad sidera erigere velit. quasi dicat, Feci te paruulum, tum numero, id est paucum: tum opibus, id est pauperem: tum robore, id est, inualidum & infirmum, vt vertit Chaldæus Idumæi enim erant sicuti nostri Alpini, habitantes in monte & petra Seir: quare exigui erant, inopes & imbecilles. Vnde sequitur:

CONTEMPTIBILIS TV ES VALDE] Septuag. *inhonoratus tu valde*, Tigurina, *vehementer despectus*, id est despicabilis, *es tu*; Arabicus, *ecce paruulus appares in gentibus, & tu vilis es valdè.*

SVPERBIA CORDIS TVI EXTVLIT TE] VERS. 3. Chaldæus, Tigurina & alij vertunt, *superbia cordis tui decepit te*: & sic vertit Noster Ierem. 49. 16. quia Hebr. נְשִׂיא *nasa*, si punctum ponas in dex-

trocornu שׂ, significat decipere; si in siniſtro, significat efferre, extollere. Vtrumq; verum: nam ſuperbia extulit, & pariter decepit eum: ſperantem enim ſublimia duxit ad præcipitia. Porrò ſuperbiæ cauſa erat quam ſubdit: *Habitantem in ſciſſuris petrarum, exaltantem ſolium tuum.* q.d. Superbis, ô Edom, de tuo robore, quia habitas in rupe præruptа & inacceſſa, quaſi ob eam ſis tutus ab hoſtium incurſu & inexpugnabilis: ſed erras; Chaldæi enim Deo duce in rupem hanc conſcendent, teq́ue inde deiicient. Pro *in ſciſſuris*, hebr. eſt בְּחַגְוֵי *bechagve*, quod Septuag vertunt, *in foraminibus*; Pagnin. *in munitionibus*; Tigurina, *in cauernis*; R. Dauid, *in gyro & circulo*, putà in vertice rupis, eiuſq́ue rotunda circumferentia: *chagve* enim poteſt deduci à חוג *chug*, id eſt circulus. Rurſum pro *exaltantem*, hebr. eſt מְרוֹם *merom*, id eſt, *celſitudine habitationis tuæ*, vt vertit Pagnin. Septuag. tamen vertunt vt Noſter, *exaltantem*. Vnde videntur legiſſe מְרִים *merim*, quod eſt *benoni hiphil*. Senſus eſt, q.d. Habitas ô Edom in locis abruptis, editis & inacceſſis, ibiq́ue exaltas ſolium, id eſt ſedem, vel, vt Chald. & Septuag. *habitaculum tuum*; ideoq́ue ſuperbis, putans te eſſe inuictum & inſuperabilem. ita S. Hieron. Simili modo ſuperbiebat Arimazes, qui in Sogdiana regione rupem inacceſſam cum triginta armatorum millibus inſidens, rogatus ab Alexandro Magno vt ſeſe dederet, eum irriſit, rogauitq́ue: *An Alexander volare poſſet?* Cui Alexander: *Faciam*, inquit, *proxima nocte vt credas Macedones volare poſſe*. Igitur trecentos iuuenes fortiſſimos ingentibus promiſſis excitatos, noctu per prærupta ſaxa & inuia à tergo rupis verticem clàm incredibili niſu auſuq́ue conſcendere iuſſit, ac per eos inſciis hoſtibus rupem occupauit, & Arimazem cruci affixit. ita Q. Curtius li. 7. de geſtis Alexandri.

A

B

C

VERS. 4. SI EXALTATVS FVERIS VT AQVILA] Syrus, *ſi te exaltaueris vt aquilæ*; Arabicus, *ſi exaltatus fueris ad aquilam*, quæ in altiſſimis & inacceſſis rupibus montibuſq́ue nidificat, iuxta illud Iob cap. 39. v. 28. *Eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum: in petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur.* Plinius lib. 10. v. 3. hanc aquilæ ſpeciem vocat melænaëton, *magnitudine minimam, colore nigricantem, viribus præcipuam. Sola*, ait, *ſine clangore, ſine murmuratione conuerſatur in montibus*. Sunt enim aliæ aquilarum ſpecies, quæ amant ſiluas & littora locaq́ue plana, ibiq́ue nidulantur, teſte Ariſtotel. lib. 9. de Animal. ca. 32. Hinc Pindarus aquilam vocat reginam volucrum, delphinum piſcium. Et Athenienſes, ait Ariſtoph. accepere oraculum, ſe fore aquilas vrbium.

D

Aquilæ ſunt ſapientes & ſuperbi.

Myſticè, aquilæ, inquit Hugo Victor. ſunt Philoſophi & Sophiſtæ, dum cordis oculos ad ſolē iuſtitiæ erigunt, dum aciem mentis in ipſum veritatis radium irreuerberatè figunt. Sed aquila inde ſtatim retrahitur: quia poſt acceptam veritatis inſitam notitiam, elationis merito Philoſophus & Sophiſta ad errorum caliginem reuertuntur. Hinc Apoſtolus Roman. 1. *Qui cùm cognouiſſent*, inquit, *Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis.* Ita & hodie aquilas, id eſt, viros doctos & ſapientes ob ſuperbiam è cælo, id eſt ex Eccleſia, vel certè è ſtatu perfectionis, detrahi videmus, & ruere in abyſſum. Vtinam docti illud doctoris Gentium intimis medullis infigant: *Scientia inflat, charitas ædificat.* Et illud: *Noli altum ſapere, ſed time.* Paruus enim, imò nullus, coram Deo eſt vir doctus ſed ſuperbus. Magnus, imò maximus, coram Deo eſt, qui tam humilis eſt quàm doctus, in quo humilitas cum doctrina certat. quales fuere S. Auguſt. S. Thomas, S. Bonauentura, & alij.

ET SI INTER SIDERA POSVERIS NIDVM TVVM, INDE DETRAHAM TE, DICIT DOMINVS] Eſt hyperbole, q.d. Etiamſi, ô Edom, in altiſſimis montibus, vti ſunt Olympus, Atlas, &c. imò in ipſo cælo ſedem figas, aut figere tibi videare, inde detraham te.

Nota. Appoſitè vrbes rupibus impoſitas vocat nidos. Sic Paulus Æmilius dixit, *arces eſſe nidos tyrannorum*: vnde ipſe illas è Græcia ſuſtulit. Sic Cicero 1. de Orat. Ithacam in ſcopulis quaſi nidum affixam dixit.

Symbol. Rupertus hæc adaptat ijs, qui ſegmatibus maiorum quaſi petris, vnde exciſi ſunt, gloriantur. Hi enim & ſimiles videntur ſibi cæteros homines longè ſuperare, & inter ſidera habitare. Talis fuit demens iactantia Thraſonis filius, Lyſimachi inquam, qui cùm loca ad Thraciam vergentia obtinuiſſet, ingenti faſtu dixit: *Nunc demum Byzantij ad me veniunt, poſtquam in cæca calum attigi.* Ibi hontinem falsè irridens Pedes Byzantius: *Recedamus*, ait, *ne ille lancea meâ ne calum perforet.* vti refert Plutarch. in Fortun. Alexand. li. 2. Sic faſtu turgidus Atreus in Thyeſte apud Senecam intonat:

Æqualis aſtris gradior, & cunctos ſuper,
Altum ſuperbo vertice attingens polum.
Dimitto ſuperos, ſumma votorum attigi.
O me calitum excelſiſſimum,
Regumq́, regem, vota tranſcendi mea.

Eadem phraſi vtitur Ouidius:

Quo coniuge felix,
Et diù chara ferar, & ſidera vertice tangam.

Et Horat. lib. 1. Carm.

Quòd ſi me lyricis vatibus inſeris,
Sublimi feriam ſidera vertice.

Moral. Nota, quantus ſit ſuperbiæ & ſuperborum faſtus, nimirum vt putent ſe in cælum & ſolium Dei poſſe conſcendere, illudq́ue inuidere. Idcirco Deo, quaſi riuales & æmuli gloriæ eius, maximè ſunt exoſi & inuiſi. Hinc de ipſo Iob c. 20. 6. *Si aſcenderit vſque ad calum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur.* Ita ſupremus angelus, eiuſq́ue antitypus Nabuchodonoſor, vel Balſaſar rex Babylonis, ſuperbiens dixit: *In calum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum*; ſed illico audiuit: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua: ſubtus ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Iſaiæ 14. 11. & 13. vide ibi dicta.

Annon Origenes, Tertullianus, Pelagius, &c. fuerunt quaſi ſtellæ Eccleſiæ, & aſtra cæli, & lumen ob ſuperbiam ceciderunt in abyſſum? quis non expaueſcat, quis non in imum ſe abijciat & humiliet? Hoc eſt quod in fine mundi circa ſignes viros diabolum per Antichriſtum factarum prædicit S. Ioannes Apocal. 12. 4. dum ait: *Cauda eius* (draconis) *trahebat tertiam partem ſtellarum*, id eſt, illuſtrium Sanctorum. Et Apocal. 8. v. 10. *Cecidit de cælo ſtella magna ardēs velut face.*

Quod

Quod Ticonius apud S. Auguſt. tom. 9. myſticè exponens ſic ait: *De Eccleſia dicit cecidiſſe homines ſuperbos & impios: Magnam verò ſtellam dixit, quia perſona malorum, & poteſtatem vel diuitias habentem.* Nam, vt ait S. Aug. in pſal. 146. (explicans illum verſ. *Qui numerat multitudinem ſtellarum:*) *Sunt ſtellæ quædam lumina in Eccleſia conſolantia nos ſtem noſtram, de quibus Apoſtolus dicit Philip. 2. In quibus appareris tamquam luminaria in mundo: illas ſtellas numerat Deus; omnes ſecum regnatores, &c. numeratos habet.* Idem in Soliloquijs tom. 9. cap. 28. electos & impios ob ſua ſcelera reprobandos comparat ſtellis, illos fixis, hos cadentibus, de ijſque ait: *Attamen mors peccatorum peſſima, illorum, inquam, quos, antequam faceres cælum & terram, ſecundùm abyſſum multam iudiciorum tuorum occultorum, ſemper autem iuſtorum, præſciuiſti ad mortem æternam: quorum dinumeratio nominum & meritorum prætorum apud te eſt, qui numerum* B *arenæ maris dinumeraſti, & dimenſus es profundum abyſſi: quos reliquiſti in immunditiis ſuis, quibus omnia cooperantur in malum, & ipſa etiam oratio vertitur in peccatum, vt ſi etiam vſque ad cælos aſcenderint, & caput eorum nubes tetigerit, & inter ſidera cæli collocauerint nidum ſuum, quaſi ſterquilinium in fine perdentur.* Vnde exclamat: *Magna ſunt hæc iudicia tua Domine Deus, &c. quod enim conſidero, contremiſcunt omnia oſſa mea: quoniam non ſecuratur homo viuens ſuper terram; vt ſeruiamus tibi piè & caſtè cunctis diebus vitæ noſtræ in timore, & exultemus tibi cum tremore.* Cauſam ſubdit: *Vidimus enim multos aſcendiſſe primitus quodammodo vſque ad cælos, & inter ſidera nidum ſuum collocaſſe, poſtmodum autem cecidiſſe vſque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe. Vidimus ſtellas de cælo cecidiſſe ab impetu ferientis caudæ draconis, & eos qui iacebant in pulucre terræ, à facie ſubleuantis manus tuæ, Domine, mirabiliter aſcendiſſe. Vidimus viuos morientes, & mortuos à morte ſurgentes, & eos qui inter ſtellas Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe.* Radicem tanti mali ſubdit: *Quare autem iſta omnia, niſi quia in montem illum aſcenderunt, in quem primus aſcendit angelus, & deſcendit diabolus?* Mos enim eſt Dei, vt quo quis altiùs ſe erigit, eo profundiùs eum deprimat, quia ſuperbiam execratur, iuxta illud Iſaiæ 23. v. 9. *Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret omnem ſuperbiam, & in ignominiam deduceret omnes inclytos terræ.* Et, *Depoſuit potentes de ſede.* Luc. 1. 52. Viderunt idipſum Gentiles: vnde Æſopus rogatus, quid faceret Deus? *Superbos*, inquit, *humiliat, & humiles exaltat.* quaſi hoc vnum proprium ſit Dei opus. Et Seneca in Hercule Furent.

Dominare tumidus, ſpiritus altos gere,
Sequitur ſuperbos vltor à tergo Deus.

Idem in Thyeſte:

Vos quibus rector maris atque terræ,
Iuſ dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidoſq; vultus.
Quidquid à vobis minor extimeſcit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne ſub regno grauiore regnum eſt.
Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens iacentem.
Nemo confidat nimium ſecundis.

Quocirca ſapienter Artabanus monet Xerxem regem apud Herod. li. 7. *Vides*, ait, *vt animalia præ-*

A *grandia fulmine ferit, neque cogitationibus inſoleſcere ſinit Deus; quæ verò paruula ſunt, ne tantillum quidem vellicat? Vides vt in maxima ædificia & arbores eiuſmodi ſemper tela contorqueat? Amat enim Deus incidere omnia quæ eminent. Neminem enim ſinit magni quippiam de ſe ſentire præter ſeipſum.* Denique S. Hieron. ad Euſtochium de cuſtodia virgin. *Cecidit*, inquit, *Lucifer, qui mane oriebatur, & ille qui in paradiſo deliciarum nutritus eſt meruit audire: Si exaltatus fueris vt aquila, inde detrahamte, dicit Dominus. Dixerat enim in corde ſuo: Super ſidera cæli ponam ſedem meam, & ſimilis ero Altiſſimo. Vnde quotidie ad eos, qui per ſcalam Iacob ſomniantis deſcendant, loquitur Deus: Ego dixi, Dij eſtis, & filij Altiſſimi omnes. Vos autem ſicut homines moriemini, & tamquam vnus de principibus cadetis.*

Myſticè R. Haccados apud Galatin. li. 7. c. 15. *Via*, ait, *aquilæ in cælis eſt rex Meſſias, qui poſt paſſionem ſuam aſcendet in cælum, ſicut dictum eſt Amos cap. 9. Qui ædificat in cælo aſcenſionem ſuam.*

SI FVRES INTROISSENT AD TE, SI LATRONES PER NOCTEM, QVOMODO CONTICVISSES] Pro *conticuiſſes*, hebr. eſt נִדְמֵיתָ *nidmeta*, à rad. דָּמָה *dama*, quod tria ſignificat, ſcilicet aſſimilari, ſuccidi, & conticeſcere. Vnde Primò, Arias vertit, *quomodo aſſimilatus eſſes*, hoc eſt, cui ſimilis relictus eſſes? vtique viro diſpoliato & depauperato. Secundò, Pagnin. & Tigurin. vertunt, *quomodo eſſes excisus?* Septuag. *vbi proiectus eſſes?* q. d. Quomodo tuis rebus & opibus priuatus eſſes? Aliter à Caſtro, contrariè enim exponit hoc modo: Anne omnino excisus eſſes? minimè: nam fures hi tantùm ſufficientia ſibi furati eſſent, cætera tibi reliquiſſent. Tertiò, Noſter vertit, *quomodo conticuiſſes?* & Chaldæus, *quomodo ſoporatus eſſes?* id eſt inſtar ſoporati, vel ſoporem fingentis præ metu conticuiſſes? Senſus eſt, ſi fures, vel latrones nocturni magna manu inuaſiſſent tuas ædes, omnino conticuiſſes. Ita enim ſolent timidi, vel viribus impares tacere præ metu, ne, ſi clament, à furibus & latronibus occidantur. q. d. Quanto magis conticeſces & obmuteſces ex pauore, cùm te Chaldæi numeroſiſſimi, validiſſimi & infenſiſſimi inuadent & ſpoliabunt; nec tantùm opes, ſed & vitam auferent. ita S. Hieron.

Phyſicè hîc Nota: metus, quia ſpiritus & ſanguinem reuocat ad cor in pauore confirmandum, hinc & pallorem extimis partibus, linguæque ſilentium inducit. Ita Ariſtotel. in Phyſiognomic. docet, vocem fortem ſignum eſſe fortis, remiſſam autem & imbecillem timidi. Idem li. 4. Ethic. cap. 3. *Magnanimi*, ait, *motus tardus eſſe debet, & vox grauis, & locutio tarda: contraria ſunt in puſillanimi & timido.* Metus enim acuit, ſtringit ligatque os, linguam, mentem, memoriam, animam totumque hominem. *Metus*, inquit Solinus Polyhiſt. cap. 7. *memoriam parimit.* Id videmus in ſcrupuloſis, qui vmbras peccatorum timent, atque ex hoc timore fluctuante imaginatione & memoria ſæpè non meminerunt eorum quæ egerunt, vel confeſſi ſunt, imò obliuiſcuntur ſe eſſe confeſſos; nec recordantur circumſtantiarum, quæ eos in opere perpetrato vel in totum, vel ex parte maiori à peccato excuſabant: quia peccatum & peccati metum dumtaxat præ oculis habent, qui metus apprehenſionem ita validam viuamque efficit, vt videantur ſe peccatum videre vbi non eſt, ſeque illud perpetraſſe quod

numquam cogitarunt. Vt ergo scrupulos superent, opus securim ponant ad radicem, ac metum per contrariam audaciam ex consilio viri prudentis succidant.

Secundò, in furibus notat clancularíam & timidam rapinam. q. d. Fures clanculùm insçios & imparatos inuadunt & diripiunt: at Chaldæi non ita, palàm & aperto marte te inuadent ô Edom: præscies eorum aduentum, parabis te, aduentantes & insilientes videbis & senties, nec poteris ijs resistere, imò nec fuga elabi vel euadere. ita Vatablus.

NÓNNE FVRATI ESSENT SVFFICIENTIA SIBI?] Est noua antithesis. q. d. Fures non omnia rapiunt, sed ea dumtaxat quæ sibi sufficiunt, cætera suis heris & locis relinquunt: at Chaldæi omnia tua abripient. Id declarat alia similitudine, vel potiùs antithesi vindemiatorum dicens:

SI VINDEMIATORES INTROISSENT AD TE, NVMQVID SALTEM RACEMVM RELIQVISSENT TIBI?] Vtique sub folijs latentes hinc inde racemos plures de more reliquissent: at Chaldæi scrutabuntur & diripient omnes & omnia, nihil relinquent. Est hyperbole: *Nihil*, id est paucissima, vix quidquam. Erunt ergo exactissimi racematores, æquè ac vindemiatores tui, ô Edom. vnde sequitur:

VERS. 6. QVOMODO SCRVTATI SVNT ESAV, INVESTIGAVERVNT ABCONDITA EIVS?] q. d. Quàm operosè & exactè Chaldæi scrutabuntur omnia arcana & thesauros Idumæorum, eaque diripient? Pagnin. & Tigurina vertunt, *quomodo peruestigata sunt ea quæ sunt Esau, & thesauri eius perquisiti?* q. d. Hoc factum est non tam humana solertia & voluntate, quàm diuina, vt scilicet omnia quæ erant Idumæorum, etiam thesauri quos absconderant, exactissimo scrutinio à Chaldæis perquisita & inuenta sint. Ostendit Chaldæos non fortuitò, non sua sponte & motu proprio, sed Dei voluntate venturos & de Idumæis vindictam sumpturos, ideoque exactam & acrem fore hanc vindictam, vtpote diuinam potiùs quàm humanam.

VERS. 7. VSQVE AD TERMINVM EMISERVNT TE OMNES VIRI FOEDERIS TVI] q. d. Non tantùm Chaldæi hostes tui te vastabunt, sed & gentes vicinæ tibi amicæ & confœderatæ, v. g. Ammonitæ, Moabitæ, &c. se iungent cum Chaldæis hostibus tuis, tibique illudent, ac te è terra tua eicient vsque ad fines eiusdem, imò vsque in terram Chaldæorũ. ita Chaldæus, S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Vatabl. Clarius & alij passim. q. d. O Idumæi, prodemini ab amicis vestris.

Aliter à Castro: censet enim hæc ad tempora Iosaphat regis Iuda, sub quo vixisse putat Abdiam, pertinere, quando nimirum Ammonitæ & Moabitæ confœderati Idumæis inuaserunt Iosaphat & Iudam, sed Deo pro Iosaphat & Iuda pugnante, ac vertente insidias eorum in ipsosmet, Ammonitæ & Moabitæ insurgentes in Idumæos eos conciderunt, ac deinde versi in seipsos mutuis concidêre vulneribus, vti narratur 2. Paral. 20. q. d. Si, ô Idumæi, vestra prudentia non potuistis auertere insidias Ammon & Moab amicorum vestrorũ, quomodo auertetis extremam hostium stragem? Verùm in proœmio docui Abdiam diu post Iosaphat vixisse & prophetasse: non ergo agit de clade illius temporis; eò tamen alludit, illamque Idumæis refricat. q. d. Memento te, ô Idumæi, quid vobis fecerint Ammon & Moab amici vestri cum quibus pacem & fœdus sanciebatis tempore Iosaphat: idem enim vobis facient tempore Chaldæorum, cum iisque vos vastabunt & illudent.

ILLVSERVNT TIBI] Septuag. *resliterunt tibi*; Pagnin. Tigurina & Vatablus, *seducent te, & prœualebunt contra te viri pacis tuæ, id est, qui tecum pacem inierant.*

QVI COMEDVNT TECVM, PONENT INSIDIAS SVBTER TE] Sic & Septuag. sed Pagnin. vertit, *panem tuum comedentes ponent languorem subtus te*, Tigurina, *panis tuus sub te vulnus ponet*, hoc est, vt Vatabl. *viri panis tui inflixerunt vulnus clam tibi*, id est tibi imprudenti, nihil tale cogitanti, eòquòd existimares illos esse fideles. q. d. Qui tecum panem edebant domestici & familiares, siue stipendiarij tui, fraudulenter & proditoriè inflixerunt tibi vulnus.

NON EST PRVDENTIA IN EO] scilicet populo Idumææ. Est enallage personæ Hebræa: transit enim à secunda ad tertiam. Dicit enim *in eo*, pro *in te*. q. d. Nescis, ô Edom, cauere tua pericula, nescis tibi consulere: quocirca veniet in potestatem hostium proditione amicorum, tuaque improuidentia, æquè ac prauis consiliis. ita Vatablus. Sic Deus infatuauit consilium Achitophel 2. Reg. 17. 14. Est enim consilium & prudentia, eiusque intellectus & acceptatio, ingens donum Dei.

NVMQVID NON IN DIE ILLA, DICIT DOMINVS, PERDAM SAPIENTES DE IDVMAEA?] q. d. Adimam illis consilium & mentem, priuaboque ratione & prudentia, vt nec imminentes hostes præsentiant aut præcaueant, nec præsentes auertere aut effugere possint, sed in eorum manus incidant. Apud Idumæos enim olim viguit sapientia, vt patet ex Eliphaz Themanite, & alijs amicis Iob, qui fuerunt Idumæi: Theman enim fuit primaria vrbs Idumææ, ita dicta à Theman filio Eliphaz, filij Esau, Genes. 36. 11.

ET TIMEBVNT FORTES TVI A MERIDIE (Chald. *habitantes ad Meridiem*, ideoque remotiores à Chaldæis, qui venient ex aduersa plaga, scilicet ex Aquilone. q. d. Timebunt fortes tui, etiam ij qui remotissimi sunt ab hoste) VT INTEREAT VIR, id est, multitudo virorum fortium, DE MONTE ESAV] id est, de Idumæa quæ in montibus sita est, quam primus parens tuus Esau incoluit.

Ex Hebræo verti potest ad literam cum Septuag. *pauebunt bellatores tui de Theman*; & cum Pagnino & Tigurina *formidabũt fortes tui, ô Theman vrbs Idumææ, eò quòd occisione excindetur quisque è monte Esau.* Verùm, quia *Theman* Hebræis & proprium est nomen, significans vrbem, & appellatiuum significans Austrum & Meridiem, hinc Noster & Chald. vertunt, *timebunt fortes tui à Meridie.* quod tamen eôdem redit: nam vrbs Theman sita erat ad Meridiem. Nota hîc modũ quo Deus euertit reges, regna, resp. & vrbes, cùm eas punire vult: nimirum aufert à regibus & magistratibus prudentiam; à ciuibus & militibus animos, audaciam & robur ad resistendum. vtroque enim pollebant Idumæi, æquè ac pater Esau. vtrumque eis abstulit Deus veniente hoste Chaldæo. Hoc est quod Isaias comminatur Hierosо-

rosolymæ c.3.1. *Dominus exercituum auferet à Ieruſalem & à Iuda validum, & fortem*, &c. *conſiliarium & ſapientem.*

10. Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confuſio, & peribis in æternum.

11. In die cùm ſtares aduerſus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & ſuper Ieruſalem mittebant ſortem: tu quoque eras quaſi vnus ex eis.

12. Et non deſpicies in die fratris tui, in die peregrinationis eius: & non lætaberis ſuper filios Iuda in die perditionis eorum: & non magnificabis os tuum in die angustiæ.

13. Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum: neque deſpicies & tu in malis eius in die vaſtitatis illius: & non emitteris aduerſus exercitum eius in die vaſtitatis illius.

14. Neque ſtabis in exitibus vt interficias eos qui fugerint: & non concludes reliquos eius in die tribulationis.

15. Quoniam iuxtà eſt dies Domini ſuper omnes gentes: ſicut feciſti, fiet tibi: retributionem tuam conuertet in caput tuum.

16. Quomodo enim bibiſtis ſuper montem ſanctum meum, bibent omnes gentes iugiter: & bibent, & abſorbebunt, & erunt quaſi non ſint.

Vers. 10. PROPTER INTERFECTIONEM, ET PROPTER INIQVITATEM IN FRATREM TVVM IACOB] Tigurina, *propter vim & iniuriam* (hæc enim ſignificat Hebr. חָמָס *chamas*) *qua affeciſti fratrem tuum Iacob* (Iacobæos, putà Iudæos) *obteget te pudor.* Vim & interfectionem intelligit, ſpeciatim eam, qua Idumæi iunxerunt ſe Chaldæis, cùm eiſque expugnarunt & vaſtarunt Ieruſalem, vt dixi in proœmio.

OPERIET TE CONFVSIO] cùm te videbis ab iiſdem Chaldæis, quos adiuueras, pari modo vaſtari, nudari, ſpoliari, occidi. vox *operiet*, ſignificat Idumæos planè & circumquaque confuſione quaſi veſte cingendos & operiendos, iuxta illud pſalm. 108. 19. *Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur ſicut diploide confuſione ſua.* Eſt metalepſis: ponitur enim confuſio pro excidio: ex excidio enim ſecuta eſt ſpoliatio, ex ſpoliatione nuditas, ex nuditate opprobrium & irriſio hoſtium, ex opprobrio confuſio. Hoc eſt quod Idumæis intentat Ierem c. 25. 9. *Ponam eos in ſtuporem, & in ſibilum, & in ſolitudines ſempiternas.*

ET PERIBIS IN AETERNVM] Hoc eſt quod iiſdem ait Ezechiel c. 35. 9. *In ſolitudines ſempiternas tradam te, & ciuitates tuæ non habitabuntur.* Eſt hyperbole: *æternum* enim vocat longum & immemorabile tempus. Nam Idumæos vaſtatos à Chaldæis non planè, nec in omne ævum periiſſe, patet v. 18. vbi Iudæi dicuntur combuſturi Idumæos; & ex 2. Machab. 10. v. 16. vbi Iudas Machabæus dicitur ſubegiſſe Idumæos; ac poſtea Tito obſidente Ieruſalem, Idumæi tulerunt opem Iudæis, teſte Ioſepho li. 7. Belli c. 15. Denique Daniel. c. 11. 41. dicitur, quòd Edom euadet manus Antichriſti: durabit ergo vſque ad Antichriſtum & finem mundi.

IN DIE CVM STARES ADVERSVS EVM, cùm, Vers. 11.
ô Edom, ſtares armatus contra Iſraelem & Ieruſalem, QVANDO CAPIEBANT ALIENI (Chaldæi) EXERCITVM EIVS, ET EXTRANEI INGREDIEBANTVR PORTAS EIVS (capta Hieroſolyma) ET SVPER IERVSALEM (id eſt, ſuper ſpolijs & ciuibus quos ceperant in Ieruſalem) MITTEBANT SORTEM: TV QVOQVE ERAS QVASI VNVS EX EIS] q.d. Tu pari modo quo Chaldæi inuadebas, ſpoliabas, capiebas, vaſtabas Iudæos & ciues Hieroſolymæ. Nota. Hæc præterita accipienda ſunt propheticè pro futuris: *ſtares* pro ſtabis: *capiebant* pro capient: *ingrediebantur* pro ingredientur: *mittebant* pro mittent: *eras* pro eris. Abdias enim præceſſit excidium Ieruſalem, illudque hîc prædicit, quodque in eo Idumæi adiuturi ſint Chaldæos.

ET NON DESPICIES IN DIE FRATRIS TVI] Vers. 12.
Septuag. omnia hæc futura vſque ad v. 15. vertunt per imperatiuum: *Et non deſpicias diem fratris tui in die alienorum, & non lateris ſuper filios Iuda in die perditionis eorum, & non magna loquaris in die angustiæ eorum*, &c. *neque ſtabis in egreſſibus eorum, vt perdas qui ſaluantur ex eis, neque concludes fugientes ex eis in die tribulationis.* Quæ verba clara ſunt. iubent enim Idumæis, vt more ſuo Iudæis amplius non aduerſentur, nec inſidientur, nec de eorum clade gaudeant, nec iis inſultent. Sic & S. Cyrillus, & Tigurina. Hoc eſt quod monet Sapiens Prouerb. 24. 28. *Cùm ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus & diſpliceat ei, & auferat ab illo iram ſuam.*

Secundò, alij hæc futura vertunt per præteritum; *non deſpicies*, id eſt, deſpicere non debueras: *non lætaberis*, id eſt, lætari non debueras: *non magnificabis*, id eſt, magnificare os tuum non debueras, &c. contra fratres tuos Iudæos. Hic ſenſus valdè congruit Hebræis, & hebraiſmo: Hebræi enim futurum ſæpè per debitum exponunt, vt Geneſ. 20. 9. dicit Abimelech Abrahæ in Hebræo: *Quæ non fient*, id eſt, quæ fieri non debent, *feciſti nobis.* Rurſum hic ſenſus aptè congruit præcedentibus: præcedit enim, *Tu quoque eras quaſi vnus ex eis*, cui rectè ſubnectit, *Et non deſpicies*, id eſt, cùm tamen fratrem tuum deſpicere non debuiſſes, &c. ita Pagnin. Arias, Vatabl & Prado in Ezech. 25. v. 13. Idipſum voluit Chaldæus, qui licèt verbotenus contrariè vertat, nimirum affirmatiuè, cùm Hebræa & Noſter legant negatiuè, tamen reipſa eumdem ſenſum reddit. Sic enim habet: *Et quia vidiſti diem fratris tui, diem confractionis eius, & quia lætatus es ſuper filios Iuda in die interitus eorum*, &c. q.d. Videre cum voluptate diem excidij Hieroſolymæ, in eaque lætari non debueras, & tamen vidiſti, & lætatus es: idcirco pariter & tu punieris & exſcinderis.

Tertiò, propriiſſimè & planiſſimè hæc omnia futura quaſi minas & oracula, vti ſonant, accipias: toto enim hoc cap. Abdias minatur excidium Idumæis. Quocirca hæc verba, *Et non deſpicies*, &c. non connectuntur proximè præceden-

dentibus, sed paulò remotioribus, nimirum iis, *Peribis in æternum*. q.d. Exscinderis & peribis, ô Idumæe, tunc{que} ampliùs non despicies, vt soles, Iudæos, nec in eorum clade lætaberis, sed tui ipsius clade occupatus & obrutus eiulabis, & lugebis inconsolabiliter. ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo, Lyran. & à Castro. Hunc sensum exigit versio Latina, quæ omnia hæc per futurũ vertit, non per præteritum, & sequentia. Sequitur enim: *Quoniam iuxtà est dies Domini: sicut fecisti fiet tibi*. q.d. Vastaberis, nec ampliùs Iudæorum, sed tuis ipsius malis occupaberis & ingemisces: quia instat tibi dies Domini, putà dies vltionis & excidij per Chaldæos. Nota, cùm ait, *non despicies*, despicere hîc non significat contemnere, sed deorsum aspicere. Hebr. enim est אל תרא *al there*, id est non inspicies, non aspicies cum voluptate & gaudio. q.d. Cùm eris exsisa & prostrata, ô Idumæa, non ampliùs è rupe tua cum voluptate despicies humi iacentem Ierusalem, vti antea eamdem despiciebas. Sic consistens in vertice montis despicit in valles, ait Ouidius 11. Metamor. Et Cicero de Arusp. resp. *Tollam altiùs tectum, non vt ego te despiciam, sed ne tu aspicias vrbem eam quam delere voluisti*. Et Plautus in Cistel. *Ad terram aspice & despice, oculis inuestiga*. Et in Milit. *Me despexisse ad te per impluuium tuum fateor*. Sic Deus ex alto despicit agones & ærumnas nostras, dum nostri miseretur & succurrit.

A

B

In die peregrinationis eivs] Quo scilicet Iudas exsisus & exul peregrinari cœpit apud exteros & alienos. Vnde Septuag. vertunt, *in die alienorum*; Tigurina, *in die quo aliena ei acciderunt*; Pagnin. *in die qua alienatus est*. Hebr. enim נׇכְרוֹ *nochro* propriè idem est quod *in die alinationis*, id est, exilij & peregrinationis, *eius*.

C

Non magnificabis os tvvm] q. d. Exsisa non ampliùs magna, id est superba, arrogantia & acerba loqueris Iudæis, non ampliùs arroganter eis insultabis, dicendo: *Exinanite, exinanite* Ierusalem, *vsque ad fundamentum in ea*, psal. 136. Sic magnificare sumitur pro insultare, psalm. 11. v. 4. & 5. & psalm. 54. 13. solent enim insultantes magnificare, id est dilatare os, diducere labra, quin & linguam exercere.

Vers. 13. Neqve ingredieris portam] vt cum Chaldæis spolies & occidas ciues Ierusalem.

Neqve despicies et tv in malis eivs] id est, non aspicies cum voluptate malum & calamitatem Iudææ: ita Vatablus, & Pagnin. Est hebraismus, putà *beth* contactus. Hebræi enim dicunt *aspicere in malũ*, pro *aspicere mala*.

Et non emitteris] Scilicet à Chaldæis, vt partem exercitus Iudæorũ, vel venientem Hierosolymæ in subsidium, vel ex ea iam capta fugientem persequaris & comprehendas. ita Septuag. Aliter vertit Chald. scilicet, *non emittes*, vel non extendes, *Manum tuam ad eius opes in die excidij eius*, vt eas rapias. Sic & Pagnin. & Vatabl.

Vers. 14. Neqve stabis in exitibvs] scilicet in diuerticulis viarum, id est, vt Chald. Vatabl. & Pagnin. *in biuio*. q.d. Deinceps non stabis in angulis & diuerticulis, vt interficias Iudæos stragem hostium fugientes; non operieris eos ampliùs in biuijs, vt interimas residuos qui ex ipsis manus Chaldæorum euaserint, vti faciunt latrones.

Et non conclvdes reliqvos] residuos afflictos & anxios non capies, non arctabis amplius, vti olim fecisti. Pagnin. & Vatabl. *non trades hosti superstites eius in die afflictionis*.

Qvoniam ivxta est dies Domini svper omnes gentes] S. Dorotheus in vita Abdiæ, citans hæc eius verba, sic exponit: *Dictum hoc est*, inquit, *superficie tenus* (ad literam) *contra Scythas, id est, contra Gog & Magog; certiùs autem & magis propriè Domino Christo conuenit; nam paulò pòst subiungit: Erit autem salus in monte Sion*. Verùm nulla hîc Scytharum, Gog, vel Magog est mentio, nec hi euerterunt Idumæam; imò Idumæorum manus euadet tempore Antichristi, vt Daniel cap. 11. 41. Ad literam ergo *diem Domini* vocat, diem vindictæ & excidij Idumæis, aliisque gentibus, Iudæorum hostibus, à Deo per Chaldæos infligendi, vt patet Ierem. cap. 25. 15. & cap. 27. v. 6. ita S. Hieron. Cyrillus, Theod. Hugo, Lyranus, & alij passim. Alleg. dies Domini est dies iudicij, quo Christus Idumæos, id est impios, mundanos & carnales damnabit & demerget in tartara.

D

Sicvt fecisti, fiet tibi: sicut afflixisti Iudæos, ita affligeris & vastaberis tu à Chaldæis. retribvtionem tvam, quod Iudæis fratribus tuis retribuisti, scilicet, pro amore odium, cædes & spoliationem, retribuam tibi, & conuertar in caput tvvm] Iustum enim est, ait Rhadamantus apud Aristot. 5. Ethic. vt quod quis iustè alijs intulit, idem subeat & patiatur, iuxta illud psalm. 136. 8. *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis*. Nota hebraismum, conuertere, vel retribuere retributionem, idem est quod retribuere talionem, reddere par pari. Addit *in caput*, quia sicut caput est causa culpæ, ita & *noxa caput sequitur*: caput enim, vtpote in quo vigent omnes sensus, mens & tota anima, maximè sentit: totius corporis noxam & pœnam. Rursum, quia maxima pœna est quæ capiti ipsi tam sensibili infligitur. Insuper ait: *Sicut fecisti fiet tibi*, pro, Sicut fecisti, sic fiet vobis, scilicet, ô gentes vniuersæ, vti processit: tum quia tritum tunc erat prouerbium *Sicut fecisti fiet tibi*. quod tam singulis in singulari, quàm multis & omnibus in plurali applicari & explicari potest. tum quia inter gentes hostiles quæ afflixerunt Iudæos, prima & acerbissima fuit Idumæa. Ad illam ergo dirigit sermonem, sed sub ea quasi sub capite cæteras intelligit. ita S. Hieron. Vnde explicans subdit:

Qvomodo enim bibistis (ita legendũ cum Hebr. & Roma. licèt Septuag. & quidam Latini legant, *bibisti*) svper montem sanctvm meum, bibent omnes gentes ivgiter] *Bibere* Script. dupliciter, id est contrariè sumitur. Primò enim bibitur calix vini suauis, cùm quis exhilaratur, conuiuatur, & dies festos agit. Secundò, bibitur calix vini amari, aut fellis & iræ Dei, cùm quis ob scelera à Deo ærumnis & supplicijs afficitur. Sic dicuntur peccatores bibere calicem furoris Dei. Iam Primo, aliqui, tam *bibistis*, quàm *bibent*, in malum accipiunt. Vnde Tigurina interpretatur, *sicut vos qui estis in monte sancto meo bibistis, sic bibent omnes gentes*. q.d. Sicut vos, ô Iudæi, bibistis calicem iræ Dei, sic bibent omnes gentes vt vastentur à Nabuchodonosor, sicut vos abeodem vastati estis. quod Rupert. tropologicè applicans probis & improbis, fidelibus & infidelibus, sic explicat, q.d. Sicut pij bibunt calicem tri-

bula-

bationis, sic multò magis bibent impij eumdē sibi propinatum à Deo, præsertim in die iudicij. Simili modo explicat Theod. sed de Idumæis, non de Iudæis. q.d. Sicut vos, ô Idumæi, bibistis calicem afflictionis propinatū à Deo per Chaldæos, *super*, id est *propter*, *montem sanctum meum*, quia scilicet Sionem vastastis, & Iudæos afflixistis, sic pariter eumdem bibent cæteræ gentes, quæ pari modo quo vos, Iudæos afflixerunt.

Secundò, alij tam *bibistis*, quàm *bibent*, in bonum, scilicet vt lætitiam significent, accipiunt. q.d. Sicut vos, ô Idumæi, bibistis, id est bibendo, conuiuia & festa agitando, lætati estis super, id est, propter expugnatum à Chaldæis montem Sion: sic super vos bibent, id est, bibendo exultabunt omnes gentes quæ erunt in Chaldæorum exercitu, cum iisque vos spoliabunt, vestrasque opes deuorabunt, & absorbebunt sanguinem vestrum, atque *ad extremum in cunctos veniente exitiatu ipsæ quoque erunt quasi non sint*, ait S. Hieron. Chald. Cyrill. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. Explicat enim illud quod dixit: *Sicut fecisti fiet tibi*: idque iugiter, scilicet, donec penitus te absorbeant & consumant. Idumæi enim primò vastati sunt à Chaldæis, deinde à Iuda Machabæo 2. Machab 10. 16. iterum omnino domiti sunt ab Hyrcano Simonis (qui fuit Iudæ Machabæi frater) filio, teste Iosepho li. 11. Antiq. 17 idque vsque ad Iudæorum excidium per Titum, quando Idumæi iunxerunt se Romanis, & more suo se vlti vastarunt Iudæos, teste Iosippo Gorionide li 4 Hist. c. 4. Demum ab alijs & aliis principibus ita attriti sunt, vt iam ne Idumæorum quidem nomen supersit.

Tertiò, alij aptiùs *bibistis* in bonum, *bibent* verò in malum accipiunt. q.d. Sicut vos, ô Idumæi, bibistis, id est, bibendo & epulando exultastis cum Chaldæis aliisq; gentibus super clade Sionis, sic pariter omnes gentes, inter quas vos eritis primi & præcipui, bibent & absorbebunt tum calicem iræ Dei, eis propinatum à Deo, tum calicem sanguinis mutui. Inuicem enim se trucidabunt, donec omnes pereant, ita vt non sint amplius. nam Idumæos fucciderunt Chaldæi, Chaldæos Persæ, Persas Græci, Græcos Romani. Et sic in omnibus verum erit vulgare prouerbium: *Sunt fecisti fiet tibi*. Ita quoque S. Hieron. Remig. Haymo, Hugo & alij. Fauent sequentia: Gentibus enim exscindendis opponit Iudæos ab iis afflictos, iisque promittit restaurationem & salutem, dicens: *Et in Sion erit saluatio*. Nam *bibent* non in bonum, vti censet secunda expositio, sed in malum accipi, patet ex eo quod subdit: *Bibent & absorbebunt, & erunt quasi non sint*. q.d. Bibent calicē iræ Dei, quo consumentur ita vt non sint. Vnde Septuag. Complut. habent *absorbebuntur*, licet alij codices, vt S. Hieron. habeant *absorbebunt*; alij, *ascendent*; alij, *descendent*, *& erunt sicut non existentes*. Denique sic Abdiam explicat Ierem. c. 25. 15. *Sume*, ait, *calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus: & bibent & turbabuntur, & insanient à facie gladij*. Et c. 49. v. 12. agens de his ipsis Idumæis, & calice ab eis bibendo: *Ecce*, ait, *quibus non erat iudicium vt biberent calicem, bibentes bibent, & tu quasi innocens relinqueris non eris innocens, sed bibens bibes*. Ludit in voce bibendi, ob causam moralem, quam mox afferam; sicut ludit Apostolus in voce peccatū, dicens: *De peccato damnauit peccatum*, Rom. 8. 3. & 2. Corinth. 5. 21. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. Rursum, per enallagen mutat personam secundam in tertiam, putà *bibistis* in *bibent*, vt significet Idumæos præcipuè bibisse, sed tamen cum eis bibituras omnes gentes, vti initio thematis proposuit v. 15.

Voluptas post mel fundit fel.

Moralit. disce hîc, peccatorem qui bibit calicem voluptatis, bibiturum calicem afflictionis & vltionis Dei. Idem enim calix voluptatis & mellis, in fœces fellis & tribulationis desinit, iuxta illud psalm. 74. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinauit ex hoc in hoc: verumtamen fax eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ*. Scribit Herodot. lib. 4. & Athen. li. 11. fluuium Hypanim è fontibus, quinque dierum via exilem profluere ac dulcem: deinde post aliorum quatuor dierum iter, perquam amarum. Talis est voluptas, tale eius γλυκύπικρον, id est, *dulce-amarum*. *Amores & deliciæ celeriter defloreſcunt, & in omnibus rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est*, ait Cicero pro Cælio. Et Boëtius lib. 3. metro 7.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumq; par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

Ita lege Dei æterna sancitum est, vt illicita voluptas pariat tædia, angores, fastidia, & vltricis conscientiæ furias, quasi præclarū sui relinquat auctoramentum: insuper supplicia & flagella, quibus eam Deus castigat in hoc sæculo, & in futuro, iuxta illud Apocal. 18 7. *Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentū & luctum*. Vide ibi dicta. Ita Venus venusta apparet oculis, sed venenat animum: virtus verò quo minùs carneos captat oculos, hoc magis animis est illex, sed sapiens, syncera & sancta.

ERVNT QVASI NON SINT] quasi non fuerint. Vnde Pagnin. & Tigurin. clariùs vertunt, *erunt quasi non fuissent*, ac si numquam in rerum natura extitissent.

17. Et in monte Sion erit saluatio, & erit sanctus: & possidebit domus Iacob eos qui se possederant.

18. Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula: & succendentur in eis, & deuorabunt eos: & non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est.

19. Et hereditabunt hi qui ad Austrum sunt, montem Esau, & qui in campestribus Philisthiim: & possidebunt regionem Ephraim, & regionem Samariæ: & Beniamin possidebit Galaad.

20. Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel, omnia loca Chananæorum vsque ad Sareptam: & transmigratio Ierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit ciuitates Austri.

21. Et ascendent saluatores in montem Sion iudicare montem Esau: & erit Domino regnum.

ET

VERS. 17. ET IN MONTE SION ERIT SALVATIO] Est hîc vsque ad finẽ capitis duplex expositio extrema, vna alteri ex diametro opposita. Prior hæc omnia ad literam accipit de felicitate temporali Iudæorũ è Babylone redeuntiũ, eaq́ue partim sub Zorobabel & Esdra, partim sub Machabæis per quingentos annos, qui ab hoc reditu vsque ad Christum interfluxerũt, impleta esse censet, ita S. Cyril. Remig. Hugo & alij. Accedunt Chald. R. Salomon, & R. Dauid, qui hęc ad literam corporaliter implenda esse censent à suo Messia venturo in fine mundi. Posterior ex aduerso, hæc temporaliter in Iudæis adimpleta esse negat: quare hęc omnia accipit Symbolicè & parabolicè de redemptione & felicitate spirituali quam attulit Christus. ita S. Aug. l. 18. Ciuit. 31. Rupert. Lyran. Clarius, Arias & Vatab. Verùm media sententia, quæ vtramq; extremã iam dictam conciliat, vnit & includit, vera est, nimirũ hæc ad literam accipienda esse de sospitate & prosperitate quæ Iudæis à Deo obtigit post reditum è Babylone. Id ipsum enim sequẽtia fusè & planè exigunt: tunc enim inchoata est hęc Iudęorũ de Moabitis, Ammonitis & Idumęis victoria. Mysticè verò & plenè per hanc prosperitatẽ temporalem, adumbrari & significari Christi & Euangelij victoriã, qua Ammonitas, Moabitas, Idumæos, omneſq́; gentes sibi ac Deo subiecit: tunc enim plena fuit hæc victoria, planeq́ue adimpleta quę hîc prædicuntur. Solent enim Prophetæ à typo ad antitypum auolare, putà à Zorobabel ad Christũ, in eumq́; desinere; ac in eo, felici vaticinio & quasi Euangelio prophetias suas terminare. ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Haymo, Lyra. Burg. Hugo & alij passim. Vide can. 5. & 6. quos præfixi Isaiæ.

Anag. significatur hîc salus, felicitas, gloria & triumphus danda electis in Sione cælesti. Ait ergo Abdias: *Et in monte Sion*, Septuag. *in monte autem Sion erit saluatio*; Tigur. & Vatabl. *at in monte Sion erit euasio*, id est, reliquiæ euadẽt & seruabũtur. q.d. Cùm Idumæi aliæq́; gentes bibent calicẽ iræ Dei, & à Chaldęis planè vastabuntur, tunc ex aduerso populus Dei, putà Iudæi & Sionidæ, qui eumdẽ calicem gustarunt, sed non exhauserunt vsque ad fęces, saluabuntur. Nam è Babylone post 70. annorũ captiuitatis reduces patriæ, pristinæ libertati & felicitati à Deo restituentur.

Mysticè verò & plenè, ijdem à Christo in Sion prædicante è captiuitate maiori, putà peccati, diaboli & inferni, liberabuntur, omniq́; gratia & gloria donabuntur. ita Auctores iam citati. Christus enim in Sion Ecclesiam nouam instituit, ad eamq́ue vocauit omnes gentes, mittens ad eos Apostolos, qui eos fidei, gratiæ, & salutis à se partæ participes effecerunt.

ET ERIT SANCTVS] Scilicet mons Sion, ob templum in eo reædificandum: vel *sanctus*, scilicet Deus, erit habitans in monte & templo Sion. Hebr. est, *& in monte Sion erit euasio*, id est salus, *& sanctitas*. Iam *sanctitas* vel propriè accipi potest, vel figuratè pro templo: templum enim Hebr. vocant קֹדֶשׁ *kodeſc*, id est sanctitas, quia sanctissimum est, vtpote in quo Dei sanctitas habitat, & colitur per sancta sacrificia, Sacramenta, vota, preces, &c. Vnde Septuag. vertunt, *& erit sanctum*. Hinc prior pars templi vocabatur Sanctũ, posterior Sanctum sanctorum. Sensus ergo est, q.d. Mons Sion erit Primò, sanctus ob sanctum templum cultumq́ue Dei in eo restaurandum à Zorobabel & Esdra; Secundò, sanctior erit cùm Christus in eo prædicabit; Tertiò, sanctissimus erit cùm Christus in eo effundet Spiritum sanctum in Apostolos, qui hanc sanctitatem transfundent in totum orbem, ait Theodor.

ET POSSIDEBIT DOMVS IACOB EOS QVI SE POSSEDERANT] *Domus Iacob* sunt familia, stirps & posteri Iacob, putà duę tribus Babylone redeuntes. Rursum Hebr. מוֹרָשֵׁיהֶם *morescehem*, Primò, significat *hereditates suas*, q.d. Iudæi redibunt ad suas possessiones quas ante captiuitatẽ habuerant in Iudæa. ita Pagnin. & Vatab. Secũdò, significat *possessores suos*, id est, *eos qui se possederãt*. ita Noster, Septuag. & Chald. q. d. Iudæi possessiones suas, quas Idumæi aliæq́; gentes inuaserãt & occuparant dum ipsi abducerentur in Babylonem, recipient exclusis Idumæis alijsq́; inuasoribus & iniustis possessoribus. Ita narrat Ioseph. l. 11. Antiq. 4. Darium Hystaspis, qui Cambysi filio Cyri in regno Persarũ succesſit, dedisse Iudæis facultatem reædificandi templi, ac mandasse Idumæis, Samaritis & Syris, vt agros Iudæorũ quos occuparant, ipsis, quasi auitis possessoribus restituerẽt. Nec tantùm Iudæi sua receperunt, sed & aliena, putà ditiones Idumæorũ & vicinarum gentium, hostium suorum, inuaserũt & occuparũt. Qui enim inuadit aliena, meretur perdere sua. Id factũ à Iuda Machabæo 2. Machab. 10. 16. & ab eius nepote Hyrcano, qui Idumæos omnino perdomuit & subiugauit. ita S. Hieron. Theodor. Remig. & alij. Mysticè, pleniùs & perfectiùs id factũ à Christo & Apostolis, qui è Sione egressi Idumæos omneſq́; gentes verę Sioni, id est Ecclesiæ & Christo, subiecerunt. ita Lyran. Arias, Vatabl.

ET ERIT DOMVS IACOB IGNIS, ET DOMVS IOSEPH FLAMMA, ET DOMVS ESAV STIPVLA] *Domus Iacob* sunt duæ tribus, vt dixi: *domus Ioseph* sunt decẽ tribus Israel: harũ enim caput fuit Ephraim prognatus ex Ioseph. q.d. Duæ tribus, putà Iuda & Beniamin, cum illis qui è decem tribubus vel ante captiuitatẽ, vel post eam se Iudæ iunxerũt, & in eamdẽ rempub. ac Ecclesiã cum eo in Ierusalem & Iudæa conspirarũt, inuadent Idumæam eamq́; succendẽt, aut sibi subdent, sicut ignis sibi subdit stipulam. Factum id literaliter à Iuda Machabæo, & Hyrcano, qui Idumęos ad circumcisionem compulit fecitq́ue Iudęos, teste Iosepho li. 13. Antiq. c. 17. Vnde obsessa Ierusalem à Tito, viginti millia Idumæorum in Iudæorum auxilia venerunt, ait Ioseph. li. 4. Belli c. 6. ita S. Hieron. Theodor. Remig. & alij. Mysticè, id factum ab Apostolis, qui igne charitatis Christi combusserunt infidelitatem, vitia & idola Idumæorum, vt peccatis mortui, iustitiæ & Deo viuerent. ita Lyran. Arias, Vatabl. & alij.

ET SVCCENDENTVR (*domus Esau*, id est Idumæi) IN EIS, putà per flammã Ioseph & ignem Iacob: ET DEVORABVNT, Iacobitæ & Iosephitæ EOS] scilicet Esauitas & Idumæos.

ET NON ERVNT RELIQVIAE (id est *residuum*, vt vertunt Aquila & Theodotion; vel, *effugiens*, vt Symmach.) DOMVS ESAV] Septuag. vertunt, non *erit* προφόρῳ *domui Esau*: προφόρῳ, id est frumentario, qui frumenta suggerat, qui habeat curam annonæ aduehendæ & admetiendæ: vnde Lucilius, qui Magni Pompeij magnus fuit auunculus, lib. 9. Satyr.

Fru-

Frumentarius est, modium hic secum atq; rutellum
Vná affert.

Rutellum vel rutrum dicitur à radendo, ait Nonius, quòd frumentum modium superans abradat. Alij, ait S. Hieron legunt πυροφόρος, id est ignifer, qui gestare possit igniculum, idq; longè venus est. Alludit enim ad id quod præcessit: *Erit domus Iacob ignis*, q.d. Domus Esau non feret, non sustinebit ignem domus Iacob, sed ei succumbet & comburetur.

Quæres Primò, quis sit hic πυροφόρος, vel πυρφόρος (hæc enim duo idem sunt) id est ignifer? Primò, aliqui πυροφόρον accipiunt pro misse valido qui ignes spirat, & ignes tectis hostium injicit. Ignis nomine, ait Theodor. vis ac robur intelligitur, q.d. Nulla vis Idumæis relinquetur.

Secundò, à Castro sic exponit, *non erit ignifer*, id est, superstes Idumææ, qui posteris vitæ generisq; lampada tradat. In Script. enim generis propagatio vocatur Lucerna: quia sicut lucerna ignem & lumen, sic generatio familiam conseruat. Vnde istud, *Vt remaneat lucerna* (id est posteritas) *Dauid*, 3. Reg. 11. 36. Vbi est elegans allusio ad priscum ritum λαμπαδουχῶν, quo solebant in Promethei (hunc enim dicitant ignem è cælis suffuratum, eumdem in terras detulisse) ludis cursores defatigati, lampadem recentibus sibi vicissim succedentibus in manus dare, quasi symbolum humanæ propagationis, iuxta illud Lucretij:

Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Quod imitatus Plato lib. 6. de Legibus, scribit eius oportere liberis generandis atque educandis operam dare, vt vitam quam ipsi à maioribus acceperunt, vicissim quasi tedam ardentem posteris tradant. Quare Græci fortè à Prometheo hoc prouerbium sumpserunt: *Non est pyrophorus*, id est, nullus est superstes, ne Prometheus quidem ignifer. Pyrophorus enim est Prometheus, qui solus diluuium Deucalionis euasit, idque igne cælesti genus humanum quasi alter Noe restaurasse fertur, vel potiùs fingitur. Si enim hic pyrophorus perijsset, perijsset plane genus humanum.

Tertiò & genuinè, Luisius Legionensis, & exeo Delrio adagio 984. per pyrophorum accipiunt priscum antesignanum & legatum castrorum, quem ita depingit Alex. ab Alex. lib. 5. Genial. cap. 5. *Preualuit Græcorum mos, vt, quoties pugnata acies congredi parant, ante prima signa statuti vates laureos ferentes ramos & corollas; cui Pyrophori dixere nomen, quoniam lampada præferret, quem violare summum habebatur nefas, quòd legati munere fungeretur.* Accepit hoc Alex. à Suida voce πυροφόρος, qui & addit, vates hosce πυροφόρους, fuisse sacerdotes, ideoque inuiolabiles, indeque manasse prouerbium: *Ne* πυροφόρος, id est *ignifer, quidem superfuit*, quo vtebantur Græci æque ac Latini, dum crudelem aliquam stragem, in qua omnes ad vnum cæsi essent, significare vellent. ita & Pollux, & Hesychius: *Pyrphorus*, inquit, *qui fert ignem, & solus seruabatur in bello.* Quin & Philo Iudæus lib. 1. de Vita Mosis, tantam Ægyptiorum in mari rubro fuisse stragem ait, *vt nec reliquus esset cladi vel ignifer, qui eam nunciaret.* Huc accedit S. Hieron. qui πυροφόρος interpretatur *frumentarius. Eos enim*, inquit, *quos nunc*

A *agentes in rebus vel veredarios appellant; veteres frumentarios nominabant.* q.d. Ne πυροφόρος, id est frumentarius, putà veredarius, hoc est nuncius, tantæ Idumæorum cladi superierit. Nam is vel ab hoste dedita opera relinqui solet ad eam nunciandam. Quocumque alludatur, certum est per πυροφόρον significari residuum & superstitem, vt notat Theodor. quia id significat Hebr. שָׂרִיד *sarid*, itaque vertunt Aquila, Symmach. Theodot. omnesque Interpretes.

Idumæi quando perierint?

Quæres Secundò, an, quando & quomodo reliquiæ omnes Idumæorum perierunt? Respondent aliqui, sensim omnes perijsse, licèt quando perierint non constet. Perijsse enim liquet ex eo, quòd iam ne Idumæorum quidem nomen supersit: gens ergo perijt, licèt ex ea pauci aliqui, ijque pauperes & imbecilles, remanserint. B Verùm obstat, quòd Abdias significet, à Iudæis perdendos esse Idumæos, ita vt ne vnus quidem eorum supersit. Hoc autem falsum esse videtur: nam cùm Iudæi excisi sunt à Tito, supererant Idumæi, imò venerunt in auxilium Iudæorum, vti paulò antè dixi. Postquam autem Iudæi excisi sunt à Tito, non potuerunt delere Idumæos. Resp. ergo, reliquias Idumæorum perijsse, quia Idumæi subacti ab Hyrcano ad vnum omnes circumcisi sunt; itaque desierunt esse Idumæi, & cœperunt esse Iudæi. Hoc est quod paulò antè dixit: *Possidebit domus Iacob eos qui se possederant.* & vers. 21. *Et ascendent saluatores in montem Sion iudicare domum Esau: & erit Domino regnum.* Vbi planè significat non perituros posteros Esau, sed iudicandos, id est regendos, à Sionidis & Iudæis, ita vt fiant Iudæi & C regnum Dei. Mysticè verò, Idumæi conuersi ab Apostolis & viris Apostolicis, desierunt esse Idumæi, & cœperunt esse Christiani. Denique si qui noluerint, vel adhuc nolint conuerti, hi aut perierunt, aut peribunt in die iudicij, cùm Christus omnes infideles exterminabit & relegabit ad tartara.

Dices, Daniel cap. 11 41. asserit Idumæos fore tempore Antichristi, & ab eius tyrannide fore immunes. Resp. Idumæos vocat incolas eius mõtis & rupis quem olim incoluerunt Idumæi, qui iam sunt alia gens, aliudque nomen obtinent. Hi enim ob rupes & montes inaccessi, euadent castra & furorem Antichristi.

ET HEREDITABVNT HI, putà domus Iacob & Ioseph, id est Iudæi, eos QVI AD D AVSTRVM SVNT, putà MONTEM ESAV, &c.] Vnde clarè vertit Tigurina & Vatabl. *occupabunt* domus Iacob & Ioseph, *Austrum*, *nempe montem Esau.* Nam Iudæa ad Austrum habet Idumæam; ad Occidentem Philisthæam; ad Aquilonem Samariam & Galilæam; ad Orientem Galaad, Moab & Ammon. Vnde v. 20. de Ierusalem dicitur: *Possidebit ciuitates Austri.* Verùm meliùs cum Nostro, Pagnino & Septuag. vertas, *Auster*, id est, *qui ad Austrum sunt possidebunt montem Esau: & campestria*, id est, *qui in campestribus habitant, possidebunt Philistæos.* Hunc esse sensum patet, si quis intueatur Hebræa. *Sepheta* enim est nomen proprium regionis campestris Iudææ, vt patet ex tabulis Adrichom. quam rectè Campaniam verteris. Vnde & Tigurina posteriori parte huc inflectit; vertit enim, *& decliues campi* (id est campestria) possi-

VERS. 19.

debunt *Palæstinos*. Rursum hunc sensum exigit id quod sequitur: *Et Beniamin possidebit Galaad*. Ergo Auster, vel ad Austrum, non sunt Idumęi, sed Iudæi. Hi dicuntur esse ad Austrum, non respectu Idumæorum: horum enim respectu sunt ad Aquilonem; sed respectu Beniamin & aliorum Iudæorum. Sensus ergo est q.d. Iudæi illi qui præ alijs magis ad Austrum vergunt, ideoq; eorum respectu Australes vocari possunt, hi possidebũt Idumæam, vtpote Australem pariter, ideoque sibi viciniorem; Iudæi verò qui Sepheta, id est, campestrem regionem incolunt, putà eam quæ est circa Eleutheropolim, vel eam quæ est circa Lyddam & Emaus, id est, circa Diospolim, & Nicopolim, possidebunt vrbes & agros Philisthinorum; vtpote sibi viciniores, putà Gazam, Ascalonem, Accaron, Geth & Azotum: insuper tribum Ephraim, & reliquam Samariam, quæ illis ab Oriente vicina sunt. Tribus verò *Beniamin possidebit Galaad*: illi enim vicina est Galaaditis. ita S. Hieron. Ribera & alij. Sensus ergo est q.d. Iudæi redeuntes è Babylone possidebunt circũcirca ad quatuor mundi plagas regiones vicinas hostium suorum, easque inter se congruè pro situ & vicinitate loci distribuẽt: vnde & Ezechiel eisdem illas distribuit c.47. Id ex parte & inchoatè impletum est per Machabæos, Iudam, Simonem, Ionatham, Hyrcanum, & Alexandrũ Hyrcani filium. Hi enim subegerunt Idumæos, item Philisthinos, putà Azotum, & Gazam, siue Gadaram, 1.Machab.5.65.& 68.& 2.Machab.10. 16.32.& seq. Item sortem tribus Ephraim, adeoque totam Samariam, quam Hyrcanus Simonis filius omnino subegit, exciso templo in monte Garizim Hierosolymæ æmulo, teste Iosepho lib. 13. Antiq. cap. 17.& 18. item Galaaditem, 1. Machab. 5.36. item omnes ditiones Chananæorum vsque ad Sareptam, quæ est inter Tyrum & Sidonem, hoc est, vrbes omnes maritimas Palæstinorum vsque ad Sidonem, nimirum Iamniam, Ioppen, Dor, Cæsaream, Ptolemaïda, Tyrum ipsamq; Sareptam, vt patet ex Iosepho 13. Antiq. 23 & ex Iosippo l.4.12. Vnde & postea Augustus Cæsar occupata Iudæa, hæc omnia tamquam Iudææ subiecta dedit Herodi Ascalonitæ, eoque mortuo illa in quatuor tetrarchias diuisit, tradiditque filijs eius, quos tetrarchas constituit, Luc. 3.1. Verùm quia Machabæi hæc loca subiecerũt quidem, sed non occuparunt (nec enim in his locis habitarunt Iudæi, sed Philisthæi, Samaritæ, Idumæi, &c.) quod tamen fore hîc significat Abdias, dicens: *Et hereditabunt & possidebunt*; hinc Secundò, plenius id impletum est mysticè ab Apostolis, qui fundata Ecclesia in Iudæa, inde exeuntes ad vicinos Samaritas, Idumæos, Philisthæos aliosque populos, omnes illi subiecerunt. ita Lyran. Arias, Vatabl. & à Castro in paraphrasi: Apostoli, inquit, virique Apostolici distribuent sibi omnem circùm regionem, quam Euangelico bello Christo subijciant, & qui ad Meridiem exierint, perlustrabunt Idumæam; qui ad Occidentem, terram omnem Philisthæorum; qui ad Septemtrionem, Galilæam & Samariam; at qui ad Ortum, possidebunt Christo Galaaditas & Arabes: nominatim verò *Beniamin*, id est S. Paulus ortus ex tribu Beniamin, *possidebit Galaad*: quia ipse conuertit Arabiam, cuius pars est Galaad: nam, vt ipse ait Galat. 1.17. *Abij in Arabiam*, vt ibi ex vocatione & officio meo de more prædicarem, Arabesque facerem Christianos.

Transmigratio exercitvs hvivs filiorvm Israel, q.d. Exercitus, vel turma & multitudo hæc Israelitarum transmigrans, hoc est quæ olim è Iudæa captiua à Chaldæis abducta transmigrauit in Babylonem, tãdem inde feliciter & gloriosè rediens, possidebit omnia loca Chananæorvm, putà totam illam plagam maritimam quæ excurrit vsque ad Sareptam Sidoniorum: quare plura possidebit post captiuitatem quàm ante eam possederat. ita S. Hier. Cyril. Theodor. Haymo & Hugo. Pro *Sarepta* hebr. est צָרְפַּת *Tsarphat*, per quod Hebræi, R. Salomon, R. Dauid, Lyran. Clarius, Pagnin. Arias, Vatabl. & alij accipiunt Franciam: hãc enim esse Sareptam Galliarum, sicut illa Iudaica, in qua vixit Elias, dicta fuit Sarepta Sidoniorũ, quia erat prope Sidonem; fortè ex eo, quòd hi Sareptam ex se coloniam duxerunt in Galliam, sicut Tyri duxerũt Carthaginem & Tarteſſum in Hispania, aut ex siluis & officinis conflatorijs æris, ferri, literum, &c. quibus Gallia abundarit. Inde enim dictã volunt Sareptam Sidoniorum: radix enim צָרַף *tsaraph* significat accendere, conflare: aut aliunde, nil enim certi hac de re afferri potest. Sic per Chananæos R. Dauid, Arias & alij accipiunt Alemannos: Chananæos enim postquam ex Chananæa per Iosue & Israelitas eiecti, per varias gentes, putà Africam, Illyricum, & Germaniam dispersi sunt, dictos esse Alemannos. Alemannus enim germanicè idem est quod omnis vir, omnis gens. q. d. Prædicatores Euangelij Christo subijcient Africam, Illyricum, Germaniam, omnesque Chananæos, id est gentes idololatras & impias, vsque ad Gallias, ad quas venit S. Magdalena, Martha, Lazarus, Maximinus, Martialis & alij, qui eas ad Christum conuerterunt. Perperam Iudæi hæc exspectant corporaliter à suo Messia, nimirum vt omnes hasce regiones eis subijciat, quin & Galliam & Hispaniã adeò vt Iudæi toti penè orbi dominentur.

Et transmigratio Ierusalem qvæ in Bosphoro est, possidebit civitates Avstri q.d. Hierosolymitani qui è Iudæa transmigrarunt in Bosphorum, reuersi in patriam possidebunt vrbes Australes, putà ciuitates suas, nimirum Iudææ, quæ respectu Babylonis & vicinarum regionum est Australis. Nota. Pro *Bosphoro* hebr. est סְפָרַד *Sepharad*, quod vt nomen proprium retinuerunt Aquila, Symmach & Theodot. &, vt videtur, Septuag. vertũt enim *Ephrata*. Suspicor cum Ribera in Septuag. legendum *Sepharata*: sic enim habent Hebræa, & sic vertunt alij iam citati. Lyran. vult esse locũ in Babylonia. Noster autẽ Hebræus, ait S. Hieron. dixit Bosphorum vocari *Sepharad*, fortè à סוֹף *soph*. id est terminus, & רַד *rad*, id est descensus, vel אֶרֶץ *ara*, id est terræ. Bosphorus enim est terminus Græciæ, Thraciæ, aliarumque terrarum. Aut certè *soph*, id est terminus, *pered*, id est diuisionis, qui diuidit duo maria & duas continentes oppositas, adeoque Asiam ab Europa discludit. Vnde & Hieron. addit, *Sepharad* assyriacè significare vniuersaliter terminũ. Adde, Hebr. בִּסְפָרַד *bisphara*, si consonantes spectes, idem penè est quod *Bosphorus*. Nam *beth* in *bisparad*, potest accipi vt dicit

dicale, non vt seruile significans *in*. Hinc & chaldaicè *sepharà* idem est quod terminus, limes, portus, statio; arabicè verò est transitus siue trajectus: סָפַר *saphar* enim arabicè idem est quod transijt, traiecit, nauigauit. Vnde & Melitenses (qui multas habent voces mutuatas à Syris & Arabibus) *sepharad* vocant traiectum siue tranatationem boum; & *sepharbeim* vocant tranationem animalium: indeque nonnulli viri docti putant *Sepharuaim* fuisse vrbem iuxta Bosphorum, ita dictam à tranatione animalium per illas eius angustias, quam expugnauit Sennacherib Isaiæ 36. 19. Porrò Bosphorus est angustū mare, quod à bobus tranari potest, ait Plinius l. 6. c. 1. ita dictus, quòd sit τῆ βοὸς πορέα, id est, bouis iter & via. Bosphorus est duplex, vnus in Propontide, qui Chalcedonem à Constantinopoli breui freto diuidit: hic Thracius cognominatur. Alter in introitu Mæotidis paludis, qui à populis accolis Cimmerius dicitur, de quo Ouid.

Bosphorus & Tanais superant Scythiaq; paludes.

De Thracio hîc agi videtur. eousque enim relegatos & dispersos fuisse Iudæorum captiuos in captiuitate Babylonica, docet S Hieron. hîc, & in Zachar. c. 10. Hebræi, Emmanuel, & Mariana, qui tamen censet Iudæos in Bosphorum relegatos ab Adriano Imp. non à Chaldæis. Alij tamē viri docti censent hîc agi de Bosphoro Cimmerio: in eo enim dominabantur Assyrij, indeque colligebant milites. Pontici enim & Cimmerij ex climate frigido & aspero, erant homines duri & asperi, ideoque in bellis sæui & acres. Vnde Diodorus Siculus lib. 3. c. 7. ait Sardanapalū præsidentem excidium ex oraculo dicēte, Niniuen tunc capiendam cùm fluuius vrbi hostis fieret (hunc enim Tigris imbribus excrescens muros Ninues deiecerat ad stadia viginti) tres filios ad eundasse cum magna auri copia in Paphlagoniam ad Cottum Præsidem, ducum omniū sibi acceptissimum. Paphlagonia autem vergit ad Bosphorum & Pontum: quocirca Strabo hoc regnum vocat Bosphoranum. Eò ergo multos Iudæorum ab Assyrijs & Babylonijs relegatos cēsent, qui in aspera regione ab asperis incolis dura patiebantur. Ibi enim est Cerberion mons & oppidum, Cocytus, Phlegethon & Tartarus: quorum Homerus inferni sedē collocat apud Cimmerios, siue ob perpetuas tenebras, siue ob metallorum frequentes fodinas, siue ob valles opacissimas & hiberno soli inaccessas; adeò vt Gentiles censerent illic esse inferni ostium. Sicque accipiunt illud Isaiæ 28. 15. *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*, putà cum Cimmerijs & regno Bosphorano, scilicet cum Assyrijs regnantibus in Ponto & Bosphoro. A tam sæua ergo & horrida captiuitate Iudæos liberandos prædicit Abdias; ac per hoc repræsentat, à morte & inferno nos liberandos per Christum: vt, sicut Iudæi ab Aquilone rigidissimo translati sunt ad Austrum calore suauissimū; ita à peccato, acedia & vitijs per Christum transferamur ad auram & flatum suauissimam Spiritus sancti, quæ nos amore Dei & virtutis faciat ardentes. Huc facit illud Tibulli l. 3. eleg. 5.

Elysios olim liceat cognoscere campos,
Lethæamq; ratem, Cimmerioscq; lacus,

infernos scilicet & caliginosos. Et istud Lucani:

Sic flat iners Scythicas astringens Bosphorus vndas.

Cornel. in Proph. Min.

Porrò Plinius l. 2. c. 15. asserit Bosphori Cimmetij latitudinem esse mille quingentorū passuum. Regni Bosphorani rex postmodum fuit Mithridates, eo spoliatus à Romanis.

Sensus ergo est, Iudæi qui in captiuitate Babylonica in Bosphorum translati sunt, inde cum cæteris Iudæis è Babylone redeuntibus reuertentur, & possidebunt ciuitates Austri, putà Iudææ patriæ suæ, quæ Australis est.

Porrò Hebræi, Chald. Syrus, Arabicus vterque, Iosippus filius Goriothi l. 3. Histor. c. 15. & l. 5. c. 25. R. Salomō, R. Dauid, Lyran. Clarius, Pagn. Arias, Vatabl. Burgensis, à Castro, Emmanuel, Mariana, & alij multi per *Sepharad* accipiūt Hispaniam: & ita Rabbini vbicumq; sint, Hispaniā vocant *Sepharad*. Hispania enim à Geographis & Poëtis prisci ponitur vltima pars orbis: vnde iuxta Compostellam locus est, qui dicitur *fines terræ*, Bosphorus ergo Hispanicus sunt Gades, siue fretū Herculeum, vulgò *strictum Gibraltar*, vbi sunt columnæ Herculis, qui eas ibi posuit quasi fines suæ profectionis suarumq; victoriarū: vnde eas superās Carolus V. mittendo classes in Americam, hoc sibi symbolū sumpsit, *Plus vltrà*, q.d. Superaui Herculem eiusque columnas & terminos. Accedit, quòd multi censeant Hispanos oriundos ex Thubal & Ibelis, vel Iberis habitātibus iuxta Bosphorum & Pontum Euxinum, indeq; vocatos Iberos, vti dixi Genes. 10. 2. Fauet nomen *Sperida*, quo Græci, ait Arias, Hispaniam appellant: *Sperida* enim, si literas consonantes, quas solas cōsiderant Hebræi, spectes, idem est quod *Sepharad*: licet Græci Hispaniam vocent σπερίδα & Hesperiam, eò quòd Occidentalis sit regio. fortè à Græco σπερίδα Hebræi Hispaniam vocarunt *Sepharad*: Græcis enim vicini erant Phœnices & Iudæi. Audi rem miram ex Iosepho lib. 1. contra Appion. *Nam Gallos & Hispanos vsq; adeò ignorarunt scriptores, &c. vt Hispanos qui tantā occiduæ terræ partem incolunt, vrbem vnam esse putauerint, eo quòd illæ gentes nullum haberent cum ceteris commercium.* Rursum fauet huic sententiæ quòd Iosephus l. 11. Antiq. c. 1 ex Megasthene asserit, Nabuchodonosorem post excisam Ierusalē subiugasse Hispaniam; videtur ergo plures Iudæorum eò transtulisse. Iuxta hanc sententiam sensus erit, q.d. Iudæi in Hispaniam traducti, inde cum cæteris Babylone redeuntibus sub Cyro reuertentur in ciuitates Austri, putà in Iudæam.

Sepharad Hispania.

Mysticè, q.d. Apostoli è Iudæa in Hispaniam excurrent, atque ab Australi regione Gadium & prouinciæ Bæticæ, in alias Hispaniæ prouincias, indeq; in Africam, imò in Brasiliam, Americam, Æthiopiam (hæ enim omnes sunt ad Austrum) traijcient, eosque omnes Christo subijcient, vti fecit S. Iacobus, S. Paulus, eorumque successores. Magna enim gloria Ecclesiæ, æquè ac Hispanorum & Lusitanorum est, noui orbis, putà Indiarum Occidentalium & Orientalium, subiugatio & conuersio. Ita præter alios Acosta lib. 1. Indicæ Histor. c. 15 vbi ait, decere vt in Script. tantæ rei, putà Americæ, conuersio extet.

Impugnant hanc sententiam fusè Sanchez & Ribera (licèt qui huius compendium confecit, eam tueatur.) Primò, quia recentiores Hebræi tantùm Hispaniam vocant *Sepharad*. Respondeti potest, Chaldæum Interpretem esse veterem, item Iosippum, eosq; à veterioribus id accepisse.

Secundò, quia S. Hieron. *Sepharad* vertit Bosphorum, non Hispaniam, non Gades. Respond. Bosphorus græcè nomen commune est, & in genere maris angustias quæ à bobus tranari possunt significat: latinè maris angustiæ inter duas continentes vocantur Porthmos, sicut ex aduerso terra angusta inter duo maria, vocatur Isthmus. Sicut ergo est Bosphorus Thracius, & alter Cimmerius, ita est & Hispanicus, putà Gades, æquè ac Indicus in freto Magellanico, & Arabicus & Persicus in sinu Arabico & Persico. Rursum Hebr. *Sepharad* assyriacè teste S. Hieron. in genere terminum significat: fieri autē potest vt hoc nomen genericū appropriatū sit Hispaniæ, quia ipsa ab Occidēte est finis & limes Europę: post illā enim, adeoque post Gades sequitur Oceanus. Sensus ergo est q.d. Iudæi qui per omnes terminos, adeoque vsque ad Bosphorum dispersi sunt, ad Austrum, id est in Iudæam, redibunt. ita S. Hieron. A

Mysticè, Apostoli & viri Apostolici in terminis regionū, vt in Bosphoro Thracio, Cimmerio, Hispanico, &c. constituti, inde pergēt ad prouincias Australes, easque nomine Christi possidebunt. Christi enim salus & Euangelium à Chananæa per Meridiem cæteraque plagas vsque in Galliam, Germaniam, Hispaniam, Africam, Americam transmigrauit, totumq; orbem peruasit. B

Porrò *Sepharad* peregrinum, putà Assyriacū, esse nomen inde colligi potest, quòd Hebrææ radices sint triliteræ; quadriliteræ ergo, vti est *Sepharad*, sunt peregrinæ & ex alia lingua ascitæ; vel certè ex duabus radicibus Hebræis conflatæ sunt & compositæ. Id notant peritiores Hebræi. Rursum Hebræa nomina sunt cōmunia multis, & plura significant. *Sepharad* ergo Bosphorum Thracium, Cimmerium, Magellanicum, & Gaditanum, indeque Hispaniam significat. Ipsa enim est terminus (quem significat *Sepharad*) cōtinentis: quia maiori parte mari, tum Mediterraneo, tum Oceano cingitur. Et esto, post tempora Abdiæ ac Christi Hispania à Iudæis vocata esset *Sepharad*, tamen quia ab omnibus omnino Iudæis præteritorum sæculorum (quos nouimus) ita vocatur, credendum est ad eam quoque respexisse Abdiam; quia nō tantùm hominibus sui æui, sed & nostri, sua scripsit oracula. Sic Isaias c. 49. 12. prædixit conuersionem Sinarum, eosque hebraicè vocat *Sinim*, esto æuo Isaiæ non haberent hoc nomen, sed nostro, quo eius prophetiam expleri cernimus, vt ibi dixi. C

Dices, Abdias prophetat hîc de solis Iudæis: illi autē in Hispania pauci numero ad Christum fuerunt conuersi: reliqui in Iudaismo manserūt: vndeà Ferdinando & Isabella Hispania excedere sunt iussi. Resp. ad literam permulti Iudæi per vastationem Iudææ in Hispanias aliasque oras dispersi, sub Cyro & Machabæis in Iudæam redierunt. Mysticè multi quoque ex ijs ad Christū sunt conuersi. Multi enim ab Adriano Imp. Iudæa expulsi profugerunt in Hispanias. Imò Lucius Dexter, cui S. Hieron. inscribit tractat. de Scriptor. Eccles. in Chronico nuper edito tradit, Iudæos Hispanos cùm inaudissent de prodigijs Christi & Apostolorum, misisse legatum ad eos, qui aliquos ex ijs in Hispaniam mitti deposceret: vnde mox missum esse S. Iacobum, quem solis Iudæis in Hispania prædicasse censet quoque Baron. & alij: qua de re plura dicā Actor. 12. D

Denique Iudæi & Israelitæ non carnales, spiritales hîc intelliguntur, putà credentes Christum. Hi enim sunt veri Israelitæ, filij & hæ, & promissorum Dei heredes, vt docet Rom. 9. 6. & sequent.

Tropol. Hugo de S. Victore per septem gentes accipit septem vitia capitalia, quæ id est fidelis luctator, habitans in Sion id specula mentis, supplantat tum in se, tum per septem virtutes contrarias, & per septena Spiritus sancti, ac per septem petitiones tionis Dominicæ, septemque primas beatitudines. Primò, ergo Esau & Idumæi odio rum flagrantes, denotant iram. Hanc supplij *qui ad Austrum sunt*, putà qui vento spiritu charitatis dilatati & accensi, omnes stias omneque frigus odij & iracundiæ Secundò, Philisthiim, id est conspersi ruentes potu (à radice נָפַל *naphal*, id est & à שָׁתָה *sata*, id est bibit, teste Pagnino pret. nom. Hebr.) denotant gulam & Hanc supplantant qui *in campestribus* temperantiæ & continentiæ degunt, bus & leguminibus campestribus potiū carnibus & delicijs vrbanis vescuntur. tiō, subigunt & possident *Ephraim*, id biam; & Quartò, *Samariam*, id est phraim enim dedit reges superbos Israeritæ inuidi fuerūt & æmuli Iudæorum. *Beniamin*, id est filius dexteræ, putà diligētia & fortitudo, *possidebit Galaad*, iugabit acediam: Galaad enim idem aceruus testimonij, vbi & Laban fossa persequi filias suas, ac recessit à Iacob. Sexto *migratio Israel*, id est fideles, qui in terra nos se æstimant, ac migrant in cælum Deum, eique dominentur, possident Chananæorum & Sareptæ, id est, omnes artes & species subigunt. Chananæus est quod mercator, cuius propria est repta idem est quod conflatorium, cer conflatur aurum & argentum. Septimo *migratio Ierusalē, quæ est* in Sepharad, *ro*, id est fideles, qui debellatis animi tionibus ad visionem pacis aspirant grant, ideoque à carnis delicijs longissimè dunt, sensusque omnes coarctant, & nos labores edomant, hi, inquam, possidebunt ciuitates Austri, id est, omnes libidinis concupiscentiæ æstus suppriment & extinguent itaque quasi saluatores, victores & triumphatores de Idumæis cæterisque hostibus descendent in montem Sion, id est ibique cum Deo regnum felicitatis bunt, quod hîc per gratiam, fuique & victoriam inchoarunt. Nota vocem cùm ait, *Transmigratio exercitus huius* rael: exercitus enim dicitur multitudo eò quòd exercendo fit melior. Ita Vege de Re milit. *Numerus*, inquit, *militum* vnde & re ipsa ab opere exercitus nomen ei numquam liceret ob iurisci quod vocabatur. lim Romani (vti etiamnum strenui ductores tes suos, præsertim tirones, perpetuò omnique labore & austeritate castrensi bant Audi Ciceron. Tuscul. 2. *Nostri* mùm vnde nomē habent vides; deinde qui tus agminis, ferre plus dimidiati mensis cibum

quid ad vsum velint, ferrè vallum: nàm scutum, gladium, galeam in vnere nostri milites non plus numerãt quàm humeros, lacertos, manus: arma enim membra militũ esse dicunt. quæ quidem ita geruntur aptè, vt si vsu forent, abiectis oneribus, expeditis armis vt membris pugnare possint. Quid exercitatio legionum? quidè ille cursus, clamor, quanti laboris est? Ex hoc ille animus in pugnis paratus ad vulnera. Adduc pari modo inexercitatum militem, mulier videbitur. Exercitatos hosce imitentur milites & pugiles Christi, vt non vno die, mense, vel anno, sed iugiter per omnem vitam arma tractent, corpus duris vigilijs, ieiunijs, laboribus; animum pijs orationibus, meditationibus studijs, lectionibus exerceant. Ita fient fortes & inuicti: ita aduersarios superabunt: ita aduersa omnia sibi subdent & seruire cogent. Hoc enim faciebant olim Anachoretæ, qui inde Asceteæ, id est exercitatores, sunt appellati. Idem B faciunt nunc Cœnobitæ & Religiosi.

Rursum exercitus significat multitudinem. Exercitum, inquit Vlpianus, *dicimus non vnam cohortem, neque vnam alam, sed numeros multos militum.* Vnde Virgil. Æneid. l. 11.

Iam omnis campis exercitus ibat apertis
Diues equûm, diues pictaï vestis & auri.

Ita miles Christi omnes sensus, omnes animæ potentias, omnes mentis dotes & vires in aciem educat, eosque numerosissimis hostibus opponat. *Quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, &c* Ephes 6.12. Vide quæ ibidem de panoplia militis Christiani annotaui.

Ascendent, q.d. Exurgẽt & venient in Sion, putà in Ierusalẽ, SALVATORES, id est propugnatores, & Iudæi, quales erãt Othoniël, Gedeon, Samson tempore Iudicũ. IVDICARE, vt iudicẽt, id est coërcent & subijciãt, MONTEM ESAV] putà Idumæã. Tales fuere Iudas, Simon, Hyrcanus, Alexander, & Aristobulus Assamonæi, vt superiùs dixi. *Iudicare* enim sæpè idem est quod vindicare. Hinc in lib. Iudicum Iudices vocãtur vindices populi Israel. Mysticè, saluatores sunt Christus & Apostoli, qui Israelis hostes, putà Idumæos, aliasque gentes expugnata idololatria & infidelitate subegerunt Christo, & Sioni, id est Ecclesiæ Christianæ. Clarius, Vatabl. & alij, ac S. August. l. 18. de Ciuit. c. 31. Hi exierunt de Sion, id est de specula orationis scilicet, in qua spiritu Dei animati, igneis verbis quasi telis sauciarunt, ac Dei amore accenderunt horridos Esauitas, id est, infideles & peccatores.

Et tunc ERIT DOMINO REGNVM] q. d. Tunc Dominus in hoc suo populo, & per eum in omnibus imperabit, atque ab eis subditis vicissim agnoscetur & coletur. Hoc inchoatè iam fuit in Machabæis plenè in Ecclesia Christi militante, plenissimum erit in triumphante, *Cum subiecta fuerint illi* (Christo) *omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit Patri, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus*, ait Apostolus 1. Cor. 15. 28. ita S. Hieron. & Hugo. Minùs rectè Septuag. Aquila, & Theodot. pro *saluatores* vertunt, *saluati*. Hebr. enim מושיעים *mosciim* est nomen, & significat saluatores non saluatos: illorum enim est iudicare, non horum.

Cornel. in Proph. Min.

Moral. disce hîc Primò, Deum semper vindictam clementia temperare, imò superare, ac in eã desinere: hanc enim ostendit in Idumæos hostes suos, dum eos facit suum populum & regnũ. Idem imitentur reges & principes. Huius rei hieroglyphicum in Antonini Pij priscis nummis videre est, fulmen in thoro collocatum. Inueniuntur alij, in quibus aquila fulmini insidet, cui ramus oliuæ est additus. Hoc in suo symbolo Carolus V. Imp. vsurpauit. Aquila signat imperium, fulmen vindictam, oliua clementiam; vt significet Imperatorem vindictam clementia & ratione moderari debere, nec nisi consultò eam torquere. Quærit Seneca Natur. quæst. l. 2. c. 63. *Quare*, inquit, *id fulmen quod solus Iupiter mittit placabile est; pernicioſum verò id de quo deliberauit, & quod alijs quoq; dijs auctoribus misit?* ac respondet; *Quia Iouem, id est regem, prodesse solum oportet, nocere autem non nisi cùm pluribus visum est.* Discant hoc Prælati & Principes, vt fulmen non suo animo indulgentes, sed prudentum consilio obsequentes, ac penè inuiti vibrent in noxios. *Mor. de clementia.*

Rursum disce hîc, summã felicitatem homi- *Regni Dei excellentia ex quatuor capitibus.*
nis esse, si fiat Dei regnum, si Deus in eo eiusque anima regnet, idque Primò, quia Deus est rex æquissimus & benignissimus, ac proinde summa æquitate & suauitate imperat; secùs est de tyrannis, quales sunt dæmon, mundus, & caro, qui iniqua & durissima imperiosè & tyrannicè iubent animæ quã possident. De dæmone patet in magis & sagis, quibus imperat neces suorum vicinorum, cognatorum & parentum, ac ni pareant, verberat eos maleque mulctat, & tractat vt sua mancipia. De mundo liquet: quid enim non imperat mundus ambitioso, vt honores; auaro, vt opes cõsequatur? quas adulationes, quæ obsequia, C quas vigilias, quas curas, quos metus, quas inuidias, quas simonias, quas fraudes, quas vsuras? De carne manifestũ est in gulosis & libidinosis, quibus caro fœdissima quæque imperat, quibus sæpè febres, luem veneream, morbosque & cruciatus acerbissimos, ipsamque mortem sibi conciliant. Ex aduerso de Dei & Christi regno cecinit Psaltes psalm. 44. 3. *Speciosus forma præ filijs hominũ: diffusa est gratia in labijs tuis.* & v. 5. *Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede & regna.* & v. 7. *Virga directionis* (recta, æqua) *virga regni tui; dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* Et psal. 71. 2. *Iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Suscipiant montes pacem populo,* D *& colles iustitiam*, &c. Et Isaias c. 11. 4. *Iudicabit in iustitia pauperes, & arguet pro mansuetis terræ.* Et c. 42. 3. *Calamum quassatum non conteret, & linũ fumigans non extinguet, in veritate educet iudicium.* Secundò, quia regnum hoc Dei consistit in gratia & virtutibus, putà fide, spe, charitate, &c. quæ sunt dona nobilissima animæ à Deo communicata, vt ijs dirigatur ad Dei obsequium, summũque suum bonum. Regit enim mentem Deus, cùm ei inspirat sui, id est summi boni, cognitionem, amorem, desiderium, cultum, vnionem, &c. Iam quid melius quàm cognoscere primum veritatem, quid beatius quàm amare summã bonitatem, quid dignius quàm colere immensam maiestatem? Tertiò, quia hoc regnum dirigitur non ad Dei regentis, sed ad animæ quæ regitur vtilitatem, eamque maximam, nimirum, vt sanctè pieq; viuendo mereatur gloriam & regnum

cæleſte, in quo Deum omniaque Dei bona poſſideat in æternum. Hinc Apoſtolus Coloſſ. 1.12. *Gratias, ait, agentes Deo, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarū, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* Quartò, quia regnum hoc ſubditos non facit viles, ſed nobiles, imò reges, iuxta illud Apoc. 5.10. *Feciſti nos Deo noſtro regnum (reges) & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* & 1. Petr. 2.9. *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* An non rex eſt, qui ſuis cupiditatibus & paſſionibus per Dei gratiam imperat? qui ſuperbiam humilitate, auaritiam liberalitate, iram clementia, gulam temperantia, libidinem caſtitate coërcet, frænat, regit? Annon rex eſt, qui per rationem, prudentiam, continentiam memoriæ, voluntati, appetitui concupiſcibili & iraſcibili, phantaſiæ, oculis, auribus, linguæ, ori, cæteriſque potentijs & membris ſapienter æquè ac fortiter dominatur? Quare meritò quotidie à Chriſto iubemur orare, *Adueniat regnum tuum.* Vbi verè S. Cyprian. *Qui*, inquit, *renunciauit iam ſeculo, maior eſt & honoribus eius & regno; & ideò qui ſe Deo & Chriſto dedicat, non terrena, ſed cæleſtia regna deſiderat*, imò *Deum ipſum*, quia in illo regnaturi ſumus. Et S. Ambroſ. l. 6. de Sacram. c. 5. *Si Deus in nobis regnat, locum habere aduerſarius non poteſt. Culpa non regnat, peccatum non regnat, ſed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat deuotio.* Ergo ô Domine eſto rex noſter, legifer noſter, regna in nobis, offerimus tibi animas noſtras, omneſque eius potentias, dotes & limites, nos ipſi eas regere non poſſumus; vt eas tyranni mundus, caro, & dæmon regant, non volumus: tu, qui eas creaſti, & tuo ſanguine redemiſti, illas ipſas vt tuum peculium, vt tuum regnum rege, qui ſolus regis ſapienter, clementer, potenter æquè ac vtiliter & feliciter. Senſit hoc rex ille inclytus, qui dicebat pſalm. 22.1. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.* Et Apoſtolus, qui ſuis hoc vnum apprecatur: *Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate & patientia Chriſti*, 2 Theſſal. 3.5. Eia Domine rege cor noſtrum, vt nemini obſequatur, nulli ſe tradat niſi tibi, vt à nemine niſi à te, tuaque charitate & patientia nobis aſpirata dirigatur ad ardua quæque tui amore ſuſcipienda, & dura omnia conſtanter toleranda. Rege pariter linguam noſtram, vt non niſi tuas laudes loquatur: rege manus, vt quæcumque tibi placita ſunt tractent & peragant: rege pedes, vt inoffenſo greſſu ad omne bonum ferantur. Ad te cum ſponſa in Canticis ſuſpiramus & clamamus: *Trahe me poſt te: curremus in odorem vnguentorum tuorum. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia. Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Hoc vnicum eſt animæ noſtræ deſiderium, hæc ſumma votorum noſtrorum, vt regnes in nobis per gratiam, & facias nos venire ad regnum tuum cæleſte, vbi eſt viſio tui manifeſta, tui dilectio perfecta, tui ſocietas beata, tui fruitio ſempiterna; vt in vltimo illo & decretorio mundi die, qui erit horizon æternitatis beatæ & miſeræ, diſpeſcens electos à reprobis in omne æuum, à te exultantes audire mereamur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi, in quo nobis obtinget certa ſecuritas, ſecura tranquillitas, tranquilla iucunditas, felix æternitas, æterna felicitas; vbi eſt amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, & vnus omnium ſpiritus*, ait S. Auguſt. in Meditation. c. vlt.

COM-

Legi vidi historiam Ionæ. Hieron. pt. 3. Op. tom. 1. c. 10 f. 908.

COMMENTARIA IN IONAM PROPHETAM.

ARGVMENTVM.

SAnctus Hieron. epist. ad Paulinū: *Ionas*, ait, *columba pulcherrima naufragio suo passionem Domini præfiguraus, mundum ad pœnitentiam reuocat: & sub nomine Niniue Gentibus salutem nunciat.* Quæres, quis, qualis & quando fuit Ionas? Hebræi nonnulli, quos sequitur S. Dorotheus in vita Ionæ, asserunt Ionam esse filium viduæ, quem mortuum Elias vitæ restituit, qui factus Propheta missusque in Niniuen, postea assumpta matre fugit in Assyriā; cogitabat enim, Hoc pacto tollam probrum meum quod falsò contra Niniuen prophetando acquisiui. *Dedit prodigia super Ierusalem ac totam terram, lapidem videlicet miserabiliter clamantem quòd finis appropinquet, & quando ab omnibus gentibus Ierusalem calcaretur, quòd tunc ciuitas illa abolenda esset.* Hucusque Dorotheus. Idem per omnia, excepto lapide clamante, habet S. Epiphan. in vita Ionæ. Audi & S. Isidor. in Iona: *Ionas columba & dolens, filius Amathi de Geth ciuitate ad Gentium præconium mittitur, missus contemnit, contemnens fugit, fugiens dormit, propter quem periclitabatur nauis, sed fortè dormientem reperit. Tradunt Hebræi hunc esse filium viduæ, quem à mortuis Elias suscitauit: cuius sepulchrum in quadam vrbium Geth in viculo demonstratur, qui est in secundo milliario Sephorim, itinere quo pergitur Tyberiadem.* Addunt Hebræi in Seder olam, & ex ijs Mariana, Ionam fuisse illum adolescentem, quem Elisæus misit vt vngeret Iehu in regem, 4. Regum 9. 1. quique laudauit Iehu ob excisam domum Achab, 4. Reg. 10. 30. Adjungunt alij, patrem Ionæ fuisse Abdiam Prophetam: hunc enim fuisse maritum viduæ Sareptanæ.

Verùm quod hi Auctores censent Ionam fuisse filium viduæ Sareptanæ, ac consequenter vixisse tempore Eliæ, falsum est, & ijsdem rationibus refellitur, quibus initio Abdiæ probaui, Abdiam non vixisse tempore Eliæ, & Achab regis Israel. Adde, Ionam hunc vixisse tempore Ieroboam, qui regnauit in Israel eo tempore, quo in Iuda regnabat Ozias, siue Azarias: sic enim habetur 4. Reg. 14. 25. *Ipse* (Ieroboam) *restituit terminos Israel ab introitu Emath non procul à Damasco, vsque ad mare solitudinis* (is est lacus Asphaltites) *iuxta sermonem Domini Dei Israel, quem locutus est per seruum suum Ionam, filium Amathi Prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Hopher.* Hunc enim Ionam esse nostrum Prophetam patet; tum quia idem vtrobique nominatur eius pater Amathi, eadem patria Geth: tum quia id asserunt Ioseph. l. 9. Antiq. c. 11. S. Hieron. Theophyl. & passim alijhic. Vbi obiter Nota, Prophetas non scripsisse omnes suas prophetias, vel, si scripserint, aliquas perijsse. Hæc enim prophetia Ionæ de vastatione Damasci & Emath, deque restitutione terminorum Israel facienda per Ieroboam, in libro Ionæ non extat. Rursum ex verbis iam citatis liquet, Ionam oriundum fuisse ex Geth. Hæc autem Geth fuit vrbs, non illa Philisthinorum (Ionas enim Hebræus fuit, non Philisthæus) licèt id senserint Epiphan. Doroth. & Rupert. sed illa quæ est in Opher, pertinens ad tribum Zabulon. de qua S. Hieron. in Prologo: *Geth*, inquit, *in secundo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæsarea, euntibus Tyberiadem haud grandis est viculus, vbi & sepulchrum eius ostenditur. Quamquam alij iuxta Diospolim, id est Liddam, eum & natum, & conditum velint, non intelligentes, hoc quod additur Opher, ad distinctionem aliarum Geth vrbium pertinere, quæ inxta Eleutheropolim, siue Diospolim hodie quoque monstratur.* Fuit ergo Ionas Zabulonites, putà Gethæus, non Sareptanus: ergo nec filius viduæ Sareptanæ.

Geth duplex est.

Ionas itaque tempore Abdiæ & præcedentium Prophetarum, scilicet Oseæ, Ioël & Amos sub Ieroboam, Azaria & posteris eorum prophetauit. ita tradunt Hebræi, S. Hieron. Theophyl. Euseb. in Chron. Clemens Alex. 1. Strom. S. Augustin. 18. Ciuit. 17. Abulens. in l. 4. Reg. c. 9. q. 3. & alij. Porrò prophetauit Ionas non prioribus annis regni Ieroboam, quibus regnauit cum Amasia rege Iuda, vti opinatur à Castro l. 4. Procemij c. 3. sed posterioribus, quibus ipse regnauit cum Azaria filio Amasiæ. Nam sub Ieroboam & Ozia, vel Azaria, qui quinquaginta duobus annis regnauit, cœpit prophetare Oseæ, vt patet Oseæ 1. 1. qui fuit primus omnium Prophetarum.

Quando prophetarit. Ionas missus ad Sardanapalum.

Hinc sequitur, Ionam prophetasse paulò ante initia vrbis Romæ, putà regnante Sardanapalo, quem Gentilium Historici ponunt vltimum regem Assyriorum: Sardanapalus enim vixit tempore Ieroboam regis Israel, & Oziæ regis Iudæ, quo tempore Procas Syluius auus Romuli regnabat in Latio, teste Eusebio in Chron. S. Augustin. l. 18. Ciuit. 21. & S. Hieron. initio Comment. in Amos, de quo plura cap. 3. v. 5. Ex hac chro-

chronologiâ magna lux oritur prophetiæ Ionæ. Ex ea enim videmus causam, cur Deus præter morem Prophetam Hebræum miserit ad Niniuitas Gentiles, & valdè remotos. Nimirum causa fuit, quòd eo tempore Niniuitarum mores erant corruptissimi & flagitiosissimi, ita vt clamarent in cælum, poscerentque vindictam & fulmen, quod Deus hîc eis per Ionam intentat. Id ita fuisse discimus ex eorum rege Sardanapalo: nam *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Sardanapalus enim fuit mollissimus & effeminatissimus, quem Arbaces Medis præpositus, inquit Iustin. lib. 1. *inuenit inter scortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cum mollitie corporis & oculorum lasciuia omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem. Quibus visis indignatus tali femina tantum virorum subiectum, ad socios refert quid viderit, negat se ei parere posse, qui se feminam malit esse quàm virum. Fit igitur cõiuratio: bellum Sardanapalo infertur. quo ille audito non vt vir regnum defensurus, sed vt metu mortis mulieres solent, primò latebras circumspicit, mox deinde cum paucis & incompositis in bellum progreditur, victus in regiam se recipit, & extructa pyra se & diuitias in incendium mittit, hoc solo imitatus virum.* Inde à Græcis dictus est Sardanapalus, id est morio: proprium enim eius Assyriacum nomen erat Tonosconcoleros, teste Eusebio in Chron. & alijs. Hinc & Sardanapali nomen in prouerbium abijt, significatque hominem mollissimum & effeminatissimum. ita Aristophanes in Auibus: *Quis*, ait, *hic Sardanapalus?* Moriens ipse hoc sibi epitaphium condidit:

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Et:

Cùm te mortalem norũ, præsentibus exple
Deliciis animum, post mortem nulla voluptas.

Vel, vt Cicero 3. Tuscul. *Quomodo*, inquit, *iucunda vita potest esse, à qua absit prudentia, absit moderatio? Ex quo Sardanapali opulentissimi Syriæ regis error agnoscitur qui incidi iussit in busto:*

Hæc habeo quæ edi, quæq; exaturata libido
Hausit, at illa iacent multa & præclara relicta.

Quid aliud, inquit Aristot. *in bouis, non in regis sepulchro inscriberes? Hæc habere se mortuum dicit, quæ ne viuus quidem diutius habebat quàm fruebatur.* Hinc Iuuenal. satyr. 3.

Et venere, & canis, & plumis Sardanapali.

Regem imitati ciues opulenti, ventri & veneri se pariter dediderunt, indeque in omnia scelera prolapsi sunt, vt mererentur è cælo siderari, vel à terra dehiscente sorberi. Mittitur ergo à Deo clementissimo Ionas, qui scelera hæc arguat, & imminens exitium comminetur. Ionas onus hoc detrectans fugit in Tharsis: sequitur eum à tergo Deus, procellam in mari excitat: nautæ iaciunt sortes, cæ indicant Ionam fluctuum causam. Mittitur ille in mare æstuans, sorbetur à ceto, in ventre ceti Deum inuocat, exauditur, liberatur, die tertio à ceto in littus euomitur. Sapit Ionas, Deo obediens vadit in Niniuen, contenta voce clamat: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur.* Percelluntur Niniuitæ, resipiscunt, pœnitentiam agũt in cinere & sacco. Placatus Deus minas reuocat, vrbi parcit. Indignatur Ionas sua oracula non impleri; sed Deus per hederam & vermem docet eum, clementiæ esse pœnitentibus parcere.

Series historiæ Ionæ.

Nota. Postmodum Niniuitæ ad ingenium & scelera sua redierunt: vnde post Ionam missus est ad eos Nahum, qui iterum excidium eis intentaret, quod reipsa eis inflictum est, vti dicam Nahum 1. Hoc est quod Tobias moriens cap. 14. 12. filijs suis mandat, vt fugiant ex Niniue: *Video enim*, inquit, *quia iniquitas eius finem dabit ei.* Vbi Septuag. vti recitat S. Hieron. hîc in prologo, vertunt, *fili ecce senui, & in eo sum vt reuertar de vita mea: tolle filios tuos, & vade in Mediam fili. Scio enim quæ locutus est Ionas Propheta de Niniue, quoniam subuertetur.* Vnde patet ad pœnitentiam Niniuitarum, Dei de eorum excidio sententiam non fuisse planè abolitam, sed suspensam dumtaxat: ipsis enim ad scelera sua redeuntibus Deus laxauit manum suam, sententiam reuocauit, & exitium à Iona comminatum eis inflixit.

Allegor. Ionas vnus ex omnibus Prophetis missus ad Gentes, atque à ceto absorptus, & tertio die restitutus, expressus fuit typus Christi Gentes vocantis, patientis & resurgentis, vt patet Matth. 12. 40. de quo plura inferiùs cap. 2. n. Vnde S. Augustin. 18. Ciuit. 30. *Ionas*, ait, *non tam sermone, quàm sua quadam passione prophetauit, profectò apertiùs quàm si eius mortem & resurrectionem voce clamaret.*

Denique Ionas vitæ sanctitate illustris, catalogo Sanctorum ascriptus est in Martyrol. die 21. Septembr. Idipsum patet ex visione, qua præter morem Prophetarum & veteris testamenti Sanctorum, quasi Sanctus sancto monacho ex hac vita emigranti apparuit. Recenset eam S. Gregor. libr. 4. Dialog. cap. 34. *Quidam*, ait, *nostri Religiosus vir vitæ valdè laudabilis, cùm ante hoc quadriennium moreretur, &c. in hora exitus sui Ionam Prophetam, Ezechielem quoque & Danielem cœpit aspicere, eosq; dominos suos ex nomine clamare: quos dum ad se venisse diceret, & depressa luminibus eis reuerentiæ obsequium præberet, ex carne eductus est.* Porrò Ionam cum Christo resurrexisse inter sanctos Prophetas, qui fuerunt testes resurrectionis Christi, ac cum eo in anima & corpore glorioſum ascendisse in cælum, probabiliter censent nonnulli. de quo plura cap. 2. sub finem.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DEus mittit Ionam ad Niniuitas. ille fugit in Tharsis; Deus eũ insequitur, ventum & procellam in mari excitat: nautæ iaciunt sortes vt causam, putà reũ, deprehendant; sors indicat Ionam, ille fugæ culpã agnoscit, aitque, Tollite me & mittite in mare, & cessabit mare à vobis. *Mittitur in mare, & mox procella sistitur.*

Text. ET factum est verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens:

2. Surge, & vade in Niniuen ciuitatem grandem, & prædica in ea: quia ascendit malitia eius coram me.

3. Et surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis à facie Domini, & descendit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharsis: & dedit naulum eius, & descendit in eam vt iret cum eis in Tharsis à facie Domini.

4. Dominus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.

5. Et timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad deum suum: & miserunt vasa quæ erant in naui, in mare, vt alleuiaretur ab eis: & Ionas descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui.

6. Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, inuoca Deum tuum, si fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus.

Vers. 1. ET FACTVM EST] Vocula *&* non habet hic vim copulæ; nihil enim præcessit quod sequentibus copulet; sed more Hebræo dat narrationi & libro initium, eiusque est index. Hinc Ezechiel quoque sic incipit: *Et factum est*, vide ibi dicta.

VERBVM] Chald. *verbum prophetiæ Domini*. Prophetia enim nunc dicitur *visio*, nunc *verbum Domini*, vt dixi Isaiæ 1.1.

AD IONAM FILIVM AMATHI] Ex hoc loco probare contendunt Hebræi, Ionam fuisse filium viduæ Sareptanæ, quia, inquiunt, fuit filius Amathi, id est veritatis, eò quòd mater eo resuscitato ad Eliam eum suscitantem dixerit, *Nunc in isto cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum est*, 3. Regum 17.24. Verùm hæc friuola sunt. Clarum enim est ad literam non matrem, sed patrem Ionæ nominatum fuisse Amathi.

Allegor. Ionas est Christus, qui est filius Amathi, id est veritatis: quia ipse Verbum est Patris & Sapientia genita; Deus enim veritas est, ait S. Hieron. Huius Ionæ filius est S. Petrus (fuit enim ipse Bar-Ionæ) cuius proinde veritas & fides numquam deficit, vti pro eo Patrem orauit & impetrauit Christus, Luc. 22.32.

SVRGE, ET VADE IN NINIVEN] *Ninive* hebr. נינוה Primò, idem est quod pulchra, speciosa, à rad. נוה *naue*, id est species, pulchritudo. ita S. Hieron. & Pagnin. in Interpret. nom. Heb. Secundò, idem est quod habitata, frequens, plena populis & domibus; à rad. נוה *naua*, id est habitauit. ita Pagnin. ibidem. Tertiò, præcisè & genuinè Niniue dicta est quasi Nini נוה *naue*, id est Nini habitatio, Nini regia, Nini ciuitas. ita Serarius in Iudith cap. 1. quæst. 6. Vnde & Niniue quandoque vocatur *Ninus*, quandoque *Nina*. Porrò Niniue fuit vrbs potentissima, in qua prima Assyriorum monarchia sedem suam fixit, tenuitque mille annos & amplius. Sita est non ad Euphratem, vti scribit Diodor. lib. 2. sed ad Tigrim fluuium, vti asserit Ptolemæus libr. 6. cap. 1. Plinius lib. 6. c. 13. Herod. lib. 2. & alij passim. Conditam esse ab Assur filio Sem, filij Noë, censet Ioseph. libr. 1. Antiq. cap. 7. & S. Hieron. in locis Hebr. idque probant exillo Genes. 10.11. *Ex illa terra egressus est Assur & ædificauit Niniuen.* Verùm ibidem ostendi per *Assur* intelligi Ninum, qui fuit conditor regni Assyriorum. Ninus ergo ædificauit, & ex nomine suo nominauit Niniuen. ita docet Euseb. in Chron. Beda in Genes. qu. 69. Strabo lib. 16. S. August. 16. Ciuit. 3. Diodor. libr. 2. & alij. Quanta & quàm ampla fuerit Niniue ostendam cap. 3. Porrò mittit Deus Ionam in Niniuen, vt ostendat se Deum esse non tantùm Iudæorum, sed & Gentium, earumque curam habere & prouidentiam, etiam corruptissimæ sint & pessimæ. Ionas enim hîc mittitur in Niniuen quasi in nouam Sodomam. *In condemnationem Israelis*, ait S. Hieron. *Ionas ad Gentes mittitur, quòd Niniue agente pœnitentiam illi in malitia perseuerent.*

Vers. 2. *Niniues etymon & significatio.*

Allegor. S. Hieron. *Christus est Ionas, hoc est columba, siue dolens; vel quia Spiritus sanctus in specie columbæ descendit & mansit in eo; vel quia nostris doluit ipse vulneribus, & fleuit super Ierusalem: Et liuore eius sanati sumus. Verè filius veritatis mittitur ad Niniuen pulchram, id est mundum, quo nihil pulchrius oculis carneis aspicimus: vnde & apud Graecos κόσμος (mundus) ab ornatu nomen accepit; vt, quia Israel contempsit, totus Gentium mundus exaudiat. Et hoc propterea, quia adscenderit malitia eius coram Domino. Cùm enim Deus quasi quamdam pulcherrimam domum seruituro sibi homini extruxerit, deprauatus est homo propria voluntate, &c. & extructa turre superbiæ, meretur ad se descendentem filium Dei; vt per pœnitentiæ ruinam conscendat ad*

salum,

cælum, qui per tumorem superbiæ non potuit. Rursum Christus misit S.Petrum & Apostolos quasi suos Ionas in mundum: sicut enim Ionas homo abiectus & ignotus cõuertit Niniuen vrbem potentissimam & maximam; ita Apostoli piscatores conuerterunt totum orbẽm.

PRAEDICA IN EA] non pœnitentiam, vt vult Arias, sed exeidium, nimirum: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur.* putabat enim Ionas hanc prophetiam esse absolutam, non comminatoriam. Vnde videns eam fuisse comminatoriam, Deum Niniuitis pœnitentibus parcere, indoluit c.4.2.

QVIA ASCENDIT MALITIA] q.d. Scelera Niniuæ tanta, tamque publica & impudentia sunt, vt vindictam clament in cælum, vt flagellum mihi extorqueant, vt silere, vt dissimulare vltrà non possim. Sic dicitur Gen.19.20. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* ita S.Hieron.Theoph. Remig.Vatabl.& alij. Punctim, sed neruosè S. Gregor.3 part.Pastor.c.32. *Peccatum cum voce,* inquit, *est culpa cum actione: peccatum cum clamore, est culpa cum libertate.* Et S.August.in Enchiridio c. 80. *Peccata,* ait, *quamuis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur, vsque adeò, vt non solùm non occultanda, verùm etiam iam prædicanda ac diffamanda videantur.*

VERS.3. VT FVGERET]

Quò fugis Encelade? quascumque acceperis oras
Sub Ioue semper eris.

Credidit & cecinit Ethnicus poëta 4.Trist.

Nil adeò validum est, adamas licet alliget illud,
Vt maneat rapido firmius igne Iouis.
Nil ita sublime est, supraq; pericula tendit,
Non sit vt inferius suppositumq; Deo.

Tu ô Iona fidelis, imò Propheta, idipsum ignorasti? Deine omnipotentis oculos & manus te effugere posse credidisti? Non credo. Quid ergo fugis Deum? numquid non crebrò in templo psallentes Leuitas audisti? *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua,* psalm.138.7.

Pulchrè S.Chrysost.hom.de Iona, docet Ionam fugientem esse typum peccatorum, qui quasi ebrij non aduertunt quò eant, vbi pedem figant, sed cupiditatem sequentes propria præcipitantur insania.

Causa fugæ Ionæ. Censet Nazianzen. in Apolog. & S.Hieron. causam fugæ Ionæ fuisse pietatẽ nimiam in gentem suam, ne ea periret; prophetico enim spiritu Ionam cognouisse, tunc Israelitas perituros, cùm Gentes credidissent; *eò quòd pœnitentia Gentium ruina sit Iudæorum,* ait S.Hieron. *Idcirco amator patriæ suæ non tam saluti inuidet Niniuæ, quàm non vult perire populum suum.* Et mox: *Dolet se solum electum, qui mitteretur ad Assyrios inimicos Israel, & ad ciuitatem hostium maximum, vbi idololatria, vbi ignoratio Dei. Et, quod his maius est, timebat ne per occasionem prædicationis suæ illis conuersis ad pœnitentiam, Israel penitus relinqueretur.* Hinc Secundò, Lyran.& Clarius censent, Ionam extimuisse potentiam & magnificentiam vrbis & regis Niniuæ, eiusque hostilitatem contra Iudæos, A qualis ipse erat. Tertiò, veram & genuinam fugæ suæ causam dat ipse Ionas cap.4.2. *Numquid,* ait, *non hoc est verbum meum cùm adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu es Deus clemens & misericors, patiẽs & multæ miserationis, & ignoscens super malitia.* Fugit ergo, quia præsumebat Niniuitas ad hasce Dei minas à se proclamandas pœnitentiam acturos, & Deum pœnitentibus parciturum, itaque se quasi falsum prophetam irridendum fore. Ecce quibus vmbris vanè vanus conturbatur homo. Quid times ô Iona nomen mendacis, cùm Deus idipsum non timeat? In eum hoc probrum recidet, non in te: ille enim est legans, tu legatus. Mendax non est qui minatur pœnam, si per minas mutanti vitam parcat. Hæc enim conditio mutat statum rei, ideoque excipi- B tur. Quod enim minatur Deus dicitque: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subuertetur,* intellige, si in sceleribus suis persistat, si vitam non mutet. Ideo enim minatur Deus, vt peccatores minis territi vitam corrigant, itaque pœnam comminatam euadant: *Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite,* Ezech.18.32. Ionam sequuntur concionatores, honoris sui non diuini, studiosi; qui auram popularem aucupantur; qui ingenij sui theatrum, facundiæ suæ laudem venantur.

IN THARSIS] Nota, à Tharsis nepote Iapheti Gen.10 4. ortos esse Cilices, indeque Tharsum Ciliciæ vrbs nomen accepit. Porrò quia Tharsenses & Cilices tunc maris erant domini, & ditibus opibusque potentes: hinc omnia vicina loca, mareque vicinum dictum est *Tharsis* Inde extensa vocis significatione per synecdochen, putà C parte maris Tharsensis totũ reliquum mare Mediterraneum, imò quoduis vastum mare, præsertim Carthaginensium (qui nauigatione fuerunt celebres) ac tandem ipse Oceanus dictus est *Thasis.* Hinc & chrysolithus (gemma) quia coloris est marini, dictus est *Tharsis,* vti ex S.Hieron. Iosepho & alijs docui Isaiæ 2.16.

Quæres, quid hîc significet *Tharsis*? Primò, S. Hieron. Chald. Ribera & alij per *Tharsis* accipiunt mare: Ionas enim pauidus, fugitiuus & vagus non certum locum, sed quemlibet obuium fugæ suæ destinabat, ideoque fugit ad mare, tantùm enim faciem Domini effugere satagebat. *Non,* inquit S Hieron. *Propheta ad certum fugæ cupiebat locum, sed mare ingrediens quocumque pergere festinabat: & magis hoc conuenit fugitiuo & D timido, non locum fugæ otiosè eligere, sed primam occasionem arripere nauigandi.* Et mox: *Postquam illum* (Deum) *sensit in fluctibus, confitetur & dicit Hebræus ego sum, & Dominum cæli timeo, qui fecit mare & aridam. Si autem ipse fecit mare & aridam, cur aridam relinquens, arbitrarius te conditorem maris in mari posse vitare?* Nimirum volebat Ionas longissimè fugere à facie Domini, hinc fugit ad mare; qui enim ad mare & ad transmarinas regiones nauigant, videntur cælum & terram omnesque elementa mutare, & in nouum orbem transcere. Hic sensus erat Iudæorum: vnde remotissimas regiones vocabãt *mare* & *insulas.* Hinc Psal- tes significans remotissimas gentes venturas ad Christum dicit, *Reges Tharsis* (id est maris) *& insulæ munera offerent,* psalm.71.10. & Isaias c.66.19. *Mittam ex eis qui saluati fuerint, ad gentes,* &c. *Et in-*

insulas longè. Addit S. Hieron. *Simulq; instruitur* (Ionas) *per salutem conuersionemq; nautarum, etiam tantam multitudinem Niniuæ simili posse conuersione saluari*. Allegor. de Christo *possumus dicere, quòd dimiserit domum & patriam suam, & assumpta carne quodammodo de cælestibus fugerit, veneritq; in Tharsis, id est in mare huius sæculi, secundùm illud* psalm. 103. *Hoc mare magnum & spatiosum manibus*. Anagogicè idem S. Hieron. *Tharsis*, ait, *interpretatur contemplatio gaudij: veniens ad Ioppen Propheta, quæ & ipsa speciosam sonat, ire festinat ad gaudium, & quietis beatitudine perfruens totum se tradere theoriæ: melius esse arbitrans pulchritudine & varietate scientiæ perfrui, quàm per occasionem salutis gentium cæterarum, perire populum de quo Christus in carne generandus sit*.

Secundò, Theodor. & Theophyl. per *Tharsis* intelligunt Carthaginem. Sic & Vatab. per *Tharsis*, ait, intellige Tunetum, vel Carthaginem, vrbes Africæ. A Tuneto enim facilis est nauigatio in Ioppen, & vice versa à Ioppe Tunetum. Sic & Mariana per *Tharsis* accipit Carthaginem, aut Tunetum, quæ etiam arabicè *Tharsis* vocauit. Rursum P. Pineda l. 4. de Rebus Salominis cap. 15 in fine, per *Tharsis* accipit Tarteſſum, & Bæticam, censetque Ionam voluisse fugere in Hispaniam, idque multis coniecturis probare contendit.

Tertiò, verius alij per *Tharsis* accipiunt Tharsum vrbem Ciliciæ, ipsamque Ciliciam. Vnde Tigurina vertit, *Tharsum*. Probatur Primò, quia Tharsis Primò, & propriè significat Tharsum & Ciliciam, vti paulò antè dixi. Secundò, quia qui volunt transfretare mare, necessariò sibi aliquem locum in confuso, quò transferantur proponunt, dicuntque sibi v.g. Volo transfretare in Italiam, vel in Africam, vel in Indiã. Nemo enim in mari habitare vult aut potest. Ergo & Ionas iuit ad mare, vt tenderet Tharsum, vel certe in Ciliciam in confuso, nullam certam vrbem animo destinans. Tertiò, id significant verba Scripturæ: *Inuenit nauem euntem in Tharsis*. Nauis enim non ibat ad mare, quia erat in ipso mari, sed per mare ibat in Tharsum. Rursum, *Descendit in eam vt iret cum eis* (nautis) *in Tharsis*: nautæ autem in certum locum, putà Tharsum, ire & nauigare destinabant, ergo & Ionas qui idem destinabat, & eòdem tendebat quò nautæ. Quartò, quia si mare voluisset significare Propheta, clare dixisset, Fugit יָם *iamma*, id est ad mare: *iam* enim significat propriè mare, non aliud. *Tharsis* autem ambiguum est, & propriè Tharsum, impropriè mare significat. Ita censent Ioseph. libr 9. Antiq. cap. 11. Rheticius Augustod. apud S. Hieron. epist. 134. ad Marcel. Tertull. lib. de Fuga cap. 10. Abulensis, Lyran. à Castro, Villalpando in Ezech. 27. 12. & alij. Dices, Quomodo ergo v. 8. nautæ rogant Ionam: *Quò vadis?* Respond. Id rogant, quia certum & vltimatum terminum profectionis Ionæ ab eo discere volunt, vt sciant quò & quorsum vadat; sciebant enim eum ire secum in Ciliciam, & fortè Tharsum; sed nesciebant quò vltimatè, & cuius rei gratia tenderet. Tantùm enim quærunt hoc, vt cognoscant viri statum, quis, qualis sit, quò tendat, quid agat, quid destinet. Id patet ex verbis nautarum: *Quod est opus tuum? quæ terra tua, & quò vadis, vel ex quo populo es tu?* q.d. Quò tendis? quid in hoc itinere agere cogitas? quem scopum tibi destinas? Hoc enim in curribus & nauibus à sese inuicem percunctari solent vectores.

A FACIE DOMINI] q.d. Vt à loco vbi ei locutus erat Dominus, vbi ei suam præsentiam exhibuerat, fugeret in remotissimas regiones. non quasi putaret Ionas se ibi Deum latere posse; erat enim Propheta; sciebat ergo Deum esse vbique, & omniscium: sed quòd speraret Deum se ita profugum & tenitentem, ex remotissimis illis regionibus non reuocaturum, nec remissurum in Niniuen. Vbi Nota. Facies Dei dicitur esse ibi, vbi Deus hominibus se & suam præsentiam, vel loquendo, vel miracula faciendo, vel opera diuinæ vindictæ aut clementiæ patrando exhibet. Sic dicitur psalm. 67. 2. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut fluit certa à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei*. Et psalm. 95. 9. *Commoueatur à facie eius vniuersa terra*. Et psalm. 96. 5. *Montes fluxerunt à facie Domini*, cùm ipse præsens eos concussit. Et psalm. 113. 7. *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob*, cùm ipse dans legem in Sina, montem ingenti terræ motu quassauit.

Rursum, quia Deus in templo pontifici & sacerdotibus, atque in Iudæa fidelibus, præsertim Prophetis, suam præsentiam exhibere solebat; hinc facies, id est præsentia, Dei dicitur esse in Iudæa, & in templo. Vnde ait Psaltes psal. 41. 3. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* in templo scilicet, ante Sanctum sanctorum, in quo super arcam, Cherubim & propitiatorium, quasi in throno residet Deus. Sic 1. Regum 1. v. 22. Anna ait Elcanæ de Samuele puero: *Non vadam ad templum donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter*. & cap. 2. 18. *Samuel autem ministrabat antè faciem Domini*, id est, in templo ante Sanctum sanctorum. Sic in Leuitico cap. 1. 5. c. 3. 1. c. 4. 4. c. 6. 7. c. 8. 28. & crebrò alibi dicitur sacerdos stare, vel sacrificare *coram Domino*, hebr. *liphne*, id est, *ante faciem Domini*, putà in altari ante Sanctum & Sanctum sanctorum: fugit ergo Ionas *à facie Domini*, id est è Iudæa in Tharsis, quia in Iudæa & templo Deus censebatur peculiari modo esse præsens per singularem sui cultum, prouidentiam & opem, qua gẽtem suam respiciebat & dirigebat; ac per oracula, quæ ferè dabat Prophetis in Iudæa, rarò extra Iudæam. ita Hebræi, Theodor. Lyran. Vatabl. Mariana, & alij. Addit S. Cyrill. *Censebant aliqui potentiam & imperium Dei solu Iudæa finibus circumscribi, & in ipsam quasi compactum, ab alijs regionibus excludi*, &c. *Opinor hunc B. Prophetam tale quippiam secum cogitantem, à Iudæa ad vrbes Græciæ discessisse*. Verùm quis hoc credat de fideli erudito, imò Propheta?

Moral. discite hinc, eum qui fugit à facie Dei vocantis & blandientis, incidere in faciem Dei indignantis & vlciscentis. ita Ionas fugiens Deum vocantem, incidit in cetum deuorantem. *Ionas*, inquit S. Gregor. lib. 6. Moral. c. 12. *in culpa deprehenditur, in profundum mergitur, æto sorbente repentè deuoratur, atque illuc gestante bellua peruenit, quò ire sponte contempsit. Ecce fugitiuum Dei tempestas inuenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit; & qui*

Mor. obediendum esse Deo vocanti.

qui auctori suo obedire renititur, ad locum quò missus A *fuerat, suo reus carcere portatur. Comprehendit ergo Dominus sapientes in astutia eorum, quando & hoc in ipsum suæ voluntatis redigit, per quod voluntas humana sibi contradicit.* Ionas sibi persuadens durum esse Dei imperium, fugit à Deo, qui sibi obediẽtium est tuta certaq́ue salus, & credidit se ventis sæuientibus; mari instar Lunæ, à qua regitur, instabili; fluctibus in cælum sæpè sese attollentibus; nautis infidelibus, qui eum in mare proiecerunt; naui, quæ quatuor digitis è mari eminet, & à submersione morteq́ue non ampliùs distat, iuxta illud Poëtæ:

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor:

tot enim limbus nauis mari eminet. Idem facit stultus stolidusq́ue peccator: relinquens enim B creatorem spes suas figit in creaturis, in quibus nil nisi inquietum, turbulentum, periculosum inuenit, ac cetos & monstra, quæ eum deuorent. ita Sanchez.

Ex aduerso sapienter monet S. Augustin. in psal. 70. *Qui vult*, ait, *fugere Deum iratum, fugiat ad placatum.* Ex Iona ergo docemur, quemq; debere obedire Deo vocanti, eiusq́ue vocationem capessere, idq́ue ad quod vocat amplecti & exequi: Dei enim est creaturas omnes, præsertim homines, regere & dirigere ad fines suos, ijs vijs & medijs quibus ipsi placuerit. Deus etiam omnium est dominus, homines verò eius serui sunt; illi ergo vocanti obedire debent, multò promptiùs & alacriùs quàm famuli principi vocanti obsequuntur: si quis enim id renueret, princeps eum ilico domo sua exturbaret. Quid ni idẽ facere iure suo possit, & de facto non rarò faciat Deus? Est enim hæc fuga, inobedientia & resistentia, Dei contemptus, iniuria & vilipensio, quam ipse vlcisci solet, vel in hac vita, vel in futura. Extat emblema Alciati ordine 17. *Quà Dij vocant eundum:*

In trivio mons est lapidum: supereminet illi
Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.
Mercurij est igitur tumulus: suspende viator
Serta Deo, rectum qui tibi monstrat iter.
Omnes in trivio sumus, atque hoc tramite vita
Fallimur, ostendat ni Deus ipse viam.

Hinc celebris Biantis gnome: *Sequere Deum*, ne te persequatur Deus. Nam, vt ait Seneca in Hercul. Fur.

Sequitur superbos vltor à tergo Deus.

Et in Thyeste: D

Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Et Ouid. lib. 8. Metamorph.

Immensa est, finemq́; potentia cæli
Non habet. & quidquid superi voluere, peractũ est.

Idem lib. 10.

Cedunt Iouis omnia regno.

Et lib. 5. Trist.

Plus valet humanis viribus ira Dei.

Ita Abraham Deum vocantem ex Vr Chaldæorum secutus est in Chanaan, nescius quò iret, ideoq́; tot benedictiones & temporales & spirituales à Deo accepit, Genes. 12. 1 Hebr. 11. 8. Ita Moses Deum vocantem secutus, petijt à Pharaone missionem populi, ideoq́ue tot signa & portenta patrauit, ac tandem Pharaonem cum toto exercitu mersit in mari rubro. Idem fecerunt Iosue, Gedeon, Samson, Dauid, Isaias, Daniel, Osee, alijq́ue Prophetæ. Ita in lege noua Christus secutus est Patrem vocantem ad prædicandum & moriendum pro salute hominum. Ita Apostoli Christum vocantem ad labores & martyria secuti, facti sunt principes Ecclesiæ militantis & triumphantis.

Legimus in vita S. Athanasij, quòd, cũ S. Alexander Episc. Alexand. animam ageret, successũ declararit S. Athanasium. Ille hoc subodoratus fugit vt Ionas: vocauit eũ Alexander aliquoties, at ille tacuit & se abscondit. Tũ Alexander *Fugis*, ait, *Athanasi, at non effugies.* Clerus enim & populus vim intulit S. Athanasio, eumq́; mutare Episcopale suscipere coëgit. qui videns tandem hanc Dei esse voluntatẽ, illi obsecutus munus suscepit, ideoq́; contra Arrianos columna, & hyperaspistes totius Ecclesiæ à Deo effectus est.

Tota ergo sapiẽtia, tota felicitas, totum bonum hominis in eo situm est, vt per preces, considerationes, eleëmosynas, ieiunia, &c. exquirat quid Deus à se fieri velit, in quo statu, gradu, officio pere velit sibi ab eo seruiri; ac cognita Dei voluntate, ilico eam exequatur. Illudq́; vnicum & euidens signum est prædestinationis diuinæ, sequi Deum vocantẽ; sicut ex aduerso signum & causa reprobationis est, nolle Deũ, sed suas inclinationes, voluntates & cupidines sequi. Hoc est enim quod ait Christus Iohan. 20. 27. *Oues meæ vocem meam audiunt* (ac consequẽter hœdi & reprobi eamdẽ non audiunt, id est ei non obediunt) *& ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* Quocirca qui sapere & cui sua salus curæ est, hoc iugiter optet, hoc vnũ oret, vt Deus eum dirigat ijs vijs, occupationibus, negotijs & medijs, quibus prædestinatos eum ad æternam salutẽ deducere, quibusq́; præsciuit eũ certò & infallibiliter ad illam peruẽturum. Hæ enim viæ à Deo cuilibet præparatæ & præordinatæ, securæ sunt & certæ, ac proinde nec peccati habẽt scandalum, nec salutis periculum, quod habẽt cæteræ quas homines sine duce Deo, sibi velut sapientes præscribere & inire volũt: vti Ionas hîc fugiẽs Deum, perdidit patriam, templum, Deum, Ecclesiam, & penè vitam; dũ pro solida terra æstuãs mare, pro altari sacro prophanum Tharsis elegit & accepit. Hoc est quod de Iacob, & quolibet sequẽte Deum dicitur Sap. 10. Hæc (sapiẽtia & prouidẽtia diuina) *ipsum deduxit per viæ rectas, & ostendit illi regnũ Dei, & dedit illi scientiam sanctorũ, honestauit illũ in laboribus & cõpleuit labores illius.* Et v. 17. de Hebræis quos per desertũ duxit in terram promissam: *Reddidit iustis mercedẽ laborum suorum, & deduxit illos in via mirabili* (iter præiẽs per columnam ignis & nubis) *& fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem, transtulit illos per mare rubrum*, &c.

Descendit] ex montibus Zabulon (erat enim Ionas Zabulonites) in quibus sita est Nazaret, de quibus Guliel. Tyrius l. 21. Belli sacri c. 5. Inter hos montes vnus est Tabor, in quo transfiguratus est Christus: vel *descendit*, id est abiit, profectus est, venit.

In Ioppen] Portus est celebris totius Iudææ. Hebr. vocatur *Iapho* (vnde hodie *Iaffa* dicitur) *quem*, ait S. Hier. *Hiram rex Tyri ligna de Libano*

tulit

ratibus transferebat, quæ Ierusalem terreno itinere A *& nauis putabatur conteri*, conterenda; Tigurina *ita vt cogitare quispiam posset nauem esse conterendam*; hebr. ad verbum est, *& nauis illa cogitabat conteri*, id est, qui ea naue vehebantur putabant se statim facturos naufragium. ita Vatab. Huc spectat illud Poëtæ:

Pallasne exurere classem
Argiuûm, atque ipsos potuit submergere ponto,
Vnius ob noxam, & furias Aiacis Oilei?

ET CLAMAVERVNT VIRI AD DEVM SVVM] q.d. Quisque inuocauit Deum suum. Erant enim in naui de more homines diuersarum regionum & religionum, putà ex variis gentibus quæ varios habebant deos; quisque ergo suum suæq; gentis Deum in tanto periculo inclamauit. Nota hebraismum, אישׁ *ischi*, id est *vir*, capitur pro *quisque*, & B distributionem significat. VERS. 5.

Tropol. notat S. Hieron. non tantùm Ionam puniri, sed & nautas, eò quòd Ionam recepissent. Sic & hodie qui apostatas à fide vel Ordine receptant, cum iis pariter puniuntur. Disce hîc quàm noxia sit peccatorum societas. Sic S. Ambros. serm. de cathedra S. Petri docet, Apostolos iactatos fuisse tempestate propter Iudam. *Tranquillitas*, ait, *est, vbi solus Petrus nauigat; tempestas, vbi Iudas adiungitur: licet esset Petrus firmus suis meritis, perturbatur tamen criminibus proditoris. Vnius igitur delicto cunctorum merita quassabantur.* Atque hinc tam crebra sunt naufragia, ob peccata vectorũ, præsertim quæ in naui committuntur.

ET MISERVNT VASA, putà merces & onera quæ erant in vasis, IN MARE] ad nauem alleuiandam. Hebr. *vt alleuiaretur ab eis.* Hoc est quod ait C Poëta: *Decidere iactu cœpit cum ventis.* Verè Chrysost. hom. 1. de Pœnitent. *Nautæ*, ait, *iactum fecerunt, nauis verò nequaquam alleuiabatur.* Quare? *quia nihil tam onerosum & graue, quàm peccatum & inobedientia.*

ET IONAS DESCENDIT AD INTERIORA NAVIS, quasi ad locum secretiorem & tutiorem: ET DORMIEBAT SOPORE GRAVI] partim ex fatigatione itineris, quod fecerat veniendo ex Zabulon in Ioppen, partim & magis ex animi deiectione & mœrore. Sensit enim Ionas remorsus conscientiæ de fuga sua, quasi Deus illum persequeretur, puniret & comprehenderet: vnde vt hos remorsus euaderet & sopiret, dedit se sopori. Mala enim conscientia parit mœrorem, mœror somnum: somnus enim mœrorem sepelit, cùm eius cogitationem & sensum adimit. Hinc Apostoli D Christo eunte ad passionem, præ tristitia sopore correpti sunt Matth. 26. ita S. Hieron. Theodor. Theophyl & Hugo. Audi S. Hieron. *Conscius erat fugæ & peccati quo Domini præcepta neglexerat, & tempestatem ignorantibus contra se sæuire cernebat, ideo descendit ad interiora nauis, & tristis absconditur, ne quasi Dei vindices fluctus aduersum se videret intumescere.* Tropol. idem, *Sopor*, ait, *Ionæ grauissimus, hominem significat erroris sopore torpentem, cui non sufficerat fugere à facie Dei, nisi quadam vecordia mens illius obruta ignoraret iracundiam Dei, & quasi securus dormiret, & profundissimum somnum concha nare sonaret.* Peccator ergo veternum dormit, imò lethargum: hunc enim illi peccatum inducit. Vnde Christus illi inclamet oportet, *Lazare veni foras.*

Allegor. somnus Ionæ repræsentat somnum Christi in naui orta tempestate, à quo excitatus

Cornel. in Proph. Min.

ventis imperauit & mari, Matthæi 8. Vbi S. Hieron. *Huius signi typum, inquit, in Iona legimus, quando cæteri in periclitantibus ipse securus est, & dormit, & suscitatur, & imperio ac sacramento passionis suæ liberat suscitantes.* Licet enim Ionas, qua homo fugiens Deum, typus esset peccatoris; tamen idem qua Propheta, tam actis quàm verbis typum gerebat Christi.

7. Et dixit vir ad collegam suum: Venite, & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes: & cecidit sors super Ionam.

8. Et dixerunt ad eum: Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua, & quò vadis? vel ex quo populo es tu?

9. Et dixit ad eos: Hebræus ego sum, & Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam.

10. Et timuerunt viri timore magno, & dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? (cognouerunt enim viri quòd à facie Domini fugeret, quia indicauerat eis.)

11. Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? quia mare ibat, & intumescebat.

12. Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.

13. Et remigabant viri vt reuerterentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumescebat super eos.

14. Et clamauerunt ad Dominum, & dixerunt. Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti.

15. Et tulerunt Ionam, & miserunt in mare: & stetit mare à feruore suo.

16. Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota.

VERS. 7. MITTAMVS SORTES] Notat S. Hieron. Theodor. Remig. & Lyran. nautas misisse sortes, quia videbant maris periti tantam tamq; repentinam in malacia mariq; quieto tempestatem non esse naturalem, sed subitò à Deo immissam sine præuiis signis, præter cursum & ordinem ventorum, siderum, temporis, aliarumq; causarum secundarum & naturalium; alioqui enim ad sortes non venissent, si causas naturales esse cognouissent.

Vnde moraliter ex Iona hîc discant nautæ & vectores, procellas sæpè à Deo immitti ob scelera quæ in naui fiunt, aut antea facta sunt. Ita Bias, nauigans cum sceleratis, dum periclitarentur in summa maris tempestate, aliis deos implorantibus, ait: *Silete, ne vos hîc nauigare sentiant dij*, vt refert Laërt. lib. 1. c. 6. Idem cum pessimis nauigans incidit in piratas. Dicentibus illis, *Peribimus, si agnoscamur: At ego*, inquit, *nisi agnoscamur, peribo.* Quocirca Plato asserebat, *fugiendam esse mare, perinde ac improbitatis magistrum.*

Notat Secundò, S. Thom. 2. 2. q. 95. a. 8. triplicem esse sortem. Prima est diuisoria. Hæc licita est, & adhibenda quotiescumque non apparet ratio, cur alter alteri in re aliqua vel vtili, vel difficili debeat præferri. Sic fratres hereditates diuidunt sorte. Sic milites inuadunt opidum iacta sorte, quæ gens vel acies primò inuadere debeat. Sic princeps in rebellione cùm multi sunt rei capitis, dat sortem, vt in quos sors ceciderit plectantur in exemplum reip. cæteris parcat. Huc spectat cõtractus sortium, qualis est in lusu aleæ. Sic S. Augustin. epist. 180. scribit sorte eligendum sacerdotem, qui tempore pestis vel persecutionis in vrbe maneat, & fidelibus res sacras & Sacramenta conferat; scilicet si cætera sint paria, vel aliter res hæc non possit commodè decidi. vnde in beneficiis Ecclesiasticis illicita est sors; hæc enim non sorte, sed maximè idoneis sunt danda. Similis est ratio officiorum sæcularium; vnde & Aristot. l. 1. Ethicor. carpit Athenienses, eò quòd magistratus sorte crearent.

Secunda est consultoria, qua per sortem inquiritur diuinum consilium, vt sciatur quid in negotio obscuro sit agendum: nam si euentus à casu expectetur, sors hæc diuisoria erit potiùs, quàm consultoria; vti patet in exemplis iam datis; nemo enim casum consulit. Consultoria illicita est: pertinet enim ad tentationem Dei, nisi Deus inspiret, (aut aliis mediis humanis deficientibus necessitas cogat suadeatq; inuocato suppliciter Deo) illa vtendum, seque illam directurum, & per illam voluntatem suam declaraturum; vti factum est cùm Saul in regem sorte electus est, 1. Reg. 10. 20. & Matthias in Apostolum, Act. 1. 26. Plura vide apud P. Lessium lib. 2. c. 43. de superstitione, dub. 9 & Delrio de Magia tract. de diuinat. ex sortibus.

Tertia sors est diuinatoria, qua inquiritur cognitio veritatis futuræ, vel præsentis, sed arcanæ & occultæ; qualis fuit hæc, qua quærebatur causa, & reus huius procellæ & tempestatis. Hæc pariter illicita est, ni Deus inspiret ea vtendum, & per eam rem futuram vel arcanam indicare velit; vti indicauit furtum Achan per sortem, Iosue 7. 14. Vnde sortes hæ, siue sortilegia, æquè ac aliæ diuinationes & incantationes damnantur c. 1. *de sortilegiis*, & 25. quæst. 5. c. *Sortes*. Cùm enim hîc occulta veritas non quæratur, nec accipiatur à Deo, sequitur eam quæri & accipi à dæmone. Vbi dupliciter peccatur: Primò, quòd ineatur commercium cum dæmone, isque quasi doctor consulatur, qui mendax est & pater mendacij. Secũdò, quòd in futuris tribuatur dæmoni prænotio futurorum, quæ soli Deo est propria: vnde dæmon tunc tacito quodam pacto & consensu inuocatur, tum vt sortes regat, & per eas quid futurum sit præsignificet; tum vt effectum præsignatum reipsa compleri procuret. Sic apud Suetonium & alios legimus, sortes Domitiano Cæsari interitum denunciasse; Alexandro Seuero autem nil tale speranti imperium: sorte enim illi hi versus Virgilij 6 Æneid exierunt:

Tu regere imperio populos Romane memento.

Talis fuit Pythagorica sors antiquissima, per quã victoria, vita, mors, fausti infaustiq; euentus diuinabantur per numerum nominum. Ille enim cuius nomen habebat litteras plures maioriscque numeri indices, prædicebatur fore victor, victus

verò

verò ille, cuius nomen pauciores litteras & minoris numeri indices continebat. Sic Patroclum ab Hectore vincendum, & Hectorem ab Achille superandum, numeris nominibus eorum inclusis diuinatum est, vt canit Terentius. immò, quod mirum est, idipsum habetur apud V. Bedam tract. de Diuinat. mortis & vitæ, qui habetur in fine 2. to. operum illius, vbi hac de re multa & mira, non credenda, nec practicanda, vtpote vana & superstitiosa, recensentur. Quare solerter aduertendum est, hunc tractatum non esse V. Bedæ, sed Petosyris (Gentilis astromantis, vt videtur) qui eum conscripsit & misit ad Necepsum regem Ægypti, vt habet eius inscriptio. fortè hic tractatus inuentus fuit in scrinio Bedæ, vnde illi ab operum eius compilatore, adscriptus & assutus est.

Nota Tertiò. licet sors hæc nautarum fuerit superstitiosa, vt iam dixi, Deus tamen illam, licet malam, disposuit & ordinauit in bonum: ita enim eam temperauit & direxit, vt Ionas reus deprehenderetur, & culpam agnosceret, ac ad Deum rediret. Ideo enim excitauit tempestatẽ, vt iacta à nautis sorte Ionas quasi eius causa & reus caperetur. Simili modo direxit sortes, vel potiùs omen superstitiosum, quod captabãt Philisthæi 1. Reg. 6. 9. dicentes, Si vaccæ arcam Domini vehentes ascendant contra Bethsames, Deus Hebræorum hanc morborum plagam nobis inflixit; sin autem minimè, sciemus quia casu accidit. Fecit enim Deus vt vaccæ tenderent versus Bethsames, quo facto crediderunt Philisthæi non casu, sed à Deo sibi plagam immissam. Simili modo c. 28 15. cùm Saul consuleret Pythonissam, fecit Deus vt in eius præstigiis cõpareret Samuel, & Sauli interitum instantem prædiceret. Causam dat S. Chrysost. hom. 3. in epist. ad Titum, quòd Deus sortilegos & sacrilegos voluerit suis sortibus & ominibus reuincere, eaque in ipsorum caput retorquere, imò ipsorum accusatores constituere. *Deus*, inquit, *eos* (Philisthæos) *suo ore corripuit atque redarguit. Hoc ipsum & in Pythonissa mutuere dicendũ est, quia enim ei fidem adhibebat, idcirco per hanc Saul audire fecit quòd se comprehensura essent mala.* Et S. Hieron. *Fugitiuus* (Ionas) *sorte deprehenditur non viribus sortium & maximè sortibus Ethnicorum, sed voluntate eius qui sortes regebat incertas.*

Porrò sortibus & sortilegiis etiamnum crebrò vtuntur nautæ infideles & Ethnici. Testimonio sit S. Franc. Xauerius, qui describens iter suum Iaponicum epist. prima quam ex Iapone dedit ad Socios Goam, ann. Domini 1548. 3. Nonas Nouembris, quæ habetur l. 3. epist. eius ordine quinto: *Molestissimè ferebamus*, inquit, *quòd nauicularius & nautæ sortibus dæmonem identidem consulerent, vtrùm ex vsu esset in Iaponiam pergere, nec ne; & simul exquirerent, an secunda nauigatione cursum tenere possemus. & sortes modò lætæ, modò tristes edebantur.* Ac post multa de isdem, cùm narrasset nauarchi filiam in mare iactatione nauis excussam ac submersam, subdit: *Inde Barbari ad idolum sacrificijs placandum versi, diem noctemq; totam mactandis ouibus apponendisq; idolo epulo consumpserunt.* Disce hìc sortibus iungi solere sacrificia ad conciliandum idolum, id est, dæmonem qui consulitur & rogatur vt per sortes respondeat. Pergit Xauerius: *Tum nauarcho eius filia sua interisset sortibus percontanti, sors edidit: si Emmanuel inter nos*

Cornel. in Proph. Min.

A *tinam periisset, eius filiam nequaquam fuisse perituram. Videtis profectò quanto in periculo versaremur, quorũ vita ex diaboli sortibus penderet, eiusq; satellitum voluntate.* Remediis deinde hisce vsum se scribit: *Sapiùs à Deo precatus sum, &c. vt cõmuni hosti illarũ superstitionũ auctori grauiores constitueret cruciatus, quoties nauarchum ad sortes ducendas atque ad sepro Deo colendũ impelleret.* Et paulò pòst: *Certissimum præsidiũ est, vt contra hostem magno præsentiq; sis animo, tibi penitus diffidens & fretus Deo, vt videlicet in illo spes omnes ac vires tuas locatas habeas, ac nullo modo committas, vt tali ac tanto defensore ac patrono timere, aut de victoria dubitare videaris. Sapiùs enim mihi minitans denunciabat venisse tempus vltiscendi doloris sui. Verùm cùm nihil ille nocere cuiquam possit, nisi quoad Deus ipse permittat, magis eo tempore Dei diffidentia timenda est, quàm impetus inimici.*

B Additque Deum permittere diabolo, vt tentet timidos & diffidentes, non autem animosos & fidentes Deo, quibus omnem vim sortium & dæmonis infringit, easque ita dirigit vt suæ gloriæ & suorum commodis seruiant.

Et cecidit sors svper Ionam] Syrus, *& ascendit sors Ionæ*, v. g. chartula nomine Ionæ inscripta primò educta est ex vrna. Sic alleg. milites sorte diuiserunt vestem Christi, ait S. Augustin. lib. 4. de Symbol. ad catechum. c. 6.

Indica nobis, cvivs causa malvm istvd sit nobis? cur vento & procellis hisce iactemur, & tantùm non obruamur? Qvod est opvs tvvm? Qvæ terra tva?] q. d. Indica nobis quid operis agas, de qua terra, de quo populo proficiscaris, quò abire festines? *Notanda breuitas*, inquit S. Hieron. *quam admirari in Virgilio solebamus:*

Iuuenes quæ causa subegit
Ignotas tentare vias? quò tenditis, inquit,
Quod genus? vnde domo? pacẽne huc fertis, an arma?

Interrogatur persona, regio, iter, ciuitas; vt ex his cognoscatur & causa discriminis, putà periculi. Dicunt ergo: *Quod est opus tuũ?* exercéne vsuras, rapinas, magiam, aut similẽ artem illicitã, qua tibi numen infestũ reddideris? esne sacrilegus, atheus, magus, prædo, fænerator, &c. *Quæ terra tua? vnde venis?* q. d. Venisne ex scelerata aliqua regione, cui dij marini ventiq; aut cælum ipsum, aut fidera pertinaciter infesta sint, atque ita tu diuino erga regionem tuam odio laboras? An populi tui fato vexaris, cui cælũ aduersam nauigationẽ & difficillimas tempestates semper paret? An verò tu patriã tuam diis charam improbè deseruisti, vel nefariè violasti, aut prodidisti, cuius sceleris pœnas à te superi exigunt? *Ex quo populo tu es*, vt eius populi crimine, aut fortuna, aut odio tu primùm, & nos deinde tui causa affligamur? Omnis enim hæc nautarũ inquisitio eò spectat, vt Ionam ingenti aliquo scelere aut priuato aut publico obligatũ esse suspicẽtur; siue illud sit Ionæ, siue patriæ & populi, quod ea tempestas vlciscatur. ita Arias.

Et dixit ad eos: Hebrævs ego svm] q. d. Genere & gente Iudæus sum, non Gentilis. Hebræi nomen, inquit Arias, impositum est familiæ suæ à Semo Noë filio, cùm ipsa traiecto Euphrate fluuio nouas sedes sibi quæsiuit, vnde de eo dicitur Gen. 10. 21. *De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorũ Heber.* Secundò, alij ab Heber patre Phaleg, cuius tempore facta est diuisio linguarum, cùm in eius familia remãsit vsus linguæ Hebrææ, Hebræos dictos esse censent. Verũ non

Vers 9.

omnes posteri Heber & multò minùs Sem, dicti sunt Hebræi, sed tantùm ii qui per Abraham descendunt. Tertiò ergo melius alij censent, Abrahamum dictum esse Hebræum, id est transitorem; eò quòd è Chaldæa transito Euphrate in Chananæam commigrarit: vnde primò omnium illi hoc nomen tributum est Genes. 14 v. 13. Ab Abraham ergo posteri vocati sunt Hebræi, æquè ac Abrahæi. Fuit hoc nomen olim gloriosum; vnde Apostolus 2. Corinth. 11. 22. *Hebræi sunt, & ego: Israelitæ sunt, & ego: semen Abrahæ sunt, & ego.* Christus enim fuit Hebræus, B. Virgo & Apostoli, primique Christiani fuerunt Hebræi. A

Tropol. Arias, Ionas confessus est se esse Hebræum, id est prætereuntem, id est transgressorem legis & voluntatis diuinæ. Rursum Hebræum, id est peregrinum & viatorem, qui continuò tendit ad mortem, & per mortem ad immortalitatem. Chald. & Septuag. pro ה legentes ע, putà pro עִבְרִי *ibri*, id est Hebræus, legêtes עַבְדִּי *abdi*, vertunt, *seruus Domini ego sum.* B

ET DOMINVM DEVM CÆLI. Pro *Deum* hebr. est tetragrammaton *Iehoua*, q. d. Ego non idola, sed ipsum verum Deum Hebræorum Hebræus TIMEO] id est colo. Nota in Script. cultus Dei vocatur *timor*; & *timere Deum*, est eum colere: tum quia *primus in orbe Deos fecit timor*; tum quia summa Dei maiestas maximè à nobis timorem & reuerentiam exigit. *Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi timor meus?* Malach. 1. 6. Timor enim non seruilis, sed filialis includit amorem & reuerentiam Dei, quasi summi domini & patris nostri. C

VERS. 10. QVI FECIT MARE ET ARIDAM] qui est Deus verus & solus, vtpote vniuersi creator, & dominus cæli, maris & terræ; qui proinde hanc tempestatem & procellam è cælo, aëri, mari & terræ induxit: potensque est nos mari mergere, æquè ac terra dehiscente nos absorbere: eam autem induxit ob meam inobedientiam & fugam. Hanc enim eis indicasse Ionam, patet ex eo quod sequitur: *Cognouerunt enim viri quod à facie Domini fugeret, quia indicauerat eis.* Illa enim verba huc spectant. vnde & sequitur:

ET TIMVERVNT VIRI TIMORE MAGNO] Tum quòd Dei potentiam & vindictam à Iona expositam pertimescerent, præsertim quòd quisque sibi conscius esset se eam sæpius offendisse & iritasse; tum quòd non tam metuerent, quàm oculis cernerent, quòd Deus hic tam potens & offensus Ionam fugientem insequeretur, cumq; in naui sua comprehenderet: verebantur ergo ne & ipsi quasi receptatores Ionæ, cum eo pariter à Deo comprehenderentur, punirentur & mergerentur. Sic enim dum prætor furem & latronem insequitur, domumque quam fur ingressus est inuadit, hospes & omnes qui in domo sunt metu percelluntur, ne simul cum fure à prætore quasi socij & complices capiantur & plectantur. Multò enim magis idipsum timendum est apud Deum, qui subinde etiam in populo innoxio peccata aliquorum occulta punit & vlciscitur; vti furtum occultum Achan puniuit in toto populo Hebræorum inscio & innoxio, permittens eum cædi à Chananæis, quia *anathema in medio tui est Israel* (sic & in te ô nauis & nautæ, putà Ionas) Iosuec. 7. v. 13. ita S. Hieron. *Historia, in-* D

quit, *ordo præposterus est. Quia enim poterat dici, Nulla causa timoris fuit ex eo quod eis confessus est dicens, Hebræus ego sum; & Dominum Deum cæli timeo, qui fecit mare & aridam; statim subnectitur, quòd idcirco timuerunt, quia eis indicauerat se Domini fugere conspectum, & eius non fecisse præcepta. Denique causantur & dicunt: Quid hoc fecisti? id est, si times Deum, cur fugis? si tantæ potentiæ prædicas quem colis, quomodo te putas posse euadere?* Et rursum: *Timêt autem timore magno, quod intelligunt sanctum & sancta gentis virum: de loppe quippe soluentes funem, Hebrææ gentis nouerant priuilegium, & tamen fugitiuum celare non possunt. Magnus est qui fugit, sed maior ille qui quærit: non audent tradere, celare non possunt.*

ET DIXERVNT AD EVM, QVID FACIEMVS TIBI?] *Rogant*, inquit S. Hieron. *vt ipse remedio sit, qui auctor peccati fuerat: si culpa est quòd te suscepimus, quid facere possumus ne Dominus irascatur? quid faciemus tibi? hoc est, interficiemus te? sed cultorem Domini seruabimus? sed Deum fugis. nostrum est præbere manus quid fieri iubeas; tuum est imperare, quo facto quiescat mare, quod nunc iram suo tumore testatur.*

ET CESSABIT MARE] id est vt cesset. Est hebraismus.

QVIA MARE IBAT ET INTVMESCEBAT] *vt ostenderet vltionem creatoris se differre non posse*, ait S. Hieron. & S. Chrysost. hom. de Iona: Sicut, inquit, seruus fidelis videns mancipium fugere, insequitur, nec quiescit donec illud apprehendat, reducat, & præsentet domino: sic & mare fugientem Ionam persequitur, nec cessat donec eum capiat, & Deo dedat.

ET DIXIT AD EOS, TOLLITE ME, ET MITTITE IN MARE] Nota hîc Primò, Ionæ charitatem magnanimam, quâ, ne alij pereant; item pœnitentiam, quâ vt Deo offenso satisfaciat, ipse solus perire cupit. ita S. Hieron. Secundò, Ionam hæc dixisse ex instinctu Dei, quo sciebat Deum velle vt quasi piaculum & lustramentum mitteretur in mare; ideo enim à Deo tempestatem hanc esse excitatam. Hoc est enim quod ait: *Scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc*, &c. Alioqui enim nisi Deus eum vt fugitiuum ita sibi dedi poposcisset, nec nautæ potuissent eum mergere, nec ipse nautis potestatem se mergendi & occidendi dare. Porrò volebat Deus Ionam in mari mergi, quia fugiens Deum, ad mare confugerat; mare tibi ô Iona fuit in votis, mare pariter sit tibi tortori: in quo enim quis peccat, in eo & punitur. Alleg. tamen causa potior fuit, scilicet vt repræsentaret Christi passionem & resurrectionem, de qua mox plura.

Audi S. Chrysost. hom. 5. ad pop. *Ionas fugiebat terram, & Dei iram non effugiebat. Fugiebat terram, & in mare tempestatem induxit; nec tantùm nullum ex fuga bonum nactus est, sed etiam eos qui se susceperant in extremum periculum adduxit: vt discas quòd, sicut in peccatis viuenti neque nauigium prodest, sic peccato exutum neque mare perdit, neque bestiæ consumunt: verùm & animal, & elementum incolume depositum Deo reddiderunt, & per omnia discebat Propheta esse mansuetus & humanus, & neque stultus nautis, neque feris vndis, neque bestiis crudelior esse. Reuersus ergo, prædicauit, minatus est, persuasit, saluauit. Propterea ipsum non statim de nauigio ad vrbem perduxit, sed nautæ mari tradiderunt, mare ceto, cetus Deo, Deus Niniuitis, & per longum circuitum profugum reduxit.* Vide sequentia: vbi pulchrè docet peccatori non fugiendum esse à Deo, quia effugere eo

Joh. Drusius offert studio [illegible] impol.
Pag. 1. 10. 8. 13. f. 374.

impossibile; sed mutandos esse mores prauos, hi enim vulneri causam dederunt.

Hoc Ionæ exemplum imitatus est S. Gregor. Nazianz. cùm enim in Concil. Constantinopol. orta esset dissensio inter Episcopos Ægyptios & Orientales, illis electionem Gregorij in Patriarcham Constant. impugnantibus, his defendentibus; ipse Synodum ingressus, cohortatus est omnes ad pacem, eiusque causa quasi alterum Ionam deuouere se mari, & patriarchatui renunciare liberaliter obtulit. quod & ingenuè præstitit. Audi eum in carm. de vita sua:

Ego verò Ionæ facinus excelsum æmulor:
Me pro salute do lubens nostræ ratis,
Licet excitati turbinis causa haud siem:
Nos sorte captos mergite insano mari,
Nos hospitalis cetus excipiet: sit hoc
Concordiæ vobis initium; lætitiæ
Locus hic vocetur. splendidior hic surget mihi.

Alludit ad similem cessionem puteorum, quam Geraritis fecit Isaac Genes. 26 v. 22. qui proinde tertium puteum pacificum vocauit *Latitudo*.

Alleg. S. Hieron. *Apostoli, ait, deferentes in passione Christum quodammodo in fluctus præcipitabant. Iste Ionas dicit, Scio quia propter me tempestas grandis est super vos, quia me vident venti vobiscum ire in Tharsis, id est ad contemplationem lætitiæ nauigare, vt vos perducam ad gaudium, vt vbi ego sum & Pater, ibi & vos sitis. Idcirco sæuiunt, idcirco mundus fremit, me cupit deuorare mors, vt vos pariter occidat, & non intelligit quia velut in hamo escam capit, vt mea morte moriatur. Tollite me & mittite in mare, tempestas quæ propter me sæuit contra vos, me moriente sedabitur.*

Vers. 13. ET REMIGABANT VIRI, VT REVERTERENTVR AD ARIDAM] Nota hîc pietatem nautarum; nam, ne Ionam, licet id indicantem & se offerentem, mergant, petunt littus in quod eum exponant; itaque & ipsi, & sibi consulant. Propterea, ait S. Hieron. *nitebantur reuerti ad terram & effugere discrimen, ne sanguinem funderent; magis volentes perire, quàm perdere.* Verùm cùm vident se fluctus obluctantes non posse vincere, sed ab iis vinci, agique rem de omnium vita, satius ducũt vnum Ionam perire, quàm omnes. Mittunt ergo eum in mare, sed antequam id faciant, veniam à Deo precantur. Dicunt ergo:

Vers. 14. QVÆSVMVS DOMINE NE PEREAMVS IN ANIMA VIRI ISTIVS. *in*, id est, vt Septuag. propter animam, id est vitam, Ionæ, quem mergimus & perdimus; sed inuiti, coacti, & ab ipso quem perdimus iussi. Vnde explicando subdunt, ET NE DES SVPER NOS SANGVINEM INNOCENTEM] q.d. Ne imputes nobis quòd istum innocentem coniecerimus in mare: licet enim nobis sit innocens, nostrũmque neminem læserit, tibi tamen est nocens: tu enim per sortes eum fontem declarasti.

Vers. 15. ET TVLERVNT IONAM, ET MISERVNT IN MARE] *Non dixit*, inquit S. Hieron. *Arripuerunt, non ait Inuaserunt; sed Tulerunt, quasi cum obsequio & honore portantes miserunt in mare non repugnantem, sed præbentem manus ipsorum voluntati.* Addit Arias ex Eleazaro quid memorabile: *In Eleazari*, inquit, *antiquissimi diuinorum librorum interpretis tractatu, qui circa ætatem Christi scripsisse dicitur, quintum hoc periculum à viris illis factum traditur, quo diuinum de ea re consilium diligentiùs exquireretur. Nam post priuatas deorum inuocationes, post iactu- Nota. ram factam, post eductas sortes, post orationem & deprecationem communiter susceptam, illud postremum sæpiùs tentauerunt, vt sublatum Ionam in mare vsque ad collum demitterent, rursusq; ad se in nauim reciperent. euenisse verò ait, vt quoties demissus esset, mare conquiesceret; cùm autem receptus, rursum fremere & intumescere sentiretur, quo signo diuinæ voluntatis certiores facti, Ionam tandem in mare coniectum penitus demisere.* Nautarum solicitudo in liberando Iona facit idipsum probabile & credibile.

ET STETIT MARE A FERVORE SVO] cessauit à suo æstu, tumore & fluctibus, *quia inuenerat quem quærebat*, inquit S. Hieron. *velut si quis persequatur fugitiuum, & concito pergat gradu, postquam fuerit consecutus, desistit currere, & stat ac tenet quem apprehenderit: ita & mare quod absente Iona irascebatur, in visceribus suis desideratum tenens gaudet & confouet, & ex gaudio tranquillitas redit.* Sic alleg. inquit, Christo in mare passionis proiecto, stetit feruor idololatriæ, omnisque erroris; rediit tranquillitas fidei, orbis pax, secura omnia, & Gentium conuersio ad Deum: sicut ergo Ionæ submersio, nauis est releuatio; ita Christi interitus, mundi est salus.

Nota. Licet cesset ventus, *sed tamen à vento, qui fuit, vnda furit*: ita hîc post ventum furebat mare, donec iniiceretur Ionas; quo iniecto, ilico quieuit, vt indicaret tempestatem hanc diuinitus excitatam pariter & sedatam, propter vnicum Ionam.

Vers. 16. ET TIMVERVNT VIRI TIMORE MAGNO DOMINVM] q.d Hoc maris æstuantis & ilico sedati miraculo nautæ Deum illius auctorem cognouerunt, scilicet Deum Ionæ & Hebræorum esse verum Deum, ad eiusque fidem, timorem & cultum conuersi sunt. ita Hugo, Lyran. & Arias.

ET IMMOLAVERVNT HOSTIAS, non tantùm spirituales precum & gratiarum actionis, vti censet S. Hieron. sed etiam corporales: mox enim post Ionam in mare missum, appulerunt ad littus, ibique hostias Deo Hebræorum immolarunt. Insuper VOVERVNT VOTA] offerenda in templo Hebræorum Hierosolymæ, iuxta legem & ritus quos à Scribis ibidem erant perquisituri: nec enim à Iona iam misso in mare eos discere poterant. ita Theophyl. & Hugo. Quare non dubium omnes hosce nautas hoc miraculum, Deumque eius auctorem deinceps vbiuis locorum prædicasse & celebrasse. Hinc aliquis suspicari posset nautas hos Deum Hebræorum colentes suscepisse iudaismum, & factos esse proselytos.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ionas missus in mare sorbetur à ceto, ibi pulchro carmine Deum invocat & laudat, cuius proinde iussu tertio die euomitur in aridam.

Vers. 1. ET præparauit Dominus piscem grandem vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus.

2. Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.

3. Et dixit: Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam.

4. Et proiecisti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me transierunt.

5. Et ego dixi: Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum.

6. Circumdederunt me aquæ vsque ad animam: abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum.

7. Ad extrema montium descendi: terræ vectes concluserunt me in æternum: & subleuabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.

8. Cùm angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum: vt veniat ad te oratio mea ad templum sanctum tuum.

9. Qui custodiunt vanitates frustrà, misericordiam suam derelinquunt.

10. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcumque voui, reddam pro salute Domino.

11. Et dixit Dominus pisci: & euomuit Ionam in aridam.

VERS. 1. ET PRÆPARAVIT DOMINVS PISCEM] q. d. Fecit Deus vt piscis quasi satelles suæ vindictæ, æquè ac clementiæ præstò adesset iuxta nauim, qui Ionam exciperet & deuoraret vt vindex, & seruaret vt custos. Ionas ergo non diu natans, sed statim ex naui in piscem, eiusque ventrem, æquè ac Christus ex cruce ilico in sepulchrum descendit, inquit S. August. epist. 49. in fine. Hinc Septuag. vertunt, *& præcepit Deus ceto magno, & deuorauit Ionam.* Hebræi enim præceptum vocant omnem ordinationem, dispositionem, prouidentiam. Pulchrè S. Chrysost. in psal. 96. *Dominus regnauit*, &c. docet feras & belluas Deo & Sanctis seruire. quodque Ionas existens in ventre ceti eum gubernabat, vt pergeret, non quò ipse, sed quò Ionas volebat, scilicet in aridam vers. 11. *Sic*, ait, *Iona cetus triduo subiugalis fuit, & quò intus gubernans, non quò ipse volebat ducens. quis pastor ita agnas suas placauit, vt Daniel efferos leones? quis rex tam pernices Indos habet, quàm Elias coruos? quis discipulum absque murmure ita hospitalitatem exercere docuit, vt Ionas cetum in mari? quorum armorum exercitus regem suum ita illæsum seruauit, & alienigenas ab impetu coërcuit, vt Chaldaicus caminus Chaldæos ciues vrbis exussit, & Hebræos seruauit?*

Cetus Iona non fuit balæna.

PISCEM GRANDEM] Septuag. quos sequitur S. Matth. c. 12. 40. *cetum.* Nota. ceti nomen commune est ad balænas, physeteres, orcas, pristas, lamias, thinnos, omnesque pisces prægrandes, & cetaceos. Cetus enim, vt ex Aristot. docet Aldrouandus lib. 3. de Piscibus c. 32. propriè vocatur omne genus piscium, quod absque ouificatione viuos excludit fœtus, & verè respirat vero respirationis instrumento, pulmone inquam prædictum. imò à Galeno & vulgo quilibet pisces prægrandes cetis accensentur; non quòd ceti sint, sed quòd ad eorum magnitudinem excrescant. Vnde licet carcharias, de quo mox, pulmonem non habeat, atque oua intra se concipiat, sed ita vt ea intra se viuificet, viuosque fœtus excludat; à Galeno tamen, Æliano & Oppiano inter cete recensetur.

Licet ergo vulgus putet piscem hunc qui glutiuit Ionam fuisse balænam, negant tamen id Rondeletius libr. 13. de Piscibus c. 12. & Vlysses Aldrouandus l. 3. de Piscibus c. 32. & ex iis Pineda l. 4. de Rebus Salom. c. 12. à Castro hîc & alij; eò quòd balæna arctiori sit gutture & ventriculo, nec facilè hominem integrum & illæsum glutire, & continere possit. Quod intellige de paruis & communibus balænis: nam maiores sunt instar montium, quæ facilè homines & boues integros glutiunt. Censent ergo ipsi piscem hunc fuisse illum, qui carcharias, & Canis, atque ab Italis & Nicandro aliisque; vocatur *lamia*, qui ingens est, voracissimus & anthropophagus, rictumque oris & guttur habet immane, prout ea depingit, & in imagine spectanda exhibet Aldrouandus l. 3. de Piscibus c. 31. pag. 381. Carcharias enim siue Canis, est galeonum omnium maximus, magnitudine thinnos ipsos vincens, & in tantum aliquando excrescens, ait Rondeletius, vt currui impositus, vix à duobus equis vehi possit. quare euisceratus & in frusta dissectus, duobus aliquando curribus imponendus fuit. Addit Rondeletius, vidisse se mediocrem, qui mille libras ponderabat: Nicenses verò sibi testatos esse refert Gillius, sese istiusmodi piscem ad quatuor millia librarum accedentem cepisse, & in eiusdem ventre solidum hominem reperisse; simileque; quid Massilienses sibi narrasse, comprehendisse inquam

se

se Caneth, in quo loricatum hominem inuenissent. vidit insuper Rondeletius in Santonico littore alium, cuius os & gula tanta erat vastitate, vt hominē etiam obesum commodè capere potuisset. imò verò si os canis marini ita hians conseruetur, reliquo corpore contecto, canes terrestres illud ingredi, & ventriculum subire vt piscium reliquias deuorent. Hac de causa carcharias à nonnullis vocatur lamia φάρυγος τῆς λαιμοῦ, id est à gula & gutture, eò quòd magnum & quasi immane guttur habeat, sitq; voracissimus. A qua ingluuie similiter lamiæ vocantur maleficæ illæ, quæ pueros & iuuenes ad se sua forma alliciunt, allectosque deuorant; quod, vt aiunt, Menippo Lucio cōtigisset, nisi grauis & prudentis viri cōsilium ab amore iuuenem deterruisset, dicendo, ὄφιν θάλπεις, καὶ σε ὄφις, id est, *serpentem fouet, & te serpens.* quod percommodè de eo dicitur, qui id amat, fouet, amplectitur, quod tandē certum ei exitium est allaturū, vti non rarò amasiis contingit. Hæc Rondeletius & Aldrouandus, qui proinde opinantur piscem qui Ionam deuorauit, fuisse carchariā siue lamiam; qui licet propriè non sit cetus, cetum tamen dici ea phrasi qua quiuis vastus & immanis piscis vocatur cetus. In eo tamen dissentit Aldrouandus à Rondeletio, quòd Rondeletius censeat lamiam hanc eandem esse cum lamia Aristotelis lib. 5. histor. Animal. c. 5. & Plinij l. 9. c. 24. Aldrouandus verò id neget, eò quòd lamiam Aristoteles & Plinius ponant planam, & planis piscibus cartilagineis annumerent, qualis non est lamia hæc vasta & immanis, quæ ab Aristotele κύων, id est canis, nuncupatur, à Theophrasto lib. 4. hist. Plant. c 8. Columella, & aliis vocatur Carcharias, quòd voracissimus impudensque sit fur. quodq; dentibus plurimùm valeat, eosq; acutos & pectinatos habeat. κάρχαρος enim acutum asperumque significat: vnde κάρχαροδόντα animalia, quibus acuti pectinatimq; coniuncti dentes sunt, Aristoteli nuncupātur. Verè S. August. epist. 49 q. 6. agens de ore ceti, qui deglutiuit Ionam: *Quis*, ait, *non coniiciat quanto hiatu patebat os illud, quod velut ianua spelunca illius fuit?* Vide ibidem August. hanc Ionæ historiam defendentem contra Porphyrium, eam vt fabulosam irridentem.

Alleg. S. Ambr. in ps. 43. Ionas, ait, est Christus, *qui propterea missus est in mare, vt exciperetur & deuoraretur à ceto, quò intra aluum ceti positus eius interiora vacuaret. de quo ceto hoc dictū sit, audi Iob dicentem c. 3. Qui habet, inquit, magnū cetū captiuum reddere. Quis iste est: vtique cognoscis cùm legis, quòd Dominus noster Iesus Christus captiuā duxerit captiuitatē, deuicto enim aduersario & inimico, nos qui capti si eramus, cœpimus libertatē possidere per Christum.*

Symbolicè. S. Hieron. ad Heliodorum, in Epitaphio Nepotiani, hæc accommodat morti, quæ fideles absorbet quidem, sed instar Ionæ quasi viuos retinet, ob spem resurrectionis, qua breui redituri surgent. *Deuorasti*, inquit, *Ionam, sed in vtero tuo viuus fuit*, iuxta illud Osee 13. 14. *Ero mors tua ô mors.* Denique miraculum hoc deuorationis & eiectionis Ionæ factum est non tam propter Ionam, quàm propter Niniuitas, vt illi per hoc miraculum Ionæ crederent: allegoricè propter Christum & Christianos, de quo plura c. 3. 5.

ET ERAT IONAS IN VENTRE PISCIS] Multa hic miracula. Primum, quòd venter piscis cali- A dissimus Ionam non consumpserit, & in chilum conuerterit. Secundum, quòd Ionas ibidem viuere & respirare, aëremque frigidum attrahere potuerit. Tertium, quòd odor, qui in ventre ceti est olidissimus & intolerabilis, Ionam non exanimarit, quin potiùs ipse eum commodè tulerit. Quartum, quòd in hoc angustissimo & incommodissimo carcere non tantùm animæ, sed & mentis compos fuerit, spirituque Dei afflatus insigne & pium carmen Deo cecinerit. Dei ergo hoc fuit opus, qui simili modo conclusum in materno ventre fœtum, tot mensibus sine cibo aut potu, sine egestionis, sine frigidæ respirationis vsu continet. ita Theophyl. Quam rem licet frequentem meritò admirās Dauid, *In te*, inquit, *proiectus sum ex vtero: de ventre matris meæ Deus meus es tu*, psal. 21. 11. Qui ergo tres pueros in fornace Babylonia illæsos, idem Ionam in ventre ceti intactum seruauit. ita S. Hieron. B

Quatuor miracula Ionæ in ceto.

Ex Iona Gentiles videntur sumpsisse fabulam sui Herculis. Finxerunt enim quòd Hercules à balæna sit deuoratus. & ex ea incolumis redierit, nisi quòd depilatus fuerit ob internam belluæ caliditatem. ita Theophyl. Et Lycophron in tragœdia Herculis, tradit Herculem cùm rediret ex Colchide cum Argonautis inuēto vellere aureo, tempestatem passum, & in mare lapsum à pisce deuoratum fuisse, ac post triduum saluum ex eo in mare proiectum. Arbitror eum hoc ex Iosepho lib. 9 Antiq. 11. sumpsisse, qui scribit Ionam à ceto euomitum in Ponto Euxino. Hoc enim videtur Lycophron ad Herculis personam transtulisse: nam nauigatio Argonautarum fuit in Ponto Euxino. ita Salmeron tom. 8. tract. 17.

Allegor. Theophyl. Ionas est Christus, nauis Synagoga Iudæorum, nauarchus Moses, nautæ Prophetæ, mare afflictiones nostris peccatis debitæ, sors voluntas Patris æterni, venter ceti sunt secreta mortis, sepulchri & inferni, in quibus triduo fuit Christus, & post triduum inde resurgens Gentibus pœnitentiam & Euangelium salutis annunciauit per Apostolos; tunc venti, id est inspirationes & tentationes validissimæ dæmonum, sedati sunt: procellæ voluptatum maris, id est sæculi huius, prostratæ sunt; pax & tranquillitas corporibus æquè ac animis fidelium reddita, dicente Christo: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Hinc & Ionas hebr. idem est quod columba, vel q.d. יְהוֹרָה יוֹנָה *iehoua ione*, id est Deus laborans. C

Alleg. Ionas est Christus.

TRIBVS DIEBVS] Causas huius ternarij assignaui Osee 6. 3.

ET ORAVIT IONAS AD DOMINVM] Angustiæ Ionam ad Deum redire eumque inuocare compulerunt. Ita Deus suos redigit ad arcta, vt eum inuocent, & inuocantibus ilico adest & opitulatur. Vulgò dicitur: *Qui nescit orare, eat ad mare.* qui enim in eo nauigant, dum non nisi cælum & pontum vident, ventosque & fluctus qui ad sidera videntur eleuari, & mox in abyssum subsidere, vt videantur iam iam mergendi, & ad ima maris descensuri, ilico discunt opem numinis & cælitum omnium implorare. Præclarè Nyssen. in exposit. Orat. Domin. Oratio Ionæ, inquit, cetum domum effecit, vt in ventre ceti commodè quasi in domo degeret & oraret. D

VERS. 2.

Miratur Tertull. lib. de Oratione c. 14. *Quomodo*, ait, *oratio Ionæ de ventre ceti per tantæ bestiæ*

viscera, ab ipsis abyssis, per tantam aquoris molem ad A *cælum potuit euadere?* Hæc nimirum est vis orationis, hæc vis Dei, qui vbique præsens audit supplicum preces.

VERS 3. ET DIXIT] Est hoc Ionæ carmen lyricum, inquit Arias, tricolon tetrastrophon, simile illi Horatiano lib. 1. ode 36.

Et thure & fidibus iuuat
Placare, & vituli sanguine debito
Custodes Numidæ Deos.

Nisi quòd quartus versus breuior est in hunc modum:

Angustiis nimiùm mihi rebus,
Te Dominum carmine supplici
Imis de barathris voco, &
Audiens vocem.

CLAMAVI DE TRIBVLATIONE MEA] Ionas B cùm proiceretur in mare, tanto sui periculo excitatus ilico cœpit orare, & clamare saltem mente ad Dominum; sed statim deuoratus à ceto, vidensque se in eius ventre, multò magis clamare perrexit. Vnde S. Hieron. ait, quòd Ionas *ex quo in mare præcipitatus vidit cetum, & tantam corporis molem, & immanes rictus aperto se ore sorbere, Domini recordatus sit, & clamauerit.* Fabulatur hic more suo R. Salomon, Ionam primò deuoratum à ceto mare, & quia ibi satis amplè & laxè degebat, non clamasse ad Dominum; Deum ergo iussisse ceto masculo vt Ionam euomeret in cetum feminam, putà in balænam fœtu plenam & grauidam, in qua cùm Ionas arctari se sentiret, cœperit clamare. Probat idipsum, quia v. 1. piscis hic vocatur masculinè דָּג *dag*: ergo erat cetus mas, vers. verò 3. vbi dicitur, *Et orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis*, hebr. est femininum דָּגָה *daga*, id est piscis femina. Verùm er- C rat fabula: nam vnum & eumdem fuisse piscem qui sorbuit Ionam, & in quo Ionas clamauit, & qui eum post orationem euomuit, patet ex v. vlt. vbi piscis euomens Ionam in littus vocatur *dag* masculinè, non *daga* femininè. *Dag* ergo piscem tam feminam, quàm marem significat; perinde vt Latinæ voces piscis, auis, ouis, camelus, equus, asinus, bos, vitulus, &c. tam feminam, quàm marem significant: sic viciſſim femininum *daga* quoslibet pisces, tam mares, quàm feminas significat, vt patet Isaiæ 50. 2. Numer. 11. 5. Ezech. 29. 4. Genes. 1. 26. Exodi 7. 20. Ezech. 47. 9. Sic Latinæ voces simia, mustela, vulpes, aquila, pica, columba, &c. licèt femininæ sint, tamen tam mares, quàm feminas suæ speciei significant.

Tropol. S. Gregor. in psal. 6. Pœnit. *De profundis clamaui ad te Domine: Clamauit*, inquit, *Ionas ad* D *Deum de ventre ceti, de altitudine maris, de profundo inobedientiæ; & ad aures Dei oratio illius peruenit, qui eum eruit à fluctibus, eripuit à bestia, absoluit à culpa. Clamet & peccator, quem à Deo recedentem cupiditatum tempestas contriuit, quem malignus hostis absorbuit, quem præsentis sæculi fluctus inuoluit, agnoscat se esse in profundo, vt ad Deũ sua perueniat oratio.*

ET EXAVDIVIT ME] Nota. Ionas missus in mare oransque Dominum, ilico sensit præsentem eius opem, qua à mari, æquè ac à ceto illæsus seruabatur in eius ventre. Vnde ex instinctu Dei certus de sua salute, gratias agit Deo, carmenque hoc magis eucharisticum, quàm eucheticum canit Deo liberatori.

DE VENTRE INFERI] Putà de ventre ceti, quem hyperbolicè vocat *inferum*, ob magnitudinem, profunditatem & obscuritatem.

IN CORDE MARIS] in medio siue profundiss. Ver. mo mari; illud enim amant & incolunt ceti, vtpote vastissimi: quod enim est in animali cor, hoc in mari est profunditas, in terra centrum. Vnde Christus Matth. 12. 40. post mortem dicitur fuisse tribus diebus in corde terræ, id est in limbo Patrum, qui est circa infernum, & circa centrum mundi. ita S. Hieron. *Sicut cor* inquit, *in medio est animalis, ita infernus in medio terræ esse perhibetur.*

FLVMEN] Septuag. *flumina*, non quòd cetus hic per flumen aliquod in mare influens transierit, cuius influentis sonitum in ventre ceti audierit Ionas, vt Arias & aliqui alij volunt, sed *flumina* vocat ipsos fluctus, & aquarum affluentiam: ceto enim iam in mare se immergente, iam emergente, copia aquarum instar fluminum resonantium vndique in mare influebat, audiente Ionâ, inquit Theoph. Albert. & à Castro. Ipse enim cursus & fluxus aquarum subinde vocatur flumen, vt apud Martialem lib. 1.

Et qui prima bibit deprensi flumina Nili.

Alij per flumen accipiunt mare, vt sit miosis. Sic Aristot. in Meteor. nubes vocat flumen aëreum, siue oceanum per aëra fluitantem.

Nota, hoc Ionæ carmen valdè affine est verbis & sententiis psalmi 68. Dauidis, & ex eo bona ex parte depromptum videtur. Quod enim ibi dicitur v. 4. *Laboraui clamans*, Ionas ait, *Clamaui de tribulatione mea.* Ibi v. 2. dicitur: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*: Ionas ait, *Proiecisti me in profundum in corde maris.* Ibi v. 3. dicitur: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me*: Ionas ait, *Omnes gurgites tui & fluctus tui super me transierunt*, quem versum mutuatus est ex psal. 41. 8. Ibi Dauid dicit v. 1. *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*: hic Ionas ait, *Circumdederunt me aquæ vsque ad animam, abyssus vallauit me.* Quocirca tam Dauid, quàm Ionas typum gessit Christi patientis, eiusque angustias, preces, vota & gemitus in se expressit.

OMNES GVRGITES TVI] Pagnin. *omnes vndæ tuæ*; Septuag. *omnes eleuationes tuæ*; Hebr. מִשְׁבָּרֶיךָ *misbarecha*, id est *omnes contritiones tuæ*, putà omnes fluctus tui, qui naues & homines in iis nauigantes conterunt & confringunt. Accipe commodè τὸ *omnes*, scilicet quos tu ô Domine hic propter me excitasti; alios enim alibi excitatos non sentiebat Ionas.

EGO DIXI, ABIECTVS SVM] q. d. In tam mis- Ver. rabili statu constitutus, videbar mihi initio à te derelictus, depositus & perditus: at nunc per reuelationem quam mihi suggeris, nimirum quòd ex aluo ceti breui in terram saluus euadam, in spem certam erectus, animos resumo, tibi gratias quantas mens mea capere nunc potest, ago, maioresque agam in templo Hierosolymitano, ad quod me iturũ eius rei gratia destino & voueo. ita S. Hieron. Remig. Hugo & Clarius. Minùs rectè Arias & Vatabl. per *templum* accipiunt cælum; hoc enim anagogicum est, non litterale: nec enim Ionas putabat se moriturum & per mortem iturum in cælum, vtpote qui certus erat se saluum exiturũ è ventre ceti. vnde non dubium est, eum in Iudæam rediisse & templum visisse, vt

in

in eo Deo gratias ageret, pro tam miraculosa liberatione, votaque à se in ventre ceti nuncupata persolueret.

CIRCVMDEDERVNT ME AQVÆ VSQVE AD ANIMAM] Septuag. *circumfusa est mihi aqua vsque ad animam.* q.d. Aquæ me ita vndique circumdabant, vt viderentur penetraturæ totum corpus meum, & peruasuræ per oculos & nares in caput, per os in stomachum omniaque intestina, per poros in singula membra, ita vt viderentur peruenturæ vsque ad ipsam animam, eamque mersuræ & oppressuræ, ni Deus eas cohibuisset, animamq; meam seruasset: cetus enim assiduè hauriebat aquas, eisque implebat stomachum, quæ Ionam in eo degentem vndique circumdabant & tantùm non submergebant. Vnde Vatabl. exponit, *vsque ad animam*, id est vsque ad separationem animæ, id est *vsque ad mortem*, vt vertit Chald. q.d. Periclitatus sum extremè de vita, cùm essem in aquis maris; putabam enim me aquis vel mergendum, vel certè suffocandum: vtpote aëre ad respirandum necessario priuatus in ventre ceti calidissimo, & aquis oppleto.

ABYSSVS VALLAVIT ME] Pagnin. *vorago circumdedit me. Abyssus* enim vocatur aqua carens fundo, id est vastissima & profundissima, quale est mare. Idem dicit & aquarum circumdantium vastitatem aliis aliisque verbis exaggerat. Aliter à Castro: Abyssus, inquit, est maris profundum, putà fundus, q.d. Vsque ad maris pauimentum dimisit me. Verùm Hebr. תְּהוֹם *tehom* propriè significat non fundum, sed abyssum iam dictam.

PELAGVS OPERVIT CAPVT] Pro *pelagus* hebr. est סוּף *suph*, quod propriè significat finem & terminum; inde iuncum, caricem, arundinem, algam quæ in extremitate maris & fluminũ nasci solet; & quia his abundat mare rubrum, quod simul est terminus tum maris, tum Ægypti & Arabiæ, hinc illud hebr. vocatur *mare suph*. Ex triplici hoc significato triplex nascitur versio. Prima, *finis colligatus erat capiti meo*, id est mors & exitium imminebat capiti meo. Secunda, *alga alligata erat capiti meo*. ita Pagnin. vel *carectum implicitum erat capiti meo*. ita Tigurina. vel *iuncetum erat fascia capiti meo*. ita alij. q.d. Cetus me secum implicabat iuncis & calamis qui in summo, & algis quæ in imo maris nascuntur. Aut, cetus deuorabat algam, quæ descendens in eius stomachum, me caputq; meum implicabat. Plinius enim lib. 13. c. 25. docet in mari non tantùm esse frutices & arbores, sed & prata ac siluas. Tertiò, Rabbini vertunt, *mare rubrum implicuit caput meum*. Vnde censent ipsi Ionam qui in Ioppe deuoratus fuit à ceto, ab eo vectum & eiectũ fuisse in mari rubro, ad hoc vt Ionas vicinior esset Niniuæ, ad quam mittebatur à Deo. Audi R. Salomonem: *Ostensum est Prophetæ mare caricosum, & quomodo transissent Israelitæ per medium eius. Erant enim pisci illi septem oculi, qui Ionæ totidem fenestrarum vsum præbuerunt, & per illos contemplabatur & videbat quidquid erat in mari.* Voluit enim Deus Ionam afflictum & penè desperantem hac ratione consolari, & in certam opis Dei spem erigere. Verùm hæc est fabula: sic enim cetus spatio triduj (quo Ionas fuit in eius ventre) debuisset tranare totum mare Mediterraneum, à Ioppe vsque ad Gades, inde circuire totam Africam: inde promontorium Bonæ spei, inde Mozambiquem, Quiloam, Melindem, Zocotoram; ac tandem tendere Adenum, vbi incipit sinus Arabicus siue mare rubrum, quod est iter dimidij anni & amplius. Respondet P. Pineda, qui sententiam Rabbinorum sequitur, & multis coniecturis tuetur l. 4. de Rebus Salom. c. 12. pisces carcharias, siue tuberones esse velocissimos. Verùm nulla velocitas est tanta, quæ tantum iter triduo conficiat. Dico ergo, mare Phœnicium & Tyrium quod est iuxta Ioppen, vocari mare *suph*, id est rubrum siue Erythræum, quia Phœnices ipsi dicebantur Erythræi, eò quòd orti & prognati essent ab accolis maris rubri, vti dixi Isaiæ 23. v. 16. Imò vox *Phœnices* non aliud significat quàm rubros, ait Strabo. Adde, iuxta secundam expositionem, qua *suph* idem est quod alga, iuncus, carectum, metonymicè quoduis mare finitum & limitatum vocari *suph*, quia est algosum, iuncosum, carectosum; & quia est finitum: *suph* enim finem significat. ita Pineda lib. 3. de Rebus Salom. c. 10. & alij. Vnde Chald. vertit, *mare carectosum suspensum erat capiti meo.*

Porrò pro *operuit* hebr. est חָבוּשׁ *chabus*, quod duo significat: Primò, *alligatum est*, & sic propriè competit algæ vel iunco; Secundò, *impositum est*, & sic propriè competit pelago. Vnde Noster rectè sensum expressit, dum vertit, *pelagus operuit caput meum*. q.d. Sub vndis versor, vndæ vndique me tegunt & operiunt, nec tantùm vndæ, sed & ipse pontus quantus quantus est, ipsum pelagus vastum & quasi immensum, capiti meo impendet, illudque tegit & operit.

AD EXTREMA MONTIVM DESCENDI] hebraicè בְּקַצְבֵי *bekatsbe*, id est, ad fissuras, vel incisuras montium. ita Septuag. & Tigurina, id est ad extrema, ad fines montium. ita Noster, Pagnin. & Vatabl. fissuræ enim montium sunt fines & extrema montium, quæ in mari promontoria vocantur. q.d. Cetus hic natando vexit & duxit me ad rupes, montes & promontoria, eorumq; fissuras & cauernas. Loca enim montosa ambiunt ceti, ibique ferè morantur, quia ibi mare est profundius. ita Theodoret. Theophyl. & Vatabl. Iittus enim Ioppe (vnde Ionas soluerat) ex vtroque latere habet prominentes rupes, saxaque ingentia, quæ cùm de imo mari surgant, in mare excurrunt tamen, ait Hegesippus lib. 3. Excidij Hierosol. c. 20. Hîc ergo Ionas proiectus in mare, descendit in abyssum, ex qua erumpunt scopuli iam dicti, qui naufragio omnem enatandi & euadendi viam præcludunt, illique vocantur hîc à Iona *extrema montium*, siue rupium, ac mox *vectes*, siue repagula, tum maris, quod claudunt & quasi obserant; tum hominum, ne enatare, & in terram ac libertatem exire possint. ita Sanchez.

TERRÆ VECTES CONCLVSERVNT ME IN ÆTERNVM] Quæ paulò antè vocauit *extrema montium*, hîc vocat *vectes terræ*; hisce enim rupibus, montibus & cauernis velut vectibus concludebatur Ionas, ne è ceto & mari emergere posset in æternum, nisi scilicet Dei potentia inde per miraculum eum eduxisset. Vnde Septuag. vertunt, *intrauit caput meum in scissuras montium, descendi in terram, cuius vectes retinacula sempiterna.* Ecce quò descendit Ionas: ecce vnde Dei ope ascendit. Hîc verum est illud: *abyssus* mei casus, descensus, miseriæ, *abyssum* tuæ, ô Domine, sublimitatis,

mitatis, celsitudinis, potentiæ, misericordiæ & A
gloriæ *inuocat.* Idem dicat qui tribulationibus premitur & penè obruitur. Quo enim maior est tribulatio, eo vicinior est Deus ad liberandum si inuocetur, iuxta illud Psalmi: *Tibi derelictus est pauper.* Sic Regularium claustra, ait Sanchez, quæ sæcularibus videntur esse carceres mortis, Religiosis perfugium sunt & portus, in quibus ipsi quasi in arca Noë securi, sæculares in æstu ac salo naufragantes aspiciunt.

ET SVBLEVABIS] q.d. Licet ego in abyssum descenderim ibi corrumpendus & moriturus, tu tamen Domine inde me educes & liberabis, faciesque ne moriar, sed saluus exurgam.

Allegoricè hæc omnia verissima sunt in Christo, eique hæc omnia adaptare perfacile est. ita S. Hieron.

VERS. 8. CVM ANGVSTIARETVR IN ME ANIMA MEA] B
Chald. *cùm deliquio laboraret in me anima mea.* Videtur ergo Ionæ angor & angustia tanta fuisse, vt eum ad animæ deliquium deduxerit.

Alleg. Ionas, ait S. Hieron. repræsentat hîc angustias & orationem Christi in horto dum diceret, *Tristis est anima mea vsque ad mortem: Pater si possibile est, transeat à me calix iste.*

VT VENIAT AD TE ORATIO MEA AD TEMPLVM SANCTVM TVVM] in cælum. q.d. Admisisti orationem meam ad te in cælum, eam exaudisti; vnde & me liberasti.

VERS. 9. QVI CVSTODIVNT VANITATES FRVSTRA, MISERICORDIAM SVAM DERELINQVVNT] Primò, Arias & aliqui alij pro הַבֶל *hable*, id est *vanitates*, legentes חֶבֶל *chable*, id est *funes*; ac חֶסֶד *cheſed*, quod Noster vertit, *misericordiam*, vertentes, *pietatem* (vtrumque enim significat) id est impieta- C
tem per antiphrasin; sic transferunt, *qui custodiunt funes vanitatis, pietatem suam sacrilegam derelinquent.* quod sic exponunt, q.d. Nautæ & Niniuitæ aliique Gentiles colentes vana idola, vbi intellexerint miraculum hoc Dei Hebræorum, quo me è certo liberauit, relinquent suam impietatem & idololatriam, colentque Deum verum Ionæ & Hebræorum.

Secundò, Theodor. exponit, q.d. *Nautæ idolatræ misericordiæ suæ obliti, me in mare proiecerunt.* Verùm ex dictis c. 1. liquet nautas fuisse pios & misericordes in Ionam, eumque inuitos & non nisi iubente Deo & Iona misisse in mare.

Tertiò, melius S. Hieron. Rupert. & Vatabl. q.d Qui custodiunt vanitates, id est qui colunt idola *misericordiam*, id est Deum à quo misericordiam & omne bonum exspectare debent, à se a- D
uertunt, mortemque & omne malum sibi conciliant. Vnde generaliùs iidem per *vanitates* accipiunt vanas & illicitas cupiditates, quæ nihil habent veræ & solidæ voluptatis aut fructus. q.d. Peccatores qui vanas suas cupedias quasi res pretiosissimas adamant & colunt (hoc enim innuit vox *custodiunt*) hi *suam misericordiam derelinquunt*, id est in se sunt immisericordes & crudeles, quia mortem & exitium sibi accersunt. Hic sensus sapidus est & appositus: videtur enim generalis esse sententia & gnome. Vnde S. Hieron. *Cerne*, ait, *magnanimitatem Prophetæ in profundo maris, in ventre tantæ bestiæ æterna nocte coopertus, non cogitat de periculo suo, sed de natura rerum generali sententiæ philosophatur; Misericordiam, inquit, suam derelinquunt. Licet offensa sit misericordia, quam nos possumus ipsum intelligere Deum (misericors enim & miserator Dominus, patiens & multæ misericordiæ) tamen eos qui custodiunt vanitates non relinquit, non detestatur, sed expectat vt redeant. Illi verò stanten misericordiam, & vltro se offerentem, sponte propria derelinquunt.* Huc accedit P. Pineda, qui lib. 8. de Rebus Salom. c. 1. n. 29 sic explicat, q.d. Ab idolorum mendacium & vanissimorum cultoribus nihil boni exspectandum, quippe postulant beneficia à mortuis, & deserunt ipsum bonorum fontem & largitorem Deum.

Quartò, propriè & genuinè, alludit ad nautas suos infideles, eorumque sortes & idola; eos enim post missionem Ionæ in mare, & tempestatis cessationem agnouisse Deum Hebræorũ, ad eumque esse conuersos ignorabat Ionas agẽs in ventre ceti. Vnde de iis quasi in sua idololatria persistentibus, ac similibus ait: *Qui custodiunt vanitates, misericordiam suam derelinquunt*, q. d. Nautæ & similes idololatræ qui colunt vanas suas sortes & idola, liberati à tempestate & naufragio, ac misericordiam cõsecuti à Deo vero, illam non agnoscent, nec ei acceptã referẽt, aut gratias agent, sed ingrati in sua infidelitate & impietate persistent: vnde gratiam & misericordiam Dei tum præsentem, tum æternam à se auertẽt. Ego verò iam ex Dei ope & reuelatione certus de misericordia & liberatione mihi præstanda, eam agnosco, gratias ago Deo meo, ideoque mox vt liberatus fuero, & in patriam rediero, in voce laudis immolabo illi victimas pacificas, votaque quæ concepi illi reddam pleno mentis orisque iubilo: itaq; eamdem Dei misericordiam ad noua semper beneficia mihi conferenda tum in hac vita, tum in futura, alliciam & prouocabo; prout nũc in ventre ceti eam inuocans allexi & conciliaui. ita Hebræi (quos sequitur Emmanuel & Mariana) ex quibus aliqui sic vertunt, *qui custodiunt vanitates, non recordantur beneficiorum tamquam ingrati*; & Chald qui vertit, *non instar Gentium idololatrarum, quæ quo ex loco conferatur illis beneficiũ nesciunt: at ego in laudem confessionis offeram oblationẽ meam coram te.* Hinc rursum aptè ex Hebræo verti potest, *qui custodiunt vanitates frustra, pietatem suam derelinquunt.* q.d. Qui suas sortes, sua idola, suas veneres frustra & in vanum colunt, hi impij & ingrati sunt in Deum, à quo vitam, spiritum omneq; bonum acceperunt & accipiunt. Hunc sensum postulat antithesis Ionæ, quæ sequitur:

EGO AVTEM IN VOCE LAVDIS, id est laudando Vi
te, IMMOLABO TIBI] q.d. Idololatræ obliuiscuntur Dei, à quo tot bona percipiunt; at ego non obliuiscar, sed eucharisticas preces & victimas illi offeram, atque quasi naufragus, & ex horribili naufragio eiectus, *vuida suspendam vestimenta* (quasi anathemata) *potenti maris Deo.*

PRO SALVTE DOMINO] Ita & Septuag. Verùm Pagnin. & Vatabl. vertunt, *ipsa salus Domino*, id est, ad Dominum spectat. q.d. Nullus præter Dominum saluare potest, vti ipse solus in ventre ceti me seruat & saluat.

ET DIXIT (mandauit, ordinauit) DOMINVS Ve
PISCI, ET EVOMVIT IONAM IN ARIDAM] Censent nonnulli, vt Sulpitius lib. 1. Hist. in Iona, & insinuat S. Gregor. l. 6. Mor. c. 12. verbis citatis c. 1. 3. cetum euomuisse Ionam ad littora Niniuæ. Verùm hoc repugnat chorographiæ, ex qua liquet Niniuen abesse à mari centũ leucis, & ampliùs.

Secun-

Secundò, Ioſephus l. 9. Antiqu. 11. & ex eo Clarius, tradunt Ionam à ceto euomitum in Ponto Euxino, cui adiacet Conſtantinopolis. Verùm & hoc incredibile videtur; nam ſpatio tridui quo Ionas fuit in ventre ceti, non potuit cetus tanta terrarum mariumque ſpatia peragrare. A Ioppe enim vſque ad Pontum Euxinum interiacet tota Aſia Minor: debuiſſet ergo cetus tranare totum mare Mediterraneum; inde omnes Cycladas; inde totum mare Ægæum, ſiue Archipelagum; inde Propontidem longam & anfractuoſam; inde Boſphorum Thracium, ac ſic ingredi Pontum Euxinum. quod iter nec tribus diebus, nec tribus ſeptimanis, nec tribus menſibus confici poteſt. Longiùs abeſt à Ioppe mare rubrum, in quod eiectum Ionam Rabbini putant, ſed falſò, vt dixi v. 6.

Dico ergo, Ionam eiectū iuxta Ioppen (vnde ſoluerat) in littus Phœniciæ & Syriæ, indeque terreſtri itinere rediiſſe in vicinam Iudæam, adiiſſeque templum in Ieruſalem, ibique gratias Deo egiſſe, & vota ſua perſoluiſſe. Hoc enim tantum beneficium & miraculū ante omnia fieri poſcebat. Rurſus decebat eum ex terra ſancta mitti & pergere in Niniuen, non ex Ponto Euxino, ad hoc vt conſtaret eum eſſe Prophetam Dei veri, cuius ſolium æquè ac Prophetæ erant in Ieruſalem. Adde, ex Iudæa in Niniuen facilior & planior erat via. ſola enim Meſopotamia interiacens tranſeunda erat; hæc autem plana eſt: ex Ponto verò Euxino tranſeundi erant montes arduī Armeniæ & Amanus, eſtque iter trecentarum leucarum vſque ad Niniuen. ita Mariana & alij.

Allegor. Ionas abſorptus à ceto, & tertio die ſibi & terræ redditus, expreſſiùs quàm vllus Propheta, non verbo, ſed facto repræſentauit paſſionem & reſurrectionem Chriſti. Quocirca Chriſtus eamdem probat & confirmat ex hoc Ionæ oraculo, Matth. 12. v. 40. Vnde S. Hieron. *Quod autem, inquit, ſcribitur, Euomuit, ἐμφαλικῶς nos debemus accipere, quòd ex imis vitalibus mortis victrix vita proceſſerit.*

Audi S. Auguſt. ſingula adaptantem libr. 4. de Symbolo ad catech. c. 6. *Miſſus Ionas ad ciuitatem Niniuen vt eius finem prædicaret, miſſus eſt Chriſtus à Patre vt finem mundi omnibus demonſtraret. Fugit Ionas in Tharſis à facie Domini, fuga Ionæ velox trāſitu Chriſti. de quo dicit Propheta, Exultauit vt gigas ad currendam viam. Aſcendit nauē Propheta fugiens, lignū Chriſtus aſcēdit per mare huius ſeculi tranſiens. Irruit tempeſtas magna in mari; perturbatio maris, perfidia Iudæorum. Data eſt ſors vt Propheta fugitiuus in mare mitteretur; ſors data eſt ſuper Chriſti veſtimenta, vt vnitas omni mundo prædicaretur. Proiectus eſt è naui in mare Ionas, mors Chriſti in cordibus Gentium collocata eſt. Suſceptus eſt à beſtia Propheta cuſtodiendus, non comedendus; audi hic ipſius vocem Chriſti per ſanctum Dauid, Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. In ventre beſtiæ marinæ poſitus orauit Ionas; ſanctus in inferno Chriſtus deſcendens mortuos ſuſcitauit. Tertio die Propheta littori incolumis eſt redditus, die tertia Chriſtus de ſepulchro ſurgens ſuper cælos eſt exaltatus. Ad prædicationem Ionæ Prophetæ per pœnitentiam ſaluata eſt ciuitas, per Chriſti prædicationem ſancta Ieruſalem redempta eſt ciuitas.*

Eleganter quoque Euſebius Emiſſenus hom. 2 de paſcha pag. 261. vel quiſquis eſt auctor: nam homilias iſtas non eſſe Euſebij Emiſſeni Syri, ſatis liquet ex ſtylo, qui non Syrum, ſed Latinum redolet phraſin, imò elegantiam. Baronius in annot. ad Martyr. Rom. die 16. Nouemb. opinatur eſſe Eucherij Lugdunenſis Bellarm. l. de Script. Eccleſ. tribuit Fauſto Regienſi, alij Cæſario, alij Maximo Taurinēſi; Galeſinius in Martyrol. notat. 14. April. aſcribit Euſebio Gallo. Certè ex ipſis homiliis liquet Auctorem fuiſſe Gallum ex monaſterio Lirinenſi, qui poſtea videtur creatus Epiſcopus. Hic ergo Auctor ſic ait: *Ionas iram Domini prædicaturus, ad magnam Niniuitarū deſtinatur vrbem, dicturus: Poſt quadraginta dies & Niniue ſubuertetur. Et Chriſtus ad mundi mittitur ciuitatem, vt diem ſalutis & præfinitum iudicij tempus adnunciet. Ionas nauem expetit, Chriſtus Eccleſiam. Ionas fluctibus agitatur, & Chriſtus mundi turbinibus exercetur. Niſi Ionas perditum detur, naufragæ nauis periculum non ſedatur: ſic & non liberatur Eccleſia, niſi Chriſti morte ſaluetur. Nautæ dimiſſuri Ionam, tamen verentur & dicunt: Domine, ne des ſuper nos ſanguinem innocentem: nōne nobis videtur nautarum imprecatio, Pilati eſſe confeſſio, qui tradit Chriſtum, & tamen lauat manus ſuas, & dicit: Mundus ego ſum à ſanguine iuſti huius? Quàm congruè per perſonam Gentilē fides Gentium prædicatur! Dicit itaque Ionas in oratione ſua: Tolle igitur Domine animam meam, quia melior eſt mihi mors, quàm vita. Dicat hoc rebus Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Quia melior eſt mihi mors, quàm vita: id eſt, viuens vnam Iudæorum gentem vtpote incredulam, ſaluare non potui: moriar vt vniuerſus mundus vna morte ſaluetur.* Cætera deinde accommodansita proſequitur: *Ionam cetus piſcis excepit immerſum, ſed non contigit deuoratum, & quem malitia hominum perdidit, beſtia eſuriens cuſtodiuit; plenus viſceribus famem patitur, & in prædam quam abſorbuit nil ſibi licere miratur. Quis eſt iſte, qui intra auidos victus aſſumi poteſt, conſumi non poteſt? Cibus eſt, corruptio non eſt: traditur perditionis profundo, & ſeruatur ipſius mortis obſequio. Quis eſt iſte qui vaſtiſſimos ſinus periculorum tutus ingreditur, & ſub altitudine concluſus immenſa atque mortifera, vitali aëre paſcitur, & demiſſus in alienam rerum naturā, in vitæ exilio cum vita peregrinatur, in abſolutione & conſeruatione gentis vnius, & in Deum reconciliatione reparandi ſæculi gloriam naufragus præfert, & mortis ſuæ ſuperſtes, annunciat venturā mundi ſalutem? Puto quòd hic eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quem ſæua mors inexplebilis belua in eſcam rapuit, & prædam ſuam captiuā contremuit. contremuit inquā, nam etſi nouerat crucifixum, tamen quem non meminerat reum, non poterat tenere damnatū: quia culpā non facit pœna, ſed cauſa. Quaſi ſolitum cibum perditū in mundi origine hominē deuorauit: ſed magnā eſſe cibi ipſius dignitatē præfocata cognouit. Atque ideo diuinus ſermo commemorat: Et præcepit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam. Præcepit ergo beſtiæ, præcepit morti ſemper eſurienti, præcepit abyſſis & inferno, vt mundo reſtituant Saluatorem. Euomuit autem hoc debemus accipere, quòd ex imis viſceribus mortis victrix vita remeauerit, atq; eam ex imis præcordiis inferni perditio exulcerata reddiderit.* Vide & Petr. Chryſologum Archiep. Rauennatem ſerm. 37. qui totus eſt de Iona & Chriſto.

Tropol. S. Chryſoſt. hom. 25. de amore proximi tom. 4. ex facto Ionæ docet, Prophetam, id eſt prædicatorem & virum Apoſtolicum, non debere quærere ſuum honorem, ſuam quietem, ſua commoda, ſed Dei gloriam, & ſalutem animarum,

Tropol. qui curant animas periculis à Deo eximuntur.

rum, cum suo incõmodo & periculo Deus enim A illi aderit, eumq; à periculo non tantùm saluum, sed & glorioſum quasi multorum saluatorem, educet. Ionas enim fugiens periculum prædicationis & salutis animarum, incidit in propriæ vitæ periculum, vtpote iactatus in mare. Idem verò in naui commune periculum in se suscipiens, & se & nauim saluauit. Fugit ergo vt homo, periculo verò sese obtulit vt Propheta, ait Chryſost. Idem cogitent & faciant qui vel à Deo, vel à Superiore mittuntur ad prædicandum hæreticis, Indis, Barbaris: ad audiendum confessiones, præsertim feminarum. Qua de re extat illustre exemplum apud Palladium in Lausiaca c. 35 de Abbate Elia, qui cùm trecentis monialibus præesset, ideoq; sentiret stimulum carnis, præfectura earum se abdicauit: sed à tribus angelis eum in B visione castrantibus iussus eam resumere, deinceps per quadraginta annos earum curam gessit cum tanta quiete & castitate, vt numquam libidinis tentationem senserit. Nostræ Societatis fundator S. Ignatius dicebat: *Si Deus mihi optionem daret vel ilicò moriendi, & eundi ad cælum, vel adhuc viuendi, & eius gloriam promouendi, sed cum meæ salutis incertitudine & periculo; eligerem adhuc viuere & Dei gloriam promouere: quia non dubito quin Deus omne hoc periculum, quod eius amore despicio, in se susciperet, illudq; mihi longè magis assecuraret.* S. Xaueriusin Mauricas insulas proficiscens, cùm amici ei hoc iter dissuaderent, proponerentq; pericula æstus, famis, barbarorum incolarum, qui ferro & veneno sæuiebant, etiam in suos; respondit longè maius periculum sibi creari, si Deo ad C eas vocanti non obediret. Profectus ergo, in vna vrbe Tolo 25. hominum millia Christo adiunxit, tantaq; animi lætitia perfruitus est, vt inde scribens dicat: *Hæc omnia pericula & labores vnius Dei causa sponte suscepti, thesauri sunt diuinis maximisq; gaudiis refertissimi, vt hæ insulæ inprimis appositæ ad oculorum aciem ex iucundissima lacrymarum vbertate perdendam esse videantur. Equidem numquam me tot, tantis, ac tam continuis animi voluptatibus circumfluere memini, prorsus vt omnem laborum & ærumnarum sensum obruant.* Nimirum sentiebat illud psal. 93. 22. *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animã meam.* Et illud psal. 22. 4. *Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniã tu mecum es.* Ita refert in eius Vita Turſellinus l. 3. c. 2. & 3. Ratio est prima, quia, cùm Deus aliquem D vocat ad officium, vel statum, cuius institutum est vacare saluti proximorum, simul dat gratiam & media ad hunc finem non tantùm necessaria, sed & commoda ac oportuna. Hoc enim poscit eius prouidentiæ suauis & exacta dispositio. Ita sponsam, id est Ecclesiæ viros primarios, vocat Cant. 2. *Surge, propera amica mea.* Quòd? *hauddubiè ad lucra animarum*, ait S. Bern. serm. 57. & 58. in Cant. Iis enim spõsus dicit id, quod Absalon suis seruis ait: *Nolite timere: ego enim sum qui præcipio vobis*, 2. Reg. 13. 28. Hoc sciebat S. Paulus, qui proinde intrepidus inferebat se periculis, dicens: *Sufficientia nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti*, 2. Corinth. 3. 5. Potens est enim Deus nos omni periculo eripere, vti eripuit Dauidem psal. 5. 13. *Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*; & S. Paulum 2. Corinth. 1. 4. & Danielem de lacu leonum; & tres pueros de fornace Babylonia; & Ionam de ventre ceti.

Secunda: quia maius à Deo iudice nobis instat periculum, si eius vocationem fugiamus, vti fecit Ionas; si eius talentis nobis concreditis ad eius voluntatem & gloriam non vtamur. Nota est parabola serui defodientis talentum, qui damnatus à Domino audiuit: *De ore tuo te iudico serue nequam*, &c. *quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam?* Lucæ 19. 22. de quo vide S. Auguſt. l. de Fide & oper. c. 17. Huc facit illud S. Ambrosij l. 1. Offic. c. 3. *Videamus ne reddamus rationem pro otiosi silentio. Est enim & negotiosum silentium*, vti fuit in Susanna silenter Deum inuocante, Daniel. 13. 35. *Et est silentium otiosum*, vti est eorum qui tenentur loqui, docere, corripere, exhortari alios. Sicutego libertas libertate perit, quies quiete, otium otio; ita ex aduerso periculum non nisi periculo propulsatur, ac pax inter hostes non nisi bello paratur, & otium negotio.

Evomvit] Hæc vox significat Ionam ita grauasse, arctasse, impedisse respirationem, & affixisse ventrem ceti, vt coëgerit eum euomere, sicut stomachus cibum noxium à quo lancinatur & affligitur, cum violentia reiiciens euomit. Ita Christus descendens in mortem & infernum ita ea afflixit, vt non tantùm coëgerit ea se reuomere, sed etiam vt ea occiderit; perinde ac ichneumon per os intrans in ventrem crocodili, eum erodit & occidit, teste Plinio lib. 8. c. 25. Hoc est quod ait Osee 13. 14. *Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne.*

Ex hoc loco censent nonnulli, Ionam fuisse vnum è Sanctis qui resurrexerunt cum Christo, ac cum eo tam in corpore, quàm in anima glorioſi ascenderunt in cælum, Matth. 27. 52. Sic enim Adam, Noë, Abraham, Isaac, Iacob, Moses, Dauid, Iob resurrexerunt: ergo & Ionas. Nam ipse præ cæteris, solus resurrectionem Christi tertio die futuram prophetauit, & reipsa repræsentauit, dum tertio die è ventre ceti, quasi è sepulchro rediuiuus surrexit. Ipse ergo aptissimus erat testis resurrectionis Christi, poteratq; dicere Iudæis: Ego sum Ionas, qui olim resurrectionem Christi prædixi, ac proinde missus sum à Deo vt idipsum iam peractum esse tester. Testor itaque hunc esse Christum à me prænunciatum, eumq; verè tertio die à morte suscitatum esse, sicut ego tertio die è ventre ceti suscitatus sum, vt hanc eius suscitationem præfigurarem. ita Pineda in Iob c. 19. 26. Vbi ex illis verbis Iob: *Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum*, probabiliter colligit, Iob resurrexisse cum Christo. Hic enim est Iesus, id est saluator, quem se visurum prædicit, ob meritum tot tantarumq; afflictionum, quibus Christum patientem repræsentauit.

Anagog. ex Iona è ceto rediuiuo probat resurrectionem corporum S. Irenæus lib. 5. contra hæres. c. 5. & l. 3. c. 22. vbi simul ex eodem ostendit magnificentiam Dei perfici in infirmitate & obedientia hominis. *Sicut enim*, inquit, *patiens sustinuit absorberi Ionam à ceto, non vt absorberetur & in totum periret, sed vt euomitus magis subigeretur Deo, & plus glorificaret Deum, qui insperabilem salutem ei donasset; & firmam pœnitentiam faceret inimicis, vt conuerterentur ad Dominum, qui eos liberaret à morte, conterritos ab eo signo quod factum erat circa*

Ionam,

Ionam, quemadmodum Script. de his dicit: Et reuersi sunt vnusquisque à via sua mala. &c. *Sic ab initio patiens Deus hominẽ absorberi à magno ceto, qui fuit auctor præuaricationis, non vt absorptus in totũ periret, sed præstruens & præparans adinuentionẽ salutis, qua falla est à Verbo per signum Ionæ his, qui eãdem cum Iona de Deo sententiam habuerunt, & confessi fuerunt & dixerunt: Seruus Domini ego sum, & Dominum Deum cæli ego colo; vt insperabilem homo à Deo percipiens salutem, resurgat à mortuis & clarificet Deum,* &c. Et inferiùs: *Hæc ergo fuit magnanimitas Dei, vt per omnia pertransiens homo, & morum agnitionem percipiens, dehinc veniens ad resurrectionem, & experimento discens vnde liberatus est, semper gratus existat Domino. Cognoscat autem semetipsum, quoniam mortalis & infirmus est; intelligat autem & Dominum, quoniam in tantum immortalis & potens est, vt & mortali immortalitatem, & temporali æternitatem donet.* Sic & Tertull. lib. de Resurrect. carnis c. 58. eamdem probat exemplo Ionæ, qui vixit in aluo ceti; *in quo,* inquit, *naufragia digerebãtur;* & trium puerorum, qui in fornace Babylonia ab igne manserunt illæsi; atque Eliæ & Henoch,

A *Qui,* ait, *necdum resurrectione dispuncti, quia nec morte functi; & hoc ipso iam æternitatis candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria & cõtumelia immunitatem carnis ediscunt, cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta?* Quocirca Ionæ in ceto sepulto, indeque resurgenti similis fuit S. Maternus, S. Petri discipulus, qui ab eo missus cum S. Euchario & Valerio Treuerim ad euangelizandum, in ipso itinere Helli apud Seleſtadium febri valida correptus defunctus est. Socij ad S. Petrum regressi ab eo baculum acceperunt, quẽ S. Materno quadragesimo die à morte applicantes, eum resuscitarunt; ac postea ipse totidem annis superuixit, fuitque Apostolus & Episcopus Treuirensium & Colonien sium, quot diebus iacuerat in sepulchro, putà quadraginta. ita habet eius vita, & Chronica Leodiensium, & Otho Frising. lib. 3. Chron. c. 15. qui tamen pro diebus 40. ponit 33. Sicut ergo Ionas è ceto eiectus 40. diebus Niniuitis, ita S. Maternus resurgens 40. annis prædicauit Treuirensibus, alijsque Germanis & Gallis pœnitentiam. *& S. Maternus.*

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Ionas prædicat, Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur: *Niniuitæ cum suo rege agunt pœnitentiam in ieiunio, cilicio, & cinere. Hinc Deus eis parcit.*

ET factum est verbum Domini ad B Ionam secundò dicens:

2. Surge, & vade in Niniuen ciuitatem magnam: & prædica in ea prædicationem, quam ego loquor ad te.

3. Et surrexit Ionas, & abiit in Niniuen iuxta verbum Domini: & Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum.

4. Et cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius: & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.

ET FACTVM EST VERBVM DOMINI AD IONAM SECVNDO] Videtur Ionas è ceto liberatus statim adijsse Ierusalem & templum, vt vota sua Deo solueret: simul sperabat Deum hac sua pœna & pœnitentia contentum fore, nec C amplius vrsurum vt pergeret in Niniuen: Cùm ecce secundò Deus eum mittit, aitque:

SVRGE, ET VADE IN NINIVEN, ET PRÆDICA PRÆDICATIONEM (minas excidij) QVAM EGO LOQVOR] Septuag. *locutus sum* c. 1. 2.

Allegor. sicut Ionas è ceto quasi resurgẽs prædicauit Niniuitis, ita Christus post resurrectionem suam per Apostolos prædicauit Gentibus. ita S. Augustin. cuius verba recitaui c. 2. v. 11.

ET NINIVE ERAT CIVITAS MAGNA] Hebr. & Septuag. *magna Deo;* Chald. *magna coram Domino,* id est reuera magna, & *magna valdè,* vt vertit Pagnin. magnum enim est, non quod hominibus qui parua mirantur, sed quod Deo opt. max. magnum videtur; ideoque Deus tanti Niniuen ciusque salutem fecit, vt ea de causa eò miserit Ionam, & pœnitenti pepercerit, vti ipse ait c. 4. 11. ita Theodor. Errat Suidas verbo *Semiramis,* vbi ait Niniuen eamdem esse vrbẽ cum Babylone. Niniue enim fuit regia Assyriorum, adiacens Tigri; Babylon Chaldæorum, adiacens Euphrati. S. Hieron. vertit, *Niniue erat magna Dei,* id est maxima. Quæ enim Dei sunt, maxima sunt: sic vocantur cedri & montes Dei, id est maximi & altissimi. Aliter à Castro, *Dei,* inquit, id est diuina, hoc est omnibus numeris absoluta, sicut Deo nihil deest, isque absolutus & perfectus quaquauersum est.

ITINERE TRIVM DIERVM] Ita & Syrus, & Arabicus vterque. Primò, S. Hieron. Haymo & Remigius id accipiunt de circuitu Niniues. Erat enim, inquit S. Hieron. *tanti ambitus vt vix trium dierum posset itinere circumiri.* Secundò, q. d. Itinere tridui opus erat adhoc, vt quis omnes eius vicos & plateas perambularet. Vnde ex Hebr. verti potest, *Niniue erat trium dierum perambulationis.* ita Theophyl. Lyran. Vatabl. & alij. Verùm hoc exilius videtur, quàm vt ob id Niniue vocetur ciuitas magna Dei, cùm etiamnum multæ sint vrbes non adeò magnæ, quæ tot habent flexus & reflexus, tot plateas, vicos, fora, templa, circos, montes, &c. vt si quis omnia hæc lustrare velit, facilè triduum impendat.

Hinc Tertiò, Sanchez & alij censent Niniuen, putà vrbem cum suburbijs, quæ vtrimque longissima esse solent in magnis vrbibus, fuisse tantam, vt ad eam ab vno extremo ad aliud directa via peruadendam, opus fuerit itinere tridui. Hoc enim planè significant hæc verba: *Niniue erat ciuitas magna, itinere trium dierum,* scilicet eundo ab vno extremo per medium ad aliud extremum. Vnde *& cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius.* Nota *Niniue quantæ*

scilicet in directum, non per flexus & reflexus A viarum, multò minùs per circuitum murorum; non enim in muris, sed in plateis vrbis prædicabat Ionas. Fuit enim Niniue maior Babylone, cæterisq; vrbibus omnibus quæ ante, vel post eam conditæ sunt, ait Ptolem. & Strabo, ideoque vocatur *ciuitas magna Dei*. Hinc & Diodorus Sicul. lib. 3. c. 1. ait eam cùm à Nino primùm condita est, habuisse in circuitu stadia 480. id est milliaria 60. quæ conficiunt leucas Gallicas 20. muros altos fuisse 100. pedibus, & adeò latos, vt tres currus simul per eos incedere possent. Si tempore primæ conditionis suæ habuit in ambitu leucas viginti, quot habuit post centum, ducentos, trecentos annos, quibus semper accreuit Monarchis orbis in ea residentibus? Demus habuisse viginti circiter leucas in directo B transitu, habuerit iter tridui: pedestre enim iter diurnum est septem leucarum. Adde, nonnullas fuisse vrbes, quæ longæ erant iter tridui: ergo magis id tribuendum Niniuæ, quæ fuit maxima.

Roma magnitudo. Antecedens patet Primò in Roma, *cuius muros Aurelianus*, inquit Vopiscus in eius vita, *sic amplianit vt quinquaginta propè millia murorum eius ambitus teneant*. Si circumferentia murorū Romæ erat quinquaginta milliarium (milliare faciunt mille passus) ergo diameter, quæ est quasi tertia pars circumferentiæ, erat septemdecim circiter milliarium: ergo longitudo (hæc enim est diameter) Romæ, à porta in portam per medium vrbis, erat septemdecim milliarium, id est sex ferè leucarum, quod est ferè iter vnius diei. Iam adde suburbia, quæ vtrimque tanta, imò maiora erant, habebis Romam cum sub- C urbiis iter tridui & ampliùs complexam esse. Certè Plinius de Roma ait, *expatiantia tecta multas vrbes addidisse, Tybur*, (quod Roma distat penè octodecim milliaribus, id est sex leucis) *Ocriculum, Ariciam*. Rursum *Nero*, ait Sueton. *Ostia tenus mœnia promouere, atque inde fossa mare veteri vrbi inducere* destinarat, etsi non perfecit: Ostia à Roma distat quindecim milliaribus. Insuper Dionys. de suo æuo scribit, *omnia loca circa vrbem habitata sine mœnibus esse, in quæ si quis intuens magnitudinem Romæ exquirere velit, frustra eum laboraturum, & hæsurū vbi desinat vrbs, vbi incipiat. Adeò suburbana*, inquit, *ipsi vrbi adhærent & innexa sunt, & speciem immensæ longitudinis exhibēt spectanti*. Sume vel suburbia via Flaminia Ocriculum vsque, iter est integræ diei; sume ex aduersa parte via Appia versus Neapolim, tan- D tumdem, imò amplius, (illa enim via ob Campaniæ delicias erat habitatissima, vt patet ex via Appia silice ingenti strata Neapolim vsque) facilè in Roma & suburbijs inuenies iter tridui. Quocirca à suburbijs tam latè patentibus, denominatæ videntur Suburbicariæ regiones: ita enim vocabantur omnes quæ vicinæ Romæ, intra centesimum ab ea milliare continebantur, vti eruditè docet noster Sirmondus lib. de hac re p. 1. c. 5. Hinc Lucanus asserit Romam

Populis victisq; frequentem
Gentibus, & generis, coëat si turba, capacem
Humani. Et alius:
Vna domus vrbs est, vrbs oppida pluria claudit.

Lampridius scribit Heliogabalum seruis imperasse, vt omnes araneas colligerent in vrbe, atque eos collegisse ad decem millia pondo. additque Heliogabalum subiecisse, *vel hinc intelligendum, quàm magna Roma esset*. Rursum Lipsius lib. 3. de Magnit. Rom. c. 3. clarè probat Romæ fuisse facilè quatuor milliones hominum, vt paulatim Italia deserta esset, cùm, vt queritur Varro, multi mallent *manus mouere in theatro, quàm in arem*. Idem Lipsius lib. 2. c. 7. ex lapide Ancyrano docet sub Augusto censa esse *ciuium Romanorum capita quadragies centum millia*, id est quatuor milliones, & insuper *sexaginta millia*. Sub Claudio verò Tacitus, & alij accensent *sexagies nouies centena, & sexaginta quatuor millia*, id est pene septem milliones. Cogita quanta fuerit vrbs, quæ tot capiebat incolas, cùm Mediolanum, Neapolis, Venetiæ, aliæque amplæ vrbes vix contineant tertiam millionis partem, putà trecenta millia ciuium.

Secundò, vrbs Tartariæ quæ *Quinzai* dicitur complectitur iter trium dierum, & multò amplius. Nam id asserit M. Paulus Venetus oculatus testis lib. 2. de Rebus Orient. c. 64. & ex eo Ortelius in Theatro orbis in Tartaria: *Scribit*, inquit, *M. Paulus, quem circa annum Domini 1260. ibidem habitasse constat, Quinzai centena milliaria in gyro comprehendere. Idem Odericus asserit. Pontes lapideos habet duodecim millia, eosq; tam altos, vt nauis magna erecto malo subter eos transeant. Magnus Cham ibi statiuum præsidium triginta millium habet. vrbs admodum magnifica est, & amœna: inde nomen quod adepta est, cùm Quinzai cali ciuitas interpretetur*. Idem, & ex eo Lipsius loco citato scribit Quinzai famosum continere sexcenta millia familiarum. Idem M. Paulus cap. sequenti, ait tributum quod ex regno Quinzai annuatim magno Cham penditur, ascendere, sale tamen excepto, ad quindecim millia millium aureorum, atque sexcenta millia. quæ summa immanis est & inaudita.

Minor est Chambalu, id est regia, vel sedes Cham, id est principis (sic enim Tartari suum principem & Imperatorem vocant) quæ, vt scribit M. Paulus lib. 2. de Rebus Orient. cap. 10. 24 milliaria Italica in ambitu habet. Alij dant 12. alij 32. Noster Nicol. Trigautius lib. 4. de Rebus Sinar. c. 3. & li. 5. c. 12. validis coniecturis contendit Chambalu, esse Pechinum, quæ est regia regis Sinarum, & Cataium esse regnum Sinarum.

Tertiò, Babylon, inquit Diodorus lib. 2. Biblioth. cap. 4. in circuitu habebat stadia 360. id est milliaria Italica 45. leucas Gallicas quindecim. Altera Babylon in Ægypto, siue Memphis, quæ nunc Cayrus dicitur, Lutetiam Parisiorum quinquies magnitudine superat, inquit Ortelius, & per Nili ripas latissimè diffunditur adeò vt Selymus Turcarum Imperator eam à suis accepit expugnatam anno Domini 1516. ingredi nō sit ausus. De eadē scribit Aristot. in Polit. li. 3. c. 2. quòd, cùm expugnata esset, hostesq; primā vrbis partē obtinerent, illi qui ex alia parte vrbis habitabant, tertio die nescierint vrbem esse captam.

Thebæ in Ægypto, testibus Homero, Plinio, Strabone, Pomponio & alijs, centum portas, vel, vt alij volunt, centum aulas habuerunt: totidem olim principum domos, solitæque singulæ, cùm opus erat, decem armatorum millia effundere. Celebratur & Moscua à magnitudine & multitudine domorum. Sigismundus Liber scribit earū numerum fuisse 41500. Celebrantur & Parisij, vbi suburbiorum hodiernæ ruinæ octo leucarum

rum ambitum superant. In America magnitudine excellunt vrbes Temixtitan & Panama.

Quòd si cui iter tridui in vnius vrbis Niniue diametro longitudinis nimium videtur, is adiungat aliam diametrum latitudinis, quæ priorem secat, & cum ea facit quasi crucem. Magnitudo enim vrbis Romæ v.g. ex duabus lineis diametralibus sese intersecantibus petenda videtur; vna esset quæ duceretur à Vaticano, & terminaretur in porta Pia, qua itur ad S. Agnetem; altera duceretur à porta *del popolo*, & terminaretur in porta *Capena*, qua itur ad S. Sebastianum. Id congruentius de Niniue dicatur, eò quòd ipsa non rotunda fuerit, sed quadrangula, ac proinde ex duabus diametris sese ad angulos rectos intersecantibus, quarum extremæ terminantur in quatuor quadrati angulis, eius magnitudo, id est longitudo & latitudo, dimetienda videatur. Sanè Aristot. 3. Polit. c. 2. indicat aliquas vrbes adeò esse magnas, vt non tam vrbes, quàm regiones muris circumdatæ dici debeant.

Mysticè, Niniue continens iter trium dierum, repræsentat tres mundi partes, Asiam, Africam, Europam, quas noster Ionas, id est Christus, per se & per Apostolos obeundo, ad pœnitentiam & salutem conuertit.

Tropol. Vide quanta sit mutabilitas & vanitas rerum humanarum. Ecce Niniue olim maxima, ditissima & superbissima vrbs, iam adeò sepulta iacet, vt quæratur quo loco extiterit. Quare Niniuen veterem vix inuenies, nec nisi rura & rudera, *& campos vbi Troia fuit.* R. P. Iohannes Antonius Marieti, qui ante quinquennium missu Sumini Pontificis Syriam & Mesopotamiam obiuit, Romæ mihi narrauit se fuisse in ciuitate adiacente Tigri, nomine *Mußal*, quã indigenæ dicebant esse Niniuen, indeq; nõ procul ostendebãt sepulchrum Ionæ (quod magno Christianorum vndique confluentium concursu & deuotione visitari asserebant) adeò longum & latum, vt ex eo colligere liceat Ionam penè fuisse gigantem. Insuper ingentes ibi cerni murorum reliquias, veteris amplitudinis indices. Porrò vrbem à Christianis, Turcis atque Arabibus incoli, Armenos tamen ita ob rebellionem Turca attenuauit, vt vrbs iam & mœnibus careat, & ex quinque domibus vix duæ vel tres inhabitentur. Fieri potest vt veteri Niniue diruta, iuxta eam noua sit condita, dictaque Mussal; vti Hierosolymæ, Tyro, Tusculo, quin & Romæ ex parte contigit. quamquã ignoremus an vetus & certa sit illa indigenarum Mussal traditio. Sanè sepulchrum Ionæ non in Niniue, vt ipsi asserunt, sed in Palæstina extare docent Epiphan. Doroth. & Isidor. in vita Ionæ, vti dixi in proœmio; nisi dicas Niniuitas hoc sepulchrum Ionæ, licet alibi defuncto & sepulto, erexisse quasi mausolæum, ad perpetuam tanti viri memoriã. Sed esto Mussal sit eadem vrbs cum Niniue veteri, nihil illa habet veteris eius magnitudinis & magnificentiæ. Idem est de Babylone, de Tani, de Ecbatanis, alijsque potentissimis olim vrbibus. Sic transit gloria mundi, sic transeũt vrbes, sic transeunt reges, sic trãseunt homines. Platina in Felice II. Pontif. refert Constantium filium Constantini magni Imper. dum post susceptum imperium cum triumpho Romam aureo carpẽto ingrederetur, ciues obuiàm factos veneratum esse, ac dictitasse illud Cyneæ Pyrrhi legati verum esse, *tot se videre reges in vrbe Roma quot ciues*, visis deinde palatijs, Pantheo, templis, columnis, aquæ ductibus, arcubus triumphalibus, &c. obstupuisse, ac tandem dixisse, *naturam vires omnes in vrbem effudisse.* Mox Hormisdam architectum suũ interrogasse, quid de Roma sentiret, qui id tãtùm sibi placere respondit, *quòd didicisset Romæ æquè mori homines ac alibi*, vt Philosophum decebat locutus. Verè Seneca: *Æquat omnes cinis; impares nascimur, pares morimur.* Quocirca sapienter monet S. Chrysost. homil. 32. in epist. ad Hebr. in morali, vt ædes ædificemus non in terris mox casuras, sed in cælis in æternum duraturas. *Nemo*, inquit, *in ciuitate quæ casura est sanæ mentis ædificat. Non ædificemus in hoc mundo, post paululum enim casurus est, & cuncta perditum ibunt. Et quid dico quòd mundus casurus est? nos ipsi ante ruinam eius peribimus, & tormenta sæua patiemur*, &c.

COEPIT IONAS INTROIRE CIVITATEM ITINERE DIEI VNIVS] *Ionas*, inquit S. Hieron. *præcepti & superioris naufragij memor, viam trium dierum, vnius diei festinatione compleuit.* Quod dictum S. Hieron. dupliciter accipi potest. Primò, q. d. Ionas distans à Niniue itinere trium dierũ, vt Deo celerrimè obediret, totum hoc iter vno die peregit, eodemque die quo ex loco vbi eum cetus euomuit discessit, peruenit appulitque Niniuen. Secundò, q. d. Ionas adeò festinanter obiuit cõcionando totam Niniuen, vt vno die eam peragrarit, cùm alij ad id exigant triduum. Verùm neuter sensus huic loco congruit. Non prior, quia littus Phœnicium, vbi à ceto eiectus est Ionas, distat à Niniue trecentis leucis: quod iter est vt minimum triginta dierum. Si cum Iosepho dicas eum eiectum in Pontum Euxinum; Respondeo, hîc Pontus à Niniue distat centum triginta leucis, idque per arduos montes: ergo ab ea distat itinere tredecim dierum vt minimum. Non posterior, tum quia dicitur, *Cœpit introire ciuitatem*: ergo ipse tunc vias eius non compleuit, nec peragrauit, sed peragrare cœpit. tum quia iuxta illam expositionem dicendum fuisset; Ionas peragrauit ciuitatem die vno. Iam verò non hoc, sed oppositum dicitur, scilicet *Cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius.* Quocirca aliam meliorem interpretationem subdit S. Hieron. dicens, *Quamquam sint qui ita simpliciter intelligant, quòd in tertia tantùm vrbis parte prædicauerit, & ad reliquam confestim prædicationis sermo peruenerit.* Sensus ergo est, q. d. Ionas ingressus est primam vrbis partem, quæ vno die poterat pertransiri: Ionas tertiam vrbis partem prædicans obiuit, eiusque vicos & plateas concionando lustrauit. ita Remig. Albert. Hugo, Lyran. Accedũt Theodor. Vatabl. Arias & à Castro. Verùm hi censent Ionam non recta via processisse, sed per flexus platearum gyrasse, vicosque obliquos obeundo circumcirca prædicasse.

VERS. 4.

ADHVC QVADRAGINTA DIES] Ita Hebr. Chald. Aquila, Symmach. & Theodot. Quare versio Septuag. quos sequitur Orig. Chrysost. & alij Græci, atque Arabicus Alexandrinus, deprauata est. Habet enim, *Adhuc tres dies*: fortè librarij τεσσαρακοντα, id est quadraginta, scripserunt per abbreuiationem; vnde alij describentes legerunt scripseruntque τρεῖς, id est tres. Aut per ciphras, putà per literas, scripserunt μ. quæ index est quadraginta,

draginta,& eroſo,vel minùs apparente altero eius apiculo,pro μ legerunt γ gamma,quæ index eſt trium:præſertim quia præceſſit mentio triuum dierum (hoc enim erat iter Niniue) quos confuſione ſpecierum, vel tractione oculorum putarunt deſcriptores eſſe eoſdem cum hiſce diebus prædicationis Ionæ. Magna enim ſcriptorum aliquorum eſt ignorantia , magna aliorum oſcitantia, magna aliorum in tantis voluminibus deſcribendis fatigatio , vt facilè vnum pro alio ſupponant & ſcribant, vti egomet indies experior. Aliqui cenſent Ionam per ſingulos dies minuiſſe numerum : nimirum primo die prædicationis ſuæ dixiſſe, Adhuc quadraginta dies : ſecundo,Adhuc triginta nouem dies:tertio,Adhuc triginta octo dies, & ita conſequenter , donec perueniret ad tres vltimos, tuncque dixiſſe: *Adhuc tres dies,*&c.ſcilicet *exſpectabo vos,num ſitis pœnitentiam acturi*, ait Iſidor.Peluſ.lib.4.epiſt.149. Idque ex traditione ſciuiſſe Septuag. & hîc exprimere voluiſſe. Verùm hæc coniectura diſſonat à textu,qui conſtanter habet, *Adhuc quadraginta dies*; & incerta eſt, nec admodum probabilis. Non enim videntur Niniuitæ vſque ad vltimos tres dies diſtuliſſe pœnitentiam. Quocirca prudenter Theodor. *Credibile eſt*,inquit,*etiam Septuag. concordem alijs poſuiſſe numerum* (quadraginta,) *ſed qui initio ſcripſerunt erraſſe in hoc, ac deinceps in omnia exemplaria permanaſſe errorẽ*. Porrò S.Auguſt.lib.18.de Ciuit.c.44. cenſet genuinam lectionem eſſe , *adhuc quadraginta dies*; Septuag verò vertiſſe,*adhuc tres dies*, vt myſterium quod hîc latet de Chriſto ſignificarent. *Siue*, inquit,*per quadraginta dies, ſiue per triduum, idem ipſe ſignificatus eſt Chriſtus* ; *per quadraginta ſcilicet, quia tot dies peregit cũ diſcipulis ſuis poſt reſurrectionem ſuam,& aſcendit in cælum:per triduũ vero,quia die tertio reſurrexit.q.d In quadraginta diebus ipſum quære, in quo & triduum poteris inuenire: illud in aſcenſione,hoc in eius reſurrectione reperies: quorum vnum per Ionam Prophetam,alterum per Septuaginta interpretum prophetiam, tamen vnus atque idem Spiritus dixit*. Hac fortè de cauſa S.Iuſtin. contra Tryph.vtramq; lectionem iũxit & commiſcuit. Legit enim: *Adhuc quadraginta tres dies*,&c.

Allegor.Ionas eſt Chriſtus, Niniuitæ ſunt Iudæi, Niniue eſt Ieruſalem, quæ quadrageſimo anno à prædicatione Chriſti euerſa eſt à Tito & Romanis.ita Euſeb.in Chron.

Moral. de pœnitentia publica.

Myſticè,numerus quadragenarius eſt ſymbolum pœnitentiæ , de quo ſubtiliter philoſophatur S.Auguſt.l.2.de Doctr.Chriſt.cap.16. Hinc S.Gregor. in inguinaria lue & mortalitate Romana, qua extinctus eſt Pelagius Papa, cui Gregorius in Pontificatu ſucceſſit, hortatus eſt populum ad pœnitentiam exemplo Ionæ & Niniuitarum,publicaſque litanias, caſque ſeptemplices indixit, quibus placatus Deus peſtem ſtiuit. Angelus enim ſtans in mole Adriani (vbi etiamnum eius locus & imago viſitur, indeque moles hæc vocatur caſtellum S.Angeli) euaginatum gladium,quo crues feriebat,viſus eſt in vaginam recondere, ac quacumque in proceſſione interebatur imago B.Virginis, aër craſſus, peſtilens & flammeus videbatur diſſipari,purgari & ſerenari. Exhortationem eius ad verbum refert Iohannes Diaconus in eius Vita l.1.c.40. vbi inter multa ait : *Veternoſas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abſterſit. Mutemus igitur corda; citiùs ad precem iudex flectitur, ſi à prauitate ſua petitor corrigatur. Proinde cum contritione & correctis operibus craſtina die ad ſeptiformem litaniam deuota cum lachrymis mente veniamus;qui ſimul omnes peccauimus , ſimul omnes mala quæ fecimus deploremus, vt diſtrictus iudex dum culpas noſtras nos puniſſe conſiderat,ipſe à ſententia propoſitæ damnationis parcat*. Rurſum S.Petrus ex Ordine S.Dominici minẽs prædicator & Martyr anno Domini 1n9. Aprilis die vigeſima nona , qua Eccleſia in officio diuino eius feſtum celebrat,in ſuis concionibus iugiter hoc thema proponebat : *Adhuc quadraginta dies,& Niniue ſubuertetur*, iſque; tanto ardore & ſpiritu populum incendebat, vt omnes paſſim pœnitentiam agerent,eamque publicam. Dicebat enim : Tu ô Mediolanum, tu ô Parma tu ô Cremona es altera Niniue , ſi non agas pœnitentiam tuorum ſcelerum , ilico videbis tuam ruinam:flagellum Dei imminet tibi: conuertere ad Deum,& age pœnitentiam. Docet ergo hîc Ionas,& ex eo S.Gregor. & S.Petrus Martyr,cõcionatores populo debere proponere minas & terrores iræ Dei, mortis,iudicij,gehennæ, iſque acriter vrgere peccatores ad pœnitentiam & odium peccati; vt eas euadant, Deumq; ſibi concilient. Hi enim ſunt mallei conterentes petram. Alij oratores ſunt quaſi muſici, quia aures dumtaxat mulcent & ſcalpunt.

Et Niniue ſubuertetur] cũ regno & monarchia Aſſyriorum,quæ transferetur ad Nabuchodonoſor & Aſſuerũ , vt habent Septuag Tobiæ 14.6. id eſt ad Babylonios & Medos,vti patebit Nahũ 2 8 vnde Ioſeph.l 9.Antiq.11. *Ionas*, ait *in medio ciuitatis prædicauit, quia poſt breuiſſimũ tempus Aſiæ principatum perderent*. Nota.Hæc Ionæ prophetia fuit comminatoria & cõditionata, q.d.Niniue ſubuertetur,niſi pœnitentiam egerit, niſi mutet mores, itaq; impetret à Deo hanc excidij ſententiam tolli aut ſuſpendi;ſicut de facto eius non ſublationem , ſed ſuſpenſionem impetrauit, vti dixi in procœmio. ita Orig.hom.1 de pœnitent.S Hieron.hîc,S.Gregor.19.Moral.18. S.Thom.1.p.q.19.a.7.& alij.Aliter reſpondet S. Gaudentius tract.3.ad Neophytos: *Adhuc triduũ, & Niniue euertetur*.Verum,inquit,prædixit: *nam euerſa eſt iniquitas eius, quia pœnituit. Sicut diſtat cælum à terra,dicit Deus hominibus, ita diſtant ſenſus mei à ſenſibus veſtris , & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris*,Iſaiæ 55.Senſus ergo eſt,Niniue, non vrbs,ſed eius iniquitas ſubuertetur,vt ſit alia piaque Niniue.Verùm hoc tropologicum eſt, non literale.Sic anno Domini 396.Arcadio Imper.ait S.Auguſt. de Excidio vrbis c.6. *Conſtantinopoli volens Deus terrere ciuitatem, & terrendo emendare,terrendo conuertere, terrendo mundare,terrendo mutare, ſeruo cuidam ſuo fideli viro militari venit in reuelatione, & dixit ei,ciuitatem venturo de cælo igne perituram, eumq; admonuit vt Epiſcopo diceret: dictum eſt,non contempſit Epiſcopus, & allocutus eſt populum. Conuerſa eſt ciuitas in luctum pœnitentiæ, quemadmodum quondam illa antiqua Niniue* , &c. Narrat deinde quomodo per pœnitentiam haſce minas euaſerit.

5. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deũ:& prædicaueruut ieiuniũ, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem,

6.Et

6. Et peruenit verbum ad regem Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere.

7. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis & principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam: nec pascantur, & aquam non bibant.

8. Et operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.

9. Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus: & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?

10. Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.

A & terrebat eos, ne, si Ionæ non crederent, æquè imò magis punirentur quàm Ionas, atque aba qua vel terra absorberentur. Accessit interna Dei illuminatio & inspiratio, quæ animos illorum commouit ad credendum. Iuuit grauitas, prudentia, pietas, abstinentia & sanctitas Ionæ, quæ planè ostendebant Ionam non esse fatuum, non leuem, non mendacem; sed virum serium, prudentem, piumac fide dignum.

ET PRAEDICAVERVNT (indixerunt) IEIVNIVM] per magistratum, imò per regem, vt videtur: rex enim hoc ieiunium Niniuæ indixit v. 7. nec alius toti Niniuæ hoc indicere poterat nisi rex. Est ergo hîc hysterologia. Priùs enim peruenit oraculum hoc Ionæ ad regẽ, vti sequitur v. 6. quàm indictum sit ieiunium, vti ait hîc v. 5. sed voluit Script. prædicationi Ionæ subnectere obedientiam, totumque opus Niniuitarum, scilicet quòd crediderint & pœnitentiam egerint in ieiunio & cilicio; ac deinde pergere ad regem, & enarrare eius sensum & gesta de quo subdit: VERS. 6.

B

ET PERVENIT] Id est, quia peruenerat. Dat enim causam publici ieiunij & pœnitentiæ Niniuitarum, quòd nimirum rex inaudiens oraculum minax Ionæ, edictum ieiunij & pœnitentiæ proposuerit & promulgarit per totam vrbem.

Quæres, quis fuit hic rex? Respondeo, Probabile est fuisse Sardanapalum, quem Diodorus, Iustinus, & alij Gentiles Historici ponunt vltimũ monarcham Assyriorum, à quo monarchia trãslata sit ad Medos per Arbacem Mediæ Præfectum. ita à Castro & Torniellus in Annalibus, anno mundi 3215. & alij. Fauet S. Hieron. in c. 1. Amos v. 1. Vbi explicans titulum Amos, quo se dicit prophetasse in diebus Oziæ regis Iuda, & Ieroboam regis Israel, *Quando*, inquit, *apud Assyrios* vrbesque Ciliciæ regnabat Sardanapalus, de quo insignis Orator; *Turpior*, inquit, *vitiis quàm nomine: & apud Latinos Procas Siluius, cui Amulius expulso Numitore successit in regnum: quo interfecto, congregata pastorum manu Romulus sui nominis condidit ciuitatem.* Ergo Amos, ac consequenter Ionas (fuerunt enim coæui) prophetauit tempore Oziæ, Ieroboam, & Sardanapali (hi enim fuerunt pariter coæui.) Rursum Ionam prophetasse tempore Ieroboam, ac consequẽter Sardanapali, clarè dicitur 4. Reg. 14. 25. Fauet & S. Augustin. lib. 18. Ciuitat. 27. vbi docet prophetasse Ionam, Amos, & Osee sub finem imperij Assyriorum, scilicet eo ruente, cùm Roma condi inciperet; quia eorum prophetiæ de Christo patiente & resuscitato, Romanis & Gentibus ad Christum conuertendis scribebantur. Fauet & Euseb. in Chronico, qui Ionam consignat sub tempus Sardanapali. Dices, Eusebius, dicit Sardanapalum regnasse 20. annis, & vigesimum vltimumque eius annum consignat anno sexto Oziæ regis Iuda, qui fuit annus 18. Ieroboam regis Israel; postea verò anno 17. Oziæ qui fuit 29 Ieroboam, Arbacis verò in Media regnantis 11. ita scribit: *Prophetabant apud Hebræos Osee, Amos, Isaias, & Ionas Propheta.* Ergo 11. annis post mortem Sardanapali prophetauit Ionas; non ergo prophetauit Sardanapalo regnante. Resp. nego consequentiam. Nam τὸ *prophetabant*, non significat initium prophetiæ, (non enim hi quatuor cœperunt eodem anno, putà 17. Oziæ prophetare) sed confusè tempus

Ionas prædicauit Sardanapalo.

C

D

Vers. 5. ET CREDIDERVNT VIRI NINIVITAE IN DEVM] id est Deo. Nota. Hebræis credere in Deo, vel credere in Deum, idem est quod credere Deo; vti rectè obseruauit Ribera. Vnde Hebr. וְיַאֲמִינוּ בֵאלֹהִים *iaaminu belohim*, tribus modis, sed idẽ significantibus vertas; scilicet, Primò, *crediderunt in Deum*; Secundò, *crediderunt in Deo*; Tertiò, *crediderunt Deo.* Est enim *bet* contactus, quo vtũtur Hebræi, vt dicant tangere in manu, id est tangere manum: Credere in Deo, vel Deum, id est credere Deo. Latinis tamen credere in Deum efficacius est, & plus significat, quàm credere Deo: nimirum non tantùm fidem, sed & spem ac fiduciam omnem cum amore coniunctam collocare in Deo, se resque suas curæ Dei committere, sua omnia in fidem Dei resignare, salutem suam Deo credere. Ita hîc Niniuitæ credentes prædicationi Ionæ, crediderunt per fidem Deum Hebræorum, quem prædicabat Ionas, esse verum Deum, ac proinde vera esse hæc Ionæ oracula, vereque euertendam Niniuen, nisi pœnitẽtiam agerent. Cõsequenter sperarunt in Deum, quòd eos ad pœnitentiam admitteret, & pœnitentibus parceret, eosque in gratiam reciperet; nisi enim hanc spem habuissent, numquam tam arduam pœnitentiam suscepissent.

Quæres, quo argumento moti sunt Niniuitæ vt crederent Ionæ? Imprudens enim & temerarius est, qui sine ratione & fundamento credit aliquem esse Prophetam, vel hoc illúdve esse oraculum Dei, præsertim in re tam graui & inaudita, qualis erat excidium Niniue vrbis & monarchiæ: vnde Apostoli fecerunt miracula aliaque signa, sine quibus Gentes non tenebantur, imò prudenter non potuissent eis credere. Resp. Niniuitæ moti sunt ad credendum Ionæ per miraculum deuorationis & liberationis è ventre ceti, quod Ionas eis proposuit, quodque per nautas iam sparsum erat per totum Orientem. Hoc est quod ait Christus Lucæ 11. 30. *Sicut fuit Ionas signum Niniuitis, ita erit & filius hominis generationi isti.* Hoc enim signum clarè eis demonstrabat Ionam à Deo ad eos mitti, simulque monebat

quo florebãt hi Prophetæ, q.d. Sub hoc tempus, putà ante & post annum 17. Oziæ, prophetarunt Osee, Amos, Isaias & Ionas. Cùm enim constet eos multis annis prophetasse, & de anno certo quo singuli cœperint non constet, rectè Eusebius in genere & confusè ait hoc tempore eos prophetasse, id est floruisse. Cùm enim in chronologia consignatur tempus quo quis Propheta, Doctor vel Episcopus floruit, non consignatur annus primus quo cœpit, vel vltimus quo finijt; sed potiùs medius: in medio enim ætatis, prophetiæ & doctoratus solent florere homines, tum gratia, tum sapientia, tum auctoritate.

Probatur Primò. Confirmatur hæc sententia Primò, quia passim Chronologi Sardanapalum dicunt fuisse coæuum Ieroboam, sub quo prophetauit Ionas. Excipio vnum Genebrardum, qui censet Sardanapalum fuisse eum, qui in Scriptura vocatur *Asarhaddon*, fuitque filius Sennacherib, post quem in Scriptura nemo ponitur rex Assyriorum. Asarhaddon enim regnauit diu post Oziam & Ieroboam, sub Ezechia & Manasse. Verùm hæc sententia Genebrardi ab alijs Chronologis *Secundò.* passim reijcitur. Secundò, quia ijdem consentiunt in Sardanapalo periisse monarchiam Niniues & Assyriorum, & post eam ponunt regnum Arbacis & Medorum; Ionas autem missus fuit in Niniuen, cùm illa opibus & regno floreret: ergo non post Sardanapalum, sed eo regnante. *Tertiò.* Tertiò, quia Sardanapalus fuit luxuriosissimus, & diffluxit luxu ac vitijs; regem suum secuta est Niniue. hæc ergo sunt vitia ob quæ excidium ei *Quartò.* intentat Ionas. Quartò, quia licet paulò post Sardanapalum ex Scriptura constet Niniuæ restitutum fuisse regnum; ac in ea regnasse Phul, Teglatphalasar, Salmanasar, Sennacherib & Asarhaddon; tamen hi non regnarunt cum Ozia & Ieroboam, sub quibus prophetauit Ionas; sed post eos. Rursum in strage Sardanapali & translatione monarchiæ, sat videtur fuisse punita Niniue, vt non opus fuerit post illam eò *Quintò.* mittere Ionam. Insuper Ionam missum esse ante eius stragem, patet, quia missus est vt eam comminaretur & prædiceret quasi futuram. Ex dictis colligitur, quòd Sardanapalus audiens Ionæ oracula & minas, conuersus sit, egeritque pœnitentiam cum suis Niniuitis; sed eo redeunte paulò pòst ad solitas delicias & vitia, ad eadem redierint & Niniuitæ, vti facere solent cõcubinarij alijque vitijs assueti. Vnde tunc Deus excitauit Arbacem, qui Sardanapalum & Niniuen inuaderet, eumque cogeret ad palatij suique incendium, ac monarchiam transferret ad Medos. de quo dixi in proœmio.

ET SVRREXIT (rex, putà Sardanapalus) DE SOLIO SVO, ET ABIECIT VESTIMENTVM SVVM A SE (Tigurina, *paludamentum*, putà vestem imperatoriam, diadema, sceptrum, aliaque insignia regalia) ET INDVTVS EST SACCO (cilicio,) ET SEDIT IN CINERE. Nota hìc pœnitentiæ habitum & opera non esse nudam resipiscentiam, vt vult Caluin. sed gemitum, saccum, cinerem, ieiunium. ita Tertull. Cyprian. Chrysost. S. August. Pacianus tract. de Pœnitentia.

Præclarè S. Ambros. enarrans hanc Ionæ historiam in fine tomi 2. Rex Niniues, inquit, *hostes virtute superabat, Deum autem humilitate vincebat. Sapiens inquam rex, qui pro salute ciuium peccatorem se magis confitetur esse quàm regem. Obliuiscitur enim se regem esse, vbi Deum regem omnium pertimescit: nec potentiæ suæ meminit, vbi potentiam diuinitatis agnoscit. Mira res: dum se regem hominũ esse non meminit, rex incipit esse iustitiæ. Religiosus igitur princeps non perdidit imperium, sed mutauit. Principatum enim ante militaris disciplinæ tenuit, nunc cælestium disciplinarum obtinet principatum.* Et inferiùs: *Vt tota ciuitas ieiunaret, famem sibi ipse primus indixit: & solus omnium causa prior cœpit esurire quàm miles. Necesse enim erat vt qui potentia cunctis fuerat, deuotior fieret vniuersis.*

ET CLAMAVIT ET DIXIT, supple præco. ita Vat. Vatabl. vel *clamauit & dixit*, id est proclamari fecit & edici, EX ORE REGIS] id est suo. Est hebraismus. Vnde Chald. vertit, *atque per præconem proclamare iussit, ac dicere per Niniuen ex regis & principum eius decreto.* Sic & Pagnin.

HOMINES, ET IVMENTA, ET BOVES, ET PECORA NON GVSTENT QVIDQVAM] Causam dat S. Chrysost. hom. 3. ad pop. *Et bruta ieiunant, & qui, & multi sacco vestiuntur? Etiam; inquit: fiat enim diuite aliquo mortuo, nã seruos solos & ancillas, sed & equos domestici sacco vestientes, & agasones tradentes ad sepulchrum sequi iubent, calamitatis magnitudinem ostentantes, & omnes ad misericordiã allicientes: sic & in ciuitate illa* (Niniue) *mori periclitante, & brutam naturam sacco circumtexerunt, & ieiunij iugo subiecerunt. Non licet brutis sermone Dei iram discere, discant famis quæ à Deo infligitur plaga; etenim si diruueretur, inquit, ciuitas, non tantùm nostri inhabitantium, sed & horum vna esset sepultura. Pœnæ igitur partẽ habere debentia, & ieiunij partem capiant.* Alteram deinde dat causam, Cùm, inquit, essent confusione pleni, nec quidquam haberent excusationis, *ad bruta confugiunt, & illorum mori deplorantes, ex his supplicationẽ faciunt miserabilẽ & luctuosam, ipsorũ perditionẽ proponentes.* Et S. Ambr. sub finem tom. 2. *Non enim*, inquit, *sufficiebat ad placandum Deum peccantium satisfactio, nisi senectus quoque peccata parulorum innocentia deploraret, & fletibus alienis delicta sua iuuentus ablueret.*

Nota. Verisimile est hoc rigidum ieiunium Niniuitarum, ad aliquot dies, v.g. tres, vt sentit S. Chrysost. homil. 1. de pœnitentia, durasse, ita vt per triduum nec homo, nec pecus quidquam cibi aut potus gustaret, deinde continuarunt hoc ieiunium ad quadraginta dies, sed ita vt suo tempore, v.g. vespere, aliquid panis & aquæ sumerent ad sustentandam naturam; alioqui enim non potuissent naturaliter sine cibo & potu prorogare vitam ad quadraginta dies; saccus verò, clamor, & preces eorum perennarunt ad quadraginta dies.

Simili modo anno Domini 1124. Christiani in terra Sancta à Sarracenis circumsessi, exemplo Niniuitarum ieiunium solemne etiam pueris infantibus & pecoribus indixerũt, itaque miraculosam à Deo de ijs adepti sunt victoriã. Nam cũ tria Christianorum millia, Patriarcha præferente crucem, & Abbate Cluniacensi lanceam qua transfixum est latus Christi, in aciem prodirent contra 40. Sarracenorũ millia; splendor de cælo in Sarracenos illapsus eos ita enerauit, vt passim fugientes cæderentur, non solùm à viris; sed etiam à pueris & feminis. Perierunt in præliò septem millia, submersi in aquis quinque millia; omnes verò Christiani incolumes reuersi, epim-

epinicium Deo cecinerunt. ita ex Roberto Sigeberti Card. Baron. anno 1124.

ET CLAMENT IN FORTITVDINE] fortiter, contenta voce, Misericordia, misericordia, miserere nostri Deus secundùm magnam misericordiam tuam. ita clamabant homines. Iumenta verò præfame boabant, mugiebant, resonabant quisque sua voce in cælum. Hæc communis hominum & iumentorum comploratio Dei iram fregit, & ad misericordiam inflexit. Graphicè eam depingit S. Basil. hom. 8. in auaros quæ inscribitur, *in fame & squalore*; & hom. 4. de pœnit. Sic Virgil. eclog. 5. ait in morte Iulij Cæsaris, quem Daphnim vocat, ieiunasse oues, boues, cæteraque animalia, ac lugubri eiulatu eius necem ploràsse. quin & addit:

Daphni, tuum Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesq; feri siluæq; loquuntur.

Simili modo Alexandrum luxisse mortem Hephæstionis, & Thebanos mortem Pelopidæ, tradit Plutarch. in eius vita.

ET CONVERTATVR VIR A VIA SVA MALA] S. Chrysost. hom. 3. ad pop. *Videamus*, ait, *quid ineuitabilem illam iram soluerit; num ieiunium solum & sacco? nequaquam: sed totius vitæ mutatio: quoniam conuersus est quisque à vijs suis malis, pœnituit malis quod dixerat facere ipsis Dominus. Honor enim ieiunij non ciborum est abstinentia, sed peccatorum fuga. Ieiunas? Demonstra mihi per ipsa opera. Qualia, inquam, opera? si pauperẽ videris, miserere: si inimicũ videris, conciliare: si amicũ laudabiliter agentem videris, ne inuideas: si mulierem videris speciosam, prætereas. Non enim os tantùm ieiunet, sed & oculus, & auditus, & pedes, & manus, & omnia corporis nostri membra. ieiunent manus, à rapina & auaritia mũdæ: ieiunent pedes, ad illicita spectacula cursum reprimentes: ieiunent oculi, discentes numquam formosis obtutibus insistere, nec alienas curiosè pulchritudines spectare; cibus enim oculorum, est spectatio. ieiunet & auris; aurium autem ieiunium est detractiones & calũnias non suscipere: ieiunet quoque os à verbis turpibus, & conuicio. Quæ enim vtilitas, cùm auibus quidem & piscibus abstineamus, fratres verò mordeamus & comedamus? detrahens, fraternas carnes comedit*, &c.

Ex hoc loco videtur quòd Niniuitæ (saltem multi) verè fuerint contriti, ideoque hac pœnitentia iustificati, & saluati, quicumque in iustitia vsque ad finem vitæ perstiterunt. Nam crediderunt in Deum verum, elicuerunt actus spei, timoris, doloris: austeram & inauditam, eamque publicam egerunt pœnitentiam; imò primus rex ipse, posita regia veste, saccum induit, & cinere se conspersit; quæ vtique ingentis interni doloris & contritionis erant indicia. &, quod maximum est pœnitentiæ signum, actusque nobilissimus, conuersi sunt à vita pristina lasciua & scelerata, ad castam & sanctam. Vnde Deus hæc eorum pœnitentiæ opera probauit, & acceptauit, eisq; pœnam condonauit, simul & culpam, vt videtur. ita S. Chrysost. hom. quod nemo lædatur nisi à seipso. *Niniuitæ*, ait, *cõuersi sunt ad timorem Dei, abiectisq; continuò prioris vitæ malis, ad virtutem se & iustitiam per pœnitentiam contulerunt, tam fideli satisfactione, vt diuinitus iam promulgatam sententiam reuocarent.* Et libr. 1. de Orando Deum, *Primi*, ait, *occurrunt Niniuitæ, quos clarum est deprecationis præsidio plurimorum scelerum, quibus diuinam iram in se prouocarant, remissionem ac-*

A *cepisse. Simul enim atq; illos cepit deprecãdi studium, iustos reddidit; ac ciuitatem, quæ iam assueuerat lasciuiæ, malitiæ; breuiter, vitam exlegem & impiam viuere, statim correxit: nimirum potentius diutina peccandi consuetudine, cùm ciuitatem illam cælestibus legibus impleßet, pariter secum trahebat temperantiam, mãsuetudinem, humanitatem, curamq; pauperum. Sanè si quis tunc ingressus fuisset ciuitatem Niniuitarum, qui priùs eamdem probè nouisset, nequaquam agnouisset eam: adeò repentè à turpißima vita, ad pietatem resilierat.* Quare licèt aliqui opinentur Niniuitas fuisse tantùm attritos, tamen contrarium verius est, fuisse etiam cõtritos; nec tantùm ex timore pœnæ, sed etiã ex amore iustitiæ hanc pœnitentiam subijsse. Idem confirmatur ex eo, quòd Scriptura & Patres, maximè S. Chrysost. passim peccatoribus proponunt exemplum Ni-
B niuitarum, tamquam illustrißimum speculũ pœnitentiæ. Vnde Christus Matt. 12. 41. *Viri Niniuitæ*, ait, *surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ. Et ecce pluſquam Ionas hic.* Hinc S. Gregor. in psalm. 7. pœnit. *Pœnitentia*, ait, *est vnum de perfectis donis, descendentibus à patre luminum.* Et Tertull. l. contra Psychic. c. 16. celebrat *Niniuiticam iustitiam:* quamquam verior lectio Pammelij habeat, *Niniuiticum iustitium*, id est cessationem ab omni cibi & potus genere cum Ethnicis, qui, vti antea dixit, *annuo ritu saccis velantur, & cinere conspergitantur.* Idem docet S. Ambros. serm. 28. qui habitus est in Dominica 1. Quadragesimæ, & S. Ephrem serm. de Iona. Idem disertè docet Andreas Vega l. 13. de Iustific. cap. 5. *Niniue*, ait, *vt verisimile est, multos habuit qui ab accepta gratia aliquando exciderunt, & tamen subitò ad prædicationem Ionæ Deum agnouit, & per pœnitentiam non solùm interminatæ mortis periculum euasit, sed &, vt Chrysost. asserit, vitæ incognitæ coronam accepit, facliusq; est, vt August. ait* (l. de Pœnit. med. c. 5.) *euacuata comminatio Prophetæ, quàm humiliatio pœnitentiæ.* Idem docent alij, & insinuat S. 1 hom. 3. p. q. 84. ar. 7. ad 1. Fauet Concil. Trident. sess. 14. c. 4. cùm enim agens de Attritione dixisset: *Et quamuis sine Sacramento per se ad iustitiam perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit*; mox idipsum probat exemplo Niniuitarum, aitque: *Hoc enim timore vtiliter concußi Niniuitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Deo impetrarunt*, scilicet Dei gratiam per pœnitentiam, siue contritionem: nec enim tunc institutum erat Sacra-
D mentum pœnitentiæ, quod postea in lege noua Christus instituit. q. d. Sicut Niniuitæ per timorem disposuerunt se ad virtutem pœnitentiæ & contritionis, qua Dei misericordiam & gratiam impetrarunt: ita Christiani peccatores per timorem & attritionem se disponunt ad Sacramentum pœnitentiæ, quo peccatorum veniam & Dei gratiam consequuntur.

Ex dictis Nota, quanta sit vis pœnitẽtiæ, quæ tantæ vrbis tot tantaque scelera aboleuit, Dei iram placauit, flagellum ei extorsit, imò eius gratiam & iustitiam impetrauit, atque Niniuitas ex filijs gehennæ, fecit filios cæli; ex mancipijs diaboli, fecit amicos Dei; ex iniustis, impijs, infidelibus, sceleratis, fecit iustos, pios, fideles, sanctos. ita S. Chrysostom. Tertull. Ambros. August. *Moral. de efficacia pœnitentiæ.*

& alij tract.de pœnit. Audi S.Ambrosl.de Pœnit.c.6. *Niniuitæ indicunt sibi necessarium perituri ieiunium, in ipsis corporibus animas humilitatis flagello castigant, induunt pro veste cilicium, & pro vnguentis cinere se aspergũt, ac prostrati humo pulueremlambunt. Mortem suam lachrymis funerant, & vitam plangimonijs prosequuntur: reatum suum gemitibus publicant, & actuum suorum pandunt arcana facinora. Omnis ætas & sexus indiscretè lugubribus se aptat efficijs, depositis omnis cultus, deiectu ornatus, negata quoque sunt ipsis alimenta lactentibus; & ætas necdum propijs peccatis infecta, onera sustinuit aliena; cibum suum mutum pecus esuriuit. Vnus audiebatur per mœnia ciuitatis eiulatus disparium naturarũ, & per omnia tecta flebilia resonabant lamenta plangentium; &, vt semel dixerim, terra mugitus confitentium sustinebat, sed & astra ipsa voce pœnitentiæ personabant. Impletum est quod scriptum est Eccli.31. Oratio humiliantis se nubes penetrauit: denique sic placauit offensum Deum, sic mitem fecit rigidum, sic demulsit iratum,* &c. Præclarè S.Bernard.serm.de S.Andrea, pœnitentiam vocat *vltricem vitiorum, altricem virtutum.* Idem serm.71.in Cant. *Cibus eius* (Christi) *pœnitentia mea, & cibus eius salus mea, cibus ego ipse. Mandor cùm arguor, glutior cùm instituor, decoquor cùm immutor, digeror cùm trãsformor, vnior cùm conformor.* Idem serm.2.in Vigil. Natiuit. *Exultare fecimus angelos quando conuersi sumus ad pœnitentiam. Currite fratres, currite: non soli angeli, sed & ipse angelorum vos creator exspectat.* Idem serm.30.in Cant. *Lacrymæ pœnitentium, vinum sunt angelorum.* Plura si cupis, vide quæ annotaui 2.Corinth.7.11.

VERS.9. QVIS SCIT SI CONVERTATVR] ☞ *Si* non est in Hebræo, sed subintelligitur: vnde eo omisso Chald.& Arias sic vertunt, *qui scit quod in manibus suis culpæ sint, conuertatur ab eis, & misertum erit super eum à facie Domini:* quasi hic pœnitenti certa spes detur veniæ, imò certitudo misericordiæ consequendæ. Verùm melius Noster, Septuag.Pagnin.Vatabl.& alij subaudiunt *si*, quasi Niniuitæ incerti sint de venia, de eaque dubitent, & hæreant inter spem & metum suspensi; planius enim & vsitatius est in Hebræo ad illud, *Quis scit*, subaudire & supplere vnam voculam *si*, quàm multas hasce, *Quòd in manibus suis culpæ sint.* Adde, Hebr. ה *mi*, esse interrogatiuum, & significare *quis*, non *qui*: *qui* enim significatur per *he* demonstratiuum.

Dubitant Niniuitæ de remissione, non culpæ, sed pœnæ. q.d. Quis scit si per pœnitentiam nostram Deus placetur, reuocetque sententiam de euertẽda Niniue? Simili modo Deus condonauit adulterium Dauidi, sed puniuit eum morte filij ex eo geniti, 2.Reg.12.19. Vnde Franc.Suarez tom.4 de pœnit. disp.37. sect.9. ex his Ionæ verbis & similibus Ioël.2.14. docet neminem, quantumuis iustus sit, posse satisfacere de condigno pro pœna accidentali seu extraordinaria, qualis erat hic euersio Niniue; imò nec posse aliquid facere, quo infallibiliter talis pœnæ remissionem consequatur. Vnde S.Augustin.in psal. 50. *De incerto*, ait, *pœnitentiam egerunt, & certam misericordiam meruerũt.* Et S.Hieron. *Ideò*, ait, *ambiguum ponitur, vt, dum homines dubij sunt de salute, fortiùs pœnitentiam agant, & magis ad misericordiam prouocent Dominum.*

Secundò, alij hanc dubitationem extendunt ad remissionem culpæ: licet enim certissimæ sint promissiones Dei, quibus pœnitentibus promisit veniam; tamen incertum est an homo impleat conditionem, quam exigit promissio: putà, quòd sit sufficienter dispositus ad gratiam; nimirum quòd sit verè contritus ex amore Dei, non attritus tantùm ex timore pœnarum. ita Gregor.de Valentia 2.2.tract.de Gratia disp.8.q.4.& Card. Bellarm.l.3.de Iustific.c.6.

ET IGNOSCAT DEVS] Hebr. *& pœnitentiam agat*; vel, *pœnitudine ducatur Deus.* ita Septuag.Pagnin & Vatablus. Hinc veteres hæretici, vt Marcion, Manes, & alij censebant Deum veteris testamenti non fuisse verum, nec perfectum; vtpote in quẽ cadat dolor & pœnitentia. Obijciebat ergo Marcion: *Culpandus est Deus, qui iustitiæ vim non pœnitendæ pœnitentiam gesserit.* Resp.Tertul.l.2. contra Marc.c.24. aliam esse pœnitentiam hominum, aliam Dei. *In Deo enim nihil aliud intelligitur quàm conuersio sententiæ prioris, quæ etiam sine reprehẽsione possit admitti in homine, nedum in Deo, cuius omnis sententia caret culpa, quam pro rerum variantium se occursu fieri ostendimus.*

Pulchrè S.Chrysost.hom.1.de pœnitẽtia, docet in Deo verè non esse pœnitentiam, quia non vult, nec optat nobis malum; sed tantùm minatur, ne cogatur illud infligere. *Cuius*, inquit, *ira gratia quæ facturus es mala prædicis? Vt non faciam quæ prædico. Propterea & gehennam minatus est, vt gehennam non inducat. Terreant vos verba, ne facta conturbent.* Ibidem ostẽdit quanta fuerit vis fauoris pœnitentiæ Niniuitarum; *Qui*, inquit, *tribus diebus tantam peccatorum iram soluere valuerunt*, & quanta clementia Dei, *trium dierum pœnitentia contenti pro tot peccatis. Qui enim propositio excitati feruet, atque multa cum solertia pœnitentiam ostendit, breui temporis momento longæui temporis peccata delere poterit.* Vbi aduerte. Chrysost. opinari Niniuitas statim ad prædicationem Ionæ pœnitentiam egisse. Cùm ergo Ionas prædicaret: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur*, sequitur eos per 40 dies pœnitentiam egisse. Verùm quia Chrysost.legit: *Adhuc tres dies, & Ninive subuertetur*; hinc censet eos tantùm per tres dies pœnituisse. Idẽ hom.in psal.7. Homines, inquit, putà hostes, minantur supplicium, & reipsa infligunt: *At non sic Deus, sed contrà omnino, & prædicit, & differt, & verbis terret, & nihil non facit, ne quæ minatur non afferat. Hoc etiam fecit in Niniuitis. Nam ille quoque arcum tetendit, & gladium vibrauit, & iacula parauit, & ictũ non inflixit. Arcus tibi videntur Prophetæ verba esse arcus, & telum, & gladius acutus, quando dicit: Adhuc tres dies, & Ninive subuertetur? sed telum non emisit: non ideo enim erat apparatum vt emitteretur, sed vt reponeretur.*

ET MISERTVS EST DEVS SVPER MALITIAM] *Malitiam*, id est afflictionem; Hebr. *pœnituit eum super malo quod illis inferre decreuerat.* q.d. Reuocauit sententiam punitionis & excidij latam in eos; quia videns pœnitentiam, eorũ misertus est. Tropolog. Abbas Ioseph apud Cassianum collat.17.c.25. Hoc exemplo Dei, inquit, *edocemur, non debere nos obstinatè in nostris delictionibus perdurare, sed comminationem ex necessitate propositam clementi miseratione mollire.* Vt subditis peccantibus, si culpam agnoscant, & veniam petant, parcamus; sicut Niniuitis pepercit Deus.

CA-

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Dolet Ionas Niniuitis contra oraculum suum parci: hinc Deus eum per vmbram hederæ vermemq́; eam corrodentem, corripit & erudit.

1. ET afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est: 2. & orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine, numquid non hoc est verbum meum, cùm adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharsis. scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. 3. Et nunc Domine tolle quæso animam meam à me: quia melior est mihi mors quàm vita. 4. Et dixit Dominus: Putásne benè iraseeris tu? 5. Et egressus est Ionas de ciuitate, & sedit contra Orientem ciuitatis: & fecit sibimet vmbraculum ibi, & sedebat subter illud in vmbra, donec videret quid accideret ciuitati. 6. Et præparauit Dominus Deus hederam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super caput eius, & protegeret eum (laborauerat enim) & lætatus est Ionas super hedera, lætitia magna. 7. Et parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum: & percussit hederam, & exaruit. 8. Et cùm ortus fuisset sol, præcepit Dominus vento calido & vrenti: & percussit sol super caput Ionæ, & æstuabat: & petiuit animæ suæ vt moreretur, & dixit: Melius est mihi mori, quàm viuere. 9. Et dixit Dominus ad Ionam: Putásne bene iraseeris tu super hedera? Et dixit: Benè iraseor ego vsque ad mortem. 10. Et dixit Dominus: Tu doles super hederam, in qua non laborasti, neque feciſti vt creseeret: quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte perijt. 11. Et ego non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt pluſquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam, & iumenta multa?

ET AFFLICTVS EST IONAS] cùm elapsis quadraginta diebus vidit oraculum suũ frustrari, & Niniuen non subuerti, vti ipse prædixerat. Afflictionis causam varij variam dant: Primò, S. Hieron. & Remig. censent eum afflictum ex amore populi sui, eò quòd sciret Gentium salutem fore ruinam Israel. Cùm ergo Deum videret misericordiam exhibere Niniuitis, censebat eam subtrahendam à Iudæis, iramq́ue Dei illis imminere; & ea de causa tantopere indoluit. Secundò, Arias censet eum indoluisse parcente Assyrijs, eò quòd sciret per eos puniendos & vastandos Israelitas. Verùm hoc gratis dicitur. Tertiò, Vatabl. censet eum doluisse, quòd Iudæi incitati tot minis Prophetarum, tam duri essent ad pœniteniam, cùm Niniuitæ adeò tam essent faciles, vt vno eius oraculo compuncti, totos sese dederent ieiunio, sacco & cineri. Verùm aliam causam dat Ionas.

Dico ergo eum afflictum fuisse, eò quòd videret Deum parcere Niniuitis pœnitentibus, ac consequenter suum oraculum, quo eam euertendam prædixerat, reddi vanum & falsum, ideoque timeret se irridendum, & habendum falsum Prophetam. Nimius ergo & indiscretus amore honoris proprij, fuit causa huius afflictionis, impatientiæ, & iræ Ionæ. vnde optat mori potius, quàm cum ignominia viuere, inquit Theodor. ita & Theoph. Albertus, Clarius, Dionys. & alij. Ita & S. Ephrem serm. de Iona, qui Niniuitis ita Ionam consolantes inducit: *Noli contristari ò Iona, sed gaude; quia nouam vitam agimus: per te enim bona inuenimus, per te vniuersorũ Deum agnouimus. Non es mentitus, ne timeas: subuersa enim nostræ malitiæ, & exaltata fides in manu tua. Nam* A *angelos in excelsis gaudio perfundens. meritò ipse super terram in eo gloriari & exultare debes, quia Deus de nobis gaudet in cælis.*

Nota. Optat Ionas rem iustam, vnde non peccat mortaliter: optat enim vt Niniuitæ ob peccata præterita puniantur, vtq́; sententia Dei in eos lata non reuocetur, esto pœniteant. sic enim iudex latronem ob furta suspendit, esto eũ pœniteat. Sed quia id optat indiscreto zelo, & vano fine; nimirum vt honori suo consulat, cum tãto Niniuitarum damno, peccat venialiter. Hæc ita se habere, patet ex verbis Ionæ, & ex verbis Dei eum redarguentis, v. 11. cùm ait: *Et ego non parcam Niniue, ciuitati magnæ, in qua sunt pluſquam centum viginti millia hominum.*

Moraliter disce, quàm peruersus sit zelus indiscretus, quamq́ue displiceat Deo. Ionas enim cogitare debebat, seq́ue consolari quòd magis hîc ageretur honor Dei, qui miserat Ionam, quàm suus; ac Deo curæ fore honorem suum, ne haberetur mendax. Rursum cogitare debebat oracula Dei minacia solere esse conditionata, ideoq́ue præmitti à Deo, vt homines inducant ad pœnitentiam, itaq́ue eis parcat. Mutatis enim rebus & personis, mutatur decretum & sententia Dei. Quocirca hæc mutatio non est in Deo, Deiq́ue decreto; sed in ipsis reis & peccatoribus. sententia enim Dei est hæc: Moriatur peccator, si videlicet in peccato persistat; quòd si non persistat, sed pœniteat; non moriatur, sed viuat, Ezech. 18. 32. Discretiùs & pientiùs Michæas cap. 2. 11 cùm certum exitium prædiceret impijs, indolens eorumq́; vitam suo honori præponens: *Vtinam*, ait, *non essem vir habens spiritum* (propheticum) *& mendacium potiùs loquerer.* Verùm

Moral. de zelo indiscreto.

rùm Ionas passione actus, hæc non cõsiderabat; sed, vni honori suo intentus, vti solent homines sui nominis studiosi: *Numquid non hoc est verbum meum*, inquit, *cùm adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui vt fugerem in Tharsis. Scio enim quia tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia*; Chald. *sententiam reuocans, quo minùs malum infligas.* Scis hoc ô Iona? cur ergo idem non facis? cur iram clementia non temperas? cur Deum tuum non imitaris? cur clemens, id est diuinus, esse non vis? Hinc liquet Ionam & Prophetas non habuisse spiritum propheticum, quasi habitum permanentem; sed subinde ab eo desertos fuisse, sibique relictos, vt pateret eos esse homines cæteris similes; tumq; actos spiritu naturali & humano, non diuino, quædam egisse & dixisse à charitate, æquitate & veritate aliena; vti fecit hîc Ionas.

Simili indiscreto zelo laborabant Iacobus & Iohannes Apostoli Lucæ 9.54. cùm Samaritis indignantes, eò quòd repulissent Christum, dixerunt: *Domine vis dicimus vt ignis descendat de cælo, & consumat illos?* Quocirca reprimens eos Christus: *Nescitis*, ait, *cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Simili zelo laborabat S. Carpus, cuius hac de re visionem longam sed memorabilem recensет S. Dionys. epist. 8. ad Demophilum. Simili laborabat Acacius Episcopus in Conc. Nicæno, qui cùm duriorem se præberet in recipiendis ad pœnitentiam ijs qui à fide aberrauerant, audiuit à Constantino Imp. *O Acaci scalam à terra in cælum constitue, solusq; per illam in cælum conscende.* ita refert Histor. Eccles. p. 2. cap. 4. Alius in casu simili à viro sancto audiuit: *Si hic errans tibi fletisset tuo sanguine, vti fletit Christo, reciperes eum & colligeres, nec sineres eum extra Ecclesiæ caulam luporum præda exponi.* Saniorem magisque discretum & pium zelum habuit Apostolus erga Iudæos persecutores suos, dum pro ijs optabat fieri anathema à Christo, Rom. 9.1. Et Moses orans pro populo qui vitulum aureum adorauerat, dicensque: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti*, Exod. 32.32. Et Ioseph fratres à quibus venditus erat, cum lachrymis deosculans, alensque per omnem vitam, Genes. 45.1.

A cùm videret Deum vrbi non infligere mala, quæ comminatus erat, non antè: nam antè nesciebat an Deus parciturus esset vrbi, imò putabat eum non parciturum.

B

C

D

Vers. 5. Et egressvs est Ionas] Putat à Castro esse hysterologiam, hæcque verba ponenda recto ordine cap. 3. ante v. 6. Censet enim Ionam finita prædicatione quasi obita legatione, illico egressum de ciuitate, ac in tugurio exspectasse quadragesimum diem; vt spectaret rei exitum, vti hîc dicitur. ita & Theodoret. Lyran & Dionys. Verùm dico nullam esse hîc hysterologiam; Ionamque non ante, sed post quadragesimum diem post continuam pœnitentiam Ninuitarum, afflictum & dolentem, eò quòd oraculum suum de euersione Niniues non compleretur, egressum vrbe, ibique pleniorem rei exitum exspectasse; vt videret an omnino, an ex parte tantùm sententiam suam reuocaret Deus: sperabat enim Deum saltem aliquam cladem eis inflicturum. Verùm cùm vidit omnino Deum eis parcere, murmurans fecit, dixit, & audiuit ea, quæ hîc enarrantur. Patent hæc ex ipso contextu, & serie narrationis, & ex v. 10. vbi reprehenditur Ionas à Deo, eò quòd doleret Deum parcere vrbi: ergo egressus est post quadragesimum diem,

Hederam] quæ vmbraculo à Iona erecto copularet, eique vmbram nouam & maiorem adderet. Adde, hederam non solùm aduersis solis æstum vmbraculum præbere, sed & capitis grauedinem ex æstu & lassitudine contractam (vnde ait, *Laborauerat enim*) discutiendi vim habere. qua de causa & conuiuæ vino æstuantes olim hederâ coronabantur, vt capitis grauedinem, soporem, æstumque discuterent. Hinc apud Gētiles hedera sacra erat Baccho, vt patet 2. Machab. 6. 7. Septuag. Syrus, Arabicus vterque & Pagnin. vertunt *cucurbitam*: cucurbita enim quia frigida est, & ampla habet folia, magnam facit vmbram, eamque frigidam. Quocirca cum in Hieronymo vertente, *hederâ*, expostulauit S. Augustin. epist. 10. ad S. Hieron. eò quòd nonnulli in nouationem hanc obstreperent, & in Ecclesia tumultuarentur; imò Caluinus S. Hieronymum infidæ versionis & impostoræ palàm arguit; & *Canthelius*, ait S. Hieron. *dudum Romæ dicitur accusasse sacrilegij, quòd pro cucurbita hederam vlli tulerim.* Resp. S. Hieron. Aquilam quoque, Symachũ & Theodot. vertisse, *hederam*. Nam hebr. esse *kikaion*, quæ syrè & punicè *kikeia*, & *elkeia* (vnde & Talmudici, teste R. Dauid, *kikaion* dicunt esse id, quod arabicè vocatur *alkerua*) dicitur, estque genus virgulti in Palæstina, latè habens folia in modum pampini, & vmbram densissimam, quod suo trunco se sustinet & citissimè sese dilatat, præsertim in locis arenosis, ruitque in modum, si sementem in terram ieceris, citò confotum crescit in arborem, & intra paucos dies quàm herbam videras arbusculam suspicis. Hoc cùm græcè & latinè nomen non habeat, Nos, ait S. Hieron. Symmachum, Aquilam & Theodot. secuti, nouo nomine vertimus *hederam* (ne, si Hebræum nomen *kikaion* posuissemus, lector bestias Indiæ, vel montes Bæotiæ, aut nescio quid monstri & portenti imaginatur.) idque congruè: quia *kikaion* celerrimè proserpit atq; obtegit & obumbrat, vti hedera. Adde, ex Theophrasto libr. 3. c. 18. & ex Mathiolo in Dioscor. lib. 2. cap. 175. hederæ speciem vnam esse maiori folio, quæ non serpit, sed per se consistit, crescitque in arborem, vti facit *kikaion*. Sic pisces vocamus lupos, canes, equos marinos: quia lupis, canibus, equis terrestribus sunt similes. Eadem de causa Septuag. *kikaion* verterunt *cucurbitam*, nouum ei indentes nomen; quia prosopit, & obumbrat, & sana est vt cucurbita; de qua vulgare est prouerbium, *Sanior est cucurbita*; & isto verè *kikaion* non sit cucurbita, nec hederæ nostra. Quare diuinant, vel potiùs errant, R. Dauid, & ex eo Arias & Rabbinizantes, qui *kikaion* censent esse id, quod Græci *kiki* vocant, nostrum cinum, siue palmam vel manum Christi, ob foliorum articulationem, quæ foliis latis est, & ad vmbram appositis. Ricinum enim est herba venenata, consequenter & vmbra eius. Quis credat Deum Prophetę suo præparasse ad vmbram herbam venenatam, cùm ei ad manum esset tot aliæ salutiferæ? Denique nomina herbarum, lapidum, arborum, animalium apud Hebræos communia sunt diuersis multisque speciebus.

Quæ-

Quare *kikaion*, ait Ribera & Sanchez, commune est arbustis quæ breui crescunt, & frondes producunt accommodas ad faciendã vmbram: vnde Noster vertit, *hederam*; Septuag. cucurbitam; alij, cucumerem; alij platanum, &c.

Symbolicè, hedera symbolum est vanitatis mundi, omnisque rei & spei mundanæ. De hac enim hedera v. 10. in Hebr. dicitur: *Filia noctis erat, & filia noctis perijt*, id est, vna nocte nata est, vna etiam nocte perijt. Annon filia noctis est honor, pompa, deliciæ & diuitiæ mundi, quæ vna nocte obueniunt, vna nocte durant; imò sæpè eadem nocte transeunt & pereunt? sicut vermis hederam subitò erosit, sic sæpè morbus, mors, odia, calumniæ, rapinæ, &c. bona mundi auferunt. Putas te quiescere securè in tuis opibus? falleris: sub vmbra hederæ quiescis, vermis aduersæ fortunæ hederam hanc erodet; & tua vmbra, tua spes vana & vmbratica euanescet. Hinc Deus vti Ionæ; ita & diuitibus, honoratis, &c. sæpè hanc vmbram subducit & aufert; vt videant homines spes omnes esse inanes, quas extra Deum in bonis hisce suis collocant. Vide quæ de pomo & verme ei innascente dixi Amos 8. 1.

Rursum hedera propriè dicta, arctissimo cõplexu arbores sibi implicat & vincit, ac vinciendo enecat: hoc idem faciunt amantibus voluptates, & sæpè amasiæ. Quocirca olim Romæ Flamini Diali nefas erat tangere hederam, atque adeò ne nominare quidem fas erat: vt significarent quanta puritas & castitas, æquè ac libertas deceat sacerdotem. Nam amare, æquè ac rebus terrenis animum implicare, mera seruitus est. Inde Prouerbium: *Lascivis hederis ambitiosior.* Hinc & hedera dicitur quòd hæreat, quodque sequatur quidquid proximum est. Hedera, ait Festus, dicta quòd hæreat, vel quòd edita petat, vel quia id cui adhæserit edat. quæ in tutela Liberi patris putabatur esse: quia vt ille iuuenis semper, ita hæc viret: vel quia ita omnia, sicut ille mentes hominum illigat. vinum ergo, honor & cupediæ, quæ mentem illigant, sunt hedera, ideoque inimica homini: sicut *Hedera*, inquit Plinius libr. 16. cap. 34. *inimica est arbori, satisq; omnibus, sepulchrag, ac muros rumpens, serpentum frigori gratissima, vt mirum sit vllum honorem habitum ei.*

Simile est de cucurbita, vt vertunt Septuag. eiusque vmbra, de qua audi Theophyl. *Cucurbita*, ait, *vmbra est gloria huius mundi: quæ quasi flos fœni nos refrigerat in afflictionum æstu, ideoq; à nobis expetitur: sed ferit eam vermis matutinus, scilicet conscientia nostra remordens, & peccatorum nobis sensum exhibens. Ipsa enim quasi sensibilis tinea ossium cordisq;, ob oculos nobis ponens scelera, docensq; nos grauibus pœnis dignos, ferit cupiditatem gloriæ, illudq; Propheta persuadet; Iram Domini sustinebo, quoniam peccaui ipsi. Et paulò pòst: Eò quòd peccauimus, flagris cæsus sum.*

LABORAVERAT ENIM] Ionas æstu corporis, circumeundo & prædicando ardente sole & magis æstu ac dolore animi, quòd videret suum oraculum irritari.

PARAVIT DEVS VERMEM] Syrus & Arabicus vterque, *præcepit Deus vermi: præcepit*, id est ordinauit, disposuit, incitauit, impulit: instinctus enim naturalis in Script. vocatur præceptum. Per *vermem* accipe vel erucam, vt Theoph. vel teredinem, vt Arias; vel potiùs aliquem alium extraordinarium, nostris mordaciorem & voraciorẽ. Nam hunc vermem non fuisse ordinarium, patet ex eo, quòd subitò hederam erroserit in aurora, ita vt illa exaruerit & deciderit, antequam sol incalesceret, & feriret caput Ionæ: hoc autem facere tam citò nequit vermis vnus naturalis & ordinarius. Vbi Nota. Pro *ascensu diluculi*, Chald. clarè vertit, *sub ascensum auroræ*, scilicet diei sequentis diem præcedentem eiusque noctem, quâ nata erat hedera.

Allegor. S. Hieron. & S. Augustin. epist. 49 qu. 6. Ionas id est vetus testamentum, habuit vmbraculum hederæ, id est promissiones terrenas, quæ erant vmbræ futurorum in lege noua; has succidit Christus, qui est ipsa veritas, atque absque vllo semine oritur, & dicit: *Ego sum vermis, & non homo*, psalm. 21. qui inscribitur, *Pro susceptione matutina. Vermis*, inquit S. Augustin. est Christus *propter humilitatem carnis, fortassis etiam propter Virginis partum. Nam hoc animal plerumque de carne, vel de quacumque re terrena sine vllo concubitu nascitur. Matutinus est, quia diluculo resurrexit.* Ionas succisa hedera dolet. sic Iudæi succisa lege Mosis lugent, imò Christo & Christianis indignantur.

Rursum Symbolicè, S. Hieron. Sunt, inquit, qui vermem & ventum vrentem Romanos intelligant duces, qui post resurrectionem Christi, Israel penitus deleuerunt.

PRÆCEPIT DOMINVS VENTO CALIDO] Heb. *vento* קָדִים *kadim*, id est Orientali; putà Euro, qui calidus est, vrens & torrens ita Pagnin. & Tigurina. VERS. 8.

ET AESTVABAT] Tigurin. *& penè exanimatus est æstu*: ingens enim æstus fuerit oportet, qui eum impulerit petere vt moreretur. Vnde Septuag. vertunt, *& angustiabatur & relinquebatur anima sua*, vti habẽt Complut. & Regia; licet Romana habeant, *& angustiabatur, & tadebat eum animæ suæ*; Chald. *& erat deliquium animi patiens.* Tropol. sicut hedera quæ vmbram faciebat Ionæ, corrosa à verme, sol æstuans percussit caput Ionæ; ita & tuis ô homo viribus à morbo aut senio arrosis, mors te percutiet.

BENE IRASCOR EGO VSQVE AD MORTEM] *Bene*, id est *valdè*; aut potiùs, *iustè & meritò*. Vnde vertit Pagnin. *vehemens mihi ira est vsque ad mortem*; Tigurina, *iusta est ira mea, vt etiam mori cupiam*; Septuag. *valdè contristatus sum ego vsque ad mortem.* Sicut enim vehemens tristitia Christum adegit, vt diceret, *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* q. d. Tristitia tanta est, vt penè me exanimet & vitam mihi adimat: sic & vehemens ira homines adigit, vt optent amentque mori; præsertim si eis obsistatur, vt difficultatem ob quam irascuntur amoliri non possint: tunc enim vehemens ira vehementem parit tristitiam, mœrorem & desperationem. VERS. 9.

Dolet Ionas de vmbra hederæ, sic multi dolent & contendunt *de vmbra asini*, vt vulgò dicitur, id est, de re parui vel nullius momenti. Fabulam ex qua natum est hoc prouerbium, narrat Aristophanes in Vespis, & Plutarch in vita Demosthenis. Meminit & Apuleius l. de Asino aureo. Demosthenes, inquiunt, cùm iudices parum haberet attentos, vt eos attentos redderet, narrauit *Mor. de vmbra asini.*

rauit fabulam, dicens: Quidam conduxerat asinum, quo Athenis veheretur Megaram: in itinere ardente sole meridie non habens aliud vmbraculum, depositis clitellis sub asino sedens, eius vmbra semet obtegebat. Cæterùm id agaso non sinebat: hominem inde depellens, clamansque asinum esse locatum, non asini vmbram. Alter item ex aduerso tendebat, asseuerans etiam asini vmbram conductam esse. A rixa ventum ad verbera, inde ad ius & tribunal. Hæc locutus Domosthenes, repentè descendit, & discessit. Reuocatus à iudicibus vt reliquum fabulæ enarraret, ait: *Itane de asini vmbra libet audire, viri verò de vitæ periclitantis causam audire grauamini?*

VERS. 10. TV DOLES SVPER HEDERAM, IN QVA NON LABORASTI] q.d. Si adeò doles ob hederam vilem herbam, quæ citò nascitur, & citò perit, succisam; quanto magis vnà mecum dolere & pœnitere debes de interitu tantæ vrbis, totque centenorum millium animarum, quot sunt in Ninive, eisque pœnitentibus misereri, & parcere? Sic hodie non desunt nobiles, qui magis dolent in morte equi, quàm famuli; imò qui famulos enecant in cultura agrorum, ouium, auium; malunt-que perdere hominem, quàm falconem, equum, vel accipitrem.

Pulchrè S. Ephrem serm. de Iona: *Cucurbita tibi nunc loco magistri efficitur, ex qua sapientiam & prudentiam addisce, ac quanta sit vis diuinæ clementiæ. Tu parcis cucurbitæ, & ego ciuitati. Tugurium tuum sit speculum ciuitatis. Tugurium abiectum quæris, & vrbem funditus euersis? vbi rectum iudicium tuum ô Iona? cucurbitam ciuitate potiorem ducis? Super vili cucurbita commiserationis affectum ostendis, & in ciuitatem durissimum ac seuerissimum te exhibes?* Et paulò pòst historiam Ionæ ita prosequitur: *Congregatiq; respicientes adorabant eum, ac munera cum decimis suis offerebant. Aperuit rex thesauros, & obtulit ipsi dona valdè honorifica; vno omnium ore celebratus est Ionas, ingressusq; in curru regio consedit.* Deinde subdit, regè misisse virosqui Ionam in Ierusalem honorificè reducerent, & per hospitia commodè tractarent; quos ipse appropinquans Ierusalem, osculo & amplexu salutans, datáque illis benedictione, domum remiserit: noluisse enim permittere, vt ipsi licèt multum rogantes, vrbem sanctam ingrederentur, ne viderent idola & scandala gentis suæ.

QVÆ SVB VNA NOCTE NATA EST, ET SVB VNA NOCTE PERIIT] Hebr. *quæ filia noctis erat, & filia noctis periit*, id est, quæ vna nocte orta est, & vna nocte perijt. ita Vatabl. & Pagnin. Clarè Chald. *quæ in hac nocte fuit, sed nocte altera periit.* Prima enim nocte nata fuit hedera, quæ sequente die cùm arderet sol, Ionam ab æstu sua vmbra protexit; sequenti nocte finiente, putà in aurora, vermis iussu Dei erosit hederam, vnde sol oriens afflixit Ionam, vt æstuaret, cuperetque mori. Bidui ergo spatio hæc peracta sunt.

VERS. 11. CENTVM VIGINTI MILLIA HOMINVM Hebr. *duodecim* רבבות *ribbo*, id est *dena millia*, id est 120. millia: duodecies enim decem faciunt centum viginti. ita Septuag. Pagnin. Tigurina, quæ vertit, *duodecim myriades*: myrias enim continet decem millia: alioqui si sumas myriadē pro millione, falsum erit. Quis enim credat in Ninive fuisse duodecim milliones infantium? millio enim continet decies centena millia.

A QVI NESCIVNT QVID SIT INTER DEXTERAM ET SINISTRAM id est bonum & malum. Est prouerbium. Phrasis hæc petita est à pueris, *qui nesciunt vtrùm dextera an sinistra valentior, & vsui cuilibet aptior sit: quia nondum experti sunt. æquabiliter enim adhuc pro tempore, quia nuper de vulua prodierunt, vtrumque brachiolum, vtraque manus omnino imbecillis est*, ait Rupert. qui mysticè id adaptat ijs, qui nesciunt quid inter Dei veritatem & hominum mendacium intersit.

Ex hoc loco Theologi, ac nominatim Gabr. Vasquez 3.p. q. 68. a. 8. disp. 254. c. 3. rectè confutat Lutheranos, qui docent nos iustificari præcisè per fidem ex opere operantis, non per Sacramenta ex opere operato: Sacramenta enim ad hoc tantùm adhiberi, vt fidem recipientem B excitent, qua iustificetur: ac proinde paruulos, qui in baptismo purgantur à peccato originali ac iustificantur, elicere actum fidei qua iustificentur, sicut elicuit S. Iohannes Baptista in vtero matris, Lucæ 1. 44. Hoc enim dogma non tantùm est contra omnem experientiam, sed etiam contra Scripturam hoc loco, quæ docet paruulos nescire quid sit inter dexteram & sinistram, id est, non discernere inter bonum & malum. Si enim haberent fidem, vtique discernerent inter bonum & malum. Fides enim discernit virtutes à vitijs; æterna à temporalibus, Deum à creaturis. Nam, vt ait Apostolus Hebr. 11. 1. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Quocirca hoc Lutheri dogma adeò stolidum visum fuit Anabaptistis, vt ipsi maluerint docere paruulos non esse baptizandos, sed C exspectandum dum adolescant, & rationis compotes, actum fidei qua iustificentur eliciant, potiùs quàm admitterent paruulos ratione vti. Ecce in quas angustias, in quæ absurda hæresis agit Nouantes. Quare S. August. lib. 1. de Pec. mer. cap. 55. ridet quosdam Pelagianos, qui in infantibus actualia peccata esse dicebant. Experimur enim, inquit, eos adeò vsu mentis destitutos esse, vt nec vbi sint sentiant, & iuxta se iacentibus mammis, magis possint esurientes flere, quàm fugere: quippe qui nec mammas quidem ipsas, nec aliud aliquid norint. Quomodo Deum agnoscant, qui nec mammas, nec matrem agnoscunt?

Moral. disce hîc, quàm Deus clementior sit homine etiam sancto, quamque satius sit confugere ad Dei, quàm ad hominum tribunal. Si D Ionas in causa Niniuitarum fuisset iudex, tulisset in omnes licet pœnitentes, ob præterita scelera sententiam mortis; eò quòd hanc tulisset Deus ante eorum pœnitentiam: verùm Deus contrariam fert sententiam, qua eos ob pœnitentiam à morte absoluit. Ita Dauid proposita ei à Nathan optione gladij, famis & pestis, elegit pestem dicens: *Melius est vt incidam in manus Domini (multa enim misericordiæ eius sunt) quàm in manus hominum*, 2. Reg. 24. 14. Errat ergo Seneca lib. 2. de Clementia c. 5 dicens, *misericordiam vitium esse pusillanimi, ad speciem alienorum malorum succidentis.* Verùs Arist. lib. 2. Rhetoric. cap. 8. *Sapiens*, ait, *misericors est, insipiens immisericors & inuerecundus.* Hoc est quod profitetur Ecclesia in Collecta Dominicæ decimæ post Pentecosten: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam*

dentem, vt ad tua promissa currentes, cælestium A *horum facias esse consortes.* Vnde Biblia Gothica hic ad fine Ionæ addunt, eumq; hæc sententia concludunt: *Sed parcam & miserebor eis, quoniam magnum est nomen meum.*

Rursum Deus hic docet Ionam nosq; omnes, conformare nos voluntati diuinæ per omnia, vt cùm opus aliquod iubet, ilico alacriter & feriter illud inchoemus & prosequamur; cùm verò ab eo cessare iubet, vel illud fructu & effectu suo frustratur, ilico tranquilla mente cessemus, & patienter feramus opus & laborem nostrum suo destitui fine & fructu. Quid enim quærimus, nisi facere voluntatem Dei, eiq; per omnia nos conformare? At voluntas Dei iam est, B vt opus inchoatum relinquas, imò destruas. ergo illi acquiesce: alioqui non Dei voluntati, sed tuæ phantasiæ & cupiditati seruis. Atque hac in re consistit animæ sanctæ perfectio, vt in omnibus actibus & euentibus, tam aduersis quàm prosperis, plena resignatione humillimè & integerrimè eaq; se Deo resignet, ac quidquid euenerit acquiescat, & tranquilla, imò iucunda mente de Dei manu accipiat: denique gaudeat hac in re Dei voluntatem impleri, dicatq; cum S. Iob: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum.* Ita Abraham iussus immolare filium, strinxit in eum gladium; at vbi sensit se reuocari ab angelo iussu Dei, ilico gladium in vaginam reposuit: ac sicut non fuit contristatus, cùm accepit à Deo mandatum immolandi filium; sic nec gauisus est, cùm Deum hoc mandatum reuocantem, & filio parcentem audiuit. quorum vtrumque fuit actus magni & heroici animi, totum se Deo tradentis, ideoq; ad omnia indifferentis & parati. Sic S. Ludouicus inspiratione Dei traiecit in terram sanctam, vt illam Deo & Ecclesiæ restitueret. at omni hoc sui conatus fructu frustratus, imò captus, tranquillè cõquieuit in Dei beneplacito. Vtique hæc tranquillitas acquiescendi par, imò maior fuit magnanimitate tanti operis & expeditionis. S. Franciscus Dei instinctu profectus in Ægyptum vt Soldanum conuerteret, aut ab eo martyrij laurea donaretur, cùm neutrum succederet, tranquillus redijt, totum se Dei voluntati resignans. Idem fecere alij Sancti. Quocirca S. Ignatius fundator Societatis nostræ, ita suam in Dei voluntatem transtulerat, vt diceret: *Si casu aliquo Societas à me inchoata, & tantis laboribus promota dissolueretur aut interiret, post mediam horam in oratione positam, nullam ex illa re, qua nulla mihi tristior accidere posset, molestiam, Deo adiuuante, caperem.* Sancti ergo sinunt se gyrari & regyrari à voluntate Dei, sicut equus gyratur & regyratur à sessore.

COMMENTARIA IN MICHÆAM PROPHETAM.

ARGVMENTVM.

MIchæas, ait S. Hieron. ad Paulinum, *de Morasthi, coheres Christi, vastationem annunciat filiæ latronis, & obsidionem ponit contra eam, quia maxillam percusserit iudicis Israel.* De eodem sic scribit Epiphan. in eius vita: *Michæas Marathides Propheta, de tribu Ephraim oriundus, cùm plurima designasset Achab regi Iudæ, ab eiusdem filio cui nomen Ioram, præcipitatus occubuit; eò quòd de iniquitatibus suis progenitorumq; suorum quæ perpetrauerant, redarguißet. Is mortis carcere liberatus, in Marathi propria terra planè solitarius tumulum iuxta polyandrium sortitus est. Est quidem monumentum ipsius vsque in hodiernum tempus nobilißimum.* Eadem habet Dorotheus in vita Michææ. Sentiunt ergo hi Auctores, Michæam hunc vixisse tempore Achab & Iezabelis.

Michææ duo.

Verùm Nota Primò. alius est hic Michæas à Michæa filio Iemla, qui prædixit stragem & necem Achab, 3. Reg. 22. 14. quē Euseb. in Chron. ait cœpisse prophetare anno quinto Iosaphat (licèt aliqui in Eusebio pro *Michæas*, censeant legendum *Elias*) nam ille vixit sub Achab & Iosaphat, hic verò noster sub Ioathan & Achaz: hic ergo illo fuit posterior ducentis, vel centum quinquaginta annis. Rursum ille in Israel, hic in Iuda vitam egit. Prophetauit Michæas sub Ioathan, Achaz & Ezechia, vt ipse ait cap. 1. 1. ergo non sub Iosia, vt habet Isidorus: nam inter Ioathan & Iosiam fluxerunt anni centum viginti.

Michæas Propheta fuit Morasthites.

Nota Secundò. Hic Michæas oriundus fuit de Morasthi, qui fuit viculus in tribu Iuda iuxta Eleutheropolim, ad Orientem eius. Chaldæus, Clarius, Arias & Vatabl putant esse eumdē cum Maresa. A Maresa enim vel Moreset deductum videtur Hebræum nomen patronymicum Morasthi, id est Morasthites, quod hic Michææ attribuitur. Verùm S. Hieron. docet, Morasthi nomen esse loci distincti à Maresa. Vnde ipse in Epitaphio Paulæ scribit suo tempore ibidem extitisse sepulchrum Michææ illudq; conuersum fuisse in ecclesiam, quam S. Paula inuisit religionis ergò. sic & Adrichomius, & alij in Descriptione terræ sanctæ; sic & Remigius, Haymo, Rupertus, Hugo & Lyranus hìc. Fuit ergo Michæas oriundus ex tribu Iuda, non Ephraim, vti censuit Epiphan. Isidorus & Dorotheus in Synopsi: vnde c. 1. 9. ait, *Venit vsque ad Iudam, tetigit portam populi mei vsque ad Ierusalem.* De Maresa verò quasi de peregrina dicit v. 15. *Adhuc hereditem adducam tibi, quæ habitat in Maresa.*

Michæas Martyr occubuit occisus gladio, ut Theoph. vnde Sanctorum catalogo ascriptus in Martyrologio legitur die 15. Ianuarij. Ibi enim sic legimus: *In Iudæa SS. Habacuc & Michæa Prophetarum, quorum corpora sub Theodosio Seniore diuina reuelatione reperta sunt.* Reuelationem hanc narrat Sozomenus lib. 7. c. vlt Cassiodor. in Hist. Tripart. l. 1. c. 49. Nicephor. li. 12. c. 48. Audi Sozomenum: *Atqui non sola hæc religionem cohonestabant, verùm & Habacuc, & post eum non longo intervallo Michæas, inter Prophetas primi, circa hoc tempus apparuerunt. Amborum autem corpora per diuinam in somnis visionem indicata sunt Sebenno, tum temporis Eleutheropolis Episcopo. Erat autem nomen eius ciuitatu Cala, quæ antea Cila vocabatur, in qua repertus fuit Habacuc. At Baratsatia locus est circiter decem stadiis ab ea ciuitate distans, in quo Michæa sepulchrum erat, quod monumentum fidele vocabant indigenæ, ignari quid dicerent, Nephasa neemana* (id est animam fidelem, vel corpus fidele: anima enim metonymicè sumitur pro corpore, etiam mortuo, putà pro cadauere; vt in Leuit. ostendi) *lingua patria appellantes.*

Argumentum Michææ est, taxare idololatriam, vitiaque ex ea nata, ac præsertim oppressionem pauperum tam Samariæ, quàm Ierusalem; putà tam decem tribuum, quàm duarum. Et quia Samaria idololatriæ vitulorum initium dedit, eamque communicauit Iudæ sub Achaz impio rege, hinc primò excidium Samariæ per Assyrios, deinde excidium Hierosolymæ per Chaldæos comminatur, stragemque & captiuitatem populi, præsertim principum tam laicorum quàm Ecclesiasticorum, qui in scelere duces fuere populo, prænunciat. post hæc tristia, de more lætа subiungit, eosdemque consolatur, promittens lætum reditum è Babylone per Cyrum, & lætiorem ex peccato, morte & gehenna regressum ad gratiam, vitam & Ecclesiam tum militantem, tum triumphantem per Christum, quem in Bethlehem nasciturum prædicit. Nota. Michæas in stylo & spiritu similis est Isaiæ, eiusque quasi æmulus, vnde & eumdem subinde ad verbum citat, vt patebit cap. 4. 1. & cap 5. 1. Vide can. 6. in procœmio.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Denunciat excidium Primò, Samariæ, quia illa fuit prima & princeps idololatriæ; cuius opes quasi mercedes meretricis, id est idololatriæ, ad meretrices, id est ad Assyrios pariter idololatras, reuersuras prædicit. Nominat autem aliquot eius vrbes, scilicet Aphra, Sappir, Saanan, cum ea vastandas, in quarum etymo eleganter ludit, vt ostendam v. 10. & seqq Deinde v. 12. idem excidium prædicit Iudæ, quæ in idololatria imitata est Samariam; ac nominatim Lachis, quæ prima vrbium Iuda, suscepit idola Israel, ac Bethaël, Maroth, Maresa & Odollam.

1. VErbum Domini, quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ, regum Iuda: quod vidit super Samariam & Ierusalem.

2. Audite populi omnes, & attendat terra, & plenitudo eius, & sit Dominus Deus vobis in testem, Dominus de templo sancto suo.

3. Quia ecce Dominus egredietur de loco suo: & descendet, & calcabit super excelsa terræ.

4. Et consumentur montes subtus eum: & valles scindentur sicut cera à facie ignis, & sicut aquæ, quæ decurrunt in præceps.

5. In scelere Iacob omne istud, & in peccatis domus Israel. quod scelus Iacob? nónne Samaria? & quæ excelsa Iudæ? nónne Ierusalem?

6. Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro cùm plantatur vinea: & detraham in vallem lapides eius, & fundamenta eius reuelabo.

7. Et omnia sculptilia eius concidentur, & omnes mercedes eius comburentur igne, & omnia idola eius ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata sunt, & vsque ad mercedem meretricis reuertentur.

8. Super hoc plangam, & vlulabo: vadam spoliatus, & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum.

9. Quia desperata est plaga eius, quia venit vsque ad Iudam, tetigit portam populi mei vsque ad Ierusalem.

AD MICHAEAM] Michæas hebraicè dicitur *Micha*, id est *pauper*, quia pauperem Christum rure in Bethleem nasciturum prædixit & adumbrauit. Verùm quia *Micha* per crasin idem esse potest quod *Michaihu* (vt patet 1 Paralip. cap. 18. 8.) id est, *quis sicut ille?* ac idem quod *Michaia*, & *Michaiahu* (vt patet 2. Regum 21. 12. Iudic. 17. 1. & 2. Paral. 13. 2. in Hebræo) vt

A significet idem quod *Michael*, id est, *quis sicut Deus?* Morasthi, id est *hereditas mea*. Hinc Noster, Septuag. & alij eum vocant non *Micha*, sed Michæam. Quocirca S. Ambros. enarrat. 1. in Michæam, quæ exstat in fin. tom. 2. operum eius: *Michæas*, inquit, *significat quis à Deo? vel, vt alibi inuenimus, quis iste? Morasthi filius, heres. Quis autem heres, nisi Filius Dei, qui ait: Omnia mihi tradita sunt à Patre. Et cùm ipse esset heres, voluit nos esse coheredes. Meritò quis iste? non è populo vnus, sed electus ad gratiam Dei, in quo loquitur Spiritus sanctus.*

IN DIEBVS IOATHAN, ACHAZ, ET EZECHIAE] Hinc patet Michæam paulò post Oseæ, Ioël, Abdiam & Ionam cœpisse prophetare; sed cum ijs perrexisse obire idem munus. Nam illi cœperunt sub Ozia, qui fuit pater Ioathan. Ioathan fuit pius rex, æquè ac Ezechias; impius verò & idolatra fuit Achaz. Quocirca Michæam reueritus est, eiusque oraculis licet liberis & minacibus compunctus fuit Ezechias, vti narrat Ieremias c. 26. 17. & seq. Ioathan regnauit annis 16. totidem Achaz, Ezechias verò annis 29. Quare si omnibus hisce annis prophetauit Michæas, sequitur eum prophetasse annos 61. Verùm ignoratur an cœperit primo anno Ioathan, & an finierit vltimo Ezechiæ. Hinc vtrimque demendo aliquot annos, coniectat Arias eum quinquaginta plus minùs annis prophetasse.

B

QVOD VIDIT] *Quod*, scilicet *verbum*. Prophetia enim nunc vocatur *visio*, nunc *verbum*: quia Prophetæ eam oculis mentis videbant, & auribus mentis eamdem à Deo loquente audiebant. Mens enim suas habet aures & oculos, sed mentales, non corporales. Quocirca in mente idem

C est audire, quod videre, scilicet cognoscere & intelligere: hinc prophetia mentalis nunc vocatur *verbum*, nunc *visio*; nunc dicitur audiri, nunc videri. de quo plura dixi Isaiæ 1. 1.

AVDITE POPVLI OMNES, ET ATTENDAT TERRA] Hebræorum scilicet. Hisce enim solis loquitur. Imitatur Isaiam, qui simili modo & patho orditur: *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est.* Pari modo stylus Michææ similis est stylo Isaiæ: vterque enim elegans est, acer, concisus, patheticus. *Terra*, id est terræ huius incolæ. Vnde explicans subdit; VERS. 2.

ET PLENITVDO EIVS] & significat id est. *plenitudo* sunt ciues & indigenæ: hi enim vrbes & pagos terræ implent, vnde Septuag. vertunt, *& omnes qui in ea.*

ET SIT DOMINVS DEVS VOBIS IN TESTEM] q.d Dominus sit testis, quòd scilicet ego secundùm officium & munus prophetiæ & prædica-

tionis mihi à Deo commissum, vos moneam & corripiam de vestris idolis & sceleribus, clademque & excidium nomine Dei prædicam & intentem. q.d. Si superbi, rebelles & obstinati non pareatis hisce meis monitis & minis, ideoque pereatis, testor Deum, me vos hac de re præmonuisse ac proinde vos non mea, sed vestra culpa & obstinatione inexcusabiles perire; vt non mihi, sed vobis excidium vestrum assembere debeatis. Hinc Chald vertit: *sit verbum Domini Dei contra vos in testem.*

Aliter S. Hieron. Theodor. Haymo, & Lyran. q.d. Testor Deum, hanc meam prophetiam non esse meam, sed Dei; quòd scilicet ego hæc non fingam, sed à Deo audierim. Aliter quoque Rupert. q.d. Testis sit Deus, quòd ipse sua pacta vobiscum inita seruarit, vos verò eadem violaueritis; itaque culpa perditionis vestræ non Deo, sed vobis sit assembenda. Verùm prima expolitio est genuina, vt patet consideranti antecedentia & sequentia. Antè enim citauit populũ, ad audiendam Dei de ipsorum sceleribus sententiam: hic ergo Deum in testem vocat, quòd illam sententiam vis indicarit & prænunciarit, ne causentur se non fuisse prærnonitos. Sententiam Dei subdit dicens: *Quia ecce Dominus egredietur*, &c. *& calcabit super excelsa terræ*, &c.

DOMINVS DE TEMPLO SANCTO SVO] q.d. Dominus qui in cælo quasi in templo suo augustus, omniq́ue cultu adorandus residet, indeq́ue contemplatur terram, omniq́ue hominum opera; ipse sit vobis mihiq́ue testis, quòd hæc eius oracula & decreta vobis enunciarim.

VERS. 3. QVIA ECCE DOMINVS EGREDIETVR DE LOCO SVO] Hic incipit sententia & oraculum Dei, edictum per Michæam. Anthropopathῶs dicitur Deus egredi & descendere de cælo, cùm in aëre vel terra suum brachium & potentiam ostendit, ac mira nouaq́ue operatur: Deus enim quoad substantiam inuisibilis est, tantumq́ue videtur per operationem. Sicut ergo angelus dicitur egredi aliquò, cùm ibi operatur (imò S. Thom. censet angelos non esse in loco, nisi per operationem. quod tamen alij meritò, & cum ratione negant: angelus enim etiamsi nihil operetur, est in certo & definito loco per substantiam suam) sic & Deus. Præsertim verò dicitur egredi, quasi iudex & vindex ad cognoscenda, iudicanda & puniendagentium hominumq́ue scelera: & quasi dux & antesignanus Assyriorum & Chaldæorum, similiumq́ue Gentium, quas Iudæis alijsque populis immittit, ad hanc suam sententiam & vindictam exequendam. Graphicè hunc Dei quasi bellatoris in aciem cõtra hostes egressum poëtica hypotyposi depingit Psaltes psalm. 17. 10. *Inclinauit*, inquit, *cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius. Et ascendit super Cherubim & volauit, volauit super pennas ventorum. Et intonuit de cælo Dominus*, &c. *Et misit sagittas suas, & dissipauit eos; fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.* Hinc Ezechiel c. 1. vidit Deum curru vectum, & stipatum Cherubinis ad bellum procedere, putà ad excidium Ierusalem.

Aliter Rupert. *Egredietur*, ait, *Dominus de loco suo*; quia relinquet templum, & Iudæam, eamq́ue cedet Chaldæis. Sic Ezechiel vidit eumdem templo egredi cap. 3. 12. & in templo paulò ante aduentum Titi audita est vox: *Migremus hinc*, teste Iosepho li. 7. Belli c. 12. Sic Gentiles obsidentes vrbem aliquam, ex ea certo carmine euocabant Deos tutelares vt ad se transirent, credentes alioqui vrbem capi non posse, teste Macrobio lib. 3. c. 9. Hinc Virgil.

Excessere omnes adytis, arisq́; relictis
Dij, quibus imperium hoc steterat.

significans tum actum esse de Troia, Æneid. 2. Verùm hoc mysticum est, non literale, nec genuinum.

Symbolicè S. Hieron. Hugo & Lyran. Deus inquiunt, egreditur de loco suo, cùm punit & castigat: Dei enim proprium est misereri & parcere. Locus ergo & solium Dei est clementia. Cùm ergo peccatis iratus irascitur & flagellat, videtur de loco suo egredi, ac personam clementiæ deponere; imò naturam suam benignam exuere, & alienam, putà rigidam & sæuam, induere. Hoc est quod de Deo ait Isaias c. 28. 21. *Sicut in valle quæ est in Gabaon, iratus est: vt faciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* q.d. Opus vindictæ est peregrinum & alienum à Dei natura, quæ est ipsa benignitas & clementia; sed ad hoc opus quasi cogunt Deum impij per sua scelera.

ET CALCABIT SVPER EXCELSA TERRÆ] Hoc est, calcabit excelsos & potentes, putà optimates Israel. hi enim metaphoricè vocantur *excelsa terræ* & *montes*; sicut ex aduerso plebem vocat *valles*, dicens:

ET CONSVMENTVR (hebr. נָמַסּוּ *namassu*, id est colliquescent & dissoluentur. ita Tigurina & Pagnin.) MONTES SVBTVS EVM, Deum scilicet. q.d. Deo calcante montes, id est potentes, illi sub eo instar montium fulmine ictorum liquescent, dissoluentur & consumentur. ET VALLES, id est plebeij, SCINDENTVR (Pagn. *scindent se*; Septuag. *talescent*, id est liquescent & consumentur) SICVT CERA scinditur & finditur, tabescit & liquescit, A FACIE, ab ardore, IGNIS; ET SICVT AQVÆ QVAE DECVRRVNT IN PRAECEPS] ita tam diuites & potentes, quàm pauperes & plebeij in Israel defluent, transibunt, & ibunt in ruinam, iuxta illud 2. Reg. 14. 14. *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* Est hæc sententia, ratio mulieris Thecuitis, qua persuadet Dauidi, vt Absaloni condonet cædem occisi fratris Amnon. q.d. Vita hominum fluxa est: Amnon esto non esset occisus, sed viuus, æquè debuisset breui mori; & Absalon breui morietur: noli ergo ô Dauid exigere vindictam, quam natura ipsa breui illi irrogabit. Quam enim ô rex de filio tuo vltionem quæris? mortem ne? At iam moritur: omnes enim quotquot homines sumus, quasi flumina præcipiti cursu deuoluimur in mare mortis, quæ nobis est domus æternitatis. Aut potiùs, quasi pluuia dilabimur in terram, ab eaq́ue sorbemur, vt nil ex ea remaneat, quod redire aut colligi possit; scilicet naturaliter. Comparat enim vitam nostram aquæ, non fluminis pertranseuntis, sed pluuiæ dilabentis & euanescentis in terram.

Tropolog. cùm Deus suæ gratiæ, illuminationis & amoris illapsu descendit in animam, ilico ipsa instar ceræ liquefactæ resoluitur, lachrymatur, marcescit, mansuescit, totamq́ue se Deo resignat. Tunc cõsumuntur montes superbiæ, ambitionis, omnisq; vanitatis; æquè ac valles pusillani-

lunimitatis, timoris, torporis, acediæ. Ita Dauid psal. 21. *Factum est*, inquit, *cor meum tamquam cera liquescens.* Et Isaias c. 64. 1. *Vtinam*, ait, *dirumperes cælos, & descenderes: à facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent.* Pulchrè S. Gregor. in illud Cant. 1. *Osculetur me osculo. Cùm*, inquit, *eius (sponsi) osculum sentio, subita mutatione me deslinquo, & in eius similitudinem illuo liquefacta transformor.*

A

In scelere (ob scelus) Iacob, id est Iacobæorum, putà Iudæorum, omne istud exitium quod iam dixi, eis irrogabitur; et in peccatis, id est ob peccata, domvs Israel.] Nonnulli censent *Iacob* hîc idem esse quod *Israel*: Iacob enim patriarcha luctans cum angelo, eique prævalens, vocatus est Israel, id est *prævalens Deo*, putà angelo Dei vicario. Ad rhythmum ergo, & ad elegantiam carminis, æquè ac ad auxesin, idem alijs verbis, inquiunt, Michæas nomine Dei repetit & inculcat. q. d. Scelera hæc Iudæorum me exacerbant & prouocant ad vindictam, quia sunt scelera Iacob, id est posterorum Iacob, quem ita extuli, vt cùm esset iunior, Esau verò frater eius esset senior, ipsum tamen seniori prætulerim & præelegerim, eiusque familiam mihi in populum & Ecclesiam asciuerim. Nec tantùm sunt scelera Iacob, sed & Israel, id est posterorum Israelis, quem hac gratia dignatus sum, vt in lucta cum angelo, ipsum angelo potentiorem effecerim; ideoque vocarim eum Israel, id est dominantem Deo. Hæc enim beneficia Iacobo patriarchæ collata, valdè adaugent posterorum eius à Deo apostasiam & ingratitudinem. *Iacob* ergo & *Israel* significant hîc de more decem tribus à Iacobo prognatas & proseminatas, quæ idololatriæ fuere duces. ita Remig. Lyran. & Vatabl. aut certè, vt Albert. & Arias, *Iacob* sunt duodecim tribus, *Israel* decem. q. d. Omnes duodecim tribus peccarunt idololatria, sed maximè decem, quæ duas reliquas infecerunt: illas ergo primò, deinde duas puniam. Secundò, & aptiùs. *Iacob* hîc significat decem tribus, *Israel* duas: Iacob enim prius & commune fuit nomen primi patriarchæ decem tribuum: Israel verò posterius & excellentius eiusdem fuit nomen, quod ab angelo, dum eum vinceret, adeptus est. *Israel* enim idem est quod dominans Deo: hinc significat duas tribus, quæ habebant vrbem sanctam, templum & cultum Dei, ipsumque Deum intra se; vnde ei quasi dominari videbantur. Sensus ergo est, q. d. Non tantùm Iacob, id est decem tribus, sed & Israel, id est duæ, putà Iuda & Beniamin, quibus me meaque in peculium & quasi in dominium tradidi, à me defecerunt: ergo tam has, quàm illas puniam. Id ita esse, patet ex explicatione quam subdit Propheta, dicens: *Quod scelus Iacob*, id est decem tribuum? *nónne Samaria?* q. d. Samaria quæ est metropolis decem tribuum, fuit origo & causa sceleris, id est idololatriæ, cæteris vrbibus decem tribuum. *& quæ excelsa Iuda*, id est duarum tribuum? *nónne Ierusalem?* Ecce quos immediatè antè vocauit *Israel*, hîc vocat *Iudam*: Iudas autem significat duas tribus: ille ergo hîc vocatur *Israel*, & opponuntur Iacob, id est Samariæ & decem tribubus. q. d. Ierusalem quæ erat sedes regis, templi & Dei, eo derelicto in excelsis montibus ædificauit altaria & sacella idolorum (quæ proinde pariter Excelsa vocantur) eoque ad sacrificia cultumque idolorum inuitauit omnes populares suos Iudæos. quod indignissimum est, summeque mihi iniurium, ac longè magis quàm idololatria Samariæ; vtpote quæ carebat templo & Deo. ita Theodor. Rupert. Ribera, à Castro & alij.

B

Qvod scelvs Iacob, &c.] Hebr. pro *quod* est מי *mi*, id est *quis*. Vnde Vatabl. Arias. Clarius & Pagnin. vertunt, *quis fuit causa transgressionis Iacob? nónne Samaria?* id est Samaria: *Et quis fuit causa excelsorum Iuda? nónne Ierusalem?* Vox *quis* notat reges & principes tam decem quàm duarum tribuum, toti populo fuisse causam idololatriæ. Sic enim Ieroboam primus rex decem tribuum, easdem idola, putà vitulos aureos, colere compulit. Sic & duas tribus ad eadem colenda induxit Achaz, Manasses, & ante eos Salomon. q. d. Reges & principes, qui debebant populo esse duces religionis & sanctitatis, eidem se duces præbuerunt idololatriæ & impietatis; dum in vrbe regia, quò totus populus confluebat, erexerunt idola, eaque publicè coluerunt, & populum ad eadem colenda verbo & exemplo pellexerunt. Vnde Chald. vertit, *vbinam scelus patrarunt domus Iacob? nónne in Samaria? & vbi peccauerunt domus Iuda? nónne in Ierusalem?*

Ita hoc sæculo in Anglia, Transyluania, Dania, Suecia, alijsque regnis & rebuspub. vidimus causam schismatis & hæresis totius regni fuisse ipsos reges & principes à fide apostatâtes, & hæresin profitêtes. Ex aduerso Italiam, Hispaniam, Franciam, &c. in vera fide persistere, quia semper principes habuerunt Catholicos & orthodoxos. A rege ergo pendet regni fides, vel infidelitas, pietas vel impietas, salus vel damnatio. *A regibus pendet regni fides & salus.*

C

Notent hoc principes, sciantque pij se magnam in cælis gloriam & coronam, eò quòd suis subditis causa fuerint salutis, adepturos; impij verò in gehenna se non tantùm sua, sed & omnia subditorum scelera, quorum causa extiterunt, luituros. Hoc est quod grauiter ijsdem inculcat Sapiens c. 6. 6. *Horrendè, & citò apparebit vobis* (Deus iudex & vindex) *quoniam iudicium durissimum his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patiuntur*, &c. *fortioribus autem fortior instat cruciatio.*

Et ponam Samariam qvasi acervvm lapidvm, &c.] Primò, Samariæ, vtpote idololatriæ principi, pœnam intentat; deinde Ierusalē, quæ Samariam in scelere secuta est. Dicit ergo se Samariam vrbem muris, domibus & palatiis magnificam, iis succensis & deiectis redacturum quoad domos quidem & palatia in aceruum lapidum; vrbem verò ipsam in agrum siue campum, è quo colliguntur lapides in aceruum, vt in eo plantari possit vinea. Cùm enim aliquo in loco vinea plantatur; priùs ex eodem lapides elapidari, id est ejici & extra eum in cumulum colligi, solent, ne vites & vitium germinationem impediant. Appositè Samariam dicit vertendam in vineam, quia ipsa sita erat in monte vitifero, ac antequam ædificaretur in vrbem, erat vinea: in montibus enim ob reuerberationem radiorum solis plantari solent vineæ, iuxta illud: *Bacchus amat colles.* Sensus ergo est, q. d Euertam Samariam adeò, vt ipse locus siue mons vitibus conseratur, fiatque vinea; ipsa verò superba Samariæ ædificia & muros per Chaldæos detraham, & euertam vsque ad fundamenta, adeò vt

D

Vers. 6.

eorũ lapides deijciantur & deuoluantur in vallem subiectam, ibique in aceruum accumulentur. ita Theodor. Chald. Vatabl. Arias & alij. Simili modo de Ierusalem, sed plana & campestri à Chaldæis euertenda, ait Michæas c. 3. 12. *Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelsa siluarum.*

Duo ergo hîc significat Propheta. Primò, Samariam diruendam vsque ad lapidum aceruum. Deinde Secundò, hos lapides deiiciendos in cõuallem vbi subiectam, vt in ipsa vrbe & monte iam elapidato plantentur vineæ. Id ita esse patet ex Hebræo textu, qui sic habet, *& ponam Samariam in aceruum agri, in plantationem vineæ, & impellam in vallem lapides eius.* q. d. Efficiam vt ædes Samariæ corruant, fiantque aceruus lapidum, qui eijciantur in vallem, ad hoc vt vineæ plantentur in loco & monte, vbi nunc est Samaria. ita Pagnin. Vatabl. Arias & alij; quin & Septuag. *Ponam*, inquiunt, *Samariam in pomorũ custodiam, in agro & plantatione vineæ*; & Chald. *ponam Samariam in aceruos agrorum, domum desertam, in plantationes vineæ.* Id ita factum esse ex hoc loco liquet, licet id in libris Regum non enarretur; insinuatur tamen. Nam 4. Reg. 17. 24. dicitur, quòd rex Assyriorum de Babylone traduxerit Cuthæos: *Et collocauit eos*, inquit, *in ciuitatibus Samariæ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, & habitauerunt in vrbibus eius.* Vbi Nota. Non dicit, *Habitauerunt* in ciuitate, sed, *In ciuitatibus Samariæ, & possederunt Samariam.* q. d Cuthæi non tam habitarunt in vrbe Samariæ, vtpote iam euersa; & in agrum redacta, quàm in ciuitatibus ei olim subiectis. Fateor tamen aliquos vel vt ciues, vel vt colonos habitasse in loco vrbis: nam & postea vrbs ipsa reædificata est, vtpote quam Hyrcanus postea diu obsedit, & tandem expugnauit, soloque æquauit, teste Iosepho li. 13. Antiq 17.

Secundò, alij præcisè sumentes verba nostræ Latinæ versionis, putant Prophetam his verbis non duo iam dicta, sed vnum dumtaxat; prius scilicet, quòd Samaria redigenda sit in aceruum lapidum, significare, vt sensus sit, q. d. Efficiam vt ex tanta vrbe non maneat nisi aceruus lapidum, similis illi qui fit ex vinea elapidata: nam cùm plantatur vinea, locum elapidamus, & lapides extra illam in locum aliquem eijcimus, & coaceruamus temere congestos. quæ structura (vt ait Rupert.) cùm cæmento & calce careat, infirma est; nec lapis hæret lapidi: quare conuenit optimè Samariæ, quæ semper dissensit à Sione, & ipsa quoque intestinis dissidiis æstuans, gaudebat mutatione, & interfectione regum suorũ, inquit Delrio adagio 986. Sic ferè & S. Hieron. Remig. Hugo. Lyran. Ribera. Hic sensus verus est, sed partialis tantùm: prior ergo plenus est & perfectus, eumque exigunt Hebræa, Chald. & Septuag. quibus facile est Latinam versionem, exponendo eo modo quem paulò antè recensui, adaptare.

Nota. Pro *aceruum lapidum*, Septuag. vertunt ἀπωροφυλάκιον, id est pomorum custodiam: *Ponam*, inquiunt, *Samariam in pomorum custodiam*, id est redigam eam in tugurium, quod in pomarijs ex arundinibus vel stramine aut sarmentis erigi solet, vt in eo custos vigilet & excubet, ne fures poma fructusque furentur; quod proinde fructibus collectis, euertitur vel comburitur.

A q. d. Pari modo per Assyrios Samariam magnificam & splendidam, redigam quasi in antrum custodis, vt de amplissima vrbe paruum tugoriolum vix remaneat, ait S. Hieron. ad Suniam & Fretellam in correct. Psalmorum, quod deinde omnibus ciuibus & spolijs collectis & eductis, per eosdem euertam & comburam.

FVNDAMENTA EIVS REVELABO] diruendo scilicet muros & ædes Samariæ vsque ad fundamenta: tunc enim necesse est fundamenta detegi & reuelari. Est metalepsis.

ET OMNIA SCVLPTILIA (idola quæ nunc fingi, nunc dolari, nunc malleari, malleoque effigiari, nunc fundi, nunc pingi, nunc sculpi solebant, idque sæpiùs: vnde vocantur *sculptilia*) EIVS CONCIDENTVR] ab Assyrijs, tum vt rapiant aurum, argentum, æs, &c. ex quo conflata vel
B sculpta sunt idola; tum quia Gentiles hostium suorum Deos, pariter hostes suos æstimabant, & vt hostes concidebant.

ET OMNES MERCEDES EIVS COMBVRENTVR IGNE] Nota. Idololatriam vocat, fornicationem, idololatras, meretrices; amasios, ipsa idola; merces seu quæstus ex meretricio sunt fruges, opes & commoda; putà copia tritici, vini, lactis, mellis, &c. quæ Samaritæ alijque idololatræ se à suis idolis percipere iactabant, aut quæ ex commercio & amicitia Chaldæorũ, & aliarum gentium idololatrarũm percipiebant, iuxta illud Oseæ 2. v. 4. *Vadam post amatores meos, qui dant panes meos & aquas meas, lanam meam*, &c. Et v. 12. *Cortumpam vineam eius, & ficum eius, de quibus dixit: Mercedes hæ meæ sunt, quas dederunt mihi amatores mei.*
Sensus ergo
C est, q. d. *Omnes*, id est pleræque omnes (nam aliquæ igni superstites remanserunt) *mercedes*, id est fruges & opes quas vel ab idolis, vel ab idololatris recipiebat meretrix, id est idolorum cultrix Samaria, comburentur ab eius hostibus Assyriis. ita S. Hieron. Remig. Hugo & Lyran. Rursum *comburentur igne*, partim proprio, partim metaphorico, hoc est, diripientur, auferentur, perdentur. Igne enim in Script. significatur omnis vastitas, & supplicij acerbitas. Vnde sequitur: *Ad mercedes meretricũ reuertentur.* ita Sanchez.

Minùs congruè Theodoret. Vatablus, Arias & Clarius, per *mercedes* accipiunt oblationes & dona ab idololatris oblata idolis, ad ea vel fabricanda, vel vestienda & ornanda. Mercedes enim solent dari meretricibus ab amasiis, nõ vice versa amasiis à meretricibus. Meretrices autem hîc
D sunt idololatræ. amasij verò ipsa idola. nisi quis dicat tantam fuisse impudicitiam harum meretricum, vt ipsæ pretium sceleris amasijs darent, non acciperent. Hoc est enim quod Hierosolymæ improperat Ezechiel c. 16. 33. *Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis; vt intrarent ad te vndiq; ad fornicandum*, id est idololatrandum, *tecum.* Verùm hoc inusitatũ fuit & insolitum, ideoque illud exprimit Ezechiel, hîc verò cùm id non exprimat Michæas, locũ habere non videtur: *mercedes* ergo solitas ipse intelligit, quas scilicet meretrices accipiũt ab amasijs, id est idololatræ à suis idolis; non verò eas, quas ijs dant.

QVIA DE MERCEDIBVS MERETRICIS CONGREGATA SVNT (non idola, sed bona & opes Samariæ. Vnde Hebr. Septuag. Pagnin. & Vatabl. habent,

bent, *quia de mercede meretricu congregauit ea quæ habet*, putà suas opes) ET, id est idcirco, AD MERCEDEM MERETRICIS REVERTENTVR] q. d. Quia Samaria meretrix, id est cultrix idolorum, putat se abijs pro hocce suo cultu recepisse suas fruges & opes, idcirco efficiam vt illæ pariter ad meretrices, id est ad Assyrios idolorū cultores, vt vertit Chaldæus, qui vastabunt Samariam, transferantur & redeant, qui eas vti idololatriæ mercedes, suis idolis acceptas referant & consecrent.

A

Alludit Primò, ad priscas meretrices, quę primitias turpis sui lucri Veneri, meretricum deæ & principi consecrabant, vti de Babylonijs docet Herod li. 1. & Clemens Alex. Adhort. ad Gentes; de Cyprijs Arnobius li. 5. contra Gentes; de Phœnicibus S. Augustin. li. 3. de Ciuit. c. 10. *Tres*, ait, *Veneres virginum, quæ etiam Vesta est: alia coniugatarum: alia meretricum cui etiam Phœnices donum* B *dabant de prostitutione filiarum, antequam iungerent eas viris.* Idem docet Baruch cap. 6. v. 42. & 43. Rursum olim deorum & templorum donaria meretricibus fuisse data, docet ibidem Baruch v. 10. *Dant*, inquit, *& ex ipso* (auro Deorum) *prostitutis, & meretrices ornant: & iterum cùm receperint illud à meretricibus, ornant deos suos.* Idem docet Ezechiel c. 23. 42. *Posuerunt*, ait, *armillas in manibus eorum, & coronas speciosas in capitibus eorum.* Idem testatur Athenæus lib. 13. c. 28. Porrò non solùm mercedes meretricum olim Dijs oblatas fuisse, sed etiam ex ijs idola Deosque esse fabricatos testatur Arnobius li. 6. contra Gentes. Vide hîc idololatrarum & dæmonum obscœnitatem & turpitudinem. Rectè enim Tertul. libr. de Habitu mulieris, *Nullum*, ait, *rei turpis merces sacra est.*

Alludit Secundò, ad opes meretricum ex meretricatu collectas, ex quibus illæ numquam ditescunt, sed semper manent miserę & pauperes; C quia sunt prodigæ in epulis & vestitu, resque suas turpiter partas in luxu consumunt, vel quia illis ijsdem spoliant amasij, vel aliæ meretrices: omnes enim sua quærunt lucra, idque subinde per fas & nefas; præsertim luxuriosi, qui iam iustitiam & conscientiam prodegerunt; vel quia morientes suis filiabus, aut cognatis quasi heredibus, quæ pariter meretrices sunt, bona turpiter parta relinquunt. Dicit ergo, sicut bona meretricum vadunt ad meretrices; ita bona Samariæ meretricis, id est idololatræ, ibunt ad meretricem Ninuen; quia Assyrij idololatræ spoliabunt Samaritas pariter idololatras suis bonis.

Hic verum est prouerbium: *Malè parta, malè* D *dilabuntur.* Et illud: *Salis onus vnde venerat, illuc abit*, quod adagium natum est ab euentu. Negotiator enim quidam nauem onustam sale vehebat: nautis dormientibus influxu aquæ marinæ fontina vehementer adaucta, & salem vniuersum liquit ac corrupit, & nauem ipsam demersit; itaque sal quod ex aqua marina natum fuerat, in eandem denuo liquefactum redijt. Verè Hesiodus monet: *Ne malè lucreris, mala lucra æqualia damno.* Discant hoc ab Ethnico Christiani, lucrum non esse quod iactura bonæ mentis compensatur; neque quidquam esse vtile, quod non sit honestum: *dispendio enim est fraude quæsitum lucrum. Et turpe lucrum adducit infortunium.* Atque vt ait Pindarus in Isthmijs: *Quod præter iustum lucri est, exitum habet amarissimum.*

Rursum *eò ad mercedem meretricum reuertentur*, duo significat: Primum, turpia lucra lucrantibus esse inutilia, & abijs ad alios transire. Secundum, eadem carere omni decore & dignitate, nec ad vsus honestos impendi, sed à turpibus ad æquè turpes & infames, puta à meretricibus ad meretrices, traduci.

Quocirca hæc lucra à suo templo eiusque oblationibus quasi eo indigna, repulit Deus Deuter. 23. 18. *Non offeres*, inquit, *mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quia abominatio est vtrumque apud Dominum Deum tuum.* Idem fuit sensus Gentilium Romanorum. Cùm enim Flora (ex cuius nomine etiamnum Romæ campus Floræ nuncupatur) nobilis meretrix ex arte meretricia magnas opes comparasset, ac populum Romanum scripsisset heredem ea lege, vt eius dies natalis quotannis celebraretur editione ludorū, quos appellant Floralia; Senatui id turpe & flagitiosum visum est. Quocirca vt pudendæ rei quædam dignitas quasi velum daretur, finxerūt Floram esse deam quæ floribus præsit, eamque oportere placari, vt arbores, vites, fruges que bene prosperęq; florescerent. Ita Varro li. 1. de Re rustica c. 2. & Plinius li. 18. c. 29. *Turpe lucrum non admittit templum.*

SVPER HOC PLANGAM ET VLVLABO, VADAM SPOLIATVS, ET NVDVS] vt hoc habitu lamentabili & desperabundo, tum tester intimum dolorem animi, quem concipio ex vastatione Samariæ; tum reipsa significem & repræsentem, quòd Samaritæ simili modo ab hostibus Assyrijs spoliandi sint, ac nudi vel seminudi ducendi sint in captiuitatem. Eadem de causa Isaias incessit nudus & discalceatus per Ierusalem, vti dixi Isaiæ c. 20. tum denique vt indicem plagam Samariæ fore maximam, quæ vsque ad portas Ierusalem perueniat, vti mox dicam. Quocirca Septuag. & Chald. hæc vertentes per tertiam personam, ipsi Samariæ attribuunt: quia eius personam induit hîc Propheta. Sic enim habent Septuag. *propter hoc plangent* (Samaria) *& lamentabitur, ibit discalceata & nuda: faciet planctum quasi draconum, & luctum quasi filiarum Sirenum.* ita S. Hieron. Remig. Albert. Lyran. Arias, Vatabl. & alij. Addunt alij, *spoliatus*, scilicet tam mente quàm veste. q. d. Tanta erit clades Samariæ, tantumque eam apprehendo & pondero, vt videar emotæ mentis, & mente captus; ideoque veste me spolio, & quasi insanus huc illucque discurro plorans & eiulans. Denique S. Hieron. putat hæc dici ex persona Dei; quasi eius vicem hîc subeat Propheta, ostendatque quàm Deus doleat de populi sui clade, quamque inuitus eam immittat vel permittat. quod sanè miram Dei clementiam & charitatē anthropopathōs significat & commendat. Verùm verius & magis genuinum est, hæc ex ipsius Michææ persona dici; vti paulò antè explicui. VERS. 8.

NVDVS] putà discissis vestibus, vti fiebat in luctu, lacer, posita veste extima & honorata. Sic pannosum & lacerum, vocamus nudum per auxesin, quia est seminudus.

FACIAM PLANCTVM VELVT DRACONVM] Tradunt Physici, ait S. Hieron. dracones certare & duellare cum elephantis, &, si ab ijs vincantur, terribili sono personare. Draco enim cùm sit calidissimus, sitit elephantis sanguinem qui frigidissimus est, soletque æstu torrente, cùm tantæ *Draconis cum elephante pugna & planctus.*

sit magnitudinis, totum eius sanguinem ebibere, si eum vincat: vnde fit elephantes ab eis ebibi, siccatosque concidere, qui ruentes dracones sanguine iam ebrios & turgidos, mole sua opprimunt, coguntque hostes suos secum emori, tumque dracones magnas & lamentabiles voces emittuntita Solin. c. 38. Polyhist. & Plinius lib. 8. c. 11. Et hoc est quod ait hîc Propheta: *Faciam planctum quasi draconum.* ita S. Hieron. Remig. & Rupert. Addit Rupertus, hac phrasi significari planctum inutilem, quem scilicet etsi Samaritæ audiant, nemo tamen misericordia tangatur; sicut nullus condolet draconi plangenti. Ex aduerso Palæcius citans Albertum, Solinum & Plinium, scribit voces has draconum tantas esse, tamque vicinos consternare, vt qui illas audiunt, emoriantur. Verùm hoc fabulosum videtur.

A

ET LVCTVM QVASI STRVTHIONVM] Hebr. *quasi filiarum struthionis*; struthiones enim feminæ magis quàm mares clamosæ, magis quoque lugubrem edunt vocem, præsertim cùm pullos alunt & perdunt. Tigurina, *vt iuuenes struthiones.* Pulli enim struthionum quasi à parente derelicti, imò contempti, vt ait Iob c. 39. 14. & Ieremias Thren. 4. 3. miserabiliter eiulant, vti faciũt & pulli coruorum à parentibus nido eiecti, de quibus psal. 146. 9. *Qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Rursum scribit Ælianus li. 14. c. 7. 19. & 20. struthionem feminam valdè amantem esse pullorum, ac habere carnes præ mare gustui suauiores. quocirca venatores, vt eam capiant, solere circa nidum ferrea hastilia defigere, quibus in nidum transilire volens, mater sese induit, occiditur & capitur; tumque flebiliter stridet & luget: vnde struthio hebr. vocatur יַעֲנָה *iaana* à luctu, à rad. עָנָה *ana*, id est afflictus est, oppressus est, indoluit, ingemuit.

B

Dices, Si struthio est adeò filiorũ amans, quomodo ergo hîc, & Thren. 4. 3. vocatur in eos crudelis? Respondent aliqui patrem esse crudelem, matrem verò benignam in filios. Melius alij respondẽt, matrem vocari crudelem Primò, quòd ova quæ posuit, incubando non fouet; tum quia, vt ait Plinius lib. 10. c. 54. in pectore & ventre calua est, & implumis: sine plumis autem nequit fouere, calefacere & viuificare ova; ergo ea soli & arenæ calefacienda relinquit. vnde Dei prouidentia in calidissimis tantùm regionibus, Syria scilicet & Arabia, struthiones inueniuntur. Tum ne mole corporis ova frangat: est enim magnitudine cameli, atque altitudine, collo & cruribus camelum refert; vnde struthiocamelus vocatur, inquit Diodorus Siculus lib. 3. Secundò, quia pullos non pascit, eò quòd natura aliter prouiderit: id enim expressè ait Iob c. 39. 14. & Thren. c. 4. 3. alia tamen amoris materni signa pullis exhibet. ita ex Æliano, Plinio, Oppiano, Olympiodoro, & alijs. Pineda in Iob c. 39. Denique Franc. Valesius Sacræ philos. c. 55. asserit illa quæ Ælianus & alij Gentiles scribũt de struthionum amore erga pullos, esse fabulosa & falsa; quia repugnant S. Scripturæ locis iam citatis, quibus in eos dicitur esse crudelis.

Perperam R. Dauid vertit, *faciam luctum quasi filiarum vlularum.* Hebr. enim יַעֲנָה *iaana* nusquã vlulas, sed struthiones significat. Septuag. vertunt, *faciam luctum quasi filiarum Sirenum.* Alludunt ad fabulam Sirenum, ait Theodor. Fingunt enim Poëtæ Sirenes partim virgines fuisse, partim volucres, Acheloi fluminis & Calliopes Musæ filias. Harum vna voce, altera tibiis, alia lyra canebat: & primò iuxta Pelorum, postea in Cyphareis insulis habitauerũt, quæ illectos suo cantu in naufragia deducebant. Secundùm veritatem meretrices fuerunt, quæ transeuntes illiciebant ad sui amorem, & amore captos spoliabant: vnde fictæ sunt illis inferre naufragium, quia eos deducebant ad egestatem, vt bonorum, & sanitatis, sæpè etiam vitæ, naufragium facerent: ita Vlysses contemnendo, & aures obturando ne eorum cantu illiceretur, deduxit ad mortem. ita Seruius in illud Æneid. 5.

Iamque adeò scopulos Sirenum aduecta subibat,
Difficiles quondam multorumq; ossibus albos.

C

Vnde Siren vel Sirena dicta est ab ἕιρειν, quod comedere & retinere significat; vel à σειρὰ, id est catena, eò quòd Sirenes fuerint vinculum & catena libidinis. Quocirca S. Hieron. mysticè per Sirenes, earumque cantum accipit hæreticos, eorumque eloquia: *Dulcia enim sunt, ait, hæreticorum carmina, & dulci voce populum decipientia: nec potest eorum cantica præterire, nisi qui obturauerit aurem suam, & quasi surdus euaserit*, vti fecit sapiens Vlysses.

Dices, hic erat cantus Sirenum, non luctus. Resp. Sirenes, æquè ac præficæ, vti sciebant canere, ita sciebant & lugere ac plangere: sicut etiamnum meretrices norunt artem vtramque, & amasios subinde magis plangendo, quàm canendo detinent, ne se deserant, & amores inchoatos abrumpant. Propheta ergo ex affectu in ciues suos, se quasi transformat in Sirenem; vt eis nunc blandiendo, & suauissimè concinendo; nunc miserabiliter lugendo & lamentãdo in animos eorum influat, eosque moueat ad pœnitentiam. Qui enim animas vult conuertere, Siren sit oportet instar S. Pauli dicentis: *Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis: vellem autem esse apud vos modò; & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis*, Galat. 4. 19. Aliter S. Cyrillus: ipse enim per Sirenes accipit passeres marinos, vel philomelas, quæ raptis ouis vel pullis lugubre melos fundunt, cùm alias suauissimè canant instar Sirenum.

QVIA DESPERATA EST PLAGA EIVS: Samariæ (*plagam* vocat stragem illatam ab Assyrijs, indeq; nascentem famem & pestilentiam) QVIA VENIT VSQVE AD IVDAM, TETIGIT PORTAM POPVLI MEI VSQVE AD IERVSALEM] Nam exsita Samaria anno 6. Ezechiæ à Salmanasar rege Assyriorum, mox anno 14. Ezechiæ, Sennacherib qui successit Salmanasari, vt proserpens & vlteriùs progrediens, venit in Iudæam, multasque vrbes cepit, ipsamque Ierusalem obsedit, sed ibidem ab angelo cæsus est, 4. Reg. 18. & 19. ita S. Hieron. & Theodor.

D

10. In Geth nolite annunciare, lachrymis ne ploretis, in domo Pulueris puluere vos conspergite.

11. Et transite vobis habitatio Pulchra, confusa ignominia: non est egressa quæ habitat in exitu: planctum Domus vicina accipiet ex vobis, quæ stetit sibimet.

12. Quia

12. Quia infirmata est in bonum quę habitat in amaritudinibus: quia descendit malũ a Domino in portam Ierusalẽ.

13. Tumultus quadrigæ stuporis habitanti Lachis: principium peccati est filiæ Sion, quia in te inuenta sunt scelera Israel.

14. Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth: domus mendacij in deceptionem regibus Israel.

15. Adhuc heredem adducam tibi, habitas in Maresa: vsque ad Odollam veniet gloria Israel.

16. Decaluare, & tondere super filios deliciarum tuarum: dilata caluitium tuum sicut aquila: quoniam captiui ducti sunt ex te.

A vrbis Samariæ subiectę proprium accipiunt Hebræi, S. Hieron. in textu Cõmentarij, Arias, Clarius, Vatabl. Mariana & Pagnin. qui vertũt, *propter domos Aphra in puluere volutæ*, vel *inuolue teipsam*. Hebr. enim *palas* significat volutare, inuoluere. Vnde & Biblia Latina Rom. *Pulueris*, vti & sequens, *Pulchra*, scribunt litera maiuscula, quasi nomen proprium, vt sensus sit, q.d. Non est ô Samaritæ, quòd in Geth ad plangendũ abeatis, ite potiùs ad vestram vrbem *Aphra*: illa iuxta nomẽ suum monebit vos luctus & pulueris, eumque vobis suggeret, vt illo vos conspergatis. In Aphra ergo aphra id est puluere; vobis iniicite; imò puluere vos obruite, quia Aphra æquè ac Samaria puluere ab hostibus obruenda, imò in puluerem conuertenda est. Simili paronomasia appositè quis diceret: O Lutetia, ob peccata tua & clades tibi imminentes, luto te aspergo. O Lima in America, limo te conspurca. O Sinæ, cinere vos opplete. O Aphrica, in area arenam tuam tibi affrica. Nota. Pro *cõsperge*, in Hebr. est duplex lectio. Alij enim legunt הִתְפַּלָּשִׁי *hitpallasi*, id est cõspergere, vel cõspergete. Alij legunt הִתְפַּלָּשְׁתִּי *hitpallasti*, id est conspersi me, inuolui me puluere, vt Propheta sustineat hîc typum Christi, qui in domo pulueris, id est vtero Virginis, pulueri nostro se inuoluit ait Mariana. Vnde

Allegoricè, Christus in domo pulueris, putà in terra in vtero Virginis, puluere mortalitatis nostræ se conspersit; imò puluerem hunc induit, quasi pœnitentiam pro peccatis nostris acturus. Nam domus pulueris est terra, in qua ob peccatum Adæ ad mortem damnati degimus: item corpus hoc mortale, eadem de causa breui in puluerem redigendum. Adhæc Ecclesia, quæ quasi domus pœnitentiæ in die Cinerum puluere nos aspergit, vt nos nostræ sortis & mortis memores reddat, & à carnalibus delicijs auocatos ad cælestia transferat. Tunc ergo rectè dicat concionator fidelibus: In die & in domo cineris & pulueris, cinere & puluere vos aspergite. Hinc

Tropolog. ô Adam adama, id est ô homo humo, in aphra, id est in terra, ob peccata te aspergo. nam terra & humus es, & in terram reuerteris. Puluis & vmbra sumus. Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Quia ergo in terra & puluere degis, vbi, vt ait S. Leo serm. 4. de Quadrag. *necesse est de mundano puluere etiam religiosa corda sordescere*; hinc in Quadrag. imò singulis hebdomadis, imò quotidie vespere dum vadis cubitum in incertum, nescius an sequens manè sis visurus, sed ipsa nocte suffocandus & moriturus, vti multis contigit, & etiamnum contingit, conscientiam examinans, quasi coram iudice illa nocte compariturus, puluere te conspergo. Imitare Dauidem dicentem: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo*, psal. 66. Et: *Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam, à facie iræ & indignationis tuæ, quia eleuans allisisti me*, psalm 101. 10. Imitare amicos Iob, qui videntes eius afflictionem, *exclamantes plorauerunt, scissisq; vestibus sparserunt puluerem super caput suum in cælum. Et sederunt cum eo in terra septem diebus, & septem noctibus*, Iob 2. v. 12. Imitare Ieremiam dicentem Thren. 3. v. 16. *Fregit ad numerum dentes meos, cibauit me cinere.* & v. 29. *Ponet in puluere os suum, si forte sit spes.* Et cap. 2. 10. *Sederunt in terra,*

con-

B

C

D

12. IN GETH NOLITE ANNVNCIARE. LACHRYMIS NE PLORETIS] ne scilicet Gethæi, alijque Philisthiim hostes vestri videant vestram cladem & dolorem, indeque lætentur & exultent. Sic Dauid apud Saul ait: *Nolite annunciare in Geth, neque nuncietis in compitis Ascalonis; ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircumcisorum*, 1. Regum 1. v. 20. Septuag. vertunt, *qui in Geth, nolite magnificari: qui in Bachim, nolite reædificare vllams derisum.* Retinent enim Hebr. *Bachim*, quasi nomen proprium; quod cæteri omnes interpretes transferunt *fletum*, ait S. Hieron. Pro *Bachim* perperam, vt videtur, Theodor. & alij legunt *Enakim*, quasi Gethæi ex Enac gigante fuerint procreati: vnde Goliath quem occidit Dauid, gigas fuit & Gethæus.

IN DOMO PVLVERIS PVLVERE VOS CONSPERGITE] Pro *pulueris*, hebr. est עָפְרָה *aphra*; quod duplici ter potest accipi. Primò, vt appellatiuum significans puluerem; Secundò, vt proprium nomen vrbis in tribu Beniamin, Iosue 18. v. 23. vel alterius in tribu Manasse, quæ latinè dicitur *Ephra* (Hebr. enim *Ephra* idem est quod *Aphra*) fuitque ciuitas Gedeonis, in qua ipse habitauit & sepultus est, vbi & accepit signum victoriæ contra Madian in vellere Iudic. 6. 11. Vtroque modo hîc accipi potest: Primò, appellatiuè, q.d. O Samaria cum vrbibus tibi subiectis, tu iam non tam Samaria, id est custodia, vocanda es, quàm *Aphra*, id est puluis; quia breui ab Assyrijs in cinerem & puluerem redigeris: luge ergo, & puluere te consperge. Ecce in spiritu video te in puluerem redactam, inter ruinas ergo puluueris puluere te inuolue: vos ergo ô Samaritæ, nolite plangere vestram cladem apud Gethæos, aliosque Philisthinos, qui vos irridebunt, sed domi potius puluere domorum vestrarum in puluerem redactarum vos aspergite, quia reipsa vel ineis earum puluere dum deiicientur, mox aspergemini. ita ex Septuag. & Chaldæo S. Hieron. Theodor. Remig. Albert. Lyranus, Emmanuel & alij. vnde Septuag. vertunt, *terra aspergite derisum vestrum*, licet alij legant, *in derisum*; Syrus, *in domibus collectionis residui* (id est in areis, vbi residuum tritici cum paleis & terræ puluere miscetur) *conspergite vos puluere*. q.d. In areis arenis vos conspergite.

Secundò, *Aphra*, id est puluis, hîc vt nomen

conticuerunt senes filiæ Sion, conspersérunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abiecerunt in terram capita sua virgines Ierusalem.

VERS. 11. ET TRANSITE VOBIS (hebr. *transi vobis*, id est tibi, tuisque ciuibus, id est vobis. Est enallage numeri: & *tibi vobis* vel elegantiæ, vel emphasis causa ad maius pathos additur) HABITATIO PVLCHRA] Hebr. *habitatrix Sappir*. *Sappir*, æquè vt Aphra, accipi potest dupliciter: Primò, quasi appellatiuum, significans pulchra; vt sit epitheton Samariæ. Hæc enim in amœno monte sita, exteriùs pulcherrimos hortos & campos, interiùs pulcherrima palatia, domos, turres, plateas & muros suos, vti caudam suam ocellatam circumspicit pauo, circumspiciebat. q.d. Vos ô Samaritę transite (id est breui transibitis) captiui in terram hostilem; vos inquam, ô habitatrix Sappir, id est pulchræ; hoc est, vos ô incolæ pulchræ & elegantis Samariæ. ita S. Hieron. Theodor. Remigius, Rupert. & alij. Vnde Chaldæus vertit, *transite vobis qui habitatis in pulchritudine, discoopertis verendis nudi & pudefacti*; Arabicus, *fac tibi habitationem pulchram*; Syrus, *fac tibi habitatrix, quod pulchrum est, quod sit pulchrum.*

Sappir duplex. Primum.

Secundum.

Secundò, *Sappir*, vt nomē proprium vrbis accipiunt Clarius, Pagnin. Mariana & Vatabl. vnde vertunt, *transi*, id est, abi cum tua metropoli in captiuitatē, *quæ habitas in Sappir*, iam non *sappir*, id est pulchra, sed fœda & nuda, ideoq; *confusa ignominia* q.d. Iactabas ô vrbs Sappir te pulchrā & sapphirinam; & ecce tota conspurcata es, & lutea. sic ex aduerso gloriabatur Augustus Cæsar, teste Suetonio, *quod inuenisset Romam lateritiā, & relinqueret marmoream*. Sic primariis Italiæ vrbibus singulis singula hæc dantur elogia: *Fiorenza bella, Venetia ricca, Neapoli gentile, Milano grande, Bologna grassa, Ferrara ciuile, Genoa altiera, Perugia sanguigna, Mantoa gloriosa, Rimini buona, Luca industriosa, Roma santa.* Florentia ergo est *Sappir*, id est, bella & pulchra. Sic Carolus V. de Belgio dicere solebat, opes suas esse in Flandria, delicias in Brabantia, nobilitatem in Hannonia, vires in Arthesia. Et de Brabantiæ vrbibus: Mechlinia pulchra, Antuerpia diues, Louanium sapiens, Bruxella nobilis. *Sappir* ergo idem significat quod Niniue, id est speciosa & pulchra. Sic in Belgio, & alibi sunt vrbes, quæ vocantur Bella. Dicas ergo, ô Sappir iam cum tuis sororibus, id est Samariæ ciuitatibus, vastata ab Assyrijs, cum Noëmi illa olim pulchra: *Ne vocetis me Noëmi, id est pulchram; sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotens*, Ruth 1. 20. Idē dicat Belgium, Hungaria, Bohemia, &c. Idem dicat anima olim casta & templum Dei, nunc incesta & prostibulum diaboli. Porrò sicut filia Sion dicitur ipsa arx & vrbs Sion, ob pulchritudinem; ita habitatrix Sappir, vocatur ipsa vrbs Sappir, putà populus & resp. habitans in Sappir; de populo enim ob pulchritudinem loquitur Propheta quasi de femina.

Quæres, quænam vrbs est *Sappir*? nam hoc nomen alibi non inuenitur. Resp. *Sappir* (vt patet ex radice & scriptura Hebraica) idem esse quod Saphora, vel Saphorme, vel Sephoris, vel Sephoron (hæc enim omnia sunt idem) quæ Hegesippo & S. Hieron. est Diocæsarea. de qua sic Adrichom. in Descript. terræ sanctæ: *Vrbs est opulenta & totius Galilææ maxima, in meditullio regionis tutissimo loco sita; arce, portis, mœnibus, muriscj, firmissimis munita, & habens circa se vicos plurimos.* (Annon hæc erat Sappir pulchra?) *Natalis, vt putatur, locus B. Ioachim atque Annæ, Deiparæ Virginis parentum. Hanc Gabinius vnam ex Iudæorum curia esse voluit: eamdem Varus cepit, & venditis sub hasta incolis, incendio absumpsit: Herodes autem totius gentis caput & defensaculum fecit. Videtur quondam Cathedralem habuisse Ecclesiam. Nam Tyrius in Catalogo Pontificum Suffraganeorum Antiochenæ Ecclesiæ, inter Episcopatus Seleuciæ Diocæsaream secundo nominat loco.*

NON EST EGRESSA QVAE HABITAT IN EXITV] Hebr. *quæ habitat in Saanan*. Rursum *Saanan* accipi potest vel vt nomen proprium vrbis, vt sit eadem cum *Sanan*, quæ fuit vrbs tribus Iudæ, Iosue c. 15. 37. vel potiùs eadem cum Sennim, vel Saananim, vel Sannanim, quæ fuit vrbs in tribu Nephthalim, subiecta Samariæ, vt patet Iosue 19. 33. Iudic. 4. 11. ita Septuag. Chald. Vatabl. Pagnin. Emmanuel, Mariana & Clarius. Vnde & Biblia Plantin. τὸ *In exitu* scribunt maiusculâ, quasi sit nomen proprium. Vel vt appellatiuum. *Saanan* enim hebr. significat exitum, à rad. יָצָא *iatsa*, id est exiuit; vel à radice יָצַע *itsaan*, id est trāslatus est: literę enim *ain* & *aleph* quia gutturales, subinde cōmutantur. Symmachus vertit, abundantiam: sic enim habet, *Non est egressa* in captiuitatem, *quæ habitat in abundantia*, quasi יָאַן *tsaanan* per *tsade*, sit idem quod יָשַׁן *saanan* per *schin*. Vnde interpretes vtrumque vertunt *Saanan*. nam *tsade* & *scin* sunt literæ commutabiles. Vnde סָחַק *tsachac* idem est quod סָחַק *sacac*, id est risit. Septuag. pro *Saanan*, habent *Sennaar*, medosè vt videtur; nisi dicas *Sennaar*, id est *Babylonem*, ab eis vocari *Saanan*, quia opibus, luxu & pompis abundabat. Si accipias *Saanan* vt appellatiuum, sensus erit: ô Samaria, quæ habitas in *saanan*, id est in rerum omnium copia & abundantia, ideoque insolescis & proteruis. Rursum in *saanan*, id est in exitu, id est in fine terræ sanctæ. q.d. Quæ es limes Chananææ, proximabis hostibus, primaque Assyrijs venientibus occurris repete verbum *transite* quod præcessit, vel, vt hebr. est, *transi*. q.d. Transi in captiuitatem, tu tu ô habitatio Sappir, id est pulchra, quàm tua habitatio Saanan, id est in exitu, quæ hactenus non est egressa, nec transiit in captiuitatem: sed iam eò egredietur & transibit. vel certè, vt S. Hieron. *Non est*, inquit, *egressa, quæ habitat in exitu vel in abundantia* (putà Samaria) *propria voluntate, sed vi ducta est in Assyrios.* Sensus est, ne putes Samaria te captam à Teglatphalasar, qui 4. Reg. 15. 29. aliquos ex te cepit, quasi tunc omnem penam tuis sceleribus debitam persolueris, nihil amplius tibi luendum restet. Si id putas, falleris: nam ille te tantùm rasit superficietenus, non verò te abduxit: necdum ergo egressa es; egredieberis, & abducenda es in Assyrios tota, ita vt nemo ex te, vel vix vllus in Samaria supersit. ita S. Hieron. Remig. & Lyran. Aliter Rupertus & Arias: ipsi enim hæc accipiunt de Ierusalem, non de Samaria. q. d. O Ierusalē, quæ habitas in *saanam*, id est in copia & luxu rerum omnium, tu securā vt etiam visa clade vicinæ Samariæ, ad eam vel leuandam, vel plangendam, vel consolandam non exieris, sed domi voluptatibus indulgens & immersa manseris, putans eas tibi for-

firma

sum & perpetuas, nec aliquem te ab iis posse abducere & auellere: tu inquam, ô Ierusalem, egredere pariter in Babylonem, ac disce tuam culpam non fuisse *saanan*, id est securā & firmam, esse habitasse in *saanan*, id est in exitu, id est in ea qua abduceris in Babylonem vicinam hosti, eiusq; captiuitati.

Secundò, *Saanan* accipias vt nomen proprium, similis erit sensus illi, quem iam dedi. q.d. ô Saanan, ciuitas felix, hactenus fuisti saanan, id est abundans opibus & luxu, sed non fuisti saanan, id est egressa: iam quasi *Saanan* egredieris cum tua matre & metropoli Samaria, ex pace in exilium ex libertate in seruitutem, ex copia ad inopiam, ex vita ad mortē. Vnde Chald. vertit, *non exierunt salus de habitatoribus Saanan.* Perperam Syrus pro *Saanan*, legit *Taneos*: vnde vertit, *confusa non fuisti habitatrix Taneos*, id est Ægypti, cuius olim metropolis erat Tanis, psal. 77.12. Porrò Pagnin. Vatab. & alij hæc referunt ad sequentia, vertuntq; hoc modo, *non est egressa habitatrix Saanan ad planctum Bethaesel* vrbis vicinæ, sed iam egredietur ad captiuitatem & ad planctum non alienum, sed suum. Melius Noster & Septuag. & Chald. hæc diuidunt, & mediò hypocolo distpungunt. Vnde sequitur:

PLANCTVM DOMVS VICINA (ita Romana: malè ergo aliqui legunt *vicinæ*) ACCIPIET EX VOBIS, QVAE (malè aliqui legunt, *qui*) STETIT SIBIMET] Pro *domus vicina* hebr. est *Bethaetsel*, quod æquè vt præcedentia accipi potest dupliciter. Primò, vt nomen proprium loci, qui videtur vicinus fuisse vrbi *Saanan* iam dictæ, vti censent Theodor. Pagnin. Vatablus, Arias, Mariana & alij. Sensus est. q.d. Vrbs Bethaetsel, quæ est vicina vrbi Saanan, ex eius vastatione planctum accipiet, quia mox & ipsa vastabitur; ipsa inquam, *quæ stetit sibimet*, vel in seipsa, id est confidens suæ munitioni, suisque viribus, diutiùs restitit hosti eam obsidenti: vnde hostis eam capiens, grauiùs eam afflget, vt damna tam longæ obsidionis sarciat & compenset. Est synecdoche: ex parte enim intelligit totum, putà ex vna vrbe Bethaetsel totam prouinciam Iudææ. Vnde

Secundò, *Bethaetsel* accipi potest vt appellativum, significans idem quod *domus vicina*, & sic per eam intelligi potest Iudæa, siue duæ tribus, præsertim Ierusalem. q.d. Iudæa & Ierusalē, quæ est domus vicina Samariæ, vti ex Samaria ob vicinitatem accepit idololatriam & culpam, ita & pœnam ac excidium ab eadem accipiet. Ierusalem inquā, quæ paulò antè *stetit sibi*, hebr. עמדו *vndato*, id est in subsistentia sua. q.d. Quæ in suo statu & robore, &, vt Chald. vertit, *elegantia* steti integra & intacta ab Assyrijs, constans & inuicta dum verum Deum colebat, ab eoque protegebatur, cùm tu, ô Samaria declinans ad idola excidisti à tuo statu, & abducta es ab Assyrijs. Hoc est quod dixit vers. 9. *Desperata est plaga eius*, Samariæ, *quia venit vsque ad Iudam*; & rursum dicet v. 12. *Descendit malum à Domino in portam Ierusalem*. ita S. Hieron. cum suis sequacibus Ribera & alij. Transit enim Propheta à clade Samariæ ad cladem Ierusalem, quæ Samariæ erat vicina & affinis, ac quasi soror. Aliter recentiores, qui nouam cudunt versionem; & varij variè; vti ait, dum à Vulgata recedunt; vt lector in ijs nil certi & solidi inueniat, sed animo semper vagetur & fluctuet. Porrò planctus & stragis huius causam assignat Chald. dum paraphrasticè ita vertit, *planctum vobis edite cum amaritudine, ob interfectos fortium vestrorum in domo profunda, propter domos desiderabiles vestras, quas violenter abstulistis hanc ad illam adiungentes: ideo elegantia terræ vestræ tolletur à vobis.* Vide Isaiæ 5.8.

QVIA INFIRMATA EST IN BONVM] id est, ad bonum, scilicet tum pietatis & virtutis, tum inde consequentis prosperitatis & præmij. q.d. Priuata est bonis tam gratiæ, quàm naturæ & facultatum. VERS. 12.

QVAE HABITAT IN AMARITVDINIBVS] Septuag. *quæ habitat in doloribus*; Hebr. *quæ habitat in Maroth*. *Maroth* est nomen vrbis in Iudæa teste S. Hieron. Fortè illa quæ in tribu Iuda ponitur Iosue 15.v.58. & *Mareth* vocatur. Fuit & alia vrbs *Mara* in tribu Manasse, apud quam Damasceni quondam castra metati sunt, de qua Tyrius l.15. Belli sacri c.8. & Adrichom. in Manasse. Rursum *Maroth* hebr. significat *amaritudines*. Vnde Noster vertit, *In amaritudinibus* maiuscula I. vt significaret esse nomen proprium; sed ita vt eius vis & energia consistat in appellatiuo, quod significat amaritudines, perinde ac Leodij celebris est pons *Amaricour*, id est amari cordis, ita dictus quòd in eo cæsi sint ciues à Carolo Audace, cùm ipse per illum in vrbem irrumpens, eam ferro flammáque vastauit. hic ergo est Eburonum Maroth. Itaque sensus est, q.d. Tu ô Maroth vrbs, & tu ô Iuda, Maroth vrbis possessor & dominus, qui sub Ezechia rege pio, in bono pietatis æquè ac prosperitatis, putà in pace & rerum omnium affluentia felix lætusque viuebas, inde sensim ad vitia & idola dilapsus, amisisti cum bono pietatis, bonum prosperitatis; & acquisisti malum amaritudinis & aduersitatis. (Hinc Theodor. legit, *quis cœpit afferre dolores ei, quæ habitare solita est in bonis?*) quocirca iure vocari potes *habitans in Maroth*, id est in amaritudinibus, hoc est in peccatis, quibus Deum & conscientiam amaricasti (vnde Symmach. vertit, *habitatio ad amaritudinem prouocans*) atque in pœnis & suppliciis, quæ corpus animumque tuum affligunt & amaricant. *Maroth duplex.* *Primum.* *Secundum.*

Ex dictis patet Primò, Prophetam per elegantiam alludere ad vrbes Iudææ dictas Maroth & Bethaetsel, æquè ac paulò antè alluserit ad Aphra, Sappir & Sanaan vrbes Samariæ. hæ enim cum sua metropoli passæ & vastatæ sunt; sed per illas intelligere totam prouinciam, per synecdochen. Simili enim modo Isaias cap 15.2. & seqq. describens vastationem prouinciæ Moab, dicit vastatas esse Medaba, Luith, Eleale, Segor, Nemrim, Gallim, Dibon, &c. quæ sunt vrbes Moab. Sic Ieremias cap. 46.14. prædicens vastationem Ægypti, dicit vastandam Memphim, Taphnim, Magdalum, aliasque vrbes Ægypti.

Patet Secundò, hæc nomina *Aphra*, *Sappir*, *Saanan*, *Bethaetsel*, *Maroth*, esse propria vrbium, sed Prophetam vrgere horum nominum significata ad elegantiam & energiam. Rursum hæc nomina propria vrbium adaptari toti prouinciæ in qua sunt, putà Samariæ, vel Iudææ, siue Ierusalem. Sensus ergo plenus totius huius loci à v. 11. vsque ad v. 13 hic est, q.d. Tu ô vrbs quæ vocaris Aphra, id est puluis, iuxta nomē tuum pulueré te consperge: tu ô vrbs quæ vocaris Sappir, *Complexio totius orationis prophetæ.*

pir, id est pulchra, transi ad squalorem captiuitatis: tu ô vrbs quæ vocaris Saanan, id est abundans vel egrediens, egredere in captiuitatem. Pari modo tu ô Samaria regio, quæ hasce & plures vrbes complecteris, tu inquam, es Aphra, id est puluis, quia in puluerem mox ab Assyrijs redigenda, in puluere ergo te voluta: tu pariter ô Samaria es Sappir, id est pulchra, sed deformanda & captiuanda ab hoste: tu denique es Saanan, id est abundans & egressura ad hostes. Hæc de Samaria, sequentia spectant Iudæam & Ierusalem. Tu ergo ô vrbs quæ vocaris *Bethaetsel*, id est domus vicina vrbi Saanan, planctum ex eius vastatione accipies: nam tua res agitur paries cùm proximus ardet. Tu quoque ô vrbs quæ vocaris *Maroth*, id est amaritudines, dira & amara patieris ab hoste; quia ipse te tuaque omnia enervabit & infirmabit. Pari modo ô Iudæa & Ierusalem, quæ hasce vrbes Bethaetsel & Maroth sub tuo dominio complecteris, tu es Bethaetsel, id est domus vicina Samariæ; vnde ex eius vastatione vastationem & planctum accipies. Insuper tu es *Maroth*, quia amaras infirmitates & stragis experieris. Summa ergo omnium sit, q.d. Tu ô Samaria cum tuis vrbibus, ac deinde tu Iudæa cum tuis ab hoste vastabimini: clades enim Samariæ ad vicinam Iudæam dimanabit. Patet ex sequentibus.

Tropol. Aphra est mors. Saanan, iudicium. Maroth, gehenna. Bethaetsel, Purgatorium. Sappir, calum.

Tropol. *Aphra* est mors, quæ nos in puluerem resoluit; *Saanan*, id est exitus, est iudicium, quod nos egredi facit, vel ad *Maroth* id est amaram gehennam, vel ad *Sappir*, id est pulchrum cælum, vel ad *Bethaetsel*, id est Purgatorium. hoc enim est domus vicina quoad locum gehennæ, quoad statum & merita cælo. Hæc sunt quinque nouissima cuique iugiter meditanda, quæ proinde Propheta hîc cuique ob oculos ponit, cuius verba facile est singulis applicare.

QVIA DESCENDIT MALVM A DOMINO IN PORTAM IERVSALEM] Nam, vt ait S. Hieron. Sennacherib Assyrius vastata Samaria, venit etiam ad Ierusalem, misitque Rabsacen qui Hierosolymitis insultaret. 4. Reg. 18. 17. Isaiæ 36. 2.

VERS. 13. TVMVLTVS QVADRIGAE STVPORIS HABITANTI LACHIS] q.d. Quadrigæ Sennacherib suo numero, cursu, strepitu, ac armorum, rotarum, vngularum & equorum collisione tumultuantes, primò inuadent Lachis vrbem Iudææ, eiusque habitatores; ac eis stuporem ob nimium timorem & terrorem incutient. Causa est, quòd Lachis *fuerit principium*; Septuag. *princeps peccati filiæ Sion*: id est, quòd Lachis prima in Iuda susceperit cultum Baalim, id est idololatriam Israelis, id est decem tribuum, cæterasque Iudææ vrbes eadem infecerit & corruperit. Hinc & prima pœnas dabit, primaque capietur à Sennacherib. Id ita factum esse liquet 4. Reg. 18. vbi Sennacherib dicitur ex Lachis, quasi iam à se occupata, misisse Rabsacen in Ierusalem, vt eius deditionem peteret.

Aliter vertunt Chald. Pagnin. Vatabl. & Arias, nimirum, *iunge currum ad equos velocissimos* (vel *ad dromades*, qui sunt cameli velocissimi, indeque græcè dicti sunt dromades, id est cursores) *habitatrix Lachis*. q.d. Fuga vobis consulite, fugite velocissimè quadrigis vestris velocissimis, ô habitatores Lachis: quia instat vobis hostis Sennacherib. Lachis enim erat vrbs florentissima, equorum atque curruum copia & exercitatione nobilis, in quam ob vicinitatem & commercium, atque exercitationis stadium, idolotriæ cultus primùm ab Israelitis delatus, indetam Iudæam corruperat. Est ironia & tacita irrisio. q.d. Tua, ô Lachis, maxima & celeberrima equorum & quadrigarum frequentia, tua admiranda & stupenda exercitatio, & in arcuquos quadrigasque agitandi dexteritas, nihil proderit ad hoc vt Assyrio resistas: quare frustra deo vt ea vtaris ad fugam. sed nec hæc tibi proderit: non enim effugies; nam Assyrius te, inter velocissimè fugientem, comprehendet. Vnde Chald. vertit, *aptate quadrigas, proficite vos qui veredos, qui habitatis Lachis*.

In Hebræo est pulchra paronomasia inter רֶכֶב *recheb*, id est quadriga, & רַכֵּשׁ *rechesh*, id est *dromedarius*, quod Noster vertit, *stuporis*; & Lachis, id est ambulans ad Æthiopem. q.d. Tu ô Lachis, iuxta nomen tuum ambulas ad Æthiopes, id est ad idola fuliginosa & atra, atrosque dæmones quos colis; ambulas, inquam, placido & lento gressu: idcirco iam non eris *Lachis*, sed *rachis* siue *reches*, id est dromas stupendè velox; & *recheb*, id est quadriga: quia instar quadrigæ & dromadis velocissimè conaberis fugere Assyrium; sed cogeris captiua celerrimè currere ad Assyriam.

Sic tropol. qui lenti perstant in peccatis, cogentur præcipites abire in supplicium & in gehennam, ait à Castro.

PROPTEREA DABIT EMISSARIOS (Chald. & Vatabl. vertunt, *munera*) SVPER HEREDITATEM GETH] Hoc loco significari videtur (licet ibi non legamus) quòd ciues Lachis aduentum Sennacherib, timentes eius obsidionem & exidium, coacti miserint emissarios, id est legatos, cum militum comitatu & muneribus, ad Geth vrbem Philistinorum potentem, aliàs hostilem, qui ab ea peterent opem, sed frustra. Nam, vt sequitur, Maresa & Geth sunt *domus* Aczib, id est *mendacij*, *in deceptionem regibus Israel*: quia nimirum vtraque mendaciter promittes opem, eamque promissam non præstans, sed fallens, decipit, vti aliàs sæpè reges Israel, ita nunc Iudæa & ciues Lachis.

Nota. Pro *super hereditatem Geth*, hebraicè est *super*, vel *ad Maresa Geth*. Vnde videtur, quòd *Maresa* fuerit nomen proprium vrbis subiectæ Geth & Gethæis. ita R. Dauid, Pagninus, & Vatablus. nam de ea subdit: *Adhuc heredem adducam tibi, qua habitat in Maresa*: & quia *Maresa* hebr. significat hereditatem, hinc Noster vertit *hereditatem*, ob allusionem quam mox explicabo. Vrbs enim Maresa pertinebat ad Geth, eiusque erat quasi hereditas. Sensus ergo est, q.d. Lachis mittet legatos ad sibi vicinam Maresa, quæ est hereditas & ciuitas Geth, vt ab ea opem petat contra Sennacherib.

Secundò, & meliùs S. Hieron. & Ribera, q.d. Sennacherib ex Lachis mittet emissarios, id est milites volones & velites, in Maresa, id est in hereditates, agros & oppida Geth, vt ea depopulentur; eò quòd ipsi nunc, vti aliàs sæpè, instigarunt Israelitas, & ciues Lachis, ad resistendum Assyrijs, promittendo eis opem, quam non præstiterunt: ideoque fuerunt, & sunt domus mendacij. Vnde sequitur:

Domus

DOMVS (hebr. בָּתֵּי *batte*, id est *domus* in plu-
ralli: vnde Plantin. legunt *domos* in accusatiuo, vt
sit appositio, q. d. Super Maresa & Geth, super
domos inquam mendacij: tales enim sunt Mare-
sa & Geth) MENDACII IN DECEPTIONEM FILIIS
ISRAEL] scilicet fuerunt vrbs Maresa & Geth, vti
iam exposui. Hebr. est, *domus* אַכְזִיב לְאַכְזָב *aczib*
laczab, id est domus mendacij ad mendacium,
id est deceptionem regibus Israel.

Nota. *Aczib* fuit nomen proprium vrbis in
tribu Iuda, Iosue 15.44. vnde de ea hîc agi pu-
tant Chald. Vatabl. & Pagnin. Sic enim vertit
Chald. *domus Aczib tradentur populis propter pecca-
ta, quibus venerati sunt idola reges Israel*; Pagnin. *do-
mus Aczib erunt in mendacium regibus Israel.* quod
Vatabl. sic exponit, q. d. Ædes vrbis munitissi-
mæ, quæ erat in tribu Iuda, nomine Aczib, quæ
erant instar arcium, fallêt reges Israel, & frustra-
buntur spe sua. q. d. Reges Israel, id est reges Iu-
da, frustrabuntur spe sua, cùm descendent in
Aczib, vt illic sint tuti contra hostes: quia ciuitas
illa non poterit resistere hostibus; sed Aczib ve-
rè erit Aczib, id est mendacium, & mendax præ-
sidium. Fuit & alia vrbs nomine Achseph, vel
Acziba, postea Ecdippa dicta, maritima & po-
tens, non longè à Tyro, quam initio filij Aser
expugnare non potuerunt, vt patet Iudic. 1.31.
Verùm melius S. Hieron. & alij censent Maresa
& Geth hîc vocari *domus Aczib*, id est mendacij,
quia fidem datam Israelitis fefellerunt; cum al-
lusione tamen Aczib vrbis, quæ verè hoc nomi-
ne extabat in Iuda. q. d. Domus Aczib, id est
mendacij, hoc est mendax & fallax, non iam erit
vrbs Iudæ, quæ vocatur Aczib, sed erit Maresa
& Geth. Sic Isaias Ierusalem vocat Sodomam,
ob mores Sodomiticos, c. 1. 10. *Audite*, ait, *verbum
Domini principes Sodomorum*, &c. Sic sæpè Eze-
chiel & Prophetæ Iudæos vocant Chetæos,
Chananæos, Amorrhæos, &c. De Marezae enim
hîc agi, patet ex eo quod mox sequitur. Vnde
Syrus vertit, *domus vanitatis* (factæ sunt in vanita-
tem regibus Israel; Arabicus, *domus deceptionis* (er-
rons) *facta sunt deceptio regibus Israel.*

ADHVC HEREDEM ADDVCAM TIBI QVÆ HA-
BITAS IN MARESA] Michæas hoc cap. plenus
est allusionibus: in nominibus enim vrbium pro-
priis, eleganter, salsè & acutè alludit ad eorum
significata: qua de causa Noster non ipsa nomi-
na propria Hebraica, sed eorum significata po-
nit. Sensus ergo est, q. d. Tu ô Maresa vrbs, iux-
ta nomen tuum fuisti hereditas diues tua, æquè
ac Gethæorum principum tuorum. At nunc a-
lium heredem tibi adducam, qui tua occupet &
hereditet, scilicet hostem Assyrium; vt iam sis
Maresa, id est hereditas, non tua, nec Gethæo-
rum, sed Assyriorum; eò quòd tu Israelitas inci-
taueris & vana spe lactaueris ad resistendum As-
syrijs. In Hebræo pulchra est paronomasia: *ad-
ducam* יוֹרֵשׁ לְמָרֵשָׁה *iores le maresa*, id est, ad-
ducam heredem ad suam hereditatem. Porrò
Maresa hæc non fuit Michææ patria, vti aliqui
opinantur: nam Maresa hæc fuit in Geth Phili-
thinorum. Michæas autem fuit Iudæus: nisi di-
cas hanc Maresa esse illam, quæ tribui Iudæ fuit
assignata à Iosue c. 15. v. 44. sed quam Gethæi
per vim possederint, & Iudæ eripuerint. Verùm
S. Hieron. & alij dicunt patriam Michææ fuisse

A Morasthi, distinctam à Maresa, vti dixiin pro-
œmio. Ludit Michæas in voce, æquè ac in re
Maresa, id est hereditas: sicut in eadem ludit Ho-
ratius lib. 2. satyr. 2.

Nos expulit ille:
Illum aut nequities, aut vafri inscitia iuris:
Postremum expellet certè vivacior heres.

Vnde Tropolog. *domus Aczib*, id est *menda-*
cij, est mundus, & omnis mundana hereditas, *Tropol. mun-*
præsertim iniquè, vel per vim, aut fraudem ac- *dus est Ac-*
quisita: hæc enim est Maresa Geth, id est he- *zib, id est*
reditas torcularis, quo scilicet potentes pre- *mendacium.*
munt & opprimunt plebem & pauperes, sed
postea sentient eam esse Achzib, id est do-
mum mendacij. Quibus meritò intonat Psal-
tes: *Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid*
B *diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Ita hæ-
retici pressi à Catholicis, implorant opem Tur-
carum, sed postea sentiunt eam esse Achzib, id
est mendacium: quia post victoriam Turca eos
sibi subigit, eisque iugum Turcicum imponit,
vti Budæ & Hungariæ auorum memoria acci-
disse scimus. Ira fagæ, magi, alijque desperatæ
fortunæ dæmonem inuocant, sed inuocant
Achzib, id est mendacium. Nam dæmon ab
eis animam & corpus extorquet, eosque in so-
lidum mancipat. Ita multi sectantur aulam, vt
honores & opes assequantur, sed post multos
labores spe sua frustrati, deplorant se seruisse
tot annis in vanum domui Achzib. Filij homi-
num vt quid toties hoc mendacium experti,
non sapitis? *Vt quid* adhuc *diligitis vanitatem,*
C *& quæritis mendacium?* Spes omnes tuas repo-
nis in Principe, in Prælato, in amico, moritur il-
le, vel tibi offenditur ob rem leuem, ecce spes
tua effusa in terram: ecce spes tua est Achzib, id
est mendacium. Confidis in filijs, quòd familiæ
tuæ erunt bases & columnæ; sed mox hunc ra-
pit bellum, illum pestis, tertium furca, quartum
hospitale, quintus degener est & rebellis: ecce
confusus es in domo Achzib. Iuuenis es in flore
ætatis, superbis, robur tuum perenne putas,
spondes tibi annos Nestoreos; sed inopinatò fe-
bris te inuadit, debilitat, decolorat, vt fias ima-
go mortis: ecce iuuentus tua, robur tuum est
Achzib, est mendacium. Abundas opibus, di-
cisque cum diuite illo Euangelico: *Anima ha-*
bes multa bona posita in annos plurimos, requiesce,
comede, bibe, epulare. sed audi vocem Altitonan-
tis: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te,*
D *quæ autem parasti cuius erunt?* Luc. 12. vers. 19. An
non hæ sunt opes, hæ domus Achzib? An non
hæc est hereditas mendacij? Verè Sapiens Ec-
cli. 34. 1. *Vana spes, & mendacium viro insensato, &*
somnia extollunt imprudentes. Quid enim sunt o-
mnes res & spes mortalium, nisi somnia vigilan-
tium? vt ait ex Platone Philo. *Quasi qui appre-*
hendit vmbram, & persequitur ventum; sic & qui at-
tendit ad visa mendacia. Et psaltes psalm. 61. 10.
Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij ho-
minum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in
idipsum. quasi dicat, Ipsi sunt quasi filij vanita-
tis, & per consequens sunt vanitas in idipsum, id
est, omnes simul. Vnde Hebr. & Chaldæus ha-
bent, *filij hominum in statera si ascendant, ipsi pari-*
ter leuiores sunt statera; S. Hieron. vertit, *verumta-*
men vanitas filij Adam, mendacium filij viri, in
stateris dolosis fraudulenter agunt simul; Theo-

dotion, *vapor sunt filij hominum, mendacium filij viri, vt momentum statera*, quod mox sursum, mox deorsum inclinatur & fertur, ait Theodor. q.d. Ita nihil stabile est in rebus humanis, sed omnia instabilia & pendula, perpetua agitatione motuque librantur: promittunt quidem stabilitatem & constantiam, sed mentiuntur: *Omnis* enim *homo mendax*, omnis pariter res & spes humana est mendax.

Verè S. Augustin. lib. de Cognitione veræ vitæ cap. 25. tom. 9. *Totus*, inquit, *hic mundus instar breuissimi puncti, intra Deum collocatur: serenissima autem lux maiestatis eius extra vndiqueuersum in immensum diffunditur.* Idem in psal. 36. conc. 1. *Molendinum*, inquit, *puto dictum mundum istum: quia vota quadam temporum voluitur, & amatores suos conterit.* Sapienter verò æquè ac patheticè Auctor serm. ad Fratres in eremo serm. 31. *O munde proditor*, ait, *cuncta bona promittis, sed cuncta mala profers: promittis vitam, sed donas mortem; promittis gaudium, sed largiris mœrorem; promittis quietem, sed ecce turbatio; promittis florem, sed citò vanescit; promittis stare, sed citò recedis.* Et paulò antè: *Va, qui tibi credit; beatus qui tibi resistit; sed beatior qui à te illæsus recedit.* Et inferiùs: *Dicant omnes, loquantur cuncti, surgat venerabilis pater Adam cum omnibus filijs suis, & vno ore loquantur, vtrùm in hac vita gaudium habuerint sine dolore, pacem sine discordia, quietem sine metu, sanitatem sine infirmitate, lumen sine tenebris, panem sine dolore, risum sine fletu.* Et mox: *O munde immunde, in te habitare, & non dolere, impossibile est. In te sperare, & non timere, vanum est. In te tua amare, & non perititari, vanum est. O fratres mei, nolite ergo eum diligere, quoniam transit, & concupiscentia eius. Sed ecce mundus transit, & nos turbat, & amatur: fallit, & fidelis reputatur: occidit, & velut vita desideratur. O munde immunde, mella tua & dulcedo tua asperitatem habent, iucunditatem falsam; certum dolorem, incertam latitiam; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, & spem beatitudinis inanem.* Annon ergo mundus est domus Achzib, sedes mendacij? Annon ipse reipsa clamat אכזיב *achzib*, id est mentior & mentiar, decipio & decipiam? Vt quid ergo mendaci, & talem se profitenti creditis & fiditis?

VSQVE AD ODOLLAM VENIET GLORIA ISRAEL] *Odolla* quæ & *Adulla* & *Adolla* dicitur, vrbs fuit antiqua, magna & regia, cuius regem occidit Iosue cap. 12. 15. Hanc postea ædificijs munivit Ionathas, atque in hac sabbathum egit Iudas Machabæus, 2. Machab. 12. Est, ait S. Hieron. in Locis Hebr. vsque hodie vicus paruus ad Orientem Eleutheropoleos. Iuxta vrbem est spelunca Odollam, in qua latuit Dauid fugiens Saulem, ibique collegit quadringentos viros, quorum factus est princeps, 1. Reg. 22. 1. & 2. Reg. 23. 13. ita Adrichom. in Descript. terræ sanctæ. Iam sensus à varijs hic varius datur. Primò, q.d. Assyrius vastabit capietque omnia, vsque ad Odollam, quæ est vrbs magnifica, & quasi gloria Israel. Sic Iudith victrici, ob occisum ab ea Holofernem, acclamauit pontifex & populus: *Tu gloria Ierusalem, tu latitia Israel, tu honorificentia populi nostri*, Iudith 15. 10. Secundò, alij per *gloriam Israel*, intelligunt Assyrium, qui Israelis opes & gloriam occupauit & hereditauit: sicut enim eum paulò antè ironicè vocauit heredem Maresa, sic eumdem nunc vocat gloriam Israel. Vnde Pagnin. & Vatabl. sic vertunt, *herede ria Israel* (putà Assyrius) *veniet vsque ad Odollam.* Tertiò, S. Hieron. cum suis *gloriam* accipit per antiphrasin & sarcasmum, pro dedecore. q.d. Dedecus Israelis, quod ille inferet Assyrius vastator, perueniet vsque ad Odollam. Quartò, Hebr. כבוד *cabod* non tantùm gloriam significat, sed & grauitatem. vnde verti potest *grauitas*, id est grauis afflictio, *Israelis peruenit vsque ad Odollam.* ita Lyran. & Arias. Quintò, planiùs propriè potest capi *gloria Israel* q.d. Assyrius sensim progrediendo capiet omnes primò vrbes Israelis & Iudæ, ita vt perueniat ad Odollam, quæ erat in finibus Iuda; & consequenter regnum, ditio & gloria Israel quasi propulsa & fugata ab Assyrio, perueniet sistetque in Odollam vrbe olim glorioſa: quare illa ab eodem capta, quasi extinguetur & corruet gloria Israel, iuxta illud Poëtæ:

Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum.

Hinc cæso Israele & capta arca, vxor Phinees pontificis grauida, ex dolore enixa filium, vocauit eum *Ichabod*, id est vbi gloria? dicens *Translata est gloria de Israel, quia capta est arca.* 1. Reg. 4. v. 20. Ita Propheta hîc per vastitatem vrbis magnificæ Odollam, quæ pænè erat extrema in Iuda, cæterarum omnium præcedentium & interiacentium vrbium vastitatem significat, vt in Odollam statura & casura sit ditio & gloria Israelis. Alludit ad etymon *Odollam*, vel, vt hebr. est, *Hadulam. Hadulam* enim hebr. significat, *ornamentum vsque ad eos*, scilicet peruenit, vel *transitus* aut *præda*, scilicet Assyriorum, *vsque ad eos*, scilicet perueniet. ita Pagnin. in interpret. nomin. Hebr. Denique perperam pro *Odollam* legit *olam*, id est sæculum; vnde vertit, *vsque in sæculum efferet gloriam Israelis*; & Arabicus, *in sæculum exaltabitur gloria Israelis.*

DECALVARE] Non tu, ô Ierusalem, vt vult Theodor. hāc enim capere nequiuit Sennacherib de quo hîc agitur, imò ipse ibidem cæsus est ab angelo; sed vel tu, ô Odollam, & tu ô Maresa, vt censet Vatabl. vel tu, ô Israel, vt censet Arias; vel potiùs tu, ô Samaria, quæ vti sceleris, ita & excidij Iudæ fuisti dux & choragus, vti hoc capite docui. *decaluare* enim in Hebr. est feminini generis, ergo femininum nomen Samariæ non masculinum Israelis respicit. ita S. Hieron. & Rupert. vnde Septuag. aliter hæc dispungentes, clarè vertunt, *gloria filiæ Israel decaluare & detondere super filios delicatos tuos.* Hoc est quod dixit initio cap. v. 5. *Quod scelus Iacob, nónne Samaria?* Sicut ergo cepit hoc caput in Samaria, ita & in eadem claudit. Dicit ergo, Tu ô Samaria, & consequenter tu ô Iudæa decaluare & tondere in signum extremi luctus. huius enim apud Iudæos, & etiam apud Gentiles signum erat calutium & depilatio. Sic enim Iob afflictus caput totondit c. 1. v. 20. Idem patet Ierem. 7. 29. & c. 47. v. 5. & Ezech. 27. 31. Nam, vt ait Ouidius:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Decaluare ergo, ô Samaria, in signum insignis mœroris, desolationis, excidij, &, vt Theodor. ait, reiectionis, qua Deus reijciet & reprobabit filios deliciarum tuarum, id est filios qui tibi

sunt

sunt in delicijs, &, vt Septuag. vertunt, *filios deliciarum tuos*, eosque tradet hosti Assyrio vel occidendos, vel captiuandos. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. Clarius & Palacius. Vnde secundò, consequenter innuit ipsos filios, putà Israelitas & Iudæos, ab Assyrijs decaluandos & detondendos quasi mancipia. Hoc enim bello captis & seruis facere solent victores & domini. Vide de Scipionibus dictum: *Sub quorum titulis pleraque tonsa iacet.* Quocirca Chald. vertit, *euelle tibi capillos, & proijce super filios deliciarum tuarum: sicut aquila, cuius alæ delapsæ sunt, sic adauge caluitium in capite tuo causa filiorum tuorum.* q.d. Fac tibi magnum caluitium, sicut aquila dum senescit planè deglabratur; vt ostendas ingentem luctum & mœrorem.

DILATA CALVITIVM TVVM SICVT AQVILA; Syrus & Arabicus, *multiplica caluitium tuum sicut aquila:* quia sicut aquila plumas, ita tu populum filiosque tuos amittes; vnde sequitur: QVONIAM CAPTIVI DVCTI SVNT EX TE. Tertiò, Theodor. aquilæ, inquit, non tantùm decor, sed & celeritas ac robur consistit in pennis: cùm enim ei defluunt pennæ, adeò infirma est & timida, vt sese abscondat, nec venari possit vel audeat, sed aliorum potiùs prædæ sit exposita. Sic ergo & Samaria nuda armis & militibus, quasi implumis aquila, quæ neque robur habet, neque effugium, Assyriorum prædæ exponetur. Quartò, Sanchez censet hîc alludi ad Gentilium, quos secuti sunt Israelitæ, morem, qui solebant in suorum funere cæsariem tondere, eamque in defuncti sepulchrum inferre, itaque ei parentare. Sic Homerus Iliade 23. ait, ab Achille comam in Patrocli rogum coniectam. Et Catullus in Argonautis:

In cinerem canos soluent à vertice crines.

Et Seneca in Phædra actu 5. scena 1.

Placemus vmbras: capitis exuuias cape,
Laceraq; frontis accipe abscissam comam.

Idem disertè docet Dionys. Halicarn. in funere Virginiæ. Sensus ergo est q.d. Omnes tui ciues & filij, ô Samaria, euellentur aut à natali, aut à vitali solo; omnes morientur vel ciuiliter, vel naturaliter, hoc est, omnes vel interibunt, vel capientur ab Assyrijs. Illis ergo parenta, tuosque crines in eorum rogum injice. Verùm cùm illi sint innumeri, & tui capilli pauci, vt singulis hoc ritu parentes, oportet vt quidquid in toto corpore capillorum est, ad ipsas vsq; radices euellas; sicut quidquid est in aquila plumarum, cum ipsis etiam radicibus effluit, dum illarum profluuium & caluitium subit. Huc accedunt alij, qui censent hîc notari & puniri idololatriam crinium. q.d. Tu ô Maresa tuos, tuorumque filiorum & filiarum capillos idolis obtulisti, idcirco decaluabere; vt in quo peccasti, in eo & puniaris. Idololatras enim capillos capitis & barbæ resectos consecrasse suis dijs, docet Alexander ab Alexand. libr. 5. Genial. cap. 18. & ibi Tiraquellus. Et de Ægyptijs testatur Diodorus Siculus libr. 2. c. 4. *pro puero morbo affecto vota concepisse, vt si Deus voto adesset, desectum capillum dedicarent.* Et Virgil. 4. Æneid.

Hunc ego Diti
Sacrum iussa fero, teq; isto corpore soluo.
Sic ait, & dextrà crinem secat.

Et Euripides in Bacchidib. *Sacer capillus est, Deo*

A *ipsum nutrio.* Et Papin. libr. 1. *Virgineas libare comas.* Idem testatur Tertull. libr. de Anima, & Censorinus lib. de Die natali, in proœmio. Plutarchus in Theseo narrat eum ex more recepto cùm ex pueris excessisset, Delphos abijsse, vt comæ primitias Apollini sacraret. Suetonius in Nerone cap. 12. ait Neronem ex aurea pyxide barbam consecrasse Ioui Capitolino. Gentiles velut simiæ hoc, vt & multa alia, acceperunt à Iudæis, quorum nazaræi crinem suum vouebant, sacrabant & comburebant Deo, vti dixi Numer. 6.

Primus sensus vti planior, ita & germanior est. Comparat Israelem aquilæ potiùs quàm alijs auibus: quia cùm homo solo capite decaluetur, aquila toto corpore depilatur cùm senescit: vnde tunc iuuenescit rursum, cùm nouæ ei plumæ pro B veteribus succrescũt. de qua re multa dixi Isaiæ 40. 31. Audi S. Gregor. hom. 18. in Ezech. in fine. *Contigit*, ait, *ei* (Romæ à Longobardis tempore S. Gregorij obsessæ) *quod de Iudæa nouimus per Prophetam prædictum: Dilata caluitium tuum sicut aquila. Caluitium quippe homini in solo capite fieri solet, caluitium verò aquilæ in toto corpore: quia cùm valde senuerit, plumæ eius ac pennæ ex omnibus membris illius cadunt. Caluitium ergo suum sicut aquila dilatat, quia plumas perdidit quæ populũ amisit. Alarum quoque pennæ ceciderunt, cum quibus ad prædam volare consueuerat: quia omnes potentes extincti sunt, per quos aliena rapiebat. Hæc autem quæ de Romana vrbis contritione dicimus, in cunctis facta mundi ciuitatibus scimus. Alia enim loca clade desolata sunt, alia gladio consumpta, alia fame cruciata, alia terræ hiatibus absorpta. Despiciamus ergo ex toto animo hoc* C *præsens sæculum, vel extinctum: finiamus mundi desideria saltem cum mundi fine.* Imitemur bonorum facta, quæ possumus. Quidam apud Clarium vertit, *proijce in altum abrasos capillos tuos, quantum subuolare solet aquila*, id est maximè & acerbissimè luge. Sed Hebr. vox קרח *carach* significat decaluare, non proijcere in altum.

Alij censent aquilam, vti & hominẽ, solo capite decaluari: caluitium enim propriè est capitis, depilatio verò corporis. Cùm enim aquila senescit, plumas tã in capite, quàm in corpore amittit: vnde tũc in capite decaluatur, in corpore depilatur. Verùm de caluitio capitis aquilæ, nihil præ alijs auibus singulare apud Plinium, Ælianũ, Aristot. Aldrouandum & alios legimus; sed depilationem totius corporis aquilæ celebrant omnes. Decaluare ergo hîc idem est quod depilare. D Vnde ait, *Dilata caluitium tuum*, vt scilicet à capite per totum corpus extendatur.

Tropol. aquila pennas veteres dimittens, seq; decaluans & depilans, & mox nouas assumens, symbolũ est pœnitentię & pœnitentium, quicaluitium pœnitentiæ, id est luctum, signaq; luctus assumunt, ac veteres prauos mores deponũt, nouamq; virtutis vitam ineunt. ita ex S. Hieron. Aldrouandus in Aquila pag. 69. imò Psaltes psal. 102. 5. *Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua*, nimirum *veterem hominem deponẽs, nouum autem qui in Creatoris agnitionem renouatur, assumens*, ait ibidem S. Chrysost. Sicut enim aquila omnes pennas veteres deponit, totoque corpore se deplumat, vt vbique nouas assumat, totumque corpus renouet; ita peccator & pœnitens omnes mores pristinos deponere, nouosque assumere debet,

Aquila se depilans & renouans schema est pœnitẽtiæ.

vt fiat alter nouusque homo. Hoc verum, sed rarum pœnitentiæ est schema.

Et peccatorius, Symbol. Samaria, & quiuis peccator per peccatum decaluatur, id est omni decore & gloria virtutum & gratiarum spoliatur. ita S. Hieron. Vnde perdit Odollam, id est ornamentum eorum; & Maresa, id est hereditatem gratiæ Dei & regni cælestis; & Samariam, id est custodiam angelorum; & qui antea erat Israel, id est dominatus Deo, fit mancipium diaboli.

Anagog. Rupert. Hac, ait, similitudine aquilæ deplumantis se, vt nouas pennas assumat, continetur tacita promissio alterius sobolis melioris, Samariæ quidem ad literam, fidelium verò & sanctorum mysticè, præsertim per resurrectionem & gloriam cælestem.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

REcenset oppressiones pauperum, aliasq; iniurias proximis illatas ab Israelitis: ideoq; in captiuitatem comminatur, non ex odio, sed ex amore & compassione. Vnde v. 11. Vtinam, *ait*, non essem vir habens spiritum, & mendacium potiùs loquerer. *Quocirca v. 12. tristibus læta subiungens, promittit Christum, qui eos è captiuitate in vnum Ecclesiæ ouile, quasi pastor colligat.*

Hæc spectare tam ad duas, quàm ad decem tribus, probatur. *Theodor. putat Prophetam hîc vaticinari duabus tantùm tribubus: Rupertus verò, Vatabl. & à Castro, decem dumtaxat. Verius est eum primò decem, deinde duabus tribubus hæc edicere, vti censet Arias. Probatur Primò, quia caput hoc simile est priori, & ab eo continuo filo deducitur, connectitur, & pendet. Ergo sicut ibi primò egit contra decē, deinde consequenter vel comitanter contra duas tribus; ita agit & hîc. Secundò, quia v. 12. & cap. 3 1. alloquitur tam Iacob, quàm Israel. Ergo sicut cap. 15. per* Iacob *intellexit decem tribus, per* Israel *duas, ita & hîc. Tertiò, quia v. 12. ait Christus congregaturum in suum ouile tam Iacob, quàm Israel. Atqui Christus congregauit tam decem tribus, quàm duas: ergo. Quartò, quia non tantùm hîc agit de decem tribubus, sed & de duabus, patet clarè c. 3. 10. vbi ait:* Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate. *Et v. 12.* Propter hoc causa vestri, Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit.

Vers. 1. VÆ qui cogitatis inutile, & operamini malum in cubilibus vestris: in luce matutina faciunt illud, quoniam contra Deum est manus eorum.

2. Et concupierunt agros, & violenter tulerunt & rapuerunt domos: & calumniabantur virum, & domum eius; virum, & hereditatem eius.

3. Idcircò hæc dicit Dominus: Ecce ego cogito super familiam istam malum: vnde non auferetis colla vestra, & non ambulabitis superbi, quoniam tempus pessimum est.

4. In die illa sumetur super vos parabola, & cantabitur canticum cum suauitate, dicentium: Depopulatione vastati sumus: pars populi mei commutata est: quomodo recedet à me, cùm reuertatur, qui regiones nostras diuidat?

5. Propter hoc non erit tibi mittens funiculum sortis in cœtu Domini.

6. Ne loquamini loquentes: Non stillabit super istos, non comprehendet confusio.

7. Dicit domus Iacob: Numquid abbreuiatus est spiritus Domini, aut tales sunt cogitationes eius? Nónne verba mea bona sunt cũ eo: qui rectè graditur?

8. Et e contrariò populus meus in aduersarium consurrexit: desuper tunica pallium sustuliſtis: & eos, qui transibant simpliciter conuertistis in bellum.

9. Mulieres populi mei eiecistis de domo deliciarum suarum: à paruulis earum tulistis laudem meam in perpetuum.

10. Surgite, & ite, quia non habetis hîc requiem: propter immunditiam eius corrumpetur putredine pessima.

VÆ QVI COGITATIS INVTILE] Hebr. הוי *auen*, id est *vanitatem*, vel *iniquitatem*. Pagnin. & Vatab. Chald. *rapinam*; Syrus. *fraudem*, Arabicus, *ignorantiam*, insipientiam. Agit enim de iniurijs proximo illatis. Sicut enim cap. 1. descripsit peccata Israel in Deum, ita hîc eiusdem scelera in proximum commissa recenset. Est Iptote siue Imminutio, figura Rhetorica, qua modestiæ causâ minus dicitur, & maius intelligitur; vt cùm ait Poëta: *Quem non virtutis egenum* (id est quem virtute pollentem & abundantem) *abstulit atra dies.* Sic idola in Scriptura vocantur vana, quia in se vana falsaque sunt numina, at non vanam, sed veram afferunt noxam: pœnam culpam & pœnam. Septuag. pro הוי *hoi*, id est væ, alijs punctis, & per metathesin literarum cum *iod*, legerunt הִיא *hau*, id est, *facti sunt cogitantes labores*, id est peccata & scelera: peccatum enim parit laborem & dolorem tam præsentem quàm futurum.

ET OPERAMINI MALVM IN CVBILIBVS VESTRIS. q.d. Noctu in lectis excogitatis & machi-

natim scelera, putà fraudes & oppressiones pauperum, quæ summo manè auidè & festinanter exercetis. Hoc est enim quod sequitur; IN LVCE MATTINA FACIVNT ILLVD] *Faciunt*, id est faciunt. Est enallage personæ: sed ait *faciunt*, quasi dignitatem auertens faciem & sermonem ex vnde de eis quasi alienis & hostibus, in tertia persona loquitur.

QVONIAM CONTRA DEVM EST MANVS EORVM] *Manus*, id est consilium, machinatio, operatio, & executio quæ fit manu. Nota. Hebr. אל significat fortitudinem, & inde Deum, quia ipse est fortissimus. Vnde ex Hebræo sic verti potest, *quoniam ad fortitudinem manus eorum*, id est, quia manus eorum sunt fortes, siue *quia viribus nituntur*, vt vertit Tigurina; atque *quia facultas in manibus eorum ad opprimendum*, vt vertit Pagnin. Sic & Chald. Clarius & Arias. q.d. Machinantur iniurias proximis, easque reipsa inferūt, quia sunt potentes, nec quis valet eis resistere. Vnde S. Hieron. *Non consideratis*, ait, *quòd aduersus Dominum sortitudo manus vestræ?* Tertiò, Septuag. totum hunc locum sic transferunt, *facti sunt cogitantes labores, & operantes mala in cubilibus suis, & simul cum die* (mox vt dies illucescebat) *consummabant ea, quia non leuauerunt ad Dominum manus suas.*

Vbi Nota, quanta sit vis orationis, & quanta mala ex eius omissione & neglectu sequantur. Hi enim Israelitæ omnes fraudes & rapinas machinabantur & perficiebant, eò quòd non leuarent manus suas ad Dominum, vt vertunt Septuag. si enim eas leuassent, partim recordatione Dei & iudiciorum eius deterriti à scelerum perpetratione destitissent; partim Deus ab eis inuocatus gratiâ suâ eos præueniisset, quæ eos auocasset à malo, & incitasset ad bonum. Idem reipsa experimur in magnis peccatoribus; scilicet eos omnis orationis & Dei, vti de senibus illis Susannæ publicitiæ insidiantibus dicitur Daniel. 13. *Peruerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* Et Psaltes psal. 13 cùm v. 1. dixisset de impijs: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, &c. omnes declinauerūt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, &c. contritio & infelicitas in vijs eorum, &c.* Causam horum omnium malorum & scelerum subdit v. 5. *Quia Dominum non inuocauerunt.* Ex aduerso ipse Psaltes iugiter orat Deum, vt ab eo in suis cogitationibus & operibus dirigatur, ne in aliquod peccatum labatur. *Perfice*, inquit, *gressus meos, vt non moueantur vestigia mea.* psal. 16. 5. *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus saluator meus*, psal. 24. 4. *Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitam rectam, propter inimicos meos*, psal. 26. 11. Idipsum facit sæpè alibi, & toto psalm. 118. qui est de custodia legis Do. Et S. Paulus 2. Corinth. 13. 7. *Oramus*, ait, *Deum, vt nihil mali faciatis.* Scribit Cassianus collat. 10. c. 9. seruos Dei in initio cuiusque operis sibi implorare opem Dei, vt illud rectè, sine peccato, & cum virtute obeant; ac dicere: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum festina*; prout Ecclesia orat initio Horarum singularum; quæ & ad Primam initio diei ita precatur: *Domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos peruenire fecisti, tua nos hodie salua virtute, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam iustitiam faciendam, nostra procedat eloquia, dirigantur cogitationes & opera.* Experientia docuit, Confessores pro fide Christi captos à tyrannis, in ea fortes perstitisse, factosque Martyres, quotquot iugi orationi se dediderunt: cecidisse verò eos, qui orare, & Dei opem inuocare neglexerunt. Idem vidimus & videmus in alijs tentationibus quibuslibet. Idem experimur in nobis ipsis. Huius rei symbolo legitur in libris Machab. quòd Iudas Machabæus qui tot tamque nobiles victorias de Antiocho obtinuit, semper ante singula prælia feruentes ad Deum preces fuderit, excepto vltimo in quo confossus occubuit, quia tunc orasse non legitur. Quotidie ergo oremus cum S. Ambrosio & S. Augustino in hymno *Te Deum laudamus: Dignare Domine die isto sine peccato nos custodire.*

RAPVERVNT DOMOS] concupierunt domos æquè ac agros proximi, easque rapuerunt vi vel fraude, vt concupiscentiam suam explerent. VERS. 2.

ET CALVMNIABANTVR VIRVM] per calumniam opprimebant, accusantes eum falsò, vt ei bona, vel etiam vitam eriperent: hoc enim est Hebr. עשק *asac*. Vnde Tigurina vertit, *vim inferunt cuique*; Pagnin. *oppresserunt virum*; Septuag. *diripuerunt virum.*

ET NON AMBVLABITIS SVPERBI] Chald. & Septuag. *erecti*. q. d. Deprimam erectam & superbam eorum ceruicem, reddam eos humiles & deiectos, vt colla tumida submittant, ceruices altas inclinent. VERS. 3.

QVONIAM TEMPVS PESSIMVM, id est maximè calamitosum, EST] id est erit. q.d. Inducam eis maximas clades, quæ ceruices eorum superbas contundant & frangant. Sic dicitur Matth 6. 34. *Sufficit diei malitia*, id est afflictio & calamitas, *sua*. Sic ex aduerso Hebræi vocant *bonū*, id quod prosperum est & iucundum: vt, *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum*, psal. 132. v. 1. Ad hunc Michææ locum alluſit Apostolus Ephes. 5. 16. dicens: *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.*

IN DIE ILLA SVMETVR SVPER VOS PARABOLA] putà nænia, id est lamentum funebre, & carmen lugubre, vulgò & passim cantandum. sic parabola vel lamentum vocatur nænia excidij Babylonis, Isaiæ 14. 4 & Tyri, Ezech. 27. 2. & Ægypti, Ezech. 32. 2. Ratio est, quia vti parabolæ, ita & næniæ adhiberi solent similitudines, gnomæ, metaphoræ, similesque figuræ & schemata, quæ in carmine adhibentur. Adhæc sunt res tritæ, quæ vulgò in omnium ore versantur. hæ enim Hebræis vocantur parabolæ, vel prouerbia. VERS. 4.

ET CANTABITVR CANTICVM CVM SVAVITATE] Hebr. *& lamentabitur lamentum lamenti*, id est lamentum summum, siue maximè lugubre. ita Pagnin. Vatabl. & alij. Dices, Cur ergo Noster & Septuag. vertunt, *canticum cum suauitate*; & Arias, *lamentum cum solamine*? Resp. quia quando Hebræi idem nomen iterant in genitiuo, significant quid in eo genere eximium, pulcherrimum & summum, vt, Rex regum, id est summus rex. Canticum canticorum, id est canticum pulcherrimum. Sic hîc lamentum lamenti, est eximium & pulcherrimum lamentum: præ-

sertim quia omnis cantus, etiamsi lugubris & lamentabilis, hoc ipso quo cantus, suauis est, aureſque & mentem delectat: quinimò non tantùm melancholici, sed & viri pij compunctioni dediti, magis delectantur carmine & musica funebri, quàm festiua & exultante. Hac de causa veteres in funere adhibebant lamentatores & lamentatrices, canentes tibijs, vt tibiarum sono & voce, licet lugubri, lenirent dolorem parentum & cognatorum, qui proinde ita voces suas frangebant & flectebant, vt modulatione sua lenirent mœrorem. Ita & hoc lamento insigni lenitur mœror Hierosolymæ vastatæ, eique licet mœrenti, suauitatem aliquam præfica ingerit, eamque consolatione tali loco congrua demulcet.

Aliter Ribera: Hebr. inquit, נְהִיָּה *nihia*, id est lamenti vel lamentationis, à rad. נָהָה *naha*, id est lamentatus est, deduci potest à rad. הָוַר *hava*, quod significat frangere, conterere. q. d. Frangetur, id est, fracta, incisa & molli voce, hoc est cum suauitate, canetur hoc lamentum. Melius *nihia* deducas ab הָיָה *haia*, id est fuit: vt *nihia* idem sit quod factum, completum, concinnum, elegans, ideoque demulcens, delectans & suaue.

Aliter Remig. Albert. Lyran. & Hugo. Censent enim hoc lamentum assumendum non ab ipsis Israelitis, sed ab eorum hostibus Assyrijs, qui imitantes & replicantes hoc Israelitarum lamentum, canent per irrisionem cum suauitate idipsum, quod Israelitæ canent cum luctu. Verùm alij simpliciùs censent Prophetam hoc lamentũ assignare non Assyrijs, sed ipsis Israelitis vastatis; putà canendum ab eorum præficis & lamentatoribus publicis, qui lamentis præerant, ad publicum ciuium in tanta clade solamẽ. Hoc enim significant ipsa verba lamenti, quæ sunt primæ personæ: *Depopulatione vastati sumus.*

DEPOPVLATIONE VASTATI SVMVS; Hebr. *vastando vastati sumus*, id est, vt Pagnin. *penitus vastati sumus*, PARS POPVLI MEI COMMVTATA EST] Sunt verba Synagogæ, putà Samariæ & Hierosolymæ. q. d. Pars populi Israelitici translata est à Salmanasar in Assyriam, æquè ac pars populi Iudaici translata est à Nabuchodonosor in Babylonem. Secundò *pars*, id est sors & hereditas populi mei, putà agri Samariæ, ab Israelitis trãslati sunt ad Cuthæos & Assyrios, æquè ac agri Iudææ occupati sunt à Chaldæis. 4. Reg. 17. & c. 25.

QVOMODO RECEDET A ME, CVM REVERTATVR QVI REGIONES NOSTRAS DIVIDAT?] q. d. Persuadebant nobis pseudoprophetæ & adulatores, noſque credebamus, quòd, cùm Salmanasar populatus esset agros Samariæ paucis abductis, nosque illi promitteremus tributum, ampliùs ad nos non rediret, foretque nobis pax: sed ecce redit & obsidet Samariam, eamque capit, omnesque Israelitas abducit, ac in eorum locum ex Assyria in Samariam adducit Cuthæos, qui agros eorum possideant, quasi incolæ perpetui futuri, vt nulla nobis ad nostra redeundi supersit spes. Idem dicunt Iudæi de Nabuchodonosor: sperabamus eum occiso Ioakim, & capto Ioachin, indictoque nobis tributo, non rediturum; sed ecce redit, capit Ierusalem, excæcat Sedeciam, filios eius obtruncat, ciues omnes A abducit, agros nostros alienis distribuit: nihil ergo spei nobis supereſt. Huc accedit expositio S. Hieron. Remigij. Haymonis, & aliorum, qui hæc de Sennacherib exponunt, quasi dicat, Cùm Sennacherib recederet ab obsidione Ierusalem, vt occurreret Tharacæ regi Æthiopum, nos Iudæi sperabamus eum ampliùs non rediturum; sed ecce redit, Ierusalem obsidet, agrosque nostros suis diuidit.

Paulò aliter vertit Pagnin. *quomodo*, inquit, *remouit à nobis quos sperabamus nobis restituit? agros nostros hostis diuisit sibi*; & Vatabl. *quomodo abstulit à me, cùm restituturus videretur* (nobis) *agros nostros? diuisit*, supple nostros agros alijs. q. d. Fallimur spe nostra, sperabamus agros nostros nobis restituendos, & ecce in eos hostes nostri possessores inducuntur.

B PROPTER HOC NON ERIT TIBI] Verba sunt Prophetæ ad Samariam, vel potiùs Samariæ & Iudææ ad seipsam. Sic enim lugentes ex parte seipsos subinde quasi alienos alloquuntur. q. d. Posthac terram tuam, ô Samaria & Iudæa, tuos ciues funiculo non diuides, vti antea facere solebas: quia scilicet priuaberis omni tua possessione; hoc est, posthac ego Samaria & Iudæa meis filijs terram non diuidam, quia ea omnes priuabor. Hîc finitur lamentum & nænia.

NE LOQVAMINI LOQVENTES, &c.] Hebr. *ne stilletis stillabunt*, quod Vatabl. sic vertit, *ne fletu hîc qui stillare solent*, id est Prophetis, propterea *non stillabunt* posthac *istis*: sicque exponit. Dicere solent Prophetis: Ne loquamini, hoc est, desilite prophetare & vaticinari nobis. q. d. Vos vero Prophetis silentium imponitis, & propterea cessabimini Prophetis & prophetia. Verùm meliùs Noster, Symmach. & alij veteres vertunt *ne stilletis stillantes*, vel stillando. Nam futurum Hebræi subinde vsurpant pro participio, vt Osee C 11. hebr. est, *si Galaad idolum, ergo frustra fuerunt in Galgal bobus immolauerunt*, id est immolantes, vt vertit Noster & alij. Et c. 13. 3. *Immolate homines, vitulos adorabunt*, id est adorantes. Ita vertunt Septuag. Noster & alij. Iam per *stillare* Septuag. intelligunt plorare & lachrymari. Horum enim stillæ sunt lachrymæ. Vnde vertunt *ne lachrymemini lachrymas*. Verùm apud Hebræos, præsertim Prophetas, *stillare* idem est quod loqui, prophetare, concionari; vti sæpè monui. Nam vt ait S. Hieron. *eloquium ab eo quòd fluat & ad aures perueniat audientium in similitudinem pluuiæ descendentis, stillationem vocat*; præsertim D quia graue est, minax & onerosum: stillæ enim cum pondere, impetu, nimbo & grandine decidunt. S. Hieron. Remig. & alij censent hæc esse verba Prophetæ ad populum, q. d. Nolite dicere ô Iudæi, id quod soletis: Prophetæ præcunt & comminantur nobis mala, at nos eis non credimus: non enim stillabit, id est non ruet, super nos calamitas ista.

Verùm, quia non ait: *Non stillabit* super nos, sed *super istos*, hinc alij probabiliùs censent ea verba alterius Prophetæ, vel viri sapientis ad Michæam, similesque Prophetas. q. d. Nolite, ô Michæa, ô Amos, ô Ioël, &c. prophetare Israeli, quia ipsi non credunt: vnde vestrum eloquium non stillabit super istos, id est non instillabit eis pia monita: non enim *comprehendet* illos cõtritio, dolor aut pœnitẽtia. q. d. Sunt obstinati & incorrigibiles.

rigibiles. Quocirca Chald. vertit, *ne prophetetis prophetiam, neque doceatis populum istum: nam non admittunt confusionem.* q.d. Fruſtra eos monetis; nam perfricuerunt frontem, & in ſuis ſceleribus ſunt impudentes. Vnde ſequitur;

DICIT DOMVS IACOB. Pro *dicit* heb. eſt הָאָמוּר *heamur*, id eſt, *hoc eſt dictum domus Iacob*: *hè* enim demonſtratiuum ſignificat *hoc*. ita Noſter. Nam dū Prophetæ eis exitiū minantur, obſtrepunt dicuntque: NVMQVID ABBREVIATVS EST SPIRITVS DOMINI? q.d. Numquid arctatus & anguſtiatus (hoc enim ſignificat Hebr. קָצַר *katsar*) eſt ſpiritus miſericordiæ Dei, vt nos qui ſumus populus eius perdere velit? numquid TALES SVNT COGITATIONES EIVS] quales enunciant nobis Prophetæ, triſtes ſcilicet & exitiales, & non potiùs benignæ & pacificæ? iuxta illud quod ipſe ait per Ieremiam c. 29. 11. *Cogito ſuper vos*, ait Dominus, *cogitationes pacis, & non afflictionis*. ita S. Hieron. Haymo, Remig. & alij.

Secundò, alij *he* in *heamur*, accipiunt non vt demonſtratiuum, ſed vt interrogatiuum vel admiratiuum. Vnde vertunt, *ô dicta domus Iacob!* ita Pagnin. vel, *annon dictum eſt à domo Iacob?* ita Tigurina. q.d. Itáne ô Iacobitæ, id eſt Iſraelitæ, dicos Prophetis, Ne ſtilletis, id eſt prophetetis nobis mala, vti præceſſit? *Annon abbreuiatus eſt ſpiritus Domini?* q.d. Etiamſi illis Prophetis claudatis ora, & ſilētium imponatis, annon poſſum alios acriores eorum loco ſuſcitare & ſubmittere, qui duriora nuncient? *Annon hæc ſunt opera eius?* q.d. Nónne hæc oracula minacia non ſunt Prophetarum, ſed ipſius ſpiritus Domini, qui per os eorum loquitur? q.d. Contenditis & pugnatis ô Iſraelitæ, non contra Prophetas, ſed contra Deum, nouam gigantomachiam contra Dei inſtituitis videte ergo, ne vt gigantes à Deo fulmine adigamini in abyſſum. durum enim eſt vobis contra ſtimulum calcitrare. ita Vatabl. Verus prior ſenſus eſt genuinus. Nam *hè dicit domus Iacob* non ad præcedentia, ſed ad ſequentia ſpectat. Quæ ergo ſequuntur: *Numquid abbreuiatus eſt ſpiritus Domini?* ſunt verba non Dei, ſed populi Iſrael, cui reſpondet Deus dicens:

NONNE VERBA MEA BONA SVNT CVM EO, QVI RECTE GRADITVR?] Sunt verba & reſponſio Dei. Nota hoc, id eſt benigna, clementia, iucunda. Sic dicitur pſalm. 7. 11. *Quàm bonus Iſrael Deus, his qui recto ſunt corde!* id eſt ſuauis & benefi- cus. & Michææ 7. 4. *Qui optimus*, id eſt benigniſſimus & manſuetiſſimus, *in eis eſt, quaſi paliurus, & qui rectus* (id eſt placens, gratus, iucundus, placidus) *quaſi ſpina de ſepe*. Iſraelitæ Prophetis minantibus Dei vindictam obſtrepebāt & obijciebant Dei clementiam & bonitatem erga populum ſuum. Hiſce reſpondet hîc Deus, ſe bonum & clementem eſſe, ſed bonis & rectis; malum verò & rigidum malis & impijs, quales erant Iſraelitæ. q.d. Vos à me & Prophetis expoſcitis verba bona, id eſt oracula fauſta & læta: ſed reſpōdeo, huc à me dari bonis, mihiq; obedientibus. his enim ea ex promiſſo meo debentur. Vos autem mali eſtis, mihiq; rebelles; ergo nonniſi oracula rebellibus digna, putà triſtia & minacia, à me expectate. Vnde ſubdit:

ET E CONTRARIO POPVLVS MEVS IN ADVERSARIVM CONSVRREXIT] Pro *è contrario* hebr. eſt A אִתְמוֹל *etmul*, quod Primò, ſignificat, *heri, paulò antè*. Vnde Septuag. Symmach. Pagnin. Vatabl. Clarius & alij vertunt, *heri*, vel ante *vnum diem*, id eſt paulò antè, iam recenter; *populus meus hoſtis in morem inſurrexit*, tum contra me, meamque legem, tum contra proximum. Vnde Pagnin. vertit, *quaſi inimicus alter contra alterum ſtetit*, ſcilicet eum tunica & pallio ſpolians, vt ſequitur. q.d. Qui heri erat populus meus, hodie mihi rebellis, contra me æquè ac contra proximum ſuum conſurgit. ita Vatabl.

Secundò, *etmul* poteſt eſſe conflatum ex *et*, id eſt *ex*, & מוּל *mul*, id eſt *contra*, q.d E contrà, ex aduerſo; vt ſit ſenſus, q.d. Ego bonus ſum bonis & rectis, mihique conſentientibus: vos verò Iſraelitæ, non eſtis tales: ſed contra me & proximos veſtros quaſi hoſtes conſurgitis. Quid mirum ergo ſi vos mali malum, id eſt maleficum, B me, non bonum & beneficum experiamini? ita S. Hieron. Remig. Hugo, & alij. Quocirca Septuag. vertunt, *& antea populus meus in inimicitia reſtitit contra pacem ſuam*. Pax enim omne bonum ſignificat & complectitur.

IN ADVERSARIVM CONSVRREXIT] S. Hieron. *tyrannica aduerſum me arma corripuit*. Idololatræ ergo & peccatores ſunt tyranni & rebelles qui contra Deum pugnant.

DESVPER TVNICA PALLIVM SVSTVLISTIS] Primò, Chald. aliter hæc accipit, ſcilicet vt ſignificent nō culpam, ſed pœnam Iſraelis. Sic enim totum hūc locum vertit, *ob ſcelera hoſti tradita ſunt, è regione eorum populi ſtantes poſſident eos: pecuniam eorum pretioſam ab eis tollunt, tranſeuntes per terram eorum confidenter conuertuntur in eos, velut bello confractos*. Secundò, Arias, q.d. Heri populus C meus mihi fidelis & obediens, in hoſtes ſuos potens inſurrexit, eoſque protriuit: at nunc, cùm à me ad idola & ſcelera deſciuit, mea ope & robore deſtitutus, factus eſt ignauiſſimus, timidiſſimus & imbecillimus; adeò vt, ſi proſpiciat veſtem è regione, quam viator quiſpiam baculo (vt fit) ſuſpenſam ferat, ex vano hoſtium metu militare id ſignum eſſe putans, trepidè fugiat, etiam abiecto pallio, vt celeriùs fugam capeſſat. Verùm planus eſt ſenſus quem reddidit Noſter. q.d. Vos ô Iſraelitæ, adeò rapinis fuiſtis addicti, vt obuio viatori raperetis pallium, id eſt extimam veſtem, cùm intimam tunicam corpori eius nimis ſtrictam rapere non poſſetis: itaque coëgiſtis eum publicè ſeminudum, vt ruſticanum hominem indecorè incedere. Idcirco ſpo- D liabunt & nudabunt vos Aſſyrij, tum quia vos ſpoliaſtis alios: tum quia opes veſtræ non ſunt veſtræ, ſed prædæ & rapinæ pauperum: à vobis ergo quaſi iniuſtis poſſeſſoribus, auolabunt ad Aſſyrios.

Tropol. S. Hieron. hæc refert ad eos qui ſimplices peruertunt, eoſque Dei gratia & virtutibus deſpoliant, pelliciendo eos in hæreſim, libidinem, furta, &c.

ET EOS QVI TRANSIBANT SIMPLICITER, innoxiè, & conſequenter fidentes, & nihil mali timentes, vt habent Hebræa: hos inquam, CONVERTISTIS IN BELLVM] id eſt bello & rapina appetiſtis, quaſi hoſtes inuaſiſtis, pugnis contuſiſtis, contumelijs vexaſtis, veſtibus rebuſque ſuis ſpoliaſtis, quaſi prædones & graſſatores viarum publicarum.

VERS. 9. MVLIERES POPVLI MEI EIECISTIS DE DOMO DELICIARVM SVARVM] Primò, q.d. Occidistis, vel expulistis, vel in carcerem truisistis maritos populi mei, id est plebeiorum & pauperum: nec hoc contenti, vxores eorum expulistis suis ædibus, in quibus cum maritis in amore, pace & suauitate coniugali, quasi in domo deliciarum viuebant, vt ædes earum & prædia occuparetis. ita Lyran. Arias & Vatabl. Porrò pauperes vocat *populum* suum, quia, vt ait Psaltes psal. 9. 35. *Tibi derelictus est pauper; orphano tu eris adiutor.* Et Christus Matth. 25. 40. *Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Sic Achab occiso Naboth, inuasit vineam Naboth, ex eaque vxorem eius iam viduam exturbauit, 3. Reg. 21. 16.

Aliter S. Hieron. q.d. Vestris sceleribus causa fuistis, cur matronæ honestæ & diuites domibus suis, in quibus delicatè viuebant, extractæ, ab Assyrijs ducerentur in captiuitatem. Aliter & Vatabl. q.d. Sollicitando vxores ad adulterium, vel de eo illas calumniando, aut suspectas faciendo, concitastis maritos, vt eas quasi adulteras domo expellerent, itaque à paruulis earum abstulistis laudem, id est decus & gloriam: quia fecistis vt filij earum essent viles & abiecti, aut nothi & spurij: coëgistis enim illas à maritis expulsas, alias domos & viros adire; hoc est, vt verbo dicam, coëgistis illas adulterari. Nota. Pro *tulistis laudem meam in perpetuum*, S. Gregor. Nazianz. orat. 7. ex Septuag. (qui pro הָרֵי *hadarai* legerunt הָרֵי *harei*, id est montes) legit, *appropinquate montibus æternis*; sicque explicat, Iubet, inquit, vt pastores gregem ad montes & edita loca impellant, vt scilicet fidelibus ostendant viam arduæ virtutis & perfectionis. Vnde Syrus vertit, *& à paruulis eorum accipietis gloriam in saculum*; Arabicus, *induentur gloria in æternum.*

A PARVVLIS EARVM TVLISTIS LAVDEM MEAM IN PERPETVVM] Laudassent enim me paruuli, si à parentibus in coniugali amore honestè fuissent educati, eorumque heredes effecti. At à vobis & parentibus orbati, & bonis spoliati, gemunt, fremunt, vobis maledicunt, clamantque vindictam in cælum. ita Albert. & Arias. Secundò, tulistis ab eis meam laudem, tum quia eos à matribus auulsos, honesta piaque educatione priuastis, & in idololatria vestra educastis; tum quia eos ad paupertatem adegistis, ob quam ad omnia scelera, vestramque voluntatem & libidinem eos inflexistis. Tertiò, *laudem*, id est gloriam; & Tigurina, honorem. q.d. Fecistis eos mihi & sibi viles & inglorios, separando eos à parentibus, & matres à patribus: bona enim matrimonij quibus Deus glorificatur, olim erant duo, scilicet proles & fides coniugalis; nunc in lege noua sunt tria, scilicet proles, fides & Sacramentum. Vos hæc omnia hac separatione euertistis: euertistis ergo omnem meam in matrimonio gloriam, præsertim quia spoliando filios bonis paternis, fecistis ne ipsi matrimonium inire, & stirpem paternam propagare possent. Hæc enim fuisset mea, æquè ac ipsorum laus & gloria. vnde Chald. vertit, *ab ipsis filios tollentes, translata est gloria eorum, quam dixerunt in æternum permansuram.*

VERS. 10. SVRGITE ET ITE. q.d. Ob has rapinas & scelera vestra, ô Israelitæ, abite in captiuitatem Assyriacam, & vos ô Iudæi in Babylonicam: QVIA NON HABETIS HIC REQVIEM. q.d. Vos inquieti & turbulenti terram hanc, id est terræ incolas, vexatis; hinc pariter non habebitis in ea quietem, sed Assyrius vexabit vos, & abducet: PROPTER IMMVNDITIAM EIVS, scilicet terræ, quam vos eam polluistis, CORRVMPETVR PVTREDINE PESSIMA, id est sanguine & tabe cadauerum vestrorum inficietur, & vastitate extrema vastabitur. q.d. Quia vos terram hanc vestris sordibus & sceleribus fœdastis, hinc illa euomet vos, tradetque vos mactandos Assyrijs, vt vestro sanguine imbuta, per iustam vindictam quasi eluat fœdes, quibus illam contaminastis, eique quasi vim intulistis. Terra enim hæc sancta non potest sustinere vos tam pollutos & inultos. Vnde Pagnin. vertit, *surgite & ite, quia non est hæc omnia requies: & quia est immunda, corrumpet eam, & corruptione valde forti*; & Chald. *surgite & migrate, siquidem non est hæc terra domus requiei impijs, vt eam polluatis, perditè agitis, vt eã efficiatis immundam, contra eam consociamini.* Hebr. enim חָבַל *chabal* significat & corrumpi, & colligari, indeque consociari. Vnde & Tigurina pro *corruptione valde forti*, vertit, *& funu nimium*: חֶבֶל *chebel* enim est funis, quo res colligamus & consociamus.

11. Vtinam non essem vir habens spiritum, & mendacium potiùs loquerer: stillabo tibi in vinum, & in ebrietatem: & erit super quem stillatur populus iste.

12. Congregatione congregabo Iacob totum te: in vnum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in ouili, quasi pecus in medio caularum, tumultuabuntur à multitudine hominum.

13. Ascendet enim pandens iter ante eos: diuident, & transibunt portam, & ingredientur per eam: & transibit rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.

VTINAM NON ESSEM VIR HABENS SPIRITVM ET MENDACIVM POTIVS LOQVERER] Ex Hebraismo verti potest. Primò, Tigurina, *si vir essem spiritum* (ventum, vanitatem) *jequens, & mendacium concinnans: prophetarem, tibi de vino & sicera. Propheta essem pro hoc populo.* q.d. Si loquerer plana & voluptuaria de indulgendo genio, venter veneri, vti fecit Lutherus eiusque asseclæ, essem Propheta gratus huic populo. Huc accedit Chald. *pro eo quòd aberrarunt post pseudoprophetas qui eis spiritu mendaci prophetabant, quig, illos vt & ebrietati assuefaciebant, erit profectò sicut dixerunt post pseudoprophetas aberrare, sic exulabit terram mendaciorum populus istius generationis.* Respicit ad v. 6. q.d. Populus iste delicijs assuetus dixit veros Prophetas qui seuera edicunt: ad falsos, qui epicurea vaticinantur. quia ergo amat mendaces & mendacia, eat in Assyriam, quæ est terra mendaciorum, id est, idolorum & falsorum prophetarum, ibique mendacijs suis, vt chamæleon vento, se pascat.

Secundò, Pagnin. *si fuerit quispiam qui ambu-*

per viam venti, & mendaciũ mentitus fuerit, dicendo, Stillabo tibi pro vino & sechar. q.d. Si quis surgat pseudopropheta, qui non populi, sed suum quęrat lucrum; stillans, id est docens, vt vinum & siceram pro mercede doctrinæ suæ conquirat; hic nimirum à populo isto stolido acceptabitur & colletur vt Propheta.

Tertiò, & genuinè vertit Noster, *vtinam non essem vir habens spiritum*, &c. q.d. Vtinam non haberem spiritum propheticum: vtinam, quæ prophetizo de clade & exitio Israelis, non sint prophetiæ à Deo reuelatæ, sed mendacia mihi à vano timoris & pusillanimitatis spiritu metuq; suggesta. Sic vulgò dicimus, Vtinam decipiar, vtinam sim falsus vates. Sic ait Lucanus:

Dij facta secundent,
Et fluxit nulla fides; sed conditor artis
Finxerit ista Tages.

Nota. Non optat Michæas formaliter mentiri, hoc enim optare, est peccatum; sed materialiter tantùm, hoc est, optat duntaxat vt mendacium, id est falsum, sit, seu vt reipsa non eueniat id quod prædicit; ac consequenter vt id quod prædicit, non prædicat ex spiritu Dei, sed ex spiritu suo, putà humano vani timoris. Id dicit ex amore, quia optat suos ciues perdurare, & non exscindi, nec perdi ab Assyrijs; quod tamen ipse ex Deo eis comminabatur. ita S. Hieron. Remig. Haymo. Hugo & Lyran. Nota. Pro *vir habens spiritum*, hebr. est, *vir vadens spiritu*, id est qui agitur vertigine, qui non habet spiritum stabilem & certum; sed vagum, mobilem, incertum, inconstantem, vt modò verum videat, modò falsum, etiam circa vnum idemque: quo fit, vt quod asseruit, illicò reuocet & neget. q.d. Vtinam hac in re actus spiritu vago & erratico, vagarer, deciperer, & errarem, mihique liceret reuocare oraculum excidij Israelis, quod edidi. Posset verti, *vtinam essem vir vadens vento*; vel, vt Pagnin. & Tigurin. *ambulans per viam venti*, id est impulsus vento vanitatis, vanique timoris, erroris & mendacij (sic Flandri de iactabundo & mendace dicunt, Ventosus est, spirat ventum) vt vano timore actus metuam, augurer & enũciem excidium Israelis, quod re ipsa non eueniet. Sic enim melancholici, pusillanimes & timidi omnia tristia de se & alijs suspicantur & ominantur. Tales enim tristes cogitationes, suspiciones & metus parit humor melancholicus, frigidus & ater: sicut ex aduerso complexio sanguinea, calida & spiritosa parit cogitationes & ominationes bonas, lætas, animosas, vti videre est in ijs qui sanguinei & iouiales sunt.

STILLABO TIBI IN VINVM, ET IN EBRIETATEM] id est in vinum inebrians. est hendyadis. Sensus est, q.d. Vellem non habere spiritum prophetiæ, tibi ô Israel minacem & tristem: sed tamen eo vel inuitus corripior, cogorque verum stillare, id est enunciare; scilicet imminentia tibi plurima mala, & clades acerbissimas, quæ instar vini te inebriabunt & implebunt vsque ad guttur. Alludit ad sympostarcham, siue præfectum conuiuij, qui cuique conuiuæ suum admetiebatur & miscebat calicem, stillãs in eum tantum vini & tantum aquæ, quantũ eius ætati, complexioni & stomacho congruere videbat. q.d. Ego Michæas tibi ô Israel, sum quasi sympostarcha, aut potiùs sympostarchæ, id est Dei, minister &

A pincerna. Paro ergo tibi calicem iræ & furoris, in eumq; stillo vinum acre & merum, putà strages & funera, vt eum tibi iussu Dei hauriendum & ebibendũ propinem. Ecce hæc omnia vnico verbo complectitur Propheta, quia concisus est, & plenus affectibus. Pathos ergo animi, eiusq; alternantes affectus, concisè & hiulcè exprimit; vti solent facere vehementer dolentes, amantes, vel irascentes, qui nunc sperant, nunc desperant; nunc blandiuntur, nunc minantur; nũc lugent, nunc rident; nunc verba incidunt, nunc supprimunt; nunc ex hoc in aliud, sine ordine & connexione saliunt.

ET ERIT SVPER QVEM STILLATVR POPVLVS ISTE] q.d. In hunc populum Israelis cadent hæ Dei meæque stillæ; putà hæ minarum prophetiæ. Israel est cui vinum hoc furoris stillo & instillo; ipse est qui calicem hunc stillarum, id est

B pœnarum, Dei exhauriet, eoque inebriabitur, vsque ad stuporem & amentiam.

CONGREGATIONE CONGREGABO IACOB TOTVM TE] Variæ sunt huius loci expositiones. Primò, Theodor. & Vatabl. vt hæc connectant præcedentibus, dicunt hîc exponi calicem & vinum iræ Dei, quod stillandum in Israelitas, iam dixit: calicem enim hunc esse obsidionem & excidium Samariæ, & Hierosolymæ. q.d. Efficiam vt cogente hoste Assyrio & Chaldæo, quasi oues congregemini in vrbes vestras munitas, quas ille obsessurus est: ibi præ multitudine, pauore & angustia tumultuabimini. Capient Assyrij Samariam, Chaldæi Ierusalem: fugiet primus rex Sedecias, perrumpens murum horti regij, sequentur eum sui, sed Dominus imminebit capiti eorum, vt

C eos tradat Chaldæis. Vide historiam 4. Reg. 25. Imbellem ergo Israelem comparat ouibus, vrbes obsessas caulis ouium, strepitum obsessorum strepitui ouium inclusarum; hostes opponuntur pastoribus, hostes includunt Israelem in vrbibus obsessis. Verùm obstat quòd Prophetæ verba non tristia sint, sed læta, promittant que Israelis è captiuitate liberationem, congregationem & instaurationem. VERS. 12.

Secundò, meliùs alij hæc referunt ad Ezechiam obsessum in Ierusalem à Sennacherib. Tũc enim omnes Iudæi in vrbem confugerunt, & congregati sunt quasi oues magna trepidatione & tumultu; sed angelus percutiens castra Sennacherib, ascendit ante eos iter pandens: nam

D mox apertis portis Iudæi egressi sunt, & ante eos Ezechias Deo duce, vt viderent stragem Assyriorum, eorumque spolia diriperent, ac Deum gratiarum actione & laudibus celebrarent.

Tertiò, optimè hæc accipias de reditu Iudæorũ è Babylone. Paulò antè enim prædixit excidium & captiuitatem eorũ: nunc de more tristibus læta subiungens, dicit se eos inde liberaturũ. q.d. Post 70. annos Iudæos quasi oues in vnum collectas, reducam in suũ ouile, putà in Iudæam, magno eorũ concursu, & consequenter tumultu. Pastor earum, dux, & quasi rex Zorobabel pandet iter ante eos, ducetque eos per portam Babylonis in Ierusalem: ac Dominus in capite omnium quasi ductor præibit. Verùm quia tũc soli Iudæi, non Israelitæ, nisi perpauci; rursum non omnes Iudæi congregati sunt, nec redierũt, sed multi manserunt in Babylone, & alij per varias regiones dispersi vagabantur: insuper quia

Zoro-

Zorobabel non fuit rex, hinc inchoata & imperfecta dumtaxat fuit hæc Israelis liberatio & congregatio. A

Quocirca cogimur dicere, hæc planè & plenè referenda esse ad Christum. Licet enim alludat ad Zorobabel & Iudæos illius æui, eosque obiter quasi perstringat, tamen mens & scopus Prophetæ vlteriùs porrigitur, altiùs assurgit, ac fertur in Christum, per quem hæc prophetia perfectè adimpleta est: in Christum enim oracula sua terminare solent Prophetæ. Sensus ergo est, q.d. Ne nimis vos deijciam tot minis & cladibus, quas vobis intento ô Israelitæ, agite, sperate quandoque meliora. Nam Deus post vindictã promet suam misericordiam, vosq; Babylone reducet, & congregabit per Zorobabel; ac multò magis vos, putà veros Israelitas, non tantùm carne, sed & fide ac spiritu, vt ait Apostol. Rom. 9. 8. congregabit per Christum, qui Euangelium prædicans, multos è vobis conuertet, ac quasi oues in suam Ecclesiam congregabit; atque in fine mundi totum Israelem, omnesq; Iudæos magno concursu, strepitu & tumultu conuertet: tuncq; ex Iudæis & Gentibus omnibus fiet vnũ ouile, & vnus pastor; putà vna Ecclesia, sub vno pastore Christo. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Haymo, Hugo, Lyran. Clarius, Arias, Ribera & alij. Christus enim quasi dux & rex ascendit, ante eos pandẽs iter, & aperiens portas tum carceris, tum vrbis: ex carcere enim nos educit, & inducit in vrbem, putà Ecclesiam per baptismum & gratiam suam; ac ipse Deus in capite omnium præcedens tam Christi, quàm agminis huius totius fuit choragus & ductor. B

Anagog. Lyran. & veteres Hebræi apud Galatin. lib. 8. de Arcan. fidei cap. 23 hæc referũt ad regressum Christi è limbo. Christus enim resurgens secũ eduxit animas Patrum, quasi gregem selectum, quæ in limbo quasi oues in caula detinebantur. Ipse ergo eis pandit iter, & aperuit ianuas mortis & inferni, cùm eas ad vitam & naturæ & gloriæ, in terram, & inde in cælum, gradiens ante eos quasi triũphator, traduxit. Idem faciet omnibus electis in die iudicij, cùm è valle Iosaphat eos quasi antesignanus secum ducet in cælum, quasi in ouile Dei: vbi omnes magnis vocibus, instar turbæ magnæ gloriosè & canorè perstrepentis & tumultuantis, Deum laudabunt in omnes æternitates, vti docet S. Iohan. Apocal. 7. 9. ita S. Hieron. Remig. & Haymo. C

PONAM ILLVM QVASI GREGEM IN OVILI] Hebr. *in* בָּצְרָה *botsra*, quæ erat metropolis Idumææ, abundans ouibus. ita Pagnin. & Vatabl. Porrò *Botsra* hebr. id est munita, idem est quod Græcum ὀχυρὰ, & Latinum Valentia. Significat ergo Romam, inquit Arias, quæ primitus latinè vocata est *Valentia*, à valore & robore, vti testatur Solinus Polyhist. cap. 2. quasi prædicat Michæas, Romanam Ecclesiam fore commune ouile ouium Christi, putà fidelium, ac in ea sedem fore Summi Pastoris, scilicet Pontificis. Verùm Septuag. Chaldæus & Noster alijs punctis legerunt בַּצָּרָה *battsara*, id est *in tribulatione*, vt vertunt Septuag. vt sciant fideles se vocatos esse ad ouile Christi, quasi ad domum tribulationis & crucis. Meliùs Chald. & Noster vertunt, *in ouili*: Hebr. enim צָרָה *tsara* significat septũ arctum & angustum, in quo greges ouium densantur & coarctantur. Vnde explicans subdit, *Quasi grex in medio caularum.* Nota. *caulas* vocat particulares Ecclesias, in quibus à *multitudine*, id est ob immiam multitudinem & turbam fidelium, ait fore strepitum & tumultum. hic enim in multitudine ex copia nasci solet. D

ASCENDET ENIM PANDENS ITER ANTEIS, quia, vt sequitur: *Transibit rex eorum coram eis*, scilicet quasi antesignanus & ductor. Propandẽs hebr. est פּוֹרֵץ *porets*, id est *fractor*; ita Pagn. & *perruptor*; ita Tigurina; qui scilicet portas rasq; carceris perrumpat, perfringat & aperat, itaque incarceratis pandat iter ad egressum suum hunc *porets*, id est primum perfractor carceris, sequentes, pariter eumdem DIVIDENT, hebr. פָּרְצוּ *poretsu*, id est perrumpent & penetrabunt, itaque TRANSIBVNT PORTAM carceris & INGREDIENTVR PER EAM] in Sion; putà in communem fidelium vrbem ac libertatem. Ita hebr. est, *egredientur per eam*, & ita legunt Bibl. Regia Latina. Alludit enim ad captiuitatem & carcerem Babylonicum. q.d. Zorobabel perfringet carcerem Babylonicum, vosque eum sequentes pariter eumdem perrumpetis, & ex eo exibitis in Sion: multò veriùs antitypus Zorobabel, id est Christus, è captiuitate & carcere diuli, infidelitatis & peccati vos liberans vi mortisque crucis suæ, eumdem perfringet; vosque gratiam eius corroborati & euocati eumdẽ perfringetis, & gratulabundi exibitis in Sion spiritualem, id est in Ecclesiam, quæ est ciuitas lucis, sancta & felix Dei viuentis. Verissimè autem & plenissimè Christus è terra primus ascendens cælum, indeque mittet Spiritum sanctum qui fideles suos in cælum vocet, dirigat & deducat qua vocatione & spe excitati multi ad ipsum conuertentur, vt præcessit: hinc consequenter fides patriarchæ in limbo, quasi in carcere conclusi & detenti, à Christo visitati & euocati, ei præeunte murum & portam limbi & inferorum perrumpentes, in Ierusalem, ac deinde in cælum euadent. Denique fideles & sancti omnes per morte & resurrectione Christo duce perrumpentes corporis & mortalitatis huius carcerem in die iudicij cum Christo & post Christum in cælum ascendent. Ipse enim quasi rex transibit & præibit ante eos, & Dominus Deus erit in capite eorum, id est, erit omnium primus, dux & princeps, omnesque adiuuabit, roborabit & euuabit, vt secum ad astra in cælum empyreum conscendant.

Moral. vox *porets*, id est effractor, significat viam in Ecclesiam & cælum esse clausam, & multis seris & obstaculis obstructam, eaque ascendenti esse perfringenda, iuxta illud Christi: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. 12. Et, *Non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim separare hominem aduersus patrem & filiam aduersus matrem suam*, &c. Matth. 10. 34. Et, *Si quis non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14. 26. Verùm Christus primus effractor, ita præit, sternit seras, panditq; viam, ac suis assecla vires easdem effringendi, peruadendi & euadendi subministrat; vt nemo animo cadere, sed ex certam spem libertatis & salutis assurgere debeat, modò Christum sequi velit. Hoc est quod

gratu-

gulans & exultans canit Habacuc cap. 3. 19. *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa mea deducet me victorem, in psalmis canentem.* Et Isaias c. 49. 8. *Dedi te in fœdus populi mei, &c. vt diceres his qui vincti sunt, exite: & his qui in tenebris, Reuelamini.* Et Psaltes psalm. 115. 17. *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.*

Volenti ergo è carcere peccati & diaboli, in libertatem filiorum Dei egredi, rumpendæ sunt istæ carnis & mundi, frangendæ catenæ & funes malarum passionum & consuetudinum, quibus quasi vinculis peccatores colligantur & cõstringuntur. Ligabat S. Paulum amor legis patriæ & Iudaismi, sed Christo illucescente, hoc ligamen quasi stramineum rupit & dissiluit. Ligabat S. Magdalenam amor mundi, sed icta amore Christi, illum vt lini stupam discussit. Ligabat S. Augustinum amasia, sed Christo aspirante, quasi tenuem aranęæ hanc catenam disrupit. Audi eum l. 6. Confess. c. 1. *Quàm suaue, inquit, mihi subitò factum est carere suauitatibus nugarum! & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebatur tu à me, vera tu & summa suauitas, eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior: omni honore sublimior, sed non sublimibus in se. Iam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, atque scalpendi scabiem libidinum, & garriebam tibi lætitiæ meæ, & diuitijs meis, & saluti meæ Domino Deo meo.*

Qui ergo à malis habitibus, ab amicis, à sodalibus carneligari te sentis, esto *porets*, esto effractor difficultates ne metuas; Christus seras perA fringet, viam complanabit, iter pandet: perinde ac angelus S. Petro in carcerem ab Herode cõpacto aperiens portas, & seras diffringens, iter pandit ad exitum, vt Petro nil aliud faciendum fuerit, quàm angelum sequi, Actorum 12. 9 ita & tibi nil aliud faciendum, quàm vt Christum inuoces assiduè, eumque ducem animosè sequare: Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? Tibi à Deo dici putà, quod Cyro dicit Isaiæ 45. 1. *Subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudẽtur: Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringã. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum.* Talis *porets*, id est perfractor, fuit S. Paulus, qui vbiq; obices Euangelij fortiter disiecit, ac Gentium omnium antesignanus, eis iter ad Ecclesiam pandit.

B Vnde ipse gloriatur 2. Cor. 10. 4. *Arma*, inquit, *militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Tales *poretsim* fuere omnes Apostoli, omnes prisci monachi & Anachoretæ, quorum totum studium erat edomare animi passiones, corpusq; inediæ, frigori, æstui, omniq; labori & pœnitentiæ assuefacere: vnde Ascetæ, id est Exercitatores, sunt nuncupati. Tales fuere fundatores Ordinũ, S. Antonius, S. Benedictus, S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Dominicus Loricatus, & ex nostris S. Ignatius & S. Franciscus Xauerius, qui mira spiritus vi orbem diuino igne accenderunt, eoque obstacula omnia straurerunt, vt suis assechis, cæteriſque cunctis iter in cælum panderent & præirent.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit prophetare contra Israelitas & Iudæos, imò à v. 10. & deinceps duntaxat contra Iudam & Ierusalem prophetat. Ait enim v. 10. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate. *Et v. 12.* Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi acervus lapidum erit. *Vide dicta initio cap. 2. & dicenda v. 12. Primò, ergo taxat optimates, tum laicos quàm Ecclesiasticos; putà principes sacerdotum, quòd iura peruertant, & plebem opprimant. Deinde v. 5. incusat pseudoprophetas, qui adulabantur populo, & vaticinabantur fauſa, sed falsa, quæstus causa. Idcirco* ego, *ait*, repletus sum fortitudine spiritus Domini, vt annunciem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum, *ac tandem Hierosolymæ & templo excidium comminatur.*

ET dixi: Audite principes Iacob, & C duces domus Israel: Numquid non vestrum est scire iudicium,

2. qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum?

3. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt: & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebête, & quasi carnem in medio ollæ.

4. Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos: & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinuentionibus suis.

5. Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum: qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem: & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium.

6. Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione: & occumbet sol super Prophetas, & obtenebrabitur super eos dies.

7. Et confundentur qui vident visiones, & confundentur diuini: & operiẽt omnes

omnes vultus suos, quia non est responsum Dei.

VERS. 1. AVDITE PRINCIPES IACOB, ET DVCES DOMVS ISRAEL] id est principes decem, & duces duarum tribuum: per Iacob enim decem tribus, per Israel Iudam & Beniamin significat. vti dixi c. 2. initio. Septuag. pro *principes* vertunt, ἀρχαὶ, quod Vaticana vertunt, *principia*; melius Regia, *principatus*.

NVMQVID NON VESTRVM EST SCIRE IVDICIVM?] *scire* tum speculatiuè, tum potius practicè, vt reipsa faciatis iudicium, id est id quod iustum est, ac lege Dei præscriptum & præceptū; præsertim circa iustitiam, & iura proximis debita, vt v.g. cuique tribuatis quod suum est, pauperes non opprimatis, & eos qui opprimunt castigetis. ita Theodor. Lyran. Arias & alij.

VERS. 2. QVI ODIO HABETIS BONVM, ET DILIGITIS MALVM] Voces *bonum & malum*, tam in genere masculino, quàm neutro accipi possunt: quia enim hi principes diligebant malitiam, & odiebant bonitatem; hinc consequenter diligebant malos, & odiebant bonos viros & ciues. Simile enim amat sibi simile, & odit dissimile. Rursum virtus vel vitium non amantur in abstracto, sed in concreto; putà in suo subiecto, scilicet in homine bono vel malo. Verè S. Prosper epigram. 32.

Impia pars mundi parti est infesta piorum,
Nec tolerare potest dissimiles animos.
Ridens nolentes opibus præsentibus vti, &c.

Hoc est quod vulgò dicitur: *Asinus asino pulcher, & sus sui; graculus assidet graculo, & garrulus garrulo; cicada cicadæ chara. formica formicæ; fur furem cognoscit, vt lupus lupum* Ita hodie videmus multos odisse viros religiosos, quia ipsi irreligiosi sunt, & occultè impudica aliaq; scelera perpetrant, quæ naturaliter in ipsis generat antipathiam & auersionem à viris castis & sanctis; præsertim qui eadem carpunt & insectantur. Huius rei magnam in multis habeo experientiam.

QVI VIOLENTER TOLLITIS PELLES EORVM (scilicet Iacob & Israel, quos nominauit v. 1. id est, Samaritarum & Iudæorum) DESVPER EIS, ET CARNEM EORVM DESVPER OSSIBVS EORVM] Est hîc metaphora continua, siue allegoria. Reges enim & principes in Scriptura vocantur Pastores, sicut Homerus Agamemnona regem Græcorum, passim vocat ποιμένα λαῶν, id est pastorem populorum: quia quod pastor præstat ouibus, hoc rex præstare debet subditis; scilicet pascere, dirigere, tueri à feris & lupis, ac viuere ex lacte & lana ouium. Nam vt Tiberius Cæsar, teste Suetonio in eius vita, aiebat: *Boni pastoris est pecus tondere, non deglubere*, non carnem & ossa concidere: quia scilicet principes non debent subditos expilare, nec eorum bona diripere, aut nimijs tributis & oneribus, quasi sanguisugæ exsugere, vt eos ad maciem & paupertatem redigant. Sic enim non tantùm subditis nocent, sed & sibi ipsis. Macies enim ouis, est macies pastoris; & paupertas subditi, est paupertas principis. Meritò ergo idipsum principibus Israel & Iuda improperat hîc Michæas. Vnde Chald. clarè tropum hunc explicans, ita vertit, *rapientes facultates populi mei, & pecuniam eorum pretiosam auferentes, & reliquias eorum consumentes, & comminuentes sicut comminuuntur membra intra ollam, & particulæ carnium intra lebetem.*

Rex est pastor populi.

Per *pellem* ergo, *carnem*, & *ossa* significat substantiam, id est facultates plebis, quas diripiebat, & inter se diuidebant optimates; vt eas in pompis, luxu, epulis & conuiuijs prodigè absumerent. Hoc enim significat id quod subdit: *Et comciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio-la.* Quare minùs genuinum, & magis symbolicum videtur, quòd S. Hieron. Haymo, Remigius & Hugo per *ollam* & *lebetem* accipiunt Ierusalem, in qua pauperes quasi in olla à potentioribus concidebantur & coquebantur. Olla enim, quod est instrumentum culinæ, significat epulas & conuiuia, quæ in ollis coquuntur & apparantur. Nota catachresin, qua facultates vocat *pellem, carnem, & ossa*: quia, sicut ex his constat & viuit homo, sic & ex facultatibus suis. Ex his enim victum, id est cibum, & consequenter sanguinem, carnem, pellem, & ossa sibi comparat homo. Vnde Græcis βίος vocatur tam victus, quàm vita, quia ex victu vita subsistit. *Pecunia*, inquit Etius, *est hominis anima, sanguis & vita*: qui ergo eam aufert pauperi, vitam aufert. Rursum inter pellem, carnem & ossibus est climax, siue gradatio: minus enim est hominem excoriare, plus eius carnem resecare & comedere, plurimum & maximum eum vsque ad ossa vorare; imò exossare & ossa comminuere, vt medullam exsugas. Sensus ergo est, q.d. Optimates Israelis & Iudæ bona eius rapiunt adeò auarè & rapaciter, vt non tantùm eum excoriare, sed & excarnificare, imò vsque ad ossa deuorare, quin & exossare videantur. Hoc est quòd ijsdem exprobrat Ezechiel. 34. 2. *Væ pastoribus Israel*, &c. *lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis gregem autem meum non pascebatis.*

Tropolog. hæretici & seductores qui alios pelliciunt ad hæresim, libidinem, furta, homicidia, aliaque scelera, eosdem pelle sua excoriant, carne spoliant & exossant. *Pellis* enim est externa virtus, & decor in compositione vultus, incessus, motuumque & membrorum: breuiter, pellis est modestia. Item cæremoniæ externæ, quas docent & extirpant hæretici. *Carnes* sunt virtutes internæ, sed teneriores & molliores, vt eleemosyna, temperantia, iustitia. *Ossa* sunt virtutes solidiores ac fortiores, vt pœnitentia, mortificatio, contemptus mundi, martyrium. ita S. Gregor. psalm. 1. pœnitent. explicans v. 2. *Sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea*, id est, inquit, *virtutes animæ obscurata sunt, & extenuata virtutes simul conturbatæ sunt* (per peccatum, ad quod illicit tentator & seductor:) *charitas enim confunditur, humilitas impingitur, fortitudo deijcitur, castitas impugnatur. Per ossa virtutes accipimus, per quas nimirum animam sustentamus: sicut enim in ossibus est fortitudo corporum, ita in virtutibus robur inuenitur animarum.* Qui ergo hasce virtutes proximo eripit, qui v.g. eum ad peccatum immodestiæ inducit, eum excoriat: qui verò eum ad gulam & auaritiam pertrahit, eum excarnificat: qui denique virum sanctum & Religiosum pellicit ad violationem votorum, ad abnegationem suæ professionis, vel etiam fidei, hic eum exossat.

TVNC (cùm scilicet vltio Dei, quàm ego his eis continuè intento, eos inuadet) CLAMABVNT AD DOMINVM, sed frustra; nam NON EXAVDIET

eos] quia ipsi eum per me hæc prænonentem, audire noluerunt.

ET ABSCONDET FACIEM SVAM AB EIS] Faciem, id est fauorem, curam, prouidentiam, opem, præsentiam & beneficentiam suam (horũ enim symbolum est facies) eis subtrahet. Sicut enim peccator auertit faciem suam à Deo, illiq́ue inobediens & rebellis tergum obuertit: ita vicissim Deus illi afflicto, & se inuocanti, faciem, id est gratiam & auxilium suum, subtrahit; ac dorsum derelictionis, obliuionis & reprobationis ostendit. Quæ ingens est pœna, iuxta illud Prouerb. 1. v. 24. *Quia vocaui, & renuistis; extendi manum meam & non fuit qui aspiceret: Ego quoque in interitu vestro ridebo & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis euenerit*, &c.

HÆC DICIT DOMINVS SVPER PROPHETAS (id est ad, de, vel contra pseudoprophetas) QVI SEDVCVNT POPVLVM MEVM] adulando illi in peccatis, promittendo impunitatem, vaticinando omnia eis fore prospera & felicia.

QVI MORDENT DENTIBVS SVIS, id est frendentin me, alioscue veros Prophetas, qui bellum minatur Israeli, cùm illi pacem & prospera eidem promittant. ita R. Dauid & Lyran. Aut, vt Albert. & Hugo, qui frendent & minantur tristia quæque iis, qui nulla sibi largiuntur munera: iis verò quica largiuntur, PRÆDICANT PACEM] id est omnia prospera. Secundò, Theodor. Vatabl. & Clarius. *qui mordent dentibus*, quasi blandientes & adulantes iis, qui dant munera: vnde iis pacem & prospera prædicant. Sic enim canes, asini & equi eos qui se continuò nutriunt, mordent dentibus, id est, mordere se simulant, quasi familiariter adulantes, & petentes ab eis pabulum quod mordeant. Tertiò, & genuinè, q. d. Qui dum *mordent dentibus*, id est, vorant ea quæ sibi à largientibus donata sunt, iis vaticinantur & *prædicant pacem*; omnia scilicet fausta & secunda eis euentura.

EX aduerso, SI QVIS NON DEDERIT IN ORE EORVM, quod mordeant & vorent, SANCTIFICANT SVPER EVM PRŒLIVM] id est, edicunt & indicũt illi bellum: tum quia hostes omniaque aduersa ipsi ominantur, tamquam impio, qui se pios & sanctos Dei Prophetas neglexerint & spreuerint: tum quia suscitant illi lites & bella, dicendo, ille homo impius est, & hostis Prophetarum ac seruorum Dei; auarus est, inhumanus, & dignus qui vrbe exturbetur, vexetur, spolietur, &c. vt faciunt mendici celebres & validi, sed impotentis animi & impatientis, de quibus proinde merito dicitur: *Etiam mendicus suo loco potest plurimũ*. ita S. Hieron. Remig. Arias & alij. Vnde Chald. vertit, *qui offert eis communium carnis, huic pacem vaticinantur: & qui nihil eis offert, contra hunc excitant*, vel *instruunt bellum*. Sanctificare enim bellum, est sanctum sancti Dei bellum contra impios vel instruere, vel edicere & prædicere per sanctos Prophetas. Vide dicta Ierem. 6 4.

PROPTEREA NOX VOBIS PROVISIONE ERIT, ET TENEBRÆ VOBIS PRO DIVINATIONE] Nota pulchram antithesin pœnæ ad culpam, quæ culpæ æquo opposita congruè illam plectit & punit. Sensus enim est, q. d. Vos ô pseudoprophetæ Israeli adulantes in peccatis, eiq́ue pacem promittentes; vobis visi estis videre diem & lucem, id est veritatem & prosperitatem: at ego dico & assenero, visionem vestram esse noctem & caliginem, id est, esse errorem & mendacium; ac propterea puniam vos nocte atra & horrenda, id est terribili clade, excidio & captiuitate; adeò vt vobis præ angore, pauore & mœrore sol in meridie occumbere, & dies obtenebrari videatur: tuncq́ue confundemini; quia patebit ex ipso euentu, oracula vestra fuisse mendacia, & mendaces adulationes: quocirca præ pudore tegetis ora & vultus, quæ hæc oracula falsa ediderunt: *quia non est responsum Dei*. q. d. Reipsa apparebit, vestras prophetias non fuisse responsa Dei, sed diaboli, aut cerebri vestri vani & mendacis commenta & figmenta. Lux enim partim veritatis, partim lætitiæ & felicitatis; nox partim falsitatis & mendacij, partim cladis & calamitatis est symbolum. ita S. Cyrill. Theodoret. Hieron. Haymo, Remig. & alij. Vide dicta Amos 8. 9. *Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.*

OPERIENT OMNES VVLTVS SVOS] Hebr. & Chald. *inuoluent labrum suum*, id est labia sua mendacia, quibus falsa oracula prolocuti sunt: nam, vt præcessit, *confundentur* & erubescent vehementer, cùm deprehensa fuerit eorum fraus & falsitas; ac præ erubescentia impudens paulò antè os & vultum suum manu & pallio oppositis obuelabunt. ita S. Hieron. Clarius, Vatabl. Palacius, Ribera, & alij. Arias vertit, *inuoluent mystacem suum*. Pseudoprophetæ enim incedebant comptuli, & ad labra mystaces alebant, quasi sponsi Penelopes; quales etiamnum videre est Ministros verbi non Christi, sed Caluini. Septuag. quoad rem eodem sensu, sed quoad verba contrariè vertunt, Aperient omnes labra sua contra eos. Sic enim verbotenus habent, *execrabuntur eos omnes*, quasi Hebr. עטה *ata* significet & operire & aperire: verba enim Hebræa sæpè duo contraria significant. VERS. 7.

Aliter explicat Delrio adagio 991. *operient*, inquit, *vultus suos*, tamquam rei morti addicti & damnati. his enim solebat velari facies, vti factum est Aman, Esther 7. 9. & Susannæ, Danielis 13. 32. & Ezechieli, c. 12. 6. & Christo, Matth. 26. v. 66. & 67. Hinc illa Romanorum olim infausta vox & sententia: *Caput obnubito, infelici arbori suspendito*. Hic sensus est eruditus & probabilis; prior tamen vti germanior, ita probabilior est: iteratum enim verbum *confundentur*, indicat hic de pudore potiùs, quàm de morte agi. *Damnatis velabant vultum.*

8. Verumtamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio & virtute: vt annunciem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum.

9. Audite hoc principes domus Iacob, & iudices domus Israel: quia abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis.

10. Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate.

11. Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant: & super Dominum requiescebant, dicentes: Numquid non Domi-

nus in medio nostrûm? non venient super nos mala.

12. Propter hoc causâ vestri, Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & mons templi in excelsa siluarum.

Vers. 8. VERVMTAMEN EGO REPLETVS SVM FORTITVDINE SPIRITVS DOMINI, IVDICIO ET VIRTVTE] Opponit se pseudoprophetis. q d. Illi adulantur vobis, & mollia faustaque vaticinantur: at ego repletus sum spiritu Dei forti, id est duro, minaci & acri; vt scilicet liberè, intrepidè, acriter & constanter prædicem Dei iudicium & virtutem, siue potentiam, id est, iustam & potentem eius vltionem, quam per Assyrios & Chaldæos in vos ô Israelitæ & Iudæi exercebit. Nota hîc tres dotes vero Prophetæ, Doctori & Prædicatori necessarias, totidem vitiis pseudoprophetæ oppositas. Prima, est *fortitudo*, qua nec blanditiis & muneribus capiatur, nec minis & pœnis cedat; sed liberè & constanter carpat scelera, etiam potentum, eisque Dei iram & vindictam intentet. Hæc opponitur pseudoprophetarum partim timiditati, qua placentia prædicant, timentes diuitum & potentum offensam; partim cupiditati, qua ob munera iisdem prospera vaticinantur. Secunda, est *iudicium*, quo tum vera à falsis secernunt, vt non nisi vera & certa prædicent: tum maiora peccata à minoribus discernunt, vt illa acriùs, hæc leniùs suggillent: tum prudenter & discretè quoslibet monent & docent pro cuiusque indole, captu & conditione: tum denique quasi à Deo constituti & inspirati iudicium, id est sententiam damnationis & excidij, in impios pronunciant. Hæc opponitur pseudoprophetarum mendaciis, indiscretioni & adulationi. Tertia, est *virtus*, putà robur animi, & efficacia sermonis, cui nullus resistere possit. Hæc opponitur pseudoprophetarum pusillanimitati, & vanæ garrulæque blandiloquentiæ. Verùm sciant Prophetæ has dotes non esse suas, sed esse spiritus Dei, ab eoque sibi aspirari. Talis fuit spiritus Eliæ, inuictus, acer & igneus, de quo Eccles. cap. 48 v. 1. & 6. *Surrexit Elias quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat: verbo Domini continuit cælum, & deiecit de cælo ignem ter. Qui deiecisti reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum.* Talis fuit Isaias c. 58. v. 1 *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Talis fuit Ieremias c. 6. 11. *Idcirco furore Domini plenus sum, laboraui sustinens,* &c. Et v. 27. *Probatorem dedi te in populo meo robustum,* &c. *Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.* Talis Iohan. Baptista dicens Matth. 3. 7. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Talis Paulus, qui disputans de castitate, iustitia & iudicio ipsum Felicem Præsidem, licet infidelem & impium, perculit & tremefecit, Actor. 24. 25 Tales Apostoli, qui recepto Spiritu sancto, in spiritu vehementi contriuerunt naues & reges Tharsis; vt videre est in Actis Apostolorum. Tales erunt Elias & Henoch in fine mundi, certantes contra Antichristum, de quibus dicitur Apoc. 11. 5. *Et si quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & deuorabit inimicos eorum.*

Tres dotes Prophetæ, robur, iudicium & efficacia.

A

B

C

D

QVI ÆDIFICATIS SION IN SANGVINIBVS] Ita & Syrus, & Arabicus. Transit Propheta à duodecim tribubus ad solas duas. Verisimile enim est illum ea quæ præcesserunt, sæpiùs tum decem tribubus, tum duabus concionando enunciasse; ac tandem cùm decem tribus abductæ essent in Assyriam, solis duabus quæ remanserant eadem inculcasse. Sensus ergo est, q. d. Vos ô Iudæi, magnificas domos & palatia in Ierusalem exstruitis, & omni supellectile pretiosa instruitis, exugendo facultates, labores, & sanguinem pauperum per iniqua tributa, iudicia, vsuras, fraudes, oppressiones, &c. iuxta illud Eccli. 34. 4. *Panis egentium vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in iudicio panem, quasi qui occidit proximum suum.* ita S. Hieron. Remig. Albert. Haymo & alij. Nam sic iniquè spoliati, non rarò fame & miseriis, aut mœrore & indignatione moriuntur. Vnde Chald. vertit *condentes domos suas in Sion cum sanguine effuso.* Tales sunt qui bona hospitalium, orphanorum, viduarum, monachorum, aliaque quibus pupilli, senes, ægroti, pauperes, &c. ali debebant, in suos vsus conuertunt; qui, vt hîc dicitur, non tantùm fures sunt, sed & latrones ac homicidæ pauperum. Hoc est quod in Ioakim rege Iuda redarguit Ieremias c. 22. 13. *Væ, ait, qui ædificat domum suam in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet ei* vide ibi dicta.

Nota. Hæc propheria, vt patet Ierem. 26. 18. edita est à Michæa sub Ezechia rege, qui contra Assyrios muniuit muros Ierusalem, ideoque domos muris vicinas, quæ solent esse pauperum, destruxit, ne hostis eas occuparet, & vt ex earum lapidibus & materia muros instauraret. Hoc est enim quod ait Isaias c. 22. 10. *Et destruxisti domos ad muniendum murum.* Vnde suspicatur Sanchez hîc taxari Ezechiæ principes, & præfectos publicorum operum, quòd domos has pauperum destruxerint, nec eis pretium ex publico ærario persoluerint. Aliàs enim imminente obsidione, domos muris vicinas, quæ vrbi periculum ereant, demoliri licet. 21.

Moral. tyranni ditiones, dominia & regna sua ædificant & adaugent per cædes, rapinas & bella iniusta. ita Theophyl. in Habacuc 2. 12. Rursum tales sunt principes, qui fisci reditus per iniqua vectigalia, quasi per rapinas amplificant. Quocirca B. Isidor. Pelusiota lib. 1. epist. 17. hæc Michææ verba rectè adaptat & intorquet Eusebio Episcopo, qui ecclesiam in Pelusio ex oppressionibus pauperum ædificabat. Tertiò, tales sunt iudices, qui ex iniquis mulctis mœnia & ædificia publica construunt; qui corrupti muneribus reos absoluunt, & innocentes condemnant. Quartò, qui officia & beneficia in consanguineos indignos, aut in peccatorum communione coniunctos, & administros libidinum & cupiditatum, conferunt. Ita Adrianus VI. Pont. neminem ex cognatis honoribus vel opibus extulit, dictitans: *Nolle se ædificare Sion in sanguinibus*; quo dicto factoque magnam sibi sanctitatis opinionem conciliauit, præsertim accedente mira animi humilis modestia & continentia. Qua de causa eius sepulchro Romæ inscripsere legimus: *Adrianus VI. hîc situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quàm quod imperaret, duxit. Quocirca,* inquit

inquit Onuphrius, *patruelis sui filium, Senæ Etruscæ in gymnasio litteris operam nauantem, quòd Romam nequaquam vocatus, intermissis studiis repentè venerat, confestim meritorio equo impositum remisit; animi lenitatem identidem obiectans, & seuerè admonens, vt ab se modestiæ & temperantiæ exemplum opportunè sumeret. Alios quoque, nec remoto affinitatis gradu necessarios, qui spe fortunæ celsioris è Germania pedibus Romam venerant, mirum in modum increpauit, domuisq; singulos sagis laneis & frugi viatico, pedibus similiter in patriam redire iussit. Quarum rerum testimonio superiorum Pontificum aliquorum præsumptuosa propinquos liberalitatem, vti grauem & Reipub. perniciosam, detestari erat solitus. Simile quiddam fertur etiam de Clemente Pontifice eius nominis quarto, qui & ipse interpellatus ab amicis, vt consanguineo cuidam suo tria habenti beneficia, plura adhuc tribueret, respondens: Non, inquit carni & sanguini obtemperabo, sed potius Deo: nec dignus Petri successor est, qui plus cognationi, quàm Christo tribuit.* Hucusque Onuphrius in vita Adriani VI. Quintò, qui, quasi spiritualis lucri gratia, in suspectas domos ingrederentur, aut liberiùs cum impudicis loquerentur. Sextò, qui religionis prætextu parentes extrema laborantes indigentia deserebat, quibus vsui esse possent: aut filiis suaderent, vt eleëmosynas quibus egeni parentes iuuandi erant, in templa potiùs materiata, & in sacerdotes conferrent; quos Christus reprehendit Matth. 15. 5. ita Delrio adagio 993.

A ptio, quòd cùm Deum grauissimè offendant, sperent tamen, imò non dubitent se ab eo, imminente hoste vel periculo protectum iri.

PROPTER HOC CAVSA VESTRI (quia scilicet vos ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate, vti dixit v. 10. Hinc vt in eo puniamini, in quo peccastis, atque vt pœna æternat culpam) SION QVASI AGER ARABITVR, ET IERVSALEM QVASI ACERVVS LAPIDVM ERIT] q.d Chaldæi diruent magnificas domos, quas in Ierusalem ex rapinis pauperum ædificastis, ita vt ex iis non supersint nisi rudera & acerui lapidum, atque vrbs ipsa desoletur & complanetur, fiatque ager aratro arabilis. Sion propriè significat superiorem vrbis partem, in qua erat templum, & arx Dauid: Ierusalem verò erat inferior, & maior pars vrbis, monti & arci Sion subiecta; sæpè tamen per synecdochen tota vrbs Ierusalem, vocatur *Sion.* VERS. 12.

ARABITVR] q.d. Sion à Chaldæis funditus vastabitur, ac disiectis muris & domibus, fiet quasi campus & ager arabilis. Nota, Sicut moris erat apud veteres vt vrbem ædificaturi, eiusambitum circumducto aratro sulcando delinearent & circumscriberent, ibique eam muro & fossa cingerent & communirent; vnde locum ex quo terram foderant, fossam vocabant. Hinc Virgilius: *Vrbis condendæ & diruendæ ritus per aratrum.*

Interea Æneas vrbem designat aratro.

ita vicissim hostes captam à se vrbem planè euersuri & annihilaturi, euersis muris & ædibus aratrum vrbi inducebant: hoc enim erat ex vrbe pagum & agrum efficere. Hinc Modestinus in l. *Si vsusfructus*, 21. ff. quibus modis vsus fructus amittatur, *Si*, ait, *vsusfructus ciuitati legetur, & aratrum in ea ducatur, vt passa est Carthago, ciuitas esse desinit; ideoq; quasi morte desinit habere vsumfructum.* Et Horat. lib. 1. ode 16.

Imprimeretq; muris
Hostile aratrum exercitus insolens.

Et Virgil.

Et campos vbi Troia fuit.

Et Isidor. lib. 75. c. 1. *Vrbs*, ait, *aratro conditur, aratro vertitur.* Hinc vrbs dicta est ab vruo, id est ab aratri curuatura, quam vrbi circumducebant: vnde vruare vel vrbare, idem erat quod aratro definire, ait Pompon. Iureconsl. Primitus enim locis editis fossam ducere, & vallo circumdare ad sui tutelam cœperunt, & sic vrbes oppidaque inchoarunt. Hinc Varro ait vrbem dici, quòd aratro sit præfinita; & mœnia quasi munia; & murum à munitione; & oppidum, quòd muniatur opis causa. Antiqui enim iunctis bobus, tauro & vacca Hetrusco ritu, in condendis vrbibus interiore aratro circumagebant sulcum, intra quem vrbem ædificarent. Hoc faciebant religionis causa die auspicato, vt vrbs fossa muroque munita felix esset. Hinc Poëta: *Vrbis etymon.*

Apta dies legitur qua mœnia signet aratro.

ET MONS TEMPLI IN EXCELSA SILVARVM] q.d. Mons Sion in quo ædificatum est templum, eo cæteriseque ædibus incensis ita desolabitur, vt videatur esse quasi rupes ruderum; sicut in siluis montium in vertice eminent iuga & rupes, quasi excelsa & culmen siluæ. ita S. Hieron. Chald. Remig. & Arias. Secundò, q.d. In monte Sion euerso templo, succrescent arbores, vt mons siluescat, fiatq; silua. ita Theodor. Lyran. & Vatabl.

11. PRINCIPES EIVS IN MVNERIBVS (id est pro muneribus, propter munera) IVDICABANT, ET SACERDOTES EIVS IN (id est pro) MERCEDE DOCEBANT ET PROPHETÆ EIVS IN (id est pro) PECVNIA DIVINABANT] Pro *in* enim hebr. est *beth* pretij, significans pro, propter. Carpit principes quòd in iudicio duplicem iniustitiam committerent. Primò, vendendo sententiam; Secundò, peruertendo eam, & sontem absoluendo insontem damnando propter munera. Secundò, carpit doctores legis, quòd sacram doctrinam legis diuinæ venderent pecunia. quod est simonia: vti docent Theologi, ac nominatim noster Lessius tract. de simonia dubit. 2 initio, & dubit. 13. dicto 3. & 4. Tertiò, carpit pseudoprophetas, quòd oracula venderent auro. quod pariter erat simonia, non in reipsa (quia hæc oracula non erant sicra, imò nec vera; quia non suggesta à Deo, sed ficta ex cerebro) sed in ipsorum opinione, & æstimatione vulgi, qui hæc oracula vera & diuina esse censebant. Ecce hisce modis ædificabant Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate, vti præcessit. Hæc enim verba illa priora, quasi thelin per hypothesin, & per exempla explicant.

ET SVPER DOMINVM REQVIESCEBANT] Hebr. נִשָּׁעֵנוּ *nisceenu*, id est, Domino innitebantur, sicut *senex* innititur & incumbit baculo suo. ita Chald. Pagnin. & Vatabl. Figurin. q.d. Hi pseudoprophetæ cùm sint seductores, & pleni sceleribus, tamen quasi pij & sancti essent, securè quiescunt in Dei cura & prouidentia, dicentes: Ierusalem est vrbs sancta, nos sumus populus Dei, iuxta illud Ierem. 7. 4 *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Ergo Deus noster nos tuebitur, nec sinet vrbem & templum suum euerti, ac populũ suum tradi hostibus. ita S. Hieron. Cyrill. Theodoret. Lyran. Clarius & alij. Ingens hæc est impiorum impudentia & præsum-

Nota. Hæc Michææ prophetia à senibus Israel citatur Ieremiæ 26.18. vt ea defendant Ieremiam similia prophetantem, eumque à morte liberent. Ibidem illa dicitur edita sub Ezechia rege, scilicet postquam decem tribus anno sexto eiusdem abductæ sunt in Assyriam. Vnde omissa Samaria, vtpote iam euersa, solam Ieruſalem hîc & deinceps vsque ad finem prophetiæ compellat & alloquitur Michæas. Porrò ibidem iidem senes dicunt hanc Michææ prophetiam non esse adimpletam, eò quòd populus ea perculsus, pœnitentiam egerit, atque impetrarit à Deo veniam, & sententiæ de exscindenda vrbe abolitionem. Ita putabant ipsi, sed falsò. Nam sententia hæc Dei non fuit abolita, sed suspensa dumtaxat, & dilata vsque ad tempora Ieremiæ, qui rursus eamdem reuocauit & renouauit c.25.11. dicens: *Erit vniuersa terra hac in solitudinem, & in stuporem, & seruient omnes gentes istæ regi Babylonis septuaginta annis.* Et c.26.9. *Sicut Silo erit domus hæc, & vrbs ista desolabitur, eò quòd non sit habitator.* Itaque factum est anno 11. Sedeciæ, quo Nabuchodonosor regnum Iuda cum vrbe & templo euertit. Michæam enim minari ad litteram excidium Chaldæorum, non Romanorum (vti censuit Euseb. lib. 8. Demonst. c. 8. motus ea ratione, quòd tunc tantùm euersa sit Ieruſalem, eò quòd ædificata sit in sanguinibus, vti ait hîc Michæas v. 10. putà in sanguine & nece Christi, sed perperam. Nam ob sanguinem Christi non ædificata, sed destructa est Ieruſalem à Tito) patet tum ex Ieremia locis iam citatis, tum ex eo quòd Michææ tempore instabat Iudæis clades per Chaldæos, non per Romanos. Typicè tamen & allegoricè hæc spectant ad eorum excidium per Titum & Romanos: horum enim prodromi, & quasi antitypi fuere Chaldæi: Romani enim perfecerunt id quod inchoarunt Chaldæi, dum plenum & extremum exitium Hierosolymæ & reipubl. Iudæorum intulerunt.

Tropolog. Ieruſalem est anima sancta, & Deo per gratiam dicata & consecrata: hæc euertitur per peccatum mortale, fitque aceruus lapidum & ruderum, id est passionum & vitiorum omnium indigesta congeries, quæ antea fuerat constructa ex gemmis, iisque circumdata & quasi coronata, de quibus Apocal. 21 9. Gemmæ sunt dotes & virtutes, Sion est mens & ratio (quæ in homine est id quod in vrbe est arx, quodque in Ieruſalem erat Sion, id est specula) quæ antea prouidebat & disponebat opera virtutum, iam post peccatum quasi ager aratur à diabolo, vt ferat zizania, vepres, aconita & venena peccatorum & scandalorum; templum est spiritus, qui antea Deo adhærens iuges ipsi orationis, meditationis & laudis offerebat hostias, iam post peccatum fit silua densa inutilibus & noxiis arboribus, id est cogitationibus & curis, in qua versantur feræ, id est dæmones, qui ibidem bestiales & ferinos suos mores introducunt, imò ex homine bestiam, ex templo idolum, ex angelo dæmonem efficiunt. Hanc animæ tristem commutationem & cladem, totis Threnis describit & plangit Ieremias; vbi inter cætera ait cap. 2. v. 5. & 6. *Præcipitauit Israel, præcipitauit omnia vrbes eius, dissipauit munitiones eius. Et dissipauit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum*, &c. Et Psaltes psalm. 78. 1. *Dei venerunt Gentes in hereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ieruſalem in pomorum custodiam.* Similia habet Isaias cap. 1. 7. & sequent.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRædixit Michæas cap. præcedenti v. vltimo, montem Sion & templi vastandum à Chaldæis; nunc vt de more tristibus læta subiungat, vt suos consoletur, docet eumdem restituendum, imò super omnes montes erigendum per Christum, quia scilicet in Sion Christus inchoabit Ecclesiam suam diuinam & cælestem, ad quam velut arcem & speculam excelsam ex tota orbe confluent turmatim omnes gentes, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem. Porrò in Ecclesia non fore bellum, sed summam pacem prænunciat. Et regnabit, inquit, Dominus in monte Sion, ex hoc nunc & vsque in æternum; Et veniet potestas prima regnum filiæ Ieruſalem *Hinc Secundò, v. 10. consolatur Iudæos, qui captiui ituri erant in Babylonem, quòd breui inde sint liberandi à Deo, qui hostes eorum Chaldæos conteret, & Sion robur pristinum restituet.*

Michæas Isaiæ assecla.

Nota. Priorem & maiorem huius capitis partem mutuatus videtur Michæas ex Isaia 2. vbi eadem penè ad verbum habentur. Nam Isaias facilè quadraginta annis ante Michæam, ipsum prædixisse videtur. Id colligimus ex eo, quòd priora quinque capita Isaiæ dictasse videtur sub Ozia rege. Nam 6. cap. sic incipit: In anno quo mortuus est Ozias. *Cùm ergo visionem sexti capitis habuerit anno vltimo Oziæ, videtur visiones præcedentium capitum quinque, sub prioribus eiusdem regis annis à Deo accepisse; Michæas autem hæc prophetauit sub Ezechia, qui fuit pronepos Oziæ, vti dixi cap. præced. v. vltimo. Nam inter Oziam & Ezechiam intercesserunt Ioathan, qui 16 annis; & Achaz, qui totidem regnauit. Adde aliquot annos Oziæ & Ezechiæ (Michæas enim post excidium Samariæ, quod anno 6 Ezechiæ contigit, hæc vaticinatus est) habebis annos 40. & amplius, quibus Isaias hoc suum cap. 2. oraculum ante hoc Michææ accepit & edidit. Quia ergo hæc explicui Isaiæ c. 2. ea hîc non repetam, sed breuiter tantùm hoc percurram. Lector consulat ea quæ notaui in Isaiam.*

Et

ET erit: In nouissimo dierũ erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi.

2. Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob & docebit nos de viis suis, & ibimus in semitis eius: quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem.

3. Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes vsque in longinquum: & concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones: non sumet gens aduersus gentem gladium: & non discent vltrà belligerare.

4. Et sedebit vir subtus vitem suam, & subtus ficum suam, & non erit qui deterreat: quia os Domini exercituum locutum est.

5. Quia omnes populi ambulabunt vnusquisque in nomine Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum & vltrà.

6. In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: & eam, quam eieceram, colligam; & quam afflixeram.

7. Et ponam claudicantem in reliquias: & eam, quæ laborauerat, in gentem robustam: & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & vsque in æternum.

ET erit in novissimo dierum] Dixi Isaiæ 2. ex communi Patrum sententia, tempus Messiæ vocari nouissimum, hebr. אחרית *aharit*, id est sequens, posterum, consequens, succedens; quia illi nulla alia lex, nulla alia Ecclesia, nulla alia religio, sacrificia & Sacramenta succedent, sicut illud successit veteri legi & Synagogæ, Sacramentis & sacrificiis Mosaicis: hæc successerunt legi & statui naturæ. Rursum idem Messiæ tempus Sioni & Iudæis est nouissimum, quia cœpit in eorum excidio, cùm ipsi à Tito & Romanis plane excisi & euersi sunt: quod excidium durabit vsque ad finem mundi, vti prædixit Daniel cap. 9. v. vlt. Perperam ergo Iudæi ex hoc loco expectant suum Messiam, qui in fine mundi, quasi alter Salomon, ipsis Ierusalem, templum & regnum pristinum restituturus sit.

Perperam quoque nonnulli Catholici apud Theodoret. hæc adimpleta censent in reditu Iudæorum è Babylone. Alij sub Ezechia rege pio, qui restituit & auxit cultum Dei in Sion, mittens legatos per totam Iudæam, qui dicerent: *Venite ad sanctuarium Domini, quod præparauit in æternum*, 2. Paralip. c. 29. Nam quæ hic dicuntur, longe augustiora sunt, quàm vt conueniant Ezechiæ, Cyro, Eldræ, &c. Adde: Ezechias legatos suos misit anno primo regni sui, vt patet 2. Paral. 29. & ex Iosepho lib. 9. Antiqu. c. 3. Michæas autem hæc prædixit post annum sextum Ezechiæ, vti dixi cap. præced. v. vlt. non prædicit autem id quod iam factum, sed quod adhuc futurum erat. De fide ergo est, hunc locum ad litteram intelligendum esse de tempore Christi, & Ecclesiæ ac legis Euangelicæ. Ita enim interpretantur omnes Patres, quos citaui Isaiæ 2. & fusè citat hîc Christ. à Castro.

ERIT MONS DOMVS DOMINI] Id est, domus Domini in monte ædificata; quæ non est alia quàm Ecclesia Christi, inchoata & fundata in monte Sion. Est hypallage. sic enim mons templi, vocatur templum montis Sion, Isaiæ 30. 29. *Qui pergit*, inquit, *cum tibia, vt intret in montem*, id est in templum, *Domini, ad fortem Israel*. Similia sunt psal. 47. 2. psal. 73. 2. & alibi. Secũdò, propriè, *mons domus Domini* est ipse mons Sion, in quo vti olim Salomon corporale templum, ita Christus suum spirituale & antitypum, putà Ecclesiam, inchoauit & ædificauit. Promittit enim Prophetа montis & templi per Chaldæos euersi, restitutionem & restaurationem per Christum. Hic sensus cum priore concurrit, & eôdem redit.

PRÆPARATVS] Hebr. נכון *nachon*, id est Primò, fundatus, firmatus, solidatus, vt nullæ vires, imò nec inferorum portæ eum euertere possint. Secundò, *nachon*, id est verus & certus; quia Ecclesia nil docet falsum, sed est firmamentũ & columna veritatis, 1. Timoth. 3. 15. Tertiò *nachon*, id est, rectus, erectus, qui nihil habet curui & torti: Ecclesia enim rectam virtutis & salutis viam docet, mentemq́; recta in cælũ ad Deum erigit & dirigit. Quartò, *nachon*, id est præparatus, dispositus, ordinatus; quia in Ecclesia omnia sunt ritè & decenter ordinata, atque per Ecclesiam militantem fideles præparãtur & ordinantur ad triumphantem; putà à gratia ad gloriam, à terra ad cælum, à merito ad præmium. Denique *nachon*, idem est quod integer, perfectus, directus, ordinatus, ideoq́; incedens prosperè, felix & fortunatus. Nachon *quintuplex*.

IN VERTICE MONTIVM] q. d. Mons hic, putà Ecclesia Christi, transcendet omnes leges, scholas, doctrinas, institutiones, religiones, Synagogas Iudæorum & Philosophorum, quæ inter homines videbantur eminere quasi montes, adeoq́; quidquid sub sole celsum est & sublime, superabit; imò calcabit, & subiiciet sibi. Mons hîc notat arduam & cælestem esse doctrinam & vitam Christi & Ecclesiæ.

ET FLVENT AD EVM POPVLI] turmatim instar fluuij. Vnde Iustin. contra Tryphon. legit, *& flumen ponent in eo populi*. q. d. Ad Ecclesiam concurrent omnes gentes, passibus non corporis, sed mentis & spiritus. Miraculum est si aquæ è valle ascendant, & fluant in montem: ita miraculum est, quòd gentes terrenæ ascendãt in Ecclesiam, cuius doctrina & vita montosa est, ardua & cælestis: nimirum id efficit gratia Christi potens & alta, vtpote è cælo demissa. Sicut ergo aquæ è fontibus deductæ per canales in vallem, in valle exiliunt & ascendunt penè ad altitudinem suæ originis: ita aquæ hæ cælestis gratiæ deriuatæ in valles, id est in corda hominum, ea secum exilire faciunt in cælum, vitamq́; cælestem inire & amplecti. Huc spectat illud Euripidis in Medea: *Sursum sacrorum fluuiorum feruntur fontes.*

ET DICENT: VENITE ASCENDAMVS AD MONTEM DOMINI. q. d. Gentes visis & auditis miraculis, innocentia, sanctitate & doctrina cælesti Apostolorum & fidelium, hortabuntur se inuicem dicendo: Eia ascendamus ad Ecclesiam, illi asscribamur; ipsa enim est mons, & Sion VERS. 2.

templumque Dei, ibi nos DOCEBIT DE VIIS SVIS id est vias suas (est hebraïsmus) ET IBIMVS, id est ambulabimus gressibus mentis, non corporis, IN SEMITIS EIVS] q.d. Deus in Ecclesia docebit nos voluntatem suam, suasque leges; dabitque gratiam, vt eas voluntate & opere expleamus. hoc enim est ire vel ambulare in viis & semitis Dei. Vnde Septuag. apud S. Hieron. vertunt, *ostendet nobis viam suam*; S. Iustin. contra Tryphon. *illuminabunt nos*, scilicet gentes & populi multi. A

QVIA DE SION EGREDIETVR LEX] putà lex gratiæ & Euangelij Christi: Apostoli enim recepto Spiritu sancto in Sion die Pentecostes, inde egressi in varias prouincias, legem Christi omnibus gentibus prædicarunt. Hæc verba possunt accipi, vel vt gentium se inuicem adhortantium ad Ecclesiam, q.d. Ascendamus ad Sion, id est ad Ecclesiam natam in Sion; quia inde prodit, & prodibit lex gratiæ & salutis. vel vt Prophetæ Michææ, q.d. Ideo fluent omnes gentes ad Sion, quia videbunt non aliam esse legem & fidem veram, quàm eam quæ prodit ex Sion; quæ scilicet annunciatur ab Apostolis prodeuntibus ex Sion, vti ego Michæas prædico & asseuero. ita Lyranus & Arias. B

VERS. 3. ET IVDICABIT] scilicet verbum Domini, vel potiùs (quòd tamen eôdem redit) ipse Deus Iacob, de quo v. 2. per verbum & Euangelium suum. q.d. Deus per Euangelium populos inter se antea dissidentes componet, eis ius dicet, lites omnes dirimet, vt posit is odiis & dissensionibus, omnes in eadem Ecclesia communi spiritu fidei & charitatis conspirent, habitent, viuant q; concorditer & iucundè quasi fratres. Secundò, aliter Vatabl. q.d. *Iudicabit*, scilicet mons domus Domini, id est Ecclesia. q.d. Si quando aliquod dubium in fide, vel difficultas in religione acciderit, Ecclesia ea soluet & componet: vtpote quæ à Spiritu sancto recta, falli non potest. Tertiò, à Castro, q.d. *Iudicabit*, id est verbum & Euangelium Dei iudicium exercebit inter multas opiniones, quas habent omnes populi de vita bene & beatè instituenda: nimirum damnando & reprobando falsas & stultas, quales sunt de sectanda auaritia, gloria, ambitione, vltione sui, deliciis ac pompis huius vitæ; ac veras eruendo, probando, & docendo de modestia, humilitate, concordia, charitate mutua, pace, paupertate, & similibus, easque hominum mentibus ingerendo & instillando. C

VSQVE IN LONGINQVVM] q.d. Iudicabit populos longè lateque toto orbe dispersos; &, vt Tigurina vertit, *procul dispitos*; aliter Chald. *in longinquum* (scilicet tempus, putà *in perpetuum*. D

ET CONCIDENT GLADIOS SVOS IN VOMERES] q.d. Deus per Christum & Apostolos iudicabit & componet omnes lites, inducetque legem pacis, concordiæ, amoris: itaque quantum est ex parte sua, vi gratiæ & Euangelij sui, tollet omnia dissidia & bella, vt gentes arma bellica deponant, imò mutent in instrumenta pacis, putà in aratra & ligones, quibus in pace colitur terra. Atque vt hoc ortu suo portenderet, natus est Christus sub Augusto Cæsare, cùm domitis vel occisis tyrannis omnibus, sub eo tam monarcha, Iano clauso, mũdus plena pace frueretur. ita S. Cyril. Clar. Arias & alij. Vide dicta Isai. 2. 4 & Ioël. 3. 10.

SEDEBIT VIR SVBTVS VINEAM SVAM, ET VIR SVBTVS FICVM SVAM] Est Hebræa phrasis, parabolicè significans quietissimam securitatem, quam attulit lex Christi, vtpote lex charitatis, concordiæ & pacis: ita vt securè & iucundè sine hostis metu, in suis domibus & prædiis fideles degere, suisque rebus, ficubus & vuis frui possint; quasi sedentes sub arbore otiosè, ficus & fructus in os cadentes exciperent.

QVIA OMNES POPVLI AMBVLABVNT, VNVSQVISQVE IN NOMINE DEI SVI: NOS AVTEM AMBVLABIMVS IN NOMINE DOMINI IN ÆTERNVM ET VLTRA] q.d. Licet cæteri populi infideles colant suos deos, varij varios; fideles tamen & Christiani, qualis sum ego Michæas, meique similes, vnanimiter & constanter vnum verum Deum ac Dominum colemus, ipsi soli seruiemus toto corde & mente; ipsi qui solus saluare potest confisi, securè viuemus in pace, sine metu hostium etiam, & in æternum, & vltra, id est in omnem omnino æternitatem. Est hyperbole: æternitas enim quia immensa, superat omnem hominis conceptum, ideo addit *& vltrà*. q.d. Durabit hæc pax per omnia sæcula, per omnem æternitatem, quam mente concipere possumus, & vltra, si quid vltrà sit: sicut reuera vltra conceptum nostrum quem formamus de æternitate, supersunt immensa sæcula. Nos enim concipimus æternitatem, quasi millia & milliones annorum plurimos: at post hos superest æternitas. Nota *vũ nos*: Michæas enim licet Iudæus, & filius veteris testamenti, tamen præuisione sua, fide, spe, animo & voto iungit se filiis noui testamenti & Christianis, quasi fratribus suis, ex eodem parente Christo, ac fide gratiaque Christi genitis; cùm tamen non visurus esset Christum & Christianos, nec eorum tempore victurus. Sancti enim veteris testamenti, ob fidem in Christum venturum, pertinuerunt ad nouum testamentum: quia ab eo, putà à Christo, in præscientia & prædestinatione Dei futuro, omnem suam gratiam & iustitiam hauserunt, vti docet docet S. August. lib. 3. contra duas epist. Pelag. 4. *Hi* (Christiani seruili metu legem seruantes) inquit, *ad vetus pertinent testamentum, quod iniquitatem generat; quia facit eos carnalis timor & cupiditas seruos, non Euangelica fides. spes & charitas liberos: sub gratia verò positi, quos viuificat spiritus, & fide ista faciunt, quæ per dilectionem operatur in bonorum non temporalium, sed æternorum; præcipue credentes in mediatorem, per quem sibi non dubitant & spiritum gratiæ submitti rari, vt bene ista faciant, & ignosci posse cùm peccant. Hi pertinent ad testamentum nouum, filij promissionis & regenerati à Deo patre, & libera matre. Huius generis fuerunt antiqui omnes iusti, & ipse Moyses testamenti minister veteris, heres noui: quia ex fide qua nos viuimus, vna eadem vixerunt; incarnationem, passionem, resurrectionem Christi credentes futuram, quam nos credimus factam.*

IN DIE ILLA] Messiæ, Ecclesiæ, Euangelij, gratiæ, & noui testamenti. De illa enim egit ab initio capitis hucusque. ita S. Hieron. Haymo, Rupert. Hugo, Lyran. Vatabl. & alij passim.

CONGREGABO CLAVDICANTEM, ET EAM QVAM EIECERAM COLLIGAM] Theodor. per claudicantem & eiectam accipit gentilitatem. q.d. Per Christum colligam populum Gentilem, hucusque à Deo neglectum, abiectum, & claudi-

dicantem in fide & religione: quia nunc instincta naturæ coluit vnum Deum creatorem cæli & terræ, nunc vana superstitione & traditione auorum, coluit idola. Verùm de Gentium vocatione egit Prophetа v. 2. Hic ergo suam gentem consolatur, agitque de vocatione Synagogæ & Iudæorum, quorum rex constitutus est Christus, regnare incipiens in monte Sion.

Dico ergo claudicantem & eiectam vocari hic Synagogam Iudæorum; tum quia illa claudicauit in fide, modò colendo Deum, modò idola, iuxta illud Eliæ ad eiusdem filios: *Vsquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal sequimini illum*, 3. Reg. 18. Et hoc enim alludit Michæas; tum quia claudicauit præ fatigatione itineris eundo in captiuitatem nunc Babylonicam, nunc Persicam, nunc Græcam sub Antiocho. Vnde vocatur eiecta, dispersa & vagabunda per omnes gentes, ita Vatablus. Claudicans ergo per metalepsin, idem est quod fatigata, dolens, ærumnosa, afflicta. Vnde explicans subdit: *Et quam afflixeram, consolabor.* Ita Chald. vertit enim, *congregabo translatos, & dispersos colligam, & illos quibus malefeci propter peccata populi mei.* Hæc ergo prophetia cœpta est impleri tempore Christi, qui è Iudæis Apostolos, primosque fideles in Ecclesiam suam collegit: indies autem perfectiùs impletur, dum variis in locis plures Iudæi in Ecclesiam congregantur: perfectissimè autem implebitur in fine mundi, cùm omnis Israel saluus fiet, vti intellexit S. Iustin. dialogo contra Tryphonem.

ET PONAM CLAVDICANTEM IN RELIQVIAS] id est, in posteritatem. q. d. Faciam vt Synagoga conuersa ad Christum, factaque fidelis, sit fœcunda, & multos producat Deo filios, & magnam sobolem. Vnde explicans subdit:

ET EAM QVÆ LABORAVERAT, eundo in captiuitatem & dispersionem (id est, vt Tigurina, & procul propulsam) IN GENTEM ROBVSTAM] tum numero, tum fortitudine. Tales fuerunt Apostoli è Iudæis prognati, aliique similes viri Apostolici, orbis doctores & domitores. ita Vatabl. Arias & alij. Hinc sequitur:

ET REGNABIT DOMINVS (Christus) SVPER EOS IN MONTE SION] putà in Ecclesia, quæ cœpit in Sion: Ecclesia inquam, tum militante, tum triumphante; *ex hoc nunc, & vsque in æternum.* Audi S. Hieron. *In gentem robustam, in nomen videlicet Christianum, quod non gladius, non ignes, non tormenta superabunt. Vide fidem & passionem Martyrum, & de robusta gente non ambiges.*

8. Et tu turris gregis nebulosa filiæ Sion vsque ad te veniet: & veniet potestas prima, regnum filiæ Ierusalem.

9. Nunc quare mœrore contraheris? numquid rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem?

10. Dole, & satage filia Sion quasi parturiens: quia nunc egredieris de ciuitate, & habitabis in regione, & venies vsque ad Babylonem: ibi liberaberis, ibi redimet te Dominus de manu inimicorum tuorum.

11. Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ, quæ dicunt: Lapidetur: & aspiciat in Sion oculus noster.

12. Ipsi autem non cognouerunt cogitationes Domini, & non intellexerunt consilium eius: quia congreganit eos quasi fœnum areæ.

13. Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas: & comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino vniuersæ terræ.

ET TV TVRRIS GREGIS NEBVLOSA FILIÆ SION VSQVE AD TE VENIET: ET VENIET POTESTAS PRIMA] Nota Primò, *turris gregis* in Scriptura vocatur locus ille in quo Iacob pauit greges, Genes. 31. 21. nec enim alium locum hoc nomine appellatum in Script. vel apud Iosephum, aut chorographos terræ sanctæ legimus. ita S. Hieron. Remig Haymo, Rupert. Lyran. & alij passim. Audi ex iis Adrichomium in Descriptione terræ sanctæ: *Turris gregis, hebr. ader, siue eder, campus est vberrimus pascuis, & grandibus oliuis refertus: distat passibus ferè mille à Bethlehem, vbi Iacob patriarcha fixit tabernaculum, & pauit greges suos: ibiq; eo habitante, Ruben patrui thorum violauit. Atque hoc ipso in loco pastores, vt prædixerat Prophetа Michæas, nocte vigilantes super gregem suum, viderunt & audierunt angelos canentes: Gloria in excelsis Deo. Vbi postea templum erectum est SS. Angelorum à B. Helena. Atque adeò sacellum hic erectum est in tantæ rei memoriam medio in agro.* Addunt Haymo, Remigius, & Beda lib. de Locis sanctis c. 8. pastores hosce numero fuisse tres.

Turris gregis quæ

Quare licet Hebræi, teste S. Hieron. in Tradition. Hebr. in Genes. c. 35. opinentur turrim gregis fuisse in Ierusalem, eo loco in quo postea ædificatum est templum; tamen ipse S. Hieron. ibidem, & in Epitaphio S. Paulæ, & in Locis Hebr. & alibi, ac passim Interpretes & Chorographi docent turrim gregis fuisse iuxta Bethlehem, ibique angelos pastoribus gregem suum pascentibus nunciasse Christi ortum. Dicta est *gregis*, inquit S. Hieron. in Tradit. Gen. 35. *Vbi vel angelorum grex in ortu Domini cecinit; vel Iacob pecora sua pauit, loco nomen imponens; vel quod verius est, quodam vaticinio futurum iam mysterium monstrabatur*, quòd scilicet angelus ibidem pastoribus gregem pascentibus euangelizaret Christi natiuitatem. Ad litteram turris hæc dicta est *gregis*, ante Iacob, vt videtur; eò quòd pastores iuxta illam, vtpote loco compascuo, solerent pascere greges, atque noctu ad caulas quæ in turri, vel iuxta turrim erant, sese cum gregibus stabulatum recipere, vti notarunt P. Salmeron & Barradius in Lucæ c. 2.

Secundò, pro *nebulosa* hebr. est *Ophel*, quæ erat turris excelsa in Sion, iuxta atrium templi, quam ita ex Iosepho describit Adrichom. *Ophel, quam Iosephus Ophlam nominat, erat turris enormi altitudine, quasi nubi caput inferens; atque arx munita firmo muro cincta, templo propinqua; extra murum tamen qui habitationem sacerdotum claudebat. In huius muro Ioathan rex multa construxit: atque Manasses eousque vrbis muros reparauit. In hac habitabãt*

Ophel turris quæ

Nathinæi. In hanc fugiens Manahem tyrannus captus A *est & occisus. Hanc tandem Titi milites combusserunt.*

Ab altitudine dicta est *Ophel*, id est tenebræ, caligo, nubilum; quòd vsque ad nubes erigeret caput, & in contemplando eius culmine oculi caligarent. ita S. Hieron. in Isaiæ 32. v. 14. Quare minùs rectè aliqui censent turrim nebulosam vocari turrim Psephina, quæ octoangularis erat, erecta super rupem excelsam, septuaginta cubitos alta, inter Septemtrionalem & Occidentalem vrbis murum, ex qua sereno cælo Arabia, mare, & fines Chananææ conspici poterant, quam Titus expugnauit, teste Iosepho l. 6. Belli c. 2. 5. & 6. nam in Hebr. hîc non est Psephina, sed Ophel. Denique pro *Ophel* Septuag. vertunt αὐχμώδης, quod quadrupliciter verti potest: Primò, caliginosus & opacus; Secundò, squalens; hæc duo habet S. Hieron. Tertiò, aridus; Quartò, B sitiens vel siticulosus: quæ enim arida sunt, sunt pariter squalentia, siticulosa & opaca.

Symb. caligo Dei est Ophel.

Symbolicè, Ophel significat celsitudinem & caliginem in qua habitat Deus: ad hanc enim accedere & erigere se conatur Sion, id est Ecclesia, & anima fidelis. Deus enim *habitat lucem inaccessibilem*, 1. Timoth. 6. 16. Præclarè S. Dionys. epist. 5 ad Dorotheum: *Caligo, ait, diuina est inaccessibilis, in qua habitare dicitur Deus: hæc est inuisibilis, propter eximiam claritatem; & inaccessibilis, propter immensam luminis copiam.*

Quæres, si turris Eder erat extra Ierusalem iuxta Bethlehem, Ophel verò erat in Ierusalem, quomodo vna eademque turris vocatur hîc *gregis*, & *nebulosa* siue *Ophel*? Resp. metaphoricè & metonymicè Sion, siue Ierusalem vocari hîc *turrim gregis*. Ita enim vocari hîc Sionem patet Primo, ex eo, quòd eam nuncupans subdit: *filia Sion.* Sic enim cum Roman. Symmacho (qui clarè vertit, *ipsa est filia Sion*) & Septuag. legendum in nominatiuo *filia*, non *filiæ* in genitiuo. Secundò, quia in Ierusalem erat Ophel. Hæc autem turris gregis, erat turris Ophel; vti ait Michæas. Tertiò, quia in Sion erat porta (& consequenter turris super portam de more erecta) quæ vocabatur *gregis* per quam greges ouium offerendi in templo, ex turri Eder siue gregis, vbi pabulabantur, inducebantur in Sion & templum. Vnde iuxta portam gregis, erat forum pecuarium, & probatica piscina, in qua curabantur infirmi Ioan 5. 2. Dicta est probatica, ὅτι τῶν προβάτων, id est ab ouibus. Probatica ergo idem est quod pecuaria vel ouina, eò quòd ad illam oues, quotidie manè & vesperè immolandæ in templo congregabantur, in eaque abluebantur. Denique de Sione & D Ierusalem hîc agi, patet ex sequentibus. Ierusalem ergo vocatur *turris gregis*, tum quia vicina erat Bethlehem, & turri gregis, illique vt metropolis imperabat; tum quia alto loco in montibus sita, & ad illam confluebat grex, id est numerositas Iudæorum ad templum; tum propriè, quia in Sion erat porta & turris gregis, obuersa turri Eder, siue gregis, per quam ex Eder oues in Sion & templum inferebantur. Eadem vocatur *nebulosa* ob altitudinem turris Ophel, aliarumque similium, quæ in sui culmine nubes & nebulas de more colligebant, atque è terra contuentibus, ob nimiam altitudinem caligantibus oculis, nebulosæ videbantur. Vnde probabiliter suspicatur Vilalpando tom. 3. p. l. 3. c. 7. *turrim gregis* hîc

Probatica piscina quæ

præcisè vocari portam gregis: portam enim vocari turrim, quia alta erat & munita, vt arx vel turris esse videretur. Porta hæc dicitur *filia Sion*, quia subiecta erat templo exstructo in monte Sion. Dicitur *gregis*, tum quòd per eam greges offerendi inducerentur in templum, tum quòd ante hanc portam esset vallis Iosaphat tendens ad montem Olueti, quam, vtpote pascuis vberrimam, Iacob Patriarcha suis pecoribus pascendis elegit. Hæc porta à Iosepho l. 6. Belli c. 6. vocatur *Genat*, quam Salomon magnificentissimis ædificiis ac propugnaculis exornauit. Hæc Vilalpando, & hoc videntur voluisse Hebræi paulò antè citati, quos sequitur Emmanuel, Mariana & alij.

Quæres Secundò, quisnam huius loci sit sensus, & quando turri gregis, id est Ierusalem, data sit potestas, siue, vt vertit Tigurina, dominium, regnum & imperium? Primò, Theodor. sic explicat, q. d. Nabuchodonosor veniet ad te ô turris, id est ô templum, quod in vinea, id est in vrbe Ierusalem, quæ ob peccata est atra & nebulosa, quasi turris emines, vt te sternat & comburat. Verùm hoc triste & funestum est, non lætum & festiuum oraculum, quale hîc edit Michæas.

Secundò, S. Hieron. intelligit de Cyro, & reditu è Babylone. q. d. Veniet Cyrus, qui te ô Ierusalem, id est, vos ô Iudæi, è Babylone per Zorobabel liberet, & in patriam remittat. Verùm licet eò alludat Propheta, vt patet v. 10. tamen altius & maius quid spectat.

Dico ergo, turrim gregis & Ophel, siue Ierusalem & Sion, esse Ecclesiam Christi, quæ cœpit in Sion, in quam grex fideliũ congregatur, quasi C in turrim Ophel, id est, in locum altum & munitum, vergentem in cælum, ideoque obscurum & nebulosum: doctrina enim Ecclesiæ, quia cælestis est & diuina, de Deo trino & vno, de Verbo incarnato, de prædestinatione & reprobatione, &c. est obscura & nebulosa. Eadem vocatur *filia*, quia Deo dilecta vt filia; & *Sion*, id est specula, quia nunc contemplatur Deum in ænigmate per fidem & spem, breui eumdem contemplatura reipsa, facie ad faciem. Michæas ergo regiam Christi, putà Ierusalem, id est Ecclesiam, vocat *turrim*, ob altitudinem vitæ & doctrinæ; atque ob munitionem, speculam & tutelam, qua suos fideles tuetur & propugnat. Vocat *gregis*, quia alludit ad Dauidem, qui fuit pastor gregis, indeque primus euocatus est ad regnum Sionis: & quia eius antitypus & successor Christus, rex nouæ Sionis, id est Ecclesiæ, eiusdem potiùs fuit pastor, quàm rex. Vnde ipse nomine pastoris delectatur: *Ego*, ait Iohan. 10. 11. *sum pastor bonus: bonus pastor animam dat pro ouibus suis.* & v. 14. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Hinc veteres imagines Christi, quas etiamnum Romæ in antiquis templis videmus, Christum quasi pastorem oues pascentem, aut ouem perditam humeris baiulantem, & ad caulam reducentem depingunt.

Tropolog. Ecclesiam vocat *turrim gregis*, vt significet, Præsules Ecclesiæ, Christi vicarios, non debere vt reges dominari in cleris, sed vt pastores pascere gregem Domini. Hoc est quod ait & sancit S. Petrus, primus à Christo summusque Ecclesiæ Præsul: *Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum;*

neque

neque turpiu lucri gratia, sed voluntariè: neque vt dominantes in clerio, sed forma facti gregis, ex animo. Et cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam, 1. Petri 5.2.

Sensus ergo huius loci est, q.d. Dixi v. 7. quòd Dominus regnabit super eos (Iudæos fideles) in monte Sion in æternum; quia tu ô Sion, quæ es turris gregis & Ophel, id est arx sublimis, inuicta & inexpugnabilis, accipies hoc regnum: *Vsque ad te veniet, & veniet potestas prima.* q.d. Veniet, veniet inquam, ad te prisca & auita potestas, & regnum quod habuisti sub Dauide & Salomone: putà *regnum filiæ Ierusalem*, hoc est, regnum Hierosolymæ. sicut enim Dauid gloriosè & potenter regnauit in Sion; ita ibidem Christus filius Dauidis & heres, regnum idem capesset: at non temporale, sed spirituale; ibique regnum Ecclesiæ suæ inchoabit, quod deinde proferet & propagabit per Apostolos in vniuersum orbem, iuxta id quod promisit Gabriel matri eum concipienti: *Dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*, Lucæ 1. v. 32. Et Dauid rex in typo & persona Christi: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, prædicans præceptum eius*, psal. 6.2. ita Clarius, Vatabl. Arias, Ribera, à Castro & alij. Huc accedit S. Hieron. & Lyran. qui per *turrim gregis filiæ Sion* (vti ipsi legunt) accipiunt templum, quò grex, id est populus, Domini confluebat, & in quo greges ouium Deo mactabantur. hoc vocatur *Ophel*, id est nebulosum, quòd ad nubes vsque altitudine sua pertingeret; vel quòd fumum victimarum quasi nebulam ingiter exhalaret; vel quòd vmbris & figuris quasi nebulis plenum esset: q.d. O turris nebulosa filiæ Sion, id est, ô templum Hierosolymorum, vsque ad te veniet, veniet inquam, prima potestas, id est, primum & auitum illud Dauidis imperium; non in vmbra, sed in veritate: Christus enim triumphator ingredietur in te, qui est regum summus, cuiusque Dauid rex vmbra tantùm fuit & typus. Respicit introitum solemnem Christi in Ierusalem die palmarum, quando asello vectus cum pompa & triumpho, vrbem & templum quasi Messias est ingressus, & inauguratus acclamante turba: *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri Dauid*, Marci 11. v. 10. Christus enim per portam gregis (quæ hîc vocatur *turris* ob celsitudinem, ait Vilalpando suprà) quasi agnus paschalis in paschate immolandus, inuectus est in vrbem, vti colligitur ex Luca c. 19. 37. cùm ait: *Et cùm appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti*, &c. Ex monte ergo Oliueti per vallem Iosaphat venit ad portam gregis, eaque ingressus est in vrbem. Et hoc videtur hîc significare Michæas, inquit Vilalpando. Idipsum clarè significat versio Chaldæi, qui paraphrasticè per turrim gregis accepit Christum, qui in Ecclesia inter fideles quasi turris eminet. correlatiua enim sunt & inseparabilia, pastor & grex, rex & regnum, Christus & Ecclesia. Sic ergo vtrumque nectens vertit, *tu autem ô Messia*, vel, *Christe Israelis, qui absconditus es propter peccata cœtus Sion, tibi venturum est regnum, sed & dominatio prisca aduenit regno cœtus Ierusalem*. Christus enim est turris, quia Verbum Patris, de quo dicitur Sap. 18. 16. *Vsque ad cælum attingebat, suus in terra*. Erat enim verus Deus æquè ac homo, iungens in se deitatem humanitati, & cælum terræ, angelos hominibus. Hinc & dicitur *nebulosa*, id est abscondita in præsepio, carne & cruce: Deus enim *posuit tenebras latibulum suum*, psal. 17.25. Idcirco incognita fuit Iudæis. Erat *turris gregis*, quia sicut turris vrbem, ciues & oues, ita Christus Christianos protegit & tuetur. Ipse denique regnum suum consignauit Hierosolymæ, id est Ecclesiæ suæ. Vnde & Syrus & Arabicus vertunt, *tu autem turris* (Arabicus, *arx*) *pastor nebulosa filiæ Sion, tempus tuum aduenit.*

Denique Haymo, Remig. Beda in Luc. 2. Baronius an. 1. Christi, & alij censent Michæam hîc alludere ad pastores Eder, quibus angelus primò nunciauit Christi ortum: ideo enim nominat turrim Eder, id est gregis & pastorum. Vnde id clarè explicãs cap. seq. v. 2. ait: *Et tu Bethlehem* (iuxta quam erat turris Eder) *Ephrata parvulus es in millibus Iudæ: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*, &c. Itaque huius loci hunc dant sensum, q.d. Tu ô turris Eder, rusticana, vilis & pastoritia, caput attolle, gaude & exulta: quia primò ad te veniet nuncius cælestis, putà angelus annuncians Christi regis ortum, cuius potestas prima & regnum incipiet in Ierusalem, indeque propagabitur per totum orbem. Quocirca eris iam turris non tantùm gregis, sed & Ophel, id est celsæ caliginis: quia in te ex celso Olympi vertice descendet spirituum & musicorum cælestium multitudo, concinens: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Alludit ad pastores in ortu Christi.

Tropolog. *filia Sion* est anima quæ speculatur cælestia & diuina: Sion enim hebr. significat speculam. Vnde in ipsa est turris, id est prudentia & prouidentia, æquè ac robur & munimen, quibus suum gregem, id est, omnes animæ potentias, sensus & actiones, omnesque corporis motus moderatur, regit, tuetur & roborat. In ipsa est Ophel, id est caligo, putà orationis & contemplationis, qua cum Mose Exodi 19.9. intrat in caliginem, in qua habitat Deus; ibique cum eo colloquitur, vti solitum facere S. Bernardum legimus in eius Vita. Rursum est Ophel, id est αὐχμώδης, vt vertunt Septuag. id est Primò, arida, quia humores prauos concupiscentiæ per ieiunia & mortificationes deficcat; Secundò, squalens, per luctum & pœnitentiam, ob exilium in quo degit; Tertiò, sitiens, scilicet Deum, & aquam gratiæ salientis in vitam æternam. Complutensia legunt αὐχμώδες in genitiuo, id est caliginosæ, aridæ, squalidæ & sitientis; vt referatur ad *gregis*. Iuxta quam versionem hæc quatuor simili sensu iam dicto de anima, ad potentias, sensus, motusque eiusdem (hi enim sunt eius grex) accommodari facilè possunt. Ad hanc venit potestas prima, putà primum regnum filiæ Ierusalem. Primum enim maximumque regnum animæ est, quo in ipsa regnante Christo rege, eamq; regente, ipsa pariter à Christo regnum accipit, fitque regina. Nam regnat & dominatur æquo iure, primò sibi, suisque potentiis & motibus; deinde rebus externis, quas omnes sibi subiicit; ac tertiò proximis, quorum cura ei commissa est. Dum enim Deo vacans primò sibi suisque actibus piè sanctèq; imperat, facilè cæteris omnibus præesse & imperare discit. itaque fit Ierusalem, id est visio & possessio pacis: iugi enim pace & serenitate conscientiæ fruitur. Hinc Philosophus illo,

Tropol. anima sancta est turris gregis.

Rex est qui sibi imperat.

ille, licet Gentilis: *Rex*, inquit, *eris si teipsum rexeris. Rex eris, si cupiditatibus & passionibus tuis imperes. Rex eris si regas iram, gulam, libidinem.* Alexander Magnus alios rexit, seipsum regere nesciuit, rexit eum ira & cupido: vnde non rex, sed iræ fuit seruus, & mancipium ambitionis. Verius mendicus ille apud Taulerum se regem esse dixit, quòd nil appeteret in hoc mundo, quod quę suam voluntatem Dei voluntati in omnibus conformaret, ideoque sibi rebusque omnibus dominans, perpetua pace & lætitia animi frueretur. Historiam fusè enarraui Rom. 12. 1.

Anagog. quidam, ait S. Hieron. hæc accipiunt de Ierusalem cælesti, quæ cùm sit *mater sanctorũ, tamdiu quasi Ophel squalet, quamdiu filij sui non reducuntur ad eam, vt rex & consiliarius non sit in ea: & dolores sicut parturientem apprehendant eam, quòd frustra peperit, videns tantos filios interfectos.*

VERS. 9. NVNC QVARE MOERORE CONTRAHERIS?] Hebr. neruosiùs, *nunc quare vociferaris vociferationem?* id est, cur ingenti voce eiulas & ploras? Redit ad Sionem, id est ad Iudæos sui temporis. Vnde vocula *nunc*, & tempus præsens significat, simulque est nota illationis, idem valens quod *ergo*. Itaque *nunc* idem est quod *nunc ergo*, q.d. Nunc ergo, ô Sion, cur mœres ob instantem captiuitatem, cùm tam felix & augustum Christi regnum exspectes? Esto enim eas ad modicum tempus in Babylonem, esto Sedecia rege tuo, principibus & consiliariis orberis, tamen inde breui te reducam, faciamque vt rex tuus potentissimus, æquè ac consiliarius sapientissimus, propediem tibi sit ipse Christus, Rex regum & Dominus dominantium. ipse te omni captiuitate, omni mœrore, omni ærumna liberabit; ipse te consolabitur, ditabit, honorificabit; vt nil deinceps metuere debeas, nil ampliùs sperare aut desiderare possis.

Allegoricè. hæc & sequentia vsque ad finem capitis adaptari possunt Ecclesiæ primitiuæ (huius enim typus fuit Synagoga Iudæorum) primitùs & deinceps à tyrannis afflictæ, & penè oppressæ: imò de ea ad litteram accipiunt Rupert. Albert. Lyran. & Vatabl. q.d. Post aduentum Christi affligentur Christiani, vnde habebunt ansam gemendi; sed tamen sumant animos, quia non destituentur ope diuina: nam rex eis aderit Christus, & consiliarius Sp. sanctus.

Aliter, imò contrariè, hæc accipit S. Hieron. & Theodoret. q.d. Qua de causa ô Sion mœres? vtique ob instantem captiuitatem. Sed vnde illa tibi obueniet? An quòd destituta sis rege & consiliariis? at habes Ezechiam, Iosiam, Sedeciam, aliosque reges, eorumque principes & consiliarios. Disce ergo hoc malum non aliunde tibi accidere, sed tua culpa, tuo vitio: quia nimirum tuis idolis & sceleribus Dei iram & vindictam in te concitasti. Verùm hic est sarcasmus & hostilis irrisio potiùs, quàm paterna consolatio, quam toto hoc cap. Sioni suggerit & ingerit Propheta.

Tropol. S. Ambros. hîc, *Cur*, inquit, *comprehenderunt te dolores vt parturientis, vt parturires iniquitates, & pareres iniustitias? nullus enim maior est dolor, quàm is qui peccati mœrore vulnerat conscientiam: neque vllum grauius est onus, quàm peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curuat vsque ad terram, ne se erigere possit. Grauia, fili, grauia nimis delictorum sunt pondera. Denique illa in Euangelio* (Lucæ 13.) *mulier quæ curuata erat, speciem prætendens animæ laborantis, à Christo potuit solo erigi.*

DOLE, ET SATAGE FILIA SION] Satagere est VATABL. esse anxium, anxiè distorqueri difficultate alicuius rei conficiendæ, vel euadendæ. Pro *satagi* hebr. est חוּל *gochi*. quod variè vertitur: Septuag. *dole & viriliter age*; Chald. *dole & contremisce*. Pagnin, *dole & ingemisce*; Tigurina, *dole, & gemitum ede*. q.d. O Sion, permitto vt doleas & ingemiscas, ac de facto dolebis & ingemisces: habebis enim iustum argumentum & causam doloris & gemitus, scilicet excidium & captiuitatem Babylonicam.

QVIA NVNC EGREDIERIS DE CIVITATE, de Ierusalem, ET HABITABIS IN REGIONE; Hebr. & Chald. *in agro*; Septuag. *in campo*. q.d. Non in vrbe sub tecto, sed in agro sub dio, quasi profuga & captiua deges: ET VENIES VSQVE AD BABYLONEM. Sed age, resume animos, spera meliora. Nam post modicum tempus, putà post 70. annos, IBI LIBERABERIS, IBI REDIMET TE DOMINVS] Primò, inchoatè per Cyrum & Zorobabel; Secundò, plenè per Christum. Audi S. Cyrillum iuxta Septuag. *Dole igitur & viriliter age filia Sion, ait: O bona filia, patiens esto ad dolores, obdura ad molestias, appropinqua ad partum. Sed enim non penitus consolatione destitutam relinquit: addit enim, in patriam sedem iri reuocatum.* Sic Æneas socios naufragos spe melioris sortis consolatur Æneid. 1.

Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes vbi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ:
Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Tropol. S. Hieron. *Intelligit*, inquit, *animam propter peccatum de Ecclesia pulsam, & inimico & vltori contraditam in interitum carnis, vt spiritus salus fiat, exire de ciuitate quam spiritus impetus latificat, habitare non in monte vbi prius fuerat, sed in campo in quo Assyriorum vagatur exercitus, & esse in confusione vitiorum suorum, & postquam habuerit compedes, & traxerit molam, & farinam Babylonis fecerit, in semet reuersam dicere: Quanti mercenarij patris mei saturantur panibus, & ego hic fame pereo? & ad paternam domum postea reuertentem suscipi à clementissimo patre, & redimi de manu durissimi domini.*

ET NVNC CONGREGATÆ SVNT SVPER TE GENTES] Tò *nunc* iterum aliam & viciniorem Hierosolymæ calamitatem significat, q.d. Dixi, ô Sion, te ituram in Babylonem; sed antequã eò vadas, alia tibi instat clades à Sennacherib, qui multas contra te gentes congregabit, putà 185. millia, QVÆ dicent: LAPIDETVR, id est lapidibus obruatur, ET ASPICIAT IN SION OCVLVS NOSTER, id est, oculus noster aspiciat cum voluptate Sionis ruinam, eaque se pascat, illamque irrideat & subsannet: solemus enim aspicere & oculos intendere in ea, quæ diligimus; despicere verò & auertere oculos ab iis, quæ odimus vel contemnimus. Vnde vulgò dicitur: *Vbi oculus, ibi amor: vbi manus, ibi dolor*. Hinc *aspicere* sumitur quandoque pro oblectari, vt psal. 65. 18. *Iniquitatem si aspexi in corde meo.* ita S. Hieron. Remig. Haymo & alij.

Nota. Pro *lapidetur* hebr. est נחנף *techanafu*, quod Septuag. vertũt, *insultabimus*, vel, vt S. Hieron. legit, *insultemus*; alij *insultemus & gaudeamus*, Chald. *impiè aget*; Pagnin. *peccauit*; Tigurina, *hyp-*

hypocrita fuit, simulando se piam, cùm esset impia; A castam, cùm esset incesta; deicolā, cùm esset idolatra. Arias *superstitietur*, id est, vt superstitiosa, & nouorum deorum cultrix puniatur, expietur & lapidetur. Propriè *techenaph* vertas, *impia est, & vt impia plectatur*. Alludit *techenaph* per metathesin ad תְּנַאֵף *tinaph*, id est adultera est, & vt adultera puniatur & lapidetur: lapidatio enim erat pœna adulterij apud Iudæos. q.d. Sion relicto Deo sponso suo, coluit idola, cum illis; formcata & adulterata est; ergo vt adulteram eam lapidibus obruamus, demoliamur eam, & in aceruum lapidum redigamus, eoque illam sepeliamus.

Alleg. Nero, Decius, aliiq; tyranni dicebant de Ecclesia Christi, *lapidetur*, id est pereat & exscindatur, sed id reipsa Deo illam tutante efficere nō potuerunt. ita S. Hieron. Haymo, Rupert. Hugo, B & alij. Idem etiamnū dicunt hæretici de eadem. Idem de sanctis Religionibus, monasteriis, collegiis, adeoque de viris religiosis & zelosis dicunt iidē, imò & peruersi Catholici, Lapidetur, euertatur talis Religiosorum domus, Dominicani, Franciscani, Iesuitæ expellantur & lapidētur; sed Deo eos tutante & consolante, fit id quod sequitur: *Congreganit eos quasi fœnum areæ. Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuum ponam ferreum*, &c.

12. IPSI AVTEM NON COGNOVERVNT COGITATIONES DOMINI] quibus statuit Sionem hisce persecutionibus probare, purgare & illustrare; non perdere, & euertere: persecutores verò eius, putà castra Sennacherib, cædere & dispergere.

QVIA CONGREGAVIT EOS QVASI FOENVM AREÆ] q.d. Congregauit eos in Iudæa, quasi fru- C menti manipulos in area, vt ibi ab angelo & à Iudæis triturentur, id est cædantur, calcentur & spolientur. Angelus enim cecidit 185. millia ex castris Sennacherib. Nota, *fœnum* hic non significare herbam pratorum demessam & siccatam, quæ propriè fœnum dicitur; sed capi pro frumento spicato, putà pro manipulis tritici. hoc enim solùm in area trituratur, vti de hoc fœno subdit dicens: *Surge, & tritura filia Sion*. Vnde Septuag. vertunt, *quasi manipuli areæ*; Chald. Pagnin. & Tigurina vertūt, *quasi manipuli ad aream*, vt in ea triturentur; eorumque grana excutiantur, quæ in horrea condantur. Hos enim significat Hebr. עֳמִיר *amir*.

13. SVRGE, ET TRITVRA FILIA SION, QVIA CORNV TVVM PONAM FERREVM, ET VNGVLAS TVAS PONAM ÆREAS, ET COMMINVES POPVLOS MVLTOS] Nota. In Palæstina, vti & in Italia, Canaria, aliisq; D multis prouinciis manipuli & segetes triturantur non ligneis flagellis, vti fit in Germania; sed vngulis boum, vel serratis carpentis, quæ super segetes circumagunt, itaque calcando eas terunt, & grana ex aristis exprimunt. Similia carpenta subinde super hostes stratos agebant victores, eosque quasi triturabant; vt fecit Dauid Ammonitis 2. Reg. 12. 31. Dicit ergo Deus, se *cornu & ungulas æreas*, id est animos, robur & vires, Sioni redditurum, vt suos hostes calcet, premat & terat. Factum hoc Primò, sub Ezechia, quando cæsis per angelum Assyrijs, Iudæi eorum castra inuaserunt, occuparunt & spoliarunt. Secundò, sub Iuda, Ionatha, Simone & Hyrcano Machabæis, qui quasi cornua fuerūt, quibus Iudas ventilauit omnes vicinas gentes, vt patet ex libris Machab. vt in iis impletum sit illud Deut. 33. 17. *Cornua rhinocerotis cornua illius, in ipsis ventilabit gentes vsque ad terminos terræ*. Ad Machabæorum enim gloriosa bella & victorias, hæc referunt Dionys. Ribera & alij. Mysticè id planè adimpletum est in Christo, eiusque Sione spirituali, id est Ecclesia, quæ robore prædicationis suæ sibi subegit omnes gentes, eorumque idola & profana fana contriuit. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Albert. Lyran. Clarius & alij.

ET INTERVICIES DOMINO RAPINAS EORVM] q.d. Immolabis Domino boues, aliasque victimas quas victrix ab hostibus rapuisti. Id fecisse Ezechiam & Iudæos ex spoliis Assyriorum, docet Ioseph. l. 10. Antiq. c. 3. Idem fecisse Machabæos, liquet ex eorum actis. Idem sæculis omnibus fecit & facit Ecclesia Christi. Pro *interficies* hebr. est וְהַחֲרַמְתִּי *vehacharamti* (Noster & Septuag. videntur legisse וְהַחֲרַמְתָּ *vehacharamta*. vertunt enim in secunda persona, *& interficies*. sed eōdem redit sensus; Deus enim per Iudæos victimas hasce interfecit) id est *faciam cherem*, id est anathema: hoc est, *anathematizabo*, exscindam & consumam, *rapinas eorum Domino*, id est mihi. q.d. Deuouebo hostes tuos cum suis opibus mihi, meaque vindictæ; quasi victimas meas addicam eos neci, faciam eos anathema, partim per angelum occidentem, partim per tuos ciues ô Sion, præsertim Machabæos, sicut feci Iericho Iosue 6. 16. & Chananæis Numer. 21. v. 2. Vide quæ ibi dixi de voto *cherem*, siue anathematis.

Nota. Pro *rapinas eorum* hebr. est בִּצְעָם *bitsam*, quod Septuag. vertunt, *multitudinem eorum*; Chald. *facultates eorum*; Symmach. *lucrum eorum*; Theodot. *dona* vel *munera eorum*; Tigurina, *opes eorum*; Pagnin. *desiderium*, id est opes desiderabiles, *eorum*; Noster, *rapinas eorum*, quas scilicet Assyrij è Iudæa rapuerunt, tuque iterum eis eripuisti, quasi iustas & reduces iusti belli rapinas.

ET FORTITVDINEM EORVM] Hebr. חֵילָם *chelam*, id est substantiam & opes: hæ enim sunt diuitum robur & fortitudo, iuxta illud Prouerb. 18. 11. *Substantia diuitis, vrbs roboris eius, & quasi murus validus circumdans eum*. Hæ rursum sunt neruus belli, vt ait Cicero. Alij per *fortitudinem* accipiunt milites & arma: arma enim hostium bello capta Iudæi, æquè ac Christiani & Gentiles suspendere solent Deo, vt illi victoriam acceptā referant: vti Dauid suspendit in templo gladium quo obtruncauit Goliath, 1. Reg. 21. 9. Idem fecisse Gentiles docet Virgil. 7. Æneid.

Multaq; præterea sacris in postibus arma:
Captiui pendent currus, curuaq; secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaq;, clypeiq;, ereptaq; rostra carinis.

Hoc est quod prædixit Isaias c. 60. v. 5. *Fortitudo gentium venerit tibi*. Et v. 11. *Vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur*.

Tropol. docemur hîc omnem victoriam de hostibus tam corporalibus, quàm spiritualibus, asscribendam esse Deo auctori; vti fecit Moyses & Iosue victo Amalec, erigens altare hoc titulo: *Dominus exaltatio mea*, Exodi 17. v. 15. ideoque omnia desideria & desiderabilia nostra ipsi esse mactanda & offerenda. *Tropol. Deo tribuendū epinicium.*

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

VAstatâ filiâ latronis, prædicit Christum nasciturum in Bethlehem, qui Israel pascat in fortitudine Domini, & magnificetur vsque ad terminos terræ. Deinde v. 5. ait, quòd Christus erit pax, cùm venerit Assyrius in terram nostram: tunc enim eum conteret. Tertiò, v. 7. prædicit quòd reliquiæ Iacob, id est Apostoli & primi Christiani, erunt quasi ros Domini, irrigantes mentes hominum, easq; efficaciter instar leonis rapientes sibiq; & Deo subiugantes. Denique v. 10. asserit quòd Deus tunc auferet maleficia, diuinationes, lucos, omniaq; arma & præsidia in quibus infideles confidebant.

Vers. 1. NVnc vastaberis filia latronis: obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam iudicis Israel.

VERS. 1. NVNC VASTABERIS FILIA LATRONIS] Hebr. est elegans paronomasia: *hitgodedi bat gedud.* q.d. Nunc vastaberis filia vastatoris, nunc prædaberis filia prædatoris; aut, vt alij, *nunc concideris filia concisionis*; aut, vt Tigurina, *nunc cingeris turmis filia turmæ.* Nota Primò. *hitgodedi* est coniugationis *hitpael*, quæ partim actiua est, partim passiua; & communiter significat actionem reflexam, qua agens agit in seipsum, ita vt idem sit agens & patiens. q.d. Vastabis & concides teipsam, vel vastaberis & concideris à teipsa, id est tua culpa, tuo demerito; putà ob tua scelera peribis. Quocirca *hitgodedi* non tantùm passiuè, vti iam vidimus; sed & actiuè verti potest. Vnde Syrus vertit, *nunc exibis cum turma filia turmarũ fortium*; Arabicus, *nunc egredieris cum exercitibus*; Pagnin. *nunc militabis filia militis*; alij, *nunc congregabis te per turmas filia turmæ*; alij, *nunc educes exercitus filia exercitus*; alij, *nunc concides filia concisionis*; Arias, *collige cœtum tuum filia cœtus*; alij, *Martem & Martia castra instrue filia Martis.* Porrò *filia latronis*, idẽ est quod latro, latrociniis dedita; sicut filius hominis, idem est quod homo, filius ouium idem quod ouis, filia capræ idem est quod capella.

Nota Secundò, גדוד *gedud* significare congregationem, cœtum, turbam, turmam, exercitum. vnde in libris Regum, turmæ Syrorum excurrentes & prædantes terram Israel, vocantur *geduddim*; Noster vertit vocatque *latrunculos*, id est volones, prædones, quos Belgæ vocant *vrybuteros.* Itidem hîc vertit, *filia latronis*, vti & verterunt Aquila, Symmach. Theodot. & Quinta editio. Hinc & Lia quintum suum filium vocauit *Gad*, quasi *gedud*, id est turmam filiorum. q.d. Tot iam genui filios, vt ex eis aciem instruere possim, Genes. 30. 8. ita Chald & Aquila ibidem. *Gedud* ergo est turma velitum, siue excursio & irruptio militum leuis armaturæ ad prædandum & latrocinandum; item exercitus qui omnia populatur, quales fuerunt Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum: de quibus S. Augustinus verè dixit 1. de Ciuit. c. 4. *Remotâ iustitiâ, quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia & ipsa latrocinia, quid sunt nisi parua regna?* Et pirata captus ab Alexandro Magno, rogatus cur piraticam exerceret; respondit, Ego idem facio quod tu. *Ego sum paruus, tu magnus es orbis prædo: sed quia id ego exiguo nauigio facio, Latro vocor; quia tu magna classe, Imperator.* vt ibidem refert S. Augustinus. Tertiò, pro *iudicis Israel*, vti habent Hebr. & Latina, vertunt Septuag. *tribus Israel*, Chald. *iudicum Israel*, per enallagen accipientes singulare pro plurali.

Filia latronis quæ? Quæres, quænam est hæc filia latronis? sunt quatuor sententiæ. Prima est, esse Babylonem. Secunda esse Damascum. Tertia, esse Ierusalem. Quarta, esse Niniuen & Assyriam. Nam Primò, de Babylone accipi potest, vel actiuè, q.d. Congrega turmas latronum, id est militum & prædonum tuorum ô Babylon, vt obsideas nos Hierosolymitas, & percutias maxillam iudicis, id est regis Israel, putà Sedeciæ, eumque regno & ocalis priues, atque excæces; vel passiuè, q.d. Breui à Cyro vastaberis ô Babylon, quia fuisti filia latronis, id est latro & latrociniis dedita, ac vt talis obsedisti & vastasti nos, atque regem nostrum Sedeciam in maxilla percussisti, imò exoculasti. Fauet huic sententiæ quòd cap. præced. v. 10. meminerit Babylonis, eiusque prædationis. Consolans enim Iudæos à Babyloniis capiendos: *Dole*, inquit, *& satage filia Sion quasi parturiens: quia nunc egredieris, &c. & venies vsque ad Babylonem, ibi liberaberis*, scilicet per Cyrum. Hoc est quod hîc dicit: *Nunc vastaberis filia latronis*, id est Babylonia, scilicet per Cyrum: verba ergo hæc illorum c. 4. v. 10. videntur antistropha.

Secundò, *filia gedud*, id est *latronis*, accipi potest Damascus & Syria: inde enim frequentes *geduddim*, id est latrunculi, excurrerunt in terram Israel, eamq; latrocinando vastarunt; vt patet ex libris Regum. Vox enim *gedud*, id est latronis, videtur respicere ad illos *geduddim*, recensitos in libris Regum. Accedit quòd Syris & Damascenis ob hasce prædationes excidium minetur Isaias c. 7. 7. atque mox subiungat lætum oraculum de Emmanuele rege Iudæis nascituro, dicens v. 14. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Ad Isaiam autem de more alludit hic Michæas, qui hîc videtur idem oraculum, quod Isaias c. 7. edere. Nam vastationi filiæ latronis subiungit lætum oraculum de Christo rege, in Bethlehem nascituro; perinde ac facit Isaias. Sensus ergo est, q.d. Vastaberis ô filia latronis, ô Damascena latro & prædo Israelis; quia obsedisti Iudæos, eorumque principes sæpè in maxillam, id est ignominiosè, percussisti: vastaberis autem per Salmanasar Assyrium, quem Emmanuel vindex noster, antequam nascatur homo, in te immittet, vti prædicit Isaias loco iam citato. Hic sensus accommodus videtur: Michæas enim Isaiæ sæpè est antistrophus. Sed obstat quòd hactenus Michæas nullam Damasci fecerit mentionem; fateor tamen ad illam, & ad Isaiam hîc alludi, vti mox plenius dicam.

Tertiò, *filia latronis* accipi potest Ierusalem. q.d. Tu ô Ierusalem, quæ mihi olim eras chara, quasi filia Sion; nunc verò facta es filia latronis, quia opprimis & expilas pauperes; tu inquam, ob hæc latrocinia tua vastaberis à Chaldæis, qui te obsidebunt, & Sedeciam aliosque tuos iudices & principes percutient in maxilla, id est igno-

ignominiosè tractabunt & vexabunt, vti dixi c. 4. v. 10 & cap. 3. v. vlt. Atque hæc oppressio tua durabit vsque ad Christum. Post Chaldæos enim Græci, ac præsertim Antiochus Epiphanes, post Antiochũ Pompeius & Romani te pessumdabunt, donec Christus tuus rex, Messias & liberator nascatur in Bethlehem, qui te reddet, omneque iugum & hominum & dæmonum à ceruicibus tuis excutiet. ita Remigius, Haymo, Albertus & Clarius.

Quartò & genuinè, *filia latronis*, hebr. *gedud*, id est turmæ & exercitus, vocatur hîc Assyria, puta cœtus Assyriorum, & castra Sennacherib, qui quasi latro populatus est Iudæam, & obsedit Ierusalem atque ignominiosè tractauit iudicem, id est principem Israel, putà regem Ezechiam, ac fœdum in maxillam percussisset. Rabsaces enim missus à Sennacherib, non tantùm conuiciatus A est Ezechiæ, sed & eius Deum blasphemauit, vt patet Isaiæ 36 Quocirca audit hîc à Deo vindice, *Vastaberis*: atque hanc vastationem mox ipsi inflixit, mittens angelum qui cecîdit 185. millia militum in castris eius. Percussio enim maxillæ abijt in prouerbium, nec aliud significat quàm grauem ignominiam, ingensque probrum. Forte etiam reuera Sennacherib legatos Ezechiæ, vel principes Israel à se captos percussit probrosè in maxilla, esto Scriptura id non dicat: quia eos sua fecit mancipia, quibus in facie inuri solent stigmata, tum ignominiæ causa, tum vt à liberis secernantur ne aufugiant. Ita fecisse Caium Imp nobilibus Romanis, quos ad metalla, vel ad bestias damnauit, qui proinde dicti sunt Inscripti, Literati, Stigmatici, testis est Suetonius in vita Caij c. 27.

Probatur hæc expositio Primò. Nam hîc versus connectitur & pertinet ad caput præcedens, vt patet ex verbo *nunc*, idque docent Albertus, Lyranus, Pagninus, & alij; imò Pagninus hunc versum ponit vltimum capitis quarti, caput verò quintum inchoat à v. sequ. *Et tu Bethlehem Ephrata*, &c. Atqui cap. præcedenti vers. 11. vsque ad finem capitis egit de Sennacherib & castris Assyriorum, prædantibus Iudæam, & obsidentibus Ierusalem, deque eius cæde & spoliatione per Ezechiam & Iudæos, qui eius prædas & munubias in gratiarum actionem oblaturi erant Deo. Ergo cùm hæc verba illis immediatè connectantur & subiungantur, sequitur de eiusdem Sennacherib vastatione & clade hîc agi. Secundò, quia alludit Michæas partim ad Isaiæ 7. vti dixi in expositione secunda; sed quod Isaias dixit de Syris, hoc Michæas dicit de Assyrijs; vtrique enim erant vicini & congeneres, vtrique prædones Israelis: partim ad Isaiæ 10. 5. *Væ Assur virga furoris mei*, quia scilicet ipsa est filia latronis, per quam furorem meum in Israel exercebo, eumque castigabo; sed ita vt castigatione peracta, virgam in ignem proijciam, & Assyrios simili vastationi, quam Israeli intulerunt, addicam. Et ad Isaiæ cap. 33. 1. Vbi de eodem Sennacherib eiusque castris ab angelo cædendis, simili schemate & paronomasia, imò ijsdem penè verbis quibus vtitur Michæas hîc, ait Isaias: *Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis*? q.d. Væ tibi Sennacherib, quia, sicut prædatus es Iudæam, ita & tu præda eris Ezechiæ & Iudæis. *Et qui spernis* non tantùm Ezechiam, sed & Deum; *nónne & ipse sperneris*, non tantùm à Iudæis, sed & à filijs tuis, qui te obtruncabunt? *cùm consummaueris depræ dationem, deprædaberis; cùm fatigatus defieris contemnere, contemneris.* Tertiò, quia Ierusalem, etiam cùm audit tristia & minacia à Deo, solet vocari Ierusalem vel Sion, non filia latronis; sed ita vocatur Assyria, vt patet ex verbis Isaiæ iã citatis. Quartò, quia de Assyrijs mox subdit Michæas v. 5. *Et erit iste pax, cùm venerit Assyrius* in terram nostram. Et v. 6. *Et pascent terram Assur in gladio, & terram Nemrod in lanceis eius: & liberabit ab Assur, cùm venerit in terram nostram.* Quæ verba planè alludunt ad aduentum & cladem Sennacherib, suntque antistropha & exegetica eius quod hîc dicit: *Nunc vastaberis filia latronis.*

Alleg. filia latronis est Ierusalem, quæ occidit B Prophetas, ipsumque Christum, eumque reipsa alapis in maxilla percussit: quocirca obsidebitur & vastabitur à Tito & Romanis, qui proinde talionem illi reddent, eiusque iudices & principes percutient in maxilla, & ignominiosè quasi seruos & mancipia tractabunt, mulctabunt, vendẽt, occident. Vnde & Christus Ierusalem & tẽplum vocat speluncam latronum: *Domus*, inquit, *mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum*, Matth. 21. 13. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo Lyran. Clarius, Vatabl. & alij; imò ipsi censent hunc esse sensum literalem huius loci. Audi S. Hieron. *Pollicitus quidem tibi sum ô filia Sion, quòd venturum sit tempus, quo cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas æreas, & comminuta dæmonũ multitudine, offeras quidquid illi antè poßederãt Domino vniuersæ terræ: sed quia hoc tũc futurum est, quando subintrauerit Gẽtium plenitudo, & omnis Israel saluatus fuerit, nunc interim pro meritis tuis vastare, siue, vt in Hebræo habetur, cõcidere. Nequaquam enim iuxta Apostolum vocaris circumcisio, sed concisio; nec te appello filiam meam, sed latronis, qui hebraicè dicitur gedud, id est diaboli ad prædãdum semper accincti. Fecisti enim domum meam speluncam latronum, repugnasti aduersum me, & filij tui obsidionem posuerunt super me, & super Filiũ & Spiritum meum. An non contumelia Trinitatis est, quando in virga & calamo, te faciente, percussere Romani caput Iudicis Israel dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? siue quando vnus de ministris tuis percussit eum in maxillam, dicens: Sic respondes Pontifici?* Huic expositioni fauent Septuag. dum vertunt, *nunc obstruetur filia obstructione, angustiam posuit super nos: in virga percutient super maxillam tribus Israel.* q.d. Titus arctissimè obsidebit Ierusalem, eamq; obstruet & angustiabit, capiet, & percutiet in maxilla; sicut ipsa percussit Christum. ita S. Hieron. D

Alleg. filia latronis est Ierusalem occidens Christum.

Symbolicè, Arias per *filiam latronis* accipit gentilitatem, putà Romam aliasq; Gentilium vrbes, quæ Christũ & Apostolos sub Nerone, Decio, Diocletiano, &c. sunt persecutæ; sed à Constantino filia latronis, id est gẽtilitas hæc, in Christianos latrocinans, eosq; martyrijs afficiens vastabitur & euertetur, ipsaque Roma Ethnica peribit, fietq; noua Roma Christiana, imò Roma olim caput gentilissimi fiet caput christianissimi. Sic & Hebræi ac Vatabl. per *filiam latronis* accipiunt accipiunt Romam, cuius primi incolæ fuere latrones, qui eam fecerunt maleficorum asylum. Vnde Iuuenal. satyra 8.

Vt longè repetas longeq; reuoluas
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.
Maiorum primus quisquis fuit ille tuorum,
Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.

2. Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.

3. Propter hoc dabit eos vsque ad tempus, in quo parturiens pariet: & reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israel.

4. Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui: & conuertentur, quia nunc magnificabitur vsque ad terminos terræ.

VERS. 2.

ET TV BETHLEHEM EPHRATA] Est hæc illustris prophetia de Christo. Solus enim Michæas prædixit Christum in Bethlehem nasciturum, ex eoque Scribæ & Magi eum in Bethlehem quæsiuerunt, agnouerunt & adorarunt, Matth. 2.6. Sed quomodo à filia latronis, quasi ex abrupto transit Propheta ad Bethlehem? quomodo hic versus cum priori cohæret & connectitur? Vatabl. sic connectit, opponit, inquit, Ierusalem Bethlehem, q.d. Tu Ierusalem, quia filia latronis, ob latrocinia tua celebris & famosa, punieris & vastaberis: in Bethlehem autem viculo obscuro nasciturus est Christus. Præstantior ergo est Bethlehem, quàm sis tu ô Ierusalem, vrbs regia & superba.

Verùm dico, Michæam imitari Isaiam: sicut enim Isaias cap. 7. prædicit Iudæos liberandos de manu latronũ Syriæ & Assyriæ per Emmanuelem, ita idem hîc dicit Michæas. q.d. Vastabitur cœtus Sennacherib, putà castra Assyriorum; at non viribus tuis ô Ierusalem, ô Ezechia, sed viribus Christi nasciturí in Bethlehem. ita Theodor. quia enim Sennacherib totam Iudæam, ac consequenter ipsam Bethlehem populaturus est, solaque restabit Ierusalem, quam obsidebit; hinc ob Christum in Bethlehem nasciturum, eiusque præuisa merita, Deus mittet angelum qui eum cædet, eò quòd Iudæam, ac nominatim Bethlehem, quæ futura est patria Christi, violarit & spoliarit. Simili modo Isaias à Cyro auolat ad Christum cap. 45.8. dicens: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum.* Rursum sub Assyrijs solet Scriptura quoslibet tyrannos accipere antonomasticè, vti dixi Isaiæ c. 7.17. q.d. Assyrij, Persæ, Græci, Romani, alijque tyranni te ô Ierusalem oppriment, donec Christus nascatur in Bethlehem, qui ab omnibus te liberabit. Denique mysticè Assyrij significant dæmones. q.d. Vt ab Assyrijs spiritualibus, id est à dæmonibus, peccatis, morte & inferno nos liberet Christus, nascetur in Bethlehem. Hoc est quod subdit Michæas v. 3. *Propter hoc dabit eos vsque ad tempus, in quo parturiens pariet: & reliquiæ fratrum eius conuertentur*, &c. q.d. Idcirco Deus permittet Israelem affligi ab Assyrijs, id est tyrannis quibuslibet, donec in Bethlehem parturiat Christum, qui Assyrios conteret, A & reliquias è captiuitate reducat, ac ad se conuertat; vt in Christo ostendat suam misericordiam, æquè ac potentiam.

Ludit per paronomasiam Michæas in vocibus *bat gelud*, id est filia latronis, quæ percussit iudicem Israel בלחי *ballechi*, id est in maxilla, eamque opponit בית לחם *bet lechem*, id est Bethlehem, quæ est domus & filia panis. q.d. Ninive per suos Assyrios prædans & latrocinans percussit Ezechiam & Iudæos; & allegor. Ierusalem percussit Christum & Christianos in maxilla; at Bethlehem non erit prædo, nec latro, sed potiùs benefica copiosum dabit panẽ, ac Christum ipsum, qui reget Israel non vt prædo & tyrannus, sed vt rex mitis & liberalis, qui suos fideles liberabit à filia latronis, eisque dabit panem vitæ tam præsentis, quàm æternæ.

B Nota. Bethlehem hoc nomine nuncupata est partim à fertilitate loci, vti dixi Genes. 35.19. *Bethlehem* enim hebr. idem est quod domus panis, id est locus ferax frumenti, ex quo conficitur panis, æquè ac vini. Nam, vt scribit Adrichom. in Descript. terræ sanctæ: *Bethlehem sita est in monte mediocriter alto, situ ipso arcto & oblongo. Terra subiecta rerum omnium copia multum præstat, vini potissimùm, vt comparandum non sit quod ex aliis Palæstinæ locis affertur. Iter verò quod Hierosolyma euntibus Bethlehem est, vsque adeò sua amœnitate, arboribus, hortis, odoratis herbis transeuntes delectat, vt, si ad tam præclaram naturæ faciem cœlestis aliqua & digna Christiano meditatio accedat, non iam in terris sibi esse videatur, sed in paradiso Christi natiuitatem & incunabula præsentibus oculis contueri.* Partim verò dicitur Bethlehem à suo principe, qui vocatus est Bethlehem, nomenque suum vrbi à se vel erectæ & C conditæ, vel illustratæ aut dedit, aut datum confirmauit. Fuit enim Bethlehem filius Salma, filij Caleb, filij Hur, filij Iuda, vt patet 1. Paral. 2. v. 51. & 54. & c. 4. v. 4. ita Lyran. Dionys. Hugo & Abulens. ibidem, qui in illa verba 1. Paral. 2 51. *Salma patris Bethlehem: Iste*, inquit, *fuit princeps vrbis Bethlehem Iudæ, quæ prius vocabatur Ephrata*, Genes. 35.19. & Hugo: *A quo*, inquit, *dicta est Bethlehem in tribu Iuda, è qua natus est Christus.* Sic & à Castro hîc. Hinc & 1. Esdræ 2.21. filij Bethlehem, quasi patriarchæ, ingenti numero computantur, videlicet centum viginti tres: & 2. Esdræ 7.26. *Filii Bethlehem*, inquit, *& Netupha centum octoginta octo.* Quocirca tempore Mosis necdum D hæc vrbs vocabatur Bethlehem, quia necdum Moses, aut Bethlehem in eam, aut in terram sanctam erant ingressi. Quòd ergo Genes. 35. v. 19. nominatur Bethlehem, id non à Mose qui auctor est Geneseos, sed à viris Synagogæ, qui scripta Mosis digesserunt & ediderunt, factum videtur post tempora Mosis & Bethlehem. de qua re dixi plura in proœmio Geneseos.

Porrò Bethlehem distabat à Ierusalem sex milliaribus, siue sex millibus passuum, hoc est duabus leucis Gallicis, ad Meridiem. A Nazareth verò, vbi nunciante Gabriele Archangelo, conceptus & incarnatus est Christus, & ex qua B. Virgo venit in Bethlehem paritura Christum, distabat 30. leucis Gallicis, putà itinere triduano, ita Chorographi. Scribit Ven. Beda lib. de Locis sanctis cap. 8. Borchardus, Adrichom. & alij, in Orientali angulo Bethlehem esse rupem ipsi

mu-

mucro adiacentem, ab hominum turba & oculis remotam, in qua quoddam velut naturale seminarium est, quo quasi stabulo pro pecoribus vtebantur, cuius exterior pars natiuitatis Christi fuisse dicitur locus, interior Domini præsepe nominatur. Vnde S. Hieron. Origen. & alij dicunt Christum natum in specu & spelunca; vt scilicet abditissimum mysterium abdito in loco ederetur. & vt doceret nos contemnere aulas & pompas mundi. Verùm S. Helena hanc speluncam magnificentissima basilica superextructa decorauit, de qua mox plura. Ex dictis apparet spelũcam hanc non in ipsa vrbe Bethlehem sitam fuisse, sed foris in agro suburbano, iuxta muros vrbis. idque diserte docet Euseb. lib. 7. Demonstrat. Euang. c. 5. & ex eo Baron. Vnde sequitur, Christum non in vrbe natum, sed ture quasi rusticanum puerum, vt eo quasi suo ciue gratulari sibi possint rustici, ideoque cum eo dicere:

Nobis rura placent, Pallas quas condidit arces,
Ipsa colat.

Adde Christum rure natũ, hoc ipso quo in Bethlehem est natus: hæc enim respectu Ierusalem & aliarum Iudææ vrbium, erat quasi ruralis vicus & pagus, vti mox ostendam. Denique ex hac rupe miraculosè scaturiuisse fontem aquarum, ea ipsa nocte qua natus est Christus, eumque vsque ad sua tempora perduransse scribit Beda loco citato, & ex eo Baron.

EPHRATA] Bethlehem dicta est priùs *Ephrata*, partim à fertilitate terræ iam dicta, à rad. פָּרָה *para*, id est fructificauit, sicut ab eadem radice Ioseph filium suum vocauit *Ephraim*, dicens: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ*, Genes. 41. 52. Partim ab Ephrata vxore Caleb, ex qua Bethlehem natus est primogenitus: nam Caleb ex alijs vxoribus alios habuit primogenitos. ita Abulens. in 1. Paral. c. 2. & c. 4. Et patet 1. Paral. 2. 19. vbi dicitur: *Cùmque mortua fuisset Azuba* (vxor prior Caleb) *accepit Caleb vxorem Ephrata, quæ peperit ei Hur.* Rursum v. 50. *Hi erant filij Caleb, filij Hur primogeniti Ephrata, Sobal pater Cariathiarim, Salma pater Bethlehem.* Ephrata ergo fuit abauia Bethlehem: genuit enim Hur, qui fuit proauus Bethlehem. Hur enim genuit Caleb, Caleb genuit Salma, Salma genuit Bethlehem. Rabanus quem citat Hugo in 1. Paral. c. 2. & c. 4 censet Ephratam fuisse Mariam sororem Mosis, quæ postquam percussa est lepra Numer. 12. dicta sit Ephrata, id est furorẽ vidit, hoc est, iram Dei experimento cognouit. Hæc, inquit, peperit Hur, qui cum Aarone sustentabat manus Mosis orantis pro victoria, pugnante Iosue contra Amalec, Exodi 17. Ex aduerso S. Hieron. ex Iosepho censet Caleb ex Ephrata suscepisse Hur, Hur autem fuisse maritum Mariæ sororis Mosis, ac consequenter Ephrata fuisse socrum Mariæ. Verùm alij negant vtrumque, censentq; Mariam mansisse virginem. ita S. Ambros. Nyssenus & Apponius, quos citaui Exodi 15. 20.

Bethlehem ergo cognominatur *Ephrata*. q. d. Bethlehem ædificata in solo fertili, in quo habitauit Ephrata vxor Caleb, vel certè eius posteri. Dicta est quoque Bethlehem Iudæ, ad distinctionem alterius Bethlehem quæ erat in tribu Zabulon, Iosue 19. 10. Tertiò, dicta est Bethlehem Caleb, qui fuit maritus Ephrata: nam 1. Paral. 2. 24 in Hebr. habetur: *Et post mortem Hesron*

Cornel. in Proph. Min.

A *in Caleb Ephrata.* Quartò, dicta est ciuitas Dauid, quia in ea natus est Dauid. Ab Ephrata dicti sunt Ephratæi. Sic Dauid 1. Reg. 17. 12. vocatur *filius Ephratæi de Bethlehem Iudæ*, ac Machalon & Chelion filij Noëmi vocantur *Ephratæi de Bethlehem Iudæ*, Ruth 1. 2. Vnde videtur quòd tota illa regio fertilis, vocata sit Ephrata, in qua vrbs ædificata dicta est Bethlehem Ephrata, vel Iudæ.

Mysticè, aliter S. Hieron. *Ephrata*, inquit, quæ *Mysticè.*
interpretatur furor, significat Herodis insaniam, qui ibidem furens odio in Christum, propter eũ omnes occidit infantes. Mox tamen S. Hieron. *Ephrata* quoque interpretatur fertilem, vt respõdeat Bethlehem, id est domui panis. Priorem interpretationem sequitur S. Ambros. enarr. 1. in Michæam, sub finẽ tom. 2. Alloquens enim peccatorem, *Nemo*, inquit, *de remedio diffidat: ecce tibi*
B *vbi domus furorem videntis erat, ibi domus panis est: vbi crudelitas, ibi pietas: vbi pœna innocentium, ibi vniuersorum redemptio. sicut scriptum est, Et tu Bethlehem domus Ephrata, non es minima inter principes Iuda: ex te enim exibit princeps in Israel. Bethlehem domus panis est, Ephrata domus furorem videntis. In Bethlehem natus est de Maria Christus: eadem autem Bethlehem quæ Ephrata. In domo igitur furoris generatus est Christus, & ideo iam non domus furoris, sed domus panis: quia panem recepit eum, qui descẽdit de cælo. Domus autem furorem videntis Ephrata, quia illic Herodes dum Christum requirit, perimi statuit infantulos. Sed iam nemo timeat, quia requies illa quam quærebat Dauid, audita est in Ephrata, inuenta est in campis silua. Tunc adhuc silua erat nationum congregatio; sed posteaquam in Christum credidit,*
C *fructuosa facta est: quia benedicti ventris fructum recepit.* Subdit deinde aliam analogiam. *Mortua est ergo Rachel parturiens, quia iam tunc quasi patriarcha vxor furorem Herodis videbat, qui nec minusculæ ætati pepercit. Simulq; in Ephrata peperit Beniamin specie superiorem, mysterio posteriorem, Paulum scilicet, qui antequam generaretur non minimos dolores matri præstitit, cuius filios persequebatur. Et illic mortua & sepulta est, vt nos commortui & consepulti cum Christo, in Ecclesia resurgamus. Inde enim alia interpretatione vel fœcundata, vel fructibus repleta Ephrata significatur. Et in pauciori bus est, quia pauci sunt qui intrant in domum panis per angustam viam. Et non est in pauciori bus, id est de proficientibus, quæ Christum non agnouit. Nec minima est, quæ est domus benedictionis, & diuinæ gratiæ receptaculum: & in eo*
D *minima, cui is qui aliquid confert, Christo videtur deferre. Et qui appetit Ecclesiam, Christum appetit. In quouis minimo enim Christus aut læditur, aut honoratur; secundùm quod ipse ait: Quod enim vni horum minimorum fecistis, mihi fecistis.*

PARVVLVS ES] Hebr. צָעִיר *tsair*, id est paruus, adolescentulus es, Septuag. *minima es.* Dices S. Matth. c. 2. 6. contrariè vertit, scilicet, *nequaquam minima es.* Primò, Osiander Lutheranus, *tsair* transfert *parum*: vnde vertit, *heus tu Bethlehem Ephrata, parum es vt sis inter chiliadas Iuda.* quod idem in re est cum eo quod habet S. Matth. *Nequaquam minima es in principibus Iuda.* Verùm errat: nam *tsair* est nomẽ, non aduerbiũ, & paruum significat, nõ parum. Secundò, Clarius, Mariana & Iansen. in Matth. 2. legunt per interrogationẽ, *paruulus es in millibus Iuda?* q. d. Nequaquam; & ita legũt Biblia Gothica S. Isidori. Verùm Biblia Romana, & alia Latina carent hac nota interro-

rogationis. Dico ergo, hîc apud Michæam tacitè aduersatiuam particulam *sed*, ex nexu sermonis subintelligi, æquè ac eadem subintelligitur psalm.118.v 141.& 157. & alibi. q.d.O Bethlehem,minima quidem es si muros, si domos, si ciues,si ambitum,si celebritatem consideres;sed tamè nequaquam minima es, si principes à te vel datos, vel dandos spectes: dedisti enim Dauidem, dabis Christum. Id significant Hebr.quæ ad verbum sic habent, *Et tu Bethlehem Ephrata, paruulus es ad essendum in millibus Iuda*, attamen *ex te mihi egredietur ad essendum dominator in Israel.* q.d.Paruula es quoad locum; minor enim es quàm vt computeris & adæqueris alijs magnis ciuitatibus Iuda; verùm quoad dominatorem à te dandum,non es parua, sed magna. Vnde Tigurina & Vatabl.vertunt, *paruula quidem es inter chiliarchias Iuda:ex te autem prodibit mihi, qui dominator sit in Israel.* ita S.Hieron. Theodor.Remig.Albert.Lyran.Arias & alij passim. Et S.Nazianz.orat.19. *Nulla res*, ait, *prohibuit quo minùs Bethlehem simul & parua ciuitas esset, & totius terræ metropolis:vtpote Christi parens & nutrix.* Vnde Arabicus Antiochenus vertit, *& tu Bethlehem vrbs* (vicus) *parua non eris in millibus Iuda; quia ex te egredietur dominator super Israel;* & Arabicus Alex. *& tu Bethlehem Ephrata,non humilis in millibus Iuda; quia ex te egredietur caput super Israel, & dies eius inde à diebus æternis;* & Syrus, *tu autem Bethlehem Ephrata, paruula es quæ sis* (vt sis) *in millibus Iuda; ex te egredietur dominator qui erit* (vt sit) *super Israel, & egressus eius à principio à diebus sæculi: nunc tradet eos vsq; ad tempus quo pariet pariens.* Et Prudentius in hymno Epiphan.

O sola magnarum vrbium
Maior Bethlehem, cui contigit
Ducem salutis cælitus
Incorporatum gignere.
Quem stella, quæ solis rotam
Vincit decore ac lumine,
Venisse terris nunciat,
Cum carne terrestri Deum.

Porrò quòd aliqui apud S.Hieronymum dicunt S.Matthæum memoria lapsum, vt pro *minima es*, scripserit *nequaquam minima es*, impium est dicere: nec enim S.Matthæus ex se hæc scripsit, sed ex dictamine & instinctu Spiritus sancti. Probabilius est Septuag. quos sequi solent Euangelistæ, vertisse, *nequaquam minima es*, eosque secutum esse S.Matthæum. Nam ita ex Septuag.legunt Theodor.Origen.l.1.contra Celsum, Cyprian.2.Testimon.c 12 Euseb.l.6.Demonst.c.15. Ambros.l.5.epist.1.Augustl.18.de Ciuit.c.30.licet Biblia Regia,Complut.Vatican.& S.Hieron. in Septuag legant *minima es*.

Bethlehem vrbs vocatur hîc *paruula* masculinè,non *paruula*. Quæres cur? Primò, Iansen.in Matth.2.respondet subintelligi *vicum*. q.d.Et tu Bethlehē,qui paruulus es vicus: vicus enim hebr. masculinè vocatur פֶּלֶךְ *pelech*, vel שׁוּק *suc*, vel חוּץ *chuts*. Alij intelligunt populus; ex populo enim Bethlehem natus est Christus. Sic *Israel* & *Iuda* passim apud Prophetas sumuntur masculinè,quia intelligitur עַם *am*,id est populus. Tertiò, Ribera censet causam esse, quòd Hebræi per metaphoram vrbes vocent homines;vnde vocatur *filia Sion, filia Babylonis*,&c. Verùm vrbes solent comparari feminis, non viris; quia pulchræ sunt, ornatæ & pomposæ vt matronæ, vel filiæ splendidè vestitæ.Cur ergo Bethlehem hîc comparatur viro, vel iuueni, & vocatur *tsair*, id est paruus? Respondeo, quia respicit ad virum Bethlehem, qui vrbis Bethlehem conditor fuit, vel princeps,vti iam ostendi. Itaque metonymicè loquitur de vrbe, in nomine & persona sui principis; quia eam comparat cum millibus, & principibus Iuda. Hinc quia Iudas vir erat, tribusque Iuda à virili robore & imperio celebris, idcirco Bethlehem, quæ erat tribus Iuda,inducit quasi iuuenem fortem, qui compararetur & certet cum alijs viris suæ tribus, putà cum principibus Iuda. q.d. O Bethlehem princeps vrbis Bethlehem,nequaquam minimus es in principibus Iuda: quia ex tua vrbe Bethlehem, tuisque posteris,nascetur Christus.Est metonymia:princeps enim capitur pro vrbe, quam incolit & regit.Similis est illa Virgilij: *Iam proximus ardet Vcalegon*,id est Vcalegontis domus.Hæc expositio confirmatur Primò,ex Septuag.καὶ σὺ οἶκος τοῦ Βηθλεεμ ὁ Εὐφραθᾶ, id est, *& tu domus Bethleem filij Ephratæ*. Vbi ârticulus τοῦ masculinus indicat virum Bethleem, qui nomen dedit vrbi Bethlehem. Sic Niniue à Nino conditore vocatur sæpè Ninus. Secundò, ex simili loco Iosue 14.15. vbi de Hebron, quæ priùs vocabatur *Cariat arbe*, id est ciuitas Arbe gigantis, dicitur: *Adam maximus ibi inter Enacim situs est*; pro quo Septuag.vertunt, *metropolis vrbium Enacim ipsa*; vbi Cariat Arbe vrbs, vocatur *Adam*, id est homo maximus, id est metropolis vrbiū,quas occupabant Enacim siue gigantes, vt vertunt Septuag. Quia enim gigantes erant viri magni & bellicosi, hinc pariter vrbs & metropolis eorum vocatur nomine *Adam*, & viri, non feminæ. Sic hîc Bethlehem, quia virilis fuit, & summos viros protulit, nimirum Bethlehem, Iesse, Dauidem, & præsertim Christum; hinc comparatur viro, non feminæ. Hoc est enim quod subdit: *Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*, vir vtique non femina, quem proinde decet à te quasi à viro progigni. Addit Sanchez, Bethlehem addi epithetum masculinum, quia etymo & terminatione est masculinum, esto significatione sit femininum. Conflatur enim ex *bet* & *lechem*, id est *domus panis*, quæ Hebræis sunt nomina masculina. Sic Toletum, Louanium, Leodium, Gandauum, terminatione sunt neutra; Parisij, Burgi, masculina. Sic Ouidius Lesbum, & Virgil.Abydum vsurpat masculinè. Ouidius 11.Metam.

Et Mitylenæi tentantur littora Lesbi.

Virgil.1.Georg.

Pontus & ostriferi fauces tentantur Abydi.

Symbol. paruitatem & magnitudinem Bethlehem, & pueri Bethlehemitici Christi Domini, in se repræsentauit Michæas: fuit enim ipse ipsa magnus Propheta, sed nomine paruus. Hebr. enim *Micha*,id est Michæas, decurtatum & abbreuiatum est ex *Michaia*, vel *Michaiahu*. Vnde Pagnin.in Nomin. Hebr.censet Michæam Prophetam qui Achab regi mortem intentauit, ab eo per contemptum vocari *Micha* (sic enim est in Hebræo 3.Regum 22.8.) pro *Michaiahu*:hoc enim fuit proprium & plenum eius nomen. Simili modo Iudæi pro *Iesua* vel *Iehosua*, decurtatè ad vilipendium & contemptum nostri Christi,

Christi.hebr.scribūt *Iesu*. Sic Gen.23.16.Ephron A postquam vendidit sepulchrum,vocatur *Ephran*, demptâ literâ *vau*. Et Ierem.c.22.24. impius rex Iechonias diminutè vocatur *Conias* in Hebræo: sicuti Flandri viles homines qui vocantur *Iohannes*, decurtatè & per contemptum vocant *Hennen*,& *Sebastianos*,*Bastiaen*; *Antonios*,*Tonen*. Sic & Itali, Hispani,Galli aliæque gentes. Hinc *Micha* hebr.idem est quod *quis tu* ? idem scilicet quod *Matthias*,qui vltimus & posthumus, ideoque minimus fuit Apostolorum. *Matthias* enim idem est quod מִי אַתָּה *mi atta*, id est *quis tu*? Idem significat מִיכָה *micha*. Nam *atta*,id est *tu*, cùm est affixum,vti hîc est,mutatur in *cha*. Michæas ergo inter Prophetas fuit, quod Matthias inter Apostolos. Scio alia quoque horum nominum esse etyma & significata;sed illa ad rem præsentem non faciunt.

B In millibvs Ivda] Ex Hebræo & Chaldæo duplex potest esse sensus. Prior, paruulus es,id est minor es, quàm vt numerari debeas in millibus Iuda.Posterior,adeò paruus es, vt non inter ciuitates illustres Iuda quæ paucæ sunt,sed inter millia viculorum & pagorum, qui sunt in Iuda, recēsendus sis.ita Arias. Verùm prior sensus magis conuenit Hebræo , præsertim quia per antithesin Bethlehem opponit millibus Iuda. ita S. Hieron.Haymo.Remig.Rupert.Hugo,Lyranus, Dionys.Clarius & alij.

Nota. Pro *millibus* hebr. est אַלְפֵּי *alaphim*, quod Primò,millia significat; Secundò,principes; vnde S.Matth.c.2.habet:*In principibus Iuda*; Tertiò,chiliarchias. Iuxta primum significatum sensus erit: O Bethlehem, vix paruus es viculus, C & minor quàm vt inter ciuitates Iuda magnas & celebres , quæ multis ciuium millibus abundant,caput efferas aut computeris; sed esto multitudine sis minima,dignitate tamen es maxima: quia gignes Christum.ita S.Hieron.& alij iam citati. Iuxta secundum sensus erit, q.d.O Bethlehem,parua es, imò minima si spatium tuum spectes,inter principes, scilicet vrbes, vel etiam homines Iuda:minima enim es & loco, & prouētu principum præteritorum;quia paucos Iudæ dedisti principes : at nequaquam minima es inter principes Iuda , si dominatorē ex te egressurum, putà Messiam,consideres.Iuxta tertium sensus erit:O Bethlehē,si ciues tuos numeres,parua es inter chiliarchias Iuda;imò tribunum siue chiliarcham, qui mille ciuibus præsit, non mereris, eò quòd vix mille ciues numeres: sed tamē nequaquam parua es, si Christum ex te nasciturum intueare. Hic enim non tantùm erit chiliarcha;sed omnium Israelitarum, imò omnium hominū & angelorū dominus. Nota.Populus Israel à Mose distributus erat in chiliadas , vt patet Exodi 18. 25. sicut modò castra distribuuntur in chiliadas, vt quælibet chilias cōtineat mille milites, quibus præsit chiliarcha siue tribunus.Vrbes ergo Israelis distributæ erant per chiliades , id est per cœtus & tribus, quarum quælibet continebat mille ciues. Hinc Gedeon Iudic.6. 75. ait angelo in Hebr.אַלְפִּי *alphi*,id est *chilias mea tenuissima* omnium chiliadum quæ sunt *in Manasse*. *Chilias*, id est tribus millenaria,cui familia mea accensetur. Vnde Noster clarè vertit, *ecce familia mea infima est in Manasse*.

Cornel.in Proph.Min.

Ex te mihi egredietvr] Nota. Aliqui τὸ *mihi* referunt ad Michæam,eò quòd ipse v.præcedenti dixerit:*Posuerunt super nos*, &c. Vnde videtur ipse in sua suorumque persona loqui,q.d. Mihi Michææ meæque genti, adeoq; toti mundo nascetur Christus. ita à Castro. Verùm sic potiùs dixisset *nobis* , quomodò dixit Isaias c.9. 6.*Paruulus natus est nobis*. Quare meliùs Remigius, Haymo, Albert.Vatabl.& alij τὸ *mihi* referunt ad Deum,& ad Patrem æternum.In eius enim persona loquitur Propheta : subintelliguntur ergo hæc verba , quæ de more suis oraculis præfigere solēt Prophetæ; aut,si non præfigunt, ea subintelligunt:*Hæc dicit Dominus*. q.d.Hæc dicit Dominus, ex te ô Bethlehē egredietur Christus mihi,id est ad meum obsequium, laudem & gloriam; vt scilicet meum nomen in Israel, imò B in toto orbe celebret,omnesq; gentes mihi subijciat & reconciliet. Rursum vt *mihi*, id est pro me,& vice mea dominator sit & rector in Israel; vt scilicet pro me instituat & regat meam Ecclesiam fidelium.Sic ait Apostolus Roman.1.3. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*. Dices, v.4.loquitur Michæas de Deo in tertia persona;ergo hîc non loquitur de eo in prima, dicēs *mihi*.Resp.In Prophetis crebræ sunt enallagæ & mutationes personarum, loquuntur enim instar dialogismi : in dialogis autem aliæ & aliæ introducuntur personæ.

Præclarè Nazianz.orat.38.in Christi natiuitatē sic orditur: *Christus gignitur: glorificate.Christus è cælis:obuiàm prodite.Christus in terra: subuehimini:cantate Domino omnis terra. Atque vt hæc duo in vnum contraham,lætentur cæli, & exultet terra propter cælestem, ac postea terrestrem. Christus in carne:* C *tremore & gaudio exultate; tremore,propter peccatū; gaudio,propter spē. Christus ex Virgine: mulieres virginitatem colite,vt Christi matres sitis. Quis eum,qui à principio est,non adorat? Quis eum, qui postremus est,non laudat ac celebrat?* Et inferiùs. *Clamet Iohannes: Parate viam Domini: ego quoque diei huius vim ac potentiam clamabo : Carnis expers incarnatur: Verbum crassescit: inuisibilis cernitur: intactilis tangitur:tempore vacans initium sumit:Dei filius hominis filius efficitur.Iesus Christus heri, & hodie, idē & in sæcula. Iudæi offendantur, Græci derideant,hæretici linguæ prurigine afficiantur. Tum credent,cùm in cælum ascendentem viderint : quòd sine tum quidem,at certè cùm è cælo descendentem, atque vt iudicem sedentem.* Ac recensitis mundi tenebris,vitijs D & ęrumnis, subdit: *Quæ quoniam maius auxilium requirebant,maius etiam acceperunt.Hoc autem erat ipse Dei filius, ille sæculis antiquior, ille inuisibilis,ille incomprehensibilis, ille incorporeus, illud ex principio principium , illud ex lumine lumen, ille fons vitæ & immortalitatis, illa archetypi expressio, illud immotum sigillum,illa per omnia similis imago, ille Patris terminus & ratio : ille inquam ad imaginem suam se confert, & carnem ob carnem gerit, & cum intellectuali anima propter animam meam iungitur, vt simile per simile repurget. Atque humana omnia excepto peccato suscipit, conceptus quidem ex Virgine animo & corpore à Spiritu præpurgata(nam & procreationem honore affici,& virginitatem præferri oportebat:)progressus autem Deus cum humanitate, vnum ex duobus inter se contrarijs,carne nimirum & spiritu, quorum alterum deificauit, alterum deificatum est.O nouam mixtionem!O admirandam temperatio-*

nem! Qui est, fit: qui creatus non est, creatur: qui nullo loco contineri potest, per interuentum animæ intellectualis, inter diuinitatem & carnis crassitiem continetur. Qui locupletes alios ditat, paupertate afficitur: carnis enim meæ paupertatem subit, vt ego diuinitatis ipsius opes consequar. Qui plenus est, exinanitur: sua enim gloria ad breue tempus exinanitur, vt ego plenitudinis ipsius particeps efficiar. Quænam hæ bonitatis diuitiæ? quodnam me circumstat mysterium? Diuinam imaginem accepi, nec custodiui: ille carnis meæ particeps fit, vt & imagini saluti, & carni immortalitatem asserat: secundum consortium nobiscum init, & quidem priori longè admirabilius. Tum enim id quod præstantius erat, nobis impertijt: at nunc ipse eius quod deterius est, particeps efficitur. Hoc priori illo diuinius: hoc apud cordatos & prudentes viros multò sublimius. Ac deinde ostendit non indignam, sed dignam fuisse Verbo hanc sui demissionem, tum vt homines in imum delapsos eleuaret, tum vt quasi medicus immensa misericordia ad ægrum curandum descenderet, tum vt nobis optimum *ad sublimitatem iter humilitatem ostenderet. Quia propter humi inclinatam animam*, inquit, *se deiecit, vt ob peccatum deorsum vergentem secum erigat: nisi quis fortè eo nomine medicum accuset, quòd ad morbum se inclinet, fœtoremq; sustineat, vt sanitatem ægrotis donet: atque eum etiam qui humanitatis & commiserationis affectu permotus in foueam se ipsum demittit, vt prolapsum iumentum iuxta legis præscriptum seruet.* Idem in Sententijs: *Patris Verbum*, ait, *est homo noster, vt huiusmodi mixtione Deum hominibus misceat. Vnus vtrimque Deus est, hactenus homo effectus, vt nos ex mortali Deum efficiat.*

A *lehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel*, Matt. 2. 6. Et rursum. *Nónne Scriptura dicit: quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, vbi erat Dauid, venit Christus?* Iohan. 7. 42. Vnde patet communem sensum olim Synagogæ fuisse, & nunc esse Ecclesiæ, quòd hic locus intelligendus sit de Christo: nullus enim alius Propheta prædixit locum natiuitatis Christi fore Bethlehem, nisi Michæas hic.

Addej, quòd S. Matthæus & Lucas Euangelistæ, dum referunt hoc Scribarum responsum, de Christo nascituro in Bethlehem, illud ipsum approbant; imò ideo referunt, vt doceant impletum fuisse in Christo illud signum Messiæ, quod inter Iudæos communi omnium confessione erat receptum, eò quòd in Scriptura esset expressum, vt solerter aduertit Franc. Suarez 3. p. q 35. disp. 13. sect. 3.

B

Nota. Illustre hoc oraculum, ex quo Magi cognouerunt locum natiuitatis Christi, ipsumq; Christum, editum fuit à Michæa sub Ezechiæ rege, post vastatam Samariam, antequam Ierusalē obsideretur à Sennacherib, vt patet ex dictis v. 10. & c. 3. 10. Editum est ergo sub annū 9. vel 10. Ezechiæ: nam excidium Samariæ contigit anno 6. Ezechiæ, obsidio Ierusalem per Sennacherib anno 14. Ezechiæ: intermedio autē tempore editum est hoc oraculum. Vnde sequitur, Michæam illud edidisse circiter viginti duobus annis post illud Isaiæ, de eodē Christi ortu, vaticinium c. 7. 14. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Hoc enim edidit Isaias anno 4. Achaz, vt ibidem ostendi: Achaz autem regnauit 16. annis. Huic successit filius Ezechias, cuius circiter anno 10. hæc vaticinatus est Michæas. Quare cùm Isaias hoc suum oraculum de Christo ediderit anno mundi 3207. ante Christum verò anno 742. sequitur Michæam suum hoc de Christo in Bethlehē nascituro oraculum edidisse anno mundi circiter 3229. ante Christum verò anno 720. Sub quod tēpus floruit Sibylla Erythræa, cuius de Christi natiuitate, iudicio & resurrectione versus recensēt S. Augustinus l. 18. de Ciuit. c. 23.

C

Nota Secundò. Ex Bethlehē prodierunt plures principes & viri illustres. Primus fuit Abessan iudex, id est princeps, Israelis, qui habuit triginta filios & totidē filias, Iudic. 12. 8. Secundus Elimelech maritus Noëmi; cuius filio nupsit Ruth, & eo mortuo nupsit Booz, ex quo genuit Obed patrē Iesse; ex quo natus est Dauid, vt patet ex libro Ruth. Tertius Dauid rex, à quo tota familia regum Israel & Iuda descendit, vsq; ad vltimum regē Sedeciam. Fuit ergo Bethlehem totius regij & Dauidicæ stirpis seminarium, & communis patria: cùm par esset eam, quæ Regē cælorum editura erat, iam antè se probare tot heroibus, illisq; ei præludere, vt tandem vel hominum iudicio digna hæc patria cēseretur, quę extremo virtutis opere edito, aliquid super heroas & homines omnes, putà ipsum Dei filium, mundo exhiberet adorandum. Insuper Samuel in Bethlehem Dauidē fratrum minimum vnxit in regē, 1. Reg. 16. Hinc Bethlehem vocatur *ciuitas Dauid*. Hinc & Roboam Dauidis ex Salomone nepos Bethleheminstaurauit, nouisq́ue domibus & muris exædificauit, 2. Paral. 11. 6.

D

Quæ-

Secundò. Theodorus Mopsuestenus hæreticus cum suis discipulis & asseclis quos multos habuit, per *dominatorem* hunc accipiebat Zorobabel; sed æquè peruersè. Nam Zorobabel natus fuit in Babylone, non in Bethlehem; indeque hebr. dictus est *Zerobabel*, quasi זֶרַע בָּבֶל *babel zera*, id est *semen*, hoc est filius, *Babylonis*. Nam Iechonias in Babylone genuit Salatiel, Salatiel genuit Zorobabel, Matth. 1. 12. qui post 70. annos captiuitatis Iudæos è Babylone in Iudæam, permittente Cyro, reduxit. Adde, Zorobabel non fuit dominator, id est rex, in Israel; multò minùs egressus eius fuit à diebus æternitatis. Quocirca hanc explicationem cum alijs eiusdem similibus, vt Iudaicam & erroneam damnat Concil. Constantinopol. generale, ordine quintum, act. 2. & Concil. Roman. sub Vigilio, vti dixi in proœmio.

QVI SIT DOMINATOR IN ISRAEL] Primò, Iudæi apud Lyran. per hunc *dominatorem* accipiūt Ezechiam; sed perperam. Ezechias enim natus est rex in regia vrbe, putà in Ierusalem, non in Bethlehem. Adde, iam natus erat Ezechias, cùm hūc dominatorē nascīturum prædixit Michæas. Sub Ezechia enim habuit hoc oraculum, vti dixi initio capitis, & c. 3. 8.

Dico ergo, certum est de fide *dominatorem* hunc esse Christum. Ita Orthodoxi omnes Græci Latini & Hebræi apud Galat. l. 4. c. 13. vnde & Chald. expressè vertit, *ex te corā me prodibit Christus*. Sic & olim nascente Christo, rogati Scribæ à Magis & Herode, vbi Christus nascerētur? responderunt: *In Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est per Prophetam* (Michæam hoc loco) *Et tu Beth-*

Quæres, cur in Bethlehem potiùs, quã Romæ, vel Hierosolymæ, vel alio in loco nasci voluit Christus? Resp. Primò, vt Bethlehem demonstraret Christum esse filium Dauidis Bethlehemitæ, cui à Deo promissus fuerat, ac proinde ipsum esse verum Messiam. Hanc causam indicat S. Lucas c. 2. dicens: *Eò quòd esset de domo & familia Dauid.* Secundò, vt in loco humili nascens, magis ostenderet potestatem suam, qua ad regnum se prouexit, iuxta illud 1. Cor. 1. *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi,* &c. Tertiò, quia Bethlehem erat via in Ierusalẽ: decuit autẽ Christum in via & peregrinatione nasci, quia, vt ait S. Gregor. *per humanitatem quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur.* Quartò, vt hac sua paupere & humili natiuitate mereretur nobis sublimem natiuitatem per gratiam & gloriã, celsumque locum in cælis; atque *per egestatem suam nobis multas mansiones in domo Patris sui præpararet,* ait V. Beda in Lucæ c. 2.

Tropol. Primò, quia, vti Christus humilitatem & paupertatem elegit & docuit, ac superbiam & fastum confutauit, ita humilem & pauperem patriam, putà Bethlehem, similemq; nascendi modum elegit. Vnde S. Leo serm. 1. de Epiph. *Qui, ait, serui susceperat formam, Bethlehem præelegit natiuitati, Hierosolymam passioni.* Christus ergo nascens, ex præsepio quasi è cathedra, non voce, sed facto concionatur & clamat: Filij hominum vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? discite à me palatia, opes, delicias, fastum, pompas mundi contemnere: nam vanitas vanitatum sunt, & omnia vanitas. Discite à me, quia pauper sum, & humilis corde: discite cor figere in cælo, ambire opes & honores cæleſtes. Sedebat in celso imperij Romani culmine & throno Augustus, iacebat in humili stabulo Christus: at celsior in stabulo Christus, quàm in culmine imperij Augustus. Vnde S. Bernard. serm. 3. de Natiuit. Aut Christus, inquit, fallitur, aut mundus erra: (etenim diuersa ac repugnantia docent) sed etiamsi falli impossibile est Sapientiam: errat ergo mundus, errant omnes mundi sectatores, iuxta illud psalmi: *Dixi, Semper hi errant corde.* Et S. Augustin. serm. 18. de Tempore, qui est de Natiuit. *Omnis, ait, huius natiuitatis schola, humilitatis est officina.* Secundò, Bethlehem hebr. significat domum panis: repræsentat ergo Christum, qui mundi est panis, & manna de cælo descendens. ita S. Hieron. Audi S. Gregor. homil. 8. in Euangel. *Bene in Bethlehem nascitur Christus. Ipse est enim qui ait: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendit. Item locus in quo Dominus nascitur, domus panis antea vocatus est: quia futurum erat, vt ille per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret.* Bethlehem ergo fuit Ephrata, id est frugifera, & totius terræ horreum: quia ab ea totus orbis panem, non septem annorum, vti Ægyptij à Ioseph, Genes. 41. v. 36. & 55. sed vitæ æternæ, qui est Christus, accepit.

De Homeri natali solo certant septem nobiles Græciæ vrbes, singulæque eum sibi ciuem arrogare conantur: quàm ergo gloriosa Bethlehem, quæ omnium consensu & confessione, toti orbi dedit Messiam; putà Deum hominem natum! in qua Christus in mundum prodiens, primò lucẽ, cælum & solum hoc aspexit: vtique Bethlehem omnes regias, omnes metropoles, omnia orbis emporia nobilitate æquè ac sanctitate vincit. Longè enim magis eam sua natiuitate celebrauit Christus, quàm Aristoteles suam Stagiram, Cato Tusculum, Cicero suos Arpinates.

Quocirca Patres miris laudibus & encomijs Bethlehem celebrant. Hæc ad se ex Occidente traxit S. Hieronymũ, S. Paulam, S. Eustochium, & innumeras nobilium matronarum ac virorum turmas, quæ Bethlehem Romæ prætulerunt, ibique ad præsepe Christi viuere & mori delegerunt: qua de causa S. Paula ibidem tria feminarum, quibus ipsa præerat, monasteria; & vnum virorum, cui præerat S. Hieronymus, exædificauit. Audi S. Hieron. de S. Paula, in eius vita: *Atque in Bethlehem ingressa, & in specum Saluatoris introiens, postquam vidit sacrum Virginis diuersorium & stabulum, in quo agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, vt illud impleretur quod in eodem Propheta scriptum est, Beatus qui seminat super aquas, vbi bos & asinus calcant; me audiente iurabat, cernere se oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepi, Dominum Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, matrem virginem, nutricium sedulum, pastores nocte venientes, vt viderent Verbum quod factum erat, & iam tunc Euangelistæ Iohannis principium dedicarent: In principio erat Verbum, & Verbum caro factum est. paruulos interfectos, Herodem sæuientem, Ioseph & Mariam fugientes in Aegyptum. mixtisq; gaudio lacrymis loquebatur: Salue Bethlehem, domus panis, in qua natus est ille panis, qui de cælo descendit: salue Ephrata regio vberrima, atque καρποφόρε, cuius fertilitas Deus est.* Citat deinde hoc Michææ oraculum: *De te quondam Michæas vaticinatus est: Et tu Bethlehem domus Ephrata, non minima es in millibus Iuda. Ex te mihi egredietur, qui sit princeps in Israel, & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Propterea dabit eos vsque ad tempus parientis. Pariet, & reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israel. In te enim natus est princeps, qui ante luciferum genitus est, cuius de Patre natiuitas omnem excedit ætatem. Et tamdiu in te Dauidici generis origo permansit, donec virgo pareret.* Et inferiùs: *Bene Dauid iurabat, bene vota faciebat dicens: Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum stratí mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis; donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob. Et statim quid desideraret exposuit, atque oculis prophetalibus, quem nos venisse iam credimus, ille venturũ esse cernebat: Ecce audiuimus eum in Ephrata, inuenimus eum in campis siluæ: quippe sermo Hebraicus,* (hebr. enim est *vau cholem,* id est *eius* masculinè) *vt te docente didici, non Mariam matrem Domini, hoc est ἔνυτον, sed ipsum, id est ἐνυτὸν, significat. Vnde loquitur confidenter: Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius. Et ego misera atque peccatrix, digna sum iudicata deosculari præsepe in quo Dominus paruulus vagit: orare in spelunca, in qua virgo puerpera Dominum fudit infantem? Hac requies mea, quia Domini mei patria est: his habitabo, quoniam Saluator elegit eam. Paraui lucernam Christo meo, anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi. Haud procul inde descẽdit ad turrim Eder, id est gregis, iuxta quam Iacob pauit greges suos, & pastores nocte vigilantes audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo, & super terram pax hominibus bonæ voluntatis. dumq; seruant oues, inuenerunt agnũ Dei,*

S. Paula cũ Bethlehem dissuadetur.

puro & mundissimo vellere, quod in ariditate totius terræ cælesti rore complutum est: & cuius sanguis tulit peccata mundi, & exterminatorem Ægypti litus in postibus fugauit. Idem S. Hieron. nomine S. Paulæ & Eustochij, S. Marcellam in Bethlehem inuitans epist. 17. *Quo sermone,* ait, *qua voce speluncam tibi possumus Saluatoris exponere? Et illud præsepe, in quo infantulus vagijt, silentio magis, quàm infimo sermone honorandum est. Vbi sunt latæ porticus? vbi aurata laquearia? vbi domus miserorum pœnis & damnatorum labore vestita? vbi instar palatij opibus priuatorum extructa basilica, vt vile corpusculum hominis pretiosius inambulet, & quasi mundo quidquã possit esse ornatius, tecta magis sua velint aspicere, quàm cælum? Ecce in hoc paruo terræ foramine cælorum conditor natus est: hic inuolutus pannis, hic visus à Pastoribus, hic demonstratus à stella, hic adoratus à Magis. Et hic puto locus sanctior est Tarpeia rupe, quæ de cælo sæpius fulminata, ostendit quòd Domino displiceret. Et tunc comitante Christo, cùm per Silo, & Bethel, & cætera loca, in quibus Ecclesiæ quasi quædam victoriarum Domini sunt erecta vexilla, ad nostram speluncam redierimus; canemus iugiter, crebrò flebimus, indesinenter orabimus, & vulnerata iaculo Saluatoris in commune dicemus: Inueni quem quæsiuit anima mea, tenebo eum, & non dimittam illum.* Vide eumdem epist. 18. ad eamdem Marcellam.

Porrò in Bethlehem mortua & sepulta est S. Paula, cùm ibidem sanctè & religiosè vixisset viginti annos, cui S. Hieron. hoc epitaphium posuit:

Scipio quam genuit, Pauli fudère parentes,
Gracchorum soboles, Agamemnonis inclyta proles,
Hoc iacet in tumulo, Paulam dixere priores,
Eustochij genitrix, Romani prima senatus:
Pauperiem Christi, & Bethlemitica rura secuta.

S. Cyprian. Audi S. Cyprian. tract. de natiuit. Christi: *Veniunt in Bethlehem; quem prædixit Gabriel, inuenitur Emmanuel: ciuitas parua, domus paupercula, supellex exigua: nulla domus ambitio, nisi reclinatorium in stabulo: mater in fœno, filius in præsepio. Tale elegit fabricator mundi hospitium, huiusmodi habuit delicias sacræ Virginis puerperium. Panniculi pro purpura, pro byssо in ornatu regio lacinia congeruntur: genitrix est obstetrix. & deuotam dilecta soboli exhibet clientelam; attrectat, amplectitur, iungit oscula, porrigit mammam, totum negotium plenum gaudio: nullus dolus, nulla natura contumelia in puerperio. Pediseguas substantia familiaris non patitur, mancipiorum obsequia sumptus tenuis, & inops mensa excludit.*

Porrò in Bethlehem apparuit stetitque stella apparens Magis, qui eius indicio ibidem Christum agnouerunt, ac ibidem eum adorantes eidem

Aurum, thus, myrrham, regiq;, hominiq;, Deoq;
Dona ferunt.

Prudentij. vt canit Iuuencus. Quocirca Prudentius in Carm. de Epiphania ita eamdem celebrat:

O sola magnarum vrbium
Maior Bethlehem, cui contigit
Ducem salutis cælitus
Incorporatum gignere.
Quem stella, quæ solis rotam
Vincit decore ac lumine,
Venisse terris nunciat,
Cum carne terrestri Deum, &c.

Bethlehem ergo est *mundi oriens, & orbis metropolis,* vt ait Nazianz. orat. 19. ac domus panis, in qua Christus panis è cælo oritur. Vnde meritò ad eam suspirans S. Chrysost. in cap. 2. Lucæ: *O si mihi,* ait, *liceret videre præsepe illud, in quo iacuit Christus.*

Scribit S. Hieron. ad Paulinum, Adrianum Imper. Bethlehem profanasse, erecto ibidem Adonidis simulacro; *vt in specu, vbi quondam Christus paruulus vagijt, Veneris amasius plangeretur.* Stetit ibi Adonis per 180. annos vsque ad Constantinum Imp. quando S. Helena eius mater, euerso Adonide, magnificam ecclesiam super ipsam specum exstruxit, & super ipsum præsepe in quo Agnus Dei reclinatus est, erexit altare, in quo idem iugiter Deo offerretur, qui ibidem pro salute hominum primùm mundo illuxerat. Sed & Constantinus eamdem specum regalibus ornamentis ex auro & argento, atque varijs aulæis exornauit; ita vt basilica hæc mundi esset miraculum, nec in orbe quippiam ei esset simile. Nam excelsa est admodum & amplissima, cuius tota superior concameratio quatuor ex marmore columnarum ordinibus, & magnitudine & multitudine admirandis constat. Quilibet enim ordo habebat quinquaginta columnas, singulari artificio, pretio & sumptu. super ipsas columnas nauis Ecclesiæ eminet opere vermiculato, quæ omnes veteris testamenti historias exhibebat ab exordio mundi vsque ad Christum, miro artificio & colorum varietate distincta. Parietes tabulis ex alabastro pretiosissimis sunt incrustati; quarum ea erat opulentia & pulchritudo, vt Sultanus Ægypti eas sacrilegè auferre, ijsque palatium suum in Cayro exornare conatus sit; sed ingenti serpente miraculosè ex pariete prodeunte, tabulasque ipsas mordente deterritus à sceleve destitit. quocirca ipsi etiam Turcæ & Saraceni reuerenter hoc templum frequentant. Pauimentum totum est ex marmore. Ad locum autem dulcissimæ natiuitatis Christi, à templo in capellam descenditur decem gradibus, locum vel ipso cælo augustiorem, & æterna memoria omnibus fidelibus venerandum. Hic locus tegitur mensa marmorea & candida, in qua & Sacrum peragitur. Cæterùm lapidis illa pars in qua Christus dicitur natus, & præsepis pars in quam fuit reclinatus, non vestiuntur marmore, sed nudè patent ad peregrinorum adorationem & osculum. Lapis, in quem reclinauit Maria, & cui flexis genibus insedit, similitudinem habet stellæ. Est autem tota hæc capella sumptuoso opere ex marmore & auro exornata. Neque longè à templo abest locus circumcisionis. Ad Orientem quantum iactus est lapidis, monumenta visuntur S. Paulæ & Eustochij. Hæc & plura Salignacus, Borchardus, Bredemb. & ex ijs Adrichom. in Descript. terræ sanctæ. Eadem mihi affirmarunt Romæ viri graues, qui recenter Bethlehem & loca sancta visitarunt.

Meritò ergo S. Bernard serm. 1. in Vigilia Natiuit. *O Bethlehem parua,* inquit, *sed iam magnificata à Domino. Magnificauit te, qui factus est in te paruus ex magno. Quæ tibi ciuitas (si audiat) non inuideat pretiosum illud stabulum, & illius præsepij gloriam? In vniuersa siquidem terra iam celebre est nomẽ tuum, & beatam te dicunt omnes generationes, vbi gloriosa dicuntur de te ciuitas Dei, vbi psallitur: Quia homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus.* Et S. Greg. Nazianz. orat. 38. *Descriptionem,* inquit,

inquit, *reuertere, propter quam in cælis ipse describeris: & natiuitatem, ob quam natiuitatis vinculis solutus es? & paruam illam Bethlehem honora, quæ te in paradisum reduxit: & præsepe adora, honora præsepe, quia cùm rationis expers esses, à Verbo nutritus es. Cognosce, vt bos, possessorem tuum (Isaias te admonet) & vt asinus præsepe Domini tui; siue mundus sis & Iudæus, siue immundus Ethnicaq; partis.* Idem Arianis sibi obiectantibus ignobilem patriam & familiam, respondet orat. 25. *Vnum idemq; cælum omnibus esse commune, vnam eamdémque terram & parentis & sepulchri habere rationem, ex qua sumpti sumus, & ad quam reuertemur, nulla iam re alijs alios superantes. Deum ruſticitatis meæ patronum nactus, cum Bethlehem collocabor, cum præsepi vilipendar.* Et inferùs: *Magnis omnibus & excelsis viris patria vna est superna Ierusalem, in quam conuersationem nostram recondimus. Terrenæ autem hæ patriæ, & hæc generum discrimina, breuis huius & caducæ vitæ nostræ, ac scenæ ludi sunt. Quam enim quisque terram siue per tyrannidem, siue per calamitatem antè occupauerit, ea patria dicitur, cuius omnes æquè hospites & aduenæ sumus, quantumlibet vocum appellatione ludamus.*

Tropol. hanc Bethlehem nobis ob oculos ponamus, nosq; ibi in ea esse imaginemur, ibiq; mentis oculis intueamur nascentem Christum, dum intempesta nocte Natiuitatis Domini hoc mysterium recolimus; imò dum quotidie in sacrificio Missæ idem nobis repræsentatur. Verè enim & sapienter scripsit noster Thomas Theodidactus lib. 4. de Imitatione Christi c. 2. *Ita magnum, nouum, & iucundum tibi videri debet cùm celebras, aut Missam audis, as si eodem die Christus primùm in vterum Virginis descendens, homo factus esset; aut in cruce pendens, pro salute hominum pateretur & moreretur.* Templum ergo repræsentat Bethlehem, altare præsepium, hostia Christum nascentem, corporale pannos & fascias, Deiparam sacerdos, Ioseph & pastores Christiani astantes. Ita fecit S. Franciscus, mira deuotione in typica sua Bethlehem & præsepio dissuauians cum paruulo de Bethlehem. Audi S. Bonauent. in Vita eius cap. 10. *Contigit autem anno tertio ante obitum suum, vt memoriam natiuitatis pueri Iesu, ad deuotionem excitandam apud castrum Greci disponeret agere, cum quanto maiori solemnitate valeret. Ne verò hoc leuitati posset adscribi, à Summo Pontifice petita & obtenta licentia fecit præparari præsepium, apportari fœnum, bouem & asinum ad locum adduci. Aduocantur Fratres, aduenient populi; personat silua voces, & venerabilis illa nox luminibus copiosis & claris, laudibusq;, sonoris & consonis, & splendens efficitur & solemnis. Stabat vir Dei coram præsepio pietate repletus, resperſus lachrymis, & gaudio superfusus. Celebrantur Missarum solemnia super præsepe, Leuita Christi Francisco sacrum Euangelium decantante. Prædicat deinde populo circumstanti de natiuitate regis pauperis, quem cùm nominare vellet, puerum de Bethlehem præ amoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus & verax, qui propter Christi amorem sæculari relicta militia, vitæ Dei magna fuit familiaritate coniunctus, Dominus Iohannes de Græcio, se vidisse asseruit puerulum quemdam valdè formosum in illo præsepio dormientem, quem B. Pater Franciscus amplexans brachijs, excitare videbatur à somno.* Addit S. Bonauent. fœnum hoc præsepij à populo reseruatum, multos brutorum morbos sanasse & pestes dispulisse.

Denique S. Bernard. serm. 1. in Vigilia Natiuit. docet nos fieri Bethlehem, si Christum deuotè suscipiamus vel per fidem, vel per Eucharistiam. *Bethlehem quippe, ait, domum panis, Iuda sonat confessionem. Tu ergo si diuini verbi pabulo repleas animam tuam, fidelitérque, etsi non digna, certè quanta potes deuotione suscipias panem illum qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, Dominicum videlicet corpus Iesu, vt veterem vtrem corporis tui noua illa resurrectionis caro reficiat & sustineat, quatenus nouum quod intus est vinum, hoc solidatum glutino, valeat continere: si denique ex fide viuas, & nequaquam gemere oporteat, quia oblitus sis comedere panem tuum; Bethlehem factus es, dignus planè susceptione Dominica, si tamen confessio non defuerit. Sit proinde Iudæa sanctificatio tua: confessionem & decorem induere, quam maximè stolam in ministris suis Christus appretiat.*

EGRESSVS EIVS AB INITIO A DIEBVS ÆTERNITATIS] *Egressus* est numeri pluralis hebr. enim est מוֹצָאוֹתָיו *motsaoth*, id est egressiones. Vnde Septuag. vertunt, ἐξοδοι, Vatabl. *emanationes eius*. Rursum pro *ab initio à diebus æternitatis*, Hebr. & Septuag. habent, *ab initio à diebus sæculi*. Hinc triplex est hîc interpretum explicatio iuxta triplicem Christi egressionem. Prima enim, est temporalis; Secunda, est æterna; Tertia partim temporalis, partim æterna. Primò, ergo Rabbini recentiores, qui negant Christi æternitatem & diuinitatem, egressiones has sic exponunt, q. d. Christus non tantùm egredietur cùm nascetur in Bethlehem, sed iam inde à Dauide, ab Abraham, imò ab Adam egressus, & quasi natus est; tum quia ex ijs descendit, & in eorum lumbis ac virtute generatiua latebat & continebatur; quomodo Apostolus Hebr. 7. 9. ait Leui antequam nasceretur, decimatum esse in lumbis Abrahæ; tum quia eos quasi duces suos præmisit, qui populum suum Israel in cultu Dei erudirent & continerent, eumq; contra hostes infideles tuerentur & propugnarent. Huc accedit expositio S. Cyrilli, qui egressiones in plurali dici censet, quia Christus homo, bis egressus est: Primò, cùm venit in mundum per incarnationem; Secundò, cùm post mortem è mundo egressus est, & ascendit in cælum. vtramque significat ipse Iohan. 16. 28. *Exiui à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem*: vtraque est à diebus æternitatis; quia vtraque ab æterno decreta & prædestinata est à Deo. Huc pertinet aliorum explicatio, qui per egressiones, accipiunt varias Christi hominis expeditiones & excursiones, quas contra diabolum pro salute hominum suscepit. Prima fuit, qua humanitatem nostram induit. Secunda, qua Magos & pastores ad se traxit & conuertit. Tertia, qua peragrans Iudæam & Galilæam, multos in corpore & anima saluauit. Quarta, qua in crucem pro redemptione hominum ascendit. Quinta, qua resurgens ad vitam redijt, mortemque destruxit. Sexta, qua ascendens in cælum illud nobis patefecit, indeque misit Spiritum sanctum. Hæ omnes expeditiones fuerunt à diebus æternitatis, quia ab æterno decretæ.

Egressus Christi triplex.

Primus.

Secundus.

Secundò, Arias & à Castro hîc, quibus fauet S. Hie-

S.Hieron. ac R.Haccados apud Galat. l.4. c.13. per egressiones has, accipiunt duas Christi natiuitates; putà temporalem ex Virgine in Bethlehem & æternam ex Deo Patre in cælis. Vnde R. Haccados per מ *ab initio*, id est ab æterno, putat notari æternam Christi generationem; sed per מי *à diebus sæculi*, temporalem, qua nimirum ab initio mundi in lumbis Adæ creatus, & quasi natus est. Ex aduerso melius alij per מי *ab initio*, accipiunt temporalem Christi apparitionem, non tantùm qua apparuit in carne, sed etiam qua visus est patribus, quibus promissus est; & Prophetis, per quorum ora ipse, vtpote Verbum Dei, locutus est: sed per מי *à diebus æternitatis*, accipiunt æternam eiusdem à Patre generationem.

Tertiùs. Tertiò, alij hæc accipiùt de sola æterna Christi à Patre emanatione & natiuitate. Hæc expositio est certa, & communis Patrum & Doctorum, ideoque amplectenda. Probatur Primò, quia de temporali Christi natiuitate paulò antè dixit Propheta: *Ex te* (ô Bethlehem) *mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* ergo cùm addit: *Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis*, agit de æterna: q.d. Christus egredietur & nascetur in Bethlehem; ar, ne putes eum tantùm hominem fore tunc que primò egressurum, cùm homo apparebit in Bethlehe, addo & dico iã antè ab æterno eum egressum esse ex Patre, cùm ab eo genitus est Deus, Patri coæuus & consubstantialis. Cur enim temporalem egressionẽ repeteret hîc Propheta, cùm tam clare eam antè expresserit?

Secundò, מי *à diebus æternitatis*, planè significat hîc de æterna Christi generatione agi, non de tẽporali. Dices. Hebr est *à diebus* מימי *olam*, id est *sæculi*. Resp. *olam*, siue sæculum absconditum, à rad. עלם *alam*, id est abscondit, hebr. significat æternitatem, quæ omnibus abscondita est & impenetrabilis; cùm scribitur per *vau* sicut hîc scribitur, vti docent Rabbini, nisi addatur particula aliqua restringens, quæ cogat illud explicare & interpretari tempus longissimum. Hîc autem nihil tale additur: imò additur מ *ab initio*, quod iunctum cum *diebus olam*, planam plenamque significat æternitatem, vti mox ostendam. Vnde Chald. vertit, *cuius nomen dictum est ab æternitate, à diebus sæculi*; Tigurina siue Leo Hebræus, *exitus eius à sæculo, à diebus æternis.* ita & Rabbini apud Galatin. loco citato. Denique omnes Orthodoxi fatentur hîc de vera æternitate agi; licet aliqui æternitatem prædestinationis, non generationis intelligant, sed perperam. Namegredi non est prædestinari, sed emanare, gigni, nasci, vt cùm paulò antè dixit: *Ex te mihi egredietur*, id est nascetur, *qui sit dominator in Israel.* Dices, Apoc.13.8. Agnus, id est Christus, dicitur occisus ab origine mundi, non realiter, sed per Dei præscientiam & prædestinationem; ergo similiter hîc מי *egressus* exponi potest non realiter, sed in Dei prædestinatione. Resp. nego consequẽtiam: verba enim Scripturæ proprie accipienda sunt, non impropriè; nisi quæ necessitas aut contradictio cogat, vti hîc nihil cogit: in Apocal. autem cogit. Nam Agnus, qui realiter non erat, nec extabat ab origine mundi, non poterat tunc realiter occidi (quod enim non est, occidi nequit) ergo occisio hæc non actualis, sed mentalis, puta præscita & prædestinata à Deo, intelligi debet. Hîc autem nil est tale; ergo realis egressus & natiuitas, non mentalis & prædestinata, intelligenda est.

Tertiò, Christum in Bethlehem natum, esse Deum, ideoq; æternum, patet ex c. 4.1. *Erit mons domus Domini paratus in vertice montium*, puta Sion, id est Ecclesia Christi. Nam pro לה Domini hebr. est *Iehoua*, quod non alium quàm Deum verum significat, eiusque nomen est proprium. Et v.2. *Venite, ascendamus ad mõtem Domini*, hebr. *Iehoua. Quia de Sion exibit lex, & verbum* (Euangelium) *Domini*, hebr. *Iehoua*, putà Christi, *de Ierusalem.* Et v.7. *Et regnabit Dominus*, hebr. *Iehoua*, putà Christus, *super eos ex hoc nunc & vsque in æternum.* Idem patet Isaiæ 9.6. vbi paruulus nascetur nobis, putà Christus. vocatur *Deus, fortis, pater futuri sæculi*, hebr. *pater æternitatis*; & c.7.14. vocatur *Emmanuel*, id est nobiscum Deus.

Quartò, ita interpretantur Patres & Orthodoxi passim, Theodor. Haymo, Remig. Rupert. Albert. Hugo, Lyran. Dionys. Clarius, Vatabl. Ribera hîc, Cyrill. hom.4. contra Nestorium, Chrysostom. in libr. *Quòd Christus sit Deus*, Origenes libr.1. contra Celsum, Euseb. libr.2 Demonstr. cap.2. S. Athanasius, & alij passim contra Arrianos.

Dices, Si de sola æterna emanatione & generatione Christi hîc agitur, cur ergo Propheta eam vocat *egressus* vel exitus in plurali? Respond. Primò, Ribera, causam esse quòd Hebræi scriptores maximas & præstantissimas compellant pluraliter, vt rei magnitudinem & præstantiam significent, quòd, licet vna sit, æquipolleat tamen pluribus. Sic Deum vocant *elohim* in plurali; sic *adonim*, id est domini, significat Dominum, sic elephas vocatur *behemoth*, id est bestiæ, quòd mole sua & robore multas bestias æquet, imò superet. Quia ergo natiuitas æterna Christi maxima est & diuina, omnesque creaturæ natiuitates eminenter continet; hinc ab Hebræis vocatur *egressus*, id est natiuitates, in plurali. Secundò, aliam causam dat Vatabl. *Plurali, inquit, vtitur, quia Christus semper procedit à Patre, manatione & processione, heri, hodie & olim.* q.d. *Christus erit verus homo, verusq; Deus, & coæternus Patri*: quia ergo iugiter ab æterno Christus à Patre gignitur, hinc eius generatio vocatur generationes: nam quolibet instanti generatur, & omnibus generationibus creaturarum coexistit. Sicuti fontis emanationẽ vocamus scaturiginem, quia iugiter aquam scaturit. Hinc patet æternitas, & consequenter vera deitas Christi. Negabant vtramque Arriani, quorum teste S. Athanasio multis in locis, hoc erat axioma: *Erat aliquando* (tẽpus vel duratio) *quando non erat Christus.* Respondet Franciscus Dauid, nouorum Arrianorum choragus, in disput. Albana, in illud diei tertiæ, *Vocabulum*, inquit, *Diebus, additum, explicat mentem Prophetæ. Dies enim tunc cœperunt, quando creatus est mundus. Et illi primi dicuntur æterni, propter continuam successionem: sicut sæpiùs Scriptura loquitur. & ideo cùm facta mentio quoque sit de Christo futuro promissio, dicitur fuisse egressus eius à diebus æternitatis.* Verùm obstat, quòd licet *in æternum* in Scriptura significet aliquando longum tempus continuum, non infinitum; tamen *æternitas*, & Hebr. עולם *olam*, iunctum cum מקדם *mickedem*, semper immensam durationem significat. Secundò, *egressus eius non*

ea promissio de eo nascituro, sed natiuitas eius, vt cùm dicitur hîc: *Ex te mihi egredietur* (id est nascetur) *dux*. aliud enim est egredi hominem, aliud egredi verbum vel sermonem : illud significat nasci, hoc prophetare & promittere. Nec obstat quòd vocetur dies æternitatis; dies enim hîc ponitur pro duratione, vt cùm Daniel. 7. 9. Deus pater vocatur *antiquus dierum*, id est æternus.

Dices Quomodo ergo ait: *Egressus eius ab initio?* æternitas enim non habet initium. Resp. Script. initium vocat id quod erat ante tempora, hoc autem erat æternitas. Vnde explicans subdit: *A diebus æternitatis*. Loquitur enim accommodè ad conceptum hominum, qui cùm volunt dicere aliquid fuisse ab æterno, dicunt illud fuisse ante omnia, ab initio. Sic Prouerb. 8. ait Sapientia increata: *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret, à principio.* Et Ecclesiast. cap. 24. 14. ait æterna Dei Sapientia: *Ab initio, & ante sæcula creata sum*, id est ab æterno. Sic & Isaias 43. 13. ait Deus: *Ab initio ego ipse*. q.d. Ab æterno ego sum, qui sum. Porrò hanc Michææ sententiam, *Et egressus eius à diebus æternitatis*, sic clarè per trimembrem sententiam explicat S. Iohan. cap. 1. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*. q.d. Ab æterno, &, vt ita dicam, à principio æternitatis, Verbum egressum & genitum est à mente Patris, ac proinde erat apud eum, & in eius mente, ac consequenter ipsum erat Deus: quia quidquid est in mente Dei & in Deo, est Deus. Hinc & Christus à Iudæis rogatus quis esset, respondit: *Principium, qui & loquor vobis*, Iohan. 8. 25 græcè τὴν ἀρχὴν, q.d. Ego sum ante Abraham à principio, id est ab æterno; Deus de Deo, qui & idipsum vobis proloquor. Idemque Apocal. 21. 6. ait: *Ego sum α & ω, initium & finis.*

Præclarè Nazianz. *Deus & erat semper, & est, & erit; vel, vt rectius loquar, semper est. Nam Erat & Erit nostri temporis fluxæ, naturæ segmenta sunt. Ille autem semper est, atque hoc modo seipsum nominat, cùm in monte Mosi oraculum dedit. Vniuersum eum id quod est, in se complectitur, nec principium habens, nec finem habiturum, velut pelagus quoddam essentiæ immensum & interminatum, omnem tum temporis, tum naturæ cogitationem superans; mente sola adumbratus is, & quidem perexiguè ac perobscurè, non ex his quæ in ipso sunt, sed quæ circa ipsum: alia ex alio collecta specie ad vnum quoddam positum simulacrum: priusquam teneatur effugiens, & priusquam intellectu percipiatur seipsum fuga pernicies: tantum principem nostri partem, eamq; à peccatorum labe purgatam collustrans. quantum oculorum acies fulguris celeritas minimè consistentis. Hoc autem mea quidem sententia idcirco fit, vt quatenus comprehendi potest, nos ad se trahat (quod enim percipi omnino nequit, id nec sperat quisquam, nec assequi conatur,) quatenus autem capi non potest, admirationem sui excitet, atque ex ipsa admiratione vehementius expetatur, appetitus purget, purgans autem diuinas efficiat, talesq; cùm redditi sint, cum ijs iam velut cum familiaribus consuetudinem habeat (metuo ne hoc audacius à me dictum videri possit) Deus dijs vnus & cognitus, ac tantum fortasse, quantum iam eos, qui ipsi noti sunt, cognoscit.*

A DIEBVS AETERNITATIS] Id est ab omni æternitate. Est catachresis: æternitas enim propriè cum sit duratio constans, indiuisibilis, tota simul, A ideoq; ab intrinseco carens successione, principio & fine; idcirco non diuiditur per dies, menses & annos, qui illi successiuè coëxistunt: hinc ab hominibus, qui omnia sua mensurant per differentias sui temporis, dantur æternitati dies, menses & anni. Sic dicitur psal. 76. 6. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui*. Sic in officio diuino tempore Paschali de Martyribus canimus: *Lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine, & æternitas temporum.* quod desumptum est ex lib. 4. Esdræ cap. 2. 35. vbi sic dicitur: *Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite vmbram sæculi*, &c. Sicut enim immensitas Dei totam Dei magnitudinem, quæ absque termino quaquauersum super cælos in immensum diffunditur, colligit in punctum; vt non minus habeat in puncto loci, quàm B in spatio infinito: ita æternitas duratione, & quasi ætatem Dei, quæ infinito tempori coëxtenditur, colligit in momentum: ita vt totam possideat in instanti, siue in puncto. Sicut enim se habet immensitas ad punctum loci, ita æternitas se habet ad punctum temporis. Dicit ergo Michæas Christum in tempore nasciturum in Bethlehem, esse æternum, ideoque Deum. q.d. Ideo Christus nascetur in nostro tempore, vt nobis communicet suam æternitatem: ideo fiet homo, vt nobis communicet suam deitatem, nosque faciat Deos. Ait enim: *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes*, psalm. 81. 6. Vnde S. Gregor. hom. 8. in Euang. *Quid*, ait, *est quòd nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quod apertè monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate? quod contrà de reprobis per Prophetam dicitur: Deleantur de libro* C *viuentium, & cum iustis non scribantur.* Ideo ergo Christus natus est tempori, vt nos viuamus æternitati; ideo egressus est à diebus æternitatis ad dies temporis, vt nos à tempore regrederemur ad dies æternitatis.

Nota. Duratio est triplex, tempus, æuum, æternitas: tempus habet suum finem, æquè ac principium: æuum habet principium, sed caret fine: æternitas nec habet finem, nec principium. Rursum sicut æuum est intrinseca mensura vitæ angelorum, & tempus vitæ hominum: ita æternitas est intrinseca mensura vitæ & existentiæ diuinæ, ac consequenter generationis Verbi, & spirationis Sp. sancti, vt docet D. Th. 1. p. q. 10. a. 4. & ibi P. Salas. Origo & quasi ratio æternitatis, est immutabilitas Dei. Vnde S. Aug. l. de Natura boni aduersus Manich. c. 39. *Illa*, inquit, *vera est æternitas, quæ est vera immortalitas: hæc est illa summa incommutabilitas, quæ solus Deus habet.* Et mox: *Cuius solius immortalitas, ipsa est vera æternitas.* Idem l. 14. de Trinit. c. 18. *In quantum*, ait, *mutabiles sumus, in tantum ab æternitate distamus.* Et inferiùs: *Vera autem immortalitas, vera incorruptibilitas: vera incommutabilitas, ipsa est æternitas.* Et S. Dionys. de Diuin. nom. c. 9. *Idem verò*, inquit, *supersubstantialiter æternum, est inuertibile, in seipso manens semper secundùm eadem, & eodem se habens modo.* Et Psaltes psal. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Porrò æternitatem S. Anselmus ita definit in Menol. c. 24. *Vera æternitas est interminabilis vita, tota simul existens.* Et Richard. Victor. lib. 2. de Trinitate cap. 4. *Quid aliud est æternitas, quàm diuturnitas sine initio & fine, & carens omni mutabilitate?* alij : *Æternitas est duratio immensurabilis.*

Duratio triplex.

Origo æternitatis est immutabilitas.

Optimè

Optimè Boëtius lib. 3. de Consolat. prosa vlt. *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Hinc æternitas ambit omnia tempora & temporalia, eorumque est fons & origo. Audi S. Dionysium de Diuinis nominib. c. 10. *Antiquus dierum Deus prædicatur, quòd ipse sit omnium & sæculum, & tempus: & ante dies, & ante sæculum, & tempus.* Idem cap. 5. *Ipse*, ait, *est æuum æuorum, existens ante omne æuum.* Et paulò antè: *Ipse est principium & mensura æuorum & temporum.* Ex dictis sequitur, æternitatem esse propriam durationem Dei; putà Patris, & Filij, & Spiritus sancti: angelos autem & homines participare eam per suam æuiternitatem, quæ habet principium, at non finem. Nam per eam in æternum viuent, fruentur Deo, eruntque beati: licet vulgus per catachresin, hanc æuiternitatem vocet quoque æternitatem, scilicet creatam & participatam: quia Beati erunt beati tam diu, quamdiu Deus erit beatus; imò quamdiu Deus erit Deus, quamdiu durabit eius æternitas. O æternitas, quanta es! quàm immensa! quàm pretiosa! quàm beata! & tamen quàm rarò versaris in mentibus hominum! quàm pauci te, tuumque pondus æstimant! nulli te penetrant, pauci ponderant! Sapienter S. Gregor. libr. 6. epist. 190. *Si bona*, ait, *quærimus, illa diligamus quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, illa timeamus quæ à reprobis sine fine tolerantur.* Et Cicero Tuscul. 4. *Quid*, inquit, *ei videatur magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo?* Et S. Antonius discipulis suis hoc axioma tradebat: *Hoc*, ait, *sit primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere; sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit, præsertim cùm humanæ vitæ spatia æternitati comparata, brevissima sint. Promissio vitæ sempiternæ vili pretio comparatur. Scriptum est enim, Dies vitæ nostræ septuaginta anni: quando ergo octoginta aut centum annos laborantes in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro; sed pro annis, omnium nobis sæculorum regna tribuentur: non terram hereditabimus, sed cælum.* ita S. Athanas. in Vita S. Anton.

Æternitas est origo temporum.

VERS. 3. PROPTER HOC DABIT EOS VSQVE AD TEMPVS, IN QVO PARTVRIENS PARIET] *Tò dabit* dupliciter, imò contrariè accipi potest. Primò, *dabit*, scilicet hosti, gladio, similiúe tribulationi: q. d. Obijciet eos hostibus, & calamitatibus finet eos affligi. Secundò, *dabit*, id est conseruabit eos in vita, vt habitent in terra sua. Iam varij variè hæc exponunt. Punctum difficultatis consistit in eo, quodnam vocetur *tempus, in quo parturiens pariet*. Primò, aliqui esse censent tempus liberationis è captiuitate Babylonica, & libertatis sub Cyro. q. d. Quia latrones de quibus v. 1. hoc est tyranni & prædones Assyrij atque Chaldæi, Israelem ob eius scelera affligent & captiuabũt; hinc Deus dabit, id est, permittet eos in Israelem grassari vsque ad Cyrum, quando eo laxante captiuitatem, Synagoga parturiens pariet, id est, præ gaudio & festinatione producet & adunabit turbam ingentem suorum filiorum & ciuiũ, cum iubilo è Babylone in Iudæam redeuntium. Verùm hîc nulla Babylonis facta est mentio, sed tantùm Christi: Christum enim & præcedentia & sequentia omnia spectant.

Secundò, alij distinguunt tempus parturitionis, à tempore pariendi. tempus pariendi Synagogæ, censent esse illud, quo peperit Christum: tempus parturitionis, quo cruciatibus afflicta & oppressa est à Tito & Romanis. q. d. Propterhoc, quia scilicet filia latronis, id est Ierusalem, percussura & occisura est Christum, inquit Rupert. idcirco Deus dabit permanere Synagogam & Iudæos, vsque ad tempus quo pariet Christum Saluatorem, & mox per Titum eam affliget, vt crucietur quasi parturiens, & in hac dolorum parturitione enecetur & exspiret. Vnde Chald. vertit, *propterea tradentur* Iudæi Romanis, *quando parturiens pariet*. Idem Chald. sic explicat illud Isaiæ 66. 7. *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus, peperit masculum.* q. d. *Antequam veniat ei angustia, saluabitur; & antequam veniant ei dolores partus, reuelabitur rex Messias.* q. d. Antequam veniat Titus angustians Iudæos, veniet & nascetur Christus Saluator. Sic & veteres Hebræi apud Galat. l. 4. c. 11. Quin & S. Hieron. sic explicat: stabit iudaismus donec Ecclesia pariat filios Christo; donec scilicet gentilitas, quæ antea sterilis fuerat, credens in Christum multos ad eum conuertat, qui in locum Iudæorum, quasi populus & filij Dei succedant.

Tertiò, alij accipiunt tempus Ecclesiæ nascentis quãdo ipsa multos filios peperit Deo & Christo, iuxta oraculum Isaiæ cap. 54. 1. q. d. Propterhoc, quia scilicet ex Israele & Iudæis nascitura est Christus in Bethlehem, idcirco Deus dabit, id est finet eos in Iudæa viuere, ac differet vltionem suæ mortis, hoc est, destructionem Ierusalem per Titum, aliquantisper; donec scilicet Ecclesia Christi nascens multos è Iudæis filios pariat Christo; id est donec ipsa crescat & confortetur, vt sese conseruare & spargere possit per omnes gentes: quo facto Iudæam & Iudæos per Titum euertet. ita Lyran. Vatabl. & Dionys.

Quartò, & genuinè: *tempus quo parturiens*, vel, vt hebr. est *pariens pariet*, est tempus quo Deipara peperit Christum in Bethlehem: illa enim vocatur pariens & mater antonomasticè; quia partus eius fuit nobilissimus, ideoque cælo & terræ optatissimus. & hoc significat illa geminatio *parturiens*, vel, vt Noster vertit, *parturiens pariet*. vbi enim parturiens, non significat dolorem, sed vehementem desiderium, gaudium & acceleratione partus, vt dixi in illud Isaiæ 66. 7. *Antequam parturiret peperit*. ad Isaiã enim more suo alludit hîc Micheas. Sensus ergo est q. d. Propter hoc, quia scilicet in Bethlehem nascetur Christus, quem Deus decreuit & statuit saluatorem & dominatorẽ Israelis; idcirco dabit eos, id est, permittet Israelem & Iudæos affligi ab Assyrijs, Chaldæis & Græcis, donec Deipara pariat Christum. hic enim est redemptor & saluator Israelis, omniumque gentium. ita S. Hieron. Haymo, Remig. Hugo hîc & Euseb. li. 7. Demonstr. c. 1. Huc pertinet alterum expositio quæ talis est: durabit successiuè Synagogæ afflictio, & captiuitas Babylonica, Græca & Romana; donec ipsa pariat Christum: hic enim ab omni seruitute eam liberabit. Nota Script. de Israele quasi de populo loqui solere nunc singulariter, quia populus collectiuè est vnus & singularis: nunc pluraliter, quia in populo plures sunt homines & capita. ita facit hîc Michæas. Rursum de Israele nunc loquitur masculinè, quasi de populo; nũc femininè, quasi de ciui-

clesia & Synagoga. Vnde ait: *Parturiens pariet* quasi mator.

Symbolicè, sensus est q.d. Propter hoc, quòd scilicet Deus statuit Christum in Bethlehem nasciturum, efficere saluatorem mundi; hinc dabit, id est, sinet Israelem sub lege affligi, vt ipse cognoscat ex lege tum peccatum, tum legis infirmitatē ad tollendum peccatum, & ad sanandam concupiscentiam; vt Israel idipsum agnoscens, magnis votis exoptet Christum, eiusque gratiam, quæ concupiscentiam domet, & peccatum aboleat. Ideo enim distulit Deus Christum per quatuor annorum millia, vsque ad Virginis partum, vt interim mundus agnosceret suæ animæ peccata & vulnera, æque ac naturæ & legis infirmitatem; ac instanter medicum, putà Christum, requireret; vti docet Apostolus Rom. 3. 20. & sequent. ita S. Hieron. Theodor. Remigius, Hugo & alij.

Allegor. Arias: Sinet Christus, inquit, Israelē, id est Ecclesiam suam, putà Apostolos & discipulos, aliquousque à Iudæis affligi, donec ipsa quasi ex partu egrediens in Pentecoste, Spiritus sancti roboretur aduentu, vt numero & viribus adaucta, se diffundere possit per omnes gentes.

Et reliquiæ fratrvm eivs convertentvr ad filios Israel | *Eius*, scilicet dominatoris Israel, nasciturí in Bethlehem; putà Christi: q.d. Reliquiæ, id est pauci Iudæorum, qui sunt fratres Christi secundùm carnem, conuertentur ad filios Israel, id est, ad Patriarchas & Prophetas; vt scilicet Patriarcharum & Prophetarū in Christū fidem, pietatem, & sanctitatem amplectantur & æmulentur; iuxta illud psalm. 44. 17. *Pro patribus nati sunt tibi filij.* Aut *filij Israel*, sunt Apostoli, q.d. Quando Ecclesia parturiens pariet Christū & Apostolos, tunc fratres Christi, putà Iudæi è captiuitate reliqui, conuertentur ad filios Israel, id est Apostolos, eorumq́; & fidelium cœtui aggregabuntur. Anagogicè, q. d. In fine mundi cum plenitudo Gentium intrauerit in Ecclesiam, tunc reliquiæ Iudæorum per Eliam & Henoch conuertentur, tunc q́ue omnis Israel saluus fiet. ita S. Hieron. Haymo, Remig. & Hugo. *Elias enim (qui interpretatur Deus Dominus) conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres, & nouissimus populus iungetur antiquo, vt verè filij Abraham appellentur, cùm in eum crediderint, quem vidit Abraham & lætatus est*, ait S. Hieron.

Et stabit | scilicet dominator Israel, putà Christus natus in Bethlehem, ex parente Virgine Deipara, de quo v. 2. & 3. Alludit ad pastores, quidam gregem pascunt, stant innixi suæ furcæ, siue baculo pastorali; tum vt oues omnes præ oculis habeant, videantq́ue ne quæ aberret, vel à grege se separet; tum vt circumlustrent, num qua ex parte lupus, vel alia fera, in gregem incursurus aduenret. q. d. Pari modo Christus, quasi pastor fidelium, ijs semper aderit, eos circumspiciet, pascet, protegetq́; ab omni dæmonū hostiumq́; incursu. ita S. Hieron. Remig. Hugo & Vatabl. Hoc est quod Christus promisit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi*, Matth. 28. 20. Nota. Vox *stabit*, significat Christi potentiam & regis Primò, curam & prouidentiam Ecclesiæ, Secundò, vigiliam in ea pascenda; Tertiò, constantiam. Vnde Vatabl. rectè sic exponit, *stat & pascet*, id est perpetuò pascet fideles, per-

petuò regnabit in Ecclesia. Non enim transibit ab ea, vti transijt à Iudæis ad Gentes; sed iugiter cum fidelibus stabit & manebit.

Anagogicè, q.d. Christus post resurrectionem conscendet in cælum, ibiq́ue *stabit* à dextris Patris, quasi triumphator & dominator; vt Ecclesiam regat, tueatur & propugnet. Quocirca S. Stephanus in agone martyrij cum Iudæis decertans: *Ecce*, inquit, *video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei*, Actor. 7. 55. ita Rupert. vnde sequitur:

Pascet in fortitvdine Domini] q.d. Christus pastor reget fideles, quasi oues suas, fortitudine non humana, sed diuina; tum increata, quā vt Dei Filius à Deo Patre vnam eamdemq́; cum eo accepit; tum creata, quam vt homo à Deo cōmunicatam participat. quo fiet, vt nulli lupi vel feræ illi præualere, aut gregem eius diripere vel dissipare queant; quin certò illas ad vitam æternam perducat, iuxta illud quod ipse ait: *Oues meæ vocem meam audiunt*, &c. *& non rapiet eas quisquam de manu meâ. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum sumus.* Ioan. 10. 27.

In svblimitate nominis Domini Dei svi] Id est sublimiter, potenter & magnificè pascet Christus suos fideles, prout decet maiestatem nominis diuini, quod ipse in pascendo vbique præferet, vt probet se esse Deū, & à Deo Patre missum: pascet inquam, sublimiter & gloriosè, quasi in ea re gloria nominis & honoris sui diuini ageretur; ita vt omnes videntes Christi regimē illustre, quo eminenter pascet oues suas, laudent & celebrent magnificum Dei nomen. q.d. Gubernabit Christus Ecclesiam quasi pastor, cum ea potentia & gloria, qualis & quanta decet eum, qui de nomine Patris æterni appellatur Patris æterni Legatus, imò Filius. Hoc est quod ait Ioannes c. 1. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre*, id est, qualis decebat vnigenitum Dei filium. Et Isaias c. 60. 15. *Ponam te in superbiam sæculorum*: vbi pro *superbiam*, hebr. est eadem vox גאון *geon*, quam Interpres hoc loco *sublimitatē* vertit. Porrò ita sublimiter pascit Christus suos, dando eis tum sublimem Euangelij doctrinā, tum gratiam potentem, qualem præ cæteris habuerunt Martyres, ad superandos ignes, gladios, feras, omniaq́ue tormenta; tum protectionem certam & continuam; tum miracula stupenda & inaudita, qualia fecit Christus & Apostoli.

Nota. *Nomen Dei* quo Christus suos pascit, varia significat. Nam Primò, *nomen Dei* est honor, fama & gloria Dei, vti iam dixi. Secundò, *nomen Dei* significat potentiam & opem Dei. Sic Christus pro ijsdem orans Ioan. 17. 11. ait: *Pater serua eos in nomine tuo*, id est, tuâ virtute & potentia. Tertiò, *nomen* significat professionem & inuocationem nominis. q.d. Christus pascet suos fideles sublimiter, quia profitebitur se id facere in nomine Patris sui, quod profitebitur, prædicabit & inuocabit. Quartò, *nomen Dei* est ipse Deus metonymicè: sic dicimur sanctificare, laudare, celebrare nomen Dei, id est ipsum Deum. Sic Christus iussit Apostolos baptizare fideles *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, hoc est, in fide, professione & inuocatione vnius deitatis, & sanctissimæ Trinitatis. q.d. *In nomine*, id est inuocato & appellato nomine, & per consequens persona,

Nomen Dei quadruplex.

diuinitate, virtute, auxilio, energia & gratia *Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, Matth. 28.

ET CONVERTENTVR] q. d. Christus per se & Apostolos pascens, id est docens & instruens homines, conuertet eos ad se, & ad Deum. Legit Interpres, vti & Chald. יִשְׁבוּ *iasubu*, id est *conuertentur*; alij alijs punctis cum Septuag. & Symmach. legunt יֵשְׁבוּ *ieseebu*, id est sedebunt, manebunt, habitabunt quietè & pacificè; quasi sedentes domi in pace, vt alludat ad c. 4. 4. *Sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam.* q. d. Sub Christo pastore & rege, fideles ad eum conuersi viuent in summa pace. ita S. Hieron. Lyran. Pagnin. Vatabl. & alij.

QVIA NVNC MAGNIFICABITVR] Christus pastor sublimis. Τὸ *nunc* significat tempus præsens non Michææ, sed Christo: de Christo enim continuè agit. q. d. Video mihi oculis spiritus, instar Abrahæ videre diem illum glorioſum, quo Christus ex Virgine natus pascet fideles magnificè. Vnde admirans & exultans exclamo *nunc*, scilicet præsente, pascente & regente Christo: Magnificabitur Christus & nomen Dei, *vsque ad terminos terræ.* Τὸ *quia* non causam, sed effectum & sequelam significat. q. d. Vnde sequitur vt magnificetur nomen Dei & Christi toto orbe. Aut certè encliticum est, & per pleonasmum ornatus tantũ gratia additur. Sic enim Hebræi addere, & sententiæ illustri præfigere solẽt כִּי *ki*, id est quia. Secũdò, simplicius τὸ *nunc* referri potest ad tempus Michææ. q. d. Christus dum nascetur homo, pascet suos fideles in fortitudine Domini: quia ecce nunc antequam natus est homo, primos & præuios potestatis suæ radios (vti emittit sol antequam oriatur, in aurora) spargit, & magnificari incipit, vsque ad terminos terræ. Nam mox Assyrium Sennacherib in Iudæa conteret per angelum, vti sequitur. Atque idcirco dixit, quòd Christus egressus sit à diebus æternitatis: quia enim Christus est æternus, hinc quouis sæculo se ostendit per miracula & opera heroica, quæ in tutelam & commodum Israelis, populi sui, operatus est.

5. Et erit iste pax: cùm venerit Assyrius in terram nostram, & quando calcauerit in domibus nostris: & suscitabimus super eum septem pastores, & octo primates homines.

6. Et pascent terram Assur in gladio, & terram Nemrod in lanceis eius: & liberabit ab Assur cùm venerit in terram nostram, & cùm calcauerit in finibus nostris.

7. Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum quasi ros à Domino, & quasi stillæ super herbam, quæ non exspectat virum, & non præstolatur filios hominum.

8. Et erunt reliquiæ Iacob in Gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in iumentis siluarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum: qui cùm transierit & conculcauerit, & ceperit, non est qui eruat.

A ISTE PAX] Quæres, quis sit *iste*? Aliqui intelligunt Ezechiam, qui cum suis orans impetrauit à Deo pacem Iudææ, cæsis per angelum hostibus, putà Assyrijs. ita Theodor. Alij accipiunt Cyrum, qui libertatem & pacem dedit Iudæis. ita Lyranus. Alij Iudam Machabæum cum fratribus, qui suis victorijs pacem dederunt patriæ. Fauet huic Iudæ, paraphrasis Chaldaica. Verùm cùm nullius horum præcesserit mentio, sed Iesus Christi dominatoris Israel, in Bethlehem nascituri, de eoque continuus sit sermo: dico quòd *iste* sit Christus, cum alluſione tamen ad Ezechiam, Cyrum & Iudam. Sensus ergo est, q. d. Christus erit pax non formalis, sed causalis, id est, dabit pacem suæ Ecclesiæ, suisque fidelibus pacem, inquam, trinam & plenam, scilicet pacem cum Deo, pacem cum conscientia, pacem cum proximis: atque huius pacis dabit præludium, B initium & typum, dando hoc Michææ tempore Ezechiam, & paulò pòst Cyrum ac Iudam Machabæum, qui Israeli victoriam contra Assyrios, indeque pacem concilient. Dices, Solus Ezechias pugnauit contra Sennacherib & Assyrios, non Cyrus, non Iudas: sed Cyrus pugnauit contra Babylonem & Chaldæos, Iudas contra Antiochum & Græcos. Resp. Primò, sub Assyrijs Chaldæos comprehendi: nam monarchia ab Assyrijs translata est ad Chaldæos; vnde tunc Chaldæi tam dominabantur Niniuæ & Assyriæ, quàm Babyloni & Chaldææ. Et sic Cyrus dicitur vicisse Assyrios, quia vicit Chaldæos. Hinc & *Assur* vocatur hîc *terra Nemrod*, quia Nemrod primus orbis rex & tyrannus dominabatur Assyriæ; principium tamen & sedem imperij posuit in Babylone: vnde Nemrod auctor fuit turris Babel ædificandæ, vt dixi Genes. 10. vers. 8. C & 10. Nominat Michæas Assyrios potiùs quàm Chaldæos, quia eius tempore dominabatur Sennacherib & Assyrij, insultantes Ezechiæ & Iudæis: vnde illos propriè & primariò hîc respicit. Secundò, quia Nemrod primus tyrannus orbis fuit rex Assyriorum; indeque Assyrij primi fuerunt monarchæ, & celebres tyranni: hinc per sequentia sæcula manſit hoc nomen, vt Assyrij vocarentur quiuis potentes tyranni, siue Græci essent, siue Persæ, siue Romani; vti ostendi Isaiæ 10. 17. Sic Iudas Machabæus vicit Assyrios, quia vicit Antiochũ & Græcos tyrannos. Hinc Tertiò Assyrij significãt quoslibet hostes Ecclesiæ, quales sunt infideles, Saraceni, hæretici; item dæmones. Omnes enim hosce tyrannos profligat Chri- D stus, itaque pacem Ecclesiæ conciliat, sed inchoatam in Ecclesia præsente; hæc enim cùm sit militans, sine bellis & luctis esse nequit: perfectam verò dabit in cælo, vbi post bella & victorias erit Ecclesia in plena pace, gaudio & felicitate ingiter triumphans. Ita de Christo hunc locum accipiunt S. Hieron. Haymo, Rupert. Albert. Hugo, Arias, Clarius, Ribera & alij passim.

Moral. disce hîc Christũ esse pacem nostram. Vnde eius typus fuit Salomon rex vti nomine ita reipsa pacificus. Ad hunc Michææ locum alludens Paulus, vocat Christum pacem Iudæorũ & Gentium, dicens: *Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum; & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua*, &c. *vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo per crucem, interfi-*

ficiam

ficiem inimicitias in semetipso, Ephes. 2. 14. Vide ibi dicta. Vis ergo pacē cum Deo, cum anima, cum proximis? Christū qui est pax nostra, adi: pacem à pace posce: Christum in mente tua defige, & pacem defixisti. Ipse enim est princeps pacis, æquè ac pater futuri sæculi, vti eum compellat Isaias c. 9. 6. Rursum, vis indiciū, ex quo certò scias an Christus in anima tua habitet? aduerte an habeas pacem in conscientia. Si habes, vtique ibidē adest & dominatur auctor & rex pacis. Si non habes, vtique Christus abest; quia sicut sol sine luce, ignis sine calore, rex sine regno, ita Christus sine pace esse nequit. nam in pace factus est locus eius, psal. 75. 3. Hoc est quod inculcat Apostolus: *Pax Christi exultet in cordibus vestris*, Colos. 3. 15. Vide quæ ibidem, & Isaiæ 2. 4. annotaui.

CVM VENERIT ASSYRIVS] Alludit de more ad Isaiæ cap. 36. Nam per *Assyrium* propriè B intelligit Sennacherib, tempore Ezechiæ imminentem Hierosolymæ, quem Christus occidit per angelum. itaque pacem dedit vrbi & regi Ezechiæ. Consequenter tamen sub *Assyrio* intelligit Nabuchodonosor, Antiochum, Pompeium, Neronem, Decium, alioſque Israelis & Ecclesiæ hostes & persecutores, vti iam dixi. Hosce enim omnes debellauit, & indies debellat Christus, pro fidelibus suis decertans.

SVSCITABIMVS SVPER EVM SEPTEM PASTORES, ET OCTO PRIMATES HOMINES] Hebr. *hominum*, & ita in Latinis legendum censet Ribera. Vnde & Syrus vertit, *octo principes hominum*. Arabicus. *octo primates* vel *præfectos hominum*. Verùm Biblia Latina Regia, Vaticana, & alia omnia legunt *hominū*. nam *primates hominis*, id est homi- C num, sunt *primates homines*; Chald. *septem reges, & octo principes hominum*; Symmach. *septem pastores, & octo christos hominū: christos*, id est reges & principes: hi enim sunt christi, id est olei effusione (hanc enim significat Hebr. מָשַׁח *nosech*) vncti in sua creatione & inauguratione. Et Septuag. *consurgent super eum pastores, & octo morsus hominum*. Legerunt נְשִׁיכֵי *nesiche* per *schin*: נָשַׁךְ *nasach* enim per *schin* significat mordere. Verùm alij passim legunt נְשִׂיכֵי *nesiche* per *samech*: & tum significat principes. Sensus tamen eōdem redit. Nam per morsus Septuag. intelligunt principes & duces, qui mordeant & subigant Assyrium, vti leones mordendo subigunt sibi feras quaslibet. Nota. *Pastores* ijdem sunt qui *primates*, putà principes. q. d. Contra Assyrium excitabimus septem, imò octo, id est multos, imò plurimos principes; qui D eis resistant, eumque debellent. Septenarius enim numerus in Scriptura symbolum est multitudinis: quòd si addatur octonarius, magnam & ingentem multitudinem significat; vt cùm dicitur Eccles. 11. 2. *Da partem septem, nec non & octo*. Sensus est q. d. Panum & opum tuarum partes eroga liberaliter in pauperes, ac dato eleēmosynam septem, id est multis, nec non & octo, id est multò pluribus indigentibus. q. d Da quot quātique potes. Alludit ad reges Assyriorum & Persarum, qui penes se habebant septem principes, quasi summos consiliarios & administros in gubernatione regni, qui instar septem angelorum principum, per quos Deus Ecclesiam orbemque regit, de quibus Iob 12. 15. & Apocal. 1. 4. institui videntur; vti dixi Apocal. 1. 4. Sic Ierem. 39. 3. nominantur septem, imò octo principes Nabu-

A chodonosor, qui eius aulæ & castris præfecti, obsederunt & expugnarunt Hierosolymā, scilicet *Neregel, Sereser, Semegarnabu, Sarsachim, Rabsares, Neregel, Sereser & Rebmag*. Sic de Assuero marito Esther, dicitur c. 1. 14. *Erant autem primi & proximi* (Assuero regi) *Charsena, & Sethar, & Admatha, & Tharsis, & Mares, & Marsana, & Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, & primi post eum residere soliti erant*. Ex hisce septem fuit Darius Hystaspis, qui occisis Magis, deficiente stirpe Cyri in Cambyse, hinnitu equi electus est rex Persarum.

Sensus est Primò, q. d. Nunc ecce magnificabitur Christus dominator Israel. Nam cùm veniet Sennacherib Assyrius, vt obsideat & capiat Ierusalē, nos Israelitæ adunati cum Ezechia rege nostro, Christi inuocatione, ope & iussu excitabimus S. Michaelem cum sex suis socijs Archangelis, qui sunt principes aulæ cælestis, & tutores Synagogæ fidelium, vt per angelum octauum à se submissum, cædant castra Sennacherib. Hi enim sunt septem pastores, & octo primates hominum, vt habent Hebræa. Rursum excitabimus Eliacim, Sobna, Ioahe, & alios plures aulæ Ezechiæ principes, qui Sennacherib eiusque legato Rabsaci generosè resistant, & cæsis per angelum eius castris, illa dispolient & diripiant. Secundò, q. d. Cùm venerit Assyrius, id est Nabuchodonosor, ait Lyran. imperans tam Assyrijs quàm Babylonijs, & ceperit Ierusalē, ac Iudæos in Babylonem abduxerit, nos Israelitæ suscitabimus Prophetas, alioſque viros sanctos, quales erunt Daniel, Ieremias, Ezechiel, Esdras, Nehemias, Zorobabel, Iesus filius Iosedec, &c. qui inuocando Christum, prosternent Assyrium, id est, Balsasarem filium Nabuchodonosoris. Christus enim excitauit Cyrum qui per suos septem principes & reges, Balsasarem occidit, Babylonem cepit, & Iudæos inde liberauit. Septem hosce principes & reges Cyri (ad quos hîc alludit Michæas) nominat Xenophon li. 5. Cyripædiæ Eorum nomina sunt hæc: Embas rex Armeniæ, Antuchas Hyrcaniæ, Damatas Caduſiorum, Thambrodas Saccarum, Tigranes, ac Gadatas & Gobrias, qui duo Balsasarem occiderūt. Tertiò, q. d. Cùm venerit Assyrius, id est Antiochus Epiphanes tyrannus, vastans Iudæam, nostris precibus per Christum excitabimus, hoc est, Christus à nobis inuocatus excitabit, suos prodromos & præuios duces, qui Antiochum profligent, & Iudæos liberent; nimirum Machabæos septem, & plures; putà Matathiam, Iudam, Ionathan, Simonem, Ioannem, Hyrcanum, Alexandrum, &c. Denique Christo nato cùm venerit Assyrius, id est tyrannus Nero, Adrianus, Aurelianus, Decius, &c. item Arrius, Nestorius, Pelagius. Eutyches, alijque Hæresiarchæ Ecclesiam pessumdantes, Christus excitabit septem & octo, id est multos principes tum Ecclesiasticos, tum sæculares, qui illis resistant, illoſque debellent & prosternant. Tales fuere S. Petrus & Paulus certantes cum Simone Mago & Nerone, eoſque debellantes; S. Ioannes & S. Clemens cū Domitiano; S. Ignatius & S. Dionysius cum Traiano; S. Cornelius & S. Cyprian. cū Gallo & Volusiano. Tales rursum fuerunt Constantinus, qui Diocletianū & Maximianum summos Ecclesiæ persecutores ad restim adegit, ac Ecclesiæ pacem & imperium con-

Septem pastores sunt septem angeli principes.

Item septē principes Cyri.

Tertiò, Apostoli & viri Apostolici.

signauit; Theodosius, Arcadius, Honorius, Marcianus, & sequentes Imper. Christiani, qui per se suis armis, per Episcopos verò anathemate & censuris Ecclesiasticis perculerunt Nestorium, Eutychetem, Pelagium, & similes hæreticos in Concilio Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi, Constantinopolitano, &c. ita ferè S. Hieron. Repert. Hugo & alij. Dicit *suscitabimus*. quia Israelitæ, id est fideles, eligunt & creant sibi principes tum Ecclesiasticos, putà Episcopos per Clerum: tum læculares, putà Reges & Imperatores, per semetipsos.

Mysticè. Mysticè S. Hieron. per pastores & primates septem accipit Sanctos veteris, per octo Sanctos noui testamenti. Rupertus verò eos sigillatim sic enumerat. Septem, inquit, pastores fidelium fuerunt Abel, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moses & Dauid: octo verò primates, fuerunt octo iudices, id est, principes & saluatores Israel, scilicet Iosue, Caleb, Othoniel, Aoth, Barach, Gedeon, Iephte & Samson. Verùm hi diu ante Michæam vixerunt: Michæas autem hosce pastores & primates in futurum promittit. Ait enim *Suscitabimus*. &c. Mysticè quoque S. Ambros. in Genesim ad Horontianum enarrat. 2. sic explicat: *Septem pastores*, inquit, *legis præcepta sunt, quibus grex adhuc quasi irrationabilis in virga Moysis per desertum ductus & gubernatus est. Octo morsus hominum, mandata Euangelij, & Dominici oris alloquia. Corde enim creditur ad iustitiam, ore confessio fit ad salutem. Boni morsus, per quos æternæ vitæ munus gustauimus, peccatorum remissionem in Christi corpore deuorantes. In veteri testamento amarus morsus est mortis, propterea dictum est: Deuorauit mors prævalens. In nouo testamento suauis morsus est vitæ, quæ mortem absorbuit. Propterea Apostolus ait: Deuorata est mors in victoria sua. Vbi est mors victoria tua? vbi est mors aculeus tuus?*

Vers. 6. ET PASCENT TERRAM ASSVR IN GLADIO, ET TERRAM NEMROD IN LANCEIS SVIS] *Terra Assur* est Niniue & Assyria, ità dicta à primo eius incola Assur, filio Sem. *Terra Nemrod* est Babylon: ibi enim Nemrod tyrannus regnare cœpit; vti superiùs dixi. Sensus est, q. d. Cyrus pascet, id est reget & debellabit suis gladijs & lanceis Assyriam & Babylonem. Rursùm cùm Assyrius Sennacherib venerit in terram nostram, debellabunt eum Isaias, Ezechias, &c. per angelum. Porrò Christus natus, per suos Apostolos & successores, armis spiritualibus debellabit reges & principes Assyriorum, Græcorum, Romanorũ, &c. eosque conuertet & subiget adeò, vt ipsi iam conuersi pascant quoque, id est regant, tueantur, & propagent Ecclesiam; vti fecit Constantinus, & posteri.

Nota. Pro *pascent*, &c. *terram Nemrod in lanceis suis*, Septuag. vertunt, *in fouea eius*. quod explicans mysticè S. Hieron. *Nemrod*, ait, *interpretatur tentatio descendens: gigantis enim & venatoris, & superbientis contra Dominum terra, non est in montibus, sed in foueis. Redacta est ergo terra Nemrod in foueis suis: Qui enim fodit foueam, incidet in eam.* Et mox: *Quòd autem* Symmachus ait, *Et pascent terram Assur in gladio, & regionem Nemrod intra portas eius; hoc sentiendum est. quòd in domo sua, alligetur fortis, & vulneretur aduersarius. Et iuxta Aquilam & Quintam editionem, scis & lanceis septem pastorum, & octo christorum hominum confodiatur.*

ET ERVNT RELIQVIAE IACOB] q. d. Apostoli & similes credentes Christo, licèt pauci & quasi reliquiæ Iudæorum, erunt quasi imber & ros optatissimus, qui diuina sua doctrina & vitæ sanctitate fœcundabunt terram, id est homines terrenos: terram inquam, quæ non exspectat virum, id est manũ & opera hominis, scilicet irrigantis, sed Dei & gratiæ cælestis. q. d. Deus sua cælesti luce & gratia ad prædicationem Apostolorũ illabens mentibus auditorum, easque placidè & suauiter irrorans, faciet eas fœcundas virtutibus & bonis operibus. ita S. Hieron. *Ardebant* enim, inquit, *ignitis diaboli iaculis corda populorum. Et omnes gentes adulterantes à Deo, habebant corda quasi clibanus igne succensus. Vnde vos à Domino cadem, factus est sanitas infirmorum*; vti factus est tribus pueris in fornace Babylonia, Dan. 3.

QVASI STILLAE SVPER HERBAM] Sic & Aquila, Theodot. & Chald. qui habet, *sicut gutta imbris serotini super herbam*. Quare mirum est Septuag vertere, *sicut agni super gramen*, præsertim cùm non ouium, sed roris mentio præcesserit. Est tamen apta similitudo: Apostoli enim agnina sua innocentia, candore, modestia & puritate illapsi sunt mentibus hominum, sicut agni illabuntur gramini. Vnde Christus, *Ecce*, inquit, *ego mitto vos sicut oues in medio luporum*, Matth. 10. 16.

QVASI LEO IN IVMENTIS] quasi leo inter bestias. q. d. Apostoli quasi leones potentissimi subijcient Euangelio quosuis infideles, vt nemo eis possit resistere: in infidelitate verò sua obstinatos minis & miraculosis suis plagis percellent; vti Paulus excæcauit Elymam magum, ac Petrus Simonem volantẽ in terram deijciens, eius crura confregit. Rore significatur suauitas, leone robur & efficacia Apostolorũ, Euangelij & gratiæ Christi. Hoc est enim optimũ regimen, quo suauitas cum fortitudine & efficacia miscetur. Eo enim vtitur Dei prouidentia in regimine mundi, quæ *attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*, Sapient. 8. 1. ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Rupert. Lyran. Vatabl. & alij. Alludit, & obiter quasi perstringit Iudam & Machabæos, qui quasi leones subiugarunt hostes Israelis. De Iuda enim dicitur 1. Machab. 3. 4. *Similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venatione*. Et de Machab. li. 2. c. 11. *Leonum more impetu irruentes in hostes prostrauerũt*. nam *leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum*, Prou. 30. 30. Audi Silium Italicum li. 12. Paulum Consulem leoni comparantem:

Paulus vt aduersam videt increbrescere pugnam,
Ceu fera, quæ telis circumcingentibus vltrò
Assilit in ferrum, & per vulnera colligit hostem,
In medios fert arma globos.

Ita in infideles insilijt S. Paulus, Apostoli, virique Apostolici, vt S. Xauerius, Gaspar Barzæus, Iosephus Anchieta, alijque leones Christiani huius æui.

9. Exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt.

10. Et erit in die illa, dicit Dominus: Auferam equos tuos de medio tui, & disperdam quadrigas tuas.

11. Et perdam ciuitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas, &

auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te.

12. Et perire faciam sculptilia tua, & statuas tuas de medio tui: & non adorabis vltrà opera manuum tuarum.

13. Et euellam lucos tuos de medio tui, & conteram ciuitates tuas.

14. Et faciam in furore & in indignatione vltionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.

EXALTABITVR MANVS TVA] scilicet ô Christe, ô dominator Israel. Respicit enim ad v. 2. & 4. vbi dixit: *Et pascet in fortitudine Domini, &c. nunc magnificabitur vsque ad terminos terræ.* ita S. Hieron. Remig. Rupert Hugo & Vatablus. Secundò, *tua*, scilicet ô Iacob, ô Israel. ita Theodor. Rupert. Lyran. & Arias. q. d. Manus tua, ô Israel, tempore Christi exaltabitur super hostes tuos, scilicet Gentiles & infideles. Hos enim Apostoli ex te nascituri, tuique filij occident, vt intereant non corpore, sed mente & vita; scilicet quoad infidelitatẽ & vitam pristinam, quam in Dei ignorantia & sceleribus egerunt. Occidentergo in eis impietatem, libidinem, ebrietatem, &c. facientque vt viuat in eis pietas, castitas, sobrietas, &c. ita S. Hieron. Quæ victoria longè maior & nobilior est, quàm si omnes trucidarent. Quid enim mirabilius, quid generosius, quàm inimicos occidere, eosque facere amicos; infideles occidere, & facere fideles; impios pios, incestos castos, ebrios sobrios? &c. Hic sensus planior est. Nam de Iacob immediatè præcessit: *Erunt reliquiæ Iacob in Gentibus*, &c. Et de eodem sequitur: *Auferam equos tuos de medio tui.* Hic tamen sensus cum priori coincidit. Exaltatio enim Christi, est exaltatio Israelis, id est Ecclesiæ, & vicissim.

AVFERAM EQVOS TVOS DE MEDIO TVI] Pergit loqui de Iacob, id est Apostolis & fidelibus patribus per Gentes, easque ad Christum conuertentibus; hoc est, de Ecclesia Christi, quæ cœpit ex Iudæis, creuit ex Gentibus. Vnde de Gentibus maximè hic loquitur, quæ de idololatria & gentilitate conuertendæ erant ad Christum & Ecclesiam: nec enim Iudæi tempore Christi, imò nec post reditum è Babylone, publicè idola coluerunt. Sensus est, q. d. Ô Iacob, id est ô Ecclesia, quæ orta es ex Iacob, sed maximè propagata es per Gentes, auferam tibi omnia præsidia, omnia arma, omnes arces & munitiones, quibus antea Christum fidemque Christi oppugnabas, vel illi resistebas; ac nominatim auferam maleficia, diuinationes, oracula, idola, eorumque fana & vrbes. Hæc enim infideles opponebant fidei & Ecclesiæ, iisque quasi arietibus Ecclesiam impetebant. Hinc secundò, auferam tibi hæc arma, quia dabo tibi plenam pacem, confidentiam & securitatem in Christo, quo nixus securè in eo, eiusque præsidio conquiesces, nec confides in armis gentilis, aliisque humanis auxilijs; vtpote quæ imbecilla & inualida expertus contemnes. Hoc est quod dixit c. 4. 5. *Concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in falces. Et sedebit vir subtus vitem suam.* Tertiò, auferam tibi arma, quia faciam vt armis non propages tuos limites, sed cælesti doctrina, mansuetudine, sanctitate, patientia, morte & martyrio, ita Arias, Vatabl. & Lyranus.

Mysticè. Mysticè S. Hieron. O *Israel*, inquit, *interficiam equos tuos de medio tui, id est, de principali cordis tui lasciuientes impetus, & equorum more ruptis vinculis proruentes; & currus tuos, quibus tibi in vitiis placebas, & peccata peccatis consocians, quasi triumphans in quadrigis ferebaris.*

VERS. 11. ET AVFERAM MALEFICIA] Hebr. & Chald. *succidam maleficos de manu tua*; Chald. *de medio tui, & præstigiatores non erunt tibi*: succisis enim maleficis & præstigiatoribus, succiduntur maleficia & præstigiæ; sicut succisis hæreticis Ministris & libris, succiditur hæresis. Hebr. malefici vocantur מְכַשְּׁפִים *mecassephim*, diuini מְעוֹנְנִים *meonenim*. Vnde Tigurina vertit, *astrologi*. *Meonenim* ad verbum sunt oculatores, id est, obseruatores vel temporum, vel somniorum, vel astrorum, vel auium; aut præstigiatores, qui oculos perstringunt & ludificant, vti dixi Leuit. 19. 26. hi enim frequentes erant apud Iudæos. Vnde Iuuenalis satyra 6.

Qualiacumque voles Iudæi somnia vendunt.

ET DIVINATIONES NON ERVNT IN TE] Christus enim deorum, id est dæmonum, oracula sustulit, non tantùm apud Christianos, sed & ijsdem apud Gentiles silentiũ imposuit; vnde Plutarch. librum edidit de Oraculorum silentio. Et Iuuenalis, qui coæuus fuit Apostolis, sat. 6. asserit Astrologos & Chaldæos à Gentilibus consuli, eò quòd dæmones obmutuerint:

Chaldæis sed maior erit fiducia: quidquid
Dixerit Astrologus, credant à fonte relatum
Hammonis: quoniam Delphis oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.

VERS. 13. ET EVELLAM LVCOS] in quibus Gentiles erigebant sua idola & fana, ibique celebrabant sacrilega sua sacrificia, festa & conuiuia. Lucus est nemus arboribus densum: dictus Lucus, non quòd ibi sint lumina religionis causa, vt aliqui volunt, sed per antiphrasin, quòd minimè luceat, sicut bellum dicitur, quasi minimè bellum & bonum. Lucus enim non erat cæduus religionis, id est superstitionis, causa: nec enim licebat eius arbores cædere; quin potiùs manu consitus, religiosus erat, atque vel alicui Deo, vel alicuius hominis cineribus consecratus. Lucus ergo erat sacer. Vnde Virgil. 1. Æneid. *Lucus quid?*

Lucus in vrbe fuit media, lætissimus vmbra.

Vbi Seruius: Vbicumque, ait, Virgil. lucum ponit, sequitur etiam consecratio; vt,

Luco tum fortè parentis
Pilumni, Turnus sacrata in valle sedebat.

Heroum enim animæ dicebantur lucos incolere. Vnde Virgil. Æneid. 6.

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Hinc Deus lucos, vt superstitiosos & idololatricos, succidi iussit Deuter. 12. 3. & Exodi 34. 13.

ET CONTERAM CIVITATES TVAS] Hebr. עָרֶיךָ *arim* & ciuitates, & hostes significat. Vnde Chald. Arias, Pagnin. & Vatabl. vertunt, *conteram hostes tuos*; Septuag. tamen, Noster, Tigurina, & alij vertunt, *conteram*, vel disperdam *ciuitates tuas*, idololatricas scilicet, in quibus sunt idola & luci, vti præcessit: quæque idolis sunt consecratæ, vti Dan & Bethel consecratæ erant vitulis aureis; Delphi Apollini, Heliopolis soli. Aliæ ergo sunt hæ ciuitates ab illis, de quibus dixit v. 11. *Et perdam ciuitates terræ tuæ*: ibi enim per *ciuitates* intelligit

ligit munitiones & arces, quibus præsidebant Gentiles. q.d. Auferam tibi munitiones, arma, omniaque præsidia humana, quibus confidere soles, vt vni Deo fidere & inniti discas. Hîc verò ciuitates dijs vel idolis consecratas intelligit. Portò contriuit Deus ciuitates, cùm per Apostolos effecit, vt desinerent esse Gentiles, & inciperent esse Christianæ; vt iam viuerent Christo, quæ antea vixerant Veneri, Ioui & Baccho; vti dixi v. 9. Pulchrè S. Hieron. *Dispердam*, ait, *ciuitates terræ tuæ. Non enim ædificasti vrbem, quam lætificat impetus fluminis Dei.* psal. 35. *& quæ in montibus sita est, & cælestem Ierusalem; sed quam ædificauerat Cain, Genes. 4. Vnde & dicuntur ciuitates terræ, operibus terrenis exstructæ.*

A Vespasianū. Idem fecit subinde varijs gentibus, quæ prædicatores Euangelij exploserunt & occiderunt; sed omnibus idipsum faciet in die iudicij, *in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi*, vt ait Apost. 2. Thessal. 1.8.

Porrò Iudæi hæc omnia à v. 5. huc usque referunt ad suum Messiam, quem ipsi exspectant in fine mundi; postquam septem quos fingunt & quos volunt pastores, & octo principes homines Assyrium vicerint: tunc enim veniente Christo, Iudæos fore in benedictione, robore & gloria, vt quasi leones omnes gentes sternant & subigant. Verùm *respondeat carneus Israel*, ait S. Hieron. *quæ tunc de Israel idola auferentur, quæ non colit? qui succidentur luci, quos non habet? vrbes subruentur, quæ olim subrutæ sunt? qui ululatur arioli, quos cùm non habeat, nec habere se gloriatur, tamen tanto tempore derelicta est filia Sion, & erit sine altari, & sine sacerdotibus; & aliis frugum comedentibus, ipsi siccis faucibus, sibi futura promittunt, quæ nesciunt.*

Vers. 14. ET FACIAM IN FVROREET IN INDIGNATIONE VLTIONEM IN OMNIBVS GENTIBVS, QVAE NON AVDIERVNT] Chald. *quæ non receperunt doctrinam legis.* q.d. Eos qui audire, id est, credere & obedire noluerint Euangelio, vlciscar & puniam. Ita Iudæos Christi contemptores & homicidas, vltus est & ad internecionem deleuit per Titum &

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

REdit Propheta à Bethlehem, Christo & Apostolis, ad sua tempora; ac cum Iudæis sui nis patheticè nomine Dei disceptat & expostulat: Populo meus, *inquit*, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? *Deinde beneficia multa & grandia eis à se collata recensет, vt ostendat eorum summam ingratitudinem; quòd à Deo ad idola & scelera defecerint. Mox v. 6. ys postulantibus qua ratione Deum sibi reconciliare possint, respondet v. 8. dicens*: Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. *Tertiò, v. 9. horribilem Dei vocem & minas eis intentat, ob eorum iniquas mensuras & pondera, similesq; fraudes & dolos, quibus expilabant pauperes: quapropter minatur eis egestatem, excidium, captiuitatem & opprobrium. S. Hieron. Remig. & Hugo putant Prophetam hæc loqui ad Israel, id est ad decem tribus: quia v. 16. meminit Amri & Achab regum Israel. Melius Theodor. Vatabl. & Arias censent hæc dici Iudæis, siue duabus tribubus. Videtur enim hæc Propheta vaticinatus sub Ezechia, post excidium decem tribuum, vti dixi c. 3. 12. cùm sola duæ tribus in Iudæa remanebant.*

Vers. 1. AVdite quæ Dominus loquitur: Surge, contende iudicio aduersum montes, & audiant colles vocem tuam.

2. Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ: quia iudicium Domini cum populo suo, & cum Israel diiudicabitur.

3. Populo meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? responde mihi.

4. Quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruientium liberaui te: & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam?

5. Populo meus memento quæso quid cogitauerit Balach rex Moab; & quid responderit ei Balaam filius Beor, de Setim vsque ad Galgalam, vt cognosceres iustitias Domini.

Vers. 1. AVDITE, ô Iudæi, ô Hierosolymitæ, QVAE DOMINVS LOQVITVR ad me Michæam, vt eadem vobis referam & annunciem. Dicit ergo mihi Deus: SVRGE, CONTENDE] Iubet hîc Deus

B Michææ, vt suo nomine contendat & disceptet cum Iudæis, eosque de sceleribus arguat. Pare iubenti Deo Propheta v. 2. dicens: *Audiant montes iudicium Domini.* Simili modo contendit Deus cum Israele per Ierem. c. 2. 9. dicens: *Propterea adhuc iudicio contendam vobiscum, ait Dominus, & cum filiis vestris disceptabo. Transite ad insulas Cethim, &c. & videte si factum est huiusce modi.*

CONTENDE IVDICIO ADVERSVM MONTES, ET AVDIANT COLLES VOCEM TVAM] Hebr. *litiga cum montibus*; Septuag. *iudicare ad montes*; Pagninus, *ostende iudicium montibus.* Vnde à Castro cen-

C set hîc citari montes tamquam testes, non tamquam reos: rei enim sunt Israelitæ. Verùm melius Noster vertit, *contende iudicio aduersùm montes*; tum quia Hebr. ריב *rib* quando construitur cum את *eth*, quod Latini vertunt, litigare cum aliquo, Hebræis, æquè ac Latinis, idem est quod litigare aduersus aliquem: tum quia sic maius est orationis pondus & energia, vti iam ostendam. Citantur ergo hîc montes vt rei, eò quòd in montibus erecta fuerint & culta idola: licet enim propriè populus sit reus, tamen, quia is durus & rebellis nolebat audire Prophetas, & per eos litem & iudicium Domini; hinc ad pathos citan-

cantur montes, in quibus populus peccauerat. quod Vos ô montes insensibiles, magis sensati estis quàm sensibiles Israelitæ: vos enim sentitis vocem & iussum Dei creatoris vestri, eique obedi-
ent, quemilli non sentiunt. Vos ergo cito, vt incolas vestros, qui rei sunt, repræsentetis; vt ipsi per vos audiant & cognoscant iustam meam litem, actionem & querelam; seque reos fateantur, pœniteant, & veniam petant. Est prosopopœia: *mons* enim hic inducuntur quasi personæ viuæ & rationales; quia ipsi per aras & idola, perque victimarum sanguinem, ossa & cineres quæ in ipsis erabant, muta sed clara voce loquebantur Iudæorum idololatriam & scelera, ac consequenter iustam Dei contra eos esse actionem & expostulationem. In hac ergo lite Deus est actor, Iudæi cum montibus totaque Iudæa sunt rei, reus est Michæas, iudices sunt angeli & homines; imò ipsimet rei, qui audita tam iusta Dei beneficentissimi querela, non possunt non ipsi iustam adiudicare, & seipsos ingratitudinis condemnare. ita Theodor. Arias & Clarius. Simili prosopopœia terram Iudæorum citat & inclamat Ierem. c. 22. 29 *Terra*, ait, *terra, terra audi sermonem Domini*. Et Isaias c. 1. 2. citat cælos & terram *Audite*, inquit, *cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est.*

Symbolicè, per *montes & colles* Propheta intelligit principes & magistratus, qui in populo eminebant, sicut montes in terra, de quibus Habac. c. 3. 6. *Dissoluit gentes, & contriti sunt montes saculi*; & psal. 71. 3. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam*. Iidem sunt *fundamenta terræ*, qui populum sustentant quasi fundamēta, quo-
C erat rex græcè dicitur βασιλεὺς, quòd sit quasi basis populi, & Hebr. *adon*, id est dominus, dicitur עדן *eden*, id est basis. ita S. Hieron. Haymo, Rupert. Lyran. & Vatablus. Huc pertinet versio Caldæi, qui per *montes* intelligit patres, per *colles* matres Iudæorum: *Contende*, inquit, *cum patribus, & audiant matres vocem tuam*. Vnde S. Hieron. per *montes* accipit Abraham, Isaac, Iacob, & vitas sanctos, qui posteris debuerant esse regula vitæ & stimulus virtutis, vt appareat quàm hi ab illis fuerint degeneres, quos in hoc iudicio patrum pietas & religio condemnat. Quocirca vituperantes docent, nihil esse quod magis desiderare excutiat, stimulumque det ad omnem virtutem, quàm sibi iugiter ob oculos ponere viros sanctos, præsertim sui status & Ordinis, qui streuum Deo & virtuti nauarunt operam. Id quis-
D que experitur in se, scilicet cùm patrum, vel sanctorum quos colit & amat, heroica facta recogitat, mirificè se ad eadem imitanda excitari. *Aetas maiori discit arare minor.* Aureum est hac de re præceptum Senecæ li. 1. epist. 11. *Aliquis vir bonus eligendus est, ac semper ante oculos habendus, ut tamquam illo spectante viuamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus. Hoc, mi Lucili, Epicurus dicit, custodem nobis & pædagogum dedit; nec immerito. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis adsistat. Aliquem habeat animus quem vereatur, cuius auctoritate etiam secreta sua sanctius faciat. O felicem illum, qui non actus tantùm, sed etiam cogitationes emendat! O felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat atque erigat! Qui sic aliquem vereri potest, citò erit verendus. Elige itaque Catonem: si hic videtur tibi nimis*
A *rigidus, elige remissioris animi virum Lælium; elige eum cuius tibi placuit & vita, & oratio: & ipsius animum ante te ferens & vultum, illum semper tibi ostende, vel custodem, vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo, ad quem mores nostri se ipsi erigant. Nisi ad regulam, praua non corriges.* Ita P. Scipio Africanus iugiter sibi ob oculos ad imitandum proponebat Cyrum Xenophontis, Iulius Cæsar Alexandrum Magnum, Selymus Turcarum Imp. Iulium Cæsarem. Plato Socratem adeò imitatus est, vt passim, etiam ab Aristotele, vocetur iunior Socrates. Nam, vt ait Arist. li. 9. Ethic. *Accipere virtutes virtuosorum beatissima est vita.* Et Plutarch. in Moral. *Sicut*, ait, *qui se comunt, adhibent speculum; sic gesturus negotium, proponat sibi laudatorum virorum exempla.* Et rursum: *Aduersus omnes animi perturbationes, exempla quædam optimorum virorum habenda sunt in promptu.* Denique S. Basil. epist. ad Gregor. de vita solit. Sicut, ait, pictores sæpè inspiciūt exemplaria, vt ea expingant; sic qui studet perfectioni virtutis, debet ad vitas Sanctorum, quasi ad simulachra vita & actione prædita, sæpè animi oculos conuertere. Quocirca vtilissimum est, crebrò vitas Sanctorum lectitare. Id fecit S. Dominicus, S. Thomas Aquinas, & alij; ac in primis S. Ignatius, qui earum lectione à militari vita conuersus ad sanctam & spiritualem, fundator Societatis nostræ effectus est.

B Mysticè S. Hieron. per *montes* accipit angelos è cælis ad nostram custodiam deputatos, quasi illi citentur à Deo, vt hominum sibi commissorum, & scelerum quæ ipsi commiserunt, rationem reddant. Verùm hoc cum grano salis accipiendum; scilicet vt citentur non tamquam rei, sed tamquam testes operum, quæ homines ipsorum clientes patrarunt. Nam alioqui id sapit errorem Origenis, qui censebat angelos in hominum custodia mereri & demereri; vt, si bene eos custodierint, à Deo præmientur; si malè, puniantur & in gehennam trudantur: ideoque adhuc non esse beatos, sed de sua salute & beatitudine incertos. Similis fuit error Magistri sent. in 2. dist. 11. lit. D. E. & G. vbi docet angelos per custodiam hominum sedulam, vsque ad diem iudicij crescere in merito & præmio beatitudinis, non tantùm accidentalis, sed & essentialis. quem ibidem refutant omnes Scholastici.

AVDIANT MONTES IVDICIVM DOMINI] *Iudicium* hisce duobus versibus sumitur prolite iudiciali & actione forensi. Vnde Tigurina vertit, *audite montes actionem*, id est, vt Vatabl. disceptationem, rixam, controuersiam, *Domini*: hæc enim in iudicio ab actore agitur coram iudice, reo se defendente. VERS. 2.

ET FORTIA FVNDAMENTA TERRAE] Septuag. *& valles fundamenta terra*. Sic & Chald. *& radices*, inquit, *fundamentorum terræ*. valles enim imæ sunt, quasi montium & terræ radices & fundamenta: atque Iudæi non tantùm in montibus, sed & in vallibus habebant suos lucos & idola: tam ergo valles, quàm montes suis sacrilegis sacrificiis contaminabant. vnde valles æquè ac montes, quasi reæ citantur hîc à Deo. Secundò, per epexegesin, & posset accipi pro *id est*. q. d. Audite montes qui fortiter fundati estis in terra, ideoque estis quasi robusta terræ fundamenta. Montes enim quia excelsi, fortia habent in terra fundamēta: perinde ac turres quo celsiores sunt,

eo fortiora exigunt fundamenta. ita Vatabl. Addit à Castro, montibus & collibus quasi fundamentis, id est fulcris, terram fulciri. Vnde Arias censet eos hîc à Deo citari potiùs, quàm cælum & terram; quia non modò cælum, quod natura sua est mobile, sed & terram ipsam in medio orbis contentam & permanentem, montes stabilitate & firmitudine vincunt, vtpote qui robore, vallo & situ suo terram, ne vel ventorum impetu, vel caloris vi, vel aquarum inundatione dissipetur, contineant. Itaque montes magnæ in rerum natura virtutis & constantiæ nomen obtinent, sicut scriptum est psal. 64. *Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia.* Citat ergo hîc Deus montes, eorumque fundamenta, id est radices: hisce enim quasi fundamentis ipsi innituntur, vt significet fortem & constantem suam potentiam & beneficentiam, vti in montes, ita & in eorum accolas Iudæos, qua tamen ipli contra Deum abusi sunt ad cultum idolorum: quocirca pariter fortem & constantem hîc eis litem intentat, eo sensu quem paragrapho præcedenti assignaui.

A

B

QVIA IVDICIVM DOMINI CVM POPVLO SVO] Id est, vt Tigurina, *quia lis est Domino cum populo suo*, qui montes eorumque fundamenta accolit, & sceleribus suis polluit, q.d Paratus est Deus & intentus vt lite disceptet cum populo suo.

ET CVM ISRAEL DIIVDICABITVR] Id est, iudicio contendet & disceptabit. ita Vatablus: vnde Pagnin. vertit, *& cum Israel disputare volt*, non speculatiuè, vti disputamus in scholis; sed criminaliter, vti disputatur in tribunali. Sic Iob pro sua innocentia disputabat cum amicis, & cum Deo; atque amicos vicit, sed à Deo victus est. *Disputare cum Deo cupio*, inquit ipse c. 13. 3. sed post disputationem victus & confusus ait c. 42. 3. *Insipienter locutus sum, & quæ vltra modum excederent scientiam meam.* nimirum quòd ausus sim Deum ad disputationem prouocare, eique dicere: *Audi, & ego loquar; interrogabo te, & responde mihi.* vnde pœnitens subdit v. 6. *Idcirco*, inquit, *ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere.* Ita quisque in hora mortis, putà in iudicio particulari, disputabit defendetq; theses de anima, non specifica, sed indiuidua & sua; argumentantes erunt dæmones, imò Deus ipse. studeat ergo quisque bene non speculari, sed viuere, vt argumentis & obiectionibus omnibus, quæ de vita bene vel malè transacta proponentur, satisfacere possit. Sapienter noster Thomas li. 1. de Imit. Christic. 3. *Certè*, ait, *adueniente die iudicij non quæretur à nobis quid legimus, sed quid fecimus; nec quàm bene diximus, sed quàm religiosè viximus.* Tunc enim Christus Dominus magistrorum Magister, omnium lectiones audiet, omnes examinabit, cum omnibus disputabit de moribus & vita cuiusque. Ita Climachus in Gradu timoris, refert disputationem Stephani viri sancti cum dæmonibus in agone mortis, in qua aliquando respondebat, aliquando victus succumbebat, vt ingentem horrorem astantibus incuteret. S. Hieron. epist. ad Eustochiũ, narrat se, cùm magis Ciceroni quàm S. Scripturæ addictus esset, raptũ ad Christi tribunal, ibique examinatum ab eo ac diuerberatũ.

C

VERS. 3. POPVLE MEVS QVID FECI TIBI?] Hîc incipit iudicium, id est lis, actio & accusatio Domini; eaque neruosa & pathetica. Iam Primò, Arias hæc legit per notam admirationis, sicque explicat, q.d. Populo meus quot quantaque bona feci tibi! quanta beneficia in te contuli! quomodo ergo eorum obliuisci, iisque ingratus existere potuisti? Secundò, Chaldæus vertit, *quid bonum feci me facturum tibi, quod non fecerim?* Tertiò, alij passim sic explicant, q.d. Quid mali feci tibi? quare te offendi? quam occasionem desciscendi à me tibi dedi? Sequitur enim, AVT QVID MOLESTVS FVI TIBI?] Pro quo S. Hieron. in comment. vertit, *quo labore te pressi?* Pagnin. *in quo laborauit sum te?* Vatabl. *quanam re fatigaui te*, vel feci te deficere? Chald. *quàm infirmitatem grauem multiplicaui super te?* Propriè enim, vt patet ex sequentibus, respicit miraculum illud ingens & continuum, quo Deus Hebræos quadraginta annis per desertum deduxit sanos & vegetos, ita vt labore itineris non fatigarentur, nullique intereo essent infirmi vel ægri, iuxta illud psal. 104. 37. *Et non erat in tribubus eorum infirmus.* Et Deut. 8. 4. ait Moses Hebræis: *Vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus: en quadragesimus annus est.* Ita explicat S. Hieron. Remig. Rupertus, Lyranus, Hugo, Dionys. & alij.

D

Secundò tamen, generatim hæc verba vt sonant, accipi possunt de qualibet molestia, q.d. Qua in re te afflixi? qua in re tibi molestiam exhibui? An quòd in deserto pro cæpis Ægypti, tibi manna plui? at manna non amarum erat, sed gratum & sapidum, habens omnem saporis suauitatem, Sapient. 16. 20. erat enim panis cæli & angelorum. psal. 77. 25. An quòd ex Ægypto in desertum te eduxi, & pro domibus in tentoria, vel potiùs sub dio habitare te feci? at columna nubis te ab imbre, æstu, omnique aëris intemperie protexi, mitiusque te tractaui, quàm si in aula Pharaonis habitasses? An quòd leges tot, tasque varias per Mosem tibi dederim? at qui manna te alui, iure meo potui & leges dare, iuxta vetus dictum: *Cùm paueris impera.* Rursum has leges exigebat tua pronitas in superstitiones, idolatrias & nouitates quaslibet, quæ hisce legibus detinenda, occupanda & frænanda erat; eque longè suauiores sunt legibus idolorum & Gentium, vti tu expertus es, cùm ex earum præscripto filios & filias tuas idolo Moloch concremasti, &c. Vnde Syrus vertit, *populus meus quid feci tibi, aut in quo contristaui te* (Arabicus, *persecutus sum te*) *demonstra mihi*; Arabicus, *argue me.* Hæc & sequitur:

QVIA EDVXI TE DE TERRA ÆGYPTI?] Non hæc cum Roman. legenda esse per interrogationem, q. d. Estne hoc quod mihi obiicis quia te afflixerim, quòd scilicet te eduxi è terra & seruitute Ægypti? nec enim video aliud quid mihi possis obiicere, nisi hoc aliaque similia beneficia, quæ exinde continua & plurima in te contuli: nihil enim mali tibi irrogaui. Esto enim permiserim quandoque te affligi à Philistæis, Idumæis, alijsque gentibus; tamen id non feci nisi prouocatus à te, ad tua scelera castiganda & cohibenda. Hoc ergo bonum tuum fuit, non malum; & proinde ego id permisi non ex odio, sed ex amore tui. Est mycterismus, siue tacita subsannatio. Vide canon. 7. in proœmio operis.

DE DOMO SERVIENTIVM LIBERAVI TE] Hebr. *de domo seruorum*; Septuag. & Chald. *de domo ser-*

nitatis, ita vocatur Ægyptus; quia talis fuit Hebræis, qui quasi mancipia Ægyptiorum seruiebant eis in latere & luto, Exodi 1. & sequent. Adde Arias & Vatab. Ægyptum vocari domum seruitutis, ex eo quòd Ægyptij fuerint serui; vt pote seruituti addicti à Noë maledicente filio suo Cham: *Seruus seruorum erit fratribus suis*, Gen. 9. 25. Nam filius Cham fuit Mesraim primus Ægypti incola, paterque & nomenclator Ægyptiorum: nam Ægyptus hebr. vocatur Misraim, q.d. In Ægypto seruiebas non nobilibus, non dominis, non ingenuis; sed seruis, & olim à patre parente suo Noë seruitute damnatis, quibus seruire vilissima erat seruitus: quanta ergo fuit vilitas, tanta fuit mea in te clementia, cùm ex ea te eduxi.

ET MISI ANTE FACIEM TVAM MOYSEN, AARON ET MARIAM?] Hi tres fuere duces & directores Hebræorũ egredientium ex Ægypto, per eos Hebræi ingentia acceperũt beneficia. Nam à Moſe per desertum deducti, gubernati, & cibo cœlesti pasti sunt: ab Aarone per sacrificia, lustrationes, expiationes, preces & vota expiati, Deoque reconciliati sunt: à Maria prophetiam, doctrinam & gubernationem feminarum acceperunt. Vide Chald. vertit, *misi ante te tres Prophetas, Moſen, Aaron & Mariam. Moſen ad docendum sublimem traditionem, Aaron ad expiandum populum, Mariam ad eruditionem feminarum.* ita S. Hieron. Haymo, Remig. Lyran. & Hugo.

Alleg. Moses repræsentat principatum & legislationem Christi in Euangelio; Aaron eiusdẽ sacerdotium & sacerdotium; Maria B. Mariam Christiparam & Deiparam. Sicut ergo summum beneficium Iudæis à Deo datum assignat hic Michæas, quòd dederit eis Mosen, Aaronem & Mariam; ita summum Christianorum, totiusque orbis & sæculorum omnium beneficium à Deo datum, est Christus & Maria. Sicut enim bonum domus amplæ consistit in strenuo patrefamilias, & cellula matrefamilias; ita bonum Ecclesiæ cõsistit in Christo & Maria: quam proinde S. Leo serm. 1. de pass. salutiferam Virginem nuncupat. Et S. Germanus Patriarcha Constantinopol. in orat. de Deipara: Sicut, inquit, continua respiratio non solùm est signum vitæ, sed etiam causa; ita sanctissimum Mariæ nomen, quod in Dei genitricis ore assiduè versatur, simul argumentum est quòd verè vitâ viuant: simul etiam hanc ipsam vitam efficit & conseruat, omnemque eis auxilium & opem ad omnia impartitur. Deus erga peregrinatione & nauigatione huius vitæ tam obscura & periculosa, dedit nobis Mariam, quasi stellam maris & cynosuram; quæ iter nostrum dirigat, & ad portum salutis perducat. Et S. Bernard. hom. 2. super Missus est: *Si insurgant, ventitentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam: si iactaris super undas superbiæ, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice stellam, voca Mariam. In periculis, in angustiis, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde; & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum. Ipsam sequens, non deuiabis; ipsam rogante, non desperabis; ipsam cogitans, non errabis. Ipsa tenente, non corruis; ipsa protegente, non metuis; ipsa duce, non fatigaris; ipsa propitiâ, peruenis.* Idem serm. 1. super Missus. B. Mariæ: *Altiùs*, inquit, *intuemini quanto deuotionis affectu à nobis Mariam voluerit honorari: vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus planè deliciarum, quem non modò afflauerit veniens, sed & perflauerit superueniens Auster ille diuinus; vt vndique fluant & effluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, vbi dies? tolle Mariam, hanc maris stellam; maris vtique magni & spatiosi, quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, ac densissima tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur: quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.*

Quocirca Ecclesia in Parasceue hæc omnia appositè & patheticè Christo adaptat, eaque vsurpat & canit in adoratione & deosculatione crucis; vt quisque Christum crucifixum deosculans, putet sibi hæc à Christo dici, quæ ad literam Iudæis dicta sunt: non enim tam Iudæi, quàm quisque suis peccatis Christũ flagellauit, spinis coronauit, & crucifixit. Audi carmen, imò improperium & threnos Christi in cruce, petitos ex hoc loco Michææ, & ex Ierem. 11. 16. qui corda saxea emolliant, soluantque in lachrymas: singula enim beneficia Christi, singulis Iudæorum in eum maleficijs directè opponunt, ideoque totidem improperia ingratis in faciem ingerunt. Præcentores præeunt singula, chorus deinde totus vice Christi proclamat, iteratque iugiter & inculcat Trisagion, &, *Populeus meus quid feci tibi?* &c. Sic ergo inchoant bini præcentores: *Populeus meus quid feci tibi? aut in quo contristaui te? respondemihi. Quia eduxi te de terra Aegypti, parasti crucẽ Saluatori tuo.* Chorus alternatim respondet: Ἅγιος ὁ Θεὸς, *sanctus Deus*: Ἅγιος ἰσχυρὸς, *sanctus fortis*: Ἅγιος ἀθάνατος ἐλέησον ἡμᾶς, *sanctus immortalis, miserere nobis.* Rursum præcentores: *Quia eduxi te per desertũ quadraginta annis, & manna cibaui te, & introduxi te in terram satis optimã.* Chorus respondet, Ἅγιος ὁ Θεὸς, *sanctus Deus*, &c. Præcentores iterum: *Quid vltrà debui facere tibi, & non feci? Ego quidem plantaui te vineam meam speciosissimã, & tu facta es mihi nimis amara; aceto namq; sitim meam potasti, & lancea perforasti latus Saluatori tuo.* Chorus respõdet: Ἅγιος ὁ Θεὸς, &c. Vrgent præcentores: *Ego propter te flagellaui Aegyptum cum primogenitis suis, & tu me flagellatũ tradidisti.* Chorus respondet: *Populeus meus quid feci tibi? aut in quo contristaui te? respondemihi.* Pergunt præcẽtores: *Ego eduxi te de Aegypto, demerso Pharaone in mare rubrũ, & tu me tradidisti principibus sacerdotũ.* Chorus respondet: *Populeus meus quid feci tibi?* &c. Prosequuntur querelã præcentores: *Ego ante te aperui mare, & tu aperuisti lancea latus meum.* Chorus respõdet: *Populeus meus quid feci tibi?* Instant præcentores: *Ego ante te præiui in columna nubis, & tu me duxisti ad prætorium Pilati.* Chorus respondet: *Populeus meus*, &c. Rursum præcentores: *Ego te paui manna per desertum, & tu me cecidisti alapis & flagellis.* Chorus respõdet: *Populeus meus*, &c. Iterum præcentores: *Ego te potaui aqua salutis de petra, & tu me potasti felle & aceto.* Chorus respondet: *Populeus meus*, &c. Adhæc præcentores: *Ego propter te Chananæorum reges percussi, & tu percussisti arundine caput meum.* Chorus respondet: *Populeus meus*, &c. Denique præcentores: *Ego te exaltaui magna virtute, & tu suspendisti me in patibulo crucis.* Chorus respondet: *Populeus meus quid feci tibi?* &c.

Improperia Parasceues hinc petita.

Ac mox vna voce conclamant: *Crucem tuam adoramus Domine, & sanctam resurrectionem tuam laudamus & glorificamus. Ecce enim propter lignum venit gaudium in vniuerso mundo.* Quocirca S. Ambros. in psalm. 50. ad illud: *Et vincas cùm iudicaris*, vrgens hæc Michææ verba: *Singula*, ait, *in conspectu tuo locat beneficia sua, vt tamquam de his iudices quæ seruare debueras, quo magis reus fias, qui diuinis non potueris stare beneficiis. Quid feci, inquit, tibi? Tamquam reum se constituit, & te iudicem. Aut quid contristauit te? Offensi vultus non abnuit crimen, si tu Deo es contristatus auctore. Aut quid molestus tibi fui? Interpellationis iniuriam confitetur, si molestior æstimata est: addit beneficia, querũ gratiam non erubuit, qui exitiebat ingratus.* Hinc collige quàm iusta & grauis erit querela Dei in die iudicij contra impios, qui vocantem aspernati sunt, & toties beneficijs tanta maleficia reddiderunt. Similis expostulatio acris, reprobis à Christo iudice intentanda in die iudicij, extat apud S. Augustin. (vel quisquis est Auctor; non enim videtur esse S. Augustin.) tract. de Vanitate sæculi c. 3. tom. 9.

POPVLE MEVS MEMENTO QVID COGITAVERIT (hebr. יעץ *iaats*, id est consultant cum suis principibus, & maximè cum Balaam ariolo, quærens ab eo consilium modumque quo te interimeret & perderet) BALACH REX MOAB, ET QVID (consultus ab eo) RESPONDERIT EI BALAAM FILIVS BEOR, DE SETIM VSQVE AD GALGALAM] Pro *Setim* Septuag. vertunt ἀκάνθων, id est *lentiscis*: perperam enim in ijs legitur ἀκανθῶν, id est *funiculis*, ait S. Hieron. Refricat hîc historia Balac vocantis Balaam, vt malediceret Israeli castrametanti in Setim, Num. 22. & sequent. Ex Setim Iosue c. 2. 1. misit exploratores in Iericho, ac mox transmisso Iordane, eam obsedit & cepit; Setim enim à Iordane distabat septem milliaribus Italicis cum dimidio, id est duabus leucis Gallicis cum dimidia; transito Iordane Iosue perrexit in Chananæa ad sex milliaria, id est duas leucas; & prima castra fixit in loco quem vocauit Galgala, id est deuolutio, amotio, scilicet præputij & opprobrij Ægyptiorum. Ibi enim circumcidit Hebræos, itaque eos à vita & moribus Ægyptiorum incircumcisorũ per circumcisionẽ amouit, ac in nouam gentem legemque, & Ecclesiã sanctam Dei transtulit, Iosue 5. 9. Sed quæritur quid sibi velit *ut a Setim vsque ad Galgalam?*

Primò, aliqui sic exponunt, q. d. Balac petijt à Balaam, vt malediceret castris Israelis, quæ à Setim protendebantur vsque ad Galgalam. ita Remig. Rupertus & Lyran. Verùm hoc falsum est. Nam, vt dixi, castra Israel tunc erant in Setim, & distabant à Iordane septem, à Galgala tredecim milliaribus; ac post mortem Mosis, Iosue castra traduxit è Setim per Iordanem in Galgalam.

Secundò, S. Hieron. & Haymo exponunt, q. d. Memento, ô Israel, quanta mala contra me sis operatus à tempore quo fornicatus es, & coluisti Beelphegor in Setim, vsque ad tempus quo Saul creatus est rex in Galgalis: & ex aduerso quot quantaque ego in te bona contulerim; & videbis quàm ego in te beneficus, tu in me maleficus & ingratus fueris. Verùm hic sensus nimis remotus est: agitur enim hîc de tempore Mosis non Saulis.

Tertiò, Chald. Vatabl. Arias & Clarius repetunt verbum *memento*, & sic exponunt, q. d. Memento ô Israel quantâ curâ, quot miraculis & portentis ego ex Setim perduxerim te in Galgalam, putà in ipsam Chananæam. Nam, vt alia taceam, miraculosè fidi Iordanem, eiusque aquas suspendi & stiti, vt tu per medium eius alueum sicco pede transires in Galgalam. Verùm hanc sententiam multa subaudit & supplet, quę non habentur in textu; nimirum hæc omnia: *Memento quot miraculis te perduxerim.*

Quartò, ergo dico planè & simpliciter cum Ribera, hæc verba: *De Setim vsque ad Galgalam*, connexa esse cum præcedentibus, & ab ijs pendere, vt patet ex textu Hebraico, Græco & Latino. Vnde sensus est, q. d. Memẽto quid responderit, quamque malum consilium Balac regi dederit Balaam; nimirum cùm videret se Israelem maledicere non posse, cogique à Deo ad benedicendum, suasit Balac regi vt puellas Moabitides & Madianitides speciosas, quasi venditurus cibos Israeli, in castra submitteret, quæ eum ad fornicationem, & per eam ad idololatriam sollicitarent. sic enim fore, vt Israel deserens Deum, ab eo cuius ope inuictus erat, vicissim desereretur, itaque à Balac superari & cædi posset. Vide dicta Num. 25. v. 1. & Apocal. 2. 14.

Dices, Hoc consilium dedit Balaam in Setim tantùm, non vsq; ad Galgalam. Nam antequam Setim Hebræi pergerent in Galgalam, iussu Iosue indixit bellum Madianitis, in quo omnes cum feminis, quæ hoc scandalũ Israeli dederant, ipsumque Balaam scandali auctorem occidere patet Num. 31. v. 2. 8. 15. Resp. Verum est Balaam & Madianitides fuisse occisas Israele morante in Setim; sed tamen ante hoc bellum & cædem Balaam suasit Balac regi, vt puellas tentatrices iam dictas, non tantùm in Setim, sed continuo Setim vsque ad Galgalam, Israeli submitteret, scilicet vsque ad terminos regni sui, donec Israel ex Moab introiret confinẽ Chananæam, primaque castra figeret in Galgala. Id enim expresse hîc dicitur: volebat enim impius Balaam asserare regnum Moab Balac regi, planeq; populum Israel perdere; vnde longum & continuum voluit esse hoc mulierum scandalum. Metuebat enim, ne, si in Setim tantùm illud obijceret Israel, pauci ex eo caperentur; aut, si multi, per Mosen cõpescerentur, & cogerentur per pœnitentiam cum Deo in gratiam redire, itaque Deus ipsis conciliatus, culpam hanc in Balac & Balaam retorqueret, vti fecit: quare suasit vt scandalũ hoc daretur continuum à Setim vsque ad Galgalam, vt ita continuè peccarent Israelitæ, & pœnitere non possent. Idem facit diabolus, dum homines post fornicationem vnam, inuitat ad secundam, post secundam, ad tertiam, quartam, & tandem ad continuum concubinatum; ex quo ob vinculum nexum consuetudinis, vix se concubinarij extricare possunt, & de facto pauciſſimi se extricant. Verùm hoc exitiale Balaam consilium discussit Deus per Mosen, suspendendo principes, & occidendo ex populo ob hoc peccatum 24 mille. Num. 25. 9. Nam vt Poëta ait:

Immedicabile vulnus
Ense recidendum, ne pars sincera trahatur.

VT COGNOSCERES IVSTITIAS DOMINI] est misericordias Domini, ait S. Hieron. quia scilicet ergo in te licèt fornicantẽ, clemens, misericors & beneficus fuerim. Secundò & germa-

...*iustitias* vocat fidelia promissa & fidelitatē ...q.d. Vt cognosceres quàm promissa mea, ...bus pollicitus sum te perducere in Chanaan, ...certa & stabilia; quamque ego in ijs seruan- ...& præstandis sim fidelis. ita Theodor. & Ly- ... Tertiò, *iustitia* possunt hîc propriè capi, ni- ...um pro iusta vindicta fornicantium, & iusta ...eniatione innocentium vel pœnitentium: ...s enim iustitiam exercuit in Setim, quando ...icantes occidit, pœnitentes verò vel inno- ...tes seruauit, & saluos perduxit in Galgalam, ...ominatim Phinees sacerdoti, qui fornican- ...occidit, consignauit pontificatū perpetuum. ...de dicta Numer 25 13. Quocirca minùs aptè ...tabl. sic exponit, q.d. Vt cognosceres quàm sit ...ta mea actio & querela de te.

6 Quid dignum offeram Domino? B
curuabo genu Deo excelso? numquid
offeram ei holocautomata, & vitulos an-
niculos?

7. Numquid placari potest Dominus
in millibus arietum, aut in multis milli-
bus hircorum pinguium? numquid da-
bo primogenitum meum pro scelere
meo, fructum ventris mei pro peccato
animæ meæ?

8. Indicabo tibi ô homo quid sit bo-
num, & quid Dominus requirat à te:
Vtique facere iudicium, & diligere mi-
sericordiam, & sollicitum ambulare cum
Deo tuo.

QVID DIGNVM OFFERAM DOMINO?] Sunt C
verba populi, putà Israelis pœnitentis. Illum e-
nim hîc loquentem inducit Propheta, & quasi
per dialogismum interrogantem, quid Deo of-
ferre debeat, vt ei placeat: illumque placet & sibi
reconciliet. Id facit, vt interrogationi respon-
dens doceat populum, quid Deo præstare de-
beat, vti de facto respondens docet v. 8. Ait ergo
populus: *Quid dignum offeram Domino?* &c. Se-
ptuag. *in quo apprehendam Dominū? suscipiam Deum
excelsum?* Chald. *in quo seruiam coram Domino? me
submittā Deo, cuius in cœlis altissima residet maiestas?*
Hebr. ad verbum habent, *in quo præoccupabo Do-
minum, curuabo me Deo celsitudinis?* Tigurina, *qua
re occurram Domino? incuruusne incedam coram Deo
excelso?* q.d. Quid offeram Domino, vt eius gra-
tiam promerear? offerámne holocausta & victi-
mas? Respondet Propheta, Minimè: hæc enim D
peccata non expiant, nec per se placent Domi-
no, sed ita demum placebunt, si offerantur cum
fide, humilitate, contritione, amore, & reueren-
tia summæ maiestatis, quam peccatis vestris in-
honoratis & offendistis. Nota τὸ *curuabo*, q.d.
Sufficitne Deo curuare genu, vti faciunt iam
nonnulli nobiles & aulici, qui vnum dumtaxat
curuant genu dum orant, aliud erigunt, quasi
Deo nil detquod petunt, restituri, aut gladijs po-
sthabituri, quod precibus impetrare nequeunt.

AVT IN MVLTIS MILLIBVS HIRCORVM PIN-
GVIVM] Hebr. *in multis millibus torrentium olei,
vel vallium pinguedinis*; Chald. *in myriadibus tor-
rentium olei*; Tigurina, *numquid placent Deo mille
torrentes olei*; Noster cum Septuag. vertunt, *hir-
corum, vel caprarum pingues*. Petes cur? Respond. aliqui
A Primò, quia per valles pingues metonymicè &
hyperbolicè intelliguntur hirci & capræ, quæ
illas depascendo, impinguantur. quasi dicat,
Numquid offeram Deo valles plenas ouibus pin-
guissimis? sed quid hæc sunt coram Deo im-
menso & altissimo?

Secundò, simpliciùs & planiùs repetas τὸ *arie-
tum*, quod præcessit; aut potiùs, ne idem repetas,
repete quid simile; putà *hircorum* cum Septuag.
& Nostro, q.d. In multis millibus *hircorum*, simi-
liúmve pecudum *vallium pinguedinis*, id est, quæ
pascuntur in vallibus & pascuis pinguibus; ideo-
que sunt pingues & ipsæ. Ex adiunctis enim pa-
tet hoc substantiuum debere suppleri. Præcessit
enim: *Numquid offeram ei holocautomata & vitulos
anniculos? Numquid placari potest Dominus in mil-
libus arietum?* Ergo pariter hîc arietes vel hirci
subaudiri debent. Aliter Clarius & Arias. Nam
per torrentes olei accipiunt sacrificium mincha,
id est panis & similæ: hoc enim oleo mistum &
conditum offerebatur Deo.

NVMQVID DABO PRIMOGENITVM MEVM PRO
SCELERE MEO?] Numquid Deus à me poscit
piaculum & victimam filij, vti ab Abrahamo po-
poscit iugulationem Isaaci? aut potiùs sicut Sa-
turnus, Moloch, alijque dij Gentium, quos co-
lumus, poscunt victimas humanas, filios scilicet
& filias. Ierem. 19 5.

INDICABO] Hebr. הגיד *higgid*, id est indicauit, VERS. 8.
annunciauit. Vnde Chald & Tertul. li. 4. contra
Marc. cap. 36. per interrogationem ita vertunt,
num annunciabit tibi homo quid bonum sit? q.d. Mi-
nimè; sed Dei est idipsum annunciare. Alij sine
interrogatione assertiuè vertunt, *annunciauit tibi
homo quid bonum sit*. homo hic est Moses, Prophe-
tæ, ac nominatim Michæas. ita Pagnin. Vatabl.
& alij. Vnde Septuag. vertunt, *annunciatum est
tibi homo quid bonum sit*, scilicet in lege & Pro-
phetis. ita Theodor. Noster pro הגיד *higgid* in
præterito, legit alio puncto הַגִּיד *haggid* in infi-
nitiuo: infinitiuus enim sæpè ponitur pro futu-
ro apud Hebræos, æquè ac apud Græcos & Ita-
los: aut fortè pro *haggid* legit אַגִּיד *aggid*, id est
indicabo? Denique si malis legendum cum alijs
higgid, id est annunciauit; subaudi, Deus per me
Michæam quod idem est cum eo quod vertit
Interpres, *Indicabo tibi ô homo*. Hîc respondet
Propheta populo interroganti: Quid offeram
Domino? quâ re placabo Deum?

ET QVID DOMINVS REQVIRAT A TE: VTI-
QVE FACERE IVDICIVM] Hebr. & Chald. *& quid
Dominus requirit à te, nisi vt facias iudicium?* Quæ-
res, quodnam sit hoc iudiciū. Primò, S. Hieron.
Haymo, Remigius & Dionysius, per *iudicium* ac-
cipiunt discretionem & prudentiam, q.d. Quid
Deus poscit à te, nisi vt omnia agas discretè &
prudenter, iuxta præscriptum legis? Vnde Vata-
blus, putat hîc significari tria, & omnia fidelis &
Christiani hominis officia, quibus ipse totidem
respectibus & debitis suis satisfacit: debet enim
rectè segerere & componere erga seipsum, erga
proximum, & erga Deum. Iudicium rectè com-
ponit hominem erga seipsum, misericordia erga
proximum, sollicitudo erga Deum: sibi ipsi e-
nim homo debet iudicium, vt omnia cum ratio-
ne & prudentia agat: proximo misericordiam;
Deo sollicitam cum eo ambulationē. ita S. Ber-
nard. serm. 57. in Cantic. in tribus ponit plenam
homi-

hominis perfectionem; *vt*, inquit, *sit placens Deo, cautus sibi, vtilis proximo.*

Secundò, Theodor. Lyranus & Arias, per *iudicium* accipiunt iustitiam, q. d. Quid Deus requirit à te, nisi vt nulli facias iniuriam, sed cuique tribuas quod exiure & iustitia ei debes?

Tertiò, magis appositè & genuinè Rupert. per *iudicium* accipit satisfactionem pœnitentiæ. q.d. Quid Deus requirit à te, ô peccator, nisi vt tu præueniens Dei iudicium, teque iudices antequam ipse te iudicet & condemnet, vti iubet Apostolus 1. Corint. 11. 31. Deus enim non quærit oues & bones, sed cor contritum & humiliatum. Age ergo conscende tribunal rationis tuæ, eò cita voluntatè tuam quasi ream, eius actus & peccata examina, iudica, cõdemna, ac meritum supplicium & pœnitentiam ei inflige; ita fiet vt reconcilies tibi Deum offensum, præsertim si huic B iudicio addas misericordiam & eleemosynam in pauperes. Eleëmosyna enim pœnitentiæ dat alas, eamq; tollit in cælum, ait S. Chrysost. hom. 5. de pœnitent. ac iustitiam per pœnitentiam acceptam conseruat & adauget. Vnde S. August. explicans hæc Michææ verba serm. 136 de Temp. *Quærebas*, inquit, *quid offerres pro te? offer te. quid enim Dominus quærit à te, nisi te? quia in omni creatura terrena nihil melius fecit te. Quærit te à te, quia tu perdideras te.* Ita Æschines, ait Seneca lib 1. de Benef. c. 8. cùm pauper nil haberet quod daret Socrati suo magistro, donauit seipsum, dicens, Alij multum tibi dederunt, sed plus sibi reliquerunt; ego verò nihil mihi reseruo. Cui Socrates: *Quidni tu mihi magnum munus dederis, nisi forte paruo te æstimas?* Pergit S. August. *Si autem facias quod iussit, inuenit in te iudicium, & iustitiam. Iudicium* C *primò in teipso, iustitiam ad proximum tibi. Quomodo iudicium in teipso? vt displiceas tibi quod eras, & possis esse quod non eras. Iudicium inquam, de te ipso in teipso, sine acceptione personæ tuæ, vt non parcas peccatis tuis, nec ideo tibi placeant quia tu facis. Nec te laudes in bonis tuis, & Deum accuses in malis tuis. Hoc enim est peruersum iudicium, & ideo nec iudicium, sed vitium.* Et mox: *Vis ergo facere rectum iudicium? corrige præpostera, & rectum erit. Quid est corrige? Deum lauda in bonis tuis, te accusa in malis tuis*, &c. q. d. Puni voluptatem peccati dolore contritionis, gemitibus & voluntarijs pœnis: puni superbiam culpæ humilitate & pudore confessionis, qua non tantùm homini, sed & sacerdoti illa verecundè & dolenter confiteare.

Quartò, magis amplè & plenissimè, per *iudicium* accipe omne debitum virtutis; putà quid- D quid debemus proximo, nobis & Deo, siue id debeamus ex iustitia, siue ex pœnitentia, siue ex religione, siue ex gratitudine, siue ex charitate, siue ex qua alia virtute: iudiciũ enim opponitur misericordiæ. Sicut ergo misericordia significat opera liberalia charitatis, aliarumq; virtutum indebita; ita iudiciũ significat ea, quæ debita sunt. Quocirca Script. per *iudicium & misericordiam* solet significare & complecti omne virtutis officium, omneq; opus bonum: omne enim vel debitum est, vel indebitum: si debitum, est iudiciũ; si indebitum, est misericordia. Ita psal. 100. 1. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Psal. 60. 8. *Misericordiam & veritatem eius quis requiret?* Psal. 83. 12. *Misericordiam & veritatem diligit Deus.* Psal. 84. 11. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi*; *veritas* enim idem est quod iudicium siue iustitia. Vnde explicans subdit: *Iustitia & pax osculatæ sunt, veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem.* Sic ergo Psaltes omne officium hominis psal. 36. 27. hisce duobus præceptis concludit: *Declina a malo, & fac bonum*; ita Michæas hîc idem totidem, scilicet iudicio & misericordia, complectitur, q.d. Si vis reconciliare tibi Deũ, eiq; per omnia placere, fac opera virtutis tam lege præcepta, quã consulta, putà libera & voluntaria. Faueat huic expositioni ea quæ sequuntur: nam mox v. 10. opponet iudicio & misericordiæ à se requisitis, iniustitiam & immisericordiam Iudæorum, puta iniquas eorum mensuras, fraudes & dolos, q.d. Deus à vobis, ô Iudæi, requirit Primò, iudicium, quia vos ex iniustitia corrogatis opes & thesauros per fas & nefas. Secũdò, misericordiam, quia vos immisericordes iniquè opprimitis pauperes. Tertiò, sollicitudiné ambulandi cum Deo, quia vos sollicitè ambulatis in præceptis Amri, cum eius Baalim & idolis, vti audiemus v. 16.

Et sollicitvm ambvlare cvm Deo tuo] Septuag. *vt paratus sis ambulare cum Domino Deo tuo*; Syrus, *vt sis paratus ad eundũ post Deum tuum*; Arabicus Alexandrinus, *vt sis sequens Dominum Deum tuum*; Arabicus Antiochenus, *sis paratus ambules per vestigia Dei tui*; Chald. *vt sis humilis ad ambulandum in timore Dei tui*; Theodot. *& cum diligenter, vt ambules cum Deo tuo*; Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 36. *& paratum esse sequi Dominum Deum tuum*; Quinta editio, *sollicitè agere*; Targuna, *& submissum ambulare cum Deo tuo*; Pagnin. *& humiliare te, & ambulare cum Deo tuo.* Hebr. enim צנע *tsana*, vti voce, ita significatione affine est cum כנע *cana*, id est, curuauit; & per metathesin cum ענץ *tsaan*, id est, volutatus est in terra, vel loco humili; ac denotat prouolutionem, demissionem, modestiam, verecundiam & humiliationem animi solliciti, qui ex humilitate & sollicitudine se curuat, contrahit, inuoluit, & quasi abscondit, ac significat agere tum humiliter & submisse, vt vertit Chald. Vatabl. Pagnin. & alij recentiores, tum promptè & sollicitè, vt vertit S. Hieronym. Theodot. Septuag. & Quinta editio. *Tsana* enim etiã alludit ad צנים *tsinnim*, id est spinæ, & צנות *tseninim*, id est fudes & lanceæ. Sicut enim hæ corpus aculeo suo, ita sollicitudo suo angore mentem exstimulat ad exactè ambulandum. Sicut ergo pueri ingenui verecundè, submissè, reuerenter & sollicitè agunt cum parentibus, discipuli cum præceptoribus, famuli cum Pontifice, cum rege cum principe, dum omnes eorum inclinationes & nutus obseruant accuratè, vt eis ilico exequantur non ambulando, sed currendo, & quasi volando; ac curant ne vel in puncto erret, vel hilum faciant quod regi displiceat: ita prorsus nos solliciti, submissi & supplices ambulare debemus cum Deo. Hoc est quod ait Apostolus Hebr. 12. 28. *Seruiamus placentes Deo cum metu* (græcè μετ' αἰδοῦς, id est *cum pudore*) *& reuerentia.* Sensus ergo Prophetæ est, q.d. O Hierosolymitæ, ô fideles, sollicitè ambulate cum Deo quem offendistis, vt eum vobis reconcilietis supplices & pœnitentes, eiusq; gratiam recuperetis, ac recuperatam sollicitè cõseruetis. A Dei enim gratiâ, salus & omne bonum; ab eius offensâ gehenna & omnia mala vobis expectanda sunt.

Porrò

Porrò stimuli ad hanc sollicitam cum Deo ambulationem, sunt varij. Primus, si cogites quàm augusta, sublimis & tremenda sit Dei maiestas, in cuius conspectu columnæ cæli, Seraphim & Cherubim contremiscunt. Rursum quàm ipsa sollicita sit tui. Nam, vt ait S. August. in Meditat. cap. 10. *Nil aliud agit Deus, nisi vt mea saluti prouideat; & ideò totum ad mei custodiam occupatum video, quasi omnium oblitus sit, & mihi soli vacare velit: semper præsentem mihi se exhibet Deus, semper paratum offert, quocumque me verto, me non deserit: vbicumque fuero, non recedit: quidquid egero, pariter assistit: & cunctis tandem actionibus meis perpetuus inspector, &, quantum ad bonitatem suam pertinet, quasi individuus cooperator assistit.* Et alibi: *Deus*, ait, *vnumquemque nostrûm sic curat, quasi solum curet.* Veriùs & plenius id experiuntur Sancti, præsertim qui se totos Dei obsequio dedunt & consecrant. Vnde sponsa Canticor. 2. *Dilectus*, inquit, *meus mihi*, scilicet totus intendit, *& ego illi*, supple tota intendo, vti explicat S. Bernard. serm. 68. in Cantic. qui & admirans hanc Dei dignationem, exclamat: *O quid audet cor purum, & conscientia bona, & fides non ficta! Mihi, inquit, intendit. Itáne huic intenta est illa maiestas, cui gubernatio pariter & administratio vniuersitatis incumbit? & cura seculorum ad sola transfertur negotia, immotia, amoris & desiderij huius? Ita planè.* Et mox: *Ergo prouidentiam* (Dei) *cæteris creaturis non negamus: curam sponsa vendicat sibi*, iuxta illud S. Petri epist. 1. cap. 5. *Omnem sollicitudinem vestram proicientes in eum, quoniam ipsi curæ est de vobis.* Et illud psalm. 39. *Dominus sollicitus est mei.* Et paulò pòst: *Ille mihi, & ego illi. Ille mihi, quia benignus & misericors est: ego illi, quia non sum ingrata. Ille mihi gratiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi, ego illius honori. Ille saluti meæ, ego illius voluntati. Ille mihi & non alteri, quoniam vna sum columba eius; ego illi, & non alteri.* Idem serm. 2. de Pentecoste: *Vides*, ait, *quàm verè dixerit ille qui dixit: Dominus sollicitus est mei. Pater vt seruum redimat, Filio non parcit; Filius seipsum libentissimè tradit; Spiritum sanctum vterque amat, & ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. O duri, & indurati, & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flammarum ingens ardor amoris, tam vehemens amor, qui pro vilibus sarculis tam pretiosas merces expendit!* Et mox: *Quid ergo à te quærit, qui tanta sollicitudine te quæsiuit, nisi te sollicitum ambulare cum Deo tuo? Hanc sollicitudinem non facit nisi Spiritus sanctus, qui scrutatur profunda cordium nostrorum, & discretor cogitationum & intentionum cordis: qui nec vnam paleam intra cordis quod possidet habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit, Spiritus dulcis & suauis.*

Secundus, si cogites quàm exactè & sollicitè illa maiestas à nobis, vtpote vermiculis, sibi seruiri velit; quàm accuratè velit sua iussa à nobis seruari. *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis*, ait Psaltes psal. 118. 4. Nam, vt ait S. August. epist. 78. ad Bonifacium: *Docuit eos sollicitudo, quos negligentes securitas fecerat.*

Tertius, si cogites peccata tua præterita, ac periculum præsentium & futurorum. *De propitiato peccato noli esse sine metu*, ait Eccles. c. 5. 5. In præsenti & futuro inter spinas & sentes curarum & molestiarum incedis, & incedes: sollicitè ergo

A fige pedem, ne pungaris vel offendas. *Cùm metu & tremore vestram salutem operamini*, ait Apostolus Philip. 2. 12. vide ibi dicta.

Quartus. Quartus, si cogites te hîc in agone versari, ac habere hostes acerrimos, qui te vbique obseruant, vt supplantent, & à Deo auertant: vnde S. Hieron. ad Eustoch. de custod. virgin. *Nolo*, ait, *tibi venire superbiam de proposito* (virginitatis.) *onusta incedis auro latro tibi vitandus est. stadium est hæc vita mortalibus: hîc contendimus, vt alibi coronemur. Nemo inter serpentes & scorpiones securus ingreditur. Et inebriatus est, inquit Dominus, gladius meus in cælo, & tu pacẽ arbitraris in terra, quæ tribulos generat & spinas, quam serpens comedit? Non est nobis colluctatio aduersus carnẽ & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates mundi*, &c. *Magnis inimicorum circumdamur agminibus, & hostium plena sunt omnia: caro fragilis & cinis futura post modicum, pugnat sola cum pluribus. Cùm autem fuerit dissoluta, & venerit princeps mundi huius, & inuenerit in ea nihil, tunc securæ audies per Prophetam, Non timebis à timore nocturno*, &c. Oportet ergo te sollicitè ambulare cum Deo tuo, *vt numquam securus sis, vt omnis obseruantia custodias cor tuum, vt considerès quoniam in medio laqueorum ambules, & sub murorũ pinnis ingrediaris, vt illud quotidie mediteris: Iuxta iter scandalum posuerunt mihi*, ait idem S. Hieron. lib. 2. contra Pelag.

Quintus. Quintus, si cogites omne bonum tuum à Deo pendere, teq; esse Dei mendicum. Sicut ergo Venetijs, & alibi, quicumq; ambiunt officiũ aliquod, Senatores omnes euntes in curiam prensant, seque ijs nudo capite, genua totumq; corpus profundè curuando, orando & obsecrãdo, supplices commendant; & sicut mendici contrahẽdo scapulas humillimè supplicant & emendicant stipem: ita prorsus & multò magis nos decet supplices ambulare cum Deo, eumq; humillima sollicitudine prensare, vt ab eo in tot malis opẽ, gratiam & salutẽ æternam adipiscamur. Præclarè S. Cyprianus tract. de Zelo in fine: *Cogita*, ait, *sub oculis Dei nos stare, spectante ac iudicante ipso conuersationi ac vitæ nostræ curricula decurrere; peruenire nos tunc demũ posse vt eum videre contingat, si ipsum nunc videntem delectemus actibus nostris, si nos dignos gratia eius & indulgentia præbeamus, si placituri semper in regno in hoc mundo antè placeamus.* Et S. Hieron. in Epitaph. Fabiolæ: *Celata*, ait, *virtus & cõscientia tuta secreto, Deum solum iudicem respicit.*

Sextus. Sextus, si cogites illud Mosis Deut. 4. 24. & S. Pauli Hebr. 12. 29. *Deus noster ignis consumens est*: vidisti quanta cura & sollicitudine aurifabri liquant aurum, ferrarij ferrum, ærarij æs; ac præsertim ij qui fundunt campanas & tormẽta bellita: si enim minimùm aberrẽt, ab igne vel metallo liquato afflantur & enecantur. Magis sollicitè cũ Deo versandũ est, ne igne & fulmine nos afflet, & deturbet in tartara. Qui ambulat cũ leone, licèt eius sit ductor & nutritor, sollicitè omnes eius motus & nutus obseruat, ne eũ offendat, vt ipse ira correptus comitem suũ laniet. Deus est leo. *Leo rugiet, quis non timebit?* ait Amos c. 3. 8.

Exempla. Ita sollicitus cum Deo ambulabat Iob dicens c. 9. 28. *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti*: & cap. 31. 23. *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Et Tobias moriens, hoc quasi testamentum dat filio cap. 4. 6. *Omnibus*

diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Et Dauid psalm.118. v.10. *In toto corde meo exquisiui te.* Et v.57. *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam.* Et v.123. *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium iustitiæ tuæ.* Et v.168. *Seruaui mandata tua, & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

Hanc sollicitudinem timēdi & seruiendi Deo Moses moriturus inculcat Hebræis toto Deuteronomio, ac maximè in cygneo illo cantico cap. 32. Quin & S. Paulus 1. Corinth. 9. 16. *Væ mihi est*, inquit, *si non euangelizauero.* Et v.24. *Nescitis quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium: sic currite vt comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.*

Ita S. Cæcilia sollicitè ambulabat cum angelo suo Custode, & cum Deo; tota vacans orationi, ieiunio, cilicio ac conuersioni animarum. Vnde Valerianum sponsum, Tiburtium, Maximum & alios plurimos non tantùm Christianos, sed & Martyres effecit, ac victimas Deo obtulit; vt meritò de ea canat Ecclesia: *Cæcilia tibi Domine quasi apis argumentosa deseruit.* Sicut ergo apes sollicitæ sunt vt colligant fundantque mel & ceram, ita Cæcilia sollicita fuit, vt suam aliorumq; animas Deo offerret. Illam imitentur Christiani, qui solliciti cum Deo ambulare satagunt.

Ita B. Aloisius Gonzaga sollicitè ambulauit cum Deo, dum in aulis regum & principum variorum degens, illæsum se ab omni crimine conseruauit, ita vt per omnem vitam nūquam mortaliter, vix venialiter peccare sit visus: dum adeò sensibus suis inuigilauit, corpusque macerauit, vt numquam stimulos carnis senserit: dum in oratione ita attentè & reuerēter versatus est, vt nullam distractionem senserit. Quocirca miranti Cardinali Bellarmino, ac quî id fieri posset roganti respondit: *Mirari se potius qua ratione aliquis in oratione distrahi posset, dum cogitat se in præsentia tantæ maiestatis consistere, ac cum Deo colloqui.* Ita habet eius vita, quam strictè examinantes Auditores Rotæ in Processu Canonizationis eiusdē, eidem titulum *Angelici* indidere, quòd quasi angelus coram Deo iugiter versaretur.

Iam verò hæc sollicitudo ambulandi cum Deo, non ad solos Religiosos vel Ecclesiasticos, sed & ad laicos, coniugatos, omnesque homines pertinet. Nec enim in sola oratione & collocutione cum Deo, sed in omni prorsus actione requiritur: nimirum vt omnia opera nostra, etiam corporalia & sæcularia, quantumuis leuia & parui momenti, faciamus sollicitè, exactè & perfectè, iuxta legem & voluntatem Dei, vt illi placeamus magis, magisque eum oblectemus. Hoc est quod iubet Eccles. c. 33. 23. *In omnibus*, inquit, *operibus tuis præcellens esto.* Deo enim gratior est actio in se leuior & vilior, facta excellenter, quàm excellens in se, facta mediocriter, vel obiter & leuiter. Deus enim non considerat quantum, sed ex quanto; nec quid facias, sed ex quanta virtute id facias.

Modus & praxis ambulādi cum

Quocirca in omni opere etiā minimo, sollicitos nos esse oportet, vt illud faciamus quàm optimè, vt Deo sit gratissimum. Modum id faciendi assignat noster Ludou. de Ponte tom. 2. de Perfect. tract 4. c. 15. vbi regulas quasdā perfectè seruiendi in quolibet statu & officio, valdè vtiles & practicas assignat; nimirū si cuilibet operi etiam vili addamus sex alas Seraphim Isaiæ 6. 2. quæ à terra exaltetur in cælum. Prima ala est memoria præsentiæ Dei vbique existentis, & quid operes, loquaris, aut facias attendentis, imò inspectis. Secunda, pura maioris gloriæ Dei intētione dendo in omnibus quæ facis illi placere, eiusque diuinam voluntatem sollicitè semper exequi quòd sit summè bonus ipsaq; bonitas per essentiam. Tertia, oratio quæ tuis operibus det in eaque comitetur petendo diuinum auxilium cum ea cura & perfectione quam ipse præ & consulit, ea exequaris. Quarta, fiducia in Deo à quo omne bonum tuū dependet, de cuius omnipotētia speres, quòd adiuuabit tuam imbecillitatem; de eius misericordia, quòd compatietur tuæ miseriæ; de fidelitate, quòd in tuis tentationibus & periculis te proteget; de prouidentia, quòd te in omnibus vijs tuis deducet. & duæ vltimæ alæ oriuntur, nimirū: Quinta, tudo scilicet in arduis rebus aggrediēdis, omni difficultatum metu: Sexta, perseuerantia vsque ad finem operum inchoatorum, tolerando patienter occurrētes quascumque molestias. Nam, vt Isaias ait c. 40. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem*, recentem scilicet, atque præstantiorem induentes: *assument pennas vt aquila*, vt spiritu volent, suaque opera ad cælum extollant: *current, & non laborabunt*, propter delectationem qua Deus illorum corda dilatat, iuxta illud Psaltis psalm. 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. ambulabunt, & non deficient*; sed perseuerabunt sollicitudine, & operibus obsequij eius, donec gloriæ coronam obtineant.

AMBVLARE CVM DEO TVO] Id est Deo omnia adhærere, eum vbique præ oculis habere illius iussa, voluntatem & nutum exactè obseruare & explere, illi per omnia placere & seruire. Sic Henoch & Noë quasi fideles serui amici & filij, dicuntur ambulasse cum Deo Genes. c. 5. 22. & c. 6. 9. Vide ibi dicta. Præclare Seneca in Sapiente, & libr. de Tranquil. *Si quem hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter aduersa felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco homines videntem, æquo Deos, non subibit te veneratio eius? Nō humana res maior est altiórque, quàm vt credi similis ei possit, quo est corpusculo, possit.* Hoc acquirit homo ordinando & conuersando cum Deo. Quocirca hoc debet esse opus, hæc occupatio iugis viri religiosi & tendentis ad perfectionem; nimirum familiarem esse Deo, cum eoque ambulare. Audi S. Dionysium de Eccles. Hierarc. ca. 6. *Religiosissimum ipsum ambire, & ad sacram monadem cogi*, iuxta illud Christi: *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium. Mariam optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hinc Climachus c. 1. *Monachus*, ait, *est qui semper habet spiritum eleuatum in Deum, & orat in omni loco, tempore & negotio.* Et S. Chrysost. libr. 1. de Oratione Deum: *Oratio*, ait, *est anima & spiritus viuens, sa & perfecta.* Et S. Bonauent. opusc. de Perfectione vitæ cap 5. docet, Religiosum non frequentantem orationem, gestare animam mortuam

corpus

corpore viuente; aut esse sicut corpus sine ani- A
ma, habens id quod externum est in Religione, absque eo quod internum est. Idem: *Languida, ait, & inanima est religio, quæ non multum habet oratorem.* Quin & Iamblicus Philosop. Protrept. c. 1. *Sapere, ait, & contemplari virtutis est opus.* Idem c. 3. *Dei cognitio* (& contemplatio) *est perfecta felicitas.* Et Liuius dec. 1. l. 5. *Omnia, ait, prospera euenisse sequentibus deos, aduersa spernentibus.* Et Seneca epist. 103. *Magnus, ait, & generosus est humanus animus, nullos sibi poni nisi communes cum diis mortalibus patitur.*

9. Vox Domini ad ciuitatem clamat, & salus erit timentibus nomen tuum: Audite tribus, & quis approbabit illud?

10. Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena. B

11. Numquid iustificabo stateram impiam, & saccelli pondera dolosa?

12. In quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum.

13. Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis.

14. Tu comedes, & non saturaberis: & humiliatio tua in medio tui: & apprehendes, & non saluabis: & quos saluaueris, in gladium dabo.

15. Tu seminabis, & non metes: tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo; & mustum & non bibes vinum. C

16. Et custodisti præcepta Amri, & omne opus domus Achab, & ambulasti in voluntatibus eorum, vt darem te in perditionem, & habitantes in ea in sibilum: & opprobrium populi mei portabitis.

VOX DOMINI AD CIVITATEM CLAMAT] Vel ad Samariam, vti vult Remigius & Hugo; vel potius ad Ierusalem: de ea enim continuò agit [illegible] cap. 5. v. 9. vsque ad finem libri, vti ibi dixi. ita S. Hieron. Haymo, Rupert. Vatabl. & alij. q. d. Deus per me Michæam aliosque Prophetas, iterum eorumque clamat aduersus Ierusalem, eique ob scelera minatur excidium & incendium. Videtur enim hîc Propheta nouam ordiri, vel potius veterem innouare litem Dei contra Ierusalem, eiusque rapinas & iniustitias in proximos accusare & plectere. Vnde Hebræi hîc intelligunt aonum caput. ita S. Hieron. Theodor. & alij am cinati. Pro *ciuitati* hebr. est לָעִיר *lair*, pro quo aliqui legunt לְהָעִיר *lehair*, id est *ad excitandum*. q. d. Deus tubali voce per me inclamat, vt torpentes & dormitantes Iudæos à somno peccatorum excitet, & ad sollicitudinem ambulandi cum Deo inciter. D

ET SALVS ERIT TIMENTIBVS NOMEN TVVM] q. d. Hæc est vox Domini qua clamat ad Ierusalem: Salui erunt qui Deum timuerint, cæteri enim peribunt. Aut simpliciùs, vt sint verba Prophetæ, quasi per dialogismum interloquentis, & populo commendantis vocem Dei, vt populus eam auidè audiat & excipiat. q. d. O Hierosolymitæ, audite hanc vocem Dei quam subiungam: qui enim eam audierint, indeque Deum timuerint & coluerint, hi saluabuntur; cæteri omnes fame, gladio & bello péribũt. Legit Interpres תֹּשִׁיָּה יִרְאֵי *tesiua ierae*, & rectè: nam sic quoque legerunt Septuag. vertunt enim, *& saluauit timẽtes nomen eius*; hæcque versio congruum habet sensum. Iam legunt תּוּשִׁיָּה יִרְאָה *tusçia iire*, id est, *sapientia videbit nomen tuum*, id est, vt Tigurina & Vatablus, *qui sapientia & ratione præditus est, videbit nomen tuum.* q. d. Clamãt quidem Prophetæ; at soli sapientes recipiunt prædicationem eorum, vel habent rationem honoris nominis Dei. Chaldæus medius est, nam legit *tuscia* cum recentioribus, & *ierae* cum Septuag. & S. Hieron. Vnde vertit, Sapientes, siue *doctores timent nomen Domini.*

AVDITE TRIBVS, ET (id est *sed*) QVIS APPROBABIT ILLVD?] *Tribus* hebr. est singularis numeri. q. d. Audite ô viri tribus Iuda vocem Dei clamãtis per me; sed quis eam approbabit? q. d. Scio fore paucos qui illam approbabunt & exequentur, vt faciant quod dicam & vociferabor nomine Dei. ita S. Hieron. Aut, vt Rupert. q. d. Audite ô tribus opus vestrum quod nunc in iudicio Dei arguitur, quod nemo probus approbabit, vel nemo nisi improbus approbabit: cùm adhuc domus vestræ plenæ sint rapinis, dolis & fraudibus, ideoque clament vestrum opus esse pessimum. Pro *tribus* hebr. est מַטֶּה *matte*, quod propriè virgam vel sceptrum, inde per metaphoram tribum significat: quia sicut ex vna arbore multæ virgæ excinduntur; sic ex vno patriarcha multæ tribus progenerantur & descendunt, vti ex Iacob prognatæ sunt duodecim tribus Israel. Aut quia quælibet tribus suum habebat sceptrũ. Vnde Tigurina vertit, *audite virgam, & qui eam decernit.* q. d. Videte quę flagella vobis immineãt, & à quo, putà à Deo terribili & omnipotẽte. ita Vatabl. Vox *matte*, id est *tribus*, in singulari significat sermonem esse ad vnam tribum, putà ad Iuda & Ierusalem, non ad Samariam & decem tribus, vti vult Rupertus & alij.

ADHVC IGNIS IN DOMO IMPII THESAVRI INIQVITATIS] Pro *ignis* in Hebræo est triplex lectio. Primò enim aliqui legunt הַאִישׁ *hais*, id est, *estne vir*. vnde vertunt, *estne adhuc* (post tot Dei voces & minas) *vir, qui in domo impia retinere audeat thesauros iniquitatis?* Secundò, alij legunt הַיֵּשׁ *haies*, id est, *estne*. vnde vertunt, *adhuc est domus impij? thesauri & mensura iniquitatis?* ita Chald. aut, vt Tigurina & Pagnin. *annon adhuc est thesaurus impius in domo impij?* Tertiò, alij legunt הָאֵשׁ *haes*, id est *ignis*. ita Noster, Septuag. & alij. q. d. Iudæi post tot Dei per Prophetas clamores, minas & monita, adhuc retinent opes & thesauros iniustè partos; qui proinde eis erunt *ignis*, id est, in vltionem & pœnam eorum vertentur, vt concrementur domus plenæ opibus iniustè partis à Chaldæis incendentibus Ierusalem. Simili modo adhuc in domo impij est *mensura* iusto *minor*, ideoque *iræ plena*, quia quod illius pondere deest, hoc supplebitur & implebitur ira & vindicta Dei. Sæpè Prophetæ arguunt Iu- VERS. 10.

dæos de stateris dolosis, & mensuris iniustis, imò duplicibus; nimirum quòd, cùm quid emerent, illud mensurarent mensura æquo maiore; cùm venderent, idipsum mensurarent mensura iusto minore. quod vitium etiamnum apud institores, præsertim tenuiores, crebrum est.

Auaritia est ignis. curi

Nota. Hæ mensuræ iniustæ, & thesauri iniqui inde comparati per Appositionem vocantur hîc ignis; quia prodeunt ex igne cupiditatis putà ex animo auarorum lucri cupido, vt per fas & nefas ditescant; ac desinent in ignem vltionis, putà in acrem Dei vindictam ignemque gehennæ, iuxta illud Isaiæ 50.11. *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis.* Vide ibi dicta. Rursum aliqui legunt hæc per interrogationem. q.d. Itane ignis cupiditatis (putà thesauri iniquitatis & mensura minor) contra quem nos Prophetæ toties detonauimus, quemque minis nostris extinximus, rursum accenditur, reuiuiscit, & inardescit? Verùm Romana, Plantin. & alia correctiora Biblia legunt assertiuè sine interrogatione. Denique hos thesauros & mensuras iniquitatis opponit iudicio, id est iustitiæ & misericordiæ, quæ duo ab eis requisiuit Deus v. 8 Vnde Syrus vertit, *adhuc ignis in domo impij, &* (id est, scilicet) *repositoria iniquitatis, & mensura parua fraudis*; & Arabicus, *numquid non species* (pulchritudo) *huius ciuitatis in ignem? quia congregauit sibi repositoria de iniquitate, & oppressione in agris.*

VERS. 11. NVMQVID IVSTIFICABO STATERAM IMPIAM ET SACCELLI (sacculi, in quo continentur & circumferuntur) PONDERA DOLOSA] q.d. Egóne Deus, qui sum iustissimus, *iustificabo*, id est iustam habebo & declarabo, aut certè dissimulabo & impunitam relinquam stateram iniustã? q.d. Minimè. Est metonymia; per stateram enim intelligit ipsos mercatores, qui iniusta statera appendunt suas merces. Vnde Septuag clarè vertunt, *si iustificabitur in statera iniquus?* & Chald. *numquid iusti habebuntur in stateris iniquitatis, & in sacculo in quo sunt pondera maiora & minima?* Et Tigurina pro Hebr. אזכה *azacce*, id est iustificabo, legens alijs punctis אֲזֻכֶּה *azucce*, vertit, *numquid* (ego mercator) *mundus ero* & innocens corã Deo *cum bilance iniqua, & cum sacculo in quo sunt lapides fraudulenti?* q.d. Non. Nam id seuerè vetuit Deus Deuter. 25.13. dicens: *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus.*

VERS. 12. LOQVEBANTVR MENDACIVM] asserentes bilances & mensuras suas esse æquas & iustas, cùm essent iniquæ & iniustæ: Item merces esse incorruptas, recentes, & sine vitio; cùm essent corruptæ, antiquæ & vitiosæ. *Veritas* enim *pauperatem, mendacium diuitias parit*, ait S. Hieron. Quocirca

VERS. 13. EGO COEPI PERCVTERE TE, & pergam, acri PERDITIONE & plaga Hebr. *ego infirmaui & ægrotare te feci*; Tigurina, *ego te infirmabo*, vel ægrotum te reddam, *cadendo & deuastando propter peccata tua* q.d. Puniam te penuria & fame, ex qua morbum contrahas & ægrotes. Nam

VERS. 14. TV COMEDES, ET NON SATVRABERIS] q.d. In obsidione & captiuitate ita parcè comedes, vt non satureris. Est hæc congrua pœna, vt qui malis artibus locupletati sunt, depauperentur, fameant, mendicent, ægrotent.

ET HVMILIATIO TVA IN MEDIO TVI] Primò, q.d. Afflictio tua, ô Ierusalem, erit te cùm obsideberis ab hoste Chaldæo. ita Lyranus. Rursum in medio opum & deliciarum tarum, cùm tibi videberis esse felix, fies repente miserrima; nam capieris & spoliaberis ab hoste. ita Arias.

Secundò, q.d. *humiliatio*, id est causa & origo humiliationis & afflictionis tuæ, est intrat, nimirum peccata & scelera tua. q.d. Tuas sceleras tibi tuisque sceleribus imputa, non hostibus. Hoc est quod ait Osee c. 13.10. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

Tertiò, valdè congruè & connexè Chaldæus, Hebræi Pagnin. & Vatabl. hæc referunt ad præcedentia, vt his omnibus significetur fames, species, squalor, indeque sterilitas & orbitas liberorum. Vnde vertunt, *comedes, & non saturaberis ipsa erit in medio tui*, id est, venter tuus olim obesus, immodus & turgidus, præ fame & inanitate deformabitur, seque contrahet & coarctabit: infans quòd apprehendet, supple semen tuum, non tua, id est, suscepto semine concipiet, nec enixa tur viuum, sed abortiet: *quòd si enixa fuerit, tradam gladio* hostium. q.d. Ex fame sequetur debilitas virtutis generatiuæ, ex ea abortus, quod si qui tibi filij nati fuerint, illos tradam mactandos Chaldæis.

Tropol. S. Bernard epist. 87. *Humilitatem quam vtique ducit humiliatio, totius est spiritualis fabricæ fundamentum. Siquidem humiliatio vnde humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut fides ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, via est refugias humiliationis.*

TV SEMINABIS, ET NON METES] sed Chaldæi hostes tui demetent tuam messem, tuasque uineas vindemiabunt, & oliueta excutient; non oleum & mustum quod expressisti, vel inuenient vel in vrbe diripient. q.d. Sicut proximè tu fraudasti labore proprio, ita & tuo fraudabere. ita Vatabl. Hîc verum est illud Chilonis: *Lucrum scelere partum damnum est, non lucrum.* ita Laert. lib 1. cap. 4. & illud Diogenis: *Quid sunt res fortunæ vomitus.* Testis est Stobæus serm. 9. Impius enim euomet opes iniustè partas: hæc est stomachum, id est conscientiam eius, ita commouebunt vt eas euomere cogatur, iuxta illud Iob 20. *Diuitias quas deuorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus.* Nota. Solêt Prophetæ per metaphoram, sementem, messem significare rerum vtilium affluentiam. Nam, vt sapienter ait Xenophon Oeconom. *artium caterarum parens & nutrix est agricultura; quando bene agitur cum ea, omnes artes vigent*, multique sunt qui eas excitãt & vigent.

ET CVSTODISTI PRÆCEPTA AMRI] fuit rex impius Israel, pater Achab, qui cum idololatriam antea sæpè in regibus impijs successisset renouauit & amplificauit in Samaria 3 Reg. 16. Vnde S. Hieron. eiusque asseclæ annantur hîc Prophetam loqui decem tribubus. harum enim rex erat Amri. Verùm dicit loqui duabus tantùm, putà Iudæis. Sensus est, q.d. Tu ô Ierusalem, quæ per templum vero eras consecrata, non Dei tui, sed impiri impijs de idololatria præceptis sponte te didisti, adeoque impiè & scelerate vixisti, fuisses non in Sion sub Dauide, eiusque pofsed in Samaria sub Amri, Achab & Iezabe

p

gibus regibus. *Opus* enim *domus*, id est familiæ, Achab, erat idololatria, impietas, cædes Prophetarum, expilatio fidelium, aliaq́; scelera. ita Theod. Nota. Pro *Amri* Septuag. legerunt עַמִּי *ammi*, id est populi mei. vnde vertunt, *& dissipabuntur legitima populi mei. Legitima* vocant leges & præcepta, vti habent Hebr. Noster, Chald. & alij. Romani tamen codices Septuag. legunt, *& custodistis iustificationes Zambri*; sed vera lectio est *Amri*, vt patet ex Hebræo & Latinis.

AMBVLASTI IN VOLVNTATIBVS EORVM] Ita Hebr. Chald. Septuag. Roman. Plantin. & alia passim, malè ergo quidam legunt, *in voluptatibus*. Sensus est, q.d. Feciſti quæ volita & placita erant Amri, Achab, alijsq́ue impijs & idololatris regibus Israel. Opponit hoc sollicitudini ambulandi cum Deo, quam abeo requisiuit v. 8. q.d. Ego postulaui à te, vt sollicitè ambulares cum Deo tuo; at tu sollicitè ambulas cum Amri, eiusq́ue Baalim & idolis.

VT DAREM TE IN PERDITIONEM (*vt* consequentium significat, non finem intentum, q.d. Hoc consequetur ô Ierusalem, vt disperdam te) HABITANTES IN EA, in te ô Ierusalem, IN SIBILVM. Est enallage personæ: transit enim à secunda ad tertiam, quasi indignans, & auertens ab ea faciem & sermonem. q.d. Ciues diuites & potentes Hierosolymæ, ob idololatriam & scelera dabo in sibilum. Vnde noua enallage ad primam personam redit, dicens: ET OPPROBRIVM POPVLI MEI PORTABITIS] q.d. Vos ô diuites, vos ô principes, hîc alloquor, qui populo fuistis ductores & incentores idololatriæ & scelerum: vobis excidij & captiuitatis populi mei probrum & ignominia imputabitur; vosq́ue idcirco omnes & indigenæ & exteri execrabuntur, ac subsannabunt dicentes: Iustè & meritissimò principes Iudæorum à Chaldæis spoliantur, necantur, probris afficiuntur; quia ipsi spoliarunt, necarũt, probris affecerunt pauperes; & quia suis impijs consilijs & criminibus populum, vrbem & regnum perdiderunt. ita S. Hieron. Lyranus, Clarius & alij. Nota. *Opprobrium populi* vocatur probrũ excidij, captiuitatis & subsannationis, quod Iudæi patiebantur à Chaldæis alijsq́; gentibus, præsertim vicinis & hostilibus, quodq́ue Moses eis comminatus erat Deuter. 28. v. 36. & Leuitici 26. 32.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Queritur Michæas se frustra concionando laborasse, eò quòd vix vllum reperiat, qui malos pravos in melius commutarit; quocirca v. 4. comminatur excidium, & captiuitatem Babylonicam; deinde v. 11. ex ea liberationem, pacem & felicitatem; tum per Cyrum, tum magis per Christum promittit, ideoq́; v. 18. in diuinæ clementiæ & beneficentiæ laudem & doxologiam erumpit.

VÆ mihi, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ: non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desiderauit anima mea.

2. Perijt sanctus de terra, & rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur.

3. Malum manuum suarum dicunt bonum: princeps postulat, & iudex in reddendo est: & magnus locutus est desiderium animæ suæ, & conturbauerunt eam.

VÆ MIHI] Hebr. est אַלְלַי לִי *allai li*, id est heu mihi; est enim vox gementis, non minantis, q.d. O me miserum. Deplorat enim Propheta, aut potiùs Spiritus sanctus per Prophetam raritatem virorum proborum, eamq́ue suam refert miseriam. Porrò hanc raritatem comparat paucis racemis, quia à vindemiantibus in vinea relinqui solent.

QVIA FACTVS SVM SICVT QVI COLLIGIT IN AVTVMNO RACEMOS VINDEMIAE] id est post vindemiam. Hebræa iam ad verbum habent, *quia sui sunt collectiones* (fructuum) *æstatis, sicut racemationes vindemiæ*, quod Syrus, Arabicus, Septuag. Chald. & alij sic exponunt: *Quia factus sum sicut Cornel. in Proph. Min.* *qui congregat stipulam in messe, & sicut* (qui colligit) *racemos in vindemia*, vt sit duplex similitudo, nimirum vt Deus comparet se Primò, spicilego, qui post messem spicilegium facit, paucasq́ue spicas à messore relictas colligit. Secundò, racematori, qui paucas vuas post vindemiam reliquas decerpit. Verùm hi multa supplent, quæ non habentur in Hebræo. Adde, in Hebræo vti iam legunt, Deum comparari non collectori, sed ipsi collectioni fructuum. quod sanè minùs congruè dici videtur. Quocirca meliùs Noster pro אָסְפִּי *aspe*, id est collectiones, legens alijs punctis אֹסְפִי *osephi*, vertit *colligens*, vel *qui colligit*. *Osephi* enim est *benoni*, siue participium *cal*, habens annexum *iod* paragogicum. Rursum pro קַיִץ *kaits*, id est ætas, vertit, *autumnus*, quia tempus fructuum est in autumno, & sic fructus autumnales vocantur fructus æstatis: tunc enim annum distinguimus in duas partes, scilicet æstatem, & hiemem, ac sub æstate partem autumni priorem, & veris posteriorem cùm aura est calidior comprehendimus; sub hieme verò partem autumni posteriorem, & veris priorem, vtpote frigidiorem, complectimur. Doctè ergo pro *kaits* vertit *in autumno*, intelligendo præpositionem ב, id est *in*, quam Hebræi subintelligere solent, vt קַיִץ *kaits* ponatur pro בְּקַיִץ *becaits*. Vertit ergo vnico tenore vnicaq́ue similitudine, *quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*. Vnde appositè non de spicis, sed de vuis solis

sequitur : *Non est botrus ad comedendum*.q.d.Racemando vineam, quæsiui vuas, & ne quidem vnum botrum inueni quem comederem. Iam Symbolicè per vuas & botros intelligit viros fideles, iustos & sanctos, eorumque pia & sancta opera;hi enim ex vinea, id est ex Ecclesia; & ex vite, id est Christo, quasi vuæ Deo sapidissimæ procreantur.Sic sponsa Cant.1.14.ait: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Et cap.7.7.vicissim sponsus ait sponsæ: *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.* Causas & analogias huius vitis & vuæ recensui Ezech.15. in fine. Quocirca Chaldæus vertit, *væ mihi quia fui quando deficiebant boni, tempore quo perierunt misericordes de terra : ecce sicut fructus æstiuales, sicut racemi post vindemiam. Non est vir qui habeat opera bona, bonos tamen appetit anima mea.* q.d.Ego Michæas fui quasi pauper racemator;hic enim post vindemiam sperat se saltem aliquos racemos, qui vindemiantes fugerunt, in vinea inuenturum, eosque quærit & inuenit: ita & ego speraui paucos saltem Iudæos meis concionibus, monitis & minis conuertendos ; sed *non est botrus*, id est non vnum, vel vix vnum, qui se conuerterit, vitamque mutarit,inuenio;quocirca gemo, & ploro: *væ mihi*, hei mihi: oleum & operam perdidi. Allegoricè,idem accidit Christo prædicanti:paucos enim ex Iudæis tota vita sua conuertit. vnde ipse ad sua tempora alleg.refert v.6. Michææ,citans eum Matth.10.35.de quo mox.

Diabolo competit vindemia, Christo racematio.

Vbi Nota græue pathos Dei & Christi, cùm diabolo tribuunt vineæ, id est Ecclesiæ, vindemiam, vtpote qui vuas omnes colligat, ideoque plena habeat torcularia vuis & vino:sibi verò ascribunt racemationem,vtpote qui paucos à diabolo relictos, quia eius oculos manusque fugerunt,colligant.maxima enim pars hominum diabolo seruit, eiusque fit esca & præda; vnde abeo premetur, & calcabitur in torculari inferni: exigua verò cedit Christo ; multi enim sunt vocati, pauci verò electi. diabolo ergo cedunt illi magni botri, & plurimi, vt vindemiatori; Christo non nisi reliquiæ, pauci, & paucerculi, sicut racematori. quasi dicat, Christo non supereſt botrus, & vix pauculi acini; nam acini & granula pauca botri nomen non merentur; botri enim illi magni & pingues vulpium partes facti sunt. Vnde Arabicus vertit,*extremitatem* (extremam partem) *desiderauit anima mea.* Hoc est quod dolet Isaias cap.24.13. *Quomodo si pauca olivæ quæ remanserunt, & racemi cùm fuerit finita vindemia.* Quocirca tropol.doctor & concionator si post multos docendi & concionandi labores & annos,paucos conuertat,non miretur, non est melior Michæa,non Christo. Sorte ergo illorum contentus sit,& à Deo plenam, imò pleniorem exspectet mercedem : Deus enim non fructum, sed laborem remunerat ; qui sine fructu maior & molestior est, eaque ratione maius præmium meretur.

NON EST BOTRVS, AD COMEDENDVM]id est aptus vt comedatur; quia si qui sunt, vel immaturi sunt, vel acerbi, vel ex imbre corrupti & putridi. ita Michæas aliquos inuenit Iudæos in speciem bonos, & suis concionibus auscultantes; sed interna malitia & superstitione acerbos, vel gula & libidine putidos, vti Lyranus & Rupert.explicant.

PRÆCOQVAS FICVS (hebr. בִּכּוּרָה *biccura*, id est *primitiua*, vel *primos fructus*) DESIDERAVIT ANIMA MEA] Sed per *primitiua* Hebræi intelligunt ficus,vt rectè notauit Vatablus:non quòd in Palæstina ficus sint omnium fructuum primi,vt aliqui putarunt;priores enim sunt pruna, &c. què ac in Italia,vti mihi Romæ asseruerūt Palæstini, & Hierosolymitæ. R.P.Melchior ab Hiemont Belga,Franciscanus, qui diu Hierosolymis in suo Conuentu habitauit, Romæ mihi affirmauit, primos illius terræ fructus, illi esse proprios, & vocari *muze*, eosque gustu similes esse ficubus, sed ficubus esse longiores; qui ficus dantur,crucem ostentare:atque indigenas arbore illum fuisse fructum vetitum, quem comedit Eua. Dicuntur ergo præcoquæ,quòd solæ ficus sint biferæ: priores enim fructus dant in æstate, putà in Iulio,& hi vocantur *biccura*,id est primitiui,siue præcoqui, posteriores in Septēbr. Porrò ficus præcoquæ sapidiores sunt; sunt enim cuum & ficulneæ quasi flos, atque auidissimè tuntur ob nouitatem,vti dixi Ierem.24.2.Quæ mirum est S.Hieron.in comment. *biccura* re, grossos,siue ficus immaturas, q.d.Deus *non inueniens panem præ fame magni tudine, quæ lias & furfures requisiui.* Hîc enim ipse interpres *cura* vertit, *ficus præcoquas*, quæ sanè maxima gustui suaues sunt.Et ita *biccura* vertunt alii fim. Sensus ergo est, q.d.Ego Michæas quasi melicus,post tot conciones & labores, desiderem vel in autumno ficus præcoquas : licet enim sint præcoces in æstate;ego tamen,vel in autumno (mihi enim nullæ in æstate maturescunt) pauculis maturis contentus ero,id est paucos saltem desidero conuersionem & salutem, quæ tumuis seram & tardam ; vt hæc saltem labore meo reddatur merces & consolatio : atque ita quidem consequi potui.

Moral. quàm auidè præ omnibus fructibus expetimus ficus præcoquas,tam auidè Deus expetit peccatorum conuersionem , & tam auidè eamdem expetat concionator , quasi alter Michæas.

Porrò Symbol.ficus præcoquæ,inquit Aug. fuerunt primi patres & patriarchæ , putà Abraham,Isaac,Iacob,Moses, &c. qui vti primi fructus,ita Deo suauissimi , & sua pietate ac sanctitate gratissimi extiterunt. Optat ergo Micheas vt redeat aureum Patriarcharum sæculum, vt redeat prima & prisca auorum fides, pietas, integritas. Simili modo optat Poëta Iuuenalis Satyra 13.

Hos vtinam inter
Heroas notum tellus me prima tulisset!

Nam,vt canit Horat.lib.3.od.6.

Damnosa quid non imminuit dies?
Aetas parentum peior auis,tulit
Nos nequiores,mox daturos
Progeniem vitiosiorem

PERIIT SANCTVS]Hebr. חָסִיד *chasid*,id est Chald.*misericors*; Septuag.*reuerens*, Tigurinus *benignus*,Vatabl.*sanctus*.

ET RECTVS]Septuag.pro *schin* legentes שׂ tà pro שׁ *tasur*, legentes שָׁשׁ *tasar*(sin enim quipollet literæ *samech*) vertunt, *& curiosus hominibus non est*. q.d. Non est censor, qui hominū vitia castiget & corrigat. Sic Ouidius [illegible]

zareth. queritur cum aureo sæculo perisse fidem, pietatem, virtutem; ac successisse ferreum & æneum sæculum, quo in virtutum

subiere locum fraudes, dolique,
Insidiæ, & vis, & amor sceleratus habendi.

OMNES IN SANGVINE (hebr. *sanguini*, id est ex proximi) INSIDIANTVR: vnde Chaldæus, *omnes parant insidias sanguinis iusti effundendi causa.* Quocirca explicans subdit: VIR, id est vnusquisque, FRATREM SVVM AD MORTEM VENATVR] sicut auceps venatur auem vt eam occidat. Hebr. & Chald. *vir venatur fratrem suum ad cherem*, id est *ad exterminium*, vt eum quasi anathema disperdat & exterminet; Pagnin. & Vatabl. vertunt, *venatur reti*, vt eum illaqueet; sicut auceps illaqueat volucrem. Verùm Hebr. *cherem* propriè & communiter significat exterminium, non retiū abusiuè, vt patet Habacuc 1.17.

MALVM MANVVM SVARVM DICVNT BONVM: hoc est opera mala quæ manibus operantur, dicunt esse bona. q. d. Non solùm faciunt mala, sed & defendunt, dicuntque esse bona. ita S. Hieron. Secundò, Septuag. vertunt, *in malum manus suas parant.* q. d. *Cuncti manus leuant ad malū, etiam qui malum facere non potuerit, tamen dum manus præparat, voluntate delinquat*, ait S. Hieron. Tertiò R. Dauid appositè & connexè ad sequentia, *manus suas coniungunt ad malum, vt illud perficiant*, id est, vt illud perficiant & ad effectum perducant. Vnde Tigurina vertit, *ad malum manum suarum diligenter sunt intenti*, & strenuè nimirum ad illud idoneos sibi socios, & potentes administros asciscunt, cum eisq; simul malum, quod mente destinarunt, conspirant.

C

NAM PRINCEPS POSTVLAT à iudice sibi adiudicari iniqua tributa, bona, vel vitam innocentum, similemúe rem impiam vel iniustam. ET IVDEX IN REDDENDO EST, q. d. Iudex reddit quod princeps iniustè petit; reddit, inquam, spe largitionis, vel paris iudicij, aut gratiæ, quam à principe expectat, *vt præstent sceleribus suis munus fauorem, & in alterius crimine se defendant*, ait S. Hieron. Vnde ex Hebræo vertas, *iudex pro remuneratione*, scilicet iudicat; hoc est, vt Chald. vertit, *princeps postulat, & iudex dicit: Fac pro me, quæ remuneram tibi.* Denique MAGNVS, hoc est aliquis ex magnatibus vel Rabbinis, LOCVTVS EST DESIDERIVM (hebr. הַוַּת *haffat*, id est corruptelam & prauitatem. ita Vatabl.) ANIMÆ SVÆ: pugnatur de hac principis postulatione, & D iudicis ei rem iniustè adiudicantis iudicium non respondet secundùm iustitiam, legem & voluntatem Dei; sed secundùm suam aduocationem, ambitionem & auaritiam: nimirum probat & defendit iniquam, tam postulationem principis, quàm iudicis sententiam, vt eo gratiam ineat, aut rapinæ sit particeps. Vnde Pagnin. vertit. *& magnus loquitur: Afferte munera*, ET hac ratione CONTVRBAVERVNT (Chald. *depranarunt*) EAM] *vel vrbem, vel veritatem suam terram, de qua dixit v. 2. Periit iustus de terra*, inquit S. Hieron. Hebr. magis appositè & significanter dicitur וַיְעַבְּתוּהָ *vaiabtuha*, id est *implicuerunt, implicuerunt, intricarunt*, sicut eam reddiderunt *eam*, scilicet *haffat*, id est corruptelam; nimirum triplici ore, putà principis, iudicis & magnatis, quasi triplici fune eam triplicantes & corroborantes, vt ostendant bonum esse, quod malum est; æquum esse, quod iniquum est, iuxta illud: *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* Radix enim עָבַת *abat* significat implectere funes, vel frondes: inde enim עֲבוֹת *abot* vocantur funes, quia implexi. Hoc est quod ait Isaias c. 5. 18. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* Ad Isaiam enim more suo alludit hîc Michæas. ita Lyran. Vatabl. Marinus in Lexico, & alij recentiores. Paulò aliter hunc locum explicat Pineda in Iob 22. v. 8. nu. 6. quasi Michæas hîc taxet principes, qui aulæ harpyijs, id est suis familiaribus & adulatoribus omnia indulgent, & cōcedūt cum noxa reipubl. & pauperum. Sic ergo exponit: princeps (vir princeps & magnus corā suo rege, & iudice supremo) *postulat* (à rege) *& iudex* (supremus) *in reddendo* (facilè annuendo, & concedendo nulla sufficiente causæ & rei postulatæ cognitione) *est, & magnus* (primates & regi familiares) *locutus est desiderium animæ suæ* (quod appetunt, hoc petunt: quod verò petunt, dicto citiùs obtinent) *& conturbauerunt eam*, rempubl. videlicet pungendo & lacerando pauperes, eorumque sanguinem exugendo. Vnde sequitur: *Qui optimus in eis est, quasi paliurus; & qui rectus, quasi spina de sepe.* Verùm, quia communiter princeps est maior iudice, hinc prior expositio planior videtur. Appositè Belgæ hosce socios in facinore conternantes, vocant *vandregisiles.* Nomen enim *Vandregisilus* conflatum est ex hisce tribus Flandricis vocibus, *van de dry gesellen*, hoc est, è tribus socijs vnus, vti annotauit Hutterus, & alij in Originib. Flandr.

Transit hîc Propheta à cædibus & sceleribus populi, ad scelera magnatum, qualia etiam hoc æuo non rarò conspicimus: filij enim huius sæculi sapientes sunt vt faciant malum; ideoque tot cōsilijs, & socijs, vel fautoribus potentibus, quasi funibus illud illigāt, vt nemo illud euertere, nemo eis resistere possit: sed qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos, vti pulchrè in sequentibus ostendit Michæas. Ita Iezabel regina curauit innocentem Naboth à iudicibus condemnari & lapidari, vt eius vineam occuparet & traderet marito Achab: approbarunt hanc necem & prædam optimates Samariæ; sed ilico in vindictam prosiliit vigil Dei oculus, eique per Eliam fulmen maledictionis inflixit. Quocirca Iezabel paulò pòst à Iehu regno & vita spoliata in eodem agro, quem Naboth ademerat, deuorata est à canibus, 3. Reg. 21. 23.

Præclarè S. Greg. hom. 9. in Ezech. *Tolerandi*, inquit, *vbiq; sunt proximi, quia Abel fieri non valet, quem Cain malitia non exercet. Vnum verò est, potētia, qua vitari societas malorum debeat; ne, si fortasse corrigi non valent, ad imitationē trahant, & cùm ipsi sua malitia non mutantur, eos qui sibi coniuncti fuerint peruertāt.* Et S. Isidor. lib. 2. Soliloq. *Ante ignē*, inquit, *consistens, etiamsi fortis sis, aliquando dissolueris: proximus periculo diu tutus non erit: sæpè familiaritas implicauit, sæpè occasionem peccandi dedit, sæpè quod voluntas non potuit, assiduitas superauit.* Et mox: *Melius est habere malorū odiū, quàm consortiū, sicut bona multa habet communis vita sanctorum, sic plurima mala societas affert malorū.* Ita in vtramque partem magna est vis societatis. Quocirca sapiēter Cassiodor. lib. 2. Epist. *Ipsi quoque homini,*

Mor. quàm noxij sint mali socij.

inquit, *duplices manus, socias aures, oculos geminos* A *diuina tribuerunt, vt robustiùs perageretur officium, quod duorum fuerat societate complendum.* Et Hugo lib.3.de Anima: *Amabilis socius*, inquit, *omnibus est officiosus, & nulli onerosus: quia deuotus ad Deum, benignus ad proximum, sobrius ad mundum; Domini seruus, proximi socius, mundi dominus; superiora habet ad gaudium, æqualia ad consortium, inferiora ad seruitium.*

4. Qui optimus in eis est, quasi paliurus: & qui rectus, quasi spina de sepe. Dies speculationis tuæ, visitatio tua venit: nunc erit vastitas eorum.

5. Nolite credere amico: & nolite confidere in duce: ab ea, quæ dormit in B sinu tuo, custodi claustra oris tui.

6. Quia filius contumeliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius.

7. Ego autem ad Dominũ aspiciam, exspectabo Deum saluatorem meum: audiet me Deus meus.

8. Ne lætèris inimica mea super me, quia cecidi: consurgam, cùm sedero in tenebris, Dominus lux mea est.

9. Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum educet me in lucem, videbo iustitiam eius.

10. Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione, quæ dicit ad me: Vbi C est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem vt lutum platearum.

VERS.4. QVI OPTIMVS IN EIS EST, QVASI PALIVRVS] Septuag. *quasi tinea comedens.* Sensus est, q.d. Qui inter hosce optimates iniustos & rapaces videtur optimus, id est minùs malus, si cum cæteris rapacioribus comparetur; is tamen quasi paliurus spinosus & asper pungit, vulneratq; proximos. Paliurus enim est genus spinæ asperæ & acutæ, quod vulgò agrifolium dicitur, de quo Virgil. eclog. 5.

Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.

ET QVI RECTVS, QVASI SPINA DE SEPE] q.d. Qui inter eos videtur cæteris rectior & æquior, D id est minùs iniquus, is tamen distortus est, pungit lædit que vt spina. Cõijcite ergo quales, quàm mordaces & noxij debeant esse cæteri, qui his peiores; & præsertim qui inter eos pessimi & nocentissimi sunt. Rursum sicut spina rapit lanam ouium, oues que lacerat, ita hi substantiam simplicium rapiunt, simplices q; lacerant, ait R. Dauid. Hebr. habent, *rectus eorum præ sepe*, scilicet spinosus est. & pungit. Vnde Pagnin. vertit, *rectus eorum asperior est maceriis spinarum*; & Tigurina, *qui rectus, sepe ex spinis contexta spinosior*, id est acutior & nocentior est; Syrus & Arabicus Antiochenus, *contempserunt bona sua, quasi frustum panni corruptum à tinea*; Arabicus verò Alexandr. *ego disperdam bona eorum velut tinea* (vel caries) *quæ comedit & repit in trabibus, sicut dies insidiarum.*

Secundò, magis presse & congruè: *qui optimus*, id est benignissimus & mansuetissimus inter eos: hic tamen acer *est* in pungendo, *paliurus: & qui rectus*, id est placens, gratus, iucundus, placidus, videtur inter ipsos; hic tamen pungit & affligit *quasi spina*. Sic sæpè *bonus* sumitur pro suaui & miti; vti psal. 72.1. *Quàm bonus Israel Deus: bonus*, id est suauis, benignus, benecus, *his qui recto sunt corde*, qui Deo cor æquum placidum, blandum & amicum exhibent. Deus enim rectis est rectus, bonis bonus, placidus placidus, benignis benignus; ex aduerso acribus acer, sæuis sæuus, crudelibus crudelis, vti canit Dauid psal. 17.26. & 27.

DIES SPECVLATIONIS TVÆ, VISITATIO TVA VENIT] Hebr. פְּקֻדָּתְךָ *metsappecha*, id est *speculatorum tuorum*. Vnde Tigurina clarè vertit, *dies speculatorum tuorum, visitationis q; tuæ venit*. quod et cans Vatabl. Breui, inquit, aderit dies, quo tui speculatores, id est Prophetæ, prædixerant tibi fore omnia felicia; sed falsò: nam ille dies erit visitationis, id est punitionis, tuæ, quo scilicet Deus sumet de te pœnas, teque per Chaldæos exscindet. Et Chald. *dies mala in qua bonum exspectabas, dies visitationis malitiæ tuæ peruenit*, id est adest & instat. Loquitur de excidio non Samariæ, vti censet S. Hieron. Remig. & Hugo; sed Ierusalem, vt patet ex sequentibus, vbi promittit liberationem è captiuitate: hæc enim contigit Hierosolymitis in Babylonem, non Samaritis in Assyriam abductis.

NVNC ERIT VASTITAS EORVM] Pro vastitas hebr. est מְבוּכָה *mebucha*, quod Septuag. & Syr. vertunt *fletus*, à rad. בָּכָה *bacha*, id est fleuit. Pagnin. *desolatio*; alij, *obsidio*; Marinus, *confusio*; alij, *distractio*; propriè Chald. & Vatabl. *perplexitas*: hanc enim quasi pœnam appositam opperationi & conspirationi eorum in malum de qua dixit v.3. *Conturbauerunt eam*, hebr. *implicarunt eam*. q.d. Princeps, iudex & magnates ludentes, & conspirantes in rapinas & expilationes tenuiorum, ita suum hoc scelus corroborarunt, & tribus quasi funibus implicuerunt, vt nullus extricabile videatur, nullusque ei resistere, vt euadere valeat: quocirca ego distraham hos eorum funes, ac viciſſim implicabo illos funibus non triplici, sed centuplici Chaldæorum vindicta, que eos obsidentium & circumuallantium, ne eorum laqueos & manus effugere nequeant, & ita sint perplexi, vt nesciant quò se vertant, quod consilium capiant, quò fugiant. Multò magis tropol. perplectet eos Deus in hora mortis & die iudicij, cùm præ pauore & angore dicent montibus: *Cadite super nos, & collibus, Operite nos*. Apocal. 6.16.

NOLITE CREDERE AMICO (Hebr. רֵעַ *rea* est *socio*: respicit enim ad societatem quã principes, iudex & magnates conspirant in rapinas eamque dissoluere & plectere pergit) ET NON CONFIDERE IN DVCE: AB EA, QVÆ DORMIT IN SINV TVO, CVSTODI CLAVSTRA ORIS TVI] Varij variè hunc versum explicant, & textum aptant. Primò, S. Hieron. Remig. Hugo & Lyra hæc referunt ad pseudoprophetas. q.d. Nolite credere; quia, si inter homines, vel generatim fœdere cõiunctos, quales sunt amici, ducis et iuges, nurus, rara est fides, vti experientia testatur

quòd magis rara erit fides in pseudoprophe-
tis, qui omnia fingunt, vt adulentur, & emun-
gant fas populorum suorum.

Secundò, alij melius generatim hæc verba ac-
cipiunt, vt taxent infidelitatē hominum illius æ-
tatis. Hoc tempore tanta est hominum perfidia,
vt nec socius socio, nec vxor marito, nec subditus
duci, nec socrus nurui credere possit; quia ipsi
domestici hominis sunt eius inimici. Sapiēter er-
go ait, qui omnes suspectos habet, nemini fidem
commodat, nemini se credit; sed ipse sibi consu-
lit & prospicit. Hoc est quod eodē æuo deplorat
Ieremias c. 9. 4. *Vnusquisque*, ait, *se à proximo suo cu-
stodiat, & omni fratre suo non habeat fiduciā, quia
omnis frater supplantans supplantabit, & omnis ami-
cus fraudulenter incedet*, &c. Cui planè similia sunt
verba Michææ, quæ sequuntur: *Quia filius contu-
meliam facit patri, & filia consurgit aduersus matrem
suam*, quæ si planè vt sonant capiantur, non aliud
quàm malitiam & perfidiam illius sæculi significant. Hic ergo sensus vti simplicior & planior,
ita & germanior videtur: explicat enim & exe-
mplificat id quod dixit v. 2. *Perijt sanctus de terra,
&c. Vir fratrem suum ad mortem venatur.* Et illud
v. 4. *Qui optimus in eis est, quasi paliurus*, &c. Et hoc
modo videtur hæc Michææ verba citare Christus
Matth. 10. 34. de quo mox plura. Atq; hic sensus,
spectat generalis, cæteros omnes, præsertim ter-
minum quē iam assignabo, complectitur. Tale pa-
rallelum mundi hominumque sæculum de-
scribit Quid. 1. Metamorph.

Fratur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est;
Immatet exitio vir coniugis, illa mariti;
Lurida terribiles miscent aconita nouercæ;
Filius ante diem patrios inquirit in annos;
Victa iacet pietas, & virgo cæde madentes
Vltima cælestum terras Astræa reliquit.

Porrò signanter & sapienter ait, *Ab ea quæ dormit
sinu tuo*, id est ab vxore, vt vertit Chald. (sic e-
nim dicitur Deut. 13. 6. *Vxor quæ est in sinu tuo.* Et
cap. 24. *Vxori quæ cubat in sinu tuo*) *custodi clausira
oris tui*, id est, ne vxori credas, ne ei reueles tua se-
creta. Os enim est quasi ostium, quod sensa pecto-
ris intus ostij claudit silendo, vel aperit loquen-
do. Inde sua habet claustra & seras, scilicet labia
& dentes, quibus natura nos monet, vt ijs os &
linguam clausa teneamus, præsertim coram fe-
mina. Nam mulier est inconstans & garrula: *Va-
rium & mutabile semper femina*, ait Virgil. Ita Da-
lila Samsonem prodidit, cùm ipse ei reuelasset
suam fortitudinem sitam esse in coma, Iudic. 13.
Iezabel perdidit Achab, cùm ei reuelasset
causam suæ tristitiæ esse cupidinē vineæ Nabot,
3. Reg. c. 15. & 16. Quocirca Cato teste Plutarch.
in suos dolebat: Primò, quòd in hac vita tam
breui vel vno die intestatus mansisset. Secun-
dò, quòd eò mari & nauigio profectus esset, quò
posset ire terra & pedes. Tertiò, quòd secre-
tum suum reuelasset mulieri. Verè Antiphanes
apud Stobæum:

*Quid autem tam latere velis aliquod negotiū, mulieri
Vtrum aperiendi quid interest, siue mulieri,*
Siue omnibus in foro præconibus narrare?

Vide Plutarch. l. de Garrulitate. Prudēter Sene-
ca: *Nolim fidere quod velis, primus file.* Et Valer.
lib. 4. cap. 11. *Taciturnitas optimum atque tutis-
simum rerum administrandarum est vinculum.* Vi-

A de S. Auguſt. l. 19. Ciuit. cap. 5. vbi tractans hunc
Michææ locum, eum duabus Gentilium sēnten-
tijs illustrat. Vna est Terentij in Adelphis: *Duāi
vxorem, quam ibi miseriam vidi?* imò, quam ibi mi-
seriam non vidi? Et in Eunucho: *In amore hæc om-
nia insunt vitia, iniuria, suspiciones, inimicitiæ, in-
duciæ, bellum, pax rursum: nónne res humanas vbique
impleuerunt?* Altera est Ciceronis libr. de Ami-
citia: *Nulla sunt occultiores insidiæ, quàm ea quæ la-
tent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis
nomine. Nam eum qui palàm est aduersarius, facilè
cauere possis.*

Huc pertinet expositio Ariæ. quæ partialis est;
qui putat hîc significari, subditis & popularibus
cauenda esse commercia cum principibus. q. d.
Nolite ô populares, miscere vos rebus principū,
vt vel amicitiam cum eis ineatis, vel inimicitiam
B ostendatis detrahendo eis, & facta eorum car-
pendo apud vestros amicos, vxores, filios, &c.
quia hi audita non silebunt, sed partim ex garru-
litate, partim ex maleuolentia, qua vobis irati &
offensi nocere cupiunt, narrabunt ea alijs, & hi
alijs & alijs, ita vt ad aures principū perueniāt, qui
se vindicabunt & vōs acriter punient, iuxta illud
Eccli. 10. 20. *In cogitatione tua regi ne detrahas, &
in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti: quia &
aues cæli portabunt vocem tuam, & qui habet pennā
annunciabit sententiam.*

Tertiò, alij censent hæc spectare & explicare
acerbitatē visitationis, id est punitionis & vasti-
tatis, vel, vt hebr. est, perplexitatis Iudæorum,
maximè optimatum, in excidio Hierosolymæ
per Chaldæos, de qua proximè præcessit. q. d.
Tanta erit calamitas, tanta fames, tāta angustia,
C tanta perplexitas ciuiū, præsertim optimatum,
qui pauperes suis consilijs & conspirationibus
implicuerunt & diripuerunt, in obsidione Hie-
rosolymæ, vt quisque pro se vno sollicitus sit, &
neminē alium; ne amicum quidem, ducem, vxo-
rem, aut nurum curet, imò nulli fidat suæ vitæ
subsidia, vel fugæ consilia; sed panem quem ha-
bet ab ijs abscondat, vt eo solus ipse vesci, & vi-
tam suam sustentare possit; latebras, vel vias &
modos effugiendi manus Chaldæorum, quos ip-
se inuenerit vel excogitarit, silentio premat, & si-
bi seruet, ne ab amico vel vxore sibi præripian-
tur. ita Theodor. à Castro, Ribera & alij. Vnde
sequitur:

QVIA in tanta fame, perturbatione & angustia VERS. 6.
FILIVS CONTVMELIAM FACIT, id est faciet, PATRI,
vt cum eo litiget & pugnet pro pane, eumq; illi
D eripiat: ET FILIA CONSVRGIT, id est consurget,
ADVERSVS MATREM SVAM, simili de causa: ET INI-
MICI HOMINIS, id est cuiusuis, vt vertit Chald.
DOMESTICI EIVS] supple erunt, quia domestici pas-
sim inter se contēdent & pugnabunt pro pa-
ne, latibulo, similiūe re ad vitam, in tanto pericu-
lo tuendam necessaria.

Alleg. hæc discordia & pugna Iudæorum cor-
poralis, id est ob bona corporalia, repræsentabat
discordiam & pugnam spiritualē (id est, ob fidē,
& bona spiritualia) fidelium & infidelium, putà
persecutionem infidelium etiam parentum, fra-
trum & cognatorum contra Christianos, siue
Iudæos, siue Gentiles tempore Christi & legis
nouæ, maximè quando propter ipsos incurrebāt
periculum famæ, bonorum & dignitatum, vel et-
iam vitæ. Et hoc sensu citat hæc Michææ verba

Chri-

M. 10. 34.

Christus Matth. 10. 34. *Non veni*, inquit, *pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.* q. d. Veni mittere separationem & dissidium inter fratres & parentes, in re simile illi quod prædixit Iudæis Michæas; sed dissimile in causa. illud enim Iudæorum fuit ob malitiam eorum; vel, vt alij volunt, ob obsidionem Chaldæorum, in qua adeò fame, peste & gladio vexati sunt, vt etiam frater fratri, filius patri, filia matri, panem, domum, arcem ad se saluandum præriperet: hoc verò meum & Christianorum, erit propter fidem, pietatem, & cultū Dei ex parte fidelium; sed propter malitiam pariter ex parte infidelium. Veni ergo mittere gladium, id est separationem & discordiam in fide & religione, vt scilicet fideles meos propriè per fidem separem ab infidelibus: hi verò inde occasione iurgandi accepta, separent se à fidelibus sua infidelitate, odio & persecutione, qua eos bonis & vita mulctent. Et hoc posterius maximè intendit Christus, illudque magis respondet menti Michææ, ex quo hoc mutuatus est Christus. *Veni enim separare hominem aduersus patrem suum*, &c. *& inimici hominis domestici eius. Quia euenient*, ait S. Chrysost. orat. contra Iudæos, *vt in eadem domo vnus sit fidelis, alter infidelis, & pater filium velit trahere ad impietatem. Hoc prædicens ait, Adeò vincet potestas Euangelij, vt filij quoque contemnant parentes suos, filiæ matres, & parentes liberos, imò vt animam & omnia pro pietate exponant.* Vnde subdit Christus: *Qui amat patrem, aut matrem, plus quàm me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*: crucem, vt scilicet paratus sit pro me, meaque fide & obsequio, ferre verbera, opprobria, & mortem etiam durissimam & ignominiosissimam, qualis est crucis. *quia sicut summam vobis attuli beatitudinem, sic singularem obedientiam & affectionem à vobis postulo, vt in acie mea sitis leones*, ait S. Chrysost. Idem Chrysost. homil. 36. in Matth. *Inimici hominis sunt, qui in domo eius sunt. His verbis*, inquit, *Propheta omnibus rebus superiorem conatur facere eum, qui dicta eius esset suscepturus. Nec enim mori, sed malè mori malum est. Ideo dicebat: Ignem veni mittere in terram: quibus verbis vult significare magnitudinem ac ardorem charitatis quam flagitat. Nam quoniam ipse nos mirum in modum dilexit, ideò singulari à nobis quoque charitate diligi desiderat.* Non ergo Christus abutitur verbis Michææ, vti quidam interpretes asseruerunt; sed rectè ea suo æuo suoque argumento applicat. q. d. Nunc per Euangelij mei prædicationem fiet dissidium fratrum & parentum tale, quale olim prædixit Michæas; etsi aliam, & pientiorem ob causam. Quocirca nunc pariter licet vsurpare celebrem hanc sententiam Michææ, quæ in commune prouerbium abijt: *Et inimici hominis domestici eius.* Est enim hæc generalis sententia & gnome, quæ vsum habet in omni loco, materia & tempore, quando de meo & tuo in eadem domo vel cœtu agitur & litigatur; tunc enim quisque pro se, suaque re & commoditate pugnans inimicos habet non extraneos, sed domesticos, qui illud eripere sibique vendicare satagunt. Quocirca Anagog. hæc gnome verissima est in gehenna, vbi summi inimici sunt, qui in hac vita fuerunt summi amici; putà parentes, fratres, domestici & socij in scelere, ob quod ad gehennam damnati sunt. Hi enim quasi canes in se inuicem rapiunt, maledicunt, & improperant dicēdo: Maledictus sis pater, qui me lasciuientem non castigasti, sed in scelere educasti, vt fierem fomes gehennæ. Maledictus sis frater, qui me ad scorta & omnem lasciuiam verbo & exemplo inuitasti. Maledicta sis vxor, quæ me ad opes per fas & nefas comparandas sollicitasti. Maledictæ sitis filiæ: quia propter vos ornandas & ditandas ego iniustè bona aliena occupaui, fœnera & iniusta lucra cepi, quæ nunc vror igne æterno.

EGO AVTEM AD DOMINVM ASPICIAM. In tantis malis sanum dat consilium, æquèque implum. q. d. In tanta Iudæorum tum calamitate & obsidione, de qua dixi v. 5. tum malitia & perfidia, qua frater fratrem, pater filium proditurus perdet; ego Michæas meique similes sancti & sapientes, non ad parentes & amicos, vt potè malos, sed ad Deum intentis oculis mentis meæ, quàm corporis aspiciemus, illum vnum inuocantes, illi nos commendantes, ab illo solo auxilium & liberationem è tantis malis poscentes & expectantes, iuxta illud sanissimum Iosaphat prudentis regis in rebus afflictis, & penè desperatis consilium: *In nobis quidem non est tanta virtus, vt possimus huic multitudini resistere, quæ venit super nos: sed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te*, 2. Paralip. 20. 12. Deus enim in rebus desperatis vnicum est perfugium & asylum, ad quem gaudet opitulari, vt ostendat suam omnipotentiam & beneficentiam, præsertim in eos qui id credunt, sperant & postulant. Quocirca summè vitanda est diffidentia & desperatio, maximè excitanda certa in Deum spes & fiducia; quæ si adsit, certò Dei opem, etiam miraculum eliciet, vti contigit Lot obsesso à Sodomitis, Genes. 19. Mosi & Hebræis à Pharaone, Exodi 14. Iudith & Bethuliæ obsessæ ab Holoferne, Dauidi obsesso à Saule, 1. Reg. 23. Machabæis obsessis ab Antiocho; Ezechiæ obsesso à Sennacherib, Isaiæ 38. 14. Hoc est quod vulgò dicitur: *Deus ex machina*, scilicet ex insperato parens & opitulans.

EXPECTABO DEVM SALVATOREM MEVM, scilicet ad literam Deum, qui me, meique simul tum à Chaldæis, tum à perfidis Iudæis liberet. Alleg. expectabo Christum, qui à diaboli crudelitate, omniumque impiorum insultu nos liberabit. Hinc Christus vocatus est Iesus, id est saluator mundi. Loquitur Michæas ad literam in persona Ierusalem (id est ciuium eius fidelium & piorum) à Chaldæis obsessæ, vastatæ, abductæ Babylonem, vti notat S. Hieron. Theodoret. Pert. Hugo, Lyran. & alij; quæ enim sequuntur constat esse verba Ierusalem. Ait enim: NE LÆTERIS INIMICA MEA SVPER ME, QVIA CECIDI. Ierusalem *inimicam* suam vocat, non Romanos, vt volunt Iudæi; sed vel Babylonem vastatricem suam, vt vult S. Hieron. Remig. Vatabl. &c. vel potiùs Idumæam: Babylon enim omnium gentium, sed Idumæa propria & auita hæreditas Iudæorum inimica, quæ proinde in eius excidium gauisa est & applausit: vnde omnes pene Prophetæ hoc illi improperant, ideoque eius excidium comminantur, vti facit Abdias &

sua prophetia. Quare v. 12. *Non despicies*, inquit, *in die fratris tui, & non lætaberis super filios Iuda in die perditionis eorum*, &c. *Quoniam iuxtà est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi, retributionem tuam conuertet in caput tuum.* Et Psalmus psal. 136. 7. *Memor esto Domine filiorum Edom in die Ierusalem, qui dicunt: Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Similia habet Ierem. c. 49. 12. Amos cap. 1. 11. & alij. Sensus ergo est, q.d. Ne lætere in mei excidio ô inimica mea, ô æmula Idumæa: licèt enim ceciderim, tamen post 70. annos rursum Deus per Cyrum me eriget, & reflorabit: tunc CONSVRGAM CVM SEDERO IN TENEBRIS, putà in tenebroso carcere Babylonio: quia DOMINVS LVX MEA EST] non formalis, sed causalis; hoc est, Deus me sedentem in tenebris captiuitatis *illuminabit*, vt vertunt Septuag. & Chaldæus, luciq́ue, id est lætitiæ, libertati & felicitati, & quasi vitæ (horum enim symbolum est lux, sicut ex aduerso tenebræ symbolum sunt tristitiæ, captiuitatis, aduersitatis & mortis) restituet. Sic in tenebris, id est in ærumnis, constitutus Dauid ad Deum, quasi ad lucem, respiciens ait: *Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?* psalm. 26. 1.

Moral. S. Ambros. in psalm. 37. ad illud: *Quoniam in te Domine speraui*, citans hæc Michææ verba: *Non est*, inquit, *grauis infirmitatis ruina, si non sequatur voluntatis studium. Habe voluntatem surgendi, præsto est qui faciat vt resurgas.* Et paulò antè: *Quæ tamen peccaui, tu peccatum dimittis: ecce ego cecidi, tu resuscitas: ne habeant vnde exultare possint, qui peccata lætantur aliena. Plus enim acquisiuimus, qui plus peccauimus: quia beatiores facit tua gratia, quàm nostra innocentia.* Audiant hoc peccatores pœnitentes, audiant & gaudeant.

IRAM DOMINI PORTABO, QVONIAM PECCAVI ET] *Iram*, qua scilicet me Ierusalem per Chaldæos castigat, vastat, & in Babylonem abducit. q.d. Ego Ierusalem portabo iram, id est sustinebo pœnam excidij, ex ira Dei mihi inflictam. Loquitur enim Michæas in persona Ierusalem, id est ciuium eius piorum & fidelium, qui in eius excidio bonis & libertate spoliabantur. Vnde patet viros pios & sanctos portare iram Dei, dum pro peccatis suis puniuntur. Hinc sequitur Deum, licèt peccatori pœnitenti condonet iram, id est culpam, non tamen ilico condonare omnem iram, id est pœnam, vt volunt hæretici. Est enim duplex ira Dei: prima est odium, quo peccatorem odit, quasi hostem suum, eiq́ue vult summum malum & perniciem, dum eum destinat gehennæ: hæc tollitur per pœnitentiam, qua peccatori reconciliatur, cum eoq́ue in gratiam redit. Secunda ira est, qua pœnitentem licèt reconciliatum, non vult relinquere impunitum, sed ob peccata præterita ei vult malum aliquod, puta castigationem; dum eum destinat morbo, fami, spoliationi, captiuitati, &c. Hanc portat Michæas & Sancti.

Dices: Per pœnitentiam tollitur omnis offensa ex animo Dei ira, vt ampliùs peccatori non sit offensus, sed ei peccatum plane condonet, eique omnino reconcilietur. ergo pariter tollitur omnis ira. Respondeo ad antecedens, duplex est offensa, sicut & ira. Prior offensa vel offensio, est ipsa inimicitia & hostilitas: hæc omnis tollitur per pœnitentiam. Posterior offensa est voluntas castigandi & puniendi aliqua pœna temporali voluptatem, quam percepit peccator in actu peccati. Hæc residet & remanet in animo Dei, donec peccator eam luat, vel Deus eam condonet; sicut Dauid condonauit offensam priorē Absaloni, dum eum, licèt fratricidam, in gratiam recepit, non tamen posteriorē; nam dixit: *Faciem meam non videat*, 2. Reg. 14. 24. Ex parte ergo adhuc ei offensus fuit, quia noluit eum videre. Ita Dauid ipse portauit hanc irā & offensam Dei: nam cùm correptus à Nathan de suo adulterio & homicidio pœniteret, diceretq́ue, *Peccaui Domino*, ilico ab eo audiuit: *Dominus quoq; transtulit peccatum tuum: non morieris. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur*, 2. Reg. 12. 13. Quocirca Dauid, licèt iam sciret remissum sibi esse peccatum quoad culpam, tamen adhuc iram, id est vindictam & pœnam, Dei deprecatur dicēs: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, psal. 6. 1. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. Et secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Ampliùs laua me ab iniquitate mea*, psalm. 50. 1 q.d. Lauisti me abstergendo culpam, sed ampliùs laua abstergēdo omnem iram & pœnam. Porrò hanc Dei castigationē rectè dici iram, vereq́; procedere ex ira & animo irato Dei, hoc argumento demonstrat Gregor. de Valentia tract. de Satisfactione contra hæret. c. 3. Irasci, inquit, vel esse infensum alicui, est velle ei euenire aliquod malum. atqui Deus vult vt pœnitēti, licèt sibi reconciliato, hoc malum pœnæ tēporalis obtingat; imò illud positiuè ei immittit & infligit, dum eum castigat. ergo hoc ipso aliquo modo illi irascitur, estq́; adeò adhuc in Deo erga illum offensa, pro qua debeat & possit compensatio fieri. Vnde Syrus & Arabicus pro *iram*, vertunt, *plagam Domini portabo*. *Probatur.*

Moral. Idipsum dicunt pœnitentes, cū à Deo morbo, paupertate, persecutione, alijsq́; ærumnis, ac præsertim tēntatione illius concupiscentiæ, cui olim consenserunt, recurrente, affliguntur: *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei.* Tollam nōlens grabatum meum, in quo volens iacui, & ambulabo. Ita S. Maria Ægyptiaca tot annis passa est acres tēntationes libidinis, quot in ea vixerat, putà septēdecim. Ita S. Machabæi martyria sua peccatis suis ex humilitate ascribunt, 2. Machab. 7. Noui viros Religiosos, qui quoties aduersi quid eis accidit, subitò dicūt, Mea culpa, hæc meæ culpæ iusta est pœna. Ita Mauricius Imp. videns in conspectu suo quinq; filios necari à Phoca Imp. exclamabat: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Restiterat enim olim S. Gregorio Pontifici in iuribus Ecclesiæ, ideoq́ue hac pœna à Deo mulctatus est, imò eamdem ipse expetijt, vt futuram & æternam redimeret. ita ex Theophane Baron. anno Domini 602. *Moral. iusti pœnitentes portant iram Dei.*

Ægrotis hæc applicat S. Basilius in Regulis fusiùs explicatis, interrogat. 55. *Morbi*, inquit, *sæpè peccatorum flagella sunt, quibus nihil aliud agitur, nisi vt vitam in melius commutemus*, &c. *Quare qui eiusmodi sunt, hi omissis medicorum auxilijs, tristitias sibi acerbitates ferre silentio debent, quandocumque se peccasse animaduerterint; atque illum imitari, qui dixit: Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei;*

nec

nec non vitæ suæ prauas studia emendare, & dignos pœnitentiæ fructus edere.

DONEC CAVSAM MEAM IVDICET, & vindicet: licet enim ego iustè puniar respectu Dei, cui peccaui, tamen iniustè hæc patior à Chaldæis & Idumæis, quibus nihil nocui, quique nullum in me, meumque excidium & direptionem ius habent. Chaldæi enim nullum iustum belli titulum habuerunt, quo iustè & licitè possent Iudææ insinuadere & vastare. Porrò iudicabit & vindicabit causam meam Deus, cùm EDVCET ME IN LVCEM, putà in libertatem è carcere Babylonio; nam tunc VIDEBO IVSTITIAM EIVS, iustam scilicet vindictam, qua par pari reddet Chaldæis, dum eos vastabit per Cyrum, sicut ipsi nos vastarunt; atque Idumæis, dum eos à Chaldæis pariter in captiuitatem abductos, in ea relinquet, nec in patriam reducet, vti reducet me. Rursum dum eos per Iudam aliosque Machabæos, mihi meaque legi subiugabit, 1. Machab. 5. 3. Tunc ergo

VERS. 10. INIMICA MEA id est hostilis Babylon; vel potiùs æmula & inuida Idumæa, ASPICIET, cum mœrore & pudore suas clades & ærumnas; ET OPERIETVR CONFVSIONE, QVÆ mihi insultans nunc DICIT AD ME: VBI EST DOMINVS DEVS TVVS? liberet te ab hoc excidio. Videbit enim meam libertatem & felicitatem sub Cyro; vnde tunc rumpetur inuidia. Nam OCVLI MEI VIDEBVNT IN EAM. q.d. Ego in alto Sionis & felicitatis culmine rursum constituta, despiciam Idumæam humi iacentem, afflictam, & penè exanimem, dicamque: NVNC ERIT IN CONCVLCATIONEM VT LVTVM PLATEARVM, quæ me superbè olim despexit, irritit & afflixit. Nam paulò post eladem Hierosolymæ conculcarunt Idumæam Chaldæi, & postea Machabæi.

11. Dies, vt ædificentur maceriæ tuæ: in die illa longè fiet lex.

12. In die illa & vsque ad te veniet de Assur, & vsque ad ciuitates munitas; & à ciuitatibus munitis vsque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte.

13. Et terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationum eorum.

14. Pasce populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli: pascentur Basan & Galaad iuxta dies antiquos.

15. Secundùm dies egressionis tuæ de Terra Ægypti ostendam ei mirabilia.

16. Videbunt gentes, & confundentur super omni fortitudine sua: ponent manum super os, aures eorum surdæ erunt.

17. Lingent puluerem sicut serpentes, velut reptilia terræ perturbabuntur in ædibus suis: Dominum Deum nostrum formidabunt, & timebunt te.

VERS. 11. DIES, VT AEDIFICENTVR MACERIAE TVAE] Primò, Theodor. pergit hæc de Idumæa accipere. q.d. Veniet tibi, ô Edom, dies obsidionis Chaldæorum, quo macerias & murorum ruinas instaurabis, vt ijs te tuearis, & Chaldæis resistas frustra; nam muros vel diiicient, vel transcendent Chaldæi, teque capient & diripient.

Secundò, S. Hieron. vti præcedentia, ita hæc accipit de Babylone. q.d. Veniet tibi, ô Babylon dies, quo te obsidebunt Cyrus & Darius, ac consequêter quo cogatis instaurare tuos muros. Sed frustra: nam capiet & vastabit te Cyrus. *In illa die longè fiet lex.* q.d. Deinceps non plures leges & iura Cyro & Persis, sed ab eis accepta.

Tertiò & germanè, cum eodem S. Hieron. Chaldæo, Remig. Rupert. Hugone, Clario Lyberа, & alijs, hæc accipe de Ierusalem, eiusque instauratione per Esdram & Nehemiã. q.d. Ierusalem excisa, & in Babylonem abducta, veniet tibi dies læta & felix, qua à Cyro laxata & remissa in solum patrium, maceriam, id est moenas, & parietes ædificiorum tuorum ex incendio reliquos restaures.

IN DIE ILLA LONGE FIET LEX] Hoc est *imperiosa*, vt vertit Theodotion & Symmachus Chaldæorum scilicet, qui tibi tyrannicè imperabant. q.d. Non eris amplius imperio, legibus & edictis Chaldæorum subiecta. Vnde Tigurina vertit, *dies est vt reficiantur sepes tuæ*, ab hostium ruinæ, *quo die decretum procul erit*; Pagninus, *die illa qua ædificabit Dominus macerias tuas, longè abibitur tributum.* q.d. Non pendes amplius illud tributum quod Chaldæis pendere solebas.

IN DIE ILLA (libertatis & reditus è Babylone in patriam) ET VSQVE AD TE VENIET ASSVR. ita legendum cum Roman. Hebræis & Græcis, non, *ad te veniet Assur*, vti legunt multi. Sensus est, q.d. In die illa restaurationis tuæ, Ierusalem, non tantùm liberaberis ab hoste, eius iugo, lege & imperio; sed etiam captiui tui ex omnibus per Assyriam, Mediam, Persidem, &c. ad te redibunt, & ad alias suas Iudææ ciuitates munitas; quin & ex ijs spargent se VSQVE AD FLVMEN suum, scilicet Iordanem, ait S. Hieron. potiùs vsque ad Euphratem (Iordanis enim non fuit limes, sed potiùs medium terræ) limes verò ei à Deo statutus ad Oriẽtem fluvius Euphrates Iosue 1. 4. ita Chaldæus, & Vatabl. ab vno mari diffundes tuos ciues vsque ad mare terum, putà à mari Galilææ, quod est Orientale, vsque ad mare Mediterraneum, quod est Occidentale; atque ab vno monte vsq; ad alium, scilicet à monte Libano, qui terminus est Iudææ ad Septemtrionem, vsque ad montem Idumææ, qui terminus est eiusdem ad Meridiem. ita Theod. q.d. Spargeris, ô Ierusalem, ô Synagoga, per totam tuam terram & ditionem olim tibi à Deo assignatam, quaquauersum ad omnes eius mundi plagas. Notat enim hîc quatuor terminos seu limites terræ sanctæ Iudæis promissæ: eorum terminus ab Oriente, est mare Galilææ, fluvius Iaberiadis: ad Occidentem, mare Mediterraneum: ad Septemtrionem, Libanus: ad Meridiem, montes Idumææ. AD MONTEM DE MONTE] hebr. est הַר מֵהַר *har mehar*, quod Pagninus & tabl. vertunt, *vsque ad Hor montem.* Verum mons nusquam ponitur terminus terræ, ac longè ab ea distat, situsque est in mari. Rursum Vatabl. hæc omnia accipit de Chaldæis eorumque victorijs. q.d. Hæc afflictio Chaldæorum perueniet vsque ad terram sanctam.

eum vastabunt omnia ab Assyria vsq; ad ciuitatem munitas Ægypti, & vsque ad Iudæam eiusq; limites. Verùm ad Hierosolymæ restaurationē hæc spectare, patet ex v. 11. *Dies, vt ædificētur macerata*, ô Ierusalē. Eadem enim cum illa est dies lætitiæ, in qua ciues eius ab Assur profugos, ad Ierusalē redituros prædicit. Idē patet ex v. 14. & seqq. Insuper à Castro, per *montē de monte* accipit mōtem montium, putà montē Sion, qui situs est in medio montiū, eisque eminet, quasi rex & princeps. Tertiò, aliqui Recentiores *per ad montem de monte*, sic exponunt, q.d. A monte Carmelo, vsq; ad montem Libanum. Verùm nec Sion, nec Carmelus fuerunt limites terræ sanctæ; sed potiùs in medio tractu eius siti sunt. Quare prior sensus, quē etiam assignaui genuinus est. Quòd enim aliqui per Assur accipiunt Sennacherib, sicque exponunt, q.d. Veniet tibi, ô Ierusalem, dies obsidionis & vastationis Sennacherib, qui conculcabit legē Dei, terramque sanctam: capiet enim omnes ciuitates Iudææ munitas; vnde tota terra erit in desolationem. Hic inquam, sensus minùs congruus est: nam, vt alia taceam, de Sennacherib, eiusque strage iam pridem egit c. 2. v. 13.

A

ET TERRA ERIT IN DESOLATIONEM *terra*, non Iudæa, sed ei inimica & hostilis, è qua Iudæi liberati à Cyro redibunt læti & felices in Ierusalem eamque restaurabunt. q.d. Cùm Ierusalem restaurabitur, tunc Babylon, quæ eam vastauit, deolabitur à Cyro, PROPTER HABITATORES EAS, propter impios Chaldæos, qui populum Dei fidelem & pium afflixerunt; ET PROPTER FRUCTVM COGITATIONVM EORVM] putà propter peruersa eorum opera: hæc enim sunt fructus & effectus cogitationum & machinationum prauarum. q. d. Babylon ob tyrannidem & scelera sua vastabitur.

B

PASCE POPVLVM TVVM IN VIRGA TVA. Sunt hæc verba oratio Prophetæ, quibus Michæas Deum obsecrat, vt virga sua pastorali, id est prouidentia sua paterna, suoq; sceptro, quod dedit tribui Iudæ, & Dauidis posteris, vt censet Theodor. putà per Zorobabel, eiusq; posteros pascat regatq; Iudæos, qui sunt Dei populus, hereditas & Ecclesia HABITANTES SOLOS IN SALTV] id est, quasi soli & omni ope destituti, quasi in saltu inter feras, scilicet inter Gentiles & idololatras Babylonios captiui tenentur. ita Vatabl. & Dionys. Aut, qui separati à Gentibus soli te colunt, tecumque quasi cum suo pastore versantur, vti soli sunt oues in saltu cum suo pastore. ita Theodor. & Clarius.

C

Alleg. S. Hieron. Haymo, Remig. Rupert. Hugo & Anas, censent hæc esse verba Patris æterni ad Christum Filium. q.d. Ego te, ô fili, iam incarnatum pastorē meum cōstituo, iubeoq; vt pascas oues meas, putà fideles Christianos, baculo pastorali, putà potestate Euangelica, quam summam tibi trado. Hinc Christus abiens in cælum, hanc potestatem totidem verbis in S. Petrum retulit, eumque in hoc pastorali officio vicariū constituit dicens: *Pasce oues meas*, Iohan. 21. 17.

D

IN MEDIO CARMELI] Refer hæc verba, non ad *habitantes*, quod præcedit, sed remotiùs ad *pasce*. ita Roman. q.d. Da Domine, redeant Iudæi ad Carmelū, suosq; agros & vrbes, ibique eos pasce, quasi in Carmelo id est largè & affluenter. Carmelus enim, vt

Alleg. Christus multò magis admiranda fecit, quàm Moses vel Esdras, in liberatione hominū è captiuitate diaboli: nam, vt taceam mira incarnationis, natiuitatis, prædicationis, transfigurationis, passionis, resurrectionis, ascensionis, missionis Spiritus sancti mysteria, & miracula ab eo dum viueret patrata; post mortem per paucos Apostolos abiectos & pauperes, prostrauit omnem potentiam & sapientiam mundi, imò inferni & dæmonum, regesque ac sapientes, totumque orbem suæ crucis salutiferæ subiecit. ita S. Hieron. Haymo, Albert. Rupert. & alij. Vnde sequitur:

Alleger.

VIDEBVNT GENTES, ET CONFVNDENTVR SVPER OMNI FORTITVDINE SVA] quia scilicet per eam non poterunt nocere Hebræis, nec postea vincere Christianos. Videbunt enim longè maiorem fortitudinem & robur à Deo datum Hebræis, & Apo-

VERS. 15.

VERS. 16.

Apostolis ac Christianis, quo ipsi inuicti omnia vincent adeò, vt etiam per mortes & martyria superent tyrannos, multosque ex eis ad Christi fidem conuertant. Nam, vt ait Tertull. *Sanguis Martyrum est semẽ Christianorum.* Et, vt ait S. Gregor. *Grana singula, dum cadunt, multiplicata resurgunt.* Et, vt S. Leo serm. de S. Petro & Paulo: *Ecclesia persecutionibus non minuitur, sed augetur.* Sic & cuiusque in ea fidelis *crescit aduersis agitata virtus*, quæ alioqui sine aduersario marcescit.

Ecclesia persecutione crescit.

PONENT MANVM SVPER OS] q.d. Præ confusione, consternatione & admiratione tantorum mirabilium, obmutescent & obstupescent, vt mutire non audeant.

AVRES EORVM SVRDAE ERVNT] q.d. Pari modo obsurdescent, vt quasi attoniti perdant vsum oris & auium, vt nec loqui nec audire queant. Secundò, quasi præ inuidia & dolore obturabunt aures, ne audiant hæc mirabilia, prosperosque successus Hebræorum in Ierusalem, & postea Christianorum in lege Euangelica: hæc enim cruciabunt Gentes idololatras, & inuidas, eruntque quasi sudes in oculis, & quasi tonitru in auribus eorum.

VERS. 17. LINGENT PVLVEREM SICVT SERPENTES] Est catachresis, significans summam subiectionem Gentium sub victoribus Iudæis, qualis eis contigit sub Iuda, Ionatha, & posteris eorum, vt patet ex libris Machab. q.d. Adeò Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, aliæque vicinæ gentes olim hostiles percellentur metu Iudæ, Ionathæ & Iudæorum, vt coram eis supplices se in terrã prosternant, & more Gentium fronte humum feriant, itaque ore terram tangere & lambere videantur. Idem alleg. verius fuit in Christo & Apostolis: de his enim ait Psaltes psalm. 71. 9. *Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent.* Et Isaias c. 49. 23. *Vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Vide ibi dicta. ita S. Hieron. Sic nauis dicitur oram lambere vel lingere, cùm iuxta littus nauigat; & fluuius lambere terram, quam alluit; & flamma lambere ea quæ attingit vel afflat. Sic Virgil. 2. Æneid. Visa est, inquit, *Iuli*

Lambere flamma comas, & circum tempora pasci.

Alludit ad serpentes, qui propriè terram lingunt & comedunt, iuxta illud Gen. 3. *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.*

VELVT REPTILIA TERRAE PERTVRBABVNTVR IN AEDIBVS SVIS] Aliqui legunt *proturbabuntur.* ita Haymo, Remig. & veteres codices; quod aliquis sic explicant, q.d. Sicut nonnullæ terræ, vti Melitensis, ex benedictione S. Pauli; Hibernica, ex benedictione S. Patricij; Ebusitana in Balearibus, teste Solino Polyhist. c. 46. & terra sigillata, qua vulgò Medici vtuntur, non patitur venena, nec serpentes; sed eos fugat ac propulsat: ita Iudæi è Babylone redeuntes in Iudæam, propulsabunt Gentes, quæ eam occupauerant, cogentque eas sibi auitum locum & terram cedere. Verùm legendum cum Romanis *perturbabuntur*, id est, sacro quodam horrore & reuerẽtia, tam Dei, quàm populi eius fidelis, putà Iudæorum, & alleg. Apostolorum & Christianorum, percellentur. Hebr. enim est רגזו *irgezu*, id est *contremiscent.* Vnde Septuag. vertunt, *turbabuntur in conclusionibus suis*; Chald. *commouebũtur de ædibus suis*; Tigurina & Vatabl. *contremiscent in clausuris suis*, id est in vrbibus in quibus clausi erunt prætore. q.d. Sicut serpentes & reptilia ad hominum spectum expauescunt, ac pauida se in sua antra & cauernas abdunt: ita Gentes expauescent & venerabuntur Iudæos Babylone redeuntes. Et allegor. multoque magis Apostolos sanctos & Christianos. Vnde sequitur: *Dominum Deum nostrum formidabunt.* Addit Sanchez alludi ad eruos, qui halitu suo serpẽtes è cauernis extrahunt. *Elephantorum anima serpentes extrahit, ceruorum vrit*, ait Plinius l. 11. c. 53. vnde & ceruus dicitur ἑλαφος, ἀπὸ τ ἐλῶν ἕλκειν, id est, ab extrahendo serpentes. q.d. Tam facilè Machabæi suos hostes è latibulis extrahent, quàm facilè cerui solo halitu è cauernis educunt serpentes. Alleg. adde rius de Apostolis, gentes barbaras è suis antris suaque barbarie ad humanitatem sanctitatemque conuertentibus.

DOMINVM DEVM NOSTRVM FORMIDABVNT] Ita legendum cum Romanis, Hebr. & Septuag. non *desiderabunt*, vti legunt Plantin. & alia plerique Biblia. Hebr. est, *ante Dominum Deum nostrum pauebunt.* ita Tigurina; vel, vt Pagnin. *à Domino Deo nostro formidabunt.* Hic metus & formido gnum est tum pauoris, tum reuerentiæ. In Scriptura enim metus Dei, idem est quod reuerentia Dei; & timere Deum, idem est quod reuereri Deum. Alludit ad Chaldæos, Persas, aliasque gentes ad iudaismum conuersas sub Cyro, 1. Esdr. 6. 21. & sub Esther c. 8. 17.

ET TIMEBVNT TE] ô Israel, ô popule fidelis Ecclesia.

18. Quis Deus similis tui, qui auferis iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? non immittit vltrà furorem suum, quoniam voluit misericordiam est.

19. Reuertetur, & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, & proiicet in profundum maris omnia peccata nostra.

20. Dabis veritatem Iacob, misericordiam Abrahaim: quæ iurasti patribus nostris à diebus antiquis.

QVIS DEVS SIMILIS TVI?] Sunt verba, non gentiũ perculsarum, & formidantium Deum Israel, sed Prophetæ, qui ex tanta Dei in populum suũ clementia & liberalitate, qua Iudæos Babylone liberatos sospitauit & prouexit, in doxologiam Deique laudem gratulabundus erumpit. Theodor. Lyran. & Vatab. Ac simul Alleg. vaticinatur de Christo, Christique redemptione. Vnde Chald. v. 19. vertit, *reuertetur verbum eius vt misereatur nostri.* q.d. Verbum Dei incarnabitur, ita ad nos reuertetur, vt nos redimat. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, & alij plerique; hoc de Christo exponunt. Christus enim est, qui auferet iniquitates nostras, & proiicit in profundum maris omnia peccata nostra. nimirum ipse est veritas Iacob, & misericordia Abrahæ promissa.

QVI AVFERS INIQVITATEM, ET TRANSIS ... est præteris, dissimulas, condonas, Septuag. *transcendis*, Chald. *missa facis*, Vatabl. *obliuiscens & pedibus ponis* (hebr. enim est, *transis super peccatum*, scilicet illud calcando, delendo & obterendo) PECCATVM RELIQVIARVM HEREDITATIS TVAE.

id est peccatum Israelis, siue populi è captiuitate reuocati & reliqui. Per peccatum, tum culpam intelligit: multi enim Iudæorum, malo captiuitatis usu recti, resipuerunt, & pœnitẽtiam egerunt cum Daniele c.9. tum pœnam culpæ, putà captiuitatem Babylonicam: hanc enim abstulit Deus, dum Iudæos in libertatem asseruit.

NON IMMITTET VLTRA FVROREM SVVM] Quasi immisit per Chaldæos; supple, nisi Iudæi ad sua scelera redierint, vti de facto redierunt: quocirca maiorem furorem in eos immisit, dum eos per Titum & Romanos planè excidit & deleuit. Quocirca hæc allegoricè veriora sunt in Christo & Christianis.

DEPONET (hebr. יִכְבֹּשׁ *iichbos*, id est subiugabit, subpedibus ponet, conculcabit) INIQVITATES NOSTRAS] ita Vatabl. Septuag. *submerget*; Chald. *subjiciet iniquitates nostras suæ misericordiæ*. Hæc enim quasi longè maior, peccatis omnibus dominatur, eaque dominando condonat & abolet.

ET PROICIET IN PROFVNDVM MARIS OMNIA PECCATA NOSTRA] Est catachresis, q.d. Faciet Deus vt omnino aboleatur peccatum, nec amplius sit, vel extet. Sic enim aboletur, quod in profundum maris demergitur. Vnde illud Horat. l. 1 Carm. 1.

Siue flamma, seu mari libet Adriano.

Mos quoque fuit Iudæis, vt quæcumque abominanda essent, dira nefastaque, in mare salsum, quod proximum erat, putà in lacum Asphaltitem, demergerent. ita ex Rabbinis in Misnaioth Anos. Sic Indi peccata sua scripto exarata, vel alio symbolo expressa in flumen iactant, vt illud ea deferat ad mare, vbi æterna premantur oblitione. Testis est noster Acosta lib. 5 de Nouo orbe cap. 25. Propriè verò Propheta alludit ad demersionem Pharaonis in mare rubrum, quæ fuit typus baptismi sanguine Christi rubricati, quo mærguntur Ægyptij, id est peccata. Vide alleg. Theodor. & Rupert. per *profundum maris* accipiunt hic baptismum. q.d. Mergam peccata vestra in baptismo, sicut Pharaonem cum suis mersi in mari. ita quoque explicat S. Basil. hom. 1. in psalm. 28. Vnde S. August. conc. 1. in psalm. 113. docet, *sicut Aegyptios in mari rubro, ita delicta nostra in baptismo esse demersa & extincta*. Quod Nota contra Hæreticos nostros, qui putant peccata baptismo tantùm tegi & occultari per iustitiam Christi nobis imputatam, quasi per pallium; sed reipsa manere, & viuere in anima per concupiscentiam illi inhærẽtem. Contrarium enim ait hic Propheta, & contrarium accidit Pharaoni & Ægyptijs: ipsi enim aquis maris, non tecti & occultati, sed occisi & extincti fuerunt; ergo simili modo in Baptismo, & aliis Sacramentis, peccata non absconduntur, sed verè delentur & extinguuntur.

DABIS VERITATEM IACOB (hebr. *leiaacob*, id est Iacobi) MISERICORDIAM (Arabicus *gratiam*) ABRAHAM (hebr. *leabraham*, id est *Abrahamo*, ita & Syrus) præstando scilicet ea, QVAE IVRASTI PATRIBVS NOSTRIS, Abrahamo, Isaaco, Iacobo, Mosi, Dauidi, &c. A DIEBVS ANTIQVIS] q.d. Vere & fideliter implebis in Iacobo, id est in Iacobi posteris, putà Iudæis, ea, quæ misericorditer Abrahæ, Iacobo, aliisque patribus promisisti, tum de Iudæorum cura, protectione & liberatione è captiuitate, v.g. Babylonica, tum maximè de Christo ex eorum semine nascituro; quòd scilicet ille nos à peccatis malisque omnibus liberaret, omnique gratia, salute, felicitate & gloria sempiterna donaret. Hæc enim est promissio facta Abrahæ Genes. 22. 18. vbi dicitur: *Benedicentur in semine tuo*, putà in Christo ex te nascituro, vti explicat Apostolus Galat. 3. 16. *omnes gentes*, indeque dictus est Abraham, quasi אַב רַב הָמוֹן *ab rab hamon*, id est pater magnæ multitudinis, putà pater multarum gẽtium, quæ scilicet fidem Abrahæ imitantur, creduntque in Christum, Abrahæ filium. Nota. Promissionem Dei vocat *misericordiam*; quia gratis, & ex mera misericordia Deus bona iã dicta promisit Abrahæ; & quia Gentes, non ex merito, sed ex misericordia eadem, putà gratiam, iustitiam & salutem Christi participant. Eamdem vocat *veritatem*, id est fidelitatem; quia fideliſſimè à Deo erat adimplẽda, vti iam adimpleta est. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Lyran. Sed cur *misericordiã* tribuit Abrahæ, *veritatem* Iacob? Resp. Primò, subtiliter S. Hieron. & Hebræi, quia prima promissio Dei facta Abrahæ, fuit non ex eius merito, nec ex debito, sed ex misericordia; posita autem hac promissione, facta est veritas, id est ex fidelitate debita. Quod ergo erat gratia Abrahamo, factum est veritas, siue fides, & debitum nepoti eius, putà Iacobo & Iacobæis. Itaq promissa Dei, maximè Christus est misericordia Dei; quia à Deo misericorditer promissus est & datus orbi. Idem quoque est veritas; quia in eo fideliter impleuit Deus omnia, deditq; bona cuncta, quæ promisit. Hoc est quod de eo eiusq; aduentus causa, canit Zacharias Lucæ 1. 72. *Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti*, (promissionis & pacti) *sui sancti*; quod testamentum est magnum illud *iusiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum daturum se nobis*. in Christo enim omnes promissiones, & magnificæ pollicitationes Patriarchis & Prophetis factæ, finiuntur & adimplentur. Meminit Abrahæ & Iacob, non Isaac; tum quia Isaac medius inter Abraham & Iacob, in ijs includitur & subintelligitur; tum quia clariores promissiones factæ sunt Abrahæ & Iacob, quàm Isaaco; tum denique quia promissiones factæ Isaaco, in solum Iacobum omnesque eius posteros descenderunt: ab ijs enim exclusus fuit Esau, alter, isque primogenitus Isaaci filius.

Abrahædat misericordiam, Iacobo veritatem. Cur. Resp. Primò.

Secundò, solidiùs & veriùs, Iacobo tribuit *veritatẽ*, Abrahæ *misericordiã*, quia per Iacob intelligit posteros eius, qui ab eo quasi proximo parente Iacobæi & Israelitæ, imò Iacob & Israel (Iacob enim alio nomine dictus est Israel) proprio nomine sunt appellati. Atq; hac de causa Iacobũ præponit Abrahæ, quia per Iacob intelligit posteros eius: hi enim propriè ab eo dicti sunt Iacobæi & Israelitæ, non ab Abraham auo Abrahæi. Nã hæ promissiones exhibitæ & cõpletæ sunt, nõ in ipso Iacobo, sed diu pòst in posteris eius. ita Theodor. Albert. Vatab & à Castro. Sẽsus ergo est, q.d. Dabis veritatẽ, id est fideliter implebis in Iacob, id est in Iacobæis, ea, quę misericorditer primitus Abrahæ Patriarchę & auoeorũ promisisti, maximè de Christo, Christiq; redemptione & salute.

Secundò.

Mysticè, Iacob refert & repræsentat Iudæos, quasi proprius eorum parens, quibus propriè

Deus fecit hæc promissa de Christo: vnde eis tribuitur veritas, id est fidelitas promissionum. Abraham repræsentat Gentes, inde enim dictus est Abraham, q.d. Pater multarum gẽtium. Gentes autem ex gratia admissæ & assitæ sunt ad hęc promissa Christi: vnde ei stribuitur eorumdem misericordia, iuxta illud Pauli Rom. 15. 8. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionũ*, id est circumcisorum, putà Iudæorum, *propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones patrum; Gentes autem super misericordia honorare Deum.* ita S. Hieron. Haymo, Remig & Rupert.

Mor. summum Dei donum est remissio peccatorũ.

Moral. discehìc quantum beneficiũ sit peccatorum remissio, quantasque pro eo Deo gratias agere debeamus. Sicut enim summum malorum omnium est peccatum, ita summum bonorum omnium est eius remissio. Peccatum enim grauissimè offendit immensam illam maiestatem, bonitatem & sanctitatem diuinam, estq; quasi quoddam deicidium, imò verè & propriè fuit christicidium; nullo enim pretio, nisi sanguine & morte Christi, elui & expiari potuit. de quo plura dixi Ierem. 1. initio capitis. Adde, hæc remissio non fit nisi per gratiam Dei animæ infusam, per quam fimus filij & heredes Dei, adeoq; vt ait S. Petrus epist. 2. c. 1. 4. consortes diuinæ naturæ. Hoc est quod ait Michæas: *Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem?* &c. Maius enim opus Dei est iustificatio impij, quàm creatio cæli & terræ, vti ex S. Augustin. demonstrat D. Thom. 1. 2. q. 113. a. 9. Porrò Deus non tantùm peccatum, quod est quasi hostis perniciosissimus animam inuadens & occupans, ab ea aufert & expellit; sed & ab ea ita elongat, vt illud in profundum maris proijciat, vt ait hìc Propheta: imò in die iudicij proijciet illud cum omnibus peccatoribus in abyssum inferni. Hæc est veritas Iacobo, & misericordia Abrahæ promissa, de qua Zacharias Luc. 1. 77. *Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum: per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos, oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Et v. 74. *Vt sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.*

Quocirca omnes Sancti pœnitẽtes mirè hoc Dei beneficium in se celebrarunt. S. Petrus quotiès audiens galli cantum, memor suæ negationis Christi, resoluebatur in lachrymas; ideoque totum se eius prædicationi, amori & obsequio, eique ad mortem crucis deuouit. Vnde epist. 2. 2. 9. de hac gratia exultans & Gentilibus congratulãs: *Vos*, ait, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuncietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti.* S. Paulus ita suã conuersionem admiratur, itaque de ea sibi gratulatur, vt has voces erumpat: *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorũ primus ego sum: sed ideò misericordiam consecutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri sunt illi in vitam æternam. Regi autem sæculorum, immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.* Legatum c. 1. ad Ephes. in quo hoc beneficium remissionis obstupescit, & profundis sensibus verbisque eructat. S. Magdalena de remissione accepta à Christo certa, totam vitam in eremo, in lachrymis, gratiarum actione, amore & contemplatione transegit, vsurpans illud Cant. 1. 12. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* S. Maria Ægyptiaca pœnitens simili modo 47. annos in solitudine consumpsit, iugiter habens illud in mente: *Misericordias Domini in æternum cantabo. Misericordias Domini quia non sumus consumpti. Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, nec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Hosce imitentur, qui aliquando peccarunt, præsertim mortaliter & grauiter; ideoque Deo in humilitate, pœnitentia, gratiarum actione, amore & feruore, præsertim vt animas proximorum è peccati abysso extrahant, Deoque pro compensatione offerant, tota vita læti alacresque deseruiant.

COM-

COMMENTARIA IN NAHVM PROPHETAM.

ARGVMENTVM.

IONAS contra Niniuen prædicans, eiq́ue excidium post quadraginta dies intentans, eamdem ad pœnitentiam conuertit; per quam ipsa Ionæ minas & excidium euasit auertit. Verùm postea ad ingenium, ac ad scelera & tyrannidem suam rediens, Dei iram rursum in se concitauit, præsertim cùm tyrannice alias gentes, ac nominatim Israelitas, putà decem tribus, inuasit & excidit. Quocirca post Ionam submisit Deus Nahum, qui Ionæ minas cõtra Niniuen renouaret & reuocaret. Porrò Niniuen non esse excisam ob primam in scelera recidiuam, quæ post actam prædicante Iona pœnitentiam mox subsecuta est, fusè probat Ribera cap. 1. n. 5. & sequent. quem sequitur Torniellus anno mundi 3321. sed ob aliam longè posteriorẽ prænunciationem. Nam propter illum priorem Niniuitarum sub Sardanapalo relapsum, Deus hîc puniuit eos; dum permisit eos ab Arbace Medo & Beloso Babylonio subiugari. Hi enim cepere Niniuen, & Sardanapalum ad mortem sibi conscisendam compulerunt. Verùm Niniue ab Arbace vastata postea resloruit, pluresq́ue habuit reges potentissimos, nimirum Phul, Teglathphalasar, Salmanasar, Sennacherib & Asarhaddon, qui Israelitas vexarunt & oppresserunt, vt patet ex lib. 4. Regum; ac sub ijs ad pristina scelera & tyrannidem redijt. Quocirca Dei vindictam & excidium ei, totiq́ue Assyriæ (huius enim metropolis erat Niniue) rursum cõminatur hîc Nahum; qui quasi nouus Ionas nouum proclamans supplicium, hasce minas ei intentauit post abductas decem tribus in Assyriam. quod contigit anno 6 Ezechiæ. Vnde licuerit eum prophetasse post annum sextum Ezechiæ, sed ante annum eius decimumquartum, quo Sennacherib rex Assyriorum inuasit Iudæã, & Ierusalem obsedit: nam hunc eius aduentum, & Ierusalem ac Ezechiæ ab eo liberationem prædicit hîc Nahum. ita S. Hieron. hîc in proœmio. Theodor. Theoph. Remig. Haymo, Albertus Hugo, Ribera, à Castro & alij passim. Audi S. Hieron. *Post Ionam*, inquit, *Michæas ponitur, & post Michæam Nahum, qui interpretatur consolator; iam enim decem tribus ab Assyrijs deductæ fuerant in captiuitatem sub Ezechia rege Iuda, sub quo etiam nunc in consolationem populi transmigrati aduersus Niniuen visio cernitur. Nec erat parua consolatio, tam*

A *hũ* (Israelitis, siue decem tribubus) *qui iam Assyriũ seruiebant, quàm reliquis qui sub Ezechia de tribu Iuda & Beniamin ab iisdem hostibus obsidebantur, vt audirent Assyrios quoque à Chaldæis esse capiendos.* Hinc rursum sequitur, ab initio prophetiæ Ionæ vsque ad Nahum fluxisse annos circiter 90. Perperam ergo Hebræi in Seder olam, & ex ijs Vatabl. Arias & Genebrard. in Chronol numerant tantùm 40. quia putant Nahum, Ioëlem & Habacuc prophetasse sub Manasse, filio Ezechiæ; sed eius, vtpote improbi, nomen tacuisse. Nam Ionas, vt ostendi in eius proœmio, cœpit prophetare tempore Ieroboam, & Sardanapali, sub initium regni Oziæ regis Iudæ: quare cùm Ozias regnarit 52. annis, deinde Ioathan filius eius annis 16. post Ioathan Achaz annis 16. post Achaz successerit Ezechias, cuius anno sexto, vel paulò pòst prophetauit Nahum; si colligas hos omnes annos, conficies 90. quos dixi. Torniellus anno mũdi 3321. censet Nahum cœpisse prophetare vno anno antequam Sennacherib obsideret Ierusalem, putà anno 13. Ezechiæ: nam anno eius 14. Sennacherib obsedit Ierusalem. Quod si verum est, sequitur inter Nahum & initium Ionæ fluxisse annos 97. Porrò prophetia hæc Nahum impleta est, ac Niniue cum regno Assyriorum euersa, sub annum 5. post excidium Ierusalem factum à Chaldæis, vt ostẽdam cap. 2. initio. Quare ab hac Nahum prophetia, vsque ad eius complementum, putà vsque ad excidium Niniues, fluxerunt anni circiter 138. Cœpit enim Nahum sub annum sextum Ezechiæ, qui deinde adhuc

B

C 23. (nam vniuersim regnauit annis 29.) annis regnauit: successit ei filius Manasses, qui regnauit annis 55. huic successit Amon annis duobus: huic Iosias annis 31. huic Ioakim annis 11. huic Sedecias annis 11. sub quo anno 11. exisa est Ierusalem à Chaldæis, ac deinde post annos 5. ab eisdem euersa est Niniue. Adde hos annos, habebis 138. quos dixi. Ex dictis sequitur errare Clementem Alex. qui libr. 1. Stromatum censet Nahum prophetasse post Ezechielem, putà post annum 5. transmigrationis Ioachin in Babylonem. Minùs rectè quoque Iosephus lib. 9. Antiq. 11. scribit Nahum cœpisse prophetare sub Ioathan, qui fuit auus Ezechiæ.

post 90. a.

Completa est eius prophetia post 138. annos.

De Nahum ita scribit S. Epiphan. in Vita eius: *Nahum natus erat ab Elkesi trans Iordanem fluuium, versus Begabar, de tribu Simeon. Hic est Pro-*

pheta ille, qui post Ionam ostentum ac prodigium dedit super Niniue, quòd ab aquis dulcibus, igneq; terreno olim vastaretur. Id quod tandem contigit; quippe eam terræ motu vndique ambiente, mox etiam aqua de solitudine superueniens, superiores omnes vrbis locos occupauit. Expirauit verò Nahum animam in pace, & in Begabar, sedibus illæ suis placidis, in morte quieſcit. Verùm de hoc ostento, quòd scilicet Niniue aquis dulcibus, igne & terræ motu euerteretur, nihil expressè apud Nahum, vel apud Iosephum legimus. Eadem tamen habet Dorotheus in vita Nahum, qui & modum addit: *Nam stagnum*, inquit, *quo ciuitas illa* (Niniue) *circumdata erat, facto terræ motu submersit eam, ac perdidit; & ignis è solitudine ortus superiorem illius partem consumpsit.* & aliquid tale insinuat Nahum c.1.v.4.& c.2.13.& c.3.v.15. vti ibi dicam. Ibidem Dorotheus asserit Nahum de resurrectione prophetasse cap.1.15.

Ostenta Nahum.

Tropol. Tropolog. & Anagog. S. Hieron. *Sciendum est*, inquit (*quoniam Niniue de Hebræo speciosam sonat; speciosus autem hic mundus dicitur. vnde & apud Græcos κόσμος ab ornatu nomen accepit*) *quidquid nunc aduersus Niniuen dicitur, de mundo figuraliter prædicari. Quam ob causam assumptio, quam Septuag. interpretantur λῆμμα, & Aquila ἆρμα, apud Hebræos* מַשָּׂא *massa ponitur, id est graue onus;* A *eò quòd eam aduersus quam videtur premat, nec sit eleuare ceruicem.* Et mox: *De consummatione quæque mundi, secundùm anagogen, ô Paula & Eustochium, in consolationem Sanctorum prophetia narratur, vt quæcumque in mundo vident, quasi præsentia & caduca contemnant, & præparent se ad illum diem, vbi vltor aduersus veros Assyrios futurus Dominus est.* Idem epist. ad Paulinum: *Nahum*, inquit, *consolator orbis increpat ciuitatem sanguinem, & post euersionem illius loquitur: Ecce super montes euangelizantis, & annunciantis pacem.* Nahum enim vel hebr. *Nachum*, deducitur à rad. נָחַם *nacham*, id est, consolatus est. Nahum ergo idem est quod Noë, id est consolator, per apocopen. B De Noë enim dicitur Genes. 5.29. *Vocauit nomen eius Noë, dicens; Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus.* Vide ibi dicta. Rursum quoque *cham* in *piel*, significat pœnitere; hinc Nahum verti quoque potest *pœnitens*. Vnde Pagninus in Nominib. Hebr. *Nahum*, inquit, *idem est, quod consolator, aut pœnitens, aut consolationem vel pœnitentiam adeptus; aut consolatio vel pœnitentia.* Siquidem Nahum pios Israelitas spe opis diuinæ consolatur; ita impios Niniuitas terrore minarum percellit, adigitque ad pœnitentiam. Idem faciat concionator.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DVplicem Propheta huic capiti totiq; prophetiæ præfigit titulum. Prior est, onus Niniue; quia Niniuitis post Ionæ prædicationem, & pœnitentiam, in pristina scelera relapsis, comminatur excidium à v.1. vsque ad v.7. Posterior, liber visionis; *quia v.7. vsque ad finem capitis consolatur Israelitas, Assyriorum & Sennacherib hostis sui strage & internecione.*

Vers.1. ONus Niniue: Liber visionis Nahum Elcesæi.

2. Deus æmulator, & vlciscens Dominus: vlciscens Dominus, & habens furorem: vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis.

3. Dominus patiens, & magnus fortitudine, & mundans non faciet innocentem. Dominus in tempestate & turbine viæ eius, & nebulæ puluis pedum eius.

4. Increpans mare, & exsiccans illud: & omnia flumina ad desertum deducens. Infirmatus est Basan, & Carmelus: & flos Libani elanguit.

5. Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt: & contremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitantes in eo.

6. Ante faciem indignationis eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius? indignatio eius effusa est vt ignis: & petræ dissolutæ sunt ab eo.

C ONus Ninive] *Onus*, id est prophetia onerosa & calamitosa, quasi graue onus & iugum imponitur collo Niniues, quasi vaccæ lasciuientis, vt illam ducat alienam, Deo mactet & victimet. Vnde Chaldæus vertit, *onus calicis maledictionis.* Vide quæ de hoc *onus* dixi Isaiæ 13.v.1. Pro *onus* Septuag. ponunt λῆμμα, id est, assumptio, putà onus quod assumitur; quod aliter & variè explicat Theodoret. Primò, ad literam, q.d. Assumpta, eleuata, & recepta mens mea à spiritu, prædixit quæ Niniue eis obuentura. Secundò, *videtur lemma appellare ob Dei cum zelo, ex eo quòd fortior apprehendit imbecilliorem, vt dilaniet.* q. d. Deus assumet & apprehendet Niniuen, sicut accipiter apprehendit turturem, vt discerpat. Tertiò mysticè & alleg. *Niniue est ipsa caro quam assumpsit Christus, vt condemnaret peccatum in carne. Eadem est liber visionis; quia Christus est lux illuminans omnē hominem venientem in hunc mundum.* Quartò, tropol. lemma Niniues est assumptio peccatorum ad Christi gratiam, iustitiam & salutem. *Vide autē quòd primùm, lemma Niniue, deinde liber visionis dixerit. Sic enim quis vitia spoliet, & sub iugum mittat, ad librum visionis, qui est contemplatio, nō perueniet.* Theoph. Quintò, poëticè Sanchez: Lemma, inquit, est titulus vel summariū epigrammatis

D

emm

emmatis, vti Martialis l. 14. suis epigrammatibus præfigit titulos, quos vocat lemmata, cauſaque dat:

Lemmata ſi quæris cur ſint adſcripta, docebo:
Vt, ſi malueris, lemmata ſola legas.

Seſenſus erit q.d. Libri viſionis Nahum argumentum totum eſt contra Niniuen.

Liber] Solebant Prophetæ viua voce prophetare & concionari, ac deinde eadem in libro conſcribere, vt ab auditoribus relegi & repeti, atque à poſteris legi poſſent: hac de cauſa vocatur liber. Addit Arias, librum more Hebræo vocari epiſtolam, qua hoc oraculum ſcripſit Nahum, miſitque ad Niniuitas; nec enim ipſe eos adiit, vt fecit Ionas.

Visionis Nahvm] Viſionem aliqui interpretantur extaſin: vnde Montanus hæreſiarcha tempore Tertull. docuit, Prophetas in extaſi loquutos, vt neſcirēt quid dicerent, ſicuti faciunt energumeni à dæmone correpti, vti refert Epiphan. hæreſ. 48. Sed hic eſt error, quē Epiphan. S. Hieron. S. Baſil. S. Chryſoſt. & alij paſſim impugnant. Audi S. Baſil. præfat. in Iſaiam: *Sunt*, ait, *qui dicant eos* (Prophetas) *extra ſe raptos prophetaſſe, humana mente à Spiritu abſorpta: verùm id abhorret à profeſſione diuinæ præſentiæ, vt amētem reddat, qui à numine corripitur.* Et mox: *Quî conſonum eſt, vt qui ex ſapientiæ Spiritu ſimillimus inſano reddatur? quin potiùs neque lumen cæcitatem parit, verum videndi vim à natura inſitam expergefacit.* Et rurſum reſpondens obiectioni: *Porro ſi, quoniam Saul in ingreſſu filij ſui extra ſe raptus fuit; & quoniam Dauid dixit in exceſſu ſuo* (Omnis homo mēdax) *ob id fingunt Sanctos extra ſe rapi, intelligant dementationem ac ſtuporem appellatum eſſe raptum.* Item S. Hieron. præfat. in Iſaiam: *Neque verò*, ait, *vt Montanum cum inſanis feminis* (Priſca & Maximilla prophetiſſis eius) *ſomnia Prophetæ in extaſi ſunt loqui, vt neſcirent quid loquerentur; & cùm alios eruditent, ipſi ignorarent quid dicerent, de quibus Apoſtolus dixit, Neſcientes quid loquantur: ſed iuxta Salomonem* (ſapiens intelligit quæ profert de ore ſuo, & in corde ſua portabit ſcientiam) *etiam ipſi ſciebant quid loquerentur. Si enim ſapientes erant Prophetæ, quod negare non poſſumus, quomodo, inſtar brutorum animantium, quid dicerēt ignorabant?* Et S. Chryſoſt. hom. 30. in 1. ad Corinth. Hoc *vatis*, ait, *proprium eſt, mente commoueri, & neceſſariò compelli, & trahi tāquam furijs percitum: Propheta autem non eiuſmodi eſt furoris mente, & modeſta, & firma, quæ loquitur omnia nouit, vt decet.*

Viſio ergo Prophetarum, non fuit extaſis aut ecſtaſis, ſed intelligentia mentalis, qua videbant, id eſt intelligebant, ea quæ ſibi à Deo oſtēdebantur & reuelabantur, vti dixi Iſaiæ 1. 1. Porrò prophetiam ſuam Nahum vocat tum onus, tum viſionem, quia illa fuit onerosa Niniuitis, eademq; ipſis viſio conſolatoria Iſraelitis, eos enim conſolatur ex Niniues & Sennacherib ſtrage.

Elcesæi] oriundi ex Elceſe viculo Galilææ, vt ait S. Hieron. in procœmio: *Quidam*, ait, *putant, Helkeſæum patrem eſſe Nahum, & ſecundùm hanc traditionem etiam ipſum Prophetam fuiſſe, cuius Helkeſai vſque hodie in Galilæa viculus ſit, parvus admodum, & vix ruinis veterum ædificiorum indicia; ſed tamen notus Iudæis, & mihi quoque à quibuſdam demonſtratus.* ita quoq; Epiph. in vita Nahum, Chald. Theoph. Remig. Lyran. Hugo,

A Ribera, à Caſtro & alij paſſim. Quare minùs rectè nonnulli cum Vatablo cenſent, Nahum à familia cognominatum eſſe Elceſæū. Porrò Symbolicè Elceſæus hebr. idem eſt quod ſerotinus, tardus (vnde ab eadem radice deriuatum nomē לֶקֶשׁ *lekes*, vel מַלְקוֹשׁ *malcos* ſignificat pluuiam ſerotinam.) quare appoſitè denotat ſerotinam & tardam Dei vindictam exercendam in Niniuen, quam poſt Ionam Nahum, quaſi ſerotinus, ei denunciat. Deus enim tardus eſt ad puniēdum, ſed tarditatem ſupplicij grauitate compenſat, iuxta illud veterū: *Dij laneos habent pedes, ſed ferreas manus.* Quocirca Arias cenſet Ionæ oraculum fuiſſe, quaſi pluuiam temporaneam, quæ ſegetes germinare facit: Nahum verò prophetiam eſſe quaſi pluuiam ſerotinam, quæ meſſem maturat; imminentem enim cladem & demeſſionem gen- B tis & regni Niniuitis denunciat. *Elceſæus, id eſt ſerotinus. Cur?*

Deus aemvlator, et vlciscens Domi- Vers. 2.
nvs] Hebr. *Deus* (vel *fortis*: hîc enim eſt אֵל *el*) *zelotes, & vltor eſt Iehoua*; Syrus. *Deus zelator & vltor*. q.d. Iehoua eſt Deus zelotes, qui ingenti zelo tuetur fideles ſuos, æquè ac iuſtitiam & pietatem; ideoque infideles & tyrannos, qui fideles & inſontes vexant & opprimunt, acriter punit, & vlciſcitur. Zelus enim ipſius non fert fidem & iuſtitiam ab impijs calcari, aut eorum iniurias manere inultas & impunitas. Quocirca ipſe, vt zelotes, graui vindicta vos, ô Aſſyrij & Niniuitæ, plectet, eò quòd populum ipſi fidelem, putà Iſraelitas, ſæpiùs inuaſeritis & vaſtauerit is. Itaque zelus duos, eoſque contrarios actus complectitur. Prior, eſt ingens amor & cura tuendi rem amatam, putà populum ſuum: poſte- C rior, ingens ira & cupido puniendi eos, qui populum à ſe amatum lædere & affligere auſi ſunt. Vnde pro *Deus zelotes*, Tigurina vertit, *Deus iniquè ferens iniurias*. Chald. *Deus iudex*. Iudicis enim eſt tueri iuſtos & iuſtitiam, ac punire iniuſtos, eorumque iniurias. Zelotes ergo idem eſt quod vehemens ardenſque amator ſuorum, & vltor hoſtium. Vnde נוֹקֵם *vlciſcens* tertiò hîc repetit Propheta; vt ſignificet Deum acerrimum eſſe vltorem, & acerrimè puniturum Niniuitas, eò quòd poſt monitionem Ionæ, relapſi ſint in priſtina ſcelera, ac tertiò, id eſt ſæpiùs, inuaſerint & expilarint populum Dei. Vide hîc & mirare zelum & zelotypiam, vt ita dicam, Dei noſtri in ſuos fideles & filios, quos cùm flagellauit, ilico in flagella ipſa indignationem ſuam cōuertit: ideoque in hoſtes eius acer vindex inſurgit, illiſque vehementer iraſcitur: perinde ac pater flagellans filium peccantem, percuſſi filij dolorem multò magis commiſeratione ſentit, quàm filius ipſe vapulando ſentiat: vnde mox furorem ſuū in virgam ipſam conuertens, ipſam confringit, in fruſta concidit & abijcit, moxque totus lachrymis perfuſus, corruens in collum plangentis filij, inter dulces amplexus, mœrori ac dolori lætis gratiſſimiſque pollicitationibus medetur. Ita facit hîc Deus Iſraeli. quare blandiens illi v. 12. ait: *Afflixi te, & non affligam te vltrà*. Denique Deus eſt zelotes, quia ſolus ab Eccleſia, & ab anima ſancta amari vult, nec in amore vllum patitur riualem. *Zeli actus duplex.*

Habens furorem] Hebr. בַּעַל חֵמָה *baal chemæ*, id eſt vir iræ, vel dominus furoris, id eſt habens furorem: *baal* enim, id eſt, dominus rei alicuius

vocatur is, qui illam habet & possidet. Sic maritus vocatur *baal*, id est dominus, vxoris, hoc est, habens vel possidens vxorem. q.d. Putatis, ô Niniuitæ, Deum carere ira, quia tamdiu scelera vestra dissimulauit, & impunita reliquit? Fallimini: nam in se habet colligitque ingentem furorem, quem totum suo tempore, instar torrentis igniei, in vos effundet. Apis, dum mel fundit, aculeum retrahit & occultat: at si quis hoc mel rapere conetur, mox in eũ aculeum distringit: ita & Deus suis fundit mella donorum, impijs verò reseruat aculeum suppliciorum. Id patet in Beatis & dãnatis. Quanta enim est felicitas & gloria Beatorum, tanta est infelicitas & miseria damnatorum: hi enim bibunt fel amarissimum iræ, æquè ac illi mel dulcissimum gratiæ & amoris Dei.

Deus est dominus iræ, homo ferunt.

Mysticè, Deus dicitur dominus iræ & furoris; quia illi dominatur. homines irati & furibundi, impotes sui, reguntur ab ira & furore: at Deus ab illis non regitur, sed ea ad nutum regit, ponit, exserit, moderatur, perinde vt pastor regit ouem.

IRASCENS IPSE INIMICIS SVIS] Hebr. נוֹטֵר *noter*, id est custodiens, scilicet memoriam offensarum, earumq; vindictam, & vlciscendi cupidinẽ. Vnde Pagnin. vertit, *iram reseruãs inimicis suis*; Tigurina, *iniuriarum memor aduersus hostes suos*; Septuag. *tollens ipse inimicos suos*, idq; *in ira vehementi*; vt ait Chald. Deus ergo in mente sua colligit, & quasi in thesauro recondit iram, vt eam suo tempore in impios totam effundat, ait Mariana.

VERS. 3. DOMINVS PATIENS] Hebr. *Iehoua longu*, id est latis, *naribus*, id est *tardus ad iram*, vt vertit Vatab. & *longanimis*, vt vertunt Septuag. Vnde Chald. vertit, *Dominus longè propellit iram*; Arabicus, *Dominus prolongans*, tolerans, patiens. Qui enim longas, id est magnas & latas, habent nares, fumos iræ & bilis facilè efflant & expirant, ideoq; sunt longanimes; qui verò arctas habent, difficiliùs illos efflant, ideoque sunt cholerici, vti dixi Exodi 32. v. 28. q. d. Deus licet habeat iram & furorem, tamen longanimiter sustinet vos, vestraque scelera, ô Niniuitæ, quia exspectat vt resipiscatis. Ita Athenodorus Philosophus Cæsari Augusto valedicens, hoc ei velut aureum & diuinum dedit documentum: *Iratus nihil dicas, vel facias, priusquam 24. Græcorum literas percurreris.* ita Sueton. in Augusto.

Athenodori vox de ira supprimenda.

ET MAGNVS FORTITVDINE] Vatabl. *pollens viribus*; Arabicus, *fortitudo eius maxima*; alij, *magnus virtute*, vel potentia. q.d. Deus non ducitur ira & animi impotentia, sed iram potest cohibere apud se, quamdiu vult; & tamen punit suo tempore. *Deus*, ait S. Hieron. *magnanimitatis suæ fortitudine iniquitates eorum* (Niniuitarum) *sustinuit, prouocans eos ad pœnitentiam.* Deus enim ita excelsò fortique est animo, vt neque offensionibus iritetur, nec repulsis frangatur; nec quantauis scelerum multitudine, vel magnitudine vincatur, vt furibundus prosiliat ad vindictam; sed nouit potestq; iram suam sustinere, vt, si resipiscant homines, misereatur & parcat; si obstinati sint, exspectet tempus opportunum quo eos plectat, totumq; furorem tanto tempore collectum vno impetu in eos effundat. Quanta enim fuit Dei patientia in exspectando, tanta erit eius potẽtia & furor in vindicando, iuxta illud S. Pauli Rom. 2. 4. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignum Dei ad pœnitentiam te adducit*, id est adducere natur: *secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei.* Quæ verba explicans S. Augustinus libr. 1. Contra aduersus legis & Proph. ita inquit, *auget longanimitatem, & tu auges iniquitatem. Erit illius thesaurus in sempiterna misericordia, sed eos qui non contempserunt misericordiam: tuus autem thesaurus in ira inuenietur, & quod ponis quotidie modicum, ingentem postea massam inuenturus es. Non minutim imponis, sed postea cumulum inuenies. Non attendere minuta peccata tua quotidiana; de multissimis enim guttis flumina implentur.* Vnde & subdit Nahum:

ET MVNDANS NON FACIET INNOCENTEM q.d. Nullo modo Deus vos, ô Niniuitæ, mundos & innocentes, tacendo, patiendo & dissimulando declarabit; sed potiùs nocentissimos esse in tempore puniendo ostendet. Hinc Chald. vertit, *dimittet pœnitentibus, non pœnitentibus verò non dimittet*; Tigurina, *pollens viribus, at neutiquam impunita scelera dimittens*; Vatabl. *absoluendo non absoluet*: absoluere enim est non punire, ac reum declarare reum esse purum & innocentem. Etiamsi Deus non statim puniat improbos, non tamen idcirco absoluit; sed tandem de illis pœnas sumet. Vnde Syrus vertit, *& iustificando non iustificat*, Arabicus Antiochenus *& mundando non mundat*; Arabicus Alexandrinus, *& mundando non mundatione*. Alludit Nahum ad Mosen, qui eadem epitheta dat Deo. Exodi 32. 28. & Num. 18. Vide ibi dicta. Theophyl. duas alias huius loci versiones affert. Prior est: *sine noxa exilem se est citra noxam*. q.d. Deus, cùm sit sine noxa & culpa, punit tamen noxios, eisque noxam meritò infert. Posterior: *innoxium sine noxa non dimittit*. q.d. In communi clade, & Niniues excidio perdet innoxios cum noxijs, quia communem omnibus perniciem afferet.

Mysticè, S. Hieron. hæc omnia in bonam partem accipiens, *Deus patiens est*, inquit, *qui sustinet omnes ruentes, & erigit elisos: qui sanat tribulatos corde, & alligat contritiones eorum. Et magna remissio eius: soluens inimicitias in carne, & nocentem non tenens innocentem; cùm etiam qui nimium sibi applaudet, argutus fuerit, quòd non meritò proprio, sed misericordia sit saluatus. Licet enim dicat: Ecce tot annos seruio tibi, & numquam præceptum tuum præteriui; tamen quoniam bonus est Dominus omnibus, & misericordia illius super omnia opera eius, omnes peccauerunt, & indigent gloria Dei, iustificati ab eo gratis audiet: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Atque ita fiet, vt in eo quod arguit ignoscat, nullum innoxium abire patiatur.*

Moral. Nota patientiam esse veram potentiam. Deus enim ideo est magnus fortitudine, quia est patiens. Verè Poëta:

Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia. Et alius:
Latiùs regnes auidum domando
Spiritum, quàm si Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Quin & Sapiens Prouerb. 16. 32. *Melior, ait, patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium.* Et Psaltes psal. 7. 12. *Deus iudex iustus, fortis & patiens.* Et Ecclesiast. c. 7. 9. *Melior*

patiens arrogante. Rationem dat Sapiés Prouerb. 16.19.dicens : *Qui patiens est, multa gubernatur prudentia*: prudentia enim est magistra & mater patientiæ. Quin & Cicero: *Animum*, inquit, *vincere iracundiam cohibere*, &c. *hæc qui faciat, non ego eum summis viris comparo , sed simillimum Deo iudico.*

DOMINVS IN TEMPESTATE ET TVRBINE VIAE eius] q.d. Viæ Domini sunt in tempestate & turbine. Est hebraismus: Hebræi enim per pleonasmum, exprimunt relatiuum cum suo antecedente, putà *Dominus & eius*, cùm Latini alterum omittant. Vnde Tigurin. Vatabl. & Pagnin. vertunt, *Domini via per turbinem & procellam est.* quod explicans Vatabl. *Quando* , inquit , *Dominus statuit affligere aliquem , affligit vehementer & celeriter*: tempestas enim vehementiam habet, turbinem celeritatē, quæ in instanti secum omnia conculcat & rapit. Nota hîc poëticam catachresin, qua graphicè Dei robur, pugna & vindicta describitur, quasi veniētis, & in Assyrios hostes suos impetum faciētis cum magno impetu & fragore. Similis est psal. 17. v. 10. & sequ. Vnde Propheta eamdem rem comparat exercitui magno , qui properans pulverem pedibus excitat , eoque aërem obscurat, iuxta illud Virgil. Æneid. 9.

Hic subitam nigro glomerari puluere nubem
Prospiciunt Teucri, & tenebras insurgere campis:
Primus ab aduersa conclamat mole Caicus,
Quo globus, o ciues, caligine voluitur atra?
Hostis adest.

Item: *Et nebula puluis pedum eius* , id est, vt Pagnin. *& tenebræ vt puluis pedum eius erunt.* Hæc ergo phrasis & parabola symbolicè significat, primò, magnam potentiam, iram & furorem Dei in inuadenda Niniue & Assyrijs. Secundò, Deum non raro in hostes suos immittere procellas, ventos & turbines, quibuseos proterit: vti anno 1572. in pugna nauali Christianorum cum Turcis ad Naupactum, ventum aduersum Christianis subitò conuertit , fecitque aduersum Turcis, & propitium Christianis: quæ fuit causa illustris victoriæ, quam ope B. Virginis tunc obtinuerunt Christiani. Idē fecit Theodosio Imp. pugnanti contra Eugenium Tyrannum quod admirans Claudianus exclamat in Panegyr. Theodosij:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, &c. reuolutaq; tela
Vertit in auctores, & turbine reppulit hastas.

Item fecit Pharaoni & Ægyptijs in mari rubro, vt dixi Exodi 14 quò hîc alludit Nahum. Tertiò hæc phrasis significat innumeras copias Medorum & Chaldæorum , per quas Deus magno impetu inuasit & vastauit Niniuen; hæ enim coactæ verè puluerem ingentem pedibus suis, equis & curribus excitarunt. Vnde Chald. vertit, *Dominus in turbine & spiritu ducem se præbet , ac nubem caliginis subiecit coram se.* Hinc de equitatu Nabuchodonosor ait Ezechiel cap. 26. 10. *Inundatio equorum eius operiet te puluis eorum.* Quartò, vox *nebulæ*, inquit Arias, symbolicè significat Deum hostes suos ita circumuallare & percellere, vt nec fugæ euadendi exitus præcludere, vt ipsi velut densa nebularum & tenebrarum caligine præoccupati, nequaquam sibi cauere , aut salutē fugā quærere, nedum obsistere ac repugnare valeant. Nam Deus velut rerum omnium dominus, ad manum habet montes, ventos, mare, flumina, grandines, fulmina plurima & potentissima, quæ quasi milites Dei ad eius nutum excubant, & in hostes insiliunt, iuxta illud psal. 148. 8. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Hinc vocatur Deus sabaoth, id est exercituum, tum angelicorum, quàm hominum & creaturarum omnium.

Alleg. hæc veriora erunt in die iudicij, quando, vt ait Sapiens c. 5. 18. *armabit creaturam ad vltionem inimicorū, &c. & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tamquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et à petrosa (πετροβόλα, id est petrasiaciēte) ira plena mittentur grandines. Excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter. Contra illos stabit spiritus virtutis , & tamquam turbo venti diuidet illos.* Quàm sapiunt qui hæc meditando præuidētes, peccata cauent, sanctèque viuunt, vt figere valeant à ventura hac Dei ira!

Scripsit Iulianus Archiepiscopus Toletanus commentarium moralem & elegantem in Nahum, qui extat to. 2. Biblioth. SS. Patrū, vbi hunc locum tropol. sic explicat: *Quatuor*, inquit, *sunt animæ tempestates, & quatuor turbines ipsius. Prima est vitiorum, secunda negotiorum, tertia tentationū, quarta vtilium affectionum. Prima ergo est iræ, secūda miseriæ, tertia iustitiæ, quarta gratiæ. Prima virtutum grandinat florem , secunda conscientiæ pessundat honorem, tertia contemplationis suauissimum fugat odorem, quarta ad cælestium prouehit ardenter amorem. Prima est à diabolo, secunda à mundo, tertia à miseria debito, quarta à Deo. Prima religionis annihilat sanctitatem , secunda conscientiæ turbat serenitatem , tertia diuinissimi oderis fugat suauitatem, quarta ad angelicam sublimat puritatem. Prima ergo est diuinæ indignationis , secunda dispensationis, tertia probationis, quarta dilectionis.* Deinde singulis remedia vel vsum ita subijcit: *Viæ primæ sunt, pura confessio, & virilis pœnitentia: secunda, mundi contemptus, & vita solitaria: tertiæ, deuota compūctio, & mentis innocentia: quartæ, purificati silentium animi, & sponsi latitia. Sed quia in tempestate, non in tempestatibus Domini vias esse Propheta asserit, de quarta, vt datur intelligi, specialiter loquitur , de qua libr. 3. Reg. 19. 11. Ait enim: Elias stabat in ostio speluncæ, & ecce spiritus Domini transiens, subuertens montes, & conterens petras; non in spiritu Dominus: & post spiritum commotio; non in commotione Dominus: & post commotionem ignis; non in igne Dominus: & post ignē sibilus auræ tenuis; ibi Dominus. Per spiritum transeuntem designatur animi tempestas, amara scilicet, sed vtilis peccatorum contritio. Per commotionem, deuota mentis compunctio. Per ignem, feruens & ordinata dilectio. Per silentium, beatæ contemplationis secretissima infusio.* Pari modo inferiùs quatuor turbines animæ recensēt. Primus est, subita iustorū oppressio, quam sequitur tempestas primò vitiorum, secundò suppliciorum. Secundus est, sollicitudinū & negotiorū incursio , cui succedit diluuiū criminū. Tertius est, tentationum inuasio, quā sequitur tranquillitas conscientiæ & gratia donorū. Quartus est, repentina & vehemens ex diuersis causis animi commotio, quam sequitur tēpestas iustorum affectuum , cui succedit ordinatæ dilectionis amœnitas, & contemplationis diuinæ iucunda serenitas. Hucusque Iulianus.

Trop. turbines sunt quatuor passiones animæ.

Er

ET NEBVLÆ PVLVIS PEDVM EIVS] q.d. Suis militum copijs incedendo Deus nubem pulueris concitat, vti iam dixi.

Tropol. Iulianus Archiep. Toletan. loco iam citato: *Pedes*, inquit, *Domini* (putà Apostoli & homines sancti) *puluis sunt, per humilitatem conscientiæ; nebulæ, per obscuritatem eloquentiæ. Puluis sunt, humilia de se sentiendo; nebula, arcana cælestia velamine litera tegendo: humiles vita, obscuri doctrina. Puluis sunt, vt placeant; nebulæ, ne margaritas porcis præbeant. Vnde in psalmo legitur: Posuit tenebras latibulum suum: quia sub litera Prophetarum velamine opertus diu latuit. De his pedibus ait Isaias: Quàm pulchri super montes pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona! Et alibi: Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius. Isti ergo pedes Domini fuerunt, qui eum prædicando per vniuersum mundum detulerunt, Petrus Romæ per Italiam, Andreas per Achaiam, Iohannes per Asiam, &c. Paulus per totum orbem. sed quia officium prædicationis vix potest diu exhiberi sine næuo, ideo puluis inesse dicitur pedibus, quia fermentum gloriæ pauxillùm adhæret moribus. At quoniam compunctionis mox feruente fugatur lumine, puluis euanescit in morem nebulæ.*

VERS. 4. INCREPANS MARE, ET EXSICCANS ILLVD] Ex Hebræo Primò, in præterito vertit Pagnin. *qui increpauit mare, & exsiccauit illud*, putà mare rubrum, vt transirent Hebræi, Exodi 14. Secundò, pleniùs Tigurina vertit, *qui statim vt increpitat mare, arefacit ipsum, omnesq; fluuios exsiccat.* Verba enim Increpat & Exsiccat sunt modi potentialis, sumunturque δυνητικῶς, vti crebrò sumuntur futura apud Hebræos. Significant enim omnipotentiam Dei, qua solo verbo potest sistere maria, & siccare flumina quantumuis vastissima; vti siccauit Iordanem transeunte Iosue & Hebræis. Increpans ergo, vel, vt Septuag. cõminans, idem est, quod more increpantis & comminantis imperans mari, illudque diuidens, vel exsiccans prout ei libuerit. Alludit ad diuisionem maris rubri, de qua psal. 105. 9. *Increpuit mare rubrum, & exsiccatum est, & deduxit eos* (Hebræos) *in abyssis, sicut in deserto.* Sic Christus *exurgens comminatus est vento, & dixit mari, Obmutesce:* quo dicto sedauit fluctus, mareque effecit tranquillum. Marci 4. 39. ita Albertus, Hugo, Arias, Ribera & alij. Simili schemate Isaias cap. 40. 12. Dei potentiam & magnificentiam graphicè describit: *Quis*, inquit, *mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera, &c. Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputata sunt. Ecce insulæ quasi puluis exiguus. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo. Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ.*

Tropol. *Mare*, ait Theophyl. *est auaritudo huius vitæ, quam insipientes nos ceu flumina appetimus. Hãc Dominus exsiccauit, ac quod in ea potioni accommodũ videbatur, obliterauit: instituens nos quòd in mundo afflictionem nos ferre oporteat. Si enim iugum eius tulerimus, inuenietis requiem animabus nostris. Præterea si quisquam in tentationibus fuerit, in mari est, & in fluminibus. Ad eum ergo tentato confugiendum est, qui interminatur mari, amneq;, exsiccat.*

INFIRMATVS EST BASAN ET CARMELVS] q.d. Fertilissimi montes & regiones, quales sunt Basan, Carmelus & Libanus, fient steriles, flaccescent, & quasi emorientur, quando Deus vult: ipse enim est creator, & conseruator, & summus omnium dominus; vti de facto contigit tempore Eliæ, quando per triennium inhibuit fuit pluuia, ideoque ex defectu aquæ omnes montes & campi exaruerunt. Vnde liquet eorum Dei donum sit pluuia: experiuntur & lætiunt idipsum agricolæ. Symbolicè Basan, Carmelus & Libanus notant fertilitatem & opes niues: mare & flumina copiam ciuium & incolarum. quæ omnia Deus in eius excidio extincit, & sustulit. Alludit ad Tigrin fluuium, adiacet Niniue; hic enim vrbem ab hoste tuta nequiuit, sed potiùs cum ea quasi infirmatus & desolatus est. Addit Theoph. Aiunt, inquit, sanitim regionem fertilissimam æquè ac Carmelum, à gentibus habitatam fuisse pugnacibus & moro[illegible]is: attamen eas Deus euertit, ac Israelem eò introduxit: quocirca non est fidei abscedendum Deum etiam Niniuen subuersurum. Sic & Cyrill. Rursum vide hîc eminens Dei in omnia imperium. Verè Poëta:

Poli, soli, sali, omnium
Regnator auiternus.

Et Virgil. lib. 1. Æneid.

O qui res hominumq; Deumq;
Aeterno regis imperio, & fulmine terres.

Idem Deum vocat *Cælog; Ereboq; potentem; & Nimborumq; simul tempestatumq; potentem.*

Et lib. 4. Æneid. Deorum, inquit,

Regnator, cælum & terras qui numine torquet.

Alleg. *Diminuta est Basanitis & Carmelus quando Iudæi, ob crucifixũ abs se gloriæ Dominum, nati sunt Romanis. Deinde per Basanitim, in moribus populis versans Resp. per Carmelum verò dogmatis titudo indicatur: quæ cùm multa essent, diminuta in concisum & consummatũ sermonẽ Euangelij matim collecta. Libanus quoque, id est Græcorum sentia, infatuata est. Concussi sunt autem & in montes, ac natura nostra terrea antehac existens limata est, ad superna iter faciens, ac professionem cælos instituens: omnes iuxtà in ipsa cõmorantes nas cogitationes, diuinæ adeoq; cælestes facta sunt cruce quoq; reuera petræ sensibus obiectæ, scissæ item petræ, id est, dura & saxea hominum corda bo Euangelij accepto, contrita sunt. Rursum in dilu id est in baptismo quo Christus baptizatus est, hostes suos, id est dæmones.* Hucusque [illegible].

MONTES COMMOTI SVNT] q.d. Montes mouebuntur, & terra contremiscet, quotiescunque quandocumque Deus id volet. Omnia enim verba sunt modi potentialis; ac demonstrant Dei summum robur & potentiam, quod pœ de meritò Niniuitæ, omnesque impij formidare debeant. Vnde Tigurina vertit, *montes abstremiscunt, & colles sese resoluunt* (vel colliquescunt. Alludit ad liquefactionem niuis, qua montes tegit, & ita postea liquescit, vt videantur quasi dissolui & colliquescere montes, inquit Vatablus.) *terra se proripit ex eius conspectu, orbis vnà cum degentibus in eo.* Pro proripit, tabl. vertit, *flagrat*, id est, ignem concipit, ardetur, censetque hoc accidisse in Sodoma. Deus solo verbo est auctor incendiorum, aliquando apparent in montibus, v.g. Ætna, suuio, Hecla, &c. Vel immittit tantum æstum colles & terra ardere videatur, vti accidit incendio Phaëthontis. vnde Chald. vertit,

omnes sunt à conspectu eius, & disrupti sunt, ac vasta (Septuag. *contracta est*, Aquila ἔφριξε, id est *horruit*) *est terra ab eius præsentia, nec non orbis, & omnes qui habitant in eo, quando se patefecit cum misericordia, vt daret legem populo suo; sic commotus est mundus à conspectu eius.* Videtur enim alludere ad eum motum Sina montis, cùm in eo Mosi & Hebræis data est lex, Exodi 19.18. Ex dictis rectè infert Nahum:

A

ANTE FACIEM INDIGNATIONIS EIVS QVIS STABIT? q.d. Cùm tanta sit potentia, æquè ac ira Dei; quis vestrûm, ó Niniuitæ, vel cæterorum hominum coram illo subsistere, nedum ei obsistere potent?

INDIGNATIO EIVS EFFVSA EST VT IGNIS, ET PETRÆ DISSOLVTÆ SVNT AB EO] Septuag. *furor eius consumit principatus, & petræ contritæ sunt ab eo*; Aquila, *furor eius συνεχωνεύθη*, id est *conflatæ*; Symmach. & Theodot. ἔκλαξεν, id est *stillauit*; q. d. Sicut ignis ardentissimus dissoluit & liquat petras, ferrum, æs, omniaque quantumuis durissima, ita ira & vindicta Dei, hostes licet potentissimos, omniaque licet firmissima dissoluit, frangit, conterit, vti vos, ó Niniuitæ, breui experiemini. Nam *effusa est*, id est, iam iam certò effundetur in vos hic ignis furoris & vindictæ Dei. Alludit ad fornaces cõflatorias & metallicas, in quibus conflatur æs, ferrum, plumbum, &c. quæ igne ardentissimo liquata ita ignescunt, vt, cùm ex ea fornace in fossam vicinam defluunt, videantur esse torrens & fluuius igneus, qui petras & ea quælibet obuia in momento incendit & absumit, vti oculis meis vidi in Ardenna. Sanè videbar mihi in illis viuam incendiorum gehennæ effigiem intueri. adeo horrendus est hic ignis, talis est ira Dei. Quis ergo sapiens eam timeans, non percellatur? quis non caueat peccata, ne ipsi illam in se concitet, ne corpus & animã suã incendijs vltrò obijciat? Meritò exclamas & proclamas omnibus impijs (sed, heu! pauci audiunt) ó Isaia cap. 33.14. *Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?*

B

C

Secundò, Sanchez: Ignis Dei indignantis, ineat, est fulgur & fulmina. hæc enim sunt arma Dei, quæ in inimicorum suorum caput eiaculatur. Habacuc 3. *In luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.* Psalm. 17.15. *Misit sagittas suas, & dissipauit eos*, hoc est, vt explicans subdit: *Fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.* Sic fulmine & grandine Deus sideravit Sisaram Iudic. 5.20. *De cælo dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt.* Sic & Virgil. Æneid. 1.

D

Intonuere poli, & crebris micat ignibus æther,
Præsentemq; viris intentant omnia mortem.

Et Æneid. 8.

Namq; improuisò vibratus ab æthere fulgor
Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repentè.

7. Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis: & sciens sperãtes in se.

8. & in diluuio prætereunte, consummationem faciet loci eius: & inimicos eius persequentur tenebræ.

9. Quid cogitatis contra Dominum? consummationem ipse faciet: non consurget duplex tribulatio.

10. Quia sicut spinæ se inuicem complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium: consumentur quasi stipula aridita te plena.

11. Ex te exibit cogitans contra Dominum malitiam: mente pertractans præuaricationem.

12. Hæc dicit Dominus: Si perfecti fuerint, & ita plures; sic quoque attondentur, & pertransibit: afflixi te, & non affligam te vltrà.

13. Et nunc conteram virgam eius de dorso tuo, & vincula tua disrumpam.

14. Et præcipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius: de domo Dei tui interficiam sculptile & conflatile, ponam sepulchrum tuum, quia inhonoratus es.

15. Ecce super montes pedes euangelizantis, & annuntiantis pacem: celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua: quia non adijciet vltrà vt pertranseat in te Belial: vniuersus interijt.

BONVS DOMINVS] Solent Prophetæ, quasi concionatores industrij & eximij, post minas cõsolari, & læta tristibus subiungere, ne peccatores desperent; sed pœnitentes spem veniæ & salutis concipiant. Ita hîc Nahum, postquam graphicè depinxit iram & furorem Dei in infideles, iniustos & impios Niniuitas, hîc vicissim Dei clementiam & bonitatem in fideles & pios Israelitas & Iudæos demonstrat; indeque appositè vocatur Nahum, id est consolator. Consolatur enim hîc Ezechiam & Iudæos obsessos à Sennacherib rege Assyriorum, prædicens eius stragem, & Hierosolymæ liberationem, ac Niniues hostilis excidium: qua re pariter consolatur Israelitas, siue decem tribus, paulò antè à Salmanasar, cui successit Sennacherib, vastatos, & in Assyriam abductos. Consolatio enim est afflictis, videre quòd Deus ipsorum iniurias vlciscatur, & de persecutoribus ac vastatoribus pœnas sumat, eosque pariter lege talionis persequatur, & vastet. Ostendi enim in proœmio, Nahum prophetasse inter annum sextũ regni Ezechiæ, quo vastata est Samaria, & decimum quartum, quo obsessa est Ierusalem à Sennacherib; quod fuit interstitium octo annorum. Ergo in hoc interstitio & paulò ante obsidionem Ierusalem, eius euentum felicem, putà solutionem & liberationem, prædicit hîc Nahum. Itaque ait: *Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis*; Septuag. χρηστὸς, id est *vtilis, suauis, beneficus, Dominus expectantibus eum in die tribulationis*; Chald. *bonus est Dominus Israeli, vt innitatur ei tempore angustiæ*; Pagnin. *bonus Dominus, fortitudo in die angustiæ*; q.d. Deus suis in tribulatione fortem, validam & efficacem afferre solet opem. Optimè Tigurina & Vatabl. *benignus, mitis & clemens* (hæc enim omnia significat Hebr. טוב *tob*) *est Dominus* (seruis suis & fidelibus) *præsidium temporibus difficillimis.* Hebr. enim מעוז *maoz* significat fortitudinem,

VERS. 7.

nem, locum fortem, arcem, præsidium, munitionem. Vnde Antichristus Deus vocatur *Maozim*, q.d. Deus fortitudinum; vel Mars, vt vertit Pagnin. Daniel 11 38. Mars ergo noster, arx nostra, asylum nostrum, idque inuictum, in omni tribulatione est Deus.

ET SCIENS SPERANTES IN SE] Septuag. *cognoscens timentes se.* Scientia hæc est practica & efficax, non speculatiua & otiosa. q.d. Deus cognoscit, id est approbat, amat, protegit, propugnat eos, qui spem suam in eo collocant; vti mox proteget & propugnabit Ezechiam & Iudæos contra Sennacherib. Sic ait Deus Mosi: *Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me,* Exodi 33. 12. Sic de electis & beandis ait Apostolus: *Cognouit Dominus qui sunt eius,* 2. Timoth. 2. 19. De reprobis verò & æterna pœna plectendis ait Christus: *Numquam noui vos: discedite à me qui operamini iniquitatem,* Matth. 7. 23.

VERS. 8. ET IN DILVVIO PRÆTEREVNTE, CONSVMMATIONEM FACIET LOCI EIVS] Primò, Rupert. & Lyran. per diluuium accipiunt castra numerosa Sennacherib, quæ instar diluuij inundauerunt & oppleuerunt Iudæam, vti docet Isaias c. 8. 7. q.d. Exercitus Assyriorum erit quasi diluuiũ Iudæam obruens, sed præteriens & citò transiens. Nam Deus *faciet consummationem loci eius*, scilicet tribulationis & captiuitatis, ait S. Hieron. hoc est, Deus faciet, vt citò illa consummetur, finiatur & cesset, nec ampliùs illa eiusque locus reperiatur. Verùm duriusculè consummatio loci attribuitur consummationi tribulationis: aliud enim est locus, aliud loci tribulatio.

Secundò, S. Hieron. Remig. & Hugo, diluuium accipiunt passiuè, pro ipsa vastitate illata Samariæ, & decem tribubus ab Assyrijs: quæ præterijt cùm Deus consummauit locum eius, exscindendo scilicet Niniuen.

Tertiò & genuinè, diluuium hîc vocatur, exercitus Medorum & Babyloniorum, qui instar diluuij ingenti turba, celeritate & impetu inuaserunt Assyrios, eorumque locum, putà regiam Niniuen vastarunt. hæc enim fuit consummatio, & excidium vrbis & regni Assyriorum. q.d. Deus vos, ô Assyrij, funditus quasi quidam eluuione hostium perdet, obruetque vestram Niniuen, Medorum & Chaldæorum copijs & insultibus; ac ciues illius tenebris, id est omni calamitate & clade, persequetur. ita Theodor. Clarius, Arias, Vatabl. & à Castro. Hunc esse sensum patet intuenti Hebræa: nam מְקוֹמָהּ *mekoma* significat *locum eius* femininè, putà Niniues, vtpote contra quam totum hoc oraculum dirigitur: est enim hoc *onus Niniue*, vt dixit in prologo v. 1. Fauet id quod narrat Diodorus Sicul. l. 3. Histor. nimirum ad excidium Niniues, confluxisse ex Babylonijs, Persis, Medis, Arabibus & Bactrianis super quadringenta hominum millia. Hoc enim fuit diluuium non aquarum, sed hominum & militum. Addit Arias, hoc diluuio significari inundationem Tigris, qua obruta fuit Niniue; sicut ex aduerso Babylon capta est à Cyro, diuertendo Euphratem, qui Babylonẽ interlust, in alias fossas, & per siccum eius alueum milites immittendo in vrbem, vti ex Xenophonte & alijs ostendi Daniel. 5. 30. & Ierem. 50. v. 38. Hanc enim Tigris in Niniuen exundationem significare videtur Propheta hoc loco, & cap. 2. 6. dicens: *Portæ fluuiorum apertæ sunt, & templum solum dirutum.* Etv. 8. *Niniue quasi piscina aquarum, aquæ eius: ipsi verò fugerunt.* q.d. Deus nimbos coget in Tigrim, vt is exæstuet, & cataclysmo Niniuen obruat. Eiusdem inundationis clarum testis Diodor. Sicul. l. 5. Histor. *Erat*, inquit, *fatum progenitoribus datum, numquam Ninum Niniuen*: hæc enim à conditore dicta est Ninus (Nina) *capi posse, nisi cùm fluuius vrbi hostis fieret. Quod numquam futurum ratus* (rex Niniues) *cœperat obsidionis traducendæ, & simul futura exspectabat. Cùm duobus annis obsidio perseuerasset per summum otium obsessorum, tertio continuis imbribus excrescens super modum fluuius, cùm partem vrbis inundasset, muros deiecit ad stadia viginti. Tum rex existimans tempus oraculi aduenisse, desperabundus, ne in hostium potestatem perueniret, pyram regiæ ingentem exstruxit, seq. cremandum vnam cum suis in ignem iniecit. Hostes, audita regis morte, impetu per eam, quæ ab oraculo prædicta erat, muri partem ingressi, Arbacem regia stola indutum regem appellarunt.* Hæc Diodorus, cui consentiũt S. Epiph. & Doroth. in vita Nahum, qui Niniuen horum eluuione perditã asseuerant, vti dixi in prooemio. quæ omnia huic loco mirè consentiunt, quo Deus Niniuæ comminatur excidium per tempestatem, turbinem, nimbos & vẽtos, quos exundans Tigris vrbis muros deiecit. Tantum hoc interest, quòd Diodorus id contigisse narrat sub Sardanapalo, eiusque hoste Arbace Medo, qui coæui fuerunt Oziæ regi Iuda, ac multis annis præcesserunt Prophetam Nahum: sed hoc fieri potest vt in persona & tempore erarit Diodorus Nam Iustinus l. 1. Herod. l. 1. Orosius l. 19. & alij in excidio Niniues sub Sardanapalo nullius exundationis meminerunt. Sic enim dicemus, in rebus priscis sæpè facta ipsa apud auctores constare; personas & tempora certa non constare. Factum enim ipsis relictis monumentis & signis indicari potest, personæ verò & tempora ob fluxam sæculorum & gẽtium naturam, ob minùs attentam diligentiam, ob variam linguarum & sermonum, ac dominationis mutationem, inuerti ac turbari facilè possunt; ex diuina autem Scripturis temporum vera ratio petenda est, inquit Arias.

Denique diluuium hoc accipi posset cladis strãgis Assyriorum, putà militum occisorum, qui vna nocte ab angelo in castris Sennacherib cæsa sunt 185. millia; tunc enim Deus consummationem fecit loci eius, id est loci castrorum Sennacherib, quando hunc locum repleuit cadaueribus militum, qui illo in loco castra metabantur. Hunc enim locum iuxta Ierusalẽ pro castris occepit & occupauit Niniue, id est Niniuitæ & Assyrij, cum suo rege Sennacherib. De Sennacherib enim, vti cœpit, ita pergit agere in sequentibus; quia tunc cœpta est Niniuitarum & Assyriorum clades, quæ postea planè consummata & completa est in excidio Niniues per Medos & Chaldæos. de quo c. 2. 1.

Tropol. disce hîc quàm celer sit regnorum, regum, opum, deliciarum, honorum, totius mundi fluxus, transitus, interitus. Eccetibi Tigris, qui per naues merces omnes aduehebat Niniuen, intumescens illam ipsam obruit, & inuadendam tradidit. Eccetibi inclyta illa Babylon, quam ditabat, roborabat & ce[tera] Eupl[hrates]

Babylonis per illum ipsum in alias fossas deriuata à Cyro, capta & euersa est. Verè æquè ac pulchrè S. August. mysticè explicans illud psal. 136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus dum recordaremur tui Sion: Flumina*, ait, *Babylonis, sunt omnia quæ hic amantur, & transeunt. Nescio quis amauit v.g. agriculturam, ipsam exercere, inde ditescere, recreare animum, inde percipere voluptatem: amauit exitum, & videat, illud quod amauit non esse Sion, sed fluuium Babylonis, &c. Magnarum esse*, inquit, *res magna est, potentissima eloquentia in omnibus habere susceptos, pendentes ex lingua diserti patroni sui, & ex eius ore sperantes, vel damna, vel lucra; vel mortem, vel vitam; vel perniciem, vel salutem. Nescis quò te miseris. Alius & iste flumen Babylonis est, & quod multùm sonat, strepitus aquæ sæpe percutit. Attende quia fluit: percutit, attende quia labitur: & si attendas quia fluit & labitur, cauе quia trahit.* Idem ostendit de nauigatione & mercatura, vtramque scilicet esse fluuium Babylonis, vtriusque lucra citò transire & præterlabi: *Væ*, inquit, *naufragio nudus exibis, & rectè te planges in flumine Babylonis, quia noluisti sedere & flere super flumina Babylonis. Alij ergo ciues sanctæ Ierusalē, inuolucres captiuitatem suam, attendunt humana vota, & diuersas hominum cupiditates hac atque illac rapientes, trahentes, impellentes in mare; vident hæc, & non se mittunt in flumina Babylonis, sed sedent super flumina Babylonis.* Et mox: *O sancta Sion, vbi totum fas, & nihil fluit! quare dimisimus conditorem tuum, & hæreditatem tuam? Ecce inter fluentia & labentia consumus: vix quisquam raptus à flumine, si tenere ligna potuerit, euadet. Sedeamus super flumina Babylonis, non infra flumina Babylonis: talis sit humilitas nostra, vt nos non mergat. Sede super flumina, noli in flumine, noli sub flumine.* Et inferiùs: *Sedebit autem, & lugebit, si recordatus fuerit Sion. O pax illa quam nobilem apud Deum! ô pax illa & sancta æqualitas angelorum! ô illa visio, & spectaculum pulchrum! Ecce in Babylonia pulchra sunt quæ tenent: non te teneant, non te decipiant. Aliud est solatium captiuorum, aliud gaudium liberorum. Super flumina Babylonis, illic sedimus & fleuimus cùm recordaremur Sion.* Mens ergo nostra, vt sapiat, vt firma felixque consistat, super flumina hæc se erigat, & in stabili æternitate in Sione inquam cælesti, se ipsa defigat.

Secundò, S. Bernard. serm. de B. Maria pag. 395 *Trifex*, inquit, *est diluuium, vnum iniquitatis, aliud alienitatum huius vitæ; tertium calamitatum gehennæ. De primo per Nahum dicitur: In diluuio prætereunte consummationem faciet; ac si diceretur: Si diluuium vitiorum super hos cœperit abundare, nolite de illo desperare: quia super quos inundare permitto iniquitatem, super illos faciam abundare gratiam. Hinc illud Michææ 4. Venies vsque Babylonem, & ibi liberaberis. Et illud Isaiæ 54. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. Consummationem ergo Deus faciet præeunte diluuio; qua de profundo vitiorum viriliter erigit, quos ponit in certutum culmine*, &c.

QVID COGITATIS CONTRA DOMINVM?] Alij putant sermonem esse ad Iudæos pauidos ob aduentum & obsidionem Sennacherib. q. d. Quid vos, ô Iudæi modicæ fidei, diffiditis Deo, quasi ipse vos è manu Sennacherib liberare non possit, aut non velit? itaque cogitatis eum vel non esse satis potentem, vel non satis prouidum, & clementem, ad protegendam suam vrbem, A suumque populum? Verùm meliùs alij passim censent sermonem esse ad Assyrios. q. d. Quid vos, ô Assyrij, cogitatis mala contra Dominum, id est contra Domini plebem, vrbem & templū, vt scilicet obsideatis & euertatis Ierusalem & Iudæos, itaque mala malis cumuletis? exscidistis enim Samariam, & pari modo vultis exscindere Ierusalem: sed Deus malitiam vestram inhibebit, nec permittet secundò affligi & exscindi Israelem. Vnde sequitur: *Non consurget duplex tribulatio.* ita Hebræi, S. Hieron. Remig. Haymo & Lyran. Aut q. d. Quid vos, ô Assyrij, cogitatis Domino vlciscenti resistere, vosque in castris Sennacherib per angelum, ac Niniuen per Chaldæos oppugnanti & euertenti, obiectis vallis & militibus opponere? impingitis enim in fortem, & contra stimulum calcitratis: nam *consummationem ipse faciet*, ipse vos consumet & disperdet. B Hæc enim est eadem consummatio cum illa, de qua paulò antè dixit: *Consummationem faciet loci eius*, scilicet Niniues. ita Theodor. Theophyl. Clarius, Arias & Vatablus. Alludit ad Isaiæ 10. vers. 23. *Consummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.* Vide ibi dicta.

NON CONSVRGET DVPLEX TRIBVLATIO] Chaldæus, *non consurget domui Israel duplex angustia*; Arabicus, *non consurget altera vice in nocumento*; Syrus, *non stabit* (surget) *duabus vicibus tribulatio.* q. d. Vnam angustiam passus est Israel in excidio Samariæ, & decem tribuum per Salmanasar: quare non patietur Deus clementissimus secundam ei inferri à Sennacherib, vt duas eius tribus reliquas & Ierusalem exscindat, ita Hebræus quem citat S. Hieron. Secundò, alij, q. d. Deus ita C fortiter vna vice per angelum cædet & atteret castra Sennacherib, vt secundò ea percutere & plagam iterare non sit opus: quia extremis supplicijs ea afficiet, & primo ictu ea disperdet & consumet. ita Vatablus. *Duplex tribulatio quæ? Responsio Prima. Secunda.*

Tertiò, alij, q. d. Deus vnica irruptione Chaldæorum subuertet Niniuen, vt secunda non sit opus. Simili enim phrasi ait Abisai de Saule: *Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra, semel, & secundò opus non erit.* 1. Reg. 26. 8. Explicat enim consummationem quæ præcessit, q. d. Consummabo stragem & excidium Niniues vna percussione, vt secundò eam ferire non debeam. ita à Castro. Sic ait Virgil. Æneid. 11. *Tertia.*

Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.

Et Ouid. epist 5.

D *Nulla reparabilis arte*
Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

Omnes hi sensus probabiles sunt; primus tamen, quem tradit quoque S. Cyrill. & Theoph. magis videtur congruus & appositus, magisq; respondet communi tropologiæ, quam mox afferam; illique magis fauent Hebræa, quæ ad verbum habent, *Non exurget duabus vicibus tribulatio.* Tribulatio enim pertinet ad populum Dei; consummatio ad infideles & impios Niniuitas. Vnde Septuag. vertūt, *non vindicabit bis in idipsum in tribulatione. In idipsum*, id est, idipsum, vel ob idpsum, scilicet crimen vel delictum. Theodotio, *non consurget secunda tribulatio*; Symmach. *non sustinebunt impetum secundæ angustiæ*; Pagnin. *non consurget bis angustia.* Et sic se explicare videtur Nahum v. 12. dicens: *Afflixi te, & non affligam te vltrà. Et nunc con-*

conteram virgam eius de dorso tuo. Sat enim Israel per Assyrios punitus videbatur vastatione Samariæ, & decem tribuum, vt Hierosolymæ & Iudæis parcendum esset: Iudæi enim, siue duæ tribus, in decem tribuum, vtpote fratrum suorum, excidio, sat pœnarum dederunt Assyrio. Hinc ex versione Septuag. manauit Theologorum axioma: *Deus non punit bis idipsum*, quando nimirum ita puniuit, vt pœna adæquarit culpam; si enim non adæquarit, sed illa sit inferior & minor, iustè iterare & augere potest plagas, donec culpam adæquent.

Tropol. quos Deus punit in hac vita, non punit in futura.

Vnde Tropol. S. Hieron. & Remig. sic explicant q.d. Quos Deus punit in hac vita, eos secundò non puniet in futura. Audi S. Hieron. *Quid contra Dominum cogitatis? ipse qui creauit mundum, & consummationem eius faciet. Quòd si vobis videtur crudelis, rigidus & cruentus, quòd in diluuio genus deleuit humanũ, super Sodomam & Gomorrham ignem & sulphurẽ pluit; Aegyptios submersit fluctibus; Israelitarum cadauera prostrauit in eremo: scitote eum ideo ad præsens reddidisse supplicia, ne in æternum puniret. Non vindicabit Dominus bis idipsum in tribulatione. Ergo qui puniti sunt, postea non punientur. Receperunt ergo & qui in diluuio perierant, & Sodomitæ, & Aegyptij, & Israelitæ in solitudine mala sua in vita sua.* Vbi videtur sentire S. Hieron. Sodomitas, Pharaonem & Ægyptios hîc punitos, ne punirentur in inferno. sed contrarium verius est: occisi enim sunt à Deo in flagranti delicto, putà Sodomitæ in inuasione domus Lot, vt hospitibus angelis turpiter abuterentur: Pharao & Ægyptij in tyrannica persecutione Mosis & Hebræorum: mortui ergo in peccato descenderũt in tartara, vti dixi Gen. 19. & Exodi 14. Quærit deinde S. Hieron. *Si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat? Aut enim punietur, & falsum est hoc quod dicitur: Non vindicabit Dominus bis in idipsum in tribulatione. Aut non punietur, & optandum est adulteris, vt in præsentiarũ breui & citâ pœnâ cruciatus frustrentur æternos.* Ac resp. *Deum, vt omnium rerum, ita & suppliciorum quoque scire mensuras, & non præueniri sententia iudicis; nec illi in peccatorem exercendæ debitæ pœnæ auferri potestatem: & magnum peccatum magnis diuturnisq; elui cruciatibus. si quis autem punitus sit* (satis & adæquatè ad mensuram culpæ) *vt ille in lege qui Israelitis maledixerat, & qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri; quia culpa leuis præsenti supplicio compensata sit.* q.d. Adulter decollatur, quia peccato suo læsit Rempub. eique dedit scandalum: decollatione ergo luit offensam in Rempub. Idem tamen offendit Deum; vnde necesse est vt pariter hanc offensam luat contritione, cõfessione, & satisfactione, vel satispassione (v.g. offerendo Deo decollationem in satisfactionem adulterij) adæquata culpæ: quòd si moriatur impœnitens, aut satisfactio hæc non sit adæquata, Deus eam adæquabit in inferno, vel in Purgatorio. Adde, adulterium eius punitur decollatione, non verò eius obstinatio & impœnitentia: illam ergo luere debet in inferno. Quare imperitè

Hæreticorũ paralogismus.

hæretici hoc loco abutuntur contra satisfactionem, dum sic argumentantur: Christus luit omnia peccata nostra, illaque Deus in ipso abunde puniuit; ergo non punit illa in nobis, nec exigit à nobis pœnas temporarias, quibus pro illis satisfaciamus diuinæ iustitiæ. imperitè inquam; tum quia Christi satisfactio altioris est ordinis, quàm sit nostra. est enim generalis pro culpa totius generis humani; nostra verò est particularis, pro propriis culpis. Iam sicut causa vniuersalis, v.g. sol, non tollit efficientiã causarum particularium, v.g. hominis vt generet hominẽ, sed potius cum illis operatur, & earum cooperationẽ exigit, vt sine illis non operaretur; ita pariter Christi satisfactio generalis nostram particularẽ requirit, nec sine illa operatur. Hoc ergo axioma: *Deus non punit bis idipsum*; intellige in eodẽ rerum ordine: nam in diuerso sæpè bis punit. Hinc pro peccatis Adæ, & culpa generis humani non aliam exigit satisfactionem, quàm Christi; quia illa generalis fuit culpæ generali adæquata: pro culpis verò particularibus, particulares singulorũ exigit satisfactiones. Tum quia Christi satisfactio nihil deest, nisi nobis eam applicemus: applicare autem eam debemus per nostram cooperationem satisfactionem. Id enim voluit & ordinauit Christus, vti docent Scripturæ & Ecclesia.

Tropol. puniamus hîc peccata nostra voluntaria pœnitentia; ita Deus non puniet ea in futuro. *Neque enim bis in idipsum iudicat Deus, sed pœnitentes ipse iudicat & damnat: pœnitentes veros à seipsis susceptos iudicatos, absoluit, neque iudicium pœnitentiæ humanæ seueritas protulit, aliquid illic cælestiũ apponit*, ait S. Cyprian. serm. de passione Christi. Nam de impœnitentibus ait Ieremias v. 18. *Duplici contritione contere eos, idq; quia quam contritio hîc cœpta, illic* (in gehenna) *perficitur. incorrectis vnum flagellum sit quod temporaliter cœpit, sed in æternis supplicijs consummatur; quatenus qui omnino corrigi renuunt, iam præsentium flagellorum percussio, sequentium sit initium tormentorum*, ait S. Greg. li. 18. Moral. c. 13. Ita Mauricius imperator orauit peccata sua puniri in hac vita, vt non puniretur in futura. orauit & impetrauit: vnde cum filijs à Phoca Imp. interemptus est. Ita S. Fulgentius orabat: *Domine da hic patientiam, illic indulgentiam*, vti habet eius vita. Et S. Augustinus *Hîc vre*, inquit, *hîc seca, vt in futuro parcas.* Quod Habacuc c. 3. 16. *Ingrediatur*, ait, *putredo in ossibus meis, & subter me scateat; vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum.* Idem optarunt & obtinuerunt septem fratres Machabæi excruciati ab Antiocho, 2. Machab. 7. Nam vt ait S. Paulus 1. Cor. 11. 32. *Dum iudicamur, id est punimur in hoc mundo, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Hoc piebat Abbas Olympius, qui rogatus quomodo assiduè degens in spelunca, ibi ingentes tolerans æstus & culicum morsus? respondit: *Ideo ipsa libero, vt futuris cruciatibus liberer; ideo cinipedior, vt immortalem effugiam vermem; sic & ego patior, vt æternum ignem euadam: hæc enim temporalia sunt, illa finem nullum habent*, vti refert Siphron. in Pratospirit. c. 141. Qui & c. 142. narrat fratrem quemdam victum abacedia auditum ab Abbate Alexandro: *Si in cella tua sollicitus esses regnum cælorum, & cruciatum æternum pro tua acediam non sentires.*

QVIA SICVT SPINAE] Clarè vertit Pagnin. *quia venient vsque ad spinas complexæ, & cum sua ebriati fuerint ebrij, consumentur sicut stipula arida plena*: & Tigurina, *nam planissimè ritu vepribus implicitarum, cùm fuerint comessando referti, absumentur seu culmus ad plenum torridus.* Siquidem

erit S. Hieron. dum in terra Iuda sunt Assyrij cum Sennacherib obsidentes Ierusalem, & quasi spinæ sese inuicem densis agminibus cõplectuntur, potantes, lætantes & gaudentes, ab angelo cædentur & consumuntur. Ita & Niniue capta est, dum ciues præsidentes suis muris & munitionibus, hostemque obsidentẽ contemnentes, vacarent conuiuijs & symposijs, vti tradit Diodor. Sicul. lib. 3. Ita capta est & Babylon conuiuante rege Balthasare, Daniel. 5. 1. Assyrios comparat spinis, quia ipsi vt spinæ pungebant & affligebãt populum Dei, ideoque à Medis & Chaldæis quasi spinis, pari modo pungendi & affligendi erant. Rursum *conuiuium*, id est cœtum conuiuarum, siue conuiuas, putà Assyrios conuiuãtes & compotantes, comparat spinis; quia sicut spina spinæ implexa est, ita conuiua conuiuæ adhæret, ac mutuo manus conferunt & implicant, dum vltrò citroq; calices & fercula transmittunt. Rursum conuiua conuiuijs, vt spinæ spinis implicantur, dum inuitati inuitantes rursum inuitant: itaque conuiuia eunt in orbem, suntque assidua.

Moral. conuiuæ vocantur spinæ, quia sæpè absentes suis maledicentia, conuicijs & scommatibus pungunt & lacerant. Vitium enim dicacitatis & detractionis frequens est in conuiuijs: lingua enim innatans vino soluitur, promitq; & eructat quidquid habet in corde, imò quidquid in buccam venit. Quare M. Varro censuit conuiuarum numerum incipere oportere à Gratiarũ numero, & progredi ad Musarum, id est profectò à tribus, & consistere in nouem; vt, cùm pauci conuiuæ sunt, non pauciores sint quàm tres; cùm plurimi, non plures quàm nouem. si enim plures sint, turbam efficient dicacem & turbulentam. Alij septem dumtaxat mensæ adhibẽdos iudicarunt. vnde Prouerbium: *Septem conuiuium, nouem conuicium*. Porrò conuiuij proprietatem præclarè describit Cicero lib. de Senectute: Quæ inquit, *maiores accubationem epularem amicorum, quia vita coniunctionem haberet, conuiuium nominauerunt*. Huic autem repugnat turba in dissidia & conuicia prona; conuiuiones inquam, imò combibiones. Contra hos consultò S. Augustin. in versus mensæ suæ asscripsit, qui conuiuarum ipsos oculos ferirent, oraque à detractione compescerent:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Ita Possidon. in Vita S. August. Porrò in Hebræo est elegans paronomasia inter סְבוּכִים *sebukim*, id est qui complectuntur; סֹבְאָם *sobam*, id est conuiuam, vel ebrietas eorum; & סוֹבְאִים *sobeim*, id est ebrij. q. d. Ebrietas ebrios stringit & colligat, sicut aculeis suis colligantur spinæ, vt sese inuicem complectantur: hinc pariter Deus eos quasi funiculo stringet & colligabit, eisque ignem subijciet, quo quasi stipula aridissima subito stricti conflagrabunt & consumentur. Ita angelus cædens castra Sennacherib ignem pestiferum in eos emisit, vti tradunt Hebræi, de quo dixi Isaiæ 30. v. 16. Ita pariter Medi & Chaldæi Niniuen conuiuantem ferro flammaque vastarunt.

Denique Septuag. aliter vertunt, nimirum, *vsque ad fundamenta sua in pauimentum redigetur, & quasi smilax planta implicata comedentur, & quasi stipula exiccabitur*. ita habet editio Regia, sed Romana sic, *quia vsque ad fundamentum*

A *suum redigetur in vepres, & quasi voluola circumdata comedetur, & quasi stipula ariditate plena.* Smilax enim dicitur voluola, quòd instar hederæ se arboribus circumuoluat. Smilax enim est herba spinosa, densis geniculata caulibus, fruticosa ramis, folio hederaceo, flore candido olente liliũ. Duæ eius sunt species. Prior est smilax aspera, siue hedera Cilicia: altera smilax læuis. Vide Dioscor. l. 4. c. 143. & 144. Theophr. li. 3. hist. Plant. c. vlt. Smilax læuis est conuoluolus maior: nam minor est helxine cissampelos, inquit Dioscor. Smilax notat corymbos & coronas quibus delicioſi conuiuæ se coronabant, vti dixi Amos 6. v. 6. illæ enim fiebant ex smilace, & similibus herbis ac floribus. Audi Plinium li. 24. c. 10. *Smilax quoque, qui & nicophoros cognominatur, similitudinem hederæ habet, tenuioribus foliis. coronam ex eo factam impari foliorum numero, aiunt capitis doloribus* B *mederi. Quidam duo genera smilacis dixere. Alterum immortalitati proximum in conuallibus opacis, scandens arbores comantibus acinorum corymbis, contra venenata omnia efficacissimũ, in tantum vt acinorum succo infantibus sæpè instillato, nulla postea venena nocitura sint. Alterum genus culta amare, & in his gigni, nullius effectus.* Assyrij ergo comparantur smilaci, arbores scandenti: quia ad altiora semper conscendentes deuorati sunt à Medis & Chaldæis. Tropol. smilaces sunt, qui charitatem & beneuolentiam simulant, ac interim perniciem moliuntur, ait Theoph. *Smilax siue voluola quæ herba.* *Tropol.*

Ex te exibit] q. d. Causa tuæ cladis & excidij, ô Niniue, erit Sennacherib rex tuus, qui ex te exibit in aciem contra Dominũ, id est contra Domini vrbem Hierosolymam & templum, vt C ea disperdat. Volet ergo quasi cum Domino bellum gerere, instar gigantum & Titanum cum Ioue certantium; sed hæc gigantomachia caro illi stabit: nam cæsus & confusus à Deo, profugus redibit in terram suam, ibique à filijs suis occidetur. ita Theodor. Theophyl. Clarius, Vatabl. Arias & Chald qui vertit, *ex Niniue egressus est rex, qui cogitauit contra populum Domini mala*. Vide blasphemiam Rabsacis, quem Sennacherib misit ad Iudæos, qua iactat Deum non posse eos è manu sua eripere, Isaiæ 36. 20. Quocirca Vers. 11.

Hæc dicit Dominvs, puniens tantum Assyriorum fastum & blasphemiam: Si perfecti fverint, &c.] q. d. Licet cõpijs, robore, opibus præstetis, & numero sitis plures, imò plurimi; tamen attondebit vos angelus pertransiens & feriens. *Attondentur* ergo, id est, attondebuntur (sic D enim multa verba secundæ coniugationis vsurpantur & coniugantur in tertia, vti pro ferueo dicitur feruo, pro fulgeo fulgo, pro sedeo sido) hoc est, more capillorum facillimè & omnino ab angelo resecabuntur, & in terram deijcientur: & *pertransibit*, scilicet rex eorum Sennacherib, vt fugiat in suam Assyriam: vel *pertransibit*, id est euanescet, exercitus, roburque Sennacherib. ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran. & alij. Aliter Theodor. Rupert. Arias, & Vatabl. accipiunt enim de Niniue. q. d. Etiamsi Niniuitæ summa pace, & rerum copia fruantur, tamen eorum copia, imperium & gloria transibit ad Medos & Chaldæos. Vbi Nota. Pro *perfecti*, hebr. est שְׁלֵמִים *scelemim*, quod verti potest Primò, pacifici. ita Vatabl. indeque concordes & vnanimes ad resistendum hosti. Secundò, integri. Vers. 12.

ita Tigurina. Tertiò, perfecti. ita Noster. Quartò, in pace, id est prosperitate & rerum abundantia. ita Chald. & Pagnin. Hæc omnia eôdem redeunt: significat enim Assyrios integros & perfectos fuisse copijs, opibus & viribus. Vnde Pagnin. vertit, *sic dixit Dominus: Num erunt in pace? Et verè multi sunt, & verè excidentur, & transibunt. Et afflixi te per eos, non affligam te vltra te.*

AFFLIXI TE (ô Israel, ô Ierusalem, per Sennacherib & Assyrios) ET NON AFFLIGAM TE VLTRA] scilicet per Assyrios: nam per Chaldæos postea ob noua scelera exisa est Ierusalem. vide dicta Ioël. 2. 38. Pronomen enim *te* refert Ierusalem, non Niniuen, vti docent S. Hieron. Remig. Haymo, Rupert. Lyran. Arias, Vatabl. Ribera & alij. Nam sequitur:

VERS. 13. CONTERAM VIRGAM EIVS (scilicet Sennacherib: hebr. enim est affixum siue pronomen masculinum) DE DORSO TVO] *Virgam* vocat vim & tyrannidem, qua Iudæos affligebat, obsidebat & quasi vinctos tenebat. Vnde Chald. vertit, *frangam iugum Gentium de collo vestro, & vincula vestra præcidam*; & Pagnin. *conteram iugum eius à te, & vincula tua* (quibus te constrinxit) *dirumpam*. Hebræum enim מַטֵּהוּ *matte*, id est virga, si alio puncto legas מֹטֵהוּ *motæ*, significat iugum, catenas & vincula. Symbol. Theophyl. virga Sennacherib, ait, sunt peccata, & tentationes diaboli, quæ conterit gratia Christi. Eadem sunt semen diaboli, quod suffocat Christus. Vnde de eò sequitur: *Non seminabitur ex nomine tuo amplius*. Hæc sunt zizania, de quibus Christus Matth. 13. 27.

VERS. 14. ET PRÆCIPIET SVPER TE DOMINVS. *Præcipiet*, id est decernet & sanciet id quod sequitur: NON SEMINABITVR, id est, vt non seminetur, EX NOMINE TVO AMPLIVS] hoc est, vt nemo deinceps gignatur ex te, qui nomen tuum & stirpem propaget, voceturque filius tuus, & sit rex Assyriorum. Nam paulò pòst fugiens Sennacherib in Assyriâ, in templo Dei sui à filijs est interfectus. Vnde filium deinceps generare nequiuit. Successit ei quidem in regno filius Asarhaddon iam pridem genitus; sed & hic paucis annis regnauit, nec sobolem in regno reliquit. In eo ergo defecit stirps regia Sennacherib. ita S. Hieron. Remig Albert. Hugo, Lyran. Clarius, Vatab. Ribera & alij. Aliter Theodor. & Theoph. q.d. In excidio Niniues desinet augustum illud nomẽ Nini & Assyriorum: eorum enim monarchia transferetur ad Babylonios. Vnde deinceps Assyrij vocabuntur Babylonij, quia Babylonijs rerum dominis erunt subditi: sicut postea vtrique vocati sunt Græci & Romani, cùm ab Alexandro & Romanis fuerunt subacti. Aliter quoq; Sanchez, q.d. Nomine Sennacherib non amplius seminabuntur agri, quorum fructus in regium eius horreum comportentur: quia ipse breui spoliabitur imperio & vita. Regis enim nomine fieri dicitur, quod eius imperio, æquè ac commodo fit, non alterius. Sic ait Plautus in Mercatore:

Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis.
Tibi denique iste pariet lætitiam labor.

Moral. Disce hîc iustum iudicium Dei, quo talionem rependit tyrannis, v. g. Assyrijs, vt qui aliena inuaserant, perdant sua, imò intereant cum sua stirpe & nomine. Vnde Chald. vertit, *non erit amplius memoria nominis tui*. Hoc est quod Ieremias c. 22. 30. intentat Ioachin, siue Iechonia tyranno: *Scribe*, inquit, *virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur; nec enim erit de semine eius vir qui sedeat super solium Dauid.* In Iechonia enim defecit stirps regia Dauidis, adeóque regnum Iuda: licet enim Iechonias genuerit Salathiel, tamen hic numquam fuit rex, sed in captiuitate Babylonica natus, & mortuus, reliquit filium Zorobabel, qui Iudæos Babylone reduxit in Iudæam; sed regis ius & titulum nunquam est adeptus. Simili pœna punitus est tyrannus Nabuchodonosor, vel potiùs Balsasar, de quo ait Isaias c. 14. 20. *Non vocabitur in æternum semen pessimorum.*

DE DOMO DEI TVI INTERFICIAM SCVLPTILE ET CONFLATILE] Hæc iungenda sunt cum Hebr. Chald. Septuag. & Romanis; licet Biblia Regia, S. Hieron. Remig. Haymo, Lyran. & Clarius aliter dispungant, nimirum sic: *De* (id est *de domo Dei tui interficiam*, scilicet te, ô Sennacherib: *sculptile & conflatile ponam sepulchrum tuum*. Verùm Hebr. Septuag. & Chald. tollunt hanc dispunctionem, omniaque hæc connectunt. Interficiam ergo, id est, excidam, tollam, dispergam, exterminabo, tua sculptilia, id est tua idola, tuos deos. Vnde Septuag. vertunt, *ex domo Domini Dei tui dispergam sculptilia & conflatilia*. Chald. *de domo idolorum tuorum delebo simulachra & conflatile*; quia, vt sequitur, & vt expressè habet Chald. & Pagnin. *ibi ponam sepulchrum tuum*. q.d Profanabitur templum Dei tui Nesroch caput tua, præsertim tam immani & parricidiali qua tu rex & monarcha à proprijs filijs in ipso templo occideris, ibique inhumatus iacebis, 4. Reg. 19. 37. quo fiet vt idola pariter profanata censeantur, atque vt profana vel abijciantur, vel efferantur & confringantur. q.d. *Inde puniens videsperabas auxilium. Erit sculptile & conflatile sepulchrum tuum, vt inter aras & puluinaria adorantia idola, sanguis nefarius effundatur*, ait S. Hieronym. Templum ergo iam non erit templum deorum, sed sepulchrum tuum, id est regis à filijs mactati. Sic Lucan. ait lib 7. *Cælo tegitur qui non habet vrnam*. Sic mare est sepulchrum naufragorũ. *Quia inhonoratus es*; quia scilicet ob cælestem in Iudæa exercitus tui stragem, turpemque tuam ex ea fugam, contemptus à tuis ciuibus & filijs, in templo occideris; ibique instar idoli confracti & proiècti, sanguine & tabe manans, insepultus proijcieris, idque in iustam pœnam & vindictam, quia scilicet tu sacrilegè inhonorasti, contempsisti, & blasphemasti Deum Israel.

Posset Secundò, sic exponi, q.d. Per Medos & Chaldæos in excidio Niniues exscindam, diripiam, & dispergam pariter tua sculptilia, tua idola, in quibus tu ô Sennacherib frustra tuas spes collocasti: insuper ibidem ponam sepulchrum tuum, quia tu illa honorans, me inhonorasti. Minùs rectè S. Cyril. hæc refert ad Iosiam, qui in Iudæa delubra idolorum subuertit, 4. Regum 23. agitur enim hîc de templo Niniues, non Iudææ. Nota. Pro *quia inhonoratus es*, Septuag. vertunt, *quia veloces*; Chald. *quia hoc pessimum est coram me*. Hebr. enim קַל *cal* significat Primò, leuem; Secundò, velocem; Tertiò, facilem; Quartò, vilem & inhonoratum: homines enim leues sunt viles & abiecti.

ECCE SVPER MONTES PEDES EVANGELIZAN-

cursus] Ita quoque Syrus vertit, & Arabicus A *ctum Domino gloriosum, &c. tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui.* Secundò, vt reddamus vota Deo; reddamus inquam, ea prima & integra, taliaque qualia fuere, cùm primùm ea Deo vouimus. Tertiò, vt vltrà Belial in nobis non pertranseat. *Belial*, id est *sine iugo*, vel *vetustū*, est innatus cuique defectus, & vitium principale, à quo cætera oriuntur; v.g. in vno vitium principale est ambitio, in alio gula, in tertio acedia, in quarto pusillanimitas. Renouatio in eo consistit, vt hoc vitium quisque ita mortificet, vt amplius non dominetur, sed si quando mentē pulset, statim supprimatur & resecetur; ita vt vitium sit in eius potestate & dominio, vt illud ad libitum frænare & regere possit. Qui hæc præstat, fit homo nouus, cælestis & diuinus, ac vt ait Nazianz. *in suis actionibus exsplendescit*: quia terrena fastidiens, mente in cælo versatur, viuitque in continua Dei laude, amore & iubilo, vitamque agit sanctam, apostolicam, angelicam, seraphicam, adeoque iam præludium habet vitæ beatæ, eamque orditur & inchoat, breui eamdem consummaturus in cælo.

QVIA NON ADIICIET VLTRA VT PERTRANSEAT IN TE BELIAL] *Belial* dicitur quasi בְּלִיעַל *beli ol*, id est sine iugo; hinc *Belial* significat inobedientiam, impietatem, apostasiam: ac Secundò, ipsos inobedientes, impios, apostatas, qui iugum legis, vel fidei, vel professionis excutiunt; quorum quia princeps & caput est diabolus, hinc Tertiò, *Belial* significat diabolum. Vnde pro *Belial* Tigurina vertit, *Deo & hominibus infestus*. Hinc in Scriptura homines valdè impij & scelerati vocantur, filij Belial. Vide dicta 2. Cor. 6. 15. Hîc ergo impium & theomachum Sennacherib, cum suo exercitu vocat Belial, q.d. Impius Sennacherib non amplius suis copijs te, ô Iudæa & Ierusalem, obfidebit, & affliget; quia vniuersus interijt, cæsus ab angelo. ita S. Hieron. Hugo, Vatabl. Alij per *Belial* accipiunt Assyrium, id est Assyrios, vt singulare ponatur pro plurali. q. d. Perijt Niniue, & imperium Assyriorum: translatum est enim ad Chaldæos. ita Theodor. Remig. & Albert. Porrò Septuag. vertunt, *non apponent vltrà vt pertranseant in vetustatem. Consumptum est, consummatum est: ascendit insufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione.* vel, vt S. Chrysost. legit in lib. decem homil. Romæ impresso: *Non adiicient vltrà venire ad vetustatem. Consummata sunt, sublata sunt. Ascendit enim è terra insufflans in faciem tuam, & eximens è tribulatione.* Quæ ita interpretatur, q.d. *Vetera consummata, & sublata sunt: noua facta sunt omnia.* Videntur Septuag. *Belial* deriuare à rad. בָּלָה *bala*, id est inueterascere, consumi; vt *belial*, siue *beli ol*, sit idem quod *vetustas iugi* & seruitutis.

Hoc Anagog. de renouatione Ecclesiæ futura in fine mundi, ita explicat S. Hieron. *O Iuda* (ô Ecclesia, ô fidelis, ô sancte & electe) *redde vota tua, quia nequaquam vltrà pertransient inimici qui te adducent in vetustatem, hoc est, qui te volunt imaginem portare veteris hominis. Quoniam quod vetus est senescet, & quod senescit perditioni proximum est. Completus est mūdus, consumptus est aduersarius: venit tibi Christus, qui priùs insufflauerat in faciem tuam, cùm te de limo fingeret, & post resurrectionem queque insufflans in faciem Apostolorum ait: Accipite* Anagog.

Spiritum sanctum, ipse est qui te liberat de tribulatione. Vastata enim Ninive & transeunte mundo, tribulatio quoque pertransiet.

Allegor. Allegor. hic Beliał, putà Sennacherib hostis populi Dei, est diabolus, peccatum & mors, in- A quit S. Cyril. & Theoph. quem prostrauit & ligauit Christus, cuius ira & furor contra eum graphicè describitur hîc v. 2. 3. & 6. Quocirca fuso & fugato tranquillè agit Ecclesia, ac sine more & periculo celebrat suas festiuitates.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit vaticinari obsidionem & excidium Niniues per Medos & Chaldæos, quorum ut castra, & milites feroces, celeres & terribiles instar fulguris graphicè describit. Deinde v. 8. Niniues desolationem, spoliationem, pauorem & consternationem depingit; causamq; addit, & inculcat, quòd fuerit cubile leonum, id est tyrannorum & prædonum.

Vers. 1. ASCENDIT qui dispergat coram te, qui custodiat obsidionem: contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valdè.

2. Quia reddidit Dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israel: quia vastatores dissipauerunt eos, & propagines eorum corruperunt.

VERS. 1. ASCENDIT QVI DISPERGAT CORAM TE, QVI CVSTODIAT OBSIDIONEM] Syrus & Arabicus, *custodiens custodiam*, id est agens excubias. Quæres Primò, de qua obsidione agit hîc Nahum, an Hierosolymæ, an Niniues? De Hierosolymæ agi censent Chald. Theodor. Theoph. & Vatabl. qui vertit & applicat sic: *Ascendit*, id est, instar vaporis ascendit in auras, abijt, euanuit & perijt *dispersor* vel dissipator, id est Sennacherib, qui dispersit filios tuos, ô Ierusalem, teque obsedit. Videtur enim Nahum prosequi cladem Sennacherib, de qua egit in fine capitis præcedentis. Vnde Septuag. vertunt, *ascendit insufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione.* q. d. inquit Theodor. Deus in te, ô Ierusalem, obsessam & penè enectam insufflauit spiritum vitæ & salutis, fecitque vt reuiuiscceres, quando exsufflauit & occidit castra Sennacherib, quæ te obsidebant & enecabant; sicut olim formans Adamum insufflauit in eum spiritum vitæ, fecitque eum in animam viuentem, vt scilicet esset animal & homo viuens. Fauent sequentia, in quibus agit de Israele dicens: *Quia reddidit Dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israel.* q. d. Deus postquam per Sennacherib sat castigauit superbiam Israelis & Iudæ, proiecit virgam in ignem, hoc est, ipsum Sennacherib cum suis interemit. Huc pertinet expositio Ariæ, quæ talis est: Ne superbias ô Ierusalem, eò quòd euaseris manus Sennacherib; nam si in scelera recidas, ascendet contra te Nabuchodonosor, qui tuam superbiam puniet, teque obsidebit & vastabit, vti de facto contigit.

Secundò melius alij passim accipiunt hæc de obsidione & excidio Niniues, tum quia tota prophetia Nahum est *onus Niniue*, vt habet eius titulus, non Hierosolymæ; tum quia expresse de ea se explicans v. 8. ait: *Et Niniue quasi piscina*, &c. ita Hebræi, S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran. Clarius, Ribera, à Castro & alij. Sensus ergo est, q. d. Contrà te, ô Niniue, *ascendit*, id est breui ascendet hostis, qui *coram te*, id est in tuis oculis, te spectante & gemente, *dispergat*, hebr. פזר *me-* B *phits*, id est confringat, conterat, dissipet, dissipet tuos agros, villas, munitiones, opes, incolas, accolas, *quique, custodiat obsidionem*, id est qui arctissimè te obsideat, arctet, & obseruet quasi custos, ne qua via elabaris, & eius manus euadas, nec desistet, donec te expugnet & capiat. Nam vt sapienter ait Liuius lib. 5. *Obsidio eius vrbis quæ tò capere velis, & vrgenda & premenda.* Item: *Cum obstinato hoste obstinatè pugnandum*, ait idem lib. Hinc Prouerbium: *Hectorem imitaris, ab Ilione quam recedis.*

Quæres Secundò quando, & à quo obsessa capta est Ninive? Primò, Diodorus Siculus, Iustin. li. 1. Megasthenes, Eusebius, Orosius & alij Chronologi & Historici, passim docent Ninuen expugnatam ab Arbace Medo, & Belesi Babylonio, qui Sardanapalum regem Ninive coëgerunt ad sui necem, vt scilicet insiliret C pyram à se accensam: hunc enim fuisse vltimum regem vel monarcham Assyriorum, in eoque iam desiisse, ac translatã esse ad Medos & Chaldæos. Porrò Eusebius in Chron. S. Hieron. in comment. in Amos, S. August. li. 18. Ciuit. cap. 21. Orosius & alij passim tradunt, Sardanapalum vixisse tempore Oziæ regis Iuda, quo tempore Procas Syluius auus Romuli rex erat Latinorum, regnabatque in Alba. Verùm hæc duo non bene consentiunt cum S. Scriptura; nam constat ex Oziam sub eius pronepote Ezechia vixisse Salmanasar, Sennacherib, & Asarhaddon, qui omnes reges Assyriorum, regnabantq; in Niniue, eraque potentissimi: nisi dicas in Sardanapalo cessam esse Niniuen, & monarchiam Assyriorum, postea tamen refloruisse Niniuen, eique restitutum esse regnum, licet non monarchiam. Nam quod aliqui, volentes Historicos profanos cum S. Scriptura conciliare, respondent cum Eusebio & Megasthene, Salmanasar, Sennacherib & Asarhaddon fuisse reges Assyriorum, id est Babyloniorum, qui ad se monarchiam Assyriorum iam transtulerant, Assyriisque à se deuictis dominabantur; hoc, inquam, dici nequit. Nam eodem tempore Babylonijs dominabatur Merodach Baladan, quo Asarhaddon Assyrijs, vt patet 4. Reg. 20. v. 12. collato cum c. 19. v. vlt. Ergo illo tempore diuersi erant, proprijque regnabant Assyriorum, æquè ac Babyloniorum. Vt vt est, de excidio Niniues sub Sardanapalo, si cum Oziæ coæuum Oziæ, loqui nequit Nahum, vtpote longè posterior; illud ergo pertinet ad tempora Ionæ, vti dixi in eius Proœmio.

Secundò, Hebræi censent Niniuen vastatam

esse sub initium regni Manassis, qui Ezechiæ patri in regno Iuda successit, ideoque Manassen ductum captiuum in Babylonem, non in Niniuen: eò quòd Niniue iam esset euersa, vti ex Suida refert Genebr. li. 1. Chronol. qui & addit, Sardanapalum per crasin, eumdem esse & nomine, & persona cum Asarhaddon. Asarhaddon enim regnauit sub tempora Manassis, videturque fuisse vltimus rex Assyriorum: nam post eum nemo alius in Scriptura nominatur. Cumque profani Historici asserant vltimum regem Assyriorum fuisse Sardanapalum, videtur quòd hic non fuerit alius, quam Asarhaddon, qui vixit sub Manasse, ac consequenter tum desiisse imperiū Assyriorum, & Niniuen esse euersam. Verùm huic sententiæ refragantur Eusebius, S. Hieron. S. August. & alij Græci ac Latini passim, qui docent Sardanapalum diu ante Manassen vixisse sub Ozia rege Iuda, vti iam dixi.

Tertiò, S. Cyril. & Theophyl. censent Niniuen euersam esse à Cyro & Persis. Sed hi videntur confundere Assyrios cum Babylonijs, & Niniuen cum Babylone: Babylonem enim euertit Cyrus, non Niniuen. Sic Historici sæpè sub Assyrijs comprehendunt Babylonios, & vice versâ, vtcum numerant quatuor celebres veterū monarchias, Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum, sub Assyrijs comprehendunt Babylonios.

Dico ergo Niniuen captam & euersam esse à Medis & Chaldæis, putà à Cyaxare rege Medorum, & à Nabuchodonosore rege Babyloniorū. Cyaxares hic fuit filius Phraortis, & pater Astyages, Astyages autem fuit auus maternus Cyri. Probatur hæc sententia Primò, quia id diserte asserunt Septuag. Tobiæ 14. v. vlt. Tobias enim senex moriens ibidem v. 5. monet filium Tobiam iuniorem, vt secedat ex Niniue, eò quòd ob scelera sua illi immineat excidium intentatum à Deo. Addunt Septuag. in fine capitis, Tobiam iuniorem ante mortem audisse hoc excidium, dixitque: *Et mortuus est* (Tobias iunior) *annorum centum viginti septem in Ecbatanis Mediæ. Et audiit priusquam ipse moreretur perditionem Niniue, quam captiuarunt Nabuchodonosor & Assuerus*, sic vt Romana legunt, *Assyeros*, id est Cyaxares. Nomen enim Cyaxares, vel Kyaxares, conflatum est ex prænomine *Ky*, id est princeps; & *axares*, qui idem est cum Hebræo & Chaldæo Ahasueros, id est Assuerus, vti docet Scaliger de Emendat. temp. in Assuero, & Serarius in Tobiæ c. 14. q. 4. in vtroque enim nomine sunt eædem literæ consonantes, quas solas attendunt Hebræi & Chaldæi, etiamsi puncta siue vocales varient. Secundò, quia communis sententia Chronologorum & Historicorum est, Nabuchodonosorem esse conditorem monarchiæ Babyloniorum, eamque ab Assyrijs & Niniue in Babyloniam transtulisse: hoc autem facere non potuit, nisi capta & vastata Niniue, imperium ei adimere. Tertiò, Herodot. lib. 1. disertè docet Niniuen euersam esse à Cyaxare. Cùm enim narrasset Pharaonem oppugnasse Niniuem, sed frustra; is enim cum copijs interijsse, subdit, Cyaxaren Phraortis filium, vt patris necem vlcisceretur, Niniuen obsedisse, sed cùm interim Scythę Medum inuasissent, Asiæque imperium occupassent (quod tenuerunt per 28. annos) Cyaxarem

A obsidionem soluisse, ac cum Scythis bella gessisse, donec post 28. annos eos superauit, & expulit. quo facto Niniuen rursus aggressus, expugnauit. Idē docet Euseb. in Chronico, & S. Hieron. hîc, & præfat. in Ionam: *Et reuera*, inquit, *quantum ad historias tam Hebræas, quàm Græcas pertinet, & maximè Herodotum, legimus Niniuen regnante apud Hebræos Iosia, & Astyage* (regnante cum patre Cyaxare) *rege Medorum, fuisse subuersam.* Porrò Cyaxares expugnauit Niniuen adiutus à genero suo Nabuchodonosore; hac enim de causa ei filiam suam despondit, nomine Nitocrin. Hæc est illa Nitocris famosa, quæ in Babylone curauit fieri hortos pensiles, qui orbis fuere miraculum, de quibus Curtius li. 5. & Ioseph. li. 10. Antiqu. 13. Eiusdem opera heroica celebrat Herod. li. 1. vbi & addit, illam sibi sepulchrum extruxisse, eique hæc inscripsisse: *Si cui regum Babylonis post me futurorum fuerit pecuniæ penuria, aperto sepulchro tollat quantumcumque libuerit, pecuniæ dum taxat indigens, alitet ne aperiat.* Aperuit illud Darius; sed pro pecunijs hanc sententiam reperit: *Nisi pecuniæ esses inexplebilis, & turpis lucri cupidus, haud aperuisses vrnas defunctorum.* Denique hæc est sententia Hebræorum in Seder olam, Theodor. Rupert. Lyrani, Riberæ, à Castro, Adrichomij in chronol. anno mundi 3237. Serarij in c. 14. Tobiæ, & aliorum.

Horti pensiles Nitocris.

Quinti.

Quæres Tertiò, quando Cyaxares & Nabuchodonosor expugnarint Niniuen, an ante, an post excidium Hierosolymæ, quod illi intulit Nabuchodonosor anno 18. regni sui, qui fuit annus Sedeciæ regis Iuda vndecimus & vltimus. Aliqui censent Niniuen expugnatam esse ante C Ierusalē. ita Euseb. in Chronico dicit expugnatam Niniuen inchoatè anno 28. Iosiæ, & completè anno 4. Ioakim filij Iosiæ. Eusebium sequitur Beda lib. de Sex ætatibus mundi, vbi tradit Script. numerare annos Nabuchodonosoris ab anno 4. Ioakim, quia ex eo ipsè non solùm Chaldæis & Iudæis, sed etiam Assyrijs & Ægyptijs cœpit dominari. Accedit Christ. à Castro, qui censet Niniuen expugnatam anno 1. Nabuchodonosoris.

An ante, an post Ierusalem excisa sit Niniuet

Ante, censet Euseb. & alij.

Rursum moderni quidam Chronologi manuscripti, censent Cyaxaren anno regni sui 35. qui Iosiæ regis Iuda, inquiunt, fuit 13. & Nabuchodonosoris senioris primus, expugnasse Niniuen. Hic Nabuchodonosor senior à Beroso, Eusebio, Iosepho Scaligero, Cardin. Bellarmino & alijs vocatur Nabonassar, vel Nabopolassar, qui D regnauit 21. annis, fuitque pater Nabuchodonosoris iunioris, qui euertit Ierusalem, aliasq; gentes: vnde à rerum gestarum gloria cognominatus est Magnus, de quo passim loquitur Scriptura in li. 4. Reg. c. 24. & 25. & in Ieremia, Ezechiele, Daniele, alijsq; Prophetis. Ab huius ergo patre, eque ac à Cyaxare dicunt hi euersam esse Niniuen. Probant id Primò, quia Herodotus indicat Cyaxaren fuisse coæuum Psammiticho regi Ægypti, qui fuit proauus Apries, siue Ephree. Nam Psammiticho, qui 54. annis regnauit, successit filius Nechao, qui Iosiam regem Iuda occidit: Nechaoni successit filius Psammis, qui fuit pater Pharaonis Apries, siue Ephree, vti narrant Herod. & Diodorus Siculus. Ephree autem regno spoliatus fuit à Nabuchodonosore iuniore, vti docet Ierem. c. 44. v. 30. Ergo Cyaxares ex-

Alij addūt à Nabuchodonosore seniore.

Probant Primò.

pugnans Niniuen, non videtur fuisse coæuus Nabuchodonosori iuniori, vtpote quem aliquot generationibus anteceſſit; ſed ſeniori. Secundò, quia Euſebius & S. Hieron. paulò antè citati docent, Niniuen euerſam à Cyaxare, vel Aſtyage ſub Ioſia rege Iuda: ergo ante excidium Ieruſalem: hoc enim contigit ſub Sedecia filio Ioſiæ.

Secundò.

Tertiò.

Tertiò, quia Septuag. iam citati docent Tobiam iuniorem ante mortem audiſſe excidium Niniues: hic autem Tobias puer, ſcilicet ſex vel ſeptem circiter annorum, cum patre in excidio Samariæ & regni Iſrael abductus fuit à Salmanaſar in Aſſyriam, anno 6. Ezechiæ regis Iuda, atque in Media mortuus eſt anno ætatis 99. vt habent Latina Biblia, Tob. 14. 16. Deme ſeptem pueritiæ eius annos, qui eius abductionē & annum 6. Ezechiæ præceſſerunt, ab eoque computa ſequentes annos vſque ad 13. Ioſiæ, inuenies 99. ita vt Tobias hic videatur mortuus anno 13. Ioſiæ iam dicto.

Quartò.

Quartò, Ioſeph. li. 9 Antiq. c. 11. docet Nahum prophetaſſe ſub Ioathan patre Achaz, additque: *Euenerunt autem omnia quæ de Niniue prædicta erant poſt centum quindecim annos.* Atqui annus 13. Ioſiæ eſt 115. ab anno vltimo Ioathan: ergo hoc anno 13. Ioſiæ videtur euerſa Niniue. Atque hæc videtur fuiſſe virga vigilans omnium gentium dorſo imminens, quam anno 13. Ioſiæ vidit Ieremias c. 1. 2. ſcilicet virga hæc fuit Nabuchodonoſor ſenior, qui anno 13. Ioſiæ euertit Niniuen, eoque in alias gentes graſſari.

Refellitur Primò.

Verùm obſtat huic ſententiæ, Primò, quòd hi auctores in ſuo ſynchroniſmo, ſiue combinatione temporum, cogantur 70. annos captiuitatis Babylonicæ ordiri ab anno 13. Ioſiæ: in hunc enim dicunt incidiſſe annum 35. Cyaxaris, quo ipſe Niniuen euertit, qui deinde adhuc regnauit quinque annis (vniuerſim enim regnauit annis 40.) ſucceſſit ei filius Aſtyages per annos 38. Aſtyagi ſucceſſit nepos Cyrus, vt patet Dan. 13. 65. Cyrus autem ſenſim creſcens viribus & victorijs, tandem anno 17. regni ſui aggreſſus Babylonem eam cepit, factuſque eſt monarcha, actum ſoluit Iudæos in Babylone captiuos. Adde annos 5. Cyaxaris, 38. Aſtyagis, 27. Cyri; habebis annos 70. captiuitatis: illi enim finiuntur anno 17. Cyri. Vnde neceſſariò ſequitur annos 70. captiuitatis Babylonicæ inchoandos eſſe ab anno 13. Ioſiæ, qui, vt ipſi aiunt, fuit 35. Cyaxaris. Hoc autem paſſim refutant Chronologi, qui multò tardiùs hos 70. annos inchoant, & à 13. Ioſiæ vſq; ad 17. Cyri longè plures quàm 70. numerant. Adde, ſub Ioſia fuiſſe felicem Hieroſolymam; eius verò captiuitates cœpiſſe ſub Ioakim & Sedecia filijs Ioſiæ.

Secundò.

Secundò, Euſeb. in Chronico, & alij dicūt Cyaxaren cœpiſſe regnare anno 15. Ioſiæ; non ergo potuit euertere Niniuen anno 13. Ioſiæ; vtpote cùm nondū eſſet rex.

Tertiò.

Tertiò, quia Nahum c. 3. v. 7. & 8. ſignificat Niniuen euertendam poſt euerſionē Alexandriæ: Alexandria autem euerſa eſt poſt Ieruſalem. Nam vt docet Ioſeph. 10. Antiq. 11. & Ezechiel c. 29. 17. Nabuchodonoſor iunior poſt vaſtatam Ieruſalem, anno quinto inuaſit & occupauit Ægyptum, cuius metropolis eſt Alexandria.

Quartò.

Quartò, fauet Ieremias, qui c. 25. 26. inter gentes & reges ſuperandos à Nabuchodonoſore iuniore, nominat reges Aquilonis: inter hos enim vicinissimus ipſi & Babyloni erat rex Niniues & Aſſyriorum. Vnde Iudith 16. 5. A dicitur: *Venit Aſſur ex montibus ab Aquilone.* Rurſum Ierem. c. 50. 18. *Ecce*, inquit, *viſitabo regem Babylonis, & terram eius ſicut viſitaui regem Aſſur*; ſignificans non diu poſt Niniuen pari modo euertendam Babylonem, ſcilicet poſt 54. annos: nā enim ſunt ab anno 24 Nabuchodonoſoris iunioris, ſiue Magni, quo ipſe Niniuen euertit, vſque ad 27. Cyri, quo ipſe cepit Babylonem, eaque euerſa fecit ſe monarcham.

Videtur ergo quòd Nabuchodonoſor Magnus ſenſim creſcens armis & victorijs, exciſa Ieruſalem, tandem anno regni ſui 23. inuaſerit Ægyptum: qua occupata, anno 24. auſus eſt tentare arcem monarchiæ, putà Niniuen, adiutus à Cyaxare, eaque capta monarchiā ex Niniue tranſtulit Babylonem, ſeque eius primum fecit monarcham. Vnde ab hoc anno, vtpote primo monarchiæ, annos eius numerat Daniel c. 2 v. 1. B Vbi dixi. ita cenſet Ribera, Serarius in Tobiæ 14. quæſt. 4. & Torniellus anno mundi 3452. qui addit, Niniuen ſæpiùs captam eſſe. Nam ipſa rebellans identidem Chaldæis, vtpote iugi impotiens, quæ cæteris dominari aſſueta erat, primò capta eſt ab Arbace Medo, cùm ei rex eſſet Sardanapalus, paulò poſt prædicationem Ionæ ante tempora Nahum. Secundò capta eſt ſub Aſſarhaddon filio Sennacherib à Merodach Baladan rege Babylonis. Vnde poſt Aſarhaddon in Scriptura nulli ampliùs nominantur reges Aſſyriorum; ſed Babyloniorum dumtaxat. Hinc Aſarhaddon deuictum eſſe à Merodach Baladan ſub annum 27. Ezechiæ regis Iuda, cenſent Ioſeph. li. 10. Antiq. c. 3. Bellarm. Genebrar. & Torniellus in Chron. anno mundi 3335. qui & anno C mundi 3384. ſeriem regum Babylonis illius ætatis ita recenſet. Nabonaſſar regnauit annis 26. deinde Merodach Baladan annis 52. poſt hunc Ben Merodach annis 24. mox Nabolaſſar (ſiue Nabuchodonoſor ſenior) annis 21. denique Nabuchodonoſor iunior annis 44. Tertiò, capta & ſubacta eſt plenè & planè Niniue à Cyaxare, & Nabuchodonoſore iuniore anno regni eius 24. Denique poſt reditum Iudæorum è captiuitate Babylonica, tempore Xerxis, vt vult Ribera; vel Artaxerxis, vt alij, alius in Niniue regnauit Nabuchodonoſor, qui in Iudæam miſit Holofernem, quem occidit Iudith, c. 1. 5. Vide vt Deus premat vrbes ſuperbas & ſuperbos, idque toties quoties ceruices & cornua erigunt.

Ad primum argumentum prioris ſententiæ reſpondeo, Cyaxarem incipientem regnare D fine regni Pſammitichi, potuiſſe facilè pertingere ad tempora Ephree, qui Pſammitichi fuit pronepos: Cyaxares enim regnauit annis 40. Certum verò eſt eum fuiſſe coæuum Nabuchodonoſori iuniori; hic enim cœpit regnare anno 3. Ioakim filij Ioſiæ, Daniel. 1. 1. Cyaxares autem regnare cœpit anno 15. Ioſiæ, qui 31. annis regnauit. Vnde ſequitur, Cyaxarem 18. annis tantùm regnaſſe ante Nabuchodonoſorem, & cum eo regnaſſe annis 22. vniuerſim enim regnauit annis 40.

Ad ſecundum, reſpondeo Euſeb. & S. Hieron. confuſè loqui de tempore excidij Niniues, illoque ſub Ioſia conſignare; quia Cyaxares cœpit obſidere Niniuen ſub Ioſia; ſed inuadentibus Mediam Scythis, obſidionem intermiſit per 28. annos, vti paulò antè dixi: poſt quos cum Nabo-

clas-

chodonosore iuniore obsidionem resumens & instaurans, Niniuen cepit, & vastauit anno iam dicto. Hinc S. Hieron. ait, eam vastatam sub Astyage, quando nimirum Cyaxares senescens Astyagem filium regni consortem, imò moderatorem effecerat. quod vtique non fuit sub Iosia, sed diu pòst.

Hinc rursum Eusebius non satis sibi constat. Nam initium regni Cyaxaris consignat anno 15. Iosiæ, expugnationē verò Niniues anno 28. Iosiæ, & rursum quarto Ioakim. Vnde sequitur, eum expugnasse Niniuen anno regni sui 13. vel certè 20. cùm ex aduerso ex Herodoto constet 28. annos vt minimùm elapsos, inter initium regni eius, & obsidionis Niniues, vsque ad eius expugnationem.

Ad tertium resp. Septuag. dare Tobiæ iunioris tantùm annos 99. vt habent Latina Bibl. sed 127. quos si numeres, pertinges ad annum excidij Niniues à me paulò antè designatum. Adde aliquos, vt Serarium, hos 99. annos computare à morte patris; quibus adde annos quibus cum patre in captiuitate vixit, ac fatetur fuisse duorum tantùm annorum, cùm in captiuitatem venit; conficies eum vniuersim vixisse 164. annos, ita vt pertigerit ad annū 24. Nabuchodonosor, quo euersa est Niniue.

Ad quartum respondetur, Iosephum dicere hanc prophetiam Nahum impletam post 115. annos, quia tunc cœpit impleri; tunc enim cœpit Cyaxares obsidere Niniuen: perfectè autem completa est post 28. annos Cyaxaris, vti ostendi. Adde, Iosephum errare, dum dicit Nahum cœpisse prophetare sub Ioathan: vixit enim sub eius nepote Ezechia, vti dixi in proœmio.

Denique facilis erit synchronismus illorum temporum, si Cyaxari, cui Eusebius dat tantùm 15. annos regni, addas decem ex annis Astyagis filij, qui patre sene regnum administrabat, quæ de causa hi anni dantur ab Historicis Astyagi, non Cyaxari; ideoque S. Hieron. præfatus in Ionam ait, Niniuen expugnatam ab Astyage, non à Cyaxare: nam additis Cyaxari 10. annis, annus 41. Cyaxaris incidet in annum 14. Nabuchodonosoris iunioris, siue Magni, quo ille vastata Ægypto, cum copijs Cyaxaris expugnat Niniuen. Successit deinde Cyaxari filius Astyages, qui solus regnauit 28. annis, ac deinde Astyages, qui 27 anno regni sui soluit captiuitatem Babylonicam, quæ iam 70. annis duraurerat. hos inter 70 annos inuenies, si eos inchoes ab anno 4. vltimo Ioakim, qui fuit Cyaxaris 27. adde annos reliquos Cyaxaris annos 15. Astyagis 28. Cyri 17. habebis annos 70. quos quærimus. Ex his sequitur, imperium Niniues & Assyriorū durasse annis 1440. tot enim fluxerunt ab anno primo Nini cōditoris Niniues, qui 43. annis præcessit natiuitatē Abrahę (nam anno 43. Nini natus est Abraham, ait Euseb. in Chron.) vsque ad annum 14 Nabuchodonosoris, quo euersa est Niniue, vt Ribera. Hæc de chronologia adeò verò adeoq; incerta & obscura, dicta sufficiant.

CONTEMPLARE (ô Niniue) VIAM] qua adeant Medi & Chaldæi magnis agminibus, vbi obsideant & perdant. Ita enim solent ciues obsidendi curiosè & anxiè intueri vias, per quas veniant castra hostium, vrbem obsessura.

A Via ergo ponitur pro viatoribus, puta hostibus, metonymicè.

CONFORTA LVMBOS] q. d. Quidquid habes virium collige, vt hostibus resistas. Vires enim hominis magna ex parte sitæ sunt in lumbis; vnde infirmi vocantur elumbes: & cùm hominem vel animal debilitare volumus, lumbos illi infringimus. Ita Plautus in Amphit. *Si me*, inquit, *iritaßis, hodie lumbifragium hinc auferes*. q. d. Si me irites, infringam tibi lumbos. Ex aduerso de muliere forti ait Sapiens Prouerb. 31. 17. *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum.* Porrò confortantur lumbi, si manu, cingulo, similiúe vinculo stringantur. Vnde Septuag. vertunt, *tene lumbos, viriliter age.*

ROBORA VIRTVTEM VALDE] *Virtutem*, id est vires. Hebr. *fortifica robur valdè*; Septuag. *roborare vehementer*; Chald. *corrobora vires valdè*; Tigurina, *omnibus modis instrue copias*: hæ enim sunt vires vrbium, putà ciuium & militum copiæ.

Tropolog. S. Hieron. *Tria*, ait, *præcipiuntur Iudæ*, id est Ecclesiæ, & animæ fideli. *Primum, vt contempletur viam, & iter per quod ambulaturus est diligenter aspiciat, iuxta illud Ierem. 6. State in viis, & interrogate semitas æternas, & videte quæ sit via bona, & ambulate in ea, vt, cùm steterimus in viis multis, veniamus ad eam viam quæ dicit: Ego sum via. Deinde dicitur ei vt teneat lumbum, id est, vt post electionem vitæ, mortificet corpus suum & seruituti subiiciat, ne quasi rex & magister aliis prædicans, ipse reprobus inueniatur, quòd virtus diaboli vel maximè sit in lumbis, Iob 40. 11. & quòd Ioannes zona pellicea cingitur, Matth. 3. & quòd à Saluatore discipulis imperatur: Sint lumbi vestri præcincti, Luc. 12. & Apostolus Ephes. 6. State ergo succincti lumbos vestros in veritate. licet enim ἀσκησις plurimùm præstet, & vitæ continentiæ super mortificatione lumborum, tamen nihil eos ita mortificat, vt cognitio veritatis. Vnde dicitur: Accingite lumbos vestros in veritate. Si enim veritas est Christus, qui tota in Christo mente credidit, lumbos suos mortificauit in Christo. Tertiò præcipitur: Confortare virtute nimis, Negligisti, inquit, viam, tenuisti lumbum; assume virtutem, vt possis pugnare cum hostibus. Et ne fortè diffidas, datur tibi causa cur speres. Auertit, inquit, Dominus contumeliam Iacob, quam scilicet solebat Iacob aliis facere. Non enim tantæ virtutis est, ab aliis factam iniuriam sustinere, quanta gratia Domini est placidum, mitem atque tranquillum iniuriam facere non posse. Israel ergo, id est, sensus vel vir videns Deū. & semper de Deo cogitans, facere nescit iniuriā.* Tropol. de robore animæ.

QVIA REDDIDIT DOMINVS SVPERBIAM IACOB, SICVT SVPERBIAM ISRAEL] Pro *superbiam* hebr. est גאון *geon*, quod & superbiā, & magnificentiā gloriamq; significat. Vnde Chald. Vatab. & Arias vertunt, *reuocabit magnificentiam Iacob, iuxta maiestatem Israel*, id est iuxta pristinam dignitatem. q. d. Restituet Dominus per Cyrum Israeli pristinam maiestatem & gloriam, quam obscurauerat Assyrius & Babylonius spoliando Iudæos omnibus bonis, eosque captiuos ducendo in Babylonem. Iacob enim & Israel videtur accipi pro eodem, scilicet pro Iudæis. Sic Isaias c. 60. v. 15. ait: *Ponam te in superbiam*, id est magnificentiam & gloriam, *sæculorum*. Et cap. 61. 6. *In gloria eorum superbietis*, id est gloriabimini. Sic & Virgil. 1. Æneid. Vers. 2.

Hinc populum latè regem, belloq; superbum,
Venturum excidio Libyæ. Et lib. 3.

Bar-

Barbarico vectes auro spoliisq; superbi, A
id est magnifici. Vnde Syrus vertit, *quia restituit* (reducit: vox enim Syra propriè dicitur de re quæ in captiuitatem, prædam vel perditionē redacta, pristino statui restituitur) *honorem*, vel *gloriam Iacobi, sicut honorem* vel *gloriam Israelis*. Sic & Arabicus Antioch. Verùm meliùs alij passim *superbiam* hîc propriè accipiunt, idque duplici sensu. Prior est, vt superbia Iacob & Israel capiatur passiuè, pro ea quam ab Assyrijs passus est Iacob & Israel. Sic Deus vocatur noster amor, timor, spes, patientia, passiuè & obiectiuè, scilicet qui à nobis amatur, timetur, speratur, propter quem patimur. q.d. Obsideberis & vastaberis, ô Ninive, quia Deus vlcisci destinat superbiam, quam rex tuus Sennacherib, tuique Assyrij exercuerunt in Iacob, id est in Iudæos, insultando illis B
per Rabsacen; æquè ac superbiam, quam ijdem exercuerunt in Israel, id est in Samariam & decem tribus, vastando illas per Salmanasar. ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. imò & Septuag. vertunt enim, *auertit Dominus contumeliam Iacob, sicut contumeliam Israel.*

Posterior est, vt superbia Iacob & Israel propriè & actiuè capiatur, pro fastu Iudæorum & Israelitarum, quo tumentes & turgidi sibi viuere voluerunt, Deo subesse & obsequi noluerunt. q. d. Reddam in caput Niniues, puniamque & exscindam eius superbiam; quia *reddidi*, id est reddam & puniam, superbiam Iacob, id est Hierosolymæ & Iudæorum, exscindendo eos per Nabuchodonosor & Chaldæos, sicut reddidi, puniui & excidi Israelem siue decem tribus per Salmanasar & Assyrios. Si enim non parco populo meo fideli, multò minùs parcam hostibus C
meis, putà infidelibus Assyrijs; sed sicut illius superbas ceruices per Chaldæos contudi, ita & horum contundam; præsertim quia ipsi huic populo meo iniurij fuerunt, atque ad hoc tantùm ipsos ipsorumque iniurias ad tempus permisi & toleraui, vt per eas castigarem populum meum: at nunc eo satis superque castigato, Assyrijs castigatoribus vltrà non indigeo; castigabo ergo & ipsos, ac virgam, vt vulgò dicitur, in ignem conijciam. ita Clarius & Arias. Hunc esse sensum probatur Primò, quia iuxta eum propriè accipitur superbia Iacobi & Israelis. Secundò, quia eum exigunt sequentia, *Quia vastatores*, putà Chaldæi, *dissipauerunt eos*. Chaldæorum enim mox clypeos, arma, vires, ardorem, vim & impetum fusè describit à v. 3 vsque ad 8. Vnde Ara- D
bicus Alexandr. vertit, *quia Dominus contempsit Iacob secundùm contemptum Israel.*

QVIA VASTATORES DISSIPAVERVNT EOS] Primò, S. Hieron. Haymo, Hugo, Lyran. Arias & Vatabl. per *vastatores* intelligunt Assyrios. q. d. Assyrij vastarunt & dissiparunt Israelem, id est Samariam & decem tribus per regem suum Salmanasar; & Iacob, id est Ierusalem & Iudam, per Sennacherib. Secundò & melius, per *vastatores* cum Theodor. & Theophyl. accipias Chaldæos, qui vti Hierosolymam & Iudæos, ita pariter Niniuen & Assyrios vastarunt & spoliarunt. In Hebræo est pulchra paronomasia: כִּי בִקְקוּם בוֹקְקִים *ki beqaeum bokekim*, id est, *quia euacuauerunt eos euacuantes bonis*, vt vertit Pagnin. & Tigurina, *direptores diripuerunt eos*; &, vt Vatablus, *spoliatores spoliauerunt eos.* Sequitur:

ET PROPAGINES EORVM CORRVPERVNT] q. d. Sicut apri, vel hostes vastantes vineam, singulas vites, earumque propagines euellunt, dissicium & corrumpunt; ita Chaldæi vastantes Niniuen æquè ac Hierosolymam, singulas eius familias imò singulos eius ciues & incolas disperdent & corrumpent, vel occidendo eos, vel in captiuitatem abducendo. Nota. Propagines vrbium, v. Niniues, Primò, accipi possunt suburbia, pagi, oppida, quæ à metropoli deriuantur & dependent, eamque ornant, sicut propagines, siue palmites vitem. ita Chald. & Arias. Secundò, tribus & familiæ. ita Albert & Hugo. Tertiò, filij & nepotes. Quartò, messes & opes, quas de anno in annum accumulabāt Israelitæ: Assyrij enim singulis penè annis inuadebant terram Israel, eamque suis bonis, quæ accumularat, spoliabant. Hos vocat propagines corruptas, inquit Vatabl. Verùm iam dixi, hæc de Chaldæis Niniuen, æque ac Ierusalem expilantibus, non de Assyrijs, accipienda esse. Niniuitarum ergo, æquè ac Iudæorum messes & opes, vocat eorum propagines quas identidem inuasit & carpsit Nabuchodonosor. Vnde de eo subdit:

3. Clypeus fortium eius ignitus, v. exercitus in coccineis: igneæ habent currus in die præparationis eius, & agitatores consopiti sunt.

4. In itineribus conturbati sunt: quadrigæ collisæ sunt in plateis: aspectus earum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia.

5. Recordabitur fortium suorum. ruent in itineribus suis: velociter ascendent muros eius, & præparabitur vmbraculum.

6. Portæ fluuiorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum.

7. Et miles captiuus abductus est: & ancillæ eius minabātur gementes vt columbæ, murmurantes in cordibus suis.

CLYPEVS FORTIVM EIVS IGNITVS] De Chaldæis nunc loquitur in plurali, dicens: *Vastatores dissipauerunt eos*; nunc in singulari, dicens: *Clypeus*, id est clypei: quia exercitus est vnus collectus, sed multus distributiuè; multos enim continet milites, sicut ciues multi faciunt vnam ciuitatem, & multę familiæ vnum populum, ac multæ gentes vnum regnum & imperium. Respicit ad initium capitis: *Ascendit qui dispergat coram te. Ascendit*, scilicet Nabuchodonosor, eiusque exercitus. Vnde de eo, vtpote singulari, singulariter hîc ait: *Clypeus fortium eius ignitus*. q.d. Chaldæi & Medi vastatores tui, ô Niniue, clypeos habent ex ære vel aurichalco, qui solis repercussu rubei & igniti videntur, ideoque terribiles sunt & formidabiles, iuxta illud Virgilij Æneid. 10.

Terribilem cristis galeam, flammasq; vomentem,
Ardet apex capiti, cristisq; à vertice flamma
Funditur, & vastos vmbo vomit aureus ignes.

Hebr. enim est, *clypeus fortium eius* מְאָדָּם *meadam*, id est *rubeus*, vt vertit Chald. vel, vt Pagnin. *rubefactus*; Tigurina, *parma heroum illius rubet* instar ignis vel fulguris; Syrus, *clypei gigantum* (fortium) *eorum rubescunt, & viri gigantes* (fortes) *lucent.*

lampadibus ignis (ignitis) *& in curribus in die qua* A *præparantur*; Arabicus, *clypei gigantum eorum rubentes emicant, & viri gigantes contristant ignem*; Septuag. alijs punctis legentes מְאָדָם *meadam*, id est ex homine, vertunt *arma potentiæ eius ex hominibus*, nimirum quia *viri exercitus in coccineis*, vt sequitur. Graphicè Propheta hîc depingit clypeos, arma, robur, animos & impetus Chaldæorum, vt ijs percellat Niniuen & Assyrios. Primò ergo primam eorum aciem clypeis instructam hîc depingit, q.d. Primipili Chaldæorum clypeis & parmis aureis instructi castra præibunt, vt ijs omnia hostium tela & iacula excipiant: nobiles ergo erunt & generosi. Quocirca generosè & fortiter te, ô Niniue, oppugnabũt: non fugient vt ignobiles & gregarij milites; hoc enim æstimabunt sibi esse dedecus: sed malent occumbere quàm fugere, vt suum decus & gloriam tueantur. Ita B Persæ hoc bellicum celebrant axioma: *Capitale est, qui venatur famam & gloriam, oportet vt paratus sit vitam.* Inde Secundò, secundam aciem describit dicens:

VIRI EXERCITVS IN COCCINEIS] q.d. Milites Chaldæorum erunt nobiles, ideoque vestientur clypeis coccineis: coccus enim erat nobilium, imò regum vestis, vti dixi Thren. 4.5. ad illud, *Qui nutriebantur in croceis*, hebr. *in coccineis*. Vbi Tigurina vertit, *viri militares purpurati sunt*; Pagnin. *viri exercitus induti vestibus vermiculatis*. Color hic coccineus, vtpote sanguineus, repræsentat Chaldæorum feritatem, quòd sanguinolenti sint futuri, multumque in Niniue sanguinem fusuri. ita Remig. Albertus & Arias. Quorum S. Ioannes magnum illum & horribilẽ exercitum, qui in fine mundi occidet tertiam partem hominum, vidit habentem loricas igneas, hyacinthinas & sulphureas, Apoc. 9.17. Ita Romani conflicturi cum hoste, signum prælij exponebant in prætorio, tunicam russam, siue coccineam; quin & eadem induebantur milites, ihdeque russati dicebantur, vti ex Plutarcho in Fabio & in Bruto, item ex Isidoro docet Lipsius 4. de Militia Romana c. 12. Idem fecere subinde Græci. Nam Plutarch. agens de pugna Antiochi cum Cleomene: *Quiescere*, inquit, *quosdam iussit, donec à rege sublata esset punicea vestis super tentorium extensa.* Et Homerus Iliade θ. agens de Agamemnone suos ad pugnam vocante: *Purpureum tendo manu valida tollens sibi vestem.* Quocirca & milites in galeis cristas gestabant rubras, siue puniceas, appositas vtique sanguineo Marti. D Hinc Virgil. Æneid. 9. *Cristaq; tegit galea aurea rubra.* Et iterum: *Purpurei cristis iuuenes.* Diodorus item idem Hispanos factitasse docet: *Circum capita*, inquit, *galeas æreas ponunt, puniceis ornatas cristis.* De Cyri exercitu Xenophon lib. 6. Pædiæ Cyri Vomersus, inquit, *exercitus ære fulgurabat, purpura florebat ornatu.* Causam dat noster Martin. de Roa li. 1. Singul. c. 2. vt scilicet sanguis, si quis compresso vulnere esset expressus, absorberetur à cocco: tum illi confidentiùs, & sine pauore dimicarent. Hoc verius in sanguine Christi, qui nostra est purpura & coccinea vestis, ait S. Ambros. in psal. 118. serm. 17. Hic enim animas tingit ex ipsoque quasi ebibit sanguinem peccatorũ. Dixit enim *nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Quorum hic nos accendit ad acriter prœliandum cum dæmone, carne & mundo. Nil enim ita acuit animos in hostẽ, quàm acceptæ iniuriæ speciesoculis obiecta. Hæc enim dolorem oculis affert, animo iracundiam: quæ duæ in bello faces. Addit secundam c. 3. scilicet Gentiles credidisse, quòd coccinea vestis tutos præstaret in prælijs & periculis. Vnde & olim pueris Christianis funiculus coccineus ex collo suspendebatur, ad auertendum fascinum, & quæuis discrimina, vti recenset & redarguit S. Chrysost. homil. 12. in c. 4. ep. 1. ad Cor. Ægyptij quoque quotannis omnes arbores, pecora, & alia multa rubrica illinebant aduersus incendium, alia incommoda, teste Epiphanio hæres. 18. quam superstitionẽ videntur hausisse ex eo, quòd filij Israel seruati sint ab angelo percutiente, illinendo postes sanguine agni paschalis, Exodi 12. Tertiam dat li. 4. cap. 7. quòd coccineus color, siue purpureus, ad ignem accedat, igneique animi sit index & stimulus: vnde purpureum cùm dicis, purum vrentem, putà ignem, dicere videris. Purpureum igitur & rosæ colorem præsefert, & ignis splendorem. Vnde ignis à Poëtis vocatur purpureus, & purpura ignea. Symbolicam dat ibidem c. 8. quòd qui in pugnam descendunt, pro anima dimicent, quæ consistit in sanguine, quem repræsentat coccus siue purpura. Vnde Virgil. 11. Æneid.

Purpuream vomit ille animam.

Hic ergo color maximè animos facit, in hostesque commouet, quos scimus cruorem expetere, aut etiam effudisse.

Tropol. coccinei milites Christi sunt Martyres, qui sanguine suo purpurantur, eumque sanguini Christi libentes, imò gaudentes rependũt: C qua de causa Cardinales purpura vestiuntur, vt ostendãt se paratos pro Christo & Ecclesia sanguinem fundere, vti dixi Ezech. 16.10. Coccinei quoq; sunt fideles charitate flagrãtes, iuxta illud de sponsa Cant. 4.3. *Sicut vitta coccinea labia tua*, scilicet *vt sermo semper charitate ardeat, passione agni & sponsi rubeat, qui semper debet esse in corde, semper in ore, candidus & rubicundus, dulcis Iesus*, ait S. Bernard. de passione Domini cap. 31. Tertiò, igneos eorum currus ita describit:

IGNEAE HABENAE CVRRVS IN DIE PRAEPARATIONIS EIVS] *Igneæ*, id est aureæ, quæ radiante sole, fulgidæ & ignitæ videbuntur, vti antè de clypeis dixi. *Iam in ardentibus* loris & habenis, ait S. Hieron. *velocitatem præparantium significat, & quasi ἕτοιμα ζεύγνυς præparantium se ad prælium pompa narratur.*

Nota. Chaldæi, æquè ac Romani olim nobiles & milites, toti erant in armis; ac, si equites essent, in frænis & equis adornandis. Audi Iuuenal. Satyr. 11.

Argenti quod erat solis fulgebat in armis.
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phalerũ gauderet equus.

Et Virgil. Æneid. 4. de Ænea:

Atque illi stellatus iaspide fulua Ensis erat.

Et libr. 7. de equis quos Latinus rex Æneæ donauit:

Teucris iubet ordine duci
Instratos ostro alipedes, pictisq; tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Tecti auro fuluum mandunt sub dentibus aurum.

Pro *habena*, vt vertit Noster & Septuag. hebr. est פלרות *peladot*, quod per metathesin positũ pro לפידות *lappidot*, id est lampades, tedæ, faces accipiunt

piunt Chald. Tigurina, Vatabl. Pagnin. & Rabbini: vnde vertunt *currus expeditionis eius tempore erunt velut igniu lampadarũ*, vel facum. q.d. Currus falcati ipsius Nabuchodonosoris venientis oppugnatum Ierusalem, videbuntur quasi ignei, vel circumdati igne, qui excitabitur ferro rotarum celerrimè agitatarum, allisо ad saxa & silices. Hac phrasi indicat violentiam & velocitatẽ, rapidumque cursum, & quasi volatum curruum. Addunt aliqui curribus hisce annexas fuisse faces & tedas ardentes, quibus obuios & obuia comburerent, perinde ac ijsdem annexæ erant falces (ex quibus falcati vocantur) ad omnia refecandum & demetendum. Vnde Chald. vertit, *igni faces curruum eorum apparatæ sunt*. Hinc & de ijsdem subditur: *Aspectus earum quasi lampadarum, quasi fulgura discurrentia.*

A

ET AGITATORES CONSOPITI SVNT] Syrus, *equites validi obstupescunt*, q.d. Medi & Chaldæi curruum & equorum agitatores peritissimi & fortissimi, ebrietate consopiti (ita nimirum vt sopiant apprehensionem & metum prælij, non sensus & animos præliandi; sed eos potiùs vino acuant & accendant, vti fit in semiebrijs) intrepidè contra Niniuitas in prælia & arma ruent. Ita hodie videmus Cozakos, Hollandos, Hibernos, aliasque nonnullas gentes pugnaturas, vino adusto se opplere, vt audaces igneſcere, & ignem spirare videantur, itaque interritos in hostes & enses ruere. Huc pertinet expositio Sanchez, q.d. Chaldæi in gradiendo & pugnando adeò erunt ardentes & præcipites, vt furor illis & vinum omnino mentem & consilium eripuisse videatur. Pro *agitatores* hebr. est בְּרוֹשִׁים *beroſcim*, id est abietes. Vnde Vatabl. & Arias vertunt, *abietes*, id est *lanceæ & hastæ Chaldæorum abiegnæ, veneno infectæ sunt*, vt omnes perderent; Pagnin. *& abietes tremuerunt*, id est duces Assyriorum, qui sunt instar abietum, in Niniue tremore correpti sunt, dum viderent currus & equites igneos Chaldæorum, se inuadentes. Verùm Noster vertit, *agitatores*; & Septuag. *equites, qui in curribus* stantes celsi erant, duri & fortes, quasi abietes. Sic enim Pharao erectus & gloriosus comparatur abieti, cedro & platano Ezech. 31. 8. Fortè pro בְּרוֹשִׁים *beroſcim* legunt בְּרֹאשָׁם *beroſcam*, id est, in capite eorum, putà duces & ductores curruum, hoc est eorum aurigæ & agitatores. Vnde Chald. vertit, *magnates*. Hi enim sunt quasi aurigæ currus politici, id est Reipubl. Vnde Eliæ dicitur: *Pater mi, currus Israel, & auriga eius*, 4. Reg. 2. 12. Rursùm pro *consopiti sunt*, hebr. est וְהֹרְעָלוּ *horalu*, quod deriuatur à רַעַל *raal*, id est venenum mortiferum, tremor, sopor; item mitra, vel corona tremula. Quocirca *horalu* Primò, verti potest, *consopiti sunt*, vt vertit Noster. Secundò, *mitrati* vel *coronati sunt*, quasi nobiles nobilium curruum agitatores & præsides. Vnde Chald. vertit, *& magnates eorum coruscant vestibus coloratis*; Tertiò, *veneno infecti sunt*; Quartò, *tremuerunt*, vel conturbabũtur. Vnde Septuag. vertunt, *equites eorum tumultuabuntur*. q. d. Equites & aurigæ præ numero, festinatione, violentia & impetu in vijs nimis sibi angustis occurrentes tumultuabuntur, ita vt quadrigas inter se collidant. Hinc videtur, quòd hæc, æquè ac præcedẽtia & sequentia ad Chaldæos Niniuen obsidentes spectent, non ad Assyrios obsessos. nam Chaldæorum quadrigas bellicas, vti cœpit, ita pergit in sequentibus depingere.

B

Ad Assyrios tamen hæc refert S. Hieronym. Theodor. Theophyl. Remig. Hugo, Lyran. Ribera & à Castro. quasi dicat, Velociter ad vastandam Niniuen venient Chaldæi, cùm Assyrij equites antea in agitandis equis egregij & celebres, vel crapula, vel desidia, vel pauore fuerint consopiti. Hi enim propriè dicuntur consopiti; cùm Chaldæi potiùs agiles essent, veloces, & acres ad prælium. Et hoc propriè significat Hebræum *horalu*, id est soporati sunt, contremuerunt, consternati sunt, ac si venenum mortiferum bibissent. Quocirca hic sensus Assyrijs planior & germanior videtur. Nec obstat, quòd antè & pòst de Chaldæis agat Nahum: quia solent Prophetæ personas sæpè mutare, & ab vna ad aliam, quæ cum priore litem vel rem habet, transire: idque silenter & tacito nomine. Sic hîc currus & bellatores Chaldæi ex eo celebrat, quòd ad eorum præsentiam, vim & impetum Assyrij, aliàs in equorum & curruum agitatione & aurigatione illustres & famosi, corruerint, ac quasi exanimes obstupuerint, & consopiti sint. Vnde de ijsdem ait v. 13. *Succendam vsque ad fumum quadrigas tuas.*

C

IN ITINERIBVS CONTVRBATI SVNT] Assyrij scilicet, agitatores equorum & curruum, de quibus immediatè antè locutus est Nahum. Hi erant desperantes de salute, more amentium discurrebant per vrbem, scilicet Niniuen, à Chaldæis obsessam. ita Theodor. Theophyl. Vatabl. & à Castro. Melius S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. & Arias hæc referũt ad Chaldæos: hos enim currus bellicos, vim & impetum describi hosq; paulò pòst cõparat fulguribus. q.d. Chaldæorũ currus & quadrigæ tanto numero & impetu discurrent per plateas Niniues, vt sese inuicem conturbent & collidant, ac collisione scintillas flammasq; excitent. Vnde adeò erunt terribiles, celeres & violenti, vt quasi lampades igneę, hoc est ignis & fulgura discurrẽtia, esse videantur; *vt antè visu aduersarios terreant, quã mox strage prosternant*, ait S. Hieron. Pro *conturbati sunt* hebr. est יִתְהוֹלָלוּ *itholelu*, quod Pagnin. propriè vertit, *insanient*, id est instar insanorum discurrent, inquit Vatabl. Chald. *perstrepunt*; Septuag. *confundentur*; Tigurin. *tumultuabuntur*. Sic de Cneio Publio Scipionibus dixit Poëta: *Duo fulmina belli Scipiadæ*. Sic & Cherubini, milites Dei, habent se reuertebantur in similitudinẽ fulguris coruscantis, Ezech. 1. 14. Vide ibi dicta. In fulgure notatur splendor velocitati coniunctus, qui oculos perstringit, & animum vehemẽter percellit: hinc fulgur in Script. symbolũ est terroris, & rei formidabilis. Chaldæi ergo comparantur fulguribus discurrentibus imitatione splendoris, celeritatis & efficaciæ ad terrendum penetrandoque, propter cataphractos equitis Babylonici & Persici, quem Heliodorus lib. 9. Histor. Æthiop. describit, rutilantia arma, & præpetem cursum. ita Cyprianus Monachus Cistercienſis in hunc locum, & Delrio adagio 997. Denique galeæ Chaldæorum aureæ solis repercussu fulgurabant: fortè etiam in ijs fulgetra depingebantur, & magis terribiles & fulminei viderentur, iuxta illud Statij lib. 3. *Fulmine cristatum galea vibrat Secundò, aspectus eorum*, scilicet Chaldæorum, et

D

micax, ardens, fulgureus, vt ex oculis emicet A furor & ardor sæuiendi. Sic de Verre ait Cicero: *ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat.* Et Seneca in Oedip.

Ardent minaces igne truculento genæ,
Oculiq; vix se sedibus retinent suis.

Et Virgil. 10. Æneid.

His agitur furiis, totoq; ardentis ab ore
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Sanchez.

Tropolog. hæc omnia facile est adaptare Lucifero. Hic enim est noster Nabuchodonosor, hostisque fulmineus, cuius iacula ignita, vt ait Apostolus Ephes. 6. 16. sunt ardentes tentationes & concupiscentiæ, quas in carne nostra suscitat. Huius milites sunt dæmones innumeri, qui quasi fulgura discurrunt, vt homines perdant: eorum enim odio & inuidia flagrant, ideoque in B ipsorum perniciem coniurant. Quocirca S. Petrus epist. 1. c. 5. 8. *Sobrij*, inquit, *estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: cui resistite fortes in fide.* Et S. Paulus Ephes. 6. 11. *Induite*, ait, *vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* vide ibi dicta, & dicenda hic cap. 3. v. 4.

RECORDABITVR FORTIVM EIVS] Hic versus & ad obsessos Niniuitas, & ad obsidentes Chaldæos pertinere potest. Si ad obsessos, sensus erit, q. d. Ninive eiusque rex recolet & recensebit omnes suos fortissimos duces & milites, eosque mittet ad muros, vt eos propugnent, qui ad eos tanta vi & numero procurrent, vt in viis præsertim angustis, sese inuicem protrudentes & impingentes, corruant: inde ascendent muros, ibique construent vmbracula, vel, vt Septuag. *propugnacula*, vel, vt Chald. *turres*, quibus se contra C irruentes Chaldæos, vel etiam contra aëris iniurias tueantur, vt longam obsidionem sustinere possint. ita S. Hieron. Theodoret. Theophyl. Remig. Rupert. Lyran. Hugo, Clarius, à Castro & Ribera. Si ad obsidentes, sensus erit, q. d. Hostis Cyaxares, & Nabuchodonosor suos fortes milites te, ô Ninive, immittet tanta copia & impetu, vt præ festinatione & turba corruant, dum muros tuos conscendent, & inuadent; dumque parabunt & admouebunt *vmbraculum*, id est testudinem, qua per arietem immissum & impulsum in muros, eos quatient & deiicient. Qui enim agebant arietem, delitescebant sub D testudine, suffodientes muros vrbium. ita Vatabl. & R. Dauid. Erat enim testudo machina bellica hac forma: materia tabulatis erat contexta, & coriis cilicinis, aut centonibus, & aliis quæ difficulter comburi possunt, contecta. Hæc intrinsecus habebat trabem, quæ vnco præfigebatur ferreo, & falx vocabatur ab eo quòd incuruata esset, & de muro extraheret lapides. Retro enim ducebatur trabs funiculis suspensa (quæ aries dicebatur) vt reducta impetuosius feriret: ideoque & testudo dicta à similitudine reptilis, quòd caput nunc exerat, nunc reducat. Reptile autem hoc vocatur testudo, à tecto quo se contegit & includit, ait Varro. Hinc Silius lib. 1.

Tandem condensis arctæ testudinis armis,
Subducto Pœni vallo, cæcaq; latebra,
Pandunt prolapsam suffossis mœnibus vrbem.

Hæc testudo dicebatur arietaria, eò quòd arietem contineret, & vibraret in mœnia. ita Procopius l. 1. de Bello Gothico, & noster Valtrinus lib. 5. de Re militari c. 6. Erat enim alia testudo militaris, facilis & vulgaris, nimirum continuata à militibus condensatis, scutorum super caput eleuatorum series, curuata in formam testudinis, qua tecti illæsi à iaculis hostium subibant muros, eosque vel suffodiebant, vel scandebant. Testudo enim erat quasi scala, qua milites inuadentes vrbem, eleuabantur, & conscendebant arces & mœnia.

Mysticè, testudo nostra est prouidentia Dei, eiusque fides, spes & confidentia. hæc enim nos protegit, & illæsos ab omni hoste & periculo conseruat; imò arietes & tela in hostes nostros contorquet, quibus eos prosternit. Vnde Psaltes psal. 90. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* lege psalmum, qui totus est de hac re. In hac testudine sedens Dauid, fidenter proclamat psal. 26. 1. *Dominus illuminatio mea, & salus mea; quem timebo? Dominus protector vitæ meæ; à quo trepidabo? si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* *Mystice testudo sancti est Dei prouidentia.*

PORTÆ FLVVIORVM APERTÆ SVNT] q. d. Portæ Niniues, quæ ducunt ad Tigrim, eius eluuione & hostium irruptione, apertæ sunt. ita Clarius, Vatabl. Dionys. & Chald. qui vertit, *fontes fluuiorum excisi sunt.* Vnde mox Niniuen vocat Propheta Piscinam aquarum. Vide quæ de hac Tigris in Niniuen exundatione, dixi c. 1. 8. Symbolicè, portæ Niniues, vocantur *portæ fluuiorum*, id est populorum, quia immensam infundebant ciuium copiam. Sic Apocal. 17. 15. aquæ multæ vocantur populi multi. Vnde Septuag. vertunt, *portæ ciuitatum apertæ sunt*: ciuitates enim abundant populo. ita S. Hieron. Theodor. Theophyl. Rupert. Remig. & Lyran. Secundò, Sanchez per fluuios metaphoricè accipit copias Chaldæorum, quæ muris Niniues quasi aggeribus cohibitæ, iis vi perruptis, vrbem inundarunt & vastarunt. VERS. 6.

ET TEMPLVM AD SOLVM DIRVTVM est] Templum scilicet Nesroch, opibus & fama celebre, ait Lyran. in quo Sennacherib adorans, à filiis suis occisus est. Hebr est הֵיכָל *hechal*, id est basilica, palatium, domus augusta, templum. Vnde Septuag. vertunt, *regalia*, id est regiæ ædes, *concidentur*; Chald. *rex in palatio suo contremuit*; Tigurina, *palatium dissolutum est.* Eôdem res redit. Nam in palatiis reges habebant sua deorum tutelarium templa, vti Romani in Capitolio habebant templum Iouis Capitolini, Troiani in arce habebant templum Palladis, eiusque imaginem, quam Palladium nuncupabant. Idem fecit Constantinus Imper. cùm in Laterano palatio suo, ædificauit basilicam Lateranensem. Idem etiamnum faciunt reges & principes, vti videre est in eorum aulis.

ET MILES CAPTIVVS ABDVCTVS EST] Legit interpres הַצָּב *hatsab*, id est stans, consistens, putà miles statarius & præsidiarius pro vallo in statione consistens, vt Niniuen contra Chaldæos propugnaret, à Chaldæis captus & abductus est. VERS. 7.

ita S.Hieron.Rupert. Remig.Haymo & Lyran. A Secundò, *hatsab* idem est quod statio, substantia, subsistentia. Vnde Septuag. vertunt, *& substantia reuelata est*. q.d. Chaldæi diripuerunt substantiam & opes Niniues. Iam pro *hatsab*, alio puncto legunt passiuè in *hophal* הֻצַּב *hutsab*, id est statuta, constituta, scilicet vel arx; vnde Arias & Tigurina vertunt, *& munitio eius firmissima denudata est atque sublata*: vel vxor regis, siue regina quæ astare solet regi; vnde Chald. vertit, *& regina qua sedebat assistens, in captiuitatem abiit, & ancillæ eius abductæ post eam incedebant gementes, sicut columbæ.* ita Hebræi. Vnde Pagnin. Hebræum nomen *hutsab* quasi proprium reginæ retinuit, vertitque, *& Hutsab regina captiua ducta est, currum ipsa est ascendere.*

ET ANCILLÆ EIVS MINABANTVR] q.d. Virgi- B nes & matronæ Niniues, olim nobiles, nunc captiuæ, quasi ancillæ & mancipia, imò quasi pecudes, minantur à Chaldæis, trahunturque in seruitutem, quæ eorum pauore eiulare non audent: sed quasi columbæ secretò gemunt, & murmurant in corde. Symbolicè S. Hieron. Rupert. & Remig. per ancillas accipiunt oppida, quæ Niniuæ metropoli erant subiecta, eiq; quasi ancillæ seruiebant, quæ omnia cepit, vastauit & captiuauit Nabuchodonosor. Aliter Sanchez, qui hæc arctat ad milites custodes templi, de quo proximè præcessit, ac consequenter per ancillas accipit feminas religiosas quæ se templo dicarant, vt Dei sui cultum, sacra & nitorem curarent. Sic apud Iudæos sacris Priapi turpissimis C dicatæ erant feminæ, quibus præerat mater regis Asa, 3.Reg.15.13. Sic apud Babylonios, Cyprios, Phœnices, &c. erant feminæ Veneri dicatæ, vt ostendi Baruch 6.42. Verùm obstat, quod pro *eius* hebr. sit pronomen femininum, quod vtique Niniuen, non templum, refert & respicit, vti rectè aduertit ipse Sanchez, qui proinde tandem hanc expositionem deserit.

8. Et Niniue quasi piscina aquarum aquæ eius: ipsi verò fugerunt: state, state, & non est qui reuertatur.

9. Diripite argentum, diripite aurum: & non est finis diuitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus.

10. Dissipata est, & scissa, & dilacerata: & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus: D & facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.

11. Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum, ad quam iuit leo vt ingrederetur illuc, catulus leonis, & non est qui exterreat?

12. Leo cepit sufficienter catulis suis, & necauit leænis suis: & impleuit præda speluncas suas, & cubile suum rapina.

13. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & succendam vsque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius: & exterminabo de terra prædam tuam, & non audietur vltrà vox nuntiorum tuorum.

ET NINIVE QVASI PISCINA AQVARVM AQVÆ EIVS] Legit interpres מֵימֶיהָ *meme* geminatè, id est *aquæ*; sic & Septuag. Iam legunt מִימֵי *mime*, id est *à diebus*, scilicet antiquis, id est ab olim, suppl. fuit, ita Chald. Hebræi, Vatabl. Pagnin. & Syr. qui vertit, *Niniue quasi lacus* (stagnum) *est aquarum, & inter aquas est*. Sic & Arabicus. Per aquas ad litteram intelliguntur fluctus Tigris, qui Niniuen inundabant, vt viderentur esse piscina vel palus. q.d. Tigris non est tutatus Niniuen, sed potiùs eam obruit, & tradidit hosti: Tigris enim, vel, vt alij, Euphrates (Tigri enim adiacet Niniue, sed nec longè ab ea aberat Euphrates; vnde in agros Niniues stagnare poterat) magnis & diuturnis imbribus tumens, effractis cataractis effusus Niniuen inundauit. Cum pluuiis conspirarunt Austri in aduersas Aquilonaris Caucasi niues, quibus liquefactis exuberans amnis, Niniues muros strauit, stagnauit vrbem, templum ac regiam euertit. Addunt alij ex Herodoto libr. 1. & Diodoro Siculo lib. 3. Niniuen loco humido & paludoso sitam fuisse, ideoque procreasse ciues debiles, languidos & lentos, qui vrbem tutari non valerent. Symbolicè Niniue erat piscina aquarum, id est plena aquis, id est populis. Vrbes enim comparat piscinæ, ciues aquis; sicut ergo piscina abundat aquis, ita Niniue incolis. q.d. Niniue aluit turbam hominum, sed imbellem & inutilem: nam obsidente eam Chaldæo, inclamauit opem & tutelam eorum; *ipsi verò fugerunt*: & licet ipsa vociferans ad rauim, iterumque eos fuga reuocaret, & vociferatur, *State, state*, vt se defendatis, & resistatis Chaldæo; frustra tamen id fecit: nam *non est qui reuertatur* à fuga, vt hostem opponat, & pro muris consistat ac dimicet. ita S. Hieron. Theodor. Theophyl. Remig. Hugo, Lyran. & Vatabl. Denique aquæ significant copiam opum, quæ in Niniuen influebant, sicut aquæ in piscinam influunt. Vnde de iis subdit: *Diripite argentum, diripite aurum, & non est finis diuitiarum*. ita Rupert. & Vatabl.

STATE, STATE] Sunt verba Niniues, id est principum Niniues, qui suis fugientibus inclamant vt stent, & resistant hosti, vti iam dixi: licet alij censeant esse verba Chaldæorum, irridentium & prouocantium Niniuitas ad conflictum, & de more dicentium: *State, state*, ac nobiscum confligite.

DIRIPITE ARGENTVM] Est vox Medorum & Chaldæorum, qui fugientibus Assyriis, capto Niniue, inuicem cohortantur ad eius expilationem, vt prædam ex ea diripiant & efferant. Vides hîc quàm crebrò mutentur personæ: nunc enim loquitur Niniue, nunc Chaldæi, nunc Propheta, nunc Deus. Est enim quasi dialogismus. ita Vatabl. Licet alij censeant esse hic vocem Prophetæ ad Chaldæos, qua eos hortetur, vt Niniuen à ciuibus fugientibus desertam expilent. ita Dionys. Vatabl. & Arias. Alij denique censent esse vocem Niniues, se suasque opes à ciuibus desertas dedentis Chaldæo. q.d. O Chaldæi rapite aurum meorum ciuium ignauorum, quia ipsi illud retinere & possidere non merentur nec valent, aut possunt. Causam, vel potiùs illecebram huius expilationis assignant Chaldæi, dum subdunt:

ET NON EST FINIS DIVITIARVM] Hebr. *ein vau*, id est *&*, capitur pro *quia*. q.d. Eia socij, rapite

rapite aurum, vasa & opes, quas Niniue ab aliis gentibus rapuit, & in se coaceruauit: quia vasa hæc & opes, sunt pulcherrimæ & pretiosissimæ, atque aeplurimæ & innumeræ; ideoque summè desiderabiles. Hebr. additur כָּבוֹד *cabod*, id est gloria, vel pondus & onus. Vnde Septuag. vertunt, *aggrauata sunt super omnia vasa concupiscentiæ suæ*, id est, vt Tigurina vertit, *onusta est rebus quibusque charissimis*, quanto enim plus habebat auri, quod graue est, *tanto magis ipsa aggrauabatur, quæ grauia allegbat*, ait S. Hieron. *Vnde & iniquitas, Zachar. 5. sedet talentum plumbi sedet, & Aegyptij qui erant pondere graues, demersi sunt in mare vt plumbum. Et in persona peccatoris dicitur psal. 37. Sicut onus graue grauata sunt super me*: Vatabl. verò vertit, *gloria auri omni supellectile desiderabili*, id est, supellex pretiosa (hanc enim vocat gloriam) est maior, si pretiosior omni re desiderabili. q.d. *Supellex auri pretiosior est omni alia supellectile*, quantumuis pretiosa & concupiscibili, vt vertit Pagnin. In Ecclesiaste verum fuit illud Eccles. 5. 12. *Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub sole: diuitiæ conseruatæ in malum domini sui.* Vnde

Moral. Discę hîc, quàm aurum sit vanum, & malignum cui homo cor apponat; imò noxium, eo quod hostes allexerit ad excidium Niniues, vt scilicet eius aurum raperent. Quocirca Lacedæmonij aurum oderant, illudque abiiciebant, ne scilicet esset noxæ. Audi memorabile quod de iis scribit Solinus Polyhist. c. 36. ipse ait, *Babytace oppidum centum triginta quinque millibus passuum distat, in quo mortales vniuersi ferro aurum coëmunt hoc genus metalli, & abiiciunt in terrarum profunda, ne polluti eius vsu, auaritiâ corrumpant aquitatem.* Idem totidem penè verbis describit Plinius lib. 6. cap. 27. qui & lib 33. cap. 1. *Vtinam*, ait, *posset è vita in totum abdicari auri sacra fames, vt celeberrimi auctores dixere, publicis conuiciis ab optimis quibusque, & ad pernitiem vitæ repertum: quantum feliciore ævo, cùm res permutatæ inter se, sicut & Troianis temporibus factum, Homero credi conuenit.* Et mox: *Peßimum inuentum fecit, qui annulum primus induit.* addit de Romanos olim annulo vsus, non aureo, sed ferreo; idque etiamnum factitare Lacedæmonios. Et inferiùs: *Romæ*, ait, *non fuit aurum, nisi exiguum, longo tempore. Certè cùm à Gallis capta vrbe restitueretur, non plusquam mille pondo effici potuere.* Idem lib. 33. c. 3. *Seruius rex*, inquit *primus signauit aes* (nam antè rudi ære vtebantur) *signatum est pecus appellatum: vnde & pecunia appellata. Argentum signatum est anno Vrbis D. octogesimo quinto, Q. Fabio Cons. quinque annis ante primum bellum Punicum. Aureus nummus post annum sexagesimum secundum percussus est, quàm argenteus.* Et mox: *A Gallis prima est origo auaritiæ excogitata. Rex Mediolani Aquilodunis capto aurum in os infudit. Hæc habendi cupido. Pudet intuentem tantùm nouarum illa, quæ subinde noua Græco sermone excogitantur, expresso argenteis vasis auro, aut incluso, quibus delicijs veneunt tam aurea quàm aurata, cùm Lacedæmonem interdixisse castris suis Spartacum, ne quis aurum haberet aut argentum. Tanto plus animi fuit fugitiuo nostro.* Simile de Medis scribit Isaias c. 13. *Ecce*, inquit, *suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint.* Argutè Philosophus ille interrogatus, *cur palleret aurum*, respondit: *Ex metu; quia omnes ei insidiantur.* Præclarè S. Bernard. serm. 4 in Aduentu: *Filij Adam*, ait, *genus auarum & ambitiosum audite. Quid vobis cum terrenis diuitiis, & gloria temporali, quæ nec vera nec vestra sunt? Aurum & argentum nónne terra est rubra & alba, quam solus hominum error facit (aut magis reputat) pretiosam. Denique si vestra sunt hæc, tollite ea vobiscum. Sed homo cùm interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Veræ ergo diuitiæ, non opes sunt, sed virtutes, quas si cum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat.*

Scribit b. Thomas Morus in Vtopiæ republ. felici, aurum non æstimari. Sic enim ait lib. 2. Vtopiæ: *Aurum argentumq; à nullo plurìs æstimatur, quàm rerum ipsarum natura meretur, qua quis non videt quàm longè infra ferrum sunt? vt sine quo non magis quàm absque igni atque aqua viuere mortales queant, cùm interim auro argentoq; nullum vsum, quo non facilè careamus, natura tribuerit, nisi hominum stultitia pretium raritati fecisset.* Subdit deinde, eos, vt suis contemptum auri iniiciant, in eius contumeliam, ex auro matulas & sordidissima vasa conficere, item catenas & crassas compedes, quibus seruos coërcent. *Postremò*, inquit, *quoscumque aliquod crimen infames facit, ab horum auribus annuli dependent aurei, digitos aurum cingit, aurea torques ambit collum, & caput denique auro vincitur. Margaritis & gemmis ornant infantulos, qui, vbi plusculum accreuit ætatis, cùm animaduertunt eiusmodi nugis non nisi pueros vti, nullo parentum monitu, sed suomet ipsorum pudore deponunt.* Subdit deinde facetam narrationem de legatis aliarum gentium in Vtopiam ingressis, quorum gemmatæ aureæque vestes, torques, annuli, &c. *apud Vtopienses aut seruorum supplicia, aut infamium dedecora, aut puerorum nugamenta fuere. Quocirca infimum quemque pro dominis reuerenter salutantes, legatos ipsos ex aurearum catenarum vsu pro seruis habitos, sine vllo prorsus honore prætermiserunt. Quin pueros quoque vidisses, qui gemmas ac margaritas abiecerant, vbi in legatorum pileis affixas conspexerunt, compellare matrem ac latius fodere: En mater, quàm magnus nebulo margaritis adhuc & gemmulis vtitur, ac si esset paruulus! At parens serò etiam illa: Tace, inquit, fili; est opinor quisquam de morionibus legatorum.* Causam subiicit: *Mirantur illi siquidem quemquam esse mortalium, quem exiguæ gemmulæ aut lapilli dubius oblectet fulgor; cui quidem stellam aliquam, atque ipsum denique solem liceat intueri; aut quemquam tam insanum esse, vt nobilior ipse sibi ob tenuioris lanæ filum videatur; siquidem hanc ipsam ouis olim gestauit, nec aliud tamen interim quàm ouis fuit. Mirantur item aurum suapte natura tam inutile, nunc vbique gentium æstimari tanti, vt homo ipse, per quem, atque adeò in cuius vsum id pretij obtinuit, minoris multò quàm aurum ipsum æstimetur; vsque adeò vt plumbeus quispiam, & cui non plus ingenij sit quàm stipiti, nec minùs etiam improbus quàm stultus, multos tamen, & sapientes & bonos viros in seruitute habeat, ob id dumtaxat, quòd ei magnus contigit aureorum numismatum cumulus; quem si fortuna, aut aliqua legum stropha ab hero illo ad abiectissimum totius familiæ suæ nebulonem transtulerit, fit vt paulò pòst in famuli sui famulitium concedat, velut appendix additamentum numismatum.* Hæc Morus, non μῶρος, sed σόφος, ideoque Angliæ Cancellarius & Martyr, in sua illa Republ. non Platonica, sed Christiana. Si Vtopiæ indigenæ tam vili æstimāt aurum, multò magis Vraniæ cælique ciues, illud

& cæteras opes pro luto habent, inquit S. Theodisus in Epitaph. sanct. lib. 2. c. 4. Soli ciues Babylonis & Ægypti qui ex luto & paleis ciuitates exstruunt, illud in pretio & deliciis habent. Quid enim sunt vniones, nisi excrementa concharum? quid gemmæ, nisi lapides minores & subtiliores? quid purpura, nisi sanguis fœdi pisciculi? quid coccus, nisi sanguis vermiculi? quid byssus, nisi fila & tela bombycum, horridorum inquam vermium? Sapienter Venantius Fortunatus: *Pauper in angusto regnat, habendo Deum.* Et S. Paulinus Nolæ Episcopus, captus à Wandalis: *Domine*, ait, *non excrucier propter aurum & argentum; vbi enim mea omnia sint, tu nosti*, vti refert S. August. lib. 1. de Ciuit. 10.

VERS. 10. DISSIPATA est (Niniue à Medis & Chaldæis) ET SCISSA, ET DILACERATA] In Hebræo est elegans & neruosa paronomasia בוקה ומבוקה ומבולקה *buka vmebuka vmebulaka*, id est *vacuitas, & euacuatio, & laceratio* est illi. q. d. Planè opibus & incolis suis euacuata est Niniue, ac muris & domibus dilacerata. ita Tigurina, Vatabl. Pagnin. Hinc Septuag. vertunt, *concussio, & excussio, & ebullitio*; Chald. *direpta, expilata, & aperta est porta inimico.* Porrò ebullitio græcè ἐκβράσμος dicitur, ait S. Hieron. cùm quod intrinsecus latebat, erumpit in faciem. Vnde papulæ quoque, quæ post ægrotationem nascuntur in labiis, dicuntur ἐκβράσματα, & sanitatis videtur indicium. Hoc ergo quasi remedium adhibetur Niniuæ ægrotanti, vt malum internum latens in vitalibus, foras ebulliat, vt excutiatur, vexetur & affligatur crebrò. Non solùm autem hoc remedium datur, sed & cordis confractio, & dissolutio genuum, vt durum & lapideum Niniues cor fractum emolliatur, & rigida genua quæ priùs Deo non curuabantur, dissoluantur & flectantur Deo, ac in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum. Hæc S. Hieron.

COR TABESCENS] Hebr. *cor liquefactum.* ita Chald. Pagnin. & Vatabl. sicut enim cera admota igni liquescit & tabescit; ita & cor admotum vehementi angustiæ, dolori & pauori velut liquescens tabescit, concidit, & quasi confringitur, vt vertunt Septuag. Hæc spectant ad ciues, sicut priora ad ipsam ciuitatem. Porrò ex hoc cordis dereliquio, quasi ex fontis obstructione, naturaliter sequitur Primò, *dissolutio geniculorum*; Tigurina, *tremor genuum.* Pagnin. & Vatabl. *collisio genuum*: corde enim fatiscente, fatiscunt spiritus vitales & animales, qui à corde ad genua transmittuntur, vt ea roborent ad sustinendum corpus, & ad ambulandum: subductis autem, vel languescentibus spiritibus genua languescunt, & tremunt, & inter se colliduntur ex trepidatione. Secundò, sequitur *defectio in cunctis renibus*; Tigurina, *ægritudo in omnium lumbis.* In renibus ergo, id est in lumbis duobus, quibus subsunt duo renes. Lumbi enim carnei sunt, & quinque vertebras sacræ spinæ infernè vtrimque complectuntur, à qua spina nerui, musculi & spiritus motiui per eius medullam deriuantur ad totum corpus. Si vertebræ hæ dissoluantur, aut lædantur, & contrahantur, aut impediantur, vti fit in timore & pauore, clumbis & infirmus fit homo. ita Ribera. Hinc in renibus & lumbis consistit magna pars virium & roboris hominis, vti dixi v. 1. Tertiò, sequitur: *Et facies omnium eorum sicut nigredo ollæ*; Hebr. *contraxerunt ollam*, id est, vt Tigurina, *ollæ speciem*, colorem & fuliginem. Chald. *omnes vultus operientur nigredine, instar ollæ denigratæ*; Septuag. *sicut adustio ollæ*: facies enim destituta cordis influxu & spiritibus, expallescit & nigrescit, vti videre est in iis qui suffocantur, vel suspenduntur. vide dicta Ioëlis 2. 6. Mystice Rupert. Olla atra, inquit, est diabolus & omnes qui in eo spem reponunt, qui tandem similes fient illi quem coluerunt, dum in ollam vsque in gehennam, putà in gehennam, detrudentur, fientque aterrimi tam corpore quàm mente.

VBI EST HABITACVLVM LEONVM?] Tigurina, *vbi est lustrum leonum*? id est, vbi est Niniue, quæ erat quasi spelunca leonum, id est regia prædonum & tyrannorum? q. d. Deserta est, euersa et periit, interiit. Reges Assyriorum comparat leonibus; Niniuen lustro; filios & principes eorum leunculis, ob eorum fortitudinem, crudelitatem & rapacitatem. Ipsi enim quasi leones venabantur & expilabant omnes gentes, earumque opes & prædas conuehebant in Niniuen, ibique inter filios, vxores & principes distribuebant, vt patet 4. Reg. 19. 11. ita S. Hieron. Remig. Haymo, Theophyl. Lyran. Clarius, Arias & Vatabl. Sic Ezechiel c. 19. 1. & sequent. Ierusalem vocat leænam, leunculos verò vocat reges eius omnes, putà Ioachas, Ioakim, Ioachin, & Sedeciam filios Iosiæ. Sic Ierem. c. 4. 7. Nabuchodonosorem vocat leonem: *Ascendit*, inquit, *leo de cubili suo, & prædo gentium se leuauit: egressus est de loco suo vt ponat terram tuam in solitudinem.* Est sarcasmus vel potiùs emphatica admiratio. Irridet enim, vel potiùs miratur, & aliis admirandum proponit horrendum excidium inclytæ illius Niniues & tyrannorum eius, vt illius exemplo percellantur, caueantque à fastu & spolio leonino, vtpote quem exisam audiunt videntque Niniuen. Simili schemate ait Baruch c. 3. 16. *Vbi sunt principes gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in auibus cæli ludunt? qui argentum thesaurizant & aurum? &c. exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, & alij eorum loco surrexerunt.* Et Isaias de Babylone cap. 14. 4. *Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione plaga insanabili, subiicientem in furore gentes, persequentem crudeliter.* (nónne hæc fuit spelunca leonum?) *Conquieuit & siluit omnis terra, gauisa est & exultauit*, dum vidit excisum Cyro Babylonem, virgam suam tyrannicam. Pari modo Niniue hîc vocatur *habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum*, id est sedes tyrannorum, eorumque filiorum. *pascua* enim est nomen femininum singularis numeri, vti ostendi Ioël. 1. 18. Vnde de ea subdit:

AD QVAM (scilicet pascuam catulorum leonum, putà ad Niniuen) IVIT LEO VT INGREDERETVR ILLVC CATVLVS, id est catuli, LEONIS, ET NON EST QVI EXTERREAT] q. d. Vbi est illa diues & speciosa Niniue, in qua quasi in pascuis vberrimis pascebantur reges eorumque filij spoliis & prædis, quas diripuerant ab omnibus prouinciis & gentibus? Vbi sunt eius reges & tyranni, eorumque filij & principes, qui quasi leones & leonum catuli in Niniue, quasi in spelæo inexpugnabili, suis viribus & opibus præfidentes secure degebant

ghant, vt nemo eos inuadere auderet, nemo eorum aut metum eis incutere valeret? q. d. Ilium perijt, periit, euanuit; fuit Ilium & ingens gloria Teucrorum; fuit Nina & ingens gloria Assyriorum. ita Theodor. Theophyl. Lyran. Clarius, Arias & Vatabl. Ex aduerso tamen S. Hieronymus cum suis asseclis, Remigio, Haymone & alijs per leonem intelligit Nabuchodonosorem, qui instar leo inuasit leones Assyrios, eorumque regnum, scilicet Niniuen, adeò validè & horrendum vt nemo eum deterrere, nemo se ei opponere auderet. Verùm omnia præcedentia & sequentia spectant ad Assyrios, non ad Chaldæos. Tametsi quòd leones nō soleant alios leones, eorumque antra inuadere & prædari: sed tauros, boues, equos, aliasque bestias & feras specie à se diuersas, fatèr is est de lupis: lupus enim in fame suum deuorat. Vnde adagium: *Homo homini lupus.* Quare prior sensus germanior videtur.

Moraliter, vide hic celeres & miserabiles tyrannorum, regum & regnorum ortus & occasus. Vbi est gloria illa Niniues? vbi superba Babylon? vbi illa inclyta Roma? Præclarè Ouid. lib. 15. Metamorph.

Sunt humilis veteres tantummodò Troia ruinæ,
Et opes diuitiis tumulos effendit auorum.
Clara fuit Sparte: magnæ viguere Mycenæ.
Fit solum Sparte est: altæ cecidere Mycenæ.
Quid Thebæ Pandionia nisi nomina Thebæ?
Quid Pandionia restant, nisi nomen Athenæ?

LEO CEPIT SVFFICIENTER CATVLIS SVIS rapiendis, ET NEGAVIT LEÆNIS SVIS] Tigurina, *strangulauit*; Pagnin. *suffocauit leænis suis.* Solent enim leones strangulare animalia, eaque discerpere & distribuere suis catulis & leænis. Leo est rex Assyriorum, catuli sunt filij, leænæ sunt vxores & concubinæ, quos ex spoliis gentium ditabat ornabat rex. Ita Cicero actione 5. in Verrem: *Solent barbari reges Persarum & Syriæ* (sub quibus Assyrios & Chaldæos intellige) *multos habere: iis autem vxoribus ciuitates ornare hoc modo: Hæc ciuitas mulieri in redimicula detur, hæc in collum, hæc in crines. Ita populos omnes vniuersos non solùm conscios libidinis suæ, verùm etiam administros.* Sic Antiochus rex Syriæ dedit illustres ciuitates donauit concubinæ suæ, 2. Machab. 4. 30.

ECCE EGO AD TE] ô spelunca leonum, ô Niniue, veniam, vt te per Chaldæos debellem, puniam & euertam. Vnde Tigurina vertit, *en me ad te, dicit Dominus.*

INCENDAM VSQVE AD FVMVM QVADRIGAS TVAS] Pagnin. & Vatabl. *succendam igne fumante*, id est igne fumo permisto, *quadrigas eius*, id est tuas. est enallage personæ. q. d. Niniuen, eiusque quadrigas succendam, omniaque in fumum & flammam conuertam. Alludit ad venatores, qui ad spelæa leonum & ferarum struunt ignes, fumumque ingentem excitant, quo eogunt feras, earumque catulos ne fumo suffocentur egredi, atque egressos venabulis excipiunt & confodiunt. ita Theodoret. & Theophyl. Addunt Doroth. & Epiphan. in vita Nahum, ignem hunc de terra & solitudine ortum, inuasisse & concremasse Niniuen. vti dixi in Prooemio. Septuag. pro ב legentes ei affine ב, putà pro רִבְבָה *richba*, id est quadrigas eius, legētes רִבְבָה *ribba*, vertunt, *succendam in fumo multitudinem tuam:* radix enim רָבַב *rabab*, vel *rab* significat multiplicari & esse multum. Vnde *rab* & *rabbi*, id est multus, hoc est magnus, scilicet Doctor, vel Prælatus.

EXTERMINABO DE TERRA PRÆDAM TVAM] Tigurina *laceratiouem auertam à terra.* q. d. Non prædaberis vltrà. ita Vatabl.

ET NON AVDIETVR VLTRA VOX NVNCIORVM TVORVM] quos, ô Niniue, mittere solebas ad vrbes, postulans ab eis vel deditionem, vti misisti Rabsacen Hierosolymam, qui eam regi Sennacherib dedi efflagitauit, Isaiæ 36. 1. ita S. Hieron. & Theophyl. Vel tributa ab eis pendi solita, aut noua onera quæ eis imponebas, quibus eas expilabas. ita Remig. Albert. & Hugo. Septuag. pro מַלְאָכֶיךָ *malachecha*, id est *nuncios tuos*, aliis punctis legentes מַלְאַכְתֵּךְ *melachechа*, id est *opera tua*, vertunt *non audientur vltrà opera tua.*

Symbolicè, incendium & excidium Niniues, repræsentat incendium & excidium mundi sub diem iudicij, quod sub nomine Babylonis mysticè describit S. Iohannes Apoc. 17. *Mundus* enim hic, vt aiebat Philosophus, *non est aliud quàm forum impostorum, scrinium dolorum, scholа vanitatis, lustrum tyrannorum, spelæum latronum & iniquorum*, in quo potentes diripiunt pauperes & simplices. Sicut ergo Niniue punita fuit incendio, sic & mundus igne conflagrationis expiabitur, iuxta illud: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, psal. 96. 3. Illo ergo igne comburentur omnes leones & leunculi, id est omnes tyranni, raptores & iniqui, omnesque eorum nuncij, quadrigæ, & pompæ, ac imprimis eorum dux & princeps Antichristus, inquit S. Hieron.

Excidium Niniues typus est excidij mundi.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Describit currus, equites, micantes gladios, fulgurantes hastas Chaldæorum describere, quibus conficient Niniuen meretricem, ob eius cædes, rapinas & maleficia. Deinde v. 8. confert eam cum Alexandria, in frequentia, robore, opibus, aitq;. Sicut illa capta est à Chaldæis, ita capta & tu ô Niniue. Denique v. 12. docet quòd Deus omnes eius munitiones debilitabit & dissipet, quodq; duces eius & milites erunt ignaui, imbelles & pauidi quasi mulieres; quodq; mercatores & merces ab ea auolabunt, sicut bruchus & locustæ incalescente sole auolant.

VÆ ciuitas sanguinum, vniuersa mendacij dilaceratione plena: non recedet à te rapina.

2. Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendentis,

3. & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ: nec est finis cadauerum, & corruent in corporibus suis.

4. Propter multitudinem fornicationum meretricis speciosæ, & gratæ, & habentis maleficia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis, & familias in maleficiis suis:

5. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam Gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam.

6. Et proiiciam super te abominationes, & contumeliis te afficiam, & ponam te in exemplum.

7. Et erit: omnis, qui viderit te, resiliet à te, & dicet: Vastata est Niniue: quis commouebit super te caput? vnde quæram consolatorem tibi?

VERS. 1. VÆ, scilicet tibi, ô CIVITAS SANGVINVM] ô Niniue sanguinaria, quæ omnium gentium sanguinem fudisti, vt eas tibi subiiceres. Vnde Chald vertit, *væ ciuitati sanguinum.* ita Theoph. Haymo, Rupert. Hugo & Lyran Posset Secundò vox *sanguinum*, accipi pro *scelerum*. q.d. Væ tibi ô ciuitas scelerata, omnibus criminibus plena & cooperta; quia enim sanguinis effusio, putà homicidium, grauissimum est scelus in proximum, hinc quodlibet enorme crimen vocatur *sanguis*, id est sanguinis effusio, per synecdochen, qua pars pro toto; vel per catachresin, qua simile pro simili ponitur. Vnde Syrus & Arabicus vertunt, *væ ciuitati sanguinum, quæ tota est mendacium, & plena iniquitate.* Dat causas excidij Niniues, cur scilicet Deus ab ea transtulerit monarchiam in Babylonem. Prima est, cædes iniustæ, cæque plurimæ. Secunda, quòd sit *vniuersa mendacij*, id est, vt Septuag. *tota mendax*; Tigurina, *in vniuersum plena mendacio*. q.d. *In Niniue nulla est veritas, sed omne mendacium*, ait S. Hieron. quia regnat in ea omnis dolus & fraus. Tertia, quòd sit *dilaceratione plena*, id est, plena rapina & laceratione prædarum. Vnde vertit Aquila, *excruciatione plena*; Symmachus, δεσποτείας, id est *crudelitate* vel *seueritate plena. In altera eius editione*, ait S. Hieron. *reperi μελοντοπίας πλήρης, id est, sectionibus carnium, & fruſtis per membra concisis plena. denique statim subiecit: Vbi indefinens præda est.* q.d. Niniue repleta est rapinis, sicut lustra leonum plena sunt membris & ossibus animalium ab eis laceratorum & deuoratorum. Hisce enim comparauit Niniuen c. 2. 11. vbi eam vocauit *habitaculum leonum.* Subdit S. Hieron. *Porrò Hebræus* (S. Hieron. in Hebræa lingua magister) פֶּרֶק *perec, gubernaculum, id est κυβερνισμὸν, interpretatus est, vt ostenderet & vrbem fuisse regalem, & velut in naui cunctarum gentium tenuisse gubernaculum.*

Symb. Niniue scelerata est mundus in maligno positus.

Symbolicè, Niniue speciosa est, & speciosus hic mundus, qui græcè κόσμος à specie & ornatu dicitur. Hic enim totus in maligno positus, plenus est, pleniorque erit in fine, sub diem iudicij (ideoque tunc euertetur & concremabitur) sanguinibus, id est cædibus & sceleribus, æquè ac mendaciis, dolis & fraudibus; item calumniis, rapinis, omnique violentia, qua proximorum famam, vel bona, vel corpus vitamque dilacerat ita S. Hieron.

NON RECEDET (id est, numquam recedet A TE RAPINA] q.d. Niniue tota est rapinis intenta; futura enim Hebræorum sæpè actionis continuationem, morem, consuetudinem & perpetuitatem significant.

VOX FLAGELLI] S. Hieron. cum Remigio, Alberto, aliisque suis assecl is pergit hæc accipere de Niniue & Assyriis, quasi hic eorum currus, equites, arma describat Propheta, quibus inferebant aliis gentibus, easque prædabantur & lacerabant. Melius Theodor. Theophyl. & B tabl. hæc accipiunt de Chaldæis, qui flagellum & castigarunt prædationes, cædes & rapinas Niniues. Est ergo hîc hypotyposis, siue viua Chaldæis Niniue inferendi imago & repræsentatio. q.d. Videor iam cominus videre, & audire flagella aurigarum in curribus Chaldæorum, stilibus, rotarũ cursus & impetus, equites equesque frementes; item micantes eorum gladios fulgurantes hastas, quibus ipsi ingentem cædem multitudinem Niniuitarum interficient, ipsisque quem ruinam, id est multitudinem cadaueru afferent. Nota *Grauis* hîc ponitur pro magno est multo. est enallage: ponitur enim qualitas quantitate, & quantitas continua pro discreta; putà grauis pro magno, & magnum pro multo. Sic Antiochus dicitur intrasse Ægyptum in grauitudine graui, id est numerosa & copiosa, 1. Machab. 1. 18. Sic Deus in Ægyptum per Mosen misit muscam grauissimam, id est plurimam, Exodi 8. v. 24. vide ibi dicta. Rursum quadrupedes vocat feruentes & ardentes, ob celeritatem C impetum, quo ipsæ, ipsarumque rotæ adeo tu & collisione lapidum incalescunt, vt ignes videantur, quin & verè scintillas ignemque emittant. Similem curribus feruorem dat Virg. 3. Georg.

Illi instant verbere torto,
Et proni dant lora: volat vi feruidus axis,
Iamq; humiles, iamq; elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri, atque assurgere in auras.

Tropolog. Niniue est anima peccatrix, plena sanguinibus, id est sceleribus. hæc est tota mendacij, quia nullum in se locum relinquit Deo veritas est: sed fallacibus opinionibus imbuta, diaboli præstigiis delusa, corpus & rem solidam putat esse opes, delicias & honores, quæ tamen sunt vmbræ. Hæc dilacerat famam & bona D proximorum, quin & alios à via Dei auertit, & eorum opera diripit, nec ab hac rapina recedit. Huic imminent multa mala. Primum est, *flagelli*, id est conscientiæ intus mentem flagellatis, de quo Iuuen. satyra 13.

Euasisse putes, quos dira conscia culpæ
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

ita Ribera.

CORRVENT (Niniuitæ & Assyrij) IN CORPORIBVS SVIS] id est inter corpora & cadauera horum. ita Chald. Vnde Tigurina vertit, *ruent super sua corpora.* Paulò aliter vertunt Pagnin. & tabl. *impingent* (scilicet Chaldæi) *in corpora eorum*, scilicet Assyriorum occisorum. q.d. Tanta erit strages Niniuitarum, tanta multitudo cadaverum, vt viam tum Assyriis fugientibus, ita Chal-

Chaldæis insequentibus intercludant, atque A eosque in ea impingant & corruant.

PROPTER MVLTITVDINEM FORNICATIONVM MERETRICIS SPECIOSÆ] Fornicatio apud Prophetas significat idololatriam; idolum enim est quasi adulter; Niniue est quasi meretrix speciosa. q.d. Ruent Assyrij propter multitudinem idololatriæ Niniues, quæ & re & nomine speciosam sonat, ideoque ob suas speciosas opes, delicias & pompas omnibus erat grata. q.d. ait S. Hieron. Ruet Niniue, quia totius orbis sibi subiecti coluit idola, & maleficia magica: quia erat magiæ, superstitioni & idololatriæ fuit dedita, ad eamque pellexit, immò coëgit omnes gentes. Vnde sequitur:

QVÆ VENDIDIT GENTES IN FORNICATIONIBVS SVIS] q.d. Niniue tradidit alias gentes & populos suis hostibus, putà Chaldæis; quia ipsa eos docuit suas idololatrias & maleficia, putà incantationes magicas & superstitiones, ob quæ à Deo traditi sunt Chaldæis. Ideo enim Deus immisit Chaldæos quasi lictores in omnes gentes, vt earum idololatriam & scelera punirent, vt patet Ierem. 25. 17.

Nota. *Tè vendidit* significat Primò, Niniuen non fuisse reginæ, sed meretricis, alias gentes sibi subditas, nunc vi, nunc illecebris, nunc mendacio, aliisque artibus meretriciis coëgisse ad sua idola & scelera. ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo & Lyran. Secundò, eam gentes in seruitorem delegisse, iisque abusam esse quasi mancipiis, vtpote quæ illas vendidit hosti, dum eas coëgit secum prodire in aciem contra Chaldæos; C easque ipsas quasi oues, gladiis Chaldæorum secum mactandas obiecit. ita Theophyl. Hic venit est illud Poëtæ:

Quidquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Addit Cyrillus & Theophyl. fornicationem hîc vocari magiam, per quam gentes & tribus vendebant, dicentes: Date nobis mercedem & pretium, ac nos execrabimur gentes vobis hostiles, imòque faciemus vt vobis resistere nequeant, easque facilè expugnetis, vti fecit Balaam ariolus Balac regi Moab, Numer. 22. & 23. Tertiò, in Scriptura Achab 3. Reg. 21. 25. & alij dicuntur venditi vel venumdati vt facerent malum; quia scilicet traditi sunt quasi serui in potestatem peccati & diaboli, vt ad eius nutum agerentur quasi mancipia in omne scelus: traditi inquam, deindè à se suisque heris & dominis; indirectè à Deo permittente, & puniente priora eorum D scelera.

ET FAMILIAS, id est populos, IN MALEFICIIS SVIS] *Maleficia* vocat veneficia, vt vertunt Septuag. opes, pompas, delicias, incantationes, philtra, putà illecebras, quibus Niniue quasi meretrix omnes ad sui amorem, & suorum deorum cultum alliciebat. Hæc enim significat Hebr. כשפיה *kesaphim*.

Symbol. S. Hieron Niniue, inquit, est mundus illecebrosus, habens maleficia; Septuag. *duces malignorum*, id est incantationum & illecebrarum, quibus homines dementat. *Vox flagellorum audita in mundo, quia multæ sunt tribulationes iustorum, quibus qui flagellantur, clamitant, & doloris magnitudinem flebili voce testantur. Quando alius dæmone, alius qua Veneri similis est, alius libidine, odio, inuidia, superbia corripiuntur, flagellum in eis Assyrij regis sonat. Sed & in corporis malis, flagellum diaboli intelligimus, de quo ad iustum dicitur, psal. 90. Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quando videmus hunc morbo regio computruisse, & superesse cadaueri suo: alium intercuti aqua & tumenti natare corpore, crescentibusq; membris formam pristini hominis decrescere: illum purulentias quasdam, & vulnerati damnæ pulmonis egerere: istum humore in lapides deficcato, vrinæ amaritudinem, & vesicæ tormenta sentire; non dubitemus dicere, vocem flagellorum esse Niniue.*

Hæc S. Hieron. qui & subdit: *Et vox commotionis rotarum, dum huc atque illuc genus raptatur humanum, & incertis per cuncta discursibus, vbi periculum, vbi salus sit ignoramus: de qua rota & Ezech. 1. 16. & psal. 76. legimus: Vox tonitrui tui in rota. Habet & Niniue equum persequentem, putà diabolum, de quo* B *Iob 39. De longè odoratur bellum. Quadrigæ, & quatuor earum equi sunt quatuor perturbationes, de quibus Maro: Hi cupiunt metuuntq;, dolent gaudentq; His equis, & hac quadriga Niniue cuncta perturbat. Et quomodo quatuor, quibus pugnamus & tegimur, sunt scuta virtutum, prudentia, iustitia, temperantia, fortitudo: ita econtrariò quatuor vitia sunt, stultitia, iniquitas, luxuria, formido, quibus ab hoste percutimur. Quarum singulæ pullulantes habent in se ac multiplices species sagittarum, quibus inferuntur vulnera, imò vulnerati vsque ad inferna demerguntur. Nec est finis gentibus eius. Malitia eius finem non habet, & quantæ species peccatorum, tot gentes sunt Niniue, quæ infirmabuntur in corporibus suis à multitudine fornicationis. Nec mirabitur Niniuen scortorum iam esse gratissimam, qui tantam hominum multitudinem cum ea viderit fornicari, & maleficiis illius, & quibusdam incantationibus ad amorem eius penè cunctos trahi. Hæc vendidit gentes in fornicationibus suis, quæ tollunt membra Christi & faciunt membra meretricis: idq; facit tribus maleficiis suis. Facit enim amare eas quæ odisse debuerant, & detestari quæ amare debebant; vt cùm deceptæ fuerint, etiam alios malefica arte supplantent.* Vnde huc alludens S. Iohannes Apoc. 17. v. 3. Babylonem suam (quæ typus est mundi) quasi alteram Niniuen schemate reginæ, sed meretricis ita depingit: *Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua, plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius. Et in fronte eius scriptum: Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ. Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu.* Vide ibi dicta.

Quadriga sunt quatuor passiones animæ.

Præclarè S. Bernard. epist. 103. *Væ*, ait, *væ: vapor est ad modicum parens, quod ateræ felicitatis aditum intercludit. Quousque tu tantæ gloriæ præfers fœnum, quod hodie est & cras in clibanum mittitur: carnem dico, & eius gloriam? Siquidem omnis caro fœnum est, & omnis gloria eius tamquam flos fœni. Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine iam ea sequi, quæ & assequi miserum est. Beatus qui post illam non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.* Et epist. 107. *Diu*, ait, *ista in te mundus habere non poterit, & te quippe ipsum breui non habiturus. Nam breues dies hominis sunt. Mundus quidem cum suis concupiscentiis transit; sed te priùs emittit quàm ipse pertranseat. Qui te sine fine delectat amor mox finiendus.*

VERS. 5. ECCE EGO AD TE] ô Niniue, armatus & furibundus in Chaldæis venio, vt te quasi scortum infame spoliem, denudem, castigem totique orbi ridendam & exsibilandam proponam. Vnde Tigurina vertit, *en me tibi hostem, inquit Dominus exercituum.*

REVELABO PVDENDA TVA IN FACIE TVA] Tigurina, Pagnin. & Vatab. *reuelabo fimbrias tuas*, vel limbos tuos, hoc est, spoliabo te tuis fimbriis, & vestibus speciosis & pretiosis per Chaldæos, vt omnibus spoliata & nudata à cunctis ridearis & subsanneris, dum cuncti præter nuditatem & paupertatem, etiam occultas tuas sordes, vomicas & carcinomata, quas syrmate & veste aurata tegebas (hæc enim vocat *pudenda*, quia ob ea pudebat) id est occultas suas spurcitias, vitia & fœditates, propalam conspicient. Perstat enim in metaphora meretricis. Vnde explicans subdit:

VERS. 5. & 6. OSTENDAM GENTIBVS NVDITATEM TVAM, ET REGNIS IGNOMINIAM TVAM. ET PROIICIAM SVPER TE ABOMINATIONES] id est, tibi imponam, ostendam, & propalabo omnia tua abominanda scelera; quo fiet vt omnes certatim te abominentur, & diris mille deuoueant: tam acris enim vindicta Dei, qua te puniet & euertet, omnibus ostendet te rapacissimam & sceleratissimam tyrannam fuisse. Vnde sequitur, *Et contumeliis te afficient*, vti meretrices publicè in circulo expositas, vel ad vncum alligatas omnes subsannant, in easque fæces, lutum & stercora iaciunt: itaque *ponam te in exemplum*; Tigurina, *faciam te spectaculum*; Pagnin. *ponam te inquinamentum*; Chald. *ponam te execrandam, & ponam te fœdissimam oculis omnium videntium te.*

Moral. Magna Dei est gratia, cùm peccatori reuelat suam turpitudinem, ac voluptatis illicitæ, v.g. meretricis, sordes. Sicut enim exteriùs & publicè meretrice nihil videtur speciosius & elegantius; sic interiùs & domi nihil putidius, sordidius, vilius, miserius, pauperius; adeò vt adolescentes qui in illas ita pomposas rapiuntur, visis earum internis sordibus nauseent, & eas abominentur. Tale est peccatum & peccatrix anima, putà est quasi ornata meretrix, & sepulchrum dealbatum; exteriùs nitens, interiùs putens & fœtens; exteriùs Venus, interiùs anus; exteriùs formosa vt Lais, interiùs deformis vt Thais; publicè splendidior Cyro, domi pauperior Iro, vix habens panem atrum quem mandat, vt ait Terentius in Eunucho. Audiui ab aulicis principis cuiusdam fœminæ luxuriosè viuentis, corpus eius tantum fœtorem exhalasse, vt intolerabilis videretur, nec tam corpus quàm triduanum cadauer esse diceres.

VERS. 7. OMNIS QVI VIDERIT TE, RESILIET A TE] Pagnin. *elongabunt se à te*; Tigurina, *refugiet à te, & dicet, Vastata est Niniue*; Chald. *expilata est Niniue*; Septuag. *qui viderit te, descendet à te, & dicet: Misera est Niniue.* Simili modo in excidio Babylonis dicitur Apocal. 18. 15. *Mercatores horum, qui diuites facti sunt, ab ea longè stabunt propter timorem tormentorum eius, flentes ac lugentes, & dicentes: Væ, væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat bysso, & purpura, & cocco, &c. quoniam vna hora destituta sunt tanta diuitia.* Sic de Tyro ait Ezechiel c. 26. 17. *Quomodo periisti, quæ habitas in mari, vrbs inclyta? &c. nunc stupebunt naues in die pauoris tui, & turbabuntur insulæ in mari, eò quòd nullus egrediatur ex te.* Etc. 27. 28. describit nautas & mercatores eiulantes in vastitate Tyri.

Tropol. S. Hieron. *Quamdiu, ait, terrena bona ramus, & putamus esse sublimia, velut in quodam superbiæ culmine sumus, & miramur pulchritudinem Niniue*, id est mundi. *Cùm autem consideauerimus naturam eius, & omnia corporalia bona, quasi humilia despexerimus, subiicientes nos potentiæ manui Dei, tunc miserebimur Niniue, & omnia terrena bona signa planctu iudicabimus, dicemusq; : Misera Niniue, quanti tuis laqueis irretiti sunt? quantos alligatos laqueis tuis tenes? quis putas resiliet à te, & descendet de superbia tua, & te miseram iudicabit?* q.d. Pauci sunt, sed sapientes & oculati, qui id iudicant. Niniue ergo est speciosa vxor, speciosi filij & filiæ, speciosa famulorum pompa, speciosæ opes, speciosæ dignitates, quæ multos sua specie capiunt & dementant. Verùm prudentes, qui considerant earum breuitatem, instabilitatem, fugacitatem, curas, molestias, angores, pericula, vident hanc speciem esse fucatam & laruatam: sic enim præterit figura huius mundi, vt ait Apostolus. Quocirca ea despiciunt, dicuntque: *O quantum est in rebus inane!* atque ad speciem mundi cælestis, quæ semper durat, ac diuina est & beata, anhelant.

Exemplum insigne hac in re præbuit S. Eucherius Lugdun. Episc. anno Domini 440. qui, vt habet Adoin Martyrol. die 16 Novembris cum esset senator ingenio, opibus, eloquentia, scientia, dignitate prænobilis, haberetque coniugem illustrem & opulentam, ex eaque speciosos liberos, plures mares, & feminas; hæc omnia contempsit, suosque omnes eadem contemnere docuit. Nam vniuersis relictis, secessit in monasterium Lirinense; inde in solitudinem, ibique in spelunca totum se ieiuniis & orationibus addixit, donec sede Episcopali Lugduni vacante, angeli monitu designatus est Lugdunensis Episcopus. Quare à Clero & populo ad hoc munus requisitus, cùm ipse illud omnino abnueret & excuteret, vi è spelunca extractus, vinctusque ductus in vrbem, in cathedra Episcopali violenter collocatus est, quam mira fide, sanctitate & doctrina administrauit. Extant etiamnum doctæ eius lucubrationes in Genesim, libros Regum, &c. quas filiis suis Veranio & Salonio dedicauit. Hos enim à puero in monasterio educari curauit, qui deinde pariter ex monasterio, ob illustrem virtutem & sapientiam, ad episcopatum euocati sunt. Vxor verò eius, nomine Galla, in speluncam mariti, cùm ipse ad episcopatum raperetur, secessit, eique in vitæ, æquè ac loci rigore successit: nam ibidem totam se pœnitentiæ & orationi consecrauit. Filiæ verò Consortia & Tullia, patrem & matrem imitatæ, virginitatem Deo vouerunt, atque non tantùm virginitatis gratia, sed & signorum gloria claruerunt, æquè ac pater, nimirum ipse S. Eucherius, qui inter alia miracula in Alpibus incidens in hominem membris contractum, ac iussu S. Cæsarii Arelatensis Episcopi (vt habetur in eius Vita) pungens ei manum, eumdem eleuans, sanitati membrisque restituit. ita Baron. anno Christi 450. & 463. Vnde Claudian. in l. 2. de Statu animæ agens de S. Eucherio: qui, inquit, *viridis eui maturi animi, terræ despuens, cæli appetens, humilis spiritu, non merito, ingenio subtilissimus, scientia plenus, eloquio profluus,*

gulus, magnorum sui sæculi Pontificum longè maximus, datus in rem fidei multiiugis variorum operum volumnibus, ad populum quoque super statu animæ consenatus est. Quisquis ergo sapis cum S. Euchere despue terræ, astra appete, solum despice, cælum suspice, vana licet speciosa contemne, vera & æterna sectare, terrenis cunctis despuendo dicere: Phy phy terra, quomodo sordes mihi, cùm cælum aspicio?

QVIS COMMOVEBIT SVPER TE CAPVT?] Sequitur *quis gemet eam?* Chald. Pagnin. & Vatabl. *quis condolebit tibi?* quia sicut antea nullius fuisti misera, sic iam nullus miserebitur tui. Tigurina, *quis tua gratia iter suscipiet?* vt ei opituletur. Hebr. id verbum est, *quis mouebit ei*, vel *pro ea?* scilicet pedes, vel potiùs caput: commotio enim capitis super afflicto, signum est condolentiæ & compassionis. Iob 16.5. Ierem. 18.16. & alibi.

VNDE QVAERAM CONSOLATOREM TIBI?] q.d. Nusquam inuenietur, qui te consoletur, quia malis es omnibus, ideoque omnes ex tui ruinam gaudebunt de tuo casu & ruina. ita Vatabl.

8. Numquid melior es Alexandria populorum, quæ habitat in fluminibus? aquæ in circuitu eius? cuius diuitiæ, mare aquæ, muri eius.

9. Æthiopia fortitudo eius, & Ægyptus, & non est finis: Africa & Libyes fuerunt in auxilio tuo.

10. Sed & ipsa in transmigrationem acta est in captiuitatem: paruuli eius elisi sunt in capite omnium viarum, & super inclytos eius miserunt sortem, & omnes optimates eius confixi sunt in compedibus.

11. Et tu ergo inebriaberis, & eris despecta: & tu quæres auxilium ab inimico.

NUMQVID MELIOR ES ALEXANDRIA POPVLORVM?] Id est populosa, quæ multos habet populos, quæ abundat multitudine & turbis. ita Pagnin. Vatabl. Mariana, & alij: hoc enim significat Hebr. אמון *amon*; positum enim est pro המון *hamon*. Rursum *Amon* est cognomen Alexandriæ eò quòd ipsa sita fuerit in regione Ammonis non longè à fano Iouis Ammonij. Vide dicta Ierem. 46.10. Vnde Syrus vertit, *numquid melior es huic Amon* (id est Alexandria, quæ etiã Amon nouum dicitur. ita Lexica Syriaca) *quæ sedet in fluminibus?* Quare alienius vertit Arabicus Antiochenus *numquid tu melior es huar* (exitio) *Moab?* & Alexandr. *para tibi sortem de ciuitatibus Horod*, id est Sortharum, *aut sortem de Tammuz, quæ habitat in fluminibus.* Nisi dicas Alexandriam dici Tammuz à suo idolo, eò quòd coluerit Tammuz id est Adonidem amasium veneris; quod tamen est facile: fuit enim hæc vrbs opibus & deliciis indeque luxu & luxuria diffluens. Sensus est: Numquid ô Niniue tu melior, id est maior, potior populosior, potentior, es Alexandria populosissima & fortissima? vtpote quæ ab vna parte Nilo, ab altera lacu Mareotico, à tertia mari, quarta incommeabili solitudine cingitur, vt ait Ioseph. lib. 2. Belli c. 16. Vide eius situm & descriptionem apud Abrahamum Ortelium in Theatro vrbium. q.d. Si Alexandria, quæ & situ loci, & ciuium multitudine videtur munitissima, inaccessa & inexpugnabilis, expugnabitur tamen & capietur; non est quòd tu ô Niniue tuo robori præfidas; nam pari modo expugnaberis capieriseque & tu. ita S. Hieron. Theodoret. Rupert. Remig. Hugo, Lyran. & alij.

Alexandria origo.

Nota Primò. Vrbs hæc tempore Nahum & Ieremiæ dicta est *No*, vt habet textus Hebræus, quæ postea, scilicet post annos 200. nimirum anno 320. ante natiuitatem Christi, restaurata & amplificata ab Alexandro Magno, ex eo dicta est Alexandria, vti docet Plinius lib. 5. c. 10. Solinus c. 35. Strabo lib. 14. & alij. Prædicit hîc Nahum, vti & Ierem. c. 46.10. eam euertendam à Nabuchodonosor; quod licet aliqui, vtà Castro, factum censeant ante excidium Ierusalem, nimirum anno 1. Nabuchodonosoris; tamen longè verius est id factum esse post excidium Ierusalem, anno 23. vel 24. Nabuchodonosoris, vti ostendi c. 2. v. 1. idque satis significat hîc Nahum.

Splendor.

Nota Secundò. Vrbs hæc fuit Ægypti celeberrima, opulentissima, munitissima & populosissima. Vnde Alexander Magnus eamdem ad effigiem chlamydis Macedonicæ, ait Plinius lib. 5. c. 10. orbe gyrato, spatio septemdecim dierum, vt Iustinus testatur lib. 11. extructis muris, qui se extenderent ad sex millia passuum, magnificè restituit. Vrbs fuit omnium post Romam maxima (vnde hîc cum Niniue comparatur, quam maximam fuisse docet Ionas c. 3. 3.) longa stadiis triginta, lata decem, ambitu ipso complectens passuum millia quindecim. Addit Q. Curtius l. 4. de Gestis Alexandri: *Fama est*, inquit, *cùm rex vrbis futuris muris polentam, vt Macedonum mos est, destinasset, auium greges aduolasse, & polenta esse pastas. Cumque id omen pro tristi à plerisque esset acceptum, respondisse vates; magnam illam vrbem aduenarum frequentiam culturam, multisque eam terris alimenta præbituram.* Portum enim habet optimum, cui ad dexteram obiecta Pharus insula, turrim maximam sustinet, ad trecenta vsque stadia natigantibus igne lucentem. Quocirca cùm Romanis paruit, pendebat plus tributorum singulis mensibus, quàm Hierosolyma toto anno, & præter pecuniam, annonam quatuor mensium plebi Romanæ ministrabat. Alexandria ergo, quam Strabo libr. 14. vrbem potentem & populosam nominat, Alexandri Magni opus, nomen & bustum, emporium erat totius Ægypti vetustissimum, loco ad mercimonia oportuno situm, nimirum ad littus nostri maris, iuxta Canobicum Nili ostium, in Africam vergens. Vrbs olim magnifica, superbissimis ædificiis, tã publicis quàm priuatis. Quam deinde ob cultum diuinũ isthic florentem, plebisque sanctimoniam, paradisum Domini veteres nuncuparunt; sicut & Antiochiam Theopolim. Quocirca Augustus Cæsar, post deuictum Antonium Alexandriam veniens, & fundatoris corpus reuerenter aspiciens, triplici de causa se eamdem, licet hostilem, & Antonio fauentem conseruasse, palàm est fassus: scilicet ob Alexandri memoriam, pulchritudinem vrbis, & propter Arrium Philosophum, qui in Vniuersitate Alexandrina professor, magno apud Augustum in honore fuit. In ea enim fuit Musæum Serapium & Isæum, à Musis, Serapi

rapi & Iſide denominatum. S. Marcus tandem Euangeliſta à S. Petro eò miſſus, Alexandrinos fide & religione Chriſtiana imbuit per 20. annos, & pro ea ibidem Martyr occubuit. Inſuper ipſe Alexandriæ Eccleſiaſticam ſcholam inſtituit, cui doctiſſimi ſemper & ſanctiſſimi viri præfuerunt, vt Pantenus; deinde Origenes, qui arcem Philoſophiæ & eloquentiæ occupans, ibidem in ſacra Scriptura ſua hexapla & octapla, ac in eam commentaria illuſtria exarauit. Origeni ſucceſſit Heraclas; huic Dionyſius, Athenodorus, Malchion, Didymus, S. Athanaſius, Cyrillus, Theophilus, &c. Hic S. Hieron. S. Baſilius, S. Greg. Nazianzenus, aliique præſtantiſſimi viri eruditi ſunt. Celebris fuit & hîc ſcriptis Philo Iudæus. Quantum hîc floruerit Matheſis; docet Cicero libr. 1. de Diuinat. De magnifica & omnium diſciplinarum libris inſtructiſſima Bibliotheca Alexandrina, in qua erant quadraginta millia librorum, quam Ariſtoteles primùm inſtituit, teſtis eſt Strabo l. 13. hanc Ptolemæus Philadelphus, ſecundus ab Alexandro Magno Ægypti rex, mirè auxit libris ex Græcia, præſertim Athenis & Rhodo petitis, teſte Athenæo lib. 1. c. 17. ſed maximè ſacris Bibliis, in Græcum tranſlatis à Septuag. interpretibus, quos ipſe ab Eleazaro pontifice poſtulauit. Hæc ergo verſio Septuaginta Interpr. facta & cuſa eſt Alexandriæ. ita Euſeb. l. 8. de Præp. c. 1. Ioſeph. l. 12. Antiq. c. 2. Clemens Alex. l. 1. Strom. & alij. Denique Alexandrina fuit S. Catharina, quæ ibidem decollata, lac pro ſanguine fudiſſe fertur. Meritò ergo Nahum Alexandriam confert cum Niniue tum in magnitudine, tum in frequentia, tum in robore, tum in clade excidij.

Nota Tertiò. Pro *Alexandria populorum* hebraicè eſt מנא אמון *minno amon*; ſed Septuag. aliis punctis legentes מנא *mana* (vnde *mina* & *mna*) *Amon*, vertunt, *pars Ammon*. Sic enim habent, *apta chordâ pars Ammon*. Per *Ammon* aliqui Ammonitas Moabitis vicinos accipiunt. Meliùs accipias Ammonitidem Ægypti, iuxta quam ſita erat Alexandria. q. d. O Ammonitis regio, ô Alexandria vaſtaberis: apta ergo chordas tuæ lyræ, vt canas tibi lyricum & funebre carmen. ita S. Hieron. qui & aliter explicat, nimirum de Niniue, q. d. *O Niniue inordinatum & incompoſitum tuum, & in diuerſa diſcrepans in chordarum ſimilitudinem apta, vt fiat harmonia, & vocalis in laudes Dei concentus; quia nihil tibi proderit ſpecies & magnitudo tua, quæ præcipua habere te credis, niſi te aptaueris ad canendum. Conſidera enim omnem partem ſortis filiorum Ammon, & quæcumque æſtimantur poſſidere bona, quomodo eos non defenderint, ne irent in captiuitatem*: ſic nec tua te defendent. Verùm priorem ſenſum præfert S. Hieron. & meritò: non enim agitur hîc de filiis Lot, Ammon & Moab, ſed de Ammone Ægypti.

Nota Quartò. Pro *Alexandria populorum*, verti potest, *Alexandria tumultus*, vti vertit Noſter Ierem. 46. 25. vtrumque enim ſignificat Amon, vel hamon; quia populus adducit turbam, turba parit tumultum, tumultus ſeditionem, ſeditio ſtragem & exitium. Prudenter Liuius lib. 2. *Opulentis*, ait, *ciuitatibus venenum ſeditio, magna imperia mortalia reddidit*. Hinc rurſum ſapienter monet Thucydides libr. 4. *Curandum eſt*, inquit, *vicinis populis, vt pax inter vicinos populos colatur*, ne eorum tumultus & bellum tumultum & bellum vicinis afflet & afferat. Hac de cauſa vrbes & regiones populoſæ, vt ſeſe in pace conſeruent, oportet vt foras ad bellum, vel ad nouas colonias ſæpè multos ex illis emittant, præſertim otioſos, inquietos, acres & pugnaces. Ita de Hiſpanis ſcribit Iuſtin. l. 44. *Hiſpani*, ait, *bellum quàm otium malunt: ſi extraneus deeſt, domi hoſtem quærunt*. Et Carolus V. Imper. dixiſſe fertur Franciſco Valeſio Galliarum regi: *Tui Franci & mei Hiſpani adeò ſunt feruidi & ardentes, vt ſi bellum nulli moueant, ipſi ſuo inferant principi*. Quocirca acutè vir ſapiens pronunciauit: *Gallia vt ſana ſit & ſeſe in pace conſeruet, neceſſe eſt vt quolibet decennio ſanguinem minuat*. Quin & S. Catharina Senenſis hac de cauſa ſuaſit Gregorio Vndecimo, & Vrbano Sexto Pontif. bellum ſanctum inferendum Saracenis & Turcis; cumque ei obiiceret Pontifex, id intempeſtiuum eſſe ob inteſtinas diſcordias & bella, reſpondit illa, efficax medium ad ſopiendas haſce diſcordias, fore bellum Turcicum: in eo enim Chriſtianos poſituros priuatas lites, & communibus animis contra communem fidei hoſtem libenter ituros. Inſuper in illud emiſſuros homines otioſos & pugnaces, & his emiſſis pacem domi fore. Sapiens vtique conſilium, quod vtinam caperent & practicarent Reip. & Eccleſiæ Principes: nam domi ditiones ſuas pacarent, & alienas infidelium ſibi & Eccleſiæ acquirerent. Id de S. Catharina Senenſi refert Ambroſ. Catharinus in eius Vita. Pari modo tumultus populorum perdidit Alexandriam: quod ſi ſignificet Nahum, argutè vocat eam Alexandriam Amon, id eſt populorum & tumultuum. Alexandrini enim aliique Orientales calidi ſunt & callidi: calor facit eos mobiles, mutabiles, bellioſos, pugnaces: calliditas facit vafros, ſubtiles, doloſos, induſtrios ad machinandum tumultus & bella.

Qvæ habitat in flvminibvs] Quia Alexandria ab ortu & occaſu cingitur Nilo, qui in varios riuos ſe diuidens vrbem interluit, multoſque in ea facit inſulas.

Aqvæ in circvitv eivs] Vatabl. *aquis circumfluæ*: quia ab Oriente & Occidente Nilo, à Septemtrione mari, à Meridie lacu Marcotico vallatur. Vnde *aquæ* ſunt *muri eius: cuius diuitiæ mare*; quia per mare omnis generis merces, & quaſi ad Orientis, imò orbis, emporium comportantur. Scribunt Oſorius, Maffeius libr. 1. de Rebus Indic. & alij, antequam Luſitani nauigarent in Indiam, & Goa merces Indicas deuectarent Vlyſſiponem, omnes illas ex India ſolitas aduehi Alexandriam, & ex ea deuehi Venetias, indeque diſtribui per Europam. Pro *diuitiæ* hebr. eſt חיל *chel*, quod robur æquè ac opes ſignificat. Vnde Chald. vertit, *cuius murus eſt mare*; Pagnin. *cuius antemurale eſt mare*; Tigurina, *cuius propugnaculum eſt mare*; Septuag. verò *chel* deriuantes à חול *chol*, id eſt incipere, vertunt, *cuius principium eſt mare*. Hinc patet Alexandriam aquis & lacu fuiſſe munitiſſimam. Nam, vt ait Ioſephus libr. de Bello c. 16. *Munitur vndique aut incommodâ ſolitudine, aut importuoſo mari, aut fluminibus, aut canoſis paludibus*. Et Solinus Polyhiſt. c. 35. *Alexandria inſidioſo acceſſu aditur, fallacibus vadis, cæco fluctu, tribuſque tantùm canalibus admittit nauigantes*. Et S. Cyrill. eius Patriarcha: *Alexandria, aut ſane*

tus Ægypti vrbes plurimùm excellebat, tuta à prædonibus, & securum perfugium, quòd aquis vndique cingatur; & versus Aquilonem mari alluatur, versus autem verò latam & longam, & velut alterum mare Alexandrinam quam Mareotidem habeat: munita sit muro aliis fluminibus, & lacubus cingatur.

ÆTHIOPIA FORTITVDO EIVS] Æthiopia meridionalior sita est Abyssia, vicina est & adiacens Alexandriæ: vnde vocatur Æthiopia sub Ægypto. Alexandria ergo facilè ex Æthiopia auxiliares copias ad se euocabat, & faciliùs ex vicinissima Ægypto.

ET NON EST FINIS] scilicet militum & copiarum, quas ex vicinis gentibus sibi confœderatis ad se accersebat. Nam &

AFRICA ET LIBYES FVERVNT IN AVXILIO] id est, Auxiliarem habebas totam Africam, & B minùs viciniorem eius partem, scilicet Libyen. In voce *tua*, est enallage personæ Hebræis vsitata. Transit enim à tertia persona ad secundam. Aliter Vatabl. q.d. Æthiopia & Ægyptus erat auxilio Alexandriæ, sicut tibi ô Niniue auxiliabantur Africa & Libya. Verùm Africa & Libya vicinæ sunt Alexandriæ, remotæ verò admodum à Niniue: vnde procliue & facile erat Alexandrinis inde euocare auxilia, non verò Niniuitis.

SEDET IPSA (Alexandria) DVCTA EST IN CAPTIVITATEM] Hinc Clarius & Arias censent Alexandriam iam vastatam fuisse, cùm hæc scribebat Nahum. Verùm ex Ieremia c. 46. 10. constat eam vastatam à Nabuchodonosore, qui diu post Nahum vixit. Est ergo enallage temporis prophetica; ponitur enim præteritum pro futuro, dicta est, id est ducetur, *in captiuitatem.*

Allegor. Alexandria populorum, est Ecclesia ex omnibus populis collecta, quæ, vt inquit S. Hieron. *habitat super omnes Prophetas, & habet doctores in circuitu suo, quorum de ventre manant flumina: initium est mare*, id est lex quæ amara est, nisi signo crucis Christi dulcoretur: *quæ habet Æthiopiam in fortitudine. Æthiopia quippe præcurrit manum eius Deo. & Ægyptum, in quam Dominus venit in nube leui: & Libyes, qui antea habitabant cum ceteris, & postea facti sunt in auxilio eius. Et hæc quum se attenderit, & omni diligentia custodierit sensum, captiua ducetur, & planget filios suos. Et ergo Niniue, homines videlicet infideles, homines vmbra inhærentes, senties supplicia, & consopiens ea, cum illis quoque biberint, qui de mea parte fuerunt, & suo vitio corruerunt.* D

PARVVLI EIVS ELISI SVNT] allisi sunt ad saxa à Chaldæis, quod summæ crudelitatis æquè ac impietatis est argumentum.

ET SVPER INCLYTOS EIVS MISERVNT SORTEM] id est, Chaldæi super viros nobiles & primo- genitos Alexandrinos à se captos sortem iecerunt, quos quasi mancipia sortitò inter se distribuerunt.

ET OMNES OPTIMATES EIVS CONFIXI (Septuag. *alligati*, Tigurina, *vincti*) SVNT IN COMPEDIBVS.

ET TV ERGO, ô Niniue, pari modo quo Alexandria, INEBRIABERIS calice iræ Dei, vt puniaris: ET ERIS DESPECTA] adeò vt etiam inimicos, quos antea despexeras, cogaris tibi postea despicere. Pro *despecta* Chald vertit, *pessumdata*, Septuag. *abscondita*, Tigurina, *obscurata*. q.d. Abscondes te præ metu & trepidatione: vel, vt alij, tolleris de medio, ita vt non appareas; quia desines esse in rerum natura. ita Vatabl.

12. Omnes munitiones tuæ sicut ficus cum grossis suis: si concussæ fuerint, cadent in os comedentis.

13. Ecce populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ, deuorabit ignis vectes tuos.

14. Aquam propter obsidionem hauri tibi, extrue munitiones tuas: intra in lutum, & calca subigens tene laterem.

15. Ibi comedet te ignis: peribis gladio, deuorabit te vt bruchus: congregare vt bruchus: multiplicare vt locusta.

16. Plures fecisti negotiationes tuas quàm stellæ sint cæli: bruchus expansus est, & auolauit.

17. Custodes tui quasi locustæ: & paruuli tui quasi locustæ locustarum, quæ considunt in sepibus in die frigoris: sol ortus est, & auolauerunt, & non est cognitus locus earum vbi fuerint.

18. Dormitauerunt pastores tui, rex Assur: sepelientur principes tui: latitauit populus tuus in montibus, & non est qui congreget.

19. Non est obscura contritio tua, pessima est plaga tua: omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te: quia super quem non transiit malitia tua semper?

OMNES MVNITIONES TVÆ SICVT FICVS CVM GROSSIS SVIS] Duplices sunt in ficubus grossi: priores sunt primæ ficus, quæ proinde flores ficulneæ vocantur, vtpote primò maturæ & sapidissimæ: posteriores sunt ficus immaturæ, quæ in hieme per se decidunt. De prioribus hic agitur, q.d. Sicut grossi, id est primæ ficus præcoces & maturæ (has enim significat Hebr. בִּכּוּרִים *bicurim*) vento enim suo arbore concussæ, facilè ex ea decidunt in os comedentis, id est hominis sub ficu hiantis, vt ficus decidentes excipiat & comedat; ita tuæ munitiones ô Niniue, concussæ à Chaldæis, ilico corruent, & in os, id est in manus & potestatem eorum, cadent. Hoc sensu ficus hic arborem significat, non fructum. ita Chald. S. Hieron. Haymo, Rupert. & alij passim. Secundò, & meliùs, Vatabl. à Castro & alij, per ficus accipiunt non arbores, sed fructus. q.d. Sicut ficus posteriores cum prioribus, siue præcocibus, quæ grossi vocantur, vento agitatæ decidunt in os comedentis; ita cadent muri & propugnacula Niniues in manus Chaldæorum, idque facilè & sine labore: non enim arbores, sed fructus ficuum cadunt in os comedentis. Vnde Syrus vertit, *sicut ficus temporaneæ* (primitiuæ) *quæ cùm factæ* (maturæ) *fuerint, cadunt in os comedentis*; Arabicus Antiochenus, *sicut ficus pulchræ, quæ cùm matura fuerint, cadunt de ore eas comedentis*; Arabicus Alexandrinus, *omnes habitationes tuæ tumentes quasi ar-* VERS. 12.

bores

bores ficuum, in quibus remanet residuum; quæ cùm A *fuerint comesse, cecidit quod in eis est comedenti illud.*

Ita tropol. animæ peccatorum sunt quasi ficus, & grossi, quæ cadunt in os diaboli, ait Theophyl. vti in eius os cecidit Adam comedens pomum vetitum, quod videtur fuisse ficus. Sic pariter Anagogicè in die iudicij, inquit Rupert. *quando manifestè veniet Deus noster, & non silebit; quando ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida*; magno terræ motu cadent munitiones totius orbis, quantæcumque vel qualescumque, tam spirituales quàm materiales possunt intelligi, & illæ quantum primus structor fuit Cain, & illæ quas contra veritatem exstruxit spiritus erroris, omnes cadent in os deuorantis inferni, glutientis abyssi, gehennalis incendij.

VERS. 13. ECCE POPVLVS TVVS MVLIERES] id est, quasi mulieres imbelles, effeminatus fuit ô Niniue. B Vnde Chald. vertit, *ecce populus tuus imbecillis est instar mulierum, in medio tui*: quia ob eius ignauiam & metum *inimicis*, &c. *pandentur portæ*; Vatabl. *aperient se portæ*, scilicet sponte sua, vt sit hyperbole. Tropolog. S. Hieron. *Niniue*, inquit, *id est homines sæculares ita passionibus eneruati sunt, & vitiis elanguerunt, vt imbecillitati mulierum comparentur. Nihil enim in animabus suis forte, nihil robustum possident & virile. Vnde inimici prævalentes aduersus eos aperuerunt omnes sensus eorum, & per corporales ianuas introgressi sunt; quia dissolutis manibus ad est operibus voluptatis, quidquid in te habueras roboris perdidisti.*

DEVORABIT IGNIS VECTES TVOS] Ignem propriè accipio, de quo dixi c. 2. v. 13. Aliter Vatabl. q.d. Vectes tui, qui aliàs solent esse ferrei & fortissimi, ad insultus Chaldæorum non resistent, C sed ilico dissilient, vt videantur igne consumi.

VERS. 14. AQVAM PROPTER OBSIDIONEM HAVRI TIBI] q.d. Instat tibi, ô Niniue, obsidio; ad eam ergo te para, aquam & annonam compara: erit enim longa & diuturna obsidio. Vrbes quædam carent puteis; vnde per aquæductus forinsecus ex fontibus vel fluminibus, aquas in cisternas excipiunt & conseruant; vti fit Brugis Flandrorum; quin & Romæ plerique aqua non puteali, sed fontana per aquæductus inuecta vtuntur. Talis videtur fuisse Niniue. Vnde monet Propheta, vt ante obsidionē de aqua sibi prouideat Vnde Syrus vertit, *aquas in tribulatione* (obsidione) *hauri tibi*. Arabicus, *aquam in angustia hauri tibi*.

INTRA IN LVTVM] Hoc est, vt S. Hieron. subigendo argillam lateres confice, quibus ruinas murorum obstruas; sed frustra id facies, quia ibi D & in isto opere igne & ferro te vastabunt Chaldæi. Tropolog. S. Hieron. *corpus*, inquit, *nostrum est lutum, & later: quia quasi terra, & paleis, & aqua; ita carnibus, sanguine, venis, nervis, ossibusq; compactum est. q.d. Quia semel, ô anima, ingressa es lutum & clausa corpore, sustine iniuriam & necessitates corporis, & conculcare ab inimicis, & omnia ad conficiendam carnem. quæ pœnitentia digna sunt, patere. Semel enim assumens lutum & paleas, & inanibus huius sæculi negotiis inuoluta, debes per iniuriam sponse calcari. Et tamen noli salutem penitus desperare: esto confidens, & corpus, id est laterem tuum, propter assumptum seruitutem redige, & subtice tibi, vt dominetur lateri tuo, ne vinax tegehennæ flamma consumat.*

VERS. 15. PERIBIS GLADIO, DEVORABIT TE VT BRVCHVS] q.d. Sicut bruchus omnia germinis sui limit, ita gladius hostilis omnia ciuium tuorum agmina perdet, &, vt ait S. Hieron. *quidquid te virens videbatur, & naturæ bono sponte germinauaro dente consumet; & quasi bruchus volatu pto, & grauatus pondere suo, ita & tu grauatus peccatorum detraheris in terram.*

CONGREGARE ERGO VT BRVCHVS, MVLTIPLICARE VT LOCVSTA] q.d. Contrahe & collige merum militum maximum, quantus esse numerus bruchorum & locustarum, si itaq & possis. sed frustra: nam nullæ copiæ te tua valebunt; certò enim peribis. Est ironia. Bruchus est species locustæ, de qua dixi Ioël. 1. 4.

PLVRES FECISTI NEGOTIATIONES TVAS QUAM SINT STELLÆ CÆLI: BRVCHVS EXPANSVS EST AVOLAVIT] q.d. Plurimas collegisti mercatores, sed istæ omnes vt bruchus citò à te auolabunt ad Chaldæos, à quibus diripientur. Vatabl. *plures habuisti mercatores, quàm sint stellæ cæli; autem erunt sicut bruchus, qui vbi omnia depasti auolat.* q.d. Mercatores tui, ô Niniue, mox vt primam belli & obsidionis audierint, aufugient cum suis mercibus & opibus; instar bruchi nascentis germine auolantis. Sic & à Castro & Pagnin. qui vertit, *bruchus grassatus est, & auolauit*. Hoc est quod ait Sophar Iob c. 20 5. *Quòd laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ instar puncti. Si ascenderit vsque ad cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur: & qui eum viderant dicent, Vbi est? somnium auolans non inuenietur, transiet sicut visio nocturna.* Sic quoque accipi potest illud Sapientis Prouerb 23. 5. *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere* (scilicet iustè & licitè, q.d. Quas habere vel retinere est nefas) *quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum*; licut auceps captæ ab aucupe, dum patet exitus, ilico ab eo quasi iniusto & tyranno auolant: similienim mancipes abiniustis possessoribus, quasi captiua vi lenter detinentur: vnde vt ab hac captiuitate libertatem se asserant, seruiantq; Deo & iustis propter quos creatæ sunt, ad eos auolant, docet Sapiens Prouerb. 28. 8.

CVSTODES TVI QVASI LOCVSTÆ] q.d. Duces & milites, qui te ô Niniue custodiebant, erunt quasi locustæ, quæ rectore carentes, in peritum huc illucq; discurrunt, quæq; nocturnæ frigore torpidæ, oriente sole incalescentes, auolant: ita & ignaui tui milites, accedente Chaldæo, quasi igne percussi & perculsi diffugient. Nota. *Custos* Hebræis vocatur præfectus, et dominus: huius enim est custodire & tueri subditos. Sic Iob c. 7. 20. Deum vocat custodem, id est regem & dominum, hominum. Sic Ieremias c. 4. 17. custodes vocat reges gentium, venturi erant contra Ierusalē. Pro *custodes* est *minnezaraich*, quod deriuatur à נזר nezer, est corona, diadema, coma, separatio, consecratio, nazaræatus. Vnde Vatabl. vertit, *coronati*, id est, vt Pagnin. *magnates & principes tui*, Chald. *laminæ tuæ flammificant sicut locustæ. Lamina* cet coronarum & diadematum, quibus hi principes decorabantur. alij *Nazarei tui*; alij *sanctificati & consecrati tui*. Principes enim, sicut & sacerdotes, dignitate æquè, ac corona & veste, à plebe erant separati. Tigurina, *comatuli tui locustæ fuerunt*. q.d. Principes tui erant comati, ipsaque com-

cæsarie, velut corona & diademate, ab A
dignitate quasi dignitate separati. Coma enim
capillus in viro, est quasi corona dignitatis.
Nazaræi apud Hebræos à vulgo separati e-
rant & quasi consecrati Deo per comam quā ale-
bant. Nazaræi ergo erat insigne honoris & dignitatis.

Et populi tui quasi locustæ locustarum] Chaldæi, id est inferiores & gregarij milites
omnis generis & gentis. Hos enim significat
hebraicum תפסר tapsar, quos proinde Septuag. vo-
cant commistos, scilicet ex varia hominum sorte
& genere. ita S. Hieron. hi enim, quia sunt par-
tim plerumq; varijque, rectè comparantur locu-
stis, quæ item comparantur, ea de causa Madia-
nitis Iudic. 6. 5. Alij tapsar censent compositum
ex תף taph, id est paruus, & סר sar, id est princeps.
Vnde Chald. vertit, *duces tui*; Pagnin. *principes tui*;
Vatabl. *optimates tui*; Tigurina, *ingenui tui*; Arabi-
cus Antioch. *armati tui*; Arab. Alexand. *populus*
meus; Syrus verò, *Nazarai* (continentes, casti) *tui*
quasi locusta inhærens, vel *infixa sepi*.

Melius tapsar exponas *paruus principis*, scili-
cet *dux* & miles. ita Noster & Septuag. Porrò
locustarum, est locusta non magna & præ-
grandis vt vult à Castro, sicut canticum cantico-
rum est magnum & insigne præ cæteris canti-
cis, sic parua, putà proles & soboles locustæ,
hoc est locustis, vt vertunt Septuag. & Tigu-
rina. Vide S. Hieron. sic explicat, q. d. *Sicut locustæ*
paruæ & paria genimina locustarum, quæ vocan-
tur attelabi, sole incalescente auolant, nec reperiuntur;
sic & Ninive dispergeris & fugies. Natura enim lo-
custarum est, vt in frigore torpentes per calorem voli-
tent. Est autem attelabus, quem significantiùs comestorem
vocant. Est autem aquila, parua locusta est inter locu-
stas & bruchum, & modicis pennis reptans potiùs,
quàm volans, semperq; subsiliens, & ob hanc causam
ita a quibusdam exorta fuerit, vsque ad puluerem cuncta con-
terens, quadoneq; crescant pennæ, abire non potest. Vi-
de & locustis & attelabis ea, quæ notaui Ioël. 1.
Vbi nota hebraismum: Hebræi enim cùm
volunt significare animal tenerum, & recèns na-
tum, adiungunt nomen matris, quasi ipsum ad-
huc matrem sectetur, ab eaq; lactetur vel ala-
tur. Sic vocantur agni ouium, id est agni teneri,
matres oues matres suas. Sic Alexander voca-
tus hircus caprarum, id est hœdus capram ma-
trem sequens, quia erat iuuenis, Daniel. 8. v. 5. Sic
Græcis lænæ vocatur leunculus leænam matrē
sequens. Sic Samson ait Iudic. 15. 16. *In maxilla*
asini mandibula pulli asinarum, id est asselli lacte-
tis & sequentis asinam matrem suam, *deleui eos, &*
percussi mille viros. Fortis enim vir est, per rem
quamuis magna facere, vti Samson per mandi-
bulam asselli occidit mille Philisthæos.

Non est cognitus locus earum] Hoc
est ipsæ locustæ non sunt cognitæ, nec inuentæ
in loco suo, quia perierunt. Est hypallage. Vide
dicta c. 1. 8.

Dormitauerunt pastores (principes & duces) tui rex Assur] ô rex Niniues. Significat
eadem ducum causam fuisse, cur à Chaldæis
expugnata Ninive, ac proinde ipsos duces à Chal-
dæis esse occisos, & plebem dispersam. Hoc est
quod subdit: *Sepelientur principes tui*, primò
mortui, deinde humo. q. d. Chaldæi inuadent Ni-
niuen somno vinoq; sepultam, itaq; sepultos
occident, & in fossis sepelient. Septuag. vertunt,
consopiuit fortes tuos, scilicet rex tuus ô Niniue,
sicut Balthasar mero consopiuit optimates; quos
proinde Cyrus capta Babylone, eadem nocte
oppressit & occidit. Daniel. cap 5. 1. & sequent.
Quod Tropol. S. Hieron. explicat de diabolo: *Diabolus*
hic enim est rex Niniues, id est mundi. *Semper* *somnum,*
enim, inquit, *diaboli studium est vigilantes animas* *Christus*
consopire. Denique & in passione Domini Apostolorū *vigiliam*
oculos graui sopore premit, quos Saluator suscitans ait: *inducit.*
Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Et rur-
sum: Quod vobis dico, omnibus dico, vigilate. Hinc
quos ille suaui & pernicioso carmine Sirenarum ille-
xerit ad dormiendum, excitat sermo diuinus, & dicit:
Surge qui dormis, & illuminabit te Christus. Ephes.
5. Vnde idem Anagog. dicet Christus in excidio
Niniues, id est in fine mundi, cùm homines ob
peccatum somno mortis consopitos resuscita-
bit, faciet q; resurgere ad vitam beatam.

Latitavit populus tuus in montibus] B
Chald. Tigurina & Pagnin. *dispersus est populus*
tuus per montes, scilicet fugiens Chaldæos, ac in
montibus & speluncis ab eis se abscondens.

Non est obscura contritio tua] q. d. Vers. 19.
Clades & strages tua, ô Niniue, tuum inquam ex-
cidium, non est secretum, sed publicum totiq;
orbi conspicuum. Septuag. vertunt, *non est sanitas*
contritionis tuæ, id est plagæ & vulneris tibi à
Chaldæis inflicti. Chald. *non est qui doleat sibi de*
fractione tua. q. d. Non est qui tibi tuæq; plagæ
condoleat. Pagnin. *non est curatio fracturæ tuæ*;
Tigurina, *neque leue est vulnus tuum, sed acerba pla-*
ga tua; Vatabl. *non erit curatio fracturæ tuæ, doloris*
plena erit plaga tua, id est fractura tua nulla ra-
tione curari poterit; vulnus quod accipies à
Chaldæis, erit plenum doloris. C

Omnes qui audierunt auditionem tuam; hoc est rumorem & famam de tua calamitate & excidio. Est metonymia: ponitur enim actus pro obiecto, scilicet auditio pro re audita, putà pro nuncio & fama: compresserunt manum super te] id est, vt Chald. *complauserūt super te manibus latantes*; quia *tua malitia* & tyrānis, per tributa, onera, aliasq; exactiones & oppressiones *trāsiit* per vniuersos, omnesq; iugiter vexauit. q. d. Quia alios semper afflixisti, idcirco nunc pari modo affliget te Deus per Chaldæos, omnesq; gaudebunt, & laudabunt iustū Dei in te iudiciū.

Symbol. & Tropol. omnia quæ hisce tribus ca- *Symb. om-*
pitibus de Niniue, eiusq; pompa, opibus, viri- *nia Niniues*
bus, gloria, illecebris, fuco, fraudibus, vanitate, & *sunt mūdi.*
excidio dicta sunt à Propheta, facile est mutato
tantùm nomine Niniues in nomen mundi, ada- D
ptare mundo, eiusq; pompæ, opibus, gloriæ, va-
nitati, & interitui, quæ indies oculis nostris cerni-
mus, & plenè cernemus in eius fine, putà in die
iudicij. Quocirca sapiēter monet S. Iohan. 1. ep. 2.
15. *Nolite diligere mundū, neque ea quæ in mūdo sunt;*
qui diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Et
rursum: *Mundus transit & concupiscentia eius.* Vbi
S. Augustin. *Quid vis?* inquit, *vtrùm amare tempora-*
lia, & transire cum tempore; an Christum amare, &
in æternum viuere? Idem epist. 36. *Vincula*, ait, *huius*
mundi asperitatem habent veram, iucunditatem fal-
sam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum
laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, spem
beatitudinis inanem. S. Ambros. lib. de Virgin. *Di-*
scite, ait, *in hoc mundo super mundum esse. Si corpus*
geritis, volitet in vobis ales interior. S. Chrysost.

hom.77.in Matth. *Cur perforato dolio aquam ingerù: Nihil enim aliud est pro præsentibus istis laborare, quàm flammam decerpere, quàm pugnis aëra cædere. Certè frustra curris. Vanitas enim omnia.* S.Gregor.hom.3.in Euang. *Despiciamus*, ait, *cuncta præsentia. Nulla sunt etenim, quæ transire possunt. Turpe sit deligere, quod constat citiùs perire. Non nos terrenarum rerum amor superet, non superbia, non ira dilaniet, non luxuria polluat, non inuidia consumat.* Et hom.5. *Ipsa ruinæ eius prædicant, quòd amandus non est. Si enim ruinam sui domus quassata minaretur, quisquis in illa habitaret, fugeret: & qui stantem dilexerat, recedere quantocyus à cadente festinaret. Si igitur mundus cadit, & nos eum amãdo amplectimur, opprimi volumus potiùs, quàm habitare: quia nulla nos ratio à ruina illius separat, quos eius passionibus amor ligat.* S.Bernardus passim mundum vocat stabulum, viam peccatorum, carcerem, atrium diaboli, noctem, plenum spinis, crucem, infidum, amãtem nihil, vento vanitatis impulsum, inimicum Deo. *Impellit*, ait ipse serm.85.in Cant. *omnes, sed solos euertit amicos suos, id est consentaneos sibi. Nolo esse amicus mundi, ne cadam. Nam qui vult esse huius mundi amicus, inimicus Dei constituitur, quo vtique nullus grauior casus.* Idem serm.9.in cœna Domini: *Amor*, ait, *mundi totum mundum quærit, & nunquam satiatur. Imò cùm plus habet, plus cupit semper habere. Amor Dei, vnum cupit semper habere solum, illo contentus est, nil aliud iam possidere præoptat. Amor Dei nil aliud quærit, nisi solum Deum.* Idem serm.de miseria humana, *Vide miser homo, quia totum est vanitas, totum stultitia, totum dementia quidquid facis in hoc mundo, præter id solum quod in Deum, & propter Deum, & ad honorem Dei facis. Et mundum diligis, & Deum relinquis. mundum qui diligit, semper est in angustia; mundo viuere mors est; mundo anima mortua viuet. Dum viuis in carne, morere mundo, vt post mortem carnis Deo viuere incipias*, ait ipse epist.105.Idem in Meditat. *Dic mihi*, ait, *vbi sunt amatores mundi, qui ante pauca tempora nobiscum fuerunt? Nihil ex eis remansit nisi cineres & vermes. Attende diligenter, qui sunt & fuerunt, sicut tu comederunt & biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic anima eorum ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligati, sempiternis ignibus inuoluantur. Qui socij fuerunt in vitijs, socij erunt in pœnis: vna namque pœna illos implicat, quos vnus amor in crimine ligat.* Boëtius l.2. de Consol.metro 3.

Rara si constat sua forma mundo,
Si tantas variat vices,
Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.
Constat æterna positumq; lege est,
Vt constet genitum nihil.

Quin & Cicero Tusc.l.4. *Quid*, ait, *videatur magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, tiusq; mundi nota sit magnitudo?* Et Seneca: *Deinquit, leue esse & vanum hoc, quod apud homines felicitas dicitur; vnam illi syllabam facillimè accedere.* Syllaba hæc est *fel*: felicitas enim terrena, cuius mel facilè in fel vertitur. aut est *in*: felicitas enim facilè fit infelicitas. Et Plinius in Panegyr. Traiani: *Habet*, ait, *has vices conditio mortalium, vt ex aduersis secunda, secunda ex aduersis nascantur.*

Hæc cogitabat, hæc sapiebat Aulicus ille Gallus, qui lecta vita S.Antonij, conuersus ad Deum: *Dic*, ait, *quæso te, omnibus laboribus nostris ambimus peruenire? Quid quærimus? Cuius rei causa militamus? Maiórne esse poterit spes nostra in palatio, quàm vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile plenumq; periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu ista durabunt? Amicus autem Dei si esse voluero, ecce nunc fio*, mox: *Ego iam me abrupi ab illa spe nostra, & Deo seruire statui, & hoc ex hora hac, hoc in loco aggredior. Te si piget imitari, noli aduersari. Respondit ille se velle hærere socio tantæ mercedis, tantæq; militiæ.* Abeuntes ergo valedicentes aulæ & mundo, ibidem Deo obsequio se manciparunt. *Et ambo habebant puellas, quæ postea quàm hoc audierunt, dicauerunt & ipsæ virginitatem tibi ô Domine.* ita S.Augustin. lib.8. Confess.cap.6.

Hæc sapiebat S.Romula, quæ mundum omnem caus, totamque se dedicans Deo, moriens à choris angelorum choris psallentibus deducta est in cælum. De qua proinde S.Gregor.homil.37. in Euang. ita exclamat: *O vos qui in hoc mundo diuites aut esse creditis, aut estis, conferte, si potestis, falsas diuitias vestras veris diuitijs Romula. Vos in huius mundi via, omnia amissuri possidetis; illa vero quæsiuit in itinere, & omnia inuenit in peruentione. Vos lætam vitam ducitis, tristem mortem timetis. Illa tristem vitam pertulit, ad lætam mortem peruenit. Vos ad tempus quæritis obsequium hominum: illa spectata ab hominibus inuenit socios choros angelorum. Discite ergo fratres temporalia cuncta despicere, discite honorem transeuntem contemnere, æternam gloriam amare.*

COM

COMMENTARIA IN HABACVC PROPHETAM.

ARGVMENTVM.

SAncrvs Hieron. in prologo: *Habacuc*, inquit, *vel ex eo quòd amabilis Domini est, vocatur amplexatio, vel quòd in certamen & luctam, & (vt ita dicam) amplexum cum Deo congrediatur, amplexantis, id est luctantis, sortitus est nomen.* Habacuc enim deducitur à חבק *chabac*, vel חבב, id est amplexari, cõplecti, stringere.) *Nullus enim tam audaci voce ausus est Deum ad disceptationem iustitiæ prouocare, & dicere: Cur in rebus humanis, & in mundi istius politia tanta rerum versatur iniquitas?* Idem in Prologo galeato, qui Biblijs præfigitur: *Habacuc*, ait, *luctator fortis & vigilans, stat super custodiam suam, & figit gradum super munitionem suam, vt Christum in cruce contempletur, & dicat: Operuit cælos gloria eius, & laudis eius plena est terra. Splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius.*

Chaldæus Paraphrastes tradit Habacuc fuisse filium Sunamitidis defunctum, quem Helisæus vitæ restituit, 4. Reg. 5. 36. Verùm obstat ratio temporum: nam Helisæus floruit sub Ioſaphat, Habacuc verò diu pòst, sub Manasse. Isidorus & Epiphan. in vita Habacuc, tradunt eum fuisse oriundum ex tribu Simeon, ex agro Bethzacar, vel, vt Epiphan. nominat, Bexzochar. Hebræi in Seder olam censent, Nahum, Ioëlem & Habacuc prophetasse sub Manasse, eum verò non nominasse ob eius impietatem & scelera. Verùm præmio in Nahũ ostẽdi prophetasse pòst excidium Samariæ, quòd contigit anno 6. Ezechiæ, & ante obsidionem Hierosolymæ factam à Sennacherib, quæ contigit anno 14. Ezechiæ. Igitur inter annum 6. & 14. Ezechiæ prophetauit Nahum, quare sub idẽ tempus videtur prophetasse Habacuc, ita Ribera in præmio. Communior tamen sententia est, Habacuc ante Sophoniam & Ieremiam, paulò pòst Nahum prophetasse sub Manasse, ita Hebræi, Gueuara, à Castro, Tirin. Clarius, Arias & alij. Videtur ergo Habacuc vnus fuisse è Prophetis illis, quos Deus misit ad Manassen, vt eum de impietatibus suis argueret, 4. Reg. 21. 10.

Putant aliqui, vt S. Hieron. Remig. Albert. Hugo & Lyran. Habacuc pòst excidium Hierosolymæ, directè & ex professo prophetare excidium Babylonis & Chaldæorum; sicut Nahum, quem præcessit, prophetauit excidium Niniues & Chaldæorum. Verùm dico: ex professo Habacuc tollit onus contra Iuda & Ierusalẽ, eorumque excidium per Chaldæos, consequenter tamen Chaldæorum quoque per Cyrum & Persas interitum prædicit. Solent enim Prophetæ tristibus læta subiungere, & pòst minas consolari. Ita hîc Habacuc, vt soletur Iudæos à Chaldæis vastandos & in Babylonem abducendos, prædicit Chaldæos pariter pòst 70. annos à Cyro perdendos, tumque Iudæos è Babylone liberandos & in patriam redituros. ita S. Gregor. Nazian. orat. 1. Apolog. & ibi Elias Cret. S. Chrysost. l. 2. de Prouidentia, Theodor. Theoph. Gueuara. Porrò à Cyro liberatore, exemplo Isaiæ c. 45. 8. assurgit ad Christum redemptorem, eique cap. 3. carmen insigne pangit, quo eius natalem, vitam, passionem, resurrectionem, secundum aduentum ad iudicium, quo impios damnabit, pios beabit, graphicè depingit & celebrat. Nam liberatio Iudæorum è Babylone, fuit typus liberationis hominum è seruitute peccati, diaboli & inferni. Iudæa enim, siue terra promissa typus est cælestis patriæ, Chaldæi dæmonum, Iudæi humani generis; Iesus filius Iosedec, Zorobabel, Esdras, & Cyrus Babylonis destructor vindexque Iudæorum, figuram gesserunt Christi, Regis & Pontificis, Redemptoris nostri. Hinc sequitur, hunc Habacuc ante excidium Hierosolymæ prophetasse, ac consequenter non esse eumdem cum Habacuc, qui per aërem raptus ab angelo, & ex Iudæa traductus in Babylonem, ibi prandium tulit Danieli c. 14. 32. coniecto in lacum leonum, vti censet S. Hieron. in prologo non tam ex sua, quàm ex Hebræorum sententia. Ille enim Habacuc fuit diu pòst excidium Hierosolymæ, cùm iam Iudæi in Babylone degerent captiui: hic autem noster fuit ante excidium; nam illud prophetat dicens cap. 1. 6. *Ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua*, &c. Adde, Danielem coniectum esse in lacum leonum sub Euilmerodach, qui patri Nabuchodonosori in regnum successit: Nabuchodonosor autem 44. annis regnauit, & ante eum Iosias regnauit in Iuda 31. annis, ante eum Amon annis duobus, ante Amon Manasses annis 55. ante Manassen Ezechias annis 29. Pone Habacuc cœpisse prophetare sub finem regni Ezechiæ, vel, vt

A contra Iudam & Ierusalem.

B

C Alius est ab Habacuc Danielis.

Hebræi, ſub Manaſſe, tumque eum fuiſſe 50.annorum (nam ante trigeſimum annum apud Hebræos ordinariè nemini docere, aut prophetare licebat) atque adde annos regum iam recenſitos, colliges Habacuc longè ſuperaſſe annum centeſimum, ſi vnus idemque fuit noſter hic cum illo Danielis. Hoc autem non videtur probabile, nimirum quòd vir ea ætate decrepitus prandium ferret meſſoribus. A Quare ſicut duo fuerunt Michææ Prophetæ duo Abdiæ, vti dixi in eorum procemijs, ita duo fuerunt Prophetæ habentes idem nomen Habacuc.

Denique Habacuc Sanctorum catalogo ſcriptus legitur die 15.Ianuarij, vbi hæc de eo habentur: *In Iudæa ſanctorum Habacuc & Micææ Prophetarum, quorum corpora ſub Theodoſio ſunt diuina reuelatione reperta ſunt.*

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

QVeritur Habacuc de Iudæorum prauitate, quòd ſcilicet nullus apud eos iuri & tioni ſit locus; ſed impunè dominetur opum honoriſq; cupido, ideoq; iniuſtus pra leat aduerſus iuſtum, & egrediatur iudicium peruerſum. Cui reſpondet Deus ſe hanc prauitatem puniturum per Chaldæos, eamq; Iudæa excidio vindicatura Quocirca mirè Chaldæorum potentiam, celeritatem, induſtriam, ferociam & crudelitatem aggerat. His minùs territus Habacuc v.12. Deum precatur, vt ſuum populum quaſi filium v corripiat, non gladio interimat & perdat, eò quòd minora ſint peccata Iudæorum ſcelera Chaldæorum; ne dum leuiora illorum expurgat, grauiora horum ſinat perpetrari.

Verſ.1. ONvs, quod vidit Habacuc Propheta.

2. Vſquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te vim patiens, & non ſaluabis?

3. Quare oſtendiſti mihi iniquitatem & laborem, videre prædam & iniuſtitiam contra me? & factum eſt iudicium, & contradictio potentior.

4. Propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit vſque ad finem iudicium: quia impius prævalet aduerſus iuſtum, propterea egreditur iudiciũ peruerſum.

B Meliùs S.Chryſoſt.Nazianz.Theodor.Theophyl.Gueuara & à Caſtro, quos citaui in promio, cenſent Prophetam conqueri de prauitmorum ſui ævi ſuiq; populi, quòd ſcilicet Deum ſæpè precatus eſſet, vt eam inhiberet fronaret, non fuiſſet exauditus, ſed potiùs ſceler ipſa augeri & multiplicari cerneret. Hoc e clarè verba ſignificant, cùm ſubdit: *Lacerata lex; quia impius prævalet aduerſus iuſtum, propte egreditur iudicium peruerſum.* Loquitur ergo de tyrannide & violentia Chaldæorum, qui exleges, ſed de peruerſitate Iudæorũ, quile quam à Deo acceperant, violabant opprimen iuſtos, eorumque cauſas & iudicia peruerten Vnde Septuag. vertunt, *contra me factum eſt iudicium, & iudex accipit.* Queritur itaque de popu Iudaico, quòd, cùm is ſit fidelis & à Deo ctus, tamen vi, rapina & ſceleribus ſit plenus que ſe diſcruciat eò quòd Deus eum ab his expurget & liberet. Quocirca reſpondet ei De v.5.ſe hæc ſcelera puniturum & expiaturum p Chaldæos. Ait ergo: *Vſquequo Domine clama* C vt ceſſare facias has rapinas & ſcelera in popu tuo, *& non exaudies?* hoc eſt, & non exaudis continuò clamantem.

VOCIFERABOR AD TE VIM PATIENS] Hebr *ciferabor ad te* חָמָס *chamas*, id eſt iniquitas. Videns aſſiduè tot rapinas & iniurias, ad ſing las clamo *chamas*, dicoque, En Domine *cham* en *chamas*, en noua vis, en noua rapina, en nouu ſcelus. Singula enim populi mei ſcelera ita affligunt, vt ab ijs vim pati videar. Vnde Chal vertit, *clamito in conſpectu tuo, numquid eſt aptu ſeruandi poteſtas?* q.d Video Domine in tuo me que populo nullam eſſe Dei reuerentiam, nu lum hominum pudorem aut timorem, ſed a perfricta fronte iniurias & iniquitates perp trare, calcare diuina & humana iura, opulen & potentes affligere & opprimere inopes & i nocentes, ac eorum bona nunc vi, nunc fra corradere; quin & arte vel armis, magiſtratu clauum Reipubl. inuadere. ac ſumma rerũ po

Verſ.1. ONVS QVOD VIDIT HABACVC] Pro *onus* Septuag. vertunt λῆμμα, id eſt *aſſumptio*, qua ſcilicet Deus gratia prophetica mentem Habacuc corripiens, & à rebus humanis abſtrahens, rapiebat ad res diuinas & futuras contemplandas, inquit Theodor. quem S. Petrus apud S.Clementem in lib.Recognit. ſextum ſenſum appellat. Eſt, inquit, *& alius ſextus ſenſus, id eſt prænoſcendi: iſti enim quinque ſenſus ſcientiæ capaces ſunt, ſextus autem præſcientiæ, quem habuerunt Prophetæ.* Porrò *onus*, eſt onerosa & minax prophetia. Vide dicta Nahum 1.1.

Vers.2. VSQVEQVO DOMINE] Aliqui cenſent Prophetam præuidiſſe excidium Hieroſolymæ mox futurum per Chaldæos, pro eoque auertendo ardenter & crebrò oraſſe; cumq; videret ſe non exaudiri, ſed immotam excidij manere ſententiam, de eo hic queri apud Deum, non ex impatientia, ſed ex dolore & commiſeratione ſuę gẽtis. ita Vatabl. & Ribera. Imò S.Hieron. Remig. Albert. Hugo & Lyran. cenſent Prophetam hæc dixiſſe poſt vaſtatam Ieruſalem, ac queri quòd Deus permiſerit eam ab infidelibus & impijs Chaldæis ita vaſtari.

Vsq; tadem tu ô Domine. cur ego taces? cur A dissimulas? cur tantis malis non mederis? itáne dormit tua prouidentia, tua vindicta, vt insontes premi, sontes dominari sinas? vim patior ego, affligor & crucior, nec ferre sustineo: zelus meæ domus tuæ comedit me. Vim pateris & tu: quomodo eam sustines? videris tyrannis & impijs vel non posse, vel nolle defendere & saluare innocentes. Luget enim Habacuc, & Prophetæ probi & zelosi, non tantùm ipsos læsos, & etiam pressos, sed etiam (imò magis) ipsos læsores & iniurios. Nam, vt ait Aristot. *Minor est iniuria iniuriam pati: maior iniuria est iniuriam inferre.* Et Socrates apud Platonem in Gorgia: *Qui iniuriam, ait, iniustusq; est, omnino est ante alios miser; miserior autem si iniuriarum pœnas numquam luat; minùs verò miser si luat, supplicium q; iustum diis hominibusq; reportet.* Et Cato dicebat se malle pro malo beneficio nullam reportare gratiam, quàm pro perpetrato maleficio non dare pœnam: significans nil esse periculosius impunitate, quæ semper ad deteriora inuitat, vti refert Plutarch. in Apoph. Rom. Luget ergo Habacuc, geritq; cur iniustitia prævaleat aduersum æquum, & iniustos impunè grassetur. *Et hoc ait*, ait S. Hieron. in prologo, *præmentis angustia velut aurum in igne conflari, & tres pueros de camino ignis puriores exisse quàm intrauerant. Sed & sic generaliter accipere possumus, quòd ex persona humanæ impatientiæ loquatur, vt in querulam vocem & suum dolorũ erumpat, dicens: Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorem se? Hæc autem loquitur, nesciens iudicia Dei inuestigabilia, & profundum diuitiarum sapientiæ & scientiæ eius, quid non ita videat Deus vt videt homo: homo enim præsentia respicit, Deus futura & æterna cognoscit. Et quomodo si ægrotus & æstuans febribus aquam frigidam postulet, & dicat ad medicum: Vim patior, aresco, vror, examinor: vsquequo medice clamanti & non exaudies? Et respondeat ei sapientissimus & clementissimus medicus: Scio quo tempore dare debeam quod postulas, & non misereor modò, quia misericordia ista crudelitas est, & voluntas tua contra te erit. Ita & Deus noster sciens clementiæ suæ pondera suas mensuras, interdum non exaudit clamantem, vt non probet, & magis prouocet eum ad rogandum, & quasi igne excoctum iustiorem & puriorem faciat.* Hæc Hieron.

QVARE OSTENDISTI MIHI INIQVITATEM?] Aliqui vim ponunt in voce *ostendisti*, quasi hæc connectat sequentia præcedentibus, q. d. Tam iratus es populo tuo, vt non satis habeas precibus & clamoribus meis non annuere: vis etiam mihi os obstruere, ne clamem; ne fortè, quæ tua bonitas & clementia est, furorem tuum auertas. Sanè cùm mihi tot tantaq; populi scelera ostendis, & ante oculos proponis, quasi frænum & morsum mihi in labia injicis. Quis enim cùm tantum populi iniquitatem cernat, atque iniurias, quibus nomen tuum sanctum affecit, & afficere pergit, audeat se pro eo deprecatorem interponere aut etiam aspectum tuum subire? Visne igitur populum istum nemine intercedente delere? ita Mart. de Roa lib. 1. Singul. cap. 2. Secundò & simplicius, *ostendisti*, id est exhibuisti, hoc est exponi & fieri permisisti. q. d. Cur permittis, cur fieri finis tantam iniquitatem, quæ oculis meis obuersa & exhibita, dirè me cruciat?

ET LABOREM] Labor hîc tum passiuè accipi potest pro dolore & molestia patientium vim & iniurias impiorum. Vnde Septuag. vertunt, *quare mihi ostendisti labores & dolores afflictorum?* hi enim mihi compassionem mouent, suiq́ue simile dolorem. Tum potiùs actiuè pro afflictione quã nocentes innocentibus inferunt. vnde Chald. vertit, *conspicio operantes laborem falsitatis.* q. d. Quare video impios affligentes pios: tuum enim ô Domine est de eis pœnas sumere. ita Vatabl. & Pagnin. qui pro *laborem* vertunt, *peruersitatem*. Vis enim & iniuria, adeoq́ue quoduis peccatum in Scriptura vocatur עָמָל *amal*, id est labor: tum quia cum labore incipit, & agitur, atque in laborem & dolorem desinit. Quot enim quantosq́ue labores & dolores subit auarus, currens per B terras & maria ad Indos vsque, vt opes congerat? luxuriosus, vt libidinem; gulosus, vt gulam; iracundus, vt iram & vindictam expleat? Sanè modicam voluptatem magno labore emunt, quę deinde in æternos labores & tormenta vertitur. Tum quia alijs quos vel affligit, vel scandalizat, dolorem & laborem infligit. Labor enim agentis & iniuriantis, labor quoque est patientis & iniuriam sustinentis: hæc enim sunt connexa & correlatiua. Tum denique, quia Prophetis & viris sanctis pro Deo & iustitia zelantibus, ingentem concitat dolorem iniuria tam actiua iniuriantis, quàm passiua sustinentis. Vnde laborem hunc suum explicans Habacuc, subdit:

VIDERE PRÆDAM ET INIVSTITIAM, Hebr. *chamas*, id est vim, violentiam, iniuriam, oppressionem, CONTRA ME] id est coram me, vt habent Hebr. & Chald. q. d. Me vidente, gemente & renitente. Sic peccatum vocatur labor, vel dolor, Psal. 7. 15. *Ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorẽ, & peperit iniquitatem.* Psal. 9. 27. *Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo, & sub lingua eius labor & dolor.* Psal. 54. 11. *Die ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas, & labor in medio eius & iniustitia.* Psal. 139. 10. *Labor labiorũ ipsorum operiet eos.* q. d. Suis fraudibus & dolosis labijs capientur, doli in caput eorum recident. Eccles. 10. 15. *Labor stultorum affliget eos.* Isaiæ 59. 4. *Conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem.* Hoc est quod in die iudicij improbi gementes dicent: *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis?* Sapient. 5. 7. Labor enim magnus impiorũ desinit in maiorem, imò æternum dolorem: labor verò piorum paruus desinit in immensum & æternum gaudium.

ET FACTVM EST IVDICIVM ET CONTRADICTIO POTENTIOR] Hebr. *& fiet vt lis & contentio exaltetur*, vel exaltet se, vt scilicet fiat potentior, & alijs prævaleat. Pro *iudicium* enim hebr. est רִיב *rib*, id est litigium, iurgium, hoc est vt explicans subdit, *contradictio*; Pagnin. *contentio*. q. d. Peruersi qui lites & iurgia serunt vrgentq́ue, potentiores sunt iustis simplicibus & quietis, eosq́ue in iudicio & iurgio supplantant & expilant. Vnde Chald. vertit, *direptores & raptores coram me sunt, atque contentione & superbia ipsi prævalent.* Sic sæpè videmus superbos & impudentes contentione & iurgio obtinere, quod iure & ratione assequi nequeunt: quia viri graues

& modesti nolunt cum ijs rixari, nolunt eorum importunis clamoribus sibi caput obtundi. Vnde vt ab ijs se liberent, dant eis quod postulant. Vatabl.vertit, *quare est qui suscipiat rixam & contentionem?* subaudi contra me. A

VERS.4. PROPTER HOC LACERATA EST LEX] Septuag. *dissipata est lex*; Vatabl.*debilitata est lex*; Chald. *languescit lex*; Tigurina,*idcirco lex non viget*: tum quia iniqui sua potentia leges & iura, iudicia & iudices peruertunt. ita S.Hieron.Theodor.Hugo & Lyran. tum quia pij videntes impios sua impietate prævalere, in studio legis & pietatis languescunt, atque in impiorum partem & sortem inclinant.ita Clarius,Arias & alij. Sic ait Seneca in Hercule Furente:

Ius est in armis,opprimit leges timor.

Et Ennius:

Tollitur è medio sapientia,vigeritur res.
Non ex iure manu consertum,sed mage ferro
Rem repetunt. B

ET NON PERVENIT VSQVE AD FINEM IVDICIVM] ita & Septuag. q.d.Propter hanc iniquorum potentiam & peruersitatem, iudicium non potest assequi suum finem,qui est,vt iustitia in lite euincat & dominetur, iniustitia verò & violentia vincantur & proscribantur; vt iusti defendantur,iniusti puniantur; vt iustè & pacificè viuatur imperante lege & iustitia. Iudicij enim finis est iustitia,ait S.Ambros.serm.16.in psal.118. Tigurina vertit,*nec habet efficacem executionem iudicium*; quia eam suis muneribus, suaque vi & potentia impediunt & inuertunt potentes & iniqui. Secundò, aliter exponit Clarius, Arias & Vatabl. q.d. Propterea homines impij lacerant violantque legem,quia putant quòd ad eos non perueniet iudicium,id est iusta vltio & vindicta Dei, vsque ad finem, id est in æternum; quòd scilicet Deus numquam eos puniet; vel quòd nullus sit, sed casu omnia regantur; vel quòd non curet res humanas, vel quòd dæmoni alicui peruerso eas regendas tradiderit. Tertiò, pro *ad finem* hebr.est לנצח *lanetsach*, quod verti potest,*ad victoriam*. Vnde clarè sic vertas, *& non peruenit iudicium*, scilicet iustum, *ad victoriam*: quia ab iniustitia exundante,putà ab iniustis potentibus,vincitur & obruitur.Primus sensus est genuinus, eumque expolcit Latina versio & Septuag. C

QVIA IMPIVS PRÆVALET ADVERSVS IVSTVM. Hebr.*quia impius circumdat instar coronæ*(id est,vt Tigurina,*circumuenit*,arctat, opprimit) *iustum*, PROPTEREA EGREDITVR IVDICIVM PERVERSVM] q.d. Quia impij opprimunt pios, propterea peruertuntur iudices & iudicia, vt iniquas ferant sententias in fauorem iniquorum, & noxam iustorum.Idem repetit & inculcat. Aliter Vatabl. q.d. Quia homines vident impios prævalere pijs, propterea peruersè putant iudicium Dei esse iniustum, hoc est, Deum non curare iustos, nec punire iniustos ob causas paulò antè dictas. Loquitur non de Nabuchodonosore opprimente Iudæos,vt vult S.Hieron. eiusque asseclæ;sed de Hierosolymitis & Iudæis opprimẽtibus suos ciues simplices & pauperes. ita Theodor.Theophyl. & alij superiùs citati. Hîc finitur querela Prophetæ, de impiorum tyrannide & dominio in pios cum Deo expostulantis: sequitur Dei ad eam responsio. D

Moral.Discè hîc non scrutari,sed admirari canum iudiciorum Dei, quo pios opprimi, impios prosperari & dominari permittit. Enim multi scrutari volentes, nec penetrare lentes,eò prolapsi sunt,vt dubitarẽt de Dei uidentia, an scilicet esset Numen aliquod uerso præsidens?an Deus curaret res homi an verò circa cardines cæli perambulãs,eas ligeret, & velut indignas se despiceret. Ouid.l.3.Amor.eleg 8.

Cùm rapiant mala fata bonos,ignoscite fatis,
Sollicitor nullos esse putare deos.
Viue pius,moriere pius;cole sacra,colentem
Mors grauis à templis in cana busta trahet.

Tales sunt & illi apud Iuuenalem satyra 3.

Sunt qui in fortunæ iam casibus omnia ponant,
Et nullo credunt mundum rectore moueri,
Natura voluente vices & lucis & anni.

Cato, inquit Plutarch.in eius vita, cùm Pompeius res infeliciter succederent, & ad Cæsarem inclinaret victoria, dicebat *in rebus diuinis multa esse caliginis, quòd Pompeio præter ius agenti fortuna omnia prospera, causam Reip.tuenti nihil succedat.* Audi Lucan.lib.1.Pharsal.

Nec quisquam iam ferre potest, Cæsarémne Pompeiúsve parem: quis iustius induit arma
Scire nefas,magno se iudice quisque tuetur.
Victrix causa dijs placuit, sed victa Catoni.

Et Claudian l.1.in Ruffin.

Sed cùm res hominum tanta caligine volui
Aspicerem,latosque diu florere nocentes,
Vexarique pios,rursus labefacta cadebat
Religio,causæque viam non sponte sequebar
Alterius,vacuo quòd semina currere motu
Affirmat,magnumque nouas per inane figuras
Fortuna,non arte regi,quæ numina sensu
Ambiguo,vel nulla putat vel nescia nostri.

Subdit deinde, & ex casu Ruffini sapientiores actus,mentem corrigit:

Abstulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum,
Absoluitque deos:iam non ad culmina rerum
Iniustos creuisse queror:tolluntur in altum,
Vt lapsu grauiore ruant.

Socrates rogatus: *Quid bonis viris molestum esse?* respondit, *Malorum prosperitas*.ita in Melissa Stobæo & Maxim.serm de fortuna bona & mala. Publius:*Felix*,ait,*improbitas,optimorum est calamitas*. Quin & fideles sapiẽtes & sancti,hac impiorum prosperitate & potentia offensi sunt:vt David psal.72.2. *Mei autem penè moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei: quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns*,&c. Et Iobc 21.v.7 & Quare ergo impij viuunt, subleuati sunt, confortati diuitijs? *Semen eorum permanet*,&c. Et Ieremiæ 12.1. *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur & iniquè agunt?*&c. Simile sunt Malachiæ 3.14.& Eccles.7.16.

Porrò causæ ob quas Deus has impiorum in pios iniurias & scelera permitit, præter secretas quas Deus in mente sua seruat,manifestæ & ex eo reuelatæ nobis sunt variæ. Prima, vt ostendat suam longanimitatem, impassibilitatem & celsitudinem, scilicet se his sceleribus non tangi,non pungi,non affligi,non turbari;sed in serenissima gloria lõgè super iura & iniurias mortalium eminere. Sicut enim sol cloacas illuminat earũ sordibus non fœdatur:sic nec Deus impiorum,quos alit, sceleribus inquinatur aut tingi-

lux à nullo illustratur, sed se ipsa ostendit : sic A *Deus qui nullis hominum operibus illustrari* (vti nec obscurari) *potest, diuina sua essentia seipsum solus illustrat* ait Philo lib. 1. de Monarchia. Rursum S. Ambros. lib. cur Deus homo: *Deum*, ait, *impossibile est honorem suum perdere. Aut enim peccator soluit Deo quod debet, aut Deus ab inuito accipit. Sicut autem homo peccando rapit quod Dei est, ita Deus puniendo aufert quod hominis est.*

Secunda, vt pijs det materiam patientiæ, constantiæ & virtutis, dum eos sinit per impios vexari, affligi, cruciari. Quocirca Seneca lib. de Prouidentia: *Nihil*, ait, *infelicius eo cui nihil accidit aduersi, quia malè iudicauerunt dij de ipso.* Et rursum, *Ille meritò dixeris miseros, qui nimia felicitate torpescunt, qui velut in mari lento trãquillitas iners detinet.* Theodorus Philosophus apud Anton. & Maxim. serm. de fortuna bona & mala, felicioris ingenij esse dicebat infortunia cum dexteritate ferre, quàm B *impetum* prosperitatem regere prudẽtia. Nam *inquit* Epictetus in Enchirid. *Stultius prosperitatis, quàm aduersitatis voluptate nimiùm fruens, stultior fortuna.* Præclariùs S. Augustin. lib. 4. de Ciuit. c. 3. *Ipse*, ait, *quidquid malorum ab iniquis dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. Probus bonus etiamsi seruiat, liber est; malus autẽ etsi regnet, seruus est: nec vnius hominis, sed, quod grauius est, tot dominorũ, quot vitiorum.* Idem lib. 13. c. 4. *Nunc, inquit, mirare & mirabiliore gratia Saluatoris, in vsu habere peccati pœnã conuersa est. Tunc enim dictum erat hominis, Morieris si peccaueris; nunc dicitur Martyri, Morieris ne pecces.* Rursum impij sunt virga & flagellum Dei, quibus quasi pater filiorum suorum peccata castigat & emendat, vti per Alanos, Wandalos & Gothos puniuit peccata C Christianorum, qua de re multa scribit Saluianus libris 8. de Prouidentia. Sic de Sennacherib dicitur Isaiæ 10. 5. *Virga furoris mei Assur.* Sic Attila Hunnorum dicebat se esse flagellum Dei. Sic Nabuchodonosor fuit virga vigilans, vel, vt alij vertunt, vigilantis, scilicet Dei, Ierem. 1. 11.

Tertia, quia Deus impios longa & diuina patientia ad pœnitentiam exspectat, ideoque eos agit remorsu conscientiæ, quæ non parua quidem est pœna. Nam vt ait Pythagoras apud Stobæum serm. 24. *Vir malus plus mali patitur ab ipsa conscientia, quàm ille qui in corpore castigatur, & flagris caditur.* Sicut ergo puer virgis cæditur, vt eorum emendet; ita & impius à conscientia flagellatur, vt mẽtem mutet moresque corrigat. Quod si pœnitere nolint, tandem eos adeò grauiter punit, vt tarditatem supplicij grauitate cõpenset. Rectè Zonaras lib. 3. *Etiamsi*, ait, *prouidentia Dei immodat iniurias, concesso pœnitentiæ spatio; tamen nisi à malitia discesserint, lento gradu eos assequitur & pœnas exigit.* Et Virgil. 1. Æneid. *At spectate deum memores fandi atque nefandi.* Diuinius vero Apost. Roman. 2 4. *Ignoras*, inquit, *quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* id est adducere conatur: *secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.*

Quarta, vt ostendat omnes huius mundi opes, pompas, prosperitates velut res parui momenti & contemnendas: ideò enim eas sæpè dat malis hominibus, negat verò suis amicis. Verè S. Augustin. serm. 27. S. Matth. *Si haberes*, ait, *sapientiã Salomonis, sepulchritudinem Absalonis, si fortitudinem Samsonis, si longanimitatem Henoch, si diuitias Cræsi, si felicitatem Octauiani: quid prosunt hæc, cùm tãdem caro datur vermibus, & anima dæmonibus, cũ diuite sine fine cruciandæ?* Idem in psal. 36. *Fumus*, ait, *à loco ignis erumpens in altum extollitur, & ipsa elatione in globum magnum intumescit; sed quanto fuerit globus ille grandior, tanto sit vanior: sic impius quo magis exaltatur, tanto citiùs deficit.* Et Constant. Manasses Annal. pag. 160. *Prosperitas*, ait, *est similis grauiplumbo: si hominem robustum non nanciscatur qui oneri ferendo par sit, pronum in terram præcipitat & proterit.* Et Sallust. in Catilin. *Secundæ res sapientũ animos fatigant.* Et Tacitus lib. 1. *Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant: quia miseria tolerantur, felicitate corrumpimur.* Hinc Menander, *Miser*, ait, *est improbus, felix licet.* Et Publius, *Citò improborum læta in perniciem cadunt.* Et Ausonius, *Felix criminibus nullus erit diu.* Psaltes, *Vidi*, ait, *impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius*, psal. 36. 35.

Quinta, vt permittat impios suæ libertati, ostendatque quanta sit vis concupiscentiæ ex lapsu Adami contractæ, vtpote quæ homines in tot rapinas, violentias & scelera, magis iniurianti quàm iniuriato nocitura, adigit: vtque ex eo mortales agnoscant suam insipientiam, infirmitatem & miseriam, ac Christi redemptoris sapientiam & gratiam requirant & efflagitent. *Quinta.*

Præclarè S. Athanas. serm. de passione Domini: *Sicut*, ait, *si quis serpentem apprehendat manu, dumq; conatur in alterũ proijcere, prorsus ipse mordetur: aut si quis ignem manu tenens, dum vult hostem ladere, non intelligit quòd ipse prorsus exuritur; sic malitia militat aduersus eos qui ipsa vtuntur, magisq; ladit eos à quibus habetur, quàm eos in quos intẽditur.* Idem eadem ignis, & alia foueæ & veneni similitudine docet & declarat S. Augustin. in psalm. 34. Quin & Seneca: *Illud venenum*, inquit, *quod serpẽtes sine sua pernicie continent, in alienã effundunt: at malitia maximã sui veneni partem bibit ipsa.* Peccatum enim est dulce venenũ, quod amaram peccatori necem affert. Peccatum est acerbissimum vulnus naturæ. Peccatum est maxima febris, pestis & mors animæ. Peccatum est infensissimus hominis hostis, qui eum à Deo segregat, & diabolo in seruitutem mancipat. *Omnes* (iniquitates) *quasi quibusdam compedibus nos premunt, & peccatorum nos retibus ligare contendunt*, ait S. Augustin. serm. 175. de temp. Idem serm. 139. *Malorum omnium nostrorum causa peccatum est.*

Sexta, vt ostendat præsens tempus esse operandi bene vel malè, merendi, vel demerẽdi. Sequens verò fore iudicij, præmiorum & pœnarũ, quo omnia peruersa hominum iudicia reformabit, corriget & æquitati restituet, iuxta illud: *Cùm accepero tempus* (iudicij) *ego iustitias iudicabo.* Vnde S. Augustin. in psal. 7. *Nemo*, ait, *gratuletur homini qui prosperatur in vita sua, cuius peccatis deest vltor, & adest laudator. Maior hic ira Domini est: irritauit enim Dominum peccator, vt ista patiatur, id est vt correctionis flagella non patiatur.* Et S. Gregor. lib. 5. Moral. *Deus*, ait, *nonnulla percutit, & nonnulla inulta derelinquit. Quia si nulla resecaret, quis Deum res humanas curare crederet? Et rursus si hæc cuncta percuteret, extremum iudicium vnde restaret?* Dixit vir sapiens: Tãtam esse gloriã quæ sanctos & patientes manet, vt mirum sit omnes dæmones & homines impios, quin & saxa & elemẽta, *Sexta.*

contra eos non insurgere, eosque affligere & excruciare, quo tantam gloriam promereantur. Ex aduerso tantas esse pœnas quæ impios manent, vt mirum sit eos maximis delicijs non abundare, omniaque eis in mel & rosas non conuerti, vt aliqua voluptatula tantum gehennæ pondus pēsetur. Sicut enim non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in sanctis; ita non sunt condignæ voluptates & pompæ huius sæculi ad futurā gehennam, quæ reuelabitur in impijs & damnatis. Vir ergo prudens potiùs condolebit præsenti eorum felicitati, quàm inuidebit.

5. Aspicite in gentibus, & videte: admiramini, & obstupescite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet cùm narrabitur.

6. Quia ecce ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua.

7. Horribilis, & terribilis est: ex semetipsa iudicium, & onus eius egredietur.

8. Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis; & diffundentur equites eius: equites namq; eius de longè venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum.

9. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens: & congregabit quasi arenam, captiuitatem.

10. Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt: ipse super omnem munitionem ridebit, & comportabit aggerem, & capiet eam.

11. Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit & corruet: hæc est fortitudo eius dei sui.

VERS. 5. ASPICITE IN GENTIBVS] Id est, *aspicite gentes*, vt vertit Chaldæus: Hebræi enim verba contactus, vel adhæsionis, siue corporalis, siue spiritualis, qualis est aspectus, construunt cum *bet*, id est *in* regente ablatiuum, vel accusatiuum. Hic respondet Deus expostulationi Habacuc, cur finat impios Iudæos prævalere pijs. Respondet enim, se non diu id permissurum, sed mox ipsos per Chaldæos puniturum: atque hoc est onus quod vidit, quodque prophetiæ suæ velut titulum præfigit Habacuc.

Quæres, quænam hæ gentes quas aspici iubet? Primò, S. Hieron. cum suis, censens hęc dicta esse post excisam Ierusalem ad consolationem Iudæorum, gentes accipit Moabitas, Ammonitas, Ægyptios, aliasque quas subegit Nabuchodonosor. q.d. Ne miremini, ô Iudæi, vos excisos à Chaldæis, quia ab ijsdem excisæ sunt aliæ gentes omnes vobis vicinæ, quæ robore, numero & gloria vobis longè erant superiores. Secundò & genuinè gentes hæ sunt Chaldęi: hi enim sunt onus quod Iudæis sceleratis intentat Deus. q.d. Ne queraris, ô Habacuc, de Iudæorum improbitate, quasi eam impunitam dimittam: illico enim eam puniam. En aspice gentes & agmina Chaldæorum, quæ adduco ad exscindendam impiam Iudæam. ita Auctores citati v.2. Vnde has gentes explicans subdit: *Quia ecce ego suscitabo Chaldæos gentem amaram*, &c.

Nota. Pro *in gentibus* hebr. est בגוים *baggoim*, & ita legerūt Aquila, Symmach. Theodot. Chaldæus & Noster, qui omnes vertunt, *in gentibus*. Verùm Septuaginta legunt בגדים *bogedim*, id est mirum vice ו legentes affine ד; *bogedim* autem significat *contemptores* & præuaricatores, vel, vt alij apud S. Hieron. vertunt, *calumniatores*, vel declinantes Septuag. sequitur S. Paulus Act. 13. dicens: *Videte ergo ne superueniat vobis quod dictum est in Prophetis: Videte contemptores, & admiramini & disperdimini.* Quæres, vtra lectio est hīc genuina & canonica? Resp. Ribera & alij veram lectionem esse *baggoim*, id est *in gentibus*; quam legit Noster, Aquila, & alij plerique iam citati. lectionem tamē Septuag. putà *bogedim*, esto non sit ad literam, tamen cum sensu verborum prophæticorum congruere; quia ex antecedēntibus & sequentibus liquet hæc dici contemptoribus, putà Iudæis, qui iura Deique leges contemnebant. Verùm hæc responsio non satisfacit: quia etsi sequitur Septuag. & S. Paulum secutos esse veram, sed falsam lectionem S. Scripturæ: nempe pro *baggoim*, quæ vera est lectio, legerūt *bogedim*, vnde consequens est, eorum versionem non esse genuinam, nec canonicam; imò esse distortam & corruptam. Nam pro *in gentibus*, vt habet textus Scripturæ, ipsi suppposuerunt *contemptores*. Ad hæc alij alia, sed nodum non extricant, imò magis intricant. Secundò, alij respondent, gentes hīc idem esse quod contemptores. q.d. *Videte in gentibus*, id est videte gentes, putà Iudæos, qui inter gentium contēnunt ius & fas. Hæc responsio esset commoda, si τὸ *contemptores* esset accusatiui casus: iam autem est nominatiui, vt patet ex Græco κατα-φρονηταί. Hinc Tertiò, melius respondent Scripturā Hebræam fuisse variam, vel certè ambiguam, idq; ex intentione Spiritus sancti voluntatis vtramq; translationē, scilicet nostram & LXX. significare & stabilire, nimirum vt litera ד esset ambigua: si enim caput habeat breuius, est ר, si longius, est ד. Vnde per ו legi poterat *baggoim*, per *bogedim*, alijs & alijs punctis. Aut certè Propheta vtramque lectionem posuisse, nimirum vt in textu poneret vnam sine vocalibus (hæ enim olim in textu Hebræo non fuerunt) ad marginem alteram, significans vtrolibet modo legi posse. Vnde v.13. τὸ *bogedim* est in Hebræo. Sic enim Hebræi in Scriptura habent suū *keri* & *ketib*, quo multis in locis textus Hebraici aliter scribunt, aliter legunt: nimirum scribunt in textu lectionem tritam, sed veram & genuinam notant in margine. Idem faciunt subinde Scriptores Græci & Latini, cùm voces sunt similes, vnaque tantùm vel altera litera differentes, quarum vtraque præsenti loco congruit, & quælibet habet vim & energiam. Tale est illud Cicero nis, *Semper hic erro*. Et Satyrici: *Ille mendicum sanantis medicum esse mendicum*. Sic Gen. 31. Iacob dicitur adorasse מטה, quod Noster legens משה *mitta*, id est lectulum, vertit, *curuus ad lectuli caput*; Septuag. verò, & ex ijs S. Paulus Hebr. 11. 21. alijs punctis legentes מטה

id est virgam, vertunt, *adorauit fastigium virgæ*
licet Ioseph: vtraque ergo lectio & versio
nica, vt ostendi Hebr. 11. Sic Prouerb. 3.
Noster legens כְּאָב *keab*, id est *sicut pater*, ver-
pater in filio complacet sibi: Septuag. verò,
S. Paulus Hebr. 12. 6. alijs punctis legen-
כָּאַב *kaab*, id est *affligit, flagellat*, vertunt, *fla-*
gellat autem omnem filium quem recipit. Vtraque
ergo lectio & versio est canonica.

Dices, hisce locis tantùm mutari puncta, sed
easdem manere consonantes, quas solas Hebræi
attendunt; hic verò in *baggoim* & *bogedim*, mutari
quoque consonantes, scilicet *vau* in *dalet*. Resp:
Imò, atque magna est mutatio, siue vocales, si-
ue consonantes mutes: nam inter *mitta* & *matte*
rum pronunciationis & significationis est diffe-
tia, quanta est inter *lectum* & *virgam*; inter
kaab & *keab* tanta, quanta est inter *flagellat* & *sicut*
pater. Secundò, Oseæ 13. 14. Noster legit אָהִי *ehi*,
ero, vnde vertit, *ero mors tua ô mors*; Se-
rò verò, & ex ijs S. Paulus 1. Corinth. 15. 55.
mutatis, id est transpositis, consonantibus,
ubi, id est *vbi*, vnde vertunt, *vbi est mors victo-*
ria tua. Et tamen vtraque lectio & versio est ca-
nica. Sic Isaiæ 8. 9. Noster legit רֹעוּ *rou*, per
congregamini; Septuag. verò legentes
dalet, vertunt *scitote*. Sic Isaiæ 3. 12. *Mu-*
lieres dominatæ sunt eis, pro נֹשִׁים *nascim*, id est
usurarum. Septuag & Aquila legunt נֹגְשִׂים *noge-*
sim, id est *exactores*, fœneratores. Sic Thren. 2. 7.
Noster legit נָאַר *niets*, id est spreuit, *maledixit san-*
ctificationi suæ; Septuag. verò legentes נָאַר *nier*,
irritum fecit, execrit sanctificationem suam. Plu-
ra dat Leo Castrius Prolegom. in Isaiam c. 23. &
Vis & addit, cùm in Hebræo duplex est le-
tio vtraque lectionem admiranda præ se fer-
ideoque ex vbertate Spiritus sancti
esse, vt multis locis de industria sit du-
plicio, vt duplex sit sensus, & duplex rescre-
mysterium. Adijcit S. Augustin. libr. 18. de Ci-
44 Septuag. non ex se suoq; cerebro, sed
ductu Spiritus sancti aliter quædam ver-
dum sint in Hebræo. Nam scribens de loco
Prophetæ, quem Septuag. sic vertunt, *post*
Niniue subuertetur; cùm Hebraicè sic le-
, *post quadraginta dies Niniue subuertetur*,
hic duo mysteria esse significata à Spiritu
, alterum per Septuag. alterum hebraicè
Jonam Prophetam (vnde sentire videtur,
& alij viri graues senserunt, ipsos Septuag.
assistentiam Spiritus sancti, ex eiusque
one scripsisse, ac proinde ipsos fuisse
Prophetas & Scriptores hagiographos) ni-
Septuag. significasse, quòd Christus post
resurgeret; Hebræa verò, quòd post
descenderet in cælum. *In* 40. inquit, *die-*
bus quare, in quo & triduum poteris inuenire;
ascensione, hoc in eius resurrectione reperies.
habet l. 1. quæst. in Genes. c. 169 Sic hîc pro
Septuag vertunt, *contemptores*: quia
respiciunt tempora Christi, & perstrin-
Iudæos qui futuri erant contemptores
& Euangelij, idque accepta occasione ex
vocum Hebræarum *baggoim* & *boge-*
præsertim quia *baggoim* sic exponi potest, vt
quod *bagedim* in nominatiuo, nimirum si
interpreteris: *Aspicite*, ô Iudæi, qui estis *bag-*

A *goim*, id est in gentibus, hoc est instar gentium, *bogedim*, id est *contemptores* Dei & hominum. Quare si vtramque lectionem admittas, vtramque valdè appositè sic ordinabis; *Aspicite bogedim*, id est *contemptores*, *baggoim*, id est *in gentibus*, hoc est qui inter gentes & instar gentium, imò præ gentibus contemnitis iura & iussa Dei. Aut potiùs q.d. Aspicite, ô Iudæi contemptores Dei, in gentibus, id est gentes, putà Chaldæos, qui vos Iudæa exturbabunt; item Gentes quæ tempore Christi vos ex Ecclesia, & benedictione ac hereditate Abrahæ, putà fide, salute & electione Dei, expellent. Itaque versionis Septuag. & S. Pauli hic est sensus. Accusat Propheta Iudæos impios, ius & fas peruertentes, audaciæ & contemptus in Dominum, ait S. Hieron. quòd ausi
B sint Dei contemnere maiestatem, quasi ipsa non curaret suas leges, nec earum violatores esset punitura: ita enim liberè grassati sunt in alios, ac si nulla esset prouidentia, nullum numen, quod insontium iniurias vindicaret. q.d. Vos ô Iudæi, qui estis contemptores Dei & hominũ, aspicite opus horrendum vindictæ, quo ego hunc vestrum contemptũ castigabo. Adducam enim Chaldæos, qui funditus vos cum Hierosolyma exscindent. Porrò S. Paulus idipsum rectè adaptauit Iudæis sui æui, Christo incredulis eiusque contemptoribus, quia Iudæi prisci contemptores Prophetarum, fuerunt typus Iudæorum spernentiũ Christum; vnde & excidium illorum per Chaldæos, præfigurauit excidium horum per Titum & Romanos. Hoc est quod eis intentat Paulus dicens: *Videte ergo ne superueniat vobis quod dictum est in Prophetis: Videte cõtemptores, & admiramini, & dis-*
C *perdimini: quia opus ego operor in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarrauerit vobis*. q.d. Videte ô Iudæi ne contemnatis Christum & Euangeliũ, quod ego vobis annuncio. Si enim illud spreueritis, spernet pariter vos Deus, vti spreuit patres vestros. Abijciet enim & reprobabit vos, vestrumque regnum, templum & gentẽ delebit per Romanos, sicut deleuit maiores vestros per Chaldæos: atq; loco vestri surrogabit Gẽtes, easque sibi adoptabit in filios & heredes, vt vobis expulsis, illæ sint eius populus & Ecclesia, quasi veri Israelitæ & filij Abrahæ per fidem.

ADMIRAMINI ET OBSTVPESCITE] Hebr. הִתְמַהְמְהוּ תָּמָהוּ *himmehu temahu*, id est, vt Pagnin. *admiramini admiramini*, hoc est, valdè admiramini & obstupescite: geminatio enim eiusdẽ
D verbi apud Hebræos significat actionis vehemẽtiam, & gradum quasi superlatiuum. Septuag. & ex ijs S. Paulus vertunt, *admiramini & disperdimini*: quia pro ה legerunt ת, scilicet pro תָּמָהוּ *temahu* legerunt תִּמְּחוּ *timchu*, vel *temachu*, id est delemini, *disperdimini*. *Timchu* enim est futurum *cal*, à rad. מָחָה *macha*, id est deleuit, disperdidit. Vides hîc rursum duplicem lectionem & versionem, planè diuersam; nimirum *temahu*, id est *admiramini*; & *timchu*, id est *disperdimini*; vtramque canonicam. Iam *disperdimini*, id est disperdemini & delebimini, tum vos à Chaldæis, tum posteri vestri à Tito & Romanis.

ORVS] Scilicet excidij & vastitatis Hierosolymæ & templi, ac captiuitatis Iudæorum in Babylone, patrandũ per Nabuchodonosorẽ & Chaldæos. Vnde explicans subdit: *Ecce ego suscitabo Chaldæos*. Quod Allegoricè typus & præludium

erat excidij Hierosolymæ faciendi per Romanos; atque vastitatis spiritalis, id est excæcationis & reprobationis Iudæorum futuræ tempore Christi, vti docet S.Paulus Actor 13.41. Addit Leo Castrius lib.5 Apologetici num.147. per Chaldæos ad literam accipi Romanos, vastatores Iudæorum tempore Christi: quia, inquit, de Romanis hunc locum explicat S.Paulus Actor. 13. Verùm hoc parum est probabile. Nam S. Paulus & alij Apostoli non rarò citant Prophetas in sensu, non literali, sed allegorico.

FACTVM EST] Id est, mox fiet. Loquitur propheticè, nimirum de futuro per præteritum, ob futuri certitudinem, ac si iam factum esset.

QVOD NEMO CREDET CVM NARRABITVR] Hebr. & Septuag. *quod non credetis si enarretur*, vel, si quis enarrauerit, scilicet antequam fiat. Nam cùm fiet idipsum, non tantùm credetis, sed & oculis spectabitis. Nimirum Iudæi non poterant credere, templum Dei & ciuitatem sanctã, à Deo ipso tradendã infidelibus & impijs Chaldæis, ab eisque funditus euertendam & concremandam. Hoc enim eis tam insolens & inopinabile videbatur, vt omnem superaret fidem, imò cælum citiùs ruiturum crederent. Hinc illæ eorum voces obstreperæ minis Prophetarum: *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est*, Ierem.7.4.

VERS.6. QVIA ECCE EGO SVSCITABO CHALDÆOS] *Suscitabo*, scilicet indirectè & obiectiuè: nimirũ addendo Chaldæis animos, arma, socios; vosque ô Iudæi, ijs denudando, ita vt ipsi certa spe vos vestraque deuorent; atque idipsum directè ordinando ad iustam vestram punitionem, meritumque supplicium. Vide canon.35 & 36. quos præfixi Prophetis maioribus. Verbum *suscitabo* habet emphasim, q.d. Chaldæi vacant quieti, otio somnoque indulgent, non cogitant de Iudæa inuadenda: ecce ego eos ab hoc otio & somno suscitabo: injiciam enim eis cogitationem de Iudææ opibus, sceleribus meam iram prouocantibus, imbecillitate ad resistendum, alijsque similibus, quæ Chaldæos excitabunt ad eam bello appetendam.

GENTEM AMARAM] Id est trucem & ferocem, quæ suis armis perambulat & circumit, sibique subigit latitudinem totius terræ, putà omnium regionum in circuitu sibi adiacentium, vt eas non tantùm spolient, sed & stabiliter *possideant*, quasi *tabernacula*, olim *non sua*, iam verò sua, vtpote bello capta. Verè dixit Poeta:

Improbos aduersus improbos armat improbitas.

VERS.7. TERRIBILIS] Septuag. *illustris*: vtrumque enim significat Hebr. נורא *nora*. Nam si à rad. ראה *raa*, id est *vidit*, deducas, idem est quod *visibilis*, conspicua, illustris: sin à rad. ירא *iare*, id est *timuit*, denuo idem est quod *terribilis*, vt vertit Tigurina.

EX SEMETIPSA IVDICIVM ET ONVS EIVS EGREDIETVR] Pro *onus* hebr. est שאתו *seet*, quod Primò, Symmachus vertit δόγμα, id est decretum; Chald. *sententiam definitam*; Secundò, Vatabl. excellentiam & *magnificentiam*. q. d. Gloria & magnitudo imperij quam consequetur, ab ipsa egredietur, non ab externo: hoc est, orbis imperiũ obtinebit gens Chaldæa propria virtute, non alienis opibus & viribus. Tertiò, Noster cum Septuag. melius vertit *onus*, vel pondus: hoc enim propriè significat *seet*, vel משא *massa*, à rad. נשא *nasa*, id est tulit, portauit. Iam S.Hieron. Rupert & Lyran. hoc onus passiuè accipiunt. q.d. Chaldæi parant sibi iudicium & onus, putà Dei dictam & excidium, quod ipsi portabunt: sicut alios onerant suis cladibus, tributis, isque oneribus; ita pariter ijsdem onerabuntur Cyro qui Babylonem subiugabit. Melius Theodor. Theophyl. & Hugo hoc onus actiuè accipiunt, quod scilicet Chaldæi alijs gentibus victis imponunt. Agitur enim hîc de eorum bore, imperio & victorijs, vnde Symmachus tit, *ipsa sibi iudicabit, & decretum suum exe* q.d. Chaldæi ius omne ponunt in armis, ratione, non legibus ducuntur; sed pro sua nandi libidine & tyrannide decernunt de gentibus quod volunt, & quod statuerunt exequuntur, illudque quasi onus graue eis nunt. *Iudicium* ergo vocat decretum Chaldæorum de alijs gentibus vastandis, spoliandis, dendis; *onus* verò, huius decreti executio Vnde S.Hieron. sic quoque exponit, q.d. Chaldæi *iudicium*, id est iudices; & *onus*, id est tores, putà exactores, alijs gentibus imponens suo cœtui, qui eas suis exactionibus & tri onerent & expilent. Sensus ergo est: *iudi* quo scilicet Chaldæa gentes alias damnat, & exscindit, alijs verò miseretur & parcit; siue iugum, quo gentes vexat, *ex semetipsa* dietur, id est, ex sola eius voluntate, non ratione sed mera libidine orietur. Sic dicunt Iudæi belles Ieremiæ cap.44.17. *Faciemus omne* *quod egredietur de ore nostro*, id est faciemus quid nobis libuerit, non tibi, non Deo. Sic phrasis est Matth. 4.4 Deuter.8.3. & alibi.

Quartò, *seet* verti potest *exactio*, vel *tributum*. Gens Chaldæa ex seipsa suoque populo constituet iudices & exactores, non ex alijs populis qui gentibus à se subactis præsint, ab eis tributa exigant: sicut Romani passim per prouincias constituebant Præsides, Prætores, consules & Procuratores ex sua gente, putà manos & Italos: suis enim magis fidebant quam exteris.

LEVIORES PARDIS EQVI EIVS] Pardus mal est sæuum & maculosum, cuius femina dalis & panthera nuncupatur, de quo P lib.10.73. scribit: *Insidunt in eadem Africa condensa arbore, occultatiq; eius ramis in prætia desiliunt, atque è volucrum sede grassantur* pardos in Brasilia ex arboribus desilire in Lusitanos prætereuntes, eosque discerpere rarunt mihi Romæ Patres nostri, qui in Br multo tempore vixerunt. Hinc à Claudian di vocantur *fulminei*: quia instar fulminis ex in subiecta irruunt. Ita Alexander Macedo belli fuit fulmen (quem proinde Apelles manu tenentem fulgur perstringens orbem celerrimè & potentissimè eum peruasit & gauit) Daniel.c.7.6. comparatur pardo, eadem fusiùs explicui. Vbi politicè & mo Nota. In prælijs rebusque quibuslibet cordis, multum facit celeritas, vt quod matur fultaueris, velociter exequaris. Vnde Alex rogatus, qua ratione orbis imperium ob set, respondit: *nihil cunctando*, id est cele qua velut fulgur omnia perstrinxit & pe dit. Sic Iulius Cæsar, cùm Pharnaces

congressu vicisset, inquit Plutarch. in Apophth. A Ægyptijs hieroglyphicum intrepiditatis & constantiæ in calamitatibus, erat hyænæ pellis. Eamdem valere contra latratus & morsus canum, etiam rabidorum, tradunt Plinius & Oppianus. Et tamen hyænæ cor maximum est, vt & reliquis timidis, putà muribus, lepori, asino, ceruo, pantheræ, mustelæ, ait Aristot. & Plinius libr. 11. c. 37. Hyænam alternis annis mutare sexum, esseque marem & feminam, tradunt Oppianus, Plinius lib. 8. cap. 30. Horus & alij: sed id commentitium esse censet Aristoteles libr. 6. Histor. Anim. c. 32. Porrò Habacuc rectè equos Chaldæorum comparat hyænis: quia hyænæ iubas habent vt equi, sed seta duriore longioreque, & per totum dorsum porrecta.

Huic sententiæ vnum obstat, quòd scilicet B hyænæ non sint lupi, sed species animalis à lupis diuersa. Respondet Gueuara, hyænas quoque luporum nomine censeri. Probat ex Oppiano lib. 3. de Venatione, cuius versus Græcos ita latinè reddidit Iohannes Bodinus:

Nunc duo, Diua, refer genera exitiosa luporum,
Serratis armata ferentes dentibus arma:
Nempe ouium mactatores (lupos communes)
cæcas quoque hyænas.

Verùm, vt rectè aduertit Ribera, τὸ *luporum* non est in Græco. Oppianus ergo tantùm vult dicere, in Æthiopia extrema duo esse genera ferarum quæ serratos habeant dentes, scilicet lupum & hyænam. Dici tamen posset pro Gueuara, hyænas, esto propriè non sint lupi, ad eos tamen referri. Vnde Gesnerus in lupo, inter feras lupo congeneres numerat hyænas, lynces (qui & lupi canarij vocantur) pantheres, lycaones, & thoes, qui ex hyæna & lupo generantur. Est enim hyæna lupo similis, ait Philoponus, & ex eo Niphus. Et Aristot. l. 6. Histor. Animal. c. 32. *Hyæna*, ait, *colore lupi propè est, sed hirsutior, & iuba per totũ dorsum prædita est.* Quocirca Arabes hyænam vocant *alzabo*, quod idem est cum Hebræo זְאֵב *zeeb*, id est lupus: *al* enim est articulus, quem Arabes passim nominibus præponunt. Multa namque lupo & hyænæ communia sunt, scilicet primò, magnitudo; secundò, color; tertiò, voracitas. quartò, insidiæ, quas alijs animalibus moliuntur: illæ gregibus ouium & caprarum, hæc canibus & homini quandoque; quintò, dentes vtrisque serrati, genitalia vtrisque similia; sextò, vtrique noctu vagantur cibi causa, lupus vrgente fame, hyæna necessariò ferè: quia acriùs noctu videt, interdiu hallucinatur, vti feles. Hæc omnia ex Æliano, Plinio, Arist. Oppiano & Solino tradit Gesnerus in lupo, & in hyæna: ex quibus probabiliter censet, lupos vespertinos esse hyænas.

Secundò, alij passim hîc lupos propriè dictos accipiunt, ijsque censent comparari Chaldæos equites. Lupi enim generosi, feroces & insidiosi sunt, ait Aristot. Vnde Isidorus lib. 12. Origin. cap. 2. censet *lupos* vocari quasi *leopos*, eò quòd quasi leonibus, in pedibus illis sit virtus: nam quidquid pedibus presserint, enecant. Insuper lupi voraciissimi sunt, & penè insatiabiles: vorant potiùs, quàm comedant: pilos & ossa glutiunt, eaque integra rursus aluo reddunt. Iam τὸ *vespertini*, est epithetum commune luporum: hi enim vespere & noctu grassantur. Vnde Virg. Georg. 1. *Per noctem resonare lupis vlulantibus vrbes.* Hinc & lupus græcè dicitur λυκὸς, id est lucens.

Vespertinus vocatur quinis lupus. Curt.

Quippe dies illi nox est, atrasq; tenebras
Consequitur passim, lucem pertæsa coruscam,

Oppian. lib. 3. de Venatione. Hyæna enim C
[illegible]dior est, voracior & astutior (vnde & in mil[illegible]ores transit, si credimus Plinio lib. 11. c. 37.)
[illegible]e, canumque implacabilis hostis. Vomitus
[illegible]que humanos mentitur, vt canes alliciat; fal[illegible]singultibus sollicitatos deuorat. Molitur
[illegible]i etiam insidias, sequiturque stabula pa[illegible]rum, & auditu assiduo addiscit eorum vo[illegible]em, quod exprimere possit imitatione vocis
[illegible]æ, vt in hominem astu accitum nocte sæ[illegible]. Adeò enim carnis hominum est auida, vt
[illegible]palchra effodiat, eruatque cadauera. ita
[illegible]. lib. 6. c. 30. Solinus Polyhist. c. 40 & alij.
[illegible]. & Arabicus Alexandrinus pro עֶרֶב
[illegible], id est vespera, alijs punctis legentes עֲרָב
[illegible]vertunt, *lupos Arabiæ*, id est lupos prædones
[illegible]latrones. Arabes enim latrocinijs erant infa[illegible]: inde Arabs sumitur pro prædone, sicut
[illegible]æus pro mercatore, Bœotus pro hebeti,
[illegible]eus pro ariolo, ait Delrio. Nam, vt ait Ari- D
[illegible]. 6. de Mirandis naturæ audit. est in Arabia
[illegible]arum quoddam genus, quod cùm belluam
[illegible] hominem præuiderit, eos obmutescere fa[illegible]ac sic in vestigio hærere, vt corpora mouere
[illegible]ecant. Sic & Ælianus, & Solinus Polyhist.
[illegible]scribunt, hyænas habere vim soporiferam,
[illegible]anes & homines torpidos, stupidos & elin[illegible]faciant, itaque eos capere & suffocare. Idem
[illegible] Herodotus lib 4. & Plinius lib. 6. cap. 30.
[illegible] Cælius libr. 29. cap. 6. scribit hyænæ pel[illegible]non tangi fulmine. Quin & Horus Apollo
[illegible]ngl. Si quis, inquit, hyænæ pellem sibi cir[illegible]ponat, intrepidè per medios hostes transi[illegible]ssus (malim hoc credere, quàm experiri.
[illegible] Poloni equites vt hostes percellant, lu[illegible]pum exuuias induunt & ostentant.) Proinde

cens. Nam oculi eius, æquè ac capræ, splendent, & lucem noctu oculantur, ait Plinius l.11.c.37. Lupi ergo cognominantur vespertini, quia per diem ob metum venatorum, in antris quiescunt ieiuni: vndè vespere noctuque fame rabidi ad prædam egrediuntur, & obuia quæque lacerant vorantque. ita S.Hieron. Alij insuper edaciores, noctu consumpta præda vespertina, manè rursum ad prædam egrediuntur, dicique; possunt lupi matutini. Porrò quanta sit luporum noctu ferocitas, graphicè describit Virg. Æneid.l.9.

Ac veluti pleno lupus insidiatus ouili,
Cùm fremit ad caulas, ventos perpessus & imbres,
Nocte super media, tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille asper & improbus ira
Sæuit in absentes: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & ficca sanguine fauces.

Vespere ergo lupus acutissimus est, audacissimus & sæuissimus, vipote qui non tantùm famem, sed & crudelitatem suam exsatiare velit. Vnde noctu multa milliaria conficit, ac vbi ad ouile aliamue prædam peruenit, omnia loca circumit, omnes aditus tentat, vndique procurrit, omnia circumspicit, vt irrumpat & præda potiatur. Hinc Ierem.c.5.6. lupum vespertinum, vocat lupum ad vesperam, scilicet sæuientem & grassantem: & Oppianus libr.1.de Venat. lupum vocat νυκτιφοιτον, id est noctu ambulonem.

Lupus vespert. est diabolus & gula.

Hæc omnia allegoricè facile est adaptare diabolo, & tropologicè gulæ & improbitati: vtriusque enim symbolum, imago & exemplum est lupus vespertinus. Nam & diabolus nocturnus est, & in tenebris perambulat, psal.90.v.5.& 6. Vnde in Completorio monet Ecclesia, canitque illud S.Petri, *Fratres sobrij estote & vigilate: quia aduersarius vester diabolus, tamquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret.* Vespere enim sollicitat homines ad crapulam, venerem, rixas, cædes. Vnde Poëta:

Nox & amor, vinumq; nihil moderabile suadent;
Illa pudore caret, Liber amorq; metu.

Accedit, quòd diabolus sæpè in lupū se & magos suos trasformet: tales enim sunt lycanthropi, putà homines qui per magiam ope dæmonis se in speciem, æquè ac ferociam luporum transmutant, oues que & homines inuadunt & dilaniant. de quibus multa Delrio in Magicis. Inde & Gentiles per lupos contra venefica remedia præstari opinati sunt. Vnde Plinius lib.28. cap.10. *Venefici*, ait, *rostrum lupi inueteratum resilire aiunt, ob idq; villarum portu præfigunt. Hoc idem præstare & pellis è ceruice solida existimatur; quippe tanta est vis animalis, præter ea quæ retulimus, vt vestigia eius calcata equis afferant torporem.* Hinc & lupus hominem raucum vel elinguem reddere vulgò creditur, si primus eum inspiciat. Vnde illud Virgil. eclog 9.

Vox quoque Mœrim
Iam fugit ipsa: lupi Mœrim vidêre priores.

Vbi id clarè docet Seruius, & Isidor.l.12. Orig.c.2 qui & addit: *Vnde & subitò tacenti dicitur: Lupus in fabula. Certè si se prius visum senserit, deponet feritatis audaciam.* Et Plinius l.8.c.22. *In Italia quoque creditur*, ait, *luporum visu esse noxius, vocemq; homini, quem priores contemplentur, adimere ad præsens.* Sic diabolus fauces peccatori, iniecto pudore metuque claudit, ne peccatum confiteatur, & veniam, opemue, aut consilium mali sui quærat.

A Insuper diabolus instar hyænæ & lupi, cadaueribus & mortibus hominum pascitur; canibus, id est prædicatoribus, insidiatur, vt ijs euersis vel amotis, oues diripiat. Hinc & eorum voces imitatur, dum se transfigurat in angelum lucis. Multos enim sapientes decipit specie boni, qua sua fraudes obtegit. Lupi ergo vespertini tropol. sunt dæmones, ait S.Hieron. Item rapaces Prælati, iudices. Adhæc hæretici: hos enim lupis comparat Christus Matth.7.15. qui ouium pellibus seduti incautos decipiunt, & specie veri, tenebras offundunt. hinc & sub vesperam suos cœtus celebrare solent. Hæretici enim quasi lupi famelici & hiantes caulas Ecclesiæ circumeunt, vt fideles ex ijs auellant & perdant, atque Arabum more latrocinijs & cædibus Catholicorum ditiones & regna depopulantur, vti nostro æuo in Anglia, B Scotia, Hollandia, Francia, Hungaria, &c. eos fecisse vidimus.

VOLABVNT QVASI AQVILA] quæ rapax & ferox, ex alto in leporem aliamue prædam ferens inuolat cum impetu *instar torment*i, id est bombardæ dum globum eiaculatur, ait Isidor.l.18.c.7. Alludit ad aquilas, quas Chaldæi in vexillis præferebant, æquè ac postea Romani: vnde aquilifer aciei erat & vocabatur aquilifer. Auidius lib.5. Fastor.

Signa decus belli Parthus Romana tenebat,
Romanæq; aquilæ signifer hostis erat.

Et Lucan.lib.1.

Vt notæ fulsere aquilæ, Romanaq; signa.

Hinc Ezechiel c.19 & Ieremias sæpè Nabuchodonosorem & Chaldæos vocat aquilas. Notat pardis Chaldæorum indicat sæuitiam, in lupo C voracitatem, in aquilis rapacitatem. Quocirca eosdem Ieremias c.5.6. comparat leoni, pardo, lupo. *Idcirco*, inquit, *percussit eos* (Iudæos) *leo de silua, lupus ad vesperam vastauit eos, pardus vigilans per ciuitates eorum.*

Porrò appositè equites & equos Chaldæorum comparat pardo, lupo, aquilis: quia ad bellici pernicitate veloces sunt, & animosi feroces vincendi consuetudine ferociores evadunt, gaudent sanguine effuso, aclitus tubis auditis exultant, vt ait Iob c.39.21. & Virgil.l.3.Georg.

Si qua sonum procul arma dedêre,
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumq; premens volvit sub naribus ignem.

Additque cæteris præstare equos Chaldæorum

Armenij Siculis, Parthiq; Euphratis ad vndam
Præstant.

D Idem clariùs docet Oppianus, dicens:

Qui habitant virides Euphratis ad vndas,
Magnanimis vtuntur equis in bella leonum.
Lumina glauca vibrant, & magnū in pectore robur
Efferat audaces animos ad seruida bella.
Accedit leuitas cursus, quodq; ora leonis
Intrepidè perferre valent, vocesq; superbas:
Cùm reliqui fremitus nequeant tolerare minaces.

OMNES AD PRAEDAM VENIENT] Figurate, quia eorum ad hoc venit, vt vim inferat; Vatabl. nes venient ad rapinam, vt scilicet Iudæos exlent; Pagnin. *tota gens propter rapinam venit.*

Moral. S. Augustin. in psal.123. *Ideo*, inquit, *rit te raptor maior, quia inuenit minorē: ideo rit maior aquila, quia prior cepisti leporem: fuit minor, præda erit maior.*

F

FACIES EORVM VENTVS VRENS] Intellige nomen similitudinis *sicut*, vel *instar*, q.d. Chaldæi instar venti vrentis, vel auruginis omnia arefacient & vastabunt. Pagnin vertit *ex aduerso faciei earum venient ad Orientem*. Chald. *aspectus eorum similis est vento vehementi, qui colligit quasi arenam captiuitatem*; Tigurina, *quidquid faciebus earum obijcitur flaccidum fit, vt si vredo exussisset*; Vatabl. *aspectus*, vel *oppositio facierum eorum erit tamquam ventus Orientalis*. Hic ventus in terra sancta est vehementissimus. Sensus est q.d. Impressio Chaldæorum aduentantium erit intolerabilis, vt in Iudæa est ventus Orientalis. Sic Genuæ, & in montanis Italiæ locis procellosus est ventus turbinis, qui à Græcis vocatur ecnephias, quòd è nube erumpat; adeò vt stabula cum equis in altum efferat, transferat, elidat, vti mihi Romæ viri grauis oculati testes affirmarunt. A B

ET CONGREGABIT QVASI ARENAM, CAPTIVITATEM] q.d. Sicut ventus in Iudæa congregat arenas, sic Chaldæi ex eadem congregabunt captiuos. ita Chald. & Tigurina. Innuit plurimos fore captiuos, vti plurima est arena. Est metonymia: nam abstractum ponitur pro concreto, captiuitas pro captiuis. Sic Christus ascendens cum triumpho in cælū, dicitur captiuā duxisse captiuitē: id est captiuos duxisse sanctos, quos è captiuitate diaboli eruit, suos fecit, meliori iā sorte ditatos, vtpote qua eos in libertatē filiorum Dei asseruit, Ephes. 4. 8. Nota. De Chaldæis nunc loquitur in plurali, dicens, *Dissundentur, volabunt*, nunc; nunc in singulari, dicens, *Congregabit, congregabit, comportabit*, intelligens exercitū, vel certè ducem regemque eorum, putà Nabuchodonosorem. Hæc omnia tropologicè facilè est adaptare diabolo, cuius minister & flagellum fuit Nabuchodonosor: ipse enim sæuit vt pardus, lupus & aquila, plurimosque capit, & in abyssum demergit ludens & ridens. C

ET IPSE] scilicet Nabuchodonosor, gentis Chaldææ princeps. Nota. Scriptura mistim nūc de gente, nunc de eius principe loquitur. Hæc enim politicè sunt vnum, putà vnus exercitus, vnum imperium, quod totum pendet à suo principe: sicut totum corpus pendet à capite. Hoc vera est in bellis, vbi victoriæ causa est animosus, vigil & sagax imperator. Vnde celebre est illud: *Fortior est exercitus cernorum duce leone, quàm leo cornuto duce cerno.*

TYRANNI RIDICVLI EIVS ERVNT] q.d. Reges & principes ludibrio habebit Nabuchodonosor, sicut eos suos mortiones, equisones, imò scabellopedum; vti Sapores fecit Aureliano Cæsari, & Tamberlanes Baiazeti Turcarum Imperatori. ita Hieron. Secundò, *ridiculi*, vel, vt hebr. *risus eius erunt*: quia ipse potentissimus, deridebit eorum arma & copias. Vnde explicans subdit: D

IPSE SVPER OMNEM MVNITIONEM RIDEBIT] q.d. Ipse munitiones quasuis despiciet, quasi ridens & ludens eas expugnabit. ita Theodor. Vatabl. & Arias. Significanter vertunt Septuag. *tyrannorum eius παίγνια*, id est ludibria. quomodo dixit Imp prælio victus dixit: *Dei ludibrium est Syrus*. Syrus & Arabicus, *ipse reges deridebit, & principes subsannabit.*

CONGREGABIT AGGEREM, ET CAPIET EAM] Aggere dicitur aggerata, id est congesta, terra, iuxta illud Virg. Æneid. 9. *Et fossas agere complent.*

Cornel. in Proph. Min.

vbi Seruius, *Agger*, ait, *est cuiuslibet rei coacernatio vnde fossa aut valles repleri possunt.* Significat Habacuc maximè aggerem, quem per tredecim annos comportarunt Chaldæi circa Tyrum, vt mare, quod illam cingebat, implerent, itaq; ex insula facerent continentem, quam pedibus inuadere & expugnare possunt, vti tandem fecerunt. de quo dixi Ezech. 29. 18. Rursum solent duces, cùm metantur castra, ea cingere & munire contra insultus hostium aggere, id est vallo & fossa instar ciuitatis. vnde Virgil. 7. Æneid.

Primusq; in littore sedes
Castrorum in morem pinus atque aggere cingit.

Insuper solent per aggeres obsidere & oppugnare vrbes. Vnde Cicero epist. ad Catonem lib. 13. *Vallo & fossa circumdedi: sex castellis castrisq; maximis sepsi: aggere, vineis, turribus oppugnaui.* Sic Virgil. 6. Æneid. Alpes vocat aggeres, id est muros & munimenta, Italiæ. Hebr. pro *aggerem* est עָפָר *aphar*, id est puluerem, quod Christ. à Castro sic exponit, q.d. Nabuchodonosor faciet altissimos aggeres ex puluere, vt eius insperſione, flatu oppositi venti facta, oculos, nares & fauces repugnantium offundat, & enecet; qua arte Sertorium expugnasse Charatinos, narrat Plutarch. in eius vita. Quocirca axioma est bellicum: *Duci captandum esse solem & ventum*, vt vtrumq; habeat sibi secundum, & hosti aduersum. Verùm nostra versio melior est, & communem castrorum aggerem significat: hic enim fit è terra, puluere, saxis, lignis omniq; re. Adde, Hebræos *aphar*, id est puluerem, vocare quamlibet terram. Vnde Adam dicitur factus è puluere, id est è terra, iuxta illud Gen. 3. 19. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.*

VERS. II.

TVNC MVTABITVR SPIRITVS] q.d. Nabuchodonosor elatus tot victorijs, se non capiet, sed spiritus altos sumet, putans se esse Numen quoddam inuictum, ideoque adorari volet in statua aurea, quam eriget, & omnes adorare compellet, Daniel. 3. 1. Quocirca Deo vlciscente mutabitur spiritus eius humanus in belluinum, vt ex homine fiat quasi bos, ideoque regno expellatur, transeat & corruat, ac quasi quadrupes in siluis cum feris vitam agat, Daniel. 4. 30. ita S. Hieronym. Albert. & Lyran. Simili modo ob tot victorias, tantamque Monarchiam, mutabitur spiritus gentis Chaldææ in superbiam & fastum, ideoque pertransibit eius imperium, & corruet in Balsasare, exscindendum à Cyro & Persis, inquit Arias & Vatabl. Vnde Chaldæus vertit, *propter elationem spiritus eius translatum est regnum*; aliter Septuag. *tunc mutabit spiritum, & pertransiet, & propitiabitur. hæc est fortitudo Dei mei.* quod Theodor. sic explicat, q.d. Cùm Deus sat castigarit Iudæos per Chaldæos, tunc iram commutabit in misericordiam, ac misericors erit, & acerbitates leniet, scilicet cùm Cyrum liberatorem adducet, cui robur inuictum, indeque victorias præclarissimas dabit.

ET CORRVET] Hebr. אָשַׁם *aſcam*, id est Primò, *delinquet*; Secundò, *delictum expiabit*, per metonymiam, qua delictum & peccatum in Leuitico, sæpè significat hostiam pro peccato. Vnde Septuag. vertunt, *propitiabitur*. Tertiò, אָשַׁם *aſcam*, hebr. sæpè ponitur pro vicino שָׁמֵם *ſcamam*, id id deficere, desolari, corrueret: cognata enim

sunt culpa & pœna, siue delictum & desolatio: A hæc enim indiuiduus illius est comes, perinde vt carnifex est rei, quem ducit ad supplicium. vnde Noster rectè cum Aquila & Symmacho, pro *deliquet* vertit, *deficiet*, corruet, præsertim quia defectus & ruina est delictum & peccatum, non moris & vitij, sed naturæ. Ex tribus hisce significatis triplex hîc oritur versio & interpretatio. Primò enim Chald. vertit, *deliquit & peccauit, eò quòd multiplicauit gloriam Deo suo*, quia scilicet impensè coluit suos deos, non Deum verum. Secundò, Septuag. *tunc mutabit spiritum, & pertransiet, & propitiabitur. Hæc est fortitudo Dei mei.* q.d. ait S. Hieron. Deus vltione Iudæorum per Chaldæos peracta, mutabit spiritum iræ in spiritum misericordiæ: vnde pertransibit eos, nec vlteriùs puniet, sed sat punitis propitiabitur. Tertiò, optimè Noster vertit, *& deficiet*, vel corruet, iuxta sensum paulò antè assignatum. Sic enim *ascam*, id est delinquere, sæpè significat deficere; vt, *Et non delinquent*, id est non deficient, *omnes qui sperant in eo*, psalm. 33 23. Simile est Ezech. 6. 6. in Hebræo, Ioëlis 1. 18. & alibi. B

HÆC EST FORTITVDO EIVS DEI SVI] quam scilicet iactat esse Dei sui, quam Deo suo acceptam refert. q.d. Tam imbellis, modica & breuis est fortitudo, victoriæ & triumphi Nabuchodonosoris, quos ipse Deo suo, putà Belo, asscribit. Nam, vt paulò antè dixi, hæc omnis ilico in Balsasare corruet, occidente eum Cyro. Est ironia, & sarcasmus, siue hostilis irrisio. Aliter à Castro, q.d. Nabuchodonosor victorijs elatus superbiet, & in id scelus corruet, vt veri Dei oblitus, tribuat virtuti Dei sui Beli partas victorias. Septuag. vertunt, *hæc est fortitudo Deo meo*, quod sic explicat Theodor. Propheta inquit, obstupescens ad Dei misericordiam, ex ira commutatam in Cyro liberatore Iudæorum, exclamat: Hæc est fortitudo Dei mei. Tibi soli Domine adest potestas & puniendi pro arbitrio, & commutandi vltionem in misericordiã. Verùm Hebr. habent, *Dei eius*, & Chald. *idoli sui*. Quare nostra versio & explicatio est germanior. Vnde & Syrus vertit, *deuincetur virtus eius cum Deo suo*; Arabicus, *obediet virtus eius Deo*, non suo ficto, sed vero Israelis. C

12. Numquid non tu à principio Domine Deus meus, sancte meus, & non moriemur? Domine in iudicium posuisti eum: & fortem, vt corriperes, fundasti eum. D

13. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. quare respicis super iniqua agentes, & taces deuorante impio iustiorem se?

14. Et facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem.

15. Totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum. Super hoc lætabitur & exultabit,

16. propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo: quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius electus.

17. Propter hoc ergo expandit sagenam suam, & semper interficere Gentes non parcet.

NVMQVID NON TV A PRINCIPIO DOMINE] Propheta post prophetiam de Chaldæorum rabore & tyrannide, ac Iudæorum per eos exidio, hîc de eo dolens & ingemiscens conuertse ad orationem, Deumque obsecrat vt tantam Iudæorum stragem auertat, nec sinat minas hace impleri, sed populo suo misereatur & parcet. q.d. Tu Domine es Deus noster, tu sanctè à nobis colerisin sancto templo tuo. Tues sanctus ille noster antiquus, qui patres nostros dilexisti & elegisti semen eorum post eos. Tu es qui sanctum fœdus cum ipsis iniuisti, sancteque promisisti te fore eorum & posterorum Deum. Tu nos tibi in populum sanctificasti, & ab alijs gentibus infidelibus & impijs, quasi tuum peculium segregasti, noscque sancta tua lege, prophetis, sacrificijs, miraculis, beneficijsque plurimis decorasti, ac tibi & tuæ sanctitati arctissimè obstrinxisti: non ergo patieris nos ab impijs Chaldæis vastari: quare te, vti speramus & obsecramus, tantæ *non moriemur*, vt illi minantur. Aliter Iohan. Alba Electorum cap. 64. *Numquid non tu a principio? A* ponitur, inquit, pro *ante*. q.d. Tu ante omne rerum principium, tu es æternus. E quia Æternum Hebræis significat quod magnum est in genere suo, hinc esse à principio, vel etiã æternum, significat esse potentissimum. Potest & Æternum accipi pro misericorde. q.d. Numquid non ô Domine tu es summè potens & misericors? Vtique. Ostende ergo in nos miseros & penè consumptos tuam omnipotentiam & misericordiam, quam semper à principio huius usque in nos & patres nostros ostendisti. Hæc Alba, qui & addit: sic & sanctus magnum, regem potentemque significat: & sanctum, id quod magnum est & excellens.

Nota Primò. Dicit, *non moriemur*, asserendo non autem, *non moriamur*, optatiuè, esto idipsum obsecret; ad efficaciam orationis, vt scilicet eam tam spem, & quasi fidem non moriendi significet, eaque constringat Deum, ne eos mori sinat. Quis enim sperauit in Deum, & confusus est? Nam, vt ait S. Bernard. serm 3. de Annunc. Domin. *Deus oleum misericordiæ ponit in vase fiducia*. Expeditiùs dicemus, repetendam esse vocem *numquid* quæ præcessit. q.d. Numquid non moriemur, cùm te habeamus Deum protectorem sanctum & æternum? Syrus Vaticanus pro, *non moriemur*, habet, *sine lege*; Arabicus, *sine similitudine*. Sic enim vertit Syrus, *quoniam tu es à principio Domine Deus meus sanctus, sine lege aliqua*, hoc est, nulla lege, nullo decreto, nulla determinatione, nullo fato constringeris.

Nota Secundò. Pro לֹא נָמוּת *lo namut* id est nõ moriemur, aliqui codices legunt לֹא תָמוּת *lo tamut*, id est non morieris. q.d. Tu Domine, vti sanctus, ita es & immortalis: quare non permittas nos mori, & à Chaldæis occidi. Nam enim, æquè ac illorum dij, vt impij, ita & mortales, infirmi & corruptibiles sunt, ac à te contemnentur, mortique præsenti & æternæ addicentur.

Vide Chald. vertit, *tu Deus iudex verus super omnes creaturas tuas, & sanctus in operibus tuis: verbum tuum in secula permanet Domine.* q.d. Conserua nos, vt promisisti. fidelis & stabilis es, fac ergo nos stabiles immortalis es, ne ergo sinas nos mori, sed fac nos tui similes, & quasi immortales.

Nota Tertiò, quadruplicem antithesin. Opponit enim Deum idolis & hominibus: Primò, quòd Deus sit *à principio*, putà ab æterno. q.d. Deus æternus est, idola & Chaldæi temporanei sunt, modicoque tempore duraturi. Secundò, Deus est omnium creator & dominus, idola & Chaldæi creaturæ sunt & serui. Tertiò, ipse est Deus immensus, immortalis, omnipotens, &c. illi sunt hominum plasmata exigua, caduca, infirma. Quartò, Deus est sanctus, ipsaque per essentiam sanctitas summa & perfectissima; illi impuri sunt & scelerati. q.d. Destrue ergo ô Domine, idola & Chaldæos, tot nominibus tibi è diametro oppositos & inimicos. Porrò ad maius pactum, maioremque affectum & obsecrationem, vt gratiam à Deo eblandiatur, vocat eum *Deus meus, sancte meus*, non, noster: tum quia Propheta hic loquitur in persona populi, qui collectiuè est vnus & singularis: personam enim populi sibi suscipit & induit, vtpote vnus & primarius è populo, vt in se, & secum totũ populũ supplex Deo constituat, itaque tot capitũ numero arctas preces Deo offerat, veniamq; extorqueat: tum quia Deus cuiusque fidelis & iusti, tam est Deus, id est pater, prouisor, custos, amicus, &c. ac si eius solius esset Deus. Sic ait S. August. l. 3. Confess. c. 11. *O tu bono omnipotens, qui sic vnumquemque nostrũm curas, ac si solum cures: & sic omnes, tanquam singulos.* Et S. Paulus ait, Christum sibi suum: *Qui*, inquit, *dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, Galat. 2. 20.

DOMINE IN IVDICIVM POSVISTI EVM] Est Concessio. q.d. Fatemur te Domine misisse Nabuchodonosorẽ *in iudicium*, id est in iustam vindictam, vt scilicet per eum quasi per virgam, castigares peccata nostra & aliarum gentium, idque eum fortem effecisti.

FVNDASTI] firmasti & roborasti Nabuchodonosorem tot opibus, viribus, copijs, imperijs, regnis.

MVNDI SVNT OCVLI TVI, NE VIDEAS MALVM] Videre, id est approbes & faueas. Est catachresis: quæ enim approbamus, quæque nobis placent & grata sunt, ea continuè & lætè aspicimus: quæ verò odiosa & ingrata sunt, ab his oculos auertimus. Vnde Virgil.

Dina solo fixos oculos auersa tenebat.

Et vulgò dicitur: *Vbi oculus, ibi amor: vbi manus, ibi dolor.* Sensus est, q.d. Tui oculi, tuaq; mens mundissima & iustissima est; quare malum, id est peccatum & iniuriam, æquis & benignis oculis aspicere & videre nequis, vt illi faueas, & pro illo pugnes. Cur ergo respicis super Chaldæos iniqua agentes, violentos & iniurios, ac permittis vt nos deuorent? Esto enim simus peccatores & iniusti; Chaldæis tamen, vtpote idololatris & tyrannis, meliores & iustiores sumus. Sufficiat ergo Domine, quòd peccata nostra per eos leuiter castigesas ne sinas nos per eos exscindi & disperdi. Sic enim videberis fauere tyrannis & idololatris contra tuos fideles & cultores; ac idololatræ iactabunt te fauere eorum tyrãnidi & idolatriæ: aut certè te non posse, vel non velle, auxiliari populo tibi deuoto.

Nota. Propheta hîc non obmurmurat Deo, vt blasphemat Caluin. sed ex dolore liberè queritur, deprecatur, & amicè expostulat cum Deo, quòd velit Iudæos punire & vastare per Chaldæos Iudæis peiores. Sic improborum prosperitatem indolet & admiratur Dauid psalm. 72. 12. Ieremias c. 12. 1. Iob cap. 21. 7. Aliter respondet S. Hieron. hæc dici à Propheta, *non quòd ipse sic sentiat, sed quòd impatientiam humanam in sua persona exprimat: sicut frequenter videmus Apostolum varias hominum in se recipere sententias, & nunc dicere: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Rom. 7. *Et quasi incipiens sit: Fratres ego non arbitror me comprehendisse. Ac rursum quasi perfectus sit: Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus.* Philip. 3. Et: *Hæc autem fratres transfiguraui in me & Apollo propter vos, vt in nobis discatis*, &c.

MVNDI SVNT OCVLI TVI, NE VIDEAS MALVM] Cùm enim sis ipsa munditia & sanctitas, extremè odis omne peccatum, ideoque *perdes omnes qui operantur iniquitatem*, psalm. 5. Nam sicut lux aduersatur tenebris, easque naturaliter auersatur & odit, ac pulchritudo turpitudini, & puritas maculis sordibusque, & rectitudo obliquitati, & vita morti, & bonitas malitiæ, ita & sanctitas auersatur & execratur omne peccatum. Quare sicuti Deus necessariò sanctitatem amat infinito amore, ita necessariò peccatum perfectum & mortale odit infinito odio. Cuius odij signa dat multa. Nam Primò, ob peccatum mortale priuat hominem infinito bono, nimirum possessione ipsius Dei. Secundò, quia ob illud infligit peccatori infinitum cruciatum & opprobrium, nimirum incendia æterna gehennæ. Tertiò, quia, etiamsi quis haberet merita infinita, ea tamen omnia aboleret Deus ob vnum peccatum lethale. Quartò, quia filium suum ad delendum peccatum, infinitam humiliationem & afflictionem subire voluit. Talis enim fuit eius incarnatio & mors, qua, vt ait Apostolus, *semetipsum exinaniuit*, id est, ex omni fecit se quasi inane & nihil, Philip. 2. Deum æmulantur Sancti, qui proinde immensè oderunt peccatum, tam in se, quàm in alijs; ideoque omni modo satagunt vt illud aboleatur, dum suo zelo iustos in iustitia conseruant, peccatores à peccato ad iustitiam traducunt. *Deus odit peccatum mort. infinito odio.*

Porrò sanctitas consistit in conformitate cum lege æterna, quæ est in mente Dei. Is enim perfectus & sanctus est, cuius voluntas & opera exactè conformantur legi æternæ, putà menti & voluntati Dei. Voluntas enim Dei cùm reipsa sit eadem cum mente & intellectu suo, ideoque necessariò & essentialiter legi æternæ conformis sit, & ex æquo respondeat; hinc pariter ipsa est mensura & regula omnis sanctitatis: & quia hæc conformitas in Deo est infinita, hinc pariter infinita est eius sanctitas. Quare Secundò, sanctitas consistit in amore & connectione cum Deo, qui est origo & plenitudo sanctitatis. Sanctitas ergo est amor Dei. *Sanctitas* enim *est omnimoda puritas*, ait S. Dionys. c. 12. de Diuin. nom. Iam sicut impuritas nascitur ex cõtactu inferiorum, putà ex amore & adhæsione ad epulas, veneres, honores vanos, aliaq; bona terrena & infima: *Sanctitas in quo consistat. Resp. Primò.* *Secundò.*

ma: ita puritas oritur ex contactu superiorũ, putà ex amore & adhæsione ad Deum, reſque diuinas & cæleſtes. Purus ergo & ſanctus eſt, qui toto affectu adhæret Deo: & quo magis omnẽ affectum in Deum transfert, eo indies fit ſanctior, dũ ſingula cogitata, volita & opera ſua dirigit ad Deum, vt indies magis magiſq; ei appropinquet. Sic enim imitatur Deum, de quo dicitur pſalm. 144. *Iuſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*; ſequiturq; eius præceptũ: *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*, Leuit. 11.

VERS. 14. ET FACIES HOMINES QVASI PISCES] Primò, q.d. Cur permittis ô Domine, vt, ſicut piſcator piſcatur piſces, nemine eos tuente; ſic Nabuchodonoſor expiſcetur, capiat & expilet omnes gentes: hæ enim illi ſunt piſces? ita Rupert. & Vatabl. Vbi Nota inſignem allegoriam: Piſcator Dei eſt Nabuchodonoſor: hamus ſunt doli eius & technæ: ſagenæ & retia ſunt arma, milites & aperta violentia: piſces ſunt Iudæi aliæque gentes, quas vt piſces (qui nullius ſunt domini, nec habent ducem aut protectorem, ſed fiunt primò occupantis, putà piſcatoris, qui eos ex aquis expiſcatur & trahit) ita ſibi ſubiugat, calcat & occidit, quaſi reuera piſces & reptilia eſſent, non homines. Hinc & per portam piſcium Chaldæi irruperunt in vrbem, vti dicam Sophoniæ 1. v. 10. Secundò, magis genuinè & neruosè, q. d. Cur permittis ô Domine, vt, ſicut piſces maiores & fortiores, putà balenæ, lupi, polypi, deuorant minores: ita homines potentiores & tyranni, v.g. Chaldæi, deuorent eos qui ſunt imbecilliores: vt inter homines, æquè ac inter piſces, non dominetur iuſtitia, ſed robur, vis & tyrannis, illeque ſit dominus, qui viribus præualet? ita S. Hieron. Theodor. Remig. & Theophyl. Hinc illud Polybij prouerbium vulgò vſurpatum: *Piſces maiores glutiunt minores.* Præclarè S. Baſil. hom. 7. Hexam. *Maior pars piſcium*, ait, *liguriunt alter alterum, & minor apud illos eſca maioris eſt. Et ſi euenerit vt ù qui minorem ſuperauerat, alterius præda fiat, ambo tum ſimul deglutiuntur, & vnà vltimi piſcis immerſi ventrem ingrediuntur. Quid igitur nos homines aliud agimus, cùm vim inferimus inferioribus?*

Homines ſunt quaſi piſces ob viginti analogias. Prima.

Symbol. appoſitè Propheta homines comparat piſcibus, ob multas analogias. Prima eſt. Sicut Deus creauit cœtum hominum, ſic & cœtum piſcium: piſces multi, multi & homines. Piſcium valdè variæ ſunt ſpecies: varij pariter ordines, gradus, complexiones, linguæ, familiæ & gentes ſunt hominum: mare eſt mundus piſcium, terra eſt mũdus hominum. Omnes enim animalium ſpecies quæ ſunt in terra, proportionaliter ſunt & in mari, vt porci, canes, equi, vituli, quin & homines marini, vti multis exemplis Tritonum, Nereïdum & Sirenum docet Plinius lib. 9. c. 5. & Olaus Magnus l. de Gẽtib. Septemtr. Inſuper *plurima pars piſcium eſt gregatilis, nec vllum grex caret duce*, ait Ariſtot. l. 8. de Hiſt. Animal. c. 13. Sic & homines ſuas habent reſp. & regna, & in omnibus ſuus eſt dux & princeps.

Secunda.

Secunda. Homines in mundo varijs tentationum & mutationum æſtibus iactantur, vti piſces in mari; ac ſicut hi in illis ludunt, ita & homines ludunt in ſuis, atque in vtriſque ludit ſapientia & potentia Dei. Prouerb. 8. 30.

Tertia.

Tertia. Piſces ſunt aquei & humore luxuriant: ita & in hominibus pleriſque, præſertim in hieme, prædominatur pituita, qua proinde & ſenes ferè omnes, & iuuenes permulti moriuntur, ad catharro ſuffocantur. Quocirca Philoſophus definiens hominem: *Homo*, inquit, *eſt fortunæ luſus, inconſtantiæ imago, corruptionis ſpeculum, temporis ſpolium, mancipium mortis, viator tranſiens, Deliciarium: reliquum, pituita & bilis.*

Quarta. Piſces ſicut ex aqua generantur, ita in eadem viuunt (nam extra illam moriuntur) ei eaque aluntur & nutriuntur, vti docet Rondeletius lib. 1. de Piſcib. cap. 13. licet enim aqua maris ſit ſalſa, ac proinde inepta nutritioni, vtpote cuius alimentum eſt ſuccus dulcis; tamen in medijs vndis ſalſis permultus humor dulcis cõtinetur, admiſtuſque eſt, quem piſces in alimentum familiare tranſmutant: quam ob cauſam crebri in Pontum migrare ſolent, & ibi pingueſcere, quòd illud mare dulcibus aquis copioſè alluatur, vti docet Ariſt. lib. 8. Hiſtor. Animal. c. 13. Etsi in mari eſſe dulcem liquorem, probat ex aquæ percolatione. ſi enim ex cera vas tenue finxeris, idque funiculo appenſum in aquam demiſeris die ac nocte vna, humoris dulcis copiam intra ſe colliget. Rurſus nauræ, & qui arentia maris littora incolunt, aquarum dulcium copia deficiente, puteis vix tres cubitos altis ad littus effoſſis, ſuauem dulcemque liquorem ex mari deducunt, eo per arenam tranſcolatus à ſalſugine ſeparatur. Nec mirum piſces aqua ali: quia ſola aëris ſpiratione plurima animalia viuunt. Aſtomos ſcribit Plinius lib. 7. c. 2. halitu tantùm & odore quem naribus trahunt, viuere. Sed hoc fabuloſum fortè: tamen ab alijs, qui Plinio vetuſtiores fuerunt, literis proditum eſt, vires in animi conſternatione & ſyncope, admotis odoratis mammè refici & inſtaurari Romæ annos quadraginta ſacerdotem quemdam ſola aëris inſpiratione vixiſſe, ex Leonis Pont. Max. & multorũ Principum cuſtodia, & Hermolai Barbari hiſtoria fideque certiſſimum eſt. Puellam ante annos tres in Gallia Narbonenſi omnes audiuimus, vidimus multi; & Spiræ in Germania aliam à viris doctis accepimus, quæ multos annos nullo alio præter aërem cibo potuque, vitam ſaluberter traduxit. Aliam etiam nos vidimus, quæ etiamnum hodie viuit, eodem victus genere ad decimum ætatis annum peruenìſſe, tãdemque grandem factam nupſiſſe, & felicem proles ſuſtuliſſe. Si aër ſubtilis homines, multò magis aqua craſſior piſces nutrire poteſt. Hucuſque Rondeletius. Eadem exempla ſacerdotis & puellarum narrat probatque noſter Delrio libr. 2. Magic. quæſt. 21. Sed inediæ cauſam aſcribit complexioni phlegmaticæ, putà humori phlegmatico crudo, lento & viſcoſo, quo alitus ſit calor naturalis, idque veroſimilius videtur. In eo ergo piſces ſunt ſimiles hominibus, quòd vtrique humore nutriantur & viuant, ſiue is aëreus ſit, ſiue aqueus. Aër enim & aqua ſunt elementa vicina & ſymbola. aër enim eſt aqua ſubtilior, & aqua eſt aër craſſior. Elementa enim noſtra non habent primam puritatem & ſimplicitatem, in qua condita ſunt, ſed multis exhalationibus, vaporibus, humidusque terreſtribus permiſta ſunt, ac proinde alimenta viuentium eſſe poſſunt, vimque eis alendi habent. Sanè terra viuunt aluntur que plantæ, ſerpentes & reptilia.

Quinta.

Quinta. Maiores pisces minores deuorant, ita & homines: iuxta illud, *Homo homini lupus.* Rursum, sicut cetus pisces penè omnes absorbet, etiam maximos; sic & diabolus, qui quasi balæna in mari huius sæculi animas quaslibet, etiam regum & principum, quin & Sanctorum, prædatur, iuxta illud psalm. 103. 26. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei.* Audi Aristot. libr. 9. Histor. Animal. c. 2. *Ineunt prælium pisces maiores contra minores: maior enim quisque & robustior minorem infestat, & deuorat.* Idem libr. 8. cap. 2. *Alter,* inquit, *alterum sui generis edit, excepto mugile, sed maximè imperti.* A

Sexta. Pisces sunt muti: sic & homines coram Deo quantumuis sapientes & sancti, quasi pisces obmutescunt, eoq; arguente ponunt cum S. Iob c. 9. 34. manum super os suum: ac in die iudicij coram Christo iudice, omnes quasi pisces conticescent. 1. Reg. 2. 9. Matth. 25. 46.

Septima. Piscibus iuxta caput sunt binæ pinnæ, quasi binæ pennarum alæ, quibus velut remis mare sulcant: sic & homini bina sunt brachia, quibus omnia operatur. Insuper piscis cauda, quasi temone & clauo, nauis suæ gressum dirigit: vnde à natatu piscium didicerunt homines fabricare naues, ijsque sulcare maria. Est enim piscis quasi nauis natans & velificans in mari, vt de nautilo pisce & concha ait Plinius l. 9. c. 29. 30. & 33. ita & homines pedibus se quocumque volant promouent. Rursum sicut aues aliquæ sunt semipisces, quia volant in aëre, & natant in aqua, vt merguli, anates, fulicæ; ita vicissim sunt pisces, qui sunt semiaues, quia habent ingentes pinnas quasi pennas, quibus volant super aquas B C
instar auium, qualem vidi Romæ in Bibliotheca Ducis de Altheimps. Symbolicè, aues sunt angeli, qui in æthere versantur, & ad Deum euolant: pisces sunt homines, qui in mari huius sæculi volutantur. Sicut ergo angeli sunt semihomines, dum corpus assumunt, & cum hominibus colloquuntur; ita vicissim homines sunt semiangeli, dum pennis per contemplationem eleuati, ad Deum euolant.

Octaua. Pisces ventre incubant aquis; ita & mali homines incubant aqueis voluptatibus. *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum qui terrena sapiunt,* Philip. 3. 19. Hac de causa Christus factus homo, factus est piscis huius sæculi, vt ex aqueis & terreis hominibus quasi piscibus, faceret æthereos & cælestes. Quocirca Christi nomen fuit ἰχθὺς, id est piscis, vt patet ex acrostichi Sibyllæ, cuius primæ literæ combinatæ hæc verba præferebant, Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτὴρ, id est, Iesus Christus Dei filius, Saluator: quarum vocum Græcanicarum literas initiales si congeras, habebis ἰχθύς. Acrostichin hanc recenset Euseb. lib. 4. de Vita Constantini. Hinc & Christus piscatores elegit, fecitq; Apostolos, quos *ex retibus fidei ad mare huius sæculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, & tanto mirabiliores, quanto rariores, etiam ipsos philosophos cepit.* ait S. Augustin. l. 22. Ciuit. c. 5. Et de verbo Domini in Euangel. secundùm Iohannem serm. 59. *Leguntur,* ait, *modò verba piscatorum, & modò colliduntur oratorum.* D

Prædarè S. Chrysost. serm. de S. Andrea, qui extat apud Surium die 30. Nouemb. Apostoli, inquit, piscatores fuerunt, sed *illorum instrumenta*

Cornel. in Proph. Min.

noua & inusitata fuerunt. Nam pro arundine prædicatione vtuntur, pro funiculo memoria, pro hamo potentia, pro esca miraculis, pro petra cælis, ex quibus huiusmodi piscationem exercent: pro scapha habent altare: pro piscibus reges etiam ipsos capiunt: pro sagena Euangelium expandunt: pro arte diuinam gratiam adhibent: pro mari vitam humanam tractant: pro retibus crucem, velut sagenæ quadam, vti solēt. Quis vmquam vidit à mortuis piscatoribus viuentes homines, tamquam pisces, capi? O magnam crucifixi potentiam, ô diuinæ dignitatis præstantiam, ô Apostolorum summa beneficia! Nihil tale in vita esse potest, quale est Apostolicæ gratiæ fastigium.

Nona. Piscis sale eget ne putrescat; sic & homo prudentia. Rursum, piscis primùm à capite putrescit & fœtet; sic & homo à ratione & voluntate, qua se sinit à cupiditate vinci & corrũpi. Sicut enim molles sunt pisces, sic effeminati & homines: hinc vtrique escis & illecebris quasi laqueis capiuntur. Pari modo monasteria, collegia, Ordines, resp. à capite vitium & ruinam trahunt. Quamdiu enim habent bonos, & vigiles acreſq; rectores, magistratus, principes, vigent, & sarta tecta consistunt; sed vbi prauos, vel inertes & remissos accipiunt, omnis disciplinæ rigor, ac consequenter reipublicæ vigor, integritas & dignitas, instar salis aqua liquefacti, dissoluitur & euanescit. *Nona.*

Decima. Pisces *vagantur & oberrant, maximè qui carne aluntur,* ait Aristot. l. 9. Histor. Animal. c. 37. Ita oberrant & homines, præsertim lucri & voluptatũ cupidi. Rursum idem l. 8. c. 12. *Vt homines,* inquit, *alij domicilia hieme repetunt, alij qui amplioris prouinciæ principes sunt, sedem pro tempore mutant, vt moram æstate locis frigidis, hieme tepidis trahant,* &c. *Sic & pisces per hiemem ex alto in littora, veluti gratia veniunt: contrà æstate ex littore in altum, vitantes æstum discedunt.* *Decima.*

Vndecima. *Pisces pinnulas habent, vt nantes: pedibus carent, vt non pedestres, sed aquatiles.* Homo verò quia terrestris est, pedester est: *Pedum enim additio vtilis ad motum, qui in pedo, hoc est solo, agatur: vnde & nomen inditum pedibus est,* ait Aristot. l. 4. de Partib. Animal. c. 13. *Vndecima.*

Duodecima. Pisces nonnulli respirant & dormiũt, vt homo. Audi Aristot. l. 6. Histor. Animal. c. 12. *Spirant, quæ fistulam habent omnia, & recipiũt aërem: haud enim carent pulmone. Et quidem visus est delphinus dormire rostro emerso, ac stertere.* Idem docet Plinius l. 9 c. 7. idq; probat ex piscium in æstate anhelatione, oscitatione, & bullantium aquarum sufflatione. *Duodecima.*

Decima tertia. Pisces senescunt, vt homines. Ita Aristot. l. 8. Histor. Animal. c. vlt. *Vitiant,* ait, *senectute pisces: & quidem thunni vel ad rem salsamentariam, senes improbi sunt; multum enim carnis absumitur: quod idem in cæteris piscibus euenit. Declaratur eorum senectus duritie magnitudineq; squamarum. Iam captus est thunnus senex, cuius pondus erat ad talenta quindecim, & caudæ interuallum ad quinque cubita & palmum.* *Decima tertia.*

Decima quarta. Homines plures & frequentes habent dentes, ac primores acutos ad cibi scissionem & masticationem: ita & pisces multos habent dentes, eosq; acutos & serratos. Vnde Aristot. lib. 3. de Partib. Animal. c. 1. *Pisces,* ait, *omnes serratis sunt dentibus, vno excepto qui scarus vocatur: complures etiam dentes in lingua habent, &* *Decima quarta.*

in palato. Cuius rei causa est, quòd, cùm morsi in aquam degant humorem cum cibo admittant, eumq; expuant quamprimùm necesse est: non enim in molendo commorari possunt, quando humor in ventrem interrumpit: idcirco omnes acuti & frequentes vndique sunt, videlicet vt præ multitudine in minuta secent, quæ attritu subigere nequeunt. Aduncí præterea sunt, quoniam robur ferè totum piscium in dentibus situm est.

Decima quinta. Decima quinta. Homines laborant morbis; ita & pisces, à pestilentia tamen immunes sunt. ita Aristot.libr.8.Histor.Animal.cap.19. *Morbus*, ait, *pestilens nullus incidere piscibus vniuersis videtur*, &c. *ægrotare tamen & ipsi putantur; & quidem piscatores pro morbi indicio capiunt, cùm aliquot extenuatos languentibus similes, & colore immutatos inter multos pingues ac validos eiusdem generis ceperint.* Addit idem paulò superiùs, æstiuos imbres commodiores esse piscibus, & hiemem sereniorem: *Ad summum propè dixerim*, inquit, *cùm benè hominibus annus cedit, tunc & piscibus feliciter degere contingit.* Porrò pisces cùm ægrotant, apio viridi sanari tradit Plinius lib.20.c.11 Idem magnum piscium in medicinis hominum esse vsum, docet lib.32.c.4.

Decima sexta. Decima sexta. Pisces habent cor, eiusque situm similem homini. Audi Aristot.l.3.de Part.Animal.c.4. *Cor*, ait, *cæteris animalibus in medio pectore est, homini tantùm paulò vergit ad læuam, vt eius partis refrigerationem moderetur & compenset: omniũ enim animalium maximè homo refrigeratam habet partem sinistram. In piscibus etiam cor similem situm tenet. Solis his cordis mucro ad caput spectat cùm ea pars prior sit: eodem enim agitur motus.* Rursum pisces generant vt homines: habent enim sexum distinctũ, alij mares sunt, aliæ feminæ; ac feminarum oua non perficiuntur ad generationem sine mare. vti fit in gallinis & auibus, teste eodem Arist.l.6.Histor.Anim.c.11. & l.4.c.vlt, vbi docet pisces feminas maiores esse maribus, sed ad cibũ mares præstantiores esse feminis, excepto siluro, asserit idem l.8 c.19.

Decima septima. Decima septima. Piscium omne genus vorax & gulosum est, teste Aristot.l.3.de Part.Anim.c.14. item prolificum & fœcundum; abundant enim humore: sic & homines in gulam & venerem propensi sunt. Rursum, piscibus *oculi sunt lubrici, propter circumfusi humoris crassamentum*, ait Aristot.l.1.c.13. sic & hominibus. Vnde multi meritò gemunt, dicuntque illud Thren.3.51. *Oculus meus depræ datus est animam meam.* Et v.48. *Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei.*

Decima octaua. Decima octaua. Pisces habent memoriam, & vitam agunt rationi humanæ vicinam. Id negarunt nonnulli; sed certissimum esse, & experientia se didicisse testatur S. August.l.3.de Genes.ad liter.c.8. *Nam fons*, inquit, *Bullensium regionum ferè plenus est piscium. Solent autem homines desuper intuentes eis aliquid iacere, quod sibi vel præripiant confluentes, vel inter se diripiant concertantes. Quo pastu assuefacti, deambulantibus super oram fontis hominibus, ipsi quoque cum eis congregatim natando eunt & redeunt, expectantes vt aliquid iactent, quorum præsentiam sentiunt. Non ergo nulla memoria, vel sensus tardior animæ inest piscibus.* Idipsum ego subinde in stagnis pisciũ expertus sum. Quocirca idem in Iohannem tract.123. *Viderunt*, inquit, *prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Piscis assus, Christus est passus. Ipse est panis qui de cælo descendit. Pisces dicuntur homines.* Hinc prisci homines temperantes & casti vescebantur, non carne, sed pisce, vtpote digestu facili, & refrigerante ei calorem naturalem, quàm æstum iræ ac libidinis testis est Athen.de Cœnis sapientum l.3.4.& 8. Vicissim, vt ait idem l.7. *Piscis quinis humanæ carne delectatur.* Augurii piscium recenset Plinius l.9.cap.16. *Siculo*, ait, *bello ambulante in littore Augusto, pisces è mari ad pedes eius exilijt, quo argumento vates respondere; Neptunum patrem adoptantem eum sibi, Sexto Pompeio repudiato. Tanta erat nauale ei gloria: sub pedibus Cæsaris futuros, qui maria tempestate illo tenerent.* Idem c.42. mira habet de astutia piscium, vt pinnæ, torpedinis, rhombi, pastinacæ &c. Idem c.55. refert quosdam pisces vixisse sexaginta annos, quæ est ætas hominũ. Idem l.10.c.49 ait vitulos marinos, multosq; alios pisces cicurari & mitescere. Et cap.70. ait in piscinis Cæsarum quosdam per nomen euocatos, ilico adnatare. Idem libr.9.c.8. ex Mæcenate narrat, delphinos è manu hominum vesci, pueros dorso excipere & vectare, cosq́ue amare, adeò vt cum ijs morientibus emoriantur.

Decima nona. S. August in psal.64. *Mare*, inquit, *in figura dicitur sæculum hoc salsedine amarum, procellis turbulentum, vbi homines cupiditatibus peruersis & prauis facti sunt velut pisces se inuicem deuorantes. Attendite mare malum, mare fluctibus sæuum. Attendite quibus hominibus plenũ sit. Quis optat hereditatem, nisi morte alterius? Quis optat lucrum, nisi damno alterius? Quàm multi aliorum deiectione ambiunt sublimari? Quàm multi vt emant, optant alios vendere res suas? Quomodo se inuicem opprimunt, & qui possunt deuorant? Et cùm deuoraverit vnus piscis maior minorem, deuoratur & ipse à maiore. Operæ malè prædam vis de paruo, præda efficieris magna.*

Deniq; S. Bernard.serm.de B. Maria, pag.334. triplicem assignat hominum piscinam, & tripices pisces: *Primum*, inquit, *diluuium est vitiorum, secundum tribulationum, tertium miseriæ & tenebrarum. Primum est peccati, secundum mundi, tertium inferni. Pisces primi sunt oblectamenta, secundi iniqua tentamenta, tertij perpetua tormenta.* Hinc in Euang. *de bonis piscantibus, vitia calcantibus, tentamenta superantibus, æterna tormenta vitantibus, dicitur, Elegerunt bonos in vasis suis, malos autem foras miserunt.* Matth.13.v.47. Vnde liquet, ipsos reprobos & damnatos esse pisces qui natant, iactantur & æstuant in stagno ardente igne & sulphure, Apocal.21.8. Longè maior hominum pars, imò maxima, & penè innumera, in hoc stagno volutatur & ardet. Eia Domine, numquid sic homines quasi pisces maris? atque vtinam essent pisces maris! vtinam à ceto deuorarentur! sunt autem sunt pisces, imò folles & fomenta gehennæ, præda & laniena diaboli, imò multorum millium & millionum dæmonũ: vbi vermis eorum non moritur, & ignis nõ extinguitur. Eia Domine, numquid sines vt dilatet infernus animam suam, & aperiat os suum absque vllo termino, & absorbeat tot gentes & populos, quorum non est numerus instar arenæ maris? Parce Domine, parce creaturis tuis, quas ad tui imaginem creasti, quas quasi stellas cælo destinasti, quas pretioso sanguine Vnigeniti tui redemisti. Obtura hoc immane os tartari, ne tot animas glo-

Lon-

mittè spiritum tuum in nos, vt huius flam- A
mantis stagni meditatione & horrore concussi
nostra vitemus, concupiscentiæ resistamus, pœ-
nitentiæ nos dedamus, ac vitam sanctam tam-
quam viam in cælum capessamus; vt in illud
conferri, ibique quasi pisces cælestes in fluuio
gaudij, Apocal. 22. 1. putà in te, tuique visione,
fruitione & gaudijs sempiternis, natare mereamur. Amen.

ET QVASI REPTILE NON HABENS PRINCIPEM. Reptile est animal quod non incedit pedibus, sed ventre serpit repitque, vti faciunt sergones, vermes, lumbrici, aut certè quod adeò exiguos habet pedes, vt ijs non tam incedere, quàm repere videatur, vti habet lacerta, mustelus, talpa, rana, &c. Hæc sunt reptilia terræ: nam reptilia maris & fluminum sunt pisces. Porrò Propheta, vt Deo repræsentet hominum in- B
sidias, afflictiones & æruumnas, eos non tantùm comparat piscibus, sed & reptilibus, quæ pisci-
bus infirmiora sunt, & iniuriæ magis obnoxia. Nam Primò, pisces in maris vel fluminum va-
store aut profundo abscondere se possunt à piscatoribus, & piscibus voracibus: at reptilia in terra degunt, & exigua habent antra, in quibus facilè deprehenduntur & capiuntur. Secundò, pisces multi, nimirum qui gregatim incedunt, vt halices, delphini, mugiles, suum habent ducē, exemplo similem, imbellem, inualidum & improuidum: at reptilia nullum habent ducem, sed solum repunt, omniumque prædæ exponuntur. Tertiò, pisces nando hostē effugere, & quasi euolare possunt: at reptilia quia repunt, tardigrada sunt, adeoque fuga elabi nequeunt. Sensus ergo est, q.d. Cur permittis, ô Domine, vt Iudæi & gentes calcētur, proterantur & enecētur à Chaldæis, sicut reptilia, (v.g. ranæ, lumbrici, limaces, quæ nō habent principē qui eos ab iniuria tueatur) calcantur & proteruntur à viatoribus, vel à reptilibus potentioribus, v.g. serpentibus. Hæc enim, inquit Theophyl. *ob naturæ suæ amaritiem, neque ducē habent, seu exortia mixturæ & societatis, grauatus inter se odio sæuientia. Nam animantia sub duce constituta mansuetiora sunt, contubernij & so-
cietatis amantem, ac gregis & armenti sequacem na-
turam & indolem per hoc indicantia.* Vnde per hæc tropol. accipit homines brutos & mutos, feros & serpentinos, qui in sese inuicem grassantur.

Tropol. rursum vide hîc quàm misera sit ho-
minum conditio: homines enim sunt quasi re-
ptilia. Vnde Iesbaam id est, sedens in cathedra, D
primas fortium Dauidis vocatur *tenerrimus ligni vermiculus*, 2 Reg. 23. 8. Idque Primò, quia homo
non nascitur, est quasi reptile; manibus enim &
pedibus repit super terram. Hinc illud ænigma
Sphingis de homine: *Manè quadrupes, meridie bi-
pes, vespere tripes.* Homo enim manè, id est in in-
fantia dum nascitur, quasi quadrupes manibus
& pedibus innititur: deinde in iuuentute incedit
bipes: vespere, id est in senio, graditur tripes:
quia præter binos pedes adsciscit tertium, putà
baculum cui insistit.

Secundò, quia plerique homines manibus,
pedibus, totoque corpore, quin & mente repunt
in terra: nam nil cogitant nisi terrena, omnis eo-
rum labor & occupatio est in terra, multi quo-
que in ventrem proiecti, nil nisi eum terrenis
cibis implere & farcire satagunt.

Tertiò, quod propriè hîc spectat Propheta, *Tertia.*
quia homines, æquè ac reptilia, potentiorum in-
iuriæ & prædæ expositi sunt. Turcæ, Tartari, Indi-
que reges educunt in aciem trecenta & quin-
genta hominum millia, eaque hostibus instar
pulicum pro se mactanda obijciunt. An non hi
sunt reptilia coram suis regibus, æquè ac coram
hostibus? Serui & mancipia ad aurifodinas &
metalla damnati; coloni agris herorum colen-
dis addicti; serui & opifices terrenis vilibusque
dominorum imperijs & ministerijs deputati,
nónne sunt quasi reptilia terræ?

Denique Gueuara probabiliter per reptile ac-
cipit pisces maris, qui non habent principem, sci-
licet potentem eos tutantem, & à rapinis vindi-
cantem, vt sit epanaphora Prophetæ vsitata:
nam sequentia omnia spectant pisces, & pisca-
torem, cui hîc comparat Nabuchodonosorem.
Sic pisces vocantur reptilia psal. 103. 25. *Hoc ma-
re magnum & spatiosum manibus: illic reptilia quo-
rum non est numerus.* Sic sensus erit, q.d. Itáne Do-
mine nos fideles barbaro Chaldæo quasi pisces,
qui non sunt nisi vilia & misera reptilia maris, ex-
piscandos & deuorandos trades? Itáne nos, qui
sumus tuum peculium, tuaque hereditas, immá-
ni tyranno quasi lautum piscium epulum obij-
cies? Itáne Israelem dilectum tuum, ferissimæ
huic bestiæ glutiendum appones, vt eam tam
pretiosa esca sagines? Absit Domine; absit. Sic
Pij II. Pontificis gnome erat: *Litigatores sunt
aues, forum area, iudex rete, aduocati aucupes. Quo-
circa dignitatibus viri dandi sunt, non dignitates ho-
minibus. Graue est Pontificis onus; sed beatus, qui id
bene fert.*

TOTVM] Putà totam piscium prædam, totum VERS. 15.
C piscabile, nimirum omnes pisces, hoc est omnes
gentes expiscatus est magnus hic piscator, scili-
cet Nabuchodonosor suo hamo, sagena & reti.
Vox *totum* notat insatiabilem eius auaritiam &
rapacitatem, ob quam dum totum rapuit, totum
perdidit, iuxta illud S. Cypriani lib. 5. epist. 2. *Dū
insatiabiles multum volumus, totum perdimus.* Et il-
lud: *Camelus desiderans cornua, etiam aures perdidit.*
Verissimum est ergo illud paradoxum: *In dubijs
dimidium plus est toto.* de quo Hesiodus: *Stolidi, ait,
ignorant quanto plus dimidium sit toto.* Fit enim sæ-
pè, vt qui plus cupidè appetit, etiam id quod ha-
bet amittat. Videre id est in litigantibus, qui dū
totum cupiunt, sæpè totum perdunt, vel per sē-
tentiam iudicis, vel per immanes sumptus quos
D in litem insumunt, iuxta illud Eccles. 4. 6. *Melior
est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus
cum labore, & afflictione animi.* Et illud Prouerb.
15. 16. *Melius est parum cum timore Domini, quàm
thesauri magni & insatiabiles.* Et cap. 16. 8. *Melius
est parum cum iustitia, quàm multi fructus cum iniu-
quitate.* Et Eccli. 14. 9. *Insatiabilis oculus cupidi in
parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat are-
faciens animam suam.* Verè Philosophus: *Omnis
virtus est mediocritas.* Et dives est, animus suis
contentus, sibique sufficiens: pauper, qui plura
cupit. Pittacus, cùm Mitylenæi ei multa offer-
rent, pauca tantùm accepit, dicens: *Parua munera
sunt diuina, quibus nemo inuidet: locupletia, solent non
esse propria.* ita Probusin Thrasybulo.

IN HAMO SVBLEVAVIT] Hamus est instrumē-
tum aduncum cui esca appenditur; quam dum
glutiunt pisces, vnco se induunt & infigunt, ita-

que hamo à piscatore ducuntur & extrahuntur. Vnde hamata munera vocantur, quæ ita dantur, vt maiora ad se alliciant, &, vt vulgò dicitur: Pisciculo piscem capiunt: dant enim parua, vt magna recipiant. Sagena est rete, sed minus, v.g. quod vnus piscator vtraque manu expandere, ac rursum eleuare & attrahere potest. Rete est maius. Quare per hamum, sagenam & rete significatur instrumentum piscationis paruum, maius, & maximum. Per omnia hæc intelligit vires & copias Nabuchodonosoris, quibus gentes capiebat & quasi expiscabatur. Totus enim eius exercitus erat Primò, quasi hamus vnus in manu Nabuchodonosoris, vtpote totus ab eo dependens, in eiusque potestate & manu positus: idem tamen ob innumeros milites, cohortes & turmas, erat quasi ingens sagena & rete, ex plurimis filis & ocellis contextum. Secundò, quia ipse paruas vrbes paruis copijs quasi hamo, magnas magnis quasi sagena & reti capiebat. ita S. Hieron. Tertiò, per hæc tria alludit ad tres expeditiones, quas in Iudæam fecit Nabuchodonosor. Nam Primò, anno regni sui 3. inuasit eam; sed paucos, putà Danielem cum socijs, abduxit, Daniel. 1. tunc ergo quasi hamo piscatus est. Secundò, anno regni sui 8. redijt, & Ioakim regem occidit, filiumq; eius Ioachin, siue Iechoniam cum multis alijs captiuos in Babylonem abduxit. hæc ergo fuit piscatio per sagenam. Tertiò, anno regni sui 18. Ierusalem cepit & euertit, Sedeciam regē exoculauit, filios eius aliosque principes occidit, cæteros omnes in Babylonem transtulit, 4. Reg. 25. Hæc ergo piscatio fuit per rete, qua vti totam Iudæam, ita & reliquas gentes conclusit, euerrit, comprehendit. Denique Ribera, per hamum accipit dolos & technas, per sagenas & retia apertam violentiam Nabuchodonosoris. Hamus enim, vtpote exiguus, occultior est retibus, & occultiùs piscem expiscatur.

Nota. Sagena Græcis est genus retis piscatorij: Latini verriculum vocant, eò quòd pisces è mari vel flumine quasi euerrat, & in se, sui scilicet angulum, congreget, de qua Manilius l. 5.

Excipitur vasta circumuallata sagena.

Vnde explicans subdit: *Et congregauit in rete suum.* Dū enim sagena à piscatoribus per mare vel fluuiū trahitur, illudque verrit, pisces eam fugiētes congregantur in retia arctata & angulata, certis locis dispositа, ad quæ eos propellit sagena. Per hamum ergo, sagenam & rete, quibus piscatores impedicant & illaqueant pisces, significat omnes artes, copias & machinas, tum minores, tum maiores, quibus Nabuchodonosor vsus est ad debellandas & capiendas omnes gentes. Vnde Delrio adagio 1000. hamo, inquit, sigillatim captis oppidis videntur ciues subleuari, sagena verò attrahi simul tota gens in captiuitatem abducta. Secundò, per hamum, vtpote paruum & occultum, accipi possunt eius technæ, doli & stratagemata; per sagenam & rete publicum, aperta vis & prælia. Tertiò, alij per sagenam & rete accipiunt idola, putà Belum, cui victorias suas asscribebat Chaldæus. Vnde subdit: *Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo*, putà Belo. ita Remig. & Lyran. Quartò, S. Hieron. & Remig. ita hæc tria discriminant, *vt piscator quod hamo non potuit, reti comprehendat; & quod euaserit rete, sagenis latioribus circumdetur: ita*

A *Nabuchodonosor quod minoribus copijs vincere nō potuit, maioribus debellauit, adeò vt cuncta vastarit, & vniuersum hominum genus prædam fecerit.* Paulò aliter Chaldæus: *Omnes*, inquit, *similes sunt piscatori, qui cùm ceperit piscem, hamo colligit eum in sagena sua, & proijcit eum in rete suum.* Appositè Nabuchodonosorem comparat piscatori, quia ipse regnabat in Babylone, quæ adiacet Tigri & Euphrati; exercitum eius sagenæ, quia Iudæos & gentes quasi pisces circumdedit, euerrit & cepit. Præclarè Sapiens Eccles. 9. 12. *Nescit*, inquit, *homo finem suum; sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit.*

PROPTEREA IMMOLABIT SAGENÆ SVÆ. Per sagenam S. Hieron. & alij intelligunt deum Chaldæorum, cui ipsi victorias suas acceptas B ferebant, eique in gratiarum actionem immolabant: Deum autem hunc esse Belum. Gueuara verò censet deam hanc esse Dercetem, Semiramidis reginæ matrem, quam Syri fabulantur in piscem esse conuersam: quocirca eam pingebant facie mulieris, quoad cætera effigie piscis, eique insigne templum ad Ascalonem iuxta lacum piscibus plenum statuerunt. Hanc proinde Plinius Atargatim prodigiosam vocauit: erat enim monstrum conflatum ex muliere & pisce. Athenæus auctor est Atargatim Syriacè dictam ab *atar*, id est sine, & *gatu*, id est piscis, q.d. Sine piscibus; eò quòd piscium abstinentia colerentur. Sunt qui putant Dagon deum Palæstinorum, de quo 1. Reg. 5. 4. eumdem esse cum Dercete: nam Dagon hebr. piscem significat, & pisces formam habebat. ita ex Diodoro, Xenophonte, C Plinio, Cicerone & Ouidio Gueuara, qui proinde censet hîc esse metonymiam: nam sagenæ ac rete pro piscibus vsurpari. Cuiusmodi est illud Virgilij: *Nunc pateræ libate Ioui*, id est vinum contentum in pateris. Porrò piscem, putà Dercetem, præ alijs Chaldæorum dijs hîc nominat hac ratione, q. d. Nabuchodonosor suas victorias acceptas referet, non tantùm regi Belo, sed & mutis piscibus (putà Derceti) eisque sacrificabit; quod quàm stultum sit, quis nō videt? Quomodo enim pisces imbelles alios defendant, qui se à piscatoribus defendere nequeunt, quin quoties libuerit, eorum sagena & reti capiantur? Vide ergo ô Domine hanc eius stolidam impietatem, ac tuæ iniuriæ & diuinitatis zelotes eam vlciscere, nosque tibi deuotos è manibus & vinculis eius libera. Hæc Gueuara. Verùm quæ D Dercete erat Syrorum dea, non Chaldæorum (horum enim idolum erat Bel.) & quia sagenam hanc explicans Propheta subdit, *Propterea immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo*; non autē expandit deam suam, sed suas copias: hinc meliùs magisque genuinè per sagenam accipias industriam militarem, arma, vires & exercitus Nabuchodonosoris, quibus ipse acceptas ferebat suas victorias, q.d. Mea virtute bellica tot peperi triumphos, illa ergo mihi Deus est, alium non agnosco. Vnde Chald. vertit, *propterea sacrificat arma sua, & adolet aromata retiaculo suo.* Sic Mezentius apud Virgil. lib. 10. Æneid.

Dextra mihi Deus est, & telum quod missile libro.

Tales etiamnum videmus principes politicos & atheos. Et Antiochus, vel potiùs Antichristus colet Deum Maozim, id est fortitudinum, pro vir-

ries suas bellicas, Daniel. 11. 38. ita Ribera, Emmanuel Sà, Mariana, & alij. Aliter hæc explicat Iohan. Alba Electorum c. 65. nimirum: *Sagenæ suæ & reti suo*, inquit, positum est pro *de sagena sua, & reti suo* q.d. Immolat, scilicet dijs suis, illis offert sacrificia de sagena & reti suo, id est de spolijs gentium, quas expiscatus est, id est, vastauit & spoliauit. Verùm hic multa supplēdo euertit uersionem vulgatam: immolare enim reti, est ipsi sacrificare, non dijs de reti. Quis enim aliter hanc phrasin intelligat?

QVIA IN IPSIS INCRASSATA EST PARS EIVS] q.d. Pingues lautasque epulas, scilicet omnium gentium selectas opes, quasi partem sortemque sibi hac sua sagena & reti comparauit. Vndes insatiatus, non cessat eam vlteriùs semper extendere, vt plura regna capiat, & imperium suum longè lateque propaget. Hoc est quod ait: *Cibus eius electus*. Tropolog. S. Theophilus Alexandr. epist. 2. Paschali: *Cibus*, inquit, *diaboli, ne-potes Dei sunt, Habacuc loquente, Esca eius electa: cibus autem omnium impiorum execrabilis ipse diabolus, Propheta vaticinio concrepante: Dedisti eum escam populis æthiopum.*

Nota. Cautè hîc sub finem capitis legendus est Hieron. videtur enim negare Deum habere cognitionem & prouidentiam piscium, culicum, & rerum minutarum; qui est error manifestus. Deus enim curat & pascit passeres, lilia, herbam &c. vti ait Christus Matth. 6. 26. & 30. & Luc. 10. 29. Quare ab eo purgandus est S. Hieron. duplici titulo: priore, quòd loquatur de cognitione non qualibet, sed ea dumtaxat, quam Deus de nouo, nouis piscibus & culicibus natalibus, acquirat, vti nos acquirimus. Hæc enim temporalis est: vnde non est in Deo: Deus enim ab æterno, simul & semel omnia futura cognouit. Posteriore, quòd velit dicere, Deum ex parte effectus non tantam habere prouidentiam & curam piscium, quantam habet hominum, quibus maiora dat auxilia & beneficia, ac proinde maiorem constituit custodiam angelorum: quisque enim homo habet angelum custodem, non autem quilibet piscis. Id velle S. Hieron. colligitur ex ipsis eius verbis, dum ait: *Rursum absurdum est ad hoc Dei deducere maiestatem vt sciat* (vt scilicet experiendo & numerando discat, quasi antè nescisset; hoc enim dedecet summam maiestatem: nam alioquì omnis scientia æterna maximè decet, illique est propria: aut certè, *vt sciat*, id est, vt scire curet & satagat, vt peculiari intuitu aduertat, vt scientiam oculumque suum attentus & sollicitus ijs affigat, sicut singulis hominum) *per momenta singula, quot nascantur animalia, quotue moriantur, quæ cimicum, & pulicum, & muscarum in terra sit multitudo, quanti pisces in aqua natent, & qui de minoribus maiorum escæ cedere debeant. Non simus tam fatui adulatores Dei, vt, dum potentiam eius ad ima detrahimus, nos ipsos iniuriosi simus, eamdem rationabilium quam irrationabilium prouidentiam esse dicentes. Ex quibus ille apocryphus stultitiæ condemnandus est, in quo scriptum est, quemdam angelum, nomine Tyrannum reptilibus; & in hanc similitudinem piscibus quoque, & arboribus, & bestijs vniuersis proprios singulis diebus angelos assignatos.* Ecce hoc est quod irridet S. Hieronymus, scilicet singulos pisces habere angelos custodes, aliaque singula-

A ria Dei auxilia, quæ habent homines: quo sensu dixit Apostolus 1. Corinth. 9. 9. *Numquid de bobus cura est Deo?* Nam alioquì generalem Dei scientiam & prouidentiam se extendere ad pisces omnesque creaturas, etiam minutissimas, paulò antè disertè astruit S. Hieronym. vti & in cap. 10. S. Matth. explicans illud: *Nónne duo passeres asse vaneunt, & vnus ex illis non cadit super terram sine patre vestro? Est sensus*, inquit, *si parua animalia & vilia absque Deo auctore non decidunt, & in omnibus est prouidentia, & quæ in his peritura sunt sine Dei voluntate non pereunt; vos qui aterni estis, non debetis timere quòd absque Dei viuatis prouidentia.* Tantùm ergo hîc negat S. Hieron. scientiam & prouidentiam muscarum & piscium in Deo de nouo acquisitam, aut potiùs tam singularem quam habet de hominibus: quasi singulis momentis occupari debeat Deus in perueſtigandis, curandis, alendis muscis & piscibus; sicut pastor occupatur in lustrandis & pascendis suis ouibus. Hæc enim scientia & cura indigna est Deo; perinde ac Domitiano Imp. indignum fuit occupari per horas integras numerandis & captandis muscis, neglectis rebus Imperij. Vnde prouerbium: *Ne musca quidem*, teste Suetonio in eius vita. Sufficit enim ad hæc curanda generalis Dei prouidentia, conseruando scilicet & continuando currui vniuersi & naturæ primitus ab eo institutæ: ex eo enim sequitur culicum numerus & series.

B

C

PROPTER HOC ERGO EXPANDIT SAGENAM SVAM] Chald. *numquid* (hebraicè enim est *he* interrogatiuum) *propterea mittet exercitus suos* (hi ergo sunt eius sagena) *vt perpetuò consumat gentes, idq; sine vlla misericordia?* q.d. Omnino eas mittet, ita S. Hieron. Theodor. Theoph. Remig. Albert. & Hugo. Aliter Clarius, Vatabl. & Arias, q.d Nũquid quia istas expilationes & victorias tribuit viribus suis, permittēdus est à te ô Domine, pergere in hac sua superbia, & expilatione ac strage gentium? q.d. Minimè: tempus est vt eum deprimas, coërceas & castiges. VERS. 17.

D

Nota. Pro *expandit* hebr. est יָרִיק *iaric*, id est *euacuabit*. Solent enim piscatores retia piscibus plena euacuare, ac deinde ea rursum ad capturam expandere. Ita Nabuchodonosor vnam vrbem gentemque debellans, eius opes euacuabat mittebatque Babylonem; ac rursum aliam gentem suò exercitu inuadebat, eamdem simili modo euacuaturus & expiscaturus, id est expilaturus. Est ergo metalepsis: ex antecedenti enim intelligitur consequens, putà ex euacuatione expansio, ex spoliatione vnius gentis inuasio & spolium alterius.

Moraliter discе hîc, quanta sit vis ambitionis & auaritiæ: hæc enim tyrannos in tot rapinas & prælia impulit. Præclarè Seneca epist. 94. sub finem: *Agebat*, ait, *infelicem Alexandrum furor alienæ deuastandi, & ad ignota mittebat. An tu putas sanũ, qui à Græcia primùm cladibus, in qua eruditus est, incipit, qui quod cuique optimum est, eripit? Lacedæmona seruire iubet, Athenas tacere. Non contentus tot ciuitatum strage, quas aut vicerat Philippus, aut emerat, alias alio loco proiecit, & toto orbe arma circumfert: nec subsistit vmquam lassa crudelitas; immanium ferarum modo, quæ plus quàm exigit fames mordent. Iam in vnum regnum multa regna coniecit; iam Græci Persæq; eumdem timent; iam etiam à Dario libera*

liberæ nationes iugum accipiunt. Idem tamen vltra Oceanum solemq́, indignatur ab Herculis Liberiq́, vestigiis victoriam flectere; ipsi natura vim parat. Nō ille ire vult, sed non potest stare: non aliter quàm in præceps deiecta pondera, quibus eundi finis est, iacuisse. Deinde ab Alexandro trāsit ad Pompeium, Cæsarem & Marium: *Nec Cneio quidem Pompeio externa inire bella aut domestica, virtus aut ratio suadebat: sed insanus amore magnitudinis falsæ, modò in Hispaniā & Sertoriana arma, modò ad colligendos piratas, ac maria pacanda vadebat. Hæ pratexebantur causæ, ad continuandam potentiam. Quid illum in Africam? quid in Septemtrionem? quid in Mithridatem & Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? Infinita scilicet cupido crescendi, cùm sibi vni parum magnus* A *videretur. Quid C. Cæsarem in sua fata pariter ac publica immisit? gloria & ambitio, & nullus supra ceteros eminendi modus. Vnū ante se ferre non potuit, in Resp. supra se duos ferret. Quid tu C. Marium septies Consulem (vnum enim consulatum accepit, cæteros cepit) cùm Theutonos Cimbrosq́, concideret, cùm Iugurtham per Africæ deserta sequeretur, tot periculorum tas appetisse, virtutis instinctu? Marium exercitum, Marium ducebat ambitio. Isti cùm omnia concutiunt, concutiebantur turbinum more, qui rapta conuiant, sed ipsi antè voluuntur, & ob hoc maiore impetu currunt, quia nullum illis sui regimen est. Ideoq́, in quantis fuerint mali, pestiferam illam vim, quæ quosque nocuerunt, ipsi quoque sentiunt. Non est quidquam, quemquam fieri aliena infelicitate felicem.*

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

*HAbacuc cap. præcedenti, audiens à Deo, Chaldæos excisuros Ierusalem ob eius scelera doluit, excidiumq́, deprecatus est v. 12. conquerens, non decere vt fidelibus dominentur infideles, eosq́, dissipent. Hîc querelæ eius occurrit Deus, dans nouum latumq́, oraculum de Chaldæorum excidio. Respondet ergo, se Chaldæos, postquam per eos punierit Iudæos alios, ipsos excisurum. Chaldæi verò, ingenti superbia elati, Deum exagitant, quasi non posset, aut nollet punire Iudæos, quos ipse ad tempus ad se deficientes, ipsis Chaldæis in manus tradiderit. Quibus respondet Deus, se Chaldæos, postquam per eos punierit Iudæos alios,

habitat Christus habitat; in iudicio, & consilio rationis humanæ nostræ: ita sanè vt non in ipsa habeamus fiducium, aut fragili innitamur custodiæ; sed figamus gradum in munitione firmissima petræ, Christo totis mentis nitentes, sicut scriptum est: Qui statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.

Secundò, *custodia* est status, gradus & officium, in quo vel per se, vel per Superiores nos posuit Deus, vt eum custodiamus & exerceamus. Ibi loquitur, ibi operatur: extra eũ silet & quiescit. Qui ergo vult Deum audire, in statu suo maneat, alium non ambiat: officium, in quo eum posuit obedientia, non deserat; sed strenuè & constanter illud obeat. ita Sanchez.

ET QVID RESPONDEAM AD ARGVENTEM, id est arguenti. ME] Ex Hebræo sic Primò, vertunt Theodor. Theophyl. Pagnin. & Vatabl. *& quid respondeam ad disceptationem meam, vel ad argumentum meum: meum*, id est, mihi propositum ab improbis, qui putant Deum non habere curam rerum humanarum, eò quòd prosperet & fortunet impios. q.d. Exspectabo responsum Dei, vt ex eo respondeam improbis, qui eius providentiam suo hoc argumento impugnant & arguunt.

Secundò, Chald. sic vertit, *quid respondebitur ab oratione mea.* Vnde à Castro sic exponitur q.d. Vt audiam quid respondeat Deus ad meam humilem & mitem expostulationem, seu argumentationem, & ex animo sincero prodeũtem correptionem. Verùm Hebr. Septuag. & Nostri habent, *quid respondeam*, scilicet ego, non *quid respondeat* scilicet Deus.

Tertiò & genuinè, Noster vertit *quid respondeam ad arguentem me*, hoc est quid respondeam Deo, qui, vt præsagit mihi animus, me arguet, quòd querulus sim de eius prouidentia, qua sinit impios Chaldæos vastare Ierusalem. Sed ego illi cogitabo quid Deo arguenti respondeam, & quomodo. Vnde hebr. est, *quid respondeam correptioni*, vel *redargutioni meæ.* q.d. Scio quòd Deus meam libertatem redarguet; sed ego redargutionibus hisce meæ, modestè replicabo quod mẽs suggerere gestit enim animus dolens & æger, de hac impiorum felicitate differere & disputare. Similiter Iob afflictus disputauit cum Deo c. 13. Sicut ergo miles & excubitor, obsessus ab hoste cum eo de munitionis deditione disputat argumentis, vel verborum & rationum, vel verberum & telorum; ita Philosophus & Theologus argumentans & disputans cum altero de aliqua quæstione, v.g. de Dei prouidentia, de impiorum felicitate, &c. intendit & excubat vt audiat, quid ad argumento ab eo qui thesin defendit, respondeat, vt illicò responsionẽ eius nouo argumento impugnet. Ardet enim eius animus ad disserendum, & ad confligendũ, argumentis, non bellis, sed scholasticis. Ita ardet hîc Propheta disserere cum Deo, eique arguenti replicare. ita S. Hieronymus, Albertus, & Lyranus. Porrò notat S. Hieronymus aitque: *Eleganter autem, & miro modo humanam describit impatientiam, quam in disputationibus semper habere consuevimus, vt antequam nobis ex aduerso aliquis respondeat, & sciamus quid nos arguerit, ad respondẽdum paremur. Ex quo colligitur responsionem non rationis esse, sed contentionis. Si enim esset ratio, responsio debuerat exspectare, vt videri, vtrùm respondere deberet, an consentire rationabili responsioni.* Quare Deus benignissimus, molli & consolatoria sua responsione, frangit hunc Prophetæ disputandi ardorẽ, adeò vt ipse, ea partim confusus, partim consolatione plenus, non habeat quod replicet, sed obmutescat, imò cap. sequ. in hymnum & doxologiam Dei erumpat.

SCRIBE VISVM] Id est, rem visam, putà prævisam prophetiã, quam tibi nunc reuelo & ostendo de Chaldæorum interitu, & Iudæorum è Babylone liberatione. Scribe inquam, tum pro præsentibus, tum potiùs pro posteris, quos hæc res tanget: illi enim ituri sunt in Babylonem, indeque rediturí; vt ex hoc tuo oraculo id resciãt, indeque consolationem & certam reditus spem concipiant: ideoque vt omnibus hoc innotescat, iubeo illud scribi, non in libro, qui claudi & seponi solet; sed in tabulis apertis & expansis, quæ publicè cuilibet ad legendum proponuntur. Vnde subdit: EXPLANA EVM (scilicet *visum*) SVPER TABVLAS, VT PERCVRRAT, QVI LEGERIT EVM] vt scilicet legens eum, facillimè percurrere & perlegere possit; Vatabl. *clarè explica eam* (visionem) *in tabulis, vt festinatò & expeditè pergat, qui eam legerit;* Septuag. *scribe visionem manifestè in buxum, vt currat qui legit ea.* Olim enim non erat cognitio nec vsus chartæ vel pergameni; sed scribebant in tabulis ligneis, præsertim è buxo, quia buxus mollis est, & facilè characteres recipit. Ægyptij deinde, tempore Alexandri Magni scribere cœperũt, teste Plinio l. 13. c. 11. in tabulis, vel phylluris arboris, quæ ibi frequens est vocaturq; papyrus; indeq; charta nostra quæ fit è linteis contusis (quia eundem, imò commodiorem scribendi vsum præbet) vocatur papyrus: nam papyro veterũ successit, vti dixi Exodi 2. 5. Porrò in hisce tabulis scribebant, vel nudis, vel cera obductis. In nudis incidebant characteres. Ita Beda in Collectaneis & floribus, ait titulum crucis Christi, buxo fuisse inscriptum; itaq; reuera esse meis oculis conspexi. Vidi enim sæpiùs titulũ crucis, qui à S. Helena Hierosolymis Romam translatus, repositus est in ecclesia S. Crucis in Ierusalem. Titulus hic est tabella lignea, in qua nuda incisæ sunt literæ, quæ quia tabulæ sunt concolores, & quia vetustate extritæ, hinc clarè discerni legique nequeunt: vnde in alia tabella eædem à Romanis olim descriptæ & expressæ sunt, vt legi possint. Sæpiùs tamen tabulas has cera obducebant, ac stylo in cera complanata scribebant. Vnde Propertius:

Non illas fixum charas effecerat aurum,
Vulgari buxo sordida cera fuit.

Hisce stylis pueri & discipuli S. Cassiani Martyris, ipsum præceptorem suum, longa & horrenda morte enecarunt, vti legimus in eius Vita. Plura de hac re vide apud Gueuaram. VERS. 2.

QVIA ADHVC VISVS PROCVL] Hebr. *quia adhuc visio in tempus.* Dat caulam Deus, cur iubeat hunc visum, id est visionem, in tabulis scribi; *Quia*, inquit, *procul est.* q.d. Post multa tempora eueniet. Scribe ergo eam ad memoriam, vt posteri eam legentes, eius expletionem fideliter expectent: quia esto differatur, certò tamẽ *apparebit in finẽ*, hebr. יָפֵחַ *iapheach*, id est afflabit, aspirabit, anhelabit, festinabit ad finem, vt scilicet citò finiatur & compleatur, per rei prophetatæ euentum, existentiam & apparitionem, sẽ ostendet VERS. 3.

in

in fine, id est, tandem tempore à Deo præstituto adueniente, reipsa explebitur.

Quæres, quis hic vilus? quæ prophetia? quem tangit, de quo agit? Aliqui putant, ad literam hîc esse prophetiam de Christo. q. d. Veniet Christus, qui in die iudicij iniuriantes Chaldæos puniet, & damnabit; fideles verò iniuriam passos æterna gloria remunerabit ita S. Hieron. Theophyl. Remig. Rupert. Clarius & Ribera. Probãt, quia S. Paulus citans hunc locum, eum intelligit de Christo, Rom. 1. 17. & Hebr. 10. 38. Verùm dico, prophetiam hanc ad literam loqui de Nabuchodonosoris & Babylonici imperij euersione per Cyrum, ac Iudæorum è Babylone liberatione. Id ita esse, patet ex antecedentibus & sequẽtibus. Respondet enim Deus Prophetæ querelæ de Chaldæorum in Iudæos tyrannide, & prosperitate: eumque consolatur, promittens celeré eius finem, quem proinde ipse è sua prophetiæ specula, quasi excubitor prospectat & prænunciat. ita Cyrill. Theodor. Albert. Arias, Vatabl. & à Castro. Allegor. tamen loquitur de aduentu Christi, qui mysticam Babylonem, id est regnum diaboli confusione plenum, euertens, ex eo veros spirituales Israelitas, id est fideles & Christianos, eruit in primo suo aduentu in carnem; & completè eosdem eruet in secundo suo aduentu ad iudicium. Id patet ex eo, quòd Apostolus locis iam citatis hæc accipiat de Christo. Idem innuit *τὸ veniens veniet*. Solet enim Christus qui venturus est, à Prophetis dici *ὁ ἐρχόμενος*, id est veniens, vt vertunt Septuag.

SI MORAM FECERIT, EXPECTA ILLVM, scilicet visum, id est visionem & prophetiam: QVIA VENIENS VENIET, quia certò implebitur, ET NON TARDABIT] vltra tempus suum sibiq; à Deo præstitutum, licet Iudæis afflictis & impatientibus tardare videatur: captiuis enim in Babylone mora 70. annorum, videbatur longissima & tardissima. Hæc ergo mora Iudæis erat prolixa & sera, Deo verò erat exigua & velox: mille enim anni in conspectu eius, sunt quasi dies hesterna quæ pertransijt. Aliter Sanchez, q. d. *Expecta illũ*, hoc est, time Nabuchodonosorem, qui breui veniet puniturus improbos Iudæos, qui, vt tu, ô Habacuc, quereris, violenter opprimunt pauperes. Nabuchodonosor enim vlciscens oppressionem pauperum, fuit typus Christi, æquè ac Cyrus vlciscens impios Chaldæos qui opprimebant Iudæos. Sic expectare, non desiderare, sed timere significat psal. 68. v. 21. *Improperium expectauit cor meum & miseriam*. Et Æneid. 1.

At spērate Deos memores fandi atque nefandi.

Sperate, id est timete. Et lib. 4.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Verùm non videtur hoc ad mentem Prophetæ, qui de Nabuchodonosore queritur quasi de tyranno, & oppressore tam piorum quàm impiorũ Iudæorum, ideoque eius aduentum deprecatur. Hic enim nequit esse typus Christi redemptoris, vti fuit Cyrus liberator Iudæorum è Babylone. Consolatur enim hîc Deus Prophetam promittendo Cyrum, qui populum Dei captiuitate Babylonica; & allegoricè Christum, qui eumdem captiuitate diabolica liberet; eumque iubet expectari, quia veniens veniet, vt hac fide & spe viuat, ac se suosque à Nabuchodonosore affligendos sustentet.

ECCE QVI INCREDVLVS EST, NON ERIT RECTA ANIMA EIVS] Pro *incredulus* hebr. est עפלה *vppela*, id est obtenebratus, arctus, angustus, densus, incredulus, impatiens, contentiosus, superbus, præsumptuosus, rebellis: hæc enim vitia omnia inter se connexa sunt, vnumque sequitur ex alio. Vnde Tigurina vertit, *ecce arrogantis & fluxi animus non est in se rectus*; Pagnin, *viri superbi non est recta anima in eo*. quod Vatabl. exponit de Nabuchodonosore, hoc modo, q. d. Nabuchodonosor qui non rectam, sed peruersam habet animam & mentem, victorias suas non Deo, sed sibi tribuit, in ijsque exultat & superbitat: iustus qui rectam habet animam, & rectè sentit de Deum viuit, est humilis, non arrogans; quia Deo humiliter omnia bona ascribit, non sibi. Rectam enim habere animam, est rectè sentire de Deo, rectam de Deo habere fidem. Opponit enim incredulum, qui non habet animam recti fideli & iusto, qui in fide sua viuit. q. d. Fidelis fidenter & rectè viuit, in sua recta opinione fide, quam de Deo conceptam habet: infidelis autem & incredulus prauam de Deo habet opinionem & fidem; vnde in ea rectè & confidenter viuere nequit. Secundò, R. Moses, quem sequitur Christ. à Castro, hæc exponit de Sedecia & Iechonia sic, q. d. Sedecias alijque Iudæi increduli, qui iubente Deo per Ieremiam cap. 24. noluerunt se dedere Nabuchodonosori, peruersi sunt & peribunt. At Iechonias eiusque asseclæ fideles & iusti, qui Dei oraculo cedentes dediderunt se eidem, credentes & sperantes ex eiusdem oraculi promissione, suo tempore liberationem, vitam & felicitatem, in hac sua fide viuent felices & fortunati: quia bona quæ crediderunt, & sperarunt ex Deo, eis obuenient. Vnde R. Moses Hebr. *ppela* vertit, *condit se in arce* בעיר *ophel*, quæ erat arx celsa & munita in Ierusalem. q. d. Sedecias cum suis posuit se in Ierusalem, quasi in arce & turri Ophel à Chaldæis inexpugnabili, nec credidit aut sperauit in Deo: idcirco peribit. At Iechonias pro turri & arce, pro suo Ophel, habuit Deum, Deique oraculum: cui quia obediuit, idcirco viuet sospes & felix. Verùm hic sensus arctior videtur, præsertim quia de Sedecia & Iechonia nulla hîc fit mentio.

Tertiò ergo genuinè & adæquatè sensus est, q. d. Qui hisce meis oraculis de Iudæorum è Babylone liberatione per Cyrum, & alleg. de hominum liberatione per Christum, incredulus est, ideoque iniustus & impius, hic non habet animam rectam, ideoque displicet Deo, vt vertunt Septuag. & ex ijs S. Paulus Hebr. 10. 38. ac consequenter vera, recta, pacata, felicique vita fide, spei gratiæ & gloriæ non viuet; tum quia nec habet infensum; tum quia in hominibus rebusque creatis, spem suam æquè ac metum reponit, quocirca nunc à spe, nunc à metu huc illuc agitabitur, vitamque aget fluctuantem, ærumnosam & infelicem. At verò fidelis & iustus, qui credit Deo & meis hisce ex Deo prophetijs de liberatore Cyro, & alleg. de Saluatore Christo, hic viuet vita recta, sancta & felici, quia in Deo, qui vera est vita, eiusque promissis defixus, illi charus, cordi & curæ erit. Vnde vertit, *ecce impij dicunt in corde suo, Non erunt hæc omnia*, quæ per Habacuc prædicit & promittit Deus; *sed iustus in vero*.

Sam. Bohtg l. 1. Var. Lect. c. 11. §.

rectus eius, putà in fide & fidelitate Dei, *firmabitur*. Et Symmach. *iustus autem per fidem suam propriam viuet*. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo & Lyran.

Nota. Hebr *nppela* est femininum; Noster tamen vertit masculinè *incredulus*: quia Hebræi sæpenumerò enallage generum, vnumque genus ponunt pro alio, præsertim cùm aliud sequitur; ebullit propriè id quod præcedit non referat, aut respiciat. Adde, ad verbum, seruando genus Hebræum, illudque concordando, sic vertas, *non erit recta anima eius, cuius est incredula*, vel impatiens & superba.

Nota Secundò antithesin: opponit enim incredulum credenti & iusto, quòd ille non habeat animam rectam hic verò habeat; putà in fide sua viuet. Vnde sequitur, animam hîc metonymicè poni pro vita, q.d. Incredulus habet animam, id est vitam, non rectam, sed distortam, anxiam, miseram & infelicem; iustus autem in fide & spe sua agit vitam rectam, putà lætam, quietam, sanctam & felicem. Rectitudo ergo animæ est iusti vita quæ in duobus consistit.

Primò, in constanti tolerantia aduersitatum & afflictionum, v.g. captiuitatis Babylonicæ, ad quam directè hîc respicit Propheta; propriè enim volt significare, Iudæos qui constanter eam tolerabunt, suscipientes eam de manu Dei, pro pœnitentia suorum peccatorum, ac longanimiter sed certò expectantes eius finem post 70. annos iuxta promissa Dei; rectam habituros animam, id est in captiuitate vitam acturos patientem, tranquillam, serenam; cùm alij in eadem impatientes, & diffidentes se vnquam ex ea liberandos, habebunt animam distortam, prauam & miseram; vitamque viuent infelicem: mille enim rumoribus, mille timoribus, tristitiis, angoribus, desperationibus, iugiter huc illucque iactabuntur, eò quòd non credant nec fidant Deo, eiusq; Prophetis; vt Habacuc promittenti hanc liberationem. Fideles enim per fidem & spem promissæ liberationis, ærumnas omnes fortiter tolerant & superant: hæc enim fides & spes mentem corroborat ad omnia tristia fortiter sustinenda, vti docet Apostolus toto cap. 11. ad Hebræos: *Fides*, inquit, *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei. Fide Henoch translatus est*, &c. *Qui* (heroes veteris testamenti) *per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, iocundi sunt, secti sunt*, &c.

Secundò, rectitudo animæ, iustique vita est laboriosior, nimirum diuina; qua anima fidelis, per fidem & spem sustinens captiuitatem, & tribulationes à Deo immissas, credens, & sperans quòd Deus, vti promisit ex iis liberationem, ita & certò eam præstabit suo tempore, grata est, placetque Deo; vtpote patiens & resignata in Dei voluntatem, ideoque deiformis & sancta; cùm ex aduerso incredulus & diffidens Deo, per hanc suam diffidentiam, displiceat ei peccetque, & idcirco mereatur in sua tribulatione, diffidentia ac desperatione relinqui, imò nouis tam in hac vita, quàm in futura afflictionibus puniri. Hoc ita esse patet ex versione Septuag. *Si subtrahitur*, inquit, *se, non complacebit anima mea in eo, iustus autem ex fide mea viuet*. ita passim interpretes. Idem patet ex Apostolo Rom. 1. 17. & Hebr. 10. 38. vbi docet iustum ex fide viuere, id est iustificari. Vide ibi dicta.

Vbi Nota. Septuag. pro ו legentes י, putà pro בֶּאֱמוּנָתוֹ *beemunato*, id est *in fide sua*, vti legunt Hebr. Aquila, Symmach. & Theodot. legentes בֶּאֱמוּנָתִי *beemunati*, vertunt, *in fide mea*; sed eòdem redit sensus. Eadem enim est fides nostra, quæ Dei; fides enim est nostra, subiectiuè: eadem est Dei obiectiuè: pro obiecto enim habet Deum. Ratio enim formalis credendi in fide, est prima & increata Dei veritas, quæ falli aut fallere nequit. Ideo enim certò credimus ea quæ Prophetæ prædixerunt, esse vera, & reipsa euentura; quia Deus, qui est ipsissima veritas, ea per Prophetas nobis reuelauit & promisit.

Anagog. rectitudo animæ iustique vita, perficitur in cælo, vbi ob meritum tolerantiæ, fidei & spei, donabitur gloria æterna, quæ plenam animæ, & potentiis omnibus dabit rectitudinem, vitamque cælestem iucundissimam & beatissimam.

Moral. Disce hîc quanta sit virtus fidei & spei, quæ omnia aduersa superat, facitque animam tectam, eique dat vitam serenam, lætam & diuinam. Viderunt id per vmbram Gentiles. Vnde Bias rogatus: *quid esset dulce hominibus?* respondit, *Spes*. Ita spes suscitat colonos, vt constanter sustineant labores arandi, fodiendi, occandi, serendi, sarriendi, &c. ex spectatione messis. Ita victoriæ & spoliorum spes acuit milites ad fortiter pugnandum, ad verbera & vulnera omnia generosè excipienda. Alexander Macedo apud Granicum cum copiis Darij conflicturus, hortabatur Macedones vt affatim pranderent, quasi postridie ex hostium commeatu cœnaturi. Nimirum victoriam certa spe præceperat, & vicissim spes hæc accendebat milites ad dimicationem, vt ea victoriam pararent. Idem in bellum profectus, cùm regias opes in duces & milites distribuisset, roganti Perdiccæ: *Quid tibi nunc rex superest? Spes*, inquit. Tum Perdicca: *Hæc nobis commilitonibus tuis futura est communis*; quare prædium, quod ipsi designarat Alexander, recusauit. *Tanta erat fiducia bene successuram expeditionem*, ait Plutarchus in Alexandro. Diuinius Iacob Patriarcha: *Salutare tuum*, inquit, *exspectabo Domine*, Genes. 49. & Iob c. 13. *Etiamsi me occiderit, in ipso sperabo*. Sapiens Prouerb. 3. 5. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo*. & c. 16. *Qui sperat in Domino, beatus est*. Eccles. c. 2. *Qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia*. Et c. 11. *Confide in Domino, & mane in loco tuo: facile est in oculis Dei, subitò honestare pauperem*. Ierem. c. 17. *Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius*. Thren 3. *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exspectabo eum. Bonus est Dominus sperantibus in illum, animæ quærenti illum*. Michæas c. 7. *Ego ad Dominum aspiciam, exspectabo Deum saluatorem meum, audiet me Deus meus*. S. Paulus Rom. 8. *Spe salui facti sumus*. Et c. 12. *Spe gaudentes*. Psal. 32. *Sperantem in Domino misericordia circumdabit*. Prouerb. 28. *Qui sperat in Domino, saluabitur*. Isaiæ 57. *Qui fiduciam habet mei, hereditabit terram*. Psal. 26. *In Domino sperans, non infirmabor*. Audi & Patres. S. Augustin. in psal. 3 *Vita verè mortalis, spes est vitæ immortalis*. S. Gregor. *Spes in æternitatem animum erigit, & idcirco nulla mala exteriùs, quæ tolerat, sentit*. S. Bernard. serm.

Moral. de præstantia fidei & spei.

Scriptura.

Patres.

serm. 9. in psal. *Qui habitat: Tu es Domine spes mea. quidquid agendum, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid operandum, tu es Domine spes mea. hæc vna mihi omnium promissionum causa, hæc tota ratio meæ exspectationis. Pretendat alter meritum, &c. mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam.* Et rursum: *Si insurgant aduersum me prælia, si sæuiat mundus, si fremat malignus, si ipsa caro aduersus spiritum concupiscat, in te ego sperabo. Vt quid cunctamur omnino abiicere spes miseras, vanas, inutiles, seductorias; & huic vni, tam solidæ quàm perfectæ, tam beatæ spei, tota deuotione animi, toto feruore spei inhærere:* Idem serm. 10. *Tu es patientia mea, si tribulatio infertur, per te sperabo, tu es spes mea; si præmia promittantur, per te obtinebo; si insurgat hostis, non nisi in te sperabo.*

Exempla. S. Carolus Borromæus reformaturus Congregationem quamdam, cùm à suis moneretur vt eam non adiret, in ea enim illi insidias necemque parari, respondit: *Ergóne Deus in mundo est pro nihilo? Imò verò ibo: Deus cuius causam ago, tutabitur me. quòd si nolit, lubens pro eo occumbam.* Quocirca hoc fidei & spei suæ præmium à Deo tulit, vt ibidem sclopo appetitus glans ferrea vestem penetrarit, sed in cute hæserit, quasi vi diuina repulsa, ne in corpus Sancti penetraret. S. Iohannes Silentiarius irruente Alamundaro Saracenorum rege, cùm fugerent cæteri, è cella sua egredi noluit, dicens: *Si Deus mei curam non habet, vt quid viuo?* Vnde in meritum huius suæ confidentiæ, Deus leonem submisit, qui iugiter ei assistens, ipsum contra barbaros tutatus est. S. P. Ignatius fundator Societatis nostræ solebat dicere: *Nescitis quantas vires habeat spes in Deum.* Vires hasce ipse assiduè expertus est, cùm vnius Dei ope fretus, Societatem per orbem adeò feliciter sparsit. Nimirum didicerat illud S. Petri epist. 1. c. 5. & ex eo S. Bernardi serm. 5. in Vigilia Natiuitat. *Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, ipsi enim cura est de vobis. Nam sibi quidem ipsi fidere, non fidei, sed perfidiæ est; nec confidentiæ, diffidentiæ magis, in semetipso habere fiduciam. Is verò fidelis est, qui nec sibi credit, nec in se sperat, factus sibi tam quam vas perditum; sed sic perdens animam suam, vt in vitam æternam custodiat eam. Porrò id quidem sola facit humilitas cordis, vt non sibi fidelis anima innitatur, sed deserens semetipsam ascendat iam de deserto, innixa super dilectum suum, atque adeò deliciis affluens.*

Gnomæ Gentilium. Vis & gnomas Gentilium sapientum? Appian. l. 2. de Bello ciuili: *Nihil, ait, est efficacius spe, ad subleuandam hominum lassitudinem.* Thucid. lib. 7. *Vt plurimum spes maxima præbet maximam audaciam & promptitudinem ad inuadendum.* L. Florus l. 4. cap. 8. *Magnæ indolis est, sperare semper.* Cicero in Catilinam: *Sola spes hominem in miseriis consolari solet.* Seneca in epist. *Spes est vltimum aduersarum rerum solatium; memoriæ minimum quisque tribuit, spei plurimum.* Seneca in Medea: *Qui nil potest sperare, desperet nihil.* Ouidius l. 1. de Ponto eleg. 7.

Hæc dea (spes) cùm fugeret sceleratas numina terras,
In dijs inuisa sola remansit humo.
Hæc facit vt viuat fossor quoque compede vinctus,
Liberaq; à ferro crura futura putet.

Tibullus eleg. 2.

Iam mala finissem letho, sed credula vitam
Spes fouet, & melius crastinus esse semper ait.
Spes alit agricolas, spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc raptat arundine pisces.

Denique præclarè Laurent. Iustin. lib. de Lygno vitæ c. 2. *Spes est quasi columna, qua totum spirituale ædificium sustentat, qua deficiente ædificium corruit, ac in barathrum desperationis concidit. Est etiam anchora animæ, eam seruans ne à procellis tentationum irrumpatur, de qua Apostolus: Firmissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.*

Et quomodo] Hebr. אַף אֲשֶׁר *aph asher*, quod Lyran. Arias & Vatabl. vertunt *quanto magis*, hunc dant sensum, q. d. Si superbus & incredulus Nabuchodonosor, qui non Deo, sed sibi suisq; idolis, suas victorias asscribit, viuet vitam non rectam & beatam, sed distortam & miseram, quanto magis vir vinosus, æquè ac superbus & incredulus, putà eius filius Balthasar, de suo statu, ciatè, & culmine regio corruet? Verùm Noli vertit melius, *& quomodo.* Transit enim Propheta à Iudæis incredulis ad Nabuchodonosorem, rum virgam & flagellum. Hunc ergo compa ebrio; tum quia omnes gentes, quasi vinum temperanter hauriebat, eorumque spolia sa gurgitabat: tum quia in modum ebrij bac hac tis, non recta incedebat rationis via, sed libid dominandi, æstuque cupiditatum in quæq deuia gressus obliquans, nunc hos, nunc illos uadebat & trucidabat. Sed hoc vino, quod ip tio ei sapidissimum erat & iucundissimum, pe ea deceptus est instar ebrij, quia imperio & mente priuatus, omne hoc vinum remouere coact est, dum omnibus spoliatus, relegatus est ad b stias; quare quasi ebrius omnibus fabula ac lu brium effectus est, vt fallas parabolas, dicteri & scommata in eum certatim torquerent: a tandem in filio Balthasare regnum, vitam & ani mam perdidit. ita S. Hieron. Theophyl. Remig. & Hugo. Pari modo ambitio, auaritia, gula, cæteræque cupiditates, quasi vinum inebriant an mos hominum, faciuntque vt quasi mente capt ruant in suam perniciem & exitium; vinū enim ambitionis v. g. quo magis hauritur, eo magis ho minem dementat, vt ex fastu faciat multa insu sa & stulta, per quæ dignitate & gradu suo exci dit. Porrò quomodo vinum decipiat potenter graphicè describit Lucretius:

Cùm vini, inquit, vis penetrauit
Acris, & in venas discessit diditus ardor,
Consequitur grauitas membrorum, prapedunt re
Crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
Nant oculi, clamor, singultus, iurgia gliscunt.

Quocirca Sapiens Prouerb. 23. 29. *Cui, ait, væ cui patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? Nónne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius; ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Ita Charmes apud Terentium à vino se deceptum queritur: *At at, inquit, data hercle verba mihi sunt: nam vinum, quod bibi. At dum accubabam, quàm mihi videbar publicè sobrius: postquam surrexi, neque pes neque mens, satis suum officium facit.* Ita prorsus omnis mundi pompa, omnes opes, omnes illecebræ primò quidem blanda sui specie, pulchroque quasi vultu omnes ad se alliciunt; at mox tot cura,

periculis, tot molestiis, tot inuidiis & æmulationibus, tot infortuniis & calamitatibus eos iactet, raptant & exagitant, vt tandē ad scopulos illidant, confringant & disperdant. ita Gueuara.

QVI DILATAVIT QVASI INFERNVS ANIMAM SVAM] Vox *dilatauit*, & vox *animam*, magnam denotant auiditatem. Anima enim idem est, quod animæ auiditas, sitis, cupiditas. Sicut paulò antè Nabuchodonosorem comparauit ebrio, ita ambitionis tumenti & turgido, indeque vomenti, impingenti & corruenti; ita hîc eumdem comparat inferno, quia eius ambitio & auaritia est insatiabilis: nam omnia glutiens, numquam satiabatur, sed quo plura rapiebat, eo plura vorare gestiebat, eratque quasi cerberus insatiabiliter cæua guttura pandens. Hinc inferni præses, à Gentilibus vocatus est Pluto, quòd omnium sit diues, ait Lucian. Πλοῦτος enim Græcis, sunt diuitiæ. Hinc & infernus dictus est Orcus, ab vrgendo; quòd in interitum omnia vrgeat & præcipitet, ait Festus. Tertiò, comparatur eumdem morti, quæ omnibus dominatur, omnesque deuorat. Sicut enim mors non satiatur mortuis, sed quo plures emori coëgit, eo plures videre satagit: ita & Nabuchodonosor non satiabatur gentibus & regnis; sed quo plures debellare & mactarat, eo plures subiugare & mactare anhelabat. Porrò Gueuara censet, hîc & alibi, infernum & mortem esse idem; infernum enim suum pro ipsa morte defunctorum regina; quia mortem, inquit, veteres Plutonis nomine notarunt. & eumdem Iouem infernum nuncupant. Idem probat ex eo, quòd Scriptura sæpe infernum cum morte coniungat & combinet. Verùm S. Hieron. Theodor. Theophyl. Lyran. Clarius. Vatabl. Ribera, à Castro & alij passim infernum à morte distinguunt, duasque hîc comparationes fieri censent. Nam & profani scriptores, mors infernus, Pluto, distinguunt: licet enim infernum Iouem vocent Summanum, quasi Summum deorum Manium, tamquam inferi præsidem; non tamen ipsum inferni locum, vocant Iouem aut Plutonem. Iam, si infernus & mors in Scriptura combinantur; ergo bina sunt, non vnum. Reginā dicis mortem, coniugio iungo cum Plutone rege, & fac Proserpinam. Rex enim & regina, idem esse nequeunt, ait Delrio tribagio 1002. Denique mirè hæc verba explicat Iohannes Alba Electorum c. 27. *Infernus*, inquit, capitur pro morte, & mors pro hoste mortem inferente. Infernum ergo vocat hostem. *Anima* vocatur nobiles & principes populi. *Dilatare* per antiphrasin significat coarctare, id est affligere, perdere. *Suam* dixit pro *eius*: vtrumque enim significat Hebræum pronomen. Sensus est, q.d. Hostis coarctabit & vastabit eum, id est principes populi Israelitici; vel, hostis dilatabit os suum, vt animam, id est principes Israel, deuoret. Verùm hæc violenta & parabolica sunt.

Moral. Nota hîc, cupiditatem, quo magis ci indulgetur, eò magis in immensum crescere, insatietatis, inferni & mortis. Cupiditas enim ignis insignis, cui pro plus lignorum iniicis, eo magis crescit & inardescit. Sic *crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.* Cupiditas ergo est quasi ardens febris, quæ quo plus bibit, eo plus sitit. Cupiditas est quasi fera, putà leo, lupus, pardus, tigris, quæ quo plus prædatur, eo magis efferatur, magisque ad prædandum accenditur. Cupiditas est charybdis & vorago inexplebilis; vnde Philosophus ventrem gulosi, vocabat vitæ charybdim.

6. Numquid non omnes isti super eum parabolam sument, & loquelam ænigmatum eius: & dicetur: Væ ei, qui multiplicat non sua? vsquequò & aggrauat contra se densum lutum?

7. Numquid non repentè consurgent qui mordeant te: & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?

8. Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis, propter sanguinem hominis, & iniquitatem terræ ciuitatis, & omnium habitantium in ea.

9. Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, vt sit in excelso nidus eius, & liberari se putat de manu mali.

10. Cogitasti confusionem domui tuæ, concidisti populos multos, & peccauit anima tua.

11. Quia lapis de pariete clamabit: & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit.

12. Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, & præparat vrbem in iniquitate.

13. Numquid non hæc sunt à Domino exercituum? Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum, & deficient.

14. Quia replebitur terra, vt cognoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare.

15. Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians vt aspiciat nuditatem eius.

16. Repletus es ignominia pro gloria: bibe tu quoque, & consopire: circumdabit te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiæ super gloriam tuam.

17. Quia iniquitas Libani operiet te, & vastitas animalium deterrebit eos de sanguinibus hominum, & iniquitate terræ, & ciuitatis, & omnium habitantium in ea.

NVMQVID NON OMNES ISTI SVPER EVM PARABOLAM SVMENT, ET LOQVELAM ÆNIGMATVM EIVS?] *Parabolam* vocat, carmen funebre de strage Nabuchodonosoris, qui imperium perdidit in filio Balsasare. Hebræi enim omnem sententiam insignem, acutam & illustrem, quale est hoc carmen, vocant parabolam, prouerbium vel ænigma, præsertim cùm in ea miscentur vera prouerbia, parabolæ, vel ænigmata, vti hîc fit. Simile carmen de eodem pepigit Isaias c. 14. 4. Sensus est, q.d. Nónne Balsasar cæsus à Cyro, fiet fabula & dicterium omnibus gentibus, vt in VERS. 6.

eum hoc, vel simili carmine, imò scommate, ludant & subsannent?

ET DICETVR: VÆ EI QVI MVLTIPLICAT NON SVA? VSQVEQVO ET AGGRAVAT CONTRA SE DENSVM LVTVM] Nota Primò, *aggrauat*, id est multiplicat: sic sæpè alibi grauis idem est quod multus, vt patet Exodi 8.28. Psal.34.18. 1.Machab.1.18. Est enallage quantitatis continuæ pro discreta; vel metalepsis: quæ enim multa sunt, eadem & grauia sunt, hominemque aggrauant & degrauant. Vnde Syrus vertit, *aggrauat contra se nubem luti*; Arabicus, *quousque crescet supra te nubes luti*?

Secundò, per *lutum* Gueuara accipit ceroma, quod ex oleo fiebat & luto, eratque vnguentum, quo se athletæ in palæstra certaturi perungebant; tum vt fortiores essent; tum vt lubrici, B manus antagonistæ fallere & elabi possent. q.d. Væ Nabuchodonosori, væ Balsasari; ô infelix, quàm tristis eum manet exitus! vt quid alienis opibus, quasi multo ceromate, instar pugilis, vt fortior & potentior sit ad comparandos exercitus & bella, se superlinit? Frustra & noxiè id facit. Nam hoc ceroma cum aggrauabit, quasi densum lutum in perniciem suam: nam inuitabit Cyrum & Persas ad eum inuadendum & dispoliandum. Porrò ceroma vocari lutum, patet ex illo Persij: *Crassisq; lutatus amomis*; & illo Martialis:

Ne lutet immundum nitidos ceroma capillos,
Hac poteris madidas conderepelle comas.

Opes sunt densum lutum, cur?

Simpliciter tamen vulgare platearum hîc lutum accipi potest. Nam opes vocantur densum C lutum. Primò ob earum vilitatem. Quid enim *sunt aurum & argentum? nónne terra rubra & alba, quam solus hominum error facit (aut magis reputat) pretiosam*? ait S.Bernard. serm.4. de Aduentu: *quid sunt gemmæ, nisi lapides terræ? quid byssus, nisi vermium, putà bombycum, fila? quid vniones, nisi excrementa concharum?*

Secundò, quia has opes Nabuchodonosor densabat, vt ex iis copias roburque suum conflaret; sed reuera iis sibi perniciem & exitum conflauit: vnde Septuag. vertunt, *vsquequo aggrauat torquem suam grauiter*? q.d. Nabuchodonosor densat aurum, vt ex eo sibi suisque faciat torques aureas; sed hæ torques erunt eis laquei & catenæ graues, quibus eos captiuos vincient, illaqueabunt & suffocabunt Medi & Persæ. Aliter Theodor. per torquem enim accipit onus tributorum & vectigalium, quod gentibus à se deuictis imponebat, & indies aggrauabat Nabuchodonosor. D

Tertiò, tropolog. opes sunt densum lutum: quia congregatæ ex rapinis, vsuris, fraudibus, animam conspurcant, aggrauant. & detrahunt in gehennam. Vnde Chald. vertit, *væ qui multiplicat diuitias non suas: vsquequo aggregaturus es in te grauitatem peccatorum*? Et Remig. *Opes*, ait, *sunt densum lutum, quia sinceritatem mentis confundunt, & grauissimo pondere iniquitatis mentem premunt.* Et S.Gregor. 3.p. Pastor. cap.21. *Auaro*, ait, *contra se densum lutum aggrauare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare.* Idem lib.34. Moral.cap.13. *Per lutum*, ait, *terrenarum rerum multiplicitas figuratur, sicut per Habacuc dicitur: Væ ei qui multiplicat non sua; vsquequo aggrauat contra se densum lutum? denso enim luto se aggrauat, qui per auaritiam terrena multiplicans peccati sui se oppressione coangustat. Rursum luti nomine, doctrina sordidum sapiens designatur, sicut per eumdem Prophetam dicitur cap.3. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum, ac fodicaret: Aperuisti iter prædicatoribus tuis, inter doctrinas huius sæculi, sordida & terrena sapientes. Per lutum quoque desiderium sordidæ voluptatis exprimitur, sicut Psalmista deprecans ait, psal.68. Eripiam de luto, vt non inhæream. Luto quippe inhærere est sordidis desideriis concupiscentia carnalis inquinari.* Quocirca sapienter alibi monet S. Bernardus. *Nolite*, ait, *amare ea, quæ amata inquinant, possessa onerant, amissa cruciant.* Similimodo Crates Philosophus, videns adolescentem vino & cæne incrassari: *O miser*, inquit, *desine aduersus metipsum carcerem munire*, ait Maximus serm. 27. *Omnis enim hæc pinguedo quid est aliud, quàm densum lutum, quo se aggrauat, quóque quasi carcere animam suam arctiùs includit & incarcerat gulosus?*

NVMQVID NON REPENTE CONSVRGENT QVI MORDEANT TE?] Putà Cyrus & Persæ, inquit S. Hieron. Theophyl. Remig. Lyran. & alij passim. Nota, Persas comparat canibus aut feris alias feras insectantibus & mordentibus. Canis enim cùm canem, & fera cùm feram prædæ potitam videt, mox eam adoritur, cum ea rixatur, ringit, mordet, lancinat, donec ei adeptam prædam adimat; ita Persæ cum Chaldæis de præda rixati sunt, eamque illis extorserunt.

Tropol. Mordentes, sunt vermes, qui cadauera Balsasaris & Chaldæorum depasti sunt; hos enim vermes Balsasari intentauit Isaias c.14.11. dicens: *Subtus te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes*, ita Clarius & Vatabl.

QVIA TV SPOLIASTI GENTES MVLTAS, SPOLIABVNT TE OMNES, &c. PROPTER SANGVINEM HOMINIS, id est hominum, ita Septuag. & Chald. PROPTER INIQVITATEM TERRÆ CIVITATIS, ET OMNIVM HABITANTIVM IN EA] q.d. Quia tu multorum sanguinem effudisti, & iniquè terram Iudææ, vrbemque Ierusalem, & incolas eius vastasti, idcirco vastaberis & tu. ita S.Hieron. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. Ierusalem enim erat quasi ciuitas & metropolis orbis *gaudium vniuersæ terræ*, Thren.2.15. vti postea fuit Roma, de qua Virgil.

Tantum inter alias caput extulit vrbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Secundò, vox *terræ*, generatim vt sonat, accipi potest, & *ciuitatis*, id est ciuitatum: Babylon enim & Nabuchodonosor, non tantùm Iudæam & Ierusalem, sed & totam terram, plurimasque eius ciuitates oppressit, ideoque oppressa est & ipse, ita Theodor. & Theophyl.

VÆ QVI CONGREGAT AVARITIAM MALAM DOMVI SVÆ] *Auaritiam malam* vocat opes male partas, putà per vim & rapinam extortas. Vnde Chald. vertit, *diuitias iniquas & impias*. Secundò, *malam*, id est exitialem, *domui suæ*. Vnde Tigurina vertit, *væ inhianti lucro, idq; malo domui suæ*. q.d. Nabuchodonosor rapit opes gentium, vt in domum sibi constituat, in qua quasi in nido secure & molliter conquiescat; sed reuera eas colligit in malum & excidium domus suæ. Nam propter hanc rapinam puniet eum Deus, & domum ex rapinis ædificatam disturbabit. Rursum

prædæ eius congestæ in hanc domum iritabunt A Cyrum & Persas, ad eam inuadendam, vt prædæ hasce prædentur. Porrò per domum intellige tum palatium, quod quasi arcem magnificentissimam, æquè ac munitissimam ædificauit Nabuchodonosor, vt in ea nomen suum & familiam stirpemque æternaret; tum ipsam Babylonem, de qua ipse superbiens ait Daniel. 4. v. 27. *Nonne hæc est Babylon, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis, & in gloria decoris mei?* Nam præter ædificia ab eo vel ædificata, vel magnificentiùs restaurata, *tres murorum ambitus in circuitu urbem extruxit; & totidem foris circumdedit, omnes è coctilibus laterculis. Cumq; memorabilibus operibus urbem muniuisset, & portas in templorum modum ornasset, paternæ regiæ contiguam aliam extruxit magis, cuius substructiones, & reliquam magnificentiam fortè superuacaneum esset dicere,* ait Ioseph. lib. B 10. Antiq. c. 11. Denique tropol. S. Hieron. *mala auaritia*, ait, dicitur ad distinctionem bonæ, vt sit bona auaritia doctoris Ecclesiastici, qui numquam satiatur multitudine sectatorum; & quanto plores habuerit discipulos, tanto magis ad doctrinæ studium concitatur.

VT SIT IN EXCELSO NIDVS EIVS, ET LIBERARI SE PVTET DE MANV MALI] Alludit ad aquilam, cui comparauit Nabuchodonosorem c. 1. 8. q.d. Sicut aquila in excelso ponit nidum, vt se & pullos ab hominibus & feris rapacibus tutetur & liberet, ideoque eò prædam omnem conuehit, vt & illa tuto sit loco: sic Nabuchodonosor suum arcem posuit in Babylone, vt ea se suosque contra omnes reges tueretur, ideoque eò prædas omnium gentium congessit. Sed errat: nam ex celso hoc nido præcipitabit eum celsior C Deus. Sic Romanus ille dicebat, *arces esse nidos tyrannorum.*

12. QVIA LAPIS DE PARIETE CLAMABIT] Est adagium, significans crimen & iniuriam publicam & enormem, quæ celari nequeat. q.d. Tua tyrannis & violentia tanta est, tamq; manifesta, vt, etsi homines tacerent, tamen lapides ipsi & ligna, etiam abdita in iuncturis, quæ rapuisti, vel tua pecunia emisti, ad palatia tua & muros in Babylone erigendos; cùm illa à Cyro capientur, incendentur & vastabuntur, velut pari aut alterno concentu, coram Deo & toto mundo palàm ectatura & clamatura sint, te improbum esse raptorem & tyrannum; itaque tibi conuiciabuntur & insultabunt, ac Dei vindictam omnesque dirас hostiliter imprecabuntur; eò quòd illis vim inferas, auferendo ea è loco suo: naturali enim D appetitu desiderabunt & quasi clamabunt, postores iustitiam à Deo, vt suo loco restituantur. Est prosopopœia, similis illi Isaiæ 14. 7. *Abietes quoque lætatæ sunt super te, & cedri Libani.* Et cap. 33. 9. *Luxit & elanguit terra, confusus est Libanus.* Induit enim Propheta quasi in comœdiam lapides & ligna Babylonis, instar chori alternis concinentia, & proclamantia tyrannidem Nabuchodonosoris, eiusque stragi & cladi insultantia, ac dicentia:

13. VAE QVI ADIFICAT CIVITATEM (Babylonem) IN SANGVINIBVS] id est ex pecunia parta exulibus; item ex oppressionibus pauperum, quos cogit in hoc opere sudare & laborare, in eoque spiritus & sanguinem suum exhaurire. ita Child. Albert. Hugo, Vatabl. & alij. Vnde Arabicus vertit *quia lapis de pariete clamabit in sanguine, & loquetur paxillus*, vel *palus de trabe.*

Paulò aliter S. Hieron. *Lapides*, inquit, *parietum qui à tedestructi sunt, & ligna eorum quos subuertisti, tuam ferociam clamitabunt.* Simili schemate ait Christus Matth. 22. *Si isti* (infantes clamantes, osanna filio Dauid) *tacuerint, lapides clamabunt.* Sic & Sallustius: *Saguntini*, inquit, *fide atque armis inclyti, per mortalium studium maiores quàm opibus: quippe quibus etiam tum semiruta mœnia, domus intectæ, parietesq; templorum ambusti, manus Punicas ostentabant.* Simile quid & Tullius ad Cæsarem pro Marcello: *Parietes medius fidius, C. Cæsar, huius curiæ tibi gratias agere gestiunt, quòd breui tempore futura sit illa auctoritas in his maiorum suorum, & suis sedibus.* Subdit deinde S. Hieron. *Porrò quod nos interpretati sumus: Et lignum quod inter iuncturas ædificiorum est, respondebit, pro quo Septuag. posuerunt κάνθαρος, id est scarabæus ex ligno loquetur ea* (q.d. Vermis è ligno & tigno, cum suo tigno clamabit tuam iniustitiam, sibique vim esse factam) *manifestiùs more suo transtulit Symmach. σύνδεσμος, id est iunctura ædificij lignea loquetur ea. Sic & Theodotion, & quinta editio. Quod enim hebr. dicitur* כָּפִיס *caphu, lignum significat quod ad continendos parietes in medio structuræ ponitur, & vulgò apud Græcos ἐμάνωσις appellatur. Aquila vertit, Massa de ligno respondebit. Reperi & aliam editionem. Quia lapis de pariete clamauit quasi vermis in ligno loquens. Et alteram: Lapis enim de pariete vociferabitur, & σκώληξ de ligno loquetur ea: σκώληξ* idem est quod vermis, v.g. teredo qui ligno innascitur. Vastatis enim domibus, trabes & tigna in terram corruentia corrumpuntur & putrescunt, generantque teredines & alios vermes, qui reipsa vim domibus illatam, indeque earum ruinam & interitum testantur, & clamitant. Ita Cyrill. & Theophyl. qui & addit, fortè Septuag. contextum trabium culmina sustinentium *cantharos* nominasse; quia ipsæ sibi superpositum tectum ferunt. Probabiliter quoque coniectat Delrio adagio 1003. Aquilam vertisse μάσσα, ἀπὸ μάσσεσθαι, quod Homero significat *prehendere.* Nam huiusmodi lignum prehendit parietes; & fortè à forma reflexa σκώληξ dicitur: quia σκωληκοειδὴς vermis speciem exhibet; sicut & sagittæ vocantur *scorpiones*; & machinæ *arietes* vel *testudines*; ac capita trabium in fabricis extantia & prominentia, vocantur *canes.* Sic enim conciliantur omnes veterum versiones, vt eôdem recidant.

Allegor. S. Hieron. *Scio*, ait, *quemdam de fratribus lapidem qui de pariete clamauerit, intellexisse Dominum Saluatorem; & scarabæum de ligno loquentem, latronem qui Dominum blasphemauerit: quod licet piè possit intelligi, tamen quomodo cum vniuerso prophetiæ contextu possit aptari, non inuenio.*

Tropol. lapides & tigna templorum & monasteriorum in die iudicij clamabunt contra hæreticos, qui ea demoliti sunt, vel exusserunt: clamabunt inquam, eos esse sacrilegos, ac vindictam à Deo exposcent; quòd Dei solium violarint, quòd sacerdotes & Religiosos Dei seruos suis domiciliis spoliarint, quòd Dei laudes & cultum sustulerint. Ita in Anglia sub Henrico VIII. schismatis auctore,

millia dena vnus templorum sustulit annus.

Tropol. lapides clamant sacrilegia.

Rursum eadem clamabunt contra sacerdotes &

Religiosos, qui indignè & irreligiosè in locis tã sanctis Deoq́; consecratis vixerint, scandalumq́ue fidelibus dederint, ac dicent illud Isaiæ 26. 10. *In terra sanctorum iniqua gessit, & (idcirco) non videbit gloriam Domini.* Sic clamauit lapis & paries contra Balsasarem, sacrilegè in eo profanantem vasa templi, in iisq́ue potantem, cùm manum vindicem intentantem ei extium ex se emisit, quæ ei mortis sententiam dictaret: *Mane, tekel, phares*, Daniel. 5. 25.

ET PRÆPARAT VRBEM (Babylonem) IN INIQVITATE] *Præparat*, id est, vt Tigurina, *instaurat*; Vatabl. *fulcit*; alij, *erigit*, ædificat, firmat, concinnat, ornat ex rapinis, & ex sudore paupẽrum: hæc omnia enim significat Hebr. כּוּן *konen*, quod Noster vertere solet *præparat*. Hinc Prouerb 8. v. 27. dicitur: *Quando præparabat*, id est formabat, fundabat *cælos, ideram*. Sic Isaiæ 2. 2. dicitur, *Præparatus*, id est fundatus, erectus, ornatus, *mons domus Domini*, putà Sion, id est Ecclesia Christi. Vide ibi dicta. Nabuchodonosor enim præter alia, *tres murorum ambitus intra vrbem* (Babylonem) *extruxit, & totidem foris circumdedit, omnes è coctilibus lateribus*, ait Ioseph. lib. 10. cap. 11. Vide dicta Daniel. 4. 27.

VERS. 13. NVMQVID NON HÆC SVNT A DOMINO EXERCITVVM?] *Hæc*, scilicet quæ contra teô Nabuchodonosor vaticinor. q.d. Has clades & strages quas tibi intento, non ex me, sed ex Dei ore & decreto tibi intento: ex Deo inquam, qui est Dominus exercituum, non humanorum dumtaxat, vti es tu, sed angelicorum etiam, & creaturarum omnium. Hæ enim omnes illi militant, & ad nutum eius ferũtur in impios. ita S. Hieron. Aliter Theodor. & Theophyl. q.d. An non à Deo reposcetur ratio tuæ vitæ anteactæ: putà tuæ tyrannidis, qua gentes & vrbes igne concremasti, cùm illæ frustra tibi resisterent, quia à copiis tuis oppressæ succumbebant.

LABORABVNT ENIM POPVLI IN MVLTO IGNE] quo scilicet, à Cyro & Persis succendetur Babylon, vt cùm restinguant; sed in vacuum & frustra. Nam omni suo labore eum sistere, vel sopire non poterũt, sed potiùs fessi & fracti *deficient*. Secundò, Chald. *numquid*, ait, *non plagæ vehementes venient à facie Domini exercituum, & labor gentium robustarum tamquam ignis, & regna in vacuum laborabunt*? q.d. Laborant Chaldæi vt prædas & opes coaceruent, sed laborant in ignem: quia ignis, quo comburetur à Cyro Babylon, materiam luculentam præparant. Ergo hi labores eorum cadent in vanum & deficient: quia ab igne consumentur. Ita *in operibus manuum suarum comprehensus est peccator*, vt ait Psaltes. ita Vatablus & à Castro.

VERS. 14. QVIA REPLEBITVR TERRA, VT COGNOSCANT GLORIAM DOMINI QVASI AQVÆ OPERIENTES MARE] ita & Syrus, & Arabicus, q.d. Frustra laborabunt Chaldæi in restinguendo incendio: quia replebitur terra eorum igne & incendiariis, putà Medis & Persis hostibus, qui innumera sua turba Babylonem operient, imò in vicinas gentes effundent se, & exundabunt, sicut aquæ maris alueum replent & operiunt. Hebr. *sicut aquæ operiunt super mare*, id est, supra maris alueum & littora, in vicinos agros exuberant & exundant. Atque ex hac tam plena & terribili vindicta, cognoscent omnes gentes gloriam Domini, qui tyrannos hosce punit & opprimit. ita S. Hieron. Remig. Albert. & Lyran. Secundò, Theophyl. q.d. Sicut aqua copiosa inundans & superbiliens, in omnem hinc inde locum quaquaversum effunditur; sic fama huius vindictæ & excidij Babylonis, indeq́ue cognitio Numinis Deiq́ue vltoris, replebit terram, & super cunctas gentes fundetur, vt omnes gloriam, id est gloriosam Dei iustitiam & potentiam agnoscant, celebrent & paueant. Iuxta hunc sensum Hebr. *ki*, id est *quia*, non causam, sed effectum & consecutionem significat, vti & alibi sæpè. Potest tamen proprie sumi, vt significet causam finalem. Ideo enim Deus Babylonem puniuit, quia intendebat per hanc punitionem toti orbi patefacere suam iustitiam & gloriam.

VÆ QVI POTVM DAT AMICO SVO, MITIENS FEL SVVM, ET INEBRIANS VT ASPICIAT NVDITATEM EIVS] Pro *fel suum* hebr. est חֲמָתְךָ *chamatcha*, quod Primò, verti potest, *vtrem tuum*. ita Pagnin. & Vatabl. Secundò, *furorem tuum*, vel suum, ita Aquila & Symmach. vel *subuersionem turbidam*. ita Septuag. vel *effusionem tuam*. ita Theodot. vel, vt alij, *amentiam tuam*: vel *venenum tuum*: vel *fel tuum*, aut *suum*, per enallagen personæ. ita Noster. Syrus & Arabicus vertunt, *Væ qui potat amicum facè* (vel turbido) *furoris sui*. Iam varij varium hìc dant sensum. Primò, Hebræi, & ex eis S. Hieron. Lyran. Hugo & S. Thom. tradunt, quòd Nabuchodonosor in die solemnis epuli & publici conuiuij, iusserit Sedeciæ regi Iudæ à se capto propinari κατακρητὴρα, id est potionem quæ aluum laxaret, cumq́ue illa operaretur & ventrem solueret, iussisse vt in locum conuiuij introduceretur, vt ante omnium principum oculos sordes emittens irrideretur. qua ex re, inquiunt, tanto pudore affectus est, vt in carcerem reductus præ tristitia sit mortuus, hocq́ue esse quod hìc in Nabuchodonosore redarguit Habacuc. Adduntq́ue id Chaldæis in conuiuiis vsitatum fuisse, vt aliorum se crapula, nuditate ac fœditate, quasi pars esset splendidæ mensæ, oblectarent. Huc spectat quod Hebræi scribunt in Seder olam c. 28. *Interiit*, inquiunt, *Sedecias, & de quo hunc instituerunt planctum: Heu qui mortuus est vt Sedecias, bibens faces omnium ætatum*. Quod Genebrard. in Chronol. sic exponit, q.d. Qui luit peccata omnium superiorum ætatum. Verùm hoc, vt fabellam Rabbinicam, ridet hìc S. Hieron. præsertim cùm nil tale habeat Scriptura, nec Ioseph. l. 10. Antiq. 11. vbi significat Sedeciam naturali morte defunctum, à Nabuchodonosore honorificè fuisse sepultum.

Secundò, Theophyl. Clarius, Vatabl. & Abul. in cap. 25. lib. 4 Reg. quæst 38. censent hìc argui Nabuchodonosorem, eò quòd Sedeciam, aliosq́ue principes à se captos inebriarit, hoc fine, vt ebrij & vino æstuantes discingerent tunicas femoralibus enim non vtebantur Hebræi & Chaldæi) suas, itaq́ue verenda nudarent, vt hac ratione & probro eos illuderet, omnibusq́ue conuiuis ridendos proponeret, vti Noe ebrius illusus est à filio Cham, Genes. 9. v. 21. quò hìc alluditur.

Tertiò & genuinè, q.d. Væ Nabuchodonosori eiusq́ue affectis, qui fel suum, id est suam bilem & amaritudinem, ac, vt Aquila, *furorem suum*, vsque ad ebrietatem propinat, etiam amicis sibi regibus,

gibus; hoc est, qui eos crudeli tyrannide diuexat, donec eos regno, opibus, honore, ipsa denique libertate pudendè, & ad irrisionem dispositæque denudet. Væ inquam, ei: nam lege talionis similimodo ipse ab aliis nudabitur, pariq; ignominia & irrisione mulctabitur. Est metaphora ab ebrio, qui ex ebrietate & æstu nudari solet ideoque rideri, vti iam de Noë dixi. ita S. Hieron. Remig. Theodor. Hugo & Ribera.

Aliqui hunc versum 15. sic legunt: *Væ qui dat potum proximo suo subuersionem turbidam, & inebriat eum: væ qui errare facit cæcum in via.* Ita B. Orsiesis discipulus S. Pachomij in Instruct. monast. cuius meminit S. Hieron. libr. de Script. Eccles. quæque extat in appendice Bibliot. SS. Patrum, vbi ipse hanc sententiam applicat iis, qui subditos eorumque errata defendunt, cùm à Prælatis corripiuntur. *Tales enim, ait, errant, & eos errare faciunt, dum obedientes transferunt ad superbiam; & eos qui in dulcedine charitatis poterant ambulare, conuertunt in amaritudinem, & subiectos ipsius monasterij malis consiliis deprauant, faciuntq; odisse eum, & contrastari contra illum, qui eos docebat Domini disciplinam, lites serentes inter fratres & discordias, atque pro obedientia contumaciam serunt auribus audientium.* Vnde Tropol. felle potant amicos suos diaboli, & homines diabolici, qui felli doctrina mentes hominum interimunt. *Quæ enim per vitia carnis & cupiditatem præuiderint se supplantare non posse, peruersi dogmatis veneno so potionant, ne soli in æterno supplicio crucientur,* ait Apponius lib. 2. in Cantica tomo 1. Biblioth. SS. Patrum.

ET REPLETVS ES IGNOMINIA PRO GLORIA: BIBE TV QVOQVE, ET CONSOPIRE] & ex sopore denudare et irridearis. Videtur Noster cum Septuag. & Tigurina legisse הרעל *herael* id est consopire: iam per metathesin legunt הערל *hearel*, id est denudare præputium. ita Chald. & Pagnin. Sensus est, q. d. Tu quoque ô Nabuchodonosor, bibis de calice iræ Dei, inebriaberis vino angoris, perplexitatis, ignominiæ & confusionis: consopiens more ebriorū verenda sua denudantium; hoc est, vehementer & ad stuporem vsque pudenda, ita vt omnes tuæ fœditates denudentur, omnibusque ridendæ ostententur: imò illo ita inebriaberis, vt vomitus ignominiosus sequatur, & effluat super gloriam tuam, vt scilicet vestes tuas gloriosas, omneque tuum decus & gloriam vomendo conspurces, id est, vt turpiter omnia reuomas in manus Cyri & Persarum, quæ auarè degustaueras, & possidebas gloriosè. Vnde Pagnin. *venit, bibe etiam tu, & apparebit præputium tuum: vomet se super te calix dexteræ Domini, & vomitus ignominiosus veniet super gloriam tuam.*

Symbolicè. Nota hic fœditatem deliciarum, quæ & crapulæ; vtpote quæ ilicò in vomitus, fœces & excremēta vertantur. Quocirca S. Gregor. Nazianz. orat. 38. ait, *delicias non esse aliud quàm pretiosum stercus.* pretiosum, quia in pretio est gulosis, ab eoque magno labore & pretio comparatum. Nazianzenum magistrum secutus S. Hieron. epist. 13. ad Paulinum: *Qui Christum, inquit, desiderat, & illo pane vescitur, non magnopere curat, de quàm pretiosis cibis stercus conficiat. Quidquid enim gulam non sentitur, idem sit tibi quod panis & ignominia.* Et Nicetas in orat. 38. Nazianz. sub finem: *Omnis, ait, voluptas quæ nec ex Deo, nec in Deo*

A *suscipitur, voluptatis excrementum est.* Id ipsi didicerunt ex S. Paulo, qui Philipp. 3. 8. ait: *Propter quem (Christum) omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Quamobrem rectè S. Eucherius epist. ad Valerianum: *Annealiquis, inquit, ex illa Aristippi schola veritatem videbit, qui ingenio suo à suibus aut pecore nihil differt, cùm beatitudinem in corporis voluptate constituat, cui Deus venter est, & gloria in pudendis eius?* Hinc & illud Horatij: *Epicuri de grege porcus.*

CIRCVMDABIT TE CALIX DEXTERÆ DOMINI] Alludit Primò, ad calicem conuiuas circumdantem, id est circumeuntem in orbem conuiuij. q. d. Calix vindictæ Dei ab eo propinatus est Iudæis, Moabitis, Ægyptiis, aliisque gentibus: tandem & Chaldæis, eorumque regi propinabitur, vt fæces eius exhauriat, vtq; eum inebriet, & æstuare
B & vomere cogat. Hoc enim disertè ait Ierem. c. 25. 17. Simile est Threnor. 4. 21. & psal. 74. 9. ita Theophyl. & Sanchez.

Secundò & neruosiùs, alludit ad potores, qui cùm aliquem vinipotentem inebriare, ac mente, mensa & scamno deiicere volunt, vndique eum calicibus propinando impetunt & cingunt, donec eum obruant vino somnoque, vt se nudare, & vomere cogatur. Ita Deus calicibus iræ & vindictæ suæ, putà Persis & Medis, vndique cinxit Chaldæos, vt eis ad fauces obruti, & ad stuporem amentiamque adacti fuerint. Porrò ne quis Italus hoc calicum certamen acre magis quàm telorum, eorumque bacchicam, imò bestialem obsidionem miretur, sciatq; quàm nonnulli sint bibaces & vinipotentes, audiat illud Martial lib. 9. epigram. 74.

C *Nunc mihi dic quis erit, cui te Calathisse Deorum*
Sex iubeo cyathos fundere? Cæsar erit.

Et Ouidium 3. Fastor.

Inuenies illic qui Nestoris ebibat annos,

putà qui bibat tot cyathos, quot Nestor habuit annos, scilicet trecentos, vel, vt alij, nonaginta. Et Horat.

Reges dicuntur magnis vrgere cululis,
Et torquere mero quos perspexisse laborant.

Et Iuuenal. satyra 6.

Tamquam alta in dolia longus
Decideris serpens, bibe.

INIQVITAS LIBANI] Id est, in Libano à te exercita. *Libanum* vocat Iudæam & Ierusalem: tum quia Libanus erat terminus, & initium Iudææ versus Septemtrionem: tum quia Ierusalem domorū & turrium multitudine & sublimitate referebat Libanum cedris, cypressis, aliisq; proceris arboribus densum, ex iisque ædificata erat. ita Theodor. Theophyl. Vatabl. Arias & Clarius: imò S. Hieron. Chald. Remig. Hugo, Lyran. & Ribera putant Libanum vocari templum: quia illud ex cedris Libani erat constructum; & quia Libanus dicitur à candore niuium, quibus operitur (Libanus enim hebr. idem est quod cādidus) sic & templum ob candorem lapidum, mons quidam niueus videbatur, teste Iosepho lib. 6. Belli, c. 6. Sensus est, q. d. Iniquitas & violentia tua, ô Nabuchodonosor, qua Iudæam vastasti, Ierusalem exscidisti, ipsumque Dei templum exussisti, obruet & perdet te, vt pari modo tua Babylon, cum tuo filio Balsasare à Persis & Medis vastetur, exscindatur, exuratur. Hîc verum est illud vulgo tritum: *Ipsius se ladit, alium qui ladere quærit.* VERS. 17.

ET VASTITAS ANIMALIVM DETERRERIT EOS] A Hebr. *vastitas iumentorum*, id est ferarum, *terrebit*, vel *conteret eas*, scilicet feras. Noster vertit, *eos*: quia animalia, id est feras, vocat tum Chaldæos, qui quasi pardi, vrsi & leones Libanum, id est Iudæam, vastarunt. ita Arias & Vatabl. tum Medos & Persas, qui quasi feræ in feras, id est in Chaldæos, grassati sunt. ita Theodoret. & Theophyl. Sensus est, q.d. Quia Chaldæi truculenter quasi feræ vastarunt Hierosolymam, idcirco vicissim truculenter à Medis & Persis quasi feris percellentur, vastabuntur & conterentur.

DE SANGVINIBVS (id est propter sanguinem hominum copiosum, quem fudisti) ET INIQVITATE TERRÆ, ET CIVITATIS] id est, propter iniquitatem, vim & expilationem terræ Iudææ, & ciuitatis sanctæ Ierusalem. q.d. Quia diripuisti & desolasti Iudæam & Ierusalem, omnesque habitantes in ea, idcirco pari sorte & iure tu quoque diripieris & desolaberis à Cyro & Persis. ita Chald. & alij passim. B

18. Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus, conflatile, & imaginem falsam? quia sperauit in figmento fictor eius, vt faceret simulachra muta.

19. Væ qui dicit ligno: Expergiscere; Surge, lapidi tacenti: numquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro & argento: & omnis spiritus non est in visceribus eius.

20. Dominus autem in templo sancto suo: sileat à facie eius omnis terra. C

VERS. 18. QVID PRODEST SCVLPTILE. Clarè Septuag. *quid prodest sculptili, quòd sculpserunt illud? formauerunt illud conflatile, imaginationem falsam: quia confidit fictor in figmento suo.* q.d. Quid sibi & vobis ô Chaldæi, tunc (cùm exscindemini à Cyro) proderunt sculptilia, id est idola vestra, in quibus gloriamini, quasi per ea inuicti sitis, omniumq; prædis & victoriis clari. QVIA SCVLPSIT ILLVD FICTOR SVVS?] scilicet idoloplastes sculpsit fecitque hoc idolum sculptile, lima illud sculpendo; aliud verò (nec enim vnum idemque idolum est sculptile & conflatile, sed hoc sculpitur, illud conflatur: subaudiendum est hîc ergo verbum fecit, vel conflauit *conflatile*. ita Vatabl.) fecit conflatile, in fornace illud liquando & conflando; quæ non sunt aliud, quàm imago falsa Dei, ac numen mendax, omnis diuinitatis, prouidentiæ, consilij, doctrinæ, imò & vitæ expers, bruta & muta. q.d. Sculptili nil prodest elegans sculptura sculptoris, nec conflatili artificiosa conflatio conflatoris: non enim ipse omni sua arte potuit formare Deum, aut lapidi quem in idolum sculpsit, vel metallo quod in idolum conflauit, animam & mentem, multò minùs deitatem indere, vel inspirare: frustra ergo in eo confidit, frustra illud inuocat dicens: Expergiscere, & pugna pro me: frustra illi robur & victorias ascribit, tam ipse, quàm eius asseclæ idolicolæ: idque ad oculum patebit, cùm idola vestra, ô Chaldæi, vobiscum à Persis diripientur & diffringentur. Nota. Pro *simulachra muta*, in Hebr. est elegans paronomasia אֱלִילִים אִלְּמִים *elilim illemim*, id est deiculi & lingues & mutili. Septuag. εἴδωλα κωφά, id est idola muta. Quocirca idolis hisce Deum verum opponens, hoc epiphonemate caput concludit: *Dominus autem in templo sancto suo: sileat à facie eius omnis terra.* D

VÆ QVI DICIT LIGNO: EXPERGISCERE, ET SVRGE] Gentiles enim quia sciebant Iouem, Saturnum, Vulcanum, Apollinem, Venerem, &c. fuisse homines, quos maiores eorum in deos retulerant; hinc censebant etiamnum eos habere corpora, quæ quiete & somno pascantur & egeant, ac subinde dormire, ideoque à somno debere excitari, more regum & principum. Hinc oraturi, præsertim manè, deos inclamando excitabant, vt preces suas audirent. Audi Arnobium lib. 7. *Quid sibi volunt excitationes illæ, quæ cantio matutini collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare vt ad vigilias debeant.* Hinc Elias 3. Reg. 18. 27. irridens sacerdotes Baal, ait: *Clamate voce maiori. Deus enim est, &c. forte dormit, vt excitetur.* Lactant. lib. 6. *Mactant*, inquit, *victimas Deo, tamquam esurienti: profundunt vina, tamquam sitienti: accendunt lumina, velut in tenebris agenti.* Martialis de Isíde: *Nunciat octauam Pharia sua turba iuuencæ*, putà Isidi, quæ formam habet vitulæ. Apuleius lib. 11. de eadem: *Inchoata hinc salutationibus, religiosi primam nunciantes horam perstrepunt.* Seneca apud S. August. lib. 6. de Ciu. c. 10. ridens hanc suorum stultitiam: *Alius, inquit, numina Deo subiicit, alius horas Ioui nunciat, alius lictor est, alius unctor. Sunt quæ Iunoni ac Minervæ pillos disponant: sunt quæ speculum teneant, &c.*

DOMINVS AVTEM IN TEMPLO SANCTO SVO] q.d. Deus non est ex auro sculpto vel conflato, in tempore ab artifice formatus, ideoque non habitat in idolo sculptili vel conflatili, quod in terra, putà in suis delubris, locant idololatræ, sed in cælo, quod est eius solium & templum, gloriosus habitat ab omni æuo. est enim ἀόριστος & æternus. E cælo ergo aspicit & prospicit, moderatur & dirigit ad nutum res hominum. Quocirca *sileat à facie eius omnis terra. Sileat*, præ reuerentia, pauore, admiratione & stupore. Vult Septuag. *reuereatur eum omnis terra*; Syrus, *commoueatur*, vel *contremiscat coram eo*; Arabicus, *stomachet ante eum vniuersa terra.* Silere enim in Scripturæ metalepsin sæpè significat timere, reuereri, obstupescere; vt Sophon. 1. 7. *Silete à facie Domini Dei, quia iuxtà est dies Domini.* 1. Machab. 1. 3. *Siluit terra in conspectu eius*, Alexandri Magni, quia eius armis & victoriis perterrita conticuit, boues mures silent coram fele, oues coram lupo, asini coram accipitre. Rursum Theodor. & Theoph. templum hîc intelligunt Hierosolymitanum. In eo enim, non in idoliis, residebat, & præsens suis aderat Deus: multò magis iam in lege nouæ, in templis præsens adest, & corporaliter in S. Eucharistia inhabitat Christus. Quocirca merito S. Francisc. epist. exhort. ad sacerdotes sui Ordinis, quæ habetur tom. 5. Biblioth. SS. Patrum in fine: *Magna*, ait, *miseria, & miseranda infirmitas, quando ipsum* (Christum in Eucharistia) *præsentem habetis, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Tremat homo paueat, totus mundus contremiscat, & exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus, filius Dei viui.* Et noster Thomas Scutodactylus, ideoque doctor irrefragabilis, lib. 4. de Imitat. Christi cap. 3. *O mira circa nos tua pietatis dignatio, quòd tu Domine Deus, creator & omnipotens*

nium spiritum, ad pauperculam dignaris venire A *animam, & cum tota diuinitate tua ac humanitate, eam impinguare esuriem,* &c. *Sileant à facie tua dulcissime dilecte mi, cælum & terra, & omnis ornatus eorum: quoniam quidquid laudis habent ac decoris, ex gratiæ tuæ est largitate; nec ad decorem tui pertinent nominis, cuius sapientiæ nō est numerus.* Quocirca in Liturgia S. Iacobi, lectores hisce vocibus populum ad reuerentiam excitant: *Sileat omne humana ac mortalis caro, stetq; cum metu & tremore ac nihil terrestre apud seipsam cogitet. Rex enim regnantium, & Dominus dominantium Christus Deus noster progreditur, vt immoletur, ac detur in cibum fidelibus. Ipsum autem antecedunt angelorum chori cum omni imperio & potentia.* Hæc sibi fixè impresserat B. Aloisius Gonzaga, ideoque nullam vnquam in oratione, & præsertim in sancta B communione mentis euagationem patiebatur. Quæ de re rogatus à Cardin. Bellarmino, qui id fieri posset? respondit: *Mirari se si aliter fieri posset. Quæ enim,* inquit, *sibi persuadens se cum diuina maiestate colloqui, ab eaq; videri & compellari, posset ad alia vilia & exilia oculos animumq; conuertere?* Ita habet eius vita, & processus Canonizationis.

Porrò tanta est Dei maiestas, tanta potestas, tanta iustitia & vindicta, vt eam expertus Nabuchodonosor, cùm in bestiam versus, sibi postea restitutus, pleno ore eamdem celebrarit: *Quia potestas eius,* inquit, *sempiterna, & regnum eius in generationem & generationē. Et omnes habitatores terræ quasi eum in nihilū reputati sunt,* &c. Daniel. 4. 31. Idem fecit impius Antiochus, sed serò, dum vindicem Dei manum sensit, qua infelicem animam C exhalauit. Cùm enim percussus à Deo fœtorem suum ferre non posset, exclamauit: *Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire,* 2. Machab. 9. 12.

Significat ergo hîc Propheta, tantam esse Numinis maiestatem, vt eam potiùs casto profundoque silentio, vt ait S. Dionys. libr. de Mystica Theolog. quàm exili nostro præconio venerari debeamus. Omnium enim hominum & angelorum mentes, voces & linguæ deficiunt in ea contemplanda, colenda & celebrāda. Quocirca Ecclesiasticus c. 43. 29. *Multa,* ait, *dicemus, & deficiemus in verbis.* q.d. Licet multa dixerimus, deficiemus tamen ab eius operibus (multò magis ab ipso) pro dignitate celebrandis. *Consummatio autem sermonum ipse est in omnibus.* q.d. Finis & summa eorum sit, quòd Deus est in omnibus, vel, vt Græca habent, *αὐτός ἐστι τὸ πᾶν,* id est, *ipse est omne* D *quia ipse rerum omnium est principium, medium & finis: ipse est omnium causa, finalis, conservans & efficiens: ipse est qui creatis omnibus adest, & iugiter dat suum esse, ac substantifico suo influxu perpetim illud fouet. Si enim ad momentum laxaret manum suam, ilicò omnia in nihilum suum, ex quo ab eo educta sunt, corruerent & velut vmbra perirent. Nihil enim est vllibi vel in corporibus, vel spiritibus, nisi quatenus virtus Dei intrinsecus ea continet & conseruat, ne velut aqua diffluant, vel instar fumi dissipentur, vel vt somnium quoddam & phantasma mane euanescāt.* Quocirca subdit Ecclesiasticus: *Gloriantes ad quid valebimus?* q.d. Quantum est, quòd nos possumus eum glorificare? nullam enim ei gloriam nostra glorificatione addere possumus, vt nec gloriam eius immensam dignè celebrare. *Ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis; superabit* (excellet, transcendet omnem glorificationem) *enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: maior est enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute* (vi, spiritu, robore, q.d. Exserite & expromite, omnes vires & voces vestras.) *ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum sicut est ab initio?* Hac de causa regius Propheta psal. 64. 1. canit: *Te decet hymnus Deus in Sion;* Hebr. *tibi tacet laus Deus in Sion.* q.d. Tua opera sunt tanta, & multò magis tanta est maiestas tua, vt eius respectu laus nostra omnis nihil sit, videaturq; merum esse silentium. ita Chald. & S. Hieron. ibidem. Vnde Zacharias c. 2. 13. *Sileat,* ait *omnis caro à facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo.* Quin & S. Iohannes Apocal. 8. 1. *Factum est,* inquit, *silentium in cælo.* Si cælites silent & obstupescunt ad Dei gloriam, quid ni sileant & obstupescant mortales?

Ratio est, Primò: quia essentia Dei est augustissima, sacratissima, sublimissima, & immensa quaquauersum, ideoque in immensum omnem creaturarum intellectum, conceptum & vocem transcendit; vt omnis nostra laus non sit aliud, quàm vox graculorum & pipionum: deitas enim est oceanus essentiæ, maiestatis & immensitatis. Hinc Deus hebraicè vocatur *Iehoua,* id est, *qui est,* & ipse se nuncupat: *Ego sum qui sum,* Exodi 3. Ab hoc oceano singulæ creaturæ guttam, vel stillam vnam essentiæ hauriunt. Rursum, Deus est sol quidam immensus claritatis & gloriæ, à quo singuli homines & angeli radiolum vnum lucis & vitæ emendicant. Quare meritò S. Gregor. Nazianz. orat. in Natalitia, de Deo loquens ait: *Vniuersum esse in seipso, numquam inceptum, numquam desiturum complexus continet, tamquam infinitum quoddam & interminatum essentiæ pelagus.* Et S. Dionys. libr. de Mystica Theolog. totus in eo est, vt ostendat Deum in immensum excedere omnem essentiam, omnemque intellectum & cognitionem propter suam *supereſſentialem infinitatem.* Vnde ipse crebrò Deum vocat ὑπερούσιον θεότητα, id est supereſſentialem essentiam. Idem lib. de Diuinis nomin. c. 13. *Nihil,* ait, *eorum quæ sunt, aut eorum quæ alicui existentium sunt cognita, explicat arcanum illud omnem rationem & intellectum superans, supereſſentialiter super omnia superexistentis superdeitatis.* Et cap. 4. *In ipso est omne principium exemplare finale, efficiens formale, elementare & simpliciter omne principium, omnis connexio, omnis terminus.* Hinc *lucem inhabitat inaccessibilem,* 1. Timoth. 6. 16. & tamen in ipso viuimus, mouemur & sumus. Ipse enim est quidam fundus & fundamentum rerum omnium, cui vniuersa innixa recumbunt, vt ait S. Dionys. lib. de Diuinis nomin. c. 10. Quocirca Iob c. 11. 7 *Forsitan,* inquit, *vestigia Dei comprehendes, & vsque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? Longior terra mensura eius, & latior mari.* Sileant ergo à facie tua, ô Rex maiestatis, elementa & cæli. Sileant arbores, herbæ, flores, plātæ, prata, campi. Sileant aues, pisces, iumenta & feræ. Sileant homines, angeli, & creaturæ omnes: quia coram te omnes in

Ratio prima.

vnum

vnum collectæ, non amplius sunt, quàm mo- A mentum stateræ, & gutta rorisantelucani, quam ilicò sorbet sol oriens, Sapient. 11.23. quàm stilla situlæ, quàm puluis exiguus, quàm locustę, quàm inane & nihilum, Isaiæ 40.v.15.17.& 22. quàm puluis & cinis, Genes. 18.27.

Secunda. Secunda ratio est, quòd, sicut in Deo augustissima est essentia, & maiestas; sic patiter augustissima in eo est sanctitas, augustissima sapientia, augustissima prouidentia, augustissima omnipotentia, augustissima misericordia, augustissima iustitia, augustissimæ perfectiones cæteræ, cæque infinitæ. Deus enim in se formaliter, vel eminenter, continet omnes perfectiones creaturarum omnium quæ fuerunt, sunt & erunt; ac insuper infinitas alias creaturis incommunicabiles. Sicut enim est oceanus essentiæ, sic est & B oceanus perfectionum. Formaliter Deus in se continet perfectiones creaturarum absolutas, vti sunt vis intelligendi, volendi, operandi, aliæque spiritales. Eminenter continet perfectiones creaturarum mixtas, quæ videlicet cum aliqua imperfectione coniunctæ sunt, quales sunt calor, color, odor, sapor, sonus, aliæque corporales.

Deus est Pan, id est omne. Quocirca Eccles. c.43.29. ait: αὐτὸς ἐστι τὸ πᾶν, *ipse est τὸ omne.* Vnde Gentiles Deum vocabant τὸ πᾶν, id est vniuersum, teste Eugubino lib.3. Perennis Philosoph. cap.8. Fingitur à Poëtis Pan cum Amore Deo luctatus, & ab eo victus: quia omnia vincit amor; quin & Deum ipsum. Hic enim ab amore se vinci passus est, tum aliàs, tum maximè cùm Verbum caro factum est, vt nobis fieret frater, imò redemptor & pater. Hinc il- C lud oraculum: *Magnus Pan mortuus est*, cùm in Christi morte defecerunt oracula deorum, cuius meminit Plutarch. libr. de Oraculorum defectu. Quin & Deus ad Mosen: *Ego*, inquit, *ostendam omne bonum tibi*, Exodi 33.19. Et Apostolus Roman. 11.33. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei: quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* &c. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula. Amen.* Quocirca eleganter S. Cyprian. lib. *Quòd idola non sunt dij: Mundi*, ait, *vnus est rector, qui vniuersa quæ sunt verbo iubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic nec videri potest, visu clarior est: nec comprehendi, tactu purior est: nec æstimari, sensu maior est: & ideo sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus.*

Tertia. Tertia est ratio, quòd Deus vti in essentia, ita & in hisce suis attributis omnibus & singulis, sit positiuè infinitus. Habet enim infinitam sancti- D tatem, infinitam potentiam, infinitam sapientiam, & ita de cæteris. In hisce ergo omnibus & singulis, est infinitus & immensus. Rursum Deus in infinitum transcendit non tantùm omnes res creatas, earumque perfectiones & dotes, sed & omnes res possibiles & imaginabiles, quæ sunt infinitæ; transcendit inquam, eas omnes, non vno, non centum, non mille gradibus, sed mille millenis millionibus, imò in infinitum. Cogita enim sapientiam, potentiam, bonitatem, &c. quantam potes, eamque maiorem semper & crescentem in infinitum: cùm omnia hæc cogitaueris, scito quòd vniuersa hæc tua, omniumque hominum & angelorum cogitata, Dei sapientia, potentia, bonitas, &c. transcendat in infinitum; scitò quod necdum ad primum deitatis punctum pertigeris; sed ab illo distes in infinitum. Sileant ergo in conspectu maiestatis tuæ Domine, omnes mentes, omnes linguæ, omnes conceptus, omnes voces Seraphicæ & Cherubicæ, velentque suas facies & pedes, præ pudore & reuerentia. Isaiæ 6. : quia omni sua acie, omni suo ardore minimum tuæ gloriæ gradum penetrare & comprehendere nequeunt. *Verè magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis*, psal. 144. Et Baruch c.3. *Magnus es, & non habet finem, excelsus & immensus.*

Ex hisce rationibus sequitur, immensæ Dei maiestati, sanctitati, sapientiæ, &c. immensum deberi reuerentiam, cultum & latriam: cumque eam nos homunciones & vermiculi præstare non possimus, debere nos coram ea humiliare & B deprimere in abyssum nostri nihili, miseriæ, vanitatis & peccatorum; ac cum S. Francisco ex imo corde dicere: Quis tu Domine? quis ego? Tu abyssus essentiæ, sanctitatis, sapientiæ, potentiæ, omnisque boni: ego abyssus nihili, malitiæ, ignorantiæ, infirmitatis, omnisque mali. Abyssus ergo miseriæ meæ inuocat abyssum misericordiæ tuæ. Quocirca nostrum hoc debitum exsoluit Christus, offerens se in cruce Deo pro nobis. Ipse enim cùm sit Verbum Dei, est hostia infinita, & infiniti pretij, quæ Dei immensitati cõmensa est, quam proinde nobis testamento reliquit, vt quotidie in Eucharistia eamdem Deo immolemus, itaque; debitum Deo cultũ & latriam persoluamus.

Secundò hinc excitamur, vt Deum super omnia summo & sincerissimo, quem præstare possumus, affectu & amore diligamus: quia ipse propter C infinitam suam excellentiam, infinite dignus est omni amore, omni bono, omni gloria, omni laude, omni veneratione, omni obedientia & obsequio. Ex hoc amore sequitur ingens & ardens desiderium gloriæ Dei, ac promptitudo animi, vt vires, spiritus, sanguinem & vitam expendamus ad eius nomen & gloriam vbique celebrandam & promouendam, vt omnes Dei maiestatem, æternitatem, immensitatem, sanctitatem, omnipotentiam, misericordiam, iustitiam, prouidentiam cognoscant, timeant, ament, colant & glorificent in æternum. Deinde ex hoc amore nascitur gaudium mirificum, gratulatio & iubilus, quo gaudemus de tanta Dei maiestate & gloria, eique identidem iubilamus dicentes: *Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.* Apoc. 7.12. Sic inchoamus vitam angelicam & beatam. Hoc enim est officium angelorum & Sanctorum in cælo; hocce rum otiosum negotium, & negotiosum otium, e toto corde, summo gaudio & iubilo Deum petim honorent, laudent, glorificent.

Tertiò, discimus contemnere omnes mundi illecebras & pompas, totumque cor nostrum Deo defigere, ac dicere cum Psalte: *Mihi autem adhærere Deo bonum est. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternũ.* Sileant à facie tua deum opes, omnes honores, omnes voluptates, quæ sunt mortales quasi idola colunt, cùm reuera non sint nisi imago falsa, & simulachra vmbratica & fallidarum opum, honorum & deliciarum: quia te solo est verum & omne bonũ, omne pulchrum, omne delectabile, omnis dulcedo, omnis quies,

omnis consolatio, omnes thesauri, omnis dignitatis maiestas, omnis gloria, omnis sapientiæ vita, omnis felicitas. Tu pelagus infinitæ essentiæ, bonitatis & beatitudinis: omne bonum verum, omne bonū in te concludens, & eodem eminenter anticipans, tamquam fontanus entitatis. Tu fundamentum possibilium omnium, esse supereſſentiale omnium quæ sunt & quæ non sunt, sine quo non solùm nihil potest esse actu, sed nec potestate, nec vllam habere rationem possibilem, conceptibilem vel intelligibilem. Tu omnium principium, omnium finis, omnium conditor, conseruator, promotor; omnium locus; omnium æuum, duratio, ordinatio, connexio, consummatio. In te omne bonum angelorum, hominum, & creaturarum omnium. Deus meus, amor meus & omnia, natem in te ex imo pelago, sicut pisces in mari; in immensitate prudentiæ, misericordiæ & bonitatis tuæ immergar, inebrier, perdar, absorbear, ibique vnà tecum mergam omnes spes & res meas, omnes affectus & amores, omnia desideria & vota.

Denique hinc discimus, medium & scalam quam ascendamus ad Deum, esse silentium creaturarum. Vir quidam sanctus apud D. Taulerum pag. 685. rogatus, *Vbi inuenisti Deum?* respondit: *Vbi creaturas reliqui.* S. Dionys. lib. de Mystica Theologia, docet duobus modis nos pertingere ad Dei cognitionem. Prior est, affirmationis & comparationis, nimirum ascendendo à creaturis ad creatorem, ac de eo affirmando omnes dotes quas reperimus in creaturis, quòd in Deo creatore eædem sint sine comparatione excellentiùs & perfectiùs. Posterior est, negationis, nimirum negando de Deo omnes res creatas, v.g. dicendo, Deus non est animal, non homo, non cælum, non angelus; sed infinities quid præstantius & diuinius. Atque hoc secundo modo meliùs & puriùs Deum cognosci asseuerat.

Hac scala S. August. libr. 10. Confess. cap. 6. dicendit ad Deum: *Domine*, inquit, *amo te: sed & cælum & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce vndique mihi dicunt, vt amem te; nec cessant dicere omnibus, vt sint inexcusabiles. Quid autem amo, cùm te amo? non pulchrum corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis iste amicum oculis, non dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarum; non florum, & unguentorum, & aromatum suaueolentiam; non man-*

A *na & mella, non membra acceptabilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum; & tamen amo quamdam lucem, & quamdam vocem, & quemdam odorem, & quemdā cibum, & quemdam amplexum, cùm amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei; vbi fulget animæ meæ quod non capit locus, & vbi sonat quod non rapit tempus, & vbi olet quod non spargit flatus, & vbi sapit quod non minuit edacitas, & vbi hæret quod non diuellit satietas. Hoc est quod amo, cùm Deum amo. Et quid est hoc? Interrogaui terram, & dixit: Non sum; & quæcumque in ea sunt, idem confessa sunt. Interrogaui mare, & abyssos, & reptilia animarum viuentium; & responderunt: Non sumus Deus tuus, quære super nos. Interrogaui cælum, solem, lunam, stellas, &c. & exclamauerunt voce magna: Ipse fecit nos. Interrogaui mundi molem de Deo meo, & respondit mihi: Non ego eum, sed ipse me fecit, &c.* Idem lib. 9. c. 10. cum matre S. Monica, paulò ante eius mortem colloquens de vita æterna Sanctorum, quæ est Deus, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit: *Erigentes*, inquit, *nos ardentiore affectu in idipsum, perambulauimus gradatim cuncta corporalia, & ipsum cælum, vnde sol & stella lucent super terram. Et adhuc ascendebamus interiùs cogitando & loquendo te, & mirando opera tua, & venimus in mentes nostras, & transcendimus eas, vt attingeremus regionem vbertatis indefectibilis, vbi pascis Israel in æternum, &c. Dicebamus ergo, si cui sileat tumultus carnis; sileant phantasiæ terræ, & aquarum, & aëris; sileant & poli, & ipsa anima sibi sileat, & transeat se, non se cogitando; sileant somnia & imaginariæ reuelationes, omnis lingua, & omne signum, & quidquid transeundo fit, si cui sileat omnino: quoniam si quis audiat, dicunt hæc omnia, Non ipsa nos fecimus, sed fecit nos qui manet in æternum. Hu dictis si iam taceant, & loquatur ipse solus, non per ea, sed per seipsum, vt audiamus verbum eius, non per linguam carnis, neque per vocem angeli, neque per sonitum nubis, neque per ænigma similitudinis; sed ipsum quem in his amamus, ipsum sine his audiamus, sicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam sapientiam super omnia manentem; si continuetur hoc, & subtrahantur aliæ visiones longè imparis generis, & hæc vna rapiat & absorbeat, & recondat in interiora gaudia sua, vt talis sit sempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligentiæ cui suspirauimus, nónne hoc est, Intra in gaudium Domini tui? Et istud quando?*

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Multi hoc caput & carmen ad litteram accipiunt de Christo, Christiq; victoria & redemptione: quia Propheta hîc crebrò loquitur per verba futuri temporis. ita videtur sentire S. Hieron. Theodoret. Theophyl. Euthym. Haymo, Rupert. Emmanuel, & S. August. lib. 18. de Ciuit. c. 32.

Alij ad litteram hæc accipiunt de Cyro, expugnatore Babylonis, & liberatore Iudæorum, cui prædicta omnia hæc futura accommodant, quasi reuera vti sonant, tunc acciderint, idq; probant ex Herodoto & Xenophonte. ita Hugo, Albert. Lyran. & Mariana.

Verùm dico, ad litteram Prophetam, cùm ad suam querelam de Chaldæorum in Iudæos tyrannide, imperio & excidio, à Deo accepisset responsum de Babylonis punitione, & Iudæorum ex liberatione per Cyrum, hoc carmine Deo gratias agere, eumq; obsecrare, vt idipsum reipsa præstaret. Quocirca canit magnalia, plagas & prodigia quæ Deus pro Hebræis patrauit, ab exitu eorum ex Aegypto vsque ad ingressum in terram Chanaan; vt significet, simulq; Deum

pro-

pro eisdem patraturum in liberatione ex Babylone, & reductione in Iudæam; quæ omnia assecurabit meritis Christi Iesu, quem Cyrus typicè adumbrauit. ita Chald. Hebræi, Vatabl. Arias. Iansenius; & tandem fatentur idipsum S. Hieron. Theodor. & Theophyl. Id ita esse, patet Primò ex cap. 1. & 2. maximè v. 3. atque ex tota connexione prophetiæ huius. Hic est enim auditus, de quo ait v. 1. Domine audiui auditionem tuam, & timui. *Nam c. 1. & 2. audiens Chaldæorum in Iudæos sæuitiam, extimuit & expauit. Secundò, quia ea de causa ab initio cap vsque ad v. 22. plurima beneficia Hebræis in exitu ex Aegypto præstita commemorat, vt similia eis in egressu Babylone præstanda demonstret, & ad id credendum fidem & spem eorum exacuat. Tertiò ipsum clarè indicat cùm ait v. 16.* Vt ascendam ad populum accinctum nostrum. *Denique id significat titulus,* Oratio pro ignorantiis, *id est pro peccatis suis & populi, ne scilicet Deus ob ea, liberationem eius è Babylone, licet promissam, differat, vel omnino reuocet & auferat.*

In sensu tamen allegorico, qui præcipuè hìc intenditur à Spiritu sancto, loquitur de Christo Christiq; mysteriis & redemptione. Sicut enim Nabuchodonosor tyrannus, & vastator populi Dei gessit typum diaboli; ita Cyrus liberator eiusdem, figura fuit Christi redemptoris: & sicut Babylon repræsentat regnum peccati, ita liberatio è Babylone repræsentauit redemptionem Christi, qui euertit regnum peccati, hominesq; ex eius & diaboli seruitute liberauit. Hac de causa Propheta iam loquitur in præterito, vt significet se ad litteram loqui de Pharaone, Aegypto, & Hebræis præteritis; iam in futuro, vt significet ad litteram similia Iudæis euentura per Cyrum, in expugnatione Babylonis. Allegor. verò similia, imò longè maiora, omnibus gentibus præstanda per Christum, orbis redemptorem. Hinc nominat Christum & Iesum v. 18. Exultabo, *inquit,* in Deo Iesu meo, *eiusq; natiuitatem, miracula & gesta vsque ad vltimum eius iudicium, typicè percensèt. ita Theophyl. Euthym. Rupert. Ribera, Titelman. Iansen. in hoc cantico. Simili modo victorias & beneficia sui temporis ad literam, quibus allegoricè repræsentat victoriam & gratiam Christi, carmine suo celebrant Moses Exodi 15. Debora Iudic 5. Iudith vlt. Anna 1. Reg. 2. Dauid psal. 71. & 88.*

Vbi Nota. Quia allegoricus sensus hic præcipuè est intentus à Spiritu sancto, hinc quædam interseruntur, quæ magis conueniunt allegoriæ quàm litteræ, vti est nomen Iesu, & quod Septuag. v. 2. habent, In medio duorum animalium cognosceris; *&* v. 5. Ante faciem eius ibit mors; *&,* Egredietur diabolus ante pedes eius. *Simili modo allegoriam literæ miscet Isaias c. 14. vbi sub typo Luciferi, casum Balthasaris depingit; & Ezechiel c. 28. vbi sub typo Cherubini ruinam regis Tyri repræsentat.*

Ad litteram ergo tres sunt huius cantici partes. Primò enim Propheta Deum obsecrat, vt promissionis Hebræorum è Babylone promissum, reipsa præstet & perficiat. Secundò, à v. 2. 16. recolit & celebrat magnalia Dei, edita in eorumdem liberatione ex Aegypto; quo tacitè innuat, vt similia præstet in eorum liberatione è Babylone. Tertiò, v. 16. redit ad v. 1. & ad claudendum Babylonis obstupescit: mox gaudet & exultat in Domino, qui Iudæos è Babylone liberabit, eosq; quasi ceruos veloces & alacres in Iudæam reducet.

VERS. 1.

ORATIO PRO IGNORANTIIS.

PRO IGNORANTIIS] Hebr. est שגיונות *sigionot*, quod aliqui, vt R. Dauid, Pagnin. Vatabl. accipiunt pro certo genere cantici, harmoniæ, vel instrumenti musici: vnde Septuag. vertunt, *oratio Habacuc Prophetæ cum cantico*: quia partim est hìc oratio, partim & magis canticum, quo celebrat Dei beneficia præterita, vt impetret futura. Hæc est enim vera ratio orandi & impetrandi, si eius, à quo quid petimus, munificentiam, potentiam, dotes & laudes celebremus. Vnde in Scriptura, oratio subinde vocatur laus, vt Thren. 2. 19. *Consurge, lauda* (id est, laudando ora) *in nocte.* Ierem. 11. 14. *Ne assumas pro eis laudem*, id est ne ores pro Iudæis tam impiis. Hinc & R. Iona, & ex eo Genebrard. *sigionot* vertunt, *gaudium, oblectationem. Oratio*, inquiunt, *Habacuc Prophetæ cum oblectationibus*, qua scilicet se populumque oblectat, commemorando futuram eius liberationem. Alij, vt R. Iuda, vertunt, *oratio pro occupationibus*, putà pro grauibus negotiis, quæ animo versabat, quibusque se occupabat Propheta; Tigurina, *colloquium*, seu *disputatio Habacuc Prophetæ cum Deo perplexis.* Verùm melius Noster vertit, *pro ignorantiis*: ita enim vertit & Aquila, Symmachus, Quinta editio & Chald. Hebræum enim שגה *saga*, significat errare, ignorare: inde שגיונה *sigiona*, vocatur error, ignoratio, putà delictum, peccatum, tum ex ignorantia commissum, tum quodlibet aliud, etiam volùntarium. Vnde Theodot. vertit, *pro voluntariis*, scilicet delictis. Nam, vt ait Aristotel. *Omnis peccans est ignorans.* Et Sapiens: *Errant qui operantur malum*, Prouerb. 14. 22. Semper enim peccato cõiuncta est aliqua ignorantia, putà inconsideratio. Si enim consideret peccator turpitudinẽ & damna peccati, Deumque vindicem, cuius iram & tormenta sibi prouocat, vtique non peccaret.

Iam sensum hìc varium dant varij. Pagn. Chald. more suo paraphrastice sic vertit, *Oratio quam orauit Habacuc, quando reuelatum est ei de longitudine temporis, quam dedit Deus impijs: quando conuertantur ad legem corde perfecto, remittentur eruntq; omnia scelera eorum, quæ admiserunt in conspectu eius, quasi ignorantia.*

Secundò, S. Hieron. Remig. Albertus & Iansenius, censent Habacuc hìc deprecari veniam suæ ignorantiæ, id est sui peccati, quo ignorans

ter & temere ausus fuit cum Deo disputare, i- de eius prouidentia, qua finit impios pijs do- minari, conqueri. Verùm in toto hoc carmine nullam huiusce deprecationis veniæ, significatio- nem dat Propheta.

Deo ergo, per ignorantias significantur pec- cata populi. q.d. Oro Domine pro peccatis po- puli, vt illa condones & dissimules, ne propter ea differas opus liberationis nostræ è Babylo- ne. & multò magis Allegor. opus incarnationis Christi, & redemptionis generis humani à te pro- missum.

DOMINE audiui auditionem tuam, & timui.

Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud.

In medio annorum notum facies: dum iratus fueris, misericordiæ recor- beris.

DOMINI AVDIVI AVDITIONEM TVAM] Est enallagma. nam actus ponitur pro obiecto: *auditum*, id est rem, vel verbum auditum, siue o- mnium quod à te audiui; scilicet tãtam cladem & vastationem, tum Iudæorum per Chaldæos, tum ipsorum deinde Chaldæorum per Medos & Persas: ideoque *timui*, maximè metuens, ne nos in Babylone degentes, vtpote captiuos, etiam Babylonica clades, & Chaldæorum excidium per Cyrum infligendum pariter inuoluat, & o- mnino deleat. ita S. Hieron. Remig. & Theodor. Pro quo Septuag. addunt: *Consideraui opera tua, & obstupui*, id est *obstupui*, vel *expaui*. quod Allegor. re- fert S. Augustin. libr. 18. de Ciuit. 32. refert ad opus incarnationis Christi, quod præ sui nouitate, atque maiestatis exinanitione, non tantùm stuporem, sed & sacrum quemdam pauorem & horrorem ex sui reuerentia incutit. *Quid enim, inquit, hoc est, nisi præcognita, noua, ac repentinæ sa- lutis hominum ineffabilis admiratio?* Quis enim non stupeat, quis non expauescat, si videat Deum in carne, Deum in cruce? Hoc est magnũ illud sacramentum, quod obstupescunt Sera- phim & Cherubini quod, vt ait Apostolus 1. Ti- moth. 3. 6. *manifestum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit angelis* (qui omnes stupentes il- lud adorarunt Hebr. 1. 6.) *prædicatum est Genti- bus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.* Vide S. Bernard. serm. 5. in Vigilia Natiuit. *Tria ista, tres mixturas fecit omnipotens illa maiestas in ipsa creatione nostra carnis, ita singulariter mirabilia, & mirabiliter singularia, vt talia nec facta sint, nec facta sint amplius super terram. Coniuncta quippe sunt animæ Deo & homo, mater & virgo, fides & cor humanum. Admirabiles istæ mixturæ, & om- nimodo mirabiliores, quomodo tam diuersa, tamq; sibi ab initio potuerint coniungi.* Et infrà: *Con- tulit sibi maiestas, vt quod melius habebat, videlicet spiritum limo nostro coniungeret, & in persona vna si- mum vniretur Deus & limus, maiestas & infir- mitas, tanta vilitas & sublimitas tanta. Et attende, hic in illa singulari diuinitate trinitas est in perso- nis, vnitas in substantia: sic in ista speciali commixtio- ne vnitas est in substantijs, in persona vnitas. Verbum mens, & anima, & caro, in vnam conuenere perso- nam: & hoc tria vnum, & hoc vnum tria, non confu-*

A *sione substantiæ, sed vnitate personæ.* Quocirca meritò S. August. S. Hieron. S. Bernard. S. Frãciscus, alijque Sancti, in contemplatione huius mysterij quasi extra se rapti & attoniti expauerunt, & ob- stupuerunt. Equidem si cum S. Magdalena sece- dentes & abstracti, non aliud contemplaremur tota vita, quàm hoc, *Verbum caro factum est. Deus homo*, iugiter obstupescceremus; & quo magis ac diutiùs illud contemplaremur, eo magis in stupo- rem, imò in extasim raperemur.

Sanè ipsa humanitas Christi in incarnatione, videns se assumi & eleuari super omnes cælos & angelos, ad thronum maiestatis diuinæ, obstu- puit & expauit: quin & iugiter obstupescit & ex- pauescit, dum videt se in eadem non tantùm se- de, sed & hypostasi cum diuinitate sedere & subsistere. Videt enim se ex creatura eleuari ad B creatorem, ex nihilo fieri omnia, ex homine fie- ri Deum; idque ex nulla sui dignitate (est enim ip- sa tanto honore & bono indigna) vel merito, sed ex mera dignatione Dei, qui eam ex omnibus hominibus, angelis & creaturis elegit, & ad tan- tum gloriæ fastigium euexit. Iugiter ergo illa ob- stupescens suam vilitatem & indignitatem. ac Dei dignationem & gratiam, gratulabunda exclamat: O immensa Dei in me, ô abyssalis, ô in- comprehensa bonitas!

Humanitas Christi vi- dens se assu- mi Verbo, obstupuit.

Tropol. hæc verba sibi adaptauit S. Leo, cùm eligeretur in Pontificem. Sic enim ait serm. 2. de sua Assumptione: *Domine audiui auditum tuum, & timui: consideraui opera tua, & expaui. Quid enim tam insolitum, tam pauendum, quàm labor fragili, sublimitas humili, dignitas non merenti?*

DOMINE OPVS TVVM, IN MEDIO ANNORVM VI- C VIFICA ILLVD] Tò *illud* per pleonasmum He- bræum redundat: Hebræi enim repetunt pro- nomen relatiuum, vel demonstratiuum, illud- que iungunt cum suo nomine quod antecessit. Porro *opus* intelligit liberationis Iudæorum è Ba- bylone, & mysticè redemptionis generis hu- mani è captiuitate diaboli & peccati per Christũ. Vnde Chald. opus hoc interpretatur renouatio- nis mundi, & miserationum Dei. ita S. Hieron. & August. loco citato. Hoc enim vocatur opus Dei antonomasticè, siue per excellentiam; quia om- nium Dei operum fuit maximum & excellen- tissimum. Nam in eo vno magis, quàm in operi- bus creationis, conseruationis, gubernationis, cæ- terisque omnibus, Deus generi humano osten- dit immensam suam clementiam, sapientiam, po- tentiam & amorem. Quodque de Bruto dixit D Poëta, *Et magnum magni Cæsaris illud opus*: illud longè verius dicas de Verbo incarnato, putà de Christo: *Et magnum magni Numinis illud opus.* Hoc opus inquã, *in medio annorum*, id est intra annos, vel annis, scilicet à te præfixis, *viuifica*, id est effi- ce, suscita, adimple. Hebræi enim metaphoricè vitam dant rebus inanimis, vt annis, diebus, aëri, fertilitati, sterilitati, captiuitati, liberationi, &c. cùm enim illa fiunt & vigent, dicuntur hebr. vi- uificari & viuere.

IN MEDIO ANNORVM] Varij variè hoc medium explicant. Primò, Gueuara & Vatabl. *In medio annorum*, inquiunt, hoc est, in medio illorum ca- lamitosorum & infelicium dierum, in quibus Chaldæam, eiusque incolas funditus igne ferro- que vastandos Propheta audierat. *In medio* di- xit, id est, cùm in præcipiti erunt mala, cùm in-

gruent vehementiùs pericula, cùm circumfluẽtibus vndiq; calamitatum fluctibus nulla emergendi affulgebit ſpes. In medio enim alicuius rei eſſe dicitur quandoque id, quod ab ipſa premitur & vrgetur maximè, vt circumfuſo malorum æſtu nullum euadendi pateat effugium. Tale eſt illud pſalm. 22. *Nam etſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Et pſal. 37. *Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me.* Orat ergo Habacuc Deum, vt populum ſibi peculiarẽ è mediis calamitatibus Chaldæorum eripiat, & quem tantis hactenus beneficijs affecerit, cuique, vt artifices ſolent, quaſi abſolutiſſimo manuum ſuarum operi, & ſuum nomen inſcripſerit, notamque & ſtigma circumciſionis inuſſerit, Chaldæorum ſæuitia interire, aut cum Chaldæis pariter in Babylone à Medis & Perſis exſcindi deleriq; penitus non patiatur. Hic ſenſus valdè huic loco congruere videtur. Medium enim ſæpè capitur pro ſummo, vt cùm dicimus: In medio tribulationum verſor; medio marii iactor; in medio ferarũ dego, id eſt, in ſummis verſor malis, periculis & hoſtibus. Annus enim, dies, & tempus ſæpè metonymicè ſumuntur pro clade inſigni & calamitate, quæ tali anno, die & tempore contigit, vel continget. Sic ſæpè Prophetæ diem Domini vocant diem vltionis, quo Iudæam, vel Babylonem, aut alias vrbes & gẽtes puniet & perdet; vt Sophon. 1. 14. *Iuxtà eſt dies Domini magnus*, &c. *dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ.* Ioël. 2. 1. *Venit dies Domini*, &c *dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis.* Similia ſunt Ierem. 30. 7 Amos 5. 18.

Secundò, alij ex aduerſo medium capiunt pro optimo. q.d. Euolutis annis 70. captiuitatis calamitoſiſſimæ, in medio, id eſt in optimo anno 70. illos annos conſequente, opus hoc liberationis noſtræ tam exoptatum dabis & præſtabis. Sic dicitur Ezech. 5. 5. *Iſta eſt Ieruſalem: in medio*, id eſt in optimo, *gentium* loco *poſui illam.* Et Iſaiæ 38. 9. ait Ezechias: *In dimidio dierũ meorum*, id eſt in ætate optima & florenti, *vadam ad portas inferi.* Quamquam alij *in dimidio* propriè accipiunt. erat enim Ezechias tunc 39. annorum, quæ ætas eſt quaſi dimidia vitæ humanæ: integra enim eſt ea, quæ notatur pſal. 89. 10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus, octoginta.*

Tertiò, ſimpliciùs alij medium hîc non accipiunt geometricè, ſed phyſicè, aut potiùs vulgariter ex Hebræorum phraſi & vſu, quo *In medio annorum*, idem eſt quod intra annos, ſcilicet præfinitos & deſtinatos à Deo. Vnde Symmach. vertit, *intra annos reuiuiſcere fac ipſum*; Aquila, *dũ appropinquant anni, viuifica illud.* Septuag. *cùm appropinquauerint anni, cognoſceris.* Sic Deus fecit *firmamentum in medio aquarũ*, id eſt inter aquas ſuperas & inferas, Gen. 1. 6. & *lignum vitæ in medio paradiſi*, id eſt intra paradiſum, Geneſ. 2. 9. & ignem in medio rubi, id eſt intra rubum, Exodi 3. 2. Dicit autem potiùs *in medio*, quàm in fine annorum, quia optat annos hoſce non expleri, ſed potiùs imminui & dimidiari. q.d. Fac Domine, vt anni 70. quos captiuitati noſtræ deſignaſti, non ad finem vſque decurrant, ſed decurtentur & dimidientur.

Quartò, aliqui, vt Albertus, medium hîc geometricè & præcisè accipiunt, ſcilicet medium annorum mundi. Nam liberatio Hebræorum facta eſt ſub annum mundi ter milleſimum, nempe anno 3419. hoc eſt penè medium durationis mundi: durabit enim mundus ſex millia annorum, vt tradunt Hebræi & Patres, quos citat Lyra poc. 20. 6.

Rurſum Ianſenius dimidium hoc exponit annum 37. tranſmigrationis Ioachin, quo Euilmerodach eum exaltauit, 4. Reg. 15. 27. quod fuerit quaſi præludium & initium felicitatis & liberationis Hebræorum, quæ perfecta eſt anno 70. captiuitatis: nam 37. ſunt penè dimidium 70. Hoc ſenſu vox *viuifica* in ſenſu, non perfectionis inchoato accipienda eſt, q.d. *Viuifica*, id eſt incipe viuificare, & adimplere opus tuum; inchoaſti enim in peris tui fabricam, da eius ſpecimen, quaſi iam iam futuræ lucis & libertatis.

Allegor. opus incarnationis & redemptionis Chriſti factũ eſt *in medio annorum*, iuxta primum ſenſum: quia Chriſtus venit calamitoſiſſimo tempore. Fecit enim vti facit ſapiens medicus, qui ubi nit morbum creſcere ad ſummũ paroxyſmum, vt omnes ſuas vires exſerat & euomat: quo tum morbo quaſi exhauſto & eneruato, facilem habet curationem. Ita Chriſtus permiſit, vt peccatum & concupiſcentia creſcerent ad ſummum per quatuor annorum millia, vtq; omnem malitiam exſererent ac euomerent, quo ubi medicam ei manum ſuam attulit; cùm iam tempus & natura, & lex Moſis omnem vim ſuam extendiſſent, nec tamen potuiſſent peccatum mori; ac proinde omnes & omnia Chriſti opem magnè poſcerent & inclamarent.

Secundò, idipſum fuit *in medio*, id eſt in ſummo, *annorum*: quia ipſe adduxit aureum illud ſæculum, iuxta illud Apoſtoli: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*, 2. Cor. 6. 2.

Tertiò, fuit *in medio annorum*, id eſt inter annos, vel annis à Deo præfixis & conſtitutis. Eſſum *in medio*, id eſt in complemento annorum. Medium enim eſt extremorum centrum, vnio, perfectio & complementum. Hinc *in medio annorum*, idem eſt quod in conſummatione annorum, vel, vt Apoſtolus Galat. 4. v. 4. ait, *in plenitudine temporum*, cùm ſcilicet planè conſummati, impleta eſſent tempora à Deo tanto opere conſtituta. Medium enim extremorum eſt finis: extrema enim in medio terminantur & finiuntur, ita S. Hieron. In medio ergo annorum natus eſt Chriſtus: quia ætas Chriſti fuit finis ſæculorum præcedentium miſerorum, & initium ſecundum felicisſimorum. Dicit autem *in dimidio*, potiùs quàm in fine: quia optat hoſce annos abbreuiari, ideoque dimidiari; ſicut per prece Danielis & Prophetarum, abbreuiatæ & accelerate 70. hebdomades præuiæ Chriſto, vt dixit Daniel. 9. 21.

Quartò, arithmeticè *in medio annorum* poſuit eſt Chriſtus hoc computu: Primò, quia in 70. & vltimæ hebdomadis Danielis paſſus demit mundum, Daniel. 9. v. 27. Licet enim Daniel fuerit poſt Habacuc, tamen hebdomades 70. iam ante Danielem decretæ erant in mente Dei, qui eas hîc confusè & implicitè revelat Habacuc, quas poſtea diſertè expreſſit Daniel. Secundò, *in medio annorum*: quia Chriſtus Dominus redemit nos anno ætatis 34. quæ eſt media vitæ humanæ: hæc enim cenſetur 70. annorum

Tertiò, Hebræi ex oraculo Eliæ, durationem, si- A
ue ætatem mundi tradunt fore sex millia annorum, siue ter bina millenaria, quorum prima duo spectant ad legem naturæ, quæ fuit ante diluuium, & post illud vsque ad Abraham: secunda, siue media duo ad legem Mosis: tertia, siue vltima duo ad Euangelium, & tempus Messiæ & gratiæ. Iam Christus natus est durante lege Mosis: natus est ergo in medio harum trium ætatum, ac consequenter in medio annorum, id est seculorum mundi. ita Franciscus Georgius Venetus in Problem. tomo 3. sect. 4. de Christi æternitate n. 142. Rursum in medio annorum venit Christus: quia tempus Euangelij, & gratiæ eius est medium inter tempus legis & tempus gloriæ, siue inter sæculum præsens & futurum. Christus enim fuit quasi horizon temporis & æternitatis: est enim ipse legis temporisque finis, ac B
principium æternitatis, vitæque beatæ. Hinc ab Isaia cap. 9. vocatur *pater futuri sæculi*. Denique ne quid omittam, ex his Habacuc verbis non nulli, vti refert S. Vincentius Ferrerius epist. ad Benedictum, & Adrianus Finus lib. 5. Flagelli c. 1. asseruerunt, Christum in medio durationis mundi tempore assumpsisse carnem, ita vt tot ferè præcesserint anni Christi incarnationem, quot post eam futuri sunt. Idipsum indicauit Virgil. qui ex oraculis Sibyllæ Cumææ Augusto Cæsari (cuius ætate natus est Christus) adulatus, scribit 3 Georg.

Me tamen ardentes accingær dicere pugnas
Cæsaris, & nomen fama tot ferre per annos,
Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.

Verum hoc planè incertum, & multis parum probabile videtur: certè ex hoc loco euinci ne- C
quit.

Symbolicè, Christus est medium, vti S. Trinitatis, ita & totius vniuersi & sæculorum omnium æquè ac redemptionis & felicitatis nostræ mediator. Nam in SS. Trinitate ipse, vtpote Filius, est medius inter Patrem & Spiritum sanctum, quia à Patre procedit & generatur, ac genitus cum eo spirat & producit Spiritum sanctum. Secundò, quia ipse est Verbum, quod est idea, per quam creauit Deus omnia: ipse ergo vt Verbum, est nodus, nexus, vinculum, medium & centrum rerum omnium. Tertiò, in ipso pariter vt Verbo, creata & ordinata sunt omnia sæcula & tempora: *Fide* enim *intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei*, ait Apost. Hebr. 11. 3. Quartò, hinc cognouit assumpsit naturam humanam, vt esset mediator Dei & hominum. Decebat enim, vt persona media in SS. Trinitate humanam naturam assumeret, in eaque fieret mediator; quia & ipsa media est inter cælum & terram, media inter Deum & cæteras creaturas, vtriusque naturam participans, vt per ipsam naturam mediam vtraque uniret extrema. Natura enim humana medium, & quasi vinculum omnium existit, & cum omnibus partem habens, cum omnibus deliciatur: omnibus enim creaturis cæteris homo vel scitur, vel oculis, aliove sensu pascitur & fruitur: terra nos sustentat, aqua potat, aër dat respiraculum, ignis calefacit: vescimur plantis, piscibus, animalibus: sole & cælo illuminamur: ab angelis erudimur, purgamur, perficimur. Pari modo Christus factus homo, deliciatur cum omnibus, & omnes cum eo. Hinc eius typus fuit arbor vitæ in medio paradisi à Deo collocata, Genes. 2. Quocirca Christus nascens, viuens, moriens, semper capessiuit medium. Natus est enim in media nocte, dum quietum silentium continerēt omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret. Sapient 18. 14. Natus quoque positus est in medio duorum animalium: asinus infirmior denotat misericordiam; bos fortior, & in arando æquus & fidus hero, denotat iustitiam. Hæc enim duo obuiare sibi fecit Christus, ideoque nascens in eorum medio stetit. Puer inuentus est in templo, in medio Doctorum. Domi fuit medius inter matrem & patrem, putà Mariam & Ioseph. Sicut enim medius est in Trinitate increata, sic medius est & in Trinitate creata, quæ est Ioseph, Iesus, Maria. Vir in medio fuit Apostolorum: *Ego* inquit, *sum in medio vestrûm, tamquam qui ministrat*: vt omnibus videlicet æqua distributione, saltem geometrica, suscepta munera distribueret. Rursum concionando operatus est salutē in medio terræ, psal. 73. 12. Moriens pependit in medio duorum latronum, vt iam eorum constitutus iudex, redderet vtrique debitas vices, iuxta vtriusque merita, præsagio quodam magni & extremi iudicij, in quo medius ad dexteram habebit Sanctos, quos vita æterna præmiabit; ad sinistram reprobos, quos morte æterna mulctabit. In cælo mediū tenet locū: est enim medius inter Patrem & nos, vtpote aduocatus noster. Ita eum vidit S. Iohan. Apoc. 5. 6. quasi agnū in medio throni, in medio quatuor animalium, & in medio seniorū. Hinc eū repræsentauit Isaac immolandus à patre, & risus ac gaudiū orbis: Isaac enim medius fuit inter Abraham & Iacob: fuit enim Abrahæ filius, Iacobi pater. Rursum ipse palàm profitetur: *Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*, Matth. 18. 20. Quocirca ipse ab æterno decretus, & in tempore factus est verus & optimus mediator inter Deum & hominem, iuxta illud Apostoli: *Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus*, 1. Timoth. 2. 5. Ipse enim factus homo, effectus est vinculum & glutinum, ligans, connectens & vniens hominem cum Deo. Ipse est velut canalis medius, per quem à fonte viuo, putà à Deo, fluunt ad nos aquæ viuæ, & fluenta gratiarum. Ipse est scala Iacob, per quam quasi medium, ab extremo ad extremum, putà è terra in cælum ad Deum ascendimus. Præclarè S. Bernard. serm. 1. de S. Michaële: *Amat*, inquit, *semper media Iesu, diuerticula semper & reclinatoria reprobat filius hominis, Dei & hominum mediator. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia.* D

Christus vbique fuit medius & mediator.

Nimirum hisce omnibus significare voluit & commendare auream mediocritatem, quæ nos Deo & hominibus gratos efficit: virtus enim cōsistit in medio. Item pacem & concordiam: medium enim est nexus, & quasi pax & concordia extremorum. Hoc est quod ait Matth. 5. 9. *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur*: quia ego qui sum filius Dei naturalis, sum pax vniuersi, pacificans omnia quæ in cælis, & quæ in terris sunt, Coloss. 1. 20. Iure ergo nomen filij Dei sortiuntur, qui mediandi pacemque conciliandi officium ipsi proprium intimumque vsurpant.

Vt nos doceret auream mediocritatem.

ANNORVM] Ita vertunt quoque Aquila, Symmach. Theodotion, Chald. & alij passim. legunt enim in Hebræo שָׁנִים *scanim*, quod

significat *annos*. Verùm Septuag. alijs punctis legentes שְׁנַיִם *scenaim*, id est *duorum*: rursum pro חַיֶּהָ *chaiiehu*, id est *viuifica illud*, legentes חַיּוֹת *chaiot*, id est *animalium*, vertunt, *in medio duorum animalium cognosceris*: mox tamen pro *scenaim* legunt *scanim* cum cæteris. Vnde subdunt: *Cùm appropinquauerint anni, cognosceris*. Adduntque per epexegesin: *Cùm aduenerit tempus, demonstraberis*. Hæc enim verba non sunt in Hebræo; ea tamen in Septuag. legunt codices Vaticani, Complut. Regij, S. Hieronym. Cyrill. Theodor. & alij passim. Aliqui tamen censent Septuag. in Hebræo legisse vt cæteros, scilicet vt τὸ *cùm appropinquauerint anni, cognosceris*, respondeat illi quod vertit Noster, *in medio annorum viuifica illud*; & τὸ *cùm aduenerit tempus, demonstraberis*, respondeat illi quod vertit Noster, *in medio annorum notum facies*: id verò quod præcedit, *in medio duorum animalium cognosceris*, additum sit à Septuag. propheticè & paraphrasticè, sicut ab eisdem additum est τὸ *à ligno*, quod non est in Hebræo, nec in Latino, psalm. 95. 10. Vbi enim illi legunt, *regnauit Deus*, Septuag. addiderunt *à ligno*, scilicet à cruce: crux enim fuit quasi solium regni Christi. Fortè in Hebræo fuit duplex lectio, vna in textu, altera in margine, quales iam multæ sunt in Hebræo, quas Rabbini vocant *keri vketif*; nimirum vt in textu fuerit, *bekereb scanim chaiiehu*, id est, *in medio annorum viuifica illud*; in margine verò, *bekereb scenaim chaiot*, id est, *in medio duorum animalium*; & vtrumque exprimere voluerint LXX. leui enim mutatione ex *scanim* fit *scenaim*, ex *chaiiehu chaiot*.

Ps. 95. 10.

Porrò quoad sensum literalem de Chaldæorum excidio, duo animalia quæ hoc peregerunt, & populum Dei Babylone liberarunt, fuerunt Medi & Persæ, siue Darius & Cyrus. Alludit ad Isaiæ oraculum c. 21. 7. *Et vidit currum duorũ equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli*, putà Cyrum qui Persis quasi asinis, & Darium qui Medis quasi camelis dominabatur: hi enim euerterunt Babylonem. Vnde erat oraculum, editum per Nabuchodonosor, ait Euseb. libr 9. de Præpar. Euang. cap. vltimo: *Veniet Persa mulus, qui vobis, ô Babylonij, afferat seruitutem*. Mulus est Cyrus, natus matre Meda quasi camela; & patre Persa, quasi asino. ita Sanchez.

Christus in medio duorum animalium: quorum?

Quoad sensum verò allegoricum, & præcipuum de Christo, varij variè hanc versionem exponunt. Primò, Theoph. per duo animalia accepit duos Cherubim, qui erat super arcam in propitiatorio, Exodi 25. 17. q. d. Typus tuus, ô Christe, erat propitiatorium erectum inter duos Cherubim: ibi per vmbram typicè fuisti agnitus, imò præcognitus: propitiatorium enim significabat te fore propitiatorem mundi. Secundò, alij per duo animalia accipiunt duo Seraphim, quos vidit Isaias c. 6. Christo specie humana, quasi incarnato, sedenti in throno acclamare *Sanctus, sanctus, sanctus*, quasi illa *velantia caput & pedes Domini*, ait S. Hieron. *in præsenti tantùm sæculo volent, & alter ad alterum mysterium inclament Trinitatis, & mittatur vnus de Seraphim (quod interpretatur ardens) & veniat in terram, & mundet Prophetæ labia, & dicat: Ignem veni mittere in terram, & quàm volo vt ardeat?* Tertiò, τὸ *In medio duorum animalium cognosceris, multi putant de Filio intelligi & de Spiritu sancto, eò quòd Pater per Filium intelligatur & Spiritum*, ait S. Hieron. Pari modo Filius est medius inter Patrem & Spiritum sanctum, per Patrem à quo gignitur, & per Spiritum sanctum quẽ producit & spirat, intelligitur. Quartò, duo animalia sunt duo latrones, inter quos crucifixus, agnitus est Christus, ait idem S. Hieron. Quintò, duo animalia sunt duo populi, licet Babylonij & Iudæi tempore Habacuc in medio quorum agnitus est Deus, Babylonios tentens, ac Iudæos liberans. Rursum tempore Christi agnitus est in medio Iudæorum & Gentium. Hisce enim duobus populis se hinc inde circumstantibus, intellectus est Saluator & creditus, ait S. Hieron. qui Sextò, addit: Sunt qui duo animalia duo intelligant testamenta, nouum & vetus, quæ verè animantia sint atque vitalia, quæ spiritu in quorum medio Dominus cognoscatur. Imò, Tertul. l. 4. cont. Marcion. c. 22. per duo animalia accipit Mosem & Eliam, inter quos transfiguratus, & ab Apostolis agnitus est Christus tamquam Messias in monte Tabor. Octauò optimè: *in medio duorum animalium*, id est in præsepio inter bouem & asinum, agnoscens ô Christe, cùm in carnem & mundum venies, iuxta illud Isaiæ 1. 3. *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui*. quod Patres, quos ibi secui, intelligunt de Christo reclinato in præsepio inter bouem & asinum. ita Ecclesia hunc locum accipit in officio Natiuitatis Christi: *O magnum*, inquit, *mysterium & admirabile Sacramentum, animalia viderent Dominum natum iacentem in præsepio!* Et in Officio Circumcisionis Domini: *Domine*, ait, *audiui auditum tuum, & timui; consideraui opera tua, & expaui: in medio duorum animalium cognosceris, cùm irascebaris, memor eris misericordiæ. Bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: tu autem Israel me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate! Ecce in præsepio vagit paruulus, lacte nutrit Virgo Mater, & ignorat populus meus, & non intelligit. Quare non cognouisti? quia superbia tua te cæcauit. Quare non intellexisti? quia iniquitas tua te excæcauit. Ecce Dominus noster manifestatus est nobis, & nos non cognouimus eum. Ecce Deus noster apparuit in carne, & mundus non cognouit eum. Ecce Creator omnium in præsepio iacet, & nemo agnoscit eum. Ecce Rex Angelorum in præsepio iacet, & nemo adorat eum. Ecce Dominus Virtutum in præsepio iacet, & nemo timet eum. Ecce Rex Regum in præsepio iacet, & nemo honorat eum. Ecce Rex Israel in præsepio iacet, & nemo laudat eum. Ecce Rex Cœli in præsepio iacet, & nemo glorificat eum. Ecce Rex Terræ in præsepio iacet, & nemo amat eum. Ecce Rex Mundi in præsepio iacet, & nemo timet eum. Ecce Rex Regum in præsepio iacet, & nemo honorat eum. Ecce Rex Israel in præsepio iacet, & nemo laudat eum. Ecce Rex Cœli in præsepio iacet, & nemo glorificat eum. Ecce Rex Terræ in præsepio iacet, & nemo amat eum. Ecce Rex Mundi in præsepio iacet, & nemo timet eum.*

Causa literalis, cur Christus in præsepio medio bouis & asini, reclinari voluerit, fuit quam dat Euangelista Lucas c. 2. 7. *Quia non erat eis locus in diuersorio*: omnes enim Iudæi tunc confluebant ad censum ab Augusto Cæsare factum, qui quia ditiores, iam occupauerant omnia diuersorij loca, vel certè anteuerterant Ioseph & Mariam, longè ex Nazareth aduen-

te, iamque totum hospitium præoccuparant. Apposit ergo B. Virgo Christum paritura, diuersorio exclusa, in stabulum, seu spelunca m stabulo adhærentem diuersorio, quod hospitandis nemis seruiebat cauponis diuersorij, eiusque despectum, exilem sibi locum à bestijs mutuata: quæ cùm non haberet cunas, reclinauit Christum infantem in præsepio inter fœnum & paleas vtibi commodiùs paulò iaceret, & frigus minus sentiret. præsertim calefactus halitu bouis & asini, ipsa ad præsepe vigilans cum sanctis angelis & Ioseph, diuinum mysterium admirantibus & adorantibus. ita Franciscus Lucas & Toletus in Lucæ cap 2. Voluit Christus à sui ortu demonstrare veritatem sui dicti Matth. 8. 20. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Nimirum *propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vestra inopia nos diuites essemus*, 2. Corinth. 8. 9. Iacere voluit Christus nasci quasi filius pastoris inter animalia, & poni in præsepio, vt significaret se esse verum pastorem ouium ab Ezechiele dictum cap. 34. 23. Tertiò, vt significaret regnum suum non consistere in fastu, palatijs, opibus & pompa, sed in mundi contemptu; nec gratum Christo fore hanc paupertatem, sed potius; imò hoc esse eius signum & notam propriam. Vnde angelus pastoribus hoc signum natalitium dedit: *Inuenietis*, ait, *infantem pannis involutum, & positum in præsepio.* Quocirca clamat stabulum, clamat præsepe, clamant bos & asinus, clamant lacrymæ, clamant panni Christi; & quid clamant humilitatem, clamant paupertatem Christi, clamant pœnitentiam, clamant auteritatem vitæ, clamant contemptum opum, deliciarum & commodorum mundi, vtipiè & eleganter docet S. Bernard. de Natiuit. Domini ser. 3. & 6.

Exhibet typus paupertatis, & pauperis regni Christi, in quo pingitur Christus recèn natus positum præsepio, iacens in fœno inter bouem & asinum, adorantibus & adorantibus S. Maria & Ioseph, cum lemmate aureas eius dictante gnomas: *Ecce*, inquit, *ô fidelis anima, plenissima resignatione & abdicatione rerū creatarum, & purificatione affectum liberam, imperturbabilem, quietam & nudam Dei tui mentem præsentare, vt nihil habens vera omnia possideas. Est enim vera paupertas* EXPEDITVS *vt perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Matt. 19. 21. NVDA: *Quid mihi est mundo, & à te quid volui super terram?* Psal. 72. 25. PATIENS: *Patientia pauperum non peribit in finem.* Psal. 9. CONFIDENS: *Tibi derelictus est pauper.* Psal. 9. OPVLENTA: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matth. 19. 29. SECVRA: *Ego autem egenus sum & pauper, Dominus autem sollicitus est mei.* Psal. 39.

Hæc nimirū est concio quam è præsepio, non verbis, sed facto proclamat Christus, quamque tota vita, adeoque in ipsa morte è patibulo cruce proclamauit, scilicet: Filij hominum, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? vanæ mundi opes, vanæ pompæ, vanæ delitiæ, vana honores, vana contemnite, vera ambite opes, veræ deliciæ, veri honores sunt in regno Dei, qui eas mihi, angelis & Sanctis communicat. Has vobis annuncio, has offero, has promitto. Ego sum sapientia Patris, sum puer

A sapiens, Verbū infans: scio reprobare malum, & eligere bonum. Mihi ergo credite, non mundo mendaci & fallaci: quæ ego elegi, eligenda docui; quæ contempsi, contemnenda monstraui. Ego sum vita, docco vos, veram vitam, cælestem & diuinam consistere in bonorum cælestium & æternorum amore & desiderio: illam ergo capessite, ideoque fugite vitam animalem & carnalem, quæ ducit ad mortem præsentem & æternam. *Apparuit*, inquit Apost. ad Titum 2. 11. *gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, iustè & piè viuamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei Saluatoris nostri Iesu Christi.* Quisquis ergo sapis, quisquis Christi doctrinam sequeris, quisquis Christianus es, amores omnes rerum terrenarum
B exue, eosque pone ante præsepe Christi inter bouem & asinum, ac totum cor, totum amorem, omnes spes & res tuas resolutè & efficaciter offer Christo Domino, vt cum paupere pauper, cum humili humilis, cum sobrio sobrius, cū spiritali spiritalis, cum cælesti cælestis, cum sapiente sapiens, cum felici felix efficiare. Hac enim de causa natus, reclinatus est in præsepio, *vt, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur.* Iacebat enim in præsepio, & fulgebat in cælo: lectus erat fœnum ei, cuius est terra & plenitudo eius: clauditur hisce cunis ille, qui cælum & terram implet: alget, & lachrymatur inter bouem & asinum, qui vita, ardor & iubilus est angelorum. Verè S. Bernard. serm. 4. in Vigilia Natiuit. *Pretiosiores*, ait, *panni Saluatoris omni purpura, & gloriosius hoc præsepe auratis regum solijs: ditior denique Christi paupertas cunctis opibus,* *Christi paupertas ditissima.*
C *cunctisq; thesauris sæculi. quid enim humilitate ditius, quid pretiosius inuenitur? qua nimirum regnum cælorum emitur, & diuina gratia acquiritur, sicut scriptum est: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Idem serm. 4. de Natiuitate, *Saluator*, inquit, *cuius est aurum pariter & argentum, sacram in corpore suo dedicat paupertatem.* Ergo, vt canit Poëta:

Est stabulum cælum, sol Christus, lunaq; Virgo,
Bos asinusq; suum stigma Boetis habent.

Denique Christus inter bouem & asinum collocatus, reipsa clamat illud Psaltis psal. 72. 22. *Vt iumentum factus sum apud te*, vt tibi seruiam per omnia & totus, vti iumentū seruit hero: iumentum ergo designat summā Christi humilitatem, obedientiam, resignationem, labores, patientiam; ac
D tandem sacrificium, mortem & martyrium; quòd quasi boue se offerat victimam Deo, iuxta illud Ierem. 11. v. 19. *Ego quasi agnus mansuetus*; vbi Vatabl. Pagninus & alij vertunt, *ego autem sicut agnus & bos.*

Causa tropologica fuit, quam dat S. Chrysost. hom. 1. in Lucam, dicens: *Quare in præsepio? vt compleretur vaticinium Isaiæ Prophetæ, Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Scriptum est in alio loco: Homines & iumenta saluabis Domine. Si homo es, panem comede; animal es, ad præsepe accide.* Et eamdem ferè rationem latiùs persequitur, alias simul insinuans Gregor. Nyssenus orat. de sancta Christi Natiuitate, his verbis: *Porro præsepe, rationis atque sermonis expertium animalium domicilium est: in quo Verbum nascitur, vt bos cognosceret possessorem* *Causa tropolog. præsepis Christi.*

ſuum, & aſinus præſepe domini ſui: bos ſubditus legi, aſinus oneribus portandis deſtinatum animal, quod peccato ſimulacrorum cultus oneratum atque grauatum eſt. At brutis quidem conueniens cibus & victus gramen ac fœnum eſt: Qui producit enim gramen & fœnum pecoribus, inquit Propheta: rationale autem animal pane nutritur. Quamobrem idcirco in præſepio, quod eſt habitaculum brutorum, is qui de cælo deſcendit panis vitæ proponitur, vt etiam bruta, rationali inuicem ſumpto cibo, rationem adipiſcantur. Medius igitur inter bouem & aſinum in præſepio, vtriuſque dominus eſt, vt ſoluto interſtitio ſepis, ambos in ſeſe creet in vnum nouum hominem, & ab hoc graue legis iugum auferat, & illud ſimulacrorum cultus onere leuet. Huc accedit Sophronius Archiep. Conſtant. orat. 1. in Chriſti Natalitia: *Deus*, ait, *in præſepio palàm proponitur, nobiſq; qui & fame tabeſcimus, & iumentorum more nulla penè ratione ducimur, ſeipſum vltrò in cibum exhibet. Ecquis euchobruto illo alimento tamquam diuinis dapibus, diuinaq; charitate prorſus indigno abiecto, in illius diuinitate ſe non oblectet? verè dixerim: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Tripudio, paſtorúmque more exulto, dum voces eiuſmodi planè diuinas audio; & ad præſepe, quod Deum excepit, nec non ad cæleſtem illam ſpecum toto animi impetu raptus, myſterium quod in ipſo latet, coràm conſpicari, atque hymnum illum: Gloria in excelſis Deo, &c. in recèns nati gloriam & honorem depromere ardenter deſidero.*

Idipſum typicè ſignificauit Iob cap. 6. dicens: *Numquid rugiet onager (id eſt aſinus ſilueſtris) cùm habuerit herbam, aut mugiet bos, cùm ante præſepe plenum ſteterit?* Onager enim qui eſt aſinus liber, ſignificat Gentiles exleges ante Chriſtum; bos verò iugo aſſuetus, ſignificat Iudæos legi ſubditos: vtriuſque enim pabulum factus eſt Chriſtus. Audi S. Gregor. verba Iobi explicantem more ſuo myſticè lib. 7. Moral. cap. 4. *Herba onagri & fœnum bouis, eſt hæc ipſa Mediatoris incarnatio per quam ſimul gentilitas & Iudæa ſatiatur. Quia enim per Prophetam dicitur: Omnis caro fœnum; vniuerſitatis conditor ex noſtra ſubſtantia carnem ſumēs, fœnum fieri voluit, ne noſtra in perpetuum caro fœnum remaneret. Tunc ergo herbam onager inuenit, cùm Gentilis populus gratiam diuinæ incarnationis accepit. Tunc bos vacuum præſepe non habuit, cùm plebi Iudaicæ eius carnem exſpectanti lex exhibuit, quem diu prophetatum exſpectauit. Vnde & natus Dominus in præſepi ponitur, vt videlicet ſignaretur, quia ſancta animalia, quæ ieiuna diu apud legem inuenta ſunt, incarnationis eius fœno ſatiarentur. Præſepe enim natus impleuit, qui cibum ſemetipſum mentibus mortalium præbuit, dicens: Qui comedit meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* Rurſum Chriſtus in præſepio iacens, qui, vt ait S. Fulgent. ſerm. 1. de Epiphania. *portatur vt paruulus, adoratur vt Deus; paruulus in præſepio, immenſus in cælo; vilis in pannu, pretioſus in ſtellis*, fecit ſe eſcam & pabulum iumentorum: quia homo per peccatum fecit ſe iumentum, iuxta illud pſalm. 48. 21. *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Nominatim aſinus, cùm ſit animal pigrum, vorax & laſciuum, repræſentat acedos, guloſos & laſciuos, iuxta illud Ezech. 23. 20. *Quorum carnes ſunt vt carnes aſinorum.* Bos ſua indole refert duros, ſtupidos, obſtinatos, ſæuos & ſuperbos.

Symbolicè, præſepium Chriſti inter duo animalia, repræſentat ea quæ ex S. Hieron. Augeb. & alijs paulò antè recenſui, nimirum Primò, raculum inter duos Cherubim: hoc enim erat des Dei. Secundò, thronum Dei Iſaiæ 6. inter duos Seraphim. Tertiò, thronum filij Dei dium inter thronum Patris & thronum Spiritus ſancti. Quartò, crucem Chriſti inter latrones. Quintò, Eccleſiam Chriſti collectam Iudæis & Gentibus. Sextò, Eccleſiam noui & veteris teſtamenti. Séptimò, tabernaculum gloriæ Chriſti inter Moſen & Eliam in Tabor.

Hac de cauſa S. Hieron. Roma in Bethlehem migrauit, vt ad præſepe Chriſti viueret, ad ideóque vocauit S. Paulam, Euſtochium, alias Romanas matronas & virgines nobiliſſimas. Quapropter præſepe Chriſti Romam trāſlatum in baſilica S. Mariæ Maioris conditum magno honore veneramur, æquè ac corpus S. Hieronymi, quod congruè iuxta illud reconditū eſt, ſicut iuxta illud ipſe vixit, ita iuxta illud mortuus quieſcat.

Secundò, aliqui in verſione Septuag. pro accentu penacuto, id eſt animalium, à ζῶον, eſt animal, legunt ζωῶν accentu circumflexo, eſt vitarum, à ζωὴ, id eſt vita, quod reſpondet Hebr. חַיִּים *chaiieha*: quod non tantùm verbum eſt, ſignificans *viuifica illud*; ſed & nomen, ſignificans *vitas eius*. Id ſecuti Euſeb. lib. 6. Demonſt. Euang. cap. 15. Theodor. & Theophyl. ſic vertūt & legunt, *in medio duarum vitarum cognoſcēris*, ſcilicet iniuriarum vltor & vindex, ait Sanctes, quia in vita Nabuchodonoſoris cognoſcēris vindex impiorum Iudæorum; in vita verò Cyri cognoſceris vltor impiorum Chaldæorum. Allegat verò in Chriſto cognoſceris Primò, in medio vitæ diuinæ & humanæ: vtramque enim in ſe complexus eſt Chriſtus, vtpote θεάνθρωπος & ὁμόθεος, id eſt homo Deus. Ita Gregentius Archiepiſcopus Tephrenſis diſput. cum Herbano Iudæo tomo 4. Biblioth. SS. Patrum: *In medio duarum animalium, id eſt*, inquit, *in medio duarum eſſentiarum ſcilicet diuinæ & humanæ ſubſiſtis Chriſtus Deus & homo.* Secundò, in medio vitarum, id eſt annorum & vitæ. Hebr. enim חַיִּים *chaiim*, tantùm vſitatum eſt in numero duali: vnde in eo & ſingularem, & dualem, & pluralem vitam ſignificat. Chriſtus enim paſſus redemit nos anno ætatis & vitæ 34. quæ media eſt ætas vitæ humanæ. Tertiò, in medio vitæ temporalis & æternæ: ab illa enim ad hanc traducit nos Chriſtus, qui nobis factus eſt via, veritas & vita. Quæ in medio, id eſt inter duas vitas, ſcilicet cæleſtem beatam, & infernalem miſeramque in gehenna vtriuſque enim arbiter, iudex, dominus & diſtributor eſt Chriſtus. Vnde Arabicus vertit: *Domine aſpexi ad opera tua, territus autem, vel conturbatus ſum in annis vitæ, & in annis cognoſceris.* ita Euſeb. Theodor. Theophyl. & alij.

In medio annorvm notvm facies, id quod ſequitur, nimirum, quòd, cvm iratvs fveris, misericordiæ recordaberis. Miſericordiam intelligit liberationem è Babylone, & allegoricè redemptionem Chriſti. Hucuſque oratio, id eſt poſtulatio, Habacuc: ſequitur eiuſdem canticum, quo orationem ſuam ſtabilit & firmat.

3. Dei

3. Deus ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan:

Operuit cælos gloria eius: & laudis eius plena est terra.

4. Splendor eius vt lux erit: cornua in manibus eius:

Ibi abscondita est fortitudo eius:

5. ante faciem eius ibit mors.

Et egredietur diabolus ante pedes eius.

6. Stetit, & mensus est terram.

Aspexit, & dissoluit Gentes: & contriti sunt montes sæculi.

Incuruati sunt colles mundi, ab itinere æternitatis eius.

7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

8. Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? aut in mari indignatio tua?

Qui ascendes super equos tuos: & quadrigæ tuæ saluatio.

9. Suscitans suscitabis arcum tuum, iuramenta tribubus quæ locutus es.

10. Fluuios scindes terræ: viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum transijt.

Dedit abyssus vocem suam: altitudo manus suas leuauit.

DEVS AB AVSTRO] Hebr. *Deus de Theman veniet*. Theman enim filius Eliphaz, filij Esau, Gen. 36. nomen dedit regioni Idumææ, ex qua Eliphaz amicus Iob c. 4. 1. cognominatus fuit Themanites: quia, vt Chaldæus ibidem vertit, fuit princeps *Themanorum*. Inde Idumæa vocatur *Theman*, sicut ab Esau vocatur mons Seir, vel Edom. Esau enim quia pilosus, vocatus est Seir; quia rufus, Edom. Id patet Ierem. 49. 7. & 20. Ezech. 25. vbi Theman & Idumæa erat Iudææ ad Austrum: vt patet Iosue 11. 16. sicut Libanus ex adverso erat eidem ad Aquilonem; hinc *Theman* significat Austrum, putà Australem plagam. Sūt qui putant Austrum vocari Theman, id est dextrum, à rad. יָמִין *iamin*, id est dextera (vt tau initiale Theman, sit heemanticum & assititium) vnde in *talmid*, id est discipulus, & *talmud*, id est doctrina: hæc enim deriuantur à rad. לָמַד *lamad*, id est didicit) eò quòd aspicientibus nobis Orientem Auster dexteræ assistat. Hinc S. Hieron. Psal. 88. 12. vbi Septuag. verterunt, *Aquilonem & mare tu fundasti*; quia in Hebræo pro *mare* est *iamin*, id est *dextera*, transtulit, *Aquilonem & dextrũ tu fundasti dextrum*, id est *Austrum*: hic enim opponitur Aquiloni. Dextera ergo mundi pars est Auster, sinistra Aquilo: hinc illa felicitatis & bonorum: hæc infelicitatis & malorum est symbolum. Quocirca Deus & Christus congruè hîc ab Austro & dextro venire dicitur, quia venit vt salutem bonaque omnia afferat, quasi verus Beniamin, id est filius dexteræ, fortis, felix, salutifer, ac omnia fortificans, fortunans & beãs. Auster enim calidus, vitam, salutem & omne bonum affert: Aquilo verò frigidus & rigidus, mortem & omne malum. Nam *ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ*, Ierem. 1. 14. Romæ tamen & in Italia Auster est turbidus, noxius & pestifer, Aquilo verò salutifer. vnde Horat. libr. 2. epist. 2.

Non agimur tumidis velis Aquilone secundo:
Non tamen aduersis ætatem ducimus Austris.

hoc est, nec in summa sumus prosperitate, nec in summa calamitate.

Alludit Habacuc ad Deut. 33. 2. *Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis* (id est ab Austro: tam enim Sina, quàm Seir, siue Theman, erant Australes Iudææ) *apparuit de monte Pharan, & cum eo Sanctorum millia*. Loquitur Moses de lege data à Deo sibi in Sina, deque columna ignis & nubis, qua se Deus Hebræis ostendebat, iterque per desertum præibat in Chanaan. Idem beneficium celebrat Psaltes psalm. 67. 8. & Debora Iudic. 5. 4. Porrò per Austrum intelligit desertum Arabiæ, in quo siti erant montes Sina, Pharan & Seir, siue Idumææ: hæc enim loca omnia erant ad Austrũ Iudææ. Sēsus ergo est q. d. Deus qui olim patribus nostris exeuntibus ex Ægypto, & peregrinantibus per deserta Arabiæ in nube se ostendit, dum sensim è montibus Seir & Pharan velut emergens, suamque maiestatem per columnam ignis & nubis, perque prodigia ostendens, nos deduxit in Sina: vbi cum fulguribus, tonitruis & terræ motu legem dedit, indeque per mille pericula saluos deduxit in Chanaan: idem se suamque præsentiam & opem ostendet nobis in Babylone. Nam ab Austro, putà à Perside & Media, quæ Australes sunt Chaldææ, adducet Cyrum & Darium, qui Babylonem vastent, indeque nos liberent, vt in patriam Deo duce & protectore, per tot hostes & pericula, salui & incolumes redeamus. Idem Deus manifestissimè se ostendet, nobisque facie ad faciem apparebit, cùm fiet homo: ille inquam, qui in montibus Seir, Pharan & Sina olim patribus apparuit, nec postea visus est, sed ibi quasi delituit, vt in plenitudine temporis se clarè in Christo reuelaret. vnde

Allegor. Sina, vbi data fuit lex vetus, typũ gessit Sionis, in qua data est lex noua in Pentecoste: Seir, vbi erectus est æneus serpens, cuius aspectu sanabantur Hebræi morsi à serpentibus, Num. 21. 4. & 6. typum gessit crucis Christi, cuius fide à morsu omni peccati, concupiscentiæ & diaboli sanamur: Pharan, vbi à Mose designati 70. iudices, impleti sunt Spiritu sancto Numer. 11. 15. typum gessit missionis Spiritus sancti in Apostolos. Vide dicta Deut. 33. 2.

Hinc rursum S. Hieron. Theodor & Theoph. hunc locum de incarnatione Christi exponunt, hoc modo: *Dominus ab Austro veniet*, id est à Bethlehem, quæ ad Austrum est respectu Hierosolymæ: quia in Bethlehem nascetur. Rursum *ab Austro*, id est, ex calore charitatis, nimirũ effundens viscera misericordiæ suæ, quibus visitauit nos oriens ex alto. Auster enim ventus est calidus, vitalis & fœcundus, qui plantas vegetat fertilesq; efficit. Auster ergo, id est charitas, fecit eum incarnari, *de Pharan*, id est de ore aspicientis: prodijt enim ipse ex ore Altissimi aspicientis & miserantis ærumnas & funera hominum. Vnde Septuag. vertunt, *Deus de Theman veniet, & sanctus*

Auster mystice quid

ctus de monte vmbroso & condenso. Vbi per montem vmbrosum & condensum Theophyl. & Euthym. accipiunt B. Virginem Deiparam, quæ quasi mons virtutum cæteris Sanctis excelsior, obumbratione Spiritus sancti concepit & peperit Christum, iuxta illud Gabrielis promissum: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi, ideoq; quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei.* Alij, vt Theodor. accipiunt Hierosolymam & Synagogam, quæ erat sub vmbra, id est protectione, Dei, quę- A
que erat vmbra & typus claritatis & gloriæ Dei, quam ipse in Christo aperta quasi nube reuelauit & expandit.

Symbolicè S. August. libr. 18. de Ciuit. cap. 32. per montem vmbrosum accipit, *Scripturarum altitudinem, quibus*, inquit ipse, *prophetatus est Christus. Multa quippe ibi vmbrosa atque condensa sunt, quæ mentem quærentis exerceant. Inde autem venit; cui ibi eum, qui intelligit, inuenit.* Et S. Gregor. lib. 33. Moral. c. 1. *Deus*, inquit, *à Libano veniet, & sanctus de monte vmbroso & condenso. Qui enim venturum* B
per Testamenti sui paginas spopondit, quasi inde venit, vnde velut sub promissione se tenuit. Quod videlicet Testamentum benè mons vmbrosus & condensus dicitur, quia sptssu allegoriarum obscuritatibus opacatur.

S. Hieron. verò per montem vmbrosum, accipit Dęum Patrem, qui lucem habitat inaccessibilem, ac maiestate sua quasi vmbra omnia protegit: ex Patre enim processit, & venit ad nos Filius. Vel cælum, quod terram obumbrat & tegit, quodque est quasi paradisus arboribus pulcherrimis, id est virtutibus, angelis & Sanctis, vmbrosus & densus. Ex cælo enim descendit ad nos C
Filius, quasi è monte beatitudinis & gloriæ ad vallem ærumnarum.

Denique Septuag. vertunt, *Deus ab Africo veniet, & sanctus de monte vmbroso:* quibus verbis abutebantur Donatistæ, quasi Propheta hìc eorum sectam & Ecclesiam denotasset: hæc enim cœpit in Africa, quam ipsi censebant eamdem esse cum Africo Ridet hoc S. August. lib. de Pastoribus c. 15. & 16. vbi per Africum accipit Ierusalem, quæ sita est ad Africum; & per montem vmbrosum accipit montem Oliueti: inde enim Christus misit Apostolos ad prædicandum Euangelium per totum orbem. ita ipse mysticè.

Anagog. *Pharan*, id est, *os videntis*, symbolum est cæli, vbi Deus Beatis se videndum fruendum exhibet. Rursum *Pharan* deduci potest à פְּאֵר *peer*, id est decus, gloria, magnificentia, quæ est in cælo: vbi pariter est locus vmbrosus D
& condensus, putà amœnissimus: vbi quoque Deus sua secreta & occulta iudicia, quæ nobis hìc vmbrosa & obscura sunt, suis reuelabit, ait Rupert.

Sela *quid?* Nota In Hebræo additur *selah*, quæ vox tantùm in hoc cantico, & in Psalmis reperitur. Vnde videtur esse nota cantus & melodiæ, ad vocẽ vel eleuandam, vel producendam, vt scilicet cãtores illi versiculo cui additur *selah*, ob rei grauitatem diutiùs vel contentiùs canendo insisterent, vel interquiescerent quasi meditabundi: radix enim *sala* significat calcare, vrgere, insistere; *salal* verò attollere, eleuare. *Selah* ergo idem est quod contentio & eleuatio, scilicet vocis ad excitandos audientes, vt rei quæ canitur, quasi miræ, graui & sublimi, aut festiuæ attendãt, illam admirentur, meditentur, illi applaudant, ei ouantes, vel vt stupentes, vel vt gratulantes enim est nota nunc optantis, nunc affirmantis applaudentis & confirmantis. Hinc Aquila *selah* vertit, *semper*; Quinta editio, *iugiter*, *finem*; Chald. *in saculum*, scilicet *est*, aut *fiat* quod canitur. Hinc & Hebræi in suis epitaphiis defunctis apprecantur dicendo: *Sit anima eius paradiso. Amen, amen; selah*, id est semper, in finem æternitatem. Septuag. verò, Symmachus, Theodot. *selah* vertunt διάψαλμα, q.d. Cœlenæ interruptionem, vel potiùs immutationem ait S. Hieron. loco citato. Quare errant qui per id est *semper*, referunt ad sequentia hoc modo: *Semper scindes fluuios terra.* Nam, vt ait S. Hieron. epist. 138. ad Marcellam, *vt solemus nos cæteris opusculis, ad distinctionem rei alterius sequentis, vidium interponere, Explicit, aut Feliciter, aut aliquid eiusmodi; ita & Hebræi, vt quæ scripta sunt relegantur, facere solent, vt dicant, Amen, aut, in sempiternum; aut scribenda commemorant, vt ponant ea, aut transacta felicitate protestantur, pacem in vita subnotantes.* Et paulò antè: *Ex quo animaduertimus hoc verbum Selah, superiora pariter inferaque connectere, aut certè docere sempiterna esse dicta sunt.*

Sensus ergo est q. d. *Deus ab Austro veniet & sanctus de monte Pharan; Selah.* q. d. Attendite, expendite, stupete, celebrate iugiter hanc Dei excelsi in nos dignationem & beneficentiam, quod eius maiestas nobis se ostendere dignata est, & nostra se carne vestire, vt nobis fieret frater, redemptor & saluator. Aliqui apud S. Hieron. exponunt *Sela* q. d. *Ipse qui natus est in Bethlehem & qui in Sina, id est in monte Pharan, legem dat semper in vniuersis beneficijs, præteritis, præsentibus & futuris, auctor est & largitor.* Valdè probabile est quod S. Chrysost. Nyssen. & alij mox citati censent, *selah* insinuare insignem aliquem affectum, quo psallens, v. g. Dauid, pro mouente spiritu afficeretur: qui quia in potestate nostra non est, non in omni psalmo, neque in omni versu nobis haberi potest; sed prout Spiritus sanctus mouet cor, & affectus hosce ei suggerit: & hanc esse causam cur in psalmis, tam confusè ac sine vllam quam assequamur rationem, *selah* passim inueniatur; alibi verò, vbi illustriores videntur sententiæ, omittatur. Porrò *selah* ter hoc cantico reperitur, in Psalmis verò septuagies semel, pro quo Septuag. vbique vertunt διάψαλμα, quod Suidas interpretatur vicissitudinem cantûs, alij commutationem metri, alij pausationem spiritus, alij alterius sententiæ exordium, alij rhythmi distinctionem, alij verò cuiusdam musicæ varietatis silentium esse dixerunt. Vndequaque *selah* ad verbum non significare *semper* recte probat Burgensis, sed esse dumtaxat musicarminis & musices, ideoque *selah* non translit Noster interpres. Septuag. verò transtulerunt διάψαλμα. Sed quæ & qualis hæc nota fuerit nemo veterum expressit. vnde nihil hìc certi referre possumus. Quocirca Patres & interpretes in varias hìc abeunt sententias & coniecturas. Nam Primò, Marinus in Lexico, censet signum fuisse altioris vocis in cantu, quò cum peruenerant, pulsabant tantùm organa, & deferè semper, inquit, ponitur in psalmis illis, qui nomine מִזְמוֹר *mizmor*, id est cantiones &

rsus canendæ, prænotantur. Insuper *selah* A gloriosus ab Austro veniens, olim gloriam suam
ad implendi metri defectum, & carmen explet; sicut tum in cælo, tum in terra ostendit, vt meritò
Græci in carmine deficiente aliqua syllaba, vel eam admirantes laudibus celebrarint cælites &
dictionem supplent addendo δὲ, δὲ, μὴν, γὲ, aliasque terrigenæ, præsertim Iudæi in Sina & deserto,
particulas encliticas. Ita ipse. cùm viderunt fulgura, tonitrua, ignem, fumum
Secundò, Eugubin. in psalm. 3. ait, *selah* esse in Sina, quibus gloria Dei cælum, id est aërem,
idem quod certè, profectò, semper, vt vertit S. complere & operire videbatur. Rursum, cùm è
Hieron. cum vocis exaggeratione; quale est Amen, cælo eis dedit manna continuum, & coturni-
id est fiat: qui & addit, se suspicari Septuag. ces, Exod. 16. item columnam ignis & nubis,
omisisse Hebr. *selah*, sed scriptores per imperi- aliaque portenta plurima. ita Chald. Arias, Cla-
tiam pro eo posuisse diapsalma. Sed hoc non vi- rius & Iansen. Simili modo maiestas eius suam
detur probabile. gloriam, id est gloriosam potentiam, vindictam
Tertiò, Nyssenus in Psal. tract. 2. c. 10. ait, Διάψαλμα & misericordiam, ostendet, cùm Babylonem,
esse cessationem & quietem derepentè inter psal- eiusque monarchiam per Cyrum exscindet, nos-
lendum factam, ad receptionem diuinæ missæ illu- que ex eius captiuitate liberabit, ait Albert. &
strationis. S. Hieron. epist. 136. videtur negare Lyran.
selah esse notam silentij: Quia, inquit, ponitur Allegor. id factum est in Christi tum natiui- B
aliquando in fine psalmorum. Sed ad hoc respon- tate, ait S. Hieron. gloriosa enim Dei sapientia,
deri & dici posset, fini vnius psalmi succedisse potentia & bonitas cælum & terram complcuit,
initium alterius: *selah* autem poni in fine psalmi, cùm Verbum caro factum, hominem Deo, &
vt ibi mens interquiescat, & rei quæ canitur cælum terræ vniuit. Vnde meritò in ea cecine-
immoretur. runt angeli: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax*
Quartò, alij censent *selah* denotare, ab altero *hominibus bonæ voluntatis.* Tum in eius glorioſa
choro eandem versiculum esse canendum. Vn- doctrina, vita & miraculis, ac præsertim in glo-
de vetter Lorinus in psal. 3. 3. putat *selah* gemina- riosa eius resurrectione & ascensione ad cælu. ita
tionem cantus innuere, à rad. סָלַל *salal*, id est a- Theodor. & Theoph. Simili modo Psaltes psalm.
cumulare, aggerere. 56. 12. Dei immensam gloriam celebrat dicens:
Quintò, S. Chrysost. Præfat. in Psalmos: Mu- *Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram*
tatione facta, inquit, musici carminis, aut rhyth- *gloria tua.* Et Isaias c. 6 3. vidit Seraphinos Deo
mi, vel sententiæ variatione, diapsalma scripse- acclamãtes: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus*
runt interpretes, vt vir sapientissimus Hippoly- *exercituum: plena est omnis terra gloria eius.* Et E-
tus ait. zechiel c. 1. vidit currum Cherubicum maiestatis
Sextò, Euseb. in psal. 4. censet Διάψαλμα esse & gloriæ Dei, quatuor rotis per totum orbem
signum cessationis, vt scilicet Spiritu sancto insi- celerrimè quaquauersum agitari.
stente in alterum Prophetam, prior cessaret & SPLENDOR EIVS VT LVX ERIT] q. d. Claritas & VERS. 4.
succederet que alteri locum, iuxta præceptum splendor Dei in Sina fuit quasi lux solis terram
Apostoli 1. Corinth. 14. illustrans: apparuit enim in igne maximo. Vnde
Septimò, Agellius Præfatione in Psalmos in Deut. 32. 2. de eo dicitur: *In dextera eius ignea lex.*
fine, censet hac voce significari mutationem Vide ibi dicta. ita Chald. & alij iam citati. Alle-
chori totius. cùm cantorum Præfectus in medio gor. nascente Christo angelus pastoribus eum
psalmi partem reliquam alteri choro canendam annunciauit, *& claritas Dei circumfulsit illos*, Luc.
subdidisset. itaque illam in psallendo successio- 2. 9. Similiter omnibus virtutibus splenduit vita,
nis cantorum, Διάψαλμα fuisse appellatam. nam passio, mors & resurrectio Christi, quibus totum
ipsa vox Διὰ interruptionem & vicissitudinem orbem illuminauit. Vnde S. August. l. 18. Ciuit. 32.
silentium significat, & simul vbi hæc vicissitu- sic ait: *Splendor eius vt lux erit, quid est, nisi fama eius*
do fiebat, altera in psalmo ipso quoque sententia *credentes illuminabit?* Chald. vertit, *porrò splendor*
succedit; sicuti fit dum finita vna periodo sequi- *eius vt splendor primigenius apparuit.*
tur altera. & verisimile est nouæ sententiæ nouũ CORNVA IN MANIBVS EIVS] Hebr. *cornua è* *Cornua Dei*
quoque concentum accommodari solitum. vt hæc *manu eius ipsi.* q. d. In manu habet cornua, quæ *quadrupli-*
omnia simul omnia in diapsalmate inueniri neces- ipsi sunt robur, vt ea in hostes exserens, illos ijs *cia.*
se sit, cantorum scilicet, concentus, & sententiæ configat. Quæres, quænam hæc cornua Dei? Pri- *Primum.*
mutationem. Omnes hæ sententiæ in eo conue- D mò, Vatab. Mariana & Iansen. accipiunt cornua,
niunt, quòd Διάψαλμα iuxta sui etymon, deno- id est radios lucis, quos Deus dans legem Mosi,
tet mutationem aliquam carminis & cantus. ei afflauit & quasi affixit in Sina, vt suam poten-
Eandem ergo denotat *selah*: pro eo enim Sep- tiam & terribilem vindictam Hebræis ostenta-
tuag. & alij verterũt, διάψαλμα. Porrò si ex ety- ret, ne legem ab eo datam violare auderent; vt
mo *selah* conijcere licet, mutatio hæc fiebat vel Moses hîc vocetur manus, id est instrumentum
eleuando, vel contendẽdo, vel continuando vo- & mediator Dei legislatoris, vibrans radios lucis,
cem. Radix enim *sala* significat aggerare, calcare, qui cornua vocãtur ob radiorum pyramidalem
tollere: & hoc ipsum significare voluerunt alij & tortuosam figuram, qualem habent cornua.
interpretes, dum vertunt *semper*, vti initio dixi. Et hinc Poëtas Vulcanum ignis & lucis præsi-
Quæres Genebrard. in psal. 3. & alij multi asse- dem, claudum finxisse, ait Gucuara. Vnde Syrus
runt, *Selah* signum esse non tantùm concentus vertit, *splendor eius vt lux erit, & in cornibus ma-*
musici, sed & exclamationis & attentionis, vt *nuum eius*, scilicet est ille splendor & lux.
mens & cogitatio excitetur ad id quod canitur Secundò, alij meliùs accipiunt radios lucis, *Secundum.*
prædicandum & ponderandum. quos ex se suisque tabulis legis, quas dabat Mosi
OBTEGIT CAELOS GLORIA EIVS] Septuag. δύ- & Hebræis, vibrabat Deus. Vnde Vatabl. & Pa-
ναμις, id est virtus, siue potentia eius. q. d. Ille gnin. vertunt, *splendores de manu eius fuerunt ei*; &
Chald.

Chald. *scintillæ à quadriga gloriæ eius prodierunt.* A Tabulæ enim legis ignitæ radios longè eiaculabantur. Vnde Deut.32.2.vocatur *ignea lex.Cornua* ergo *in manibus eius*, idem est cum eo quod præcessit:*Splendor eius vt lux erit.* In hoc enim lucis & splendoris apparatu, quasi in quodam tentorio & vmbraculo, Dei maiestas,vis & fortitudo latuit,& sese velauit ac abscondit, vt eam videre Iudæi non possent, sed admirari & adorare. Igneæ enim tabulæ in manibus Dei, radios pyramidales instar cornuum vibrantes, significabant cornua & arma Dei esse ignē;hoc est esse ignea, efficacissima & penetrantissima,quæ in legis violatores vibraturus esset. Huic expositioni fauet versio Syriaca,quam paulò antè recitaui.

Tertium. Tertiò, Gueuara per cornua Dei accipit diabolum & mortem. Vnde Propheta hæc cornua explicās,inquit,subijcit: *Ante faciem eius ibit mors,* B *& egredietur diabolus ante pedes eius.* q d.Deus per diabolum & mortem, quasi per duo cornua, in Chananæos, pro Iudæispugnans,irruit, eosque occidit, protriuit & expulit. Diabolus enim & mors sunt vasa, id est instrumenta, fortissima interfectionis Deo, vt ait Ezechiel c.9.1. & quasi narthecia fortitudinis eius.

Quartum. Quartò,planissimè per cornua accipias robur, vires & arma Dei: horū enim symbola sunt cornua.Alludit enim ad Deut.33.17. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius: cornua rhinocerotis cornua illius:in ipsis ventilabimus gentes.*Et psal.43.6.*In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* Hinc tollere cornua,est animo efferri,vt psalm.74.5.*Dixi iniquis: Nolite iniquè agere; & delinquentibus: Nolite exaltare cornu, nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem.* Simile est illud Poëtæ:

Namque in malos acerrimus, parata tollo cornua.

Sensus est, q.d.Deus post datam legem in Sina, vt eam suumque populum tueretur, instar tauri fortis & ferocis assumpsit & exseruit robur suū, vires & arma, quasi fortissima cornua, quibus angelus Hebræorum dux per desertum instructus,ab eis mortem & dæmonem repulit, eaque in Chananæos immisit, eosq; dispердidit, ac pro eis in eorū terra collocauit & substituit Hebræos. Simili modo Deus Chaldæos per Cyrum & Darium,quasi per duo sua cornua, perq; eorum arcus,cornuum speciem habentes,configet & disperdet, pro Iudæis suis liberandis, inquit Albert.Hugo & Lyran.

Allegor.cornua Christi sunt cornua crucis. Mysticè, cornua Christi est crux, seu fortitudo crucis, qua superauit dæmones omnesq; hostes, ita vt ante currum suum triumphalem victos in triumphum ducat mortem & diabolum. Hinc Christus factus est nobis cornu salutis, vt canit Zacharias Lucæ 1.69.ita S.Hieron.Theophyl.Rupert.Haymo, Ribera, Emmanuel hic, & S.August.loco iam citato, Euseb.l.6.Demonstrat. Euangel.c.15.S.Cyprian.libr.2. contra Iudæos c.21.Cornua ergo crucis fuerunt cornua & arma Christi, quibus confregit suos nostrosque inimicos.Iam licet propriè manus Christi fuerunt in cruce eiusque cornibus, tamen vicissim crux eiusque cornua fuerunt in manibus Christi:tum quia claui crucis fuerunt in manibus Christi:tum quia crucis distentio & cruciatus fuit in manibus Christi: tum quia cornua, id est robur Christi,fuit in manibus eius crucifixis,hisce enim solu-

uit lytrum pro peccatis nostris,nobisque meruit gratiam & salutem: tum denique per hypallagen Hebræis vsitatam, cornua crucis fuerunt in manibus, quia manus fuere in cornibus crucis. Sic calceamenta dicuntur esse in pedibus, id est pedes in calceamentis,Exodi 12.11.Sic Poeta ait: *Perflauit fistula buccas*, pro *perflauit bucca fistulam.* Vnde Arabicus vertit, *in ciuitate manuum suarum posuit fortitudinem suam in templo.*

Tropol.hæc cornua fuerunt patientia, humilitas, cæteræque virtutes Christi, sed præsertim incensa,inuicta & fortissima eius charitas,amoque in Deum & homines, quæ eum ad crucem & mortem adegit. Hisce amoris sui telis vulnerauit corda primorum Christianorum, præsertim Martyrum,vt S.Stephani,S.Pauli, S.Iohannis,S.Ignatij,S.Laurentij, &c. eaque ad se redamandum, ac vitam pro vita reddendam coegit & accendit, vt desiderio insatiabili martyrij & patiendi plurima pro Christo arderent. Vnde Septuag.vertunt, *cornua in manibus eius,& posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ.* Nimirum ideirco, ait S.Hieron. *Deus pater operuit cælos gloria, & terram repleuit laude, & cornua,id est regnum, posuit in manu filij sui, vt faceret dilectum suum ab hominibus diligi,non leuiter, sed in virtute*, id est vehementer & fortiter. Fortis enim sicut mors fuit eius in nos dilectio, dura sicut infernus æmulatio, quæ proinde fortes & validas amoris sui sagittas, vtpote igneas,in nos iacit, quibus mentes nostras sauciat & penetrat, vt quasi cerui iaculo amoris eius confixi, per cruces, per tela, per hostes & ignes post eum curramus,dicentes cum C Paulo: *Quis nos separabit à charitate Christi?tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum?an persecutio? an gladius?* &c. Hæc fuerunt cornua S.Stephani, quibus Paulum alioqui confixit & Christo subiugauit. Audi S.Fulgentium serm.de S.Stephano.*Stephanus vt nomini sui cornua meruisset accipere, charitatem pro arma habebat, & per ipsam vbique vincebat. Per charitatem, Dei sæuientibus Iudæis non cessit: per charitatem paximi,pro lapidantibus intercessit. Per charitatem orabat errantes, vt corrigentur: per charitatem pro lapidantibus orabat,ne punirentur: charitate vtique subnixus vicit Saulum crudeliter sæuientem, & quem habebat in terra persecutorem, in cælo meruit habere consortem.*

IBI ABSCONDITA EST FORTITVDO EIVS. Pagnin.*ibi fuit absconsio fortitudinis eius*; Tigurina, *illic latibulum fortitudinis eius*; Vatabl. *ibi fuit reuelata & detecta fortitudo eius, quæ prius erat abscondita. Ibi*,scilicet tum in splendore,tum in cornibus & manibus; id est potentibus suis operibus per Mosen & Iosue editis, Deus latens abscondebat se suamque maiestatem & fortitudinem: pariqúe modo eam abscondet in expugnatione Babylonis, & liberatione Iudæorum per Cyrum. In Cyro enim erat fortitudo Dei abscondita, ait Albertus. Allegor. in incarnatæ humanitatis, passionis & crucis Christi abscondita fuit eius maiestas,diuinitas & fortitudo omnipotentia. Vnde eam exserens in passione, totam terram ingenti terræ motu concussit, saxa & rupes dissecuit, solem & lunam obscurauit. Septuag.vt dixi,vertunt, *posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ*, id est *per fortitudinem suam.* Pater *per Filium suum*, inquit Cyrill. in Comm.

A

...ut alij, q.d. Dum Christus natus & passus ...nobis, ostendit nobis robustum suum a-...rem. Passus enim est non ex infirmitate, sed ...ma fortique dilectione; ita vt fortitudo e-...tur robur fuerit dilectio, ac vicissim dilectio illi ...ret robur & fortitudo ad omnes labores, do-...res & cruces fortiter superandas. ita Theodor. & Theophyl. Aut, vt alij, q.d. Posuit dilectionem ...ndem fortitudinis suæ, hoc est, iuxta mensu-...am immensi amoris, admensus est Deus Pater ...ae potentiæ suæ vim, quam tum ad eius ago-...es, labores & dolores immensos generosè susti-...endos, tum ad eius exaltationem & gloriam im-...ensam, in resurrectione & ascensione in cæ-...lum ostendendam adhiberet & exercret. Vbi e-...nim amor est machina, quanta sperari potest ele-...atio ponderum, etiam maximorum? Omnis e-...nim ponderis pondus & libramentum est amor. Ait S. August. *Amor meus pondus meum, eò feror quocunque feror. Nam velut amores corporum*, ait ...lib. 11. de Ciuit. cap. 28. *momenta sunt pondera, siue deorsum grauitate, siue sursum leuitate nitantur. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur quocunque fertur.* Et S. Gregor. *Machina mundi est vis amoris, quæ dum hanc à mundo extrahit, in alta sustollit.* Et S. Bernard. *Labor meus vix horæ, & si maioris moræ, non sentio præ amore.* Christus amoris pondere superauit omne ...ionis & crucis pondus, adeò constanter, vt ...ei pœ leuitate non videretur sentire. Rursum, ...ndus amoris quo in eum ferebatur & deprime-...bat Pater, tantum erat, vt æternum & diuinũ ...ius pondus, quod illi resurgenti & ascendenti ...dit præ eius amore, & præ Filij meritis, leue & ...ugum ei videretur.

B

C

ANTE FACIEM EIVS IBIT MORS] Hebr. דֶּבֶר id est pestis, & inde consequens mors. ita A-...la, Symmachus, Quinta editio, Noster, Pagnin. ...gnina, Clarius, Arias & Vatab. Verùm Se-...ag. & Theodot. alijs punctis legẽtes דָּבָר *dabar*, ...dit verbum, vertunt, *ante faciem eius ibit verbum*, ...i scilicet iubebit hostes occidi. Loquitur de ...ede & strage quam Deus immisit Chananæis, ...os attriuit, vt venientes Hebræi in Chanaan, ...acilè occuparẽt, iuxta id quod promiserat per ...ses Exodi 23. 27. *Terrorem meum mittã in præ-...ium tuum, & occidam omnem populum ad quem ...ueneris, &c. mittens crabrones priùs, qui fugabunt ...æum, & Chananæum, & Hethæum, antequam in-...as.* idque reipsa Deum præstitisse, patet Iosue ...24. 12. Similes plagas præmisisse Deum in Chal-...eos vt à Cyro facilè vincerentur, docet Lyran.

D

Allegor. Christus sua cruce & morte debellauit ...undum & diabolum, eosque quasi ante se in ...triumphum duxit, vti docet Apostolus Colos. 2. ...præsertim cùm per Apostolos diabolum ex ...regno & idolis, æquè ac ex mentibus hominum ...ejecit.

EGREDIETVR DIABOLVS ANTE PEDES EIVS] Pro ...diabolus hebr. est רֶשֶׁף *resceph*, quod significat om-...ne id quod instar auis volando adurit, & adu-...rendo volat, vt fulgetra, scintillas, sagittas ignitas: ...& significat diabolũ, de quo ait Christus Luc. ...10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* ...Hic enim quasi fulgur in terra omnia afflat, ...uastat, omnemque quam potest noxam ...hominibus affert. Quo circa Homerus & Genti-les ex hoc Luciferi casu finxerunt deam Atem, id est noxam, quæ à Ioue cælo deturbata in terra vires suas exserat, omnibusque noceat: illam enim homines vniuersis malis implicare, mentes seducere ac perturbare. ita Vilalpando Ezech. 28. 23. Vide quæ de *resceph*, dixi Deuter. 32. 24. Significat ergo Habacuc, quòd Deus per diabolũ & angelos malos, vt ait Psaltes psal. 77. 49. fulgetra, pestes, sagittas igneas, &c. in Chananæos immiserit ante ingressum Hebræorum in Chanaan, quibus eos protriuit & disperdidit. Vnde Tigurina vertit, *faciẽ eius antecedit lues, & egressa est deflagratio ad pedes eius*; Chald. verò, *ab eius conspectu emissus est angelus mortis, & prodijt in flamma ignis verbũ eius*; alius, qui citatur in editione Rom. Septuag. *ante faciem eius præcedet ruina, & ad pedes eius sequentur maxima volatilium*; Syrus & Arabicus Antioch. *exibit volucris* (auis) *ad pedem eius*, vel *ad ouile eius*, vel *ad transmigrationem eius*; Arabicus Alexandr. *verbum incedet coram eo: egressus est autem in agros; sequentur verò illum volucres.*

Alleg. S. Hier. hoc refert ad diabolum tentantem Christum in deserto, qui ab eo victus turpiter aufugit. Pleniùs id referas ad totam vitam & mortem Christi ac Apostolorum: hisce enim sensim prostratus & eiectus è mundi regno est diabolus.

STETIT] Non diabolus, sed Deus victor mortis & diaboli. q. d Deus post longam cum Hebræis peregrinationem per desertum, multaque bella & discrimina, victor ingressus in Chanaan, ibi in tabernaculo & arca fœderis constitit in Galgalis, Iosue 4. 19. ac terram promissam per Iosue cap. 15. dimensus, æqua sorte distribuit inter duodecim tribus Israel, cùm priùs solo quasi aspectu & minaci vultu dissoluisset & perdidisset gentes Chananæorum, eorumque reges & principes, qui giganteo robore, magnitudine & multitudine militum, quasi montes quidã firmi, æterni & inexpugnabiles esse videbantur, ac per multa sæcula regiones illas inuicti possederant: sed æternitas Dei, putà Deus æternus sedens in propitiatorio & arca inter Cherubim, certis, securis & victricibus itineribus deducens populum Israel, per hostes hosce suos victor incedens, eos incruauit, contriuit atq; comminuit. Simili modo Deus per Cyrum expugnata Babylone, in ea quasi victor constitit, indeque subiectas Babyloni regiones dimensus, inter principes Cyri distribuit, profligatis omnibus qui Chaldæorum partes propugnabant. ita Albert. Lyran. & Hugo. Vnde Syrus vertit, *ipsius sunt inceßiones* (itinera) *quæ à sæculo; gressus, & gressuum vestigia*; Arabicus Antioch. *infirmati sunt colles qui sunt à sæculo: illi perseuerantia quæ est à sæculo*; Arabicus Alexandr. *contritæ sunt valles in fortitudine eius, & laxati sunt colles in perpetuum: egreßiones eius à sæculis æternis.*

VERS. 6.

Alleg. Christus æternus omnes gentes Apostolis dimetiens & distribuens, vti S. Iohanni Asiam, S. Matthæo Æthiopiam, S. Andreæ Achaiam, S. Thomæ Indiam, &c. eas omnes sibi suæque fidei subiecit, idque dum cognoscerent & admirarentur itinera æternitatis eius immensa, quæ ipse hominum causa confecit, vt è cælo & æternitate ad terram tempusque nostrum, factus homo descenderet: nam *egressus eius à diebus æternitatis*, ait Michæas c. 5. 2. Audi S. Au-

gust.

gust. lib. 18. de Ciuit. c. 32. explicantem versionem Septuag. *Stetit & terra commota est: quid est, nisi quòd stetit ad subueniendum, & terra commota est ad credendum? Respexit & tabuerunt gentes, hoc est, misertus est & fecit populos pœnitentes. Contriti sunt montes violentia, hoc est, vim facientibus miraculis elatorum contrita est superbia. Defluxerũt colles æternales, hoc est, humiliati sunt ad tempus, vt erigerentur in æternum. Ingressus æternos eius pro laboribus vidi, hoc est, non sine mercede æternitatis laborem charitatis aspexi.* A

Itinera æternitatis Dei quæ? Primò.

Quæres, quænam ad literam sint itinera æternitatis? Primò, Vatabl. per hæc itinera intelligit motus orbium cælestium: hi enim sunt constantes & quasi æterni. q. d. Deus non solùm gubernat colles sæculi, id est homines potentes, & mundum hunc inferiorem, sed & itinera æternitatis, id est mundum superiorem orbesque & motus cælestes. Multi enim Gentiles putarunt regna & res humanas à stellis regi, hocque esse fatum. Ex quo, ait Arias, regum & principũ fastidiosa insolentia ortum habuit, vt se cæterorũ dominos natura & fato esse crederent, & tamquam montes quosdam & colles, cæteris mortalibus se principes cælesti quodam iure constitutos. quo dementiæ morbo vtinam Christiani principes non teneantur! Nuper quidam primarius rogatus, cur tali calculum ad principatum dedisset, respondit: *Sic erat in fatis.* Cui argutè alter: *Imò sic erat in fatuis.* Error hic est certus: nã cæli & stellarum nulla est vis ad regna & imperia, sed ea consignantur ex solo Dei consilio & voluntate, qui pro arbitrio hunc humiliat, illum exaltat, & regna ab vno ad alium transfert. *Domini* enim *sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem*, vt canit Anna 1. Reg. 2. B C

Secundò.

Secundò, Hebr. עוֹלָם *olam* significat sæculum & mundũ. Vnde sic planè & clarè vertas, *incuruati sunt à Deo colles olam*, id est mundi & sæculi, quia itinera, id est successiones & vicissitudines *olam*, id est mundi & sæculi, eius sunt. Quocirca Chald. vertit, *potestas sæculi illius est.* q. d. Deus incuruat colles, id est principes solio suo deijcit, alioque substituit, quia ipse præest mundo & sæculo, eiusque itinera, id est ordinem, gyrationem, motus & vicissitudines moderatur, regit & distribuit ad libitum.

Tertiò.

Tertiò, *olam* Septuag. & Noster vertunt, *æternitatem.* radix enim עָלַם *alam*, significat abscõdere: inde *olam* vocatur æternitas, cuius duratio & finis est absconditus & impenetrabilis: quia æternitas est duratio immensa quæ nullum habet terminum. q. d. Colles olam, id est æternitatis, putà principes Chananæi, qui iactabant se ab omni æuo & sæculo Chananæam possedisse, ac in omne æuum possessuros, incuruati, loco & regno moti, depressi & contriti sunt à Deo, qui illis lõgè est antiquior, ac prior Chananæam possedit: quia ipsi soli substant itinera æternitatis, id est omnium temporum & sæculorũ vicissitudines, volubilitates & series, quæ sub ipsius æternitate per partes, quasi per varias vias & itinera decurrunt, transeunt & perambulant (vnde Hebr. הֲלִיכוֹת *halichot*, quod Noster vertit, *itinera*, propriè vertas, *perambulationes* vel *trãsitus*) ipse enim est rex sæculorum, præses temporum, dominus, &, vt Syri loquuntur, *gigas æternitatis.* Vnde Pagninus vertit, *incuruauerunt se colles longi temporis ab itineribus sæculi eius.* Æternitas enim Dei est fons, origo & causa omnium temporum & sæculorum: hæc enim ab illa emanant & oriuntur, sicut radius à sole, sicut aqua ex fonte, sicut scintilla ex igne. Quare sicut varij radij vicissim & successiuè emanant à sole, variæ aquæ ex fonte, variæ scintillæ ex igne; sed idem semper manet constatque sol, idem fons, idem ignis, qui hos radios, has aquas, has scintillas iugiter eiaculatur: ita varij dies, anni, ætates, tempora, omnesque sæculorum ordines & vicissitudines ab æternitate Dei emanant; sed ipsa sibi semper eadem fixa & immota constat æternitas. Ipsa enim est id quod in rota axis, quod in circulo centrum. Sicut enim circa axem voluitur rota, & circa centrum circulus, putà sicut circa centrum terræ gyrant & voluuntur omnes orbes cælestes & elementares: ita circa æternitatem quasi axem & centrum, rotant & voluuntur omnia tempora, & quæcumque per tempora singula oriuntur, occidunt, veniunt, abeunt, attolluntur, sublata incuruantur & deprimuntur. Hanc Cæsar Ripa in Iconologia parte 1. pag. 1[illegible] pingit diuinitatem quasi matronam albis vestitam, habentem in capite flammam ignis, quæ in tres partes æqualiter se dispertit: vtraque manu tenet globum è lapide lazuli, vtrique insidet flamma. Vestis alba denotat puritatem diuinæ essentiæ: flamma eius amorem & ardorem: sectio in tres partes æquales, Trinitatem personarum: globus sphæricus æternitatem; eamque duplicem, vnam quam in se habet, alteram quam angelis & hominibus beatis in sui fruitione communicat, idque per Christum qui duplicem habet naturam vndequaque perfectam, ideoque quasi sphæricam. Hinc rursum Deus ob suam æternitatem omnia tempora complectentem, vocatur *æuum æuorum* S. Dionysio cap. 5. de Diuin. nomin. Et S. Bernard. serm. 80. in Cant. *Tempora*, inquit, *sua* (diuina & æterna natura) *transeunt: non ea: futura non expectat, præterita non recordatur, præsentia non experitur.* Itinera ergo æternitatis sunt itinera temporis, putà præteritum, præsens & futurum, quæ sub æternitate decurrunt & transeunt: decurrente enim, &, vt ita dicam, itinerante tempore quolibet, nostro modo concipiendi videtur cum eo pariter decurrere & itinerari æternitas illi connexa & commensa, vt illud propellat, cogatque sequenti & succedenti locum cedere. Alludit ad itinera Hebræorum in deserto per 40. annos, quibus Deus cum illis assiduè profectus est ad inuadendos & debellandos Chananæos: hæc enim itinera, quia tam longa, fuerunt *olam*, id est sæculi, & sæcularis cuiusdam æternitatis. Pleniùs S. August. lib. 1. Confess. cap. 6 *Summus*, inquit, *es, & non mutaris: neque peragitur in te hodiernus dies, & tamen in te peragitur, quia in te sunt & ista omnia: non enim haberent vias transeundi, nisi contineres ea. Et quoniam anni tui non deficient, anni tui hodiernus dies: & quàm multi iam dies nostri & patrum nostrorum per hodiernum tuum transierunt, & exillo acceperunt modos, & vicumque extiterunt, & transibunt adhuc alij, & accipient, & vtcumque exiftent. Tu autem idem ipse es, & omnia crastina atque vltrà, omniaque hesterna & retro, hodie facies, hodie fecisti.* D

Deus est gigas æternitatis.

Deus

Denique propriè itinera vel *deambulationes eius sunt ei*, scilicet Deo, vt habent Hebr. q.d. Ipse deambulat, id est degit, versatur, viuit & agit altis illis suis montibus æternitatis, indeq; humilibus hasce valles & colles temporum, regnorum & seculorum despicit, incuruat, immutat, mouetur & dirigit prout ei libuerit. Rursum, ait, montes hisce suis sæculis, quæ mente fingimus æternitati eius coëxstitisse, magnis quasi passibus contendit, id est plurima & infinita quasi gradu trãsmisit, peruasit & peruenit ad initium temporis, quo mundum creauit, conseruat, moderatur, gubernat, immutat; atque ad initium sui regni suæ, vt nimirum expulsis & contritis Chananæis per Iosue, in eorum regione collocaret Israelem, in eoque fundaret suam Ecclesiam, suum templum, suum sacerdotium & regnum, quod propriè hîc spectat Habacuc. Quos vero Gaeuata per *æternitatem* accipit Deum æternum: nullum enim attributum Dei maiestatem hominibus magis admirandam & reuerendam facit, quàm æternitas. q. d. Contriti sunt colles id est principes Chanaan, itinerante cum Hebræis, pro eisque depugnante Deo, qui est ipsa æternitas, id est æterna maiestas: quia vbicunque illain Chanaan itinerans cum eis fixit sedem, ibi sibi suisque Hebræis sedem constituit. Olim enim pedis immissione in agrum vel locum fiebat vsucapio, id est capiebatur loci possessio. Vnde illud psalm. 59. 10. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* q. d. Immissione pedis & pedis occupabo & vendicabo mihi Idumæam. Porrò ludit Propheta in voce *olam*: nam vocat *colles olam* vocat principes mundi, mox itinera æternitatis Dei: quia aliud est *olam* Dei, aliud *olam* hominum & principum. *Olam* Dei est solum & æternitas: *olam* hominum est terra & regnum. Sic Apostolus ludit in voce *peccatum*, dicens: *Christum de peccato damnauit peccatum.* &, *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* 2. Corinth. 5. 21.

Mysticè S. Bernard. serm. 10 in psalm. *Qui habitat*: Itinera, ait, æternitatis æternique Dei sunt misericordia & veritas. *Ab his itineribus incuruati sunt colles mundi, superbi dæmones, principes mundi huius, qui viam veritatis & misericordiæ nescierunt. Quis deus sicut deus & veritati, qui mendax est & pater eius? Quando ille vnquam misericors fuit, qui homicida extitit ab initio? In hunc ergo modum tumidi illi colles incuruati sunt ab itineribus æternitatis, dum à vijs Dei, quæ rectæ sunt, per anfractus suos & distorta, prauos itinera, quàm præcipitia corruerunt. Quàm prudentiùs atque vtiliùs alij quidem colles ab his eisdem vijs incuruati & humiliati sunt ad salutem? An non humiliatos iam cernere est colles mundi, dum subiugatique atque potentes deuota subiectione inclinant ad Dominum, & eius vestigia adorant? Numquid non incuruantur, cùm ab ipsa sua pernicioſa cellsitudine vanitatis & crudelitatis, ad humiles semitas æternitatis, misericordiæ & veritatis?*

Moraliter scripsit S. Bonauent. opusculum de septem itineribus æternitatis, quod exstat in eius opuscul. in quo doctè & piè more suo docet & describit septem itinera ad ingrediendum intrinsecum secretum & æternum, quod est cæleste patria, putà ipsum penetrale diuinitatis & æternitatis Dei, in quo consistit æterna vita & beatitudo nostra. Primum iter, inquit, est æternorum recta intentio, vt scilicet anima aggrediatur vnum æternum intendendo, vnum æternum attendendo, vnum æternum ingrediendo, in vno æterno permanendo, propter vnum æternum, quod est optimum & vnum necessarium, & finis quietans & consummans multitudinem omnium desideriorum in vnum, quod nõ auferetur ab eo in æternum, quod Magdalenæ assignauit Christus Lucæ 10. 42. Secundum iter æternitatis, est æternorum studiosa meditatio, iuxta illud S. Gregor. 4. Moral 28. *In solitudine manere, est à secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, & in vna intentione æternæ patriæ, in amorem intimæ quietis anhelare.* Tertium iter est æternorum limpida contemplatio (quæ est apex & culmen meditationis) quam ex Richardo ita describit: *Contemplatio est libera mentis perspicacia, in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa*, iuxta illud Iob 7. *Suspendium elegit anima mea.* Suspendium illud est extensio mentis in æterna spectacula, vt cùm fieri potest numquam ex intentione voluntatis, sed sola interpellatione necessitatis acies mentis inde flectatur, vt dicit Psalmista: *Oculi mei semper ad Dominum*, psal. 24. Quartum iter est æternorum charitatiua affectio, de qua S. Bernard. serm. 83. in Cant. *Magna res est amor si ad suum recurrit principium, si suæ origini reducitur, si refusus suo fonti semper ex eo sumit, vnde iugiter fluat.* Amor enim transformat amantem in similitudinem amati in quantum potest, non solùm quantum ad substantiam, sed & quãtum ad operationes arduas & difficiles. Vnde S. S. Gregor. lib. 7 Moral. cap. 6. *Sancti viri*, inquit, *cùm ad desiderium æternitatis anhelant, in tanta altitudine vitæ se subleuant, vt audire iam quæ mundi sunt, graue sibi ac deprimens pondus credant. Valdè enim intolerabile æstimant, quidquid id non sonat quod intus amant.* Et inferiùs c. 7. *Et multiplicatæ charitate maioribus desiderijs æstuant, & iam peruenire ad vitam spiritus, etiam per cruciatus corporis anhelant.* Ita sponsa Cant. 5. *Adiuro*, ait, *vos filiæ Ierusalem, vt annuncietis dilecto meo quia amore langueo.* q.d. Præ magnitudine amoris omnia temporalia sunt mihi fastidium; vnde langueo. Languor autem iste causatur ex amore perfecto. O quàm durum est amanti, animum dimidiare cũ Christo & mundo! Rursum: *Nihil tam durum & ferreum, quod non igne amoris vincatur*, ait S. Augustin. lib. de Moribus Ecclesiæ cap. 22. Quintum æternitatis iter, est æternorum occulta reuelatio. Assidua enim reuelationum spiritualium reminatio præbet assiduum cognitionum & exultationnm mentis incrementum: & ex hoc mens excessum æternorum, & ingressum occultorum consequitur. Qui enim ardentiùs diligunt, profundiùs conspiciunt, & subtiliùs discernunt, & euidentiùs cognoscunt: quanto ergo æterna ardentiùs amantur, tanto perfectiùs cognoscũtur. Vnde S. Gregor. 18. dicit: *In sanctis fit æternitas, aspiciendo Dei æternitatem.* Sic irradiante menti radio diuino, ducitur illa cum Mose in caliginem occulti silentij, in qua reuelatè & verè apparet Dominus superintellectualiter, ait S. Dionysius de Myst. Theol. c. 1. Sextum iter est æternorum experimentalis quædam prægustatio, quam habuit Psaltes dicens psal. 33. *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.* Et sponsa Cantic. 2. *Fructus eius dulcis gutturi meo.* & c. 5. *Comedi fauum cum*

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

melle meo. Fauus, inquit Orig. est cera virginea A cellulis distincta, melle repletis. Quid ergo est aliud, *Comedi fauum cum melle meo* nisi manducare corpus virgineæ carnis, dulcissima diuinitate repletum? & sic per gustum humanitatis peruenitur ad gustū diuinitatis, & ideo ad prælibamen æternitatis. Talem prægustum & prælibationem æternæ vitæ multi Sancti senserunt, & sentiunt in pia & ardenti sumptione Eucharistiæ. De hisce loquens S. Gregor. lib. 24. Moral. c. 7. explicans illud Iob, *Videbit faciem eius in iubilo*; *Plerique*, inquit, *contemplatione quadam retributionis æternæ, etiam priùs quàm spolientur carne, hilarescunt, dum in iubilo faciem Dei conspiciunt: quod fit, cùm aliquis spiritualem oculum in radio æterni solis figit. Ibi lumen viuens videt: quia iam omni mutabilitatis vicissitudine atque obumbratione calcata, veritati æternitatis inhæret, eiq; inhærendo quem cernit, ad similitudinem incommutabilitatis assurgit, atque in semetipsam auctoris sui inconuersibilem speciem dum respicit, assumit. Quæ enim ad mutabilitatem per seipsam lapsa est, ad immutabilitatis statum immobilem videndo formatur.* Septimum iter est æternorum meritoria operatio, siue deiformis, id est diuinæ operationi conformis, actio, mores & vita. *Opera enim illorum sequuntur illos*, Apoc. 14. Sicut, inquit S. Bern. lib. 5. de Consider. c. 5. Deus in Seraphim amat vt charitas, in Cherubim noscit vt veritas, in Thronis sedet vt æquitas; oportet etiam vt nos quantum possumus, Deum summum bonum diligamus, vt summam veritatem cognoscamus, & vt summam æquitatem in nobis teneamus: & sic crimus bene ordinati quoad Deum; per deiformes operationes, vt feruceamus amore cum Seraphim, luceamus scientia C cum Cherubim, spiritales facti iudicemus omnia cum Thronis. *Quamuis ergo in vsu operis sit temporalitas, tamen in intentione debet esse æternitas*, ait S. Gregor. 22. Mor. 12. Ad hæc ducit nos Christus, qui est via, veritas & vita, qui facit vt nostra conuersatio in cælis sit: ipse enim æternitatis nobis aditum deuicta morte reserauit. Hæc & multò plura verbotenus, licet sparsim, S. Bonau. opusc. citato. Felix, qui hisce itineribus ad beatam æternitatem contendit. Felix, qui celerem temporum & sæculorum omnium volubilitatē transcendens, super anni soliſque vias se librans, mentem figit in stabili & immobili æternitate. Felix, qui spretis vanis & caducis terræ bonis, iugiter circulantibus, viuit æternis & solidis, viuit æternitati iugiter consistenti.

Septimum.

Quatuor gradus æternitatis S. Augusti.

Simili modo S. August. (vel quisquis est auctor) tract. de Scala paradisi tom. 9. quatuor huius scalæ gradus assignat, scilicet lectionem, meditationem, orationem, contemplationem. Lectio enim est iter ad meditationem, meditatio ad orationem, oratio ad contemplationem. *Contemplationis enim*, inquit, *adeptio sine oratione, aut rara, aut miraculosa. primus gradus est incipientium, secundus est proficientium, tertius est deuotorum, quartus beatorum. lectio sine meditatione arida est: meditatio sine lectione erronea est: oratio sine meditatione est tepida: meditatio sine oratione infructuosa: oratio cum deuotione contemplationis est acquisitiua.*

VERS. 7. PRO INIQVITATE VIDI TENTORIA ÆTHIOPIÆ] Vatab. *in nihilum redacta vidi tentoria Aethiopum.* Hebr. enim אָוֶן *auen* & iniquitatem, & nihilum significat. Putant Chald. Arias & Clarius hîc celebrari victoriam Othonielis, qua liberauit Hebræos à seruitute Chusan Rasathaim regis Mesopotamiæ, Iudic. 3. & ad victoriam Gedeonis, quam retulit de Madianitis, Iudic. 6. quia nominatur hîc Madian, & quia in Hebræo et Chusan, non Chus, vel Chusim, quod propriè significat Æthiopiam & Æthiopes. Verùm Septuag. S. Hieron. & alij, Chusan vertunt Æthiopiam: Chusan ergo per paragogen idem est quod Chus, sicut Melchom idem est quod Melech & Moloch. Nam Habacuc hîc tantùm celebrat miracula Dei patrata à tempore egressus ex Ægypto vsque ad ingressum in Chanaan, vt patet ex sequentibus; nonautem ea quæ postea in Chanaan per Othonielem & Gedeonem Deus patrauit. Porrò iidem hîc sunt Madianitæ & Æthiopes. Madianitæ enim in B Script. vocantur Æthiopes, scilicet Orientales, sicut Abyssini sunt Æthiopes Occidentales. Vide vxor Mosis Madianitis, vocatur Æthiopissa, Numer. 12. 1. Vide ibi dicta. Sensus ergo est: q.d. Vidi, id est cognoui & patrum narratione accepi, ac ex Scripturis intellexi, quid olim feceris ô Domine Æthiopibus, id est Madianitis, *pro iniquitate*, id est propter scandalum superstitionis & cultus Beelphegor, quod ipsi docuerunt filiis Israel, subinittendo in eorum castra suas filias, quæ ad vtrumque scelus eos pellicerent, Numer. 25. v. 1. Cognoui enim quòd eorum pelles, id est tentoria & castra, turbaueris & profligaueris per Iosue, occisis eorum principibus, omnibusq; masculis, ac Balaam scandali actore, Numer. 31. Nota euallagen temporis: *turbabuntur*, id est turbata sunt: præcessit enim præteritum *vidi*. Rursum est hendiadis, vide *turbabuntur*, id est turbabantur, hoc est vidi turbari tentoria Madian. Addunt Albert. & Lyran. dici *turbabuntur*, quia simul Propheta respicit futuram victoriam Cyri. q.d. Sicut turbabis Madianitas per Iosue, ita turbabis & profligabis eosdem per Cyrum, ob iniquitatem eorum quam commiserunt in filios Israel, adiuuando Chaldæos in expugnatione Hierosolymæ.

Allegor. Æthiopes typi sunt tum dæmonum, tum hominum impiorum: quia hi deformes & atri sunt moribus, vti Æthiopes pelle & cute. Rursum, corpora & mentes hominum impiorum non sunt aliud quàm pelles & tentoria Æthiopum, id est dæmonum. Sensus ergo est, quasi dicat, Ego Habacuc in spiritu vidi & prænoui, D quomodo, & quàm acriter Christus damones hominesque impios, qui Ecclesiam & fideles eius persequuntur, sit castigaturus. Aut q.d. Æthiopes & Madian, id est, *Gentes repentè per nuncio mirabilium tuorum, etiam quæ non sunt in iure Romano, erunt in populo Christiano*, ait S. August. lib. 18. de Ciuit. c. 32. vt significetur hîc conuersio Gentium, etiam barbararum ad Christum, per Apostolorum miracula, prædicationem & vitam cælestem.

NVMQVID IN FLVMINIBVS IRATVS ES] Iamina vocat fluenta maris rubri, æque ac Iordanis. Sic Homerus oceanum vocat flumē, dicens: *Oceani fluxum fluuij cùm cymba reliquit.* Et Hesiodus: *Oceani fluuij perfecti gnata puella.* Poëtice describit Propheta diuisionem maris rubri, Exod. 14. & Iordanis, Iosue 3. vt transirent Hebræi, vnde metaphoricè zelum Dei depingit per eum

in mare & flumina, ac vires eius per currus & quadrigas, equos & quadrigas eius nuncupat nubes & ventos: hinc etiam eodem tropo aquis quasi vim passis, dat dolorem. Sensus ergo est q.d. Ad saluandum populum tuum Israel, videbam ô Domine irasci & indignari Iordani & mari rubro, quando pro eo contra Pharaonem atque eius hostes pugnaturus, ascendebas nubes quasi currum bellicum, ac quasi equos agebas tuum ventos, tum angelos velocissimos, quibus partim Iordanem & mare dissecuisti, vt pateres iter viamque euadendi populo tuo, partim turbines ac fulmina, quasi arcus tui sagittas iaculatus in Ægyptios, eos protriuisti, & in eum demersisti, vt suscitares *iuramenta*, id est promissa tua iuramento confirmata, quæ Israelitæ præstiteras; ideoque *fluuios*, id est fluenta hęc maris rubri & Iordanis, *scindes*, id est scidisti, vt pro & abyssus *aquarum* recederet, & contra aquam quasi cum dolore, timore, stupore, sonitu ac fremitu vndarum sese collidentium, in montes, id est in montium molem & *altitudinẽ*, eminque se attollens, & quasi supplex manus in eam ad Deum extendens, medium iter præbeat Hebræis siccum planumque ad transitum. Simili modo per Cyrum deduces Euphratis aquam in fossas, per eumque iam deficcatũ Persis immittes in Babylonem Euphrati adiacentem, vt eam vastent, & Hebræos ex ea liberent, inquit Albertus & Hugo. Hoc enim stratagemate Cyrum cepisse Babylonem ex Xenophonte docui Daniel. 5. in fine.

Nota v. 9. in Hebr. additur *sela*, de quo dixi v. 3. q.d. O potentiam, ô victoriam, ô fidelitatem, ô veritatem Dei, suos per diuisionem maris & fluminum liberantis, stupendam omnique æuo deprædicandam!

Allegor. aquæ multæ sunt populi multi, Apoc. 17. 15. q.d. Anne gentibus iratus es Domine? Minime, quia eis saluatorem misisti Christum. Quia, inquit S. August. loco iam citato, *ascendes super equos tuos, & equitatio tua salus, hoc est, Euangelia tui portabunt te, quia reguntur à te: & Euangelium tuum salus est eis, qui credunt in te. Fluminibus findetur terra, hoc est, influentibus sermonibus prædicantium te, aperientur ad confitendum hominum corda, de quibus dictum est: Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Quid est, Videbunt te & dolebunt populi? nisi vt lugendo sint beati. Quid est, Diffusio aquarum incessus? nisi ambulando in eis qui te nouerunt aquæ annunciant, hac atque illac dispergũt sanam doctrinam. Quid est, Abyssus dedit vocem suam? in profunditate cordis humani quid ei videretur, exposuit?* Appositè Glossa hæc adaptat exaltationi Ecclesiæ sub Constantino Imper. *Gurges aquarũ transiit, id est*, inquit, *impetus persecutionum transiit super Christianos vsque ad tempora Constantini. De altum vocẽ suam, altitudo manus suæ leuauit. Per altitudinem intelligitur Constantinus, cui totus orbis se subiecit: ipse verò manum suam leuauit ad protegendum Christianitatem: & tunc abyssus dedit vocem suam, quia Christiani priùs in abysso tribulationis positi, coperunt solemniter in Dei laudem. Sol & luna mirantur in habitaculo suo, id est Christus & B. Virgo magnificè honorati fuerunt in ecclesiis, qui priùs colebantur in cryptis & locis occultis.*

Tropol. S. Gregor. lib. 8. Moral. c. 13. legens iuxta Septuag. *Dedit abyssus vocem suam ab altitu-*

Cornel. in Proph. Min.

A *dine phantasiæ suæ, sic explicat: Abyssus quippe phantasiæ altitudinem portat, cùm humanus animus immensa cogitatione caliginosus, semetipsum etiam discutiẽdo non penetrat: sed ab hac altitudine vocem dare est; quia dum se deprehendere non potest, cogitur in admirationem consurgere, vt eo perscrutari nõ audeat quod super ipsum est, quo incomprehensibilitatem suam ipse cogitans, non valet inuenire quod est.*

Anagog. hæc planè vt sonant, faciet Christus *Anagog.* in fine sæculi, quando puniet & perdet Antichristum & Antichristianos fluctibus, sonitu maris, amaritudine aquarum, fœtore, putredine, tonitru, pluuiis, grandine, fulminibus, vt patet Lucæ 21. v. 25. Apocal. cap. 8. & c. 16. ita vt abyssus & altitudo, id est inferi & superi, terra & cælum, totusque orbis pro eo contra impios pugnet & de-
B certet. Sapient. 5. v. 21 ac Dei vindicis vindictam & triumphum, plausu oris & manuum concinat & celebret.

QVADRIGÆ TVÆ SALVATIO] Equos & quadrigam Dei vocat nubes, quibus quasi inequitans Deus fulgetra & tonitrua iaculabatur in Ægyptios, iuxta illud psalm. 103. v. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum*, id est currum tuum, q. d. Qui nubibus pro vehiculo vteris. Et psal. 76. 18. *Vocem dederunt nubes: etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.* Sic Poëtæ Iouis potentiã ostentant, cùm eum fulminantem, nubicogum, tonantem, νεφοδερέτλω, id est altofrementem vocitant, vt ait Lucianus in Misanthropo. Hinc illud Ouidij: *Quadrigæ Dei sunt nubes.*

Illic & nebulas, illic consistere nubes
Iussit, & humanas motura tonitrua mentes,
C Et lib. 2. Metamorph.
Ille pater rector q; Deũm, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

Alludit in voce *quadrigæ* ad arcam testamenti: huic enim quasi currui bellico gloriæ suæ Cherubinis stipatus insidebat Deus, castra Hebræorum præiens & deducens per mare rubrum. Licet enim arca respectu duorum Cherubim videretur biga, tamen erat quoque quadriga: tum quia quaternis globulis seu sphærulis, quibus à pauimento eleuabatur, quasi quatuor rotis insistebat: tum quia duo Cherubini quaternos & quadriformes, putà quatuor animalium, bouis, leonis, aquilæ & hominis, habebant vultus, quasi quatuor insignia virtutum diuinarum: tum quia Ezechiel cap. 1. eumdem currum gloriæ Dei describens, dat ei quatuor rotas, æquè ac quatuor Cherubinos. Vnde ad eum alludens
D Psaltes psalm. 67. v. 18. *Currus*, inquit, *Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina, in sancto.* q. d. Agunt & stipant currum Dei multæ angelorum phalanges, imò myriades; & Dominus inter eos & super eos inequitans, venit in Sinai, atque mansit in sanctuario. Vnde subdit: *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei, & regis mei, qui est in sancto*, putà in sanctuario. ita Prado in primã visionem Ezech. cap. 10. & Pineda de Rebus Salomon. libr. 6. c. 1. Cùm ergo ait Habacuc: *Ascẽdes super equos tuos, & quadriga tua saluatio*, sensus est q.d. Deus non cõscendit equum nisi ad saluandum, inquit Gueuara. Secundò, neruosiùs Alcazar in Apoc. cap. 6. not. 2. q.d. Dei equi & quadrigæ sunt ipsa hominũ saluatio, siue salus: ac si diceret, Deo nulli alij sunt equi, nullæ quadrigæ quas ipse conscendat,

nisi huiusmodi opera quæ ad hominum salutem spectant, in quibus ipse gloriatur, & se hominibus agnoscendum exhibet, iuxta illud Zachar. 10. v. 3. *Visitauit Dominus exercituum gregem suum, & posuit domum Iuda quasi equum gloriæ suæ in bello.* Quòd si obijcias: quomodo ergo sequitur, *Ante faciem eius ibit mors?* Resp. præit mors, vt hostes populi sui occidat, itaque eum saluet.

Symbolicè & Allegor. S. Ambros. in psal. 40. per equos & equitatum Dei accipit carnem & humanitatem Christi, cui quasi equo & currui insedit & inequitauit diuinitas, vt victoriam nobis de peccato & dæmone pareret. *Vnde*, inquit, *dictum est Habacuc 3. Equitatus tuus salus: quòd caro eius, mundi totius erat susceptura peccatum, vt salus pro exitio, & vita æterna pro morte succederet. Vulneratus ergo est equus solus, non mendax ad salutẽ. Vulneratus est equus qui totius mundi peccata suscepit, & onera nostra portauit: & non fuit fatigatus. Et ideò fortasse Iohanni Euangelistæ Apoc. 19. cælum apertũ, & albus equus demonstratus est, super quem sedebat habens in capite diademata multa, & in femore suo nomen scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium, &c. Hic ergo equus est vulneratus, sed non retardatus. Denique cum ipso vulnere de tumulo resurrexit, cucurrit ad cælum supra omnes angelos & archangelos, velocior omni equitatu militiæ cælestis inuentus: supra equos etiam illos igneos quibus Elias raptus est.* Secundò, idem Ambros. in psalm. 118. in fine octonarij quarti, per equos accipit Apostolos: *Ascendisti*, inquit, *equos tuos, equitatus tuus sanitas. O bonorum equorum dodecaiugum mirabile, quibus frena pacis, habenæ sunt charitatis, constricti inter se concordiæ vinculis, & iugo fidei subiecti, quatuor rotis Euangelij mysterium totius orbis finibus inuehentes, bonum aurigam portantes Dei verbum; cuius flagello fugatæ sunt illecebræ seculares, exterminatus mundi istius princeps, iustorum cursus impletus est! O rationabilium equorum grande certamen, & mirandum mysterium*, &c. Et mox: *Animarum igitur nostrarum auriga Iesus, qui nos quoque vult ascendere equos nostros, hoc est nostra corpora, & vigilare semper, ne dicatur nobis: Dormitauerunt qui ascenderunt equos.*

Tropol. idem S. Ambros. lib. de Isaac cap. 8. *Currus*, inquit, *est anima: habet equos bonos, vel malos. Boni equi, virtutes sunt animæ: mali equi, passiones sunt corporis. Bonus ergo rector malos equos restringit & reuocat, bonos incitat. Boni equi sunt quatuor: prudentia, temperantia, fortitudo, iustitia. Mali equi iracundia, concupiscentia, timor, iniquitas. Interdum ipsi equi inter se dissident, & aut iracundia protendit, aut timor, & se inuicem impediunt, & cursum retardant. At verò boni equi volant, & à terris ad superiora se subrigunt, animamq; eleuant, maximè si iugum habeant suaue, & onus leue dicentis* (Christi.) *Ipse rector est qui nouit equos proprios gubernare, vt æqualis omnium cursus sit. Velociores prudentia tardat, iustitia admonet flagello proprio segniores, temperantia mansuetiores, fortitudo duriores reddit: nouit copulare discordes, ne fortè currum suum dissipent. Isti sunt equi subiecti fidei iugo, astricti vinculo charitatis, iustitiæ frenis, retinaculis sobrietatis*, &c. *Et intelligis illam animam esse pacificam, cui pater Deus Præsul sit, Christus agitator. Hi sunt equi Christi. Ascendit ergo equos suos Christus, ascendit verbum Dei animas pias. Vnde cognosce quia & istam ascendit, & perduxit eã ad locum palmæ, quando & dicit ad eam: Quàm pulchra & suauis facta es charitas in deliciis tuis! Statura tua similis facta est palmæ. Et ipsa ait*, Cantic. 7. *Dixi, Ascendam in palmam. Sed etiam ipsa charitas palma est: ipsa est enim plenitudo victoriæ. Plenitudo enim legis charitas est. Curramus ergo, vt comprehendamus: curramus, vt vincamus.*

11. Sol & luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

12. In fremitu conculcabis terram in furore obstupefacies Gentes.

13. Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.

Percussisti caput de domo impij: denudasti fundamentum eius vsque ad collum.

14. Maledixisti sceptris eius, capiti bellatorum eius, venientibus vt turbo ad dispergendum me.

Exultatio eorum, sicut eius qui deuorat pauperem in abscondito.

15. Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.

SOL ET LVNA STETERVNT IN HABITACVLO SVO] Commemorat miraculum Iosue quo stitit solem & lunam, ac consequenter omnes orbis cælestes, vt prosequeretur victoriam contra Amorrhæos, eosque deleret. Imperans enim ijs dixit: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon: steteruntq; sol & luna donec vlciscertur se gens de inimicis suis, stetitq; sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei*, Iosue 10. v. 12. ita Chald. Albert. Clarius, Iansen. Emanuel, Mariana & alij. Aliter Vatabl. censet enim, hîc significari plagam nonam Ægyptiorum, quæ fuerunt densissimæ tenebræ per triduũ, ita vt sol & luna consistere viderentur, Exodi 10. v. 21. Verùm tunc nec sol, nec luna stetit, nec tenebræ hæ à statione solis & lunæ, sed à Deo ærem obscurante productæ sunt.

IN LVCE SAGITTARVM TVARVM, IBVNT (id est, ibant, vel iuerunt: præcessit enim prætentum *steterunt*) IN SPLENDORE FVLGVRANTIS HASTÆ TVÆ] Sagittas & hastam fulgurantem Dei vocat fulmina, tonitrua, grandines & lapides, quæ Deus tunc è cælo pro Iosue & Hebræis iaculatus est in Amorrhæos. Vnde Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 39. legit: *Sol & luna constitit in suo vbique, in lucem coruscationes tuæ ibunt in fulgorem fulgur scutum tuum, in comminatione tua diminutio terræ.* Sensus est, q. d. Cùm sagittis tuis magnis, nempe lapidibus & fulguribus grandini permistis, hostes Israelitarum prosterneres, tunc ipsi Israelitæ per eorumdem fulgurum ac fulminum lucem illæsi, imò illustrati, inimicos insectabantur. Ita mirabili dispensatione tua factum est, vt hæc tela tua populi tui commodis inserirent, quæ hostibus extremum exitium inferrent. Noctu enim Israelitæ aggredi cœperunt Amorrhæos, vt patet Iosue 10. v. 9. Secundò, planius Arias, qui *ibunt* refert non ad Israelitas, sed ad solem & lunam, quæ ibant, id est iter suum moderabantur pro iussu & commodo Iosue,

ἀκτὶς, id est ad lucem, vel ad lucendum sagittis. Dic. q.d. Sol & luna, quæ aliàs statum suum iter peragere solent ad totius terræ omnium̃q; gentium, illo die iter suum inuerterunt & conuertunt ad solius Iosue vsum, Deique victoriam: nam steterunt quasi spectantes lucem armorum & fulgurantium hastarum Dei, & simul ea luce ibant cum Hebræis, ipsisque præibant ad persequendum Amorrhæos. Sol enim & luna consistendo cooperata sunt ad hanc pugnam & victoriam. Vnde hac sua statione videbantur ire in hostes Hebræorum, eosque cædere & prosternere. Simili schemate & plausu victoriam suam contra Sisaram celebrant Debora & Barac, Iudic. 5. v. 20. vt ostendant eam non humanis, sed diuinis viribus partam. *De cælo*, inquiunt, *dimicatum est contra eos: stellæ manentes in ordine & cursu suo aduersus Sisaram pugnauerunt*: quia Hebræis sua luce ad pugnandum & vincendum præluxerunt, hostes verò suo splendore & fulgore quasi fulgure percelluerunt. Vnde Plato in Cratylo censet ἄστρα dici quasi ἀστραπὴ, id est fulgur; ἀστραπὴ autem, eò quòd oculos luce illa ἀναστρέφῃ, id est conuertat. Tertiò, Albert. Hugo, Lyran. & Dionys. τὸ *ibunt* propriè accipiunt vt futurum, explicantque de Cyro & Persis, qui post tempora Habacuc nocte concubia, vt patet Daniel. 5. 30. ex improuiso adorti Babylonem, ad lucem sagittarum suarum & fulgurantium hastarum, quasi facum prælucentium, ierunt, ingressique sunt vrbem, eamque ferro & flamma vastarunt; perinde ac Iosue ijsdem vastauit Amorrhæos.

Allegor. S. Augustin. libr. 18. Ciuit. cap. 32. *Eleuata*, inquit, *sol, & luna stetit in ordine suo, hoc est ascendit Christus in cælum, & ordinata est Ecclesia sub rege suo. In lucem iacula tua ibunt, hoc est, non in occultum, sed in manifestum verba tua mittentur. In splendorem coruscationis armorum tuorum, hoc audiendum est, iacula tua ibunt. Dixerat enim prius: Quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine. In comminatione minorabis terram, id est comminando humiliabis homines. Et in furore deijcies gentes: quas ex qui se exaltant, vindicando collides.* Et S. Gregor. libr. 30. Moral. cap. 2. per sagittas & iacula, accipit verba prædicantium; per fulgurantes hastas, miracula eorumdem. hisce enim consequæ perculsæ & conuersæ sunt Gentes ad Christum. Huc accedit Anastasius Sinaita Patriarcha Antiochenus lib. 4. Hexam. tom. 1. Biblioth. SS. Patrum, vbi docet quòd, sicut luna post solis occasum oritur, ita post Christi recessum orta sit Ecclesia: *In altum*, inquit, *elatus est sol, hoc est, Christus ascendit in cælos; & tunc luna stetit in ordine suo, quæ est Ecclesia in valido suo statu, in pulchritudine sua, in decore suo, in illuminatione sua, in cursu suo. Ille autem dixit, In ordine suo; prius enim erat inordinata & incomposita, vt quæ esset dedita idololatriæ.* Secundò, *sol dominatur æstati, vt qui sit elementum siccum, in typum Christi, qui in fine mesis transformationis est exsiccaturus eos qui sunt sub peccato, flumine igneo: luna verò habet gubernationem aquæ, & Spiritus sancti, qui à Christo Ecclesiæ tamquam luna donatus est & creditus, vt per ipsam regeneremur, donec præterierit nox huius sæculi; & rursus oriatur sol iustitiæ.* Addit deinde crescente Ecclesia, sicut crescunt animæ crescente luna, datque exempla: Ibis, in-

A quit, auis infesta serpentibus, non videt, nec comedit eo tempore, quo luna in cælo non apparet. Simiæ orbes oculorum dilatantur crescente luna, eaque decrescente minuuntur. Lychnis lapillus crescente luna edit sonum modulatum. Clopias piscis crescente luna albescit, decrescente nigrescit. Simili modo mutationes Ecclesiæ redundant, & transfundunt se in animam cuiusque fidelis.

Anagog. idem planè quod verba sonant, faciet Deus in fine sæculi, cùm solem & lunam obscurabit, ac fulmina vibrabit in hostes, iuxta illud Sapient. 5. v. 22. *Ibunt directè emissiones fulgurum, & tamquam à bene curuato arcu nubium exterminabuntur. Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines.* Denique tum stabit sol, luna, omnisque cœlorum motus, sistetque in æternum. *Anagog.*

B Tropol. cùm sol, id est Prælatus, se eleuat ad vitæ reformationem & perfectionẽ, tunc ad eamdem eleuatur & luna, id est congregatio illi subdita. Vnde S. Bernard. epist. 142. ad Monachos Alpẽses: *Bonus*, inquit, *Pater vester atque noster, auctore Deo ad altiorẽ gradum assumptus est. Faciamus ergo quod dicit Propheta* (Habacuc c. 3.) *Eleuatus est sol, & luna stetit in ordine suo. Sol est ille per quem Alpensis congregatio illustris vbique redditur, tamquam luna per solem. Eleuato itaque illo, stemus nos in ordine nostro, quicunque elegimus abiecti esse in domo Dei nostri, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Ordo noster abiectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est, obedientia, pax, gaudium in Spiritu sancto. Ordo noster est esse sub magistro, sub Abbate, sub regula, sub disciplina. Ordo noster est studere silẽtio, exerceri ieiunijs, vigilijs, orationibus, opere manuũ, & super omnia excellentiorem viam tenere, quæ est* C *charitas. Porrò in his omnibus proficere de die in diem, & in ipsis perseuerare vsque ad vltimum diem. Et hæc quidem assidue vos confidimus actitare. Cæterùm vnum opus fecistis, & omnes mirantur, quòd cùm sancti essetis, non reputantes vestram sanctitatem, alienam participare curastis, vt essetis sanctiores*: quia transierant ad strictiorem Ordinem Cisterciensium. vnde subdit: *Quàm lato sinu collegit vos multitudo Cisterciensis, quàm alacri vultu spectauit hoc angelica celsitudo.* *Eleuante se Prælato, eleuatur Ecclesia, quasi luna sequens solem.*

Egressvs es in salvtem popvli tvi, cùm eum liberasti & eduxisti ex Ægypto: in salvtem cvm Christo tvo] vt populum saluares & educeres per Mosen, quem quasi Christum spiritu tuo vnxisti, vt esset dux & Propheta populi tui. Simili modo egredieris cum Cyro in aciem contra Babylonem, vt ex ea liberes & educas populum tuum captiuum. Hinc Cyrus ab Isaia cap. 45 v. 1. vocatur Christus, dum ait: *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro.* ita Albertus, Hugo, Lyran. & Dionys. Allegor. propriè & potiùs per Christum Dominum, cuius antitypus fuit Moses, æquè ac Cyrus, saluabis populum fidelem, eumque educes ex captiuitate diaboli. Vnde Sexta editio habet, *egressus es vt saluares populum per Iesum Christum tuum.* ita Hebræi, S. Augustinus libr. 18. Ciuit. 32. S. Hieronym. & alij passim. Quare fraudulenter hunc locum verterunt, imò deprauarunt, Symmachus & Theodotion, qui quia erant Ebionitæ, & Christum negabant esse Deum, hinc transtulerunt, *vt saluares Christum tuum*: non enim Christus hîc dicitur saluatus, sed populus per Christum, *Vers. 13.*

saluatorem. *Egredi* enim *in salutem populi* cum Christo, est saluare populum per Christum. Perperam quoque Chald. vertit, *reuelatus es ad liberandum populum tuum, ad liberandum christum tuum*, quasi populus Israel & fidelis vocetur hîc Christus, iuxta illud psalm. 104. v. 15. *Nolite tangere christos meos*, id est Israelitas meos. Verùm ibi per *christos* Psaltes intelligit Patriarchas, vt rectè annotauit S. Hieron. & Theodor. putà Abraham, Isaac & Iacob, quos Deus vnxerat, id est sua gratia consecrarat & auctorarat, Prophetas & principes gentis suæ. Vnde explicans subdit: *Et in Prophetis meis nolite malignari.* Adde, Hebræa hîc non habere, *ad liberandum christum tuum*, vt vertit Chald. sed *ad saluandum*, vel liberandum, scilicet populum, *cum Christo*, vel *per Christum tuum*: præpositio enim את *et*, significat *cum, per.* Quocirca Hebræa præcisè sic sonant: *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.*

PERCVSSISTI, Pagnin. *transfixisti*; Tigurina, *contudisti*; CAPVT DE DOMO IMPII] *Caput* intellige Pharaonem, quem Deus percussit mergendo eum in mari rubro: hic enim caput erat & princeps domus impij Cham, qui fuit nequissimus, & primus regnauit in Ægypto, quæ inde dicta est terra Cham, psalm. 104. v. 23. & psalm. 77. v. 51. Alij, vt Albertus & Vatablus, per *caput* intelligunt filium primogenitum Pharaonis, quem morte percussit Deus, Exodi 12. v. 29. Aut *caput*, id est capita, hoc est principes impij Pharaonis. Simili modo percuties Balsasarem, qui est caput in domo impij Nabuchodonosoris, per Cyrum, inquit S. Hieronymus, Hugo & Lyran.

Alleg. Christus percussit diabolum, qui est caput impiorum, ac in fine mundi percutiet Antichristum, qui erit princeps in domo & familia diaboli. ita S. Hieron.

DENVDASTI FVNDAMENTVM EIVS VSQVE AD COLLVM] *Eius*, scilicet non capitis, sed domus: domus enim habet fundamentum, non caput. q.d. Domum impij Pharaonis, putà familiam regiam, ipsamque Ægyptum, ab imis fundamentis vsque ad collum, id est vsque ad summos vertices, detexisti, id est detegendo diruisti & euertisti, per metalepsin. q.d. Totum exercitum Pharaonis à minimo vsque ad maximum, in mari rubro perdidisti, & quasi à terra abrasisti. Caput enim est Pharao, collum sunt principes, fundamenta & ima sunt milites. Combinat duas metaphoras, hominis & domus: nam collum & caput sunt hominis, fundamentum proprium est domus. Hebræi enim hominem, putà filium, vocant *ben*, quasi domum, quam בנה *bana*, id est ædificauit, pater. Si enim homo est microcosmus, multò magis est μικροοἶκος, id est parua domus. Et viciſſim sicut mundus est quasi magnum quoddam animal, & magnus homo, cuius anima est spiritus Dei, hepar est mare, vesica sunt flumina, oculi sunt fontes, &c. ita domus, familia & resp. est magnus quidam ciuilis & politicus homo, cuius caput est paterfamilias, princeps aut rex; collum sunt principes; brachia sunt milites; pedes & ima sunt plebs. Plebs enim est maximè necessaria pars, & quasi hypostasis reipub. cui omnia eius onera incumbunt. In domo verò particulatim, & quasi physicè, caput est tectum, collum sunt iunctu-ræ tecti cum parietibus, corpus sunt ipsi parietes, pedes & plantæ sunt fundamenta. Iam symbolicè domus est familia & resp. cuius caput & tectum est pater, princeps vel rex; collum & iuncturæ sunt principes, corpus & parietes sunt ciues & mercatores; pedes sunt rustici & coloni, è quibus colliguntur milites. Dicit ergo: Tu, Domine, fundamentum domus Pharaonis, id est regni Ægypti, denudasti, vt illud funditus quasi à fundamentis dirueres. Qui enim domum euertere volunt, fundamenta nudant, iuxta illud quod Babyloni imprecatur Psalmista psalm. 136. *Exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.* quasi dicat, Interemisti exercitum Pharaonis cum suis ducibus & principibus, in quo erat fundamentum, id est robur & fortitudo totius Ægypti. ita Vatablus. Secundò, Gueuara sic explicat, quasi dicat, Maximis opprobrijs & ignominijs affecisti, ô Domine, Ægyptum, non secùs ac si illius caput rasisses, inferioresque corporis partes (quæ sunt quasi bases & fundamenta) pudendaque ipsa ad collum etiam vsque nudasses. *Nudare* enim in Scriptura subinde tondere significat, vt Isaiæ 3. v. 17. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & turpitudinem earum nudabit.* Allùdit ad Isaiæ 7. v. 20. *In die illa radet Dominus in nouacula conducta, in his qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum caput, & pilos pedum, & barbam vniuersam.* Quod enim dixit Isaias, *Radet caput*; hoc dixit Habacuc, *Percussisti caput: percussisti*, scilicet nuditate & caluitio. Rursum, per fundamentum possumus intelligere caput. Est enim homo velut arbor inuersa, pro radicibus habens capillos, pro ramis manus & pedes. Porrò quantum probrum sit rasura & decaluatio, ac depilatio totius hominis, patet ex illo Poëtæ:

Turpe pecus mutilum, turpis sine gramine campus,
Et sine fronde frutex, & sine crine caput.

Hæc Gueuara. Prior explicatio vti planior, ita & literæ conformior & germanior est. Denique cum Hebræo additur *sela*, quasi nota admirationis & plausus tantæ stragis & victoriæ.

9. MALEDIXISTI SCEPTRIS EIVS] Maledicere Dei est malefacere, lædere, occidere, perdere: dicere enim Dei est efficax, idemque quod facere. Per sceptra, vel principes intelige, qui gestabant sceptra quasi insigne principatus: vel metonymicè *sceptris*, id est regnis & prouincijs *eius*, quibus cum sceptro, id est potestate regia, imperabat Pharao. quasi dicat, Regna & ditiones Pharaonis, omnemque eius tyrannicam vim & potentiam destruxisti. Olim enim vniuersi principes ac magistratus sceptra gestabant. Sic singulæ tribus Israel habebant suam virgam, quasi sceptrum, Numer. 17. v. 2. Sic Homerus non tantùm Agamemnoni assignat, sed & Achilli & Telemacho principibus suis dat sceptra, per quæ iurant: quia diuinitùs quippiam sceptra habere veteres existimarunt. Vnde Chæronæos legimus ex dijs omnibus maximè coluisse sceptrum Agamemnonis. Multis idipsum probat Gueuara. Hinc Assuerus Esther cap. 5. v. 2. porrexit sceptrum, quod ipsa osculando venerata est regem. Et cap. 8. v. 4. rursum eidem prætendit sceptrum, in signum cleme-

clementiæ. Idem habetur cap. 4 11. Quia & Iacob aberauit fastigium virgæ eius, putà sceptri Iudæi Hebr. 11. 21. Sceptra ergo hîc principes sceptrigeros denotant. Pro *maledixisti* hebr. est מָחַצְתָּ *mahaztà*, quod etiam perforare significat. vnde Pagninus vertit, *perfodisti baculis eius caput eorum eius*; Tigurina, *perforasti cum baculis suis capita pagorum* (colonorum, qui in pagis & villis habitant) *eius*, vel, vt Vatabl. *copiarum eius*, scilicet Ægypti, vel Pharaonis; hoc est, peremisti eũ, perinde ac si proprijs telis perforasses capita eius. q.d. Te auctore perijt exercitus Pharaonis, ipsiusmet consilio: nam consuluit Pharao Ægyptijs, vt insequerentur Hebræos in mari rubro; quod dum faciunt, reuoluente se mari oppressi sunt. Simili modo Deus maledixit, perfodit & deiecit sceptrum Balsasaris & Chaldæorum per Cyrum. A B

Allegoricè, Christus perforauit & prostrauit sceptra Neronis, Decij, Diocletiani, cæterorumque persecutorum Ecclesiæ; ac pari modo in fine mundi prosternet sceptra Antichristi, Gog & Magog.

CAPITI BELLATORVM EIVS] *Capiti*, id est capitibus, putà cunctis ducibus bellatorum eius, videlicet impij Cham, vel Pharaonis, qui fuit caput & princeps domus Ægypti, vti præcessit. Est epanalepsis, siue prioris sententiæ repetitio & expositio: principes enim, quos vocauit sceptra, id est sceptrigeros, hîc vocat capita, siue duces bellatorum. Quocirca Septuag. vertunt, *diuisisti in stupore capita potentum*. Vnde de ij subdit:

VENIENTIBVS VT TVRBO, &c.] q.d. Deiecisti C sceptra, id est sceptrigeros, qui veniebant cum impetu & furore quasi turbo, ad dispergendum me scilicet Israelem, qui sum populus tuus.

EXVLTATIO EORVM] Scilicet erat, q.d. Exultabant sceptrigeri duces Ægyptij, quòd me conclusum in mari cernerent: putabant enim ibi me demorare; sicut quis potens exultat, cùm pauperem quem mactare vel spoliare intendit, in laqueos reperit, vbi nemo ei auxilietur.

Nota Propheta toto hoc carmine adeò celebrat stragem Pharaonis, & liberationem Hebræorum ex Ægypto: quia illi per omnia similis futura erat strages Chaldæorum, & liberatio Hebræorum ex Babylone, quam propriè ipse speculabat & sperabat: & vtraque similis fuit liberationi hominum è captiuitate peccati per Christum, quam vltimò & maximè ipse repræsentabat & meditabatur. Idita esse patet ex hisce tristrophis. D

Pharao,	Balsasar,	Diabolus.
Moses,	Cyrus.	Christus.
Ægyptus,	Babylon,	Peccatum.
Seruitus,	Captiuitas,	Tyrannis.
Mare rubrum,	Euphrates,	Iordanes.
Hebræi,	Iudæi,	Christiani.
Chanaan,	Iudæa,	Ecclesia.

Pharao enim tyrannus affligens & persequens Hebræos, typus fuit Balsasaris captiuos detinentis Iudæos: & vterque typus fuit diaboli, genus humanum opprimentis. Moses liberator Hebræorum & cæsor Pharaonis, fuit typus Cyri liberatoris Iudæorum per cædem Balsasaris: & vterque fuit typus Christi liberatoris fidelium per stragem diaboli. Ægyptus carcer Hebræorum, fuit typus Babylonis carceris Iudæorum: & vterque fuit typus peccati, mortis & inferni, cui quasi carceri mancipati erant homines peccatores. Seruitus Ægyptia fuit typus captiuitatis Babylonicæ: & vtraque typus fuit tyrannidis peccati & concupiscentiæ. Scidit Moses sua virga mare rubrum, itaque Hebræos liberauit, Ægyptios mersit: ita Cyrus scidit & diuisit Euphratem, ac per eius alueum siccum milites immisit in Babylonem, itaque Chaldæos occidit, Iudæos liberauit.

Alleg. Christus in Iordane baptizatur, fluenta baptismi segregans à vulgaribus aquis, per ea suos fideles traducens iustificat & saluat. Moses Hebræos ex Ægypto eduxit in Chanaan, Cyrus Iudæos è Babylone remisit Hierosolymam, Christus fideles è paganismo & iudaismo traduxit ad Ecclesiam, tum militantem, tum triumphantem. *Allegor.*

VIAM FECISTI IN MARI EQVIS TVIS] q.d. Tu Domine deducens filios Israel per mare rubrum, ita securè & gloriosè deduxisti eos in cõspectu hostium Ægyptiorum, ac si magno equitatu eos vallares & prosequereris. Poëticè enim equos & quadrigas Dei, vocat eius robur & potentiam; quæ plus valebit quàm omnes Pharaonis equi & equites, iuxta illud Psalm. 19 8. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus.* Propriè per equos hosce significat angelum in columna ignis & nubis præeuntem castra Hebræorum: hic enim cum angelis sibi assectis erat quasi equitatus & comitatus Hebræorum, eos deducens & defendens cõtra Ægyptios. Vnde de eo dicitur Exodi 14. 19. *Tollensq; se angelus Dei qui præcedebat castra Israel, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis prioris dimittens, post tergum stetit, inter castra Aegyptiorum & castra Israel.* Idem angelus paulò pòst iaculatus tela & fulmina in Ægyptios, eos prostrauit. Hoc est enim quod dicitur ibidem v. 24. *Et ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitus eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturq; in profundum.* Iure ergo hi vocãtur equi & equitatus Dei, qui totum Pharaonis equitatum deleuerunt. Vnde Chald. vertit, *manifestatus es super mare in quadriga gloriæ tuæ.* Similimodo Deus viam fecit equitibus Cyri in Euphrate, ad inuadendam Babylonem.

IN LVTO AQVARVM MVLTARVM] Alueum VERS. 15. maris rubri immisso vento iam siccarat Deus, vt sicco pede transirent Hebræi; eum tamen vocat *lutum*, quia paulò antè fuerat lutum, vel quia ad latera vtrimque aquis cooperta, inter quæ trãsierunt Hebræi, erat lutum plurimum. Pro *luto* hebr. est חֹמֶר *chemer*, pro quo Chald. & recentiores alijs punctis legunt חֹמֶר *chomer*, id est vtrem, vel aceruum, vnde vertunt, *in aceruo aquarum multarum*. Vtrimque enim in magnos quasi vtres & aceruos assurgebant aquæ, in quorum medio sicco pede transierunt Hebræi, iuxta illud psal. 77. 13. *Interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas quasi in vtre*; Septuag. vertunt, *superduxisti in mari equos tuos, conturbantes aquas multas*. Radix enim *chamar* significat miscere, turbare, confundere. vnde *chemer* significat lutum, vel vinum mistum & turbidum.

Allegor. Deus Apostolis quasi scidit flumina *Allegor.*

& maria, dum per hæc eis iter peruium fecit, vt totum orbem euangelizando peragrarent, & subigerent Christo. Vnde S. Augustl. lib. 18. Ciuit. 32. *Immisisti*, ait, *in mari equos tuos, turbantes aquas multas, quæ nihil sunt aliud, quàm populi multi. Non enim alij timore conuerterentur, alij furore persequerentur, nisi omnes turbarentur.*

Tropolog. simili modo per medias calamitates, quasi per medias maris aquas & fluctus, saluos & incolumes tuos fideles, cum ijs quasi incedens, cosque protegens, deducit & educit Christus, vel, vt S. Gregor. 34. Moral. 13. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum, ac si diceret: Aperuisti iter prædicatoribus tuis inter doctrinas mundi huius, sordida & terrena sapientes. Luto quippe inhærere, est sordidis desideriis concupiscentiæ carnalis inquinari.* Idem 31. Moral. c. 10. *Misisti*, inquit, *in mari equos tuos, conturbantes aquas multas: quietæ quippe aquæ iacuerunt; quia humanæ mentes diu sub vitiorum suorum torpore sopitæ sunt: sed equis Dei mare turbatum est, quia missis sanctis prædicatoribus omne cor quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expauit.*

16. Audiui, & conturbatus est venter meus: à voce contremuerunt labia mea.

Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat.

Vt requiescam in die tribulationis: vt ascendam ad populum accinctum nostrum.

17. Ficus enim non florebit: & non erit germen in vineis.

Mentietur opus oliuæ: & arua non afferent cibum.

Abscindetur de ouili pecus: & non erit armentum in præsepibus.

18. Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in Deo Iesu meo.

19. Deus Dominus fortitudo mea: & ponet pedes meos quasi ceruorum.

Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.

VERS. 16. AVDIVI] Redit hîc Propheta post carmen & epinicium victoriæ Dei ad v. 1. q. d. Talis quidem fuit victoria Dei contra Pharaonem, talisque erit contra Balsasarem; sed interim dum in statione mea vigil excubo, vt audiam Dei oraculum, vti dixi cap. 2. v. 1. ecce ab eo audiui, & audio, vt cœpi dicere v. 1. tantam stragem fore Iudæorum per Chaldæos, & Chaldæorum per Cyrum & Persas, vt eam cogitans contremiscam & cohorrescam, nimirum, vt dum eam rumino, cor mihi commoueri & vox tremere videatur. Tristes enim & atroces, etiam hostium, casus naturaliter horrorem incutiunt, & natura quemdam compassionis motum sensumque excitant, vti excitauit casus Babylonis Isaiæ c. 21. 3. ita S. Hieron. Hugo, Clarius & alij. Allegor. Theodor. q. d. Audiui à te Domine, quòd populus meus Christum sit occisurus, ideoque exscindendus à Tito: quocirca conturbatus sum & contremui; sed me consolor, quòd eo tempore non ero superstes, nec tanta mala videbo.

INGREDIATVR PVTREDO IN OSSIBVS MEIS] q. d. Sed quid me hisce stragibus frustra discrucio? iam enim à Deo absolutè decretæ sunt, ideoque ineuitabiles. Quid ergo? hoc vnum superest quod optem & orem, nimirum, opto Domine & oro, vt veniant in me omnes tribulationes & ærumnæ, adeò vt ossa mea putrescant, & caro mea instar S. Iob pus vomat, & vermibus scateat, dummodo mihi concedas vt requiescam in die tribulationis, id est excidij Babylonis, vt tunc cum Chaldæis non perimar à Persis, sed ex eo tempore Cyro redux ascendam ad populum nostrum, vt illi annumeratus, cum eo & inter eos sospes pergam in auitam patriam. Ipse enim deinde Zorobabele, instructa quasi acie accinctus ad iter, per medios hostes fortis & felix rediit in Iudæam. ita S. Hieron. Hugo & Iansenius. Aut q. d. Emoriar Domine, ne videam hanc tribulationem & captiuitatem gentis meæ; sed in somno mortis somno quiescens ascendam & transeam ad cœtum Abraham, Isaac, Iacob, Iosue, aliorumque virorum sanctorum & fortium è populo meo, qui olim pro gente sua armis accincti, insignes de hostibus victorias retulerunt.

Nota, hebr. pro יְגוּדֶנּוּ *iegudennu*, id est, *accinget eum*, Nostrum legisse יְגוּדֵנוּ *iegudenu*, id est, *quē accinget*, vel *qui accingetur nobu*, id est, *actus noster*. Rursum, *iegudenu* non tantum significat accinctum, sed & vnitum, collectum, colligatum, congregatum & coniunctū: inde enim turmæ & congregationes militum vocātur גְּדוּדִים *gedudim*. Iam fideles & sancti cùm diem suum obirent, dicebantur congregari & colligi ad populum suum, patribusque suis apponi & copulari, vt de Moyse dicitur Numer. 31. 2. de Iosia 2. Paral. 34. 28. Dicebantur autem pij viri colligi, seu colligeri in fasciculo viuentium, 1. Reg. 25. 29. vt instar odoratissimorum florum fasciculi, in aromata essent in manu Domini, Eccli. 39. 17. Ad hunc igitur floridissimum hortum Palæstinæ, fragrantissimis Patriarcharum, Prophetarum, cæterorumque iustorum floribus vernantem; ad hunc sanctorum populum iam accinctum, id est in fasciculo viuentium iam collectum & colligatum, in terra autem promissionis sepultum, se aliquando surum lætatur, simulque orat Habacuc, Hebræi populi repræsentans personam. Horum enim summum desiderium Israelitas in captiuitate tenuisse credibile est. Sic Iacob desiderauit sepeliri non in Ægypto, sed in Chanaan, vbi parentes Abraham & Isaac sepulti erant, Genes. 47. 29. Sic & Ioseph Genes. 50. 25. Quin & Æneas apud Virgil. Palinuri mortem deplorat, quòd longè à suis in peregrino solo sepeliretur:

O nimium cælo & pelago confise sereno,
Nudus in ignota Palinure iacebis arena.

Anhelabant ergo Israelitæ è Babylone redire & aggregari patribus suis sanctis, qui in Palæstina degebant sepulti, quasi stationarij quidem & præsidiarij terræ illius milites, quorum subsidio Iudæi tot periculis & calamitatibus erepti, tot beneficijs à Deo affecti iugiter extiterant. ita Gueuara.

Aliter vertit Pagninus nimirum, *ingressa est putredo in ossa mea, & in loco meo expansa, quia putabam requiescere in die angustiæ, quæ erit quando ille cogitabit ascendere contra populum, vt succedat nobis.* Aliter quoque Vatabl. & alij, dum suo more hos

Hebræa concisa variè supplent, à Vulgato recedunt. Porrò Gueuara in contrariam prorsus abit sententiam: censet enim hæc verba Prophetæ, non dolentis, sed lætantis esse ac gestientis ex hoc oraculo de Chaldæorũ excidio & Iudæorũ libertate. Solet enim vehemens lętitia totum corpus alterare ac commouere, imò euanescentibus spiritibus abire in deliquium ipsamque mortem. Multi enim ex repentino & ingenti gaudio animam exhalarunt, vti pluribus exemplis demonstrat Gueuara. Hunc ergo huius loci dat sensum. Audiui, inquit Habacuc, Babylonem à Cyro excindendam, & Iudæos meos ex ea liberandos; atque dum mentis auribus tam iucunda nuncia percipio, cor meum & omnia interiora mea tremefacta sunt, ac ad vocem & lætissimum hoc nuncium, præ gaudio contremuerunt labia mea. E cunctis enim membris tremor hæc maximè solet inuadere, labia, genua & cor. Ad subitas quippe animi perturbationes, siue tristitiæ sint, siue lætitiæ, cor palpitat, concutiuntur labia, & genua pariter collabuntur. *Venter* autem Hebræa dialecto Propheta pro corde posuit. A corde enim lætitiæ, sicut & mœroris, motus exoritur æquè ac in eodem desinit. Quidquid enim à collo vsque ad inguina est corporis, venter ab Hebræis vocatur. Quod autem sequitur: *Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scatet*, periphrasis est mortis, quæ teste Aristotele putredo quædam est. Is enim in Problem. quæsuit: *Cur diutiùs viuunt, qui locis calidis suam degunt ætatem?* Respondet, *An quia natura sunt siccior? Siccius autem diuturniusq;, quod siccius est: mors autem putredo quædam est.* Hac mortis periphrasi vsus est Iob, dicens cap. 13. v. 28. *Qui quasi putredo consumendus sum.* Et cap. 17. v. 14. *Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, & soror mea, vermibus.* Et cap. 25. v. 6. *Homo putredo, & filius hominis vermis.* Et Eccles. cap. 19. v. 3. *Qui se iungit fornicariis, erit cibus: putredo & vermes hereditabunt illum*, id est ex præcoci morte occumbet. Inquit igitur Habacuc: Audito tam hilari nuncio tanta lætitia præoccupatus sum, vt & intus totis visceribus, & labiis exteriùs contremiscerem, parumque abfuerit quin exanimatus putrefierem, & putridis vermibus scaterem; id est parum abfuit quin morerer risu, & tantam lætitiam non sustinens exanimarer. Aut q.d. Amodo iam ob tam fausum oraculum lætus morior, nuncque profectò compos est, cùm iam alacer & contentus occumbam: posthac licebit vtique per me, vt ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scatet. Atque vt dixit Chærea: *Nunc tempus profectò, cùm perpeti me possim interfici.* Verùm huic expositioni aduersatur id quod sequitur, *Vt requiescam in die tribulationis.* quæ verba significant hæc non esse lætantis, sed dolentis & pauentis, & ex pauore optantis quidlibet perpeti, vt in die tribulationis ei detur quiescere, eiusque malo & sensum euadere.

Mysticè, hæc vsurpet, hæc oret quisque fidelis, cum S. Augustin. dicat: Hîc vre, hîc seca Domine, vt in futuro parcas, vt in die iudicij requiescere merear, quando mystica Babylon, id est mundus, in quo est confusio tyrannorum superborum & vitiorum omniũ, à te disperdetur, in æternam gehennæ miseriam detrudetur: tunc enim, vt, cùm reprobi dicent montibus, Ca-

A dite super nos; & collibus, Operite nos; ego cum Sanctis ascendam ad populum electorum, cum eoque scandam in cælum, qui in hac vita armis spiritalibus accinctus, fortiter contra peccatum & diabolum dimicauit, ideoque in illa die corona æterna donabitur; vt sicut hîc accinctus fuit gladio ad prælium, ita ibi accinctus sit paludamento & baltheo gloriæ ad triumphum. Ita S. Augustin. in Manuali cap. 14. tom. 9. *O anima mea*, inquit, *si quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam longo tempore tolerare, vt Christum in gloria sua videre possemus, & Sanctis eius sociari, nónne dignum esse pati omne quod triste est, vt tanti boni tantæq; gloriæ participes haberemur? insidientur ergo dæmones, parent suas tentationes, frangant corpus ieiunia, premant carnem vestimenta, labores grauent, vigiliæ exsiccent, clamet in me ille, inquietet me*
B *ille vel ille, frigus incuruet, conscientia murmuret, calor vrat, caput doleat, pectus ardeat, infletur stomachus, pallescat vultus, infirmetur totum corpus, deficiat in dolore vita mea & anni mei in gemitibus, ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum.*

Denique S. Gregor. lib. 32. Moral. c. 10. ex Septuag. legit: *Et introiuit tremor in ossa mea, & subtus me turbata est virtus mea*, sicque explicat, q.d. *Non mea virtus est, in qua superiùs raptus imperturbabilis maneo: sed mea infirmitatis est, qua interiùs turbor. Ipse ergo super se imperturbabilis est, ipse sub se perturbabilis: quia super se ascenderat, inquantum rapiebatur ad summa, & sub semetipso erat, in quantũ adhuc reliquias trahebat in infima. Ipse super se imperturbabilis est, quia in Dei iam contemplationem*
C *transierat: ipse sub se perturbabilis, quia sub semetipso adhuc infirmus homo remanebat.* *Secundò.*

FICVS ENIM NON FLOREBIT] q.d. Tanta erit Babylonis per Cyrum vastitas, tantum incendium, tanta desolatio, vt exarescant ficus, vineæ, germina, oues & armenta. Chaldæus paraphrasticè & nimis liberè, imò violentè & falsè ita vertit, *etenim regnum Babel non permanebit, nec exercebit dominiũ in Israel: trucidabuntur reges Mediæ, & fortes Græciæ non prosperabuntur: delebuntur Romani, nec colligent tributum de Ierusalem.* Quæ verba redolent iudaismum: Iudæi enim expectant suum Messiam, qui deleat Romanos; Græcosque, Medos & alias gentes omnes sibi & Iudæis subigat. VERS. 17.

Mysticè S. Augustin. lib. 18. Ciuit. 32. hæc explicat de sterilitate bonorum spiritualium, quam
D passi sunt & patiuntur Iudæi ob cæsum Christũ. *Tropol.* *Vidit*, inquit, *eam gentem quæ Christum fuerat occisura, vbertatem copiarum spiritualium perdituram, quas per terrenam fœcunditatem more prophetico figurauit. Et quia iram Dei talem propterea passa est illa gens, quia Dei ignorans iustitiam, suam voluit constituere, ille continuò: Ego autem, inquit, in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.*

MENTIETVR OPVS OLIVÆ] Opus oliuæ est fructus oliuæ, quem producit olea. q.d. Olea non feret oliuas, quas frondendo promittebat, itaque fallet herum suum, eique quasi mentietur, dum spondebit fructum quem non præstabit. Vnde explicans subdit: *Et arua non afferent cibum.* Sic Horat. *Spem mentita seges.*

EGO AVTEM IN DOMINO GAVDEBO] Hebr. גִּיל *eloſa*, quod Græci dicunt ἀλαλάσω, Septuag. VERS. 18.

ptuag. ἀγαλλιάσομαι, id est exultabo, iubilabo, ca- A nam alala, idque *in Domino*, propter opem & salutem ab eo mihi præstitam. Gaudere in Domino, est de illius in nobis imperio, gubernatione & protectione lætari; quidquid boni ac læti interiùs aut exteriùs nobis contingit, illi acceptũ ferre, proque acceptis ab eo beneficijs gratias illi cum iucunditate & iubilo rependere. vide dicta Philip. 4. 4.

Nota γὰρ *autem*, quod hæc connectit & opponit præcedentibus. q. d. Hostes & oppressores nostri Chaldæi, in excidio Babylonis erunt in summa miseria, vastitate & desolatione rerum omnium: ego autem cum meis Iudæis ex Babylone liberandus & rediturus in patriam, in Domino iam felix gaudebo, qui iustã de Chaldæis sumpsit vltionem, nosque ereptos ex eorum seruitute & tyrannide, liberos & alacres domum B regredi concessit. Ipsum enim mihi hanc salutẽ, hoc decus, hanc felicitatem parasse, cum gaudio iugiter & gratiarum actione profitebor.

Et exvltabo; Tigurina, *gestiam*, in Deo Iesv meo] Pagnin. Vatablus & alij recentiores, *in Deo salute mea*, qui scilicet hanc è Babylone liberationem & salutem mihi attulit: hoc enim significat Hebr. יִשְׁעִי *iisci*. Sic Deus antonomasticè & metonymicè dicitur salus, quia salutis omnis fons est & auctor. Psal. 34. 3. *Dic animæ meæ, Salus tua ego sum.* Psalm. 39. *Domini est salus.* Psalm. 37. 23. *Domine Deus salutis meæ.* Psalm. 68. 30. *Salus tua Deus suscepit me.* Verùm meliùs & dulciùs, ait S. Augustin. lib. 18. Ciuit. 32. vertit Noster, *in Deo Iesu meo.* Legit enim pro *iisci*, alijs punctis יְשׁוּעִי *Iesuci*: *Iesuæ* enim est Iesus, *Iesui* est Iesus meus; vt significet teneras amoris delicias, instar S. Frãcisci iubilantis: *Deus meus Iesus meus, amor meus & omnia.* Sic quoque videntur legisse Septuag. vertunt enim, *in Deo salutari*, id est Saluatore, *meo*: Iesus enim idem est quod saluator. & Chaldæus, *in Deo factore redemptionis meæ*; Syrus, *& exultabo in Deo saluatore* (redemptore) *meo*; Arabicus Alexand. *& exultabo in Deo salutis meæ*; Arabicus Antioch. *& gaudebo in Deo Domino dominorum*, iubilando. Habacuc ergo in spiritu præuidens, Iosue qui eduxit Hebræos ex Ægypto, & Cyrum qui eosdem è Babylone liberauit, tam re, quàm nomine fuisse typos Iesu Christi, adeoque hanc liberationem & salutem populo Dei attulisse virtute diuinitatis & meritis humanitatis Iesu Christi: denique ipsum longè maiorem, æternamque redemptionem & salutem nascendo generi humano allaturum; exultans in spiritu iubilat, nomenque eius *Iesus*, sexcentis annis ante ortum eius prophetat & nominat, cum eoque dissuauiatur: quia præuidebat se & nos per eum liberandos ab hostibus omnibus, puta à dæmone, peccato, concupiscentia, carne, mundo, inferno, ac omni gratia, gloria, salute & felicitate cumulandos.

Moral. de nomine Iesu.

Moraliter, hîc discimus, quàm amabile & reuerendum sit nomẽ Iesu, vt in eo iugiter & exultare & gestire debeamus; ac dicere cum S. Bernard. *Iesus mel in ore, melos in aure, iubilus in corde.*

Primò.

Nomen enim Iesus significat Primò, omnia dona & bona ab eo nobis donari: hæc enim omnia complectitur nostra salus, quam attulit Iesus, id est saluator. Sicut ergo omnes aquæ è fua manant scaturigine & fonte, omnes radij lucis à so- le, omnes sinus & brachia maris ab Oceano; ita omnis virtus, omnis gratia & sanctitas in fi principio, medio & fine profluit à Iesu. Iesus est qui omnes sordes peccatorum suo sanguine abluit & abstergit, qui concupiscentiæ ardores sopit, qui consuetudinum malarum vincula rumpit, qui passionum furorem edomat, qui iugum & tyrannidem diaboli confringit, qui libertatem menti restituit, qui animam sua gratia exornat, eamque facit filiam, sponsam & templum Dei, qui conscientiam tranquillat & serenat, qui sensus internos spiritumque acuit & viuificat, qui intellectum rerum diuinarum cognitione illuminat, qui voluntatem earumdem desiderio inflammat, qui infirmitatem nostram corroborat, qui in tentatione dat victoriam, & in bello triũphum. Si in desolatione degis, Iesum inuoca, cõsolatorem experiere. Si timores, si scrupuli, & anxietates te stringunt, Iesum inuoca, dabit tibi cordis latitudinem & lætitiam. Si cholera te infestat, Iesum inuoca, felle passionis, & melle mansuetudinis eius dulcorabitur. Si paupertas, si morbus, si tribulationes, si hostes te inuadunt, Iesum fidenter inuoca: *Dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consurgant aduersum me castra, non timebit cor meum; si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.* Quocirca viri pij assidue in ore habent nomen Iesu & Mariæ, ad eumque crebrò suspirant, dicendo: Iesu esto omnis actionis meæ dux & director. Iesu esto mihi in labore adiutor, in dolore medicina, in æstu refrigerio, in morte vita. Iesu bone in omni actione & passione assiste mihi: redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Iesu dulcissime rape ad te cor meum: esto mihi Iesus, tui amore me inebria, vt nil cogitem, nil amem, nil desiderem nisi te. Mi Iesu in hora mortis adsis mihi, & suscipe spiritum meum, vt arctissimis amoris vinculis tibi vniar, & in æternum te fruar in cælo.

Secundò, nomen Iesus non tantùm significat saluatorem, & salutem quam nobis dedit, sed & modum quo nos saluauit, qui fuit eximius & admirabilis. Non enim vti verbo nos creauit, ita & verbo recreauit & saluauit; sed infirmitates nostras in se suscepit, vt eas in nobis sanaret: peccata nostra sua fecit, luitque in corpore suo acerbissimis pœnis, vt ea in nobis aboleret: mortem nostram in se suscepit, vt morte sua nobis vitam redderet. Cùm ergo Iesum dicimus, dicimus Verbum carnem factum, Deum humanatum, qui pro nobis iacuit in præsepio, circumcisus est, laborauit, sudauit, fleuit, famem, sitim, æstus, frigora tolerauit; qui pro nobis captus, verberatus, conspútus, irrisus, flagellatus, spinis coronatus, felle potatus, clauis confixus, crucifixus occisus est. Hæc omnia significamus, cùm Iesum nominamus. Quocirca nomen Iesu, vti summè est hominibus desiderabile, & angelis venerandum; ita summè dæmonibus est tremendum & horrendum, vt eo audito expauescant & diffugiant. Vide S. Bernard. serm. 15. in Cantica. Iesus ergo sit amor noster, & centrum cordis nostri. Iesus sit spiritus oris nostri, Thren. 4. 20. Iesus sit anima & vita nostra, vt sicut in illo secũdùm Deum viuimus, mouemur & sumus, ita illi soli gaudeamus & placeamus; illi soli loquamur, videamus,

mbulemus, operemur & patiamur quidlibet, A quantumuis difficile & arduum.

Præclarè S. Chryſoſt. homil. 11. in epiſt. 2. ad Corinth. *Cùm*, inquit, *per Chriſtum Ieſum mortuum viuamus, ei vtique, ob quem viuimus, viuere debemus.* Et S. Bernard ſerm. de quadruplici debito, hoc primo loco aſſignat. *Primò*, inquit, *Chriſto Ieſu debes omnem vitam tuam, quia ipſe vitam ſuam poſuit pro tua, & cruciatus amaros ſuſtinuit, ne tu perpetuos ſuſtineres.* Ac poſt multa in hanc rem, ita concludit: *Cùm ergo ei donauero quidquid ſum, quidquid poſſum, nónne iſtud eſt ſicut eſt ſtella ad ſolem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum?* Idem tract. de Dilig. Deo: *Si totum me debeo pro me facto, quid addam tam pro refecto, & refecto hoc modo? Nec enim tam facilè refectus, quàm factus. nam qui me ſemel & tantùm dicendo fecit, B in reficiendo profectò & dixit multa, & geſſit mira, & pertulit dura; nec tantùm dura, ſed & indigna. In prima opere me mihi dedit, in ſecundo ſe; & vbi ſe dedit, nec mihi reddidit. Datus ergo, & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid Deo retribuam pro ſe? Nam etiamſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum?*

DEVS DOMINVS FORTITVDO MEA] Hebr. יְהוָה אֲדֹנָי *Iehoua noſter elohim*, id eſt noſter prouiſor, gubernator & rector, eſt חֵילִי *cheli*, id eſt virtus mea, fortitudo mea, vigor meus, exercitus meus, vires meæ, robur meum. *Nullam enim aliâ niſi in Chriſto habebo virtutem, & cunctas legis iuſtitias quaſi quiſquilias computabo*, ait S. Hieronymus.

Porrò Propheta hîc exultat & triumphat, nõ in ſe, ſed in Domino, dicens: *Deus Dominus fortitudo mea.* Sicut enim aëris lumen eſt ſol; nec intereſt vtrùm hoc lumen innatum ei ſit, an à ſole C mutuatum, modò ita ei promptum ſit & ad manum, ac ſi ei eſſet innatum: ſic nos Dei & Ieſu viribus vtimur, ac ſi eſſent noſtræ, ideoque ipſe eſt fortitudo noſtra. Quid autem hæc eius fortitudo in nobis efficit? *Ponet*, inquit, *pedes meos quaſi ceruorum*, vt impigrè, alacriter & ſine fatigatione currant, non ſolùm in infimis & in planitie, ſed *ſuper excelſa* & difficilia quæque, idque me non dolente aut gemente, ſed *in pſalmis* cum iubilo & gratiarum actione canente. Id videre ad oculum eſt in nouitijs Religionum, quos Deus tãta lætitia, feruore & ſpiritu cumulat, vt ardua quæque Religionis exercitia alacres capeſſant, de quibus oppoſita & illuſtria exempla recenſet P. Platus lib. 3. de Bono ſtatus religioſi cap. 16.

ET PONIT PEDES MEOS QVASI CERVORVM] D Sub ceruis ceruas intellige. Nam ceruus, bos, equus, ouis, &c. tãm feminas, quàm mares ſignificant. Nam hebr. eſt אַיָּלוֹת *aialoth*, id eſt ceruarum. Ceruæ enim ceruis maribus ſunt velociores, quia cornibus, vt illi, non prægrauãtur. Mas etiam cùm pinguerit, quod valdè tempore frugum fit, nuſquam apparet, ſed longè ſecedit, vt à copulentiæ ſuæ grauitate capi ſe poſſe facilè ſentiat. Adde, quòd ferarum quadrupedũ, vt ait Ariſtot. cerua maximè prudentia excellere videatur. Quin & Q. Sertorij ceruam fatidicam alle Hiſpani crediderunt, ait Plinius lib. 8 cap. 32. Tũ quia cerua circa ſemitas parit, quò feræ propter homines minùs accedunt: tùm quia cùm peperit, inuolucrum primum exedit, mox ſeſe in herbam petit, quam cùm ederit, redit ad prolem. Præterea hinnulum quem genuit ducens in ſtabula, aſſuefacit quò refugere debeat. Saxum hoc eſt abruptum, vno aditu: quo loco etiamſi quis inuadit, exſpectare repugnareque, etiamſi excornis ſit, affirmant. Hæc omnia habet Ariſtot. lib. 9. Hiſtor. animal. cap. 5. & Plinius loco citato. At contrà maribus,

Degener eſt animus, pectuſq; ignobile ceruis.
Ingens ad faſtum cornu, ſed inutile pondus
Eminet, vt numquam confligere cornibus auſint.

Per ceruas ergo ſignificat Habacuc, Iudæos Deî ope non tantùm celerrimè è Babylone in antiqua ſtabula, & excelſa abruptaque ſaxa ac montes Palæſtinæ redituros; ſed etiam bello fore acres & martios, vt finitimis nationibus vrbis Ieruſalem reædificationem interpellantibus generosè reſiſtant, ijſque inuitis eam reſtaurent, inquit Gueuara.

Tropolog. S. Gregor. lib. 26. Moral. 10. *Electorum*, ait, *mentes cerui dicuntur, dum quæque quæ in hoc mundo obuiantia obſiſtere ſibi conſpiciunt, cõtemplationis ſaltu tranſcendunt, & more ceruorum deſpectis terrenarum rerum ſenſibus, in ſuperna, id eſt æterna, ſe euehunt.*

ET SVPER EXCELSA MEA, iuga collium & montium Iudææ, DEDVCET ME, hebr. יַדְרִיכֵנִי *iadricheni*, id eſt calcare me faciet, VICTOR IN PSALMIS CANENTEM] quibus ſcilicet læta Deo victori epinicia, laudes & gratiarum actiones cũ canticis, organis & iubilo perſonem & concrepẽ. Loquitur Habacuc in perſona non tam ſua, quã Iudæorum, qui feſtiuè redituri erant è Babylone. Nam ipſe eouſque non vixit, nec hunc reditum aut redeuntium gaudium vidit.

Myſticè, S. Hieron. in pſalm. 17. Deus, ait, dat ponitque nobis pedes quaſi ceruorum, imò ceruarum, cùm facit ſua conſolatione & gratia, quamentem mulcet, vt omnia mundi excelſa, tam inuitamenta, quàm impedimenta & tentamenta, omnia arduà virtutum opera, labores, dolores & cruces, non tantùm fortiter, ſed & alacriter, lætoque & hilari animo canentes & iubilantes (vnde aliqui vertunt, *ſuper colla inimicorum meorum imponet me*) tranſiliamus.

Anagogicè, per pedes ceruorum ſignificatur dos agilitatis, quæ Sanctos agillimè per excelſa cælorum tranſire, imò tranſuolare faciet. q. d. Deus peracto iudicio agillimè me cum alijs Sãctis ſuſtollet in cælum, vt ibi illi & Agno iuges concinam laudes, quas audiuit S. Iohãnes Apoc. 5. 12. Chriſto victori mortis, inferni & hoſtium omnium: *qui me omnem mundanam ſolemnitatem contemplatione cæleſtium tranſcendere fecit*, ait S. Hieron. Qui & addit: *Et ponet pedes meos quaſi ceruorum, vt calcem ſuper aſpidem & baſiliſcum*, &c. *Similis enim eſt fratruelis meus capreæ, aut hinnulo ceruorum*, Cant. 2. *Et quia ipſe eſt ceruus, mihi quoque donauit vt ceruus eſſem, ſublimis cornibus, findens vngulas, cibos ruminans, & ad odorem meum ſerpentes fugans, de quo dicitur pſalm. 28. Vox Domini perficientis ceruos. Ponet ergo pedes meos inter cæteros ceruos ſuos. & ad cæleſtia perducet. vt inter angelos canam gloriam Domini, & ſuper terram pacem hominibus bonæ voluntatis annunciem. Canam autem victoriam eius, & triumphum, & trophæum crucis.* *Anagog. pedes ceruorũ eſt dos agilitatis.*

VICTOR] Hebr. לַמְנַצֵּחַ *lamnatſeach*, id eſt *victori*, ſcilicet canentẽ me in pſalmis. Vnde Chald. *cuius*, inquit, *ſunt victoriæ & virtutes: proinde coram eo ego fides pulſo cum hymno meo*; & Pagnin. *victori*

in psalmis meis. ita & Tigurina, Vatabl. Gueuara, Ribera, Iansenius & alij passim, qui censent legendum *victori* (non *victor*) sic enim legit S. Hieron. in commentario, Remigius & alij. Videtur enim Propheta alludere ad psalmum 3. 4. 5. & sequentes, quibus titulus est *lamnatseach*, id est *vincenti*, scilicet Christo. Vnde Septuag. vertunt, *in finem*, id est Christo, qui legis & psalmorum est finis & scopus: illi enim psalmi sunt epinicia Christi. Licet Aquila, Theodot. Vatabl. Eugubin. Iansen. Arias, Genebrard. & alij recentiores passim cum Rabbinis censeant, *lamnatseach*, id est vincentem, vocari præfectum cantorum: vnde addit tã Psaltes, quàm Habacuc hîc in Hebr. בנגינות *binginot*, id est *in neginot*, quod genus est musices, vel instrumenti. Quocirca Tigurina vertit, *in excelsis meis incedere me faciet præfecto cantorũ in instrumentis meis musicis*, vt scilicet cum præfecto & subpræfecto, eo dirigente concinam psalmos in laudem Domini: vel q. d. Gratias agam Deo ductori meo, cantando psalmos illos, quibus titulus præfigitur *lamnatseach*, id est *vincenti*, hoc est præfecto cantorum. Hic enim ad literam intelligitur, cùm in titulo psalmi inscribitur *lamnatseach*, per quem allegor. intelligitur Christus. Radix enim נצח *natsach* significat instare, vrgere, vincere: inde præfectus, qui dirigit vrgetque cantores sibi subiectos, vocatur *menatseach*, id est vrgens, vincens, superans: quia ipse in musica & cantu princeps est, cæterosque cantores superat, cantumque ad finem vsque perurget & perducit. Vincit ergo ipse & triumphat in musica. Porrò quod aliqui censent hoc canticum ab Habacuc inscribi *lamnatseach*, id est præfecto cantorum, illique dicari, vt ipse illud in templo concini curet, sicut Dauid psalmos iam dictos eidem inscribit & destinat ad idipsum, non videtur verum: tum quia sic *lamnatseach* initio cantici ponendum fuisset, vti illud ponit Dauid initio psalmorum, non autem in fine, vti hîc ponitur; tum quia additur *binginotai*, id est in psalmis meis: psalmodiam ergo intelligit suam, non præfecti cantorum.

Verùm quia subinde (licet rarò & anomalè) litera *lamed*, quæ est initio *lamnatseach*, estque articulus & nota datiui casus, seruit nominatiuo, vt sit idem quod *he* demonstratiuum; hinc *lamnatseach* verti potest *victor* in nominatiuo. & ita legit Remig. Haymo, Albert. Hugo, Clarius & alij. Rursum *lamed* sæpè seruit accusatiuo: vnde *lamnatseach* verti potest, *victorem* æquè ac victori, & victor. Hæc tria hîc apposita sunt & connexa: vnde omnia videntur intenta & significata à Spiritu sancto, q. d. Deus ipse victor fecit me victorem per Iesum Christum, deditque vt Christo victori iuges & æternas laudes concinam, ac præsertim illos psalmos qui sunt epinicia Christi, ideoque inscribuntur *lamnatseach*. ita S. Hieron. Remig. Hic sensus plenus est, omnesque iam dictos complectitur.

Septuag. pro *lamnatseach* legentes לְנַצֵּחַ *lanetsach*, id est ad vrgendum vel vincendum, vertunt, *vt vincam in cantico eius.* q. d. Vt in laudando Deum, psallendo & gratias agendo cæteros vincam, imò eos vrgeam & sollicitem, vt pro me & mecum Deo psallant & iubilent. Vnde

Anageg. Anagogicè S. Hieron. hæc refert ad triumphos & hymnos Beatorum, postquã calcauerint excelsa quæque mundi. *Tunc*, inquit, *quicumque iustus & electione Dei dignus fuerit inuentus, loquetur exultans: Ego autem in Domino exultabo, gaudebo in Deo salutari meo. Dominus Deus fortitudo mea.* Is quasi positus à Deo super consummationem sæculi, vt postea ad superiora conscẽdat, & à Deo educatus ad summum, dicet: *Et ponet pedes meos in consummationem, super excelsa imponet me, vt cùm ab ἀγωνοθέτῃ Iesu, qui primus in agone superauit, præmia fuerit accepturus, positum, ego victa in carmine eius, & manus mea componant citharam, & psalterium, & omne canorum genus, scribamq; panegyricum triumphi.* Et Remigius: *Deducet*, inquit, *me super excelsa mea. Ipse autem deducet me, quia hæc non mea virtute efficiet, sed eius gratia. Deducet autem me cancentem victori, id est Christo triumphatori mortis & diaboli.* Deducet ergo me super excelsa, hoc est ad beatã superni ciuitatis frequentiam, quæ ex angelis & sanctis hominibus constat, vt illis admixtus atque coniunctus canam victori cum angelis: *Gloria in excelsis Deo.*

Moral. discę Prophetas & Sãctos, omnes fortes viros, virtutes, victorias & triumphos accepta referre Deo & Christo. Ita Iephte Iudic. 11. 2. *Nónne*, ait, *quæ possidet Chamos Deus tuus, tibi iure debentur? Quæ autem Dominus Deus noster victor adquisiuit, in nostram cedent possessionem.* Ita Dauid benedicens Domino 1. Paral. 29. 11. *Tua*, ait, *est Domine magnificentia, & potentia, & gloria atque victoria.* Ita Sapiens, Sap. 10. *Iusti*, ait, *tulerũt spolia impiorum, & decantauerunt Domine nomen sanctũ tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter.* Ita Moses parta victoria de Pharaone in mari rubro, *Cantemus*, inquit, *Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem proiecit in mare*, &c. Exodi 15. 1. Et cap. 17. 15. victo Amalec *ædificauit Moyses altare, & vocauit nomẽ eius, Dominus exaltatio mea.* Ita Iudith cæso Holoferne c. 16. 15. De victori hymnũ cecinit: *Hymnum cantemus*, ait, *Domino, hymnum nouum cantemus Deo nostro. Adonai Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest. Tibi seruiat omnis creatura*, &c. Multò magis Sancti victo diabolo, carne & mundo, triumphãtes & regnantes cũ Christo illi omne suum robur, victoriam & gloriã adscribunt. Hinc Apoc. 4. 10. *Procidebant*, ait Iohannes, *viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabãt viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, honorem & virtutem.* Et cap. 15. 2. *Vidi*, inquit, *tamquam mare vitreum, cantantes canticũ Moysi serui Dei, & canticum Agni.*

Porrò præclarè noster Leissius lib. 12. de Perfect. diuin. cap. 19. notat nos Deo nostro debere gratiarum actionem infinitam, nempe infinito tempore in futurum, infinito affectu & significatione gratitudinis, infinita cũ animi demissione, infinita mentis deuotione, infinito spiritus obsequio, vt cum Habacuc perpetim ei iubilemus. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Ratio est, quia beneficia eius, tum generalia creationis, incarnationis, passionis, Eucharistiæ, &c. tum peculiaria vocationis, iustificationis, & infinitorum beneficiorum tam naturalium quàm supernaturalium, quæ ab eo continuò gratis ex mera eius liberalitate accepimus, & accipimus; sempiterna sunt, & infinitæ æstimationis, non modò in seipsis, sed etiam ratione [illegible]

nobis sunt collata, & conferuntur, præser-
ta nos illis infinitè quodammodò sumus
ge; illa à summa illa & augustissima Dei
te, quam ne respicere quidem meremur,
nantur. Simili modo ob eadem, sed ma-
Verbum humanatū, putà Iesum Chri-
qui nostra caro, noster frater, imò pater &
tor fieri dignatus est, ideoque tot labo-
triginta tres annos pro nobis exantlauit,
issimā passionem, crucem & mortem pro
utrò libenſque sustinuit, denique se to-
quantus quantus est, nobis impendit & do-
vt nobis hanc victoriam, salutem & glo-
pararet (præsertim, quia multi ab eo sunt
sed pauci electi ad illam) debemus illi, to-
Sanctissimæ Trinitati infinitam laudem &
dictionem, infinitum amorem & obse-
tum quia infinito amore, obsequio, be-
ctione & laude, ob infinitam suam perfe-
nem, in se dignissimus est: tum quia eius la-
dolores, amores & beneficia ex parte sua
infinitam compensationem postulant,
mus ex parte creaturæ ea præstari non pos-
Mirum est homines cum sancta Magdalena,
Francisco, sancto Dominico non rapi in
dum cogitant & ruminant: *En Deus meus*
in carne, imò in cruce.

Infinitè itaque in omnibus absumus ab eo
ipsi est debitum, seu ab eo quod ipse ex na-
meretur, quodque nos ei debemus, licet

A soluendo non simus. Vt tamen quod possumus ei reddamus, crebrò cum Psalte psal. 102. ei iubilemus: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in miſericordia & miſerationibus: qui replet in bonis deſiderium tuum.* Et psal. 88. *Miſericordias Domini in æternum cantabo, in generatione & generationem annunciabo veritatem tuam in ore meo.* Insuper, quia eum laudare, eique gratias agere quas debemus, neutiquam sufficimus, inuitemus omnes angelos, omnes Beatos, omnes cælos, omnes creaturas, terrestres & cæ-
B lestes, vt nobiscum, & pro nobis Deo & Iesu Christo, de infinita in nos misericordia gratias agant, eumque laudent & benedicant, ac cum Daniele dicamus: *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite angeli Domino. Benedicite cæli Domino,* &c. Quin & diuino amore ebrij, optemus mille linguas, mille corda, mille animas, mille vitas, mille corpora, quæ in ipsius honorem consumamus & expendamus: imò optemus tantum eum amare & laudare, quantum eum amant & laudant omnes Sancti in cælo, ac eorum laudes & mentes quasi induamus, vt per eos Deum immensè diligamus, colamus, celebremus & glorificemus. Amen.

COMMENTARIA IN SOPHONIAM PROPHETAM.

ARGVMENTVM.

Sophonias quis?

SOphonias hebr. idem est quod *speculator Domini*. Radix enim צָפָה *tsapa* significat speculari: יָהּ *ia* est nomen Dei, putà per crasin idem quod Iehoua: vel *absconditus Domini*, à rad. צָפַן *tsaphan*, id est abscondit. Qui enim speculari volunt diuina, vti Prophetæ, necesse est vt mentem oculosque auocent à terra, eosque in Deo abscondant. *Sophonias*, inquit S. Hieron. ad Paulinum, *speculator & arcanorum Dei cognitor, audit clamorem à Porta piscium, & eiulatum à secunda, & contritionem à collibus. Indicit quoque vlulatum habitatoribus Pilæ: quia conticuit omnis populus Chanaan: disperierunt vniuersi qui inuoluti erant argento.* Idem hîc: *Sophonias*, ait, *Propheta, nomine (vt ita dicam) prophetico, & gloriosa maiorum suorum stirpe generatus est. Habuit enim patrem Chusi, auum Godoliam, proauum Amariam, atauum Ezeciam, & talem quadrigam ipse velut extremus auriga compleuit. Nomen Sophoniæ alij speculam, alij arcanum Domini transtulerunt. Siue igitur specula, siue absconditum Domini interpretetur, vtrumque Prophetæ conuenit. Dicitur enim ad Ezechielem: Fili hominis speculatorem te dedi domui Israel. Iste ergo Propheta, qui erat in specula & in sublimibus constitutus, & nouerat mysteria Domini, filius erat Chusi*, &c. Porrò S. Epiphan. in vita Sophoniæ: *Sophonias*, ait, *Propheta à monte Sarabatha è tribu ac prosapia erat Simeon. Is quoque de Hierosolyma prophetauit, nempe quòd multò foret satius, si in longum latumq; ædificaretur: super consummatione etiam Gentium, nec non & super confusione impiorum, deq; aduentu Domini. Vitam morte commutauit in apocalypsi Domini; & solitarius in aruo suo funeratus est.* Eadem habet S. Dorotheus & Isidorus in Sophonia. Denique Sophonias Sanctorum catalogo adscriptus legitur in Martyrol. Romano die 3. Decembris.

Quando prophetauerit.

Prophetauit tempore Iosiæ regis Iuda, vt ipse ait cap. 1. v. 1. qui fuit rex piissimus, fidemque & cultum veri Dei, euersis excelsis & idolis, in Ierusalem restituit. Eodem tempore prophetauit Ieremias, vt ipse ait c. 1. 1. & Holda prophetissa 4. Reg. 22. 14. Tradunt Hebræi, & ex iis Arias, Vatabl. & à Castro, Ieremiam prophetasse publicè in plateis, Sophoniam in Synagogis, Holdam in cœtibus mulierum: licet Ribera id ridiculum censeat, & rideat. Præcessit ergo Sophonias Ezechielem & Danielem, qui sub Ioachin A nepote Iosiæ, vt patet ex eorum exordio, prophetarunt. Hinc sequitur, Sophoniam prophetasse post vastatam Samariam & captiuitatem decem tribuum (hæ enim in Assyriam abductæ sunt anno sexto Ezechiæ, qui fuit atauus Iosiæ) ac consequenter eum vaticinari solis duabus tribubus reliquis, putà Iudæ & Beniamin. Hasce ergo hortatur ad pœnitentiam, præsertim vt relicta idololatria ad Dei cultum redeant: ni id faciant, minatur eis ineuitabile excidium per Nabuchodonosorem, æquè ac Ammonitis, Moabitis, Æthiopibus & Assyriis. Tandem consolatur eas spe liberationis & reditus è Babylone, ac magis promissione Christi liberatoris, qui per suam incarnationem omnibus gentibus salutem afferret, inquit Theodor. dando euangelicam legem, B in qua tam Gentes, quàm Iudæi sanctè & feliciter sint victuri, vsque ad finem mundi diemque iudicij, quando Iudæi alijq; infideles qui Christum recipere noluerunt, damnabuntur, & æternis gehennæ pœnis addicentur. Censet Ribera Sophoniam prophetasse primis octodecim annis Iosiæ: nam anno 18. Iosias templum & populum ab idolis emundauit, & Deo reconciliauit, ita vt deinceps populus sub eo non colucrit idola, quæ hîc redarguit Sophonias. Verùm hæc ratio non concludit certò. Nam Ieremias cœpit prophetare anno 13. Iosiæ, & perrexit continuare sub eo detonare contra idola: quia licet ea publicè à Iosia essent abolita, priuatim tamen adhuc à multis retinebantur & colebantur, ita S. Hieron. Sophonias ergo ex alta reuelationis diuinæ specula, eminus speculatur diem excidij vrbis Ierusalē, & alleg. orbis vniuersi. Vnde inclamat diem C illam fore tribulationis & angustiæ, diem calamitatis & miseriæ, diem tenebrarum & caliginis, diem nebulæ & turbinis, diem tubæ & clangoris, vt eius terrore & horrore omnes impellat ad pœnitentiam, lachrymas & preces, æquè ac fecit Ioël, cui similis in stylo & patho est Sophonias, atque Ieremias, cuius quasi compendium & abbreuiator est Sophonias, inquit Isidorus. Vnumque imitetur concionator, qui non auris vellicare, sed esse malleus Domini conterens petras, saxea inquam peccatorum pectora. Id faciet, si discat esse Sophonias, si in specula cum Deo versetur: ibi enim videbit quis quantus sit Deus, ac despiciet hoc terræ punctum, & quæcumque in ea punctula sunt despuet.

Pro-

Præclarè Seneca epist. 41. *Quemadmodum, inquit, solis radij contingunt quidem terram, sed ibi sunt non mittuntur: sic animus magnus & sacer, & in hoc demissus, vt propiùs diuina nosse mus, conuersatur quidem nobiscum, sed haret origini suæ: illinc pendet: illuc spectat ac nititur.*

Præclariùs S. Gregor. homil. 11. in Ezech. *Cui, inquit, aliena cura committitur, speculator vocatur, vt in altitudine mentis sedeat, atque vocabulum nomen ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator, qui in imo est. Speculator quippe semper in altitudine stat, vt quidquid venturum est, longè prospiciat. Et qui cuiuis populi speculator ponitur, in altum debet stare per vitam, vt possit prodesse per prouidentiam. Hinc Propheta alium speculatorem admonet dicens: Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion.* Isaiæ 48. *Vt videlicet qui prædicationis locum suscipit, ad altitudinem bonæ transeat actionis, ad excelsa transeat, & eorum qui sibi commissi sunt opera transcendat.*

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Prædicit Deus excidium Hierosolymæ, ob incolarum peccata, per Chaldæos quasi sanctos sacerdotes, qui impios Iudæos, quasi hostiam, iustitiæ & vindictæ suæ immolent. Vnde v. 10. Iudæorum clamorem & vlulatum describit: quia, inquit, scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis. *Denique v. 14 acerbitatem huius diei repræsentans ait, hanc diem fore diem calamitatis & miseriæ, æquè ac iræ & zeli Dei, à qua nemo se per aurum vel argentum redimere poterit.*

VERBVM Domini quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filij Godoliæ, filij Amariæ, filij Ezeciæ, in diebus Iosiæ filij Amon regis Iudæ.

2. Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus:

3. congregans hominem & pecus, congregans volatilia cæli, & pisces maris: & ruinæ impiorum erunt: & disperdam homines à facie terræ, dicit Dominus.

4. Et extendam manum meam super Iudam, & super omnes habitantes Ierusalem: & disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina ædituorum cum sacerdotibus;

5. & eos qui adorant super tecta militiam cæli, & adorant & iurant in Domino & iurant in Melchom.

6. Et qui auertuntur de post tergum Domini, & qui non quæsierunt Dominum, nec inuestigauerunt eum.

7. Silete à facie Domini Dei: quia iuxta est dies Domini, quia præparauit Dominus hostiam: sanctificauit vocatos suos.

8. Et erit: in die hostiæ Domini, visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes qui induti sunt veste peregrina:

9. & visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super limen in die illa: qui complent domum Domini Dei sui iniquitate & dolo.

D SOPHONIAM FILIVM CHVSI] *Tradunt Hebræi*, ait S. Hieron. *cuiuscumque Prophetæ pater aut auus ponatur in titulo, ipsos quoque Prophetas fuisse. Vnde & Amos vnus de duodecim Prophetis, qui dixerat, Non sum Propheta, nec filius Prophetæ, sed pastor caprarum vellicans sycomoros, patris nomen in titulo non habet. Hoc si verum est, Sophonias gloriosa maiorum suorum stirpe generatus est.* Deinde Symbolicè nomina singulorum explicans: *Sophonias*, inquit, *qui erat in specula & in sublimibus constitutus, & nouerat sublimia Domini, filius erat Chusi, qui interpretatur humilitas. Habebat quoque auum Godoliam, qui dicitur magnitudo Domini: & proauum Amariam, qui & ipse vertitur in sermonem Domini: & atauum Ezechiam, qui sonat fortitudo Domini. De fortitudine itaque Domini natus est sermo Domini, & de sermone Domini nata est magnitudo Domini, & de magnitudine nata est humilitas* (viri enim sapientes & sancti quo magis à Deo illuminantur, & tolluntur in altum, eo magis cognoscunt Deum esse omnia, se verò nihil, ideoque magis se sub eo humiliant & deprimũt) *vt, cùm peruenerit aliquis ad perfectum dicat: Quia non sum dignus vocari Apostolus. Et illud in psalmũ: Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.* Hanc Hebræorum traditionẽ sequuntur Albertus, Haymo, Remig. Lyran. Hugo, Vatabl. Dionys. & alij passim: quia tunc cum propagatione generis fiebat propagatio religionis, ait S. August. & ex eo Albertus. Verùm an hæc traditio per omnia vera & certa sit, discussi in procœmio. Sufficit hoc loco dicere, hosce patres & auos Sophoniæ fuisse claros & illustres, vndecumque id acciderit, ideoque hìc nominari. ita Vatabl.

EZECIÆ] Rabbini censent hunc esse Ezechiam regem Iuda, ita vt eius abnepos fuerit Sophonias. Verùm id impugnat Ribera, à Castro & alij: nam hoc non tacuisset Sophonias, qui ex genere hìc sibi auctoritatem conciliat. Adde, Scriptura 4. Reg. 20. 21. & Ioseph. lib. 10. Antiq. 3. non alium Ezechiæ regis filium assignant, quàm Manassem.

CONGREGANS CONGREGABO OMNIA A FACIE TERRÆ] q.d. Certò & omnino coacerabo & colligam in captiuitatem & interitum, tradendo Chaldæis omnes incolas & omnia prædia terræ huius, scilicet Iudææ. Loquitur enim de strage & captiuitate Iudæ, non aliarum gentium, VERS. 2.

tium.*omnia* ergo, scilicet homines, pecora, volatilia & pisces maris, vti explicans subiungit. Vnde Tigurina vertit,*conficiendo conficiam omnia*; Vatabl.*perdendo perdam*; Complut.*consumens consumam*; alij propriè,*colligam vt perdam,congregabo vt faciam deficere.* Quocirca Septuag. vertunt,*defectione deficiet homo & iumenta.* Vbi Nota. Defectio, mors, interitus in Script. vocatur collectio. Causam dat noster Pineda in c.34.Iob v.14.n.5. Quia, inquit, cùm à Deo deriuetur omnis vita rerum viuentium,quod in illa simplicissima Dei vita vnitum est & collectum,hoc per exitum ad creaturas videtur diuidi, & dispergi in multa viuentia. Rursus, cùm vita aufertur viuentibus, videtur id quod erat diuisum in viuentibus atque dispersum, vniri & colligi in suo principio, & vita illa participata reuocari ad primam vitam & fontem viuendi. Vnde colligere idem est quod disperdere aut perire, eò quòd cùm vita aufertur viuentibus,illaque pereunt,videtur illa ipsa vita congregari & rursus colligi in Deo, vt *spiritus redeat ad Deum qui fecit illum*, Eccles.12.7. Rursum res omnes & animantia,excepto homine, cùm intereunt, congregantur & redeunt in suam abyssum nihili, ex qua Deus eas creando ad tempus eduxit.

VERS.3. VOLATILIA CÆLI ET PISCES] Quia, vt ait S.Hieron. *vastatis vrbibus,& hominibus interfectis, solitudinem & raritatem bestiarum quoque fieri, & volatilium piscium q; testis est Illyricus, testis Thracia,testis in quo ortus sum solum, vbi præter cælum & terram, & crescentes vepres & condensa siluarum, cuncta perierunt.* Addit Sanchez, perire dici ea quorum non est vsus. q.d. Vobis,ô Iudæi,in Babylone captiuis peribunt aues & pisces Iudææ, quia eas amplius aucupio capere & expiscari non poteritis.

Symbolicè, Albertus per homines accipit ciues, per pecus rusticos, per volatile principes & arrogantes, per pisces gulæ & veneri addictos. pisces enim semine & fœtu luxuriant.

ET RVINÆ IMPIORVM ERVNT] Pro *ruinæ* hebr.est מִכְשְׁלוֹת *machscheloth*, id est ruinæ, lapsus,offendicula,scãdala:per quæ Primò,Chald. actiuè accipit idololatriam & scelera, in quæ Iudæi prolapsi scandalum aliis gentibus dederunt. Vnde vertit,*conficiam auem calorum,& pisces maris,eò quòd multiplicatum sit offendiculum impiorum.* Hinc & Vatabl.vertit, *offendicula inuenient improbos*,id est,improbi idololatræ ob suam impietatem dabunt grauissimas pœnas. Alij,*congregabo scandala*, id est idola, *impiorum*,eaque cum impiis traducam in Babylonem. Secundò, alij passiuè hæc accipiunt. Vnde Noster vertit,*ruinæ impiorum erunt*; & Septuag. *infirmabuntur impij*; alij,*corruent impij*.

VERS.4. DISPERDAM] funditus. Hebr.enim est הַכְרִתִי *hichratti*, id est exscindam; Septuag. *auferam*; Chald.*delebo*; Pagnin.*succidam homines de superficie terræ.*

DISPERDAM RELIQVIAS BAAL] Putà reliquias templorum, altarium, idolorum, sacerdotum, cultorum & cultus Baal.

NOMINA ÆDITVORVM CVM SACERDOTIBVS] q.d. Disperdam ædituos & sacerdotes Baal,adeò vt deinceps ne nominentur quidem,nec vlla eorum memoria, nomen aut fama supersit. Sic ait Poëta: *Noli*

Respicere ad fumos,& nomina vana Catenum.

Secundò, *nomina ædituorum* sunt ipsi æditui,nomine suo nominati,vt sit metonymia.

Ædituus vocatur minister templi Baal ita dictus,non quasi adolens thus,vt aliqui volunt, sed quasi sacræ ædis tutor,id est curam agens,inquit Festus. Ædituor enim idem est quod ædem tueor. Idem dictus est Æditimus,quasi ædis itimus,ait Festus:licet Cicero in Topicis,*in finitimo,legitimo,æditimo*,censeat non plus esse *timum*, quàm in meditullio *tullium*, scilicet vtrumque tantùm productionem esse nominis. Vide Gellium libr.12.c.10. Lucretius libr.6. hosce vocat Ædituentes,quasi ædem tuentes. Sic iam Roma quodque templum suos habet ædituos,quorum officium est templum, eiusque supellectilem, vestes & vasa custodire, mundare, ornare; dare hostias,vinum,ministros, aliaque ad sacrificium necessaria;peregrinos excipere,Martyrum reliquias & monumenta ostendere,&c. Hebr.vocantur כְּמָרִים *kemarim*, q.d. Accensores ignis & thuris, thurificatores, à rad. כָּמַר *kamar*, id est accendit,vsit,exarsit. Horum ergo officium fuisse videtur thurificare,& quasi diaconos subseruire sacerdoti victimas mactanti. Vnde 4.Reg. 23.5.dicitur: *Deleuit Iosias kemarim,quos posuerant reges Iuda ad sacrificandum*, hebr. לְקַטֵּר *lecatter*,id est ad suffumigandum, vel adolendum thus, *in excelso*. Alij vt Vatabl.& Mariana, volunt dictos *kemarim*,quasi exustos,id est atros,ab atro & pullo vestitu. Vnde Pagnin vertit,*qui nigras induxerat vestes*. Hebræorum enim sacerdotes erant candidati:sacrificabant enim tunica linea induti, Exodi 28.v.40. æquè ac Ægyptij, qui inde Linigeri sunt dicti,vt dixi Ierem.13. Sic & in sacris Elusiniæ Deæ sacerdotes amiciri albis,docet Tertull. libr.de Pallio.ita Sanchez. Alij,quòd essent inclusi quasi monachi in monasteriis. ita Marius in Lexico,qui censet *kemarim* esse vocem Chaldaicam. Alij,à stigmatibus,quæ in facie & in corpore inusta gestabant. Alij,ab ardore deuotionis, quo erant accensi in sacris suis peragendis. Verùm primum quod dixi verius videtur. Simies hisce fuerunt apud Gentiles Romæ virgines Vestales, & magis in Cappadocia Magi, dicti Pyreti, à pyra, id est igne, eò quòd ignem, id est ignem sacrum,seruarent & fouerent,ne quando extingueretur, cum certis precibus & cæremoniis,vti docet Strabo lib.15. Quocirca *kemarim* videntur fuisse simij & æmuli ædituorum, quos Deus iusserat seruare & fouere noctu diuque ignem sacrum,quo comburendæ erant victimæ, Leuit.6.12. quo pariter igne quotidie,tam manè quàm vesperè, thymiama erat incendendum & adolendum Deo,Exodi 30.7. Itaque *kemarim* officium erat, Primò,ignem sacrum perpetuò accensum seruare & nutrire:indè, quòd vocantur à Prophetis per irrisionem *kemarim*, id est exusti, fuliginosi & atri, q.d. carbonarij, qui ab igne & carbonibus denigrati,Æthiopum vel dæmonum habent colorem & formam. Secundò,thus adolere idolis,vt patet 4.Reg.23. Tertiò,subseruire sacerdotibus in sacrificiis. Vnde sacerdotibus hîc,quasi eorum ministri & discipuli secernuntur &distinguuntur. Ait enim: *Et nomina ædituorum cum sacerdotibus*, vtique non Dei, sed Baal,inquit Remig.Albert.Ribera & alij cum S. Hieron.cum suis assectis,sacerdotes hîc recens

præcipiat; sed eos dumtaxat qui simul cum A Deo colebant idola, quos infectatur Ezechiel c.8.3. & seqq. de quibus 4.Reg.17.31.33. Fatetur tamen aliquos ex hisce *kemarim* fuisse sacerdotes: ita enim vertunt hic Septuag. Adde sanctificare, quod erat officium *kemarim*, est enim sacrificare. Primum enim veterum sacrificium fuit oblatio & incensio thuris. Vnde thymiama Deo vero; quasi sacrificium bis quotidie adolebatur in altari thymiamatis, quin & omni sacrificio carneo, putà ouis, capræ & boui, Hebræi iussu Dei imponebant & adolebant thus; ac per hoc significabant, victimam sanctari & sacrificari Deo, vt patet Leuit.2.1. Videtur ergo hi *kemarim* apud Gentiles fuisse idem quod apud Christianos, præsertim Romanos, sacerdotibus, præsertim Romanos, sive editui, qui curam habent templi, altarium B & sacrorum: inter quos alij sunt Sacerdotes, alij Clerici, quibus præsunt Canonici, quorum caput est Decanus, Præpositus vel Episcopus. Munus ergo *kemarim* erant, templum custodire, aperire, claudere, purgare, ornare, aduenas docere cæremonias & cultum Baal, sive idoli & Dei sui, oblationes excipere, dies festos adornare, choros cæremonij & choreas salientium ordinare, imò & more furentium & bacchantium. Vnde & Hieron. *kemarim* vertit fanaticos, quasi enthusiasmo actos, & dæmonis spiritu afflatos. Hinc Osea c.10.5. ait: *Et kemarim eius qui de illo exultabant*, vt habent Hebr. Alludit enim vox כְּמָר *kemar*, vnde *kemarim*, ad חָמַר *chamar*, quod significat turbari instar ebrij & insani, vel instar vini feculenti, misti & turbidi, indeque bacchari C & insanire.

Et eos qui adorant svper tecta] quæ in Iudæa & Syria etiamnum plana sunt, quasi cubicula sub dio, in quibus incolæ ambulant, prandent, cœnant, imò & in æstate noctu dormiunt, vt mihi Romæ viri graues, iique oculati testes narrarunt. Hæc ergo tecta conscendebant Iudæi astricolæ, vt ex iis liberè & planè contemplarentur & adorarent *militiam cæli*, putà solem, lunam, lucriferum, aliasque stellas & astra: quæ enim multa sunt, & ordinata instar exercitus, motoque suo, loco & ordine statò incedunt instar aciei instructæ; hinc vocantur militia cæli, cuius rex est sol, regina luna, signifer Venus, siue Lucifer. Hinc Iudæi dicunt Ieremiæ (qui Sophoniæ fuit synchronos & coæuus) c.44.25. *Faciamus vota nostra quæ fecimus, vt sacrificemus reginæ cæli* (id est lunæ) *& libemus ei libamina.* Et c.7.18. *Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli*; quibus ipse denuntiat c.10.2. *A signis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes*, q.d. Nolite colere astra cæli, quæ colunt Gentes. Timere enim in Script. est colere, reuereri, adorare. Vide quæ illo locis annotaui. Sic apud Gentiles multi fuerunt cælicolæ & solicolæ, æstimantes cælum, solem & sidera ob pulchritudinem, celsitudinem, magnitudinem, influxum, ordinem & splendorem esse animata, eaque numina: quos detestans Iob c.31.26. *Si vidi*, inquit, *solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè: & lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum* (id est adoraui ea, osculando manum meam ore meo: *quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum.* Et Sapient.13.1. *Solem & lunam, rectores orbis terrarum, deos putauerunt: quorum si specie delectati, deos putauerunt, sciant quanto his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit.*

Et adorant et ivrant in Domino, et ivrant in Melchom] iurant tam per Melchom, quàm per Deum verum: quia vtrumque vt numen colunt & adorant. Iuramentum enim est actus latriæ: dum enim iuramus per aliquem, hoc ipso confitemur & protestamur ipsum esse primam & increatam (hæc enim sola est infallibilis) veritatem, ideoque esse Deum.

Taxat Iudæos quòd cum Deo vero colerent deos gentium vicinarum, putà Melchom Deum Ammonitarum, ita Theodoret. Remig. Albert. Hugo & Lyran. Nota, *τὸ in Domino* quatenus refertur ad *iurant*, idem esse quod *per Dominum*: quatenus verò refertur ad *adorant*, idem esse quod *Dominum*. Hebræi enim verba contactus, siue corporalis, siue spiritualis, qualis est adoratio, construunt cum *beth*, id est *in*; vt credere in Deo, est credere Deo, vel Deum: inuocare in nomine Domini, est inuocare nomen Domini, &c. Hebr. est, *iurant per Melchom*, id est regem suum. ita Septuag. Tigurina, Vatabl. & Pagnin. hoc est, iurant per idolum suum, quod pro suo Deo & rege habent, ideoque nuncupant illud Melech, Moloch, Melchom, Malcam, id est regem suum. Hæc enim omnia vnum idemque sunt. Perperam ergo Arias sic exponit, q.d. Qui vt regi suo adulentur, æquè per eum, ac per Deum iurant. Nam iurare per regem, est licitum: qui enim per regem iurat, per Deum, qui eum regem constituit, iurat; vti in simili docet Christus Matth.23.20. Ita Ioseph iurat per salutem Pharaonis, Genes.42.v.15. & Thecuitis per salutem Dauidis, 2.Reg.14.19.

Qvi avertvntvr de post tergvm Domini] putà qui tergum Domini, id est Dominum, sequi nolunt, sed ei tergum obuertunt, hoc est, ab eo recedunt, dum eum auersantur & spernunt. ita Septuag. vnde Chald. *qui auertuntur retrorsum à cultu Domini*; Pagnin. *qui retrocedunt vt non eant post Dominũ*; Tigurina, *qui à Domino sunt abstracti.* Vers.6.

Qvi non qvæsiervnt Dominvm, nec investigavervnt evm] Moral. Quærunt & inuestigant Deum, Primò, infideles & ignorantes, qui inquirunt quis & qualis sit Deus. Secundò, peccatores, qui per peccatum Deum Deique gratiam perdiderunt: hi pœnitendo eum requirunt, rogantes vt ad eos & cum eis in gratiam redeat. D Tertiò, egentes & afflicti, qui à Deo opem putà lumen, consilium, auxilium, robur, directionem poscunt. Vnde Vatabl. vertit, *neque implorant opem Domini, neque consulunt eum.* Sic & Chald. Sapienter monet Psaltes: *Quærite*, inquit, *Dominum, & confirmamini: quærite faciem eius semper.*

Silete a facie Domini] Hoc est, vt Septuag. εὐλαβεῖσθε, id est silentes timete & reuereamini Dominum. est metalepsis, vel catachresis: silentium enim reuerentiæ, timoris, admirationis & stuporis est indicium, ideoque pro illis hic ponitur. ita Theodor. Vide dicta Habacuc 2.v.vlt. Vnde Syrus & Arabicus vterque vertunt, *timete à conspectu Domini.* Aliter Albertus & Hugo, q.d. Obmutescite coram Deo vindice; quia adest dies Domini, quo ipse vos exscindet & disperdet. Et Clarius, q.d. Silete, id est silenter exspectate, & mox videbitis iram & vastitatem Domini. Vers.7.

mini. Et Chald. *pereatis*, inquit *funditus omnes impij* A *à conspectu Domini*; quasi silere idē sit quod perire & interire. Mortui enim silent; vnde locus mortuorū hebr. vocatur דומה *duma*, id est silētium.

QVIA IVXTA EST DIES DOMINI] Arabicus, *quia iam propè est dies iudicij*, putà dies iustitiæ & vindictæ Domini exercendæ in Iudæos per Chaldæos. Sic dies iudicij vocatur dies Domini, reliqui sunt dies hominū, quibus agunt quod lubet: sicut dies hebdomadæ sunt dies discipulorum, sed sabbatum est dies ludimagistri, quo totius hebdomadæ pensum à discipulis exigit, & diligentes præmiat, negligentes vel petulantes castigat & flagellat.

QVIA PRÆPARAVIT DOMINVS HOSTIAM: SANCTIFICAVIT VOCATOS SVOS] Est metaphora continua, siue allegoria. stragem enim Iudæo- B rum, vtpote impiorum, vocat sacrificium, idque publicum & solemne; in quo hostiæ sunt Iudæi mactandi: dies sacrificij est dies excidij Hierosolymæ & templi: sacerdotes sunt Chaldæi, qui hanc victimam Deo & diuinæ iustitiæ immolant. Vnde dicuntur vocati & sanctificati à Deo: quia Deus eos è Chaldæa euocauit, suosq; quasi milites, imò ministros & sacerdotes, auctorauit & consecrauit, quando eos elegit & destinauit laniones Iudæorum, vt eos quasi sanctam victimam diuinæ suæ vindictæ offerrent & iugularent. ita S. Hieron. Theodoret. Haymo, Lyran. & alij passim, nisi quòd Chald. Vatabl. & Clarius, per vocatos intelligunt, non sacerdotes, sed conuiuas, putà aues & feras, quos Deus ad solemne hoc epulum euocet, vt Iudæorum cadauera à C Chaldæis cæsa deuorent. Vnde Arabicus Antioch. vertit, *paranit victimas Dominus, & notificauit iis qui sunt conuiuij sui*; clariùs verò Arabicus Alexandr. *præparauit Dominus mactationem* (id est victimas mactatas ad epulum) *& sanctificauit vocatos*; & Syrus, *præparauit Dominus victimam*, vel *conuiuium, & inuitauit vocatos suos*. Alludit ad votum חרם *cherem*, seu anathematis, quo res vel pia, vel impia, tota per mortem, vel ciuilem, vel naturalem, Deo mactanda & sacranda erat. de quo plura dixi Leuit. vltim. v. 28. & Rom. 9. 9.

Moraliter, disce hîc quàm iniustitia & scelera sint Deo inuisa, quamque ex aduerso iustitia & scelerum vindicta ei sit chara, curæ, honori, voluptati; nimirum perinde ac est sacrificium solemne, vel holocaustum, quod ei tamquam summo rerum domino offertur, & ab eodem in D odore suauitatis excipitur: adeò vt reges & tyrannos, licet infideles & impios, qui hanc vindictam peragunt, vocet suos milites, suos sanctificatos, suos sacerdotes. Hinc iisdem per Ieremiam cap. 6. 4. mandat & edicit: *Sanctificate super eum* (contra Ierusalem) *bellum*. Et Isaiæ 13. 3. de Cyro & Persis vastaturis impiam Babylonem, ait: *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea*. Quin & Ierem. 48. 10. vindictam hanc impiorum Moabitarum, Chaldæis sub interminatione maledictionis imperat & indicit: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*. Quodnam hoc opus? Audi: *Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine*. Ex aduerso Sapiens c. 14. 7. *Benedictum est lignum*, inquit, *per quod fit iustitia*.

VERS. 8. IN DIE HOSTIÆ DOMINI (excidij Ierusalem, quando ipsa futura est hostia, mactanda à Chaldæis Domino) VISITABO SVPER PRINCIPES, ET SVPER FILIOS REGIS] Sedeciæ. Nabuchodonosor enim capta Ierusalem, *iugulauit filios Sedeciæ in oculis eius: sed & omnes principes Iuda occidit*, vt dicitur 4. Reg. 25. 7. ita Lyran. Arias. Vatabl. & alij. Aliter S. Hieron. Theodor. Remig. eorumque sequaces, qui per filios regis accipiunt filios Iosiæ: è quibus Ioachaz abductus fuit in captiuitatem à Pharaone, Ioakim à Chaldæis occisus, Sedecias excæcatus, Ioachin ductus in Babylonem. Verùm diem hostiæ vocat diem excidij, in quo non alius fuit rex Hierosolymæ, quàm Sedecias, cuius filios quasi hostias mactauit Nabuchodonosor: è filiis verò Iosiæ nullum fecit hostiam, id est nullum occidit. Nam Ioakim nec ab eo, sed à latrunculis, siue prædonibus Chaldæorum occisus est.

ET SVPER OMNES QVI INDVTI SVNT VESTE PEREGRINA] Primò, aliqui vestem hîc intelligunt eam, qua idololatræ vtebantur in cultu idolorum. Vnde Iudæi vestem hanc induentes, ipso habitu profitebantur se cultores idolorum, perinde ac qui pileum flauum induit Romæ profitetur se Iudæum; & qui turbantum, Turcam. Quocirca Chald. vertit, *qui perstrepunt ad cultum idolorum*. Secundò, Hebræi nonnulli putant taxari hîc satellites & ministros principum & nobilium: hi enim solent vti veste varia & diuersa à vulgo, in qua gestant insignia sui principis. Tertiò, Theodor. vestem peregrinam exponit, à peregrinis furto vel rapina acceptam, quasi taxet latrocinia & rapinas Iudæorum, quibus hospites & peregrinos spoliabant vestibus, iisque se induebant. Quartò, alij vestem peregrinam accipiunt eam, quæ est alterius sexus, putà si vir induatur veste muliebri, aut mulier virili: quod est contra honestatem, verecundiam & castitatem, ideoque vetatur à Deo Deuter. 22. 5. & à Concilio Gangrensi sub pœna anathematis, vt habetur dist. 30. cap. *Si qua mulier*. Quintò, propriè & genuinè vestem peregrinam vocat eam, quæ non erat Iudaica, sed gentilitia, putà Ægyptia, Philisthæa, Ammonitis, Tyria, &c. Taxat ergo hîc Iudæorum ambitionem, leuitatem, curiositatem, quòd vestitum nouum, peregrinum & gentilitium assumerent. quodque cum vestibus mores & idololatriam Gentium induerēt. ita S. Hieron. Idem ferè taxat Ezechiel cap. 23. v. 12. & 15. & Auctor lib. 2. Machab. c. 4. v. 13.

Moraliter, hîc discant Christiani, quàm Deus oderit vestium nouitatem & luxum, quamque eum vindicet & puniat. is enim sapit mollitiem, fastum, leuitatem, inconstantiam, defectumque iudicij. Vnde talibus rectè dicas illud Stilponis ad Cratetem: δοκεῖς μοι χλαῖναν ἔχειν ἱματίᾳ καινῷ, videris mihi indigere pallio nouo, vel pallio & mente: καινὸς enim iunctim significat *nouum*, disiunctim verò καὶ νὸς significat *& mente*. ita Laert. lib. 2. c. 12. Q. Curtius libr. vltimo, & Plutarch. in Alexandro, culpant eum, quòd deuictis Persis habitum mutarit, vestemque Persicam induerit. Strato, vel, vt alij volunt, Plato, dixit Aristippo: *Tibi vni & chlamydem, & pannum ferre datum est*. Chlamys vestis est satrapum, pannus meretricorum: ipse enim apud Dionysium saltauit in purpura, interdum vili pallio vtebatur. ita Laert. lib. 2. c. 8. vnde Horat. *Omnis Aristippum decuit color*. Ita hodie sunt chamæleontes, qui omnibus gentibus, locis, fectis tam in habitu, quàm in

& moribus se conformant: sed dum singulis conformes fieri cupiunt, vniuersis discolores & diformes fiunt. Phrygiones sunt, qui fucant tam mares, quàm colores, de quibus Prudent. in Hamartigen.

Additur ars, vt fila herbis saturata recoctis,
Illudant varias distincto stamine formas.

Et Martialis: *Victa est*
Tyrrhenæ Niliaco iam Babylonis acus.

Diogenes cuidam glorianti, quòd leonis pelle vestitus incederet: *Non tu desines*, inquit, *virtutis fragula pudefacere?* indignum iudicans, quòd homo mollis Herculis amictum sibi vendicaret. ita Laërt. lib. 6. Idem cùm videret iuuenem studiosiùs se ornantem: *Si ad viros*, inquit, *ἀνυχᾷς, id est frustra facis: si ad feminas, ἀδικεῖς, iniustè agis.* Nam frustra mas se mari ornat, cùm inter eos nequeat esse coniugium: iniquè verò agit, si lenocinio suo insidietur feminæ. Idem diuitem quendam indoctum, sed splendidè indutum, *χρυσόμαλλον*, id est ouem aureo vellere amictam nuncupabat. Demonax cuidam suam purpuram ostentanti: *Heus tu*, inquit, *hoc antè gestabat aut & ouis erat.* significans illum stupidum esse vt ouem, etiamsi purpuram gestaret. Teribazo Artaxerxes rex vestem suam donarat ea lege, vt ea non indueretur: induit tamen ille, mulieribus etiam donis quæ à rege acceperat, insignitam. Tunc rex in risum effusus: *Tibi*, inquit, *vt mulieri aurum, vt insano regium amictum gestandi ius potestatemq; concedimus.* Augustus Cæsar cùm pro concione multos videret palliatos, indignabundus: *En*, inquit, *Romanos rerum dominos, gentemq; togatam.* Indoluit nimirum, Romanos habitum nouare, & Græcum pallium assumere. Eiusdem hæc fuit gnome; *Vestitus insignis ac mollis superbiæ vexillum est, nidusq; luxuriæ.* ita Suetonius in eius vita. Peregrinam vestem in Ruffino culpauit Claudianus, in Carolo Caluo Franci. Constantissimi olim Germani, cum fide vestes mutare cœperunt. *Turpis*, ait Poëta, *Romano Belgica vestis color.* Si hæc laicos dedecent, multò magis Clericos & Religiosos, in quibus vestium luxum acriter taxat S. Bernard. serm. 23. in Cant. & Apolog. ad Gulielmum Abbatem.

Tropicè vestis peregrina est hæresis quam asserunt Nouantes, *qui recesserunt à protectione & indumento Dei, & suo errore cooperti sunt*, inquit S. Hieron. Mysticè idem: *Vestis*, ait, *filiorum regis, & principum indumentum Christus est*, quod assumimus in baptismo, iuxta illud Ephes. 4. 24. *Induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Et Coloss. 3. 12. *Induite vos ergo sicut electi Dei, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.* Peregrina ergo veste diaboli induimur, cùm pro misericordia induimus crudelitatem, pro benignitate asperitatem, pro humilitate superbiam, pro modestia fastum, pro patientia impatientiam. Hinc rursum monet Apostolus Rom. 13. 14. *Induimini Dominum Iesum Christum*: qui enim peccatis virtutibus vitia assumit, pro Christo Antichristum induit. Peculiariter verò vestis peregrina est hypocrisis. *Quid enim magis est peregrinum, quàm sunt lupis rapacibus vestimenta ouium? quid magis peregrinum, quàm eum qui intus plenus est iniquitate, foris hominibus iustū apparere?* ait Rupert.

QVI ARROGANTER INGREDITVR SVPER LIMEN] Hebr. *qui saltat super limen*, hoc est, qui tanto fastu & arrogantia ingreditur, vt saltitando & subsultim incedere videatur, præsertim cùm gradus templi conscendit: quod Amos culpat dicens c. 6. 1. *Væ qui opulenti estis in Sion, ingredientes pompaticè domum Israel.* Vide ibi dicta. Taxat principum, nobilium & diuitum arrogantiam in ingressu, etiam templi, præsertim cùm in templo omnes coram Deo se humiliare debeant, humilitateque & habitu, & incessu, & prece profiteri. Qui enim templum adeunt, id faciunt, vt humiliter Deum inuocent, eiusque opem & gratiam postulent: quare indignum est ibi arrogantiam ostendere, vbi suppliciter venia in culpis, & auxilium in necessitate à Deo flagitatur. Taxat insuper fastum sacerdotum & pontificum, qui dilatatis phylacterijs arroganter in templo, quasi eius præfecti & præsides incedebant. Vnde Septuag. vertunt, *vltiscar super omnem manifestè qui in vestibulis.* Sacerdotes enim degebant in suo atrio, proximè templo, quasi in eius vestibulo. Ita Christus castigat eorumdem, sed ob sacerdotij honorem alio, putà Scribarum & Pharisæorum, nomine, supercilium & fastum, Matth. 23. 5. Hunc sensum dant S. Hieron. Haymo, Albertus, Hugo & alij: qui Secundò, sic quoque explicant, quasi Propheta reprehendat superstitionem Iudæorum acceptam à Philistinis, qui truncato Dagon idolo suo in limine templi, illud deinceps ex reuerentia calcare non ausi, transiliebant, 1. Reg. 5. 4. Vnde Chald vertit, *puniam omnes qui ambulant in legibus Palæstinorum.* Verùm hoc solos Azotios fecisse legimus, quorum Deus erat Dagon, à quibus, vti hostibus, abhorrebant Iudæi: vnde nusquam reperimus eos coluisse Dagon. Et sanè si id fecissent, vtique non tacuisset hîc Propheta. Parua enim, imò nulla culpa est transilire limen templi ex reuerentia, eò quòd quis se reputet indignum qui calcet limen domus Dei; sed longè maior culpa est, id facere in honorem Dagon, vel alterius idoli, itaque illud venerari & colere.

Tertiò, Chald. Arias, Pagnin. Tigurina & Vatabl. ex Hebræo sic vertunt, *visitabo omnem transilientem limen in die illa, qui implent domum dominorum suorum rapina*: quasi hîc taxet Iudæos, præsertim principum & potentum assecias vel ministros, de furto, quòd scilicet trãsiliant limen, tum proximorum, vt eorum bona furentur; tum dominorum suorum, vt ibi furta recondant, tutiq; sint, & cum illis prædam diuidant. Verùm tam Septuag. quàm Noster pro *dominorum suorum*, vertunt, *Domini Dei sui.* Culpat ergo principum non tantùm arrogantiam, sed & iniustitiam, putà rapinas, vsuras & fraudes; quod que eas impudenter & quasi sacrilegè consecrarent Deo: sacerdotes verò arguit, quòd easdem acceptent, imò extorqueant, quod que ipsi pauperum bona specie religionis, quasi illa offerenda sint Deo, dolosè & impiè expilent & diripiant; suadendo v. g. filiis, Si parentes egentes à vobis quid petant, dicite id esse corban, id est munus dicatum Deo & sacerdotibus, vti Christus eis improperat Matth. 15. 6 & Matth. 23. 14. *Væ*, ait, *vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia deuoratis domos viduarum orationes longas orantes*, q. d. Væ vobis Scribæ, qui emungitis bursas viduarum, vendẽdo scilicet eis, cum sanctitatis simulatione longas vestras ora-

tiones: græcè enim est, προφάσει μακρᾷ προσκόμματι, id est occasione longæ orationis, vel prætextu quòd multum pro eis oretis. ita S. Chrysost. ibidem.

10. Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris à porta piscium, & vlulatus à secunda, & contritio magna à collibus.

11. Vlulate habitatores Pilæ: conticuit omnis populus Chanaan, disperierunt omnes inuoluti argento.

12. Et erit in tempore illo: scrutabor Ierusalem in lucernis: & visitabo super viros defixos in fæcibus suis: qui dicunt in cordibus suis: Non faciet benè Dominus, & non faciet malè.

13. Et erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in desertum: & ædificabunt domos, & non habitabunt: & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum.

VERS. 10. VOX CLAMORIS A PORTA PISCIVM] scilicet audietur: quia, vt docet Ribera & Vilalpando p.1. de Apparatu vrbis lib.2.c.13. per portam piscium primò in vrbem Ierusalem irrupisse videntur Chaldæi, omnesque incolas vel occidisse, vel cepisse; sicut piscator solet in omnes pisces maris impunè grassari. Vnde Habacuc c.1.14. ait, *Et facies hominum* (Iudæos) *quasi pisces maris*, vt capiantur à piscatore Nabuchodonosor. Et v.15. *Totum in hamo sublevavit, traxit illud in sagena sua.* Hæc porta dicta est piscium, quòd spectaret mare, & inde per eam pisces importarentur. Audi ex S. Hieron. Saligniaco & Borchardo Adrichomium: Porta, inquit, piscium iuxta turrim Dauid, inter montem Sion & ciuitatem inferiorem, in valle Mello contra Occidentem sita erat. Piscium dicebatur, quòd per eam à Ioppe & aliis maritimis locis (ac præsertim è mari Galileæ illic ex aduerso existente, ait Vilalpando p.1. libr.3. c.9.) quotidie pisces in vrbem inferebantur. Hæc aliis nominibus etiam porta Dauid, & porta negotiatorum inscribitur: Dauid quidem, quòd turri Dauidis proxima esset; negotiatorum verò, quòd per eam variæ negotiatorum merces à Bethlehem, Hebron, Gaza, Ægypto & Æthiopia inueherentur. Per hanc portam peregrini Occidentales vrbem ingredi solent. Sic & Vilalpando p.1.lib.3.cap.9. Vbi tamen in eo ab Adrichomio dissentit, quòd censeat portam piscium non fuisse ad Occidentem Hierosolymæ, vt vult Adrichom. sed ad Septemtrionem; Quia, inquit, Chaldæi castra habebant ad Septemtrionem; ac per portam piscium irruperunt in vrbem, occuparuntque mox portam secundam, quæ scilicet erat in secundo muro, & à Ieremia vocatur porta media. Quæ ratio bene concludit, si verum est Chaldæos per portam piscium ingressos in vrbem, & in portam secundam, vti insinuat hîc Sophonias. Censet ergo ipse portam piscium fuisse ad Septemtrionem vrbis, inter portam Ephraim & turrim Hananeel, Bezethæ proximam; & Chaldæos per eam ingressos, quia inhiabant opibus templi, quod illi vicinum erat. Adrichomio tamen astipulatur S. Hieron. & fauet 2. Paral. 33. 14. vbi dicitur: *Aedificauit murum extra ciuitatem Dauid, ad Occidentem Gihon, in conualle ab introitu portæ piscium vsque ad Ophel.* Atque ad argumentum Vilalpando respondet posset, Chaldæos vtraque via irrupisse in Ierusalem, nimirum Aquilonari vrbis muro diruto penetrasse in secundam, & Occidentali porta piscium effracta irrupisse in vallem Mello, atque ac in ciuitatem inferiorem, quæ filia Sion dicebatur: vtrique enim vicina erat hæc porta, & ei vtramque aditum pandebat; ideoque Sophonias vtrobique, scilicet tam in porta piscium quàm in secunda, vlulatum fore significat.

ET VLVLATVS A SECVNDA] Secunda porta dicebatur, quæ erat in secundo muro: Ierusalem enim versus Septemtrionem iuxta templum, in tres regiones erat distributa, quarum quæque suum habebat murum in longum porrectum. Primus murus erat vicinus Sion: secundus erat medius splendidissimis portis conspicuus, & in quatuordecim turres diuisus, quem Ezechias reparauit & firmiorem altioremque fecit, 2. Paral. 32.5. Tertius erat extimus, quem Agrippa rex non primus ædificauit, vt vult Ribera, sed iam ædificatum publico sumptu permunijt, & latiorem altioremque reddidit. Hic totus solidus erat, & 25. cubitis altus, habebatque nonagina quadrangulares validas & celsas turres. ita Iosephus lib.6. Bellic 6. & 19. Antiq.7. Fuit ergo vlulatus in porta secunda, siue media: quia Chaldæi principes fracto muro tertio & extimo, irruperunt in secundum, eiusque portam, quæ secunda siue media dicebatur, eamque ceperunt & insederunt, vti narrat Ieremias c.39.3. Addunt Hebræi, Pagnin. Vatabl. Arias & Clarius, in secunda fuisse academiam: vnde illic habitabat Holda prophetissa. 4. Reg. 22.14. Quocirca pro מִשְׁנֶה *mishne*, id est secunda, ipsi vertunt, *academia: vlulatus*, inquiunt, *magnus ab academia.* Solent enim academici non gladijs, sed calamis assueti, præ alijs metu belli percelli & trepidare, ac irruente hoste vociferari: nimirum non bene conueniunt Musæ quietæ & silentes cum Marte feroci, & tubis, tympanisque & sclopis perstrepente. Extimus enim murus Hierosolymæ continebat regionem tertiam vrbis, in qua habitabant opifices, mercatores & plebs. Secundus continebat regionem secundam, in qua, vtpote tutiori & tranquilliori, habitabant nobiles, studiosi, doctores, Rechabitæ & similes. Tertius & intimus continebat Sionis arcem & templum, eisque subiectam ciuitatem inferiorem, quæ ideo circo filia Sion dicebatur. Vide hæc graphicè expressa in descriptione & tabula Hierosolymæ, quam exhibet Adrichomius post paginam 144. Lege & nostrum Vilalpandum in Apparatu vrbis par.1.lib.2.c.3. & lib.3.c.9.

ET CONTRITIO MAGNA A COLLIBVS] Scilicet Sionis & templi, alijsque similibus, ad quos, vtpote munitiores, capta à Chaldæis vrbe, ex secunda & extima regione confugerunt Iudæi, sed à Chaldæis persequentibus ibidem comprehensi, contriti & trucidati sunt. ita S. Hieron. & Theodor.

Tropol. in hora mortis & in die iudicij erit planctus ob peccata quæ per portas, id est oculos vel aures; ac in collibus, id est in ratione mente & voluntate, commisimus. Mors enim ascen-

fodit per fenestras, Ierem.9.21. vide ibi dicta. Itaque porta piscium, est porta oculorum, de quibus Cant.7.4. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Oculi enim ob humorem aqueum & crystallinum, videntur esse piscinæ & portæ piscium, per quas scilicet species rerum caducarum & voluptatum in mentibus sæculi volutantium, quasi pisces irrepentes animam, eamque inficiunt sibique assimilant.

A

Audi S. Hieron. *Prima porta oculorum erit, qua exhibebuntur nobis peccata ante oculos nostros, & omnis pompa & imago antiquorum scelerum & vitiorum atque luxuriæ proferetur in medium. Torquebit igitur eum conscientia, & postquam compunctus clamauerit à prima oculorum porta, vlulabit etiam à secunda, quam & aures intelligere possumus. Per hos enim vel maximè sensus, quibus vitia illapsa fuerant,* B *verum pœna sentietur; quando cernemus quod fecimus, & audientes sermonem totumq; ordinem peccatorum, in vlulatum compellemur, & conteretur in nobis quidquid fuerit excelsum, & propter cæcitatem & surdas aures ignorabatur in nobis.* Secundò, idem paulò inferiùs: *Vel certè,* inquit, *in fine mundi & in consummatione lugebunt à porta piscium prima, qui sunt baptismatis non seruauerunt: lugebunt à secunda, qui non egerunt pro peccatis dignam pœnitentiam. Et erit magna contritio super colles, qui nec pro peccatis incruati sunt, vt cervicem suam submitterent, & scelera sua deplorarent. Per has enim duas portas Baptismi & Pœnitentiæ, in Ierusalem, id est in Ecclesiam Dei, vel introitus, vel reditus est.*

VIVLATE HABITATORES PILÆ.] Pilæ, id est mortarij in quo tundimus piper, zinziber & aromata; vel si maius sit, orizam & frumenta. Audi S. Hieron. *Pila quæ hebraicè dicitur* מַכְתֵּשׁ C *machtes, & ab Aquila versa est εἰς τὸν ὅλμον, non per aquam syllabam prima legenda est* (vt sit pila lusoria) *ne ἐμπαίγμον patemus, sed per productam, vt de pila sciamus esse in qua frumenta tunduntur: vas concauum & molendorum aptum vsui, in quo propriè ptisanæ seruantur.* Vnde pila dicta est à pinso, pinsis; quòd in ea siccata frumenta pistillo pinsebant ac comminuebant, vt ait Cato cap.14 lib. de Re rustica. Porrò Pila hic proprium vrbis vel loci est nomen. Vnde Pagnin. Hebr. *Machtes*, quasi proprium loci retinuit.

Quæres, quis hic locus, vel vrbs? Primò, R. Salomon censet Pilam vocari vrbem Tiberiadem, eò quòd in valle concaua sit sita: portâ verò piscium esse Ptolemaidem, quæ mari piscoso adiacet: *misue*, quod Noster vertit *secundam*, esse D hic vrbem iuxta Ierusalem: colles esse Sephorim. Verùm hoc ipse more suo fingit, non probat. Certè de Tiberiade hîc sermo esse nequit, vpote quæ iampridem à Salmanasare vastata erat cum tota Galilæa & Samaria, anno sexto Ezechiæ regis Iuda, qui fuit atauus Iosiæ, sub quo hæc prophetat Sophonias, vti ipse ait v.1.

Secundò, meliùs Lyran. per pilam intelligit Ierusalem. Totum enim vaticinium hoc est cõtra Iudam & Ierusalem, cui intentat excidium per Chaldæos. Porrò Ierusalem dicitur pila quia erat in meditullio Iudææ, eiusque centrum, quò ad forum & nundinas confluebant vndequaque Iudæi. Simili metaphora Ezechiel c.24. 3 Ierusalem vocat ollam, in qua coquuntur carnes, id est Iudæi. Vnde & dictionaria Syriaca, *Machtes*, vel *Machtose*, exponunt Ierusalem, à rad. *chtase*, quæ significat perturbare, agitare, vexare, vel etiam oppugnare, & bellum gerere; quæ omnia competunt Hierosolymæ. Verùm cùm v.4. Propheta expressè nominarit Ierusalem, quorsum hîc obscurè eamdem vocaret pilam? Adde, immediatè antè nominauit peculiaria loca Hierosolymæ, putà portã piscium, secundam, & colles, ergo & machtes, siue pila, peculiaris fuit locus eiusdem vrbis. Vnde

Tertiò, per pilam potest accipi ciuitas inferior Hierosolymæ, quæ in valle concaua sita, erat quasi pila, siue mortarium, respectu Sionis aliorumque collium. Hæc enim ciuitas vicina erat portæ piscium & secundæ. Dicitur pila, tum ratione situs humilis iam dicti: tum quia in ea erat forum aromatariorum, pistorum, coquorum, &c. qui in pila aromata, frumenta, carnes & herbas contundunt. ita Arias, Vatabl. & Clarius. *Tertiò.*

Quartò, per pilam accipi potest vorago Mello, quæ & Tyropœon dicta est. Nam, vt docet Ioseph lib.6. Belli cap.6. Ierusalem super duos colles erat condita, contrariis frontibus semet inspicientes, interuenientre valle discretos, in quam domus creberrimæ desinebant. Et inferiùs: Vallis autem quæ Tyropœon appellatur, qua diximus superioris ciuitatis collem dirimi ab inferiore, vsque ad Siloam pertinet: ita enim fontem, qui dulcis est ac plurimus, vocabamus. Hæc vallis vocatur hîc pilarum ob profunditatem: tum quòd in ea contundendi essent Iudæi. S. Hieron. eam vocat *vallem Siloë*; Chald. *vallem*, vel *torrentem Cedron*; quia vsque ad Siloë & Cedron per portam aquarum excurrebat. Sensus ergo est, q.d. *Quomodo frumenta feriente desuper vecte in pila contundantur, ita de porta piscium, & de porta secunda, & de collibus proruens in vos decurret exercitus*, vosque contundet & comminuet, inquit S. Hieron. & ex eo Remig. Ribera, Emmanuel & Mariana. *Quartò.*

Quintò, Adrichom. in descriptione Ierusalem, censet *machtes*, siue pilam propriè esse vallẽ Cedron. Cedron torrens est inter Ierusalem & montem Olueti, qui per vallem Iosaphat in longum decurrit. Vallis ergo Iosaphat est vallis Cedron, quæ posteriore sui parte, qua torrens Cedron iuxta fontem & piscinam Siloë perlabitur, ab eo vallis Siloë nuncupatur. Audi Adrichomium: Vallis Cedron, inquit, lata, profunda & tenebrosa (vnde & Cedron dicta est, à rad. קָדַר *cadar*, id est, niger, eter, obscurus, tenebrosus est) quæ in modum fossæ templum circumibat; ac quòd in mortarij similitudinem disposita esset, hebraicè Machtes, latinè autem Pila vocabatur. Hæc tantæ profunditatis erat, vt de templi tecto ad imum eius despicientium oculi, non absque vertigine capitis caligarent. In hac mercatores, & omnis generis negotiatores habitabãt. In hanc vallem, cùm Iacobus frater Domini, primus Hierosolymorum Episcopus, in pinna templi coram omni populo, Iesum Dei filium ipso festo Paschæ profiteretur, Anani Sadducæi pontificis iussu præcipitatus est, & confractis cruribus, desuper quoque à Scribis & Pharisæis lapidatus, tandẽ fullonis fuste in cerebrum percussus interijt. Hucusq; Adrichom. Hæc sententia *Quintò.*

pro-

probabilis est, eique fauet S. Hieron. qui pilam A vocat vallem Siloë. & Chald. qui pro pilam vertit, *torrentem Cedron.* Verùm ei obstare videtur, quòd torrens Cedron & vallis Siloë fuerint extra vrbem: pila autem, vt & porta piscium, & secunda, videantur fuisse intra Ierusalem.

Responsio Auctoris. Quare quarta sententia, paulò antè recensita videtur probabilior, quæ omnes expositiones conciliat. Accedit, quòd porta piscium, per quam Chaldæi irruperunt in vrbem, ab Adrichomio consignetur directè ad ingressum vallis Mello, siue Tyropœi, vt iure Propheta dicat, ingentem eo loci fuisse vlulatum, vtpote in quem primò furorem suum exercuerint Chaldæi. Erat enim vallis hæc latissima, & habitationibus hominum frequentissima, vtpote quam Salomon coæquauit & ædificiis ornauit, quæ collapsa instaurauit Ezechias, vt patet 3. Reg 9.15. & 2. Paralip. 32.5. B

Porrò per vnam hanc vrbis partem, Propheta significat totius vrbis vlulatum & comploratione. Tota enim Ierusalem, sicut dixit Lyranus, vti fuit pila contundens & occidens Prophetas, ita pariter fuit pila, in qua impiòs hosce ciues & Propheticidas contuderunt & occiderunt Chaldæi: perinde ac eadem postmodum fuit pila contundens Christum & Apostolos, ideoque facta est pila, in qua Titus & Romani eosdem Christicidas contuderunt & enecarunt, vti ei prædixit Christus Lucæ 19.41. & sequentibus. Vnde Septuag. vertunt, *plangite qui habitatis concisam.* Hebræum enim *machtes* & pilam, & mandibulam dentium significat: quia sicut in pila comminuuntur & conciduntur aromata, ita dentibus conciduntur & comminuuntur cibi. C *machtes* ergo generatim est vas vel instrumentum, quo fit concisio vel contusio, qualis est pila & mandibula. Vnde Iudæi in Ierusalem quasi in pila contusi, & in eadem quasi mandibula dentibus, id est gladiis & armis Chaldæorum, concisi & lacerati sunt.

Symbolicè, vlulet Constantinopolis, vlulet Buda, vlulet Trapezuntium, vlulet quælibet vrbs capta à Turca, vel ab hæretico principe; in qua quasi pila Catholicos ipse contundit.

Pila est tribulatio. Tropol. pila est tribulatio, in qua Deus peccatores tundit, vt pœnitentiæ gemitus & lachrymas extundat: sed in multis verum est istud Sapientis Prouerb. 27. 22. *Si contuderis stultum in pila, non auferetur ab eo stultitia eius.* Iusti verò & Martyres in ea dicunt, quod Anaxarchus in pila contusus dixit Tyranno: *Tunde, tunde; follem* D (corpus) *tundis, Anaxarchum non tundis*, vti refert Philolib. *Quòd omnis probus sit liber.* Et Ouidius in Ibim:

Aut vt Anaxarchus pila minuaris in alta,
Iactaq; pro solitis frugibus ossa sonent.

& gehenna. Anagog. pila est olla Vulcani, putà gehenna, in qua diaboli tot pistillis reprobos tundunt, quot hîc voluptates illicitas senserunt, vel perpetrarunt; ac præsertim pistilla sunt punctura conscientiæ, quæ damnato occlamans & exprobrans, iugiter eum tundit & angit, dicens: Cur infelix te in hanc pilam coniecisti? cur modica voluptate tanta dolorum & angorum pistilla tibi accersiuisti? Tundetur illa in æternum, at numquam pertundetur: tunderis & tu, & contunderis vsque ad ossa, vsque ad animam; at nullus ictus eam extundet, sed viuam semper & immortalem, ad æternas tunsiones & tormenta seruabit. Huius rei symbolo fingunt Poetæ cor Prometheï ad saxum alligati in Caucaso monte, à aquila perpetuò tundi & rodi, at numquam erodi vel extundi, idque in pœnam furti, quo ignem è cælo furatus, eum in terras detulit, ê quo Ouid. 1. Metamorph. Sed cur in hac pila tam horrendè tunduntur? quia in hac vita fuerunt pila gulæ, ventris, veneris & mammonæ, in qua delicias suas, epulas suas, aromata sua, vina sua, sordes suas, opes suas congessit, compressit, contudit & comminuit caro, mundus & diabolus: quia ignauè vixerunt, permittentes se à tentationibus, passionibus & vitiis calcari & contudi. Talis enim est pila, quæ ignaua sinit seiugetur tundi. Vnde Timon Misanthropus Cleanthem, ob ingenij tarditatem, vocauit ὄλμον ἀτρυμμα id est, *pistillum retusum, mortarium ignauum.* Inde prouerbium: *Pistillo retusior, rudior, caluior*: ista enim pistilli pars adeò retusa & glabra est, vt calui cranium referre videatur. Pila ergo notat impeborũ ignauiam resistendi peccatis, & bene operandi, coniecisse eos in pilam & ollam Vulcani.

CONTICVIT OMNIS POPVLVS CHANAAN.] Hebr. additur כי *ki*, id est *quia*, quasi hîc causa reddatur, cur vlulaturi sint habitatores pilæ, quia scilicet conticuit omnis populus Chanaan. *Chanaan*, id est mercator, qui mercibus emendis & vendendis vacat, vt faciebant incolæ Chanaan, siue Chananæi. Vnde illud Oseæ 12.7. *Chanaan in manu tua statera dolosa.* Vide ibi dicta. immò Chald. per Chanaan accipit Chananæos. Quia Vlulate ciues Hierosolymæ, quia cessabunt Chananæi aliique mercatores ad vestrum forum, ad vestram pilam deferre aromata, frumenta, carasque merces. Secundò, & melius, כי *ki*, id est *quia*, hîc, vt & alibi sæpè, non est causale, sed enclitica, & ornatus tantùm causa additur. Quocirca per Chanaan non Chananæos, sed Iudæos accipe. Hi enim à Prophetis vocantur Chanaan, non Hebræi, nec Abrahæi; eò quòd non Abrahæ, sed Cham, Chanaan & posterorum eius mores imitarentur. Eius enim quis dicitur filius, quem imitatur & refert. Vnde illud Daniel. 13. *Semen Chanaan, & non Iuda.* Et Ezech. 16. *Radix tua & generatio tua de terra Chanaan. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* Hinc & Christus ad Iudæos: *Vos*, ait, *ex patre diabolo estis*, Ioan. 8. Quocirca Chald. vertit, *periit populus, cuius opera similia sunt operibus populi terræ Chanaan.* ita S. Hieron. Theodor. Haymo & Lyran. Porrò in voce *conticuit* est emphasis. Nam *conticuit*, id est penitus excisa est & periit, vt vertit Chald. ita vt nullius in ea vox, gemitus vel sibilus audiatur: quia omnes vel capti, vel occisi sunt à Chaldæis, vel siqui sunt reliqui, ita perculsi, afflicti & attoniti sunt, vt præ vehementia doloris, & præstupore vox illis intercludatur, nec vocem vllam proferre, imò nec hiscere possint.

DISPERIERVNT OMNES INVOLVTI ARGENTO.] Putà mercatores & auari, qui non tractant aliud quàm aurum & argentum, ac diuites vndique opibus cincti & circumsepti, iisque confidentes & superbientes, quasi per eas sint à Chaldæis inexpugnabiles. ita S. Hieron. Vnde Septuag. vertunt, *eleuati argento*; Secundò, *inuoluti argento*: quia cor suum omnemque affectum dederunt

argento,

argento, illudque ita ei affixerunt & inuolue- A
runt, inquit Ribera, vt non tam argentum possi-
dere & regere, quàm ab argento possideri & re-
gi videantur. Quocirca alij vertunt, *portatores ar-
genti*; alij, *onera argenti*. Argentum enim est ido-
lum, quod adorat auarus, quod consulit, quod
pro fas & nefas sequitur, cui per omnia obedit &
quasi seruum mancipat. Vnde ab eo agitur ad
vitras, fraudes, dolos, omniaque scelera. Qua de
causa auaritia ab Apostolo vocatur idolorum
seruitus, græcè idololatria, Ephes 5.5. Dictum
est de Aristotele, cùm septenos per diem Euripi
fluxus & refluxus curiosiùs scrutari volens, ab
eo absorptus est: *Aristoteles non habet Euripum, sed
Euripus habet Aristotelem*. Idem verius dicas de
auaro: Auarus non habet Euripum pecuniæ, sed
Euripus habet & possidet auarum. Verè Cicero acti-
one 5. in Verrem: *Nihil est tam sanctum, quod non
violari; nihil tam munitum, quod non expugnari pe-
cunia possit*. Et Cato apud Gellium: *Fures priua-
torum in nervo & in compedibus ætatem agunt: fures
rei publici in auro atque in purpura*. Denique aua-
ri inuoluti sunt argento: quia cor habent in ære,
non in æthere. Cuius rei exemplum ad litteram
extat in vita S. Antonij de Padua. Cùm enim
ipse in exequiis cuiusdam diuitis auari haberet
orationem funebrem, dixit: Christus ait, *Vbi est
thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*. ita diues hic cor
suum habet in suo thesauro, ibique illud reliquit.
Ite domum ipsius, & in auro eius inuenietis illud.
Iuerunt, & in auro cor eius repererunt, vti vir
sanctus affirmarat. Plura similia exempla ex-
stant in vitis Sanctorum. Addit Delrio adagio
1005. Sicut infantes qui rebus vilibus, vt nuci- C
bus, delectantur, inuoluuntur fasciis; ita diuites,
qui vili terra rubra & alba, id est auro & argen-
to delectantur, eo se inuoluunt; *eadem inuolutio-
ne ita grossefacti*, inquit Rupert. *vt nimis difficile sit
introire eos in regnum Dei* iuxta illud Christi: *Facili-
us est camelum per foramen acus transire, quam di-
uitem intrare in regnum Dei*, Marci 10.25.

Mystice S. Gregor. lib. 18. Moral. 11. *Quia*, ait,
*nonnulli eloquia Dei non interiùs per exhibitionem,
sed exteriùs per ostensionem habere concupiscunt, id-
circo per Prophetam dicitur: Disperierunt omnes in-
uolati argento. Hi nimirum, qui eloquio Dei non in-
teriori refectione se replent, sed exteriori ostensione se
reficiunt*. Ita ad litteram Clerici & Religiosi, qui
habitum pietatis exteriùs præferunt, si interiùs
non habeant inuolutum argento, à gradu suo de-
cidunt & dispereunt. Hac de causa multas ec- D
clesias, monasteria & Ordines à primæuo san-
ctitatis splendore decidisse, ideoque vel periisse,
vel contempta iacere, vel ab hæreticis & infide-
libus euersa vidimus, & videmus. Verè dixit vir
sapiens: *Mater genuit filiam, sed filia suffocauit ma-
trem*; nimirum, *filia amplæ dotationis, suffocauit ma-
trem deuotæ religionis*.

SCRVTABOR IERVSALEM IN LVCERNIS] q.d. Sicut Chaldæi capta Ieru-
salem, vt Chaldæi capta Ieru-
salem, omnes eius
angulos & latebras exactè scrutentur, ne quis
hostium se abscondens manus eorum euadat.
Ita pariter Romani sub Tito scrutati sunt Iu-
dæos in cloacis, speluncis & sepulchris, indeque
eos extraxerunt ad necem, vti refert Iosephus
lib. 7. Bell. c. 17. 26. & 30. & lib. 3. c. 14. Vbi se ex eis-
dem extractum, aut potiùs sponte egressum, cùm
Vespasianus ei vitam & libertatem promitteret,

eidem se dedidisse narrat. Est adagium. Lucer-
nam enim adhibemus, cùm quid exactè scrutari,
& penitus perspicere volumus. Vnde illud vetus
dictum, quod citat Plutarch. in Præceptis con-
nubialibus: *Sublata lucerna nihil interest inter mu-
lieres*, significans pleraque esse impudicas, vel ad
id faciles, si detur facultas tenebrarum & secreti,
vbi sine teste peccetur. Quin & Diogenes adhi-
bita interdiu lucerna, rogatus quid faceret? re-
spondit, *Hominem quæro*, teste Laërtio in eius vi-
ta. Seneca lib. de Vita beata, indicat idipsum so-
lere fieri per superstitionem, si quando denun-
ciabatur ira Numinis. Cùm *laurum*, inquit, *linea-
tus senex, & medio lucernam die præferens, conclamat
iratum aliquem deorum, concurritis & auditis*.

Allegor. id verius erit in die iudicij, quando *In die iu-
dicij Deus* B
Deus scrutabitur arcana locorum & mentium, *scrutabitur
in lucernis.*
ac reuelabit abscondita tenebrarum, & manife-
stabit consilia cordium, 1. Corinth. 4. tunc enim
etiam de minimo verbo otioso, & de subtilissimis
cogitationibus rationem à quolibet exiget, in-
quit S. Hieron. Audi S. Bernar. serm. 55. in Cant.
explicantem illud Cant. 2. *Similis est dilectus meus
capreæ*, quæ acuti est visus. *Time*, inquit, *scrutinium
iudicis, time oculos capreæ, time illum qui per Prophe-
tam dicit: Et erit in die illa, & ego scrutabor Ierusalē
in lucernis. Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquit:
oculus eius scrutabitur renes & corda, ipsaq; cogitatio
hominis confitebitur illi. Quid tutum in Babylone, si in
Ierusalem manet scrutinium? Puto enim hoc loco Pro-
phetam Ierusalem nomine designasse illos, qui in hoc
sæculo vitam ducunt religiosam, mores supernæ illius
Ierusalem conuersatione honesta & ordinata pro viri-
bus imitantes; & non veluti hi qui de Babylone sunt,
vitam in perturbatione vitiorum scelerumq; confusio-
ne vastantes. Denique illorum peccata manifesta sunt
præcedentia ad iudicium, & non egent scrutinio, sed
supplicio. Mea autē (qui videor monachus & Hieroso-
lymita) peccata certè occulta sunt, nomine & habitu
monachi adumbrata: & idcirco necesse erit subtilius
inuestigari discussione, & quasi admotis lucernis in lu-
cem prodi, iuxta illud psal. 74. Cùm accepero tempus,
ego iustitias (id est vias iustorum) iudicabo. Verendum
valdè, cùm ad hoc ventū fuerit, ne sub tam subtili exa-
mine multa nostræ iustitiæ (vt putantur) peccata ap-
pareant*. Remedium subdit: *Vnum est tamen, si nos
ipsos diiudicauerimus, non vtique iudicabimur. Ma-
la melioribus curabo corrigere actibus, diluere lachry-
mis punire ieiuniis, cæteris q; sanctæ laboribus disciplī-
næ*, &c. *Scrutabor ego vias meas & studia mea, quò is
qui scrutaturus est Ierusalem in lucernis, nihil inscru-
tatum in me, siue indiscussum inueniat. Neque enim
iudicaturus est bis in idipsum. Quis mihi det ita ad li-
quidum prosequi & persequi vniuersa delicta mea, vt
in nullo oporteat vereri oculos capreæ, in nullo ad lumen
contingat erubescere lucernarum? Et nunc videor, sed
non video. Præstò est oculus cui omnia patent, etsi non
patet ipse. Erit quando cognoscā, sicut & cognitus sum*.

Quæres, quænam sint lucernæ Dei, quibus *Lucernæ
increatæ
Dei, quæ?*
scrutabitur omnes & omnia in die iudicij? Resp.
Increata lucerna Dei est ipsa eius mens, intelle-
ctus, perspicacia, scientia, qua omnia penetrat &
peruidet clarissimè. Nam, vt ait Apostolus, *viuus
est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gla-
dio ancipiti*, &c. *discretor cogitationum & inten-
tionum cordis. Et non est vlla creatura inuisibilis in
conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt ocu-
lis eius*, Hebr. 4.12. Hinc Ægyptij Deum pingebāt

hiero-

hieroglyphicè, quasi oculum sceptro insistentem: oculo significātes eius visionem, scientiam, prouidentiam; sceptro, eius potentiam, regnum, vindictam & castigationem. *Deus* enim, inquit Plinius lib.2.c.7. *totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus animæ, totus animi, totus sui.* Et, vt ait Tertull. libr. de Trinit. *Deus totus est oculus.* Hinc Eccli.23.v.27. *Omnia videt oculus illius.* Et v.28. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda, intuentes in absconditas partes.* Quocirca cogita, ô peccator, te hunc oculum effugere non posse, esto abdas te in cōclaue, in speluncas, in antra: vbique enim hic oculus te videt. Si id scis & cogitas, quomodo in conspectu diuini & vindicis huius oculi peccare, eumque iritare audes? A

Creatæ quinque. Prima. Creatæ lucernæ Dei sunt variæ. Prima sunt angeli & dæmones, qui quoad naturam spiritus sunt lucidi & peruigiles, omnia penetrātes, scrutantes & peruidentes. de quibus Psaltes psal.103. & Apostolus Hebr.1.7. *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Hi in iudicio peccatorem accusabunt, omniaque eius scelera, etiam occultissima & munitissima, prodent & pandent in tribunali Christi. B

Secunda. Secunda lucerna Dei est ratio & conscientia cuiusque, de qua psal.4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Et Matth.22. *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Hæc culpam in memoria seruat, eamque agnoscet & fatebitur coram iudice & toto mundo. Hæc dicet ipsi peccatori: Ego te monui, ego tibi occlamaui, Noli hoc scelus patrare, Deus te videt, Deus te puniet: sed noluisti me audire; me reclamante effrons in C conspectu Dei, impudenter, hæc & ista in particulari crimina commisisti: tu nosti, ego testor, negare non potes.

Tertia. Tertia lucerna est lex & verbum Dei, de qua Psaltes psal.118.104. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Et Sapiens Prouerb.6. 23. *Mandatum lucerna est, & lex lux.* Et 2.Petri 1. 17. *Attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* Lex enim Dei deteget iniquitates hominum, quas legi huic contrarias & repugnantes admiserunt, ostendetque quàm iniquæ, impiæque, & à ratione legeque alienæ & abhorrentes fuerint. Audi S.Ambros. in psal.118. octonario 18. ad illud: *Ignitum eloquium tuum: Tripliciter,* inquit, *describe tibi ignitum eloquium Dei, vel quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat audientes. Ideo ait Dominus: Scrutatus sum Ierusalem ad lucernam.* D *Sed neminem in ea vel qui mundaretur, vel qui incenderetur, aut illuminaretur, inuenit: ideo eam in tenebris dereliquit.*

Quarta. Quarta lucerna est sol, luna, stellæ, quæ peccatori dum peccaret, luxerunt & facem præbuerunt: hæ enim testabuntur scelus, quod viderunt, cuique lucem præstiterunt. Vnde de iis ait Isaias c.24.23. *Erubescet luna, & confundetur sol, cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ierusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.* Et Ioël c.2.31. *Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem.*

Quinta. Quinta lucerna est vita Christi & Sanctorum. Hinc de Iohanne Baptista ait Christus: *Ille erat lucerna ardens & lucens.* Iohannis 5.35. Et Philip. 2.15. *Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Et de Elia & Henoch ait S. Iohannes: *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes,* Apocal.11.4. Tot ergo lucernæ Dei sunt, quot Sancti, imò quot virtutes & exempla Sanctorum. hæc pandent arguentque nequitiam peccatorum. Quocirca cuilibet reprobo dicet Christus iudex: En dedi tibi hæc exempla piorum quasi faces, quas sequereris: tu verò maluisti tenebras & opera tenebrarum sequi, quàm lumen. Vide quàm tua opera, quàm tua vita difformis sit vitæ S.Pauli, S.Francisci, S.Dominici, &c. Si respondeas: Domine non potui seruare castitatem, quia natura & consuetudine nimis procliuis eram in libidinem; arguet iudex: Mentiris. Nam S.Augustinus in libidinem propensissimus, eam vicit per meam gratiam; vicit Magdalena; vicit Pelagia; vicerunt alij innumeri: ergo & tu tuam procliuitatem vincere potuisti per eamdem gratiam, quam tibi vel obtuli, vel præparaui, ac reipsa dedissem, si eam humiliter & instanter postulasses, eique strenuè fuisses cooperatus. Quis hoc Dei scrutinium non expauescat?

Anagog. lucerna Ierusalem cælestis, est splendidissima & glorioſissima humanitas Christi, quæ non tantùm eam scrutabitur, ne quid in eam intret coinquinatum, sed & eamdem mira & æternis splendoribus irradiabit, lætificabit & beabit: de qua Apocal.21.23. *Ciuitas non eget sole, neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus.*

ET VISITABO SVPER VIROS DEFIXOS, id est totos immersos, agglutinatos, &, vt hebr. est, קֹפְאִים *kopheim*, id est coagulatos, vel congelatos, IN FÆCIBVS, id est in sordidis & spurcis voluptatibus, putà deliciis & diuitiis, SVIS. Vnde Chald. vertit, *animaduertam in viros, qui summa tranquillitate fruuntur diuitiis suis.* Est metaphora à vino aspero fæcibus incubante quod dum immotum in iis persistit, asperitatem suam vitiumque conseruat: vnde vt eam ponat, fiatq; suauior, ab œnopolis ab iis amoueri, & in aliud vas transferri solet. Sic enim Deus Iudæos in Ierusalem otio & opibus diffluentes, vt corruptos eorum mores corrigeret, ex ea transtulit in Babylonem. Alludit Sophonias ad Ieremiæ synchronū suū. 48.11. vbi de Moab dicit: *Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requieuit in facibus suis; nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abiit: idcirco permansit gustus eius in eo, & odor eius non est immutatus.* Vide ibi dicta. Ita loci & effectu mutatio sæpè homines à suis cupediis, moribus & amoribus auellit. Quocirca sapienter in Religionibus inductum est, vt Religiosi subinde ex vno monasterio, vel Collegio in aliud, ex vna prouincia in aliam transferantur, vt meminerint se hîc non habere manentem ciuitatem, sed esse aduenas & peregrinos, cùm verò Sanctorum & domesticos Dei, in eoque mentem amoremque suum defigant.

QVI DICVNT IN CORDIBVS SVIS: NON FACIET BENE DOMINVS, ET NON FACIET MALE. Qui cogitant & censent, quòd Deus non habeat prouidentiam bonorum & malorum, vt hos puniat, illos præmiet; sed omnia casu vel fato eueniant. Fortuna est, inquiunt, vel farum, quod omnia regit, quod his bona, illis mala irrogat. Est vox politicorum & atheorum: qui enim in fæcibus peccatorum suorum defixi iugiter hærent, tandem

mihi fiunt arbei. Amor enim voluptatem, & inueterato peccandi quam nolunt dimittere, excæcat, vt dicant: Non est prouidentia, quo liberiùs ablato Numinis metu peccent & suis amasijs vel cupedijs fruantur, iuxtà illud psalm. 13.1. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.*

ET ERIT FORTITVDO EORVM IN DIREPTIONEM] Pro *fortitudo* hebr. est חיל *chel*, quod robur rem, opes, exercitus significat. Vnde Chald. vertit, *erunt diuitiæ eorum in spolium*; Pagnin. *erit substantia eorum in direptionem*; Tigurina, *diripientur opes eorum*. Hinc & sequitur: *Et domus eorum* (inquit) *in desertum*; Chald. *domus eorum in prædam*, Pagnin. *domus eorum in desolationem*; Tigurina, *domus eorum vastabuntur*. Diuites enim omne suum robur ponunt in domibus & opibus, iuxta illud Prouerb. 18. v. 11. *Substantia diuitis vrbs fortis eius, & quasi murus validus circumdans eum.* S. Hieron. tamen, Remig. & Haymo per fortitudinem accipiunt exercitum. Audi S. Hieron. *In die iræ & iudicij omnis fortitudo eorum in direptionem erit, vt quod malè valebat & erigebatur aduersus Dominum, infirmum fractumq; vertatur ad malum: velut si quis fortitudinem latronis, & piratæ, & fera diripiat, infirmosq; eos reddat, prodesse illis suæ infirmitati: debilitata enim membra, quibus priùs non bene vtebantur, à malo opere cessabunt.*

14. Iuxtà est dies Domini magnus, iuxtà est & velox nimis: vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis.

15. Dies iræ dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis,

16. dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas, & super angulos excelsos.

17. Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt: & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora.

18. Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini: in igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia consummationem cum festinatione faciet cunctis habitantibus terram.

14. IVXTA EST DIES DOMINI MAGNVS] Putà dies vltionis & excidij Ierusalem, ac captiuitatis Babylonicæ.

Allegor. aptè S. Hieron Remig. Vatabl. imò Ecclesia in officio defunctorum, hæc omnia aduenire diei iudicij. Vide dicta Ioëlis 2. Propè, inquit S. Hieron. est dies mortis & iudicij, *vel propter acerbitatem, quia nihil ei longum est; vel propter suæ magnitudinem, quia patienti numquam longè putat supplicium quod inferendum est; siue, cùm mortuus à seculo, & vnuscuiusque mors consummatio mundi fecerit, non solùm propè erit, sed & subinde venit.*

VOX DIEI DOMINI AMARA] Quia in illa die est clangor, strepitus, tumultus & complora-

A tio tum Chaldæorum occidentium, tum Iudæorum vel occisorum, vel captiuorum, amarus & horrendus. Allegor. S. Hieron. iugiter sentiebat sibi insonare vocem vltimæ tubæ: *Siue, inquit, bibo, siue comedo, siue dormio, semper tuba illa insonat auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium.* Sapientes, qui hanc vocem iugiter audiunt & ruminant.

TRIBVLABITVR IBI FORTIS] Chald. *ibi potentes interficientur*; Pagnin. *clamat ibi fortis*; Tigurin. *ibi fortis turpiter eiulabit*. Alij mutata distinctione sic exponunt: *Vox diei Domini propè est, ibi fortes vociferabuntur amarum*, id est, ibi audietur vox atrox & horrenda Chaldæorum expugnantium Ierusalem, ciuesque trucidantium; & alleg. angelorum tuba canentium, orbisque excidium & finem adducentium in die iudicij.

B DIES IRAE] Ad literam loquitur de die excidij Ierusalem per Chaldæos; Allegor. de die iudicij. Septuag. *Dies iræ dies illa, dies tribulationis & necessitatis, dies miseriæ & perditionis, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & nebulæ, dies tubæ & clamoris*; Chald. *dies ille dies afflictionis & angustiæ, dies tumultus & commotionis, dies tenebrarum & caliginis, dies nubilosus & obscurus, dies buccinæ & iubilationis*; Pagnin. *dies iræ dies illa, dies angustiæ & afflictionis, dies tumultus & desolationis, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & caliginis, dies tubæ & taratantaræ*. Exaggerationes hæ acerbitatē horrorem & atrocitatem illius diei significāt & repræsentant. Tigurina, *dies excandescentiæ dies illa, dies angoris & coangustationis, dies desolationis & deuastationis, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & nebulæ, dies buccinæ & classici*. Vide dicta Ioël. 2. VERS 15. *Horror diei iudicij quātus ex vndecim epithetis.*

C 2. Meditans, & concionator singula hæc diei illius epitheta ruminet, expendat, ponderet & vrgeat, v. g. dies huius vitæ est est dies gratiæ, illa futuræ vitæ & iudicij erit dies iræ: quia in illa Deus omnem suam iram per sex annorum (quibus eum iugiter in hoc mundo offenderunt & iritarunt peccatores) millia collectam, totam simul vno impetu, quasi torrens effundet in impios. Secundò, illa dies erit dies tribulationis, quia tribulam omnium afflictionum aget super impium Deus, dicetque, *Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*, Apoc. 18. 7. Tertiò, erit dies angustiæ: quia ab omni parte arctabuntur reprobi. Si enim aspiciant sursum, videbunt iudicem iratum, spirantem fumos. Si deorsum, videbunt flammas gehennæ sibi paratas. Si retro, videbunt voluptates elapsas iam se deserere & cruciare. Si antè, videbunt æternitatem interminam, eamque miserrimam. Si ad latera, videbunt angelos se relinquentes, & dæmones se inuadentes. Si intus, videbunt conscientiam se accusantem & flagellantem. Quartò, erit dies calamitatis, id est calamitosissima, adeò vt dicant montibus: *Operite nos*; & collibus: *Cadite super nos*, Oseæ 6. 8. Apoc. 6. 16. Vndique enim pœnæ quasi hostes in eos irruent. Quintò, erit dies necessitatis, vt vertunt Septuag. quia necessariam & ineuitabilem sententiam & condēnationem subibunt, à qua nec homines, nec angeli, nec B. Virgo eos volet, aut poterit liberare. Sextò, erit dies perditionis: quia & famam, & vitam, & lætitiam, & animam, & omne bonū perdent in æternum. Septimò, erit dies tumultus, vt vertit Chald. quia in tanto, & penè infinito

Primò. *Secundò.* *Tertiò.* *Quartò.* *Quintò.* *Sextò.* *Septimò.*

damnatorum numero, turbaque condensata & constipata, tam in valle Iosaphat, quàm in gehenna, horrendus erit strepitus, clamor, eiulatus; horrenda conuicia, maledictiones & blasphemiæ, quibus damnati socijs, parentibus, dæmonibus, angelis, Deoque maledicent: ringent enim contra se inuicem quasi canes ex summo dolore & desperatione. *Octauò.* Octauò, erit dies tenebrarum: quia ibunt in tenebras exteriores, vbi numquam videbunt solem, lunam, vel vllum lumen. *Nonò.* Nonò, erit dies turbinis quia quasi mentis impotes vertigine agentur, & ignis stridens quasi turbo aget eos in gyrum, rapietque in tartara. *Decimò.* Decimò, erit dies tubæ & taratantaræ, vt vertit Pagnin. id est prælij, quo Deus eos profligabit & conficiet. Rursum erit dies tubæ: quia tuba proclamante educentur coram toto mundo ad locum supplicij, vt plectantur in gehenna. *Vndecimò.* Vndecimò, erit dies desolationis & deuastationis, vt vertunt Pagnin. & Tigurina, quia priuabuntur omni consolatione & gaudio, ac replebuntur omni mœrore & tristitia. *Duodecimò.* Duodecimò, erit dies iubilationis, vt vertit Chald. quia Sancti iubilabunt, & applaudent iustitiæ & vindictæ Dei, ipsisque damnatis insultabunt, ac de ijs quasi hostibus profligatis triumphum agent. Sap.5.1.

DIES NEBVLAE ET TVRBINIS] Tum propriè. Deus enim pugnat aduersus impios, ac præsertim in die iudicij pugnabit, cogendo & vibrando in eos nebulas, turbines, fulmina, tonitrua, procellas & grandines. Hi enim milites in castris Dei censentur psalm.10.7. Sap.5.22. Sic pro Theodosio pugnans contra Eugenium tyrannum, ventos in eum immisit,

Reuolutaq; tela
Vertit in auctores, & turbine reppulit hastas,

ait Claudian.

Tum Symbolicè. Nebula enim, tempestas, & turbo symbolum & imago sunt horrendi prælij, conflictus, stragis, supplicij & vindictæ, ex alto à Deo detonantis & depluentis in impios, eosq; grandinantis. Sic Homerus Iliade 4. Græcorum agmina, quasi procellas irruentes in Troianos depingit:

Qualem super æquora nubem
Sæpè videt celso scopuli de vertice pastor,
Contractam Zephyri flatu, & caligine nimbos
Densante picea, & sæuam minitante procellam.

Et Homerum de more imitans Virgil. Æneid.12.

Qualis vbi ad terras abrupto sidere nimbus
It mare per medium, miseris, heu! præscia longè
Horrescunt corda agricolis: dabit ille ruinas
Arboribus, stragemq; satis, ruet omnia latè.
Antè volant, sonitumq; ferunt ad littora venti.
Talis in aduersos ductor Rhœteius hostes
Agmen agit.

Et rursum Æneam in medio conflictus quasi turbinis, ita describit:

Ac velut effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator, &c.
Sic obrutus vndique telis
Æneas, nubem belli dum detonet.

A SVPER ANGVLOS EXCELSOS] Chald. *super culmina hus exaltatis*; Tigurina, *super turres excelsas*: hæc enim in angulis palatiorum solent exædificari, q.d. Chaldæi turres altissimas celerimè conscendent, occupabunt & vastabunt. ita Theodor. Lyran. Arias & Vatabl.

AMBVLABVNT VT CAECI] præ metu, angore, horrore & stupore. Videtur enim timor & anxietas timidis, anxijs & perplexis eripere lumen mentem & oculos, vt nesciant quò fugiant. q.d. Iudæi erunt attoniti, vt cæcutire videantur, & ambulare tamquam cæci, præsertim quia odient eis consiliarios & viros sapientes, qui ciuitatis & ciuium sunt quasi mens & oculi, vti præclarè Isaias c.3.3.

B EFFVNDETVR SANGVIS EORVM SICVT ETIAM Tigurina, *vt puluis*, scilicet contemptus & nullius pretij, qui omnium pedibus calcatur.

CORPORA] Cadauera Iudæorum insepulta proijcientur vt stercora, hoc est, sepultura non sepelientur, vti sub idem hoc tempus Ioakim regi comminatus est Ieremias c.22.19.

AVRVM NON POTERIT LIBERARE EOS] quia Chaldæi truculenti Iudæorum vitam quærunt non aurum.

IN IGNE ZELI EIVS (Domini) DEVORABITVR OMNIS TERRA] scilicet Iudæa: deca enim per *Ignem zeli* vocat iram vindictæ, vel iram vindicem. Ira enim vocatur ignis: quia in ira effluente sanguine effervescimus & ignescimus, C oculis, ore & naribus flamas vomere videamur. Vnde illud: *Ignes*, vel *iras naribus efflat*. Vnde Arabicus Antioch. vertit, *in igne feruoris eius*; Arabicus Alexandr. *in flamma ignis eius*. Rursum zelus vocatur *zelus*: quia hæc in Deo exingeniti more nascitur. Alludit enim ad zelum maritorum, qui quia vxores ardenter amant, hinc, si ipsæ adulterentur, & fidem amoremq; fallant, acerrimè ei punium, & sæpè occidunt. Ita Deus, quia populum suum, putà Iudæos, ardenter amabat, quasi sponsas suas; hinc eos fidem fallentes, & cum dolis adulterantes, amore in indignationem versa grauissimè puniuit, vastauit & consumpsit, que ad consummationem, id est plenè, finaliter & consummatè. ita S. Hieron. Loquitur, vt dixi, ad literam de die excidij Ierusalem per Chaldæos, & à pari, vel simili, de die excidij eiusdem D per Titum & Romanos. de quo S. Hieron. *Ego*, inquit, *in præsentem*, inquit, *diem videas Iudæos prohiberi ingredi Ierusalem excepto planctu: & vt ruinam suam flere liceat ciuitatis, pretio redimunt, vt qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lachrymas. Videas in die quo capta est à Romanis & deserta Ierusalem, venire populum lugubrem, conferre hospitas mulierculas, & senes pannis annisq; [illegible] corporibus & in habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, & patientia Domini coruscante, ac radiante desuper eius, & Christi vexilli monte quoque crucis fulgente vexillo, plangere ruinas templi sui populum miserum, & eamen non misereri habilem, &c. & dubitat aliquis, cum hæc vaticinia de die tribulationis & angustiæ?*

CAP

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hortatur Iudæos ad pœnitentiam, vt euadant stragem Chaldæorum, quam subituræ sunt vicinæ gentes. Vnde v. 4. Gaza, Ascaloni, Azoto, Accaron, Ammon, Moab, ac v. 12. Æthiopia, quin & v. 13. ipsi Niniuæ orbis dominæ excidium intentat; simul vt soletur Iudæos horum populorum, vtpote Iudæis hostilium, clade & interitu.

COnuenite, congregamini gens non amabilis:

2. priusquam pariat iussio quasi pulverem transeuntem diem, antequam veniat super vos ira furoris Domini, antequam veniat super vos dies indignationis Domini.

3. Quærite Dominum omnes mansueti terræ, qui iudicium eius estis operati: quærite iustum, quærite mansuetum: si quomodo abscondamini in die furoris Domini.

CONVENITE] הִתְקוֹשְׁשׁוּ *hitkoscesu*, id est colligite, adunate vos in cœtum, sicut stipulæ & paleæ colliguntur & constringuntur in fasciculos. Vnde Septuag. & Chald. vertunt, *congregamini* & συνδέδησθε, id est *colligamini*: malè enim quidam legunt συνδεύθητε, id est comprecamini, ait Theodor. Hortatur enim populum, vt simul omnes coëant in templum, ibique vnanimiter per preces & pœnitentiam communem Deum placent, ac ipsi quasi vim faciant, itaque imminata mala auertant, & flagellum è manu eius extorqueant. q.d. *Conuenite in ecclesia, sociam vobis charitate & pace*, ait S. Hieron. nimirum vt, sicut grana in aceruos, stipulæ in fasciculos colliguntur, ita vos mutuis & communibus charitatis & pietatis studijs conueniatis in vnam religionē, ecclesiam, litaniam & supplicationem, vtque vnione prævaleatis iræ Dei, Deumq; vobis reconciliethis. Quare minùs rectè Rabbini, & cum Pagnin. Tigurin. & Vatabl. vertunt, *scrutamini vosipsos, & scrutamini* deinde alios, vt scilicet prius vestram, deinde alienam conscientiam exploretis & inducatis ad pœnitentiam. Hebr. enim חקר, non significat scrutari conscientiam, sed colligere, aceruare, congregare.

Impol. S. Hieron. hæc applicat cuiq; è sæculo migranti, q.d. *O tu qui sæculi negotijs occupatus per luxum & discursus, reuertere in sanctorum ecclesias, & sanctorum vitæ & cœtui, quos vides placere Deo; & disjecta membra animæ tuæ, nec sibi cohærentia, in vnam sapientiæ cogo compagem; & illius hæc compaginandi mysticè: Confortamini manus dissolutæ & genua debilia solidamini. Nec glorieris in bonis operibus & eius flore qui præterit. Omnis enim caro fœnum, & omnis eius gloria quasi flos fœni. Aruit fœnum, & flos decidit: verbum autem Domini manet in æternum.* Subdit deinde aliud: *Possumus*, inquit, *hoc capite vti pro tempore, si quando videremus aliquem sæculo & sæculi deditum, & congregandis diuitijs occupatum, ad ecclesiam, vel rarò, vel numquam venire, & horum ad eum: Congregare & coniungere populo* [illegible] *Domini præcepta non audit, antequam gloriâ*

A *tua pertranseat, antequam dies tibi furoris Domini adueniat.*

GENS NON AMABILIS] Hebr. לֹא נִכְסָף *lo nichsaph*, id est, vt Pagnin. *gens non desiderabilis.* q.d. O Iudæi, vos estis gens non amore, sed odio Dei digna, Deoq; ob peccata inuisa & exosa. Vnde Septuag. vertunt, *gens inerudita*, quæ scilicet doctrinam & disciplinam Dei ignorat & respuit; Tigurina, *gens non desiderans*, scilicet Deum Deiq; legem; Chald. *generatio nolens conuerti ad legem*; Syrus, *gens non correpta*, non erudita, absque disciplina; Arabicus Antioch. *gens quæ non probatur*, hoc est, tentatione, vel afflictione non examinatur; Arabicus Alexandr. *gens insipiens*. Est liptote,
B siue miosis: minus enim dicitur, & maius intellitur: *non amabilis*, id est inamabilis, quæ nequit amari, inuisa, odiosa. Sic Plautus in Bacch. *Incredibilis, impos animi, inamabilis, illepidus viuo.* Et Virgil. 6. Æneid. de Styge: *Tristiq; palus inamabilis vnda*, id est palus summè horrida & exosa. Idem 3. Georg.

Quis aut Eurystheæ durum,
Aut illaudati nescit Busiridis aras?

illaudati, id est vituperati, infamis & sceleratissimi: Busiris enim hospites suos dijs mactabat ad aras, cumq; pariter Herculem mactare vellet, ab eo mactatus est. Sic Script. sæpè idolum, vel peccatum, vocat vanum, vel inutile, id est maximè
C damnosum & nocentissimum. Secundò, Iudæi vocantur *gens non amabilis*: quia cæteris gentibus erant inuisi, tum ob religionis & fidei differentiam, tum quòd cum eis nullum haberent commercium, affinitatem vel coniunctionem, imò eas auersarentur. ita Pineda libr. 1. de Rebus Salom. c. 1.

PRIVSQVAM PARIAT IVSSIO, &c.] q.d. Cōgregamini ad publicas preces & lamenta, antequam Deus iussu suo pariat & producat diē excidij & captiuitatis Babylonicæ, qui transibit vt pulvis, hebr. כְּמֹץ *cammots*, id est vt palea & gluma, hoc est, erit vt turbo qui violenter pulueré & paleas dispergit, ac celerrimè transit omnia miscens, ob-
D nubilans, diripiens & auferens. ita S. Hier. Theodor. Remig. Hugo & Lyran. Verùm Septuag. paraphrasticè pro pulueré aliam dant similitudinem, nimirum floris. *Antequam*, inquiunt, *fiat sicut flos pertransiens die*, qui scilicet eodem die quo manè oritur, vesperè occidit. q.d. Ne sicut flores verni ilico defluatis, diuina ira quasi turbine vos decutiente, inquit Theodor. Similiter Chald. aliā addit similitudinē vmbræ: *Antequam*, inquit, *prodeat in vos edictum domus iudicij, & fiant sicut gluma quam perflat ventus, & vmbra quæ transit a conspectu diei*, nimirum *antequam veniat super vos vehemens ira Dei*: illa enim erit implacabilis, nec dabit locum obsecrationi aut pœnitentiæ.

VERS. 2.

VERS. 3. QVAERITE DOMINVM OMNES MANSVETI TERRAE] q.d. Omnes quidem, sed vos maximè qui estis humiles & mansueti, obsecrando quærite Deum, eumque assiduis gemitibus fatigate, si fortè eum toti populo indignantem lenire & placare possitis. Vbi Nota, nullos posse lenire iram Dei, eamque toti genti propitiare, nisi humiles & mansuetos, qualis fuit Moses, Num. 12. 3 & Exodi 32. 32.

QVI IVDICIVM EIVS ESTIS OPERATI] *Iudicium*, id est id quod æquum & iustum est, putà id quod lex sancit & præcipit. Sic psalm. 118. sæpè lex Dei vocatur *iudicium*. ita S. Hieron. vnde explicans subdit:

QVAERITE IVSTVM, hebr. צֶדֶק *tsedec*, id est *iustitiam* QVAERITE MANSVETVM] hebr. עֲנָוָה *anaua*, id est *mansuetudinem*; Pagnin. *humilitatem*; alij, *paupertatem*, q.d. Estote iusti & mansueti, facite opera iusta, idque mansuetè, conuersatio vestra sit iusta, æquè ac mitis, modesta, & in omnibus actibus, motibus & moribus composita. Hanc enim morum compositionem facit humilitas & mansuetudo. ita Theodoretus.

Aliter S. Hieron. Remig. Albertus & Hugo, qui per iustitiam & mansuetudinem accipiunt Deum, qui est ipsa increata & immensa iustitia & mansuetudo. q.d. Quærite Deum operando iudicium, id est opera iusta: ipse enim iustissimus est, æquè ac mansuetissimus. Quocirca, quia iustissimus, respiciet opera iusta: quia mansuetissimus, pœnitentes in gratiam clementer recipiet. Hæc ergo duo vos abscondent & protegent ab eius ira & furore.

4. Quia Gaza destructa erit, & Ascalon in desertum, Azotum in meridie ejicient, & Accaron eradicabitur.

5. Væ qui habitatis funiculum maris, gens perditorum: verbum Domini super vos Chanaan terra Philisthinorum, & disperdam te, ita vt non sit inhabitator.

6. Et erit funiculus maris requies pastorum, & caulæ pecorum:

7. & erit funiculus eius, qui remanserit de domo Iuda: ibi pascentur, in domibus Ascalonis ad vesperam requiescent: quia visitabit eos Dominus Deus eorum, & auertet captiuitatem eorum.

8. Audiui opprobrium Moab, & blasphemias filiorum Ammon: quæ exprobrauerunt populo meo, & magnificati sunt super terminos eorum.

9. Propterea viuo ego, dicit Dominus exercituum Deus Israel, quia Moab vt Sodoma erit, & filij Ammon quasi Gomorrha, siccitas spinarum, & acerui salis, & desertum vsque in æternum: reliquiæ populi mei diripient eos, & residui gentis meæ possidebunt illos.

10. Hoc eis eueniet pro superbia sua: quia blasphemauerunt, & magnificati sunt super populum Domini exercituum.

A 11. Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes deos terræ: & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ Gentium.

12. Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis.

QVIA GAZA DESTRVCTA ERIT] Dat causam cur furorem Dei expauescere debeant, ideoque studere, vt per opera pœnitentiæ & iustitiæ eum à se auertant; quia scilicet tantus erit furor Dei, tantum robur & impetus Chaldæorum, militum eius, vt ipsi venientes in Iudæam, etiam accinos Philisthinos, qui sæpè Iudæis sunt dominati, sint vastaturi. q.d. Multò ergo magis vos à Iudæi, Chaldæos formidare debetis: vestrum enim ipsi propriè, ita destinante Deo, sunt flagellum: vobis enim ita iratus est Deus, vt non tantùm vos, sed & propter vos, vicinas gentes sit vastaturus. Vos enim, quia fideles Deum cognoscentes, imò Deo quasi consecrati, magis eum offendistis colendo idola, &c. quàm Gentes infideles quæ Deum non cognouerunt. Cùm ergo illas puniturus sim, multò magis vos puniam & vastabo. Aliter hæc præcedentibus connecte à Castro, quasi dent causam cur dixerit: *Si quo modo abscondamini in die furoris Domini.* q.d. Vos liberabimini ab illa communi clade & captiuitate Babylonica (quia inde redibitis) à qua nulla alia gens se poterit liberare: quia Gaza funditus destruetur. Aut q.d. Dominum precibus & actionibus iustis propitiate: fortè vos proteget aliqua ratione sibi nota, quam nos ignoramus: fugere C enim ad vicinas gentes non licebit, quia Gaza destruetur.

Nota. Quinque erant satrapiæ Philisthinorum, quarum metropoles totidem erant hæ, Gaza, Accaron, Azotus, Ascalon, Geth: in quibus nominibus elegans est paronomasia in Hebræa. Ait enim עֲזָה עֲזוּבָה *Azza azuba*, Gaza erit derelicta, aut, vt latinè eam imitemur, Gaza erit vasta, vel vastata: fortè etiam alludit ad nomen Persicum *gaza*, quod opes significat. q.d. Gaza olim habuit gazam, eamque recondidit: at nunc ea priuabitur, eritque derelicta: imò putant aliqui Gazam nuncupatam à gaza Persica ob opulentiam vrbis. Verùm Gaza hoc nomen habuit tempore Dauidis, ante regnum Persarum. Quocirca verum etymon Gazæ est Hebræum. Hebr. enim vocatur עֻזָּא *azza*, id est fortis: erat enim D situ & arte insigniter munita. Pro *Azza* enim Septuag. dixerunt *Gaza*: quia literam Hebræam ain sæpè vertunt in G, vt pro *Amora* vertunt *Gomorrha*, pro *omer* vertunt *gomer*.

AZOTVM IN MERIDIE EIICIENT] q.d. Chaldæi Azotios non clàm & furtim, sed palàm claro luce, collata acie expugnabunt. ita S. Hieron. Remig. Albert. & Hugo.

ACCARON ERADICABITVR] Hebr. est paronomasia עֶקְרוֹן תֵּעָקֵר *Accaron teacker*, q.d. Accaron, quæ hebr. ab eradicando dicitur, estque idem quod eradicatio, à Chaldæis eradicabitur, id est, funditus euertetur.

Moraliter Lyran. Per *Philistæam*, inquit, quæ *potione cadens* interpretatur, ebrietas bene significatur, ad quam sequitur destructio fortunis corporalis. Prouerb. 23. *Cui væ, cui pa-*

murina, cui fouea, cui sine causa vulnera, cui suffossio oculorum, nonne his qui commorantur in vino, & studentibus epotandis ? Et hoc significatur per destructionem Gazæ, quæ fortitudo interpretatur. Secundò, ad ebrietatem sequitur hebetatio discretionis, quæ significatur cùm subditur, *Et Ascalon in desertum* : nam *Ascalon* interpretatur *ponderatio* : actus autem humani debent discretionis iudicio ponderari. Tertiò, per ebrietatem destruitur amicitia charitatis. 3. Esdræ 3.22. *Et non meminerunt, cùm biberunt, amicitiam, nec fraternitatem: sed non multum pòst sumunt gladios.* Et hoc significatur per destructionem Azoti, cùm dicitur, *Azotum in meridie eijciam:* nam communiter circa meridiem incurrunt homines ebrietatem. Quartò, per ebrietatem consumitur substantia corporalis. Eccli. 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur* : & hoc significatur cùm dicitur, *Et Accaron eradicabitur: Accaron* enim *pascua* grece interpretatur ; & conuenit substantiæ temporali, per quam omnia ad victum pertinentia habentur.

Audiui opprobrium Moab, &c. hîc describitur destructio quatuor gentium. Primi sunt Moabitæ, qui interpretantur *ex patre*; ideo significant blasphemos, quibus dicitur Iohan. 8. *Vos ex patre diabolo estis.* Secundi sunt Ammonitæ, qui interpretantur *populi dolorum* , ideo significant inuidos, qui dolent de bonis aliorum. Tertij sunt Æthiopes, qui *tenebrosi* interpretãtur; & ideo significãt hæreticos, qui tenebris errorum obfuscantur. Quarti sunt Assyrij, qui interpretãtur *factura vigilantes*; ideo significant latrones, qui de nocte vigilant ad malefaciendum. Isti verò quatuor hominum modi, sunt per diuinũ iudicium, nisi pœniteant, æternaliter condemnandi. Hucusque Lyranus.

FUNICULUM MARIS] Id est partem vel oram maritimam. Est metonymia: quia enim olim funiculis agros & prædia dimetiebantur & diuidebant, hinc funiculus significat partem possessionis, siue sortem hereditariam quæ cuique partiti obtingit, vt psal. 15.6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, hoc est, vt explicans subdit: *Etenim hereditas mea præclara est mihi.* Sensus est, q.d. Væ vobis Cerethim, qui habitatis circa oram maritimam maris Mediterranei: nam perdet & vastabit vos Nabuchodonosor.

GENS PERDITORVM] Hebr. *gens Cerethim.* Iam vox *Cerethim* dupliciter accipi potest, Primò, vt nomen proprium gentis. ita accipiunt Hebræi, Clarius, Vatabl. Arias, Pagnin. & Septuag. qui vertunt, *accola Cretensium.* Cerethim ergo idem sunt quod Cretes & Cretenses.

Secundò, vt appellatiuum. Vnde Aquila, Quinta editio & Theodot. vertunt , *gens perditionis*; Nostra, *gens perditorum*; Tigurina, *gens vastatrix.* Cerethim enim deducitur à כָּרַת *carat*, quod significat excindere, occidere, perdere: inde deriuatur *Cerethim*, q.d. Perditores, excisores, interfectores, qui omnes & omnia perdunt, occidunt, destruunt: erant enim Cerethim gens fera & bellicosa. Ad hoc etymon alludit Sophonias, q.d. O Cerethim eratis olim Cerethim, id est perditores & vastatores; iam eritis כְּרוּתִים *ceruthim*, id est excisi & vastati: olim perdebatis alios, iam vos ipsi perdemini; occident enim vos & excindent Chaldæi. Vnde Symmachus vertit, *genus exter-*

A *minatum*; Arias, *gens interficienda*, quia excidio Chaldæorum destinata.

Quæres, quænam fuit gens Cerethim? Primò, S. Hieron. Ribera & Clarius censent, Philisthinos omnes vocari Cerethim, id est excisores: quia erant sæui & bellipotentes ; vnde continua bella gesserunt cum Iudæis, eisq; sæpè dominati sunt, vt patet ex lib. Iudicum & Regum. Sophonias enim videtur mox hosce *Cerethim* , vocare *Chanaan* & *Philisthijm*. *Cerethim quit*

Verùm dico , non omnes Philisthinos , sed certam eorum regionem sitam ad Meridiem, vocari Cerethim. ita Abulensis in libr. 1. Reg. c. 30. quæst. 10. Vatabl. Emmanuel, Mariana, Arias, à Castro hîc, & Prado Ezech. 25. sub finem. Id ita esse, patet 1. Reg. 30. 14. *Erupimus*, inquit, *ad Australem plagam Cerethi, & contra Iudam, & ad meridiem Siceleg.* quod v. 16. explicans ait, *Quæ ceperant de terra Philisthijm & de terra Iuda.* Cerethim ergo erant pars terræ Philisthijm Meridionalis. Secundò, quia ex hac gente collectæ sunt duæ legiones Dauidis prætorianæ & fortissimæ, &, vt Ioseph. libr. 7. Antiq. cap. 11. ait , corporis regij custodes, qui circa aulam versantur (quales iam apud reges sunt Heluetij.) Hæ enim dictæ sunt *Cerethi*, quasi interfectores; & *Phelethi*, quasi liberatores, à robore & virtute bellica: quia regem , eiusque assecias ab omni periculo hostium liberabant, hostesque eius interficiebant. Vnde ad nomen, æquè ac ad ministerium Cerethi & Phelethi, alludere milites *cetratos & peltatos*, de quibus Liuius 3 decad. libr. 1. suspicatur Pineda libr. 2. de Rebus Salom. cap. 5. num. 5. atque à פָּלַט *palat*, id est liberauit, deduci nomen *pelta*, quâ protegimur & liberamur ab hostili ictu. Chald. vertit, *sagittarios & fundibularios* : licet ea non sit vocum etymologia , sed muneris eorum & officij notatio. Audi Scripturã 2. Reg. 15. 18. fugiente Dauide Absalonem, *vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi & Phelethi.* Et 1. Paral. 18. 17. *Banaias filius Ioiadæ super legiones Cerethi & Phelethi.* R. Kimchi putat hosce milites Dauidis fuisse Israelitas, vnde Pagnin. in Interpr. nominum propriorum Hebr. cẽset *Cerethim* dictos quasi accolas Carith torrentis in tribu Ephraim , vbi Elias pastus fuit à coruis, 3. Reg. 17. 5. Verùm exteros potiùs, putà Philisthæos, fuisse, indicat Sophonias, & Ezechiel c. 25. 16. vbi eos vocat Palestinos. Videtur enim Dauid cùm profugit à Saule ad Philisthæos, putà ad Achis regem Geth , inde eos secum adduxisse. Rediens enim ex Geth vrbe Philisthæa , adduxit secum sexcentos viros, & Cerethi & Phelethi, quos deinde & fortissimos & fidissimos corporis custodes habuit.

Porrò noster Prado loco citato opinatur ab hisce Cerethim, putà ex Philisthæa maritima, nimirum à Phœnicibus hisce Cerethis, vel Cretis, habitatam & nominatam esse Cretam insulam. Creta enim videtur colonia Phœnicum, qui nauibus valebant , ideoque vicinas insulas nauigando lustrantes, eò deducebant colonias: vnde & in Creta portus erat, cui nomen Phœnix, Actor. 17. 12. Hinc & Creta dicta est quasi Cureta, ab incolis Curetibus, putà Cerethim. Alij, vt Theodor. ex aduerso opinantur, Cretenses insulanos coloniam deduxisse in Phœniciam & Philisthæam , ideoque hosce Cerethim ortos esse à *Cerethim sunt Cretenses.*

Cretẽsibus. Vnde Septuag. vertunt, παροίκοι Κρητῶν, id est aduenæ Cretẽsium, qui scilicet ex Creta in Philistæam aduenerant: nimirum Septuag. inquit S. Hieron *pro* גר *goi, id est gens, legerunt* לד *ger, id est aduena* (licet Græcum παροίκοι non tantùm aduenas, sed & accolas vel incolas quoslibet significet, vt sit idem quod Hebr. *goi*) vide dicta Ezech. 25. 16. Hinc & Cretenses in re nautica excelluerunt, ait Strabo. Vnde Prouerbium ironicum, *Cretensis mare nescit*, de eo qui id se scire dissimulat, quod callet optimè. Creta enim, licet sit insula, videtur tamen primitus inhabitata, ob soli bonitatem. Nullum enim in Creta animal noxium est; optimique vini, quod vulgò Maluasia dicitur, est fertilissima. Vnde Virgil. Æneid. 3.

Creta Iouis magni medio iacet insula ponto,
Mons Idæus vbi, & gentis cunabula nostræ.
Centum vrbes habitat magnas, vberrima regna.

Hinc & Iupiter fuit Cretensis, ibique regnauit. Insuper Cretenses olim bellicosos fuisse, æquè ac Cerethim, patet tum ex historijs, tum ex veteri epitheto: *Pugnaces* enim *Cressæ*, vocantur canes Cretenses, de quibus Seneca in Hippol.

Teneant acres lora molossos,
Et pugnaces tendant Cressæ
Fortia trito vincula collo.

Denique Strabo l. 10. celebrat Cretensium virtutem bellicam, & in alias regiones transmigrationes.

VERBVM DOMINI SVPER VOS CHANAAN, ô Chananæi, qui estis TERRA PHILISTINORVM] q. d. Verbum Domini contra Philisthinos, qui sunt Chananæi: Philisthæa enim erat pars terræ Chanaan, Iosue 13. 3. Significat non solos Cerethim, sed omnes omnino Philisthinos vastandos.

VERS. 6. ET ERIT FVNICVLVS MARIS REQVIES PASTORVM, ET CAVLAE PECORVM] q. d. Ita à Chaldæis vastabuntur Cerethim omnesq; Philisthini, qui incolunt oram maritimam, vt terra eorum desolanda sit, & vertenda in pabula & stabula pecorum. Septuag. rursum de Creta hæc accipiũt: *Et erit*, inquiunt, *Creta pascua gregis, & ouile pecorum.* quod mysticè exponens S. Hieron. *Cretenses*, ait, *semper mendaces, mala bestia, ventres pigri.* ad Titum 1. *Qui fluctuant & circumferuntur omni vento doctrinæ, in deceptione hominum, in versutia erroris: isti cùm debuerint in terra confessionis, id est in terra habitare Iudæa, voluerunt magis aduenæ esse Cretensium, qui diuersis maris fluctibus hinc inde tunduntur; & sonant ære Corybantino, & sunt iuxta Apostolum quasi cymbalum tinniens. Et quia aduenæ sunt Cretensium, ideo sermo Dei, hoc est comminatio, fit ad illos. Et dicuntur terra Chanaan, semper in fluctu, semper in motu; & terra Allophylorum* (Philisthinorum;) *alieni enim à Deo, in funiculo maris, & in Creta regione versantur. Fit itaque ad eos sermo Dei, vel in fine mundi, vel quotidie per Ecclesiasticos viros, &c. vt ejectantur de Creta, & perdantur de pristino habitationibus suis; & illa regio quæ priùs gregem perditum continebat, incipiat esse ouile pecorum Christi, & Iudæi, id est vera confessio, habitet in funiculis maris.* q. d. Cretenses, *id est infideles, errones & hæretici, qui priùs in Creta & in mendacio pascebantur*, fient ouile Christi, ibique eius veritate & sanctitate pascentur.

VERS. 7. ET ERIT FVNICVLVS EIVS (maris, putà sors & terra Philisthinorum erit illius) QVI REMANSERIT DE DOMO IVDA] q. d. Iudæi reliqui ex captiuitate Babylonica redeuntes possidebunt Philisthæam à Chaldæis vastatam, ibique quasi in deserto pascent pecora sua. Factum id sub Machabæis Simone & Ionatha, qui ceperunt Gazam & Ascalonem, ac Philisthæos subegerunt, vti ex Theod. & alijs dixi in Abdia sub finem.

Alleg. A postoli è Ierusalem & Iuda prodeuntes, Philisthæam conuerterunt, eamque fecerunt caulam & ouile Christi. ita Philippus diaconus euangelizando perambulauit Gazam & Azotum, Act. 8. vnde subdit: *Ibi pascentur in domibus Ascalonis*, id est, *vbi priùs diaboli & interfectorum manabat cruor. Ascalon enim interpretatur ignis homicida*, inquit S. Hieron.

QVIA VISITABIT EOS, scilicet Iudæos qui remanserint in Babylone, DOMINVS DEVS EORVM, ET AVERTET CAPTIVITATEM EORVM] quia captiuos per Cyrum remittet in Iudæam.

AVDIVI OPPROBRIVM MOAB, cuius metropolis est Areopolis, id est ciuitas Martis, ET BLASPHEMIAS FILIORVM AMMON] quorum metropolis est Philadelphia, ait S. Hieron. q. d. Audiui probra & conuicia, quæ in vos, ô Iudæi, iactarunt Moabitæ & Ammonitæ. Insultarunt enim vobis dum Ierusalem caperetur à Chaldæis, ideo ipsos per eosdem Chaldæos puniam, & pari modo euertam. ita Chald. Albert. Lyran. Arias & Vatabl. Vbi Nota. Pro *blasphemias*, hebr. est גדופים *geduphim*, id est sannas, probra, conuicia, quæ vulgus vocat blasphemias, id est maledicta. S. Hieron. tamen & Theodor. propriè accipiunt blasphemias, quas scilicet Ammonitæ iactabant in Deum, dicentes: Ecce Deus Iudæorum inualidus est, nec potest eos tueri à vi Chaldæorum. Simili modo Rabsaces blasphemauit Deum, Isaiæ 37. v. 10.

ET MAGNIFICATI SVNT; hebr. ויגדילו *iagdilu*, id est *magnificarunt*, actiuè, scilicet tum animo, tum os & linguam, SVPER TERMINOS EORVM] arroganter scilicet & superbè irridendo Iudæos ac iactando quòd terram & terminos eorum à Chaldæis vastatos essent inuasuri & occupaturi, vti explicat Ezechiel c. 35. 12. & Abdias v. 12. ita S. Hieronym. Albert. Lyran. & Arias. Potest Secundò, verti, *magnificarunt*, scilicet os, *super terminos suos.* q. d. Ammonitæ magnifica & superba locuti sunt contra populum meum, dum ipse abductus in Babylonem transiuit per fines eorum. ita Vatabl.

PROPTEREA VIVO EGO, DICIT DOMINVS EXERCITVVM DEVS ISRAEL, putà tutor & vindex Israelis, qui iniurias & probra eis ab Ammonitis & Moabitis irrogata puniã & vlciscar: QVIA MOAB VT SODOMA ERIT, ET FILII AMMON QVASI GOMORRHA] nimirum funditus exscindentur, perinde ac si igne de cælo siderarentur, vti siderata sunt Sodoma & Gomorrha, quibus vicina est regio Moab & Ammon. Simili enim modo ipsa vindicta cælesti, à Deo per Chaldæos afflabuntur & consumentur. Dico simili, non eodem: nam Deus non pluit ignem & sulphur super Moab, vti pluit super Sodomam.

QVOCIRCA erunt SICCITAS SPINARVM] Hoc est, ita desolabuntur, vt nil in eis sit reperire nisi siccas spinas. Pro *siccitas*, hebr. est מכשה *mecsce*, quod R. Salomon vertit, *crepitatio*; Chald. *debilitas*;

Idumæi exitus. Propriè *mimsac* est *excursio*, id est propagatio spinarum. Radix enim שָׁקַק *sakac* significat excurrere: spina enim spinam serit, vna fraga fragum, itaque se propagat, vt breui totum campum excurrat, eamque occupet. Septuag. pro מִמְשָׁק *mimsac*, legerũt דַּמֶּשֶׂק *damascus*, id est Damascus. Vnde vertunt, *Damascus desolata erit*, quasi hîc sit prophetia contra Damascum.

ET ACERVI SALIS] q.d. Terra Moab & Ammon exundatione maris mortui (quod mare salis in Scriptura vocatur) vicini, salsuginosa erit, & consequenter sterilis: Moab enim vicina erat mari mortuo, Ammon verò mari Galilææ. Pro *acervi*, hebr. est מִכְרֵה *michre*, quod Chald. Pagnin. & Vatabl. vertunt, *fossam* vel *fodinam salis*. Sal enim aliud est marinum, quod ex aqua maris decocta coalescit; aliud terrestre, quod ex terra ibi bituminis effoditur, vt fit Salisburgi, quod ex sale fossili dives est, ex eoque nomen accepit. Hîc verum est illud psalm. 106. 34. *Posuit terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.* Idque *in æternum*, vel propriè & absolutè, vt hîc censet S. Hieron. & Theodor. vel improprè & accommodè, scilicet *in æternum*, id est ad longum tempus. Nam postea habitata & culta fuit Moabitis, æquè ac Ammonitis. Arabicus Amoch vertit, *erunt sicut Gomorrha, quia iam corrupta est fortitudo* (gloria) *eorum: & perierunt dantes confusionem eis, & erit corruptio in saeculum*; Arabicus Alexandr. *Gomorrha & Damascus peribit sicut palmæ eorum, & erit perditio eorum in æternum*; Syrus *corrupta* (deprauata, adulterata) *est planta* (plantatio) *eorum, & periit maluchen*, id est *puluis aspersionis earum*, hoc est, nitor, decor & ornatus earum. Hic enim puluis est cinis cuiusdam herbæ, quam Arabes in solitudine colligũt & comburunt, ac in vicinis ciuitatibus ingenti copia distrahunt. Hic enim cinis est quasi sapo, quo sericum imbuitur, vt bene coloribus tingatur: eodem vruntur fœminæ ad purgationem multarum rerum, quin & suiipsarum: eo enim se lauant, vt nitidæ & decoræ appareant. Secundò, Syrus *maluch* idem est quod Hebræum *melachi*, id est sal. Vnde vertas, *periit earum sal*, quia scilicet sale aspersa est terra earum, itaque sterilis & nulli effecta est: quare tam sal, quàm terra sale aspersa perijt. Et sic consentit cum Nostro qui vertit, *Moab erit acervus salis*, &c. Tertiò, sal quia omnibus obuius miscetur, hinc significat communionem & communicationem, vt notat Andreas Masius in Lexico Syro-Chaldaico Biblior. Reg. pag. 9. Vnde vertas, *nulla erit in Moab communicatio & hominum frequentia*, quia in ea vastata erit solitudo. Omnes hæ versiones eôdem recidunt, significat enim magnam vastitatem & desolationem. Moral. Vide hîc vanitatem omnis magnitudinis & magnificentiæ. Cygnæa nuper, sed aurea, fuit vox Philippi III. Hispan. Regis in morte: *Nihil inuat regem esse, nisi vt in morte cruciet*. Audite principes, audite Prælati: idem sentite, idem dicetis in morte, quod rex hic præclarus, sapiens, & innocentis vitæ.

RELIQVIÆ POPVLI MEI DIRIPIENT EOS] q.d. Reliquæ Iudæorum Babylone redeuntium, diripient Moabitas & Ammonitas. Factum id à Machabæis, putà à Iuda 1. Machab. 5. 6. & ab eius nepote Alexandro, vti docet Ioseph. l. 12. Antiq. c. 11. & l. 1. Belli c. 3. Allegor. pleniùs & meliùs id fecerunt Apostoli, qui Ammon, Moab, cæteraſq; Gentium regiones subegerunt Christo. ita S. Hieron. qui censet hunc sensum esse literalem, sed verius est esse allegoricum.

HORRIBILIS DOMINVS SVPER EOS] Chald. Pagnin. & Tigur. *terribilis*: hoc enim est Hebr. נוֹרָא *nora*, à rad. יָרֵא *iare*, id est timuit. Verùm Septuag. *nora* vertunt, ἐπιφανὴς, id est manifestus, à rad. רָאָה *raa*, id est vidit. q.d. Deus terribilem & manifestam vindictam per Chaldæos, ac deinde per Machabæos, exercebit in Moabitas & Ammonitas, vtpotè hostes Dei, & irrisores Israelis. VERS. 11.

ET ATTENVABIT, hebr. רָזָה *raza*, id est emaciabit, macie conficiet, inquit Vatab. OMNES DEOS TERRÆ] putà orbis vniuersi. Cœpit hoc impleri per Chaldæos in Ammon & Moab, cùm inde idola aurea & argentea diripuerunt, vt cẽset Hugo: promotum est per Machabæos, qui Ammonitas & Moabitas compulerunt ad iudaismum & veri Dei cultum, vti dixi in fine Abdiæ. Verùm planè & plenè in toto orbe id effectum est per Apostolos, tempore Euangelij. Tunc enim peractum est excidium idololatriæ, & vera Dei Christique religio vbique gentium recepta, toti mũdo dominata est. ita S. Hieron. Theodor. Remig. S. Augustl. 18. Ciuit. 33. Euseb. l. 2. de Demonstr. Euang. c. 16. & alij passim. Assurgit ergo Propheta à typo ad antitypum, à Iudæis ad Christum & Christianos, qui non tantùm Moab & Ammon, sed omnes gentes occuparunt, Deique cultu, sublatis idolis, imbuerunt. q.d. Deus hostes suos suique populi, putà Ammon & Moab, eorumq; deos deijciet per Apostolos, facietque vt quæque gens non in sola Ierusalem, vti Iudæi, sed vbique terrarum, quælibet in suo loco & regione, Christum Deumque verum colat, inuocet & sacrificet. Vnde pro כִּי, hebr. est כִּי *ki*, id est *quia*, *quoniam*; quod sæpè habet emphasim, estque nota auxesis, significans idem quod *imò*, *quinimò*. Addit à Castro, esse notam admirantis, & significare *quid*? q.d. Dixi Deum subacturũ Ammon & Moab. Quid? parum dixi; addo multò maiora: attenuabit & disperdet omnes deos, gentesq; per vniuersam terram. Verùm exẽpla nulla produci possunt, quæ hanc significationem euincant: quæ enim ipse profert, potiùs significant *ki* idem valere quod *imò*.

OMNES INSVLÆ GENTIVM] Iudæi, vti dixi Isaiæ 49. 1. non solùm Cyprum, Cretam, Siciliam, sed & Italiam, Galliam, Hispaniam, cæteraſque Europæ prouincias nuncupabant insulas, quia ipsis trans mare erant sitæ, ita vt ad illas per mare quasi ad insulas tendere & proficisci deberẽt. Quocirca S. Chrysost. orat. 2. contra Iudæos, docet hîc prophetari vocationem Gentium, & propagationem Euangelij per totum orbem, ideoq; huc allusisse Apostolum ad Titũ c. 2. *Audi*, inquit, *quo pacto Euangelia & Apostoli cum prophetia concordent. Hic* (Sophonias iuxta Septuag.) *dixit; Illuceſcet Dominus: Apostolus ait; Illuxit gratia Dei salutaris. Hic inquit, Super Gentes: ille, Super omnes homines. Hic dixit, Abolebit deos Gentium: ille, Erudiens nos vt abnegantes impietatem ac mundanas concupiscentias sobriè, & iustè, & piè viuamus.*

VERS.12. SED ET VOS ÆTHIOPES INTERFECTI GLADIO MEO ERITIS] Hæc non cohærent cum ijs, quæ proximè præcesserunt de idolorum excidio per totum orbem, sed superiùs referēda sunt ad v.9. q.d. Dixi vastandos esse à Chaldæis Ammonitas & Moabitas, nunc addo dicoque: *Sed & vos Aethiopes* ab ijsdem vastabimini. Nabuchodonosor enim anno quinto post excisam Ierusalē, inuasit & subegit Ægyptum, eique vicinam Æthiopiam, vt refert Ioseph. l.10. Antiq.11. & libr. 1. contra Apion. & Isaias c.20.3. & Ierem. c.25. Addit S. Hieron. Æthiopes postea quoq; vastatos esse à Cyro, & à Cambyse vastante Ægyptū: Æthiopia enim sita est trans Ægyptum: ex qua venit Regina Saba ad Salomonem, 3.Reg.10.1. in qua iā degunt Abyssini, quibus imperat Preto-Iohannes. Hæc olim infesta fuit Iudæis tempore Asa regis Iuda, vt patet 2.Paral.14.9. ideoque punita est & vastata à Chaldæis.

Porrò Æthiopia est pars Africæ, estque duplex, vna Orientalis, altera Occidētalis. Inde Æthiopes alij vocantur Eoi, alij Hesperij. *Vniuersa gens Aetheria appellata est, deinde Atlantia, mox à Vulcani filio Aethiope Aethiopia*, inquit Plinius l.6. c.30. licet alij ita dictam velint ab ἀ.θάω, id est cremo, & ὠψ, id est aspectus, eò quòd solis vicinitate torreatur. Vnde Æthiopes faciem habent tostam & atram: sunt enim subiecti zonæ torridæ. De quibus Virgil. Æneid.4.

Oceani finem iuxta, solemq; cadentem
Vltimus Aethiopum locus est, vbi maximus Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

Perperā ergo Rabbini per *Chusim*, id est Æthiopes, accipiunt ipsosmet Chaldæos, quasi eorum hîc excidium per Cyrum prænuncietur. Æthiopes enim & Chaldæi toto climate, &, vt ita dicam, toto cælo distant & distinguuntur.

Æthiopes mystici sunt dæmones, & homines obstinati in malo.

Mysticè, Æthiopes sunt peccatores, qui ardēt ira vel concupiscentia, eaq; ita torrentur, vt sint terrimi & incorrigibiles, in quibus verum est illud prouerbium: *Aethiopem lauas, Aethiopem dealbas*, iuxta illud Ierem.13.23. *Si mutare potest Aethiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere cùm didicertis malū.* Et Amos 5.7. *Numquid non vt filij Aethiopum, vos estis mihi filij Israel?* Tales sunt dæmones, qui proinde pinguntur vt Æthiopes, & vt tales apparuerunt S. Antonio, S. Machario, alijsque Sanctis: quos proinde Deus gladio oris sui interficiet in die iudicij, quando eos damnabit ad mortem æternam. Ita Abbas Theodosius, vti refert Iohan. Moschus in Prato spirit. cap.66. vidit Æthiopem ita procerum & altum, vt nubes vertice tangeret, audiuitque ab angelo: *Cum hoc te luctari oportet: incipe: mox vt cœperis, ego tibi auxiliabor, eumq; sternes & vinces.* fecit, & vicit. Ita Palladius in Lausiaca c.52. refert de Apollo Abbate, quòd, cùm oraret, *Aufer à me Domine arrogantiam, nè fortè elatus superbia super fraternitatem, mulcter omni bono opere*; missa sit ad eum vox diuina, *Mitte manum tuam super collum tuum, & deinde ponet eam, & infodies in arenam. Is autem cùm statim manum misisset super collum, apprehendit paruum Aethiopem, & eum infodit in arena clamantem & dicentem: Ego sum dæmon superbiæ.* Ita Moschus in Prato spirit. c.160. *Abbas*, inquit, *Paulus narrauit nobis, Cùm sederem in cellula, &c. ecce per fenestram ingressus est quasi puer Aethiops, & stans coram me saltare cœpit, psal-*

A *lentiq; mihi dixit: Senex nónne bene salto? Ego autem nihil respondi. Tum ille: Ecce putas te male fecisse magnum aliquid agere. Dico tibi, quia & in sexagesimo quinto & sexagesimo sexto psalmo erraui. Tu surgens ego procubui ad orationem, & ille euanuit.* Ita in Vitis Patrum libr.5. tractat.5. de fornicatione num.23. narratur de quodam Monacho, qui apparuerit ei dæmon fornicationis specie Æthiopissæ. *Stetit*, inquit, *coram ipso velut mulier Aethiopissa, fœtida & turpis aspectu, ita vt fœtorem eius sufferre non posset, & abijciebat illam à se. Et illa dicebat ei: Ego sum quæ in cordibus hominum delectabiliter appareo; sed propter obedientiam tuam, & laborem quem sustines, non me permisit Deus seducere te, & innotui tibi fœtorem meum.* Æthiopes tamen, quibus sua placent, suusque color ater videtur pulcher, diabolum pingunt non atrum, sed albo, non Æthiopem, sed Europæum & candidum, B & peccatoribus sua placet deformitas, moreque nigredo apparet & bella & elegans.

13. Et extendet manum suam super Aquilonem, & perdet Assur: & ponet Niniuen speciosam in solitudinem, & in inuium & quasi desertum.

14. Et accubabūt in medio eius greges, omnes bestiæ Gentium: & onocrotalus & ericius in liminibus eius morabuntur: vox cantantis in fenestra, corui in superliminari, quoniam attenuabitur robur eius.

15. Hæc est ciuitas gloriosa habitans in confidentia: quæ dicebat in corde suo: Ego sum, & extra me non est alia C ampliùs: quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? omnis qui transibit per eam, sibilabit, & mouebit manum suam.

EXTENDET, scilicet Deus per Chaldæos percutiēs Æthiopes, MANVM SVAM SVPER AQVILONEM] vt scilicet percutiat quoq; Assyrios, & eorum metropolim Niniuen: Assyrij enim siti sunt ad Aquilonem respectu Iudææ. De Assyrijs enim hîc agi, patet ex eo quod explicans subdit Prophetā: *Et perdet Assur, & ponet speciosam*; Hebr. *Niniuen.* ita S. Hieron. Theodor. Remig. Lyran. Vatabl. Ribera & alij. Quare perperam Arias & aliqui alij per Aquilonem accipiunt Babylonem, D quasi eius excidium per Cyrum hîc prænuncietur. Nota. Post Ionam & Nahum, qui prophetarunt excidium Niniues, mittitur Sophonias, vt idem prophetet, vt in ore duorum, imò trium, testium stet & confirmetur Dei verbum. Hinc sequitur, Niniuen euersam esse post regnum Iosiæ (sub eo enim vaticinatus est Sophonias) per Nabuchodonosor, vti prædixerat Nahum 2.1.

PONET SPECIOSAM IN SOLITVDINEM] Pro *speciosam*, Hebr. Chald. & Septuag. habent *Niniuen*, quod hebr. significat speciosam. *Speciosam* ergo hîc est nomen proprium, idem significans latinè, quod hebr. significat *Ninus*. Solent enim Interpres subinde pro nomine proprio eius significatum reddere, præsertim quādo in eo vis aliqua, v.g. elegās annominatio, comparatio

vel antithesis; vti hîc est. Vide canon. primum, quem initio præfixi. Sensus enim est, q.d. Niniue non sunt Niniue, id est speciosa domibus, palatijs, templis & mœnibus: at nunc Chaldæi hanc eius speciem & decorem disperdent & desolabunt adeò vt fiat lustrum ferarum & bestiarum. Quæ subdit:

ACCVBABVNT IN MEDIO EIVS GREGES, OMNES BESTIAE GENTIVM] scilicet vicinarum, quæ eò adducent suos greges & pecora, vt herbidum Niniues solum depascantur. ita S. Hieron. Theod. Rupert. & Lyran. Aliter Clarius, qui per greges & bestias accipit gentes hostiles & sæuas, quæ cum Chaldæis confœderatæ expugnarunt Niniuen. Verùm hoc mysticum esse patet ex sequentibus. Simile est illud Ouidij 1. Heroid.

Semisepulta virûm curuis feriuntur aratris
Ossa, ruinosas occulit herba domos.

ONOCROTALVS] Est auis similis cygno, ita dicta à sono quem edit: rudit enim instar asini. Nam ὄνος est asinus, κροτέω est sonare: vnde κρότος sonitus & crepitus. Hebr. dicitur קָאַת *kaa*, id est vomens, eò quòd in faucibus habeat ingluiem & sinum instar vteri, quo pisciculos cum aqua excipit; sed aquam reuomens, piscibus vescitur. Vnde auis hæc *gutturosa* cognominatur. Audi Plinium libr. 10. cap. 47. *Olorum similitudinem onocrotali habent, nec distare existimarentur omnino, nisi faucibus ipsis inesset alterius vteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira vt se capacitas: mox perfecta rapina, sensim inde in os mollita, in veram aluum ruminantis more refert.* Addit Ælianus, pelecanes (sic ipse vocat onocrotalos) conchis se complere, easque cùm stomachi calore concoxerint, euomere, atque ita rebus iam alui calore diductis, eligere ex his quæ sint esculenta. Quapropter onocrotalus immunda est auis, Iudæis lege vetita Leuit. 11. 18. est enim gulæ & gulosi exemplum, æquè ac symbolum. Audi Alciatum in emblemate gulæ, eam ita pingentem:

Gurgulione gruis, tumida vir pingitur alua,
Qui larum, aut manibus gestet onocrotalum.

Septuag. hîc vertunt, *chamaleontem*; sed Leuitici 11. & psal. 102. 7. vertunt, *pellecanum*: quia, vt ibi notat S. Hieron. onocrotalus dicitur quoque pellecanus, fortè à pelle cana quam habet. est enim instar cygni, qui totus est candidus, & quasi canus. Ita & Oppianus in Ixeuticis, onocrotalum vocat pellecanum; & Gesnerus in onocrotalo, refert speciem onocrotali pellecano congenerē. Pro hoc animal, vti & ericius, quia solitudinis amator, hinc summam designat desolationem. Ait Niniue ita à Chaldæis euertetur & desolabitur, vt amplius in ea non habitent homines, sed onocrotali & ericij, aliaque lucifuga & soliuaga animalia.

IBICES] Hebr. קִפֹּד *kippod*, quod ex literarum affinitate *ὄψελος* esse censet Forerius in Isai. 14. 11. quæ sunt aues instar hirundinum rapidissimè volantes super paludes, & vocantur apodes eò quòd breues habeant pedes. Rabbini vertunt, *vitulinam*, quam Itali vocant *tartaruga*. Tigurin. vertit, *castorem*, qui & fiber dicitur, animal amphibium homini inimicum, æquè ac crocodilus, de quo Plin. lib. 32. c. 3. Verùm Septuag. S. Hieron. Pagnin. Vatabl. & alij constanter: & Isaiæ 34. 11. vertunt, ericium. Porrò ericius, siue herix, vel hericius, est herinaceus, qui græcè ἐχῖνος, à vulgo Porcellus hortensis nuncupatur, animal spinis horridum, quas ad libitum vel remittit, vel exertat, dum in globum se colligit. Furunculus est pomorum, quæ spinis suis infigens, ijs se onerat, & in antrum suum asportat, in quo tota hieme se condit. Vnde symbolum est furis & raptoris, qui manus furaces cùm solum se videt, exertat, & clepit quidquid potest; sed cùm videri se conspicit, eas contrahit & occultat. Audi Plinium libr. 8. c. 37. *Præparant hiemi & herinacei cibos, ac volutati suprà iacentia poma, affixa spinis, vnum, non amplius, tenentes ore portant in cauas arbores. Iidem mutationem Aquilonis in Austrum, condentes se in cubile, præsagiunt: vbi verò sensere venantem, contracto ore, pedibusq; ac omni parte inferiore, qua rarâ & innocuam habent lanuginē, conuoluuntur in formam pilæ, ne quid comprehēdi possit præter aculeos. In desperatione verò vrinam ex se reddunt tabificam, tergori suo spinisq; noxiam, propter hoc se capi gnari. Quamobrem exinanita priùs vrina, venari ars est, & tum præcipua dos tergori aliàs corrupto, fragili, putribus spinis atque deciduis, etiamsi viuat subtractus fuga: ob id non nisi nouissima spe maleficio illo perfunditur.* Et mox: *Calidæ aquæ aspersu resoluitur pila: apprehensusq; pede altero è posterioribus suspendio ac fame necatur: aliter non est occidere, & tergori parcere. Has cute exposiuntur vestes.*

VOX CANTANTIS IN FENESTRA] q.d. In fenestris iā desertis & desolatis considebunt canentque auiculæ. ita Chald. Tigur. Pagnin. & Vatabl. Alij q.d. Pro musicis, & auiculis olim suauiter canentibus in fenestra, succedet horridus cantus corui in superliminari. Verùm passim interpretes vocē cantantis, à coruo seiungunt & dispescunt.

CORVVS IN SVPERLIMINARI] scilicet crocitabit tristi & ferali voce. Hebr. est חוֹרֵב *choreb*, id est æstus, siccitas, desolatio, vastitas. ita Chald. Tigurina, Pagnin. Arias, Vatabl. Secundò, Aquila vertit, *gladius*: quia pro *choreb*, alijs punctis legit חָרֶב *chereb*: gladius enim omnia desolat & deuastat. Tertiò, Septuag. & S. Hieron. vertunt, *coruus*: quia pro *choreb* per *chet*, legerunt עוֹרֵב *goreb* per *ain*, aut certè censuerunt *chet* positum pro *ain*. Hæ enim duæ litteræ, cùm sint gutturales fortissimæ aspirationis, ideoque sono vicinissimæ, hinc subinde permutantur, vti pariter *aleph* permutatur cum *he*, quia vtraque leuis est aspirationis.

Moral. coruorum instar *cras, cras* canunt, qui emendationem vitæ, & sana consilia procrastinant, eaque de die in diem differunt, de quibus S. Augustin. serm. 16. de verbis Domini: *Ipsa, ait, res est, quæ multos occidit, cùm dicunt Cras, cras, & subitò ostium clauditur. Remansit foris cum voce coruina, qui non habuit gemitum columbinum. Cras, cras corui vox est.* Talibus & Poëta Martial. intonat. lib. 1. epigram. 59.

Cras viues? hodie iam viuere, Posthume, serum est.
Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri.

Idem lib. 1. epigram. 16.

Non est, crede mihi, sapientis dicere, Viuam.
Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Et Seneca epist. 12. *Sic*, ait, *ordinandus est dies omnis, tamquam cogat agmen, & consummet atque expleat vitam, &c. In somnum ituri lati hilaresq; dicamus,*

Vixi,

Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi. Crastinum si adiecerit Deus, lati recipimus. Ille beatissimus est, & securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat. Quisquis dixit, Vixi, quotidie ad lucrum surgit. Fecit hoc S. Marcella, de qua S. Hieron. epist. 16. ad Principiam eius filiam: *Sic*, ait, *ætatem duxit & vixit, vt semper se crederet esse morituram: sic induta est vestibus, vt meminisset sepulchri, offerens se hostiam rationabilem, viuam, placentem Deo.* Ita S. Antonius moriens suis præscripsit, vt quotidie manè cogitent, sibique persuadeant illum diem fore vitæ vltimum: quocirca ita viuant, ac si eo die sint morituri, vti refert S. Athanas. in eius Vita. E Societate nostra P. Iohan. Maldonatus editis libris celebris, quotidie quinquies mortis memoriam, imò præsentiam, sibi ob oculos ponebat, indagabatque num quid esset in conscientia, quod in hora mortis eum angere & affligere posset; & si quid reperiret, ilico illud per confessionem, vel eo modo quo congruebat, tollebat, itaq; stabat semper in proeinctu quietus & securus, paratus ad mortem. Beatus qui hoc sui de morte examen crebrò secum obit. Beatus qui viuit tamquam semper moriturus, & studet tamquam semper victurus, ait S. Hieron.

Symbol. feralis corui vox, Cras, cras, strages & funera quæ præsentit, quibusque inhiat, non rarò portendit futura, vel facta significat, vti hoc loco.

QVONIAM ATTENVABO ROBVR EIVS] Legit Interpres עֵזּוֹ אַרְזָה *arze vzzo*, id est, *emaciabo, attenuabo robur eius*, putà Niniues. Iam legunt עֶרְרָה אַרְזָה *arza era*, id est *cedrum eius nudabo*. q.d. Destruam per Chaldæos tecta & tabulata Niniues fabricata ex cedro: hinc concident ruentque; quo fiet, vt corui sedeant in superliminari ex ruina reliquo. ita Chald. Arias, Pagnin. Vatablus, & alij. Hebr. enim *arza* tam est nomen, idem cum אֶרֶז *erez*, significans cedrum, tignumque & tabulatum cedrinũ, quàm verbum, significans *attenuabo*, à radice רָזָה *raza*, id est attenuauit. Rursum pro *era*, id est nudabo, Septuag. quoque legerunt עֵזּוֹ *vzzo*, id robur eius, quod ipsi interpretantur ἀνάστημα, id est *altitudo*. ita Roman. vel, vt Complutens. ἀνάστεμμα, id est *coronatio*. vertunt enim, *quia cedrus altitudo*, vel *coronatio eius*. q.d. Niniue cingebatur domibus cedrinis altissimis & fortissimis, quasi corona: at Chaldæi hanc ei coronam detrahent, & in terram deijcient. Aliter Nostrum cum Hebræo textu moderno conciliat Arias, nimirum dicendo robur esse quercum, quæ est species *arze*, id est cedri. Nam, vt ait Marinus in Lexico: *Cedrorum species multæ sunt:* תְּאַשּׁוּר *teassur, id est buxus;* תִּרְזָה *tirza, id est ilex;* אַלְגּוּמִּים *algumim;* בְּרוֹשׁ *beros, id est fraxinus;* אֹרֶן *oren, id est ornus;* בְּרוֹתִים *berothim, id est buxus*. Verùm prius quod dixi, verius est, vt patet conferenti verba Nostri interpretis cum verbis Hebræis.

VERS. 15. HAEC EST CIVITAS GLORIOSA] Est exclamatio ad pathos. q.d. Videte ad quas ærumnas deuenerit, in quas ruinas corruerit Niniue, ciuitas illa olim gloriosa & inclyta. Sic ait Virgil. Æneid. 2. *Fuit Ilium, & ingens gloria Teucrorum.* Sic de eadem Niniue iam vastata admirans Nahum c. 3. v. 18. exclamat: *Vbi est habitaculum leonum, & pascua catulorum leonum?* Sic de Ierusalem exclamat obstupescens Ierem. Thren. 2. 15. *Haccine, aiunt, vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?*

Septuag. vertunt, αὕτη ἡ πόλις ἡ εὐφραινομένη. *Hæc est ciuitas illa malis dedita, nequam & sceleris* aut magis propriè, *vilipendens*, vt vertit Interpr. Roman. *& subsannatrix.*

OMNIS QVI TRANSIT PER EAM, SIBILABIT] subsannando, vel exsibilando Ninuen ita humiliatam & vastatam, vt vult S. Hieron. vel per admirando & obstupescendo tantam cladem & ruinam, vt censet Theodor. Simili modo *movebit manum*, id est complodet manus, vel eas extendet ostendendo Niniues rudera, siue irridendo & insultando, siue potiùs obstupescendo & commiserando.

Tropologicè, multò magis gemens sibilat manusque complodat, quicumque videt Ninuen, id est Ecclesiam aliquam, congregationem vel animam olim speciosam virtutibus, quæ erat templum Dei & sedes angelorum, per peccatum à dæmone vastari, fieriq; cubile leonum & draconum, præsertim cùm eam cælo destinatam videt damnari, & ruere in tartara. Gemens ergo & attonitus dicat cum Isaia cap. 14. v. 11. *Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris? detracta est ad inferos superbia tua: sonitum cadauer tuum: subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Et cum Baruch cap. 3. 10. *Quid est Israel, quòd in terra inimicorum es? inueteratus es in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in infernum.* Causam subdit: *Dereliquisti fontem sapientiæ. Nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtiq; in pace sempiterna: disce vbi sit prudentia, vbi sit virtus, vbi sit intellectus, vt scias simul vbi sit longitudo vitæ & victus, vbi sit lumen oculorum & pax. Vbi sunt principes Gentium, qui dominantur super bestias quæ sunt super terram, qui in auibus cæli ludunt, qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum?* &c. *Exterminati sunt & ad inferos descenderunt.* Similia lamentatione habet Ezechiel de ruina regis Tyri c. 28. 11. de Pharaonis ac Ægyptiorũ c. 32. v. 18. & seq. & S. Iohannes in damnatione Babylonis meretricis, Apoc. 18. 10.

S. Hieron. hæc omnia de Niniue vaticinia accipit de hæreticis & hypocritis. *Qui audiuerit*, inquit, *sunt legis, non factores, quòd frustra speciem se esse iactent, cùm habitent in eis greges, vitiorum scilicet multitudo, & bruta animalia corpori seruientia, & omnes bestiæ terræ, quæ corda eorum tenebrosa, & chamæleontes, qui non habent vnum colorem, sed diuersis peccatis, nunc auaritia, nunc luxuria, nunc crudelitate, nunc libidine, nunc tristitia, nunc exultatione per momenta mutantur: & ericij in præsidia eorum, animal spinosum & plenum sentibus, & venerans quidquid contigerit. Sed & bestiæ habitare in foraminibus, id est in cordibus eorum: & aues, immundæ aues, in portis eorum, vel in ore, vel in auribus, quòd aut loquantur semper, aut audiant mala.* Post quæ infertur, ideò Ecclesiam hanc passuram fore, vel esse perpessam, *quòd in superbiam se eleuauerit.* Et mox: *Vbi enim priùs habitabat Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & angeli eius ministerij præbebant, tunc habitabunt bestiæ, de quibus Propheta Psal. 73. conqueritur dicens: Ne tradas bestiis animam confitentem tibi.* Et inferiùs: *Dicamus, per animam*

in Christum recesserit, & quæ priùs templum Dei fuerit, & esse desinit, transire serpentem, & sibilare in ea, proca sua malitia euomere, & non solùm hoc fa-

A *cere, sed opera quoque sua, quæ πρακτικὰς manus vocantur, mouere,* iuxta illud Prouerb. 18. *Mors & vita in manibus linguæ.*

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Lyra. & Arias censent toto hoc cap. ad literam agi de Christo & Christianis, putà accusari scelera Christianorum, quæ Christus indicabit in die iudicij, cùm impios damnabit, pios glorificabit. Ex aduerso alij totum hoc caput explicant de Iudæorum criminibus, ob quæ punitos captiuitate Babylonica, deq; illorum ex ea liberatione, reditu & felicitate. Verùm media sententiam est via: nimirum initio capitis agit de Iudæis, sed v. 8. transit ad Christianos, quos Iudæi impijs Deus in Ecclesia & benedictione Abrahæ surrogabit, sibiq; asciscet. ita S. Hieron. Dionys. Haymo, Vatabl. & Dionys.

Diuerso, initio capitis accusat Hierosolymæ scelera, ac præsertim rapinas principum, iudicum iniustitiam, Prophetarum vesana oracula & mendacia promissa, sacerdotum impietatem; quibus ipse cùm vidisset gentes vicinas impias à Deo puniri & vastari, non tamen earum exemplo resipuerit. Quapropter v. 8. illi & Gentibus vindictam minatur, sed diuinam, nimirum quod Deus per Christum destruet gentilismum, æquè ac iudaismum, quodq; gentes omnes, etiam barbaras & remotissimas, subiugabit Christo, easq; ab idolis ad Deum conuertet, vt seruiant ei humero vno, æquè ac Iudæos, qui illum recipient. quod maximè fiet in fine mundi, quando credentes ipsi saluabuntur, increduli verò ab ipso reprobabuntur, & igni æterno addicentur.

VÆ prærogatrix, & redempta ciuitas columba.

2. Non audiuit vocem, & non suscepit disciplinam: in Domino non est confisa, ad Deum suũ non appropinquauit.

3. Principes eius in medio eius quasi leones rugientes: iudices eius lupi vespere non relinquebant in manè.

4. Prophetæ eius vesani, viri infidelis: sacerdotes eius polluerunt sanctum, violenter egerunt contra legem.

5. Dominus iustus in medio eius non faciet iniquitatem: mane manè iudicium suum dabit in lucem, & non abscondetur: nescivit autem iniquus confusionem.

6. Disperdidi Gentes, & dissipati sunt anguli earum: desertas feci vias eorum, eò non est qui transeat: desolatæ sunt ciuitates eorum, non remanente viro neque vllo habitatore.

7. Dixi: Attamen timebis me, suscipies disciplinam: & non peribit habitaculum eius, propter omnia in quibus visitaui eam: verumtamen diluculo surgentes corruperunt omnes cogitationes suas.

VÆ PRÆROCATRIX] Hebr. מוֹרְאָה *morea*, id est amaricatrix, quæ scilicet Deum maritum adulterando amaricas, id est iritas & infensa sibi facis: hæc enim amara est & fellea. Chald. vertit, *quæ multiplicat iram prouocationem, Ignitus, rebellantis.* Radix enim מָרַר significat amaricare, amarum facere, offendere, irritare. Vnde Noëmi: *Ne*, inquit, *vocetis me*

B *Noëmi (id est pulchram) sed vocate me Mara (id est amaram) quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotens,* Ruth 1. v. 20. Pagninus & Recentiores non verbotenus, sed rem & sensum reddunt, dum vertunt, *væ fœdata, væ polluta.* Nam ideo erat amaricatrix Dei, quia fœdata & polluta sceleribus.

Septuag. vertunt, *væ illustris*; alij, *væ monstrosa.* Nam *morea* deducunt à rad. רָאָה *raa*, id est vidit. q.d. Væ Hierosolymæ, quæ insignis & monstrosa est sceleribus, putà adulterijs, id est idololatrijs, ideoq; Deo sponso suo infida & rebellis, eum ad amaritudinem & iracundiam prouocat.

C Alludit vox *morea* ad montem Moria, id est visionis, vel illustrem, qui erat Hierosolymis, de quo dixi Genes. 22. v. 14. q.d. O Ierusalem tempore Abrahæ & Isaac, mihi fidelium & obedientium vsque ad mortem, fuisti mons Moria, id est visionis cælestis: at nunc infidelis, per inobedientiam & apostasiam facta es *morea*, id est amara & amaricatrix.

ET REDEMPTA] Ita vertunt quoque Chald & Septuag. גָּאַל *gaal* enim significat redimere. Recentiores Rabbini, & eos secuti Pagnin. & Tigur. vertunt, *inquinata*, vel *contaminata*: vtrumque enim significat *gaal*: alludit enim ad גָּלַל

D *gaal*, id est voluere, reuoluere: inde enim *gaal* significat, rem aliò deuolutam ad se reuoluere, id est redimere: rursum, rem in sanguine mestruo, stercore, aliáue re immunda volutare, voluere & reuoluere, hoc est inquinare & contaminare, vti adultera Ierusalem se in sordibus idololatriæ cum varijs dijs Gentium volutabat, & inquinabat. Nostra versio vti magis propria, ita efficacior & neruosior est. Taxat enim Ierusalem, eáque arguit ingratitudinis, quòd, cùm à Deo redempta esset ex Ægypto, & liberata à duro iugo & seruitute Pharaonis tempore Mosis; æquè ac Philisthinorum, Ammonitarum, Moabitarum,

alia-

aliarumque gentium tempore Iudicum, Dauidis & Salomonis, Deum tamen sua idololatria & peccatis sæpè grauissimè lad indignationem concitarit, & in dies concitet.

COLVMBA] Ita Hebræum יוֹנָה *iona* vertunt quoque Septuag. & S. Hieron. in comment. At Chaldæus, Rabbini, & eos secuti Pagninus, Tigur. & Vatablus vertunt, *molestatrix*, quæ pauperes vexat, spoliat, opprimit, à rad. יָנָה *iana*, id est laborare fecit, afflixit, oppressit. Aptiùs Noster vertit, *columba*: huic enim Israelem pariter comparauit Osee c. 7. v. 11. dicens: *Factus est Ephraim quasi columba seducta*: ita eidem Ierusalem hîc comparat Sophonias, q.d. Ierusalem stolidè relinquens Deum verum, & sequens Deos inanes Gentium, facta est quasi columba, vt vertit Arabicus Alexandrinus, excors, sine prudentia, sine intellectu, quæ sinit se decipi, vltroque ruit in laqueum & necem. Vide dicta Osee 7. Aliter S. Hieron. Remigius, Albertus & Lyranus; q.d. Ierusalem, quæ olim dum me coleret, erat quasi columba bella, simplex, innocens & candida, nunc desiit esse colûba, & facta est quasi coruus teter, malignus, furax & ater. Tertiò, Syrus & Arabicus Antioch. vertunt, *heu ciuitas nota & redempta, ciuitas Ionæ*, hoc est Niniue, quæ vsque hodie ab Orientalibus vocatur ciuitas Ionæ, tum quia in ea prophetauit Ionas; tum quia Iona hebraicè significat columbam, quam colebant Niniuitæ & Assyrij, eò quòd dicerent Semiramidem suam reginam post mortem conuersam esse in columbam, vti alibi dixi. Censent ergo ipsi hanc prophetiam dirigi ad Niniuen.

VERS. 2. NON AVDIVIT VOCEM] Dei per me alioquè Prophetas eam inuitantis ad pœnitentiam & reconciliationem: sicut columba ab aucupe inescata & seducta, non audit vocem & sibilum sui heri, eam reuocantis ad columbarium. ita Chald. Hugo, & Vatablus.

IN DOMINO NON EST CONFISA] Hebr. *non sperauit in Domino*. q.d. Ierusalem spes suas non reposuit in Deo, sed in suis opibus, viribus, principibus, populis, socijs, quasi ijs esset inuicta, & satis munita contra Chaldæos alioquè hostes. Ideo Deus permisit eam ab illis capi & vastari, vt ostenderet inanes fuisse eius spes, & vt puniret eius diffidentiam in Deum, Deique neglectum.

Moral. de diffidentia Dei. Moral. Disce hîc esse grauem Dei iniuriam, valdeq; eum pungere, si illi non fidamus, spemque nostram ab eo auertamus, & defigamus in creaturis. Hæc enim diffidentia oritur ex defectu fidei, quòd scilicet fide viua non credamus Deum esse omnipotentem, summè prouidum & beneficum, quodque ipse possit & velit nos iuuare, si eius opem imploremus; quodque ipsi præponamus homines, vel alias creaturas, quasi illæ magis vel possint, vel velint nobis opitulari. quæ sanè persuasio infidelis est, & contumeliosa Deo. Quocirca Deus eam punire solet, ac facere vt creaturæ in quas sperauimus, nos deserant, fallant, imò oppugnent & euertant. Ex aduerso prosperat eos, qui spes suas in ipso defigunt; quia *nullus sperauit in Domino, & confusus est*, Eccles. 2. 11. Quocirca Ieremias c. 17. 5. *Maledictus*, ait, *homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricæa in deserto, & non videbit cùm venerit bonum:*

A *sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius.* &c. Videibi dicta. Ita Psaltes: *In te*, inquit, *Domine speraui, non confundar in æternum.* Ita S. Barbara, virgo tenera & tenera, cùm pectinibus ferreis horrendo carnifice laceraretur, & faculis ardentibus vellaretur, corde & oculis in cælum defixis, Christum sponsum suum inuocans, aiebat: *O bone Iesu, tu vides secretum cordis mei, quòd in te solo spem meam defixi: non ergo me deseras; quia sine te sum debilis & infirma, tecum autem sum fortis & robusta. Omnia enim possum in te, qui me confortas.* Eadem fuit spes, vox & oratio in tormentis Martyrum omnium, quæ eos fecit insuperabiles, & ignibus, leonibus, vngulis & cataستis fortiores & celsiores.

B AD DEVM SVVM NON APPROPINQVAVIT] in eum speraret, eum inuocaret, illi obediret, illum amaret, qui est summum bonum suum & nostrum. Ita Plato dialogo, qui inscribitur Phlebus, non aliud docet, quàm felicitatem in conversari, vt ad Deum propiùs accedamus, ab eoque verum bonum hauriamus, itaque fiamus diuini & Deo simillimi: accedere autem nos ad Deum, per virtutem. Nam Deus, inquit ipse, est summum bonum, cuius hæ sunt conditiones, vt sit αὐτάρκες, ἱκανὸν, καλὸν, ἀρχιτεκτονικὸν, πάντων ὄντων, ἀίρετον, id est, sibi sufficiens, cæterum omnia suppeditans, perfectum, pulchrum, consentaneo ordine constitutum, rerum omnium bonis, ac proinde ab omnibus eligendum & expetendum. Qui ergo à Deo recedit, recedit à bono, accedit ad malum, putà ad peccatum, mortem, diabolum & infernum.

C PRINCIPES] Quod v. 1. dixit de toto, putà Ierusalem totam esse corruptam & scelerosam, hîc per partes explicat, incipitque ab eius capite, putà à primoribus, tum sæcularibus, tum Ecclesiasticis; vt ostendat quod de suo tempore dixit Isaias cap. 1. v. 6. *A planta pedis vsque ad verticem capitis non est in eo sanitas*, etiamnum verum esse. Primò ergo taxat hîc principum crudelitatem, quòd quasi leones populum expilarent & deuorarent. ita S. Hieron. Allegor. taxat eorum sequaces & posteros, putà tyrannidem & sæuitiam principum & pontificum tempore Christi. Leo enim ferocissimus fuit Herodes Ascalonita, qui immani feritate paruulos omnes à bimatu & infrà, in Bethlehem occidit propter Christum, quique, vt alia taceam, moriens iussit primo-

D omnes Iudæorum occidi, vt Iudæi in sua morte gaudere non possent, sed, vellent nollent, plangerent ob suorum stragem, vti refert Iosephus lib. 17. Antiquit. cap. 8. Leones fuerunt Annas, Caiphas & cæteri, qui Christum ad crucem, Apostolos ad verbera & ad mortem adegerunt. Rugierunt enim cùm clamarunt: *Crucifige, crucifige*. ita Lyran.

IN MEDIO EIVS] q.d. Sicut leo in medio animalium grassatur, rapitque & discerpit nunc hoc, nunc illud, prout ei libuerit; ita principes Hierosolymæ nunc hos, nunc illos ciues & populum deprædantur.

IVDICES EIVS LVPI VESPERE, NON RELINQVEBANT IN MANE] A principibus descendit ad iudices, qui principum in iniustitia & rapacitate erant asseclæ. q.d. Sicut lupi lucifugi vesperi gra-

gustatur, tumque ex diurna inedia, fame rabi- A
do præluntur, prædamque totam deuorant, ita
vt ne ossa quidem (hoc enim significat Hebræũ
גרמו *garemu*) relinquant, quæ manè comedant;
sed in ipsa nocte qua prædam egerant,
eandem deuorant; ita & iudices iniqui (suis in-
iquis iudicijs diripiebant bona pauperum tanta
audacia, vt nihil ex ijs reliquum facerent. Ita S.
Hieron. per lupos vespertinos accipit malos Præ-
lates & iudices, *capientes*, inquit, *munera, & ven-
dentes iustitiam; & possessiunculas Ecclesiæ, & ea quæ
in Dominaria conferuntur, vertentes in lucrum suũ,
nec eum habeant pauperes quæ manè comedant; qui
quasi in nocte & nullo vidente omnia populantur, &
cum luporum more cuncta diripiant, ne paruos qui-
dem ebos indigentibus derelinquunt.* Quinam sint
lupi vespertini, dixi Habacuc 1.v.8.

PROPHETÆ EIVS VESANI] A magistratu sæ- B
culari transit ad Ecclesiasticum, putà ad Prophe-
tas & sacerdotes, eorumque in suis munijs infi-
delitatem & impietatem redarguit. Prophetas,
quòd sint vesani, id est spiritu non Dei, sed dia-
boli, agantur, imò agitentur. Vnde Aquila ver-
tit, ἐνθουσιαζόμενοι, id est enthusiasmo correpti,
& furore fanatico perciti; Septuag. πνεύματοφόροι,
id est spiritum ferentes, actiuè; vel potiùs
passiuè πνευματόφοροι accentu in antepenulti-
ma, id est spiritu portati & acti. Hebraicè est
פחזים *pochazim*, quod Pagnin. vertit, *contem-
ptores*; Tigurina, *leues*; Vatablus, *homines nihili*.
Nimirum Prophetæ hi cùm essent vilissimi & C
ignorantissimi, fingebant se furere & agi spiri-
tu prophetico, aut reuera ex pacto cum dæmo-
ne, ab eo correpti quasi furentes prophetabant,
id est aliena & exotica loquebantur, vti de Si-
bylla narrat Virgil. lib. 6. Æneid.

Non vultus, non color vnus,
Non compta mansere coma; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, maiorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Iam propiore Dei.

Et inferiùs:

Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat
Os rabidũ, fera corda domans, fingitque premendo.

Propriè *pochazim* significat temerarios & præ-
cipites, qui audacter & temere pro affectu quid-
uis effutiunt, asseuerant, diuinant, & iurant. sicut
enim פחז *pachad* significat præcipitantiam ex
mera aut reuerentia; ita ei affine נפח *pachaz*, no- D
tat præcipitantiam ex temeritate & audacia. vn-
de Noster appositè vertit, *vesani*; Syrus vertit,
Prophetæ eius lasciui, impudici; Arabicus, *Niniue
Prophetæ eius in spiritu immundo, gens stulta*. Hinc
idem sunt *viri infideles*, hebr. *viri præuaricatio-
num*, id est præuaricatores, inquit Vatabl. Se-
ptuag. *viri contemptores*; Chald. *viri mendaces*:
quia mentiuntur se à Deo mitti, & eius nomine
dicunt, Pax, pax, promittuntque omnia prospe-
ra, cùm Deus per me, aliosque Prophetas com-
minetur excidium.

SACERDOTES] A Prophetis transit ad sacer-
dotes, in quibus duo culpat. Prius, quòd profa-
nent & polluant *sanctum*, putà sanctuarium, siue
templum, nimirum sacra & sacrificia indignè
tractando, eaque non ad Dei, sed ad suum vsum
conficiendo, exercendo vsuras, simo-

nias, rapinas, sacrilegia; profana ibi tractando,
scandalosè viuendo. Posterius: *Iniustè*, inquit,
egerunt contra legem; Hebr. חמסו *chamesu*, id est
oppressерunt legem, vim attulerunt legi: quia
eam audacter transgrediuntur, violant, conta-
minant, populoque duces & auctores, imò do-
ctores sunt, vt idem faciat; adeò vt legẽ per suas
falsas, & ad lucrum confictas expositiones &
traditiones peruertant, vti eis improperat Chri-
stus Matth. 5. v. 21. & c. 23. 16.

DOMINVS IVSTVS IN MEDIO EIVS NON FA- VERS. 5.
CIET INIQVITATEM] q. d. Deus quia æquissimus
est iudex, æquè ac omniscius, hinc non iniquè,
sed æquissimè, licet acerrimè, puniet impiam Ie-
rusalem. Quòd sit omniscius, probat, Quia, in-
quit, est in medio eius, q. d. Deus in templo suo
residens, circumquaque prospicit Ierusalem, vi-
detque omnia scelera quæ in ea vbilibet perpe-
trantur: ergo non deest ipsi scientia, nec cogni-
tio criminum, vti nec potestas & æquitas ad ea
puniẽdum & vindicandum. Nota liptoten, siue
miosim: *Non faciet iniquitatem*, id est faciet sum-
mam æquitatem quando acriter castigabit tot
tantaq; scelera, quæ fiunt in sua vrbe corã se se-
que spectãte. ita S. Hieron. Remig. Albert. Arias
& Clarius. Accedit & Chald. qui vertit, *Dominus
purus dixit se collocaturum maiestatem suam in me-
dio eius: quare coram ipso mendacium non fit*, id est fie-
ri non debet. q. d. Nemo deberet esse tam ef-
frons & impudens, vt audeat peccare Hierosoly-
mæ, in conspectu & in oculis Dei viuentis.
Mendacium enim in Scriptura sæpè significat
quodlibet peccatum: peccatum enim est men-
dacium practicum, quod fit contra legem, & cõ-
tra rectum rationis iudicium. Notent hoc sibiq;
applicent Clerici & Religiosi, dicantque: Quo-
modo audebo peccare in Religione, in templo,
vbi Deus residet, vbi omnia circumspicit quasi
leo terribilibus oculis, vt loci sancti violatores,
suique contemptores discerpat & laceret?

Aliter Vatablus, *In medio eius*, inquit, q. d. Deus
Ierusalem dignatur sua præsentia, sua cura & fa-
miliaritate, versatur in medio eius quasi socius, a-
micus, imò protector, curator, & pater: quòd er-
go eam punit, non facit ex odio, sed ex amore,
tum eius, tum iustitiæ: quocirca nemo censebit
eum facere iniquitatem, dum eam pro meritis
acriter castigat. Vnde sequitur:

MANE, MANE, hoc est citissimè, inquit Theo-
dor. Rursum, non solùm clàm, sed palàm in ma-
tutina & manifesta luce, inquit S. Hieron. Deus
IVDICIVM SVVM, id est iustum suum supplicium,
quo castigabit Ierusalem, proferet & DABIT IN
LVCEM] Secundò, *manè, manè*, id est quolibet ma-
nè. q. d. Deus quotidie, & quasi quolibet manè
edit aliquod exemplum sui iudicij, quo nunc
hunc, nunc illum sceleratum; nunc hanc, nunc
illam gentem malè mulctat & perdit; illudque
non abscondetur, hebr. *non deest*, quin semper ali-
quod publicè edatur ad terrorem impiorum: &
tamen *iniquus nescit confusionem*, id est nescit e-
rubescere; sed audacter & impudenter pergit
scelera sceleribus cumulare. ita Clarius, Arias &
Vatabl. Nic sensus satis aptè connectit totam
sententiam: futura enim apud Hebræos sæpè su-
muntur pro præsenti, quando significatur res
continuatio, mos & consuetudo; vti hîc *manè,
manè iudicium suũ dabit*, id est, dare & edere solet.

Verùm quia agitur hîc propriè de Ieruſalem, cui A minatur futurum, ſed inſtans excidium; hinc prior ſenſus aptior & germanior videtur, iuxta quem ſequentia ita explica.

NESCIVIT AVTEM INIQVVS CONFVSIONEM] q.d. Hieroſolymitæ ſunt tam iniqui & impij, vt non pudeat eos, nec pœniteat ſcelerum, etiamſi ob ea audiant à Prophetis inſtare ſibi iudicium, id eſt vindictam Dei, ac videant propter eadem gentes ſibi ſimiles à me puniri & diſperdi, vti ſequitur. Aliter Septuag. Rom. qui hæc ad Deum iudicium ſuum manè proferentem referentes, ſic vertunt, *neſcit iniquitatem in exactione, nec in contentione iniuſtitiam.*

VERS. 6. DISPERDIDI GENTES] Per *Gentes* Primò, accipi poſſunt Samaritæ, qui vicini erant Iudæis, & iam ob idololatriam exciſi erant à Salmanaſar, B & abducti in Aſſyriam. q.d. Videte ô Hieroſolymitæ, quid vicinis & fratribus veſtris, putà decem tribubus, contigerit: idem enim vobis continget niſi vitam corrigatis. Nam *tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.* Porrò vocat eos *gentes*, non Iſraelitas, tum quia iam ab auita fide, religione, ſocietate & regno Iſraelis & Dauidis per ſchiſma deſciuerant, fecerantque nouam rempubl. & Eccleſiam idololatricam, vt faciunt Gentiles: tum quia iam poſt excidium commiſti erant Gentibus, putà Aſſyriis in Aſſyria, & Cuthæis in Samaria. Salmanaſar enim ſicut Samaritas in Aſſyriam, ita Aſſyrios, putà Cuthæos, in Samariam tranſtulit, eoque modo vtramque gentem permiſcuit, vt patet 4. Reg. 17.

Secundò, S. Hieron. per *gentes* accipit Iudæos, quos vaſtauit & diſperdidit Sennacherib, adeò vt ſola Ieruſalem abeo intacta remanſerit, angelo eam, ob pietatem Ezechiæ & preces Iſaiæ, tutante cæſis 185. millibus Aſſyriorum, Iſaiæ 37. 36. Hi pariter vocantur *Gentes*, quia viuebant gentiliter & impiè, quaſi Gentiles eſſent, non Iudæi. In Scriptura enim Iudæi ſæpè vocantur nominibus gentium, quarum cultum, mores & vitam imitabantur. Hinc iam vocantur Amorrhæi, i. n Cethæi, Ezech. 16. 45. iam Sodomitæ & Gomorrhæi, Iſaiæ 1. 10.

Tertiò, propriè per gentes poſſunt accipi Syri, Armeni, Parthi, aliique qui inter Babylonem & Ieruſalem interiacēt, vel adiacent, quos, vtpote viciniores, priùs ſubiugauit Nabuchodonoſor, antequam inuaderet Iudæos, vtpote remotiores. Hoſce enim omnes Iudæis in exemplum propoD ni voluit Deus, vt eorum ſtrage reſipiſcerent, & ab idolis ſceleribuſque ad Deum redirent. Sed fruſtra. nam, vt præceſſit: *Neſciuit iniquus*, in iniquitate ſua defixus & obduratus, *confuſionem.*

Aliter à Caſtro: nam per gentes accipit Philiſthæos, Ammon, Moab, Æthiopes & Aſſyrios, de quibus cap. præcedenti v. 4. 8. 11. licet enim hi poſt excidium Ieruſalem exciſi ſint à Chaldæis, tamen Deus eorum, quaſi hoſtium, excidium iam diu antè prædixerat & promiſerat Iudæis, vtpote qui ſæpè eorum hoſtilitatem & direptionem ſuſtinuerant. Sed tunc *nō diſperdidi*, accipi debet non propriè, ſed pro *diſperdere decreui*, diſperditurum me prædixi & promiſi. q.d. Promiſi tibi ô Ieruſalem, me gentes tibi hoſtiles perditurum, & deſtructurum earum imperia, vt qui me per plagas non ſenſeras, ſaltem per beneficia cognoſceres: ſed tu hæc promiſſa, meque, pariter ea promittentem, non curaſti, imò ſpuiſti.

ET DISSIPATI SVNT ANGVLI EARVM] *Angulos* vocat arces & munitiones, quæ in limitibus regionum eriguntur quaſi antemurale, ad tutelam regionis. Chald. vertit, *palatia.* Tropologicè Hieron. *Puto*, inquit, *quòd & ſuperbi proſit dolor eos de arrogantia ſua, & diſſipari angiportus & angulos eorum, vt poſtea recto itinere gradiantur.* Et mox: *Diſſipantur ergo itinera ſuperborum, & anguli eorum, ne ambulent in ſuperbia & in prauitate, & vrbes eorum quæ malè ædificatæ fuerant in arrogantia & ſuperbia, deſtruuntur ne ſubſiſtant, & habitent habitatores peßimos.*

DIXI, q.d. Monui Iudæos per Ieremiam aliosque Prophetas, vt deſiſterent ab idolis & ſceleribus Gentium, ne ſimiles illis pœnas incurrerent, ac æquè vt illæ diſperderentur, atque vt timerent & colerent me, ne periret HABITACVLVM EIVS, id eſt tuum, putà tua ciuitas, tuæ domus, templum & muri tui ô Ieruſalem. Hebræi enim crebrò permutantur enallage, vt perſonam ſecundam in tertiam, & vice verſa, commutent, præſertim adhythos; vti hîc Deus à Iudæis, quaſi indignās, auertit faciem & ſermonem, ac de ijs, quibus coram loqui cominus in ſecunda perſona, iam obidolatriam euertendis, ideoque quaſi alienis, loquitur in tertia perſona. Monui, inquam, eos, vti perirent: quia contentum me fore dixi pœnis quibus eos *viſitauī*, id eſt puniui per Salmanaſar & Sennacherib: at tantum abeſt vt hiſce meis monitis auſcultarent, & mores corrigerent, vt diluculo, id eſt ſollicitè, ſine mora, feſtinanter magis eos corruperint, & peiùs egerint. Quid enim quod diluculo ſit, cordi & curæ eſt, fiat ſollicitè & feſtinatò, vtpote ante diem & antemnia diei opera; imò diluculo ſolent diſponi & ordinari, æquè ac inchoari opera totius diei. Quocirca neruosè ait: *Diluculo ſurgentes corrumpunt omnes cogitationes ſuas*; Tigurina, *omnia ſtudia ſua*; Pagnin. *omnia opera ſua*: hæc enim in cogitatione, deſtinatione, & diſpoſitione ſunt à diluculo, manant. ita S. Hieron. Theodor. Alcuin. Hugo & Vatabl. Aliter Septuag. qui hæc cum ſequentibus iungunt, de quo mox.

8. Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum vt cōgregem Gentes, & colligam regna: & effundam ſuper eos indignationem meam, omnem iram furoris mei: in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra.

9. Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno.

10. Vltra flumina Æthiopiæ inde ſupplices mei, filij diſperſorum meorum deferent munus mihi.

11. In die illa non confunderis ſuper cunctis adinuentionibus tuis, quibus prævaricata es in me: quia tunc auferam de medio tui magniloquos ſuperbiæ tuæ, & non adijcies exaltari amplius in monte ſancto meo.

12. Et derelinquam in medio tui po-

pulum pauperem & egenum: & sperabunt in nomine Domini.

13. Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non inuenietur in ore eorum lingua dolosa: quoniam ipsi pascentur, & accubabunt, & non erit qui exterreat.

QVAPROPTER EXPECTA ME, DICIT DOMINVS, IN DIE RESVRRECTIONIS MEÆ IN FVTVRVM] *Expecta*, scilicet auidè, anhela & inhia. Hebræum enim חָכָה *chaca* significat anhelare & inhiare ad personam, vel rem aliquam, vt eam apprehendat: deducitur enim à חֵךְ *chec*, id est guttur palatum, quod dum famet, cibo inhiat, vt quàm aperto ore & gutture inhiant escæ, quam citò aduehit. Pari, imò maiori auiditate fideles debent anhelare ad Deum & Christum, eique inhiare: quia ipse solus est cibus, refectio & salus animæ. Rursum, pro in *futurum* hebr. est לָעַד *laad*, quod Septuag. vertunt, *in testimonium*, à rad. עוּד *Vud*, id est testari: vnde עֵד *ed*, id est testis. Pagnin. verò, Vatabl. & Clarius secuti R. Dauidem, vertunt, *ad prædam*, vel *ad spolia*, à rad. עָדָה *adah*, est spoliare, prædari, diripere. Vnde vertunt, *expectate me, dicit Dominus, ad diem, qua consurgam ad spolia*, vel *ad rapinam*, vt idem sit cum illo psal. 67. v. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus.*

Quocirca Primò, Chald. Cyrill. & Sanchez hæc exponunt de direptione Babylonis per Cyrum, q.d. Bono animo estote, ô Iudæi abducendi in Babylonem: ibi expectate me. Nam post 70. annos vltor pro vobis cōsurgam, ac Babylonem per Cyrum euertam & diripiam, vosque inde eripiam, vt deinde vnanimes & læti domum redeuntes, omnes me colatis humero vno, & nullus inter vos sit infidelis, vel impius. Verùm esto id illudat, tunc tamen Deus non effudit zelum & spiritum suum in omnes gentes; nec effecit vt omnes colerent eum humero vno: imò paulò post Iudæi ab Antiocho afflicti, ac tandem à Tito & Romanis sunt euersi. Quamobrem Iudæi hæc expectant à suo Messia venturo; sed perperam & incassum.

Ergo communis sententia Græcorum & Latinorum, quin & Hebræorum, est, hæc tam augusta promissa ad tempora Christi pertinere, ab eoque esse completa in primo aduentu, & plenius complenda in secundo. Salit ergo hîc Propheta de more ad Christum, & tempus legis nouæ. In Christo enim, qui finis est legis & Prophetarum, Sophonias, Abdias, alijque Prophetæ desinunt, & oracula sua concludunt. Vocat ergo *diem resurrectionis meæ*, Primò propriè diem tertium à Christi nece, quo ipse à mortuis resurrexit. Sensus ergo est, q.d. Quia frustra per Prophetas vos, ô Iudæi, moneo, frustra clamo, vt ad me redeatis, hac de causa ego nouum & diuinum, non humanum, vindictæ genus in vos, & in omnes gentes exercebo. Mittam enim Christum, qui Iudæos multos, & omnes gentes sibi mihique subiget, cogetque eas abdicare gentilismum, æquè ac vos iudaismū, ac suscipere christianismum, vt omnes humero vno sibi & Deo vero seruiant: Iudæos verò rebelles ac incredulos, imò christicidas, grauissimè puniā & exscin-

A dam per Titum & Romanos, iisque reiectis & reprobatis surrogabo Gentes, vt dicitur v. 9. quæ succedent in benedictionem promissam Abrahæ, eruntque filij & heredes regni Dei, putà Ecclesiæ tum militantis, tum triumphantis. vnde Euseb. lib. 2. Demonstr. Euang. c. 17. S. August. l. 18. Ciuit. c. 33. S. Hieron. Remig. Hugo, Arias, Ribera & alij, docent hîc prædici resurrectionem Christi, reprobationem Iudæorum, & vocationem Gentium.

B Secundò, plenius id fiet in secundo Christi aduentu ad iudicium, putà in resurrectione vniuersali, quæ vocatur dies resurrectionis Christi, tum quia per Christum, & Christi gratiam ac virtutem omnes homines resurgent. Resurrectio enim Ecclesiæ, quasi corporis, est resurrectio Christi, quasi capitis. Scriptura enim, vt notat Ticonius in Regulis S. Scripturæ, quod Ecclesiæ est tribuit Christo, & vice versa, ob summam Christi cum ea coniunctionem: est enim ipse Ecclesiæ caput, sponsus, pater, anima, spiritus & vita. Tum quia Christi resurrectio & gloria apparebit toti mundo in die iudicij, quando ostendet potestatem suam iudiciariam, in resurrectione sibi à Patre datam, per quam iudicabit omnes gentes, vti hîc subdit Sophonias. Sensus ergo est, q.d. Ego sæpiùs vestra, ô Iudæi, scelera coargui per Prophetas; sed frustra. expectate ergo me vindicem in die iudicij, quo ego resurgens & triumphator ducam post me agmina omnia resurgentium, ac iudex considebo in valle Iosaphat, in quam colligam & congregabo

C Iudæos & omnes gentes, vt infideles & incredulos condemnem (tunc ergo vos, ô Iudæi rebelles, dabitis pœnas vestræ rebellionis, ingratitudinis & obstinationis) credentes verò & fideles beem & glorificem, vt in cælis dem eis labium electū, quo iugiter me laudent & benedicāt. ita S. Hieron. Remig. Haymo, Lyran. Clarius & Vatabl.

Porrò vtroque die resurrectionis Christus venit ad præda, vt vertit Pagnin. & Rabbini. Nam in primo aduentu prædatus est Gentes, eorumque regiones, dum omnes per Apostolos sibi subiecit, iuxta illud Isaiæ 8. v. 4. *Vocā nomen eius* Emmanuelis (id est Christi nasciturī) *Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Rursum, in die resurrectionis prædatus est limbum & infernum: nam inde secum victor eduxit animas SS. Patrum, vt eas secum cum triumpho deduceret in cælum. In secundo verò aduentu ad iudicium, prædabitur omnes infideles & impios, eosque tradet in-

D ferno. Insuper vtroque die venit Christus *ad testimonium*, vt vertunt Septuag. quia vterque dies testabitur & demonstrabit mundo, Christum esse Christum, id est Dei filium, iudicem, vindicem & dominum omnium. Simili modo & misericordia vltus est Deus incredulitatem Achaz, promittendo non tam ipsi, quàm posteris eius Christi natiuitatem, gratiam & salutem. *Numquid parum*, inquit, *vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Isaiæ 7. 14.

QVIA IVDICIVM MEVM] q.d. Quia iudicaui & decreui congregare gentes & regna, & effundere super ea meam iram & indignationem. ita Arias & Vatabl. nimirum euertendo eorū idola,

templa, regna, mores, eaque conuertendo in fidem, cultum & regnum Christi, vt illi se subijciant, eiusque mores Christianos & sanctos induant, illumque colant & laudent labio vno & electo. Perperam ergo aliqui sic exponunt, q.d. Colligam Iudæos per totum orbem dispersos ad pascha celebrandum in Ierusalem, vt in ea à Tito & Romanis concludantur, capiantur & occidantur. Contrarium enim dicit Propheta, *Vt congregem Gentes*, non Iudæos, *& colligam regna.* vnde & de ijsdem subdit:

ET EFFVNDAM SVPER EOS INDIGNATIONEM MEAM] Indignatio hæc vindicta est diuina, nō humana, vt dixi: Deus enim itase vindicat, vt perdat inimicos, dum eos facit amicos; vt occidat infideles, dum eos conuertit facitque fideles: quia nimirum in mente & corde eorum occidit impietatem, idololatriam, libidinem, superbiam, cæteraque vitia, eisque indit spiritum & vitam fidei, gratiæ, castitatis, humilitatis, cæterarumque virtutum. Vnde subdit:

IN IGNE ENIM ZELI MEI DEVORABITVR OMNIS TERRA] Chald. *nam igne zeli mei consumentur omnes impij terræ: etenim ita conuertam in omnes gentes locutionem vnam electam, vt precentur omnes in nomine Domini.* Hic est zelus Dei, quo magis pugnat in vitia & dæmones, quàm in homines, imò pugnat pro hominibus: sicut medicus pugnat contra morbum, non contra ægrum, sed pro ægro. Vindicta ergo hæc Dei in peccata & dæmones, est misericordia & gratia in peccatores. Vide can. 46. quem præfixi Prophetis maioribus. Hic est zelus quem Christus ostendit in primo suo aduentu, de quo propriè hîc agitur. Illo enim dedit omnibus gentibus labium electum, conuertit Æthiopes, omnesque gentes, &c. vti fusè in sequentibus prædicit Sophonias. In secundo autem suo aduentu zelum iræ ostendet in infideles & impios, quo eos in die iudicij condemnabit adigetque in tartara, ideoque per ignem conflagrationis mundi, quem emittet, deuorabitur & comburetur omnis terra. ita Lyran. & Vatabl.

VERS. 9. QVIA TVNC REDDAM POPVLIS LABIVM ELECTVM; Arabicus, *linguam electam*; Symmach. *tunc conuertam in populos labium mundum*; Aquila & Theodot. *tunc vertam ad omnes populos labium electum*, VT INVOCENT OMNES IN NOMINE DOMINI (id est nomen Domini, hebr. *Iehoua*. q.d. Vt omnes inuocent Deum verum) ET SERVIANT EI HVMERO VNO] Pro *electum*, vti vertit Noster, Aquila & Theodot. hebr. est ברורה *berura* (pro quo Septuag. legerūt ברורו *bedoro*, id est, in generatione eius) quod Secundò, verti potest *purum, castum, mundum, candidum.* ita Symmachus, Arias & Tigurina; Chaldæus vertit, *clarum.* Sensus est q. d. Deus per Christum tollet diuersitatem animorum, religionum, idolorum & labiorum, quibus hic adorabat & inuocabat Iouem, ille Martem, tertius Saturnum, quartus Melchom, quintus Dianam, &c. facietque vt omnes conspirent in eamdem fidem & cultum vnius veri Dei, cumque vno labio electo, sancto & diuino inuocent, dicentes: Deus qui es vnus in essentia, & trinus in personis, nimirum Pater, Filius & Spiritus sanctus, miserere nobis. Huic enim soli seruient latria, id est eum colent & adorabunt omnes humero vno, hoc est vnanimi A consensu, conspiratione & consonantia. Est metaphora à baiulis, qui simul vno quasi humero succollant oneri ingenti: aut certè à bobus cobinatis in plaustro, qui eius iugum pari cervice, quasi humero vno ferunt, illudque pari cervice & passu protrahunt. Vnde Septuag. Syrus & Arabicus vertunt, *iugo vno*, scilicet Christi, quod suaue est, & excutit plurima & durissima iuga diaboli. ita S. Hieron. Theodor. Chaldæus, Remo, Hugo, Vatabl. & alij. Nouè Iohannes de Electorum c. 67. Labium, inquit, hoc est lex, quæ subinde prolege capitur. Labium ergo electum vocat legem perfectam, omnibus numeris absolutam, sanctissimam, putà legem Euangelicam. Hanc enim Deus dedit omnibus populis, non legem Mosaicam dederit solis Iudæis. ET SERVIANT *ei humero vno*, id est vna manu, vno consensu, B vno munere vnoque sacrificio: hoc enim vocatur manus, quia manu offertur. Denique manus sæpè ponitur pro opere. q. d. Seruient ei omnibus, id est operationibus & operibus, sancte quæ concorditer se inuicem adiuuantes quasi vna eademque manu operabuntur. Hæc dicta symbolicè potiùs, quàm literaliter.

Mirum quàm potens sit, quantumque possit vnus omnium ad idem onus consentium humerus. Videre hoc est in Religionum congregationibus, familijs, in quibus viget Spiritus & charitas. Aurea est Micipsæ regis ante filios ad mutuum amorem & opem coniurantis, sententia: *Concordia parua res crescunt, discordia autem maxima dilabuntur.* ita Sallust. bello Iugurth. *Tyrrhenus lapis quamuis grandis natat, comminutus subsidit: ita concordia stamur, discordia pessum imus*, ait Plinius libr. 2. C 106. Sicut singula hastilia facilè frangas, iuncta non possis: ita dissidentes facilè superantur, concordes haud facilè, ait Plutarch. in Mor. Vis enim vnita fortior est seipsâ diuisâ; vnita multa sustinet & euincit, quæ diuisa nequit. Metellus rogatus à Scipione Africano, qua de causa Numantia priùs inuicta, à se subacta & euersa fuisset, respondit: *Concordia victoriam, discordia exitium præbuit.* Seuerus Imp. moriturus vocat ad se filios Marcum Antoninum & Getam: Facite, inquit, *vt inter vos conueniat, locupletate milites, ceteros omnes contemnite.* ita Xiphil. in eius vita. Agesilaus rogatus cur Sparta mœnibus non cingeretur? ostendit ciues armatos & vnanimes: hæc, inquit, sunt ciuitatis mœnia. ita Plutarchus. D Apophtheg. Quid non euincit, quid nō superat exercitus ducum & militum in idem consentium? Isæus Sophista citans illud Homeri, *Scutum hæsit scuto, galea galeæ, atque viro vir: Sic, inquit, mihi state Lacedæmonij, & muris cincti fuimus.* Philostr. in Sophistis.

Alludit ad vnitatem sermonis & linguæ, quæ fuit in statu innocentiæ & legis naturæ. In paradiso enim Adam & Eua eadem fide, labio & lingua, putà Hebræa, coluerunt, & posteri eorum coluissent Deum verum. Hoc labium per peccatum & superbiam fabrorum turris Babel, vitiatum, inquinatum & dissectum est in 70. fera bia & linguas, quas Deus totidem familijs tribus indidit, vti dixi Genes. 11. 7. Hîc ergo promittit Deus, se per Christum primæuum illud vnanime, electum & purum labium redditurum, atque præstitit, quando Apostolis in Pentecoste indit

fidèle Spiritum ſanctum in ſpecie linguarum A ignearum, quibus purè & ardenter Deum verè celebrarent, omneſque gentes docerent, & impellerent ad eumdem eodem labio & lingua colendum, vt ſcilicet quaſi vno ore, æquè ac mente & fide, eum confiterentur, laudarent, adorarent & inuocarent. Labium ergo vnum & electum eſt vna Dei confeſſio, laus, inuocatio, prædicatio.

Porrò addunt aliqui apud Galatin. libr. 12. de Arcan. fid. cap. 3. per labium vnum accipi poſſe linguam Græcam, qua primùm Apoſtoli per Græciam, Aſiam & vicinas regiones cœperunt propagare fidem Chriſti. Græca enim lingua poſt imperium Alexandri Magni & Græcorum, magnam Orientis partem occupauit. Alij accipiunt linguam Latinam, qua omnes fideles ſub B Romano Pontifice, Deum & Chriſtum toto orbe colunt & inuocant. Hoc non eſt inconueniens, nec abſonum: licet enim propriè per labium vnum ſignificetur vniformitas cultus & fidei; ſcilicet quòd Deum vnum vniformiter omnes colent, eſto eum ſua lingua aliter & aliter nuncupent; conſequenter tamen innuitur pariter vniformitas linguæ, quòd ſcilicet Eccleſia & Euangelica doctrina, Chriſtique fides & religio ſemper floruerit in vna lingua, nimirum primùm in Hebræa, deinde in Græca, tandem in Latina & Romana: perinde ac ante Chriſtum floruit in ſola Hebræa, putà in familia Heber, & Abrahæ, qui ſolus à Deo ex omnibus gentibus fuit electus ad eius cultum, laudem & obſequium. Vnde & lingua eius vocatur labium electum. Multum enim facit ad C conſociationem, vnionem & vnitatem Eccleſiæ, vnitas linguæ, verbi gratia Latinæ, qua Eccleſia Latina vbique Gentium vtitur in ſacrificio & officio Eccleſiaſtico, quamque omnes ſacerdotes & litterati callent. Nam, vt ait S. Auguſt. lib. 19. de Ciuit. c. 7. *Linguarum diuerſitas hominem alienat ab homine*, &c. *ita vt libentiùs homo ſit cum cane ſuo, quàm cum homine alieno*, &, vt ait Plinius, *vt externus alieno non ſit hominis vice. Hinc ira gentium totâ, linguarum diuerſitas*, &c. *quæ nos diuerſit à feris, inter ipſos quoque homines diſcrimen alienum aquè grande quàm à belluis fecit*, inquit ipſe lib. 11. cap. 51. Quocirca Roma olim rerum domina ſtagebat, *vt non ſolùm ingum, verùm etiam linguam ſuam domitis gentibus, per pacem ſocietatis imponeret*, ait ibidem Auguſt. ita vt Romani Hiſpanis & Gallis Latinas prorſus fecerint, veteribus illarum gentiũ linguis abolitis: & in Senatu nullos audierint legatos, niſi latinè verba facientes; nimirum conabantur vt eſſet vna lingua, qua ſe gentes omnes mutuo intelligerent. Sed plenè & plenè id conſequi nequiuerunt: alienigenum & diuinæ virtutis hoc eſt opus. Quocirca Spiritus ſanctus Apoſtolis dedit donum linguarum, quo ab omnibus gentibus intelligerentur, & viciſſim omnes intelligerent. Deus, inquit S. Auguſt. in pſalm. 54. diuiſit linguas in fabrica turris Babel, *ne ſe intelligendo perniciosam ſuorum vnitatem. Per ſuperbos homines diuiſæ ſunt linguæ, per humiles Apoſtolos congregatæ ſunt linguæ. Ipſum ſuperbia diſperſit linguas, Spiritus ſanctus congregauit linguas. Quando enim Spiritus ſanctus venit ſuper diſcipulos, omnium linguis locuti ſunt, ab omnibus intellecti ſunt, lingua diſperſa in vnum con-*

Cornel. in Proph. Min.

gregatæ ſunt. Ergo ſi adhuc ſæuiunt & Gentiles ſunt, expedit eis diuiſas habere linguas. Volunt vnam linguam, veniant ad Eccleſiam: quia & in diuerſitate linguarum carnis, vna eſt lingua in fide cordis. Idem in pſalm. 44. explicans illud: *Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate: Varia*, inquit, *lingua faciũt varietatem veſtis reginæ huius. Quomodo autẽ omnis varietas veſtis in vnitate concordat, ſic & omnes linguæ ad vnam fidem. Quælibet ſit varietas linguarum, vnum aurum prædicatur, non diuerſum aurum, ſed varietas de auro, aurum eſt ſapientia. Eamdem quippe ſapientiam, eamdem doctrinam & diſciplinam omnes linguæ prædicant: varietas in linguis, aurum in ſententiis.*

Anagog. Beati in cælo ſeruiunt Deo labio vno: quia conſonò corde & ore canunt iugiter Halleluia, laudes & hymnos Deo, iubilantque dicendo: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, qui nos vocauit in partem ſortis Sanctorũ, imò Beatorum. *Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum, Amen.* Apoc. 7. 12. Et, *Redemiſti nos Domine in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram*, Apocal. 5. v. 9. Addit Arias, à Caſtro, & Galatin. loco citato, Beatos in cælo eadem lingua, quæ in paradiſo fuit primigenia, ideoque ſancta cognominatur, præſertim quia ea conſcripta eſt vetus ſacra Scriptura, putà Hebræa, Deum laudaturos. de quo vide dicta 1. Corinth. 13. v. 8. *Anagog.*

Tropol. Labium electum fidelis habet, cùm ſincerè Deo confitetur, & quæ Dei ſunt ſanctè loquitur, cùm de rebus pijs ſermones ſerit, cùm iratos mitigat, afflictos conſolatur, peccatores conuertit. Huic opponit Propheta v. 13. linguam doloſam. *Tropol.*

VLTRA FLVMINA ÆTHIOPIÆ] Triplex eſt hîc expoſitio, quæ tamen in vnam communem & vniuerſalem coaleſcit & deſinit. Aliqui enim per hanc phraſim intelligunt Ægyptum: alij Abyſſiam & Africam: alij Indiam. Primò enim Ægyptus eſt vltra fluenta Nili, qui oritur in Æthiopia, indeque in Ægyptum defluit. q. d. Ægyptij conuertentur ad Chriſtum, illique deferent munera. Addit à Caſtro, Hebr. כוש *chus*, id eſt Æthiopia, in Scriptura nõ ſignificare Æthiopiam ſub Ægypto, quæ nunc Abyſſia dicitur, vbi regnat Preto-Iohannes; ſed Arabiam, in qua inter alios degebant Madianitæ, qui in Scriptura vocantur Æthiopes. Vnde de Pharaone merſo in mari rubro dicitur pſalm. 73. v. 14. *Dediſti eum eſcam populis Aethiopum*, putà Arabibus accolis maris rubri. Chus enim filius Cham, qui nomen dedit Æthiopiæ, numquam ingreſſus eſt Ægyptum, vel Abyſſiam, ſed cum ſuis filijs, Saba, Heuila, Sabatha, Regma, Sabatacha & Dedan, ſedes fixit inter ſinum Perſicum & ſinum Arabicum, ſiue mare rubrum. Hic ergo terræ tractus vocatur Chus, id eſt Æthiopia, putà Arabia, in qua eſt Gihon fluuius ex paradiſo decurrens, Traianus fluuius, lacus Sirbonides, ſinus Arabicus, foſſæ quoque manu factæ, quæ Dioryges vocantur, quas omnes fluuiorum nomine comprehendit Scriptura. Porrò vltra hæc flumina eſt Ægyptus. De Ægypto ergo loqui videtur hîc Sophonias, æquè ac Iſaias c. 18. 1. Hæc à Caſtro. Verùm eius ratio non con- *Trans Æthiopiam regio triplex.* *Primum*

cludit. Nam omnis Æthiopia hebr. vocatur Chus, esto Chus filius Cham, cum suis filijs proximis omnem non incoluerit: sicut eadem vocatur Æthiopia ab Æthiope Vulcani filio, si credimus Plinio lib. 6. c. 30. esto Æthiops nō totam, sed partem tantùm occuparit. Sicut ergo Abyssini vocantur Æthiopes græcè & latinè, sic ijdem hebr. vocantur Chusim. Nam ex Abyssia videtur venisse Taraca rex Chusim, id est Æthiopum, 2. Paral. 14. v. 9. Et Nabuchodonosor post vastatam Ægyptum vastauit Æthiopiam ei vicinam, putà Abyssiam, Isaiæ 20. Et ex Abyssia venisse Reginam Saba ad Salomonem, censent S. Hieron. August. Origen. Nazianz. Nyssenus, Anselmus, Toletus, Barradius, Ortelius, & alij, quos citat P. Pineda lib. 5. de Rebus Salom. c. 14. sect. 5 n. 21. Denique filij Chus licet habitarint iuxta mare rubrum, tamen posteri eorū se propagarunt vsque in Æthiopiam, vtpote vicinam. Vnde & rex Æthiopiæ olim fines regni sui extendebat vsque ad mare rubrum. A quo enim progeniti sunt Æthiopes, nisi à posteris Chami & Chus?

Secunda. Secundò, S. Hieron. Remigius, Albertus, Hugo, Emmanuel & Ribera, propriè Æthiopiam hîc accipiunt eam, quæ est sub Ægypto in Africa, putà Abyssiam. hæc enim Iudæis erat vicina, nota & nominata. Sic sensus erit, q.d. Afri, qui sunt vltra flumina Æthiopiæ respectu Iudææ & Ægypti, imò & vlteriores populi trans mare siti, vt Brasilij, Perüani, Mexicani, omnesq; Indi Occidentales ad Christum conuertentur, eique deferent munera.

Tertia. Tertiò, alij, quibus fauet à Castro, putant hîc notari Indiam Orientalem vsque ad Iaponiam & Chinam: flumina enim Æthiopiæ hîc vocari Tigrim & Euphratem, quæ primùm per Chaldæam (in qua regnauit Nemrod filius Chus) & Mesopotamiam, deinde per mediam labuntur Arabiam: quæ, vt dixi, in Scriptura vocatur Chus, id est Æthiopia: vltra quæ flumina est tota Asia & India vsque ad Sinas. Accedunt Chaldæus, qui vertit, *trans fluuios Indiæ*; Arias & Vatablus, qui hæc de Indis exponunt, quasi Æthiopia hîc Indica intelligatur, cuius flumina sunt Tigris, Indus & Ganges, quæ licet Iudæis tempore Sophoniæ esset ignotior, Christianis tamen, quibus prophetat Sophonias, est notissima. Vnde & Sabæi sunt Indi, æquè ac Persici, Arabici, & Abyssini, vt ex Beroaldo & Dionysio docet Pererius in cap. 25. Genes. v. 5. Sensus ergo est q.d. Indi Orientales, Iapones, Sinæ, cōuertentur ad Christum, venientque supplices ad Ecclesiam, deferētes sua munera, vti hoc sæculo factum est, & indies fieri videmus. Huic sententiæ fauet, quòd aliqui filij Chus, vt Heuila, versus Indiam habitarint, quodque S. Cyrillus, Theodor. Procopius & alij, quos citat Pineda loco iam citato num. 23. Sabæam gentem vocent Æthiopiam Indicam. Denique Lusitani, qui subegerunt & conuerterunt Indos Orientales, Iapones & Sinas, ad eos nauigant circumeundo Æthiopiam, imò totam Africam. Eorum ergo respectu, Indi possunt dici siti trans Æthiopiam & Africam. Summa, vult dicere hac phrasi Sophonias, remotissimas gentes, quales sunt Æthiopes, & quæ vltra Æthiopiam siue Arabicam, siue Africanam & Abyssinam habitant, putà Garamantas & Indos, conuertendos ad Christum. Iudæi enim censebant Æthiopes esse vltimos hominum iuxta illud Poëtæ: *Extremiq; hominum Morini*. Propriè tamen & præcisè per Æthiopiam Sophonias accipit, non illam quæ sub Ægypto est, putà Abyssiam, sed Arabicam, vti dixi à Castro in prima expositione. Alludit enim, vt mox dicam, ad Iudæos per Arabiam ductos in Babylonem, & per totum Orientem dispersos, quos reduxit Cyrus, & multò magis Christus, in Ierusalem, id est in Ecclesiam, munera, vota & hostias Deo vero offerentes. Per hos tamen à simili, quoslibet populos & gentes trans Æthiopiam, in India extrema quæque mundi oris sparsos intelligit. Hosce enim omnes ad Deum per Christum & Apostolos conuertendos prædicit. ita Mariana & alij.

INDE SVPPLICES MEI, FILII (ita legunt Romana, licet S. Hieron. in comment. legat *filia*) DISPERSORVM MEORVM DEFERENT MVNVS MIHI. Pagnin. Tigurina & Vatablus de more sequentes R. Dauid, sic vertunt. *trans flumina Aethiopiæ Atharai, filia Putsai, afferent munus mihi*, quasi *Atharai* sint nomen gentis, prognatæ ex gente dicta *Putsai*, quæ munus sit allatura Domino. Verùm nec Scriptura, nec Iosephus, nec quisquam alius harum gentium meminit. Quocirca Noster, Chald. Symmach. Septuag. Tigurina & alij hæc nomina accipiunt, non vt propria gentis, sed vt appellatiua. *Atharai* enim hebr. significat supplices, *putsai* dispersos. Vnde ex Hebr. sic ad rubum cum S. Hieron. vertas. *trans flumina Aethiopiæ supplices mei* (qui sunt) *filia dispersorum* (id est, cœtus & congregatio dispersorum: vel potius *filia*, id est progenies charissima, putà filij charissimi dispersorum, vt vertit Noster, Symmach. & alij) *meorum afferent munus mihi*. quod S. Hieron. sic exponit, q.d. O Israel, ô Synagoga quondam mihi filia, quam nunc toto orbe dispersi, licet inuideas, licet æmulatione crucieris, tamen de Æthiopia mihi victimæ deferentur, id est de Gentilium populo. Verùm Vulgata lectio habet *filij*, non *filia*, quæ lectio hunc sensum non patitur.

Dico ergo, alludit Propheta ad Iudæos à Chaldæis in Babylonem abductos, & per Orientem dispersos, quos per Cyrum Deus reduxit in Ierusalem, qui ibidem hostias suas in gratiarum actionem obtulerunt Domino. Vnde Chald. vertit, *de trans flumina Indiæ cum miserationibus reuertetur captiuitas populi mei, qui captiuum ducti sunt, & adducent eos illuc tamquam oblationes*. Verùm per hos, quos obiter tātùm perstringit, intelligit quoslibet gentes toto orbe dispersas, etiam remotissimas in Indijs degentes. De hisce enim prædicit, quòd per prædicationem Apostolorum, perque Christi vocationem & gratiam venient ad Ecclesiam, in eaque sua vota & munera offerent Domino. Hoc est enim quod ait S. Ioannes cap. 11. 51. *Prophetauit* (Caiphas) *quòd Iesus moriturus esset pro gente, & non tantùm pro gente* (Iudaica) *sed vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum*. Ita Hugo, Arias, Clarius & alij. Possent Secundum Theodor. dispersi accipi Apostoli: hos enim Christus per totum orbem dispersit: horum filij sunt viri Apostolici & prædicatores, qui Apostolico officio & zelo conuertendi animas succedent, q.d. Apostoli, & qui eis succedent viri Apost-

li, conuertent gentes, etiam remotas & barbaras, vt Æthiopes, Indos, Iapones, Sinas, &c. easque quasi munus, imò quasi holocaustum, Deo gratissimum offerent; vti fecit S. Paulus qui Rom. 15. v. 16. ait: *Vt sim minister Christi Iesu in Gentes, sanctificans* (græcè λειτουργῶν, id est sacrificum) *Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto.* Quocirca Chald. & Septuag. vertunt in accusatiuo: Chald. quidem, *adducent eos illuc tamquam oblationes*; Septuag verò, *suscipiam dispersos meos, afferent munus mihi.* Gratulentur ergo sibi Xauerij, Gaspares & eorum asseclæ, qui ingenti animo, labore & zelo Indias petunt: sciant se successores, posteros & filios Apostolorum: cogitent se munus & holocaustum Deo gratissimum, putà animas infidelium ad Dei imaginem creatas, pro quibus Christus carnem assumpsit, & seipsum in cruce pro eis immolauit, Deo offerre: sciant se adimplere quæ desunt laborum & passionum Christi in Ecclesia: sciant se eius regnum ad vltimos vsque orbis fines propagare.

A

Mysticè, Christus Æthiopes trãs Æthiopiam deducit in Candiam, cùm infideles & vitijs atros traducit ad fidem, castitatem, virtutem: tũc enim *mundat omnem nigredinem animæ*, inquit S. Hieron. *& fœtorem colorem, ac draconis venenum, quo tinctus fuerat vitiis atque peccatis, reddito nobis labio puro, hoc est mundo & candido, & facit derelinquere nos in faminibus Aethiopiæ peruersorum dogmatum magistros, quibus antè irrigabamur, & cum dispersis eorum Israel Christo munera delaturos.* Sic S. Augustinus lib. 9. Confess. c. 2. ait, se exemplo Victorini & aliorum quos Deus de nigris lucidos fecerat, quasi sagittis diuinis confixum exarsisse, vt suam infidelitatis & libidinis nigredinem, in puritatem fidei & castæ vitæ conuerteret. Dicat ergo cum eo quicumque pœnitens & iustificatus: Æthiops fui; Deus in baptismo, vel aquarum, vel lachrymarum me dealbauit: ipse pro atra candidam innocentiæ vestem, imò cutem mihi restituit: niger fui, nunc candidus & formosus sum: quia conscientiæ meæ vestem laui & dealbaui in sanguine Agni, Apocal. 7. v. 14. Deo gratias, qui me de tenebris vocauit in admirabile lumen suum: deinceps viuam non æthiopicè, sed candidè, illudque Apostoli sequar: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate. fructus autem lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate.* Ephes. 5. v. 8. Habitaui olim trans flumina ista Æthiopiæ, putà trans fluenta Nili, qui quia turbidus & limosus, hinc hebr. שיחור *sichor*, græcè μέλας, id est niger, vocatur; cùm nimirum essem in atra caligine Deique ignorantia; cùm in me influerent æstus motusque iræ, superbiæ, gulæ, libidinis, aliarumque atrarum cupiditatũ. Verùm Christus sua gratia, trans hæc flumina me traduxit ad candida fluenta Iordanis, ibique me baptismo abluit & dealbauit: collocauit me in Ierusalem, id est in Ecclesia, & in quiete puræ conscientiæ, vbi fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei vbi candidi gratiæ, amoris, castitatis, aliarumque virtutum fluuij in animam meam cælitus influunt & impluunt.

B

C

D

IN DIE ILLA NON CONFVNDERIS] Loquitur Hierosolymæ, id est Iudæis non manentibus in Iudaismo, sed Christum recipientibus in eumque credentibus, vt patet v. 13. q. d. O Ierusalem nunc confunderis & pudefis ob idololatriam & scelera, quibus præuaricata es in me. Sed agedũ, vultum attolle, spera meliora: veniet Messias tibi promissus, qui omnia tua crimina sanguine suo in baptismo eluet, teque gratia sua decorabit, vt iam non sordida, sed speciosa & gratiosa, appareas in conspectu Dei, angelorum & hominum. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo & Lyran.

Aliter Vatabl. q. d. Veniet Christus qui in te effundet gratiam suam, qua fiet, vt bonis operibus studeas, & caueas peccata omnia, quibus antea in me præuaricari solebas.

QVIA TVNC AVFERAM DE MEDIO TVI MAGNILOQVOS SVPERBIÆ TVÆ] Causam dat, cur per Christum cessatura sit Hierosolymæ confusio: quia nimirum auferet Christus ab ea superbiam, quæ omnis sceleris & confusionis est mater & origo, ideoque auferet *magniloquos superbiæ tuæ*; Septuag φαυλισμοὺς καὶ ὕβρεως, id est *contemptus, derisiones, subsannationes contumeliæ tuæ*: quia magniloquorum superba laus & adulatio reipsa non est aliud, quàm irrisio & contumelia; Chald. *fortes gloriæ tuæ*; Tigurina, *qui in te insolenter exultant*; Pagnin. *qui exultant in superbia tui*, id est qui exultant & gestiunt ob tuam dignitatem, excellentiam & magnificentiam, inquit Vatabl. eamque ore magniloquo exaltant, buccinant & deprædicant. Taxat superbos & superciliosos principes Indæorum, præsertim Scribas & Pharisæos, inquit S. Hieron. Remig. Hugo & Lyranus, qui Hierosolymæ præstantiam, sapientiam, religionem, sacra & templum plenis buccis concrepabant, seque quasi eius magistros, sacerdotes & principes iactitabant, aliasque gentes omnes, ac præsertim Christum ipsum, contemnebant. Hi enim fouebant Hierosolymitarum superbiam & fastum, à quo oritur omne malum. Vnde hic fastus faciebat eos incapaces fidei, gratiæ & salutis Christi. Hos sustulit Christus, eisque substituit humiles Apostolos, qui Hierosolymitas docerent modestiam & humilitatem, quæ omnis boni est causa: quia gratiam Dei & hominum sibi conciliat, ideoque prima est dispositio ad suscipiendam Christi doctrinam, iustitiam & salutem. Vnde subdit:

NON ADIICIES EXALTARI AMPLIVS IN MONTE SANCTO MEO] Mons sanctus est Sion, in quo erat templum: Iudæi enim perpetim iactabant se ob templum, dicebantque: *Templum Domini, templum Domini, templum Domini*, Ierem. 7. v. 4. Christus hanc iactantiam sustulit, quando hoc templum euertit per Titum & Romanos, & quando in Sion erexit Ecclesiam suã, ad quam è templo Iudaico credentes transtulit & transcripsit; in qua quasi in schola humilitatis docet Iudæos animi demissionem, vt in fide & religione non se præferant Gentibus, vti solent; sed humiliter cum ijs se subdant gratiæ Christi, quæ Gentes, æquè ac Iudæos, vocat & iustificat, exclusa circumcisione & lege Mosaica, per quam se iustificari putabant Iudæi; sed falsò, vtĩ docet Apostolus in epist. ad Roman. & ad Galat. ita Remig. Haymo, Hugo & Lyran. Moral. disce hìc superbiam vbique Deo displicere, sed maximè in loco sancto, putà Ecclesia, vel Religione, scilicet si Clerici & Religiosi de primo loco contendant.

VERS. 12. DERELINQVAM IN MEDIO TVI POPVLVM PAVPEREM ET EGENVM] q.d. Pro magniloquis & superbis Scribis & Pharisæis, dabo tibi meos Apostolos & discipulos pauperes, tum propriè dictos: primi enim fideles relictis omnibus bonis, pauperes sequebantur Christum & Apostolos. tum pauperes, id est mansuetos & humiles, vt vertunt Septuag. & Theodor. paupertas enim est amica & mater humilitatis. Chald. vertit, *tolerantes violentiam & contumeliam.* vti Apostoli & discipuli pro Christi fide dura passi sunt verba, æquè ac verbera. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Vatabl. Arias & alij.

VERS. 13. RELIQVIÆ ISRAEL NON FACIENT INIQVITATEM. q.d. Primi fideles & Christiani ex Israele à Christo euocati & collecti, ijque pauci, præsertim Apostoli, adeò sancti erunt, vt omne peccatum, id est crimen mortale (quin & veniale deliberatum) dolum & mendacium caueant, imò abominentur: QVONIAM IPSI PASCENTVR ET ACCVBABVNT] in ouili Christi, putà in Ecclesia, vbi quasi oues à Christo pastore pascentur doctrina, & gratia diuina & cælesti, quæ eos faciet sanctos, æquè ac tutos & securos, vtpote qui omnem suam spem locarunt in Christo, à quo sciũt se regi, pasci, protegi, & bonis omnibus cumulari, cùm in hac vita, tum magis in futura. ita S. Hieron. Remigius & alij.

14. Lauda filia Sion: iubila Israel: lætare, & exulta in omni corde filia Ierusalẽ.

15. Abstulit Dominus iudiciũ tuum, auertit inimicos tuos: rex Israel Dominus in medio tui, non timebis malum vltrà.

16. In die illa dicetur Ierusalẽ: Noli timere: Sion, non dissoluantur manus tuæ.

17. Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit: gaudebit super te in lætitia, silebit in dilectione sua, exultabit super te in laude.

18. Nugas, qui à lege recesserant, congregabo, quia ex te erant: vt non vltrà habeas super eis opprobrium.

19. Ecce ego interficiam omnes, qui afflixerunt te in tempore illo: & saluabo claudicantem: & eam, quæ eiecta fuerat, congregabo: & ponam eos in laudẽ: & in nomen, in omni terra confusionis eorũ:

20. in tempore illo, quo adducam vos; & in tempore, quo congregabo vos: dabo enim vos in nomen, & in laudem omnibus populis terræ, cùm conuertero captiuitatem vestram coram oculis vestris, dicit Dominus.

VERS. 14. LAVDA FILIA SION] *Filiam Sion* vocat Ecclesiam primitiuam. Hanc enim Christus è Iudæis collegit in Sion, itaque fecit vt vetus Sion transiret in nouam, putà Synagoga in Ecclesiam. Eadem enim est Ecclesia vetus & noua, Iudæorum & Christianorum. Iudæi enim ante Christum crediderunt in Christum venturum: Iudæi verò vocati à Christo crediderunt in Christum iam præsentem. Eadem ergo vtrorumque est Ecclesia: quia eadem vtriusque fides, spes, charitas, iustitia, gloria & beatitudo; ac idem Christus vtrosque gubernans, iustificans & beans. Hac de causa Ecclesia Christi verè & propriè vocatur filia Sion: quia originem sumpsit à Iudæis in Sion. quod si considerarent & caperent moderni Iudæi, iam non essent Iudæi, sed Christiani.

Propheta ergo præuidens felicitatem Ecclesiæ à Christo instituendæ, hortatur ipsam, vt eam considerans toto corde exultet & iubilet. Vnde Chald. vertit, *hymnos cane cõgregatio Sion, & exulta Israel: gaude & lætare in toto corde congregatio Ierusalem;* Septuag. *gaude filia Sion, prædica Ierusalem, exulta & delectare* (Tigur. *gesti*) *ex toto corde tua filia Ierusalem.* Rationem tanti gaudij & iubili subdit: Quia, inquit, Christus à te auferet omne malum, & conferet omne bonum. Nam Primò,

ABSTVLIT DOMINVS IVDICIVM TVVM] Iudicium vocat peccata, quibus iudiciũ, id est cõdemnationẽ & suppliciũ merebatur illique erat adiudicata, vel certò adiudicãda. Est metonymia. ita S. Hieron. Secundò *iudiciũ*, id est ipsam cõdemnationem & pœnam. q.d. Christus à te auferet & eluet in baptismo omnem culpam, & pœnam præcedentium scelerum. Hinc Secundò,

AVERTIT INIMICOS TVOS] Putà dæmones & vitia: ab horum enim misera seruitute liberabit te Christus, viresque eorum infringet vt non dicta tibi, sed tu illis domineris. ita S. Hieronymus, Theodor. Remig. & alij. Vnde Chald. vertit, *extirpauit inimicos tuos*; Septuag. *redemit de manu inimicorum tuorum rex Israel*; Pagnin. *euacuauit inimicum tuum*; Tigurina, *auerruncauit hostem*, hoc est, auertit, depulit, eiecit: auerruncare enim dictum est ab auertendo, inquit Varro, & à runca, quod est instrumentum vinitorum, quo vitium sarmenta auertunt & amputant. Vnde Auerruncus erat Gentilibus Deus, qui mala auerruncabat, id est auertebat. ita Varro lib. 4. Noster Auerruncus est Christus, de quo S. Athanasius, teste S. Hieronymo, dicere solet: *Abominemini Domino* (Christo in carnem) *destructus est inimicus, & omne eius robur elanguit.* Vnde de eo recte subdit Propheta:

REX ISRAEL DOMINVS IN MEDIO TVI] q.d. Christus Dominus, qui est Rex Israelis, id est populi fidelis, est in medio tui ô Sion, ô Ecclesia, vt te regat quasi rex, pascat quasi pastor, alat quasi pater, amet quasi sponsus, defendat & protegat vti capitaneus. Vnde sub eius alis & armis fortis, *non timebis malum vltrà*: quia ipse illud vel à te depellet, vel vires dabit ad superandum, vt morbos, exilia, martyria, & quælibet aduersa non tantùm patienter, sed & hilariter sustineas ijsque; cum S. Paulo glorieris & exultes. ita S. Hieron. Quocirca idipsum inculcans & exaggerans subiungit quartò:

NOLI TIMERE: SION, NON DISSOLVATVR MANVS TVÆ] ob tribulationes & persecutiones insurgentes, sed eas generosè superi & despice, vt Deus super te & tua pietate, spe, constantia & victoria delectetur & gaudeat. Rationem subdit: Quia *Dominus Deus tuus in medio tui fortis, ipse saluabit.* Quid ergo timeas, quæ tam fortem habes ducem? Quid metuas, cùm pro te pugnet Iesus, id est saluator, imò ipsa salus? Hinc quintum bonum & dotem addit dicens:

Sex-

SILEBIT IN DILECTIONE SVA] Sic legendum cum Hebr. Septuag. & Rom. non *tua*, vti legunt aliqui. Iam triplex hîc est expositio. Primo, q.d. Deus silebit præterita tua peccata, quæ tu commisisti, non ea refricabit, non exprobrabit, imò non commemorabit, sed silentio inuoluet, delebit & abolebit: quia diliget te. ita S. Hieronym. & Remig. vnde Chald. *abscondet delicta tua in misericordia sua*. q.d. Si anima adultera fuit scelere, polluta, in gratiam cum Deo suo redeat, ille cum ipsa de præterita iniuria, vtpote condonata, non expostulabit; sed potius dicet quod dixit Christus Magdalenæ: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Alias in Biblijs Regijs, *cum gaudio subiiciet scelus tuum cum misericordia*, scilicet subijciet scelus misericordiæ. Vnde Cassiodor. in psalm. 31. *Beatus*, ait, *simplicitas, & multa tergiuersatione carens puritas, manifestate delictum. Illis non iubetur, sed elocutus est Christus, qui se propria confessione damnarunt.* Secunda, q.d. *Silebit*, id est stabilis & firmus erit in sua dilectione tui, semper te diliget, numquam, nulloque casu vel euentu dilectionem suam reuocabit, aut minuet; sed vt lapis in centro, ita Christus in dilectione tui silebit & conquiescet. Tertia, q.d. Cùm in tentationibus & laboribus fueris, silebit sæpè, dissimulabit & sinet te affligi, laborare & sudare, eò quòd diligat & eligat te ad magnam gloriam & coronam. Ita S. Antonius à turba dæmonum variis formis leonum, luporum, taurorum, aspidum, scorpionum, pardorum, vrsorum se inuidentium acriter flagellatus, vulneratus & cõfossus, cùm *imperterritus duraret mente peruigili*, at S. Athanas. *vidit ad se radium lucis influere. Illico etiam Domini intellexit, & ex intimo pectore longa trahens suspiria: Vbi, inquit, eras bone Iesu vbi eras? quare non à principio adfuisti, vt sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est: Antoni hîc eram, sed exspectabam videre certamen tuum. Nunc autem, quia dimicando viriliter, non cessisti, semper assistam tibi, & faciam te in toto orbe nominari.* Sic S. Catharina Senensis faces libidinis, à dæmone immissas fortiter repellens & superãs, post victoriam meruit videre Iesum. cumque illa quæreretur; Cur me Domine in hoc prælio reliquisti audiuit: Non te dereliqui, nam fui in corde tuo, illudque continui & roboraui, ne illecebris cederet & consentiret. Similia legimus in vitis Sanctorum. Septuag. vertunt, *innouabit te in charitate sua*. q.d. Nouo amore te diliget, perinde ac si alia esses, & noua sponsa noue ei nupta, eumque tibi aspirabit, vt vicissim nouo amore & feruore eum diligas, ac pro eo maiora, eaque heroica patrare & tolerare ambias. Dic hic, tribulationes, si fortiter eas Christi amore sufferat anima fidelis, illam de nouo quasi vxorem & despondere Christo, vt quasi noua sponsa ei dicat cum Sephora vxore Mosis: *Sponsus sanguinum tu mihi es propter circumcisionem*, propter tribulationes, Exodi 4. v. 25.

EXVLTABIT SVPER TE (Deus & Christus) IN LAVDE] laudando tuam patientiam, pugnam, victoriam, ac Patris æterni gratiam, quam tibi ad hæc dedit. Septuag. vertunt, *latabitur in te in dilectione*, hoc est, delectabiliter & valdè in te lætabitur & delectabitur; Tigurina, *gestiet de te cum iubilo*; Vatabl. *exultabit super te cum cantico*. q.d. Præ gaudio & lætitia videbitur canere. Est metaphora ab hominibus lætitia gestientibus.

Moraliter Nota, quàm Christus & Deus delectetur nostra virtute & tolerantia, vt videatur gestire, canere, & iubilare. Quisergo non studeat bonis operibus? quis non dura quæque eius amore patiatur, vt Deo suo & angelis eius hanc delectationem, hoc gaudium, hunc iubilum exhibeat & præstet? Ita Christus asserit gaudium esse in cælis super vno peccatore pœnitentiam agente, Lucæ 15. v. 7. Ita S. Paulus hortatur Hebræos cap. 13. 16. ad opera charitatis, vt illis oblectent Deum: *Beneficentiæ*, inquit, *& communionis nolite obliuiscì: talibus enim hostijs promeretur* (Syrus ספר *scaphar*, id est pulchrescit, oblectatur, hilarescit) *Deus*. Et Isaias cap. 62. v. 3. & 6. *Eris*, inquit, *corona gloriæ in manu Dei*, &c. *vocaberis voluntas mea in ea*, &c. *quia complacuit Domino in te*, &c. *gaudebit super te Deus tuus*. Et c. 65. 19. *Exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo*. Et Moses exhortans Israel ad custodiam legis Dei: *Reuertetur*, inquit, *Dominus, vt gaudeat super te in omnibus bonis, sicut gauisus est in patribus tuis*, Deuteronom. 30. 9. Et Psaltes: *Lætabitur Dominus in operibus suis*, psalm. 103. 31. Et psalm. 44. 9. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis: ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo*. Denique Apostolus excitat Romanos cap. 12. 1. *Obsecro*, inquit, *vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem*. Ita Martyres gaudebant in martyrijs, eò quòd seipsos Deo quasi hostias viuas, quibus ipse summè delectatur, offerrent in odorem suauitatis. Vnde Tertull. Apologet. cap. 50. Martyrum agon & *victoria*, inquit, *habet & gloriam placendi Deo, & pradam viuendi in æternum*. Et S. Cyprianus libr. 4. epist. 1. ad Rogatianum cæterosque Confessores incarceratos, & martyrij candidatos: *Quid*, ait, *iucundius & sublimius, quàm osculari nunc ora vestra, quæ gloriosa voce Dominum confessa sunt? O beatum carcerem, quem illustrauit vestra præsentia*, &c. *vbi modò constituta sunt Dei templa, & sanctificata diuinis confessionibus membra vestra!* Dicat ergo humilis, patiens, pauper, obediens, &c. Humiliabo me in abyssum, patiar dura, famem sitimque tolerabo, obediam vsque ad mortem, vt mea humilitate, patientia, paupertate, obedientia, &c. lætificem & exhilarem Deum meum, vt illi hoc suaue epulum præbeam, vt oculos eius hoc spectaculo pascam & oblectem. Si enim idipsum faciunt famuli Cardinalibus & principibus suis, quid me conuenit facere Domino Deo meo?

Aliter vertit Pagnin. scilicet, *exultare faciet in laude*, q.d. Deus te faciet exultare in tribulationibus & laboribus, vt ei de ijs gratias agas, eumque laudes & iubiles, vti fecerunt tres pueri in fornace Babylonia, Daniel. 3. v. 51. Vnde S. Hieron. *Exultabit*, inquit, *super te in laude, vel quia laudabilis fis, vel quia eum tuis laudibus canas.*

NVGAS, QVI A LEGE RECESSERANT, CONGREGABO] Pro *nugas* hebr. est eadem vox *nuge*, pro qua Septuag. vertunt, *διεσκορπισμένους*, id est confractos. Interpres in Biblijs Regijs vertit, *dispersos*; Aquila, *translatos*; Chald. *qui remorati sunt in te tempora solemnitatis tuæ*; Pagninus, *dolore affectos*; Tigurina, *abstractos à loco colligam*; Vatablus sic vertit & explicat, *mœrore affectos à tempore statu-*

Mor. Deus mirè delectatur nostra virtute.

ſtatuto, hoc eſt Iudæos, qui iam erant affecti tædio exſpectandi diem ſtatutum aduentus, non Cyri, qui eos Babylone liberaret (vt vult Theodor.) ſed Chriſti, congregabo in Eccleſiam Catholicam, alij vertunt, *ſqualidos, mœſtos, afflictos. Nuge* enim deriuatur à יָגָה *iaga*, id eſt mœrere, dolere, affligi. Vnde Clarius hæc exponit de reſurrectione, q.d Squalore cõfectos & mortuos, qui receſſerunt à ſtato hominum cœtu, in reſurrectione ſuſcitabo, & congregabo in vallem Ioſaphat, & inde in cælũ. Verùm S.Hieron. cenſet נוּגֵי *nuge*, idem eſſe quod Latinum *nuga*, illudq́ue ab Hebræo nuge deriuatum eſſe. Rurſum Hebr. מוֹעֵד *moed* idem eſt quod cõdictum, ſtatutum, vel teſtimoniũ, id eſt lex. Ergo נוּגֵי מִמּוֹעֵד *nuge mimmoed*, vocantur nugatores, id eſt peccatores, qui ob nugas, id eſt leuiſſimas & mendaces rationes & voluptates, à lege Dei recedũt, eaſq́ue Deo præferunt. Notat Iudæos, qui ob nugas, id eſt nugacia bona terræ, à lege, quã ſe ſeruaturos promiſerant, receſſerunt; quiq́; ob nugaces ſuas traditiones Chriſtum, quẽ lex indicabat, ſpreuerũt. Sic Poëtas vocat nugas Xenarchus apud Athenæum lib.6. *Porro*, ait, *ipſi Poëtæ nugæ ſunt.* Hi enim ſunt luſciniæ nugis inlidẽtes, de quibus Plinius lib.10.29. Et Ariſtophanes in Nebulis Socratem vocat nugarum antiſtitem, quaſi friuolarum argutiarum auctorem. Plautus quoque nugas theatri, appellat quotidiana conuicia, quæ in meretrices, lenones & paraſitos iaciebantur à Comœdiarum actoribus. Cicero lib. 6. ad Atticum epiſt.31. *Amicos*, inquit, *habet meras nugas.* Et lib.1. ad Quintum Fratrem epiſt.38. nugas vocat homines nihili, & planè ridiculos. *Nugas*, inquit, *maximas omni comitate complexus ſum.* Lexicographi priſci hæc quatuor pro ijſdem habent, *nuga, nuge, nugax, nugator*; & interpretantur *nullius frugi, nequam, nequus.*

Nuge hebr. & latinè vocantur homines reſp. nugaces.

Audi S.Hieron. *Nugas, ſiue, vt Aquila interpretatus eſt, tranſlatos, qui à te receſſerunt, congregabo; quia ex te erant: hoc eſt, hi qui per vitia atq; peccata de tuo ſinu fugerãt, & facti erant ſub dæmonum poteſtate, redintegrato omniũ ſtatu venient ad te, & neqnaquam vltrà ſuper perditis filiis tuis patieris opprobria. Id quod diximus nugas, ſciamus in Hebræo ipſum Latinum eſſe ſermonem* נוּגֵי *nuge, & propterea à nobis ita vt in Hebræo erat, poſitum, vt noſſe poſſimus linguam Hebraicam omnium linguarum eſſe matricem.*

Propriè enim נוּגֵי *nuge* ſignificat mœſtos, mœrore confectos, ſqualidos, vt vertit Noſter Thren.1.v.4. actabidos, vt vmbræ potiùs eſſe videantur quàm homines: inde per catachreſin ſignificat abiectos, viles & nullius pretij, quales ſunt nugæ. Id ita eſſe patet Iſaiæ 51.23. vbi dicitur: *Et ponam illum in manu* מוֹגַיִךְ *mogaich* (quod æquè ac נוּגֵי *nuge* à rad. יָגָה *iaga* deſcendit) id eſt, *eorum qui te humiliauerunt*, vt vertit Noſter, Septuag. & Chald. Et Thren.3.33. idem verbum Septuag. vertunt, *humiliauit*; Noſter, *abiecit.* מוֹגֵי *moge* ergo actiuum in Hiphil, ſignificat humiliãtes; נוּגֵי *nuge* verò paſſiuum in Niphal, ſignificat humiliatos, contemptos, viles & nugas. Id enim aſſerit S.Hieronym. qui id accepit ab Hebræis, cui ſanè credendum, etſi hæc ſignificatio iam alibi diſertè non reperiatur. Lingua enim Hebræa iam valdè acciſa eſt, nec pura, niſi in S.Scriptura reperitur. Porrò ſicut latinè vox *nuga* alludit ad *non ago*, q.d. Nugæ ſunt quæ nihil agunt; ita & Hebr. נוּגֵי *nuge* alludit ad אֵין יָגֵה *en iaga*, id eſt non *laborat.*

Appoſitè Iudæi vocantur *nugæ.* Primò, quia mortalium ſunt abiectiſſimi & viliſſimi, vt videre eſt Romæ, quorum *cophinus fœnumq́; ſupellex*, vt ait Poëta: vnde contemptim vocantur verpi, apellæ, recutiti, nugiuendi. Quocirca Iudæorum hæc vox eſt Sapient.2.v.16. *Tanquam nugaces æſtimati ſumus*, græcè εἰς κίβδηλον, id eſt in ſpurium; vel in ſcoriam, aut æruginem, q.d Æſtimamur vt ſpurij, aut quaſi quiſquiliæ & nugæ ita Emmanuel & Mariana, qui nugas interpretatur homines perditos.

Secundò, quia Iudæi nugis & fabulis ſcatent. Vnde Hebr. נוּגֵי *nuge* deduci poteſt ab יָגָה *haga*, id eſt garrire, muſſitare, fabulari. Iuſto enim iudicio Dei factum eſt, vt, cùm à veritate, lege & Chriſto receſſerint, inciderint in errores, fabulas, fabulones & impoſtores. R.Salomon, alijq́ue eorum Rabbini, æquè ac Thalmud. ita ijs abundant, vt fabularum centones videantur; quibus miſera plebs credit, quaſi oraculis. Ex hiſce, alijſq́ue nouis à ſe confictis Mahomet conſarcinauit Alcoranum, quod eſt quaſi lex & S.Scriptura Turcarum & Saracenorum. Vnde Pſaltes pſalm.118.85. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua.* Idem faciunt hæretici; dum enim à vera fide & lege Dei recedũt, abeunt in errores & fabulas. Notæ ſunt ex Irnæo, Tertull. Epiphan. & alijs fabulæ Simonis Magi, Saturnini, Carpocratis, Montani, Marcionis, Gnoſticorum, Manichæorum, ac Valentinianorum, qui triginta fingebant æones quaſi deos, ſed reuera nominum potiùs portenta quàm numina.

Moral. Diſce corruptionem naturæ humanæ ex peccato, qua nugas magis amat, quàm ſeria & vtilia, adeò vt homines hîc à Propheta non nugatores, ſed nugæ ipſæ appellentur. Præclarè S.Hieronymus in procœmio lib.12. in Ezech. *Nullus*, ait, *tam imperitus ſcriptor eſt, qui lectorem non inueniat ſimilem ſibi; multóque pari mauult Mileſias fabellas reuoluentium, quàm Platonis libros: in altero enim ludus & oblectatio eſt, in altero difficultas & ſudor miſtus labori. Teſtamenta omnij Corocottæ Porcelli decantant in ſcholis puerorum agmina cachinnantium*; quin etiam nostro illud exſtat in Bibliothecis, vti in noſtra Romana inter Inſcriptiones antiquas, in quo Porcellus à coco iugulandus ita ſua legata partitur: *Patri meo Verrino Lardino delego dari glandis modios triginta, & matri meæ Verrinæ Scrofellæ dari lalluginis modios quadraginta, & ſorori meæ Verrinæ hordei modios triginta. Et de viſcimis meis dabo ſutoribus ſetas, rixoribus captium, ſartis anſculas, cauſidicis & verboſis linguã, inteſtina extensa, lumbos pueris, muſculos curſoribus, venatoribus talos, latronibus vngulas*, &c. Hæc refero, tum vt locus Hieron. de hoc teſtamento intelligatur, tum vt nugarum Prophetæ dem vetus exemplum, quo videamus quàm nugoſa ſit hominis indoles, quæ has nugas per tot annorum centuria conſeruauit. Plinius libr.30.cap.2. Appion inquit, Homerum ab inferis euocatum nil aliud interrogauit, quàm qua patria quibuſq́ue parentibus genitus eſſet. Sic quidã, etiam primores grauiſſimorum virorum concilio conuocato, de nugis, id eſt rebus otioſis & friuolis, conſulebat.

Pueri

Porrò maior hominum pars cœtuſque circa nugas occupatur, nugax eſt, nugiger & nugiuendus. Martialis, qui à multis ita auidè legitur & tenetur, quid eſt niſi pater leporum & nugarum? Ideò ipſummet de ſe initio lib. 9.

Ille ego ſum nulli nugarum laude ſecundus:
Quem non miraris, ſed, puto, lector amas.

Apud Satyricum in Carmine cui titulus *Nugæ*:

Accipe, ſtat pretium nugis, & callidus emptor
Vix plura ex alia ſperat compendia merce.
Quippe hominũ in vita, nugis ſine nulla voluptas.
Talia vt blando nugas qui garrit amico.
Pyramides nugæ, nugæ miracula rerum.
Luſania in nugis melior conſumitur ætas.
Vanit & immoritur nugis ſchola magna Sophorũ.
Gratæculis nugæ, nugis viſenda theatra.
Forma breues nugæ, ſed quæ euertiſſe feruntur
Pergama, &c.
Nobilitas nugæ inſignes, & gentis origo
Ducta Prometheũ ab auis, & ſanguine Pyrrhæ.
Caprus erat nugis, qui vexit Arionа delphin.
Mercurius nugis, nugis ſe iactat Apollo.
Tollite nugas, & cuncta poëmata tolles:
Grandiloquo fiet de Rhetore Tullius infans.
Quærimus & Tyriæ nugas in ſanguine conchæ.
Ambroſia & nectar nugæ, conuiuia diuûm.
Baphæo concreta gelu cryſtallina nugæ.
Nugæ amethyſtus, onyx, beryllus, iaſpis, achates,
Nugæq; ignimomo tremulus fulgore pyropus;
Famæq; manſurum ſpondens poſt funera nomen,
Vanæq; ſunt nugæ: nugæ, fortuna ſuperbas
Quæ largitur opes, & nutu temperat orbem.

Seneca lib. 1. epiſt. 1. *Magna*, ait, *vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Et Cato: *Satius eſt otioſum eſſe, quã nihil agere.* Nihil agit, qui nugis & friuolis ſe occupat. Domitianus Imperator, teſte Suetonio in eius vita, molem tanti Romani Imperij ſuſtinens, cùm negotia maxima tractare deberet, multas ſæpè horas impendebat captandis muſcis: vnde rogantibus, quis eſſet cum Domitiano? reſponſum eſt, Nec muſca quidem, quia homines & muſcas occidebat, ne quis alius ſupereſſet. Quocirca ipſe vicißim à Stephano œconomo ſuo occiſus eſt. Heliogabalus Imper. tota Roma curauit conquiri araneas, earumque telas colligi & ponderari ad hoc, vt ſciret quantum omnium eſſet pondus & multitudo. Ita multi hodie negotia vertunt in otia, ſeria in nugas. Ambis gloriam, ambis honorem, ambis prælaturam? muſcam captas. Ambis gulam & venerem? putidam araneam captas. Ambis veſtes ſericas, aureas, purpureas? telas aranearum captas. Annon hæ ſunt nugæ? In hiſce tamen multi tempus, quod ad æternitatem promerendam nobis Deus conceſſit, vitrò terunt, & gaudentes conſumunt. Vnde Sapiens: *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona*, Sapient. 4. 12. q. d. Faſcinum vanitatis & nugarum ea quæ ſunt verè bona & honeſta, obſcurat. Species enim voluptatis, quæ eſt in nugis & vanitate peccati, faſcinat mentem, vt hanc nugacitatem, atque ac turpitudinem peccati nõ videat, non conſideret, vti nec honeſti, ſiue virtutis pulchritudinem & præſtantiam. Sanè faſcinati videntur homines, & illecebris creaturarum quaſi præligati præſtricta eorum mens, dum velut bruta ruunt in ſuas veneres & cupedias, etiamſi ſciant ſe per eas ruere in tartara & incendia æterna. Sapienter Æſchines epiſt. 5. *Res perexiguas*, inquit, *maximi facere, puſillanimitatis cuiuſdam & inſcitiæ eſt.* Hoc ſibi iuueni accidiſſe confitetur & dolet S. Auguſt. l. 8. Confeſſ. c. 11. *Retinebant*, ait, *me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ.* Excutiamus cum S. Auguſt. haſce nugas nugarum, mentemque noſtram ac vitam in cæleſtibus veriſque bonis, in vero animi robore & magnanimitate, in omniũ rerum mundanarũ contemptu & deſpicientia, in arduarum & heroicarum virtutum exercitatione defigamus.

Quàm nugæ fideli viſi incidant, interdum ferendæ fortaſſis, referendæ numquam.

Porrò quantoperè nugæ fidelibus vitandæ ſint, graui cenſura docet S. Bernard. *Nugæ*, inquit, *interdum ferendæ fortaſſis, referendæ numquam. Interueniendum cautè & prudenter nugacitati. Prorumpendum ſanè in ſerium quid, quod non modò vtiliter, ſed & libenter audiant, vt ſuperſedeant otioſis.* Ita auctor Vitæ S. Bernard. l. 3. c. 3. Idem in Apologia ad Guilielmum Abbatem: *Nihil*, ait, *de Scripturis, nihil de ſalute agitur animarum, ſed nugæ, & riſus, & verba proferuntur in ventum. Interprandendum quantum fauces dapibus, tantum aures paſcuntur rumoribus.* Idẽ de Conuerſione ad Clericos c. 12. *Friuola*, ait, *prorſus, & inanis ac nugatoria conſolatio, & neſcio quid illis durius imprecer, quã vt ſemper habeat quod requirat; qui iucundæ quietis pacem fugitans, curioſa inquietudine delectatur. Liquet ſanè vel ex hoc ipſo, nihil his omnibus delectationis ineſſe, quorum ſolus tranſitus iuuat. Vanus vtique labor, qui ſtudio vanitatis aſſumitur. O doxa, doxa*, ait ſapiens (putà Boëth. l. 3. de Conſol. proſa 6) *in millibus mortalium nihil aliud, quàm aurium inflatio vana.* Celebre eſt iſtud Aſtydamantis:

Garrulitas eſt deambulatio linguæ.
Nugas agis, dum philoſopharis intempeſtiuè.

Et illud Euripidis:

Tu verò linguam quidem volubilem habes, vti vir prudens,
Sed in ſermonibus tuis nulla mens ineſt.

Nicoſtratus aptè hoſce nugaces & garrulos, vocat hirundines. Grauiter & verè Clemens Alex. l. 2. Pædag. c. 5. *Cùm verba*, inquit, *omnia à cogitatione & moribus emanent, fieri non poteſt, vt aliqua verba mittantur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis. Ex abundantia enim cordis os loquitur.* S. Chryſoſt. explicãs illud Epheſ. 4. 29. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro nõ procedat: Quale*, inquit, *cor vnuſquiſque habet, talia verba loquitur, & talia opera facit.* Verba ergo & opera leuia & nugacia, ſigna ſunt animi leuis & nugacis. Quocirca S. Baſil. in exhort. ad filiũ ſpirit. *Ne*, inquit, *in modum paruuli iocari velis aſſiduè, quia nõ conuenit ei qui ad perfectionẽ nititur, iocari vt paruulus.* S. Thom. Aquinas hæc duo dabat ſigna, è quibus cognoſci poſſit, an quis in virtute multum profecerit. *Si*, inquit, *quẽ videris verbis leuibus nugiſq; delectari, ac ægrè ferre ſe contemni, ſcito hunc non eſſe perfectum, etiamſi miracula faciat.* Quamobrem S. Hieron. *Felix*, ait, *lingua, quæ non nouit niſi de diuinis texere ſermonẽ.* Et S. Baſil. tract. de Renunciat. ſæculi: *Si futiles*, ait, *habeãtur ſermones, tu magnopere ne attendito; ſed ſi quæ ex diuinis literis ad ſalutem animi pertinẽtia memorare audieris: acerba guſtatu tibi ea ſunto, quæcumque de rebus mundanis memorentur, contraq; fauis mellis ſimilia, quæ à pietatẽ colentibus viris narrentur.* In Vitis Pat. lib. 3. n. 36. refertur de quodã viro ſancto in monaſterio S. Pachomij, qui, cũ inter Monachos fieret ſermo de S. Script. & rebus ſanctis,

sanctis, videbat *angelos lætantes in hilari vultu: delectabantur enim de eloquiis Domini. Cùm verò aliud quodcunque inter se loquerentur statim angeli recedebant longiùs, indignantes contra eos: veniebant autem porci sordidissimi & morbo pleni, & volutabant se inter eos. Dæmones enim in specie porcorum, delectabantur per superflua & vaniloquia eorum. Beatus autem senior hæc videns abiit in cellulam suam, & per totam noctem cum grandi fletu & vlulatu gemendo deflebat miserias nostras. Dicebat ergo: Cauete fratres à multiloquio, & ab otiosis sermonibus linguam prohibete, per quam malus interitus anima generatur: & non intelligimus, quoniam per hæc & Deo, & sanctis angelis odibiles sumus.*

S. Hugo Abbas Cluniacensis, qui vixit tempore sancti Anselmi, & cum eo visus est ab angelis vehi in cælum, monuit sæpè Durannum Episcopum Tolosanum, vt à nugis & ridiculis verbis quibus assueuerat, sibi temperaret; alioqui eum post mortem tumentibus labris & spumoso ore appariturum. *Non correxit Episcopus: vnde defuncto cuidam sacerdoti Signino apparuit, &, vt Sanctus prædixerat, vlcerosis tumida labiis ora præferebat. Petit auxilium Patris lachrymabiliter, quem audire noluerat. Signinus refert Patri quod viderat. miseretur Abbas, & excessum orij septem fratrum silentio sanare festinat. Septem fratres deligit, quibus septem dierum silentium pro Episcopo indixit. Vnus ex iis transgreditur, silentium soluit. Redit Episcopus ad Signinum, fractum accusat silentium, de transgressore conqueritur, dilatam orij sanitatem propter septimi inobedientiam causatur. Signino hæc iterum ad Patrem referente, Abbas inquirit de transgressione. Transgressio inuenitur, & alter septenarius silentio dedicatur. Quo completo tertiò Præsul apparuit, gratias agens Abbati, pontificali indutus chlamyde, os sanatum ostendit.* Quocirca S. Hugo magis quàm antè nugas vitans, seria tractabat: *Orationem Deo, lectionem sibi, consilium proximo sedulus exhibebat. A mendacio & simulatione abhorrebat penitus, torporem & otium damnabat, pauperes opulenta manu pascebat, infirmos pia sollicitudine refouebat, afflictos consolabatur, pupillos & viduas tuebatur. In vitiosos seuerus, erga pœnitentes mitissimus erat: disciplinæ castigatione iudex, doctrina magister, charitate parens, obsequio minister. Ita verò pluribus erat intentus, vt minor ad singula vix haberetur*, inquit Hugo illi coæuus in eius Vita.

VT NON VLTRA HABEAS SVPER EOS OPPROBRIVM] Nugæ enim & nugaces Iudæi, & peccatores probro sunt nō tantùm sibi, sed & suæ matri, putà Sioni. Rursum apud Gentes probrum tibi est Sion, quòd tam paruæ sis virtutis & zeli, vt hosce filios tuos non potueris, æquè vt cæteros ad Christum conuertere: quare probrum hoc auferetur, cùm eos Dei gratia aspirante, zelo maiore conuertes.

INTERFICIAM OMNES QVI AFFLIXERVNT TE] q. d. Persecutores tuos ô Sion, ô Ecclesia Christi, perimam, nimirum Iudæos per Titum & Romanos. ita Lyran. & Vatabl. Gentiles verò, vt Neronem, Aurelianum, Decium, Maximianum, Diocletianum, &c. perimam per Romanos, Persas, Gothos, ac plenè per Constantinū Magnum. ita Theodoret. Remig. & Haymo: ac tandem in die iudicij, omnes omnino impios, hostes tuos, æterna morte mulctabo.

ET SALVABO CLAVDICANTEM, scilicet populum, non tam Iudaicum, qui partim ad Mosem, partim ad Christum inclinabat, vt vult Arias; quàm Christianum in primitiua Ecclesia, qui fugiens persecutiones ibat in remotos montes, siluas & vrbes, ac ex labore peregrinationis fatigatus, claudicabat. Vnde sequitur: ET EAM QVÆ EIECTA FVERAT, CONGREGABO] Tigurina, *& eam quæ longiùs abstracta erat, colligam.* Eijciebant enim Christianos Iudæi è suis synagogis; Gentiles ex suis vrbibus & locis. q. d. Ecclesiam, putà cœtum fidelium à persecutoribus electum colligam, suæque vrbi, loco & patriæ restituam, vt ibi sint in honore, laude & gloria, vbi priùs affecti sunt confusione, probris & verberibus. Factum id per Constantinum. ita Theodor. Remig. & Vatabl.

Mysticè, colligit Deus peccatores claudicantes, qui nunc Deo, nunc dæmoni; nunc Christo, nunc carni & mundo adhæserant, ideoque à Dei gratia & domo eiecti erant, cùm eos efficaciter ad se vocat, sibique fortiter astringit, vti vocauit & astrinxit S. Magdalenam.

IN TEMPORE ILLO] Repete *interficiam omnes qui afflixerunt te, & saluabo claudicantem*, &c.

CVM CONVERTERO CAPTIVITATEM VESTRAM] qua in primitiua Ecclesia vos, ô Christiani, sub Iudæis magistratibus, & Gentilibus Imperatoribus fuistis quasi captiui & oppressi: faciam enim per Constantinum, vt vos libertatem assequamini, imò dominemini infidelibus, eorumq; templa occupetis, ac publicè Christum gloriosè & magnificè colatis. ita Lyran. & Vatabl. Secundò, *captiuitas* hæc accipi potest seruitus diaboli & peccati, à qua Christus nos ad libertatem filiorum Dei traducit per gratiam in hac vita, & per gloriam in altera, vbi post multos labores & agones, è seruitute corporis, ærumnarum & mortis nos liberabit, ac cælestibus coronis & honoribus donabit, & beabit in æternum. ita S. Hieron. Theodor. Hugo & alij.

COM.

COMMENTARIA IN AGGÆVM PROPHETAM.

ARGVMENTVM.

DEcimus inter Prophetas ponitur Aggæus, vel, vt hebr. scribitur per chet חגי Chaggai, siue Chaggæus, id est festiuus, festum agens, à rad. חגג chagag, id est festum celebrare: festiuè prophetans ad populum lætè è Babylone in Iudæam redeuntem. *Aggæus*, inquit S. Hieron. ad Paulin. *festiuus & lætus, qui seminauit in lachrymis, vt in gaudio meteret, destructum templum ædificat, Deumq; Patrem inducit loquentem: Adhuc modicum, & ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desiderium cunctis gentibus*, putà Messias, siue Christus. Quoad tempus, prophetauit Aggæus paulò post Iudæorum reditum è captiuitate Babylonica. Cùm enim resp. Iudæorum vitiis esset corrupta, Deus eam excidit, & traduxit in Babylonem, ibique captiuos detinuit per 70. annos, ad hoc, vt tota illa generatio vetus & vitiata interiret, & in eorum locum filij ab hisce vitiis intacti succederent, vt nouus populus ad renouationem Ierusalē perueniret. Eò ergo redijt 1. anno Cyri: mox cœpit reædificare templum, iecitq; eius & altaris fundamenta; sed cæso paulò pòst à Tomyri Scythārū regina Cyro, successit ei in regnū Persārū filius Cambyses, siue, vt eum Esdras vocat, Assuerus chaldaicè, persicè Artaxerxes, qui persuasus à Sanaballat aliisque Samaritanis Iudæorum hostibus, quòd Iudæi in speciem templum, sed reuera arcem quasi rebellaturi ædificarent, vetuit eos in fabrica progredi. Narrat hæc iuxtà Esdras lib. 1. c. 4. vbi & addit v. 24. *Tunc intermissum est opus domus Domini in Ierusalem, & non fiebat vsque ad annum secundum regni Darij regis Persarum.* Iudæi enim videntes à Cambyse, Sanaballat & aliis tot tantasque fabricæ remoras iniici, dictitabant necdum eius tempus aduenisse. Quocirca Deus suscitauit Aggæum anno secundo Darij, qui eos ad templi fabricam resumendam incitaret. Hoc est enim quod mox subdit Esdras c. 5. 1. *Prophetarunt autem Aggæus Propheta & Zacharias filius Addo, prophetantes ad Iudæos qui erant in Iudea & Ierusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Iesua filius Iosedec, & cœperunt ædificare templum Domi Ierusalem. & cum eis Prophetæ Dei adiuuantes eos.* Qui & subdit cap. 6. Deum flexisse animum Darij, vt templi fabricam non tantùm permitteret, sed & edicto suo promoueret, iubens ex tributis regijs præberi sumptus in fabricam & sacrificia necessarios. Vbi rectè aduertit S. Hieron. in prologo: *Sciendum*, inquit, *est magni spiritus fuisse Aggæum & Zachariam Prophetas, vt aduersus Artaxerxis regis edictum, & Samaritanos gentesq; cunctas per circuitum ædificationem templi impedientes, inberent templum extrui: Zorobabel quoque, & Iesum filium Iosedec, & populum qui cum eis erat, non minoris fidei, vt Prophetas magis audirent iubentes, quàm prohibentis regis imperium.* Additq; secutus Chronicon Eusebij hæc contigisse, *quo tempore apud Romanos septimus à Romulo regnauit Tarquinius Superbus, habens annum imperij vigesimum septimum, qui post octo annos expulsus est à Bruto: ac deinde rempub. per quadringentos & sexaginta quatuor annos vsque ad Iulium Cæsarem Consules administrauerunt.* Quare ab hoc anno secundo Darij vsque ad annum 42. Augusti Cæsaris, quo natus dicitur Christus, fluxerunt anni 518. tot ergo annis Aggæi prophetia de Christo eum antecessit.

Aggæi ingens animus.

Tempus.

Porrò illa quatuor continet partes, siue visiones: tres primæ elidunt tres excusationes Iudæorum de differenda templi fabrica; in quarta promittit Zorobabeli fabricam resumenti Christum ex eius stirpe nasciturum, qui templum hoc sua præsentia, doctrina & miraculis decorabit, faciet q; gloriosius quàm fuerit templum prius à Salomone ædificatum, ac thronum regni sui super omnia gentium regna, iis subactis sublimabit.

Partitio libri.

Mysticè. Aggæus, inquit S. Hieron. Cyrill. & Rupert. optat vt Iesus & Zorobabel. id est Iesus Christus filius Dei, summus sacerdos, qualis fuit Iesus filius Iosedec; & què ac summus princeps, qualis fuit Zorobabel. Dei domum, id est corpus, sibi & nobis in incarnatione ædificet.

Tropol. vt Deus sibi in anima fideli & sancta templum virtutum construat, inquit idem S. Hieron & Remig.

Denique adeò illustris, sanctus & sapiens fuit Aggæus, vt Origen. illum, æquè ac Malachiam & Iohannem Baptistam, censuerint non fuisse homines, sed angelos incarnatos, vti refert Gabriel Vasquez 1. p. tom. 1. disp. 184. nu. 7. & alij; imò S. Hieron. c. 1. v. 13. Ratio Origenis erat, quia c. 1. v. 13. Aggæus in Hebræo vocatur angelus: *Et dixit*, inquit, *Aggæus nuncius* (hebr. מלאך malach, id est angelus) *Domini de nunciis Domini.* Verùm hic est error: certum enim est Prophetas omnes fuisse homi-

An Aggæus fuerit angelus?

homines, non angelos, Aggæi vitam ita paucis describit Epiphan. libr. de Proph. vita: *Aggæus Propheta iuuenis admodum ex Babylone profectus est Hierosolymam, & ingenue de reditu populi vaticinatus est. Et oculis structuram templi Ierusalem vidit. Idem ibidem omnium primus cecinit Alleluia. Eodem igitur loci vitam finiuit, & humo prope sacerdotes cum honore & gloria conditus est. Proinde etiamnum hodie psallimus Alleluia, quæ hymnus Aggæi & Zachariæ perhibetur.* Eadem habet S. Dorotheus, qui & addit, eum de Christo vaticinatum sub persona Zorobabelis c.2. dum ait: *Ponam te signaculum, quoniam te elegi, dicit Dominus: sicut & Iohannes Euangelista dicit: Hunc enim Pater signauit Deus.* Accedit & Isidorus, qui & addit, eum in Babylonia natum, iuuenculum cum cæteris Iudæis rediisse Hierosolymam. Catalogo Sanctorum ascriptus legitur Aggæus cum Osee in Martyrolog. Rom. die 4. Iulij. Psalmos aliquos compositos esse ab Aggæo censent nonnulli, nimirum illi qui inscribitur, *Alleluia reuersionis Aggæi & Zachariæ.* Et 145. cuius pariter titulus est, *Alleluia Aggæi & Zachariæ.* Idē titulus est psal. 146. 147. & 148. in Græcis codicibus Septuag. Vaticanis. Addunt aliqui psal. 137. qui in iisdem inscribitur, *Psalmus ipsi Dauid Aggæi & Zachariæ.* Verùm alij communiter censent hos psalmos non esse compositos, sed decantatos à populo redeunte è Babylone, præcinentibus Aggæo & Zacharia; & quòd festiui sint & eucharistici, ideoque huic materiæ & iubilo populi reducis congruant. de quo plura in Psalmis. Quod audis Aggæum primùm in Ierusalem cecinisse Alleluia, intelligi primùm à reditu è Babylone. Nam ante captiuitatem in vsu fuit Alleluia, vt patet ex psalmis, in quibus crebrò resonat Alleluia: aut, quòd primus post psalmos adiecerit Alleluia, ob lætum è Babylone reditum.

Eius vita.

A

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

REprehendit Iudæos intermittentes fabricam templi, ac dicentes necdum aduenisse eius tempus, eò quòd Samaritæ illam impedirent, & Cambyses eamdem prohibuisset. Docet enim hanc excusationem esse falsam, esseq; prætextum pigritiæ, qua suis ædibus construendis intenti, domum Dei postponebant & negligebant: Deum enim velle, vt ipsi ilico manum admoueant templo: hanc enim suam voluntatem satis declarasse, cùm ob neglectam templi fabricam immisit eis sterilitatem, famem & inopiam. Quamobrem huic oraculo credentes Zorobabel, Iesus & populus, ilico rem aggrediuntur.

Vers. 1.

IN anno secundo Darij regis, in mense sexto, in die vna mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedec, sacerdotem magnum, dicens:

B

2. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ.

3. Et factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens:

4. Numquid tempus vobis est vt habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta?

5. Et nunc hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras.

C

6. Seminastis multum, & intulistis parum: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum.

VERS. 1. *Darius hic quis? Sententia prima.*

IN ANNO SECVNDO DARII] Quæres, quisnam hic Darius? Primò, Philo Annij, & eum secuti Genebrardus & Gerardus Mercator in Chronol. ac Cyrillus Hierosol. catech. 12. & Tertull. li. contra Iudæos tit. de Passione Christi, censent esse Darium Medum. Verùm hoc falsum esse liquet, tum ex aliis, tum ex eo quòd Darius Medus præcesserit Cyrum: nam Cyrus ei successit, vt ait Daniel c. 5. 31. Aggæus autem prophetauit post Cyrum & Cambysem, vt patet 1. Esdræ 4. v. 5. & 24. & c. 5. 1. Cyrus enim concessit fabricam templi, sed eam prohibuit Cambyses. Vnde post Cambysem sub Dario missus est Aggæus, qui eam rursum vrgeret. Adde, Darium hunc non fuisse Medum, sed regem Persarum. ita enim vocatur 1. Esdræ 4. v. 24.

Secundò, Iansenius in Concordia Euangel. c. 19. censet hunc Darium esse Artaxerxem Longimanum, sextum regem Persarum. Ratio eius est, quia Iudæi Iohannis 2. 20. aiunt, hoc templum ædificatum esse 46. annis: hoc autem verificari nequit, nisi dicamus illud ædificatum sub Cyro (sub Cyro enim cœpit) annis 20. sub Cambyse totidem, & 6. sub Dario Longimano. Verùm hæc sententia confundit Darium cum Artaxerxe: hic enim dictus est Longimanus, non ille; & Darius quartus fuit Persarum rex, Longimanus verò fuit sextus. Dario enim successit filius Xerxes, Xerxi Artaxerxes. Adde, Cambysem non regnasse 20. annis, sed vt summum octo. Denique vsque ad Longimanum vixit nequiuit Aggæus, Zorobabel & cæteri, de quo mox plura.

Tertiò, Seuerus Sulpitius lib. 2. Histor. & Scaliger in Emend. tempor. censent hunc Darium esse Darium nothum, qui fuit filius spurius Artaxerxis Longimani, ita vt Artaxerxes qui 1. Esdræ c. 7. cum sequitur, misitque Esdram in Ierusa-

ipsum, fuerit ille qui cognominatus est Mne- A
mon, id est memor, à memoriæ præstantia. Hic enim successit Dario notho. Verùm hoc est incredibile. Sic enim Esdras fuisset ducentorum fere annorum, vti Scaliger coactus fatetur: Zorobabel & Iesus, qui sub Cyro populum Babylone reduxerunt in Ierusalem, fuissent 140. annorum, cùm tamen libr. 3. Esdræ cap. 3. v. 4. Zorobabel vocetur adolescens, vnus è custodibus Darij. Eiusdem ætatis fuisset Aggæus. Rursum ex hac sententia sequitur, neminem eorum qui viderant primum templum Salomonis, quod à Chaldæis 70. annis ante laxationem captiuitatis per Cyrum, fuerat euersum, potuisse videre secundum à Zorobabele ædificatum, post reditum è captiuitate sub hoc Dario: cuius tamen contrarium significat Aggæus c. 2. v. 4. Id sequi patet. Adde enim 70. annis captiuitatis tres annos Cyri, octo Cambysis, 36. Darij Hystaspis, viginti Xerxis, quadraginta Artaxerxis, cui successit Darius hic nothus, conflabis annos 177. quot nemo ea ætate vixit. B

Dico ergo, Darium hunc fuisse Darium Hystaspis qui Assuero, siue Artaxerxi, vt habet Esdræ, hoc est Cambysi, in regno Persarum successit non vt filius, sed à Satrapis electus per hinnitum equi, ita S. Hieron. Theodoret. Albert. Euseb in Chron. Ioseph. lib. 11. Antiq. c. 4. Clemens Alex. libr. 1. Strom. & alij passim. Anno itaque Darij huius 2. iubente Aggæo cœperunt Iudæi reparare fabricam templi, eamque perfecerunt anno 6. eiusdem, vt ait Esdras lib. 1. c. 6. v. 14. scilicet quoad Sanctum & Sanctum sanctorum. Nam atrium, siue exterior pars templi, & per consequens totum templum quoad omnia, consummatum fuit anno eiusdem 9. vti disertè testatur Ioseph. loco citato. C

Mystice Nota hîc, cor regis esse in manu Dei, vt illud flectat quocumque libuerit, vti flexit hîc cor Darij ad amorem Iudæorum & cultum templi, eò quòd Iudæi iam captiuitate 70. annorum afflicti & compuncti, ad Deum rediissent, eiusque opem pœnitentes & supplices invocassent, sicut ex aduerso olim flexerat cor Nabuchodonosoris ad eorum odium & castigationem; eò quòd ipsi à se auersi idola colerent, & impiè viuerent. Vnde discimus, ad Deum esse recurrendum cùm à Tyrannis opprimimur. Rursum eum esse rogandum, vt principes sapientes, moderatos, pios & iustos vel constituat, vel in constitutos efficiat. A principibus enim Ecclesiasticis pendet Ecclesia, à sæcularibus respub. Multi censent Darium hunc fuisse maritum Esther, ideoque tam benevolum extitisse Iudæis, ac sumptus præbuisse templo. de quo in lib. Esther. D

Porrò notat S. Hieron. in prologo, R. Dauid, Vatabl. & alij, Aggæum vaticinatum esse anno secundo Darij, hortatumque Iudæos ad restaurandum templum, quia hoc anno 2. finiebantur 70. anni desolationis templi, de quibus Zachar. cap. 1. 12. Anno enim 18. Nabuchodonosoris, qui fuit vndecimus Sedeciæ, à Chaldæis combustum & desolatum est templum: inde vsque ad 2. annum Darij fluxerunt anni 70. sicut anni 70. captiuitatis Iudæorum in Babylone, qui incepere 11 annis citius, nimirum anno 7. Nabuchodonosoris, qui fuit Ioakim vndecimus & vltimus, finiuntur anno 1. monarchiæ Cyri. Quocirca 70. anni desolationis templi, sicut 11. annis post 70. annos captiuitatis incipiunt, ita & 11. annis post eosdem desinunt. Adde enim tres annos Cyri, quibus quasi monarcha regnauit post captam Babylonem & laxatam captiuitatem Iudæorum, deinde 7. Cambysis, mox 2. Darij, habebis annos 11. completos, sed 12. inchoatos. Verùm hac de re disputandum Zachar. 1. 12.

Cornel. in Proph. Min.

In mense sexto] Nota. Hebræi duplicem habebant annum, ideoque dupliciter numerabant menses. Prior annus erat sacer, quo vtebatur ad festa & res sacras: vnde eo vtitur S. Script. Hic initium sumebat ab æquinoctio verno, ita vt primus eius mensis esset is, cuius nouilunium proximius erat æquinoctio verno. Hebræi enim vtebantur mensibus lunaribus, ac consequenter anno lunari, qui vndecim diebus minor est anno solari; quem tamen tertio quoque anno per intercalationem, siue additionem vnius mensis, æquabant anno solari, quo Romani aliæque gentes vtebantur, vt ijs se conformarent. Primus ergo mensis anni sacri erat Nisan, qui prisco Romanorum Martio respondebat, iam verò nostro partim Martio, partim Aprili respondet. Nisan enim erat mensis paschalis, quo scilicet pascha celebrabant, in memoriam liberationis & exitus ex Ægypto, quæ illo mense olim contigerat; de quo proinde ita sancit Deus Exodi 12. 2. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.* Vide ibi dicta. Posterior annus erat profanus, siue vulgaris, quo vtebantur ad commercia & res ciuiles. Hic inchoabatur ab æquinoctio autumnali, ita vt primus eius mensis esset is, cuius nouilunium proximius erat huic æquinoctio, qui hebr. vocabatur *Ethanim*, id est fortis & potens, scilicet frugibus & fructibus; chald. *Tisri*, ac veteri Romanorum Septembri respondebat: iam verò nostro partim Septembri, partim Octobri respondet. ita Ioseph. libr. 1. Antiq. c. 4. Hieron. in cap. 1. Ezech. & alij. *Duplex annus & mensis Iudæorum.*

Iam Lyran. & Vatabl. mensem sextum hîc intelligunt anni vulgaris, non sacri, nimirum mensem Nisan, siue Martium: ille enim aptissimus est ad fabricas inchoandas, & vsque ad hiemem per multos menses continuandas. Verùm dico annum hîc accipi sacrum, qui incipit à Nisan, ac consequenter mensem sextum esse *Elul*, qui Romanorum Sextili, siue Augusto, Christianorum verò partim Augusto, partim Septembri respondet. ita Ioseph. libr. 1. Antiq. cap. 4. Remig. Albert. Hugo & alij, imò S. Hieron. qui asserit sextum mensem electum ad fabricam, non septimum; eò quòd septimus plenus esset solemnitatibus. In Tisri enim, siue in Septembri, celebrabantur festa Tubarum, Tabernaculorum, Expiationis, &c. quibus operari & fabricare non licebat. Id ita esse patet ex eo, quòd Scriptura vtatur anno sacro: vnde eo vtitur Zacharias, coæuus & socius Aggæi cap. 1. v. 7. & cap. 7. 1. *In anno quarto*, ait, *Darij regis, in quarta mensis noni, qui est Casleu.* Casleu enim est Nouember. Et Esdras c. 6. 14. cùm narrasset Iudæos obedientes Aggæo ædificasse templum, illudque consummasse anno 6. Darij die 13. mensis Adar, id est Februarij, mox subdit v. 19. *Fecerunt autem pascha decima quarta die mensis primi.*

q.d.Post fabricam templiabsolutam in Februario,mox sequenti mense celebrarunt pascha,putà in Nisan siue Martio,qui primus erat mensis annisacri,non profani.Quin & Aggæus ipse idipsum indicat c.2.19.dicens: *Ponite corda vestra ex die ista in futurum, à die vigesima & quarta noni mensis: à die qua fundamenta iacta sunt templi Domini,&c.numquid iam semen in germine est?* Semen autem in Palæstina germinare solet in Nouembri. Is ergo nonus est mensis à Nisan,siue Martio, qui proinde primus est anni, scilicet sacri, non vulgaris. Licet enim fabrica in genere esset res profana & seruilis, hîc tamen erat rei sacræ, putà templi: vnde rebus sacris in computu mensium annumeratur.Ad rationem Lyrani respondendum, Aggæum monuisse & mouisse Iudæos ad fabricam templi in Augusto, non in Martio: quià in Augusto tempus est messis ,& frugum, quo Iudæi earum raritatem experiebantur: vnde tunc ex re nata erat tempus maximè congruum & opportunum Aggæo concionari, & assignare causam huius sterilitatis, nimirū neglectum fabricæ templi, itaque illos ad eam capessendam incitare. A B

Moral. Idem faciat concionator,vt,cùm pestis,morbus, bellum, aliaque publica clades à Deo infligitur, tunc populum afflictum & perculsum acriùs pulset, incitetque ad pœnitentiam, & vitiorum inolitorum seriam emendationem, proponendo eis strages & plagas, quas ob ea Deus immittit, quasque ipsi valdè sentiunt, ac ostendendo vnicum esse remedium eas euadendi, si Deo se reconcilient,moresque corrigant. Insuper destinabat Deus fabricæ templi Augustum: quia destinabat illam finire 4. anno, putà anno 6.Darij,in Februario;ad hoc,vt sequenti mense Martio possent in eo celebrare pascha, vti Iudæos fecisse & celebrasse docet Esdras l.1.c.6.15. Porrò hiems in Iudæa, regione calida,est modica, æquè ac Romæ, vbi perenne quasi est ver,vt ait Virgil.2. Georg. vnde fabricas non remoratur. Sciebat ergo Deus hoc tempus præcisè requiri,& sufficere ad consummandam templi fabricam. C

In die vna] id est prima. Sic enim sæpè numerus cardinalis sumitur pro ordinali, putà vnus pro primo, vti dixi Genes.1.v.5. Cœpit ergo Aggæus prophetare & hortari Iudæos die prima mensis Augusti,itaque Iudæos permouit,vt mox, putà post 23.dies, die 24. eisdem mensis fabricam inchoarent,vti dicitur c.2.1 ita S.Hieron.

Moral. Moral.aduerte annum,mensem & diem quo verbum Dei excepit Aggæus, tam disertè ab eo notari,vt discamus quanti Dei verba,inspirationes & monita interna externaque facere debeamus, quibus ipse nos ad fabricam sublimiorem templi spiritualis in anima nostra excitat & impellit; adeò vt & diem & horam qua illæ nobis suggeruntur,studiosè annotare par sit: vti multos Sanctorum ea annotasse legimus, memores Deum accuratam earum rationem à nobis exacturū in hora mortis & in die iudicij.ita à Castro. D

In manv Aggæi] Id est per Aggæum,opera & ministerio Aggæi. Manus enim cùm sit organum organorum, sumitur pro organo, siue instrumento.Prophetæ ergo vocantur manus Dei: quia per eos quasi per manus, Deus negotia sua tractabat & conficiebat, seque populo exhibebat, imò depingebat, iuxta illud Oseæ 12.10 *In manibus Prophetarum assimilatus sum.* ita Theodor.& Lyran.

Mysticè, *in manu*: quia Aggæus non tantùm lingua & sermone,sed & manu,id est operæ sanctaque vita & exemplo. prophetauit. ita Nazianz. orat.40. in S.baptisma, per manum Prophetæ, vitæ probitatem accipit, quasi ea tanta fuerit,vt illa meruerit prophetiam:probis enim actionibus,inquit ibidem Niceras, meruit Propheta verbum Dei in fidem accipere,quasi magnum thesaurum suæ fidei concreditum ad populi vsum expendendum, vt tamquam fidelis dispensator & prudens, *quem constituit Dominus super familiam suam, det illis in tempore tritici mensuram*, Lucæ 12.42. ita & Haymo & Hugo, imò S.Hieron. *Si voluerimus*,ait, *in nobis fieri sermonem Dei, simus Aggæi, id est festa celebrantes, & non appareamus in conspectu Dei vacui,seminantes in spiritu.de spiritu metamus vitam æternam,vt celebremus solemnitatem primitiuorum de operibus nostris.* Sic Iesus priùs manu cœpit facere, deinde ore docere, Actor.1.1.Iesum secum sunt Apostoli & viri Apostolici, quorum proinde concio erat efficax, quia ex corde procedens ad cor audientium loquebatur, ac quod docebat verbo, monstrabat exemplo: qui enim secùs faciunt quàm dicunt, sunt æs sonans & cymbalum tinniens;aërem verberant,non corda sauciant.Latronem de iustitia,incestum de castitate,ebrium de sobrietate disputantem ridemus & aspernamur: ita & quemuis ea patrantem vel appetentem,quæ vitanda proclamat.

Præclarè S.Bernard.serm.18.in Cant septem gradus ad suggestum requirit. Primus, est contritio;secundus,deuotio;tertius,pœnitentiæ labor;quartus,pietatis opus;quintus,orationis studium;sextus,contemplationis otium; septimus, plenitudo dilectionis. S.Gregor.lib.10 Moral. Docere, ait, & non facere, non solùm nihil lucri,sed etiam damni plurimum affert. Grandis enim condemnatio est componenti quidem sermonem suum,sed opere negligenti.Idem libr.5. in lib.1.Reg.c.14. *Qui est*, ait,*quòd apparere tenebras Philisthæis cum armigero dicitur,nisi quia doctor ipse prior debet bonum ostendere, quod alios conedit edocere.* Idem li.21.Moral.c.8. *Doctoris*,inquit, *progenies eradicatur,quando is qui per verbum nascitur,per exemplum necatur:quia quem lingua vigilans gignit,vita negligentia occidit.*

Imò Aristoteles asserit ab his qui non perinde viuunt vt loquuntur,tolli & interimi veritatem. Seneca autem, Nullos, inquit, peiùs mereri de omnibus mortalibus iudico,quàm qui Philosophiam velut aliquod venale artificium didicerunt,qui aliter viuunt quàm viuendum esse præcipiunt. Exempla enim inutilis disciplinæ circumferunt:doctores sunt humilitatis,sed ducis superbiæ : ore laudant humilitatem, obedientiam,resignationem. charitatem,vt vtilem,facilem,iucundam;sed factis contrarium.longeque potentiùs inculcant,quocirca tam verbis facta, quàm factis verba sua condemnant, ac contra se proferunt sententiam, ideoque in die iudicij toties ex ore suo iudicabuntur,quoties alios ad humilitatem, charitatem, &c. hortati fuerint. *Propter quod*, inquit Apostolus Rom.2.1 *inexcusabilis es,ô homo omnis qui iudicas: in quo enim iudi-*

cealiorum, teipsum condemnas. Quare, inquiet Dominus, enarrasti iustitias meas, & assumpsisti testamentum (legem) meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam, & cum adulteris portionem tuam ponebas, psal. 49. Denique Christus Dominus Matth. 5.19. *Qui fecerit, inquit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum.*

AD ZOROBABEL FILIVM SALATHIEL] Dices, Zorobabel fuit filius Phadaiæ, vt patet 1. Paral. 3.17. quomodo ergo hîc dicitur filius Salathiel? Primò S. Hieron. quæst. in Paral. respondet Salathielem fuisse binomium, & alio nomine vocatum Phadaiam. Verùm eo loci Scriptura hoscè duos distinguit, facitque diuersas personas, ait enim v.17. *Filij Iechoniæ fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia.* Secundò, Vatablus censet Zorobabel patrem habuisse Phadaiam, auum verò Salathielem: vocari ergo hîc eius filium, id est nepotem. Vnde locum Paralip. iam citatum sic ex Hebræo vertit. *filij Iechoniæ Asir, & Salathiel filius eius, Melchiram quoque & Phadaia,* sicque exponit, q.d. Filij, id est posteri, Iechoniæ fuerunt hi Asir, cuius filius fuit Salathiel, qui fuit pater Melchiram & Phadaiæ. Verùm obstat, quòd in Paralip. texatur genealogia Patriarcharum Israel prolixè & præcisè: voce ergo *filij*, propriè dicti & proximi ibi intelliguntur, non nepotes & posteri. Tertiò, Arias respondet Zorobabel filium naturalem fuisse Phadaiæ, sed adoptatum à Salathiele. Verùm Matth. 1.12. expressè dicitur: *Salathiel genuit Zorobabel*: fuit ergo eius pater per generationem, non adoptionem.

Dico ergo, Phadaiam fuisse fratrem Salathielis ex Iechonia patre, vt patet ex verbis Paralip. iam citatis, ac proinde vtrumque filio à se genito eidem imposuisse nomen, Zorobabel, vti fratres facere solent, coniunctionis & necessitudinis ergò. Zorobabel ergo noster filius Salathiel, alius est à Zorobabele filio Phadaiæ: ille enim huius est patruelis, siue consobrinus: vnde & diuersi vtriusque filij memorantur: ille enim genuit Abiam Matth. 1.13. hic verò genuit Mosollam & alios, qui recensentur 1. Paralip. 3.19.

Symbolicè, Zorobabel dictus est Primò, quasi זְרוּעַ בָּבֶל *zarua babel*, id est, satus & genitus in Babylone, inquit S. Hieron. Secundò, q.d. זֹר רַב בָּבֶל *zur rab babel*, id est, iste magister, vel princeps in Babylone. ita idem. Tertiò, q.d. זָרָה בָּבֶל *zara babel*, id est, dispergens Babylonem, id est confusionem: vel quasi זוֹר בָּבֶל *zur Babel*, id est expressio, aut calcatio, aut ventilatio, aut alienatio confusionis, inquit Pagnin. in Interpr nomin. Hebr. Sicut enim Iosue ex deserto, ita Zorobabel ex Babylone Iudæos reduxit in terram promissam. Vnde vterque fuit typus Christi, qui nos è confusione peccati ducit ad Ecclesiam militantem & triumphantem. Quarè addit S. Hieron. Zorobabel hebr. idem esse quod fluxus adiacens, cui contrarius est Iezabel, id est fluxus vanus, vel fluxus menstruatæ, qui immunditiem sonat: sicut & Zabulon fluxus nocte interpretatur. Relinquentes ergo, inquit fluxum mundi, vanum, sordidum & tenebrosum, sequamur fluxum Iesu, qui nobis expositus ad bibendum, è largissimo fonte se præbet, dicens: Si quis sitit veniat ad me, & bibat. Et hunc potemus bibere, cùm petierimus à Patre, iuxta id quod legitur: Petite, & dabitur vobis. Salathiel quippe interpretatur petitio Dei. Hieron. S. Hieron.

DVCEM IVDA] Desiit regnum & stirps regia Iudæ in Iechonia rege, qui fuit pater Salathiel, & auus Zorobabel. Vnde de eo auduit à Deo Ieremias cap. 22.30. *Scribe virum istum sterilem.* Causam subdit: *Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid.* Porrò Salathiel mortuus est in Babylone ante solutam captiuitatem. Iudæi ergo data libertate per Cyrum, redeuntes in Iudæam ducem sibi constituerunt eius filium, putà Zorobabel, æquè ac Iesum filium Iosedec pontificis, teste Iosepho lib. 11. Antiq. 4. & innuit hîc Aggæus. Porrò in ducatu, id est in dignitate & præeminentia ducali potiùs quàm in regimine & imperio (nam regimen summum & ducale erat penes pontifices, inquit Ioseph. & ex eo S. Hieron. in locum citatum Ieremiæ) successerunt ei filij & posteri vsque ad Christum. Vnde Nehemias c. 5.15. *Duces primi, inquit, qui fuerunt ante me, grauauerunt populum.* Ita S. August. lib. 18. de Ciuit. c. 45. Cyril. lib. 8. contra Iulian. Ambros. lib. 3. in Lucam, Iustin. contra Tryphon. Euseb. lib. 3. Demonstr. c. 2. & alij.

ET AD IESVM, FILIVM IOSEDEC, SACERDOTEM MAGNVM] id est summum, putà pontificem. Saraias enim pontifex, qui in excidio Hierosolymæ occisus est à Nabuchodonosor 4. Reg. 25.18. genuit Iosedec, & Iosedec Iesum, 1. Paral. 6.14. Porrò Esdras pariter fuit filius Saraiæ pontificis, ac consequenter frater Iosedec, & patruus Iesu. Ex Iesu prognatus est Ieddoa, siue Iaddus, 2. Esdræ 12.10. quem veneratus est Alexander Magnus, teste Iosepho. Iesus hic in pontificatu nomine & sanctitate, æquè ac in reductione populi, fuit typus Iesu Christi. Vnde à Zacharia c. 3.1. vocatur *sacerdos magnus*, visusque est cum angelo ad luctam stare contra Satanam. Sic omnes Antistites Christo comparati, parui sunt, typi & vmbræ dumtaxat, imò nihil, ait S. Hieron. De vtroque sic scribit Eccles. c. 49.15. *Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in dextera manu: sic & Iesum filium Iosedec? qui in diebus suis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.* Eamdem laudem iure tribuamus hodie similibus piis principibus, qui templa & monasteria construunt & dotant, vt in iis Deus à multis colatur & celebretur.

Tres Iesus typi Iesu Christi tripliciter.

Porrò tres Prælati insignes, nomen Iesus adepti sunt, iique in triplici statu principes, scilicet primus Iosue, qui fuit dux populi in terram promissam; Iosue enim idem quod Iesus: vnde Iesus vocatur à Septuag. Philone & Græcis. Secundus Iesus filius Iosedec summus pontifex. Tertius, Iesus Sirach, auctor Ecclesiastici, doctor Synagogæ. Hi tres typi fuerunt Iesu Christi, eiusque triplicem prælaturam adumbrarunt: Christus enim est summus, Primò, Princeps; Secundò, Pontifex; Tertiò, Propheta & Doctor Ecclesiæ: vnde est filius Iosedec, id est iustitiæ Dei. Ipse enim est iustitia sempiterna, vt ait Daniel c. 9.14. qui iustificat impios, & in iustitia iudicat pauperes & mansuetos terræ, Isaiæ 11.4. Porrò sicut Iesus cum Zorobabel reædificauit templum à Chaldæis destructum, ita Iesus Christus reædificauit in resurrectione templum corporis sui à Iudæis excisum & occisum, vti ipse eis prædixit

Iohan.2.19. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Cumque Iudæi non intelligentes mentem & templum eius, replicarent: *Quadraginta sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud?* respondet Euangelista, subditque: *Ille autem dicebat de templo corporis sui*, à se restaurando in resurrectione. *Cùm ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ & sermoni quem dixit Iesus*: quia eum iam videbant impletum. Simili modo restaurauit Christus templum mysticum & politicum, putà Ecclesiam infidelitate & gentilismo destructam. A

VERS. 2. POPVLVS ISTE] cui vos ô Zorobabel & Iesu præsidetis. Nota, Propheta sermonem dirigit ad principes, & tamen directè non eorum, sed populi socordiam accusat, tum vt eos coram populo honoret, doceatque eorum peccata publicè non esse carpenda, sed priuatim, ne & eis auctoritas adimatur, & populus ad ipsis rebellandum concitetur: tum vt ostendat directè hanc culpam fuisse populi, quem corã principibus suis arguit, vt iis quasi testibus oculatis conuictus erubescat, pœniteat & obediat Deo, inquit Theodor. indirectè verò hanc culpam affiare ipsos principes, vtpote quorum sit populum ad opus hoc Dei vrgere. Rarò enim Prælatus liber est à culpa subditorum, cò quòd vel illi consentiat, vel dissimulet, & cùm possit non coërceat, inquit ex Alberto noster à Castro: quamquam exigua vel nulla hic fuerit culpa Zorobabelis & Iesu, vt mox patebit, & asserit S. Hieron. Theodor. Arias & Vatabl. Imitentur hoc concionatores, vt, cùm publicum reipubl. vitium coram magistratu accusant, directè non ipsum, sed populum accusent: hoc ipso enim sat intelligit magistratus, indirectè se quoque accusari, quidque sui sit muneris & officij animaduertit: nec indignatur; sed laudat concionatoris prudentiam, modestiam & reuerentiam, vtpote qui ipsorum honori consulat, ipsisque animos & auctoritatem addat, ad hoc vitium è republica extirpandum. B

Rarò Prælatus liber à culpa subditorũ.

NONDVM VENIT] Dicunt id, tum quia videbant Sanaballat & Samaritas apud Cyrum & Cambysem, hucusque fabricam templi impediuisse: hinc versi in socordiam, illam neglexerunt. ita S. Hieron. Theodor. Lyran. & alij. Tum quia 70 anni desolationi tẽpli à Deo præstituti, necdum erant euoluti, inquit S. Hieron. & R. Dauid, quos citaui v.1. Hi enim 70. anni finiti sunt anno 2. Darij, quo hæc vaticinatus est Aggæus. C

Historia Zorobabelis apud Darium.

Vbi Nota historiam rei gestæ, quæ magnam huic loco lucem affert, narrari lib. 3. Esdræ 4.42. & seq. nimirum, quòd Zorobabel cum duobus sociis custos corporis Darij, coram illo proposuerit problema, quidnam esset in orbe fortissimum, ac primus eorum responderit: *Forte est vinum*; secundus, *Fortior est rex*; tertius, putà Zorobabel, *Fortiores sunt mulieres, fortissima autem est veritas.* Hic ea de re perorando, tulit palmam. Vnde à Dario iussus petere quidquid vellet (se enim daturum) petiit, vt rex votum olim à se nuncupatum exsolueret. Votum hoc erat, se, si rex crearetur, templum Deo in Ierusalem ædificaturum. Darius osculatus eum annuit, eumque cum Iudæis remisit in Ierusalem cum præsidio mille militum, deditque litteras ad præfectos, vt fabricam templi iuuarent, & datis sumptibus cu- D raret. Rediit ergo è Babylone Hierosolymam Zorobabel anno secundo Darij mense 1. puta Nisan, vt dicitur 3. Esdræ 5.6 cœpitque populum hortari ad fabricam templi. Verùm cum populus præteritarum difficultatum memor, nonnisi crederet Zorobabeli asserenti Darium fauere, imò iubere fabricam templi, ideoque per sex menses vsque ad Augustum opus distulisset; cœpit Aggæus eodem mense 6. vaticinari ac eorum diffidentiam & negligentiam accusare, hortarique vt opus inchoarent. Deum enim id velle; vnde eum affuturum, & curaturum vt nec Darius, nec Samaritæ, nec quis alius opus impediret. Prophetæ credidit populus, præsertim cùm ex nouis Darij litteris, quæ recitantur 1. Esdræ 6. cognouit Darium prorsus idem velle. Quare strenuè opus aggressus, illud perfecit post quatuor annos & quinque menses, putà mense Adar, id est Februario, vti ibidem enarrat Esdras.

Tropol. Cùm quem lapsum videris cogitare de pœnitentia, *vt ædificet*, inquit S. Hieron. *templum per pudicitiam, quod per libidinem ante destruxerat, & tamen diem de die trahere, dic ad eum: Vere & tu es de populo captiuorum, & tu dicis: Nondum venit tempus domus Domini ædificanda. Qui semel decreuit instaurare templum Dei, huic omne tempus aptum est ad ædificandum, nec rex diabolus potest impedire, nec hostes per circuitum, nec pietas simulata parentum, affinium, liberorum. Statim vt conuersus inclamaueris nomen Domini, dicet: Ecce adsum.* Et inferiùs: *Omne tempus quo habitatio vallis* (alludit ad Septuag. qui pro *domibus laqueatis*, vertunt, *conuallibus*) *eligitur, vel seruimus deliciis, importunum est. Vnde & Stoici dixerunt, tempus esse correctionis. Omne enim tempus, in quo non virtutibus, sed vitiis deseruimus, perit, & quasi non fuerit reputatur in nihilum. Si quis ergo de nobis vel in conualle habitat, vel in voluptate & luxuria sæculari suam consignat domum, iste templum Deo non ædificat, nec habet Dominus in eo vbi caput suum reclinet.* Omne ergo tempus nobis debet esse mensura motus, non quietis; negotij, non otij; virtutis, non vitij: alioqui perditur irrecuperabiliter, & cum ipso otio vitioque perit, imò punitur acriter. Sic Barlaam apud Damasc. in Histor. roganti Iosaphat, quotnam esset annorum? respondit 45. quia licet, inquit, 70. vixerim, tamen 45. tantùm Deo vixi: vnde hos solos annos vitæ cõputo, cæteros quos in vanitate transegi, mortis fuisse censeo, ideoque eos non numero, quos me perdidisse æstimo & deploro. Idem viderunt Gentiles. Theophrastus semper habebat in ore: *Nullum esse sumptum pretiosiorem tempore. Solum enim hoc recuperari non potest, & tamen vulgò nihil vilius habetur tempore.* ita Laërt. libr. 5. Simonides interrogatus: *quantum temporis vixisset? Tempus quidem*, inquit, *exiguum, annos autem multos.* ita Stobæus serm. 96. Plutarc. in vita Antonij: *Temporis*, ait, *iactura damnosissima.* M. Varro dicere solebat, nullam iacturam esse grauiorem, præsertim scienti, quàm temporis. Seneca ad Lucil. *Omnia, mi Lucili, aliena sunt, tempus tantùm nostrum est: in huius rei vnius, fugacis ac lubricæ, possessionem natura nos mittit.* Ouidius:

Vtendum est ætate, cito pede labitur ætas:
Nec bona tam sequitur, quàm bona prima fuit.

Meritò ergo monet Sapiens: *Fili conserua tempus, & deuita à malo*, Eccles. 4.23. Et Apost. *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes,*

sed vt sapientes, redimentes tempus. Ephes. 5. 15. Vide ibi dicta.

1 Et factvm est verbvm Domini] Videtur hic esse noua prophetia ad populum, cùm prior fuerit ad principes, vti censent S. Hieron. Arias & Vatabl. aut potiùs prioris continuatio. Priori enim nihil vaticinatus est, sed tantùm recensuit dictum populi, scilicet nondum esse tempus ædificandi templi. Huic dicto hîc vaticinando respondet, illudque confutat; atque vt confutationi suæ pondus addat, repetit iteratq; se hæc non fingere, nec edicere ex suo cerebro, sed ex mente & ore Dei, præsertim quia ipse iuuenis erat. Nuper enim redierat iuuenculus Babylone, vt ait Epiphan. in eius vita. Eadem de causa Prophetæ in suis minis & oraculis crebrò iterant & inculcant illud: *Hæc dicit Dominus.* qua re moraliter docent, quanti Dei verbum facere, quamque ab ore Dei pendere debeamus, vt illud iugiter in ore habeamus, illud reuereamur, illud ruminemus, eructemus & celebremus, cum illo perpetim dissuauiemur. Prophetia ergo non est hominis, sed Dei verbum & oraculum.

4 Numqvid tempvs vobis est vt habitetis in domibvs laqveatis, et domvs ista deserta? Hic incipit prima Aggei prophetia. *laqueatis*, id est fornicatis, concameratis, fornice siue testudine tectis: hoc enim significat Hebr. שְׂפוּנִים *sephunim*; Chald. *quæ tectæ sunt tabulatis cedrinis*; Lxx. κατοικωμένοις, id est concauis, aut potiùs, vt S. Hieron. interpretatur, *deorsum positis & in conualle demersis*; Ambros. lib. 3. epist. 12. vertit, *cælatis*. Solent enim fornices domorum illustrium & templorum variis picturis & celaturis exornari, vti Romæ in plerisque basilicis factum videmus. Est argumentum à minori ad maius, q. d. Vobis suppetit tempus, animus & sumptus ad construendas vobis domos, non tantùm necessarias, sed & delicatas ac pretiosas, putà cælatas & laqueatas: ergo multò magis tēpus, animus & sumptus vobis suppetere debet ad ædificandam domum Dei, quæ planè diruta est. Vultísne vt Deus habitet in pauimento ventis & pluuiis expositio, vos verò in domibus egregiè & elegāter tectis? Itáne vos vestra commoda Deo antefertis? Itáne finitis eum degere incommodissimè, dummodo vos lautè degatis & viuatis? *Itáne habitaculum meum, in quo fuerunt Sancta sanctorum, & Cherubim, & mensa propositionis, pluuiis rigabitur, squalebit solitudine, æstu torrebitur?* ait S. Hieron.

Docet hîc Deus, fidelibus primam debere esse curam templi & sacrorum, ac, cùm resp. vel vrbs noua erigitur aut restauratur, primò erigendum esse templum, & cultum Dei stabiliendum. Ita fecit Salomon, qui priùs ædificauit domū Deo, deinde sibi, 3. Reg. 6. 1. iuncto c. 7. 1. Ita & Dauid psal. 131. 3. *Si introiero*, inquit, *in tabernaculum domus meæ: si ascendero in lectum strati mei: si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Ita Moses in Sina formans remp. & Ecclesiam Hebræorum legibus à Deo acceptis, ante omnia fabricauit tabernaculum, quasi mobile templum Deo, cum arca, Cherubim, &c. idque iussu Dei, Exodi 25. & seq. Ita Constantinus Magnus Imp. mox vt Imperium antè Gentilitium, nunc Christianum, Christianus ipse administrare cœpit, ante omnia basilicas augustissimas, Laterancnsem S. Saluatoris, Vaticanam S. Petri, Ostiensem S. Pauli, Veranam S. Laurentij, aliasque plurimas Deo in honorem Sanctorum exædificauit. Illum in hac pietate secuti & æmulati sunt eius successores, Gratianus, Theodosius, Honorius, Marcianus, Carolus, &c. qui proinde opibus, victoriis, regnis à Deo dotati & ditati feliciter, æquè ac iustè & religiosè Imperium administrarunt, illudque firmarunt & amplificarunt.

Idem facere Gentiles.

Idem lumine & duce natura viderunt Gentiles, licet eo ad sua idola, vtpote idololatræ, abusi sint. Romulus Romæ conditor, cum primis vrbis fundamentis, templa Ioui Statori & Feretrio dedicauit, teste Liuio lib. 1. Numam Pompilium, qui Romulo successit, scribit Plinius de viris Illustribus c. 2. ferum populum *religionis institutione & vtilibus legibus domuisse, regnumq; ita formasse, vt pendente eius regno nemo illi bellum mouerit.* Romanus verò Senatus, inquit M. Varro, ita magni religionem fecit, vt quotiescumque à magistratu coactus ille esset, hoc ipsum quod primò proponebatur, ad religionem pertineret, nullaque quamquam grauior causa, vel quæ celeritatem requireret, morem hunc anteuerteret. Nimirum eo respectu, quòd *religio & timor Dei solus sit, qui custodit hominum inter se societatem*, vt ait Lactant. lib. de Ira c. 12. *quodq; omnia prospera eueniant colentibus Deum, aduersa spernentibus*, vt ait Liuius lib. 5. Hinc Cyrus apud Xenophontem lib. 8. Cambysem filium admonet, vt nihil publicum vel priuatum agat, nisi priùs ad Deum confugerit (notent hoc & imitentur Principes Christiani) & nisi priùs eius voluntatem agnouerit: quia mundus, inquit, erroribus est refertus: Deus verò, vt qui semper fuit, præsentia, præterita & futura agnoscit & moderatur: atque inuocatus preces exaudit eorum, qui religionem & pietatem colunt, ac multis signis eis quid agere debeant, ostendit. Quocirca Cicero lib. 1. de Natura deorum: *Pietate*, inquit, *erga Deum sublata, fidem & humani generis societatem tolli necesse est, & iustitiā virtutum omnium excellentissimam.* Et Silius lib. 4.

Primæ scelerum causæ mortalibus agris,
Naturam nescire Deūm.

Euertentes tēpla euerterūt resp.

Ex aduerso templorum & sacrorum euersores, euerterunt pariter remp. æquè ac se suamque stirpem. Antiochus Epiphanes, templi Iudæorum profanator, fœda lue à Deo percussus, serò Numinis vindictam agnouit, dixitque: *Iustum est Deo subiici, & mortalem paria Deo non sentire.* 2. Machab. 9. Constantius Arrianus Imper. qui templa orthodoxis eripuit, & Arrianis transcripsit, à Iuliano Apostata quem, vtpote cognatum, collegam imperij designarat, imperio & vita penè priuatus, tandem sacro igne percussus interiit, vti narrat Pompon. Lætus in eius vita. Iulianus, qui ex templis idolia facere destinabat, in prælio aduersus Persas sagitta cælitus ictus, occubuit, vti narrat Aurelius Victor in eius vita. Valens Arrianus, Constantij in scelere assecla, à Gothis fusus in tugurium se abdens, ibi ab iisdem concrematus est. Constantinus Copronymus, id est stercorarius, qui vti stercore suo baptisterium dum baptizaretur, ita & sordibus hæresis ac sacrilegij sui fœdauit Ecclesiam, fœda lue percussus, putidam animam exhalauit. Plura, si voles, vide apud Thomam Bozium l. 22. de Signis Ecclesiæ.

Patrum nostrorum memoria Henricus VIII. Angliæ rex, schismatis Anglicani fax & auctor, qui monasteria & ecclesias, ac nominatim opulentam illam S. Thomæ Cantuariensis basilicam expilauit, vel diruit, adeò vt de Anglia sæculo præcedenti scripserit Poëta:

Millia dena vnus templorum sustulit annus.

Henricus inquam, ad pauperiem redactus, corpore ita intumuit, vt alter Bacchus videretur, ac moriturus pateram vini astantibus præbibens: *Omnia*, inquit, *perdidimus amici.* ita desperabundus sacrilegam animam effudit, vti refert Nic. Sanderus in Schism. Anglic. & alij.

Tropol. S. Ambros. in hunc Aggæi locum scribens, per domos cælatas accipit hypogæa, & voluptatum gurgustia: talia enim sunt hypogæa, id est subterranea habitacula: *Qui enim*, inquit, *infra terram habitant, non possunt ædificare templum Dei, & dicunt: Non venit tempus ædificandi domum Domini: simul quia luxuriosum est hypogæa quærere, captantium frigus æstiuum, eò quò resoluti deliciis æstus aliter ferre ac tolerare non queant, & ideo requirant umbrosa penetralia: vel quòd desidiosi ignaua sub terris agant otia: deinde quòd tenebrosa illos & opaca delectent magis, quibus operiri flagitia sua credant, secundùm illud Eccles. 23. Tenebræ circumdant me, & parietes, quem vereor? Sed frustra hoc sperant, cùm profunda abyssi & abscondita Deus cernat. At non Elias in hypogæis, non Eliseus habitabant; sed in superioribus, &c. Ergo Sancti ascendunt ad Dominum, flagitiosi ad vitia descendunt: Sancti in montibus, criminosi in vallibus. Deus enim montium est, & non Deus vallium.* Et mox: *Quomodo enim possunt tales homines templum ædificare, qui quasi fera ac bestiæ in spelæa ferarum, & bestiarum latibula sese receptant, atque in foueas se serpentum more demergunt, & consuetudine fraudulenta vulpis infodiunt?*

VERS. 5. PONITE CORDA VESTRA SVPER VIAS VESTRAS] *Vias* vocat opera, eorumq; successum & fructum. q.d. Attenta mente perpendite opera vestra, scilicet seminandi, laborandi, comedendi, bibendi, vestiendi, negotiandi; quodque ex eis paruum tuleritis fructum, scilicet paruam messem, paruum lucrum, paruam refectionem & calefactionem, tum hoc anno (erat enim iam Augustus & messis) tum præcedentibus à Cyro hucusque: ac simul examinate causam huius infelicis successus, cur videlicet omnia vestra infausta sint & infeliciter cadant: ac inuenietis non esse aliã, quàm negligentiam vestram in instaurando templo. ita Lyran. Vatabl. Arias & alij. q.d. Considerate quanta mala sitis passiob vestram istam socordiam: quocirca exinde ponite Secundò, corda in vias vestras, ac discite quantum inter curam rerum diuinarum & earumdem incuriam interfit. ita S. Hieron. Ac Tertiò, ponite corda, id est adiicite mentes, & applicate animum, vt incuriam hanc maiore cura & studio compensetis, vt tanto fitis in fabrica hac diligentiores, quanto hactenus fuitis negligẽtes. Sic enim sese explicat v. 7. dicens: *Ponite corda vestra super vias vestras: ascendite in montem, portate ligna, &c.*

Aliter Pagnin. prius enim verbum vertit per præteritum, posteriora per futurum: *Seminastis*, inquit, *multum, & inferetis parum: comedetis, & non saturabimini: bibetis, & non inebriabimini: induetis vos, & non calefacietis vos: & qui se locauerit mercede, locabit se mercede quæ erit, ac si poneret eam in sacculo pertuso.* q.d. Ponite corda vestra, & considerate non tantùm vias & actiones vestras præteritas, sed & futuras, vt ex vtrisque cum euentu suo collatis, per experientiam discatis meum hoc oraculum esse verum, & ex Deo. Nam ex iis quæ seminastis, parum messis colligetis: ex cibo & potu non saturabimini: ex vestibus non calefietis: ex laboribus non ditescetis, quamdiu in hoc domus Dei neglectu persistetis. Et sic ex Hebræo verti potest: ibi enim verba sunt modi infinitiui, quæ ita sonant: *Seminatio multum & inferre* (in horrea) *parum: comedere, & non ad satietatem: bibere, & non ad ebrietatem: vestiri, & non calefieri: mercedes congregans, congregans in sacculum pertusum.* Qui infinitiui & per præteritum verti possunt, vti vertit Noster, Septuag. & Tigurina; & per futurum, vti vertit Pagnin. & per præsens, vti vertit Chaldæus, dicens: *Seminato multa, & educitis modicum: comeditis, & non satiamini: bibitis, & non inebriamini: induimini, nec calefitis: qui operas suas locat, mercedem reportat maledictionem*, putà infelicitatem, inopiam & penuriam; sicut ex aduerso iusti ex laboribus suis referunt benedictionem, id est rerum copiam & abundantiam. Licet enim in Chaldæo sint participia præsentis temporis, non verba, tamen hæc æquiualent verbis eiusdem temporis, vti & apud Hebræos: quia vtrique carent verbis præsentis temporis, & pro eis vtuntur participiis, vt dicant: *Seminantes multa, & educentes modicum*, pro eo quod nos dicimus, *Seminatis multa, & educitis modicum*, &c. Plenus erit sensus, si omnia tria tempora complectamur: quamdiu enim culpa, tamdiu durat & pœna. Propheta ergo ita recenset præterita & præsentia mala, vt simul innetur & futura, ni mores mutent, & pigritiam diligentia compensent. Has calamitates eximinatus erat Moses Deuter. 28. 38.

Symbol. S. Hieron. q.d. *Habuisti hucusque corda vestra vitiis seruientia sine ordine, sine prouisione, quocumque trahebant desideria pergentes. Nunc autem Dominus vobis præcipit, vt ordinetis in sobrietatem, & ponatis corda vestra super vias vestras, vt nihil absque iudicio & consideratione faciatis, sed semper ante pedes vestros legalis lucerna præcedat, & dicatis: Lucerna pedibus meis lex tua, & lux semitis meis.* Cor enim, quia non sedes, vt aliqui Physici voluerunt, sed origo (ex corde enim oriuntur spiritus animales, qui menti, rationi & contemplationi deseruiunt) & symbolum est sensus communis, rationis, prudentiæ & sapientiæ, vti ostendi Ezech. 36. 26. hinc pro iis in Scriptura sumitur.

Tropol. S. Gregor. homil. 10. in Ezech. *Multum*, inquit, *cordi suo seminat, sed parum infert, qui de mandatis cælestibus, vel legendo, vel etiam audiendo multa cognoscit, sed negligenter operando pauca fructificat. Comedit, & non satiatur, qui verba Dei audiens, lucra vel gloriam sæculi concupiscit. Bene autem non satiari dicitur, qui aliud mandit, & aliud esurit. Bibit, & non inebriatur, qui ad vocem prædicationis aurem inclinat, sed mentem non mutat. Solet enim per ebrietatem bibentium sensus mutari.* Vide & Haymonem in hunc locum.

ET INTVLISTIS PARVM] Hoc & plura Iudæis comminatus fuerat Dominus Leuit. 26. si Deum Deique cultum negligerent. Notent hoc agricolæ, discantq; se parum fructuum ex impia semente

fcente subinde colligere, quia neglexerunt Dei templum, Missas, festa, invocationem & cultum: eaque re extant exempla luculenta in vitis Sanctorum. Deus enim punit fame & pauperie neglectum sui & sacrorum, ac multò magis tropol. punit neglectum sanctificationis animæ, quam templum Dei virtutibus construere & ornare debemus. ita S. Hieron. & Theodor.

COMEDISTIS, ET NON ESTIS SATIATI] Hoc malos eis comminatus erat Dominus Leuit. 26. 26. *Comedetis, & non saturabimini. Qui verò sanctus est*, ait S. Hieron. *vsque ad satietatem comedet, & exhilarabitur in illo quod scriptum est*, Prouerb. 13. 25. *Iustus comedens replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis.*

BIBISTIS, ET NON ESTIS INEBRIATI] id est hausti, refecti, exhilarati. Sic fratres Ioseph in eius conuiuio dicuntur inebriati cum eo, id est lætati & hilares effecti, Genes. 43. 34. Sic & Cant. 5. 1. *Bibite & inebriamini*, id est, satiamini, charissimi. Psalm. 35. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ*, id est, ita replebuntur & exhilarabuntur, vt videantur esse ebrij. Vnde explicans subdit: *Et torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Portò causa cur bibentes non sint satiati, fuit, partim quia parum vuarum & vini collegerunt, partim quia vuæ fuerunt exanimæ & exsuccæ, ac vilem dederunt, non vinum. fortè etiam, quòd Deus iratus vino, æquè ac pani, vim & vigorem nutriendi satiandique ademerit, non concurrendo cum eis ad nutritionem & satiationem, idque in pœnam peccati Hebræorum. Eædem causæ sunt cur vestibus non sint calefacti.

Symbol. S. Hieron. Peccatores vino sapientiæ & gratiæ Dei destituti sitiunt, iustus verò eo abundans inebriatur, *qui potest dicere ad Dominum: Calix tuus inebrians quàm præclarus est! psal. 22. & inebriatur cum Noë: & licet in Aegypto confessus, tamen in conuiuio Ioseph cum Patriarchis & fratribus vino madet: iste præ magnitudine lætitiæ & quotidiano gaudio, cum Apostolis versus in ecstasin, quodammodo mustoplenus.* Actor. 2. Et S. Gregor. homil. 10. in Ezechiel. *Solet*, inquit, *per ebrietatem bibentium sensus mutari. Qui ergo ad cognoscendum Dei verbum deuotus est, sed ea quæ sunt huius sæculi adipisci diffidebat, bibit, & inebriatus non est. Si enim inebriatus esset, procul dubio mentem mutasset, vt iam terrena non quæreret tam vana & transitoria quæ amauerat, non amaret. De electis namque per Psalmistam psal. 35. dicitur: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: quia tanto omnipotentis Dei amore repleti sunt, vt mutata mente sibimetipsis extranei esse videantur, implentes quod scriptum est: Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, Matth. 16.

ET QVI MERCEDES operarum suarum, laborum & negotiationum CONGREGAVIT, MISIT EAS IN SACCVLVM PERTVSVM] id est, eas perdidit, acsi misisset in bursam pertusam, per quam in terram decidunt & amittuntur. Est paræmia. Similis paræmia est Plauti in Pseudolo: *In pertusum ingerimus dicta dolium*, operam lusum. Erilla Alciphronis apud Athen. lib. 4. *In Danaidum dolia amphoras infundimus.* Fingunt enim Poetæ, Danaides dolis pertusis haurire apud inferos aquas, ad quas Medea:

Vt quæque vrnis quas foratis irritus ludit labor.

Et ita Aristotel. libr. 1. Oeconom. cap. 6. *Cribro aquam haurit.* Vnde [illegible] ad pueri an huiusmodi: *Haurit aquam cribro qui perperam facere vult sine libro.* Similes sunt: In aqua scribentem facis: In saxis seris: In aqua scribis. In arena ædificas: Oleum & operam perdis: Reti ventos venaris: In aëre piscaris: Aranearum telas texis: Nugas agis: Vndas numeras: Arenam metiris. Hæc omnia veriissima sunt, quando inuito, vel irato Deo aliquid molimur.

Moral. Norent hoc operarij, mercenarij & mercatores, nimirum suos labores, operas & mercimonia quibus noctu diuque sese fatigant, incassum cadere ob neglectum Dei cultum & gratiam. Vide Leuit. 26. v. 14. & Deuter. 28. 18. Quare si ea vtilia velint, si lucrū & diuitias inde cupiant & captent, Deum colant & inuocent, iuxta illud Christi Matth. 6. 33. *Quærite primùm regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Hinc Apostoli tota nocte piscantes nihil ceperunt, quia sine Christo piscabantur: mox autem vt in nomine Christi laxauit rete Petrus, concluſit piscium ingentem multitudinem, Lucæ 5. 5. quia, vt ait Psaltes psal. 126. 1. *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Et vt ait Apost. 1. Corinth. 3. 7. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus.*

Saccus pertusus mysticè triplex.

Mysticè mittit mercedes in sacculum pertusum, Primò, qui post bona opera & merita in peccatum mortale prolapsus, ea fordidat, perdit & dissipat ita S. Hieron. Secundò, qui bona opera malis actibus perdit, qui scilicet bona opera quæ ante oculos habet, considerat, & culparum quæ inter ea irrepunt, obliuiscitur: aut post bona ad vana & mala redit, vt v. g. bonum quod plangendo lucratus est, mox nimiè ridendo perdat, inquit S. Gregor. homil. 4. in Ezech. & parte 3 Pastor. admon. 22. *In sæculo*, inquit, *pertuso videtur quando pecunia mittitur. sed quando amittitur non videtur: qui ergo quanta largiuntur aspiciunt, sed quanta rapiunt non perpendunt, in pertuso sæculo mercedes mittunt: quia profectò has in spem suæ fiduciæ intuentes congerunt, sed non intuentes perdunt.* Tertiò, qui virtutum opera faciunt ob vanam gloriam, putà ob ostentationem. ita Remig.

Denique appositè Auctor quidam antiquus hæc Aggæi verba adaptat regibus, qui magna tributa subditis indicunt, sed inde non ditantur, quia ea illico in suos parasitos effundunt. *Pertusus*, inquit, *iam pridem est regius fiscus, & nihil retinet, sed omnia effundit, vt possit de illo rectè dici illud Aggæi: Qui congregauit mercedes, misit illas in saccum pertusum. Videmus in sacco pertuso nihil immissum posse diu contineri, sed quod vna ex parte ingeritur, ex altera effunditur; quodq; ex superiori parte accipit, mox per inferiorem defluit. Quæ sunt autem sacci pertusi duo foramina nisi duo vitia, quæ prima specie videntur contraria, sed subinde in principibus sunt coniuncta, nimia scilicet cupiditas aliena habendi, & immoderata prodigalitas habita largiendi? Prima congregat, secunda dispergit: prima infundit, secunda effundit: prima ingurgitat & semper esurit, secunda etiam cùm satura est, fragmenta proiicit. Prima sollicitari de futuro videtur: secunda improuida nec præsentia regit, nec futura prospicit. Prima est os sacci supremum semper paratum ad accipiendum, secunda foramen infimam, quod numquam*

quamclauditur, sed iugiter patet ad latè spargendum. A *Liquet ergo quòd pecunia talibus angariis collecta, nihil principibus proficit, qui semper ex tempore illo quo ista fieri cœperunt, inopes & egeni fuerunt, & infinito oppressi ære alieno.* Deinde ostendit ista nec aulicis, quibus donantur, prodesse. *Fallitur autem quisquis existimat aulicis, qui totum ferè accipiunt, ista profutura, qui tandem cœlesti eos vrgente iudicio, aut à principibus, quos spoliauerunt, solent spoliari; aut ab eorum heredibus vel successoribus, qui se per illorum insidias tanta exutos hereditate conspiciunt; aut ab illo qui diuino instinctu rempubl. per tales collapsam releuare aggrediuntur, non solùm glutita coguntur euomere, sed suis pessimis consiliis prostratæ patriæ pœnas debitas exoluere. Quocirca tales pestes, tales furias, regum pariter ac regni exterminatrices,* B *à principum necesse est societate longiùs abalienari, nisi irreparabiliter regnum ipsum deperire volumus. Hoc est enim capitale & letale regni vulnus.* Sapienter dixit Liuius lib. 22. *Priuatæ res semper offecêre efficienti publicis.* Et Tacitus lib. 1. Histor. *Pessimum veri affectus venenum, sua cuique vtilitas.* Clamat Amos cap. 9. v. 1. *Auaritia in capite omnium.* Quod est autem *populi caput*, nisi de quibus dictum est: *Optimates capita populorum?* Discant ergo principes, eorumque consiliarij illud Sapientis Prouerb. 25. 2. *Auser rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum: auser impietatem de vultu regis, & firmabitur iustitia thronus eius.* Auser scilicet Harpyias istas voraces, peculatu infames, quæ saccum ærarij publici pertundunt, illumque depeculantur, & iusta erit publicorum vectigalium, opumque (quæ reip. C sunt firmamentum) distributio.

7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras:

8. ascendite in montem: portate ligna, & ædificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus.

9. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exsufflaui illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisque in domum suam.

10. Propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, & ter- D ra prohibita est ne daret germen suum:

11. & vocaui siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum, & quæcumque profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum.

12. Et audiuit Zorobabel filius Salathiel, & Iesus filius Iosedec sacerdos magnus, & omnes reliquiæ populi, vocem Domini Dei sui, & verba Aggæi prophetæ, sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos: & timuit populus à facie Domini.

13. Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini, populo dicens: Ego vobiscum sum, dicit Dominus.

14. Et suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel, ducis Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedec sacerdotis magni, & spiritum reliquorum de omni populo: & ingressi sunt, & faciebant opus in domo Domini exercituum Dei sui.

ASCENDITE IN MONTEM] Libanum: inde enim vtpote vicinum, & cedris aliisque arboribus abundantem, ligna succidit Salomon pro templo & domibus suis. Idem fecerunt Zorobabel & Iudæi in restauratione templi, vt patet 1 Esdræ 3. 7. ita S. Hieron. Chal. Theodor. & alij. Ex Libano ergo præcidite & *portate ligna* ad fabricam templi. Aiunt Hebræi, inquit S. Hieron. *sola tantùm ad contignandum ligna fuisse necessaria, stantibus muris templi post incendium.* Sed erant: funditus enim diruta est templum à Chaldæis. Id patet ex eo, quòd Zorobabel & Iudæi reædificantes templum, ima eius fundamenta iecerint, vti dicitur 1. Esdræ 5. 16. & cap. 6. 3. Ex quibus locis liquet, sub Cyro iacta esse fundamenta templi, & parietes erectos. Vide sub Dario tantùm opus fuisse lignis ad contignationem, & ad tectum, vti hic dicitur. eaque de causa hic tantùm lignorum competentium fit mentio.

Tropol. S. Hieron. *Ascendamus*, ait, *in montem rationabilem, & ad singula problemata congrua de testimoniis Script. ligna quærentes, præcidamus, & ædificemus domum sapientiæ in nobis: postquam enim hæc fuerit exstructa, finis ædificationis eius erit, vt Dominus glorificetur in nobis.* Porrò domus & templi huius fundamentum iaciendum est fides, pauimentum humilitas, antemurale patientia, altare oratio, tectum charitas, quatuor parietes quatuor virtutes cardinales, pinnaculum spes. Vide dicta Ezech. 40. sub initium. Hoc est quod ait Apostolus 1. Corinth. 3. 9. *Dei ædificatio estis. Vnusquisque autem videat quomodo superædificet*, &c. Et v. 16. *Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis.* Et Ephes. 2. 22. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino: in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu.*

ET ACCEPTABILIS MIHI ERIT] Hebraicè וְאֵרָצֶה בּוֹ *veartseh bo*, id est, vt Septuag. & Pagnin. *complacebo in ea*; Tigurina, *& gratum mihi erit*, Vatabl. *& erit mihi beneplacitum in eo*, ac proinde orantes in eo, vel versus illud exaudiam, vti promisi Mosi Deuter. 12. v. 11. & Salomoni 3. Reg 8. 29.

ET GLORIFICABOR] in eo colar & celebrabor hymnis, psalmis, votis, orationibus, oblationibus, victimis, &c. ac vicissim gloriam & beneficentiam meam in eo vobis ostendam. Nota. In Hebræo est *keri & ketif*, id est varietas lectionis & scriptionis. Scribitur enim אֶכָּבֵד *ecabeda*, id est *glorificabor*, sine *he*, sed legitur per *he* paragogicum, quod proinde ad marginem annotatum. Quocirca Rabbini & Thalmudici, vt R. Elias R. S.

R. Salomon, R. Dauid, & ex iis Galatinus lib. 4. cap. 9 Genebrard. in Chron. Arias, Ribera & à Castro hic, huius varietatis hanc causam assignant, quòd littera *he* apud Hebræos sit nota numeri quinarij, vt significet quinque defuisse in templo secundo, quæ fuerunt in primo: quæ proinde Deus per suam præsentiam & gloriam ibi compensaturum promittit. Quinque hæc sunt. Primò, arca testamenti; Secundò, Vrim & Tummim in Rationali pontificis, per quæ pontifex consulens Deum, accipiebat ab eo responsa, & cognoscebat futura; Tertiò, ignis sacer cælitùs lapsus ad comburendas victimas; Quartò, præsentia Dei in Sancto sanctorum super propitiatorio & Cherubim; Quintò, Prophetæ & prophetiæ. Arcam enim defuisse in secundo templo, liquet ex 2. Machab. 2. 4. Vbi narratur, quòd Ieremias imminente excidio Hierosolymæ, eam è templo extulerit & absconderit, dixeritque: *Quòd ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat Iudæis.* quod erit in fine mundi, cùm eos colliget in Ecclesiam Christi, & saluabit. Quare arca testamenti quæ hîc Romæ ostenditur in basilica Lateranensi, non est arca à Mose fabricata, sed eius imago & repræsentatio, quam Iudæi, primæua illa Mosaica, continente vrnam cum manna, & tabulas decalogi digito Dei inscriptas, destituti, ad eius similitudinem efformarunt, & in templo (vt dicitur) collocarunt. Sed ignem sacrum in secundo templo defuisse, falsum est. nam is sub Iuda Machabæo & Nehemia, in repurgatione templi illi cælitus restitutus est, vt patet 2. Machab. 1. 32. Id tamen verum est, si de igne primæo ad Aaronis & Mosis sacrificia delapso loquamur. Hic enim absconditus à Ieremia, postea repertus non comparuit, vti ibidem dicitur. Similiter oraculum Vrim & Tummim in secundo templo defuisse videtur, saltem pluribus annis. Nam de eo sic scribit Ioseph. lib. 3. Antiqu. cap. 12. *Cessauit itaque esse̅* (hebr. *hosen*, id est Rationale, in quo erant Vrim & Tummim) *& sardonyx splendescere annis ducentis antequam ego hæc scriberem, cùm Deus molestè ferret legum transgressiones.* Vbi Nota, Iosephum meminisse tantùm splendoris Rationalis, non oraculi: quare oraculum multò antè cessasse videtur. Vnde Arias, Vatabl. & alij consent, per *vò glorificabor* significari, quòd Christus *he* deficiens in *eccabeda*, id est quinque hæc dona, sua præsentia & gloria sit supplerturus, quando in secundo templo versabitur, docebit, facietque miracula, de quo plura cap. 2. 7. Quamobrem pro אֶכָּבֵד *eccabeda*, id est *glorificabor*, aliis punctis legi posset actiuè אֲכַבֵּד *acabed*, id est *glorificabo*. Ita legisse videtur Chald. dum vertit, *placebit mihi, vt collocem maiestatem meam ibi in gloria*: licet enim inuisibiliter Dei maiestas semper habitarit in templo, visibiliter tamen in eo habitauit quando Verbum incarnatum, putà Christus, illud sua præsentia & maiestate corporaliter condecorauit. Aptiùs fortè dici posset, *he* subintellectum in *eccabeda*, id est *glorificabor*, significare, quòd Christus futurus sit gloria secundi templi, sed arcana, & Iudæis occulta. Tradunt enim Cabalistæ, *he* significare personam mediam in SS. Trinitate, putà Filium, per quem quasi ideam & verbum omnis res הָיְתָה *houa*, id est exstitit & creata est: vnde nomen *Iehoua* in se continere SS. Trinitatem. *Iod* enim initiale denotat Patrem, qui est SS. Trinitatis origo: *he* Filium: *vau* Spiritum sanctum. Porrò geminari *he* in יְהוָה *Iehoua*, vt significetur gemina Christi natura, diuina & humana.

RESPEXISTIS AD AMPLIVS] Sperastis vos habituros messem peramplam, & ecce pauca collegistis: & paucum quod conuexistis in horreo, ego Deus *exsufflaui illud*, id est flatu & nutu meo feci euanescere, seu redegi in nihilum, vti segetes solet exsufflare ventus vrens, dum grana adurit & desiccat, itaque folliculos inanes relinquit. *Cùm iam candescerent segetes*, inquit S. Hieron. *& messium tempus instaret, & frumenta vos in manibus tenere putaretis, messuistis vacuos culmos & inanes stipulas. Plena erant areæ, spes in oculis, luctus in manibus. Sed & hoc quoque ipsum quod vix de multa segete, & infinitis aceruis fuerat electum, intulistis in domum, & virtute mea dispersum est. Exsufflaui enim illud, & redegi in nihilum: quia frumentũ emortuum, & vacui folliculi, quæ vtilia esui sunt, farinam & similam non habebant.* Qui & tropol. addit: *Quoties vidi ego tam in doctrina, quàm in conuersatione de quibusdam sperata plurima, & postquam ventum est vt haberent tempus messium, id est tempus docendi, vitamq; suam in exemplum præbendi populorum, de excelso præcipitatos, & minus inuentum in eis quàm opinio sibi omnium promittebat. Vnde accidit, vt paulatim negligẽtia surrepente, paruum quoque ipsum quod videbantur habere, perderent. Hoc autem idcirco perpessi sunt, quòd securi fuerũt in priſtinis domibus suis, nec ascenderunt Scripturæ montem, ædificationis de eo Dominicæ ligna cædentes, nec extruxerunt in se quotidie domum Domini.* Hanc enim causam subdit Propheta: *Quia domus mea deserta, & vos festinastis vnusquisque in domum suam*; Tigurina, *quia domus mea adhuc deserta est, vos autem curritis vt quisque domum suam habeat.* hoc est, satagitis quisque rerũ suarũ, & interim negligitis res diuinas. ita Vatabl. VERS. 9. Tropolog.

PROPTER HOC SVPER VOS PROHIBITI SVNT CÆLI] Sic & Chald. vertit per præteritum, *idcirco ob scelera vestra cessauerunt cæli ab emittenda pluuia, & terra cessauit ad edendos fructus.* Possunt rursum hæc & sequentia verti per futurum cum Septuag. *propter hoc cælum abstinebit à rore, & terra subtrahet germina sua*: quia Dei creatoris sui iniuriam sentiunt, eamque vlciscentur. VERS. 10.

ET VOCAVI SICCITATEM SVPER TERRAM] & inde consequenter sterilitatẽ, penuriam, vt vertit Chald. & famem, ac consequenter morbos & pestes, imò lites, iras & bella, quæ ex hac aëris & frugum inflammatione ac defectu nascuntur. Vnde Septuag. pro חֹרֶב *choreb*, id est siccitatem, legentes חֶרֶב *chereb*, id est gladium, vertunt *inducam gladium super terrã. gladium* intellige vel propriè dictum, putà bella iam dicta; vel metaphoricum, putà siccitatẽ & famem, quæ instar gladij homines enecat & succidit. ita à Castro. Sic enim in Script gladius, vel ignis generalia sunt nomina, & quamlibet cladem significant. In Hebræo est elegãs paronomasia, qua pœna alludit ad culpam: quia, inquit, domus mea חָרֵב *chareb*, id est deserta est, hinc ego pariter vocaui חֹרֶב *choreb*, id est siccitatem, vel חֶרֶב *chereb*, id est gladium, qui simili modo vos desolabit, facietq; domos vestras desertas. Sic Iudæi, quia deseruerunt & spreuerunt Christum, hinc ab eo vicissim audierũt, *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, Matt. 23. 38. VERS. 11.

Tropol.

Tropol. de reformatoribus Ecclesiæ.

Tropol. *Hæc vniuersa*, inquit S.Hieron. *possunt A de Ecclesiæ rectoribus intelligi, qui ædificantes carnalem domum, liberisq; suis & possessionibus prouidentes, non curant vel in seipsis extruere templum Dei, vel Ecclesiam Domini, quæ infecta & diruta est, instaurare: quorum sæpè vita & sermo incongruus scandalizat plurimos, & de Ecclesia eiicit, & ad solitudinem perducit domum Dei, vt propter eorum vitium, nec cæli rorem, nec terra det germen*, &c. Hac de causa Deus quouis sæculo excitauit insignes Pontifices, Doctores, fundatores Ordinum, viros sanctitate & sapientia illustres, qui ruinas Ecclesiæ restaurarent, eamque verbo & exemplo exædificarent. Tales fuere S.Athanasius, Basilius, Nazianz. Chrysost. Augustin. Hieron. Ambrosius, Benedictus, Bernardus, Dominicus & Franciscus: qui viuens Innocentio III. Pontif. per visionem apparuit, quasi sustentans ruentem basilicam Lateranensem, vbi Pontifex Pontificiam habet cathedram: qua visione motus Pontifex, eius regulam & Ordinē mox approbauit. Quin & idem Sanctus, simili viso ad idipsum à Deo vocatus est. Nam, vt narrat S.Bonauent. in eius Vita cap.2. *Cùm in ecclesiam S.Damiani quæ minabatur ruinam, causa orationis intrasset, prostratus ante imaginem crucifixi, in eamq; lachrymosis oculis intendens, vocem de ipsa cruce dilapsam ad se corporeis audiuit auribus, ter dicentem: Francisce, vade & repara domum, quæ, vt cernis, tota destruitur. Tremefactus Franciscus mentis alienatur excessu. In se tandem reuersus, totum se recolligit ad perficiendum mandatum de materiali ecclesia reparanda; licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quam Christus* B *suo sanguine acquisiuit, sicut eum Spiritus sanctus edocuit, & ipse postmodum Fratribus reuelauit.* Subdit S Bonauent. eum deinde tria templa instaurasse, scilicet S. Damiani, S.Petri & S. Mariæ de Angelis, vt significaretur quid facturus esset in posterum. *Nam instar reparatæ triplicis fabricæ ipsius sancti viri ducatu, secundùm datam ab eo formam, regulam & doctrinam, Christi triformiter renouanda erat Ecclesia, trinaq; triumphatura militia saluandorum*, putà triplex Ordo ab eo erat instituendus, qui omnes Ecclesiæ statu reformaret. Hi sunt quos in spiritu prævidens Isaias, gratulabundus eis accinit c.58.12. *Et ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamenta generationis & generationis suscitabis: & vocaberis ædificator septum, auertens semitas in quietem.* Denique S. Chrysost. orat.3. contra Iudæos tom.5. docet, eum qui animam conuertit, maius gratiusque donum Deo D offerre, quàm si templum ei construeret. *Vnicum*, inquit, *templum diruit Deus Hierosolymis, & innumerabilia erexit, illo longè venerabiliora. Vos*, ait, *estis templum Dei viuentis.* Et inferiùs: *Hæc est maior eleëmosyna, quàm decem millia talentorum, quàm hic mundus vniuersus, quantus quantus vndique patet oculis. Siquidem homo est toto mundo pretiosior. Huius enim causa & cælum, & terra, & mare, & sol, & stellæ condita sunt.*

VERS.12. SICVT MISIT EVM DOMINVS] Pro *sicut* hebr. est כַּאֲשֶׁר *caasçer*, quod vel causam significat, q.d. Quia miserat Aggæum Dominus, hinc populus audiuit eum: vel modum, q.d. Eo modo populus audiuit & obediuit Aggæo, quo Deus eum miserat, nimirum, verba eius non in alium sensum detorsit, sed planè ea accepit iuxta mentem Domini, prout ea protulerat & explicarat Aggæus, itaque eadem mox opere C pleuit. Vera enim obedientia consistit in eo verba præcepti non finistrè interpretemur, ad nostrum placitum explicemus & torquemus, sed ea simpliciter accipiamus & exequamur iuxta mentem præcipientis. ita à Castro.

ET DIXIT AGGÆVS NVNTIVS DOMINI IN NVNTIIS DOMINI] τὸ *nuntiis* potest accipi dupliciter, Primò, in genere neutro, q.d. Quiescit Domino à nuntiis, id est à legationibus, vti vulgò dicimus: Hic mihi est à pedibus, à consiliis, litteris. ita Arias. Vnde hebr. est מַלְאֲכוּת *malachut*, id est, vt Tigurina, Pagnin. & alij vertunt, *& dixit Aggæus, legatus Domini in legatione Domini*, id est qui fungebatur legatione, ad quam eum legarat & miserat Dominus. Vnde Syr. vertit, *dixit Aggæus angelus Domini in angelatu Domini*, hoc est *legatus*, vel *nuntius in nuntiatu Domini*, vt vertit Arabicus, qui scilicet mittebatur à Domino ad populum, vt ei Dei iussa nuntiaret. Secundò, & planiùs, masculinè, q.d. Dixit Aggæus, qui erat nuntius & legatus vnus ex probatissimis nuntiis & legatis Domini, cui proinde meritò Zorobabel & populus fidem præstitit. Simili hebraismo & geminatione dicitur Genes.19. *Pluit Dominus à Domino*. Ideo audacter inculcat Aggæus se mitti & loqui ex Deo, vt eo culis suis fidem conciliet, & acrius moueat pegrum populum ad fabricam templi, quam iterum iterumque iubeat & vrgeat Deus simul promittendo ad eam suam opem & protectionem. Legit interpres cum Septuag. alio puncto מַלְאֲכוּת *bemalachot*, id est in angelis, siue legatis & nuntiis: licet enim sit hoc nomen Hebræum femininum, tamen masculinè construitur, significatque rei, putà legationis, excellentiam. Sicut *Ecclesiastes* hebraicè vocatur קֹהֶלֶת *kohelet* femininè, q.d. Concionatrix, ob concionis præstantiam. Mulieres enim in eloquio sunt facundæ, disertæ & præstantes, miramque habent dicendi, in animum influendi & persuadendi vim. Ita Septuag. qui vertunt, ἐν ἀγγέλοις, id est *in*, id est *ex, angelis*, hoc est nuntiis. Sic & S.Hieron. Remig. & alij. Hic sensum eundem reddit, & coincidit cum priore. Ex hoc loco Origenes vti tacito nomine refert hic S.Hieron. suspicatus est Aggæum non fuisse hominem, sed angelum incarnatum, vti dixi in proœmio; sed temerè. Hebr. enim מַלְאָךְ *malach*, angelum significat non tantùm natura, sed & officio, id est legatum, nuntium, vt vertit Noster, Septuag. Chald. & alij. Hinc tamen discę dignitatem Aggæi. Ita de Septuag. vertunt, *dixit Aggæus angelus Domini in angelis Domini*, id est angelus inter angelos electus & electus. Ex Hebræo vertas, *dixit Aggæus angelus Domini in euangelio Domini*, vel *nuntius in annuntiatione Domini*. Christi enim ortum & redemptionem annuntiat festiuè cap.1.7. Simili modo vltimus Propheta vocatur *Malachias*, id est angelus Domini. Et Iohannes Baptista angelicam vitam & prædicationem vocatur angelus Malach.3.1. *Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Sic Christus Isai. 9.6. à Septuag. vocatur *magni consilij angelus*, id est nuntius. Videant hic dignitatē suam Prophetæ, id est doctores & prædicatores, sciantque se esse angelos in Euangelio Domini, se esse legatos

stios Dei. ita S. Paulus 2. Corinth. 3. 20. *Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo.*

EGO VOBISCVM SVM] *Non loquitur*, inquit S. Hieron. *ad Zorobabel & Iesum, cum quibus, & in quibus semper erat Dominus; sed ad populum, qui timuerat a facie Domini, q.d. Ego ero vester adiutor, ædificate domum meam quæ in vobis destructa est: me in medio vestri constituto, nemo ædificationem vestram prohibere poterit.*

A ET SVSCITAVIT DOMINVS SPIRITVM ZOROBABEL, ET SPIRITVM IESV] *Vt regnum & sacerdotium ædificent templum Dei*, ait S. Hieron *suscitatur etiam spiritus populi, qui in eis antè dormiebat: non corpus, non anima, sed spiritus, qui magis ædificare scit templum Dei.* VERS. 14.

Tropol. *Suscitatur in nobis Spiritus sanctus, vt ingrediamur domum Domini, & faciamus opera Domini.* Porrò suscitauit Deus spiritum, id est mentem animumque, populi, excitando illum vt alacriter & strenuè intenderet fabricæ. Tropol.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primam Aggæi prophetiam audiuimus cap. 1. hic audiemus tres alias quæ consecutæ sunt. Prima est v. 1. qua incitat Iudæos ad fabricam templi, promittendo maiorem eius fore gloriam quam fuerit templi Salomonici, eò quòd in illo docturus & miracula facturus sit Christus, cuius aduentum cunctis gentibus totiq; orbi desideratum fore prædicit, adeò vt in eo commouenda sint cælum & terra, mare & arida. Secunda est v. 11. qua Iudæos in inchoata fabrica tardiores & tædio affectos, quòd dicerent sufficere altare ad victimas, nec opus esse integro templo, redarguit; asserendo Deum nolle altare sine templo: altaris enim locus, domus & decus est templum. Quod si ædificare pergant, promittit eis frugum abundantiam. Tertia est v. 21. qua Zorobabeli ob præstitam in fabrica diligentiam pollicetur, quòd Christus ex eius stirpe nasceturus Deus euersis alijs regnis, dabit regnum æternum. Tres prophetiæ c. 2.

IN die vigesima & quarta mensis, in B
sexto mense, in anno secundo Darij regis.

2. In septimo mense, vigesima & prima mensis, factum est verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ, dicens:

3. Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedec sacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicens:

4. Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?

5. Et nunc confortare Zorobabel, dicit Dominus: & confortare Iesu fili Iosedec sacerdos magne, & confortare omnis populus terræ, dicit Dominus exercituum: & facite (quoniam ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituũ)

6. verbum quod pepigi vobiscum cum egrederemini de terra Ægypti: & spiritus meus erit in medio vestrum, nolite timere.

IN DIE VIGESIMA ET QVARTA MENSIS, IN SEXTO MENSE, IN ANNO SECVNDO DARII] Hæc verba pertinent ad finem capitis præcedentis, indeque pendent. Significant enim à Iudæis inchoatum fuisse opus, & fabricam templi die 24. mensis sexti, scilicet tunc cœpisse eos materiam præparare, ligna cædere & aptare. Nam fabrica ipsa inchoata est die 24. mensis noni, vt dicetur v. 11. Caput ergo secundum propriè incipitur à v. 2. alioquin enim versus secundus pugnaret cum primo, vt patet intuenti. ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Remig. Haymo, Lyran. Vatabl. & alij passim. Similem diastolem irrepsisse Ierem. 28. 1. censet S. Hieron. & alij. Vide can. 33. in Procœmio.

Cœpit ergo Aggæus c. 1. 1. hortari Iudæos ad opus die prima mensis sexti, perrexitque quotidie eos vrgere ad illud per 23. dies, tandemque perpulit eos, vt die 24. opus inchoarent. Eum imitentur concionatores, vt constanter pergant in arguendis vitijs, nec cessent, donec animos audientium permoueant ad illa extirpandum. Sicut enim *gutta cauat lapidem non vi, sed sæpè cadendo*; ita dura & lapidea hominum corda non vi, sed crebra monitione & inculcatione eiusdem rei mollienda sunt ita S. Chrysost. in homilijs ad populum, crebrò inuehitur in iurandi consuetudinem, ac hac de re murmurantibus respondet, se non destiturum, donec ipsi eam correxerint: omnia enim vincit constantia & perseuerãtia. Quocirca S. Paulus præcipit Timotheo epist. 2. c. 4. 2. *Prædica*, inquit, *verbum, insta oportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* C

IN SEPTIMO MENSE, VIGESIMA ET PRIMA MENSIS, FACTVM EST VERBVM] Ergo hæc prophetia, quæ ordine est secunda, mense penè integro fuit posterior inchoatione fabricæ: hæc enim inchoata est die 24. mensis sexti, vt dictum est v. 1. VERS. 2.

QVIS IN VOBIS EST DERELICTVS, QVI VIDIT DOMVM ISTAM IN GLORIA SVA PRIMA?] qui scilicet viderit prius templum Salomonis augustum, antequam illud cum vrbe euerteretur à Chaldæis.

ET QVID VOS VIDETIS HANC NVNC?] q.d. Qualem, quàm vilem & exilem videtis fore secundam hanc domum Dei quam ædificatis, si comparetur cum templo Salomonis? iam pridem enim eius fundamenta erant iacta sub Cyro, à quorum exiguitate & vilitate colligere licebat, VERS. 4.

cebat, exiguam & vilē fore fabricam. Templum autem Salomonis augustissimum aliqui viderāt, alij tale fuisse à patribus audierant. Nam Iudæi Babylone redeuntes, vtpote pauci & pauperes, templum ædificabant ex lapide vulgari & impolito, cùm Salomon illud constru xisset ex lapidibus politissimis, ijsq; validis & pretiosis, 3. Regum 6. Secundò, templum hoc iussu Cyri altitudinem, æquè ac latitudinem, habiturum erat sexaginta dumtaxat cubitorum, 1. Esdræ 6. Salomonis verò duplo erat altius & latius: erat enim 120. cubitos altum, æquè ac latum. Quocirca templum hoc secundum, intra pristris sepia ædificatum est, illius ruinis extrà in circuitu relictis; quibus demolitis vsque ad fundamenta, ijsdem inædificauit suum templum Herodes, si credimus Iosepho l. 15. Antiq. 14. Quocirca cùm primò hoc templum fundaretur anno 1. Cyri, *principes patrum & seniorum qui viderāt templum prius, flebant voce magna*, ait Esdras l. 1. c. 3. 12. Vnde liquet multos vidisse vtrumque templum. nam ab eius excidio, quod contigit anno 11. Sedeciæ, vsque ad primum annum Cyri, fluxerunt anni 59. inde vsque ad annum 2. Darij fluxerunt anni 11. qui prioribus additi faciunt 70. Qui ergo 80. erant annorum, poterant prius templum vidisse, eiusque magnificentiæ optimè meminisse. Sanè Esdram vidisse certum est: nam parens eius Saraias pontifex, occisus est in excidio vrbis & templi: quare necesse est, vt Esdras ante illud ab eo genitus sit. Esdras autem prorogauit vitam post Darium vsque ad Artaxerxem, cuius fuit pincerna, vti ipse narrat l. 1. c. 7. Sic & Daniel annis 8. ante excidium vrbis & templi, putà anno 3. Ioakim abductus est in Babylonem, vti ipse ait c. 1. 1. Daniel autem vixit vsque ad finem regni Cyri, vt patet ex eius c. 10. 1. imò, si Hebræis credimus, vixit vsq; ad Artaxerxem Longimanum. Idem patet de Mardochæo patruo Esther Nehem. c. 7. 7.

QVASI NON SIT] Septuag. *& quomodo videtis ipsam nunc, sicut non existentem?* Chald. *nónne quasi res nihili, sic & ipsa est in oculis vestris?* Si nimirum comparetur cum magnificentia templi Salomonis, quam vel vidistis, vel ab ijs qui viderunt, audistis.

VERS. 5. FACITE] Scilicet opus in domo mea, inquit S. Hieron. & alij mox citandi. Verùm Hebr. & Romana 5ª *facite* referunt ad *verbum*, quod paulò pòst sequitur, q.d. Facite verbum quod pepigi, &c. Vnde intermedia, scilicet *quoniā ego vobiscum sum, dicit Dominus exercituum*, intercipiunt & includunt parenthesi.

VERS. 6. VERBVM QVOD PEPIGI] Est hîc duplex dispunctio, & consequenter duplex sensus. Prior, *verbum* accipit in nominatiuo, illudque refert ad sequentia, q.d. Facite opus in templo quod iubeo, quia *verbum*, id est pactum & fœdus quod vobiscum pepigi per Mosen in Sina, quoque promisi me fore vestrum Deum & protectorem, vos tutabitur contra Samaritas volentes impedire templi fabricam, & contra alios quoslibet hostes: quia scilicet ego idipsum quod olim in hoc fœdere promisi, nunc opere præstabo & reipsa exequar. ita Septuag. Chald. S. Hieron. Theodoret. Haymo. Lyran. & Pagnin. Sic mysticè *Verbum* est filius Dei, Iudæis promissus quasi Messias. vt hîc significetur sancta Trinitas, nimirum Pater dicit: *Ego vobiscum sum.* Filius est Verbum, Spiritus sanctus est spiritus qui cum eis erit, scilicet per effectum gratiæ, opis & protectionis, quam ea præstabit. ita S. Hieron. Albertus, Nyssenus, Haymo & alij mox citandi. Fauet Chald. dum vertit, *verbum meum erit vobis auxilio.* Vnde & mox Propheta pergit prophetare de Christo docens: *Adhuc vnum modicum*, &c. *& veniet Desideratus cunctis Gentibus.* Posterior dispunctio planior est, vt *verbum* sit accusatiui casus (hunc enim notat articulus אֵת *et*, qui ordinariè accusatiuo, rarò nominatiuo seruit) & referatur ad *facite*, q.d. Facite verbum, id est legem, quam in pacto vobiscum inito, quasi conditionem fœderis à vobis præstandam exegi: ego vicissim præstabo quod meum est, nimirum opem quam vobis promisi, faciamque vt spiritus meus prouidus, vigil, acer, potens & efficax sit in medio vestri, vosq; tueatur, corroboret, adiuuet & propugnet. ita Hebræi & Arias. Hunc sensum exigit parenthesis Romanis Biblijs interiecta, & Hebr. articulus *et*, vti paulò antè dixi.

ET SPIRITVS MEVS ERIT IN MEDIO VESTRVM] *Spiritus*, tum increatus, isq; duplex: prior, in Deo essentialis, qui est ipsa mens & potentia diuina, cuius dotes describit Sapiens cap. 7. 22. dicens: *Est enim in illa* (sapientia diuina) *spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus.* Posterior, notionalis, putà Spiritus sanctus, de quo hunc locum accipiunt S. Hieron. Theodor. Remig. Haymo, Arias hîc, & S. Athanas. epist. ad Serapionem, Cyrillus catech. 19. ac Nyssenus l. Testimon. contra Iudæos de Sanctissima Trinite, vbi sic legit: *Confirmare Zorobabel, quia ego vobiscum sum, & verbum meum bonum, & spiritus meus in medio vestrûm*; ex eoque probat in vna Deitatis essentia esse trinitatem personarum. *Quid enim*, inquit, *opus erat trium mentionem facere, si non vnumquodque proprium est in propria subsistentia personæ?* Spiritui sancto enim appropriatur amor, cura, protectio, fauor, auxilium, quæ hîc Deus se spiritu suo præstiturum Iudæis promittit: vt sit in medio eorum, sicut spiritus noster medius est in corpore, & Spiritus sanctus est in medio Ecclesiæ. Secundò, Spiritus hic increatus ex se diffundit spiritum creatum sibi similem. Vnde Albertus per spiritum hunc accipit spiritum sapientiæ, virtutis & fortitudinis, quem Deus aspirauit Mosi, & per eum septuaginta senioribus ad iudicandum, dirigendum & regendum populum Israel, Num. 11. 25. Accedunt Hebræi, qui per spiritum accipiūt prophetiam. Vnde Chald. vertit, *Prophetæ mei decebunt vos, ut meatis*, q.d. Dabo vobis Aggæum, Zachariam & Malachiam Prophetas, qui vos in opere dirigant, animent, corroborent, Deumque in dubiis omnibus consulant. Malachias enim fuit vltimus Prophetarum, nec post eum Iudæi deum vsque ad Christum habuerunt, inquit S. Hieronymus, & idipsum fatentur Hebræi. Possumus tamen generaliùs & plenius hunc spiritum accipere, q.d. Ego spiritu meo vobis adero, vobisque aspirabo spiritum prouidentiæ, fortitudinis, alacritatis, æquè ac artis architectonicæ, qua

negotij opus hoc fabricæ templi alacriter, forte prouidè, æquè ac sapienter & affabrè suscipiens & peragatis. Itaque spiritus hic inter alia significat attem architectonicam: hæc enim maxime necessaria erat in fabrica templi. Significat ergo, quòd, sicut olim illam spiritu suo aspirauit Beseleel in fabrica tabernaculi, Exodi cap. 31. 2. ita nunc eamdem Iudæis aspirabit in fabrica templi, dabitque insignes architectos, fabros & opifices. Discant hîc architecti & opifices, artem mechanicas esse dona Dei. Vnde sæpè in excellunt, qui pij sunt, Deumque adid inuocant.

7. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam.

8. Et mouebo omnes Gentes: & veniet Desideratus cunctis Gentibus: & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.

9. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum.

ADHVC VNVM MODICVM EST, ET EGO COMMOVEBO] Est hebraismus, q.d. Post modicū tempus commouebo cælum, &c. Certum est Prophetam loqui de Christo, eiusque primo in carnem & mundum aduentu. De eo enim explicat Apostolus Hebr. 12. 26. & passim Patres, S. Hieron. Remig. Rupert. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. Arias, Clarius, Vatab. hîc, & S. August. 18. Ciuit. 35. S. Ambros. l. 3 epist. 12. Cyril. l. 5. in Genes. quin & Hebræi apud Galatin. l. 4. c. 9. & 10. Cōsolatur enim Propheta Hebræos pusillanimes & mœstos, quòd viderent fabricam templi secundam tum fore exiguam, vilem, & quasi nullius momenti, si compararetur cum fabrica Salomonis. Consolatur, inquam, hoc argumēto, quòd Deus magis glorificaturus sit templum secundum quam primum, eò quòd in secundo daturus sit Christum doctorem & saluatorem, ideoque in eius aduentu commoturus sit cælum & terram, omnesque elementa, in quibus mira, magnifica & gloriosa sit patraturus ad gloriam Christi, & consequenter templi.

Nota. Ab hac prophetia, facta anno 2. Darij Hystaspis, vsque ad ortum Christi fluxerunt anni 517. vti dixi in proœmio. Hi tamen vocantur hîc tempus modicum, tum quia Prophetis elegantibus ad Deum Deiq; æternitatem, omnia tempora, atque ac terrena & sæcularia, videntur, & reuera sunt modicum quid, imò punctum, vel momentum dumtaxat. Simili modo S. Iohan. epist. 1. 2. 18. tempus legis nouæ vocat *horam nouissimam: Filioli*, inquit, *nouissima hora est.* Tū quia modicum erat respectu temporis elapsi ab orbe condito, & à lapsu Adæ, à quo mox Deus promisit Saluatorem Christum, Gen. 3. 15. Cùm enim hæc dixit Aggæus, elapsi erant à genesi mundi anni 3414. ita Lyran. & Vatabl. Addit Arias, esse modicum respectu legis Christianæ, quæ iam durauit 1624. annos, & plures durabit.

Pro vnum modicum, Septuag. & eos secutus S. Paulus Hebr. 12. 26. vertūt, ἅπαξ, id est *semel*: quia Hebraicum *achat*, id est vnum, sumitur pro semel:

A intelligitur enim אחת *paam*, id est vice, q. d. Vna vice, id est semel. Vox *semel* significat vnicam tantùm legem Christi & Euangelij, successuram legi Mosaicæ & Prophetis, post quam nulla alia sit exspectanda, ita vt ea finita venturum sit Christi iudicium, resurrectio, vita & gloria æterna his qui eam obseruauerunt.

COMMOVEBO CAELVM ET TERRAM] vt omnes homines & angelos, per multa magnaque prodigia excitem ad attētionem operis magni, quod patraturus sum, scilicet ad Christi incarnationem, legislationem & redemptionem; sicut Iudæos olim per similia excitaui in Sina, ad excipiendam legem veterem per Mosem, vt ijsdem tam Mosi, quàm legi auctoritatem conciliarem, & pondus adderem. ita S. Chrysost. hom. 1. in epist. ad Roman. Nota, licet S. August. libr. 18. de
B Ciuit. c. 48. & Rupert. hîc, hanc commotionem cæli & terræ accipiant de signis & portentis præuijs diei iudicij, & iudici Christo, deque resurrectione & glorificatione Beatorum, de quibus Matth. cap. 24. tamen ad literam accipiendam esse illam, quæ facta est in primo aduentu Christi in carnem, putà paulò ante eius incarnationem, vt censent Hugo, Lyran. & Clarius; vel eo incarnato, docente, patiente, resurgente & mittente Spiritum sanctum in Apostolos. ita S. Hieronymus, Remig. Haymo, Albert. Arias hîc, Ambros. lib. 3. epist. 12. & August. lib. 18. de Ciuit.
C cap. 35. Hæc enim commotio facta est ad hoc, vt significaret legem veterem in nouam, Mosem in Christum, Prophetas in Euangelium, iudaismum & gentilismum in christianismum esse commutanda, vti docet S. Chrysost. hom. 14. in Matth.

Quærēs Primò, quænam veniente Christo facta est commotio in cælo? Respond. Prima fuit, quòd eo ipso die, imò hora & momento, quo Christus natus est, angeli apparuerūt pastoribus, eiusque ortum annunciarunt cum iubilo canentes: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus*, Lucæ 2. 14. *Commotio cæli nascēte Christo. Prima.*

Secunda, quòd stella insoliti splendoris Magis apparuerit, eōsque ex Oriente vocarit & deduxerit ad Christum, Matth. 2. 1. *Secunda.*

Tertia, quòd paulò ante Christi ortum subi-
D nitium imperij Augusti, *hora circiter tertia, repentè liquido ac puro cælo, circulus ad speciem cælestis arcus orbem solis ambijt, quasi vnum eum ac potentissimum in hoc mundo, solumq; clarissimum in orbe monstraret* (Augustum Cæsarem) *cuius tempore venturus esset, qui ipsum solem solus mundumq; totum & fecisset, & regeret*, inquit ex Suetonio Orosius l. 6. histor. c. 18. Quid enim circulus hic vestiens solem, nisi humanitatem, quæ diuinitatem Christi quasi parelius velauit & vestiuit, significauit? *Tertia.*

Quarta, quòd globus aurei coloris Romanis visus sit è cælo ad terram descendere, ibiq; maior effectus, rursus in cælum ascendere, ac solem obtegere. ita Orosius ibidem. *Quarta.*

Quinta, quòd vno anno ante Augusti imperium, sub quo natus est Christus, visi sint tres soles in vnum coire, inquit Euseb. in Chronico. Sequenti anno, inquit Dio, & ex eo Baron. visus est sol intra tres circulos effulgere, quorum vnum corona spicarum ignita circumdabat; quod tamen Dio censuit fuisse prognosticon Triumui- *Quinta.*

ratus Augusti, Antonij & Lepidi; cùm verius significatus fuerit verus sol Christus Dominus, qua Deus in tribus circulis, id est personis diuinis, per περιχώρησιν id est circumincessionem existens; & qua homo factus, tribus substantijs, putà deitate, anima & carne, constans.

Sexta. Sexta, viuente Christo Spiritus sanctus in eùm dum baptizaretur, specie columbæ è cælo descendit. Vox Patris audita est: *Hic est filius meus dilectus*, Matth. 3.17. Eadem audita est in transfiguratione, vbi Christus cælesti gloria coruscus resplenduit, ac Moses & Elias è cælo lapsi affuerunt, Matth. 17.5.

Septima. Septima, angeli tum in passione, tum in resurrectione, tum aliàs sæpè ei ministrarunt, Iohan. 1.51.

Octaua. Octaua in passione eius sol in plenilunio, cùm B maximè distat à luna, quæ eius eclipsim causare solet, eclipsi vniuersali planè obscuratus, mortem sui creatoris pullatus luxit, adeò vt Dionys. Areopagita exclamarit: *Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur*, vti ipse refert scribens ad Apollophanem.

Nona. Nona, quòd 40. post resurrectionem die, visibiliter coram discipulis gloriosus in cælum ascenderit, Actor. 1.

Decima. Decima, quòd inde quinquagesimo die miserit Spiritum sanctum specie linguarum ignearum, cum ingenti fragore, in Apostolos, Act. 2.

Vndecima. Vndecima, quòd Augusto Cæsari è cælo Virgo Deipara, infantem vlnis gestans apparuerit in Capitolio, cùm iam antè ipse oraculo Apollinis edoctus natum esse puerum Hebræum, qui idolorum oraculis silentium indixisset, eidem in Capitolio aram erexisset, hoc titulo: *Ara primogeniti Dei.* Quocirca Constantinus Magnus ibidem templum erexit in memoriâ Dei genitricis Mariæ, quod etiamnum exstat, & vulgò *Aracali* nuncupatur: vbi & locus visionis Augusti ostenditur. ita ex Suida, Nicephoro & alijs Baron. in Apparatu Annal. Addunt multi, id per Sibyllam Augusto ostensum fuisse; sed per Sibyllam intelligũt prophetissam aliquã illius æui. Nam inter Sibyllas propriè dictas vltima fuit Cumana, quæ diu ante Augustũ vixit sub Tarquinio Superbo.

Commotio terræ nascẽte Christo. Prima. Quæres Secundò, quænam commotio facta est in terra? Resp. Prima est, quam hisce verbis describit Orosius libr. 6. cap 20. & libr. 7. cap. 2. *Annus natiuitatis Christi quãtis, quàm nouis, quámque inusitatis bonis abundauerit, satis etiam me non proferente compertum haberi arbitror. Toto terrarum orbe vna pax omnium, non cessatione, sed abolitione* D *bellorum: clausa Iani gemini porta, extirpatis bellorum radicibus, non repressis. Census ille primus & maximus fuit, cùm in vnum Cæsaris nomen vniuersa magnarum gentium creatura iurauit, simulq; per communionem census vnius societatis effecta est*; videlicet vt Augustus sua monarchia sterneret viam vero monarchæ Christo, eiusque Euangelio in totum orbem per suum caput, putà per Romam, propagando, vti aduertit S. Leo hom. 1. de S. Petro: *Dispositio namque diuinitus operi*, inquit, *maximè congruebat, vt multa regna vno confœderarentur imperio, & citò populos haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis.* Porrò quod de Iano, tempore Christi tertiò clauso, asserit Orosius, subdubitat Baron. eò quòd veteres non nisi bis Iani clausi memi-

A nerint. Verùm verisimile est Orosium, vetus & grauem historicum, à S. Augustino laudatum, id à veterioribus accepisse, nec id ex se confixisse, vti rectè aduertit noster Barradius tom. 1. l. 8. c. 12.

Secunda, quòd ex Sibyllarum oraculis centibus, sub illud tempus ex Oriente verum regem, qui orbi dominaretur, Romanaque gentes, eius partim metu, partim exspectatione commotæ fuerint. Audi Tacitum: *Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, eo ipso tempore fore, vt valescerent Orientis, profectique Iudæa rerum potirentur; quæ ambages Vespasianum ac Titum prædixerant.* Ita ipse, vtpote Gentilis, oraculum de Christo ad Vespasianum detorsit. Idem habet Suetonius in Vespasiano; qui & addit, Iudæos hac de causa, spe scilicet regis sui Messiæ mox affuturi, rebellasse Romanis, ideoque à Tito esse excisos.

Tertia, quòd ante Christum oraculũ Delphicum, aliaq; siluerunt, teste Cicerone l. 2. de Divinat. Arnobio l. 3. contra Gentes, & alijs. Vndè ex Paxo insula vox audita, *Magnus Pan mortuus est*, teste Eusebio l. 5. de Præpar. c. 9.

Quarta, quòd anno tertio triumuiratus Augusti, putà 40. annis ante natiuitatem Christi, Romæ trans Tiberim è taberna meritoria, per totum diem fons olei largissimus è terra profluxit. *Quo signo*, inquit Orosius l. 6. c. 20. *quid euidentius, quàm in diebus Cæsaris Augusti futura Christi natiuitas declarata est? Christus enim vnctus interpretatur. Itaque cùm eo tempore, quo Cæsari perpetua tribunitia potestas decreta est, Romæ fons olei per totum diem defluxit*; significauit, *per omne tempus Romani Imperij Christum, & ex eo Christianos, qui est vnctum, & ex eo vnctos, de meritoria taberna, quæ est de hospitali largaq; Ecclesia, affluenter atque* C *successibiliter processuros.* Hic ergo fluxus olei è terra portendit Christum in terra nasciturum, & viscera misericordiæ in nos effusurum. Vnde & de eo dicitur Cant. 1. 2. *Oleum effusum nomen tuum.* Meruit locus ille, inquit Baron. nobilissima memoria illustrari, ecclesia nimirum amplissima, Dei genitricis titulo, à Callisto Pontifice prima omnium, quarum exstet memoria, olim erecta: vbi in ipsissimo loco è quo oleũ profluxit, in prisci miraculi testimonium, ista epigraphe inscripta legitur: *In hac prima Dei matris ade, taberna olim meritoria, olei fons è solo erumpens, Christi autum portendit.*

Quinta, quòd *in Capitolio*, inquit Dio libr. 47. *multæ statuæ de cælo tactæ, liquefactæq; fluxerant, deiectæq; erant tum alia simulachra, tum Iouis columnæ insistens. præterea imago lupæ, cum Roma & Romulo consecrata, ecciderat: literæ etiam in columnis, in quibus leges seruabantur, obliteratæ atque infusæ erant.* Vnde Suetonius in Augusto cap. 94. ait: *Prodigium Romæ factum, quo denuntiabatur regem populo Romano naturam parturire. Vulsentum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur.*

Sexta, quòd Augustus noluerit amplius Dominus nominari, inquit Suetonius in Augusto cap. 53. quasi interno Dei instinctu præsentem aduentare Christum, verum cæli terræque Dominum.

Septima, quòd Christo puero fugiente infanticidium Herodis, mox vt Ægyptum intrauit,

Æg-

Ægypti idola corruerunt, vti passim tradunt veterum, quos citaui Isaiæ 19. 1.

Obiua, quòd Christo patiente petræ scissæ sunt, & tota terra ingenti terræ motu quasi indignans, & parans vlcisci necem sui creatoris, concussa est, & (si credimus Origeni) è suo centro concussa est. Vnde de eo Plinius lib. 2. cap. 48. *Mane, inquit, terræ memoria mortalium extitit motu Tiberij Cæsaris principatu, duodecim vrbibus Asiæ una nocte prostratis.*

Mare et aridam] Per aridam oppositam mari, vel accipe insulas cum Lyrano; vel certè totum reliquum orbis, quod terra occupat, spatium, vt terram, quam paulò antè nominauit Propheta, id est globum terræ, qui constat ex aqua & terra, subdiuidat in mare & aridam; perinde ac in genesi mundi Deus ea dispescuit: *Et vocauit aridam terram, congregationesq; aquarum appellauit maria*, Genes. 1. 10.

Porrò commotiones in mari variæ sub tempus Christi factæ sunt. Prima, per bella naualia, ac præsertim Actiacum, quo Augustus profligata classe Antonij, factus est monarcha, teste Suetonio. Secunda, quòd in Britannia ingens excitatu fuerit maris tempestas, adeò vt insulani dicerent aliquem ex dæmonibus vel heroibus defecisse. ita ex priscis Historicis à Castro. Tertia, quòd Christus maris procellas sedauerit, & super vndas maris ambularit; quin & eadem S. Petrum calcare fecerit. Insuper in passione cùm terræ motu concussit terram, concussit pariter & mare. Quarta, quòd Deus insulanos omnes commouerit audita fama Christi & Euangelij, ad fidem eius capessendam; alios verò in infidelitate obstinatos commouerit, id est occasionem dederit ad illud persequendum & extirpandum. Audi S. Augustin. lib. 18. de Ciuit. cap. 35. *Mouit, inquit, cælum, angelorum & siderum testimonio, quando natus est Christus. Mouit terram, ingentium miracula de ipso Virginis partu. Mouit mare & aridam, cum & in insulis, & in orbe toto Christus annuntiatur. Ita moueri omnes gentes videmus ad fidem.* Audi & S. Ambros. in hæc Aggæi verba, sub finem tomi 2. *Mouerat ante hæc* (Deus cælum & terram) *cum de Ægypto liberaret populum suum, quando in cælo columna erat ignis, terra inter fluctus, mare in mari, viam aqua, in deserto mensa quotidiana frugum cælestium* (manna) *multiplicabatur, petra fluebat in fontes aquarum: sed mouit & postea in passione Domini Iesu, quando cælum tenebris obductum, fugit, petræ scissæ, tumuli aperti, mortui resurrexerunt, draco victus in fluctibus suis vidit piscatores hominum, non solùm nauigantes in mari, sed etiam ambulantes sine periculo. Desertum quoque mouet, quando infructuosus nationum populus in messem vertitur fidei & fides flauescere, &c. vt plures filij sunt desertæ, quam eius quæ habebat virum: & florere desertum vt lilium*, Isaiæ 35.

Caeterùm cur cælum, terra, mare & arida in incarnatione Christi concussa fuerint, sunt multæ. Prima quia quasi admirata sunt, & obstupuerunt tantam Christi exinanitionem, æquè ac charitatem. Secunda, vt torpentia hominum corda excitarent, ad tam insolitum prodigium, eaque saxea mollirent, ad hanc Christi dignationem digno amore & gratitudine excipiendam. Tertia, quia omnes creaturæ per Christum restauratæ, imò quasi deificatæ sunt, dum per Christum Verbo Dei sunt vnitæ: omnium enim creaturarum compendium & microcosmus est homo. Dum ergo Christus hominem assumpsit, omnes creaturas assumpsit. hinc in eius incarnatione commotæ sunt, quia gauisæ sunt, & præ gaudio quasi exilierunt; præsertim quia per eum sperarunt, & sperant liberationem à corruptione & miseria, quam cum homine incurrerunt per peccatum Adæ, iuxta illud Apostoli Rom. 8. 19. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat: vanitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc.*

A

Et mouebo omnes Gentes] Primò, per bella ciuilia, quæ gesta sunt inter Augustum, Antonium & Lepidum triumuiros, quibus debellatis Augustus constituit se monarcham. ita Mariana. Secundò, in censu quo omnes profecti ad suas ciuitates, cogebantur profiteri se Augusto esse subiectos. Tertiò, per prædicationem & miracula Christi & Apostolorum, perque portenta edita in cælo & in terra, tam nascente, quàm patiente Christo, quæ iam recensui, commotæ sunt Gentes ad pœnitentiam, & ad fidem Christi capessendam. Vnde pro *mouebo* hebr. est וְהִרְעַשְׁתִּי *hirasti*, id est percellam, tremefaciam, pauorem & trepidationem injiciam; Septuag. συσσείσω, id est quatiam, concutiam. ita S. Hieron. & eius asseclæ; vnde noster Emmanuel: Mouebo, inquit, stupore tanti mysterij, & lætitia, & vitæ innouatione omnes gentes.

B

Vers. 8. *Commotio Gentium multiplex.*

Et veniet desideratus cunctis Gentibus] *Et* id est *quia*. q.d. Commouebo cælum, terram, mare & aridam: quia veniet Messias, quem omnes gentes, imò omnes creaturæ desiderant: Christus enim est principium, exemplar, finis, nodus, vinculum, centrum, vita, salus, felicitas totius vniuersi. Vnde Apostolus Ephes. 1. 10. *Proposuit* (Deus) *in eo, in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terra sunt.* Vbi pro *instaurare*, græcè est ἀνακεφαλαιώσασθαι, id est recapitulare, ad caput reuocare: Christus enim est anacephalæosis, id est summa, caput & recapitulatio, omnium operum Dei, visibilium & inuisibilium. Vide ibi dicta. Quocirca omnes res feruntur in Christum, tamquam in centrum, cui coniungi desiderant. Rursum omnes appetunt Christum, tamquam sacerdotem magnum, qui ab omnibus mala cuncta remoueat, & bona cuncta procuret. Hoc est quod ait Christus: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum*, Ioan. 12. 32. Christus enim est Antistes & Pontifex magni fani, id est totius mundi. Nam, vt ait Philo lib. 1. de Monarchia, mundus est quasi templum sacrum Dei, cuius antistes est homo, vt pro omnibus Deo gratias agat, & ab eo singulis bona impetret, & mala auertat. Audi Lactant. lib. de Ira Dei cap. 14. *Sequitur vt ostendam, cur fecerit hominem Deus. Sicut mundum propter hominem machinatus est, ita ipsum propter se, tamquam diuini templi antistitem, spectatorem operum rerumq; cælestium: solus enim est, qui sentiens capaxq; rationis intelligere possit Deum, qui opera eius admirari, virtutem potestatemq; perspicere, &c. Ideo*

C

Christus est centrum & felicitas orbis.

D

sermonem solus accipit, ac linguam cogitationis interpretem, vt enarrare maiestatem Domini sui possit. Verùm cùm homines ad id non sufficiant, & plerique in terram demersi ad cælum non suspiciant, nec Deum auctorem agnoscant; hinc missus est Christus, qui quasi mundi Antistes id præstaret, Deoque debitam gratitudinem & cultum pro omnibus persolueret, & homines ad idem faciendum impelleret. Vnde eius typo pontifex Aaronicus in veste gestabat totum orbem, iuxta illud Sapient. 18.24. *In veste poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum.* Hinc & Christus dicitur portare omnia verbo virtutis suæ, Hebr. 1.3. Hinc rursum ipse vocatur desiderium collium æternorum, id est Prophetarum, Patriarcharum & illustrium Sanctorum, Genes. 49.26. Vnde Iacob ibidem v. 17. *Salutare* (id est saluatorem Christum) inquit, *tuum exspectabo Domine.* Et Isaias cap. 45.8. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet saluatorem.* Quin & Sibylla Cumana apud Virgil. eclog. 4. sic canit, sic gestit ad Christi ortum:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo:
Iam noua progenies cælo demittitur alto,
Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Chara Deûm soboles, magnum Iouis incrementum.
Aspice venturo lætentur vt omnia sæclo, &c.

Hebræa ad verbum habent, *& venient desiderium* (vel *desideria*: pro חֶמְדַּת *chemdat* enim in singulari, alio puncto potest legi חֶמְדּוֹת *chemdot* in plurali) *cunctarum gentium*; Septuag. *& venient electa omnium gentium*, vel, vt S. Hieron. & August. 18. Ciuit. 48. legunt, *venient quæ electa sunt Domini de cunctis gentibus.* quæ sic exponunt, q.d. Non solùm Iudæi, sed & omnes Gentes quæ à Deo electæ fuerint, venient ad Christum: non enim omnes Gentes, sed tantùm pars aliqua à Deo selecta, & vt pretiosus thesaurus desiderabilis, venit ad Christum. Ita S. Iohannes epistolam secundam inscribit: *Senior electæ Dominæ.* Vnde Arabicus Antioch. vertit, *venient populi cum desiderio*; Arabicus Alexandr. *venient gentes electæ*, Syrus, *afferent desiderium quod est cunctis gentibus.* Verius est Septuag. per *electa gentium* significasse Christum, qui vnus est ex omnibus gentibus electus, per quem cæteri omnes electi & dilecti sunt à Deo; quem proinde omnes gentes elegerunt, adamarunt, desiderarunt & amplexi sunt. Hoc enim significat Hebr. *chemdat*; Pagnin. *& venient quæ sunt desiderium omnium gentium.* Minùs rectè vertunt R. Dauid & Clarius, *& venient cum desiderio omnes gentes*, scilicet vt se, suaque omnia pretiosa & desiderabilia, quasi munus offerant Christo. Nam hoc ipsi supplent, cùm idipsum requirendum sit in Propheta: qui cùm hîc non aliud Christi epithetum assignet, quàm τὸ *desiderium*, sequitur *desiderium gentium* non aliud esse quàm Christum. Et ita exponunt Chaldæus, Tigurina, R. Akiba apud Galatin. lib. 4. cap. 9. Vnde hinc validum sumas argumentum contra Iudæos, quo probes iam venisse Messiam, nimirum: Aggæus consolatur Zorobabel & Iudæos in fabrica templi sui exilis & vilis, hortaturque vt in ea pergant, eò quòd ad illud venturus sit Messias. Illud autem templum iam transijt, & destructum est à Tito & Romanis. Ergo pariter iam venit & trãsijt Christus. Quod enim Arias per desiderium, vel desideratum, accipit Spiritum sanctum, quem omnes gentes exspectabant, vt curaret ipsorum infirmitatem, non Christum, absonum est & contra omnes Interpretes. Messias enim Iudæis, vt fuit promissus, ita & desideratus, non Spiritus sanctus; quem è Iudæis pauci, ex Gentibus fere nulli cognouerũt. Vnde Spiritus sanctus non Iudæis, sed Christianis à Christo est promissus & datus in Pentecoste. Communis ergo Hebræorum, Latinorũ & Græcorum sententia est, per *desiderium* intelligi Christum. ita S. Hieron. Remig. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. & alij.

Veniſſe Meſſiã conuincitur ex Aggæo.

Vbi Nota, Christum vocari desiderium, vel desideria omnium gentium, quia summè est desiderabilis. Licet enim Gentes infideles eum non desiderarent, imò eum non cognoscerent; tamen ipse in se summè erat, estq; desiderabilis, vt sit metalepsis, q.d. Christus fuit desideratus cunctis gentibus, hoc est, omnes gentes summè egebant Christi aduentu, vt è suis miseriis liberarentur, ideoque non rationali, sed naturali appetitu eum desiderabant, sicut terra arida humido desiderat pluuiam (egere enim, est tacitè desiderare id, quod egestatem leuet: vnde nonnulli desiderare hîc explicant per egere. ita Martin. de Roa libr. 1. Singul. cap. 13 in fine.) Quocirca Gentes mox vt de eius vita, doctrina, sanctitate & miraculis per S. Paulum & Apostolos inaudiuerunt, mox vt Apostolorum prædicatione commotæ & compunctæ sunt, eum desiderare cœperunt; & quo magis cognouerunt, eo magis desiderarunt & adamarunt, adeò vt non tantùm opes, sed & sanguinem vitamque libentes pro eo profunderent, vt patet ex centenis millibus Martyrum, qui primis trecentis post Christum annis toto orbe exstiterunt. Hinc Christus à Iacob patriarcha Genesis 49. v. 10. vocatur *exspectatio Gentium*, præsertim vbi illæ per Apostolos cognouerunt, se, Iudæis incredulis exclusis, in familiam & benedictionem Abrahæ per Christum surrogandas esse. Hîc ergo est expressa prophetia de vocatione Gentium. Porrò Hebr. חֶמְדַּת *chemdat*, concupiscentiam & desiderium non quale quale, sed ingens ardens & æstuans significat. Vnde Daniel cap. 9. 23. vocatur אִישׁ חֲמוּדוֹת *ir chamudot*, id est vir desideriorum: quia inflammatis desiderijs æstuabat, orans ardentissimè Deum pro liberatione populi. Sic Gentes credentes Apostolis fide, spe, & charitate inflammata æstuarunt in Christum, & alios ad eumdem adamandum eodem æstu incitarunt, dicentes: *Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*, Isaiæ 2. 3. Sic Cicero l. 14. epist. ad vxorem & filiam: *Ardete*, ait, *mea desideria.*

Secundò, quia Christus omnia gentium desideria plenè expleuit & satiauit.

Tertiò, desiderium hoc accipi potest, non gentium, sed Christi, q.d. Veniet in carnem Christus, quia mirè desiderat redimere & saluare omnes gentes, ac præsertim electos ex Gentibus, vt vertunt Septuag. sicut enim sponsus ardenter

rent sponsam, ita Christus Ecclesiam, quæ penè tota collecta est è Gentibus, ac vicissim sua gratia efficit, vt Ecclesia ardenti amore ipsum, vt bona sponsum redamet. Hic amor sponsi & sponsæ toto libro Canticorum multis parabolis describitur. Eundem eructat Ecclesia in officio Ascensionis Domini:

Iesu nostra redemptio,
Amor & desiderium,
Deus redemptor omnium,
Homo in fine temporum.
Quæ te vicit clementia,
Vt ferres nostra crimina,
Crudelem mortem patiens,
Vt nos à morte tolleres?

Et mox:

Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium.
Sit nostra in te gloria,
Per cuncta semper sæcula. Amen.

Denique Gentes ante Christum, credentes in Deum in lege naturæ, aut proselytæ & conversæ ad Iudaismum, æquè ac Iudæi exspectabant ac desiderabant Christum, quasi salvatorem mundi, quasi iubar cæleste, quasi candorem lucis æternæ, quasi solem iustitiæ, qui totum orbem caligine infidelitatis & ignorantiæ offusam illuminaret, ac sedentes in tenebris & umbra mortis eriperet, sanaret, iustificaret & bearet. Talis fuit Iob, cum suis amicis. Tales Sibyllæ. Tales Adam, Enoch, Noë, Sem, Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, &c.

Analog. Christus in cælo est desiderium omnium Beatorum & angelorum, tum quia omnes desiderant eius diuinitate & humanitate frui & beari: tum quia ipse omnium desideria explet, satiat, inebriat. ita S. Augustin. libr. 18. de Ciuit. 35. & Rupert. hic. Imò S. Augustin. putat hunc esse sensum literalem, motus hac ratione: *Vt enim, inquit, desideratus esset exspectantibus, prius oportuit eum dilectum esse credentibus.* Verùm ad hoc paulò aliter respondi. Desideratus enim idem est quod desiderabilis, optabilis. Aliter respondet Iohan. Alba Electorum cap. 68. scilicet, datiuos hosce *cunctis gentibus*, non pendere à voce *Desideratus*, sed à verbo *veniet*. q. d. Cunctis gentibus aduenier Christus, saluator, cuius nomen in Scripturis est *Desideratus*, scilicet à Prophetis & Patriarchis. Verùm Hebr. חֶמְדַּת *chemdat*, id est *Desideratus*, cùm sit in regimine, necessariò respicit regitque כָּל גּוֹיִם *col goiim*, id est *cunctis gentibus*, vt sciunt hebraicè periti; nisi alio puncto legas in plurali חֶמְדֹת *chemdot*, id est *desideria*, in quo casu absoluto. Tunc enim aptè respondet verbo plurali בָּאוּ *bau*, id est *venient*, nec necessariò respicit *cunctis gentibus*. Sensus tamen hic ardior & frigidior est.

Tropolog. Christus est omne desiderium animarum sanctarum, quæ nil aliud, nisi ipsi placere, ipsum indies magis amare, magis colere desiderant. Ita desiderauit eum S. Iohan. Apocal. 22. *Veni Domine Iesu.* Ita desiderauit S. Magdalena, quæ iure poterat dicere illud Cantic. 3. 2. *Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Ita Isaias c. 26. 8. *Nomen eius & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desideravit te in nocte: sed & spiritu meo*

A *in præcordijs meis manè vigilabo ad te.* Ita S. Ignatius prodiens in amphitheatrum obijciendus leonibus, cùm turbam spectantium hilari vultu circumspexisset, & salutasset: *Veni*, inquit, *vt bestijs obijciar, non ob aliquod maleficium, sed vt Christo meo me vniam, quem insatiabiliter sitio.* Ita S. Bernard. in hymno:

Desidero te millies,
Mi Iesu: quando venies,
Me lætum quando facies,
Me de te quando saties?
Iesu rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.
Quando cor nostrum visitas,
B *Tunc lucet ei veritas,*
Mundi vilescit vanitas,
Et intus feruet charitas.
Iesu summa benignitas,
Mira cordis iucunditas.
Incomprehensa bonitas;
Tua me stringat charitas.
O Iesu mi dulcissime,
Spes suspirantis animæ,
Te quærunt piæ lachrymæ,
Te clamor mentis intimæ.
Iam quod quæsiui video,
Quod concupiui teneo:
Amore Iesu langueo,
Et corde totus ardeo.
O beatum incendium,
Et ardens desiderium!
C *O dulce refrigerium,*
Amare Dei filium!

Quid enim? fames, & cibum appetis? Iesum desidera. Ipse est panis & refectio angelorum: ipse est manna continens in se omnem saporis suauitatem. Sitis? Iesum concupisce. Ipse est puteus aquarum viuentium, ita satians, vt amplius non sitias: ipse vinum mentem inebrians: ipse nectar & ambrosia. Æger es: Iesum adi. Ipse est Saluator, ipse medicus, imò ipsa salus. Moreris? Iesum suspira. Ipse est vita & resurrectio. Perplexuses? Iesum consule. Ipse est magni consilij angelus. Ignoras & erras? Iesum interroga. Ipse est via, veritas & vita. Peccator es? Iesum implora. Ipse enim populum suum saluum faciet à peccatis eorum: ad hoc venit in mundum; hic omnis eius fructus, vt auferatur peccatum. Tentaris superbia, gula, libidine, torpore? Iesum inuoca. Ipse est humilitas, sobrietas, castitas, amor & feruor: ipse infirmitates nostras tulit, & dolores nostros ipse portauit & etiamnum fert & portat. Desideras pulchritudinem? Ipse speciosus est forma præ filijs hominum. Desideras opes? In ipso sunt omnes thesauri, imò in ipso plenitudo diuinitatis inhabitat. Ambis honores? Gloria & diuitiæ in domo eius, ipse est rex gloriæ. Quæris amicum? Tui amantissimus est, qui tui amore è cælo descendit, laborauit, sudauit, crucem & mortem subijt: ipse pro te nominatim in horto orauit, & lachrymas sanguineas profudit. Quæris sapientiam? Ipse est Sapientia Patris æterna & increata. Optas consolationem & lætitiam? Ipse est dulcedo cordium afflictorum, gaudium & iubilus angelorum. Optas iustitiam & sanctitatem? Ipse est Sanctus sanctorum: ipse iustitia sempiterna, iu-

stificans & sanctificans omnes credentes & speran-
tes in se. Optas beatam vitam? Ipse est vita
æterna: ipse Sanctorum felicitas & beatitudo.
Ipsum ergo desidera, ipsum ama, ipsum suspira.
In ipso inuenies omne bonum, extra ipsum om-
ne malum, omnem miseriam. Dic ergo cum S.
Francisco: *Iesus meus, amor meus & omnia. Iesu decus*
angelicum: in aure dulce canticum: in ore mel mirifi-
cum: in corde nectar caelicum. Eia bone Iesu rumpe
cataractas tui amoris, vt flumina eius, imò ma-
ria, defluant & depluant in nos, nosq; inebrient,
imò mergant & obruant.

Scripsit D. Blosius Abbas Lætiensis, vir magnæ
pietatis ac theodidactos, multa pia opuscula, illis
qui in spiritu proficere cupiunt, valdè sapida &
proficua: inter quæ extant aspirationes eius ar-
dentes & crebræ per diem ad Iesum, Iesum de-
siderantibus crebrò vsurpandæ. E multis paucas
hîc subijciam: *Transfige amabilis Iesu, medullas ani-*
mæ meæ suauissimo dilectionis telo: perfode cor meum
ignea charitate, vt prorsus langueat anima mea tui
desiderio, tota amore resoluatur, tota liquefiat, tota in
te transeat.

Separa Domine mentem meam ab omnibus quæ sub
cælo sunt, vt ipsa tibi soli viuere intendat: tu solus il-
lam vt proprius possessor inhabites. Descendat in me
suauissimus odor tuus, veniat mihi diuinæ charitatis
tuæ inenarrabilis fragrantia, quæ puras & sempiter-
nas in me suscitet concupiscentias. Diligam te, quia
prior dilexisti me.

O pelagus sanctæ dilectionis atque dulcedinis Deus
meus, veni & tribue te animæ meæ. Da vt integro cor-
de, pleno desiderio, flammantiq; affectu iugiter aspirē
ad te, & suauissimè respirem in te: te omni creaturæ
præferam, propter te omni transitoriæ delectationi re-
nunciem, ô vera & summa exultatio mea.

O superefluens abyssus diuinitatis trahe & im-
merge me in te, totam affectionem cordis mei ita ab-
ripe & tibi applica, vt ipsa ad cætera omnia sit pror-
sus exanimis. O dilecte mi, dilecte votorum meorum,
concede, vt te inueniam, inuentumq; teneam, & bra-
chijs spiritualibus arctissimè constringam. Te desi-
dero, ad te anhelo, ô beatitudo æterna. Vtinam te mihi
dones, & me tibi intimè vnias, atque mero diuinæ cha-
ritatis totum inebries!

VERS. 9. MEVM EST ARGENTVM.] Primò, q.d. Ne obtē-
datis in fabrica templi vestram inopiam, ego spō-
deo me vobis opes ad illam affatim suppeditatu-
rum: meum est enim omne aurum & argentum,
ac proinde cuilibet illud distribuo.

Secundò, & magis connexè ad sequentia, q.d.
Vos doleris de exilitate & vilitate fabricæ, quòd
non possitis æquare magnificentiam Salomonis,
qui abundauit auro & argēto. Verùm scitote me
hæc non quærere, nec ijs indigere: meum enim
est omne aurum totius mundi. Ex auro ergo ma-
gnificentiam fabricæ non æstimate, sed ex san-
ctitate & magnificentia sacerdotum & populi,
qui templum hoc sunt frequentaturi. Ecce ego
mittam Christum sacerdotem magnum, qui tē-
plum hoc vestrum sua præsentia, doctrina & mi-
raculis magis ornabit, & magnificentius reddet
quàm omne aurum, quo suum templum Salo-
mon oppleuit. ita Hugo, Clarius, Vatab. Burgen-
sis, Emmanuel, Mariana & Galatin. loco suprà
citato. Est παρρησία, siue Concessio rhetorica. Si-
milis est psal. 49. 10. *Si esuriero, non dicam tibi: meus*
est enim orbis terræ & plenitudo eius. Et Isaiæ 1. 11.
Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? di-
cit Dominus: plenus sum.

Tertiò, alij sic exponunt, q.d. Licet vos sitis
pauperes, ego tamen, qui sum ditissimus, tantum
vobis auri & argenti in templi fabricam dabo, vt
maior sit eius gloria & opulentia, quàm fuit
templi Salomonici. ita Theodor. Remig. Haym.
Lyran. & Ribera. Verùm hoc nō videtur verum,
quia Salomonis fabrica fuit splendidissima. Ad
appositum: quia fabricam hanc præfert fabricæ
Salomonis, non propter aurum, sed propter
Christum, vti mox patebit.

Notat Anastasius Nicænus quæst. 9. in Sco-
ptur. hisce Aggæi verbis, *Meum est argentum, &*
insipientibus additum fuisse, Cui voluero dabo illud
sum. Nam nullus, inquit, qui ex bellis, cædibus, furtis,
periurijs, rapinis, munerumq; corruptelis & iniurijs
opes collegit, potest dicere se per eum esse ditatum, sed
per peccatum maligni. Quocirca Lucianus in Ti-
mone, satyricè inducit Plutum, auri & argen-
deum, cùm à Ioue, quasi à Deo optimo & æqui-
simo, ad quempiam mittitur, quasi claudus
grè & tardè progredi; cùm verò à Dite, infer-
rum præside, aliquò amandatur, rectis pedibus
quasi explicatis alis ilicò aduolare. *Nam & ipse*
inquit, *opum largitor est, ac magna donans, id quod*
ipso etiam nomine declarat. Nimirum magis ditā-
tur subinde qui diabolo seruiunt, quàm qui Deo:
vtpote qui per vsuras, rapinas, fas & nefas re-
rum coaceruant, nulla conscientiæ habita ra-
ne; sed tamen nec hi ditantur sine Deo, sed
permittente, qui potest ad libitum ijs lucra &
opes auferre, eaque viris pijs consignare, vtpote
rarò facit. Nam

De malè quæsitis non gaudet tertius heres.

Tropol. *argentum* sunt Dei lex & doctrina, ita-
tem gratiæ & dona, quibus Ecclesiam ditat &
ornat. ita S. Ambros. l. 3. epist. 12. Albert. Rup.
ac S. Hieron. quem audi: *Ego*, inquit, *argentum*
quo domus Dei ornatur, existimo eloquia Scripturæ,
de quibus dicitur psalm. 11. 7. *Eloquia Domini casta,*
quia casta, argentum igne examinatum, probatum
terra, purgatum septuplum. Sic Apostolus 1. Co-
rinth. 3. v. 12. docet, sanctos ædificare super fun-
damentum *Christi aurum, argentum, lapides pretio-*
sos; vt in auro sensus occultus sit; in argento sermo ve-
rus tens; in lapide pretioso opera Deo placentia. Hu-
tallis illustrior sit Ecclesia Saluatoris, quàm quondam
Synagoga fuerat.

Rursum S. Augustin. hom. 30. inter 50. hinc o-
lidum telum torquet in auaros pro eleēmosy-
Si, inquit, Dei est argentum & aurum, ergo cur
iubet vt ea alijs communices, de re sua iubet: i
cùm facis eleēmosynam, facis de re eius qui iu-
vt facias, non de re tua. Addit, Deum liberalit
dare aurum ad exercitationem humanitatis, a
uaris ad supplicium cupiditatis. *Deus*, inquit, *n*
& propriè suum dicit esse aurum & argentum, qu
& largissima bonitate condidit, & iustissimo ad
ministrat imperio, vt sine ipsius nutu ac dominatu n
mali, nisi ad auaritiæ supplicium, nec boni, nisi ad
sum misericordiæ, possint habere aurum & argen
Facit ergo vt *copia eius non extollat bonos, nec la*
inopia: malos autem, & cùm offertur excaecet, & a
aufertur excruciet.

10. Magna erit gloria domus istius no-
uissimæ plus quàm primæ, dicit Do-
minus

mum exercituum : & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.

9. MAGNA ERIT GLORIA DOMVS ISTIVS NOVISSIMA PLVS QVAM PRIMAE] *Magna*, id est maior, Hebræi enim carent gradu comparatiuo, & eius vice vtuntur positiuo cum præpositione *min*, id est præ, plusquam, q.d. Maius & gloriosius erit hoc templum posterius quod vos pauperes fabricatis, quàm fuerit primum Salomonis licet gloriosum auroque fulgidum: quia scilicet Christus, qui est gloria & splendor Patris, acconsequenter vrbis & orbis, in hoc vestro templo offeretur Patri in festo Purificationis docebit, sæpè versabitur, miracula patrabit, inducet nouam legem gratiæ, & fundabit nouam Ecclesiam, quæ recta ducit ad cælum. Christum enim hîc vocari gloriam domus, id est templi secundi, patet ex v. 8. vbi ait : *Mouebo omnes gentes, & veniet Desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria*, q.d. Desideratus cunctis gentibus, id est Messias rex, quem exspectatis, qui commouebit & sibi subiget omnes gentes, hæc præsentia & magnificentia domum istam gloria implebit.

Hîc duplex quæstio. Prior cum Iudæis, posterior cum Christianis.

Prior est : An ex hoc loco solidè demonstrari possit Messiam iam venisse? Asserunt Christiani, negant Iudæi. Probant Christiani hoc argumento. Aggæus ait Christum fore gloriam templi secundi, ideoque maiorem fore gloriam templi secundi quàm fuerit primi Salomonici : ergo Christus venit, & natus est stante templo secundo, adeoque in eo versatus est & docuit, itaque gloriam hanc tantam consignauit. Nam quoad aurum, opes, & cætera, certum est, gloriosius fuisse templum primum Salomonis secundo Zorobabelis, idque admittunt Iudæi, imò asserunt plerique quinque res nobilissimas fuisse in templo primo, quibus caruit secundum; scilicet arcam testamenti, Vrim & Tummim, ignem cælitus, prophetiam, & Deum sedentem in propitiatorio, indeque oracula reddentem. Iudæi vt hoc telum effugiant, versant se in omnes partes, nituntur, sed nodum non extricant. Primò, aliqui respondent hîc agi, non de templo secundo Zorobabelis, sed de tertio quod ædificabit Messias, quem ipsi exspectant: illius enim gloriam maiorem fore, quàm fuerit templi Salomonici. Verùm hoc repugnat Prophetæ, qui demonstrans templum secundum, ait: *Magna erit gloria domus istius quam scilicet tu ô Zorobabel & Iesu, cum populo ædificatis.* Pronomen enim *istius* non potest demonstrare templum Messiæ, quod nondum inchoabatur, imò per multa sæcula futurum non erat.

Recentior quidam Iudæus, nomine Barbanella, vt hoc argumentum declinet, aliter distinguit, scilicet ponit hypocolon post *istius*, sensumque hunc dat : Magna erit gloria domus istius quem vos ô Iudæi cum Zorobabele nunc ædificatis, &, repete *erit magna*, id est maior, erit gloria domus nouissimæ, id est templi tertij & illius quod ædificabit Messias, quàm fuerit prima. Dicunt enim Iudæi, tria sibi fuisse templa promissa, primum Salomonis, secundum Zorobabelis, tertium Messiæ magnificentissimum,

A quod exspectant. Verùm hoc violentum esse. & textum peruertere patet Primò, ex eo quòd hîc vnica sit sententia continua, qua Propheta comparat & præfert secundam domum, id est templum Zorobabelis, primæ Salomonis: Barbanella autem facit duas sententias, duasque comparationes: vnde iuxta eum deberet interseri coniunctio &, vel *item*, aut coniunctio *sed*; multaque alia addenda essent, nimirum hæc, *sed maior*, vel *maxima* erit gloria domus nouissimæ, quàm fuerit primæ. *Refellitur primò.*

Secundò, deberet esse accentus *zakeph*, id est hypocolon inter *τὸ istius*, & *τὸ nouissimæ*: hîc autem accentus non est in Hebræo : ergo est vna continua sententia, non duæ. *Secundò.*

Tertiò, quia Septuag. Chald. Syrus & alij passim vertunt vt Noster, per vnicam sententiam, B non duas. Ita & veteres Rabbini apud Galatin. l. 4. c. 9. quin & R. Salomon, R. Dauid, alijque recentiores. *Tertiò.*

Quartò, idipsum clarum est ex toto capitis contextu & decursu. Nam hisce verbis Deus consolatur Iudæos pusillanimes, ex quorum sententia dicit v. 4. *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est quasi non sit in oculis vestris?* Hos consolatur & animat ad pergendum in fabrica templi, elidens hanc pusillanimitatem, promittensque maiorem fore gloriam domus istius posterioris, quàm fuerit primæ. Vnde statim subdit: *Et nunc confortare Zorobabel*, &c. *adhuc vnum modicum*, &c. *& veniet Desideratus cunctis gentibus* (putà Messias, qui in templo hoc versans, docens & miracula faciens, C maiorem dabit templo huic secundo gloriam, quàm Salomon omni sua pompa dederit primo) *& implebo domum istam gloria. Magna* (id est maior) *erit gloria domus istius nouissimæ plus quàm primæ.* Quæ vltima verba planè ad verbum in Hebræo respondent pusillanimitati, & verbis querulis Iudæorum v. 4 *Quis in vobis*, &c. *vidit domum istam in gloria sua prima?* Hebraicè est, אֶת הַבַּיִת הַזֶּה בִּכְבוֹדוֹ הָרִאשׁוֹן *et habbait hatse bibcodo hariscon.* Hîc enim ijsdem per eadem respondet dicens, & opponens promittensque contrarium, scilicet, גָּדֹל יִהְיֶה כְּבוֹד הַבַּיִת הַזֶּה הָאַחֲרוֹן מִן הָרִאשׁוֹן *gadol iie kebod habbait hatse haacharon minhariscon*, id est, maior erit gloria domus istius nouissimæ quàm primæ. Vbi planè duas tantùm ponit domos, id est templa, scilicet priorem D Salomonis & posteriorem Zorobabelis, vnamque; cum altera conferens, imò præferens, dicit quòd posterior priorem in gloria superabit. Impertinens ergo hîc est mentio & sermo de tertia domo, id est templo Messiæ, quæ prorsus alia erat futura, eaque post multa sæcula, quam nec Zorobabel, nec quis præsentium tunc Iudæorum erat visurus, vt de ea gaudere, itaque præsentem mœrorem dispellere posset. Confirmatur, quia opponit *haacharon* voci *hariscon*, id est domui posteriorem domui priori, tam hîc quàm v. 4. ergo duas tantùm agnoscit hîc domus, non tres.

Dices, Cur ergo apponit articulū *he* demonstratiuum, dicens *haacharon*? q. d. Illa domus, scilicet tertia Messiæ. Nam si de eadem domo Zorobabelis ageret, suffecisset articulus præpositus voci *bait*, & pronomini *zè*. Ait enim הַבַּיִת *habbait*,

habbait, הַזֶּה *hatſe*: ecce duo articuli; cur tertium apponit, dicens הָאַחֲרוֹן *haacharon*? Resp. Id facit Primò, vt designet domum hanc posteriorem fore illustrissimam per Messiam, vt omnes illam digito demonstrent & ore celebrent, dicentes: Hæc est illa, illa inquam, vti secunda & vltima, ita eximia, magnifica, diuina, domus Messiæ nostri.

Secundò, id facit, vt הָ *haacharon* opponat *hariſcon*, id est posteriorem priori. Cùm enim prior domus habeat articulum *he*, decet vt & posterior, quæ illustrior est futura, eumdem habeat. Adde, *he* determinat הַ *domus*, & significat domum hanc non tantùm esse secundam, sed & fore nouissimam, siue vltimam. q.d. Hæc domus quæ erit nouissima. Sic Itali dicunt, *Aleſſandro il Magno, Ptolemeo il vltimo*, vt per articulum *il* designent se de Alexandro, non quouis, sed Magno; de Ptolemæo, nō primo, sed vltimo loqui. Sic & Franci dicunt, *Alexandre le grand, Ptolemee le dernier*. Sic & Græci: ὅτός ἐστιν ἡ δύναμις ἔ Θεῦ ἡ μεγάλη, *hic est virtus Dei, quæ vocatur magna*, Actor. 8. 10. Sic & Flandri, Germani, alijque plures. Denique Hebræi solent multiplicare articulos per pleonasmum, vti hîc ad *habbait* addunt *hatſe*, q.d. Huius, huius.

Tertiò, resp. הַ *hariſcon* propriè non referre *habbait*, id est domū, sed *kebod*, id est gloriam. Vnde Septuag. disertè vertunt, διότι μεγάλη ἔσται ἡ δόξα τοῦ οἴκου τούτου ἐσχάτη ὑπὲρ τὴν πρώτην, id est *magna erit gloria domus istius nouissima quàm prima*. Loquitur enim de templo Salomonis & Zorobabelis, quasi de vna & eadem Dei domo: quia vna alteri successit, eidemq; loco inædificata est; ac ei dicit, quòd gloria posterior, putà domus Zorobabelis, sit futura maior gloria priori, putà domus Salomonis. Et hoc ad punctum respondet querulis Iudæorū verbis Hebraicis v. 4. *Quis est qui vidit*, &c. *domum istam in gloria ſua prima*? q.d. Quis vidit gloriam priorem prioris templi Salomonici? nónne dolet & gemit, quòd hæc posterior gloria domus posterioris longè illi sit impar? At sumat animos: ego enim promitto me facturum, vt gloria posterior priorem superet. Itaque articulus *he* hîc iteratur, quia propriè non respicit *bait*, id est domum, sed *kebod*, id est gloriam, quæ maior futura erat posterior quā prior, id est in posteriori templo Zorobabelis, quàm fuerat in priori Salomonis, ideoq; articulo *he* addito, eam quasi illustrem & inauditam demonstret. Figmentum ergo Iudæorum est planè contrarium contextui, quòd distinguat hîc Prophetа tria templa, eaque inuicem opponat; cùm clarū sit non nisi posterius opponi & præponi priori. Vnde Noster non tam verbum verbo, quàm sensum sensui fideliter reddens, clarè vertit, *magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quàm primæ*. Hebræi enim gloriam vocant gloriosam fabricam templi, hoc est, ipsum gloriosum templum. Templum autem posterius, siue nouissimum Zorobabelis gloriosius fuit primo Salomonis. Vnde Isidor. Pelus. l. 4. epist. 17. legit: *Et erit gloria domus huius vltima ſupra primam*; & ex τῷ *vltima* reuincit Iudæos, exspectantes aliud, & posterius à Messia templum. Si enim fuit vltima; ergo post illam iam à Tito dirutam, non est exspectanda alia.

A Deniq; gloriam hanc maiorem explicat Prophetа, dicēs: *Adhuc vnum modicum est, & ego* [illegible] *mouebo cælum & terram, & veniet Desideratus* [illegible] *cunctis gentibus*, id est Messias, vti explicant non tantùm Catholici, sed & veteres Rabbini apud [illegible] latin. l. 4. 9. Inter quos R. Akiba sic explicat [illegible] *Adhuc vſque ad Meſſiæ reuelationem modicum [illegible] reſtat*. Ergo iam pridē venit Messias. Nam ab [illegible] Aggæi prophetia vsq; nunc, elapsa sunt duo mi[illegible] lia annorum & amplius. quod sanè non mod[illegible] cum, sed nimis longum est tempus. Adde, Iudæ[illegible] in Script. non nisi duo promitti templa, vn[illegible] Salomonis, alterum Zorobabelis: quo per Tit[illegible] & Romanis *deſtructo, erit in templo abominatio* [illegible] *ſolationis, & vſque ad conſummationem & finem* [illegible] *ſeuerabit deſolatio*, inquit Daniel c. 9. 27. Frustr[illegible] ergo Iudæi exspectant tertium templum sub Me[illegible] B ſia, præsertim cùm ipsi sæpiùs, putà sub Adria[illegible] Imp. Constantino, & Iuliano Apostata, eo cons[illegible] dente, imò vrgente, conati fuerint templum re[illegible] dificare; sed incassum, & euentu infelici. Nam [illegible] gnis partim cælo demissus, partim è fundam[illegible] tis erumpens, fabricantes cum fabrica consu[illegible] pserit, vti narrat S. Chrysost. orat. 3. contra Iudæ[illegible] Baron. Euseb. l. 10. Histor. c. 37. & seq. Socrat. [illegible] 3. c. 17. Theodor. l. 3. Histor. c. 17. Sozom. l. 5. [illegible] & alij. Necesse est ergo Christum venisse d[illegible] rante secundo templo, in eoque versatum e[illegible] vti versatum docent Euangelistæ, ac prout[illegible] fruſtra quasi adhuc venturum exspectant Iu[illegible] dæis. Explosa itaque violenta & contorta h[illegible] expositione, imò fictione,

Secundò, R. Salomon concedit hîc agi de [illegible] cundo templo, sed respondet, maiorem illius g[illegible] riam fuisse quàm primi, non quòd in eo versa[illegible] C sit Christus, sed quòd plures annos durarit [illegible] primum. Primum enim, inquit, durauit an[illegible] 410. secundum verò 420. *Spectatum admiſſum teneatis amici*. Egregiam sanè laudem & g[illegible] riam secundi templi, Prophetæ cothurno [illegible] gnam, quòd in tot sæculis steterit decem an[illegible] ampliùs secundum templum quàm prima. [illegible] Plusculos illi dat Iosephus. Nam libr. 10. [illegible] tiq. 10. primum templū stetisse ait annos 4[illegible] secundo verò annos 639. assignat libr. 7. [illegible] cap. 10. Sed error est in numeris: nam iuxta [illegible] riorem chronologiam, primum templum [illegible] rauit annos 426. secundum verò stetit ab [illegible] regni Darij Hystaspis, vsque ad Titum & V[illegible] spasianum, qui illud euerterunt, annis 588. Vi[illegible] tabulam chronologicam quam præfixi Gen[illegible] D Durauit ergo secundum ampliùs quàm p[illegible] mum, annis 162. Verùm hisce annis sæpiùs [illegible] pollutum & profanatum. Primò, ab Antio[illegible] Epiphane 1. Machab. 1. Secundò, à Pompeio [illegible] ste Iosepho lib. 14. Antiq. 8. Tertiò, à Cassio [illegible] ste eodem Iosepho cap. 13. & tandem à Ti[illegible] Romanis planè cum vrbe & gēte exciſum. Q[illegible] circa verè de eo dictum est 1. Machab. 1. 41. *Eliſicatio eius deſolata eſt ſicut ſolitudo*: & v. 42. *cundùm gloriam eius multiplicata eſt ignominia eius*. Hi ergo anni templo non fuerunt ad gloria[illegible] vt ait Aggæus, sed ad ignominiam. Iu hac [illegible] rientur Iudæi: sicuti multò verius gloriantur [illegible] hæreticis exprobrant Pilznenses Bohemi [illegible] doxi, furum patibulū apud eos diutiùs ste[illegible] antiquius esse Ecclesia & fide Hussitica & Lu[illegible] rana. Secundò, Aggæus nō meminit dur[illegible]

templorum, nec in eo præfert secundum templo primo; sed in eo, quòd ad illud veniet Desiderius cunctis gentibus, putà Messias, qui templum implebit sua maiestate & gloria. Tertiò ero, quando in secundo templo illa commotio est facta, de qua ait Aggæus v. 7. *Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum & terrã, & mare & aridam*, nisi in Christo? Hinc liquet, quàm friuolum sit R. Salomonis commentum.

Tertiò, R. Dauid aliud effugium quærit. Dicit enim, maiorem gloriam fuisse secundi templi quàm primi, eò quòd multæ gentes confluxerint ad secundum templum, in eoque sua dona detulerint Deo: sed pariter multæ, imò plures duxerunt ad primum. Salomon enim exhibitor fuit potentissimus, & nominatissimus inter gentes, omnesque populos vicinos vel habuit subiectos, vel fœderatos. Illi ergo veniebant ad Salomonem, veniebant pariter ad templum, adeò vt & Regina Saba hac fama & gloria excita, eòdem venerit: quin & classes Salomonis nauigantes in Ophir, inde Indos aduehebant in Ierusalem. Secundò, Gentes magis profanarunt & conspurcarunt templum secundum quàm honorarunt, vti de Antiocho, ciusque posteris, Pompeio, Cassio, & Tito iam ostendi. Tertiò, quæ commotio facta est in cælo, terra, mari & arida, nisi tempore Christi, & propter Christum? Porrò fabella est Iudaica, quam recenset Theodor. gentes vicinas mutuis bellis & cædibus se confecisse, earumque spolia & opes Deum dedisse Iudæis ædificantibus templum, hanoq; esse maiorem secundi templi gloriam. Huius enim historiæ nec Iosephus, nec quis alius meminit. Plura vide apud Galatin. l. 4. c. 9. & 10. Adrianum Finum l. 5. Flagelli Iudæorum c. 2. & Paulum Burgensem hic additione tertia ad Lyran.

Posterior quæstio est cum Christianis nonnullis, qui concedunt quidem præcipuam gloriam secundi templi fuisse Christum: addunt tamen illud idem quoad fabricam, licet vilius fuerit Salomonico, quatenus restauratum fuit à Zorobabele, tamen quatenus idem redintegratum fuit ab Herode, augustius fuisse Salomonico, idque dicere hic Deum: *Meum est argentum, meum est aurum*, quo scilicet vos templumque eius magis quàm ditaui Salomonem. Pro quo Sens. Herodes Ascalonita, qui fuit infanticida & persecutus est Christum, cùm ex Iudæorum prophetis, præsertim ex illa Iacobi Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*, intelligeret adesse tempus Messiæ regis Iudæorum (videbat enim defecisse sceptrum de Iuda, & in se alienigenam, putà Idumæum, esse translatum;) credere & sperare cœpit se fore Messiam, ex adulatione quorumdam Pharisæorum. Quocirca vt à populo talis haberetur, diruto templo Zorobabelis, eodem loco aliud magnificentissimum exstruxit, eoque anno 18. regni sui, & per 8. annos illud edificauit, quo toto tempore, ait Ioseph. libr. 15. Antiq. 14. numquam interdiu pluit. Porrò hoc ipsum templum fuisse magnificentius Salomonico, Ribera probare contendit. Primò, ex eo, quòd Salomonis templum habuerit in longitudine 70. cubitos, Herodis verò centum. Secundò, quia Herodes lapides candidos firmissimos, longos 25. cubitos, & latos 12. fabricæ suæ adhibuit, eosque solidè & affabrè ferro compaginauit. Tertiò, quia templum crustis aureis grauissimis obtexit, quibus exteriùs circumquaque tectum, ad primos solis ortus igneo splendore radiabat, vt, cùm illud intuerentur spectantium oculi, quasi solis radijs repercussi auerterentur. Quartò, quia vallem profundissimam vicinam monti templi coæquauit, in eaque fecit templi atrium: vnde illam ingentibus columnis 162. æquè ac porticibus exornauit. Quintò, quia ad atrium primum sacerdotum, & secundum laicorum qui mundi erant, adiecit tertium, in quo degerent immundi & Gentiles. Hæc omnia habet Iosephus loco citato, & Iosippus filius Gorionis libr. 5. cap. 26. Addit Ribera: hæc non debere mira videri, quia licet Salomon esset ditissimus & gloriosissimus, tamen Herodes quoque potentissimus per Romanorum & Augusti amicitiam euaserat. Vnde ad hanc fabricam maximas opes collegit & exhausit. Insuper saxa aliaque opportuna ad fabricam, ex diruto Salomonis & Zorobabelis templo vsurpauit: vasa etiam aurea & argentea Salomonis, quæ abstulerat Nabuchodonosor, templo restituit Cyrus, 1. Esdræ cap. 1. & 6. ac licet ea rapuerit Antiochus Epiphanes 1. Machab. 1. 23. tamen ea restituerunt Machabæi, 1. Machab. 4. 49. idque ex auro, teste Iosepho l. 12. Antiq. c. 11. Idem cum Ribera sentire videntur S. Hieron. & S. Chrysost. demonstrat. quòd Christus sit Deus, to. 5. decepti auctoritate & verbis Iosephi, cuius fides hic, vt & alibi, vacillat.

Tertiò. *Quartò.* *Quintò.*

Negant alij passim.

Verùm hæc sententia in duobus errat. Prius, quòd certò asserat Herodem planè diruisse templum Zorobabelis. Hoc enim valdè dubium est, & à multis falsum censetur: sic enim prorsus aliud erexisset templum, nouum inquam, tam distinctum à templo Zorobabelis, quàm hoc distinctum erat à templo Salomonis; esto in eodem situ omnia tria fuerint exstructa. & sic falsum esset quod ait hîc Propheta, scilicet gloriam templi Zorobabelis fore Christum, cùm in eo versatus non sit Christus, sed in nouo templo quod Herodes exstruxit. Herodes ergo tantùm ampliauit templum Zorobabelis, illudque suo includit, ac *antiquis fundamentis reliquis è templo Salomonico solutis noua imposuit, super quæ templum erexit longitudine centum cubitorum, latitudine centum, altitudine centum viginti*, ait Ioseph. 15. Antiq. 14. cùm Zorobabelis templum tantùm sexaginta cubitos haberet in latitudine, & totidem in altitudine. Ergo Iosephus tantùm asserit, Herodem soluisse fundamenta templi Salomonici, non verò asserit eum diruisse templum Zorobabelis. Hæc enim fundamenta Salomonis conseruabant Iudæi, tum in veteris templi memoriam, tum sperantes super illis quandoque templum restaurandum fore, quod ad primæuam Salomonici magnificentiam accederet. Vnde non permiserunt Herodem ea soluere, donec priùs materiam omnem pro noua fabrica necessariam apparasset. Idem clarè docet Hegesippus l. 1. de Excidio Hierosol. & ex eo Genebrardus l. 2. Chronolog. Mansit ergo templum Zorobabelis, licet ampliatum & ornatum ab Herode, vsque ad Titum, in eoque versatus est Christus, qui

qui ei gloriam omnem conciliauit. Alioquí enim falsum esset oraculum Aggæi : *Magna erit gloria domus istius*, quam scilicet, tu ô Zorobabel, cum tuis ædificas; non alterius, quam ædificabit Herodes. Adde, aliquos de fide Iosephi hîc dubitare, imò Baron. anno Christi 31. ait eum sibi contradicere, dũ l.15. Antiq. c.14. insinuat integrum templum Zorobabelis ab Herode fuisse demolitum, cùm tamen idem l.20. Antiq.8. asserat porticum Salomonis intactam permansisse. Vnde & Rabbini duo tantùm templa agnoscũt, Salomonis scilicet, & Zorobabelis; Herodiani non meminerunt. Et Sanchez in c.1. Zachar. ait errare Iosephum, dum innuit ab Herode dirutum esse templum Zorobabelis; & hoc loco idem multis demonstrat. Certè sæpè vacillat fides Iosephi, vt docet Baron. to.1. in Apparatu. Hegesippus quoque vetus & grauis auctor l.1. c.25. docet Herodem non tam nouum condidisse templum, quàm vetus ornasse.

Salomonis templum augustius fuit Herodiano.

Posterior error est, quòd dicãt templum Herodis quoad fabricam augustius fuisse Salomonico, cuius opes & gloriam adeò celebrat Script. & tota antiquitas, illudque habuit pro orbis miraculo. Ecquid fuit Herodes ad Salomonem? inquit Rupert. Sanè Iudæi qui hoc loco tantopere stringuntur, veritate tamen clara coacti confitentur, templum secundum longè impar fuisse primo in structura, pretio & gloria. Rursum Ioseph. l.15. Antiq. cap.14. docet domum regiam, quam Herodes sibi ædificauit, magnificentiorem fuisse templo ab eodem ædificato. Quis autem dicere audeat Herodis regiam templo Salomonis fuisse magnificẽtiorem, cum ei ne templum quidem ab Herode constructum vllo modo conferri, ne dum præferri possit? inquit Vilalpando parte 1. Apparatus l.2. cap.5. Denique clarus est textus Script 1 Paral.22.14. vbi Dauid recẽset opes quas collegerat pro fabrica templi, & Salomoni rel.nquit: *Præparaui*, inquit, *impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum*, &c. Iam centum millia talentorum auri, faciunt mille & ducentos millionesaureorum Francicorum : tantundem faciunt mille millia talentorum argenti. Talentum enim auri Hebræum continebat tria millia siclorum, id est semunciarum auri, quæ efficiunt duodecim millia coronatorum Francicorum. Talentum verò argenti continebat tria millia siclorum argenti, quæ efficiunt tria millia florenorum Brabanticorum, quorum duoscum dimidio continet scutum, seu aureus Romanus, vti ostendi tractatu de mensuris, in fine Pentateuchi. Vniuersim ergo reliquit Dauid Salomoni pro fabrica templi, bis mille & quadringentos milliones aureorum, quantum auri vix est in tota Europa. Vnde tot milliones habere potuisset Herodes? Porrò hoc aurum penè totum disperijt, vel incendio, vel rapina Chaldæorum. Rursum Salomon in fabrica templi habuit septuaginta millia eorum qui onera portabant, & octoginta millia latomorum, absque præpositis numero trium millium & trecentorum : *Præcepitq; vt tollerent lapides grandes, lapides pretiosos in fundamentum templi*, vti dicitur 3.Reg.5.16. Quid ad hæc Herodes? qui tantùm decem millia artificum ad fabricam adhibuit, & mille dumtaxat plaustra ad lapides conuehendos, teste Iosepho loco citato. Insuper Herodes peracta sibi templi rogatus à populo, vt porticum Orientem Salomonis pariter instauraret, abnuit, quia illa porticus tempore longo & pecunijs plurimis indigeret, ait Iosephus l.20. Antiq. cap.8. Quomodo ergo templum Salomonis æquauit, quod nam eius porticum instaurare non potuit? Sed esto dare mus templum Herodianũ fabricæ magnificentia superasse Salomonicum, quod men est incredibile; illud certè hîc impertinens est. Aggæus enim gloriam templi secundi non assignat aliam, quàm Christum, dicens: *Et veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria.* Omnis enim gloria auri & argenti, & terræ albæ & rubræ, præ Christo Deo & Domino vniuersorum, exilis est, imò nulla.

Dauid Salomoni pro templo reliquit 2400. milliones auri.

Dico ergo gloriam secundi templi de qua prophetat Aggæus, esse Messiam, siue Christum. Quanta enim fuit gloria tẽpli, quòd in eo Christus Dei filius puer Deo sit oblatus, quòd in medio Doctorum sederit, quòd in eius puerculo à diabolo sit tentatus, quòd in eo docuerit & enarrauerit abscondita à constitutione mundi. Sicut enim gloria templi Salomonici, quòd in eo Dei maiestas apparuerit velans & abscondita : ita maior gloria templi secundi fuit, quòd in illo eadem maiestas non tantùm velata, sed assumpta vnita carni & corporata, visibilem & conuersabilem se exhibuerit. Hoc est quod iubilans ait Malachias c.3.1. *Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis.* Insuper eximia gloria templi secundi fuit, quòd in eo per Christum non tantùm peracta sint mysteria Verbi incarnati, sed & ipsa redemptionis & salutis, sed etiam ipsa fideles & Apostoli adunati sint, iactaque primum Ecclesiæ Christianæ fundamenta, iuxta illud Isaiæ c.2.3. *De Sion exibit lex.* Christus ergo primam Ecclesiam inchoauit in templo hoc Sionis à Zorobabele fabricato. ita Rupert. Hugo, Burgens. Clarius, Vatabl. & alij. Quocirca Allegerius, Cyrill. Alex. quem citat noster Turrianus lib.2. epist. Pontif. cap.20. censet Aggæum hîc loqui de templis Ecclesiæ Christianæ, quæ superant templum Salomonis, tum numero, quia prima per totum orbem; tum gloria, præsertim quia in ijsdem habemus eamdem Dei maiestatem velatam in Eucharistia, iuxta illud Malach. 1.11. *In omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda*, hebr. מִנְחָה *mincha*, id est sacrificium farreum, siue panis, qui est materia Eucharistiæ.

Anagog. maior est gloria noui templi quàm veteris, hoc est, maior est gloria Ecclesiæ quæ Synagogæ, Euangelij quàm legis, Apostolorum quàm Prophetarum, vti docet Apostolus 1. Corinth.3. Idque maximè patebit in cælo, vbi truncus & electis Ecclesiæ lapidibus templum magnum, sanctum & gloriosum Deo constructum. S.Hieron. Albert. Remig. Hugo hîc, & S.Augustin. lib.18. Ciuit.35. & S.Ambros. l.5. epist.11. quidam videntur censere hunc sensum esse literalem, sed reuera est mysticus. Denique maior est gloria domus secundæ quàm primæ, id est, Ecclesiæ triumphantis quàm militantis, imò illi propria est laus & victoria.

Symbolicè, domus prima est status [illegible]

renti, secunda est status eiusdem post lapsum reparatio & restauratio: illa est creationis, hæc redemptionis: illa Adæ, hæc Christi: illa innocentiæ, hæc patientiæ: illa paradisi, hæc peregrinationis terrenæ. Docet enim Apostolus Rom. 5. v. 15. & sequent. maiorem gloriam, id est gratiam, datam esse homini lapso per Christum, quàm fuerit data Adæ in paradiso.

Tropol. maior est virtus pœnitentiæ post lapsum, quàm innocentiæ ante lapsum: maior est Paulus, quàm Saulus: maior est Magdalena lapsa & pœnitens, quàm virgo & innocens: maior Petrus flens Christum & plorans, quàm eum cõfessus & de constantia sua præsumens. *Plerumque, ait S. Gregor. lib. 3. Pastor. admon. 29 Deo gratior fit amore ardens vita post culpam, quàm securæ torpens innocentia.*

DABO PACEM] Ribera accipit de pace & copia rerum, quam habuit Herodes ad instaurandũ templum Zorobabelis. Verùm hîc agitur de templo Zorobabelis, non Herodis. Animat enim Aggeus Zorobabelem & populum, ne metuant Darium, Samaritas, & alios hostes: Deum enim efficturum, vt faueant fabricæ, aut certè eam non impediant. Idipsum enim præstitisse Deum, patet 1. Esdræ 6. 14. vbi recensitis literis Darij iubentis instaurari templum, subdit Esdras: *Seniores autem Iudæorum ædificabant, & prosperabantur iuxta prophetiam Aggæi Prophetæ*, vtique non aliam, quàm hanc: *Dabo pacem*, id est prosperitatẽ. Sensus ergo est, vt ait S. Hieron. *quia scio ad ædificationem istius domus, & quæ superatura sit domum priſtinã, tibi ita facere, vt pacem; idcirco & hanc spondeo: dabo enim in loco isto pacem.* Tropol faciam *vt pax, quæ exuperat omnem sensum, custodiat domũ meã, & sit in pace locus meus.* Nihil enim ita necessarium volenti proficere in virtute, & constructe domũ perfectionis, ac quies conscientiæ & pax animæ. Huius rei symbolo & typo rex Salomon, id est pacificus, in plena pace fabricauit templũ, quod Dauid ob bella cõtinua fabricare nõ potuit. 1. Paral. 22. 8. ita quoque Theodor. Haymo & Hugo.

Secundò & potiùs, *dabo pacem*, id est benedictionem & omne bonum, *in loco isto*, per Christum. Christus enim docens in templo euangelizauit, & dedit pacem credentibus sibi. Vnde angeli in Christi ortu cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax*, Lucæ 2. Et hanc pacem quasi summum bonum, Christum è cælis in terram laturum, prædixit Isaias c. 2. 4. & cap. 11. 6. Hæc enim pax concordat mentem cum Deo, & consequenter cum proximis æquè ac secum, vt sopitis concupiscentiarum motibus, ratio & spiritus carni, sensibus & membris omnibus dominetur: quo fit, vt fidelis inchoet hîc vitam cælestem, beatam & angelicam. ita S. Hieron. Hugo, Lyran. hîc, & S. August. lib. 18. de Ciuit. c. 41. In hac pace, putà in mente pacata, quasi templo suo habitat Deus, iuxta illud psal. 75. 3. *Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.* Vatic. Septuag. hoc loco vertunt, *dabo pacem, dicit Dominus omnipotens, & pacem animæ in acquisitionem omni condenti, vt suscitet templum istud.* Sic enim habet editio Romana, licet Regia tantùm habeat: *dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Quocirca S. Ambros. scribens in hunc Aggæi locum, in fine tomi 2. maiorem gloriam domus nouissimæ quàm primæ intelligit pacem. *Pax est*

Cornel. in Proph. Min.

A *nim*, inquit, *& tranquillitas animæ super omnem domus gloriam est, quia pax superat omnem sensum*, Philip. 4. *Hæc est pax super pacem, quæ dabitur post tertiam commotionem cæli, maris, terræ, deserti, quando destruet omnes potestates & principatus* in die iudicij, &c. *Et sic erit pax per omnia, vt nullis obsistentibus corporis passionibus, aut incredulæ mentis impedimentis, fiat in omnibus omnia Christus, subdita Patri exhibens corda vniuersorum. Vnde & ad ipsum solum mysticè dicitur: Assumam te Zorobabel, & ponam te sicut signaculum, quia te elegi. Et enim cùm fuerit anima nostra pacifica, tunc accipiet in se sicut signaculum Christum, id est imaginem Dei, vt sit ad imaginem. Quoniam qualis cælestis, tales & cælestes. Et oportet nos portare imaginem cælestis, id est pacem.*

B 11. In vigesima & quarta noni mensis, in anno secundo Darij regis, factum est verbum Domini ad Aggæum prophetam, dicens:

12. Hæc dicit Dominus exercituum: Interroga sacerdotes legem, dicens:

13. Si tulerit homo carnem sanctificatam in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panem, aut pulmentum aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: numquid sanctificabitur? Respondentes autem sacerdotes dixerunt: Non.

C 14. Et dixit Aggæus: Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his, numquid contaminabitur? Et responderunt sacerdotes, & dixerunt: Contaminabitur.

15. Et respondit Aggæus, & dixit: Sic populus iste, & sic gens ista ante faciem meam, dicit Dominus, & sic omne opus manuum eorum: & omnia quæ obtulerunt, ibi contaminata erunt.

16. Et nunc ponite corda vestra à die hac & suprà, antequam poneretur lapis super lapidem in templo Domini.

17. Cùm accederetis ad aceruum viginti modiorum, & fierent decem: & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebant viginti.

D 18. Percussi vos vento vrente, & aurugine, & grandine omnia opera manuum vestrarum: & non fuit in vobis, qui reuerteretur ad me, dicit Dominus.

19. Ponite corda vestra ex die ista, & in futurum, à die vigesima & quarta noni mensis: à die, qua fundamenta iacta sunt templi Domini, ponite super cor vestrum.

20. Numquid iam semen in germine est: & adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum oliuæ non floruit? ex die ista benedicam.

IN VIGESIMA] Hæc Aggei prophetia ordine est tertia. Primam enim accipit cap. 1. v. 5. secundam hoc cap. v. 2. tertiam hoc versu, VERS. 11.

VERS. 12. INTERROGA] Duas quæstiones hîc proponit sacerdotibus Propheta, vt ex earum responsis arguat Iudæos de neglectu fabricæ templi. Prior est: si homo ferat carnem sanctam, putà Deo immolatam, in ora vestis, eiusque, scilicet vestis, non carnis, summitate, id est extremitate, tangat panem, vinum, &c. numquid panis, vinum, &c. hoc contactu vestis sanctificabuntur? Respondent sacerdotes, Nequaquam; & benè: quia licet caro sanctificata si tangat vestem, eam sanctificet, vti sancitur Leuit. 6. 27. non tamen vlteriùs, vestis contactu carnis sanctificata, si tangat panem, vinum, &c. in ea sanctitatem suã transfundet, eaque sanctificabit. Sanctificationem intellige legalem & cæremonialem legis veteris, qua res sancta separanda erat ab vsu profano, Deoque danda & sanctè tractanda. Applicat deinde responsionem suo scopo Propheta, dicens: *Sic populus iste*, &c. v. 15. q.d. Sicut vestis tangens carnem sanctam non ita sanctificatur, vt possit sanctificare panem, vinum, vel homines se tangentes: ita pariter licet vos, ô Iudæi, sine templo habeatis altare, in quo victimas Deo offertis & consecratis, vt patet 1. Esdræ 3. 3 tamen hæ victimæ & carnes ibi immolatæ, esto tangentem & comedentem eas legaliter, id est exteriùs & per modum cæremoniæ, sanctificét, neutiquam possunt vlteriùs vestras actiones & munera, resque omnes quas vos tãgitis & tractatis, sanctificare, ac multò minùs possunt internã inobedientiæ, & externam neglectus fabricæ templi impuritatem è vobis eluere, iuxta illud Ierem. 11. 15. *Numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas in quibus gloriata es?* Ne ergo vos excusetis, ô Iudæi, à fabrica, dicentes, Habemus templum, in eo offerimus victimas, quæ, dum eas offerimus, & comedimus, nos omnesque nostras actiones & opera sanctificant. & si quid in eis vitij aut peccati sit, abstergunt & emaculant. Neque enim piaculares vestræ victimæ mentem ab inobedientia & culpa expiare & expugare possunt. Vnde proponit secundam quæstionem, quæ magis stringit, aitque:

VERS. 14. SI TETIGERIT POLLVTVS IN ANIMA] *Anima* per antiphrasim Hebraicam hîc ponitur pro cadauere, vti & Leuit. 19. 27. Num. 5. 2. & Numer. 21. 2. *Ne contaminetur sacerdos in mortibus*, hebr. *in anima*. Vide ibi dicta. *Pollutus* ergo *in anima*, est pollutus ex cõtactu cadaueris, vel morticini, qui ex ritu legis veteris Numer. 19. 13. & 22. omnia quæ tangebat contactu suo polluebat & immunda reddebat. De hoc ergo ait: *Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his*, putà panem, vinum, &c. *numquid* panis, vinum, &c. ab eo tactũ *contaminabitur? Et dixerunt* sacerdotes, *Contaminabitur* panis, vinum, &c. quæ pollutus tetigit: tangendo enim ea polluit & contaminauit. Iam applicat hoc modo: *Sic populus*, &c. q.d. Sic vos, ô Iudæi, quia immundi estis, tum ob alia peccata, tum præsertim ob inobedientiam & neglectum fabricæ domus meæ, pariter polluitis omnia quę tangitis & tractatis, putà omnia munera & opera vestra, omnes fabricas, omnes actiones vestras. hasce enim continuò & perseueranter præfertis mihi & meæ fabricæ, illisque intenditis, dũ fabricæ meæ intendere deberetis. Hic ergo neglectus est circumstantia vitiosa, quæ influit in omnia opera vestra, eaque vitiat & polluit. ita S. Hieron. Bonum enim oritur ex integra causa, malũ verò ex singulis defectibus, inquit Philosophus. Vt enim opus sit bonum, debet habere omnes suas circumstantias requisitas, tam positiuas, quàm negatiuas. si vel vna desit, definet esse bonum, eritque malum. v. g. si quis studiosus, vel Religiosus velit ire ad templum, & orare eo tempore, quo regula iubet ire ad scholas & studere, facit opus non bonum, sed malum: quia licet orare sit bonum, tamen eo tempore orare quo est studendum, est malum. Simili modo, licèt fabricare domos, curare rem domesticã vel publicam, sit bonum, tamen id facere eo tempore quo fabricanda & curanda est domus Dei, vti vos facitis ô Iudæi, est malum. Perperam ergo ex hoc loco & similibus Caluinus probat, omnia opera infidelium & impiorum esse peccata, dum sic argutatur: Quidquid pollutus tangit, hoc polluit: atqui peccatores sunt polluti: ergo quidquid tangunt & agunt, polluunt. ergo omnia eorum opera sunt peccata. Maior falsa est in lege veteri vera erat in immunditia & tacta corporali dumtaxat, putà si pollutus corporaliter tangebat rem quampiam, illam corporaliter & legaliter polluebat, idque ex præscripto legis, quæ ita sanciebat: falsa verò est in immunditia spirituali, putà peccato. Non enim omnia quæ tangit peccator, hæc ilico peccato inficit vel polluit: alioqui enim omnes res Turcarum & hæreticorum essent pollutæ, & peccato inquinatæ: sed tunc dumtaxat ea polluit, quando ea tangit cõtactu peccati, hoc est, quando ijs vtitur quasi modijs vel instrumentis ad peccandum: tunc enim peccatum, id est voluntas peccandi sua immunditia ea tangit, illamque affricat & aspirat, itaque ea polluit. Simili enim modo olim in lege veteri, pollutus ex contactu cadaueris omnia quæ tangebat, polluebat: quia censebatur hæc eius pollutio & immunditia sparsa per totum corpus, itaque omnia tangere & polluere, quæcumque pollutus ipse tetigisset.

Moraliter ex hoc loco collige, sacerdotes impuros tactu altaris, vel calicis, aut rei sacræ non sanctificari, sed potiùs ea polluere & fœdare. ita Theodor.

Hinc rectè infert S. Augustin. libr. contra Fulgentium Donatistam c. 16. & Nazianz. orat. 1. Apolog. virtutem à vitio longè superari, vitium verò in virtute esse potentius. Vitium enim suam malitiam tangenti ilicò communicat & affricat, faciétque vitiosum: hoc autem non facit virtus. Age cum sancto, non idcirco sanctus eris: age cum improbo familiariter, ilicò improbitatem suam tibi afflabit. *Parum absynthij*, ait Nazianz. *amaritudinem suam mellis celerrimè impertit; cùm verò mel ne dupla quidem parte copiosius dulcedinem suam absynthio infundat. Paruo lapide summoto fluxus in pronum trahitur: eiusdem autem impetus fœmissimo etiam aggere cohiberi vix potest.* Et S. Chrysost. *Multos*, ait, *sollicitat societas nefanda.* Tange picem, ilicò inquinaberis: tange saponem vel iuuium, non ilicò mundaberis, nisi eo diu multumque manus vel corpus perfrices. Narrat Aelianus lib. 13. Histor. Theodoram meretricem consuesse Socrati, quòd ipsa omnes eius discipulos ab eo alienare posset, & vocare ad se quocunque tempore vellet, cùm Socrates eius amicos ad se trahere nequiret; ac respondisse Socrates:

Bene quidem dicit, quia tu ad decliuem tramitẽ omnes A *rapis: ego verò ad virtutẽ cogo, ad quam arduus, & plenus solutus est ascensus.* Porrò Donatistæ hoc loco abutebantur pro sua hæresi, scilicet sacerdotes impuros vitiare baptismum, nec quemquã recipere in eo gratiam, nisi baptizaretur à sancto: ex eo quòd Aggæus hîc dicat v. 14. & 15 omne opus & oblationem polluti esse pollutam & contaminatam. Sed respondet S. August. loco citato, eos hoc testimonio contra se vti. *Si enim, inquit, tactu sanctis, immundi inquinamẽta non tollit, rursum est quod geritur, quod conficitis, quod lauatis tetigerit, inquit Aggæus, quod sanctum est creaturam, aut vini vel olei, sanctificabitur? Et respondent sacerdotes, Non. Vbi est quod vos extollitis, quod sanctitatem vestrã munditiam cõferre iactatis? Talia ille opera significat. Si sanctus, inquit, tetigerit immundũ, non sanctificabitur. Si immundus tetigerit* B *sanctũ inquinabitur, id est, facilius sanctus qui iunctus fuerit genti huic pessimæ pessimatur, quàm gens ista in melius commutetur, quia procliuius ad imitationem malorum curritur, quàm ad virtutes bonorũ animus erigitur: sicut melli plurimo parum absynthij iniectum, totum amaritudinem trahit; mellis verò etiãsi duplum infundatur, non poterit eius obtineri dulcedo.* Ita ipse tropologicè more suo. Vide eumdem post collationem contra Donatist. c. 20.

Et nunc ponite corda vestra a die hac et supra] q. d. Considerate penuriam, sterilitatem, & aduersa omnia, quæ vobis acciderũt à die hac per omnes annos præteritos, quibus neglectis fabricam templi, indeque discite non alia illorũ fuisse causam, quàm hũc templi neglectã. Nam cùm quilibet vestrûm accederet ad acerruum messis, qui videbatur daturus viginti C modios frumenti, eum excutiens inuenit tãtùm decem modios. Sic qui accedebat ad torcular plenum vuis, quæ daturæ videbantur quinquaginta lagenas vini, eas premens inuenit tãtùm viginti. Cur hoc? quia ego exsufflaui vestras segetes & vuas, vti dixi cap. 1. 9. Nota. Vox *modios* nõ est in Hebræo, sed intelligitur, tamquam communis & ordinaria mensura frumenti. ita Noster, Chald. Pagnin. & Vatabl. Sed Septuag. subintelligunt lata. Sic pro *lagenas* hebr. est מְנוֹרֹת *pura*, quod Septuag. vertunt *amphoras*; Chald. *dolia*; Pagnin. lam Tigurina, *vrnas*. Propriè *pura* significat torcularinde per catachresin significat mensuram mensuram vini, quæ torculari expressa vase excipitur, qualis est lagena, amphora, &c.

Percussi vos vento vrente et avrvgine] D Aurugo vitium est segetis, cùm ex nimio humore palescit, marcescit, rabescit, vt tandem grana in cinerem vertantur. Vide dicta Ioel. 1. 4.

Ponite corda vestra ex die ista, et in antea] Hebr. וּמַעְלָה *vemala*, id est, *& super*, vt vertit v. 16. Iam *super*, id est vltrà, deinceps; siue futurum respicias, vt hîc, siue præteritũ, vt v. 16. Sensus est, q. d. Iussi vos v. 16. cõsiderare præteritos annos sterilitatis & aduersitatis, quibus neglectis fabricam templi; nunc pariter iubeo vos cõsiderare annos futuros fertilitatis & prosperitatis, ex eo quòd fabricam templi resumpseritis: vtrumque annorum dispari euentu & contraria sorte certò colligatis, non aliã causam aduersitatis vestræ fuisse, quàm neglectum templi, nec aliam causam vestræ felicitatis deinceps fore, quàm curam & studium templi.

Cornel. in Proph. Min.

Discite hîc prudentis esse considerare tempora, & præterita cum futuris conferre: tempus enim docet prudentiam. Vnde Thales rogatus, *quid esset sapientissimum?* respondit, *Tempus: inuenit enim omnia.* ita refert Laërt. lib. 1. de Vit. Philosoph. c. 1. Hinc & Plutarch. in Pericle, *Tempus*, inquit, *omnium consiliariorum optimum.* Et Liuius decade 3. lib. 2. *Meliores*, ait, *prudentiores, constantiores nos tempus dies q̃ facit.* Et Menander: *Mor. tempus docet prudentiã.*

Ducit ad lucem veritatem tempus.
Omnia detegens tempus ad lucem fert.
Nullus tempore melior consiliarius.

Denique Philosophus acutè vereque dixit, *veritatem esse filiam temporis.*

A die vigesima et qvarta noni mensis: a die, qva fvndamenta iacta svnt templi] Iam illa iaci cœperãt ante decem annos, scilicet anno 2. Cyri, mense 2. die primo, vt patet 1. Esdræ 3. v. 8. & sequent. Sed per Cambysem inhibita fabrica, stetit opus vsque ad Darium, quando prophetante Aggæo opus resumpserunt anno secũdo Dárij, die 24. mensis sexti: nimirum illo die cœperunt cædere ligna, conuehere lapides, omnemque materiam apparare, ita vt die 24. mensis noni, vt hîc dicitur, circumquaque plenè & perfectè iacerentur fundamenta, iampridem sub Cyro inchoata. ita Arias, Ribera & alij, hæc loca, quæ antilogiam præseferunt, conciliant.

Nvmqvid iam semen in germine est?] Vers. 20. q. d. Nondum germinauit semen, vt ex germine copioso & luxuriante possitis conijcere & sperare copiosam messem; ego tamen ex nunc illam vobis, ob diligentiam quam præstatis in fabrica templi, promitto, quia semini vestro benedicam, faciamque vt multos culmos, spicas & grana germinet & producat.

Pro *germine* hebr. est מְגוּרָה *megura*, quod Chald. Syrus, Arabicus, & Septuag. vertunt, *aream*; Rabbini, Pagnin. Vatabl. & Arias, *horreũ*. quod R. Salomon ita explicat: Annon totum semen in horreo est, quia hoc anno nondum seminastis; & arbores nondum progerminarunt? sed seretis, & ego satis vestris benedicam, eaque fœcundabo & multiplicabo. Verùm Noster melius cum Tigurina vertit, *germen*: messis enim ponitur in area & horreo, semen verò in agro vt germinet. *Germen* ergo vocatur *megura* à rad. גור *gur*, id est incolere, habitare: quia in germine quasi habitat semen, putà arista, & granum protuberans ex semine. Hinc patet S. Script. vti cõputu anni sacri, non communis & profani. Nam nonum mensem vocat hîc eum, quo semen satũ germinat: hoc autem in Palæstina fit in Nouembri. Nonus ergo mensis est Nouember, ac consequenter primus est Nisan, siue Martius, à quo incipiebat annus sacer.

Moral. Discite hîc illud Apostoli: *Corporalis exercitatio* (vt satio, plantatio, negotiatio) *ad modicum vtilis est; pietas autem ad omnia vtilis, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* 1. Timoth. 4. v. 8. Deus enim hîc pijs, suamque fabricam & cultum promouentibus promittit benedictionem, id est copiam bonorum temporalium; multò magis spiritualium ijs, qui alios ædificant, docent, sanctificant, vt in eorum mente domum spiritualem templumque Deo construant. Vnde sequitur: *Moral.*

21. Et factum est verbum Domini secundò ad Aggæum in vigesima & quarta mensis, dicens:

22. Loquere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens: Ego mouebo cælum pariter & terram.

23. Et subuertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regni Gentium:& subuertam quadrigam,& ascensorem eius:& descendent equi,& ascensores eorum: vir in gladio fratris sui.

24. In die illa,dicit Dominus exercituum, assumam te Zorobabel fili Salathiel,serue meus, dicit Dominus: & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

VERS.21. FACTVM EST VERBVM DOMINI SECVNDO] Die enim 24. mensis noni Aggæus duo accepit à Deo oracula. Prius fuit v.11. secundum est hoc, quo promittit Zorobabeli ob nauatam operam in fabrica templi,quòd ex eius posteris nasciturus sit Christus, qui fabricaturus sit Ecclesiam, in qua regnaturus sit & dominaturus omnibus gentibus.ita S.Hieron.Remig.Albert.& alij. Est hæc quarta & vltima Aggæi prophetia, qua de more assurgit ad Christum, in eoque quasi fine & scopo, oracula sua terminat & concludit.

VERS.22. *Quid hic promittatur Zorobabeli? Prima resp.* LOQVERE AD ZOROBABEL] Primò,Theodor. putat hîc promitti Zorobabeli in se & sua persona, quòd Deus eum cum populo defensurus sit ab inuasione Gog & Magog,imò facturus vt ipsi mutua se cæde conficiant,eorumque spolia diripiant Iudæi. Verùm Gog & Magog non fuerunt tempore Zorobabelis, sed erunt in fine mundi, vt patet Ezech.38.& 39.& Apoc.20.7.

Secunda. Secundò, Hebræi cēsent Zorobabeli hîc promitti excidium Persarum,quos ipse formidabat, quasi ipse illud sit visurus, & in eo illæsus, quasi annulus,à Deo sit conseruandus. Verùm hæ sunt fabellæ. Persæ enim exciti sunt ab Alexandro Magno,200.annis post tempora Zorobabelis & Darij Hystaspis. Quocirca alij minùs improbabiliter hæc referunt ad posteros Zorobabelis,quos Deus ab Alexandro Magno tutatus est. Cùm enim Alexander omnes gentes sibi subijceret, Deus Iudæos exemit, flexitque animum turgidum Alexandri ad modestiam & beneuolentiā, vt Iaddum pontificem Iudæorum veneraretur, Iudæosque benignè complexus, immunes & liberos dimitteret.

Tertia & genuina. Dico ergo,Zorobabeli hæc promitti, nō in se, sed in suis posteris,putà in Christo,q.d Quia tu, ô Zorobabel, dux & ductor fabricæ templi mei fuisti, hinc tibi pro mercede promitto,quòd inter tot bella, & inter tot reges ac monarchias, Persarum, Græcorum & Romanorum,quæ post mortē tuam inter se colluctabuntur, & sese vicissim collident & interiment,ego te tuamque domum & familiam ducalem illæsam, tamquā annulū meum signatorium conseruabo, & cōtinua serie propagabo;imò efficiam vt ex te nascatur Christus, qui euersis omnibus regnis rerū potietur, eritque Rex regū & Dominus dominātium. Hæc ergo promissio fit Zorobabeli: quia licet implenda sit in Christo, tamen tangit & afficit ipsum Zorobabelem: nam ingens eius decus & gloria est,quòd ipse familiæ ducalis sit auctor,ex qua nasciturus est Christus, quodque eam per 500.annos vsque ad Christum cōseruabit & propagabit. Hoc est quod illi hîc promittit Deus.

Obiter hîc Nota, duo fuisse templa Dei, & duos eorum fabricatores, & vtrumq; pro mercede fabricæ templi, accepisse promissionem à Deo de Christo ex se nascituro. Prior est Dauid, qui omnes impensas pro fabrica templi curauit, easque consignauit Salomoni filio,ideoque audiuit à Deo: *Ipse* (filius qui ex te nascetur) *erit mihi in filium,& ego ero illi in patrem, firmabo solium regni eius super Israel in æternum*, 1.Paral.22.10. Alter fuit Zorobabel,qui secundū templum instaurauit,ideoque pariter Deus illi hîc promittit filium Christum, quòd scilicet ille ex eius persapia nascetur. Vnde discimus,quam liberalis sit Deus, qui pro parua opera & obedientia tanta mercedem,quanta est Christus,promittit. Rursum quàm Deo placeat religio, putà fabrica monasteriorum,templorum, eorumque ornatus & cultus:multò magis,quàm ei placeat fabrica nouī templi virtutum in anima, tum nostra, tum proximorum nostrorum; ac præsertim vrbium & gentium integrarum conuersio.

Huc pertinet expositio Remigij,Lyrani & Vatabli, qui censent hæc promitti non Zorobabeli, sed Christo, nimirum quòd ipse incarnandus & futurus rex orbis,ideoque commouēda & subijcienda sunt ipsi omnia regna, omnes reges & principes. Hoc enim eōdē redit. Siue enim dicas Zorobabeli hæc promitti non in se,sed in posteris, putà Christo; siue dicas ipsi Christo ex Zorobabele nascituro hæc promitti, eōdē res recidit. Congruentiùs tamen ipsi Zorobabeli hæc cōsignamus:quia ei illa pro mercede fabricæ cōsignat tum Aggæus, tum Eccles.c.49.13. dicens: *Quomodo amplificemus Zorobabel? nā & ipse quasi signū in dextera manu*. Sic Dauidi promittit Scriptura quod in Christo eius filio implendū erat. *Ponam*, inquit, *suscitabo seruū meū Dauid*, id est Christum, Dauidis filium & antitypū, Ezech.34.23. Sic benedictio Abrahæ facta, quòd in ipso benedicendæ essent omnes gentes, Gen.18.18. impleta est in Christo ex Abraham progenito. Sic promissio terræ Chanaan eidem facta Genes.15. impleta est post 400.annos in posteris eius.

Anagog. S.Hieron.Haymo & Hugo,hæc reponunt de secundo Christi aduentu ad iudicii, ad resurrectionem,gloriam,& regnum. Tunc enim Deus commouebit omnia regna mundi, illaque ipsi quasi iudici & domino subijcet, vt docet Apostol.1.Cor.15.24.& sequent.

Mysticè, hæc facit quotidie Deus in Christi posteris,putà Christianis Regibus,Prælatis, Pontificibus,quorum iura & regna propagat,debellando hæreticos, Turcas, infideles, illosque eis subijciendo, vt ita Ecclesia & regnum Christi dilatetur & magnificetur.

EGO MOVEBO CÆLVM PARITER ET TERRAM commotionibus,scilicet,& translationibus monarchiarum, de quibus paulò antè dixi, ac aliquas recensui v.8.ita S.Hieron.

ET CONTERAM FORTITVDINEM REGNI GENTIVM] Sic Persas iam tum dominantes Iudæis contriuit Deus per Græcos, Græcos per Romanos, Romanos per mutua & ciuilia bella.

ET DESCENDENT] Id est cadent, siue concident in terram occisi & mortui. q.d. Futura sunt ingentia bella & strages inter Græcos, Persas & Romanos; & tamen inter ea seruabo te vnũ, id est tuam familiam, ô Zorobabel: quia hæ strages parant viam regno & monarchiæ Christi ex te nasciturj, iuxta visionem Daniel. c. 2. vbi cùm ostendisset contritionẽ statuæ quadrifidæ, significantis quatuor orbis monarchias, per lapillum de monte sine manibus præcisum, putà per Christum, subdit de eius monarchia v. 44. *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum quod in æternum non dissipabitur, &c. & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.*

SERVE MEVS] Non tantùm Zorobabel, sed & Christus, quem hæc omnia tangunt, qua homo, vocatur, & reuera est seruus Dei, vt dixi Isaiæ c. 42. 1. *Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.*

PONAM TE QVASI SIGNACVLVM] Hebr. חותם *chotam*, id est sigillum signatorium, præsertim in annulo quo primò, tum edicta & literas, tũ arcas & alia secreta, vel pretiosa, ac nominatim testamenta, obsignabant & custodiebant veteres. Radix enim חתם *chatam*, significat occludere, obsignare, sigillo confirmare, claudere & communire. Sic Darius iussit obsignari annulo suo os lacu leonum, in quem coniectus erat Daniel, ne quis eum occideret vel læderet, Daniel. 6. 17.

Secundò, sigillum hoc annuli erat in pala incisum alicui, alteriúe gemmæ pretiosæ: quocirca annulum gestabant in digito ad ornatũ, vt eo suã nobilitatem stemmata & insignia gemmæ incisa ostentarent. Sic Africanus patris imaginẽ incidit annulo: Augustus sphingem, ac deinde effigiem Alexandri Magni: alij leones, dracones, &c. Hinc filius prodigo in gratiam recepto pater iubet dari annulum, in signum restitutæ dignitatis, Lucæ 15. v. 22. Vnde Syrus pro *chotam* vertit, *sigillum*; Arabicus verò vterque, *annulum*, scilicet signatorium qui reipsa est signaculum & sigillum.

Tertiò, annulus dabatur legatis qui mittebãtur ad exteras gentes, tum honoris, tum auctoritatis & fidei eis conciliandæ causa: item victoribus & triumphatoribus, teste Plinio lib. 33. c. 1. Sed minimè amicis charissimis & fidelissimis. Ita Pharao Iosepho dedit suum annulum, Genes. 41. 42. & Assuerus Aman intimo suo, Esther 3. 10. Hinc Cicero ad Q. Fratrem eum monet: *Te, inquit, annulus tuus non minister aliena voluntatis, sed testis tua.*

Quartò, annulus inter sponsos signum erat consensus, mutuique amoris, qui vtriusq; vti digitum ita & cor mentemque, annulo, id est charitatis vinculo & symbolo, copularet. Hinc signũ est fidei coniugalis, eiusque coniuges admonet. Vnde gestatur in digito quarto manus sinistræ, qui inde annularis dicitur, eò quòd habeat venam tendentem ad cor, inquit S. Ambros. lib. de Patriarchis, & Gelliuslib. 10. Vt digitus ille qui eundo est indicium, annulo quasi corona honederat, inquit Pierius lib. 41. Hinc & veteres imaginem eius quem amabant in annulis gestabant, vt illum semper intuerentur, & de eo iugiter cogitarent. Hinc sponsus à sponsa petit Cantic. 8. 6. *Pone*, inquit, *me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*, vt scilicet nõ aliud videas, cogites & ames, quàm me; vt videaris habere cor & brachium obsignatũ meo annulo, imò meipso, tamquam custode ac domino cordis atque operũ omnium; vt ab ijs alios omnes excludas. Insuper, vt quasi mollis cera fingi te patiaris, neque aliquid exprimas in moribus, quod nõ ego priùs tibi impresserim. Id enim decet in cõnubio hoc diuino, quo mihi astricta es. Sic Cicero lib. de Finibus, testatur discipulos & amicos Epicuri, eius imaginem in annulis gestasse.

Quintò, annulus priscis habitus est symbolũ & causa prudentiæ, vt scilicet eo temporum successus vicesque, & quid quolibet agendum esset, cognoscerent. Ita Iarcha septem annulos dedit Apollonio Thyanæo, ait Philostr. in eius Vita l. 3. c. 13. septem stellarum nominibus insignitos, quos Apollonius singulos singulis diebus gestabat. Verisimile est fuisse magicos, quales Clemẽs Alexand. l. 5. Strom. habuisse Excestum Phocensium tyrannum memorat: ex quibus inter se collisis sonumque excitantibus, rerum gerendarum oportunitates cognoscebat: sed malè malus cum suis annulis perijt. Aristophanis Scholiastes scribit Eudemum Philosophum physicos annulos fecisse contra dæmones, & serpentes. Arabicus codex de annulo Salomonis narrat, Salomonem annulum fatalem habuisse, cui vis illa sapientiæ mirabilis tenebatur implicata, quem amasię eius in Iordanem proiecerunt, indeque suis illecebris regem sapientissimum demẽtarunt. Verùm cùm postea annulus in vẽtre piscis repertus Salomoni esset redditus, ilicò in eo sapiẽtia reuiguit. Refert hæc Pineda lib. 3. de Rebus Salom. c. 29. Fabellam Iudaicam esse autumo. Celebris est Gygis annulus, quo ipse omnia videns, à nemine videbatur, itaq; regẽ Lydorum occidit, & regnum occupauit, de quo S. Ambros. l. 3. de Officijs c. 5. ex Platone. Sed & hîc magicus fuit. Sic enim magi hodie dæmones familiares habent in annulis, à quibus discunt arcana. Illud verum, artificem peritissimum annulo Caroli V. Imp. horologium integrum, cum totlibramentis, currentibus & recurrentibus rotulis inclusisse. Rem tantam in tantillo annulo omnes admirati sunt. Nimirum sapiens momenta temporum & rerum habet in manu.

Felix cui cælum terraq; patebant
In digitis.

ita Nicolaus Caussinus lib. 11. Parab. Histor. c. 66. 67. & 68. Sic annuli astronomici docent signa cælestia, solis progressus, & horarum spatia. Annuli ex equo marino cohibent spasmum. Alij ex certis gemmis resistentibus melancholiæ, maniæ, epilepsiæ, iuuant ad mentis serenitatem, iudicium & sapientiam.

Iam vt hæc applicemus Zorobabeli, & genuinũ huius loci sensum aperiamus, aduertendũ est, Aggæum alludere ad Ierem. 22. 24. vbi impio Iechoniæ regi Iuda has minas intentat Deus: *Viuo ego, dicit Dominus: quia si fuerit Iechonias filius Ioakim regis Iuda, annulus in manu dextera mea, inde euellam eum. Et dabo te in manu quærentium animam tuã, &c. in manu Nabuchodonosor.* q.d. Etiamsi Iechonias mihi ita necessarius, coniunctus, charus & pretiosus esset, ac est annulus signatorius, qui numquã de manu gestantis ac sigillãtis aufertur, vti fuit eius auus Iosias, & ataui, Dauid, Iosaphat & Ezechias; tamen ob eius scelera à me euellam illum, atque in Babylonem traducã, tradamque in

in manus Nabuchodonosoris. Iechonias fuit auus Zorobabelis: Iechonias enim genuit Salathiel, Salathiel genuit Zorobabel. Quod ergo auo ob impietatem Deus abstulit, nimirum esse signaculum vel annulum signatorium Dei, hoc hic nepoti eius Zorobabeli ob pietatem restituit. Vnde & effecit, vt, sicut Iechonias fuerat dux euntium in captiuitatem Babylonicam, ita Zorobabel nepos esset Dei nomine dux inde redeuntium Hierosolymam. Sicut ergo principes sigillum regium, quod Cancellario ob scelus ademerunt, reddunt filio vel nepoti, ob eius merita; ita facit hic Deus. Vnde de eo ait Ecclesiasticus cap. 49. 13. *Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in dextera manu.*

Porrò Zorobabeli quinque sigilli dotes iam recensitæ congruunt, tam in sua persona, quàm in persona Christi ex eo progeniti, de quo propriè hîc agitur, vt communiter docent Interpretes, quos sequitur Emmanuel & Mariana.

Zorobabel annulus Dei.

In sua persona. Primò, quia, sicut annulus signatorius præ omnibus rebus custoditur, ita Deus custodiuit Zorobabelē, eiusq; stirpem præ stirpe aliorum regum. Hisce enim eum opponit dicens: *Subuertam solium regnorū, & conteram fortitudinem regni Gentium; sed assumā te ô Zorobabel, & ponam quasi signaculum: quia te elegi.* q. d. Perdam alios reges & regna, te verò quasi annulum meum custodiam, cordi & curæ habebo, faciamque vt sis quasi sigillum obsignans & custodiens, non tantùm corpus Darij regis, 3. Esdræ 3. v. 3. iuncto c. 4. v. 13. sed & totum populum Israel, cuius meo nomine eris liberator & redux.

2. Secundò, es mihi honori & ornamento instar annuli aurei: tum quia mihi domum meam ædificas: tum quia rempubl. populi mei in meo cultu contines & promoues. Reipub. ergo pariter es decus & gloria, perinde ac Iudith, cui victrici acclamat populus c. 15. 10. *Tu gloria Ierusalem, tu latitia Israel, tu honorificentia populi nostri.*

3. Tertiò, es meus legatus, tum ad Darium, tum ad populum, vt vtrisque meam voluntatem, legē & iussa exponas, ideoque es mihi instar annuli: quia tibi auctoritatem & fidē apud vtrosq; conciliaui; vt in omnibus tibi fidem habeant quasi legato à me misso, & annulum meum gestanti.

4. Quartò, es mihi charus & coniunctus quasi annulus, vt te semper præ oculis, cordi & curæ habeam. Vnde Chald. vertit, *ponam te sicut sculpturam annuli super manum.* Hinc faciam te quasi generum meum, vt scilicet ex te carnem sumat filius meus vnicus, atque adeò eumdem filium meum gignas vt hominem, quem ego genui vt Deum. Hinc Arias sic explicat, q. d. Sicut sigillū in certa annuli parte solet constitui, ita nomen tuum, ô Zorobabel, familiæ & genealogiæ Christi inseram, vt æternum sit & gloriosum, nec vllo tempore vel obliuione possit deleri, vt reipsa illi insertum est Matth. 1. 12.

5. Quintò, do tibi sapientiam annulo repræsentatam. vnde in problemate: *Quid esset fortissimū?* Zorobabel respondens esse veritatem, præmium sapientiæ tulit à Dario, 3. Esdræ 4. v. 13. & 42. Hinc & populum sapienter rexit, à Samaritis defendit, eique Darium conciliauit. Quocirca postquam populum in Ierusalem reduxit, ipse Babylonem redijt, vt causam populi apud regem ageret, ibique defunctus est.

A Verùm potiùs hæc competunt Zorobabeli, ut
persona non sua, sed Christi: de eo enim ad litteram loquitur Aggæus, dicens, *In die illa*, scilicet
tempore Christi. q. d. inquit à Castro, Assumam
tuam carnem, ô Zorobabel, quam quasi annuli
signatorium aureū inseram dexteræ meæ; nempe filio meo, qui est meum brachium, mea dextera, mea virtus & fortitudo, Isaiæ 53. v. 1. vt tali
filio ex te progenito colaris ab omnibus & glorificeris, imò super vniuersos reges exalteris ac
quasi deificeris, in natura humana, quam ex tua
posteritate filius meus assumet, sibique vniet &
deificabit, idque in æternum, vt ei semper in omnia sæcula adhæreat, sicut annulus digito. Vel
ponam te quasi signaculū, id est, faciam stirpem
& propaginem tuam quasi annulum in orbem
euntem, cuius extrema vniantur in pala contineте sardonychem, id est Christum Filium Dei,
B qui est sigillum & character Patris. Sicut enim
de Adam, qui in hoc orbe genealogiæ Christi est
primus, dicitur Lucæ 3. 38. *Qui fuit Dei*, ita vltimus in eo Christus, pariter est filius Dei. Insuper, sicut manus ornatur annulo, ita ego filium
meum carne, quam ex tua stirpe assumet, quasi
annulo ornabo. Sic enim de Ecclesia ait Isaias
cap. 62. 3. *Eris quasi corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.*

Porrò Zorobabel fuit typus & figura Christi.
Primò, suo ducatu, & reductione populi è Babylone; vti Christus nos liberauit à peccato,
morte & gehenna. Secundò, quia ædificauit templum, vti Christus Ecclesiam. Tertiò, sua proiectione populi apud Darium, vti Christus aduocatus est noster apud Patrem. Quartò, sua pro-
C pugnatione, pugnando contra Samaritas volentes impedire fabricam templi, vti Christus pugnat pro suis Martyribus & fidelibus. Quintò,
quia, vt Zorobabel pro populo vixit & mortuus
est in Babylone; ita Christus in mundo, qui est
Babylon, id est confusio vitiorum & malorum
omnium. Sextò, sicut Zorobabel Deo charus
& coniunctus fuit, ita Christus eidem fuit coniunctissimus, adeoque humanitatem suam Verbo hypostaticè vniuit & coniunxit. Septimò,
quia, vti Zorobabel fuit sapiens, ita Christus est
sapientissimus.

Verus ergo Zorobabel, id est Christus Zorobabelis filius & antitypus, est signum, id est sigillum, in manu Patris: tum passiuum, scilicet ab
eo expressum; est enim eius Verbum & imago
tum actiuum, quo scilicet Deus suam maiestatē,
D cogitata & dicta obsignat, suamque imaginem
angelis, hominibus & creaturis omnibus, ac præsertim Apostolis & Ecclesiæ suæ imprimit, idque iuxta quinque sigilli dotes initio recensitas.
Nam Christus, vt docet Apostolus Hebr. 1. 3. est
imago Dei inuisibilis, nimirum *splendor gloriæ & figura substantiæ eius*, qui scilicet illam quasi Verbum, & sigillum, & character, vt habent Græci,
obsignat.

Vbi Nota. Christus hîc ab Aggæo vocatur Signum, siue sigillum Dei quà homo, nō quà Deus:
humanitatem enim, non deitatem, ex Zorobabelis carne & stirpe assumpsit. Christus ergo quà
homo, est sigillum Dei. Primò, per communicationem idiomatum, per quam ea quæ sunt Dei
tribuuntur homini: quia enim Filius Dei est sigillum & imago Patris, hinc & hic homo hypo-

statica

sanctè vnitus Filio Dei, putà Christus, est sigillū & imago Patris. Secundò, formaliter, quia Verbum ad similitudinē impressit humanitati; putà suam scientiam, virtutem, sanctitatem, suas cogitationes, locutiones, actiones & mores. Tertiò, quia Christus homo fuit signaculum, id est euidentissimum signum & testimonium attributorum Dei, putà potentiæ, iustitiæ, sapientiæ, ac præsertim philanthropiæ & amoris immensi erga homines; vt hæc enim ostenderet Deus, voluit filiū suū incarnari. Christus ergo incarnatus est quasi sigillum expressum, in quo legimus, imò expressum & depictum videmus Dei amorem, potentiam, iustitiā, sapientiam, &c. Quartò, quia Christus instar signaculi testatus est, & certos nos fecit quænam esset voluntas Dei, quænā eius doctrina, lex & iussa, nimirū ea quam in Euāgelio promulgauit & docuit. *Deum*, ait S. Iohan. c. 1. *nemo vidit vnquā; vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis.* Hac de causa Deus dedit Christo potestatē faciendi miracula, vt eo quasi sigillo dicta sua confirmaret, eaq́ne à Deo sibi reuelata & imperata esse demonstraret, iuxta illud Iohan. 6. 27. *Hunc enim Pater signauit Deus.*

Deus ergo subuertens monarchas & monarchias Persarum, Græcorum & Romanorum, vt docet Aggæus, Zorobabelem, id est Christum Zorobabelis filium, assumpsit, & posuit quasi signum, vt scilicet esset sigillum regni diuini & Regis regum, putà Dei Patris, qui exclusis cæteris, solus per Christum regnare volebat in orbe terrarum per suam fidem, gratiam & legem Euangelicam. Deus enim, quia in se est inuisibilis, hinc filium suum vestiuit & velauit carne, vt per eum ipse quasi transpareret & traduceret, sicut transparet per cælum & stellas, iuxta illud Iob 9. *Stellas claudit quasi sub signaculo*, id est, stellas claudit & abscondit Deus sub procellis & tenebris, quæ sunt quasi signacula, velamina & insignia diuinæ potentiæ, maiestatis & gloriæ, pariter ac stellarum, in quibus quasi facibus illa scintillat & emicat.

Hinc Secundò, Christus quasi sigillum Patri apud ac Ecclesiæ, quin & angelis, omnibusq́ue creaturis, & toti vniuerso fuit honori & ornamento adeoq́ue ipse omnium fuit decus & gloria. Verbum enim incarnatum hominem Verbo, terram cælo, creaturas omnes Deo non tantum reconciliauit, sed & in sua hypostasi physicè copulauit & vniuit.

Tertiò, Christus fuit sigillum, quasi legatus Patris ad homines, iuxta illud Isaiæ 55. 4. *Ecce testem populo dedi eum, ducem ac præceptorē Gentibus.*

Quartò, Christus fuit sigillum, id est dilectissimus pretiosissimus & coniunctissimus Patri, eiusq́ue & pariter totius mundi deliciæ, exultatio & sibilus. Eius enim humanitas, quasi sponsa desponsata fuit Verbo quasi sponso: vnde eius epithalamium canit Sapiens toto Cantico canticorum.

Quintò, Christus fuit sigillum, id est Sapientia Patris increata, quā Verbum, creata, quā homo. Vnde ipse reuelauit nobis arcana Patris, & abscondita à constitutione mundi, Matth. 13. 35.

Mysticè, Christus est sigillum Dei: quia sua effigie, putà sua fide, gratia, virtute & moribus, æquè ac charactere, in baptismo, aliisq́ue Sacramentis obsignat suos fideles. Deus enim misit

A Christum, quia *voluit nos conformes fieri imaginis filij sui*, Rom. 8. 29. vt, *sicut portauimus imaginem terreni Adæ, ita portemus & imaginē cælestis*, 1. Cor. 15. 49. Et cum Apostolo dicamus: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*, Galat. 2. 20.

Secundò, Christus quasi sigillum obsignat & custodit fideles suos contra omnes tentationes & hostes. Porrò Christi sigillum est crux, iuxta illud Ezech. 9. 4. *Signa thau super frontes virorum gementium.* Et Apoc. 7. 2. *Vidit alterum angelū*, &c. *habentem signum Dei viui.* Crux enim nos communit contra illecebras carnis, mundi & diaboli, facitq́ue nos afflictas, milites & Martyres Christi crucifixi. Vnde Apostolus: *Ego*, inquit, *stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, Galat. 5. v. 17. Quocirca Christus per crucem est labarum &
B signum militare contra hæreticos, Iudæos & Paganos, inquit Rupert. Rursum crux Christi est medicina curans spasmum superbiæ, epilepsiam iræ, maniam luxuriæ, melancholiam acediæ, &c. Vbi ergo crucem vides, scito rem esse bonam & Deo gratam, quia sigillum Christi illi impressum vides. Talia sunt pœnitentia, mortificatio, abnegatio, austeritas, persecutio, humiliatio, patientia, contemptus, opprobria, carceres, martyria. Ex aduerso sigillum diaboli est voluptas: vbi ergo illam vides, caue quasi à serpente. Talia sunt sequi suos appetitus, mollities, libertas, ambitio, æstimatio sui, laudes, adulationes, plausus, &c. Quod ergo sponsus dicit sponsæ Cant. 8. v. 6. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*; hoc nos vicissim ei dicamus, petamusq́; vt ipse obsignet omnia cogitata, dicta & facta nostra; vt nihil cogitemus, dicamus, agamus, nisi ex ipso, per ipsum, in ipso, propter ipsum. Tu enim, ô Iesu dulcissime, es signum sagittantium, vexillum pugnantium, brauium currentium, distinctio ouium, custodia cordium, exemplar operantium, forma normaq́ue seruorum, sigillum & character militantium, annulus, corona, & diadema triumphantium. Eia, Domine, imprime animæ meæ tuam imaginem, imò teipsum; obsigna eam annulo amoris tui, vt eo obsignata nihil posthac diligat præter te: quia tu es tota possessio totaq́ue beatitudo cordis mei. Tu es vita perennis, per quam viuo, sine qua morior: vita, per quam gaudeo, sine qua mœreo: vita dulcis & amabilis. Da, Domine, vt anima mea virtute ardentis charitatis tuæ conflata, & dulcedine penetrantis
D dilectionis tuæ, quasi cera liquefacta, tota effluat in te. Possideeam summum atque incommutabile bonum: possideeam, vt ipsa possideat te. Da, vt te amplectar, & suaui amore soporatus in te, qui es pax gratissima, sanctè obdormiscam. Da vt omnia transitoria, omneq́ue mundi altitudines, species & deliciæ mihi vilescant: tu solus placeas, te solum cogitem, amem, loquar, eructem.

Sigillum Christi est crux, diaboli voluptas.

Tropologicè, fidelis debet esse signaculum Dei; tum passiuum, expressum scilicet ex exemplari diuino, eiusq́ue imagine, ad quam creatus, & à Christo recreatus est, insignitum; vt Deum, Deiq́ue virtutes in corde, ore & opere referat & exprimat; tum actiuum, vt scilicet eamdem Dei imaginem aliis omnibus imprimat, vt omnes sentiant illud psal. 4. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*; ac proinde signacula

Tropolog. fidelis est sigillū Dei dupliciter.

omnia mundi, carnis & diaboli diffringat & abijciat. Narrat ex Ptolemæo Nicol Causinus lib. 11. Parall. histor. cap. 6. 5. Helenam obsignasse suas litteras Asterite lapide, cuius ea vis est, vt soli obiectus accendatur, impressa in eodem piscis Panis figura; ac symbolicè sic explicat: Poterit, inquit, in eos torqueri, qui cælum miscent terræ, profana diuinis, amorem Dei amori carnis & mundi. In eodem enim annulo cælesti lapidi iuncta erat figura Panis: nam & hic piscis Pani similis est, à quo nomen accepit: Pan autem est impurus & salax Deus. Quid facit stella cum terris, lux cum tenebris, puritas cum impudicitia, amor Dei cum amore mundi, imago Dei cum imagine diaboli? Sicut ergo cera non aliam imaginem refert quàm sui sigilli, ita fidelis non aliam similitudinem, non aliam vitam, non alios mores referat quàm Christi & Dei, iuxta illud Pauli: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Fuit Paulus sigillum Christi, omnibus eius doctrinâ & mores imprimens. Tales simus & nos: sic erimus pariter sigillum Christi, & annulus signatorius in manu Dei: ita nobis competet illud eiusdem, 1. Corinth. 9. 2. *Signaculum apostolatus mei vos estis in Domino*; imò illud olim Cherubini & regis Tyri: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuũ*, Ezech. 28. 12. Ac tandem sigillo & annulo gloriæ suæ obsignabit, imò donabit nos Deus: hoc est enim signaculum prædestinationis & electionis Dei, de quo Apostolus 2. Timoth. 2. 19. *Firmum*, ait, *fundamentum Dei stat, habens signaculũ hoc: Cognouit Dominus qui sunt eius, & discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini.*

Prælati & doctores sunt annulus Dei.

Pij ergo & zelosi reges, principes, rectores, doctores, prædicatores, &c. instar Zorobabelis & Christi sunt quasi sigillum & annulus aureus in manu Dei, quo ipse suos fideles obsignat, eisque suam imaginem suosque mores diuinos imprimit. Hic itaque eis sit acer stimulus ad virtutem & zelum, vt scilicet cum Elia zelentur pro domo Dei, & pro animarum sibi creditarum sanctitate & salute. Quinimò sciant se fore os Dei, iuxta id quod promisit Deus Ierem. 15. v. 19. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris.* Denique S. Ambros. per *signaculum* accipit pacem animæ, per quam ipsa quasi consignatur & insignitur imagine Dei. Verba Ambrosij citaui v. 10.

QVIA TE ELEGI] Chald. *quoniam in te mihi complacui.* Ita Christo in Iordane baptizato vox cælestis à Patre allapsa est: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. 3. 17. Christus enim fuit amor & deliciæ Patris, ideoque eius iram in genus humanum placauit, factusque est propitiatio & reconciliatio mundi, vti passim docet S. Paulus. Quare quod de Scipione dixit antiquitas: *Neque Roma cadet Scipione stante, neque Scipio viuet vrbe cadente*; hoc longè verius dicas non tam de Zorobabele, quàm de Christo: Neque Ecclesia cadet Christo stante; nec Christus stabit, si (quod absit) Ecclesia cadat.

Pro conclusione prophetiæ Aggæi, Nota eam totam spectare & vrgere restaurationem templi ad literam; sed Allegor. per fabricam templi repræsentare fabricam Ecclesiæ erigendam à Christo: & Tropol. institutiones Ordinum & Religionum faciendas à S. Basilio, Antonio, Benedicto, Augustino, Hieronymo, Bernardo, &c. Item fabricam virtutum in anima sancta. Porro multæ sunt analogiæ inter fabricam templi corporalis & mystici, putà Ecclesiæ, congregationis, collegij, Religionis, ac animæ cuiuslibet sanctæ: Primò enim, sicut templum est domus Dei illi certis ritibus dicata & consecrata; ita est & Ecclesia, Religio ac anima sancta. Ritus hi consecrationis templi sunt quinque, scilicet, Aspersio, Inscriptio, Inunctio, Illuminatio, Benedictio. Aspersio fidelis & Religiosi, ait S. Bernard. serm. 1. de dedicat. Ecclesiæ, est pœnitentia. Inscriptio, legis & disciplinæ Religiosæ, fit in cinere, hoc est in corde eius instar cineris contrito, idque ab Episcopo, putà à Christo. Vnctio est vbertas gratiæ, eidem ab eodem infusa. Illuminatio, sunt opera quæ ex Religione prodeunt, & luceant coram hominibus, vt glorificent Patrem cælestem, & ipsi videant quid imitentur. Benedictio signum est æternæ gloriæ, quæ & gratiæ sanctificationis complebit, & præterita opera copiosè remunerabitur.

Secundò, in templo consecrato vigilant angeli, vti ex multis eorum apparitionibus ibidem factis constat: sic & sanctam *animam frequenter visitant angeli atque archangeli, & honorificant, vtpote Dei templum, & habitaculum Spiritus sancti.* Esto ergo templum Dei, & Deus excelsus habitabit in te. Anima enim Deum habẽs in se, templum Dei est, in quo diuina mysteria celebratur, ait S. Bernardus de Inter. domo cap. 3.

Tertiò, *domum Dei*, tam corporalem, quàm spiritualem *decet sanctitudo: quia non tam politis marmoribus, quàm ornatis moribus delectatur, & paratas magis diligit mentes, quàm superauratos parietes*, ait S. Bernard. ad milites templi cap. 5. Idem de Natura diuini amoris, cap. 13. *Templum hoc*, inquit, *cùm ornatum fuerit præscriptarum positione virtutum, & supradicto dedicandi ordine dedicatum, nullos vlteriùs alienos titulos potest suscipere, nullam habitatorem nisi Deum, qui condidit illud & creauit. Nihil ergo vltrà terrenum sancta illa anima, nihil materiale, nihil corruptibile diligit aut curat, ex qua regressa est à loco sarcinarum; etsi aliquo horum aliquando quasi in trãsitu vtitur, sed frui dedignatur. Quid in huiusmodi prosperum euenerit, pertransit, non conturbatur, si quid aduersi contigerit. Quidquid ad corpus spectat, siue bonum, siue malum, foris est, nec potest pertingere ad eum qui intus est.* Et S. Augustin. explicans illud psalmi 64. *Sanctum est templum tuum, mirabile in aequitate*, vel, vt ipse legit, *in iustitia*: *Non dixit*, inquit, *Templum sanctum tuum mirabile in columnis, mirabile in marmoribus, mirabile in tectis auratis, sed mirabile in iustitia.*

Quartò, templi fabrica fit è multis lapidibus, sed politis; ita Ecclesia consurgit è fidelibus cruce & mortificatione expolitis, iuxta illud Ecclesiast. officij in dedicat. templi:

Tunsionibus, pressuris
Expoliti lapides,
Suis coaptantur locis,
Per manus artificis,
Disponuntur permansuri
Sacris ædificiis.

Quintò, lapides fabricæ inter se consociati & colligati integrant templum: ita & fidelium consociatio Ecclesiam. Quocirca Primò, sicut vnus lapis

lapis positus in sublimi, vel in altari, non despicit alterum qui ponitur in pauimento, vel fundamento; nec hic illi inuidet, imò libens sustinet totam ædificij molem: ita in Ecclesia Prælati & Doctores non despiciunt subditos & plebeios; nec hi illis inuident: sed vtrique sua sorte & vocatione, locoque & gradu in quo à Deo eiusque vicarijs positi sunt, contenti lætique, totam Ecclesiæ fabricam concinnant. Secundò, sicut lapides templi calce compaginantur, alioqui ruinæ & fabricam euersuri: ita fideles constringuntur charitate. hæc enim est glutinum, vnio, & quasi anima Ecclesiæ, quæ alioqui dissolueretur & dissiparetur. Vnde S. Augustinus in psal. 30. *Templum*, ait, *Dei violat qui violat vnitatem.* Tertiò, sicut in fabrica lapis lapidem portat; ita in Ecclesia & Religione fidelis fidelem, frater fratrem, eiusque mores & infirmitates tolerat & supportat, cogitans, ait S. Gregorius, se vicissim ab alio portari; &, si fortè iam non portetur, aliquando portatum fuisse, vt disceret eamdē portandi vicem alijs aliquando rependere. Porro vt sanctus non tantùm fratris infirmitatē portat, sed & eamdem sanare & emendare nititur, sicut manus satagit membrum afflictum alligare & curare. S. Gregor. 20. Moral. 26. *Plus*, ait, *nonnumquam est compati ex corde, quàm dare; quia quisquis indigenti compatitur, minus æstimat omne quod dat.* Et mox: *Quia rem quamlibet plerumque dat etiam qui non compatitur, numquam autem qui verè compatitur, quod necessarium proximo conspicit negat.* Rursum nemo est tam rudis, tam vilis & miser, qui non possit euadere insigne instrumentum, imò templum gloriæ Dei, si debita cura expoliatur. Hæc tria pariter sunt in fideli anima & sancta. Nam Primò, oculus non despicit pedem, nec pes inuidet oculo; sed suo loco & officio contenti in idem corpus conspirant, vt docet Apostolus 1. Corinth. 12. toto capite. Secundò, omnes animæ potentiæ & vires charitate colligantur. Vnde S. Bernard. tractatu de Conscientia sub initium, *Videat*, inquit, *anima, & sollicita cauat ne à se inuicem membra disideant, id est Ratio, voluntas & memoria. Dignum habitaculum parat Deo, cuius non est ratio decepta, nec voluntas peruersa, nec memoria inquinata.* Tertiò, inuicem se tolerant membra, & potentiæ, mutuoque oneri succollant. Medium ad hæc opportunum suggerit S. Bernard. loco iam citato: *Redi*, inquit, *ad te ipsum, & diligenter discute teipsum: considera vnde venis, quò tendis, quomodo viuis, quid agis, quid amittis, & quantum quotidie proficis, vel quantum deficis: quibus cogitationibus magis incurraris, quibus affectibus frequentiùs tangeris, vel quibus tentationum machinis à maligno spiritu acriùs impugnaris. Et cùm totum interioris & exterioris hominis statum & habitum, in quantum possibile est, plenè perspexeris, non solum qualis sis, verùm etiam qualis esse debeas, ex cogitatione tui poteris sublenari ad contemplationem Dei.*

Sextò, sicut Deus colitur in templo orationibus, votis, oblationibus, sacrificijs: ita ijsdem colitur in Ecclesia, Religione & anima sancta, quæ Deo offert seipsam in holocaustum per tria Religionis vota: corpus per pœnitentias, in sacrificium pro peccato: gratiarum actionem, & obsecrationem, in sacrificium pacificum. Vnde S. Aug. lib. 10. de Ciuit. c. 6. *Ipse homo*, inquit, *Dei no-*

A *mini consecratus ac deuotus, in quantum mundo moritur, vt Deo viuat, sacrificium est. Corpus enim sit sacrificium, cùm illud temperantia ad Dei honorem castigamus: anima verò, cùm se refert in Deū, vt igne amoris eius accensa, formam concupiscentiæ secularis amittat, eiq; tamquam incommutabili formæ subdita reformetur; hinc ei placens, quod de eius pulchritudine acceperit.* Idem S. Augustinus de Natura & gratia, cap. 64. laudat dictum S. Sixti Pontificis & Martyris, cuius Diaconus fuit S. Laurētius: *Deus*, inquit, *libertatem arbitrii sui permisit hominibus, vt purè & sine peccato viuētes fiant similes Deo.* Et, *Templum sanctum est Deo mens pura, & altare optimum est ei cor mundum.* In hoc sacrificio ergo sacerdos, est ipse fidelis, & Religiosus: culter, est odiū sui, carnis & mundi: ignis, est charitas: victima, sunt corpus & anima cum suis membris & po-
B tentijs, quæ moriuntur mundo, sed meliùs viuere incipiunt Deo. Ad hanc hortatur S. Paulus Roman. 12. 1. *Obsecro*, ait, *vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Et S. Petrus epist. 1. cap. 2. 5. *Et ipsi*, ait, *tāquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo, per Iesum Christum.*

Septimò, Deus in templo, quasi paterfamilias *Septima.*
in domo, adest & præest: ibi exaudit orantium preces & vota, ibi beneficia largitur, ibi dat oracula: sic & in Ecclesia, Religione & anima sancta Deus præsens est, imò præsidet: hinc illam suis illustrationibus illuminat, suis impulsibus agit regitque ad omne bonum, postulata quæcumque concedit. Vnde infert S. August. serm.
C 210 de Temp. *Quoties*, ait, *aliquod peccatum aut cogitando, aut loquendo, aut etiam operando perficimus, templum Dei destruimus, & ei qui in nobis habitat iniuriæ irrogamus.*

Vbi consideratione dignum est, Spiritum san- *Octaua.*
ctum, ac consequenter totam Sanctam Trinitatem, in anima iusta præsentem esse, non tantùm per charitatem & sua dona, sed & per seipsam substantialiter & personaliter, ita vt, si per impossibile priùs non fuisset præsens per substātiam, iam per iustitiam & sanctitatem fieret substantialiter presens, vti cum S. Thoma, Bonauent. & alijs passim docet fusè Francisc. Suarez lib. 12. de Deo trino & vno cap. 5. Quod sanè miræ est dignationis diuinæ, æquè ac dignitatis nostræ. Quocirca anima sancta sciat in se quasi in templo viuo, viuè & substantialiter habitare Deum Pa-
D trem, Filium, & Spiritum sanctum, iuxta illud promissum Christi Iohan. 14. 23. *Si quis diligit me, sermonem meū seruabit. Et Pater meus diliget eū: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ergo non est necesse vt Deum extra se quærat, & ad eum exeat: habet enim eum intra se. Itaque eum per fidem iugiter intueatur, semper in tantæ maiestatis oculis dignè & reuerenter versetur, cum ea piè & affectuosè colloquatur: nil faciat quod eum vel leuiter offendat: omnes spes & res in eo defigat, omnes tribulationes in eum conijciat, eum ex toto corde amet, reuereatur & colat: in eo planè conquiescat, & cum Psalte dicat: *In pace in idipsum dormiam, & requiescam*, psal. 4 9 Quare meritò S. Bernard. libr. de Interiori domo cap. 22. *Conscientia bona*, inquit, *titulus est religionis, templum Salomonis,*

In ipso substantialiter habitat Deus.

ager

ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium angelorum, arca fœderis, thesaurus regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus & clausus, & in die iudicij aperiendus. Nihil est iucundius, nihil tutius, nihil ditius bona conscientia: premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secura. Cùm mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, transeat, numquam marcescit bona conscientia. Subiiciatur corpus in pœna, in ieiuniù maceretur, verberibus lanietur, equuleo distendatur, gladio trucidetur, crucis supplicio affigatur, secura erit conscientia. Causa est, quam dat Moses Leuit. 26. 12. & ex eo S. Paulus 2. Corint. 6. 16. quia *dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Quis enim timeat, habens in se Deum protectorem, confortatorem & consolatorem? Ita Christus in passione & agonia crucis stetit fortis, quietus & magnanimus. Quare? *Prouidebam*, inquit, *Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, & caro mea requiescet in spe*, psal. 15. & Act. 2. 25. Iubilet ergo anima sancta, esto in doloribus & tormentis constituta, quia habet Deum intra se, pro cuius amore patitur, cuiusq; dextera fulciatur. Deus enim est iubilus angelorum & Sanctorum, præsertim patientium. Id experti sunt Martyres, dum equuleis, ignibus, vngulis torquerentur & lacerarentur. Hoc est præludium, hic præguſtus, hæc inchoatio vitæ cælestis & beatæ. Vbi enim est Deus, ibi sunt angeli, ibi iubilus, ibi felicitas, ibi gloria. Quocirca exequamur monitum S. Cypriani tract. de Orat Domin. *Quando*, inquit, *patrem Deum dicimus, quasi filij Dei agere debemus; vt quomodo nos nobis placemus de Deo patre, sic sibi placeat & ille de nobis. Conuersemur quasi Dei templa, vt Deum in nobis constet habitare: vt qui cælestes & spirituales esse cœpimus, non nisi cælestia & spiritualia cogitemus, & agamus.*

Porrò in hac fabrica oportet Primò, iacere solidum fundamentum fidei, non cuiuslibet, sed viuæ & efficacis. Hæc enim sanctos incitauit ad opera ardua virtutum, vt docet Apostol toto cap. 11. ad Hebræos. Deinde illi oportet inædificare parietes binos, timoris & spei magnanimæ. His superaddere quatuor virtutes cardinales, cæteraſque eis annexas. Pauimentum humilitate sternatur. Tectum charitate contegatur. Turris orationis & contemplationis erigatur, ex qua & hostium insidias speculemur, & Dei cælitumque opem imploremus.

COM-

COMMENTARIA IN ZACHARIAM PROPHETAM.

ARGVMENTVM.

ZACHARIAS synchronos & coæuus fuit Aggæo, vterque enim cœpit prophetare post captiuitatem Babylonicam, anno secundo Darij Hystaspis regis Persarum, vt patet ex vtriusque principio: præponitur tamen Aggæus Zachariæ; quia duobus mensibus ante eum cœpit vaticinari, nimirum mēse sexto, Zacharias autem mense octauo. ita S. Hieron. Cæteri Prophetæ verbales fuerunt, & Deum loquentem per verba menti suæ immissa audierunt: Zacharias autē abundat visionibus & symbolis. Iam enim videt quadrigas, iam cornua, iam septem oculos, iam amphoram occlusam talento plumbi, iam candelabrum septifidum, iam fabros, iam oliuas, &c. Quocirca præ cæteris pariter obscurus est, profundus, varius, prolixus & ænigmaticus. Symbolicus ergo est, æquè ac Daniel, & Ezechiel, quos secutus est S. Iohannes in Apocalypsi, ac præsertim Zachariā, vt in decursu patebit. Audi S. Hieron. ad Paulinum: *Zacharias memor Domini sui* (dicitur enim Zacharias quasi זְכַר יָהּ *zachar ia*, id est, recordatus est Dei; vel quasi זִכָּרוֹן יָהּ *zachron ia*, id est, *memoria Dei*) *multiplex in prophetia, Iesum vestibus sordidis indutum, & lapidem oculorum septem, candelabrumq; aureum cum totidē lucernis quot oculis, duas quoq; oliuas à sinistris lampadis ornat & dextris: vt post equos nigros, rufos, albos, & varios, & dissipatas quadrigas ex Ephraim, & equum de Ierusalem, pauperem regē* (Christum) *vaticinetur, & prædicat sedentē super pullum filiū asinæ subiugalis.*

Argumentum eius est Primò, cum Aggæo animare & vrgere populum Babylone reuersum ad rædificandam Ierusalem, & templū. Id patet ex 1 Esdræ 5. 1. *Prophetauerunt autem Aggæus Propheta, & Zacharias filius Addo, prophetantes ad Iudæos qui erant in Iudæa & Ierusalem, in nomine Dei Israel. Tum surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedec, & cœperunt ædificare templum Dei in Ierusalem, & cum eis Prophetæ Dei adiuuantes eos.* Secundò, hortari eumdem ne idola & vitia maiorum imitetur, vtpote quorum punitionē, stragem & captiuitatem viderint. Tertiò, prædicit futuros successus, & euentus varios Iudæis obuenturos vsque ad Christum, ac præsertim quatuor monarchiarum conuersiones & successiones, quæ desinent in regnum Christi.

Quartò promittit Christum, eiusque vitam & mysteria ita particulatim recenset, vt historicus potiùs & Euangelista videatur, quàm Propheta. Recensēt enim Christi regalem & triumphalem ingressum in Ierusalem, qui contigit die palmarum, quatuor diebus ante eius passionē & mortem: Item proditionem Iudæ, institutionem Eucharistiæ, Christi passionem, plagas manuum, descensum ad inferos, educendos patriarchas, resurrectionem & gloriam, Iudæorum reprobationem, Gentium vocationem, Ecclesiæ institutionem & dilatationem, æquè ac sanctimoniam & felicitatem, persecutorum eius punitionem & interitum. Porrò hæc describit per hieroglyphica, ænigmata, parabolas & sententias obscuras, vereque vtitur stylo prophetico. Vnde S. Hieron. in prologo: *Ab obscuris, ait, ad obscuriora transimus. & cum Mose ingredimur in nubem & caliginem. Abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum Dei: labyrinthæos patimur errores, & Christi caca regimus filo vestigia.*

Porrò appositè vocatur Zacharias, id est, memoria Domini: quia omnium mirabilium, quæ Deus per Prophetas cæteros sparsim prædixerat, in hoc vno, vtpote penè Prophetarum vltimo, sibi quasi memoriam fecit; vt non iam mirum sit hominibus esse mirandum, qui Deo ipsi suorum est memoria mirabilium. Insuper S. Cyrillus hîc asserit, Zachariam fuisse oriundum è tribu Leui, vt esset Leuita, Sacerdos, Doctor & Propheta populi. Cùm enim populus, inquit, in captiuitate Babylonica, quæ durauit 70. annos, oblitus esset patriæ & Dei patrum suorū, Deus excitauit Zachariam, vt Ierusalem, templi & Dei memoriam ei renouaret, & auitam in eo pietatem instauraret. Denique tam Zacharias, quàm Aggæus cœperunt prophetare anno 2. Darij Hystaspis, qui fuit annus mundi 3431. ante Christi natiuitatem verò fuit annus 519.

Zacharias, id est, memoria Dei. Curt

Martyrem fuisse Zachariam censent nonnulli: putant enim ipsum fuisse Zachariam illum, de quo ait Christus Matth. 23. 35. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare.* Vnde & Zacharias hic noster inscribit se filium Barachiæ, fuitque penultimus Prophetarum; vltimus enim fuit Malachias: Christus autem loquitur de vltimo Propheta à Iudæis occiso. ita Vatabl. Arias, Sanchez & Ribera hîc, ac S. Chrysost. hom. 1. in Lucam de natiuitate Iohan-

Martyrem fuisse asserūt aliqui.

Iohannis Baptistæ: licèt S. Hieron. Beda & alij A multi censeant, illum Zachariam fuisse filium Ioiadæ pontificis, qui alio nomine dictus sit Barachias: hunc enim Ioas rex occidit inter ædem & altare, 2.Paral.24.21. Alij Tertiò, vt Origen. S. Basil. Cyril. Epiphan. Euthym. Theoph. quos sequitur Card. Baron. & noster à Castro, censent Zachariam illum Christi fuisse patrem Iohannis Baptistæ, qui occisus sit à Iudæis, eò quòd Virginis partum & Christi ortum prædicasset, quodq; B. Virginem post partū inter virgines in tẽplo collocasset. Verùm de hoc plura Matt.23.

Eius miracula. De Zachariæ oraculis & miraculis ita scribit Epiphan. in eius vita: *Zacharias Propheta natus Barachia, è terra Chaldæorum soluit, & inter proficiscendum permulta populo vaticinatus est: & demonstrationis causa multa designauit miracula. Hic est qui in os nnunciauit Iosedec: Nascetur ex te filius, qui sacrũ initiatus Hierosolymis sacrificabit Domino. Hic etiam benedixit Salathiel in filio dicens: Procreabit filium, & indet nomen illi Zorobabel. De Cyro quoque rege Persarum Zacharias ostentum dedit, idq; ad victoriam: signum item super Cræso Lydorum tyranno obiecit, necnon & super rege Medorum Astyage, deq; publico ministerio quod Cyrus rex designaturus esset Hierosolymis, vaticinatus est, laudibusq; euexit illum, &c. decessit vltima senectute in Iudæa, & proximè cum Aggæo Propheta humatus est.* Hæc si vera sunt, ostendunt Prophetas multa prophetasse quæ scripto nobis non consignarunt. Nihil enim horum extat in nostro Zachariæ libro. Eadem habet S. Dorotheus in vita Zachariæ: *Zacharias*, inquit, *à Chaldæa venit, cùm iam ætate esset prouecta. atque ibi populo multa vaticinatus est, prodigiaq; probandi gratia edidit: & sacerdotio Hierosolymis functus est. Idem & Salathieli cum filijs benedixit, & nomen Zorobabel imposuit; & Persis sub Cyro dedit victoriam cultu illius, quem facturus erat Hierosolymis, illumq; vehementer benedixit. Quæ verò prophetiam concernebant, vidit Hierosolymis, & de fine Gentium, de templo, de otio, de Prophetis & sacerdotibus, ac de duplici iudicio exposuit. Mortuus est in senectute graui, & sepultus prope Eleutheropolim: temporibus verò Ephidi Episcopi manifestatus, quòd is esset Zacharias filius Barachiæ, cuius meminit Isaias* c.8.v.2. B

Sanctorum catalogo asscriptus est die sexta Septembris vbi de eo in Martyrol. Romano sic legimus: *Zachariæ Prophetæ, qui de Chaldæa senex in patriam reuersus, iuxta Aggæum Prophetam eo ditus iacet.* Inuentum est venerandum eius corpus sub Theodosio Imper. iuniore, apparente & indicante ipso Zacharia, vti refert Sozomenus lib. 9. cap. vltimo, & ex eo Baron. anno Christi 45. Quamquam quæ ibi à Iudæo accepta adduntur, ad Zachariam filium Ioiadæ pontificis, non ad nostrum hunc Prophetam spectant.

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Proposita patrum culpa & pœna, putà excidio & captiuitate Babylonica, stimulat Iudæos, vt ab eorum idolis & vitijs, ad Deum & virtutem constanter se transferant, ne similem nouamq; cladem eis infligat Deus. Secundò, v.7. per equos nigros, rufos, varios & albos, varium Gentium, miserum verò Reipublicæ Iudaicæ statum præsentem repræsentat. Vnde videt angelum stantem inter myrteta, & orantem: Vsquequo tu non misereberis Ierusalem? Iste iam septuagesimus annus est. *qui exauditus audit, Deum Iudæis pacem & bona daturum, vt Ierusalem reædificetur, hostesq; eorum perditurum. Hinc v. 18. videt quatuor fabros deferentes quatuor cornua, quæ afflixerunt & ventilarunt Iudam.*

Vers.1. IN mense octauo, in anno secundo Darij regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ, filij Addo, prophetam dicens:

2. Iratus est Dominus super patres vestros iracundia.

3. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum: & conuertar ad vos dicit Dominus exercituum.

4. Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetæ priores, dicentes: Hæc dicit Dominus exercituum: Conuertimini de vijs vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.

5. Patres vestri vbi sunt? & Prophetæ numquid in sempiternum viuent?

6. Verumtamen verba mea, & legitima mea, quæ mandaui seruis meis Prophetis, nunquid non comprehenderunt patres vestros, & conuersi sunt, & dixerunt: Sicut cogitauit Dominus exercituum facere nobis secundùm vias nostras, & secundùm adinuentiones nostras, fecit nobis?

IN MENSE OCTAVO] Putà in Octobri, cœpit prophetare Zacharias. Aggæus verò in mense sexto, putà in Augusto: vterque autem prophetauit, non in Babylone, vt aliqui censent: sed in Ierusalem, vt diserte scribit Esdras l.1.c.5.

DARII] Hystaspis. vide dicta Aggæi 1.1. Darius perscè significat Φρόνιμον, id est pru-

dentem ait Hesychius: prudentia enim & prouidentia est prima dos regis, vt bene regat & gubernet.

FILII BARACHIÆ] *Barachias* hebr. idem est quod *benedictio Domini*. Huius filius est Zacharias, id est memoria, vel memor Domini. Magna enim benedictio summumque bonum est iugiter meminisse Dei, semperque eum habere in memoria, imò in oculis & mente.

FILII ADDO] Fuit ergo Addo auus Zachariæ, S. Hieron. & eum secuti Remig. Albertus, Haymo, Hugo & Dionys. censent hunc esse Addo Videntem, id est Prophetam, qui scripsit Chronica regum Iuda, 2. Paral. 12. 15. quique missus fuit à Deo ad Ieroboam primum regem Israel, et ab vitulos aureos ab eo erectos, interitum denunciaret, 3. Reg. 13. 1. licèt Script. eum ibidem non nominet. Verùm hoc creditu est difficile. Nam à Ieroboam vsque ad Darium Hystaspis fluxerunt 400. anni & amplius. Quare verisimile est, Addo auum Zachariæ fuisse alium ab Addo Vidente; sed fuisse pariter Prophetam, vt credunt Hebræi, vel certè virum illustrem, ideoque hîc nominari, vt nepoti suo Zachariæ nomen & decus conciliet. Nisi dicas, Addo Videntem non auum, sed quintum, vel sextum auum fuisse Zachariæ, vt Barachias vocetur filius id est abnepos, Addo. Sic enim ipse Zacharias vocatur filius, id est nepos, vel abnepos Addo, Esdræ 5. 1. Et hoc satis est verisimile, tum quia alium Addo Prophetam, vel celebrem in Script. non legimus; tum quia propheta tunc temporis erat quasi hereditaria, æquè ac sacerdotium, & de auis transibat in patres & nepotes, vt tradunt Hebræi: vnde & in libris Regum celebrantur filij Prophetarum, & Zacharias pater Ioannis Baptistæ fuit Propheta, æquè ac filius, vt patet Lucæ 1. 67. Tum quia disertè id asseruit S. Hieronymus, & alij iam citati, qui sanè vidit ex intercapedine tot annorum Addo non posse esse auum Zachariæ; per auum ergo accipit atauum. Quod si ita est, magni Prophetæ (talis enim fuit Addo Videns) nepos & heres fuit Zacharias.

IRATVS EST] Hebr. *iracundia iratus est*, id est, vehementer iratus est, valdè excandescit.

ET DICES AD EOS] Scilicet Iudæos, inter quos tu versaris, & quorum te constitui Prophetam. Ponitur relatiuum, vel potiùs demonstratiuum pro antecedente, vtpote noto & obuio.

HÆC DICIT DOMINVS EXERCITVVM] Hoc additur, quia fit sermo ad eos qui in potestatem Darij venerant, magnorum exercituum ducis & imperatoris. q. d. Hæc dicit is, cuius vires sunt multò maiores viribus humanis, cuius exercitus & potentia longè superant exercitum & potentiam Darij, aliàs potentissimi. ita Vatabl.

CONVERTIMINI AD ME] Præclarè S. Gregor. in psal. 7. pœnitent. *Deus, inquit, qui abscidit delinquentem, conuertitur ad pœnitentem: vocat etiam absentes, donat peccata conuersis, hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adiuuat diligentes, confortat laborantes, exaudit corde clamantes. ipse namque per Prophetam dicit: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, sed quia conuerti ad eum sine ipso non possumus, quotidie cum Propheta clamemus: Conuerte faciem tuam à me.* Porrò S. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6. ad 3. & ex eo Capreolus in 2. d. 40.

A qu. vnica, Soto lib. 1. de Iustitia q. 3. art. 10. & Nauar. Enchirid. 11. num. 8. censent, hoc conuersionis ad Deum præceptum obligare in primo rationis instanti: puer enim, inquunt, cùm rationis vsum habere incipit, tenetur se & sua ordinare ad debitum finem, putà ad Deum: quod si facit, Deus infundet illi gratiam per quam consequetur remissionem peccati originalis: si non facit, peccat mortaliter. Nam ordo naturæ postulare videtur, vt homo cùm inchoat vitam rationalem, incipiat ab intentione vltimi finis: nam ex ea pendet vitæ bonæ institutio. Verùm alij Doctores censent contrarium, scilicet in primo rationis instanti non teneri puerum conuertere se ad Deum per amorem Dei super omnia, naturalem vel supernaturalem. Primò, quia hoc præceptum est difficillimum, & maximè sublime. Non est autem credibile Deum obligasse homines iudicio tam immaturos, ad tale præceptum statim exequendum. Secundò, quia homo in principio non cogitat de rebus tam sublimibus, sed de sensibilibus & consuetis. Neque est aliquid, vnde illis tam sublimis cogitatio suggeratur; ac proinde inconsideratio eius, vel ignorantia est inuincibilis. Tertiò, quia nullum tale in Scriptura extat præceptum, nec ratio naturalis illud dictat. Nam illud: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, pertinet ad peccatores, qui iubentur agere pœnitentiam de peccatis actualibus; non autem ad eos qui habent solum originale; & licèt etiam ad hos pertineret, non tamen ideo statim deberet impleri. Nam est præceptum affirmatiuum, quod semper obligat; sed non pro semper, vti obligat negatiuum: sicut neque adultus qui peccauit mortaliter, tenetur statim agere pœnitentiam sub nouo peccato.

An obligemur primo instanti vsus rationis conuerti ad Deum?

NE SITIS SICVT PATRES VESTRI] ne patrissetis, ne patrum idololatriam, inobedientiam, apostasiam æmulemini, alioquin similes vos eis efficiam in pœna, sicut similes vos fecistis in culpa. VERS. 4.

PATRES VESTRI VBI SVNT?] q. d. Excisi sunt & in excidio Hierosolymæ vel occisi, vel in Babylonem abducti, ibique mortui sunt, vti eis prædixeram & comminatus eram per meos Prophetas. Nónne videtis in eis meas minas & oracula non fuisse vana & irrita, sed vera, certa & efficacia? Scitote ergo talia quoque fore hæc quæ vobis pariter per Zachariam intento & edico. VERS. 5.

ET PROPHETÆ NVMQVID IN SEMPITERNVM VIVENT?] Prophetas intelligit patrum impiorum, putà pseudoprophetas: hos enim mox opponit seruis suis Prophetis q. d. Falsi Prophetæ, qui patribus vestris falsò felicitatem prædicebant & promittebant, dicentes: Pax, pax, nónne & ipsi, æquè ac patres vestri, miserè mortui sunt, vel gladio, vel ærumnis captiuitatis? vbi est ergo eorum felicitas & longæuitas, quam sibi patribusque vestris promiserunt? Numquid interitu suo tam infelici testati sunt se esse mendaces, & oracula sua fuisse dæmonis, non Dei vaticinia? ita S. Hieron. Albert. Hugo & Lyran. Alij veros intelligunt Prophetas. q. d. Tam Prophetæ pij, quàm patres vestri impij, mortui sunt; boni enim æquè ac mali moriuntur: sed prophetiæ eorum & minæ, quas patribus vestris vobisque, si eos imitemini, intentarunt, non sunt mortuæ, sed viuunt & perdurant: quia Deus

earum auctor, & scelerum vltor, non moritur, A sed viuit in æternum. Hoc est quod subdit Zacharias: *Verumtamen verba mea*, &c. ita Theodor. Clarius, Vatabl. & à Castro.

VERS. 6. VERVMTAMEN] q.d. Vestri pseudoprophetæ vos deceperunt, quia promiserunt prospera quæ non euenerunt. Verùm mei Prophetæ, qui mea verba, id est minas & statuta, putà pœnas lege Mosi statutas in legis præuaricatores, patribus vestris vobisque intentarunt, vos non fefellerunt: nam pœnæ & plagæ quas comminati sunt, reipsa patres vestros comprehenderunt, qui proinde flagellis hisce Dei eruditi, iustum Dei in se iudicium & culpam suam agnouerunt, vt, qui antea ad me inuitantem eos ad pœnitentiam noluerant attendere, vt dicitur v. 4. iam castigationibus hisce, licèt serò & coactè conuersi, B mentem & sententiam mutarint, dixerintque: *Sicut cogitauit Dominus exercituum facere nobis secundùm vias nostras, &c. fecit nobis.* ita Arias, Clarius & Vatablus.

7. In die vigesima & quarta vndecimi mensis Sabath, in anno secundo Darij, factum est verbum Domini ad Zachariam filium Barachiæ, filij Addo, Prophetam dicens:

8. Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo, & post eum equi rufi, varij & albi.

9. Et dixi: Quid sunt isti, Domine C mi? & dixit ad me angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi quid sint hæc.

10. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, & dixit: Isti sunt, quos misit Dominus vt perambulent terram.

11. Et responderunt angelo Domini, qui stabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur, & quiescit.

12. Et respondit angelus Domini, & dixit: Domine exercituum vsquequò tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? Iste iam septuagesimus annus est.

13. Et respondit Dominus angelo, qui D loquebatur in me verba bona, verba consolatoria.

14. Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me: Clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Ierusalem & Sion zelo magno.

15. Et ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi verò adiuuerunt in malum.

16. Propterea hæc dicit Dominus: Reuertar ad Ierusalem in misericordiis: & domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum: & perpendiculum extendetur super Ierusalem.

17. Adhuc clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc affluent ciuitates meæ bonis: & consolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc Ierusalem.

IN DIE VIGESIMA ET QVARTA VNDECIMI MENSIS SABATH] qui nostro respondet Ianario: hic enim noster primus est mensis, sed Iudæorum erat penultimus. Ipsi enim annum sacrum inchoabant à Nisan, id est Martio. Sabath & reliqua Hebraica mensium nomina videntur esse Chaldaica: nam inueniuntur tantùm apud eos qui redierunt Babylone. ita Vatabl.

FACTVM EST VERBVM] Id est, visio angelica equorum inter myrteta: Deus enim tam loquitur symbolis, quàm verbis. Quocirca propheta quælibet, vt dixi Isaiæ 1.1. promiscuè nunc vocatur *verbum*, nunc *visio*: quamquam & propria verba angeli in hac visione misceantur, & intercurrant.

DICENS] Id est, ostendens id quod sequitur quodque enarrat inquiens.

VIDI PER NOCTEM] Nox enim aptior visionibus: in ea enim quiescentibus collectisque sensibus phantasia viuaciùs concipit & intuetur sua phantasmata, præsertim à Deo vel angelo impressa. Symbolicè nox hæc erat symbolum calamitatis, in qua Iudæi Babylone redeuntes versantur, quæ in diem, lucem & lætitiam restaurationis vrbis & templi mox erat conuertenda. Calamitas enim opportuna est ad audiendum verbum Dei, quia cor instar cæræ emollit. Hinc vexatio dat intellectum auditui. ita S. Hieron.

Vnde moraliter S. Gregor lib. 1. Moral. cap. 2. docet, S. Scripturâ solere per tempus rei eventum significare: *A qualitate*, inquit, *temporis finis exprimitur actionis: sicut non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte Iudas exisse perhibetur, cùm egrediente illo ab Euangelista* (S. Iohanne cap. 13.) *dicitur: Erat autem nox. Hinc enim & iniqui dicitur Lucæ 12. Hac nocte repetent animam tuam abs te. Anima quippe quæ ad tenebras ducitur, non in die repetit, sed in nocte memoratur. Hinc est quòd Salomon, qui sapientiam non perseueraturus accepit, 3. Reg. 3. in somnis hanc & nocte accepisse describitur. Hinc est quòd angeli ad Abrahamum meridie veniunt, peccatores autem Sodomam, ad eam vesperè venisse memorantur. Quia igitur B. Iob tentatio ad victoriam deducitur, à die cæpta perhibetur, cùm dicitur: Quadam autem die cùm venissent filij Dei, &c.*

ET ECCE VIR] putà angelus speciem viri assumens: angelum enim fuisse patet v. 11. Hebræi, S. Hieron. Theodor. & passim alij censent fuisse S. Michaelem: hic enim olim Synagogæ Iudæorum fuit custos, vti nunc est Ecclesiæ Christianorum, vti patet Daniel. 10. 21. & cap. 12. 1. Imò aliqui Gabrielem fuisse autument, qui est fortis prælior pro populo Dei, vt patet Daniel. 9. 21. & c. 10. 5.

SVPER EQVVM RVFVM] Insidet equo, qui celer & festinus ad auxilium populi fuit, eique rufo, quasi sanguinarius vindexque acer in hostes Iudæorum. Equus enim notat multa, scilicet velocitatem, generositatem, dignitatem, ardorem præliandi, victorias, gloriam & triumphum S. Michaelis.

Aliter Theodoret. Insidet, ait, equo rufo, vt significet populi afflictionem. *Nam equus rufus*

hostem coniurationem & indignationem ostendit: quia sanguineus & rufus est furor. Nouè ergo Antiochum virum hunc accipit Alexandrum Magnum, cuius equus fuit rufus, scilicet Bucephalus ita dictus, quòd capite & colore similis esset bouj; boues autem communiter sunt rufi, præsertim in Græcia, aliisq; regionibus calidis. Censet ergo hic significari, quòd Alexander monarchiam à Persis ad Græcos sit translaturus. Verùm de hac re non agit hîc Propheta. Porrò Theodor. equum hunc rufum vocat spadicem, id est punicei coloris, qui maximè commendatur in equis de quo audi Virgil. 3. Georg. dum generosum equum hisce notis depingit:

Illi ardua ceruix,
Argutumq; caput, breuis aluus, obesaq; terga,
Luxuriatq; toris animosum pectus, honesti
Spadices glauciq; color deterrimus albis.

Iam ex generositate equi animos, vires & iras eorum intellige & metire. Eos exigebat rei & affectionis difficultas. Erant enim Iudæi in profundum, vt mox dicetur, calamitatum demersi: vnde ergo magniq; zeli liberatore & propugnatore angelo indigebant. Vbi Nota. Afflictis fidelibus præstò esse angeli, & quo maior est afflictio, eo ipsi maius robur, opem & consolationem afferunt.

Mysticè, hic vir stans inter myrteta est Christus in carne quam ex myrto, id est B. Virgine, assumpsit, in medio Patriarcharum, Prophetarum ac Sanctorum veteris & noui testamenti, quasi inter myrteta consistit. Equus rufus est humana natura, cui insidet deitas, quam sumpsit ex primo parente, qui à terra rufa, ex qua plasmatus est à Deo, dictus est Adam, id est rufus, quamq; C inficiuit sanguine, tum suo, tum hostili, quem vltor sortitus est, iuxta illud Isaiæ 63. 1. *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? &c. Quare ergo rubrum est vestimentum tuum? Torcular calcaui solus &c.* Vide Petrus Abbas Cellensis l. de Panibus tom. 8. Biblioth. SS. Patrum. Sequuntur eum equi rufi, albi & varij, id est Apostoli, Martyres, & Virgines item fabri, id est doctores & prædicatores, qui omnes Ecclesiam Christi ædificarunt, Christique hostes fabricam hanc impedire volentes deiecerunt.

INTER MYRTETA] Id est, loca myrtis consita; Syrus *inter arbores opacas*, vel vmbriferas; Arabicus Alexandr. *inter duos montes se inuicem cernentes*, id est obuios. Grammatico sensu notat Babylonem, in qua Iudæi fuerant captiui: myrtus enim ob siccitatem amat loca demissa, profunda & irrigua, qualis est Babylon, quæ vicina est Euphrati & Tigri, ita Arias & Vatabl. quin & Chald. qui vertit. *& ipse stabat inter arbores myrteas quæ sunt in Babylone.* Vnde addit, *In profundo*, id est prope profundum, scilicet aquarum & fluminum. Ibi ergo visus est angelus, vt significet Iudæorum captiuitatem & calamitatem Babylonicã, in qua quasi in profundo demersi & pene absorpti fuerunt, iuxta illud psal. 68. 3. *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia*; seque illos magna ex parte inde eduxisse & liberasse, ac reuersos inde liberaturum, dum eos qui redierint propediem adiuuabit in reædificatione vrbis Ierusalem & templi, qua peracta cæteri ex Babylone illico in Ierusalem aduolabunt. Itaque Michael apparet inter myrteta: quia læta nunciat de templi fabrica & gloria: myrtus enim hilaritatis est indicium. Vnde olim mos fuit in conuiuiis, circumlato myrti ramo conuiuas ad cantandum excitare: singuli enim eo in manus accepto partes canebant suas, teste Plutarcho in Sympos. Et Horatius adueniente verno tempore, quo se vndecumque patefacit hilaritas, decorè ait: *Viridi nitidum caput impedire myrto.* Atque vbicumque conuiuiorum lætitiam celebrat, coronas è myrto inferri iubet. ita Pierius Hierog. lib. 50. cap. 27. Rursum symbolicè, per myrteta intelligit familias & cœtus Iudæorum fidelium & iustorum, qui in Babylone vel fuerant captiui, vel adhuc erant inquilini, quales erant Esdras, Nehemias, Zorobabel, Iesus, Aggæus &c. Inter hos ergo stetit Michael. Myrtus enim significat iustos, ob soliditatem, pulchritudinem & fragrantiam bonorum operum. Vnde Esther regina pia & sancta cap. 2. v. 7. à Mardochæo, ob pulchritudinem & gratiam, vocata fuit hebr. הֲדַסָּה *hadissa*, latinè *edissa*, id est myrtus, vel myrtea, ita S. Hieron. Remig. Albert. & Hugo.

Esther vocata est Hadissa, id est myrtus.

Alludit ad nomen, mores, aulam, familiam & familiares Esther reginæ: hæc enim vocata est *hadissa*, id est myrtus. Ipsa enim vixit sub hoc tempus, imò à nonnullis Chronologis virisque doctis ex multis magnisque coniecturis, censetur ipsa fuisse vxor huius Darij Hystaspis, ideoque eum tam beneuolum fuisse Iudæis, vt præter alia, templum eis reædificari curarit. Qua de causa sub eodem prophetarunt Aggæus & Zacharias. Visus est ergo, inquiunt, angelus stare inter myrteta, id est, in aula & familia Esther, quæ virtute & nomine erat myrtus, quasi portendens eius coniugium cum Dario, quod anno sequenti, putà anno 3. Assueri, id est Darij (Assuerus enim erat commune nomen regum Persarum) peractum est, vt patet Esther 1. 3. Rursum inter myrteta, id est, inter Estheris reginæ familiares & assecias, putà Mardochæum, Esdram, Nehemiam, Zorobabel, Iesum, qui Estheri reginæ obsecundabant, erantque pariter virore & vigore animi morumque, myrti & myrteta, vtpote principes eminentes in populo. Olim enim principes myrteis coronis coronabantur, teste Suida. Vnde prouerbium: *Myrteam coronam ambis*, id est principatum, vel magistratum ambis.

Myrtus est B. Virgo.

Sic mysticè, nostra *hadissa* & myrtus, nostra Esther est B. Virgo, quæ sibi deuotos saluat; & ab Aman, id est à diabolo, liberat. Stant ergo D angeli inter myrteta, id est, sub B. Virginis alis & vmbra, vel inter eius fideles, congregationes & cœtus ipsi dicatos, vt per eius merita & preces suis clientibus veniam, gratiam & consolationem impetrent. Myrtus enim læta & decora symbolũ est felicitatis. Vnde sicut ex myrtis opere topiario in hortis fiũt armati milites, triremes, equites cataphracti; item phasiani, psittaci, philomelæ, &c. ad voluptatem & delicias: ita B. Virgo inter myrteta paradisi cælestis, putà inter angelos considens, imò præsidens, pollicetur suis non tantùm opem, sed & consolationem, lætitiam, omnesque spiritus delicias; quæ præstat per hosce suos angelos, qui cùm suapte natura sint formæ expertes, quamlibet induere possunt, ac multiplicem armaturam, imò panopliam assumere, vt pro Deiparæ dominæ suæ honore

& gloria, proque eius cultoribus potenter decertent; vtque Ecclesiam & domum Deo in anima fidelium ædificent. Sic Gentilibus Venus pulchritudinis dea, myrtea dicebatur. Vnde Plinius lib.15.29. *Ara*, inquit, *vetus fuit Romæ Veneris myrteæ.* Idem lib.21.cap.11. *In Aegypto*, ait, *siue odore hæc omnia* (rosa, lilium, viola, &c) *tantumq; myrtis præcipuus odor.* Quid pulchrius, quid suaueolentius Virgine Deipara? Vna hæc Dei venus, putà decor, gratia & venustas, omnes Satanæ mundique veneres obscurat, imò vanas & fœdas esse ostendit. Ipsa enim est abyssus gratiæ, pulchritudinis oceanus, charismatum omnium thesaurus, quæ sola velut Esther, Assuerum Deum Patrem placauit, & inuenit gratiam in oculis eius, vt ab eo per Gabrielem archangelum salutata sit: *Aue gratia plena.* Nam & de ea dicitur Cantic 4.7. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Et Eccli. 24.24. *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei: in me gratia viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis*, &c. Iure ergo S Bernard. homil. 4. super Missus est: *Exore*, inquit, *tuo*, ô Virgo, *pendet consolatio miserorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, salus denique vniuersorum.* Idem: Deus totius mundi pulchritudinem posuit in Maria, vt si quid spei, si quid gratiæ, si quid salutis in nobis sit, ab ea nouerimus redundare. Quocirca eum eodem sermone 4. de Assumptione, eam inuocemus assiduè, ac dicamus: *Sit igitur pietatis tuæ Virgo benedicta, ipsam quam apud Deum inuenisti gratiam, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corderobur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo.* Amen. Maria ergo est myrtus Dei.

Porrò Theodor. ex Septuag. pro *myrteta* legit *montes vmbrosos*, per quos intelligit Dei prouidentiam, sub qua omnes viuunt, ex qua prodit hic angelus, vt eam circa tutelam Iudæorum exequatur. Montes hi sunt vmbrosi, quia iudicia Dei sunt obscura & occulta.

Morale. Iustus est myrtus ob quindecim analogias.

Moral. Nota. Appositè iustus, ac præsertim B.Virgo comparatur myrto. Primò, quia myrtus amans valles designat eius humilitatem, quæ sanctitatis est fundamentum. Secundò, quia myrtus crescit iuxta aquas. Vnde Virg. Georg 4.

Et amantes littora myrti.

Ita iustus crescit per lachrymas compunctionis & pœnitentiæ, perque aquas tribulationis & patientiæ. Tertiò, myrtus fert baccas saporis præcipui, ex quibus fit vinum: ita iustus fert fructus bonorum operum, sapidos Deo & hominibus, ex quibus fit vinum exultationis quod lætificat angelos. Quartò, myrtus est valdè odorata & bella, hinc odorem gratum ori & halitui conciliat, ait Plinius libr.23.9. Vnde etiamnum qui stomacho laborant, & halitum habent fœtentem, pro remedio manè comedunt baccas è myrto. quocirca à Gentilibus Veneri fuit dicata, teste Plinio lib.12.c.1. Ita iustus spargit ex se odorem bonæ famæ, ac morum candore, modestia & suauitate omnibus gratum se efficit, præstatque illud Apostoli monitum: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus*, Coloss 4.6. Quintò, myrtus semper viret. Ita iustus virorem virtutum semper conseruat & auget. Sextò, oleum ex myrto astringit & indurat, ait Plinius lib.23. cap.4. & c.9. *Semen eius*, ait, *medetur sanguinem ex creantibus, datur & dysentericis denarij pondere in vino.* Ita iustus fluxum noxiarum cupiditatum cohibet & restringit. Septimò, in festis, ludis, &c. cingebant tempora myrto, vt canit Virg. Georg. 1. & Tibul. l.1. eleg.3.

Et gerit insigni myrtea serta coma.

Myrtus ergo denotat lætitiam spiritalem & exultationem, quam obquietem conscientiæ possidet iustus. Vnde Lyranus ad literam per myrteta accipit gaudium Iudæorum de vrbis & templi restauratione, quodque iam reipsa turbæ visuri essent myrtos & myrteta iuxta vrbem & templum conseri & plantari. Porrò hoc gaudium ferè ingens & exaggeratum, innuit quòd angelus visus sit non inter myrtos, sed inter myrteta, id est siluas myrtorum. ita Fernand. visione 29. sect.2. qui & addit, res odoriferas qui deficiunt, vigorem & vires reddere, ac proinde angelum visum inter myrteta, quæ sunt odoratissima, vt Hebræis pene deficientibus & ex timore collabentibus consolationem & corroborationem ingerat. Octauò, myrtis solent ornari & sepiri horti, prata, villæ. Vnde Martial. lib.5. *Myrtetis ὀτιοσὶς ordinata villa.* Ita iustus est munimen, æquè ac ornamentum domus, collegij, vrbis, reipubl. Ecclesiæ & vniuersi, fiunt ex myrtis fiunt topiaria, quæ sunt decus horrorum. Nonò, vinum myrto conditum, quod myrtiten vocant, valet ad sedanda tormina, ait Plinius lib.30.c.7. & Columella lib.12 cap.8. Ita iustus sua patientia & virtute sedat & superat omnia morborum & tormentorum tormina. Insuper Theodor. *Myrtus*, inquit, *est planta odorata, habens vim morbos calidos refrigerandi.* Ita æstus iræ & libidinis per Dei gratiam restinguit iustus. Decimò, Plinius lib.15.c.29. *Succorum*, ait, *natura præcipuam admirationem in myrto habet; quando ex vna omnium olei vimq; bina genera sunt.* Subdit veteres baccis myrti pro pipere vsos. Ita omnia in iusto sunt succulenta, sapida, acria & efficacia. Vndecimò, ibidem Plinius asserit myrtum valere ad expurgandam bilem, ideoque ad conciliandos dissidentium animos. Vnde traditur, inquit, *myrtea verbena Romanos Salinos q; cum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos, in eo loco qui nunc signa Veneris Cluacinæ habet. Cluere enim antiqui purgare solebant. Ideo tum electa, quoniam coniunctioni, & huic arbori Venus præest.* Ita iustus vbique dissidentes conciliat, sequiturque illud Christi: *Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur*, Matth.5. Duodecimò, ibidem Plinius: *Cato*, inquit, *tres genera myrti prodidit, nigram, candidam, coniugalem; fortissima coniugii ex illo Cluacinæ genere.* Et mox: *Folia per se siccantur in farinam ad vlcerum remedia in corpore humano, leniter mordacipuluere, acrefrigerandis sudoribus. Quinimò oleo quoque (mirum dictu) ineſt quidam vini sapor, simulq; pinguis liquor, præcipua vi ad corrigenda vina, sacciis antè perfusis.* Ita iustus in sanctitate sua, verbisque & correptionibus quippiam habet acre & mordax, quo aliorum vitia & defectus castiget. *Blanda*, inquit S.Hieron. dialog.1 contra Pelag. *est adulatio pulchreq; adulator apud Philosophos definitur blanda inimicus: veritas amara est, rugosa fronti ac tristis, offenditq; correctos.* Decimoterò, ex myrto olebat quantium corona, subinde & triumphan-

tes

tem, ait Plinius ibidem. Hæc designat coronam triumphi, quam iustorum virens semper virtus, atque heroica meretur. Decimoquartò, myrtus, ut Plinius lib.23.c.9. *Vlcera difficilia in extremitatibus corporis sanat. Imponitur lippitudini cum polenta & cardiacis in mamma sinistra. Et contra scorpionis ictus in mero, & ad vesicæ vitia, capitis dolores, & egilopas antequam suppurent. Item tumoribus, exemtisq; nucleis in vino vetere tritum eruptionibus pituitæ. Succus seminis aluum sistit, vrinam ciet. Alterationes pustularum pituitarij, cum cerato illinitur. Capillum denigrat.* Subdit deinde eamdem valere contra ignem sacrum, capillos fluentes, suffusiones, articulares morbos, hydropem, hæmorrhoides, lentigines, aures purulentas, renum dolores, morbum regium & calculum. Ita nullum est malum, quod iustus sua virtute per gratiam Dei non curet; nulla tentatio, quam non superet; nullum vitium, quod constantia & fortitudine sua non debellet & expugnet. Nam superbiam superat humilitate, iram mansuetudine, gulam abstinentia, libidinem mortificatione, auaritiam liberalitate, acediam feruore & zelo, &c. Decimoquintò, myrtus est breuis vitæ, sed electi fructus. Audi Plinium lib.17.c.13. *Quædam, ait, natura tardè crescunt, & in primis semine tenuium nascentia, & longo ævo durantia. At quæ citò oriuntur, velocia sunt* (in ferendo fructu) *vt ficus, punica, prunus, malus, pyrus, myrtus; & tamen antecedunt duobus. In trimatu enim ferre incipiunt.* Ita Sancti eminentes & ardentes breuis sunt ævi; sed illud multis & heroicis virtutibus implent, vt vidêre est in S. Agnete, Cæcilia, S. Stephano, S. Laurentio, Lino, Cleto, Clemente, omnibusque primis S. Pontificibus.

Denique myrtus sacris adhibebatur, ait Plinius lib.16.cap.32. qui & lib.15.cap.29. de antiquissimo delubro Quirini, hoc est Romuli, ait: *Dextra sacra myrti fuere duæ, ante ædem ipsam per longum tempus.* Myrtus ergo denotat religionem, orationem & deuotionem sanctorum. Hisce de causis Ecclesiæ dotes & decora describêbat Isaias cap.41.19. ait: *Dabo in solitudine* (Gentium) *cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum olivæ.* Et cap.55.13. *Pro saliunca ascendet abies, & pro vrtica exsurget myrtus.* Ita de Iudæis euntibus in Babylonem quasi ad carcerem dicitur psalm.136.2. *In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra.* Iam verò cùm ex Babylone redeunt læti & spebus pleni, salices eis mutantur in myrtos. Vide inter myrteta apparet angelus, vt lætitiam eorum indicet & adaugeat. Qua de causa & Leuit.23.40. in festo Tabernaculorum iubentur Iudæi gestare ramos ligni densarum frondium, id est myrti, vt vertit Chald. Ioseph. & alij, vt iis refrenatur & repræsentent lætitiam qua eos cumulauit Deus, cùm ipsos ex Ægypto & deserto reduxit, & collocauit in terra promissa, putà in Chananæa.

ET POST EVM EQVI RVFI, VARII ET ALBI] Pro *varij* hebr. est שְׂרֻקִים *serukim*, quod Arias vertit *sericeum*, qualis est color serici natiui antequam ingatur, putà flauum, siue fuluum, vt vertit Arabicus Antiochenus; aut croceum, qualis est color auri. Marinus in Lexico *serukim* deducit à *sorec*, quod erat genus vitis & vuæ optimæ; vnde *serukim* vocari colorem vuæ optimæ. Alij *serukim* deducunt à שׂוֹרֵק *sorec*, id est surculus, vt significet spadicem, id est, surculum palmæ cum fructu, qui est coloris punicei. Verùm Septuag. Noster, Chald. & alij vertunt, *varij*; alij, *multicolores*. Vnde Arabicus Alexandrinus vertit, *& circum eum equi rufi etiam, & flammei, & fului, & nigri*; alij *pectinati*; alij, *electi*: nisi per varium colorem intelligas medium, ideoque mistum. Nã flauus color est è viridi, rubro & albo concretus, ideoque est fuluo clarior, qualis est auri. Vnde notat gentes medias, putà partim amicas, partim inimicas Iudæis.

Nota Primò, sub equis metonymicè intelligi sessores & equites. Nam de iis subdit: *Isti sunt quos misit Dominus.*

Secundò, equites hosce designare angelos custodes regnorum: sequuntur enim primum equitem, putà S. Michaelem, quasi ducem & antesignanum.

Tertiò, color innuit qualitatem & conditionem regnorum & gentium quibus præerant, ac præsertim diuersos earum mores & affectus erga Iudæos. ita Hebræi, & ex iis S. Hieron. quem sequuntur de more Haymo, Albert. Remig. & Hugo. Equi ergo rufi significant angelos præsides gentium sanguinolentarum, quæ Iudæam cæterosque populos bello, rapinis & cædibus vastarant, quales tum erant Assyrij & Chaldæi. Albi ob colorem lucidum & lætum, significant præsides gentium pacificarum, & Iudæis propitiarum, quales tunc erant Persæ & Medi. Varij, id est variorum colorum, significant angelos præsides gentium quæ varios habebant status & inclinationes, nunc ad pacem, mox ad bellum; nunc ad amicitiam & beneficia, mox ad odia & maleficia; nunc ad bona, mox ad mala & clades inferendas, quales tunc erant Macedones & Græci. ita Hebræi, S. Hieron. & eius assecla. Verùm quia tunc nondum erat imperium & potentia Macedonum, vtpote quæ cœpit à Philippo, patre Alexandri Magni; hinc potiùs per equos varios accipias varias gentes Iudæis vicinas, eisque partim amicas, partim inimicas, vel nunc beneuolas, mox infensas, quales erant Ægyptij, Tyrij, Sidonij, Syri, Ammonitæ, &c. Perperam ergo nonnulli per equum primum, scilicet rufum, accipiunt Romanos. Alij minùs malè per equos varios, sicut flauos, accipiunt Romanos, præsertim Titum & Vespasianum, qui fuerunt è gente Flauia. Sed hoc non est literale, nec genuinum. Nam Romani tunc erant tenues & obscuri, nihilque commune habebant cum Iudæis, multò minùs eis erant rufi, id est sanguinarij: hinc melius per equos rufos accipiemus Chaldæos, vt dixi. Hi ergo angeli repræsentant suas gentes, quas cùm ipsi perambulassent, statumque singularum lustrassent v.11. nunciant omnes gentes totamque terram pacem colere, & pacificè domi suæ habitare, ibique quiescere. Hæc enim visio eò spectat, vt Zacharias persuadeat Iudæis fidenter progredi in fabrica templi & vrbis, eò quòd omnes circumquaque gentes in pace degant, nec Iudæis bellum sint illaturæ, aut fabricam impedituræ. Aliter hi equi accipiuntur c.6. Ibi enim sunt quadricolores, & significant quatuor monarchias sibi ordine succedentes; hìc verò sint tricolores, & significãt præsentem gentium statum, & triplicem earum affectum erga Iudæos, de quo plura cap.6.

Equi rufi, albi & varij, qui?

Cur equi, non equus.

Porrò ait *equi*, non Equus: quia singuli angeli, A vel potiùs archangeli, vtpote principes & præsides gentium, non veniebant soli, sed stipati suis cohortibus angelorum. Idem multò magis dicendum de Michaele. Insuper equi rufi, varij & albi significant angelos variis muneribus destinatos, scilicet alios ad exercendam seueritatem & vindictam, alios ad beneficentiam & misericordiam, alios partim ad vindictam, partim ad misericordiam. Impertinens ergo & improbabilis est opinio Ariæ, qui per virum inter myrteta consistentem accipit Alexandrum Magnum; per equos verò rufos, varios & albos Alexandri successores, Seleucum, Philippum, Antigonum & Ptolemæum, qui eius monarchiam secuerunt & inter se diuiserunt. Zacharias enim 100 penè annis Alexandrum antecessit, agitque de rebus B præsentibus, putà de præsenti Iudæorum consolatione, vt eos ad præsentem templi fabricam incitet & impellat, ad quam nihil contulit Alexander. Probabiliùs quis diceret in equis hisce alludi ad imperium præsens Persarum, quibus suberant Iudæi: Persæ enim equis pollebant, vti etiamnum equitatu pollent contra Turcas. Hinc per hinnitum equi Darius Hystaspis creatus fuit rex Persarum, cuius anno regni 2. hæc visio obtigit Zachariæ.

Mysticè S. Ambros. in Symbol. Apost. to. 4. per equos rufos accipit Martyres, per albos virgines, per varios, vel, vt ipse ex Septuag. legit, *sturninos*, id est, colore sturni auis, doctores. *Sequebantur*, inquit, *eum equi variorum colorum, id est, qui vel martyrio rubri; vel sturnini in volatu, hoc est varij in virtutibus; vel candidi in virginitate monstrantur.* C

VERS. 9. ET DIXIT AD ME ANGELVS QVI LOQVEBATVR IN ME] Hic angelus videtur fuisse custos Prophetæ, qui ei reuelauit sua hæc oracula; eique has visiones ostendit. Ait enim: *Ego ostendam tibi quid sint hæc.* Alius ergo fuit à Michaele: Michael enim erat custos totius populi, stabatque inter myrteta: hic autem erat custos Zachariæ, & in eo loquebatur. ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran. licèt contrarium censeant Rabbini, Theodoret. & Vatabl. scilicet hunc angelum fuisse eumdem cum eo qui stabat inter myrteta, putà cum Michaele. Michael enim volens consolari populum illuminauit Zachariam, ostenditque illi has visiones & verba consolatoria, vt eadem ipse referret populo, iisque illum consolaretur. Verùm prius quod dixi planius est, magisque textui consonum. Porrò ex eo quod D dicit de angelo hoc suo, *Loquebatur in me*, putant aliqui angelum hunc suggerentem oracula Zachariæ, non exteriùs voce, sed interiùs mentali vel imaginaria inspiratione illi fuisse locutum, eumque quasi possedisse & rexisse, vti dæmon possidet & regit energumenos, idque innuit S. Gregor. libr. 28. Moral. c. 2. *Dum*, inquit, *ad se quidem, sed in se tamen loqui angelum dicit, liquidò ostendit quòd is qui ad ipsum verba faceret, per corpoream speciem extrà non esset.* Verùm dico hæc hoc modo contigisse: per visionem imaginariam à Deo obiectam Zachariæ, videbatur ipse sibi videre, angelum suum prophetalem oretenus secum, & cum Michaele colloqui. Rogat enim hic angelus Michaelem, vt Zachariæ explicet quinam sint isti equi rufi, varij & albi. Vnde Michael ab eo interrogatus respondit:

ISTI SVNT QVOS MISIT DOMINVS VT PERAMBVLENT TERRAM] q. d. Isti sunt angeli præsides regionum, quos Deus misit lustrare easdem. Mox Michael eosdem angelos interrogat, quasi eorum princeps, de regionum statu, quidnam in hac lustratione viderint, qui sese habeant regiones illis creditæ. Cui ipsi respondent: *Perambulemus terram, & ecce omnis terra habitatur & quiescit*, vt scilicet Zacharias sciat plenam esse pacem inter gentes, præsertim Iudææ vicinas, illasque Iudæis fore pacificas, vt eos bello non lacessant, nec impediant vrbis templique fabricam. Dices, Cur ergo ait de hoc angelo, *Qui loquebatur in me*? Resp. esse hebraismum: *in me*, hoc est *mihi*, vel mecum, vt vertit Chald. Adde *vt in me* significat visionem hanc non fuisse realem, sed imaginariam, in qua angelus hæc omnia in mente, id potiùs in imaginatione Zachariæ pingebat & loquebatur. Videbatur enim Zacharias sibi videre angelos ad inuicem colloquentes, suumque angelum sibi hæc visa & colloquia ostendere & suggerere; non verò corporalibus oculis exteriùs hæc videbat & audiebat.

PERAMBVLAVIMVS] Hebr. הלך *halach*, id est ambulare, perambulare, in principibus, qualis sunt angeli, notat principatum, putà actum videndi, inquirendi, perscrutandi, disponendi res omnes. Vnde illud Ezech. 28. 14. *In medio lapidum ignitorum ambulasti.* q. d. Inter Cherubinos tu ô Cherub principatum habuisti. Sic 1. Machab. 3. 8. *Iudas perambulauit*, quasi superior iudex & vindex, *ciuitates Iuda, & perdidit impios ex ea.* Sic de Deo dicunt impij Iob 22. 14. *Circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat.* q. d. Deus regit cælos, terram despicit & negligit. Leuit. 26. 12. ait Deus: *Ambulabo inter vos*, quasi princeps, protector, prouisor vester. Vnde subdit: *Et ero Deus vester, vosq; eritis populus meus.* Sic ex aduerso Satan ait Iob 1. 7. *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Et psal. 90. 6. *A negotio perambulante in tenebris*, id est, à dæmone regnante & grassante noctu, æquè ac eo qui grassatur per diem; de quo subdit: *Ab incursu & dæmonio meridiano.* Sic rex *Antiochus perambulabat superiores regiones* cum exercitu, 1. Machab. 6. v. 1. Sic etiamnum reges Mogor & Æthiopiæ stipati, hic sexaginta, ille ducentis, imò subinde quingentis millibus armatorum, iugiter ditiones & regna sua, vtpote vastissima perambulant, vt ea in pace contineant, lustrent, dirigant & moderentur. Pari modo hi angeli prouincias sibi creditas perambulabant, quasi eorum inspectores, custodes & præsides. Addit S. Hieron. Remig. & Hugo, angelos hosce perambulando regna sibi commissa, debellasse gentes vicinas vel rebelles, vel hostiles, easque suis regnis subiecisse, itaque plenam omnibus pacem conciliasse. Denique vox *perambulauimus*, significat executionem diuinæ prouidentiæ per angelos publicè exercitam & demonstratam, licet ea ex obscuris causis & occultis iudiciis prodeat, putà ex Dei consilio, quod *in profundo, & inter myrteta*, &, vt Septuag. *inter montes umbrosos latet.*

OMNIS TERRA HABITATVR ET QVIESCIT] *Omnis terra*, scilicet vicina Iudææ. Nam in remotis fuere bella. Vnde Romani anno huius Darij Hystaspis, inquit Euseb. in Chronico, Tarquinium Superbum suum regem vbi

&

regno expulerunt, eiusque loco crearunt Consules Iunium Brutum & L. Tarquinium Collatinum. Quin & Darius hic paulò pòst obsedit & cepit Babylonem, ac tandem inuasit Graeciam cum sexcentis millibus militum, qui omnes à paucis Graecis duce Miltiade apud Marathonem profligati sunt, teste Iustino, Herodoto & aliis.

A

ET RESPONDIT ANGELVS DOMINI, ET DIXIT: DOMINE EXERCITVVM VSQVEQVO TV NON MISERERIS IERVSALEM?] Angelus hic videtur fuisse non custos Zachariae, sed custos totius populi Iudaici, putà Michael. Orat enim pro toto populo sibi commisso. q.d. Cùm omnes caeterae gentes in pace & prosperitate degant, cur, ô Domine, solos Iudaeos finis turbari à Cambyse, à Samaritis & aliis hostibus, qui vrbis templique fabricam hucusque impediuerunt? vsquequò differs misereri Ierusalem, quae à paucis ciuibus Babylone redeuntibus habitatur, nec muris pleta, nec templo est septa? 1. Esdrae 5. vsquequò non efficis, vt ipsa, aliaeque vrbes Iudaeae, ac praesertim templum in ea restauretur? En *iam septuagesimus annus est*, desolationi eius à te decretus & praefinitus. ita S. Hieron. Theodoret. Haymo, Albert. Hugo & Lyran.

B

ISTE IAM SEPTVAGESIMVS ANNVS EST] Dixit haec angelus anno 2. Darij Hystaspis, vt patet v. 7. Hoc ergo 2. anno impleri sunt hi 70. anni: vnde sequitur, eos diuersos esse ab annis 70. captiuitatis Babylonicae, de quibus Ieremias cap. 25. 11. & c. 29. 10. illi enim finiuntur anno 1. Cyri, qui captiuitatem soluit, & Iudaeos è Babylone à se capta remisit in Ierusalem, vt patet 1. Esdrae 1. 1. Hi verò inchoantur ab excisa à Chaldaeis vrbe & templo, quod contigit anno 11. Sedeciae qui fuit 18. Nabuchodonosoris, ac finiuntur anno 2 Darij Hystaspis. Quocirca hi Zachariae vocantur anni 70. desolationis, scilicet vrbis & templi; priores verò Ieremiae vocantur anni 70. captiuitatis, scilicet Iudaeorum. ita Euseb. in Chron. Clemens lib. 1. Stromat. S. Hieron. proœmio in Aggaeum, S. August. lib. 18. de Ciuit. c. 26. Emmanuel, Torniellus in Chron. anno mundi 3462. (qui tamen hosce Zachariae annos inchoat ab vltima captiuitate Iudaeorum, qua scilicet post excisam Ierusalem profugi in Aegyptum, inde iuxta oraculum Ieremiae à Chaldaeis abducti sunt in Babylonem, quod contigit anno 27. transmigrationis Ioachin, siue Iechoniae) Ribera, Sanchez, à Castro, & alij hìc, ac Ferrandez visione 29. sect. 1. Fauet Zacharias c. 7. v. 5. vbi anno 4. Darij Hystaspis de hisce 70. annis desolationis ait: *Cùm ieiunaretis & plangeretis in quinto, & septimo per hos septuaginta annos.* Vbi Nota pronomen *hos*, quod designat annos praesentes, non praeteritos ante Cyrum.

C

D

Alij quidam tamen censent eosdem esse annos 70. Ieremiae & Zachariae, desolationis & captiuitatis, eosque iam finitos fuisse anno 1. Cyri. Vnde verba haec Zachariae legunt per interrogationem, vel admirationem. q.d. Isténe Domine est septuagesimus annus libertatis nostrae, à Ieremia c. 25 & Daniele c. 9. 2. praedictus? q.d. Non tantùm septuagesimus, sed octogesimus & amplius est annus hic captiuitatis nostrae, & tamen nondum miseriarum nostrarum est finis. Licèt enim è captiuitate redierint nonnulli, multi tamen adhuc in Babylone degunt; & qui redierunt tot aerumnis affliguntur, vt satiùs penè esset, eisque optabilius mansisse & viuere in Babylone. ita Albertus, Hugo, Lyran & Mariana. Verùm nullam interrogationis vel admirationis notam habent Biblia Romana, licèt illam habeant Biblia Plantiniana. Quare prior sententia, vti communior, ita verior est.

Ex qua rectè deducas, annos 70. captiuitatis inchoari anno 11. Ioakim, quo ipse occisus est, & post tres menses eius filius & regni heres Ioachin, siue Iechonias captiuus abductus est in Babylonem: eosdem verò finiri anno 1. Cyri, vti ostendi cap. 25. & 29. Ieremiae. Annos verò 70. desolationis, de quibus hìc Zacharias, 11. annis posteriùs incipere, scilicet anno 11 Sedeciae, & 11. annis posteriùs finiri, scilicet anno 2. Darij Hystaspis. Hinc rursum colligas, Cyrum soluisse captiuitatem Iudaeorum, & expugnasse Babylonem anno 1. non regni sui, vti censent Euseb. in Chronico, Africanus, S. Hieron. hìc, Perer. & alij, sed monarchiae: vixit autem monarcha per tres dumtaxat annos, vti constanter asserunt Hebraei in Seder Olam. Vnde & Daniel tertij tantùm anni Cyri meminit cap. 10. v. 1. Scio Xenophontem Cyro dare 7. annos monarchiae; sed Xenophon in Cyro non tam eius gesta & historiam, quàm ideam insignis regis & monarchae describit, vti Plato in Republ. ideam reip. non existentis, sed Platonicae, id est, eius quam sibi optimam imaginatus est Plato, depingit. Hosce enim 7. annos difficile est adaptare sacrae Scripturae: licèt enim nonnulli idcirco annos 70. captiuitatis citiùs inchoent, scilicet ab anno 3. Ioakim, quo in Babylonem abductus est Daniel cap. 1. 1. tamen computus annorum ex aequo non respondet. Nam ab anno 3. Ioakim vsque ad 11. eiusdem, fluxerunt octo anni, quos non adaequant anni 7. Cyri: nam ex illis demendi sunt tres, quos cum Hebraeis eidem Cyro dedimus, computando annos 70. captiuitatis ab anno 11. Ioakim vsque ad annum 1. monarchiae Cyri. Verùm de his plura 1. Esdrae 1. 1.

Moraliter idipsum dicamus, idipsum oremus & obsecremus pro Anglia, Scotia, Dania, Suecia, Germania, &c. in quibus stetit statque haeresis, & desolatio templorum, monasteriorum & sacrorum omnium per septuaginta annos & amplius: Vsquequò Domine non misereberis Angliae? &c. Iste iam desolationis eius septuagesimus, imò penè centesimus annus est. Ergóne plus peccauit Anglia, quàm Ierusalem & Iudaea, vt, cùm illa septuaginta annorum captiuitate peccata sua expiarit, Anglia centum annis expiare non possit? Peccauit vtique & grande peccatum peccauit, faciens schisma à te tuaque Ecclesia; sed pro eo sanguinem suum fuderunt tot centeni Martyres, qui instanter orant pro ea, & clamant, non vindictam, vt sanguis Abel, sed misericordiam. Accipe has hostias pro peccato, eorumque sanguine schisma hoc ablue & dilue: quia pius & φιλόψυχος, animas amas, quas creasti, & Christi tui sanguine redemisti.

VERBA BONA] Id est consolatoria Iudaeorum, verba boni ominis, verba fausta, putà laetum boni tamdiu votis expetiti oracului, de futura Hierosolymae felicitate, cùm ad eam Dominus reuertetur in misericordiis, vt sequitur. *Bona,* VERS. 13.

inquit S.Hieron. *de futurorum promißione, conſolatoria de præſentium neceßitate.* ſic Virgil. eclog. 5.

Amat bonus otia Daphnis,

bonus, id eſt felix, beatus, doli expers, candidus. Quocirca verbum bonum, non tantùm dignitatem rei, cuius oraculum edit, ſed etiam oraculi veritatem, ac promiſſorum certitudinem magnitudinemque complectitur. Hinc Pſaltes pſal. 44. *Eructauit*, inquit, *cor meum verbum bonum*. q.d. Verbum quod mente concepi, tam eſt ominatum & felix, tam ſuaue, tanta ſaturitate & voluptate cor replet, vt cogar os aperire, illudque ebullire, ac velut ebrius eructare. Porrò *verba bona* ſunt ea quæ ſubdit:

VERS. 14. ZELATVS SVM IERVSALEM ET SION ZELO MAGNO] Zelus hic duos actus contrarios complectitur, nimirum amorem ardentem in Ieruſalem, & iram ingentem in eius hoſtes: horum enim odium ex eius amore neceſſariò ſequitur. q.d. Ego vehementer amo Ieruſalem, vti maritus zelotypus amat ardenter vxorem, ideoque vehementer iraſcor Chaldæis, eò quòd illam tam crudeliter euerterint, eiuſque ſpoliis ſe ditarint, cùm ego modicè & leniter tãtùm illam per eos caſtigare intenderem, vti pædagogus caſtigat puerum & diſcipulum. Hoc eſt enim quod ait: *Quia ego iratus ſum parum, ipſi verò adiuuerunt in malum.* ita Lyran. Vatabl. & alij. Chaldæos vocat *gentes opulentas*, Hebr. שַׁאֲנַנִּים *ſçaanannim*, id eſt, vt Chald. *quæ ſecurè degunt*, præfiſæ ſibi ſuiſque viribus & opibus, nil timentes mali; Vatabl. *tranquillas*; Pagnin. *quietas*; Septuag. *quæ ſuperpoſitæ ſunt*, putà quæ dominantur.

Mor. Deus vindictam poſt caſtigationem conuertit in auctores.

Moral. Nota hic, Deum poſt illatam plagam populo ſuo, deferueſcente furore, iuſtam indignationem in ipſos conuertere qui Deum ipſum incitarunt ad vindictam, vel eam exercuerunt, non vt Deo ſatisfacerent, ſed vt ſuæ ambitioni & tyrannidi indulgerent. Exemplum eſt 2. Paral. 28. 9. *Iratus*, inquit, *Dominus Deus patrum veſtrorum contra Iuda, tradidit eos in manibus veſtris, & occidiſtis eos atrociter, ita vt ad cælum pertingeret veſtra crudelitas, & peccaſtis ſuper hoc Domino Deo veſtro.* Et pſal 68. 27. *Quoniam quem tu percußiſti perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt* irriſiones, probra, & ſubinde cum verbis verbera. Aliud eſt percutere, aliud perſequi ad internecionem: illud eſt patris, hoc verò hoſtis: illud facit iuſtitia, hoc liuor: illud Deus ſibi tribuit in Chriſti morte, dicens Iſaiæ 53. 8. *Propter ſcelus populi mei percußi eum*; & Chriſtus ipſe idipſum Patri aſcribit hoc loco pſalmi: iſtud verò ſanguinariis Iudæis imponit.

VERS. 16. REVERTAR AD IERVSALEM IN MISERICORDIIS: Hebr. בְּרַחֲמִים *berachamim*, id eſt, in miſerationibus viſceralibus, quæ ſcilicet ex intimis viſceribus meis promanant, eaque commouent, afficiunt & affligunt. q.d. Intimam & viſceralem compaſſionem & miſericordiam multis modis doniſque oſtendam & exhibebo Hieroſolymæ, atque ea impulſus faciam id quod ſequitur: DOMVS (templum) MEA ÆDIFICABITVR IN EA, ET PERPENDICVLVM EXTENDETVR SVPER IERVSALEM id eſt, rurſus ædificabitur Ieruſalem. Eſt metonymia: nam ex perpendiculo, ſiue libella, quod architecti adhibent vt ad rectam lineam ædificent, & ſtructuram adæquent, intelligit totam fabricam. In perpendiculo enim ex tuA niculo dependet plumbum, vel pondeſculum, quod, vtpote graue, vergit ad ſuum centrum, putà ad centrum terræ & totius vniuerſi: vnde architecti eo vtuntur, vt areas in quibus ædificant complanent, & à centro mundi æqualiter diſtare faciant, quod librare vocant; ac fabricam quam areæ, vel plano ſuperædificant, ad perpendiculum erigunt, vt omnes eius partes æquidiſtantes à centro, ſolidè conſiſtant, ne ſi vna curuetur, magiſque vergat ad centrum quàm alia, eò ruat, ſecumque alias partes, & totam fabricam in ruinam trahat. Quælibet enim res grauis pari pondere inclinat & tendit ad ſuum centrũ, quod omnibus idem eſt & commune. Quare duo parietes fabricæ inuicem oppoſiti, mathematicè non ſunt paralleli; quia ſi protenderentur, in centro terræ concurrerent; ſed quia hæc
B differentia in tanta diſtantia à centro, eſt exigua & inſenſibilis, hinc phyſicè cenſentur paralleli.

Libella cur vtãtur architecti.

AFFLVENT CIVITATES MEÆ BONIS] Hebr. תְּפוּצֶינָה מִטּוֹב *tephutſena mittob*, id eſt diffundent, diſpergent ſe præ copia bonorum, ad ædificandum alias vrbes & pagos. Septuag. vertunt, *diffundentur ciuitates in bonis*; Chald. *implebuntur bono*. Id præſtitit Deus tempore Zorobabelis, & poſtea tempore Machabæorum, ſed maximè tempore Chriſti.

18. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor cornua.

19. Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me. Quid ſunt hæc? & dixit ad me: Hæc ſunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Iſrael, & Ieruſalem.

C 20. Et oſtendit mihi Dominus quatuor fabros.

21. Et dixi: Quid iſti veniunt facere? Qui ait, dicens: Hæc ſunt cornua quæ ventilauerunt Iudam per ſingulos viros, & nemo eorum leuauit caput ſuum: & venerunt iſti deterrere ea, vt deiiciant cornua gentium, quæ leuauerunt cornu ſuper terram Iuda, vt diſpergerent eam.

QVATVOR CORNVA] Hebræi, & ex iis S. Hieron. per hæc accipiunt quatuor monarchias, ſcilicet Chaldæorum, Perſarum, Græcorum & Romanorum, quæ Iudæos variis per varias ætates affecere cladibus. Verùm hoc parum eſt probabile. Primò, quia hæc viſio eò ſpectat, vt Iudæos Babylone redeuntes in præſenti ærumna ſubleuet & conſoletur. Ergo non ſpectat ad Græcos & Romanos, qui necdum erant, nec Iudæos afflixerant, ſed poſt multa ſæcula futuri erant, imò poſt hanc conſolationem quam dat hîc angelus: rurſus quia Iudæos afflixerunt, ac tandem funditus exciderunt ſub Tito. Secundò, quia Perſæ, vt Cyrus & Darius, beneuoli fuerunt Iudæis, eoſque è Babylone liberarunt, ac poteſtatem eis fecerunt vrbis & templi reædificandi. Ergo hi non fuerunt cornua contra Iudæos cornutantia. Tertiò, quia Perſæ, Græci & Romani non potuerunt affligere Iſraelem, vtpote iam euerſum & abductum in Aſſyriam, ſed tantùm Iudam: hæc autem cornua impegerunt Iſraelem, æquè ac Iudam, vt hîc dicitur.

D

Duo

Dico ergo cum Theodoret. Clario, Ribera, A Sanchez, à Castro & aliis, per *quatuor cornua* significari quatuor plagas orbis, gentesque in iis degentes, quæ tam Iudæos, quàm Israelitas, siue decem tribus bellis diuexarunt, quales ab Oriente fuerunt Ammonitæ & Moabitæ, ab Occidente Philisthini, à Meridie Idumæi & Ægyptij, ab Aquilone Assyrij & Chaldæi. De his enim ait angelus: *Hæc sunt cornua quæ ventilauerunt Iudam, & Israel, & Ierusalem.* Vnde Chald. pro *quatuor cornua* vertit, *quatuor regna.*

QUATVOR FABROS] Hi fabri fuerunt quatuor angeli, custodes & hyperaspistæ Ierusalem & Iudææ. Vocantur *fabri*, quia veniunt ad hoc, vt cornua quatuor ferrea, quæ ita impetierunt Iudæos, vt nemo eorum auderet leuare caput, detrimant, deprimant & amputent. Quocirca Fabrili ferrarij fuisse videntur: horum enim est B ferro ferrea cornua resecare, ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Remig. & alij.

ET VENERVNT ISTI DETERRERE] Nota, aliqui legunt *deterere*, sed legendum cum Roman. *deterrere*; & hoc significat Hebr. להחריד *lehachariad* id est, vt tremorem eis incuterent, vt facerent eos tremere: per cornua enim intelligit gentes bellicosas, quas tremore concusserunt hi fabri, id est angeli. Primò enim terrorem iniecerunt gentibus hostilibus, deinde timore depressas succiderant. Porrò ferrea fuisse hæc cornua coniicere licet ex eo, quòd validè concusserint & exciderint Iudæam & Samariam: ergo valida erant, ergo ferrea. Nam, vt ait Daniel cap. 2. 40. *Ferrum omnia domat.* Secundò, quia similia fe- C cit ad similem effectum Sedecias pseudopropheta 3. Reg. 22. 11. *Fecit*, inquit, *Sedecias cornua ferrea*, vt ferreum & inuictum robur regis Achab exprimeret, cui adulans ait: *His ventilabis Syriam.* Tertiò, quia faber communiter ferrarium significat, nisi addatur murarius, lignarius, vel quid simile. Vatabl. tamen & Arias, vti cornua fabrorum accipiunt cornuarios, vel tornarios, qui scilicet in cornibus tornandis, secandis, poliendis laborant. Porrò angelos hæc bona præstitisse Hierosolymæ, quæ hic promittit Zacharias, patet ex euentu: nam mœnia vrbis & templum pacificè & splendidè restaurata sunt, æquè ac aliæ vrbes Iudææ. Vnde cap. sequenti vidit Propheta virum fune dimetantem Ierusalem, hoc fine, vt eam reædificet; tantumque in ea numerum ciuium, vt vrbs omnes non caperet.

Moral. disce hic Primò, nullam esse potens- D simus regum vel tyrannorum, quæ non habeat aliam potentiorem supra se, ad quam oppresso confugere & appellare liceat. *Omne sub regno graue regnum est* Et Horat. l. 3. ode 1.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis.

Quocirca Eccles. c. 5. 7. *Si videris*, inquit, *calumniam egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius; & super hos quoque eminentiores sunt alij; & insuper vniuersa terræ rex imperat seruienti.*

Secundò, magnam esse vim & potentiam angelorum in omnes reges & regna, vtpote qui fabrefactato malleo, vel ferro, quo decussuri sunt cornua regum, illico ipsos terrore & tremore percellunt: hoc enim significat τὸ *deterrere*, & efficaciùs Hebr. *hachariad*, id est tremore concutere. Hinc Daniel, licèt vir sanctus & fortis, videns angelum, eumque alloquens c. 10. 16. *Domine mi*, inquit, *in visione tua dissoluta sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium; sed & halitus meus intercluditur.* Et mox de sociis: *Porrò viri qui erant mecum non viderunt, sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum.* Sic passim in Script. viso angelo de vidente dicitur: *Timor* vel *terror irruit super eum*, vti dicitur de Zacharia Lucæ 1. 12. Vbi S. Ambros. *Perturbamur*, ait, *& à nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicuius superioris potestatis occursu.* Quinimò veterum opinio & sensus erat, adeò potentes & terribiles esse angelos, vt ei qui eos videret necessariò moriendum esset. Inde enim est illa vox Manue, qui fuit pater Samsonis: *Morte morietur, quia vidimus Dominum*, putà angelum, Iud. 13. 22.

Mysticè quatuor cornua sunt quatuor passiones animæ.

Mysticè, S. Hieron. Quatuor cornua, inquit, quæ singulos domum Dei spiritualem ædificare volentes impetunt, sunt quatuor passiones animæ, putà gaudium, tristitia, metus, & spes siue cupiditas, quas hoc versu complexus est Poëta:

Hi metuunt, cupiunt, gaudentq́, dolentq́.

Quis enim est, etiam fidelium iustorum, qui non agitetur nunc metu, nunc spe, nunc lætitia, nunc tristitia? Quatuor fabri sunt quatuor virtutes cardinales, quæ hasce passiones edomant, nimirum prudentia, iustitia, fortitudo & temperantia. ita S. Hieron. aut magis propriè & pertinenter, sunt hæ quatuor. Primò, pœnitentia, quæ sternit gaudium. Secundò, abnegatio sui & resignatio in voluntatem Dei, quæ interimit tristitiam. Tertiò, magnanimitas & confidentia in Deum, quæ profligat timorem. Quartò, contemptus mundi, qui supprimit spem. Qui enim cum Magdalena deflet sua peccata, hic spernit omnia mundi gaudia, totusque mundus ei amarescit. Qui abnegat se suaque commoda, ac se resignat in voluntatem Dei, hic de nulla re tristatur, sed omnia æquo animo suscipit de manu Dei, qui diligentibus se facit omnia cooperari in bonum. Qui magnanimus est Deoque confidit, nihil metuit. Qui contemnit omnia quæ in mundo sunt, eaque vt vana, vilia, breuia & exilia despicit, hic nihil in mundo sperat. Porrò aptè addit S. Hieron. *Qui vitia destruunt, virtutes ædificant, omnesq́, sancti qui hæc remedia possidentes instaurant semper Ecclesiam, fabri appellandi sunt. Vnde & Apostolus loquebatur: Quasi sapiens architectus fundamentum posui. Et iratus Dominus de Ierusalem ablaturum se dicit architectum, & virum sapientem. Et ipse Dominus Dei omnipotentis filius & creatoris omnium, fabri filius appellatur.* Addit S. Hieron. *Legi in cuiusdam commentariis, quatuor fabros quatuor Euangelistas intelligi, qui oppressum Israelem, sensum videlicet videntem Deum, & Iudam Dominum confitentem, & Ierusalem visionem pacis, in pristinam sedem restituant, & quos vitiorum Gentes dispersérant de Ecclesia, per prædicationem Euangelij retraxerunt ad salutẽ.* Pari modo accipias quatuor Ecclesiæ Doctores, S. Augustinũ, S. Hieronymũ, S. Ambrosium, S. Gregorium. Hi enim quasi fabri ædificarunt Ecclesiam sua doctrina & libris.

Item quatuor vitia capitalia.

Secundò, magis appositè per quatuor cornua possumus accipere quatuor vitia capitalia, quæ maximè impetunt Ecclesiam & fideles, & quatuor

tuor eorum præsides dæmones, quos designat Psaltes psal. 90. 13. dicens: *Super aspidē & basiliscū ambulabis, & conculcabis leonem & draconē*, inquit S. Hieron. Aspis enim notat inuidiam & iram; basiliscus, qui visu interimit, luxuriam: oculi enim sunt in amore duces; leo superbiam; draco gulam & auaritiam. Quatuor fabri sunt quatuor virtutes & angeli, contra quatuor hæc vitia decertantes, nimirum charitas contra inuidiam, castitas contra luxuriam, humilitas contra superbiam, abstinentia cōtra gulam & auaritiam: siue Vriel contra Beelzebub, Raphael contra Asmodæum, Michael contra Luciferum, Gabriel contra Bacchum & Mammonam.

Symbolicè sunt quatuor persecutiones Ecclesiæ.

Symbolicè, quatuor hæc cornua sunt quatuor vniuersales persecutiones & persecutores Ecclesiæ, qui eam successiuè à Christo hucusque impetierunt, quos S. Iohannes Apoc. 6. præsignificauit per quatuor equos & equites, scilicet album, rufum, nigrum & pallidum. Albus enim significat Christum debellantem Iudæos, rufus significat Gentiles, præsertim Imperatores, vt Neronem, Decium, Diocletianum, quorum faber & succisor fuit Constantinus Magnus. Niger significat hæreticos, præsertim Arrianos, quorum faber & debellator fuit S. Athanasius, S. Basilius, Hieron. S. Augustin. &c. Pallidus significat Mahometanos, quorum fabri ex patre fuerunt reges Hispaniarum; sed fabrum qui pleni eos succidat, adhuc exspectamus. vtinam breui Deus eum ostendat! Prima enim Ecclesiæ persecutio, fuit à Iudæis; Secunda, à Gentilibus; Tertia, ab Arrianis; Quarta, à Saracenis.

Simili modo tempore primitiuæ Ecclesiæ quatuor cornua eam impetētia fuerunt quatuor hæreses & hæresiarchæ, scilicet Arrius negans Christi diuinitatem; Nestorius ponens duas personas in Christo, æquè ac duas naturas; Eutyches cōstituens vnam naturam in Christo, æquè ac vnam personam; Macedonius negans diuinitatem Spiritus sancti, quorum quatuor fabri & succisores fuerunt quatuor Concilia Oecumenica, nimirum Nicænum contra Arrium, Ephesinum contra Nestorium, Chalcedonense contra Eutychetem, Constantinopolitanum contra Macedonium: in quibus præcipuus faber Arrij fuit S. Athanasius, Nestorij Cyrillus, Eutychetis S. Leo, Macedonij S. Gregorius Nazianzenus.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Zacharias angelum cum funiculo mensorio, vt metiatur Ierusalem à Nehemia & Zorobabele readificandam, cumq; ex funiculo exiguo, vt pote conuoluto, conficeret timeretq; Zacharias exiguam fore nouam Ierusalem, mox audit alterum angelum promittentem, quòd absque muro ipsa habitanda sit præcopia hominum & iumentorum, quodq; Dominus sit futurus ei murus ignis in circuitu, & gloria in medio eius. Quare inuitat Iudæos, qui metu Chaldæorum aliarumq; gentium hostilium timebant redire è Babylone, vt audacter redeant in Ierusalem: Deum enim illam instauraturum cum templo, ac in eo habitaturum, ideoq; effecturum, vt nec Chaldæi, nec Samaritæ, nec aliæ gentes vicinæ vel fabricam impediant, vel Iudæorum pacem turbent. Nota, hæc ad literam intelligenda esse de Ierusalem vrbe Iudæorum, de ea enim hactenus egit, idq; filum orationis & plana textus verba deposcunt. Allegoricè tamen, & potiùs intelligenda sunt de Ecclesia, quæ est vera Dei Ierusalem, in eaq; orta est, & illi successit, de qua Apostolus Galat. 4. 26. Et quia ad Ecclesiam maximè respexit Spiritus sanctus, hinc quædam hic augustiora interserit, quæ tenuiter Hierosolymæ, planè autem & plenè conueniant Ecclesiæ. Ad illam enim data typi alicuius occasione, assurgere & auolare solent Prophetæ. Quales sunt v. 8. Post gloriam misit me ad gentes. Erunt prædæ his qui seruiebant sibi. Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei. Lauda & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui. Et applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa, *&c. ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. Haymo, Lyran. Vatabl. & alij passim, excepto Ribera & paucis aliis, qui hæc omnia in sensu non allegorico, sed literali accipienda censent, non de Ierusalem, sed de Ecclesia Christi, idq; ob verba textus quæ paulò antè citaui. Verùm illa non vrgent, vti ostendam in eorum explicatione. Vide canon. 4. & 5. quos præfixi Prophetis maioribus.*

Vers. 1.

ET leuaui oculos meos & vidi: & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum.

2. Et dixi: Quò tu vadis? Et dixit ad me: Vt metiar Ierusalem, & videam quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius.

3. Et ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occursum eius.

4. Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius.

5. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio eius.

ET LEVAVI] Hæc ad præcedentem visionem, & ad verba consolatoria de restauranda Ierusalem cap. 1. 13. pertinere, ideoque eodem tempore, putà eadem nocte & visione visa esse à Zacharia, probabiliter censet Theodoret. Videtur enim hic esse continuatio præcedentis visionis. Hisce enim symbolis omnibus pro-

mitt-

mittit Deus Iudæis restaurationem vrbis & templi, ad eamque illos incitat & impellit. Vnde eos tres angelos hîc videt Zacharias, quos vidit cap. 6. sect. 2.

ET ECCE VIR] Putà angelus specie viri: viri enim formam induerat in corpore aëreo à se formato & assumpto.

ET IN MANV EIVS FVNICVLI MENSORVM] ea solent architecti metiri longitudinem & latitudinem ædificiorum; ad eamque funiculis in terram defixis, & vtraque ex parte extensis complensam, ædificare, vt iusta sit partium omnium symmetria & proportio. Funiculo ergo hoc significat se breui reædificaturum Ierusalem Angelus hic videtur fuisse idem qui cap. 1. 8. visus est Zachariæ stare inter myrteta, nimirum S. Michael: hic enim erat custos & tutor Synagogæ, vti iam est Ecclesiæ: vnde ad eum pertinebat cura restaurandæ Ierusalem & templi. Similem virum vidit Ezechiel c. 40. 3. qui funiculo & calamo dimetiebatur templum à Zorobabele reædificandum. Sic S. Iohannes Apocal. 21. 15. vidit angelum arundine metientem Ierusalem cælestem.

ET DIXI, ego Zacharias ad virum habentem funiculum mensorium, putà ad S. Michaelem: QVO TV VADIS? quid funiculo tuo agere vel metiri destinas? ET DIXIT (respondit) Michael AD ME: VT METIAR IERVSALEM, putà aream in qua reædificanda est Ierusalem. Ierusalem enim iam non extabat, vt putà ante 70. annos destructa à Chaldæis. Vnde subdit: ET VIDEAM QVANTA SIT, id est futura sit, vel esse debeat, LATITVDO EIVS.

Tropol. funiculus hic significat dimensiones crucis Christi; item charitatis, humilitatis, cæterarumque virtutum, iuxta quas ædificanda est domus spiritualis, putà fabrica perfectionis, de quibus Apostolus Ephes. 3. 18. *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* Vide ibi dicta.

ET ECCE ANGELVS QVI LOQVEBATVR IN ME] Hic fuit angelus proprius Zachariæ, qui ei hæc oracula suggerebat, & visiones ostendebat, ac proinde diuersus à Michaele, vti dixi cap. 1. 13. Quocirca S. Hieron. Theodoret. Haymo, Hugo, Lyran. & alij passim tres hîc numerant angelos, primum cum funiculo quasi mensorem, qui fuit S. Michael; secundum, prophetalem Zachariæ; tertium, *qui egrediebatur in occursum eius*, putà secundi, vt per eum doceret Zachariam quanta futura esset Ierusalem: tertium hunc autumant multi fuisse S. Gabrielem; ille enim curator erat populi Dei, vt patet Daniel. 9. 21. & cap. 10. 5. vbi similiter tres angelos similes, imò ferè eosdem cum hisce Zachariæ, atque idem penè nuncium vidit Daniel.

ET DIXIT AD EVM, putà angelus tertius dixit ad secundum, qui erat custos Zachariæ: CVRRE, LOQVERE AD PVERVM ISTVM, DICENS: ABSQVE MVRO HABITABITVR IERVSALEM] q. d. Dic Zachariæ puero, non ætate, vt vult Ribera & Emmanuel (erat enim grandæuus, inquit S. Epiphan. Doroth. Isidor. imò & Martyrol. Roman.) sed conditione & statu: quia scilicet erat puer, id est alius & discipulus angeli sui Custodis. Homo enim respectu angelorum sunt quasi pueri, ait S. Hieron. Rursum *puero*, id est ministro.

A Erat enim Zacharias minister angeli; per eum enim angelus Dei de restauratione Ierusalem decretum Iudæis annunciauit. Sic Lucæ 1. 69. Dauid vocatur *puer*, id est minister Dei: *Erexit*, inquit, *cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui.* Item Iacob, ibidem v. 54. *Suscepit*, inquit, *Israel puerum suum.* Actor. 4. 27. Iesus vocatur *puer*, id est minister, Dei. Sic Genes. 24. 52. seruus Abrahæ licèt senex, vocatur eius puer. Est catachresis: pueri enim solent ministrare viris & senibus. Sensus ergo est, q. d. O angele dic tuo clienti Zachariæ: Tu videns angelum primum, putà Michaelem cum funiculo, putabas Ierusalem reædificandam fore exiguam, vtpote paruo eius funiculo comprehendendã; sed scito te falli: prædico enim & promitto tibi tuisque, tantam fore Ierusalem, tamque plenam ciuibus, vt muris suis

B eos continere non possit. Funiculus enim quem vides, licèt paruus videatur, quia tenuis est & in glomum conuolutus; tamen si euoluatur, vti fiet in dimensione, complectetur ingentem aream, quæ ingentem capiet vrbem: atque vrbs ipsa licèt ingens, non capiet incolas, tanta erit eorum multitudo: quocirca per suburbia & villas vrbi vicinas habitare cogentur. Ex hoc loco S. Greg. hom. 34. in Euang. docet angelos maiores mittere minores: *Dum enim*, inquit, *angelus ad angelum dicit: Curre & loquere ad puerum istum, dubium non est, quin alius aliũ mittit. Minora verò sunt quæ mittuntur, maiora quæ mittunt.* Hinc etiam acceperũt Scholastici ea quæ docèt de locutione angelorũ.

ABSQVE MVRO] Hebr. פְּרָזוֹת *perazot*, id est villæ, hoc est, instar villarum absque muro habitabitur Ierusalem: quia tanta erit ciuium co-

C pia, vt vrbe capi non possit. Quocirca ædificabunt suburbia & villas vrbi contiguas, per easq; longissimè se dilatabunt & propagabunt. Vnde aliqui sic exponunt: *Absque muro*, id est extra murum. Sic enim dicitur Iosue 17. 5. *Ceciderunt funiculi Manasse absque terra Galaad*, id est, præter & extra terram Galaad. Non ergo negat Ierusalem cingendam muro, vt volunt aliqui, qui proinde id ad litteram accipiendum volunt de Ecclesia. Non etiam corrigit Michaelem volentem funiculo metiri Ierusalem, vt alij exponunt q. d. Noli eam metiri: non enim illa funiculo demetienda est; nam sine muris ædificanda est, & vndequaque dilatanda. Quis enim angelus corrigat Michaelem omnium angelorum principem? Sed sensus est, q. d. Licèt Ierusalem statim ob metum vicinarum gentium cingenda

D sit muro, vt patet Nehem 2. 17. tamen tanta eò confluet hominum frequentia, vt multi ciues extra muros in vicis & villis suburbanis habitare cogantur. ita de facto contigit: nam habitarunt in Bezeta, id est in noua ciuitate; donec Agrippa rex cœpit hæc suburbia muro cingere, teste Iosepho l. 6. Belli c. 6.

Secundò, τὸ *habitabitur* potest accipi δυναμικῶς, vt potentiam significet, non actum, q. d. Adeò tuta & secura erit Ierusalem per Dei inhabitantis opem & protectionem, vt sine muro habitari possit. Id enim fieri dicitur, quod aptum est vt fiat; ac id facere quis, quod vt faciat potestatem habet. Sic ait Iob c. 9. 6. *Qui commouet*, id est commouere potest, *terram de loco suo. Qui præcipit soli, & non oritur*, id est, qui præcipere potest soli vt non oriatur.

Tertiò,

Tertiò Hebr *perazot*, id est villæ. Septuag. ver A
sunt *frugiferæ*: tales enim solent esse villæ. Vnde
sic transferunt, *frugifera habitabitur Ierusalem à multitudine hominum & iumentorum, quæ in medio eius.* q.d. Diues, fertilis & opulenta erit Ierusalem: proferet enim aletque innumeram turbam iumentorum, æquè ac hominum. Ita ad litteram de vrbe Ierusalem hæc accipiunt Hebræi, S. Cyrill. Theodoret. & alij. Hac enim phrasi significat amplitudinem & frequentiam, æquè ac securitatem & pacem Hierosolymæ. Dum enim metus est belli, nemo diues in villis habitare audet, sed ad vrbes muratas se recipit.

Mysticè Ierusalem felix typus est Ecclesiæ felicis.

Mysticè, id verius est in Ecclesia, quæ absque muro habitatur: quia toto orbe diffusa est. Ad eam enim vndequaque confluxit innumerabilis multitudo fidelium, tam hominum, id est iustorum, quàm iumentorum, id est carnalium, qui B
more iumentorum terræ inhiant. ita S. August. serm. 131 de Tempor. & Remig. Albert. Lyran. Vatabl. Arias hîc. Rursum Ecclesia æquè ac anima sancta, est *perazot*, id est villa, ob amœnitatem, libertatem & fertilitatem. Abundat enim spirituali frumento, vino, oleo, fructibus iumentis & animalibus omnis generis, agris, vineis, hortis, arboribus, fontibus, &c. Quid mirum? Hæc est villa Dei, eius manibus erecta, aucta, adornata. Ita eamdem Ecclesiæ propagationem per dilatationem Hierosolymæ, symbolicè depingit Ieremias c. 31. 38. & Isaias c. 49. 20. *Angustus mihi est locus, fac spatiũ mihi vt habitem.* Imò S. Hieron. in Ionam, asserit Ierusalem veterem ferè semper in S. Scriptura portare nouam: vbique enim hoc ei quasi oneri datum, vt Ecclesiam Christi in C
seipsa præferat & referat, quasi eius imago & typus, imò mater. Quare in Liturgia S. Iacobi, Ierusalem appellatur Matrix Ecclesiarum; perinde ac Rom. 11. 18. prisci Patriarchæ nuncupantur Ecclesiæ radix, quæ portat fideles ex Gentibus. Sic S. August. procemio in psal. 126. ait, Salomonem gestare figuram Christi, vt in iis quæ de regno ipsius Script. commemorat, non tam sit persona Salomon, quàm is ipse personatus Christo; ac proinde vtrumque intelligi oportere: quia figuratum sine eo quod figurat percipi nequit. Ita hîc substratum, siue fundamentum literæ est restauratio terrenæ Ierusalem, cui typicè superstruitur fabrica Ecclesiæ Christianæ. ita Fernandez visione 30.

VERS. 5. ET EGO ERO EI, AIT DOMINVS, MVRVS IGNIS IN CIRCVITV] Chald. *verbum meum erit et, dicit Dominus, velut murus igneus illam per circuitum ambiens.* Est occupatio: occurrit enim tacitæ ob- D
iectioni, eamque præoccupat, q. d. Ne mireris, ô Zacharia, quod dixi absque muro habitandam Ierusalem, néue ex eo metuas quòd ad eam hostibus facilis patebit aditus: ecce enim promitto, quòd ego ipse Deus vester ero ei pro muro, eoque non lapideo, sed igneo. q.d. Ego instar muri ignei cingam & tutabor Ierusalem, ac solo aspectu hostes fugabo, & ciues lætificabo. Alludit ad flammeum gladium quo Cherubim custodiuit paradisum, Genes. 3. 24. quem non pauci murum igneum exponunt cum Lactantio lib 2. Instit. c. 13. Paradisus enim Dei olim erat Ierusalem, & nunc est Ecclesia. Rursum alludit ad psal. 124. 2. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui.* Et ad Isaiæ 26. 1. *Saluator ponetur in ea murus & antemurale.* Ita Theodor. expon. q.d. *Mea benignitate ei ero murus, qui transiri & transcendi non possit. Hanc enim vocauit murum ignis. Nam sicut pyra ingens transiliri nequit, sic eius non potest quis gratia Dei custoditus.* Quia, vt ait Rupert. cùm scriptum sit: *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, quis ibi hostem & inimicum sollicitus erit: etenim Dominator noster, ignis consumens est,* vt ex Mose ait Paulus Hebr. 12. 29.

Quocirca allegoricè & tropologicè murus igneus Ecclesiæ, & fidelium quorumlibet particulari, sunt Primò angeli tutelares. Deus enim ait Psaltes, & ex eo S. Paulus Hebr. 1. 7. *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Ita sancti angeli in specie equorum & curruum igneorum defenderunt Eliseum contra exercitum Syrorum, 4. Reg. 6. v. 17. In iidem Eliam curru igneo, ad quem dæmones accedere non auderent, rapuerunt in cælum, 4. Reg. 2. 11.

Secundò, Spiritus sanctus, qui in Apostolos & Ecclesiam descendit specie ignis in Pentecoste, quemque iam antè promiserat Christus dicens: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur?* Lucæ 12. 49. Huius rei symbolo idem Spiritus sanctus per angelum deduxit Hebræos ex Ægypto, & deserto ad terram promissam in specie columnæ ignis & nubis, quæ castra præibat eratque dux itineris, & simul cingebat & tutabatur ab hostibus, de qua Sapient. 10. 17. *Fuit illis in velamento diei, & in lustra stellarum per noctem.* Hoc igne charitatis ardens & cinctus S. Laurentius rifit Valerianum, cique ignes & craticulas.

Anagog. Ierusalem & paradisus cælestis circumdatus est igne Purgatorij, per quem omnes in cælum quasi transire debent, vt eo probentur num quid impuri habeant; & si quid habeant expurgentur, iuxta illud 1. Cor. 3. 13 *Vnius cuiusque opus quale sit ignis probabit, &c. si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.* Ad hæc Origen. S. Basil. Lactant. S. Ambros. & Rupert. ex hoc loco & similibus opinati sunt, ante cælum in æthere esse montes ignes, per quos transire & expiari debeant omnes in cælum euntes, etiam S. Petrus & Paulus; de qua sententia quid censendum sit dixi 1. Cor. 3. 12. Denique Christus Iudex, & Sancti die iudicij cingentur igne conflagrationis mundi, qui deinde impios & damnatos conuoluet in tartara, de quo psal. 49. 2 *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida.*

ET IN GLORIA ERO IN MEDIO EIVS] Hebr. לְכָבוֹד *lecabod*, id est ad gloriam; Septuag. *in gloriam*, pro gloria, loco gloriæ; Chald. *gloriæ maiestatem meam in medio eius reponam.* Iam gloria hæc dupliciter accipi potest. Primò, passiuè, q. d. In gloria ero, id est, glorificabor & colar in Ierusalem per latriæ cultum. ita S. Hieron. Lyran. & Dionys. Secundò, & melius actiuè, q. d. Glorificabo Ierusalem, gloriam ei afferam. ita Cyrill. Theodoret. Haymo, Vatabl. & Ribera, Sanchez & alij. Deus enim habitans in Ierusalem per sui cultum, legem, oracula, miracula, tutelam & protectionem, eam reddebat celebrem & gloriosam apud omnes gentes, teste Iosepho l. 12. Antiq. c. 16. Deus ergo erat gloria Ierusalem,

lud Ierem. 2. 11. *Populus verò meus mutauit gloriam suam*, id est, Deum suum glorioſum, *in idolum*. Huc ſpectat illud pſal. 86. 9. *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei*. Et pſal. 47. 1. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius. Fundatur exultatione vniuerſa terræ mons Sion, latera aquilonis, ciuitas regis magni*. ita Theodor.

Secundò, aliqui, vt à Caſtro, per *gloriam* Hieroſolymæ accipiunt arcam fœderis: ob eam enim captam à Philiſthæis nurus Heli grauida, & præ dolore excutiens fœtum ac pariens, vocauit puerum *Ichabod*, dicens: *Tranſlata eſt gloria de Iſrael, quia capta eſt arca Dei*, 1. Regum 4. 21. vt ſuprà dixi: Ego Deus Hieroſolymæ ero murus ignis forinſecus, intrinſecus verò & in medio eius ero ei pro arca. Sicut enim ad arcam omnes accurrebant, Deum ſuper eam in propitiatorio ſedentem adoraturi & inuocaturi; indeque Deus vrbem gubernabat: ita promittit hîc ſe pro arca (quam ante captiuitatem ex Ieruſalem exulem & abſcõderat Ieremias, vt dicitur 2. Machab. 2.) & pro anima in medio Ieruſalem futurum, vt omnes ciues & incolas inde animet, foueat, gubernet & regat. Porrò Deus tum aliàs fuit gloria Ieruſalem, tum maximè quando aſſumpta carne in ea viſibiliter apparuit, docuit, miracula fecit, & Eccleſiam ſuam inſtituit. ita Vatabl. Quocirca allegoricè, & potiùs tropologicè, Deus per Chriſtum eſt gloria Eccleſiæ. Quæ enim eius eſt gloria, quòd caput eius ſit Chriſtus id eſt Verbum incarnatũ, Deus homo? quæ eius gloria eſt, Chriſti cæleſtis vita, doctrina Euangelium, Sacramenta, gratia, quam in ſingulos fideles quaſi membra ſua iugiter influit, quos ad beatitudinem & gloriam æternam inducit? Hanc Eccleſiæ gloriam ſub typo Ieruſalem graphicè depingit Iſaias c. 60. 1. *Surge*, ait, *illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos & vide: omnes iſti cõgregati ſunt, venerunt tibi*, &c. Ita de Eccleſia hunc locum exponunt S. Hieron. Haymo, Albert. & Remig.

6. O, ô fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: quoniam in quatuor ventos cæli diſperſi vos, dicit Dominus.

7. O Sion, fuge quæ habitas apud filiam Babylonis.

8. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Poſt gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoliauerunt vos: qui enim tetigerit vos tangit pupillam oculi mei.

9. Quia ecce ego leuo manũ meam ſuper eos, & erunt prædæ his, qui ſeruierunt ibi: & cognoſcetis quia Dominus exercituum miſit me.

10. Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui ait Dominus.

11. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa: & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui:

A & ſcies quia Dominus exercituum miſit me ad te.

12. Et poſſidebit Dominus Iudam partem ſuam in terra ſanctificata: & eliget adhuc Ieruſalem.

13. Sileat omnis caro à facie Domini: quia conſurrexit de habitaculo ſancto ſuo.

VERS. 6. O, O FVGITE DE TERRA AQVILONIS] Hebr. הוי הוי *hoi hoi*, id eſt *heus heus*, quod eſt aduerbium hortandi & incitandi ad celerem & contentam fugam, ideoque geminatur, imò triplicatur à Propheta, vt ingentis cladis ingentem pauorem incutiat, ac ingentes ſtimulos ad eam fugiendam Iudæis addat. q. d. O Iudæi, quſi eſtis filij Ieruſalem & Sionis, fugite de Babylone, quæ vobis eſt Aquilonaris, in quam quaſi in carcerem per ſeptuaginta annos detruſi fuiſtis, indeque vlteriùs in Aſſyriam, Mediam, Perſidem, adeoque in quatuor mundi plagas diſperſi eſtis: fugite, inquam, ad patriam veſtram, redite in Ieruſalem ciuitatem Dei, quaſi in aſylum. Multi enim Iudæi in Babylone fixerant ſedem, quaſi ibi perpetuò manſuri, ibique habebant ſuas familias, merces & opes, iuxta conſilium Ieremiæ c. 29. 5. vti cõſtat de Ioakim marito Suſannæ Danielis 13. 4. Vnde difficulter, nec non niſi cum iactura rerum ſuarum, ſe cum ſuis transferre potèrant in Ieruſalem, præſertim quia metuebant ne rurſum Samaritæ, aliæque gentes Ieruſalem expilarent, vti ante ſeptuaginta annos fecerant Chaldæi. Hoſce ergo excitat & animat ad fugam & reditum, promittens opem & protectionem Dei affore Hieroſolymæ, ne qui hoſtes eam inuadere audeant. ita S. Hieron. Theodor. Remig. & Hugo.

Cur fugiẽdum è Babylone?

Porrò Propheta tam ſeriò & ſtudioſè hortatur Iudæos vt fugiant è Babylone; tum ne Babylonios mores & ſuperſtitiones induant tam ipſi, quàm filij eorum; ſed vt redeuntes in Ieruſalem, ibi Deum piè & ſanctè colant: tum propriè, quia inſtabat nouum excidium Babyloni, ne illud eos inuoluat. Babylon enim capta à Cyro, eo cæſo, & ſtirpe eius regia in Cãbyſe filio extincta, cœpit ceruices attollere, ac ad priſtinum regnum & monarchiam aſpirare: vnde iugum Perſarum excuſſit. Quocirca Darius Hyſtaſpis iterum eã obſedit, tandemque expugnauit; idque anno regni eius quarto, id eſt, biennio poſt hoc Zachariæ de eo oraculum (hoc enim editum eſt anno 2. Darij, vt patet c. 1. 1.) factum eſſe cenſet noſter Gordonus in Chronol.

Quia illa mox à Dario erat vaſtanda.

Rem geſtam narrat Iuſtinus in fine lib. 1 Herodotus in fine l. 3. & ex ijs Torniel. anno mundi 3532. Babylonij, inquit Herodot. rebellantes Dario, ab eo obſeſſi riſerunt eum, quòd omni re ad reſiſtendum inſtructi eſſent, dictitantes tunc eum expugnaturum Babylonem, cùm mula pareret. Fruſtra ergo vrbem, omni licèt arte vique adhibita, oppugnauit Darius per viginti menſes, quibus exactis mula Zopyri principis Darij peperit. Hoc omen accepit Zopyrus, quaſi iam adeſſet tempus capiendæ Babylonis. Itaque præſcindens ſibi nares aureſque, & horrendè ſe vulnerans & mutilans profugit ad Babylonios, fingens ſe tam indignè tractatum à Dario, quòd

ei suasisset solutionem obsidionis ; quocirca se eis Darij secreta prodituru, ac in prælijs contra eum ducem futurum. Crediderunt ei Babylonij; quare creatus ab eis belli dux, acceptisque vrbis clauibus , milites Darij clanculum in vrbem admisit, itaque vrbem Dario tradidit, qui muros eius portasque omnes demolitus est, quorum neutrum Cyrus fecerat ; Babyloniorum quoque procerum tria millia patibulis affixit. De Zopyro verò hoc Darij fuit elogium: *Mallem Zopyrum non esse mutilum, quàm viginti Babylones per hanc eius calamitatem mihi acquiri. Vnus Zopyrus mihi plùris est, quàm viginti Babylones.* Simili modo Ieremias instante excidio Babylonis per Cyrum, monet Iudæos vt ex ea profugiant cap. 51.6. *Fugite*, ait, *de medio Babylonis, & saluet vnusquisque animam suam : nolite tacere super iniquitate eius, quoniam tempus vltionis est à Domino; vicissitudinem ipse retribuet ei.* Sic Tobias imminente excidio Niniues, monet filium vt ex ea se subducat, cap. 14.12. *Dirigite*, ait, *gressus vestros, vt exeatis hinc : video enim quia iniquitas eius finem dabit ei.*

Tropol. fugiendum è Babylone, id est è mundo.

Tropolog. Babylon , id est confusio, scilicet vitiorum, errorum & ærumnarum, est mundus, q.d. Fugite de mundo, deque potestate diaboli ad Ierusalem, id est ad Ecclesiam, quæ est mater & doctrix veritatis, sanctitatis & felicitatis. ita Lyran. & Vatabl. Rursum, fugite ad statum Religionis, ad claustra monastica quasi ad asylum. Audi S. Bernard. serm. 30. de Conuersione ad Clericos. *Quidni periclitetur castitas in delicijs, humilitas in diuitijs, pietas in negotijs, veritas in multiloquio, charitas in hoc sæculo nequam ? Fugite de medio Babylonis , fugite & saluate animas vestras. Conualate ad vrbes refugij, vbi positis & de præteritis agere pœnitentiam , & in præsenti obtinere gratiam, & futuram gloriam fiducialiter præstolari.* Idem epist. 103. *Væ*, ait, *væ, vapor est ad modicum parens , quod æternæ felicitatis aditum intercludit. Quousque tu tantæ gloriæ præfers fœnum , quod hodie est & cras in clibanum mittitur ? carnem dico, & eius gloriam. Siquidem omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tamquam flos fœni. Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum , desine iam ea sequi, quæ & assequi miserum est. An non ea satius cum honore spernis quàm cum dolore perdis ? An non prudentius ea Christi cedis amori, quàm morti ? Est in insidijs prædo, cuius manibus nec te , nec tua poteris subducere. Nec poterit prouideri, quia tamquam fur in nocte, ita veniet. Nihil intulisti in mundum, haud dubium quia nec quidquam auferes. Dormies somnum tuum, & nihil inuenies in manibus tuis.* Luget, meritò luget S. Augustl. lib. 2. Confess. c. 3. adolescentiam suam in plateis illis Babyloniæ transactam, quoniam cùm coætaneos suos audiebat iactantes flagitia sua , & tanto magis gloriantes, quanto magis turpes essent ; ipse etiam stimulabatur non modò ad eadem facienda, sed etiam ad fingenda quæ nõ fecerat, ne videretur abiectior quo erat innocentior, & ne vilior haberetur quo erat castior. Nimis enim contagiosam rem esse malos sodales, cùm dicitur: *Eamus, faciamus, & pudet non esse impudentem.* O si in altam speculam cum S. Cypriano l. 2. epist. 2. conscendere liceret, indeque prospicere Babylonem, id est mundum, putà mundanorum varia studia, curas, negotia, sermones, cursitationes, labores, nundinationes, angores, tædia, scelera, ærumnas, clades & stages; sanè exclamaremus: O quantum est in rebus inane ! O quãtum miseriarum pelagus est Babylon! O quàm dementes sunt, qui in eo iactantur mergi eligunt! O, ô miseri cæcique mortales, fugite de medio Babylonis , fugite hoc malorum diluuium. Inspice vel vnam vrbem, vel vnam domum, vel vnam familiam, quanta in ea videbis dissidia, maledicta, blasphemias, quantas obscenitates, & turpitudines imaginum, librorum, verborum & operum , quantos labores à mane ad vesperum, quantas sollicitudines, quanta tædia, quot infortunia? Hunc videbis affligi febri, illum calculo, tertium asthmate, quartum colica, quintum pleuritide, sextũ paupertate, &c. septimum rapina, sterilitate, naufragio, &c. Animas si introspicias, cernes multò magis ægras & miserabiles, vt cum Osee c. 4. exclames: *Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.*

Prospiciebat hæc S. Fulgentius , Ruspensis postea Episcopus, qui, vt habet eius Vita, cum in natoria familia esset ortus, ac doctrina, opibus summo magistratu, clientelis, florenti ætate fortunatissimus haberetur , cœpit huius mundi felicitatis breuitatem & inanitatem perpendere, eiusque curas, onera & tædia gaudijs fallacibus permista experiri; cumque videret Religiosos hinc carere, agereque vitam quietã, hilarem, amabilem & sanctam, eos colere & frequentare instituit, tãdem in hæc verba prorupit: *Cur obsecro sine fructu rerũ bonorum laboramus in hoc sæculo? Quid nobis denique præstare poterit mundus? Si gauderemus, licet melius sit bene flere quàm malè gaudere, quanto melius tamen gaudent quorum in Deo tranquilla est conscientia, qui nihil timent nisi peccare, nihil agunt nisi ex Dei præscripto: Non fatigãtur publicis negotijs, non dãna rei familiaris aut miserabiliter flere, aut turpiter timere coguntur nec, cum sæcula reliquerint, alienis insidiantur. Viuunt inter se pacifici, sobrij, mites, humiles atque concordes. Nulla vanagitatio libidinis , imò magna sollicitudo & vigilantia castitatis. Imitemur tam laudabiles viros, & quamus hanc bene viuendi constantiã. Abiiciamus pristinos mores , & mutemus labores. Nitebamur prius inter amicos nobiles nobiliores apparere, nitamur modò inter seruos Dei pauperes effici pauperiores.* Ita dixit, & mox opere præstitit, mirante & faciente eius celebrãte vniuersa Carthagine, multis eum imitantibus , adeò vt eorum copia impleret cœnobia. Vide S. Ambrosl. de Fuga sæculi.

QVONIAM IN QVATVOR VENTOS CAELI DISPERSI VOS] Primò , aliqui sic exponunt. Fugite è Babylone in Iudæam, quia ibi dilatabo & dispergam vos ad quatuor plagas mundi. Dabo enim vobis Philisthæam , quæ est ad Occidentem; Moabitidem, quæ est ad Orientem; Idumæam, quæ est ad Meridiem; Samariam, quæ est ad Aquilonem. Secundò, alij melius, q.d. Fugite è Babylone, quia ibi non vniti, sed dispersi estis in quatuor orbis plagas, per quas vagamini: redite ergo in Iudæam , vt ibi in vnum populum & rempub. pristinam coalescatis. Tertiò Sanchez, q.d. Inuito vos, ô Iudæi dumtaxat, in Babylone degitis: nõ enim loquor ad dispersos in alias terras, quoniã hi dispersi sunt ad quatuor ventos, nec reuocari possunt. Vnde de fide

liberarent qui in Babylone manserunt, non vero qui in alias oras dispersi vagabantur.

O SION FVGE] *Sion*, id est Sionitæ, putà Iudæi fugiendi ex Sion & Ierusalem. Pro *fuge* hebr. est מַלְּטִי *himmaleti*, id est proripe te, libera te, libera te, Chald. *euade*; Pagnin. *erue te*; Tigurina, *seruate*, Septuag. *in Sion (*fugiendo*) saluamini, qui habitatis filiam Babylonis.* Ecce hæc omnia significant instans Babyloni excidium per Darium: ea enim vt se proripiant Iudæi, præmonet hîc Zacharias.

QUÆ HABITAS APVD FILIAM BABYLONIS] quæ habitas in Babylone: *filia* enim *Babylonis* idem est quod filia Babylon, putà ipsa Babylon, pulchra & speciosa instar filiæ.

QVIA HÆC DICIT DOMINVS] Sanchez hæc verba refert ad præcedentia, q.d. Fugite è Babylone, quia hoc iubet Dominus. Verùm cæteri Interpretes omnes referunt ad sequentia: vnde & Hebræi, Græci & Latini codices hinc inchoant versum octauum.

POST GLORIAM MISIT ME AD GENTES] q.d. Postquam per Esdram, Nehemiam, Zorobabel, &c. gloriosè restauraero Ierusalem, ego angelus pari Gabriel, mittor ad gentes, quæ vos, ô Iudæi, afflixerunt, & Chaldæos in vastatione Iudææ iuuerunt, ac ex ea profugos spoliarunt, vt illas pœnam vobis; subijciam, putà Idumæos, Philistinos, Ammonitas, Moabitas, &c. Ita Chald. Hugo, Mariana & alij. Idem prædixit Abdias in fine suæ prophetiæ, & Sophonias c. 1. & 2. Sunt enim hæc verba non Zachariæ, vt vult à Castro, quasi is mittatur à Deo ad gentes, vt eis prædicat eladem; sed angeli tertij, qui cœpit loqui Zachariæ v. 4. & hucusque sermonem protulit. Hoc enim exigit connexio textus, & τὸ quia Arias per gentes accipit Persas, quasi angelus hic prædicat Persarum excidium per Græcos & Alexandrum Magnum. Verùm Persæ, vt Darius & Cyrus, non spoliarunt, sed ditarunt Iudæos. Expositio iam dicta videtur literalis, cui tamen obstat id quod præcessit: *Hæc dicit Dominus exercituum*, cui mox subdit: *Post gloriam misit me ad gentes*; vbi pronomen *me* videtur referre eum qui præcessit, scilicet Dominum exercituum. Verùm respondeti potest esse hebraismus, quem latinè sic emollias & exponas, q.d. Hæc dicit Dominus exercituum, quòd post gloriam Ierusalem mittet me Gabrielem ad gentes vt earum fortiter subijciam. Demus ergo hoc velle corticem literæ, qui obiter victorias Iudæorum videtur hîc perstringere; sed negari non debet, quin præcipuus sensus sit de Christo, ad quem auolat Propheta, ideoque hac phrasi vtitur. Christus ergo est Dominus exercituum, id est Deus, quem post gloriam Pater misit ad Gentes. ita S. Hieron. Haymo, Remig. Theodor. Lyran. Vatabl. Clarius, Ribera & alij. Vide Doctores orthodoxi contra Arrianos recte ex hoc loco probant Filium Dei esse Deum verum, adeoque mysterium S. Trinitatis. Alius enim hîc à Zacharia asseritur Dominus exercituum missus, scilicet Filius; alius mittens, scilicet Pater. Hinc & v. 10. Dominus missus ad Sionem ait: *Habitabo in medio tui*, vbi Chald. clarè vertit, *ponam diuinitatem in medio tui*. Iam S. Hieronymus gloriam intelligit eam, qua Dei filius vectabat in cælo, post gloriâ, inquit, diuinæ ma-

A iestatis, q.d Vide dignationem Dei nostri: ecce Verbum Dei post gloriam, quam ex æternitate habuit in diuina natura, dignatum est assumere saccum mortalitatis nostræ, vt in eo posset mitti ad gentes, easque morte sua redimere. Solent enim ignominiæ post gloriam, labores post quietem, dolores post felicitatem esse acerbiores. vide Rupert.

Euseb. verò libr. 6. Demonst. c. 16. Emmanuel & alij accipiunt gloriâ humanitatis Christi. q.d. Postquam ego Christus homo gloriam meam ostendi tot tantisque miraculis à me patratis; item tot apparitionibus, quibus me ostendi post resurrectionem à morte rediuiuum; denique post ascensionem misit me Pater ad gentes, vt per prædicationem Apostolorum colligerem fideles, præsertim eos qui futuri & permansuri sunt sancti, ideoque eligendi ad vitam æternam Hæc est enim propriè Christi gloria, de qua Iohan. 7. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Vbi nota canonem S. Augustini l. 3. Doctrin. Christ. 31. *Quæ in scriptura dicuntur de capite*, id est Christo, *intellige de eius corpore*, id est Ecclesia, putà Apostolis & fidelibus; ac vice versa. Sic Christus hîc dicitur missus ad Gentes, non in se, sed in suis Apostolis, quos ad Gentes destinauit. Christus enim in suis Apostolis quasi equis perambulauit totum orbem, iuxta illud psalm. 67. 5. *Iter facite ei qui ascendit super occasum*, (putà ad Occidentales orbis plagas) *Dominus nomen illi.*

Tertiò, alij accipiunt gloriam de qua dixit v. 5. *In gloria ero in medio eius.* q.d. Post gloriam, quam Deus sua præsentia vobis, ô Iudæi, exhibebit in noua Ierusalem & templo, mittet ipse me Gabrielem ad Gentes, vt eas vobis subigat, quæ erit noua vestra gloria; & multò maiori gloria vestra mittet mei antitypum Christum, qui est virtus & fortitudo Patris, vt Ecclesiæ suæ, quam ipse in vobis inchoabit & fundabit, gentes antea vobis inimicas subigat, itaque; ex Iudæis & Gentibus faciat vnum ouile, cuius ipse sit pastor. q.d. Post gloriâ Ierusalem & Iudæorum, succedet per Christum gloria Ecclesiæ & gentium Christianarum. Hæc tertia gloria magis genuina & literæ innexa videtur: respicit enim ad gloriam quæ præcessit, quamque promisit v. 5. ita Albertus, Hugo, Arias & Sanchez: quin & Chald. sic enim vertit, *post gloriam quam vobis adducturum se dixit* (v. g.) *misit me ad populos qui vos diripiunt.* Perperam R. Dauid vertit, *postea* (id est, post omnes has prophetias) *in gloriam misit me ad gentes.* q.d. Postquâ ego Zacharias vaticinatus sum Iudæis, Deus amplioris gloriæ causa misit me ad vaticinandum Gentibus: hebr. enim est אַחַר כָּבוֹד *acar cabod*, id est, *post gloriam misit me ad gentes.*

QVI ENIM TETIGERIT VOS, TANGIT PVPILLAM OCVLI MEI] Hebr. Chald. Septuag. & S. Hieron. in Comment. habent *oculi eius*, vel *oculi sui*, vt loquatur de Deo in tertia persona, ac respiciat ad id quod de eo dixit: *Misit me ad gentes.* Huic enim rectè respondet in eadem persona: *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi eius*, putà Dei. Noster verò Interpres eodem sensu reddidit in prima persona, *oculi mei*: quia accepit hæc de Deo loquente de se in prima persona, ac præsertim quia respicit ad sensum præcipuum,

qui est de Christo. q.d. Hæc dicit Dominus, putà filius Dei: post gloriam Iudæorum, scilicet post Ecclesiam quam ex Iudæis collegi, misit me Pater ad Gentes, vt illi Gentes subijciam & aggregem: vos enim, ô fideles mei primitiui & quasi primogeniti, ita amo, tutor & custodio, vt gentes olim hostiles vobis sim subditurus; aut, si rebelles maneant, perditurus. Qui enim vos tangit, tangit pupillam oculi mei. nihil enim delicatius, charius, pretiosius pupilla, ac proinde nihil maiori cura custoditur: læsa enim pupilla, læditur & excæcatur oculus, qui est lumen vitæ, ac dux omnis viæ & actionis hominis, vt homo excæcatus miserrimâ in tenebris agat vitam, sitque instar mortui. Vnde pupilla hebr. vocatur בַּת *bath*, id est filia, eò quòd pretiosa, chara, curæ & cordi sit, ac custodiatur quasi filia vnica, quodque oculi sit quasi filia. Quocirca in pupilla est effigies humana, putà filiæ, vel filij. Hinc Hebræi eamdem aliâ voce vocant אִישׁוֹן *isçon*, id est virunculum; quia is in pupilla apparet. Alludit ad Deuter. 32. 10. *Custodiuit quasi pupillam oculi sui.* ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Lyran. & alij. Aliter S. Cyril. & Vatab. q.d. Qui tangit vos, tangit pupillam oculi sui, id est, seipsum grauissimè lædit: quia sibi accersit acerrimam Dei vindicis vestri iram & vindictam.

A

B

VERS. 9. QVIA ECCE EGO LEVO MANVM MEAM SVPER EOS] Putà super gentes finitimas & hostiles, vt eas feriam, vobisque prædæ dem & subijciam. Ita subiecit eis Ammonitas, Moabitas, Philisthæos, Samaritas, Idumæos tum aliàs, tum per Iudam & Machabæos. Hoc enim mox visuri erãt Iudæi audientes hæc oracula Zachariæ, indeque ex reali eorum euentu cogniturí ipsum esse verum Prophetam, & hæc accepisse à Deo, vtipse asseuerat. ita Albert. Hugo, Lyran. & Arias.

C

Mysticè, hæc veriora sunt in Christo, qui Apostolis è Iudæa ortis subiecit omnes gentes. Vbi Nota, conuersionem Gentium vocari prædationem & spolium, quia eas Apostoli prædati sunt diabolo, carni & mundo, quibus sponte se subiecerant & volentes seruiebant, ac subiecerũt Christo. Hinc Isaias c. 8. 3. prædicit nomẽ Christi fore, *Accelera spolia detrahere, festina prædari.* Et c. 9. 3. de Apostolis orbem conuersurís ait: *Lætabũtur coram te sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda quando diuidunt spolia.*

Nota τὸ *leuo manum*, scilicet quasi signifer, imò dux & imperator, prisco more, eleuata manu signum prælij attollo, & exercitum in hostes duco. Sic dicitur psal. 73. 3. *Leua manus tuas in superbias eorum in finem.* q.d. Tolle signum tuũ, immitte exercitum in hostes tuos, illos bello persequere, donec omnes ad vnum conficias & concidas. Nam, vt sequitur: *Gloriati sunt qui oderunt te; posuerunt signa sua, signa,* &c. & Isaiæ c. 9. 11. *Et eleuabit Dominus hostes Rasin super eũ.* Et psal. 105. 26. *Eleuauit manum suam super eos, vt prosterneret eos in deserto.* Rursum Isaiæ c. 49. 22. *Leuabo ad gẽtes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum.* Porrò signum & vexillũ Christi est crux. Quare cùm tolli crucẽ, & cruentum in ea Christum aspexeris, animos præliandi acue, certamque victoriæ spem per Christum concipe.

D

VERS. 10. LAVDA] Excitat Synagogã Babylone redeuntem in Ierusalem, ad gratiarum actionem & iubilum, quòd sensura sit Dei in se habitantis præsentiam, opem & gloriã, adeò vt Gentes id ipsum visuræ & confessuræ sint, ideoque suas oblationes & dona oblaturæ Deo in eius templo; quin & non pauci conuertẽdi sint ad iudaismum & futuri proselyti, iuxta illud psal. 67. 30. *A templo tuo in Ierusalem tibi offerent reges munera.* Ita Seleucus rex Asiæ alijque principes ingentia dona miserunt, vt patet 2. Machab. 3. v. 2. & 3. ita Remig. Haymo & Dionys.

Mysticè, multò magis excitat Iudæos, omnesque primos fideles tempore Christi, vt iubilent Deoque gratias agant, eò quòd videant Messiam, id est Deum corporatum, visibiliter in medio sui versantem, ibique fundantem Ecclesiam ad quam mox per Apostolos aggregabit omnes gentes. ita S. Hieron. Theod. Remig. Lyran. Vatabl. Arias & alij.

ET POSSIDEBIT DOMINVS IVDAM PARTEM SVAM IN TERRA SANCTIFICATA] Ad literam q.d. Cùm Deus tribum Iuda (sub qua accipe quoque tribum Beniamin, vtpote quæ cum Iuda in vnam rempub. & Ecclesiam coaluerat) reducet e Babylone, tunc eam quasi partem, id est portionem suam hereditariam, collocabit rursum in terra sancta, putà in Iudæa, quæ sancta est, tum ob templum sanctum q; Dei in eò cultum; tum quia in ea vixerũt sancti Patriarchæ & Prophetæ, vt ibi rursum sit eius peculium & possessio, vti fuit tempore Mosis, dicentis Deut. 32. 9. *Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hereditatis eius.*

Mysticè, Christum partem suam, id est, Apostolos aliosque primos fideles, ex quibus constituit Ecclesiam suã, selegit & possedit in terra sancta, putà Iudæa; illam enim ipse magis quàm omnes Patriarchæ & Prophetæ, sua natiuitate & conuersatione sanctificauit & consecrauit. ita S. Hieron. Cyril. & alij iam citati.

SILEAT] Est epiphonema. Prophetaenim admirans hanc Dei in populum suum beneficentiam tum literalem sub Nehemia & Machabæis, tum potiùs mysticam & spiritualem sub Christo, erumpit in profundam reuerentiam & doxologiam Dei, ac proclamat vt omnes eam cum timore, reuerẽtia, humilitate & gratitudine agnoscant, suspiciant, reuereantur, colant & celebrent. *Quia*, inquit, *consurrexit de habitaculo sancto suo.* Septuag. *quia surrexit de nubibus sanctis suis.* Poetice loquitur, q.d. Deus cõsurrexit, hebr. נֵעוֹר est, id est, excitatus est quasi à somno, q.d. Deus visus est dormire, cùm nos neglexit & dimisit in captiuitate per septuaginta annos: rursum cum dimisit mundũ in potestate diabolo per quatuor annorum millia: at iam videt immanes eius fœtes, velut somnum excutiens, assumit suum robur & fortitudinem, ac exurgit ad vltionem, et populũ suum liberet, & cum eo habitet. Ac praesertim allegoricè somnũ excutiet & consurget quando Christus è nubibus, imò è cælo vndè robustus descendet in Iudæã, cùm in ea inhabitabit, vt cum Iudæis quibus promissus est habitet, eosq; à tyrannide diaboli, peccati & mortis vindicet & saluet. ita S. Cyril. Theodor. & alij. Hinc olim cùm sacerdos procedebat ad altare sacrificaturus, præibat diaconus proclamans: *Sileat omnis humana & mortalis caro, stetq; cum metu ac tremore*, vti habetur in liturgia S. Iacobi fratris initium. Vide dicta Habacuc 2. 20.

Tropol. Arias: Sileat, ait, omnis caro, quæ sua est

est & scaturigo omnium malarum cogitationum & cupiditatum, eiusque furentis stimulus quiescat, & compescatur à vi & efficacia gratiæ Christi, quæ vniuersum vitiorum fontem exhauriat.

Anagog. Sileat omnis caro à facie Christi venientis ad iudicium, quia consurrexit de cælo, descenditque in vallem Ioſaphat, vt ibi iudicet viuos & mortuos, qui vmquam extiterunt, exstant vel extabunt in mundo. ita S. Hieron. Haym. Lyran. & Vatab. Tanta enim erit tunc Christi maiestas, tanta eius ira in impios, vt ipsi vultum eius ferre non sustineant, sed clament montibus & petris: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni*, Apoc. 6. 17. Tunc verum erit illud paradoxum: *Veniet tempus, quo damnati nolent egredi ex inferno, & Beati nolent egredi è cælo*, nimirum hoc tempus est dies iudicij. In illo enim damnati optabunt manere A in inferno, ne cogantur venire ad iudicium; partim ne subeant probrum publicum damnationis coram toto mundo in valle Ioſaphat; partim ne videant vultum iratum & fulgureum Christi iudicis; partim ne cogantur assumere corpora, in ijsque torqueri, cùm iam sola eorum anima torqueatur. Beati verò in die iudicij optabunt egredi cælo, tùm vt sententiam felicissimam audiant: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum vobis paratum à constitutione mundi*; tum vt eorum innocentia, virtus & gloria toti mundo, cui olim despecta fuit, innotescat, tum vt corpus suum assumant, in eoque glorificentur, ac cum eo triumphantes Christum, gloriosè in cælum conscendentem comitentur, eiusque visu fruantur in æternum. Gloria enim corporis erit quasi altera stola & corona beatitudinis, quam proinde animæ beatæ ardenter appetunt, vti patet Apoc. 6. v. 10. & 11.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Angelus Iesum filium Ioſedec iubet exui vestibus sordidis captiuitatis, aquè ac peccati, induique nouis, & cidari, vt significet se ei peccata remittere, & pontificatum reddere, vt templum cultumque Dei restauret. Insuper v. 8. eidem promittit Orientem, id est Christum, qui in templo ab eo instaurando sit versaturus, ibique collecturus Ecclesiam, cuius ipse futurus sit pontifex: ipsum enim fore Ecclesiæ lapidem angularem septem oculis insignitum, ac clauorum vulnerumque sculpturis calatum, qui auferet iniquitatem terræ, & pacem toti orbi felicitatemque conciliabit.

ET ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini: & satan stabat à dextris eius vt aduersaretur ei.

2. Et dixit Dominus ad satan: Increpet Dominus in te satan; & increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalem, numquid non iste torris est erutus de igne?

3. Et Iesus erat indutus vestibus sordidis: & stabat ante faciem angeli.

4. Qui respondit, & ait ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs.

5. Et dixit: Ponite cidarim mundam super caput eius. Et posuerunt cidarim mundam super caput eius, & induerunt eum vestibus, & angelus Domini stabat.

6. Et contestabatur angelus Domini Iesum, dicens:

7. Hæc dicit Dominus exercituum: Si in vijs meis ambulaueris, & custodiam meam custodieris: tu quoque iudicabis domum meam, & custodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his qui nunc hic assistunt.

B ET OSTENDIT MIHI DOMINVS] Vox *Dominus* non est in Hebræo, nec Chaldæo, sed subintelligitur. Vnde eam exprimunt Septuag. & Noster. Porrò Dominus per angelum more suo hæc reuelauit, & pinxit in phantasia Zachariæ: an eadem nocte qua præcedentia cap. 1. & 2. reuelauit, idipsum fecerit, vt volunt Rupertus & Hugo; an alia, incertum est. Prophetæ enim sæpè non distinguunt tempora, nec ea certa suis prophetijs consignant; cùm constet pleraque per interualla varijs diebus, mensibus, quin & annis, ipsis reuelatas fuisse à Deo, vel immediatè, vt cùm Deus loquebatur in mente eorum; vel per angelum, vt cùm per eum in phantasia Prophetæ sua symbola, putà visa, vel verba formabat & pingebat. VERS. 1

IESVM] Filium Ioſedec, qui eo tempore viuebat, iamque Babylone redierat in Ierusalem, ibique erat summus pontifex. Vnde v. 8. eidem promittens Christum dicit: *Audi Iesu sacerdos magne*, &c. ita S. Hieron. Theodor. Cyrillus, Remig. Albert. Hugo, Lyran. hîc, ac S. Auguſt. l. 12. contra Faustum cap. 36. & Eusebius l. 4. Demonstr. c. vltimo. Negat idipsum Arias, secutus Abenezram & R. Salomonem, quia, inquiunt, Iesus filius Ioſedec iam erat mortuus, eò quòd Aggæi 2. v. 12. & 22. eius non fiat mentio, vti facta est v. 3. *Iesu* ergo sumitur hîc pro posteris, putà pro Machabæis, quorum bella contra Antiochum prædicit hîc Zacharias. ita ipsi. Verùm errant: nam vixisse tunc Iesum hunc, patet ex cap. 6. Zachariæ v. 11. vbi dicitur: *Sumes aurum, & facies coronas, & pones in capite Iosu filij Ioſedec*, &c. Et Eccli.

49.13. vbi dicitur quòd Iesus hic cum Zorobabel ædificarint & exaltarint templum : templi autem fabrica absoluta & dedicata est anno 6. Darij, vt patet 1.Esdræ 6.15. imò Iosephus libr. 11.cap.5.tradit Iesum hunc vixisse vsque ad initium regni Xerxis , qui patri Dario successit: tunc enim in pontificatu successisse ei filium Ioachim.

Allegor. Iesus Iosedec est Iesus Christus.

Allegor. Iesus filius Iosedec pontifex legis veteris,repræsentauit Iesum Christum Pontificem noui testamenti,tam nomine,quàm dignitate & officio. ita auctores iam citati ; insuper Tertull. contra Iudæos sub finem, Origen.hom.9.in Leuit.Lactant.lib.4.cap.14. S.Ambros.lib.3.de Fide c.4.S.Chrysost.homil.5.ex varijs in S.Matth. S.Gregor.lib.20. Moral.cap.20. qui videntur asserere, hîc sensu literali agi de Iesu Christo,ideoque non addi τὸ *filius Iosedec* , quod alibi Iesu veteri additur. Verùm hi Patres excusandi sunt, quòd more suo non distinguant sensum literalem ab allegorico,ac tantùm dicere velint, præcipuum sensum ex mente & intentione Spiritus sancti esse de Iesu Christo , ideoque ad hoc innuendum taceri τὸ *filius Iosedec*.Iam constat apud omnes,quòd licet literalis sensus de Iesu filio Iosedec sit primus,tamen allegoricus de Iesu Christo sit illo potior,ideoque præcipuus.Porrò Hieron.Sauanarola explicans hæc Zachariæ verba anno Domini 1495. sedente Alexandro VI.Pōtif.cui infensus erat , per *Iesum* accepit Pontificem angelicum , quem breui Romam visuram vaticinabatur, qui vita & moribus angelus potiùs videretur quàm homo , ac totam Ecclesiam reformaret,nouosque ritus, imò nouum Euangelium induceret.Verùm iam plusquam centum elapsi sunt anni ab hac eius prophetia , & nec dum angelus ille comparuit. Vide Ambros.Catharinum contra prophetias Sauanarolæ, & canon.33.in proœmio.

STANTEM CORAM ANGELO DOMINI]Hic angelus fuit S.Michael, vtpote tutor Synagogæ, qui pro eius capite, putà Iesu pontifice, contra satanam decertat. Vnde corā eo Iesus pontifex quasi reus cōsistit,accusante eum satana. Est enim hîc species tribunalis & iudicij , in quo iudex est Deus, accusator satanas, reus Iesus, aduocatus Michael: sed Deus suas partes delegat Michaeli, vt ipse eius loco sit iudex.Vnde coram Michaele quasi iudice reus hîc consistit Iesus. Sicut enim Deus,sic & angeli eius,vtpote æquissimi,possunt esse simul aduocati & iudices. ita S.Hieron.Remig.Hugo,& Lyran. *Debuit*,inquit,*prælatus totius populi angelus, eiusdem populi prælato homini* (putà pontifici Iesu)*præstò adesse.*

ET SATAN STABAT] *Satan* hebr.idē est quod aduersarius: hinc tribuitur dæmoni, qui summè & vbique fidelibus aduersatur, iuxta illud S.Petri epist.1.cap.5.8.*Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.*Hinc Septuag pro *satan* vertunt Διάβολον, id est calūniator. Porrò *satan* hîc antonomasticè intelligitur dæmonum princeps,putà Lucifer: contra hūc enim vti primitus in cælo pugnauit, ita perpetim in terra pro Ecclesia depugnat S.Michael, vti docet S.Iohannes Apocal.12.7.*Et factum est*, inquit.*prælium magnum in cælo:Michael & angeli eius prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius.*Et cap.20.2. *Apprehendit draconem serpentem antiquum , qui est diabolus, & satanas, & ligauit eum per annos mille.* Contra hūc quasi principem dæmonum,tentantem se decertauit Christus,Matt.4.1.& 10. Hic quoq; contra Michaelem altercatus est de corpore Mosis, vt ait Iudas in epist.v.9.

Hinc colligas Summum Pontificem, qui fuit Iesus filius Iosedec , custodem & tutorem habere S.Michaelem: ille enim vti tutor est corporis Ecclesiæ,ita est & capitis,putà Pōtificis; ut ex aduerso Lucifer hostis Ecclesiæ , hostis & Pontificis : eum enim maximè impugnat, eo prostrato prosternat Ecclesiam;idq; aliquando per se,aliquando per dæmones sibi subditos. Quocirca vigiles forteſque excubent Pontifices : iugiter cogitent sibi acre & perenne esse bellum cum principe tenebrarum, qui ardet, pollet potentia,tumet superbia,vafer est astutia, peritus experientia. Sciant suum antagonistam esse Luciferum: meminerint se, cùm pontificatum ineunt , ad duellum & singulare certamen prouocare satanam , omnesque eius inferorum cohortes & legiones, de quibus ait Apost.Eph. 6.13. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates , aduersus mundi rectores tenebrarum harum,contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus.*Sed ne percellantur nec animis cadant, sciant ex aduerso hyperaspistem & defensorē suum esse S.Michaelem. Meminerint sibi in B.Petro à Christo promissum esse: *Tu es Petrus,& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi* (putà omne inferorum robur & potentia) *non prævalebunt aduersus eam*,Matth.16.Meminerint totam Ecclesiam, præsertim singulos sacerdotes,pro se nominatim in Missæ sacrificio quotidie Deo supplicare.Fortes ergo & potentiores sunt eorum protectores, quàm sint hostes & impugnatores,vtieos videtur dixit Elisæus 4.Reg.6.16. Perperam ergo Ambros. per *satanam* accipit Antiochum Epiphanem,ex Iesum,id est Machabæos posteros Iesu,oppugnauit. Agitur enim hîc de ipso Iesu,non de posteris,vti paulò antè dixi.

A DEXTRIS EIVS]Satan accusans Iesum filium Iosedec in tribunali Dei , stabat à dextris Iesu, quasi victor,& in lite potior ac superior:quia vincebatur in iudicio prævaliturus , ac Iesum ad sententiam damnationis adacturus: quia vera erat accusatio quam ei intentabat, inquit S.Hieron. Simili schemate & phrasi ait Psaltes psalm. 108.6. *Constitue legislatorem super eum*, nimirum fac vt diabolus stet à dextris eius, quasi ei prælēs,leges & iura dictans. Vnde S.Augūst.ibidem tropologicè sic explicat: *Hoc*,inquit, *meruit*(Iudas proditor Christi) *vt super se diabolum haberet, id est, diabolo subditus fit , qui Christo subditus esse noluit. Stet autem à dextris eius,dictum est:quia opera diaboli præposuit operibus Dei. Hoc enim cuique non immeritò dextrum dicitur,quod præponit sicut sinistræ dextra præponitur.Ideo & de illis qui seculi huius gaudia præponentes Deo , beatum dixerunt populum cui hæc sunt, rectissimè dictum est: Dextera eorum dextera iniquitatis.Diabolus ergo stetit à dextris eius,quando præposuit auaritiam sapientiæ, & pœnam saluti suæ,vt eum traderet à quo debuit possideri,ne ab ipso possideretur,cuius opera ipse Christus fugiuit,à quo noluit possideri.*Vnde sequitur: *Cum iudicatur exeat condemnatus.* Ex aduerso iusti & sanc-

&

ei dicunt psal.15.8. *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear.* Et psalm.108.31. *Astitit à dextris pauperis [vt diuitia pauperis sint ipse Dominus*, ait ibidem Auguſt.*) vt saluam faceret à persequentibus animam meam.* Secundò, Albertus, Hugo & Sanchez: Satan, inquiunt, est à dextris pontificis, quia Iudæorum felicitati cùm inuideret, angelorum & piorum ex eo populo consilijs aduersabatur: nam satan per malos regis consiliarios in Babylone, & per Samaritas in Iudæa Hebræorum consilia turbabat, neque quidquam sinebat expedirè, aut cum magno studij operæq; pretio administrari. Vti enim amicus est à dextris, vt iuuet & protegat, quomodo dicitur psal.15. *A dextra est mihi ne commouear*; sic inimicus est à dextris, vt quod in nobis firmius est, & magis ad laborem idoneum, turbet & infirmet. Quod vtiq; per Samaritas agebat satan, dum & opifices, & Iudæos fabricæ præsides varijs artibus remorari & impedire satagebat. Sic & Pineda de Rebus Salomonis lib.7.c.20. Dextera, ait, symbolum est egregij alicuius conatus & operis; hinc qui se aliter à dextris opponit vt aduersetur, proculdubio opus impedit malitiosè & hostiliter, vti fecit hic satan.

Mysticè notat Hugo diabolum esse à sinistris illa quos persequitur in temporalibus; à dextris, quos in spiritualibus; ante faciem, qui versutias eius cauent; à tergo, qui non præuident; suprà, quos conculcat; infrà & sub pedibus, qui eum conculcant. hæcq́ue confirmat ex Script. Euthym. in psalm.108. v.6. Diabolus, ait, stat à dextris, vt operationes dextras, id est bonas, rapiat. Eodem Valentia: Sicut, inquit, à dextra incipit motus animalis, ita illi à diabolo aguntur, nihil operâtes nisi secundùm auaritiam, odium, inuidentiam. Diabolus ergo stat à dextris, tamquam princeps peccatorum. Sic & Elias Cretensis in orat.1. Nazianzeni: Satan, ait, semper in nostras dextras, id est, quæ cum laude sunt coronandæ, oppugnat, non verò sinistras. Quo etiam S. Ambros. l.3. de Interpell.c.11. Adam, ait, dextram suam diabolo dedit, quam extendi fecit ad interdicta poma. Ita præiudicatum est in illis omnibus, & cœpit vniuersis diabolus à dextris stare; omnes quippe nascimur damnati ac filij iræ. Sicut enim psalm.79.v.18. Dauid virum dextræ vocat, quem Deus peculiari ope sua fortem facit; ita diabolum à dextris habet, qui ei confidendo se subijcit, eumque contra se fortem ac potentem reddit. Diaboli typus fuit Naas rex Ammon, dicens Israelitis 1.Regum 11. 2. *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros*, tum in opprobrium, tum vt eos bello inutiles, vtpote cæcos, reddam: sinistrum enim oculum scuto tegunt milites. Quod mystice explicans S.Gregor. libr.5. in libro Regum sub initium: *Dexter*, inquit, *oculus noster est internæ claritatis æternæ: sinister verò oculus est concupiscentia carnalis. Dexter ergo oculus eruitur, quando mens ea cæcitate percutitur, vt vltrà ad videnda cælestia non aperiatur. Naas* (Naas hebr. idem est quod serpens, qualis est diabolus) *ergo dextros oculos fœderatorum sibi eruit, quando gula sic deiectis à fortitudine prænalet, vt carnalia sola cupiant, & vltra quæ amare solebant non attendant*, putà spiritualia & æterna.

A Alleg. S. Hieron. *Stans cernitur Iesu, & stabili consistens gradu, & satan stabat à dextris vt aduersaretur ei. Tentatus enim est per omnem modum absque peccato. Et in Euangelio ad eum tentator accedit, quærens semper dextris eius & virtutibus contraire.* Et S. Gregor.20.Moral.cap 18. *Pro dextro*, ait, *habere dicimur, quod pro magno pensamus: pro sinistro verò id, quod despicimus. Venienti ergo Christo in carnem satan à dextris stetit: pro magno namque Dominus Iudaicum populum, & pro nihilo gentes habere videbatur; sed postquam incarnatus apparuit, gẽtilitas quæ pro sinistro habita fuerat, credidit; Iudaicus verò populus ad perfidiam declinauit. Satan ergo à dextris stetit, quia illum ei populum rapuit, qui dudum dilectus fuit.* Et inferiùs: *Cùm S. Ecclesiam lacessunt qui fideles videbantur, ei procul dubio calamitates ad dextram surgunt*: sed quia reliquiæ in fine

B mundi saluæ fient, hinc Dominus remouet satanam à dextris dicens: *Increpet Dominus*, &c.

Denique ex hoc loco & similibus Cassianus Collat.8.c.17. colligit vnicuique nostrûm cohærere angelum non tatùm bonum, sed & malum, siue vnicuique à Lucifero destinari dæmonem tentantem, sicut à Deo cuiq; destinatur angelus custos ad tutelam. Quæ fuit sententia Origenis & nonnullorum veterum. Nec est improbabilis: tum quia Lucifer est simia Dei: tum quia ardet odio Dei & inuidia hominum, nouitq́ue hunc esse optimum nocendi hominibus modum & ordinem, si cuiq; dæmon, qui iugiter eum obseruet, & dum occasio est tentet, assignetur, ne inter dæmones sit ataxia & confusio; neúe quod vnus cœpit, alter destruat. Porrò cuique suum assignat Lucifer, non Deus. *An quisque habeat angelum malum?*

C VT ADVERSARETVR EI. Hebr. לְשִׂטְנוֹ *listeno*, à radice שָׂטַן *satan*, id est, aduersatus est, vnde *satan* vocatur aduersarius. Explicat ergo etymon *satanæ*, q.d. Satã, id est aduersarius, stabat, vt iuxta nomen & officium à se vsurpatum aduersaretur Iesu, vt scilicet quasi actor accusaret eum in tribunali Dei, ad hoc vt eo damnatus iudicaretur indignus tam pontificatu, quàm restauratione templi & cultus diuini: hanc enim impedire satagebat satanas.

Quæres, quodnam fuit crimen Iesu, cuius eum accusauit satan? Primò, Theod. & Sanchez censent, peccata hæc non fuisse Iesu, sed populi; quæ multa erant, eaq́ue imputari Iesu tamquam pontifici; quodammodo enim totus populus est in sacerdote, & in sacerdote peccat; aut sacerdos potiùs in omnibus peccat, vti docet S. Cyrillus. *Peccatum Iesu quodt Resp. prima*

D Verùm aliquod peccatum Iesu proprium hic interuenisse innuit angelus, dicens v.4. *Auferte vestimenta sordida ab eo.* &: *Ecce abstuli iniquitatem tuam.*

Dico ergo hoc peccatum fuisse, quòd populum iam penè in Babylone legis cultusq́ue Dei oblitum, in ea non satis instrueret, nec ad eam obseruandam modis omnibus vrgeret, ac præsertim quòd illum torpentem in fabrica templi ad illam non cogeret, vt patet Aggæi 1.v.1.& 2. Rursum, quòd eum non auerteret à matrimonijs cum alienigenis vxoribus contrahẽdis. Hoc enim crimen in populo redarguit & emendauit Esdras libr.1.cap.9.2. ita Chald Lyran. Emmanuel, Mariana & Vatablus. Porrò hac in re negligentẽ fuisse Iesũ patet ex eo, quòd eius filij & fratres duxerint alienigenas, vt patet 1.Esdræ 10.18. *Secunda genuina.*

quos

quos sanè ipse quasi pater castigare & impedire debebat. Vnde Chald.vertit, *erant autem ipsi Iesu filij, qui duxerant vxores quæ non erant dignæ sacerdotio.*

Addit S.Hieron.ex Hebræis, quem sequuntur Remigius,Haymo & Hugo, *quòd & ipse cum cæteris alienigenam accepisset vxorem; quod & in Esdra & Malachia plenissimè scriptum est.* Verùm in Esdra scriptum est tantùm filios Iesu duxisse alienigenas,non ipsum Iesum; quòd si ipse Iesus pōtifex alienigenam duxisset, vtique idipsum non tacuisset Esdras, cùm ipse ex professo vitia Synagogæ recenseat & castiget, ac nominatim c.10. numeret eos qui alienigenas in vxores acceperāt.Minùs credibile est quod scribit S.Iustin.dialog.contra Tryphon.Iesum accusatum à satana, quòd duxisset vxorem meretricem. Quis enim hoc credat de tanto viro & pontifice?

Porrò *vt aduersaretur*,innuit Iesum aliquid egisse vel tentasse, in quo ipsi aduersatus sit satan. Hoc autem videtur fuisse, quòd ipse quasi pontifex Deum oraret pro restauratione templi, religionis legisque Dei.ita Arias & Vatabl. vtque Iudæi in Babylone reliqui ad patriam sedem, & auitam religionem in Ierusalem redirent, inquit Beda in epist.Iudæ.

Moral. Reges sunt Atlantes reip.

Moraliter, discę hîc quantum onus subeant Superiores,quantumque subditi eis compati, illudq; promptè eis obediendo alleuiare debeant. Ipsi enim sunt quasi Atlantes,qui portant Ecclesiam vel rempubl. ita vt singulorū qui in ea sunt peccata ipsi Episcopo, Pastori vel Rectori ascribantur.Hinc Apostolus Hebr.13.17. *Obedite*, ait, *præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilāt quasi rationem pro animabus vestris reddituri,vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Vbi S.Chrysost.hom.34. *Miror*, ait, *si potest aliquis rectorum saluari.* Ibidem S.Thomas:Christus,inquit,in die iudicij de singulis subditorum animabus interrogabit rectores, ab eisque singulorum salutem reposcet,dicendo eis illud Ierem.13.v.20.*Vbi est grex qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?*

ET DIXIT DOMINVS AD SATAN: INCREPET DOMINVS IN TE SATAN] q.d.Deus ex zelo quo amabat Ierusalem, eiusque pontificem Iesum, quoque indignabatur satanæ, tam improba & noxia Hierosolymæ, æquè ac Deo impudenter postulanti, non exspectauit vt Michael aduocatus Iesu eius causam ageret, sed ipse ex feruore eum præuenit,causamque Iesu egit. Dixit ergo satanæ: *Dominus*, hebr.*Iehoua*, id est, Deus opt. max imperio, increpatione & obiurgatione sua reprimat & compescat tuam audaciam & superbiam, ô satan, qua ad dextram Iesu pontificis, quasi eo dignior eiusq; victor,te collocas:Deus, inquam, compescat te,ne Iesu oranti pro restauratione Ierusalem cultuque diuini noceas, neue illum in tam pio Deoque grato proposito impedias.Deus enim *elegit Ierusalem* ex omnibus mūdi vrbibus,vt in ea habitet & colatur.

Nota Primò.Deus hîc loquitur satanæ de seipso in tertia persona. Sensus enim est q.d. Ego Deus increpabo & compescam te, ô satan. Verùm dicit in tertia persona: *Dominus increpet te*, per hebraismum, tum vt ei ostendat suam maiestatem; tum quia satan indignus est quem Deus in prima persona compellet, vt cum eo cominus disputet & disceptet.Sic dicitur Genes.19. *Dominus à Domino*, id est,à seipso. ita S.Hieron. Theod.Remig.& Rupertus, qui simul cēsent innui Trinitatem personarum in Deo, quasi Dominus Pater dicat Domino Filio: Increpa,id est comprime, satanam. Cùm enim Iesus filius Iosedec non posset per se satanæ resistere, Filius Dei, qui etiam Iesus vocandus erat, increpat pro illo satanam,& simul hac increpatione significauit,se cùm carnem acciperet diabolum increpaturum,vti fecit Matth.4.cùm ait:*Vade satana*. ita Bellarm.libr.1.de Christo cap.5. Vnde & hîc *Dominus* nominatur, vt indicetur Pater, Filius,& Spiritus sanctus,ait noster Emmanuel.

Secundò,facilius & planius Albertus, Hugo, Arias & Vatablus censent hîc loqui non Deum sed angelum, putà Michaelem,eumque inuocare Deum,vt satanam increpet & compescat.Sicut enim satan hîc est actor, ita Michael est defensor,æquè ac iudex Iesu. In iudicio enim multi vt reum accusauit actor, eum defendit aduocatus;vel certè, si accusatio sit calumniosa, vti hic erat,ipse iudex. *Dixit* ergo *Dominus*, id est angelus Domini,*ad satan*. Est metonymia,vel potius prosopopœia : angelus enim vocatur *Dominus* hebr.*Iehoua*,id est *Deus*, quia Dei vices obibat in hoc iudicio, eratque pro eo iudex Iesu potens. Ipse enim erat præses & tutor Synagogæ: proinde ad eum pertinebat iudicare culpam & causam Iesu,qui in Synagoga erat pontifex. Vnde dicitur Iesus stetisse coram eo, quasi reus coram iudice. Si enim Michael hîc fuisset aduocatus tantùm Iesu,vtique dixisset Zacharias eum a sinistris Iesu stetisse,sicut dixit diabolum quasi actorem stetisse à dextris Iesu. Denique in sequentibus semper agit & loquitur angelus,non Deus ergo & hîc. Simili modo angelus vice Dei dat tabulas legis Mosi in Sina, teste Apostolo Galat. 3.19. gerit se vt Deum, imò Deum se vocat dicens : *Ego sum Dominus Deus tuus*, Exodi 20.v.2. quia personam Dei legislatoris sustinebat. Sic angelus Gedeonem mittens contra Madianitas nunc vocatur angelus,nunc Dominus,quia Domini erat legatus, Iudic. 6.12. Denique ita videtur explicare S.Iudas in epist.v.9. ibi enim hic alludens sic ait:*Cùm Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Mosi corpore, non ausus iudicium inferre blasphemiæ* (eum blasphemare,ei conuiciari,ei maledicere, dicendo v.g. Ab hinc maledicte,vel maledicat tibi Deus) *sed* (modestè) *dixit: Imperet tibi Dominus*, græcè ἐπιτιμήσαι, id est,increpando imperet,& imperando increpet cum potestate & obiurgatione et, quasi impudentem actorem & calumniatorem, hoc est, reprimat & compescat tuam impudentiam & insolentiam Deus : hoc enim significat hebr. יִגְעַר, id est *increpet*, quod Septuag.quos sequitur Iudas,vertunt ἐπιτιμήσαι. Sic ait Psalm. 105.9.*Increpuit mare rubrum,& exiccatum est.* Acri imperio quasi increpando ferum mare cohibuit,diuisit & siccauit. Et psalm.67.31. *Increpa feras arundinis.* Sic Christus Lucæ 8.25. *Increpauit ventum & tempestatem aquæ*, scilicet dicendo: Tace & obmutesce, hoc est,sedare & quietare habet Marcus c.4.39. Quandoenim contra naturam & naturalium causarum, putà ventorum vim & impetum agitur, opus est vehementi potentia & imperio Dei, quod Scriptura

increpationem, quasi quid violentum & coactum. Sic enim aurigæ equos, agasones asinos, magistri discipulos pigros increpando & minando plagas, cogunt accelerare manum, vel gressum.

Moraliter, hanc Dei satanam increpantis vocem audiunt, quicumque à satana tentantur aut vexantur, vt Dei ope freti generosè eum repellant, vilipendant & calcent. Ita S. Bauo in Belgio præsertim Gandaui celebris, cùm spretis amplissimis latifundijs (erat enim regum Francorum sanguine oriundus, & Austrasiorum Ducum hæres) totum se Deo rebusque diuinis daret, acrem oppugnatus à turba dæmonum, nunc canum, nunc luporum, nunc vrsorum, nunc leonũ, nunc serpentum voces & formas induentium, ingenti animi robore & fiducia eos irridens, dicebat: *Increpet in te Deus, ô satan, & increpet in te, qui elegit Ierusalem.* Nec mora: legio euanuit, nec vltrà virum Dei impugnare ausa fuit. Ita habet eius vita.

NVMQVID NON ISTE TORRIS EST ERVTVS DE IGNE?] Syrus, *hic est torris qui euasit de igne*; Arabicus, *hic sicut lampas immersus in ignem*. q.d. Iudæa ob peccata Babylonico igne, id est captiuitate punitur, multosque eorum consumpsit: ex illo igne Iesus quasi torris è flamma afflatus & fuligine sus hoc est, miser & pauper euasit, vt Synagogam instauret. Cur ergo tu, ô satan, vis eum omnino obruere, comburere & perdere, vt populum, cultumque Dei cui inuides, disperdas? Non ita erit: seruabo eum, ne omnino comburatur; quia decreui per eum meum tẽplum, populum, vrbem & religionem restituere: Dei enim proprium est calamum quassatum non conterere & linum fumigãs non extinguere, Isaiæ 42.3. ita S. Hieron. & Cyril. Vox *torris* significat Iesum populumque Babylone ita deformatum, & quasi adustum, vt penè consumptus sit, ac planè consumendus videatur, ni Deus eripiat & succurrat. Hæc prouerbium: *Titio ad ignem, Torris ad focum*, cum quis applicatur illi rei vel officio, ad quod natura factus natusque videtur, vt cùm culinarius ad culinam, furcifer ad furcam, cocus ad ollas, incendiarius ad rogum addicitur & applicatur. Sic Iudæi hodie sunt quasi torres de igne, quo à Tito cremata est Ierusalem, eruti. Semiustos, inquit Rupertus, igne, quo ciuitas eorum tota infigenia vbique demonstrant, iuxta illud Amos 4.v.11. *Facti estis quasi torris raptus ab incendio*; præcessit enim: *Subuerti vos sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrham.*

Mystice S. Gregor. libr. 20. Moral. c. 18. *Populus*, inquit, *Iudaicus ad gehennæ incendia perfidia ducebatur, sed dum ad fidem reducitur, ab eodem æterno igne incendio liberatur. Hinc statim de eo subditur: Nunquid non est iste torris ereptus de igne?*

Sic tropologicè *torris ereptus de igne* est quilibet peccator, quem prædicator, vel confessarius docendo & monendo, è gehenna, cui destinatus erat, eripit. Quid enim aliud sunt peccata, quàm faces, & peccatores, quàm torres & fomenta gehennæ? & ursum S. Hieron. *Torris*, ait, *de igne eruptus recte sine dubio intelligi potest qui cùm in Babylone fuerit (vt est iustus in mundo, mundique illecebris & tentationibus) non est Babylonio igne consumptus, nec flamma seculi huius attactus: Vnde & Moses in visione cernit visionem magnam, in qua ardebat rubus, & non comburebatur.* Sic S. Iudas in epist. v. 22. *Hos*, inquit, *arguite iudicatos, illos verò saluate de igne rapientes.* Rursum S. Hieron. torrem hunc adaptat Christo; quia ambustus flamma passionis, & resurgens retinuit eius vestigia, plagas scilicet gloriosas.

ET IESVS ERAT INDVTVS VESTIBVS SORDIDIS] Arabicus, *& erant super eum vestes sordidæ*: tum quia ex Babylone nuper redierat sordidatus & squalidus, pauper & miser. ita Theodor. tum ob culpam recẽsitam v. 3. vestis enim sordida sordidam notat mentem & conscientiam, quam expians angelus v. sequ. ait, *Auferte vestimenta sordida ab eo.* Et: *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs.* ita S. Hieron. Remig. Haymo, Albert. & Lyran. *Iesus*, inquit S. Hieron. *indutus erat vestibus sordidis triplicitèr, vel ob coniugium illicitum, vel ob peccata populi, vel propter squalorem captiuitatis.* Portò *splendidæ vestis* (qualis erat pontificis Iesu) *manifestiores sunt sordes*, ait Nazianz. orat 31. Vnde moraliter S. Bernard. serm. de triplici custodia: *Sicut*, inquit, *pretiosam vestem exigua quæuis macula turpiùs decolorat, ita à nobis multò maior exigitur iustitia; cùm in alijs næuus, in nobis grauis sit macula.*

VERS. 3. *Vestes sordidæ Iesu quæ?*

Symbolicè, sordidæ vestes Iesu pontificis innuunt pontificatum, templum & cultum sacrorum non fuisse tam elegantem & magnificum post reditum è Babylone, quàm fuerat ante: defuerunt enim illis præter opes Salomonis aliaq; plura, illa quinque insignia quæ notaui Aggæi 2. 10. ita Clarius.

Allegor. Iesus filius Iosedec indutus vestibus sordidis, repræsentat Iesum Christum sordida nostra carne indutum. Caro enim humana præ carne aliorum animalium omnium sordida est, ærumnosa, misera, ac mille morbis, fæcibus & putoribus obnoxia, vt non aliud esse videatur, quàm vas sordium, vt patet intuenti ea quæ ex ore, oculis, auribus, naso & infernè egerimus. Sanè si anima infantis dum concipitur, ingressura corpus videret eius miserias, morbos & sordes, quibus per omnem vitam continuè subiacebit, horreret in illud ingredi. Cogita quàm horreat anima tua viso aliquo corpore leprosо, scabioso, vlceroso, cancro exeso, putido, cadaueroso, qualia mendicantium Romæ ante templorum fores passim videmus, quamque detrectaret in illa ingredi, illaque induere & animare, si Deus id iuberet. Et vide dignationem Dei nostri, qui sciens & præuidẽs carnem nostram omnibus hisce miseriis & sordibus natura sua obnoxiam, eam tamen induit cùm Verbum caro factum est, vt eam expiaret, & ab hisce, magisq; ab animæ sordibus expurgaret. Ita S. Gregor. lib. 20. Moral c. 18. *Sordidis*, inquit, *vestibus indutus erat Iesus, quia quamuis alienus ab omni peccato, tamen in similitudinem venit carnis peccati.* Secundò, Iesus fuit sordidus; quia vitam egit inopem & pauperem in perpetuis laboribus & sudoribus, ac pedester nudisque pedibus incedens & circumquaq; euangelizans, pedes suos sæpè puluere & luto inquinauit. Tertiò & maximè, quia in passione sordidatus fuit tum peccatis nostris; tum liuore, sanguine, sanie, sputis, phlegmatibus, vulneribus, &c. Vnde S. Hieron. *Iesus erat indutus vestibus sordidis: quia cùm non feciſſet peccatum, pro nobis peccatum factus est; & ipse infirmitates nostras*

Significant carnem à Christo assumptam, eiusq; passionem.

stras portat, & pro nobis dolet, & nos reputauimus eum esse in dolore (imò leprosum, vt ait Isaias cap. 53.) *& in plaga, & in angustia. Ipse verò vulneratus est propter iniquitates nostras, & infirmatus est propter peccata nostra. Et in Apostolo legimus; Christus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Hic in psalm. 21. *loquitur: Longè à salute mea verba delictorum meorum. Et in* 68. *Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea non sunt à te abscondita: qua vniuersa appellantur vestimenta sordida, & auferentur ab eo cùm nostra peccata deleuerit; vt quia ille sordidis indutus est vestibus, nos resurgentes ab eo audiamus post baptisma: Candida sint semper vestimenta tua.* Audi & S. Ambros. in psalm. 118. ad illud: *Legem mihi constitue Domine viam iustitiarum tuarum. Stabat*, inquit, *Iesus, & habebat vestimenta sordida: mea enim peccata portabat: sumpsit vestimenta nostra, vt nos splendore immortalitatis indueret: venit in nube leui quasi iustitia: iniquitas enim in talento plumbeo sedet, Christus in corde iustorum quos peccata non onerant.* Verùm de talento plumbi dicendum cap. 5. 7.

Christus cruce & patiendo vicit diabolum.

Porrò considera mirum litigium & duellum Christi & diaboli: stat hostis acerrimus, mucronem intentat, addicit morti, ac deuouet sacerdotis caput; Christus nudum latus, nudum caput ac corpus, aut, quod in bello pro eodem est, lacera & sordidata veste indutum opponit, & vincit. Viderat id Isaias c. 51. 9. *Consurge*, inquit, *induere fortitudinem brachium Domini*. quid laceris cruentisque vestibus cum prælio? At dux Christus pro æreo thorace sanguineam chlamydem, pro ferreis ocreis manicisque ferreos clauos, pro galea spinas, pro militum præsidio solitudinem, pro tubarum clangore silentium, & patientiam cum hoste congressurus obtendit. Verùm nullus æquè potens thorax, ac cruenta caro; nulla præstantior fortitudo contra hostem, quàm lacerati corporis infirmitas: quam vt cernit diabolus, debilitatur & frangitur, quoniam tam atrocis parricidij, imò Christicidij & Deicidij est auctor; ideoque confusus victusq; aufugit. Hoc est quod de Christo dicit Iohannes Apocal. 19. 13. *Et amictus erat veste aspersa sanguine, & vocabatur nomen eius verbum Dei*, scilicet efficax & omnipotens, quod vt suum robur ostendat, per ipsas plagas & vulnera sternit hostem, eumque exanimat.

VERS. 4. ET STABAT ANTE FACIEM ANGELI] quasi reus, ideoque sordidatus, coram iudice, vt dixi v. 1. ac quasi suæ causæ diffidens, maleque sibi conscius, supplex oculos flebiles dirigebat in angelum, poscens gratiam & opem. Sic olim rei pulla veste, intonsa coma, luridi & squalidi comparebant & consistebant in tribunali, vt iudicem ad misericordiam flecterent.

QVI (scilicet angelus, præses & iudex, putà Michael, tacitis votis Iesu annuens) RESPONDIT, ET AIT AD EOS QVI STABANT CORAM SE (putà ad angelos sibi subditos & ministrantes. ita S. Hieron. Theod. Remig. Lyran & alij passim, vno excepto Aria, qui putat hîc Michaelem loqui ad sacerdotes, vel ad ministros Iesu pontificis: eorum enim erat ipsum vestibus exuere & induere; verùm non hisce sordidis & mutatorijs: sordidis enim & peccaminosis hisce Iesum exuere, & mutatorijs eum induere soli poterant angeli.

AVFERTE VESTIMENTA SORDIDA AB EO, & induite eum mutatorijs; putà vestibus pulchris & pretiosis, ac cidarim imponite capiti eius, vti ait vers. 5. Vtrumque fecerunt angeli obedientes Michaeli; qui proinde hoc mutationis vestium symbolum & significationem explicas subdit. ECCE ABSTVLI A TE INIQVITATEM TVAM, ET INDVI TE MVTATORIIS] q. d. Ideo te angelos in visione iussi te exui sordidis, & induere speciosis vestibus, vt repræsentem quòd Deus tibi condonarit tuam iniquitatem, de qua dixi vers. 3. quodque sordidum habitum peccatico[illegible] rit in splendidum gratiæ & virtutum, quo te restituit. Mutatoriæ enim vestes erant bellæ & pretiosæ: talibus enim solent viles mutari in festo, ideoque symbolicè repræsentant gratiam, virtutes & dona Spiritus sancti, quibus ipse animam peccatoris in iustificatione quasi reginam, sponsam Dei vestit & ornat. Vnde Chald. vertit, *vide quòd abstulerim à te iniquitatem tuam, induerim te iustitia.* ita Albert. Lyranus, Arias, alij. Talibus se vestitam gloriatur Ecclesia Isa. 61. 10. *Gaudens*, inquit, *gaudebo in Domino, induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum torque, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Porrò Michael propriè non abstulit peccatum Iesu: solus enim Deus aufert & condonat peccata: sed *ablatio* est, ablatum & condonatum tibi esse à Deo, hoc symbolo mutationis vestium significari & repræsentari. Vnde liquet Iesum de suo peccato indoluisse, & contritionis actum elicuisse, partim ex monitione & correptione Esdræ, lib. 1. cap. 9. 19. (vbi dicitur: *Et dederunt manus suas, vt eicerent vxores suas* (alienigenas) *& pro delicto suo arietes de ouibus offerrent.*) Zachariæ, & aliorum Prophetarum, vel sacerdotum piorum, partim per gratiam excitantem ad pœnitentiam ipsi à Deo immissam. Nemo enim qui est in peccato, ab illo purgari potest, nisi ad hanc purgationem se ordineum reddat. & disponat per actum doloris & pœnitentiæ. Rursum nemo pœnitere potest sine gratia Dei ad id excitetur. Quocirca Hebræi, Hieron. Remigius, Haymo & Hugo, qui censent peccatum Iesu fuisse, quòd contra legem vxorem duxisset alienigenam, censent partim pœnitentiæ eius partè fuisse, quòd eam dimiserit eamque; Iudæam, ita vt mutatoriæ vestes significent commutationem vxorum. Vnde Chald. vertit v. 5. *imposuerunt cidarim mundam capiti eius, & asperunt ei vxorem decentem sacerdotium.* Id enim fecisse filios eius & fratres, patet ex Esdræ loco paulò antè citato.

Iam verò vestes has mutatorias non laicas fuisse, sed sacras & pontificales, patet tum ex Septuag. qui vertunt, *induite eum podere*; poderis enim est tunica pontificia vsque ad pedes demissa, tum ex cidari, quæ capiti Iesu imponitur; cidaris enim erat tiara pontificis: tum quia sacerdotes & pontifices sacra obituri, mutabant vestes communes in sacerdotales, quæ proinde mutatoriæ dicebantur. Significat ergo angelus hac mutatione velle eum, dimissum esse peccatum pontifici, quod eum quasi immundum arcebat sacris; ideoque reddita ei Dei gratia eum dignum esse qui rursus sacra obeat & pontificatu fungatur, prout de facto suspensionem hanc sacrorum ab eo tollit, vimque & functionem eorumdem illi restituit. ita Remig. Albert. Haymo & Arias.

Allegor. & anagogicè repræsentatur hîc Iesu

sus Christus, qui in incarnatione & passione, tum carne nostra, tum probris & plagis quasi vestibus sordidis indutus, eas exuit in resurrectione, quando gloria & honore à Patre vestitus & coronatus fuit. ita S. Hieron. Eusebius lib. 4 Demonst. c. vlt. Origenes hom. 14 in Lucam & alij. Quocirca Tertull. l. 3. contra Marc. c. 7. hîc notat cernere duplicem Christi aduentum. *Primò enim inquit, Iesus est sordidis indutus, id est carnis passibile & mortalis indignitate, cùm & diabolus adoriatur eo, auctor scilicet et Iudæ traditoris, ne dicã etiã post baptisma tentator: Dehinc spoliatus pristinas sordes, & exornatus podere, & mitra, & cidari mundã, secundi aduentus gloria & honore.*

ET DIXIT [scilicet angelus, putà Michael: hic enim pergit loqui. Legit Interpres וַיֹּאמֶר *veamar*, id est, *& dixit*. ita & Septuag. Iam alio puncto legunt וְאָמַר *veamar*, id est, *& dixi*, in prima persona. Chald. Pagnin. Tigurina & Rabbini, quasi hæc sint verba non angeli, sed Zachariæ, qui erat angelum, vt iubeat cidarim capiti Iesu imponi. Verùm prior lectio planior est & congruentior, vt patet intuenti.

PONITE CIDARIM] Mitram, siue tiaram pontificiam imponite capiti Iesu pontificis. q.d. Pontificatum, aut potiùs vsum & exercitium pontificatus restituite Iesu pontifici. Qualis fuerit cidaris, dixi Exodi 28. 36. & 40. Est hîc hysterologia: versus enim quintus totus, quo Iesus iussu angeli induitur pontificalibus, anteponendus est his angeli verbis v. 4. *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indu te mutatorijs.* Hæc enim verba significant & præsupponunt eum iam pontificalibus fuisse indutum.

ET CONTESTABATVR ANGELVS DOMINI IESV DICENS] Pergit Michael graui oratione admonere Iesum pontificem, vt remissionem peccatorum & pontificiam dignitatem consecutus, mandata Dei diligentiùs seruet, & à populo seruanda curet. Si id fecerit, promittit ei stabilem pontificatum, ac consequenter regimen populi: *hîc eum contestatur*, id est, tamquam testibus adhibitis, putà angelis ministris suis, ipsoq; Zacharia, vt sub attestatione iurisiurandi grauiter seipsum eum admonet.

CVSTODIAM MEAM] Hoc est, præcepta mea, præsertim cerimonialia, quæ spectant cultum Dei reuerq; sacrorum. hæc enim sunt iura Dei eaque custodia custodienda. Vide dicta Osee 4. 10. Adde ad custodiam regiam, putà ad milites pertinere, qui regem & aulã regiã custodiunt, quales fuere Heluetij. Simili enim modo Iesus pontifex cum suis sacerdotibus & Leuitis, quasi militibus orientibus, sed Ecclesiasticis, agebat custodiã templorum & sacrarum, & ipsius quasi Deiparæ illud Numer. 3. 25. *Habebunt excubias in tabernaculo fœderis*, &c.

ET TV QVOQVE IVDICABIS DOMVM MEAM] q.d. Si tu, Iesu, legem meam custodieris, ego vicissim custodiam tibi pontificatum, faciamque vtri cultus templi, imò in templo meo stabilis iudex, id est princeps & pontifex: hoc enim est domus Dei, in qua pontifex erat gubernator, imò princeps & quasi rex. Vnde Chald. vertit, *tu iudicabis eos qui in domo sanctuarij mei ministrant, & seruabis atria mea.* ita S. Hieronymus, Theodoret. Hugo & alij. Hinc consequenter e-

A ris iudex, id est, præses & princeps populi cum Zorobabele: nam post reditum è captiuitate, summa potestas & regimen Iudæorum fuit penes pontifices, vt docet Iosephus lib. 11. Antiq. c. 4. & patet in Iuda, Ionatha alijsque Machabæis, qui fuerunt summi principes, æquè ac pontifices Iudæorum vsque ad Herodem. Hinc per *domum* Dei potest accipi Synagoga, putà populus Israel. Sic de Mose ait Deus Num. 12. 7. *In omni domo mea* (putà in erigenda Synagoga, siue populo Dei) *fidelissimus est.*

ET CVSTODIES ATRIA MEA] q.d. Eris custos, id est præfectus templi: sicut enim rex est custos regni, ita pontifex Ecclesiæ; perinde ac Deus custos est hominum, vt ait S. Iob c. 7. 20. & totius vniuersi.

ET DABO TIBI AMBVLANTES DE HIS QVI NVNC
B HIC ASSISTVNT] q.d. Præter pontificatum quem iam promisi, dabo tibi aliquot ex angelis qui mihi assistunt, quorum circumualleris auxilio, & ab hostibus securus populum rectè regas, & ad salutem deducas: illi enim tecum ambulabunt, teque dirigent & protegent. ita S. Hieron. Hugo & Lyran.

Secundò, ex Hebræo cum Septuag. vertas, *Dabo tibi qui conuersentur in medio stantium istorum.* q.d. Dabo filios & nepotes tibi in pontificatu successuros, qui cælestem agant vitam, & familiares angelis, inter eos quasi conuersentur, iuxta illud Apostoli: *Nostra conuersatio in cælis est.* Et talis sanè esse debet vita sacerdotis & pontificis, vt quasi angelus emineat inter homines, inquit S. Chrysost. Tertiò, pro מְהַלְּכִים *mehallekim*, id est ambulantes, iam alijs punctis legunt
C מַהֲלָכִים *mahalekim*, id est viæ, transitus. Vnde Pagnin. vertit, *dabo vias inter stantes ipsos*; Tigurina, *tibi inter istos stantes transitus dabo.* tum vt inter angelos hosce mihi astantes conuerseris eorumque opem implores; tum vt per eos, eorumque patrocinio fultus ad thronum Dei accedas, precesque & vota pro populo offeras: tum denique vt post mortem angelorum consortio ascribaris, & inter eos glorioſus verseris & ambules. Vnde Chald. vertit, *in resurrectione mortuorum suscitabo te, pedesq; vel ces inter Seraphim istos ambulantes, tibi donabo.* Quæ sanè ingens est promissio æternæ felicitatis & beatæ resurrectionis, in qua paradiso cælesti inserti accedemus ad multorum millium angelorum frequentiã, vt ait Apost. Hebr. 12. 22. vnamque cum eis in superna Ierusalem societatem, & Ecclesiam triumphan-
D tem constituemus, in qua eminebunt sancti sacerdotes & pontifices, qui angelicè vixerunt, & angeli ac mediatores fuerunt inter Deum & homines in hac vita.

Sacerdos dabo tibi qui conuersentur in medio stantium istorum inter angelos versatur.

Minùs rectè Theodor. per eos *qui assistunt*, accipit sacerdotes, qui à Malachia cap. 2. v. 7. vocantur *angeli*. q.d. Dabo tibi posteros qui sint pontifices, & vt tales in medio sacerdotum aliorum ambulent & conseruentur. Nec enim sacerdotes in hac visione assistebant Michaeli, sed angeli.

8. Audi Iesu sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt: ecce enim ego adducam seruum meum Orientem.

9. Quia

9. Quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu : super lapidem vnum septem oculi sunt : ecce ego cælabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum : & auferam iniquitatem terræ illius in die vna.

10. In die illa, dicit Dominus exercituum, vocabit vir amicum suum subter vitem, & subter ficum.

VERS. 8. IV ET AMICI TVI, &c. QVIA VIRI PORTENDENTES SVNT] Hebr. אַנְשֵׁי מוֹפֵת *anſce mophet*, id est, *viri portenti*; Vatabl. *viri prodigiorum*. quod varie accipi potest: Primò, Septuag. vertunt τερατόσκοποι, id est, portentorum spectatores, qui scilicet portentosa facta & oracula Prophetarum speculentur & meditentur, inquit Theodor. Vbi aduerte, quales debeant esse domestici Pontificum, ait Mariana. Secundò, Pagnin. vertit, *quia viri ad facienda portenta sunt apti*; sicut Apostoli faciebant signa & prodigia multa in populo, Actor. 1. 43. Vnde Hebræi censent hîc denotari tres iuuenes, Danielis socios, Ananiam, Azariam & Misaelem, eosque vocari *viros portenti*, quia portentosè in igne Babylonio illæsi manserunt. Tertiò, Cyrill. q. d. Quia cupiunt videre & audire res portentosas, audiant portentum sæculorum, nimirum: *Ecce ego adduco seruum meum Orientem*, id est Messiam. Huc accedit Vatabl. Viri, inquit, prodigiorum sunt, id est, viri digni sunt in quorum conspectu fiant multa prodigia, & quibus fiant reuelationes de aduentu Christi; apti sunt qui eum prophetent & annuncient. Sunt ergo viri portendentes, id est, Prophetæ ipsius. Quartò, Arias, q. d. Viri portentosi, id est, eminentes sunt & admirabiles, qui cæteros homines sanctitate, dignitate, doctrina, factisque mirabilibus transcendunt. Tales enim debent esse sacerdotes & pontifices, præsertim Apostolici, nimirum rari & eximij vt portenta; tantæque sanctitatis, vt digni sint per quos Deus faciat portenta & miracula, vti fuerunt Apostoli eorumque sequaces. Vnde Syrus vertit, *viri admirationis sunt*; Arabicus Antioch. *viri admirabiles sunt*; Arabicus Alexand. *viri signorum sunt*, id est facientes signa. Quintò & genuinè, alludit Zacharias ad illud Isaiæ 8. 18 *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum Israel*. Et ad id quod Ezechieli c. 12. v. 5. ait Deus: *Portentum dedi te domui Israel*. q. d. Tu, ô Iesu pontifex, tuique amici Prophetæ, putà Aggæus, Zacharias, Malachias, Esdras, Nehemias, &c. estis portenta Israelis; quia & factis & oraculis estis admirabiles & portentosi: portenditis enim Christum, Christique vitam, doctrinam & Ecclesiam. Christus enim futurus est portentum portentorum, putà maximum omnium, quæ vmquam non tantùm ab hominibus & angelis, sed & ab ipso Deo patrata sunt : ipse enim erit Oriens, erit lapis septioculus cælatus sculpturis, &c. vt sequitur. In Christo enim non Propheta, non angelus, sed Deus ipse fecit se portentum sæculorum, quod suspiciunt & stupent angeli, homines & creaturæ vniuersæ. ita S. Hieron. Remig. Haymo & Hugo. Verbum enim caro factum, est opus omnium Dei operum maximè stupendum & admirabile, vtpotè in quo Deus non mundum, sed seipsum totum quantus quantus est dedit homini, hominumque se filium & fratrem effecit; ac consequenter hominem, & in homine creaturas omnes, quarum compendium, nexus & nodus est homo, ad sese eleuauit & deificauit. Ibi portentum fuit Dei omnipotentia, quæ limum, id est carnem, Verbo, hominem Deo, terram cælo arctissimè, imò hypostaticè, coniunxit. Ibi ostentui fuit Dei sapientia, iustitia & misericordia, quæ culpam nostram condigna castigatione vindicauit & expiauit in morte filij sui incarnati : ibi præ cæteris Dei attributis apparuit portentosa Dei charitas, qua vt ait S. Iohannes c. 3. v. 16. *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*. Hoc portentum admirans Isaias exclamat c. 7. *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*. Et Ierem. c. 31. 22. *Creauit Dominus nouum super terram: Femina circumdabit virum*. Insuper Christus portentum fuit in incarnatione, portentum in natiuitate, portentum in vita, portentum in morte, portentum in resurrectione, portentum in ascensione, portentum in miraculis, portentum in doctrina, portentum in gratia, portentum in gloria, portentum in tempore, portentum in æternitate. Quid enim mundo portentosius, quàm audire illa à Christo: *Beati pauperes spiritu: Beati qui lugent: Beati qui esuriunt & sitiunt: Beati qui persecutionem patiuntur: Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos. Si quis renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me: Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*? Lucæ 14. Vide dicta Isaiæ c. 8. 18.

Porrò Iesus filius Iosedec fuit portentosa figuratus & portendens Christum. Primò ipso nomine: Christi enim nomen pariter fuit Iesus. Secundò, sanctitate, officio & dignitate. Sacerdotio pontificatu repræsentauit sacerdotium & pontificatum Christi. Tertiò, vestibus sordidis repræsentauit dolores & sordes Christi in cruce, aqua ac vestibus mutatorijs Christi gloriã in resurrectione, vt dixi v. 3. & 4. Quartò, sicut Iesus Iudæos è Babylone in Ierusalẽ, ita Christus omnes gentes è confusione peccati in Dei gratiam gloriã, & in ipsum cælum adduxit. Quintò sicut Iesus reædificauit templum, ita Christus Ecclesiam veterem per nouã instaurauit. ita S. Hieron. Tertul. Ambros. Origen. & alij quos citat v. 1.

Tropolog. Sacerdotes & Prælati, quales fuit Iesus, debent esse heroes, ac portenta sanctitatis, sapientiæ & prudentiæ; vt vita tranquilla, sancta & eximia, æquè ac doctrina, portendant beatitudinem & vitam cælestem. Sic Daniel fuit portentum persecutionum & patientiæ. Vnde ipse ait psalm. 70. v. 7. *Tanquam prodigium factus sum multis*. Imò tales deberent esse omnes sacerdotes, Religiosi, cunctique fideles, vt docet S. Augustin. tract. de Vita Christiana tom. 9. *Tales, ait, conuenit esse Dei cultores & seruos, mansuetos, graues, prudentes, pios, irreprehensibiles, immaculatos, vt quisquis viderit eos, stupeat & admiretur, & dicat: Ut homines sunt diij, quorum talis est conuersatio. Ita se homo Dei exhibere debet, vt nemo sit qui videre non velit, qui eã audire non desideret: nemo eum viderit, non Dei esse filium credat, nemo*

prophetícum illud impleatur: Fauces plenæ dulcedinis, & omne desiderabile.

ECCE ENIM EGO ADDVCAM (in carnem, in Iudæam, & in hoccè tuum, ô Iesu fili Ioſedec, tē-plum) SERVVM MEVM ORIENTEM] Syrus, *seruum meum ortum*, putà Meſſiam, cuius tu, ô Ieſu, tuique amici eſtis portenta, & *viri* eum *portendentes*.

Nota. Pro *Orientem* hebr. eſt צֶמַח *tſemach*, id eſt germen, ſurculus, qui pullulat & oritur è terra, vel ex arbore aut frutice. Alludit ad Iſaiæ 4.2. *In die illa erit germen*, hebr. *tſemach Domini in magnificentia*. Et c.11.1. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet: & requieſcet super eum ſpiritus Domini*. Et cap.45.8. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet ſaluatorem*. Et c.53.1. *Aſcendet ſicut virgultum coram eo: & ſicut radix de terra ſitienti*. Et Ierem.33.15. *In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Dauid germen*, hebr. *tſemach, iuſtitiæ. & faciet iudicium & iuſtitiam in terra*. Vbi Chald. rectè hic, pro *germen* vertit, *Meſſiam*: ſolent enim Prophetæ poſteriores alludere ad priores. Septuag. vertit, ἀνατολήν, id eſt ortus, vel oriens, ſcilicet non tam ſol, quàm germen: hoc enim ſignificat *tſemach*.

Quæres cur Chriſtus vocatur *tſemach*, id eſt ſurculus, vel germen? Reſp. Primò, quia *tſemach* per metathefin idem eſt quod מָשִׁיחַ *Maſciach*, id eſt Meſſias. Licèt enim in *Maſciach* ſit littera *ſamach*, in *tſemach* verò *tſade*, tamen hæc illi eſt affinis vtraque enim valet Latinum *ſ*. vnde ab Interpretibus vertitur per *ſ*. Secundò, quia Chriſtus è Virgine natus eſt obūbrante Spiritu ſancto, ſicut germen è terra pullulat irrorante rore, vel pluuia cæleſti, ſine maris concurſu. Tertiò, quia arbor Ieſſe, id eſt, ſtirps regia Dauidis, tempore Herodis ſuccisa erat vſque ad radices & truncum, ac videbatur emortua; ſed Chriſtus quaſi germē ex ea ſuppullulans & oriens, eam reſtituit. Nā parvulum hoc germen in arborem excreuit, quæ omnes Gentes ſub ſe complectens, toti orbi dominatur. Chriſtus ergo ſtirpem, æquè ac regnum Dauidis collapſum inſtaurauit: regnum, inquā, non temporale, ſed ſpirituale & æternum. Hoc eſt quod Gabriel Chriſti ortum prænuncians, dixit Virgini Deiparæ: *Dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*, Lucæ 1.32. Quartò, germen ſignificat paruitatem, infantiam, humilitatem Chriſti naſcentis, quæ deinde creuit in tantum corpus, quantum eſt Eccleſia vniuerſa, iuxta parabolam grani ſinapis Matth.13.v.31. Quintò, *ortus* ſignificat Chriſtum à ſui ortu, & à primo conceptionis inſtanti per gratiam tum vnionis hypoſtaticæ, tum habitualem, fuiſſe conſecratum & vnctum Deo, iuxta illud Iſaiæ 49.1. *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei*. ita S. Ambroſ. lib.5. de Fide c.3. Huc alludit Zacharias pater Iohannis Baptiſtæ Lucæ 1.78. dum canit: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto*. Vbi pro *Oriens* græcè eſt ἀνατολή, vti hic Hebræum *tſemach* vertunt Septuag.

Vbi Nota. Chriſtus vocatur ἀνατολή, id eſt *Oriens* ſubſtantiuè, quæ Græca vox, licèt de ortu cuiuscumque germinum & herbarum dici poſſit, teſte Suida, tamen propriè dicitur de ortu ſolis, lunæ & ſtellarum. Chriſtus ergo eſt *tſemach*, id eſt

A germen; ſed germen ſolare & cæleſte, ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, id eſt, oriens ex alto, ad illuminandum eos qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent, vti ſubdit Zacharias: vnde Arabicus vertit, *ecce ego aſcendere faciam ſupra ſeruum meum illuſtrationes*. quaſi dicat, Chriſtus eſt *tſemach*, id eſt, germen ſolare, & ſol germinans in paradiſo primò cæleſti, deinde terreſtri: Chriſtus enim eſt germen tum cæleſte, tum terreſtre; habet enim duas generationes. Primò, diuinam, iuxta quam eſt germen Patris æterni, & quaſi *flos mentium*, inquit Proclus ex Chaldaicis myſterijs: Secundò, humanam, iuxta quam eſt germen matris virginis, & Dauidis. Et ſic Chriſtus quaſi alter Melchiſedec, in cælo eſt ἀμήτωρ, in terra ἀπάτωρ. Vnde S. Ambroſ. lib.1. epiſt.8. *Ecce ego mittam ſeruum meum, Oriens nomen eſt ei. Numquid quia habebat veſtimenta ſordida, ideo fulgorem diuinitatis ſuæ ſol iuſtitiæ non habebat?* Itaque Chriſtus primùm in cælo fuit, ſol germinans, & oriens ſumma claritate & gloria, deinde è cælo in terram deſcendens, in ea germinare & naſci cœpit. Chriſtus enim eſt arbor vitæ, ex cæleſti paradiſo trāſplantata in terram per incarnationem, inde rurſum aſcendens in cælum & paradiſum Beatorum, viſione ſua & fruitione dat Sanctis vitam, immortalitatem & felicitatem per lumen gloriæ, ſuiſq; ſolijs & fructibus omnis voluptatis eos in æternum continuè mulcet & ſatiat, vti dixi Apoc.22. 2. Quocirca vterque Zacharias Chriſtum vocat ſolem germinantem, & orientem: quia Chriſtus lucem, lætitiam, fœcunditatem, vitam, gratiam, gloriam, omniaque bona orbi attulit, quaſi ſol iuſtitiæ præfulgens Eccleſiæ. Sic Pompeius ſe B iam inclareſcentem vocabat ſolem orientem, Cinnam verò æmulum ſuum prolabentem vocabat ſolem occidentem, teſte Plutarcho in eius vita. Hinc Clem. Alex. Adhortat. ad Gentes: *Fiat*, inquit, *omnia lux, quæ ſopiri non poteſt: & occaſus credidit Orienti, aquèè illuſtratus luce fidei, ac ipſe Oriens. Omnia enim obequitat ſol iuſtitiæ. Is Occaſum traduxit in Orientem, fecit aquè ſplendentē, vtpote in quo non occiderit lux fidei, imò orta fuerit*. Ita per *tſemach*, id eſt, germen oriens, intelligunt Chriſtum Chald. S. Hieron. Cyrill. Remig. Rupert. Albertus, Hugo, Lyran. Vatablus, Emmanuel, Mariana & alij paſſim. Perperam ergo Rabbini. Theodor. & Euſeb. 4. Demōſt. c. vlt. per *tſemach*, C id eſt germen, accipiunt Zorobabel. Hic enim non erat germen, id eſt puer, ſed vir, eratq; præſens. Vnde de eo falsò dicitur: *Adducam ſeruum meum Orientem*: nec Zorobabel fuit lapis ſeptem oculos habēs, cælatus ſculpturis, &c. vt ſequitur.

Tropol. S. Athanaſ. tract. de Sabbato & circumciſione: *Soli inſtar*, inquit, *Deus exoritur, illuſtrans vniuſcuiuſq; animum. Quocirca & in ſalutifera paſſione non apparuit ſol, indicans finem prioris creaturæ adeſſe, & principiū alterius ſuperuenire, quæ diluculum ſuum & exortum in Saluatore conſecuta eſt. Hanc cùm vidiſſet Propheta, ita locutus eſt: Ecce vir Oriens illi cognomen; ac rurſum, Vobis timentibus eū exoritur ſol iuſtitiæ. Non enim omnium hæc dies eſt, ſed eorum qui mortui ſunt peccato, & viuunt Deo.*

QVIA ECCE LAPIS QVEM DEDI CORAM IESV] Zacharias paulò antè Chriſtum vocauit *germen oriens*, hîc alia metaphora vocat eum *lapidem*: quia alluſit ad fabricā templi, quæ à Ieſu pontifice facta eſt ex lapidibus. Hi enim lapides re- VERS. 9.

præsentarunt Christum, qui est lapis angularis & fundamentalis in fabrica Ecclesiæ. Alludit ad Isaiæ 28.16. *Ecce ego mitto in Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* ita S. Hieron. Haymo, Remig. Albertus & Lyranus. Hunc lapidem dedit Iesus *coram Iesu*, id est, per visionem Deus ostendit Iesu filio Iosedec lapidem fundamentalem templi, eique reuelauit per illum repræsentari Christum, qui futurus erat lapis angularis Ecclesiæ. ita Lyran. Hugo, Vatabl. Clarius & alij. Sic enim explicat se Zacharias c. 6. 12. vbi cùm dixisset: *Ecce vir Oriens nomen eius*; subiicit: *Et subter eum orietur, & ædificabit templum Domino.* Simili enim modo hîc cùm dixisset: *Ecce adducam seruum meum Orientem*; subdit, *Ecce lapis*, &c. cui scilicet ipse suam inædificabit Ecclesiam.

Septem oculi lapidis quales sint. Resp. Primò

SVPER LAPIDEM VNVM SEPTEM OCVLI SVNT] Quæritur Primò, an hi oculi lapidi inciſi, vel affixi fuerint; an verò à lapide separati, sed in lapidem respicientes & intenti. Separatos fuisse & in lapidem prospectantes, censent Lyranus, Vatablus, Fernandez, Sanchez & alij: Quia, inquiunt, significant angelos in fabricam templi & Ecclesiæ, ideoque in lapidem, id est Christum, intentos, vt quæcunque ille iusserit, promptè exequantur. Aut, vt Clarius & Arias, quia hi oculi significant vigilantissimam Dei prouidentiam & curam erga Christum, vt eum quasi lapidem affabrè cælet, poliat, & in fundamento Ecclesiæ angularem aptè constituat & conseruet. Aut, vt alij, significant omnium angelorũ & hominum, præsertim Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Doctorũ, Martyrum, Virginum & Sanctorum illustrium oculos intentos esse in Christum: quia ab eo gratiam, salutẽ & omne bonũ expectãt.

Secundò

Verùm concinniùs & congruentiùs alij censent, oculos hos fuisse lapidi affixos, vel inciſos. Primò, quia dicuntur fuisse *super lapidem vnum.* Si enim fuissent extrinseci & intenti tantùm in lapidem, dixisset, *Versùs lapidem vnum.* Secundò, quia hi oculi sunt lapidis, id est Christi, per quos ipse circumspicit, lustrat, protegit, curat, promouet totam Ecclesiæ fabricam: licèt enim id faciat per angelos à se separatos, tamen quia hi angeli sunt quasi oculi Christi, hinc quasi oculi in eius corpore infigi & pingi debent. Tertiò, quia huc alludens S. Iohannes Apocal. 5. 6. vidit *agnum* (id est Christum) *stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Sicut ergo cornua septem erant agno affixa, ita & oculi septem: ergo & hîc oculi septem lapidi, id est Christo, fuerunt affixi. Quartò, quia pari modo Cherubini Ezech. c. 1. 18. & Iohannis Apocal. 4. 8. pleni erant oculis; nec tantùm ipsi, sed & rotæ currus cherubici; vt patet Ezech. 1. 18. quia repræsentant diuinæ prouidentiæ actionem, & executionem attentissimam & oculatissimam. Vide ibi dicta. ita S. Hieron. Haymo, Remig. & alij. Porrò quales fuerint hi oculi, & qualiter in lapide concipiendi sint, explicat noster Mariana in hunc locum: In lapide, inquit, fundamenti solent excauari sigilla, quibus includuntur fistulæ auri & argenti, perpetuitatis argumento. Ea sigilla vocantur oculi, tum quia erant concaua, tum quia habebant speciem & formam oculorum. Aliter Prado proœm. in Ezech. sect. 7. Septem oculi, ait, sunt totidem stellæ cælatæ. Mundus enim est quasi homo magnus, cuius facies est cælum, quæ stellis quasi oculis distinguitur, illuminatur & exornatur. Verùm stellæ non sunt oculi, nisi mystici & hieroglyphici.

Quæres Secundò, quidnam hi septem oculi significant? Primò, aliqui censent oculos hosce fuisse rimas lapidis, quasi dicat, Ne putetis hunc lapidem ob rimas, fabricæ templi inutilem, ecce ego eas affabrè cælabo, vt fabricæ decus, non dedecus afferant. Secundò, Hugo censet septem oculos, significare architectorum & latomorum industriam & vigilantiam, qua septem quasi oculis, id est, summa attentione & cura, attendebant fabricæ templi Zorobabelis, vt illa esset elegans & omni ex parte accurata. Verùm etsi eò alludat Propheta, longè tamen maiora & sublimiora spectat.

Dico ergo, hosce septem oculos significare plenam & perfectam Christi prouidentiam & vigilantiam circa templi, id est, Ecclesiæ suæ, fabricam erigendam, augendam, promouendam & conseruandam, quam exercet per septem angelos primarios, qui aulæ suæ sunt quasi principes, ideoque præfecti tum cæteris angelis hominum custodibus, tum ipsis hominibus totique Ecclesiæ & orbi. Id ita esse patet ex c. 4. 10. vbi ait Zacharias: *Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.* Et Apocal. 5. 6. *Agnus habebat oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* Et Tob. 12. 15. *Ego*, inquit, *sum Raphael, vnus ex septem qui astamus ante Dominum.* Et Apocal. 1. 4. S. Iohannes pacem apprecatur septem Ecclesiis *à septem spiritibus qui in conspectu throni sunt*, vbi fusè de hisce septem angelis egi. Porrò angeli vocantur oculi, quia sunt puræ mentes, perspicacissimæ & vigilantissimæ: vnde & intelligentiæ nuncupantur. Simili modo Ægyptij pingebant Osirim Deum suum, quasi oculum sceptro insistentem: sceptro eius imperium & gubernationem, oculo eius prouidentiam & vigilantiam significarent. ita Macrob. 1. c. 21. & Plutarch. lib. de Iside & Osiride. Sic Tertull. libr. de Trinit. Deum totum oculum dixit, qui totus videt. Et alibi Deum oculum ait somni expertem, quoniam est ipsa lux, quæ ad omnia excubat. Quin & Diphilus apud Gellium lib. 14. c. 4. *Est*, inquit, *qui tamen cuncta iustitiæ oculus*; adeoque veteres Deum vocarunt *mundi oculum.* Denique Pausanias in Corinth. scribit, statuam Iouis in subdiali ara, ad quam Priamus capta Troia confugit, tribus oculis fuisse insignem; ijs verò significabatur triplex Dei prouidentia, qua cælestia, marina & inferna curat, ait Pierius hierogl. 33. c. 15. Sensus ergo est, q. d. Hic lapis quem tibi ostendo, ô Zacharia, putà Christus, qui est lapis angularis Ecclesiæ, non erit inanimis & insensibilis, sed viuus, oculatus, vigil & acer, qui sua oculatissima prouidentia per septem angelos totam Ecclesiæ fabricam lustrabit, diriget, promouebit, omnibusque eius partibus & membris de omnibus requisitis prouidebit abundè. Sic Persarum reges habebant principes, qui vocabantur oculi regis: & alios, qui *aures regis* dicebantur, teste Hesychio & Suida in voce ὀφθαλμὸς βασιλέως. Et fortè id alludit hic Zacharias: nam reges Persarum habebant septem aulæ principes,

hos

sem Deus habet septem angelos principes mundi. Vnde Scriptura eorum vix facit mentionem, etiamsi quam Iudæi redierunt è captiuitate, vbi soles viderant in aula Cyri & Darij, vti dixi in Comment. Apocal. 1. quem proximè Deo dant. selon.

Tropol. Septem oculi sunt septem dona Spiritus sancti, quæ plenissimè fuerunt in anima Christi, quia hæc animam eius oculatam, illuminatam ac vigilantem reddunt, ita S. Hieron. Remig. Rupert. Emmanuel & alij. Alludit ad ocellatas quas phrygiones operi suo, putà vesti Phrygiæ intexunt, vt sit ocellatum & elegans instar caudæ pauonis. q.d. Christus instar lapidis septē ocellis gliti, omnibus donis, gratijs & virtutibus, quasi ocellis diuinis cælabitur & exornabitur.

Addit S. Gregor. lib. 29. Moral. 16. *Super lapidem vnum septem oculi sunt. Huic enim lapidi* (Christo) *septem oculos habere, est simul omnem virtutem Spiritus Sancti in operatione retinere. Alius namque prophetiam, alius scientiam, alius virtutum gratia linguarum, alius interpretationes sermonum in sua distributionem Spiritus sancti accipit: ad hæc verò cuncta eiusdem Spiritus munera nemo pertingit. At verò conditor noster infirma nostra sciens, quia per diuinitatis suæ potentiam simul se habere omnes Spiritus sancti virtutes edocuit, micantes procul dubio pleiades iunxit.*

Allegor. à Castro: Christi corpus, inquit, in cruce instar lapidis septem oculis incisi, multis vulneribus, vibicibus & vulneribus quasi ocellis exhibitur, & pulcherrima varietate distinguetur, vt hi oculi sint cælatura, de qua subdit: *Ego edidi sculpturam eius.*

Symbolicè ex Zacharia, vti & ex Apocalypsi, Ecclesia Romana accepit multos ritus & cæremonias, indeque similia symbola rerum sacrarū in suos Ecclesiasticis mutuata est. Ita ex hoc loco accepisse videtur olim septem Cardinales diaconos, quos S. Clemens epist. 1. ad S. Iacobū, erat enim *Episcopi*; & totidem Cardinales Episcopos in Lateranensi Ecclesia, cuius Episcopus proprius & verus est Pontifex Romanus. In ea enim est sedes & cathedra Episcopatus Romani, ibique nouus Pontifex eius, ac consequenter pastor totius Ecclesiæ, qui Episcopatui Romano annexus est, possessionem capere solet. Quocirca ita de ea scribit B. Petrus Damiani lib. 1. epist. 2. ad S. R. E. Episcopos Cardinales: *Ecclesia Romana excellentioribus præ cæteris totius orbis Ecclesiis nitetur priuilegiis; sed & mysticis etiam institutis atque dispositis non ambigitur sacramentis. Nā vt de cæteris pauca perstringā, Lateranensis Ecclesia sicut habet insignita est vocabulo, qui nimirū caput est omnium cæterarum; ita mater, & quodā apex & vertex est omnium per orbem Ecclesiarum. Hæc septem Cardinales habet Episcopos, quibus solis post Apostolicum Sanctū illud altare licet accedere, ac diuinis ibi mysteria celebrare. In quo nimirū illud Zachariæ euidenter datur euidenter oraculum: Ecce, inquit, lapis quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt. Lapis autem iste procul dubio illa petra est, in qua vnus Iesus Petro pollicetur dicens: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Septem ergo oculos habet hic petra, quia totidem S. Spiritus donis sancta præfulget Ecclesia, quibus nimirum velut candelarum aureum inextinguibiliter rutilans ignorantiæ tenebras effugat, & ad contemplandum iustitiæ solem*

Cornel. in Proph. Min.

A *hominum mentes illustrat. De quo idem Propheta cap. 4. Vidi, ait, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud. Quod vtique sacramentum & B. Iohannes in Apocal. se didicisse non tacuit; cui dictum est: Mysterium septem stellarum quas vidisti in dextera mea, & septem candelabra aurea. Septem stellæ, angeli sunt septem Ecclesiarum, & candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt.* Septenarius enim est symbolum vniuersitatis. Septem ergo Ecclesiæ sunt omnes Ecclesiæ, quas in se quasi in matrice continet Ecclesia Lateranensis & Romana, quæ omniū est princeps & regina, vti ait idem Damianus. Vnde & subdit: *Nos itaque fratres mei, vt & me vobis audenter interseram* (fuit enim & ipse Cardinalis ac Episcopus Ostiensis, qui inter Cardinales est primus, ac solet consecrare Romanum Pōtificem)

B *nos, inquam, qui tanquam septem sumus oculi super lapidem vnum, qui stellarum portamus imaginem, qui angelorum tenemus per annunciationis officium dignitatem, videamus, splendeamus, & per verba vitæ populu non solùm vocibus, sed & moribus nunciemus sermonē. Siquidem prædicantium linguā quidē nunciat, sed vita commendat. Apostolus ait: Qui Episcopatum desiderat, non bonam dignitatem, non vonum honorem, sed bonum opus desiderat; ac si dicat: Qui ad episcopatum anhelat possidendum sine bono opere, ima ne vult nomen induere sine rei ipsius veritate. Nō ergo constat episcopatus in turritis gibellinorum transmarinarúmue serarum pileis, non in flammantibus martorum submentalibus rosis, non in bracteatis circumfluentium phaleris, non denique in glomeratis constipantium militum cuneis, neque in frementibus ac spumantia frena mandentibus equis; sed in honestate morum, & sanctarum exercitatione virtutum.* Et infe-

C *riùs: Vos ergo dilectissimi, quibus prava datum est ex Apostolicæ Sedis auctoritate corrigere, vosmetipsos cæteris non modò fidelibus, sed & sacerdotibus quādam viuendi regulam exhibere. In vita vestra legatur quid agi, quid vitari conueniat: ex labiis nostris verba otiosa non effluant, sacerdotalem linguam discreti silentij censura compescat: non ioci soluant, non pectus nostrū immoderata latitia concutiat. Puerilis ludus abscedat; mordax eloquentia, vrbana dicacitas euanescat. Quomodo enim ex ore sacerdotis oratio ad Deum mūda dirigitur, quæ prauis sermonis sordibus inquinatur?* Et in fine: *Vos estis sal terræ, vos non modò sacerdotes, sed & sacerdotum decet esse magistros. Necesse est vt vita vestra quadam sit linea, & velut adamātis signaculum, quod cæteris vinendi adhibeat formam. Adamantinum quippe sigillum suā cæteris imprimit,*

D *a nullis verò metallis imaginem sumit. Cùm ergo ex diuersis mundi partibus aduentantium vobis ingruit multitudo, cùm morigerari sibi quisque vos importunè compellunt, vultus vester semper idem, sic festiua quadam serenitate respondeat, ne in aliquo puerilis leuitas erūpat: sit grauitas hilaris, & grauis hilaritas.*

Episcopatus in quo consistat.

Vita Cardinalium qualis esse debeat.

EGO CÆLABO] Hebr. *ecce ego aperiam aperturā eius*: quod Primò, Chald. explicat: *Ecce ego visionē eius reuelo*: q.d. Ego tibi, ô Zacharia, hanc visionem lapidis mystici ostendo, eiusq; significationem de Christo reuelo. Verùm Hebræa phrasis id non patitur: nam aperire aperturam Hebræis idem est, quod sculpere sculpturam, vel cælare cælaturam, vti vertunt Septuag. Aquila, Symmach. Theodot. Noster, Pagnin. Vatablus, & alij passim. In sculptura enim sculptor aperit & eradit partes aliquas, vel in longum, facitque strias;

vel in rotundum, vel in quadrum, alijsque mille modis, vt sculpat flores, aues, poma, aut quod ei libuerit. A

Secundò, Rabbini, & ex ijs Hugo hæc intelligunt de cælatura templi Zorobabelis. q.d. Ego perficiam templum hoc; illudque eleganti cælatura forinsecus exornabo; aut cælum, id est, fornicem cælatam illi inducam: perfecta enim fabrica solet cælari & cælaturis exornari. Verùm esto eò alludat Propheta, tamen altiora spectat de Christo.

Lapis cælatus est Christus.

Dico ergo, lapidem cælatum esse Christum, eiusque cælaturas vocari vel septem oculos in eo cælatos, vt nonnulli volunt; vel potiùs ipsa ædificantis stemmata in primo fabricæ lapide cælata. Nam cælaturas has ab oculis esse diuersas, liquet ex antitypo: oculi enim angelos; cælaturæ, dona & stigmata Christi repræsentant, vti mox declarabo. Alludit ad primum templi vel fabricæ lapidem, quem architecti cum solemnitate & pompa in fundamentis ponunt, itaque fabricam inchoant. Vnde lapis ille primus solet insignibus principis, qui fabricæ est auctor, insculpi: ita Christo, quasi lapidi primo Ecclesiæ, Deus sua insignia & stemmata insculpsit; Primò, in eius incarnatione, in qua Spiritus sanctus Christi corpus & animam tanta perfectione elaborauit, vt humanitas illa à Deo elegantissimè tornata & cælata videretur. Insuper eamdem ornauit & cælauit omni sapientia, virtute, gratia & gloria, quasi cælum quoddam diuinum sole, luna & stellis pulcherrimis cælatum & distinctum. Denique per gratiam vnionis hypostaticæ ita eam Verbo adaptauit, vt videretur humanitas esse quasi gemma politissimè cælata, & adaptata annulo aureo diuinitatis Verbi. Audi S. Irenæum lib. 3 c. 28. *Hic lapis è terra & ex virtute & arte cõstat Dei: significat autem in terra virgine ortum, sed virtute Spiritus sancti artificiosè calatum.* ita quoque Lyran. Dionys. & alij Nam Spiritus sanctus ita affabrè humanitatem diuinitati vniuit, inseruit & quasi cælauit, vt inter naturam diuinã & humanam summa sit vnio in Verbo, ac per vnionem mutua intimaque earumdem sit complexio, seu περιχώρησις, vt ait Damascen. l. 3. c. 8. Et tamen Verbum ipsum nullam ad humanam naturam contraxit habitudinem, nullum ordinem, nullam inclinationem. Infinita enim illa vis hypostatica sufficit, vt se ad illam extrinsecus attractam & velut insertam, absque vlla sui mutatione velut terminus & basis hypostatica extendat, eamque insolubili & substantiali nexu sibi intimè astringat & copulet: perinde ac intellectio diuina propter suam infinitam intelligendi vim, sese extendit ad futura contingentia, eaq; attingit & præuidet; atque volitio diuina propter infinitam volendi vim, sese extendit ad omnia existentia quorum ipsa est causa, absque accessione alicuius habitudinis realis ad illa: nullam enim ad illa relationem realem acquirit vel contrahit intellectus aut voluntas Dei. B C D

Primò, in incarnatione.

Secundò, in passione.

Secundò & plenius, Christus quasi lapis cælatus fuit in passione, tum clauis, spinis & flagellis actiuè; tum vulneribus, plagis & vibicibus passiuè, quibus totum corpus suum fodi & aperiri voluit, vt immensam suam in nos charitatem intus latentem per has quasi rimas ostenderet & effunderet, iuxta illud:

Cernis vt in toto corpore sculptus amor.

Vnde Hebr. habent ad verbum, *ecce ego aperiam aperturam eius*; Syrus & Arabicus Antioch. *ecce ego aperiam portas eius*: portæ enim corporis & cordis Christi, sunt eius plagæ & vulnera; Arabicus Alexand. *ego coaptans eos*, scilicet septem lapidis oculos; Septuag. *ecce ego fodio foueam.* Hæc enim passionum cælaturis expolita fuit Christi patientia, obedientia, charitas, fortitudo, cæteraque virtutes diuinæ, itaque perfecta Dei imago in ipso cælata apparuit: ac proinde lapidi huic, rupique tot plagis excauatæ, & quasi stemmatibus regni sui insculptæ & decoratæ, Deus Ecclesiam suam inædificauit, quando per eum abstulit iniquitatem orbis, vt sequitur. ita S. Hieron. Remig. Haymo, Rupert. Vatabl. & Clarius. Perperam ergo Theodor. per foueam hanc accipit stragem & sepulturam Gog & Magog. *Hæc*, inquit, *de Gog & Magog prædixit, quibus in vna die perniciem attulit, & omnes pariter ad internecionem deduxit, quam per translationem & comparationem foueam appellauit.* Gog enim & Magog venturi sunt tempore Antichristi, & cædendi in fine mundi, vti dixi Ezech. 38.

Tropol. hæc Christi nascẽtis & patientis sculptura repræsentat cælaturam & ornatum animæ, virtutibus & donis omnibus insculptæ, ac per cruces & patientiam incisæ & expolitæ, cuius est prototypum & exemplar. Vis ergo, ô Christiane, in anima tua sculpere imaginem elegantissimam & diuinam obedientiæ, humilitatis, tolerantiæ, constãtiæ, amoris & perfectionis Christianæ? inspice & fac secundùm exemplar quod tibi in monte Caluariæ à Christo monstratũ est. Deus in creatione & generatione tua suam tibi imaginem & similitudinem impressit & insculpsit, Genes. 1. 27. eamque peccato deformatã per Christũ in baptismo & iustificatione reformauit, tu eam per eius gratiam cæla, expoli & perfice. Si modum nescis, docebit te Christus: inspice eius cælaturam in cruce. Inuadit te inopibus, paupertas, damna fortunarũ, sustine: exemplo Christi, ac dicito: Non mea voluntas, sed tua fiat. Inuadit te hostis, æmulus, detractor, calumniator, spargit de te quæ numquam cogitasti, sustine, noli per indignationem inferre maculam imagini tuæ, noli cælaturam patientiæ tuæ per impatientiam maculare. Gradu tuo dejeceris, deprimeris, negligeris; æmuli tui attolluntur, te despiciunt, tibi insultant: sustine, hæc & maiora pro te sustinuit Christus Dei filius, cùm à Iudæis irrisus, conspútus, flagellatus, & quasi latro in crucem actus est. Imperat Superior arduam, periculosam, alacriter eam capesse, inquere Christum, qui factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Si renitens, excutis, excusas, vide quàm longè abes à cælatura obedientiæ Christi. In docendo, concionando, confessiones audiendo, pagos circumcurrendo, rusticos, rudes & pauperes docendo, fatigationes & dolores: eia athleta Christi, eius amore omnia transcende & supera: ille pariter pauperes euangelizauit, vicos & pagos prædicando perlustrauit, fatigatus est, sudauit, æstuauit & obiit. Illius adinstar sculpe hosce dolores & labores modicos, & modici temporis in anima tua, *cæla in ea calum & solem charitatis: pinge & sculpe æternitati.* Audies breui quod ille tertio die re-

A

B

C

stringens audiuit: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.* Ita ad exemplar Christi pingis & cælauit animam suam, æquè ac corpus, S. Paulus dicens: *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, Galat. 6. 17. Ita pinxerunt S. Andream tuum amore crucis, S. Ignatius prouocationes, S. Laurentius in craticula delicians, S. Vincentius Diuciani tormenta irridens, S. Agnes contra tyrannos, ignes, procos ad mortem vsque decertans & triumphans. Ita pinxerunt omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, Martyres, Anachoretæ, Doctores, Confessores, Virgines Sanctique omnes. Hos tu sequere, pictores hos imitare, hos cælatores adæqua, vel æquis passibus consectare, vt pingas imaginem, vt cælis cælaturam, in cælo per cuncta sæcula ad Dei gloriam tuumque decus, coram angelis Sanctisque omnibus perennaturam. Quod enim momentaneum est & leue tribulationis, humiliationis, mortificationis nostræ, æternum gloriæ pondus operabitur in nobis, idque breui & quasi post momentum.

Tunsionibus, pressuris expoliti lapides
Eo rectius aptantur locis, per manus artificis,
Dolentur permansuri sacris ædificiis.

Cælum inquit Varro lib. 4. dictum est quòd cælatum, id est signatum, sideribus sit: multò magis cælum empyreum cælatum est gemmis, floribus, fructibus, vti describit S. Iohannes Apoc. 21. & 22. Cælum est anima tua, si sancta sit: illam ergo cæla patientia, obedientia, humilitate, omnique virtute, vt in cælo empyreo cælari, imò illud cælare & ornare mereatur.

ET AVFERAM INIQVITATEM TERRÆ ILLIVS, quæ Iudææ, in qua primi fideles conuersi ad fidem & gratiam vi sanguinis Christi, illi quasi lapidi cælato & fundamentali inædificati sunt: IN DIE VNA] qua scilicet ipse cælatus, id est, passus & mortuus, pro omni iniquitate Deo satisfecit, eamque quantum in se est aboleuit, æquè ac veteres victimas vetusque sacerdotium, quod maculas animæ expiare non poterat. ita S. Hieron. Remig. & Haymo. Meminit Iudææ præ alijs Gentibus, quia Iudæis promissus erat Christus, & quia Iudæis prophetabat Zacharias. Vnde eos iam Babylone redeuntes & afflictos, promissione Messiæ consolatur: post Iudæos tamen iniquitas totius orbis per Apostolos ex mentibus credentium ablata est.

VOCABIT VIR AMICVM SVBTER VITEM, ET SVBTER FICVM] q. d. Christus sua passione non tantùm auferet iniquitatem, sed & afferet pacē, bonorum affluentiam, delicias, æquè ac amicitiā & rerum communicationē, adeò vt omnia inter Christianos communia futura sint, & ex eadem vite eademq; ficu simul fructus carpāt, & securè hilariterque se inuicem inuitent & conuiuētur, idque tum corporaliter, tum potiùs spiritualiter. Hanc enim pacem & opulentiam significat hęc phrasis & parœmia Hebraica, vt patet 3. Reg. 4. 25. vbi dicitur vnusquisque habitasse sub vite & ficu sua cunctis diebus Salomonis, q. d. Plena fuit pax & rerum copia sub Salomonis imperio. VERS. 10.

Porrò Christus non tantùm attulit pacem & opes spirituales, sed & temporales. Lex enim Christi præcipit charitatem, condonationem iniuriarum, patientiam, amorem inimicorum, &c. quæ omnia pacem temporalem, indeque temporalium affluentiam pariunt, vti ostendi Isaiæ 2. 4. Sic in primitiua Ecclesia Christiani omnia habebant communia, Actor. 4. 32.

Mysticè, vitis & ficus, non huius vel illius in particulari, sed absolutè fidelium omnium est Christus, eiusque passio, Euangelium, Sacramenta, gratiæ, consolationes, omniaque bona, quæ quasi sapidissimas ficus & vuas ex Christo, quasi ex ficu & vice affatim decerpimus, in quibus Christiani deliciantur & nectare cælesti, præsertim in Eucharistia, inebriantur, de quo plura c. 9. 17. ita S. Hieron. & Remig. Porrò conditiones vitis applicui Christo Ezech. 15. 1. & ficus Ierem. 24. 2. *Mysticè vitis & ficus nostra est Christus.*

Quare perperam Rabbini hanc felicitatem Iudæis datam putant à Machabæis li. 1. Machab. cap. 14. v. 4. Esto enim eò alludat, tamen maiora & spiritualia, quæ Christus attulit, spectat Propheta: solus enim Christus abstulit iniquitates terræ, non Machabæi.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Zacharias candelabrum septiceps, vel potiùs octiceps, ad cuius latera erant duæ oliuæ, vna à dextris, altera à sinistris: ac per hoc significari intelligit, per Dei curam & prouidentiam templi fabricam inchoatam fore perficiendam, & ad culmen perducendam. Deum enim adesse, cui nulla Persarum vel hominum potentia resistere possit: consequenter duas oliuas esse Iesum pontificem & Zorobabel principem, qui assistunt Deo, vt candelabrum, id est templum, reædificent, & populum in rebus tam sacris, quàm ciuilibus & politicis regant. Hic est sensus literalis, vt patet ex eo quòd iugiter v. 6. 7. 9. 10. sermo dirigatur ad Zorobabel, ducem Iudæorum illo tempore. Deinde ex v. 9. vbi expressè ostenta hæc ita explicat angelus, dicens: Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam. *Ergo ad literam intendit hac visione animare Zorobabelem ad perficiendam fabricam templi quàm inchoarat, & de cuius consummatione diffidebat. Porrò totum hoc caput dirigitur ad Zorobabel: sicut enim capite præcedenti Iesum pontificem, ita hoc capite Zorobabel principem populi Iudæi ad inchoatam templi fabricam strenuè prosequendam & consummandam. Ab hisce enim duobus capitibus pendet totum populi corpus, putà Ecclesia à Pontifice, resp. à principe. Allegor. tamen & præcipuè per reædificationem templi adumbratur Ecclesia ædificanda,*

tum ex Iudæis, tum magis ex Gentibus per Christum. Hic enim est mysticus Zorobabel, cui omnes principum, nec Iudæorum resistere poterit. Esto enim Iudæi ipsum respuent, tamen Gentes auidè amplectentur, atque ipsi Iudæi in fine mundi ad eum conuertentur per prædicationem Eliæ & Henoch. Hi enim sunt duæ oliuæ, quæ assistunt dominatori terræ, vt eius Ecclesiam perficiant, oleoq; doctrinæ, gratiæ & exempli sui alant, illuminent & gubernent, vt explicat S. Iohannes Apocal. 11. 4. imò Ribera & alij volunt hunc esse sensum literalem; sed ex dictis patet esse mysticum.

Vers. 1. ET reuersus est angelus, qui loquebatur in me, & suscitauit me, quasi virum qui suscitatur de somno suo.

2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud: & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius.

3. Et duæ oliuæ super illud; vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.

4. Et respondi, & aio ad angelum, qui loquebatur in me, dicens: Quid sunt hæc, domine mi?

5. Et respondit angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi.

6. Et respondit, & ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.

VERS. 1. ET REVERSVS EST ANGELVS] Putà Michael, vt dixi c. 3. 3. qui post visionem c. 3. mihi ostensam à me recesserat, rediens in cælum ad Deum, vt ei de more quasi princeps militiæ cælestis assisteret. Nam ibi accepta noua à Deo visione & reuelatione mihi communicanda reuersus est ad me, qui visionem quam videram cap. præcedenti ruminans & admirans, hærebam quasi stupefactus & attonitus. Vnde Michael ab hoc stupore quasi à somno me excitauit, vt euigilarem & attenderem ad nouam hanc candelabri visionem, quam mihi exhibebat. ita Lyran. Vatabl. & alij.

Aliter S. Hieron. Theodor & Remig. censent enim angelum post visionem c. 3. non recessisse à Zacharia; dici tamen reuersum, quia nouam visionē ei obtulit, ad eamq; videndam eum excitauit. Sed prior expositio est planior & germanior: si enim reuersus est Michael; ergo egressus fuerat.

SVSCITAVIT ME] Tum à stupore visionis c. 3. vti iam dixi, tum ab hebetudine mentis humanæ: huius enim vis corpori illigata, & ad illud depressa hebetatur, & quasi soporatur, vt ad spiritualia & diuina minùs sit acris & vigil. Excitat ergo depressam & torpentem mentem Zachariæ angelus, vt eam ad diuina eleuet & attentam reddat; eò quòd hæc prophetia sit ænigmatica, obscura & difficilis. q. d. Michael excitando me, mentem meam exacuit, & attentiorem reddidit ad hieroglyphica & symbola cælestia, quæ mihi monstraturus erat.

A CANDELABRVM AVREVM] Alludit ad candelabrum quod iussu Dei fabricauit Moses Exod. 25. 31. Vnde illud, æquè vt hoc Zachariæ, habebat septem calamos & lucernas: non tamen per omnia fuit idem cum eo, vt vult Lyran. Nā Mosaicum non habebat septem infusoria, duorum & totidem oliuas, quæ habuit hoc Zachariæ. Candelabrum per synecdochen significat & præsentat templum instaurandum à Zorobabel. Ipsum enim erat vnum è tribus præcipuis vasis templi, quod totum tabernaculum sua luce illustrabat. Rursum candelabrum in templum inferri non solet, nisi eo perfecto. Fabrica ergo hic candelabri, significat & præsupponit fabricam templi perficiendam, ait Lyran. Hinc mysticè candelabrum, æquè ac templum, repræsentat

B Ecclesiam, quæ aurea est charitate & doctrina cælesti. ita S. Hieron. Cyrill. Remig. Rupert. & alij. Vnde S. Iohannes Apocal. 1. 13. *vidit in medio septem candelabrorum similem filio hominis*, id est Christum. Et v. 20. explicationem eorum statim ab angelo dicente: *Candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt* Asiæ, putà Ephesina, Smyrnensis, Pergamensis, Thyatirensis, Sardensis, Philadelphiensis, Laodicena, vt patet ibidem c. 2. & 3. Vide ibi dicta. Planè enim S. Iohannes eo loco alludit ad hoc candelabrum Zachariæ. Vide de significatione candelabri plura dicam v. 6.

LAMPAS SVPER CAPVT] Pro *lampas* habet גֻּלָּה *gulla*, id est, vas concauum & sphæricum capiendum oleum, quod pariter latinè rectè gulam appelles. Sicut enim gula siue guttur cibum transmittendum ad stomachum, ita hoc

C vas capiebat oleum transmittendum ad septem lucernas. Vnde Pagnin. & Vatabl. vertunt *Ampullam*; Tigurina, *discum rotundum*: *gulla* enim rad. גָּלַל *galal*, id est conuoluere, significat rotundum & conuoluile instar globi, aut ouum instar lenticulæ. Noster vocat lampadem, quæ multis in locis lampades habent formā lenticulæ, sunt q; rotundæ, putà sphæricæ, vel ouatæ. Lampas ergo hæc fuit sphæra caua & tornatilis, quales in templis ante Venerabile Sacramentum sursum eminere videmus. Porrò hæc in capite, id est, in summo stipite, seu hastili candelabri eminebat quasi concha, ad capiendū oleum

D distribuendum in septem lucernas, illud vtrinque ambientes. Erat ergo lampas hæc concha olei, siue vas olearium sphæricum: vnde & vocat sunt vtrimque duæ oliuæ, quasi symbola & indices olei, quo plena erat lampas. Addunt aliqui, vt Fernandez visione 32. sect. 1. Ribera Sanctes & alij, fuisse veram lampadem ardentem & lucentem, sed maiorem, quæ septem lucernis propter ardentibus cingebatur. quod valdè est probabile: hoc enim concinnius est; & sic videmus in basilicis Romanis S. Petri, S. Pauli, S. Cæsaris & alijs lampadem ingentem argenteam, quæ multis alijs minoribus circumdatur, ante sepulchrum

S.

Sanctorum appendi, ijsque honoris causa præ- A
lucere. Videtur ergo hæc lampas similis fuisse
illi, putà ingens, rotunda, vel oualis, supernè pa-
tens, cui iniectus erat canaliculus ferreus, vel
æneus fuberi innexus, vt eo eleuatus oleo innata-
ret, per quem insertum ellychnium sugebat o-
leum è lampade, vt iugiter arderet. Minùs ergo
verisimile est quod censent nonnulli, lampadem
hanc fuisse quasi peluim quamdam amplam,
impositam hastili candelabri, nisi per peluim ac-
cepas concham nascentem ex ipso hastili. Ex
dictis sequitur, candelabrum hoc vniuersim
fuisse non septiceps, sed octiceps: erat enim
ἑπτάμυξον, & consequenter ὀκτώλυχνον, putà octo
calamum & octolustre: nam medium hasti-
le septem calamis cingebatur, tamque hastili,
quàm calamis septem, lucerna ardens insistebat:
erant ergo octo.

ET SEPTEM LVCERNÆ EIVS SVPER ILLVD] B
illud, scilicet caput. Subdit enim: *Septem infuso-
ria lucernis, quæ erant super caput eius.* In capite ergo,
hoc est in summitate hastilis candelabri, emi-
nebant septem lucernæ laterales, totidem cala-
mis insistentes. Porrò calami hi vtrimque ex ha-
stili candelabri, vel potiùs ex fundo lampadis ar-
cuatim pullulabant, & prodibant. Insuper ca-
lami hi, vt mox dicam, erant concaui: vnde vo-
cantur hîc infusoria, id est, fistulæ, per quas lu-
cernæ ex lampade oleum sugebant. Quocirca
necesse est lucernas paulò demissiores fuisse
lampade, vt ex ea in illas oleum influere posset.
An lucernæ hæ fuerint in orbem dispositæ, vt
circumcirca cingerent lampadem, eamque quasi
coronarent, vt vult Sanchez, Fernandez & alij;
an verò ad duo tantùm eius latera, ita vt ab vno C
latere fuerint tres, ab aduerso quatuor lucernæ,
vti fiebat in candelabro Mosaico Exodi 25.31.
ad quod hîc alludit Zacharias, nõ constat. Prius
tamen concinnius videtur, & commodius: quia,
vt iam dicam, septem canales, per quos ex lam-
pade sugebant oleum septem lucernæ, non po-
tuissent commodè omnes ad duo latera dispo ni;
sed longè commodiùs in orbem circumcirca
lampadem disponuntur.

SEPTEM INFVSORIA] Ita Noster, S. Hieron. in Comment. & Septuag. Dices, Hebr. Chald. Pagnin. Vatabl. & alij recentiores legunt, *septem & septem*: ergo quatuordecim fuerunt infusoria. Respondent aliqui textum Hebræum esse cor-
ruptum, & pro *septem & septem*, legendum esse semel tantùm *septem*. ita enim legerũt Septuag. & S. Hieron. Secundò, aliter respondet Sanchez, D
nimirum esse anadiplosim. q.d. Septem, septem, inquam, erant infusoria ipsis lucernis. Quæ ex-
positio plausibilis est, omnesque antilogias extri-
cat. Tertiò, Christoph. à Castro respondet fuisse
septem, si originem & orificia spectes, fuisse ve-
rò quatuordecim, si ipsos canaliculos numeres.
Infusoria enim vocantur hîc parui canales, siue
fistulæ & meatus, per quos ex lampade oleum
defluebat in lucernas, inquit Clarius & Vatabl.
Sunt fistulæ hæ erãt quatuordecim, quæ ex lam-
pade per septem ora prodibant. Lampas ergo
septem tantùm habebat ora, sed singula ora ha-
bebant duas fistulas, quarum vna tendebat in v-
nam lucernam, altera in aliam illi vicinã: quod-
libet ergo os subministrabat oleum duabus lu-
cernis, per duas fistulas ex se prodeuntes: & quia
ora erant septem, hinc Noster & Septuag. nu-
merant infusoria septem: quia verò fistulæ erant
quatuordecim, hinc Hebr. Chald. & recentio-
res numerant quatuordecim infusoria. Verùm
hæc inconcinnè & gratis asseruntur, præsertim
quia infusoria propriè vocantur ipsi canales, nõ
verò ipsæ lampades, aperturæ & orificia. Quare
secunda solutio verior videtur, quam confirmat
versio Septuag. & Nostra. Porrò infusoria hæc
erant calami, arcuatim ex fundo lampadis pro-
deuntes: ac in vertice quodlibet eorum sustine-
bat suam lucernam erantque concaui, vt essent
fistulæ, per quas è lampade oleum deriuaretur
ad lucernas, vti rectè ostendit & in schemate cã-
delabri depingit Sanchez. Hoc enim longè con-
cinnius est eo quod alij afferunt, qui septem ca-
lamos ponunt dumtaxat ad sustinendum lucer-
nas, deinde septem infusoria à calamis distincta
pingunt quasi septem canales, per quos flueret
oleum ex lampade in lucernas. Quorsum enim
hæc tam inconcinna instrumentorum multipli-
catio, cùm concinniùs vtrumque per calamos
concauos fieri posset? Hinc rursum liquet, infu-
soria hæc non fuisse vasa à lucernis & candela-
bro separata, quæ infundibula vocamus, qualia
Romæ multi habent in cubiculis ad capiendum
oleum, quod ex eo lampadi identidem infun-
dant. Sic enim vnum magnum infusorium pro
candelabro & septem eius lucernis sufficiisset,
frustraque fuissent septem infusoria. Adde, sic
hæc infusoria à candelabro fuissent separata va-
se æquè ac loco: iam autem illi coniuncta fuisse
liquet. Vnum enim fuit totum hoc candelabri
vas, sed septifidum, quia distinctum in septem
lucernas, ac consequenter in septem infusoria, id
est, calamos siue fistulas, quæ in lucernas infer-
rent oleum. Minùs rectè R. Salomon & Arias, *ad
septem & septem* sic exponunt, q.d. Quælibet lu-
cerna habebat septem infusoria sic enim vniuer-
sim infusoria fuissent numero quadraginta no-
uem. Tot sanè non erant opus, imò nec locus in
tam paucis & exiguis lucernis.

Infusoria erant cala-mi.

Mysticè, *septem infusoria* sunt septem Sacra- *Infusoria septem sunt septem Sa-cramenta.*
menta, quæ sunt vasa gratiæ, non quasi in iis
gratia actu & localiter contineatur, sicuti oleum
continetur in vase; sed causaliter, quia scilicet
gratiam in se vt causæ instrumentales continent
& efficiunt. Hebr. est, *septem & septem*, vt repræ-
sentent tam septem Sacramenta, quàm septem
dona Spiritus sancti; sed de hoc inferiùs plura.
Septem infusoria, ait S. Hieron. sunt septem Sa-
cramenta, per quæ oleum misericordiæ Dei
omniumque virtutum Ecclesia suscipit, eoque
fouetur & conseruatur. Vnde & in Confirma-
tione, Ordine & Extrema vnctione oleum est
materia Sacramenti, quia oleo foris vngente, in-
tus anima impinguatur gratia, eaque illustris red-
ditur, vt luceat orbi: fitque fortis, vt quasi athle-
ta contra carnem, mundum & dæmonem gene-
rosè decertet.

ET DVÆ OLIVÆ SVPER ILLVD] *Super*, id VERS. 3.
est, iuxta: vna enim erat à dextris, altera à sini-
stris candelabri, vti sequitur. Per oliuas, non nu-
di fructus, qui propriè vocantur oliuæ, sed ipsæ
arbores, putà oleæ, vel certè rami earum intelli-
guntur. Hebr. enim זַיִת *zetim* tam oleam,
quàm oliuam significat; & oliua à Latinis sub in-
de capitur pro arbore, putà pro olea. Patet id

ex v.12. *Quid sunt duæ spicæ oliuarum? spica*, id est, rami. Hi enim rami erant referti oliuis: rami autem prodibant ex arbore, putà ex olea. Quare minùs rectè aliqui censent oliuas has insculptas fuisse candelabro, vel lampadi. Sicut enim, inquiunt, amphoris vinarijs insculpitur vua, vel vitis, vasis aquarijs pisces; ita huic lampadi oleariæ insculptæ erant oliuæ, vt significarent in ea esse oleum. Verùm oliuas hasce à lampade fuisse separatas patebit v.12.

Idea totius visionis.

Hæc ergo totius huius spectri fuit idea. Primò, Michael ostendit Zachariæ candelabrum aureum ingens, in cuius vertice insistebat vas sphæricum instar lampadis magnæ, ad capiendum oleum, & simul ad lucendum quàm maximè.

Secundò, lampas hæc circumdata erat septem alijs minoribus lampadibus, siue lucernis, quæ per calamos totidem, arcuatim ex ipso fundo lampadis circumcirca prodibant. B

Tertiò, calami hi concaui erant instar canalium, vel fistularum: nam per eos oleum ex lampade deriuabatur ad lucernas calamis insistentes: quocirca calami hi vocantur hîc infusoria, scilicet olei.

Quartò, duæ erant oleæ, vel duo rami pleni oliuis, vnus ad dexterã, alter ad sinistram lampadis & candelabri, illud quasi stipantes & condecorantes. Oleæ enim symbolum, causa & parens sunt olei, quod est in lampade. Addunt aliqui, ex oliuis distillasse oleum in duo rostra, id est, duos canaliculos incuruos tendentes ad lãpadem, quæ iugiter eam oleo implebant; vt illud abundè septem lucernis suggerere posset. ita C Fernandez visione 32. sect. 1. à Castro, Vatabl. & alij. Verùm hoc minùs congruum, ideoque minùs verum videtur, vti ostendam vers. 12.

VERS. 5. NVMQVID NESCIS] Michael simulat se admirari, quòd hæc symbola non capiat Zacharias, vtpote Propheta. q. d. Túne es Propheta, & hæc ignoras? præsertim cùm hæc spectent tuæ prophetiæ argumentum. Repræsentãt enim templi fabricã, de qua tu iugiter prophetas. Sic Christus ait Nicodemo: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Iohan. 3. 10. Qua phrasi & gestu non tã ignorantiã eius carpit, quàm studium discendi acuit, & ad attentionem suæ doctrinæ de baptismo, & regeneratione spirituali excitat.

VERS. 6. HOC EST VERBVM DOMINI AD ZOROBABEL] Sicut cap. præced. Iesum pontificem excitauit ad fabricam templi, ita ad eamdem hîc excitat & animat Zorobabel principem, promittêsei quòd Dei ope feliciter eam perficiet. Sicut enim Iesus erat princeps Ecclesiæ & rerum sacrarum, ita Zorobabel princeps erat reipubl. politiæ & rerum ciuilũ. Ab vtroque enim hoc capite & principe pendebat fabrica templi corporalis, sicut ab vtroque multò magis pendet fabrica spiritualis, putà vera fides, religio, iustitia, sanctitas, ordo & decor totius reipubl. D

Candelabrum quid significet. Resp. Prima.

NON IN EXERCITV, NEC IN ROBORE, SED IN SPIRITV MEO, DICIT DOMINVS] Hîc symbolum candelabri explicat Michael, sed tam concisè & obscurè, vt Oedipo sit opus. Primò, Remig. Albert. & Haymo putant fabrica candelabri repræsentari solutionem captiuitatis Babylonicæ. q. d. Hæc solutio non fiet vi armorum & militum, sed per meum spiritum, per meam prouidentiam, per meum consilium & virtutem. Verùm iam pridem soluta erat à Cyro captiuitas Babylonica, iamque Iudæi redierant Hierosolymam, & in fabrica templi versabantur. Propheta autem non prophetat de præteritis, sed de futuris.

Secundò, Hebræi putant per fabricam candelabri significari restaurationem reipubl. per Zorobabel, qui in ea legem Mosaicam restituturus erat. In republ. enim Hebræorum candelabrum erat lex data per Mosen. Verùm hoc candelabrum est mysticum, non literale.

Tertiò, Lyran. & Hugo sic exponunt, q. d. Candelabrum, id est, templum hoc restaurabis, ô Zorobabel, non tua fortitudine & robore, sed per spiritum Dei, qui hoc suggeret, inspirabit, & persuadebit Dario Hystaspis regi Persarum, vt id ipsum restaurari permittat, imò curet. ita enim reipsa factum esse patet 1 Esdræ 6. Hic sensus appositus est, sed partialis, non adæquatus.

Quartò, Clarius, & ex eo à Castro censet candelabrum significare prophetiam, putà spiritum Dei, qui offertur per verbum, siue oraculi & locutionem Dei in mente Prophetæ; oleum esse gratiam Spiritus sancti, canales esse Prophetas doctos à Deo, per quos verbum Dei in alios deriuatur; lampades septem esse varia dona Spiritus. Porrò cãdelabrum fabricatum erat, stabat, & oleum suscipiebat ex oliuis sine humano ministerio, vt significaretur prophetiam esse opus Dei, non hominis. Verùm hæc expositio remota, & minùs adæquata videtur.

Quintò ergo & genuinè, candelabrum hoc repræsentat Deum, ait Mariana, Deique prouidentiam, quam exercet per septem lucernas quasi oculos, id est, per septem angelos primarios, vti audiemus v.10. præsertim circa fabricã templi restaurandi à Zorobabele. Candelabrum ergo est Dei prouidentia, quatenus se ad lucernas, id est, angelos, resque omnes creatas extendit. lampas est ipsa in se diuinitas, putà Dei mens & oculus lucidissimus: infusoria sunt variæ rationes, modi & differentiæ diuinæ prouidentiæ, quibus per angelos hanc creaturam hoc modo, illam illo, aliam alio sibi congruo regit & gubernat. Rursum sunt variæ gratiæ, dona & talenta, quas Deus varijs pro libito dispertit & imperti. Candelabrum enim quia lucis est ferculum, typum gerit sapientiæ, vigilantiæ & prouidentiæ, vti dixi Exodi c. 25. 31.

Addit Pierius hierogl. 46. illud esse symbolum vitæ diuinæ, generationis, animi puritatis, amoris, famæ & gloriæ, denique ipsius diuinitatis, quia præfert ignem, qui Dei est hieroglyphicus. Duæ oliuæ sunt Iesus & Zorobabel, siue sacerdotium & regnum, de quo mox plura. Porrò candelabri lampas ex se plena erat oleo iugiter durante, & semper ardente, quasi expressum fuisset ex asbesto lapide, qui igne non consumitur. Erat ergo hic ἄσβεστον φλογα, inextinguibile lumen, significans indeficientem, æternam & iugiter vigilantem Dei sapientiam & prouidentiam. Sic Callimachus, qui ob morosam in expoliendis operibus industriam καλλίτεχνος dictus est, auream Mineruæ lucernam fecit, quæ toto anno arsit, quamuis nihil olei affunderetur. testis est Pausanias in Atticis. Ita Romæ &

in sepulchris antiquis repertæ sunt lampades mi- A
ræ materiæ & arte iugiter sine nouo fomite ar-
dentes, accesæ à multis centenis annis, quæ mox
vt aërem sentiebant, extinguebantur. Scribit &
Plinius lib. 9. 27. in mari piscem esse, qui lingua
igneā per os exerta, tranquillis noctibus relucet,
indeque appellari lucernam. Ita angeli, ac Apo-
stoli & viri Apostolici, sua doctrina & vita iugi-
ter lucentes, linguisque igneis pollentes mare
huius sæculi collustrant.

— *Solemq; nouum, noua sidera portant.*

Denique Nicephor. lib. 14. Histor. cap. 3. scribit
Theodosium iuniorem Imper. noctu sacris Lite-
ris operam nauasse, lucerna se sponte sua accen-
dente, oleumque affundente miro artificio, ne
quem ministrum eo labore grauaret.

Hinc Secundò candelabrum hoc repræsentat B
templum ipsum restaurandum, quasi pars totū,
per synecdochen. Id ita esse clarè docet Mi-
chæas v. 9. dicens, *Manus Zorobabel fundauerunt*
domum (Dei, putà templum) *& manus eius perfi-*
cient eam. Consequenter candelabrum repræ-
sentat, cum templo & per templum restituēdam
esse totam Ecclesiam & rempubl. Iudæorum in
pristinum splendorem, iuxta illud quod promi-
sit cap. 2. 5. *In gloria ero in medio eius.* Nam in eius
exsidio & captiuitate Ieremias luxerat, mœstus-
que cecinerat illud Thren. 4. 1. *Quomodo obscura-*
tum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt
lapides sanctuarii? Iam verò candelabrum hoc
per Zorobabel restauratum, aut potiùs restaurā-
dum Zacharias vidit aureum, & octo luminibus
resplendens. Quocirca Titus vastans Ierusalem,
vt gloriam omnem Iudæis se ademisse significa- C
ret, ademit illis candelabrum, illudque Romam
vexit in triumphum: vnde etiamnum in arcu
triumphali Titi, Romæ graphicè illud ipsum ex-
sculptum videmus. Hinc & Iudæi moderni lu-
cernis sua sabbata & festa celebrant, vti in Syn-
agogis eorum vidi, quem morem antiquum esse
docet Persius satyra 5.

Rorabit venere dies, vnctaq; fenestra
Discussa pingui nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas.

Idem patet ex Canone 70. Apostolorum, qui sic
habet: *Si quis Christianus oleum tulerit ad sacra*
Gentium, vel Synagogam Iudæorum festis ipsorum
diebus, aut lucernas accenderit, de societate pellatur.
Hoc quoque Christus cælestis Ierusalem tem-
poraque festa & nuptias describit per lucernas &
lampades Matth. 25. 1.

Porrò septem lucernæ sunt, quia totidem e- D
rant in candelabro Mosis, ad quod hîc alludi-
tur, quodque hîc repræsentatur: & quia septe-
narius qui est numerus multitudinis & plenitu-
dinis, significat templi & reipubl. celebritatem
& decus post captiuitatem fore magnum & exi-
mium. Lampas in medio eius est Deus, qui om-
nibus lucernis, id est, partibus templi oleum, id
est vigorem & splendorem, suggerit: aut magis
apposite ad secundam hanc expositionem, lam-
pas est Sanctum sanctorum: sicut enim in can-
delabro eminebat fulgor lampadis, & fulgorem
septem lucernarum se circumdantium, oleum
ei suggerendo, alebat; ita in templo eminebat
sanctius & fulgor Sancti sanctorum, quod San-
ctus, & atrio, cæteris q; templi partibus sui vene-
rationem & sanctitatem communicabat. Duæ
oleæ sunt Iesus pontifex, & Zorobabel princeps.
Hi enim astantes candelabro primario, id est,
dominatori Deo, vti dicitur versu vltimo, eius
nutu & ductu candelabrum materiale & secun-
darium, id est templum, ædificarunt & consum-
marunt, eique decus & gloriā conciliarunt; idque
præstiterunt non suis opibus, robore aut viribus,
vtpote Samaritis aliisque hostibus fabricam po-
tenter impedientibus: sed Dei virtute & spiritu.
Et hoc est quod significat Michael dicēs: *Non in*
exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, supple per-
ficietur hoc opus, & fabrica templi tam magna
& magnifica, vti explicat v. 9. Spiritus enim hic,
vti Prophetas, putà me Zachariam & Aggæum
excitat ad vrgendam hanc fabricam, ita pariter
ad eam concurret, eamque sua sapientia, ope &
protectione ita diriget, adiuuabit & promouc-
bit, vt nec Sanballat, nec alius hostis eam impe-
dire possit, quin breui absoluatur & ad fastigiū
perducatur. Animabit enim Zorobabelem &
populum ad strenuè fabricandum, omniaque
eorum consilia & opera reget & prosperabit.

Symbolicè, Theodor. *Candelabrum aureum,* *Symbol.*
inquit, *est typus diuinæ prouidentiæ, quæ cælestia &* *candelabri*
terrestria administrat. Septem lucernæ septem diebus *est Dei pro-*
hebdomadæ æquales numero, assiduitatē & perpetui- *uidentia.*
tatē diuinæ curationis (gubernationis) *demonstrant.*
Septem infusoria lucernarum immensam Dei misericordiam ostendunt. Sic per lampadem gratiam omnia illuminantem innuit. Duas verò oliuas vtrimque exortas regnum & sacerdotium vocauit, diuina gratia ornata. Duos ramos vsque ad lucernas pertingentes, Iesum & Zorobabel: illum ex sacerdotali, hunc ex regali tribu profectum. Hæc expositio generalior est, non tamen incongrua. Simili enim modo cā-
delabrum Mosis septiceps, symbolicè & physicè fuit imago cælestis sphæræ septilustris, siue septē planetarum. Tabernaculum enim gerebat ty-
pum mundi, Sanctum sanctorum verò cæli em-
pyrei, in quo gloriosè residet mundi auriga & rector Deus, vti ex Iosepho & Philone dixi Exodi 25. v. 31. Porrò vidit Zacharias hoc candela-
brum extra templum, quo significatur Ecclesiam non fore templi, id est Iudæorum, sed Gentium. Christus ergo in hoc sæculo illuminat Ecclesiā, lucernæ in Gentibus ardent, Iudæi manent in tenebris, sed in fine mundi illuminabuntur per duas oliuas, id est, Eliam & Henoch.

Alleg. & potiùs, candelabrum hoc repræsen- *Alleg.*
tat Primò, Christum, qui illuminat & mittit se- *Christus &*
ptem angelos, vt per eos regat Ecclesiam. Hinc *Ecclesia.*
de eo dicitur Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.*
Hinc Secundò, candelabrum repræsentat Chri-
sti Ecclesiam; lampas Pontificem & Ecclesiam
Romanam, quæ est quasi Sanctum sanctorum;
vnde ipsa velut matrix septem lucernis, id est cæ-
teris omnibus Ecclesijs toto orbe dispersis, oleū,
id est potestatem, vigorem, doctrinam & gra-
tiam, instillat per septem infusoria, id est, septem
Sacramēta, ac per septem ordines. Omnis enim
ordinis ac iurisdictionis potestas (ac consequen-
ter omnia Sacramenta) deriuatur à Pontifice
Ecclesiæ Romanæ, quasi à lampade, in vniuer-
sos orbis Episcopos, sacerdotes & Ecclesias. Duæ
oliuæ sunt S. Petrus & Paulus, qui lampadem,
id est Ecclesiam Romanam, ædificarunt &
fundarunt, in eamque omnem doctrinam &
gratiam cum sanguine suo distillarunt, & etiam-
num

num è cælo per preces & suffragia distillant. Id- A
ipsum verò faciunt non vi sua, sed in spiritu
Christi, à quo omne suum robur, vim & vigo-
rem obtinent. Christus enim est primaria lam-
pas ex se oleo gratiæ plena, ait S. Hieron. Va-
tabl. Fernandez & alij. Nam Christus est lux
mundi, Iohan. 8. 12. & quasi sol illuminans or-
bem, Iohan. 1. 9 ideoque in septem lucernas, id
est in omnes Ecclesias. oleum, id est gratiam, in-
fluit. De eius enim plenitudine omnes accipi-
mus. Consequenter per lampadem appositè ac-
cipias balneum passionis Christi, quod Ecclesia
continet & possidet, cuius oleum est eius sanguis
& merita, quæ per septem infusoria, id est Sa-
cramenta, deriuantur in septem lucernas, id est
Ecclesias omnes particulares: duo rostra duas
Christi naturas significant: duæ oleæ repræsen-
tant Iesum pontificem & Zorobabel, quorum B
vterque fuit typus Christi, duplicemque eius po-
testatem, scilicet pontificatum & principatum,
adumbrauit. Iesus ergo est Christus Pontifex:
Zorobabel est idem Christus quà legislator &
princeps. Quia enim Christus est Pontifex &
princeps Ecclesiæ, hinc in eam iugiter influit o-
leum, id est, vim merendi & satisfaciendi. Quòd
enim sanguis Christi habuerit & habeat vtram-
que hanc vim, id prouenit ex vnione hypostati-
ca cum Verbo, quæ Christum fecit Pontificem
& principem.

Porrò analogias candelabri & Ecclesiæ recē-
sui Apoc. 1. 20. Huc pertinet expositio Ruperti:
Zorobabel, inquit, est Christus prognatus ex Zo-
robabel, qui induit humanitatem, quæ est aurū,
conceptus non ex semine viri, sed virtute Spiri-
tus sancti, & è virgine natus; sicut hoc candela- C
brum non ab homine, sed à solo Deo fabricatum
erat. Christus ergo est candelabrum illuminans
Ecclesiæ templum. Hoc totum est aureum, quia
post resurrectionem Christus totus factus est
gloriosus. cùm ante eam solo capite, id est diui-
nitate, esset gloriosus: in eo fuit lampas septiceps,
id est septiformis gratia, putà septem dona Spi-
ritus sancti, quorum vi & spiritu contra spiritales
hostes depugnauit & vicit.

Tropolog. lampas Ecclesia est B. Virgo, lucernæ Sancti.

Tropol. candelabri, id est Ecclesiæ, lampas
est B. Virgo, inquit Anastasius Nicænus q. 53. in
Script. quia ipsa materiæ expertem lucem gestau-
it Deum incarnatum; & quia ipsa septem lucer-
nis, id est Apostolis cæterisque Sanctis, per Chri-
stum oleum doctrinæ & gratiæ suggerit & in-
stillat: lucernas enim esse Sanctos illustres, patet
ex illo Christi de Iohanne Baptista, Iohan. 5 35. D
Ille erat lucerna ardens & lucens. Vide dicta Exodi
25. 31. ita S. Cyril. & S. Epiphan. hom. de laudi-
bus B. Mariæ. Sed de tota hac visione audi Ana-
stasium Nicænum Episcopum quæst. 53. in S.
Script. *Quod*, ait, *est candelabrum? Sancta Maria:
Cur autem candelabrum? Quia materia expertem lu-
cem gestauit, Deum incarnatum. Cur autem totum
aureum? Quia post partum mansit virgo. Quanā sunt
septem lucernæ? Septem leges: lex enim est lux*, Pro-
uerb. 6. 23. *Prima est lex naturæ. Secunda, lex per
visum. Quem enim Deum lex prædicat, eum visu pro-
bat per res creatas. Nam ex rerum creatarum magni-
tudine & pulchritudine, earum creator cernitur. Ter-
tia, lex paradisi*, vetans lignum scientiæ boni &
mali. *Quarta, quæ tempore Noë fuit in nube. Quin-
ta, quæ tempore Abrahæ fuit per circumcisionē. Sexta
lex literæ*, putà lex Mosis scripta à Deo in tabu-
lapideis. *Septima, lex gratiæ. Quænam sunt septē
infusoria? Septem dona Spiritus sancti qua recen-
Isaias cap. 11. Quanam sunt duæ oliuæ? Duo testa-
ta. Sicut enim olea habet folium semper virens, sic
iam duo testamenta habent perpetua, & numquā
cessantia de Christo testimonia.* Hæc Anastasius.

Porrò Sancti omnes suum lumen habent
à se, sed à Christo per B. Virginem. Hæc enim
lum peperit, nobisque dedit & dat. Vnde S.
gust. explicans illud Christi Iohan. 12. 36. *Cre-
te in lucem, vt filii lucis sitis*, sic ait, *Sunt igitur
lampade lucerna, si illuminare volunt, quandoquidē
à seipsis non habent lumen, sed ab eo qui à seipso lu-
men est, & non ab alio. Sic enim securum habent lu-
men suum adhærendo illi, quod deficere non potest, si
aliis semper sufficit.* Idem tract. 54. in Iohannē:
Omnes sancti, inquit, *lumina sunt, sed credendo ea
illuminantur, à quo si quis recesserit tenebrabitur. Lu-
men autem illud quo illuminantur, à se recedere non
potest, quia incommutabile omnino est, & ideo tene-
bræ in eo non sunt vllæ, nec esse possunt.* Ita nō
Emmanuel: Candelabrum, inquit, est Eccle-
lampas Christus, lucerna iusti omnes, septem
fusoria sunt septem Sacramenta, quibus olea
gratiæ affunditur iustis, vt luceant.

Moral. Nota hoc axioma Dei, quod per Z
chariam hîc sancit in templo materiali, nimi
*Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, di
Dominus exercituum*, supple perficietur tāta tē
pli fabrica, id ipsum multò magis in fabrica s
rituali tum Ecclesiæ, tum animæ cuiusliber iu
ctæ valere. Quòd enim Apostoli Ecclesias
que terrarum erexerint, omnesque gentes
eas aggregarint. fuit opus non roboris hum
sed spiritus diuini. Similiter quòd hodie Ecc
siæ ædificentur apud Iapones, Sinas, Brasili
Mexicanos, &c. quodque eædem apud hæret
cos in Bohemia, Morauia, Hungaria, Germa
restaurentur, non tam fuit exercitu, quàm
Spiritus Dei. Pari modo quòd S. Paulus S. Ma
dalena, S. Maria Ægyptiaca, S. Pelagia, quæ e
lustra & speluncæ dæmonis, transformentur
templa Dei, virtus est non hominis, sed Spiri
sancti, qui corda penetrat & mentes immutat.
Eadem est quæ hodie peccatores conuertit, i
iustos ad eximiam sanctitatem prouehit & a
cendit. Porrò hæc facit Spiritus sanctus non
robore violentiæ, sed sensim & suauiter, infu
lenis spiritus animæ illabendo, per cælestes il
strationes immissas intellectui, & similes affe
ctiones impulsusque inditas voluntati. Deinc
prouidentia per hunc spiritum ita orbem gu
bernat, vt attingat à fine vsque ad finem fortiter
& disponat omnia suauiter. Huius rei symbol
Deus apparuit Eliæ, sibi vt videbatur zelos
ptantique vt igne & fulmine perderetur impi
Iezabel & Baalitæ, apparuit, inquam, nō in igne
vento, tonitru, sed in spiritu & sibilo auræ lenis
Audi Script. lib. 3. Reg. 19. 11. *Egredere (ô Elia
sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transi
& spiritus (ventus) grandis & fortis, subuertens mon
tes, & conterens petras ante Dominum; non in spiritu
Dominus: post spiritum commotio; non in commotio
ne Dominus: & post commotionem ignis; non in igne
Dominus: & post ignem sibilus auræ tenuis; & ibi Do
minus.* Talis fuit, estque spiritus Christi, qui pe
inde cùm S. Iohannes & Iacobus postularent fil
mos

eum de cælo iaculari in Samaritas, eò quòd Christum inhonorassent, illos corripuit, docuitque spiritum mansuetudinis, dicens: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare*, Lucæ 9 55.

Quicunque ergo se, vel alios à peccato conuertere, aut ad eximiam perfectionem traducere conatur, sciat se id suis viribus non posse, sed Dei. Sibi ergo diffidens, fidensque Spiritui sancto eum humiliter & ardenter inuocet, crebroque iaculetur: *Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Riga quod est aridum, sana quod est saucium, flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est deuium. Da tuis fidelibus in te confidentibus sacrum septenarium*, scilicet numerum donorum Spiritus sancti, *da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.*

7. Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum: & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.

8. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

9. Manus Zorobabel fundauerunt domum istam: & manus eius perficient eam: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos.

10. Quis enim despexit dies paruos? & lætabuntur, & videbunt lapidem stanneam in manu Zorobabel.

QUIS TV MONS MAGNE CORAM ZOROBABEL? Quæres quis hic mons? Respondeo, omnes mali & potentes aduersarij Iudæorum, qui olim hoc, aut certè facilè poterant impedire fabricam templi. Vnde Primò, Hebræi, & ex ijs Sanctes. Remig. Lyran. & Emmanuel accipiunt diabolum, qui erat Satan, id est aduersarius, Iesu & Zorobabelis in fabrica templi, & restituenda republica Hebræorum, vt patet c. 3. 1. Secundò, Mariana accipit Sanaballat & Samaritas, qui se opponebant Zorobabeli in restauranda urbe & templo. Tertiò, Chald. Theodor. & Clarius accipiunt reges & monarchas Persidis, præsertim Cambysem & Magos, qui hucusque iam impedierant templi restaurationem, & deinceps impedire poterant, præsertim persuasi à pessimis consiliarijs, quos Samaritæ alijque hostes Iudæorum donis corrumpebant. Vnde Chald. vertit, *quid tu reputaris regnum stolidum coram Zorobabel in rore quasi vallis?* q.d. Quid sunt monarchæ Persidis, qui videntur esse montes excelsi, vt tu, ô Zorobabel, opponant in fabrica templi? Ecce ego eos in planitiem deducam, id est, humiliabo coram te: illos ergo quasi in vallem deducam coram te, tum quia faciam vt tu eis in hoc opere emineas, & superes quasi mons excelsus, quia cor eorum flectam & mitigabo, vt ipsi velut valles facilem tibi aditum & transitū præbeant, eius votis annuant, tibi quasi se subijciant, permittantque templum instaurari: *Cor meum ego in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud*, Prouerb. 21. 1. Montis similitudinē hīc, quia montes impedire solent fabricam templi (de qua hîc agitur) & domorum: vnde ne eam impediant, vel ne eius aspectum & opticam intercipiant, solent complanari.

Alleg. Montes magni fuerunt tum dæmones, tum principes Iudæorum, tum Imperatores & Reges Ethnici, qui se vero Zorobabeli, id est Christo, & christianismo in fabrica templi, id est Ecclesiæ, opposuerunt; sed Christus eos strauit, sibique subiecit, corda eorum potenti sua gratia mirabiliter immutans, iuxta id quod de eo cecinit Isaias c. 40. 4. *Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erūt prauа in directa, & aspera in vias planas. Et reuelabitur gloria Domini*, putà glorioſa potentia, quæ montes vallibus, potentes plebeijs, superbos humilibus æquat.

Tropol. ita Deus pijs regibus, & quibusuis fidelibus complanat difficultates, quæ maximę reipsa erant, vel pusillanimis esse videbantur, ad extirpandam hæresin, aut vitia inolita, adeò vt ipsi mirentur subitò illas quasi in planum deduci, colliquescere & euanescere. Spes ergo in Deum montes omnes cōplanat, vt sperans canat cum Habac. c. 3. 19. *Deus Dominus, fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum, & super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem.* Ita de sponso, putà Christo, cui in incarnatione & mūdi conuersione tot montes difficultatum obijciebantur, dicitur Cantic. 2. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*, id est, obices & difficultates omnes superans. Vnde Symmach. vertit, *ascendens contra montes, prosiliens contra colles.* Sic Dauid virtute Dei prostrauit montem, & turrim illam carneam, inquit S. Chrysost. putà Goliat gigantem. *Tropolog.*

IN PLANVM] scilicet deducam te, ô mons magne, vel in planum descende & complanare, iuxta sensum iam assignatum.

ET EDVCET LAPIDEM PRIMARIVM] Hebr. *lapidem capitis*, id est, fundamentalem & primum imumque in fundamento. Verùm quia hic iam iactus erat in fabrica templi, vtpote inchoata, hinc meliùs Noster vertit, *lapidem primarium*, qualis est qui perfecta fabrica in culmine eminet & prominet, vt extra ordinem aliorum extet. Vnde hunc lapidem explicans subdit: *Manus eius* (Zorobabel) *perficient eam*, putà domū Dei. Lapis ergo hic culminis significabat Zorobabelem, qui templum vti inchoarat, ita illud ad culmē erat perducturus. ita Lyran. Clarius, Dionys. & alij. Lapidem enim hunc opponit monti magno, de quo dixit v. 7. q.d. Zorobabel euadet lapis primarius & celsus, qui in montem attolletur, dum templo imponet culmen, in eoque lapidem primarium & summum. Vnde Theodor. sic explicat, q.d. *Etsi millies cum summa rabie Zorobabel impedire conemini, vestras spes vanas ostendam: eum enim omni gratia compleui, & redundantibus bonis cumulaui, & firmum tamquam lapidem constitui: vobis autem perniciem comparabo, vt id quod abest viribus humanis, sarciatur & compensetur à superna benignitate.* Septuag. *pro lapidem primarium*, vertunt, *lapidem hereditatis*, qui scilicet hereditatem propriam cuique designat, & ab aliena disterminat, qualis est lapis titularis, vel terminalis. Videntur Septuag. pro רֹאשׁ *rosca*, id est capitis, legisse רֶשֶׁת *resçet*, id est hereditatis: *resçet* enim est infinitiuus, qui sæpè vice nominis fungitur, à rad. יָרַשׁ *iarasç*, id est,

est, hereditauit. Vocatur hereditatis, quia Deus templum elegit sibi in domum & hereditatem. Psal. 78.1. *Deus venerunt gentes in hereditatem tuã.*

Alleg. & potiùs, lapis primarius Ecclesiæ est Christus, qui in montem excreuit, Daniel. 2.35. quãdo fabricam Ecclesiæ quam inchoauit, per Apostolos ad culmen perduxit. Vnde Chald. vertit, *emerget Messias, cuius ab æterno nomen dictum, qui potietur imperio regnorum omnium.* ita S. Hieron. Cyrill. Haymo, Rupert. Hugo & Vatabl. Sicut ergo Zacharias c. 3.9. Iesu pontifici lapidem hunc, putà Christum, promisit, ita eumdem promittit hîc Zorobabeli principi: sed ibi ita ornatum, vt non nisi Christo conueniat; hîc verò nudè & simpliciter eum proponit, vt ad literam designare possit Zorobabel, allegoricè verò & potissimè Christum: Prophetæ enim saliunt & resiliunt à typo ad antitypum, putà à Iesu & Zorobabele ad Christum. Hosce enim raptus subitosque reditus, saltus & resultus patitur, imò poscit amplitudo, celsitudo & velocitas luminis prophetici.

Gratia æqua gratiæ qua.

ET EXÆQVABIT GRATIAM GRATIÆ EIVS] *Eius*, scilicet lapidis: hebr. enim est לָהּ *la*, id est *eius*, vel *ei* femininè. Vnde respondet אֶבֶן *eben*, id est, lapidi: *eben* enim Hebræis est femininum. Pro *exæquabit* hebr. est תְּשַׁאוֹת *teśśuot*, quod Rabbini, & ex ijs recentiores, vt Pagnin. Vatabl. Arias, Tigurina vertunt, *acclamationes*, à rad. שָׁאָה *śśo*, id est, vociferari, acclamare. Vnde vertunt, *& educet lapidem primarium cum clamoribus* (acclamantes, Gratia, gratia illi. ita Pagnin.) vel, *plausus & gratulationes erunt ei.* ita Tigurina. q.d. Consummato templo, positoque in culmine vltimo eius lapide fastigiali, acclamabit populus: Gratia, gratia sit illi lapidi, totique templo, hoc est, omnia fausta & felicia sint huic fabricæ; Deus suam gratiam, fauorem, celebritatem & gloriam in hac sua domo ostendat & conseruet. Hoc ad literam dicitur de templo Zorobabelis, allegoricè & potiùs de Ecclesia erecta à Christo. Vnde Vatabl. & alij hoc impletum censent in Dominica Palmarum, quando Christo quasi Messiæ acclamarunt turbæ: *Benedictus qui venit in nomine Domini: Osanna in excelsis*; perinde ac in eius natiuitate acclamarunt angeli: *Gloria in excelsis Deo.* Hic sensus congruus est, eique valdè fauet textus Hebræus.

Prima responsio.

Melius Septuag. & Noster *teśśuot* deducunt à שָׁוְוֹת *śśauua*, id est, æquare: licèt enim in *teśśuot* sit litera *aleph*, in *śśauua* verò sit *he*, tamen hæ duæ literæ cùm sint primæ gutturales, sæpè inter se commutantur. Iam sensus est Primò, q.d. Gratia Darij Hystaspis exæquabit gratiam Cyri: vterque enim dedit facultatẽ reædificandi templũ; sed Darius insuper dedit sumptus ad illud necessarios. ita Lyran.

Secunda.

Secundò, q.d. Templũ hoc Zorobabelis suo splendore & gloria æquabit templum Salomonis, imò superabit, non auro & magnificentia, sed potentia Messiæ qui in eo conuersabitur, vti prædixit Aggæus cap. 2. v. 8. vtrumque enim templum fuit gratia & donum Dei. ita Sanchez.

Tertia, genuina.

Tertiò & aptissimè, q.d. Gratia perfecti templi æquabit gratiam eiusdem inchoati, imò superabit. Maius enim donum est rem perficere, quàm inchoare, iuxta illud: *Melior est finis orationis quàm principium*, Eccles. 7.9.

A Hunc esse sensum patet, quia ita explicat Angelus dum subdit: *Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam.* Porrò verba ita rectè adaptes: *Et exæquabit gratia gratiæ eius*, vel, vt hebr. est, *ei*, scilicet lapidi primario, v. g. culminis: *ei*, id est, in eo, q.d. In lapide culminis Deus exæquabit gratiam consummationis templi gratiæ inchoationis eiusdem; siue faciet vt lapis summus aptè respondeat imo putà culmen fundamento: quia efficiet vt tantus sit decor, concinnitas, firmitas & gratia culminis, quanta est fundamenti. Porrò hic lapis vterque positus fuit à Zorobabel: vnde ea repræsentat, quasi dicat, Zorobabel tanta gratia ponet lapidem culminis in templo, quanta gratia posuit lapidem primum in fundamento, hoc est, tanta gratia perficiet templum, quanta illud inchoauit. Addit Quartò, S. Hieron. B Haymo & Rupert. q.d. Gratia & beneficia quæ Deus præstabit Zorobabeli & Iudæis Babylone redeuntibus, æquabit gratiam & beneficia quæ Deus præstitit olim patribus eorum tempore Dauidis, Salomonis, &c. Denique plenus erit sensus si Hebr. *teśśuot* in vtraque significatione accipias, & primam expositionem iungas secundæ. q.d. Posito vltimo lapide in culmine templi, eoque perfecto gratulabuntur omnes ac cum plausu & iubilo acclamabunt dicentes: Gratia & felicitas perfecti templi ex æquo respondet gratiæ & felicitati qua cœptum est. ita à Castro.

Alleg. Deus æquauit gratiam Christi gratiæ Mosis, imò illa hanc longè transcendit: Christus enim impleuit omnes legis figuras, omnes C Prophetarum prophetias. Nam *lex per Mosen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, ait S. Iohan. c. 1.17. vnde immediatè ante ad hæc verba Zachariæ alludens, præmisit: *De plenitudine eius* (Christi) *nos omnes accepimus, & gratiã pro gratia.* Quod variè varij exponunt, & congruè omnes. Primò, q.d. Legem Euangelicam Christi accepimus pro lege veteri Mosis: vtraque enim est gratia, quia gratis data. ita S. Cyrill. Chrysost. Leont. Theophyl. Euthym. Iansen. Ribera in 1. S. Iohannis. Secundò, q.d. Gratiam vitæ æternæ, id est, gloriã accepimus pro gratia vitæ præsentis. August. ibidem. Tertiò, q.d. Pro gratia Christi nos vicariam & similem gratiam accepimus; hoc est, in Christi gratia quasi in capite, nos omnes quasi membra sumus gratiam consecuti, & per eum grati effecti Deo. ita S. Chrysost. Cyrill. D Theophyl. Zacharias Chrysopol. & Toletus ibidem. Aut neruosiùs Græcum ἀντὶ, id est proponẽdo per *propter*, vti sæpè exponitur, q.d. Propter gratiam Christi quasi fontem & originem (vtpote causam meritoriam) nos omnes gratiam accepimus, putà gratiam propriã per & propter gratiam Christi. Hic sensus videtur genuinus. Explicat enim id quod præcessit: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, scilicet gratiam ex gratia. Quartò, *gratiam pro gratia*, hoc est, hic vnam gratiam, alius pro illa aliam accipit. q.d. Omnes quidem à Christo accepimus gratiam, sed hic hanc, alius aliam, nimirum quisque congruam sue muneri & vocationi. Qui enim vocatus est ad apostolatum, accipit gratiam apostolicam congruam: qui ad doctoratum, accipit gratiam docendi: qui ad martyrium, patiendi; quia ad

cum Matthæ, agendi: qui ad Magdalenæ, contemplandi, &c.

MANUS ZOROBABEL] Hinc patet ad literam hoc Prophetã non de fabrica Ecclesiæ, quam ædificabit Christus, sed de fabrica templi. Sensus enim planus quem verba poscunt, est hic: Sicut Zorobabel prima templi fundamenta iecit sub Cyro 1. Esdræ 3.8. aut certè eadẽ restaurauit & perfecit anno secundo Darij Hystaspis, vt dixit Aggæus c.1.12.& Esdras l.1.c.9. ita ipse fabricã complebit, & templum ad culmen perducet, tumque scietis, ô Iudæi, me Zachariam, qui hæc prædico, verum fuisse Prophetam à Deo missum: quia tunc videbitis reipsa mea hæc oracula & promissa adimpleri. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Lyran. Arias, Vatabl. & alij passim.

Allegor. q.d. Vti Zorobabel per se Dei domum cœpit & perfecit, ita ipse per Christum ex fidelium ædificabit Ecclesiam, eamque per Apostolos aliosque sequaces, ac præsertim per Elium & Henoch in fine mundi omnino perficiet & consummabit.

Tenent *manus*, id est, opera & exempla principum fundant reip. statum, non os, id est, edicta & minæ. *Nam vita principis, censura est, eaq; perpetuæ hanc dirigimur, ad hanc conuertimur*, ait Plinius Panegyr. ad Traianum Imperator. Et Ouid. l. 6 Fastor.

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cum iudex alios quod monet, ipse facit.

Memorabile est documentum S. Augustin. epist. 64 ad Aurelium Episc. inolita populi vitia magis exemplo, quàm seuera castigatione esse tollẽda. *Conuiuationes & ebrietates*, inquit, *ita cõcessæ & ludis putantur, vt in honorem etiam B. Martyrum, non solum per dies solemnes (quod ipsum quis non lugendum videat, qui hæc non carneis oculis inspicit) sed etiam quotidie celebrentur.* Et post pauca: *Non ego dico, quantum existimo, non duriter, non modo superbis illa tolluntur, sed magis docendo quàm iubendo, magis monendo quàm minando. Sic enim agendum est cum multitudine. Seueritas autem exercenda est in peccato paucorum. Et si quid minamur, cum dolore fiat, de Scripturis comminãdo vindictam faciam, ne nos ipsi in nostra potestate, sed Deus in nobis timeatur. Itaque priùs mouebuntur spiritales, aut spiritualibus proximi, quorum auctoritas & lenissima quidem, sed instantissima admonitione cætera multitudo frangatur.* Hac de causa cœpit Iesus facere, deinde docere. Nam vt ait S. Hieronym. epist. 16 ad Principiam: *Erubescit quæso peregrina doctrina, quam propria reprehendat conscientia. Frustra cum lingua prædicat pauperum, & habet eleemosynas, qui Cræsi diuitijs tumet: nihil operum pallio, pugnat contra tineas vestium serarum.*

QUIS ENIM DESPEXIT DIES PARVOS?] Nulli dies naturales sunt parui: omnes enim sunt æqui magni, putà 24. horarum. Dicuntur tamen alij magni, alij parui metonymicè: magni, in quibus magna geruntur, vel contingunt: parui, in quibus parua. Sic Osee cap. 1. v. 11. *magnum diem Iezrahel* vocat diem incarnationis & redemptionis Christi, quo ipse collecturus erat Iezrahel, id est semen Dei, putà populum fidelium ex Gentibus, quàm ex Iudæis in suam Ecclesiam. Vide ibi dicta. Exaduerso dies qui-

A bus cœperunt iaci templi fundamenta, hoc loco vocantur *parui*, ob exilia templi initia, quæ tam tenuia erant, vt qui viderant magnificentiam templi Salomonici flerent, quasi desperantes templum illud posse restaurari, & ad culmen pristinamque magnificentiam perduci. Id patet ex Aggæo, qui coæuus & adiutor fuit Zachariæ in vrgenda templi fabrica, ac proinde eiusdem est interpres, &, vt ita dicam, paraphrastes. Aggæus enim cap. 2.4. *Quis*, inquit, *in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima, & quid vos videtis hanc nunc? numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris?* Quocirca eos consolans & animans promittit v.10. dicens: *Magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ.* Id Secundò, patet ex textu Hebræo, qui

B ad verbum habet: *Quis sprevit diem* קטנות *ketannot*, id est *paruarum*, hoc est, paruorum, scilicet initiorum & fundamentorum templi: Hebræi enim vtuntur genere feminino pro neutro quo carent. Mariana, *quis sprevit dies paruarum acclamationum fundationis templi?* Arias, *quis despexit diem paruitatis?* alij, *exiguitatis*; Pagnin. *quis despexit diem paruarum consolationum?* Clarè Chald. *quis est iste qui contempsit diem hanc, eò quòd ædificium sit exiguum? Nonne conuertetur & lætabitur quando viderit lapidem perpendiculi* (ad dimetiendam, prosequendam & perficiendam fabricam) *in manu Zorobabel?* Dies ergo hi *parui* vocantur tum ob parua templi initia; tum parui, id est, exigui momenti, viles & despecti præ diebus magnis & magnificis, quibus Salomon ædificauit templum prius. Vnde Arabicus vertit, *quis est qui deridebit te* (ô Zorobabel) *in diebus tuis?*

C Secundò, *dies parui* accipi possunt pauci: nam *Secundò.* pauco tempore perfectum est hoc posterius templum. Cœpit enim fabricari anno secundo Darij, & perfectum est anno sexto eiusdem. Vnde Rupert. sic explicat: Quis despiciat paruum hoc tempus? imò verò quis tantam velocitatem tam exigui temporis, quo consummatum est templum, non accipiat pro argumento & experimento quòd Dominus miserit me ad vos, quodque ipse huius velocitatis, æquè ac fabricæ sit auctor & consummator? Sic Iacob interrogatus à Pharaone, quot esset annorum? respondit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum, parui & mali*, id est, pauci & miseri, Genes. 47.9.

D Tertiò, Theodor. sic explicat, q.d. Ego de- *Tertiò.* spexi Ierusalem in multos dies, & ad 70. annos vastitatis & captiuitatis eam condemnaui: pari modo mihi nunc facile est paucis diebus eam restaurare, & ad pristinam gloriam reducere.

Quartò, Ribera per *dies paruos* accipit regnum *Quartò.* Antichristi: ille enim regnabit & opprimet Ecclesiã per dies paucos, putà per tres annos cum dimidio, vt sensusit q.d. Tempore Antichristi fideles videntes eum peslundare Ecclesiam, ac Iudæos illum recipere pro Messia, putabunt esse actum de eorum salute. Videbunt enim Deum qui magna pro ijs quondam operatus est, iam parua pro ijs operari, eosque quasi negligere & despicere. Verum hic sensus non est literalis, sed mysticus.

Allegor. *dies parui* vocantur dies pauci & humiles

miles Christi, inquit Emmanuel. Sicut enim Zorobabel à paruis fundamentis inchoauit fabricam templi, ita & Christus fabricam Ecclesiæ. Natus est enim paruulus in stabulo ex paupere matre. Quis eum videns non despexit? Quis credidit quòd paruulus ille creseeret in tantam Ecclesiam, quæ totum complecteretur orbem? Rursum paruus fuit, id est abiectus: quia fabrilem exercuit, latuitque vsque ad annum trigesimum; tunc verò per paucos dies, putà per tres annos, prædicauit, & paucos eosque rudes habuit discipulos & Apostolos. Vnde despiciebant eum Iudæi & Scribæ, dicentes Marci 6.5. *Numquid hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi*, &c. Hinc Isaias de eo dicit c.53.2. *Ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Porrò hoscе dies paruos, eorumque magna incrementa ostendet rursum in fine mundi, quando per Eliam & Henoch, qui diebus 1260. dumtaxat, vt patet Apoc.11.v.3. hoc est, tres annos cum dimidio prædicabunt, Iudæos conuertet, & debellabit Antichristum cum suis assecłis, vltimamque Ecclesiæ suæ manum & culmen imponet.

Mor. paruа sunt initia magnorum.

Moraliter, disce hîc à Zorobabele, & magis à Christo, res magnas à paruis initijs exordium capere, Deumque magna à paruis ordiri, vt ostendat suam potentiam & magnificentiam, iuxta illud Iob 8.6. *Si mundus & rectus incesseris, statim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ in tantum, vt, si priora tua fuerint parua, & nouissima tua multiplicentur nimis.* Ita *Dominus benedixit nouissimis Iob magis quàm principio eius, & facta sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum, & mille iuga boum, & mille asinæ*, Iob 42.12. Viditid per vmbram Plinius lib.15.c.14. dum ait: *Nihil tam paruum est, quod non gloriam & vtilitatem parere possit.* Et Poëta:

Vilior haud pars est alci, nec dignior vngue:
Ergo etiam paruis gratia magna datur.

Pittacus, vnus è septem sapientibus, cùm ei Mitylenæi multa millia iugerum agri muneri darent: *Nolite (rogo vos)* inquit, *mihi dare, quod multi inuideant, plures etiam concupiscant. Quare ex isthu nolo amplius, quàm centum iugera, qua & meam animi aquitatem, & vestram voluntatem indicent. Nam parua munera, diuina: locupletia, non propria esse consueuerunt.* Ita Æmilius Probus de Viris illustr. in Thrasybulo.

Scripsit de Triplici minimo opusculum Iordanes Brunus, vbi libr.1.cap.2. mathematicè demonstrat minimum esse tum numerorum, tum magnitudinum, tum elementorum, corporumque omnium basin & substantiam; atque hæc de minimo dat paradoxa, imò axiomata: *Minimum substantia rerum est; quia maxima quæque ex minimo, in minimo, ad minimum sunt, per minimumque. Maximum non est aliud, quàm minimum iteratum & multiplicatum*, vti numerus non est aliud, quàm vnitas multiplicata. *Tolle ergo vndique minimum, vbique nihil erit. Ex monade incipit omnis numerus crescitq;, & in monadem desinit. Aufer vndique monadem, nusquam erit numerus, nihil numerabile, nullus numerator. Sic ergo monas est essentia numeri, punctum lineæ, momentum temporis, atomus corporis & compositi. Natiuitas est expansio monadis, & centri vita est consistentia sphæræ; mors est contractio in centrum. Ex minimo incipit & crescit*

A *omnis magnitudo, eadémque rursum in minima extenuatur & desinit.* Qui ergo ad magna contendit, à paruis incipiat. Præclarè S. Augustinus serm. 10. de verbis Domini: *Magnus*, inquit, *esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam cõstruere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Quãtam quisque vult & disponit super imponere molem ædificij, quanto erit maius ædificium, tanto altius fodit fundamentum.*

Huc facit insigne documentum P. Cornelij Vishauæi viri religiosi, quod ex diario P. Laurentiæ recensет noster P. Sacchinus tom. 2. histor. Societ. lib. 3. anno Domini 1559. n. 56. *Ad sanctæ humilitatis commendationem*, inquit, *dicebat gaudere Deum res ex nihilo facere, quòd is modus ostentationis eius virtutis proprius sit, & clarius eam prodat.*

B *Igitur hanc rerum vniuersitatem & pulcherrimam speciem ex nihilo procreauit, ita in animis hominum mundum ornaturus virtutum ex nihilo, id est ex humilitate, qua suum quisque nihilum profiteatur, & sentiat: Superbos infinitis tentationibus subiacere, quos id Deus permittat, vt dissidere sibi discant. Perinde enim Deum facere, atque magnanimus rex, qui quamdiu fidentem sibi hostem videt, oppugnare non cessat, prostrato verò, cadentiq; ac manus danti clementer ignoscit.* Vis ergo esse magnus? paruus esto. Postulas aliquid à Deo? coram eo te annihila. Ita B. Teresia: Receptura, inquit, à Deo gratiam aliquam singularem, soleo priùs annihilari, putà mihi meum nihilum deduci, vt videar mihi esse, nihil posse, vt refert P. Franciscus Ribera in eius Vita.

Huius rei illustre exemplum & speculum dedit S. Franciscus, qui abiectus & humilis tantum

C fecit, imò tot tantosque fundauit Ordines virorum & feminarum, vt omnes alios numero longè superent. Vnde ipsius hæc erat suppliex oratio: *Domine custodi tuum donum in me, quia ego sum latro, dum tibi eius gloriam suffuror, tam tuum ascribo.* ita S. Bonauent. in eius Vita. Sic Deus Iosephum è carcere euexit ad principatum Ægypti; Gedeonem ex area euocauit ad ducatum Israelis; Dauidem ab ouibus, Saulem ab asinis euauit ad regnum. Sic à piscatione & retibus Petrum, Iacobum, Iohannem, &c. vocauit ad apostolatum. Plura exempla eorum qui ab imo ad summum imperij culmen prouecti sunt, recensui Genes. 38 in fine capitis. Qui ergo doctrinæ, concionum, laborum suorum exilia videt principia, paucos auditores, tenuem fructum, ne tu dat animo, nam

D *Debile principium melior fortuna sequitur.*

imò ex hoc conijciat magnam quandoque se collecturum messem, si in opere constet & perseueret. Hic enim est mos Dei, vt per humilia nos ducat ad excelsa. Id quisque in se experitur. Narrant Annales Hispaniæ, & ex ijs Ambros. Morales lib. 9. c. 7. & noster Ribadeneira in vita S. Iacobi, eum in Hispania nouem tantùm malas conuertisse ad Christum: qua de causa tam doleret, seque orationi daret Cæsaraugustæ, apparuit ei B. Virgo columnæ insistens (quæ adhuc viuebat, sed in Oriente) choro angelorum suauissimè canentium stipata, consolans eum, censque: *Hoc in loco ædificabis ecclesiam, eamque nomine insignies: quia hæc Hispaniæ pars mihi est deuotissima, & ex nunc eam in meam protectionem recipio.* Paruit Apostolus & ædificauit [illegible]

quod etiãnum S.Mariæ in columna nuncupatur: atque exinde per nouem hosce eius discipulos facta est totius Hispaniæ conuersio, illeque religionis flos, decor & robur, vt iure reges Hispaniæ Catholici cognominentur.

Denique hac de causa Deus eximios viros, quos ad magna destinabat, corpore paruos formauit, vt ea paruitate eos semper humilitatis admoneret. *S.Chrysost. fuit corporis specie & statura parua, caput grande humeri sustentabant, tenuissima esca ac macie summa confectus, pallidissima facies exsanguibus luminibus atque introrsum recedentibus: cætera corporis & oris lineamentis mœstum quid præferebat, cum extenuata, sed lata & magna esset fronte, rugis undique sulcata, magnis auribus, mento pusillo. Fuit annos 63 in episcopatu sex.* ita ex Menæis Græcorum noster Raderus in Viridario Sanctorum die 30. Ianuarij. Ibidem exijsdem de S. Nazianzeno sic scribit: *Gregorius ille Theologus statura mediocri erat, gratâq; magis breuitate, subpallido, nec fimo, rectu supercilijs, vultu placido & modesto, oculorum altero, dextro inquam, strictiori, quem & cicatrix in hirquo contrahebat, decenti capitis situ inclinato. De quo hoc iure dici potest: Si statua figurâ humanâ efformanda esset ex omnibus ac singulis virtutibus constata, talem in hoc eximio Gregorio effulsisse, qui vita splendore laudatissimum quemque superaret. Vixit vltra animum octogesimum, in episcopatu duodecim.* S.Paulus vti nomine, ita re fuit paruus: *Tricubitalis est*, inquit S.Chrysost. *& cæli non capax.* S.Hieronymum paruo fuisse corpore scribit noster Ribadeneira in eius vita: atque hinc fortè illi tanta mentis acredo. S.Conradus Mansionarius ex paruitate corporis documentum sumpsit humilitatis, & virtutis adeò illustres, vt & miracula patraret, atque aqua quasi oleo ardentem in ecclesia lucernam aleret, vti narrat S.Gregor.l.1.Dialog.c.5. S.Antoninus Archiepisc.Florent. adeò pusillus fuit, vt, cùm is nomen esset Antonius, diminutiuè vocatus sit Antoninus; is tamen monstrum fuit memoriæ æquè ac doctrinæ & sanctitatis. Cùm enim tredecim tantùm esset annorum, totum sibi Canonicum memoriter calluit. S.Cæcilia & S.Agnes paruæ extiterunt, vt ex reliquijs & ossibus earum paruis nuper repertis, liquidò se cognouisse mihi asseruerunt viri graues, ijque vtriq; oculati. At quantus in ijs fuit animus, quanta virtus?

Symbolicè, S.Hieron.quem sequuntur Remigius & Dionys.sic exponit: *Quis*, inquit, *iste qui dies paruos humanos despicit, & regiam potestatem putet esse nihil. Quando viderimus potentes sæculi fulgere auro, purpura gemmisq; rutilare, circumdari exercitu, dicamus istum: Quis putas despicit dies paruos? Qui ergo despexerit dies paruos, ex eo quòd despiciunt regale fastigium, lætabuntur & videbunt auxilium Saluatoris, qui de Zorobabel stirpe promittitur, & propter humilitatem lapis appellatur. Hoc autem refert ad regiam potestatem, vt commoneat Zorobabel, & Iesum, & populum Dei, nequaquam aduersarios timere prohibentes, & laudare Dominum cohortantem.* q.d. Ne timeas Zorobabel, Samaritas, Sanballat, ipsosque monarchas Persarum, qui fabricam templi prohibere possunt, vel etiã volunt. Nam omnes potentes sunt & infirmi, ac paruo tempore regnãt, cum Deo omnipotente & æterno comparen-

A tur. Sic ait Psaltes psalm. 48. 12. *Ne timueris cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius: quoniam cùm interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Et psalm. 36.35. *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Et Iob 23.24. *Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent, &c. & sicut summitates spicarum conterentur.*

ET LÆTABVNTVR] q.d. Nolite, ô Iudæi, despicere dies paruos, quibus parua iaciuntur templi fundamenta: mox enim lætabimini, cùm videbitis lapidem stãneum in manu Zorobabel, quo ad perpendiculum ijs inædificabit parietes, eaque in magnam fabricam extendet, cui tandem culmen imponet. ita Chald. & alij.

B LAPIDEM STANNEVM] Chald. *lapidem perpendiculi:* solet enim lapis è stanno, vel plumbo, ob pondus & grauitatem alligari perpendiculo, vt eius funiculum rectè distendat ad mensurandas areas ædificij, vt vterque eius paries vtrimque æquè distet à centro terræ; ne si vnus magis ad illud inclinet, eò ruat, alterumq; secum in ruinam trahat, vti dixi c.1.16. Sensus ergo est, q.d. Magna erit lætitia cùm Zorobabel ad perpendiculum ædificabit, & consummabit templum; iuxta illud quod dixit c.1.16. *Et perpendiculum extendetur super Ierusalem.* Hoc autem propediem fiet, quia perpendiculum in manu habet Zorobabel, quasi iam parans progredi in fabrica, eamque dimetiri, vt iuxta dimensum illico parietes erigat. Pro *stanneum*, hebr. est בְּדִיל *bedil*, id est separationis, per quem Arias accipit lapidem separatum & eximium, qui poni solet in culmine. Verùm Septuag. Chald. Noster, Vatabl. Pagnin. & alij, vertunt *lapidem stanneum*, vel *lapidem perpendiculi*: stannum enim dicitur hebr. *bedil*, eò quòd in fornace vi ignis separetur, & primò fluat de argento, vti mox dicam ex Plinio. *Lapis stanneus quid*

C Allegoricè, lapis stanneus est Christus, inquit S.Hieron. qui est in manu, id est potestate, Zorobabel, quia eius filius & ex eo prognatus, idque Primò, *eò quòd sit murus*, inquit S.Hieron. *& fortitudo roburq; credentium. Sicut enim stannum ab igne alia metalla defendit, & cũ sit natura aes ferrumq; durissimum, si absque stanno fuerit; vritur & crematur: sic omnis angelorum & hominũ fortitudo, si non habuerit auxilium Saluatoris, imbecilla probatur & fragilis.* Secundò, *lapis iste* הַבְּדִיל *habbedil* scribitur, *id est stanneus, id est, separans & secernens* (radix enim בָּדַל *badal*, significat separare & secernere) *vt quomodo stannum mixta & adulterata inter se, per ignem metalla dissociat; ita Dominus verus probator & χωνευτὴς, ab auro & argento bonorum operum æs vitiorum plumbumq; secernat, vt purũ aurum remaneat & argentum. Aliis verbis διακαθαίρων iste & separator in Euangelio scribitur: Cuius ventilabrum in manu eius, & ipse purgabit aream, & separabit paleas à tritico,* Lucæ 3. Hucusque S.Hieron. Ita separabit Christus iustos & electos à reprobis, quasi oues ab hœdis in die iudicij, Matth. 25. Ita tropologicè, Deus suis fidelibus in igne tribulationis quasi stannum se admiscet, ne ab igne exurantur, sed tantùm purgentur, dicantq; cum S.Iob c.23.10. *Probauit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Et cum Psalte: *Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* *Allegoricè est Christus.* *Primò.* *Secundò.*

D

Tertiò. Tertiò, Arias & Ribera: Christus, inquiunt, est lapis stanneus, quia reiectus & reprobatus à Iudæis, vti stannū secernitur ab argento; sed à Deo factus est in caput anguli. Verùm lapis hic stanneus non est fundamentalis, nec pars fabricæ, sed eius perpendiculum & norma.

Quartò. Quartò ergo aptiùs, lapis hic in manu Zorobabelis, id est Christi, est eius lex, Euangelium & doctrina, quā verbo, & magis vita expressit. Hæc enim est perpendiculum, regula & norma omnis virtutis & perfectionis; vnde iuxta eam fabricam sanctitatis in anima exædificare debemus, & quo magis ad eā accedimus, eo fabrica erit perfectior; quantum verò ab ea recedimus, tantum à sanctitate elongamur.

Quintò. Stanni tres proprietates. Quintò, tres stāni analogias affert Nicetas in orat. 44. Nazianzeni. Prima est: *Dicunt*, inquit, *stannum ex are & plumbo commistū ac temperatum esse: quæ de causa nec duritiei omnino est expers, nec rursus mollitiem omnem respuit. Simili modo Emmanuel ex firmissima & infrangibili diuinitate, atque ex molli, & vt ita dicam, affectibus obnoxia humanitate compositus est.* Secunda, *stannum siue plumbum ad purgationem alterius materiæ, quæ igne indiget, necessariò assumitur, ac præsertim ab ijs, qui ex argento opus aliquod efficiunt. Stanno itaque siue plumbo assimilatur Christus, vtpote sordes spiritales colliquefaciens ac purgans.* Hoc de plumbo verum esse, non de stanno, plures præstātes aurifices Romæ à me hac de re consulti asseuerarunt: plumbo enim expurgari aurum & argentum, non stanno, imò, si quid adsit stanni, perdifficilem esse expurgationem. Tertia, *stannū res inter se distractas connectit, vtpote quod glutinandi vim habet. Tale autem quiddam in nobis Christus præstitit: siquidem illud verbum est, quod in vnum hominem duos populos creat*, & quasi conflat. Duas hasce priores analogias penè ad verbum habet hic Cyrillus, ex quo eas sumpsit Nicetas. Addit Cyrillus, Adamātem, inquit, quem nulla materia potest vincere, frāgit plumbum: sic Christus summè potens & bonus Satanam tamquam adamantem frangit, de quo scriptū est: *Cuius cor πέτρας instar lapidis.* ita ipse. Verùm aurifices & conflatores constanter negant plumbo frangi adamantem. Vbi aduerte, Cyrillum & Nicetam stannum & plumbum pro eiusdem naturæ & conditionis metallo sumere: stānum enim videtur esse plumbum nobilius, plūbum verò videtur esse stānum deterius; vnde etiānum qui vendunt lances stanneas, subinde eas plumbo adulterant, & plumbeas vendunt pro stanneis. Porrò ex hisce stanni conditionibus discant Zorobabeles, id est principes, iudices, syndici & visitatores, quales esse debeāt. Quibus addequod scribit Plinius l. 34. c. 17. *Stannum*, inquit, *illitum aneis vasis saporem gratiorem facit, & compescit æruginis virus, mirumq; pondus non auget*; atque hasce ob causas pleræque gentes prandent & cænāt in lancibus & vasis stanneis. Ita princeps suis sit stanneus, id est, sapidus & gratus, vt virus scelerum amoueat, & onera tributorum non augeat, nec fiscum ex damnatorum opibus locupletare satagat.

Symbolicè, Q. Iulius Hilarion in Chronologia, quæ extat tom. 3 Biblioth. SS. Patrum, docet globum illum, qui in manu Imperatorum pingitur cum cruce eidem infixa, quo significatur orbis dominium, adumbratum fuisse hoc *stanneo lapide, quem Zorobabel dux populi Israel manu circumferebat*, hoc est, inquit Hilarion, *populum*, quasi globus hic populum orbis conglobatum sub vno Imperatore repræsentet. Verùm hic lapis stanneus non tam fuit globus, quàm perpendiculum, vti iam dixi.

Anagog. Rupert. lapis stanneus, inquit, est humanitas Christi, quæ ante passionem à Iudæis pro stanni despecta fuit & abiecta, sed post eam per resurrectionem facta est argentea, imò aurea, hoc est, augusta & glorioſa. Huic significationi fauet quod scribit Plinius lib. 34. c. 16. stannum ex eadem vena prodire primò stannum, deinde argentum, tertiò plumbum. *Ens*, inquit, *quod primus fluit in fornacibus liquor, stannum appellatur: qui secundus, argentum: quod remansit in fornacibus galena, quæ portio est tertia addita vena. Hæc rursum conflata dat nigrum plumbum, deductis partibus duabus.*

10. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.

11. Et respondi, & dixi ad eum: Quid sunt duæ oliuæ istæ ad dextram candelabri, & ad sinistram eius?

12. Et respondi secundò, & dixi ad eum: Quid sunt duæ spicæ oliuarum, quæ sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro?

13. Et ait ad me, dicens: Numquid nescis quid sunt hæc? Et dixi: Non, domine mi.

14. Et dixit: Isti sunt duo filij olei, qui assistunt Dominatori vniuersæ terræ.

SEPTEM ISTI OCVLI] Quæres, quinam & ubi sunt hi oculi? Ribera & alij nonnulli censent eos fuisse in lapide stanneo, de quo immediatè præcessit. Similiter enim c. 3. 9. Propheta vidit oculos in lapide coram Iesu, vti hīc eos vidit in lapide, quem manu tenebat Zorobabel. Vnde quasi suspicari posset lapidem stanneum non fuisse plumbetum, vel stannetum perpendiculi ad dimetiendam fabricam: nec enim in eo vtpote exiguo collocari poterant septem oculi; sed fuisse lapidem illustrem & fulgidum, cui insculpebatur titulus, auctor, annus, dies & mensis consummatæ fabricæ (vti in nonnullis palatijs lamnæ plumbeis vel stāneis ea & similia incisa videmus) ideoque hebr. vocari בְּדִיל *bedil*, id est, separatum à reliquis, quasi eximium, vti censent Arias. Aus certè dicere quis possit, oculos hos fuisse in lapide non stanneo, sed primario, de quo v. 7. quasi ipsi discurrunt vndique, vt curent Ecclesiam in hoc lapide solidari & crescere. Attamen verius videtur hos oculos fuisse in candelabro, eorum fuisse septem calamorum candelabri extrema, in culmine eorum extantia, quæ oculorum speciem habebant, quæque per septem lucernas lucentes sibi insistentes & velut inoculatas quasi oculi videre, reſque vicinas illuminare & visibles facere videbantur. Probatur id Primò, quia visio tota huius capitis est de candelabro, eiusq; partibus: ergo oculi hi sunt candelabri, non lapidis, præsertim quia lapidem nullum hīc videt Zacharias, sed tātùm promitti eum audiit, quod

nimirum futurus esset in manu Zorobabel, quãdo ipse fabricam templi erat instauraturus.

Secundò, quia lucernas & infusoria, imò & candelabrum hactenus non explicauit angelus. Hic ergo ea explicat, dicens ea esse septem oculos, *qui discurrant* per *vniuersam terram*; ac consequenter hoc ipso simul explicat ipsum candelabrum, nimirum ipsum repræsentare Deum & Christum, putà prouidentiam diuinam omnia circumlustrantem, dirigentem & gubernantem, quæ prouisura erat & curatura fabricam templi, per septem hasce lucernas lucidas vt oculos, id est angelos. Vnde Syrus & Arabicus vertunt, *ipsi sunt septem oculi Domini, qui intuentur vniuersam terram.*

Tertiò, quia Zacharias quasi iam intelligens mysterium candelabri & lucernarum, subiungit perinde & de oliuis, quæ solæ in eo explicandæ supererant, dicens: *Quid sunt duæ oliuæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius?* q.d. Iam ex te audiui quid significent lucernæ; & consequenter ipsum candelabrum, restat vt explices quid portendant binæ oliuæ, vtrimque ad candelabrum positæ.

Quartò, quia in hisce verbis, *Septem isti oculi*, &c. incipit noua periodus: Ergo isti oculi non sunt lapidis, de quo multò antè actũ est v. 7. sed candelabri, cuius idea toto cap. describitur. Vnde pronomen *isti* videtur demonstrare oculos, qui erãt in infusorijs, putà in summis orificijs calamorum & lucernis. Hos enim, non alios, videbat, & demonstrare poterat Zacharias.

Quartò, quia huc alludens S. Iohannes, vidit septẽ angelos primarios repræsentari primò per septem lampades, Apoc. 4. 5. *Septem lampades*, inquit, *ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.* Deinde per septem Agni oculos, *qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram*, Apoc. 5. 6. Vtrumque enim hoc symbolum videtur S. Iohãnes accepisse à Zacharia hoc loco, & c. 3. 9. Nec enim alius Propheta horum meminit. Rursum Apoc. 1. 16. dicitur quòd Christus *in dextera sua habebat stellas septem*, quas explicans v. 20. *Septem stellæ*, ait, *angeli sunt septem Ecclesiarum.* Sicut ergo angeli ibidem stellis, ita hic lucernis quasi oculis comparantur: stellæ enim sunt quasi lucernæ, & oculi cæli.

Quæres Secundò, quid hi septem oculi, id est lucernæ significent? Resp. significant septem angelos primarios, qui sunt administri & executores diuinæ prouidentiæ, cuius symbolum est cãdelabrum, quod circumstãt & iugiter intuentur. Hinc vocantur oculi, vtpote peruigiles, vt dixi c. 3. & lucernæ, siue lampades; tum quia lumen, id est scientiam suam, vigilantiam & perspicaciam à lampade, id est, à Deo & Christo hauriunt: tum quia Ecclesiam & fideles lumine diuinæ cognitionis illuminant, & amore cælesti inflammant: hac de causa *discurrunt in vniuersam terram*, hi septem oculi, id est, hi septem angeli per septem oculos significati. Vide dicta Apoc. 4. 5. *Oculus enim iustitiæ est seruator, & custos corporis*, ait Diodorus l. 3. histor. Vnde leo qui est rex animalium oculis semper excubat. Vnde cùm dormit, eos non claudit, sed apertos tenet. Hinc S. Epiphan. in Physiol. agens de catulo leonis: *Cùm dormit*, inquit, *vigilant eius oculi, ita vt venatorem à septem stadijs præsentiat.* Ex significatione horum

Cornel. in Proph. Min.

septem oculorum, id est lucernarum, discimus, quid significet ipsum candelabrum, nimirum Deum, Deique omniscientiam & prouidentiã. Ab ea enim sola lumen suum hauriunt septem lucernæ, id est angeli. Cùm ergo ex Zacharia constet lucernas esse angelos, consequenter cõstat lampadem esse Deum, Deique prouidentiã: illius enim administri sunt angeli, qui proinde ab eo missi discurrunt in vniuersam terram, vt ait Zacharias. Quocirca S. Bernard. in lamẽt. B. Virginis Mariæ, loquens de Deo Deique filio: *O*, inquit, *immarcescibilis decor Dei excelsi, & purissima claritas lucis æternæ; vita omnem vitam viuificans; lux omne lumen illuminans, & conseruans in æterno splendore. Mille millena lumina fulgurãtia ante thronum diuinitatis tuæ à primo diluculo.* Quia enim *Deus noster ignis consumens est*, vti ex Mose ait Apost. Hebr. 12. 29. ipse enim est ignea & ardẽtissima charitas, de qua Cant. 8. 6. *Fortis est sicut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades eius lampades ignis atque flammarum*; hinc iure ei præferuntur lampades, ignis, fulgura & stellæ, quæ angelorum Deo astantium & ministrãtium sunt symbola, iuxta illud psal. 103. 4. & Hebr. 1. 7. *Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* Hæc enim omnia ignis increati & immensi, putà diuinitatis, sunt scintillæ & indices. Quocirca Sacrosanctæ Eucharistiæ, quasi Deo, faces & tædæ præferuntur, atque ante hierothecas eius iugiter ardent lampades. Damnauit & risit olim Vigilantius hæresiarcha lampades per diem in Ecclesia accendi solitas; in quem iure S. Hieron. l. contra Vigilant. *Tu*, inquit, *vigilans dormis, & dormiens scribis, & proponis mihi librum apocryphum, qui sub nomine Esdræ à similibus tui legitur, vbi scriptum est, quòd post mortem nullus pro alijs audeat deprecari. quem ego librum numquam legi. Quid enim necesse est in manus sumere, quod Ecclesia non recipit?* Hinc rursum de stellis (quos ignes animatos esse anima intelligentiarum, siue angelorum olim censuerunt Philosophi) quasi Deo summo prælucentibus, ita canit Poëta:

Vos æterni ignes, & non violabile numen
Testor.—

Et de fulguribus quasi Dei prænuncijs, ita scribit Iob 38. 35. *Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi: Adsumus?* Denique de quatuor Cherubinis stipatoribus currus diuini, ait Ezechiel c. 1. 14. *Ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscãtis.* Hac de causa olim regibus, qui sunt dij quidam terrestres, præsertim apud Persas, Æthiopes, Chaldæos & Assyrios, lampades, vel faces prælucebant, vt ostendi Ieremiæ 1. 13. Sic de Iulio Cæsare Sueton. in eius vita c. 37. ait: *Ascenditq; Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atq; sinistra lychnos gestantibus.* Et Herodianus l. 1. de Martia: *Præter ignem*, inquit, *omnes honores velut Augusta ei tribuerentur.* Et de Heliogabalo: *Discurrente etiam cum facibus vtrimque populo.* Et de Gordiano: *Ignis de more præferebatur.* Et de Constantino Magno, Romæ Christi fidem & legem publico edicto sanciente, ex Actis S. Siluestri sic scribit Baron. anno Christi 324. *Reuertente Augusto ad palatium tota ciuitas cereis lampadibusq; repleta, coronata* (vel, vt alij legũt, *comitata*) *est.* Sic & cæteris Imperatoribus Romanis, & Constantinopolitanis olim prælatus est ignis. Quin & Patriarchas præibat lampadarius,

Ignis Deo præfertur. *curt*

Et regibus. *curt*

qui in liturgijs & processionibus lampadem ante ipsos Ecclesiæ principes gestabat. Notat Balsamon prælatas Imperatori faces, corona aurata gemina fuisse insignitas; cùm Imperatricis & Patriarchæ lampades vna tantùm essent redimitæ. Hic ritus demonstrabat reges fulgore dignitatis, sapientiæ & prouidentiæ conspicuos esse, eosque instar ignis omnia permeare, & vitalem spiritum suis popularibus impartiri. ita Nicol. Causinus l.1.Parallel.histor.c.21. Ignis enim est sapientia,in quo est splendor & calor: hoc accēdit,illo illuminat. Prouidentiæ ergo symbolum est lampas,& flamma.vnde Poëta:

Curt

Ne fortè in tenebris offendas, sit tibi summi
Flamma iter ostendens, prouida cura Dei.

Hinc & vigilātia in emblematibus pingitur quasi matrona, dextra tenens librum, sinistra virgam cum lucerna accensa: astat ei grus, altero pede eleuato sustinens lapidem.

VERS. II. ET RESPONDI]q. d. Dictis angeli,quibus candelabrum eiusque oculos, id est lucernas, explicauit versibus præcedentibus,subieci aliam,non responsionem (nihil enim ex me quæsiuit angelus)sed interrogationem, quid sibi vellēt duæ oliuæ vtrimque candelabrum stipantes, hoc enim solum ex candelabro exponendum restabat. Sic respondere sæpè alibi sumitur pro incipere loqui,& inchoare sermonem,vt Matth.11.25. *In illo tempore respondens Iesus dixit:Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ.* Porro *duæ oliuæ* sunt *duæ spicæ oliuarum*,de quibus v.12.

VERS. 12. ET RESPONDI, (id est interrogaui) SECVNDÒ] Cùm angelus taceret, & tardaret respondere ad quæstionem Zachariæ, interrogantis: *Quid sunt duæ oliuæ istæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius?* idque ad hoc, vt in ipso acueret desiderium interrogandi, & cognoscendi hæc symbola, Zacharias ea pernoscendi ex angeli iuuentio auidior effectus, interrogationem iterat, sed alijs verbis, aliaque periphrasi, quæ plenius rem interrogatam circumscribit & exprimit: *Quid*, inquit, *sunt duæ spicæ oliuarum, quæ sunt iuxta duo rostra aurea?* quæ scilicet sunt ad dextram candelabri & ad sinistram eius, vti in priore interrogatione dixit.

Spicæ sunt rami oliuarum.

DVÆ SPICAE OLIVARVM]*Spicas* vocat arbores,vel,vt Septuag.Syrus & Arabicus,ramos,qui pleni erant oliuis, sicut spicæ plenæ sunt granis: oliuæ enim paruæ, quales habemus Romæ,sunt instar granorum;vnde oleæ præsertim nascentes & graciles,videntur esse instar spicarum.Est catachresis,vel metaphora, inquit S.Hieron. *quòd in morem spicarum rectæ sint arbores; & quasi spicæ aristis, sic istæ vallo quodammodo ramorū atque foliorum tectæ sunt,& in sublime surgentes.* Sic & Vatab baccas oliuarum,inquit,comparat granis,& ramum culmo.Hinc patet, has oliuas non fuisse sculptas in candelabro,vti aliqui censent;sed fuisse arbores, vel ramos oliuis plenos, consistentes iuxta candelabrum. Significant enim Iesum & Zorobabel, qui pariter assistunt dominatori terræ, vt eius iussa circa templi fabricam exequantur, vti explicat angelus.

Duo rostra quæ? Prima explicatio.

QVAE SVNT IVXTA DVO ROSTRA] Ita & Syrus,& Arabicus. Quæres, quænam hæc rostra? Primò.Ribera censet duo rostra fuisse duos vncos, ex quibus suspenderentur infusoria, id est, vasa quibus oleum infunderetur in lucernas, & significare duas naturas Christi, diuinam & humanam, quæ virtute sua sustinent septem infusoria gratiæ,id est septem Sacramenta, quibus omne suum oleum,id est omnem iustificādi vim & vigorem,tribuunt. Verùm hoc mysticum est, non literale. Adde infusoria hæc non fuisse infundibula à candelabro separata,sed fuisse ipsis septem calamos candelabri concauos quibus insistebant totidem lucernæ,vti dixi v.2.

Secundò, à Castro & alij censent hæc rostra fuisse fistulas aduncas, in quas ex oliuis superne imminētibus distillaret oleum, vt per eas influeret in lampadem,& ex ea in lucernas, ad fouendum perenne earum lumen.

Probant id Primò, ex textu Hebræo, qui ad verbum sic habet: *Quid sunt duæ spicæ oliuarū, quæ sunt in manu duarum fistularum aurearū euacuantium ex eis(oliuis)aurum*, id est,oleum flauum vt aurum:ita R.Abrahā. R.Dauid.Pagnin.Vatab. & Arias. Pro *rostra* hebr. est מוצקות *fanterot*, quod Arias Latina voce Hebrææ affini vertit *cantharos*; Vatab. *ampullas*; Chald *lecythos*: in his enim solet excipi oleum. Sic enim habet Chald. *quid sunt duæ spicæ oliuarum, quæ sunt iuxta duos lecythos aureos, ex quibus effunditur oleum in lucernas aureas?* Et Septuag. *quid sunt duo rami oliuarum, qui in manibus duarum narium aurearum, quæ infundunt & retrahunt suffusoria aurea?* Secundò, quia Hebr. מרקים *merikim*, id est euacuātes aurum,id est oleum,cùm sit masculinum, referendum est ad שבלי *scibbale*, id est spicas,non ad femininum *fanterot*,id est rostra. Ex spicis ergo oliuarum defluebat oleum in rostra, & ex ijs euacuabatur in lampadem. Verùm obstat Primò, quòd oleum ex oliuis non distillat, nisi illæ tundantur, vel premantur in prælo: deinde oleum contusum vel pressum solet ex prælo in vasa transferri, vt in eis subsidente amurca purificetur, & sic tandem purificatum per infundibula in lampades infunditur. Hîc autem nec prælum, nec vasorum aliorum vlla fit mentio. Secundò lampas hæc ex se plena erat oleo: non ergo accipiebat oleum ex oliuis.Repræsentat enim Deum,qui ex se omni scientia & gratia est plenus, quam non haurit ab angelis & hominibus, sed ipse omnibus eamdem impertit.

Dico ergo hæc duo rostra fuisse duas summitates duorum calamorum cādelabri, quibus duæ insistebant lucernæ, quarum vna erat ad dexteram,altera ad sinistram candelabri. Vnde Marnus & alij Hebr.*fanterot*, id est *rostra*,vertunt *canales*.vel *fistulas*, vti sunt calami.Hi calami vocātur rostra, quia erant aduncivti sunt rostra auium. Septuag.vertunt μυξωτῆρες, id est nares, quia erant instar naris sublimatorij sursum elatę. Pyramis enim sublimatoria in qua distillatur aqua, v.g.rosacea, oleum,vinum &c. quæ vulgò *lambico*, vel *capello* vocatur,suā habet narem, id est canaliculum aduncum per quam aqua distillata defluit in vas subiectum. Id ita esse patet ex eo, quòd Zacharias hîc idem dicit, quod paulò antè,sed alijs verbis, & alia periphrasi loquitur enim de ijsdē oliuis duabus. Per duo ergo rostra significat duo latera, siue dextram & sinistram cādelabri,vti paulò antè dixit:ibi enim consistebant hæc rostra & calami. Ex septem ergo calamis & rostris, duo tātùm nominat sita ad dextri

&

& finistram candelabri, vt vtramque per ea indi-
cet. Per hoc significat situm duarum spicarum,
siue olearum, nimirum earum vnam fuisse posi-
tã dextris candelabri, iuxta calamum eius dex-
tram; alteram à finistris, iuxta calamum eius fini-
strum. Porrò hebr. est, *quæ sunt* בְּיַד *beiad*, id est, *in manu*, hoc est ad manum, putà ad latus, *duorũ ro-*
strorum. Quocirca claré & fideliter tam Chald. quàm Noster vertunt, *quæ sunt iuxta duo rostra.* Non ergo hæ oliuæ fuerunt insertæ rostris, vt in eis distillarent oleum, vti auctores secundæ expositionis imaginantur; sed fuerunt iuxta rostra, ita vt ad altitudinem rostrorum assurgerent. Sequitur

Et ego vs (rostris) SVNT SVFFVSORIA EX AVRO] *Suffusoria*, siue infusoria, vt vocauit v. 2. erant fistulæ vel canales calamorum, per quas oleum ex lampade in fluebat in lucernas, quæ erant in rostris. Quocirca infusoria hæc, siue fistulæ erãt in rostris, cum rostris erant contiguæ, vel potiùs continuæ, opere tamen fabrili in tornum ita elaboratæ, vt non insertæ viderentur, vti in candelabris Romanis videmus ramum vnum alteri ita connecti, vt non insertus videatur; esto reuera sæpè non secus inserta, sed malleatione diductus & contiguus. Hebr. est מְרִיקִים מֵעֲלֵיהֶם זָהָב *merikim meal-lehem zahab*, id est, *euacuatoria ex eis* (rostris scilicet) *prodibant ex auro.* Vnde Arabicus Alexandr. vertit, *progrediebantur extra velamẽ auri.* Euacuatoria vocat infusoria iam dicta, putà fistulas calamorum concauas, quæ euacuabant & fugebant oleum ex lampade, illudque in rostra & lucernas ibi insistentes transfundebant. Vox enim *merikim* accipi potest substantiuè, vt significet euacuatoria, putà infundibula, siue canales iã dicti. Recentiores verò *merikim* accipiunt adiectiuè, eamque, *euacuãtes ex super se aurum*; Syr. *fundentes aurum*, id est, oleum flaueſcens & auro ferme verùm tunc *merikim* refertur non ad *fistulas*, id est, spicas oliuarum, quasi illæ distillarent oleum, quod ex eis hauserint & euacuauerint, vt nos volunt, sed ad *sanctorum*, id est *rostra*, quæ *ex supra se* id est, ex lampade altiore fugebant & euacuabant oleum dandum lucernis ibi dictis: licèt enim *sanctorum* sit femininum, *meal-lehem* verò masculinum, tamen cum eo cohæret: quia Hebræis crebra est enallage generis æquè ac numeri, vt substantiuo feminino attribuant adiectiuum masculinum, & vice versa; vti hic *sanctorum* femininum connectunt cum masculino שְׁנֵי שִׁבֳּלִים *sunt*, id est duo: dicendum enim erat שְׁתֵּי שִׁבֳּלִים *sunt* femininè.

NVNQVID NESCIS] Exigit angelus à Zacharia humilem confessionem ignorantiæ, vt ea mentem & disponat se ad excipiendam Dei reuelationem, & mysterij interpretationem. Humilis enim, humilisque confessio & interrogatio est congrua via ad scientiã, præsertim diuinam.

ISTI SVNT DVO FILII OLEI] Addunt aliqui *filii*, id est splendidi; sed *& splendoris* delent Bibliæ Romanæ. Iam *filij olei*, id est, vncti oleo, siue Spiritu Domini, significat Iesum filium Iosedec qui vnctus, id est consecratus, erat pontifex; & Zorobabel qui vnctus, id est constitutus, erat princeps populi. q.d. Istæ duæ arbores, vel rami pleni oleo ad exprimendum oleum, significant duos summos magistratus, putà principem & pontificem, hi enim solent vngi oleo sancto (etsi fortè de facto hi duo non fuerint vncti, vtpote creati in Babylone & exilio) nimirum Iesum & Zorobabel, qui quasi ministri assistunt Deo dominatori vniuersæ terræ, quem repræsentat hoc candelabrum, vt eius decreta exequantur, eique candelabrum antitypum, id est templum, ædificent, ac populum in rebus tam diuinis quàm politicis gubernent, iuxta illud psal. 127. 3. *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Pari enim modo hîc Iesus & Zorobabel quasi nouellæ oliuæ assistunt Deo, quasi parenti suo repræsentato per candelabrum; tum vt eum honorent, eique ministrent; tum vt vicissim ab eo illuminentur & dirigantur: quo significatur quòd Deus & Christus peculiari prouidentia regant duos hos magistratus, putà pontifices & reges siue principes. ita Hebræi, Theodor. Lyran. Vatab. Clarius. Mariana & alij. Vnde Chald. vertit, *isti sunt duo filij principum*, ideoque principes. Iesus enim erat filius Iosedec summi pontificis: Zorobabel erat filius Salathiel, filij Iechoniæ regis Iuda. Secundò, Aquila & Theodotion vertunt, *isti sunt duo filij splendoris*, vel *claritatis*, id est splendidi, clari & illustres tum genere, tum principatu, tũ moribus & gestis. Sic etiam potest accipi versio nostra. Nam filius olei accipi potest lux, quæ ex oleo, quasi filius nascitur, lactatur & nutritur. Filij ergo olei, idem est quod lucidi, splendidi, celebres.

Tertiò, Septuag. Syrus & Arabicus Antioch. vertunt, *isti sunt duo filij pinguedinis.* In oleo enim est Primò, nitor; Secundò, lucis & ignis fomentum; Tertiò, pinguedo. q.d. Isti duo pingues & fertiles futuri sunt, ac multum fructũ allaturi tum Ecclesiæ, tum reipub. præsertim per fabricam templi, qua & Ecclesiæ religionem, & reipub. maiestatem, æquè ac iustum piumque regimen, tam sacrum, quàm ciuile & politicum conciliabunt. Alludit Zacharias ad duos Cherubinos, quos ex ligno oliuarum, quasi filios oleæ & olei fabricauit Salomon, 3. Reg. 6. 31. Sicut enim illi propitiatorium & arcam, ita Iesus & Zorobabel, id est, pontifex & princeps, Ecclesiam & Remp. sustentant. Vnde Arabicus Alexandr. vertit, *isti sunt filij misericordiæ*: hæc enim est virtus principum, eiusque symbolum est oleum. Huc alludit Eccles. c. 44. 10. *Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt.*

Moraliter, discant hîc reges & principes se, què ac pontifices, tamquam ministros assistere Deo dominatori terræ, vt eius templum, cultum, iustitiam omnemque virtutem in populo instaurent & promoueant. Quocirca Constantinus Magnus dictitare solebat, *reges extra fores Ecclesiæ, Episcopos esse.* Eniti enim debent, vt subditi piè Deum colant quasi eorum Episcopi essent. Pontifices enim & reges sunt quasi duo Cherubini, pleni oleo, qui assistunt Deo super arcam Ecclesiæ residenti, vt eius gloriã propagent. Sint ergo assistentes Dei, quasi filij olei. Oleum pascit, lucet, lenit, cibus est, lux & medicina. Hæc tria præstent subditis, ac præsertim viscera misericordiæ, quam repræsentat oleum. Rursùm oliua innuit, quòd principis sit per clementiam, mansuetudinem & pacem, cuius symbolum est oliua, procurare rerum copiam: hanc enim gignit pax; cùm bellum res opesque cõsumat, iuxta illud psal-

Mor. reges & principes sint filij olei triplicitèr.

mi 121.7. *Fiat pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Quocirca in nummis Augusti Cæsaris, pax pingitur quasi matrona sinistra tenens cornucopiam, plenā fructibus, floribus & frondibus; cum ramo oliuæ; dextra verò facem, qua accendit & comburit mōtem armorum. Eadem apud Pausaniam pingitur quasi virgo pulchra, in capite gestans coronam ex oliuis, dextra gestans imaginem Pluti (qui erat apud Gentiles diuitiarum præses & Deus) sinistra fasciculum spicarum granis frumenti refertarum. Simile est in nummis Traiani: pingitur enim pax quasi virgo, dextra tenens ramum oliuæ, sinistra cornu diuitiarum. A

Pacis emblema.

Alleg. *duo filij olei* assistentes candelabro, id est, Christo & Ecclesiæ, sunt Moses & Elias, qui Christo quasi testes astiterunt in transfiguratione, inquit Remigius. sic & Tertul. libr. 4. contra Marc. c. 22. censet hasce duas oleas esse Mosen & Eliam, in quorum medio transfiguratus est Christus in monte Tabor. *In medio*, inquit, *duorum animalium cognoscetis, Mosi & Eliæ. De quibus & Zacharias vidit in figura duarum olearū, & duorum ramulorum olea. Nam hi sunt, de quibus dictum est: Illi duo filij opimitatis astiterunt Domino vniuersæ terræ.* Potiùs hi duo sunt S. Petrus & Paulus, quorum ille Iudæorum, hic Gentium fuit Apostolus, qui vtrisq; splendore doctrinæ & vitæ ita præluxerūt, vt eos Christo subiugarint. Rursum in fine mundi, duo filij olei Christo erūt Elias & Henoch, *quorum alter in præputio, alter in circumcisione placuit Deo, & cum corpore raptus est in cælum est*, ait S. Hieron. Quod enim fecit Iesus & Zorobabel in populo ex Babylone in Ierusalem & templum reuocando, idipsum facient Elias & Henoch in vltima sæculi ruina, vt tam Iudæos quàm Gentes ab Antichristo reuocent ad Christum, itaque Ecclesiæ militantis fabricam & electorum numerum perficiant & consumment. Id ita esse patet Apoc. 11.4. vbi de Elia & Henoch ait Iohannes: *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.* Vbi planè ad hūc Zachariæ locum alludit in sensu, non literali, vt aliqui cum Ribera & Emmanuele volunt, sed allegorico. Vide ibi dicta: vbi pariter tropologice ostendi, oleum & oliuam esse symbolum Sanctorum, ob quinq; analogias. Neuosè poeta triplicem insignis viri ducisque virtutem triplici corona exprimit: B C

E lauro, quercu, atque olea duce digna corona,
Prudentem, fortem, pacificumq; decet.

Laurus enim Apollini dicata notat prudentiam, quercus Ioui, fortitudinem & constantiam animi; olea Palladi, pacis studium.

Symbolicè, *Duas oliuas*, inquit S. Hieron. *quidam è nostris Filium interpretantur & Spiritum sanctum, & mediam lampadem Deum Patrem: sed nescio quomodo absque blasphemia alterum à dextris, alterum accipiant à sinistris. Rabinos quoque sine fine oliuarum incarnationem Saluatoris, & similitudinem columbæ Spiritus sancti edisserunt, quæ totas oliuas videre nequeamus, sed partem quamdam, & vt ita dicam, ramusculos incarnationis Christi, & effusionis Spiritus sancti nobis esse monstrator. Aly duo testamenta intelligunt, à dextris Euangelium, à sinistris legem; eò quòd in altero spiritualis sit sensus, in altero corporalis; & quòd nec totum Euangelium, nec totam legem explanare possimus; & nunc ex parte cognoscamus, & ex parte prophetemus, & necdum possimus omnia intelligere quod perfectum est. Sunt qui duos ramos oliuarum, vel duas spicas, & filios pinguedinis vel splendoris, sacerdotium interpretentur & legem, quæ gentium præbeant vniuersæ terræ.* Hucusque S. Hieron. Deniq; Ribera per duas oliuas accipit duas Christi naturas, diuinam scilicet & humanam. Arias duas dignitates Christi, regiam scilicet & sacerdotalem, quibus ipse ministrat oleum gratiæ candelabro, id est Ecclesiæ, facitque eam patiæ candelabro, id est Ecclesiæ, facitque eam patiter regnū sacerdotale & sacerdotium regale, vt in ea fit gens sancta digna Deo, ac proinde ab eo vnctus Christus, id est, vnctus oleo gratiæ, tum vnionis hypostaticæ, tum charismatum omnium, quæ quasi caput distillat in fideles quoslibet. Verum hæc minùs congruè respondent tum ideæ & significationi literali, tum allegoriæ candelabri & oliuarum superiùs traditæ.

CAPVT QVINTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sicut cap. 3. Iesum pontificem, & cap. 4. Zorobabel principem animauit ad fabricam templi: ita hic consolatur & animat populum è Babylone in Ierusalem reuersum, ne timeat Chaldæos, Persas, Samaritas, alios q; hostes; eò quòd Deus eius peccata iā expiarit captiuitate septuaginta annorum, qua resipiscens & pœnitens populus conuersus est ad Deum; qui prioris maledictionem ab eo transtulit in domos & sedes sceleratorum. Hinc Secundò, v. 5. videt amphoram in qua sedet mulier, puta impietas, talento plumbi obstrui, ac à duabus mulieribus alatis transferri in Babylonem, vt ibi stabiliatur & resideat, nec amplius in Iudæam redeat. Impietas hæc notat idololatriam, quam Iudæi reliquerunt in Babylone: nam post reditum ex ea numquam amplius coluerunt idola. Significat ergo Deus, se idololatriam deinceps à Iudæis ablaturum, eamq; illa in Babylone quasi religata maneat, eiusq; pœna & vindicta à Iudæis in Babylonios transferatur: quo tacitè monet Iudæos qui Babylone remanserant, vt ex ea, vtpote impia & maledicta, sum à Dario Hystaspis vastanda, fugiant; ac proinde nihil esse quod Hierosolymis vltra commeant, præsertim à Persis aut Chaldæis, quibus nuper ob idololatriam in prædam dati fuerant, sed quasi filios castigatione Dei patris iam emendatos, latos & alacres ei seruire debere, fore Deum eorum protectorem, nec permissurum vt quis hostis eos lacessat, vel à fabricatione impediat. Quid allegoricè hæc amphora significet dicam v. 6.

ET conuersus sum, & leuaui oculos meos: & vidi, & ecce volumen volans.

2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans: longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum.

3. Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: & omnis iurans, ex hoc similiter iudicabitur.

4. Educam illud, dicit Dominus exercituum: & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius.

ET CONVERSVS SVM] excitante me angelo, vt nouam visionem ab eo oblatam aspicerem, & caperem oculis, non corporis, sed phantasiæ & mentis.

ET ECCE VOLVMEN VOLANS] Hebr. מְגִלָּה *megilla* significat chartam, membranã, vel librum quodlibet. ita Syrus & Arabicus Antiochenus, ac Rabbini. Hebræi enim olim non habebant libros distinctos per folia, sed membranam vnam oblongam, quam circa cylindrum conuoluebãt instar mappæ geographicæ, quæ proinde vocatur *megbilla*, id est, volumen ab hac circumuolutione, vti dixi Ezech. 2. 9. In hoc volumine scripta erant omnia furta & periuria, id est, omnia peccata sceleratorum, æquè ac pœnæ & supplicia eis, eo merito cuiusque infligenda, id què cibi instar sententiæ & flagelli volantis. Quocirca elegãter Aquila & Theodot. volumen hoc vocant διφθέραν: diphthera enim est membrana è pelle capræ, qualis fuit pellis Amaltheæ, capræ Iouis. Huius enim lacte fabulantur Poëtæ aluisse Iouem, ideoque eius pelle vti pro libro suo, ac in ea scribere omnia omnium hominum peccata. Vnde prouerbium: *Antiquiora diphthera*, hoc est, nimis antiqua & obsoleta. Et, *Serò sapiens diphtheram inspexit*, dici solitum in eos, qui seriò quidem, sed aliquando tamen pro maleficiis dant pœnas: Deus enim multa pro tempore dissimulat, sed aliquando improbos punit ac tanto quo tardiùs. Porrò veteres nescientes adhuc papyri & chartæ pro ea vtebantur pellibus caprinis, vel ouinis, in ijsque scribebant, vti alibi ostendi.

Septuag. & Arabicus Alexandrinus pro מְגִלָּה *megbilla*, id est *volumen*, legentes מַגָּל *magal*, vertunt *falx volans*. Eos sequuntur S. Cyrill. Theodor. & passim Græci: ac fortè eò alluserit S. Iohannes Apoc. 14. 14. vbi vidit in manu Christi falcem acutam, qua scilicet demetat & succidat peccatores: falx enim symbolum est punitionis, stragis & excidij. Verùm vera lectio est *megbilla*, id est volumen, vti legit Noster, Chald. Hebræi, & passim Latini. Nam in eo scripta erãt humana peccata, vti sequitur. Vnde eò alludens S. Iohannes Apoc. 10. 12. *Iudicati sunt mortui, inquit, ex ijs quæ scripta erant in libris, secundùm opera eorum.* Quin & Daniel c. 7. 18. *Iudicium*, inquit, *sedit, & libri aperti sunt.*

Tertiò, pro *volumen* Symmachus vertit, κεφαλὴν, id est *capitulum*, hoc est initium, vel summa & compendium. Vnde colligas, quanta fuerit multitudo peccatorum quæ in hoc volumine scripta fuerunt, vtpote quorum compendium, vel principium, putà volumen hoc, fuerit latum decem cubitos, longum viginti. Aliter Fernandez visione 33. sect. 1. censet enim volumen hoc vocari à Symmacho compendium, quia in eo scripta erat impietas, putà occisio Christi, vti ait Rupertus, quæ fuit omnis impietatis epitome & summa. Verùm hoc mysticum est: nã ad literam in libro hoc scripta erant furta & periuria illius ævi, vt sequitur. Quocirca minùs genuinè Burgensis censet, in hoc volumine scriptã fuisse explicationem legis Mosi à Deo ore tenus traditã, quam Rabbini Cabalam nuncupant, quæque ab ijs in Talmud conscripta est. Melius Lyran. arbitratur in eo scripta fuisse furta & periuria populi, quibus meruit captiuitatem Babylonicam. Verùm nec hoc est genuinum. Illa enim scelera iam ante octoginta annos præterierant: hîc autem agitur de sceleribus præsentibus, & pœna eis irroganda, non irrogata. Ait enim: *Educam illud, &c. & veniet ad domum furis, &c.*

Similem librum vidit Ezech. c. 2. 9. in quo, inquit, *scriptæ erant lamentationes, carmen & væ*; eique parallelum vidit S. Iohan. Apoc. 10. 10 quem iussu angeli deuorauit: *Et erat*, inquit, *in ore meo tamquam mel dulce, & cùm deuorassem eum, amaricatus est venter meus.* Nimirum omnes hi libri significant Dei mentem, voluntatem & decretum, in qua quasi in libro descripsit pœnas cuique peccato & peccatori debitas, v. g. quali & quanta puniendus sit fur, periurus, &c. ita S. Hieron. Theodor. & Hugo.

Symbolicè, S. Gregor. 15. Mor. c. 6. & Rupert. per hoc volumen accipiunt S. Script. quæ conscribit Dei minas, maledictiones & pœnas peccatoribus infligendas, vti patet Leuit. 26. Deut. 27. 28. 29. & alibi.

VOLANS] Vt significet celerem peccatoribus imminere vindictam, quæ hoc libro conscripta est, inquit Rupertus, Albertus, Hugo & Clarius. Audi S. Chrysost. hom. 27. ad pop. vbi increpans iurantes & peierantes: *Falx*, inquit, *volans velocissimum vltionis incursum significat iuramentum sequentem; multorum verò cubitorum longitudo & latitudo vehementiam indicat, & magnitudinem malorum. At, ex cælo volare, significat è superno tribunali iudicium ferri: falcata verò forma, ineuitabilem supplicij sortem. Sicut enim quocumque falx incurrerit, non solùm secum arripit, verùm & caput amputat, ita & pœna iurantibus ingruens est difficillima, nec priùs abstitit, quàm quod suum est perfecerit.* Secundò, à Castro, volumen, inquit, volans dicitur, eò quòd supplicium semper immineat capiti sceleratorum, semperque in aëre pendeat, Dei tantùm præstolans annutum, vt sibi peccatores timeant, & caueant flagellum acerrimi vindicis: sicut Ieremias c. 1. 11. vidit virgam vigilãtem, seu baculum populo imminentem, quo Deus eum erat percussurus per Chaldæos. Vindicta ergo Dei volat, & inuolat in peccatores; perinde ac aquilæ, milui, accipitres volant per aërem quærentes prædam, eaque visa rapacissimè & rapidissimè

Cur volat. *Causa prima.* *Secunda.*

dissimè in illam inuolant : perinde ac scintillæ ignis volant in horrea plena stipula, eaq; in momento absumunt: perinde ac volãt fulmina, fulgetrã & sagittæ cælestes in turres, domos & arbores, easq; subitò afflant & incinerant. Tertiò, volat, vt peccatores per totam terrã sparsos inuadat & feriat. ita S. Cyril. *Vide*, inquit, *falcem instar auis in altum sublatam, ac velut in cunctam terram transilientem, valdè longam, & latam dimidio minus.* Quartò, volat, vt significet vltionem & plagam eius esse ineuitabilem. ita S. Chrysost. hom. 15. ad popul. *Ensem enim*, ait, *volantem forsan aliquis effugere poterit, falcem autem in collum delapsam, & pro funiculo factam, nemo fugere potest. Cùm autem & alæ adsunt, quæ salutis vlteriùs est spes?* Quintò, *volumen*, vel, vt Septuag. *falx volans*, videtur idem repræsentare quod amphora volãs, quæ impietatem, id est impiam Synagogã, putà impios Iudæos, continet, & transfert in Babylonem, de qua v. 6. Sextò, τὸ *volans* significat diuinę vindictæ improuisam celeritatem, & inexspectatam plagam, quam subitò quasi inuolans impijs irrogat. Hinc eadẽ comparatur fulguri Deut. 32. 41. *Si acuero vt fulgur gladium meum.* Dei enim vltio fulminea est celeritate tum coruscãdi, tum percutiendi, tum perterrefaciẽdi; sed impij cùm differtur Dei supplicium, improuida securitate consopiti altum ſternunt, dicuntque illud Isaiæ 18. 15. *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum mundans cùm pertransierit, nõ veniet super nos.* Septimò, Mariana & alij apud Pagninum in lexico Hebr. עפה *apha*, id est volans, accipiunt in significatione Chaldaica, vertuntque *duplicatum, complicatum*: *apha* enim chaldaice significat complicare, duplicare, vt significetur volumen hoc fuisse inuolutum, quia arcana continebat: aut duplicatum, quia duplices, id est multiplices minas & pœnas, peccatorũ complectebatur. Verùm Chald. *apha* vertit פריחא *pericha*, id est *volans*, æquè ac Noster, Septuag. & cæteri.

Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Septima.

VERS. 2. LONGITVDO EIVS VIGINTI CVBITORVM, ET LATITVDO EIVS DECEM CVBITORVM] Cur? Respondent Primò, Rabbini, Lyran. & Pineda Iob 24. 5. quia volumẽ hoc egrediebatur è loco templi, cuius porta prisca erat longa viginti cubitis, lata decẽ. Sic & anterior pars tabernaculi Mosaici, quæ vocabatur Sanctum, erat lõga viginti cubitis, lata decem, vti dixi Exodi 26. initio; vt significet iudicium incipere à domo Dei, vt puniat sacerdotes eo grauiùs peccãtes, quo magis Deo erant coniuncti; deinde volet per vniuersam terram, vt feriat quoslibet sceleratos. Hæc expositio videtur apposita, præsertim si ei adiungas quartam, quam mox subiungam.

Volumen longum viginti cubitis, latũ decem, cur? Resp. prima

Secunda. Secundò, S. Hieron hæ mẽsuræ, inquit, significant hîc læta misceri tristibus. Deus enim vindictam clementia temperat: vnde peccatoribus infundit γλυκυπικρὸν, id est, dulce amarum. Nam denarius significat prosperà: quia Saluatoris nomen Iesus incipit à iota, quæ index est denarij: vicenarius verò illi oppositus significat aduersa. Hæc mysticum est, non literale.

Tertia. Tertiò, S. Chrysost. loco citato, Mariana & Fernãdez censent his mensuris significari enormitatem & multitudinem scelerum. Hæc expositio generalior est.

Quarta. Quartò, magis genuinè & presse ad literam

A Theodor. Lyran. & Vatabl. censent hac mensura notari vniuersam Iudæam (in quam, vt potè quæ rapinis & pauperum oppressionibus comminatam, volabat hoc pœnarum volumen) amplo & ampliùs longiorem esse quàm latã. Nam vt ait S. Hieron. ad Dardanum epist. 129. ab vsque Bersabee, quæ est longitudo illius, viginti millium in longum spatio tenditur. Latitudinem à Ioppe vsq; ad Bethlehem, 46. millibus stat. Sic in rebus physicis, æquè ac domibus & bricis, ea est iusta proportio, vt longitudo sit dupla ad latitudinem.

Mysticè, denarius significat perfectionem, latitudo ergò decem cubitorum significat latitudinem supplicij ad multos, putà ad omnes reprobos extendendã: longitudo verò duplo maior significat diuturnitatem pœnæ, scilicet perpetuam in hac vita, & æternam in futura. ita Ribera.

B

HÆC EST MALEDICTIO] id est condemnatio, supplicium, & omne malorum genus. ita Theodor. q. d. Hoc volumen continet sententiã condemnationis & supplicia impiorum. Hi enim vocantur maledictiː vnde audient à Christo in die hoc fulmen, *Discedite à me maledicti*, Matth. 25. maledicere enim Dei, vt potè efficax, est maledicere; sicut benedicere est benefacere. Sicut enim benedictio est beneficium, sic maledictio est maleficium & supplicium. Burgẽsis per maledictionem accipit Talmud Iudæorum, quod vocatur, quia nullum habet fundamentum; & maledictio, quia eius doctrina execrabilis est, impia. Hoc accommodatitium est, non literale. Fernandez & alij per maledictionem accipiunt illum malorum, quam nunc toto orbe patiuntur Iudæi ob cæsum Christum. Verùm hoc impium est.

C

QVÆ EGREDITVR] E templo, vt volunt Rabbini: vel certè è cælo & tribunali Dei, vt ait Chrysost. hom. 27. ad pop. egreditur versus templum & Ierusalem: maledictio egrediẽs est supplicium publicum, quod antè in cælo & arca Dei quasi absconditum latuerat. Vnde sequitur *Reuelabo illud in apertum.*

SVPER FACIEM OMNIS TERRÆ] Nimirum quã hîc fit sermo, putà Iudææ. Huic enim minas intentat Propheta, & hi soli iurabant per Deum verum, vt sequitur; Gentiles verò per idola. Sic Cyril. Rupert. Ribera, Hugo, Arias, Sanchez & alij; licèt Theodor. Lyran. & Vatablus, vniuersam terram vt sonat accipiant, censeantq; hoc maledictionem ex Iudæa, vel templo egressum volare per totum orbem. q. d. Totus mundus plenus est malis, ideoque toti imminet ira & fulmen Dei. Sic maledictio cælestis vorauit & cõsumpsit totam terrã tempore diluuij, è quo solus Noe cum suis per arcã enatauit. Sic eadem eandem vorabit & consumet sub diem iudicij, per ignem conflagrationis mundi. Sic maledictio Dei incubuit Asiæ, Græciæ totique Orienti per iugum Turcarum; Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sueciæ, Germaniæ per factiones & seditiones hæreticorum.

D

QVIA OMNIS FVR] q. d. Deus hoc maledictio fulmen intentat Iudæis ob furta & peccatia: sub quibus omnia scelera intelliguntur, proximum, contra secundam Decalogi tabulam; sub periurio omnis impietas quæ in Deum

tantùm primam tabulam committitur. ita S. Hieron. & Theodor. Nominat tamen hæc duo, quia nunc frequentiùs & impudentiùs perpetrabantur: Iudæi enim in Babylone depauperati necessitate cogente, furari, &, vt furtum occultarent, peierare didicerant. Pauperes enim subindè fauces habent manus, indeque periuram linguam. Hæc quoque in ijsdem taxat Osee c. 4. 2. *Maledictum*, inquit, *& homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* ita S. Hieron. Remig. Albert. & Lyran. Addit S. Cyril. *Esdras*, inquit, *adiurauit principes, sacerdotes & populum, vt eijcerent vxores alienigenas; & eiecerunt. Erat ergo necessarium proponere maledictionem & supplicium impendens, vt seruarent iuramentum. Praterea quia adificato templo magna vis peregrinorum erat congregata, quam partim Darius dederat, partim populus obtulerat, probabile est eos qui praesidebant gubernationi huic, auertisse aliquid de consecratis. Deo: idcirco contra fures etiam proponit maledictionem, ne pecunias sacras in priuatos vsus peruerant.*

A

Sicvt ibi (in volumine volante) scriptvm est Hebr. מְגִלָּה מְסוּמֶּה *mizze camohu*, id est, *ex eo siue ipsum* continet, IVDICABITVR, &c.] Aliter Pagnin. Arias & Vatabl. vertunt enim, *quia omnis fur, sicut scriptum est, ex vna parte ipsius succisus est, & omnis iurans, sicut scriptum est, ex altera parte similiter succisus est.* Cēsent ergo ex vtroque latere, aperto scilicet & aduerso, scriptum fuisse hunc librum, ac consequenter iteratam fuisse maledictionem, siue vtrumque peccatum, furti scilicet & periurij, fuerit iteratum, vt vult Stunica hîc; sitne non, sed furtum scriptum fuerit ab vna parte, periurium ab altera, vt vult Pagnin. vt significetur geminā certaque sententiā Dei sceleratos esse damnandos. Sic Ezechiel c. 2. 9. vidit librum scriptum intus & foris, siue à tergo, id est, opistographum.

B

Iudicabitvr] Id est condemnabitur & punietur Hebr. נִקָּה *nicka*, id est exscindetur; Chald. perimetur, Septuag. *omnis fur ex hoc vsq; ad mortem punietur, & omnis periurus ex hoc cruciabitur*; vt ipse maneat quasi iuge & viuum quoddā pœnarum vadimon. ita S. Hieron. Theod. Rupert. Remig. Hugo & Lyran. Perperā ergo Tigurina contra textum vertit, *quia omnis qui furatur ab eo, sicut ipsum ibi absolutur: & quisquis peierat ab eo, sicut ipsum est, absolutur*, & Syrus, *quia omnis qui furatur, ex ea sicut ipsa mundatur* (iustificatur) *& omnis qui iurat, ex ea, sicut ipsa mundat* (iustificatur.) q.d. Per hoc volumen significatur absolui Iudæos à priscinis furtis & periurijs, eò quòd illa luerint & expiarint pœnas captiuitatis Babylonicæ. Perperam, inquam: nam contrarium hîc dicitur, & sequitur: *Commorabitur in media domus eius, & consumet eam.* At Hebr. נִקָּה *nicka*, licèt significet innocentē esse, & declarari, siue absolui, significat tamen quoq; succidere, nocētem declarare, & punire. est enim communis significationis. Vnde Arabicus Antiochen. vertit, *quia omnis qui furatur, ex ea ad mortem damnatur, & ex ea conuincunt: omnis qui iurat ex ea & fune ipsa superatur*, id est conuincitur. & Arabicus Alexand. *quia omnis fur pœnas dabit, & luet hoc quod furatur*) vel *hac* (scilicet falce plectendus) *vsque ad mortem eius, & omnis qui falsò iurat, dabit pœnas vsque ad mortem.*

C

Omnis ivrans] falsò, id est peierans. ita Chald. Tigur. Vatab. & alij. Tamen S. Chrysost. ad populum, inuectus in consuetudinem iurandi, hęc accipit de quouis iuramento; quia scilicet, qui sæpè iurat, facilè peierat. De periurio enim hîc agi patet ex v. 4. *Ad domum iurantis in nomine meo mendaciter.* Celebris est sententia Periclis, quem cùm amicus rogaret, vt pro re causaque eius falsum deieraret, respondit: *Oportet me commodare amicis, sed vsque ad aras*, ne scilicet amici causa peierem, vel inhonesti quid agam, quo numinis reuerentiam violem & offendam. olim enim iurantes aram manu contingebant. Vide Gellium lib. 1. c. 3.

Edvcam illvd] in lucem, in theatrum orbis, vt omnibus sit conspicuum; vt titulum pœnæ in fronte gestare videamini, nimirum Hi sunt fures & periuri. Rupert. Arias & Vatablus censent id factum per Antiochum Epiphanem, qui mirè afflixit Iudæos tempore Machabæorum. Verùm iam tum cùm hæc minatus est Zacharias, eadem Deum fecisse credibile est, priuatim domos impiorum consumendo. Vers. 4.

D

Et commorabitvr in medio domvs eivs, et consvmet eam] Solent enim domus in quibus immane scelus, v. g. rebellio in principem, patratum est, destrui & radi vsque ad fundamēta, vti Bruxellæ initio tumultuum Belgicorum factum vidimus. Sic Deus Sodomam & Pentapolim cælesti igne siderauit & consumpsit. Sic hîc maledictio Dei domos furum & periurorum inuadit, easque disperdit, vtpote quæ totæ ex pauperum rapinis furtisque constent Iudęorum, inquam, vt dixi v. 3. Ad hos enim minæ hæ Prophetæ diriguntur, hique soli iurabant per nomen Dei veri. Quare minùs verum & congruum videtur quod censent aliqui, has minas dirigi ad gentes, quasi maledictio quæ Iudæos in captiuitate Babylonica afflixit, ab ijs, vtpote illa expiatis, trāsferenda sit ad Gentes, v. g. ad Babylonios, vti dicitur v. vlt. Non enim ita eā expiarant, quin in multis adhuc expiāda restaret, præsertim qui noua scelera vel in Babylone, vel post reditum à vicinis gentibus didicerāt & contraxerant. Quocirca licèt Aggæus, Malachias & Zacharias consolentur fideles & pios Babylone redeuntes, tamen pariter acriter taxant impios, qui tanta captiuitatis castigatione non meliores, sed deteriores sunt effecti, vt patet c. 1. v. 3. Malach. 2. 10. & c. 3. 8. Aggæi 1. 5.

Dices, Si maledictio commoretur in domo, quomodo domum consumit vsque ad lapides & ligna? Resp. supplicia quæ Deus in domos furū, periurorum & similium facinorosum immittit, quasi molem aliquam eis incumbere, quæ paulatim instar molæ eos molit & comminuit, arcano & miro quodam modo, vsque ad ligna & lapides nouissimos, donec eas ad nihilum redigat. Sic hoc sæculo vidimus & videmus familias potentes, quæ per rapinas vel bona malè parta splēdidæ euaserant, iusto Dei iudicio ac vindicta eis incumbente esse commolitas, & vel annihilatas, vel ad miseram sortem redactas; vt qui eas vident stupeant, quomodo tantæ opes sensim sine sensu euanuerint. Notat S. Chrysost. hom. 15. ad pop. Deum ita punire iurantes ad exemplum aliorum. *Quā ob causam*, inquit, *lapides & ligna iurantis dissoluit, vt ruina alijs correctio fiat. Postquam*

enim

enim iurantem mortuum terræ condi necesse est, domus dissoluta, & ruina facta præteuntibus omnibus & cernentibus admonitio erit per aspectum, vt non eadem audeant, ne eadem patiantur, & accusatrix erit mortui criminis continua.

Loquitur Propheta de maledictione inflicta Iudæis furibus, periuris & sceleratis sui æui: à pari tamen, imò à maiori intelligit quoq; eam, quæ postea ob cæsum Christum illos inuasit. Hæc enim omnium fuit maxima, quæ Ierusalem cum templo, regno & repub. funditus euertit & consumpsit, adeò vt Ierusalem illa vetus & glorioſa modò numquam extitisse videatur, vti Christus illi comminatus erat, dicēs Luc. 19. 44. *Ad terram prosternent te, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Hæc quoq; à 1600. annis in tota Iudæorum ſobole & gente iugiter commoratur, facitq; B vt Iudæi ſint toto orbe vagi, exules, viles, miſeri, ſerui, exoſi, ignorantes, obdurati & excæcati, ſine lege, ſine rege, ſine Eccleſia, ſine repub. ſine tēplo, ſine ſacerdotio, ſine prophetia, ſine Deo. Conati ſunt ipſi permittente, imò inſtigante, Iuliano Apoſtata, in odium Chriſtianorum, templum Hieroſolymæ reædificare; ſed ignis è fundamentis egrediens fabros cum fabrica conſumpſit, vti teſtatur S. Chryſoſt orat. contra Iudæos.

5. Et egreſſus eſt angelus, qui loquebatur in me: & dixit ad me: Leua oculos tuos, & vide quid eſt hoc, quod egreditur.

6. Et dixi: Quidnam eſt? Et ait: Hæc eſt amphora egrediens. Et dixit: Hæc eſt oculus eorum in vniuerſa terra. C

7. Et ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ.

8. Et dixit: Hæc eſt impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius.

9. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebant alas quaſi alas milui: & leuauerunt amphoram inter terram & cælum.

10. Et dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quò iſtæ deferunt amphoram?

11. Et dixit ad me: Vt ædificetur ei D domus in terra Sennaar, & ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam.

VERS. 6. *Amphora quid?*

AMPHORA] Hebr. אֵפָה *epha*, eſt menſura (vt vertit Syrus, & Arabicus vterque) capiens tres modios frumenti, decima pars ephi, vel cori: corus enim capiebat 30 modios. Iam quia *epha* erat communis menſura Hebræorum, hinc hoc loco, & alibi ſæpè, pro mēſura in genere capitur. Vnde Noſter doctè vertit, *amphora*: tum quia hæc pariter apud Latinos erat communis menſura: tum quia ex æquo reſpondebat *epha*, ſiue trimodio in aridis. Audi Budæum l. 5. de Aſſe: *Comperi amphoram eſſe octauam partem eius vaſis, quod modium vini dicimus. Modium vini triuenes ſenos ſextarios noſtros capit: ſextarius autem octonas eas* A *quas pintas dicimus. In aridis autem pro eius quadrantem ſextarij habemus, id eſt, ternos ſolidos pro quibus vas trimodium habemus, dimidiatum modium.* Amphora ergo, ſiue *epha* ſignificat menſuram peccatorum Iudæorum, punitionem & excidio eorumdem à Deo decretā & præfinitā qua ſenſim impleta Iudæi puniti & excisi ſunt. Deus enim videns peccata gētis, vel hominis cuiuis, non ſtatim proſilit ad vindictā, ſed ganimiter ea toleratideoque cuiq; genti, vel homini, certam præſcribit menſuram peccatorum, ita vt antequā illa planè impleatur, non puniat, ſed mox vbi ea impleta fuerit, tunc omnia ira & ſemel acriter caſtiget & vindicet, iuxta illud Chriſti Matth. 23. 32. *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum.* Et Geneſ. 15. 16. *Nondum enim ſunt iniquitates Amorrhæorum.* Vide ibi dicta. S. Hieron. Theodor. Haymo. Rupert. Albert. Hugo, Lyran. & alij paſſim. Vtitur ſymbolo ephoræ, vel epha & modij, quia in his mercatores fraudem & furtum, de quo v. 3. faciebant Iniq. Vnde Chald. vertit, *iſti ſunt populi qui accipiebant & dabant menſuram falſa.* Et mox: *Propter hoc condemnati, & in exilium tranſlati ſunt, quia accipiebant & dabant menſuram falſa.*

Quæres, quando hæc amphora, id eſt, mēſura peccatorum à Iudæis fuit impleta, & à Deo caſtigata, ac extremo gentis excidio vindicata? Reſp. Primò, hæc menſura ab ijs impleta fuit ſub tempore Sedeciæ, ac caſtigata à Deo per Nabuchodonoſor captiuitate Babylonica 70. annorum, vt ita Hebræi, S. Hieron Theod. Vatab. & alij. Et hac propriè hic agi videtur. Amphora enim hæc tranſlata fuit in terram Sennaar, id eſt in Babylonem, vt dicitur v. vlt. Porrò amphora hæc ſignificat menſurā plenam tum culpæ (vnde infidelitas, impietas) tum pœnæ. Culpæ, nimirum quòd iam in Iudæa excreuerit per idololatriam, & alia ſcelera ad ſummā impietatem: quocirca ſignificat culpā hanc ex ea, vtpote terra ſancta, euellendā, abductis ſceleſtis Iudæis in Babylonem. Babylonem enim eſſe ſedem idololatriæ & impietatis. Pœnæ, nimirum quòd iam punita ſit Babylone captiuitate 70. annorum, & rurſum eadem puniēda ſit ſi in ea remaneat, tum ſolitos in illo, tū excidio vniuerſali à Dario Hyſtaſpis. Darius enim Babylonem eiuſque incolas, tam indigenas, quàm aduenas, putà Iudæos quiin ea manſerāt, cepit & vaſtauit, vt dixi c. 2. 7. Propheta enim hæc viſio Zachariæ dirigitur ad Iudæos non tātùm in Ieruſalem degentes, ſed etiam in eos qui de Babylone poſt datam à Cyro libertatem redeundi remanſerant, nec in Ieruſalem reuerti voluerāt, eò quòd iam ſedes & familias ibi emptis domibus & agris fixiſſent in Babylone. Hoſce in patriā reuocare conatur Propheta, ne Babyloniorum moribus & idololatriæ aſſuefcant, tum vt Babyloni inſtans excidium per horum effugiant. Hoc eſt quod dixit c. 2. 7. *O Sion fuge quæ habitas apud filiam Babylonis*, vt ibidem explicui. Vidit ergo Zacharias amphoram, id eſt menſurā in qua ſedebat impietas, è Iudæa tranſferri in Babylonem: quo ſignificat impietatem Iudææ, impioſque Iudæos tranſlatos eſſe in Babylonem, ac proinde Iudæam iam eſſe ab impietate expurgatam & puram, Babylonem verò eſſe eandem & cloacā impietatis: quocirca impietatem in Babylone manſuram, nec amplius in Iudæa re-

deierare. Hinc deinceps idololatria non est A
vsa in Iudæa, quia illam cum sua amphora, id
est pœna, Iudæi reliquerunt in Babylone, quando
eorum mensura per septuaginta annos persolu-
ta, reuersi & liberi redierunt in Ierusalem. Tunc
enim liberi à culpa & pœna, eius modium, am-
phoram & mensuram deposuerunt in Babylo-
ne: quo tacitè monet Iudæos in Babylone de-
gentes, vt ea quasi cloaca scelerum relicta, in
sanctam Ierusalem redeant. Secundò, eodem
symbolo significat per hanc amphoram, id est,
impietatis cumulum, qui Babyloni ex impietate
Iudæorum accesserat, & indies ex eorum, æquè
ac Babyloniorum criminibus accedebat, breui
complendam esse rursum peccatorum Babylo-
nem mensuram, vt ea completa excinderetur cum
omnibus incolis à Dario Hystaspis. Amphora B
enim incumbens Babyloni significat supplicium
& excidium imminens Babyloni, ob impietatem
in amphora residentem, & cum amphora
translatam in Babylonem. ita Sanchez: qua ra-
tione rursum monet Iudæos reliquos in Baby-
lone, vt ex ea discedant, ne eius clade inuoluan-
tur. Totum enim hoc caput, vt rectè aduerrit
P. Mariana, dirigitur ad Iudæos non tam in Iu-
dæa, quàm in Babylone degentes, vt ostendat
eorum infelicitatem, impietatem & periculum,
eosque illos ad reditum in Ierusalem & templum
inuitet: inde tamen consequenter & ex aduerso
significat felicitatem, pietatem & securitatem
Iudæorum in Iudæa degentium, vtpote qui ex-
pietata iam impietate in Babylonem, degant in
terra pura & sancta, vbique fabricæ templi & C
Dei cultui piè & quietè insistant. Omnia enim
hæc eò spectant, vt populum incitent ad tem-
plum in Ierusalem restaurandum, perficiendum
& renouandum, vt in eo piè sanctèque Deum
colat, eique obediat & seruiat. Itaque propriè
haec amphora, in qua sedet impietas translata in
Babylonem, significat idololatriam tam quoad
culpam, quàm quoad pœnam ex Iudæa transla-
tam esse in Babylonem, ibique sedem fixisse.

Secundò hæc amphora & mensura peccato-
rum Iudææ, per excidium & captiuitatē Chal-
dæorum euacuata & expurgata, post reditum
Iudæorum é Babylone rursus abiis impleri cœpit. Vnde Arias per amphoram accipit publi-
cam fraudem quæ tunc in populo grassabatur,
furta & periuria, de quibus v. 3. Hæc amphora
iterum per 360. annos rursum impleta fuit: vn-
de post eos iterum euacuata & expurgata fuit
per Antiochum Epiphanem tempore Macha- D
bæorum, qui grauiter Iudæos afflixit: sed planè
& plenè impleta fuit per parricidium imò deici-
dium quo Christum Dominū occiderunt, iuxta
illud Christi Matth. 23. 32. *Et vos implete mensu-
ram patrum vestrorum*, scilicet occidendo me,
Deum & Messiam vestrum, vt impleta mensura
reatuum scelerum, veniant vestri carnifices Ti-
tus & Romani, qui extremo & æterno excidio
vos plectant, vt in terra Sennaar, id est toto or-
be, inquit Sanchez, vagi & profugi exuletis, do-
nec Antichristum verè & propriè in Sennaar, id
est in Babylone, quasi stabili & firmo loco regni
eum colatis & adoretis. ita Rupert. Emmanuel,
Ribera, Fernandez & alij.

Prior sensus proximior est, ideoque literalis;
posterior remotior, & priori quasi typo incum-

bens, ideoque partim literalis, partim allegori-
cus. Vbi Nota amphoram hanc partim esse æni- *Amphora*
gma rei præteritæ, putà captiuitatis Babylonicæ; *trita por-*
partim oraculum rei futuræ eiusque triplicis sci- *tendit.*
licet Primò, instantis excidij Babyloni, à Dario
Hystaspis inferendi; Secundò, impietatis in eo
collocandæ per Antichristum; Tertiò, excidij &
exilij Iudæorum per Titum & Romanos, ob
cæsum ab eis Christum. Denique amphora hæc
symbolo diuersa est à volumine, vel, vt Septuag.
vertunt, *falce volante*, v. 2. sed significato est penè
eadem. Vnde vtraque volat: hæc in domum fu-
ris & periuri, illa in Sennaar, id est in Babylo-
nem, vbi impietati sedes, æquè ac vindicta &
carnificina à Deo statuta est. Vnde & de vtra-
que verè v. 3 dicitur: *Hæc est maledictio, quæ egre-
ditur super faciem omnis terræ.*

HÆC EST OCVLVS] *Oculus* hîc dupliciter capi *Oculus &*
potest. Primò actiuè, vt significet Dei prouiden- *sol mundi*
tiam, q. d. Hæc amphora significat peruigilem *est Deus.*
Dei oculum, qui vniuersam terram circumspi-
cit & lustrat, ac cuique pœnas pro mensura sce-
lerum assignat. Sicut enim sol est oculus mundi,
ita multò magis Dei prouidētia est sol & oculus
vniuersi; de quo plura dixi c. 3. 10. & Ierem. 1 11.

Secundò & melius, passiuè & obiectiuè, ocu-
lus, id est, obiectum oculi, putà res visa in quam
omnes coniiciunt oculos. q. d. Oculus, id est aspe-
ctus, omnium Iudæorū fertur ad hanc ampho-
ram, oculi eorum non aliud respiciunt quàm ad
amphoram, vt scilicet eam peccatis suis imple-
ant; adeò effrenes ruunt in scelera, vt non aliud
quàm ad scelera respicere & oculos intendere
videantur, iuxta illud Gen. 6. 5. *Videns Deus quòd,
&c. cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malū omni
tempore.* Et Ierem. 22. 17. *Tui verò oculi & cor ad
auaritiam, & ad sanguinem innocentem fundendum,
& ad calumniam*, &c. Verum enim est illud vulgi:
*Vbi manus, ibi dolor: vbi oculus, ibi amor ibi mens, ibi
cor.* Et illud Poëtæ: *Amor ex videndo nascitur mor-
talibus.* Sicut enim sol per speculum tersum stu-
pam incendit, sic res pulchra per oculos intro-
missa in animam, eam accendit. Hoc modo in
corde per oculos facit amor incendium. ita
Theodoret. Arias, Ribera, à Castro & alij. Vnde
Septuag. pro עֵינָם *enam*, id est, oculus eorum,
per diæresim legentes מֵעֹנָם *auonam*, vertunt,
hæc est iniquitas eorum in omni terra.

Rursum amphora, id est, mensura pœnæ, quæ
iniquitati Iudæorum debita eidem irrogabitur,
erit *oculus*, id est conspicua vniuersæ terræ. Pu-
blicum enim scelus publica pœna vindicandum
est, vt, sicut ipsi iugiter oculos intenderunt in
amphoram culpæ; ita alij omnes oculos inten-
dant in amphoram & mensuram ingentem pœ-
næ, culpæ eorumdē commensam. Vndē Chald.
vertit, *ecce ipsi manifesti fiunt coram omnibus habita-
toribus terræ.* Omnes enim videbunt enormes
cruciatus, sicut viderunt enormia eorum crimi-
na. Et S. Hieron. *Oculus*, inquit, *est ostensio peccato-
rum, vt quorum vitia dispersa latitabant, in vnum
coacernata oculis omnium panderentur, & egredere-
tur de loco suo Israel, & qualis in terra sua fuerit,
cunctis gentibus monstraretur.* Ita Iudæi sunt ocu-
lus vniuersæ terræ: omnes enim eos aspiciunt vt
Christicidarū filios, qui portant culpam & pœ-
nam patrum suorum, eorumque sceleris magni-
tudinem in sua desolatione vbique ostendunt,

inquit Rupert. Ita tropol. Deus peccata in tenebris & occultis loris perpetrata educit in lucem, facitque vt sint oculus totius orbis, cùm ea punit publica infamia aut publica clade & supplicio.

VERS. 7. TALENTVM PLVMBI] Hebr. כִּכַּר *kikar*, id est globus, vel potiùs orbis plumbeus, torta vel massa plumbea, vt vertit Interpres v. 5. Vnde S. Hieron. *Massa*, inquit, *instar lapidis ferebatur, vel suo impetu, vel Domini iussione; vel ferebatur ab alio cuius nomen tacitum est.* Talentum plumbi notat grauitatem culpæ, & consequenter pœnæ, quæ peccatores deprimit & opprimit, vt sese erigere & ab ea eximere nequeant: vnde obstruit os amphoræ, vt impietas eâ conclusa in æternũ occlusa maneat: de quo mox plura. ita S. Hieron Haymo Remig. Rupert. & Lyran. Propriè talentum plumbi notat grauem rigidamque Dei sententiam quæ Iudæis pœnam culpæ, quasi amphoram impietati adæquatam commensurabat, eamque quasi obsignabat & occludebat, vt ex ea egredi non posset, nisi tota mensura pœnæ persoluta, nisi scilicet expletis annis 70. captiuitatis in Babylone. Addit Ribera, talento plumbi quo omnino clausa est amphora, significari diuturnitatem supplicij & exilij, æquè ac excæcationis Iudæorum, scilicet illud duraturum vsque ad finem mundi: portò amphoram portari in terram Sennaar, quia illorum cæcitas & pœna durabit, donec ipsi in Babylone Antichristum colant & adorent.

Talentum plumbi est grauitas culpæ & pœnæ.

ET ECCE MVLIER SEDENS IN MEDIO AMPHORÆ] *Angelus*, inquit S. Hieron. *qui loquebatur in Propheta, & egrediens exeo illi vniuersa monstrabat, arripuit mulierem quæ vocabatur impietas, & præcipitem misit in medium amphoræ, quæ priùs libere ferebatur, & super amphoram sedens omnibus apparebat.* Hîc ergo ab angelo ostensa est Zachariæ *mulier sedens in medio amphoræ*, id est limbi, vel orificij amphoræ, putà *super amphoram*, vt explicat S. Hieron. ita vt vmbilico tenus super eam emineret, pedes verò vel extra, vel intra amphoram demitteret: nam paulò pòst v. 8. angelus eam ita sedentem, & capite pectoreque eminentem extra amphoram, proiecit in medium amphoræ, ibique eam demersit, & talento plumbi occlusit: quo significatur, impietatem initio fuisse impunè grassatam, sed crescente mensura peccatorum tandem impleisse amphoram, id est, mensuram peccatorum, vindictæ à Deo præstitutam, ita tamen vt adhuc liberè loqui & mouere se posset, donec completa planè eorum mensura, ab angelo amphoræ omnino inclusa fuit; quo repræsentatur consummata eorum impietas, & mensura peccatorum à Deo præfinita omnino completa, vt reipsa in carcerem & exilium, putà in terrã Sennaar, à duabus mulieribus instar miluorum alatis raperetur.

Mulier in amphora sedet, curt

Porrò impietas pingitur vt mulier: quia mulier, inquit Cyrill. & Theodor subiectum, æquè ac symbolum est infirmitatis & concupiscentiæ, quæ mater est, & fons omnis peccati & impietatis. Vnde Euseb. lib. 1. de Præp. Euang. c. 2. voluptatem vocat hydram multorum capitum, quòd in ea sint principia & capita omnium scelerum. Et Cyrill. Alex. in Strom. eamdem vocat metropolim vitiorum omnium. Quocirca Aristippus Philos. mulierem paruam, sed pulchram conspicatus: *Paruum quidem pulchrum*, inquit, *magnum autem malum.* ita Antonius in Melissa serm. de muliere forti. Diogenes videns mulieres garrulas inter se colloquentes: *Aspu*, inquit, *à viperarum nenum mutuatur.* ita idem in Melis. part. 2. ser. 54. Democritus rogatus cur, cùm magnus esset, paruam duxisset vxorem? *Ego*, inquit, *in malo gendo, quod minimum erat elegi.* (idem respondet Thomas Morus) ita idẽ serm. de mulier. Vulgare est prouerbium: *Ignis, mare, mulier, tria mala.* Secundus Philosophus apud Maximum serm. 9. interrogatus *quid esset mulier mala?* ait: *Virinaufragium, domus tempestas, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, quotidianum damnum, voluptaria pugna, sumptuosum bellum, bellua comitua, solitudo confidens, leæna complectens, exornata Scylla animal malitiosum, malum necessarium.* Quapropter Cato aiebat: *Si absque femina esset mundus, consolatio nostra non esset absque diis.* S. Greg. Thaumaturgus scribens in Eccles. *Expertus sum*, inquit, *mulierem esse quamdam mollem terram.* (Alij, mollier, aiunt, idem est quod mollis aër.) *Cor eius ipsius quasi sagena prætereuntes concludit. Quæ manu sola contingat, tenet: sin amplexetur, vitam trahit.* S. Cyprianus lib. de Singular. clericor. *carbonibus*, ait, *scintillæ dissiliunt, de ferro rubigo teritur, morbos aspides sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ pestilentiam, quam Salomon sic compendicens: De vestimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Socrates aiebat: *Mulier speciosa & sordida templum est super cloacam ædificatum.* ita Laer. in vita Socratis. Idem dicebat se tria mala assecutum. Grammaticam, paupertatem, & pernitiosam vxorem; quorum duo priora effugisset, tertium verò minimè: quia assiduè eum exercebat sua Xantippe. Denique S. Hieron. ad Nepotian. *Hospitiolum*, ait, *tuum aut rarò, aut numquam mulierum pedes terant. Vide ne sub eodem tecto maneas, nec de præterita castitate confidas; nec Samsone fortior, nec Dauide sanctior, nec Salomone potentior aut sapientior. Memento semper, quòd paradisi colonum à possessione sua mulier eiecit.*

Hac ergo de causa impietas hîc schemate mulieris repræsentatur. Simili modo iniquitas in emblematibus Cæsaris Ripæ pag. 379. pingitur quasi femina vestita igne & flãmis, quæ concursu fugit. Iniquitas enim animam peruersi cruciat & vrit, perinde ac ignis lignũ aridũ: fugit quia malè sibi conscia plena est pauoribus, & omnia tuta timet; quin & vmbras expauescit. Eadem impietatem pingit pag. 167. quasi feminã fœdam, oculis velatis, auribus asininis, dextra tenentem gallũ, sinistra ramum pungentis rubi, & hippopotamum. Gallus enim ferus est & seuus, vt & matrẽ violet, ac patrẽ inuadat: hippopotamus verò, siue equus fluuialis frequens in Nilo teste Plinio l. 8. c. 25. impius est, quia matrẽ inuadat, & patrem occidit. Ita peccator impius est in Deum patrẽ, & in matrem Ecclesiam, eoque rebellis & hostis inuadit, præsertim si sit idolatra aut hæreticus. Idem peccatum pag. 132. pingit quasi iuuenẽ cæcum, nudum, nigrũ, amplantẽ per auia & præcipitia, cinctũ serpente, cui verme ad latus sinistrũ, qui illi cor rodit, hic vermis, siue remorsus conscientiæ: serpens diabolus, qui peccatorem specie falsi boni apparentis decipit, vti primitus matrẽ nostram Euam specie pomi, & spe omniscientiæ decepit. Gen. 3.

Mulier symbolum concupiscentiæ.

Tropol. mulier ista est voluptas. Hæc enim causa & mater omnis impietatis & peccati. S. Ga-

S. Cyrill. & Theodor. Sapienter Maximus serm. 91 ex S. Chrysostomo: *Voluptas*, ait, *cani similis est: persequaris, fugit: si nutrias, manet.*

Symbolicè, mulier hæc, putà impietas sedere dicitur tribus de causis. Sedet enim ipsa Primò, tanquam assueta & affixa suis cupediis & vitiis. Vide psal. 94. 20. de detractore maledicentiis assuetо dicitur: *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris*, non stans, quasi obiter & in transitu; sed sedens quasi ex professo, ex vsu, ex habitu. Secundò, quasi mœsta, & damnata ad amphoram, id est carcerem iustumque supplicium. Tertiò, quasi iners & pigra. Acedia enim in emblematibus Cæsaris à Ripa pag. 8. pingitur quasi vetula turpis, malè vestita, sedens, capite incumbens manui sinistræ, innixæ genibus; ex qua dependet charta, cum hoc lemmate: *Torpet iners*; dextra gestans torpedinem piscem. Præclarè S. Bernard. in epistolis acedum increpans: *O homo imprudens*, ait, *millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei, & tu sedere præsumis?* Tropologicè, qui sedet in amphora, id est, qui in peccatis pacem habet, inquit Sanchez, propè est vt lucem, id est, spiritum habeat compunctionis & doloris, ita vt neque lucem aspiciat, neque ictum sentiat, & oppressus talento plumbeo obdurationis suæ, à miluinis pennis rapiatur in terram Sennaar, vbi ad eius supplicium ædificetur stabilis & æterna domus.

HÆC EST IMPIETAS] Putà impia Synagoga. Hic est titulus, siue epigraphe mulieris, sicut in comœdiis actoribus personatis tituli affiguntur, v. g. Hic est Dauid, hic est Vrias, hæc est Bersabee, vt sciant spectatores quam quisque personam agat. Similiter in reorum iudiciis & suppliciis solet affigi titulus, indicans causam supplicij, vti Christo crucifixo hunc titulum affixit Pilatus: *Hic est Iesus Nazarenus rex Iudæorum.* q. d. Hic Iesus damnatur ad mortē, quia voluit esse rex Iudæorum, quia regnum Iudææ ambiuit. Huc alluse S. Iohannes Apocal. 17. 5. cùm meretrici illi fœdæ, hoc est Babyloni typicæ, suum titulum affigit dicens: *Et in fronte eius nomen scriptum: Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ.* Iam impietas hic quælibet accipitur, putà tota multitudo & congeries peccatorum, sed maximè duplex. Prior est idololatria, ob quam ad captiuitatem Babylonicam damnati fuerunt Iudæi. ita S. Hieron. Hugo & Lyran. Secundò, occisio Christi, ob quam perpetuo exilio nunc damnantur. ita Ribera, Sanchez, Fernandez & alij. Hæc enim propriè dicta eaque summa fuit impietas. Notat S. Chrysost. tract. 1. de orando Deum, omne quidem peccatum mortale esse mortem animæ, quia ab ea expellit Deum, qui eius est vita, propriè tamen impietatem dici mortem animæ, quia pietas, seu cultus Dei, & conuersatio eo cultu digna, propriè est vita animæ, quam tollit impietas, quæ idcirco propriè eius est mors. Vnde hebr. est רשעה *Harisa*, q. d. Illa impietas, illud scelus, scilicet insigne & enorme.

ET PROIECIT EAM IN MEDIO AMPHORÆ] ita vt caput eorumque corpus mulieris intra amphoram contineretur, vti paulò antè dixi. Hæc phrasi significatur completam fuisse mensuram peccatorum, ideoque Iudæis instare Dei vindictam. Postò Iudæi impleuerunt mensurā hanc suam,

A Primò, tempore Sedeciæ, cùm ipse iuramentum Chaldæis præstitum quòd eis subesset, violauit, & periurus eis rebellauit. 4 Reg. 25. 6 Vnde mox excisus est cum regno ab iisdem Chaldæis. Secundò, cùm Christum occiderunt: vnde mox excisi sunt à Tito & Romanis. ita Ribera, Sanchez, Fernandez & alij.

ET MISIT MASSAM PLVMBEAM IN OS EIVS] *Eius*, vel mulieris, vt vult Theodor. & Varabl. vel potiùs & plenius amphoræ: obstruxit enim os amphoræ, & per consequens os mulieris totamque mulierem, quæ intra amphoram coniecta, illa claudebatur. ita S. Hieron. Hebræi, Albert. Remig. Ribera & alij. Hac massa plumbea significatur completa mensura peccatorum, ideoque mulierem, id est impiam Synagogā, damnari ad supplicium certum & irreuocabile, cuius grauitas & perpetuitas significatur plumbo, inquit S. Hieron. Rupert. & Remig. vt ad perpetuum silentium, carcerem, tenebras & barathrum detrudatur & demergatur. Audi S. Hieron. *Ab angelo opprimitur, vt quæ priùs lætabatur in scelere, æterno silentio conticescat: vel iuxta Theodotionem, ipsa mulier se proiecit & abscondit in medium amphoræ, ac super se duxit grauissimum plumbi pondus, vt obturatum os haberet, & vltrà se iactare non posset*; itaque deportaretur in Sennaar, id est in Babylonem: licèt enim Iudæi ex ea per Cyrum liberati & egressi sint, tamen non sunt egressi nisi emensa amphora, id est, expleta mensura septuaginta annorum, pœnæ & captiuitati eorum à Deo præstituta, quasi culpæ eorum commensa. Rursum impietas ex ea non est egressa, quia idololatria Iudæorum mansit in Babylone, nec regressa est in Ierusalem: ipsi enim hac captiuitate castigati, ampliùs non coluerunt idola. Sic & Isidor. Pelusiot. lib. 3. epist 33. per talentum plumbi accipit pondus peccati quod peccatorem ad ima gehennæ degrauat & deprimit: *mensura* (amphora) *verò* inquit, *significat diuinæ lenitatis & patientiæ finem, ac pœnæ principium.* Addit Arias, mulierem hanc plumbum ore excipere & deuorare, coactam, vel plumbum liquefactum in os eius infusum, idque in pœnam fraudum & furtorum eius, de quibus v. 3. sicut hodie falsarij & corrosores monetæ in cacabū olei bullientis immittuntur, illudque haurire coguntur. Probat id Arias ex traditionibus Hebræorum tit. de *Sanhedrin*, siue de magistratibus, vbi dicitur, Iudæis idololatris, vel violatæ religionis conuictis solere plumbum liquefactum in os infundi, eoque illos enecari & comburi. Verùm hoc loco solùm occlusum est os amphoræ plumbo, non autem hausit illud mulier in amphora sedens; sed in inferno damnati hauriunt sulphur, picem & plumbum liquefactum.

Massa plumbea in ore quid?

Tropol. impietas in amphora obscura plumbo occlusa, est excæcatio Iudæorū: massa plumbea est obstinatio, quam summam in eis hodie cernimus. Rursum massa plumbea impietatis est consuetudo peccandi. Hæc enim peccatorem ita degrauat, vt in abyssum malitiæ demergat, ex qua se erigere & exurgere nequit, nisi miraculo & miraculosa Dei potentis manu & gratia eleuetur & extrahatur.

Tropolog. massa plumbea est consuetudo peccandi.

Anagogicè, talentum plumbi significat grauitatem & perpetuitatem tam culpæ, quam pœnæ damnatorum in Sennaar, id est in inferno,

Anagog. est obstinatio.

eorumque obstinationem in malo. Ibi enim impietas cum omnibus impiis quasi ore occluso ad æternum carcerem silentium & tormentum damnabitur, & quasi in amphora constipabitur. Vnde S. Iohannes Apocal. 20.1. vidit *angelum descendentem de cælo habentem clauem abyssi, & catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, &c. & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit & signauit super illum. Ibi* ergo *omnis iniquitas oppilabit os suum*, psal. 106.42.

VERS. 4. *Duæ mulieres quæ?*

ET ECCE DVÆ MVLIERES] Quæres, quænam hæ? S. Hieron. cum suis asseclis, Remigio, Ruperto, Alberto, Hugone & aliis, accipit Israel & Iudam, siue Samariam & Ierusalem, putà decem tribus, & duas reliquas; quas pariter Ezechiel c. 23.4. comparat duabus mulieribus meretricibus, Oollæ scilicet & Oolibæ. Verùm non agitur hîc de Samaria & Israel: hic enim iam pridem abductus erat, non in Sennaar, id est Babylonem, sed in Assyriam. Quòd si quis amphoram hanc accipere velit mensuram impietatis & punitionis tam Israelis, quàm Iudæ, potiùs dicat duas hasce mulieres fuisse Salmanasar & Nabuchodonosor. Ille enim Israelem in Assyriam, hic Iudam in Babylonem traduxit. Alij, vt Lyran. Vatabl. Dionys. Fernandez, accipiunt tribum Iuda, & tribum Beniamin: hæ enim portarunt amphoram, id est mensuram suæ culpæ & pœnæ, in Babylonem, vbi ipsa quasi perpetuò victura remansit. Verùm hæ mulieres fuerunt quasi lictores, vel carnifices: Israel autem non fuit sibi ipsi lictor, aut carnifex.

Resp. Prima.

Secunda.

Tertia.

Tertiò, Theodor. & Hebræi apud S. Hieron. accipiunt Persas & Medos, siue Cyrum & Darium, qui ita Babylonem vastarunt, vt amphora, id est impietatis pœna, perpetuò in ea durare, & sedem suam in ea collocasse videatur; cùm in Ierusalem paucis, putà septuaginta, tantùm annis durarit. Hæc expositio rem penè attingit, sed semiplenè & ex parte dumtaxat.

Quarta & genuina.

Dico ergo per duas mulieres accipi duos dæmones primarios, vel potiùs Nabuchodonosorem & Nabuzardan, qui Ierusalem vastarunt, ac Iudæos impios in Babylonem transtulerunt. Hi enim fuerunt milui alati, id est abigei & raptores celerrimi, fortissimi & rapacissimi Iudæorum, qui eos traduxerũt in Babylonem. Vnde Chald. vertit, *populos leues & expeditos*, quales fuerunt Chaldæi. Tales post necem Christi Iudæis fuerunt Titus & Vespasianus, vel Titus & Adrianus.

Tropolog.

Tropolog. aliqui accipiunt duo peccata insigniora Iudæorum, quæ eos ad exilium in Sennaar adegerunt. Noxa enim caput sequitur; & culpa est quasi lictor, qui peccatorem adigit & agit in furcam: quænam hæc peccata sint non constat. Posset quis suspicari esse furtum & perjurium, quæ nominauit v. 3. Hæc enim visio amphoræ cum illa voluminis volantis videtur coincidere. & eòdem referri. Ribera vult esse excæcationem & obstinationem Iudæorum, quæ spiritu diabolico actæ, quasi alis milui amphoram hanc cum muliere deportant in Babylonem. Sed hæc duo continentur in muliere: mulier enim est impietas; maxima autem impietas est obstinatio, & in malo obstinata voluntas.

Symbol.

Symbolicè, duæ mulieres ex parte Dei possunt accipi diuina sanctitas & iustitia: hæ enim pœnas ab impijs Iudæis depoposcerunt, eosque

A è Ierusalem & terra sancta in impiam & impiam Babylonem eiecerunt. Vnde habent alij חַסִידָה *chasida*, id est milui, vel, vt recentiores vertunt, ciconiæ: *chasida* à rad. חֶסֶד *chesed*, id est pietas, significat auem piam, putà ciconiam. Hæc enim pia est in parentes, quos senescentes fouet & alis excipit, vt cum iis ad nidum transuolet. Rursum per antiphrasin *chasida* significat miluum, quia impius est, sæuus & rapax; Septuag. vertunt *vpupam*. Iam iustitia diuina sæuit in Iudæos instar milui; sanctitas turata est templum & pietatem instar ciconiæ, ideoque ex eo impios Iudæos eiecit in Babylonem.

SPIRITVS IN ALIS EARVM] *Spiritu* est ventus. q.d. Rapidissimo & validissimo vento ferebantur & impellebantur, secumque impellebant amphoram in terram Sennaar. Significatur celeritas & fortitudo Nabuchodonosoris & Nabuzardan, in vastandis, expilandis & abducendis Iudæis. ita Theodoret. Haymo, Vatabl. & Arias.

B Symbol. S. Hieron. spiritum nequam accipit, putà diabolum. q.d. Mulieres hæ spiritu diabolico agitabantur, ita vt viderentur diabolum habere in alis, eoque quasi furiis agi rapique in Babylonem.

LEVAVERVNT AMPHORAM INTER CÆLVM ET TERRAM] q.d. Non cursu, non equis, non curru, sed volatu, id est, velocissimè transtulerunt amphoram. Qui enim volat, librat se in aëre inter cælum & terram. Alludit ad miluos volantes & nidulantes in arborum cacuminibus.

Symbolicè significatur, nec cælum recipere Iudæos, vtpote impios & Deo exosos, nec terram, vtpote qui hominibus inuisi vbique sint, C ideoque vagi, exules & profugi. ita Rupertus. *Nec terra sua*, inquit, *capit eos, nec cælum admittit eos. Et quemadmodum figuifer eorum Iudas proditor periit, suspensus inter cælum & terram, vt ait quidam, cæli terræq; perosus; sic & iste populus à terrena Ierusalem exclusus, & cælesti factus indignus, quasi pendet inter cælum & terram*, iuxta illud Satyrici. *Si non in cælo* (vel terris) *fles vbicumque velis*. Et Fernandez visione 34. sect. 5. *Iudæos*, inquit, *quasi pilam lusoriam repercutiunt omnes gentes.*

VT ÆDIFICETVR ET DOMVS IN TERRA SENNAAR] Putà in Babylone, vt vertunt Septuag. nam in terra Sennaar est Babylon, vt patet Genes. 11.2. Dicta est *Sennaar* quasi שִׁנְאָר *senaar*, id est quæ excussit, scilicet dentes & linguam fabris turris Babel: ibi enim Deus confudit labium D vnum Meropum, quo omnes loquebantur hebraicè, itaque quasi linguam & dentes eis excussit. Rursum excussit ipsos fabros ex Sennaar, eosque in totum orbem dispersit. Significat Zacharias impios Iudæos à Chaldæis abductos fuisse in captiuitatem Babylonicam, ibique multis annis, putà 70. mansisse, ait S. Hieron. Rabbini, Albert. Vatabl. & Stunica: post eam verò ab Antiocho Epiphane, & planè pleneque à Tito, abducendos esse in captiuitatem & exilium vniuersale, quo totus orbis eis erit Sennaar, id est terra excussionis, putà impietatis & infidelitatis eorum carcer & exilium. Quia enim atrox fuit clades & captiuitas Sennaar, siue Babylonis, hinc per catachresin, à Iudæis quæuis grauis calamitas, carcer & exilium, vocabatur *Sennaar*, siue Babylon. ita Arias & Sanchez. Denique multi exis-

fore hîc significari, in Babylone regnum suum A inchoaturum Antichristum, ibique erecturum sedem impietatis, æquè ac tyrannidis, ac Iudæos eum ibidem pro suo Messia recepturos & cultuuros ait Christus Iohannisc. 5. 43 donec ab Elia & Henoch per miracula ardentemque zelum ad Christum conuertantur. ita Ribera, Emmanuel & Franc. Suarez 3. p. q. 59. disp. 54. art. 6. sect. 5 & alij multi; quin & Auctor operis de Antichristo apud S. August. & S Hieron. in cap. 11. Daniel. & Anselm. in Elucidario, asserunt Antichristum Babylone nasciturum. Hac de causa S Iohannes Apocal. 16. 12. vidit reges cum magnis copiis ab Euphrate, id est è Babylonia quæ Euphrati adiacet, venientes ad Antichristum: *Et sextus angelus*, inquit, *siccauit Euphratem*, &c. *vt præparetur via regibus ab ortu solis.* Et c. 9. 14. *Solue*, B *ait, quatuor angelos qui alligati sunt in magno flumine Euphrate*, &c. *vt occiderent tertiam partem hominum. Et numerus equestris exercitus vicies millies denamillia.* Accedit, quòd typus Antichristi fuerit Nabuchodonosor, qui Iudæos vastauit & abduxit in Babylonem, quique adorari se fecit in statua aurea, quam erexit, Daniel 3. 5. vti & faciet Antichristus, iuxta illud Ierem. 1. 14. *Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ*, putà à Babylone quæ Iudææ erat ad Aquilonem. Iam sensus huius loci est is, quem assignaui v. 6 amphora enim hæc continens impietatem, locata & statuta in Babylone, significat tam impietatis culpam, quàm pœnam in Babylone locatam, vt cùm in ea impietas steterit per definitam à Deo mensuram tum peccatorum, tum C temporum, puniatur & plectatur, Primò, per Cyrum. Secundò, per Darium; Tertiò, per Christum, qui Babylonem & Babylonios Antichristi asseclas disperdet in fine mundi.

Nota. Cùm ait, *vt ædificetur*, &c. alludit ad idola & idololatriam, quæ maximè nomine impietatis hîc intelligitur. Idolis enim more communi Iudæi ædificabant domus & templa, eaq; ponebant & eleuabant in basi, vt excelsa ab omnibus viderentur & colerentur. Iam domus idololatriæ & scelerum fuit Babylon, vti patet Ierem. 50 & 51. vnde per catachresin, Roma impia & tyrannica sanguine fidelium & Martyrum cruenta, imò ebria, à S. Iohanne vocatur Babylon Apocal. 17. & 18. In Babylone ergo impietas Iudæorum, eiusque pœna & captiuitas posita fuit super basin, quia quasi statua super columnam erecta fuit, vt videri ab omnibus etiam longè remotis posset. Propriè ergo & genuinè hæc am- D phora impietatis è Iudæa translata in Babylonem significat idololatriam cum idololatris impiisque Iudæis, à Chaldæis in Iudæa translatam esse in Babylonem, ita vt Iudæa iam ab ea expurgata & sancta, dignaque in qua Deo templum reædificaretur, in quo ipse, vt priùs, habitet & colatur: qua ratione Propheta consolatur, simulque incitat Iesum Zorobabel & populum, vt in Ierusalem reuersus ibi maneat; & si qui in Babylone remanserint, inde in Iudæam redeant, ibique templum Deo construant, in quo illum sanctè venerentur & colant. Ieruſalem enim iam est cœtus pietatis, Deique veri cultus, ideoque impunitatis pariter & securitatis asylum: Babylon verò est cultus idololatriæ & impietatis, vti fuit ab initio sub tyranno Nemrod. Genes. 10. v. 10.

ideoque punitioni & excidio addicta, perinde ac iam Meca in Arabia est ciuitas mahometismi, Geneua est metropolis caluinismi. Iudæi ergo à Ierusalem in amphora quasi translati in Babylonem, eò impietatem, id est idololatriam, secum exportarunt, ita vt illa amplius non redierit in Ierusalem, inquit Lyran. Dionys. & à Castro. In Babylone itaque suam amphoram, id est, culpam & pœnam deposuerunt, dum septuagesimo anno ea emensa, euoluta & persoluta, quasi ex sua amphora exeuntes, puri & liberi redierunt in Ierusalem & terram sanctam, amphoram, id est idololatriam, eiusque pœnam, relinquentes Babyloni & Babyloniis, quos proinde primò Cyrus, deinde Darius Hystaspis vastauit.

Alleg. significatur impietatis Iudæorum mensura complenda per cædem Christi, ob quam ipsa cum Iudæis impiis è Ierusalem per Romanos expellenda sit in Sennaar, id est, in exilium totius orbis, donec in Sennaar subiiciat se Antichristo, cum eoque plectatur & trudatur in tartara. Ibi enim erit æterna sedes impietatis, ibique implebitur planè illud: *Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar*, id est excussionis, *& stabiliatur & ponatur ibi super basin suam.* Pro quo clariùs vertit Syrus, *vt ædificent ei domum in terra Babylonis, & stabiliant eam, & habitare* (residere) *faciant eam ibi super præparationem* (mansionem) *eius*; & Arabicus Alexandr. *iam ædificata est ei domus in Babylone, & parata est ei, & habitabit in domo quæ ei parata est*; & Arabicus Antioch. *vt ædificent ei domum in terra Babylonis, & stabiliat eam, & ponat eam in æqualitate eius*, æqualia reddēs cuique pro demeritis supplicia. Tunc enim impietas Iudæorum, inquit Fernandez vis. 34. sect. 5. exaltabitur, & quasi super basin vt idolum in templo collocabitur, vt glorioſior & honoratior habeatur ab omnibus Antichristi sequacibus. Vnde eorum typus fuerunt fabri, qui turrim Babel ædificarunt in Sennaar, vt impietatem suam contra Deum exaltarent. Sic enim & Iudæi impietatis suæ idolum, quasi super basin exaltabunt ibidem sub Antichristo: sed in nihilum recident cogitationes eorum, sicut & impiæ turris ædificatorum. Nam & Antichristus eorum occidetur à Christo, & impietas exaltata cadet: sed per magnam misericordiam Dei fiet, vt cæso Antichristo à sua impietate resipiscant, & conuertantur ad Christum. Beneficia enim contempta acuunt Dei primò iram, deinde misericordiam. *Alleg. Sennaar est infernus.*

Tropol. Impietas è Ierusalem, id est, ex Ecclesia euertitur, cùm ex ea expelluntur exeuntque schismatici & hæretici, vt constituant suæ hæresis idolum in Babylone, id est, in sua Ecclesia Satanica, ex qua in æternam Babylonem, id est confusionem, & Sennaar, id est excussionem dentium, deturbabuntur, putà in gehennam, vbi erit fletus & stridor dentium; vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Fideles ergo qui sapiunt, fugiant Babylonem hanc quasi pestem, ac in Ecclesia sedem figant; ibi templum perfectionis virtutum Deo ædificent, donec in Ierusalem & templum cæleste, ad æternam vitam & gloriam transferantur. Vtinam ô Domine impietatem (hæresim) ex Anglia, Scotia, Germania, Bohemia, &c. educas, & trāsferas in Sennaar, vt fiant terra orthodoxa & sancta, sicut olim fuerunt, cùm in ea te laudauerunt patres nostri.

Rursum amphora est mensura peccatorum A cuiusque, tum hominis, tum populi, qua impleta Dei vindicta prosilit ad vltionem. Quisque ergo videat, ne amphoram hanc impleat, sed si quid criminum in eam iniecerit, mox per pœnitentiam euacuet & exhauriat. Porrò impletur amphora, cùm impunè & publicè grassatur impietas, vti fit in Bacchanalibus, cùm omnium oculi in eam intendunt. Tunc ergo maximè timenda est Dei ira & vindicta. Quocirca viri sancti, vt eam à se & republ. auertant, eo tempore tanto magis insistunt orationibus & piis operibus, vt iram Dei sistant & amphoram euacuent, quanto impij vacant suis cupidinibus, ardentq; vt eam impleant; ne instar Sodomorum igne cælesti siderentur, vel instar Iudæorum in terram Sennaar, id est excussionis, putà in exilium præsens & perenne in gehenna ablegentur; præsertim cùm Deus dat signa iræ suæ, & vindictæ imminentis per famem, pestem, publicasque strages & clades. Tunc enim apparet eius falx volans, & amphora egrediens, quam præcones toti populo annuncient & intentet, vt eam vitare, & Dei indignationem placare satagant; perinde ac fecit Aaron in seditione ac punitione Core, iubente Mose ac dicente: *Tolle thuribulum, & hac sto igne de altari mitte incensum desuper, pergens citò ad populum, vt roges pro eis: iam enim ira egressa est à Domino, & plaga desæuit. Quòd cùm feciſſet Aaron, & accurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.*

Symbol. amphoræ est auaritia.

C Symbolicè, S. Gregor. lib. 14. Moral. c. 26. per amphoram accipit auaritiam, in quam oculi omnium mundanorum respiciunt; vt, cùm ad cætera sint cæci, oculos solùm habere videantur ad intuendas amphoras, & mensuras emendi vendendiq́ue, ac cætera lucri instrumenta. Hanc duæ mulieres, scilicet superbia & inanis gloria in altum leuant. Audi ipsummet S. Gregor. totum hoc amphoræ symbolum explicantem moraliter: *Volens Deus Prophetæ ostendere humanum genus, ex qua ab eo maximè culpa dilabatur, per imaginem amphoræ quasi patens os auaritiæ designauit: Auaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet. Et dixit: Hæc est oculus eorum in vniuersa terra. Multos obtusi sensus homines cernimus, & tamen eos in malis actibus astutos videmus, Propheta quoque attestante qui ait: Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nesciunt. Hi itaque sensu torpent, sed in his quæ appetunt, auaritiæ stimulis excitantur; & qui ad bona videnda cæci sunt, excitantibus præmiis ad peragenda mala vigilantes fiunt. Vnde rectè de hac eadem auaritia dicitur: Hæc est oculus eorum in vniuersa terra. Ecce talentum plumbi portabatur. Quid est talentum plumbi, nisi ex eadem auaritia pondus peccati? Et ecce mulier vna sedens in medio amphoræ. Quam mulierem ne forte aßis quæ esset, dubitare posßimus, illico angelus innotuit. Nam illic mox sequitur: Et dixit: Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ. Impietas in medio amphoræ proiicitur: quia nimirum in auaritia semper impietas tenetur. Et misit massam plumbi in os eius. Massa plumbi in os mulieris mittitur: quia scilicet impietas auaritiæ peccati sui pondere grauatur. Si enim ea quæ deorsum sunt non ambiret, ergà Deum ac proximos impia nequaquam existeret. Et leuaui oculos, meos & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alu earum. Quid aliud in hîs duabus mulieribus accepimus, nisi duo principalia vitia, superbiam videlicet & gloriam inanem? quæ impietati absque vlla dubitatione coniuncta sunt. Quæ & in alu suis spiritũ suum habere narrantur, quia in actionibus suis Satanæ voluntati deseruiunt. Ipsum quippe Propheta spiritum appellat, de quo Salomon ait: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Et de quo in Euangelio Dominus dicit: Cùm immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida & inaquosa. Spiritus in alu earum est: quia superbia & inanis gloria per omne quod agunt, Satanæ voluntati famulantur.* Cætera deinde amphoræ ita tropologice prosequitur: *Et habebant alas, quasi alas milui. Milluus semper naturæ studet insidiari pullorum. Ista ergo mulieres alas habent quasi alas milui, quia actiones earum diabolo sunt proculdubio similes, qui insidiatur semper vitæ paruulorum. Et leuauerunt amphoram inter cælum & terram. Superbia & vana gloria habent hoc proprium, vt eum quem infecerint, in cogitationis suæ super cæteros homines extollant, & modò per ambitum rerum, modò per desiderium dignitatum, quem semel captum tenuerint, quasi in honoris altitudinem eleuent. Qui autem inter cælum & terram est, & ima deserit, & superiora minimè attingit. Leuant ergo ista mulieres amphoram inter cælum & terram, quia superbia & inanis gloria mentem per auaritiam honore captam ita eleuant, vt quoslibet proximos despicientes quasi ima deserant, & alta gloriantes petant. Sed tales quique dum superbiunt, & eos mente transeunt cum quibus sunt, & superioribus ciuibus minimè iunguntur. Amphora ergo leuata inter terram & cælum dicitur: quia auari quique per superbiam atque inanem gloriam & proximos iuxta se despiciunt, & superiora quæ vltra ipsos sunt nullatenus apprehendunt. Inter terram itaque & cælum feruntur: quia nec æqualitatem fraternitatis in infimis per charitatem tenent, nec tamen summa pertingere sese extollendo præualent. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me: Quò istæ deferunt amphoram? Et dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar. Eidem amphoræ ædificatur domus in terra Sennaar: Sennaar quippe fœtor eorum dicitur. Et sicut bonus odor ex virtute est, Paulo attestante qui ait: Odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo; & e contrario fœtor ex vitio. Radix enim est omnium malorum cupiditas. Et quia quodlibet malum per auaritiam gignitur, dignum est vt domus auaritiæ in terra construatur. Sciendum quoque est quòd Sennaar latißima vallis est, in qua turris à superbientibus ædificari cœperat, quæ linguarum factæ diuersitate destructa est: quæ scilicet turris Babylon dicta est, pro ipsa videlicet confusione mentium atque linguarum. Nec immeritò ibi auaritiæ amphora ponitur vbi Babylon, id est confusio, ædificatur: quia dum per auaritiam & impietatem certum est omnia mala exurgere, rectè hoc ipsa auaritia atque impietas in confusione perhibetur habitare.* Hæc quæ de auaritia dixit S. Greg. pari iure libidini, gulæ, iræ, acediæ, & cuiuis alteri vitio attribuas. Amphora enim vini, est gula; fellis, ira; torporis, acedia, &c.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Videt Zacharias quatuor quadrigas, in eisq; equos quadruplices, scilicet rufos, nigros, albos & varios, portendentes quatuor monarchias sibi ordine succedentes, scilicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum & Romanorum, quibus successit regnum Christi stabile & æternum. Vnde Secundò, v. 9. iubetur facere coronam auream, eamq; ponere in capite Iesu pontificis: auditq; Ecce vir Oriens (*Chald.* Messias nomen eius) & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino. *Occasio huius visionis fuit hæc: viderat Zacharias in fine capitis* Occasio visionis. *præcedentis amphoram cui insidebat impietas, transferri in Babylonem, ibiq; eam in basi quasi in loco stabili collocari. Iam videt circa impietatem hanc, & impium Babylonis imperium cætera regna confligere, illudq; ei extorquere. Nam Cyrus & Persæ ceperunt & vastarunt Babylonem. Deinde Alexander Magnus Darium & Persas cecidit iuxta Babylonem, eaq; ratione Babylonis imperium Persis ademit, & ad Græcos transtulit. Denique Romani illud idem Græcis ademptum sibi vendicarunt. Hoc est quod à Deo audit Propheta v. 8.* Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis (*in Babylonem, quæ Iudææ est ad Aquilonem*) requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.

Hæc eadem paulò antè intuitus est Daniel cap. 2. 32. vbi in specie statuæ quadriformis quatuor hasce monarchias conspexit. Et cap. 7. 3. vbi easdem sub specie quatuor ferarum, scilicet leænæ, vrsi, pardi, & quartæ horribilis ac variæ depingi vidit: quæ visio paucis annis ante Zachariam contigit, nimirum anno primo Balsasar, vt ibidem dicitur vers. 1. qui paulò pòst cæsus fuit à Cyro Babylonem expugnante. Hæc verò Zachariæ contigit sub Dario Hystaspis, qui post septennium regni Cambysis, Cyro in imperio Persidis successit, & Babylonem rebellantem rursum expugnauit. Quocirca ad has Danielis visiones alludit Zacharias: vnde vidit eosdem quatuor ventos, quos Daniel 7. 2. inter se confligentes, ac quatuor feras quatuor monarchias portendentes procurrere, & desinere in regnum Christi æternum. Prima enim Danielis fera respondet rufo colori equorum Zachariæ: leæna enim est rufa. Secunda fera Danielis, putà vrsus, respondet nigro colori equorum secundorum Zachariæ: vrsi enim sunt nigri. Tertia fera Danielis, putà pardus, respondet colori albo equorum tertiorum Zachariæ: pardus enim maculis albis inspersus est. Quarta fera varia Danielis respondet quartis equis variis Zachariæ. Danielem & Zachariam secutus est S. Iohannes Apocal. 6. vbi quatuor regna post Christum futura vidit depingi per quatuor equos, primum, album; secundum, rufum; tertium, nigrum; quartum, pallidum. Vide ibi dicta. Similitudo Danielis.

ET conuersus sum, & leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: & montes, montes ærei.

2. In quadriga prima equi rufi, & in quadriga secunda equi nigri,

3. & in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij, & fortes.

4. Et respondi, & dixi ad angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc, domine mi?

5. Et respondit angelus, & ait ad me: Hi sunt quatuor venti cæli, qui egrediuntur, vt stent coram Dominatore omnis terræ.

6. In qua erant equi nigri, egredientur in terram Aquilonis: & albi egressi sunt post eos: & varij egressi sunt ad terram Austri.

7. Qui autem erant robustissimi, exierunt, & quærebant ire, & discurrere per omnem terram. Et dixit: Ite, perambulate terram: & perambulauerũt terram.

8. Et vocauit me, & locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.

ET CONVERSVS SVM, ET LEVAVI] *Conuersus*, id est iterum, vel rursus leuaui oculos, & vidi nouam visionem: ponitur enim verbum, vel potiùs participium pro aduerbio, per enallagen Hebræis vsitatam. ita Vatabl. Vnde ex hoc loco non liquet, an hæc visio statim successerit visioni præcedentis capitis, an verò post maius temporis interuallum. VERS. 1.

ET ECCE QVATVOR QVADRIGÆ] Theodoret. quem sequuntur Palacius & à Castro, per quatuor quadrigas accipiunt quatuor angelorum turmas, Iudæorum res & commoda procurantium. Nam cap. 1. 8. vidit pari modo equos varios, albos & rufos, qui repræsentabant angelos Iudæorum tutelares, vt ibi dixi. Hi enim stant coram Domino, vti dicitur v. 5. ad eius iussa diuersa circa regimen populi eius exequenda, iuxta illud Habacuc 3. 8. *Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.* Et psal. 67. 18. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantiũ, Dominus in eis in sancto.* Vnde & Elias in curru equorum igneorum, id est angelorum, raptus est in cælum, 4. Reg. 2. 11. Et cap. 6. 17. Elisæus obsessus à Syris *vidit montem plenum equorum & quadrigarum ignearum in circuitu suo*, putà angelorum, Quatuor quadrigæ quæ

lorum, ad se tutandum. Iam hasce quatuor quadrigas, id est turmas angelorum, ita particulatim ex Theodoreto applicat & explicat à Castro: Equi rufi, inquit, significant angelos vltores & sanguinarios, qui egressi à Domino manserunt in Iudæa, vt Iudæos sua virtute de hostibus vleiscerentur & tutarentur. Quadriga angelorum quæ nigris equis vehebatur, missa fuit in terram Aquilonarem, vt per Medos & Persas exscinderet Babylonios hostes Iudæorum. Quadriga angelorum albo rum missa est post priorem, vt Iudæos libertate donatos per eosdem Persas, hilares reduceret in patriam. Quadriga angelorum variorum missa est versus Austrum, vt hostes Iudæorum eis felicitatem inuidentes, pro varietate gentium continerent, ne vlla in re eis nocerent. A B

Sunt quatuor monarchiæ.

Verùm communis Patrum & Interpretum sententia est, hasce quatuor quadrigas significare quatuor monarchias circa impium Babylonis imperium decertantes, quas Deus sua prouidentia successiuè in lucem eduxit, rexit, mutauit pro libito ad suam potentiam & gloriam, præsertim circa populum suum per eas vel castigandum, vel protegendum & promouendum, toti orbi ostendendam: itaque equos rufos denotare monarchiam Assyriorum & Chaldæorum, nigros Persarum, albos Græcorum, varios Romanorum, ita S. Hieron. Cyrill. Chald. Remig. Haymo, Hugo, Albert. Lyran. Vatabl. Arias, Ribera, Sanchez, Fernandez & alij passim. Ratio huius symboli quadrigarum est, quòd monarchiæ iam dictæ quadrigis in bello vtebantur, ex iisque de- C pugnabant: quadrigæ ergo significant, quòd ipsæ sua bellica fortitudine, vi & tyrannide obtinuerint sua imperia. Nam per quadrigas intelligit earum aurigas & sessores, vti & c. 1. v. 8. putà ipsos monarchas, eorumq; duces & milites quadrigis insidentes, tum ad bellandum, tum ad triumphandum, tum ad suam pompam & gloriam ostentandam, nisi dicas cum Sanchez, quadrigas has non ab hominibus, sed à belluis agi; quia belluinæ & tyrannicæ fuerunt monarchiæ, vt belluarum, quibus comparantur & repræsentantur, naturam & indolem imitatæ, imò induisse videantur. Vnde & Daniel cap. 7. 3. vidit eas repræsentari per quatuor bestias, quas paulò antè recensui. Adde, sicut auriga potest laxatis, adductis vel flexis habenis, pro arbitratu quadrigam agere, sistere & regere quoquouersum: sic reges & monarchæ suis legibus, placitis, prudentia, consilio, imperio populos sibi subiectos guber- D nant, & pro voluntate moderantur. Et quia triumphus est quasi regnum quoddam temporarium, decretum ducibus ob partam victoriam, idcirco triumphantes quadriga vehebatur, quasi reges temporarij.

Ratio symboli.

Portò veteres in quadrigis depugnasse, indeque quadrigam symbolum esse belli & regni bello parti, patet ex illo psal. 19. 8. *Hi in curribus, & hi in equis, nos autè in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.* Et Nahum 3. 2. *Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis.* Et Cant. 1. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te.* Sic de Turno canit Virg. Æneid. 12.

Posci it equos atquè arma simul saltuq; superbus
Emicat in currum, & manibus moditur habenas.

Sic Isaias cap. 21. 7. vidit in bigis ascensorem cameli & ascensorem asini, id est, Darium & Cyrum inuadentes Babylonem. Denique Ezechiel vidit currum cherubicum quasi quadrigam Dei pergentis ad excidium Iudæorum & Gentium, stipatum quatuor animalibus, leone, boue, homine & aquila. Huc spectat illud Deuter. 33. 26. *Ascensor cæli auxiliator tuus*: cælum enim est quasi currus bellicus Dei.

Mysticè. Clarius, Burgensis, & nonnulli veteres apud S. Hieron. per quatuor quadrigas accipiunt quatuor Euangelia, quadrupliciter à quadruplicibus præconibus toto orbe promulgata & propagata. Nam equi rufi significant Apostolos & Martyres, qui suo sanguine Euangelia obsignarunt. Equi nigri significant Prophetas & Doctores, qui profunda & quasi in antris atris abdita Dei mysteria ingressi, ibique quasi atrati, eadem in mundo prædicarunt, sed atrè, id est obscurè, & quasi per speculum & in ænigmate, vt ait Apostolus 1. Corinth. 13. 12. Equi isabeles albi significant Virgines, virginitate quasi in liis candidos. Equi varij & fortes significant Confessores variis Dei donis illustres. Hi enim omnes quasi quadrigæ Dei, actæ & impulsæ vento impetuque Spiritus sancti cunctas gentes Christo subiugarunt. Sicut enim Deus quadrigis, id est, Monarchis Chaldæorum, Persarum, Græcorum & Romanorum subiecit orbem; ita multò magis eumdem ineffabili sua prouidentia per quadriformes Sanctos subiecit Christo, in cuius regnum omnes reges & regna deferūt.

DE MEDIO DVORVM MONTIVM] Hi duo montes symbolum sunt potentiæ & prouidentiæ Dei, cuius duæ partes, & quasi montes sunt mens & voluntas, putà sapientia & decretum siue dispositio & definitio, aut præordinatio & executio. Sensus ergo est, q. d. Hæ quatuor quadrigæ, id est monarchiæ, Dei potentia & prouidentia ita constrictæ tenebantur & claudebantur, quasi septæ essent montibus æneis, id est fortissimis & impenetrabilibus, donec manum suam laxauit Deus, eisque exeundi potestatem dedit, vt imperium occuparent, sibique alias gentes subiicerent. Alludit, ait Mariana, ad montem Taurum, seu Caucasum, vbi iuga montis duo in fauces coëunt, sicut portæ ferreæ, de quibus Hegesippus lib. 5. c. 50. Locus est sic dictus, non quòd ibi sint portæ, sed ob munitionem. Nam propriè ex hisce montibus egressi sunt eorum accolæ Persæ, qui in vastando hoc impietatis Babylonicæ regno fuerunt primi & præcipui, ideoque requiescere fecerunt Spiritum Dei, vt dicitur v. 8. Simili enim modo Dei prouidentia sua sapientia & voluntate, quasi duobus ferreis montibus inter se coëuntibus, continebat has monarchias, vti ventos (quibus hæ monarchiæ comparantur v. 5.) suis antris & montium latebris ab Æolo concludi fabulantur Poëtæ, qui hanc fabulam hinc mutuati videntur, de qua Homerus Odyss. 20. & ex eo Virgil. lib. 1. Æneid.

Hinc vasto rex Aeolus antro
Luctantes ventos, tempestatesq; sonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.
Ni faciat, maria ac terras, cælumq; profundum
Quippe ferant rapidi secum.

Vnde Secundò, Vatabl. per montes hos accipit robur istorum regum & gentium, quæ sua virtute bellica monarchiam sibi pepererunt. Simili-

modo

modo Arias accipit eorumdem consilium & indolem, quæ in bellis robori sæpè præualet. Montes] Albert. Lyran. & Hugo, per duos montes accipiunt Israelem & Iudam, è quibus egressi sunt Prophetæ, qui quasi montes ærei, id est fortes & inuicti certò & infallibiliter harum monarchiarum principium, progressum & terminum præcerunt.

Allegor. duo montes sunt duo testamenta, vetus Mosis, & nouum Christi. Hæc enim sunt quasi duo montes inconcussi & irrefragabiles, è quibus egressa sunt quatuor Euangelia, quæ totum orbem occuparunt. ita Clarius & Burgens.

Æreі] Id est, fortes & duri instar æris. Peream R. Dauid vertit *chalybei*. Hebræum enim נְחֹשֶׁת *nechoset* significat æs, non chalybem, atque æs æquè duritiei est symbolum ac chalybs. B

In quadriga prima equi rufi] Mariana per equos rufos, vtpote fortissimos, accipit monarchiam Romanorum, quæ licèt ordine fuerit tertia, robore tamen & virtute fuit prima: vnde prima hoc loco ponitur.

Verùm alij omnes per equos rufos accipiunt monarchiam Assyriorum & Chaldæorum, quæ reipsa fuit prima. Hi vocantur rufi, tum quia sanguinarij & crudeles fuerunt, præsertim in Iudæos, quos vrbe, templo, libertate & vita spoliarunt (hinc celebris illa, dira & ærumnosa captiuitas Iudæorum in Babylone per septuaginta annos ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. & alij:) tum quia vestibus rufis, id est purpureis & coccineis, vtebantur, vt patet Nahum 2.3. *Clypeus eius igneus, viri exercitus eius in coccineis.* Et S. Iohannes Babylonem vocat purpuratam meretricem Apocal. 17.3. & c. 18.16. *Væ*, ait, *ciuitas illa magna quæ amicta erat byssо, purpura & cocco.* Hic enim color ardorem animi ad præliandum notat & acuit: vnde equi rufi alacriores, erectiores & animosiores sunt. Color enim rufus est accensus & ignis splendorem refert, idque melius etiam rubeus, qui tamen zeli & acrimoniæ est index: teste Alciato emblem. 117. dum ait:

At ruber armatos equites exornat amictus.

Hac de causa post Chaldæos aliæ quoque gentes ad prælia euntes, vestibus rubris vsæ sunt, vt Persæ teste Xenophonte lib. 7. Cyripædiæ: & Græci teste Ælian. lib. 6. cap. 6. præsertim Lacedæmonij. Pluribus idipsum ex Plutarcho, Ælliano & Valerio demonstrat Alexander ab Alexandro lib. 1. Genial. c. 20. & ibidem Tiraquellus. Verùm quia primi Babylonij in bellis purpurea vel coccinea veste vsi sunt, quos deinde Græci & Persæ sunt imitati; hinc hic color datur Babyloniis ita Arias & alij. Porrò quid hi equi rufi egerint, non declarat Zacharias, tum quia iam præierant; tum quia Iudæis recèns ex Babylone redeuntibus satis idipsum constabat, inquit S. Hieron. tum quia eorum gesta noxia & funesta facerant Iudæis, inquit Cyrill. Angelus autem hic lata ostendit Zachariæ, vt afflictos Iudæos animet & consoletur.

Allegor. Clarius. Equi, inquit, rufi qui aliò non sunt egressi, significant S. Iacobum, S. Stephanum primosq; similes Christi prædones & athletas, qui inter crudeles & cruentos Iudæos Euangelium Christi prædicarunt, pro eoque ab illis in Iudea occisi sanguine suo rubricati, non aliò quàm è terra in cælum egressi sunt.

In quadriga secunda equi nigri] Nigri designant Persas: quia hi plus horroris & mœroris, quàm damni & stragis intulerunt Iudæis; vti Cambyses, qui impedиit fabricam templi; & Assuerus maritus Esther, qui seductus ab Aman Iudæos omnes neci addixit ita S. Hieron. Addit Arias, Persas pulla & atra veste vti solitos, indeque fuscum dici, quasi pusicum & persicum. Verùm id non liquet ex historiis, imò Xenophon loco iam citato, asserit eos in bello vsos coccineis. *Nigri sunt Persæ, curt*

In quadriga tertia equi albi] Albi denotant Alexandrum, Ptolemæum Philadelphum, & Græcos; qui clementes & beneuoli fuerunt in Iudæos, adeò vt Alexander Iaddum pontificem pronus adorarit, teste Iosepho libr. 11. Antiqu. cap. vlt. Licèt enim Antiochus Epiphanes ex Græcis oriundus Iudæos afflixerit, tamen hæc afflictio fuit modici temporis, atque in ea Machabæi victoriis fuerunt candidati & illustres. VERS. 3. *Albi sunt Græci.*

Addit Cyrillus, Græcos denotari albo colore; tum quia vt plurimùm veste alba vtebantur; tum quia linguam planam & apertam, ac à barbarorum tenebris & obscuritate alienam habebant; tum quia delicias & conuiuia amabant, quorum symbolum erat candida: hæc enim erat vestis festa, conuiualis & læta; tum quia in bellis fuerunt felices & victorioси, vti patet de Alexandro: candida enim vestis erat triumphantium.

In quadriga quarta equi varii et fortes] Mariana per equos varios accipit Ægyptios: hi enim ad Austrum latè dominati sunt Ægypto, ac vicinis Syris & Æthiopibus, fueruntque potentes & celebres. Verùm cæteri omnes per quartam hanc quadrigam accipiunt monarchiam Romanorum. Hæc enim potens fuit & fortis, æquè ac varia; tum in regimine, quod initio in Regibus fuit monarchicum, deinde in Consulibus aristocraticum, postea in Tribunis plebis democraticum, rursum in Imperatoribus monarchicum, idque ex varia gente: alij enim fuerunt Itali, alij Hispani, alij Galli, alij Græci, &c. Tum quia Romani variis fuere ingeniis, æquè ac affectibus in Iudæos: partim enim in eos beneuoli fuere, vti Senatus Rom. tempore Machabæorum, quando cum eis fœdus sanciuit; item Iulius Cæsar, Augustus, Tiberius, Claudius: partim infensi & crudeles, vt Pompeius, Caligula, Nero, Vespasianus & Adrianus. ita S. Hieron. *Varij sunt Romani.*

Pro variis hebr. est בְּרֻדִּים *berudim*, id est grandinati, hoc est, maculis albis instar grandinis respersi & variegati, quos Latini guttatos vocant, vt Martialis lib. 5. epigram. 104. aues Numidicas guttatas vocat. Vnde Syrus vertit, *sparso vellere*, vel *ad flammeum colorem accedente*; Arabicus Antioch. *colore vermiculi*, vel purpuræ. Rursum pro *fortes* hebr. est אֲמֻצִּים *amutsim*, quod Aquila vertit κραταιοὶ, vel, vt legit S. Hieron. κραταροὶ, id est potentes, robusti; Septuag. ψαροὶ, id est sturnini, putà colore sturni auis: hæc enim vocatur ψάρ: vel veloces, ὡσὶ ἡ ψαλλον, vnde αἰψηροὶ. Chald. vertit, קְמָטָנַיָּא *kitmanin*, quod Biblia Regia vertunt, *coloris cinerei*: meliùs alij vertunt *confringentes*, vel comminuentes, in cinerem redigentes, iuxta illud quod de iisdem ait Daniel cap. 2. 40. *Quomodo ferrum comminuit & domas*

domat omnia, sic comminuet & conteret omnia hæc. Origo duplicis huius versionis est, quòd Hebr. אמוצים *amutsim*, propriè significet fortes, ideoque veloces, vt vertunt Septuag. & comminuentes omnia, vt vertit Chald. Sed aliqui, inter quos est Arias, *amutsim* acceperunt pro חמוצים *chamutsim*, id est fermentatos, putà *cinereos*, huius enim coloris est fermentum; vel *flurninos*, vt alij vertunt ex Septuag. flurni enim pariter sunt coloris cinerei. Vnde & Syrus, etiam Vaticanus, *vò fortes* omittit. Verùm prior lectio *amutsim*, id est *fortes*, est vera & genuina. Porrò Arias per *cinereos*, accipit Turcas, Arabes & Saracenos, qui colorem habent cinereum; præsertim Ottomanos. Hi enim partem magnam Romani Imperij occuparunt sua fortitudine, quam eis indit sua lex, putà Alcoranum: hoc enim iubet eis, vt armis sectam suam propagent. Verùm hi Romani censeri nequeunt, cùm sint Romanorum iurati hostes; nec robustissimi, cùm eis longè sint robustiores Christiani Europæi, vti patet in præliis Adde, spurca & fœda est hæc Mahometis secta, nec digna hisce Zachariæ oraculis & elogiis.

Mysticè, quatuor equi sunt quatuor virtutes Apostolicæ.

Mysticè, Alcazar in c. 6. Apocal. notat. 5 pag. 444. per quadricolores equos & quadrigas accipit quatuor dotes & virtutes, quibus Apostoli virique Apostolici, quasi quadrigæ Christi, ipsi totum subegerunt orbem; scilicet equos albos denotare immaculatam sanctitatem; rufos zelum ardentem; varios sapientiam; nigros modestiam. De albore vide Alciatum emb. 117.

Sinceri est animi & mentis stola candida puræ.

Rufi denotant ardorem: quia hic color accensus est & igneus. Varij significant æternam Dei sapientiam, quæ varietatem illam Apostolorum & fidelium tanta pulchritudine distinxit: multiplex enim color est multiformis ars & sapientia. Est enim spiritus sapientiæ multiplex, Sapient. 7. 22. Niger color significat modestiam: vnde Clerici & Monachi S. Basilij, Benedicti, Augustini, &c. nigris vestiuntur, iuxta illud Cant 5. 11. *Comæ eius nigræ quasi coruus*; vbi Delrio ex Hesychio, Bernardo, Alcuino, Beda, Haymone & Anselmo ostendit, nigrorem symbolum esse rei contemptæ, & externa specie despicabilis, quæ fundamentum est humilitatis & modestiæ, iuxta illud Cant 1. 5 *Nigra sum, sed formosa.*

Origo Circensium.

Ex his Zachariæ quadrigis ortæ videntur quatuor Circensium aurigarum factiones, totidem coloribus distinctæ, quæ apud Romanos & Græcos graues sæpè tumultus concitarunt. Erant enim aurigæ, alij albati, alij russati, alij prasini, alij veneti, de quibus omnibus extant Epigrammata l. 5. Anthologiæ, & Dio l. 59. & Suetonius in Vitellio c. 14. Albati enim respondent quadrigis albis Zachariæ, russati rufis, prasini nigris, veneti varijs. Prasinus enim color est porraceus siue viridis, qui conflatur ex giluo & nigro, teste Platone in Timæo. Venetus color vocabatur cyaneus, siue cæruleus & marinus, ait Vegetius: mare autem ob fluctus & reuerberationem radiorum solis, varios exhibet colores, sed maximè cæruleum. Vnde Arias equos varios Zachariæ censet fuisse cinereos, qui ad cæruleos accedunt. Porrò hisce quatuor coloribus videntur repræsentasse quatuor elementa, eorumque inter se dissidia & pugnas, nimirum rubro ignem; ruber enim color ignis est, & igneus: albo aërem, sereNus enim aër albescit: veneto, siue cæruleo aquas & mare: prasino, siue porraceo terram, germina & porros producentem. Hæc enim quatuor elementa moderatur, interq; se committit & contemperat summus vniuersi auriga Deus. Vide de origine venetorum & prasinorum sic in antiquis historiarum Collectaneis Cod. Vatic. 96. legimus: *Oenomaus primus inuenit Circensium colores, quibus terræ ac maris quasi certamen repræsentaret. Mittebantur sortes; quem verò contigisset terræ vim agere certando, ille vestem viridem induebat; cæruleam autem, qui vices maris agebat. Hoc certamen vigesimoquarto die Martij Oenomaus constituit. Quòd si color viridis vicisset, terræ fertilitatem omnes sperabant; si cæruleus, tranquillam maris nauigationem. Quare agricolæ optabant victoriam viridi coloris, nautæ cæruleo.*

Isti svnt qvatvor venti] Hoc est, vela quatuor venti: Hebræi enim sæpè *caph*, quæ est nota similitudinis, omittunt. q.d. Hæ quatuor quadrigæ, id est monarchiæ, inter se confligent vt venti contrarij, ac violenter & celeriter quasi venti subuertent omnia quocumque irruent, denique velociter transibunt & desinent, vti faciunt venti. Alludit ad Daniel. 7. 2. vbi pariter Daniel hæc quatuor regna depingi vidit per quatuor ventos confligentes in mari. q.d. Istæ quadrigæ sunt similes quatuor ventis ostensis Danieli: sicut enim ventus mare, sic quadriga terra turbatur. ita Theodoret. Vatabl. Sanchez hîc, & Perer. in Danielis 7. 2. Simili phrasi dicitur Deus suscitasse spiritum Cyri 1. Esdræ 1. 1. & spiritum regum Medorum Ierem. 51. 11. Ita super S. Hieron. Theodor. Remig. & Vatabl. per quatuor ventos accipiunt quatuor plagas, siue climata mundi, ad quas egressæ sunt hæ quadrigæ, vt eas sibi subiicerent. Vnde Vatabl. vertit: *istæ sunt quadrigæ, quæ ad quatuor ventos, vel plagas cælorum egrediuntur*; & Chald. *istæ sunt quatuor regna, quæ sunt in quatuor ventis cæli.* Denique pro *venti*, hebr. est רוחות *ruchot*, id est spiritus, quales sunt angeli, æquè ac venti. Vnde Theodoret. Palacius & à Castro, per quadrigas has & ventos accipiunt angelos præsides regnorum, putà quatuor monarchiarum, de quibus dicitur psal. 103. 4. *Qui facit angelos suos spiritus*, & hi stant coram Domino. Hic sensus eôdem redit. Quod enim de angelis dicitur, hoc de monarchiis iisdem commissis dicitur & intelligitur.

Moral. disce hîc regna & potentatus huius sæculi naturam habere ventorum, æquè ac quadrigarum, tum quia valida sunt & armipotentia; tum quia velocia; tum quia mox euanescunt. Stultus ergo est, qui ventos sequitur, quos assequi non potest, & si posset, diu tenere non posset, inquit Sanchez. Vides quadrigã principis equis quaternis vel senis velocibus velociter transcurrere, cogita ita transcurrere omnes orbis principatus. Sentis ventos celerrimè per aëra transuolare, cogita pari modo transuolare reges & regna, omnesque dignitatum apices. *Omnis potestatis vita breuis*, ait Sapiens.

Vt stent] quasi parati ad eius iussa excipienda & exequenda. Nam Deus per eos punit quos vult, imò priores semper punuit & euertit per sequentes, vti Chaldæos per Persas, Persas per Græcos, Græcos per Romanos. Vide dicta

Ita

Ezech.5.& Ierem.25.v.9. & sequentibus. Vbi Note homines omnes, licèt pessimi sint, quales fuerunt multi ex his monarchis, vtpote tyranni, tamen Deo quasi instrumenta & lictores eius, vt vel populum eius defendant, vel impios castigent. Hebr. est מתיצי *mehitiatsi seu*, id est, à stando; Pagnin. & Tigurin. *à loco vbi stabant coram Domino*, Noster cum Septuag melius vertit, *propter standum*, id est, *ad standum*: quia Hebr. ל *min* sæpè significat *propter*, & subinde capitur pro ל, id est *ad*. Istæ enim particulæ & literæ seriles per enallagen non rarò inter se commutantur: *mehitatsi seu* ergo, id est à stando, idem est quod *hitatsi seu*, id est ad standum, vt stent. A

Qvi nigri egrediebantvr in terram Aqvilonis] Equi nigri significant Persas, qui vastarunt Babylonem, quæ est ad Aquilonem Iudææ, vt dixi v.2. B

Et albi egressi svnt post eos] Denotatur Alexander & Macedones, qui Persis in monarchia successerunt, eamque illis extorserunt iuxta Babylonem: sedes enim imperij Persarum erat Babylone, ait Vatabl. Vnde iuxta eam apud Arbellam Alexander profligauit copias Darij Codomanni (qui fuit vltimus Persarum monarcha) ideoque ibidem rex Asiæ proclamatus est, ac Babylonem victor ingressus, omnes eius ditiones sibi subiecit, teste Curtio l.5.& Plutarch. in vita Alexandri.

Et varii egressi svnt ad terram Avsti] q.d. Romani egressi sunt in Ægyptum: haec enim est ad Austrum terræ sanctæ, putà Iudææ, iuxta quam Scriptura plagas mundi describere & consignare solet. Vatabl. & Arias putant id factum per Iulium Cæsarem, qui primus C
deuicit Ægyptum. Melius alij id factum censent per Augustum successorem Iulij: Augustus enim per Actiacam victoriam profligauit Antonium & Cleopatram, itaque Græcorum, putà Ptolemæorum, in Ægypto regnum extinxit, illudque ad se & Romanos transtulit. vnde ipse primus Ægyptum fecit prouinciam, teste Suetonio in eius vita c.17.& 18. quod Iulius facere ausus non fuerat. Tunc ergo euersa tertia monarchia Græcorum, cœpit quarta Augusti & Romanorum. Vnde paulò pòst ab Augusto quasi iam monarcha, exiit edictum vt describeretur vniuersus orbis. ita S. Hieron. Ribera, Sanchez, Fernandez & alij.

Qvi avtem erant robvstissimi] Hebr. איתנים *haamutsim*, id est, illi fortes per excellentiam de quibus v.3. q.d. Ex quarta quadriga D
equi robustissimi, putà Romanorum fortissimi, nam Dei perambulabunt, id est, perambulando lustrabunt (vti ostendi cap.1. 11.) omnem terram. Tales successiuè fuerunt Scipio, Pompeius, Cæsar, Augustus, Vespasianus, Traianus, Constantinus, Theodosius, &c. Romani enim sensim crescentes armis & viribus robustissimi euaserunt, & plurimas prouincias occuparunt. ita S. Hieron. Cyrill. Theodoret. Lyran. Hugo, Vatabl. & alij.

Alij per robustissimos accipit Turcas & Ottomanos, vt dixi v.2. Melius Ribera accipit Gothos, qui fuerunt stipendiarij Romanorum, eorumque imperium propugnarunt & propagarunt, operamque insignem nauarunt Maximino pugnanti contra Parthos, Constantino contra Licinium, & Honorio. Verùm Gothi non fuere Romani, ac sub Honorio fœdus ruperunt, & in hostes conuersi Italiam, Hispaniam & Africam, quin & Romam ipsam, sub Alarico & Genserico ducibus regibusque suis, vastauerunt. Itaque ob gentis copiam, paupertatem & barbariem, maximi fuere Romanorum & gentium eis fœderatarum expilatores per plures annorum centurias. Vide Orosium lib.7.c.19.& seq. Rursum Gothi non perambularunt, id est occuparunt, totam terrā. Nisi dicas cum Sanchez, per Gothos accipi reges Hispaniarum, qui à Gothis prognati sunt. hi enim sensim suum imperium latè propagarunt, adeoque illud extenderunt per Americam, Peru, Brasiliam, totumque nouum orbem. Occuparunt enim Indias Occidentales, & multa in Orientalibus, admirabili audacia, æquè ac fortitudine & victoriis ad miraculum vsque illustribus. Verùm reges Hispaniarum numquam (nisi sub Carolo V. in quo regnum Hispaniæ Imperio Romano fuit coniunctum) extiterunt, aut nominati fuerunt Imperatores Romanorum. Et pari ratione robustissimos hosce dicere possemus Pipinum, Carolum Martellum, & præsertim Carolum Magnum, eiusque successores reges Austrasiorum, Francorum & Germanorū, qui verè re & nomine fuerunt Reges & Imperatores Romanorum, ac eorum Imperium per Austrasiam, Galliam, Germaniam, Saxoniam, Hollandiam, Angliam, Daniam, & Sueciam, longè lateque; vel propagarunt, vel restituerunt; vti duce Godefrido Bullonio recuperarunt Syriam & terram sanctam. Adde, has quadrigas Zachariæ, vti & statuam quadrifidam Daniel.c.2. propriè significare monarchias & monarchas qui præcesserunt Christū: nam in Christum Christique; regnum desinere visi sunt à Daniele v.44. vti & hìc Zacharias eos in Orientem, id est in Christum, v.12. terminari conspexit.

Ecce qvi egredivntvr in terram Aqvilonis] Putà Persæ, qui sub Cyro, & rursum sub Dario Hystaspis tempore Zachariæ Prophetæ vastarunt Babylonem. ita Lyran. Vatabl. Arias & alij. Addunt Hebræi, S. Hieron. Haymo & Remig. id fecisse non tantùm equos nigros, id est Persas; sed & albos, id est Græcos. Alexander enim prope Babylonem prostrauit Darium, ac Babylonem in suam potestatem redactam victor est ingressus, vti dixi v.6. Vers. 8.

Requiescere fecervnt spiritvm mevm in terra Aqvilonis] *Spiritum*, id est *furorem*, vt vertunt Septuag q.d. Persæ satisfecerunt meæ iræ, mihique in Chaldæos tyrannos irato, dum eos vastarunt, expleuerunt meam vindictam; itaque sedarunt meum animum iustæ vindictæ cupidum. Quia enim Zacharias cap. præcedenti vers. vltimo dixerat, amphoram impietatis & idololatriæ locatam & eleuatam fuisse in Babylone, hinc ait hoc loco, in eius punitione requieuisse Dei spiritum, quo ipse indignabatur æmulum sui idolum dominari in Babylone; ideoque ea cum suo idolo excisa, sedatum & pacatum, imò consolatum, recreatum & exhilaratum fuisse spiritum, id est, voluntatem vlciscendi Dei: sicut homo læsus, ideoque iratus & furens, tamdiu furit, donec se vlciscatur de hoste qui eum læsit; sed vltione peracta furor hic, quasi sanguine hostis exsatiatus, conquiescit.

ita

ita Theodoret. Haymo, Remig. Lyran. Hugo, A Arias & Vatabl.

Aliter S. Hieron. ex Hebræis: Spiritus, inquit, hic propheticus intelligitur. q.d. Persæ fecerunt prophetias meas, quibus excidium Babyloni comminatus sum, in eadem conquiescere: quia eas, exscindendo Babylonem, expleuerunt & executioni mandarunt.

Nota. Hæc dicuntur ad consolationem Iudæorum, qui à Babyloniis vastati & in Babylonem abducti fuerant; & ad concitandum odium impietatis & idololatriæ (cuius metropolis erat Babylon) vt Iudæi eam abominentur, vti deinceps abominati sunt, ideoque tantùm rerum à quadrigis in Babylone gestarum, putà vindictæ in ea peractæ, hîc fit mentio.

Morale, quàm scelerum vindicta Deo sit grata.

Moral. disce hîc, quàm iustitia iustaque scelerum vindicta sit sancta & Deo grata. Discant ergo ex hoc loco principes, magistratus, iudices, prætores, &c. te, dum sceleratos, præsertim persecutores fidelium & piorum, quales erant Chaldæi, plectunt, facere vt conquiescat spiritus, mens, voluntas, iustitia & ira Dei, quæ antequam vindicta peragatur stridet, feruet, bullit, milleque minarum & dirarum fulmina in corde coquit, tam in sceleratos, quàm in principes & iudices qui eas non puniunt, sed tolerant, vel dissimulant, iuxta illud Amos 2.13. *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno.* Et c.3.8. *Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, quis non prophetabit?* Vide ibi dicta.

9. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

10. Sume à transmigratione, ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia; & venies tu in die illa, & intrabis domum Iosiæ, filij Sophoniæ, qui veneruht de Babylone.

11. Et sumes aurum & argentum: & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedec sacerdotis magni.

12. Et loqueris ad eum, dicens: Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Ecce vir Oriens nomen eius: & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino.

13. Et ipse extruet templum Domino: & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo: & erit sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos.

14. Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem, filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini.

15. Et qui procul fiunt, venient, & ædificabunt in templo Domini: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

transmigrarunt, ibique adhuc degunt & domum fixerunt. Hi enim miserunt munera in Ierusalem offerenda in templo per Holdai, Tobiam, Idaiam & Iosiam. Ponitur abstractum pro concreto more Hebræo, scilicet transmigrantes pro olim transmigrantibus. Est hysterologia. Verba enim sic ordinanda sunt: Venito, ô Zacharia, in domum Iosiæ filij Sophoniæ, in qua munera oblaturi sunt Holdai, Tobias & Idaias, qui iam recenter venerunt de Babylone, atque ab eis accipies aurum & argentum, quæ quasi donum per eos transmiserunt, & templo offerunt Iudæi qui olim in Babylonem transmigrarunt, ibique adhuc degunt, vt ex eo facias coronas ponendas in capite Iesu pontificis.

VENIES IN DOMVM IOSIÆ FILII SOPHONIÆ. Hinc videtur, quòd tres tantùm antea nominati hæc dona obtulerint, videlicet Holdai, Tobias & Idaias; sed in domo Iosiæ filij Sophoniæ, qui erat templi vel ædituus, vt volunt Hebræi; vel thesaurarius, & pecunias colligebat pro templi fabrica & sumptibus, inquit Cyrill. Haymo & Remig. vel certè erat aurifex, qui ex auro hæc fabricaturus erat coronas. Vnde & Iosiæ nomen cum aliis tribus, coronis fuit inscisum, sub nomine Hem, vt patet v.14. Theodoretus tamen censet Iosiam fuisse quartum, qui cum aliis tribus rediens Babylone, hæc dona obtulerit. Statim enim sequitur: *Qui venerunt de Babylone*: vbi pro nomen *qui* refert tam Iosiam, qui immediate præcessit, quàm tres alios: nisi dicas esse hysterologiam, ac per eam *τὸ qui* ad solos tres, qui ante nominati sunt, referri, vti censet S. Cyrillus. Iosias ergo Theodoreto videtur fuisse primarius quatuor horum legatorum; vel certè hospes eorum, vt reliqui tres in domo eius hospitarentur. Fauent Hebræi, S. Hieron. Remig. Albert. & Hugo, qui tradunt hos quatuor legatos fuisse Danielem, Ananiam, Azariam & Misaelem. Verùm hoc valdè dubium est: non enim videtur Daniel potuisse eò vsque prorogare vitam. Nam anno 3. Cyri erat centum annorum, vti ostendi proœmio in Danielem, tuncque mortuus videtur; aut certè, vt Isidorus in eius vita tradit, mortuus est anno primo Darij Hystaspis, cùm iam esset centum & vndecim annorum. Hæc autem oracula accepit Zacharias post initia regni Darij Hystaspis, vti patet c.1.v.1.

ET FACIES CORONAS]. Per *coronas* accipe coronam vnam ingentem, è duabus vel tribus partialibus coronis compositam: illa enim imposita fuit capiti solius Iesu pontificis; sicut capiti Romani Pontificis imponitur tiara triplici corona distincta, quam vulgus Regnum vocat, ob causas quas mox afferam. Vnde Chald. vertit, *facies coronam magnam*. Et Septuag. v.14. *corona ea*. Quare videtur hæc corona Iesu fuisse vna totalis, ex aliis partialibus conflata, vel iis instar duplicis aut triplicis diadematis redimita, vt significaret duplicem Iesu dignitatem & potestatem, scilicet Ecclesiasticam & ciuilem, putà pontificatum & principatum; aut triplicem, id est multiplicem, plenam & omnimodam. Post reditum enim è Babylone summa potestas tam laica, quàm sacra fuit penes pontifices, vti superiùs docui ex Iosepho lib.11. Antiq. cap.4. & patet in Machabæis, qui simul fuere pontifices & principes populi; atque in Eliacim, siue Ioacim pontifice tempore

Vers.10 SVME A TRANSMIGRATIONE] Putà à Iudæis captiuis, qui vel in se, vel in suis parentibus ante 70. annos in Babylonem à Chaldæis abducti,

tempore Iudith, qui contra Holofernem quasi princeps Iudæos disposuit, iussitq; vt obsiderent angustias montiū, per quos hostis transiturus erat Iudith 15. Hinc in historijs Iosephi & Esdræ lib. 1. ac fastis publicis Iesu posteri & successores dicuntur, non Zorobabelis. ita Abulens. in 1 Paral. c. 6. quæst. 8. Genebrard. in Chronol. Suarez & alij. Arias cēset coronas hasce partiales fuisse argenteas planè distinctas, scilicet vnam fuisse ex auro, alterā ex argento: aurea, inquit, significabat pontificatū, argentea principatū. Hic enim illo est inferior, vti & est argentum auro. Alij duas integras coronas hīc fabricatas cēsent, scilicet vnā pro Iesu pontifice, alteram pro Zorobabele principe, vtramq; ex auro & argēto inter se mistis. ita Hebræi, S. Hieron. Remig. Albert. Magnus à Castro. Verùm Zorobabelis hīc nulla fit mentio: tota enim prophetia dirigitur ad Iesum pontificē: *Pones*, inquit, *in capite Iesu*. Quare vel vna corona duabus minoribus cincta & distincta eius capiti imposita fuit; vel, si mauis duas totales, dicito successiuè, scilicet primò vnā, deinde alteram illi impositā, vti censent Cyrill. Theodor. Rupert. Lyran. Vatabl. & Clarius; sicuti Imperator nunc primò coronatur corona ferrea, deinde argentea, denique aurea.

A

B

Cōmunior tamen & augustior erit forma, si eam dicamus fuisse vnā, sed duabus aut tribus partialibus redimitā, qualis est Pōtificis Romani. Hæc enim triplicatā gestat coronam. Primò, quia est sponsus & princeps Ecclesiæ, quæ est victrix, triumphatrix & regnatrix totius orbis. Secūdò, quia agit Christum quasi vicarius repræsentat. Sicut ergo regnū Christi supereminet omnibus regnis, ita æquū fuit hoc diadema eminere inter omnia diademata. Tertiò, quia tribus orbis partibus, Asiæ, Africæ, Europæ præest. Quartò, quia ternarius symbolū est æquitatis summæ, quæ reperitur in Pōtifice. trias enim est prima sedatio discordantis dyadis, ac libramentū numerorum, linearū & rerū omniū. Quintò, quia repræsentat S. Trinitatem, cuius est sacerdos & Pontifex. Sextò, quia trias significat omniū virtutum reqūisitā consummationē, quæ fuit in Christo, & suo modo debet esse in Pontifice. Denique hīc exclamare libet illud Prudentij Peristephanōn:

C

O triplex honor, ô triforme culmen,
Qui nostri capit excitatur orbis,
Orbi Christiani decus perenne!

Hæc illa maiestas, sublimitas, efficacitas trinerviis, inquam, illius & incomparabilis diadematis, ita Paschalius de Coronis lib. 9. c. vltimo. Similes ergo videntur fuisse hæ coronæ Iesu filio Iosedec, quia repræsentarunt coronas & regnum Christi, æquè ac illud idem repræsentat corona triplex Pontificis: illa itaque hīc in corona Iesu pontificis fuit typicè figurata & adumbrata, præsertim quia עֲטָרוֹת *atarot*, id est corona, est plurale, nō duale, ac proinde plures, puta tres potiùs, quàm duas significat.

D

Posuit in capite Iesu filii Iosedec] ponebat: de hoc enim ad literam loquitur: nō enim poterat eā imponere capiti Orientis, id est Christi, vt aliqui volunt: Christum enim videre & tangere non poterat Zacharias, vtpote nondum natum. Itaque ad literam iubet hīc illi Deus, vt coronam duplicem, vel triplicem imponat capiti Iesu, quasi pontifici & principi; tum vt ad literam significet, eū in nouo hoc templo fore glorioſum, itaq; eum ad fabricam eius perficiendam & ornandam animet; tum ad mysterium, scilicet vt typus sit Iesu Christi Pontificis & Regis, eiusq; sacerdotium & regnum repræsentet. Christum enim fuisse regem patet psalmo 2. *Ego autem constitutus sum rex*. Et Lucæ 1. *Dabit ei Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum*. Eumdem fuisse pontificem patet ex psal. 107. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec*: ac idipsum docet Apostolus tota epistola ad Hebræos. Porrò corona est insigne & stemma Pontificis, æquè ac Regis tum quia vterque est quasi Deus quidam terrestris in summo dignitatis, æquè ac regiminis fastigio collocatus. Deorum enim olim propriæ erant coronæ. Vnde Ouidius de coronæ dignitate verba faciens lib. 5. Fastor. sic canit:

Rex gerit coronam, quasi Deus quidam terrestris.

Illa datos fasces commendat eburq; curule:
Illa coronatis alta triumphat equis.

Tum quia corona monet Pontificem & principem perfectæ & excellentis virtutis, scilicet nil in eo esse debere, quod non omnibus numeris completum sit & absolutum: coronæ enim forma est absolutissima, vtpote circulus in orbem vbique rediens. Rursum eum debere actibus heroicis radiare instar solis: solis enim coronam radiatam capite gerit. Nam vt ait Virgil. in Epigr. de sole oriente,

Sol insigne caput radiorum ardente corona,
Promit ab æquoreis Tethyos ortus aquis.

Mysticè Pontifices & principes, qui instar Christi pōtificatu & principatu, quem ab eo acceperunt, rectè funguntur, imponunt coronam pontificiam & regiā capiti Iesu Christi: quia eius sacerdotium & regnum quod in Ecclesia obtinet, promouent, adaugent, condecorant. Huius rei symbolo vigintiquatuor seniores quasi patriarchæ & pontifices tam noui quàm veteris testamenti Apoc. 4 10 *prosidebant ante sedentē in throno, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, honorem & virtutem.* Idem pro suo modulo faciunt sancti Martyres, sacerdotes, Religiosi, virgines, adeoq; fideles quilibet, dum luctando cū mundo, carne & diabolo, eos superant, de iisque triūphant, dum ad ardua virtutum conscendunt, dū heroica opera patrant. Quando ergo vincis acrem tentationem, quando calcas suggestionem diaboli, quando frænas motus iræ, quando calcas superbiam, gulam, libidinem, acediam, coronam capiti Christi imponis; qua magis ille decoratur & gaudet, quàm si aureā vel gemmeam ipsi adornares. Hoc est quod ait Isaias cap. 62. 3. *Eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Porrò hæ coronæ offeruntur ab ijs qui à Babylone in Ierusalem, id est, à peccato ad statum gratiæ per pœnitentiam reuertuntur: *Quia nobis proficientibus*, inquit S. Hieron. *& reuersis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, imò nobis virtute pœnitentiæ coronatis, Saluator in singulu coronam accipit.* Sic Apostolus Philippensibus ait c. 4. *Gaudium meum & corona mea.* Multò magis Deus de Sanctis dicat: Vos estis gaudium & corona mea; ac vicissim Sanctus quisque animam suam ad Dei laudē & gratiarum actionem excitans, de eo dicat cum Psalte psal. 102. 4. *Qui coronat te in misericordia &*

Mortalia operibus coronamus Christum.

miserationibus. q.d. Deus est qui tuis ipsis misericordiæ & virtutum operibus, quæ in eius honorem quasi coronam contexis, teipsum coronat. Quid enim sunt aliud nostra opera bona, nisi Dei dona? ait S. Augustin.

VERS. 12. *Oriens est Christus, non Zorobabel.*

ECCE VIR ORIENS] Hebræi apud S. Hieron. Theodor. Remig. Albert. & Hugo, per Orientem accipiunt Zorobabel, qui in Babylone quasi emortuus, inde rediens quasi oriri & reflorescere cœpit, dum populi redeuntis factus est princeps. Vnde censent ei alteram coronam à Zacharia fuisse impositam. Sic ergo totum hunc versum ei applicant & explicant: Zorobabel cum Iesu quasi nouum germen, nouusque populi sol, ædificabit templum Domino & perficiet, alteramque coronam gestabit: quia ipse habebit solium ducale ad regendum res populi ciuiles; sicut Iesus sacerdos habebit solium pontificale ad moderandum res sacras. Porro inter hos duos, putà inter pontificem & principē erit consiliū pacis, & summa vnio. Verùm τὸ *oriens*, hebr. צֶמַח *tsemach*, id est germen, est nomen proprium Christi, vti ostendi cap. 3. 8. ibi enim, æquè ac hîc, omnis sermo ad Iesum filium Iosedec, antitypum & antionymum Iesu Christi, dirigitur, nec vlla Zorobabelis fit mentio. Vnde Chald. vertit, *ecce vir cuius nomen est Messias.* Sic & Rabbini veteres apud Galatin. l. 3. c. 16. Sic & S. Hieron. Haymo, Albert. Ruper. Vatab. & Lyran. qui tamen vnus perperā per Orientem accipit quoque Iesum filium Iosedec. Iam sensus est, q. d. Hanc coronam impono tibi, ô Iesu fili Iosedec, non propter te, sed propter Orientem, id est Christum, vt scilicet eius typum geras, eiusque sacerdotium & principatū repræsentes. Vatabl. censet Christum vocari Orientem, quia ipse recens natus *proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines*, vt ait Lucas; & quia creuit in Ecclesiam, vti mox dicam. Vnde Syrus vertit, *ecce vir, & nomen eius Ortus, & de subter orietur*; Arabicus Alexandr. *ecce vir, nomen eius Ortus, festinabit repentè, & ædificabit domum Domino.*

ET SVBTER EVM] Hebr. מִתַּחְתָּיו *mittachtau*, id est, *de sub eo orietur*, q.d Christus erit & vocabitur Oriens: quia sub Christo, & ex Christo quasi radice orietur & germinabit quasi furtim & sensim sine sensu, multitudo ramorum, id est fidelium, adeò vt se propaget in ingentem arborem. ipse enim ædificabit templum, id est Ecclesiam, Domino. ita S. Hieron. Vnde Chald. vertit, *Christus nomen eius, qui reuelandus est, & magnificandus, & ædificaturus templum Domini.* Hoc est quod ait Christus Matth. 12. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Vnde S. Bernard. serm. 15. in Cant. *Moriatur igitur granum, & surgat Gentium seges.*

Symbol. Symbol. Lyran. In natiuitate, inquit, Christi, subter eum qui Deus est orietur, & nascetur vt homo: & vice versa subter homine orienteo & nascente, orietur quasi & nascetur Deus. Deus enim nobis ortus & quasi natus est, cùm natus est homo Christus, in quo latebat diuinitas, quæ hypostaticè sibi vniendo humanitatem, cum ea tacitè quasi nasci & oriri videbatur in terra.

Tropol. Tropol. S. Gregor. l. 20. Moral. c. 18. vel iuxta aliam editionem c. 21. *Oriens*, inquit, *est nomen eius.* A *Nam quia ab Oriente lux surgit, rectè Oriens dicitur cuius iustitiæ lumine nostræ iustitiæ nox illustratur.* Audi & S. Ambros. l. de Paradiso c. 3. *Paradisus*, inquit, *erat secundùm Orientem in Eden, id est secundùm Christum, qui iubar quoddam æternæ lucis effudit, & est in Eden, hoc est in voluptate.*

Anagog. Rupert. In resurrectione, inquit, Christus futurus erat Oriens; quia deinceps semper futurus in ortu, numquam in occasu. Nam cùm fuerit mortuus, apud inferos orietur timentibus nomen Domini; & ascendens, terræ cæque orietur viuus, & numquam iam moritura, & per eum in multitudine credentium dilatabitur, & in gloria resurgentium magnificabitur. Rursum subter se orietur, id est, virtute non aliena, sed propria, putà diuinitatis suæ, resurget, & sparget se suamque Ecclesiam per totum B orbem.

Denique S. Chrysost. homil. in hæc Zachariæ verba in fine tomi 1. aliter legit & explicat, nimirumsic: *Ecce vir Oriens nomen eius: sub vmbra eius orietur sol: ipse veniet ad saluandum populum suum. Quale*, inquit, *nomen Oriens? Delectabile, dulce, suaue. Hoc semper appetamus, vt conuersi ab Occidente, intenti ad Orientem, agnoscamus Deum omnipotentem. Sub vmbra eius orietur sol. Et verè sub vmbra eius orta est claritas diuinitatis eius, qui in sole posuit tabernaculum suum. Quia lux venit in mundum, & radiauit mentibus nostris obscuris, declarata sunt tenebra, manifestata sunt occulta, tenebrosa aperta, vt lux oriretur nobis. Quia qui sedebamus in tenebris & vmbra mortis, lux orta est nobis. Sol iste non est nubibus suis, nec obtectus, non ascendens & descendens: sed ille* C *sol iustitiæ, qui totum cardinem mundi aduentu suo splendificauit, quid aliud egit, nisi vt patri & filio faceret populū peculiarem, dato pignore Spiritus sancti?*

ET ÆDIFICABIT TEMPLVM DOMINO] Alludit ad templum reædificatum à Iesu & Zorobabel. q. d. Sicut hi reædificant templum Salomonis materiale; ita Oriens, id est Iesus Christus, ædificabit templū spirituale, putà Ecclesiam Christianam Deo. Vnde id ipsum iterata asseueratione cōfirmat, dum subdit: *Et ipse extruet*, hebr. est idem verbum quod antè, sed in futuro, putà יִבְנֶה *iibne*, id est, *ædificabit templum Domino*, q. d. Omnino ipse vt incipiet, ita perficiet ædificium templi, id est, Ecclesiæ Dei.

Mysticè, hac iteratione significatur duplex templum, scilicet Ecclesia militans & triumphans, ædificanda à Christo. ita S. Hieron. Ruper. Lyran. Clarius & Vatabl.

D ET IPSE, Oriens, non Zorobabel, vt volunt Hebræi & Theodor. sed Christus, PORTABIT GLORIAM] putà coronam gloriæ, scilicet glorioso pontificatus & regni, iuxta illud psalm. 20. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* Vnde explicans subdit: *Et sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit sacerdos super solio suo.* Hanc autem gloriam inchoatè Christus adeptus est in hac vita: vnde significat hîc Propheta quatuor quadrigas, id est monarchias, desiisse in regno Christi, de quo ait: *Dominabitur super solio suo*, id est plenè hanc gloriam, dominium & regnū consecutus est Christus post resurrectionem, quando superata morte, peccato & dæmone triumphans ascendit in cælum, ibique sedet ad dexteram Patris, quasi Rex regum, & Dominus dominantium, ducens post se agmina Sanctorum omnium ad

glo-

gloriam & triumphum æternum. ita S. Hieron. Rupert. Arias & Vatabl. Hanc Christi gloriã in Apocalypsi cap. 5. 12. spectauit S. Iohannes, cùm angelos Sanctosque omnes ei acclamantes audiit: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutẽ, & diuinitatem* (nomen famamque diuinitatis, eiusque gloriam, cultum & adorationem) *& sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem.* Et mox: *Et omnem creaturam quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, omnes audiui dicentes: Sedenti in throno & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen.* vide ibi dicta. Vbi S. Iohannes videtur alludere ad hùc locum iuxtà Septuag. qui pro *gloriam* vertunt *virtutem*, de quo S. Hieron. *Aliter*, inquit, Θεὸς δόξης *ab alio* Θεὸς παντοκράτωρ, *ab alio* κύριος, *ab alio* θεὸς *scribitur, quæ vel inclytum, vel decorum, vel virtutem, vel gloriam sonant.* quæ omnia & plura complexus est S. Iohannes. A B

Et CONSILIVM PACIS, id est summa pax, vnio & concordia: hanc enim conciliat consilium prudens, & hæc omni consilio est tuenda & cõseruanda. ERIT INTER ILLOS DVOS] scilicet inter Iesum pontificem & Zorobabel principem, inquit ex Hebræis S. Hieron. Theodor. Remig. Lyran & Hugo. Verùm nulla Zorobabelis hîc facta est mentio: vnde ipse cùm Iesu demonstrari nequit per pronomen demonstratiuum *illos*. Dico ergo *illos* demonstrare duos thronos, siue duo solia, scilicet pontificatus & principatus: licet enim solium latinè sit generis neutri, tamen Hebr. כסא *kisse*, id est, thronus vel solium, est generis masculini. ita S. Hieron. Ruper. Vatablus, Clarius & Arias. Vel potiùs magisque apposite ad rem, æquè ac ad versionem Latinam, *illos* demonstrat principem, qui, vt præcessit, *sedebit & dominabitur super solio suo*, & pontificem, de quo mox subdit: *Et erit sacerdos super solio suo.* q.d. In Christo summus erit consensus & concordia inter principem sedentem in solio regali, & pontificem sedentem in solio pontificali: quia Christus vtrumque erit, & vtramque dignitatem pontificatus & regni in se coniunget: cuius rei typo Iesus filius Iosedec v. 11. duplicem accepit coronam, sacerdotij scilicet & principatus, vt vtramque potestatem in Christo vniendam portenderet. Antea enim cùm hæ potestates essent diuisæ, sæpè inter pontifices & reges erat lis & dissidium, vt patet ex libris Regum. Aliqui sic exponunt q.d. Summus erit consensus inter Iesum Iosedec & Iesum Christum, qualis est inter imaginem & exemplar, inter ideam & fabricam, inter typum & antitypum. Verùm hoc typicum & mysticum est potiùs, quàm literale & genuinum. Prius ergo quod dixi, literale est, cui fauet Syrus, qui vertit, *& consiliarius* (consilium dans, consilians) *pacis erit inter duos eos*; & Arabicus Antiochen. significantiùs, *& regnum pacis erit super eos omnes*, & Arabicus Alexandr. *& erit consilium concordiæ inter eos.* C D

Moral. discant hîc principes, se colere debere concordiam cum Ecclesia & Pontificibus, vtpote quorum dignitas illis sit inferior & subalterna, atque connexa & vnita in Christo, *vt nec regale fastigium sacerdotalem deprimat dignitatem, nec sacerdotij dignitas regale fastigium; sed in vnius gloria Domini Iesu vtrumque consentiat*, ait S. Hieron. Rursùm quorum dignitas illis sit inferior & subalterna, atque connexa & vnita in Christo, *vt nec regale fastigium sacerdotalem deprimat dignitatem, nec sacerdotij dignitas regale fastigium; sed in vnius gloria Domini Iesu vtrumque consentiat*, ait S. Hieron. tumque se fortunatos & felices fore. Sic Saul felix fuit quamdiu monitis Samuelis obediuit: at vbi ab ijs defecit, vita & regno se suamque familiam priuauit. Sic Ioas quamdiu Ioiadæ paruit, pius & fortunatus fuit; at vbi eius filium Zachariam occidit, mox & ipse occisus est, 2. Paral. 24. 25. Sic Ozias, quia inuasit sacerdotium, adolens thymiama, lepra percussus est, 2. Paral. 26. 19. Sic Ieroboam, Achab, Iehu, cæterique reges Israel, quia à pontificibus & templo schisma fecerunt, omnes ad vnum regno & vita mulctati sunt. Sic Constantinus S. Siluestri documenta secutus, glorioſus euasit. Sic Gratianus, Valentinianus, & Theodosius S. Ambrosij discipuli & alumni, nomen celebre in terra & cælo consecuti sunt. Sic Carolus Magnus mirus Romanæ Ecclesiæ, æquè ac Pontificis cultor & propugnator, victoriis rebusque gestis Magni cognomen est adeptus. Principes ergo sequantur illud consilium, imò mandatum, quod S. Ludouicus rex Franciæ sapiens, æquè ac pius moriens suo filio & successori Philippo testamento reliquit: *Esto*, inquit, *semper & per omnia deuotus ac obediens Romanæ Ecclesiæ & Pontifici, eumque colas vt patrem spiritalem.*

ET CORONÆ ERVNT HELEM, ET TOBIAE, &c.] VERS. 14. q.d. Postquam imposueris capiti Iesu coronas iam dictas, eas pones, & consecrabis, ponesque in templo, incisis in eis nominibus illorum quatuor virorum, qui ad eas aurum & argentum obtulerunt, scilicet Helem, Tobiæ, Idaiæ & Hem, ad perpetuam eorum memoriam: quia coronæ hæ deinceps habituræ sunt in templo, id est, in domo pontificis. q.d. Pontifex qui præerit templo, deinceps præerit & regno, eritque rex vel princeps: tum vt sint *memoriale*, vt scilicet æterna sit eorum memoria & laus, qui hac oblatione tam Iesu filij Iosedec, quàm in eo Iesu Christi regnum & sacerdotium tacitè agnouerunt, illudque professi ei se & sua consecrarunt. ita S. Hieron. Theodor. Remig. & Lyran.

Nota, qui v. 10. dictus est *Holdai*, hîc vocatur *Helem*: & qui ibidem dictus est *Iosias*, hîc vocatur *Hem*. Erant enim binomij. Porrò hæc nomina, quia breuiora, potiùs quàm prima illa longiora, coronis incisa fuerunt.

Moral. disce hîc, quàm gratum sit Deo opes suas offerre templo, & personis illi dicatis; vtpote quorum nomina donis incidi velit, ad perennem illorum famam & gloriam, vt hisce coronis non tam Deus, quàm ipsi offerentes à Deo coronari videantur. *Moral.*

Mysticè, S. Hieron. *Holdai*, inquit hebr. interpretatur deprecatio Domini; *Tobia*, bonus Domini, vel placens Domino; *Idaia*, notus Domini. Pro *Holdai* posuit *Helem*, quod interpretatur somnium: & in quarto loco addidit *Hen*, id est, gratia: quia Daniel cap. 2. Dei inuocatione & gratia, somnij Nabuchodonosoris interpretationem est consecutus. Tradunt enim Hebræi, Holdai, Tobiam, Idaiam, & Hen, fuisse Danielem, Ananiam, Azariam & Misaelem. Mysticè ergo his etymis significatur, quòd ijs qui ad Dominum accedunt, eumque deprecantur, ac Deo placent, ideoque Deo cogniti sunt, detur Hen, id est gratia, & dona, quæ gratiæ nomine significantur; ac Helem, id est somnium, id est, sponsæ deliciæ, ac quies in Domini complexu & sinu, iuxta *Mysticè, de quiete in Deo.*

illud Cant. 5.2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Et c.3.5. *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosq; camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.* Huc accedunt Septuag. qui pro *Holdai* vertunt *expectantes*; pro *Tobia, vtiles*; pro *Idaia, cognoscentes*. Vnde sic transferunt; *corona autem erit expectantibus, & vtilibus eius, & qui cognouerunt eam, & in gratiam filij Sophoniæ, & in psalmum in domo Domini*. Quæ explicans S. Hieron. sic ait: *Corona, id est, insigne victoriæ cùm Christus fuerit coronatus, his quoque repromittitur, qui expectant eum* (iuxta illud Pauli 2.Timoth.4.8. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex; non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt, ideoque expectant* B *aduentum eius*) *& intelligunt vtilitatem captiuitatis quondam suæ, & nouerunt Dei vniuersa mysteria, vt sint in gratia filij Sophoniæ, id est, visitationis Domini. Et qui in Babylone dicebant: Super flumina Babylonis, ibi sedimus & flauimus cùm recordaremur Sion; postquam reuersi fuerint in Ierusalem, accipiant psalterium, & tympanum, & canant in Ecclesia Domini: & qui per maiora peccata longè fuerant à Iudæa & confessione verissima, per singulos profectus suos ædificent domum Domini. Fient autem omnia quæ promissa sunt, si Dominum audire voluerint, & actæ pœnitentiæ in bonis operibus manserint.* Vnde Tertull. lib.4.contra Marcion c.39 legit *corona autem erit eis qui tolerauerint*. q.d. Tolerantia paciet patientibus & Martyribus coronam.

VERS. 15. ET QVI PROCVL SVNT] q.d. Qui à Ierusalem & templo distant, & in locis remotis habitant, incitati tum aliorum, tum illorum quatuor virorum, qui aurum è Babylone attulerunt & templo obtulerunt, exemplo, memoria & gloria, afferent & ipsi sua dona, ad promouendam fabricam & ornatum templi. ita Hebræi, Theodor. S.Hieron. Remig. Albert. & alij. Sic Darius & Artaxerxes ad templum miserunt sumptus & oblationes, vt narrat Esdras lib.1.c.6.&7.

Alleg. de vocatione Gentium. Alleg. q.d. Cùm Christus ædificabit Ecclesiam, in eaque à Deo quasi coronabitur Pontifex & princeps, venient ex longinquis orbis partibus Gentiles, qui eousque remoti fuerant a Deo, Christo, cælo & salute, vt hanc eius Ecclesiæ fabricam promoueant. Ex Gentilibus enim creati sunt Episcopi, Doctores, Pastores, &c. qui Ecclesiam Christi verbo & exemplo ædificarunt & propagarunt. ita S.Hieron. Rupert. & Arias. Hoc est quod ait Apostolus Ephes.2.13. *Vos qui eratis longè, facti estis propè in sanguine Christi.* Vnde infert vers.17. *Ergo iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei.* Hæc venientes à longè præuidens Isaias c.60.1. exultat & clamat: *Surge, illuminare Ierusalem; quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Leua in circuitu oculos tuos & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent.*

ET SCIETIS] q.d. Cùm videbitis hæc mea oracula reipsa compleri, ac præsertim ex remotis vrbibus & gentibus confluere turbas ad templum, in eoque sua munera offerre, tunc scietis me Zachariam, qui hæc prædixi, id non ex me, sed à Deo missum & inspiratum prædixisse, simulque credetis ea quæ de Oriente, id est Christo, prædixi, me ex Deo prædixisse, ac proinde eadem pari certitudine suo tempore fore complenda: sunt enim hæc verba Zachariæ de Christo, vt patet; non Christi de seipso, vti censuit Eusebius lib 5.Demonstr.c.5.

C ERIT AVTEM HOC] q.d. Hæc prospera & gloriosa templo, & consequenter vobis, ô Iudæi, obuenient, sed sub hac conditione, nimirum si Dei legi vocique obedieritis: sin ei sitis inobedientes & rebelles, nolite me falsitatis accusare, si hæc sua meaque promissa reuocet Deus. ita Theodor.

Mysticè, q.d. Si Christum Christiq; vocem & doctrinam audire & recipere volueritis, ô Iudæi, cognoscetis me vera de eo sub nomine Oriens, eiusque templo, id est Ecclesia, vaticinatum esse, ac omnium horum eius bonorum, quæ ipse è cælo in terram secum deferet, fietis participes: sin eum repuleritis, ipse bona hæc sua à vobis reuocabit, & transferet ad Gentes.

CAPVT SEPTIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

QVærunt Iudæi, num ieiunia à se in captiuitate Babylonica ob vrbis gentisq; excidium susceptæ, iam post reditum in Ierusalem, nouiq; templi inchoatam fabricam adhuc obseruanda sint? Zacharias cap. sequenti vers.19. respondens, hoc capite nonnulla præmittit, docetq; verum Deoq; gratum ieiunium esse abstinentiam ab iniuriis & peccatis, obedientiam & misericordiam: ob harum enim virtutum legisq; Dei neglectum, eos à Deo punitos esse captiuitate septuaginta annorum in Babylone.

Vers.1. ET factum est in anno quarto Darij D regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, in quarta mensis noni, qui est Casleu.

2. Et miserunt ad domum Dei, Sarasar, & Rogommelech, & viri qui erant cum eo, ad deprecandam faciem Domini.

3. Vt dicerent sacerdotibus domus Domini exercituum, & prophetis, loquentes: Numquid flendum est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo, sicut iam feci multis annis?

4. Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens:

5. Loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes, dicens: Cùm ieiunaretis, & plangeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos, numquid ieiunium ieiunastis mihi?

6. Et

6. Et cùm comediſtis, & bibiſtis, numquid non vobis comediſtis, & vobiſmetipſis bibiſtis?

7. Numquid non ſunt verba, quæ locutus eſt Dominus in manu prophetarum priorum, cùm adhuc Ieruſalem habitaretur, & eſſet opulenta, ipſa & vrbes in circuitu eius, & ad Auſtrum, & in campeſtribus habitaretur?

ET FACTVM EST] Eſt hyſterologia: hæc enim verba ponēda ſunt poſt legationem & quæſtionem Iudæorum: illi enim reſpondent. Vnde poſt eam v. 4. iterantur. Hæc ergo verba quaſi reuelus prophetiæ huius capitis more Prophetæ ſtatò præponuntur: deinde v. 2. occaſionem prophetiæ huius enarrat, dicens: *Et miſerunt*. q.d. Cùm miſiſſent principes legatos ad conſulendum ſacerdotes & Prophetas, tunc factum eſt verbum Dei ad me Zachariam, reſpondens legatorum quæſtioni.

IN ANNO QVARTO DARII] Hyſtaſpis rex Perſarum, qui Cambyſi Cyri filio poſt Magos ſucceſſit. Hic annus quartus fuit 12. à ſolenni captiuitate Babylonica, & reditu Iudæorum in Ieruſalem: hic enim reditus contigit anno primo monarchiæ Cyri. Cyrus autem tres tantùm annos regnauit vt monarcha, vti tradunt Hebræi; cui ſucceſſit filius Cambyſes regnans per 7. annos: quo defuncto intruſerunt ſe per dolum Magi, regnantes per annum: ijs trucidatis ſucceſſit Darius, Hyſtaſpis filius, cuius anno 4. hoc oraculum accepit Zacharias, cùm iam templi fabrica valdè aſſurgeret: illa enim cœpta eſt anno 2. Darij, & finita anno 6. eiuſdem, vt iam ſæpiùs dixi.

MENSIS NONI, QVI EST CASLEV] Qui reſpondet noſtro Nouembri. Hic enim menſis eſt nonus à Niſan, ſiue Martio, qui primus erat menſium anni ſacri apud Hebræos.

ET MISERVNT AD DOMVM DEI, SARAR, ET REGOMMELECH, ET VIRI QVI ERANT CVM EO] Quæres Primò: Quinam hi? Hebræi, Haymo, Remig. & Hugo cenſent hos fuiſſe Perſas, principes Darij, ſed proſelytos, hoc eſt, conuerſos ad iudaiſmum, qui proinde ieiunantibus Iudæis ipſi quoque ieiunabant, ideóque iam mittere legatos qui rogent ſacerdotes, an poſt ſolutam captiuitatem, & inchoatam templi fabricam adhuc ieiunare debeant? Vnde ſequitur, hanc legationem miſſam è Perſide.

Secundò, alij apud Theodor. cenſent hos viciſſim Cutheos, putà Samaritas, quos Salmanaſar ex Cuth aliiſque vrbibus Aſſyriæ tranſtulit in Samariam, qui vt Deum terræ ſuæ, ſcilicet Samariæ, colerent cum dijs patrijs, putà Aſſyrijs, adorabant, & cum Iudæis ac Samaritis ieiunabant. Vnde ſequitur, hanc legationem miſſam è Samaria.

Tertiò, Rupert. Lyran. Arias & Vatabl. cenſent eos fuiſſe Iudæos, ſed in Babylone, aut in vicinis Babyloni regionibus adhuc degentes.

Quartò, probabiliùs alij cenſent eos fuiſſe Iudæos in Iudæa, ſed extra Ieruſalem in vicinis oppidis habitantes: hoc enim indicat reſpõſio Zachariæ facta, dicens: *Loquere ad omnem populum*

A *terræ, & ad ſacerdotes, dicens: Cùm ieiunaretis, &c.* ita Theodor. & Chald. qui cenſet eos fuiſſe Bethelitas, vti mox plenius dicam.

AD DOMVM DEI] Hebr. eſt *Bethel*; quod ſi appellatiuè ſumas, ſignificat *domum Dei*. Et ita vertit Noſter, R. Salomon, Pagnin. & Vatabl. Alij accipiunt Bethel vt nomen proprium, vnde Septuag. vertunt, *miſerunt in Bethel*. Bethel enim erat ciuitas decem millibus paſſuum diſtans à Ieruſalem, vbi Iacob vidit ſcalam, & per eam deſcendentes & aſcendentes angelos in cælum, Geneſ. 28. Verùm non eſt credibile eò miſſam fuiſſe hanc legationem: miſſa enim fuit ad ſacerdotes, qui degebant in Ieruſalem. Vnde Secundò, meliùs Chald. vertit, *miſerunt de Bethel*. q.d. Iudæi habitantes in Bethel, miſerunt ex ea

B legatos in Ieruſalem. Tertiò, alij cenſent *Bethel* eſſe nomen viri, æquè ac Sarafar. Vnde vertunt, *& miſit Bethel Saretſer*, &c. Verùm longè meliùs Noſter *Bethel* vertit, *domum Dei*, vt ſignificet terminum ad quem hæc legatio miſſa eſt, fuiſſe domum Dei, ſiue templum, vti liquet ex ſequentibus. Templum enim erat locus orationis, æquè ac oraculi, quod omnes Iudæi adire & conſulere ſolebant. *Saretſer* videtur eſſe nomen officij: *Saretſer* enim hebr. idem eſt quod præfectus theſauri, putà theſaurarius, vel quæſtor. ita R. Abraham & Arias, qui pariter tale nomen eſſe cenſent *Rogommelech*, quod ipſi vertunt, *regius dux*; pro quo Septuag. in editione Rom. corruptè habent, *Arbeſeer rex*: aut, vt alij legunt, *Arbat rex Sagat*, ſcilicet vrbis. Meliùs Septuag. in editione

C Complut. legunt, *Rogom rex*. Sic enim eſt in Hebræo: nam *melech* idem eſt quod rex; quamquam non ſit veriſimile hunc Rogom fuiſſe regem. Vel ergo *melech*, vel eſt nomen proprium, & appendix *Rogom*; vel certè in genitiuo vertendum, *Rogom regis*, ſcilicet dux, vel officialis. Syrus vertit, *rabmog*, id eſt, princeps piſtorum vel coquorum. *Rab* enim vocatur, maior, princeps: *mog* eſt piſtor, & is qui in coquina cibos parat. Arabicus vertit, *Sarafar*, & *Arphaſar*, *Moloc*.

NVMQVID FLENDVM EST MIHI IN QVINTO MENSE] Putà in Iulio, qui hebr. *Ab* dicitur, cuius die decima templum combuſtum fuit à Chaldæis, æquè ac vrbs & muri diruti, ideóque eo die quotannis Iudæi ſibi indixerunt luctum & ieiunium, vt patet 4. Reg. 25. 9. & Ierem. 52. 12. idque continuarunt per ſeptuaginta annos captiuitatis Babylonicæ, ac deinceps donec templum rurſum ædificari cœptum. Cùm ergo vi-

D derent iam templi fabricam creſcere, iure quærunt, an adhuc templi præteriti incendium flere, & per ieiunium lugere debeant; an verò ob noui fabricam ſe exhilarare & exultare? Ceſſante enim cauſa ceſſat effectus, imò mutata cauſa mutatur effectus: templo ergo reſtaurato videbatur luctus vertendus in gaudium. Hæc eſt quæſtio, & cauſa quæſtionis.

VEL SANCTIFICARE] Hebr. נזר *binnazer*, id eſt, nazaræare, hoc eſt, agere Nazaræum, inſtar Nazaræi abſtinere à vino & delicijs, ac ieiunare iuxta legem eis præſcriptam Numer. 5. Vnde Chald. vertit, *numquid prohibebo animam meam à delicijs, ſicut feci iam multis annis?* Pagnin. *numquid flebo ſeparando me à cibis?* Tigurina, *num religiosè abſtinebo?* Vatabl. *num ſeparabo me?* ſcilicet à cibis & voluptatibus; Noſter cum Se-

ptuag. vertit, *sanctificare*: quia sanctificatio Iudæorum, præsertim Nazaræorum, sita erat in abstinentia & ieiunio: quo enim mens magis se abstrahit ab escis rebusque corporeis, eo magis fit spiritalis, magisque assurgit ad Deum, eiusque illustrationum & affectuum cælestium fit capax. Vnde Ecclesia in præfatione Missæ tempore Quadragesimæ canit: *Deus qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem eleuas, virtutem largiris & præmia.* Quocirca S. Chrysost. serm. 1. de ieiunio: *Ieiunium*, ait, *angelorum est imitatio: ieiunans fermè angelus est.* Idem homil. 1. in Genes. *Ieiunium in paradiso institutum est*, ideoque paradisi est vita.

Moral. In clade ieiunio conciliandus est Deus.

Moraliter disce hic, tempore cladis & calamitatis vel publicæ, vel priuatæ, confugiendum esse ad fletum & ieiunium, vt per pœnitentiam Dei iram placemus. Nam vt ait S. Chrysost. serm. 1. de ieiunio: *Ieiunium sententiam Dei reuocat, & immortalitatis est conciliator.* Idem homil. 2. in Genes. *Ieiunium*, ait, *animarum tranquillitas est, decor senum.* Ita Iosaphat obsessus à Moabitis, Ammonitis & Idumæis toti Iudææ ieiunium imperans, à Deo auxilium per miraculum obtinuit, quo hostes in se versi mutua se cæde conficerent, 2. Paral. 20. 3. Ita Israelitæ obsessi à Philisthæis tempore Samuelis, ieiunantes eos profligarunt, 1. Reg. 7. v. 6. & 13. Ita ijdem Holoferne eos inuadente indixerũt solemne ieiunium, eoque victoriam impetrarunt per Iudith, cap. 3. 8. Idem fecerunt tempore persecutionis Aman, Esther 4. 16. Et tempore reditus è Babylone, vt in itinere hostium manus euaderent, 1. Esdræ 8. 21. Sic & Niniuitæ ieiunio communi tam iumentorum & infantium, quàm virorum & mulierum excidium à Iona comminatum effugerunt, Ionæ 3. 5. Quocirca imminente Iudæis excidio Chaldæorum, Deus per Ioëlem c. 1. 4. illud euadendi hoc dat remedium, *Sanctificate*, inquit, *ieiunium, vocate cœtum*, &c. *& clamate ad Dominum.* Et cap. 2. 12. *Conuertimini*, ait, *ad me in toto corde vestro in ieiunio, & in fletu, & in planctu.* Hoc ergo faciunt fideles cùm flagellum Dei, vel reipubl. vel cuique priuatim imminet, vt sibi quisque à Deo per Zachariam tunc dici putet: *hinnazer*, id est, esto Nazaræus, separa te à delicijs, à cibis, à lusibus, à voluptate, ac da te austeritati, abstinentiæ, orationi & lamentis, ijsque te sanctifica, vt Deum tibi reconcilies.

CVM IEIVNARETIS ET PLANGERETIS IN QVINTO, scilicet mense, ob combustam in eo vrbem & templum, vti dixi: ET SEPTIMO] mense, ob cæsum in illo Godoliam, qui erat dux & spes populi reliqui in Iudæa, cùm cæteri à Chaldæis abducerentur Babylonem, Ierem. 41. 1. & sequent.

VERS. 5. NVMQVID IEIVNIVM IEIVNASTIS MIHI?] Antequam directè quæstioni respondeat (quod facit cap. 8. 19.) obiurgat Iudæos, quasi adhuc ijs suboffensus ob præteritas noxas. q.d. Quid me rogatis de ieiunio vestro prorogando, vel inhibendo, quasi ego eo delecter, vel eius cura me tangat. Erratis: illo non delector, illud non curo, imò sperno & auersor: quia hucusque vobis, id est, ob vestram paupertatem, & ad lugendam vestram captiuitatem ieiunastis, non vt mihi placeretis, meque placaretis: si enim hoc voluissetis, ieiunium corporis debuissetis condire ieiunio animæ, & abstinentia à peccatis. Ea autem non fecistis, sed ijs indulsistis. Similiter cùm iam comeditis & conuiuia agitatis, id facitis ob vestram lætitiam, quam ex reditu in patriã & libertate percipitis, non verò vt mihi ea auctori gratias agatis, meque laudetis & celebretis. ita S. Hieron. Theodor. & Remig.

Paulò aliter Vatabl. q.d. Numquid vtilitatem aliquam aut voluptatem cepi ex vestro ieiunio? q.d. Non, quia non fuit mihi gratum, eò quod non fuerit coniunctum pietati & religioni.

Moral. S. Gregor. homil. 16. in Euangel. explicans hæc Zachariæ verba: *Sibi*, inquit, *comedere bibit, qui alimenta corporis quæ sunt communia conditoris, sine indigentibus percipit. Et sibi quis ieiunat, si ea quæ sibi ad tempus subtrahit, non pauperibus tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit. Hinc per Ioëlem dicitur: Sanctificate ieiunium. Ieiunium quippe sanctificare, est adiunctis bonis aliis dignum Deo abstinentiam carnis ostendere. Cessetur ira, sopitur iurgia. Incassum enim caro atteritur, si a prauis voluptatibus animus non refrænetur, cùm per Prophetam* (Isaiam cap. 58.) *Dominus dicat: Ecce in die ieiunij inuenitur voluntas vestra. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis*, &c.

NVMQVID NON SVNT VERBA?] Primò & genuinè, q.d. Numquid hæc eadem verba, mirum quòd ieiunia vestra non condita operibus bonis, sed malis, mihi displiceant, olim vobis per Prophetas locutus sum? q.d. Omnino id ipsum edixi per Isaiam cap. 58. 4. Ierem. 14. 12 & alibi. ita Theodor. & Lyran. Secundò S. Hieron. Hugo, & à Castro, *verba* hæc intelligunt ea, quæ subdit: *Iudicium verum iudicate, & misericordiam & miserationes facite*, &c. Tertiò, Albert. exponit q.d. Numquid hæc verba de excidio & desolatione Ierusalem, quæ iam impleta videtis, vobis locuti & comminati sunt Prophetæ, nisi à peccatis resipisceretis? Aut, vt Vatabl. qui per verba intelligit facta, quæ verbis suis prædixerunt & minati sunt Prophetæ. q.d. Numquid non hæc tristia quæ vobis obuenerunt, facta sunt ad exequenda, & opere complenda verba mea, quæ per Prophetas prolocutus sum?

ET AD AVSTRVM] Nominat partem australem & campestrem Iudææ, quia ea, vtpote plana & patens, natura loci non erat munita. q.d. Cùm habitabatis confidenter & securè, etiã in ea parte Iudææ quæ erat maximè debilis & infirma; eò quòd vos ego protegerem; at quia me exacerbastis, hinc tradidi vos Chaldæis. ita Vatabl. Addit S. Hieron. eam nominari, quia maximè erat fertilis. q.d. Ego Australem vestram regionem & campos impleui messe, frugibus & fructibus: vos ingrati, mihi fuistis rebelles; hinc ego ex ea vos expuli, proiecique in Babylonem.

8. Et factum est verbum Domini ad Zachariam, dicens:

9. Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Iudicium verum iudicate, & misericordiam & miserationes facite, vnusquisque cum fratre suo.

10. Et viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari: & malum vir fratri suo non cogitet in corde suo.

11. Et

11. Et noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentem, & aures suas aggrauauerunt ne audirent.

12. Et cor suum posuerunt vt adamantem, ne audirent legem, & verba quæ misit Dominus exercituum in spiritu suo per manum prophetarum priorum: & facta est indignatio magna à Domino exercituum.

13. Et factum est sicut locutus est, & non audierunt: sic clamabunt, & non exaudiam, dicit Dominus exercituum.

14. Et dispersi eos per omnia regna, quæ nescirunt: & terra desolata est ab eis, eò quòd non esset transiens & reuertens: & posuerunt terram desiderabilem in desertum.

MISERICORDIAM ET MISERATIONES FACITE] Hæc geminatio significat multam crebramque faciendam esse misericordiam. Nominat tantùm ea officia quæ spectant proximum, sed sub his intelligit ea quoque quæ spectant Deum. Dilectio enim proximi præsupponit dilectionem Dei, ex eaque quasi ex fonte oritur. Idem facit Apostolus Rom. 13. 9.

PAVPEREM NOLITE CALVMNIARI] Chald. & Septuag. *nolite opprimere*: vtrumque significat Hebr. עָשָׁק *asaac*: quia finis calumniæ est oppressio, direptio & expilatio pauperum. Hæc eadem in ieiunijs Iudæorum taxat Isaias cap. 58. Vide ibi dicta.

AVERTERVNT SCAPVLAM RECEDENTEM] Fuerunt inobedientes & rebelles: famuli enim herorum, & filij parentum iussis refractarij & pernicaces, ab ijs auertunt faciem, dorsumque obuertunt, & proterui abeunt. Vnde Septuag. vertunt, *dederunt dorsum contemnens*; Pagnin. *dederunt scapulam auersam*. Est catachresis. Tigurina vertit, *abuertentes humerum rebellem*. q.d. Auertunt humerum ab onere præceptorum meorum vt sit metaphora à baiulis onus detrectantibus, vel excutientibus.

AVRES SVAS AGGRAVAVERVNT] velut plumbo, alióve pondere iniecto aures obturarunt, ne meas leges & monita auribus exciperent, & in animum transmitterent. Tigurina vertit, *aures suas hebetarunt*.

COR SVVM POSVERVNT (*durum*, vt addit Chald.) VT ADAMANTEM] Hic enim lapis est durissimus, quia respuit scalpra & malleos, quin & ipsos disrumpit: ideoque à Græcis dicitur ἀδάμας, id est indomabilis. vide dicta Ezech. 3. 9.

PER MANVM PROPHETARVM] per Prophetas, quasi organa & instrumenta sua: manus enim est organum organorum, ait Aristot. Manus ergo hic denotat os: per os enim Prophetarum locutus est Deus, non per manum,

SIC CLAMABVNT, ET NON EXAVDIAM] *Clamabunt*, id est, clamauerunt, vel clamant: pendent enim hæc omnia ab eo quod præcessit: *Et factum est*. ita S. Hieron. & Theodor. Vnde clarè Tigurina vertit, *& euenit, vt sicut ipse clamauerat, illis, non audierunt; sic iam clament, nec eos exaudiam*. VERS. 13.

DISPERSI EOS PER OMNIA REGNA] Iudæi enim partim ex Babylone, partim ex Ierusalem fugientes Chaldæos, sparserunt se per Syriam, Ægyptum, Mesopotamiam, Persidem, Mediam, aliaque regna. De Iudæis enim, id est de duabus tribubus, hîc agitur, non de decem, siue de Samaritis in Assyriam iam olim abductis. ita S. Hieron. Pro *dispersi* hebr. est אֲסָעֲרֵם *asaarem*, id est, instar procellæ abripui eos, vt turbo proturbaui eos. VERS. 14.

ET TERRA DESOLATA EST AB EIS (Hebr. Chald. & Septuag. *post eos*.) Causam subdit, EO QVOD NON ESSET TRANSIENS ET REVERTENS] q.d. Post abductos in Babylonem Iudæos, Iudæa desolata remansit: quia nemo incolarum relictus est, qui per eam transiret, iret & rediret. Nemo, id est, vix vlli, rari & perpauci. Aliqui enim à Chaldæis in ea relicti sunt ad colendam terram, vt patet 4. Reg. 25. 12. Aut potiùs q.d. Iudæa planè desolata est, ita vt non esset qui per eam transiret & rediret: sic enim alibi sæpè τὸ ἐὸ quòd non causam denotat, vt sit idem quod *quia*, sed effectum & consecutionem, significans *ita vt*, inquit Vatabl. Vnde Hebr. & Chald. ad verbum habent, *terra desolata est post eos à transeunte & reuertente*, id est, ita vt non esset per eam transiens & reuertens. Minùs rectè ergo Theodor. versionem Septuag. sic explicat, q.d. Post Iudæos abductos in Babylonem, Iudæa desolata est ab Idumæis, Ammonitis, alijsque vicinis gentibus hostilibus, qui per eam prædandi & expilandi causa transierunt, & cum præda domum reuersi sunt. Hic enim hebraismus, *à transeunte & reuertente*, non aliud significat quàm, vt non esset transiens & reuertens.

ET POSVERVNT TERRAM DESIDERABILEM IN DESERTVM] Hebr. *terram desiderij*, id est, ob elegantiam, fertilitatem & abundantes fruges summè desiderabilem: &, vt Septuag. *electam*. ita Albert. & Hugo. Addit Lyranus, eam fuisse desiderabilem ob Christum in ea nasciturum, & passurum pro salute hominum. Sensus est, quasi dicat, Suis sceleribus fuerunt causa desolationis terræ sanctæ, quæ priùs lacte & melle manabat. Hebr. est לְשַׁמָּה *leshamma*, quod Secundò, verti potest, *in stuporem*, vt scilicet quicumque viderit tantas tantæ cladis ruinas, cohorrescat & obstupescat. Tertiò, Arias pro *leshamma* per diæresim legit לְשֶׁמָּה *le shema*, id est, *in qua quid*. Vnde vertit, *posuerunt terram exoptatam in qua quid?* de qua scilicet viatores stupentes interrogarent, dicerentque: Quid in terra sancta boni, quid pristinæ fertilitatis & felicitatis remansit? vtique nihil.

CAPVT OCTAVVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRomittit Deus Iudæis è Babylone reuersis in Ierusalem, ob diligentiam & laborem impensum in templi fabricam, lætam & longæuam sobolem, frugum copiam, suamq; benedictionem, si iustitiam, veritatem & charitatem colant. Deinde v. 19. quæstioni cap. 7. à Iudæis propositæ, an scilicet adhuc seruanda sint ieiunia ob vrbis templiq; excidium indicta, respondet, ea commutanda esse in læta festa & conuiuia, ac deinceps Ierusalem fore hilarem, felicem & celebrem, adeò vt vndique ad eam confluant populi & gentes. Quæ omnia ad literam quatenus contigerunt Hierosolymæ post reditum ædificato templo, vti ait Propheta vers. Sed longè verius & plenius competunt Ecclesiæ per Hierosolymam adumbratæ, ibiq; inchoatæ, cùm Deo auctore lex in Euangelium, Moses in Christum, Synagoga in Ecclesiam transiit. Describitur hîc ergo felicitas Hierosolymæ, vt in ea quasi typo adumbretur felicitas Ecclesiæ Christianæ: vnde quædam dicuntur, quæ Hierosolymæ vix, & non nisi tenuiter, Ecclesiæ verò planè plenèq; conueniunt. Tale est illud v. 7. Saluabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occasus solis. Et v. 22. Venient populi multi, & gentes robustæ ad quærendum Dominum exercituum in Ierusalem. Et v. 23. Apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiscum; audiuimus enim quoniam Deus vobiscum est. quæ verba significant omnium gentium conuersionem ad Christum & Ecclesiam. vide can. 5. & 6. quæ præfixi Prophetis maioribus. ita S. Hieron. Theodor. Cyril. Haymo, Remig. Hugo, Lyran. & alii: imò Rupert. Arias & Vatabl. ad literam putant hîc depingi felicitatem Ecclesiæ, non Hierosolymæ. Quin & Rabbini bona hoc capite promissa, nonnisi à suo Messia, quem ipsi præstolantur, expectant.

Vers. 1. ET factum est verbum Domini exercituum, dicens:

2. Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Sion zelo magno, & indignatione magna zelatus sum eam.

3. Hæc dicit Dominus exercituum: Reuersus sum ad Sion: & habitabo in medio Ierusalem: & vocabitur Ierusalem ciuitas veritatis, & mons Domini exercituum mons sanctificatus.

4. Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc habitabunt senes, & anus in plateis Ierusalem: & viri baculus in manu eius præ multitudine dierum.

5. Et plateæ ciuitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis eius.

6. Hæc dicit Dominus exercituum: Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi huius in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit, dicit Dominus exercituum?

7. Hæc dicit Dominus exercituum: Ecce ego saluabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occasus solis.

8. Et adducam eos, & habitabunt in medio Ierusalem: & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, in veritate, & in iustitia.

9. Hæc dicit Dominus exercituum: Confortentur manus vestræ, qui auditis in his diebus sermones istos per os prophetarum, in die qua fundata est domus Domini exercituum, vt templum ædificaretur.

10. Siquidem ante dies illos merces hominum non erat, nec merces iumentorum erat; neque introëunti, neque exeunti erat pax præ tribulatione: & dimisi omnes homines, vnumquemque contra proximum suum.

11. Nunc autem non iuxta dies priores ego faciam reliquijs populi huius, dicit Dominus exercituum.

12. Sed semen pacis erit: vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cæli dabunt rorem suum: & possidere faciam reliquias populi huius vniuersa hæc.

13. Et erit: sicut eratis maledictio in Gentibus, domus Iuda, & domus Israel: sic saluabo vos, & eritis benedictio: nolite timere, confortentur manus vestræ.

14. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Sicut cogitaui vt affligerem vos, cùm ad iracundiam prouocassent patres vestri me, dicit Dominus,

15. & non sum misertus: sic conuersus cogitaui in diebus istis vt benefaciam domui Iuda, & Ierusalem: nolite timere.

16. Hæc sunt ergo verba, quæ facietis: Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: veritatem & iudicium pacis iudicate in portis vestris.

17. Et

17. Et vnusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris: & iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dominus.

ZELATVS SVM] q.d. Zelotypus fui & indignatus Hierosolymæ, putà Synagogæ Iudæorum, quòd ipsa sponsa mea me sponsum adulterum amantem dereliquerit, & ad idola confugerit, vt ideirco & ego ipsam tam indignè me spernentem, spernere & deserere coactus sim: quo factum est, vt ipsa in Chaldæorum manus inciderit, abijsque per septuaginta annos quasi ancilla captiua, spoliata & miserè tractata sit. ita Theodor. Remig. Haymo, Lyran. & Vatabl. Verùm quia ipsa hisce malis afflicta & erudita respuit, mecumque in gratiam redire cupiuit; hinc secundò, ego vicissim ex pristino meo in eam amore & zelo, eam in gratiam & thorum recipiã, habitabo cum ea in Ierusalem, hostesque eius acriter persequar & puniam. ita S. Hieron. Zelus enim est ingens amor rei amatæ, qui parit iram ingentem in eos, qui rem amatam lædere, vel amittere pere satagunt, vti dixi Sophoniæ 3.8.

ET VOCABITVR IERVSALEM CIVITAS VERITATIS, ET MONS DOMINI] *Veritatis*, Primò, quia post reditum è Babylone, iugiter vsque ad Christum viguit in ea vera Dei cognitio, vera fides, vera religio, verus Dei cultus. ita Hugo & Lyran. Secundò, *veritatis*, hebr. אֱמֶת *emeth*, id est, stabilitatis, constantiæ, fidelitatis, vt fidem mihi datam deinceps non sit violatura, sed constanter mihi quasi sponso & Deo suo adhæsura, nec amplius ad idola deflexura, vti reipsa post reditum è Babylone ad ea numquam deflexit. Vnde Syrus vertit, *vocabitur Ierusalem ciuitas fidei*. Sic & Arabicus.

Allegor. Synagoga fuit typus Ecclesiæ, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, 1. Timoth. 3. 15. quia eius magister est Christus, qui est via, veritas & vita; ac Spiritus sanctus, qui est Spiritus veritatis, vtpote ab æterna sapientia & veritate, quæ est Verbum Patris, procedens, ideoque docens omnem veritatem, tum fidei & religionis, tũ morum: vtramque enim docuerunt Christus & Apostoli, recepto Spiritu sancto in Pentecoste in Ierusalem, ac deinde in toto orbe, iuxta illud Isaiæ 2.3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*. ita Theodor. & Rupert.

MONS DOMINI EXERCITVVM] Syrus & Arabicus, *mons Domini fortis*. vtpote, quem stipant tot exercitus angelici. Alludit ad Isaiæ 2.3. *Ibunt populi multi, & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas & ambulabimus in semitis eius*. Mons hic est Sion & Moria, in quo ædificatum est templum, quod fuit typus Ecclesiæ. Hinc vocatur *mons sanctificationis*, Primò, sacrificio Abrahæ: quia in eo Abraham iussus est immolare Isaac, Genes. 22. 14. signum quòd in eodem (Caluariæ enim mons in quo crucifixus est Christus, est pars, siue iugum montis Moria) immolandus esset Christus, qui deinde ibidem reipsa crucifixus, hac sui immolatione summè hunc montem sanctificauit. Secundò, quia in eo erexit Salomon templum, illudque Deo sanctificauit & consecrauit. Rursum Deus in eo colebatur sanctis sacrificijs, cæremonijs, psalmis, laudibus, votis, precibus, &c. Denique in eodem Christus cœpit congregare, docere & instituere suam Ecclesiam, quam sua doctrina, gratia, meritis, Sacramentis sanctificauit.

ADHVC HABITABVNT SENES] Prædicit deinceps Ierusalem fore pacatam & felicem, vt abũdet ciuibus omnis ætatis & sexus, pueris & puellis ludentibus in plateis, ijque prorogent vitam ad senium, & sint longæui: idque ita contigisse patet 2. Machab. 3. 1. ita S. Hieron. Theodor. Remig. & Lyran.

Alleg. significatur Ecclesiæ & fidelium pax, multitudo & longæuitas, quam prædixit Isaias c. 2. 4. *Cõflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium*. Et cap 65. 20. *Non erit ibi amplius infans dierum, & senex qui non impleat dies suos*. Vide ibi dicta.

ET VIRI BACVLVS] Ita Roman. Significatur virorum in Ierusalem & Ecclesia longæuitas, adeò vt quisque in ea senex habeat baculum, cui præ senio innitatur, siue is sit stipes, siue famulus, aut filius, vti parenti seni apud Romanos fuit Scipio (ei enim innitebatur parens quasi baculo) à quo nobilis Scipionum familia originem & nomen traxit. Sensus est, q.d. Tanta erit Hierosolymæ ciuium sanitas & prosperitas, vt senes & maximi sint & plurimi, quorum consilio respũ. sapiẽter & feliciter gubernetur. In senibus enim est experientia, maturitas, sedatio cupiditatum, indeque sapientia & prudentia: vnde ex senibus olim lectus, & dictus est senatus. Nota hebraismum, quo *vir* ponitur pro *vnoquoque*. q.d. *Viri*, id est cuiusque senis, *baculus erit in manu eius*. quo significat, non vnum alterúmve, sed plurimos fore senes. ita Sanchez.

DE TERRA ORIENTIS ET DE TERRA OCCASVS] Sub his duabus præcipuis mundi plagis, quatuor intelligit, putà sub Oriente Meridiem, sub Occasu Septemtrionem. q.d. Quocumque Iudæi fuerint dispersi per captiuitatem Babylonicam, inde saluabo eos & reducã in Ierusalem. Nec dubium est, quin, licèt ipsi directè in Chaldæam, quæ Iudææ est ad Aquilonem, sint abducti, inde tamen multi ad alia regna Orientalia & Occidentalia migrarint. Rursum alios, aduentantibus in Iudæã Chaldæis, profugisse ad Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Syros, &c. patet ex Isaia cap. 16. 4. Hi ergo audito reditu suorum è Babylone in Ierusalem, eiusque & templi reædificatione, æquè ac incolarum prosperitate & felicitate, eò properè redierunt. ita S. Hieron. Theodor. Rupert. & alij. VERS. 7.

Allegor. & potiùs, significatur gentium omniũ ex cunctis mundi plagis confluxus ad Christum & Ecclesiam, iuxta illud Isaiæ 49. 12. *Ecce isti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & isti de terra Australi*; Hebr. *de terra Sinim*, id est Sinarum. Et cap 66. 19. *Et mittam ex eis qui saluati fuerint ad Gentes in mare, in Africam, & Lydiam, tenentes sagittam: in Italiam & Græciam, ad insulas longè*. Hoc est quod ait Christus Matth. 8. 11. *Multi de Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum*. Et cap. 24. 31. *Mittet angelos suos cum tuba, & congregabunt eos à quatuor ventis*,

ventis, à summis calorum vsque ad terminos eorum. A ita S. Hieron.

VERS. 8. ET ERVNT MIHI IN POPVLVM, ET EGO ERO EIS IN DEVM IN VERITATE ET IN IVSTITIA] Vt scilicet ipsi colant me vera fide & constanti fidelitate, æquè ac iustis sanctisque moribus; ego vicissim verè, id est, fideliter & iustè, præstem eis curam, custodiam, pacem & prosperitatem quam promisi. Hoc verũ fuit in Iudæis, verius est in Christianis. ita Vatabl. & Arias. qui rectè *τὸ in veritate & in iustitia* tam ad Deum, quàm ad populum cum Deo paciscentem referunt. In pacto enim vterque paciscens alteri fidem suam obligat, eamque verè & iustè præstare debet.

VERS. 9. CONFORTENTVR MANVS VESTRAE] Tum vt inchoatam templi fabricam, vti sequitur, perficiatis, tum vt leges & iussa Dei fortiter resistendo difficultatibus, tentationibus & hostibus, B præsertim vicinis Gentilibus, adimpleatis.

VERS. 10. SI QVIDEM ANTE DIES ILLOS MERCES HOMINVM NON ERAT] Hortatur Iudæos ad strenuè prosequendam fabricam templi, proponendo eis præteritam sterilitatis plagam, eis à Deo inflictam ob fabricæ neglectum, & præsentem fertilitatem ob eiusdem curam & studium. *Mercedem* vocat fructum & lucrum operæ. q.d. Antequam manum admoueretis ædificationi templi, intendebatis fabricæ domorum, ac culturæ agrorum & iumentorum vestrorum; sed merces, id est, fructus & messis non respondebat labori vestro, & iumentorum vestrorum: tam enim agri, villæ, pascua & vineæ, quàm iumenta post omnem culturam, laborem & saginam manebant sterilia, paucaque dabant segetes, vuas, fœtus C & animalium sobolem. ita S. Cyril.

NEQVE ERAT PAX] q.d. Vndequaque Samaritæ, Moabitæ, alijque vicini hostes vos impetebant & infestabant. ita S. Hieron & Cyril.

DIMISI OMNES HOMINES] q.d. Permisi non tantùm foris prælia, vt ijs vos vicini diuexarent; sed & intus seditiones, vt quisque contra proximum insurgeret.

VERS. 11. & 12. *Semen pacis quintuplex.* NVNC AVTEM, cùm domus meæ fabricam curæ & cordi habetis, SEMEN PACIS ERIT] Primò, q.d. Fruges copiosæ & securæ vobis prouenient, quales solent tempore pacis, cùm optimè coluntur agri, nec est hostis qui sementem impediat, aut messem auferat. ita Vatabl. & à Castro. Vnde Septuag. vertunt, *monstrabo pacem*, adeò vt non tantùm homines, sed & elementa vobis pacifica sint, imò in vestrum bonum & alimoniam conspirent. Nam vt sequitur: *Vinea dabit fructum suum, & terra dabit germen suum, & cæli dabunt rorem suum.* Secundò, per catachresin *pacis*, id est abundantiæ, fertilitatis & prosperitatis. Horum enim, imò bonorum omnium, causa, æquè ac symbolum est pax, iuxta illud psal. 121. 7. *Fiat pax in virtute tua, & abundantia* (quæ ex pace consequi solet) *in turribus tuis*. q.d. Faciam semen vestrum fertile, vt abundantes producat spicas & fruges. Tertiò, alij sic exponunt: *Semen erit pacis*, id est, benedictionis. q.d. Benedicam seminibus vestris. Pax enim est magna benedictio, & maiorem secum adducit. Vnde Christus & Apostoli hac salutatione ex ritu Hebræorum vti solent: *Pax vobis*: qua phrasi omnem benedictionem apprecantur. Quartò, alij vertunt, *semen erit in pacem*, id est, pacificè conseruabit ur, crescet & matureſcet. q.d. In pace, id est, integras, & illæsas ab aurugine omnique aëris vitio, æquè ac à hoste seruabo fruges vestras, tam tempore sementis ac deinceps, quàm messis. Quintò, Hebr. שָׁלוֹם *scalom*, id est pax, significat quoque integrum, perfectum. Vnde Chald. & Tigurina vertunt, *semen plenum & perfectum erit*, tum in stirpe tum consequenter in spicis & granis, quæ ex illa plena perfectaque progerminabit. Omnes hæc expositiones eôdem redeunt: primæ tamen duæ magis sunt genuinæ, & conformes phrasi Ebraeæ. Hæc ad literam contigerunt Iudæis Babylone redeuntibus, sed spiritaliter magis conueniunt Christianis ex infidelitate, vel peccato ad Ecclesiam & Deum reuertentibus, eique mystice cum in anima sua templum ædificantibus. Hisce enim Deus facit vt omne semen eorum sit pacis, id est, vt omnia quæ aggrediuntur & moliuntur prosperè cedant, ac feliciter & fertiliter proueniant, indeque fructus, præsertim spiritales virtutum, tum in seipsis, tum in proximis colligant. ita S. Hieron. Theodor. Remig. & Lyran.

Dices, Hoc semen & benedictionem vers. 13. promittit non tantùm Iudæ, sed & Israeli. Israeli autem hoc ad literam non obuenit, vtpote qui è captiuitate Assyriaca nõ redijt. Ergo Israel & Iuda hîc nõ carnalis, sed spiritalis intelligitur, qui est populus fidelis. Ob hoc argumentum Iudæi censent hæc necdum impleta esse, sed ea impleenda à suo Messia quem expectant. Verùm respondeo, Israelis hîc fieri mentionem, quia multi ex Israelitis, veræ & auitæ fidei & religionis sectatores, transierant ad Iudam, cum eoque in Babylonem abducti, cum eo pariter redierunt, ac proinde pacis & felicitatis illi hîc promissæ fierent participes, vtpote cum eo conspirantes, & in vnam gentem coalescentes.

Moral. disce, religionem & cultum Dei esse semen omnis felicitatis. Vidit hoc per vmbram Cicero: nam lib. 2. de Natura Deorum, Romanorum felicitatem, imperium & triumphos religioni attribuit: *Si*, inquit, *conferre volumus nostra cum externis, cæteris rebus aut pares, aut etiam inferiores reperiemur: religione, id est cultu deorum, multò superiores.* Et mox: *Apud maiores tanta religionis vis fuit, vt quidam imperatores etiam sepulcris immortalibus, capite velato verbis conceptis pro republica deuouerint.* Idem orat. in P. Clodiũ, quæ maximo est trigesima: *Quis*, ait, *est tam vecors, qui non intelligat eorum* (deorum) *numine hoc tantum imperium esse natum, & auctum, & retentum? Quos si nos amemus, tamen nec numero Hispanos, nec robore Gallos, nec calliditate Pœnos, nec artibus Græcos, nec denique hoc ipso huius gentis ac terræ domestico nativoque sensu Italos ipsos ac Latinos; sed pietate ac religione, atque hac vna sapientia, quòd deorum immortalium numine omnia regi gubernarique, prospiciique omnes gentes nationesque superauimus.* Vide dicta Aggæi 1. 6. vbi ipse idem argumentum tractat, quod hîc Zacharias; vtpote illi coæuus & adiutor à Deo datus ad promouendam templi fabricam, vt patet 1. Esdræ 5. 1. Præclarè S. Cyprianus tractat. de Orat. Domin. *Cùm Deo*, inquit, *plenis omnia, habenti Deum nihil deerit, si Deo ipse non deficiat.* Quare idem rectè alibi monet, vt cor nostrum, non diuisum, sed totum demus Deo, cui totum est, & qui illud totum repositi, solusque illud implet & satiat. *Sufficis*, inquit, *ô anima Deo, ipse*

dat Christi Deus tuus. Nam, vt ait S. Auguſt. in Soliloquijs c. 19. *Minus te Domine amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.*

13. ET ERIT: SICVT ERATIS MALEDICTIO IN GENTIBVS, &c. SIC SALVABO VOS, ET ERITIS BENEDICTIO] *Maledictio*, id eſt, valdè maledicti, *benedictio*, id eſt, valdè benedicti. ita Chald. & Septuag. qui vertunt, *ſicut eratis in maledictione, ſic eritis in benedictione.* q.d. Sicut omnes gentes apud quas captiui exulaſtis vobis maledicebant, veſtræ ſubſannabant & execrabantur, ita vice verſa iam viderint vos à me liberari, proſperari, locupletari, vobis benedicent, laudabunt & celebrabunt. Secundò, benedictio & maledictio, id eſt exemplum, parabola & formula benedictionis & maledictionis, quam omnes vſurpent, cùm aliquem maledicere, vel benedicere volunt, vt dicant: Fiat tibi ſicut iſtis Iudæis, vt ſcilicet ſis maledictum, probrum & execratio Dei & hominum, ſicut ipſi ſunt: aut, ſis benedictio, id eſt, cumulus bonorum, laus & gloria tibi obueniat, vt ſcil. Deus te cumulet bonis omnibus, vti cumulauit Iudæos, ideoque omnes te laudent, celebrent & glorificent. ita Vatabl. Simili modo de eadem ait Ierem. c. 24. 9. *Dabo eos in vexationem & afflictionem omnibus regnis terræ, in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium, & in maledictum in vniuerſis locis ad quæ eieci eos.* Et Ezech. 14. 8. *Faciam eum in exemplum & in prouerbium.*

16. VERITATEM ET IVDICIVM PACIS, id eſt pacificum, vertit Chald. & Septuag. putà iuſtum & æquum, de quo nemo iure conqueri poſſit, IVDICATE IN PORTIS VESTRIS] id eſt, in curijs, tribunalibus & iudicijs, quæ vos ô Iudæi habetis & exercetis in portis vrbium. Secundò, pro C pacifico eſt שָׁלוֹם *ſcalom*, quod verti poteſt integrum, perfectum, incorruptum, ſincerum, vt dixi ref. 12. q.d Ferte in iudicijs ſinceram ſententiam ſine acceptione perſonarum, ne ſinatis ea corrumpi muneribus, neciudicetis ex fauore, metu vel odio, ſed recta ratione, & æquitate. Is enim verum eſt illud Poëtæ: *Auro loquente, lex omnis inanis eſt. Perſuadet aurum quidlibet, ſicut tamen.* Tertiò, aliqui per *iudicium pacis* intelligunt Vatabl. intelligunt iudicium non obſcurum, non captioſum, vnde lites oriri ſolent, ſed clarum & candidum, quod pacem & concordiam inter partes litigantes conciliat.

17. CONTRA AMICVM] contra proximum. ita Septuag. & Chald. Hic enim hebr. vocatur רֵעַ *reah*, id eſt, ſocius, amicus, cauſam dedi Leuit. 19. 18. D IVRAMENTVM MENDAX NE DILIGATIS] Imò ſummè odiatis & execremini. eſt mioſis: minùs enim dicitur, ſed plus intelligitur.

18 Et factum eſt verbum Domini exercituum ad me, dicens:

19. Hæc dicit Dominus exercituum: Ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi erit domui Iuda in gaudium, & lætitiam, & in ſolemnitates præclaras: veritatem tantùm & pacem diligite.

20. Hæc dicit Dominus exercituum: Vſquequò veniant populi, & habitent in ciuitatibus multis,

21. Et vadant habitatores, vnus ad alterum, dicentes: Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum; vadam etiam ego.

22. Et venient populi multi, & gentes robuſtæ ad quærendum Dominum exercituum in Ieruſalem, & deprecandam faciem Domini.

23. Hæc dicit Dominus exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiſcum: audiuimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt.

19. IEIVNIVM QVARTI, ET IEIVNIVM QVINTI, ET IEIVNIVM SEPTIMI, ET IEIVNIVM DECIMI, ſupple menſium, non dierum, ERIT DOMVI IVDA IN GAVDIVM] Hîc reſpondet quæſtioni de ieiunijs propoſitæ à Iudæis cap. 7. 1. ait S. Hieron. Remig. & Haymo. Porrò menſes Hebræorum inchoantur & numerantur à Niſan, id eſt Martio: hic enim erat primus anni ſacri menſis, ex decreto Dei Exodi 12. 2. Quartus ergo ab eo menſis erat Tammus, qui partim Iunio, partim Iulio noſtro reſpondet. Huius die nona ieiunabant Iudæi, eò quòd illo die à Chaldæis perfractus & interruptus eſſet murus Ieruſalem, vt patet Ierem. 52. 6. ita S. Hieron. & Cyrill. Quintus menſis erat Ab, qui reſpondet noſtro partim Iulio, partim Auguſto. Huius die decima ieiunabant Iudæi, eò quòd illo die à Chaldæis combuſtum eſſet templum, vt patet Ierem. 52. 12. Septimus menſis erat Tiſri, qui partim Septembri, partim Octobri reſpondet. Huius die tertia ieiunabant, eò quòd illo die Godolias eſſet occiſus ab Iſmaele, Ierem. 41. 2. Decimus menſis erat Tebet, qui partim Decembri, partim Ianuario reſpondet. Huius decimo die ieiunabant, quòd eo die obſideri cœpit Ieruſalem à Chaldæis, 4. Reg. 25. 1.

Quærentibus ergo Iudæis, an his diebus, quibus ipſi ob cladem vrbis, populi & templi, hucuſque luxerant & ieiunauerant, iam reſtaurata vrbe & templo adhuc lugere & ieiunare debeant? reſpondet Deus, nequaquam: ſe enim luctum in gaudium, mœrorem in lætitiam, ieiunia in feſta & feſtiua conuiuia conuerſurũ; eò quòd vrbi, templo & incolis ſit benedicturus, boniſque omnibus cumulaturus (ſi tamen pacem cũ proximis, & veritatem, id eſt fidelitatem, cum Deo diligant & cuſtodiant): ſic vt deinceps hilares & felices agant menſes & annos, adeoque illis diebus, quibus paulò antè ob euerſam vrbem & templum lugere & ieiunare ſolebant, iam conuerſa rerum vice celebrent ſolemnia feſta & conuiuia; perinde ac fecerunt Iudæi liberati & exaltati ab Eſther, celebrantes dies Phurim, id eſt ſortium, per ſolemnes epulas & munera, Eſther 9. 19. ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo, Lyran. & alij.

Nota. Erant & alia alijs de cauſis in menſibus iam nominatis indicta apud Hebræos ieiunia. Nam quarti menſis die 17 ieiunabant, quòd eo die Moſes deſcendens è Sina, videns popu- *Plura Hebræorum ieiunia.*

populum adorantem vitulum aureum, confregerit tabulas lapideas, quibus Deus digito suo decalogum inscripserat, Exodi 32.19. Ieiunabant & mense quinto die primo, quòd eo mortuus sit Aaron frater Mosis, & primus Hebræorum à Deo constitutus pontifex, Numer. 20.28. Item die nono, quòd eo iussi essent à Deo Hebræi ob murmur exploratorum, per 40. annos peregrinari in deserto, ibique mori. Rursum mense septimo die decimo erat ieiunium expiationis sanctum à Deo Leuit. 23.27. Insuper mense 10. die 8. erat ieiunium, quòd illo die lex in Græcum versa sit à Septuag. Interpretibus, tempore Ptolemæi Philadelphi, & tenebræ occuparint totum mundum triduo. Hæc omnia & plura habet Calendarium Hebræorum, quod in Latinum idioma transtulit Genebrardus, & suis in Psalmis commentarijs præfixit. Porrò de his ieiunijs abolendis hîc non agitur, licèt id aliqui putent: tum quia illa antiqua erant; hîc autem agitur de nouis & recenter institutis: tum quia quædam ex illis sancita erant à Deo, vti ieiunium in die expiationis, Leuit. 23.27. Non est autem verisimile ea hîc à Deo reuocari & irritari: tum quia Iudæi c. 7.1. tantùm quærebant, an ieiunia mense quarto & quinto instituta ob excidium vrbis & templi, adhuc seruanda essent restaurata iam vrbe & templo? quibus respondet Deus, non esse seruanda, sed mutanda in solemnitates lætas & conuiuiales: ergo non agit de ieiunijs aliàs alijs de causis institutis. Illa enim hoc loco impertinentia sunt.

Repræsentat ieiunia quatuor temporum.

Mysticè, hæc quatuor mensium ieiunia Iudæis à Synagoga præcepta, adumbrarunt ieiunia quatuor temporum Christianis ab Ecclesia indicta, imò hæc ad illorum non legem & obligationem (hæc enim cessauit in aduentu & lege Christi) sed continentiæ & pietatis imitationem, vel exemplum esse instituta, docent S. Leo serm. 7. de ieiunio septimi mensis, & serm. 4. & 6. de ieiunio decimi mensis, ac S. Callistus epist. ad Benedictum. Cùm enim Hebræi seruarint stata quatuor temporum ieiunia, æquum fuit vt similia obseruarent Christiani, qui Hebræis debent esse perfectiores, ideoque alia, & alias ob causas, ac fines sublimiores sancita: quorum primus est, vt his temporibus partim Deo supplicaremus pro frugibus & fructibus terræ eo tempore nascentibus, partim vt pro ijsdem iam natis & perceptis gratias ageremus. Nam in hisce quatuor temporibus aëris temperies maximè variatur, ac fructus omnes & fruges vel seruntur, vel nascuntur, vel maturantur, vel colliguntur. Hanc rationem affert S. Leo serm. 5. & 8. de ieiunio decimi mensis. Quocirca hæc ieiunia cum gaudio & lætitia celebrat Ecclesia, præsertim quia mox post ea sequuntur solemnitates præclaræ, putà tum festorũ, Paschatis, S. Trinitatis, Corporis Christi, Natiuitatis Christi, &c. tum æternæ in cælis, quas per hæc ieiunia promerentur fideles.

Quatuor de causis instituta. Prima.

Secunda.

Secundus est, propter ordinationes sacerdotũ aliorumque Ecclesiæ ministrorum, quæ hisce quatuor temporibus fiunt, vt scilicet per ieiunia & preces Deus inuocetur ad assistendum & cooperandum Episcopis, vt ab ijs indigni reijciantur, & soli digni ordinentur; ijque per eadem ieiunia ad tantum ministerium, & ad recipiendũ Spiritum sanctum disponantur & præparentur.

A Tertius, vt per ea, quatuor anni tempora, pa[ver], æstatem, autumnum & hiemem, per ea hæc ieiunia distributa sunt, ac consequenter tum annum Deo, in pœnitentiam & pietatis sequium offeramus. Rursum, vt singulis mensibus vnum diem Deo per ieiuniũ dicemus. Ter enim dies ieiuniorum per quatuor anni tempora distributi vniuersim efficiunt duodecim de quot sunt menses in anno. ita Bellarm. lib. 2 Bonis oper. in partic. cap. 19. Imò S. Leo serm. de ieiunio septimi mensis: *Ideo*, inquit, *ipsa continentiæ obseruantia quatuor est assignata temporibus vt in idipsum totius anni redeunte decursu, cognoscamus nos indesinẽter diuinis purificationibus indigere.* Idem serm. 8. de ieiunio decimi mensis: *Hanc*, inquit, *obseruantiæ vtilitas in Ecclesiasticis est præcepta constituta ieiuniis, quæ ex doctrina S. Spiritus*

B *ita per totius anni circulum distributa sunt, vt ab abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Sicut eadem ieiunium vernum in Quadragesima, æstiuum in Pentecoste, autumnale in mense septimo, hiemale autem in hoc, qui est decimus, celebramus, intelligentes diuinis nihil vacuum esse præceptis.* Simili modo ieiunamus Quadragesimam, vt decimas totius anni Deo per abstinentiam & pœnitentiam deputamus. Diuide enim 360. dies quot sunt in anno, per decem, conficies dies 36. quibus per Quadragesimæ hebdomadas ieiunamus. Hinc go 36. dies sunt quasi decimæ dierum totius ani. ita S. Gregor. homil. 16. in Euangelia.

VSQVEQVO VENIANT POPVLI] Hæc vi[pendent] à præcedentibus. q.d Luctus ieiunii conuertetur in lætas solemnitates, *vsqueque* est, adeò, vel in tantum, vt populi earum fa-

C illecti, veniant & confluant vt eas videant, ijsq[ue] se pascant & oblectent. ita S. Hieron. Auct. Celebrabitis solemnitates lætas & præclaras, o[nec] lætiores & præclariores celebretis, quod fi[t] cùm venient populi, &c. Vnde Septuag. Chal. Pagnin. & Tigurina vertunt, *adhuc venient populi*, quasi inchoetur hîc noua periodus, sitque eo[rum] maiorque promissio.

Iam hæc aliquo modo impleta sunt in Iudæ[a] post reditum è Babylone, præsertim tempore Machabæorum, cùm populi multi tum è vari[is] Iudææ vrbibus, tum ex vicinis Gentibus vide[ntes] felicitatem, victorias & gloriam Hierosolymæ & templi, se inuicem cohortati sunt, vt [ad] properarent, illaque fruerentur. Tunc enim multos Gentiles varijs in locis suscepisse iudaismum, & factos esse proselytos, liquet ex Esth[er]

D c. 8.17. & 3. Esdræ 5.50. & Actor 2.11 & cap. 27 Longè tamen verius & plenius impleta sunt tempore Apostolorum, cùm per eos Gentes conuersæ ad Christum & Ecclesiam (quæ est vera Ierusalem) turmatim vndequaque cum gaudio & iubilo inuicem se cohortantes properarunt & confluxerunt, vti fore prædixit Isaias cap. 2.2. & Michæas c. 4.2. ita S. Hieron. Theodor. Rupert. Hugo, Lyran. Vatabl. & alij passim.

ET VADANT HABITATORES VNVS AD ALTERVM DICENTES] Ita Rom. sed Ribera legendum censet, *& vadant habitatores vnius*, scilicet ciuitatis, *ad alteram*; idque clarius videtur & germanius, itaque habent Hebræa. Vnde & Septuag. vertunt, *& congregabuntur qui habitant [in] in vnam ciuitatem, dicentes*; & Chald. *& [ha]bitabit vnius incola cũ alterius vrbis habitatoribus, dicens*

Et

Iuxta tumulum oratum faciem Domini. Hoc verum fuit in Hierusalem, verius in Ecclesia. Sic videmus in Italia integros pagos & oppida turmatim Lauretum confluere, ac se inuicem cohortari ad visendam & venerandam sacram illam ædem B. Virginis miraculosè ab angelis eò ex Iudæa trãslatam, vt qua ipsa salutata ab angelo filium Dei concepit & Verbum caro factum est.

ET QVÆRAMVS DOMINVM EXERCITVVM] Chald. *quæramus doctrinam à Domino.*

VADAM ETIAM EGO] Est vox vnius ciuitatis & populi, vel hominis ad alterum; dum enim eum inuitat ac dicit: *Eamus & deprecemur faciem Domini.* Tumulum ei addit, subdens: *Vadam etiam ego*, q.d. Ego adeò huic perfectioni, tibiq́ue in ea non cedo, vt omnino velim esse consors & comes: adeò dux itineris. ita S. Hieron. Vnde Chald. vertit, *Ipse huic dicet, Vadam etiam ego.* Alij, vt Theodor. Arias & Hugo, censent hanc vocem esse ciuium promiscuè se ad iter offerẽtium, vt quisque eorum dicat: *Vadam etiam ego.* Vnde Vatabl. *Dicent inquit, quamplurimi: Etiam ego vadam*, vel *ibo tecum*, vt sit vox associantium se alijs pergentibus in Ierusalem. q.d. Plurimi videntes alios tendere in Ierusalem & in Ecclesiam, certatim ad eos cõdigent eorum comitatum ambient, eisq́ue se aggregabunt, cum eisq́ue iter capessent: vnus enim dicet Ibo & ego. Et alius: Et ego. Et tertius: Et ego, deindeq́ue dicent singuli.

ET GENTES ROBVSTÆ] Ac proinde nemini subesse, sed alijs dominari solitæ, iã colla submittentes Synagogæ & Ecclesiæ ab illa regi ambient.

IN DIEBVS ILLIS, scilicet fient hæc tam augusta quæ dico & prædico: *illis*, inquam, IN QVIBVS APPREHENDENT DECEM, id est plurimi, (denarius enim, quia primus est post numeros singulares, qui digiti nuncupantur, eosq́ue combinat & multiplicat; hinc multitudinis & vniuersitatis est symbolum. Sic Leuit. 20. 26. *decem mulieres* vocantur multæ ita S. Cyrillus) HOMINES EX OMNIBVS LINGVIS GENTIVM, ET APPREHENDENT FIMBRIAM VIRI IVDÆI DICENTES: IBIMVS VOBISCVM; AVDIVIMVS ENIM QVONIAM DEVS VOBISCVM EST] q.d. Plurimi ex omnibus Gentibus hoc proselyti, vt cum Iudæis vnum Deum verum colant, ideoq́ue festis ascendant in Ierusalem. Hoc inchoatè verum fuit in Synagoga, vt censet Theodor. Sed plenè & completè veritatem in Ecclesia, vti censet S. Hieron. pauci ex Iudæis facti sunt Iudæi, sed omnes penè fa[illegible]ciani: Propheta ergo hîc à typo a[illegible] typum, putà à Ierusalem ad Ecclesiã, vt ad typum alludat, eumq́ue obiter quasi perstringat, itaq́ue misceat typum cum veritate. Vide can. 4. & 5. quos præfixi Prophetis Minoribus. Quocirca per Iudæũ hîc tum carnalem, tum potiùs spiritualem & mysticum accipe, nempè Apostolos primosq́ue fideles, qui ex Iudæa orti, verè fuere Iudæi, id est, confitentes Deum & Messiã ab eo missum. His enim euangelizantibus magnoq́; zelo, sanctitate & miraculis prædicantibus adhæserunt Gentiles: quia ex ijs cognoscebant Deum esse cum illis. ita S. Hieron. Cyril. & emig. & alij. Rursum S. Hieron. per Iudæum accipit Christum ortum ex tribu Iuda, cui Iudæ sceptrum & regnum non temporale, sed spirituale restituit, iuxta oraculum Iacobi Genes. 49. 10. Verùm non solum Christum hîc

A vocari Iudæũ, sed & Apostolos, patet ex eo quod dicitur in plurali: *Ibimus vobiscum.* Sic Iudæus accipitur mysticè pro fideli & Christiano Rom. 2. 28. vbi dicitur: *Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto in carne est circumcisio, sed qui in abscondito Iudæus est, & circũcisio cordis in spiritu, non litera*, scilicet vera est, digna gratiq́; Deo. Et Philipp. 3. 3. *Nos enim sumus circumcisio* (id est circumcisi, putà Iudæi) *qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu.* Et Apocal. 2. 9. *Blasphemari ab his qui se dicunt Iudæos* (id est, confitentes Deum Deiq́ue cultores) *esse, & non sunt, sed sunt Synagoga satanæ.*

Mysticè, verus Iudæus est religiosus Dei cultor, instituti sui obseruator; religionis, modestiæ, pietatis, omnisq́ue virtutis speculum, quem dum sæculares vident, spiritu Dei instincti ardentesq́ue apprehendunt eius fimbriam, vt eius institutum habitumq́ue capessant, dicentes: *Ibimus vobiscum: audiuimus enim*, imò vidimus, *quoniam Deus vobiscum est*: vos enim estis semen cui benedixit Dominus. Nihil equidem ita inuitat sæculares ad statum perfectionis, atque eorum qui in eo degunt vita sancta & exemplaris. Vnde videmus monasteria & Ordines, in quibus viget disciplina & religio, certatim à plurimis ambiri, adeò vt multi repulsam patiantur: ea verò in quibus laxior est vita, negligi & destitui tam personis, quàm alimentis. Non est enim magnes, non iynx, non illex, qui validiùs ad se alliciat trahatq́ue vel ferrea corda, quàm sanctitas vitæ & exempli. Ita exemplo Victorini ad fidem, & S. Antonij ad mundi contemptum se aliosq́ue plures illectos exarsisse narrat S. Aug. lib. 8. Confess. c. 5. 6. 7. & 11. *Facilis*, inquit S. Leo serm. de S. Laurentio, *fit ratio efficax ad suadendum, validiora sunt tamẽ exempla quàm verba, & plenius est opere docere quàm voce.* Quin & Seneca epist. 6. *Plus tibi*, inquit, *viua vox & conuictus quàm oratio proderunt: primùm, quia homines plus oculis quàm auribus credũt: deinde quia longum est iter per præcepta, breue & efficax per exempla.* Sic in vitis Martyrũ crebrò legimus, eorum fortitudine & alacritate spectantes illectos & incensos, sponte ad martyrium procurrisse. Sic S. Iohanni Baptistæ hæc dat elogia S. Bernard. serm. de priuilegijs Baptistæ: *Iohannes parentũ gaudium, nobilitas generis, orbis exemplum, finis legis, Euangelii principium, mortis expulsio, ianua vitæ, decus hominum, conuersionis splendor, omnis iustitia principatus.* Idem hortatur sororem lib. de Modo bene viuendi c. 16. vt sibi ad imitandum proponat, ac à Deo postulet *humilitatem Christi, deuotionem Petri, charitatem Iohannis, obedientiam Abrahæ, patientiam Isaac, tolerantiam Iacob, castitatem Ioseph, mansuetũnim Moysi, constantiam Iosue, benignitatem Samuelis, misericordiam Dauid, abstinentiam Danielis, & cætera digna facta priorum sanctorum.* Vnde inquit, in Cantic. *dicitur: Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis! Quæ sunt autem calceamenta Ecclesiæ, nisi exempla SS. Patrum, quibus in via huius sæculi munimur, vt per omnes tribulationes calceamenta ista ambulent?*

Mysticè vita religiosa parit Religiosos.

CAPVT NONVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Deus populum suum è Babylone reducem, pauperem & afflictum consolatur promittens. Primò, quòd vicinos eius hostes Syros, Tyrios & Philisthæos debellabit, illisq; subyciet. Secundò, v. 9. quòd Christum mittet saluatorem, qui mitis & humilis, sedens super asinam quasi rex, Messias & triumphator Ierusalem ingredietur, ac sublatis bellis pacem afferens dominabitur à mari vsque ad mare, imò vsque ad lacum inferni, ex quo vinctos suos educet, puta Patriarchas è limbo. Hac de causa mittit Apostolos per totum orbem, vt quasi arcus & gladij fortes, at quasi iacula fulgurantia eum ipsi subigant, præsertim quia eos, æquè ac fideles pascet & roborabit S. Eucharistia, quæ erit frumentum electorum, & vinum germinans virgines.

Vers. 1. ONus verbi Domini in terra Hadrach, & Damasci requiei eius: quia Domini est oculus hominis, & omnium tribuum Israel.

2. Emath quoque in terminis eius, & Tyrus, & Sidon assumpserunt quippe sibi sapientiam valdè.

3. Et ædificauit Tyrus munitionem suam, & coaceruauit argentum quasi humum, & aurum vt lutum platearum.

4. Ecce Dominus possidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius, & hæc igni deuorabitur.

5. Videbit Ascalon, & timebit; & Gaza, & dolebit nimis; & Accaron, quoniam confusa est spes eius: & peribit rex de Gaza, & Ascalon non habitabitur.

6. Et sedebit separator in Azoto, & disperdam superbiam Philisthinorum.

7. Et auferam sanguinem eius de ore eius, & abominationes eius de medio dentium eius, & relinquetur etiam ipse Deo nostro, & erit quasi dux in Iuda, & Accaron quasi Iebusæus.

8. Et circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi euntes & reuertentes, & non transibit super eos vltrà exactor: quia nunc vidi in oculis meis.

VERS. 1. ONVS VERBI DOMINI IN TERRA HADRACH ET DAMASCI] Quæres, quodnam hoc onus? Resp. *onus* est onerosa & minax prophetia, vti dixi Isaiæ 13. 1. qua strages vel excidium alicui genti intentatur, vti hîc intentatur Syris, Tyrijs & Philisthæis, quod reipsa peractum est, partim per Alexandrum Magnum. Hic enim teste Curtio lib. 3. & 4. de gestis Alexandri, ac Plutarcho in eius vita, cepit Damascum cum Darij thesauro, Palæstinam, Syriam, Cyprum, totamque Phœniciam, adeoque Tyrum post obsidionem septem mẽsium vastauit & combussit, duoque ciuium millia crucifixit. Partim per Machabæos, qui Syros & Philisthæos subegerunt, eosque ad circumcisionem ac iudaismum compulerunt, vt patet 1. Machab. 5. 69. vbi dicitur, quòd Antiochus *Simonem constituit ducem à termino terræ vsque ad fines Aegypti. Et exijt Ionathas,* A *& perambulabat* (quasi victor & dominator) *trans flumen ciuitates, & congregatus est ad eum omnis exercitus Syriæ in auxilium, & venit Ascalonem, & occurrerunt ei honorificè de ciuitate.* Mox succedens & deprædatus Gazam, *perambulauit regionem vsque Damascum.* ita S. Cyrillus, Albert. Hugo. Lyran. & à Castro. Hoc enim est propriè dictum onus, quod Deus hîc Syris, Tyrijs & Philisthæis imponit. Verùm quia hoc Machabæorum dominium non fuit plenum & diuturnum, sed modicum & modici temporis, nec per eos tota gens Syrorum, Tyriorum & Philisthinorum fuit conuersa ad Deum & iudaismum, hinc Propheta miscẽs hîc typum antitypo auolat ad Christum, qui per Apostolos plenè has aliasque gentes conuertit, easque Deo & sibi per Euangelium subiecit. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Haymo, Carius, Vatabl. Arias, Ribera, à Castro & alij.

B Dices, Hæc Gentium conuersio ad Christum, iustitiam & salutem, non fuit onus, sed ingens gratia & donum. Resp. Læta hæc prophetia vocatur onus. Primò, quia tristis & molesta erat ipsi mundo gentili, ipsisque Gentibus ante conuersionem, vtpote hostibus fidei, eique vsque ad mortes & martyria multorum repugnantibus. Vnde Apostoli eas inuaserunt instructi arcubus, gladijs & telis fulgurantibus, sed mysticis & spiritualibus, vti audiemus v. 13. easque trucidarunt dum infidelitatem, libidinem, crapulam, omnemque impietatem in eis occiderunt, atque ex infidelibus fideles, ex incestis castos, ex ebriosis sobrios, ex impijs pios effecerunt. ita Hieron. Addit Arias, Euangelicam legem quam Apostoli Gentibus conuersis imposuerunt, esse onus, idque in se graue: tale enim est mortificatio passionum, C refrænatio cupiditatum, abstinentia, contemptio iniuriarum, amor inimicorum, contemptus mundi, &c. Sed quod per gratiam Christi fit leue, iuxta id quod ipse promisit Matth. 11. 29. *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Vbi Nota. Solent Prophetæ de Christo vaticinaturi, non ex abrupto ad eum transire, sed gradatim, putà per res & homines sui æui, quæ typus sunt Christi, quasi per gradus ad Christum ascendere, ideoque sensim ad eum ascendendo illas cum eo commiscent, & de tristque simul eodem sermone loquuntur, alterum typum obiter perstringendo, in Christo vero in scopo hærendo. ita hîc facit Zacharias, præsertim quia id facere cœpit cap. præced. v. ult.

Porrò

Porrò id faciunt Prophetæ, vt ostendāt consensionem & cōnexionem rerum legis veteris cum rebus legis nouæ, nimirum omnia veteribus in figura contigisse, vt ait Apostolus 1. Cor. 10. 11. Atque finem legis & Prophetarum esse Christum, vpote quem omnes adumbrarint, & in quem tanquam scopum omnia terminentur & desinant. Vnde S. Hieron. *Omnis hac visio*, inquit, *siue pondus & onus verbi Domini, vt interpretatus est Aquila, ad vocationem Gentium & extructionem Ecclesiæ pertinet.*

Ad hanc enim è fabrica templi assurgit Prophetia, in eamque vt in antitypum desinit.

HADRACH] Nomen est loci vicini Damasco; sed quis & vbi, incertum, præsertim quia de eo inter se variant interpretes. Probabile est quod ex Hieron. Ptolem. Guilielmo Tyrio & alijs scribit Adrichomius in Descriptione terræ sanctæ pag. 73. *Adrach*, inquit, *siue Hadrach, aliàs Adra, Adraon & Adratum, Cœlesyriæ oppidum est à Bostra 25. milliaribus distans, à quo etiam adiacens regio terra Adrach nuncupatur, de qua Zacharias propheta uit. Post Christi tempora vrbs hæc Episcopali sede cohonestata archiepiscopo Bostrensi parebat. Atque quo tempore Occidentales Christiani rerum in Palæstina potiebantur, ibi vulgò ciuitas Bernardi de Scampù dicta fuit.*

Perperā ergo Rabbini per *Hadrach* accipiunt Messiam: eò quòd ipse futurus sit חד *chad*, id est, acer Gentibus; & חך *rach*, id est, mollis & placidus Iudæis. Perperam quoque apud Septuag. pro *Hadrach* legitur *Sedrach*.

Mysticè S. Hieron. Verbum, inquit, Domini est *Hadrach*, hoc est *chad*, id est, acre in peccatores, & *rach*, id est, molle & clemens in iustos. Rursum *Hadrach* est Iudæa, super quam & austeritatem suam Dominus exercuit, & clementiā. Austeritatem in eos qui credere noluerunt, clementiam in illos qui cum Apostolis ad Deum per Christum sunt reuersi. Damascus sunt Gentiles: in his est requies Domini. Damascus enim hebr. idem est quod bibens sanguinem, aut sanguis cibi, vt prior interpretatio cruentum populum significet, secunda crudelitati eius pœnitentiam copulatam. Vnde sequitur: *Quia Domini est oculus*, &c. Hæc S. Hieron. Hinc & Arabicus vertit, *requies Domini in terra Sedrach, & victima eius erunt Damasci.*

ET DAMASCI REQVIES EIVS] Pronomen *eius*, refert *onus* Domini quod præcessit q. d. Hadrach & Damascus erunt requies oneris, quod hîc enarro & vaticinor: aut, Hadrach & Damasco incumbet, in eisque requiescet hoc calamitatum onus & pondus. ita Albert. Arias & Clarius. Perperam ergo Lyran. *eius* refert ad Syriam q. d. Syriæ requies est in Damasco: in ea enim quasi in metropoli sua robustissima & inuicta securè conquiescit. Nam Syriæ nulla hîc fit mentio.

Mysticè, *eius* referri potest ad *Domini* quod præcessit. q. d. Requies Domini erit Damascus, cum in ea ipse cognoscetur & coletur, Dominus per Euangelium requiescet in Damasco, quod factum est per S. Paulum aliosque Apostolos. Nam S. Paulus pergens Damascum, è cæco raptus conuersus est ad Christum, ac mox in Synagoga Damasci Christum prædicare cœpit, Act. 9. Vnde Chald vertit, *Damascus conuertetur ipse & terra maiestatis eius*, iuxta illud S. Petri epist. 2. c. 4. 14. *Quoniam quod est honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui est eius spiritus super vos requie-*

A *scit*. Hinc & Septuag. vertunt, *Damasci sacrificium eius*. Fuit enim Damascus nobilissima, antiquissima & opulentissima ciuitas, caput Syriæ, sex diebus distans à Ierusalem, in qua conficiebantur celebres illi panni serici, vulgò dicti Damasceni; ac proinde illustris & gloriosa fuit eius ad Christum & Ecclesiam conuersio, ac in primis ipsa nobilitata fuit miraculosa conuersione S. Pauli, vti iam dixi, & postea natiuitate B. Iohannis Damasceni. *Damasci descriptio.*

DOMINI EST OCVLVS] Oculus Domini hîc dupliciter accipi potest, scilicet actiuus, & passiuus. putà videns & visus. Primò, ergo S. Hieron. & Theodor. de oculo actiuo sic exponunt, q. d. Domini oculus videt, curat & regit omnes homines, æquè ac tribus Israel, vt scilicet impios puniat, pios tueatur & protegat. Vnde Septuag. B vertunt, *quia Dominus respicit homines, & omnes tribus Israel*; & Chald. *coram Domino manifesta sunt opera filiorum hominum, & sibi complacet in omnibus tribubus Israel*; & Syrus, *Domino manifesti sunt homines, & omnes tribus Israel*; & Arabicus, *dominus intuitus est vniuersos homines, & omnes tribus Israel.*

Secundò, de passiuo sic exponūt Albert. Hugo & Lyran. q. d. Domini est. id est, ad Dominū respicit oculus hominis: aut Domini est conuertere ad se oculum hominis. Quocirca Arias vertit, *Dominus est oculus hominis*. Est metonymia: ponitur enim potētia pro obiecto, putà oculus pro re visa quam oculus videt & respicit, qualis est hîc Dominus. Vnde alij ex Hebræo clariùs vertunt, *ad Dominum est oculus hominis*. q. d. Dominus Deus est obiectum in quod intendit & respicit C oculus & mens omnis hominis, quāto magis tribuum Israel postulantiū & obsecrantium Deum, vt puniat Damascenos & Philisthæos, qui Israelem continuò affligūt? Quapropter Deus Israelem exaudiens plectet illos, imò Israeli subiugabit, ideoque hoc eis onus imponet, quod per me Zachariam hîc prænunciat. q. d. Præmium spei Israelis in Deum, erit imperium in vrbes & gentes finitimas. Hoc est quod ait Psaltes psal. 122. 2. *Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Deus enim est monarcha, qui potest regna mutare, reges & tyrannos loco mouere.

Mysticè, Christus est oculus actiuus, qui respicit & curat omnium Gentium salutem, æquè ac tribuum Israel: vnde ad omnes misit Apostolos, D qui eos conuerterent & saluarent. Et passiuus, quia in eum vt saluatorem respiciunt oculi omnium hominum, sperantes ab eo gratiam omneque bonum. Quapropter de eo dixit Iacob Genes. 49. 10. *Ipse erit exspectatio gentium.* Et v. 18. *Salutare tuum* (id est, Saluatorem tuum, putà Christum) *exspectabo Domine.* Et Aggæus c. 2. 8. *Veniet desideratus cunctis gentibus*; Hebr. *veniet desiderium cunctarum gentium: desiderium*, id est, desideratissimus. *Mysticè, Christus est oculus duplex.*

EMATH QVOQVE IN TERMINIS EIVS, ET TYRVS, ET SIDON] Ita Biblia Roman. Primò, S. Hieron. *eius* refert ad Damascū. q. d. Emath quoque sita in terminis Damasci, onus eius excipit, æquè ac Tyrus & Sidon. Porro Emath, Tyrus & Sidon erant in terminis Damasci, non tam situ spatioque locorum, quàm societate vindictæ: sicut Galat. 4. 25. mons Sion dicitur monti Sina esse VERS. 2.

esse coniunctus,non loco; sed typo & significatione.Planiùs *τὸ eius* referas ad *onus Domini*,q.d. Onus Domini requiescens in Damasco, pertinget quoque ad Emath, Tyrum, & Sidonem, ita vt hæ vrbes intra limites & terminos huius oneris Domini contineantur. Deus enim sibi, suoque oneri & vindictæ omnes has vrbes subiget, vt in ijs sedeat quasi dominator , iudex & vindex scelerum. ita Albertus,Hugo & alij. Emath vel est Antiochia,vel Epiphania,quam multi putant esse Alapiam,vulgò Aleppo. Vide dicta Amos 6.2.

Mysticè, q.d.Deus & Christus sibi per Apostolos subijcient Emath, Tyrum & Sidonem, illisque onus Euangelicæ legis imponent, vt illud in ipsis, æquè ac in Damasco requiescat. Vnde Chald.vertit, *Emath quoque conuertetur, vt sit de terra domus maiestatis eius,& Tyrus,& Sidon.*ita S. Hieron.& Theodor.

ASSVMPSERVNT QVIPPE SIBI SAPIENTIAM VALDE] Ita & Septuag.vertunt in plurali. Iam vertunt in singulari,*quia sapiens fuit valdè*,scilicet Tyrus.Porrò כִּי *quippe* ponitur pro *quamuis*. q.d. Quamuis Tyrus & Sidon, omnesque Phœnices glorientur de sapientia , se nimirum primos inuenisse & docuisse literas , tamen hi ipsi cedent sapientiori Deo, cùm eos per Alexandrum, & deinde per Machabæos subiugabit ; ac Christo, cùm eos ad suam fidem & Ecclesiam per Apostolos traducet. Sic *quippe*, vel *quoniam*, ponitur pro *quamuis*,Exodi 13.17. *Non duxit eos per viam terræ Philisthijm,quia*, id est quamuis,*vicina erat.* Psal.77.19. *Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? quoniam*,id est quamuis,*percussit petram, & fluxerunt aquæ.* Secundò & neruosiùs,*τὸ quippe* propriè vt causale accipias, q.d.Quia Tyrij & Sidonij sibi arrogarunt sapiētiam, quasi per eam essent insuperabiles, hinc Deus ostendet eorum insipientiam, suaque sapientia eos debellabit & subiugabit,tum per Alexādrum & Machabæos, tum per Christum & Apostolos,iuxta illud Apostoli 1.Cor.1.21.*Quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum , placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes.* Et v.25. *Quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.*

Phœnices inuentores literarum.

Porrò Phœnices, ac nominatim Tyrum,gloriari solere de sapientia , patet ex eo , quòd iactarent se inuenisse literas. Vnde Lucanus lib.3. Pharsal.

Phœnices primi, famæ si creditur,ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Et ex illo Ezech.c.28.3. *Ecce sapiētior es tu Daniele:omne secretum non est absconditum à te. In sapientia & prudētia fecisti tibi fortitudinem, & acquisisti aurum*,&c.Vnde & de eo subdit Zacharias:

VERS.3. ET ÆDIFICAVIT TYRVS MVNITIONEM SVAM] In Hebr.est elegans paronomasia inter צוֹר *tsor*, & מָצוֹר *matsor*,q.d. Tyrus ædificauit Tyrum,putà rupes rupem, arx arcē, munitio munitionem. Tyrus enim dicta est hebr.*tsor*(vnde Syrum *Tor*, & Latinum *Tyrus*.) id est rupes, quia in rupe,vel potiùs medio maris scopulo inædificata erat munitissima, & quasi arx inexpugnabilis. Hæc fuit eius sapientia humana, qua domum sibi posuit in petra maris inaccessa,ideoq; omnium regum copias & vires deridebat.Sed Deus hanc eius sapientiam & superbiam deiecit, cùm per Alexandrum Magnum eam cepit & vastauit.

ET COACERVAVIT ARGENTVM QVASI HVMV Rursum in Hebr. est annominatio inter טִיטִ *tibtsar*, & עָפָר *aphar* , q.d.Aceruauit sibi argentum quasi aceruos arenæ, lutauit se argento quasi luto , pulueri zauit argentum quasi puluerem q.d.Tyrus suis mercibus & nauibus tantum opum congessit, vt aurum & argentum in ea no pluris fieret quàm puluis & lutum plateara propter immensam eius copiam. Quocirca la suo auro conduxit milites plurimos,quibus co fisa nullum timebat hostem.

ECCE DOMINVS POSSIDEBIT EAM] Heb יוֹרִישֶׁנָּה *iorisennu* , quod est contrariæ significationis.Vnde Primò verti potest,*Dominus hereditabit*, vel *hereditate possidebit eam.* ita Noster Septuag. Secundò, *Dominus hereditate sua eam* vel *expellet eam.* ita Chald & Vatabl.quia scilicet eius incolas expulit sua vrbe,arce,opibus, gloria libertate & vita.Id factū est Primò, per Alexandrum Magnum, qui Tyrum post septem mensium obsidionem ingenti labore,eque ac aries terra aggeribus,mari ducentis triremibus oppugnauit & expugnauit,vti narrat Plutarch.in eius vita,qui & addit prodigia cladis Tyriprænuncia scilicet Primò,Herculem per quietem visum Alexandro, ex muro illi manus tendentem, intantemque ad vrbis ingressum.Secundò,Tyriorum multis,inquit,in somnijs visus est Apollo discens,se ad Alexandrum transire; neque enim sibi cordi esse ea, quæ in vrbe agerentur:quocirca Tyrij Apollinis, velut transfugæ , simulachrum catenis constrinxerunt , clauisq; basi affixerunt. Tertiò , Alexandro visus Satyrus sibi illudere, quem cùm conaretur corripere , subduceba se; tandem post multas preces & circumcursitationes venit in manus eius. quod vates interpretantes dixerunt:Tua est Tyrus. Satyrus enim græce dissectum, idem est quod σὸς, id est *tua*, σὸς, id est *Tyrus*.Deinde Tyrus subacta est à Machabæis nam tempore Christi Tyrus, Sidonij & Palæstini parebant, vel coniuncti & associati erant Iudæis, eorumq; principi, aut Præsidi, vti præfatur Ezech.c.28.25. & satis colligitur ex Act.12.20. & ex eo quòd Christus,qui personaliter tantum prædicauit Iudæis,quibus promissus erat,prædicarit quoque Tyrijs & Sidonijs, vt patet Matth. 15.21.& Marci 7.24. Nimirum id Deus procurauit per Machabæorum posteros, vt hac ratione sterneretur via Christo,qui in Tyro & Sidone erat prædicaturus.ita Albert.Hugo,Lyranus,Castro & alij. Porrò Iosippus filius Gorionis l.4.c.7.scribit Aristobulū , abnepotem Iudæ Machabæi,vtpote ex fratre eius Simone prognatū, expugnasse Tyrum. Vnde mysticè significatur hic idololatriæ euersio in Tyro, eiusq; ad Christum conuersio. ita S.Hieron. Theodor. Remig.Rupert.Vatabl.Ribera & alij.

Vbi Nota, Prophetam hîc docere tria fuisse in Tyro, quæ reddebant eam inuictam, quæque maximè resistebant Christi Euangelio , scilicet sapientiam,opes & fortitudinem, eò quòd tota erat circūdata mari, & tamen à Deo expugnandam,tum per Alexādrum,tum potiùs per Christum & Apostolos gladio verbi Dei , successu eius erroribus & vitijs. Vnde persistens in metaphora ait, eam deuorandam igni, scilicet charitatis & Spiritus sancti, quem Christus venit mit-

ret in terram, & vehementer voluit accendi, Luc. 12. 49. ita S. Hieron. Porrò quàm incensus fuerit Tyriorum in Christū amor & fides, patet ex plenis Martyribus, qui ibidem sub Diocletianorum suo Episcopo Tyrannione leonibus, vrsis, tauris & pardis obiecti, cùm feræ Sanctos attingere non auderent, læto & hilari vultu extensis in cælum manibus oculisque, mente toti in Deum defixi, à carnificibus crudeliter iugulati sunt, vti narrat oculatus testis Eusebius Cæsar. l. 8 Hist. c. 7 & 14. aliàs 25. Simile est quod narrat Theodor. l. 3. Histor. c. 6. scilicet Cyrillo Diacono Heliopoli in Phœnicia, eò quòd idola confregisset, à Gentilibus sub Iuliano Apostata dissectam fuisse ventrem, qui insuper exemptum cinctum more ferarum deuorarunt, sed mox Dei vindictam senserunt.

PERCVTIET IN MARI FORTITVDINEM EIVS] B Tyros enim in corde maris, vt ait Ezechiel c. 28. ita eius erat domina & regina; sed Nabuchodonosor, & deinde Alexander obsidens eam, vt melius expugnaret, multa saxorum, arborum aggeramque congerie comportata, & in breue brachium coniecta, maris alueum impleuit, & siccauit, itaque eam ab Oriente continenti connexit, atque ex insula fecit peninsulam, qualis etiamnum cernitur. ita Curtius l. 4. post initium; & Plinius lib. 5. c. 19. S. Hieron. & alij. Vide dicta Isaiæ 23. 1. Chald. vertit, *proijciet diuitias eius in mare*. Hebr. חילה *chel*, & fortitudinem, & diuitias significat.

QVONIAM CONFVSA EST SPES EIVS] quam Accaron habebat in Tyro, quòd scilicet opem ferret sibi, vtpote vicinæ & confœderatæ. Hæc enim spes interibit intereunte Tyro. C

Mysticè, peribit spes Philisthinorū, putà Gentilium, qua sperabant se sua sapientia & viribus tutaturos sua idola, & gentilismum contra Christum & christianismum. Hæc enim cadet, quando videbunt ea euerti ab Apostolis.

ET PERIBIT REX DE GAZA] *Rex*, id est regulus, putà princeps. Olim enim principes vrbium vocabantur reges. Hic regulus fuit Betis à Dario vltimo Persarum rege Gazæ præfectus, quem Alexander expugnata post bimestrem obsidionem Gaza, circum vrbem raptari curauit, inquit Curtius libr. 4. ita Albert. & Hugo. Addit Plutarchus in vita Alexandri, omen capiendæ Gazæ dictum: *Et circumsedenti*, inquit, *Gazam vrbem Syriæ maximam, gleba à superuolante alite in humerum delapsa est. Auis in vna machina consedit, funibus nexuque plagulis, quibus ad versandos vtebantur saxo, ibi irretita. Hoc portentum Aristandro praedicenti euentum habuit respondentem. Nam magno Alexandro in humero vulnus, & vrbem recepit.* Deinde Gazam expugnauit, & ab idolis expurgauit Simon, frater Iudæ Machabæi, 1. Machab. 13. 43. Rursum Alexander Iannæus Simonis nepos, post annuam obsidionem Gazam cepit & diruit, cùm priùs ciues partim ædes suas incendissent, partim Sagùtina rabie suismet manibus exacti & liberos interemissent, ne ad seruitium & iniuriam abstraherentur, vti narrat Iosephus l. 13. Antiq. c. 21.

Mysticè peribit de Gaza rex, scilicet infidelis, & vt S. Hieron. diabolus, quia scilicet Christus solus per suos fideles in ea regnabit. Propriè rex, id est Deus, siue idolum Gazæ fuit Marnas:

Cornel. in Proph. Min.

A vnde ibidem celebre fuit Marnæum, id est, Marnæ fanum, quod S. Porphyrius vrbis Episcopus, Arcadio Imperatore consentiente anno Christi 401. combussit, monitus voce miraculosa pueri septennis, qui cùm Syrus esset & græcè nesciret, Græca tamen lingua instinctus à Deo publicè prolocutus, hæc edixit: *Vrite templum quod est intus vsque ad solum: multa enim in eo grauia facta sunt, & maximè hominum sacrificia; & postquam fuerit combustum, expurgato loco, statuite illic sanctam Ecclesiam. Testificor enim coram Deo, non posse aliter fieri. Non enim ego sum qui loquor, sed qui est in me Christus.* Idipsum admirans Deumque glorificans, ita scribit S. Hieron. libr. 7. in Isaiam: *Hoc nostris temporibus videmus esse completum: Serapium* (Serapidis delubrum) *Alexandriæ, & Marnæ templum Gazæ, in Ecclesias Domini surrexerunt.* Adiuuit hanc rem multùm S. Chrysost. qui sedulò apud Arcadium Imper. curauit, vt quæ in Phœnicia residua erant idolia, penitus tollerentur, vti testatur Theodor. libr. 5. Histor. cap. 29. Ita factum est, vt Gazenses antea Marnæ addictissimi, eo sublato ad Christum conuersi sint, ad quod valdè eos incitauit S. Porphyrij Episcopi sanctitas & miracula, vti ex eius Actis quæ conscripsit Marcus Diaconus Gazensis, enarrat Baron. anno Christi 398. & 401. *Marnæum dirutum oraculo pueri.*

ASCALON NON HABITABITVR] q.d. Ascalon planè desolabitur, adeò vt ibi futura sint pascua pecorum Iudæorum, vti prædixit Sophon. c. 2. v. 4. & 6. Ascalonem cepit Ionathas frater Iudæ Machabæi, æquè ac Accaronem & Azotum, quam etiam cum octo millibus incolarum igne combussit, vt patet 1. Machab. 10. 84. & seq. Postea tamen reædificata fuit: nam in ea dicitur natus Herodes infanticida, qui inde Ascalonita cognominatus est. Atque etiamnum hodie antiquum robur retinens, Saracenorum fortissimum propugnaculum est. Eius muros cùm Saladinus diruisset, Richardus Anglorum rex instaurauit, ait ex Guliel. Tyrio Adrichom. in Descrip. terræ sanctæ, in Ascalone.

Mysticè, q.d. Ascalon conuersa ad Christum non habitabitur à paganis & infidelibus, à quibus antea habitabatur, sed à Christianis. Vnde alij videbuntur esse ciues, & alia ciuitas, iuxta illud Poëtæ:

O domus antiqua quàm dispari domino dominaris?

Quàm enim Ascalonitæ infideles olim infensi fuerint Christianis, vel ex eo conijcere licet, quod de ijs scribit Theodor. lib. 3. Histor. 6. cùm ijs fræna laxasset Iulianus Apostata anno Domini 362. *Ascalone*, inquit, *& Gazæ sacerdotum & virginum Deo dicatarum ventres discindunt, deinde farciunt hordeo, ac tandem eos porcis deuorandos obijciunt.*

ET SEDEBIT SEPARATOR IN AZOTO] Hebr. VERS. 6. est. ממזר *mamzer*, id est separator, alienus (à rad. זור *zur*, id est recessit, alienus vel extraneus fuit) indeque spurius, vt vertit Vatabl. qui scilicet extra matrimonium alieno patre natus, illud diuidere & separare videtur. Iam Primò, Albert. Hugo & Lyran. censent hîc notari Alexandrum Magnum, qui Azotum & Philisthæos cæteros subiugauit. Ipse enim à multis censetur spurius, quòd Olympias mater eum non ex Philippo ma- *Alexander Magnus spurius.*

rito, vti ipsamet confessa est (vnde & à Philippo quasi repudiata fuit) sed ex Nestabano mago, qui noctu se Iouem finxit, genuerit. quocirca Alexander Iouis Hammonij filius credi & haberi voluit. Secundò, *mamzer* significat alienigenas & exteros, qui non erant oriundi ex Philisthæis Azoti indigenis, quos proinde Philisthæi vocabant mamzeres, id est alienos, spurios, æquè ac faciebant Iudæi, vt patet ex illo Iohan. 8. 41. *Nos ex fornicatione non sumus nati*, vti sunt Agareni, ex Agar aliena & concubina geniti, quia nati sumus ex Sara vxore Abrahæ, ideoque æquè ac ipse, *vnum patrem habemus & colimus Deum.* Vnde Septuag. vertunt, *habitabunt alienigenæ in Azoto*, putà Græci sub Alexandro, postea Iudæi sub Machabæis. q.d. Ascalon deserta manebit & nō habitabitur: at Azotus habitabitur quidem, sed ab externis. Quocirca Chald. vertit, *habitabit domus Israel in Azoto, qui erant in ea sicut extranei qui non habent patrem.* Porrò ante tēpora Christi Iudæos sparsos fuisse per Azotum & Philisthæam, patet Act. 8. 40. Paulò aliter vertit Pagnin. *Philisthæus*, inquit, *tamquam extraneus habitabit in Azoto*, quia scilicet non erit sui iuris, vti fuit antè, sed sub iugo & potestate Machabæorum & Iudæorum. Denique occiso Iuda Machabæo iuxta Azotum à Bacchide duce Demetrij, paulò pòst Azotum occupauit & incendit Ionathas frater Iudæ, æquè ac vicinas illi ciuitates: quo impetu templum Dagon, qui erat Deus Azoti, & omnes qui in illud confugerant concremauit: iuxta eamdē vicit Apollonium, 1. Machab. c. 9. & 10. & 11. Separator ergo, siue māzer Azoti, fuit Ionathas.

Mysticè, separator est Christus.

Mysticè, *separator* est Christus, inquit S. Hieron. qui separat oues ab hœdis, pios ab impijs, electos à reprobis. Item Christianus, qui se separat ab infidelibus, vt proinde ab eis per contemptū vocetur mamzer, id est separator, vel nothus & spurius: Christus enim & Christiani pulsis Gentilibus & gentilismo, occuparunt Azotū totamque Philisthæam. ita Clarius & Vatabl. Primus Azoti prædicauit Euangelium Philippus Diaconus, eò raptus à Spiritu sancto, Actor. 8. 40. Et est vsq; hodie Azotus, ait S. Hieron. non ignobile municipium. Postea habuit Episcopum, qui nunc est. Suffraganeus Treuirensis.

VERS. 7. ET AVFERAM SANGVINEM EIVS DE ORE EIVS] Sanguis hîc dupliciter accipitur. Primò, pro minis sanguinis & cædis. q.d. Auferam & compescā minas, quibus Azotij minabātur se effusuros, vel gloriabantur se effudisse sanguinem Iudæorū & populi fidelis: quia illi eos subijciam & aggregabo. ita Hieron. Theodor. Albert. Hugo & Lyran. Vnde Septuag. vertūt, *auferam sanguinem eorum de ore illorum*: de Azotijs enim Scriptura per enallagen nunc loquitur in singulari, quia erant populus vnus & singularis; vnde Hebr. & Noster habent *eius*: nunc in plurali, quia in populo plures erant homines & capita. Vnde Septuag. vertunt, *illorum*. Minùs enim probabile est quod censet Lyran. *ea eius* referri ad separatorem siue mamzerem, quem ipse accipit Alexandrū Magnū. q.d. Auferam minas de ore Alexandri, scilicet quibus iactabat se Iudæos, quòd Dario hosti suo fauissent, euersurum: nam faciam vt supplex fiat Iaddo pontifici, ac consequenter benevolus Iudæis. Non enim de Iudæa hîc agitur, sed de Azoto.

Secūdò, sanguis hîc potest accipi victimarum quas Dagon deo suo offerebant, ac deinde eas comedebant & epulabantur. q.d. Auferam has sacra & sacrificia sacrilega ab Azoto, & in eam inducam sacra mea, primùm Iudaica per Machabæos, deinde Christiana per Philippum & Apostolos. ita Arias & Chald. *Et disperdā*, inquit, *comedentes sanguinem.* Huic explicationi fauet id quod sequitur: *Et abominationes eius de medio dentium eius.* Abominationes enim in Scriptura vocantur idola, & idolothyta, siue victimæ idolis immolatæ. Vnde & sequitur:

ET RELINQVETVR ETIAM IPSE DEO NOSTRO] *Ipse*, scilicet Alexāder Magnus fiet deuotus Deo, eiusq; pontifici Iaddo, inquit Lyran. Verùm *ipse*, vt dixi, refert populum Azoti. q.d. Populus Azoti subactus à Ionatha & Machabæis, relinquet idola & aggregabitur Iudæis, eorumque Deum verum colet. Hoc enim maximè curabant Machabæi, vtpote pontifices & principes zeli honoris diuini pleni, vt non tantùm terminos, sed & religionem suæ gentis, Deique cultum in Philisthæos alios q; populos à se deuictos propagarent. Imò populus Azoti *erit quasi dux* (Septuag. Chiliarchus) in Iuda, qui scilicet veræ fidei & religionis non tantùm comitem, sed & ducem se aliis præbeat, ac proinde Iudæos contra hostes propugnet quasi dux, ideoque quasi dux honoretur & celebretur in Iuda.

ET ACCARON QVASI IEBVSAEVS] q.d. Sicut olim Iebusæi habitarunt in Ierusalem, ibique cum Iudæis permanserunt, ita pariter Accaronitæ sociabuntur Iudæis & habitabunt in Ierusalem, ac vicissim Iudæi pacificè degent in Accaron. Vnde Chald. vertit, *& proselyti qui remanserint in eo, adijcientur & ipsi ad populum Dominstri, & erunt quasi principes domus Iuda.* Secundò & melius, q.d. Sicut Dauid subiecit Iebusæos, sic Machabæi subijcient sibi Accaronitas. ita Albert. & Hugo.

Mysticè hæc veriora sunt de Christo & Apostolis, qui Philisthæos omnes sibi, Euangelio & Ecclesiæ subiecerunt, itaq; fecerunt vt Philisthæi & Gentiles cum Iudæis in vnum populum fidelem, vnamque Ecclesiam Christianam coalescerent & conspirarent.

ET CIRCVMDABO DOMVM MEAM.] Puta templum, q.d. Templum, quod meo iussu vos, o Iudæi, nunc reædificatis, ego instar castrorum vallabo, & tutabor. Hebr. enim est בעד ביתי, hoc est, *castra metabor domui meæ*, vel *ponam vigilias circa domum meam*, vt eam propugnem: *exibo pro militant mihi euntes & reuertentes*, putà per Machabæos, qui fortissimè templum & vrbem hactenus suis castris propugnarunt. Vnde Septuag. vertunt, *substituam domui meæ eleuationem*, quasi arcem vel castrum, *ne pertranseat neque reuertatur vllus, & non superueniat super eos vltrà exactor*: & Tigurina, *& circumducam castrum domui meæ contra transeuntem & redeuntem*; & Pagnin. *& erunt sicut castra domui meæ, vt non timeat ab exercitu transeunte & redeunte*; Paraphrasticè verò & magnificè Chald. *& habitare faciam maiestatem gloriæ meæ in domo sanctuarij mei, & fortitudo brachij potentiæ meæ erit sicut murus ignis in circuitu eius, propter transeuntes & redeuntes.*

Hæc ad literam templo præstiterunt Machabæi. ita Theodor. Hugo & Lyran. Allegh. hæc re-

fert

rem sanctæ Ecclesiæ, quæ est templum animati Dei viuentis. q.d. Muniam & defendam Ecclesiam meam validissimis castris, tũ principum Christianorũ, vt Constantini, Theodosij, Caroli: tum Doctorum, vt S. Augustini, Hieron. Chrysost. tum angelorũ, vt exactor tributi, scilicet tyranni, infideles & diabolus eam ampliùs non venient & vastent; quia oculis misericordiæ eam videbo & respexi, iuxta illud psalm. 33. 8. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Nota τὸ *ex his qui militant mihi*, dupliciter posse accipi. Primò plenè, *mihi*, id est pro me. Secundò, *mihi*, id est, contra me: ita Septuag. Chald. Pagnin. & Tigurina ex Hebræo.

QUIA NVNC VIDI IN OCVLIS MEIS] Est hebraismus, pro quo latinè dicimus: *vidi oculis meis*, id est plenè, perspicuè certoque vidi & conspexi, scilicet ærumnas & persecutiones, quas vos, ô Iudæi, à vicinis gentibus in fabrica templi & vrbis sustinetis, ideoque vestri misertus vos, æquè ac domum meam, putà templum, protegam & propugnabo. ita Theodor. Albert. & Lyran. Aliter Vatab. q.d. Nunc vidi ea quæ facturus sum, eaque hîc promitto de felicitate templi & Ecclesiæ: vidi, inquam, præuidi & prouidi oculis prouidentiæ meæ. Aliter & Arias, qui hæc refert ad sequentia, censetq; esse verba Zachariæ. q.d. Ea video in spiritu oculis mentis meæ Christum venientem, & cum pompa ingredientem Ierusalem & templum. Primus sensus vti communis, ita planus est & genuinus.

9. Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus, & saluator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.

10. Et disperdam quadrigam ex Ephraim & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli: & loquetur pacem Gentibus, & potestas eius à mari vsque ad mare, & à fluminibus vsque ad fines terræ.

11. Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.

EXVLTA SATIS FILIA SION] Iudæi nonnulli hæc accipiunt de victorioso Iudæ Machabæi ingressu in Ierusalem. Theodorus Mopsuestenus Iudaizans & ebionizans, asserebat hunc regem esse Zorobabelem cum suis è Babylone redeuntem. Vterque est error. Nam certum est de fide, ad Iesum hæc accipi de solemni Christi, quasi Messiæ Iudæis promissi, ingressu in Ierusalem, quem fecit paulò ante mortem in die palmarũ. De eo enim hæc interpretatur S. Matthæus cap. 21. 4. & S. Iohãnes c. 12. 15. ac Orthodoxi omnes: quin & veteres Rabbini apud Galatin. lib. 8. c. 9. Isaac & R. Salomon hîc, qui tamen est iuratus Christianorum hostis. Idipsum definit Vigilius Papa in Conc. Romano, vbi hunc Theodori errorem sub anathemate damnat. Vide dicta in proœmio notat. 5. Errant ergo pariter, qui hunc regem volunt esse Alexandrum Magnum, hoc ritè venientem Hierosolymam, & venerantem Iaddo pontificem: Zacharias enim more Prophetarum in Christum desinit. Cùm enim suos exhortaretur ad fabricam templi & vrbis, ijque tardiores essent ad opus ob hostes vicinos, & ob paupertatem aliasque difficultates sese obijcientes, hac de causa eos animat & stimulat, Primò, promittendo Dei opem & protectionem: Secundò, templum hoc Dei auxilio fore celebre & glorioſum: Tertiò, Messiam venturũ, qui in hoc templũ solemni pompa sit ingressurus, illudque sua præsentia, doctrina, miraculis, æquè ac sua in regem inauguratione sit condecoraturus, ibique Ecclesiam suam fundaturus & inchoaturus, per quam primùm Iudæos, deinde Gentes omnes vocaturus sit ad æternam vitam & gloriam. Hæc est connexio huius prophetiæ de Christo cum præcedentibus de templi & vrbis fabrica ac tutela.

Iam *satis*, id est valdè, vehementer: hoc enim est Hebr. מאד *meod*, pro quo Noster subinde vertit *satis*. Vnde Chald. vertit, *exulta vehementer cœtus Sion, iubila cœtus Ierusalem*. Sic & Septuag. Tigur. Pagnin. Vatab. & alij. Pro *exulta*, S. Iohannes c. 12. 15. paraphrasticè vertit, *noli timere*. q.d. Non est quòd timeas, sed exultes, ô Ierusalem, venente Christo: ipse enim est tuus rex & saluator, qui te ab omnibus hostibus defendet, & ab omnibus malis liberabit. Ergo metum omnem pone, & plenus gaudio exulta.

ECCE REX TVVS] Messias, siue Christus veniet, vt quatuor quadrigas, id est monarchias, de quibus c. 6. ac consequenter Tyrũ, Gazam, Azotum, totamq; Palæstinam, Phœniciam & Syriam, de quibus egit hoc cap. sibi subigat. Nam in Christi regnũ omnes reges & regna desinunt, vti prædixit Daniel c. 1. 44. & Zacharias hîc. Vnde subdit; *Disperdam quadrigam*, &c.

Nota. Christus regalem hanc, sibique insolitam pompam & ingressum in Ierusalem adornare voluit varijs de causis. Prima fuit, vt daret regiæ suæ potẽtiæ & magnificentiæ indiciũ quoddam & specimen: quia cum ea Messiam suum, quasi alterum Salomonem venturum Iudæi putabant, & etiamnum putant. Hac ergo specie & pompa obiecit se eis Christus, ne eum vt pauperem auersarentur & despicerent, vti fecerunt; ita tamen vt humilitatis & mansuetudinis mistis argumentis ostenderet, regnum Messiæ magis esse spirituale, quàm temporale; ideoque à Zacharia hæc omnia voluit prædici, ne Iudæi hunc regem sine fastu regio venientem aspernarentur. ita S. Chrysost. & Auctor imperfecti in cap. 21. Matth. & Euseb. libr. 8. Demonstr. cap. 4. Secunda, & comitans causa fuit, vt Christus obijceret Pharisæis & Scribis in hoc regali ingressu seipsum, quem agnoscere hoc facto possent & deberent esse Messiam, vtpote à Zacharia hoc loco promissum & prædictum: sciebat tamen ipsos inde magis exacerbandos, & necem crucis ipsi machinaturos: quod ipse permittere statuit, vt sic mortis adeò expetitæ compos fieret, per eamque nos redimeret. ita Auctor imperfecti loco citato. Tertia fuit, vt responderet typo agni paschalis: hic enim decimo die mensis primi solemni pompa inducebatur in vrbem, immolandus die decimo quarto. Ita Christus quasi agnus Dei qui tollit peccata mundi, die decimo, putà in die palmarum, ingressus est Ierusalem, immolan-

Cur eum pompa Christus ingressus sit Ierusalem? Prima causa.

Secunda.

Tertia.

landus die decimo quarto : ingressus est autem cum pompa & faustis turbæ acclamationibus, vt quia certus erat de victoria mortis, peccati, inferni & dæmonum, triumphum duello præciperet, & triumphans duellum iniret.

Quarta. Quarta causa fuit tropologica, vt scilicet hoc facto, rideret & ridendam proponeret mundi gloriam, vtpote cùm sciret se quinto pòst die ab ijsdem, à quibus in ingressu ita honorabatur, crucifigendum, eosdemque qui iam clamabant: *O sanna filio Dauid*, q.d. Viuat rex noster Messias, Dauidis filius & heres; post quatuor dies in tribunali Pilati clamaturos: *Crucifige, crucifige eum*; ideoque vrbem à Tito & Romanis funditus euertendam: qua de causa in hoc, læto licèt ingressu suo, videns eam, eiusque cladem præuidens fleuit, vt habet S.Lucas c.19.41. Rursum, vt doceret suum, suique sequacium regnum & gloriam in hac vita consistere in passione & cruce, ideoque eam non auersandam, sed ambiendam esse, ac læto animo & solemni cum pompa adeundam: quocirca Martyres Christi assectæ, ad martyria quasi ad epulas, imò regnum & triumphum ibant gaudentes, albati & stipati fidelium choro.

Quinta. B

VENIET TIBI IVSTVS ET SALVATOR] vt te iustificet & saluet. Ipse enim *est iustitia sempiterna, & sanctus sanctorum*, ad hoc à Deo Patre missus in mundum, *vt consummetur prauaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas*, Daniel.9. 24. Pro *saluator* hebr.est נוֹשָׁע *nosça*, quod est participium passiuum à rad. יָשַׁע *iasça*, id est saluauit. Vnde Vatabl.Pagnin.Clarius & alij vertũt passiuè, *saluatus*, scilicet à seipso. q.d. Quia Christus iustus & innocens actus est in crucẽ & mortem, idcirco sua virtute saluus & rediuiuus, die tertia à morte & sepulchro resurrexit. Alij *nosça* meliùs vertũt, *salute plenus, salute circumdatus*. ita ex Clario à Castro. Verùm dico, *nosça* hîc non esse participiũ, sed nomen, idem actiuè significans quod Iesçua, Iosue & Iesus, id est saluator. Sic enim vertunt Septuag. S.Hieron. Tigurina & alij: litera enim *nun* in *nosça*, est heemantica & formatiua nominis, vti est in *Nephthali, Nemrod*, alijsque nominibus proprijs, eque ac appellatiuis, vt נֶאֱמָן *neeman*, idem est quod fidelis actiuè, qui scilicet fidem alteri datam opere præstat: נָעוֹר *naaue* est peruersus actiuè, qui nimirum peruersa cogitat, agit, loquitur, alioque peruertit. C

IPSE PAVPER] Hoc propriè significat Hebr. עָנִי *ani*, Septuag. verò, quos sequitur S.Matth.c. 21. vertunt πραΰς, id est *mansuetus*. Sic & Chald. Vnde ipsi videntur legisse עָנִו *anau*: sed eòdem res redit: pauperes enim, præsertim spiritu, solent esse humiles & mansueti. Vnde tam *ani*, quàm *anau* ab eadem rad. עָנָה *ana*, id est afflictus, humiliatus est, deducitur: indeque עֹנִי *oni*, idem est quod afflictio, paupertas, humilitas: & עֲנָוָה *anaua*, vocatur humilitas & mansuetudo. Vnde cùm ait Christus: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*, Matth.5. per pauperes Spiritu S.Augustin. Hilar. Chrysost. Ambros. & alij in illum locum, accipiunt humiles: quia paupertas spiritus coniuncta est, & oritur ex humilitate, & contemptu opum & honorum. D

ASCENDENS (Hebr. רֹכֵב *rocheb*, id est equitans, vel potiùs vectus, siue equo, siue asino, siue camelo, siue alio iumento, vti Christus hîc priùs erat asinans, non equitans. Vnde Noster rectè vertit, *ascendẽs*) SVPER ASINAM, ET SVPER PVLLVM FILIVM ASINAE] hebr. *filium asinarum*, id est vnius ex asinis. Pro *asinam* hebr. est חֲמוֹר *chamor*, quod tam asinum, quàm asinam significat. Verùm hîc significari asinã potiùs quàm asinum, patet ex eo quod sequitur, *& pullum filium asinæ*: pulli enim solent comitari asinam matrem, non asinum patrem; fugunt enim vbera matris, non patris. Clarum est ergo Christum sedisse super asinam, non asinum. ita enim habet versio nostra hîc, & S.Matt.c.21.5. Idem docet Remig. Albert. Hugo hîc, & S.Chrysost hom.65.in Iohannem, Theoph. Lyran. Caiet. & alij mox citandi. Nam Orig. in c.1. Iob, in Arabia & Palæstina asinas pares esse equis in velocitate eundi & redeundi, & valere ad negotia peragenda & asserenda, eademque officia præstare, quæ apud nos præstant muli & equi. Hinc filij principum asinis inequitabant, vt patet Iudic.10.4. & c.12.14. vide dicta Exodi 13.13. Vsus autem est Christus asina potius quàm asino, tum ob mysterium quod mox dicam, tũ quòd asinus asina sit pigrior, & in remissione operis deterior, vt scribit Plinius l.8.c.43. vbi & addit, asinos valere pro aratione, sed mulas mè pro mularum generatione.

Quæres, quomodo Christus simul potuit ascendere super asinam & super pullum asinæ? Resp. S.Hieron. Chrysost. Euthym. Maldon. & Bulensis & Iansenius in Matth.21. esse syntechen: Christum enim super alterum tantùm scilicet super pullum, vt habent alij tres Euangelistæ, sedisse. Sic enim legunt: *Super asinum, & super pullum filium asinæ. Et*, inquiunt, significat, id est, q.d. Super asinum, id est, super pullum filium asinæ. Vnde minùs probabile est quod aliqui censent, Christum soli asinæ insedisse. Verum minùs & simpliciùs idem Chrysost. Theophyl. Lyran. Caiet. Ribera & à Castro, censent Christum super vtrumq; sedisse, sed successiuè. Id enim expressè habet S.Matthæus cap.21.5. & Zacharias hîc. Vnde & turbæ vtrique vestimenta imposuerunt, & eum *super eos*, vt habent Biblia Romana in S.Matthæo, sedere fecerunt.

Dices, Quid opus erat Christo tam breui spatio & itinere iumentum mutare? Resp id factum opus non ob Christi mollitiem aut fastum, sed ob mysteriũ: illi enim omnis hæc pompa seruiebat; cui tamen Christo facile fuit omnem pompam seruiebat; cui tamen Christo facile fuit omnem sionem aliquam incidentem prætexere. Asina enim subiugalis significat populum Iudaicum, qui tolerat iugum legis veteris: pullus super quem nemo sederat, repræsentat indomitos & exleges Gentiles, qui nulli legi colla subiugarant. Vtrumque enim populum, tam Gentium quàm Iudæorum, ad se & Ecclesiam, ac deinde in cælestem Ierusalem adducturus erat Christus, ita S.Iustinus contra Tryphon. Origen. & Cyril. in Iohannis c.12.

Mysticè, Christus insidet asinæ, id est animæ humili, miti, obedienti, patienti, quæ se totam Christo sessori resignat, ac cum Dauide dicit: *Iumentum factus sum apud te*, psal.72. quæ pacifide cùm Christum rectorem habet exultat, omniaque audet. Vnde Abbas ille in Vitis Patrum dicebat: *Ego & asinus vnum sumus.*

Tropolog. Drogo Hostiensis Episcopus tro-

per

pore S. Bernardi, tract. de Sacram. Domin. pas- A
sionis tom. 1. Biblioth. SS. Patrum: *Noli timere filia Sion. Timere*, inquit, *pusillorum est; ideo adhuc filia quæ times. Nondum Ierusalem, sed filia Sion, hoc est specula. Ergo disce speculari; noli timere, quia timor vitium turbat. Hilarè pupilla lucidè speculatur. Fides pupilla est oculi tui. Quomodo pupilla oculi est subtilissima, & nisi impigrè ac sollicitè custodiatur à pulvere, leuissimi & tenuissimi pulueris tactu confunditur, sic acie fidei, nisi pervigilem semper habeat cautionem, nihil citiùs conturbatur. Sed noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit tibi. Oritur tibi sol, qui te exhilaret, & illuminet, & perducat vbi puluis non est. Venit tibi mansuetus: qualis ipse est, talem te esse vult, mansuesce iugum eius portare. Et ipse sedeat super tu asinam suam, & pullum filium subiugalis. Et* B
qua est hæc asina? Ipsa qua caro vocatur, & mulier, & vxor, quia de viro sumpta est. Et quis est pullus eius? Masculus vir. Et quomodo pullus eius est? Quia non prius quod spirituale est, sed quod animale, deinde quod spirituale. Sedet prius rex mansuetus super asinam; postea super pullum: prius caro domatur, vt iugo habilis fiat; deinde nascitur pullus, & nutritur, & roboratur, vt sessorem suum portare possit. Et quare filius subiugalis? Quia sub viro est mulier, & mulieris caput vir; & tamen filius est subiugalis, quia per mulierem vir, sed in dolore ipsa pariet. Sedeat super vtrumque rex mansuetus faciens pacem, ne hæc sibi inuicem aduersentur. Venit tibi mansuetus, & tu non vadis ei? Egredere de terra carnis tuæ, & de cognatione matris tuæ, & de domo, id est memoria, patris tui. Asina ergo est caro, pullus est mens & spiritus: hic enim est Adam & vir, illa verò Eua & femina. Christus super vtrumque sedet, quando carnem spiritui subiugat & concordat. C

DISPERDAM QVADRIGAM EX EPHRAIM] Theodor. & Euseb. l. 8. Demonstr. c. 4. censent id factum per Titum & Romanos. Verùm hi Iudæos dumtaxat subegerũt, non Ephraim, id est decem tribus, vtpote quæ iam à quingentis annis à Salmanasar abductæ erant in Assyriam; nec inde reuersæ. Adde, hîc esse sermonem de regno Christi ante Titi. Sensus ergo est, q. d. Christus suo regno, lege & gratia auferet ex Israele & Iuda, id est fidelibus Iudæis, æquè ac Gẽtibus, quadrigas, arcus & bella; quia pacem mundo afferet. Docebit enim & præcipiet iustitiam, humilitatem, cõcordiam, amorem fraternũ, per quæ lites & bella excludet; ac ad hoc copiosam gratiam & Spiritum sanctum in fideles effundet. Idem prædixit Isaias c. 2. & 4 & Michæas c. 3. 5. vide ibi dicta. ita S. Hieron. Hugo, Arias & alij.

ET POTESTAS EIVS A MARI VSQVE AD MARE] q. d. Christus toto orbe, putà tota terra & toto mari dominabitur: nec enim quis toti terræ dominari potest, nisi dominetur & mari. Ad multas enim regiones vel nullus, vel difficilis est accessus nisi per mare, vt patet de insulis & Indijs tam Orientis quàm Occidentis. ita Rupert. Remig. Hugo & alij.

Quare arctiùs aliqui sic exponunt, q. d. Christus dominabitur à mari Mediterraneo vsque ad mare Oceanum: aut à mari rubro vsque ad mare Palæstinæ. hæc enim duo maria fuerunt termini terræ sanctæ, promissæ Iudæis Num. 23. 31. Iudæi enim alia maria vix norant. Verùm esto eò tendat Propheta, tamen ampliùs intendit & altiùs assurgit, scilicet id quod dixi. Loquitur enim non tantùm Iudæis sui æui, sed & Christianis omnibusque hominibus quouis sæculo victuris. Respicit Zacharias ad illud Dauidis de Christo oraculum psalm. 71. *Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.* Flumen est Euphrates, qui erat limes Iudææ versus Orientem. Hîc Zacharias dicit *à fluminibus*, quia respicit Tigrim Euphrati vicinum, & alia quæuis flumina. In huius ampli dominij Christi prænuncium & præsagium, Augustus Cæsar sub quo natus est Christus, superato Antonio, Lepido, alijsque vel hostibus, vel æmulis, à Deo effectus est orbis dominus & monarcha. de quo Virgil. l. 6. Æneid. ita canit: *Augustus Christi prænuncius.*

— Super & Garamantas & Indos
Proferet imperium: iacet extra sidera tellus,
Extra anni solisque vias, vbi cælifer Atlas
Axem humero torquet stellis ardentibus aptum.

TV QVOQVE (ô Christe rex Sionis, de quo v. 9.) IN SANGVINE TESTAMENTI TVI] Putà per meritum & pretium sanguinis tui in cruce effusi, quem quasi lytrum pro vinctis tuis dependisti, coque omne eorum debitum, putà culpam omnem tam originalem, quàm actualem persoluisti. Iam sanguis Christi vocatur *testamenti*, quia illo Christus sanciuit testamentum & fœdus nouum, quod pepigit & conciliauit inter Deum & homines, de æterna hereditate fidelibus, quasi filijs suis danda. ita S. Hieron. Theodor. Cyrill. Remig. Rupert. Lyran. Vatabl. & alij passim. Perperam ergo Chald. & Iudæi hæc accipiunt de sanguine victimarum, quo Moses sanciuit fœdus vetus inter Deum & Hebræos, Exodi 24. v. 8. quo ipsi censent se liberatos è lacu, id est, è captiuitate Ægypti. Hoc enim hîc impertinens est, præsertim cùm sit hîc continua prophetia de futuro, putà de rebus gerendis à Messia, non historia de præterito. Vide dicta 1. Corinth. 11. 25. & Hebr. 9. 15. VERS. II.

EMISISTI VINCTOS TVOS DE LACV] Ita quoque legunt Septuag. quos sequuntur Origenes tract. 14. in Matth. S. August. libr. 18. de Ciuit. 35. Theodor. Cyrill hîc, & Græci omnes, æquè ac S. Hieronymus, Remigius, Rupert. & Latini cæteri. Chaldæus verò & Rabbini recentiores, quos sequuntur Pagnin. Tigurina, Vatablus, & similes, longè aliter vertunt: nam in textu Hebræo iam hæc omnia sunt feminina, scilicet אַתְּ *at*, id est *tu*, femininè; בְּרִיתֵךְ *beritech*, id est testamenti, vel fœderis tui, femininè: & pro *emisisti*, Hebr. iam habent שִׁלַּחְתִּי *scillachti*, id est, *emisi*. Vnde sic vertunt & explicant vt sint verba Dei, q. d. Tu quoque, ô filia Sion, exulta, quia saluaberis in sanguine Christi, quem ipse effundet, vt sanciat nouum testamentum & fœdus inter te & me: nam propter eum emisi, id est, emittam vinctos tuos è lacu, putà patres è limbo, resuscitans eos cum Christo. Verùm dico textum Hebræum modernum hîc esse corruptum, vel à Iudæis, vt hoc oracullum de Christo corrumperent; vel potiùs à librarijs. Nam corruptio hæc parum iuuat Iudæos, imò eôdem cum Nostra versione redit, ceditque in magnam laudem Christi. Pro אַתְּ *at* ergo, id est tu, femininè, legendum est addito puncto אַתָּ *atta*, id est, tu, ô Christe, masculinè. Rursum pro בְּרִיתֵךְ *beritech*, id est, testamẽti tui femininè, legendũ בְּרִיתְךָ *beritecha*, D

techa, id est testamenti tui masculinè. Denique pro שִׁלַּחְתִּי *schillachti*, id est emisi, legendum שִׁלַּחְתָּ *schillachta*, id est emisisti. Sic enim legunt Septuag. S. Hieron. omnesq; veteres paulò antè citati: & Syrus, qui vertit, *soluisti*: & Arabicus vterque qui vertit, *dimisisti*, vel *liberabis*. Et hanc lectionem exigit ipsa connexio verborum, sensusq; integritas: prior enim Iudæorum lectio est hiulca & intercisa; nam à prima persona sensum inchoat, & mox transit ad secundam, in eaque sensum inchoatum consummat. Qua enim cohærentia dicitur: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisi vinctos tuos*: Sanè sic dicendum fuisset: *Ego quoq; in sanguine testamenti tui emisi vinctos tuos.* Cùm autem in Hebræo non sit אֲנִי *ani*, id est ego, sed אַתְּ *atta*, id est tu, sequitur pro *schillachti*, id est emisi, vno puncto mutato legendū *schillachta*, id est emisisti. Sic enim filum orationis planè cohæret, ipsaque sententia congruè & integrè expletur, dicendo: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* Est apostrophe Prophetæ ad Christum, qua exultans ei gratulatur victoriam de hostibus, prædamque eis excussam ac triumphum. Sensus ergo est, q d Tu, ô Christe, quasi Messias & triumphator ingredieris Ierusalem, vt dixi v. 9. nam quarto pòst die in cruce fundes tuum sanguinem, quo nouum fœdus inter Deum & homines sancies, tuaque morte de morte, peccato, dæmone & inferno triumphabis. Quocirca mox à morte descendes ad lacum, id est, limbum patrum, vt huius tui sanguinis & fœderis noui eos facias participes, illique assignes primitias tuæ passionis & redemptionis, quas illi à multis centenis, imò millenis annis auidissimè sperant & exspectant. Nam die tertio resurgens, pariter resuscitabis eos, tecumque è limbo in terram, & è terra quadragesimo die ad cælum ascendens, quasi spolia & captiuos, sed felici captiuitate, in triumphum educes. ita S. Augustin. epist. 99. & S. Hieron. Cyrillus, & alij iam citati.

Perperam ergo Chald. & Iudæi per lacum accipiunt captiuitatem Ægyptiacam, aut, vt Hugo & Caluinus, Babylonicam: nam huius solutio non est facta in sanguine testamenti. Adde, vtraque temporalis erat, & iamdiu præterierat: hîc autem agitur de libertate plena & perenni, patribus in limbo detentis afferenda per Christum: est enim prophetia de futuris tempore Christi. Perperam rursum Caluin. & Beza per lacum intelligunt cælum. Tollunt enim ipsi limbum patrum, docentque animas Sanctorum ante Christi mortem iuisse in cælum, non in limbum; qui est error exploratus. Nec enim cælum vocari potest lacus: nec in cælo vlli sunt vincti: nec ex cælo Christus suos eduxit. Lacus ergo est infernus, putà limbus. ita Patres & Doctores communi consensu, quos citat Bellarm. l. 4. de anima Christi c. 11. Denique pro *in sanguine testamenti tui*, Arabicus vertit, *in sanguine mandati tui*, quia testamentum hoc à Patre Christo fuit demandatum & præceptum, & à Christo hominibus, putà fidelibus & Christianis.

Ex hoc ergo loco & similibus docet Ecclesia, Christum post fusum in cruce sanguinem, putà statim à morte, descendisse ad limbum, ibique mansisse triduum vsque ad diem Dominicum quo resurrexit, ac tum patres è limbo secum eduxisse. Limbum vocat *lacum*, quia est in profundo terræ iuxta eius centrum; illumque *sine aqua*, tum quia physicè ibi est pura atida; tum mysticè, quia caret omni refrigerio & consolatione. Aqua enim, quia fatigatum & sitientem in æstu & siti refrigerat & restaurat, hinc symbolum est refrigerij & consolationis.

Mysticè S. Augustin. lib. 18. de Ciuit. cap. 15. per lacum accipit humanæ profunditatis & naturæ in peccato iacentis miseriam & sterilitatem, et qua homines eduxit Christus in felicitatem, & fœcunditatem gratiæ & gloriæ. Vnde & Theodor. per lacum accipit idololatriam: hæc enim profundissima & maxima erat scelerum fouea, æquè ac cæcitas & miseria; Clarius verò & Arias per lacum accipiunt legis veteris iugum, quo quasi carcere duro vincti Iudæi tenebantur, et quo nos liberauit Christus. Sic Tropol. Christus peccatorem è lacu, id est statu damnationis, educit, cùm eum à peccato ad gratiam traducit, atque quasi Lazarum è sepulchro suscitat & viuificat. Præclarè S. Augustin. serm. 181. de tempore cap. 6. *Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Natus est ex virgine, vt nos nasceremur ex Ecclesia. Genitus vtero. Tentatus est, vt nos à tentatione liberaret. Tentus, vt dimitteremur. Ligatus, vt nos à nodo maledictionis absolueremur. Illusus, vt nos ab illusionibus dæmonum liberaret. Venumdatus est, vt nos redimeret. Humiliatus est, vt nos exaltaret. Captus est, vt nos à captiuitate dæmonum auferret. Spoliatus est, vt nuditas primi hominis, per quam mors ingressa est, regeretur. Spinis coronatus est, vt nos liberaret à spinis peccatorum, vel potiùs vt monstraret se cum eis coronandum, illosq; caput & coronam Ecclesiæ futuros, qui spinosi erant amando vitia. Aceto est potatus, vt nos inebriaret dulcedine cælestis desiderij & æterni gaudij. Postremò in altari crucis sacrificatus est, vt totius mundi peccata deleret. Mortuus est, vt mortis captiuaret imperium. Sepultus est, vt sepultura sanctorum benediceret, & vt nos sibi vitijs & concupiscentijs sepeliret. Hæc ergo infirmitas Christi superat omnem firmitatem mundi.*

12. Conuertimini ad munitionem vincti spei, hodie quoque annuncians duplicia reddam tibi.

13. Quoniam extendi mihi Iudam quasi arcum, impleui Ephraim: & suscitabo filios tuos Sion super filios tuos Græcia: & ponam te quasi gladium fortium.

14. Et Dominus Deus super eos videbitur; & exibit vt fulgur, iaculum eius: & Dominus Deus in tuba canet, & vadet in turbine Austri.

15. Dominus exercituum protegens eos: & deuorabunt, & subijcient lapidibus fundæ: & bibentes inebriabuntur quasi à vino, & replebuntur vt phiale, & quasi cornua altaris.

16. Et saluabit eos Dominus Deus eorum in die illa, vt gregem populus eius: quia lapides sancti eleuabuntur super terram eius.

Con-

CONVERTIMINI AD MVNITIONEM] Putà ad Christum & Ecclesiam, vel, vt Cyrill. ad legem Euangelicam, quæ est arx Christi munitissima.

VINCTI SPEI] Scilicet Primò, qui vinculis peccatorum vincti à dæmone detinemini, sed simul habetis spem liberationis, quia speratis redemptionem per Christum. Hinc Christus Isaiæ 61. *Missus sum*, inquit, vt *prædicarem captiuis indulgentiam & clausis apertionem.*

Secundò, *vincti spei* propriè sunt, quos spes ipsa vincit & deuincit Christo, qui totam salutis spem ponunt in Christo, ideoque sua spe ita ei colligati sunt, vt ab eo toti pendeant: quia præter illum nil sperant, nec aliam vitæ spem habent. ita Clarius, Arias & alij. Iam *vincti spei* erant Iudæi fideles, exspectantes redemptionem Israel per Christum, qualis fuit Anna prophetissa, & Simeon, qui proinde viso Christo exultans in eyectam hanc vocem erupit: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. quia viderunt oculi mei salutare tuum*, Lucæ 2. 29. Tales quoque fuerunt Gentiles habentes fidem Dei & Messiæ ante Christi aduentum, & post eum omnes illi, qui audita Euangelij fama ad Christum, quasi ad vnicam salutis anchoram anhelare & aspirare cœperunt. Perperam ergo Alber. Hego & aliqui alij, per vinctos spei intelligunt Iudæos in Babylone captiuos, qui sperabant libertatem anno septuagesimo: de illis enim constat hic agi, vsque ad finem capitis, ijsq; promitti victorias & felicitatem quam habuerunt sub Machabæis. Verùm minùs congruè. Nam annus hic septuagesimus iam diu erat elapsus, & Iudæi è Babylone iam erant liberati. Pergit ergo Propheta agere de Christo eiusque Ecclesia: tamen cum alludere ad Iudæos tum reuersos in Babylone, tum futuros tempore Machabæorum, tum præsentes: multi enim Iudæorum adhuc Babylone remanserant, quos Zacharias in Ierusalem reuocat, vt dixi c. 2.

Tropol. *vincti spei* sunt generosi Confessores, qui spe gloriæ æternæ vltrò se in vincula & tormenta dedunt, quales fuerunt septem fratres Machabæi, ad quos hic alludit, 2. Machab. 7. Spes enim tantæ gloriæ nihil non audet, nihil non patitur, nihil non aggreditur, vti docet Apostolus toto c. 11. ad Hebr.

Anagogicè, *vincti spei* erant patres in limbo spem liberationem per Christum, quos ipse eduxit ad munitionem, id est, in Ierusalem cælestem & Ecclesiam triumphantem. De his enim paulò antè dixit: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu.* ita S. Hieronym. & Hugo. Hi enim in sinu Abrahæ, spe longâ Christi & liberationis desiderium sustentabant. His quoque dedit duplicia, id est multiplicia, bona, vt loquitur, putà dotes omnes gloriosas, tam corporis quàm animæ.

ANNVNCIANS DVPLICIA] Est enallage numeri: nam enim à plurali ad singularem. vt enim sensus sit oratio, è vinctis spei singulos compellat, q.d. Quisquis es vinctus spei, quisquis speculator per Christum, ne expauescas Christi Ecclesiæ & legem, quòd expers sit voluptatum, aceruus laborum & persecutionum; quia hodie annuncio & promitto tibi, quòd duplicia bona reddam tibi: duplicia hæc sunt, Primò, vita & libertas, ait Theodor. Secundò, gloria animæ & corporis in cælo, ait Lyran. Vnde Septuag. vertunt, *pro vna die peregrinationis tibi duplicia reddam.* Tertiò, remissio peccatorum & gratia Dei cum omnibus eius donis & virtutibus in hac vita. Quartò, *duplicia*, id est, duplò maiora quàm speratis, ait S. Hieron. Quintò & simplicissimè, *duplicia*, id est multiplicia, quæ Latini vocant decimana. Sic sæpè in Scriptura *duplex* sumitur pro multiplici, vt ostendi Isaiæ 40. 2. Aliter hæc accipit Mariana: *Annuncians*, inquit, hîc idem est quod Propheta, putà Zacharias, qui paulò antè gratulatus est Christo dicens: *Tu quoque*, &c. Vnde hîc ei respondet Christus, q.d. Ego hodie, id est breui, ô annuntias, id est, ô Propheta Zacharia, non solùm vinctos è carcere educam, sed etiam multis bonis cumulabo.

QVONIAM EXTENDI (hebr. *calcaui*, id est, calcando extendi. Solent enim arcus magni pedibus calcando cornu & peripheriam, ac manibus attrahendo neruum, extendi) MIHI IVDAM QVASI ARCVM] Alludit ad prælia & victorias Iudæ Machabæi & fratrum eius, eaq; obiter perstringit. vnde de ijs hæc exponunt Hebræi & S. Hieron. Verùm propriè per ea intendit ad literam significare mystica bella & victorias Apostolorum. q.d. Assumam ex Iudæis Apostolos, qui erunt quasi arcus mei, quos validè distendam, vt iaciant sagittas efficaces verbi Dei, quibus corda omnium Gentium feriam, eaque mihi subigam, & ad me conuertam. ita S. Cyrill. Theodor. Remig. & alij. Quocirca Mariana ex Hebræo sic vertit & explicat: *Extendi mihi Iuda arcum*, id est, inquit, faciam vt Iudas pro me extendat arcum: *Impleui Ephraim*, supple arcu, id est, faciam vt Ephraim pro me pugnet. VERS. 13.

Symbolicè, Remigius & Lyran. per arcum Iudæ accipiunt Christum ex Iuda oriundum. q.d. Ego Christum in cruce extendam instar arcus, eoque configam & subijciam omnes Gentes. Vnde Septuag. vertunt, *tetendit te Iuda mihi arcum.*

IMPLEVI EPHRAIM] Alludit ad Ephraimitas qui excellebant in arte iaculandi, iuxta illud psalm. 77. 9. *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.* Sed per eos intelligit Apostolos, quorum plerique fuerunt ex Ephraim, id est, è decem tribubus, putà è Zabulon & Nephthalim oriundi, Isaiæ 9. 1. Iam phrasim hanc, *Impleui Ephraim*, varij variè explicant. Primò, q.d. Impleui Ephraim peritia & dexteritate tendendi arcum & iaculandi. Secundò, q.d. Impleui Ephraim arcu, pharetra & sagittis. ita Mariana. Tertiò & genuinè, impleui Ephraim, supple quasi arcum, vti paulò antè dixit de Iuda. Iam arcus dicitur impleri Hebræis, cùm plenè & validè tenditur, cùm plenis viribus neruus extrahitur, vt validum plenumque per sagittam detur ictum, quo scilicet rem propositam configat & conficiat; tunc enim iaculator omnibus suis pleniſque viribus arcum quasi implet, dum eas in illo tendendo expromit & exerit. Sic 4 Reg. 9. 24. in Hebr. dicitur: *Iehu impleuit manum suam in arcu*, vt vertunt Septuag. hoc est, manu sua impleuit arcum, per hypallagen, id est, traxit arcum totis viribus suis. Idem ergo est, *extendi mihi Iudam quasi arcum*, quod, *impleui Ephraim*, scilicet, q.d. Tam decem tribus, quàm duas instar arcus plenè traxi & extendi, vt ijs validas iacerem sagittas.

Implere arcum est plenè extendere.

gittas. Audi S. Cyrill. *Sumpta, ait, est hæc phrasis ab eo quod fit in arcu. Cùm enim neruum & ferrum arcus adducimus prope pupillas, tunc diuuntur iaculatores implere arcum, & fit vehemens iaculatio.* Sic & Vegetius lib. 1. de Re milit. c. 15. agens de tironum in militia institutione: *Maior*, inquit, *adhibenda solertia, vt arcum diligenter ac sapienter teneant, vt fortiter impleant, vt sinistra fixa sit.* Et Sidonius l. 1. epist. 2. *Spicula capit, implet, expellit.* Porrò tam manus impletur arcu planè pleneque distento, quàm arcus manu: extensio enim arcus coæquatur extensioni manuum, & vice versa. Vnde 4 Reg. 9. Iehu dicitur implesse manũ arcu: arcus enim commensus est iaculatori. Cùm ergo hic plenè manus distendit plenè distendit & arcum. Secundò, Sanchez censet impleri arcum, quando extremis arcus capitibus, siue cornibus, adducto vehementer neruo, coëuntibus implet-
B tur circulus, qui priùs videbatur inchoatus in arcu, qui semicirculi formam obtinet. Sic Threissa Æneid. 11. arcum tetendit:

Et duxit longè, donec curuata coirent
Inter se capita.

Quod sumpsit ex Homero Iliad. 4. vbi arcum vehementer intensum dicit actum in circulum. Et Eurip. in Rhœso, *Iungite*, inquit, *neruis arcus corneos.*

Huc accedit Delrio adagio 1017. qui censet hãc phrasim, *implere arcum*, sumptam à luna, quæ plena vocatur, quando coëuntibus cornibus in circulum reflectitur: huic enim arcus summa vi extensus est similis.

Iam quoad sensum, Chald. Theodor. S. Thom. & Hugo, censent Ephraim idem esse quod Iudam: idemenim esse, *impleui Ephraim*, quod, *extendi Iudam quasi arcum*, ac significare Iudæos Babylone redeuntes fore validos & bellicosos, vt reipsa fuerunt tempore Machabæorum. Verùm, vt paulò antè dixi, hæc ad literam spectãt Christum & Apostolos, qui partim ex Iuda partim ex Ephraim, id est, ex regno decem tribuum sunt
Apostoli sunt arcus Dei. prognati. Significat ergo Deus, quòd Apostolis sit vsurus, tamquam arcubus validissimè extensis & libratis, qui prædicando validissimè librabunt & emittent sagittas amoris diuini, quibus vulnerabunt audientium corda, eaque subijciẽt Christo. Sic Christus de se ait Isaiæ c. 49. 2. *Posuit os meum quasi sagittam electam: in pharetra sua abscondit me.* Apostoli ergo fuerunt quasi sagittæ potentis acutæ. Audi S. Cyrillum: *Iudam & Ephraim vocat totum genus Israel, ex quo primi Apostoli armati verbo Dei, & facti velut arcus, cæteras Gentes*
D *aduersantes percusserunt diuinis dogmatibus: percusserunt, inquam & vulnerarunt, non ad mortem, sed ad charitatem. Vnde sponsa Cant. 1. se appellat vulneratam charitate.*

ET SVSCITABO FILIOS TVOS SION SVPER FILIOS TVOS GRÆCIA] q. d. Suscitabo è filijs tuis, ô Sion, qui Græcos subijciant. Nominat præ cæteris Gentibus Græcos, quia cum his post tempora Zachariæ continuò negotium fuit Iudæis. Alexander enim infensus Iudæis, sed placatus à Iaddo pontifice, ingressus est Ierusalem: Iudas Machabæus & fratres eius assidua gesserunt bella contra Antiochum Epiphanem, qui posteris Alexandri in regno Asiæ & Syriæ successit, eiusque asseclas. Vnde Albertus, Hugo & Sanchez, censent ad literam hîc esse sermonem de victo-
A rijs, quas Machabæi obtinuerunt contra Antiochum. Verùm esto ad eos alludit, & obiter quæ perstringat Propheta; tamen persistens in prophetia de Christo, altius quid intendit, nimirum S. Paulum, S. Iohannem, aliosque viros Apostolicos armatos verbo zeloque Dei, conuersuros Græciam ad fidem Christi, vti eos fecisse patet ex Actis Apostolorum, & ex epistolis S. Pauli. Vnde Ecclesia Græca prima penè in orbe efloruit, deditque Ecclesiæ primos & præstantissimos Doctores, vti S. Dionysium Areopagitã, S. Polycarpum, S. Chrysost. S. Basilium, S. Gregor. Nazianzenum, & alios complures.

ET PONAM TE, ô Sion, ô Ecclesia, GLADIVM FORTIVM] q. d. Faciam vt instar gladij sis fortissima, sternasque & occidas Græcos aliasque gentes: quia scilicet occides in eis infidelitatem & gentilisimum, easque compelles ad nouam vitam Christianam, sanctam & iucundam.

ET DOMINVS DEVS SVPER EOS VIDEBITVR] Deus ex alto aderit Apostolis virisque Apostolicis, & emittet iacula fulgurantia illustrationum internarũ, quibus tum Apostolos ad diuinè prædicandum, tum Gentes ad auidè audiendum & assentiendum impellet. ita S. Cyrill.

ET DOMINVS DEVS IN TVBA CANET] Tuba scilicet Euangelij, qua Apostolos suos ad euangelizandum excitabit. & quasi in aciem instruet & educet, eosque præcedet & irruet in hostes terrimè & fortissimè, ac instar turbinis venientis ab Austro omnes conuoluet, & secum abripiet. Hisce bellicis metaphoris significatur vis & energia prædicationis Euangelicæ, à Deo aspirata Apostolis & prædicatoribus. Vnde de-
C subdit:

DEVORABVNT hostes suos: ET SVBIICIENT LAPIDIBVS FVNDÆ] Intelligitur more Hebræo non similitudinis *sicut*, vel *quasi*: ardentes enim seruentiæ S. Scripturæ & sermones Apostolorum, fuerunt quasi lapides fundæ, quos eiecerunt in Gentes tanto impetu & rectitudine, vt eos ferirent & sternerent. Alludit ad fundam, qua Dauid lapidem intorsit in frontem Goliath, eumque tam validè illi impegit, vt ipsum prosterneret. Similiter enim modo, sed mystico, Apostoli straverũt totas illas carneas Gentilium. Alludit quoque ad velites & fundibularios, qui olim in prima acie constituebantur, primique prælium inibant.

ET BIBENTES INEBRIABVNTVR QVASI A VINO] Hebr. est הָמָה *amu*, id est, tumultuabuntur quasi temulenti. Vnde Tigur. vertit, *frement vt qui vino exhilarantur.* Est catachresis, significans copiosam hostium stragem; & ingentem Apostolorum tum zelum perdendi hostes, putà idolatriam infidelitatem & scelera omnia gentilismi; tum victoriam: tantum enim hostium sanguinem ibi effundendum esse, vt, si eum victores biberent (quod nonnulli efferati olim fecerunt) inebriarentur & replerentur, sicut repleri solent phiala & cornua altaris sanguine victimarum. Simili schemate de Christo victore dicitur psal. 109. *Conquassabit capita in terra multorum: de torrente in via bibet.* Quocirca Septuag. clarè hîc vertunt: *bibent eos sicut vinum.* Tale quoque est illud Isa. 63. 3. *Calcaui eos in furore meo, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Alludit ad victorias Machabæorum cruentas, quibus plurimum hostium sangui-

eam effuderunt. Nota τὸ *quasi cornua altaris*, significat hanc gentilismi stragem faciendam ab Apostolis fore sacrificium, & hostiam Deo gratissimã, sicut hostiæ gratissimæ Deo sunt hostes Dei, cùm iugulantur, & sanguis eorum effunditur, ac quasi libatur diuinæ iustitiæ & vindictæ. Vnde Septuag. vertunt, *implebunt phialas sicut altare*; vel vt S. Hieron. legit, *implebunt sicut phialas altaris*. ita Theodor. & Chald. *Et erit*, inquit, *anima eorum plena deliciis, sicut phiala quæ plena est similã & oleo, & splendebunt sicut sanguis qui splendet in patera altaris*. Sic S. Paulus Euangelij prædicationem vocat sacrificium, in qua Gentes sunt victimæ Paulus sacerdos, Rom. 15. 16. *Vt sim*, inquit, *minister Christi Iesu in Gentibus, sanctificans* (græcè ἱερουργῶν, id est sacrificans) *Euangelium Dei, vt fiat oblatio Gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto*. Vnde ad hoc sacrificium sanguinẽ suum per martyrium, ad libamen offert Deo, Philip. 2. 17. *Sed & si immolor*, inquit, *super sacrificium & obsequium fidei vestræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis*. Vnde & Tertull. lib. 4. contra Marcion. c. 39. sic legit & explicat: *Replebunt quasi pateras altaris*, scilicet Martyres sanguine suo, quem fundunt Deo, & quasi libant in altari.

A

B

Et saluabit eos Dominvs, &c. vt gregem populi svi] Apostoli enim fuerunt quasi grex aricum electus & selectus à Christo dicente: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporũ*, Matth. 10. 16. sed Deus eos protexit & saluauit, adeò vt oues vincerent lupos, eosque in oues conuerterent. Nota τὸ *vt gregem populi sui*, dupliciter accipi potest. Primò, q. d. Vt gregem non ouium, sed populi sui. Sic omnis populus omnesque fideles sunt grex Dei. Secundò, q. d. Vt gregem selectum è populo. Sic soli Apostoli virique Apostolici sunt grex populi Dei.

C

Quia lapides sancti elevabvntvr svper terram eivs] q. d. Apostoli, & fideles quos ipsi conuertent, præsertim illustres virtute & sanctitate, saluabuntur à Deo, & liberabuntur ab omnibus periculis; quia ipsi sunt grex Dei, & quasi lapides primarij, quos ipse eleuare, honorare & exaltare in terra decreuit. Albertus & Hugo per *lapides sanctos* accipiunt Machabæos. Verùm esto ad eos alludatur, tamen propriè hæc spectant Christum & Apostolos, vt dixi. ita S. Hieron. Theodoret. Remig. Lyran. Ribera & alij passim.

D

Pro *sancti* hebr. est נזר *nezer*, quod Primò, verti potest, *lapides separationis*, id est, separati à vulgaribus, ideoque sancti; quia ad sanctam Ecclesiæ fabricam, vel titulum aut trophæum deputi. Secundò, *nezer* idem est quod *consecratio*. Vnde Tigurina vertit, *lapides consecrati in sublime ferentur super terram eius*. Tertiò, *nezer* significat *diadema coronam*, vel *tiaram*. Vnde aliqui vertunt, *lapides diadematis*, vel *coronæ*. ita Vatabl. Hinc à vulgo vocabantur *Nazarai*, quasi à vulgo separati & consecrati Deo, ac cæsarie sua coronati, vti dixi Numer. 5.

Quæres, quales sunt hi lapides? Primò, aliqui eruntex gemmas, ex quibus conflatur & ornatur diadema (hoc enim significat *nezer*) Christi, q. d. Apostoli erũt gemmæ, quæ in diademate Christi eminebunt, illudque decorabunt, & vicissim eo decorabuntur. ita Vatabl. & Sanchez. Huc accedit Chald. qui vertit, *eliget eos sicut lapides superhumerales*; quasi hîc alludatur ad duodecim gemmas, quæ erant in ephod & rationali Pontificis, inscriptæ duodecim nominibus Patriarcharum, qui repræsentabant duodecim Apostolos: hi enim sunt Patriarchæ noui testamenti, vt dixi Exodi 28. 17. Simili modo de iisdem ait Isaias c. 62. 3. *Erit corona gloriæ in manu Domini*. Huc accedit Mariana, qui sic explicat, q. d. Principes Iuda eleuabuntur sicut lapides coronæ, hoc est, erunt in pretio, dignitate & honore eminebunt, sicut eminent gemmæ in corona regia.

Secundò, alij accipiunt lapides fabricæ, q. d. Apostoli in fabrica Ecclesiæ quasi lapides primarij in culmine eminebunt, & virtute, & dignitate, & auctoritate & gloria. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Lyran. & alij. Alludere enim videtur Zacharias ad fabricam templi, ad quam ipse assiduè Iudæos excitabat: hæc enim erat typus fabricæ Ecclesiæ.

Verùm quia hic nec coronæ, nec rationalis, nec ædificij fit mentio, sed terræ, in qua dicit eleuandos hos lapides; hinc congruentiùs per lapides hos accipiemus eos, qui in titulum victoriæ, triumphi, vel rei alicuius illustris eriguntur. Alludit enim ad duodecim lapides, quos Iosue sicco pede superato Iordane, ingressus in terram sanctam, in titulum & monumentum huius miraculosi ingressus, & simul in signum quasi vsucapionis, quòd scilicet iam adisset possessionem terræ sanctæ, erexit in Galaad, Iosue 5. v. 19. Hi enim duodecim lapides fuerunt typus duodecim Apostolorum, qui pari modo in terra sancta, id est in Ecclesia, in titulum victoriæ, & possessionis aditæ à Christo erecti & eleuati sunt. Tales quoque fuere lapides, quibus legem Dei inscribi, ac deinde eos erigi & statui in monte Garizim iussit Moses, Deuter. 27. 2. & sequ. Tale quoque fuit altare, quod in trophæum victoriæ ab Amalec reportatæ, ex lapidibus, vt videtur, construxit & erexit Moses, Exodi 17. 15. vocauitque, *Dominus exaltatio mea*, vel *vexillum meum*, quod scilicet in Amalec inferens, eum prostraui. Hebr. enim נס *nes* significat vexillum: vnde נוסס *noses* vocatur vexilli fer. Idem penè verbum hîc vsurpat Zacharias, scilicet מתנוססות *mitnoseset*, quod Noster vertit, *eleuabuntur*; alij vertunt, *vexillabuntur*, hoc est, gerent vexillũ crucis Christi, eiusque vexilliferi erunt in castris Ecclesiæ, vt prædicent victorias eius virtute partas, in cuius gloriam erecti sunt; ad quod proinde omnes fideles quasi milites Christi se aggregabunt, vt suos hostes prosternant. Vnde aliqui vertunt, *lapides fugantes*, scilicet castra hostium. Addit Arias, alludi ad lapides qui in biuiis, vel triuiis eriguntur, vt viam viatoribus indicent, ne ab ea aberrent. Sic enim Apostoli viam nobis à terra in cælum demonstrant. Sensus ergo est, q. d. Apostoli & viri Apostolici seruabuntur & protegentur à Deo, tamquam grex è populo suo selectus: nam vti lapides sancti, in sublime efferentur in terra, vt sint tituli & monumenta Christi & Ecclesiæ, eorumque victoriæ, ac ad eam, & per eam in cælum viam omnibus ostendant. Huc accedit Sanchez: Lapides, inquit, isti *nezer*, id est separationis, consecrationis, vel coronationis, appellari possunt, quia quasi terminales, agros ab agris separant, putà Ecclesiam secernunt à Syna-

gogis Iudæorum, academiis Philosophorum, & A sectis Gentilium, illamque Deo consecratam esse illustri aliqua nota demonstrant: aut certè Ecclesiam, quasi terram promissionis cingunt & coronant; sicut flumina salicibus coronari dicuntur. Qui etiam sacri dici possunt, quia religionis ergò à Christo erecti sunt. Additque, alludi hîc ad lapides terminales Iudææ, quos post vastationem Chaldæorum, Idumæi & aliæ vicinæ gentes hostiles Iudæam occupantes, abstulerant; sed Iudæis è Babylone in Iudæam reuersis, ab iis fuerunt restituti & eleuati. Ex quo totius versus huius hic erit sensus: Sicut Deus Iudæos Babylone reuersos saluauit, & pauit quasi gregem suum in pascuis, suis signis & titulis, quasi lapide terminali consignatis: sic idem Christianos, quasi gregem suum, seruabit ab omnibus periculis, & pascet in altis Ecclesiæ montibus, quasi pa- B scuis suis, quos lapides eleuari, puta Apostoli, sepiunt, & à Iudæis Gentibusque disterminant, ac sanctificant, & in cælum eleuant.

Tertiò, aliqui censent lapides hos fuisse globos lapideos. Vnde Septuag. vertunt, *lapides qui voluuntur* (Tertull. libr. 4. contra Marcion. c. 39. legit *volutant*) *super terram*. Hebr. enim *mitnoseſot* potest deduci à נוס *nus*, id est fugere; & in *poël* actiuè *noses*, id est fugare. q.d. Lapides fugientes, id est, celerrimè volubiles & mobiles, omnesque hostes & obices fugãtes. Hi enim lapides significant Apostolos, qui celerrimè totum orbem percurrerunt & circumgyrarunt euangelizando. Audi S. Cyrillum: *Volui autem illos aptissimè dicit, vt ad quiduis sanctorum agilitatem celeritatemq; declaret. Lapides enim orbiculares, seu rotundi circa vllam difficultatem maximè sunt mobiles, si quis eos impellere voluerit: sic animus sanctorum ad omnia Deo grata est versatilis.* Causa est, quòd cælum spectent, terram verò non nisi in puncto tangant. Sphæra enim, vel globus insistens plano, illud tantùm in puncto tangit, vti docent Mathematici: quo significatur sanctos, & præsertim viros Apostolicos ita in cęlestia defixos, vt terrena vix, & non nisi necessitate coacti attingant, vti monet S. Paulus 2. Timoth. 6. *Habentes*, inquit, *alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Vnde Arabicus vertit, *sunt lapides sanctificati, & ascendere eos faciet in terram sanctitatis de loco bonorum optimorum.* Quocirca S. Hieron. eleganter & appositè explicans illud psal. 76. 19. *Vox tonitrui tui in rota, id est*, inquit, *vox prædicationis tuæ in toto orbe*: per illum enim totum prædicatio instar rotæ rotata discurrit. Tropolog verò: *Rota*, inquit, *modico quodam vestigio stat in terra; & non solùm* D *stat, sed quasi percurrit: non stat, sed tangit & præterit: ita & sanctus vir, quoniam in corpore est, necessitatem habet aliqua de terrenis cogitare; sed habens victum & vestitum, his contentus est; & tangens terram, ad altiora festinat*, vt quasi rota tangens terram, ilicò erigatur in altum.) *Ille qui currit, & ad altiora festinat, in illo est sermo tuus. Legimus in Propheta* (Zachar. 9.) *Sancti lapides voluuntur super terram. Quoniam enim rotæ sunt, propterea voluuntur super terram, & ad altiora festinant.*

Ita Atherius Archiepiscopus Asiæ, iussus ab angelo perquirere S. Iohannem, qui à silentio cognominatus est Silentiarius; eo inuento cognitoque quòd nobilitatem, opes amplas & episcopatum Dei amore reliquisset, seque voluntariæ paupertati, humilitati & exercitationi Anachoreticæ addixisset, & inter Anachoretas incognitus viueret, admirans exclamauit: *Vere nunc quoque sancti lapides in terra voluuntur*, vti refert Cyrillus in Vita S. Iohannis Silent. qui coæuus fuit S. Sabæ & Iustino Imperatori, floruitque anno post Christum quingentesimo.

Moraliter disce hîc, quàm alta, separata & eleuata sit vita sanctorum, præsertim eorum qui religione Nazaræi sunt, & alios sanctificant. Eleuantur enim à terra in cælum, adeoque pertingunt ad *nezer*, id est, diadema quod est in capite Christi, illudque exornant. Quàm ergo hoc diadema à terra eleuatum est, tam & ipsi eleuati sunt à terrenis & terrenorum moribus: quia eorum conuersatio est cum Christo in cælis. Accipe descriptionem & hypotyposin viri sancti ita eleuati: *Vir sanctus hominem interiùs ordinat; exteriùs ornat; à rebus turpibus cohibet: sermones rectos & veraces amat: in visum non effunditur, non clamat, nec vocem attollit. Modestè incedit. Aliorum facta curiosè non inquirit: admonitiones hilari vultu recipit: errori aliorum facile condonat: humilis est, mitis & benignus: miseris quibuslibet ex visceribus misericors compatitur: laudibus non extollitur, detractione non deiicitur: interroganti facilè leniterq; respondet: contendenti facile cedit: patienter alios audit: in omnibus alios ædificare & perficere studet: rari est, & grauis sermonis: in cibo parcus, in potu sobrius: compositus in vultu & verbis: odit mendacium, fabulas & nugas: fidus est veritatis: oculos habet demissos & simplices. Veritate candidus, obedientia promptus, patientia perfectus, in oratione assiduus: in fide stabilis, in opere diligens, in abstinentia rigidus, in moribus exemplaris: in* C *conuersatione gratus, in verbis affabilis, in dando liberalis: amicis fidus, inimicis benignus, Deo resignatus, sibi mortuus, mundo crucifixus, omnibus omnia vt omnes lucrifaciat: zelotes pro honore Dei & salute animarum.*

Audi & S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 2. *Quia sancti viri ita prosperitatem sæculi despicientes calcant, sicut aduersitatem eius calcantes tolerant, per magnã mentis celsitudinem, mundi sibi & aduersa & prospera substernentes, dicunt: Sicut tenebræ eius & lumen eius.* q.d. *Sicut intentionis nostræ fortitudinem eius tristitia non premunt, ita hanc nec blanda corrumpunt.* Idem lib. 8. c. 14. explicans illud Iob 7. *Elegit suspendium anima mea, & mortem ossa mea*, per suspendium accipit eleuationem mentis ad cælestia, per mortem offium, mortificationem carnis. *Sancti enim viri*, inquit, *certissimè sciũt, quia habere in hac vita requiem nequaquam possunt, & ideò suspendium eligunt, quia nimirum desideria terrena deserentes, ad alta animum tollunt. Suspensi autem mortem suis ossibus inferunt, quia amore superna patriæ in virtutum studiis accincti, hoc quod fortes prius in mundo fuerant, vinculo humilitatis insequuntur.* Idem lib. 12. 17. docet sanctos ob vitæ mentisque celsitudinem vocari cælos, *sicut scriptum est* psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, qui per naturam omnes in semetipsis propriam mutabilitatem habent, sed dum immutabili veritati studiosè semper inhærere desiderant, inhærendo agunt vt immutabiles fiant.* Idem lib. 20. 19 *Sanctos suos Dominus venientes adiuuat, derelinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat.* Idem lib. 21. c. 10. *Sancti virtutum gradus sunt, non in se potestatem ordinis, sed æqualitatem conditionis attendunt; nec præesse gaudent hominibus,*

sed

sit prodesse. Idem lib.21.c.15. *Sancti viri quando cum personis minoribus contentionum negotia subeunt, dum grauare vel in minimis timent, ipsi contra iustitiam grauari nequaquam refugiunt.* Idem libr. 26.c.21. *Sancti*, inquit, *reges sunt, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt.* Idem lib.21.c.15. *Vir sanctus quo maiore persecutione premitur, eo ad prædicandam veritatem acrius instigatur; & cum patienter persecutores tolerat, ardenter ad se auditores trahere festinat.* Idem lib.35.c.2. *Sancti viri dum diuinitatis arcana intuentur, quanto magis contemplando proficiunt, tanto amplius despiciendo quod sunt, aut nihil, aut propè nihil se esse cognoscunt.*

Audi & S. Augustin. in psal.122. *Cælum mihi sedes. Qui sunt cæli, nisi iusti? In ipsis sedet Deus, & de ipsis iudicat Deus. Quomodo peccator factus est terra, ut dictum est: Terra es, & in terram ibis; sic iusti facti sunt cælum. Portauerunt Deum, & de ipsis Deus coruscabat miracula, tonabat terrores, pluebat consolationes. Anima iusti thronus est sapientiæ, id est, in anima iusti sedet sapientia tamquam in sella sua, tamquam in throno suo, & inde iudicat omne quod iudicat.* Idem in psal.96. *Tu si vis, cælum eris: si vis esse cælum, purga de corde tuo terram: si terrenas concupiscentias non habueris, & non frustra responderis sursum te habere cor, cælum eris. Conuersatio enim tua in cælis erit.* Idem lib. 2. de serm. Domini in monte c.10. *Pater noster qui est in cælis, id est, in cordibus iustorum, tamquam in templo sancto suo.* Hoc enim promisit illud Isaiæ 58.14. *Delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob patris tui.* Audi & Gentilem Senecam libr. de Quatuor virtutibus: *Magni animi hominis bonum est non vacillare, confidere sibi, & finem vitæ intrepidus exspectare. Nil adeò magnum in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. Si magnanimus fueris, numquam iudicabis ei contumeliam fieri.*

17. Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?

Zach.9.17. QVID ENIM BONVM EIVS EST, ET QVID PVLCHRVM EIVS, NISI FRVMENTVM ELECTORVM, ET VINVM GERMINANS VIRGINES?] *Eius* hebraicè & græcè est masculinum: vnde terram, vpote feminini generis, respicere nequit. Respicit ergo Deum, & consequenter eius populum. Sicut enim Deus nihil melius, aut pulchrius hoc dono dare, sic nec populus accipere potest. Epiphonema, quo per admirationem & exclamationem claudit vna quasi synopsi, omnia bona paulò antè recensita, ac simul dat causam, id est, fontem tantorum bonorum. q.d. Causa, cur Apostoli & eorum sequaces sint futuri quasi sagittæ & iacula fulgurantia, quæ omnes gentes sternent sibiq́ue subiicient; curq́ue saluandi sint Deo, & pascendi vt grex eius; denique cur sint lapides *nezer*, id est, separati & consecrati Deo, ideoq́ue eleuandi super terram: horum, inquam, omnium causa est, quòd Deus ita eos amet, vt omne suum bonum eis communicet. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum, nisi frumentum electorum?* &c. q.d. Vtique Deus nihil habet quod det melius, aut pulchrius frumento electorum. Hinc Septuag. vertunt, *quia si quod pulchrum illius, & si quod bonum eius*, hoc vtique est *frumentum iuuenibus, & vinum boni odoris ad virgines*; Pagnin. & Vatabl. *quanta enim bonitas & quanta pulchritudo eius? Frumentum iuuenes, & vinum virgines succulentas & vegetas reddet*; Syrus, *quàm bonum, & quàm pulchrum est triticum adolescentibus, & vinum delectat virgines!* Arabicus Antiochen. *quàm bona & quàm vtilis esca iuuenibus, & vinum iucundat virgines!* Arabicus Alexandr. *de loco bonorum optimorum frumentum puerorum, & vinum in vnguentum virginum.* O ergo bonitas & pulchritudo Dei stupenda! ô abyssus bonitatis! ô amor! ô stupor!

Frumentū & electorum quod? Prima responsio.

Quæres, quodnam hoc frumentum & vinum? Primò, Hebræi & Theodoret. censent hic Iudæis copiam frumenti & vini ad litteram promitti. Vnde Sanchez sic explicat, q.d. O quantum bonitatis ac pulchritudinis habebit ager ille, quem Dominus suo assignabit populo, quemque suis sibi titulis circumscribet? Afferet enim frumentum, quod iuuenes robustos; & vinum, quod virgines florentes atque nitentes faciat. Mariana verò sic: Quod maximè pulchrum existet in hac victoria, erit finis eius, scilicet conuiuia, quæ iuuenes & virgines instruent, & cantica quibus lætitiam celebrabunt. Verùm hic sensus humilis est & terrestris, præsertim quia præcedentia omnia spectant ad tempora Christi; nec vinum materiale germinat virgines, vt vertit Noster, sed potiùs accendit libidinem.

Secunda.

Secundò, meliùs alij frumentum & vinum mysticè accipiunt pro alimonia spirituali; putà pro lege & doctrina Mosis & Prophetarum, quæ Iudæorum, tam iuuenum quàm virginum, mentes pauit & aluit in cultu Dei, quando Machabæi legem cum cultu Dei, ob persecutionem prolapsam, erexerunt & in integrum restituerunt. Vnde Chald. vertit, *quoniam quàm bona & pulchra est doctrina legis, & iudicium veritatis directum in congregatione?* ita Albert. & Hugo. Verùm quia à v.9. hucusque egit de Christo, non de Mose; hinc

Tertia.

Tertiò, sublimiùs & germaniùs alij per frumentum & vinum, accipiunt legem & doctrinam Euangelicam, quæ prædicata à Christo & Apostolis mentes audientium pascit, ac iuuenes ad fortitudinem, virgines ad castitatem excitat. ita Clarius, Vatabl. & Arias.

Quarta & genuina.

Quartò, aptissimè, & planè ad literam, frumentum hoc & vinum est Eucharistia, in qua corpus Christi Domini sub specie panis è frumento confecti, & sanguis sub specie vini, vi consecrationis, putà verborum Christi Domini, realiter & substantialiter præsens in altari sistitur, quod Apostolos & fideles nutrit, corroborat & inflammat ad præliandum prælia Domini, eosdemq́ue à terrenis desideriis ad cælestia traducit & eleuat. Hoc enim eius vinum non luxuriam, sed castitatem germinat & producit: vtraque ergo species Eucharistiæ hîc notatur, scilicet frumentum siue panis & vinum. ita S. Hieron. Remig. Haymo, Lyran. Ribera, à Castro, & alij hîc, ac Paschasius libr. de Corpore & sanguine Domini c.21.

Eucharistia est bonitas & pulchritudo Christi, cuius

Vbi Nota, Eucharistia dicitur bonum & bonitas Christi: quia summa bonitate summum bonum, scilicet seipsum quantus quantus est, putà

putà totam deitatem & humanitatẽ nobis communicat, & in escam dat; ita vt totum quasi deitatis ærarium hîc in nos expromat & exhauriat. Eadem dicitur pulchrum & pulchritudo Christi, Primò, substantia: quia scilicet substantialiter nobis exhibet Christum, qui quà Deus, est Verbum, imago & pulchritudo Patris; quà homo, est *speciosus forma præ filiis hominum*. Secundò, causalitate & effectu: quia scilicet est *frumentum electorum, & vinum germinans virgines*. Nam causat in nobis iuuentutem florentem spiritus & animæ, dum facit eam robustam, floridam, agilem & alacrem ad omne bonum: rursum dum facit eam puram & virginem. Verè enim ait Sapiens cap. 4. 1. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate!* Tertiò, Sacramento: quia species panis & vini repræsentant nobis Christum in cruce immolatum, putà corpus à sanguine separatum, quasi occisum & mortuum. Hæc autem immolatio & victima fuit pulcherrima, præstantissima, Deo dignissima & gratissima, vtpote per quam omnis honor peccato violatus & ablatus, ipsi est restitutus, ac consequenter peracta nostra redemptio & reconciliatio cum Deo.

Quocirca eleganter & verè S. August. in psal. 44. post initium: *Christus*, ait, *est pulcher in cælo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro*. Quartò, conuiuio: Eucharistia enim est conuiuium in quo Deus nobiscum conuiuatur, ac proinde apponit escam non humanam, non angelicam, sed diuinam, ideoque pulcherrimam & magnificentissimam. Pulchritudo enim conuiuij, est eius decor & magnificentia. Hoc est quod ait Psaltes psal. 110. 3. *Confessio & magnificentia opus eius*, quia scilicet *escam dedit timentibus se*. Quam escam? *Panem cæli dedit eis: Panem angelorum manducauit homo*, psal. 77. 25. Ergo in Eucharistia *confessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia & magnificentia in sanctitate eius*, psal. 95. 6. Meritò S. August. serm. 50. de Verbis Domini: *Quid dicis*, ait, *Domine bone pastor? Tu enim pastor bonus, qui bonus agnus: idem pastor & pascua, idem agnus & leo*. Hæc pulchritudo magis patebit ex Eucharistiæ cum aliis fidei mysteriis symmetria & congruentia, quam iam subdo.

Moral. disce hîc, Eucharistiam esse omne bonum & pulchrum Dei & Christi, æquè ac nostrum, adeò vt nihil melius aut pulchrius nobis dare possit. Verè de ea Poëta Christianus:

Sanctum, augustũ, almum, cæli admirabile munus,
Per te melliflui rorant dulcedine montes.
Per te melliflua complentur nectare valles.
Ipse amor, ipsa animis nostris innexa voluptas.

Eucharistia est compendium mirabiliũ Dei.

Ratio est, quia in Eucharistia, vt dicitur psalm. 109. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se*. Eucharistia enim est quasi compendium, & anacephalæosis omnium mirabilium Dei operum. Nam *Primò*, hîc quasi est noua creatio mundi: quia transsubstantiatio est velut quædam creatio, qua quasi creatur in altari ipse Dominus & creator mundi, ac mundus in ipso, ideoque integras rerum naturas commutat & transsubstantiat, panem in carnem, vinum in sanguinem Christi.

Secundò, mirabile Dei opus erat manna quod erat panis cæli, & panis angelorum. Eucharistia est manna supernaturale & diuinum. Iohan. 6 59.

Tertiò, mirum ineffabile Dei opus fuit Incarnatio, qua *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. In Eucharistia est quodammodo noua incarnatio, dum de nouo Verbum in altari humanatum sistitur, & quasi incarnatur.

Quartò, mirum Dei opus fuit Christi crucifixio, mors, mundique redemptio: in Eucharistia est viua repræsentatio crucifixionis & mortis Christi. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*, 1. Corinth. 11. 26.

Quintò, quia in Eucharistia Deus omnia vetera miracula renouat & superat. Nam non aquam in vinum, sed vinum in sanguinem suum commutat: facit vt Christus homo sex pedum subsistat in puncto, imò in singulis punctis hostiæ: facit vt accidentia panis & vini per se subsistant sine subiecto, ac si essent substantia. Idem facit non vno in loco, sed in omnibus altaribus dum consecratio fit, per totum mundum. Itaque Christus idem toto suo corpore & quantitate est in plurimis & distantissimis locis, idque continuò singulis diebus, per omnes hebdomadas, menses, annos & sæcula.

Sextò, ideo reliquit nobis Eucharistiam, vt esset obiectum circa quod exerceremus omnes virtutes: fides enim ingens hîc requiritur, vt credamus hostiam non esse panem, sed carnem Christi; nec vinum quod antè fuit, esse vinum, sed esse sanguinem Christi; etsi omnes sensus iudicent esse vinum, esse panem, non carnem, non sanguinem. Secundò, religio hîc exercetur: quia habemus Deum præsentem, quem latriæ adoramus. Tertiò, spes: quia si Christus dat nobis seipsum in cibum, quid non dabit? & ita de cæteris.

Septimò, Eucharistia est summum & præstantissimum sacrificium, quo Deus summe honoratur: quia ei offertur & immolatur nobilissima victima, scilicet non bos, non taurus, sed ipse Dei filius, Deus & homo; isque in eius honorem quasi mactatur, & consumitur. Rursum Eucharistia est sacrificium propitiatorium, quo sacerdos quasi mediator Dei & hominum, Deum hominibus propitiat, veniam peccatorũ, & gratias omnes Ecclesiæ impetrat, quæ aliàs ob malorum peccata grauiter à Deo castigaretur.

Octauò, Eucharistia est panis transsubstantialis, ὑπερούσιος & supersubstantialis, Matth. 6. v. 11. confirmans cor, spiritum, mentem hominis, omnesque eius vires & potentias. Est pharmacum immortalitatis, cuius vi resurgemus ad vitam immortalem, vt docet Christus Iohan. 6. v. 59. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum*, idque expresè ibidem docet S. Cyrill. Est medicina omnium infirmitatum & morborum corporis & animæ. Laboras superbia? sume Eucharistiam, id est, Christum ad carnem, imò ad panem se humiliantem; & panis hic humilis te humilem faciet. Laboras tentatione libidinis? sume vinum germinans virgines. Laborasne impatientia? sume Christum crucifixum & pa-

tientis-

nentissimum: hic suam tibi patientiam communicabit, &c.

Nonò, Eucharistia est ignis amoris diuini, accendens in nobis ardorem charitatis. In ea enim Christus est *amor amorum*, ait S. Bernard. vel quisquis est Auctor, serm. de Cœna Domini, Nam vt canit S. Thomas Aquin. *Se nascens dedit socium: conuescens in edulium: se moriens in pretium: se regnans dat in præmium.* Quis enim non amet Christum, totusque in eum quasi transeat, dum totus in eum transit Christus: Quis Christum ignem suscipiens, eo non inardescat? S. August. serm. 9. de Natali Domini: *Factus*, inquit, *est Deus homo, vt homo fieret Deus: vt panem angelorum manducaret homo, Dominus angelorum factus est homo.* Legimus de S. Catharina Senensi, cor eius Christi patientis consideratione & amore fissum, ita vt ipsa expirarit, vti refert Ambros. Catharinus in eius Vita lib. 2. cap. 30. Ita mirum est, cor nostrum in Eucharistia tanto Christi amore non findi, tanto igne non consumi. Axioma est Philonis in vita Mosis: *Miracula quotidiano vsu cuncta desinunt videri.* Hoc verum experimur apud homines in sancta communione: iis enim Eucharistia, quia quotidiana, vilescit, cùm sit miraculum miraculorum, & prodigium prodigiorum. Hoc deplorabat, imò stupebat S. Franciscus, vt habetur in eius epist. ad Sacerdotes sui Ordinis, quæ habetur in fine tomi 5. Bibliothec. SS. Patrum. *Magna*, ait, *miseria, & miseranda infirmitas, quando ipsum* (Christum) *sic præsentem habes, & aliquid aliud in toto mundo curatis. Totus homo pauet, totus mundus contremiscat, & cælum exultet, quando super altare in manibus sacerdotis est Christus filius Dei viui.* Quocirca vt hoc consuetudinis vilescentis malum euitemus, quotidie excitanda est nouitas mentis, attentionis, considerationis, admirationis & stuporis tanti Sacramenti, perinde ac si primùm eo die fieret, nec vnquam antea factum esset. *Ita magnum, nouum & iucundum tibi videri debet cùm celebras, aut Missam audis, ac si eodem die Christus primùm in uterum Virginis descendens, homo factus esset, aut in cruce pendens pro salute hominum pateretur & moreretur*, ait noster Thomas libr. 4. de Imitat. Christi cap. 2.

Hæc omnia complectitur Zacharias hoc elogio: *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius?* idque hoc fine, vt acuat in Christianis famem Eucharistiæ, ac simul indicet, optimam dispositionem & præparationem ad sacram communionem esse, si quis ingentem eius in se excitet famem, ingens, inquam, desiderium sumendi Christum. Sicut enim ad vtiliter sumendum cibum corporalem, optima dispositio est appetitus & orexis: hæc enim omne insipidum facit sapidum, illudque stringit, optimè concoquit, sibique incorporat; vnde illud vulgò tritum, *Optimum cibi condimentum est fames*; ita porrò se res habet in cibo spirituali Eucharistiæ. Quocirca S. Chrysost. docet, accedentem ad Eucharistiam ita auidè accedere ad eam debere, ac si in ea os applicaret lateri Christi, ex eoque sugeret & biberet sanguinem Christi, vti reuera facit. S. Catharina Senensis accedebat ad S. Synaxin tanta orexi, quanta infantes famelici accedunt ad vbera matris, adeò vt præ fame videretur deficere & emori. Vnde & S. Chrysost. homil. 60. ad popul. *Nóune videris*, ait, *quantâ promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam, quinimò cum longè maiori trahamus, tamquam infantes lactanei, spiritus gratiam; & vnus sit nobis dolor, hac esca priuari.* S. Thomas opusc. 57. *Suauitatem*, ait, *huius Sacramenti nullus dignè exprimere sufficit, per quod spiritualis dulcedo in suo fonte gustatur, & recolitur memoria illius, quam in sua passione Christus monstrauit, excellentissimæ charitatis.* Quocirca S. Mechtildis à Deo didicit, optimam ad Eucharistiam dispositionem, Deoque gratissimam esse, vt, licèt quis in se non sentiat viuam eius famem, ardensque desiderium, concipiat tamen desiderij, optans vehementem huius cibi famem, atque orans Deum, vt sibi hanc cælestem cælestis escæ orexin indat & inspiret.

Rursum, vt hoc pulchro & bono Eucharistiæ fruamur, illudque plenè gustemus & sapiamus, illud ipsum post S. Synaxin diu & deuotè cum gratiarum actione ruminandum est, mensque cum Christo colligenda & vnienda: qua de re egregia & perutilia edidit documenta noster P. Baltasar Aluares, vir raræ prudentiæ & sanctitatis, quæ in Vitaeius recenset P. Ludouic. de Ponte cap. 6. §. 2. Multis communicantibus, inquit, pruriunt pedes vt inde discedant statim prætextu lectionis, collocutionis, ambulationis: quæ est phrenesis intolerabilis. Orationes enim & lectiones quid aliud sunt, quàm quidam clamores quibus Dominum vocamus vt ad domum nostram venire dignetur? Quæ ergo stultitia est, vt post tot horas dumille ad nos venit, imò ingreditur, nos illicò eo relicto domo exeamus? Quid quæris præter Deum tuum? plus ille te docebit quàm omnes libri, plus te recreabit quàm omnes amici, plus virtutis dabit quàm omnes Sancti. Ad hoc perpende sequentes veritates, quibus anima cum Deo loquitur:

Infirmus Domine, qui tecum non exhilaratur, valdè propè est vt cadat:

Anima quæ tecum non exultat, vnde poterit exultare?

Qui tecum Domine non est contentus, quomodo non crepat?

Qui dum te hospitè habet properat vt domo exeat, facilè ostendit, se cor habere alibi obstrictum.

Cui tecum manere tædium est, nescit quòd tu sis Deus & totum bonum eius.

Qui tecum non manet libenter, ostendit sephrenesi laborare, cùm huius rei causa natus sit.

Tu enim es omne bonum & pulchrum totius vniuersi, qui eius scintillam creaturis singulis gratis communicas & impertis. Quæ ergo stultitia, relicto fonte immenso voluptatis guttam vnam persequi? Ergo qui sapis sequere consilium Sapient. Eccles. 14. 14. *Non defraudèris à die bono, & particula boni doni non te prætereat.*

FRVMENTVM ELECTORVM] Hebr. est בחורים *bachurim*, quod Septuag. Syrus & Arabicus, Vatabl. & Pagnin. vertunt, *iuuenum*. Hi enim præ senibus eliguntur ad opera tum ciuilia, tum bellica conficienda. Eucharistia ergo est *frumentum electorum*, quod scilicet facit selectos iuuenes, hoc est, validos, alacres & expeditos ad omne bonum, æquè ac ad quoduis prælium, quan- *Eucharistia facit iuuenes validos.*

quantumuis arduum & difficile. Secundò, *electorum*: quia facit vt à Deo eligamur ad vitam æternam, Iohan. 6. 59. ac discreti à reprobis, inter electos cælo donandos annumeremur. Hinc patet electionis ad gloriam signum ac causam esse, piam & frequentem communionem.

Primò. Porrò Eucharistiam esse frumentum electorum & iuuenum, eos vegetans, animans & validans, patet Primò in Martyribus, qui Eucharistia se muniebant & roborabant ituri ad tribunalia, eculeos, catastas & supplicia, vt patet ex S. Cypriano libr. 1. epist. 2. ad Cornelium, eaque de causa Eucharistiam tempore persecutionis domum deferebant, vt illam instante periculo sumerent. Dum enim Christi sanguinem pro nobis fusum suscipimus, roboramur & excitamur vti & nostrum sanguinem pro ipso generosè & libenter profundamus, ait S. Cyprianus, quia fortis est vt mors dilectio: additque eos in hoc prælio non posse fortiter pugnare, qui his armis induti non sint. Quocirca S. Anacletus, à S. Petro quartus Pontifex & Martyr anno Domini 112. incrudescente persecutione Traiani sanxit, vt omnes Christiani sacrificio Missæ præsentes, eo peracto communicarent, itaque se ad martyrij agonem roborarent, vt habet eius vita & decreta.

Secundò. Secundò, in impugnatione dæmonum, quorum rabiem fideles Eucharistia roborati superant & profligant. Vnde S. Chrysost. homil. 61. ad popul. *Tamquam leones*, inquit, *ignem spirantes ab hac mensa recedamus, facti diabolo terribiles, iuxta illud* psal. 22. 5. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.* Scribit S. Prosper de Promiss. & prædict. dimid. tempor. cap. 6. Carthagine virginem quamdam energumenam, à dæmone vi Eucharistiæ liberatam. Hac de causa Christus iturus cum suis ad passionem, priùs Eucharistiam instituit, sumpsit, & suis distribuit, vt nos idem in omni tentatione & tribulatione facere doceret. Vnde S. Chrysost. loco citato: *Cùm nos*, ait, *ab ira corripi viderimus, vel ab alio vitio, cogitemus quibus facti sumus digni, & sit irrationabilium nobis motuum correctio talis cogitatio.*

Tertiò. Tertiò, in prælio & conflictu: Otto Imper. prælium commissurus cum Hungaris, priùs cum suis Eucharistiam sumpsit, ac deinde dimicans ingentem hostium numerum trucidauit, & illustrem victoriam obtinuit anno Domini 955. vti in eius gestis scribit Vdalricus, & ex eo Cardin. Baronius. Qui & anno Domini 1040. ex Curopalata & Cedreno narrat, Catalacum Præfectum Michaelis Imper. magnas Saracenorum copias Messanam inuadentes profligasse, militibus ante aciem sacro viatico communitis. Idem solitum facere ante prælia Henricum Imper. maritum S. Cunegundis, ex Petro Damiano & Bonifacio narrat anno Domini 1022. Scribit Theodor. lib. 3. Histor. cap. 3. Constantium Magni Constantini filium, milites suos hortatum ad percipiendam Eucharistiam ante certamen cum Magnentio. Idem fecisse Christianos in bello sacro cùm Hierosolymæ obsiderentur, scribit Guilielm. Tyrius, & ex eo Molanus in Natal. Belgij 15. Julij, appendice 2. Memorabilis fuit victoria, quam virtute Eucharistiæ & S. Crucis de Saracenis retulit Alphonsus VIII. rex Castellæ, sub Innocentio III. Pontif. anno Domini 1212. die 16. Iulij. Cùm enim rex cum omnibus militibus suis ante prælium sacra confessione & communione sese communiisset, ac Rodericus Archiepiscopus Toletanus crucis vexillum barbaros intulisset, cæsa sunt ad ducenta Saracenorum millia, 25. dumtaxat è Christianis dederatis. Quocirca annuam tanti miraculi memoriam celebrant Hispani festo, quod nuncupant Triumphum S. Crucis, die 16. Iulij. Res gestam scripsit rex ad Innocentium III. Pontif. & Rodericus Archiep. Tolet. libr. 8. Histor. ca. atque ex iis P. Ribadeneira in Vitis Sanctorum die 16. Iulij. Non minùs illustris fuit victoria quam de iisdem eadem armatura obtinuit Ramirus rex anno Domini 834. Cùm enim Ramirus ab iis cæsus sese cum suis recepisset ad montes, afflictusque Deum obsecraret, apparuit ei S. Iacobus mandans, vt milites omnes sacra confessione expiaret, & sancta communione reficeret, itaque hostes inuaderet inclamans nomen Dei & S. Iacobi: se enim equo candido castra præiturum, & hostes dispersurum. Ita factum quocirca in eo prælio ceciderunt septuaginta Maurorum millia. Atque exinde Hispani in prœliis inclamare consueuerunt S. Iacobum. Ita Ribadeneira in vita S. Iacobi. Hoc imitentur duces & milites Christiani, ac similes de inimicis fidei triumphos reportabunt.

Quartò, in infirmitate corporali. Scribit S. Bonauentura libr. de Perfectione ad sororem, sæpe personas debiles in S. Synaxi tantum sentire roboris, consolationis & lætitiæ, vt ab ea robustæ discedant, perinde ac si nulli infirmitati essent obnoxiæ. In vitis SS. Patrum legimus Sanctos nonnullos sine cibo, sola Eucharistia sustentatos, vitam sanam & longæuam egisse. Palladius in Lausiaca c. 15. scribit Ioannem Monachum cibum numquam sumpsisse, nisi die Dominico Eucharistiam: hanc enim solam ei Sacramentum fuisse & victum. Sic Seuerus Abbas Dominico die Eucharistia & modico pane refectus, per reliquum hebdomadæ nihil amplius comedebat. Ludouicus Pius Imper. in supremo morbo quo obiit, totos quadraginta dies ieiunus transegit, Eucharistiam solam quotidie sumens, vt qui adfuit ei scriptor testatur, inquit Thomas Bozius tom. 2. lib. 15 de Signis Eccles. c. 2.

Scribit Sigebertus in Chronico, anno Domini 813. in ditione Tullensi puellam quamdam duodennem, sumpta in Paschate Eucharistia per triennium omni cibo abstinuisse. S. Maria Oigniacensis, in Belgio sanctitatis fama celebris, infirma cibum omnem respuebat, sola Eucharistia viuebat & valescebat; ac subinde facies eius quosdam ex se radios lucis vibrare & diffundere videbatur, inquit Card. Vitriaco in eius Vita lib. 2. cap. 12.

Scribit S. Gregor. Nazianz. oratione 19. in funere patris, patrem suum ardentissima & diuturna febri exhaustum, sumpta S. Eucharistia conualuisse, ac subiungit idem miraculum matri suæ aliquanto pòst contigisse. *Nam cùm nunquam non*, inquit, *dolore premeretur* (pater) *& quidem persæpè singulis diebus, atque interdum etiam horis, ex sola liturgia robur concipiebat, ac morbum tamquam ex edicto & imperio fugatum se subduxit.*

Idem

Idem in funere Gorgoniæ sororis suæ, scribit eam ad S. Eucharistiam orantem à membrorum omnium dissolutione, ac grauissimis cruciatibus quibus angebatur, sanitati sibiq́ue restitutam. S. Ambros. in funere Satyri fratris sui, scribit eum Eucharistia ad collum appensa è naufragio incolumem enatasse. Hinc liquet Eucharistiam esse frumentum electorum, eis ad hoc à Deo datum, vt eo aliti crescant & iuuenescant. Præclarè Tertullianus libr. de Resurrect. carnis c. 8. *Caro* ait, *corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.*

ET VINVM] Hebr. est תִּירוֹשׁ *tirot*, id est vinum recens, siue mustum, quod suauissimum est, & adeò potens, vt ebulliat, & vasa maxima, nisi hiatus aliquis laxetur, & spiraculum per q od exeat, disrumpat. Quid musto recenti dulcius? quid fortius? quid feruentius? quid splendidius? quid efficacius ad cor exhilarandum, ad vitales & animales vires reficiendas, ad spiritus excitandos, ad animum permouendum, & mentem illustrandam acuendamq́ue? Appelles meo vitam alteram artificiatam, non sine Dei consilio à Noë inuentam, vt succederet in vicem ligni vitæ hominibus vetiti. Tam suaue, tam potens, tam feruens, tam splendidum, tam efficax est vinum Eucharistiæ, quod succum & spiritum Christi nobis instillat, quo hausto excitantur languidi, reuiuiscunt mortui, & in alios homines exsultant, vt ardorem concipiant iuuenilem, viresq́ue ardori conformes ad magna quæque & difficilia designanda, audenda & perficienda.

GERMINANS] Hebraicè est יְנוּבַב *ienobeb*, quod Septuag. vertunt, εὐωδιάζων, id est, *odoratum ad virgines*, bonum odorem exhalans virginibus, vt videatur esse aromaticum: vnde vulgò vinum optimum vocatur *cos*, quod scilicet egregium habet colorem, odorem & saporem, quasi, inquit S. Hieron. est illud sponsæ dicentis Cant. 8. 2. *Dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Tigurina vertit, *succulentos & vegetos reddens*; Sanchez, *florere faciens*; alij, *fructificans, procreans, propagans virgines*; Vatabl. *exhilarans*; Syrus, *iucundans, delectans*; Arabicus, *vngens instar vnguenti*; Pagnin. *cantare faciens*, sic enim vertit, *frumentum iuuenes, & vinum cantare faciens virgines.* Nimirum Eucharistia Primò, animam corroborat; Secundò, vegetam, florentem, alacrem & expeditam ad omne bonum efficit; Tertiò, exhilarat; Quartò, eam inebriat, vt in Dei hymnos & laudes erumpat. Vide olim post S. Synaxin fideles, quasi Eucharistia & Christi amore temulenti, canebant cantica sacra, imò subinde enthusiasmo & Spiritu sancto correpti, arcana & sublimissima mysteria miris modis & odis eructabant, vt patet ex S. Paulo 1. Corinth. 14. 26. & Ephes. 5 18. *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*; sed vino Eucharistiæ, in quo est sancta & sobria ebrietas, ibiq́ue *implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis, in psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.*

Ita S. Monica sumpta S. Synaxi, quasi ebria canebat: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Et, *volemus in cælum*, linquamus terram, *volemus in cælum.* Eucharistia enim animas languidas, humi repentes, segniter abiectas, mœstas, pusillanimes, ad terrena depressas erigit, vegetat, roborat, in cælum eleuat, facitq́ue angelicas, imò angelos. nam, vt ait S. Bernardus, vel quisquis est auctor, sermone de Cœna Domini: *Panis iste per excellentiam dicitur Eucharistia, id est bona gratia. In hoc enim Sacramento non solùm quælibet gratia, sed ille à quo est omnis gratia, sumitur.* Hinc Psaltes psal. 22. 5. *Et calix meus*, ait, *inebrians quàm præclarus est!* Quæ verba explicans S. Cyprian. lib. 2. epist. 3. ad Cæcilium: Sicut, ait, ebrietas hominem à se & à mente alienat, facitq́; planè alium; sic Eucharistia fidelem à se alienat, & ex terrestri facit cælestem.

Legimus in Chronic. Cistercienf. Monachum quemdam quoties S. Synaxim sumebat, toties sibi visum fauum mellis sumere, cuius suauitas illi in ore triduum ipsum perdurabat. S. Franciscus, inquit S. Bonauentura in eius Vita cap. 9. *flagrabat erga Sacramentum Dominici corporis feruore omnium medullarum, stupore admirans permaximo illam charissimam dignationem, & dignantissimam charitatem. Sæpè communicabat, & tam deuotè, vt alios deuotos efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem suauem quasi spiritu ebrius, in mentis vt plurimum rapiebatur excessum.*

S. Maria Ægyptiaca vadens ad eremum sumpsit S. Synaxin, ac deinde in eremo sine cibo vixit plurimos annos: moritura verò eamdem instar viatici accipiens, extensis in cælum manibus, ingemiscens cum lacrymis exclamauit: *Nunc dimittis Domine ancillam tuam secundùm verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et mox sanctè placideq́ue obdormiuit in Domino. ita refert oculatus testis Zozymas in eius vita. Idem maiori pietatis & amoris sensu fecit S. Magdalena paulò ante mortem Eucharistiam præbente ei S. Maximino.

Sic S. Cassius Episcopus Narnienfis, quotidie celebrans sanctis piisq́ue lachrymis diffluebat, vti refert S. Gregor. homil. 37. in Euang. Ecce hi Sancti suo sensu & gustu clariùs nobis explicãt hunc Scripturæ locum, quàm vlli interpretes.

VIRGINES] Id est Primò, castos; Secundò, immortales: virgo enim viuido roseoq́ue colore florescens, iuuentæ numquam senescentis, & immortalis vitæ est symbolum, ait Hieron. Prado in Ezech. c. 15. Eucharistiæ enim effectus est resurrectio: ipsius enim virtute resurgemus ad vitam immortalem, beatam & æternam, vti asserit Christus Iohan. 6. 59. Quocirca Eucharistia à SS. Patribus vocatur pharmacum immortalitatis, antidotum incorruptionis, lignum vitæ, de quo Genes. 2. Ita S. Ignat. epist. ad Ephes. in fine, eam indigitat *pharmacum immortalitatis, mortis antidoton, vitam in Deo concilians per Iesum Christũ, medicamentum purgans vitia, & omnia pellens mala.*

Vi Eucharistiæ resurgemus.

Rursum τὸ *virgines* alludit ad *lapides nezer*, id est, Nazaræos & sanctos, de quibus v. præced. Nazaræi enim abstinebant voluptatibus carnis & vino, in quo est luxuria, vt essent sancti & casti. Hoc nobis præstat vinum Eucharisticum germinans virgines, ac proinde facit nos Nazaræos, id est, separatos à mundi pompis & deliciis, consecratos & coronatos Deo. Christus ergo, ait S. Hieron. *est frumentum electorum, siue iuuenum; ipse est & vinum quod latificat cor hominis, & bibitur ab his virginibus, quæ sunt sancta & corpore & spiritu, vt inebriatæ atque gaudentes sequantur Ecclesiam, & dicatur de eis: Adducentur regi virgines*

post eam, proximæ eius afferentur tibi: afferentur in A *lætitia & exultatione. Quomodo enim lætitiam non habebunt, quæ inebriata poculo Saluatoris generantur in virgines, & audent dicere: Introducite me in cellulam vini, confortate me in vnguentis?* Et mox: *Hoc vino inebriati sunt, qui sequuntur agnum Dei quocumque vadit, vestiti candidis vestibus; quia se cum mulieribus non coinquinauerunt: virgines enim permanserunt*, Apocal. 14.

S. Cyprianus quoque epist. 63. vel lib. 2. epist. 3. calicem Domini inebriantem, peroptimum, siue præclarum, scilicet sanguinis eius, ait sic bibentes inebriare, *vt sobrios faciat, vt mentes ad spiritualem sapientiam redigat, vt à sapore isto sæculari ad intellectum Dei vnusquisque assurgat: & quemadmodum vino isto communi mens soluitur, & anima relaxatur, & tristitia omnis exponitur; ita epoto sanguine Domini & poculo salutari, exponatur me-* B *moria veteris hominis, & fiat obliuio conuersationis pristinæ sæcularis, & mœstum pectus ac triste, quod priùs peccatis angentibus premebatur, diuinæ indulgentiæ lætitia resoluatur.* S. Cyrillus Alexandr. libr. 4. in Iohann. cap. 17. Eucharistia, inquit, *non mortem solùm, verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim, cùm in nobis maneat Christus, sæuientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat: & sicut pastor bonus, qui animam pro ouibus suis posuit, ab omni nos erigit casu.*

Eucharistia reprimit libidinem.

Ex hoc ergo loco patet, Eucharistiæ effectum esse repressionem tentationum carnis, & suffocationem vel extinctionem libidinis, ac insitionem castitatis, imò virginitatis. Caro enim Christi virginea quæ nos alit in Eucharistia, C nos sui similes efficit, putà virgines æternùm florentes, numquam corrugatâ fronte marcescentes, aut senescentes, nitentes perpetuò & immortales; perinde ac videmus alimenta phlegmatica, vt pisces, comedentes facere phlegmaticos; cholerica, vt oua, piper, &c. facere cholericos; sanguinea, sanguineos; melancholica, melancholicos. Alimentum enim in substantiam hominis conuertitur, ac proinde ei suas qualitates aspergit & communicat. Vide hîc quàm vinum Christi diuersum, imò contrarium sit vino vitis & Bacchi. hoc enim ab Aristophane apud Athen. libr. 10. vocatur *lac Veneris*, & à Pontiano *malorum omnium metropolis*. Nam, vt ait S. Hieron. lib. 2. contra Iouin. *Potus vini, ventrisq; saturitas seminarium libidinis est.* Ergo miraculi est instar hoc vinum germinans D virgines, cùm terrestre hoc apostatare faciat sapientes. Cyzici fons Cupidinis vocatur, ex qua potantes amorem deponere Mutianus credit, ait Plinius lib. 31. 2. Talis est Eucharistia, de qua S. Bernard. serm. de Altaris Sacramento, & de ablutione pedum: *Si quis*, ait, *vestrûm non tam sæpè modò, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, &c. gratias agat corpori & sanguini Domini: quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat quòd pessimum vicus accedat ad sanitatem.* Selemnus amnis, amoris est remedium: eo enim qui loti fuerint, siue viri, siue feminæ, cupiditatis obliuiscuntur, ait Pausan. in Attic. Selemno longè nobilior est Christi sanguis, qui, vt S. Chrysostomus, impuri amoris flammas restinguit, & regiam in nobis reformat imaginem. Ipse ergo in Eucharistia est vinum germinans virgines. Huic similis est Romæ Aqua virgo, quæ quasi virgo omnem aliam aquam refugit, apud veteres celebris, æquè ac nunc in pretio: plerique enim omnes Romæ ex ea bibimus; de qua Plinius lib. 31. cap. 3. *Iuxtà est*, inquit, *Herculaneum, quem refugiens, nomen virginis obtinuit.* Fabulosus est Canathus fons apud Argiuos, cuius aquis lotam, noua quotannis virginitatis gloria Iunonem repubescere narrat Pausan. in Corinth. Verus castitatis & virginitatis fons est Christus in Eucharistia.

Id experta fuit præ aliis S. Catharina Senensis, quæ virtute Eucharistiæ effecta est virgo angelica, & virgo talis, vt facta sit portentum seculorum omnium: nam Primò, familiarissimè agebat cum Christo, cum eoque legebat preces horarias. Secundò, Christus eam sibi in sponsam, annulo in digitum inserto (qui etiamnum exstat Romæ in monasterio dicto Magnanapoli, vbi mihi ostensus fuit) desponsit. Tertiò, et sola Eucharistia viuebat sine cibo corporali, ita vt si eum sumeret, videretur moritura, eumque reuomere cogeretur. Quartò, cùm illa peteret à se auferri suam voluntatem, suumque cor, oraretque: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Da ergo mihi Domine cor nouum, da cor tuum*; Christus annuens, aperto latere exemit ei cor (ita vt aliquot dies viueret sine corde) ac post triduum aliud ei cor inseruit: *Accipe*, inquit, *filia cor meum, vt deinceps non tibi, sed mihi vivas.* Vnde illa deinceps orans dicebat: *Domine commendo tibi cor tuum, nomine meum.* Quintò, post hanc cordis commutationem planè mutata est, adeò vt videretur esse angelus, & agere vitam cælestem, imò diuinam. Quocirca ipsa affirmabat Confessario suo, cui dicebatque: *Ego non sum illa quæ fui, tota sum alia. Sanctum cor meum ita ardet charitate, vt ignis corporalis ille ardore mihi non ardere, sed fingere videatur: et tanto gaudio in mente perfundor, vt me non capiam, imò mirer quomodo gaudio non disrumpar & emoriar. Insuper tantum in me sentio amorem erga proximos, tantumq; zelum animarum, vt omnes labores, omnia tormenta, ipsam mortem pro qualibet sola optem, vt eam saluem.* Sextò, crebrò rapiebatur extra se in exstases, videbatque arcana & diuina ineffabilia. Vnde rogata à Confessario vt ea explicaret, respondebat: Verba, inquit, nostra nimis demissa sunt, tantumque significant res terrenas: quare impossibile est mihi verbis nostris res tam sublimes, tam angustas exprimere; ineffabiles enim sunt & incomprehensibiles: vnde nec eas ego humana voce eloqui, nec si ego eloquerer, vos ea capere & comprehendere possetis. Ita habet in eius Vita Raimundus, qui fuit ei à confessionibus, ac deinde Generalis Ordinis S. Dominici: qui & addit, eidem à Christo impressa fuisse in manibus, pedibus & latere quinque sacra stigmata vulnerum suorum. Sanè in manu S. Catharinæ, quæ extat integra in Magnanapoli, stigma hoc vidi. Insuper aiebat ex amore Christi fissum illi fuisse cor, atque mortuam euolasse ad cælum, ac videre Deum; sed à Christo remissam ad vitam, vt Ecclesiæ prodesset. ita habet eius Vita lib. 2. cap. 3. in Italicum traducta ab Ambrosio Catharino. Quocirca ipsa S. Catharina scribit in Dialogo

& ex eo Garetius de Eucharistia, centuria 14. Deum sibi dixisse: *Vt plenius intelligas quàm ardenti desiderio cupiam esse vobiscum, vt eo magis accendaris ad subigendam mihi copulandamq; meæ vocationem tuam, vide & alta mente considera, voluisse me vt Vnigenitus meus incarnaretur*, &c. *Paratæ super mensam maximi & parui agniti Sacramenti corpori ipsius & sanguini, vt in cibum sumentes transformemini, & mutemini in me; ac sicut panis & vinum quibus vescimini in substantiam transeunt corporalem, ita & vos manducantes ipsum qui mecum est, sub specie panis & vini, in substantiam spiritualem, & in meipsum conuertamini. Et hoc est illud quod Augustino seruo meo dixi: Cibus sum grandium, cresce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sed in mutaberis in me.*

Hoc vinum germinans virgines largiter quoque biberat S. Casimirus Iagellonides, Casimiri regis Poloniæ filius, qui tremendo Missæ sacrificio ita attentus, & mente in Deum erectus interat, vt extra se planè rapi videretur: quin & pro more habebat intempesta nocte clàm templa adire, atque ante ipsorum vestibulum posita in terram facie, Deum in iis, putà in Ven. Sacramento, præsentem & habitantem, suppliciter exorare. Inde ei tantus virginitatis amor, vt eam vsque ad extremum spiritum illibatam conseruarit. Correptus enim graui ægritudine, cùm Medici eam nonnisi coniugij vsu curari posse asserrent, ac proinde parentes eum ad coniugium impellerent & tantùm non cogerent, ipse potiùs mori, quàm virginitatis decus perdere constantissimè elegit. Virginitatis ergo Martyr, & virgo martyrij obiit annos natus 24. anno Christi 1484 die 4 Martij: qua pariter die & anno, Romæ pontificatu & vita functus est Sixtus IV. Pontifex Maximus. Quocirca S. Casimirum Leo X. in Sanctorum numerum retulit, & Clemens VIII. eius memoriam duplicis celebritatis sacro in Polonia frequentandam præcepit, vtpote quem Deus multis insignibus miraculis illustrauit, ac nominatim memorabili victoria, qua pauci Lituani ingentes Moscorum copias confecto B. Casimiro, apparente ipso in aëre quasi duce præuio, ad internecionem deleuerunt. ita habet eius vita, & Breuiarium Polonicum die 4 Martij. Vnde appositè *Casimirus* per anagramma idem est quod, *sum ac iris*, in quam scilicet irradians sol iustitiæ Christus in Eucharistia, suum ei castitatis fulgorem afflauit. Rursum *Casimirus*, quasi *cadis mirus*, quia pro castitate occumbis. Quare Poëta Polonus de eo cecinit:

Sponte cadis, sed amore cadis, Casimire, pudoris.
Mirus, te Christo mirificante, cadis.

Denique voces, *frumentum & vinum germinans virgines*, significant nos non posse vitam spiritualem agere, nec diu perseuerare in gratia Dei, ac præsertim in virginitate aut castitate sine Eucharistia, sicut non possumus vitam naturalem sustentare sine frumento, cibo & potu; rursum quo crebriùs Eucharistiam sumimus, eo magis nos in spiritu & puritate angelica crescere & roborari, sicut per cibum frequentem crescimus & roboramur in vita animali. Quocirca primi fideles *quotidie perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem* (Eucharisticum) *sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Dominum, & habentes gratiam ad omnem plebem*, Actor. 2. 46.

Olim mox à baptismo dabatur Eucharistia.

Hisce de causis olim baptizatis mox à baptismo dabatur S. Eucharistia, quasi symbolum, alimonia, & perfectio christianismi. Docet hoc S. Clemens I. Pontif epist. 3. de officio sacerd & cleric. Et S. Dionysius Areopag. libr. de Eccles. Hierarch. cap. de Baptismo: *Ducunt*, inquit, *baptizatum ad Hierarcham: is cùm virum vnguento* (in Sacramento Confirmationis) *quod maximè diuinos efficit, insigniuit, Eucharistiæ, quæ vim maximam habet perficiendæ sanctitatis, participem esse pronunciat.* Ita in actis SS. Processi & Martiniani, quos S. Petrus in carcere conuertit & baptizauit, dicitur: *Baptizati sunt promiscui sexus, & diuersæ ætatis numero 47. Obtulit autem* (S. Petrus) *pro eis sacrificium laudis, & participes eos fecit corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi.* Idem legimus in actis S. Getulij, Cerealis, Pelagiæ, aliorumque Martyrum. Hinc Tertull. lib. 1. contra Marcion. eum redarguit, quòd cùm iisdem quibus Ecclesia cæremoniis vteretur, diuersum tamen ab ea in fide sentiret: *Ille*, inquit, *vsque nunc nec aquam reprobauit creatoris, qua suos abluit, nec oleum quo suos vngit, nec mellis & lactis* (quæ olim baptizatis dabantur) *societatem qua suos infantat, nec panem quo ipsum cor suum repræsentat.* Idem testatur S. Ambros. lib. de Iis qui initiantur myster. cap. 8. *Depositis*, inquit, *inueterati erroris exuuiis, renouata in aquila iuuentutem, cælesti illud festinat adire conuiuium. Venit igitur, & videns sacrosanctum altare compositum, exclamans ait: Parasti in conspectu meo mensam.* Durauit hic mos vsque ad annum Domini nongentesimum. Illo enim vixit Theoph. qui eumdem tunc perduraſſe scribit commentans in cap. 10. S. Lucæ: *Quotidie*, inquit, *qui baptizantur liberantur à vulneribus animæ, oleo quidem vnguenti vncti, statim autem communicantes diuini sanguinis participes fiunt.* Idem mos etiamnum durat in Græcia & Æthiopia. Ieremias enim Patriarcha Constantinopol. qui nuper in Græcia floruit, & hæreticis nostris restitit, respons. 1. c. 2. *Rationi* ait, *consonum est, baptismo & chrismati subiungi, nec in tempus deferri, sed baptizatum continuò illius verendæ communionis participem fieri.* De Æthiopibus constat ex Rituali baptismi eorumdem, in quo hæc legimus: *Postea sumunt S. Sacramentum & viuificans, spondente sacerdote pro eis, corpus scilicet & sanguinem venerandum Domini Dei, ac redemptoris nostri Iesu Christi.* Eucharistia ergo est frumentum iuuenes vegetans, & vinum virgines germinans.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

DOcet pluuiam & fruges terræ à Deo postulanda, non ab idolis, vtpote ob quæ vastati & in captiuitatem abstracti sint. Mox promittit se daturum heroës Machabæos, qui sua virtute, præliis & victoriis Iudæam illustrabunt, & propugnabunt, adeò vt ad eam tumultuatim redeant Iudæi & Israelitæ per Aegyptum & Assyriam dispersi; ac confortati protectiq; à Deo omnia maris & terræ pericula feliciter fortiterq; superent, donec in Iudæam perueniant, vbi sub tutela Dei quietam & securam vitam agent. ita Hebræi, S. Hieron. Theodoret. Albert. & Hugo. Mysticè, significatur fortitudo & felicitas Apostolorum, qui Ecclesiam Christi propagabunt & propugnabunt, adeò vt ad eam confluant tam Iudæi, quàm Gentes, omniaq; itinerum mari terraq;, persecutionum, tentationum & hostium obstacula generosè transcendant. ita S. Hieron. Remig. Rupert. & Lyran.

Vers.1. PEtite à Domino pluuiam in tempore serotino, & Dominus faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis, singulis herbam in agro.

2. Quia simulacra locuta sunt inutile, & diuini viderunt mendacium, & somniatores locuti sunt frustra: vanè consolabãtur: idcirco abducti sunt quasi grex: affligentur, quia non est eis pastor.

3. Super pastores iratus est furor meus, & super hircos visitabo: quia visitauit Dominus exercituum gregẽ suum, domum Iuda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.

4. Ex ipso angulus, ex ipso paxillus, ex ipso arcus prælij, ex ipso egredietur omnis exactor simul.

5. Et erunt quasi fortes conculcantes lutum viarum in prælio: & bellabunt, quia Dominus cum eis, & confundentur ascensores equorum.

VERS. 1. PETITE A DOMINO PLVVIAM IN TEMPORE SEROTINO] Ita Hebræa, Chal. & alij. Verùm Septuag. per *τὸ in tempore*, accipiunt pluuiam matutinam: vnde vertunt, *petite à Domino pluuiam opportunam, matutinam & serotinam.* Pluuia matutina, siue temporanea, id est tempestiua, in Palæstina dicitur, quæ tempestiuè & manè, id est tempore sementis in Octobri, depluit ad riganda semina: serotina, quæ serò, id est tempore messis imminentis, in Aprili depluit ad incrassandas & maturandas segetes, vti dixi Osee 6.3. Iubet ergo hîc Deus Iudæis, vt pluuiam agros fœcundantem, non à mutis & euanidis idolis, sed à se, velut creatore & gubernatore vniuersi, ac datore omnis boni postulent. ita Hebræi, Theodor. Albert. & alij. Videtur hæc prophetia edita à Zacharia post tempus sementis in hieme: quia iubet peti pluuiam serotinam dumtaxat, non matutinã, quasi eius tempus iam transisset.

Physicè & rusticè hîc Nota, agris & frugibus per hiemem conducere serenitatem, sed adulto vere (quod proximè ætatem attingit) iisdem necessariam esse pluuiam, qua alantur & adolescant. Vnde Macrob. lib. 5. Saturn. c. 20. priscum hoc vulgare carmen rusticum citat:

A *Hiberno puluere, verno luto, grandia farra Camille metes.*

Mysticè, per pluuiam significatur doctrina: hæc enim mentes rigat & fœcundat, vti pluuia terram & germina, iuxta illud Deuter. 32.1. *Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum.* Pluuia matutina fuit lex Mosis, & doctrina Prophetarum, quæ prima fidei & virtutis apud rudes Iudæos dedit semina: serotina est lex & Euangelium Christi & Apostolorum, quæ perfectam docet fidem & virtutem. ita S. Cyrill. S. Hieron. Remig. & Rupert. Porrò hîc tantùm serotinam à Deo petendam monet, quia temporaneam iam habuerant. q.d. Vos, ô Iudæi, accepistis à Mose legem veterem, quasi pluuiam matutinam; postulate nunc à Deo legem Euangelicam quam afferet Christus, quasi pluuiam serotinam, quæ vos ad veram perfectamque iustitiam & felicitatem perducet.

B

ET DOMINVS FACIET NIVES] Pagnin. Marina, Ribera, Sanchez & alij censent legendum *nubes*, non *niues*. Verùm Biblia Rom. & alia passim, quin & S. Hieron. in Comment. constanter legunt *niues*, non *nubes*. Hebr. est vox חזיז *chaziz*, id est visio, apparentia, candor, splendor, fulgur, coruscatio. Septuag. vertunt, *phantasiæ*, id est coruscationes & fulgetra, inquit Cyrill. & Theodoret. eò quòd subitò appareant & disparent, vti phœnomena aërea, & quia priùs videtur fulgur, quàm audiatur tonitru, cùm tamen collisio nubium & tonitru sit prior, imò causa fulguris. Chald. vertit, *ventos*; Pagnin. *coruscationes*; Tigurina, *emicationes*; alij, *fulgetra*; Noster Iob 28.26. vertit, *procellas*; quia fulgur & tonitru procellam & pluuiam vehementem afferunt. Hic rectè vertit, *niues*: Hebr. enim *chaziz* deducitur à חזה *chaza*, id est videre: vnde *chaziz* est res visibilis perstringens oculos, qualis est lux & coruscatio, ac candor coruscus: nix ergo, quia candore & splendore suo micat, coruscat feritque oculos, eosque perstringit, hinc rectè vocatur *chaziz*. Addebat Heraclitus, niuem esse *chaziz*, id est, visionem & apparentiam, eò quòd reuera non sit candida, sed candida nobis videatur. verùm hoc est eius paradoxum. Insuper *chaziz* potiùs significat niues, quàm nubes: proprie enim significat splendidum quid & coruscum feriens visum, quales sunt niues, non nubes. *Chaziz* ergo significat subinde nubes, non quas nubes, sed qua coruscantes & fulgurantes. Vide

C

Chal.

Chald. Iob 38.v.25. pro eo quod nos habemus, *viam sonantu tonitrui*, Hebr. *chaziz*, vertit, *viam nubium quæ deducunt aquam cum tonitruis & fulgoribus.*

Dices tempore pluuiæ serotinæ, putà in Aprili & vere non sunt niues, sed nubes. Resp. Sensus huius versus est, q.d. Post pluuiam matutinam, id est, post sementem iactam in autumno, petite à Deo, vt det pluuiam pro tempore serotino, quæ eam ad spicas & grana deducat; ac Deus postulatis vestris annuens vota vestra superabit. Nam dabit in hieme niues, quæ semina vestra tegent, radicabunt & fœcundabunt; ac deindein vere dabit imbrem serotinum, simulque niues quæ in Libano, Carmelo, aliisque Iudææ montibus reliquæ sunt (vti sunt in Alpibus, & in Apennino toto anno) liquabit & resoluet in aquam, quæ in valles camposque Iudææ decurrens, segetes ve- B teras rigabit & impinguabit. Vnde Septuag. vertunt, *pluuiam hiemalem dabit eis*. Porrò niues terram diu obsidentes, eam fœcundare, & copiam dare frugum, experientia constat. Vnde vulgi est axioma: *Annus niuiũ, est annus frugum*. Caussam dat Plinius lib. 17. 2. *Vota arborum communia sunt frugum, niues diutinas sedere. Causa, non solùm quia eam terra euanescentem exhalatione, includunt & comprimunt, retroq; agunt in vires frugum atque radices; verùm quòd & liquorem sensim præbent, purum præterea leuissimumq; quando nix aquarum cælestium spuma est. Ergo humor ex his non vniuersus ingruens diluensq;, sed quomodo stillatim distillans, potat ex vbere alit omnia quæ non inundat: tellus quoque eo modo fermentescit, & succi plena, ac lacte-* C *scentibus satu non effœta, cùm tempus aperit, tepido arridet hortu.*

Sic symbolicè, annus vel dies tribulationum, est annus vel dies meritorum & virtutum. Nam tribulationes faciunt Primò, vt homo ad externa se non effundat, nec in sui æstimatione euanescat. Secundò, vt conuertatur ad cor secumque habitet, ac in eo profundas patientiæ, humilitatis, charitatis aliarumque virtutum figat radices. Tertiò, eas irrigat piis & cælestibus cogitationibus, quas vel tribulatio suggerit, vel Deus immittit de vanitate & miseriis mundi, de felicitate gloriæ cælestis, de metu iudicij, gehennæ, &c. de dignitate crucis, fortitudinis, patientiæ, &c.

Mysticè, Apostoli & prædicatores sunt הַזַּיְמִים *chazizim*, id est Primò, niues: tum quia sicut niues terram sua irrigatione, ita ipsi homines sua doctrina compleuerunt, fœcundarunt, lætificarunt, & ab æstu concupiscentiæ refrigerarunt, D iuxta illud Prouerb. 25. 13. *Sicut frigus niuis in die messis: ita legatus fidelis eis qui misit illum.*

Secundò, sunt *chazizim*, id est, nubes grauidæ & turgidæ quæ copiosum dant imbrem sapientiæ & spiritus, quo arida hominum corda rigarent, vt germinarent & producerent fruges virtutum, iuxta illud Isaiæ 5. 6. *Nubibus mandabo ne pluant super eam imbrem.* Et psal. 96. 1 *Nubes & caligo in circuitu eius.* Vide vtrobique S. Hieron.

Tertiò, sunt *chazizim*, id est venti, vt vertit Chald. quia vt venti celerrimè discurrerunt euangelizando per totum orbem, quasi angeli Dei, de quibus ait Psaltes & Apostolus Hebr. 1. 7. *Qui facit angelos suos spiritus* (id est ventos) *& ministros suos flammam ignis.*

Quartò, sunt *chazizim*, id est procellæ, quæ dura hominum corda terrore concusserunt: ac pondere minarum iræ Dei, iudicij & gehennæ strauerunt & contriuerũt, iuxta illud Iob 28. 26. *Quãdo ponebat pluuiis legẽ, & viã procellis sonantibus.*

Quintò, propriè sunt *chazizim*, id est fulgura tonantia, & tonitrua fulgurantia, quia tonuerũt ore, fulgurarunt vita (quod de S. Basilio ait Nazianz.) ac diuinis irradiationibus mentes hominum perstrinxerunt, illuminarunt & inflammarunt. ita S. Iacobus & Iohannes à Christo vocati sunt Boanerges, id est filij tonitrui, id est fulmina, siue tonantes & fulminantes, Marci 3. 17.

ET PLVVIAM IMBRIS DABIT EIS] Alii vertunt, *pluuiam pluuiæ*, vel *imbrem imbris*, hoc est, pluuiam vberem, imbrem copiosum dabit eis. Septuag. vertunt, *pluuiam hiemalem dabit eis*: hiemalis enim est copiosa, æquè ac refrigerans. Atque ex hac pluuia dabit *singulis herbam in agro*; Chal. *vt det eis frumentum ad comedendum, & herbam iumentis in agro*; Hebr. *dabit eis viro*, id est cuique, *herbam in agro*. Est enallage personæ, transit enim à secunda ad tertiam. *Eis* ergo, id est vobis, putà cuilibet vestrũm, siue singulis. ita Vatabl.

Mysticè, q.d. Deus omnibus petentibus dabit herbam, siue germina salutis in cordibus: quia eis inspirabit pias cogitationes, affectiones, impulsus, desideria, &c. quæ quasi germina producent copiam frugũ bonorum, & heroicorũ operum.

QVIA SIMVLACRA, τὸ *quia* dat caussam, cur VERS. 2.
pluuia & fertilitas terræ à Deo petenda sit, non ab idolis, nec à diuinis, quos Iudæi solebant consulere, præsertim ante captiuitatem Babylonicã, inquit S. Hieron. Caussa est, QVIA SIMVLACRA LOCVTA SVNT INVTILE, &c.] q.d. Simulacra non prosunt, sed obsunt; damnum afferunt, non vtilitatem. Nam dæmones de rerum copia vel inopia consulti, per ea dant responsa inutilia, imò falsa & noxia. Vnde Septuag vertunt, *quoniam hi qui loquebantur locuti sunt labores & dolores*; Chald. *quoniam cultores simulacrorum loquuntur rapinam*. Hebr. enim אָוֶן *auen* significat inutile, vanum, iniquitatem, rapinam. Dæmones enim cùm ardeant liuore & studio nocendi hominibus, consulti solent suadere rapinas & scelera, quasi per ea homines deos suos sibi sint conciliaturi, & ab eis copiam frugum, vel id quod postulant impetraturi. Idem faciunt eorum ministri & interpretes, putà magi & diuini. Vnde de iis subdit: *Diuini viderunt mendacium*; Septuag. *visiones falsas*; Chald. *diuini prophetant falsitatem & vanè consolantur*. Experientia docet eos qui dæmones consulunt per magos & diuinos, vanam, imò maximè noxiam consolationem percipere; quia pro modico bono quod dæmon eis largitur, ingentes clades & damna mox infert, tum animæ, tum corpori eorumdem, vti multis exemplis docet Delrio in magicis.

ET SOMNIATORES] Ita vocat diuinos qui ex somniis diuinabant, vel sua somnia pro oraculis venditabant. Vnde Hebræa ad verbum Pagnin. & Tigurin. sic vertũt, *diuini viderunt mendacium, somnia vana locuti sunt*; Septuag *diuini visiones falsas & insomnia falsa loquebantur*; Chald. *pseudoprophetæ in prophetia sua falsa mendacia loquuntur.*

IDCIRCO ABDVCTI SVNT QVASI GREX] Ita Rom. q.d. Quia Iudæi nuper fidem adhibuerũt simulacris, diuinis & somniatoribus, idcirco abducti sunt captiui velut grex ouium in Babylonem.

AFFLI-

AFFLIGENTVR QVIA NON EST EIS PASTOR] q.d.Ibiq́ue afflicti sunt & quasi prædæ dati lupis, putà Chaldæis, quia carebant vero pastore qui eos tutaretur, ac sequebantur hosce diuinos & somniatores, qui erat pseudopastores, viso lupo fugientes oueśque ei tradentes. Vnde Chald. vertit, *ideo dispersi sunt sicut disperguntur oues: translati sunt, quia non est eis rex.*

Mysticè, q.d.Idcirco Iudæi abducti sunt in varios errores & dæmonum cultus, quia non habuerunt verum pastorem, scilicet Christum, sed falsos & mendaces, quales fuerunt Scribæ & Pharisæi tempore Christi, contra quos detonat Christus Matth.23.Quocirca

VERS.3. SVPER PASTORES IRATVS EST FVROR MEVS. q.d.Puniam hosce pseudopastores, quia perdiderunt gregem populi mei. ET SVPER (Vatabl. *contra*) HIRCOS VISITABO] Idem dicit alia metaphora: pseudopastores enim vocat hircos, tum ob fœtidos & hircinos mores, tum quòd hœdos sibi similes, id est, homines sceleſtos verbo & exemplo gignerent, eisq́ue ad omne nefas quasi duces præirent, sicut hirci præeunt capras & hœdos.

QVIA VISITAVIT DOMINVS EXERCITVVM GREGEM SVVM DOMVM IVDA] Vox *visitauit* hîc contrariè sumitur. Nam, *super hircos visitabo*, idem est quod, hircos, id est, duces & pseudopastores, puniam, super ipsos manum vindicem extendam, acreſq́ue plagas dorso eorum infligam. Hîc autem, *visitauit Dominus gregem suum*, vt eum tueatur, & ex eo constituat duces qui eum propugnent. Vnde sequitur:

ET POSVIT EOS QVASI EQVVM GLORIÆ SVÆ] q.d.Quia hi falsi duces & pastores perdiderunt gregem meum, hac de causa Deus eum visitabit, ex eoq́ue constituet veros principes & pastores, eoq́ue gradu dignos, putà Iudam Machabæum eiusq́ue fratres, qui quasi equi generosi Dei, ad bella pro populo procedant, ac illius hostes, putà Antiochum eiusq́ue chiliarchas, profligent. ita S.Hieron. Theodor. Remig. Hugo & alij.

Machabæi vocantur Iuda, quo sensu

Dices, Iudas & Machabæi fuerunt oriundi ex tribu Leui, non Iuda: fuerunt enim sacerdotes & pontifices, qui omnes descendunt ex Leui, vt patet 1.Machab.2.1. Respondent aliqui, eos paterno genere descendisse ex Leui, sed materno ex Iuda. Verùm dico, Iudam hîc & alibi vocari totam gentem Iudæorum, prout distinguitur ab Israele & decem tribubus, quæ à Iuda fecerunt schisma. Hæc autem gens commista erat ex tribu Iuda, Leui, Beniamin, & cæteris, sed à potiori parte vocata est Iuda, præsertim quia Iudæ promissum & datum est sceptrum vsque ad Christum à Iacobo patriarcha, Genes.49.10. Machabæi ergo oriundi ex Leui, dicuntur prodituri ex Iuda, id est, ex gente Iudaica, non autem ex tribu Iuda.

Mysticè, Iudæ & Machabæi nostri sunt Christus & Apostoli, qui ex Iudæorum stirpe prognati, quasi generosi equi prælium inierunt cum regibus, principibus, philosophis, totoq́ue mundo infideli, eumq́ue protriuerunt, sibiq; & Christo subiecerunt. ita Remig. Haymo & Lyran. Vnde & Chald. vertit, *ex ipso rex eius: ex ipso Christus eius: ex ipso fortitudo belli sui: ex ipso magnificabuntur omnes gubernatores eius simul.*

Porrò *equus gloriæ*, id est gloriosus, speciosus, decorus, illustris, vt vertit Syrus; ac promptus, strenuus in bello, vt vertit Arabicus, insigne hieroglyphicum Apostoli & viri Apostolici, qui quasi equus vbique Christum sessorē, tanquam equitem infidelitatem & vitia sternentem regi & principes subiugantem, animosè circumfert, ita vt nullis laboribus defatigetur, nullis penalis, terroribus, hostibus, difficultatibus cedat, sed omnia generosè transiliat & subigat, iuxta illud quod de equo bellico ait Iob c.39.20. *Gloria narium eius terror. Terram vngula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis: contemnit pauorem, nec cedit gladio*, &c. qualis fuit Bucephalus Alexandri Magni, quo ipse in prælijs vtebatur & vincebat, de quo Plinius lib 8.c.41. *Eidem Alexandro*, inquit, *& magna equi raritas contigit. Bucephalon eum vocarunt, siue ab aspectu torui, siue a nota signi taurini capitis armo impressi. Sedecim talentis ferunt ex Philonici Pharsalij grege emptum. Nemo nem hic alium quàm Alexandrum, regio instratu ornatu recepit in sedem, alios passim reiecit. Idem a prælijs memorata cuiusdam perhibetur opera, Thebarum oppugnatione vulneratus, in alium transiit Alexandrum non passus. multa præterea eiusdem modi, propter quæ rex defuncto ei duxit exequias, vrbem tumulo circumdedit nomine eius*, scilicet quam à Bucephalo Bucephaliam appellauit. Porrò S.Greg. lib.31.Moral.c.11. & sequent. verba Iobi explicans: *Equus*, inquit, *est prædicator qui habet fortitudinem, quia aduersa constanter tolerat. Habet hinnitum, quia ad superna blandiens vocat: equo suo Dominus & cum actionis fortitudine hinnitum vocis, & cum hinnitu vocis fortitudinem ministrat actionis. Terram vngula fodit, id est, quidquid in mente sua terrenum versari conspicit, hoc nimirum superducta pœnitentia duris percussionibus rumpit.* Addit talem equum gloriæ Dei fuisse S. Paulum, ac pergit: *Equus Dei exultat audacter, & exteriora tormenta non metuit, quia internam delectationem quærit: pro testatum mundi iracundiam non formidat, quia ipsa quoque vitæ præsentis desiderium per mentis excessum calcat. In occursum pergit armatis. Intuitu libet ipsa sessoris sui calcaribus excitatum contra armatos hostes, quantus Paulum feruor accenderet, quando cum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flammas rapiebat*, Actor.19.& Actor.21. *Ego*, inquit, *non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum pro nomine Domini Iesu. Contemnit pauorem, nec cedit gladio.* Ait enim Rom.8. *Quis nos separabit à charitate Dei? Tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio?* Hæc & plura S.Gregor. Quid nos ad hæc? Equi, non Troiani, sed Seiani, imò ex equo pigri, tardigradi & iniquæ sortis aselli. Seianus equus fertur suos heros & sessores, Seium, tum Dolabellam, deinde Cassium, denique Antonium perdidisse; ita nos Christi regnum crebrò perdimus potiùs quàm propagamus. Vide quæ de equo candido, eiusq́ue sessore Christo dixi Apocal.6.2.

EX IPSO, scilicet Iuda, prodibit ANGVLVS] Ita legendum cum Hebr. Chald. & Roman pepe ram ergo in nonnullis Bibliis legitur *angulus*. Porrò *angulus* metaphoricè vocatur princeps, qui rempublicam continet, stringit, prospicit & roborat, vti angulus vtrumque parietem in domo. ita S.Hieron. Vide dicta Isaiæ 19.13. Item sum angulus metonymicè vocatur turris, quæ in angulis murorum erigi solet ad domus, urbis

vel vrbis tutelam, iuxta illud Sapient. 1. 15. *Diei mala & clamorem super ciuitates munitas, & super angulos resultare.* Turris autem notat principes, de quo Cant. 4. *Mille clypei pendent ex ea.* Ad literam ergo hic, id est, princeps ex Iuda prodiens, fuit Iudas Machabæus, allegoricè Christus & Apostoli. Christus enim est lapis angularis domus Dei, id est Ecclesiæ, qui vtrumque parietem, id est Iudæos & Gentes, cõtinet, & cui quasi fundamento tota Ecclesiæ fabrica incumbit & innititur, vti docet Apostolus Ephes. 2. in fine cap.

EX IPSO PAXILLVS] Idem dicit alia metaphora. Princeps enim in republ. est id quod angulus in fabrica, & quod paxillus in pariete. Sicut enim paxillus est clauus infixus parieti, ex quo arma & vasa quælibet suspensa pendent, ita à principe omnis populus pendet, regitur & sustentatur. Sic Eliacim vocatur paxillus Isaiæ 22. v. 23. Ita à Machabæis pendebat populus Iudaicus, à Christo & Apostolis populus Christianus.

EX IPSO ARCVS PRÆLII] Est hic tertia metaphora. Sicut enim principem paulò antè vocauit angulum & paxillum, ita hîc vocat arcum pugnæ, qui scilicet fortiter pro populo depugnet, eiusque hostes arcu suo & suorum prosternat, vtrique literam fecit Iudas Machabæus; mysticè Christus & Apostoli. S. Hieron. verò hæc tria ita distinguit: *Ex ipso angulus*, id est, ex Iuda & Iudæis, inquit, prodibit regia potestas; habuerunt enim Dauidem, Salomonem & posteros eorum reges. *Ex ipso paxillus*, id est sacerdotium: *ex ipso arcus pugnæ*, id est, fortitudo bellica, putà fortes milites & duces. Hæc enim tria, putà regnum, sacerdotium & militia, sunt robur, firmamentum, decus & gloria cuiusuis reipublicæ, æquè ac Ecclesiæ.

EX IPSO EGREDIETVR OMNIS EXACTOR] Septuag. *exactor*; Chald. *gubernator*; Pagnin. *præfectus*, qui scilicet exigit tum vectigalia, tum iura & obsequia à subditis, vel hostibus subactis principi, reipubl. aut Deo debita, qualia sunt religio, cultus Dei legum obseruantia. Tales fuerũt Machabæi, sed maximè Christus & Apostoli. Exactor autem proprie est victor, indeque princeps, qui victis & subditis imponit leges, onera & tributa, quod propriè competit Iudæ Machabæo, & magis Christo.

Moraliter discant hîc principes, magistratus, Patres & docere præstare in republ. collegio vel congregatione cui præsunt. Primò, quod angulus præstat in domo, scilicet vt eam fulciant, sustineat, vniant. Secundò, quod paxillus præstat in pariete, vt eius adinstar firmi & immoti alios firmet & sustentent, ita vt ab eis pendeant famuli, medij & infimi. Tertiò, quod arcus præstat in prælio, vt, sicut ille abigit sternitque hostes, sic illi rempubl. defendant & propugnẽt, abeãque omnes hostes arceant & abigant. Quartò, quod exactor præstat in telonio aut debito, videlicet constanter vrgeant disciplinam & custodiam legum, tum diuinarum, tum humanarum, eamque si collapsa sit, restituant & instaurent, etiamsi multorum odia sint subeunda, & vulgi leuitati sæpè resistendum. Ita implebitur in illud Isaiæ 58. 12. *Et ædificabuntur in te deserta seculorum, fundamenta generationis & generationis suscitabis & vocaberis ædificator sepium, auer-*

A *tens semitas in quietem.* Sapienter Cicero lib. 1. Officior. *Omnino*, ait, *qui republ. præsunt duo Platonis præcepta teneant: vnum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quidquid agant, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Alterum, vt totum corpus reipubl. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. Vt enim tutela, sic procuratio reipubl. ad vtilitatem eorum qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, gerenda est.* Et nonnullis interiectis: *Est proprium munus magistratus, intelligere se gerere personam ciuitatis, debereq; eius dignitatem & decus sustinere, seruare leges, iura describere, & ea fidei suæ commissa meminisse.* Idem lib. 3. de Legib. *Magistratus*, ait, *est lex loquens*, sicut vicissim lex est magistratus silens & mutus: *Vt cupiditatibus principum & vitiis infici solet tota* B *ciuitas, sic corrigi & emendari continentia.* Thucydides lib. 6. *Magistratus*, ait, *est medicus ciuitatis:* qua ergo arte, cura, sinceritate & fortitudine medicus curat ægrum, v. g. phreneticum & inuitum, eadem magistratus curet ciuitatem. Agesilaus teste Plutarch. in Lacon. magistratus officium esse dicebat, *erga rebellantes audacia, erga subiectos beneuolentia vti*: sicut Virgil. 6. Æneid. principis partes esse dixit,

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Agathon dictitabat magistratum trium debere meminisse, primò, quòd imperet hominibus; secundò, quòd secundùm leges; tertiò, quòd non semper imperet. ita Stobæus serm. 43. Plato l. 4. de Legibus, censet magistratum deferendum non iis qui præcellunt opibus, robore, forma, nobilitate, sed iis qui legibus parent maximè, & hac re cæteris in ciuitate præstant. Cato censu- C ram petens, cùm suos competitores videret populo supplices, eumque de more prensantes, exclamauit, populo opus esse medico austero, validisque remediis, proinde eligendum non qui blandissimus esset, sed qui inexorabilis. atque hæc dicens, ante omnes censor creatus est. Agnouit populus morbum suum: eoque Cato plus valuit obiurgando, quàm cæteri blandiendo, ait Plutarch. in Apophth. Roman. vti enim corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine legibus constare nequit. Solon interrogatus qualiter ciuitas bene regi posset, respondit: Si princeps, & maiores secundùm legem vixerint, inquit Valer. lib. 3. c. 9. Rursum si ciues magistratui obediant, magistratus autem legibus, vti refert Stobæus serm. 41. Heraclitus dicebat, *ciues non minùs oportere pugnare pro legibus, quàm pro mœnibus*; quòd absque D legibus nullo pacto possit esse ciuitas incolumis, absque mœnibus possit. ita Laërtius lib 9. cap. 1. Hinc illud Maronis:

Legesq; viris, & mœnia ponet.

Pittacus Crœso percunctanti quod esset maximum imperium? Respondit, vbi leges imperant: nam vbi summa est legum auctoritas, ibi est minimum tyrannidis. ita Laërt. lib. 1. c. 5. Demosthenes ciuitatis animam esse leges dicebat: vt enim corpus anima carens cadit, sic ciuitas nullis administrata legibus sponte sua ruit. ita Maxim. serm. 68. Cleon multò meliorem esse dicebat statum ciuitatis, quæ licèt deterioribus, firmis tamen legibus vtitur, quàm illius quæ bonis quidem, sed irritis. ita Thucyd. libr. 3. Archidamus roganti quinam essent Spartanæ vrbis præfecti? respondit: Leges & legitimi magistratus; censens

Axiomata Gentilium.

in republ. bene constituta supremam auctoritatem esse legibus deferendam, secundam magistratibus, ac proinde eos legum debere esse tutores & vindices, non dominos, nec dispensatores. hoc est dissipatores. Ludouicus XII. Galliarum rex subpræfectum Aurelianensem, quo familiariter olim erat vsus, sæpeque iniustitiæ reum liberarat, creatus rex damnauit, dictitans: *Contendi priuatus pro amico, regnum autem adepto leges mihi tuendæ sunt.* ita Annal. Franc.

Idea Prælatorum.

Diuinè S. Bernard. lib. 4. de Consider. cap. 4. ad Eugenium Pontif. eum docet quales debeat creare vel formare Prælatos: *Qui sint*, inquit, *in iudicio recti, in consilio prouidi, in iubendo discreti, in disponendo industrij, in agendo strenui, &c. qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum. Qui regibus Iohannem exhibeant, Aegyptiis Mosen, fornicantibus Phinees, Heliam idololatris, Heliseum auaris, Petrum mentientibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus non spernant, sed doceant: diuites non palpent, sed terreant: pauperes nõ grauent, sed foueant: minas principum non paueant, sed contemnant: qui cum turba non intrent, nec cum ira exeant: qui ecclesias non spolient, sed emendent. Qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant; famæ prouideant suæ, nec inuideant alienæ. Qui orandi studium gerant & vsum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quàm suæ industriæ vel labori. Quorum ingressus pacificus, non molestus exitus sit. Quorum sermo ædificatio, quorum vita iustitia, quorum præsentia à gratia, quorum memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant non verbo, sed opere: reuerendos exhibeant, sed actu, non fastu. Qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes, duros durè redarguant, malignantes coërceant, reddant retributionem superbis. Qui non de dote viduæ, & patrimonio crucifixi se vel suos ditare festinent, gratis dantes quod gratis acceperunt, gratis facientes iudicium iniuriam patientibus, vindictam inationibus, increpationes in populis.* Et cap. 7. librum ita concludit: *Vbi malitiæ iuncta potentia est, aliquid tibi super hominem præsumendum. Vultus tuus super facientes mala. Timeat spiritum iræ tuæ qui hominem non veretur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui admonitionem contempsit. Cui irasceris tu, Deum sibi iratum, non hominem putet. Qui te non audierit, auditurum Deum, & contra se paueat.*

Idea Pontificis.

Et paulò antè perfecti Pontificis ideam ita depingit: *De cætero oportere te esse considera formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentiũ, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, cleri ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorũ, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, regum patrem, legum moderatorem, canonum dispensatorem, sal terræ, orbis lumen, sacerdotem Altissimi, vicarium Christi, Christum Domini, postremò Deum Pharaonis.*

VERS. 5. ET ERVNT QVASI FORTES CONCVLCANTES LVTVM (id est, hostes vt lutum) VIARVM IN PRÆLIO. Pro *fortes* hebr. est גִּבּוֹרִים *ghibborim*, id est, prævalidi, præpotentes, heroës, gigantes, Gabrieles. Ad literam notat Machabæos, qui sua fortitudine hostes Israelis proculcarunt quasi lutũ:

A QVIA DOMINVS CVM EIS] Ita in libris Machabæorum legimus, Iudam Machabæum nõ quam iniisse prælium (excepto vltimo, in quo non legitur orasse; vnde & cecidit) nisi prius inuocata Dei ope, quam & præstitit Deus: vnde misit ad eum Ieremiam Prophetam è limbo, qui daret ei gladium, diceretque: *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel*, 2. Machab. 15. 15. Hinc & Iudas Machabæi, id est Machabæus, dictus est e literis initialibus versus vndecimi Exodi cap. 15 מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה *mi camocha baelim Iehoua*, id est, *quis similis tui in fortibus Domine?* quasi quasi belli tesseram, & victoriæ omen in vexillis & insignibus præferebat, vti dixi Exodi 15 vnde sequitur:

ET CONFVNDENTVR ASCENSORES EQVORVM.

B Putà duces & milites Antiochi, qui pollebant & gloriabantur equitatu, cùm Machabæi pugnarent pedites, vti & Dauid, cæteriquè pij Iudæorum reges, iuxta legem Deuter. 17. 16. vti ibi dixi. Vnde quanto inferior fuit eorum sors & conditio, quòd pedites in equites pugnarent, tanto nobilior illorum de eis ope Dei parta fuit victoria, tanto glorioſior triumphus. Hinc Chald. vertit, *& fortes domus Israel triturabunt interfectos populorum, quasi lutum viarum in bello, & præliũ committent: quia verbum Domini erit in auxilium eorum.* Mysticè, hæc veriora sunt in prælio spirituali, quo Christus & Apostoli debellarunt mundum & tartarum.

6. Et confortabo domum Iuda, & domum Ioseph saluabo: & conuertam C eos, quia miserebor eorum: & erunt sicut fuerunt quando non proieceram eos: ego enim Dominus Deus eorum, & exaudiam eos.

7. Et erunt quasi fortes Ephraim, & lætabitur cor eorum quasi à vino: & filij eorum videbunt, & lætabuntur, & exultabit cor eorum in Domino.

8. Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos: & multiplicabo eos, sicut antè fuerant multiplicati.

9. Et seminabo eos in populis, & de longè recordabuntur mei: & viuent cum filiis suis, & reuertentur.

10. Et reducam eos de terra Ægypti, D & de Assyriis congregabo eos, & ad terram Galaad & Libani adducam eos, & non inuenietur eis locus.

11. Et transibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis, & humiliabitur superbia Assur, & sceptrum Ægypti recedet.

12. Confortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt, dicit Dominus.

ET CONFORTABO DOMVM IVDA, ET DOMVM IOSEPH SALVABO] *Domus Iuda* sunt duæ tribus; *domus Ioseph* decem reliquæ, quarũ caput

fuit tribus Ephraim, filij Ioseph, ex eaque progenies Ieroboam, æquè ac cæteri reges Israel. Porrò multi ex decem tribubus partim iam ante se iunxerunt Iudæis, partim postea cùm viderūt eos audierunt victorias & trophæa Machabæorum, ijs se aggregarunt, vt sub eorum ducatu & præsidio incolumes & felices viuerent. ita S. Hieron.

Mysticè, id verius fuit in conuersione tam Israelitarum, quàm Iudæorum ad Christum, quæ inchoata est ab Apostolis, sed perficietur ab Elia & Henoch in fine mundi: tunc enim omnis Israel saluus fiet. ita Remig. Lyran. & Arias. Pro *confortabo* hebr. est גִּבַּרְתִּי *gibbarti*, id est viriles, fortes, robustos, ac quasi Gabrieles efficiam. A גֶּבֶר *gebar* enim, id est vir fortis fuit, deducitur nomen Gabriel, id est, fortis vel fortitudo Dei.

B

Et convertam eos] vt è locis in quibus per captiuitatem dispersi sunt, reuertantur ad auitas in Iudæa sedes. Vnde Septuag. vertunt, *& habitare faciam eos*; Chald. *& congregabo captiuitatem eorum*; plenius Tigurina, *& reuersos collocabo*; Vatabl. *& conuersos habitare faciam*. Hebr. והושבתים *hoscbotim*, est mistæ coniugationis, quasi conflatum ex והשיב *heschib*, id est, conuerti vel reuerti fecit; & ex הושיב *hoschib*, id est habitare fecit, collocauit.

Erunt sicut fuerunt, quando non proiiciebam eos] q.d. Erunt sicut fuerunt ante captiuitatem, tam Babylonicam, quàm Assyriacā. Hoc patet ad literam loqui Prophetam de Iudæis Israelitis & Machabæis. Idem patet ex nominibus *domus Iuda, domus Ioseph, Ephraim*, &c.

C

Erunt quasi fortes (hebr. *gibborim*, de quo dixi v. 5.) Ephraim] q. d. Erunt quasi heroës, Ephraim, fortiter bellātes bella Domini. Tribus enim Ephraim inter decem tribus erat fortissima, & cæteris tribubus continuos dedit reges. Hinc illud psal. 77. 9. *Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.*

Lætabitur cor eorum quasi a vino] q.d. Ex victorijs exultabūt sicut exultant ebrio & potenti vino hilarescunt: vel q.d. In prælijs erunt audaces, interriti, & quasi leones spirantes, perinde ac si vino generoso oppressi ruerent, vti nunc Scotachi, Hiberni, Hollandi, aliæque gentes vino adusto se implent ante pugnam, vt spiritibus calidissimis æstuantes sint audaces, ruantque intrepidi in enses & gladios.

Et filij eorum] q.d. Filij, nepotes & posteri eorum cernent, audientque patrum & auorū suorum trophæa, indeque exultabunt in Domino, & ad eadem heroicè consectanda incitabuntur. Sic trophæis Miltiadis Themistocles, Arbitio Alexander Magnus, Alexandri Magni Iulius Cæsar, Cyri Scipio, excitati sunt ad eadem per hostica facinora consectandum, vti narrat Plutarch. in eorum vita.

D

Sibilabo eis, et congregabo illos] Quasi sibilo congregabo & conuocabo eos, velut oues in Ierusalem, tamquam Synagogam; & tempore Christi in Ecclesiam, in qua sibilus erit prædicatio Euangelica, inquit Vatabl. Est catachresis: ponitur enim sibilus pro conuocatione, quia hæc a bobus à pastore fit sibilo. Est hendiadys. Vnum enim dicitur per duo: *sibilabo & congregabo*, id est, quasi sibilando congregabo. Simili mo-

A do ait Isaias c. 7. 18. *Sibilabit Dominus musca, quæ est in extremo fluminum Aegypti, & api quæ est in terra Assur.* Vide ibi dicta.

De longe recordabuntur mei] q.d. Iudæi & Israelitæ degentes in remotis locis, vbi audierint legem Dei, cultum & Synagogam per Machabæos in Iudæa restitutam, recordabūtur mei, vt me more patrum inuocent & colant, ideoque cum filijs valentes & gaudentes reuertentur in Ierusalem. Vers. 9.

Et reducam eos de terra Ægypti et de Assyriis] Alludit ad captiuitatem Assyriacam & Babylonicam, quam fugientes multi ex Israel, profugerunt de more in Ægyptum, vt patet Ierem. 44. q.d. Soluam omnem eorum captiuitatem, exilia & dispersiones, faciamque vt tuti & liberi in patriam, & ad me meumque templum & Ecclesiam reuertantur. ita S. Hieron. Albert. & Hugo. Huc facit quod Iosephus lib. 11. Antiq. c. 2. scribit Ptolemæum Philadelphum, qui post Ptolemæum Lagi Alexandro Magno in regno Ægypti successit, centum viginti millia Iudæorū ex Ægypto libertate donata in Iudæam remisisse, eaque beneficentia obtinuisse ab Eleazaro pontifice 72. Interpretes, qui S. Scripturam ex Hebræo in Græcum idioma transferrent. Vers. 10.

Ad terram Galaad et Libani adducam eos] Putà in Iudæam, cuius limites sunt Libanus & Galaad. Mysticè, ad Ecclesiam Christi quæ fertilis est, pulchra & amœna, vti Galaad, Libanus, omnisque terra Iudæis olim promissa. Vnde sequitur: *Et non inuenietur eis locus*, scilicet sufficiens. q.d. Maxima erit multitudo fidelium, tum Iudæorum sub Machabæis, tum potiùs Christianorum sub Christo & Apostolis, adeò vt templa & ecclesiæ eos non capiant. Secundò, Sanchez. q.d. Non inuenietur eis locus, id est, ipsi non inuenientur in loco pristino, putà in Ægypto & Assyria, quia redibunt in Ierusalem. vnde Septuag. vertunt, *non relinquetur ex eis vllus*; vt sit hypallage.

Anagog. q.d. Locus fidelium post mortem, postque diem iudicij non inuenietur amplius in terra, quia ipsi ex terra transferentur in cælum.

Et transibit in maris freto] Varij variè hæc explicant. Primò, Iudæi hæc ad literam expectant, quasi portenta futura & facienda à suo Messia, sicut facta sunt à Mose in mari rubro. Verùm quia ad literam hoc cap. agitur de Machabæis, eorumque victorijs portentosis; hinc Secundò, magis appositum huic loco est, quod tradunt Hebræi prisci apud S. Hieron. ac Remig. & Hugo, scilicet Iudæos olim in Græciam profugos, tempore Machabæorum, per fretum angustum Propontidis, quod Chalcedonem à Constantinopoli segregat, transisse, vt redirent in Iudæam. Verùm nusquam legimus fretum hoc percussum & siccatum à Deo, vt Iudæi sicco pede pertransirent. Tertiò, alij putāt hic notari Alexandrum Magnum, qui cū exercitu mare Pamphyliæ sicco pede transmisit, pergens contra Darium & Persas, teste Iosepho lib. 2. Antiq. c. vlt. Verùm hoc viris doctis fabulosum videtur; & Ioseph. licèt id ex alijs referat, non tamen approbat. Adde, quid hoc ad Iudæos & Machabæos? Dico ergo esse hîc continuam metaphoram siue allegoriam, qua sub schemate miraculosi transitus Hebræorum per mare Vers. 11.

rubrum duce Mose & per Iordanem duce Iosue in terram promissam, describit similem non miraculosum, sed mirabilem transitum Iudæorum toto orbe dispersorum per maria & gentes, felicemque reditum in Iudæam, cùm audierint eius felicitatem & victorias partas à Machabæis. q.d. Faciam vt Iudæis in Ierusalem redeuntibus omnes viæ, maria & flumina sint peruia, remouebo omnes obices & obstacula, adeoque si opus sit siccabo mare & flumina, vti siccaui sub Mose, quando ipse virga percussit mare rubrum, & sub Iosue, quando confudi, diuisi & siccaui profunda fluminis Iordanis: quin & humiliabo superbiam & potentiam Assyriorum, Ægyptiorum, aliarumque gentium hostilium, faciamque vt populum meum retinere, aut ab hoc suo in Iudæam reditu remorari nequeant. Nominat præ alijs Ægyptios & Assyrios, quia hi olim crebrò & vehementer afflixerunt Israelitas, eosque in captiuitate detinuerunt. ita Theodor.

Mysticè, id verius in Apostolis & eorum sequacibus, quibus Deus viam patefecit per terras, maria & flumina, vt omnes gentes adirent, easque Ecclesiæ aggregarent, iuxta illud Isaiæ 11.15. *Et desolauit Dominus linguam Aegypti, & leuauit manum suam super flumine in fortitudine spiritus sui, & percutiet in septem riuis, ita vt transeant per eam calceati.* Sicut Augusto Cæsari Ægyptum inuadenti, viamque per suam monarchiam in Ægyptum & in omnes gentes Apostolis pandenti, contigit, vti ibidem dixi. ita S. Hieron. Cyrill. Clarius, Arias, Vatabl. & alij. Vbi Nota. in Scripturis hostes Ecclesiæ Dei vocantur Ægyptij, Assyrij, Chaldæi: quia hi fuerunt hostes Israelis & Synagogæ, quæ fuit quasi aurora & parens Ecclesiæ.

CONFVNDENTVR OMNIA PROFVNDA FLVMINIS] *Fluminis*, id est fluminum, sed dicit *fluminis*, quia alludit ad Iordanem siccatum à Iosue. Dices, quid est τὸ *confundentur*? Respondent aliqui, *confundentur*, id est, commiscebuntur, & ut Iordanis aquæ à Iosue diuisæ, repressæ, & in vnum locum coactæ, intumescentes confusæ, id est, commistæ & conuolutæ fuerunt. Verum Hebr. בוש *bosç*, non significat commiscere, sed confundere, id est, pudefacere. Dico ergo flumina metaphoricè dici confundi & pudefieri, cùm suo alueo, quasi suo iure & hereditate, communi naturam priuantur, ab eoque vi expelluntur. Si enim haberent sensum & sanguinem, vtique ob hanc vim & quasi ignominiam, quam inuitè subeunt, pudefierent & erubescerent, quòd suo loco violenter excedere, eumque hominibus potius Hebræis, cedere debeant. Sic iratus confunditur, cùm iram suam explere nequit, dum illa à potentiori quopiam reprimitur & infringitur. Confundi ergo profunda fluminis, idem est quod siccari. Vnde pro *confundentur*, Pagnin. & Tigur. vertunt, *siccabuntur*, & ita ad verbum nunc est in Hebræo. Nam הוֹבִישׁוּ *hobisçu*, propriè deducitur à יָבֵשׁ *iabasç*, id est siccare; Noster deduxit à בוש *bos*, id est, confundi, pudefieri: quare videtur legisse alio puncto הֹבִישׁוּ *hebisçu*. quamquam ordines verborum imperfectorũ apud Hebræos sæpè confunduntur, ac verba quiescentia *vau*, tempora sua mutuantur à quiescentibus *iod*, putà *bos* à *iabas*, & sic *hobisçu* ponitur pro *bisçu*. Simili modo dixit Ioël cap. 1.10. *Confusa est vinum*, & v.12. *Vinea confusa est*, id est siccata est, elanguit, euanuit. Vide ibi dicta. Iam sensus huius loci est is, quem paragrapho præcedenti assignaui.

CONFORTABO EOS IN DOMINO (in me qui sum Dominus. Est enallage: loquitur enim Deus de se in tertia persona) ET IN NOMINE, id est virtute, potentia & inuocatione, EIVS AMBVLABVNT] pergentque strenuè & alacres Iudæi in Ierusalem, fideles in Ecclesiam militantem in terris, & ex ea in triumphantem in cælis.

CAPVT VNDECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRædixit Zacharias cap. 10. Machabæorum bella & victorias, nunc prosequitur ea quæ post illos futura erant, & obuentura Iudæis per Romanos. Hoc ergo capite prædicit excidium Hierosolymæ, putà vrbis & templi, iam recèns à Zorobabele, & Iesu filio Iosedec aedificati, faciendum à Tito & Romanis, idque ob Iudæorum peccata, præsertim ob Christum ab eis occisum & venditum triginta argenteis. Quare vt peccata hæc declinent, itaque excidium euadant, Deus Zachariam facit pastorem, id est Prophetam, vt futura hæc prædicat & commineatur. Hinc v.7. sumit duas virgas pastoritias, quibus quasi pastor, populum quasi gregem suum pascat: vnam vocat Decus, id est, decoram & gratiosam: alteram vocat Funiculum, quo constringuntur & plectuntur rei. Hisce repræsentat duos prouidentiæ & regiminis modos, quibus vti in Israele regendo iam antea vsus, ita deinceps vsurus erat Deus. nimirum virga cui nomen Decus, repræsentat amorem, promissa & beneficia, quibus Deus Iudæos ad se vti olim allexerat, ita per Machabæos eorumque posteros allecturus erat vsque ad Christum, qui fuit decus, amor & gratia Dei Patris effusa in Iudæos: altera cui nomen Funiculus, repræsentat timorem, minas & plagas, qua Deus post priorem amoris virgam in morte Christi confractam, pauit & exagitauit Iudæos per Romanos; quam quia pariter spreuerunt, hinc & hanc virgam confregit, eosque abs se abiecit, omnemque eorum curam ac prouidentiam deposuit; ac eos v.15. pastori stulto, cuius formam & habitum induere iubetur Zacharias, vt eum populo repræsentet, pascendos, id est perdendos & mactandos, tradidit.

Aperi

APeri Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas.

2. Vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt: vlulate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus.

3. Vox vlulatus pastorum, quia vastata est magnificentia eorum: vox rugitus leonum, quoniam vastata est superbia Iordanis.

4. Hæc dicit Dominus Deus meus: Pasce pecora occisionis.

5. Quæ qui possederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, dicentes: Benedictus Dominus, diuites facti sumus: & pastores eorum non parcebant eis.

6. Et ego non parcam vltrà super habitantes terram, dicit Dominus: ecce ego tradam homines, vnumquemque in manu proximi sui, & in manu regis sui: & concident terram: & non eruam de manu eorum.

APERI LIBANE] Quæres, quid hîc significet Libanus? Theodor. & Chald. putant significare gentes vicinas & hostiles Iudæis, quales erant Syri, Idumæi, Moabitæ: Libanus enim erat terminus Iudææ, & initium gentium, putà Syrorum versus Aquilonem. Censent ergo hîc gentibus excidium intentari, eò quòd Iudæi redirent è Babylone, templique & vrbis reparationem inuiderint, & pro viribus impedierint. Verùm sequentia omnia Iudæos spectant non Gentes, ac in primis illud v. 3. *Vastata est superbia Iordanis.* Quocirca cæteri omnes, vt S. Hieron. Cyrill. Haymo, Remig. Hugo, Lyran. Dionys. Vatabl. Arias, Ribera, Mariana, Sanchez, à Castro & alij constanter & vnanimiter censent, per Libanum hîc accipi Ieruſalem & templum. Primò enim tam vrbs quàm templū in Iudæa æquè ac Libanus mons inclytus in Syria eminebat. Secundò, vtrumque ex cedris Libani erat constructum. Tertiò, domibus & aedibus abundabat, vt Libanus & silua abunde arboribus. Quartò, quia Ieruſalem alebat tyrannos, raptores, prædones, vti Libanus alit lupos, leones, vrsos, aliasque feras, eaque de causa vastata est. Quintò, quia templum candore lapidum candicabat, vti Libanus candore niuium, teste Iosepho l. 6. Belli, indeque dictus est Libanus à לבן *laban*, id est albus, candidus: vel à לבונה *libona*, id est thus, quia thuris est ferax. Templum ergo quod iam cum vrbe ædificabatur, Zacharias hîc vocat *Libanum*, eiusque finem & exitum in eius initio prædicit. Vnde Chald. pro Libano vertit, *templum*. Simili modo Ezechiel cap. 17. 3. Ieruſalem vocat *Libanum*. Vide ibi dicta. Denique alludit ad domum regiam salebat Libani, in Ieruſalem ædificatam à Salomone 3. Reg. 8. 2. Iam censent aliqui hîc prædici vastatū, quam Antiochus Epiphanes vrbi & templo intulit tempore Machabæorum, cùm pastor & idolum de quo v. 17. fuit impius Iason, qui vti simoniacè pontificatum emit ab Antiocho, ita

Cornelius Prophet. Min.

A sceleratè eum administrauit, colens Herculem & deos Antiochi. Verùm quia hic intrusus fuit pontifex, quem mox excluserunt Machabæi pontifices & principes legitimi, sub quibus maximè floruit Dei templique religio; hinc melius Vatabl. Ribera, à Castro & alij passim censent hîc agi de vastitate vrbi & templo illata per Titum & Romanos. Hi enim funditus combusserunt & diruerunt tam vrbem, quàm templum; cùm Antiochus illud non destruxerit, sed tantùm suis sacrilegijs profanarit. ita S. Hieron. Haymo, Remig. Albert. Hugo, Dionys. Vatabl. Arias, Ribera. Sensus ergo est: *Aperi Libane portas tuas*, q. d. O Ieruſalem & templum iam recens extructum tabulis cedrinis ex Libano allatis, aperi Romanis venientibus portas tuas, quia illis non poteris resistere: frustra enim illis eas claudes, quia ipsi sua vi & robore omnia perfringent. B Huius rei symbolum & præsagium fuit, quod Ioseph. lib. 7. Belli cap. 12. narrat ante captam à Tito vrbem, Orientalem portam templi æneam, quæ vix à viginti viris claudi poterat, sponte sua hora 6. noctis in paschate fuisse apertā. Huc pariter facit, quod tradunt Hebræi, & ex ijs R. Dauid, Lyran. & Galatin. lib. 4. cap. 8. nimirum 40. annis ante euersum templum à Romanis, portas templi quæ vespere claudebantur, nocte sponte fuisse reseratas, ac summo manè venientem eo R. Iohanan filium Zachai, qui inter Rabbinos eminebat, dixisse: *O domus, ô sacra domus, quid tibi vult quòd tu tibi timeas? Equidem scio interitum tibi ac vastationem imminere, & iam olim vaticinium illud de te editum fuisse: Aperi Libane portas tuas.* Quod si verum est, aptè huic loco cō- C gruit: vbi solerter conijcit Ribera, portas templi sponte sua apertas fuisse eo die præcisè, quo Christus mortuus est in cruce, & velum templi scissum est à summo vsque deorsum. Conuenit enim tempus scilicet quadragesimus annus ante vrbis excidium, quo Christus passus est: excisa est enim vrbs anno secundo Vespasiani, qui fuit ab ortu Christi 73. teste Euseb. in Chronic. Deinde in paschate passus & mortuus est Christus; perinde ac in paschate portas templi reseratas scribit Iosephus.

Moriente Christo porta templi aperta sunt.

ET COMEDAT IGNIS CEDROS TVAS] Primò ad literam, q. d. Sicut ô Ieruſalem nuper vidisti tuas magnificas ædes & palatia ex cedris, abietibus & quercubus constructa comburi à Chaldæis, ita rursum idem visura & passura es à Romanis. Secundò & meliùs, symbolicè cedri D vocantur summi Principes & Pontifices: abietes, Præpositi, Senatores, Consules & Præfecti minores: quercus, diuites & fortes viribus. Vnde Chald. vertit, *satrapæ prouinciarum*. q. d. Ignis hic tuæ vastitatis & incendij afflabit & consumet omnes tuos principes, præfectos, nobiles & diuites. ita S. Hieron. Cyril & Euseb. lib. 8. Demōstr. cap. 4. vnde explicans subdit Propheta:

VLVLA ABIES QVIA CECIDIT CEDRVS] q. d. Vlulate senatores & magistratus minores, quia ceciderunt principes, qui vos alebant & protegebant, ac proinde & vos pariter cadetis, occidendi, vel capiendi à Tito & Romanis. Hoc est quod subdit: *Quoniam magnifici* (principes) *vastati sunt*. Est ergo paroemia. VERS. 2.

VLVLATE QVERCVS BASAN] Putà potentes & opulenti, qui inter Iudæos eminetis sicut

quercus in Basanitide. Chald. vertit, *vlulate satrapæ prouinciarum.*

QVONIAM SVCCISVS EST SALTVS MVNITVS] putà Ierusalem munita, quam vocat saltum vel siluam, quia persistit in metaphora Libani, montis & siluæ.

VERS. 3. VOX VLVLATVS PASTORVM] Aliqui, vt à Castro, censent Prophetam loqui præsentibus Iudæis, qui dolebant fabricam templi secundi non æquare magnificentiam primi. q.d. Dolent nunc magistratus, quòd videant adeò extenuatã templi magnificentiam: rugiunt principes vt leones, quia vident modò splendorem illum antiquum Ierusalem obscuratum. Verùm non est quòd doleatis, sed periculo præterito edocti, gratias agite de præsenti licèt minori felicitate; quod opportunè admoneo vos, ne à statu in quo nunc estis, decidatis in similem captiuitatem, à qua nunc estis liberati. Verùm quia hæc pertinent ad præcedentia, in quibus futurũ à Romanis vrbis templiq; excidium clarè prædixit, hinc eôdem referenda sunt. q.d. Videor mihi eminus ex alta prophetiæ specula videre extremam Hierosolymæ cladem, ac in ea audire vlulatus ciuium, præsertim pastorum, id est, sacerdotum & pontificum: quia vastata est magnificentia eorum, quia scilicet combustum est magnificum templũ, eiusq; vasa & vestes, quibus magnificè vestiti incedebant pontifices, & cuius oblationibus & opibus splendidè viuebant. Euersa ergo magnificentia templi, euersa est magnificentia sacerdotum. Videor quoque mihi audire vlulatum principum & magistratuum, quasi rugitum leonum, qui auarè & tyrannicè dominabantur populo, in eumq; quasi leones ferociter, superbè & rapaciter grassabantur. Hi enim rugiunt & vlulant, quia VASTATA EST SVPERBIA IORDANIS] putà superba eorum palatia, prædia, villæ, agri & siluæ, quæ iuxta Iordanem possidebant, vt eius fluentis irrigarentur, fierentq; fertilia ad fructum, æquè ac amœna ad aspectũ. Alludit ad leones, quorum copia erat in siluis iuxta Iordanem. Hi enim agris & siluis à Romanis vastatis, gregibusq; ibidem pasci solitis, occisis, vel abductis, pariter rugiebant, eò quòd latibulis, æquè ac gregum prædis esciq; suis priuati, vel fame mori, vel aliò migrare, cogerentur. Hinc illud Cantic. 4. 6. *De vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Sanir enim & Hermon erant iuxta Iordanem. ita Clarius, Arias, Vatabl. & alij. Addit S. Hieron. exsiccatum partim à Deo partim à Romanorum copia fuisse Iordanem; quocirca leones præ siti irrugiisse. Vnde Chald. vertit, *quia exsiccata est propter eos elatio Iordanis.* Solet enim Iordanis affluentibus aquis ex resolutione niuiũ efferri & intumescere. Septuag. *quia miser factus est fremitus Iordanis.* Solent enim aquæ copiosæ inter se, vel ad saxa allisæ fremere. Nam Hebr. *geon* significat magnificentiam & arrogantiam, quæ fremitus est causa.

VERS. 4. PASCE PECORA OCCISIONIS] Putà Iudæos occisioni à Romanis, quasi oues & pecora destinatos.

Quæres, ad quem, & à quo dicitur *pasce*? Respondet Theodor. & ex eo Ribera, id dici à Patre æterno ad Christum filium iam incarnatum. q.d. Tu, ô Christe, fili, pasce & doce Iudæos, si A quo modo pœniteant, & ad te conuertantur, itaque euadant excidium Romanorum, cui à me addicti sunt.

Simpliciùs S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. Vatabl. & alij, censent hæc esse verba Dei ad Zachariam. q.d. Ego te, ô Zacharia, constituo pastorem, id est Prophetam, vt tuis hisce oraculis pascas, doceas & moneas Iudæos futuros e futuro excidio, vt illud ipsi per pœnitentiam & mutationem vitæ declinare & effugere valeant. Id ita esse patet, quia Zacharias ibidem hic habitum pastoris, ideoque duas virgas pastoritias assumit, vnam nominat Decorem, & alteram Funiculum, sicut mox v. 15. assumit secundam pastoris stulti: quod de Christo dici nequit. Hinc Chald. vertit, *vaticinare aduersus gubernatores, qui constituti sunt ad gubernandum populum meum, & ipsi dominati sunt in eos quasi in oues occisionis, dicentes: Non imputabitur nobis in peccatum.* Vbi Nota Iudæos hic vocari oues vel *pecora occisionis.* Primò, quia in eos quasi oues impune grassabantur principes & pontifices, eosq; vel in corpore, vel in anima expilabant & iugulabant praua sua doctrina & vita, vti eis exprobrat Christus Matth. cap 23. ita ex Chaldæo Theodor. & patet ex eo quod sequitur: *Quos possederant, occidebant.* Oues ergo *occisionis*, & *escarum*, vti vocantur psalm. 43. 12. sunt quæ non seruantur ad lanam aut lac, non vt tondeantur vel mulgeantur, sed vt occidantur & deuorentur. Sic Ierem. 12. 3. *Congrega*, ait, *eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.* Secundò, quia occisioni & gladio Romanorum B sua scelera, cum suis principibus & pontificibus erant destinati cædique deuoti, ita S. Hieron. Remig. Hugo, Vatabl. & alij passim. Rationem dat à Castro: nam iubetur, inquit, Zacharias si pastoritiam artem exerceret, repræsentare officium pascendi, quo Deus populum suum per C uit diuersis temporibus, & deinceps pastor erat. Et rationem huius personæ, & quasi fabulæ assumendæ docet Deus esse, quòd iniqui pastores fuerint causa, cur ipse populum deseruerit, & cum pastoribus in captiuitatem duci permiserit à Chaldæis, & rursum duci permissurus sit à Romanis. Dicit igitur Deus: Age, ô Zacharia, sume personam pastoris sapientis, & pasce oues meas, quas stulti pastores & occidunt & occisioni parant: nam illi quibus eas curandas commisi, iugulant eas, sua lucra quærentes non eorum salutem; nec de hoc scelere dolent, quasi nullam culpam commiserint; & vendunt eas, & auctD pretio laudãt Deum, dicentes: Benedictus Deus quia sumus ditati: itaque pastores hi non pascunt ouibus, sed eas impune expilant & macta Simili schemate vtitur Ieremias c. 23 1. *Væ pastoribus, qui disperdunt & dilacerant gregem pascuæ meæ.* Et Ezechiel c. 34. 2. *Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos, &c. quod crassum erat occidebatis, gregem autem Domini non pascebatis.* Vide dicta. Ita à Castro, & rectè, nisi quòd ipse hæc censeat dici de pastoribus præteritis, non de futuris, cùm potiùs, vt dixi, hæc, vtpote oracula de vrbis excidio, spectent futura, & pastores suos vsque ad tempora Christi & excidij Hierosolymæ. Illis enim iniquis, impijs & tyrannis opponit suum pastoratum, & regimen æquum pium & paternum.

ET VENDEBANT EA] scilicet pecora. q.d. Hi pseudopastores ex gregibus sibi commissis quæstum faciebant, eis eorumque filijs, seruis, operis, ac ad sua lucra per vim & fraudem abutebantur, perinde ac si eos ad suum quæstum emendissent. Est catachresis.

ET EGO NON PARCAM EIS] Aliqui futurum accipiunt pro præterito, scilicet *non parcam*, id est non peperci, *eis*, putà Ægyptijs, eò quòd populum meum oppressissent: aut potiùs *eis*, scilicet Israelitis, eò quòd fecerint schisma à me & à domo Dauid. Hac enim de causa tradidi eos regibus impijs, qui eos tyrannicè expilarent, imò feci vt in sese inuicem grassarentur, & mutuò se perniciosa odia, fraudes & cædes conficerent. ita à Castro.

Melius alij futurum propriè vt sonat accipiunt, censentque id impletum sub Aristobulo & Hircano, qui cùm de pontificatu & principatu contenderent, vocarunt in auxilium Pompeium & Romanos, à quibus subacti, spoliati & vastati sunt. ita Theodor. aut potiùs sub Tito & Vespasiano, quando Zelotæ alijque Iudæi mutuò sese expilarunt & mactarunt, teste Iosepho lib. 6. Belli c. 2. & 4. Et traditi sunt *in manus regis sui*, id est principum suorum factiosorum, vt ait Vatabl. aut Herodis Agrippæ, Vespasiani & Titi, qui totam Iudæam perdiderunt. ita S. Hieron. Albert. Hugo, Arias & Vatabl. Romani enim Imperatores vocantur reges Iudæorum, tum quia in passione Christi Iudæi eos, vt suos Cæsares agnouerunt & professi sunt, dum coram Pilato clamarunt: *Non habemus regem, nisi Cæsarem*: tum quia Romani eos bello subegerunt, an iure, an iniuria non disputo.

7. Et pascam pecus occisionis propter hoc, ô pauperes gregis. Et assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui Decorem, & alteram vocaui Funiculum: & paui gregem.

8. Et succidi tres pastores in mense vno, & contracta est anima mea in eis: siquidem & anima eorum variauit in me.

9. Et dixi: Non pascam vos: quod moritur, moriatur; & quod succiditur, succidatur: & reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui.

10. Et tuli virgam meam, quæ vocabatur Decus; & abscidi eam, vt irritum facerem fœdus meum, quod percussi cum omnibus populis.

11. Et in irritum deductum est in die illa: & cognouerunt sic pauperes gregis, qui custodiunt mihi, quia verbum Domini est.

ET PASCAM PECVS OCCISIONIS] Theodor. Vatabl. Ribera, & alij, censent hanc esse Christi vocem ad suos Apostolos, & primos fideles è Iudæis collectos, quos ob humilitatem, paupertatem & imbecillitatē vocat *pauperes gregis*, quasi Christus hic significet se velle Patri suo obedire & obsequi, vt quantum in se est Iudæos pascat, & iram clademque eis à Deo decretam auertat. Verùm hoc mysticum & allegoricū potiùs est, quàm literale. Ad literam enim Propheta hîc à Deo constitutus pastor v. 4. vbi ab eo audiuit: *Pasce pecora occisionis*, hoc verbo onus pascēdi suscipit, Deoque respondet: *Pascam pecus occisionis*. Vnde ex Hebræo vertas, *& paui*, vel pascere cœpi; Noster vertit, *& pascam*, vt significet continuationem & diuturnitatem pascendi. ita S. Hieron. Remig. Lyran. & Arias. Porrò Zacharias fuit pastor, non verus & literalis, sed mysticus & symbolicus, pauitque Iudæos suis hisce oraculis, quibus iussu Dei pastoris habitum virgamque assumit, ac pastoris veri munia, Dei, inquā, circa Iudæos gubernationem repræsentat, sicut v. 15. ex aduerso induit vasa pastoris stulti, vt eius mores populo in se exprimat & ostentet.

PROPTER HOC, Ô PAVPERES GREGIS] Supple attendite ad ea quæ dicturus sum. ita S. Hieron. Remig. Albert. & Hugo. Secundò, Arias, Vatabl. à Castro & alij, q.d. Quia oues hæ sunt occisioni destinatæ, & quia à Deo constitutus sum earum pastor, propter hoc pascam eas, præsertim vt vos ô pauperes gregis, tum ab occisione, cui reliqui certò destinati sunt, tum è manu improborum pastorum vestrorum liberem. Vnde Arias vertit, *pascam oues occisionis propter vos ô pauperes gregis*; vt Hebr. לָכֵן *lachen*, non sit aduerbium, significans *propter hoc*, sed pronomen, significans *vobis*, ita vt *lachen* femininū ponatur pro לָכֶם *lachem* masculino. *Pauperes gregis* vocat inopes in populo, præsertim simplices, innocentes, mansuetos & iustos, propter quos Deus cæteris impijs ad tempus pepercit, pascens eos per Prophetas & ad pœnitentiam prouocans. ita Theodor.

ET ASSVMPSI MIHI DVAS VIRGAS] duos baculos pastorales, vt pastoris habitum, æquè ac officium assumerem. Vnde subdit: *Et paui gregem.*

VNAM VOCAVI DECOREM] Hebr. נֹעַם *noam*, id est decor, species, iucunditas, gratia, amabilitas, suauitas, mansuetudo. Vnde socrus Ruth vocabatur Noëmi, dicebatque: *Ne vocetis me Noëmi, id est pulchram, sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine valdè repleuit me Omnipotens*, Ruth 1. 20. Hæc virga significat regimen suaue per amorem & beneficia, non per minas & supplicia. Vnde Vatabl. *Hæc*, ait, *fuit clementia Christi, qua vsus est dum assumpsit carnem.* Quocirca Syrus vertit, *vnam vocaui suauem*, vel *iucundam*; Arabicus Antioch. *vnam vocaui facilitatem*, vel *benignitatem*; Alexand. *vnam vocaui decus.*

ET ALTERAM VOCAVI FVNICVLVM] Hebr. חֲבָלִים *chabalim*, id est funiculi. ita Septuag. Aquila, Symmach. & Noster. Hinc & Syrus & Arabicus vterque vertit *funem*. Hic significat regimen durum, seueras leges & edicta, quibus populus quasi funibus colligatur, constringitur, & si peccet flagellatur, vincitur, illaqueatur. Iam Hebræi aliter punctant leguntque חֹבְלִים *chobelim*, id est, colligantes, naucleri, gubernatores, & per antiphrasin dissipantes, corruptores. Porrò quia funiculis olim dimetiebantur hereditates, hinc funiculus metonymicè significat hereditatem, siue sortem & partem hereditatis, quæ cuique per funiculum dimetienti obtingebat. Rursum funiculus significat cœtum & congre-

gationem. Sicut enim ex multis filis contortis conflatur funiculus, sic ex multis hominibus cõgregatis fit cœtus & populus. Vnde Euseb. l. 10. Demonstr. Euang. cap. 4. per *decorem* accipit legem veterem, quæ data est, inquit, *funiculo*, id est, cœtui & populo Israel, qui erat funiculus hereditatis, id est sors & hereditas, Dei.

Duæ virgæ quid? Resp. Primò.

Quæres, quale est hoc virgarum hieroglyphicum? quid symbolicè hæ duæ virgæ ad literam significant? Primò, S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo & Ribera, duas has virgas accipiunt duo fœdera, duplexque regimen prouidentiæ Dei. Prius initum cum Noë, omnibusque hominibus, Genes. 9. 9. quod hîc dicitur Decor, quia decebat Deum hoc vniuersale in homines imperium, omniumque cura: posterius initum cum Abrahã, & eius posteris, putà 12. tribubus Israel, Genes. 17. v. 7. quod proinde dicitur Funiculus, vel, vt hebr. est, funiculi. q. d. Sors hereditaria, quã Dominus sibi ex omnibus gentibus, in populum & Ecclesiam elegit, fuit posteritas Abrahæ, siue populus Israel.

Secundò.

Secundò, S. Cyrillus censet funiculum repræsentare vetus testamentum, vtpote Iudæos stringens, coarctans, vinciens & flagellans: decorem referre nouum testamentum, siue legem gratiæ.

Tertiò.

Tertiò, alij censent per decorem significari duces & reges iustos pioque; per funiculũ verò iniustos & impios. Ita R. Moses lib. 2. Direct. c. 44. per decorem accipit Mosen, Iosue & sequẽtes: per funiculum, Roboam & posteros, partim idololatras, partim sceleratos. Alij per decorem accipiunt regnum duodecim tribuum, sub Dauide & Salomone vnitum: per funiculum verò idem regnum, in duo sub Roboam diuisum. Alij per decorem accipiunt regnum Iuda, per funiculũ regnum Israel, siue decem tribuum. Accedit Chald. qui per decorem accipit regnũ Ieroboam, qui decem tribus à tyrannide Roboam vindicauit & in libertatem asseruit: per funiculũ, regnum Roboam, minax initio & tyrannicum. Verùm hæc omnia iam erant præterita, ad quæ licèt alludat Propheta, tamen propriè vaticinatur de futuro. Quocirca Arias per decorem accipit Machabæos, primos populi vindices, putà Iudam cum fratribus: per funiculum autem eorum posteros, qui violenter regnum regiumque nomen sibi arrogarunt.

Quartò.

Quartò, alij per decorem accipiunt initium prædicationis Christi, quod fuit suaue & blandum: per funiculum, finem eiusdem, qui fuit minax excidij, iudicij & gehennæ, vt patet Matth. 23. 24. & 25.

Quintò, genuinè.

Quintò, & genuinè, virga vocata Decor, significat regimen amoris per consolationes, monitiones & beneficia, quod post tempora Zachariæ Deus exhibuit Iudæis per Machabæos, & maximè per Christum. Altera virga vocata funiculus, significat regimen terroris, quo vsus est Deus cùm vidit Iudæos priori virga amoris & lenitatis abuti, & indurescere, scilicet post mortem Christi, cùm per Romanos eos exagitare cœpit, ac tandem funditus euertit, vt Iudæi omnes vel occisi, vel capti & funiculis colligati fuerint, & tunc quisque suum funiculum, id est, sortem & pœnam pro meritis accepit, ideoque hebr. est *funiculi*. ita Vatablus.

Hoc ergo vtrumque tempus & regimen Dei vtraque virga assumpta significat Zacharias, quasi Dei vicarius & Propheta. Ipse enim quasi pastor duplicis virgæ, Deum pastorem duplicis regiminis, scilicet amoris & timoris, repræsentat. Hunc esse sensum patet, Primò, ex eo quòd hoc oraculum Prophetæ sit de futuro non de præterito. In futuro autem non possumus commodiùs explicare, nec assignare symbolũ virgæ decoris & funiculi, nisi eo modo quo iam exposui. Secundò, idipsum patet ex rei euentu. Nam Primò, decorum fuit Dei regimen circa Iudæos tempore Machabæorum & Christi, deinde terribile & funestum tempore Romanorum, Neronis & Vespasiani. Tertiò, quia paulò pòst dicit Propheta, se vtramque hanc virgam confregisse, quia scilicet Deus planè à se abiecit & reprobauit Iudæos, quod de alio tempore quàm Christi & Titi, dici nequit. Quartò, quia v. 14. hanc virgam decoris confractam esse significat in morte Christi, ob eius venditionem & cædem, quia scilicet eum Iudæi appretiarunt, emerunt que triginta argenteis.

Moraliter, principes, magistratus, Prælati, rectores, &c. discant hîc à Dei prouidentia & regiminis modum regendi, nimirum vt quamcunque ex se est, subditos regant decore, id est humanitate, amore, clementia, misericordia, beneficentia, promissis & præmijs. Sic enim erit נעם *noam*, id est decorum, elegans & speciosum regimen: Dei enim sapientia totum orbem ita regit & gubernat, vt attingat à fine vsque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter, Sap. 8. 1. Quòd si aliqui duri & seruilis ingenij amore regi nolint, talibus exhibeant virgam funiculi, qua eos regant quasi ceruicosos & brutos, mulctis, pœnis & supplicijs. Hanc enim esse optimam regendi methodum docet hîc Zacharias, ipseque vsus & experientia, probatus à Gentilibus, æquè ac à Christianis. Audi eorum hac de re sensa & gnomas.

Archytas Pythagoric. de lege & iustitia: *Oportet*, inquit, *verum principem non rectè tantùm imperare scire ac posse, sed & humaniter. Turpe enim fuerit pastorem oues odisse, & pecoribus suis infensum esse.* Xenophon in Pædia Cyri asserit, *bonum principem nihil differre à bono patre. Nam & parentes filijs prouident. Et Cyrus mihi nunc videtur ea maxima consulere à quibus maxima in felicitate possimus ad vltimum vsque finem perseuerare.* Seneca lib. 1. de Clementia cap. 5. *Principum*, ait, *crudelitas bellum est: clementia in quamcumque domum penetrauit, illam felicem & tranquillam parabit; sed in regia quo rarior, eo mirabilior. Magni animi proprium est placidum esse tranquillúmque, ac iniurias & offensas despirando despicere. Muliebre enim est furere. Ira non decet regem.* Et nonnullis interiectis: *Optimè Deus exemplum principibus constituam, vt se tales ciuibus præbeant, quales sibi Deos esse volunt.* Aristot. lib. 8. Ethicor. *Similis*, ait, *est comparatio regis ad subditos, patris ad filios, pastoris ad oues.* Pythagoras ita imperandũ esse principi dicebat, *vt subditi magis eum venerentur quàm metuant. Reuerentiam enim admiratio, timorem odium comitatur.* ita Stobæus serm. 46. qui & addit Pittacum censuisse, principẽ laudabilem esse qui efficit vt subditi timeant, non ipsum, sed pro ipso. Idem fuit Chilonis, Philonis, Musonij sensus, eadem sententia. Imper-

Atta-

Arexilaum Rhegij principem, interrogatum quid in principatu felicissimum esset? respondisse, Numquam beneficia conferendo vinci. Tiberius Cæsar, teste Suetonio, dicebat: *Boni pastoris* (qualis est Imperator) *esse tonderepecus, non deglubere.* Agapetus Diaconus de Officio regis: *Sicut oculus, ait, innatus est corpori, ita Imperator mundo adaptatus est à Deo, datus pro administratione rerum quæ vsui sunt. Oportet ergo eum hominibus quasi proprijs membris prospicere, vt proficiant in bonis, nec malorum offendiculo illidantur. Solis profectò parum sunt, illustrare radijs orbem. principis verò virtus est egenorum misereri.* Sicut animalia licèt robustissima & ferocissima, blanditijs tamen capiuntur & mansuefiunt; ita subditi licèt ab omni humanitate alieni, principis boni beneuolentia & humanitate facilè gubernantur, ait Dion. Nic. in Augusto. Plutar. in Moral. Musicus, inquit, chordas dissonantes non statim abijcit, neque inscidit, sed sensim intendens aut remittens ad concentum adducit; ita princeps leniter debet emendare peccantes, non protinus tollere. Tali enim sceptrum est plectrum, tali regimen est decus. non dedecus, cùm cæteri magistratum (id est decus ipsum) dedecorent, vti aiebat Cicero. Vide S. Hieron. epist. ad Pammach. *De Cæsare, ait, egregiè dixit Tullius: Cùm quosdam ornare voluit, non illos honestauit, sed ornamenta ipsa turpauit.* Plinius l. 11. c. 17. *Rex apum, ait, solus aculeum non habet, aut certè non vtitur. Adhæc corpore est grandior, & specie decentior, sed alis quàm cætera minoribus; ita principem oportet esse clementissimum, & à sua ciuitate nusquam auolare longiùs.* In Deo tria eminent, summa potentia, summa sapientia, summa bonitas: Rex est Deus terrestris: hunc ergo terrarum pro viribus absoluat. Nam potentia sine bonitate mera tyrannis est, sine sapientia pernicies, non regnum. Det ergo operam vt sapiat, & quàm maximè prodesse studeat omnibus; nam id est bonitatis. potestas autem ad hoc seruiat, vt quantum cupit prodesse, tantundem & possit, imò plus velit quàm possit: parcè nocere hoc minùs velit, quo magis potest. Deus vt pulcherrimum sui simulachrum in cælo condidit solem, ita in terris principem. At sole nihil communius, qui cæteris etiam corporibus cælebibus lucem suam impertit. Ita princeps publicis vsibus maximè debet esse expositus, & eorum sapientiæ lumen habere domi, vt etiamsi quid cæcutiant cæteri, numquam tamen ille hallucinetur. Quod cor est in homine, hoc princeps in republica: sicut ergo cor spiritus & vitam cæteris membris aspirat, sic & princeps subditis. Quod medicus in vrbe, hoc princeps in republica. ita Plutarchus in Moral. Porrò Claudianus in Panegyr. Probi Imp. eius liberalitatem ita celebrat.

Prompta illa manus fluuios superabat Iberos,
Aurea dona ferens.

Liberale est serere beneficium, vt metere possis fructum, ait Cicero iturus in exilium. *Potissima dos in principe est liberalitas & clementia*, ait Pompon. Lætus in Diocl. Demosthenes rogatus *quid boni similes faceret homines?* Respondit, *benignè facere.* ita Maxim. serm. 8. Xenophon dictitabat multò præclarius esse beneficiorum, quàm trophæorum multitudinem post se relinquere. ita Stob. serm. 46. Sic gloriosus fuit Cyrus, qui amicos quibus plurimum contulisset, diuitiarum suarum thesauros esse dicebat, ait Xenophon. Alexander, Iulius Cæsar, Augustus, Cōstantinus, liberalissimi fuerunt. Ptolemæus à beneficijs, Euergetes cognominatus est. Philadelphus aiebat, *magis esse regium ditare quàm ditescere*, ait Ælianus. Antigonus rex dictitabat, *regnum nō aliud esse quàm splendidam seruitutem.* Et sanè si rem penitiùs introspicias, quid est principatus, quid Cardinalatus, nisi purpurata seruitus, quæ cum splendore fidelium commodis seruit? Miraris? Summus Pontifex, qui est principum & purpuratorum apex & culmen, nō est aliud nisi seruus seruorum Dei: hunc enim titulum ipse sibi præfert eoque gloriatur. Sanè Hadriani VI. Pontif. & præceptoris Caroli V. sepulchro, in Vaticano inciſum fuit hoc elogium: *Hadrianus VI. hîc situs est, qui nihil sibi in vita infelicius duxit, quàm imperare.* ita P. Iouius in eius vita.

Porrò virga נֹעַם *noam*, id est decoris, pulchritudinis, iucunditatis, elegantiæ, gratiæ, multa poscit à principe & Prælato. Primò, humilitatem, vt se dimittat ad infimos, etiam rusticos & pauperes, eorumque querelas & grauamina præ alijs audiat, ijsque medeatur. Secundò, affabilitatem, vt se omnibus affabilem, comem & benignum præbeat, neminem auersetur aut duriùs compellet. Tertiò, æquanimitatem, vt subditorum infirmitates & murmurationes æquanimiter ferat, ijs non irascatur, non turbetur, sed eas toleret, sicut mater tolerat ineptias sui infantuli. Quartò, magnanimitatem, vt quasi angelus rebus humanis superior homines regat, vti pædagogus regit pueros: numquam cadat animo, etiamsi multos suis pijs conatibus obsistere aut reluctari videat, sed suauiter & fortiter omnes ad regulam æquitatis & pietatis inflectat. Quintò, patientiam, vt ferat constanter labores, molestias, ærumnas regiminis. Sextò, benignitatem & beneficentiam, vt præmiet supra meritum, puniat citra cōdignum. Sit instar apis, quæ vbique mella fundit, aculeum verò nonnisi in necessitate in hostes exerit: ita princeps omnibus benefaciat, nemini malè; nec suas, sed reipublicæ dumtaxat vlciscatur iniurias. Septimò, animi candorem & suauitatem, qua mulceat & consoletur afflictos, tristes, pusillanimes, melancholicos. Octauò, charitatem, quam omnibus vbique, etiam inimicis aspiret, vt videatur habere cor charitate in omnes dilatatum, plenum & ardens. Nonò, iucunditatem, vrbanitatem, gratiam dicendi & agendi, qua gratiosè loquatur, agat, imperet potiùs innuendo, quàm iubendo, potiùs exemplo quàm verbo: merentes honore & beneficentia præueniat; immerētes spe & promissis ad officium extimulet. Talis fuit Christus (de quo Zacharias hîc maximè loquitur) vt patet Isaiæ 42. 1. & sequ. & Isaiæ 11. 1. & seqq. Matth. 12. 18. & alibi. Talis fuit S. Petrus, S. Paulus, S. Iohannes. Talis S. Athanasius, S. Basilius, S. Gregor. S. August. Tales in Societate S. Ignatium, S. Xauerium, P. Laynes, alioque habuimus & habemus (Deo sit laus) qui omnibus animi sinceritatem, alacritatem, lætitiam, beneuolentiam, beneficentiam exhibeant & instillent: vt toti mellei semper mella, numquam fella fundere videantur.

Prima, dos principis humilitas.

Secunda, affabilitas.

Tertia, æquanimitas.

Quarta, magnanimitas.

Quinta, patientia.

Sexta, beneficentia.

Septima, candor.

Octaua, charitas.

Nona, vrbanitas.

ET SVCCIDI TRES PASTORES] Quinam hi tres? VERS. 8.

Tres pastores quit

tres? Primò, S. Hieron. Remig. Albertus, Hugo & Ribera, accipiunt Mosen, Aaron, & Mariam eorum sororem & Prophetissam: Moses enim erat pastor populi in ciuilibus, Aaron in sacris, Maria præerat feminis, Exodi 15.20. Eodem enim mense primo, putà Martio, quo mortua est Maria, lata est sententia mortis à Deo in Mosen & Aaron, Numer. 20.1. qui & paulò pòst eodem anno, qui fuit quadragesimus ab exitu ex Ægypto, mortui sunt, nimirum Aaron die 1. mensis 5. putà Iulij. Numer. 33.38. Moses verò die 7 mensis Adar, id est, Februarij. Deuter. 34.7. Huc sanè quasi ad præteritum alludit Propheta, sed aliud intendit prophetare de futuro. Secundò, alij intelligunt tres primos reges Israel, scilicet Saulem, Dauidem & Salomonem. Alij, vt Lyran. Ioram, Ochoziam, & Iezabel, quos Deus occidit per Iehu. Meliùs R. Dauid accipit tres Iosiæ filios & reges, scilicet Ioachaz, Ioakim, & Sedeciam, quos Deus per Chaldæos intra 22. annos regno priuauit. Verùm hi omnes iampridem succisi erant: hîc autem Propheta prophetat de futuro: narrat enim quomodo ipsemet pastor constitutus à Deo, per duas virgas pauerit & rexerit populum, vt hoc ipso eum duobus modis deinceps à Deo regendum repræsentet.

Quocirca Tertiò, aptiùs Arias tres pastores accipit Iudam, Ionatham & Simonem, fratres Machabæos, quos Deus vno mense annorum, id est, intra triginta annos sustulit; sed sub his tribus posteros, reliquosque populi principes vsque ad Christum intellige. Hi enim populum rexerunt vno mense, id est pauco tempore, virga decoris, & cum ea à Deo ob iniquitatem & rebellionem populi, præsertim dum Christo restitit eumque occidit, à Deo succisi sunt, vti sequitur. Alludit ad pastores gregum, qui conducti ad eum pascendum, vel pecorum indomita feritate, vel nimio labore fracti, primo mense munus pastoris resignant, & à grege discedunt. Sic enim Deus misit sæpè ad Iudæos bonos pastores, id est principes, Prophetas & pontifices pios, vnũ post alium continuò, sed hi vel Iudæorum peruicacia & malitia superati munus reliquerunt, vel tædio & labore consumpti sunt, vel à Iudæis occisi sunt, vt eis improperat Christus Matth. 23. 37. Quocirca Deus hoc munere pastores tales submittendi defessus, & quasi tædio victus, statuit eos omnes cum virga decoris succidere & abrumpere, ac populum quasi gregem indomitum permittere sibi, vt sine lege & rege exerret, quocumque ei libuerit.

Mysticè. Christus instituens Ecclesiam quasi nouam Dei rempublicam, intra mensem, id est breui tempore, sustulit triplices legis veteris pastores, scilicet principes, Prophetas & sacerdotes. ita Theodor. & Vatabl.

ET CONTRACTA EST, hebr. וַתִּקְצַר *vatticsar*, id est, angustiata est. q.d. Præ molestia & tristitia coarctata, & quasi contracta est anima mea IN EIS] id est, propter eos (eorum causa & respectu) Iudæos scilicet, ideoque abstuli abeis tres pastores iam dictos. Symmach. & Theodot. vertunt, *anima mea exanimata est*; Septuag. *grauata est*; alij, *nauseat in eis*.

SIQVIDEM ET ANIMA EORVM VARIAVIT IN ME] scilicet in meo cultu & in legis meæ obediẽtia. q.d. Nunc mihi obedientes fuerunt, nunc inobedientes, nunc me coluerunt, nunc suas cupiditates. Vnde Chald. *anima eorum detestata est cultum meum*: deseram ergo eos, quia ipsi prius deseruerunt me: detestor eos, quia ipsi prius detestati sunt me. Vnde Septuag. *anima eorum variegiebant super me*; Aquila, *anima eorum immaturuit in me*, id est stiptica, pontica, acerba (tales enim sunt fructus, v.g. pyra & poma immatura) fuit in me; aut me reiecit & euomuit, sicut os & stomachus reiiciunt & euomunt fructus crudos & immaturos; Symmach. *anima eorum inualuit in me*; Tigurina, *detestata est me*; Vatabl. *abhorruit me*; alij, *dissoluta est in me*; alij, *nauseat in me*. Hebr. enim בָּחַל *bachal*, per metathesin alludit ad חָבַל *chabal*, id est ligare: ligamus enim & fasciamus stomachos & membra dolore soluta & languida, vnde R. Moses loco paulò antè citato, pu- B alludi ad secundam virgam, quæ v. 7. vocatur *chobelim*, id est diffipantes, demolientes. q.d. Quia hi pastores sunt *chobelim*, id est, dissipantes gregem meum, idcirco anima mea בָּחֲלָה *bachala*, id est detestatur eos. Meliùs dicemus alludi ad חֲבָלִים *chebalim*, id est funiculi. q.d. Quia anima ipsorum *bachala*, id est detestatur me, hinc ego dabo ei virgam *chabalim*, id est funiculorum, eamque quasi ream funibus & vinculis cõstringam. Porrò per *eorum* & *eos* Iudæos intellige, tã subditos, tum pastores: vtrique enim recesserãt à Deo, licèt enim Iudas, Ionathas & Simon Machabæi, rectè pauerint populum, tamen non rectè pauerunt Aristobulus & Hyrcanus inter se de pontificatu decertantes item Scribæ, Pharisæi, pontifices & principes qui fuerunt sub tempora Christi. C

Alludit ad Hebræos in deserto, qui vanantes & fluctuantes animo, sæpè murmurarunt contra Mosen & Deum, volentes reuerti in Ægyptum ad porros & ollas carnium, ac nominatim Numer. 21.5. *Deest* inquiunt, *panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leui*, putà super manna. quibus murmuribus adeò & toties fatigarunt Mosen, vt ipse peteret missionem à Deo, ac tãdem dubitaret de Dei promissis, an scilicet Deus ex petra daturus esset aquas quas promiserat populo, idque ob populi malitiam & rebellionem: qua de causa & pastorata siue principatu, & vita à Deo priuatus est in deserto, Numer. 20.12. Similes, imò peiores fuerunt pontifices, Scribæ & Pharisæi tempore Christi: similis eis fuit populus, nauseans, vanans & mutans in lege & cultu Dei. ac proinde Deus pariter nauseans vtrosque abiecit, suumque regimen decoris & amoris, mutauit in regimen funiculi, id est terroris, minarum & verberum. Vnde subdit: D

NON PASCAM VOS] quasi dicat, Sicut pastores vestros ob murmura & scelera in deserto decorui, imò damnaui omnes ad mortem, vt scilicet omnes morerentur in deserto, & nemo eorum ingrederetur in terram promissam, Numer. 14. 22. Insuper serpentes, ignem, aliasque plagas eo simimisi, fecique vt alij alios rebellantes mactarent, vt patet Exodi 32.28 & Numer. 25. 4. ita pariter vos mihi rebelles, imò Christi, quem amantissimum & suauissimum vobis dedi pastorem, hostes & parricidas, deseram, daboque in prædam, ac perdam per Romanos, adeò vt in inuicem grassemini, mutuoque vos conficiatis.

& deuoreris. ita Clarius & Vatabl. Hoc enim est quod subdit:

QVOS MORITVR, MORIATVR; ET QVOD OCCIDITVR, OCCIDATVR: ET RELIQVI DEVORENT VNVSQVISQVE CARNEM PROXIMI SVI] q.d. Mors, succisio & deuoratio vestri non est mihi curæ permittam vos mori, succidi, deuorari: nec tantum permittam, sed & efficiam. Videtur ista flagella significare & comminari, scilicet pestem, bellum & famem. q.d. Desinam eos regere in clementia & mansuetudine, ac regam eos tribus hisce plagis, inquit Vatabl. Hac de causa Zacharias idipsum in se, suaque virga decoris quasi pastor repræsentans, eam conscidit & confregit, eiusque vice aliam minacem & sæuam sumpsit, quam proinde vocauit Funiculum. Vide aut:

ET TVLI VIRGAM MEAM QVÆ VOCABATVR DECVS, ET ABSCIDI EAM] q.d Sustuli hoc regimen meum meosque pastores, qui populũ meum regebant cum decore & amore, induxiq; aliud, quo eos rexi funiculis & flagellis, quasi mancipia, imò quasi boues & asinos. Itaque hæc virga decoris symbolicè, ad literam conscissa & diffracta est per Zachariam, vt ipso facto repræsentaret in morte Christi diffringendum esse regimen amoris, quo Deus eousque rexerat Iudæos.

VT IRRITVM FACEREM FOEDVS MEVM, QVOD PERCVSSI CVM OMNIBVS POPVLIS] Hinc S. Hieron. & alii putant hanc virgam decoris significare fœdus Dei cum Noë, omnibusque gentibus ex eo prognatis statim post diluuium initũ, quod ob earum idololatriam & infidelitatem paulò pòst rescidit, quando cæteris gentibus reiectis & reiectis, fœdus aliud & peculiare iniit cum solo Abraham eiusque posteris, scilicet Israelitis Genes. 17. 2. Verùm esto eò alludat Propheta, tamen propriè varicinatur de futuro, scilicet fœdus & regimen amabile & placidũ, quo Iudæos regebat & recturus erat, ob eorum rebellionem confringendum esse in morte Christi. Tunc enim irritum factum est fœdus Iudaicum, & vetus testamentum.

Dices. Quomodo hoc dicitur initum cum omnibus populis? nam constat initum cum solis Iudæis. *Resp.* quia tum non erat aliud fœdus Dei in mundo, quàm fœdus hoc Iudaicum, ac proinde quicumque è Gentibus huius fœderis Dei volebant esse participes, debebant fieri proselyti & Iudaismum capessere. Secundò, quia fœdus primùm à Deo cum Noë & omnibus gentibus initum, traductum est ad Abraham & Iudæos, in ijsque permansit, itaque quoad sui originem initum fuit cum omnibus gentibus, æquè ac quoad sui confirmationem & statum: non enim Gentes ab hoc fœdere exclusæ sunt, sed potiùs inclusæ: poterant enim illæ Iudaismum suscipere, itaque fœderi huic se inserere, præsertim quia Abrahæ fœderis huius principi dictum erat à Deo: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, Genes. 22. 18.

ET COGNOVERVNT SIC PAVPERES GREGIS] q.d. facile est, ex illo meo gubernãdi modo cognoscent humiles & mansueti, putà Apostoli cæteríque fideles qui custodiunt Dei voluntatem, decusque admirantes, Domini hoc verbum, id est, factum & opus esse, qui Iudæos impios impunè abire non sinit. Laudant ergo hoc Dei verbum in Iudæos iustum, in se verò misericors;

A perinde ac olim Abraham, Isaac & Iacob cognouerunt & laudarunt meum iudicium, quo fœdus in Noë cum gentibus initum, ob earum infidelitatem & apostasiam rescidi, nouumq; cũ Abraham & posteris iniui. Nota *tò qui custodiunt mihi*, id est, in mei gratiam, supple præcepta mea. Vnde Pagnin. & alij vertunt, *qui custodiunt me*, scilicet quasi pretiosissimum thesaurum, quo affatim sunt diuites, licèt aliàs sint pauperrimi; Chald. *qui custodiunt voluntatem meam*; Tigur. *qui obseruant me*, id est meum os, mea iussa, & mandata; Septuag. *oues quæ custodiuntur mihi*: qui enim peculium est Dei, vt dicere possit cum Apostolo: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*, huic vicissim peculium, sors & pars est Deus, eique dicere potest: Sors mea Dominus: *Dominus*
B *pars hereditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi*, psal. 15.

12. Et dixi ad eos: Si bonum est in oculis vestris, afferte mercedem meam; & si non, quiescite. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos.

13. Et dixit Dominus ad me: Proiice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad statuarium.

14. Et præcidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, vt dissoluerem germanitatem inter Iudam
C & Israel.

ET DIXI AD EOS] scilicet pauperes gregis, inquit S. Hieron. qui me volentem abire à cura pastorali retinere cupiebant, & consequenter idem dixi ad alios omnes, quorum eram pastor. q.d. Dixi ad Iudæos, Si me pastorem cupitis, curæ & laboris mei pretium ac mercedem mihi constituite: sin minùs, quiescite; ego pariter à vestri cura quiescam & abibo: nec enim pastor gratis pascit gregem, sed iustam pasturæ suæ compensationem deposcit. Hæc omnia dixit & gessit Zacharias, non reipsa, sed mentaliter per visionem imaginariam, ait Vatabl. videbatur enim sibi (Deo id ei in mente repræsentante) hæc dicere, poscereque pretium sui pastoratus, ac Iudæos illi statuere pretium triginta argenteorũ, quod cùm vile videretur, iussu Dei proiicere illud ad statuarium; vt per hanc visionem symboli- VERS. 12.
D cè repræsentaret pretium quo Iudæi æstimarunt Christum, eiusque in pascendo operas, dum eum triginta argenteis appretiarunt, emeruntque à Iuda, vt eum quasi pseudopastorem, imò tyrannum occiderent & crucifigerẽt. Christus enim pastor Iudæorum, pauit eos in virga decoris, quæ proinde in eius morte à Deo concisa & confracta est. Dicit ergo Zacharias in typo & persona Christi: *Si bonum*, &c. q.d. Si æquum vobis, ô Iudæi, videtur, mihi Deo vestro pro vobis incarnato, vosque in carne assumpta summo decore & dignatione pascenti, docenti & regenti, assignate & date mercedem iustam & debitam huic meæ in vos prouidentiæ, curæ & charitati, scilicet summam gratiarum actionem, obedientiam, honorem & cultum: *& si non*, q.d. Si id vobis non placet, vos non cogo: nec enim

vestra

vestra mercede, cultu aut laude indigeo. Ad Christum enim hæc pertinere ad literam, docet S. Matth. c. 27 9 Quocirca ex hoc loco planè confirmatur expositio duarum virgarum, quam v. 7. assignaui; applicando eas ad Christū eiusque tempora: Zacharias enim hic repræsentat Christum, tam in persona, quàm in facto suo, inquit à Castro. Nam sicut pro munere suo pastoritio exigebat pretium iustum, putà fidem & pietatem ex corde: ac pro eo datum est ei vile pretium triginta argenteorum: ita Christus postulabat à Iudæis pro suo euangelizandi munere vt sibi crederetur, & vt Messias Deique filius haberetur. At illi pretio triginta argenteorū eum æstimauerunt. Et sicut propterea indignatus Propheta, proiecit pretium, & eos qui illud dederant; ita Christus proiecit Iudæos, eosque tradidit Romanis deuastandos.

ET APPENDERVNT] in libra ad iustum pōdus. Olim enim pecunia non erat signata, sed ad certum pondus appendebatur, v.g. in pretium rei dabant tot vel tot drachmas, vncias, libras, talēta auri vel argenti. hinc & postea cùm pecunia signata fuit, certi ponderis esse debuit, & etiamnū esse debet. Quocirca siclus, qui erat communis moneta, vt esset iustus, ponderare debebat 4. drachmas, vti dixi Exodi 30. 13. quantum ponderant 4. Iulij Romani, vel 4. Regales Hispanici. Hinc & שֶׁקֶל *sęcel*, id est siclus, hebr. dicitur à שָׁקַל *sęakal*, id est, appendere, ponderare. Siclus ergo idem est quod pondus, scilicet certum auri, vel argenti.

TRIGINTA ARGENTEOS] scilicet siclos, inquit Maldonatus, Perer. Salmeron & alij in Matt. 27. Christus ergo à Iuda venditus videtur 30. siclis, hoc est, 30. florenis Brabanticis quo pretio serui occisi vita æstimabatur, & redimenda erat ab occisore, iuxta legem Exodi 21. 32. Seruo ergo eiusque vitæ Christus eiusque vita æquiparatur hîc à Iuda & Iudæis.

Verùm quia Ieremias c. 32 9. stateren, id est siclum, vt habent Hebræa, distinguit ab argenteis: ait enim, *Appendi ei argentum septem stateres, & decem argenteos*; & quia Budæus lib. 5. de Asse, quem sequitur Suarez, Ribera & alij, asserit se Parisijs vidisse nummum quo venditus est Christus, eumque appendisse tantùm duas drachmas Atticas, siue duos Iulios, aut duos Regales Hispanicos; hinc verisimilius videtur, argenteum fuisse dimidium sicli, & duplum denarij. Argenteus ergo sunt duo Iulij, vel duo Regales, putà dimidius florenus Brabanticus.

Christus venditus fuit sex aureis.

Quocirca Christus venditus 30. argenteis, venditus fuit 15 florenis Brabanticis, siue sex scutis, hoc est sex aureis Romanis. In hac sententia magis confirmatus sum Romæ, vbi in templo S. Crucis in Ierusalem, cum parte sanctæ crucis, clauo & spinis à S. Helena eò delatis, vidi nummum vnum ex hisce 30 argenteis, quibus venditus est Christus. Hic enim est instar duorum Regalium, imò minor Regali duplici decē assium, siue stuferorum, sed paulò crassior. Hinc quoque Zacharias hoc pretium per ironiam vocat *decorum*, id est, indecorum & vilissimum.

Hinc meruit esse pretium peccati.

Nota. Quia Christus tam vili pretio venditus est, hinc hac sui humiliatione & vili æstimatione meruit fieri & esse pretium nostræ redemptionis, itemque peccati, quod pari modo rem vilem A cum Deo appendit & appretiat. Peccator enim escam vnam, furtum vnius floreni, concupiscentiam vnam turpem, punctum honoris, &c. cum Deo opt. max. imò præ Deo appretiat, ponderat & æstimat, adeoque Deo ipsi anteponit, atque præeligit, cui tantæ in Deum iniuriæ & vilipensioni vt satisfaceret Christus, hinc similiter tam vili & indigno pretio vendi voluit, vt nos hinc nos doceret, patienter ferre nostri despectum, contumelias & probra. Quis enim nos ita despicit & vilipendit, vt non pluris æstimet triginta argenteis, quibus Christus æstimatus & vilipensus est? Grauissima enim fuit hæc ignominia & iniuria Christi, vt pote Filij Dei viui, & totius creaturæ Domini, cuius proprietas est esse ineæstimabilem: quia eius valor & dignitas est quasi vsquequaque infinita. Auxit iniuriam, quòd à discipulo, quem in Apostolum è tot millionibus hominum elegerat, sit venditus, idque inferiorib. Christi hostibus, eius sanguinem sitientibus. Tales enim erant Scribæ & Pontifices. Vnde eius typus fuit Ioseph, qui à fratribus fuit venditus Madianitis. Hinc illa Christi grauis querela Psal. 54. 13. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique*, &c. *Tu verò*, ô Iuda, *homo vnanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* Tropol. voluit Christus nobis dare exemplum heroicæ summæque humilitatis, mansuetudinis, patientiæ, charitatis, &c. imitandæ & exercendæ; ac nominatim Prælatis tolerandi, imò curandi difficiles, malos & rebelles subditos. Illi enim inquantum onus gubernandi aggrauant, in tantum virtutis meritum adaugent, & ait S. Bern. epist. 37. *In quantum grauatur, in tanto lucratur.* Ita S. Martinus Brictionem Clericum suum, assiduumque detractorem officio gerere noluit, dicens: *Si Christus passus est Iudam, ego non patiar Brictionem?* Hac patientia & humilitate adeò eum vicit, vt linguam vitamque mutarit, sanctus euaserit, & S. Martino in episcopatu successerit. Testis est Sulpitius dial. 3. de vita S. Martini. qui & addit, hæc omnia Brictioni prædicta fuisse à Martino.

Tropol. vili pretio vendunt Christum, qui Sacramenta, Beneficia, iustitiam, castitatem, &c. pretio temporali nundinantur & vendunt. Christus enim est veritas, iustitia, castitas. Salmeron in Matt. 27. Et S. Bernard. serm. 1. de Cena Domini: *Quid*, ait, *est vendere? aliena vendere. Omnem vendit, qui à se Dominum alienat.* O simoniace, *Christi te diabolus quærit auellere, te extra dominicum gregem Domini. Vide ne consentias ei. Te vult auellere. Caue à marsupijs: foueæ diaboli sunt. Iudas dum sitit lucrum, tendit ad laqueum: dum perdit vnam, luctatur mortem.*

ET DIXIT DOMINVS AD ME: PROICE ILLVD AD STATVARIVM] Hebr. יוֹצֵר *iotser*, communiter significat figulum, qui ex luto vasa fingit & format vasa vel statuas. Vnde Augustino teste Eusebio lib. 10 Demonstr. 4. vertit Arabs Tigurina, Arias & Clarius *figulum*. Sed *iotser* generatim significat eum qui ex ære, auro, argento, alioue metallo, vel materia quacunque aliquam, v.g. idolum vel statuam, effingit. Vnde Septuag. & Symmach. vertūt, *proice eum ad conflatorium*, id est ad conflatorem, putà ad monetarium, siue ad argentarium vel aurifabrum, qui

pōdus

pendent & cudit vel cõflat monetam, eiuſq; pre-
tium æſtimat, vt ſcilicet ille, cuius eſt pecuniæ va-
lorem æſtimare, iudicet an hoc ſit condignum mez perſonæ, æquè ac laboris & paſtoratus mei pretium. Hinc S. Hieron. vertit, *ſtatuarium*, quod nomen commune eſt ad figulum & conflatorem. *Per ſtatuæ atque fictore*, inquit S. Hieron. *ſtatuarium olim interpretatus ſum, verbi ambiguitate compulſus, quod ſtatuarium fictoremq́, uno ſermone ſignificat.* Tertiò, Child. R. Dauid, Pagnin. & Vatabl. cenſent יוצר *iotſer* poſitum pro אוצר *otſer*, id eſt theſaurarius, vel præfectus theſauri, ſcilicet templi ſiue domus Domini. Omnes hæ verſiones eodem tendunt. Iubet enim Deus hîc Zachariæ per viſionem imaginariam, vt hos triginta argenteos, quos ei pro mercede aſſignarant Iudæi, indignabundus proijciat in templo ad pedes ſacerdotes, præſertim theſaurarij templi, vt illi æſtiment ex eo veritatem huius pretij, idq́ue ad hoc, vt ipſo facto repræſentet venditionem Chriſti, & vilitatem pretij quo emptus eſt Chriſtus, eiuſq́ue ſanguis innocentiſſimus ad mortem, ideoq́ue ſacerdotes illud in corbonam non illaturos, ſed daturos figulo, vt ab eo emant agrum in ſepulturam peregrinorum, Matth. 27. 7.

A

B

Nota Primò, omnia hæc per viſionem facta eſſe. Videbatur enim Zacharias in phantaſia petere ſui laboris pretium à Iudæis, illi q́ue ei aſſignare triginta argenteos, ſed deinde eos proijcere in templo ad pedes theſaurarij. Cauſa fuit, vt hac viſione repræſentaret realem proiectionem argenteorum in templo, quibus vẽditus eſt Chriſtus, factam à Iuda. Fuiſſe enim viſionem, non realem acceptionem & proiectionem triginta argenteorum, colligitur ex eo, quòd Zacharias non fuerit paſtor, ſed Propheta populi. Vnde paſtoris pretium ab eo non potuit exigere; & ſi prophetandi, id eſt concionandi, mercedem exegerit, vtique ei non tam vilem, ſed decentem & honeſtam aſſignaſſet. Habebat enim Zachariam populus in honore & veneratione: nam ad eius prophetiam & inſtantiam fabricauit templum tam operoſum & ſplendidum, vt patet 1. Eſdræ 5. 1. Sic Ezechiel c. 1. reipſa non vidit currum cherubicum Dei, ſed per viſionem. Sic Iſaias c. 8. acceſſit ad Prophetiſſam, illaq́; peperit, non reipſa ſed per viſionem. Hinc Prophetæ vocantur Videntes. Si quis tamen non per viſionem, ſed reipſa hæc à Zacharia peracta eſſe contendat, ad Chriſti venditionem reipſa repræſentandam, non traham cum eo contentioſum litem, nec repugnabo, præſertim quia Zacharias reipſa videtur aſſumpſiſſe duas virgas paſtoritias, quarum vnam vocauit Decorem, alteram Funiculum; ac deinde reipſa induiſſe vaſa paſtoralia, vt ipſe v. 15. ait ſibi iuſſum à Deo. Simili enim modo Iſaias c. 20 reipſa nudus inceſſit, vt reipſa repræſentaret populi nuditatem & ſpoliationem. Similiter Ezechiel c. 4. reipſa obſidionem vrbis in latere depinxit, & ſimum boum cõcoxit, ac dormiuit 390. dies in vno latere, vt reipſa repræſentaret obſidionem Hieroſolymæ, eiuſque famem & diuturnitatem. Similiter Oſee c. 1. reipſa duxit fornicariam, & ex ea genuit filios fornicationum, vt reipſa repræſentaret myſticam fornicationem, id eſt idololatriam, populi. Talia plura magiſque portentoſa egerunt Prophetæ, quæ à Deo facti ſunt portentum Iſraelis & or-

C

D

bis, vti ait Iſaias c. 8. 18. Nec mirum videri debet, populum tam exiguum pretium aſſignaſſe Zachariæ, tum quia depauperatus erat: recèns enim redierat è captiuitate Babylonica, & magnos ſumptus fecerat in fabrica templi, murorum vrbis & domorum ſuarum: tum quia Dei inſtinctu & directione id fecit, ad repræſentandum vile pretium, quo poſteri æſtimaturi & empturi erant Chriſtum.

Nota Secundò. Zacharias hîc quaſi in comœdia hæc videt & agit in perſona, non ſua, ſed Chriſti: Chriſti enim perſonam hîc induit, eumq́ue ſymbolicè & hieroglyphicè repræſentat. De Chriſto ergo ad literam hæc eius ſymbola explicanda ſunt. Sicut enim in comœdia actor qui agit perſonam S. Laurentij, ad literam ſignificat dicta & facta, non ſua, ſed S. Laurentij; ita & hîc Zacharias quaſi actor, repræſentat in ſcena venditionem Chriſti per hæc ſua ſymbola.

Nota Tertiò, Zachariæ Chriſtum repræſentanti dici à Deo, *Proijce*, cùm Iudas proiecerit argenteos, non Chriſtus: qui ſcilicet Chriſtus innocentia ſua, & prædictione proditionis Iudæ, eius conſcientiam pupugit & impulit, vt argenteos referret & proijceret in templo. Nam cùm videret Chriſtum à ſe venditum, iam à Iudæis tradendum morti, in ſe reuerſus, licèt ſerò, pœnituit doluitq́ue, quòd ipſe ſua venditione cauſa eſſet cur occideretur Chriſtus, cuius innocentiæ & charitatis per triennium teſtis oculatus fuerat, quemq́ue ſciebat eſſe Prophetam & virum diuinum, adeoq́ue ſibi hanc ſuam proditionem prædixiſſe. Vnde Chriſti ſanctitas & prædictio, ac conſequenter conſcientia tam immanis ſceleris impulit eum, vt proijceret argenteos, ſceluſq́ue ſuum publicè apud ſacerdotes complices profiteretur, dicens: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Zachariæ ergo dicitur, *Proijce*, id eſt, prædic proijciendum à Iuda, Chriſti venditi pretium: Chriſto verò Zachariæ antitypo dicitur, *Proijce*, id eſt, compelle & coge tua virtute, & ſtimulis conſcientiæ infixis Iudæ, vt is ſceleris pœnitens proijciat pretium, quo te Deum & Dominum ſuum immani ſacrilegio vẽdidit, vt ipſi videant pariter immanitatem ſuæ ſimoniæ, qua Sanctum ſanctorum tam vili pretio emerunt, ideoq́ue illud, vtpote viliſſimum diuini ſanguinis pretium, non vaſis vſibuſq́; templi aſſignent, ſed in pauperes erogent, & ſepulturæ peregrinorum attribuant.

Nota Quartò. Sicut in comœdijs, ſymbolis, & parabolis quædam adduntur ad elegantiam comœdiæ, ſymboli, vel parabolæ, quæ rei ſignificatæ non conueniunt, & vice verſa quædam ſunt in re ſignificata, quæ in comœdia vel parabola ſubticentur, imò ſubinde repræſentari non poſſunt, eò quòd typus per omnia non reſpondeat antitypo; ita fit & hîc. Nam Primò, Zacharias hîc, vti exigit, ita & recipit pretium: Chriſtus autem quem ſignificat, exegit quidem pretium à Iudæis, at illud recepit, non ipſe, ſed Iudas proditor. Itaque hîc indignitas antitypi longè excedit indignitatem typi. Quòd enim Chriſtus à Iudæis ſit appretiatus triginta argenteis, ſed ij dati ſint non Chriſto, ſed Iudæ eius proditori, longè vilius & indignius eſt, quàm quòd Zacharias appretiatus ſit triginta argenteis, cùm eos ipſemet receperit, id eſt, per viſionem ſibi re-

Tria diſparia in Zacharia & S. Matthæo.

cipere sit visus. Secundò, Zacharias proiecit argenteos quasi indignum sui pretium ad statuarium, vel figulum, nec exprimit quare, vel quid de ijs sit factum: S.Matthæus verò hæc ipsa exprimit, scilicet ideo eos datos esse figulo, vt ab eo emeretur ager in sepulturam peregrinorum, additque id factum esse ex Dei voluntate & decreto, dicens: *Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Tertiò, Zacharias indignans tam vile pretium sibi dari, proiecit argenteos: Christus verò sui pretium, vti non accepit, ita nec proiecit; sed ipse Iudas, idque non ex indignatione tam vilis pretij, sed ex sceleris conscientia & facti pœnitentia. Causa harum disparitatum est, quòd non decebat, imò fieri vix poterat, vt Propheta sanctus agens personam Christi, simul ageret personam Iudæ proditoris, eiusque facta & scelera in se assumeret: repræsentat ergo ea subeundo personã, non Iudæ, sed Christi. Quod enim in hac venditione sui passus est Christus, hoc egit, eique inflixit Iudas.

Quocirca licèt certum sit Zachariam hîc venditionem & pretium Christi adumbrasse, & quasi in scena repræsentasse, tamen ob disparitates iam allatas censent multi, S.Matthæum cap. 27.9. vbi idipsum à Propheta prædictum docet, directè & propriè non citare hunc locum Zachariæ, sed Ieremiæ. Ait enim: *Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati* (Tertull.libr.4.contra Marcion.cap.40.legit *honorati*, hoc est decorati, quasi respiciat ad *decorum pretium*, de quo mox Zacharias) *quem appretiauerunt à filijs Israel: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* Hæc enim verba multum differunt ab hisce Zachariæ: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proijce illos ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos, & proieci illos in domum Domini ad statuarium.* Cùm ergo non sint Zachariæ, videntur esse Ieremiæ: Ieremiæ enim nomen apud S.Matthæum constanter legunt Biblia Latina & Græca, tam moderna quàm vetera, paucis exceptis. Romæ enim in Biblioth. Angelica Patrum Eremit. S.August. vidi vetusta Biblia manuscripta, in quibus deerat nomen Ieremiæ. Vnde cùm hæc verba non reperiantur in prophetia Ieremiæ, quæ nunc extat, multi censent olim in ea extitisse, & à Iudæis esse erasa: aut potiùs ea scripta fuisse in aliquo alio Ieremiæ libro, qui intercidit. Vnde S.Hieron.in c.27.Matthæi: *Legi*, inquit, *nuper in quodam Hebraico volumine, quod Nazaræi secta mihi Hebræus obtulit, Ieremiæ apocryphum, in quo hæc ad verbum scripta reperi.* Idem censent Orig.tract.35.in Matth. Tertull.l. 4.contra Marc.c.39. Euseb.l.10.Demonstr.c.4. S.August.l.3.de Consensu Euangel.c.7.à Castro hîc. Alij tamen ex aduerso censent, Matthæum citare hæc ex Zacharia, ac pro eo librariorum incuria irrepsisse nomen Ieremiæ, tum quia Syrus, & nonnulli codices Euangeliorum Latini, olim teste S.August.loco iã citato, non habuerunt nomen Ieremiæ. Idem testantur Lyran.Rupert.& alij, quos citat Franc.Lucas in Notation.Matth. 27. Tum quia Euangelistæ Prophetas subinde citant non quoad verba, sed quoad sensum, præsertim quia Zacharias hîc quasi comœdum agit

A Christi futuri: comœdus autem, vti comicè & scenicè repræsentat verba & facta præterita, ita multò magis futura. Quæ ergo Zacharias symbolicè, obscurè & concisè more suo audmbuit vt futura in Christo, hæc disertè, clarè & fusè in eodem impleta enarrat S.Matthæus. Hãc sententiã probabilem censent & sequuntur S.Hieron. Baron. anno Christi 34. Iansen.Maldon.in Matth.27. Suarez 3.p.to.2 disp.34.sect.1.& alij magni iudicij viri.

B Decorvm] q.d Egregium verò dignumque hoc est mei laboris pretium. Est ironia. Simile est illa Poëtæ:

Egregiam verò laudem, & spolia ampla refertis.

Alludit ad virgam decoris v.7. eique patheticam figit antithesin. q.d. Ego vos virga decoris decorè rexi: vos indecorum & indignum mihi premium rependitis. Ego omnem meum amorem & beneficentiam in vos exhausi: vos me meumque laborem & amorem non pluris quàm triginta argenteis æstimatis. Hoc scilicet mei decoris & amoris decorum est pretium, hæc tanta meæ dignationis digna est merces.

Moraliter idem sibi à Christo dici & exprobrari cogitet sacerdos, Religiosus, Christianus parcus & acedus in Dei cultu & obsequio: Ego pro te vitam & animam dedi: tu vix pedem vltro debitum, mei amore mouere vis. Ego pro te fudi sanguinem & aquam: tu pro me guttulam sudoris in lucro animarum, in obedientiæ munijs emittere formidas. Ego me humiliaui infra angelos & homines vniuersos: tu mei causa vix vni postponi recusas. Hoc scilicet decorum est meæ charitatis, humilitatis, patientiæ pretium, quod mihi rependis? Dicat ergo anima tandem feruens Christo:

C *O nimiùm nostros, nimiùm miserate labores,*
O nostri nimiùm, nil memor ipse tui.
Non genus humanum, non tanti machina mundi,
Non tanto merces digna labore fuit.
Scilicet æterni proles æterna parentis
Factus homo, fontes ne moriamur, obis?

O *duri*, inquit S.Bernard.serm.1.de Pentecost. *& indurati, & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amor, qui pro vilibus siliculis tam pretiosas merces expendit. Non enim corruptibilibus auro vel argento redemit nos, sed pretioso sanguine suo, quem effudit abundè: quia largum vndæ sanguinis de corpore Iesu, per quinquepartitum manauerunt.*

D Et praecidi virgam] Sicut v.10. confcidit priorem virgam nuncupatam Decoris, quæ significabat regimen amoris suaue & blandum, eò quòd illud aspernarentur duri & rebelles Iudæi; ac assumpsit alteram nuncupatam Funiculu, quæ significabat regimen terroris & flagellorum, quòd scilicet eos quasi seruos regeret verberibus & flagris (quo modo eos rexit post necem Christi per quadraginta annos vsque ad Titum, quibus variis clades à Romanis alijsque gentibus acceperunt Iudæi, quarum multas in libris 7. de Bello Iudaico describit Iosephus. hæ enim præcisæ fuerunt vltimi belli & excidij:) ita cum eis illos ne his quidem emendari, sed planè in peccatis suis obdurescere, confringit penitus hanc virgam, ac eorum curam & regimen depo-

sacrificij, deserit. Factum id post mortem Christi A
annicirciter quadragesimo, quo Iudæos tradidit Tito & Romanis vastandos, fecitq; vt eorum reliquum gens, Ecclesia, religio, vrbs & templum funditus euerterentur. ita S. Hieron. Theodor. Albert. Hugo, Lyran. Ribera & alij.

VT DISSOLVEREM GERMANITATEM] Septuag. *fratres*, Tigurin. *fraternam vnitatem*, id est, amicitiã germanam & fraternã, quæ sub Dauide & Salomone fuerat inter Iudã & Israel, putà inter duas & decem tribus. Alludit ad schisma, quo Israel sub Roboam recessit à Iuda & domo Dauid, sibique fecit regem Ieroboam, & nouos deos, putà vitulos aureos, quibus templa erexit in Dan & Bethel: sed per hoc significat futurã reipublicæ Iudæorum dissolutionem, dispersionem, ruinã. Nam eò tempora Christi Hyrcanus & Aristo- B
bulus fratres de principatu & pontificatu decertantes, causa fuerunt cur Pompeius inuaderet Iudæam. Et post Christum propriè à Tito & Romanis dissoluta est germanitas, id est, fraterna vnitas & societas Iuda & Israel, qua priùs sub vno duce, vnaque religione & lege conspirabant in vnam Ecclesiam & rempubl. Hanc enim Titus planè dissoluit & euertit, ac Iudæos patria expulit, & toto orbe dispersit. Adeò enim tunc soluta fuit eorum germanitas & cognatio, vt ipsi eam ignorent, nesciantq; ex qua tribu aut familia sint oriundi. Nominat Iudam & Israel; tum quia alludit ad schisma quod fecit Israel à Iuda sub Roboã; tum quia multi ex Israel, id est decem tribubus, in schismate Roboã iunxerunt se Iudæ, vel post schisma ad vnionem cum Iuda redierunt, quorum vnio & societas planè dissoluta est per Titũ: tum denique quia mysticè Iuda, id est confitens, C
repræsentat Iudæos fideles, qui Christum amplexi per eum seruati sunt, tã anima, quàm corpore: eradũ enim Titi euaserunt; quia moniti à Deo, Hierusalem ante obsidionem excesserunt, vti alibi dixi ex Eusebio. Israel verò schismaticus repræsentat Iudæos infideles, qui Christum repulsi à Tito excisi sunt; vt sensus sit, q.d. Sicut sub Roboam Deus, & domus Dauid ac Iuda repulit à sua Ecclesia, regno & templo Israel, id est, decem tribus schismaticas; sic idem Deus per Christum, qui est typicus Dauid, sibi credentes Iudæos separabit à non credentibus & infidelibus tum in strage Titi, tum in die iudicij, tã particulari, quàm vniuersali, quo fideles cælo, infideles Tartaro adiudicabit, vt fideles sint filij & heredes Dei, infideles verò diaboli. ita S. Hieron. Theodor. Hugo, Ribera & alij. D

15. Et dixit Dominus ad me: Adhuc sume tibi vasa pastoris stulti.

16. Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id quod stat, nõ enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet.

17. O pastor, & idolum, derelinquẽs gregem, gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius: brachium eius arditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.

ADHVC SVME] Hucusque Propheta egit pastorem sapientẽ & bonum, vt Deum pastorem populi, ac pastores abeo submittendos, v.g. Machabæos, & maximè Christum, repræsentaret, qui virga decoris, id est amore & cura paterna, recturi essent Iudæos; ac rebelles virga funiculi, id est terrore & minis, flagellaturi. Iã præcipit ei Deus vt ex aduerso agat personã, induatque habitum pastoris stulti & praui, qui se vnum curat, & gregem negligit; vt ostendat Iudæos in tales incisuros, eò quòd Deum pastorem optimum, & vicarios ab eo submissos aspernaturi sint. Simili modo Christus huc alludens Iohan. 20. vocat se pastorem bonum, qui totus gregi inuigilat, & animam dat pro ouibus: ac se opponit mercenario, qui sua commoda quærit, ideoq; veniente lupo fugit, eique oues laniandas permittit. Sic & Ezechiel c. 34. fusè falsos pastores Israelis taxat, eorumque mores describit, ac tãdem v. 23. promittit Deum ijs amotis suscitaturum verum pastorem, Christum Dominum. VERS. 15.

VASA PASTORIS STVLTI] Septuag. *imperiti*; Chald. *gubernatoris insipientis*, non speculatiuè, sed practicè, qui scilicet imperitè & stultè regit gregem, quia sibi vni sapit & prouidet. Per stultum ergo hîc accipe improbum, sceleratum, rapacẽ, crudelem, qui sibi prosit, gregi obsit, imò in eum sæuiat, eumque spoliet, diripiat, affligat. ita Theodor. Cyrill. & alij. Sic peccator vocatur *stultus* passim in Prouerb. c. 15. 5. *Stultus irridet disciplinam patris sui.* Stultus enim est amens, qui rationis vsu destitutus, stulta loquitur & agit. Quid autem stultius peccatore, qui agit contra dictamen rectæ rationis, contra legem, contra honestatem, contra virtutem, contra voluntatem Dei, qui pro fluxa voluptate vendit æternã gloriam, & vltro se in ignes gehennæ præcipitat? Iam eius vasa, id est, instrumenta sunt eadem quæ pastoris boni, ait S. Hieron. & Lyran. nimirum baculus, pera, fistula & fibilus: fistulæ enim cantu pastor mulcet oues, vt suauiùs pascua, etiã amara, carpant & deglutiant. Nam pastor hic videtur habuisse speciem externam pastoris boni, sed non sensum eius internum. Vnde mox vocat eum idolum pastoris. *Vasa pastoris stulti quæ*

Meliùs alij censent, *vasa pastoris stulti* à vasis boni differre: bonus enim gestat pedum, quo glebam in oues errantes proijcit, vt eas ad gregem compellat; malus gestat baculum, quem in oues iacit, vt earum crura confringat: bonus gestat cultrum, quo ouibus pabula conscindat; malus machærã, qua eas mactet & laniet: vnde sequitur: *Gladius super brachium eius.* bonus in pera recondit pabulum ouium, æquè ac suum; malus suum dumtaxat, & laqueum ad oues strangulãdas: bonus fibilo conuocat oues; malus clamore horrifico percellit & fugat eas: bonus in pera gestat vnguentum, quo oues læsas vngat & sanet; malus toxicum, quo eas enecet: bonus fistula aut cornu musa canendo, oues ad alacriter pascẽdum inuitat; malus sibi vni citharã pulsat, vti in Italia vidi nonnullos inertes rusticos & pastores pro ligone aut pedo gestare citharam, esseque citharœdos sibi scitos, alijs hiulcos & raucos. ita S. Cyrill. Hæc ergo instrumenta assumpsit & induit Zacharias Dei iussu, vt pastorem improbum repræsentaret.

ECCE EGO SVSCITABO PASTOREM] Nota hîc Deum VERS. 16.

Deum creare pastores, non tantùm bonos, sed & malos ob peccata populi, vt per eos populum puniat. Sicut enim opes sæpè dat impijs, ita & honores ac prælaturas.

Pastor stultus quis. Expositio prima.

Quæres, quisnam fuit hic pastor impius? Primò, Theodor. censet fuisse Antiochum Epiphanem, qui læuiit in Iudæos. Secundò, Arias censet fuisse Herodem Ascalonitam, qui cùm esset alienigena, intrusit se in regnum Iudæorum, cuius crudelitas patet ex infanticidio & iugulatione filiorum propriorum. Tertiò, à Castro censet fuisse Titum & Romanos, hisce enim traditi sunt Iudæi, quia noluerunt parere Christo vero pastori à Deo misso, sicut olim eos dē tradiderat Salmanasari & Nabuchodonosori gubernandos, eò quòd Dei regimen respuissent. Hi enim vocātur in Scriptura pastores, vt Ierem. 6. 3. *Ad eam venient pastores.* Nahum 3. 18. *Dormitauerunt pastores tui rex Assur.* Isaiæ 44. 28. *Qui dico Cyro; Pastor meus es.* Verùm Titus & Romani nō fuerunt pastores stulti: nam suo consilio & patientia occuparunt orbis imperium, vt dicitur 1. Machab. 8. 3.

Secunda.

Tertia.

Quarta genuina.

Quartò & genuinè, pastor hic significat omnes peruersos pontifices & principes, qui Iudæos post tempora Zachariæ rexerunt; aut pōtificatum & principatum inuaserunt, quibus Deus Iudæos tradidit ob eorum scelera, præsertim quòd se suosque pastores respuerent. Talis in primis fuit Iason sceleratus, inquit Sāchez, qui perfidus profugit ad Antiochum, cepitque Ierusalem, & magnas ciuium strages edidit, 2. Machab. 5. 6. Item frater Iasonis Menelaus, de quo dicitur 2. Machab. 4. 25. *Acceptisq; à rege mandatis venit, nihil quidem habens dignum sacerdotio, animos verò crudelis tyranni, & fera bellua iram gerens.* Vnde & aurea vasa è templo furatus est, & Oniam pontificē interfici curauit. hinc 2. Machab 5. 15. vocatur patriæ proditor. Tales quoque fuerunt Herodes rex intrusus à Romanis, Annas & Caiphas, alijque non à Deo, sed à Romanis ob datum pretiū constituti pontifices. Itē Scribę & Pharisæi, qui Christo vero pastori sese opposuerunt vsque ad eius necem & crucē. Tales post Christum fuere Theodas & Iudas Galilæus, de quibus Actor. 5. 36. & 37. Item Barchocebas tempore Adriani Imper. de quo Euseb. lib. 4. Histor. c. 6. Item Pseudomoses Cretensis, qui anno Domini 433 sub Theodosio Imper. Iudæos decepit: fingens enim se Mosen, iussit eis vt è Creta mare secum ingrederentur, quasi eos in nouam terram promissam deducturus, vti olim fecerat Moses; sed ingressos mare hausit & mersit, vti refert Socrates lib. 7. c. 37. Talis denique erit Antichristus, qui Christo erit antagonista: licèt enim hic in Christianos solos sit læuiturus, benignus verò futurus in Iudæos, vtpote ab eis acceptandus & promouendus quasi Messias, vt docet Apostolus 2. Thessal. 2. 10. tamen læuiet in animas eorum: quia eas ad sui idololatriam, ad libidines, ad Christianorū strages, aliaque scelera, ac per ea in æternum exitium impellet; confirmato verò imperio læuiet quoque in facultates & corpora eorum: erit enim in omnes crudelissimus, & ambitiosissimus tyrannus. Nam tantùm se suumque honorem, imperium & gloriam spectabit, eique seruire coget subditorum opes, corpora & animas. Vnde Christus Iohannis 5. 43. *Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Huic etiam competit illud: *O pastor & idolum.* volet enim Antichristus quasi idolum & numen à suis coli & adorari. Quocirca per pastorem hunc stultum, non alium quàm Antichristum intelligunt S. Hieron. Theodor. Cyrill. Remig, Hugo, Lyran. Arias. Vatabl. Ribera & alij. Verùm, vt generalis & plena sit expositio, dicendum videtur, Prophetam alios quoque suo æuo viciniores, iam nominatos hîc notare: hi enim fuerunt prodromi Antichristi, illisque verba sequentia appositè congruunt.

Qvi derelicta non visitabit] Putà oues fessas, claudicantes, errantes, dumetis implicitas, ideoque derelictas & perditas non requiret. Vnde Chald. vertit, *illos qui errauerunt non quaret*; Pagnin. *quæ succisa sunt non visitabit*. Vatabl. *grauissimè ægrotantem & tam deplorata non inuiset.*

Dispersvm non qværet] Hebr. נִדַּחַת *hannaa* significat excussum, indeque puerum à lacte & cura prima parentum excussum, hoc est, adolescentulum & adolescentem. Vnde Pagnin. vertit, *quod paruum est nō quaret*; Tigurina, *stolidam non requiret*; Vatabl. *quod iuuene est non requiret*, id est, ignauum gregis non requiret, cùm stolidè secesserit a grege. Notat puerorum & iuuenum maximam habendam esse curam: qui enim ætate & imprudentia peccat, non malitia, magis est misericordiæ & facilè ostenso errore in viam reuocari potest. Chald. vertit, *illos qui migrauerunt non requiret.*

Contritvm non sanabit] Tigurina, *fractum non sanabit*; Septuag. *fractum non sanabit.*

Id qvod stat non enutriet] Pagnin. *quod stat non portabit*; Vatab. *eam quæ restitat non portabit.* q.d. Ouem quæ præ lassitudine constitit, aliis redeuntibus in caulas, & loco mouere nequit, ea humeros non suscipiet, vt ferat in ouile; Chald. *& illos qui stant non sustentabit, non fulciet*; Septuag. *integrum non diriget*: Hebr. enim כִּלְכֵּל *kilkel* varia significat, scilicet sustentare, portare, nutrire.

Carnes pingvivm comedet] q.d. Fruetur lana, lacte & carne gregis, & tamen eum non pascet; Chald. *substantias eorum diripiet.*

Et vngvlas eorvm dissolvet] Pagnin. *separabit*; Septuag. *talos eorum peruertet*; Vatab. *infringet*, scilicet ictu pedis, vel virgæ quam gestat. Noster vertit, *dissoluet*, id est, verberando lædet & diffindet, vt incedere nequeant. Describit gestum pastoris crudelis sæuientis in suas oues.

O pastor et idolvm] Pro ô hebr. est הוֹי, id est *væ*, vt vertunt Septuag. & Chald. vertit Noster, Pagnin. Vatab. & alij. Vnde Arabicus vertit, *væ pastori vano, otioso, mendaci.* Pro *idolum* hebr. est אֱלִיל *elil*, quod per annominationem alludit ad אָוֶל *euil*, id est stultus, vti eum vocauit v. 15. Iam *elil* Primò, significat rem vanam, inutilem, nihili. Vndè Vatab. vertit, *pastorem nihili, deserentem oues, quæ sibi commissæ sunt*; alij, *ô pastor vane & inutilis*; Septuag. *væ qui pastis vana*; Syrus, *ô pastor inanis, inculte* (instar terræ incultæ) *qui dereliquisti oues.* Secundò, *elil* est diminutiuum ab אֵל *el*, id est Deus, vt *elil sit deiculus*, vmbra Dei, & idolum. Vnde Pagnin. vertit, *ô pastor idoli*; Tigurina, *væ pastori idoli qui gregem deserit*; Noster, *ô pastor & idolum.* quasi dicat, O pastor qui non es pastor, sed idolum & larua pastoris: qui nihil

A

B

C

D

Expositio secunda.

Expositio tertia.

Expositio quarta.

Expositio quinta.

Expositio sexta.

Expositio septima.

Expositio octaua.

Expositio nona.

Expositio decima.

Expositio vndecima.

Expositio duodecima.

Expositio decimatertia.

Expositio decimaquarta.

Expositio decimaquinta.

Expositio decimasexta.

Expositio decimaseptima.

Expositio decimaoctaua.

Expositio decimanona.

Expositio vigesima.

Expositio vigesimaprima.

Expositio vigesimasecunda.

Expositio vigesimatertia.

Expositio vigesimaquarta.

Expositio vigesimaquinta.

Expositio vigesimasexta.

Expositio vigesimaseptima.

Expositio vigesimaoctaua.

Expositio vigesimanona.

Expositio trigesima.

Expositio trigesimaprima.

Expositio trigesimasecunda.

Expositio trigesimatertia.

Expositio trigesimaquarta.

Expositio trigesimaquinta.

Expositio trigesimasexta.

Expositio trigesimaseptima.

Expositio trigesimaoctaua.

Expositio trigesimanona.

Expositio quadragesima.

Expositio quadragesimaprima.

Expositio quadragesimasecunda.

Expositio quadragesimatertia.

Expositio quadragesimaquarta.

Expositio quadragesimaquinta.

Expositio quadragesimasexta.

Expositio quadragesimaseptima.

Expositio quadragesimaoctaua.

Expositio quadragesimanona.

Expositio quinquagesima.

Expositio quinquagesimaprima.

Expositio quinquagesimasecunda.

Expositio quinquagesimatertia.

Expositio quinquagesimaquarta.

Expositio quinquagesimaquinta.

Expositio quinquagesimasexta.

Expositio quinquagesimaseptima.

Expositio quinquagesimaoctaua.

Expositio quinquagesimanona.

Expositio sexagesima.

Expositio sexagesimaprima.

Expositio sexagesimasecunda.

Expositio sexagesimatertia.

Expositio sexagesimaquarta.

Expositio sexagesimaquinta.

Expositio sexagesimasexta.

Expositio sexagesimaseptima.

Expositio sexagesimaoctaua.

Expositio sexagesimanona.

Expositio septuagesima.

Expositio septuagesimaprima.

Expositio septuagesimasecunda.

Expositio septuagesimatertia.

Expositio septuagesimaquarta.

Expositio septuagesimaquinta.

Expositio septuagesimasexta.

Expositio septuagesimaseptima.

Expositio septuagesimaoctaua.

Expositio septuagesimanona.

Expositio octogesima.

Expositio octogesimaprima.

Expositio octogesimasecunda.

Expositio octogesimatertia.

Expositio octogesimaquarta.

Expositio octogesimaquinta.

Expositio octogesimasexta.

Expositio octogesimaseptima.

Expositio octogesimaoctaua.

Expositio octogesimanona.

Expositio nonagesima.

Expositio nonagesimaprima.

Expositio nonagesimasecunda.

Expositio nonagesimatertia.

Expositio nonagesimaquarta.

Expositio nonagesimaquinta.

Expositio nonagesimasexta.

Expositio nonagesimaseptima.

Expositio nonagesimaoctaua.

Expositio nonagesimanona.

Expositio centesima.

Expositio centesimaprima.

Expositio centesimasecunda.

Expositio centesimatertia.

Expositio centesimaquarta.

Expositio centesimaquinta.

Expositio centesimasexta.

Expositio centesimaseptima.

Expositio centesimaoctaua.

Expositio centesimanona.

Expositio centesimadecima.

Expositio centesimadecimaprima.

Expositio centesimadecimasecunda.

Expositio centesimadecimatertia.

Expositio centesimadecimaquarta.

Expositio centesimadecimaquinta.

Expositio centesimadecimasexta.

Expositio centesimadecimaseptima.

Expositio centesimadecimaoctaua.

Expositio centesimadecimanona.

Expositio centesimavigesima.

Expositio centesimavigesimaprima.

Expositio centesimavigesimasecunda.

Expositio centesimavigesimatertia.

Expositio centesimavigesimaquarta.

Expositio centesimavigesimaquinta.

Expositio centesimavigesimasexta.

Expositio centesimavigesimaseptima.

Expositio centesimavigesimaoctaua.

Expositio centesimavigesimanona.

Expositio centesimatrigesima.

Expositio centesimatrigesimaprima.

Expositio centesimatrigesimasecunda.

Expositio centesimatrigesimatertia.

Expositio centesimatrigesimaquarta.

Expositio centesimatrigesimaquinta.

Expositio centesimatrigesimasexta.

Expositio centesimatrigesimaseptima.

Expositio centesimatrigesimaoctaua.

Expositio centesimatrigesimanona.

Expositio centesimaquadragesima.

Expositio centesimaquadragesimaprima.

Expositio centesimaquadragesimasecunda.

Expositio centesimaquadragesimatertia.

Expositio centesimaquadragesimaquarta.

Expositio centesimaquadragesimaquinta.

Expositio centesimaquadragesimasexta.

Expositio centesimaquadragesimaseptima.

Expositio centesimaquadragesimaoctaua.

Expositio centesimaquadragesimanona.

Expositio centesimaquinquagesima.

Expositio centesimaquinquagesimaprima.

Expositio centesimaquinquagesimasecunda.

Expositio centesimaquinquagesimatertia.

Expositio centesimaquinquagesimaquarta.

Expositio centesimaquinquagesimaquinta.

Expositio centesimaquinquagesimasexta.

Expositio centesimaquinquagesimaseptima.

Expositio centesimaquinquagesimaoctaua.

Expositio centesimaquinquagesimanona.

Expositio centesimasexagesima.

Expositio centesimasexagesimaprima.

Expositio centesimasexagesimasecunda.

Expositio centesimasexagesimatertia.

Expositio centesimasexagesimaquarta.

Expositio centesimasexagesimaquinta.

Expositio centesimasexagesimasexta.

Expositio centesimasexagesimaseptima.

Expositio centesimasexagesimaoctaua.

Expositio centesimasexagesimanona.

Expositio centesimaseptuagesima.

Expositio centesimaseptuagesimaprima.

Expositio centesimaseptuagesimasecunda.

Expositio centesimaseptuagesimatertia.

Expositio centesimaseptuagesimaquarta.

Expositio centesimaseptuagesimaquinta.

Expositio centesimaseptuagesimasexta.

Expositio centesimaseptuagesimaseptima.

Expositio centesimaseptuagesimaoctaua.

Expositio centesimaseptuagesimanona.

Expositio centesimaoctogesima.

Expositio centesimaoctogesimaprima.

Expositio centesimaoctogesimasecunda.

Expositio centesimaoctogesimatertia.

Expositio centesimaoctogesimaquarta.

Expositio centesimaoctogesimaquinta.

Expositio centesimaoctogesimasexta.

Expositio centesimaoctogesimaseptima.

Expositio centesimaoctogesimaoctaua.

Expositio centesimaoctogesimanona.

Expositio centesimanonagesima.

Expositio centesimanonagesimaprima.

Expositio centesimanonagesimasecunda.

Expositio centesimanonagesimatertia.

Expositio centesimanonagesimaquarta.

Expositio centesimanonagesimaquinta.

Expositio centesimanonagesimasexta.

Expositio centesimanonagesimaseptima.

Expositio centesimanonagesimaoctaua.

Expositio centesimanonagesimanona.

Expositio ducentesima.

Expositio ducentesimaprima.

Expositio ducentesimasecunda.

Expositio ducentesimatertia.

Expositio ducentesimaquarta.

Expositio ducentesimaquinta.

Expositio ducentesimasexta.

Expositio ducentesimaseptima.

Expositio ducentesimaoctaua.

Expositio ducentesimanona.

Expositio ducentesimadecima.

Expositio ducentesimadecimaprima.

Expositio ducentesimadecimasecunda.

Expositio ducentesimadecimatertia.

Expositio ducentesimadecimaquarta.

Expositio ducentesimadecimaquinta.

Expositio ducentesimadecimasexta.

Expositio ducentesimadecimaseptima.

Expositio ducentesimadecimaoctaua.

Expositio ducentesimadecimanona.

Expositio ducentesimavigesima.

Expositio ducentesimavigesimaprima.

Expositio ducentesimavigesimasecunda.

Expositio ducentesimavigesimatertia.

Expositio ducentesimavigesimaquarta.

Expositio ducentesimavigesimaquinta.

Expositio ducentesimavigesimasexta.

Expositio ducentesimavigesimaseptima.

Expositio ducentesimavigesimaoctaua.

Expositio ducentesimavigesimanona.

Expositio ducentesimatrigesima.

Expositio ducentesimatrigesimaprima.

Expositio ducentesimatrigesimasecunda.

Expositio ducentesimatrigesimatertia.

Expositio ducentesimatrigesimaquarta.

Expositio ducentesimatrigesimaquinta.

Expositio ducentesimatrigesimasexta.

Expositio ducentesimatrigesimaseptima.

Expositio ducentesimatrigesimaoctaua.

Expositio ducentesimatrigesimanona.

Expositio ducentesimaquadragesima.

Expositio ducentesimaquadragesimaprima.

Expositio ducentesimaquadragesimasecunda.

Expositio ducentesimaquadragesimatertia.

Expositio ducentesimaquadragesimaquarta.

Expositio ducentesimaquadragesimaquinta.

Expositio ducentesimaquadragesimasexta.

Expositio ducentesimaquadragesimaseptima.

Expositio ducentesimaquadragesimaoctaua.

Expositio ducentesimaquadragesimanona.

Expositio ducentesimaquinquagesima.

Expositio ducentesimaquinquagesimaprima.

Expositio ducentesimaquinquagesimasecunda.

Expositio ducentesimaquinquagesimatertia.

Expositio ducentesimaquinquagesimaquarta.

Expositio ducentesimaquinquagesimaquinta.

Expositio ducentesimaquinquagesimasexta.

Expositio ducentesimaquinquagesimaseptima.

Expositio ducentesimaquinquagesimaoctaua.

Expositio ducentesimaquinquagesimanona.

Expositio ducentesimasexagesima.

Expositio ducentesimasexagesimaprima.

Expositio ducentesimasexagesimasecunda.

Expositio ducentesimasexagesimatertia.

Expositio ducentesimasexagesimaquarta.

Expositio ducentesimasexagesimaquinta.

Expositio ducentesimasexagesimasexta.

Expositio ducentesimasexagesimaseptima.

Expositio ducentesimasexagesimaoctaua.

Expositio ducentesimasexagesimanona.

Expositio ducentesimaseptuagesima.

Expositio ducentesimaseptuagesimaprima.

Expositio ducentesimaseptuagesimasecunda.

Expositio ducentesimaseptuagesimatertia.

Expositio ducentesimaseptuagesimaquarta.

Expositio ducentesimaseptuagesimaquinta.

Expositio ducentesimaseptuagesimasexta.

Expositio ducentesimaseptuagesimaseptima.

Expositio ducentesimaseptuagesimaoctaua.

Expositio ducentesimaseptuagesimanona.

Expositio ducentesimaoctogesima.

Expositio ducentesimaoctogesimaprima.

Expositio ducentesimaoctogesimasecunda.

Expositio ducentesimaoctogesimatertia.

Expositio ducentesimaoctogesimaquarta.

Expositio ducentesimaoctogesimaquinta.

Expositio ducentesimaoctogesimasexta.

Expositio ducentesimaoctogesimaseptima.

Expositio ducentesimaoctogesimaoctaua.

Expositio ducentesimaoctogesimanona.

Expositio ducentesimanonagesima.

Expositio ducentesimanonagesimaprima.

Expositio ducentesimanonagesimasecunda.

Expositio ducentesimanonagesimatertia.

Expositio ducentesimanonagesimaquarta.

Expositio ducentesimanonagesimaquinta.

Expositio ducentesimanonagesimasexta.

Expositio ducentesimanonagesimaseptima.

Expositio ducentesimanonagesimaoctaua.

Expositio ducentesimanonagesimanona.

Expositio trecentesima.

Expositio trecentesimaprima.

Expositio trecentesimasecunda.

Expositio trecentesimatertia.

Expositio trecentesimaquarta.

Expositio trecentesimaquinta.

Expositio trecentesimasexta.

Expositio trecentesimaseptima.

Expositio trecentesimaoctaua.

Expositio trecentesimanona.

Expositio trecentesimadecima.

Expositio trecentesimadecimaprima.

Expositio trecentesimadecimasecunda.

Expositio trecentesimadecimatertia.

Expositio trecentesimadecimaquarta.

Expositio trecentesimadecimaquinta.

Expositio trecentesimadecimasexta.

Expositio trecentesimadecimaseptima.

Expositio trecentesimadecimaoctaua.

Expositio trecentesimadecimanona.

Expositio trecentesimavigesima.

Expositio trecentesimavigesimaprima.

Expositio trecentesimavigesimasecunda.

Expositio trecentesimavigesimatertia.

Expositio trecentesimavigesimaquarta.

Expositio trecentesimavigesimaquinta.

Expositio trecentesimavigesimasexta.

Expositio trecentesimavigesimaseptima.

Expositio trecentesimavigesimaoctaua.

Expositio trecentesimavigesimanona.

Expositio trecentesimatrigesima.

Expositio trecentesimatrigesimaprima.

Expositio trecentesimatrigesimasecunda.

Expositio trecentesimatrigesimatertia.

Expositio trecentesimatrigesimaquarta.

Expositio trecentesimatrigesimaquinta.

Expositio trecentesimatrigesimasexta.

Expositio trecentesimatrigesimaseptima.

Expositio trecentesimatrigesimaoctaua.

Expositio trecentesimatrigesimanona.

Expositio trecentesimaquadragesima.

Expositio trecentesimaquadragesimaprima.

Expositio trecentesimaquadragesimasecunda.

Expositio trecentesimaquadragesimatertia.

Expositio trecentesimaquadragesimaquarta.

Expositio trecentesimaquadragesimaquinta.

Expositio trecentesimaquadragesimasexta.

Expositio trecentesimaquadragesimaseptima.

Expositio trecentesimaquadragesimaoctaua.

Expositio trecentesimaquadragesimanona.

Expositio trecentesimaquinquagesima.

Expositio trecentesimaquinquagesimaprima.

Expositio trecentesimaquinquagesimasecunda.

Expositio trecentesimaquinquagesimatertia.

Expositio trecentesimaquinquagesimaquarta.

Expositio trecentesimaquinquagesimaquinta.

Expositio trecentesimaquinquagesimasexta.

Expositio trecentesimaquinquagesimaseptima.

Expositio trecentesimaquinquagesimaoctaua.

Expositio trecentesimaquinquagesimanona.

Expositio trecentesimasexagesima.

Expositio trecentesimasexagesimaprima.

Expositio trecentesimasexagesimasecunda.

Expositio trecentesimasexagesimatertia.

Expositio trecentesimasexagesimaquarta.

Expositio trecentesimasexagesimaquinta.

Expositio trecentesimasexagesimasexta.

Expositio trecentesimasexagesimaseptima.

Expositio trecentesimasexagesimaoctaua.

Expositio trecentesimasexagesimanona.

Expositio trecentesimaseptuagesima.

Expositio trecentesimaseptuagesimaprima.

Expositio trecentesimaseptuagesimasecunda.

Expositio trecentesimaseptuagesimatertia.

Expositio trecentesimaseptuagesimaquarta.

Expositio trecentesimaseptuagesimaquinta.

Expositio trecentesimaseptuagesimasexta.

Expositio trecentesimaseptuagesimaseptima.

Expositio trecentesimaseptuagesimaoctaua.

Expositio trecentesimaseptuagesimanona.

Expositio trecentesimaoctogesima.

Expositio trecentesimaoctogesimaprima.

Expositio trecentesimaoctogesimasecunda.

Expositio trecentesimaoctogesimatertia.

Expositio trecentesimaoctogesimaquarta.

Expositio trecentesimaoctogesimaquinta.

Expositio trecentesimaoctogesimasexta.

Expositio trecentesimaoctogesimaseptima.

Expositio trecentesimaoctogesimaoctaua.

Expositio trecentesimaoctogesimanona.

Expositio trecentesimanonagesima.

Expositio trecentesimanonagesimaprima.

Expositio trecentesimanonagesimasecunda.

Expositio trecentesimanonagesimatertia.

Expositio trecentesimanonagesimaquarta.

Expositio trecentesimanonagesimaquinta.

Expositio trecentesimanonagesimasexta.

Expositio trecentesimanonagesimaseptima.

Expositio trecentesimanonagesimaoctaua.

Expositio trecentesimanonagesimanona.

Expositio quadringentesima.

Expositio quadringentesimaprima.

Expositio quadringentesimasecunda.

Expositio quadringentesimatertia.

Expositio quadringentesimaquarta.

Expositio quadringentesimaquinta.

Expositio quadringentesimasexta.

Expositio quadringentesimaseptima.

Expositio quadringentesimaoctaua.

Expositio quadringentesimanona.

Expositio quadringentesimadecima.

Expositio quadringentesimadecimaprima.

Expositio quadringentesimadecimasecunda.

Expositio quadringentesimadecimatertia.

Expositio quadringentesimadecimaquarta.

Expositio quadringentesimadecimaquinta.

Expositio quadringentesimadecimasexta.

Expositio quadringentesimadecimaseptima.

Expositio quadringentesimadecimaoctaua.

Expositio quadringentesimadecimanona.

Expositio quadringentesimavigesima.

Expositio quadringentesimavigesimaprima.

Expositio quadringentesimavigesimasecunda.

Expositio quadringentesimavigesimatertia.

Expositio quadringentesimavigesimaquarta.

Expositio quadringentesimavigesimaquinta.

Expositio quadringentesimavigesimasexta.

Expositio quadringentesimavigesimaseptima.

Expositio quadringentesimavigesimaoctaua.

Expositio quadringentesimavigesimanona.

Expositio quadringentesimatrigesima.

Expositio quadringentesimatrigesimaprima.

Expositio quadringentesimatrigesimasecunda.

Expositio quadringentesimatrigesimatertia.

Expositio quadringentesimatrigesimaquarta.

Expositio quadringentesimatrigesimaquinta.

Expositio quadringentesimatrigesimasexta.

Expositio quadringentesimatrigesimaseptima.

Expositio quadringentesimatrigesimaoctaua.

Expositio quadringentesimatrigesimanona.

Expositio quadringentesimaquadragesima.

Expositio quadringentesimaquadragesimaprima.

Expositio quadringentesimaquadragesimasecunda.

Expositio quadringentesimaquadragesimatertia.

Expositio quadringentesimaquadragesimaquarta.

Expositio quadringentesimaquadragesimaquinta.

Expositio quadringentesimaquadragesimasexta.

Expositio quadringentesimaquadragesimaseptima.

Expositio quadringentesimaquadragesimaoctaua.

Expositio quadringentesimaquadragesimanona.

Expositio quadringentesimaquinquagesima.

Expositio quadringentesimaquinquagesimaprima.

Expositio quadringentesimaquinquagesimasecunda.

Expositio quadringentesimaquinquagesimatertia.

Expositio quadringentesimaquinquagesimaquarta.

Expositio quadringentesimaquinquagesimaquinta.

Expositio quadringentesimaquinquagesimasexta.

Expositio quadringentesimaquinquagesimaseptima.

Expositio quadringentesimaquinquagesimaoctaua.

Expositio quadringentesimaquinquagesimanona.

Expositio quadringentesimasexagesima.

Expositio quadringentesimasexagesimaprima.

Expositio quadringentesimasexagesimasecunda.

Expositio quadringentesimasexagesimatertia.

Expositio quadringentesimasexagesimaquarta.

Expositio quadringentesimasexagesimaquinta.

Expositio quadringentesimasexagesimasexta.

Expositio quadringentesimasexagesimaseptima.

Expositio quadringentesimasexagesimaoctaua.

Expositio quadringentesimasexagesimanona.

Expositio quadringentesimaseptuagesima.

Expositio quadringentesimaseptuagesimaprima.

Expositio quadringentesimaseptuagesimasecunda.

Expositio quadringentesimaseptuagesimatertia.

Expositio quadringentesimaseptuagesimaquarta.

Expositio quadringentesimaseptuagesimaquinta.

Expositio quadringentesimaseptuagesimasexta.

Expositio quadringentesimaseptuagesimaseptima.

Expositio quadringentesimaseptuagesimaoctaua.

Expositio quadringentesimaseptuagesimanona.

Expositio quadringentesimaoctogesima.

Expositio quadringentesimaoctogesimaprima.

Expositio quadringentesimaoctogesimasecunda.

Expositio quadringentesimaoctogesimatertia.

Expositio quadringentesimaoctogesimaquarta.

Expositio quadringentesimaoctogesimaquinta.

Expositio quadringentesimaoctogesimasexta.

Expositio quadringentesimaoctogesimaseptima.

Expositio quadringentesimaoctogesimaoctaua.

Expositio quadringentesimaoctogesimanona.

Expositio quadringentesimanonagesima.

Expositio quadringentesimanonagesimaprima.

Expositio quadringentesimanonagesimasecunda.

Expositio quadringentesimanonagesimatertia.

Expositio quadringentesimanonagesimaquarta.

Expositio quadringentesimanonagesimaquinta.

Expositio quadringentesimanonagesimasexta.

Expositio quadringentesimanonagesimaseptima.

Expositio quadringentesimanonagesimaoctaua.

Expositio quadringentesimanonagesimanona.

Expositio quingentesima.

Expositio quingentesimaprima.

Expositio quingentesimasecunda.

Expositio quingentesimatertia.

Expositio quingentesimaquarta.

Expositio quingentesimaquinta.

Expositio quingentesimasexta.

Expositio quingentesimaseptima.

Expositio quingentesimaoctaua.

Expositio quingentesimanona.

Expositio quingentesimadecima.

Expositio quingentesimadecimaprima.

Expositio quingentesimadecimasecunda.

Expositio quingentesimadecimatertia.

Expositio quingentesimadecimaquarta.

Expositio quingentesimadecimaquinta.

Expositio quingentesimadecimasexta.

Expositio quingentesimadecimaseptima.

Expositio quingentesimadecimaoctaua.

Expositio quingentesimadecimanona.

Expositio quingentesimavigesima.

Expositio quingentesimavigesimaprima.

Expositio quingentesimavigesimasecunda.

Expositio quingentesimavigesimatertia.

Expositio quingentesimavigesimaquarta.

Expositio quingentesimavigesimaquinta.

Expositio quingentesimavigesimasexta.

Expositio quingentesimavigesimaseptima.

Expositio quingentesimavigesimaoctaua.

Expositio quingentesimavigesimanona.

Expositio quingentesimatrigesima.

Expositio quingentesimatrigesimaprima.

Expositio quingentesimatrigesimasecunda.

Expositio quingentesimatrigesimatertia.

Expositio quingentesimatrigesimaquarta.

Expositio quingentesimatrigesimaquinta.

Expositio quingentesimatrigesimasexta.

Expositio quingentesimatrigesimaseptima.

Expositio quingentesimatrigesimaoctaua.

Expositio quingentesimatrigesimanona.

Expositio quingentesimaquadragesima.

Expositio quingentesimaquadragesimaprima.

Expositio quingentesimaquadragesimasecunda.

Expositio quingentesimaquadragesimatertia.

Expositio quingentesimaquadragesimaquarta.

Expositio quingentesimaquadragesimaquinta.

Expositio quingentesimaquadragesimasexta.

Expositio quingentesimaquadragesimaseptima.

Expositio quingentesimaquadragesimaoctaua.

Expositio quingentesimaquadragesimanona.

Expositio quingentesimaquinquagesima.

Expositio quingentesimaquinquagesimaprima.

Expositio quingentesimaquinquagesimasecunda.

Expositio quingentesimaquinquagesimatertia.

Expositio quingentesimaquinquagesimaquarta.

Expositio quingentesimaquinquagesimaquinta.

Expositio quingentesimaquinquagesimasexta.

Expositio quingentesimaquinquagesimaseptima.

Expositio quingentesimaquinquagesimaoctaua.

Expositio quingentesimaquinquagesimanona.

Expositio quingentesimasexagesima.

Expositio quingentesimasexagesimaprima.

Expositio quingentesimasexagesimasecunda.

Expositio quingentesimasexagesimatertia.

Expositio quingentesimasexagesimaquarta.

Expositio quingentesimasexagesimaquinta.

Expositio quingentesimasexagesimasexta.

Expositio quingentesimasexagesimaseptima.

Expositio quingentesimasexagesimaoctaua.

Expositio quingentesimasexagesimanona.

Expositio quingentesimaseptuagesima.

Expositio quingentesimaseptuagesimaprima.

Expositio quingentesimaseptuagesimasecunda.

Expositio quingentesimaseptuagesimatertia.

Expositio quingentesimaseptuagesimaquarta.

Expositio quingentesimaseptuagesimaquinta.

Expositio quingentesimaseptuagesimasexta.

Expositio quingentesimaseptuagesimaseptima.

Expositio quingentesimaseptuagesimaoctaua.

Expositio quingentesimaseptuagesimanona.

Expositio quingentesimaoctogesima.

Expositio quingentesimaoctogesimaprima.

Expositio quingentesimaoctogesimasecunda.

Expositio quingentesimaoctogesimatertia.

Expositio quingentesimaoctogesimaquarta.

Expositio quingentesimaoctogesimaquinta.

Expositio quingentesimaoctogesimasexta.

Expositio quingentesimaoctogesimaseptima.

Expositio quingentesimaoctogesimaoctaua.

Expositio quingentesimaoctogesimanona.

Expositio quingentesimanonagesima.

Expositio quingentesimanonagesimaprima.

Expositio quingentesimanonagesimasecunda.

Expositio quingentesimanonagesimatertia.

Expositio quingentesimanonagesimaquarta.

Expositio quingentesimanonagesimaquinta.

Expositio quingentesimanonagesimasexta.

Expositio quingentesimanonagesimaseptima.

Expositio quingentesimanonagesimaoctaua.

Expositio quingentesimanonagesimanona.

Expositio sexcentesima.

Expositio sexcentesimaprima.

Expositio sexcentesimasecunda.

Expositio sexcentesimatertia.

Expositio sexcentesimaquarta.

Expositio sexcentesimaquinta.

Expositio sexcentesimasexta.

Expositio sexcentesimaseptima.

Expositio sexcentesimaoctaua.

Expositio sexcentesimanona.

Expositio sexcentesimadecima.

Expositio sexcentesimadecimaprima.

Expositio sexcentesimadecimasecunda.

Expositio sexcentesimadecimatertia.

Expositio sexcentesimadecimaquarta.

Expositio sexcentesimadecimaquinta.

Expositio sexcentesimadecimasexta.

Expositio sexcentesimadecimaseptima.

Expositio sexcentesimadecimaoctaua.

Expositio sexcentesimadecimanona.

Expositio sexcentesimavigesima.

Expositio sexcentesimavigesimaprima.

Expositio sexcentesimavigesimasecunda.

Expositio sexcentesimavigesimatertia.

Expositio sexcentesimavigesimaquarta.

Expositio sexcentesimavigesimaquinta.

Expositio sexcentesimavigesimasexta.

Expositio sexcentesimavigesimaseptima.

Expositio sexcentesimavigesimaoctaua.

Expositio sexcentesimavigesimanona.

Expositio sexcentesimatrigesima.

Expositio sexcentesimatrigesimaprima.

Expositio sexcentesimatrigesimasecunda.

Expositio sexcentesimatrigesimatertia.

Expositio sexcentesimatrigesimaquarta.

Expositio sexcentesimatrigesimaquinta.

Expositio sexcentesimatrigesimasexta.

Expositio sexcentesimatrigesimaseptima.

Expositio sexcentesimatrigesimaoctaua.

Expositio sexcentesimatrigesimanona.

*Expositio sexcentesimaquad

habes veri pastoris, nisi eius vmbram & simulacrum: quia tua tantùm commoda aucuparis, oues verò non pascis, non curas, deseris & permittis lupis. Addit S. Hieron. Antichristum hîc notari, qui præ arrogantiâ verè volet adorari vt idolum & numen. Dicit ergo: O pastor *euil*, id est, non sapiens & sane, sed stulte & insane, tu pariter es *euil*, id est non verus, sed vanus; non viuus, sed pictus & fictus pastor: simia es pastoris, non pastor. Simia est simia, etiamsi aurea gestet insignia: ita & tu simia es hominis, non homo: aureum gestas pedum, aureā coronam & mitram, ac byssinam poderem; sed in mente & corde nil habes sapientiæ, nil curæ, nil vigilantiæ, nil industriæ pastoralis. Væ, væ, væ tibi. In decretorio nouissimo die hanc laruam deteget Christus iudex, videbis quàm inane fuerit hoc pastoris idolum quod exterius præfers. Talis fuit Nouatianus Antipapa, & æmulus S. Cornelij Papæ, de quo S. Cyprian. epist. ad Iubaianum: *Nouatianus, inquit, similiū more, quæ cùm homines non sint, humana tamen imitantur, vult Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem sibi & veritatem vindicare, quando ipse in Ecclesia non sit, imò adhuc insuper contra Ecclesiam rebellis & hostis exiterit*, &c. Sic Prædicantes hæreticorum sunt simiæ & idola pastorum.

Moral. *Disce hîc* vitia & indicia falsi pastoris, eorumq; cellige virtutes & signa veri pastoris. Falsum enim ait Zacharias, *derelicta nō visitabit, dispersum non quæret, contritum non sanabit, id quod stat non enutriet, carnes pinguiū comedet, & vngulas eorū disrumpet*. Radicem mali tangit S. Gregor. hom. 17. in Euang. *Curis*, ait, *secularibus intenti, tanto insensibiliores nos efficimur, quanto ad ea quæ foris sunt fortiores videmur. Vsu quippe curæ terrenæ à cœlesti desiderio obdurescit animus, & dum ipso suo vsu duritiam per actionem sæculi, ad ea emolliri non valet quæ pertinent ad charitatem Dei.* Et mox: *Nulla æternorum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia tanquam terrena concupiscimus, humanam gloriam vanis mentis captamus. Et quia eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda qualibet maiorem licentiam habemus, suscepta benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum.* S. Bernard. serm. 76. in Cant. *Ad custodiā* (Dei putà Ecclesiæ) ait, *custodiam ego sum vtro forti, spiritali, fideli: forti ad propulsanda iacula: spiritali ad deprehendendas insidias: fideli, quæ sua sunt quærat.* Et mox: *Pauci admodum sunt qui non quæ sua sunt quærant, ex omnibus duorum. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt Mammonæ. Incedunt quomodo incedant nitidi & ornati, circumamicti varietatibus, tamquam sponsa procedens de thalamo sua. Nōne si quempiam talium repētè eminus prodeuntem aspexeris, sponsam potiùs putabis, quàm sponsæ custodem? Vnde verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriem, congeriem vasorum argēteorum & aureorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est quòd illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, lassata exanguis. Propter hoc non est hoc tempore ornari sponsam, sed spoliare: non est custodire, sed perdere: non est instituere, sed prostituere, & deuorare, lacerare illa Domino: Qui deuorant plebem meam vt cibum panis. Quem dabis mihi de numero Prælatorum, qui non plus inuigilet subditorū vacuandis marsupiis, quàm vitijs extirpandis? vbi qui orando flectat eum, qui præcipit annum placabilem Domino? O vti-*

Cornel. in Proph. Min.

A *nam tam vigiles reperirentur ad curam, quàm alacres currunt ad cathedram!*

Ex aduerso veri pastores quærunt non quæ sua sunt, sed quæ Christi: non bursas venātur, sed animas: non vitam lautā ambiunt, sed cruces & martyria pro gloria Dei. Inter alios posteriori æuo hac in re eminuit S. Adalbertus Pragensis, & *Exemp. S. Adalberti.* postea Gnesnensis Episcopus, qui cùm nobilissimis in Boëmia parentibus prognatus esset, spretis sæculi pompis in sortem Domini ascitus, sua in pauperes erogauit. Raptus ad Episcopatum Pragensem, totus corrigendis prauorum moribus incubuit, piè seuerus & grauiter mitis. Meridies prandentem (præter dies festos) media nox dormientem numquam vidit; lectus eius erat humus. Cùm se parum apud Boëmos proficere videret, perrexit ad Hungaros, eosq; ac in primis
B Geisam ducem, eiusq; filium S. Stephanum, qui primus apud Hungaros regis nomen & dignitatem accepit, ac Martyr occubuit, in fide erudiuit. Inde perrexit ad Polonos, quibus in Christiana doctrina confirmatis, progressus est in Prussiam, vbi ab infidelibus occisus, apostolatus simul & martyrij lauream est adeptus anno Domini 997. cuius sepulchrum venerationis causa paulò pòst visens Otto III. Imp. brachium Sācti (quod Romæ in Ecclesia S. Bartholomæi deposuit, vbi illud quotannis veneramur) à Boleslao principe dono accepit, eiq; viciſſim pro munere coronā regiam rependit; atq; exinde Polonię principes, reges habiti vocatiq; sunt, qui antea Ducum nomine censebātur. Regnum ergo debent S. Adalberto, quod ab eius æuo iam per sexcentos annos obtinent, æquè ac Hungari. ita habet eius
C vita, & Annales Poloniæ.

Porrò ex hoc loco discimus duo esse officia veri pastoris. Primum est, vigilantia & cura gregis. Secundum, eminentia virtutis & vitæ sanctitas. Nam falsos fictosq; pastores hîc describit & carpit Zacharias ex duobus oppositis, scilicet quòd dormiant negligantq; gregem, & quòd commoda sua sectentur, non gregis, eaque carnalia, non spiritualia. *Duo officia veri pastoris.* Quoad primum, S. Antiochus hom. 3. censet pastorem totum debere esse oculum, & mentem: Is, inquit, cuius fidei tutela animarum à Deo credita est, non mediocri studio vigilare debet pro salute subditorum; quippe qui certò sciat se pro illis aditurum esse animæ propriæ periculum, &c. Debet igitur pastor totus esse mens & oculus, vt ne vna quidem concreditarum sibi pecudum indigna fiat,
D quæ recipiatur à Domino, per oscitantiam. Pastores ergo sint Argi, hoc est centoculi, vt singulas oues introspiciant & curent; ideoque ante omnia primò seipsos introspiciant & curent. Qui enim sibi est nequā, cui erit bonus? qui se negligit, cui aduigilabit? Scriptum est enim: Medice cura teipsum. Subditorum ergo est obedire, pastorum vigilare, iuxta illud Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim pernigilant quasi rationē pro animabus vestris reddituri.* Si oculi dormiant, totum corpus dormit: oculi plebis pastores sunt. si pastor dormiat, plebs etiā dormiet. Vigilantis pastoris exemplum accipe Genes. 31. *Viginti annis* (ait Iacob) *fui tecum*, id est cum Laban: *oues tuæ & capræ steriles non fuerunt; arietes gregis tui non comedi; nec captum à bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam; quidquid furtim perie-*

ibat, à me exigebas. Die noctuq; æstu vrebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis, &c. Si sic laborat & vigilat (ait Magnus Gregor. l.7.epist.48.ad Anastasiũ) si sic, inquam, laborat & vigilat qui pauit oues Laban, quanto labori quantisq́ue vigilijs debet intendere, qui pascit oues Dei? Obserua verba illa Iacob: *Ego damnũ omne reddebam: quidquid furtim peribat, à me exigebas.* quæ indicant à pastore rationem ouium reposcendam à Deo. Damnũ omne quod ipsius culpa contigerit, pastor reddet; quidquid perierit, ab eo exigetur. Hoc est quod ait S.Chrysost.libr.2. de Sacerdotio. Cui Christi grex concreditus est, hunc ouibus deperditis, animæ propriæ iacturam facere oportet.

Quoad secundum, typum dat Saul rex Israelis, de quo dicitur 1.Reg.9. quòd ab humero sursum eminebat super omnem populum. Vbi S.Gregor. Rex, ait, præcedit collo, præcedit capite: collo locutio, capite contemplatio designatur. Capite ergo & collo subditorum omnium capita pastor excellit, si contemplationis altitudine mirabilis est, & sublimitate doctrinæ. Isaiæ 40. præcipit Deus, vt pastor euangelizans ascendat in montem: *Super montem*, inquit, *excelsum ascende, tu qui euangelizas Sion:* ex vita igitur sublimi, & non infima vulgariq́ue, pastor ouibus, vt audiatur, debet euangelizare, quod docet idem vigilantissimus & sanctissimus pastor, verè Gregorius l.1.epistolarum epist.24.ad Episcopum Constantinopolitanum. *Qui*, inquit, *loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentiùs auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo præcipit, ostendendo adiuuat vt fiat. Hinc enim per Prophetam dicitur: Super montem excelsum ascende, tu qui euangelizas Sion; vt videlicet qui cælesti prædicatione vtitur, ima iam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantoq; subditos faciliùs ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritũ de supernu clamat.* Eximius quoque pastor Saluianus, quem Gennadius Episcoporum magistrum appellat, hac de re præclarè libr.1.ad Ecclesiam Catholicam sic scribit: *Sacerdotes exempla esse omnibus debent, & tanto antestare cæteris oportet deuotione, quanto antestant omnibus dignitate. Nihil enim est turpius, quàm excellentem esse quemlibet culmine, & despicabilem vilitate. Quid est enim aliud principatus seu meritorum sublimitate, nisi honoris titulus siue nomen? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Et ideo cunctos qui sacri altaris suggestu eminent, tantùm excellere oportet merito, quantum gradu.* Causam dat S.Basil.apud Nazianzen.in eius laudibus. Vix enim est, inquit, vt Antistes per summum assequatur medium, ac per exuberantem virtutis amplitudinem vulgus ad mediocritatem pertrahat. Denique aurea est sententia S. Gregorij l.7 epist.32. *Lux gregis, flamma est pastoris. Decet enim pastorem, decet Dominicum sacerdotem moribus & vita claresc ere, quatenus in se tanquam in speculo vitæ suæ plebs cõmissa & eligere quod sequatur, & videre possit quod corrigat.* Plura si cupis vide ea quæ dixi Ezech.34.

GLADIVS SVPER BRACHIVM EIVS] Vel actiuè, vel passiuè. Actiuè accipit Chald.dum vertit, *similis est pastor hic stultus lanioni, qui habet gladium in manu sua, & oculus eius respicit ad pinguia vt angulet ea*, ideoq́ue punietur à Deo, qui brachium eius arefaciet, & oculum obscurabit.

Secundò, alij passim accipiunt passiuè, idq́ue exigunt sequentia. q.d. Gladius, id est vltio, Dei incumbet brachio crudeli pastoris stulti, vt eius potentiam confringat: item oculo dextro eius, id est, eius prouidentiæ, calliditati, consilijs & prauæ intẽtioni, qua satagit gregem expilare & perdere q.d. Deus hæc eius consilia & prauas intentiones dissipabit, & infatuabit. Nam brachium eius arefaciet, id est, potentiam illi adimet: & oculum eius dextrum, id est intentionem & machinationem, obscurabit, excæcabit & euertet. ita S Hieron. Theodor. Remig. Hugo, Lyran. Arias, Vatabl. Ribera & à Castro. Hoc in Antichristo clarissimè patebit, quem *Dominus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui*, 2. Thessal.2.8.

CAPVT DVODECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PRædicit Ierusalem à Gentibus, quin & à Iudæis perfidis oppugnandam, sed Deum eam tuturum per Machabæos, qui quasi heroës instar ignis omnia peruadent, subijcient, deuorabunt, ac tandem v.10. promittit Deus se effusurum in Ierusalem spiritum gratiæ & precum per Christum, quem fideles visuri sunt in cruce clauis lanceaq́; transfixum, ideoq́; planctum maximum facturi. ita S.Hieron. Theodor. Remig. Albert. & Hugo. Allegoricè Ierusalem est Ecclesia, præsertim primitiua, quam Deus per Apostolos & Martyres quasi heroës, contra omnes insultus Iudæorum & Gentilium per trecentos annos fortissimè propugnauit. ita Ribera, Arias & Vatablus. ac rursum in fine mundi contra Antichristum, Gog & Magog propugnabit. Allegor. dico, non literaliter, vti multi censent. Nam literaliter loqui Zachariam de temporibus Machabæorum mox secuturis, patet tum ex consequentia temporum, tum ex connexione & congruentia oraculorum horum cum gestis Machabæorum, tum quia v.10. desinit in persone Christi. Hæc autem secuta est ætatem Machabæorum. Sicut ergo Isaias, Ieremias, Osee, Daniel, Ezechiel, &c. prædixerunt ea quæ Iudæis mox erant euentura à Salmanasar, Nabuchodonosore, Cyro, & Dario: sic & Zacharias prædicit ea quæ ijsdem mox obuentura erant ab Antiocho & Machabæis.

Deus

Onus verbi Domini super Israel. Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.

2. Ecce ego ponam Ierusalem superliminare crapulæ omnibus populis in circuitu: sed & Iuda erit in obsidione contra Ierusalem.

3. Et erit: In die illa ponam Ierusalem lapidem oneris cunctis populis: omnes, qui leuabunt eam, concisione lacerabuntur: & colligentur aduersus eam omnia regna terræ.

4. In die illa, dicit Dominus, percutiam omnem equum in stuporem, & ascensorem eius in amentiam: & super domum Iuda aperiam oculos meos, & omnem equum populorum percutiam cæcitate.

5. Et dicent duces Iuda in corde suo: Confortentur mihi habitatores Ierusalem in Domino exercituũ Deo eorum.

ONVS VERBI DOMINI SVPER ISRAEL] *Onus* est onerosa, tristis & funesta prophętia, vt dixi Isæ 13.1. Israel hîc vocatur populus Iudaicus, descẽdens à Iacob. hic enim ab angelo cognominatus est Israel, ideoq; omnis eius progenies, licèt duodecim patriarchæ, & duodecim tribus ab eis proseminatæ, vocatæ sunt Israel. Iã quia decem tribus olim abductæ in Assyriam, quoquoue dispersæ erant, ita vt tempore Zachariæ Israelis nomen in eis euanuisse videretur, hinc stirps & familia, ac consequenter hereditas & nomen Israelis, redacta sunt ad duas tribus reliquas, putà ad Iudæos. Hi enim fuerunt stirps Iacob, & populus Dei, cui exhibitus fuit Messias, Abrahæ & Iacobo promissus. ita Cyrill. Prædicit ergo hîc Zacharias onus, id est clades, Israeli, id est Iudæis, ab Antiocho, eiusq; ducibus & posteris eorũdem; sed Dei dextera & scuto auertendas per Machabæos. Vnde Dei potentiam exaggerando præmittit dicens:

DICIT DOMINVS EXTENDENS CÆLVM, ET FVNDENS TERRAM, ET FINGENS SPIRITVM HOMINIS IN EO] q.d. Ego sum Deus omnipotens, omniscius & optimus: nam meam omnipotentiam ostendi, dum vastissimos cælos ex nihilo creaui & expandi: sapientiam meam patefeci, dum terram in medio mundi pendulam, mira arte fundaui & fulcio: bonitatem demonstro, dum quotidie animas creo, & in corpora hominum nascentium immitto & conseruo. Ergo multò magis eadem omnipotentia, sapientia & bonitate fulciã & defendam Ierusalem, hostesq; eius coram ea collidam & confringam. Hinc mysticè, cælum est symbolum Ecclesiæ Christianæ, quam Deus per totum orbem extendit; terra autem, populi Iudaici, quem Deus in medio Ecclesiæ quasi suspẽdit.

ECCE EGO PONAM IERVSALEM SVPERLIMINARE CRAPVLÆ] Hebr. סַף *saph* significat duo; Primò limen & superliminare; Secundò, calicẽ vel poculum, vti vertunt hîc Chald. Vatab. Pagnin. Arias & alij. Rursum רַעַל *raal* significãt Primò, tremorem; Secundò, crapulam; Tertiò, soporem;

A Quartò, venenũ; Quintò, stuporem; Sextò, concussionem. Vnde alij vertunt, *vas ebrietatis*; alij, *vas tremoris*: aut, vt Syrus, *portam tremoris*; vel, vt Arabicus, *portam commotionis*; alij, *calicem veneni soporiferi*; alij, *craterem stuporis*. Verùm Septuag. & Noster tam hîc, quàm Amos 9.1. vertunt, *superliminare crapulæ*, vel *commotionis*; Prado Ezech. 23.31. *superliminare tremulum*, vel *mobile*. Sub superliminari intellige postes laterales, qui limini inferno ostij superstant & incumbunt: sic enim habent Septuag. *Ego pono Ierusalẽ sicut superliminaria quæ mouentur, omnibus populis in circuitu.* Iam τὸ κραπύλε, vel tremoris, stuporis & concussionis, dupliciter accipi potest. Primò, passiuè, q.d. Redigam Ierusalem in tantas obsidionis angustias, vt ipsa ijs quasi ebria tremere & insanire videatur. est enim hoc onus Ierusalem. Vnde & sequitur: *Superliminare crapulæ quod*

B *Sed & Iuda erit in obsidionem contra Ierusalẽ.* ita Theodor. & Euseb. l. 8. Demonstr. c. 4. Secũdò, actiuè, q.d. Gentes obsidebunt Ierusalem, vt eius vino & spolijs se satient & inebrient; sed ego easin tãtas clades & strages impellam, vt ijs quasi venenolethifero ebrij, in tremorem, stuporem & amentiam adigantur: angustiabunt Ierusalem, sed ibidem angustiabuntur ipsimet, & laqueus quem alijs posuerunt, in eorum caput recidet: sicut Aman in cruce quã fixerat Mardochæo, suspensus est. Sic enim v. seq. lapidem oneris Ierusalem, explicat actiuè, non passiuè, scilicet qui oneret & collidat, non Ierusalem, sed hostes eam diuexantes. Est metaphora à calice aureo, optimo vino pleno, sed venenato, ad quem certatim accurrunt sitibundi, sed mox vt eum gustarint, tremere, stupere, animam agere incipiunt. Simili modo Babylon dicitur propinare gentibus calicem aureũ

C maledictionis, eoq; inebriare, soporare & dementare omnes gentes, Ierem. 51.7. Iam eôdem redit sensus, siue *saph* vertas calicem, siue limen vel superliminare. q.d. Quicumque hostis attigerit limen Ierusalem, mox quasi ebrius & mente captus, tremere & furere incipiet: sicut de Sibylla Cumana narrat Virgil. 6. Æneid. quod mox vt limen antri sui fatidici ingrediebatur, extra se rapi, furere & vaticinari incipiebat. Talis est & lacus iuxta Neapolim, in quem si inijcias canem, illico emori & exanimari videtur; quem si in lacum aduersum inferas, statim ad se redit, & reuiuiscit. ita S. Hieron. Remig. & Hugo. Rursum à Castro sic exponit, q.d. Ponam Ierusalem velut superliminare minans ruinam omnibus ingredi

D volentibus, quos tremere faciet quasi ebrios, ac venefico potu infectos: nã mox vt limen attingent, contremiscent & corruent. Palacius verò & Mariana sic. q.d. Ponã Ierusalem superliminare crapulæ, in quod scilicet hostes furore ebrij impingent, caputq; collident. q.d. Qui impugnant Ierusalem, quasi ebrij & insani cadent & corruent. Alij, q.d. Ierusalem erit hostibus obsidentibus quasi calix veneni mortiferi, quod bibentem morte æterna consopit. Ad literam loquitur de Ierusalem arctata & afflicta ab Antiocho Epiphane, eiusq; asseclis, quos Iudas & Machabæi cecidêrunt, vt corruerent quasi temulenti.

Alleg. loquitur de Ecclesia primitiua, quam persecuti sunt Nero, Decius, Diocletianus; sed Deus eos quasi ebrios percussit & oppressit. Quocirca Alcazar in Apoc. c. 11. 13. notat. 12. ex

Theodor. sic exponit: *Quasi superliminare crapulæ,* id est sicut in crapula ebrio, ob vertiginem capitis moueri videntur superliminaria; sic reuera commouebitur Ierusalem, id est Ecclesia, itaque persecutionibus concutietur, vt ruitura videatur, & vicini populi se inuicem cohortentur, vt ab ea sibi caueant, ne eius ruina inuoluantur. Aut q.d. Vicini populi Ecclesiæ limina respicient tamquam crapulam, ebrietatem & insaniam; ac Christianis insultabunt quasi ebrijs & insanis: sicut pueri ebrium infectantur, illudunt, ac vacillantem & labantem impellunt vt corruat. *Sed & Iudas pugnabit contra Ierusalem.* q.d. Non soli Gentiles persequentur Ecclesiam, sed & Iudæi; qui tamen à Deo illuminati pro Ecclesia contra Gentiles arma sument, magnamque in ipsis stragem edent, vti ait Zacharias v.6. Paulò aliter Ribera, q.d. Sicut ebrijs superliminare domus quam ingredi volunt, moueri videtur, & ideo ipsi quasi insani, putantes se commoueri, corruũt; sic accidet hostibus Ecclesiæ, qui ad eam oppugnandã venient; corripientur enim insania quasi crapula, itaque corruent. Addit Delrio adagio 10.20. fortè idcirco Septuag. vertisse, *superliminaria*, in plurali, eò quòd ebrijs omnia videntur gemina, sicut & entheis. Minùs rectè Ruper. crapulam in bonum pro satietate accipit, q.d. Ecclesia erit domus crapulæ, id est, satietatis & ebrietatis spiritualis, de qua in Pentecoste dicitur Act. 2. quòd Iudæi Apostolos musto plenos & ebrios iudicarent.

Porrò videtur alludere Zacharias ad illud Ierem. 25.15. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur, & insanient a facie gladij, quem ego mittam inter eos. Et accepi calicem de manu Domini, & propinaui cunctis gentibus, ad quas misit me Dominus: Ierusalem,* &c. Et magis ad Isaiæ 29.8. *Sic erit,* inquit, *multitudo Gentium, quæ dimicauerunt contra montem Sion: obstupescite & admiramini, fluctuate & vacillate; inebriamini, & non à vino; mouemini, & non ab ebrietate: quoniam miscuit vobis Dominus spiritũ soporis, claudet oculos vestros,* &c. Et clariùs Ierem. 25.27. *Hæc dicit Dominus: Bibite & inebriamini: vomite, & cadite, neque surgatis a facie gladij, quem ego mittam inter vos.* Ecce hæc est crapula, non vini, sed vindictæ Dei, de qua Zacharias hîc. Videibi dicta. Voluerunt enim Græci calice furoris sui, cædis & sanguinis inebriare Ierusalem; sed eodem per Machabæos inebriati sunt à Deo, qui, vt ait Psaltes psalm. 77.65. *excitatus est tamquam dormiens, tamquam potens crapulatus à vino. Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.* Idem multò magis, & sæpiùs fecit infidelibus persequentibus Ecclesiam. Nulla enim natio est, quæ Christum & Ecclesiam immaniter aliquando non sit persecuta, cùm eminus tãtùm eius superliminaria, id est, Christum crucifixum vidit, eiusque doctrinam paradoxam audiuit, scilicet: *Beati pauperes: Beati qui lugent: Beati qui esuriunt,* &c. Hæc enim omnia mundus abhorrebat & odiebat, donec internã eius pulchritudinem, gratiam, consolationem & spiritum vidit & gustauit. Hac de causa Cant. 1. Ecclesia dicitur esse sicut pelles Salomonis, & sicut tabernacula Cedar, exteriùs scilicet horrida, nigra, & æstu persecutionum adusta. Quare qui eius admirabiles diuitias videre vult, domũ eius intret oportet, & non in limine maneat. Hinc ab initio mundi inter probos & improbos acre & perenne fuit bellum: semper enim inter se contraria pugnant, vt calidum & frigidum, album & nigrum, virtus & vitium, Deus & diabolus. Huius rei symbolo censet Stunica, primum miraculum à Christo factũ esse in vino ex aqua producto, quia scilicet Ecclesia ab ipso stabiliẽda erat vas crapulæ.

Tropolog. Messana per *superliminare crapulæ* intelligit cantharum, vel ramum hederæ aut vitis, quem œnopolæ ad limen tabernæ suspendunt, vt transeuntes inuitent ad introeundum, ibique potandum & inebriandum se. Huc accedit Albertus, qui sic exponit, q.d. Ponam Ierusalem patentem introitum aduenientibus ad eam, sicut ad crapulam, qua insatiabilis eorum pascatur cupiditas. Sic ergo superliminaria crapulæ significant tabernam, ganeam, popinam, &c. in quibus viget ebrietas & crapula, quibus proinde onus Dei hîc Propheta intentat. Propter crapulam enim, æquè ac alia scelera, videtur Deus hoc onus imposuisse Hierosolymæ. Vnde Sanchez per *superliminare crapulæ* accipit prostibulum gulæ & libidinis, puta ephebeum in Ierusalem ab impio Iasone constitutum, in qua optimi quique iuuenum publicè cultui ad infandam libidinem prostituebantur. Hoc enim prostibulum vocari *crapulæ*, quia symbolo crapulæ, id est scypho, in superliminari exante, quasi indice & titulo erat insignitum. Scyphus enim Herculi & Baccho sacer erat, indigne crapulæ, indeque sequentis libidinis. Porrò idipsum sacrilegus constituerat iuxta templum, imò in ipso templo. Nam, vt dicitur 2.Machab.6. *templum luxuria & comissatione Gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus.* Gentiles enim in templis publica agitasse conuiuia, docet Aristotel. l.7. Politic. c.11. Vnde & Sichimitæ epulantes in fano Dei sui Berith, maledicebant Abimelech, vt dicitur Iudic.9.17.

Dices, Deus dicitur hîc positurus Ierusalem in superliminare crapulæ. Deus autem non potest excitare crapulam propriè dictam: hæc enim est peccatum ebrietatis. Resp. Ierusalem polluerat se superliminare crapulæ propriè dictæ, sed Deus idcirco posuit eam in superliminare crapulæ metaphoricè, vt scilicet quæ crapulata erat ebrietate & culpa, crapularetur pœna, ac inebriaretur suo sanguine Deique; vindicta. q.d. Poniam eam plagisque inebriabo, vt ijs ostentãti mundo eam se fecisse ganeam & tabernã crapulæ. Est ergo in hac tropologia metonymia, aut metalepsis, qua ex consequente antecedens, ex effectu causa, ex pœna culpa intelligitur: accipe enim incommoda est & incongrua, vtpote à sensu literali dissidens, eique repugnans. Hoc rectè adaptes bacchãtibus in Bacchanalibus, quæ multis in locis cum magna Christiani nominis ignominia, magnaque infidelium offensione & probro omnes penè domus, totaque ciuitas fit superliminare crapulæ, ita vt ei iure hic titulus dari & inscribi possit: Hæc est domus crapulæ: Hæc est ciuitas, non Christi, sed Bacchi. Hi dies sunt bacchãtium, stultorum & insanorum, non Christianorum, vti in nonnullis Calendariis impressum legi.

SED ET IVDA]q.d Non solùm Gentes, sed & Iudæi perfidi, vel transfugæ obsidebunt Ierusalem eamque affligent, vt ipsa ærumnis videatur obruta: sed has ærumnas Deus deuoluet in ipsos Iudæos perfidos & transfugas, eosque plagis & cæsorum sanguine inebriabit. Tales transfugæ fuerunt Iason & Menelaus, qui profugi ad Antiochum, Ierusalem obsederunt, ceperunt & vastarunt, vti dixi c. præc. v. 15. Item alij plurimi, qui minarum & tormentorum Antiochi metu, à iudaismo ad gentilismum apostatarunt, de quibus 1. Machab. 1. v. 44. & 55. & 2. Machab. c. 4. & 5. ac Iosephus 12. Antiq. c. 6.

Alia prima persecutio Apostolorum & Ecclesiæ fuit à Iudæis, vt patet ex Actis Apostolorum. ita Arias & Vatabl.

PONAM IERVSALEM LAPIDEM ONERIS CVNCTIS POPVLIS] Syrus, *lapidem conculcationis*; Septuag. *lapidem qui conculcatur*; Chald. *lapidem offensionis*; Arabicus, *lapidem subiectionis*.

Quæres, quis *lapis oneris*? Respondet optimè S. Hieron. (quem proinde Remig. Rupert. Glossa, Ribera & alij passim sequuntur) dicens: *Mos est in vrbibus Palæstinæ, & vsque hodie per omnem Iudæam retinet consuetudo seruatur, vt in viculis, oppidis & castellis rotundi ponantur lapides grauissimi ponderis, ad quos iuuenes exercere se soleant, & eos pro virium qualitate virium sublevare, alij ad genua, alij ad umbilicum, alii ad humeros & caput, nonnulli super verticem rectis iunctisque manibus, magnitudinem virium demonstrantes, pondus extollant. In arce Athenarum iuxta simulachrum Minervæ, vidi sphæram aheneam grauissimi ponderis, quam ego pro imbecillitate corpusculi mouere vix potui. Cùm quærerem quidnam sibi vellet, responsum est ab vrbis eius exhibitore, athletarum in illa massa fortitudinem comprobari, nec priùs ad agonem quemquam descendere, quàm ex leuatione ponderis sciatur, quis cui debeat comparari. Sensus ergo iste est: Ponam Ierusalem cunctis gentibus quasi grauissimum lapidem sublevandum. Leuabunt quidem eam, & pro virium varietate vastabunt; sed necesse est vt dum leuatur, in ipso nixu & eleuatione ponderis, grauissimus lapis scissuram aliquam vel rasuram in leuantium corporibus derelinquat.* Hic est lapis oneris, operatum & portantem concidens & opprimens, cuius meminit Ecclesiast. c. 6. 22. dicens: *Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur proijcere illam.* q. d. Sapientia est lapis oneris, quem quisque leuando probat suas vires & robur. Vnde stulti & improbi eum aliquousque leuant, sed mox vt sentiunt eius pondus, illico abijciunt. Hinc Græca habent, *quasi lapis probationis fortis erit in illo.* Huius lapidis, æque ac plumbi athletici meminit Hieron. Mercurialis 2 Gymnasticæ c. 11. Iam Theodoret. Remig. & Hugo censent Ierusalem fuisse *lapidem oneris*, cùm expugnata est à Tito & Romanis. Verùm hic de tempore Antiochi & Machabæorum agitur, non Titi & Romanorum. Hisce enim Ierusalem non fuit lapis oneris, sed pila prædæ & gaudij.

Dico ergo ad literam significari hîc, quòd Antiochus & Græci suis copijs ex omnibus gentibus collectis oppugnaturi sint Ierusalem, vt eam quasi lapidem oneris ex Iudæa exportent in Græciã, sed ab ea quasi à lapide oneris, per Machabæos concidendi sint & conterendi: id enim ita factum esse non semel, sed sæpiùs per interualla temporum recto ordine demonstrat à Castro. Nam in primis Ptolemæus Philopator, dum templum ingressus vellet in Sancta sanctorum penetrare, sacerdotibus opem diuinam implorantibus, penè mortuus cecidit & enectus, diuina vi, nisi citissimè è templo à suis eductus fuisset, vt in l. 2. Machabæorum refertur. Heliodorus missus à rege Seleuco ad spoliandum ærarium templi, flagellatus discessit, 2. Machab. 3. Iason vt ingressus ciuitatem, per diuersa loca profugus interijt honore sepulturæ priuatus. Antiochus Epiphanes vrbem templumque spoliauit per seipsum, 1. Machab. 1. & 2. Machab. 5. deinde per Apollonium & Lysiam: sed malè perijt iniquus, vt dicitur 1. Machab. 6. & 2. Machab. 9 postulans misericordiam ab eo, à quo non erat adepturus. Alcimus deinde missus à rege Demetrio obsedit Ierusalem, 1. Machab. 9. & præcipiens destrui atrium interius, & opera Prophetarum, percussus paralysi, & grauiter tortus interijt. Antiochus Sedetes Iudæam deuastauit, & Hierosolymam obsedit, sed diuinitus tactus sacrificium obtulit, & fœdere inito recessit, vt refert Iosephus l. 13. Antiq. c. 15. Post hos Romanorum Pompeius primus Iudæam subiugauit, Hierosolymam templique adyta ingressus, numquam deinceps prosperè rem gessit in bellis, donec in acie Pharsalica vniuersus eius exercitus verso ad Hierosolymam cecidit vultu, ipseque fugiens in Ægyptum cæsus est. Denique M. Crassus contra Parthos profectus, templum Hierosolymitanum spoliauit: ideo à Parthis cũ filio & vniuerso exercitu trucidatus, liquato in os eius auro iniecto, sui sacrilegij pœnas exoluit, vt referunt Iosephus lib. 14. Antiq. cap. 13. & Plutarchus in Pompeio & Crasso. Ex quibus constat, per multos annos vrbem Hierosolymam à multis regibus ac ducibus obsessam, & Dei munere liberatam, non sine eorum concisione. Verum quoque deducitur, collecta fuisse aduersus Ierusalem omnia regna terræ.

Porrò solerter conijcit Sanchez, Prophetam in hoc lapide oneris respicere ad palæstram, quam æquè ac ephebiam, ritu gentilitio in Ierusalem instituit impius Iason, in qua gestando onere & disco certabant tanta frequentia & concursu, *vt sacerdotes festinarẽt participes fieri palæstræ, & præbitionis eius iniustæ, & disci.* 2. Machab. 4. Vbi Nota. discus erat massa rotũda, seu globus ex ferro, plumbo, saxo, quo adolescentes vires explorabant, illum vel eleuando, vel iactando: vt qui altiùs eum eleuaret, vel longiùs iaceret, ille vinceret. Vnde eos discobolos vocat Plinius lib. 2. c. 34. de quibus Martial. lib. 14. *Discus quid*

Splendida cùm volitent Spartani pondera disci:
Este procul pueri, fit semel ille nocens.

Allegor. Ecclesia est lapis oneris, quem leuare, tollere & abiicere voluerunt Iudæi & Gentiles; sed omnes ab eo conciss & oppressi sunt, vt patet in Nerone, Decio, Valeriano, Iuliano, &c. sed maximè in Diocletiano & Maximiano, qui iurarant se extirpaturos Christi Ecclesiam & fidem, vel certè imperium deposituros. Secundum præstiterunt, quia prius præstare non potuerunt. Vnde vterque à Constantino primo Imper. Christiano, ad necem & restim adactus est.

Anag.

Anag. Ecclesia & Christus erunt lapis oneris, qui opprimet impios in die iudicij, deprimetque in tartara, de quo Christus Matth. 21.44. *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum.* q.d. Qui restiterit Christo, quem Deus in Ecclesia posuit lapidem angularem, putà lapidem oneris, & petram scandali, eumque persecutus fuerit, frustra id faciet. Nam sibi in corpore & animo perniciem accerset, ita tamen vt non penitus conteratur, sed per pœnitentiam reparari possit: super quem verò ceciderit hic lapis, id est, ille cui Christus graui sua vltione incubuerit, quales erunt damnati in die iudicij, huic nulla spes reliqua erit redintegrationis; perinde ac si lapis grādis in vas testaceum decidat, illud in minutissima frusta confringit, vt nullo modo reparari queat. ita S. Augustin. lib. 1. quæst. Euang. q. 30. to. 4. B

VERS. 4. PERCVTIAM OMNEM EQVVM, scilicet hostilem, putà Antiochi & Græcorum per Machabæos. IN STVPOREM] id est, ad stuporem, vt scilicet omnes videntes stupeant ad plagā tantam tamque subitam, & ipsi equites præ stupore & pauore quasi versi in amentiā, nesciant quò fugere, vel quid agere debeant. ita S. Hieron. Theodor. & alij.

ET SVPER DOMVM IVDA APERIAM OCVLOS MEOS] Vt scilicet protegā Iudæam & Iudæos, imò vt ij qui metu Antiochi prolapsi sunt in gentilismum, eiusq; copijs mixti pugnarunt contra patriam resipiscant, sumptisque animis iungant se Machabæis, & patriam propugnent. ita factum legimus 1. Machab. 2. 29.

Alleg. q.d. Faciam vt Iudæi qui Ecclesiā persequebantur videant suum errorem, & ad eam conuertantur, eamque propagent, vti contigit S. Paulo Actor. 9. ita S. Hieron. C

ET OMNEM EQVVM POPVLORVM PERCVTIAM CÆCITATE] Est catachresis & synecdoche; per *cæcitatem* enim accipit stuporem & metum, quo correpti equi quasi cæci, nescieb ant quò fugere deberent: propriè etiā multi equi hostium à Machabæis in capite percussi & excæcati sunt. Nam 2. Machab. 10. 30 dicitur: *Apparuerunt aduersarijs de cælo viri quinque in equis, frænis aureis decori, ducatum Iudæis præstantes: ex quibus duo Machabæum medium habētes, armis suis circumseptem incolumem conseruabant, in aduersarios autem tela & fulmina iaciebant: ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant.*

VERS. 5. ET DICENT DVCES IVDA IN CORDE SVO] S. Hieron. sic exponit. q.d. Iudæi ex metu transfugæ, & cum copijs Antiochi obsidentes Ierusalem, non ore, ne audiantur; sed corde suo dicent & precabūtur: Domine conforta ciues Ierusalem, vt hisce Antiochi copijs resistere queant; vt sic victi cum hostibus, quibus coactè seruimus, vincamus cum ciuibus, quos intimè amamus. Secundò & planiùs, q.d. Machabæi in corde suo precabuntur Deum, vt confortet ciues Ierusalem, ne Antiocho succumbant. Ita Iudam Machabæum legimus penè semper ante aciem orasse, & Dei opem imploransse, eaque victoriam obtinuisse. D

Alleg. duces Iuda sunt Apostoli, qui orarunt Deum, vt Ierusalem, id est Ecclesia, omnibus tyrannis fortiter ad mortem vsque & martyrium resisteret. ita Albertus & Arias.

6. In die illa ponam duces Iuda sicut caminum ignis in lignis, & sicut facem ignis in fœno: & deuorabunt ad dexteram, & ad sinistram omnes populos in circuitu; & habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem. A

7. Et saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicut in principio: vt non magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Ierusalem contra Iudam.

8. In die illa proteget Dominus habitatores Ierusalem, & erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi Dauid: & domus Dauid quasi Dei, sicut angelus Domini in conspectu eorum.

9. Et erit in die illa: quæram conterere omnes Gentes, quæ veniunt contra Ierusalem. B

PONAM DVCES IVDA SICVT CAMINVM IGNIS] q.d. Faciam vt Machabæi, & mysticè Apostoli quasi ignis omnia circumcirca populentur, superent, subijciant & ad se conuertant. Vide gesta Iudæ, Ionathæ & Simonis in libris Machab. Id in Apostolis patuit in Pentecoste, quādo Spiritus sanctus eis insedit specie linguarum igearum: vnde mox eloquijs suis ignitis multa hominum millia, ac sensim totum mundum ad Christum conuerterunt. ita S. Hieron. Remig. Albert. & alij.

ET SICVT FACIEM IGNIS IN FOENO] Ita Romana. Alij pro *faciem* legunt *fascem*; alij *fasces*, & ita vertunt Septuag. Chald. Pagnin. Vatabl. & alij. Hoc enim significat Hebr. לפיד *Lappid*, scilicet lampadem & facem. Eōdem omnia redeunt: facies enim ignis est fax, celerrimè comburens & consumens fœnum, cui injicitur. C

ET HABITABITVR IERVSALEM] q.d. Ierusalem priùs vacuata ciuibus, profugis ob metum Antiochi, virtute Machabæorum, ijs rursum implebitur, vt in ea sicut antè, habitent pacifice, frequentes & opulenti, vt patet 1. Machab. 14. 4. idque penè vsque ad tempus Christi, qui eam olim incolis cælestibus & diuinis, putà Apostolis & primæuis Christianis, ditabit & decorabit. Nota pleonasmum Hebraicum, cùm dicit Propheta *Habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ierusalem*, redūdat enim תחתיה *in Ierusalem*. Nil enim aliud vult dicere, quàm Ierusalem non alio, sed eodem in loco quo priùs, ædificandam & habitandam: quod vt planè, plenè & certò futurum significet, addit תחתיה *in Ierusalem*. Multæ enim ciuitates dirutæ, postea non eodem, sed alio vicino in loco, ædificatæ sunt, vti Tyrus noua: nam vna Tyrus dicitur Palætyrus, & à Tyro noua longiusculè distat. Sic Roma moderna alia est à veteri. Sic & Tusculum: quin & Ierusalem moderna alio est in loco, quàm fuerit vetus; nam mons Caluariæ, qui olim erat extra vrbem, iam est in vrbis quasi meditullio. Prædicit ergo Zacharias, Ierusalem sub Machabæis eodem prorsus loco quo priùs restaurandam, frequentandam & magnificandam. D

Alleg. Ierusalem est Ecclesia Christi, quæ licet grauissimis persecutionibus agitata sit, & sedibus suis quasi pulsa, suo tamen loco semper constitit, imò firmiùs se & copiosiùs in eodem loco

a g. Ierusalem nostra est Roma, ex qua licet Imperatores penè omnes, per trecentos annos extirpare conati sint Pontifices & Christianos; ideoque centena Martyrũ millia exquisitissimis tormentis enecarint, illi tamen semper in ea perstiterunt, imò numero & robore creuerunt, donec eadem toti non tantùm vrbi, sed & orbi sunt dominati. Vnde S. Ambros. in c. 9. epist. ad Roman. *legit pacem Ierusalem in omnibus gentibus: Quia*, inquit, *vsque futuri erãt* (per Christum) *filij Dei, & templum Dei in omnibus locis, quæ est Ecclesia.*

SERVABIT DOMINVS TABERNACVLA IVDA] Est prolepsis, siue occupatio. Occurrit enim tacitę obiectioni. Quomodo Ierusalem & Iuda salua consistent inter tot hostes? ac respondet, id non eius, sed Dei nimbus futurum. Deus enim saluabit ea, earumque domos, etiam rusticanas, quas proinde vocat tabernacula, præsertim quia primitus Hebræi in deserto non in aliis domibus, quàm tabernaculis habitarunt.

Allegor. *tabernacula* sunt particulares Ecclesiæ, ad quas licet olim Christiani metu persecutionũ irent & non nisi noctu, pauciq́ue conuenire auderent. Deus tamen seruauit eas, imò auxit, & dilatauit, sicut olim *in principio* Synagogæ. putà in deserto, antitypa Hebræorum tabernacula ab hostibus æquè ac ab æstu, imbribus & procellis illæsa seruauit.

VT NON MAGNIFICE GLORIETVR DOMVS DAVID] Ne Hierosolymitæ, & præsertim posteri Dauidis glorientur, quòd ipsi suis viribus tam se quàm Iudæos in vicinis oppidis & pagis habitantes, contra Antiochum cæteroſq́; hostes propugnarint; ecce ego dico & edico, me tam Hierosolymitas, quàm Iudæos cæteros saluaturum. Mihi ergo omnes se submittant, mihiq́ue suam salutem acceptã referant: ego enim Machabæis fortitudinem animosq́; dabo, quibus pauci contra maximos exercitus dimicantes, eos sternant & profligent. Id professus est Iudas Machabæus 1 Machab. 3.18. & alibi, itaq́ue à Deo victorias miraculosas obtinuit. Nota. *domus Dauid* vocantur pueri Dauidis, eorumq́ue familiæ, quæ plurimæ erant & nobilissimæ in Ierusalem. Rursum *gloria habitantium Ierusalem*, per hypallagen vocatur ipsi habitantes in Ierusalem gloriosè. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei*, psalm. 86. 2. Iudæi verò vocantur cæteri Iudæi, qui circum Ierusalem & in illis & vrbibus habitabant. Similis hypallage est apud Poëtam cùm ait: *Trade ratem ventis*, pro trade ventos rati. Et, *Perflauit fistula buxo*, pro buccæ perflarunt fistulam.

Allegor. *domus Dauid* sunt Apostoli, similesq́ue Ecclesiæ Principes: *gloria habitantium Ierusalem*, sunt Doctores, viriq́ue religiosi & sanctitate illustres: hi enim sunt gloria Ecclesiæ. Hi quoque non possunt gloriari contra Iudam, id est, populum & plebem fidelem, quasi ipsi suis viribus eam præstiterint, cùm hoc Dei eiusq́ue gratiæ sit opus. Albert. Hugo & Vatabl.

Tropol. Clarius: Domus, ait, Dauid, & gloria Ierusalem sunt reges, principes, nobiles & diuites. Hi non possunt gloriari contra Iudam, id est, plebem fidelem, quasi ipsi sua nobilitate, potentia, opibus, fide & locum in Ecclesia digniorem obtinent, cùm hoc sit meræ gratiæ Christi, quæ in christianismo æquat ignobiles nobilibus, pauperes diuitibus. Nam, vt docet Apostolus, in Christo

A Iesu non est Iudæus, neque Græcus: non seruus, neque liber: non diues, neque pauper; sed omnes vnum sunt, putà noua Dei creatura. imò in christianismo primas & potiores partes tenent pauperes: tum quia Christus prædicauit pauperibus Lucæ 4.18. & pauperes prædicauit beatos: tum quia regni sui proceres constituit pauperes Apostolos, per quos, reges & principes cõuertit, iuxta illud 1. Corinth. 1.26. *Videte vocationem vestram fratres, quia non multi sapiẽtes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia.* &c. Et Iacob. 2.5. *Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo. diuites in fide, & heredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Denique diuites & nobiles maiora habent
B impedimenta humilitatis & virtutis Christianæ, quàm pauperes: honores enim inflant, opes & deliciæ mentem eneruant. quare maiori egent gratia Christi, qua hæc vincula dirumpant, quàm pauperes. Quocirca ob maiorem gratiam sibi factam, maiores tenentur agere gratias Christo.

QVI OFFENDERIT EX EIS] Tigurina, *qui impegerit*. Hebr. enim כָּשַׁל *casçal* significat impingere, vel offendere in rem aliquam, v.g. lapidem, indeq́ue corruere & infirmari. Vnde Septuag. Chald. & Pagnin. vertunt, *qui infirmus fuerit ex eis*; Vatabl. *qui debilis fuerit erit quasi Dauid*; Arabicus, *quasi qui ad Dauid* scilicet pertinet. Iam sensus est, quasi dicat, Machabæi eorumq́ue socij, qui pauci & inualidi videbantur, Dei ope fient validi bellatores instar Dauidis, qui
C licèt iuuenis & penè puer esset tamen leonem, vrsum & Goliath gigantem interfecit: imò qui ex eis offenderint, dum metu Antiochi apostatabunt à iudaismo ad gentilismum, hi videntes animos & victorias Iudæ & fratrum eius, cum Dauide in homicidium & adulterium lapso pœnitentiam agent, fidem resument, ac cum fide nouos animos & vires instar Dauidis capessent. Id ita factum esse narrant libri Machabæorum. ita S. Hieron. Theodor. & alij initio cap. citati. VERS. 8.

Allegor. id verius in Ecclesia, vbi infirmi, imò fœminæ, pueri & puellæ Christi gratia ita fortes euadunt, vt mundum, carnem, diabolum, carnifices, ignes, bestias, & tormenta omnia superent. vti patuit in S. Agnete, Cæcilia, Dorothea, Lucia, Pancratio, Vito, Celso, & in dies patet. Rursum, qui in peccatum aliquod lapsi sunt, à Deo tacti fortiores resurgent, instar Dauidis pœnitentis, vti patuit in S. Petro, Paulo,
D Matthæo, Magdalena, Pelagia & plurimis aliis. ita S. Gregor. hom. 20. in Ezech. Albert. Hugo & Lyran. hîc. Aliter Arias, q.d. Infiniti Sancti nouæ legis poterunt conferri cum maximis Sanctis legis veteris, qualis fuit Dauid. Hæc ergo est ingens consolatio Sanctorum Christi, quòd ipse eligat infirma mundi, eaq́ue ita validet, vt confundat fortia: nam virtus eius in infirmitate nostra perficitur, 2. Corinth. 12.9. Qui ergo infirmus est, vel ætate, vel sexu, vel valetudine, vel animo, dicat cum S. Paulo: *Omnia possum in eo qui me confortat.* *Deus in infirmis ostendit suum robur.*

ET DOMVS DAVID QVASI DEI] Hebr. quasi *Elohim*, quod vel in nominatiuo, vel in genitiuo accipias. In nominatiuo accipiunt Vatabl. Pagnin. Syrus & Arabicus Antioch. dum vertũt,

domus

domus Dauid erit quasi Deus. quod explicat Prophetа dum subdit: *Sicut angelus Domini*, q.d. Domus Dauid erit fortis instar angeli Dei. Hebr. enim *Elohim*, non tantùm Deum, sed & angelos, heroës, duces ac principes significat. Vnde Chald. vertit, *domus Dauid instar heroum feliciter aget, ac si angelus Domini in conspectu eorum esset*; Septuag. verò, Arabicus Alexandr. & Noster τὸ *Elohim*, accipiunt in genitiuo, *domus Dauid erit quasi domus Dei*, quia scilicet erit fortis sicut angelus, qui est de domo Dei. Et sic vterque sensus, & vtraque versio eôdem redit. Significat principes Iuda (hi enim erant ex domo & posteritate Dauidis) validissimos fore, vt vires non humanas, sed diuinas habeant, ac instar angelorum facilè Antiochi hominumque omnium acies profligent. Totius ergo versus hic est sensus: Sub Machabæis plebs timida & infirma, ita Dei ope valida fiet, vt Dauidi valido bellatori cōparari queat: principes verò non tantùm cum Dauide, sed & cum angelis in fortitudine, ducatu, prouidentia & regimine comparari poterunt. Ita factum est: nam Iudas, Ionathas, Simon viribus & victoriis superarunt Dauidem, adeoque angelorum ope & ductu dimicarunt & vicerunt. Nam angeli in hostes eorū iaculati sunt tela & fulmina, vti narratur 2. Machab. 10. 30. Et cap. 15. dicitur Ieremias apparuisse & dedisse Iudæ aureum gladium, dicens: *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deijcies aduersarios populi mei Israel.* Exinde ipse & assectæ eius facti sunt quasi domus Dei, id est, quasi diuinum asylum, ad quod omnes Iudæi ab hostibus afflicti, quasi ad certam salutis anchoram confugerent, ijsque quasi angelis ad salutem missis confiderent; quin & Gētiles, vt Spartani & Romani eorum amicitiam ambirent, vt patet 1. Machab. 12. v. 1. & c. 14. 17. ita Theodor. Porrò Iudas cum fratribus, licèt oriundus ex Leui, non ex Iuda & Dauid, vocatur domus Dauid; quia domus Dauid totaque respubl. Iudæorum, eum sibi in caput & ducem elegit. Successit ergo Dauidi in principatu, & regimine suę domus, tribus, & populi Iuda. Alludit ad domū fortium Dauidis: Dauid enim quia bellicosus erat, & in assiduis bellis versabatur; hinc pariter milites & duces habebat, vel exercendo faciebat bellicosissimos, inter quos eminebant 37. qui l. 2. Reg. 23 8. & seqq. recensentur, & vocantur fortes Dauid, quorum tres primi & fortissimi erant, Iesbaam, id est, sedens in cathedra: Eleazar, & Semma, de quibus dicitur: *Vsque ad tres primos non peruenit.* Vnde Adrichom. in Descriptione Ierusalem, depingit domum fortium Dauidis, in qua illi heroës Dauidis habitabāt: vbi etiam, ceu in palæstra athletæ & pugiles exercitij causa digladiationibus certabant, citatq; pro hac re Nehemiæ c. 3. 16. & ibidem Lyranū. Sensus ergo est, q.d. Domus Dauid, id est posteri & assectæ Dauidis, putà Machabæi, adeò erunt bellicosi & fortes, vt domum cœtumque fortium Dauidis, adeoque tres eius primos & fortissimos robore æquent, imò superent.

Dauides sunt Apostoli,

Alleg. Dauid est Christus: hic est fortis vt magni consilij angelus, imò vt Deus: quia verè Deus fuit, æquè ac homo. Domus & familia Christi, fuerunt Apostoli & viri Apostolici, quos ipse cōstituit principes suæ Ecclesiæ, quæ est domus Dei, ecsque tam validos, vt angeli, vel dij videretur, potiùs quàm homines, præsertim quia angelorum vitam in terris agebant, ac quasi angeli mediatores erant inter Deum & homines. ita Vatablus, Ribera & alij paulò antè citati.

Tropol. domus Dauid est Religio, in qua scilicet Dauidis omnes psallunt laudantq; Deum, idque fortes in spiritu euadunt ad ardua quæque sperāda, vt Dauid. Hinc eadem est domus Dei, in qua Religiosi viuunt quasi angeli: vtpote enim sunt de domo Dei; quia Deo astant, & ei uncij sunt, & præeunt castra populi, quasi ipsius nui milites & duces. Adde, eos angelis esse familiares, & ab illis regi, iuxta illud Exodi 23. *Precedet te angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum.* Denique S. Gregor. hom. 20. in Ezech. per domum Dauid accepit domum pœnitentiæ: *Hæc*, inquit, *dies misericordiæ, quæ nobis de adventu redēptoris nostri promissa est. Qui itaque conuersus fuerit, erit quasi Dauid: quia peccator ad pœnitentiā reuersus. Domus autem Dauid, quasi domus Dei: quia vnusquisque ad iustitiam, habitatio efficitur creatoris, si fit sicut angelus in cōspectu eius: quia misericordia veritatem quæ in se expertus est, annunciando alijs propinat.*

Qværam conterere] Hebr. להשמיד *lehasmid*, id est, disperdere. q.d. Satagā vt Græci aliæque gentes, quæ oppugnabunt Ierusalem, à Machabæis eorumq; posteris conterantur & disperdantur, vtq; Ierusalem continua quasi pace fruatur vsque ad Christū, qui quasi nouus Salomon pacis filius, imò pater, pacem plenā & diuinam orbi afferet. ita Theod. Nota, cùm ait *omnes gentes*, intelligi Græcis vicinas & subditas, vel confœderatas. Nam, vt ait S. Hieron. in Isaiæ c. 13. idioma Scripturæ est, vt omnes gentes, vel omnē terram intelligat eius prouinciæ, de qua est sermo.

Alleg. q.d. Deus conteret omnes Imperatores & gentes, quæ persequentur Ecclesiam, imò Ecclesiæ subijciet faciet; que fideles, vti reipsa fecisse Deum, patet ex historijs Eusebij, Socratis, Sozomeni, Baronij & aliorum. ita S. Hieron. Lyranus, Hubert. Remig. & Vatabl. Aliter Arias, qui per gentes accipit turmas dæmonum Christum Christiq; Ecclesiam oppugnantium, quas omnes Christus contriuit.

10. Et effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ, & precum: & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri soleat in morte primogeniti.

11. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon.

12. Et plangęt terra: familiæ & familiæ seorsum: familiæ domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum.

13. Familiæ domus Nathan seorsum & mulieres eorum seorsum: familiæ domus Leui seorsum, & mulieres eorum seorsum: familiæ Semei seorsum, & mulieres eorum seorsum.

14. Omnes familiæ reliquæ, familiæ & familiæ seorsum, & mulieres eorum seorsum.

ET SVPER DOMVM DAVID] Assurgit hîc de more Propheta ad Christum, & promittit quòd ipse in Ierusalem, purâ in Iudæos qui sibi credent, hoc est, in Ecclesiam primitiuam, quæ coepit in Ierusalem & Iudæa, atque ex Iudæis coepit effundet spiritum gratiæ & precum. Pro gratia hebr. est חן *chen*, quod significat gratiam, qua alicui gratiosi & amabiles sumus. Vnde in Scriptura toties dicitur: Inueni, vel inueniam gratiam in oculis tuis, hoc est, sim tibi gratus, placens, amabilis. Deus ergo hîc pollicetur, quòd per Christum effundet in fideles spiritum gratiæ, id est, spiritum qui eos per gratiam infusam gratificet Deo, ipsique & angelis faciat gratiosos & amabiles, iuxta illud Ephes. 1. 5. *Prædestinauit nos adoptionem filiorum per Iesum Christum, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo.* ita S. Hieron. Theodoret. Remig. & alij passim. Secundò, Chald. & Arias pro *chen* non malè vertunt *commiserationem*, qua misero, præsertim innocenti, vt Christo transfixo, de quo v. 10. compatimur. Vnde sic cum Chaldæo verte, *effundam super domum Dauid, &c. spiritum misericordiæ & miserationum*; vel cum Aria, *spiritum compassionis & deprecationis*, quæ ex compassionis cogitatione & sensu plerumque proficiscitur. Est enim deprecatio, miserantis animi voce, fletu atque lamentatione indicatio. A

ET PRECVM] Hebr. תחנונים *tachanunim*, quod Septuag. vertunt, *misericordiæ*; Chaldæus *miserationum*; Clarius, *propitiationis*. Radix enim חנן *chanan* significat misereri, indeque precari: misericordia enim excitat ad preces, quibus eam lenemus. vnde Noster vertit *precum*. Iam S. Hieron. Remig. Albert. Vatabl. & alij passim, censent hîc peculiariter prædici missionem Spiritus sancti in Apostolos & fideles in Pentecoste & deinceps. Vbi Nota duos effectus principales Spiritus sancti. Prior, quòd det nobis gratiam, qua gratiosi sumus Deo: posterior, quòd det nobis spiritum orationis & precum, per quas omnes infirmitates & miserias nostras sanemus, omniaque bona quibus egemus, à Deo impetremus, iuxta illud Rom. 8. 26. *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ingens ergo donum Dei & Spiritus sancti est donum orationis. Secundò & pressiùs, magisque appositè & connexè ad sequentia, Arias & à Castro censent spiritum gratiæ & precum hîc vocari eum, quem Deus iniecit Hierosolymitis, cùm Christum viderunt in cruce confixum, vt scilicet eum aspicerent oculis, non torvis & crudelibus, sed benignis, gratiosis & commiserantibus, indeque erumperent in lachrymas & preces, optantes vt Deus Christi innocentis, & tam dira patientis misereretur. Spiritus enim in Scriptura significat mentis impetum & vehementiam, v. g. ad amandum & commiserandum, si sit spiritus miserationis, vti hîc est. Hunc esse sensum patet ex Hebræo, vbi hæc verba pendent ex sequentibus: *Et aspicient ad me quem confixerunt, & plangent eum planctu quasi super vnigenito.* Hæc enim eorum commiseratio fuit initium fidei & conuersionis ad Christum; ac propagationis Ecclesiæ. Deus enim ob hanc eorum compassionem in Christum, dedit eis fidem, gratiam & salutem per Christum. Simili modo ex aspectu B Christi crucifixi compuncta, & ad vitam perfectam conuersa est S. Elisabetha, regis Hungariæ filia, aliique permulti, vti mox ostendam. Quare minùs rectè ad literam aliqui censent, hunc spiritum gratiæ & precum promitti hîc Machabæis, vti eum Iudæ Machabæo datum scimus. Rursum Mariana hunc spiritum gratiæ & miserationis passiuè accipit, quasi dicat, Faciam vt fideles mei omnibus sint grati, vt omnes eorum misereantur, eisque opem ferant.

Mor. disce hîc magnum Dei donum esse donum orationis & precum: oratio enim est fistula cælestis, per quam à Deo per merita Christi sugimus omnem gratiam, quasi manna. Eo excelluerunt S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, S. Thomas Aquinas (qui suam sapientiam & doctrinam orando, potiùs quàm studendo se adeptum esse professus est) S. Franc. Xauerius, & alij, qui eo nixi ardua quæque susceperunt & perfecerunt, adeoque nihil à Deo postularunt, quod non impetrarint. Ad hoc disponit & ducit ingens in Deum fiducia, quam parit profunda cōsideratio tum bonitatis Dei, tum meritorū Christi. Quid enim Deus benignissimus neget suis amicis, qui vitam suam; omnia pro eo prodigunt? Quid iisdem obtendentibus Christi sanguinem, dolores & mortem acerbissimam, per eamque supplicantibus, abnuat? Hinc fides thaumaturga, miraculorum operatrix, & suscitatrix mortuorum, imò damnatorum, aut certò damnandorum. Vis exempla? Accipe pauca è multis. S. Elisabetha precibus adolescentem vanum conuertit, & ad Religionem impulit, ita vt ea orante adolescens clamaret: *Cessa ô domina, cessa, quia vastissimo supplicationis tuæ incendio præcordia mea, & ipsa medulla deuastantur, ita vt fatiscam & emoriar.* ita habet eius Vita. C

Anno Domini 959. perfectam pacem obtinuit Ecclesia Anglicana defuncto Eduino rege, & succedente in monarchiam regni totius Edgaro. Porrò precibus sancti Dunstani, quem afflixerat, ne penitus ad inferos damnaretur, animam eius ereptam, ita narrat Osbertus monachus: *Interea Eduinus è vita præsenti subtractus, & anima ipsius, Dunstano in orationibus occupato, à quibusdam teterrimis hominibus cursim euestigio est præsentata. Cuius miseriam miseratus, suarum iniuriarum immemor, pro liberatione eius immensos omnipotenti Deo lachrymarum imbres effudit, nec ab eis destitit, donec se pro eo exauditum agnouit. Facto igitur non grandi interuallo, Maiori illi ad Dunstanum sua præda vacui redeunt. Et quia suas iniurias vlcisci superuacuè venerant, calamniosas voces depromunt; quorum ille furores nihil pensans, Deo super ineffabili misericordia gratias egit.* ita habet Osbertus in Vita S. Dunstani, & ex eo Baron. anno Christi 959. D

Sophronius in Prato spirit. cap. 44. narrat de sene quodam, cuius discipulus negligens mortuus est. Contristatus ergo orauit & dixit: Domine Iesu Christe verax Deus noster, reuela mihi, quid sit circa fratris animam. Adspexit autem in excessu mentis effectus, fluuium ignis, ingentemque in ipso igne multitudinem, ac medium fratrem illū ad medium vsque demersum. Tunc ait illi senior: *Nónne te propter hanc pœnā orabam, vt curā animæ ageres, fili?* Respondit frater, & ait seni: *Gratias ago Deo, pater, quòd vel caput meum requiem habet. Per orationes enim tuas supra caput Episcopi sto.*

Anno 920. fato concessit Sisinandus quartus Compostellanus Episcopus, cuius tanta fuit fama sanctitatis, vt Ioannes Papa (opinor decimus) per literas & tabellarium proprium se precibus ipsius commendauerit. Mortuus est autem senio confectus. In cuius obitu voces auditæ sunt angelorum canentium: *Veni electe Dei, intra in gaudium Domini tui.* Successit illi Gundesindus V. Compostellanus Præsul, & Comitis cuiusdam filius: sed hic cùm mundo, quàm Deo, magis deditus esset, vitam non satis pio fine clausisse dicitur. De qua re mater eius, matrona pia, graui confecta dolore, & de anima filij vehementer sollicita, ante aram beatissimi Iacobi Apostoli diuinam misericordiam dies noctesque non destitit implorare, & fletibus, precationibus, ieiuniis, eleëmosynis sibi demereri, interposito S. Iacobi patrocinio, donec quadam nocte in templo eiusdem Apostoli vocem hanc audiuit: *Scias filium tuum hac nocte ad electorum societatem admissum fuisse.* Ita habet Ioannes Vasæus in Chronico Hispan. ad ann. 920.

ET ASPICIENT AD ME QVEM CONFIXERVNT] Stolidè Iudæi ex Chaldæo hoc intelligunt de Christo quodam filio Ioseph, quem in bello occubuisse fabulantur; aut de Iuda Machabæo ab hostibus occiso. Vox enim *me*, significat hîc loqui Deum: hebr. est דקרו *dakaru*, id est transfoderunt, transpunxerunt, transfixerunt, scilicet Iudæi infideles & impij Christi caput spinis, manus & pedes clauis, latus lancea in cruce. De Christo enim cruce transfixo hîc esse prophetiam & sermonem, docet & interpretatur S. Iohannes c. 19. 33. vbi cùm narrasset milites non fregisse Christi crura, eò quòd viderant eum iam mortuum; *Sed vnus militum*, inquit, *lancea latus eius aperuit. Facta sunt enim hæc, vt Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.* ita S. Hieron. Theodor. Cyrill. omnesque alij Interpretes, Græci & Latini; quin & Hebræi prisci apud Galatin. lib. 8. cap. 17. Loquitur de Iudæis qui Christum in cruce aspexerunt, præsertim iis qui ei compassi & commiserati sunt, vti paulò antè dixi, & fusè rectèque probat Alcazar Apocal. 1. v. 7. notat. 6. qualis fuit Centurio, eiusque socij, qui *viso terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicētes: Verè Filius Dei erat iste*, Matth. 27. 54. Porrò tales multos, imò plerosque fuisse, significat Lucas c. 23. 48. dicens: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.* ita Arias, à Castro, Salmeron tom. 10. tract. 48. in fine, & Alcazar loco iam citato. Pro *confixerunt*, Septuag. vertunt, *insultauerunt*, quia pro *dakaru* per metathesin legerunt, רקדו *rakadu*, id est saltarunt, insultarunt. ita S. Hieron.

Symbolicè, Cyrill & Euseb. lib. 8. Demonstr. c. 4 hæc adaptant Iudæis in excidio Titi, iis, inquam, qui agnouerunt causam excidij esse, quòd patres eorum Christum crucifixissent, ideoque conuersi sunt ad Christum. Cæteri enim causam excidij non in Christi cædem, vtpote quem non agnouerunt, imò negarunt esse Messiam, sed in seditiones cædesque mutuas, & alia Iudæorum peccata retulerunt, vt patet ex Iosepho lib. 6. Belli c. 16.

Anagog. id implebitur in die iudicij, quando A Iudæi aliique impij, qui hîc noluerunt Christum agnoscere, inuiti eum agnoscent: nam damnabuntur eò quòd ipsum transfixerint, aut transfixionis & passionis eius fuerint immemores & ingrati suis sceleribus, ideoque plangent. Ita explicat S. Iohannes Apocal. 1. 7. *Ecce, ait, venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ.* Vide ibi dicta. imò multi putant hunc esse sensum literalem, vt Theodor. Remig. Lyran. hîc, & S. August. lib. 20. Ciuit. c. 30. Suarez 3. p. tom. 2. disp. 57. sect. 9. Iansenius in Concord. Euangel. c. 1. 44. Toletus Iohannis 29. 37. qui ex hoc loco probant, stigmata crucifixionis & passionis in Christi corpore post resurrectionem mansisse, eaque videnda fore ab impiis in die iudicij. Sed ex dictis patet, hunc sensum potiùs esse anago- B gicum. Huc quoque alluſit Christus Matth. 24. 30. dicens: *Et tunc parebit signum filij hominis* (potà crux, cum clauis, lancea, &c.) *in cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ*, &c. Denique nonnulli idipsum extendunt ad particulare cuiusque hominis iudicium. Ita Innocentius Pont. lib. de Miseria conditionis humanæ, & ex eo Ludolphus volumine 3. de Vita Christi c. 46. censent, quemque hominem in morte videre Christum in cruce positum, malum, ad suam confusionem, vt erubescat se non esse redemptum sanguine Christi, sua culpa id exigente; & hoc esse id quod hîc dicitur à Zacharia: *Aspicient ad me, quem confixerunt*, bonum verò Christū videre ad suam exultationem. Idque probant ex 1. Thessal. 3. 13. *In aduentu Domini nostri Iesu Christi*, id est, inqui- C unt, in die mortis, quando apparet tam bonis quàm malis, Christus in cruce positus. Et ex Apocal. 3. 3. *Veniam ad te tamquam fur.* Verùm hæc infirma & incerta sunt, ac proinde temeraria videtur illa asseuerare, vti rectè ait Dionys. Carthus. Dialogo de particulari iudicio art. 2. & 12. In iudicio tamen vniuersali apparebit Christus, non crucifixus, sed cum cruce, & cicatricibus quinque vulnerum, vti iam dixi. Quare iudicium particulare cuiusque peragit Christus, vel per se, vel per angelos. Per se, non descendendo de cælis (sic enim qualibet hora, vtpote qua multi per orbem moriuntur, deberet de cælo descendere, seque replicare multoties, vt iudicet eos qui eodem instanti in variis locis & prouinciis moriuntur) sed per mentalem locutionem, qua manens in cælo empyreo loquitur animæ in terra mo- D rienti, reuelans ei sua facta, dictansque sententiam vitæ, vel mortis æternæ. Sic enim angeli loquuntur inuicem, etiamsi à se mutuo longissimè distent. Vel certè iudicium particulare exercet per angelos: illi enim sunt eius administratorij spiritus, vt ait Apostolus Hebr. 1. Vnde Bartholomæus Sibylla S. Theol. Doctor, Ordinis S. Dominici, in Speculo peregrin. quæst. decade 1. c. 3. q. 9. censet Christum hoc iudicium exercere per angelum Custodem cuiusque, vt is deinde eum pro meritis vel ad Purgatorium, vel ad cælum deducat, vel tradat dæmoni, vt eum rapiat in gehennam. Hoc enim ad angeli custodiam pertinere videtur, eiusque esse vltimus actus.

ET PLANGENT] non tam suos dolores, vti facient impij in die iudicij, quàm Christi indignam necē. Ait enim: *Plangent eum*, scilicet indignè crucifixum, & occisum, *planctu quasi super vnigenitum*,

vt doleri solet in morte primogeniti. Est enim Christus *primogenitus omnis creaturæ*, Coloss. 1. v. 15. *Sunt planctus Adadremmon in campo Mageddon*, id est, sicut planxerunt olim Iudæi Iosiam regem optimum à Pharaone cæsum in campo Mageddo, cuius filius & antitypus fuit Christus in Ierusalem occisus à Iudæis, ita S. Hieron. *Crucifixo, ait, Domino saluatore renouabitur planctus in Ierusalem, separatis viris à feminis, eò quòd tempore luctus non deceamus seruire coniugiis & operi nuptiarum.* Id probat ex Ioëlis 2. 16. *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.* Et subdit: *Hoc non solum tempore angustiæ fieri, sed etiam in tempore gratiæ, quando volumus Deum deprecari. Igitur & nunc domus Dauid, & tribus domus Nathan, & tribus domus Semei à suis vxoribus separantur, vt plangant Dominum.* Loquitur ad literam de planctu fidelium in morte Christi, vti paulò antè ostendit Gregor. Nazianz. in carmine cui titulus, *Christus patiens*, testatur militem illum qui lancea latus Christi perforauit, altero oculorum fuisse captum; sed Christi sanguine & aqua ad oculum admotis, visum recuperasse, ac Christi virtute agnita, pectus suum percussisse, ipsumq; verum Filium Dei agnouisse. Salmeron to. 10. pag. 496. idem citat non tantùm ex Nazianzeno, sed etiam ex Isidoro. Rom. Martyrol. die 15. Martij, asserit Longinum fuisse eum qui latus Christi perforauit, indeque credidit & Martyr euasit. Hoc significat τὸ *aspicient*, scilicet tam oculis cordis, quàm corporis, *in me quem confixerunt.*

Symbol. hunc planctum rectè accipias, tum eum quo planxerunt fideles, partim ex pœnitentia & lætitia conuersionis suæ, qua receperunt Spiritum sanctum; partim ob persecutiones varias, quas propter Christum primitus passi sunt à Iudæis & Gentilibus; imò hunc ad literam hic intelligi censet S. Hieron. Remig. Albert. & Alcazar loco iam citato: tum eum quo quotannis fideles, præsertim in hebdomada sancta (in qua Deus in fideles & pios effundit hunc spiritum gratiæ & precum siue commiserationis) recolunt, & plangunt passionem Christi, dum cogitant se suis peccatis crucifixisse Christū, ideoque pœnitentiam agunt, & austeram vitam capessunt, appetitus suos edomant, studentq; mortificationi, vti faciunt Religiosi. Hi enim reipsa compatiuntur Christo, dum ob Christi recordationem, venerationem, amorem & imitationem, mortificationem Iesu in carne sua circumferūt, vt ait Apostolus, itaque quasi iusta Christo pro se crucifixo persoluunt, eique parentant. Reipsa enim dicunt, planguntque illud Thren. 4. 20. & cap. 5. 18. *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris. Cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccauimus.* Porrò planctus hic est in Adadremmon, id est, in hortis malogranatorū: tales enim sunt Religiones & monasteria, in quibus viget disciplina & charitas, quorum cura ad sponsam Christi pertinet, iuxta illud Cant. 6. 10. *Descendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica.* Et cap. 7. 12. *Manè surgamus ad vineas, & videamus, &c. si floruerunt mala punica.* Hinc seorsim plangunt viri in monasteriis virorum, & seorsim mulieres in monasteriis feminarum, agentes pœnitentiam vitæ religiosæ. Porrò maximè plangunt domus Dauid, Nathan, Leui & Semei, quæ Christo erant cognatæ, id est, quæ pietate & charitate ad Christum proximè accedunt. Vnde Dauid exponitur dilectus, Nathan donatus, Leui copulatus, Semei obediens. Hæc Alcazar, cui consentiunt Isidor. Clarius, Vatabl. & Dionys. Ita Abbas Stephanus in Prato spirituali cap. 64. tribus senibus de animæ salute differentibus: *Ego*, inquit, *die noctuq; nihil aliud aspicio, nisi Dominum nostrum Iesum Christum in ligno pendentem.* Ita S. Elzearius Comes Arriani crucifixum semper intuens, nulla iniuria, nulla afflictione, nulla molestia mouebatur ad iram vel impatientiam, sed omnia placidè immoto vultu & inuicta patientia tolerabat. Cumque vxor eius Delphina miraretur istam apathiam, & causam quæreret, respondit: *Explicabo tibi arcanum pectoris mei. Noueris me interdum sentire aliquam indignationem in animo aduersus infestantes me, sed illico me conuerto ad cogitandas iniurias Christo illatas, eumq; imitari cupiens dico mihi ipsi: Etiamsi famuli tui barbam tuam conuellerent, & colaphos tibi infringerēt, nihil esset ad Dominum tuum, qui maiora perpessus est; certumq; habeas, Delphina, me numquā cessare à commemorandis iniuriis Saluatoris mei, donec animus meus plenè sit tranquillatus.* Hac ratione nulla ei perturbatio, vel commotio potuit dominari. Thomas Cantiprat. lib. 2. Apum cap. 25. p. 5. narrat Martyrem quemdam captum à Gentili tyranno, semper gemebundum incessisse; cumque tyrannus causam tristitiæ quæreret, respondisse: *Semper tristis incedo, quia mortis Dei mei memor, continuè in corde meo passionis eius stigmata porto.* Vnde indignatus tyrannus iussit ei cor euelli & dissecari, in quo reperit Christi crucifixi imaginem: qua re commotus, ad Christum conuersus & baptizatus est. Eadem Christi crucifixi imago inuenta est in corde S. Claræ de Montefalco, vti narrat oculatus testis Thomas Bozius lib. 15. de Signis Eccles. c. 3. to. 2. Nota sunt sacra stigmata S. Francisco à Christo crucifixo, quem iugiter intuebatur, impressa. S. Lydwina iugiter in plagis Christi, quasi in foraminibus petræ, instar columbæ nidificantis commorabatur, vt habet eius Vita apud Surium cap. 7. die 14. Aprilis. Idem fecit S. Clara, discipula S. Francisci, vt habet eius Vita c. 20. apud Surium die 12. Augusti. Atque eius assecla S. Coleta, vti in eius Vita refert illi coæuus Stephanus Iuliacus. Idē fecit S. Hedwigis Ducissa Poloniæ, vt habet eius Vita c. 5. apud Surium die 15. Octobris. Et S. Brigitta, vt habet eius Vita c. 5. ac S. Gertrudis, Mechtildis, & Catharina apud Blosium Abbatem in Monili spirit. c. 2. Denique S. Elisabetha, Hungariæ regis filia, cùm quadam die ornatu & comitatu regio ecclesiam ingressa esset, statim vbi crucem vidit Christumque in ea pendentem, cœpit in lachrymas solui, & dolore acerrimo torqueri, cogitans dicensque sibi: *Deus & Saluator meus in patibulo moritur; ego gemmis, auro, purpuraq; fulgeo: ille spineam coronam gestat; ego auream: ille inter latrones, hostes & derisores; ego turba famulorum me colentium cingor.* Quare cùm se propterea infelicem, miseram, ac penè damnatam appellaret, quòd tam malè suum imitaretur creatorem, exanimis in terram corruit, ægreque ad se reuersa, statuit vitam mutare, Christique humilitatem & crucem imitari, vti reipsa præstitit. ita habet eius Vita, & Hieron. Platus l. de Dign. Card. c. 17.

Cornel. in Proph. Min.

PLANGENT EVM] Transit à prima persona ad tertiam, putà à *me* ad *eum*. Hinc Sanchez putat Prophetam post raptum ad Christum, eiusque plagas, quibus confixus est, illico redire & reuolare ad Machabæos, de quibus egit toto capite. q.d. In persecutione quam ab Antiocho dirissimam sustinebit populus Iudaicus, pij omnes plangent super eum, scilicet populum iam dictum: omnes enim tunc planxisse patet 2. Machab. 1. Verùm in præcedentibus nulla vastationis, sed roboris & victoriarum Machabæorum facta est mentio. Adde, hunc raptum videri nimis subitum & insolentem. Ad eum tamen alludi non nego.

Secundò, Alcazar loco citato, censet τὸ *me*, ad Patrem æternum referri: illum enim in sua, id est in prima, persona loqui solere in Scriptura; sed τὸ *eum* referri ad Filium. q.d. Aspicient me Patrem quem confixerunt; quia mihi inflictũ fuit vulnus, quod Christo filio meo dilectissimo inflixerunt, iuxta illud Malachiæ cap. 3. 8. *Si affiget homo Deum, quia vos configitis me?* Quare efficiam vt plangant eum.

Tertiò, alij passim simpliciùs censent esse enallagen Hebræam: Hebræi enim sæpè mutant personas, & de seipsis nunc in prima, nunc in tertia persona loquuntur. Aut faciliùs dicas, hucusque locutum esse Christum de se in prima persona, nunc verò loqui Prophetam de Christo, ideoque loqui de eo in tertia persona. Propheta enim id quod Christus paucis dixerat, exaggerat, & ostendit quãtus de eius confixione in cruce futurus sit omnium planctus. Septuag. vertũt, *plangent super se*, quos sequens S. Iohannes Apoc. 1. 7. *Plangent*, ait, *se super eum omnes tribus terræ*: quia in die iudicij plangent impij super se, eò quòd Christi necem vel procurarint, vel illi ingrati fuerint. de quo plura in fine capitis.

Porrò docet hîc Zacharias inter varios affectus, quos ex meditatione passionis Christi elicere possumus, vt admirationis, amoris, gratitudinis, compunctionis, timoris, pœnitentiæ, imitationis, patientiæ, gaudij, spei, &c. eminere affectum compassionis, eumque propriè nos Christo pro nobis patienti debere. Quis enim non intimis sensibus condoleat Christo innocenti & sancto, imò Dei filio vnigenito, cùm eum in cruce confixum intuetur, tot tantaque pro se tam amanter pati? Quis non ex commiseratione gemat, & lachrymis diffluat? Verè S. Bonauent. in Stimulo diuini amoris: Quid, ait, fructuosius esse possit, quid suauius, quàm ex toto corde compati amarissimæ passioni Iesu Christi Domini nostri? Vide eumdem, & nostrum Franciscum Arias lib. de Oration. mentali cap. 12. Quocirca S. Clara, discipula S. Francisci, iussit Monialibus sui Ordinis, crebrò plangere mortem Christi, vti habet eius Vita.

VERS. 10. *Adadremmon vrbs qua & qualis?*

SICVT PLANCTVS ADADREMMON] Primò, *Adadremmon* vrbs erat iuxta Iezrahel, quæ postea dicta est Maximianopolis, sita in campo Mageddo, vbi occisus est Iosias rex Iuda à Pharaone Nechao, cuius mortem luxit Ieremias & totus Israel, 2. Paral. 25. q.d. In crucifixione & morte Christi maximus erit fidelium planctus, qualis fuit in cæde Iosiæ optimi regis, qui fuit proauus & typus Christi. ita S. Hieron. Remig. Albertus & alij. Videtur hæc vrbs ita dicta à copia malogranatorum. *Remmon* enim hebr. idem est quod malogranatum, *hadad*, vel, vt Chald. legit, *hadar*, idem est quod decor. Dicta est ergo vrbs hæc amœnissima *Adadremmon*, id est, decor malogranatorum. Vnde Arabicus & Syrus vertunt, *sicut planctus super filium Amon* (id est, super Iosiam: Iosias enim fuit filius Amon, Matth. 1. 10.) *in campo Mageddo.*

Secundò, Septuag. more suo nomina propria ex etymo interpretantes, pro *Remmon* vertunt, *malum punicum*, siue granatum: pro *Mageddo* vertunt, *succisus*. Sic enim habent, *Sicut planctus mali punici*, aut potiùs, *puniceti, quod in campo succiditur*. Vbi rectè notat S. Hieron. Græcum ῥοῶν (sic enim legendum in Septuag. non ῥοῦν, id est, malorum punicorum, vti legunt Complutens.) non malum punicum, sed punicetum, id est locum malis punicis consitum, significare. Iam S. Cyrillus versionem Septuag. sic explicat: q.d. in Christi morte *similem planctum fore, qualis est planctus agricolæ, cùm arbor malogranati cum suo pomo exscinditur. Arbor est* εὐανθὴς (id est, *pulchre florens*) *& frequentes à radice mittens ramos, rectos & proceros, quæ cùm malis suis punicis decoratur, tunc admirationem mouet.* q.d. Sicut exciso puniceto maximè dolet herus, vtpote qui in eo suas habebat delicias, præsertim dum floribus purpureis instar calyculorum, aut malis punicis vermiculatis ornantur, (vti Romanorum delicias esse videmus in punicetis) sic summè dolebunt omnes pij in morte Christi. Vtitur similitudine granatorum potiùs quàm aliorum fructuum, quia granata dum comprimuntur sanguineum fundunt succum, eumque sapidum & salutarem, qui repræsentat sanguinem Iosiæ & Christi, quo salutus est mundus. Vnde sponsa Cantic. 8. 2. *Dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.* Addit Cyrill. malogranatum significari optimates reipubl. Theodor. verò Septuag. sic explicat: Sicut, inquit, lignatores secantes maximam arborem malogranatorum ingentem strepitum faciunt; sic horum planctibus omnium aures circumsonabunt. Insuper charitatis typus est malogranatum: habet enim grana densissima & coniunctissima, instar vuæ, adeoque videtur vua pomi, sicut botrus est vua vitis: cortice enim est pomum, sed granis vua & botrus. Adde, puniceus vel purpureus punici mali, floriseque eius color, amoris est symbolum. Hæc de versione Septuag. ex qua censent nonnulli, in morte Iosiæ succisum esse puniceum, iuxta quod ipse occisus est, dictum Adadremmon, ideoque hîc eius fieri mentionem, quæ duplicem luctus causam & similitudinem ingerat, vnam ex morte Iosiæ, alteram ex succisione puniceti.

Tertiò, Chald. putat duas luctuosas cædes, scilicet Achab & Iosiæ hîc significari, & ab vtraque peti similitudinem. Sic enim vertit, *sicut planctus Achab filij Amri, quem occidit Hader Remmon* (Benadad) *filius Tabremon* (rex Syriæ, vt patet 3. Reg. 15. 18. & cap. 21. 24.) *in Ramoth Galaad, & sicut planctus Iosiæ filij Amon, quem occidit Pharao claudus in campo Mageddo.* Verùm Achab impius fuit rex: vnde in eius morte non fuit magnus planctus; & si fuisset, eo non vteretur Scriptura, nec ei compararet planctum de morte Christi. Quocirca à Castro suspicatur, Adad hunc fuisse

virum

rium quempiam celebrem, ciuem Ren mon, occisum in Mageddo, cuius mors communi omnium planctu celebrata sit, eiusque historiam tempore Zachariæ fuisse vulgatissimam, licèt ea nobis sit incognita.

Fit ergo Hebræis prouerbium: *Planctus Adadremmon* vel *planctus Iosiæ*, significans ingentem planctum, qualis est planctus vnigeniti defuncti. Simile Gentilibus fuit: *Planctus Adonidis*. Venus enim Adonidem mortuum amarè planxit, cuius lamenta annuo planctu & solemni refricabant & celebrabant. Vnde Venus apud Ouidium lib. 10. Metamorph.

——*Luctus*, ait, *monumenta manebunt*
Semper Adoni mei, repetitag; mortis imago,
Annua plangoris peragetur fimultanima nostri.

Et Ezech. c. 8. 14 vidit in templo mulieres plangentes Adonidem. Vide ibi dicta.

SEORSVM] Quia apud Hebræos, imò & Græcos feminæ separabantur à viris in conuiuiis, in orationibus, aliisque actibus publicis & solemnibus, adeò vt apud honestiores pars vna domus viris deputata esset, quæ andronitis; pars altera feminis, quæ gynæconitis dicebatur. ita ex Plutarcho, Athenæo & aliis Sanchez.

FAMILIÆ DOMVS DAVID] Omnes hæ familiæ, sed quatuor præ cæteris plancturæ in cæde, non Iudæorum tempore Antiochi, sed Christi, asseritur, scilicet Dauid, Nathan, Leui & Semei, pro quo Septuag. habent *Simeon*. Verùm Semei, vel Simeon hic, non est ille filius Iacob secundo genitus, frater Iudæ, & patriarcha; sed alius, ait Lyran. eo longè posterior, qui vita & sapientia illustris scholam siue sectam instituit, de quo S. Hieron. in Isaiæ 8. & ad Algasiam quæst. 10. Duas domos, inquit, Nazaræi duas familias interpretantur, Sammai & Hilleb, ex quibus orti sunt Scribæ & Pharisæi, non multò priusquam Christus nasceretur, quorum scholam Akibas postea rexit; & has esse duas domus quæ Saluatorem non receperunt, qui illis fuit in ruinam & in scandalum. Iam quænam fuerint hæ quatuor familiæ non constat: constat tempore Zachariæ & Christi fuisse Iudæis notas & celebres. Duæ tamen de iis probabiles sunt opiniones. Prior, hosce quatuor fuisse proauos Christi: vnde eorum familias maximè luxisse in morte Christi, tanquam cognati sui, præsertim eos qui Christi fidem erant amplexi. Nam Lucas c. 3. in genealogia Christi eius proauum nominat, Leui, v. 24. & alium v. 29. deinde Semei v. 26. rursum Nathan & Dauid v. 31. Fauent S. Matth. Marcus & Lucas, qui dicunt in Christi nece non tantùm plangisse mulieres, & omnes notos eius stetisse à longè, sed & totam turbam visis tot prodigiis quæ tunc contigerunt, percussisse pectora sua. ita Arias & à Castro.

Posterior est S. Hieron. Theodor. Remigij, Alberti, Riberæ & aliorum plurium, per familiam Dauid significari proceres, hi enim prognati sunt ex Dauid: per posteros Leui significari sacerdotes & pontifices; hi enim ex Leui descenderunt: per Semei, vel Sammai, significari doctores & Scribas, qui Sammai habuerunt ducem & magistrum: per posteros Nathan Prophetæ significari Prophetas, id est, viros religiosos, qui orationi, meditationi Deique laudibus vacabant, qui in libris Regum vocantur filij Prophetarum. Hæc enim erant officia Prophetarum, indeque spiritum propriè prophetandi, id est futura prædicendi, nonnulli ex illis magis in spiritu eleuati concipiebant.

Dices, Multi ex his, vt sacerdotes & Scribæ, non planxerunt mortem Christi; sed eam procurarunt. Resp. in Scriptura sæpè ea facta, vel futura dicuntur, quæ fieri decet, aut debent, siue quæ vt fiant honestas & rerum natura postulat, vel quibus vt fiant iusta grauisque causa datur, vt dixi in procemio canone 11.

Quatuor ergo hæ familiæ planctuæ dicuntur in morte Christi: quia decebat eas plangere, quia quælibet planctus propriam grauemque habebat causam; etsi multi ex iis peruersi reipsa non planxerint. Familia enim Dauid propriam plangendi causam habebat, eò quòd Christus ex ea prognatus quasi rex & Messias, occideretur. Rursum quòd propter Christum occisum destrueretur regnum Dauidis & Iudæ. Familiæ Leui plangendum erat, eò quòd Christus Sacerdos & Pontifex, omnibus Leuiticis sacrificiis & sacerdotibus adumbratus, necaretur, quodque ipsa necis eius esset causa, ideoque ab ea auferetur sacerdotium, templumque à Romanis polluereturque & combureretur. Familiæ Semei plorandum erat, quòd Christus Doctor orbis interimeretur, ideoque Doctorum & Scribarum ordo contaminandus & abolendus esset. Familiæ Nathan lugendum erat, eò quòd Christus Prophetarum dux iniquissimè & crudelissimè necaretur, ideoque ab eis auferenda esset omnis prophetia, religio & sanctitas. Adde, multos ex his familiis fuisse pios & conuersos ad Christum, qui sanè reipsa eius mortem acerbè planxerunt.

Insuper Arias, Mariana & Sanchez censent has quatuor familias præ cæteris planxisse mortem Iosiæ, eique suo planctu parentasse, idemque multos ex iis feciisse Christo Iosiæ antitypo. Denique hæ, omnesque aliæ familiæ plangent in die iudicij, quando videbunt se, vel suos ob Christi necem vel procuratam, vel vilipensam, ab eodem iam glorioso iudicante & regnante, vt ingratos, infideles, rebelles & impios damnari ad æterna incendia. Vnde Septuag. v. 10. pro eo quod Hebr & Noster habent, *plangent eum*, vertunt, *plangent super se*. Et ex iis S. Iohannes loquens de Christo iudice Apocal. 1. 7. *Plangent se super* (propter) *eum omnes tribus terræ*. Ex quo liquet, hunc sensum de planctu impiorum in die iudicij, non tam esse anagogicum, quàm literalem. Combinat enim Propheta omnem de Christi nece planctum, tam piorum in eius funere, quàm impiorum in die iudicij. ita S. Augustinus, Theod. Remig. Suarez & alij, quos citaui v. 10. quibus adde Tertull. lib. contra Iudæos c. 14. & Irenæum lib. 4. contra hæres. cap. 66. Plangent ergo tunc impij, quia videbunt stigmata vulnerum Christi, æquè ac sua peccata, quæ illorum fuere causa, v. g. videbit Iudas, se sua proditione Christum adegisse in crucem: videbit diues epulo, se suis deliciis confixisse Christum: videbit superbus, se suis honoris punctis; auarus, se suis fraudibus & vsuris; adulter, se suis libidinibus; pugnax, se suis pugionibus trāspunxisse Christū: videbit quisq; impius, quot plagas suis sceleribus Christo inflixerit, quot spinas eius capiti, quot verbera & dolores ipsi infixerit, quot pœnas ei addi-

Plangent impij Christi necem in die iudicij.

addiderit. Insuper videbit Christum sua peccata omnia in se luendà, ex immenso amore susce-
A pisse, eaque quantum in se est expiasse; ac proinde videbit suam ingratitudinem & dementiam, quòd pœnitere & vitam corrigere, ac Christo obedire noluerit, ideoque sibi frustraneam fecerit Christi passionem & crucem; ac consequenter quòd sola sua culpa, negligentia & malitia pereat, & idcirco iustissimè damnetur ad horrenda & æterna tormenta. Meritò ergo planget. Denique plangunt quotannis Christi cædem omnes familiæ fideles in hebdomada sancta. Prophetia enim hæc cœpit impleri morien-
te Christo, & post eius mortem pergit impleri per singula sæcula, donec plenè compleatur in fine mundi & die iudicij. ita Vatabl. & Dionys. Hæc explicatio generalis est & plena, cæteras-
que omnes complectitur: nam Propheta v. 12. hunc planctum dilatare, & ad omnes familias omnia-
que tempora extendere videtur.

Tropol. plangunt Christum crucifixum Religiosi & fideles, qui sua vitia mortificant, passiones & membra crucifigunt amore Christi; vt eius crucem tam actiuam quàm passiuam, pro eius honore iugiter, tam in corpore quàm in mente circumferant, vt dicant cum S. Paulo Galat 6. 17. *Ego stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, vti ex Alcazare dixi v. 10.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Praedicit Christum fore fontem gratiæ, iustitiæ & salutis, ideoque abolenda esse idola & pseudoprophetas, adeò vt parentes suos filios, si falsa & impia doceant, grauiter puniturí sint. Fontem autem hunc vers. 6. docet aperiendum plagis in cruce, iubente patre ac dicente: Framea susci-
tare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi: percute pastorem, & dispergentur oues. *Vnde v. 8. docet Christi passione tertiam populi partem saluandam, eamque probandam fore per ignem.*

Vers. 1. IN die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablu-
B tionem peccatoris & menstruatæ.

2. Et erit in die illa, dicit Dominus exercituum: Disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà, & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra.

3. Et erit, cùm prophetauerit quispiam vltrà, dicent ei pater eius & mater eius, qui genuerunt eum: Non viues: quia mendacium locutus es in nomine Domini, & configent eum pater eius & mater eius, genitores eius, cùm prophetauerit.

4. Et erit: In die illa confundentur prophetæ, vnusquisque ex visione sua cùm prophetauerit: nec operientur pal-
C lio saccino vt mentiantur.

5. Sed dicet: Non sum propheta, homo agricola ego sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea.

VERS. 1. IN DIE ILLA] cùm scilicet videbunt Christum in cruce confixum, ideoque plangent, vt dixit cap. præced. v. 10. tunc enim Christus factus est fons sanguinis, potiùs quàm aquæ, ad abluenda Iudæorum omniumque hominum peccata.

ERIT FONS PATENS DOMVI DAVID] Syrus & Arabicus, *fons qui aperietur domui Dauid.* Alludit ad fontem Siloë, qui typus fuit Christi, Iohan. 9. 7. *Siloë* enim hebr. idem est quod *missus*: Christus autem quasi legatus à Patre ad nos missus est, vt nos ei reconciliaret. Siloe fons, inquit Adrichom. in Descriptione terræ sanctæ, cui piscina, siue natatoria Siloë coniuncta est, in Occidentali latere vallis Iosaphat, è radice montis Sion scaturit. Aqua eius clara, dulcis & vberrima, cum silentio, vt ait Isaias c. 8. 22. placideque fluit in torrentem Cedron. Hunc fontem inclytus rex Ezechias restaurauit: atque in eius piscina cæcus ille à natiuitate oculos suos, Christi sputo & luto inunctos, lauans visum recepit (quò hîc alludit) Iohan. 9. De huius aquæ virtute diligentissimus loci huius perscrutator Saligniacus ita fere scribit: Fontis huius aqua adhuc hodie, ipsis etiam Saracenis in pretio est. Nam cùm corpore naturaliter instar hircorum fœteant, in hoc fonte se & pueros suos lauant, eaque lotione fœtorem suum mitigant. Quin & eam Turcæ magni faciunt, quòd eius vsum oculorum visui conferre experiantur. Scribit Nicephorus libr. 8. cap. 30. S. Helenam Imperatricem ad fontem hunc mirifica construxisse opera. Hæc Adrichom. Siloë ergo & nomine, & virtute sua repræsentat Christum, de quo Isaias c. 12. 3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus saluatoris.* Vide ibi dicta.

Siloë fons qualis

C Quæres, quisnam hic fons? Aliqui putantes hîc agi de tempore Machabæorum, qui repurgarunt templum, & ritus Iudaicos restituerunt, censent hunc fontem fuisse templi, quo abluebantur immundi, & menstruatæ: has enim aqua viua ablutas fuisse tradunt Iudæi. Verùm hoc frigidum est & Iudaicum. Adde, omnes orthodoxos censere hîc agi de Christo. Respondeo ergo Primò, S. Hieron. Rupert. Hugo & Lyran. fontem hunc esse baptismum. Hoc verum est, sed partiale: nam multa peccata post baptismum committuntur; quæ hoc fonte abluuntur, cùm tamen baptismo elui nequeant. Secundò, Remigius, hunc fontem censet esse doctrinam, quæ ex ore Christi & Apostolorum, quasi ex fonte scaturiebat, iuxta illud Prouerb. 10. *Os iusti fons vitæ, & os iusti parturiet sapientiam.* Vnde Chald. vertit, *in tempore illo erit doctrina legis reuelata, et scaturigo aquarum domui Dauid.* Tertiò, Haymo censet hunc esse fontem misericordiæ Dei. Quartò, Vatabl. censet hunc fontem esse latus Christi,

cùm illud lancea perforatum, scaturiuit aquam & sanguinem, quasi symbola Sacramentorum & gratiæ. Hæc vera sunt, sed partialia.

Dico ergo, plenè & adæquatè, hic fons est Deus incarnatus, putà Iesus Christus, qui est fons hebr. מקור *macor*, id est vena, scaturigo perennis in homines quouis sæculo scaturiens aquas omnis gratiæ & doctrinæ. Rursum Christus est fons & origo Spiritus sancti, quem in nos effundit, vt peccata expurget, & animæ sitim restinguat, iuxta illud Iohan. 7. 37 *Si quis sitit, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem acceperuri erant credentes in eum.* Insuper fons hic physicè apertus fuit, cùm in cruce, latere & corpore Christi per plagam aperto, factus est ipse quasi fons patens baptismi & Sacramentorum omnium. ita Theodor. & Hebræi apud Galat. libr. 4. cap. vlt. Item S. Gregor. homil. 20. in Ezech. quem audi: *Fons quoque occultus, est vnigenitus Patris, inuisibilis Deus. Fons verò patens, est idem Deus incarnatus: qui fons patens, rectè domus Dauid dicitur, quia ex Dauid genere nobis ad nos redemptor processit. Hi autem Ierusalem habitant, qui in visione pacis intimæ mentem figunt. Pollutor verò & menstruata est, vel is qui delinquit in opere, vel mens quæ labitur in praua cogitatione. Menstruata namque ista pollutio est; quia & aliena carne non tangitur, & sua carne inquinatur. Sic itaque, sic est omnis anima, quæ etsi malum opus non egit, pollutæ tamen cogitatione sordescit.* Porrò ad crucem & vulnera Christi hic respicere Propheta patettum ex c. 12. v. 10. vbi dixit: *Aspicient ad me quem confixerunt*: tum quia fontem hic explicat vers. 6. ait: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Quinque ergo vulnera Christi fecerunt quasi quinque fontes, tam gratiæ, quàm sanguinis.

Maximè autem respicit ad vulnus lateris Christi: tum quia ex eo exiuit sanguis & aqua, quæ fuerunt quasi symbola Baptismi, Eucharistiæ, & cæterorum Sacramentorum, quibus à peccatis abluimur. Vnde S. Hieron. epist. 83. *Cùm ad occasum, ait, latus Christi percutitur lancea, baptismi atque martyrij Sacramenta funduntur.* Et S. Ambros. lib. 5. de Sacrament. cap. 1. *Quare, ait, aqua? quare sanguis? aqua, vt emundaret; sanguis, vt redimeret:* tum quia vulnus hoc fuit maius cæteris, adeoq; tantum, vt S. Thomas ei manum imponere potuerit Iohan. 20. 27. Quinimò vulnus hoc videtur totum latus Christi penetrasse, vt videlicet lancea hæc adacta per dextrum latus Christi transierit eius cor & pericardium, atque cuspis eius exierit per latus sinistrum ad papillam. Nam vtrumque latus Christi fuisse transfossum, tribus locis docet Prudentius. Primò, in carm. de passione Christi, dum ita canit:

Transactus per vtrumque latus, latice atque cruore
Christus agit: sanguis victoria, lympha lauacrū est.

Secundò, Peristephanon hymno 8.

Ipse loci est Dominus, laterum cui vulnere vtroque,
Hinc cruor effusus fluxit, & inde latex.

Tertiò, Cathemerinon hymno 8.

O nouum cæde stupenda vulneris miraculum!
Hinc cruoris fluit vnda, lympha parte ex altera.

Idem insinuat S. Cyprianus tract. de Passione Christi, cùm ait, *De latere tuo, ô Christe, diuisis lintheo aqua & sanguis emanant.* Hinc & Theophyl. hoc vulnus lateris vocat πλευρὰς in plurali. Idem confirmatur ex eo, quòd S. Thomas lateri Christi manum imponere potuerit: ergo lancea per illud profundè fuit adacta; ac consequenter eius cuspis penetrauit & pertudit latus sinistrū. Vide hîc, ô Christiane, latitudinem vulneris, & consequenter amoris Christi. Hic est fons patens, cor inquam patens, in quod introëas: illud ergo ingredere; totum enim te capiet. *Longinus aperuit mihi latus Christi lancea, & ego intraui, & ibi requiesco securus*, ait S. August in Manuali cap. 23. *In vulneribus Christi tuta quies.*

Idem c. 21. *Tuta*, ait, *& firma requies est infirmis & peccatoribus in vulneribus Saluatoris. Securus illic habito: patent mihi viscera per vulnera: quidquid ex me mihi deest, vsurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ effluant. Per foramina corporis patent mihi arcana cordis, patet magnum pietatis sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto. Vulnera Iesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine & charitate. Foderunt manus eius, pedes eius, & latus eius lancea perforauerunt. Per has vimas licet mihi gustare quàm suauis est Dominus Deus meus: quoniam reuera suauis & mitis, & multæ misericordiæ est omnibus eum inuocantibus in veritate; omnibus inquirentibus, & maximè diligentibus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Iesu Christi Saluatoris nostri. Magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum. Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cùm me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo. Cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moueat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri filij Dei extinguitur. In omnibus aduersitatibus non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi: in illis dormio securus, & requiesco intrepidus. Christus mortuus est pro nobis. Nihil tam ad mortem amarum, quod morte Christi non sanetur. Tota spes mea est in morte Domini mei.*

Huius fontis symbolo sub natiuitatem Christi Romæ in taberna meritoria trans Tiberim, fons quidam per totum diem fluxit oleo. Hic enim repræsentabat fontem misericordiæ & beneficentiæ, quem Christus nascens orbi attulit, nec tantùm attulit, sed & suis cōmunicauit, dum eosdem fontes sibi similes effecit, iuxta id quod ipse ait Samaritanæ: *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, Iohan. 4. 14. Præclarè S. Ambros. lib. 6. Hexamer. c. 4. *Omnia*, inquit, *habemus in Christo, & omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est: si febribus æstuas, fons est: si grauaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cælum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est.* Christus ergo est fons sapientiæ, charitatis, gratiæ, virtutis, omnisque boni: ipse est πηγὴ σοφίας καὶ ζωτηρίας.

Domvi Davi d] Id est, vt S. Hieron. & Gregor. hom. 20. in Ezech. ex domo Dauid, hoc est è templo, ait Mariana, scaturiens. Vnde Ezechiel c. 47. 1. vidit è templo fontem erumpere, & in fluuium crescere. Verùm quia additur, *& habitantibus Ierusalem*, hinc melius per *domum Dauid* principes, per *habitantes Ierusalem* plebem accipias. q.d. Fons hic patet omnibus, tam plebeiis, quàm principibus. Meminit Dauidis,

quia Christus Dauidi fuit promissus, & ex eo A prognatus: eius ergo posteris in primis exhibendus fuit, ac deinde cæteris Hierosolymitis & Iudæis. Vnde Christus dixit, se non esse missum, nisi ad oues quæ perierunt domus Israel; ac tandem per Apostolos hic fons gratiæ propositus fuit omnibus gentibus, vt ex eo salutem potent. ita Theodoret.

Mysticè, S. Hieron. domus Dauid est Ecclesia, præsertim primitiua Apostolorum, in qua quasi in Ierusalem habitantes & ciues, sunt omnes fideles, tam ex Gentibus, quàm Iudæis.

IN ABLVTIONEM PECCATORIS] Cyzici exstat fons, qui Cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponere credit Mutianus, ait Plinius lib. 31. 11. & Isidor. lib. 13 Origin. c. 13. Cyzici, ait, fons amorem Veneris tollit. Vt vt hoc sit, certè B nullus est fons qui peccata abluat, & ab iis peccatores emundet, nisi Christus, qui fonte baptismatis ea extergit, ac gratia sua non tantùm ea abolet, sed & eorum scaturigines, putà cupiditates terrenas fomitemque libidinis, gulæ, &c. sopit & restinguit, mentemque sacro igne & cælesti amore inflammat. Hebr. est, *ad peccatum & menstruam immunditiam*, scilicet abluendam & expiandam, nimirum à peccatore & menstruata, quod Noster clarè vertit, *in ablutionem peccatoris & menstruatæ*. Alludit enim ad aquas expiationis, confectas ex cinere vitulæ rufæ, quibus immunditia ex menstruo, morticino, aliaúe quauis pollutione (quæ erat peccatum legale veteris testamenti) contracta abluebatur, Numer. 19. 11. Vnde Chald. vertit, *dimittam peccata eorum sicut mundantur aqua aspersionis, & cinere vaccæ quæ oblata C est pro peccato.*

Porrò hæc immunditia legalis, præsertim menstrui, typus erat peccati, quod est mēstruum, id est, virus & pollutio summa animæ, vt dixi Leuit. 15. v. 19. & 25. ac consequenter aquæ expiationis eiusdem, typus erant sanguinis Christi, quo peccatum omne abluitur.

Porrò ad litteram per peccatorem intelligit viros, per menstruatam feminas peccato sordidatas: tam enim mulierum, quàm virorum peccata hoc Christi fonte eluuntur.

Symbol. Albert. Lyran. & Clarius, per peccatum intelligunt actuale, per menstruum originale: hoc enim transfunditur generatione, cuius fæces & reliquiæ in puerpera sunt menstrua, vel fluxus sanguinis, & sordes instar menstruorum.

Tropol. S. Gregor. hom. 20. in Ezech. Peccator, inquit, est qui delinquit opere: menstruata D est, mens quæ labitur praua cogitatione.

Moral. S. Bernard. serm. 62. in Cant. *Quid*, ait, *tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio?* Et S. Bonauent. coll. 7. *Qui se intentè & deuotè in sanctissima vita & passione Domini exercet, omnia vtilia & necessaria sibi abundanter ibi inuenit; nec opus est vt extra Iesum aliquid quærat.*

VERS. 2. DISPERDAM NOMINA IDOLORVM DE TERRA] Ex historiis omnibus patet, per Christum & Apostolos sublata fuisse vbique idola & idolorum oracula, ac sacerdotes & Prophetas: de quibus subdit, *Et pseudoprophetas, & spiritum immundum*, putà dæmonem qui idolo assistebat, quasi eius anima, & per illud loquebatur, dabatque responsa, ita S. Cyrill. Remig. & Albert. Pro *pseudoprophetas*, hebr. est נְבִיאִים *nebium*, quod communiter Prophetas significat, à rad. נָבָא *naba*, id est prophetauit. subinde tamen, inquit Arias, significat stultè loquaces & garrulos, qui scilicet vanæ orationis, cui nulla veritatis vel virtutis ratio subest, sunt artifices, & sermonis verborumque præstigiis populum capiunt, à rad. נוב *nub*, quod germinare, & instar germinis erumpere & ebullire significat. Vnde נִיב *nib* vocatur fructus, & sermo, qui est fructus & quasi germen linguæ.

CVM PROPHETAVERIT QVISPIAM, scilicet falsa & impia, ex instinctu spiritus immundi & idolorum, vti præcessit, DICENT EI PATER EIVS, ET MATER EIVS, &c. NON VIVES QVIA MENDACIVM LOCVTVS ES IN NOMINE DOMINI] *Mendacium*, scilicet in fide & religione, docens idololatriam vel hæresim. Significat in lege noua Christianos tantos fore zelatores Christi & fidei, vt nec filiis ab eo apostatantibus parcant. Alludit ad Deuter. 13. 6. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, aut filius tuus, vel filia, clàm dicens: Eamus, & seruiamus diis alienis, non parcat oculus tuus, vt misereatis & occultes eum, sed statim interficies eum.* Ex quo loco discant hæretici, non tantùm licitum & sanctum, sed & præceptum esse à Deo, vt hæretici morte plectantur, adeò vt nec parentes parcant filiis. Hoc est quod ait Christus Matth. 5. 29. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te*, &c. *Et si dextera manus scandalizat te, abscinde eam, & proiice abste.* Et cap. 10. 34. *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium: venio enim separare hominem aduersus patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius.*

ET CONFIGENT EVM] Hebr. וְדָקְרוּ *dekaruhu*, id est perfodient, transfigent eum, vel gladio, vel lancea, vel telo, vel clauis in cruce; Tigurina, *confodient eum*; Vatabl. *transfigent eum*, id est, curabunt vt adigatur in crucem. Notat rectè Sanchez, configere, vrere, secare in Scripturis per catachresin, significare quemuis grauem dolorem & supplicium. Vnde Septuag. vertunt, *compedibus constringent eum.* Sic ait Nahum cap. 3. 10. *Omnes optimates eius confixi sunt in compedibus.*

NEC OPERIENTVR PALLIO SACCINO] Septuag. *pelle cilicina*; Pagnin. *pallio piloso*; Tigurina, *chlamyde villosa.* Habitus enim Prophetarum exterior erat saccus, putà pallium ex pilis & setis camelorum, equorum, vel aliorum animalium contextum, ideoque cilicium; vt ipso habitu populum prouocarent ad luctum & pœnitentiam, vti faciunt Capuccini. ita S. Hieron. Quocirca pseudoprophetæ simile pallium assumebant, vt ipso habitu viderentur esse veri Prophetæ. Sensus ergo est, q. d. Quia pseudoprophetæ videbunt se etiam à suis, imò à parentibus falsitatis redargui, adeoque verberari & occidi; hinc non audebunt deinceps mentiri se esse Dei Prophetas, ac mendaciter vaticinari. Hinc consequenter non audebunt vestem propheticam, putà saccum, induere, quasi veri Prophetæ, præ se ferentes pœnitentiam & vitæ austeritatem. Vnde sequitur:

DICET: NON SVM PROPHETA: HOMO AGRICOLA EGO SVM] Sicut dixit Amos Amasiæ cap. 7. 14. *Non sum Propheta, & non sum filius Prophe-*

te

tabi armentarium ego sum vellicans sycomoros.

A

QVONIAM ADAM EXEMPLVM MEVM] Probat se non esse Prophetam, sed agricolam. q.d. Imitatus sum à puero Adamum & primos patres; qui me suo exemplo agros colere docuerunt. Adam enim in sudore vultus sui victum sibi parauit, iuxta sententiam Domini: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*, Gen. 3. 19. In eum ergo intuēs, ego potiùs statui sudore vultus mei ex agro viuere, quàm Prophetā insolenter agere. Hebr. enim קנה *kana* significat possidere, inde הקניני *hicnani* in coniugatione Hiphil, quæ duplicem actionem significat, idem est quod, possidere me fecit, possessiones colere me docuit. Vnde Tigurina vertit, *Adam me ab adolescentia mea instituit possessiones colerem*; Vatabl. *homo*, id est aliquis (*Adam* enim potest accipi vel vt proprium nomen primi parentis, vel vt commune cuiuslibet hominis) *docuit me artem pastoralem à iuuentute mea*. Hebr. enim *hicnani* si à rad. קנה *kana*, per *he* deriuetur, significat *possidere fecit*; si verò à קנא *kana* per *aleph*, significat creauit, genuit: literæ enim *aleph* & *he* læpè commutantur. Vnde patet quod Noster vertit Prouerb. 8. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*; hebraicè idem *hicnani*, quod Septuag. vertunt, *Dominus creauit me.*

B

6. Et dicetur ei: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum. Et dicet: His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.

7. Framea suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum: percute pastorem, & dispergentur oues: & conuertam manum meam ad paruulos.

C

8. Et erunt in omni terra, dicit Dominus: partes duæ in ea dispergentur, & deficient, & tertia pars relinquetur in ea.

9. Et ducam tertiam partē per ignem, & vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Dicam: Populus meus es; & ipse dicet: Dominus Deus meus.

ET DICETVR EI: QVID SVNT PLAGÆ ISTÆ IN MEDIO MANVVM TVARVM?] Primò, Cyrillus, Theodor. Lyran. Albert. & Vatabl. censent hîc finem fermonem ad pseudoprophetam, de quo D hucusque fuit sermo, qui cùm à suis vapulasset, effectusque luridus, rogatus ab aliis, vnde contraxisset illos liuores & plagas, respondet: Castigatus fui apud parentes meos, ne prophetarem, cuius castigationis testes sunt plagæ istæ. Aut, vt S. Hieron. qui hæc accipit de pseudopropheta crucifixo ob falsam doctrinam, q.d. Cur cruci es affixus? cur clauis adactæ tibi sunt manus in patibulo? quod scelus perpetrasti vt hasce plagas mereris? Arias verò censet has plagas sibi ipsi impressisse pseudoprophetam, vt populo se faceret venerabilem & sanctum. Sic enim Prophetæ Baal plagis & stigmata sibi infligebant, vt patet 3. Reg. 18. 28.

Verùm dico hîc esse sermonem de Christo, eiusque plagis in cruce. Propheta enim post longam digressionem quam inseruit de pseudopropheta, quem dixit tollendum à Christianis, redit ad Christum, quem v. 1. dixit fore fontem patentem domui Dauid. Id enim declarat hîc per plagas, quibus aperientur & patefient eius manus, æquè ac pedes & latus. Id ita esse, patet Primò, ex ipsis verbis, quæ planè significant plagas manuum in Christo crucifixo. Secundò, quia ita eas explicat, & Christo applicat Ecclesia in Missa de passione Christi. Tertiò, quia illud quod sequitur: *Percute pastorem*, &c. omnino Christus ad se refert Matth. 26. Quartò, quia Septuag. vertunt, *quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Et dicet: Quibus percussus sum in domo dilecti mei*, putà à populo meo dilecto. Quintò, quia redit hîc Propheta ad Christum, de quo hîc est omnis eius sermo, quem hactenus docuit perditurum idola & pseudoprophetas. ita Rupert. S. Thom. in psal. 21. R. Samuel de Aduentu Messiæ c. 7. Galatin. l. 8. c. 17. Ribera & alij.

Porrò meritò Propheta rei nouitatem, & prodigium à sæculis inauditum admirans & obstupescens rogat: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Quid enim mirabilius à sæculo, quid magis stupendū in cælo, aut in terra, quàm Deus in cruce, quàm Deus plagatus, clauatus, spinis coronatus, crucifixus? Eum intuens obstupuit sol, luna, omniaque sidera, ideoque suos radios à tam indigno spectaculo retraxerunt: obstupuerunt sepulcra & saxa, quando in eius passione discissa crepuerunt: obstupuit orbis vniuersus, quando ad eius necem exhorrescens terræ motu conquassatus, & quasi è centro conuulsus abscessit. Hic solus homo non obstupescet? Angeli stupuerunt & stupent hinc Deum patientem, inde stuporem hominum, qui tantum spectaculum immoti, & quasi insensibiles spectant, ideoque exclamant: *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer.* Rex cælorum, Deus & creator meus, pro me pendet in cruce, pro me sese euiscerat, pro me sese exinanit, pro me dirissima morte excarnificatur, & ego terræ vermiculus non obstupescam? sacro horrore non percellar? totus amore non liquescam? plagas plagis, dura duris, mortem morti, amorem amori non rependam? Rependerunt S. Laurentius, S. Vincentius, S. Sebastianus, cæterique athletæ & Martyres, qui cruces, catastas, ignes, bestias, ardentissimè pro Christo desiderarunt, vt qualem qualem ei gratitudinem & dilectionem reponerent. Rependerunt S. Anachoretæ, Virgines, Confessores, alacri animo tot tantisque pœnitentiis se macerantes, tot vigiliis & laboribus carnem edomantes, vt mortificationem Iesu iugiter in suo corpore pro eius amore & honore portarent. Rependunt monachi, Religiosi, virique contemplationi dediti, qui iugiter oculis mentis cum stupore contēplantur Deum, Christumque suum pro se in cruce fixum, totique cum S. Francisco in hoc diuini amoris incendium & abyssum absorbentur; nec aliud dicunt aut cogitant, quàm illud S. Thomæ visis Christi plagis: *Dominus meus, & Deus meus: Deus meus, amor meus, Iesu meus & omnia.*

Porrò magis pathetica est versio Syri & Arabici Antiocheni: sic enim habet, *quid sunt plagæ istæ quæ in manibus tuis sunt? Et dicet: Hæ sunt plagæ quibus plagatus sum inter amicos meos* (in domo amico-

amicorum meorum.) Et Arabici Alexandr. *quid sunt vulnera ista, quæ sunt in medio manuum eius? Et dicet: Euenerunt mihi de domo dilecti mei.*

IN MEDIO MANVVM TVARVM] Hebr. *inter manus tuas*, quæ scilicet sunt in brachiis, collo, pectore, totoq; corpore inter manus interiecto. Vnde Theodor. legit, *In medio scapularum tuarum.* Verùm S. Hieron. Septuag. & alij passim vertunt, *in medio manuum tuarum*; Tigurina, *intra manus tuas.* Agitur enim de plagis & clauis, quibus in cruce transfixæ fuerunt manus Christi, sub quibus à pari plagas pedum & lateris intellige.

ET DICET, HIS PLAGATVS SVM IN DOMO EORVM QVI DILIGEBANT ME] putà in Iudæa & Ierusalem. hæc enim erat domus colentium & diligentium Deum, qui se Deum diligere profitebantur, & ad id peculiari obligatione astringebantur. q.d. Mei ciues, mei contribules, mei cognati, putà Iudæi quibus promissus eram, & ad B quos missus fui quasi Messias, rex & redemptor, qui me mille beneficiis & nominibus summè amare & venerari tenebantur, mei, inquam, fratres, ciues & subditi, me vulnerarunt & crucifixerunt. quasi dicat, Passus sum à meis me plagari & crucifigi, quia eos, licèt immerentes, dilexi, & dilexi nimis, vt eos à plagis eriperem.

Nota, τὸ *qui diligebant me*, valdè pungit, acuitque plagam. Solet enim grauissima esse plaga & dolor, qui ab amicis infertur. Hinc sponsa Cant. 1.6. *Filij matris meæ*, inquit, *pugnauerunt contra me.* Idcirco amor à S. Gregor. Nazianz. orat. 28. vocatur Tyrannus dulcis, & ab Euripide in Hippolyto amatus, ac melle & felle fœcundissimus. Amor enim vti insignem habet vim benefaciendi, ita & nocendi. Huius rei symbolo Gentiles Aquilonem (id est solem, qui amoris & beneficentiæ est hieroglyphicum) pingebant vna manu tenentem citharam & charites, altera verò sagittas & pharetram gestantem. Hinc & illud: *Vbi amor, ibi dolor: nam sine dolore non viuitur in amore.* Hinc illa querela & pathos Christi de Iuda proditore psalm. 54.13. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique*, &c. *Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus: qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* q.d. Hoc me cruciat, quòd tu, Iuda, qui meus eras conuiua, me prodidisti, quem omni modo tueri debebas. Hinc rursum amantium iræ sunt amarissimæ, & fratrum odia acerbissima: perinde ac ex vino dulcissimo, si corrumpatur, fit acetum acidissimum.

Pathetica Christi ad pœnitentē von.

Tropol. hoc sibi à Christo crucifixo lachrymosè dici sentiat anima pœnitēs: Ecce his quinque plagis plagatus sum à te, quam dilexi, & vt me vicissim diligeres effeci: tua debita ego lui, tua vulnera in me suscepi, tuæ deliciæ & veneres clauis me transfixerunt: tua superbia spinis caput meum transpunxit: tua gula me felle & aceto potauit: passus sum, vt te à tormentis gehennæ liberarem: mortuus sum, vt te à morte æterna eriperem. Vide quantum pro te dolui. Vide quantum te amaui. Vide quàm parum me redames, quàm amori meo sis impar & ingratus. Pathetic è S. Auguſt. in Medit. c. 6. *Candet*, ait, *nudatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, proceri rigent brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis vnda. Specta, glorioſe geni-* A *tor, gratissimæ prolis lacera membra. Vide redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum.* Et paulò pòst: *Quid commisisti dulcissime puer, vt sic vindicaueris? quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mortis? quæ occasio tuæ damnationis? Ego enim sum tui plaga doloris, tuæ culpæ occisionis. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. Ego tuæ passionis labor, tui cruciatus labor. O mirabilis censura conditio, & ineffabilis mysterij dispositio! Peccat iniquus, & punitur iustus: delinquit reus, & vapulat innocens: offendit impius, & damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat seruus, exoluit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. Quò nate Dei, quò tua descendit humilitas? quò tua flagrauit charitas? quò processit pietas? quò excreuit benignitas? quò tuus attigit amor? quò peruenit compassio? Ego enim iniquè egi, tu pœnam multaris: ego facinus admisi, tu vltione plecteris: ego crimen edidi, tu torturæ subiceris: ego superbiui, tu humiliaris: ego tumui, tu attenuaris: ego inobediens extiti, tu obediens scelus inobedientiæ luis: ego gulæ parui, tu inedia afficeris: me ad illicitam concupiscentiam rapuit arbor, te perfecta charitas traxit ad crucem: ego præsumpsi vetitum, tu subisti exsilium: ego delector cibo, tu laboras patibulo: ego fruor deliciis, tu laniaris clauis: ego pomi dulcedinem, tu fellis gustas amaritudinem: mihi ridens congaudet Eua, tibi plorans compatitur Maria. Ecce rex gloriæ, ecce mea impietas, & tua claret pietas. En mea iniustitia, & tua liquet iustitia.* Ex hisce prorumpens in affectum gratitudinis subdit: *Quid rex meus & Deus meus, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi? Non enim inueniri potest in corde hominis, quod condignè talibus referatur præmiis. Numquid sagacitas machinari potest humana, cui comparetur misericordio diuina? Nec est creaturæ moliri officium, quo vsquè creatoris recompensetur præsidium. Est autem nate Dei in hac tua admirabili dispensatione, est cui fragilitas mea in aliquo suppeditet, si tua visitatione compunctus mens, carnem suam crucifigat cum vitiis & concupiscentiis: & hoc cùm à te conceditur, quasi iam tibi incipit compati, quia & tu pro peccato meo dignatus es mori.* Mortificantes ergo cupiditates nostras, cum gratiarum actione & iubilo dicamus Christo id, quod Sephora dixit Mosi marito suo Exodi 4. v. 25. & 26. *Sponsus sanguinum tu mihi es ob circumcisionem*, imò ob crucifixionem & concisionem omnium membrorum tuorum; vt, sicut tu sponse mi, ea propter me concidi permisisti, ita ego mea tui amore circumcidam & mortificem. Denique Christus in cruce pro nobis plagatus, tacitè & amorosè cuique inclamat: *Ecce in manibus meis descripsi te*, Isaiæ 49.16. vtique non calamo, sed clauo, non atramento, sed sanguine meo: D

Cernis vt in toto corpore sculptus amor.

ac vicissim,

Cernis vt in toto sculptus, imò tostus, *amore dolor.*
Respice me, me conde animo, me in pectore serua,
Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos,
Huc veni.

Lactant. in Carm. de Passione Domini, ita de ea canit:

Cerne manus clauis fixas, tractosq; lacertos,
Atque ingens lateris vulnus, cerne inde fluorem
Sanguineum, fessosq; pedes, artusq; cruentos.

Agnosce ô homo, quàm grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari, ac S. Bernard serm. 3. de Natiuit. adeoque tot tantisque plagis vulnerari. Agnouit hoc S. Magdalena,

quæ,

que, vt refert Silvester Prieras in eius Vita apud Surium, in Bauma pœnitens per triginta annos, lapidi defixam in ea à S. Michaele crucē & oculis missa, & mente contemplata est, ideoque perennes lachrymarum imbres effudit. *Christus ergo amor noster, nobis crucifixus est*, idemque vir est dolorum, quia vir amorum. Vbi enim dolor, ibi amor; nec sine dolore viuitur in amore: quia mensura doloris est amor, & amoris dolor. O amor, amor, amor, quantum amasti nos! quàm pauci amant te! & hi quàm parùm amant te, & dolent pro te! quia non cognoscunt te. Da Domine Iesu, vt amores tuos deinceps sentiam, non meos; dolores tuos, non meos: quia amor tuus amor meus, dolor tuus dolor meus. Nimio enim dolore, & longè maiori amore parturiuisti me. Meritò dicebat S. Bonauent. *Domine nolo viuere sine vulnere, quia te vulneratum video.* Et S. August. *Non lector ab vbere, hinc pascor à vulnere.* Et S. Paulus: *Christo confixus sum cruci: viuo autem, iam non ego, viuit verò in me Christus. Ego stigmata Domini mei in corpore meo porto.* Et, *In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Et S. Ignatius Martyr: *Amor meus crucifixus est.* Et S. Franciscus: *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Et S. Bernardus: *Non decet sub capite spinoso membrorum esse delicatum.* Et S. Elzearius Comes Arriani ad Delphinam coniugem: *Si me quæris, nec non alibi quàm in vulneribus Christi reperies.* Denique: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum.*

Namque meum crucifixus amor crucifixit amorē,
Spemq; meam fixit spes crucifixa cruci.

Hoc sapiebat, hoc sentiebat sponsa Cantic. 2. 13. sponso suo occinens: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.*

Porrò hæ plagæ adeò Christo charæ & pretiosæ, nobisque admirandæ, amandæ & adorandæ sunt, vt eas Christus resurgens resumere voluerit & seruare, & ostentare in cælo per omnem æternitatem, idque viginti de causis & titulis, seilicet vt illæ sint Primò, certissimi assumptæ carnis vera, non phantasticæ, vt volebant Manichæi, indices. Secundò, atrocissimæ passionis testes. Tertiò, deuictæ mortis aculei, & indubitatæ resurrectionis argumenta, quòd scilicet idem numero Christi corpus crucifixum resurrexit, non aliud. Quartò, ardentissimi amoris characteres, quibus, vt ait Isaias, in manibus suis descripsit nos, non calamis, sed clauis. Quintò, illustrissimæ victoriæ de peccato, dæmone, morte & inferno trophæa. Sextò, fulgida glorioſi corporis decora & triumphi. Septimò, redemptionis nostræ tessera. Octauò, obedientiæ vsque ad mortem stigmata. Nonò, sacræ laborum & doloris Christi reliquiæ. Decimò, peccatorum omnium lytrum, quod iugiter Patri pro iis supplicando, Christus repræsentat. Vndecimò, tribulatorum consolatio. Duodecimò, patientium exemplum. Decimotertiò, afflictorū refugium. Decimoquartò, pœnitentium incitamentum. Decimoquintò, tentatorum asylum, iuxta illud Cant. 2. 13. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna macerie.* Decimosextò, laborātium stimulus. Decimoseptimò, Martyrū exēplar. Decimooctauò, electis gaudiū. Decimononò, reprobis in die iudicij probrum. Vigesimò, angelis admiratio & stupor.

FRAMEA SVSCITARE] Roganti, *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* respondit Christus, se à suis plagatum, quos summè diligebat quasi ciues & cognatos suos. Nunc eidem respondet Deus Pater, hoc suum fuisse decretum, vt percuteretur Christus, itaque aperiretur fons ille, qui in nos scaturiret aquas salutis, de quo v. 1. qui idem est pastor bonus, hoc suo fonte sanans & satians oues suas infirmas, vagas & dispersas, vt illis vitam æternam procuret. Hunc enim locum intelligi de Christo in cruce transfixo, docet ipse Christus Matth. 26. 31. dum ait Apostolis: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte; scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* VERS. 7.

Ait ergo Deus Pater: *Framea suscitare*; Tigurina, *excitare ô gladie*; Chald. *denudare ô gladie*; Septuag. *consurge ô gladie.* q. d. Euaginare ô gladie, distringere, vt percutias & occidas Christum. Vbi Nota. Hi imperatiui capiuntur pro futuro: significant enim Dei decretum de Christi morte futura, ex præuisa & permissa à se Iudæorum malitia. q. d Deus præuidens Iudæorū malitiam fore tantam vt si eis obiiceret Christum, ipsi eum occiderent, decreuit eum ipsis obiicere, permittereque vt ipsi eum occidant ad hoc, vt eius passione & morte saluaret genus humanum. Ex Dei ergo decreto futurum est, vt euaginetur gladius, qui Christum occidat. Vnde Vatabl. vertit, *excito te ô gladie*; S. Matthæus verò vertit, per futurum actiuum dicens, *Percutiam pastorem.* Et sic vertit hîc Pagnin. vt Hebr. הַךְ *hach*, id est *percute*, ponatur pro אַךְ *ach*, id est *percutiam*, scilicet gladio per Iudæos, obiiciendo eis Christū, quos scio eius neci inhiare, & mandādo Christo, vt eorum plagas constanter excipiat & sustineat. Vnde voci *percutiam*, respondet vox *conuertam manum meam*, quæ sequitur. Hoc est quod ait S. Petrus Actor. 2. 23. *Hunc* (Christum) *definito consilio & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis.* Sine enim hac Dei permissione, præscientia & decreto, Iudæi omnibus suis viribus & cōsiliis non potuissent occidere Christum, imò nec capillum ei adimere. Sicut ergo Moses virga percutiens petram Exodi 17. 6. ex ea elicuit fontem, ex quo potauit totus populus: ita Deus Pater cruce feriens Christum, ex eo elicuit fontem gratiæ, ex quo omnes fideles bibunt & saluantur. Petra autem erat Christus, 1. Corinth. 10. 4.

Nota. *Framea*, Gellio & Tacito vocatur lancea, vel telum oblonguin: framea dicta nonnullis videtur à Græco ῥομφαία transpositione literarum, vt Φ. præcedat, quod in F. vertitur. vnde pro *framea* Septuag. hîc vertunt, *rhomphæa*: inde framea extensa est ad significandū gladium. Quare pro *framea* Aquila & Symmach. vertunt, *machæra*, id est, vt & alij passim vertunt, *gladius.* Hunc enim significat Hebr. חֶרֶב *chereb.* Iam per frameam & gladium synecdochicōs & catachresticōs significantur claui, lancea, & omnia instrumenta, quibus alicui mors infertur, vti Christo clauis, flagellis, spinis illata est. Isidor. l. 1. de Differentiis, litera F. sic has voces distinguit, vt framea sit ensis vtraq; parte acutus, machæra ex altera parte acutus. Simili modo ait Ierem. c. 47. 6. *O mucro Domini vsquequo non quiesces? &c. Quomodo quiescet, cùm Dominus præcipit ei aduersus Ascalonem,* *Framea quid*

nem,&c. Et Ezech.c.21.28. *Mucro, mucro euagina te ad occidendum: lima te, vt interficias & fulgeas.*

PASTOREM MEVM] Quem scilicet ego Deus pater hominibus pastorem dedi, Iohan.10.

ET SVPER VIRVM COHÆRENTEM MIHI] Hebr. עמיתי *amithi*, id est, vt Pagnin. *socium meum*, coniunctum meum; Symmach. *virum populi mei*; Aquila & Theodot. *contribulē meum*, id est, mihi Patri consubstantialem secundùm diuinitatem, & valdè affinem secundùm humanitatem, vtpote filio meo intimè cohærentem per vnionem hypostaticam. Vnde Chald. vertit, *super socium eius, qui est similis illi*; Vatabl. *super virum coæqualem mihi*; Syrus, *super virum amicum meum*; Arabicus Antioch. *super virum clarum*, siue illustrem & maiestate præditum; Arabicus Alexand. *super virum ab iis qui ciuitatis eius sunt*; Septuag. vertunt, *super virum ciuem meum*. Theodor pro *meum* legit *eius*, illudque explicat de Apostolis & discipulis Christi. q.d. Dei decreto Iudæi percutient Christum, eiusque discipulos & Apostolos.

Humanitas Christi Patri & Spiritui S. affinit.

Nota. Licèt sola persona Filij, non Patris, nec Spiritus S. hypostaticè assumpserit & terminarit humanitatem assumptam à Verbo, ac proinde solus Filius dicatur incarnatus & homo factus, non Pater, nec Spiritus S. tamen per hanc assumptionem ad personam Filij, humanitas assumpta intimam cohærentiam & affinitatē cum Patre & Spiritu contraxit. Sicut enim mulier nubens viro, fit affinis eius fratribus, ita vt ab eis vocetur soror, sitque eorum fratria, inquit Festus; ita multò magis humanitas copulata Verbo, affinis facta est Patri & Spiritui S. præsertim quia Pater & Spiritus S. coëunt in eadem essentia diuina cum Filio, vti fratres singuli essentiam humanam habent propriam & disparatam.

PERCVTE (ô framea) PASTOREM (Christum) ET DISPERGENTVR OVES] Apostoli aliique fideles. Septuag. in editione Vaticana habent, & *auellite oues.*

ET CONVERTAM MANVM MEAM AD PARVVLOS] Primò, aliqui censent *paruulos*, idē esse quod *oues*, putà Apostolos. Hinc Septuag. vertunt, *conuertam manū meam ad pastores.* Videntur ipsi pro צעירים *tsoarim*, id est paruulos, legisse רעים *roim*, id est pastores. q.d. Ego Apostolos, qui pusillanimes, vt paruuli fugerunt à Christo patiente, mox à fuga reuocabo, & ad Christum reducam: conuertam ergo in eis manum meam à plaga ad medelam, à dispersione ad congregationem. ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo & alij. Secundò, alij paruulos gregis ab ouibus distinguūt, & τὸ *conuertam manum*, referunt ad, *percute pastorem.* q.d. Manum meam qua percussi pastorem, eiusque oues dispersi, conuertam pariter ad paruulos eius agnos, id est, ad fideles communes & plebeios, vt similiter eos percutiam, castigem & affligam; vt similes sint suo pastori, vtque eos in virtute exerceam & roborem, atque in infirmitate eorū meæ gratiæ robur ostendam. ita Theodor. & Lyran. Factum id est post Christi in cælum ascensionem, quando primùm à Iudæis Hierosolymæ, deinde mox Romæ, totoque orbe mota est persecutio acris contra Christianos, quæ per trecentos annos durauit vsque ad Constantinum.

VERS. 8. ET ERVNT IN OMNI TERRA: PARTES DVÆ IN EA DISPERGENTVR] q.d. In toto orbe duæ hominum partes dispergentur & peribunt, scilicet Iudæi & Gentiles: quicumque enim manserunt in iudaismo & gentilismo damnabuntur, sola tertia pars quæ erit Christianorum, seruabitur & saluabitur. Soli enim illi qui ex Iudæis & Gentibus conuertuntur ad christianismum, saluantur. ita S. Remig. Albert. & Lyran.

Secundò, Theodor. Arias & à Castro, per terram accipiunt Iudæam, de qua hîc fuit sermo. q.d. In omni terra Iudæa, è tribus partibus Iudæorum, duæ permanentes in suo errore excidentur & peribunt, tertia electorum fidelium residua succrescet, & seruabitur. Verùm hoc laxè accipiendū. nam tertia pars Iudæorum præcisè non fuit conuersa ad Christum: paucissimi enim crediderunt Christo & Apostolis. Vnde Apostoli mox iis relictis profecti sunt ad Gentes. Minus probabiliter Vatabl. & aliqui alij exponunt de excidio Iudæorum per Titum. q.d. Ex Iudæis qui erunt post passionem Christi, duæ partes succidentur à Tito, tertia seruabitur, sed multis tribulationibus probanda & affligēda. Nam hæc tertia pars non fuit fidelium: quia fideles & Christiani ante excidium moniti à Deo, Hierosolyma excesserunt, itaque illud euaserunt. ita Theodor. & alij. Nota. Pro *dispergentur*, Louan. legunt *dispердentur*: Hebr. enim est יִכָּרֵתוּ *iiccaretu*, id est *exscindentur*; Septuag. *peribunt*; Chald. *consumentur*. Rursum pro *deficient*, hebr. יִגְוְעוּ *iiguau*, id est exanimabuntur, expirabunt.

Anagog. Emmanuel Sà exponit, q.d. In toto orbe duæ hominum partes erunt reproborum qui damnabuntur, tertia erit electorum quæ saluabitur. Hoc intellige moraliter, non mathematicè. q.d. Duæ partes, id est, longè plures damnantur, quàm saluantur. Nam arithmeticè tertiam hominum partem non saluari, patet ex eo, quòd tertia pars orbis non sit fidelis: nam Asiam, Africam & Indiam occupat paganismus & mahometismus: sola penè Europa est Christiana. Iam in Europa dimidia ferè pars est hæreticorum, schismaticorum, politicorum & atheorum. Inter orthodoxos multi sunt concubinarij, multi ebriosi, multi odia fouent, multi iniustorum bonorum possessores, multi ebrioſi, &c. Coniice ergo quàm paua pars sit proborum, qui soli habent spem salutis. Vnde Christus: *Multi*, ait, *sunt vocati, pauci verò electi.* Et, *Spatiosa est via quæ ducit ad perditionē, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam!* Matth. 7.13.

ET DVCAM TERTIAM PARTEM PER IGNEM, &c. q.d. Fideles probabo & purgabo igne perfectionum & tribulationum, vt purificentur more argenti: perfectiores verò eodem excoquam, vt solidentur, perficiantur & splendeant instar auri. Nam in hoc igne aderit eis Dominus, quem inuocabunt. Vnde ait: IPSE, scilicet populus meus fidelis, quem dixi esse tertiam hominū partem, VOCABIT, id est inuocabit, NOMEN MEVM, ET EGO EXAVDIAM EVM. DICAM: POPVLVS MEVS ES. q.d. Habeo te, amo, curo, protego quasi populū meū. ET IPSE DICET: DOMINVS DEVS MEVS. q.d. Ipse vicissim me colet, amabit & inuocabit quasi Dominum & Deum suum. Nam per ignem probatus & conflatus, dignus est qui reponatur in thesauris Dei, iuxta illud Sapient. 3.5. *Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se: tamquam aurū in fornace probauit*

probauit illos. Et Prouerb. 17. 3. *Sicut igne probatur argentum & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Hoc de ijs rectè ait S. Hieron. *Tertiam hanc Iudæorum partem, ne delicata esset & secura, quasi argentum & aurum per ignem duci & probari.* Sic se probatum asserit Iob c. 23. 10. *Ipse*, ait, *scit viam meam, & probauit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Quocirca sapienter monet Eccles. c. 2. 4. A dicens: *Omne quod tibi applicitum fuerit accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe. Quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles* (δεκτοὶ, id est acceptabiles, accepti, grati Deo) *in camino humiliationis.* Quod ergo est ignis auro, lima ferro, ventilabrū tritico, lixiuium panno, sal carni, hoc tribulatio est viro iusto. Vide dicta Genes. 33. in fine.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sicut Isaias c. 14. sub typo casus Luciferi describit casum regis Babylonis; & Ezechiel c. 28. sub typo casus Cherubini describit casum regis Tyri; & Dauid psal. 71. & 88. sub typo regni Salomonis depingit regnum Christi: atque idcirco quædam dicunt quæ magis typo, quædam quæ magis antitypo conueniant, vti solet fieri in parabolis & symbolis; ita facit & hîc Zacharias. Nam sub typo afflictionis Ierusalem per Antiochum, & restitutionis eiusdem per Machabæos, describit afflictiones, restitutionem & celebritatem Ecclesiæ. Quocirca duplex hîc est quasi sensus literalis. Vnus velut materialis, de Ierusalem & Machabæis; alter quasi formalis magisq; intentus à Spiritu sancto de Ecclesia & Christianis. Nam ad literam hic de Ierusalem & Machabæis esse sermonem, patet ex totius capitis contextu, vbi non aliud sonat quàm Ierusalem, mons Oliueti, Remmon, Beniamin, Hananeel, Iudas, lebetes, phialæ, &c. quæ omnia nulli alteri propriè competunt, nisi Ierusalem terrestri. Adde, quòd gentes vndequaque venturas dicat in Ierusalem ad celebrandum festum tabernaculorum: hoc autem erat festum Iudaicum. ita Theodor. Palacius, Mariana, & alij apud Euseb. l. 6. Demonst. c. 18. Quòd verò in Ierusalem non sistat acies Prophetæ, vt volunt Rabbini, sed per eam se extendat ad Ecclesiam, patet, quia multa dicit augustiora, quàm vt Hierosolymæ conueniant, vt v. 4. quòd scindetur mons Oliueti, & v. 8. quòd exibunt aquæ viuæ de Ierusalem ad mare Orientale, & ad mare nouissimum; & v. 14. quòd omnium gentium diuitiæ congregabuntur in Ierusalem; & v. 16. quòd omnes gentes quotannis ascendent in Ierusalem ad celebrandum festum tabernaculorum, &c. Cùm ergo sciamus hæc planè non competere Hierosolymæ, dicendum est ea magis spectare ad Ecclesiam Christi, in eaq; esse completa. Prædicit ergo Zacharias Ierusalem capiendam & vastandam ab Antiocho Epiphane, sed Deum pro ea contra Antiochum præliaturum per Machabæos, ideoq; scissurum montem Oliueti: hinc Deum exaltandum esse in omni terra, ac Ierusalem fore securam & gloriosam, vtpote cuius hostes Deus conteret, & in eam diuitias gentium congregabit, adeò vt gentes quotannis eam adeant ad celebrandum festum tabernaculorum, & ad adorandum Deum. Quocirca in ea copiam fore lebetum, phialarum, oblationum, victimarum & gentium.

ECce venient dies Domini, & diuidentur spolia tua in medio tui.

2. Et congregabo omnes gentes ad Ierusalem in prælium, & capietur ciuitas, & vastabuntur domus, & mulieres violabuntur: & egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem, & reliquum populi non auferetur ex vrbe.

3. Et egredietur Dominus, & præliabitur contra Gentes illas, sicut præliatus est in die certaminis.

B dæos in Ierusalem restitutum iri: non enim possunt capi & vastari, qui non sunt: ac deinde Deum pro ijs pugnaturum, per Messiam scilicet, vt ipsi dicunt. Atqui hoc verum esse nequit: nam sic Iudæi ante Messiam restituerentur, & obtinerent Ierusalem, in eaque florerent, quod tamen ipsimet negant. Dicunt enim restitutionē Hierosolymæ & Iudęorum fore per vires & arma Messiæ: alioqui enim ante Messiam deberent ponere alium Messiam, qui Iudæis Hierosolymam restitueret. Itaque hîc seipsos elidunt Rabbini, &, vt vulgò dicitur, cornicum oculos configunt. Deinde v. 14. dicitur: *Sed & Iudas pugnabit aduersus Ieruſalem*: hoc autem de Messia eorum dici nequit. Ipse enim orietur ex tribu Iuda, vtpote filius & successor Dauidis & Salomonis, ac cum suis contribulibus Iudæis restituet Ierusalem, vt ipsi dicunt. Insuper v. 16. dicitur, quòd omnes gentes ascendent ab anno in annum in Ierusalem, vt celebrent festum tabernaculorum. Hoc autem ad literam vt sonat fieri nequit: tum quia vrbs Ierusalem non potest capere omnes gentes totius orbis: tum quia ipsi docent, felicitatem & regnum Messiæ spectare ad Iudæos, non ad

ECCE VENIENT] Primò, Iudæi totum hoc caput referunt ad tempus Messiæ, quem ipsi cum omnibus hisce bonis hîc à Zacharia recensitis iam olim exspectant. Verùm errant: nam à hoc anno fundibus à Tito excisa est Ierusalem, templum, resp. & gens Iudæorum, cuius desolatio durabit vsque in finem mundi, vt ait Daniel cap. 9. v. vlt. Adde, Propheta hîc dicit primò capiendam & vastandam Ierusalem, ac medium Iudæorum in ea partem ituram in captiuitatem, quorum vtrumque præsupponit Iu-

Gentes: Gentes enim tunc Iudæorum fore seruos & mancipia, vti ipsi iam seruiunt Gentibus. Denique nonnulla, si vt sonant, accipias de Ierusalem, absurda & ἀντίλογα sunt. Tale est quod dicitur v. 21. *Et erit omnis lebes in Ierusalem, & in Iuda sanctificatus Domino*: sic enim tempore Messiæ, Iudæi domi nullos habituri essent lebetes, in quibus coquerent carnes, ad quas tamen ipsi more patrum anhelant; sed omnes suos lebetes deberent consecrare Deo in templo. Quocirca verè S. Hieron. hîc ad v. 11. *Hæc*, inquit, *Iudæi iuxta literam somniant: & nostri Chiliastæ, qui rursum audire desiderant, Crescite & multiplicamini, & replete terram, & pro huius vitæ continentia breuique ieiunio bulbos sibi, & vuluas, & aues phasidis, & attagenem, nequaquam Ionicum, sed Iudaicum repromittunt. de quibus verè potest Dominus dicere*: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia carnes sunt, &c. *Nos autem cælestem Ierusalem interpretemur Ecclesiam, quæ in carne ambulans non viuit secundùm carnem, cuius municipatus in cælis est. Postquam enim Dominus Iesus rex fuerit super omnem terram, de quo ad Patrem Spiritus sanctus loquitur per Prophetam: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis; tunc vnus Dominus erit, & vnum nomen eius, omni praua religione calcata, iuxta illud: Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Et alibi: Sicut nomen tuum Deus, ita & laus tua in vniuersa terra.*

Secundò, multi censent ad literam Prophetam hîc describere excidium Ierusalem per Titum, idque in pœnam Christi ab eis crucifixi, vti dixit cap. præcedenti v. 6. & 7. ita Euseb. lib. 6. Demonstr. c. 18. S. Cyril. Theodor. Rupert. Vatabl. Ribera, Sanchez, & propendere videtur S. Hieron. Verùm obstant omnia sequentia: Deus enim non est præliatus contra Romanos vastatores Hierosolymæ, nec restituit Ierusalem post excidium Titi, nec effecit vt omnes gentes veniant adoratum in ea Deum, & celebratum festum Tabernaculorum; cùm Ierusalem post Titum per 1600. annos excisa & desolata maneat vsque in hodiernum diem.

Dico ergo, ad literam significatur hîc Ierusalem capienda ab Antiocho Epiphane, & restituēda à Machabæis, vti probaui in proœmio, idque docent Palacius, Mariana & à Castro, ipseque rei euentus, vt patet ex libris Machab. præsertim lib. 1. c. 1. v. 22. & seq.

Porrò sub typo vastationis Ierusalem, depingitur hîc vastatio Ecclesiæ, præsertim primitiuæ, quæ facta est à Nerone, Traiano & alijs Gentilibus Imper. Tunc enim templa ab eis capta & euersa sunt; fideles alij bonis, alij liberrate, alij vita priuati. Ecclesia enim capi & vastari dicitur, cùm eius fideles capiuntur & vastantur. ita Arias. Vnde Glossa censet hîc describi persecutionem Ecclesiæ factam à Cosroë rege Persarum, & ab Homar rege Arabum: nam vterque expugnauit Ierusalem, & ciues partim occidit, partim abduxit, partim tributis subiecit: quæ seruitus durauit vsque ad Godefridum Bullonium, qui loca sancta Christianis pugnando restituit. ita Glossa.

Anagog. significatur hîc vastatio Ecclesiæ futura per Antichristum, quem Iudæi recipient quasi suum Messiam. Ille enim longè grauiùs quàm Nero, Decius, alijque Tyranni in eam sæ- A uiet, vxores fidelium violabit (erit enim luxuriosissimus) omnia iura humana & diuina pessundabit, præsertim Hierosolymæ, vbi violenter quasi tyrannus sedebit, ponetque thronum tyrannidis suæ, vti disertè docet S. Iohannes Apoc. 20. Loquens enim de Gog & Magog, quierunt milites & duces Antichristi, ait: *Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circuierunt castra sanctorum, & ciuitatem dilectam*, putà Ierusalem, in quam recipient Christiani, vt eos trucident. Vnde in Ierusalem ab Antichristo occidentur Elias & Henoch, vti docet S. Iohannes Apocal. 11. 8. & sequent. ita Lyran. Dionys. & alij.

Et hoc sensu vera erit sententia Iudæorum, qui dicunt hæc spectare ad vltima tempora, quibus veniet Messias: sed errant, dum putant Messiam B restituturum iudaismum, non christianismum, ideoque Iudæis daturum bona temporalia, non spiritualia. Itaque Iudæis hæc & similia loca Scripturæ obijcientibus, respondere possumus nos quoque ea intelligere de aduentu Messiæ, sed de primo ad literam, de secundo anagogicè. Nam cùm secundus Messiæ aduentus sit futurus in fine mundi, non possunt de eo ad literam intelligi, quæ hîc de restitutione & celebritate Ierusalem dicuntur, quodque quotannis ad eam venient omnes gentes celebraturæ festum Tabernaculorum: si enim instabit tunc finis mundi, instabit ergo quoque finis festorum huius vitæ, ac consequenter festum Tabernaculorum deinceps non ad literam, sed anagogicè celebrabimus in cælo.

EGREDIETVR MEDIA PARS CIVITATIS IN C CAPTIVITATEM] Qui hæc de excidio Ierusalem per Titum accipiunt, ita exponunt, q. d. Media pars ciuium occidetur & capietur, reliqua pars fidelium monita à Prophetis fugiet ex vrbe & saluabitur, vti præmonuit Christus Matth. 24. 16. ita Theodor. & Euseb. lib. 6. Demonstr. c. 8. Verùm longè potior pars occisa fuit: pauci enim capti fuere; cùm tamen Propheta hîc mediam partem captam asserat. Nam Ioseph. lib. 7. de bell. c. 17. ait mortua fuisse Iudæorum vndecies centena millia, capta verò dumtaxat 97. millia. Rursum Christiani non saluati sunt in vrbe, vti ait Propheta, sed extra. Quocirca Rupert. Ribera & alij sic explicant, q. d. Altera pars ciuiū Hierosolymæ sub Tito capietur, altera verò non asseretur ex vrbe: quia in ea occidetur, aut fame ærumnis conficietur, & morietur.

Verùm iam probaui hæc spectare ad excidium D Ierusalem per Antiochum, non per Titum. In Antiocho ergo hæc contigisse patet ex libris Machab. ac nominatim ex l. 2. c. 5. 14. vbi dicitur: *Erant toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minùs autem venumdati.* Rursum multi ex Iudæis partim metu, partim malitia consenserunt Antiocho, ideoque manserunt in vrbe, cæteroquin expilarunt, de quibus dicitur 1. Machab. 1. 55. *Et congregati sunt multi ex populo ad eos qui dereliquerunt legem Domini & fecerunt mala super terram. Et effugauerunt populum Israel in abditis, & in absconditis fugitiuorum eius.* Et de his ait Zacharias: *Et reliquum populi non auferetur ex vrbe*, quia scilicet dedent se Antiocho aut certè ab eo vincientur. Media enim pars hîc non præcisè & arithmeticè, sed moraliter accipienda est. q. d. Vna pars ciuium egredietur e cap-

expeditatem, altera in vrbe remanebit, vel vincta, vel transfuga.

ET BELLABIT DOMINVS, ET PRÆLIABITVR CONTRA GENTES] Hebr. בגוים *baggoim*, id est *in gentibus*: quod dupliciter accipi potest. Primò, q.d. Cum Gentibus, scilicet cum Tito & Romanis, præliabitur Deus contra Iudæos. ita Cyrill. & Theodor. Secundò, *baggoim* melius vertam *Gentes*, id est contra Gentes, vt vertunt Noster, Chald. & alij; quin & Septuag. in editione Vaticana: nam in Complutensi habent, *in Gentibus*. Loquitur ad literam de prælijs Machabæorum miraculosis contra Antiochum, in quibus Deus per angelos etiam visibiliter apparentes, pro Iuda decertare visus est, vt patet 2. Machab. 10. 29. & c. 11. 8. & c. 15. 12.

SICVT PRÆLIATVS EST IN DIE CERTAMINIS] scilicet famosi illius & celeberrimi, quo contra Pharaonem decertauit, eumque protriuit in mari rubro, vt habet Chald. Quocirca Iudas Machabæus suos spe opis diuinæ animans ad prælium, dicebat: *Mementote qualiter salui facti sunt patres nostri in mari rubro, cùm sequeretur eos Pharao, &c.* 1. Machab. 4. 9.

Sub hoc Machabæorum typo, parabolicè significatur victoria Christi de gentilismo. q.d. Christus Gentes olim Deo aduersas sibi subijciet per Euangelium, earumque peccata merget in baptismo, *sicut præliatus est in die certaminis*, id est, sicut olim in huius rei typum decertans contra Pharaonem & Ægyptios in mari rubro, eosdem eos demersit. ita S. Hieron.

Anagog. Significatur prælium Christi contra Antichristum (huius enim typus & præcursor fuit Antiochus, æquè ac Pharao) Gog & Magog, qui iuxta Ierusalem è cælo profligabit, interimet & deturbabit in tartara; vti docet Apost. 2. Thessal. 2. 8. & S. Iohannes Apoc. 20. 9. & sequ. in Lyran. Hugo & Dionys. Rursum significatur is certamen Christi contra omnes impios in die iudicij, quos sua sententia condemnabit, suaque potentia adiget in gehennam, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum.*

4. Et stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem: & scindetur Mons oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem, prærupto grandi valdè: & separabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem.

5. Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam coniungetur vallis montium vsque ad proximum: & fugietis sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Oziæ regis Iuda.

ET STABVNT PEDES EIVS IN DIE ILLA SVPER MONTEM OLIVARVM] Tertull. libr. 4 contra Marcion. c. 39. legit: *stabunt pedes eius in Elæone*, id est in monte Oliueti: ἔλαιον enim Græcis est oleum. Descendet enim Deus cum suis angelis in hunc montem, vt ex eo propugnet Ierusalem, & Antiochi copias profliget, ideoque pedibus suis calcando montem, eum tremefaciet & discindet, de quo mox. Dicitur hic mons Oliueti, vel

A Oliuarum, ab vbertate frequentium crescêtium in eo oliuarum, qui aliàs mons sanctus, & mons inclytus vocatur. A Ierusalem distat stadijs quinque, & ab ea valle Cedron interiacente dispescitur. Sub hoc typo significatur Christus Deus factus homo, staturus & versaturus in monte Oliueti, ibique in oratione pernoctaturus, Apostolos docturus, & passionem inchoaturus. Ibi enim orans in horto captus est; sicut ex eodem quasi rex & Messias, triumphans ingressus est vrbem cum ramis oliuarum in die palmarum. Ex hoc quoque glorioso coram suis discipulis ascendit in cælum, Act. 1. 12. In monte ergo Oliueti cœpit & consummauit, vti redemptionem nostram, ita & Ecclesiam suam. Ibidem enim ascendens iussit Apostolis, dixitque: *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terræ*, Actor. 1. 8. *Mons Oliueti qualis?*

B Quocirca mons Oliueti symbolum est Ecclesiæ è Gentibus Christo obedientibus collectæ, in qua stant & requiescunt pedes Christi: olea enim deditionis, subiectionis, obedientiæ, reuerentiæ, & cultus est hieroglyphicum. Olim enim cùm populi se principi cuipiam dedebant, prætendebant ramos oliuæ, quasi pacem petentes, vti docet Seruius in Æneid. 8. vnde noster Martinus de Roa lib. 4. Singul. cap. 5. huius loci hunc dat sensum, q.d. Montes oliuarum, id est, Romani qui totius orbis imperio potientur, ad Iesu Christi pedes se abijcient, eique se totos tradent & subijcient, cùm eum respuent Iudæi. Ita S. Ambros. in cap. 21. Lucæ, & Euseb. l. 6. Demonst. cap. 18. docent Ecclesiam in oliuarũ monte significatam. Hac de causa Christus crebrò in C monte hoc orauit & versatus est, ex eoque ascẽdit in cælum, vt significaret in Ecclesiam Gentium se transiturum, ac in eam misericordiam suam & munera diffusurum. Sic psal. 51. 10. dicitur: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum.* q.d. Diuites sperant in suis diuitijs, vti præcessit: at ego spero in misericordia Dei, illi ramos oliuæ prætendo, meque supplicem ad illius pedes abijcio; illi me dedo, illum pronus adoro: victũ me illius magnitudine confiteor, manus do; ideoque veniam & misericordiam, quæ supplicibus debetur ac victis, consecuturum me non dubito. Addit verò *in æternum*, quia oliua æternitatis est symbolum, teste Pierio: tales autem esse debent qui se Deo dedunt, vt in vitæ ratione perseuerent, eorum D dissimiles qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Ideò Paulus Rom. 11. 17. Gentes dicit ex oleastro factas oliuas, quia fidẽ quam semel accepit Ecclesia Gentium, numquã deseret, nec à Christi religione deficiet, vti defecerunt Iudæi. Sic psalm. 127. dicitur: *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* q.d. Suscitabo tibi filios subiectos & obedientes, æquè ac inter se concordes & pacificos: oliua enim subiectionis & pacis est symbolum, vt dixi. Plures analogias oliuæ & Ecclesiæ animæque sanctæ, recensui Ierem. 11. 16. *Symbolum est Ecclesiæ Gentium. cur?*

Anagog. significatur Christus in monte Oliueti deturbaturus Antichristum, cùm ipse instar Christi ex eodem volet in cælum conscendere. ita S. Hieron. in Daniel. 11. Damasc. libr. 4. de Fide cap. 27 Anselm. in 2. Thessal. 2. Lyran. Hugo & Dionys. Rursum in die iudicij cum omnibus

angelis descendet in montem Oliueti, qui immi-
net valli Iosaphat, vt ibi iudicet, & disceptet cum
omnibus gentibus, vt ait Ioël c. 3. 2.

QVI EST CONTRA IERVSALEM AD ORIEN-
TEM] Alludit ad ascensionem Christi: Christus
enim in monte Oliueti ascendit in cælum, vt ex
vinea Iudæorum siluescente ostenderet se feciſſe
oliuetum, id est, Ecclesiam fertilem oleis, id est
sanctis, pijs, misericordibus, lucidis & Spiritu
sancto impinguatis. ita Euseb. lib. 6. Demonstr.
cap. 18. vnde ait: *Qui est contra*, vel oppositus ve-
teri *Ierusalem*, & Synagogæ *ad Orientem*: quia
Ecclesia prælata est Synagogæ, & propinquior
facta soli iustitiæ, id est Christo, vt eius orientis
primos radios fidei, gratiæ, omniumque chari-
smatum excipiat, ita vt eius respectu Ierusalem
esset ad Occasum: quo significabat Synagogam
excæcandam esse, ideoque ruituram in aduentu
Christus facie auersa à Ierusalē, spectās Romā crucifixus est, & ascendit in cælum. Christi. Hinc & Christus facie auersa à Ieruſa-
lem, spectans Occidentem crucifixus est, indeq;
ex Apostolorum institutione Christiani orant
conuersi ad Orientem, & templa respiciunt O-
rientem, in quibus imago Christi crucifixi Occi-
dentem prospicit, quam qui adorant necessariò
Orientem spectant. ita Damasc. libr. 4. de Fide
cap. 13. & alij. Pari modo Christus in monte Oli-
ueti ascendit in cælum, facie à Ierusalem auersa
(vt ex vestigijs pedum eius lapidi impressis, quæ
etiam nunc visuntur, liquet) conuersus ad Occi-
dentem, & Romanam spectans Ecclesiam, ad
quam ipse S. Petrum Vicarium suum, & S. Pau-
lum Doctorem Gentium misit, vt eò sedem Ec-
clesiæ transferrent. ita Adrichom. in Descript.
terræ sanctæ, agens de monte Oliueti.

Nota. Olim extra Ierusalem siti erāt duo mō-
tes oppositi, scilicet ad Orientem mons Oliueti,
cui ex aduerso ad Occasum oppositus erat mons
Caluariæ, in quo crucifixus est Christus, qui olim
erat extra vrbem, sed iam est intra eam. In ipsa
verò vrbe erant duo vicini montes, scilicet Sion
respiciens Austrum, in quo erat arx Dauid, &
Moria respiciens Septemtrionem, in quo ædifi-
catum est templum. Inter hos duos montes erat
breuis vallis domibus ciuium referta, quæ Mello
& Tyropæon est dicta.

ET SCINDETVR MONS OLIVETI] S. Hieron.
Cyrill. Theodor. Burgensis, Palacius, censent hāc
scissionem fore quadrifidam in modum crucis,
ad quatuor mundi plagas, ita vt mons Oliueti
scindatur primò ab Oriente in Occidentem,
deinde duæ illæ partes discissæ rursum scindan-
tur ab Aquilone in Meridiem. Verùm Chald.
Euseb. Lyran. Vatabl. Ribera, Sanchez & alij, cē-
sent eum scindendum in duas dumtaxat partes,
scilicet versus Orientem & Occidentem per
medium, ita vt vna pars scissi montis vergat (vn-
de pro *separabitur*; Septuag. vertunt, *inclinabit*;
Tigurina, *deflectet*; Pagnin. *recedet*) ad Austrum,
altera ad Aquilonem, & inter vtramque media
sit prærupta vorago, siue vallis profunda, quæ
coniungatur valli Iosaphat, siue Cedron, indeq;
valli montis Sion, ita vt Iudæi qui fugient ex Sio
& vrbe per vallem Iosaphat, transituri sint per
vallem factam in monte Oliueti discisso.

Mons Oliueti scissus quando? Prima sent. Quæres, quando, & quomodo contigit hæc
montis Oliueti scissio? Qui putant agi hîc de ob-
sidione & excidio Ierusalem per Titum & Ro-
manos, variè hæc exponunt. Aliqui enim per
scissionem montis Oliueti parabolicè accipiunt
schismata & seditiones Zelotarum, aliorumque
Iudæorum in vrbe. Alij, vt Theodor. censent
montem Oliueti vocari exercitum Romano-
rum, qui eum montem occupauit: diuisum verò
montem dici, quia ad alia ciuitatis loca obsider-
da & oppugnanda diuisus fuit Romanorum
exercitus; eò quòd vrbs versus montem Oliueti,
ob vallem siue voraginem Cedronis interiectam,
difficilior esset aditu & expugnatu. Noster vero
Sanchez tripliciter exponit. Primò, suspicatur in
obsidione Romanorum, montem Oliueti ter-
genti terræ motu reuera fuisse diuisum, etiamsi
id non dicat Ioseph. nec vllæ historiæ, sicut nec
meminerunt terræ motus sub Ozia, quem tamen
contigisse docet hic Zacharias. Secundò, extra
Romanorum in monte hoc ita à Tito fuisse dis-
posita, vt ab Oriente in Occidentem paterent
& porrigerentur, atque hinc inde ad Aquilo-
nem & Meridiem duas partes relinquerēt, per-
ruptum verò grande esse vallem Cedron, quam
etiam occuparunt Romani: vallis enim nil aliud
est quàm montium scissura. q. d. Cedronis pro-
funditas non muniet Iudæos, nec impediet Ro-
manos, quo minùs vrbem inuadant & occupent,
quia omnia suo milite complebunt. Tertiò, d.
Titus profundissimam voraginem Cedronis,
quæ inter vrbem & castra sua in monte Oliueti
sita interiacebat, vrbemque muniebat, com-
portatis aggeribus ita implebit & complanabit,
vt per eam facilis militibus ad muros inuado-
dos sit accessus. Id enim eum fecisse in alijs val-
bus, docet Ioseph. libr. 6. Belli cap. 4. Et in ipsa
Cedronis valle aggeres esse constructos & mu-
ros, docet idem Ioseph. lib. 6. cap. 13. Fauent Se-
ptuag. qui dicunt vers. 5. obturatam esse vallem
montium: scissum ergo dici montem Oliueti,
quia ex illo Romani præciderunt saxa, eaque
cum terra deoluerunt in subiectam vallem Ce-
dronis, ijsque eam impleuerunt. Quocirca ait
Propheta: *Fugietis, ô Iudæi, ad vallem montium
meorum*, id est, in vrbem, ad spatium quod inter
montem Moriam & montem Sion (vbi erat
templum Dei) interiacet: *quia coniungetur vallis
montium*, id est, vallis Cedron, quæ inter mōtem
Oliueti & montem Sion interiacet, *vsque ad pro-
ximum*, scilicet montem Oliueti: Titus enim mu-
ro cinxit ciuitatem, ducto per Cedronem ad
montem vsque Oliueti. Verùm solùm decima le-
gio Romanorum constitit in monte Oliueti, qui
erat ad Orientem vrbis; reliquus verò Titi exer-
citus obsedit vrbem ex parte Septemtrionali, in
loco qui dicitur Sapha, vel Scopos, situsque est
ex opposito duarum turrium, quæ vocabantur
Psephina & Hippicus, vti diserte ait Ioseph. lib.
6. Belli cap. 5. Itaque Titus obsedit vrbem plane
iuxta montem Caluariæ. Hic enim erat pene ei
aduerso Psephinæ; vbi Iudæi crucifixerūt Chri-
stum, vt notat Adrichom. in Descriptione Ieru-
salem & alij; vt Iudæi cognoscerent Titum ad-
uenisse ad hoc, vt esset necis Christi vltor, ibique
plecteret, vbi ipsi Christi parricidium, imò De-
cidium commiserant. Tandem verò Titus
celeriùs vrbem occuparet, eam circumcirca cin-
xit muro, in quo 40. castella constituit, idq; opus
perfecit spatio tridui, itaque Iudæos ad fame
extrema adegit. Quare non est verisimile ipsum
vallem Cedronis implesse & complanasse. Ido-

dem cruciat l. 6. c. 4. tantùm ait eum complanasse A vallem quæ erat inter castra sua sita in Scopo, ad Septemmonem; non verò vallem montis Olivetique erat ad Orientem. Deinde Titus totus fuit in muro vrbi circumducendo, isque vnus occupabat milites omnes. Murus enim hic in circuitu erat 39. stadiorum, hoc est quinque penè milliarium, vti ait Iosephus. Adde, non agi hîc de tempore Titi & Romanorum, sed Antiochi & Machabæorum, vti dixi initio.

Dixi ergo ex hoc loco videri, quòd tempore Antiochi & Machabæorum fissus sit mons Olivet, dum Deus cum angelis in eum descendit, etsi id non narretur in lib. Machab. nec alibi; fortasse narratur in libris Regum terræ motus qui contigit sub Ozia, & alia multa. Hunc fortasse exigunt verba ipsa, & temporis ratio: de B Machabæorum enim ævo hîc agitur: ita à Cadio, & Paulus à Palacio, qui ita scribit: Credo hanc prophetiam impletam ante Machabæorum victorias, quando multa signa visa in cælo sunt, scilicet equites per aëra discurrentes, cohortes armatæ, cursus equorum, 2. Mach. 5. Hæ enim cohortes erant angelorum, cum quibus veniebat Dominus in specie visibili: veniente ergo Domino tremuit mons (nam cùm egreditur Deus, terra movetur & concutitur, psal. 67. 9.) Ex tremore verò discissus est in quatuor partes, significans discissionem & diuisionem Iudæorum ex parte facta quatuor mundi plagas. Hęc Palacius.

Porrò scissio hæc montis fuit typus scissionis C eiusdem in fine mundi, vt mox dicam; sed interim repræsentabat præsentes, tum fugas, ob instantem ab Antiocho clades; tum scissiones & dissensiones Iudæorum, dum alij Machabæis adhærerent, alij Antiocho: rursum alij Antiocho & Syro-alij Ptolemæo & Ægyptijs fauerent.

Similiter modo sub Constantio Imper. & S. Cyrillo Patriarcha Hierosolymitano, anno Domini 351. cruce sole fulgentior pleno die cælitus apparente supra montem Olivet (& fortè eò quoque alludebat Zacharias) eum quasi signans & instar crucis secans, vt repræsentaret schisma Ecclesiæ quod faciebant Arriani, & Constantium eorum fautorem moneret S. crucis, & Crucifixum Dei filium Patri ὁμοούσιον esse adorandum vt verum Deum, vti eum adorarat illius pater Constantinus, qui proinde per vexillum crucis diuinas de Maxentio aliisque hostibus victorias obtinuit; quod Christus ex alto Orthodoxis à Constantio vrgentibus intonaret: Confidite, ego vici mundum D cruce, & vos eadem vincetis Arrianos. Quocirca tota ciuitas hoc crucis signo excita ad ecclesiam cucurrit, Deum Deique Filium laudans & celebrans; quin & multi Iudæi ac Gentiles, viso hoc radiante in cælis crucis signo obstupuerunt, & ad Christum conuersi sunt. Rem gestam & à seriem fusè perscribit S. Cyrillus ad Constantium Imper. in fine Catech. mystag. Eadem breuiter sic narratur in actis Artemij Martyris die 20 Octob. apud Surium: *Quo quidem tempore, cùm expugnatus esset Magnentius, signum crucis maximum mirificè apparens, adeò vt mirabili splendore superaret lucem diei, visum est Hierosolymis circa terciam diei horam, cùm esset dies festus, qui dicitur Pentecoste, porrigens à loco qui dicitur Caluaria, vsque ad montem Oliueti.* Sic & Sozomen. lib. 4. c. 4. Socrates l. 2. c. 24. & ex ijs Baron. an. Domini 353.

Similis fuit Christi apparitio in monte Oliueti anno Christi 419. quam ex Marcellini chronico ita recenset Baronius: *Anno Christi 419. multæ Palæstinæ ciuitates villæq; terræmotu collapsæ sunt. Dominus noster Iesus Christus, semper vbique totus, super montem Oliueti Hierosolymæ vicinum, sese de nube manifestauit. Multæ & tunc vtriusque sexus vicinarum gentium nationes tam visu, quàm auditu perterritæ atque credulæ sacro Christi fonte ablutæ sunt, omniumq; baptizatorum in tunicis crux Christi saluatoris, diuinitatis nutu extemplò pressa refulsit. Cuius rei adeò admirabilis occasione, de tempore aduentus Domini ad iudicandum cœpti sunt vbique miscери sermones, quòd ex Danielis Prophetæ vaticinio c. 7. iam prænunciatus esset aduentus filij hominis in nubibus; & Zacharias c. 14. de ipso loco aduentus eius super montem Oliueti prædixerat. Et angeli de Christo in monte Oliueti in cælum ascendente Apostolis prænunciarant: Quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, ita veniet. Cuius occasione scripsisse videtur Hesychius epist. 79. ad S. August. de nouissima die, quæ, cùm præcessissent tot signa (vt ait) iam videretur instare. Cui respondens S. August. epist. 80. prolixè disputat de nouissimi diei tempore.* Hucusque Baron. occasione Melaniæ iunioris, quæ eodem anno seorsim à coniuge Piniano vitam egit monasticam, ac in cella apud montem Oliueti per 14. annos clausa perseuerauit, duxitque in angusto loco vitam angelis similem.

Similis fuit in eodem monte apparitio tempore belli sacri, qua Christiani animati Hierosolymã expugnarunt. Rem gestã narrat Wilhelm. Tyrius l. 8. Belli sacri c. 16. defatigatis Christianis in oppugnatione Hierosolymæ, ideoq; dilabentibus: *Ecce*, inquit, *adfuit rebus desperatis virtus diuina. Nam de monte Oliueti miles quidam, qui tamen postea non comparuit, splendidum & refulgentem vẽtilando clypeum, signum dabat nostris legionibus vt rediirent in idipsum, & congressum iterarent. Quo signo exhilaratus dux Godefridus Bullonius, primus in mœnia conscendit, quem alij secuti, illico eius iussu effregerunt portam S. Stephani, per quam totum in vrbẽ induxerunt Christianorũ exercitum.* Itaque à Christianis capta est Hierosolyma an. Domini 1099. die 15. Iulij, feria sexta, qua Christus moriens de morte triumphauit. Iuuit oraculum viri sancti, qui habitans in monte Oliueti prædixerat, vrbem illo die esse capiendam, ait Tyrius cap. 17. Vnde & ante oppugnationem vrbis, Christiani nudis pedibus cum multa deuotione, cantantes litanias cum crucibus processerunt vsque ad montem Oliueti, ait idem cap 11. Ad has similesque apparitiones respexisse hîc Zachariam, vel potiùs Spiritum sanctum probabile est. Vnde mysticè Lyran. hunc Zachariæ locum explicat de capta Ierusalem à Godefrido Bullonio & Christianis: vrbis enim capiendæ signum eis datum est à monte Oliueti, vti iam dixi ex Tyrio.

Denique nonnulli hæc conditionatè exponunt, q. d. Deus ita tutabitur vos ô Hebræi, vt si opus sit ad vestram tutelam findere montem Oliueti, vt per eum manus hostium effugiatis, id reuera facturus sit. sed tanto molimine non erit opus: poterit enim ipse mille alijs modis vos protegere. Simile est Isaiæ 11. c. 15. & Zachar. 10. 11. ita à Castro.

Iam parabolicè & quasi allegoricè, mons Oli- *Allegor.* ueti est Ecclesia, ait Euseb. lib. 6. Demonstr. c. 18.

Hic scissus est, cùm ibi à Christo ascendente iussi A sunt Apostoli ire in mundum vniuersum, & prædicare Euangelium omni creaturæ, indeque in quatuor mundi plagas diuiserunt & sparserunt se, Christique fidem & Ecclesiam. Rursum scissio hæc montis denotat commotionem & contritionem Gentium audito Christi Euangelio, iuxta illud Lucæ 3. v. 5. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prauа in directa, & aspera in vias planas.* Sed earum pars vna mansit ad Aquilonem, id est, in suo infidelitatis & impietatis frigore perstitit: Aquilo enim frigidus significat frigidos, ac ex infidelitate & peccato torpentes. altera verò ad Austrum vergens significat fideles, qui calent charitate & feruent Spiritu Dei: Auster enim est calidus. Huius rei symbolo vidit Ezechiel gloriam Dei, id B est, Deum gloriosum sedentem in curru Cherubico, & quatuor Cherubinis stipatum, ex templo Iudaico euolare in montem Oliueti. sic enim ait cap. 11. 23. *Et ascendit gloria Domini de medio ciuitatis, stetitq; super montem qui est ad Orientem vrbis,* putà supra montem Oliueti, vt ex hoc monte expectet & spectet nouam Ierusalem, quasi phœnicem ex veteris cineribus resurgentem in Sion, putà Ecclesiam Christi, vt ibidem dixi. Porrò Glossa per scissionem montis Oliueti, accipit schisma Græcorum à Latinis: ad Orientem enim habitant Græci, qui diuisi sunt à Latinis habitantibus ad Occidentem. Vnde ait: *Et fugietis,* id est, fugere debetis ad obedientiam Ecclesiæ Romanæ, cuius montes magni, scilicet SS. Petrus & Paulus, sunt patroni.

Anagog. findetur mons Oliueti debi-scens Anti-christo.

Anagog. findetur mons Oliueti, cùm Anti- C christus ex eo volet in cælum conscendere: nam à Christo deturbatus corruet, & terra, putà mons dehiscens, viuum eum absorbebit, vti dixi 2. Thessal. 2. 8. Hoc est quod ait S. Iohannes Apoc. 19. 20. *Apprehensa est bestia* (putà Antichristus) *& cum ea pseudopropheta,* &c. *Viui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.*

Et in die iudicij.

Rursum in die iudicij, Christus iudex descendet in montem Oliueti: vnde tunc eum sua maiestate & potestate, ingenti terræ motu concutiet, vt ipse quasi præ horrore & veneratione Christi iudicis contremiscat; simul vt hoc terræ motu se findat, amplieque vallem Iosaphat, ad capiendum omnes homines iudicandos ibidem à Christo. Si enim Deus daturus legem, in Sina descendens concussit montem, Exodi 19. multò magis id faciet descensurus ad iudicium. Idipsum D diserte docet S. Clemens Roman. libr. 7. Constitut. Apost. cap 33 *Mons ipse,* inquit, *Oliueti, gloriæ venientis cedet, & in quatuor partes dissectus, longissimè diffugiet, vt tribunali iudicis theatrum totius orbis assistat. Trepidatio verò hominum tanta erit, vt insani diffugiant in mediam vallem, quæ futura est amplissima; cùm montibus remotis coniungenda sit cum omni circumposito campo.* Hoc sanè verbis Zachariæ valdè congruit. ita inter alios Emmanuel Sà, & Iosephus à Costa l. 4. de Tempor. nouiss. cap. 13. & 14. & Leonard. Lessius l. 13. de Diuinis attrib. cap. 21. in fine. *Indicat,* inquit, *Zacharias montem Oliuarum (iuxta quem vallis Iosaphat) scindendum in quatuor partes: vt fiat maxima planities, in qua excipiantur iudicandi.* Insuper hæc scissio montis repræsentabit separationem Australium, id est feruentium & electorum, ab Aquilonaribus, id est, frigidis & reprobis. Illi enim erunt Orientales; quia orietur eis lux & gloria sempterna: hi verò erunt Occidentales; quia ibunt in occasum & mortem æternam.

PRÆRVPTO GRANDI VALDE] Id est, *magna voragine,* vt vertunt Septuag. vel *valle,* vt Chald. quæ ex scissione montis profundè patescet, & hiabit. Parabolicè hic hiatus significat Hierosolymæ ruinā & desolationem, quando Apostoli abeuntibus ad Gentes, Iudæi infideles paulò post à Tito vastati, in profundum quasi barathri demersi sunt, iustā Dei vindicta.

Anagog. significat hiatum grandem montis Oliueti, & vallis Iosaphat futurum in die iudicij, quo reprobos omnes ibidem consistentes dehiscens terra mittet in tartara. Hiatus ergo hic & voragó erit profundissima: namà valle montis Oliueti extendet se vsque ad infernum, qui est in centro terræ. In die ergo iudicij propriè & plenè adimplebitur hæc prophetia, fietque fissura montis Oliueti, & voragó ingens vsque ad tartarum, ita vt in ipsum prospiciant non tantùm reprobi, sed & electi Dei, gaudeantque miserè quòd horridum illud ignis barathrum, in quod videbunt tot impios demergi, per gratiam Christi euaserint. Hanc voraginem horribilem in spiritu vidit S. Carpus, eamque ex ore eius ita describit S. Dionys. Areopag. epist. 8. ad Demophilum, dicens: *Referebat* (Carpus) *se vidisse domum in qua consistebat, primùm vehementer agitari, ac domum à summo culmine per medium diuidi,* &c. *Ipsum quoque solum instar vasti ac tenebrosi cuiusdam profundi, discissum se vidisse ait, atque viros illos quos mala imprecatus fuerat, ante se ad os illius profundæ voraginis stare trementes ac miserabiles, & qui ab ipsa pedū suorum labilitate iam mergendi viderentur. Porrò ab inferiori parte voraginis serpentes cernebat emergere, qui circa illorum pedes ita instabiles ac nutantes, interdum quidem in globum colligi, & grauare vnà atque pertrahere; interdum verò dentibus & cauda, ore, gutture, linguis, ac toto corporis motu vim immensi pauoris viderentur incutere, vt qui modo vnibus deorsum illos præcipitare niterentur. Fuisse autem & viros quosdā in medio, qui contra eos vnà cum serpētibus impetum facerēt, exagitātes vnà & impellentes, atq; ferientes: videbantur autē illi lapsui proximi,* &c.

ET FVGIETIS AD VALLEM MONTIVM EORVM] Hebr. Septuag. & S. Hieron. in commentar. legunt *meorum.* Vnde & in Latinis ita legendum videtur. Nota τὸ *in vallem*: physicè enim in terræ motu consilium & remedium est, fugere ad valles & ima. hæc enim minùs quàm mōtes terræ motu quatiuntur. Porrò huius loci sensus est is, quem dedi v. 4.

QVONIAM CONIVNGETVR VALLIS MONTIVM VSQVE AD PROXIMVM] Hebr. פְּצַל *ad* אֲצַל *atsal,* quod quasi nomen proprium accipiunt & relinquunt Septuaginta, Chald. Aquila, Theodot. Vatabl. & Pagnin. Verùm Nobr. Symmach. & alij vertunt vt appellativum, פְּצַל *ad proximum*; alij, *vsque ad separatum,* scilicet à terræ motu, ideoque securum locum.

Iam varij variè hæc exponunt. Duæ expositiones sunt probabiliores. Prior, q. d. Vt effugetis Antiochum, & hostes obsidentes, & vastantes Ierusalem, fugietis per vallem Iosaphat & Oliueti (montem enim Oliueti hac de causa findet Deus, vt per eius scissuram & vallem inter-

ter-

rigetis fugere possitis: vnde ea vocatur vallis montium, scilicet iam diuisorum. Mons enim Oliueti per hanc scissionem diuidetur in duos, vel etiã in quatuor montes.) vsque ad Atsal, vbi ab hoste securi tutiq; eritis. ita à Castro, Tigurina & Aria. Posterior, q. d. Vt fugiatis & effugiatis hunc terræ motum, quo concutietur & findetur mons Oliueti, fugietis in vallem montium meorum, putà in vallem Mello, siue Tyropœi, quæ interiacet inter montem Sion & montem Moria: ibi enim sunt montes mei, quia in Moria habeo meum templum, in Sion meam arcem Dauid. *Quoniam coniungetur vallis montium vsque ad proximum.* q. d. Quia vallis, id est, vergo illa facta in monte Oliueti iam diuiso, seu proinde iam non est vallis vnius montis, sed duorum, nimirum montium iam diuisorum) pertinget ad montem sibi proximum, putà ad Moria. Vnde in tota valle Iosaphat vsque ad Moria à terræ motu & scissura hac tuti non eritis fugiens ergo post montem Moria ad vallem Mello, ab hoc terræ motu liberam, vt ibi tuti sitis, ita S. Hieron. Aut, vt Lyran. quia vallis montium, id est vallis Iosaphat, quæ interiacet inter montem Oliueti & montem Sion, coniungetur vsque ad proximum, scilicet hiatum factum in monte Oliueti. Vnde in ea sine metu & periculo eritis: ad illam ergo fugere non audebitis: fugietis ergo ad vallem montium meorum, id est, interiectam inter Sion & Moria, qui sunt montes mei. Huic expositioni fauet id quod sequitur. *Et fugietis sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Oziæ*: fugituri ergo erant non hostes, sed terræ motum; ac proinde fugituri non ipsam scissuram montis Oliueti, hoc terræ motu factam, sed procul ab ea in vallem Sionis & Moriæ, quæ omnino immunis erat à terræ motu.

Symbol. hæc fuga in terræ motu adumbrat fugam Machabæorum, & Iudæorum ad siluas & speluncas in terræ motu, id est, in persecutione Antiochi, de qua 1. Machab. 2. 28.

Parabolicè, hæc accipe de obduratione Iudæorum. q. d. Cùm mons Oliueti, id est Ecclesia Christi spargetur in quatuor mundi plagas, tunc vestri Iudæi increduli, ab Euangelio, Christo & Ecclesia fugietis non quidem ad idololatriam & gentilismum, sed ad vallem vmbrosam montium meorum, hoc est, ad cultum, vmbras, & cæremonias legis veteris, quæ viguit in monte templi Moria & Sionis, qui olim fuerunt montes mei. ita Euseb. lib. 6. Demonstr. cap. 18. *Quæ, ait, potest esse vallis montium Dei, nisi quæ olim celebrabatur ex lege Mosis & Ierusalem, corporalis & Iudaica adoratio?* Sic & Stunica, Ribera & alij, qui contendunt hũc sensum esse literalem: ego literalem fateor, sed typicum & parabolicum, præcedenti quem assignaui innixum, vti dixi initio capitis. Vnde sequitur: *Quoniam coniungetur vallis montium vsque ad proximum.* q. d. Hæc vallis, id est hæc vmbrosa, sed obstinata Iudæorum religio tanto arctiùs coniunget se vicino sibi templo temploque ritibus, quanto magis videbit spargi & propagari Ecclesiam Christi. Aliter Emmanuel Sà. q. d. Hic cultus legis veteris Iudæis tenacissimè coniungetur, & adhærebit proximè vbicunque degant.

Nota. Pro נֶסַתֶּם *nastem*, id est *fugietis*, à rad.

A נוס *nus*, id est fugit, Septuag. alijs punctis legentes נִסְתַּם *nistam*, à rad. סָתַם *satam*, id est clausit, obturauit, vertunt, *& obturabitur* (replebitur) *vallis montium meorum, & adiungetur vallis montium vsque ad Asal.* Sic & Chald. Quod ad literam sic accipi posset, q. d. Scindetur mons Oliueti, & hac scissione corruet, & complanabit totam subiacentem vallem Iosaphat, vsque ad proximum montem Moria. Parabolicè verò sic explicat Euseb. q. d. Hæc vallis vmbrosa Iudaicæ religionis obturabitur, id est, cessabit & obscurabitur à luce Euangelij, eiusque vmbra cedet veritati Christi: quoniam coniungentur ad Asal, id est, ad montem Oliueti (inde enim Christus misit Apostolos ad Iudæos & Gentes) qui dicitur Asal, id est opus Dei, quasi à rad. עָשָׂה *asa*, id est fecit, אֵל *el*, id est Deus. Verùm melius legit Noster

B *nastem*, vertitque *fugietis*, quia sequitur: *Sicut fugistis à facie terræ motus in diebus Oziæ.* Et quia præcessit: *Scindetur mons Oliueti*: scissione enim mons apertus fuit, non obturatus.

SICVT FVGISTIS] q. d. Ea trepidatione, celeritate, turba & confluxu fugietis, qua fugistis à terræ motu qui contigit tempore Oziæ, de quo dixi Amos 1. v. 1.

5. Et veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo.

6. Et erit in die illa: Non erit lux, sed frigus & gelu.

7. Et erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies, neque nox: & in tempore vesperi erit lux.

C 8. Et erit in die illa: Exibunt aquæ viuæ de Ierusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouissimum: in æstate & in hieme erunt.

9. Et erit Dominus Rex super omnem terram: in die illa erit Dominus vnus, & erit nomen eius vnum.

10. Et reuertetur omnis terra vsque ad desertum, de colle Remmon ad Austrum Ierusalem: & exaltabitur, & habitabit in loco suo, à porta Beniamin vsque ad locum portæ prioris, & vsque ad portam angulorum: & à turre Hananeel vsque ad torcularia regis.

D 11. Et habitabunt in ea, & anathema non erit amplius: sed sedebit Ierusalem secura.

ET VENIET DOMINVS DEVS MEVS, OMNESQVE SANCTI CVM EO] Replicat & inculcat quod dixit v. 3. *Et egredietur Dominus & præliabitur contra gentes illas, & stabunt pedes eius in die illa super montem Oliueti.* Loquitur ergo ad literam de descensu Dei, quo descendit præliaturus pro Iudæis per Machabæos contra Antiochum, cũque protriturus, vti dixi v. 3. Porrò cùm bellum fidelium est difficile, & victoria illustris, tunc dicitur Deus descẽdere cum omnibus sanctis suis, putà angelis: quia omnes ei astant, vt pro eo decertent; hinc vocatur Deus exercituum. Ita vidit Ezechiel cap. 1. Deum curru bellico vectum, VERS. 5.

stipatum quatuor Cherubinis descendere in aciem contra Iudæos, vt eos plecteret per Chaldæos. Et Psaltes psal.17. graphicè describit Dei in prælium contra suos hostes descendentis maiestatē, milites, iras, animos. Et inter alia ait v.11. *Ascendit super Cherubim & volauit, volauit super pennas ventorum.* Et v.15. *Misit sagittas suas, & dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos.* Simili terrore, pompa & satellitio descendit in Sina daturus legem Hebræis, pro eisque contra Gentes præliaturus, Deuter.33.2. *Dominus de Sinai venit, apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia.* Iam sub typo prælij diuini gesti per Machabæos, parabolicè intelligit prælium spirituale Christi gerendum per Apostolos. q.d. Veniet Christus, qui per Apostolos debellabit omnes gentes, easque suæ fidei & Euangelio subiugabit. ita Theodor. Vatabl. Arias, & Euseb. lib.6. Demonstr.c.18.

Anagog. & maximè significatur hîc descensus Christi ad iudicium vniuersale, cum omnibus angelis & Sanctis in montem Oliueti supra vallem Iosaphat, vt Antichristum omnesque impios condemnet & puniat. Huc enim alludēs Iudas in sua epist.v.14. ait: *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra gentes.* Et Christus Matth.24.30. *Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & maiestate, & mittet angelos suos.* Et c.25.31. *Cùm venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo.* ita S. Hieron. Cyrill. Remig. Hugo, Lyran. Ribera, Sanchez & alij passim, qui contendunt hunc sensum esse literalem: ego censeo esse anagogicum, sed maximè intentum à Spiritu S. literalis enim est de Machabæis, parabolicus de Apostolis, vti ostendi initio capitis.

VERS.6. NON ERIT LVX, SED FRIGVS ET GELV] Ita & Septuag. Chald. & Tigurina: videntur ergo in Hebræo legisse כִּי קָרוֹת *ki karot*, id est *sed frigus*, vel potiùs וְקָרוֹת *vekaroth*, (facilè enim *vau* si decurtetur, vertitur in *iod*, & *vau* sæpè est aduersatiuum significans, *sed*. vti crebrò est videre in Prouerbijs Salom.) id est *& frigus*, vel frigora: radix enim קָרַר *karar* significat frigescere. Iā legūt יְקָרוֹת *iekarot*, id est *pretiositatum*: יָקָר *iakar* enim significat esse pretiosum, decorū, eximium. Vnde vertunt, *non erit lux pretiositatum*, id est pretiosa, clara, eximia, וְקִפָּאוֹן *vekippaon*, id est, & (id est *sed*) *concretionis*, id est concreta, densa: hoc est, in illa die non erit lux clara, neque obscura, sed mixta, nubila & maligna, qualis est diluculo. q.d. In illa die nō erit plena lætitia, nec plena tristitia, sed læta tristibus miscebuntur: at vespere succedet plena felicitas & lætitia. Eōdem ferè redit versio nostra & Septuag. Sensus enim est, q.d. In illa die non erit lux clara & amœna, qualis est in æstate; sed concreta nebulis frigidis, & quasi congelata, ideoque molesta & tristis. Vnde Pagnin. vertit, *in die illa non erit lux pretiosa, & (sed) nix coagulata*; Arabicus verò Alexandr. *erit nix & grando* (frigus & procellæ) *in vna die. Et apparebit* (reuelabitur) *Dominus in illa die: Et non erit lux in illa die, neque nox, neque vespera.* Ad literam denotatur tempus calamitatis & afflictionis Iudæorum in persecutione Antiochi. Huius enim symbolum sunt tenebræ, frigus & gelu. Vnde in Scriptura in excidio Babylonis Samariæ, Ierusalem, &c. dicitur obscurandus non tantùm dies, sed & sol, luna ac stellæ, per hyperbolen & hypallagen: quia scilicet Babylonijs, Samaritis, & Hierosolymitis in tanta clade afflictissimis, lux obtenebrescere, ipsique sol, media licèt die, obscurari videbatur. Vnde explicans subdit:

ET ERIT DIES VNA QVÆ NOTA EST DOMINO, NON DIES, NEQVE NOX] q.d. Veniet tempus persecutionis, quod (& cuius acerbitas) soli Deo cognitū, imò prouisum & prædestinatum est, in quo dies Iudæis valdè afflictis ob tot ærumnas, non videbitur esse dies; sed neque nox, vtpote lucente sole: ergo tempus hoc medium quid erit inter diem & noctem, & quasi contemperatum ex die & nocte: habebit enim à sole lucem diei, à tyrannide verò Antiochi habebit tenebras, id est, ærumnas noctis.

ET IN TEMPORE VESPERI (Hebr. *vespere*) ERIT LVX] id est, vt Tigurina, *ad vesperam erit lux*. q.d. Ad finem huius temporis calamitosi, quasi ad vesperam definet hoc eius nubilum, & succedet lux felicitatis & gaudij, nimirum quando Machabæi vindicabunt ciues suos, & profligabunt copias Antiochi.

Sub hoc Machabæorum typo parabolicè significat, post obscuritatem & vmbras legis Iudaicæ, postque ignorantiæ tenebras, & malitiæ gelu, in quibus omnes gentes ante Christū, quin & ipsi Iudæi degebant, successuram lucem Euangelij Christi, in eamque quasi in vesperam desiturum diem illum obscurum iudaismi, iuxta illud oraculum Zachariæ: *Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis sedent*, Lucæ 1.79. Et Isaiæ cap.60.1. *Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum.* Hoc est quod ait Paulus Roman. 13.22. *Nox præcessit, dies autem appropinquauit.* Hinc & Christus dicitur venisse in carnem sub finem, & quasi ad vesperam mundi.

Symbol. Theodor. hæc refert ad diem passionis Christi: tunc enim tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, quæ diem quasi verterunt in noctem, ita vt dies illa propriè non esset dies, neque nox, sed participium vtriusque; eratque in ea frigus. vnde Petrus stabat ad ignem calefaciens se. Post quam successit clara dies resurrectionis Christi. Sic & Clemens Roman. lib.6. Constit.cap.13. *Postea*, inquit, *fuerunt tenebræ à sexta vsque ad nonam, & rursus lux vespere, sicut scriptum est: Non dies, & non nox, & ad vesperā erit lux.* Sic & Euseb. lib.6. Demonstr.cap.18. Porrò frigus vel propriè accipi potest, vel metonymicè pro tenebris & nocte: hæ enim sunt frigidæ: apponitur enim frigus luci, dum ait, *Non erit lux, sed frigus & gelu.* ita Sanchez.

Anagog. In tempore huius vitæ non est clara lux cognitionis Dei, nec serena dies operis cultusque Dei; tum quia per fidem ambulamus, non per speciem; tum quia ambulamus inter impios, in quibus extincta est charitas; in ipsis quoque Sanctis ob concupiscentias & tentationes sæpè refrigescit charitas: at vespere, putà in fine mundi, erit lux æternæ claritatis, quando facie ad faciem videbitur Deus deorum in Sion. Vide S. Iob orabat cap.3.3. dicens: *Pereat dies in qua natus sum.* q.d. Pereat dies mortalitatis, & fiat immortalitatis erumpat, ait S. Gregor. ibidem. Et sponsa Cant.2.17. optat *vt aspiret dies æternitatis*

C

& inclinentur vmbræ tẽporis & mortalitatis. Hæc ergo dies lucidissima & lætissima erit sanctis & beatis, obscurissima verò & tristissima impijs & damnatis. Vnde aliqui vnam hanc diem aiunt fore quasi duplicem, scilicet in *ea non erit lux, sed frigus & gelu* improbis: eadem verò erit dies & lux piorum & pijs: sicut eadem dies Hebræis in Ægypto erat dies lucidissima, Ægyptijs verò nox obscurissima per plagam tenebrarum, quam Deus eis immisit. Nam vt ait Sapiens c. 17. 22. *Omnis orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, &c. Solis autem illis superposita erat nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat.* Insuper paulò ante diem iudicij erunt dies nubili & frigidi, tum physicè ob eclipses & procellas cælestes; tum moraliter ob errores varios, & hominum impietatem, æquè ac ob plagas maximas, quas Deus tunc immittet, quæ recensentur Apoc. cap. 7. & 8. & 9. & 16. Sed *vespere*, id est, in fine mundi, succedet lux vna clara, putà æterna dies gloriæ, cui nulla succedet nox. ita S. Hieron. Cyril. Remig. Hugo, Lyran. Sanchez & alij, qui arbitrantur hanc sensum esse literalem: ego anagogicum esse censeo, sed præcipuè hîc intentum à Spiritu sancto: illi enim verba textus optimè cõgruunt. Nam sub illud tempus neque dies erit, quia sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ de cælo cadent: sed neque nox erit, quia sol, licet obscuratus, præsens erit huic hemisphærio. Ad extremum tamen erit lux, eaque clarissima, quia peracto iudicio, reprobisque in tartarum demersis, renouabitur mundus, ac sol septiplo clarius lucebit, luna verò instar solis, vt ait Isaias cap. 30. v. 26. Accedet splendor Christi & Sanctorum omnium, qui fulgebunt sicut sol, Matth. 13. 43. Quin & elementa iã purgata, plurimum lucis & splendoris addent mundo. Nam si credimus S. Thomæ in 4. dist. 48. quæst. 1. art. 4. *Terra erit lucida & peruia sicut vitrum in superficie, vna sint crystallus, aër sicut nunc est cælum, ignis sint mare sint luminaria cæli.* Rursum non erit dies, neque nox, id est, vicissitudo & successio qua nox continuò succedit diei, quia sol stabit, ac proinde vnus & continuus erit dies lucidissimus. ita Sanchez. Huc accedit illa nonnullorum expositio, quæ talis est, q. d. Dies illa iudicij, quæ soli Deo est nota, quia vltima erit sæculi, hinc non habebit sibi succedentem aliam diem aut noctem; & quia admirabilis erit & extraordinaria tam electis, quàm reprobis; non proprie dies, nec nox dicenda erit, sed vespera, id est, finis definet in lucem, id est, sanctorum gloriam æternam. Huc alludens noster Thomas à Kempis dictus lib. 3. de Imitat. Christi cap. 47. piè & seruidè ex persona Christi ad fidelẽ & pium: *Age, inquit, quod agis fideliter, labora in vinea mea: ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria: digna est hic omnibus & maioribus prælijs vita æterna, veniet pax in die vna, quæ nota est Domino, & erit nõ dies, neque nox, huius scilicet temporis; sed lux perpetua, claritas infinita, pax firma & requies secura. Non dices tunc: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Nec clamabis: Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est, quoniã præcipitabitur mors, & salus erit indefectiua, anxietas nulla, iucunditas beata, societas dulcis & decora.* Hoc cogitabant SS. milites & Martyres xl. sub Licinio Imper. ab Agricolao præfecto damnati ad stagnum gelidum. Hi enim se inuicem hisce vocibus ad illud fortiter subeundum incendebant: *Durum frigus, sed dulcis paradisus. Affligens glacies, sed delectabilis requies. Breui tempore durantes sinus Abrahæ nos perpetuò fouebit. Vnam noctem cum sempiterno auo* (& cum vna die perenni, quæ non habet noctem, neque finem) *commutabimus. Incendatur frigore pes, vt cum angelis continuò saltet. Torpescat frigore manus, vt facultatem habeat in Deũ attollendi. Quando semel mori oportet, moriamur vt viuamus.* ita refert S. Basil. hom. de 40. Martyribus. Quocirca ante vesperam missi in stagnum, cùm nec dies esset, nec nox, vespere & nocte luce cælesti donati sunt. Nam circiter tertiam noctis horam sol eos circumfulsit, ita lucidus & calidus, vti est in æstate, friguscque & gelu stagni dissoluit, aquamque calidam reddidit. ita habet eorum vita apud Surium die 9. Martij.

Vidit hæc per vmbram diuinus Plato, cuius hæc est gnome in Theæteto: *Philosophia, siue vera sapientia est animi reditus è tenebrosa ista vita, quæ potiùs nox dicenda est quàm vita ad veram entis lucem.* Quocirca ipse passim sapientiæ studiosos adhortatur, vt calcatis carnis concupiscentijs, vni vacent inquirendæ & contemplandæ veritati, lucique diuinæ. Deus enim est τὸ ὄν, τὸ καλὸν, τὸ ζωῆς εἶδος, ipsum ens, ipsum pulchrum, ipsa vita, &c., ait idem in Phædone.

EXIBVNT AQVÆ VIVÆ] *Aquæ viuæ* vocantur fontanæ, quæ è suis venis scaturiunt & ebulliunt. Magnum vrbi loco que commodum, æquè ac recreationem & ornamentum afferunt fontes, eorumque aquæ ductus. Hinc Romani moderni, & magis prisci, Romam aquis fontanis, earumque aquæductibus ingenti labore & sumptu impleuerunt, adeò vt Plinius lib. 36. cap. 15. eos vocet orbis miracula, nec ijs quid magis mirandum esse Romæ, imò nec in toto orbe asserat. Similes fecerunt Iudæi in Ierusalem, præsertim Salomon, qui de se ait Eccles. 2. 4. *Extruxi mihi piscinas aquarum*, adeò vt noster Vilalpando tomo 2. de Templo pag. 565. contendat aquæductus Salomonis magnificentiores fuisse aquæductibus Romanorum. Tales quoque fecit Ezechias, 4. Reg 20. 20. VERS. 8.

Aquæductus Rom. & Iudæorum, orbis miracula.

Alludit ergo Zacharias ad hosce Hierosolymæ fontes, innuitque eos in captiuitate Babylonica, vel ab Antiocho confractos, aut collapsos, fore restaurandos, augendos & exornãdos. Hoc enim fecisse Iudæos è captiuitate reduces, docet Nehemias cap. 3. 15. dicens: *Et portas fontis ædificauit Sellum*, &c. *& muros piscinæ Siloë in hortum regis.* Et v. 16. *Vsque ad piscinam, quæ grandi opere constructa est.* Et Eccli. 50. v. 3. de Simone pontifice, qui vixit tempore Ptolemæi Philadelphi (auum enim habuit Iaddo pontificem, quem adorauit Alexander Magnus) dicitur: *In diebus ipsius emanauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum.* Idem fecisse Machabæos, eorumque posteros in restauratione Ierusalem non est dubium: ita enim ornarunt Ierusalem, vt videretur esse orbis deliciæ. Hinc Adrichomius & alij chorographi, per plures in Ierusalem describunt fontes; nimirum ad Orientem *ad*, id est versùs, *mare Orientale* (quod est mare mortuum, siue lacus Asphaltites) respiciebant fons Siloë, fons Rogel, fons Draconis, torrens Cedron, probatica piscina: ad Occidentem *ad*, id

id est versùs, *mare nouissimum*, id est Mediterra- A neum, inter alios eminebat fons Gihon, vbi Salomon in regem vnctus est, isque duplex, superior & inferior. Insuper riuus erat qui ex Ierusalem influebat vsque ad mare Orientale, & in illud influebat ad statuam salis, iuxta Engaddi. Ex alio latere erat collis aquæ ductus, iuxta Gabaon & Ierusalem, vbi Abner confodit Azaël fratrem Ioab, 2. Reg. 2. Videmus multis in prouincijs fluuios integros ad multa milliaria, alueum effodiendo, arte duci. Ita, vt alios taceam, Bruxella vrbs Belgij celebris, & sedes principum, suo sumptu fouea effossa, fluuium ductilem fecit per spatium 15. milliarium Italicorum, vsque ad Scaldim, qui Antuerpiam alluit; fluuium, inquam, nauigabilem, quo merces omnes Antuerpiam, indeq; in Hispaniam, & per totum orbē, magno commodo & lucro vehit reuehitque. Quid si Iudææ similem fossam fluuiumque fecerint, duxerintque è Ierusalem ad mare Mediterraneum, vt eo merces omnes marinas in vrbem inucherent, & suas eôdem ducherent, diuidendas & diuendendas per totum orbem? Sanè distantia Ierusalem à mari Mediterraneo duplo tantùm maior est, scilicet 30. circiter milliarium (quod est iter vnius diei) imò par erit, scilicet 15. milliarium, si è Ierusalem fluuium ducas in torrentem Gaas, aut in torrentem qui Eleutheropoli in mare hoc decurrit. Id si verum est, ad amussim respondet verbis Zachariæ, dum ait: *Medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouissimum*, quod est Occidentale, siue Mediterraneum. De templo cōstat ex Aristæa lib. de Septuag. Interpr. illud aquæ ductibus subterraneis fuisse refertum ad quinque vsque stadia. Vnde ad hosce Ierusalem fontes alludens S. Iohannes Apocal. 22. 1. dicit similes, sed præstantiores fore in Ierusalem cælesti. Summa hac aquarum copia non aliud significat Propheta, quàm magnam fore Hierosolymæ felicitatem & amœnitatem, ita vt tota aquis sit irrigua, quæ ex ea vtrimque in campos effluant, eosque fœcundent & oblectent; quod tempore Machabæorum, & posterorum reipsa completum esse constat.

Fluuij ductiles.

Symb. fontes significant victorias Machabæorii:

Iam sub hisce fontibus & aquæductibus Ierusalem, symbolicè intelligit faustos lætosque egressus Iudæ & fratrū eius, tum ad prælia & victorias de Antiocho capessendas, tum ad colligendos Iudæos fugitiuos, & eos qui metu Antiochi prolapsi erant ad gentilismum, reuocandos ad fidem; stantes verò animandos ad constantiam; idq; per totam Iudæam, cuius terminus ad Orientem erat mare Orientale, siue mortuum; ad Occidentem mare Mediterraneum. q. d. Exibunt è Ierusalem Machabæi, qui arctem & squalentem in tanta persecutione Iudææ faciem ita rigabunt, vt Iudæi ferè extincti reuiuiscant, putà Iudas exibit contra Galaad & Ammonitas, qui sunt ad Orientem iuxta mare mortuum; Ionathas verò contra Ioppen & Philisthæos, qui sunt ad Occidentem Ierusalem, vt patet 1. Machab. 5. 6. & 55 & c. 10. 76. ita Paulus à Palacio.

parab. doctrinam & gratiam Apostolorum.

Parabolicè verò & potissimè, intellige aquas doctrinæ & gratiæ Euangelicæ: has enim Christus & Apostoli ex Ierusalem, quasi ex matrice eructarunt, & deriuarunt per totum Orientem & Occidentem (vnde Arias per mare Orientale & Occidentale, accipit Oceanum Orientalem & Occidentalem, quo Hispani & Lusitani nauigant in Indiam, tam Orientalem quàm Occidentalem, ibique fidem & Ecclesiam Christi proseminant) sub quibus reliquas duas mundi plagas, scilicet Austrum & Aquilonem, subintellige: idque fecerunt tam æstate quàm hieme, id est, iugiter omnique tempore, tam commodè quàm incommodo, tam aduerso quàm prospero, q. d. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem*, Isaiæ 2. 3. ex ea enim spargetur lex & gratia Christi per totum orbem. Alludit ad id quod dixit cap. 13. 1. *In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem*. q. d. Ex Ierusalem quasi ex fonte promanabunt aquæ vitales sapientiæ, & gratiæ ad omnes gentes. ita S. Cyrill. S. Hieron. Remig. Hugo, Ribera hîc, & Euseb. l. 6. Demonstr. c. 18. & S. August. lib. contra Fulgent. B Donat. c. 6. Accedit Theodor. qui putat hîc allusi ad aquam & sanguinem quæ fluxerūt è latere Christi, in cruce lancea transfixi, quæ fuerunt symbola redemptionis nostræ & Sanctorū, quibus saluantur omnes gentes. *Aqua*, inquit, *mundat & à peccatis expiat: sanguis nutrit, rigat & germinare facit*, scilicet fructus bonorum operum.

Anagog. significantur hîc dotes & gaudia Beatorum in Ierusalem cælesti, quæ ex visione Dei quasi ex fonte promanant, de quibus Apocal. 22. 1. *Et ostendit mihi fluuium aquæ vitæ splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni*, &c. Vide ibi dicta. Cuius rei symbolo è paradiso terrestri emanabant quatuor fluuij Genes. 2. 10. ita Lyran.

In æstate et in hieme erunt] q. d. Perennes erunt hi fontes Ierusalem, ingiter lætificantes aquas. Symbolicè, Machabæi tā hieme quàm æstate, id est, quouis tempore etiā importunissimo, pugnantes & vincentes cōsolationem, quietem & lætitiam dabant Israeli, instar fontis perennium. ita Palacius. Parabolicè, in Ecclesia fontes doctrinæ & gratiæ, quæ sunt Sacramenta iugiter manant volentibus eos haurire.

Tropol. nullis laboribus, nulloque tempore, siue aduerso siue prospero, viri sancti exarescūt, vt gratiam Dei amittant; aut si doctores & pastores sint, vt eam in alios non deriuent & effundant. ita Stunica. Septuag. vertunt, *in æstate & in vere erit sic*, quod S. Hieron. mysticè exponit, q. d. Hæ aquæ fluent in paschate & pentecoste: tunc enim solet celebrari solemnis baptismus, cui proinde fontis sacri impletio & benedictio præmittitur. *Vt celebremus*, inquit, *pascha & pentecosten, in quibus de terrenis transeamus ad cælestia, & fructus nostros offeramus Deo. In pascha enim hiemis finis, veris exordium est: in pentecoste æstatis principium, quando labores manuum nostrarum & fructuum offerimus Deo. De hac æstate & vere ille perpetuò loquitur ad Deum: Tu fabricatus es aroram & solem, æstatem & ver tu plasmasti.* D

Et erit Dominvs rex svper omnem terram] Ad literam tenuiter hoc compertum Machabæis, quorum prælia & victoriæ diuulgatæ & celebratæ sunt in omni terra, scilicet Iudæa, imò toto orbe; quæque gentes Deum earum datorem & auctorem, quasi Dominum totius terræ timuerunt & celebrarunt. Verùm planè & plenè id conuenit Christo, quem vt Deum mundi dominum, per prædicationem Apostolorum agnouerunt, pro-

locuerunt & coluerunt omnes gentes. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Haymo, Ribera & alij.

IN DIE ILLA ERIT DOMINVS VNVS, ET ERIT NOMEN EIVS VNVM] q.d. Iam in orbe multi habentur & nominantur dij, vt Iupiter, Apollo, Saturnus, Mars, &c. sed tempore Christi erit ab omnibus gentibus coletur, & nominabitur Deus, putà Christus, qui solus verus est Deus, idemque cum Patre & Spiritu sancto. Tunc ergo vbique nomen solius Christi inuocabitur, non idolorum. ita Vatabl. & alij iam citati. Nota metonymiam: *nomen* enim significat rem, non personam nominatam. Sic Poëtæ viros celebres & nominatos, vocant *nomina*. Vnde Ouidius eleg. 4. lib. 3. Trist. *Viue tibi, & longè nomina magna fuge: nomina*, id est, potentes & principes, qualis erat Augustus, qui Ouidium relegauit in Sarmatiam, quæ nunc est Polonia, vbi loca etiam eius ostenditur.

ET REVERTETVR OMNIS TERRA VSQVE AD DESERTVM] Hebr. *sicut desertum*, id est, æquè ac desertum. Vnde Septuag. vertunt, *circuiens* (Dominus, qui præcessit) *omnem terram & desertum*, id est, *vsque ad desertum*, inclusiuè, vti vertit Noster. Ad literam significatur, quòd Iudæi, qui in persecutione Antiochi dispersi fugerant vsque ad deserta, montes & cauernas, post pugnas & victorias Machabæorum reuertentur ad suas sedes & domos; reuertentur, inquam, ex colle, scilicet Gabaa, vt habent Hebræa (quæ fuit vrbs Beniamin, in qua natus est Saul primus rex Israelis) qui erat limes Aquilonaris regni Iudæ, vsque ad Remmon, qui erat alter Iudæ limes ex parte Australi. q.d. Iudæi dispersi in extremos limites regni, reuertentur in suas sedes, ac præsertim in Ierusalem, in eaque quietè & lætè degent: quo significat totam Iudæam fore pacatam, quietam & felicem. ita Palacius & Mariana. Hoc verum in Machabæis & Synagoga. verum in Apostolis, per quos omnes gentes confluerunt ad Ecclesiam.

Secundò, quia Hebr. עֲרָבָה *araba*, non tàtùm desertum, sed & planitiem significat, hinc alij sic explicant, q.d. *Reuertetur*, id est, redigetur omnem vicina Hierosolymæ in desertum, id est, in solum planum, siue in planitiem & aream, vt eò vsque dilatari, eique inædificari possit vrbs Ierusalem, eiusque suburbia, villæ & vineæ. Vnde ex Hebræo vertunt Chald. & Pagnin. *circumdabit omnis terra velut planities*; & Tigurina, *circumdabitur vniuersa terra vt æquore plano*; & Vatabl. *vertitur vniuersa terra tamquam planities*; alij ad verbum, *& circuietur vniuersa terra vt plana*. Hebr. enim יָסוֹב *issob* idem est quod *circuabit*, vel circumdabitur. q. d. Vniuersa terra circa Ierusalem, quæ montosa est, vertetur in planitiem, complanabitur & fiet æqualis, vt à quouis facilè circuiri & circumbulari possit. Solent enim montes vicini vrbes abscondere, auram liberam impedire, & dare latebras hostium insidijs. Promittit ergo Deus se montes hosce complanaturum, ne vrbi prospectum, tam actiuum, quàm passiuum adimant, & vt aëre libero venique perflari possit, nec hostium subiaceat insidijs, ac domos & muros suos eò propagare possint. vrbes enim in planitie sitæ amœnæ sunt, ac eminus conspiciunt & conspiciuntur. Hæc vt sonant, tenuiter facta sunt ab Asiamonæis: vnde per hæc potiùs symbolicè significatur Ierusalem spiritalis, id est, Ecclesiæ Christi amœnitas, æquabilitas, incrementum & propagatio, quodque Deus omnia in ea ardua complanabit, & facilia efficiet per gratiam Christi, adeò vt etiam pueri & puellæ ea superent, non tantùm constanter, sed & hilariter, iuxta illud: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & videbit omnis caro salutare Dei*, Lucæ 3. 5. Vnde rursum significatur Apostolos ituros ad Gentium deserta, ibiq; barbaros ad Christum conuersuros, vti modò fit in Indijs. Addunt aliqui, per fidem Christi factum esse, vt regiones olim desertæ colerentur & habitarentur, vti reipsa factum esse in Germania, Hungaria, Polonia, Dania, Suecia, &c. demonstrat Thomas Bozius in signis Ecclesiæ tom. 2. l. 20. signo 88. Hoc est quod exultans canit Isaias cap. 35. 1. *Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinãs germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron. Ipsi videbũt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.* Vnde S. Hieron. mysticè sic explicat: *Tũc reuertetur omnis terra in qua habitauere Iudæi, vsque ad desertum, id est, vsque ad populum Gentium, qui priùs desertus erat, & legis notitiam non habebat, à Gabaa vsque ad Remmon, hoc est, à colle vsque ad excelsum: quia de terra, & de deserto ad colles, & de collibus ad montana consurgimus. Vnde & sponsus Cant. 2. transilit colles, qui minores sunt, & salit super montes excelsos, de quibus scriptum est: Montes excelsi ceruo.* Verùm Mariana ad literam planiùs & faciliùs hanc versionem sic explicat, *Circumdabitur omnis terra sicut planities*, q d. Illis aquis viuis, quas v. 8. dixi egressuras è Ierusalem, irrigabitur & circumdabitur omnis terra, scilicet vicina Hierosolymæ. Hoc factum esse tempore Machabæorum, patet ex fonte Gihon, Rogel, Cedron & alijs paulò antè nominatis, quibus irrigatur & quasi vtrimque ambitur Ierusalem, tam ad Oriẽtem, quam ad Occidentem, vt patet inspicienti typum & delineationem Hierosolymæ, quam ad viuum exhibet Adrichom & alij. Quocirca frustra contendunt Iudæi hæc numquam esse impleta, sed implenda à suo Messia. Cœperunt enim impleri sub Machabæis corporaliter, vti docent Palacius, Mariana & alij; sed spiritualiter, multoque excellentiùs & diuiniùs impleta sunt per prædicationem Christi & Apostolorum.

DE COLLE REMMON] Hebr. מִגִּבְעַ *miggheba*, quod Septuag. Chald. Rabbini, eosque secuti Tigurin. Pagnin. & alij recentiores, accipiunt vt nomen proprium, vertuntque, *de Gabaa vsque ad Remmon*. Et sic Noster accipi potest, *de colle*, scilicet Gabaa, vsq; ad Remmon. Remmon enim est accusatiui casus: patet ex articulo *lamed* qui ei præfigitur: *lamed* enim Hebræis seruit accusatiuo. Verùm quia subinde *lamed* seruit quoque genitiuo, hinc Secundò, verti potest, *de colle Remmon*, id est, Remmonis. Si per accusatiuũ exponas, sensus erit quẽ paulò antè dedi, nimirum quòd reuertentur Iudæi dispersi vndequaque, scilicet ex colle Gabaa, qui est ad Aquilonem Ierusalem, vsque ad Remmon, qui est ad Austrum eiusdem. Vbi Nota duplicem fuisse Remmon, vnam in tribu Simeonis, de qua Iosue 19. hæc erat Australis Hierosolymæ; vnde de ea hic agitur; alteram in tribu Iudæ, hæc erat Aquilonaris, quam

quam Ioseph.lib.5. Antiq.c.6 vocat Roob, eratque petra prærupta, & in ea vrbs, distans à Ierusalem 15. milliaribus, non longè à Gabaa inter Septemtrionem & Orientem, in qua continuerunt se sexcenti viri in exterminio tribus Beniamin, ex quibus tota tribus reparata est, Iudic. cap.20.&21. ita S.Hieron.Adrichom.&alij.Iam si *Remmon* hoc secundum accipias, idque in genitiuo, sensus erit similis iam dicto: iuxta aliam verò versionem paulò ante allatam sensus erit, q.d. Complanabitur regio vicina Ierusalem à colle Remmon, qui est ad Septemtrionem, *ad Austrum*, intellige *&*, q.d. Et ad regionem quæ est ad Austrum. ita Sanchez. vel vsque ad Austrum, id est, vsque ad locũ Remmoni ex parte Australi oppositum, ita vt spatium intermedium sit æqua, iucunda & amœna planities, patensque campus, per quam protendantur Hierosolymæ partim plateæ, partim suburbia, partim villæ, vineæ & horti. Aut q.d. Incolæ terræ sanctæ à Remmon vsque ad Australem locum ei oppositum, venientin Ierusalem, vt eam ædificent. Aut aquis viuis è Ierusalem egredientibus irrigabitur planities, interiecta inter Remmon & Australem locum ei oppositum.

Mysticè. Mysticè, fideles in Ecclesia dicũt cum sponsa Cant.4.6. *Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris*, putà pœnitentiæ & orationis; indeq; pergunt ad Remmon, id est, malogranatum (vnde & Andreas Masius in Iosue c.19.v.13. censet locum hunc dictum esse Remmon, à malorum granatorum copia & fertilitate) putà ad plenam charitatem, tam Dei, quàm proximi. Sicut enim malogranatum plurima grana complectitur, ijsque quasi coalescit; ita charitas omnes proximos visceribus suis complectitur, sibique astringit & vnit, atque ex omnibus omnium & singulorum amoribus quasi coalescit.

ET EXALTABITVR] Ierusalem, tam domibus & muris quàm fama & gloria: Machabæi enim ædificarunt montem Sion, scilicet cingentes eum altis muris & turribus per circuitum. ita Palacius.

ET HABITABIT IN LOCO SVO] Id est, loco pristino reædificabitur, ait S.Hieron. Verùm Romana & Hebræa legunt, *habitauit*, id est habitabit, *in loco suo*, id est, quietè, securè, lætè habitabit domi suæ, nullos metuens hostes. Septuag. Hebr. רָמָה *rama*, id est, *exaltabitur*, accipiunt vt nomen proprium. Vnde vertunt, *Rama autem in loco permanebit.*

A PORTA BENIAMIN] Erat hæc in Bezetha, siue Cænopoli, id est, noua vrbe. Significat ergo veterem vrbem augendam per nouam, putà adijciendam ei Bezetham, siue Cænopolim. Vbi

Ierusalem erat triplex ciuitas. Nota Ierusalem ita adauctam fuisse, vt veteri ciuitati duæ aliæ partes, quasi nouæ ciuitates sint adiectæ, ita vt esset quasi trina, vel triplex ciuitas, quarum quæque suos habebat muros & portas. Hinc & vocabantur, prima, secunda, tertia ciuitas. Prima erat vetus, in qua erat porta prior. Secunda erat veteri proxima, in qua habitabat Holda Prophetissa, 4.Reg.22.14. Tertia erat extima, & vocabatur Bezetha, siue Cænopolis, in qua erat porta Beniamin. Vide typum Hierosolymæ apud Adrichom.

A TVRRE HANANEEL, quæ erat vltima ciuitatis veteris, indeque cœpit augeri ciuitas, adiecta Cænopoli, VSQVE AD TORCVLARIA REGIS quæ erant in aduersa parte remotissima, pars montis Sion, in quibus vinum regum exprimebatur. Omnia hæc significant Ierusalem vsque augendam, & ornandam ad quatuor partes sui Machabæis, inquit Marsana & Palacius; per quod symbolicè significatur amplificatio, complanatio, & exornatio Ecclesiæ Christi ad quatuor plagas mundi, ac multitudo credentium & Christianorum. Simile symbolum dilatationis Ecclesiæ, sub typo extensionis Ierusalem, habet Ierem.c.31. in fine, & Isaias c.51.2. vt ibi dixi.

ANATHEMA NON ERIT AMPLIVS] Hebr. חֵרֶם *cherem*, id est excisio, id est, res abominanda & exscindenda, putà idolum quod Antiochus collocauit in templo, quod à Daniele cap 11.v.31. vocatur abominatio desolationis. q.d. Amplius idola non polluent templum, nec colentur. ita Theodor. & Palacius. Hoc factum sub Machabæis. Secundò, propriè, anathema Hebr. dicitur *cherem*, id est excisio, succisio, occisio, vt vertit Chald. de quo dixi Rom.9 3. & Leuit. c.27.28. q.d. Amplius non exscindetur, nec vastabitur Ierusalem, scilicet vsque ad longum & immemorabile tempus: nam postea à Tito planè excisa est. Parabolicè, Ecclesia Christi non exscindetur, sicut excisa est Synagoga, sed durabit in æternum, donec à statu militante transferatur in triumphantem. Vnde S.Hieron. *Nullus*, inquit, *erit metus hostilis impetus, nulla formido. Nam habebit Ierusalem securam*, in fide & spe tutelæ & protectionis diuinæ; pari modo securus in ea sedebit fidelis & sanctus quisque, iuxta illud psal.90. 1. *Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.*

Vis exemplum illustre, imò in vno multa, eaque eximia, accipe. Magnus ille S.Sabas, qui tempore Anastasij & Iustiniani Impp. actus Concil. Chalcedonense propugnauit, & merita cumulatus anno ætatis 92. Christi 531. gloriosè migrauit in cælum, cùm furiosè in eum irruens Satanas specie leonis, stetit securus, quia Deo iunctus, aitque: *Si accepisti contra me potestatem, cur reprimis impetum? Ego sum paratus. Decedam meis, & non inuitum me offeram, vt deuorer. sin minùs, cur fremis & exultas inaniter? Ambulabo enim, & conculcabo te leonem munitus Christi virtute.* At fugit Satanas: omnes autem feræ ab illo tempore eidem magis fuerunt mansuetæ & obedientes: adeò vt ipse vnà cum eis versaretur, & nihil omnino læderetur. Agarenus machinans S.Sabæ necem, eo orante: *Hi in curribus Domine, & hi in equis, nos autem in nomine tuo magnificabimur*, illico terra, quasi alter Dathan, absorptus est. Excolit Dei gratia ita virum sanctum imbuit, vt nihil ficeret barbarorum insidias: & non solùm ab eis non vinceretur, sed ne terreretur quidem penitus. Multis ergo ei se in sanctam disciplinam civitatibus, Laura eius facta est chorus Apostolorum, aut angelorum Ecclesia laudantium Dominum. Ipse toto ieiuniorum tempore erat ieiunus, & nihil cibi attingebat, nisi quòd Sabbatis & Dominicis diuina sumebat Sacramenta. Tentatus à dæmone psallebat: hinc cor eius tranquillitate & hilaritate implebatur. dæmon se ab eo victum exclamauit. Magna in Deum fiducia abeo per miraculum aquam, pecuniam, & quidquid voluit, obtinuit. Ingressus speluncã ingentis leonis,

nem è post preces sopori dedisset, ad eum media nocte fera accessit, & cùm eum veste apprehendisset foras trahebat. Ille excitatus & leonis conspecta minimè conturbatus, nocturnos hymnos pedetim est aggressus. Leo foras egressus, exspectabat quoad preces finiret: quibus finitis leo regressus veste eum tentat extrahere; cui ille intrepidus: *O leo, inquit, hac quidem spelunca ambobus, si mihi fieret ad habitandum. Sin hoc tibi non videtur, mihi potius spelunca cede: ego enim Dei manu sum formatus, & eius sum honoratus imagine.* His auditis leo abijt. S. Sabæ cedens spelunca & cubili. Quin & latrones occurrentibus leonibus: *Per preces, inquiunt, Sabæ monachi, viâ nobis cedite:* & statim leonem quâ grauì plaga, nomine Sabæ percussi, in fugam se coniecerunt: quo viso latrones conuersationem mutarunt. Leo, cui erat pes paxillo trãsfixus, accessit ad S. Sabam, pedem porrigens, & opem poscens. Eximit paxillum vir sanctus, quare gratus leo ei deinceps quasi famulus adhæsit, & in omnibus quoad potuit inseruiuit, custodiés eius, qui monasterio aquã & necessaria comportabat. Qui feras non formidabat, reges non timuit. Anastasium hæreticum Imp. liberè redarguit. Iubente Imperatore eius faciem lumine coruscam insuitus, quasi angelum Dei excepit, ab eoque benedictionem petijt. Iustinianus Imperatore reuentus, mira eius rogatu effecit. Statuerat ei ad colloquium horam tertiam: illa vt soluit, Sabas relicto Imperatore, ad solitam psalmodiam se recepit. Vrgente discipulo vt Imperatori occurreret: *Imperator, inquit, facit quod ei conuenit: & nos facimus id quod debemus.* Hæc Cyrillus in Vita S. Sabæ.

12. Et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ pugnauerunt aduersus Ierusalem; tabescet caro vnius cuiusq; stantis super pedes suos, & oculi eius contabescent in foraminibus suis, & lingua eorum contabescet in ore suo.

13. In die illa erit tumultus Domini magnus in eis: & apprehendet vir manum proximi sui, & conseretur manus eius super manum proximi sui.

14. Sed & Iudas pugnabit aduersus Ierusalem: & congregabuntur diuitiæ omnium Gentium in circuitu, aurum, & argentum: & vestes multæ satis.

15. Et sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorum quæ fuerint in castris illis, sicut ruina hæc.

TABESCET (Hebr. מָסַק *hamec*, id est liquescet, fundetur coram igne liquescit & dissoluitur. ita Pagnin & Vatabl *tabescet*, inquam) CARO VNIVSCVIVSQVE STANTIS SVPER PEDES SVOS] id est, viuens & vigentis. q d. Tabescent hostes Hierosolymæ, non febri, non morbo, sed plaga diuina, in ipsis stans, viuens & vigens marcescat & contabescat. Id contigit Antiocho, quem Deus tumentem & furentem subitò, *percussit insanabili & inuisibili plaga: vt enim finiuit hunc ipsum sermonem* (de vastanda omnino Ierusalem) *apprehendit* Cornel. in Proph. Min.

A *eum dolor diras viscerum, & amara internorum tormenta*, &c. 2. Machab. 9. 5. Simili modo Antiochi duces & milites validi cum Iuda & Machabæis decertantes, percussi à Deo & perculsi cadebant animis & viribus, quasi tabescentes. Ita de Lysia dicitur 1. Machab. 4. 27. *Quibus ille auditis consternatus animo, deficiebat.* Et Iudas Deum orat v. 32. dicens: *Da illis formidinem, & tabefac audaciam virtutis eorum, & commoueantur contritione sua.* Similiter l. 2. c. 10. 30. narratur: angeli stipãtes Iudam, *eum incolumem conseruabant, in aduersarios autem tela & fulmina iaciebant: ex quo & cæcitate confusi, & repleti perturbatione cadebant.* Et c. 12. 22. loquens de prælio Iudæ cum Timotheo: *Cúmque cohors, inquit, Iudæ primò apparuisset, timor hostibus incussus est ex præsentia Dei, qui vniuersa conspicit, & in fugam versi sunt alius ab alio, ita vt magis à*
B *suis deijcerentur, & gladiorum suorum ictibus debilitarentur.*

Parabolicè, hoc verius fuit in persecutoribus Ecclesiæ. *Legamus*, ait S. Hieron. *Ecclesiasticas historias, quid Valerianus, quid Decius, quid Diocletianus, quid Maximianus, quid sæuissimus omnium Maximinus, & nuper Iulianus passi sunt; & tunc rebus probabimus, etiam iuxta literam prophetiæ veritatem esse completam, quòd computruerint carnes eorum, & oculi conitabuerint, & lingua in pœdorem & saniem dissoluta sit.* *Tyranni & hæresiarchæ caelitus percussi.*

Sic Nestorij blasphema lingua, quam exeruerat contra Ecclesiã & B. Virginem, docens eam non esse Deiparam, sed Christiparam, à vermibus erosa extabuit. Sic Arrius cælesti plaga percussus, dum pergit ad inuadendam Ecclesiam Christianorum Constantinopoli, correptus in-
C genti dolore viscerum, secedens in latrinas intestina emisit, animamque infelicem efflauit, vti refert S. Ambros. l. 1 de Fide c. 9. & Socrat. l. 1. Histor. c. 25. Sic Caluinus instar Herodis fœtore & vermibus consumptus, toti orbi vindictæ diuinæ exemplum & portentũ fuit, vti refert Bolsecus in eius Vita. Hoc est quod ait Isaias c. 49. 26. *Cibabo hostes tuos carnibus suis, & quasi musto sanguine suo inebriabuntur.* Vide ibi dicta.

Anagog. ita dissoluet & tabescere faciet Deus Antichristum, Gog, Magog, omnesque impios in fine mundi per plagas horrendas, quas eis immittet, *arescẽtibus hominibus præ timore, & exspectatione* (eorum) *quæ superuenient vniuerso orbi*, vt ait Christus Lucæ 21. 26. Hæ enim plagæ & terrores propriè & directè immittentur in impios, indirectè tamen & comitanter afficient etiam pios,
D sed in ipsorum bonum. Nã hoc erit eis vel purgatorium pœnitentiæ, vel martyrium patientiæ, ad illustrandam eorum virtutem, & augendam coronam. ita Lyran.

Tropol. Tabescit caro, oculi & lingua in nobis, quando per gratiam Christi mortificamus concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & superbiam vitæ, quæ maximè se ostendit in iactantia linguæ. Hi enim sunt tres hostes, & tentatores nostri in mundo, vt docet S. Iohan. epist. 1. c. 2. 16. ita Stunica.

ERIT TVMVLTVS DOMINI, putà à Domino excitatus, ideoque MAGNVS IN EIS] scilicet hostibus Machabæorum, æquè ac fidelium & Christianorũ. Pro *tumultus* hebr. est מְהוּמָה *mehuma*, quod Chald. vertit, *erit conturbatio stragis coram Domino*. q. d. Conturbabuntur hostes ob stragem VERS. 13.

acceptam à Domino. Septuag. *erit ſtupor Domini magnus ſuper eos.* q d. Deus percellet eos & in ſtuporem adiget, facietque ſtupidos, vt ſe mouere & conſligere nequeãt. Pagnin. & Vatabl. *erit contritio Domini magna in eis.* q d. Deus validè & vehementer conteret eos. Alij, *erit ſtrepitus*, vel *fragor Domini magnus in eis*, putà tonitru, vti olim accidit Philiſthæis inuadentibus Iudæos, iuxta illud quod Anna de filio ſuo Samuele prophetauit, dicens: *Dominum formidabunt aduerſarij eius, & ſuper ipſos in cælo tonabit*, 1. Reg. 2. 10. *Cùm enim Samuel offerret holocauſtum, Philiſthijm iniere prælium contra Iſrael: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthijm, & exterruit eos, & cæſi ſunt à facie Iſrael*, 1. Reg. 7. 10. Idẽ fecit militibus Antiochi pugnãs pro Iuda: nam fulmina in eos iaculatus eſt, vt dicitur 2. Machab. 10. 30. tonitrua enim comitari, imò cauſare ſolẽt fulmina.

A

B

ET CONSERETVR MANVS] Hebr. *& aſcendet manus eius ſuper manum proximi ſui.* quod Remig. & Hugo ſic explicãt, q. d. Infideles videntes ſtupenda prodigia Apoſtolorum, conſerẽt manus, eoq; ſigno fœdus inibunt, vt pariter ſe dedãt Chriſto & Apoſtolis. Secundò, Vatabl. vertit, *aſcendet*, ſcilicet in auras, id eſt euaneſcet, *manus eius in manu proximi*, q. d. Si quis rogarit opem à ſocio ſuo vt oppugnet Ieruſalẽ, fruſtra id faciet: quia nec vires humanæ, nec conſilia humana quidquã valebunt aduersùs vires & cõſilia Dei. Tertiò, Chald. vertit, *& euelletur manus eius cum manu proximi ſui*; & Pagnin. *ſuccidetur manus eius ſuper manum amici ſui.* q d. Implorabunt opem ſociorum, ſed cũ ijs ſuccidentur. Quartò & veroſimiliùs, Theod. & Lyran. exponunt, q. d. Tantus erit hoſtiũ tumultus, vt in ſe inuicem verſi manus conſerant, mutuiſque ſe concidant vulneribus. Quintò & ſimpliciſſimè, q. d. Tanta erit tumultuantium trepidatio, tãtus pauor, vt metu exanimes manus apprehendant, eaſque conſerant & conglobent, vt hac vnione conglobati pauori quoquo modo reſiſtere valeãt. Sic enim videmus oues, boues, porcos, omniaque animalia in pauore, v. g. veniente lupo, natura inſtigante conglobare & condenſare ſe, quaſi à ſeſe mutuò opem petant, vt vno coque communi agmine conferti communi hoſti reſiſtant, ſeſeque tueantur. Ea eſt vis pauoris, ea ex aduerſo ſocietatis, iuxta illud Eccleſ. 4. 9. *Melius eſt ergo duos eſſe ſimul, quàm vnum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ*, &c. *Et ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtent ei. Funiculus triplex difficilè rumpitur.*

C

VERS. 14. SED ET IVDAS] q. d. Multi Iudæi partim metu, partim ex improbitate, ſpe opum & honorum iungent ſe Antiocho, & pugnabunt contra Ieruſalem & Machabæos, vti dixi c. 12. 2. Simili modo tempore Chriſti Iudæi oppugnabunt Ieruſalem, id eſt, Eccleſiam naſcentem in Ieruſalem. Myſticè, Iudæ, id eſt, confitentes & fideles pugnant contra Ieruſalem, id eſt Eccleſiã, qui fidem Chriſtianam quam profeſſi ſunt, abdicant & eiurant, fiuntque hæretici, apoſtatæ, Saraceni, Pagani: hi enim ſolent eſſe infenſiſſimi fidei ſemel agnitæ & Eccleſiæ hoſtes. ita Remig. & Lyran. Id videmus in Renegatis, qui ſunt robur Turcæ contra Chriſtianos.

D

ET CONGREGABVNTVR DIVITIÆ] Sic ad literam ſpolijs Nicanoris, aliorumque Antiochi ducum & copiarum, ditauit ſe ſuoſq; Iudas Macha-

bæus, 2. Machab. 8. 27. ita Theodor. Palæſtin. & Mariana: ſub quorum typo intelligit ſpolia, quæ ex Gentibus in Eccleſiam intulerunt Apoſtoli. Nam vt ait Iſaias c. 60. 16. Gentes conuerſæ ad Chriſtum omnes ſuas opes in Eccleſiam contulerunt. Vnde gratulatur Eccleſiæ dicens: *Sugis lac Gentium, & mamilla regum lactaberis*, &c. *Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum*, &c. quibus rurſum typicè intelligit ſapientiam, philoſophiam, eloquentiam, matheſim, aliaſq; ſcientias & artes, tum liberales, tum mechanicas, quibus Gentiles conuerſi ornarunt Eccleſiam. Sanctè congruè Lyran. hæc accipit de ſpolijs gentium, quæ Antichriſtus inferet in Ieruſalem, vbi ſuum thronum figet: ipſe enim erit hoſtis & tyrannus Ieruſalem, non rex & tutor.

Myſticè, Remig. Albert. Vatabl. & Arias, per aurum accipiunt charitatem, per argentum ſapientiã diuinã, per veſtes cæteras gratias & virtutes Chriſtianas, quas à Deo acceperunt Gentes conuerſæ ad Chriſtum. Verùm eas non intulerunt in Eccleſiam, ſed in Eccleſia illas acceperunt, ijs tamen eam exornarunt.

ET SIC ERIT RVINA EQVI, ET MVLI, &c. SICVT RVINA HÆC] q. d. Sicut dixi v. 12. cædendos & ruituros homines, genteſque quæ cum Antiocho pugnabunt contra Ieruſalem, & typicè contra Eccleſiam; ita dico pariter cædendos & ruituros eorum equos, mulos, camelos, &c. quibus contra Ieruſalem pugnabunt, ijs vel dimicando, vel laccinas conuehendo.

Symbolicè, hæc omnia per catachreſim ſignificant, opes & bellica inſtrumenta hoſtium Eccleſiæ, ſcilicet nobilitatem, aſtutiã, ingenium, ſapientiam, potentiam, eloquentiam, &c. ceſſura victrici eorum Eccleſiæ.

Myſticè cum S. Hieron. & Remig. per equos accipe luxuriioſos, vel arrogantes; per mulos dolioſos, aut potiùs cerebroſos & phantaſticos; per camelos, diuitijs & vitijs onuſtos; per aſinos, acedos, ſtolidos & ſtultos. Horum enim luxuria, arrogantia, dolus, auaritia, acedia, &c. corruent, cùm in baptiſmo vel pœnitentia induerunt caſtitatem, humilitatem, candorem, charitatem & feruorem Chriſti.

16. Et omnes qui reliqui fuerint de vniuerſis Gentibus, quæ venerunt contra Ieruſalem, aſcendent ab anno in annum, vt adorent Regem, Dominum exercituum, & celebrent feſtiuitatem tabernaculorum.

17. Et erit: qui non aſcenderit de familijs terræ ad Ieruſalem, vt adoret Regem, Dominum exercituum, non erit ſuper eos imber.

18. Quòd & ſi familia Ægypti non aſcenderit, & non venerit: nec ſuper eos erit, ſed erit ruina, qua percutiet Dominus omnes Gentes, quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtiuitatem tabernaculorum.

19. Hoc erit peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium Gentium, quæ non aſcenderint ad celebrandam feſtiuitatem tabernaculorum.

20. In

20. In die illa erit quod super frænum equi est, sanctum Domino: & erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coram altari.

21. Et erit omnis lebes in Ierusalem, & in Iuda sanctificatus Domino exercituum: & venient omnes immolantes, & sument ex eis, & coquent in eis: & non erit mercator vltrà in domo Domini exercituum in die illo.

ET OMNES QVI RELIQVI FVERINT] scilicet è finitimis gentibus. Ad literam alludit ad Gentes, quæ potentes & tam illustres Machabæorum victorias, partim iudaismum susceperūt, partim eis fœderatæ quotannis confluebant Ierusalem ad eorum festa, ibique Deum eorum adorabāt. ita Theod. Pelarg. & Mariana. Sic enim Idumæos armis A Hircan. qui filius fuit Simonis fratris Iudæ Machabæi subactos, susceptisse circumcisionē & iudaismum docet Ioseph. l. 13 Antiq. c. 17. Verùm quia paucæ gentes id fecerūt, hinc typicè & potiùs ibi intelligit omnes quæ conuersæ sunt ad Christum, q. d. Cæteris in infidelitate suâ perseuerantibus, reliqui Gentiū conuersi ad fidem Christi singulis annis venient in Ecclesiam, ibique celebrabunt festa Christiana, non Iudaica. ita Stunica Sanchez & alij: ac mysticè semper celebrabunt festum tabernaculorum; quia viuent peregrini in hoc mundo, tendentes iugiter ad patriā cælestem, in qua mentem defigent, vt ibi perpetuum festum tabernaculorum in gloria agant. B Nominat præ cæteris festum tabernaculorū, tum quia illud diutiùs cæteris, putà per septem dies, celebrabatur: tum quia alludit ad tabernacula Hebræorum in deserto, in quibus cælesti columna ignis per noctem, & nubis per diem obumbrantis protegebantur à tenebris nocturnis, æquè ac ab æstu diurno. Simili enim modo fideles in Ecclesia obumbratione Spiritus S. proteguntur contra tentatione & ærumnas: tum denique vt intrauerint Christiani, se hîc non habere ciuitatem & domum permanētem, sed habitare in tabernaculis quasi milites & peregrinos, ac tendere ad domum æternā in cælis. Vide dicta Leuit. 23. 42. & S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran. Vatab. Iudæi & alij passim. Mysticè Euseb. lib. 8. Demonstr. c. 4. per tabernacula intelligit particulares Ecclesias, in quibus quasi in tabernaculis secum habent omni procella & incursu hostili, degunt fideles tendentes in cælum.

Obiicit Iudæi festum tabernaculorū propriè D esse accipiendum, ac proinde hæc exspectanda esse à Messia venturo. Cur enim illud accipiamus spiritualiter & mysticè? Resp. partim propriè illud accipi, sicq; impletum esse in Machabæis, & potiùs spiritualiter, sicq; plenius impletum in Christianis. Porrò cur Propheta festa Christianorū nuncupet nomine festi Iudaici tabernaculorum, causæ sunt variæ. Prima, quia loquebatur Iudæis, qui nonnisi festa Iudaica norant. Secunda, vt ostenderet festa Iudaica esse typos & figuras festorum Christianorum, hæcque illorum esse umbras, sicut corpus respondet vmbræ. Magna enim fidem Ecclesiæ facit consensio & correspondentia noui testamenti cum veteri, quod q; omnia eius Sacramēta & dona adumbrata fuerint per vetera & Iudaica. Tertia, quia Christiani longè magis & veriùs agūt festum tabernaculorū, non semel in anno, vti Iudæi, sed continuū & perenne. Hoc est quod eos monet S. Petrus epist. 1. c. 2. 11. dicens: *Charissimi obsecro vos tamquā aduenas & peregrinos abstinere, vos à carnalibus desiderijs.* Et S. Paulus sæpè docet, nos instar Abrahæ esse peregrinos terræ, sed ciues cæli & sanctorū, ac domesticos Dei. *Fides*, inquit Hebr. 11. v. 1. & 9. *est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Abraham fide demoratus est in terra repromissionis tamquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac & Iacob, coheredibus repromissionis eiusdem. Exspectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus.* Vide ibi dicta. Quarta, quia Prophetæ propheticè loquuntur, id est parabolicè, symbolicè, ænigmaticè, tum ob rerum futurarum absentiam, quas per vmbras & figuras videbant; tum ob eorum obscuritatem; tum ad prophetiæ elegantiam. Sic totum hoc caput, æquè ac totus penè Zacharias, & Ezechiel multis in locis, ac S. Iohannes in Apocalypsi symbolici sunt & parabolici. Simili modo Ægyptij sua mysteria repræsentabant per hieroglyphica: Iudæi autem erant vicini Ægyptijs, & primitus degentes in Ægypto illa ipsa viderant: vnde & subinde ea imitati sunt, quibus proinde Prophetæ simili modo prophetant, ne Ægyptijs inferiores esse videantur, præsertim cùm Ægyptij sua symbola & literas, suamq; sapientiam ab Hebræis, putà ab Abrahamo, Iacobo, Iosepho, Mose, &c. hauserint, vti docent C Euseb. lib. 10. Præpar. 1. Clemens Alexand. lib. 1. Strom. & S. Augustin. 18. Ciuit. c. 39. Quinta, quia res spirituales & bona spiritualia, quæ in nouo testamento attulit Christus, commodè hominibus, & præsertim rudibus Iudæis explicari non poterant, nisi per symbola corporalia quibus assueuerant.

Tropol. & anagog. S. Hieron. *Quamdiu*, inquit, *in profectu sumus, & in cursu atque certamine, habitamus in tabernaculis; hoc omni mente nitentes, vt de tabernaculis ad firmam & stabilem sedem transeamus, id est domum Dei.* Vnde & S. Dauid dicit in Psalmo: *Hei mihi quia incolatus meus prolōgatus est.* Et: *Aduena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei. Hoc loquitur qui in Aegypto est, & adhuc in saeculo constitutus. Qui autem egreditur de Aegypto* (quæ hebr. dicitur מִצְרַיִם *mitsraim*, *& interpretatur tribulatio*) *& ingreditur vitiorum solitudinem, carpit iter suum, & dicit in Psalmo: Pertransibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, &c. Vnde & ille loquitur: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Et post paululum: Beati qui habitant in domo tua Domine, in saecula saeculorum laudabunt te. Vox enim exultationis & salutis in tabernaculis iustorum, &c. Vnum petiui à Domino, hoc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, vt videam delectationem Domini, & visitem templum eius. Qui in istiusmodi habitat tabernaculis, & de tabernaculis ad atria, & de atrijs ad domum, & de domo ad templum Domini ire festinat, debet celebrare solemnia tabernaculorum in ligno sapientiae pulcherrimo*, Leuit. 23. 40. *Mysticè peregrini quit*

ET ERIT, QVI NON ASCENDERIT DE FAMILIIS TERRÆ] scilicet Iudææ: de ea enim hîc agitur, illaq; sola obligabatur lege veteri, & consequēter VERS. 17.

ad celebrādum festum tabernaculorum. ita Vatabl.q.d.Iudæi qui non ascenderint in Ierusalem ad festum tabernaculorum, priuabuntur imbre, tū corporali (Deus enim Iudæos ob impietatem tempore Achab & Eliæ, ac deinceps sæpè puniuit siccitate & sterilitate) tum potiùs spirituali verbi, doctrinæ & gratiæ Dei: multò magis hoc imbre priuabuntur Iudæi & Gentes quæcumque non ascenderint in Ierusalem mysticam, id est Ecclesiā, ibique non celebrarint festum tabernaculorum mysticum, quod iam explicaui. ita S. Hieron. Remig. Lyran. & alij.

Rectè notat Sanchez. per imbrem significari maxima beneficia. Vnde Theodor. sic explicat: *Non erit super eos imber, id est nullam misericordiam assequētur.* Tota enim fertilitas & felicitas Iudææ pendebat ab imbre matutino & serotino, putà sementis & messis: vnde eum toties promittunt Prophetę, ciusque subtractionem impijs comminantur. Alludit ergo Zacharias ad illud Mosis Deut.11.10. *Terra enim ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Aegypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ; sed montosa est & campestris, de cælo exspectans pluuiam, quam Dominus Deus tuus semper inuisit. Et oculi illius in ea sunt à principio anni vsque ad finem eius. Si ergo obedieris, &c. dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam & serotinam, vt colligatis frumentum, & vinum, & oleum.*

VERS.18. QVOD ET SI FAMILIA ÆGYPTI NON ASCENDERIT] Meminit Ægypti potiùs quàm aliarū regionum & gentium, Primò, quia directè respicit ad Iudæos, qui sub Ionatha fratre Iudæ Machabęi, ex consensu Ptolemæi Philometoris regis Ægypti, ibidem templum simile Hierosolymitano ædificarunt Heliopoli, in eoq; pontificem constituerunt Oniā filium Oniæ pontificis, à quo vrbs & regio, æquè ac templum Onion est appellatū.

Onion Heliopolis.

Fons Iesu. In eodem loco puer Iesus, fugiēs Herodem exulauit: vnde etiānum ibidem ostenditur fons Iesu, irtigans hortum balsami, ex cuius irrigatione balsamum oriri censet Bredembachius, vti refert Adrichom. in Heliopoli: stetit hoc templum vsque ad imperium Vespasiani per annos 350. Erectum fuit cōtra legem Dei, quæ iubet vt solùm in loco à Deo electo, putà in Hierosolymitano templo immoletur, Deut.16.2. Peccauerunt ergo Iudæi in Ægypto erigētes quasi altare contra altare, & facientes schisma à Ierusalem & templo ibidem iussu Dei ædificato, de quo Ioseph.l.13.Antiq.6. Sensus ergo est, q.d. Si Iudæi qui in Ægypto degunt, suum Onion adire velint, nec ascendere in Ierusalem, priuabuntur pariter imbre iam dicto. Secundò, quia Ægyptij vicini erāt Iudæis, ijsque infensi. vnde per synecdochē repræsentāt quosuis Gentiles & hostes Iudæorum. q.d. Si Gentiles alieniſſimi à Ierusalem, quales in primis fuerunt Ægyptij, nolint in eam mysticè ascendere, putà si nolint adire Ecclesiam, fieriq; Christiani, non erit super eos imber gratię cælestis. ita S. Hieron. Theod. Remig. Lyran. & Vatab. Tertiò, quia Ægyptus caret imbre & pluuia cælesti: pro ea enim habet terrestrem, putà Nilum, cuius exundatione irrigatur & fœcundatur, magis vel minùs secundùm maiorem vel minorem eius eluuiem. Vnde Plinius l.5.c.9. *Aegyptus*, ait, *in duodecim cubitis* (quibus Nilus exundans super agros ascendit & eminet) *famem sentit, in tredecim etiamnum esurit; quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sedecim delicias.* Quocirca cum his Ægyptijs comminatur, dicitque: *Non erit super eos imber*, per imbrem intellige irrigationem Nili: hæc enim Ægypto est loco imbris; alioquin ea nulla est pœna carentia imbris, si adsit Nilus exundatio. Vnde Chald. vertit, *non crescet eis Nilus*. ita Mariana. Sensus est. q.d. Gentiles, qui sibi videntur abundare imbre sapientiæ, vti Ægyptus abundat aqua Nili, eo destituentur, nisi ad eant Ecclesiam, in eaque illum cælitus hauriant. Punientur ariditate & sterilitate, non tam temporali, quàm spiritali gratiæ & doctrinæ salutiferæ.

Ægyptus pro imbre habet Nilū exundationem.

Quartò, quia Ægyptus hebr. vocatur מצרים *mitsraim*, quæ vox significat angustias, aut duas angustias, siue angustum & arctū quid inter duas prementia: vnde apte repræsentat angustias mundi delium præsentes & æternas, quæ eos manent, nisi Ecclesiam adeant, eiusque imbre diuino irrigentur. Quocirca subdit: *Sed erit ruina, qua percutiet Deus omnes gentes*, &c. Ruina hæc partim temporalis est, v.g. qua Constantinus, Theodosius, Carolus, alijque principes Christiani percusserunt & prostrauerunt infideles in prælijs; partim æterna, qua eos Deus percutiet in gehenna.

HOC ERIT PECCATVM ÆGYPTI] *Peccatū*, id est, peccati pœna & plaga, putà ruina iā dicta. Vide Chald. *hæc erit vltio Aegyptiorum, & punitio populorum.* est metonymia. Secundò, proprię & d. Hoc erit antonomasticè peccatum, scilicet peccatum peccatorum omnium maximum, si nolint Gentes exire è suo gentilismo & ingredi Ierusalem, id est Ecclesiam Christi, in qua celebrare festum spirituale tabernaculorum, fide, spe & charitate tendendo ad patriam cœlestem. ita S. Hieron. Theodor. Remig. & Hugo.

IN DIE ILLA ERIT QVOD SVPER FRAENVM EQVI EST, SANCTVM DOMINO] Hebr. est מצלות *metsillot*, quod Septuag. Syrus, Arabicus Antiochenus, & Noster vertunt, *frænum*. Causam dat Marinus in Lexico: Crederem, ait, *metsillot* esse potem illam fræni ferream quæ prominet extra os equi (quæ vulgo dicitur *morso del cauallo*) sic dicta à collisione & tinnitu, putà à nomine צלל *tsel*, quod per onomatopœiam significat cymbalum (vel quid simile) tinniens. Hinc Secundò R. Dauid & Pagnin. vertunt *tintinnabulum*, quod muliones ex capite vel collo mulorum & equorum onerariorum, præsertim principum suspendunt, tum ad ornatum, tum vt ex eius sonitu scitur vbi sint, ne, si à via aberrent, perdantur. Vatab. Pagnin. vertit, *in illa die erit super tintinnabula equorū sanctitas Domino*. q.d. Tintinnabula equorum insculpentur hæ duæ voces, *sanctitas Domino*, vt significetur ea esse consecrata Deo. Tertiò, Chald. & S. Hieron. in Comment. vertunt *phaleras*, quæ tegunt, ornant & obumbrat equum. Addix enim צלל *tsalal* significat tegere, obumbrare: vnde צל *tsel* est vmbra. Quocirca Chald. vertit, *in tempore illo erunt onus phaleræ equi sanctificata Domino*; & Tigurin. *in die illo consecrabitur Domino quod est in equorum phaleris*; Quartò, Caietan. vertit, *collaria*; alij *stragula & quæuis equorum ornamenta*; denique Arabicus Alexand. vertit, *patridum*, vel *tabem equi*.

Sensus est, q.d. Machabæi victores, equi ac pedi-

principes Christiani, in tẽplo consecrabunt Deo hostium manubias, præsertim phaleras & ornamenta, quæ equis eorum detraxerunt: sicut Dauid gladium, quem detraxit Goliath, quoq; eum ornate, consecrauit Deo in templo, 1. Reg. 13. Iterum q.d. Post Ecclesiæ victoriã & dominatum ita erit vbique pax, adeò vt aurum, argentum & gemmæ quibus ornari solent frena principum & nobilium stragula ac phaleræ pretiosę, consecrentur in Dei cultum, Deoque dedicentur, vel quasi trophæa in gratiarum actionem, vt vult Theodor. vel ad testandum pietatis & deuotionis affectum. ita S. Hieron. Cyril. Vatab. Arias, Iubert & alij. Huc accedit expositio Stunicæ, qui censet alludi hîc ad laminã quæ erat in tiara pontificis appensa fronti, cui inscriptum erat, *Sanctus Domino*. q.d. Hic est pontifex sanctificatus, & consecratus Domino. Indicat ergo Zacharias, Machabæos militesq; victores suis præsignificaturos sanctitatẽ Domini, quasi titulum & cussam, æquè ac symbolum belli, in quo omnem victoriæ spem collocẽt. q.d. Nos pugnamus pro lege sancta Dei; vnde eius symbolum in vexillis & armis præferimus, ideoque victores nos fore confidimus. Ita feciſſe Iudam Machabæum certissimum est ex libris Machabæorum.

Hoc faciunt iã principes Christiani contra hæreticos & infideles in Gallia, Germania, Boëmia, Walachia, India, &c. decertantes, & idcirco de illis triumphant, & victorijs penè miraculosis potiuntur. Idem per vmbram viderunt & fecerunt Gentiles. Alexandro enim digna vox est apud Dionem orat. 2. de regno: *Exuuijs*, inquit, *& hostium armis templa excolenda sunt; quum & Hector hostium spolia ad sagittiferi Apollinis ædem se appensurum voubat.* Plures eorum gnomas & exempla citat Num. 31. 50. vbi Israelitæ manubias Madianitarum Deo, quasi victoriæ datori consecrarunt; & Gen. 14. 20. vbi Abraham parta victoria de quatuor regibus, spoliorum decimas Melchisedecho, quasi Dei vicario & pontifici obtulit.

Porrò meminit frænorum potiùs, quàm aliarum rerum, quia egit de hostibus Ierusalem & Iudææ, quos deuictos asserit suos frænos & phaleras, id est sua decora, delicias & opes vel potius, vel coactè, putà per victores, oblaturos Ecclesiæ. Milites enim, putà equites, omnes suas opes olim ponebant, & etiamnum ponunt in adornandis armis & equis. Vnde Iuuenal. satyra 11.

Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.

Et mox:

Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Vt phaleris gauderet equus.

Hæc frena faciebant aurea. Talia erant Pallantis Æneid 8.

Frænaq; bina meus quæ nunc habet aurea Pallas.

Talia quoque erant equorum quos Latinus misit ad Æneam, Æneid. 7.

Dulce aurum, fuluum mandunt sub dentibus aurum.

Quin & angeli stipantes Iudam Machabæum apparuerunt in equis, aureis frænis decori. lib. 2. Machab. c. 10. 29. Hinc illud S. Bernardi taxantis hominum non militum, sed Prælatorum: *Dicite Pontifices, in frenis quid facit aurum?* Hæc & plura notat Sanchez. Sic Elisæus vocatus ab Elia ad vitam propheticam, id est sanctam & Religiosam, aratra sua instrumenta, scilicet aratrum & boues in sacrificium Deo obtulit. 3. Reg. 19. 21.

A Hinc Secundò, multi putãt hîc denotari Constantinum Magnum, qui clauum quo crucifixus est Christus, fræno equi sui imposuit, vt ostenderet suam in Christum pietatem, vtq; profiteretur se Christi crucifixi ope & virtute obtinuisse, & sperare deinceps obtenturum victorias contra infideles eius hostes. Tempore enim Constãtini Ecclesia triumphauit de hostibus, eamq; gloriam obtinuit quam hîc describit Zacharias. q.d. Super frænum equi Constantini erit sanctum Domino, id est, clauus sanctificatus Domino ex cõtactu sanctissimi corporis Christi. Quidni enim sanctus sit clauus, qui passionis Christi & redemptionis nostræ præcipuum fuit instrumentum? Ridet hoc S. Hieron. at non S. Cyril. *Non incredibile*, ait, *hoc dixerit quis, neque alienum à decoro est, meminisse Deum & prophetica prædictione honorasse Imperatorem valdè pium*, &c. *Equos enim regum clauo crucis Christi ornari quid aliud declarat, quã summam Imperatorum pietatem?* Magis asseueranter S. Ambros. orat. de obitu Theodosij Imp. *Quæsiuit*, inquit, S. Helena *clauos quibus crucifixus est Dominus, & inuenit. De vno clauo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit. vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit. Misit itaque filio Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosior ferro innexas crucis redemptionis diuinæ gemma connecteret: misit & frænum. vtroque vsus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros reges. Principium itaq; credentium Imperatorum sanctum est quod super frænum: ex illo fides, vt persecutio cessaret, deuotio succederet.* Et paulò pòst: *Rectè in capite clauus, vt vbi sensus est, ibi præsidium: in vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, vt fides luceat: habena quoq; de cruce, vt potestas regat, sitq; iusta moderatio, non iniusta præceptio.* Ac post multa eiusdem argumenti: *Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, vt frena dirigeret, nisi vt omnibus Imperatoribus sancto Spiritu dicere videretur: Nolite fieri sicut equus & mulus; sed in fræno & chamo maxillas eorũ constringeret, qui se non agnoscerent reges, vt regerent sibi subditos?* Additque illum hoc fræno refrænasse insolentiam tyrãnorum, Licinij, Maximi, &c. Idem habet Theodor. l. 1. Histor. c. 18. *Helena*, inquit, *clauorum partem in Imperatoris galeam artificiosè includendam curauit, quo capiti filij consuleret, & hostium tela depellerẽtur: partem fræno equi illius admiscuit, quo tum Imperatorem tutum ac securum redderet, tum veterem prophetiam explere posset. Nam olim prædixerat Zacharias Propheta: Quod est in fræno equi, erit sanctum Domino omnipotenti.* Eadem habet Sozomenus l. 2. histor. c. 1. Niceph. l. 8. c. 29. & alij.

Constãtin clauo Christi frænos ornauit.

Clauorum Christi distributio.

Porrò Greg. Turon. de Gloria Martyrum c. 6. constanter affirmãs clauos quibus Christus crucifixus est, fuisse quatuor, scilicet singulos in singulis pedibus, æquè ac manibus, ita eos distributos à S. Helena enarrat: *Speciosi autem, omniq; metallo nobiliores Dominicæ crucis claui, qui beata membra tenuerunt, ab Helena regina post ipsius S. crucis inuentionem reperti sunt: & de duobus quidem frænum Imperatoris muniuit, quo faciliùs, si aduersæ gẽtes restitissent principi, hac virtute fugarẽtur, de quibus non est ignotum Zachariam vaticinasse Prophetam*, &c. Subdit tertiũ à S. Helena in mare Hadriaticum tempestuosum, & naufragijs infame fuisse proiectum, quo facto, mare deinceps nauigantibus fuisse placidum & tranquillum: quartum verò in galea statuæ Constãtini fuisse positum. Idem habet

bet Zonaras l. 3. Annalium, licèt S. Ambros. & Baron. anno Christi 326. asserant eum positum, non in galea statuæ, sed in corona ipsa, quam in capite gestare solebat Constantinus. Subdit Greg. miraculum claui in fræno, quod suo æuo, putà tempore Iustini Imperatoris, contigit: *Magnam*, inquit, *ferunt virtutem esse huius fræni, quod ambigi nequaquam potest: quod Iustinus Imp. publicè expertus est, ac suis omnibus patefecit. Illusus enim à quodam magò propter pecuniam, emissas sibi à dæmonis vmbra intolerabiles per duarum curricula noctium sustinuit insidias; sed cùm tertia nocte frænum capiti collocasset, locum insidiandi inimicus vltrà nõ habuit, repertumq́, auctorem insidiarum gladio perculit.*

Miracula.

Deniq; per frænum significatur ipse Constantinus Imp. qui se suumq́; imperium cum fræno submisit, & sanctificauit, id est cõsecrauit, Christo. vnde Arabicus Antioch. vertit, *in die illa erit* (sedens, putà Constantinus) *supra frænum equi sanctificatus Domino*; & Arabicus Alexandr. *in illa die qui apprehendet putridum equi* (hostilis à se cæsi) *erit sanctum Domino omnipotenti.*

Moral. frænũ est continentia linguæ dicendæ Deo.

Tropol. S. Hieron. per frænum accipit continentiam & mortificationem, qua refrænamus pruritum concupiscentiæ, præsertim oris & linguæ, per sermonem Dei, de quo psal. 31. dicitur: *In chamo & fræno maxillas eorum constringe.* Et S. Iacobus c. 3. *In equorum ora frænos mittimus, & omne eorum corpus circumagimus, vt scilicet recto gradiantur itinere, & mollia ad sedendum domino possint terga præbere. Tale frænum, & talis sermo auri & argenti varietate compositus, feros equos Saluatori præparat ad sedendum, & sanctos facit, ac propriè illius cultui consecratos.* Hæc S. Hieron.

Nota. Pro מְצַלּוֹת *metsillot*, Aquila & Symmach. legerunt מְצֻלּוֹת *metsullot*. Vnde vertunt βάθος, id est *profundum*; Symmach. πέλαγος σύχνον, id est *incessum vmbrosum*, siue tenebrosum, per quæ S. Hieron. intelligit arcanam & mysticã scientiam, *quam & Dauid*, inquit, *quasi equus optimus se habere iactabat, dicens: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, psal. 50. & Apostolus: *O profundum diuitiarũ sapientiæ & scientiæ Dei: quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Rom. 11. 33. *De hoc profundo Propheta clamauit ad Dominum, & exaudiuit eum*, psal. 17. 12. *Has tenebras & sacramenta diuina ingressus est Moses in Sina montis caligine, vt videret Deum; de quibus & Dauid* psal. 35. 7. *Iudicia Domini abyssus multa. Hæc arcana, & ista mysteria sancta sunt Domino, quæ nouerat Euangelista Iohannes, qui ausus est dicere, quod angeli forsitan nesciebant: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et idcirco amatur à Domino: quia optimum habebat profundum, & recubuerat super pectus Iesu; vnde & hauserat sapientiam.*

ET ERVNT LEBETES IN DOMO DOMINI QVASI PHIALÆ] Lebetes erant ollæ, in quibus coquebãtur carnes victimarum Deo immolatarũ. Phialarum in templo triplex erat vsus. Primò, in eis adolebatur thymiama. Secundò, in ijs libabatur, id est bibebatur, vel effundebatur vinum quasi libamen Deo, iuxta illud Amos 6. 6. *Qui bibunt in phialis vinum.* Tertiò, in phialis excipiebatur sanguis victimarum, qui deinde effundebatur ad cornua altaris, vt designaretur sanguinem in quo consistit vita animalis, ac consequẽter ipsam eius vitã, dari & immolari Deo, vti dixi in Leuitico. Quocirca magna erat copia phialarum, longeq́;

Phialarum triplex vsus.

A maior quàm lebetum, vel ollarum. Dicit ergo Propheta, tantum fore Gentium concursum Ierusalem, ad sacrificandum in festo Tabernaculorum, vt lebetum, in quibus coquendæ sunt victimæ, tanta sit copia, quãta phialarum alio tempore esse solet. Nam illo festo sicut crescet numerus sacrificiorum & lebetum, ita crescet & proportionaliter phialarum. Vnus enim lebes tres vel quatuor phialas requirit: quocirca tunc erunt plures phialæ, quàm lebetes, sed tot erunt lebetes, quot aliàs solent esse phialæ. q. d. Multa erit instrumenta sacrificiorum & cultus diuini, erit multa erit populi frequentia, æquè ac pietas & religio. Hoc ad literam impletum est sub Machabæis, qui suis prælijs Ierusalem & templo suum decus restituerunt & auxerunt.

B Parabolicè verius est in Ecclesia Christi; in qua tot sunt lebetes, id est calices, patenę, ciboria, hierothecæ, thuribula, aliaq́; vasa sacra, in quibus vt sacrificatur caro & sanguis Agni immaculati Christi Domini, vel aliquod ministeriũ huic sacrificio exhibetur, quot in veteri lege & templo erãt phialæ. ita Lyran. Aut q. d. Sicut multi erunt lebetes, id est patenæ, ciboria & hierothecæ, in quibus consecrantur, vel reponuntur hostiæ cõsecratæ, putà caro Christi: ita pariter multæ erunt phialæ, id est multi calices, in quibus cõsecratur & sacrificatur & bibitur sanguis Christi: nec enim caro consecrari potest nisi consecretur & sanguis: vnde & omnis calix suam habet patenam, in qua reponatur corpus Christi.

Nota. Phiala sanctior & sacratior in templo erat quàm lebes, Primò, quia physicè nitidior & purior, æquè ac pretiosior; quia sæpè erat ex argento, vel auro; lebes verò ex argilla, vel æramento ob ignem, carnes & fumum ater, fuliginosus, olens & sordidus. Vnde illud vulgò tritum:

C

Væ tibi tu nigræ dicebat cacabus ollæ.

cacabus enim est lebes, æquè ac olla. Secũdò, omnis phiala propriè & proximè seruiebat sacrificio, nimirum exceptioni & effusioni sanguinis victimæ, putà libationi; item thymiamati, eiusq́; fumo tui & incenso: lebes verò tantùm seruiebat coquendis & lixandis carnibus victimæ iã immolatæ, ideoq́; post peractum sacrificium, vt scilicet eius participes fierent laici offerentes, & ex carnibus victimæ quã obtulerant, comederent & oblectarentur corã Domino. Hinc Tertiò, phialæ omnes erant templi, ideoq́ue sacratæ Deo; lebetes verò non. Nam etsi aliqui essent in templo lebetes pro coquendis carnibus, sacerdotum præsertim; tamen affluente magna turba sacrificiorum, vti fiebat in festo paschæ, pentecostes & tabernaculorũ, hi non sufficiebãt: vnde tunc laicus quisque sacrificans debebat procurare sibi lebetem, commodando, vel conducendo eum, in quo carnes suas coqueret; quem deinde commodanti vel locanti reddebat. Predicit ergo hîc Zacharias tantam fore deuotionẽ populi, vt, cùm plurimi confluxuri sint ad sacrificandum in festo tabernaculorum, plurimi quoque ex Ierusalem & Iuda asferant suos lebetes, non tantùm pro se, sed & pro alijs, qui gratis eos aduenis commodabunt, vt à mercatoribus eos emere vel conducere non sit opus; ac peractis sacrificijs relinquent eos templo Deoq́ue dicabunt in perpetuum: quo fiet vt tantus sit lebetum sanctorum numerus, quantus est phialarum, vtq́ue penè tam sacri habeantur quàm

D

pore Deo tanta deuotione consecrati, & tot carnium Deo immolatarum contactu sanctificati) eadem phialæ, itaque in phialarum dignitatem & sanctitatem quasi transire videantur. Hoc ad litteram impletum sub Machabæis, cùm ipsi repurgarunt templum, eiusque dedicationem & encænia celebrarunt cælitus recepto ignè diuino, qui sacrificia consumpsit. quo miraculo viso certatim omnes concurrerunt ad offerendas victimas, quas hic ignis Deo concremaret.

Hoc mysticè, lebetes sunt sacerdotes: sicut enim in lebetibus igne subiecto coquebatur caro victimæ; ita à sacerdotibus ignea vi & virtute Spiritus S. consecratur & conficitur Eucharistia, qui deinde fidelibus distribuūt quasi panem cęlestem & viuificum, q.d. Tãtus in lege noua erit sacerdotum numerus, quantus in lege veteri fuit phialarum, aliorumque vasorum sacrorum. ita à Cæsare Generaliùs Remig. & Vatab. per lebetes accipiunt mentes Christianorum, in quibus igne charitatis consumuntur carnis vitia, & coquuntur preces & vota ad Dominum: eædem sunt phialæ, in quibus thymiama deuotionis & laudis ad Deum iugiter exhalat & fragrat. q.d. Tãta erit fidelium copia, qui seipsos in corde quasi victimas mactabunt, & quasi thymiama suauissimum Deo offerent, quanta fuit lebetum ad sacrificia, & phialarum ad odoramenta in veteri testamẽto. Paulò aliter S. Hier. ipse enim lebetes & ollas carni assignat Iudæis, phialas verò aromatum Christianis. *Ament*, inquit, *æneos lebetes, qui amauerunt olla Ægyptia, & carnes, & pepones, & allia, & cepe, & cucumeres. Nos Iudaicos lebetes in quibus coquebantur carnes victimarũ, vertamus in phialas aromatum coram altari Domini, de quibus sponsa dicit ad sponsum Cant. 6. Fratruelis meus descendit in hortum meum ad phialas aromatum, pascere in hortis, & colligere lilia, &c. vt impleat phialas animarũ credentiũ, & Domus ex eis liba defundat. Istiusmodi lebetes cũ voluerint in phialas Domini, & dicere potuerint: Christi bonus odor sumus; & pro virulentia carnium nostrarum coperint flores gestare virtutum, tunc erunt in Ierusalem & in Iuda sanctificati Domino. Ierusalem enim visionem pacis, Iudas exprimit confitentem.* Huc alludit Ecclesia cùm canit de S. Magdalena:

Fit ex lebete phiala,
In vas translata gloriæ,
Ex vase contumeliæ.

q.d. Quæ priùs erat atra lebes, plena carnibus, gula, vino & venere, facta est phiala aurea offerẽs thymiama pœnitentiæ & charitatis Christo. Vnde hos capillos, aromata, cæteraque; lenocinia, & lebetes, id est, gulæ & libidinis instrumenta, in Christi honorem impendit, eique quasi in phiala obtulit, vti vnguenta pretiosa rupto alabastro in caput eiusdem effudit. Ita S. Hier. Cyril. & Haymo. Mysticè hæc exponũt de mortificatione, qua lebetes, id est, quidquid in nobis est ollare & carneum, igne Spiritus S. ita excoquitur, vt totum exhalet transeatque in spiritum; quo fit vt talem odorem Deo & angelis aspiret caro mortificata, qualem habere solent phialæ aromate fragrãtes, ait Sanchez. Sanè hic sensus appositè respondet sensui literali, & differẽtiæ inter lebetem & phialam, quam paulò antè assignaui. Huc quoque allusit Apostolus 2. Timoth. 2. 20. & Rom. 9. 21. vbi docet in domo Dei esse vasa alia in honorem, alia in contumeliam; ac peccatorem, qui est vas

A contumeliæ, si pœniteat, seque à peccatis expurget, fieri vas honoris & gloriæ. Sic enim Magdalena, quæ peccatrix erat lebes ignominiæ, pœnitens facta est phiala gloriæ.

ET ERIT OMNIS LEBES, scilicet ad sacrificia necessarius. SANCTIFICATVS DOMINO] q.d. Abũdabit templum vasis rebusque necessarijs ad Dei cultum, ita vt nihil cuiquam ad sacrificandum, Deumque rite colendum desit. Aut q.d. Omnis lebes qui est in domo Domini, vti dixit versiculo præcedenti, iugiter ibi manebit quasi sanctificatus Domino, nec inde extrahetur vt applicetur vsibus profanis. Calices enim & vasa sacra semel consecrata Deo, manẽt in æternum sacra, nec fas est ea reducere ad vsus profanos. Aut, vt Palacius, q.d. Tanta erit immolãtium multitudo, vt ex omni Ierusalem & Iudæa certatim adducantur lebetes, in quibus carnes victimarum coquantur, ac deinceps lebetes illi, quasi iã victimis hisce sanctificati, in vsum templi remanebunt, eruntque Deo & templo consecrati. Hoc verum fuit in Machabæis, verius in Christianis. hi enim abundant calicibus, thuribulis, lebetibus, omnibusque vasis ad sacrificium Deique cultum opportunis. His enim diuites sunt ecclesiæ, monasteria, templa, ad inuidiam hæreticorum.

B

Mysticè, omnis lebes, id est omnis sacerdos, adeoque; omnis fidelis, manebit sacerdos & fidelis, id est, Dei cultui addictus, & Deo quasi consecratus, vt in suo gradu fideliter & piè Deo seruiat, nec ampliùs ad infidelitatem, scelera, vsusque profanos redeat, id est, licitè redire nequeat; & si talem se præstet qualem professus est, numquam reipsa rediturus sit.

C

Ex hoc loco liquet, hæc potiùs spiritualiter, quàm corporaliter esse accipienda. Nam corporaliter in rigore falsum est, quòd omnis lebes in Ierusalem & Iuda fuerit sanctificatus Domino: alioqui enim Hierosolymitæ & Iudæi debuissẽt omnes suos lebetes deferre ad templum, & dicare Deo, nec vllos domi ad proprios vsus retinere potuissent. quod liquet esse falsum. Spiritualiter autem verum est, quòd omnis lebes, id est, omnis sacerdos & fidelis in Ordinatione & Baptismo sit consecratus Domino. Vnde S. Petrus loquens fidelibus etiam laicis: *Vos*, ait, *genus electum, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitionis, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum*, 1. Petri 2. 9. & S. Paulus: *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*, Rom. 12. 1. Et: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentia autem & communionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus*, Hebr. 13. 15.

D

ET COQVENT IN EIS] q.d. Iudæi sub Machabæis in suis lebetibus coquent carnes, quas Deo immolarint; Christiani verò, præsertim sacerdotes, in mentibus suis coquent pia & ardentia desideria, proposita & vota, quasi victimas Dei, tũ contritionis & pœnitentiæ, tum laudum & hymnorum, tum charitatis; præsertim circa conuersionem animarum, vt scilicet proximos doceant res salutis, à peccatis auocent, ad virtutes, vitamque sanctam & perfectam inducant: hæ enim sunt victimæ Deo vti honorificentissimæ, ita gratissimæ & iucundissimæ. Addit à Castro a-

VERS. 21.

lium sensum, q.d. Christi fideles eligent ex viris Deo sacris, quos vbique reperient, quem voluerint, vt per eum offerant Deo sacrificium verum Christi, putà Eucharistiam, sine quæstu & sumptibus; quibus olim opus erat ad coëmendas victimas, ollasque conducendas, ad coquendas carnes sacrificiorum. vnde sequitur:

ET NON ERIT MERCATOR] Hebr. & Septuag. *nõ erit Chananæus*, id est mercator, vt vertit Aquila, Chald. & Noster. Olim enim Chananæi in mercatura erant celebres. Iam sensus est, q.d. In templo erit abundantia lebetum, phialarum & cæterorum vasorum, quæ necessaria sunt ad sacrificandum, ac proinde non erunt mercatores, qui ea peregrinis venientibus in Ierusalem ad sacrificandum vendant, aut elocent. Aut, vt Palacius, q.d. Tanta erit charitas concurrentium ad templum, vt quisque alteri, præsertim aduenæ & peregrino, lebetes & phialas sine pretio gratis exhibeat & commodet; tanta etiam venientium erit deuotio & diligentia, vt quisq; sibi necessaria ad sacrificium secum afferat, ac proinde mercatoribus, qui ea in festis vendere solent aduentantibus, non erit opus. id factum est sub Machabæis.

Iam sub hoc typo parabolicè significatur, apud Christianos volentes Deo sacrificare, non fore mercatores, qui vendant oues, boues, columbas, aliasque victimas, quas Deo immolent, aliaque ad sacrificium necessaria, vti erant apud Iudæos; eò quòd sacrificium Christianorum futurum sit, non carnale boum & ouium, sed mysticum, putà Eucharistiæ; aut spirituale & mentale, putà orationis, contritionis, charitatis, &c. q.d. In Ecclesia Christi facilè & sine pretio licebit Deum colere, eique sacrificare. Huius rei symbolo Christus è templo eiecit ementes & vendentes, Matt. 21.12. Hinc Stunica sic exponit: Non erit Chananæus, id est Gabaonita, qui more suo (Gabaonitas enim Iosue c.9.27. damnauit ad ligna & aquam comportandum pro sacrificijs templi necessaria ad sacrificium suppeditet. Verùm Gabaonitæ non erant mercatores, sed serui Hebræorum. Rursum non erit in Ecclesia mercator, id licet rerum spiritualium, id est simoniacus, qui scilicet Eucharistiam, resque sacras pretio vendat aut emat, quia Christus præcepit Apostolis eorumque posteris: *Gratis accepistis, gratis date*, Matth.10.8. ita Lyran. & Vatabl. Porrò non erit simoniacus, id est, licitè esse non poterit, non sit permittetur; quia à Prælatis Ecclesiæ punitur, & beneficio quod simoniacè obtinuit, si constet, priuabitur.

Aliter Theod. Albert. & Clarius: hi enim per *Chananæum* intelligũt sceleratum & improbum. Tales enim olim erant Chananæi, ideoq; à Deo per Hebræos è terra sancta expulsi sunt. q.d. Christiani non erũt scelerati, sed pij & sancti, in tantum quantum est ex vi christianismi & gratiæ Christi: omnes enim qui huic gratiæ obsequuntur & cooperantur, sancti sunt: si quis verò id nolit, non mirum si sceleratus euadat, sed sua culpa & malitia. Insuper si sceleratus sit, Ecclesia eum corrigere satagetsi monitus secundò & tertiò, se corrigere nolit, Ecclesia eum excommunicabit, & à cœtu fidelium expellet, iuxta præceptum Christi, Matt.18.15. *Dominus omnipotens*, ait Theodor. *hanc vocem veram esse hoc tempore præstitit, vt nemo a nobis Chananæum videatur, sed omnes secundùm traditionem Euangelicam viuamus, & beatam spem exspectemus, aduentumq; magni Dei conseruatoris nostri Iesu Christi, cui cum Patre gloria & cum Spiritu sancto nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.*

COM-

COMMENTARIA IN MALACHIAM PROPHETAM.

ARGVMENTVM.

QVÆRITVR Primò, quis fuerit Malachias? Respondet Primò, Origenes apud S. Hieron. & Cyrillum, eum fuisse angelum qui corpus assumpsit, illudque sibi hypostatice vnuit, vt esset typus Christi, & vt hæc Dei oracula Iudæis enunciaret. Id probat ex eo, quòd Malachias hebr. idem sit quod angelus Domini. Et ita vertunt c.1.v.1.Septuag.& ex ijs Clemens Alexand.l.1.Stromat.& S.August.libr. 10 Ciuit.c.25. Et S.Chrysost.orat.2.contra Iudæos,& homil.14.in epist.ad Hebr. *Lege*, ait, *quid dicat Aggæus, quid Zacharias, quid angelus* (putà Malachias) *quid Esdras incusat.* Simili argumento motus Origenes, censuit Aggæum & Iohannem Baptistam fuisse angelos incorporatos, eò quòd in Scripturis vocentur angeli, vt patet Aggæi 1. 13.& Matth.11.10. Cum Origene sensisse videtur Tertull.de Carne Christi c.3.& 6.vbi probat non fuisse Verbo Dei impossibile carnem assumere ex eo, quòd id angelis fuerit possibile. quod nisi de assumptione hypostatica intelligas, eius ratio futilis esset & nullius momenti. Porrò Origenes hanc sententiam tradit tum alibi, tum diserte tomo 2.in Iohannem, explicans illa Malachiæ verba: *Ecce ego mitto angelum meum.* Verùm hic est error. Nam de fide est Iohānem Baptistam fuisse hominem, generatum ex Zacharia & Elisabeth, vt patet Lucæ 1.15.& Iohan.1. 6.Et certum est omnes Prophetas fuisse homines. Vide Eccles.c.49.12. *Et duodecim Prophetarum ossa,* inquit, *pullulent de loco suo.* Si habuerunt ossa, quæque rursum pullulabunt & resurgent; ergo fuerunt veri homines: hi enim constant carne & ossibus, ita S.Hieron.Cyrill.Theodoretus, & alij passim. Ad argumentum respondeo, Prophetas vocari angelos, id est, nuncios & legatos Dei. Sic quilibet sacerdos à Malachia vocatur angelus, cùm ait c.2.7. *Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est.* Secundò, vocantur angeli, ob angelicos mores, formam & vitam. Simili modo multi hodie filijs suis indunt nomen angeli, ob deuotionem quam habent erga angelos, vtque eorum puritatem imitentur. Ita S.Epiphan.l.de Vita & moribus Proph. in Malachia & Aggæo, qui & addit ex sententia Hebræorum, Malachiam vocari angelum, eò quòd quæcunque prædicaret, eadem ab angelo de cælo veniente docerentur & confirmarentur.

A Sed huius rei fides sit penes Hebræos: certè videtur olere fabulam & figmentum Rabbinicum.

Secundò, veteres Hebræi, æquè ac moderni tradunt Malachiam fuisse Esdram sacerdotem & scribam. Hanc traditionē referunt & sequuntur S.Hieron.Remig.Rupert.Ribera & alij. Rationes & coniecturæ huius sententiæ sunt variæ. Prima, quia Malachias idem argumentum tractat quod Esdras, scilicet taxat neglectum legis cultusque Dei, ac nominatim matrimonia cum alienigenis, quæ Esdras culpat c.9. Secunda, quia Esdras eodem tempore vixit quo Malachias, ac meminit c.5.1. Aggæi & Zachariæ, non tamen Malachiæ: ergo signum est ipsummet fuisse Malachiam, qui ita dictus sit, cùm à Deo B quasi angelus, id est nuncius & Propheta, ad populum missus est, vt eos induceret ad pœnitentiam, qua imminentes clades effugerent. Tertia, quia Esdras vir mirè sanctus, zelosus & egregius prædicator, omnino videtur fuisse Propheta, nec alius esse potuit, quàm Malachias. Quarta, quia Ecclesiasticus c.49.cùm laudat Zorobabel, Iesum, Nehemiam, præterit Esdram, qui illis virtute & gestis non cedit: ergo verisimile est ipsum eum laudasse inter 12.Minores Prophetas, sub nomine Malachiæ. Ex aduerso Iosephus in libris Antiqu.& Euseb.in Chronico, meminerunt Esdræ, sed non Malachiæ, quasi vnus idemque fuerit: Eusebius tamen l.10.Præpar.c. 3. meminit Malachiæ, eumque Aggæo & Zachariæ assòciat.

An Malachias sit Esdras?

Verùm alij passim Malachiā ab Esdra distinguunt. Primò, quia Esdras vbique vocatur Esdras, nusquam Malachias: sicut Malachias vbique vocatur Malachias, nusquam Esdras: nec Malachias vllam dat significationem Esdræ. Secundò, quia Esdras vbique Scriba vocatur, Malachias verò vbique Propheta. Tertiò, quia Malachias vltimus fuit omnium Prophetarum, in C eoque desijt prophetia apud Hebræos, vti ipsimet fatentur. Hic omnium Prophetarum fuit iunior, vti scribit S.Epiphanius, Dorotheus & Ilidorus in eius vita: Esdras autem fuit senior Aggæo & Zacharia, qui post reditum è captiuitate Babylonica, æquè ac Malachias, prophetarunt. Esdras enim natus est ante captiuitatem, vel certè anno 1. captiuitatis, vt patet ex eo, quòd illo anno Saraias pater eius occisus sit à Nabuchodonosore, mox à capta Ierusalem, in

Resp. negatiuè.

Re-

Reblata, Esdræ 7. v. 1. iuncto cum 4 Regum 25. 18. & 21. Iam captiuitas durauit 70. annis: quare si eius initium ponas in excidio Ierusalem, sequitur Esdram in eius fine 70. vt minimum fuisse annorum: sin autem eius initium ponas annis 11. citiùs, in strage Ioakim & captiuitate Ioachin, sequitur Esdram in eius fine fuisse 59. annorum: quibus adde annos 3. Cyri, 8. Cambysis, 36. Darij Hystaspis, 20. Xerxis, 7. Artaxerxis (anno enim 7. Artaxerxis, missus est ab eo Esdras in Ierusalem, Esdræ 7. 1. & 6.) habebis annos 133. vitæ Esdræ; post quos adhuc superstes fuit, & gessit ea quæ à c. 7. Esdræ ad finem libri enarrantur. Quare necesse est eum fuisse valdè senem & grandæuum: ergo Esdras non fuit Malachias, qui iuuenis obijt, vti tradunt Epiphan. Isidor. & Dorotheus in eius vita. Quartò, Esdras vitam penè egit in Babylone; vnde fuit pincerna Artaxerxis: Malachias autem vixit in Iudæa, ibique natus est post reditum populi è Babylone, vti docent Epiphan. Doroth. & Isidor. Quintò, quia Esdram à Malachia distinguunt S. Chrysost. initio citatus, Theodor. præfat. in Cantica, S. August. 18. Ciuit. c. 36. Athanas. in Synopsi, Lyran. Vatab. Clarius, à Castro, Arias & alij. Quin & Hebræi apud Genebrard. in Chronolog. sub principium sextæ ætatis, tradunt Hebræos celebrasse Concilium ad conscribendum canonem librorum canonicorum, in eoque præsedisse Danielem, Aggæum, Zachariam & Malachiam, scribam verò fuisse Esdram. Hinc patet responsio ad argumenta.

Ad primum enim respondetur, Prophetas plerosque idem penè argumentum tractare quod alij, scilicet minas excidij Ierusalem per Chaldæos.

Ad secundum, Esdras non meminit Malachiæ, quia eo fuit prior: post eum enim vltimo loco prophetauit Malachias. Adde, Esdram tantùm meminisse Prophetarum qui populum incitarunt ad restaurandum templum: tales autem fuerunt Aggæus & Zacharias, non verò Malachias, vtpote qui post restauratum templum prophetarit.

Ad tertium iam dixi, Esdram fuisse historicum & scribam, Malachiam verò fuisse Prophetam, idque disertè docet S. August. l. 18. de Ciuit. c. 36. Deus enim dona sua præsertim prophetiæ, distribuit prout vult; vnde & sanctioribus subinde eam negat, minùs sanctis verò, imò impijs, eam communicat, vti asserit Christus Matth. 7. 22.

Ad quartum, Ecclesiasticus non meminit omnium virorum illustrium, sed aliquorum dumtaxat: hinc sicut Esdram, ita & Danielem omittit. Idem dico de Iosepho, & Eusebij Chronico. Adde, fortè Iosephum, & Eusebium secutos esse Hebræorum traditionem, quòd vnus idemque fuerit Esdras & Malachias, vti eamdem secutus est S. Hieron.

Malachias vltimus prophetauit sub Dario Hystaspis.

Prophetauit Malachias sub Dario Hystaspis, ac deinceps, sub quo & Aggæus & Zacharias prophetarunt; sed post eos. ita S. Hieron. qui & secutus Hebræos, hunc dat canonem chronologicum Prophetarum. Tradit enim, dicitque, *in quibus* (Prophetis) *tempus non præfertur in titulo, sub illis eos regibus prophetasse, sub quibus & hi qui ante eos habent titulos prophetarunt.* Rursum prophetauit non antè, vti videtur velle S. Hier. sed post consummationem fabricæ templi, vti apparet, si quis caput 2. cum c. 9. & 10. Esdræ conferat. Taxat enim c. 1. & 2. sacerdotes, eisq; minatur maledictionē, quòd templo & altari incurè & impiè deseruiāt: reprobat solemnitates, quas facta in templo peragebāt indeuotè, auarè & indecorè; ac præsertim quòd eas celebrarent pollutum alijs peccatis, tum cōiugijs infidelium, quod peccatum pariter culpat & corrigit Esdras c. 9. & 10. Vnde ad eum alludens Malachias c. 2. *Labia*, ait, *sacerdotis* (Esdræ) *custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Esdras enim cùm post consummatum templum (hoc enim factum est anno 6. Darij Hystaspis) putà anno 7. Artaxerxis è Babylone venit in Ierusalem, ibique populum in lege Dei instruxit, ac matrimonia cum alienigenis redarguit & dissoluit, ita Cyril. Theod. & alij. Quare paulò ante annum 7. Artaxerxis hanc de vxoribus alienigenis repudiandis videtur mouisse, & iussu Dei præcepisse Malachias. Nō anno hoc 7. superuenit Esdras, qui Malachiæ adnuans, re ipsa Iudæis earum repudium persuasit, vt vlteriore Malachiæ monitione iā non esset opus.

Quæritur Secundò, quodnam sit argumentum Malachiæ? Respondeo Primò, arguit Iudæos ingratitudinis, & sacerdotes negligentiæ & impietatis in Deum; quod cùm angeli Domini esse debeant, tam doctrina quàm vita, neutrum tamen præstent. Secundò, prædicit abolendum sacerdotium & sacrificium Aaronicum in Ierusalem, eique succedurum sacrificium purum sanctumque Eucharistiæ, celebrandū in toto mundo. Tertiò, reprehendit Iudæos qui suas vxores repudiabant, & ducebant alienigenas. Quarto prædicit aduentum Christi, eiusq; præcursorem Iohannem Baptistam. Quintò, maledicit Iudæorum frugibus, ob negatas Deo decimas & primitias. Sextò, prænunciat diem iudicij, eiusque prænuntium & prodromum Eliam, qui conuertat corda patrum ad filios. Quocirca Malachiæ prophetia sententijs breuis est, sed fœcunda mysterijs, præsertim futuris in nouo testamento, quæ clariùs cæteris, vtpote vltimus, & vicinior Christo & Apostolis, enunciat, eisque propheta quasi lampada tradit, dum ipsorum quasi index & lucifer, in eos desinit & conquiescit. Vnde S. Hieron. ad Paulinum, *Malachias*, inquit, *aperte in fine omnium Prophetarum, de abiectione Iudæi & vocatione Gentium: Non est mihi, ait, voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Vitam verò Malachiæ paucis admodum verbis complexus est S. Epiphan. libr. de Vit. Prophet. *Malachias*, inquit, *è tribu Zabulon, post reditum populi è Babylone natus perhibetur in Sopha. Is ab ineunte ætate, dumque iuuenis esset, vitam inculpatam egisse fertur. Super aduentu Domini, vita functorum iudicio nonnulla ab eo reuelata sunt, quódque ritus cum legibus Mosi inuentabantur, & emendabuntur. Cæterùm cum populum vniuersum, vt virum non minore sanctimonia, quam mansuetudine præditum coleret, indiderunt ei nomen Malachi, id est angelus: erat quippe forma quidò quàm præstanti. Quæcumque prædicabat in prophetia Malachias, visa est angelum non de*

ostendere & declarare, &c. *Ante diem verò adhuc* A *conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.* Vnde eumdem soli comparans c. 4. 2. *Et orietur*, ait, *vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius; & egrediemini, & salietis sicuti vituli de armento.* Annon hæ exultantis, cælestis & angelici spiritus voces & iubili sunt? Meritò ergo Malachias angelorum choro, & Sanctorum catalogo asscriptus legitur in Romano Martyrologio die 14. Ianuarij.

iuxta quæ & suus est functus, iuxtaq; maiores suos in propria sede repositus. Eadem quasi ad verbum habet Dorotheus. Addit Isidorus, eum angelum vocari, eò quòd oraculis eius ita crederet populus ac si à Deo per angelum edita fuissent. Addit Castro, Deum eius ore carpere & instruere sacerdotes, ac promittere aureos in novo testamento: hi ergo cùm sint angeli, angelorum Prophetam & doctorem, putà Malachiam, confitebuntur.

Hunc itaque Malachias, id est angelus, nuncupatus est, cuius vultus, animus, actus, sermo erat angelicus: qua de causa crebrò cum angelis, & de angelis loquitur, vt c. 2. 7. sacerdotem vocat angelum Domini, & c. 3. 1. tam Christum, quàm Iohannem Baptistam angelos nuncupat. *Ecce*, inquit, *ego mitto angelum meum* (Iohannem Baptistam) *& præparabit viam ante faciem tuam. Et statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti* (noui, putà Christus Dominus, qui est magni consilij angelus) *quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis*

Quocirca ad eum alludens S. Bernard. serm. de S. Malachia Archiepiscopo Hiberniæ, vtpote illi vti appellatione & cognomine, ita & moribus consimili: *Dilectus*, ait, *Deo & hominibus Malachias, hodie in consortium angelorum recipitur, re adeptus quod nomine dicebatur. Et quidem antè angelus erat non minùs puritate, quàm nomine; sed nunc feliciùs glorioſi in eo interpretatio nominis impletur, quando pari cum angelis gloria & felicitate lætatur.* Et mox: *Lætemur quòd angelus noster ascendit ad ciues suos, pro filijs captiuitatis legatione fungens, corda nobis concilians Beatorum, vota illis intimans miserorum.* *S. Malachias Hibern. Archiep.*

CAPVT PRIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

ARguit Deus Iudæos ingratitudinis: quia Iacob, inquit, dilexi quasi filium; Esau autem odio habui. Vbi est ergo amor meus, & timor meus? Secundò, v. 7. arguit sacerdotes, quòd offerant panem pollutum, & hostias cæcas & mancas. Hinc Tertiò, v. 11. ijs amotis nouos se surrogaturum promittit, qui in omni loco offerant piè & sanctè purissimum & augustissimum mincha, *id est, sacrificium Eucharistiæ.*

ONus verbi Domini ad Israel in manu Malachiæ.

2. Dilexi vos, dicit Dominus, & dixistis: In quo dilexisti nos? Nónne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus, & dilexi Iacob,

3. Esau autem odio habui? & posui montes eius in solitudinem, & hereditatem eius in dracones deserti.

4. Quòd si dixerit Idumæa: Destructi sumus, sed reuertentes ædificabimus quæ destructa sunt: Hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt, & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus vsque in æternum.

5. Et oculi vestri videbunt: & vos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israel.

ONVS VERBI DOMINI AD ISRAEL] *Onus*, id est tristis & onerosa prophetia, vti iam sæpiùs dixi; cuius horrorem temperat dicens, *ad Israel*, q. d. Deus in ore meo posuit hoc onus, vt eo quasi deportem illud ad Israel, eique illud promam & exponam. Israelem

C enim vt filium suum amat Deus, ideoque eum hoc onere corripit & castigat. Aptiùs ergo magisque propriè Hebr. אל *el*, Noster vertit, *ad Israel*, quàm Tigurina, *contra Israel.*

AD ISRAEL] Ad duas tribus, videlicet Iuda & Beniamin. Hæ enim solæ, decem tribubus in Assyriam abductis, sibi priscum & auitum Israelis nomen vendicarunt, præsertim quia multi ex Israel, id est ex decem tribubus, vel reliqui, vel profugi iunxerunt se duabus iam dictis, & in eamdem cum ijs gentem & rempubl. coaluere, vti dixi in Zacharia ita S. Hieron. Remig. Hugo, & Lyran. Vbi Moral. disce, Israel, id est, validos cum Deo, & per Deum esse non posse

D nisi eos, qui vnionem & societatem fraternam colant: inualidi enim & inermes sunt, qui sibi solis præfisi, à fratrum & sociorum consortio & auxilio se segregant. Scitum est illud: *Concordia res paruæ crescunt, discordia res magnæ dilabuntur.*

IN MANV MALACHIAE] Id est, per Malachiam quasi manum, id est, organum & instrumentum. Os ergo hîc vocatur *manus* per catachresim: quia manus est organum organorum, vt ait Philosophus.

Moral. disce hîc, eum qui de vitijs vel erroribus tuis te corripit vel castigat, esse Malachiam, id est angelum, ac quasi angelum à Deo cælitus tibi missum, imò cælestem oraculum, munusque *Moral. monitor est angelus.*

que ingens tibi deferentem, à te reuerenter susci-
pi, coli & amari debere. Qui itaque corripit a-
lium, cogitet se angeli Dei vices obire; ac proin-
de ministerium hoc diuinum expleat angelicè, id
est, sine ira, aliáve passione, sincerè, imperturba-
tè, modestè, leniter, ostendendo viscera charita-
tis & compassionis; sicuti angeli compatiuntur
humanæ infirmitati & ignorantiæ, quæ ad ple-
num perspecta habent, dum homines corri-
piunt, iuxta illud documentum Apostoli Galat.
6.1. *Vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in*
spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris.
Vide ibi dicta. Viciſſim qui corripitur cogitet,
se ab angelo corripi, ab eoque sibi hoc onus ca-
stigationis, esto duriusculum, iussu Dei imponi,
Exemplum S. Borromæi. ideoque ei gratias agat; vti faciebat S. Carolus
Borromæus, qui præter alios, duos ex professo
sacerdotes graues constituerat, omnium actio-
num suarum inspectores & censores. Illis enim
hoc officij dederat, vt iugiter in omnia verba &
facta sua inuigilarent, notarentque sicubi quid
peccaret, de eoque liberè & sincerè sese admo-
nerent, quos benignè audiebat, & monitus de
errore quopiam, illico eum corrigebat. ita habet
Vita eius l.8.c.16. Nimirum idipsum didicerat ab
antecessore suo S. Ambrosio, qui, vt habet eius
Vita, monitus à quopiam, monitori gratias age-
bat, dictitans, se ingens ab eo accepisse benefi-
cium. Verè dixit Sapiens Prouerb.27.5. *Melior*
est manifesta correptio, quàm amor absconditus. Me-
liora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta osci-
la blandientis. Et c.9.8. *Argue sapientem, & diliget*
te. Et Ecclesiastes c.7.6. *Melius est à sapiente corri-*
pi, quàm stultorum adulatione decipi. Ex aduerso
superbi, quia insipientes sunt, *cùm se impeti redar-*
gutione concipiunt, gladium persecutionis credunt,
ait S. Gregor. l.10. Moral. c.3. Quin & Sapiens:
Qui odit, ait, increpationes, insipiens est, Prouerb.12.
1. *Non amat pestilens eum qui se corripit, nec ad sapiē-*
tes graditur, Prouerb.15.12. & v.10. *Qui increpa-*
tiones odit, morietur. Et v.32. *Qui abijcit disciplinam,*
despicit animam suam: qui autem acquiescit increpa-
tionibus, possessor est cordis. Hoc est quod lugentes
angeli edicunt Ierem.51.9. *Curauimus Babylonem,*
& non est sanata: derelinquamus eam. Nam *qui non*
vult corripi, nō vult corrigi. Et qui odit correptionem,
vestigium, id est, certum indicium, *est peccatoris*,
id est, peccatis affixi, obstinatique instar diaboli,
Eccles.21.7.

Quocirca S. Basil. in Regul. breuior. reg.159.
Qui huiusmodi est, inquit, *huius conuersatio inter re-*
liquos fratres perniciosa est. Vnde idem alibi iubet
eos quasi pestes à congregatione segregari. Idem
reg.158. Sicut, ait, infirmus anxius de salute cor-
poris, libenter suscipit quidquid ordinat medi-
cus, licèt acerba sit & aspera curationis ratio:
sic humilis, & qui verè salutem animæ deside-
rat, promptè & hilariter suscipit correptionem,
quantumuis mordacem & acrem. Scripsit hac
de re Galenus librum de Cognoscendis curan-
disq; animi morbis, vbi docet, sicut vnica ægroti
spes recuperandæ sanitatis sita est in medico, ita
totam salutis spem consistere in eo, si quis quæ-
rat & inueniat virum virtute & prudentia præ-
ditum, illique se totum instruendum, corrigen-
dum & formandum tradat, illique credat, non
sibi, etiamsi defectus quos ipse notat, in se non
videat. Hoc est quod ait Eccles.c.20.4. *Quam bo-*

A *num est correptum manifestare pœnitentiam.* Ita
fecit S. Petrus correptus à S. Paulo, Galat.2.
Theodosius Imper. ob cædem Thessalonicen-
sium correptus à S. Ambrosio, vti refert hist.
Tripar.p.2.l.7.c.6. In Chronicis Ordinis Cis-
cienſis narratur, olim in monasterio Clarae-
lensi pium hunc fuisse morem, vt si quis ab ali-
de aliquo defectu moneretur, vel reprehende-
tur, illico reprehensus pro reprehendente, a
gratiarum actionem recitaret orationem Do-
nicam.

DILEXI VOS] Opponit Deus Esau Iacob
quòd hunc dilexerit, illum odio habuerit. Per
Iacob intellige familiam potiùs, quàm perso-
Iacob, putà eius posteros, scilicet Iacobæos;
per Esau intellige Idumæos, Esau posteros. Pe-
rò dicit: *dilexi* in præterito, non in præsenti di-
B go. q.d. inquit S. Hieron. Olim dilexi Iacob
cùm me colerent & redamarent: at iam cùm me
auersentur, ego pariter eos auersor. Nam *amare*
non redamantem, est amoris impendia perdere. Ita
cùm alij meliùs *rò dilexi* exponunt per omnem
temporis differentiam, q.d. Iacob dilexi, diligo
& diligam. Sic enim Hebræi sæpè per vnam tem-
poris differentiam, cæteras omnes significant. Id
ita esse patet ex eo, quòd hisce verbis arguit per-
sentes Iudæos, eò quòd amori suo non respon-
deant, sed amori rependant odium. q.d. Ego
vos ab olim dilexi: nam sicut patres vestros di-
lexi, ita & vos filios eorum diligo. Alioqui enim
excepissent Iudæi, dicendo: Quid ad nos quòd
patres nostros dilexeris, cùm nos ipsos oderis?
Porrò dilectio Dei est efficax, & fons omnis bo-
C ni & doni: ex amore enim & beneuolentia no-
scitur omnis beneficentia. Dilexi ergo vos, eo-
que ex Ægyptia seruitute eduxi, in Synagogam
meam elegi, legem de cælo dedi, vos mira pau-
columna ignis & nubis per desertum deduxi, vi-
ctorias miraculosas de hostibus dedi, in Chanaan
deduxi, firmaui, protexi, alui, ditaui; regibus,
Prophetis, bonisque omnibus cumulaui.

ET DIXISTIS] Hebr. *vau* est conuersiuum, cu-
ius officium est vertere præteritum in futurum.
Vnde Vatabl. vertit, *& dicetis*; Chald. *quòd si dixe-*
rit is. Hucusque enim hoc non dixerunt, quia ne-
dum audierant à Deo, *Dilexi vos*; sed eo audito
obstrepere cœperunt, ac dicere:

IN QVO DILEXISTI NOS?] Quo signo, quo dono,
quo beneficio tuâ in nos dilectionem ostendisti?
Vide hîc insignem populi ingratitudinem, qui
non tantùm tot Dei beneficijs ingratus fuit, sed &
D eorum obliti, adeò vt ea non agnoscant; perinde
ac si Deus eis peregrinus esset, nec quidquam
boni vmquā contulisset; cùm tamen ex libris Mo-
sis, Iudicum, Iosue, Regum, & cæteris S. Script.
constaret, innumera & maxima eos à Deo dona
percepisse. Hoc est quod eis improperat Psalm.
psal.77.11. *Obliti sunt benefactorum eius, & mira-*
bilium eius quæ ostendit eis. Huic ingratorum quæ-
stioni respondet Deus, aitque:

NONNE FRATER ERAT ESAV IACOB, idest
gemellus ex eodem partu; ET TAMEN DILEXI IA-
COB, ESAV AVTEM ODIO HABVI?] Ita & Syrus, &
Arabicus vterque, q.d. Iacob cum suis posteris
Iacobæis prælegi, & prædilexi præ Esau & po-
steris eius Idumæis. Idque Primò, cùm de vtro-
adhuc in vtero matris Rebeccæ existente, ideoque
ante omne eorum meritum vel demeritum de-

E

præ dixi matri: *Maior seruiet minori*, putà Esau A inde laudis & gratiarum actionis. Vide dicta
Iacob. Genes. 25.23. Vbi aduerte, odium hoc Exodi 25.4. Sic in quolibet Sancto suo modo
non fuisse proprium & formale (nec enim verum est illud Abrahæ elogium: *Non est inuentus*
Deus odisse poterat Esau antequam peccaret) *similis illi in gloria, qui conseruauit legem Excelsi*,
sed tantum minorem amore, quòd scilicet Esau Eccli. 44.20. Et illud S. Pauli: *Vnusquisque*
posponeretur Iacobo, eique in donis cederet & *proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò*
subcederetur. Sic Genes. 29.31. pro eo quod Nos- *sic*, 1. Corinth. 7.7.
ter vertit, *videns autem Dominus quòd* (Iacob) *de-* ET POSVI MONTES EIVS IN SOLITVDINEM] VERS. 3.
fuerit Liam; Hebr. Chald. & Septuag. habent, *Eius*, scilicet, *Seir*, vt quidam codices cum Ru-
videns autem Dominus quòd odio haberetur Lia: vbi perto legunt, hoc est Idumææ: hæc enim sita est
respectus Liæ, eiusque minor amor quàm Ra- in montibus, sicut Tirolis & Heluetia in Alpi-
chelis, vocatur odium: nec enim Iacob propriè bus. Probat se odio habuisse & habere Esau, id
odierat Liam, quam vt coniugem amabat & ale- est Idumæos, ex eo quòd eorum regionem va-
bat. Secundò, cùm Iudæos prætuli Idumæis, starit per Nabuchodonosor, adeò vt ciuibus in
dando Iudæis meam legem, Ecclesiam, tem- Babylonem abductis, nec inde reductis, ferarum
plum, Prophetas, regnum, &c. eisque subiicien- facta sit lustrum & draconum cubile. ita Lyran.
do Idumæos. Tertiò, & maximè ad rem præsen- B Vatabl. Ribera & alij. Nabuchodonosor enim
tem, cùm Iudæos Babylone liberaui, Idumæos post excisam Ierusalem inuasit & excidit Idu-
in gratiam vestri ibidem captiuos dereliqui: mæam, vti dixi in Abdia.
vnde explicans subdit, *Et posui montes eius in so-* DESTRVCTI SVMVS] Hebr. רשׁשׁנו *russasnu*, id VERS. 4.
litudinem, &c. est depauperati sumus, & ad extremam inopiam
Nota ex S. Hieron. Theodor. Lyran. Vatabl. redacti. ita Chald. Pagnin. Vatabl. & Arias; scili-
Atis, Ribera & aliis, Malachias ad literam loqui- cet per vastationem agrorum & vrbium. quod
tur non de prædestinatione Iacob, & reproba- Noster clarè vertit, *destructi sumus*; Septuag. *sub-*
tione Esau, q. d. Iacob & Iacobæos prædestinaui, *uersa est Idumæa*.
Esau verò & Idumæos reprobaui & gehennæ SED REVERTENTES ÆDIFICABIMVS QVÆ
addixi; nam hoc constat esse falsum: quia multi DESTRVCTA SVNT] Hebr. חרבות *charabot*, id est,
Iacobei damnati sunt, & multi Idumæi, vt Iob quæ desolata & deserta sunt; sicut videmus Iu-
cum suis amicis, saluati: sed loquitur de præle- dæos, quorum æmuli sumus, è Babylone in pa-
ctione Iacob præ Esau ad bona temporalia. Re- triam reuersos, suas domos & vrbes reædificasse
spicit enim ad illud matri vtriusque, prægnanti sub Cyro, Dario & Artaxerxe.
adhuc, promissum Genes. 25.23. *Duæ gentes sunt* HÆC DICIT DOMINVS: ISTI ÆDIFICABVNT,
in ventre tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, ET EGO DESTRVAM] Ecce odium Esau, & dile-
populusque populum superabit, & maior seruiet minori, ctionem Iacob. q. d. Vos ô Iudæi reædificastis Ie-
putà Esau seruiet Iacobo, & Idumæi Iacobæis, C rusalem & templum, egoque fabricam vestram
qui locus manifestè loquitur de præelectione protexi & promoui: volent vos æmulari Idumæi,
ad dominium temporale, non spirituale. Sensus & vrbes suas pari modo restaurare; at ego eis ob-
ergo est, q. d. Dilexi vos, ô Iudæi, magis quàm sistam, ac fabricas eorum impediam & destruam.
Idumæos fratres vestros, cuius rei hoc vobis do *Nisi* ergo *Dominus ædificauerit domum, in vanum*
signum & argumentū: cùm tam vos, quàm Idu- *laborauerunt qui ædificant eam. Nisi Dominus cu-*
mæos propter multiplicia peccata, Chaldæis va- *stodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam*,
standos tradidissem, ego vos diligens, pristinam- psal. 126.1.
que in patres vestros dilectionem conseruans, ET VOCABVNTVR TERMINI IMPIETATIS]
paulò post è captiuitate reduxi, & in patriam re- q. d. Idumæa vocabitur terra inops & maledicta,
duxi: Idumæos verò, quia fuerunt vestri hostes, terra ob impietatem desolata; terra quæ impie-
in gratiam vestri in ea reliqui, eorumque terram tatis vti habuit culpam, ita & sustinet pœnam,
in solitudinem redactam, draconibus habitādam adeò vt omnes transeuntes eam exsibilent &
dedi. Hunc esse sensum literalem & genuinum, subsannent, dicentes: Quàm scelerata fuit hæc
patet ex sequentibus. Ex quo allegoricè Apostolus terra, quam Deus ita desolauit, & quasi Sodo-
Rom. 9.13. assurgit ad prædestinationem & mam è cælo sideravit? Alludit vox רשׁעה *risça*,
prælectionē ad bona spiritualia, cuius illa præ- id est *impietatis*, ad רשׁש *russas*, id est, depaupera-
electio Iacob ad bona temporalia erat typus. tus est. q. d. Idumæa fuit populus *risça*, id est *im-*
Sicut enim Deus Iacobæos in opibus terrenis D *pietatis*, ideo *russas*, id est, depauperatus & deso-
prætulit Idumæis, ita in spiritualibus fideles in fi- latus est. Inde enim רש *rasc* vel *rus* est pauper;
de infidelibus, iustos in gratia iniustis, electos in perinde ac si latinè dicas: Idumæus fuit Cyrus,
gloria reprobis præfert & anteponit. ita S. Hie- fuit dirus; fiat ergo Irus: fuit Cyro si non ditior,
ron. & alij passim, quos sequuntur Scholastici, ac certè dirior & impientior; fiat ergo Iro pauperior. Sicut Cyrus cæsus à Tomyri regina Scythiæ, factus est Irus, cùm caput eius culeo pleno sanguinis inclusum, ab ea subsannante audiuit: *Cyre bibe sanguinem, quem tantopere sitiisti.*
ET POPVLVS CVI IRATVS EST DOMINVS IN
ÆTERNVM] Est metonymia: sub causa enim intelligit effectum, putà sub ira vindictam ex ira manantem. q. d. Idumæi sunt populus, cui Dei ira & vindicta in æternum incumbet: quia eos æterna vastitate, excidio & desolatione puniet.
Quæres, quomodo hoc fit verum? Nam vti

Idumæi an planè perierunt.

Iudæi, ita & Idumæi excidio Chaldæorum fuerunt superstites. Idumæos enim post hæc tempora subegit Simon Machabæus, eiusq; filius Hyrcanus, teste Iosepho lib.13.Antiq.c.16.&17.imò Idumæi interfuerunt bello Iudaico sub Tito, teste Iosepho lib.6.Belli c.7.Respondeo, id verum est Primò, quia captiuitas eorum numquam fuit publico decreto reuocata, nec generali reditu soluta; quia ipsi turmatim omnes fuere abducti in Babylonem, sed turmatim ex ea non fuere reducti, vti fuere reducti Iudæi per edictum Cyri, 1.Esdræ 1.1. Manserunt tamen in Idumæa & vicinis locis aliquæ eorum reliquiæ, quæ sensim succreuerunt seque propagarunt, additis etiam coloniis aliarum gentium quæ in Idumæam, vtpote derelictam & cuilibet patentem, transmigrarunt: quo factum est, vt incolæ non essent puri Idumæi, sed mista & quasi noua gens. Vide dicta Ierem.49.13. Secundò, hæ Idumæorum reliquiæ subactæ sunt ab Hyrcano, vti iam dixi, qui eos coëgit ad circumcisionem & iudaismum, adeoque ex Idumæis fecit Iudæos. Tunc ergo Idumæa gens & superstitio excisa fuit, tumque impletum hoc Malachiæ oracului: *Vocabuntur populus cui Dominus iratus est in æternum:* quia in æternum sustulit eorum rempublicam & Synagogam infidelem, eamque transmutauit & transtulit in Synagogam & remp. Iudæorum, fecitque vt Iudæis essent subditi, tam in ciuilibus, quàm in sacris. Quocirca cùm Titus oppugnaret Iudæos, in eorum auxiliũ venere viginti millia Idumæorum, vt pro Iudæis quasi fratribus, imò patribus, heris & dominis suis dimicarent. Denique post bellum Iudaicũ sensim Idumæi ita extincti sunt, vt ne quidem nomen eorum supersit, vti supereſt gens, licèt vaga, nomen & distinctio Iudæorum: vbique enim Iudæi ab indigenis distinguuntur & secernuntur. Perperam Iudæi per Idumæos accipiunt Romanos, vti dixi in Abdia.

Tropol. pugna Iacob & Esau notat pugnam virtutũ & vitiorum.

Tropol. Remigius: *Esau & Iacob*, inquit, *fratres de vna stirpe generati, vitiorum atque virtutum figuram prætendunt: quæ duo licèt sint contraria, ex vno cordis fonte procedunt. Nam quia liberi sumus arbitrij, pro nostra voluntate aut ad vitia deflectimus, aut ad virtutes. Primogenitus est Esau: quia priora sunt per infantiam, adolescentiam & iuuentutem: pòst nascitur Iacob, qui supplantator interpretatur; quia errores fragilioris ætatis ætas firmior succedens corrigit & supplantat. Vnde bene maior frater, hispidus & agrestis venator, & siluis assuetus dicitur fuisse; minor lenis & simplex, habitasse domi perhibetur. Itaque sub nomine Esau Deus vitia odio habere asseritur, non naturam quam bonam fecit: & propterea fines eius ponit in solitudinem, vt omne malum extirpetur, & vitia non succrescant. Quòd si impudẽs malitia ea quæ sunt destructa rursus ædificare conetur, Dominus iterum destructurum se profitetur. Quod facit duobus modis, siue dum corriguntur peccatores, siue cùm pertinaciter peccantes iusta vltione damnantur.*

Huc accedit Georgius Venetus to.2. de oraculis Prophet. sect.7.n.318. vbi quærit cur Esau vocetur Seir, ac respondet: quia Seir significat turbinem, horrorem, pauorem, hircum, pilosum, faunum (*Seirim* enim sunt Satyri) dæmonem. quæ omnia rectè conueniunt improbis, viuentibus secundùm carnem & sanguinem, quorum finis est interitus, & stipendium mors (vt ait Apostolus) ac gehenna. Horum ergo sors est dæmoniaca, formidolosa, horrore, dolore & angustia plena. Hinc Christus venit vt hominem animalem de Seir erueret, & duceret in Ierusalem, id est in visionem pacis. Itaque Seir & Edom sunt impij, & præsertim damnati in inferno. De his enim verissimè dicitur: *Et vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus vsque in æternum.* Damnati enim sunt folles & fomenta gehennæ, quorum capiti iugiter incumbit ardens Dei ira & indignatio, eaq; efficax & igniea, vomens flammarũ incẽdia, quibus eos crematurus est in æternũ. Væ, væ, væ scelerj & malis. Deus hanc maledictionem à ceruicibus nostris auertat.

MAGNIFICETVR DOMINVS SVPER TERMINVM ISRAEL] Opponit *terminum*, id est regionem Israel, termino, id est regioni, impietatis, putà Idumææ, v.4. q.d. Glorificetur Dominus qui punit improbos, & præmiat probos: quia scilicet vastauit impiam Idumæam, & piam Iudæam exaltauit, imò impiam piè subiugauit, itaque ex infideli & impia fidelem & piam effecit. Id factum est per Hyrcanum, vti iam dixi. Vnde Secundò, Chald. vertit, *multiplicetur gloria Domini: etenim dilatauit terminos Israelis*, scilicet vsque in Idumæam. Tertiò, alij sic exponunt, q.d. Extendat Deus terminos & dominium Israelis, vt eo modo pariter extendat suam gloriam & magnificentiam, atque à gentibus Israeli subiectis cognoscatur & colatur. Quartò, alij vertunt, *magnificetur Dominus vltra terminum Israel.* q.d. Gloria & magnificentia Dei non arctetur angustis Israelis terminis, sed vltra eos se propaget & distendat per totum orbem. Hoc cœpit fieri sub Machabæis, per eorum victorias cælitus à Deo obtentas; sed allegoricè plenè factum est per Christum & Apostolos. In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Verus enim Israel est Ecclesia & populus Christianus, qui se è Iudæa propagauit per vniuersum mundum. Ita hodie veri fideles subiugata Boëmia, Austria, Hungaria, &c. gaudent ob dilatatum imperium non tam reipublicæ, quàm Ecclesiæ, dicuntque: Magnificetur Dominus super terminum Israel.

Anagog. q.d. Laudetur Deus ob gloriam, triumphos & multitudinem Israelis, id est, sanctorum & electorum. Hi enim mirificè laudant Deum, quòd videant in se cecidisse sortem tam felicem, maximè cùm vident terminos impietatis, id est, cœtum damnatorum, præsertim amicorum & sociorum suorum, à Deo ita puniri & comburi, seque ab eorum sorte per Dei gratiam fuisse erutos & saluatos. ita S. Hieron. Vide Apostolum ob hoc beneficium celebrantem & glorificantem Deum toto c.1. ad Ephesios.

6. Filius honorat patrem, & seruus dominum suum: si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus exercituum ad vos ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum?

7. Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? In eo quòd dicitis: Mensa Domini despecta est.

8. Si

8. Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nónne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.

9. Et nunc deprecamini vultum Dei vt misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum.

10. Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra.

A *hominem Dominici nominis frequens inuocatio, quàm epularum multiplex & copiosa collatio, meliusq; pascat esurientem religio quàm sagina.* Vide sequentia, vbi pulchrè docet Christianum debere Deo patri tam manè, quàm vespere instar lusciniæ, aliarumque auium gratias agere, & laudes canere. Audi & S. Bern. serm 16. in Cant. *Ita ipse, inquit, patrem se exhibuit mihi; sed non ego me vicissim illi filium. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum patris tam boni, tam malus filius? pudet indignæ gessisse genere meo, pudet tanto patri vixisse degenerem. Exitus aquarum deducite oculi mei, operiat confusio faciem meam,* &c. Et serm. 83. *Exigit, ait, Deus timeri vt dominus, honorari vt pater, vt sponsus amari. Quid in his eminet? nempe amor. Absque hoc & timor pœnam habet, & honor non habet gratiam. Et qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est.* B *Et quidem soli Deo honor & gloria: sed horũ neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint.*

Magis tamen propriè & genuinè ad sacerdotes hîc loqui Deum, patet ex eo quòd sequitur: *Dicit Dominus exercituum ad vos ô sacerdotes.* Hebræa enim habent: *Dicit Dominus exercituum vobis sacerdotibus, despicientibus nomen meum. Dicit,* scilicet id quod præcessit: *Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus?* Vnde Complut. ita legunt & distpungunt, vt hæc omnia coniungant hoc modo: *Vbi est timor meus? dicit Dominus exercituum ad vos ô sacerdotes.* ita Lyran. Pagnin. Vatabl. & alij. Vbi Nota, sacerdotes præ laicis vocari filios Dei; tum quia Deo dicati & consecrati sunt, vt ad eius quasi familiam pertineant; tum quia iusti & sancti esse debent, vt sancta sacrificia & preces pro populo Deo offerant: sancti enim sunt filij Dei adoptiui; tum propriè, quia in lege veteri Leuitæ & sacerdotes pro primogenitis filiorũ Israel, quos Deus ab angelo percutiente & à morte liberarat, ideoq; sibi depoposcerat, Deo oblati & dati sunt, Exodi 13. 2. & Numer. 8 16. Sensus ergo est, q.d. Vos ô sacerdotes, in primis arguit & culpat Deus, quòd cùm sitis eius primogeniti, peculiariter præ laicis cæterisque Israelis filiis ab eo dilecti, & in sacerdotes electi; tamen eum non vt patrem honoretis, nec vt dominum reuereamini; sed eum eiusque cultum & victimas inhonoretis, & despiciatis. Timor enim hîc & alibi, reuerentiam, adorationem, sacrificium, omnemq; cultum Dei denotat. *Qui enim metuit, non scrutatur, sed colit, obseruat, adorat, honorat, glorificat, laudat, commendat,* ait S. Chrysost. hom. 2. de incomprehens. Dei natura.

Sacerdotes præ laicis sunt filij Dei tribus titulis.

C

Incipit Malachias prophetiam & correctionem suam à correctione sacerdotum: quia reformatio reipubl. & laicorum, pendet à reformatione cleri & sacerdotum: qualis enim est sacerdos, talis est & populus. Sanè hoc sæculo hæresi Lutheri occasionem dedit inscitia, & mala vita plurium sacerdotum. Quocirca & Christus initio, æquè ac in fine prædicationis suæ, redarguit vitia sacerdotum. Docet id egregiè Auctor Imperfecti apud S. Chrysost. initio homil. 38. in S. Matth. vbi rectè sacerdotes comparat stomacho. explicans enim ingressum solemnem Christi die palmarum in Ierusalem, quo primò templum adiit: *Et intrauit*, inquit, *Iesus in templum Dei. Hoc erat proprium boni filij, vt & veniens ad domum curreret patris, & illi honorem redderet qui genuit eum, vt tu imitator Christi factus, cùm in aliquã*

Reformatio laicorum inchoanda à reformatione sacerdotum.

D

9. Et nunc deprecamini vultum Dei vt misereatur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum.

Primò. FILIVS HONORAT PATREM] Recensitis suis in Iudeos beneficiis, Deus hîc transit ad eorum maleficia, quæ ipsi ingratæ rependerunt. Ingratitudinem ergo & irreuerentiam eorum culpat & accusat. Nota. *Honorat*, id est iure naturæ, diuino & humano honorare tenetur; &, si verè filius talis est, qualis esse debet, reipsa honorat. Iam honor in hoc præcepto, *Honora patrem & matrem*, quatuor complectitur, scilicet Primò, amorem; Secundò, reuerentiam; Tertiò, obedientiam; Quartò, beneficentiam & alimoniam, si egeant, vti dixi Deuter. 5. 16.

SI ERGO PATER EGO SVM, VBI EST HONOR MEVS? ET SI DOMINVS EGO SVM, VBI EST TIMOR MEVS?] Patri enim propriè à filio debetur honor, domino à seruo timor, non tantùm seruilis, sed & liberalis, qui reuerentiam, amorem, ac obsequium sedulum & exactum complectitur. Porrò Deus est pater fidelium, Primò, creatione; Secundò, conseruatione & gubernatione; Tertiò, alimonia; Quartò, cura & prouidentia paterna; Quintò, per fidem & gratiam qua nos iustificat, sibique in filios & heredes regni sui adoptat. Idem est dominus iisdé titulis, aliisque, vt quòd nos redemerit, & sanguine filij sui sibi quasi coëmerit; quòd sit summa maiestas, cui omnis creatura seruire tenetur; quòd nos quasi seruos & operarios ad vineam suam excolendã, proposita mercede gloriæ æternæ cõduxerit, &c. Hîc titulis Deus omnium, etiam laicorum, est pater & dominus. Vnde ad omnes Iudæos, etiam laicos hîc dirigi à Deo sermonem, eosque ingratitudinis, irreuerentiæ & impietatis accusari, quòd suæ dilectioni, de qua dixit, *Iacob dilexi*, non respondent; sed Deum amantem se odio habuerint, inhonorarint & contempserint, censent S. Hieron. Theodoret. Remig. & Hugo.

Audi S. Ambros. in Malachiæ verba, in fine tom. 2. *Si seruus es*, inquit, *redde Domino timoris obsequium; si filius, exhibe patri pietatis affectum. Tu autem cum gratias non agis, Deum nec diligis, nec vereris. Vtrum autem ex seruus, aut superbus es filius. Qui ergo vis Christianus, semper debet patri ac Domino laudes dicere, & in eius gloriam omnia proferre; sicut ait B. Apost.* 1. Corinth. 10. dicens: *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Videte quale veri Christiani officium vobis esse conuenium, vt magis fides Christi, quàm prædæ sagina comedatur; & plus reficiat*

ingressus fueris ciuitatem, primùm ante omnem actum A *ad ecclesiam curras. Hoc erat boni medici, vt ingressus ad infirmam ciuitatem saluandam, primùm ad originem passionu intenderet. Nam sicut de templo omne bonum egreditur, sic & de templo omne malum procedit: quemadmodum medicus quando primò ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere primùm festinat: quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est; si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est: ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est. Cor autem & stomachus sacerdotes intelliguntur: quia in rebus spiritualibus per eos totus populus gubernatur. Et sicut cor sapientiæ locus est, ita sacerdotes sunt receptacula sapientiæ spiritualis, Isaia dicente de regibus quidem:* Omne caput in dolore; *de sacerdotio autem:* Omne cor B *in tristitia.*

Quod stomachus est in corpore, hoc sacerdos in populo.

Explicat id, munia stomachi analogicè applicando sacerdotibus, dicens: *Sicut enim stomachus accipiens cibum coquit eum in seipso, & per totum corpus dispergit; sic & sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturas ex Deo, & excoquentes eam in se, id est, tractantes & meditantes apud se, vniuerso populo subministrant. Et sicut stomacho subministrante vnumquodque membrum suscipit nutrimentum, & conuertit ipsum in se secundùm suam naturam; vtputà quod suscipit iecur, totum fit sanguis; quod autem suscipit fel, bilis efficitur totum; quod verò ascendit in pulmonem, phlegmata fiunt; quod autem in mamillas, totum efficitur lac. sic sacerdotibus in Ecclesia loquentibus Dei verbum, omnes suscipiunt; vnusquisq; autem conuertit illud secundum proprium cor, ita vt vnum idipsum verbũ in cordibus quidem rectis procedat ad vitam;* C *in cordibus autem peruersis suscitet iracundiam, quasi bilis: in aliis autem operatur dilectionem dulcissimam, quasi lac: in aliis autem odia, quasi phlegma nociuum & expuendum. Videte ergo sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo & opere. Quoniam sicut in corpore, si aliquod infirmatum fuerit membrum, non omnino languet & stomachus; si autem stomachus languerit, omnia membra inueniuntur infirma: sic si aliquis Christianorum peccauerit, non omnino peccant & sacerdotes; si autem & sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccandum. Ideo vnusquisque Christianorum pro suo peccato reddet rationẽ: sacerdotes autem non solùm pro suis, sed & pro omnium peccatis reddituri sunt rationem. Vidit arborem pallentibus foliis marcidam, & intellexit studiosus agricola, quia læsuram in radicibus haberet. Nam vere quemadmodum cùm videris arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis quia aliquam* D *culpam habet circa radicem; ita cùm videris populum indisciplinatum & irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium eius non est sanum.* Hæc prolixiùs recitaui, quia singula aurea ab ore aureo.

ET DIXISTIS: IN QVO DESPEXIMVS NOMEN TVVM?]Hebr. בזינו *bazinu*, id est *spreuimus*; Chald. *contempsimus*; Tigurina, *quanam re vile habuimus nomen tuum, illudq; nobis sordet?* Respondet Deus: *Offertis super altare meum panem pollutum.* S. Hieron. Remig. Hugo & Lyran. per panem intelligunt panes propositionis, censentq; culpari hîc sacerdotes, quòd eos non triticeos, aut non azymos, vt lex iubebat, sed siligineos, hordeaceos, fermentatos, aut alia ratione vetitos Deo offerrent. Addit S. Hieron. Remig. Haymo, Albertus, Hugo & Lyran. taxari sacerdotes, quòd panes hosce ex quouis frumento conficerent, cùm iuxta eorum traditionem, ex patrum religione & pio vsu acceptam, non nisi ex selecto frumento confici deberent, quod ipsimet sacerdotes seuissent, messuissent, moluissent & coxissent. Quod notent Christiani, præsertim sacerdotes, vt discant qualia, quàm pura & selecta Deo offerre debeant.

Verùm quia panes propositionis non offerebantur in altari, quod tamen de suo pane ait hîc Malachias, sed in mensa panum propositionis: necenim erant victimæ, sed meræ oblationes; hinc meliùs per panem pollutum accipias victimam pollutam, tum similæ & panum; quos quasi sacrificia concremabant Deo in altari, vocabantque *mincha*, vt patet Leuit. 2. tum carnium, putà boum, ouium, hircorum, quos sacrificabant Deo. ita Chald. Vatabl. Clarius & Arias. Hebræi enim panem vocant omnem escam, etiamsi carnea sit; ac præsertim bos, capra, agnus, & quæuis victima Deo oblata vocatur panis, id est, cibus Dei, vti ostendi Leuit. 22. 25. & cap. 21. v. 6. & 8. Numer. 28. 2. Rationem dedi Leuit. 2. nimirum quòd sacrificium sit conuiuium Dei, in quo Deus cum hominibus quasi comedere & bibere videtur. Quocirca carnes Deo immolatæ, erant quasi panis, id est cibus, quo vescebatur Deus; vinum Deo libatum erat quasi potus quem bibebat Deus. Quod enim ignis deuorabat & consumebat, hoc censebatur Deus per ignem repræsentatus edere & consumere. *Panem ergo pollutum* vocat victimas cæcas, claudas, mancas, quæ contra legem Leuit. 22. v. 19. & 22. Deo offerebant. ita enim se explicat Malachias v. 8. Secundò, *pollutum*, quia non offerebant eo ritu & cæremoniis, quas præscribit lex Leuit. c. 1. 2. 3. 4. &c. Tertiò, *pollutum*, ob impietatem & scelera sacerdotum eum offerẽtium. Sacrificia enim Iudæorum valebant, & vim impetrandi habebant non ex opere operato, vti habet nostrum Eucharistiæ, sed ex opere operantis, putà ex dignitate & deuotione sacerdotis sacrificantis, qui hîc erat sceleratus & impius: quocirca eius oblatio magis Deum iritandi, quàm impetrandi vim habebat.

Porrò Gentiles adeò deorum suorum reuerentes erant, vt, priusquã victimas immolarent, eas sollicitè explorarent, an puræ essent. Hinc & meliores è grege seligebant, easq; Apollini candidas, quarum, si maiores essent, cornua inaurabant. Vnde Ascanius lib. 10. Æneid.

Et statuam ante aras aurata fronte iuuencum
Candentem.

Et Ouidius:

Blandis indutæ cornibus aurum,
Conciderant ictæ niuea ceruice iuuencæ.

Quòd si color hic victimæ deesset, cretam superinducebant. Vnde illud Iuuen. satyra 10.

Duc in Capitolia magnum
Cretatumq; bouem.

Testatur Arnobius lib. 2. contra Gentes, olim in Albano monte non alios licuisse, quàm niueo candoris immolare tauros,

ET DICITIS: IN QVO POLLVIMVS TE?]id est, pollutum panem, id est victimam, obtulimus tibi? Nota hîc, ô sacerdos, qui pollutus pollutum offert Deo sacrificium, Deum ipsum quasi polluit & conspurcat: quia mensam, victimam & cibum Dei conspurcat, præsertim in lege nou-

vbi victima est ipse Christus Deus noster. Quo- A tia magnificentior. Famosa & magnifica fuit
circa Apostolus 1. Corint. 11. 27. disertè asseuerat: *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Erit quasi Christicida & Deicida, perinde ac Iudas proditor. *Dum enim Sacramenta violantur, ipse eorum sunt Sacramẽta violatur*, ait S. Hieron.

Is eo quod dicitis: Mensa Domini despecta, contemptibilis, est] Quia scilicet dicitis: Iam viluit altare Domini; ac proinde vilia quælibet in eo offerri possunt. Mensam enim vocat altare, quia, vt iam dixi, sacrificium est quasi conuiuium, in quo conuiua est Deus, mensa est altare, esca est victima, potus est libamen, minister est sacerdos. Tangit hic radicem malique causam contemptus sacrorũ esse ipsam altaris vilitatem, q. d. Vos ô sacerdotes vilipendistis meum altare, dicitisque illud euiluisse, ideoque parum referre quid, & quale in eo offeratur: quocirca offertis in eo victimas cæcas, claudas & mancas.

Quæres, qua causa & titulo dicebant altare euiluisse. Resp. Primò, ob longam sacrorum cessationem: quia per septuaginta annos captiuitatis caruerunt templo, altari & victimis. Hæc enim in animis accolarum generare solet sacrorum obliuionem, neglectum, incuriam, contemptum, vti vidimus in pagis Belgij, tempore belli Hollandici à sacerdotibus desertis, vbi rustici, præsertim iuuenes & pueri qui numquam viderant sacerdotem, vt primùm eum viderunt, stabant attoniti; vel diffugiebant, putantes se non hominem, sed monstrum videre, vel spiritum, vti mihi ibidem olim videre & experiri contigit. Secundò, quia videbant templum à se reædificatum, non æquare gloriam templi prioris, quam viderant senes, & iuuenes à senibus audierant, *ac putabant deesse religioni sanctimoniam, quia deerat ædificationis ambitio*, ait S. Hieron. cùm eo contrariò, *Deus non tam altaris ornatum, quàm offerentium deuotionem requirat*, ait Remig. Tertiò, quia Iudæi nuper Babylone redeuntes pauperes erãt: vnde non poterant opulentas dare oblationes sacerdotibus, qui proinde negligebãt altare, aliisque negotiis se dabant quibus compararent sibi victum. Sic enim hodie videmus subductis, vel perruptis redditibus templorum, perire quoque vel minui sacerdotum curam & ministeria. ita Vatabl. Quartò, quia videbant Deum victimas hasce non edere, sed easigne consumi. Vnde meliores sibi reseruabant, aut cum deterioribus D commutabant, censentes satius esse deteriora dari igni, meliora ventri. Audi S. Hieron. *Quid putasti*, inquit, *si offeramus optima? qualiacumque fuerint quæ offeruntur, igni sunt deuoranda.* erat hic præcatus auaritiæ & gulæ. Sic hodie videmus sacerdotes & Prælatos nonnullos in mensis & conuiuiis esse splendidos, in altari & templo sordidos; in mensis adhibere mappas pretiosas & vina falerna, in altari verò lintea lacera, & vilissimo potiùs quàm vinum Qua de re iure queritur Cardin. Bellarm. in Gemitu columbæ.

Moral. disce hîc Primò, Deo, vtpote auctori omnium, non qualia qualia, sed optima & præstantissima esse danda. Secundò, contra hæreticos, Deum honorari & delectari magnificentia templorum, altarium, vasorum sacrorũ, &c. quia ipse maior est omni laude, & omni magnificen-

Mensa pretiosa Iustiniani Imp.

tior. Famosa & magnifica fuit mensa sacra, quam teste Cedreno, Baronio & aliis, Iustinianus Imp. in augusto S. Sophiæ templo erexit. Constabat enim auro, argento, omnisque generis lapidibus, lignis, metallis, omnibusque rebus quas terra fert, mare & totus mundus. Ex omni materia pretiosa plura, meliora, potiora collegerat, liquatisque his quæ fluunt, sicca illis immiserat, atque in formam mensæ concinnarat. ita omne varium illud opus intuentibus erat stupori. In orbẽ hanc ostentabat epigraphen: *Tua de tuis tibi offerimus serui tui Christe, Iustinianus & Theodora. Ea tu propitius accipe, fili Dei Verbũ qui nostri causa carnẽ assampsisti, & cruci affixus fuisti, ac nos in tua recta fide conserua. Et quam nobis commisisti remp. eam ad tuam gloriam auge & tuere, intercedente sancta Deipara virgine Maria.*

Mensa sacra Ptol. Philadelphi.

B Celebrat Ioseph. lib. 12. Antiq. cap. 2. mensam, quam templo Hierosolymitano dono misit Ptolemæus Philadelphus rex Ægypti, vt ab Eleazaro pontifice impetraret septuaginta Interpretes, qui S. Scripturam ex Hebræo in Græcum idioma conuerterent. Erat enim tota ex auro, longa duos cubitos cum dimidio, lata vnum, alta sesquicubitum. Ornata erat cymis versatilibus, & sculpturis egregiis. Exterior autẽ loricæ facies gemmis pulchris, ouali specie distinguebatur. Huic subiecta erat corona per circuitum, omne genus fructuum repræsentans, dependentibus racemis, & spicis emergentibus & malis punicis interfertis, quæ omnia constabant è lapillis colorem natiuum fructuum referentibus, & auro circum totam mensam reuinctis. In mensa autem sculC ptus erat Mæander magni pretij, gemmis per medium tamquam stellis variegatus, carbunculo & smaragdo suauissimè radiantibus. Basis facta erat è carbunculo palmum lata, crepidinis specie; qua verò pedes innitebantur, octo digitorum latitudine. Tanta erat artis subtilitas, vt perflante vento agitata, naturæ, non artis, opus videretur: crassitudo autem mensæ erat semicubitalis. Hæc & plura Iosephus.

Mysticè, mensa Dei, id est anima, virtutibus ornanda est.

Ab his discamus exhibere Deo mensam honoratam & magnificam, non cum Iudæis vilem & despectam. Id faciemus mysticè, si animam nostram omni virtutum genere adornatam Deo offeramus. Ipsa est enim quasi microcosmus Deo, qui macrocosmus est, dicanda; ac præsertim si opera charitatis exerceamus. Hisce enim mensam instruimus, non tam pauperibus quàm D ipsi Deo: in hac enim ipse delectatur & quasi epulatur.

præsertim cùm sumit Eucharistiam.

Tropol. S. Hieron. *Polluimus*, ait, *panem, id est, corpus Christi, quando indignè accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus: Mensa Domini despecta est; non quòd hoc aliquis audeat dicere, sed opera peccatorum despiciunt mensam Dei.* Vnde de talibus ait Apost. 1. Cor. 10. 20. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum; non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*, &c. Rursum polluit panem & mensam Dei, ac in ipsum Deum iacit contumelias, ait S. Hieron. doctor & prædicator, qui verbum Dei, quod est panis animæ, docet propter lucra, vel humanam gloriam, ac diuitibus blanditur, peccatores honorat, & pauperes sanctos repellit, *mensam Scripturarum Dei mensis idolorum, sacularisq; doctrinæ ans esse communem.*

VERS.6. SI OFFERATIS CÆCVM AD IMMOLANDVM, NONNE MALVM EST?] Ita & Septuag. ac Chald. vertunt interrogatiuè.q.d.Omnino malum est, quia contra legem Leuit.21.22.quæ poscit victimam integram & vitio carentem. Recentiores, vt Vatabl.& Tigurina, vertunt affirmatiuè, *cùm hostiam cæcam sacrificatis* (supple, dicitis) *Non est malum*, sed bonum & licitum. Peccabant ergo auari sacerdotes, qui vt oblationes suas suaque lucra augerent, nullam respuebant victimam à populo oblatam, etiamsi cæca esset vel manca; imò pro integra à populo oblata, ipsi è suo grege substituebant claudam vel mutilam, integram sibi reseruantes.

Ita peccant hodie Christiani, qui pro decimis & primitiis dant manipulos, vel animalia deteriora, meliora sibi retinentes; qui filios claudos, luscos, stolidos, ineptos detrudunt in monasteria, vegetos & acres tradunt mundo; qui tempus iuuentutis floridæ dant carni & sanguini, tempus senectutis effœtæ dant pietati & Deo, &c. qui meliores horas dant studiis, deteriores orationi: Dei enim maiestatem contemnunt, qui ei seipsos anteponunt, vt sibi potiora, Deo peiora attribuant. Si tales & talia offerrent principi, vel regi, nónne vapularent? Qui semesas à porcis vel canibus escas regi apponeret, mulctaretur; non mulctabitur is, qui offert Deo semesa à diabolo, & aliquid adhuc diabolicum exhalantia?

Symbol. Symbolicè, Remigius & S. Hieron. *Victima*, inquit, *Dei est bonum aliquod, vt oratio, eleëmosyna*, &c. *Verùm cæca est victima, si animus offerentis non est illustratus luce veritatis; vel si non est simplex intentio eius qui offert. Clauda est orationis victima eius, qui duplici mente accedit ad deprecandum Dominum. Debilis est, qui Christum non habet, qui est Dei virtus & sapientia. Istiusmodi victimæ si offerantur, minimè Deo placere possunt, sed potiùs reum faciunt offerentem.* Manca est obedientia, quæ subiicit Superiori voluntatem, non intellectum; manum, non animum.

OFFER ILLVD DVCI TVO, & vide SI PLACVERIT EI] q.d. Videbis vtique quòd non placebit ei, sed summè displicebit, donaque tua respuet; quin & indignabitur tibi: censebit enim se à te contemni & vilem reputari, quòd tam vilia, putà cæca, clauda, manca animalia ei offeras, & integra tibi reserues. Si ergo talia non auderes offerre duci tuo homini mortali, quomodo Deo immortali ea offerre audes, qui est Rex regum, & Dominus dominantium?

AVT SI SVSCEPERIT FACIEM TVAM] putà te tuumque munus, quod ore & facie tua ei obuersa offers: facies enim index est animi & mentis, totumque hominem & personam ipsam repræsentat. Nam facies decora, honesta, liberalis, reuerens meretur susci pi, hilarique & benigno vultu à principe, & multò magis à Deo suscipitur: facies verò indecora, turpis, auara, impudens, irreuerens ab iisdem despicitur & reiicitur. q.d. Dux & princeps tam auaram & impudentem faciem, quæ tam auarum & impudens munus sibi offert, non acceptabit, sed auersabitur, quantò magis ego eadem non acceptabo, sed auersabor? Sic de Iob reuerente, patiente & pio ait Deus c.42.8. *Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam.*

VERS.9. ET NVNC DEPRECAMINI] Hisce verbis non ironicè, vt vult Clarius & Arias, sed seriò hortatur eos ad pœnitentiam, vt patet ex sequentibus. ita S. Hieron. Theodor. Haymo, Rupert. Lyran. & alij.

DE MANV ENIM VESTRA (ita Hebr. Chald. Septuag. Tigur. & alij: perperam ergo Pagnin. vertit, *de manu nostra*) FACTVM EST HOC] q.d. Non patrum hoc scelus est, sed vestrum; non tam laicorum est culpa, quàm vestra, ô sacerdotes (eos enim alloquitur, vt patet v.6.) Vosergo suppliciter deprecamini vultum Dei, qui eum offendistis & ad indignationem concitastis. ita S. Hieron. Theodor. Lyran. & alij. Aliter Vatabl. q.d. De manibus vestris, id est, ab operibus manuum vestrarum profecta est hæc maledictio, de qua dicitur in sequentibus v.14. *Maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino.*

SI QVO MODO SVSCIPIAT FACIES VESTRAS] id est, vos vestrasque oblationes, vti dixi v.8. Aliqui ex Hebræo sic vertunt, *num auferet*, id est, *si quo modo auferat à vobis faciem*, scilicet suam iratam; aut vestram tristem malisque oppressam, ostendendo vobis faciem hilarem, eaque vos hilarando. Hebr. enim נָשָׂא *nasa* & suscipere & tollere vel auferre significat. Aliter Theodoret. q.d. Num sine pœnitentia & deprecatione vestra vos in gratiam recipiam?

QVIS EST IN VOBIS QVI CLAVDAT OSTIA (templi) ET INCENDAT (perperam Complut. legunt, *non incendat*) ALTARE (hoc est, altaris ignem, & per ignem victimas ac thymiamata, quæ quotidie in altari cremantur Deo) MEVM GRATVITO?] q.d. Nemo vestrûm gratis templo & altari seruit, sed laboris sui stipendia percipit, & ex altaris oblationibus sustentatur, & viuit; cur ergo illud meum que in eo cultum negligitis, & negligenter peragitis? Si enim non religionis & Dei intuitu, certè mercedis respectu, & obligatione iustitiæ obstricti, deberetis hoc munus vestrum, ad quod pretio conducti estis, diligenter & accuratè obire & præstare. ita S. Cyril. S. Hieron. & alij. Nota. Ad verbum ex Hebræo sic vertit Tigurina, *adhæc quis ex vobis ostia claudat? num verò in ara mea gratis incenditis?* quod Noster aliis verbis, sed clariore sensu expressit, dum vertit, *quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratis?* alij verò cum Septuag. & Chald. contrariè vertunt hoc modo, *quis est in vobis qui claudat fores, vt non accendatis altare meum gratis?* q.d. Vtinam aliquis vestrûm clauderet fores templi, vt non vratis super altare meum victimas hasce pollutas frustra, siue in vanum. Nam illæ mihi non placent, sed placet pura *minha* Christi, quæ toto orbe offertur, vt sequitur. ita Theodor. Vatabl. & Clarius. Vnde & S. Hieron. notat Græcum δωρεὰν, id est *gratuitò*, verti posse, *in gratia*; *vt videlicet*, inquit, *gratiam non habeant altari Domini seruiendi, sed ex præsentur.* Hic secundus sensus valdè tam Hebræo, quàm sequentibus cohæret & respondet: atque Hebræum חִנָּם *chinnam* sæpè significat gratis, frustra, in vanum, vt psal.34.19. *Odio habuerunt me gratis*, hebr. *chinnam.*

NON EST MIHI VOLVNTAS IN VOBIS, DICIT DOMINVS] Tigurina, *non est mihi in vobis beneplacitum*, id est, non mihi placetis, non estis mihi grati ob vestram irreligiositatem, neglectum & contem-

contemptum sacrorum. Hebr. enim חֵפֶץ *chepets* significat placitum, beneplacitum, complacentiam, affectumq́; amoris & beneuolentiæ, quem Septuag. vertere & vocare solent εὐδοκίαν. Et (id est idcirco) *munus* (hebr. מִנְחָה *mincha*, de quo paulò pòst) *non suscipiam de manu vestra.* Vetera enim sacrificia non placebant ex opere operato, vt placent in lege noua, sed tantùm ex opere operantis. Cùm ergo hîc operantes & sacrificantes displicerent Deo, displicebant & sacrificia; itaq́ue per Christum cum Synagoga, lege & gente sunt abolita. Idem fiet Christianis. Audi S. Chrysost. in c. 20. S. Matth. *Priùs*, ait, *in vallibus fit obscuritas, die declinante ad occasum. Quando ergo istos videris obscurari, quis dubitat, quin iam nox est? Sic primùm in secularibus & laicis Christianis incipit prænalere obscuritas peccatorum. Nunc autem quando iam vides, quòd sacerdotes positos in summo vertice spiritualium dignitatum, qui montes & colles dicuntur, apprehenderit iniquitas tenebrosa, quomodo dubitetur quia finis est mundi?* Idem in c. 24. Matth. hom. 47. *Si pars aliqua domus*, inquit, *fuerit decisa, cum labore tamen possibile est vt reparetur. Si autem ipsum fundamentum fuerit conquassatum, quid faciet paterfamilias, nisi in aliquo loco noua iaciat fundamenta, & lapides de priori loco transuectans, aliam sibi ædificet domum? Sic & in spiritualibus, si quidem populares peccauerint, per pœnitentiam corriguntur: si autem dissipatum fuerit ipsum sacerdotium, quod est populi fundamentum, quid faciat Deus? iuxta illud Christi: Vos estis sal terræ. quòd si sal euanuerit, in quo saletur? Ad nihilum valet vltrà, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus*, Matth. 5. 13.

11. Abortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.

12. Et vos polluistis illud in eo quod dicitis: Mensa Domini contaminata est: & quod superponitur, contemptibile est, cum igne, qui illud deuorat.

13. Et dixistis: Ecce de labore, & exsufflastis illud, dicit Dominus exercituum, & intulistis de rapinis claudum, & languidum, & intulistis munus: numquid suscipiam illud de manu vestra, dicit Dominus?

14. Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino: quia rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in Gentibus.

AB ORTV ENIM SOLIS VSQVE AD OCCASVM, MAGNVM EST NOMEN MEVM IN GENTIBVS] q.d. Nolo ampliùs angustiis Iudææ finibus contineri, angusta mihi est Ierusalem, angustum templum: coarctor in Palæstina: cælum enim & terram ego impleo. Quare par est vt totus mundus sit mihi templum, vt omnes gentes vbique me colant victimis & sacrificiis. Quocirca breui per Christum efficiam, vt nomen meum Gentibus toto orbe prædicetur, illæq́ue me vbique agnoscant, adorent, celebrent.

ET IN OMNI LOCO SACRIFICATVR ET OFFERTVR NOMINI MEO OBLATIO MVNDA] *Sacrificatur & offertur*, id est, breui per Christum & Apostolos sacrificabitur & offeretur: Propheta enim propheticè loquitur & prophetat de futuris. q.d. Nolo, ô sacerdotes Iudaici, vestra sacrificia, sed breui ea abolebo, tum quia impura & polluta sunt, tum quia vno in loco à pauculis Iudæis offeruntur. Quocirca eis per Christum surrogabo sacrificium aliud, quod in se purissimum erit & sanctissimum, quodq́ue vbiuis terrarum à quibuslibet gentibus mihi offeretur.

Oblatio munda quæ prima sint.

Quæres, quænam hæc oblatio munda? Primò, Iudæi respondent esse preces, quas Iudæi pij inter Gentes dispersi vbiuis locorum Deo offerebant. Vnde Chald. vertit, *ego recipiam preces vestras, & nomen meum sanctificabitur per manus vestras, & erit sicut oblatio munda coram me.* Verùm hoc ex textu patet esse falsum. Nam reiicit hîc Deus sacrificia Iudæorum, dicens: *Non est mihi voluntas in vobis. Et munus non suscipiam de manu vestra*; eisq́ue opponit sacrificia Gentium, eaq́ue acceptat.

Secunda.

Secundò, Hugo censet esse oblationem quam Gentes proselytæ & Deum Iudæorum agnoscentes offerebant in templo Hierosolymitano. Sed obstat τὸ *in omni loco*, quod perperam inuertit Hugo, explicatq́ue, q.d. *Ex omni loco.*

Tertia.

Tertiò, Arias accipit oblationes & victimas, quas Gentes tempore Malachiæ, Deum verum ex motu cælorũ & gubernatione vniuersi agnoscentes, vbiuis locorum ipsi offerebant. Verùm Gentes sacrificabant Ioui, Herculi, Belo, non Deo vero: Iouem enim ponebant gubernatorem vniuersi. Pauci enim Gentilium, vt Iob eiusq́ue amici, Deum verum agnouerunt & coluerunt: cæteri omnes coluerunt idola, quæ proinde in Scriptura dij Gentium nominantur.

Quarta.

Quartò, Caluinus & hæretici, qui negant omne sacrificium legis nouæ propriè dictum, accipiunt oblationem mysticam, putà Dei cultum per fidem, spem, charitatem, orationem, inuocationem & laudem, atque opera pia, præsertim charitatis & eleëmosynæ, aut conuersionis animarum. Idem censent Clarius & Vatabl. quibus fauere videtur Tertull. libr. 5. contra Iudæos: sed idem aduersatur iis lib. 3. contra Marc. 22. vbi se explicat, & per oblationem mundam accipit sacrificium Eucharistiæ, Deiq́; laudes & hymnos, qui cum ea cani solebant. qua de causa ipse sub oratione & hymnis solet intelligere Eucharistiã, sicut & alij Patres subinde eam vocant εὐχὴν, id est orationem, precationem sacram, liturgiam; imò idcirco vocatur Eucharistia, id est gratiarum actio.

Quinta.

Verùm dico, de fide est hanc oblationem mundam esse sacrificium corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. Vnde patet contra hæreticos, Eucharistiam non tantùm esse Sacramentum, sed & sacrificiũ. Probatur Primò, quia pro *oblatio* hebr. est מִנְחָה *mincha*, quæ vox licet ex sui origine significet quoduis munus, donum, oblationem, sacrificium; tamen à Mose & Deo appropriata est vni sacrificio, vt scilicet propriè significet sacrificium farreum, quod fiebat ex farina vel pane, quodq́; describitur Leuit. 2. vt ibi

genuina, esse sacrificium Eucharistiæ.

Probatur Primò.

dixi. Hoc autem mincha, siue sacrificium farreum erat propriè dictum sacrificium, vt patet Leuit. 2. eratque typus sacrificij Eucharistici: vtrobique enim offertur farina & panis, sed in Eucharistiam transsubstantiatus & transmutatus in corpus Christi. Cùm ergo mincha typicum & Iudaicum fuerit propriè dictum sacrificium, sequitur multò magis mincha verum & Christianum, putà Eucharisticum, esse verum & proprium sacrificium. Vnde Septuag. vertunt, *in omni loco incensum offertur mihi, & sacrificium mundum*; Arabicus, *ab ortibus solis ad occasus eius nomen meum glorificatum in Gentibus, & afferunt ad me victimas, & incensa nomini meo in omni loco*; Syrus, *in omni loco faciunt mihi incensa, & offerunt nomini meo oblationes mundas*; Tigurina, *in omni loco nomini meo incensum, & mola pura offertur.* Mola enim pura est sacrificium farreum, vel farina qua victimæ immolandæ caput aspergebant: vnde ab hac mola dictum est verbum immolo. Alludit Malachias ad sacrificium iuge, quod quotidie tam manè quàm vespere offerebant, in quo victima erat agnus, cum decima parte similæ conspersæ oleo, Exodi 29 v. 38. Agnus enim repræsentabat Christum, simila speciem panis, sub qua ipse in Eucharistia immolatur.

Secundò. Secundò, idem innuit vox *munda*. q.d. Hoc mincha erit in se munda & sancta victima, ita vt semper maneat munda, etiamsi eam offerentes sint immundi. Talis autem est sola Eucharistia, in qua victima est ipse Christus mundissimus, & Sanctus sanctorum.

Tertiò. Tertiò, quia Malachias solis hîc loquitur sacerdotibus Aaronicis, vt dixi v. 6. eorumq; mensæ & victimis pollutis opponit sacerdotes, altare, & victimam mundam legis nouæ. Ergo loquitur de sacrificio nõ metaphorico & mystico, sed genuino & propriè dicto. Hæc enim tria, scilicet sacerdos, altare & sacrificium, sunt correlatiua, vt vbi vnum est, cætera duo adesse necesse sit. Sacerdos enim est sacrificij, quod in altari offertur, sacerdos; & viciſſim, sacrificium in altari oblatum, est sacerdotis in altari sacrificantis sacrificium. Cùm ergo hæc tria verè fuerint in veteri lege, quæ fuit typus legis nouæ, sequitur in lege noua quoque veros & proprios esse sacerdotes, altaria & sacrificia, præsertim quia nulla vnquam Ecclesia aut religio, imò nulla gens Deum vel idolum colens, fuit sine sacerdote & sacrificio. Natura enim dictat Deum colendum esse latria & sacrificio.

Quartò. Quartò, idem conuincit vox *sacrificatur*, pro qua hebr. est מקטר *muctar*, id est adoletur, incenditur, suffumigatur, crematur. Oratio autem non incenditur, nec crematur, sed victima propriè dicta. Vnde *muctar* idem est quod *sacrificatur*: quia olim omne sacrificium Deo cremabatur. Iam autem in Eucharistia non crematur, sed alio modo digniore, Deo sacrificatur, & in honorem eius transsubstantiatur, & manducando consumitur. de quo mox plura.

Quintò. Quintò, idem ostendit *τὸ in omni loco & in Gentibus*. Nullum enim est sacrificium quod vbiuis gentium à fidelibus offeratur, nisi Eucharisticum.

Sextò. Sextò, ita hunc locum intelligendum esse docet Concilium Trident. sess. 22. c. 1. omnesque Patres & Doctores, nimirum S. Hieron. Theod. Remig. Rupert. Haymo, Hugo, Lyran. Ribera hîc, item Clemens Rom. lib. 7. Constit. Apostol. c. 31. S. Martialis epist. ad Burdegal. c. 3. Iren. l. 4. c. 32. Iustin. contra Tryphon Cyprian. l. 1. contra Iudæos c. 16. Cyril. catech. 16. Eusebius l. 1. Demonstr. c. 6. S. August. l. 18. de Ciuit. c. 35. S. Chrysost. in psal. 95. & orat. 2. contra Iudæos, Tertull. loco citato, Damascen. lib. 4. c. 14. insuper Rabbini, vt R. Samuel tract. de vero Messia ad R. Isaac c. 20. & alij apud Galatin. lib. 11. cap. 11. vide Bellarm. libr. 1. de Missa toto cap. 10, vbi omnia hæreticorum effugia confutat.

Obiicit Caluinus, & Antonius Sadeelius, aliique qui Missam missam faciunt, *mincha* hîc tropicè sumi pro pura religione & spirituali Dei cultu, quo Deum mente colimus & adoramus. Quia, inquiunt, pro *sacrificatur* hebr. est מקטר *muctar*, id est, offertur thymiama, adoletur suffitus, vel incensum, vt vertunt Septuag. Atqui nullum est thymiama quod in lege noua propriè dictum Deo offerimus, sed tantùm mysticum, scilicet oratio & purus Dei cultus: ergo illehîc intelligitur. Resp. radix *muctar* est קטר *catar*, quod licèt propriè significet suffire, suffumigare, adolere incensum; tamen sæpè per metalepsin significat sacrificare: quia in sacrificio olim victima incendebatur, itaq; per ignem & fumum ascendebat ad Deum. ita docent omnia lexica, omnesque Hebræi. Eucharistia ergo est oblatio munda, quæ *muctar*, id est, sacrificatur Deo. Adde, alludi ad *mincha* vetus & Iudaicum, cui thus imponebatur, quod totum Deo propriè *muctar*, id est, suffumigabatur & cremabatur, iuxta legem Leuit. 2. 2. per thus enim, quod omniũ gentium vsu & ritu Deo adoletur, significabatur rem hanc, putà mincha, id est sacrificium farreum, Deo offerri & sacrificari. Vnde & in nostris solennibus Missis adhibetur thurificatio. Per hanc ergo thurificationem Propheta metonymicè intelligit sacrificium, cuius illa est index & symbolum, imò pars aliqua. sed de hoc mox plura. Iam verba singula pressiùs examinemus.

In omni loco] Quia nihil ita Dei nomen & gloriam toto orbe celebrat & magnificat, ac sacrificium Eucharistiæ, quo Christus ipse se in victimam Deo Patri offert per manus sacerdotum suorum, vti paulò pòst ostendam.

Sacrificatvr] Septuag. Tigur. & Pagnin. *incensum offertur*; Syrus, *ponunt incensa*, thurificãt; Arabicus Antioch. *faciunt mihi incensa*, Arabicus Alexandr. *afferunt ad me incensa*. Hebr. enim *muctar* est participium passiuum coniugationis Hophal, quod proinde vel vt nomen, significans *thymiama*, incensum, suffitum; vel vt verbum, aut potiùs verbale, significans *adoletur*, incenditur, sacrificatur, accipi potest: vt nomen acceperunt Septuag. vt verbale Noster.

Vbi Nota, Eucharistiam hîc vocari incensum vel *thymiama*. Primò, quia continet Christi corpus quasi hostiam, Deo in ara crucis igne charitatis incensam, quæ quasi thymiama odorẽ suauissimum Deo exhalauit, quo eius iram placauit, eumque hominibus reconciliauit. Secundò, quia Eucharistia conficitur, & conditur sacris precibus, quæ sunt thymiama Deo, iuxta illud psalm. 140. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*. Ita S. Chrysost. in psal. 95. *Dilucidè inquit, mysticam interpretatus est mensam, quæ est in*

cruenta

manta hostia. Thymiama verò purum appellat sacras A *preces, quæ post hostiam offeruntur. Hic enim suffitus bonum resecillat, non is qui à terrenis radicibus sumitur, sed qui à puro corde exhalatur.* Denique Eucharistia vocatur incensum, quia non tantùm repræsentat, sed & reipsa continet Christum in ara crucis pro nobis incensum, id est, dolore & amore coctum, Deoque sacrificatum.

Tropolog. thymiama sunt ignitæ orationes, desideria & vota tam sacerdotum, quàm fidelium, dum Eucharistiam vel conficiunt & conficiunt, vel sumunt & manducant, iuxta illud quod Apoc. 5.8. angeli dicūtur habuisse & obtulisse Deo *phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum.* Quocirca S. Chrysost. hom. 91. ad popul. Antioch. *Igitur*, inquit, *tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, & caput nostrum mente reuoluentes, & charactera quam nobis exhibuit.*

OFFERTVR] Hebr. מֻגָּשׁ *muggas*, id est affertur, adducitur, offertur, applicatur, propinqua fit. Radix enim נָגַשׁ *nagas*, significat accedere, appropinquare: victimæ enim & dona quæ Deo offeruntur, ad illum quasi accedunt & appropinquant, præsertim Eucharistia, in qua victima est ipse Christus Dei filius.

OBLATIO] Hebr. מִנְחָה *mincha*, id est munus, donum, quod Deo adducitur, donatur, offertur, quod נָחָה *nacha*, id est adduxit, dedit, obtulit. Porrò mincha propriè erat sacrificium farreum, putà farinæ & panis, Leuit. 2. quod proinde sua forma & specie, erat expressa figura Sacramenti & sacrificij Eucharistiæ: vnde & cum illo in iugi sacrificio agni, quotidie libabatur vinum iuxta C legem Exodi 29.40. quod repræsentabat alterā speciem Eucharistiæ, scilicet vini, sub qua ex vi verborum consecrationis ponitur & immolatur sanguis Christi, vti sub specie panis vi eorumdem ponitur corpus Christi. Insuper cum mincha adolebāt & offerebant oleum, thus & sal: oleum significat misericordiam Christi, quam in hoc Sacramento & sacrificio quotidie quasi nouam & nouiuam nobis exhibet: thus, eiusdem religionem & odorem suauissimū, quo se Patri in cruce immolauit, & rursum in Eucharistia immolat: sal æternitatem & incorruptionem, quam in beata resurrectione per Eucharistiam nobis afferet, vt ipse promisit Iohann. 6. 55. Plura de his dixi Leuit. 2. Sic & priscas Gentilium, qui pultibus & pane potiùs quàm carne vescebantur, victimas fuisse incruentas & puras, id est farreas, non carneas, docet Ouid. lib. 1. Fastor.

Ante deos homini quod conciliare valeret
Far erat, & puri lucida mica salis.

Ideoque in sacrificiis mola, quæ vocabatur, ex farre & sale cōstabat. Mola enim, ait Festus Pompeius, nihil aliud erat, quàm far tostum & sale aspersum; & quòd eo molito hostiæ aspergerentur, inde molæ nomen inuenit: quam proinde Virg. lib. 2 Æneid. falsas fruges appellat:

Et falsæ fruges, & circum tempora vittæ.

Sic & Tibull lib. 3. eleg. 4.

Et tenuem metuens hominum genus, omnia noctis
Farre pio placant, & saliente sale.

Rursum Ouid. lib. 4 Fastor.

Farre Dea, micaq; licèt salientis honorem
Detis, & in veteres thurea grana focos.

Idem lib. 1. Fastor.

Inde vocor Ianus, cui cùm Cerealе sacerdos
Imponit libum farris, mixta sale.

Quin & Arnob. lib. 2. contra Gentes docet farreas victimas fuisse ante thuris notitiam & vsum. *Thus*, ait, *neque ipse Romulus, aut religionibus artifex comminiscendis Numa, aut esse sciuit, aut nasci, vt pium far monstrat, quo peragi mos fuit sacrificiorum solemnium munia.*

MVNDA] Primò, quia corpus Christi, quod in Eucharistia offertur, est mundissimum & sanctissimum, vtpote ex Virgine operâ Spiritus sancti efformatum, ipsique Deo hypostaticè vnitum. *Eucharistia dicitur munda triplicitèr.*

Secundò, quia nulla indignitate aut malitia sacerdotum, vel offerentium inquinari potest, inquit Conc. Trident. sess. 22. c. 1. Etsi enim sacerdos esset impiissimus, Eucharistia tamen semper B suam munditiem retinet, vimque mundandi ex seipsa, siue ex opere operato. Tertiò, quia Eucharistia homines non tantùm à peccatis, sed à peccatorum causis, putà à concupiscentiis, tentationibus, passionibus emundat, ac peccandi occasiones vel amouet, vel ad eas superandū robur addit.

Denique tres erant species sacrificij à Deo Iudæis præscriptæ Leuit. 1. Prima erat holocaustū, putà, bos, ouis aut columba, quæ tota in Dei honorem comburebatur. Secunda, hostia pro peccato, ad illud scilicet expiandum. Tertia, victima pacifica, qua scilicet pro pace, id est, salute & beneficiis, vel iam obtentis, Deo gratias agebant, vel pro obtinendis supplicabant. Hisce tribus in lege noua successit vnicum sacrificium Eucharistiæ, quod eminēter tres hasce species in se complectitur. Ipsa enim est dignissimum Deo holocaustum, quo summè Dei maiestas colitur & honoratur est q; refricatio & repetitio holocausti illius, quo Christus se totum Patri in ara crucis obtulit & immolauit. Ipsa pariter est sacrificium propitiatorium pro peccatis, iuxta illud Heb. 10. 6. *Holocausta & pro peccato non tibi placuerunt, Tunc dixi: Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Et v. 10. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi.* Tertiò, Eucharistia est sacrificium pacificum, quo Deo de omnibus donis perceptis gratias agimus, & pro percipiendis obsecramus.

Moral. disce quàm purus & sanctus debeat esse sacerdos, qui oblationem purissimam, imò ipsam puritatem, Christum inquam, Sanctū sanctorum, consecrat, tangit, manducat, distribuit; quod angelis non est concessum. Angelica ergo, & plusquam angelica puritas requiritur; vt angelorum Dominum suscipiamus, imò conficiamus. *Mor. quàm purus debeat esse sacerdos.*

D Iudæis itaque, & multò magis Christianis edixit Deus Leuit. 20.26. *Eritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus, & separaui vos à cæteris populis, vt essetis mei.* Etc. 22.32. *Ego Dominus qui sanctifico vos.* Vide ibi dicta, & Leuit. 9. in fine cap. Verè noster Thomas theodidactus libr. 4. de Imitat. Christi c. 12. *O quàm magnum*, inquit, *& honorabile est sacerdotum officium, quibus datum est Dominum maiestatis verbis sacris consecrare, labiis benedicere, manibus tenere, ore proprio sumere, & cæteris ministrare! O quàm munda debent esse manus illæ, quàm purum os, quàm sanctum corpus, quàm immaculatum cor sacerdotis, ad quem toties ingreditur auctor puritatis! Ex ore sacerdotis nihil nisi sanctum, nihil nisi honestum, & vtile procedere debet verbum, qui tam sæpè Christi suscipit Sacramentum. Oculi eius simplices & pudici,*

Pudici, qui Christi corpus solent intueri. Manus puræ & in cælum elevatæ, quæ creatorem cæli & terræ solent cõtrectare. Sacerdotibus specialiter in lege dicitur: Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Dominus Deus vester.

QVIA MAGNVM EST NOMEN MEVM IN GENTIBVS] Vox *quia* partim propriè & causaliter accipi potest, q.d. Causa cur Gentes Deo offerent oblationem tam puram & nobilem, quàm est ipsa Christi filij Dei caro & sanguis, est, quia magni me meumque nomen æstimabunt; credent enim & profitebuntur me esse summum & augustissimum numen, ideoque summam & augustissimam hostiam iam dictam mihi offerent. Partim impropriè & consecutiuè, vt more Hebræo *quia* non significet causam, sed consecutionem & effectum, q.d. Ex hac hostia Eucharistiæ consequetur, vt nomen meum magnificetur; per hanc hostiam mirè glorificabor ego, nomenque meum.

Eucharistia summè honoratur Deus octo de causis. Prima.

Quæres, vnde, & qua ratione? Resp. Primò, quia Iudæi & Gentiles offerebant Deo, vel diis suis oues, boues, capras, fruges, aliasq; creaturas, vt protestarentur Deum esse omnium creatorum causam, principium & finem, seq; ab illo omnia bona accepisse, accipere & postulare. Christiani verò loco creaturarum offerunt Deo in Eucharistia Christum Dominũ, Dei filium, qui est primogenitus omnis creaturæ. Quanto ergo Christus creator nobilior est omni creatura, tanto magis hac sui victoria honoratur, & glorificatur Deus præ victimis Iudæorum & Gentium.

Secunda.

Secundò, quia oues, boues & capræ non sunt condigna pretia peccatorum: Christi autem caro & sanguis condigna sunt. Iis ergo satisfit ex æquo offensæ & iustitiæ Dei, ac consequenter Deus, Deique iustitia per illa summè honoratur, placatur, conciliatur.

Tertia.

Tertiò, quia per Eucharistiam Deo vni veroque oblatam, exclusa sunt idola & idolothyta, id est, sacrificia idolis immolata; ac consequenter Deo sua vnitas, dignitas & maiestas apud gentes toto orbe est restituta. Agnoscunt enim & profitentur in Eucharistia, se nulla alia deorum numina, quæ priùs coluerant, sed solum Deum verum credere, colere & adorare.

Quarta.

Quartò, quia per hanc Christi victimam agnoscitur summa Dei bonitas, quæ filium suum nobis dedit in redemptorem: & iustitia, qua peccatum puniuit morte sui filij vnigeniti: & sapientia, qua modum inuenit saluandi nos; sed ita vt simul satisfieret suo honori, & iustæ vindictæ, nimirum mittendo filium suum in carnem, qui in ea patiens & moriens satisfaceret læsæ maiestati diuinæ: & potentia, qua tam augustam hostiam, sibique commensam & æqualem instituit. Idem videre est in cæteris Dei attributis, quæ per Christum orbi innotuerunt.

Quinta.

Quintò, quia in Eucharistia *memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus*, dum *escam* tam augustam *dedit timentibus se*, psal. 110 4. Eucharistia enim refricat nobis beneficium creationis, redemptionis, iustificationis, glorificationis, cæteraque omnia, vti ostendi Zachar. 11. 17.

Sexta.

Sextò, quia Eucharistia est miraculum miraculorum, opus operum Dei, portentum sæculorum, iuxta illud Zachar. 9. 17. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Quæ propter S. Dionys. Eccles. hierarch. c. 3. Eucharistiam vocat *omnium sacramentorum consummationem, diuinissimum & sacrosanctum Sacramentum sacrosanctæ & augustissima mysteria*. S. Martialis epist. ad Burdegal. c. 3. & 4. Eucharistiam nuncupat *communionem Dei vivi, mensam diuinam, & escam in fide perfecta totam cælestem*; Iren. lib. 4. c. 32. *nouæ testamenti nouam oblationem*; S. Cyprian. lib. de Cœna Domini, *cibum inconsumptibilem*; Optatus Milev. *pignus salutis æternæ, tutelam fidei, spem resurrectionis*; S. Ephrem libr. de Natura Dei minimè ferendanda, *ignem immortalem. Hoc sanè*, inquit, *excedit omnem admirationem, omnem mentem, omnemq; sermonem, quod fecit nobis vnigenitus filius Christus saluator noster: ignem & spiritum manducandum ac bibendum præstitit mihi, corpus scilicet & sanguinem suum*. S. Chrysost. hom. 14. in epist. 1 ad Corinth. *Cùm benedictionem*, inquit, *dico, Eucharistiam dico, & dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio. Etenim cum calice incenarrabilia Dei beneficia consecuti sumus*, &c. S. Cyrill. catechesi 4. ait per Eucharistiam nos fieri *christophoros, & diuinæ naturæ consortes*.

Septimò, quia per Eucharistiam participat tam sacerdos, quàm offerentes & assistentes, imò omnes fideles totius Ecclesiæ, sanguinem, redemptionem, omniaque merita Christi. Rursum per illam omnis gratia cum suo fonte & auctore, putà Christo, ad nos deriuatur. Quocirca vere & sapienter noster Thomas theodidactus lib. 4 de Imitat. Christi c. 5. *Quando*, ait, *sacerdos celebrat, Deum honorat, angelos lætificat, Ecclesiam ædificat, viuos adiuuat, defunctis requiem præstat, & sese omnium bonorum participem efficit.* An non hæc est magna nominis Dei gloria, magna Dei laus & glorificatio? Hinc vocatur *Eucharistia*, quia ipsa est summa gratiarum actio. Nil enim maius pro beneficiis naturalibus & supernaturalibus quæ accepimus, Deo reddere possumus, quàm Christum ipsum: Christus enim omnia alia Dei beneficia exæquat, imò in immensum superat. Quocirca S. Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio, *Per id tempus*, ait, *& angeli sacerdoti assident, & cælestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, angelorum choris plenus est.* Confirmat id visione vir sanctus, asserentis se in Missa *angelorum multitudinem conspexisse, fulgentibus vestibus indutorum, altare ipsum circumdantium, sic capite inclinatorum, vt si qui milites præsente rege stantes videat.* Idem hom. de Eucharistia in Encæniis: *Agnus*, ait, *Dei immolatur, Seraphim astant sex alis faciem tegentia.* Idem hom. 24. in 1. ad Corinth. *Dum in hac vita sumus, et si cæra nobis cælum sit, facit hoc mysterium. Ascende igitur ad cæli portas, imò non cæli, sed cæli cælorum, & tunc quod dicimus intueberis. Etenim quod summo honore dignum est, id tibi in terra ostendam*, &c. *Neque enim angelos, neque archangelos, non cælos, non cæli cælorum; sed ipsum horum omnium tibi Dominum astendo.* Idem lib. 3. de Sacerdotio: *Hoc ergo mysterium maximè horrendum verendumq;, quis tandem qui non sanus minimè sit, quiq; è potestate non exierit, sustinere ac despicari poterit?* S. Greg. 4. Dial. c. 58. *Quis sit fidelium habere dubium possit in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocẽ cælos aperiri, in illo loco Christi mysterio angelorum choros adesse, summa infimis sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quid ex visibilibus atque invisibilibus fieri?*

Oblatio, quia in Eucharistia exercetur summa fides, spes, charitas, religio, cæteræque virtutes, quibus Deū colimus & glorificamus. Fides, quia credimus Deo dicenti, ibi verè esse corpus Christi, cæteris visus, gustus, tactus, omnesque sensus contrarium iudicent, scilicet esse panem & vinum. Spes, quid enim nō speremus à Deo, quem credimus nobis dare filium suum in cibum & sanguinem? Charitas, quis enim ea non accendatur, cogitans immensum Dei & Christi in nos amorem, quo se nobis totum dat & communicat? Religio, quis enim non summa veneratione colat Deum, quem præsentem credit & videt? & ita de cæteris. Atque hæc fuit vna è causis præcipuis, quare Deus Eucharistiam instituerit, nimirum vt daret obiectum & materiam exercendi omnes virtutes, vt iis eum coleremus & honoraremus. Denique Eucharistia est manna omne delectamentū in se habens, & omnem saporis suauitatem, ideoque magnificè Deum datorem celebrant & deprædicans, ac quasi muta voce clamans: *Panem cæli dedit eis: panem angelorum mandauit homo. O quàm suauis est Domine Spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suauissimo de cælo præstito esurientes reples bonis, fastidientes divites dimittens inanes!* vt canit Ecclesia.

A

B

Sacerdos ergo iturus ad altare, cogitet quantum opus adeat. Cogitet, & stupeat se esse legatum Ecclesiæ, imò totius orbis ad Deum, vt cum eo summa negotia tractet, nimirum vt nomine totius creaturæ homagium Deo præstet, ac doxologiam & gratiarum actionem pro omnibus beneficiis à qualibet creatura perceptis; vt oret & propitiet Deum pro peccatis totius mundi; vt peccatores ipsos in infernum ruituros liberationem, veniam & gratiam impetret; vt omnium afflictorum morbos, tentationes, ærumnas Deo repræsentet, operāque poscat; vt singulis fidelibus Dei gratiam, virtutum augmentum, omniaque bona impetret; vt pro defunctis exoret, & pro tot millenis animabus quæ in Purgatorio vruntur, supplicet. Denique vt sit mediator Dei & hominū, ac Christi ipsius personā subeat, iteretq; illud idē sacrificiū quod Christus obtulit in cruce, vbi ipse ti victima fuit, quàm sacerdos. Quis hæc perpēdens nō percellatur? nō stupeat? non accēdatur?

C

Et vos pollvistis illvd, scilicet, nomen meum vile & quasi pollutum effecistis, in eo quod dicitis: non tam verbis, quàm reipsa & factis: Mensa Domini contaminata est] Mensa Dei est altare. Redit ad sacerdotes sui ævi, eos arguere cœpit v. 5. q.d. Talis erit mea oblata & victima tempore Christi, qualem iam deprehendi: vos verò, ô sacerdotes Iudaici (vti cœpi dicere v. 5.) ex aduerso ita viliter, sordidè & indignè tractatis altare meum, meaque sacra & sacrificia atque si essent res viles, sordidæ & pollutæ; ac hostia altari superposita esset res contemptibilis, pariter & ignis sacer, qui illam deuorat & consumit. ita S. Cyrill. Causa huius indignitatis fuit diuturnus in captiuitate sacrorum neglectus, item paupertas Iudæorum, ac anaritia sacerdotum, vti dixi v. 7. De igne etiam altaris contemnendo occasio fuit, quòd hic post reditum è Babylone non è cælo, vti prior, datus sit, sed ex aqua crassa accensus, vt patet 2. Machab. 1. 21 Hebr. ad verbum habent: *fructus*, vel *prouentus eius contemptibilis, & comedens illum* (hoc enim est אוכלו *ochelo:*) *fructus* altaris, est victima quæ in eo offertur: *comedens illum*, est ignis, qui eam cremat & consumit. Vnde Noster clarè vertit, *quod supponitur* (altari, putà holocaustum, aliàue victima) *contemptibile est cum igne qui ipsum deuorat.* Iam aliis punctis legunt אֹכְלוֹ *ochlo*, id est, cibus eius. Vnde vertunt, *fructus eius contemptibilis, cibus eius.* q.d. Fructus mensæ Dei, qui est cibus in ea Deo appositus, putà hostia, vel victima altari imposita, est contemptibilis. Vnde Chald. vertit, *mensa Domini despecta est, & despecta sunt dona eius*; & Tigurina, *prouentus eius*, nempe *cibus eius vilis:* quia adeps victimæ, & intestina, quæ in altari Deo cremantur, sunt res viles & sordidæ, ait Vatabl. Aliter S. Hieron. Fructus, ait, vel prouentus altaris est ignis (hic enim ex altari quasi nascitur & prodit) cibus verò ignis sunt victimæ. q.d. Vilis est ignis altaris; quia viles sunt victimæ, quas quasi cibum deuorat.

D

Et dixistis: Ecce de labore; Septuag. *hæc de afflictione sunt.* q.d. Causam cur altare meum & victimæ sint vilia & sordida, reiicitis in vestros labores: excusatis enim vos paupertate & ærumnis, dicitisque quòd nuper magna fatigatione & sumptu redeuntes è captiuitate Babylonica, per omnem laborem vestrum vix adhuc tantilla, & tam vilia comparare & offerre possitis: et dum hæc dicitis, exsvfflastis illvd id est, exsufflatione mea dignum feci stis. ita S. Hieron. Remig. Albert. & Lyran. Addit Cyrill. q.d. Hæc victima non ex se, sed ex labore itineris facta est macra, manca vel clauda. Vers. 13.

Aliter recentiores, R. Dauid, Pagnin. & Vatablus: hi enim pro מִתְּלָאָה *metelaa* per *tsere*, id est, *de labore*, vti legerunt Septuag. Chald. & Noster, legunt מַתְּלָאָה *mattelaa*, vertuntque, *ecce labor*; vel potiùs, vt R. Abraham, *mattelaa* conflatur ex מַה תְּלָאָה *ma telaa*, id est, *quis labor.* q.d. O quantum laboris subij in afferenda hac victima? quàm mihi meisque humeris fuit onerosa: quàm ea apportanda defatigatus & anhelus sum? quàm fuit mihi grauis, crassa & pinguis hæc hostia? Vnde Pagnin. vertit, *ecce labor, & proiecistis illum.* q.d. Proiicitis in terram victimam, quasi eius onere quo oppressi estis, vos leuaturi, ideoque, vt Noster vertit, *exsufflastis illud*, quasi anheli exsufflatione halitū attracturi. Ita dicunt ipsi, sed mentiuntur: nam hostia eorum adeò vilis, macra & exilis est, vt exsufflari flatuq; depelli, imò exanimari possit, cogique vt halitum suum tenuem efflet & expiret. Septuag in editione Rom. vertūt, *exsufflauit illud* (licèt in editione Regia habeatur, *exsufflastis illud*, itaq; legāt S. Hieron. & Theodor.) per antithesin & collusionem contrarij sensus. q.d. Vos exsufflastis & suspiraſtis præ nimio onere: ego verò tamquam rem leuissimam & vilissimam exsufflo, leui flatu repello, refuto, atque adeò abominor. Sic parasitus apud Plautū gloriosum militē titillat dicens: *Cuius tu legiones diffiasti spiritu, quasi ventus folia.* Addit S. Hieron. *In Hebræo legi potest: Et exsufflastis me* (legendo אותי *oti*, id est *me*: etiam tamen omnes legunt אותו *oto*, id est *eum*) q.d. *Non sacrificio, sed mihi feci stis iniuriam*, me enim tacitè irrisistis, exsufflastis & exsibilastis.

Nota, ad populum magis, quàm ad sacerdotes hæc dici. Sicut enim priùs taxauit incuriam sacrorum in sacerdotibus, ita hìc eamdem taxat in populo, qui de more sacerdotes suos in scelere

lere & auaritia sequebatur, imò præibat. Vnde de populo subdit dicens: *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino.* ita S.Hieron.Remig. Hugo, Lyran. licèt aliqui, vt à Castro,& Sanchez,censeant continuari hîc sermonem ad sacerdotes. Illis enim pergit loqui initio capitis sequentis. Dicamus vtrosque hîc culpari.

DE RAPINIS] Elidit Deus falsam populi excusationem,q.d.Dicitis vos ex labore vestro has hostias, quales quales comparasse. Mentimini: nam ex rapinis eas parastis, rapuistis eas; atque ex raptis claudas & languidas mihi obtulistis, integras verò, pingues & vegetas vobis reseruastis.Duplex est ergo,imò triplex crimen vestrum: primum rapinæ,secundum irreuerentiæ & irreligiositatis,tertium mendacij.Numquid hoc scelus patiar? numquid munus tam fœdum & sordidum de manu vestra suscipiam? Absit. ita S.Hieron.Remig.Albert.& Lyran.

VERS.14. MALEDICTVS DOLOSVS QVI HABET IN GREGE SVO MASCVLVM, ET VOTVM FACIENS IMMOLAT DEBILE DOMINO] *Masculum*,id est robustum,perfectum,integrum,sine vitio.

Nota Primò,Leuit.22.3.sanciri,vt,si hostiæ sint votiuæ,siue ex voto oblatæ;sint perfectæ;sin voluntariæ, id non requiri, sed permitti vt sint mutilæ & imperfectæ. Causam ibidem assignaui. Hîc ergo Deus iuxta legem, in voto requirit victimam masculam,tum propriè dictam; tum masculam,id est perfectam: opponit enim eam debili,vel,vt Tigurina vertit,*vitiato*; Pagnin.*maculoso*; Chald. *corrupto*. Hebræum enim מְשֻׁחָת *masçat*, quod Noster vertit *debile*,significat succisum,excisum,mancum,corruptum.Sic ait Virgil.in Pharmaceutr.

Verbenasq; adole pingues,& mascula(id est,fortia & egregia)*thura.*

Sic Persius satyra 5.

Calido sub pectore mascula bilis
Intumuit,quam non extinxerit vrna cicutæ.

Sic vocamus masculà vina, masculos animos,id est fortes & generosos.

Nota Secundò. In solo holocausto, vtpote perfectissimo sacrificio,Deus requirit victimam masculam,Leuit.1.3. vnde in hostia pacifica,si sit voluntaria, permittit vt sit femina, Leuit.3.1. Dico,si sit voluntaria: nam si esset votiua,id est ex voto debita, debebat seligi melior, ideoque masculà,vt patet ex hoc loco Malachiæ. Quare si quis Deo vouisset ex grege suo ouem, seligere debebat masculam,non feminam; cuius rei causam tropologicam assignaui Exodi 1.16. nimirum quòd Deus amet,ideoque à vouentibus sibi consecrari velit,masculà,id est,generosa & virilia,non feminea, id est, languida & infirma. Optima ergo sunt Deo vouenda & offerenda, idque summo studio,ait S.Cyrill.

Nota Tertiò,τὸ *si habuerit*.Nam,vt ait S. Hieron.*si non habes masculum, nihil tibi nocet ista maledictio. Hæc autem dicendo, ostendit eos habere quæ optima sunt, & offerre quæ mala sunt.* Femina ergo se dicans Deo,illi perplacet: æquè ac vir offerens ouem feminam, cùm non habeat masculam.

Nota Quartò. τὸ *dolosus*,significat hîc peccari non tantùm contra religionem, sed & contra iustitiam.Sicut enim mercator,qui emptori certo pretio suas merces addicit,si postea ei illas tradat vitiatas & corruptas, peccat dolo malo, A
que iniustus; ita & qui Deo victimam promi-
scilicet Deo dignam, & iuxta legis præscrip-
integram & perfectam,fraudulentus est,& pe-
cat contra iustitiam, si postea eidem tradat
cam,mutilam & vitiatam,facitque furtum
sacra,ideoque sacrilegium.

Discant hîc Religiosi & vouentes, sua
debere esse mascula; atque id quod voue-
debere Deo dari integrum, virile, perfectu
optimum. Ergo castitas eorum debet esse
ex parte illibata & integra; paupertas perfe-
obedientia virilis & mascula. Hoc enim
reuerentia summæ & diuinæ maiestatis,
consecrant,vt ei summa,optima & perfectis-
offerant;nimirum vt faciant se holocaustũ De-
totas facultates ei offerendo per votum pau-
tatis, totum corpus per votum castitatis, tot
animam per votum obedientiæ. Quocirca S.B
filius serm.1.de Monast.institut. asserit eum
nuncium sæculo remisit,diuinum quoddam
effectum esse;ac proinde ei cauendum,ne vi
so vsu polluatur; seque ipsum custodire debe
velut quiddam Deo dicatum, ne sacrilegij
men incurrat; si videlicet corpus quod De
crauit, rursus ministerio vitæ communis co
minet. Hinc S.Gregor.hom.12 in Ezech. d
Religiosos esse holocausta Dei: *Qui*,inquit,*cun
quæ mundi sunt deseruntt, & totam mentem igni
uini amoris incendunt: hi nimirum omnipotenti
sacrificium & holocaustum fiunt.* Idem docet
Thomas 2.2.q.186.a.7. Quin & S.August.l.
Ciuit.6.*Ipse homo*,inquit,*Dei nomini consecratus
deuotus, in quantum mundo moritur vt Deo viu
sacrificium est*, in quo scilicet victima est hom
culter est sui odium & abnegatio, mors est ab
catio vitæ sæcularis vt spiritualem capessat,
est amor Dei,ligna sunt orationes & pietatis
ercitia, sacrificium est ipsa sui per tria vota ob
tio & consecratio. Ita S. Teresia, vt habet
Vita,vouit se in qualibet re facturã id quod op
mum esset,perfectissimum, Deoq; honorifice
tissimum.Ita masculam victimam offerunt De
qui per continentiam omnes cupiditates, vtpote
feminarum femineas,trucidant. Rursum,qui
dorem metumq; omnem pro Dei gloria cõte
nunt. Insuper,qui persecutiones,exilia, fame
carceres,tormenta & mortem pro Deo genero
sustinent & superant,vti fecerunt Martyres.

Sic masculum animum, & septem proles m
sculas,quasi victimas pro lege Dei ad martyriu
obtulit Machabæa mater & virago,quæ *singu
hortabatur voce patria fortiter repleta sapientia, &
femineæ cogitationi masculinum animum inser
dixit: Nescio qualiter in vtero meo apparuistis,&c.*
2.Machab.7.21. Totidem masculos secum De
ad martyrium obtulit S.Felicitas sub Marco Au
relio Imp.anno Domini 175.quæ Publico Pre
fecto suadenti vt sibi & filiis cõsuleret,obedie
do Imperatori & sacrificando eius diis; respo
dit:*Tua compassio est crudelitas,tuum consilium ille
brosum & crudele.* acconuersa ad filios:*Aspicite,
ô filij cælum, vbi Christus vos spectat & expectat cu
suis Sãctis:certate viriliter pro salute animarũ vest
rum:ostendite vos fideles & cõstantes in amore Chri
Iesu.* Quibus vocibus animati filij ad vnũ omn
sua corpora in prædam dederunt, ac gloriosa
pro Christo mortem obierunt,æquè ac post ipse

mane

mitte. Totidem masculos secum Deo obtulit S. Symphorosa cum marito Getulio, qui omnes martyrij lauream adepti sunt sub Adriano Imp. anno Domini 138. quibus competit illud Sapientis Prouerb. 31. v. 10. 17. 19. 25. *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius. Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum. Manum suam misit ad fortia. Fortitudo & decor indumentum eius, & ridebit in die nouissimo.*

QUIA REX MAGNVS EGO, DICIT DOMINVS] Ideo debeo magna mihi conueniunt & debentur, excelsa scilicet & perfectissima, ideoque masculus, non femineus: valida, non debilia; integra, non manca, vel mutila.

ET NOMEN MEVM HORRIBILE] Hebr. נורא *nora*, id est, tremendum & reuerendum; Chald. pauens. Respicit ad vers. 6. *Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? Et si dominus ego sum, vbi est timor meus?* Horribile ergo idem est, quod summè pauendum & reuerendum. Reuerentia enim quando est eximia, ex profunda consideratione tantæ maiestatis generat tremorem, horrorem & stuporem. Hic est horror sacer, de quo Virg. Æneid. 1.

Horrentiq; atrum nemus imminet vmbra.

Et Lucanus:

Arboribus suus horror inest.

Rursum *horribile*, id est, *terribile*, vt vertit Pagnin. & formidabile; quia ipse sui suorumque sacrorum neglectum horribiliter castigat & punit. Hinc Sophon. c. 1. 11. ait: *Horribilis Dominus super eos, & attenuabit omnes deos terræ, & adorabunt eum viri de loco suo, omnes insulæ gentium.*

Septuag. Hebr. נוֹרָא *nora*, non à יָרֵא *iare*, id est terruit; sed à רָאָה *raa*, id est, *vidit*, deducentes vertunt ἐπιφανὲς, id est, *illustre est nomen meum in gentibus*. Hoc verum fuit tempore Malachiæ & Machabæorum, quorum victoriæ cælestes Deum toto orbe cunctis gentibus illustrem & formidabilem fecerunt; verius est in Christo & Christianis: omnes enim gentes celebrant Christum, eiusque Deum Patrem. ita Theodor.

CAPVT SECVNDVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Malis sacerdotibus in cultu suo incuriis minatur Deus egestatem, maledictionem, infamiam, eò quòd eorum sit custodire scientiam, cùm sint angeli Domini. Mittam, *inquit*, in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris. *Et vers.* 9. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis. *Secundò, v.* 10. *multis arguit sacerdotes & populum, quòd repudiarent suas vxores Israelitides, & ducerent alienigenas: ideoq; pariter v.* 13. *protestatur se eorum victimas repudiaturum. Duas ergo hîc dat causas cur et displiceant ipsorum hostiæ: prior est, quòd sint viles & illegitimæ: posterior, quòd offerantur ab iis qui coniugio cum idololatris sunt maculati & polluti.*

ET nunc ad vos mandatum hoc, ô sacerdotes.

2. Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, vt detis gloriam nomini meo, ait Dominus exercituum: mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris, & maledicam illis: quoniam non posuistis super cor.

3. Ecce ego proiiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum, & assumet vos secum.

4. Et scietis quia misi ad vos mandatum istud, vt esset pactum meum cum Leui, dicit Dominus exercituum.

5. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis: & dedi ei timorem, & timuit me, & a facie nominis mei pauebat.

6. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas non est inuenta in labiis eius: in pace & in æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate.

7. Labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est.

8. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege: irritum

feciſtis pactum Leui, dicit Dominus exercituum.

9. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege.

ET NVNC AD VOS MANDATVM HOC, Ô SACERDOTES] Redit à populo ad sacerdotes, quasi ad mali fontem: eorum enim auaritiam & sacrorum incuriam taxauit cap. 1. v. 6. & sequent. Hãc Dei increpationem audiant, sibiq; à Spiritu sancto dictatam putent sacerdotes nouæ legis, à quibus vti maiorem sanctitatem iure requirit Deus, ita grauiùs eos puniet, si in officio suo sint incurij, aut scandalosi. VERS. 1.

SI NOLVERITIS AVDIRE, ET SI NOLVERITIS PONERE SVPER COR, VT DETIS GLORIAM NOMINI MEO] q.d. Si nolueritis mihi monenti, & scelera vestra arguenti obedire, si, inquam, nolueritis firmiter apud vos decernere, cordiq; vestro imprimere, quòd deinceps debitè me coletis, curabitisq; vt meo altari, victimis & cultui suus constet decor, honor & gloria, offerendo scilicet mundas, legitimas, meq; dignas victimas. VERS. 2. Nota hebraismum: *ponere super cor*, vel in corde, est cordi imprimere, cor applicare, cor flectere & dirigere, corde ferri & intendere. Per *cor* intellige mentem & voluntatem, eiusque propositum, resolutionem & decretum.

Quæres, quid iubet Deus hîc poni super cor?

Respondet Chald. sui timorem; vertit enim, *nisi ponatis timorem meum super cor, vt detis gloriam nomini meo.* Hic enim timor, non tantùm seruilis, sed & filialis, est quasi pondus graue cordi hominis impositum, quod illud premit impellitq; vt Deo se submittat, & per omnia obediat; perinde ac pondera in horologio eius rotas premendo commouent, aguntque vt indicem horarum stata temporis mensura circũagant, ad horas quaslibet diei indicandas & monstrandas. Simili modo enim pondus cordis nostri, est timor & amor Dei, iuxta illud S. Augustini lib. 11. Ciuit. 28. *Amor meus pondus meum, illo feror quocunque feror. Velut amores corporum,* ait S. August. *momenta sunt ponderum. Ita enim corpus pondere, sicut animus amore fertur, quocunque fertur.* Secundò, Vatablus respondet, præcepta Dei iuberi hîc poni super cor, q.d. Nisi aduerteritis ad præcepta mea, nisi cor applicaueritis ad ea quæ vobis præcipio. Vbi Nota, sapientes & probos Dei præcepta ponere super cor, vt illi quasi incumbant & dominentur, illudque agant ad ea exequendum; insipientes verò & improbos ponere ea sub corde, vt cor eis dominetur, eaque capessat, si, vbi, & quando velit; si nolit, ea pessundet & negligat. Tertiò, simpliciùs & faciliùs dici potest, iubere hîc Deum sacerdotibus, vt gloriam nominis diuini imponant cordi suo, vt scilicet decernant in corde dare, & procurare gloriam Dei in eius sacrificiis. Propheta enim explicat quid iubeat *ponere super cor,* dum illico subdit: *Vt detis gloriam nomini meo.* Nam gloria Dei est pondus, quod cor sacerdotis premere & impellere debet, ad sacerdotij munia piè riteque obeundum. Finis enim & scopus sacerdotij, est gloria Dei. Quocirca sacerdos in omnibus suis actionibus hunc finem & scopum spectare debet, easque ita religiosè obire, vt per eas honoretur & glorificetur Deus. Ita S. Ignatius fundator Societatis nostræ, hoc firmiter cordi impressum habebat, tanquam totius vitæ suæ principium & regulam: *Ad maiorem Dei gloriam.*

Amor est pondus cordis.

Pij ponunt legem supra cor, impij sub corde.

Gloria Dei est scopus sacerdotis.

MITTAM IN VOS EGESTATEM] Hebr. מְאֵרָה *meera,* id est maledictionem. Vnde sequitur: *Et maledicam benedictionibus vestris.* Ita Septuaginta, Chaldæus, Pagninus, Vatablus & alij. Iam maledicere Dei est efficax, idemque quod malefacere; sicut ex aduerso benedicere Dei est benefacere. Quocirca maledictio Dei accipi potest paupertas, infamia, sterilitas, pestis, omniaq; mala & aduersa. Noster tamen vertit, *egestatem;* tum quia hæc maximè & sæpissimè Iudæis à Deo fuit comminata & intentata, hancque maximè Iudæi terreni & carnales extimescebant; tum quia propria & condigna pœna auaritiæ est egestas. q.d. Vos, ô sacerdotes, conamini per auaritiam, suffurando mihi victimas meliores, easque vobis arrogando, vos ditare: quocirca ego efficiam, vt vos depauperent: efficiam enim vt propter eas egestatem, quam per eas iniquè fugere cogitabatis, incurratis.

Auaritia pœna est egestas.

Notent hîc auari, præsertim Ecclesiastici, æterna Dei lege iustissimè sancitum esse, vt cupiditates cõtrarijs pœnis puniantur, & per quæ quis peccat, per eadem & plectatur; scilicet vt superbi puniantur ignominia, gulosi esurie, inuidi exaltatione æmuli cui inuident, acedi labore & fatigatione, ac consequenter auari penuria & egestate. Hanc ergo sciant & cogitent sibi, & posteris suis à Deo certò infligendam, tum in hac vita, tum in futura. Quocirca desinant auaritiæ seruire, vtpote quæ illis non diuitias, quas ambiunt; sed inopiam sit paritura: studeant verò eleëmosynæ, quæ opes omnes eis concilabit.

MALEDICAM BENEDICTIONIBVS VESTRIS] Primò, q.d. Priuabo vos bonis quæ vobis dedi, quæque ex mea benedictione possidetis, auferam vobis oblationes meliores & pinguiores, quia vos eas mihi suffurati estis; faciam vt populus parcè, & peiora vobis offerat, quia vos peiora mihi obtulistis: iuxta illud: *Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet,* 2. Cor. 9. 6. Benedictiones enim Dei sunt fruges, opes & gratiæ quibus ipse nos cumulat, nobisque benefacit. Vnde B præcessit: *Mittam in vos egestatem.* ita S. Cyrill. Romig. & Vatablus.

Secundò, q.d. Hominibus, bestijs, agris & domibus, quibus vos, ô sacerdotes irreligiosi, benedixeritis, ego maledicam & malefaciam, affligam, euertam. ita S. Hieron.

Tertiò, q.d. Habebo vestras benedictiones pro execrationibus. Vnde Chald. vertit, *maledicam benedictioni vestræ, & execrabor eam.*

Symbol. Theodor. per benedictionem accipit sacerdotium. q.d. Auferam à vobis sacerdotium, quia vos eo indigni estis, eoque abutimini, præsertim quando illud cum lege veteri abolebo, nouumque & sanctum per Christum instituam.

Tropol. S. Hieron. *Qui,* inquit, *sanitate abutuntur in libidinem, & diuitias vertunt in luxuriam, bonamq; famam sordida conuersatione deturpant, & benedictiones Dei mutant in maledictionem,* hæc propriè sacerdotes, *qui adulantur peccatoribus, dummodo diuites sint, atque eorum vitijs blandiuntur, de quibus dictum est,* Isaiæ 3. *Populus meus, qui beatos vos dicunt, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum supplantant.* C

ET MALEDICAM ILLIS] Idem repetit & inculcat, q.d. Omnino & grauiter maledicam benedictionibus vestris. Secundò, Pagnin. & Vatablus, vertunt, *quin etiam maledixi,* id est maledicere cœpi, *illi,* scilicet cuilibet benedictioni vestræ; Chald. *execrabor illam.* Maledicere Dei est efficax, idemque quod malefacere, hominum verò est inefficax: nam sæpè quibus homines maledicunt, Deus benedicit. Ita ocimum, inquit Plinius lib. 19. c. 7. *cum maledictis ac probris seminari præcipiunt* hortulani superstitiosi, *vt latius proueniat. Et cuminũ qui serunt, precantur ne exeat.* Deus tamen illi benedicit, vt copiosè succrescat. D

ECCE EGO PROIICIAM VOBIS BRACHIVM] Pro *proijciam* hebr. est גֹּעֵר *goer,* quod propriè, vt vertit Chald. significat increpare, & per metalepsin increpando proijcere, corrumpere, dispergere. Rursum pro *brachium,* Hebr. est זְרוֹעַ quod si punctes זְרַע *zera,* significat semen; si punctes זְרֹעַ *zeroa,* significat brachium: sed ait Rabbini & recentiores; vnde Pagninus vertit, *corrumpo vobis semen.* q.d. Ecce maledicam benedictionibus vestris, vti dixi, quia semen quod seminastis in terra corrumpam, faciamque à vermibus erodi, vt parum vel nihil segetis succrescat, quod metatis. Tigurina, *increpabo, & increpando dispergam vobis semen,* siue frumentum siue filiorum. q.d. Et fruges, & stirpem vestram subter-

seminum, dispergam vos cum semine, id est, A cum filijs vestris.

Verbum Septuag. & Noster pro *zera*, id est semen, legunt *zeroa*, id est brachium, hoc est, armum victimarum pacificæ. Hic enim ex lege Leuit. 7. 31. cedebat sacerdoti; quo tropol. monetur sacerdos, strenuè operari, *vt non solùm sit eo ipso ritus, sed etiam singularis; vt sicut subditos honore ordinis superat, ita etiam morum virtute superet*, ait S. Gregor. 2. p. Pastor. c. 3. Sensus est, q. d. Armum quem in lege vobis separaui & dedi indignèr vobis relinquam, & quasi indigebundus proijciam, dum faciam vt laici offerentes contemptibiliter & indignabundè vobis armum & victimas in faciem proijciant; eò quòd videar vos eum viles, incurios & irreligiosos, tã negligenter & irreuerèter Dei sacrificia tractare & peragere. ita S. Hieron. Remig. & Hugo. Accedit hue Lyranus, qui per *brachium* accipit robur & almoniam, q. d. Almoniam quam ex victimis percipiebatis, vobis auferam: aut brachiũ, id est robur vestrum, proijciam, ne quid magni vlterius operetur, sed hostibus succumbat. Vtrumque lectionem, *zera* & *zeroa*, amplectitur Arias. & Castro, qui sic explicat, q. d. Ego proijciam brachium, quo mihi mincha, id est farinam seminis & tritici vestri, offertis, ipsamque farinam in facies vestras indignans respergam.

Tertiò Aquila vertit, *ecce ego vos increpabo cum brachio*, q. d. Meo brachio, meaque potentia vos proijciam & dispergam. Alludit partim ad duellum, partim ad oratores brachio minantes & pugnantes. Nam *brachium proceriùs proiectum, est quasi quoddam telum orationis*, ait Cicero libr. 3. de Orator.

Symbol. Theodor. q. d. Brachium, siue armũ, hoc est, victimas & cæremonias vestras, ob vestrum neglectum & abusum abijciam & abolebo, easque per Christum & Apostolos inducã & sanctam. Denique in Hebræo elegans est allusio inter *zera* vel *zeroa*, & זרעתי *zarati*, id est dispergam, q. d. Dispergam brachium vestrum, & semen per illud à vobis in agro sparsum.

ET DISPERGAM SVPER VVLTVM VESTRVM STERCVS. Hebr. ad emphasin & maius probrum, repetita vox *stercus*. *Et spargam vobis stercus in facies vestras*, inquam, SOLEMNITATVM VESTRARVM] Per *farta* accipe cum Septuag. ventriculum, qui fartus conficit & continet: ventriculus enim in victima pacifica cedebat sacerdoti, iuxta legem Leuit. 7. 31. Sensus est, q. d. Quia vos mutilas, viles & illegitimas victimas offertis, ego indignans ibo, & per offerentes proijciam vobis ventriculi, quem per legem vobis assignaui, ita vt stercore contentum, hoc iactu excussum, vultum vestrum conspergat & conspurcet, illudq; *assumat in signum*, vt scilicet vos stercore hoc inuoluam, & omnibus sitis risui & contemptui, & vocemini stercorarij, viles & abiecti, vti Heli cõminatus sum, & reipsa præstiti, 1. Reg. 2. 30. Porrò stercus symbolum est probri & ignominiæ, quo vos afficiet Deus, dum oblacrorum neglectum, ignorantiam, malamque vitam faciet vos populo contemptibiles & exosos, dumque vos pariet media, fame & bello, tradetque Antiochi Epiphani, alijsque hostibus vexandos & illudendos. Vnde Chald. vertit, *reuelabo confusionem idolorum vestrorum in facies vestras*.

ET SCIETIS] q. d. Iam mihi comminanti non creditis, sed pœna vos docebit, nimirum *Phryges non nisi plagis sapiunt*. Cùm enim videritis vos contemni & puniri; vti hîc prædico, tunc scietis mandatum istud de religione, munditie & sanctitate sacerdotum, deque victimis mundis ritè & legitimè offerendis, olim in Leuitico à me sancitum, nunc verò per Malachiam renouatum & refricatum, fuisse à me, putà à Deo vestro editum ad hoc, vt *pactum meum* olim *cum Leui*, id est tribu Leuitica, initum, firmum & illæsum consisteret. Videbitis enim vos bona pacto à me promissa perdidisse, quia pacti conditiones violastis; insuper & puniri. ita S. Hieron. Remig. Albert. Hugo & Lyran. qui per Leui accipiunt non personam, sed tribum Leui, id est Leuitas, vt vertunt Septuag. Nec enim hoc pactum iniit B Deus cum ipso Leui filio Iacob, sed cum eius posteris, putà cum Aarone, qui primus à Deo per Mosen consecratus est sacerdos & pontifex Iudæorum, ac deinceps sacerdotium & pontificatum ad posteros transmisit, vt patet Leuit. 8 vnde de illo canit Ecclesiast. c. 45. 7. *Excelsum fecit Aaron fratrem eius, & similem sibi de tribu Leui: statuit ei testamentum æternum, & dedit illi sacerdotiũ gentis, & beatificauit illum in gloria.* ita Hebræi, Theodor. Vatabl. & Arias, qui duo per Leui accipiunt quoque Phinees, nepotem Aaronis, ex patre Eleazaro: quia ob zelum eius, quo vendicauit Dei honorem occidendo cultores Beelphegor, Deus nouo promisso confignauit & cõfirmauit illi & posteris eius pontificatum in perpetuum. Imò Hebræi nonnulli, quos sequitur B. Petrus Damiani epist. 12. vel, vt alij notant, 11 c. C 2. ad Nicolaum II. Pontif. censent Phinees eumdem esse cum Elia, ac proinde eum etiamnum viuere, & victurum vsque in finem mundi, vt dixi Num. 25. 11. Minùs rectè Rupert. per Leui accipit Mosen, tum quia posteri Mosis non fuerunt sacerdotes, sed posteri Aaronis; tum quia Moses non tam pactum iniit, quasi paciscens cum Deo, quàm sequester & mediator fuit pacti, quod Deus pepigit non tantùm cum Leuitis, sed cum omnibus tribubus Israel. Leui ergo hîc significat ordinem sacerdotalem ex Aarone descendentem, qui vti magnus erat honos, ita magnum onus sibi habebat impositum, vt patet ex toto Leuitico, ac sæpè pœnam mortis, si peccarent, vt patet Leuit. 10. 8. & c. 22. 3.

PACTVM MEVM FVIT CVM EO VITÆ ET PACIS] VERS. 5. scilicet ei dandæ tum in hoc sæculo, tum in fu- D turo, si me ritè coleret, measque leges & cæremonias obseruaret. q. d. Pepigi & promisi Aaroni & posteris eius longam, pacificam, opulentam & felicem vitam, si meum pactum & meas sanctiones custodiret, putà si ritè & legitimè munia sacerdotis obiret. ita Theodor. & alij. Id Aaroni reipsa præstitit Deus: nam vitam ei prorogauit ad annum 123. qui fuit quadragesimus à pontificatu eius, quèd ac ab exitu Hebræorum ex Ægypto, eiusque pontificatum contra æmulos, Core, Dathan & Abiron, eos viuos in infernum absorbendo, & aridam virgam Aaronis floridam efficiendo, Num. 16. & 17. propugnauit. Hebræi hæc accipiunt de Phinees, quem tradunt pontificem sanum & prosperum vixisse annos trecentos, imò alij censent eum etiamnum viuere; ipsum enim esse Eliam, vti paulò antè dixi.

ET DEDI EI TIMOREM] En pactum Dei cum Aarone & posteris: Deus enim Aaroni promisit longam vitam & pacem, id est prosperitatem, si sibi obediret: Aaron vicissim promisit Deo timorem, quòd scilicet eum religiosè veneraretur & coleret. Timor enim hîc & alibi significat Dei reuerentiam & cultum. Porrò hunc timorem & reuerentiam non ex se habebat, sed à Deo: est enim donum Dei & Spiritus sancti, vt docet Isaias c. 11. v. 3. Vnde sequitur: *Timuit me, & à facie nominis mei pauebat*, scilicet Aaron, eiusque nepotes Phinees, Onias, Machabæi, alijque veri & boni sacerdotes. Tantùm enim de bonis loquitur.

Primus dos sacerdotis, est timor Dei.

VERS. 6. LEX VERITATIS FVIT IN ORE EIVS] q. d. Aaron legem meam verè & rectè populum ore suo docebat. Hæc est secunda pacti conditio, quam ab Aarone exegit Deus, quamque ei præstare debet sacerdos & pontifex, scilicet docere veram Dei fidem, religionem, legem & cultum, ac refutare omnem hæresim, & superstitionem falsumque Dei cultum. Quocirca pontifex in lege veteri pectori inscriptum gerebat *Vrim & Tummim*, id est, doctrina & veritas. vide dicta Exodi 28. 30. & Leuit. 10. 8. Grauiter auctor Imperfecti in S. Matth. apud S. Chrysost. homil. 25. *Non solùm*, ait, *ille proditor est veritatis, qui transgrediens veritatem palàm mendacium pro veritate loquitur; sed etiam ille, qui non liberè pronunciat veritatem quam liberè pronunciare oportet, aut non liberè veritatem defendit quam liberè defendere oportet, proditor est veritatis. Corde enim creditur ad iustitiã, ore autem confessio fit ad salutem.* Et S. Ambros. lib. 2. epist. 17. ad Theodos. Imp. *Nihil*, ait, *in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non liberè pronunciare. Si quidem scriptum est: Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar. Et ideò clementiæ tuæ* (ô Imperator) *displicere debet sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentij mei periculo involueris, libertate bono tuaris.*

Secunda, veritas.

In sacerdote requiritur libertas corripiendi.

INIQVITAS] Id est, mendacium, error & falsa doctrina, ait Vatabl. ac falsitas, vt vertit Chald. adde & fraus, hypocrisis, adulatio, iniustitia, & quælibet alia iniquitas.

IN PACE ET IN ÆQVITATE AMBVLAVIT MECVM] putà in meis præceptis, q. d. Aaron studuit præcepta mea custodire, seruando pacem & æquitatem cum proximis. Vbi Nota, qui pacificè & æquè versatur cum proximis, hic ambulat cum Deo, qui pacis & æquitatis est amator, auctor & tutor. Vnde Septuag. vertunt, *in pace dirigens* (id est, in pace & rectitudine, vel planicie) *ambulauit mecum.* Est hæc tertia conditio pacti, quam ab Aarone & quouis sacerdote exigit Deus, nimirum æquitas & pax siue pacifica conuersatio, vt in ea ambulent cum Deo, sicut ambulauit Henoch Gen. 5. 22. & Noe Genes. 6. 9. vide ibi dicta.

Pacificus cum proximis, ambulat cũ Deo.

Tertia, pax.

ET MVLTOS AVERTIT AB INIQVITATE] Hæc est quarta conditio veri Aaronis & veri sacerdotis, vt verbo & exemplo satagat omnes retrahere ab impia & iniqua vita ad piam & sanctam. Quocirca S. Chrysost. lib. 3 de Sacerdotio, sacerdotes vocat parentes nostros: *Parentes enim*, inquit, *nos in præsentem, sacerdotes in vitam æternam generant.* Iure quæritur S. Gregor. *Ecce*, ait, *mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus*

Quarta, zelus animarum.

Gnoma Patrum.

A *valdè inuenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officij non implemus. Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minimè in prædicando laboramus.* Plura vide hom. 17 in Euang. Grauiter verò S. Chrysost. in Matth. c. 23 hom. 43. *Multi*, ait, *sunt sacerdotes, & pauci sacerdotes: multi nomine, & pauci in opere. Videte ergo quomodo sedeatis super cathedram: quia cathedra non facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Qui bene sedent super cathedram, honorem accipit ab ea: qui malè sedet, iniuriam facit cathedræ. In iudicio enim sedes: siue bene vixeris & bene docueris, iudex omnium eris: si autem bene docueris, & malè vixeris, tui solius. Nam sine viuendo, & bene docendo, populum instruxeris quomodo viuere debeat: bene autem docendo, & malè viuendo, Deum instruis quomodo debeat te condemnare.*

B Idem in c. 25 Matth. *Bene agenti populo, vnusquisque pro suo merito remuneratur; sacerdos autem pro bonis omnium. Habebit enim pro propria laureum, pro acquisitione aliorum laureolam.* Rursum S. Gregor. hom. 11. in Ezech. *Nos*, ait, *qui sacerdotes vocamur, supra ea mala quæ propria habemus, aliena quoque mortes addimus: quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidè & tacentes videmus. Tunc ictus moritur sine te, quando in causa mortis contradictorem te pertulerit: nam mortuo, cui non contradicis, adiungeris.* S. Isidor. lib. 3. de Summo bono: *Sacerdotes*, ait, *pro populorum iniquitate damnantur, eos aut ignorantes non erudiunt, aut peccantes non arguunt. Sicut enim peccatorem conuenit argui, ita iustum non exulcerari.* Hugo de S. Victor. lib. 2. de Claustro animæ: *Tres*, ait, *sunt pastoris voces, scilicet suauis, dulcis, alta. Suauis ad infirmum, ad misericordiam: dulcis, ad surdum pertinet alta.*

C LABIA ENIM SACERDOTIS CVSTODIENT SCIENTIAM, ET LEGEM REQVIRENT, id est, custodire debent, scientiam, et legem requirere debent, & de facto requirent, EX ORE EIVS] Dat rationem eorum quod dixit v. 6. *Lex veritatis fuit in ore eius*; quæ scilicet fecit quod facere debuit. Nam sacerdotis est cognoscere legem, eamque alios docere iuxta illud Ecclesiastici de Aarone cap 45. *Dedit illi in præceptis suis potestatem docere testimonia*, (id est, leges suas: hæ enim sunt testimonia voluntatis diuinæ, quid scilicet à nobis fieri, et non fieri velit Deus) *& in lege sua lucem dare Israel.* Sic S. Paulus ad Titum 1. ab eo exigit, *vt sit potens exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere*, ait S. Hieron. Quocirca S. Ambros. libr. 3. de Fide cap 7. Biblia, quæ continent legem Dei, vocat librum sacerdotalem, quem sacerdotibus proprium & ab ijs assiduè legendum. Notat S. Hieron. non dici, Proferent scientiam, sed *custodient*, vt scilicet eam loquantur opportunè & congruè, dando conseruis cibum tempore suo, vt monet Christus Matth. 24. 45. Os sacerdotis sit arca quædam salutaris, ex qua quisque sibi depromat necessaria, quæ ille De ad communem cuiusque vtilitatem & institutionem recondidit. Quocirca Auctor Imperfecti apud S. Chrysost. homil. 38. in Matth. *Sicut stomachus accipiens cibum coquit: sic & sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturam à Deo, excoquunt eam in se, id est, tractantes & meditantes apud se vniuerso populo subministrant.* Et S. Ambros. serm. 13. sacerdotes comparat apibus: *Sicut apes*

D

ingeri, de diuinarum Scripturarum floſculis ſuauia
nobis conficiunt, & quidquid ad medicinam pertinet
animæ, oris ſui arte componunt.

Præclarè S. Bernard. lib. 2. de Conſid. ad Eu-
gen. cap. 13. *Inter ſæculares*, ait, *nugæ, nugæ ſunt, in*
ore ſanctis blaſphemiæ. Conſecrauit os tuum Euan-
gelia: tam aperire illicitum, aſſuefacere ſacrile-
gium est. Labia ſacerdotis, ait Malachias, cuſtodiunt
ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, non nugas
poëtarum, fabulas. Verbum ſeruile, quod faceti vrba-
nitatis nomine colorant, non ſufficit peregrinari ab ore,
penitus & ab aure relegandum eſt. Fœde ad cachinnos
mouet, ſedibus mouet. Particulatim verò S. Chry-
ſoſt. hom. de eo qui incidit in latrones: *Meminerit,*
ac ſecum ſe ſpeculatorem eſſe cunctorum, vt ouibus
paſcuæ ſalutares tribuat, agnis puri fontis vndas ex-
hibeat, exterminet ab ouibus lupos, ab agnis nocium B
lædat, vulneratos curet, errantes reuocet,
quæ infirmata ſunt, erigat lapſos, generaliter omnes, ſpe-
culator fragilis doceat, ſuæ vitæ vniuerſos prouocet
exemplo: ſit eius doctrina duplex, vt eius verbis facta
conueniant, atque doctrinæ reſpondeant: in nullo ſit mi-
nor, quicunctis eſſe potior. Charismatibus ſplendeat,
ſplendor eſſe. Sit cum auctoritate humilis, cum hu-
militate ſublimis. Nec ideo ſit melior, quia maior; ſed
ideo maior, quia melior. Multiplicet populos, & eos
deinde meliores faciat quàm accepit. Sic fiet vt dum
hominibus ſeruenter inſiſtit, Dominum ſibi conſtituat
debitorem. Quocirca S. Ambroſ. lib. de Dignitate
ſacerdotis cap. 6. ait ſacerdotes eſſe oculos Eccle-
ſiæ, per eos reliquum corpus ducatum lucis
accipit. *Nam quid aliud*, ait, *interpretatur Epiſco-*
pus, niſi ſuperinſpector? maximè cùm in Eccleſia ſolio
ſublimi reſidet, & ita cunctos reſpiciat, vt & cun-
ctorum oculi in ipſum reſpiciant. Ergo ſi ita eſt, cur te C
velut verum ſpeculum vniuerſorũ oculis demonſtras?

QVIA ANGELVS DOMINI EXERCITVVM EST] Septuag. *quia angelus Domini omnipotentis eſt:*
Hebr. est מלאך malach, ſiue Malachias. *Exponit,*
ait S. Heron. *nomen ſuum Eſdras ſacerdos Dei, hoc*
eſt Malachias (ipſe enim cum Hebræis cenſet Ma-
lachiam fuiſſe Eſdram) *quod angelus Domini inter-*
pretatur. Angelus autem, id eſt nuncius, ſacerdos Dei
propriè dicitur: quia Dei & hominum ſequeſter eſt,
ea, ad populum nunciat voluntatem: & idcirco in
ſacerdotis pectore rationale eſt, & in rationali doctri-
na & veritas ponitur, vt diſcamus ſacerdotem doctum
eſſe debere, & præconem Dominicæ veritatis. Sacerdos
ergo est angelus Dei, Primò, quia est nũcius Dei
ad homines. Vnde Tigurina vertit, *legatus enim*
est Domini exercituum. Sicut enim legatus non
aliud quàm principis ſe legantis voluntatem an- D
nunciat eique nihil addere aut demere poteſt;
ita & ſacerdos Dei voluntatem annunciat popu-
lo, eique nihil addere aut demere poteſt, ait S.
Chryſoſt. homil. 2. in epiſt. ad Rom. Ac viciſſim
vota populi refert ad Deum. Eſt ergo tam lega-
tus populi ad Deum, quàm Dei ad populum, pu-
tà inter vtrumque internuncius, mediator & le-
gatus. Deus, ait Tertullian. libr. contra Iudæos
cap. 10. *vocare conſueuit angelos, quos virtutis ſuæ mi-*
niſtros præfecit. Secundò, ſicut angeli miniſtrant
Deo, ita & ſacerdotes. Vnde Chaldæus ver-
tit, *quia miniſter eſt coram Domino exercituum.* Vn-
de Plato in Phædro ait triplicem eſſe ecſtaſin &
furorem: Primò, vatum; Secundò, ſacerdo-
tum; Tertiò, amantium. Nec enim aliquid ab
his rebus dignè fieri poſſe, niſi animus à cor-

pore ſeuocetur, & extra ſe in ardorem & quaſi
furorem rei amatæ, præſertim cæleſtis & diuinæ,
rapiatur. Tertiò, ſicut angeli iugiter aſtant Deo, *Tertius.*
in eum intentam habent aciem mentis, ei iubilant
& pſallunt iugiter, Sanctus, ſanctus, ſanctus, Do-
minus Deus exercituum (*angelorum enim opus eſt*
Laudare Deum, ait S. Baſil. in pſalm. 28.) ita & iu-
giter orare ac pſallere debet ſacerdos, iuxta il-
lud pſal. 137. 2. *In conſpectu angelorum pſallam tibi.*
Quartò, quia angelorum veritatem, ſinceritа- *Quartus.*
tem, caſtitatem, puritatem, virtutem & zelum
imitari debet, ac quaſi angelus eſſe inter homi-
nes, quaſi magiſter inter pueros, quaſi paſtor in-
ter animalia. Quocirca aptè ex hoc loco Iſidor.
Peluſ. Dorothei presbyteri leuitatem caſtigat
libr. 1. epiſt. 319. *Cùm ſacerdos*, inquit, *gregis for-*
ma, & Eccleſiæ lumen dictus ſit, ac reuera ſit, ſubditos,
vt ceram ſigillo, ſic ipſius moribus imprimi neceſſe eſt.
Quocirca ſi lumen eſſe vis, ſcurrilitatem, ac riſus petu-
lantiam odio inſectare: ne alioqui multos petulantiam
ac procacitatem doceas. Sacerdos enim Domini omni-
potentis angelus eſt: angelus autem riſum neſcit, Deo
cum metu ac pauore miniſtrans. Quintò, ſacerdos *Quintus.*
eſt angelus conſecratione diuina, qua poteſta-
tem maiorem quàm habeant angeli, à Deo ac-
cipit. Sextò, angelorum tria ſunt munia, ſcilicet *Sextus.*
purgare, illuminare & perficere, vt ait S. Dionyſ.
in Cæleſt. hierar. Et *angelorum perfectio eſt ſancti-*
ficatio, ait S. Baſil. hom. de Spiritu ſancto. Eadem
ſunt munia ſacerdotis. Eius enim quaſi media-
toris eſt reducere populum ad Deum: hinc opor-
tet vt iugiter in mente habeat videatque Deum,
ad quem intendit populũ reducere. Porrò quo-
modo quis Deum videre poſſit, paucis & pul-
chrè docet Plotinus, Platonicus licèt, lib. de Pul-
chr. c. 9. *Efficiatur*, ait, *diuinus, pulcher & deiformis,*
qui diuinam pulchritudinem ſit inſpecturus. Audi &
S. Ambroſ. lib. de Initiandis c. 2. *Sacerdos eſt ange-*
lus, qui regnum Chriſti, & vitam æternam annunciat:
non ſpecie tibi æſtimandus, ſed munere. Socrates di-
cebat *os ſapientis* (qualis eſt ſacerdos) *eſſe quaſi*
oſtium templi, quia ſicut hoc, ita & illud nonniſi
ſacra pandit & promit. Septimò, angelorum eſt *Septimus.*
perſeuerare in ſanctitate & ſanctificatione, ait
ibidem Baſilius: qui enim in ea non perſeuera-
runt, facti ſunt dæmones: ita ſacerdoti neceſſaria
eſt perſeuerantia in ſuo opere & officio.

Siid verum fuit in Aarone & ſacerdotibus
veteribus, certè lõgè verius eſt in Chriſtianis, qui
ſacrificia & myſteria lõgè auguſtiora & diuinio-
ra conficiunt, & tractãt. De quibus aurea eſt ſen-
tẽtia S. Greg. Nazianz. Apol. 1. *Veritatis*, ait, *antiſtes* *Gnoma*
& propugnator, cum angelorũ claſſe atque ordine eſt, *Patrum.*
cum archangelis Deum celebrat, ad ſupernum altare
ſacrificia tranſmittit, ſimulq; cum Chriſto fungitur
ſacerdotio, figmentum inſtaurat, magnemq; Creato-
ri ſiſtit, & ſupernum mundo opificem agit, &, vt quod
maius eſt dicam, Deus eſt, aliosq; deos efficit. Rurſum
S. Chryſoſt. hom. 2. in ep. 2. ad Timoth. *An igno-*
ras, ait, *quid ſit ſacerdos: Angelus vtique Domini eſt.*
Non ex ſeipſo loquitur. Si deſpicis, non illum deſpicis,
ſed Deum qui illum ordinauit. Sacerdos enim in or-
dinatione ſua, à ſolo Deo accipit poteſtatem re-
mittendi peccata, conſecrandi corpus Chriſti,
docendi, prædicãdi, &c. Idem lib. 3. de Sacerdo-
tio: *Etenim*, ait, *ſacerdotiũ ipſum in terra quidẽ pera-*
gitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem ordinemq; refe-
rendum eſt. Quippe non mortalis quiſpiã, non angelus,

non archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed A *ipse Paracletus ordinem huiusmodi disposuit, qui mortalibus hominibus etiamnum in carne manentibus auctor fuit, vt angelorum ministerium animo concipierent. Idcirco necesse est sacerdotem sic esse purum, vt si in ipsis cælis collocatus, inter cælestes illas virtutes medius staret.* Idem hom. 5. de verbis Isaiæ demonstrat sacerdotem maiorem esse rege, & sacerdotium maius esse regno: quia rex in terram dumtaxat, sacerdos etiam in cælum ius habet: *Sacerdoti, ait, thronus in cælis collocatus est, & de cælestibus negotiis pronunciandi habet auctoritatem. Quis hæc dicit? Ipse calorum rex: Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis,* &c. *Itaque medius stat sacerdos inter Deum & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, &* B *nostras petitiones illuc deferens, Dominum vtrique naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus. Ideoq; Deus ipsum regale caput sacerdotis manibus subiecit.* Sacerdotium ergo est cæleste regnum. Hinc Auctor imperfecti hom 18. in Matth. ait *sacerdotes esse vicarios Christi, & Christum: & qui honorat sacerdotem Christi, Christum honorat: & qui iniuriat sacerdotem Christi, iniuriat Christum.*

Sacerdotes sunt apes ob tres analogias.

Appositè S. Ambros. serm. 5. sacerdotes comparat apibus ob tres analogias. Prima est, *quia sicut apes,* inquit, *de diuinarum Scripturarum floscu-* *lis suauia mella conficiunt, & quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt.* Secunda, *quia sicut apes castitatem corporis præferunt, cibū vitæ cælestis exhibent, aculeū legis exercent. Puri enim ad sanctificationem, suaues ad refectionem, seueri sunt* C *ad vltionem.* Tertia, *quia velut alueario quodā gratiam matris Ecclesiæ continent, in qua diuersorum meritorum cellulas dulcissimis prædicationibus componentes, de vno Saluatoris examine Christianorum examina multa producunt.* Denique S. Chrysost. lib. 2. de Sacerdotio: *Aspicite, ait, sacerdotis dignitatem. Agitur in terra, sed officium cælestibus negotiis continetur. Non enim homo, non angelus, non archangelus, non aliqua alia creatura, non virtus, sed ipse Spiritus sanctus hoc munus instituit, atque adhuc manentes in carne ministerio fungi præstitit angelorum.* S. Ignatius epist. ad Smyrn. *Sacerdotium, ait, est summa omnium bonorum quæ in hominibus consistunt: quod si quis inhonorauerit, Deum inhonorat, &* D *Dominum Iesum Christum primogenitum totius creaturæ, & solum naturæ principem sacerdotem Dei.* Plura vide apud S. Chrysost. lib. 3. & 6. de Sacerdotio. Quocirca S. Franciscus numquam sustinuit ordinari sacerdos, dictitans se tanta dignitate indignum. Addebatque, Si hinc occurreret mihi sacerdos, illinc angelus, relicto angelo accurrerem ad sacerdotem, eius manus osculer, peteremque ab eo benedictionem, quia ipse corpus Christi consecrat, nobisque panem vitæ administrat. Sic & S. Hedvvigis Ducissa Poloniæ, mirè venerabatur sacerdotes quasi angelos Dei, supplexque ab eis petebat benedictionem, vti habet eius vita.

VERS. 8. VOS AVTEM RECESSISTIS DE VIA hac legis, scientiæ, veritatis, æquitatis & timoris diuini, quam Aaroni & Leuitis præscripsi v. 5. & seqq. ideoque SCANDALIZASTIS PLVRIMOS IN LEGE, dando eis exemplum legis violandæ & contemnendæ: IRRITVM FECISTIS PACTVM LEVI, non seruando pacti iam dicti conditiones, quas recensui. Quocirca vicissim necego eaque hoc pacto promisi, vobis seruabo aut præstabo.

PROPTER QVOD ET EGO DEDI VOS CONTEMPTIBILES] Iustum enim est, vt sacerdos contemnat Deum, pari modo contemnatur à populo, in illud, quod Deus intentauit Heli 1. Reg. 2. *Quicumque glorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Iustum est, qui honorem sacerdotij commaculauit & inhonorauit, inhonoretur & ipse, eoque magis ex altiore honoris apice in imum vilitatis & contemptus corruit. Ita videmus nonnullos improbos sacerdotes fieri ludibria hominum, & omnium viliissimos, quisquilias, & peripsemata dici. Pari modo S. Ambros. lib de Dignit. sacerdot. c. 6. & S. Gregor. homil. 17. in Euang. docet, quam cur sacerdotes & clerici despiciantur, ob ipsorum insciti am, leuitatem, & malam vitā. Ferè S. Augustin. (vel quisquis est auctor libri de bono viduitatis cap. 7. *Sicut stella,* inquit, *differt a stella in claritate, sic sacerdos differt à sacerdote conuersatione. Multorum siquidem est vocari sanctes, sed non est omnium esse sacerdotes,* &c. Quocirca vt apicem gradus & honoris sui tueantur, honorent Deum, graduque suo dignè viuant, & ministerium tam sanctum sanctè obeant. *Sobrietas turbis grauitatem, seueram vitam, singulare pudicitiæ dignitas sibi vendicet sacerdotalis,* ait S. Ambros. epist. 26. & S. Gregor. 2. p. Pastor. c. 1. *Tantus,* inquit, *debet actionem populi actio transcendere prælatis, quantum distare solet à grege vita pastoris. Ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, omnibus agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, interiorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum prouidentiam in internorum sollicitudine non relinquens.* Denique S. Hieron. ad Heliodorum: *Domus Episcopi, ait, & conuersatio quasi in specula posita, magistra est publicæ disciplinæ: quidquid ille fecerit, id sibi omnes faciendum putant.*

ACCEPISTIS FACIEM IN LEGE] *Facies* est *persona,* vt vertunt Septuag. personæ cuiusque pars maximè digna & spectabilis est facies, per quam alij placent, alij displicent: vnde illi accipiuntur, hi reijciuntur. Est hebraismus: Hebræi enim acceptationem personarum vocant acceptionem faciei, ob causam iam dictam. Vide Symmach. vertit, *reueriti estis facies in lege.* Sensus est, q. d. Vos, ô sacerdotes eratis iudices populi, cumque secundùm legem iudicare debeatis, tueri innocentes, orphanos, pupillos & pauperes, iudicastis secundùm respectum, vel acceptionem personarum: facies pingues, opulentas & splendidas diuitum & potentum faciebus magis egenis, abiectis pauperum prætulistis, diuitum causam & bona pauperum adiudicastis. Verius sic Propheta potiùs dixisset: Accepistis facies in iudicio, non in lege. Accipere enim faciem in lege, est in lege exponenda, vel exequenda nimis accere non tam mentem legis, quàm personarum qualitatem & dignitatem, v. g. eximere à legis iuites, & ea obligare ac plectere pauperes, non illud Iuuenal. satyr 2.

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Multum enim mouet aspectus faciei et al

amorem, vel ad commiserationē, vel ad odium, &c. Quocirca Areopagitæ iudices incorrupti sedēt, vel in tenebris iudicabant, ne qua facies diuitis, vel abiecta eos moueret ad aliquem affectum, qui rectum iudicium peruerteret, ait Lucianus in Hermotimo. Primò ergo Vatabl. exponit, q.d. Si vobis aliqua quæstio proponitur de lege ô sacerdotes, respondetis habito respectu personarum magis, quàm rei & veritatis, adulando diuitibus. Secundò, Theodor. q.d. Diuitum victimas, etiam mutilas & lege vetitas, accipiebatis & sacrificabatis; pauperum verò reijciebatis: quod est vitium acceptionis personarū, atque sacrilegij. Tertiò, Rupert. q.d. Respexistis ad facies pulchras & opulentas mulierum alienigenarum, easque duxistis vxores; proprias verò Israelitides ob deformitatem, vel egestatem repudiastis: de hoc enim vitio in sequentibus agit fusè, & ob illud reprobat & reijcit eorum victimas & sacrificia v. 13. Aliter vertunt Syrus & Arabicus vterque, scilicet, *accepistis in facie legem*, quod aliqui sic explicant: *In facie*, id est, in superficie, q.d. Corticem legis coram hominibus impletis, at non legis mentem & sensum, q.d. Hypocritæ estis.

10. Numquid non pater vnus omnium nostrûm? numquid non Deus vnus creauit nos? quare ergo despicit vnusquisque nostrûm fratrem suum, violans pactum patrum nostrorum?

11. Transgressus est Iuda, & abominatio facta est in Israel, & in Ierusalem: C quia contaminauit Iudas sanctificationem Domini, quam dilexit; & habuit filium dei alieni.

12. Disperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magistrum, & discipulum de tabernaculis Iacob, & offerentes munus Domino exercituum.

13. Et hoc rursum fecistis, operiebas lachrymis altare Domini, fletu & mugitu, ita vt non respiciam vltrà ad sacrificium, nec accipiam placabile quid de manu vestra.

14. Et dixistis: Quam ob causam? quia Dominus testificatus est inter te, & vxorem pubertatis tuæ, quam tu despexisti & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui. D

15. Nonne vnus fecit, & residuum spiritus eius est? Et quid vnus quærit, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ tuæ noli despicere.

16. Cum odio habueris, dimitte, dicit Dominus Deus Israel: operiet autem iniquitas vestimentum eius, dicit Dominus exercituum: custodite spiritum vestrum, & nolite despicere.

17. Laborare fecistis Dominum in sermonibus vestris, & dixistis: In quo eum fecimus laborare? In eo quòd dicitis: Omnis qui facit malum, bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent: aut certè vbi est Deus iudicij? A

NVMQVID NON PATER VNVS OMNIVM NOSTRVM?] Transit Propheta ad alterum sacerdotum (hi enim in scelere erant duces) & populi illo æuo vitium, scilicet quòd post reditum è Babylone vxores suas Israelitides, ex paupertate, senectute, labore, morbis & ærumnis repudiarent, vt vult S. Hieron. aut potiùs vt ancillas haberent & despicerent, vt vult Lyran. (vnde tantùm ait *despicitis*, idque tertiò repetit; & vers. 16. suadet, vt potiùs eas dimittant) ac earum loco alienigenas, iuuenculas, diuites & formosas ducerent, contra legem id verantem Deuter. 7. 3. easque quasi coniuges honorarent. Idem vitium B taxat & emendat Esdras Malachiæ coæuus cap. 9. & 10. Porrò vtitur duobus argumentis ad amorem coniugum, indeque ad coniugiū ipsum reconciliandum & redintegrandum. Prius petit à communione sanguinis, quòd scilicet vnum eumdemque habeant patrem, vel Iacob, vt volunt Hebræi; vel potiùs primum patriarcham Abraham: hic enim Eccli 46. 20. vocatur pater multitudinis Gētium. Hoc enim significat hebr. nomen Abraham: & ab eo Iudæi se vocabant & iactabant filios Abrahæ. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Lyran. & alij. Sensus est, q.d. Vos, ô Iudæi, cum Iudæis vxoribus coniugati, inuicem estis fratres & sorores. Habetis enim vnum cōmunem patrem Abraham, æquè ac Isaac & Iacob siue Israel, à quo Israelitæ nuncupamini, sicut ab Abraham Abrahamitæ: æquum ergo est, vt inuicem honoretis & ametis amore & honore fraterno, quasi filios eiusdem domus & familiæ Abrahæ. Nolite ergo iniurij esse Abrahæ, Isaac & Iacob, despiciendo vxores vestras, quæ sunt filiæ Abrahæ, Isaac & Iacob. Nolite scindere hāc familiæ vestræ vnionem, imò vnitatem: nolite fororibus vestris præponere extraneas & alienigenas. Posterius petit à communione religionis, quòd scilicet omnes habeant colantque vnum Deum. quilicèt creauerit cælum & terram, omnesque gentes, propriè tamen creauit, id est, in suam Ecclesiam, populum, gentem efformauit, adsciuit & adoptauit Hebræos, quos in sua fide, religione, cultu & Synagoga quasi nouum & spiritualem populum creauit, infundens sui cognitionem, timorem & amorem: iuxta illud Deuter. 32. 6. *Numquid non ipse pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Et vers. 18. *Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Deus ergo est creator omnium per naturam, sed proprius Hebræorum per fidem & gratiam. Sic Apostolus ait, Christianos in Christo quasi communi patre per baptismum esse renatos, regeneratos, & factos nouam creaturam, non naturalem, sed spiritualem, ideoque quasi fratres inuicem arctissimè vniri, & amare debere; eò quòd omnibus sit *vnus Deus, vna fides, vnum baptisma*, Ephes. 4. 4. Sensus ergo est, q.d Si Abrahæ amor & veneratio vos non tangit, tangat timor amorque Dei vestri: nolite à Deo vestro, eiusque filiabus apostatare ad filias idololatrarum, quæ certò vos ad idola sua abducent, vti abduxerunt Salomonem: nolite Deo id vetanti esse rebelles; alioquin credite & formidate eū sui contemptus

VERS. 10.

Coniugij vincula duo.

Primum.

Secundum.

acrem fore vindicem, & vltorem fandi atque nefandi. Cùm ergo duplici vinculo tam arcto, sanguinis & religionis, vxoribus vestris sitis obstricti, nolite illud abrumpere & violare.

QVARE ERGO DESPICIT VNVSQVISQVE NOSTRVM FRATREM SVVM?] Lyran. putat hîc redargui odia & lites, quibus inter se diffidebant & contendebant Iudæi: vnde vt eos ad concordiam redigat, dixit eos vnum habere patrem Abraham, & vnum colere Israelis Deum. Verùm Propheta propriè non de quouis eorum dissidio hîc agit, sed de eo quod nascebatur ex eo, quòd vxores Israelitides repudiarent, vel potiùs despicerent, vt ait Propheta, hoc est, eis anteferrent alienigenas pulchras & opulentas, quas honorabant vt coniuges, Israelitides verò deprimebant habebantque vt ancillas vel seruas. Inde enim offendebantur non tantùm ipsæ, sed & earum fratres, parentes, cognati, ideoque odijs & iurgijs inter se certabant. Sensus ergo est, q.d. Cur veteres vxores contemnimus, & fratrum nostrorum abijcimus filias? ait S. Hieron. qui proinde per *fratrem* accipit socerum: despiciendo enim soceri filiam, despiciebant ipsum socerum, cæterosque affines. Rursum sub *fratre* more Scripturæ per enallagen accipe quoq; sororē, id est cognatam, vel congenerem, putà Hebræam. Sicut enim sub viro subintelligi solet mulier, sic & sub fratre soror. Sensus ergo est, q.d. Despicitis vxores, quæ sunt sorores vestræ, quia eiusdem generis & gentis, putà Hebrææ. ita Arias. Porrò modestiæ causa dicit Propheta, *Vnusquisque nostrûm*, non Vestrûm, vt correptio sit lenior, vtpote qua seipsum includat, cùm tamen ipse reuera huic culpæ non esset affinis. Sensus ergo est, q.d. *Vnusquisque nostrûm*, id est, plerique è populo nostro.

VIOLANS PACTVM PATRVM NOSTRORVM] *Pactum* scilicet, quod cum Deo iniuimus, promittēdo nos seruaturos eius leges, inter quas vna est de non ducendis alienigenis. Per *pactum* ergo metonymicè accipe legem, quæ erat conditio pacti, quod Iudæi cum Deo pepigerāt ita S. Hieron. Remig. Rupert. & alij; præsertim quia, vt ait Arias, per has vxores, vtpote idololatras, sensim mariti pelliciebantur ad apostatandum à Deo, & consequenter à pacto quo promiserant se Deum semper culturos, ac ad deflectendum ad earum idola, superstitiones & vitia, vti contigit Salomoni.

VERS. 11. TRANSGRESSVS EST IVDA pactum & legem iam dictam: ET ABOMINATIO FACTA EST IN ISRAEL] Idem dicit exaggerando alijs & acrioribus verbis. Post reditum enim è captiuitate non erat alius Israel, quàm Iuda & Iudæi.

Sanctitas Dei octuplex.

QVIA CONTAMINAVIT IVDAS SANCTIFICATIONEM DOMINI] Per *sanctificationem*, vel, vt hebr. est קֹדֶשׁ *codesc*, id est, *sanctitatem*; Tigurina, *sanctum*; Septuag. *sancta*, accipi potest Primò, sancta Dei lex; Secundò, sanctus Dei cultus; Tertiò, sanctitas vitæ, ad quam obligabatur Israel, eamq; profitebatur, & inde vocabatur gens sancta, Deo scilicet dicata & deuota, iuxta illud Exodi 19. 6. *Eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Vnde Chald. vertit, *violauerunt viri domus Iuda animam suam, quæ erat sanctificata coram Domino & dilecta.* Idem tropol. facit quiuis peccator: hic enim per peccatum polluit templum, quod in anima sua sanctificarat sibi Deus, ex eoque facit fanum profanum, imò sacrilegum diaboli; vti docet Apost. 1. Corinth. 6. 19. *An nescitis*, ait, *quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* Quærò, sanctitas fidei & religionis: quia per vxores idololatras abducebantur à vera Dei fide ad fidem & cultum idolorum. ita Lyran. Quintò, sanctitas templi: templum enim hebr. *codesc*, id est sanctitas, vocatur; quia sanctissimum, & sanctissimè colendum. Nam peccatores suis sceleribus polluunt terram, & maximè templum in quo versantur, q.d. Deus despicit vestras oblationes & victimas, vt dixi vers. 13. quia vos eius legem despicitis, ac templum vestris cōnubijs cum idololatris polluitis. Sextò, sanctitas charitatis, quā generis necessitudo, gentisque suæ sanctitatem, quam ipsi violabant contribules suas repudiando, vel despiciendo, & alienigenas superducendo. Septimò, sanctitas matrimonij, quam ipsi per diuortium cōmaculabant. ita Vatabl. Octauò, & optimè, sanctitas Iudæ erat separatio à Gentibus, qua iuxta legem Dei, Iuda vt populus dicatus Deo, separabat se à commercio, ac præsertim à connubio Gentium idololatrarum. ita S. Hieron. Remig. & Hugo, iuxta illud psal. 113. 2. *Facta est Iudæa sanctificatio eius*, id est gens separata ab alijs, quasi Deo dicata & sancta. Deum colens, celebrans & sanctificans. Denique sanctificatio, vel sanctitas Dei propriè est illa, qua ipse in se sanctus est, ac vt talis ab hominibus cognoscitur & colitur. Hæc enim profanatur & quia eam cum idolis & idololatris commiscet. Vide causam dat, seque explicat dum subdit: *& habuit filiam Dei alieni.*

Prima. Secunda. Tertia.

Tropol. octuplicem hanc sanctitatem pollit & violat quiuis fidelis dum peccat. Ipse enim per fidem, baptismum & gratiam est sanctificatus, Deique cultui dicatus, ac præsertim Sacerdos & Religiosus, qui per ordinationem, vel professionem Deo propriè est consecratus. Peccando ergo octuplicis rei sacræ est pollutio & profanatio, (vt patet per singula iam dicta discurrenti, eique peccato applicanti) ac consequenter quasi octuplex est sacrilegium. Vnde Septuag. vertunt in plurali, *quia contaminauit Iudæa sancta Domini quibus*, id est, quæ *dilexit Dominus*. ideoque accuratè præcepit voluitque à nobis obseruari. Minatur Isaias c. 26. 10. dicens, *In terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini.* Porrò fideles, & præsertim Religiosos, per fidem, gratiam & vota connubium & nuptias inire cum Christo, eique animas suas quasi sponsas despondere; ac proinde si illud peccando violent & dissoluant, spiritualiter adulteros esse, patet ex illo 2. Cor. 11. 2. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo.* Quod enim in nuptialibus efficit verbum illud *volo*, hoc in spiritualibus efficit verbum *voueo*. Nam, vt ait S. Bernard. serm. 85. in Cant. *non terret celsitudo, quam sequitur similitudo, amor conciliat, professio maritat. Professionis forma hæc est: Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Et mox: *Ergo quam videri amat relictis omnibus, verbo votis omnibus inhæret, verbo viuere, verbo se regere, de verbo concipere quod parat verbo, quæ possit dicere: Mihi viuere Christus, & mori lucrum, putà coniugem verbum, maritum.* Quo circa S. Agnes, teste S. Ambros. serm. 20. decebat iuueni se ambienti: *Ipsi sum desponsata, cui*

anglo feriant, cuius pulchritudinem sol & luna mi- A *rentur, cuius mater virgo est, cuius pater feminam habet meam cum amavero, casta sum; cum tetigero, munda sum; cum accepero, virgo sum. Annulo suo subarrhavit me, & immensis monilibus ornavit me. Ipsi fidei suæ fidem ipsi me tota devotione committo.* Hoc est quod Deus promittit per Oseæ c. 2. 19. *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in justitia & judicio, & in misericordia & in miserationibus & sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus.* Vide ibi dicta.

ET HABVIT FILIAM DEI ALIENI] scilicet in conjugem. Nam hebr. est בַּעַל *baal*, id est maritum, matrimonio sibi junxit, possedit vt amore ejus maritus. *Filiam Dei alieni* vocat alienigenam quæ colit Deum, non verum Israelis, sed alienum, puta aliarum gentium idolum & dæmonem, contrarium Deum & patrem suum.

Tropicè *filia Dei alieni* est concupiscentia carnis, oculorum, ac superbia vitæ, cui quasi sponsæ, malè dilectæ insano amore copulatur peccator. Audiit culpam Israelis: audi pœnam; & ex hujus gravitate illius gravitatem æstima. Ait ergo:

DISPERDET DOMINVS VIRVM QVI FECERIT HOC MAGISTRVM ET DISCIPVLVM] Hebr. עֵר וְעֹנֶה er *vens*, id est excitantem, vel vigilem, & respondentem. Excitans & vigil est magister, qui vigilat vera vestiget, doceat, tueatur, ac mentem discipuli excitet, stimulet & acuat, nunc docendo, nunc disputando, nunc interrogando: respondens est discipulus, cuius est magistro exponenti & interroganti respondere. Sensus ergo est, q. d. Deus disperdet Iudæum, qui sua vxore dimissa ducit alienigenam, quisquis ille sit, sive doctor, sive discipulus; sive sacerdos, sive laicus, sive nobilis, sive plebeius. ita S. Hieron. Secundò, Tigurina *er veone* vertit, *eum qui auctor est, & qui obsequitur.* q. d. Auctorem & executorem sceleris disperdet Deus. Tertiò, Chald. vertit, *filium & nepotem.* Filius enim est is qui excitat & generat nepotem: vnde nepos ei respondet. Quartò Clarius & Arias vertunt, *eum qui in somno pulsat*, vel *à somno excitat, & eum qui pulsanti vel excitanti respondet.* q. d. Omnes omnino in tali familia disperdet Deus. Quintò, Septuag. pro עַד legentes עֵר *ad*, id est *vsque*, vertunt, *donec haberent de tabernaculis Iacob*: Hebr. enim עָנָה aut significat humiliare, & respondere.

ET OFFERENTES MVNVS] quasi dicat, Etiamsi sit sacerdos offerens hostias. ita Chald. & S. Cyrill.

ET HOC RVRSVM FECISTIS; Tigurina, *deinde & hoc alterum*; Chald. *& hoc secundo facitis.* q. d. Priori scelere, quo alienigenas ducitis, secundum adjicitis, scilicet: OPERIEBATIS LACHRYMIS ALTARE DOMINI] q. d. Priores vxores quas dejiciebatis, ita viliter & miserè quasi ancillas & famulas tractabatis, imò malè mulctabatis, similæ afflictissimæ confugerent ad templum, ibique ante altare lachrymas vberrimas profunderent, querentes apud me de vestra injuria, postulantesque opem & vindictam. ita S. Hieron. Cyrill. Theodor. & alij passim, excepto Lyrano, qui sic explicat, q. d. Vos in conjugio cum alienigenis permanentes, vt hoc scelus expietis, curritis ad templum, ibique lachrymis profusis veniam petebatis. Verùm frustra: quia propositum vos emendandi non concipitis, sed in scelere & matrimonio illegitimo persistere vultis. Quem sensum secutus S. Chrysost. tropol. hæc refert ad eos qui rapiunt aliena, vtque rapinam expient, partem dant templo, vel pauperibus: *Iudaica*, inquit, *huiusmodi eleëmosyna est, imò verò diabolica. Non vult Christus rapina nutriri*, &c. Ita ipse homil. 86. in Matth.

MVGITVS] Septuag. & Chald. *gemitu*; Pagnin. *clamore*; Noster efficaciùs vertit, *mugitu.* mugitus enim propriè est vox horrisona boum. Vnde Statius 11. Theb. de Ioue in taurum mutato, cùm veheret Europam, ita canit:

Dignatus virgine nostra
Terga premi, & placidas falsum mugire per vndas.

Hinc per catachresin cæteris animalibus, & homini, quin & terræ ac mari tribuitur. Vnde Virgil. 3. Æneid. *Terram mugire videbis.* & libr. 6. *Solum mugit sub pedibus.* ac Catull. epigr. 64. de Berecynthia: *Fremitu mugienti loca cuncta retonent.* Significat ergo mugitus hic ingentem vxorum à maritis despectarum complorationem, ex ingenti afflictione & dolore manantem, ita vt non mulierum more eiulare, sed boum more mugire viderentur, iuxta illud Oenonæ ad Paridem apud Ouidium:

Impleuitq; sacram querulis vlulatibus Idam.

ITA VT NON ASPICIAM VLTRA AD SACRIFICIVM] Quia aspicio ad lachrymas & mugitum vxorum, quas vos opprimitis: magis enim illæ, vtpote iustæ & miserabiles, me mouent, quàm iniqua & impura sacrificia crudelium.

QVIA DOMINVS TESTIFICATVS] Hebr. הֵעִיד *heid*, id est *protestatus est*, hanc esse suam mentem & voluntatem, hoc est, præcepit & sanxit matrimonium insolubile, vtque maritus amet vxorem, & propter eam relinquat patrem & matrem, Genes. 2. 24. vos autem hanc protestationé & legem meam violatis, relinquendo & despiciendo vxores vestras. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Hugo & Lyran. VERS. 14.

Secundò, Hebr. *heid* cum Tigurina verti potest, *testatus est*, & cum Vatabl. *testificari potest*, vt alludatur ad ritum veterum Hebræorum, qui Deo teste & nymphagogo, vt ait Theodor. contrahebant coniugium, vt eo sanctius & inuiolabilius esset, quo Deo quasi præsente & paranympho fuerat conciliatum. Vnde Laban Genes. 31. 49. inuocans Deum in testem, ait ad Iacob generum suum: *Intueatur & iudicet Dominus inter nos, quando recesserimus à nobis, si afflixeris filias meas, & si introduxeris alias vxores super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit: indeq; locus vocatus est Galaad, id est, tumulus testis.* Sic & Raguel filiam Saram copulauit Tobiæ inuocans Deum, dicensque: *Deus Abrahã, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos.* Idem apprecatur sacerdos coniugibus Christianis, dum eos coniungit & benedicit. Sic & Gentilibus adeò sancta erant matrimonij vincula & iura, vt ea non nisi dijs testibus & præsidibus inuocatis, & per sacrificia conciliatis inirẽt. Audi Valerium Flaccum lib. 8. Argonaut. *Deus nuptiarum conciliator & vindex.* *Ritus nuptiarum apud Gentiles.*

Inde vbi sacrificas cum coniuge venit ad aras
Aesonides, vnaq; adeunt, pariterq; precari
Incipiunt, ignem Pollux vndamq; iugalem
Prætulit, vt dextrum pariter vertantur in orbem.

Et paulò pòst:

Primus

Primus & ecce fero, quatioq; hanc lampada vestro
Coniugio, primus celebro dotalia sacra.

Quocirca Modestinus l.1.ff.de ritu nupt. nuptias definit diuini & humani iuris coniunctionem. Et Gordianus in l. *Aduersus*. C.de crim. exp. hered. vxorem rei diuinæ & humanæ sociam appellat. Hinc & nuptias non copulabant, nisi captatis priùs augurijs, vt ex deorum voluntate eas auspicatas & prosperas fore renunciarent auspices. Hinc Claudianus epist. ad Serenam:

Me iungeret auspex
Purpura, me sancto cingeret aula toro.

Idem in Ruffin. lib. 1.

—— Hac auspice tæda
Oedipoden matri, natæ iunxere Thyesten.

Iuno coniugij præses. Propriè autē Iunonem nupturi inuocabant, illique multos habebant honores, quòd illā iungendis & conciliandis coniugijs præesse censerent. Docet id Ouid. in epist. Medeæ ad Iasonem:

Conscia fit Iuno, sacris præfecta maritis.

Et in epist. Hypsipyles:

Non ego sum furtim tibi cognita: pronuba Iuno
Adfuit.

Et Virgil. lib. 4. Æneid.

Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.

Et Statius in Syluis:

Dat Iuno verenda
Vincula, & insigni geminat concordia tæda.

Porrò Iunoni sacra facientes, fel victimæ diuulsum abijciebant, vt mysticè significarent bilem omnem & iracundiam à nuptijs abesse oportere. ita Plutarch. in Coniug. præceptis. Huc spectat Numæ, qui Romulo successit, lex apud Gellium l. 4. c. 3. *Pellex adem Iunonis non tangito. si tangit, Iunoni crinibus demissis agnam feminam cædito.* Inuocabant & Deum sanctum Fidium, siue Medium Fidium, quasi fidei præsidem, & sancti fœderis conciliatorem & vindicem: de quo Ouid. l. 6. Fastor. & S. August. l. 18. Ciuit. 19. *Sabini*, ait, *regem suum primum Sangum, siue, vt aliqui appellāt, Sanctum, retulerunt in deos.* Tam sancta erant Gētilium connubia; quàm religiosa ergo & inuiolata eadem apud Christianos sint oportet?

Septem argumenta auocantia à repudio & adulterio. Primum. Nota. Malachias dehortatur hîc Iudæos à despectu & repudio vxorum Israelitidarum septem argumentis. Primum est, quia Deus à genesi mundi sanxit matrimonij vinculum, voluitque esse perpetuum. Idem ex more & ritu connubiorum, testis fuit & quasi conciliator matrimonij tui: noli ergo matrimonij tam sanctè à Deo sanciti, iura violare. ita S. Chrysost. hom. de Libello repudij tom. 4.

Secundum. INTER TE ET VXOREM PVBERTATIS TVÆ] Est hoc secundum argumentum, q.d. Hæc est vxor tua prima & legitima, quam in pubertate, id est, cùm primùm factus es puber, putà quam adolescens duxisti: noli ergo primos & teneros eius amores abrumpere.

QVAM TV DESPEXISTI] Hebr. *fraudasti*; Chald. *mentitus es.*

Tertium. ET HÆC PARTICEPS TVA] Pagnin. *socia tua*; Tigurina, *consors tua*. Est tertium argumentum, q.d. Sicut Deus Adæ dedit Euam in adiutoriū, tam generationis, quàm vitæ; ita idem hanc è gente tua dedit tibi quasi sociam & consortem familiæ, laborum & bonorum omnium, æquè ac malorum. Cùm ergo hæc tibi tanto tempore fida & indiuidua fuerit comes & socia, noli in extremo vitæ eam deserere: noli hanc maculam dare in gloriam tuam: noli comedum fabulam vitæ tuæ, tam indigna catastrophe concludere.

ET VXOR FOEDERIS TVI] Est quartum argumentum, q.d. Hæc est vxor, cum qua primum matrimonij fœdus inijsti: noli ergo hoc fœdus infringere, ne voceris & reipsa sis fœdifrag.

NONNE VNVS FECIT?] Est quintum argumentum, q.d. Deus vnus primitus fecit vnam feminam, scilicet Euam; & vnum marem, scilicet Adam, vt inter hos duos, & consequenter inter posteros omnes coniuges ex eis progenerandos esset vnum & indiuisibile coniugium: nec enim Adam poterat alteri vxori iungi, quàm Euæ, cùm non esset alia creata à Deo; nec Eua ad alium virum diuertere, quàm ad Adam, cùm non esset alius vir in mundo. Noli ergo hanc Dei sanctionem & vnitatem coniugij infringere: sic protoplastorum Adæ & Euæ esse degener. ait S. Hieron. Theodor. Remig. Lyran.

Secundò, Chald. per vnum accipit Abraham, vertit enim, *nónne vnus fuit Abraham, ex quo propagatum est sæculum? & quid vnus quæsiit, nisi permaneret sibi proles in conspectu Domini?* q.d. Abraham pater vester, ex quo tota gens vestra descendit, non despexit Saram, licet sterilem, sed ea petente duxit Agar; quia ex ea non voluptatem, vt vos, sed prolem quæsiuit. Et Tigurina, Pagnin. & Vatabl. *annon & vnus hoc fecit*, in quo excellens (Hebr. enim שְׁאֵר *sear* & residuum & excellens significat) *fuit spiritus? Quid verò vnus ille fecit? quærebat semen Dei*: hoc est, Abraham cum vnus esset & sine liberis, viróque excellentissimo, non fecit hoc quod vos facitis. q.d. Despicis & repudiatis vxores vestras sine maiorum exemplo, imò contra eorum exemplum: nam vos ex vxoribus procreastis proles, quas quærebat & ex Sara procreare non poterat Abraham; nec tamen idcirco eam despexit, multò minùs repudiauit. Estis ergo non legitimi filij Abrahæ, sed degeneres & spurij.

ET RESIDVVM SPIRITVS EIVS ERT] Est sextum argumentum, q.d. Deus ex se vnum humanum spiritum, halitumque vitalem creauit, cuius vnam quasi partem dedit Adamo, alteram reliquam feminæ, putà Euæ. Ergo non debetis hanc vnitatem discindere diuortio. Femina enim est quasi dimidium viri, tum corpus, quia ex residuo viri, putà ex costa, formata est, tum spiritu, quia halitum vitalem quem Deus insufflauit in Adam, eum postea diuisit cum Eua, cùm eumdem non numero, sed specie, id est humanum & similem, in eam insufflauit, ita scilicet vt ipsa esset animal, imò homo viuēs. ita S. Chrysost. hom. de Libello repudij. Hinc Secundò potest spiritus accipi pro amore & affectu: quia enim Adam & Eua ex eodem quasi corpore & halitu vitali efformati sunt & cōstant, hinc inter eumdem habent spiritum, id est, affectum amoris à natura ingeneratum, quo mulier marito rum, & vir mulierem quasi sui compartem, ac sui dimidium, imò quasi alterū se intimè amat & diligit. Causa enim & finis, cur Deus ex viro formarit feminam, fuit, vt ijs ingeneraret summum erga se inuicem amorem, & coniunctionem in coniugio, vt numquam cogitarent de diuortio vel repudio, quia per hoc discinderet

vnum

rum quasi corpus viri & feminæ, vnusque spiritus non tantùm humanus, sed & diuinus, vtpote à Deo is aspiratus, quasi diuinæ particula auræ. ex S. Hieron. Theodor. Remig. Albert. & Lyranus. Aliter Arias: spiritum enim accipit pro mente, consilio, iudicio. Vnde sic vertit, *& non vna fecit, & residuum spiritus illi: & quid vnus ille quærens? Semen Dei*; sicque explicat, q. d. Non vnus vestrûm hoc peccatum diuortij commisit, sed plurimi: vnde vix est vnus qui habet residuum spiritus, id est, sanæ mentis, consilij & iudicij. Quid enim singuli quærunt? Anne semen Dei, vt scilicet proles fideles Deo gignant? Nequaquam, sed cupiunt suam explere libidinem.

ET QVID VNVS QVÆRIT NISI SEMEN DEI?] Est septimum argumentum, q. d. Quid vnus, puta Deus, ex vnius cum vna coniugio, à se sanctum requirit & quærit, nisi filios fideles & sanctos ex fideli patre & matre, non autem infideles ex alienigenis? Matres enim alienigenæ & idololatræ, quas vos, ô Iudæi, ambitis, initillabant suis prolibus amorem & cultum suorum idolorum, in eoque eas educabunt. ita S. Hieron. & alij eius sequaces. Significat Iudæos in matrimonio non debere studere voluptati & libidini, ideoque ambire alienigenas; sed proli, eiusque educationi piæ & sanctæ, quam à solis vxoribus Israelitis sperare possunt, ac proinde eas quærendas & ambiendas esse.

Moraliter notent concionatores, hasce septem rationes, quibus demonstratur à Deo sanctitas & indissolubilitas matrimonij, ijsque vtantur contra diuortia, & adulteria, æquè ac iurgia & litigia coniugum, vt eis coniugalem sanctumque amorem persuadeant. Item vt dissuadeant Catholicis, ne matrimonia ineant cum hæreticis. hæretici sunt alienigenæ, qui proles educabunt in alienâ fide, id est, in perfidia & hæresi. Exempla illustria amoris coniugalis Gentilium recenset Valer. Maxim. l. 4 c. 6.

CVSTODITE ERGO SPIRITVM VESTRVM] Primò *spiritum*, id est, animam & voluntatem custodire à peccato libidinis, amoris & coniugij cum alienigenis, atque ex aduerso à peccato despectus & repudij vxorum pristinarum, quæ sunt Israelides. ita S. Hieron. Secundò, Remig. Albert. & Lyran. per *spiritum* accipiunt vxorem: hanc enim suprà vocauit *residuum spiritus* viri, q. d. Custodite amorem pristinum erga vxores, quæ sunt quasi residuum spiritus, id est animæ vestræ. Vnde explicans subdit: *Et vxorem adolescentiæ tuæ noli despere*. Tertiò, à Castro, q. d. Custodite spiritum Abrahæ, vt sicut ille amauit Saram, ita vos amate vxores vestras. Quartò, Tigurina vertit, *pro certo quàm chara est anima vestra, cauete ne in vxore, quæ vobis in iuuentute desponsa fuit, perfidi sitis*. Quintò, Arias ex Hebræo vertit, *custodite in spiritu vestro*, q. d. In re hac tanti momenti, ne solius vos agi temeritate & libidine, sed agite omnia certo & maturo spiritu ac iudicio. Sextò, Vatabl. vertit. *seruate igitur vos in spiritu vestro, & ne auaricemini*, hoc est, neque animo, neque corpore peccetis in Deum. Septimò, neruosiùs & germanius per *spiritum* accipe amorem & affectum, quem vir gerere debet erga vxorem, quasi alteram corporis & spiritus sui partem. Hîc enim significat voxillatiua *ergo*, scilicet Pro-

A phetam respicere ad *residuum spiritus*, de quo dixit suprà. q. d. Mulier & vir habent eumdem spiritum, vti vitalem, ita moralem amoris mutui, vt dixi suprà: ergo par est vt eumdem studiosè custodiant. Huc accedit P. Pineda in Iob 19. 17. qui per spiritum accipit halitũ, quem sibi inuicè communicãt maritus & vxor crebris colloquijs & cõuersatione. Est ergo in illis reciprocatio spiritus, iuxta illud Iobi: *Halitum meum exhorruit vxor mea*. Sensus ergo est, q. d. Custodite halitum vestrum, ne eum communicetis mulieri alienigenæ, sed tantùm vxori legitimæ, hoc est, nolite conuiuere, conuersari, colloqui & commisceri alienigenæ, sed Israelitidi dumtaxat, quam primitus coniugem duxistis.

Moral. custodiant viri spiritum castum & virilem: quia nihil est quod eum, etiam in Ecclesiasticis & deuotis, ita emolliat & effeminet, atque amor etiam in speciem pius feminarum, præsertim alienigenarum. Exemplum est in Sardanapalo, vltimo Niniues rege & monarcha, *quem*, inquit Iustinus lib. 1. *Arbactus inuenit inter scortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu cum mollitie corporis, & oculorũ lasciuia omnes feminas antecuntem, pensa inter virgines partientem*. Sic Iezabel dominata est Achabo, concubinæ Salomoni, Dalila Samsoni, Omphala Herculi, vti describit Seneca in Hippolyto:

Natus Alcmena posuit pharetram,
Pabus aptari digitis smaragdos. &c.

Clariùs verò Deianira apud Ouidium de Hercule ita canit:

Vidit in Herculeo suspensa monilia collo,
Illo, cui cælum sarcina parua fuit.
Crassaq; robusto deducens pollice fila,
Aequaq; formosa pensa rependis heræ.
Diceris infelix scutica tremefactus habenis,
Ante pedes dominæ pertimuisse minas.

Vide S. Cyprian. tract. de Singularitate clericorum.

Moral. de fuga mulierum etiã deuotarum.

CVM ODIO HABVERIS DIMITTE] Varij variè hunc locum vertunt, vel explicant. Primò, R. Hananus apud Ariam sic vertit, *Deus odit eum qui dimittit vxorem suam*. Secundò, Pagnin. *si oderit dimitte*. q. d. Si vxor tua sit rixosa, teque oderit, dimitte illam. Tertiò, Chald. *quòd si oderis, dimitte eam, & ne operias peccatum vestimento tuo*. q. d. Si oderis vxorem, repudia illam, & ne tegas tuum odium illa veste & prætextu, quòd illam domi tuæ retineas, quasi illã ames, cùm occultè eam tractes vt seruam. Quartò, sic vertit & explicat Vatabl. *qui odio habet, dimittat: at tegit vnusquisque vestrûm iniquitatem sub veste sua*, id est, vnusquisque vestrûm dimittit quidem vxorem quam odit, sed non dato libello repudij: vnde fit, vt alteri nubere non possit. Quintò, alij, *qui odit dimittat, & teget iniquitatẽ sub veste sua*. q. d. Vir dimittens vxorem, teget suam infamiam, qua eum vxor, dum domi detineretur & malè tractaretur, solebat diffamare. Sextò, alij multi censent esse ironiam, q. d. Si oderis vxorem, dimitte; sed scito quòd iniquitas operiet vestem tuam. Nec enim lex ob odium permittebat repudium, sed ob fœditatem vxoris, id est, ob fornicationem, lepram, mores incorrigibiles, &c. vt dixi Deuter. 24. 1. Septimò & planissimè, q. d. Cùm oderis vxorem dimitte, dato illi libello repudij, vt alteri nubere possit potiùs quàm eam domi perpe-

VERS. 16.

tim

tim vt seruam affligas, verberes, mutiles, vel occidas: sed scito quòd iniquitatem non euades. Licèt enim minus malum sit dimittere vxorem, quàm occidere, tamen in se grande malum est: nec enim ob solam displicentiam, vel odium licet eam dimittere.

OPERIET AVTEM INIQVITAS VESTIMENTVM EIVS] scilicet mariti dimittentis, vt patet ex pronomine Hebræo masculino, non autem mulieris dimissæ. Est enallage personæ: ponitur enim *eius* pro *tuum*. Pro *iniquitas*, hebr. est חָמָס *chamas*, id est iniuria, vis, violentia. Aliqui vertunt, *si vir dimittat vxorem, operiet iniquitatem veste sua.* q.d. Dimittendo eam teget suam iniuriam & infamiam libello repudij, quasi veste, velamine & prætextu, ait P. Prado in Ezech. 13. 18. Exadverso Tigurina vertit, *num ergo violentiam vestimento suo teget?* q.d. Minimè. Aut, vt Clarius, q.d. Ne operiat vir odium in corde suo, quasi si maculam sub veste abscondat. Aliter Vatabl. & alij, vti paulò antè recensui. Verùm nostræ Vulgatæ versionis varia est explicatio. Primò, S. Hieron. per vestimentum accipit corpus, quod est quasi vestis animæ, iuxta illud Apostoli 2. Corinth. 5. 4. *Nolumus expoliari* corpore, in resurrectione & cælo. *sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita.* Sensus ergo est, *iniquitas*, id est pœna iniquitatis, operiet vestem, id est corpus tuum. q.d. Deus te acriter in corpore, cuius delicias & libidines iniustè sectaris, puniet, affligetque morbis, fame, plagis, &c. Secundò, Septuag. per *vestimentum* accipiunt cogitationes. Sicut enim vestis tegit corpus, ita animam tegunt cogitationes, intentiones, desideria & concupiscentiæ, quæ in anima circum se inuicem ita in glomum quasi conuoluuntur, sicut in cepis orbiculi alij alijs, quasi inuolucra circumuoluuntur & vestiuntur. Vertunt ergo, *operiet iniquitas super cogitationes tuas.* Tertiò, alij propriè accipiunt *vestimẽtum*, q.d. Iniquitas, id est pœna iniquitatis, operiet vestem eius: quia scilicet Deus puniet virum ex odio dimittentem vxorem, paupertate & nuditate, vt suis rebus, etiam intimis, putà vestibus, spolietur. Quartò & genuinè vestis hìc metonymicè capitur pro homine veste induto. Est ergo phrasis Hebræa, *operiet vestem*, pro eò quod nos dicimus, operiet hominem vestitum, inde sumpta, quòd homo per vestes sit conspicuus & cognoscatur, iuxta illud Eccli. 19. 27. *Amictus corporis, & risus dentium, & gressus hominis enunciant de illo.* Sic ex aduerso de Sanctis dicitur Apocal 7. 14. *Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni*: vbi stolas vocat conscientias, quæ animæ quasi sunt vestes & stolæ. Quocirca hoc loco hebr. est, *operiet iniquitas super vestimentum tuũ*, id est, ita redundabit, eminebit & exuberabit tua iniquitas, vt nullo vestimento occultari aut dissimulari possit. Tanta enim erit, vt te vestemque tuam operiat, tegat & obruat. Similis phrasis est Iosue 24. 7. *Adduxit super eos* (Ægyptios) *mare, & operuit eos*; hebr. est, *operuit super eos.* 2. Paral. 5. 8. *Cherubim expanderent alas suas super locum*, hebr. est, *operiebant Cherubim super arcam*, 2. Esdræ 4. 5. *Ne operias iniquitatem eorum*, hebr. est, *ne operias super iniquitatem eorum*: præpositio enim *super*, redundantiam & exuberantiam significat. ita Lyran. Arias & à Castro. Denique per iniquitatem, vel, vt hebr. est, iniuriam & violentiam, accipe iniquitatis tam culpam, quàm pœnã & vindictam, q.d. Si vxorem ob solum odium dimiseris, operiet te grauis culpa, & infamia, atque pœna, qua Deus hoc scelus in te vindicabit.

Vestis quadruplex.

Conscientia est vestis animæ.

CVSTODITE SPIRITVM VESTRVM; scilicet affectum & amorem erga vxores vestras, NOLITE DESPICERE] illas. vide dicta v. 15.

LABORARE FECISTIS DOMINVM IN SERMONIBVS VESTRIS] Tangit hìc aliud Iudæorum crimen, blasphemiæ scilicet, spectans ad ultimum, quòd nimirum dicerent, non esse numen puniens improbos, & protegens probos. Vide Lyran. & Pagnin. hinc incipiunt caput tertium. Septuag. vertunt, *prouocastis Deum sermonibus vestris*; Chald. *faceßistis negotium coram Domino*, Arias & Tigurina, *fatigastis & delassastis Dominum* vestra scilicet continua contentione, sicut homines litigiosi & clamosi suis litigijs & clamoribus fatigant iudices, eisque aures obtundunt. Vatabl. *molestia affecistis.*

Nota hìc impios, præsertim blasphemos & atheos, sua improbitate fatigare, affligere & delassare Deum, quantum in ipsis est, etsi non eum non affligant nec delassent, eò quòd ipsi afflictionis & lassitudinis nõ sit capax. Nam si esset capax, vtique improbitas hæc afflixerit & fatigaret eum; nec vlla alia re, quàm hac Deus affligeretur & fatigaretur. Simile est Isaiæ 1. 14. *Solemnitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.* Et Ephes. 4. 30. *Nolite contristare Spiritum S. Dei, in quo signati.* Sensus ergo est, q. d. Vos, ô Iudæi, blasphemia vestra molestia affecistis, exacerbastis & fatigastis Deum, dicentes: *Omnis qui facit malum, bonus* (Chald. *rectus*) *est in conspectu Domini.* q. d. Mali sunt grati Deo, malos amat Deus: malos enim ita prosperat, ditat & exaltat, vt eis delectari videatur. Vnde explicans subdit: *Et tales ei placent, aut certè vbi est Deus iudicij?* vbi est Dei prouidentia? vbi iusta eius iudicia? vbi Deus iustus vindex impiorum, & protector piorum, qui nos fideles suos ita afflixit, & hostes nostros infideles ita magnificauit? Est dilemma: vel Deus amat malos & mala, vel non amat: si amat, ergo ipse peruerter malus est, quod absit: si non amat, cur ergo eos non punit; quinimò eos prosperat, facitque vt dominentur pijs, in eosque sæuiant, vti nobis contigit?

Causa enim huius querelæ & blasphemiæ fuit, quòd, vt ait S. Hieron. *reuersus populus de Babylone, & videns cunctas in circuitu nationes, quæ Babylonios idolis seruientes abundare diuitijs, nitere corporibus, omnia quæ bona putantur in seculo possidere; se verò qui habeat notitiam Dei, squalore, inedia, seruitute coopertum, scandalizatur & dicit: Non est in rebus humanis prouidentia: omnia casu ferantur incerto, nec Dei iudicio gubernantur, quin potius mala ei placent, & bona displicent: aut certè si Deus cuncta diiudicat, vbi est illius æquum iustumque iudicium?* Subdit S. Hieron. *Istiusmodi quæstionem nimis modula futurorum quotidie suscitat Deo, dum videt iniquos potentes, & sanctos humiles,* &c. quale est Euang. Lazarus legitur, qui ante fores diuitis purpurati desiderat micas, quæ abijciuntur de mensa eius, liquijs, inopem animam sustentare: diuitem verò tanta feritatis & crudelitatis, vt non misereatur hominis, cuius etiam canum lingua misereatur, intelligentes tempus iudicij, nec vera esse bona ea quæ

pretia sunt, dicunt: Mali ei placent, & vbi est Deus iudicij? Similis querela est Habacuc 1. vide ibi dicta. Eandem iterat Malachias c. 3. 14. eique respondet v. 16. & seq. scilicet, quòd in ea re exspectare debeant tempus vindictæ à Deo definitum, interim laudare Dei patientiam & longanimitatem, quæ differt vltionem vt peccator resipiscat. Rom. 2. 4.

VBI EST DEVS IVDICII?] Hebr. est *he* demonstrativum quod magnam habet emphasin: *Vbi est Deus, ille* הַמִּשְׁפָּט *hammisphat*, id est, illius iudicij, scilicet magni, certissimi, exactissimi, acutissimi, omnes, iustissimi, liberrimi, quo nec potentem, nec diuitem, nec munera, nec quid aliud præter iustum respicit. Ipse enim est Deus *hammisphat*, cui scilicet ex natura competit exacto iudicio iudicare omnes & omnia: ipsius enim natura est ipsa æquitas, ipsa iustitia, ipsa prouidentia, ipsa gubernatio, eaque iustissima & sapientissima. Vide Septuag. vertunt, *vbi est Deus iustitiæ?* Chald. *vbi est ergo Deus qui facit iudicium?* cuius scilicet proprium est esse omnium iudicem, ac in omnes rigidum exercere iudicium: nimirum idipsum exercebit planè & plenè in decretorio & vltimo mundi die, qui erit horizon huius vitæ & futuræ, disterminans tempus ab æternitate, cælum à gehenna, beatos à damnatis, in omne æuum, per Christum, quem constituit iudicem vniuersorum, viuorum & mortuorum. Frustra ergo olim clamarunt, & etiamnum clamant impij & stolidi Iudæi: Vbi est Deus iudicij? qui nos gentem suam à tot probris & ærumnis, quas à 1500. annis vbique terrarum patimur, iudicet & vindicet. Quocirca æquè stolidi Rabbini in Thalmud scribunt, Deum, quoties reminiscitur calamitatum, quas Iudæi à Gentibus vbilibet patiuntur, duas effundere lachrymas in mare Oceanum, & præ dolore pectus vtraque manu contundere. quam impiam & ineptam eorum blasphemiam inter alias plurimas recensет & ridet Sixtus Senensis l. 2. Biblioth. in voce Thalmud pag. 142. Verius & sapientius pro Deo contra se sic argumentari deberent: Deus, cùm sit iustissimus, iusto iudicio nos omnes per 1500. annos abiecit, & punit grauissimè: grauissimũ ergo scelus patrauimus, nimirum occidimus Messiã nostrum, Iesum Christum Deum & Dominum vniuersorum: Deum inquam iudicij. Frustra ergo querimur & quærimus: Vbi est Deus iudicij? nos enim eum occidimus.

CAPVT TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

TAxauit cap. 2. incuriam & improbitatem sacerdotum veterum: hoc cap. assignat remedium, nimirùm Christum venturum in carnem, suumq; templum, & eius præcursorem Iohannem Baptistam: Christus enim, inquit, purgabit filios Leui, *&c.* & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia. *quo simul respondet querelæ impiorum in fine cap. 2. dicentium:* Vbi est Deus iudicij? *Christus enim erit Deus iudicij, imò &* testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, *&c. Secundò, v. 8 culpat Iudæos, quòd Deum configant fraudando, sibi arrogando eius decimas & primitias. Tertiò, v. 14. arguit eos qui dicunt:* Vanus est qui seruit Domino, *quasi Dei cultus sit inutilis; nec Deus suos cultores remuneretur. Quibus respondet v. 18. In die iudicij* videbitis quid sit inter iustum & impium, & inter seruientem Deo, & non seruientem ei.

ECce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciẽ meam. Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis; & angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum.

2. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius, & quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum.

3. Et sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum, & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.

4. Et placebit Domino sacrificium Iudæ & Ierusalem, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui.

ECCE EGO MITTO ANGELVM MEVM] Assurgit Propheta ad tempora Christi duplici de causa. Prior est, quòd c. 2. carpserit vitia sacerdotum sui æui. Quocirca hîc eorum correctorem suggerit, scilicet pontificem Christum, qui in nouo testamento sit purus & integros sacerdotes instituturus, ac sacrificium Deo gratissimum oblaturus. ita Rupert. Ribera & alij. Posterior, vt respondeat Iudæis negantibus Dei prouidentiam, ac dicentibus: *Vbi est Deus iudicij?* Ait enim: En Christum Deum iudicij, qui breui incarnabitur, & sese ostendet in templo. ita S. Hieron. Theodor. & alij.

Nota hanc esse vocem Filij Dei, non Patris, non Spiritus sancti: nam Iohannes Baptista non fuit præcursor, nec præparauit viam ante Patrem & Spiritum sanctum, sed ante Filium: solus enim Filius in carnem ad nos descendit. Vnde & ipse in veteri testamento idipsum Prophetis promisit, ideoque ijsdem præcæteris personis apparuit, aut seipsum reuelauit, quasi præludens suæ incarnationi. Accedit quòd sic explicet Zacharias Lucæ 1. 76. dicens suo filio Iohãni: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius*, scilicet Christi, *qui per viscera misericordiæ Dei nostri visitauit nos oriens ex alto.* ita S. Hieronymus, Albertus,

tus, Lyranus, Vatablus, Ribera & passim alij.

Dices. Quomodo ergo Christus Matth.11.10. citans hunc locum, de Iohanne ait: *Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te?* Nec enim Christus de se poterat dicere *ante faciem tuam*; & *ante te*, sed, Ante faciem meam, & Ante me. Respondet ibidem Iansen. Christum tum quà Deus, tum quà homo est, in Scriptur. vocari faciem Patris: quia ipse perfectè Patrem eiusque dotes & virtutes repræsentat, perinde ac facies repræsentat totum hominē: sicut eadem de causa Christus vocatur Verbum, os, imago Patris, & character substantiæ eius, Hebr.1.3. Hinc Psaltes orat psalm.79.8. *Ostende nobis faciem tuam* (id est Messiam) *& salui erimus*. Pluribus idipsum probat Galatin.l.3.c.12. Hunc ergo dāt sensum: Ecce ego Pater æternus mitto angelum meum; putà Iohannem Baptistam, qui præparet viam ante faciem meam, id est ante Christum, qui est facies mea, id est mea imago, mea similitudo, meus index. Vnde Pater apud S.Matt.11.10. conuertens se ad Christum, vicissim de Iohanne ait: *Præparabit viam ante faciem tuam*, id est, ante te ô Christe, fili mi: nam tua facies est etiā facies mea. Verùm hic sensus subtilior & symbolicus videtur. nam *ante faciem tuam*, ad literam idem est quod *ante te*: sic enim se explicat Euangelista subdens, *Qui præparabit viam tuam ante te.*

Christus est facies Patris, cur.

Dupliciter ergo respondent Interpretes. Primò, S Iohannem missum esse tam à Patre & Spiritu S. quàm à Filio. Opera enim Trinitatis ad extra sunt indiuisa, & tribus personis communia, vti docent Theologi: quare quod vnus facit, hoc faciunt duo cæteri; cùm omnes tres sint vnius, vti naturæ, ita & potentiæ ac operationis. Quocirca Patres censent Isaiam c. 6.1. cùm ait: *Vidi Dominum*, &c. vidisse S. Trinitatem. Itaque cùm Scriptura opus quodpiam vni personæ diuinæ attribuit, cæteras subintelligit. Christus ergo Matth.11.10. loquens Iudæis, ne ab eis arrogantiæ insimularetur, noluit dicere se misisse Iohannem, sed Patri modestiæ causa id assignat; quem morem perpetuò seruauit disputans cum Iudæis, vt patet in primis capitibus S. Iohannis, vbi omnia sua Patri transcribit. Cùm ergo Filius hîc dicit: *Ecce ego mitto angelum ante faciem meam*; Pater quoque dicit: Ecce ego mitto angelum ante faciem tuam, ô Fili, vt ait S. Matthæus. Et Spiritus S. idipsum dicit: Ecce ego mitto angelum ante faciem tuā ô Christe: Spiritus S. enim misit Iohannem, vti & cæteros Prophetas, perque os eorum locutus est. Hîc ergo in Malachia loquitur Filius, sed in S. Matthæo loquitur Pater & Spiritus S. Vnde S. Hieron. in c.1. S. Marci dicit, Iohannem missum à Spiritu S. illumque intelligi cū ait Christus: Ecce ego (putà Spiritus S.) mitto angelum meum ante faciem tuam, ô Christe. Hac de causa Petrus Chrysolog. Iohannem Baptistā vocat medium totius S. Trinitatis, quasi de eo certent, eumque sibi arrogent singulæ personæ S. Trinitatis.

Secundò, à Castro respondet, eamdem personam diuinam loqui hîc apud Malachiā & apud S. Matthæum, scilicet Filium. Dicit ergo hîc Filius: Ego mitto Iohannem ante faciem meā, scilicet quæ est facies mei incarnati. Idē apud Matt. dicit sibiipsi, sed homini facto, Ecce ego filius Dei mitto Iohānem ante faciem tuam, ô Christe fili hominis. Licèt enim in Christo sit vna tantum persona, tamen illa virtute est duplex: quatenus enim sustinet naturam diuinam, est persona diuina; quatenus verò sustinet naturam humanā, est persona humana. Loquitur ergo Christus Deus Christo homini, quasi alteri à se: qua homo alteram, & prorsus diuersam à se habet naturam. in Christo enim aliud (licèt non alius) est Deus, aliud homo.

A

Angelvm] De fide est hunc angelum esse Iohānem Baptistam. De eo enim hæc Malachiæ verba explicat Christus Matth.11.10. verbis pariter antè citatis. ita S. Hieron. Cyril. Theodoret. Chrysostom. & cæteri omnes. Sed cur S. Iohannes vocatur *angelus*? Responderi posset, quia Iudæi ob vitam sanctam & eremiticā putarunt eum angelū, non hominem, vti refert Eusebius l.9. Demonstr.5. & S. Hieron. Quinimò è Christi Doctoribus Origenes to.5. in Iohan. censuit Iohannem Baptistam verè fuisse angelum incarnatum. Argumenta eius fuerunt duo. Primum, Iohannes dicitur missus à Deo, Iohan.1.6. qui inquit, priùs extitit, non vtiq; in terra, sed in cœlo: ergo fuit angelus. Posterius, quia idem à Malachia hîc vocatur angelus. Verba Origenis sunt: *Quoniam legimus*, Malach.3.1. *Ecce ego mitto angelum meum, adnotamus num fortè vnus angelorum existens, præcursor ad ministerium deputetur Salvatoris nostri. Et mirum profectò nihil, Christi amorem hominum incarnati imitatores aliquos extitisse, quibus dulce fuerit ei benignitati inseruire per corporū similitudine.* Censet ergo angelos aliquos fuisse incarnatos, vt Deo incarnato se assimilarent, eiq; in carne seruirent. Verùm hic est error. S. Iohannē enim fuisse hominem, non angelum patet ex Iohan.1.6. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Iohannes.* & Lucæ 1.1. vbi eius parentum conceptio, natiuitas, &c. fusè describuntur. Vide Cyril. l.1. in Iohan. c.7. Ad primum Resp. S. Iohannē non ante, sed post natiuitatem, imò post infantiam & adolescentiam, iam virū fuisse missum à Deo, vt sua prædicatione & baptismo pararet animos hominum ad Christum. Sic modo missi sunt Prophetæ omnes ad prophetandum, quos tamen constat homines fuisse, non angelos. Ad secundum iam respondebo.

B

Quæres, Cur ergo S. Iohānes hic vocatur angelus? Resp. quia angelus fuit nō natura, sed gratia. nimirum Primò, fuit angelus officio: fuit enim angelus, id est legatus, Dei ad homines adductus, dos ad Christum. Simili modo Aggæus c.1.13. Hebræo, & Malachias nomine suo; quin & sacerdotes omnes Malach.2.7. vocantur *malachim*, id est, angeli Domini exercituum.

C

Secundò, quia, sicut angeli infantiam non habuere, sed cum perfecta natura, ratione, & iudicio vsuque liberi arbitrij creati sunt; ita & Iohannes tantùm sex menses habuit infantiæ. Sexto enim mense visitatus à B. Virgine, in vtero sanctificatus est, prophetauit, vsumque rationis obtinuit. Nam Christum in vtero matris agnouit, salutauit, adorauit, ideoque præ gaudio exultauit, Lucæ 1.44.

D

Tertiò, quia parcissimi fuit cibi, & pene sine cibo & potu vixit instar angeli. Vnde S. Basilius Emil. de ieiunio, ait totam vitam Iohannis fuisse continuum quoddam ieiunium.

Qui

Quartò, quia purissimus & castissimus fuit, virgoque perpetuus instar angeli. Nam vt ait S. Ambros. lib. de Virgin. sub finem: *Virginitas est angelorum vita.* Et S. Augustl. lib. de S. Virgin. cap. 13. *Virginalis, ait, integritas angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio.* Et S. Hieron epist. 22. ad Eustochium: *Statim, inquit, vt filius Dei ingressus est super terram, nouam familiam sibi instituit, vt qui ab angelis adorabatur in cœlo, haberet angelos in terris.* Et S. Cyprian. lib. de Habitu virginum: *Cùm castæ perseueratis, angelis Dei estis æquales.* Et S. Ambros. l. de Virgin. *Quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut angeli Dei. Nemo ergo miretur si angelis comparatur, qui angelorum Domino copulantur.* Amplius audi S. Bernard. epist. 42. *Differt,* inquit, *homo quidem & angelus, non felicitate, sed virtute. Nam etsi illius castitas felicior, huius tamen fortior esse cognoscitur.* Ob quam luctam & victoriã S. Basil. tract. de Virgin. c. 79. ait castos esse angelos, non ex infimo ordine, sed illustrissimos & nobilissimos. Hanc castitatem S. Iohannes quasi cum natura hausit à Deo, qui eum concipi fecit ex parentibus senibus & sterilibus, ex corporibus, inquam, à concupiscentia defæcatis, vt ex ijs purus homo nasceretur per miraculum, quasi angelus. Denique Iohannes pro castitate, quia scilicet reprehendebat adulterium Herodis cum Herodiade, Martyr occubuit.

Quintò, quia sicut angeli perpetuò vident faciem Dei, Matth. 18. 10. ita Iohannes à puero secedens in eremum, sanctæ vacans contemplationi cum Deo & angelis conuersatus est, indeque angelicam libertatem, constantiam, charitatem, zelum, perfectionem imbibit & induit. Nam, vt docet S. Chrysost. hom. 32. in Acta in morali, virtus facit angelos, imò deos Deique filios. Ergo, inquit, *si virtus angelos facit, vtique angelos possumus facere, etsi non natura, certè proposito & studio. Nam hoc quidem absente, nulla vtilitas est angelum esse natura: id quod diabolus indicat, qui olim angelus fuerat. Hoc autem præsente, nullũ damnum est hominem esse natura, vt in Iohanne & Elia perspicuum est, qui in cælum ascendit.* Rursum S. Iohannes conuersatus est cum Verbo incarnato, eique astitit & seruiuit, sicut angeli astant & seruiunt Deo in cælo.

Sextò, quia gratiam acceptam numquam perdidit, quia numquam peccauit, saltem deliberate aut grauiter, sed in charitate suoque gradu perstitit quasi confirmatus in gratia, instar angeli. Huc eum duxit austera vita & seuera pœnitentia in victu, vestitu, somno, &c. Quocirca Petrus Damian. serm. de eo, vitam eius vocat continuum martyrium. S. Chrysost. hom. 10. in Matth. eam vocat vitam angelicam. Idem hom. 48. Iohanno, inquit, *ita in terris quasi in cælo versabatur. Natura namque necessitate superata, mirabile quiddam peregit iste, semper in hymnis, semper in oratione fuit: nulli hominum antequam ad baptisterium accederet, Deo autem soli sua semper offerebat obsequia.*

Septimò, quia, sicut angeli superiores docent inferiores, insuper purgant, illuminant & perficiunt homines, ita idem præstitit Iohannes, iuxta illud Gabrielis ad Zachariam patrem de Iohanne, Luc. 1. 16. *Multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum ipsorum: & ipse præcedet ante illum*

Cornel. in Proph. Min.

A *in spiritu & virtute Eliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare Domino plebem perfectam.* Et illud ipsiusmet Baptistæ Iohan. 1. 23. *Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini,* &c. Verè B. Petrus Chrysologus serm. 127. *Iohannes,* ait, *appellatur scholæ virtutum, magister vitæ, sanctitatis forma, norma iustitiæ, virginitatis speculum, pudicitiæ titulus, castitatis exemplum, patrum via, peccatorum venia, fidei disciplina, maior homine, par angelis, legis summa, Euangelij satio, Apostolorum vox, filetium Prophetarum, lucerna mundi, præcursor iudicis, Christi metator, Domini testis, totius medius Trinitatis.* Adde, Iohannes primus explicatè prædicauit regnum cælorum, quasi angelus cælestis, dicens: *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* *Iohan. Baptistæ elogia.*

B Octauò, quia in deserto non habuit alium doctorem quàm Spiritũ S. qui illuminauit eum in altissimis Dei & Christi mysterijs, non quasi hominem, sed quasi angelum, vti docent S. Ambros. hom. de natiuit. Bapt. & S. Chrysost. hom. 12. in Iohannem. Ibi à Spiritu S. accepit intelligentiam Script. imò potestatem scribendi & loquendi instar scriptoris hagiographi. Ibi hausit sapientiam & ardorem tanto doctori & prædicatori orbis, ad fidem Christo conciliandam necessariam, ac proinde fuit quasi angelus, non qualis qualis, sed instar vnius Cherubini & Seraphini: sanctitate enim & virtute, æquè ac officio, superauit S. Iohannes omnes inferiores angelos. Quocirca à Iudæis penè adoratus & cultus fuit, quasi ipse esset Messias. Vide decem priuilegia S. Iohannis apud S. Bernard. serm. de ijsdem (si tamen ipse eius est auctor) pag. 393. Item 28. Iohannis excellentias, quas recenset noster Barradius l. 8 c. 3. & 4. tom. 1. Denique S. Iohannes fuit Christi & Euangelij aurora, lucifer, iris, lucerna, pronubus, amicus, præcursor siue prodromus, vox, testis, Propheta, legis limes, vtriusque testamenti mediator & fibula. *Octaua.*

C Anagog. Hebræi teste S. Hieron. cẽsent angelum hunc esse Eliam: quia sicut Elias olim viuens fuit typus S. Iohannis, qui Eliæ spiritum & zelum induit, vti ait Christus Matt. 17. 12. ita vicissim Iohannes præcurrens & præparans viam Christo, typus fuit Eliæ, qui rediturus est in fine mundi, vt contra Antichristum decertans, viam paret Christo venturo ad iudicium. ita & Sebastian. Barrad. to. 1. l. 8. c. 3 & 4. vbi 28. prærogatiuas S. Iohannis recenset. *Anagog. Iohannes est Elias.*

D Denique Auctor imperfecti hom. 27. *Mirabilis est,* ait, *qui in humana natura angelicam sanctitatem transgressus est, & obtinuit quod non habuit natura, per gratiam.* S. Aug. serm. 4. de Baptista: *Quisquis Iohanne plus est, non tantùm homo, sed & Deus est.* S. Ambros. serm. 94. *Præcellit cunctis, eminet vniuersis, antecellit Prophetas, supergreditur Patriarchas: & quisquis ex muliere est, inferior est Iohanne.* Gerson tract. 4. in Magnificat, *Videtur Iohannes Baptista primus post Mariam positus in ordine Seraphinorum loco Luciferi.*

ET PRÆPARABIT VIAM ANTE FACIEM MEAM] Scilicet qui mihi sit proximus, me tamen secundùm carnem antecedat, priorque mundo manifestetur. Hoc enim est τὸ *ante faciem*, qui scilicet proximus est alteri, eum tamen, eiusque faciem anteit & præcedit. Hic præparabit viam ante me, hoc est, suo baptismo, testimonio, do-

ctrina & prædicatione disponet animos Iudæorum, vt, quando ego me mundo patefaciam, ipsi me recipiant vt verum Messiam in lege promissum. Hoc est Christo præparare viam, idque ante faciem eius, id est ipso præsente, & in mundo iam existente per carnem assumptam. Christum enim ipse signabit, ac digito indicabit, atque de eo testimonium perhibebit, quòd scilicet ipse sit Agnus, id est Filius Dei, qui tollit peccata mundi.

Nota. Cæteri Prophetæ multis sæculis ante Christum missi sunt, vt eum futurum prænunciarent; Iohannes verò missus est, vt iam natum & præsentem indicaret, ideoque dicitur missus ante faciem eius. Alludit ad legatos, quos quasi prodromos rex præmittit in vrbem, ad quam ipse mox venturus est, vt ciuibus suum aduentum prænuncient. hoc enim officium Christo in Iudæa præstitit Iohannes. Quocirca à Christo vocatur non tantùm Propheta, sed etiam plusquam Propheta, Matt.11.10.quia cum Deo incarnato familiariter conuersatus ipsum orbi demonstrauit, imò baptizauit. Vnde sequitur: *Et statim* post Iohannem, *veniet dominator*, scilicet Christus. Quocirca S.Iohannes fuit horizon legis veteris & nouæ, quia, vt ait S.Thom.3.p.q.38. a.1. *Iohannes fuit terminus legis, & initium Euangelij*; ac, vt ait Nazianz.orat.21.*Mediator noui & veteris testamenti*, atque, vt B.Chrysolog.serm.91. *Iohannes fuit legis & gratiæ fibula*, scilicet *ad quem desineret iudaismus, & a quo inciperet christianismus*, vt ait Tertul.l.4.contra Marcion.33. *Sicut lucifer finis est noctis, & dies initium.*

Iohannes fuit horizon & fibula legis veteris & nouæ.

AD TEMPLVM] Ad literam intellige materiale Hierosolymitanum. Ad hoc enim venit Christus infans in festo purificationis, post natiuitatem & oblationem S.Iohannis; sed genuinè & proprijssimè post S.Iohannis prædicationem, carcerem & decollationem venit Christus ad templū, in eoque prædicauit & fecit miracula, quibus demonstrauit Iudæis se esse Messiam hîc promissum. ita S.Hieron. Albert. Lyranus, & cæteri. Hinc patet contra Arrianos, Christum esse verum Deum: Dei enim veri erat hoc templum. Ergo cùm hoc templum fuerit Christi (ipse enim hîc dicitur venturus ad suum templum) sequitur, Christum esse Deum. Soli enim Deo dicantur templa.

Mysticè templum Dei fuit Primò, vterus Virginis.

Mysticè, per templum hoc aliqui accipiunt Primò, vterum Virginis, in quo quasi in templo purissimo & sanctissimo Christus nouem mensibus habitauit, dum ex ea carnem assumpsit, & admirabile incarnationis mysterium in eo, quasi in templo celebrauit. ita S.Cyrill.

Secundò, humanitas Christi.

Secundò, Theodor. & S.Augustl.18.Ciuit.35. templum hoc interpretantur carnem & humanitatem Christi, in qua plenitudo diuinitatis habitauit corporaliter, Coloss.2.9. ita Christus corpus suum vocauit templum, dicens: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, Iohan.2. 19. Christus enim in corpore quasi in templo suum sacerdotium peregit, ait Rupert. præsertim dum illud in cruce Deo Patri pro hominum redemptione immolauit.

Tertiò, Ecclesia.

Tertiò. S.Hieron. cum suis, per templum accipit Ecclesiam, siue Synagogam & cœtum fidelium, qui est templum Dei, non literale & corporale, sed mysticum & spiritale.

A DOMINATOR (hebr. הָאָדוֹן *haadon*, id est, ille dominus, omnium scilicet antonomasticè, qui omnium, eminens & transcendens in omnes & omnia habet ius, dominium & imperium) QVEM QVÆRITIS] Hebræi aliqui, quos sequitur Lyranus, vti per angelum accipiunt Eliam, ita per dominatorem accipiunt Antichristum: hunc enim volent, & pro Christo recipient Iudæi ad finem mundi. Verùm hoc rectè refellit S.Hieron. Nec enim Antichristus erit angelus testamenti, qualem hunc dominatorem fore subiungit Malachias. Dominator ergo hic est Christus Dominus, Rex regum & Dominus dominantium, qui mox secutus est Iohannem Baptistam. Perperam ergo Iudæi hæc referunt ad Christum suum, quem ipsi putant in fine mundi venturum. Nam vt rectè argumentatur S.Hieron. *Miror, aut quomodo rerum exitus eos non doceat veritatem. Quid enim templum suum inueniet Dominator, quod non ad fundamenta destructum est, aut si ab alio extruendum est antequam Christus adueniat, quid Christus eorum amplius facturus est, cùm ab alio restituta sint omnia?* Iudæorum ergo Christus non erit, sed quàm Antichristus; nec enim alius eorum Christus venturus est.

B

ET ANGELVS TESTAMENTI] Hebr. בְּרִית berith, id est fœderis. *Testamentum* enim in Scriptura sæpè significat pactum & fœdus, vti dixi Hebr.15.& 1.Corinth.11.25. vnde Tigurina vertit, *& legatus fœderis.* Malachias duos hic proponit, & promittit angelos: vnum nudum, alterum testamenti: priorem scilicet, præcursorem & indicem posterioris. Prior est Iohannes Baptista, posterior est Christus. Vnde de eo ait: *Et statim*, scilicet post priorem angelum, putà post Iohannem Baptistam, *veniet ad templum*, &c. *angelus testamenti* est pacti, siue fœderis, vt vertit Syrus. Porrò cùm duplex sit fœdus Dei cum hominibus, vetus videlicet Iudaicum, & nouum siue Christianum, Christus vtriusque fuit angelus, & legatus. Christus enim à Patre missus apparuit Mosi in Sina, pepigitque eumque vetus fœdus cum Iudæis iniit, quo eis promisit se venturum in carnem, ad eorum redemptionem: Christus enim fuit angelus in veteri fœdere promissus Abrahæ & semini eius, ac præsertim Mosi. Quocirca S.Paulus Galat.3.19. ait legem veterem datam in manu mediatoris, est per manum, mediatoris; vbi multi per mediatorem intelligunt Christum. Hinc & ipse Isaiæ 52.6 *Ego qui loquebar ecce adsum.* Quapropter S.Basilij, Cyrilli, Eusebij, Ambrosij, aliorumque multorum Patrum sententia est, quòd quandocumque in veteri testamento dicitur apparuisse Deus, apparuerit secunda persona, scilicet Filius, vt suum aduentum realem in carnem præsignificaret, eique vmbraticè & typicè in corporis specie tenus assumpto præluderet, vt dixi in Pentateuchi can.16.

C

D

Secundò & genuinè & propriè, Christus fuit angelus, id est legatus, internuncius & conciliator noui testamenti, id est fœderis, quod Deus per Christum cum hominibus iniit, quo eis nō bona terrena, vt Iudæis in fœdere veteri, sed spiritualia, cælestia & æterna exhibuit, quæ in veteri adumbrabantur, quæque expressè promisit Abrahæ dicens: *Benedicentur omnes gentes in semine tuo*, Gen. 18.22. Hæc enim Abrahæ benedictio non fuit aliud, quàm remissio peccatorum, gratia, iustitia, salus,

salutis æterna, quæ Christus Iudæis inprimis, deinde omnibus gentibus contulit, eaque ratione omnia omnino Dei promissa Abrahæ & Iudæis facta compleuit. Et hoc est quod subdit dicens: *Quem vos vultis*, quem scilicet vos, ô Iudæi, quasi Messiam, redemptorem & saluatorem Abrahæ promissum, auidè exspectatis. ita S. Aug. l. 18. Ciuit. 35. Quocirca Christus à Septuag. Isaiæ 9. 6. vocatur *magni consilij angelus*.

Porrò Christus fuit angelus noui testamenti & fœderis. Primò, quia iram & inimicitiam Dei contra homines placauit & sustulit. Fuit ergo angelus fœderis, id est reconciliationis. Quocirca ab Isaia c. 9 6. vocatur *Princeps pacis*: & ab Apostolo Ephes. 2. 14 *Pax nostra*: & Colos. 2. 14. *Delens quod aduersus nos erat chirographum decreti; quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Secundò, quia verè nouum fœdus vetere Mosaico abolito, inter Deum & homines conciliabit, quo Deus se obligat Christianis ad dandam gratiam & gloriam æternam; Christiani vicissim se obligant Deo, quòd eius filio Iesu Christo credent, obœdient, eiusque legem, doctrinam & vitam capessent. Tertiò, quia è cælo in terram descendit quasi angelus, vt carnem assumens in Verbo vnum Verbo, terram cælo, hominem Deo vinculo vnionis hypostaticæ, quasi arctissimo fœdere copularet. Quartò, quia in vltima cœna quòd ante mortem testamentum propriè dictum, continens vltimam suam voluntatem, condidit, illudque institutione Eucharistiæ sanciuit, dicens: Hic est sanguis noui testamenti, &c. vt dixi 1. Corinth. 11. 25. Quintò, quia Christus hoc fœdus & testamentum ad homines è cælo quasi angelus detulit, illudque in terra instituit triginta tribus annis laborando, prædicando, miracula faciendo, circumeundo per vicos & castella, fatigando se, sudando, in fame, siti, frigore alios euangelizando; ac tandem illud suo sanguine non tantùm roborauit & sigillauit, sed etiam ac comparauit, quasi persoluto pretio ad tantam reconciliationem, tantumque fœdus iuste & condigno, idque pro omnibus gentibus, & per omnia sæcula, etiamsi mundus mille aliorum millionibus perduraret, imò per totam æternitatem. Hoc enim fœdus Sancti & Beati in cælo per gloriam participabunt in æternum. ipsum enim ad cælum ducit. Vnde & cælestis gloriæ causa à Christo sancitum est. Quocirca ipse confecto hoc fœdere primus in cælum gloriosus ascendit, quasi pandens iter cælestis fœderis, suosque fideles eò vocans, & ad se secundum inuitans. Deniq; S. Augustl. 18. Ciuit. 35. Christus, ait, dicitur *angelus, propter Euangelium, quod nuntiauit hominibus. Nam si Græca ista interpretemur, & Euangelium bona nunciatio est, & angelus nuncius est.* Quod enim melius est nuncium, quàm cælorum regnum prædicare, imò pandere & offerre? Vnde Arabicus Antioch. vertit, *nuncium*, vel *Apostolum testamenti*. Huius rei symbolo angelus Manue nuncians ortum Samsonis ex eo natorum, qui futurus erat Israelis liberator & vindex, adeoque typus Christi, peracta legatione in flamma victimæ ascendit in cælum, Iudic. 13. 20. Quibus de causis omnino par est, vt omnes Christiani omnesq; omnino homines Christum Domini, quasi angelum testamenti de cælo

A veniẽtem, & quasi legatum à Deo ad se missum, summa deuotione, honore & amore excipiant; illi immensas gratias agant, illi per omnia obediant, eius doctrinam & vitam æmulentur, ac eum crucem baiulantem generosè sequãtur, certi quòd per eam post illum ascensuri sint in cælum: illi totos se dedant; illi totum cor offerant, illudque eius cordi & amori immergant. Ita auidè eum quasi Messiam suum exspectabant Iudæi, vti etiamnum exspectant. Vnde de ijs subdit Malachias:

QVEM VOS VVLTIS] Hebr. חֶפְצִים *chaphetsim*; Chald. *desideratis*; Tigurina, *quos vos delectamini*; alij, *in quo vobis complacitum est*. Christus enim quasi malorum omnium depulsor, & bonorum omnium adductor, à patribus per quatuor annorũ millia summè fuit desideratus. Vnde à Iacobo patriarcha vocatur *Desiderium collium æternorum*, Gen. 49. 26. & ab Aggæo c. 2. 8. *Desideratus cunctis gentibus*. Hinc illa Prophetarum suspiria: *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes*, Isaiæ 64. 1. *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum. Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, Isaiæ 45. 6. Idem Christi desiderium eo nato habuit S. Simeon, alijque sancti & fideles. Vnde de Anna prophetissa ait Lucas cap. 2. 38. *Loquebatur de eo omnibus qui exspectabant redemptionem Israel*. Secundò, Arias censet hîc Prophetam respondere Iudæis dicentibus c. 2. 17. *Vbi est Deus iudicij?* Hisce enim respondet: *Statim veniat dominator*, qui impijs erit terribilis, *Deusq; iudicij*, pijs verò erit *angelus testamenti*.

Vnde Tropol. S. Bernard. serm. ad Pastores in Synodo: *Templum*, inquit, *Dei sanctum est, quod estis vos. Anima iusti sedes & templum Dei est. Dominus in templo suo facit mirabilia, & præbet oracula. Veniat ad templum suum dominator quem quæritis, quo positis dominari carnalibus desiderijs, & diabolicis resistere tentationibus. Veniat & angelus testamenti, quem vos vultis, qui annũciet vobis suam voluntatem, & confirmet promissam hereditatem. Inducant eum in templum suum parẽtes eius, pater videlicet, & mater, & fratres eius. Quis sint illi respondeat ipse: Quicumque fecerit voluntatem patris qui in cælis est, ipse meus pater, & mater, & frater, & soror est. Pater, generando per verbum prædicationis, vt dicit Apostolus: Ego per Euangelium in Christo vos genui. Mater, pariendo per exemplum sanctæ conuersationis. Frater & soror, castè diligendo in amore fraternitatis. Hi parentes estis vos, aut esse debetis.*

ECCE VENIT] Hebræi, Remig. Lyran. & S. Augustl. 18. Ciuit. c. 35. hæc accipiunt de secundo aduentu Christi ad iudicium, cuius angelus & præcursor erit Elias. Verùm hic sensus est anagogicus. Nam ad literam hîc agi de primo aduẽtu Christi in carnem & mundum, patet ex eo quod sequitur: *Et purgabit filios Leui*, &c. In secundo enim aduentu eos non emundabit, sed impuros iudicabit & damnabit. ita S. Cyril. Theodor. Rupert. Vatabl. Arias, Ribera & alij. Ait ergo: *Ecce venit*. Vox *Ecce*, significat Primò rem hanc, putà aduentum Verbi incarnati fore nouum, admirabilem & stupendum: Secundò, fore certum: Tertiò, fore exoptatum & lætum: Quartò, fore celerem. q.d. Videor mihi videre Messiã nostrum aduentantem: ecce venit, ecce mox aderit.

ET QVIS POTERIT COGITARE? Hebr. מִי מְכַלְכֵּל VERS. 2. *mi mekalkel*, id est, quis feret, quis sustentabit, quis

metietur, quis continebit, quis comprehendet? Vnde Septuag.& Chald.vertunt, *quis sustinebit?* Pagnin. *quis ferre poterit diem quando veniet?* Nosster, *quis poterit cogitare diem aduentus eius?* q.d. Quis poterit capere,& cogitatione comprehendere tantam angeli testamenti, id est Dei in carnem & mundum aduenientis, inter homines cõuersantis, in templo prædicantis, suam legem, Sacramenta & Ecclesiam sancientis,potentiam, sapientiam,bonitatem, &c. Quis gloriam illius diei,quo Christus in terris nobiscum aget, mente concipiat, aut verbo explicet? Quis animo complectatur,& ore recenseat charismata,virtutes & gratias cælestes, bonaq; omnia quæ Christus è cælo nobis afferet? Hebr.enim *mekalkel* deriuatur à כוֹל *col*,id est,*omne*: inde verbũ כִּלְכֵּל *kilkel*,significat omnia complecti, omnia recensere. Nota.Dies aduentus Christi ponitur metonymicè pro ipso Christo, suo die adueniente,vel potiùs aduenturo.

Secundò, iuxta Septuag. q.d.Quis ferre & sustinere poterit tantam Christi lucem & maiestatem? Eius enim respectu omnium angelorum & hominum acies, instar noctuarum hebetatur, caligat,deficit.Quis solem iustitiæ clara luce radiantem, aduersis & irretortis oculis intueri valebit?Quomodo hominum infirmitas tantã potentiam,cæcitas tantum iubar, fragilitas tantam efficaciam,impuritas tantam sanctitatem, paleæ tantum ignem sustinebũt? ipse enim quasi ignis conflans.Quis stupore,timore,horrore, & abyssali reuerentia tantæ celsitudinis non deficiat, non exanimetur? Quis non liquescat, non tabescat, sicut plumbum & stannum liquescũt & tabescunt coram igne ardẽtissimo, in fornace qua conflantur?præsertim dum in tanta demissione, exinanitione, amore, dignatione, diuinã dignitatem & magnificentiam in Christo incarnato contemplatur & spectat. Hic est sensus genuinus. quare minùs genuinè Vatabl.hæc refert ad tribulationes Christianorũ,& persecutiones primitiuæ Ecclesiæ, quæ fuerunt ardentissimæ.q.d. Quis ardorem illarum tribulationum sustinebit? vtique nemo viribus humanis, sed multi viribus diuinis,suggestis à gratia Christi.

ET QVIS STABIT AD VIDENDVM EVM?] Septuag.*quis stabit in visione eius?* Quis erit tã durus & ferreus, quem Christi aspectus non sternat & frangat? Quis adeò rebellis & frigidus, cuius animum ignea vis oculorum Christi non capiat & inflammet?ita Sanchez.Secundò,q.d.Quis stare poterit coram eo? Quis attonitus pauore & admiratione non corruat,videns oculis suis tantam Christi claritatem & magnificentiã?Vnde Hebr. est,*quis stabit in videndo eum?* Vatabl. *quis cùm se ad conspiciendum præbebit consistet, aut subsistet?* Pagnin.*quis poterit stare cùm apparuerit?*Chald.*ecquis consistet cùm reuelatus fuerit?* Hæc rumina, ô fidelis, ô sacerdos, dum Christum in altari præsentem habes,imò conficis & manducas.

IPSE ENIM QVASI IGNIS CONFLANS] Arabicus,*quasi ignis vadens;*Septuag.*quasi ignis conflatorij;* Tigurina,*quasi ignis excoquẽs.* Sic Persæ Deum censuerunt esse ignem,quando ignem vt Deum coluerũt.Quin & *Stoici ipsum Deum in ignem dissolutum iri opinantur,*ait S.Iustinus orat.ad Antonin.Pium.Imò Plato censuit in ignea substantia esse Deum,ait idem Iustin.orat.ad Gentiles; additque, Plato sidera appellat igneum Deorum genus. Verùm hi errores sunt explorati. Porrò Propheta angelum testamenti, id est Christum, comparat igni fornacis ardentissimæ, quo conflantur metalla,vt aurum,argentum,ferrum,stannum,&c. vt significet ignitam & ardentem fore eius doctrinam,legem & gratiam. Primò enim sicut in fornace liquatur aurum,ita Christus dura hominum corda sua gratia emollit & liquat ac in gemitus & lachrymas compunctionis soluit.Secundò,sicut ignis liquando aurũ, aliter separat alia metalla & scoriam; ita Christus per lachrymas & pœnitentiam separat ab anima vitia,& concupiscentias inolitas. Tertiò,sicut in separatione aurum purificatur,perficitur,splendescit;ita pariter & anima.Quartò,sicut vi ignis aurum calefit,imò ignescit,vt videatur in ignem transformari; ita vi gratiæ Christi anima accenditur, vt videatur instar ignis se & alios inflammare amore Dei.Hoc est quod Isaiæ c.4.3.prædicit: *Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion,* &c. *in spiritu iudicij & spiritu ardoris.*Et Iohan.Baptista Luc. 3.16.ait se baptizare aqua, Christũ verò igne: *Ipse,*inquit,*vos baptizabit Spiritu S.& igne.*Hanc causa in Pentecoste misit Spiritum S. in Apostolos specie ignis & linguarũ ignearum, vt significaret Spiritum S. eos igne charitatis accendere, eisq; indere cor amore & zelo igneũ, ac linguas igneas. Et Christus ipse Lucæ 12.49.*Ignẽ,*inquit, *veni mittere in terrã.Et quid volo,nisi vt accendatur?* de quo vide S.Ambros.serm.18.in illud psal. 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Quintò,sicut igne aurũ,æs & ferrum,licèt durissima, non tantũ molliuntur, & flectuntur, sed & in certã formã,v.g.cacabi,scutellæ,sartaginis,&c.efformantur;ita gratia Christi hos format Apostolos,alios Doctores,alios Martyres,alios Confessores,alios Virgines,&c.1.Cor.12.4. atque ex vno gradu in altiorem, imò ad ipsum virtutis & perfectionis apicem conscendunt. Tres enim sunt gradus seu status virtutum.Primus est politicus & vulgaris, qualis est virtus communis fideliũ, qui honeste pieq; viuunt secundùm præcepta Dei. Secundus est excelsior transeuntium, & in diuinam similitudinem tendentium, quorum virtutes vocantur purgatoriæ, ita scilicet,vt prudẽtia omnia mundana diuinorum contemplatione despiciat, omnemq; animæ cogitationem dirigat in deum:temperantia relinquat, in quãtum natura patitur,ea quæ corporis vsus requirit:fortitudo efficiat,vt anima propter excessũ à corpore, & accessum ad superna,nulla difficultate vel aduersitate terreatur:iustitia denique faciat, vt tota anima consentiat ad huiusmodi propositi viã.Tertius est diuinam similitudinem iam assequentium, quorum virtutes sunt & vocantur animi purgati;qualis est in Beatis, & in nonnullis in hac vita perfectissimis: ita scilicet,vt prudentia solùm diuina intueatur; temperantia terrenas cupiditates nesciat,fortitudo timorem non sentiat, cæteraq; passiones ignoret; iustitia cum diuina mente,eam scilicet imitans, perpetuo fœdere societur.Ita S.Thom.1.2.q.61.a.5.& Vincentius; p.1.t.de virtute,d.7.

Tropol.ignis quo Deus purificat & excoquit animas,est tribulatio & afflictio. Sicut enim sordes metallorum igne auferũtur, sic peccata afflictionibus,ait Vatabl.Ita Martyres, vt S.Laurẽ-

tius

tur, igne tormẽtorum excocti, facti sunt hostiæ
A sima, qua vulgò ad maculas è pannis & vestibus
extergendas vtuntur, vti Romæ meis oculis
conspexi. Vide dicta Ierem. 2. 22. Nota. sicut
paulò antè Propheta comparauit Christum igni
conflanti & purificanti aurum; ita hîc eumdem
comparat herbæ fullonum pannos emundãti, vt
vestem nuptialem suorum emundet, candidamque &
splendidam efficiat. Iustorum enim animæ per Christi gratiam candent vt stolæ, & fulgent vt aurum.

Porrò pro *borith* Syrus, & Arabicus vterque vertunt *sulphur*, quia suo ardore omnia purificat: aut fortè בּוֹרִית *borith* acceperunt pro vicino גָּפְרִית *gophrit*, id est sulphur. Vnde Syrus vertit, *quia quasi ignis est qui conflat, & quasi sulphur dealbans*; Arabicus Antioch. *ipse enim quasi ignis*
B *vadens, & quasi sulphur quod candescit*; Arabicus Alexand. *ipse enim veniet quasi ignis conflans, & quasi sulphur exardescet.* Notus est sulphuris ardor: vnde S Hieron. hæc refert ad ignem Purgatorij, vel inferni, vbi est ignis ardens pice & sulphure, vti paulò antè dixi.

ET SEDEBIT CONFLANS ET EMVNDANS ARGENTVM] *Sedebit*, seriò & accuratè, non obiter & leuiter, quasi per transennam, conflaturus argentum, id est, suos fideles, præsertim sacerdotes, vti subiungit; vt fiant nitidi instar argenti; splendeantque quasi argentei sacerdotes. VERS. 3.

Secundò, *sedebit*, quasi discretor & iudex, vt vitia, præsertim ea quæ se specie virtutum velant, putà hypocrises & fucos, à veris virtutibus, ipsosque virtuosos ab hypocritis diiudicet, secernat & separet. Homines enim pro affectu iudicant,
C & quod virtutis est vitio deputant, & quod vitij est virtuti. Meritò hac de re queritur Sidonius Apollin. l. 7. epist. 9. *Quis*, ait, *non erubescat, cùm videat sordidari virtutum sinceritatem criminatione vitiorum? Si eligimus humilem, vocatur abiectus. Si proferimus erectum, superbus censetur. Si minùs institutum, propter imperitiam creditur irridendus. Si aliquatenus doctum, propter scientiam clamatur inflatus. Si seuerum, tamquam crudelis horretur. Si indulgentem, facilitate culpatur. Si simplicem, despicitur vt brutus. Si acrem, vitiatur vt callidus. Si diligẽtẽ, superstitiosus decernitur. Si remissum, negligens iudicatur. Si solertem, cupidus. Si quietum, pronunciatur ignauus. Si abstemium producimus, auarus accipitur. Si eum qui prandendo pascat, edacitatis impetitur. Si eum qui pascendo ieiunet, vanitatis arguitur. Libertatem pro improbitate condẽnant, verecundiam*
D *pro rusticitate fastidiũt. Rigidos propter austeritatem non habent charos; blandi apud eos communione vilescunt.* Christus iudex hæc omnia colat, quid virtus sit, quid vitium acri iudicio discernit: illi suum decus, huic dedecus decernens. *Virtutes quasi vitia traducuntur.*

Meminerit sacerdos, præsertim confessarius, se quasi vicarium Christi sedere pro tribunali, vt non leuiter hoc iudicium peragat, dicatq; cuilibet confitenti, Ego te absoluo: sed maturè culpas examinet, easq; non tegere, nõ oblinere, non superficialiter delere, sed radicitus eradere satagat: sicut aurifex per ignem ab auro eradit omnem scoriam, & fullo per herbã borith à panno omnem, etiam intimum, tollit næuum & maculã. Quid enim prodest pœnitenti absolui, si radix, putà eadẽ procliuitas & occasio proxima ad peccandum, resideat, quæ ilico eum rursum ad peccandum & ad recidiuam impellet? nimirum

fiet quod vulgò dicitur : Canis ad vomitum, & sus lota ad lutum. Vis nosse an quis bonus sit cõfessarius ? vide quales sint eius pœnitentes : si hi vitam mutent, aut in sanctitate valdè proficiant, si heroica opera capessant ; scito insignem esse confessarium. sin pœnitentes maneãt ijdem, hoc est, in eodem statu, vitij aut virtutis, scito eneruem esse confessarium, & vnum è triuio. *Sæpè*, inquit S. Gregor. l. 8. Moral. c. 11. *& reprobi peccata sua cõfitentur, sed deflere contemnũt : electi autem culpas suas quas vocibus confessionis aperiunt, districtæ animaduersionis fletibus insequuntur.* Et mox: *Psalmista plagam cordis non solùm detexerat, sed detectæ etiam medicamentum mœroris adhibebat, dicens: Iniquitatem meam ego pronunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Pronunciando enim occultum vulnus detegit, cogitando autem quid aliud quàm medicamentum vulneri apponit?* Idem hom. 34. in Euangel. *Pœnitentiam*, inquit, *agere, est & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare : nam qui sic alia deplorat, vt tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat.*

Cõfessarius ex pœnitentibus agnoscitur.

S. Ambrosius pœnitentes audiens, adeò in eos pio cõmiserationis & opitulationis affectu mouebatur, vt in lachrymas prorumperet, flensque ipsosmet flere, & vitam mutare compelleret. ita habet eius vita. Eius assecla fuit S. Carolus Borromæus. Vide S. Ambros. serm. 35. de modo verè agendi pœnitentiam. Eiusdem est tremenda illa sententia l. 2 de Pœnitentia c. 10. *Facilius inueni qui innocentiam seruauerint, quàm qui cõgruè egerint pœnitentiam. Renunciandum sæculo est*, &c. *Viuendũ ita, vt vitali huic moriamur vsui : seipsum homo abneget, & totus immutetur : sicut quemdam adolescentem fabulæ ferunt, propter amores meretricios peregrè profectum, & abolito amore regressum, postea veteri occurrisse dilectæ, quæ vbi non interpellata, mirata putauerit non recognitam, rursus occurrens dixerit: Ego sum; responderit ille: Sed ego non sum.*

Exempla SS. Ambr. Borromæi, &c.

Mysticè, sedet homo in sabbatho, id est, Dominico & festo die, cũ ab operibus alijs quiescit, & Deo vacat. Sicut enim homo fit sapiens sedẽdo & quiescendo, vt ait Aristot. l. 7. Physic. sic & idẽ quiescendo illustrationes Dei excipit, quibus purgatur, & diuinus efficitur, iuxta illud Thren. 3. 28. *Sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit super se.* Et psal. 45. 11. *Vacate & videte quoniam ego sum Deus.* Sicut enim aqua quieta, subsidentibus sordibus fit limpida & perspicua quasi speculum; ita & anima quieta subsidentibus passionibus veritatem cernit, fitque capax cognitionis spiritualis & diuinæ, præsertim quia libera à tumultu, & separata ab alijs obiectis, vni veritati, vniq; Deo vacat & intendit. Verum est enim illud:

Sedendo, homo fit sapiens & diuinus.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

PVRGABIT FILIOS LEVI] Tum quia multi Leuitæ & sacerdotes conuersi ad Christum, facti sunt sancti, imò prædicatores, inter quos fuit S. Barnabas, Actor. 4. 36. de quibus ait S. Lucas Actor. 6. 7. *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.* Taxauit enim Malachias Leuitas & sacerdotes Iudaicos, quos à Christo reformandos hic prædicit. ita Theodor. Tum quia Christus veteribus Leuitis & sacerdotibus Aaronicis abrogatis, nouos instituit sanctæ & angelicæ vitæ. Tales enim fuerunt Apostoli, eorumq; discipuli & successores. Hi ergo sunt filij Leui, id est sacerdotes, non veteris, sed noui Testamenti; posteri non Aaronis, sed Christi. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Hugo, Lyran. & alij. Simili modo Ecclesia Christi vocatur Sion & Ierusalem, quia Ierusalem orta, Synagogæ Sionis & Iudæorum successit. Meminit purificationis sacerdotũ Christo faciendæ, potiùs quàm laicorum ; tum quia summa puritas & sanctitas requiritur in sacerdotibus Christi, eò quòd sint vicarij Christi, qui est Sanctus sanctorum; quodq; Sacramenta sanctissima, præsertim Eucharistiæ tractent, conficiant & administrent : tum quia sacerdos plebem purificant : hinc quo purior & sanctior sit sacerdos, eo purior & sanctior euadit plebs. Sacerdos enim ei suam sanctitatem & verbo & vita aspirat & instillat. Sicut ex aduerso impurus sacerdos vitiat totam Ecclesiam, vti ex S. Chrysost. & alijs ostendi v. 1. & c. 1. 6. Videant ergo sacerdotes quomodo hoc suum decus tueantur, nequando de ijs dici possit, quod de tui ævi Presbyteris ingemiscens dixit S. Bonifacius primus Episcop. Moguntinus, Frisiæ Apostolus & Martyr : *Olim sacerdotes aurei celebrabant in calicibus ligneis, nunc lignei sacerdotes celebrant in calicibus aureis.* ita habet eius Vita.

Tropol. *filij Leui*, id est, sacerdotes spirituales & mystici sunt fideles, qui Deo victimas bonorum operum, orationis, compunctionis, electæ synæ, & præsertim purum cor, sanctaq; & ardentia amoris desideria offerunt, iuxta illud 1. Petr. 2. 9. *Vos genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, offerentes spirituales hostias acceptabiles Deo per Iesum Christum.*

ET COLABIT] Colare est pauxillatim stillare liquorem aliquem, v. g. oleum, vinum, lac, aurum liquatum, &c. per aliquod vas angustum, vel colum transfundere aut transmittere, vt quod purum est transeat, quod crassum & impurum excludatur. Vnde Plinius l. 13. c. 2. *Regale*, ait, *unguentum colato melle constat.* Et Manilius:

Et colare vagos inductis retibus amnes.

Et Apuleius lib. Florid. *Neque*, ait, *illi nerant colum aruum, vel colare aurum.* Hic pro *colabit*, Chald. vertit, *expurgabit*; Pagnin. *conflabit*; alij, *defæcabit*; Septuag. *effundet*, sicut è fornace conflatoria massa latim effundi solet liquatum & defæcatum aurum. Porrò Christus colat & expurgat sacerdotes per Spiritum S. sicut colauit Apostolos in die Pentecostes. Spiritus S. enim indit eis spiritum compunctionis & lachrymarũ, item charitatem & zelum. Tropol. per tribulationes & persecutiones, inquit Vatab. quales passi sunt sacerdotes in primitiua Ecclesia, cùm omnes pene rapebantur ad mortem, populoque erant duces ad martyrium. Quod Romæ fecisse S. Cornelius Papa in persecutione Decij, narrat & celebrat S. Cyprian. l. 1. epist. 1. ad Cornelium: *Exprimere, ac non potest, quanta ibi hic exultatio fuerit, &c. Dum te illic fratribus confessionis extitisse; sed & confessionem ducis de fratrum confessione creuisse, vt dum præcedis ad gloriam, multos feceris gloriæ comites, & confessorem populum suaserit fieri, dum primus paratus es pro omnibus confiteri.* Et mox: *Virtus tua Episcopo præcedente publicè comprobata est, adunatus sequentium fraternitatis offensa est, dum apud vos vnus animus, & vna vox est, Ecclesia omnis Romana confessa est. Docuistis graniter Deum timere, Christo fortiter adhærere, plebem sacerdotibus in periculo fidei, in persecutione fratres à fratribus non separari, sentiendum*

simul nullam vinci omnino non posse; quidquid simul A *potest sanctis, Deū pacis pacificū exhibere.* Et paulò pòst: *Quale illud fuit sub oculis Dei spectaculum gloriosum, quale in conspectu Christi eius Ecclesiæ suæ gaudium, ad pugnam quam tentauerat hostis inferre, tam fortes milites, sed tota semel castra prodisse?*

Moral. Videant hîc Episcopi, & eorū examinatores, quàm accurati esse debeant in admittēdis, qui se offerunt ad Ordines sacros, vt videant an probæ taliq́ue gradu dignæ sint vitæ, & habeant doctrinam, qua tanto munere ritè perfungi, ac populum in fide & rebus diuinis instruere valeant. Si enim aurifices tanta cura & fide, putà per ignem, colent aurum & argentum, vt ab eo scoriam separent, & nonnisi purum puramque colligant, quanto magis Episcopus debet cōsecrare ordinandos, vt aureos populo ordinet sacerdotes, non ſtanneos, non ferreos, non B ligneos? à sacerdotibus enim pendet tota Ecclesiæ disciplina, vita & sanctitas. Legant & practicent hac de re decreta Concil. Trident. sess. 23. c. 3. & 14. & sess. 24. cap. 18. Narrat Sophronius in Prato spirit. c. 149. & ex eo Baron. tom. 6. anno Domini 481. quòd, cùm Abbas Amos Patriarcha Hierosolymorum ordinatus esset, dixerit: *Orate pro me Patres: magnum enim & intolerabile onus mihi iniunctum est. Petri & Pauli similitum est regere rationales oues: ego autem infelix & peccator sum: plus enim quàm cera timeo ordinationis sarcinam.* Affert deinde eorundem S. Leonis: *Nam inueni scriptū, quia beatus Angelus aqualis Leo Papa, quadraginta dies pro se orauit ad sepulchrum Apostoli Petri, vigilijs & ieiunijs insistens, petensq́; ab Apostolo vt pro se apud Deum intercederet, vt dimitterentur sibi peccata sua. Tertia quadraginta diebus apparuit ei Apostolus Petrus, dicens ei, Orani pro te, & dimissa sunt omnia peccata tua, praterquam impositionis manuum.* Loquitur de remissione non culpæ; hæc enim omnis simul dimittitur; sed pœnæ, inquit Baron. Illis ergo arcebit S. Leo peccatorum pœnis obligatos, quæ sibi perpetrassent quia ab eo indignè fuissent promoti ad Ordines, iuxta illud Apostoli 1. Timot. 5. *Nemini citò manus imposueris, neque communicaueris peccatis alienis.*

Hinc & causa non nisi præmissa oratione & exorcismis Ecclesiæ, ordinantur sacerdotes: ac Deus olim sæpè indicio cælesti designabat, quos vellet eligi Episcopos, vti designauit S. Matthiam Act. 1. 26. Sic S. Fabianus designatus est Dei Pontifex per columbam, è sublimi in caput eius deuolantem: columbæ enim specie Spiritus S. descēdit in Christum cùm baptizaretur, vt refert Euseb. l. 6. hist. c. 22. Simile accidit S. Chrysostomo: nam cùm ordinaretur Patriarcha Constantinop. alba columba deuolans stetit super capitius, vti narrat Leo Augustus in eius vita, & cetera Baron. to. 6. ann. Domini 456. Sic & S. Gregorius fugiens pontificatum, indicio fulgidæ columnæ iugiter superse è cælo dependentis ostensi, raptus est ad templum S. Petri, creatusque Pontifex. Sic & S. Remigius Rhemensis Episcopus duorum & viginti tantùm esset annorum, cælitus creatus est. Nam radius noui luminis super eius verticem descendit, ac si ipse sol de cælo exortus super eum cecidisset: quia scilicet ad illuminandarum lux parabatur animarum. Sensim radio illo se illustrante, sensit capiti suo vngentis sacri infusum liquorem, quo totum eius

delibutum est caput, inquit Hincmarus in eius Vita. Mortuo Mena Patriarcha Constant. Iustinianus Imper. ingressus in cœtum Episcoporum & Cleri, eis visionem cælestem enarrauit. Cùm, inquit, in æde S. Petri principis Apost. in qua senatus habebatur, somnus me comprehendisset, in quiete vidi principem Apostolorum mihi magnum Eutychium ostendentem, dicentemq́ue: Fac vt hic sit Episcopus. Cùm hoc iurasset Imperator, Eutychius ab Episcopis & Clero conclamatus est Patriarcha. ita Eustathius in Vita S. Eutychij. Sic S. Ambrosius declaratus est Mediolanēsis Archiep. voce pueri, & populi exclamantis: *Ambrosius Episcopus.* ita Socrates l. 4. c. 30. Sic S. Athanasius ab Alexandro Episcopo Alexand. moriente euocatus vt sibi succederet, cùm ille fugeret, exclamauit Alexander: *Athanasi putas te posse fugere, non tamen effugies.* quare à Clero & populo raptus est ad episcopatum. ita Sozom. l. 1. hist. c. 16. S. Amphilochium ab angelis consecratum esse Episcopum Iconij, narrat Niceph. lib. 11. c. 20. Qui ergo creaturi sunt sacerdotes vel Episcopos, orationi insistant, & cæleste lumen Deiq́ue nutum exposcant, ne in re tanti ad commune Ecclesiæ bonum momenti errent; sed eos designēt, qui Dei gloriæ, Ecclesiæ ædificationi, sibi saluti sunt futuri.

SACRIFICIA] Hebr. מִנְחָה *mincha*, id est, sacrificium farreum, putà Eucharistiæ sub speciebus panis & vini, de quo dixit c. 1. 11. Hoc enim, vtpote purissimum, opponit impuris sacrificijs & sacerdotibus Aaronicis. ita Theodor. Rupert. Lyran. & alij.

IN IVSTITIA] Id est iustè, purè, sanctè, iuxta C illud Zachariæ Lucæ 1. 14. *Seruatamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.* Sacerdotes enim quasi angeli corporati coram Deo incedere & ambulare debent in omni iustitia & sanctitate.

ET PLACEBIT] Chald. *suscipietur voluntariè;* VERS. 4. Pagnin. & Vatablus, *dulcescet:* (hoc enim est עָרְבוּ *arebu,*) id est dulce, gratum, sapidumq́; erit Domino sacrificium Iuda & Ierusalem, hoc est, Ecclesiæ Christianæ, quæ est noua Sion Dei, ex veteri Sione intereunte exorta, vt in ea vetus quasi phœnix resurgere & renasci videatur. Hinc præcisè per Ierusalē, quæ erat metropolis & caput Iudæ, posset accipi Ecclesia Romana & Sedes Apostolica, quæ est caput & metropolis totius Ecclesiæ, quæ est Iuda, id est, confitens Deū.

SICVT DIES SÆCVLI] Id est, sicut dies antiqui, D vt sequitur, quibus prisci sancti viri, Abel, Noë, Melchisedec, Abraham, Moses, Aaron, &c. placebant Deo, eiq́; sanctè offerebant sacrificia sua. Vnde sacerdos in Canone Missæ dicit, & orat: *Supra quæ* (scilicet panem & calicem consecratū) *propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedec, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.*

Nota τὸ *sicut*, assimilat sacrificia Christiana Aaronicis, non tam quoad ipsum sacrificium, quàm quoad sacrificantes. Ipsum enim sacrificiū in lege noua est longè præstantius Aaronico, cùm victima eius sit ipsum Christi corpus, quod proinde vim impetrandi habet ex opere operato: Aaronici autē victima erat bos, ouis, vel capra, quę tantùm

tantùm erant typus & vmbra Christi, ideoque valebant tantùm ex opere & deuotione operantis, non verò ex opere operato. Dicit ergo, quòd Christus ipsos sacerdotes in lege noua emundabit & sanctificabit, vt ea puritate, deuotione & religione offerant Deo sacrificia, qua obtulerunt Noë, Abraham, Melchisedec, alijque prisci & eximij Sancti. Secundò, tamen τὸ *sicut*, potest significare similitudinem in ipso sacrificio. Nam vt ait Lyran. τὸ *sicut* significat analogiam quæ est inter typum & antitypum, inter imaginem & exemplar, inter vmbram & veritatem, ac proinde, vt ait Clarius, significat præcellentiam sacrificij Eucharistici præ Aaronicis. q.d. Placebit Deo sacrificium Eucharisticũ mirificè, sicut liquet ex eius typis, imagine & vmbris, putà ex sacrificio Noë, Abrahæ, Melchisedec, &c. Si enim hæc, quæ tantum fuerũt typi & vmbræ, adeò placuerunt Deo, vt Deus propter ea benedixerit toti eorum familiæ, imò toti orbi, multò magis placebit sacrificium Christi, quod illorum fuit exemplar, veritas & antitypũ, quodque priscis illis omnem vim & dignitatem tribuit, per quam placerent Deo.

A Lyran. & Vatab. Christus enim iudex, simul & *testis velox*; Tigurin. *festinus*; Vatab. *promptus*: eum nihil latet, sed quà Deus omnia videt, et homo omnia cognoscit per scientiam infusam æquè ac beatificam. Quocirca impijs dicet: Ego vidi, ô Iuda, tuam occultam auaritiã, quæ te impulit ad me prodendum Iudæis. Ego vidi, ô liberte, tuam occultam pollutionem, fornicationem, adulterium. Ego vidi, ô Nicolae, tua occulta praua desideria, tuas vlciscendi cupidines et cædis machinationes. Ego vidi, ô Simon, tuas occultas simonias, ambitiones, inuidias, &c. Non ita est? si neges, conscientia tua Christo testi teque mentiri clamabit. Quocirca totus mundus videbit æquissimum esse Christi iudiciũ & sententiam, qua dicet: Ite adulteri, ite homicidæ, simoniaci, ite ambitiosi, ite inuidi, ite maledicti B in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Vterque sensus huic loco congruit. Christus enim cœpit esse iudex & testis in primo aduentu, sed vtrumque perficiet in secundo potestà in die iudicij. *Testis* ergo per catachresin idem est quod iudex. Sic Christus vocatur testis fidelis, id est iudex, Rex & Princeps; Apocal. 1. vide ibi dicta.

5. Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij, viduas, & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me, dicit Dominus exercituum.

6. Ego enim Dominus, & non mutor: & vos filij Iacob non estis consumpti.

7. A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis. Reuertimini ad me, & reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum.

VERS. 5. ET ACCEDAM AD VOS IN IVDICIO] Redit ad querelam Iudæorum dicentium c. 2. v. vlt. *Vbi est Deus iudicij?* Hisce enim respondet: Ecce breui veniam, *accedam*, & *appropinquabo*, vt vertit Tigurina, *vobis ad iudicium*, vt scilicet descendam in carnem, & coram inspiciam impiorum scelera, itaque eorum sim testis oculatus, quæ quasi iudex condemnem & puniam. Simili modo ait Deus Gen. 18. 20. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est*, &c. *Descendam & videbo, vtrùm clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam.* Quocirca reipsa tres angeli, repræsentantes Deum trinum & vnum, perrexerũt Sodomam, vbi ab incolis appetiti ad stuprum, cælitus pluerunt super eos ignem & sulphur, quo omnes conflagrarunt. Pergit loqui Propheta de primo Christi aduentu in carnem, quo Christus venit vt scelera inspiciat, eorumque sit testis, quæ deinde partim in hac vita & morte punit, partim in extremo iudicio puniet. Vnde Chald. vertit, *& reuelabor super vos, vt faciam iudicium, & erit verbum meum contra vos in testem*, &c. ita Rupert. Arias, Ribera & à Castro. Alij passim censent, Prophetam hìc transire à primo Christi aduentu in carnem, ad secundum, quo veniet ad iudicium, quando ipse, vt ait S. Hieron. simul erit iudex & testis, occultissimorum etiam criminum, adulteriorum, &c. quæ hìc recensentur. ita & Theodor. Remig. Hugo,

QVI CALVMNIANTVR MERCEDEM MERCENARII] Hoc est, vt Chald. & Septuag. *qui auferunt violenter mercedem mercenarij*; Pagnin. *qui vi retinent*; Vatablus, *qui opprimunt*; Tigurina, *qui mercenarium mercede fraudant*. Hebr. enim עָשַׁק significat per calumniam, vim vel dolum fraudare alium re, vel iure suo. Vnde additur, *Viduas & pupillos*, supple & repete, *calumniantur*, fraudant & C opprimunt. Nam τὸ *humiliant*, quod quædam Biblia habent, expungunt Romana, æquè ac Hebræa. Vnde Septuag. vertunt, *qui opprimunt per potentiam viduas, & percutiunt pupillos.*

OPPRIMVNT PEREGRINVM] Septuag. & Chald. *qui peruertunt iudicium aduenæ*; Pagnin. Hebr. *matte*, reddit ad verbum, *peruertentes peregrinum*. Tigurin. *auersantur peregrinum.*

EGO ENIM DOMINVS, ET NON MVTOR] Hebr. לֹא שָׁנֵיתִי *lo sçaniti*, id est, vt Septuag. *non sum mutatus*; Pagnin. *non mutaui me*, id est, non mutor. Hebræi enim quia carent verbo præsenti, idcirco illud exprimũt per præteritũ. Iam sensus est: Etsi mò, q.d. Comminatio mea firma est, implebo quod prædixi; ait Vatab. Minor hìc adulteris, periuris, oppressoribus pauperum vindictam, præsertim D iam. Secũdò, q.d. Non sum mutabilis, modo inconstans, vt nunc hoc, mox aliud velim, sed semper scelera & sceleratos odi & punio. Tertiò, S. Hieron. *Quod sequitur*, inquit: *Ego Dominus & non mutor; idcirco ponit quia suprà dixerat: ego quasi ignis conflans, & quasi herba fullonũ, ne putemus eum diuinitatis mutare naturam, cùm pro nostra salute angelus, aut ignis, aut bestia nominatur.* Quidam hij referunt ad id quod sequitur, *Et vos filij Iacob non estis consumpti.* q.d. Ego vos licet peccatis, non cõsumpsi, quia misericordia mea, quam patribus vestris promisi, est constans & immutabilis. *Ego enim Dominus & non mutor*, inquit illud Thren. 3. 22. *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non defecerũt miserationes eius.* Vos, ô Iudæi calumniamini me esse mutabilem, quòd contra promissa patrũ vos consumpserim. At erratis: nec enim ego sũ mutatus, nec vos

A *tiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur.* Præclarè S.Gregor.Nyssen. in expositione orationis Dominicæ, ad illa verba, *Adueniat regnum tuum: Numquid*, ait, *nunc regem fieri vult vniuersi regem, qui semper est quod est, qui ad omnem mutationem firmus & immobilis est, qui non potest reperire melius quidquam, in quod transeat?*

Tertia, Deus est immutabilis, quia est simplicissimus, cui nihil addi vel accedere potest. ita S.August. lib.11.de Ciuit.c.10. *Est itaque*, ait, *bonum solum simplex, & ob hoc solum incommutabile, quod est Deus.* Idem l.6.de Trinitat.c 6. *Nihil simplex, mutabile est.* Et auctor libr.de Essentia diuinitatis apud S.August.in principio: *Ideo*, ait *Deus immutabilis dicitur, quia in natura eius ira, furor, pœnitentia, obliuio, recordatio, & alia his similia nullo modo accidit. Simplex enim natura est, & immutabilis, atque imperturbata: neque aliud est ipse, aliud quod habet, & quod est*, iuxta illud Iacobi 1.17. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Quocirca Tertull.vel potius Nouatianus l.de Trinitate c.4. *Immutatio* inquit, *portio est mortis. Nam & incrementa originem monstrant, & detrimenta mortem atque interitum probant. Et ideo: Ego*, ait Malach.3. *sum Deus, & non sum mutatus: statum suum tenens semper, dum id quod natum non est, conuerti non potest. Hoc enim in ipso quidquid illud potest quod est, Deus semper sit necesse est, vt semper sit Deus, seruans sese virtutibus suis. Et ideò dicit: Ego sum qui sum.* *Tertia, quia est simplicissimus.*

Quartam dat S.Anselm.in Prosol.c.22. *Tu solus*, ait, *Domine es quod es. In quo est aliquid mutabile, non omnino est quod est: & quod habet fuisse, quod iam non est, & futurum, quod nondum est, id non est propriè & absolutè: tu verò es quod es; quia quidquid aliquando dat aliquo modo es, hoc totum ac semper es: & tu es, qui propriè ac simpliciter es.* Quia quod mutatur perdit aliquid esse, & aliud esse acquirit; Deus autem nihil potest perdere, vel acquirere. Vnde S.August.l.11.Confess.10. *In quantum*, ait, *quisque non est quod erat, & est quod non erat, in tantum moritur & oritur.* *Quarta, quia est ipsum esse.*

Quintam dat S.August. l.11.Confess. c.10. & 11.& l.12.c.15. Quia voluntas Dei æterna est, & quidquid in tempore per totam sæculorum seriem operatur, idipsum simul & semel ab æterno voluit & decreuit. Implicat autem vt quod ab æterno efficaciter voluit, hoc in tempore non fiat, aut vt contrarium eius fiat. Sic enim elideretur æternum Dei decretum. Celebre est illud Platonis: *In Deo est prouidentia & sapientia aterna: in cælo est fatum: in terra rebus sq; particularibus est contingens & nouum.* *Quinta, quia quod vult hoc ab æterno voluit.*

Sextam dat S.August.l.11.de Ciuit.c.21. Quia omnia præterita & futura sunt Deo præsentia, & in omnia vt præsentia fertur Dei scientia, voluntas & prouidentia. Sicut ergo quod circa rem præsentem volo, non possum non velle, ita quod Deus vult circa futura, non potest non velle: quia futura sunt ei præsentia. *Sexta, quia omnia sunt Deo præsentia.*

Tropol. S.Gregor.Nazianz.orat.27 hæc applicat viro in virtute forti & constanti. Hic enim, ait, *diuinum aliquid sentiens, his quoque Dei verbis vti possit: Ego idem sum, & non mutor. Quare nec ab animo suo migrabit, nec immutabitur cum ſtris temporibus ac rebus, aliàs alios mores induens, ac nouos subinde colores assumens, non secùs ac polypi petrarum, ac quas accesserint, colores referunt: sed idem semper* *Tropol. vir constans est immutabilis, quasi Deus terrenus.*

B

C

D

Sanct. Quintò, q.d. Vos, ô Iudæi, mutamini, itisque de celere in scelus: at ego in sententia & iudicio meo sum constans & immutabilis. Sextò, et absens Rupert. q.d. Ego sum immutabilis in bene: vos estis obstinati & immutabiles in malo. *Adhuc enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis*, vt sequitur. Septimò, Chald.vertit, *ego enim Dominus non mutaui pactum meum quod à sæculo est; & vos domus Israel putatis quòd quicumque moritur in hoc sæculo, iudicium eius cessat.* q.d. Vos putatis impios non puniendos, eò quòd multi impuniti maneant in hoc sæculo. At erratis: puniam enim eos in futuro. Nam in iudicio & iustitia, ab æterno à me decreta, constans sum & non mutor. Oratio & genuinè, vox *enim* dat causam præcedentis, q.d. Vos, ô Iudæi, calūniamini me, iactando illud præced v.vlt. *Omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini, & tales ei placent.* Censetis enim me mutasse indolē, quasi qui olim bonos amarim, malos oderim; nunc mutata mente bonos odiam, & affligam, malos amem & ditem; aliquòd infideles Chaldæos prosperauerim, vos meos fideles eis vastandos tradiderim. hinc dicitis: *Vbi est Deus iudicij?* Huic calumniæ ego respondeo v.præcedenti, edixique: *Accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis*, &c. q.d. Licèt ad modicum tempus differam iudicium & vindictam impiorum, tamen certò & breui ad illam accedam, eamque peragam. Nam constanter bonos amo & præmio, malos constanter odi & punio, sed suo tempore. Cuius rei causa est, mea, tum in natura, tum in dictis & decretis constantia & immutabilitas. *Ego enim Dominus, & non mutor.* ita S.Cyrillus, Theodor.Remig.Rupert. Hugo.Lyran.& Vatab.

Nota. Immutabilitatis Dei causa, vel potius ratio prima, ait D.Thom.1.p.q.9. est plenitudo & perfectio naturæ, putà diuinitatis. Hæc enim cùm omnia bona in se habeat, & possideat firmiter, necessariò & naturaliter, hinc mutari nequit, vt aliud aliquid bonum quærat vel ambiat, cùm omne bonum habeat in se essentialiter. Hinc nomen eius est *Iehoua*, id est, *qui est, Ego sum qui sum*, Exodi 3.14. vide ibi dicta. Celebre est illud Trismegisti in Pimandro: *Sicut mundi partes sunt cælum, aqua, terra & aër; sic membra quasi Dei sunt vita immortalitas, necessitas, prouidentia, natura, acquies; horumq; omnium participatio, ipsum bonum: neque fit aliquid vsquam, neque est factum, vbi Deus non adsit.* Diuinius Cassiodorus in psal.47. *Magnus Dominus*, & c. *Deus*, inquit, *est virtus inexplicabilis, potus incomprehensibilis, sapientia ineffabilis, quam definitio est, finem in sanctorum laudibus non habet.* Iam quia Deus immutabilis est natura, hinc & immutabilis est voluntate, vt quod semel vult, semper velit: quia voluntas sequitur naturam, imò in Deo voluntas idem est cum natura.

Secundò, quia Deus est actus purus, nihil habens admixtum potentialitatis. quidquid autem mutatur, est aliquo modo in potentia ad id quod mutatur, ait D.Thom.loco iam citato. Huc spectat illud Apostoli: *Qui solus habet immortalitatē*, 1.Tim.6. *Quia omnis mutatio quasi quædam mortis imitatio est.* ait S.Bernard.mox citandus. Hinc psalm. 101. dicitur: *Sicut operimentum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* & Num.23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur; nec vt filius hominis, vt mutetur.*

semper suiq; similis permanebit, fixus in rebus minimè fixis, immotus in incertis & fluctuantibus, non aliter ac rupes quædam ventorum fluctuumq; impetu nō modò non concutitur, sed etiam incursantes vndas circa se frangit atque absumit.

Moral. hic disce. Nomē Dei est; Ego sum qui sum, idem semper, constans & immutabilis: Ego Dominus, & non mutor; sum inflexilis in sententia, immutabilis in decretis: certæ sunt meæ minæ, certa promissa. Pij ergo credite & sperate gloriam æternam, impij timete & fugite ignem æternum. Ex aduerso titulus & nomen hominis, angeli, & cuiuslibet rei creatæ est: Ego creatura sum, & mutor, muto cōsilia, muto animum, muto decreta, muto desideria & amores, denique verſor in continua mutatione & motu. Natura enim creata cùm sit dependens, imperfecta, imminuta, defectiua, mobilis; hinc perpetim mutatur. Quocirca qui in hominibus alijsque creaturis spem & amorem defigunt, in perpetua fame, siti, desiderio, metu, motu, alteratione & alternatione versantur, iuxta illud Thren. 1. 8. *Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* Qui enim adhæret mobili, cum eo moto moueatur necesse est. Ex aduerso vis esse constās & immobilis? adhære incommutabili naturæ & bono, quod est Deus. Deus enim in sua immutabilitate est immutabilis, sicut ex aduerso homines & creaturæ in sua mutabilitate sunt immutabiles, quia perpetuò mutantur: nam nunc volunt, mox nolunt; nunc amant, mox odiunt; nunc placent, mox displicent; nunc fauent, mox aduersantur: nunc volunt, sed non valent; mox valent, sed non volunt; nunc summi sunt, mox imi; nunc viui, mox mortui. Verè S. Bernard. serm. 81. in Cantic. citans hæc verba Malachiæ: *Ego Dominus, & non mutor: Omnis*, inquit, *mutatio quædam mortis imitatio est. Omne enim quod mutatur, dum de vno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est moriatur quod est, vbi esse incipiat quod non est. Quòd si tot mortes, quot mutationes, vbi immortalitas?* Præclarè S. Augustl. 1. Confess. c. 6. *Apud illum*, ait, *rerum omnium instabilium stant causæ, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, & omnium irrationabilium & temporalium sempiterna viuunt rationes*; &, vt ait Boëtius,

Stabilisq; manens dat cuncta moueri.

Et Prosper sententia 145. *Æterna & incommutabilis est voluntas eius, nec consilio alternante variatur, in qua simul est quidquid in rebus creandis, vel ordinandis præcessit, aut sequitur.* Eōdem pertinent quę scribit D. Augustl. 1. Confess. c. 4. *Immutabilis mutans omnia, numquam nouus, numquam vetus, innouans omnia, & in vetustatem deducens superbos, & nesciunt; semper agens, semper quietus, colligens & non egens, portans & implens & protegens, creans & nutriens & perficiens. Quæris, cùm nihil desit tibi; amas nec æstuas, zelas & securus es; pœnitet te, & non doles; iraſceris, & tranquillus es; opera mutas, nec mutas consilium; recipis quod inuenis, & numquam amittis; numquam inops, & gaudes lucris; numquam auarus, & vsuras exigis. Supererogatur tibi vt debeas, & quis habet aliquid non tuum? reddis debita nullis debens, donans debita nihil perdis*, &c.

Hæc est primæua & increata in Deo immutabilitas, quæ omnis stabilitatis & immutabilitatis est fons, origo & causa, tam in angelis, cælis, mundo, quàm in hominibus. Ad eam ergo ascende ô anima, illi inhia, illi te affige, si solida firma esse cupis. Transcende maris huius fluctus, transuola mundi turbines: nil te moueant illebrosæ opes, dignitates & pompæ, quæ in momento pertranseunt: non te terreant paupertas, morbi, ærumnæ, persecutiones, quæ sæpè subitò & semper in morte finiuntur. In cælo habita cum Deo commorare: ibi fixa, imperturbata consedes. Ibi super omnium mutabilium sphæras supra anni solisque vias eleuata, ex alto despicies hoc terræ punctum: videbis & rides vana hominum studia, vanos labores, vanos mundanorum amores & honores, quasi puerorum crepundia. Miraberis, imò miseraberis, exiles hominum sortes, & exiliorem mentem, ac gaudens nugarum huius mundi fascinatione sensum simplicem peruertentem, atque ex Poëta exclamabis:

O curas hominum, ô quantum est in rebus inane!

Præclarè S. Gregor. l. 26. Moral. c. 18. *Anima quiescit, ad illum suspensa est, à quo formata. Et quia Deum solum appetendum facta est, omne autem quod infrà appetit, minus est, iure ei non sufficit, quod non est. Hinc est quod huc illucq; spargitur, & abnaquaque re fastidio impellente remouetur*, &c. *Sancti autem viri, quia cauta se obseruatione custodiunt, ne ab intentione sua mutabiliter dissoluantur, & quia idem esse appetunt, ad cogitationem qua Deum diligunt, se solerter astringunt. In contemplatione namque creatoris hoc accepturi sunt, vt vna semper mentis stabilitate perfruantur: nulla eos tunc mutabilitas dissipat; quia scilicet eorum cogitatio sibimet ipsi semper indissimilis perseuerat. Hoc ergo quod in labore nunc conantes imitantur, quod pòst gaudentes in munere accipiunt. Cui se Propheta immutabilitati virtute amoris astrinxerat, cùm dicebat: Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini. Huic Paulus vnitati intentione adhæsit, dicens: Vnum autem, quæ retro sunt obliuiscens, ad ea quæ ante sunt extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis Christi.*

Omnis mutatio est quadam mors.

ET VOS FILII IACOB NON ESTIS CONSUMPTI] Aptè hæc cohærent cum eo quod præcessit, q.d. Ego sum Deus qui non mutor: ideò nim non muto minas, sententiam & vindictam in adulteros, periuros, alioſque malefico, ac ciſſim non muto misericordiam quam pactus vestris promisi. Nam non consumpsi vos, cùm iustè id facere possem. *A diebus enim patrum vestrorum recessistis à legitimis meis.* Secundò, q.d. cèt constanter malos oderim, vestra tamen peccata non puniui planè & omnino, vti meritò tur: nec enim vos consumpsi, sed tolerans ea more, quo constanter patres vestros vosque rum filios prosequor, exspectans vt resipiscentis. Vnde vos hortor ad pœnitentiam, dicens *Reuertimini ad me, & reuertar ad vos.* Tertiò, septuag. vertunt, *vos ô filij Iacob non recessistis a peccatis patrum vestrorum*; Tigurina, *vos ô filij Iacob nequaquam desistitis*; alij, *non facitis finem, non agitis* (Hebr. enim כָּלָה *cala*, significat finire, complere, cessare) scilicet me offendere. & irritare, q.d. Ego differo vindictam impiorum, exspectās vos ad pœnitentiam: at vos ex aduerso peccata peccatis cumulatis. Facitis sicut pueri uicosi, qui blandè vocati à parentibus deridendo obuertunt, fiuntq; duriores instar bubalorum, qui quo magis attrahūtur à bubalarijs, eò magis

mutantur & retrocedunt. Aut, q.d. Ego non mutor à bono; vos autem non mutamini à malitia: sum immutabilis in sanctitate; vos immutabiles estis in peruersitate. ita Rupert.

A LEGITIMIS MEIS] à legibus meis; Tigurina, *à lumbis meis*; Pagnin. *ab institutis meis*.

REVERTIMINI AD ME, per pœnitentiam, ET REVERTAR AD VOS] per gratiam, amicitiam, beneficentiam. Prior enim est pœnitentia peccatoris, quàm sit eius iustificatio & reconciliatio cum Deo: tamen prior est gratia excitans Dei, quæ flectit mentem peccatoris, vt reuertatur & pœniteat, quàm sit eius pœnitentia. Peccator enim iacet sopitus in somno, imò morte peccatorum, à qua excitari nequit, nisi per vocem & gratiam Dei cor tangentis & excitãtis: sicut hîc Iudæos præuenit & excitat, dicens: *Reuertimini ad me.* ita hunc locum, & similes explicat Conc. Trident. sess. 6. c. 5. vbi docet *iustificationis exordium in adultis, à Dei, per Christum Iesum, præuenientem gratiam sumendum esse*, &c. *vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur.* Et mox: *Vnde in sacris Litteris cùm dicitur: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, libertatis nostræ admonemur. Cùm respondemus: Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Dei nos gratia præueniri confitemur.* Peccator ergo vt à peccato resurgat, cùm id non possit viribus suis, sed Dei, crebrò oret: Conuerte me Domine ad te, & conuertar.

B

8. Et dixistis: In quo reuertemur? Si affiget homo Deum, quia vos configitis me? Et dixistis: In quo configimus te? In decimis & in primitiis.

C

9. Et in penuria vos maledicti estis, & me vos configitis gens tota.

10. Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit Dominus, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam.

11. Et increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum.

D

12. Et beatos vos dicent omnes Gentes: eritis enim vos terra desiderabilis, dicit Dominus exercituum.

SI AFFIGET HOMO DEVM] Ita & Tigurina. Hebr. est קבע *kaba*, quod incertæ est significationis: vnde variè à variis vertitur. *kaba* hebr. multa significat. Primò, Septuag. & alij putant *kaba* per metathesin esse idem quod עקב *akab*, id est supplantauit, conculcauit, oppressit. Vnde Septuag. vertunt, *si supplantabit homo Deum, quia me supplantastis me.* Alludit ad nomen Iacob, q.d. Vos, ô filij Iacob, imitamini patrem vestrũ, id peruersè: Iacob enim rapuit iura primogenituræ Esau fratris sui, sed iussu matris, & voluntate Dei; vnde vocatus est Iacob, id est supplantator: vos verò mihi inuito rapitis meas decimas & iura: vnde inuerso nomine voco vos *kabolæos*, non Iacobæos. Secundò, Pagnin. & Vatabl. *kaba* vertunt rapere, fraudare, extorquere, spoliare. Vnde Pagnin. vertit, *numquid rapiet homo quæ Dei sunt, quia vos rapuistis mea?* Vatabl. *numquid spoliare debet homo Deum, quia vos spoliastis me?* Spoliat homo Deum, quando illius ministris subtrahit decimas, & alia ad victum necessaria. Aquila, Symmach. & Theodot. vertunt, *numquid homo fraudabit Deum?* scilicet suis decimis & iuribus. Tertiò, R. Abraham *kaba* vertit, corrumpere, perdere. Quartò, Syrus & Arabicus Alexandr. vertunt, *numquid opprimit homo Deum, sicut vos opprimitis me?* Et Arabicus Antioch. *numquid homo opprimit Deum, quia vos expulistis* (proiecistis, despexistis) *me?* Quintò, *kaba* Chaldæorum & Syrorum lingua, inquit S. Hieron. significat affigere. Omnes hæ versiones eôdem collimant: sensus enim est, q.d. An æquum est, ius & fas, vt homo Deum suum contristet & affligat, perinde ac si eum clauo aut lancea configeret? contristet, inquam, defraudando decimas, quibus alendi erant eius ministri; quo fit, vt illi ob paupertatem diffugiant, & Deum Deique cultum relinquant: itaque Dei religio & veneratio negligitur, calcatur, pessumdatur. annon hoc Deum affligat, & quasi cruci affigat? ita Remig. Albert. Hugo, Lyran. Ribera & alij. Loquitur Deus humano more & anthropopathῶs.

Mysticè, S. Hieron. (qui putat hunc esse sensum literalem) hæc refert ad crucifixionẽ Christi: *Vnde & nos*, inquit, *ante plurimos annos vertimus, Affiget, magis ad mysterium Dominicæ passionis, in qua homines crucifixerunt Deum, quàm ad decimas ac primitias scripta referentes.* Porrò iis quæ sequuntur hæc de cruce ita connectit, q.d. *Vt me affigeretis cruci, vt sceleratas manus iniiceretis Deo vestro, multarum antè rerum meditatione feceritis, subtrahendo decimas & primitias, non dico sacerdotibus meis & Leuitis, sed mihi, qui eas per Mosen iussi dare.* q.d. Afflixistis me olim sacrilegio decimarum, nunc affixistis me cruci; ac per prius sacrilegium viam strauistis, & gradum fecistis ad posterius Christicidium. *Mysticè, de confixione Christi in cruce.*

Tropol. omnis peccator dum peccat, peccato suo quasi sagitta in cælum missa, Deum configit quantum in se est, iuxta illud Apost. Heb. 6. 6. *Rursum crucifigentes filium Dei, & ostentui habentes.* Hæc sanè consideratio deberet hominem, etiam furentem, à scelere inhibere: Scis quò ruas ô infelix, dum ruis ad cædẽ, ad venerem? ruis ad necem Christi; vt iterum Christum affigas cruci. Inhibe ergo gradum, ne tantum nefas admittas: refræna iram libidinem, &c. quia ira & libido sunt Christicidiũ, imò Deicidium. Quot verbera, quot maledicta, quot pollutiones committis, quot clauos adigis per corpus Christi, tot pugionibus cor eius configis & perfodis. *Tropol. peccatum est sagitta cõfigens Deũ.*

IN DECIMIS] Vide hîc quàm strictè Deus exigat decimas, quamque sentiat si eæ negentur, videlicet perinde ac si quis eum clauo, vel pugione transfigeret.

ET IN PRIMITIIS] Tigurin. *in magnificis donis.* Hebr. est תרומה *teruma*, id est eleuatio, hoc est oblatio, quæ eleuando offerebatur Deo, vt dixi Exodi 23. v. 27. ac præsertim primitiæ: hæ enim inter oblationes principem locum tenent.

Vide hîc rursum quàm Deus gaudeat oblationibus fidelium; ac doleat si eæ desinant, aut minuantur. A

VERS.9. ET IN PENVRIA MALEDICTI ESTIS] Tigurina, *execratione execrati estis*; Vatabl. & Pagnin. *maledictione ipsa vos estis maledicti.* Per maledictionem intelligit negationem pluuiæ, indeque terræ sterilitatē, famem & penuriam: horum enim causa est Dei maledictio. Vnde paulò pòst benedictionem huic maledictioni oppositam, vocat pluuiam: *Si non aperuero*, inquit, *catarractas cæli, & effudero vobis benedictionem.* Sensus est, q.d. Maledixi vobis, vosque penuria & fame afflixi, &, id est quia, pari modo *me vos configitis* & affligitis egestate & fame, negando decimas & oblationes; itaq; fugatis sacerdotes, ac cultum meum euertitis. Idem eodem tempore questus est apud magistratus Nehemias c.13.10. vbi suo iussu decimas sacerdotibus, & sacerdotes suis officiis temploque restitutos, enarrat. B

GENS TOTA] q.d. Non vnus, non pauci, sed omnes & tota gens negant decimas; itaque me configunt.

VERS.10. INFERTE OMNEM DECIMAM, &c. ET PROBATE ME SVPER HOC, &c. SI NON APERVERO CATARRACTAS] Tigurina, *feneſtras cæli*, id est, vt explicat S. Hieron. si non effudero tam copiosam pluuiam, vt catarractæ cæli apertæ esse videantur. Nota. Catarractæ vocantur ex alto defluentes aquæ tanta copia, impetu & fragore, vt ruere potiùs quàm fluere videantur (Græci enim καταῤῥάττειν defluere dicunt) qualem Tibure cernimus Anienem, & quales esse in Ægypto Nili catarractas legimus, inquit Plinius lib.5.9. Hinc loca ipsa è quibus exeunt aquæ, & præsertim obices & repagula quibus retinentur & coërcentur, vocantur catarractæ. Hebræi, & Hieron. ab Oleastro in Genes.7.11. censent verè has catarractas esse in cælo, easque fuisse ruptas in diluuio tempore Noë, ita vt per illud cælum dississum sit in foramina & feneſtras, vt per eas ruerent aquæ, terramque mergerent & obruerent. Verùm hoc est paradoxum, repugnans sacræ Scripturæ, & Physicæ. Est ergo Hebræa figura & phrasis: Hebræi enim cælum claudi dicunt, cùm tenet vapores & nubes, ne in pluuiam resoluantur & depluant; aperiri verò ac rumpi, cùm aquæ è nubibus magna vi, fragore & impetu erumpunt, perinde ac si catarractas, id est obices obiectos, putà ferreas portas, vel feneſtras perfringerent. Sic & Latini in magnis imbribus, apertas esse cæli catarractas dicere solent. Vnde illud psal.41.8. *Abyssus abyssum inuocat in voce catarractarum tuarum.* Similia sunt Isaiæ 24.18.4. Reg.7.2. Vide dicta Genes.7.11. C

Catarractæ cæli quæ?

ET EFFVDERO (Pagnin. *euacuauero*) VOBIS BENEDICTIONEM] Tigurina, *omnigenam benedictionem effundam.* *Benedictionem* vocat imbrem copiosum, humectantem & fæcundantem agros, itaq; producentē copiosam segetem & messem.

AD ABVNDANTIAM] Hebr. בְּלִי־ *belidai*, id est, *vsque ad non sufficientiam*, supple vasorum & horreorum. q.d. Tantam abundantiam frugum omnium dabo, vt non sufficiant vobis vasa & horrea, quibus illas excipiatis & recondatis: ita Vatabl. vnde Pagnin. vertit, *adeò vt non sint sufficientia vobis vasa*; vti contigit mulieri illi ab Elisæo benedictæ, cui lecythus tantum stillauit olei, vt omnia vasa commodato accepta implerit, adeò vt illa diceret filio: *Affer mihi adhuc vas: ille dixit: Non habeo; stetitq; oleum.* 4.Reg.4.5. Ergo liberalis in Deum, Deique ministros, & senties vicissim Deum multòm te liberaliorem. Nec enim liberalitate à creaturis suis se vincit Creator. Hinc Secundò, melius & fortius Hebr. *belidai*, id est *non sufficientia*, cum sit vnum nomen, idem est quod *abundantia*: abundantia enim opponitur sufficientiæ, q.d. Dabo vobis imbres & fruges, non ad sufficientiam sed ad abundātiam. Vnde Arias vertit, *vstra sufficientiam*. Hebr. enim בְּלִי *beli* subinde significat *absque, præter*. Sicut ergo dicimus, Vidi formicas absque numero, id est innumerabiles; sic Deus promittit hîc imbrem *belidai*, id est, absque sufficientia, vel præter sufficientiam, id est, plusquam sufficientem, putà abundantem & copiosum. Addit certè *beli*, hîc in compositione est merè exclusiua, cum, tantumque ornatus causa additur vocabulo, id est sufficientia, copia, abundantia. *Addai* enim Deus vocatur שַׁדַּי *saddai*, id est cornucopiæ, satissimus, abundātissimus, munificentissimus. Vnde R. Saadias: Deus, inquit, dicitur *Saddai*, *eò quòd ipse abundet adeò, vt sua abundantia omnes omnium creaturarum defectus expleat.* Hoc secuti videntur Septuag. vertunt enim, *vsque dum sufficiat*; & Chald. *adeò vt dicatù, Satis est.* Hebræi enim *dai*, id est sufficientiam, vocant copiam & abundantiam, vt vertit Noster. D

Nota. Iudæi Babylone redeuntes erant pauperes, hinc negabant decimas. Pauperes enim ex angusta re familiari contrahunt angustum cor, vnde fiunt parci, sordidi, auari, fures, ac præsertim iura Ecclesiæ debita vel negant, vel carpunt & minuunt. Quocirca sapienter Salomon deprecatur tam paupertatē, quàm diuitias. Prouerb.30.8. *Mendicitatem, ait, & diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo necessaria: ne forte satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & peierem nomen Dei mei.* Durum enim telum est necessitas. Quocirca Deus huic eorum malo & miseriæ occurrens, angustum eorum cor elidit, & dilatat, docens si liberales sint in Deum & sacerdotes, percepturos à Deo benedictionem rerumque abundantiam. Sciatis, inquit S. Hieron. vos peccasse, quia fraudastis me pecunia mea. Moneo igitur vt reddatis mihi mea, & ego restituam vobis vestra. Idem iisdem eodem tempore promisit Aggæus c.2.20. & Zachar.c.9. Scripsit de reddendis decimis S. August. serm. 219. de Tempore to.10. Vbi inter cætera citata hæc Malachiæ verba, ex eo hæc colligit oportuna. Primum, *Decimæ sunt tributa egentium animarum. Redde ergo tributa pauperibus, offer libamina sacerdotibus.* Secundum, *Non eget Dominus Deus, nec præmium postulat, sed honorem.* Tertium, *Primitias rerum & decimas dignatur petere, & negat se habere.* Quartum, *Quid faceres, si nouem partibus sumptis, tibi decimam reliquisset?* Quintum, *Quid ergo iam factum est, cùm messis tua pluuiarum benedictione subtracta, ieiuna defecit; & vindemiam tuam aut grando percussit, aut pruina decoxit. Quid autem putas? Nouem tibi partes retractæ sunt, quia decimam dare noluisti. Hæc est enim Domini iustissima sententia, vt si tu illi decimam non dederis, tu ad decimas reuocetis.* Sextum, *Dabis impio militi, quod non*

E

dari sacerdoti. Septimum, *Decimæ ex debito requisitæ, & quas dare noluerit, res alienas inuasit.* Octauum, *Quanti pauperes in locis vbi ipse habitat, ab illo non dante, fame mortui fuerint, tantorum hominum reus ante tribunal æterni iudicis apparebit, à Domino pauperibus delegatam, suis vsibus retinuit.* Nonum, *Ecce annus iam finitus est, redde Domino pluens mercedem.* Decimum, *Non de tuo aliquid exigit, quod refundas; sed suum, imò sui partem decimam reposcit.* Vide de decimis Conc. Trident. sess. 25. c. 12. & ea quæ dixi in Deuter. c. 14. in fine, & Numer. 18. in fine.

A

ET INCREPABO, id est, prohibebo quasi increpans (per catachresin) DEVORANTEM] scilicet segetes vestras, putà locustam, q. d. Præcipiam locustis, easque cohibebo, ne depascantur vestras fruges, ne edant vestra sata. Vnde explicans subdit: *Et non auferam vobis fructum terræ vestræ.*

B

ERITIS ENIM VOS TERRA DESIDERABILIS] Hebræus, Septuag. subintelligunt *sicut*: vnde vertunt, *eritis tanquam terra voluntaria*, id est, volita & desiderabilis, q. d. Eritis virentes, florentes, proceri, abundantes omnibus frugibus & opibus. ita Cyrill. aut, vt Vatablus, q. d. Vos eritis homines habitantes terram fertilissimam & amœnissimam.

Secundò, potest esse epexegesis: *vos*, id est, terra vestra erit *desiderabilis*; Tigurina, *optata*, q. d. Omnes gentes optabunt habitare in terra vestra, vtpote benedicta à Deo, ideoque frugibus abundante. ita S. Hieron. Remig. Hugo, Lyran.

Tertiò, hebr. ad verbum est, *vos eritis terra* חֶפְצִי *chephtsi*, id est voluntatis, complacentiæ, desiderii, in qua scilicet complacebit sibi Deus, quamque benedicet bonisque; omnibus cumulabit: quia enim vos obeditis Deo, eumque colitis dando ei decimas & primitias; hinc vicissim Deus sibi complacebit in vobis, ac propter vos in terra vestra, vt per eam eiusque fertilitatem vos locupletet & beet. Vnde Chald. vertit, *habitabitis in ea domum maiestatis meæ, & fiet in ea voluntas mea, dicit Dominus.* q. d. Quia vos facitis voluntatem meam, hinc vicissim voluntas & complacentia, indeque beneficentia mea effundet se in vos & in terram vestram, in eaque commorabitur & conquiescet. Sic Iudæa à Daniele c. 11. 16. vocata *terra inclyta*, hebr. צְבִי *tsebiia*, id est gloria, decor, voluntas, beneplacitum, desiderium, res dilecta & grata instar capreoli. Vide ibi dicta.

C

Allegoricè, Ecclesia & anima sancta est terra *chephtsi*, in qua scilicet sibi complacet Deus, iuxta illud Isaiæ 62. 1. *Videbunt gentes iustum tuum, & cuncti reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen nouum quod os Domini nominauit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltrà Derelicta, &c. sed vocaberis, Voluntas mea in ea, & terra tua inhabitabitur: quia complacuit Dominus in te.* Eadē in Cant. 2. 9. vocatur *tsebia*, id est, caprea amabilis & gratiosa, quia sponsus eius est Christus gratiosissimus, vt capreolus. *Similis*, inquit, *est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.* Et v. 17. *Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ hinnuloque cervorum super montes Bether.* Et c. 4. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Et Ierem. 3. 19. *Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram desiderabilem, hereditatem exercituum Gentium?* Hebr. est

D

hereditatem צְבִי צְבָאוֹת *tsebi tsebaot*, id est, *gloriæ caprearum*, vel iucunditatis iucunditatum, id est, summè amabilis, charissima & iucundissima.

13. Inualuerunt super me verba vestra, dicit Dominus.

14. Et dixistis: Quid locuti sumus contra te? Dixistis: Vanus est, qui seruit Deo: & quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum?

15. Ergo nunc beatos dicimus arrogantes: siquidem ædificati sunt facientes impietatem; & tentauerunt Deum, & salui facti sunt.

16. Tunc locuti sunt timentes Dominum, vnusquisque cum proximo suo. Et attendit Dominus, & audiuit; & scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius.

17. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die qua ego facio, in peculium: & parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi.

18. Et conuertemini, & videbitis quid sit inter iustum & impium: & inter seruientem Deo, & non seruientem ei.

INVALVERVNT SVPER ME] id est, contra me. Redit Propheta ad blasphemiam Iudæorum c. 2. vers. vlt. quia frequens erat in ore eorum. Pro *inualuerunt* hebr. est חָזְקוּ *chascku*, id est, roborata sunt, Primò, quia contentiosè, validè & clamosè persistitis, imò crescitis in vestra blasphemia, iugiterque illud mihi occlamatis: *Vanus est qui seruit Domino.* ita Lyran. & à Castro. Secundò, quia hæ vestræ assiduæ & rixosæ blasphemiæ mihi valdè graues & molestæ accidunt, meque quasi lapide molari aggrauāt & opprimunt. ita S. Hieron. Remig. Haymo & Arias. Tertiò, Tigurina vertit, *superant me verba vestra*, quia scilicet vos vestris clamoribus & blasphemiis plures auertitis à me, quàm Prophetæ mei suis concionibus ad me conuertant: sicut hæretici plures peruertunt, quàm Catholici conuertant. Omnes enim naturaliter propendent, imò ruunt in libertatem carnis quam prædicant hæretici, & abhorrent à continentia & vitæ seueritate, quam prædicant Catholici. VERS. 13.

ET DIXISTIS: QVID LOCVTI SVMVS CONTRA TE?] Hebr. נִדְבַּרְנוּ *nidbarnu*, vtpote in *niphal*, significat assiduam & continuam locutionē. Vnde Chald. vertit, *in quo multiplicauimus sermonem contra te?* Audi eorum murmura contra Dei prouidentiam, iustitiam & sanctitatem.

VANVS EST QVI SERVIT DEO] Tigurina, *frustra seruitur Deo*; Chald. *nihil lucratur qui colit coram Domino*, nimirum

Vulgus amicitias vtilitate probat.

Vanus ergo, id est indonatus, irremuneratus, quia nullum seruitutis suæ recipit lucrum, aut præmium. Hoc est iudicium mundi, quo mundani vanos censent viros pios, iustos, sinceros, austeri-

Mundani pietatem censent vanitatem.

austeros, præsertim cùm vident eos depauperari, despici, deprimi, affligi: quia vera bona virtutis & gloriæ æternæ ignorant; sed omnia metiuntur præsenti aspectu, sensu & gustu; vti faciunt pueri, porcelli & bruta. Ac proinde ipsimet vani sunt, quia nonnisi caducis & vanis pascuntur. Ita vxor Iob ei afflicto insultabat dicens: *Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo & morere.* Cui sapienter Iob, æquè ac generosè respondit: *Quasi vna de stultu mulieribus locuta es. Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Iob 2.10. Sic Tobiam occasione officij sepulturæ excæcatum, irridebant cognati dicentes c.2.15. *Vbi est spes tua, pro qua eleëmosynas & sepulturas faciebas? Tobias verò increpabat eos dicens: Nolite ita loqui, quoniam filij sanctorum sumus, & vitam illam expectamus quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Sanè si iusti non haberent spem alterius & melioris vitæ, vanè se affligerēt, & frustra aliorum afflictiones sustinerent. Nam, vt ait Apost. 1. Corinth. 15.19. *Si in hac vita tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus.* Nunc autem quia speramus aliam vitam, beatam & æternam, pro modicis vitæ huius tribulationibus; hinc feliciores sumus omnibus hominibus. Ita S. Casimirus Dux Lithuaniæ, & filius Casimiri regis Poloniæ, cùm in morbum incidisset, medicique assererent ab eo liberari non posse, nisi vxorem duceret, respondit: *Eligo virgo mori: non enim noui aliam vitam, nisi cælestem immortalitatem.* Quocirca ne virginitatis propositum infringeret, maluit occumbere, fierique Deo castitatis victima, vt in æternum cum Deo & Agno, angelus inter angelos viueret. ita habet eius Vita.

A

B

C

QVIA AMBVLAVIMVS TRISTES] Hebr. קדרנית *kedorannit*, id est, vt Tigurina, *pullati*, atrati, quasi mœsti, afflicti & pœnitentes; Pagnin. *humiles*; Septuag. *supplices*; Chald. *in depressione spiritu.* Vnde per antithesin subditur:

VERS. 15. ERGO NVNC BEATOS DICIMVS ARROGANTES] qui audent omnia, ideoque se extollunt, & dominantur modestis, eosque calcant & affligunt, vti quotidie videmus.

SIQVIDEM ÆDIFICATI SVNT] Id est, prolibus, & simul domibus, villis, opibus, deliciis, honoribus aucti sunt impij. Est hebraismus.

TENTAVERVNT DEVM] Id est, ad iram prouocauerunt. Vnde Septuag. vertunt, *restiterunt Deo.* Secundò, magis genuinè, & neruosè *tentauerunt*, Hebr. בחנו *bachanu*, id est, probauerunt Deum. q.d. Impij suis sceleribus non contenti, alia aliis, & numero, & grauitate enormia addiderunt, ad hoc, vt experirentur an esset numen scelerum vindex. Voluerunt ergo sua audacia & improbitate mouere numini bilem, vt viderent an concitaretur ad se vindicandum. Verùm cùm viderent non esse vocem, neque sensum, Deumque nullam iræ, nullam vindictæ dare significationem; sed ex aduerso se impunè peccare, liberos esse ab omni pœna, imò omnia sibi ex voto fluere & prosperè succedere, tunc velut victores, imò debellatores numinis, quasi nullum esset, vel impotens ad vindicandum, securi in sua impietate viuere, luxuriari & lasciuire cœperunt. ita à Castro.

D

VERS. 16. TVNC LOCVTI SVNT] q.d. Tunc iusti & pij sibi contra blasphemos & atheos defendendam susceperunt Dei causam, putà prouidentiam & iustitiam, atque ad id se mutuo cohortati sunt, nimirum asserendo illa quæ à patribus, & è Scriptura didicerant, scilicet Deum in hac vita multa dissimulare & impunita relinquere; vt acrius & plenius ea puniat in futura, vtque in die iudicii generalem in omnes exerceat iustitiam. ita S. Hieron. & passim alij, vno excepto Aria, qui vertit, *tunc vastati sunt timentes Dominum*, scilicet ab impiis & atheis impunè eos inuadentibus; quia, inquit, Hebr. דבר *dibber*, id est loqui, fabulari significat vastare, perdere, vt psal. 2.5 & 2. Paral. 22.10. Vnde דֶּבֶר *deber* significat pestem & mortem.

ET ATTENDIT DOMINVS] Aliqui putant hæc esse verba piorum, quæ scilicet ipsi locuti sunt ad defendendam Dei prouidentiam. q.d. Deus non negligit, sed attendit dicta & facta tam iustorum, quàm iniquorum, eaque in libro memoriæ suæ conscribit, vt in die iudicij ea deprompta, publiceque legat & iudicet. ita Lyran. & Clarius.

Melius alij censent esse verba Prophetæ, q.d. Deus tam impiorum blasphemias, quàm piorum apologias attendit, easque in libro monumenti, id est memoriæ, conscripsit, idque in gratiam piorum timentium se, & cogitantium nomen eius, qui scilicet nomen & gloriam Dei assidue cum veneratione cogitant, inuocant, prædicant & celebrant, vt in die iudicij eorum erga se fidem, religionem & pietatem toti mundo ostendat, & æterna corona præmiet. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Hugo & alij.

Nota. *Liber monumenti* est liber memoriæ, vt habent Hebræa & Græca. Syrus & Arabicus Antiochen. vertunt, *scriptus est liber recordationis*; Arabicus Alexandr. *audiuit Dominus hoc, & scripsit librum in quo est hoc, & fecit illum memoriam* (recordationem) *coram omnibus timentibus Dominum vt timeant nomen eius.* Deus enim in sua memoria, quasi in libro monumenti annotat & conscribit singulorum hominum dicta & facta, vt in die iudicij ea ex illo legat coram omnibus hominibus & angelis, ac cuique pro meritis vel demeritis præmium vel pœnam decernat. Vnde de eo ait Daniel c.7.10. *Iudicium* (id est, Deus iudex cum sanctis, quasi suis assessoribus) *sedit, & libri aperti sunt.* Et S. Iohannes Apocal. 20.12. *Libri aperti sunt: & alius liber apertus est, qui est vitæ; & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta sunt in libris, secundùm opera ipsorum.* Vide ibi dicta. Hic ergo *liber timentium Deum*, est liber prædestinationis, qui alibi vocatur *liber Dei.* vnde Exodi 32. Moses ait Deo: *Aut dele me de libro tuo quem scripsisti. & liber viuentium*, vt psal. 68.29. *Deleantur de libro viuentium.* Idem vocatur *liber cæli. Gaudete quòd nomina vestra scripta sunt in cælo*, Lucæ 10.20. Idem à S. Iohanne in Apocal. crebrò vocatur *liber vitæ*, cum in eo Deus sanctos & electos conscripsit ad vitam æternam. Hic verò vocatur *liber monumenti*; hebr. זכרון *ziccaron*, id est memoriæ, hoc est mentis diuinæ; quòd electi illi semper obuersentur, vtpote quos Deus peculiari amore, fauore & cura prosequitur, vt illos suo tempore in regni suum transferat. Sic Deuter. 32.v.43. ait Deus: *Nonne hæc condita sunt apud me, signata in thesauris meis?* scilicet in libris memorialibus, putà in archiuis mentis diuinæ. ita S. Cyrillus, *Seruator*, inquit, *liber memoriæ timentibus Deum, quos an-*

sua

sis familiares, & intimos tempore acquisitionis, cùm A *filius Christus descendet è throno maiestatis comitantibus angelis, & statuet oues ad dextram, hœdos ad sinistram.* Nec enim in Deo propriè est memoria, quæ est præteritorum: Deo enim nihil præterit, sed omnia sunt quasi præsentia. Loquitur ergo humano more: quia enim res præteritæ apud homines in memoria conseruantur, hinc idem tribuit Deo. Mentem ergo Dei omnia cognoscentem vocat memoriam, quatenus ipse ea quæ nobis præterita sunt cognoscit, & in se recondit, ac in sua notitia cõseruat. Vnde S. Aug. in psal. 87. *Tunc*, inquit, *dicitur Deus meminisse, quando facit; tunc obliuisci, quando non facit. Nam* [illegible] *cadit in Deum, quia nullo modo mutatur; neque recordatio, quia non obliuiscitur.* Idem lib. 10. Confess. c. 14. *Memoria*, ait, *quasi venter est animæ, &c. Fortè ergo sicut de ventre cibus ruminando,* B *sic de memoria recordando proferuntur.* Deus autem nullius recordatur, nec quidquam extrahit latens de ventre & sinu memoriæ, vtpote qui omnia actu intuetur & videt. Rursum dicitur hic liber memoriæ, quia ad memoriam, famam & gloriam æternam transcribet Sanctos, iuxta illud psal. 111. 6. *In memoria æterna erit iustus*; cùm omnis gloria & pompa impiorum & mundi euanescat instar fumi, iuxta illud psal. 9. 8. *Periit memoria eorum cum sonitu.* Et psal. 33. 17. *Perdidit de terra memoriam eorum.* Vis ergo memoriam & nomen æternum: quære illud non apud homines, sed apud Deum; non in terra, vbi omnis memoria finietur cum sæculo, sed in cælo, iuxta illud Sapientis c. 8. 13. *Habebo per hanc* (sapientiam, scilicet practicam, hoc est virtutem) *immortalitatem & memoriam æternam.* Et Sapient. 4. v. 1. *O* C *quàm pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius.* Et Eccles. 24. 28. ait Sapientia: *Memoria mea in generationes sæculorum.* Porrò quid præmij in hoc libro monumenti Deus decreuerit piis & iustis, subdit dicens:

ET ERVNT MIHI, AIT DOMINVS, IN PECVLIVM, &c.] Alludit ad libros memoriæ, putà ad annales & diaria regum, de quibus Esther 2. 23. in quibus scripta fuerunt merita Mardochæi; ob quæ eum exaltauit Assuerus. Sic Pontifex habet librum memoriæ, in quo merita Prælatorum scribuntur ad episcopatum vel cardinalatum euehendi. Aliter ergo hîc sumitur peculium, quàm apud veteres Romanos & Iurisconsultos. Peculium enim, iniquit Festus, à pecore dicitur, estq; quidquid alicuius labore & industria comparatum & lucrifactum est. Et propriè seruorum est, sicut pecunia patrumfamilias & nobilium. Vnde apud maiores omne patrimonium dicebatur peculium, quia pecoribus vniuersa eorum substantia constabat. Vlpianus de peculio l. *Depositi*, Peculium, ait, dictum est quasi pusilla pecunia, siue pusillum patrimonium. Peculium autem Tubero hîc definiuit, quod seruus domini permissu separatum à rationibus dominicis habet, deductoinde si quid domino debetur. Florentinus in l. *Peculium*, ff. de peculio: Peculium, inquit, in eo consistit, quòd parsimonia sua quis sibi parauit, vel officio meruit à quolibet sibi donari, idque velut proprium patrimonium seruum suum habere quis voluit. Hinc Celsus in l. *Si chorus*, ff. de legatis, 3. scribit pecuniam sine peculio, id est sine fructu & lucro, fragilem esse. Hic verò peculium sumitur pro hereditate selecta, & thesauro raro charoque. Electi tamen possunt dici peculium Christi priori significatione, quia labore & pretio sanguinis Christi, qui propter eos seruilem naturam assumpsit, empti sunt, iuxta illud: *Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore vestro*, 1. Corinth. 6. Ingens hæc erit gloria Sanctorum, quòd sint futuri peculium & cimelium Dei, sicut reprobi erunt mancipia & peculium diaboli, iuxta illud Christi: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*, Matth. 25. v. 41. Hinc hoc peculium ab Apostolo vocatur sors sanctorum, regnum Christi, & familia Dei: *Gratias*, inquit, *agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ*, Coloss. 1. 12. Et, *Cùm tradiderit regnum Deo & Patri*, 1. Corinth. 15. 24. Et, *Iam non estis hospites & aduenæ, sed estis ciues sanctorum & domestici Dei*, Ephes. 2. 19. Hoc præuidens Isaias cap. 44. 5. *Iste*, inquit, *dicet; Domini ego sum, & iste vocabit in nomine Iacob, & hic scribet manu sua, Domino; & in nomine Israel assimilabitur.* Porrò Deus hoc suum peculium, putà Sanctos & Beatos, exornat longè magis, quàm paterfamilias colat suum peculium, aut rex vel regina ornet suum cimelium. Cùm enim eos habeat in summo amore, æquè ac honore, hinc eos omni lætitia, opulentia, sapientia, felicitate, imò seipso cumulat & beat. D

Peculij etymon & vsus.

Electi sunt peculium Christi.

Iidem sunt sors sanctorum.

Vnde S. Augustl. libr. 10. de Ciuit. c. 7. *Meritò*, ait, *illi in cælestibus sedibus constituti, immortales & beati, qui creatoris sui participatione congaudent, cuius æternitate firmi, cuius veritate certi, cuius munere sancti sunt.* Et in psal. 87. sub finem, explicans illud: *Sicut lætantium omnium* (vel, vt ipse legit, *iucundatorum*) *habitatio est in te. Similes*, inquit, *ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Ibi totum negotium nostrum non erit nisi laudare Deum, & frui Deo. Et quid alium quæremus, vbi solus sufficit per quem factu sunt omnia? Habitabimus & habitabimus; subiicientur illi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus. Beati ergo qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te. Hoc vno beati otioso negotio.* Et in Soliloqu. cap. 35. *O quàm glorioſum est regnum, in quo tecum Domine regnant omnes Sancti,*

Descriptio felicitatis Beatorum.

Sancti, amicti lumine sicut vestimento, habentes in capite suo coronam de lapide pretioso! O regnum beatitudinis sempiternæ; vbi tu Domine spes Sanctorum, & diadema gloriæ, facie ad faciem videris à Sanctis, lætificans eos vndique in pace tua, quæ exuperat omnem sensum. Vbi gaudium infinitum, lætitia sine tristitia, salus sine dolore, vita sine labore, lux sine tenebris, vita sine morte, omne bonum sine omni malo. Vbi iuuentus numquam senescit, vbi vita terminum nescit, vbi decor numquam pallescit, vbi amor numquam tepescit, vbi sanitas numquam marcescit, vbi gaudium numquam decrescit: quoniam ibi summum bonum possidetur, quod est videre semper faciem Domini virtutum. Felices igitur, qui de naufraga vita præsenti, ad tanta gaudia tam peruenire meruerunt: infelices heu nos & miseri, qui per huius maris magni fluctus procellosasq; voragines nauem trahimus, ignorantes an ad portum salutis peruenire valeamus. Infelices, inquam, quorum est vita in exilio, via in periculo, finis in dubio, &c.

ET PARCAM EIS] *Parcere* apud Latinos propriè significat parùm tangere, abstinere, veniam dare, vltionem remittere. Hinc per antiphrasin dictæ sunt Parcæ, quòd nemini parcant, quas Gentiles tres esse finxerunt, Clotho, Lachesin & Atropon, easq́ue Cicero lib.3. de Natura Deor. Erebi & noctis filias, fataq́ue esse censet, quòd nascentibus hominibus bonum malumq́ue conferant. Vnde est illud Cleanthis:

Parcæ quæ & qualest

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Fingunt eas vitæ hominum præesse, & nendo eam ducere instar fili & staminis. Nam

Clotho tenet fusum, Lachesis net, & Atropos occat.

Vnde Virgil. eclog.4.

Concordes stabili fatorum numine Parcæ.

Sic hîc sumi potest, q d. Ego parcam præteritis vestris peccatis, vtpote iam per pœnitentiam vestram & meam condonationem obliteratis, & æterna obliuione sepultis, nec vllam de eis vindictam aut pœnam sumam. Quocirca quidquid triste est, quasi sæuas Parcas & fata ab eis arcebo & propellam. Secundò, parcere idem est quod conseruare: & tunc in præterito habet parsi, ait Donatus; nam aliàs habet peperci, ita Plautus in Aulul. *Festo die*, ait, *si quid prodegeris, profesto egere liceat, nisi peperceris.* Et Virgil. 10. Æneid.

Argenti atque auri memoras quæ mille talenta,
Natù parce tuis, (*parce*, id est conserua.)

Parcere pro misereri.

Hinc Cicero orat. pro Quintio, opponit parcere & perdere, quasi contraria. *Iugulare ciuem*, inquit, *ne iure quidem quisquam bonus vult: maiult enim commemorare, se, cùm posset perdere, peperciſſe; quàm cùm parcere potuerit, perdidiſſe.* Idem pro Cælio opponit parcere & spoliare: *Parcat*, inquit, *iuuentus pudicitiæ suæ, ne spoliet alienam.* Sic hîc sumitur. Vnde Septuag. vertunt, *eligam eos*; alij, *misebor eorum*; alij, *indulgens ero in eos.* Hebr. enim חָמַל *chamal* significat affectum pietatis, misericordiæ, indulgentiæ, quo v.g. parer amat filium, eum misereturque, ei indulget, eum tuetur, fouet, nec ullo malo affligi sinit. Sic enim Deus tuebitur & seruabit electos suos in die iudicij, cùm non sinet eos affligi damnationis sententia, igne, vel vlla alia, qua affligentur damnati, etiam si electi fuerint parentes, filij, cognati, amici. Est ergo metalepsis *parcam*, id est miserebor & tuebor eos communi maledictione, qua feriam improbos. Quos enim amamus, & quorum miseremur, eos in communi clade parcimus. Vnde Theodoret. Parcam, inquit, id est, illos mihi vindicabo, & liberabo è manu impiorum. Sic sumitur parcere 2. Reg. 21. 7. *Pepercit rex Miphiboseth filio Ionathæ pepercit*, id est, pio misericordiæ affectu eum complexus est, cum quasi pupillum in suam curam suscepit, fouit, aluit quasi Ionathæ sibi amicissimi filium. Nec enim Miphiboseth peccarat, vt ei Dauid peccatum condonaret, & propriè parceret. Et Ezech. 16. 5. *Non pepercit super te oculus*, id est, nullus tui misertus est.

Duo generalia electorum præmia significat hîc Propheta: prius, quòd erunt peculium, id est populus peculiaris Dei, ideoq́ue abeo cumulabuntur omni honore, decore, felicitate & gloria. Secundum, quòd parcet eis, id est, amouebit ab eis metum damnationis, gehennæ, omnisq́ue mali, eosq́ue certos & securos faciet, quòd in æternum erunt Beati, nihilq́; vnquam doloris vel mali sentient: sicut ex aduerso damnatorum duplex erit pœna: prior, carentia omnis solatij & boni: posterior, abundantia omnis miseriæ, tormenti & mali. Ingens enim erit gaudium Beatorum, quando videbunt se liberari à crepitantibus gehennæ incendijs, cæteriſq́ue malis horrendis, quibus videbunt inuolui impios tot & tantos, præsertim quia videbunt se eadem aliquando per peccata sua meruisse, in eaq́ue reipsa casuros fuisse, nisi Deus eos liberasset. Quocirca canent: *Misericordiæ Domini, quia non sumus consumpti, quia non sumus damnati: Nisi Dominus adiuuisset me, paulo minùs habitasset in inferno anima mea.* Et canticum Mosis: *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est: equum & ascensorem proiecit in mare*: liberauit nos de manu Pharaonis, id est diaboli, peccati & gehennæ, Exodi 15. 1. Et canticum Agni, dicentes: *Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omnipotens: iustæ & veræ sunt viæ tuæ Rex sæculorum: quis non timebit te, & magnificabit nomen tuum?* Apocal. 15. 3.

ET CONVERTEMINI ET VIDEBITIS] q.d. Vos ô impij, negantes Dei prouidentiam, in die iudicij mutabitis sententiam, licèt serò & coactè: videbitis enim & reipsa sentietis, quantum intersit inter iustum & impium, quando videbitis hunc igni æterno, illum paradiso cæloq́ue addici, vti fusiùs explicat Malachias cap. seq. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Ribera & alij.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

PErgit describere diem iudicij, in quo desinet impiorum felicitas, & incipiet eorum infelicitas: atque ex aduerso desinet piorum infelicitas, & incipiet eorum felicitas numquam finenda. Tunc ergo Deus, qui in hac vita impiorum scelera dissimulauit, & pios ab eis affligi permisit, assumet iudicium, ostendetq; se esse Deum iudicij, ac illum diem iudicio vniuersali hominum omniū ab æterno prædefiniuisse, ideoq; in hoc mundo permisisse pios ab impiis vexari, vt horum improbitas, illorum virtus in die illo decretorio declaranda, & gloria cæleſti præmiandorum toto mundo enitesceret: Orietur, *inquit*, vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, *&c.* Et calcabitis impios. *Hinc Secundò, v. 4. monet vt legem Dei custodiant, eò quòd per eam sint iudicandi, ideoq; asserit se ante diem iudicij præmißurum Eliam, qui ipsos ad legis Dei custodiam exstimulet, vt iudicis non iram & anathema maledictionis, sed clementiam & remunerationem æternam experiantur.*

ECce enim dies veniet succensa quasi caminus: & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen. A

2. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius: & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento.

3. Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus exercituum.

4. Mementote legis Moysi serui mei, quam mandaui ei in Horeb ad omnem Israel, præcepta & iudicia. B

ECCE ENIM DIES] *Iterùm enim* dat causam præcedentium, q.d. In die iudicij videbitis quid interfit inter pium & impium, nec pios vanè & frustra seruiuisse Deo. Ecce enim dies veniet, qui impios cremabit, sicut ignis stipulam: piis autem orietur sol iustitiæ. Dies hic est dies iudicij extremi: huius enim solius præcursor erit Elias. ita S. Hieron. Cyril. Theodor. Remig. Lyran. & alij, vno excepto Aria, qui per diem accipit diem quo Christus & christianismus orbi illuxit: ille enim impiis fuit quasi caminus, eorum impietatē manifestans, redarguens & comburens; piis verò fuit quasi sol iustitiæ, & sanitas, tum mentis, tum corporis. Sed hoc præposterum est, & mysticum.

SVCCENSA] igne, tum spirituali & mystico, quā ardenti ira & vltione Christi iudicis, qua impios à piis separabit, eosque ad tartara damnabit & præcipitabit, iuxta illud Daniel. 7. v. 9. *Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accensus. Fluuius ignis rapidusq; egrediebatur à facie eius: millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, & libri aperti sunt.* ita S. Hieron. Remig. & Clarius. tum vero & proprio, putà igne conflagrationis mundi, qui præibit iudicium; & igne inferni, qui statim post iudicium damnatos in gehennam conuolet, & celerrimè abripiet quasi stipulam. Ignis enim conflagrationis secernet impios à piis, tum C quia eos grauiùs vret, grauioremque necem & stragem pro demeritis inferet, quàm piis: tum quia separabit eos loco & statu in die iudicij, vt ad sinistram iudicis quasi hœdi mactandi consistant, ibique eis quasi carnifex assistet, vt post iudicis sententiam illico eos in tartara quasi turbo deturbet. ita Lyran. & Vatabl. Huc alluſit Apostolus 1. Corinth. 3. 13. cùm diem iudicij describens ait: *Vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit.* Vide ibi dicta.

Moral. Nota impios suis peccatis succendere sibi hunc ignem, vt docet Isaias c. 50. 11. *Ecce*, inquit, *vos omnes accendentes ignem, accincti flammis: ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis quas succendistis.* Vide ibi dicta. Sic Babylonij succendentes fornacem, non tribus pueris, qui in ea Dei virtute illæsi manserunt; sed sibi ipsis eam accenderunt. Nam *erupit flamma, & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis*, Daniel 3. 48.

QVASI CAMINVS] Septuag. *sicut clibanus*; alij, *sicut furnus*. Cogita horrorem fornacis & incendij Babylonici, *in quo effundebatur flamma super fornacem cubitū quadraginta nouem*, Daniel. 3. 48. Cogita fornacem, qua cæleſti igne combusta est Sodoma & Pentapolis, Genes. 19. Cogita incendia arcium & vrbium, si quæ vnquam oculis spectasti; & scito hæc tantùm fuisse vmbrā & scintillam huius camini, quo igne cæleſti conflagrabit totus orbis, omniaque quæ in eo sunt, putà domus, templa, arces, ville, vrbes, arbores, animalia, homines, cæteraque vniuersa, ita vt tota terra videatur esse furnus & clibanus ardens. Rursum hic caminus & ignis conflagrationis mundi, tantùm erit vmbra & scintilla ignis gehennæ, vbi fumus tormentorum ascendit in sæcula sæculorum, Apoc. 19. 3. Hunc ignem tibi propone, cùm te libido, superbia, ira, dæmon vel mundus ad scelus sollicitant.

ET ERVNT OMNES SVPERBI, ET OMNES FACIENTES IMPIETATEM, STIPVLA] hoc est, quasi stipula, instar stipulæ, q.d. Superbi & potētes, qui in hac vita erant fortes, ferrei & ænei, ita vt nemo auderet eis resistere; ipsi verò auderent pugnare cum Deo; hi in die iudicij erunt infirmi, imbelles & inualidi vt stipula, quæ igni resistere

nequit: quia ab efficaci & potenti vltione Dei, quasi stipula correpti, celerrimè cremabuntur; nec tamen consumentur, sed seruante eos Deo ad æterna tormenta, semper manebunt viui, vt semper ardeant. Ecce tunc apparebit non fuisse vanos eos qui seruiuerunt Deo, sed vanos & stultos qui seruiuerunt veneri, ambitioni & Mammonæ; quia pro modico honore, pretio & voluptate accersiuerunt sibi æternos ardores: pij verò per modicum despectum, paupertatem & dolorem accersiuerunt sibi gloriam æternam.

QVÆ NON DERELINQVET EIS RADICEM ET GERMEN] *Et*, id est *nec*. Est prouerbium, significans plenam excisionem & perditionem, q.d. Dies illa iudicij igne suo ita afflabit, exscindet & perdet impios, eorumque opes, delicias, felicitatem & gloriam, quasi stipulam, vt non tantùm hæc omnia, sed & omnis boni spem in æternum eis adimat, eosque in æternam mortem & ignem præcipitet; sicut arbor, aut potiùs stipula succisa, vel euulsa radice, ac succensa non potest repullulare in germen, & renasci. ita S. Cyrill. & Albert. Secundò, Lyran. per *radicem* intelligit spem redeundi ad statum gratiæ & meritorum. q.d. Impiis in die iudicij nulla supererit spes errores & lapsus suos corrigendi, nulla spes pœnitentiæ & veniæ, nulla spes redeundi ad Dei gratiam, nullum tempus dabitur satisfaciendi, aut merendi vitam æternam. Prior sensus litteralis est, posterior moralis.

VERS. 2. ET ORIETVR VOBIS TIMENTIBVS NOMEN MEVM SOL IVSTITIÆ] *Iustitiæ*, tum propriè dictæ, tum naturalis & symbolicæ, hoc est, salutis, gloriæ & felicitatis. Iustitia enim naturæ congrua, & quasi debita, est eius integritas, salus & decor. Hinc iustitia, æquè ac salus, subinde in Scriptura capitur pro munditie, claritate & splendore, vt psalm. 131. 9. & 16. *Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Et, *Sacerdotes eius induam salutari.* vbi Chald. pro *iustitiam* vertit *munditiem*, vti & hîc pro *Sol iustitiæ*, vertit, *sol puritatis.* & Isaiæ 61. 10. *Induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me*, hoc est, induit me vndequaque mundissima veste per Christum saluatorem. Idem enim est vestimentum salutis, & indumentum iustitiæ: posterior enim versus explicat priorem. ita Prado in Ezechielem c. 16. 4. sub finem. Iustitia ergo hîc est salus, decor & gloria. Vnde explicans subdit: *Et sanitas in pennis eius.* Iustitia enim soli debita, est eius splendor, & vis sanandi. Iam Theodor. Arias, & Clarius hæc accipiunt de primo Christi ortu & aduentu in mundum, quem ipse quasi sol oriens illuminauit, calefecit, omnique gratia & virtute fœcundauit & viuificauit. Hinc dicitur *iustitiæ*, quia ex se radios iustitiæ diffudit, quibus iustificauit, & indies iustificat peccatores quoscumque, qui eum intueri, id est, in eum credere, eique obedire volunt; sicut sol omnibus qui oculos ad se conuertunt, lucem, lætitiam & vitam impertit. Secundò, oriens sol est instar sponsi de thalamo suo prodeuntis; ita Christus est sponsus Ecclesiæ. Tertiò, sol est instar gigantis in stadio, à carceribus ad metam inoffenso cursu properantis: ita Christus princeps omnipotens potenter gloriosum gratiæ suæ cursum absoluit, vt à nemine præpediri possit. Quartò, sol non expectat pre-

Iustitia pro munditie & splendore.

Christus est Sol iustitiæ ob quinque analogias in primo suo aduētu. Prima. Secunda. Tertia.

Quarta.

A ces, sed statim refulget, & omnibus videntibus lucem vitamque affert: ita Christus prior dilexit nos, & cùm inimici essemus præuenit, sponteque sua maximis beneficiis ditauit & ditat. Ipse est ergo noster Apollo, sanitatis præses; ipse rex omnium sæculorum, omnia noua luce, noua vita, noua pulchritudine exornans. Quintò, sol nubibus obuelatur, eclipsim patitur, rutilus & ruber apparet: ita Christus carne assumpta velatus est, in cruce deliquium passus, illuminatus per resurrectionem, ruber & formidandus est iudex & vindex peccatorum. Verùm hîc agi de secundo Christi aduentu, patet ex præcedentibus & seq. quæ omnia spectant ad diem iudicii, in quo Deus cuique pro meritis retribuet pœnam vel præmium. Tunc ergo piis orietur Deus & Christus quasi sol iustitiæ, impiis verò occidet. Primò B & genuinè, quia, sicut sol obscura illuminat, & videnda ac conspicua oculis omnium exhibet; ita Christus piorum virtutem & iustitiam, quæ in hac vita ab impiis obscurabatur & deprimebatur, in die iudicij illustrabit & clarificabit, & toti orbi conspicuam & gloriosam exhibebit. ita S. Hieron. Vnde dicitur *iustitia*; Chald. *puritatis*, id est iustissimus, puriſſimus & sanctissimus: quia iustos & iustitiam hîc oppressam, ibi splendescere & coruscare faciet. Secundò, quia sua claritate, maiestate & gloria radiabit quasi sol. Hinc eo moriente in cruce obscuratus fuit sol, vt indicaret veri solis occasum. Tertiò, quia Sanctos mira lætitia afficiet, post longas ærumnas persecutionum & tribulationum huius vitæ, sicut sol post longas tenebras noctis oriens homines exhilarat. ita S. Hieron. Theodor. Remig. Rupert. Lyran. & Vatabl. Quartò, quia vt sol C dispellet omnem caliginem errorum, peccatorum, concupiscentiarum, tentationum, adducetque perpetuum diem veritatis gratiæ & iustitiæ. Quintò, quia solis lumen non est vulgare, quale est candelæ, lucernæ, ignis, stellarum, sed eximium & gloriosum: ita Christus in die iudicij lumine gloriæ illustrabit Sanctos in anima, beando illos visione Dei, quæ eis beatitudinem & gloriam æternam afferet, & dote claritatis donabit eorum corpora. Nam, vt ait Christus Matt. 13. 43. *fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum.* Sextò, quia sicut sol *aquilarum oculos vegetat, nostros sauciat inspectus & tenebrat*, ait S. Augustl. lib. 2. de Moribus Manich c. 8. ita Christus iustorum mentes acuet & vegetabit in æternum, impiorum verò animos oculosque sua luce excæcabit. Septimò, D quia sol sua vnitate hieroglyphicum est Dei, sua verò trinitate symbolum est SS. Trinitatis: *In sole enim tria sunt, & separari non possunt, cursus, splendor, calor. Videmus enim solem in cælo currentem, fulgentem, calentem. Diuide ergo, si potes, Arriane solem, & tum demum diuide Trinitatem*, ait S. Augustl. serm. 1. de verbis Apostoli. Idem serm. 181. de Tempore: *Sol*, ait, *candor, & calor, & tria sunt vocabula, & tria vnum. Quod candet hoc calet, & quod calet hoc candet: tria hæc vocabula res vna cognoscitur: ita Pater, & Filius, & Spiritus S. tres personæ in deitate vnum sunt, & individua vnitas rectè creditur.* Deus est ergo sol, *quia solus ille colendus est, quo solo fruens, beatus sit cultor eius; & quo solo non fruens, omnis mens misera est, qualibet re alia perfruatur*, ait S. Augustl. lib. 2. contra Faustum 5.

sol

si enim dictus est, quòd solus, id est vnus, dum- A gat. Secundò, Christi oculus, cura & mens sem-
taxat sit in mundo, quodque solus cùm est ex- per oberrat & voluitur circa Ecclesiam. Tertiò,
ortus, obscuratis omnibus aliis sideribus, appa- dotes & virtutes singulorum fidelium in Eccle-
reat, vt Cicero lib. 2. de Natura deorum. Quo- sia variè efformat, vti docet Apost. 1. Corinth. 14.
circa Manichæi solem adorabant vt Deum, imò
colebant ipsummet esse Christum, vti ibidem
cap. 6. subdit S. August. *Hù*, inquit, *obscœnissimis* *Samson, id est parvus sol, typus Christi.*
ipsum veluti conamini assuere ineffabilem Trinita-
tem, dicentes Patrem in secreto quodam lumine ha-
bitare; Filij autem in sole virtutem, in luna sapien-
tiam, spiritum verò sanctum in aëre. Et paulò antè
ridens eorum de sole figmenta: *Primò*, inquit,
non unum quendam esse dicitis: ita non tantùm, vt
dixtur, toto cælo erratis, sed & natatis. Deinde cum
omnium oculis rotundus effulgeat, eaq; illi figura pro
sua ratione perfecta sit; vos eam triangulam
habetis, id est, per quamdam triangulam cæli fene-
stram, lucem illam mundo terrisq; radiare (sicut B
solis radij cùm per foramen triangulare transi-
erint, mox iterum se colligunt, orbiculantur, &
rotundi apparent, vt solem rotundum à quo
manant, repræsentent, vti docent Perspectiui, &
ipsa experientia.) *Ita fit vt ad istum quidem*
locum deorsum cernitis, eumq; eruetis; non autem ipsum
circulare rotunditate conspicuum, sed nescio quam
per foramen triangulum micantem atque lu-
centem, quam confictam cogitatis, adoretis. Ex ad-
verso Anaxagoras censuit solem esse lapidem
ardentem, ait idem S. August. lib. 18 Ciuit. c. 41.
Cum enim olim lapis in Ægos Thraciæ amnem,
cælo cecidisset, Anaxagoras (quem etiam præ-
dixisse ferunt id futurum) affirmauit cælum
esse ex lapidibus constare, solemque ipsum
eadem esse saxum. Quocirca Euripides eius C
discipulus in Phaëthonte tragœdia, solē auream
glebam nuncupauit. Eam ob causam Anaxago-
ras à Cleone impietatis accersitus, defensusque
à Pericle discipulo, talentis quinque & exilio
mulctatus est. ita Diogen. Laërt. in eius Vita.

Ad Manichæorum errorem accedit Homer-
us, & ex eo Plinius lib. 2. c. 6. Quare quæ Plinius
dicta dat soli, nimis vtique augusta & diuina,
ea Christo soli iustitiæ verissimè assigna: *Plane-*
tarum, inquit, *medius sol fertur amplissima magni-*
tudine, ac potestate: nec temporum modò terrarumq;,
sed siderum etiam ipsorum cæliq; rector. Hunc mundi
esse animum, ac planiùs mentem, hunc principalem
naturæ regimen ac numen credere decet operæ
eius æstimantes. Hic lucem rebus ministrat, auferq;
tenebras: hic reliqua sidera occultat, hic vices tempo-
rum, annumq; semper renascentem ex vsu naturæ
importat. Hic cæli tristitiam discutit, atque etiam hu- D
manorum animi nubila serenat. Hic suum lumen cæteris
quoque sideribus fœnerat, præclarus, eximius, omnia
omnium animo etiam exaudiens, vt principi literarum
Homero placuisse, in vno eo video. Rursum Plato in
Cratylo triplex dat ἥλιος, id est solis, etymon.
Dores, inquit, *Dores vocant ἄλιον: ἅλιος autem*
sunt, quòd homines in vnum eumdemq; locum con-
gregat, vbi primùm ortus est. Dici etiam possit videri
ἁπὸ τοῦ ἀεὶ εἰλεῖν, id est quòd semper voluatur,
scilicet circa terram perpetuo quodam cursu. Tertiò,
dicitur ἅλις, *quòd res quæ è terra fiunt variè effor-*
mat. εἴλειν enim id significat. Tria hæc competunt
Christo, qui est sol iustitiæ. Nam Primò, Chri-
stus omnes fideles in vnam Ecclesiam à suo in
eum aduentu congregauit, & iugiter congre-

Hinc Christi typus & præcursor fuit Samson,
Iudic. 13. 24. sicut enim Iudæis à Philisthinis op-
pressis Deus nasci fecit Samsonem, qui populum
suum ab hostium tyrannide liberaret, indeque
vocatus est שִׁמְשׁוֹן *samson*, id est sol lætitiæ, à
שֶׁמֶשׁ *semes*, id est sol, & שׁשׁ *sas*, id est gauisus
est; vel potius Samson, est paruus sol, vt sit di-
minu. iuum à *semes*, q. d. Israeli in tenebris, mœ-
rore & seruitute constituto, ortus est soliculus,
id est paruus nouusque sol, putà Samson iudex
& vindex, qui tenebras halcedispellat, & Iudæos
noua luce, libertate & lætitia perfundat & re-
creet. Ita pariter Christus verus Samson, orbi à
peccatis & ærumnis oppresso datus est à Deo
quasi sol oriens ex alto, qui peccata in primo
aduentu, sed ærumnas omnes & mortem in se-
cundo fugabit & abolebit; tumque non amplius
dicent: *Vbi est Deus iudicij?* Videbunt enim solem
iustitiæ, putà Christum, qui iustè pro meritis pu-
niet impios, & præmiabit pios. Plura de sole dixi
Isaiæ cap. 45. 6. vbi ostendi solem esse symbolum
regis, & multò magis Christi Domini, qui est rex
regum.

Denique noster Martinus de Roa libr. 1. Sin-
gular. c. 14. censet Christum vocari Solem iusti-
tiæ, id est, verum iustumque amicum, qui radios
suæ beneficentiæ in fideles suos, quasi amicos
effundat: solem enim apud sacros & profanos *Sol typus veri amici ob quinque analogias: talis est Christus.*
scriptores amicitiæ esse symbolum, ob quinque
analogias. Prima est, vnicus est sol, & vnicus de-
bet esse amicus: plures stellæ, plures familiares,
iuxta illud Eccles. 6. 6. *Pacifici sint tibi multi, con-*
siliarius vnus è mille. Secunda, sol Euripidi est au-
rea gleba, Homero restis aurea è cælo in terram
demissa, eò quòd ipse aurum gignat in imis ter-
ræ visceribus: ita amicus est aurum optimum, the-
saurus ingens. Eccles. 6. 14. *Amicus fidelis protectio*
fortis, qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum.
Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna
ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei il-
lius. Tertia, soli semper est æterna iuuenta: sic a-
micitia perpetua & constans esse debet, nec tem-
porum varietate labefactari, nec vetustate con-
sumi. Quarta, sicut sol sua luce cuncta collustrat,
& viarum difficultates aperit, & quà sit eundum
ostendit: ita etiam amicorum est commonere a-
micos; & vitæ pericula, & morum offensiones, &
quæ vitare, quæ amplecti debeant commonstra-
re. Ita dicitur Iudic. 5. v. 31. *Qui autem diligunt te,*
sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent, id est, radios
emittant, quibus alios illustrent, tum etiam
incendantur ad verum decus, veramque virtu-
tem. Quinta, sicut sol est beneuolus & beneficus;
sic & amicus. Dicitur ergo Christus per anto-
nomasiam sol iustitiæ, id est, iustus verusque sol,
benignus, liberalis, bona sua omnibus impar-
tiens: *& sanitas in pennis eius*, hoc est, in radiis
eius; quia *amicus fidelis est medicamentum vitæ &*
immortalitatis Eccli. 6. 16. *Sanitas* ergo *in pennis*
eius, quia ipse solatur mœrentes, recreat afflictos,
confirmat labantes, iacentes excitat, iratos miti-
gat, omnibus denique omnia præstat officia ami-
citiæ & charitatis. Hic nimirū est sol iustitiæ: quia
nemo

nemo omnium est, qui hominibus vel commodarit magis, vel magis illuxerit, quàm Christus. Hinc promittitur timentibus & amantibus Deū: magnes enim amoris est amor: amicorum Dei præmium est Christus amicissimus.

Symbol. Christus est sol, Adam est luna.

Symbolicè, S. Augustin. epist. 119. ad Ianuarium c. 5. *In Prouerbiis* (Ecclesiast. 27. 12.) *legitur: Sapiens sicut sol permanet, stultus autem sicut luna mutatur. Et quis est sapiens qui permanet, nisi Sol iustitiæ, de quo dicitur: Ortus est mihi sol iustitiæ, & quem sibi non fuisse ortum in die nouissimo plangentes impij, dicturi sunt: Et iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol iustitiæ non ortus est nobis? Nam istum carnis oculis visibilem solem, oriri facit super bonos & malos Deus; qui etiam pluit super iustos & iniustos. Quis est ergo ille stultus, qui tamquam luna mutatur, nisi Adam, in quo omnes peccauerunt? Anima quippe humana recedens à sole iustitiæ, ab illa scilicet interna contemplatione* B *incommutabilis veritatis, omnes vires suas in terrena conuertit, & eo magis magisq; obscuratur in interioribus ac superioribus suis.* Et inferiùs: *Cùm Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Obscura videtur Ecclesia in tempore peregrinationis suæ, inter multas iniquitates gemens,* &c. *Orietur,* inquit, *in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec interficiatur luna: id est abundantia pacis in tantum crescet, donec omnem mutabilitatem mortalitatis absumat. Tunc nouissima inimica destruetur mors, & quidquid nobis resistit ex infirmitate carnis, vnde nobis perfecta pax nondum est, consumetur omnino, cùm corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem.*

Tropol. irato occidit sol, miti oritur.

Tropolog. irascenti & peccanti occidit, mansueto & iusto oritur soliustitiæ. Vnde S. Augustin. homil. 43. inter 50. *Non debuit,* inquit, *occidere sol* C *super iracundiam vestram, & multi soles occiderunt: transeat aliquando iracundia vestra, dies magni solis celebramus: illius solis, de quo dicit Scriptura: Orietur vobis sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Quid est in pennis eius? In protectione eius. Vnde in psal. 16. dicitur: Sub vmbra alarum tuarum protege me.* Et mox: *Si ergo irascaris, ne occidat sol iste in corde tuo super iracundiam tuam, ne fortè & occidat tibi sol iustitiæ, & in tenebris remaneas. Ne putetis autem quia nihil fit iracundia: Turbatus est præ ira oculus meus. Vtique cui turbatur oculus, solem videre non potest; & si conatus fuerit videre, pœna illi est, non voluptas.* Notent hîc pastores (quod nonnullos factitare vidi & audiui) vt plebem die solis, id est Dominico, conuenientem ad ecclesiam, moneant de dimittenda ira, omniq́ue peccato, eò quòd ille sit dies Domini, in quo ortus est eis sol iustitiæ. Rursum D S. Bernard. epist. 107. *Vobis,* inquit, *qui timetis Deum orietur sol iustitiæ. Manentibus igitur in tenebris filiis diffidentiæ, euadit in nouam hanc lucem lucis filius de potestate tenebrarum, si tamen iam fideliter Deo dicere potest: Particeps ego sum omnium timentium te.*

Penna solis sunt radij, aut

ET SANITAS IN PENNIS EIVS] Hebr. בִּכְנָפֶיהָ *bicnaphecha*, id est, *in alis eius.* Poëticè pennas vocat radios, Primò, quia vestiunt, ornant & stipāt solem, sicut pennæ aut comæ auem. Vnde ab Homero vocatur auricomus sol. Et Virgil. initio 6. Æneid. loquens de Dædalo:

Præpetibus pennis ausus se credere cælo, &c.
Redditus hic primùm terris tibi Phœbe sacrauit
Remigium alarum.

A Sol enim vocatur Phœbus, quasi φοίβος, à φοῦς & βίος, id est lux vitæ.

Secundò, quia sol celerrimè mouetur & quasi volat vt auis, iuxta illud de sole psal. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* Sol enim tam velox est, vt vno die naturali, id est 24. horis, conficiat millionem milliarium, & insuper 140. millia eorumdem; quod tantumdem est, ac si totum terræ ambitum circumcurreret quinquagies, vti ex Astronomis docui Genes. 1. 16. Insuper sol oriens radios suos quasi pennas velocissimas, in momento spargit per totum hemisphærium.

Tertiò, quia sol, præsertim oriens, vtrimque radios in eam figuram expandit, vt videatur esse auis expansis alis, iuxta illud psal. 138. 9. *Si sumpsero pennas meas diluculo,* hebr. *si sumpsero alas auroræ.* quæ verba de Christo intelligit S. Augustin. *qui cùm sumpsit pennas suas in resurrectione, iam corpore non grauatur.* Hinc Ægyptij solem pinxerunt quasi auem, longas spargentem pennas circumquaque, eamq́ue vocarunt phœnicem. Phœnix enim non est auis vera, sed symbolica, putà sol, vt ostendi Genes. 7. 2. Hinc vnicum dixerunt esse phœnicem, quia vnicus est sol in mundo; eumq; degere Heliopoli, id est, in vrbe solis, atque interire & renasci, quia sol occidens vespere, manè rursum oritur & quasi resurgit, iuxta illud Ouidij Metamorph. 15.

Vna est quæ reparet, seq́; ipsa reseminet ales.

Extat apud Lactantium incerti Auctoris elegans carmen de phœnice, in quo tota eius historia, vel potiùs fabula enarratur, vbi inter cætera C phœnicem vocat auem solarem. Inter cætera ergo sic de ea canit:

Paret & obsequitur Phœbo memoranda satelles, &c.
Lutea cùm primùm surgens aurora rubescit,
Ter quater illa pias immergit corpus in vndas,
Et conuersa nouos Phœbi nascentis ad ortus,
Expectat radios & iubar exoriens.
Incipit illa sacri modulamina fundere cantus,
Et mira lucem voce ciere nouam.

Sicut omnes penè aues cum sole occidente dormire, & cum oriente euigilare incipiunt: vnde manè cantillant, cantuq́ue suo solem orientem salutant. Pergit Poëta de cauda & pennis phœnicis:

Caudaq́; porrigitur fuluo distincta metallo,
In cuius maculis purpura mixta rubet.
Clarum inter pennas insigne est desuper iris,
Pingere ceu nubem desuper alta solet.
Aequatur toto capiti radiata corona,
Phœbi referens verticis alta decus.
Effigies inter pauonis mista figuram
Cernitur, & mistam Phasidis inter auem.
Est leuis & velox, regali plena decore:
Et raram volucrem turba salutat ouans.
Alituum stipata choro volat illa per altum,
Turbaq́; prosequitur munere læta pio, &c.
Ipsa sibi proles, suus est pater, & suus heres:
Nutrix ipsa sui, semper alumna sibi:
Ipsa quidem, sed non eadem, quia & ipsa nec ipsa est.
Aeternam vitam mortis adepta bono.

Nimirum phœnix est sol, cuius cauda, pennæ & comæ sunt radij in longum, latum & altum expansi,

pensi, qui partim albicant, partim rubent, suoque loco in nube roscida faciunt iridem: atque pulcher & speciosus est, æquè ac magnificus & velut in incessu, vti pauo trahens post se elegans ferta caudæ, putà radiorum longè lateque expansorum: vnde in ortu eum aues, animalia & homines salutant. Ipse sibi est pater, & filius, qui post occasum ex seipso quasi rursum oritur & renascitur, itaque continuo suo occasu continuum sibi parit ortum, & quasi vitam æternam, cius æquè ac resurrectionis est hieroglyphicum. Quocirca ad hoc phœnicis symbolum videtur hic alludere Malachias, imò illud ipsum his verbis repræsentare, dum ait: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.* Perinde ac nonnulli censent fecisse Iobum cap. 29. 18. *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies.* vbi Tertull. legit: *Et sicut phœnix multiplicabo dies.* Græcum enim Φοῖνιξ apud Septuag. & phœnicem, & palmam, ob similem longæuitatem, significat. Plinius enim libr. 7. c. 49. asserit phœnicem viuere 660. annis. Sic & Hebr. *tsin chol*, quod Noster Iob 24. v. 18. vertit palma, veteres Hebræi & moderni, R. Salomon, Tigurina, Caietan. vertunt *phœnix*. Vnde Philippus Presbyter in Iob 29. Fieri, ait, potest, vt Iob in similitudinem auis illius (phœnicis) dicat se per mortem in cinere carnis, velut in nido per tempore moriturum, & inde resurrecturum in gloriam & multitudinem dierum. Idem affert Beda.

Quocirca phœnix est symbolum Christi (& consequenter Christianorum) morientis, & gloriosè ex seipso & sua virtute resurgentis, vti ostendit Aldrouandus in phœnice. Porrò sanitas est in pennis solis, quia sol suis radiis plantas, animalia & homines nocturno frigore languentes, torpentes & quasi emorientes excitat, roborat, vinificat, lætificat, itaque quasi omnium creaturarum languores & vulnera sua luce, radiis & calore sanat. Iam sensus est Primò, q. d. Veniet Christus, qui quasi phœnix, & sol iustitiæ oriens in mundo, quocumque suas alas & pennas, hoc est, radios suæ prædicationis (vnde Syrus & Arabicus vertunt, *sanitas super linguam eius*) gratiæ & veritatis extendet, ibi omnes infirmitates corporis & animæ sanabit. Nam, vt ait S. Marcus c. 6. 56. *Quotquot tangebant eum, salui fiebant*: vti hæmorrhoissa tactu fimbriæ, quæ quasi ala & penna erat (teste Hesychio homil. de S. Maria) vestis Christi, sanata est à fluxu sanguinis, Lucæ 8. 44. Rursum sicut sol sua luce fugat serpentes, lupos, prædones, omnesque feras sæuas & noxias; ita Christus sol iustitiæ suo aduentu in orbem dæmones effugauit, idola contriuit, peccata deleuit, mundumque infirmum, imò mortuum sanitati & vitæ restituit. ita Theodoret. Idem facit quotidie, dum exoritur in fidelium animis, siue peccatorum, siue iustorum. Nam ex eis vel dæmones, & peccata grauia, vel leuia, concupiscentias, tentationes, malas cogitationes, omnesque infirmitates depellit & sanat, vt homo sibi redditus, sanus & regetus incipiat operari opera non tantùm sancta, sed & heroica, quibus perfectionis Christianæ apicem & culmen conscendat. Verùm quia hic agitur non de primo, sed de secundo aduentu Christi, quo ipse iudex, quasi sol iustitiæ, piis in hac vita afflictis & oppressis suum robur, decus & gloriam restituet, imò in immensum augebit; hinc

Secundò & genuinè, hæc cum eodem Theodor. Rupert. Lyrano & aliis accipias de sanitate, quam consequentur Beati à Christo in die iudicij. q. O viri pij gemitis in hac vita, quòd iniustè ab impiis opprimamini, incarceremini, libertate priuemini, vti vos, ô Iudæi, in Babylone, quasi in carcere cæco à Chaldæis conclusi fuistis: verùm attollite animos, sustinete fortiter. En breui orietur vobis sol iustitiæ, putà Christus iudex, qui illorum iniustitiam, & vestram iustitiam coram toto orbe celebrabit, & remunerabitur. Rursum in hoc sæculo affligimini mille infirmitatibus & ærumnis, vt spoliatione bonorum, paupertate, squalore, mœrore, fame, siti, morbis, verberibus, vulneribus, morte & martyrio. Tolerate: en breui sol iustitiæ pennas, id est radios sanitatis suæ, in vos diffundet, quibus omnia vestra vulnera, omnes plagas, omnes mœrores & infirmitates dispellet, vti sol tenebras, easque plenè & perfectè sanabit. Nam corpora vestra afflicta & corrupta è sepulchris & cineribus suis educet, resuscitabit, beabit & glorificabit, vt saliatis quasi vituli de armento. Quocirca sanitas hæc multa cõplectitur: Christus enim in resurrectione omnes ægritudines non solùm corporis, sed & animæ persanabit. Sanitas ergo corporis Primò, erit ipsa eius resurrectio; Secundò, immortalitas; Tertiò, impassibilitas, vt nec ab igne, nec à gladio, nec ab hoste, nec à dæmone, nec ab vlla re creata ampliùs lædi aut pati possit; Quartò, agilitas; Quintò, subtilitas; Sextò, claritas; Septimò, felicitas; Octauò, gloria, putà omnis decor, omnis honor, omnis suauitas, omnes deliciæ, omnes opes, omne quod delectat. *Secundò.* *Sanitas corporis resurgentis octuplex.*

Sanitas verò animæ erit Primò, lætitia inenarrabilis, quæ omnem mœrorem à mente, & omnem lachrymam ab oculis absterget, iuxta illud Isaiæ 35. 10. *Lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Secundò, integritas omnium animæ virium: nam, vt ait S. Prosper libr. 1. de Vita contempl. cap. 4. *Ibi erit intellectus sine errore, memoriæ sine oblitione, cogitatio sine euagatione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, saturitas sine fastidio, & tota sanitas sine morbo.* Anima enim per peccatum Adæ sauciata est in intellectu, per obscuritatem & ignorantiam; in voluntate, per procliuitatem ad bona caduca; in irascibili, per varios metus & formidines; in concupiscibili, per infirmitatem & concupiscentiam multiplicem, &c. Christus in cælo hæc omnia sanabit, dando intellectui lumen & scientiam, voluntati constantiam in bono, irascibili heroicam fortitudinem, concupiscibili honestatem & rectitudinem, vt nil nisi honestum & rectum concupiscat. Tertiò, sanitas animæ erit lumen gloriæ, visio & fruitio Dei, ac dotes gloriosæ quæ ex ea consequentur, & deriuabuntur in omnes animæ vires & potentias, & ex illis in corpus. vnde S. Augustinus epist. 56. ad Dioscorum: *Tam potenti*, ait, *natura Deus fecit animam, vt ex eius plenissima beatitudine, quæ in fine temporis sanctis repromittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod est corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis* *Sanitas animæ beatæ triplex.*

tis est propria, sed plenitudo sanctitatis, id est, incorruptionis vigor.

Mor. de patientia & fortitudine.

Mor. hæc sibi applicent, ruminentque Martyres. En patimur pro Christo, vngulis laceramur, dentibus ferarum laniamur, scorpionibus discerpimur, cataſtis distendimur, gladiis truncamur, ignibus torremur: veniet ecce, & breui veniet sol iustitiæ Christus iudex, qui membra nostra lacerata, laniata, discissa, truncata, tosta restituet, sanabit, & æterna gloria decorabit. Hæc cogitabas, ô S. Laurenti, cùm in craticula affareris, & tamen insultabas tyranno. Hæc ruminabas, ô S. Vincenti, cùm non tantùm omnia corporis tormenta, sed & Dacianum tyrannum generosè vicisti. Hæc meditaberis, ô S. Christina, cùm à patre tuo idololatra, quasi carnifice flagris concisa, defluentes carnis particulas in vultum patris proiiciens, dixisti: Recipe, ô tyranne, carnem quam generasti.

Dicant & pœnitentes: Affligimus nosmetipsos ieiuniis, vigiliis, ciliciis, plagis: propter te, ô Christe, mortificamur tota die, quia speramus carnis resurrectionem, in qua tu illam emaciatam, liuidam, contractam, emortuam, nobis succulentam, roseam, floridam & radiantem restitues; quando nimirum reformabis corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis tuæ.

Dicant & mœrentes, certantes ac luctantes: Ecce lugemus in præsenti vita, mœsti flemus, suspiramus, ingemiscimus: nunc caro, nunc mundus, nunc dæmon nos tentat: nunc scrupuli angunt, nunc suspiciones & timores deprimunt, nunc cholera iritat, nunc calumniæ, probra, irrisiones affligunt, nunc labores fatigant, nunc dolores penè exanimant, &c. Illucescè ô sol iustitiæ: pennas & radios sanitatis tuæ in nos diffunde. ostende nobis faciem tuam, & salui erimus. Eia Domine aspiret dies sanitatis, & inclinentur vmbræ infirmitatis. Eia aspiret dies æternitatis, & inclinentur vmbræ mortalitatis, vt pulsis mœroribus, timoribus, scrupulis, tentationibus, doloribus, aspiret menti nostræ pax, serenitas, robur, integritas, gaudium & iubilus sempiternus. Quoties ergo te infirmitas animi, quoties dolor corporis premit, cogita: Orietur breui sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius. Illum suspice, illum inuoca, illi spem mentemque affige: ita phœnix eris.

Suspirium S. August. ad vitam beatam.

Audi illi inhiantem S. Augustinum in Meditat. cap. 19. *O domus Dei luminosa & speciosa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriæ Domini Dei mei: tibi suspiret peregrinatio mea nocte ac die, tibi inhiet cor meum, tibi intendat mens mea, ad societatem beatitudinis tuæ peruenire desideret anima mea: dico ei qui fecit te, vt possideat me in te, quia ipse fecit me & te.* Et paulò pòst: *O Ierusalem domus Dei æterna, post Christi dilectionem tu esto lætitia & consolatio mea: dulcis memoria tui beati nominis, sit releuatio mœroris tadiorumq; meorum. Tædet enim me Domine valdè vitæ huius, & istius æruminosæ peregrinationis. Vita hæc vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, regina superborum, plena miseriis & erroribus, quæ non est vita dicenda, sed mors, in qua momentis singulis morimur per varios mutabilitatis defectus, diuersis generibus mortium. Numquid ergo hoc quod viuimus in hoc mundo, dicere possumus vitam, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aër morbidat, esca inflant, ieunia macerant, ioci dissoluunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ inflant & iactant, paupertas deiicit, iuuentus extollit, senectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit? Et hic malis omnibus mors furibunda succedit, simulq; cunctis gaudiis istius miseræ vitæ ita finem imponit, vt cùm esse desierit, non fuisse putetur. Mors ista vitalis, & vita mortalis, licèt his aliisq; sit respersa amaritudinibus, proh dolor! quamplurimos suis capit illecebris, & quàm multos suis falsis promissionibus decipit.* Deinde sanitatem quam afferet Christus iudex suis electis, ita depingit: *O tu vita, quam præparauit Deus his qui diligunt eum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labe, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate & mutatione, vita totius elegantiæ & dignitatis plenissima: vbi non est aduersarius impugnans, vbi nulla peccati illecebra, vbi est amor perfectus, & timor nullus: vbi dies æternus, & vnus omnium spiritus, vbi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur. Libet me tua intendere claritati, delectant me bona tua: auido corde quanto plus valeo mecum considerare, tanto plus amore langueo: tuo vehementi desiderio, tuaq; dulci memoria ad modum delector.*

EGREDIEMINI] Scilicet de hoc sæculo & vita, quasi de carcere, vt ingrediamini in alteram beatam & immortalem. ita S. Hieron. Remig. Albert. & Vatabl. Aut potiùs, *egrediemini* in die iudicij (de eo enim hîc agitur) de sepulchris, cùm Christus sol iustitiæ suis pennis, id est radiis gloriæ, vos resuscitabit & sanabit, aspirans vobis vitam gloriosam. ita Theodor. Vnde & Tertul. lib. de Resurrect. carnis c. 31. legit: *Exibitis de sepulchris, veluti vituli de vinculis soluti.*

ET SALIETIS SICVT VITVLI DE ARMENTO] Hebr. פשׁ *pus* significat crescere, impinguari, luxuriari, lasciuire, saltare ex pastu, gaudio & petulantia, vti faciunt vituli saginati. Vnde Chald. Tigurina & alij vertunt, *augescetis*, vel *pinguescetis sicut vituli saginæ*; Pagnin. *sicut vituli saginati*, id est altiles; Septuag. *salietis sicut vituli de vinculis relaxati, & soluti*, vt legit Tertull. lib. de Resurrect. carn. c. 31. vituli enim præ aliis animalibus saliunt, & petulci sunt (vnde virulus dicitur à vitulando, id est lasciuiendo.) Hinc vinculis constringuntur, ideoque dum iis exoluuntur, quasi carcere liberati, præ gaudio mirè exiliunt (vti & pueri è scholis emissi) præsertim dum saginantur: tum enim sanguine & spiritibus vitalibus abundant. Porrò vituli teneri, domi in stabulis saginantur lacte; maiores verò in pascuis cum armento, id est, grege boum & vaccarum. Vnde Noster vertit, *sicut vituli de armento*, id est, sicut vituli armenti, qui cum armento pascuntur, ideoq; iuxta suas matres alioſque vitulos & boues sibi congeneres, sibique similes, lætabundi exultant. Omne enim animal gaudet sibi simili, cum eoque delectatur, & si iuuencum sit exultat. Vnde Rupert. & ex eo Delrio adagio 1027. *vitulum de armento*, explicat *vitulū armentarium*: nam qui cum armento vagatur, vinculo liberatus est, ideoque exilit.

Aut

Egredientes vituli de armento, id est, separati a armento, quòque in stabulis, vt ibi saginentur. Significat hac phrasi Malachias miram exultationem futurum, qui in hoc mundo quasi in carcere ab impijs (velut Iudæi in Babylone à Chaldæis) pressi & oppressi fuerant, in resurrectione à Christo ingrandos, vt sint succulenti, speciosi, fortes, immortales, glorioſi, ideoque quasi vituli saginati increbro gaudio exultent, iuxta illud Sapient. 3. 7. *Fulgebunt iusti sicut sol, & sicut scintillæ in arundineto discurrent.* Vnde Mariana sic explicat: Saltabunt, inquit id est, præ gaudio choreas plaudent, iuxta illud psalm. 149. 5. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* Vox ergo *salietis* significat Primò, plenam sanitatem, robur & vigorem corporum beatorum; Secundò, lætitiam ingentem. Vnde Vatabl. vertit, *dißilietis huc illuc.* Tertiò, dotem agilitatis, inquit Suarez 3. p. to. 1. 4 disp. 44. sect. 4. ex Innocentio III. qua velut fulguris discurrent celerrimè quaquauersum, vt vbi voluerit esse spiritus, ibi protinus sit & corpus, iuxta illud Isaiæ 40. v. vlt. *Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquila, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient.* Vnde S. Anselm. l. de Similitud. c. 51. fient Beatos in agilitate similes fore angelis, qui à cælo ad terras dicto citiùs dilabuntur: impios verò præ pondere neque pedes, nec manus, nec aliud corporis sui membrum moturos, aut mouere posse. Et c. 52. docet beatum, si velit, posse terram loco suo mouere; damnatum autem nec vermes ab oculis amouere. Huius rei symbolo sancta illa animalia Ezechiel. 1. vers. 14. *Ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.*

Quartò, vox *salietis*, significat mutationem ingentem Beatorum, per saltum quem è terra facient in cælum. *Salietis* ergo è cœno ad cælum, è morte ad vitam, ex ærumnis ad gloriam, è sepulchro ad thronum Dei & Agni. Ita sponsa, id est Ecclesia Beatorum, imitabitur sponsum Christum, de quo Cant. 2 8. ait ipsa: *Vox dilecti mei: ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloq; cervorum.* Christus enim ingentes dedit saltus, dum è cælo saliit in vterum Virginis, ex vtero in præsepium, è præsepio in crucem, è cruce redijt in cælum.

Quintò, cælestes choros & choreas, ouationes & plausus Beatorum. Alludit ad Iudæos, qui transito mari rubro & submerso Pharaone, sacros choros præcinente Maria duxerunt; Exodi 15. 20. ac peracta peregrinatione 40. annorum per desertum, quietè & lætè incolentes terram promissam, quæ typus erat cæli & cælestis beatitudinis, in festo tabernaculorum, inter alia lætitiæ signa, tenentes manibus palmas saltabant, & choreas ducebant; vti ostendi Leuit. 23. 40. Quo anagogicè repræsentabant choros Beatorum in cælis, vbi peracta victoria palmati, perenni agent festum tabernaculorum; iuxta illud, *Laudate eum* (Dominum) *in tympano & choro*, psal. 150. 4. Et: *Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis* psal. 46. 1. Et: *Sancti eius exultatione exultabunt*, psal. 131. 16. Et psal. 67. 26. *Præcesserunt principes coniuncti psallentibus in medio iuuenculatarum tympanistriarum.* Et psal. 125. 6. *Ve-*

A *nientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

Licèt enim chorea mundanorum sit mollis & lasciua, cælitum tamen est casta & angelica. *Sic vinum bibas vt Cato, sic terram pede pulses vt Scipio*, inquit ille. Scipio enim imperator, inquit Seneca libr. de Tranquil. in ludis & festis corpus mouebat ad numeros, & tripudiabat, non molliter, sed viriliter, nori facturus nominis sui detrimentum, etiamsi ab hostibus spectaretur. Simili modo Dauid saltauit totis viribus ante arcam, 2. Reg. 6. 14. & Israelitides coram Saule & Dauide percusso Goliath, choros agentes cantabant in tympanis & sistris: *Percußit Saul mille, & Dauid decem millia*, 2. Reg. 18. 7. ac Iephte victori à cæde hostium redeunti occurrit filia cum tympanis & choris, Iudic. 11. 34. *Chorea*
B *mundana*, inquit Conradus Clingius in locis Theologicis c. de chorea, *est circulus, cuius centrum est diabolus, & circumferentia omnes angeli eius. At chorea cælestis est circulus, cuius centrum est Agnus, & circumferentia omnes virgines & electi eius.* Hinc Cantic. 7. 1. dicitur: *Quid videbitis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Et Ierem. c. 31. 4. de Ecclesia tam militante, quàm triumphante ait: *Ædificaberis virgo Israel, adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium.* Et Lucæ 15. 25. senior filius in conuiuio iunioris reducis & redintegrati, audiuit *symphoniam & chorum*; nimirum hunc chorum poscunt nuptiæ Agni, quas scilicet cum Christo sponso perennes celebrabit Ecclesia, Apocal. 19. 9. & cap. 21. 2. Quocirca S. Augustin. in Meditat. c. 22, *Vtinam*, inquit, *illu sanctissimu chorus interessem, vt cum beatissimis spiritibus gloriæ conditori assisterem.* Et S. Athanasius, vel potius Anastasius (citat enim quæst. 5. & 8 Epiphanium &
C Nyssenum, qui Athanasio fuere posteriores) ad Antiochum quæst. 33. *Sanctorum*, ait, *anima à S. Spiritu incitatæ, cum angelis in regione viuorum Deum laudant, & tripudiant.*

ET CALCABITIS (Tigurina, *conculcabitis*) IMPIOS] Tertull. lib. de Resurr. carnis cap 31. *Conculcabitis inimicos.* Primò, quia eos sub pedibus habebitis. impij enim in valle Iosaphat iudicandi consistent: pij verò rapientur obuiàm Christo in aëra, ibique cum eo sedebunt quasi iudices. Secundò, quia tanto gaudio afficiemini, quanto afficeremini si nunc calcaretis inimicos vestros. q. d. Eritis superiores improbis, eisque dominabimini. Tertiò, quia quasi assessores Christi iudicis damnabitis impios. vnde Pagnin vertit, *diruetis impios.* Quartò, quia per dæmones
D quasi lictores & executores sententiæ vestræ, deturbabitis eos in tartara; vbi erunt *quasi cinis sub plantis pedum vestrorum*, id est, instar cineris comminuti & humiliati, nempe contemptissimi & abiectissimi. Rursum cinis notat ignem gehennæ, ait Vatabl. in illo enim erunt impij *quasi cinis*, id est, adurentur vt cinis, non quòd incinerandi & in cinerem redigendi sint; sed quòd sicut cinis in igne semper perdurat, ita in eodem perdurabunt & impij in æternum. Quid enim impijs, æquè ac cinere, vilius, miserius, squalidius, aridius, sterilius? ita Catullus:

VERS. 3.

Troia nefas, commune sepulchrum Asiæ Europæq;
Troia virûm, & virtutum omniũ acerba cinis.

Et P. Sabinus:

Iam cinis, & tantùm flebile Troia solum.
Seneca in Herc. Fur.

Cadmæa proles, atq; Ophionius cinis quò recidistis?
Claudian. in Eutropium:

Migdonij cineres, & si quid restat Eoi
Quod pereat regni.

IN DIEQVA FACIO] Id est, faciam, scilicet in die iudicij, quando faciam vos calcare impios, sicut ipsi in hac vita conculcarunt vox, iuxta illud psal. 149. 6. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum: Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius.* Et Sapient. 3. 8. *Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* Et Matth. 19. 28. *Vos qui secuti estis me in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel.*

VERS. 4. MEMENTOTE LEGIS MOYSI] Hinc Iudæi cõtendunt probare, legem Mosis non fuisse abolitam per Christum, sed duraturam vsque ad diem iudicij: de eo enim hîc in præcedentibus & seqq. agitur. Respondet Primò Rupert. Lyran. & Vatabl. per legem hîc intelligi præcepta moralia, quæ durant etiam tempore legis nouæ. Verùm obstat, quòd legem hanc explicans subdit Malachias, *præcepta*, hebr. חקים *chuckim*, id est, sanctiones circa sacra & ritus, putà præcepta ceremonialia; & *iudicia*, id est, præcepta iudicialia. Secundò alij sic explicant: *Mementote legis Moysi*, vt scilicet in eius ceremonijs, ritibus & iudicijs intueamini Christum & Ecclesiam eiusque Sacramenta; & *iudicia*, quæ in illis figurantur. Moses enim expressè de Christo audiendo ita Iudæis præcepit: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies*, Deuter. 18. 15. ita S. Hieron. Theodor. Arias & alij. Verùm & hoc arctius & coactius videtur. Nam iubere vt meminerint legis, est iubere vt eam opere compleant, eiusque sanctiones ceremoniales & iudiciales obseruent. Hoc autem non potuit Malachias iubere Iudæis pro tempore Christi, & legis Christianæ.

Dico ergo, Prophetam loqui Iudæis sui æui, & posteris eorum futuris vsque ad Christum: toto enim hoc tempore durauit & obligauit lex Mosis. Ad eam ergo seruandam Iudæos sui temporis adhortatur, quia ipsi in ea seruanda refrixerant, præsertim in præceptis ceremonialibus de dandis decimis & primitijs, vti vidimus c. 3 8. Illos ergo excitat, eisque dat acrem stimulum ad legis obseruationem, scilicet repræsentationem diei iudicij. q. d. Videte vt leges omnes à Mose præscriptas obseruetis, tam quæ Dei cultum, quàm quæ ius proximi spectant. Nam Deus in die iudicij legis seruatæ, vel non seruatæ exactam à singulis rationem requiret, ac eam obseruantes glorificabit, non obseruantes condemnabit. Nolite ergo dicere: *Vbi est Deus iudicij?* vti dixistis c. 2. 17. Nec, *Vanus est qui seruit Deo, & quod emolumentum quia custodiuimus præcepta eius?* vti dixistis cap. 3 14. In die enim iudicij videbitis Christum esse Deum iudicij, nec vanè vos seruisse Deo, & præcepta eius custodisse. *Tunc enim orietur vobis Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, & egredie-*

A *mini, & salietis sicut vituli de armento. Et calcabitis impios*, &c. ita Remig. Albert. Hugo, Vatabl. Arias & alij.

Perperam ergo Victorinus & Maldonatus in Matth. 17. ex hoc Malachiæ loco, & ex Apoc. 11. 6. censent cum Elia venturum, non Henoch, sed Mosen, vt ambo certent contra Antichristum.

IN HOREB] In Sina, vt dixi Exodi 17. 6.

5. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis,

6. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne fortè veniam, & percutiam terram ana-
B themate.

ECCE EGO MITTAM VOBIS ELIAM] Post exhortationem suorum ad legem Mosi seruandam, quam obiter inseruit Propheta, hîc redit ad diem iudicij, eiusque prodromum assignat Eliam.

Quæres, quisnam hic Elias? Caluinus, & nonnulli Catholici, vt Burgensis, Arias, Clarius, censent esse Iohannem Baptistam: quia de eo, ad hûc Malachiæ locum respiciens Christus Matth. 17. 10. ait: *Elias iam venit*, scilicet Iohannes Baptista, vti mox explicat S. Matth. Et cap. 11. 14. *Omnes Prophetæ & lex vsque ad Iohannem prophetauerunt. Et si vultis recipere, ipse est Elias qui venturus est.* Alij Nouantes per *Eliam* accipiunt quoslibet Prophetas à Deo in orbem mittendos. Verùm dico, certum est per Eliam hîc verum Eliam accipi, non
C Iohannem Baptistam, aut chorũ Prophetarum. Probatur Primò, quia Septuag. hunc Eliam vocant *Thesbiten*: sic enim habent codices Vaticanus & alij, vt mirum sit in Regijs τὸ *Thesbiten* deesse. Sic & versio Arabica, *ecce*, inquit, *ego mittam vobis Eliam Thesbitem, ante apparitionem diei Domini terribilis.* Ergo de vero Elia hîc est sermo: nec enim Iohannes Baptista fuit Thesbites. Secundò, quia Elias hic erit præcursor secundi aduẽtus Christi ad iudicium; hic enim erit *dies Domini magnus & horribilis*: Baptista verò præiuit primum Christi aduentum in mundum. Tertiò, quia cùm Elias veniet, veniet & Christus percussurus terram anathemate, vti indicat Propheta vers. vlt. Hoc autem fiet in secundo aduentu. Nam in primo venit saluare mundum, non perdere aut percu-
D tere. Quartò, ita ad hunc locum alludens explicat Eccles. c. 48. 10. dicens: *Qui scriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* Et Christus Matth. 17. 10. *Elias quidem*, inquit, *venturus est, & restituet omnia.* Quintò, quia ita interpretantur Patres Græci & Latini, Cyrill. Theodor. Remig. Haymo, Albert. Hugo, Lyran. & alij hîc, S. Chrysost. Euthym. Beda, Anselm. S. Thomas in Matth. 17. Hippol. lib. de Consummatione seculi, Cyprian. tract. de Sina & Sion. Ephrem tract. de Antichristo, Prosper in Dimidio temp. c. 13 Tertull. lib. de Anima c. 35. Iustin. dial. contra Tryphon. Nyssen. lib. Testimon. contra Iudæos, S. August. 20. Ciuit. 29. S. Gregor. 11. Moral. 10 Andreas, Ambros. Haymo, Rupert. & Aretas in Apoc. c. 11. Eadem fuit communis Hebræo-

rum

mam sententia, vt patet Matth. 17. 10. Idem de Elia prædixit Sibylla, dum ita canit:

Tum quoque cælesti curru deuectus inibit
Terra de cælo Thesbites, signaq; trina
Ostendet toti mundo vitæ pereuntis.

Dices. S. Hieron. per *Eliam* accipit chorum Prophetarum, qui præibit secundum Christi aduentum. Resp. S. Hieron. mysticè explicat Eliam, vt mox dicam, non literaliter. Nam Eliam in persona esse venturum, clarè docet ipse in c. 11. & 17. S. Matthæi. Instabis, Quomodo ergo S. Hieron. hic ait: *Iudæi, & iudaizantes hæretici ante aduentum suum Eliam putant esse venturum?* Resp. quia Iudæi suum adhuc expectant Messiam, eiusque primum in mundum aduentum, cuius præcursorem censent fore Eliam: hos redarguit S. Hieron. Et meritò: est enim hic duplex eorum error. Prior, quòd censeant Christum nondum esse. Posterior, quòd putent Eliam fore præcursorem primi aduentus Christi, cùm sit futurus præcursor secundi.

Ad argumentum initio ex c. 17. S. Matth. propositum respondeo, similimos in officio, zelo, prædicatione & sanctitate fuisse, & fore Eliam & Iohannem Baptistam: quia hic fuit præcursor Christi in primo aduentu, ille erit præcursor eiusdem in secundo aduentu. Quocirca vnus fuerit nomen alterius, vtpote cuius est antitypus. Iohannes Baptista enim vocatur Elias, non in persona; sed ob similem spiritum & virtutem, vt ait Gabriel Lucæ 1. 17. *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* Distinguit ergo Christus duos Elias, vnum ad literã, de quo ait: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia*: alterum typicum, putà Iohannem Baptistam, de quo ait: *Elias iam venit.* Iudæi enim confundebant duplicem Christi aduentum, eumque commiscebant in vnum, ante quem venturus esset Elias, ac proinde dicebant necdum venisse Christum, eò quòd necdum venisset Elias: quibus respondet Christus, duplicem esse Christi aduentum, & prioris præcursorem esse typicum Eliam, putà Iohannem Baptistam, vti prædixit Malachias c. 3. 1. posteriùs præcursorem fore verum Eliam, ac proinde cùm ipsi viderent Eliam typicum, credere debere iam venisse Christum, cuius ipsum fore præcursorem prædixerunt Prophetæ.

Mysticè, S. Hieron. & ex eo Remigius: *Post Moysen*, inquit, *cuius mandata specialiter docuimus obseruanda, Eliam dicit esse mittendum. In Moyse lex, in Elia prophetiam significans. Et Dominus atque Saluator transfiguratus in monte, loquentes habebat Moysen & Eliam in candidis vestibus, qui & dicebant quæ passurus esset in Ierusalem. Lex enim & omnis Prophetarum chorus Christi prædicat passionem.* Et mox: *Mittit Dominus in Eliæ (qui interpretatur Deus meus, & ille de oppido Thesbi, quod conuersionem & pœnitentiam sonat) omnem Prophetarum chorum, qui conuertat cor patrum ad filios.*

Quæres Primò, cur hîc Propheta inijciat mentionem Eliæ? Resp Primò, quia c. 1. 10. & c. 2. 2. prædixit reprobationem Iudaismi & Iudæorum per Christum; vt ergo eos consoletur & Christo conciliet, prædicit hîc eos rursus reuocandos fore, & in pristinam gratiam recipiendos à Christo tempore Eliæ, per eius prædicationem & miracula. Igitur cùm eum viderint, recipient quasi verum Eliam hîc prædictum, ac in Christum quem Elias prædicabit, credent. Quocirca Iudæi auidè expectant Eliam, vt Christum ab eo designatum amplectantur. Hinc Rabbinorum de Elia gnome est: *Tisbi*, id est Elias Thesbites, *soluet dura*, hoc est, nodos omnes & quæstiones. Ad Eliam enim remittunt, quidquid in Scriptura dubium & obscurum incidit, vti refert Quinquarboreus in Abbreuiaturis Hebr. Imò Iudæi etiamnum, quoties aliquem circumcidunt, ponunt ornantque Eliæ sellam, censentes eum in spiritu adesse, & zelari pro lege Domini, vti tradunt Rabbini in Thalmud tract. *Berachot*, & R. Dauid hîc, & Galatin. l. 10 c. 6. Secundò quia Malachias dixit v. 2. quòd Christus timentibus Deum in die iudicij *orietur* quasi *sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius; & egrediemini, & salietis sicut vituli de armento, & calcabitis impios.* Talis autem fuit erit que Elias: vnde congruè erit Christi præcursor. Fuit enim ipse, erit que sui ævi phœnix, imò sol illuminans, sanans & accendens amore Dei frigida hominum corda: vnde & meruit curru igneo, quasi Phaëthon rapi in cælum: hinc & Elias dictus est quasi ἥλιος, id est sol, ait S. Chrysost. de quo mox plura.

Quæres Secundò cur Elias potiùs quàm Moses, vel quis alius, futurus sit præcursor secundi aduentus Christi? Resp. Primò, ob ingentem zelum, quo præ alijs Prophetis à Deo dotatus fuit Elias. Cùm enim mitteretur à Deo ad corrigendos sæculi sui corruptissimi mores, & ad idololatriam ex Israele extirpandam, opus erat ei ad hoc perficiendum ingenti animi robore & zelo, quem proinde Deus ei indidit; eoque conflixit & debellauit tam impijssimam Iezabel cum Achab marito suo, quàm omnes Prophetas Baal, quos & occidit, 3. Reg. 18. Simili zelo opus erit in fine mundi, quando refrigescet charitas, & abundabit iniquitas. Mittetur ergo zelosus Elias, vt cum Antichristo confligat, vt peruersissimos illius ævi mores emendet, itaq; viam sternat Christo venturo. Mosen, licèt zelosum, non congruit redire, ne videatur legem veterem suo reditu restituere, & Iudæos in iudaismo confirmare: ipsi enim ad aliud non appellant, quàm ad Mosen eiusque legem. *Cur Elias veniet? Prima causa.*

Secundò, quia Elias missus fuit à Deo ad tollendum schisma, quod fecit Ieroboam & decem tribus apostatantes à Iuda & à Deo, pro eoque adorantes vitulos aureos in Dan & Bethel. Simili modo mittetur in fine mundi ad tollendum schisma, quod olim fecerunt Iudæi à Christo & cæteris gentibus fidelibus, vt eos vniat Christo & Ecclesiæ. Iudæi enim ipsi credent, vtpote Iudæo, & Prophetæ suo, adeò in Script. celebrato, & promisso ad idem opus, quod olim fecit, iterum peragendum in fine mundi. Hanc causam dat Malachias cùm subdit: *Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum; & restituere*, id est, vt restituat Deo & antiquæ fidei, *tribus Iacob*, vt ait Eccles. c. 48. 10. *Secunda.*

Tertiò, quia sicut olim sub Noë mundus perijt diluuio, sic in fine peribit igne conflagrationis. Mittetur ergo Elias Propheta igneus, vt ignem instantem peccatoribus prænunciet, eosque ad fidem & pœnitentiam accendat, quò hunc ignem euadant. Hinc Eccles. c. 48. 1. *Surrexit,* *Tertia.*

rexit, inquit, *Elias Propheta quasi ignis, & verbum eius quasi facula ardebat.*

Quarta. Quartò, quia Elias ob zelum cælestem raptus est in cælum. E cælo ergo quasi cælestis Christi è cælo venturi testis aduenier, iuxta illud Eccles. 48.9. *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum: qui scriptus es in iudicijs temporum* (id est, tempore à Deo iudicato & decreto) *lenire iracundiam Domini.* Adde, id meruisse Eliam sua virginitate, & puritate angelica. Eum enim virginem fuisse, & quidem illo æuo singularem, docet S. Ignat. epist. 11. S. Ambros. lib. 1. de Virgin. S. Epiphan. in Anchor. *Elias*, ait, *erat in virginitate, vt prærogatiua virginitatis immortalitatem prædicaret mundo.* S. Ephrem serm. de transfiguratione: *Aspexit*, inquit, *virgo veteris testamenti virginem noui, Elias nimirum Iohannem.*

Quinta. Quintò, quia Elias fuit dux & antesignanus Prophetarum, tum tempore, tum dignitate, tum sanctitate, tum libertate & efficacia prædicandi, tum rerum gestarū gloria: vnde repræsentat totum chorū Prophetarum, ait S. Hieron. qui præit Christo, eique testimonium perhibet. Eadem de causa Elias apparuit Apostolis in transfiguratione Christi, vt ostenderet ipsum esse Christum, seque & omnes Prophetas illi suum dare calculum, illique attestari quòd ipse esset Messias orbis saluator.

Sexta. Sextò, quia Elias Israelis & Iudæorum fuit custos, Propheta, doctor, protector, Apostolus. Veniet ergo, vt suos Iudæos per tot sæcula aberrantes à Deo, ad eum & Christum reducat. Vnde Elisæus Eliæ dum in cælum raperetur succlamabat: *Pater mi, currus Israel & auriga eius.* q.d. Tu, ô Elia pater mi, eras Israelis auriga & currus, quia eum vt auriga regebas & flectebas quocumque volebas, eumdemque vt currus tolerando baiulabas, protegebas ac propugnabas contra Syros alioſque hostes. Vnde Septuag. vertunt, *pater mi, currus Israel & equites eius.* q.d. Tu, ô Elia, eras totum robur, totus exercitus Israelis qui magis eū seruabas & defendebas tuo zelo, precibus & meritis, quàm magna curruum & equitum multitudo. Præclarè Tertull. lib. de Anima c. 35. citans hæc Malach. verba: *Elias*, inquit, *non ex decessione vitæ, sed ex translatione venturus est, nec corpori restituendus, de quo non est exemptus, sed mundo reddendus, de quo est translatus, non ex postliminio vitæ, sed ex supplemento prophetiæ, idem & ipse & sui nominis & sui hominis.*

Septima. Septimò, quia, sicut Elias curru igneo raptus in cælum, typus fuit gloriosæ ascensionis Christi in cælum: ita rursum typus fuit glorioſi regni Christi & Beatorū, quo in die iudicij triumphātes ascendent in cælū, ibi in æternum regnaturi. Appositè ergo gloriosus Elias præibit gloriosum Christi aduentum, vti sol oriens præit solem meridianum. Fuit enim Elias sua sanctitate, zelo & raptu quasi ἥλιος, id est, sol mundi. Vide S. Chrysost. serm. de ascensione Eliæ to. 1. vbi triumphalem Eliæ currum depingens inter cætera ait: *Oportebat namque errantis populi rectorem, gubernatorem sacrorum, moderatorem discrepantium voluptatum, Israelis aurigam; vt, quoniam ad iugum timoris Dei lasciuos & vagos animos reuocauit, frenis loriscq; astrinxit, & ad iter disciplinæ recto tenore currendum concordi quadam copulatione composuit, ad regna cælestia curru atque equis transuolaret euectus.* Addit deinde: *Hinc Poëtæ atque pictores in figuranda scitè imagine, exempla credo sumpsisse: qui curru ardenti, equis fulgentibus ipse rutilans, & fluctu Oceani lenatus inter præruptos montium scopulos euadens, quasi ad cælestia videtur ascendere. Sol enim Græco sermone ἥλιος appellatur. Vnde Elias verè ἥλιος, quia curru & equis fulgentibus igne, de Oceani fluctu, id est, de mundi commotione, per montium scopulos, id est, per magnorum laborum difficultates, progrediens, ad cælestia deuectus ascendit.* Erat enim Elias *vir cui totus mundus erat inferior*, vt idem ait homil. 15. inter 27. ex variis in S. Matth. locis.

Octauò, quia Elias exemplum & typus est beatæ resurrectionis, quam in die iudicij Christus conferet omnibus beatis & electis. Vnde ex Epiphan. in Anchor. S. Auguſt. lib. 15. Ciuit. 19. Eliam & Henoch vocat primogenitos nostræ resurrectionis. Et Tertull. l. de Resurrect. carnis c. 58. *Henoch & Elias*, inquit, *nondum resurrectionem dispuncti, quia nondum morte functi: quia tamen in orbe translati, & hoc ipso iam æternitatem candidati, ab omni vitio, & ab omni damno, & ab omni iniuria & contumelia immunitatem carnis ediscunt, animam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta?*

Moral. disce hîc ex Elia, quanta virtus sit zelus, quantique Deus faciat zelosos, vtpote quos velit sibi esse vicinos, suosque esse prodromos, præcursores & indices, vti fuit antitypus Elias, scilicet Iohannes Baptista; de quo Gabriel Zachariæ Lucæ 1. 17. *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* Talis fuit S. Paulus, dicens Rom. 8. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia?* &c. Talis fuit S. Ignatius, cuius ignitæ epistolas, vitam & martyrium si quis legat, ignescet. Talis S. Franciscus, qui proinde adhuc viuens, sed absens, suis fratribus apparuit quasi sol in curru igneo, tamquam alter Elias zelator legis diuinæ, suo ardore accendens orbem, eoque rapiendus in cælum. *Intellexerunt namque concorditer omnes, sanctum patrem absentem corpore, præsentem spiritu, transfiguratum tali effigie, supernis irradiatum fulgoribus & ardoribus inflammatum, supernaturali virtute in curru splendente simul & igneo, sibi demonstrari à Domino, vt tamquam veri Israelitæ post eum incederent, qui virorum spiritualium, vt alter Elias, factus fuerat à Deo currus & auriga*, ait S. Bonauent. in Vita eius c. 4. De hoc suo zelo gloriatur Elias 4. Reg. 19. 14. *Zelo*, ait, *zelatus sum pro Domino Deo exercituum: quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel, altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio: derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.*

ET CONVERTET COR PATRVM AD FILIOS] Varij variè hoc explicant. Primò, S. Hieron. hîc, S. Auguſt. 20. Ciuit. 29. Gregor. 11. Mor. 9 & ex eo Toletus Lucæ 1. 17. sic explicant: Elias cor, id est mentem, patrum transferet in filios, excitando scilicet in filijs idem cor, id est, eumdem animū, fidem, desiderium & deuotionem erga Christū, quod habuerunt eorū patres, vt eos filij imitentur & æmulentur. q.d. Elias sua prædicatione restituet & reuocabit fidem & deuotionem patrum, Patriarcharū scilicet & Prophetarum antiquorum erga venturum Messiam, in filijs, id est posteris, vt & ipsi viua fide & ardenti studio

Chri-

Christum, quasi Messiam iam præsentem amplectentur; itaque ignitum patrum erga Christum desiderium, iam multis sæculis per infidelitatem & socordiam extinctum, accendet in filijs. Vnde pro *convertet* hebr. est יָשִׁיב *hoseb*, id est, redire faciet. q.d. Elias faciet vt in filijs redeat cor, id est mens, fides & deuotio patrum. Alludit *hoseb* ad *Tisbi*, id est Thesbites: *Elias* enim hebr. idem est quod *Deus meus*; *Tubi* significat conuersionem ad pœnitentiam, restitutionem & reuocationem. q.d. Elias iuxta nomen suum & patriam erit Thesbites, quia conuertet suorum corda per pœnitentiam ad Deum suum; itaque omnia in integrum restituet & reuocabit. ita S. Hieron. Hoc est quod ait Christus: *Elias venturus est & restituet omnia*, Matth. 17. Et Eccli. c. 48. 10. *Veniet Elias conciliare iudicia ad filium, & restituere tribus Iacob*, id est, Elias duodecim tribus collapsas à vetere veraque patrum fide & religione, in pristinam & aucam pietatem restituet: per exercitatem & perfidiam fractas & dissipatas, ostensa fidei luce redintegrabit. Verùm huic expositioni obijci potest id quod sequitur: *Et cor filiorum ad patres eorum*: nec enim Elias cor, id est, mentem & deuotionem filiorum transtulit in patres, vt illam eis inderet, vtpote qui eam primitus habuerant, & iam erant mortui. Sed respond. sensum esse: Elias conuertet *cor filiorum ad patres*, id est, efficiet vt filiorum cor, id est, mens & fides consentiat & adhæreat cordi, id est, menti & fidei patrum.

Secundò, R. Salomon, Abenezra, R. Dauid, Arias, Vatabl. & à Castro, censent hac phrasi non aliud significari, quàm omnes, tam patres, quàm filios ad vnam fidem ac religionem conuertendos, q.d. Elias conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres, id est, faciet vt patres & filij habeant vnum cor, id est, sint vnanimes in fide & amore Dei, vt vno communi corde & animo patres cum filijs, & filij cum patribus, id est, tam maiores quàm minores, Christum recipiant & colant. Vnde Abenezra: Erunt, ait, omnes cor vnum, seu cordis vnius ad reuertendum ad Dominum, tam patres, quàm filij. Verùm sic potiùs dixisset; Conuertet cor patrum & filiorum ad Christum; iam autem dicit, Conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres.

Tertiò, q.d. Elias sua prædicatione & zelo efficiet, vt Iudæi in fine mundi imitentur suos Patriarchas, vt sicut ipsi crediderunt, sperarunt, summeque desiderarunt & amarunt Christum venturum; ita filij eorum credant, sperent, summè desiderent & ament eum præteritum, imò præsentem; itaque cor patrum à filijs incredulis conuertet auersum, ad eos iam credentes conuertet, faciet que vt Patriarchæ Iudæos Christo credentes pro legitimis filijs agnoscant, & ament. *Abraham* enim *pater vester exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est*, ait Christus Iohannis 8. Idem dic de Isaac, Iacob, Mose, Dauide, &c. ita S. Hieron. Remig. Rupert. Lyran. & alij. Hoc enim est reducere, vel conuertere cor vnius ad alterum, nimirum redintegrare amorem pristinum, reconciliare affectum auersum: cor enim est symbolum & sedes amoris. Hic sensus sequitur ex primo, ac proinde vterque genuinus est, & connectendus. Quia enim Iudæis in fine mundi erit idem cor, id est, animus, fides & pietas in

A Christum, quod fuit patrum: hinc consequenter erit idem cor, id est, amor & charitas mutua, patrum fidelium erga filios fideles, & filiorum erga patres. Vnde Lucas c. 1. 17. hæc verba Malachiæ applicans antitypo Eliæ, id est Iohanni Baptistæ: *Convertet*, inquit, *corda patrum in filios*: & pro eo quod Malachias subdit, *Et cor filiorum ad patres*, vertit, *& incredulos ad prudentiam iustorum*; hoc est Primò, q.d. Elias, æquè ac Iohannes conuertet Iudæos ad prudentiam, id est, ad fidem, quam de Christo venturo habuerunt prisci iusti eorum patres. ita Maldon. in Lucæ 1. Secundò, q.d. Faciet Iohannes, vt increduli diligenter considerent signa aduentus Messiæ, à Prophetis præscripta, & patribus à Deo data, atque ex ijs credant, Messiam iam venisse, Christumque; agnoB scant, scilicet Christum esse hunc quem ipse eis digito ostendet, dicens: *Ecce Agnus Dei*. hoc enim prudentiæ est opus. ita Toletus in Lucæ 1. Tertiò, Iohannes conuertit incredulos, græcè ἀπειθεῖς, id est, inobedientes, vt vertit Syrus, scilicet legi & præceptis maiorum, ad prudentiam iustorum, quæ est amare cælestia & æterna, non terrena & caduca; timere & colere Deum, eiusque leges obseruare: qui enim hoc facit, is sapit & prudens est. Iohannis enim prædicatio erat hæc: *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum*, Matth. 3. 2. Eadem erit Eliæ.

Symbolicè, Elias conuertet cor patrum, id est Iudæorum, ad filios, id est, ad Christum & Apostolos: hi enim ex Iudæis prognati, eorum fuerunt filij: & cor filiorum ad patres, nimirum Christianorum ad Iudæos (primi enim Christiani ex Iudæis sunt orti) q.d. Elias faciet vt Iudæi credant C Christo & Christianis, vt Christianorum fides & religio infundatur Iudæis, ac proinde vtrique habeant vnum cor, id est animum, fidem & religionem, nimirum cultum Christi, ita Theodor. hic, & S. Chrysost. & Euthym. in c 17. Matthæi, ac Damascen. lib. 4. de Fide c. 27.

Ex hoc ergo loco patet, Iudæos penè omnes in fine mundi conuertendos esse ad Christum, per Eliam. Ita censet S. Chrysost. homil. 58. in Matth. *Elias*, inquit, *restituet omnia, incredulitatem videlicet Iudæorum qui tunc erunt residui, ad fidem conuertet.* Et post nonnulla: *Quomodo ergo credituri sunt, inquies? Siquidem Elias cuncta restituet, non modò sanè quia notus, verùm etiam quoniam vsque ad illum diem amplior magis atque amplior gloria Christi radijs solaribus erit fulgentior: ad quæ omnia cùm prædicatio illius accedat ad Christi fidem* D *impellens, facillimè suscipient.* Idem docet S. August. 20. Ciuit. 29. Theodor. in c. 12. Daniel. S. Gregor. homil. 12. in Ezech. Damasc. l. 4. de Fide c. 27. Beda l. 3. in Marc. c. 37. Theoph. in c. 17. S. Matth. Ambros. Victorin. & Ansbertus in c. 11. Apocal. estque hæc communis Patrum & Ecclesiæ traditio. Vbi Nota. cùm ait Christus, *Elias restituet omnia*, significat ingentem tunc fore conuersionem: adhæc, Eliam facturum pacem inter Iudæos & Gentes, tanto tempore discordes, vt vno fœdere in Christi fidem & Ecclesiam coëant: insuper, Eliam collapsos Cleri & populi mores reformaturum, suoque zelo Apostolico omnia ad auitum nitorem & primigenium splendorem quem habuit Ecclesia tempore Apostolorum, reparaturum, vt Christiana religio & sancti-

Iudæi penè omnes conuertentur ab Elia.

sanctitas vbique mirificè splendeat & coruscet. A Plura de Elia & Henoch dixi Gen.5.24. & Apoc. 11.2 & seq. Hinc rursum Iulianus Archiep. Toletl.1.contra Iudæos,probat eos iam auersos esse à Christo, ac consequenter iam venisse Christum; quia ad eum conuertentur in fine mundi: nec enim conuerti possunt nisi auersi: Iudæi autē ab alio Christo nō sunt auersi,quàm à nostro Iesu Christo:ergo hic verus est Christus & Messias.

NE FORTE VENIAM ET PERCVTIAM TERRAM] Id est veniens percutiam, vel, cùm venero iudicare percutiam. Est hendiadys,qua vnum dicitur per duo. Nam τὸ *fortè* non ad *veniam* (quia non fortuitum & dubium, sed fixum certumque est quòd veniet ad iudicium) sed ad *percutiam* referendum est, q.d. Ne fortè cùm venero iudicaturus terram,inueniam eam incredulitate & scelеribus refertam, ideoque iusta condemnationis B sententia *percutiam* eam *anathemate*;Chald.*exterminatione*; Pagnin.*occisione*; Septuag. ἀρδὴν, id est penitus, vel subitò; Tigur. *prorsus*; alij,*funditus*,*radicitus*; alij, *vsque ad interitum*, vel internecionem. Hebr.enim חרם *cherem* significat excisionem,qua res stirpitus exscinditur,interimitur & perditur: idem significat Græcum ἀνάθεμα. Vide dicta Leuit.27.28.& Rom.9.3.Per *cherem* ergo & *anathema* hîc intellige æternam maledictionem, pœnam & ignem gehennæ, cui Christus impios omnes addicet in die iudicij.ita Remig.

Per *terram* metonymicè intellige incolas terræ, putà homines terrenos & terrena sapientes. ita S.Hieron. Dicit *terram*, non Iudæam; tum quia Iudæi quos conuertet Elias, sparsi sunt per totam terram; tum quia Elias non tantùm Iu- C dæos,sed & Gentes vbiuis terrarum conuertet,& Christianam vel fidem, vel vitam & mores eis imprimet, itaque auertet ab eis anathema damnationis æternæ. Minùs rectè Arias per anathema accipit excidium Iudæorum per Titum & Romanos: agitur enim hîc de die iudicij, cuius præcursor erit Elias. Minùs aptè quoque Vatabl. per τὸ *fortè* putat significari tempus aduentus Christi indeterminatum, q.d. Ne fortè veniā tempore incerto, quo minimè putabitis, vel me exspectabitis. Nam quocumque tempore veniet Christus, certò perdet impios,nisi se conuertant per prædicationem Eliæ.

Moral. Sancti zelosi sunt Atlantes orbis.

Moral. disce hîc Primò,ex Elia,qui iram Dei auertet, ne percutiat totam terram anathemate, Sanctos illustres & zelosos esse quasi bases & co- D lumnas orbis, qui suis precibus, meritis & zelo eum,alioqui ruiturum in exitium, fulciūt & sustinent: tum quia orando manus Deo irato quasi ligant,ne in vindictam prosiliant:tum quia prædicando sanctèq; viuendo peccatores compungunt,impelluntque ad corrigendam vitam. Hi enim sunt quasi angeli terrestres, quorum mens in cælis est, qui terra celsiores, & Deo quasi fortiores sunt. Talis Sodomæ Atlas fuit Abraham Gen.18.23. & apud Iudæos Moses Exodi 32.14. ac Samuel 1.Regum 7.10.& Dauid 3 Reg.11.12. & Ezechias 4.Reg.20.6. & Ieremias cap.1.18. Deus enim pluris facit vnum insigniter sanctum, quàm centum communes iustos. Ratio est,quam per transennam, per lumen, inquam,naturæ, vidit Plato in Theæteto, dicens: *Deo nihil est simi-*

lius, quàm cùm ex hominibus aliquis iustissimus est. Qui sanè cuilibet stimulus esse debet, vt iugiter ardenti conatu aspiret & contendat ad profectū, & ad culmen sanctitatis. Talis enim in cœtu istorum eminet quasi gigas,qui dextra sua cælum contingit,ibique quasi alter Iacob cum Deo luctatur, & volentem vincit. Hinc Dominus ad Ezechielem c.22.30. *Quæsiui*,inquit, *de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra,ne dissiparem eam, & non inueni. Et effudi super eos indignationem meā, in igne iræ meæ consumpsi eos.* Non est dubium plures tunc in Iudæa fuisse iustos, sed nemo fuit tam eminens, qui staret oppositus Deo,eique flagellum extorqueret.

Talis Venetiarum Atlas fuit S.Laurentius Iustinianus, earumdem Patriarcha: viro enim cuidam sancto reuelatum est, Deum ciuitati indignantem eam perditurum fuisse, nisi precibus sui sancti Patriarchæ furor diuinus auersus fuisset. ita habet eius Vita. Talis Emesæ, imò orbis Atlas fuit S.Simeon, cognomento Salus,id est stultus, quòd sanctitatem suam stultis operibus celaret, cùm interim multa mirabilia in summi sui contemptum,ac in salutem corporalem & spiritualem proximorum patraret. Cùm enim quidam Emesenus ciuis Hierosolymam profectus, se Abbatis Iohannis precibus commendaret, hoc ab eo responsum tulit: *Miror te,cùm Emesa habeas Abbatem Simeonem,ad me hominem vilem & abiectum diuertere. Nam non ego solùm,sed etiam mundus totus indiget illius precibus.* ita Leontius Episcopus Neapol. in Vita S.Simeonis.

Similes Ecclesiæ Atlantes fuere S.Dominicus, S.Franciscus, S.Vincentius Ferrerius (qui centum Christianorum millia, Iudæorum 25. Saracenorum octo ad Christum conuertit) sic Iaponum & Indorum Atlas hoc æuo fuit S.Xauerius. Quis ergo dubitet mundum precibus suis stare Sanctorum? Quocirca meritò S.Ambros. l.2.de Cain & Abel c.3.& 4. *Quàm beata*,ait,*anitas quæ plurimos iustos habet,quomodo benedicitur tota de parte! Quàm gaudeo cùm aliquos mites ac sapientes diu viuere video,cùm virgines castas,viduam grauem aspicio longæuas, velut quamdam incanam Ecclesiæ curiam prætendant ipso quodam vultu & specie grauitatis,quod iuuenes reuereantur,quod imitentur,quo ad omnem morum gratiam colorentur. Similiter cùm aliquis huiusmodi decedit,quamuis longa senectute depositus, afficior, quia destituitur grex iuuenum nostra senili.* Subdit tales esse quasi ciuitates refugii, in quas delinquentes se recipere possint. *Denique peritura*, inquit, *vrbis aut malorum imminentium, vel futura labis hoc primum indicium est, si eiiciendi viri consultores, vel etiam grauiores femine. Hinc primùm ingruentium aperitur porta malorum.* Idem docet Isaias c.1.v.1.& seq.

Disce Secundò, æstimare & ponderare vbique cherem & anathema,quo suam, omnesque aliorū prophetias claudit Malachias, vt illo stimulo incitet omnes ad piam sanctamque vitam. Eodem sua oracula concludit Isaias dicens: *Et egredientur, & videbunt cadauera virorum qui preuaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.* Hoc est *cherem*, quo ferientur & siderabuntur impij in vltimo & decretorio mundi die, qui erit horizon tem-

poris

poris & æternitatis, cæli & gehennæ, quando à Christo iudice in valle Iosaphat, quasi in orbis vniuersi theatro, ad æterna tormenta damnandi pauidi & attoniti audient: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius*; atque illico igne conflagrationis exorituri, à dæmonibus in tartara rapientur, vbi in æternum separati, imò maledicti à Deo, angelis, & Beatis, perpetuo carcere concluſi, nunquam ampliùs videbunt solem, stellas, vel vllam lucem, nullam lætitiam aut consolationem percipient; sed in perpetuis incendijs volutabuntur: vbi fumus tormentorum ascendit in secula seculorum. Hoc cogita cùm te libido stimulat, cùm ambitio sollicitat, cùm ira exagitat, cùm caro blanditur, cùm mundus allicit, cùm dæmon fallaces suas illecebras & pompas ostentat. In manu, in arbitrio tuo est vita & mors, cælum & gehenna, salus & damnatio, felicitas & infelicitas tua sempiterna. Elige quod mauis. Cogita: *momentum quod delectat, æternum quod cruciat.* Et viciſſim: *momentum quod cruciat, æternum quod delectat.* Præclarè S. Chryſost. homil. de Lazaro: *Si quis*, ait, *in centum annis vidisse po vnam noctem suaue somnium, multisq; deinde per somnum fruitus, centum deinde annis cruciaretur, num is vellet vnam noctem quæ somniauit, centum annis aquiparare? Hoc de futura vita cogita. Nam quid est somnium vnum ad centum annos, hoc est præsens vita ad futuram, imò multo minus. Quod est minima gutta ad pelagus immensum, hoc sunt mille anni ad futuram fruitionem; quantumq; interest inter somnia & res veras, tantum interest inter huius vitæ statum & illius.* Quid enim sunt aliud omnes res & spes mortalium, *quàm somnia vigilantium?* ait Philo. *Quid videatur ei magnum in rebus humanis qui æternitatem omnis, totiusq; mundi notam sit magnitudo?* ait Cicero Tuſcul. 4.

A

Ex aduerſo cogita, quàm diſpar ſit *cherem* Sanctorum, anathema Beatorum. Impij ſunt *cherem* iuſtitiæ & vindictæ diuinæ: Sancti ſunt *cherem* miſericordiæ & gloriæ diuinæ. Impij ſunt *cherem* diaboli: pij & electi ſunt *cherem* Dei, id eſt, res ſacra ab vſibus profanis ſeparata, Deo Deiparæ laudibus in æternum dicata. Impij ſunt anathema, folles & fomenta gehennæ: Sancti ſunt anathema cæli & Ieruſalem cæleſtis, vt in eis ad perennem Dei gloriam per æterna ſæcula reſplendeant.

Pro his ergo piuſq; eſto, fuge illecebras mundi, mortifica concupiſcentias; ſuſtine morbos, deſpectus, ærumnas, perſecutiones: ſtude puritati, ſanctitatem cole, enitere ad omnem virtutem: modicus erit breuiſq; omnis labor tuus; ſed ingens præmium te manet, & corona immarceſcibilis. *Id enim quod in præſenti est momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2 Cor. 4. 17. *O fragilitas humana, exiguum eſt quidquid agis propter ſpem æternorum*, ait Euſeb. Emiſſenus (vel potiùs Eucherius Lugdun. aut quiſquis eſt auctor) homil. de S. Maximo Quocirca S. Antonius, teſte S. Athanaſio in eius Vita, hoc bonum *cherem* ſuis inculcabat, vt iugis eis eſſet ſtimulus ad heroicam ſui victoriam, omnemq; perfectionem: *Hoc*, inquit, *ſit primum cunctis in commandatum, nullum in arrepti propoſiti vigore laſeſcere, ſed quaſi incipientem augere ſemper debere quod cœperit, præſertim cùm humanæ vitæ ſpatia æternitati comparata breuiſſima ſint.* Et mox: *Promiſſio vitæ æternæ vili pretio comparatur, ſcriptum eſt enim: Dies vitæ noſtræ ſeptuaginta anni; ſi autem in potentatibus, octoginta. Quando ergo octoginta aut centum annis laborantes in Dei opere vixerimus, non tanto tempore regnaturi ſumus in futuro, ſed pro annis prædicti omnium nobis ſæculorum regna tribuentur*, &c. *Nemo cùm aſpexerit mundum, reliquiſſe ſe arbitretur ingentia: quia omnis terra ad infinitatem cælorum comparata breuis ac parua eſt.*

B

[O æternitas, quanta, quàm durans, quàm conſtans & æterna es! Cherem es, anathema es. O mentes amentes, quæ tui obliuiſcuntur! ô ſtupor ſtupidorum mortalium, qui te pro momento voluptatis diuendunt & prodigunt! Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer. Si Deus daret, diceretq́ue Iudæ, & cuilibet damnato: Singulis millenis annis pro tuis peccatis emittes vnam dumtaxat lachrymam; & quando hoc modo per tanta annorum interualla, tot lachrymas emiſeris, vt ijs totam mundi capacitatem impleas, miſerebor tui, teq́ue ex inferni ignibus pœniſq́ue eripiam: gauderet ſanè Iudas gaudio ingenti & ineffabili, eò quòd aliquam haberet ſalutis ſpem. Sed quàm longa hæc ſpes, quàm vaſta annorum ei in pœnis emetienda eſſent ſpatia? quot millena annorum millia ei expectanda, antequam lachrymis ſuis vel ſcyphum impleret? quot milliones annorum, vt poculum? quot cubi millionum, vt dolium vnum? Quando ergo cubiculum, quando domum, quando vrbem, quando vnam prouinciam, quando terram, quando aërem, quando cælum lachrymis ſuis compleret? At iam infelix Iudas ne quidem hanc ſpem habet, ſed etiamſi per hæc annorum interſtitia totum mundum lachrymis impleſſet, necdum finis, necdum medium, imò necdum principium eſſet eius miſeræ æternitatis: quia nouus ei mundus priori ſimilis, lachrymis implendus pararetur à Deo; & eo impleto, tertius; & poſt eum quartus, quintus, ſextus, & ita deinceps ſine numero & termino. Idem eſt ex aduerſo de gloria S. Pauli, & cuiuſuis Beati. ÆTERNITATEM MEDITARE, ingredere & penetra quantum potes: quo profundiùs ingredieris, eo longiorem & profundiorem reperies: ABYSSVS EST. Semel dictum, iterum iterumq́ue, imò ſemper dicendum: ÆTERNITATEM MEDITARE. *Æternitatis hypotypoſis.*

C

D

O B. Virgo Deipara, Prophetarum Regina, æterni Verbi, eiuſq́ue fidelium & filiorum mater ab æterno ordinata, quæ Deum nobis tua carne virginea corporaſti; per eumq́ue beatæ æternitatis nobis aditum deuicta morte reſeraſti, offer hoc meum, imò tuum opus benedicto filio tuo Ieſu Chriſto, Saluatori noſtro, ac toti S. Trinitati, ab eaq́ue impetra, vt quicumque illud lecturi ſunt, ad eius cultum & laudem perennem accendantur. Ipſe enim eſt felix æternitas ſua, & noſtra. Effice, vt eam quaſi ſummum bonum ardentiſſimè diligamus; atque ex aduerſo peccatum & gehennam, quaſi ſummum & æternum malum, ſummè horreamus & fugiamus: ac proinde effice pariter, vt beatæ & miſeræ æternitatis memoria, timor & amor iugiter nobis obuerſetur, *Votum ad B. Virginem.*

ſetur, vt BEATÆ ÆTERNITATI VIVAMVS, certemus, laboremus, patiamur dura & acerba quæque. Auerte à nobis *cherem* & *anathema* reprobationis æternæ. Fac & forma nos *cherem* & *anathemata* Deo, in templo & gloria cæleſti Filij tui ſumus, vel eſſe cupimus. Monſtra ergo te eſſe matrem, nunc & in hora mortis noſtræ. Amen.

Omnis conſummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis. *Pſal.*118.

In ſempiternum æuum theſauriza. *S. Nazianz. in Sentent.*

Iunge cor tuum Æternitati Dei, & cum illo æternus eris. *Auguſt. in pſal.*91.

Nullus labor durus, nullum tempus longum, quo gloria Æternitatis acquiritur. *Angeli apud Bedam in Hiſtor. lib.*3. *c.*19.

Pro paucis annis laboris omnium nobis ſæculorum regna reddentur. *S. Anton. apud S. Athan.*

Vera beatitudo eſt ſæculi beatitudinem ſpernere, neglectiſque terrenis in diuina flagrare. *S. Eucherius ad Valerianum.*



INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

Quæ in his Commentarijs explicantur, vel obiter elucidantur.

Prior numerus paginam, secundus columnam, litteræ additæ litteras intercolumnares denotant: si vnus tantùm numerus sit, signum est ad proximum referri.

EX GENESI.

CAP. 1. v. 6. Firmamentum in medio aquarum. *pag. 542. col. 2. lit. d*
2.9. Lignum vitæ in medio paradisi. ibid.
4.24. Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagies septies. 60.2.a
10.11. Ex illa terra egressus est Assur, & ædificauit Niniuen. 369.2.b
19.24. Pluit Dominus à Domino sulphur & ignē super Sodomam. 287.1.d. 656.2.a
22.18. Benedicentur in semine tuo omnes gentes. 471.1.a
24.1. Erat Abraham dierum multorum. 284.1.c
25.23. Maior seruiet minori. 793.1.b
26.22. Nunc dilatauit nos Dominus. 17.2.a
29.31. Videns autem Dominus quòd despiceret Liam. 793.1.a
41.51. Crescere me fecit Dominus in terra paupertatis meæ. 101.1.b
47.9. Dies peregrinationis meæ parui & mali. 671.2.c
49.12. Alebat eos, omnemque domum patris sui, præbens cibaria singulis. 166.1.b
49.31. Adorauit conuersus ad lectuli caput. 512.2.d
48.16. Inuocetur super eos nomen meum. 347.2.b
49.18. Salutare tuum exspectabo Domine. 618.2.

EX EXODO.

Cap. 3.14. Ego sum qui sum. 314.1.c
13.17. Non duxit eos per terram Philisthiim, quia vicina erat. 712.1.b
16.16. Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit ad vescendum. 166.1.b
34.6. Qui custodis misericordiam in millia. 224.2.d

EX NVMERIS.

Cap. 12. Si verò biduo aut vno mense fuisset super tabernaculo. 120.2.a
11.7. In omni domo mea fidelissimus est. 659.2.a

EX DEVTERONOMIO.

Cap. 32.9. Iacob funiculus hereditatis eius. 325.1.a
33.2. Dominus de Sina venit, & de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan. 547.2.a
34.5. Moyses mortuus est super os Domini. 7.2.c

EX LIBRO IOSVE.

Cap. 14.15. Adam maximus ibi inter Enacim situs est. 436.2.b
17.5. Funiculi Manasse absque terra Galaad. 47.2.c

23.13. 24.7. Adduxit super eos mare, & operuit eos. 816.1.d

EX LIBRO IVDICVM.

Cap. 5.31. Qui diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent. 837.2.d
6.15. Ecce familia mea infima est in Manasse. 437.1.d
9.8. Ierunt ligna vt vngerent super se regem, dixeruntque oliuæ &c. 23.1.c
15.16. In maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleui eos. 505.1.c

EX LIBRO I. REGVM.

Cap. 2.5. Donec sterilis peperit septem. 258.1.a
v. 9. Impij in tenebris conticescent. 297.1.a
v. 18. Samuel autem ministrabat ante faciem Domini. 371.2.c
3.2. Oculi eius caligauerant, nec poterat videre: lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini. 30.2.d
20.30. Filius mulieris vltro virum rapientis. 58.2.a
25.29. Erit anima domini mei custodita quasi in fasciculo viuentium: porro inimicorum tuorum anima rotabitur quasi in impetu. 342.1.b
26.8. Nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, & secundò opus non erit. 481.2.c
30.14. Erupimus ad Australem plagam Cerethi. 581.2.a

EX LIBRO II. REGVM.

Cap. 8.1. Tulit Dauid frænum tributi de manu Philisthiim. 17.2.a
14.14. Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram. 400.2.c
21.7. Pepercit rex Miphiboseth filio Ionathæ 834.2.4
21.19. A Deo datus filius Saltus. 17.2.b

EX LIBRO III. REGVM.

Cap. 2.31. Amouebis sanguinem innocentem qui effusus est à Ioab, à me & à domo patris mei. 252.1.a
4.25. Vnusquisque habitauit sub vite & ficu sua. 665.2.b
11.31. Scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus. 143.2.a
v. 37. Te autem assumam, & regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israel. 142.2.d
22.15. Ascende, & vade prosperè, & tradet eam Dominus in manus regis. 21.2.a

EX LIBRO IV. REGVM.

Cap. 2. v. 12. Pater mi, currus Israel, & auriga eius. 844.1.c
8.10. Va-

8.10. Vade, dic ei, Sanaberis: porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur. 21.1.d
9.24. Iehu impleuit manum suam in arcu. 719.2.d
14.9. Carduus Libani misit ad cedrum quæ est in Libano, &c. 23.2.a
17.24. Et collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filiis Israel, qui possederunt Samariam, &c. 402.1.b

EX LIBRO I. PARALIPOMENON.

Cap.2.55. Cinæi venerunt de calore patris domus Rechab. 17.2.c
3.17. Filij Iechoniæ fuerunt Asir, Salathiel, Melchiram, Phadaia. 605.1.b
4.22. Qui stare fecit solem, viriqúe mendacij, & securus, & incendens. ibid.2.c

EX LIBRO II. PARALIPOMENON.

Cap.5.8. Cherubim expanderent alas super locum. 816.1.d
15.3. Transibunt multi dies in Israel absque Deo vero, & absque sacerdote, doctore & absque lege. 93.2.d

EX LIBRIS ESDRÆ.

Lib.1.cap.6.19. Fecerunt pascha decima quarta die mensis primi. 603.2.d
Lib.2. cap.4.5. Ne operias iniquitatem eorum. 816.1.d

EX LIBRO IOB.

Cap.2.9. Benedic Deo, & morere. 31.1.d
3.3. Pereat dies in qua natus sum. 776.2.d
9.6. Qui commouet terram de loco suo: qui præcipit soli, & non oritur. 647.2.d
v.7. Stellas clausit quasi sub signaculo. 631.1.c
v.26. Dies mei transierunt quasi naues poma portantes. 326.2.c
21.33. Dulcis fuit glareis Cocyti. 24.1.a
22.14. Circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat. 642.2.b
24.19. Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium. 241.2.c
29.18. Et sicut palma multiplicabo dies meos. 839.1.a
31.21. Cùm viderem me in porta superiorem. 296.2.a
v.27. Si vidi solem cùm fulgeret, &c. & osculatus sum manum meam. 192.2.c
34.30. Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi. 195.2.d
39.5. Quis dimisit onagrum liberum in solitudinem, & vincula eius quis soluit? 81.2.a
42.14. Et vocauit nomen vnius Diem, & nomen secundæ: Cassiam, & nomen tertiæ Cornustibij. 17.2.d

EX LIBRO PSALMORVM.

Psal.7.15. Ecce parturijt iniquitatem, concepit dolorem. 509.2.c
21. Quàm bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! 415.1.c
8.2. Quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! 258.1.a
9.27. Sub lingua eius labor & dolor. 509.2.c
21.15. Effusus sum sicut aqua. 115.2.d
22.4. Et si ambulauero in medio vmbræ mortis. 541.1.a
35.9. Inebriabuntur ab vbertate domus Dei. 609.1.b
37.69. Deus in adiutorium meum intende. 7.2.b
41.3. Quando veniam & apparebo ante faciem Dei? 371.2.b
44.1. Eructauit cor meum verbum bonũ 644.1.a
51.10. Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum. 771.2.c
54.13. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique, &c. 766.1.c
59.10. In Idumæam extendam calceamentum meum. 553.1.b
v.11. Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in Idumæam? nónne tu Deus. 347.1.d
60.9. Sic psalmum dicam nomini tuo. 171.2.b
61.10. Mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. 409.2.d
64.1. Te decet hymnus Deus in Sion. 537.2.a
v.12. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ. 347.2.c
65.18. Iniquitatem si aspexi in corde meo. 430.2.d
67.5. Iter facite ei qui ascendit super occasum. 651.2.b
v.18. Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis, in Sina, in sancto. 555.1.d
v.19. Ascendisti in altum, accepisti dona in hominibus. 203.1.a
68.13. In me psallebant, qui bibebant vinum. 508.1.b
v.21. Improperium expectauit cor meum & miseriam. 528.2.c
v.29. Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur. 202.1.b
70.18. Quoniam non cognoui litteraturam, introibo in potentias Domini. 188.2.d
71.16. Erit firmamentum in terra in summis montium. 206.1.c
72.1. Quàm bonus Israel Deus! 464.1.a
v.25. Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? 731.2.d
v.27. Qui elongant se à te, peribunt; perdidisti omnes qui fornicantur abs te. 22
73.3. Leua manus tua in superbias eorum in finem. 651.1.d
v.14. Dedisti eũ escam populis Æthiopũ. 595.2.d
76.19. Vox tonitrui tui in rota. 721.1.c
77.19. Numquid poterit Deus parare mensam in deserto? quoniam percussit petram. 711.2.b
79.18. Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ. 655.1.c
90.6. A negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. 642.2.c
v.13. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. 646.2.a
102.2. Qui coronat te misericordia & miserationibus. 697.2.d
103.3. Qui ponis nubem ascensum tuum. 115.2.b
104.15. Nolite tangere Christos meos. 553.2.a
105.9. Increpuit mare rubrum, & exsiccatum est. 656.2.d
108.6. Constitue legislatorem super eũ. 654.2.d
109.3. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: Ex vtero ante luciferum genui te. 122.2.c.d
111.9. Iustitia eius manet in sæculum sæculi. 186.2.b. 309.1.a
113.2. Facta est Iudæa sanctificatio eius. 812.2.b
77.57. f.140.1.a. 113.2.b
89.xl. Moses. 303.f.b.
97.10. f.544.1.b

98.8 Similes illis fiant qui faciunt ea. 153.1.c
118.135 Faciem tuam illumina super seruũ tuum. 122.2.a
127.3. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. 208.2.b. 773.2.d
131.9. Sacerdotes eius induantur iustitiam. 836. 1.c
131.16. Sacerdotes eius induam salutari. ibid.
136.2. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. 641.1.c
137.7. Si ambulauero in medio tribulationis. 541.1.a
139.10. Labor labiorum ipsorũ operiet eos. 509.2.c
139.12. Vir linguosus non dirigetur in terra. 186.1.a

EX PROVERBIIS SALOMONIS.

Cap.1.10. Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. 78.1.c
3.12. Quasi pater in filio complacet sibi. 513.1.a
8.27. Quando præparabat cælos, aderam. 534.1.b
15.11. Infernus & perditio coram Domino, quanto magis corda filiorum hominum. 114.1.d
23.5. Ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cælum. 504.2.b
24.16. Septies in die cadit iustus. 258.1.a
25.11. Mala aurea in cancellaturis argenteis. 6.1.d
30.1. Verba congregantis filij vomentis. 17.2.c
30.15. Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, Affer, affer, & numquam satiantur. 133.1.c
ibid. Tria sunt insaturabilia, & quartum quod numquam dicit, Sufficit. 258.1.b
31.24. Cingulum tradidit Chananæo. 187.2.d

EX ECCLESIASTE.

Cap.9.8. Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat. 3.8.2.a
11.2. Da partem septem, nec non & octo. 258.1.a. 447.1.d

EX CANTICIS.

Cap.2.8. Ecce iste venit transiliens colles. 671.2.b
2.16. Dilectus meus mihi, & ego illi. 457.1.b
4.8. De vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum. 738.1.c
ibid. Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata eius. 229.2.a
5.1. Bibite & inebriamini. 609.1.b
5.2. Ego dormio, & cor meum vigilat. 24.2.d
5.8. Adiuro vos filiæ Ierusalem, vt annuntietis dilecto meo, quia amore langueo. 553.2.c
8.6. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachiũ tuũ. 73.2.c. 629.1.d
8.12. Vinea mea coram me est. 158.1.c

EX LIBRO SAPIENTIÆ.

Cap.3.16. Filij adulterorum in consummatione erunt. 101.2.d
4.3. Spuria vitulamina non dabunt radices altas. ibid.
4.12. Fascinatio nugacitatis obscurat bona. 599.
4.18. In pigritijs humiliabitur contignatio. 348.
7.21. Sapientia aperuit os mutorum. 297.1.d
11.27. Domine, qui amas animas. 178.2.a
12.29. Propter hoc tamquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti. 295.2.b
17.7. Sicut in organo omnia suum sonum custodiunt. 88.2.c

EX ECCLESIASTICO.

Cap.2.4. Homines receptibiles in camino humiliationis. 769.2.a
6.22. Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur proiicere illam. 753.1.c
15.11. Non dixeris, Per Deum abest; quæ enim odit, ne feceris. Non dicas, Ille me implanauit. 177.2.a
19.3. Putredo & vermes hereditabunt illum. 561. 1.c
21.7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris. 792.1.c
24.14. Ab initio & ante sæcula creata sum. 445.1.b
32.v.5.7.8. Nõ impedias musicam, gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in conuiuio vini. 307.2.d
43.29. Multa dicemus, & deficiemus in verbis, confirmatio autem sermonum ipse est in omnibus. 537.1.c
v.30. Gloriantes ad quid valebimus? ibid.d
v.32. Superualebit enim adhũc. 2.a
v.34. Exaltantes replemini virtute. ibid.
45.11. Et dedit illi in præceptis suis potestatem docere Iacob testimonia. 808.2.c
48.9. Qui scriptus es in iudicijs temporum lenire iracundiam Domini. 844.1.a
v.10. Veniet Elias conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob. 845.1.a
49.12. Duodecim Prophetarum ossa pullulent de loco suo: nam corroborauerunt Iacob, & redemerunt se in fide virtutis. 3.1.c.d

EX ISAIA.

Cap.2.2. Præparatus mons domus Domini. 534. 1.b
3.12. Mulieres dominatæ sunt eis. 513.1.b
v.17. Decaluabit Dominus verticem filiarũ Sion, & crinem earum nudabit. 558.2.b
4.1. Apprehendent septem mulieres virum vnum, dicentes, Tantummodo inuocetur nomẽ tuum super nos. 23.1.b. 347.2.a
6.11. Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur. 291.2.c
9.4. Sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. 70.2.d
10.5. Væ Assur virga furoris mei. 433.1.d
v.26. Leuabit Dominus virgam suam in via Ægypti. 286.2.c
13.6. Facies combustæ facies eorum. 212.1.a
21.7. Vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli. 544.1.c
23.10. Transi terram tuam filia maris. 179. 1.c
28.15. Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. 363.1.d
v.21. Vt faciat opus suum, alienum opus eius; vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. 400.2.b
33.1. Væ qui prædaris, nónne & ipse prædaberis? & qui spernis, nónne & ipse spernêris? 433.1.d
38.9. In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. 542.1.c
40.2. Loquimini ad cor Ierusalem. 83.1.a
v.31. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt. 458.2.b
43.13. Ab initio ego ipse. 443.1.b

45.8. Rorate cæli desuper,& nubes pluant iustum. 230.2.c
57.13. Cùm clamaueris,liberent te congregati tui. 19.2.b
60.15. Ponam te in superbiam sæculorum. 332.1.b.445.2.c.489.2.d
61.6. In gloria eorum superbietis. 489.2.d
v.10. Indumento iustitiæ circumdedit me. 836.1.c
65.4. Qui habitant in sepulcris,& in delubris idolorum dormiunt. 148.2.a

EX IEREMIA.

Cap.1.14. Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ. 689.1.b
2.24. In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum. 252.1.a
10.2. A signis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes. 569.1.d
11.14. Ne assumas pro eis laudem. 540.1.b
v.15. Quid est quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera? 141.2.b
12.7. Reliqui domum meam. ibid.
18.11. Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra vos cogitationem. 316.1.a
22.24. Si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea,inde euellam eum. 619.2.d
44.17. Faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro. 514.2.b
46.6. Quis est qui quasi fluuius ascendit,&c. 69.2.d
55.18. Vana sunt opera & risu digna. 21.1.b

EX THRENIS.

Cap 1.5. Facti sunt hostes eius in capite. 337.1.b
v.8. Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est. 156.2.d
v.15. Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda,idcirco ego plorans. 7.2.c
2.19. Consurge,lauda in nocte. 540.1.b
4.3. Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto. 404.1.b.c

EX EZECHIELE.

Cap.5.5. Ista est Ierusalem,in medio Gentium posui illam. 542.1.c
7.6. Venit finis,euigilauit aduersum te. 325.2.c
v.23. Terra plena est iudicio sanguinum. 252.1.a
8.17 Ecce applicant manum ad nares suas. 192.2.c
16.5. Non pepercit super te oculus. 834.2.b
v.55. Et soror tua Sodoma,& filiæ eius reuertentur ad antiquitatem suam. 346.1.b
19.3. Eduxit vnum de catulis suis. 69.2.d
24.13. Donec quiescere faciam indignationem meam in te. 252.1.b
28.14. In medio lapidum ignitorum ambulasti. 642.2.b
34.23. Pastorem suscitabo seruum meum Dauid. 628.2.c

EX DANIELE.

Cap.4.27. Nónne hæc est Babylon quam ego ædificaui? 29.2.a
7.10. Iudicium sedit,& libri aperti sunt. 832.2.c

Ex Prophetis Minoribus loca, quæ non sunt ex in Hieroglyphicis, Symbolis, Adagijs, aut in Commentarijs suo loco exposita.

EX OSEE.

Cap.1.6. Voca nomen eius, Absque misericordia. 17.1.b
v.9. Voca nomen eius, Non populus meus. ibid.
2.21. Exaudiam cælos,& illi exaudient terram,& terra exaudiet triticum,&c. 18.2.c
10.5. Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ. 17.2.c
13.14. Ero mors tua ô mors. 513.2.b

EX IONA.

Cap.2.9 Qui custodiunt vanitates frustra, misericordiam suam derelinquunt. 127.2.d

EX MICHÆA.

Cap.1.10. In domo pulueris, puluere vos conspergite. 17.2.c
v.11. Transite vobis habitatio pulchra. ibid.
Ibid. Non est egressa quæ habitat in Exitu. ibid.
v.12. Infirmata est in bonum,quæ habitat in Amaritudinibus. ibid.
v.14. Dabit domos mendacij in deceptionem regibus Israel. ibid.
7.4. Qui optimus in eis est, quasi paliurus; & qui rectus,quasi spina de sepe. 415.2.d

EX SOPHONIA.

Cap.1.7. Silete à facie Domini Dei. 536.2.c

EX ZACHARIA.

Cap.3.8. Adducam seruũ meum Orientem. 17.2.d
v.9. Super lapidem vnum multi oculi. 258.2.c
11.1. Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas. 21.2.c
v.2. Vlula abies,quia cecidit cedrus. ibid.

EX MALACHIA.

Cap.4.2. Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ,& sanitas in pennis eius. 23.2.a

EX LIB. I. MACHABÆORVM.

Cap.1.3. Et siluit terra à conspectu eius. 536.2.c

EX NOVO TESTAMENTO.

EX S. MATTHÆO.

Cap.2.6. Et tu Bethlehem Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. 435.2.d
v.15. Ex Ægypto vocaui filium meum. 170.2.c
3.11. Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igni. 133.1.a
4.6. Si filius Dei es,mitte te deorsum. 227.2.b
5.3. Beati pauperes spiritu. 716.1.d
6.34. Sufficit diei malitia sua. 413.2.c
10.26. Estote prudentes sicut serpentes;& simplices sicut columbæ. 137.2.a
v.29. Nónne duo passeres asse veneunt? & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro. 515.2.b
v.34. Veni separare hominem aduersus patrem suum, & filium aduersus matrem suam, &c. 466.1.a
11.10. Hic est enim de quo scriptum est, Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, &c. 818.1.a
Ibid. Præparabit viam ante faciem tuam. ibid.b
v.25. In illo tempore respondens Iesus dixit, &c. 1.b
12.7. Si autem sciretis quid est, Misericordiam volo,& non sacrificium,numquam condemnassetis innocentes. 114.2.c

Qui habet aures audiendi, audiat. 18.2.a
In farinæ satis tribus. 258.2.b
Elias iam venit. 842.2.b.c.d
Qui ceciderit super lapidem istum confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum. 754.1.a
Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia deuoratis domos viduarum, orationes longas orantes. 571.2.d
Et vos implete mensuram patrum vestrorum. 685.1.d
Vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. 142.1.b
Nescio vos. 144.1.d
Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. 21.2.a.b.d
Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. 445.2.d

EX S. LVCA.

Conuertet corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam. 845.2.a
Suscepit Israel puerum suum. 647.2.a
Erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. ibid.
Postquam consummati sunt dies octo. 317.
Increpauit ventum & tempestatem aquæ. 656.2.d
Dicebat autem ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent. 275.1.d
Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus. 314.1.d

EX S. IOANNE.

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. 289.1.d.443.1.b
Verbum caro factum est. 233.2.d
Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre. 445.2.c
De plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. 672.2.c
Lux quæ in tenebris lucet, & illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 21.2.d
Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. 820.1.d
Iesus fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem. 171.2.b
Principium qui & loquor vobis. 443.1.b
Nos ex fornicatione non sumus nati; vnum patrem habemus & colimus Deum. 714.1.a
Diabolus in veritate non stetit. 131.2.c
Expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. 21.1.b
Non rogo pro mundo. 12.15. Noli timere filia Sion, ecce rex tuus, &c. 715.2.b
14.23. Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. 233.2.a
17.11. Pater serua eos in nomine tuo. 443.2.d

EX ACTIBVS APOSTOLORVM.

Cap. 7.43. Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sidus Dei vestri Remphan, figuras quas fecistis, adorare eas. 300.2.b.301.& seqq.
8.10. Hæc est virtus Dei quæ vocatur magna. 622.1.b
13.41. Videte ergo ne superueniat vobis quod dictum est in Prophetis, Videte contemptores, & admiramini, & disperdimini. 512.2.a. 513.2.b

EX EPIST. AD ROMANOS.

Cap. 15.8. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis. 472.1.a
v.16. Sanctificans Euangelium Dei. 595.1.a

EX EPIST. I. AD CORINTHIOS.

Cap. 5.21. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. 100.1.a
11.17. Reus erit corporis & sanguinis Domini. 797.1.a

EX EPIST. AD GALATAS.

Cap. 6.16. Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia, & super Israel Dei. 242.1.b

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. 5.5. Auarus, quod est idolorum seruitus. 337.1.c

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

Cap. 3.3. Nos enim sumus circumcisio. 709.2.a

EX EPIST. II. AD THESSALONIC.

Cap. 2.10. Eò quòd caritatem veritatis non receperunt, ideò mittet illis operationem erroris, vt credant mendacio. 196.1.b

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

Cap. 1.7. Qui facit angelos suos spiritus. 731.1.d
13.16. Talibus enim hostijs promeretur Deus. 597.2.a

EX EPIST. I. S. PETRI.

Cap. 5.2. Pascite qui in vobis est, gregem Domini. 203.2.b

EX EPISTOLA S. IVDÆ.

v.19. Non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, Imperet tibi Dominus. 656.2.c

EX APOCALYPSI.

Cap. 2.9. Ab his qui se dicunt Iudæos esse & non sunt. 709.2.a
5.12. Dignus est Agnus accipere virtutem & diuinitatem. 699.1.a
7.14. Lauerũt stolas suas in sanguine Agni. 816.1.d

INDEX

RERVM ET VERBORVM

MEMORABILIVM,

quæ hisce Commentariis continentur.

A, a, apud Latinos & Europæos est vox summè afflicti. 218.2.c

Aaroni vitam Deus prorogauit, & honorem contra æmulos defendit. 807.2.d. eius variæ dotes. 808.1.a. & seq.

Ab mensis Hebræorum respondet nostro partim Iulio, partim Augusto. 701.2.c. 707.2.b

Abdias quando cœperit prophetare, & quid prophetet. 33.1.b. 350.2.a.b.c an fuerit discipulus Eliæ. 350.1.a an fuerit tertius pentacontarchus ab Ochozia ad Eliam missus. 1.c an idem cum Obdia misso ad docendum in ciuitatibus Iuda. ibid. fuit coæuus Osee, Amos, Ioëli, Michææ. 2.a sub tempora Ieremiæ prophetauit. ibid.c an fuerit Idumæus. 351.1.b. fuit Sichimita. ibid. eius sepulchrum vbi. ibid.c fuit typus Christi. ibid. est omnium prophetarum minimus & breuissimus. 2.a eius breuitatis elogium. ibid. & seqq.

Abel an à Cain occisus in agro Damasceno. 262.1.d

Abiectos & viles Deus eligit & eligit. 254.1.d

Abies semper viret, nec hieme folia amittit. 207.1.c est symbolum præfectorum minorum. 737.2.d

Ablatiui verbis suis iuncti, eorundem significationem adaugent, & actionem complent. 18.1.d

Abnegatio sui interimit animi tristitiam. 645.2.c

Abominatio desolationis, fuit idolum ab Antiocho Epiphane in templo collocatum. 780.2.a in Scriptura vocantur idola & idolothyta abominationes. 714.2.a

Abraham patriarcha, quomodo sit & Propheta. 3.2.d secutus est Deum vocantem 37.1.d vnde dictus Hebræus. 376.1.a vnde nomen acceperit. 471.2.a ei cur Propheta Michæas det misericordiam, veritatem Iacobo. ibid. fuit atlas Sodomæ. 846.1.d eius benedictio quid anagogicè fuerit. 820.2.d est communis Iudæorum pater. 811.2.b

Abramij Eremitæ erga neptem suam peccantem caritas & zelus. 93.1.a

Absinthij nomine vocatur peccatum in Script. 293.1.a

Abstinere vino & carne Christianos debere, docuit fanaticus nuper hæreticus. 272.1.c

Abstractio animæ à sensibus & sensilibus magna est ad prophetiam dispositio. 9.2.a

Abundantiæ & prosperitatis symbolum est pax. 706.1.d

Abusus quorundam concionatorum, verba S. Scripturæ ad nouos suos conceptus torquentium. 7.2.a

Abutentes opibus aduersis illos quorum operâ fuerunt eas consecuti, arcus dolosus sunt. 140.2.a

Abyssini vocantur Aethiopes græcè & latinè. 594.1.a recens baptizatis dant Eucharistiam. 729.2.d

Abyssus vocatur aqua carens fundo. 381.1.b

Acacij Episcopi in Conc. Nicæno duritiei in errantibus in fide ad pœnitentiam recipiendis. 394.1.b

Academia Hierosolymis fuit in porta secunda. 572.2.c

Ascaronitæ victi à Machabæo, pacisce inter Iudæos habitarunt, & Iudæi inter eos. 714.2.b

Accipiter auis Aegyptijs sacra, dicta ab accipiendo, est symbolum celeritatis. 179.2.b.c cur Aegyptijs sacra fuerit, est inter aues fœcundissima & vnacissima, oculos habet acutissimos. ibid.d trigesimo quoque die femina solet coniungi, recto cursu volare solet, est symbolum sacerdotij, item gloriæ & victoriæ. 180.1.a

Acedi emblema. 687.1.a eos quàm acriter Christus in die iudicij correpturus sit. 746.2.d

Achab posterorum sanguis cur in Iezrahel effusus sit. 60.1.a

quomodo Achan perturbarit totum Israel. 84.1.a. 85.1.a.b

Achaz rex Iudæ pressus à regibus Syriæ & Israelis, petijt opem ab Assyrijs. 117.1.c

Acheron fluuius infernalis vnde dicatur. 24.1.c

Acies fidelium testium Dei recensetur. 181.2.d

Actiacum bellum fecit Augustum orbis monarcham. 617.1.b

Actio sæpè capitur pro loco, in quo actio exercetur. 442.2.d actio in se leuis gratior est Deo facta excellenter, quàm excellens in se facta leuiter. 458.1.d

Actus virtutum quatenus in Deo sint. 631.c sunt ibi idem quid cum eius essentia. ibid. actus humani speciem sumunt ex obiectis. 153.1.d actus peccati transiens post se relinquit in anima peccantis maculam habitualem peccati. 154.1.a

Acuta nimis, non sunt solida, sed sæpè stolida. 8.2.b

Aczib fuit nomen vrbis in tribu Iuda. 409.1.a fuit & alia Achseph vel Acziba, non longè à Tyro. ibid.b

Adad ciuis Remmon occisus in Mageddo, an omnium planctum excitarit. 760.2.d

Adadremmon vrbs quæ, & vbi sita, vnde dicta. ibid.d

Adagia Minorum Prophetarum. 44.1.b

S. Adalberti Pragensis Episcopi elogium. 749.2.a

Adam mox vt superbiuit contra Deum, sensit stimulum carnis. 113.1.d an à Deo creatus in agro Damasceno iuxta Eden, ex terra rubra. 262.1.c est velut puer, pomo illectus & deceptus. 326.2.a ei quomodo peccandi via à Deo obstructa. 75.2.b Adam & Enosc vnde vocetur, homo. 86.2.a quomodo detraxerit suam diabolo dederit. 655.1.c velut luna est, Christus sol. 838.2.a

Adamas symbolum est duri iudicij ac ineuitabilis vindictæ. 320.1.b item ad misericordiam inflexibilium. ibid.d eius proprietates. 2.a. 793.1.d

Addo fuit auus Zachariæ. 637.1.a est alius ab Addo Vidente qui scripsit chronica regum Iuda. ibid.

Adonidem quare plangeret Venus, & vt planctus quotannis recoleretur. 761.1.a is quamdiu fleterit in spelunca Bethlehem ab Hadriano Imp. erectus. 440.2.a

Adoptamur in iustificatione à Deo in filios. 67.2.b

Adoptio diuina quàm inæstimabile bonum sit. 68.2.a perfectissima adoptio animæ sequitur ex communicatione ipsiusmet Sp. sancti & diuinitatis. 1.a adoptio nostra virtute duplex est. ibid.c vtraque, hic inchoatur per gratiam, in cælo perficietur per gloriam æternam. ibid.

Adoptio

Achor vallis. 84.1.

Adadremmon. 760.1.d

18. Sept.

Abgetüi filij Dei summi, longè perfectiùs quàm sint adoptiui filij hominum. ibid.d.2.b

Abiecto idem est quod ad ora applico. 192.2.c

Aduentus Christi triplex est, primus in humilitate, secundus in gloria, tertius ad iudicium. 122.1.a

Aduersa omnia sunt velut sigillum Christi. 631.2.b aduersis electi probantur. 768.2.d

Adulatione deceptum quomodo significarent Aegyptij. 253.1.d adulatio principes magis perdit quam hostes. 134.2.a

Adulter frustra uxorem pudicam speret. 106.1.a

Adulterum quare iubeatur Osee in domum inducere. 693.2.d quæ & qualis hæc fuerit. 90.1.b. & seqq.

Adulterium a fornicatione an distinguatur. 73.1.d

Aduocati pauperes opprimentes suggillantur. 270.1.c

Adspergere in sanguinibus tropologicè quid sit. 422.2.b. 553.1.d

Aeditui vnde dictus; idem dictus aeditimus. 568.2.a templa singula iam Romæ suos habent aeditios; quod horum officium. ibid.a.b hebraicè dicebantur kemarim. ibid.b.c quod horum esset munus. ibid.d. & seqq. erant alij à sacerdotibus, iisq; subseruiebant. ibid.

Aegyptij quo iure spoliati ab Hebræis. 53.2.c eorum dogmata constabant symbolis. 6.1.c.783.2.b quas lectiones coluerint. 179.2.c valebant equorum robore & copia. 203.2.a sunt à Noë seruituti addicti. 433.1.a quibus hieroglyphicis Deum exprimerent. 292.1.b.661.2.c in morbis, resectum capillum pro salute diu vouebant. 411.1.d quotannis arbores & pecora rubrica illinebant aduersus incommoda. 491.2.a primùm in tabulis arboris quæ papyrus dicitur, scribere cœperunt. 527.2.b eorum sacerdotes in sacrificijs tunicas lineas induebant. 568.2.c ij qui cum Pharaone mortui in peccato, descenderunt in tartara. 482.1.c

Aegyptus erat continuum Israelis refugium. 148.1.c cur in obelisco & nummis per ibin designetur. 180.1.b est triquetra. ibid. in ea non pluit, sed vice pluuiæ est Nilus exæstuans. 332.2.b.784.1.d eius fertilitas. 332.2.b idololatriæ fuit inuentrix & magistra, ideoq; Iudæis vicinis vicinia sua noxia. 251.1.a cur vocetur domus seruitutis. 453.1.a est vltra Aethiopiam. 593.2.c Iudææ ad Austrum est. 695.1.b eius idola conciderunt, mox vt eam intrauit Christus. 616.2.d quando à Romanis, & per quem subacta. 695.1.c carcer Hebræorum fuit, & typus Babylonici carceris. 559.1.d

Aenean Iudæi censent fuisse Idumæum. 352.1.d Troia exisa, extulit secum penates suos. 95.1.b

Aeneades ex oraculo putabant se patriam amissuros, si particulam aliquam largirentur. 338.1.d

Aenigmatis cur vtantur Prophetæ. 6.2.b ænigmata è Minoribus Prophetis simul collecta. 41.1.d ænigma Sphingis de homine. 523.1.d

Aequalia non sunt peccata & rectè facta. 30.1.b

Aequanimitas, illustris dos principum & Prælatorum est. 741.2.b

Aer & aqua sunt elementa vicina. 520.2.d aëris suffocatione sola multis vixere. ibid.b.c

Aeruginis quod vitium segetum sit. 212.1.d.286.1.b.c

Aeternus Deus peccatori peccandi vias obstruit. 76.2.b

Aeternitas symbolum est. 693.1.a

Aetheus quam in Socratem fuerit gratus. 456.1.b

Aetas integra & dimidia hominis qua sit. 542.1.c ætas Christi fuit finis sæculorum præcedentium miserorum, & initium sequentium felicissimorum. 2.c

Aeternitatem omnia amant. 20.1.b aeternitatem concipimus velut ingentem, sed definitum annorum numerum. 426.2.b eius origo est immutabilitas Dei. 443.2.c æternitas est origo temporum, & propria duratio Dei. 444.1.a æternitas temporum, quæ sit. 443.1.d durationem & quasi ætatem Dei, quæ infinito tempori coëxtenditur, colligit in momentum. 2.a non habet finem aut principium, est intrinseca mẽsura existentiæ diuinæ. 2.c.552.1.d eius hypotyposis & descriptio. 847.2.a æternitas Dei est causa omnium temporum. 552.2.a æternitas est axis sæculorum. ibid. Deus est ipsa æternitas in se. 553.1.a.b septem mystica itinera æternitatis, ad ingrediendum intrinsecum secretum & æternum. 553.1.d. & seqq.

Æternum Hebræis significat, quod in genere suo magnum est. 518.2.b item misericordem. ibid. id in Script. quomodo sumatur. 29.1.c.357.1.d

Aethiopia vicina est Alexandriæ. 503.1.a eam vastauit Nabuchodonosor, item Cyrus, & Cambyses: sita est trans Aegyptum: quãdo infesta fuerit Iudæis. 584.1.a Aethiopia Africana duplex est. ibid.b vnde sic dicta. ibid.

Aethiopes Iudæis ob coloris differentiam vt quid rarum in pretio fuere. 342.2.b sunt symbolum seruitutis, ab olim à Noë seruituti addicti. ibid.c ijs cur assimilentur Israelitæ. ibid.c.d typi sunt dæmonum & impiorum. 551.2.c Aethiopem lauare qui dicantur. 343.1.a Aethiopes duplices sunt, scilicet Madianitæ, & Abyssini. 554.2.a.b.729.2.d Aethiopis forma dæmon sæpè Sanctis apparuit. 584.1.c.d Aethiopes tamen dæmonem pingunt album. 2.a Aethiops filius Vulcani, Aethiopiam denominauit. 594.1.a

Aeuum habet principium, sed caret fine. 443.2.c

Affabilitas licet Prælatos & principes. 741.2.b

Affectus erga Ven. Eucharistiam quotidie renouandus. 725.1.c affectus coniugum mutuus esse debet. 815.1.a. & seqq. affectus & motus animi in Deo est. 63.1.b

Afflictio est caminus Dei ad excoquendos suos. 822.2.d afflictio piorum non diu durabit. 839.2.a.840.1.a.b

Afflictis consolatio est videre quòd Deus ipsorum iniurias vlciscatur. 479.2.c

S. Afra ab Hilaria matre lenam agente, in stupris educata: sed ambæ post Martyres effectæ. 56.2.b

Africa circumnauiganda ex Lusitania in Indiam nautgare volentibus. 594.1.d

S. Agatha quid Præsidi responderit, seruilem Christianorum vitam ei obijcienti. 234.2.d

Aggæus Propheta quis: quid eius nomen sonet, quando prophetarit. 33.2.d.601.1.a.2.a.603.1.d eius argumentum. 601.1.c eius ingens animus. 2.a quot annis eius prophetia de Christo eum antecesserit. ibid.b.616.1.c eius prophetiæ partitio. 601.1.b an fuerit angelus incarnatus. ibid.c.612.2.d.789.1.a eius vitæ synopsis. 602.1.a est natus in Babylone, iuuenis rediit cum ceteris in Ierusalem: an psalmos aliquos composuerit. ibid. quando Iudæos ad templi fabricam sit adhortatus. 603.1.d.604.1.a.c.613.2.b cur vocetur nuntius Domini. 612.2.b.c

Agger dicitur aggerata, id est congesta, terra. 517.1.d aggere comportato capta Tyrus est. 2.a. per agger es oppugnantur vrbes. ibid.

Agilitatis dos in Beatis similis angelis futura. 841.1.b. hac eos agillimè per cælos transuolare facit. 563.2.c

S. Agnes Christum sponsum omnibus alijs præposuit. 812.2.d. statura exili fuit. 675.1.c

Agnus quomodo ab origine mundi occisus dicatur, cùm

tunc

tunc nondum exstaret. 442.1.d. agnus paschalis in quo fuerit figura Christi. 715.2.d

Agri quando sitire dicantur. 74.1.c. agrorum limites olim erant lapis, erecta columna, titulus. 115.1.a. agros piorum quomodo tueatur Deus. 285.1.d. iis in hieme conducit serenitas, in vere pluuia. 730.1.c

Agricolæ Dei cultum & festa negligentes puniuntur sterilitate. 608.2.d

Agrippina Neronis mater quàm fuerit libidinosa. 58.2.a

Abias Silonites an Dei iussu Ieroboam regem constituerit. 142.2.b.d.153.2.b

Ain & Aleph litteræ subinde commutantur. 406.2.b

Ain solet sæpè verti in G. 262.2.c

Akibas rector schola Scribarum & Pharisæorum illustris. 761.1.c

Al articulum Arabes nominibus passim præponunt. 512.2.c

Alæ dantur ventis ob velocitatem. 109.2.a

Albati auriga quales essent Romæ in ludis Circensibus. 694.1.d. colore hoc aërem repræsentabant. 2.a

Albi equi Zachariæ visi indicant gentes Iudæis propitias. 641.2.b. vide Equus. Albæ victimæ Apollini immolabantur. 796.2.c

Alcimus templum profanans percussus paralysi. 753.2.b

Alcoranum Mahometanorum ex fabulis Iudæorum & alijs nouis consarcinatum est. 598.2.b. id iubet Turcas armis sectam suam propagare. 694.1.a

Alectoria gemma dat in certaminibus robur. 182.2.d

Alemannus propriè quid sit ex vi verbi. 361.2.b

Alexander Iannæus, Simonis Machabæi nepos, vrbem Gazam cepit & diruit. 713.1.d

Alexander Magnus quomodo dicatur Alexandriæ conditor. 29.2.a. vnde se hominem esse perciperet. 103.1.c. non intelligitur per virum inter myrteta stantem. 642.1.a. nec eius successores per equos à Zacharia visos. ibid. fuit belli fulmen: cur pardo comparetur. 514.2.d. qua via orbis imperium parârit. ibid. in Script. vocatur hircus caprarum, quia erat adhuc iuuenis. 305.1.c. apud Arbellam rex Asiæ proclamatus mox Babylonem ingressus est. 695.1.b.2.c. quanta in rebus omnibus spe niteretur. 529.2.c. an mare Pamphyliæ ficco pede transierit. 735.2.d. ex lenitate vestem patriam mutauit. 570.2.d. quo omine Gazam expugnarit. 713.1.c an fuerit spurius. 2.d. Iaddum pontificem Iudæorum pronus adorauit. 628.1.c. 693.2.a. 714.2.a.b. 715.1.d. 720.1.d. eius propensio in Iudæos. 628.1.c. eius insatiabilis ambitio. 525.2.d. eius victoriæ variæ in Asia. 710.1.c. laboriosè Tyrum subegit. 712.2.b

Alexander Seuerus Imp. in Larario habebat imagines Abrahami & Christi. 95.1.d. ei sortes imperium denunciarunt. 374.2.d

Alexandriæ cognomentum est Amon. 501.1.c. 502.2.b. coluit idolum Tammuz. 501.1.d. eius situs. ibid. primò olim dicta fuit Noz ab Alexandro Magno amplificata, dicta est Alexandria. 2.a. quando à Nabuchodonosor euersa. ibid.b. & 503.1.b. eius splendor, opes, forma, magnitudo, munitio, celebritas. 501.1.b. & seqq. 502.2.c. eius prouentus è vectigalibus & annona. ibid.c. eius ædificia superba. ibid.d. postea ob plebis sanctimoniam dicta est paradisus Domini: cur ei licet hostili, Augustus Imp. pepercerit. ibid. S. Marcus eam Christianæ fidei asseruit, scholam Ecclesiasticam illic instituit. 502.1.a. ab ortu & occasu cingitur Nilo. 2.c. abundat aquis circumquaque: quanta ei inde accedant merces. ibid.d. vicinos habet Aethiopas Abyssinos & Libyas. 503.1.a

Alfonsius Aragonius cogitans bellum, per suos rumorem spargebat, cur hoc susciperet. 133.2.d

Alfonsi VIII. regis Castellæ victoria de Saracenis vi Ven. Eucharistiæ. 726.2.a

Alicariæ meretrices quæ dicerentur. 242.1.a

Alienatio à sensibus fieri potest vi morbi, operâ etiam dæmonis. 25.1.b

Alienigenæ vxores faciunt viros apostatare à Deo. 812.1.c. 815.1.b

Alleluia an primus in Ierusalem cantarit Aggæus. 602.2.a 39.1.

B. Aloisius Gonzaga quàm sollicitè ambularit cum Deo; eius in oratione attentio. 458.1.b. 537.1.a

Alta exposita sunt ruinæ. 355.2.a

Altare holocausti symbolum est mortificationis. 227.2.d altaria nostra sunt schema præsepij in quo reclinatus est Christus. 441.1.b

Alternum dare sanguinem quid sit. 97.2.b

Alueus maris rubri siccati quare vocetur à Propheta lutum. 519.2.d

Amalthea capra Iouis fuit nutrix. 681.1.c

Amans Deum quid amet, & quantum amet. 539.1.c. magis est vbi amat, quàm vbi animat. 153.2.b. amantes perditè, in suo corpore velut mortui sunt. ibid.

Amapha erat sudarium sacerdotum: quis eius vsus & etymon. 228.1.a. videtur fuisse manipulus. ibid.

Amaricour cur dictus pons quidam Leodij. 407.1.b

Amaritudinum nomine sæpè in Scriptura peccata vocantur. 29.1.d

Amasias pontifex idolorum in Bethel cur accuset Amos apud Ieroboam regem. 321.2.b. suadet Amos vt Bethel relicta transeat in Iudam. ibid.d 322.2.a. eius vxor fornicata est, Deo eum puniente 324.2.c. & aliæ eius pœnæ. ibid.d. 325.1.a

Ambitio est velut statera dolosa. 188.2.d. eius quanta sit vis. 525.2.d. inebriat hominem. 530.2.c.

Ambitiosi vento pascuntur. 184.2.b. illis varijs modis viam ad honores obsepit Deus. 75.2.d

S. Ambrosius monitus à quoquam, gratias monitori agebat. 792.1.b. pueri voce designatus est Archiepisc. Mediolan. 325.2.a. pœnitentes audiens, ijs colacrymabatur. 824.1.b

Ambulandi cum Deo sollicitudo quid requirat. 456.1.c praxis & modus ita ambulandi per sex alas. 458.1.d ambulare cum Deo quid sit. 2.c. quomodo huc homo peruenturus sit. ibid.d

Amiantus lapis constantiæ symbolum est. 183.1.a

Amicus capitur interdum pro marito. 90.2.b

Amicis regum olim dabatur annulus regius. 619.1.a ab amicis vexari vexatio grauissima est. 766.1.b amici veri typus est Sol. 837.2.b.c. veri amici proprietates. ibid.

Ammon fuit filius Lot: eius posteri Ammonitæ, habitârũt in Arabia. 266.1.a. hi à Chaldæis, & ab Antiocho, & à Machabæis vastati fuere. 2.b. sunt imago libidinis & libidinosorum. 267.1.a. iis qualem restitutionem promittat Deus. 346.1.c. quando Idumæos inuaserint. 356.1.c.d. quando à reliquis Iudæorum direpti sint, & ad veri Dei cultum compulsi. 583.1.d

Amor est telum violentissimum, quod ex inimicis amicos facit. 173.1.c. amoris magnes est amor. 172.2.d. est velut quædam ebrietas. 215.1.c. eo trahuntur homines, bestiæ funibus. 172.2.a.b. quisque talis est, qualis eius amor est. 153.2.b. cur amor vocetur ignis & clibanus succensus. 135.1.a. liquefa-

ciat

cis patru corporis, & spiritus vitales eo resoluuntur. ibid. ex vehementi amore sequitur deliquium & langor. ibid. amor Dei quomodo animam mox emittit. 400.2.d amor diuinus ecstasin facit. 42.2 amor fraternus, Dei & hominum gratiam cõciliat; cum bona. 264.2.d eius bases quinque sunt. 264.c amor turpis res impotens est, alteri emancipata, vilis sibi. 153.2.b amore & pœnis regendi subditi. 740.2.b & seqq. amorem omnia vincere, quomodo symbolicè à Gentilibus expressum. 538.1.b. amor vnius ponderis libramẽtum est, & pondus corda. 553.1.b. 806.1.a transformat amantem in similitudinem amati. 553.2.b amorem nostrum excitat Ven. Eucharistia. 725.1.a amoris Christi erga nos magnitudo. 763.2.a. 766.1.d. 2.d is quàm ignem in nos sagittas iaciat. 550.2.b amorem amori Christo qui rependant. 765.2.c quomodo is rependendus. 766.2.c

Amorrhæi inter ceteros Chananæos robore & sæuitie eminebant. 271.2.b

Amos quando prophetarit, & quid prophetet. 33.1.a. 253.2. 255.1.c. 2.a non est idem cum patre Isaia. 253.2 fuit Thecuites. ibid. fuit rusticus, armentarius. ibid.c. 254.1.d. 312.2.c fuit Oseæ coæuus. 253.2 directè prophetat ad Israel, obiter quoque ad Iudam: vtrique captiuitatem prædicit, sed Israelem remissione Messiæ consolatur. 334.1.c. 253.2.a percussus fuit ab Amasia sacerdote Bethel. 253.2.b vnde per tempora transfixus est in Bethel, sed in Thecue expirauit. ibid. quæ causa martyrij eius. 254.1.a an per biennium tantùm prophetarit. 2.a quid nomen eius sonet. 2.d. 323.1.a pastorali more loquitur. 257.1.b precibus auertit cladem ab Israel. 317.1.b. 2.a.c. 318.1.a. 2.c.d cur ei Amasias suadeat vt è Bethel in Iudam transeat, & quibus argumentis. 321.2.d. & seqq. cur & quomodo se Prophetam esse neget. 312.2.b.c ab armentis subitò raptus est à Deo factus Propheta. ibid.a quomodo se humiliando à Deo exaltatus sit. 323.1.b victitabat sycomoris. ibid. degebat in Bethel & prophetabat contra vitulos. 328.2.d

Amos Patriarcha Hierosolym. quàm onus episcopatus exhorruerit. 825.1.b

S. Amphilochius ab angelis Iconij Episcopus est consecratus. 2.b

Amphora est mensura capiens tres modios frumenti, decima pars ephi. 681.1.d qualis mensura Romanis esset ibid. amphora quam vidit Zacharias, significat mensuram peccatorum Iudæorum, punitioni eorumdem à Deo decretam. 2.a ad quos respiciat. ibid.c.d & seqq. quid significet. 685.1.a. 689.1.d. 690.1.a.c tria portendit. 685.2.a significato pœnæ eadem est cum libro volante. ibid.

Amri pater Achab rex Israel idolo latriam sæpè à Deo satisfam renouauit. 460.2.d

Anabaptistæ cur paruulos non baptizent ante vsum rationis. 396.2.b

Anachoretæ qua ratione spiritum propheticum sint adepti. 10.2.a vnde dicti sint Asceta. 365.1.a

Anatopalentria alias in vetia indicunt. 137.2.b

Anathematis impiorum & Beatorum quæ sit differentia. 847.1.c

Anatolè propriè de ortu solis dicitur. 661.1.d

Anaxagoras dixit solem esse lapidem ardentem. 837.1.b

Anacharsis in pila tusus quid tyranno responderit. 574.1.c

Angelus etiam Spiritum sanctum accipiunt. 234.2.c

Andromida fabula vnde sit sumpta. 373.1.b

Andronitis dicebatur pars domus viris deputata. 761.1.b

Angelus Romæ gladium visus est in vaginam recondere, cùm ciuitas ad vitæ emendationem redisset, in inguinaria lue. 388.1.d angelus fortis Apocalyps. cap. 5. an ad litteram sit Oseæ Prophetæ. 50.2.b angelo quomodo præualuerit Iacob. 186.1.a.b angelus inter myrteta Zachariæ cur appareat. 639.1.d.2.b. 640.2.a.b. 641.1.c quomodo mysticè inter myrteta stet. 639.2.c.d fuit hic S. Michael. 642.1.c angelus in columna nubis & ignis castra Hebræorum deducens, quomodo vocetur equus. 559.2.b angelus cur aliquando in Script. vocetur Deus. 656.2.b angeli nomine cur dictus Aggæus & Iohan. Baptista. 612.2.d angelum malum an quisque habeat, ei à Lucifero assignatum. 655.2.b angelus an Zachariæ loqueretur interiùs mentali vel imaginaria inspiratione. 642.1.d.2.a

Angeli quomodo loquuntur homini in phantasia. 25.2.a an non sint in loco nisi per operationem. 400.1.c in hominum custodia nec merentur, nec demerentur. 451.2.b an adhuc incerti sint de sua salute & beatitudine. ibid.c sunt Dei legati. 353.2.a quamlibet induere formam possunt. 639.2.d sacerdotes ijs assimilantur variis de causis. 809.1.c. & seqq. eorum munia sunt tria, purgare, illuminare, perficere. 2.b eorum est in sanctitate perseuerare. ibid.c inter eos versatur sacerdos. 659.2.b recreantur sanctis sermonibus. 600.1.a lucernis assimilantur. 669.1.a sunt milites Dei, pro eo pugnant. 775.2.d sunt Dei ministri. 677.2.a eorum symbola sunt ignis, lampades, stellæ, fulgura. ibid.b afflictis præstò esse solent. 639.1.b possunt esse simul aduocati & iudices 654.1.c sæpè in templis vigilare cõspecti sunt. 632.2.b cur vocentur oculi. 662.2.c Christo tum in passione, tum aliàs sæpè ministrarũt. 616.1.a eorum nulli incarnati fuere. 818.2.b eos an fuerit possibile carnem assumere. 789.1.b apparuere pastoribus ea ipsa hora qua natus est Christus. 615.2.c eorum perspicacitas & subtilitas. 576.1.a eorum magna vis est in omnes reges. 645.1.d eorum conspectus quàm olim esset terribilis. 2.a angeli quatuor tutores Ierusalem & Iudææ cur vocentur fabri. 1.a angeli septem primarij tutores Ecclesiæ sunt. 662.2.b.d quando eorum Script. primùm meminerit. 663.1.a hi per septem lampades, & septem agni oculos repræsentantur. 677.1.b.c angeli tutelares Iudæorum an per quatuor quadrigas denotentur. 691.2.a.b angeli tutelares sunt murus igneus Ecclesiæ & quorumlibet fidelium. 648.2.a hi verisimiliter exercent iudicium particulare cuiusque. 758.2.d

Angulus metaphoricè vocatur princeps. 752.2.d anguli cur vocentur arces & munitiones. 590.2.a

Animã diuinitatis participem esse censuere veteres philosophi. 26.1.c.d. 27.1.d eius immortalitas. 298.1.d triplici vinculo Deo colligatur. 73.1.a separata à sensibus, fit apta ad impressiones Dei, angelorum vel dæmonum recipiendas, ac per eas ad accipiendam notitiam futurorum. 26.2.b anima cuiusque est velut vrbs. 291.2.d eius quæ sit lingua. 25.1.c virgo est conditione naturæ, quomodo fiat meretrix, & quomodo castitatem recuperet. 217.1.c deserto creatore creaturas amans, adultera est. 90.2.d eius summa cum Deo vnio vnde sequatur. 68.1.a.b anima fidelis allegoricè vinea est. 158.1.b. & seqq. 2.a. 348.2.b quomodo ea colenda. 348.2.c. & seqq. est domus & templum Christi: quæ domus

domus huius partes. ibid.a *est hortus, imò paradisus Domini.* 349.1.b *quomodo is cuique colendus.* 2.a *est turris gregis, & filia Sion, & Ophel.* 429.2.b.c *quomodo arida, squalens, sitiens dici queat.* ibid.c *amans Deum, fit spiritalis, angelica, diuina, & in Deum quodammodo transit.* 153.2.d. *quomodo fiat sponsa Dei.* 81.1.d.812.2.d *peccato fit domus diaboli.* 292.2.a *eius tunc miseria & squalor.* 217.1.c *tunc est velut vrbs euersa.* 424.2.a *item cloaca & latrina.* 146.2.b *anima pœnitens quomodo ad Deum reuertatur.* 76.1.b *& Deo tunc æquè grata est.* 78.2.b *anima arida non parit nisi monstra & venena vitiorum.* 74.2.a *anima per antiphrasin aliquando ponitur pro cadauere* 626.1.c *anima vita est pietas, quam tollit impietas.* 687.1.d *anima est tropologicè currus; & quinam eius equi.* 556.1.d *anima per virtutes & cruces expolienda.* 664.2.b.797.2.c *anima Christi quàm perfectè à Spiritu sancto ornata, Verboq; adaptata sit.* 664.1.b *anima sancta allegoricè est terra desiderabilis.* 831.1.c *in cælo perficietur.* 529.2.a *cælum est.* 665.1.c *ab angelis sæpè visitatur.* 632.2.b *eam decet sanctitudo.* ibid.c *in ea non minùs Deus colitur, quàm in templo.* 663.1.d *in ea Deus præsens est & præsidet.* 2.b *in ea substantialiter Deus habitat.* ibid.c *dignè cum Deo conuersetur.* ibid. *anima beata sanitas erit triplex.* 839.2.c *anima & caro tropologicè sunt Iacob & Esau.* 352.2.d *animas fornicantes qui conuertunt amuli sunt Osee fornicariam ducentis.* 57.2.c *eas qui curant, periculis à Deo eximuntur.* 383.2.d *animæ diuersis artibus à dæmone decipiuntur.* 137.2.a *eas conuertere volens Siren fit oportet.* 404.2.c *animarum ad Christum conuertendarum tempore Euangelij quanta futura copia.* 347.2.c *animas quales Christus ad inferos descendens è Purgatorio liberarit.* 200.1.d *anima peccantium sunt plena mendacij.* 498.2.c *sunt quasi ficus in os diaboli cadentes.* 504.1.a *animas ante Christi mortem iuisse ad cælum docent Caluinistæ.* 718.1.d

Animalia paruum habentia cor generosa sunt, quæ verò magnum timida. 2.1.c *quæ eiusdem generis sunt, in periculo mortis congregantur.* 98.1.c.782.1.c *quomodo ab auctore naturæ cibum & potum sibi congruum petant.* 227.1.b *animalia parua magnum Dei artificis sunt artificium.* 315.2.d *animalia παρχαράττοντα quæ sint.* 379.1.c *animalia duo, in quorum medio cognoscendum Christum Propheta ait, quid sint & quid significent.* 544.1.c. *& seqq. omnes animalium species quæ sunt in terra, proportionaliter sunt & in mari.* 520.1.d

Anna mater Samuelis quàm erga Deum grata exstiterit. 155.2.b

Annas & Caiphas fuere pastores peruersi. 748.1.c

Annulo ferreo olim vsi Romani, postea aureo. 493.1.c *eo literas & testamenta obsignabant.* 629.1.b *in digito cur is gestaretur.* ibid. *dabatur legatis missis ad exteras gentes, item victoribus & triumphantibus, sed maximè amicis.* ibid.c *inter sponsos erat signum mutui amoris.* ibid.d *est signum fidei coniugalis.* ibid. *priscis habitus est symbolum prudentiæ.* 2.a.37.2.d *varij annuli tum magici, tum artificiosi, recensentur.* 629.2.a.b

Annus in æstatem & hiemem diuiditur. 461.2.d *annum Hebræi vocant* iamim, *id est dies, cur.* 92.2.d. *annus magnus quis Mathematicis sit.* 70.1.a *annus septimus Hebræis erat totus sacer.* 330.1.c *annorum quibus Prophetæ prophetarunt, subductio.* 32.1.a.& seqq. *anno lunari vtebantur Iudæi, is* XI. *diebus minor est anno solari.* 603.2.b *bi annum & menses duplices habebant.* ibid.a *anno sacro vtebantur ad sacras; quis primus eius mensis.* 603.2.a.b.c.638.2.a.707.2.b *profanus quando inciperet.* 603.2.b *annus sæpè capitur pro clade insigni quæ tali anno contigit.* 542.1.b *an tot anni futuri sint post incarnationem Christi, quot ante eam præcesserc.* 543.1.a *anni 70. desolationis templi & vrbis quando incipiant & finiantur.* 603.1.d.643.1.b.c.22

Antichristus cur sedem in Ierusalem constituturus sit. 107.1.d *eum dabit Deus Iudæis & improbis furore suo.* 196.1.b *ipse aliquomodo vocari potest ventus vrens.* 201.2.c *colet Deum Maozim, est fortitudinum.* 524.2.d *eum quomodo Christus in fine sæculi per plagas horrendas perditurus sit.* 689.2.b.555.2.a.781.2.c *per tres annos cum dimidio Ecclesiam opprimet.* 673.2.d *an in Babylone regnum sit inchoaturus.* 689.1.a *an ibi nasciturus.* ibid. *eius typus fuit Nabuchodonosor.* ibid.b *in Christianos sæuus, in Iudæos benignus futurus est: eius mors & scelera describuntur.* 748.1.d *volet à suis vt numen adorari.* 2.a.749.1.a *eius qui fuerint apud Iudæos prodromi.* 748.1.b *eius persecutio quàm grauis futura sit.* 770.1.d *huius typus fuit Antiochi & Pharaonis persecutio.* 771.1.b *ex monte Oliueti deturbabitur in tartara.* 771.2.d.774.1.c *Iudæus erit angelus testamenti.* 689.2.c.820.2.a

Antiochia vrbs dicta Emath hebraicè. 305.1.c *eius situs.* 2.a *cur ab Amos dicta Magna.* ibid. *qui eam condiderint.* ibid. *eadem vocatur nunc Antiochia, nunc Epiphania, nunc Reblata.* ibid.b *fuit terminus terræ sanctæ ad Septemtrionem.* ibid. *eam Salomon validè communiuit: obtinuerunt eam deinde Syri.* ibid.c *postea ab Alexandro Magno occupata, & ab Antiocho illustrata est.* ibid. *quomodo ponatur aliquando intra fines Damasci.* ibid.d *vrbes decem sunt dictæ Antiochiæ.* 306.1.b *cur dicta Hebræis* Chamat, *& Chamma, id est sol.* ibid.d *hæc postea, Nestorij hæresim amplexa, ingenti terræ motu concussa est.* 256.2.b

Antiochus Epiphanes cur accipitris cognomen assumpserit. 180.1.a *dira à Deo morte punitus fuit.* 261.2.b.607.2.c.753.2.a 781.1.d *fratris filium regno æterno exclusit, hinc perpetua bella fuere inter vtrosque posteros.* 264.2.b *eius persecutio fuit modica temporis.* 691.2.b

Antiochus Sedetes Iudæam vexans repentè diuinum tactus fœdere inito recessit. 753.2.b

Antipas Martyr testis fidelis Dei. 182.1.b

Antistites omnes Christo comparati parui sunt, & vmbra dumtaxat. 605.2.c vide *Prælati.*

S. Antonius corpore perquam fuit exiguus, monstrum tamen memoriæ, doctrinæ, sanctitatis. 675.1.c

M. Antonini Philosophi Imp. in vxorij adulterij lenocinium. 54.2.d

S. Antonius, Deo vidente cum dæmonibus luctabatur. 597.1.b *suos monuit, semper sibi persuaderent, vltimum diem vitæ vltimum fore.* 586.1.a.847.1.d. 444.1.b

S. Antonius de Padua omnes vita sua ad perfectionem animabat. 11.1.d

Apellis hæretici blasphemia de Prophetis prisci. 52.d

Aphra verti potest *vt appellativum, significans pulve-*

Anni S. initium 707. 2. b. c.

Antiqua 346. 2. c.

rum. & vt proprium vrbis. 405.1.c.d *& seqq.*
topologicè mortem denotat. 408.1.b
Apparatus Eremitæ responsum ad Valentem Imp. Arianum. 278.1.c *precibus locustas à cuiusdam agro depul.* 213.1.b
Apes coluerunt Aegyptij , & Hebræi in Aegypto degentes, & in deserto sub forma vituli: renouauit hunc morbum rex. 154.2.c.160.2.c 164.1.d. *eius forma.* 161.1.b
Aqua viridi, ægri sanantur pisces. 522.1.b
Apocalypseos prophetiæ multæ adhuc futuræ sunt : eas particularibus euentibus accommodare , error est. 302.b
Apollinis & citharam & sagittas tenentis quod sit hieroglyphicum. 766.1.c
Apologetes habet partes, μῦθον, προμύθιον & ἐπιμύθιον. 275.1.c *apologis cur frequenter vtantur Prophetæ.* 23.1.b
Apostatæ à fide vel Ordine sunt onagri solitarij. 147.1.a
Apostoli an comederint carnes , & biberint vinum. 11.2.c *sunt tessæ Dei fideles.* 181.2.d *propter vnum Iudam tempestate iactati sunt.* 373.2.b *cur Christo eunte ad passionem dormirent.* *ibid.d* *sunt saluatores Israelis, cur.* 365.1.c *sunt vinitores vineæ Domini.* 83.2.c *eorum plerique è Nephtalon & Zabulon prognati.* 64.1.d.65.2.b.719.2.b.720.1.c *quomodo è Iudæa in Hispaniam mystice excurrent , atque inde in Africam, &c. vt incolæ Christo subijciant.* 363.2.d *gentes vicinas Iudææ Euangelio paulatim subegere.* 362.2.d. *figura eorum est Ionas missus in Niniuen ad prædicandum.* 370.1.a *quomodo sunt velut leones.* 448.2.b.c *euangelium prædicantes, passim à variis gentibus vrbibusq; vicinis cogebantur , vt pari modo apud se euangelizarent.* 348.1.a.b *montibus multum dulcissimum stillantibus comparantur.* *ibid.c* *sunt velut pastores & principes Ecclesiæ.* 447.2.d *quomodo sint duces Iudæ.* 754.1.d.2.a *igniti fuere & ardentes.* 2.a *quibus instrumentis orbem conuerterint.* 511.1.d.710.2.b *sunt patriarchæ noui testamenti.* 721.2.a *gladio assimilantur.* 722.1.b *doctrinâ suâ mundum illustrarunt.* 669.1.a *quomodo verè Iudæi mystice fuerint.* 709.1.d *quomodo familia & domus Dauid vocentur.* 756.1.d *verbis & opere prædicauerunt.* 604.2.b *arcubus comparantur.* 719.2.b.720.1.c *sunt quasi quadriga Christi.* 694.1.b *equis generosis assimilantur.* 556.1.&732.2.a *sunt nues, nubes, venti, fulgura.* 731.2.c *fuere viri portenti.* 660.1.c. *per equos ipsa mystice repræsentantur.* 692.2.a *quomodo sint mystice filij Leui.* 824.1.d *ipsis Christus submittit omnes gentes.* 652.1.c *eorum fuga in passione Christi.* 768.1.c *eos Græciam Christi fidei subiugaturos à Prophetis prædicitur.* 720.2.a *horum filij sunt viri Apostolici & prædicatores.* 394.2.d *ipsis Deus iter difficultatum permanens velut fecit ad orbem Euangelio subijciendum.* 738.2.d.736.1.b *ipsis quomodo Christus sit imperatus.* 670.2.b *eorum sermones ardentes fuere quasi lapides fundæ.* 720.2.c *eorum zelus & victoria.* *ibid.d* *fuerunt quasi grex electus à Deo.* 721.1.b *item lapides primarij & sancti.* *ibid.c*
Appius ab Homero euocato ab inferis quid petierit. 598.2.d
Aquæ ad patres quid sit. 98.1.d
Apum industria in paruo corpore. 1.2.d.2.1.c
Aqua si effundatur, nihil eius vasi adhæret. 115.2.c *aquæ pluuiæ quomodo dicantur in nubibus ligari.* 109.2.a *aquæ quomodo Ionam penetrarent.* 381.1.a *aqua est aër crassior.* 520.2.c *symbolum est refrigerij.* 718.2.a *item populi copiosi.* 493.2.c.494.2.b *aqua maris salsa quomodo pisces nutriri queant.* 520.2.a *aquâ expiationis apud Iudæos tollebatur omnis immunditia legalis.* 764.1.b *est hæc typus sanguinis Christi.* *ibid.c* *aqua Virgo Romæ omnem aliam aquam refugit.* 729.2.a *aquæ viuæ vocantur fontanæ.* 777.2.b *aquæ ductus Iudæorum & Romanorum fuere vt miracula.* *ibid.c*
Aquilæ vulturinæ an clangant. 141.2.c *earum vox quàm ceteris auibus terribilis.* *ibid.* *ea in Script. non rarò aquilæ vocantur.* 142.1.a *aquila verapenè muta est, idq; ex animi magnitudine, qua animæ affectus regere nouit.* 141.2.d *prædam viuam quærit.* 142.1.a *toto corpore depilatur, cùm senescit.* 411.2.a *an solo capite decalueatur.* *ibid.c* *cùm ei defluunt pennæ, infirma est, & se abscondit.* 1.b *ipsa se depilans & renouans symbolum est pœnitentis.* 2.d *& peccatoris ac resurgentium ad gloriam.* 412.1.a *aquilæ in montibus an nidificent.* 354.1.c *ijs assimilantur sapientes superbi.* *ibid.d* *eas Chaldæi, & postea Romani, in vexillis præferebant.* 516.2.b
Aquilifer Romanis vocabatur ipse signifer. *ibid.*
Aquilo symbolicè est diabolus. 229.2.a *Aquilo in Italia & Romæ salutifer est.* 547.2.a *Aquilo & Auster quid symbolice denotent.* 547.1.d.774.1.a.d
Aquilonaris ille tyrannus , quem significat Ioël venturum contra Ierusalem, quis sit. 229.1.a.c
Arabes latrocinijs erant infames. 515.1.c
Arabia Iudæa erat ad Austrum. 547.2.b *eam Script. vocat nomine Aethiopiæ.* 393.2.c *eius flumina.* *ibid.d*
Arabica interpretatio Bibliorum duplex est. 5.2.d
Aranearum quoddam genus, quod alios ridendo cogit emori, alios flendo, desiderio suorum. 295.2.d *aranearum telas sibi texit quilibet peccator.* 145.1.a
Arare *Hebræis idem est quod operari & colere.* 165.2.c
Arationem incipientes, solebant Gentiles sacrificare dæmonibus, petentes fertilitatem. 1.9.2.b
Aratrum olim circum vrbem ædificandam ducebatur, & ei iam euersæ idem inducebatur. 425.2.b
Arbaces rex Assyriorum post Sardanapalum. 390.1.b
Arbel *quis locus, vel princeps , & vnde vrbs illa appellata.* 169.1.a *verisimilius est, idem esse per crasin quod Ierobaal, id est Gedeon.* *ibid.c*
in Arbitrio cuiusque est , quamdiu viuit , vel bene agere, vel malè. 178.1.c *item salus vel damnatio.* 847.1.a
Arbor scientiæ boni & mali putatur fuisse ficus. 324.1.c *arbores incisæ in Brasilia dant potum.* 75.1.b *arbores amisso cortice exarescunt.* 216.2.a
Arca testamenti Ecclesiæ triumphantis typum gessit. 250.2.c *ei quasi currui bellico gloriæ suæ Cherubinis stipatus Deus insidebat.* 555.2.c *erat hæc velut quadriga.* *ibid.* *vocatur gloria populi Israel.* 639.1.a *non fuit in secundo templo, sed ad eius imitationem effecta alia.* 611.1.b
Arcana Dei iudicia non sunt scrutanda. 510.2.a
Arces nidi sunt tyrannorum. 354.2.a

Archi-

Architecti libellâ cur vtantur. 644.1.d
Arcturus quæ sit stella ; est stella ingens in sidere Bootis post caudam vrsæ maioris. 293.2.a *quando oriatur; suo ortu & occasu grandines & procellas ciet.* ibid.b.c *ei Ecclesia comparatur.* 294.1.d
Arcus dolosus quis dicatur , & quomodo efformetur. 140.1.a *arcus magni pedibus intenduntur.* 719.2.b
Areopagitæ iudices noctu cur iudicarent. 811.1.a
Argenteus olim fuit medium sicli , & duplum denarij. 744.1.c
Argentum omne Dei quomodo sit. 610.1.c.d
Arietem agentes , latebant sub testudine ; eius forma. 493.1.d
Arimazis superba ad Alexandrum Magnum responsio. 354.1.b
Aristippus Philosophus aulæ regum sectabatur. 570.2.d
Aristobulus Simonis Machabæi filius Tyrum expugnauit. 712.2.d *cum Hyrcano de pontificatu decertans causa fuit cur Iudæi a Pompeio subacti sint.* 739.1.b.747.1.b
Arma hostium bello capta suspendi solent Deo, vt illi victoria accepta referatur. 431.2.c
Armenia Hebræis dicitur Aram *vel* Harmon *ab Aram filio Sem, in eius montibus primùm quieuit arca Noë: est prouinciis omnibus excelsior.* 283.2.b.c
Armenta sunt maiora animalia , & vnde voxipsa formetur. 322.1.c
Armus dexter victimæ pacificæ sacerdoti cedebat , quid hoc tropologicè declararet. 807.1.a
Arrius Christi diuinitatem & aternitatem negabat. 442.2.c *eius schisma cælesti prodigio prænotatum* 773.1.c *successus est à Concilio Nicæno.* 646.2.b *eius feralis mors.* 781.2.b
in Arrij Philosophi professoris Alexandrini gratiam Alexandria victa pepercit Augustus. 501.2.d
Artaxerxes ad templum Hierosol. sumptus & oblationes misit. 700.1.c
Artaxerxes Longimanus an fuerit Darius is , sub quo prophetauit Aggæus. 602.2.b.c *sextus Persarum rex fuit.* ibid.c
Artes mechanicæ etiam Dei dona sunt. 615.1.a
Asa rex Iuda millionem Aethiopum cecidit, & an huius victoriæ meminerit Abdias. 343.2.a
Asarhaddon rex Assyriorum an fuerit Sardanapalus. 390.1.a 487.1.a *victus est à Merodach Baladan, fuitq; vltimus Assyriorum rex.* 488.2.b *sobolem regni successorem non reliquit.* 484.1.c
Ascalon a Ionatha Machabæo incensa, postea readificata fuit, illic natus Herodes Magnus; hodie Saracenorum propugnaculum est. 713.1.b *quàm Ascalonitæ infideles , Christianis olim infensi fuerint.* ibid.c
Ascendere *Hebræis idem est quod ire, pergere.* 245.2.a *est verbum militare & forense.* ibid. Ascendere *capitur interdum pro crescere.* 69.2.d
Ascensio Dei quæ dicatur. 340.2.d *ascensus cur dicatur transitus à gentilismo & iudaismo.* 692.b
Asia minor olim paradisus, iam multis in locis inculta squalet. 323.2.c
Asina typus est Iudæorum oneri legis assuetorum. 716.2.d *item animæ mitis & humilis.* ibid. *super asinam Christus sedit in suo triumpho , non asinum.* ibid.b *sedit super asinam & pullum succedaneum.* ibid.c
Asini in Palæstina equis pares sunt velocitate , & eadem officia præstant quæ equi & muli. ibid.a *asinus asinâ est in remissione operis deterior.* ibid.b *asinus & bos à quo adducta in stabulum in quo Christus natus est.* 544.2.d *asinus denotat lascivos, gelosos, pigros.* 546.1.d
Aspicere *aliquando sumitur pro delectari.* 430.2.d
Aspiratio Hebræa H sæpè per A. vertitur. 218.2.c
Aspirationes quædam piæ ad Iesum per diem vsurpandæ. 620.1.a
Assuerus habebat septem principes sibi astantes. 447.2.a *Assuerus & Cyaxares an idem sit rex.* 487.1.c *Assuerus idem est qui Darius; erat hoc commune Persarum nomen.* 639.2.c
Assyrij sub specie locustarum , aliquando Prophetis demonstrati. 315.2.c *eorum auis cur dicatur columba* 180.1.c *cælestem vindictam Sennacherib quomodo expresserint.* 147.2.d *cur Assyrij vocabantur quiuis potentes tyranni, siue Græci essent , siue Persæ.* 434.1.d.446.2.c *significant quoque quoslibet hostes Ecclesiæ, item dæmones.* 434.1.d 446.2.c. 447.1.b *eos intelligit Michæas per filiam latronis & latrones.* 433.1.a *cur equis rufis comparentur.* 693.1.b *cur spinis.* 483.1.a *cur comparentur leonibus.* 496.2.b *cur columbam colerent.* 588.1.b *respectu Iudææ ad Aquilonem siti sunt.* 584.2.c *eorum reges varij post Sardanapalum recensentur* 475.1.b *eorum monarchia quot annis steterit* 489.1.d *sub Babylonijs sæpè ab historico promiscuè capiuntur.* 487.1.b
Astomi an halitu & odore attracto solùm viuant. 500.2.b
Ἀστραπὴ *dicuntur quasi* ἀστεροπή, *id est fulgur.* 557.1.b
Astronomici annuli ad quid formentur. 629.1.c
Astyages filius Cyaxaris regnauit post patrem in Media. 489.1.c *& quando.* ibid.a.b
Atargatis dea erat constata ex muliere & pisce : vnde id nomen deriuetur, quomodo coleretur. 524.2.b
Ate Dea è cælo deturbata , in terra hominibus nocet. 551.2.a
S. Athanasius, quasi Atlas Ecclesiæ , vnus stetit pro fide contra Arrianos. 181.2.d.646.2.b *modico flexo vocis faciebat sonare lectionem psalmi.* 299.2.a *episcopatum renuens, a Deo ad eum vocatus, eum acceptauit.* 372.2.a.825.1.a
Athei putant animam esse mortalem. 198.2.d
Athenienses magistratus sorte creabant. 374.2.b
Athleta cur se vngerent oleo & luto. 332.1.a
Atra omnia videntur mœstis & pauidis. 247.1.b
Attacus vel attelabus est locusta alis vestiri incipiens. 221.1.a 501.1.b
Attributa omnia in Deo habent verum esse , in creaturis vmbram essendi tantùm. 314.2.a *attributa Dei quindecim nobis imitanda sunt.* 225.1.a & seqq.
Auari cuiusdam mortui cor in arca nummaria repertum. 138.1.c.175.1.b *auarus dicitur quasi auidus aris.* 337.1.b *quomodo se ad Deum conuertet.* 202.2.b *est velut dolosus mercator.* 89.1.a *auarus mille habet artes capiendi opes alienarum, & quidem occultè.* 326.2.a *infernus est similis , cur.* 338.2.d *item insanienti.* 339.2.a *fidem & gratiam perdit.* ibid. *quod auide congessit , heres luxuriosus sæpè prodigit.* ibid.b *eius oculi , aures & pedes quales sint.* ibid.d *auarus suum facit idolum.* 144.2.a *perpetuò somniat de sua pecunia.* 337.1.c *tutto Dei iudicio pœnitentia punitur.* 330.2.d *ei Deus dat opes ad supplicium & inopiditatis.* 620.2.d
Auaritia & luxuria sunt duæ filiæ diaboli & insaniæ.

bile. 533.1.c. illa idolorum est seruitus. 144.2.a. 307.1.c. 575.1.a. per aruginem designatur. 214. 2.a 239.1.a. eius symbolum est dipsas serpens. 338.1.c. auaritia in capite esse quomodo intelligatur. 337.1.b. ex ea manant omnia mala Ecclesiæ. ibid.d. ipsa duriora iubet quàm Christus. 338.2.a. aliæ eius & auarorum proprietates è SS. Patribus afferuntur. ibid. & seqq. est bonorum diuinorum officiorum. 339.1.a. militat diabolo. ibid.b. hominem oculis, auribus, pedibus truncat. ibid. comparatur hydræ, Briareo centimano, & Scyllæ omnia forbenti. ibid.c. tam animæ auari, quàm corpori proximi lethale sæpè vulnus infligit. 338. 1.b. cur vocetur ignis. 460.1.a. auaritia mala quæ dicatur à Propheta. 532.2.d. & seqq. quæ auaritia bona sit. ibid.d. auaritiæ quanta sit vis. 533.1.b. instar vini inebriat hominem. 530.2.c. assimilatur amphoræ quam vidit Zacharias, hanc superbia & inanis gloria in altum leuant. 690.1. c & seqq. eius pœna congrua est egestas. 806.1.d.

Aues quatuor diuersa significat. 428.1.a

Auctor alicuius rei, in Script. quis esse dicatur. 29.2.a.

Auctor cur in Prophetas hunc commentarium scripserit. 5.2.c. eius breuitas. 6.2.d. eius in Scripturis volutandis assiduitas. 16.1.d. Deo, si quid in eo potest, acceptum refert. 2.a.b

Auersurus quis Deus Gentilibus esset. 596.2.c

Auertuncare idem est quod auertere. ibid.b

Auis cui aut pullis sublatis è nidi loco fugiunt. 137. 1.a. aues paleutrio quæ. 2.b. auis Aegypti est ibis vel accipiter, cur. 179.2.b. aues aliquæ volant in aëre, & natant in aqua. 521.1.b. angeli, symbolice aues cur dicantur. ibid.c. aues penè omnes cum sole occidente dormiunt, cum oriente canere incipiunt. 838.2.c

S. Augustinus quàm difficulter se à concubinatu expedierit. 167.1.c. quomodo eum & amasiarum consuetudinem tandem discusserit. 419.1.b. inimicus fuit diacritatis mensalis. 483.1.c

Augustus Imp. obitus. 20.1.a. moriens Romam reliquit marmoream. 406.1.b. eius libidines imitatæ sunt duæ Iuliæ, filia & neptis. 105.2.d. eius ossa legerunt primores equestris ordinis. 331.1.b. ægrè tulit Romanos palliatos incedere. 571.1.b. quibus de causis pepercerit Alexandriæ. 501.2.d. Græcorum Aegypto monarchiam extinxit. 695.1.c. vidit virginem Deiparam infantem vlnis gestantem; cur puero Hebræo nascituro aram in Capitolio erexerit. 616.1.b. an Iani templum ter clauserit. ibid.d. cur amplius Dominus noluerit nominari 2.d. 86.1.d. factus orbis monarcha, Christi fuit præcursus. 717.2.a

Aurelianus Imp. quomodo Romam auxerit. 386.1.b

Aurei corporis in Scriptura significat aurem mentis, pro voluntatem. 18.2.a

Aurora comparatur Christi ortus tum diuinus, tum humanus. Hosea 10.1.a,b 122.2.d

Aurugo quod vitium segetum sit. 286.1.b.c. 627.1.d. vide Rubigo.

Aurum est occultus hominis tyrannus. 189.1.c. eo expugnantur omnia. 173.2.a. aurum infectum quid dicatur, quid factum, quid signatum 762.2. a. expurgatur per plumbum, non per stannum. 676. 1.c. aurum est auari idolum, & cur. 575.1.a. defodiebant id Babytaceni. 495.1.b. quando primùm Romam inuectum. ibid.d. cur palleat. ibid. in Vtopia Mori non æstimatur. 2.a. auri quantum Dauid filio pro templi fabrica reliquerit. 624.1.d. id ein Cornel. in Proph. Min. vanitas 795.1.b.

omne disperiit vel incendio, vel rapinâ Chaldæorum. ibid.

Auster vnde hebraicè dicatur Theman. 547.1.c. cur dextera pars mundi vocetur: symbolum est felicitatis & bonorum. ibid.d. in Italia noxius & pestifer est. 2.a. mysticè quid sit. ibid.d. est ventus vitalis, calidus & fœcundus. ibid.

Australium prouinciarum conuersio ad Christum, in Scriptura prædicta est. 363.2.d

Autumnus tempus fructuum est. 461.2.d

Azael rex Syriæ Israelitas victos ferreis plaustris triturauit. 260.2.a.c

Azoti tempore Christi habitarunt Iudæi. 714.1.b

BAal, Baalim, Bel, Bal, Belus, erat Iupiter Belus, primus Deus Chaldæorum. 76.2.b. 86.1.b

Baal hebraicè quid significet. 77.2.d

Baal pharasim quis sit locus. 102.1.b

Babylon à Nemrod, non à Nabuchodonosore, condita. 29.2.a. quanta olim fuerit magnitudinis. 386. 2.c. quando à Dario Hystaspis expugnata. 649. 2.c. quomodo ea expugnatio peracta. ibid.d. eius structura quomodo & cur superbiret Nabuchodonosor. 533.1.a.b. ipsa sedes idololatriæ & impietatis est. 684.2.c.d. 689.1.c.d

Babylonij cur in bello vestibus rubris vterentur. 693. 1.d. eos subactos cur Xerxes insserit voluptatibus indulgere. 10.2.c

Babytaceni aurum defodiebant, ne cui esset noxæ. 495. 2.b

Bacchanalibus grassatur impietas: hinc eo tempore Dei indignatio precibus auertenda. 690.1.a.b. hæc sugillantur. 752.2.d

Bacchus vites inueniens est noster Noë. 372.1.c

Baculo diuinatorio diuinabant veteres. 104.2.a

Balaam quid suaserit regi Balac ad perniciem Israelis. 454.2.a.b

Balena non fuit cetus qui Ionam deuorauit. 378.1.b

Balsasar à Cyro cæsus factus est fabula omnibus gentibus. 531.2.d

Baptismus an sit fons patens domui Dauid. 762.2.c. paruulos iustificat ex opere operato. 365.2.b

Baptizatis olim mox à baptismo dabatur Eucharistia. 729.2.a. quamdiu is mos durarit. ibid.c

S. Barbara in tormentis semper Deo sisa est. 588.2.a

Barbari etiam symbolis in scientiis suis vsi. 6.2.b

Barchocebas fuit stultus Iudæorum pastor. 748.1.c

Barlaam Eremita non alios vitæ annos computabat, quàm quos Deo dedicasset. 606.2.c

Basilica quid propriè diceretur. 322.1.b. 493.2.d

S. Basilius in eremo orationi & sacrarum Litterarum studio vacauit. 80.2.b

S. Bauo quomodo dæmonem tentantem confuderit. 657.1.a

Beati perpetuò laudant Deum. 251.1.c. an linguâ Hebræâ. 593.2.b. eorum gaudia in cælo erunt æterna. 444.1.b. ibi seruiunt Deo labio vno electo. 593.2.a. quos Deo ibi hymnos concinant. 564. 2.a. sunt peculium Dei. 833.1.d. 834.2.b. sunt de gloria securi, nihil mali sentiunt. 834.2.c. 299. 1.a. in die iudicij cur optabunt egredi cælo. 653. 1.a. sunt anathema misericordiæ & gloriæ diuinæ. 847.1.c. quibus nominibus Deum assiduè laudent. 794.2.c. stupent eius gloriam silendo. 537. 2.a. quomodo saliant, & quo sensu. 841.1.b.c. eorum chori & choreæ. ibid.c. quomodo impios sint conculcaturi. 2.c

Beatitudo est nosse Deum. 97.1.b. beatitudo nostra

b consistit

Belial. 485. 2. l

consistit in visione Dei. 24.2.b

Bedæ an sit liber de Diuinatione mortis & vitæ. 375. 1.a

Beelphegor colebatur fornicando iuxta eius idolum. 270.2.b

Beeripater Oseæ, an idem cum Beera principe tribus Ruben. 51.1.c

Belgij prouinciarum præcipuarum elogia. 406.1.c

Bella perpetua cur fuerint inter Syros & Israelitas. 260.2.a. item inter Moabitas & Ammonitas. 268.1.a. bellorum strages sæpè præcunt locustæ, bruchi & erucæ. 213.2.b. quod belli signum priscis Romanis erat. 328.2.a. bello capti quasi mancipia detondebantur. 411.1.a. bellum sanctificare quid sit literaliter & tropologicè. 244.2.b.c. bellum sanctum quod dicatur. 151.1.b

Belomantia vtebantur veteres. 104.2.b

Belus cur vocetur sagena Nabuchodonosoris. 524.2.b. is erat Deus Chaldæorum. ibid.c

Benadad commune nomen regum Syriæ à primo eius rege Adad. 261.2.d

Benedictini monachi ob nimias opes à primæua sanctitate deciderunt. 81.2.c

Benedictio Abrahæ & Israeli promissa pertinet ad eos omnes qui credunt in Christum. 66.1.a. quæ de benedicendis in eo omnibus gentibus, impleta est in Christo. 628.2.c. benedictio religiosa vitæ quæ sit. 632.2.b. benedictionis nomine vocatur imber copiosus. 830.1.d. benedictio & bona dantur à Deo piis. 626.2.d

Benedictus Papa Henrico Imper. Romam ingresso pomum aureum cruce aurea desuper eminente dono dedit. 326.2.d

Beneficentia de inimicis amicos facit. 741.1.d. propria Prælatorum & principum virtus est. 2.c

Beneficiis trahuntur homines. 172.2.a. in Beneficiis Ecclesiasticis dandis illicita sors est. 376.2.a. beneficia Dei quam à nobis gratiarum actionem exigant. 564.2.d

Beniamin tribus cum Iuda in vnam rempubl. & Ecclesiam coaluit postea. 652.2.b

Benignitas Dei in peccatores. 224.1.c

S. Bernardus orando S. Scripturam intellexit. 15.1.b. eius ad Iesum suspiria. 619.2.a

Bersabee erat terræ sanctæ terminus ad Meridiem, vnde dicta sit: ponitur inter vrbes Iudææ eius descriptio. 292.1.b.c

Bestiarum sit varitas vastatis vrbibus & locis. 568. 1.b. bestiis variis assimilantur vitia, & deiis deditis. 165.1.d. etiam bestiæ ad Deum clamant. 391. 1.a. vide Feræ, Bruta.

Bethaetsel accipi potest Primò, vt nomen proprium loci; Secundò, vt appellatiuum, significans domus vicina. 407.1.c

Bethauen vocantur decem tribus schismaticæ, cur. 4.1.c. ignobilis vrbs Iudææ fuit. 107.2.a. ita vocatur Bethel per antiphrasin. ibid.b

Bethel fuit vrbs celebris, primò sanctitate, postea idololatria. 107.2.a. 701.2.a. in ea Ieroboam posuit vitulos aureos: primò dicta est Luza, sed a Iacob dicta Bethel. ibid. 334.1.a.b. à Prophetis per antiphrasin dicitur Bethauen, id est domus iniquitatis, vel nihili. 107.2.b. erat in tribu Beniamin. ibid. quomodo tropologicè Bethel fiat Bethauen. ibid.c. ibi reges Israel commune regni sui fanum erexerunt. 314.1.b. hinc hoc nomine vocantur decem tribus. 4.1.c

Bethlehem, id est domus panis, vnde dicta. 434.2.b.c. eius situs & amœnitas. ibid.b.d. tempore Mosis necdum Bethlehem vocabatur, cur verò ita in Genesi nominetur. ibid.c. iuxta eam est spelunca in qua natus est Christus. ibid.d. erat respectu Ierusalem quasi ruralis pagus. 435.1.a.b. cur dicta Ephrata prius. ibid.b. quatuor habuit nomina. ibid.d. erat duplex Bethlehem, vna in Iuda, altera in tribu Zabulon. ibid. quomodo minima sit, & non minima. 2.d. quare à Propheta dicatur paruulus es, masculinè, non paruula femininè. 436.1.d.2.a.c. quomodo sit parua in millibus vel principibus Iuda. 437.1.b.c. eius ciues multi illustres recensentur. 438.2.c.d. ipsa fuit regiæ stirpis seminarium. ibid.d. in ea Samuel vnxit Dauidem in regem. ibid. vnde vocetur ciuitas Dauid. ibid. & 435.2.a. est totius terræ horreum, quia in ea natus panis mundi. 439.1.d. eius gloria & maiestas ex hoc suo ciue. ibid. SS. Patres eam variis laudibus celebrant. 2.a. & seq. in Bethlehem apparuit stella stetitq; apparens Magis. 440.2.d. est mundi oriens, & orbis metropolis. ibid. eam Hadrianus Imp. profanauit erecto ibidem Adonidis simulacro. 2.a. postea erexit ibi Helena Imp. basilicam, & eius descriptio. ibid.b.c. eius schema sunt templa Christianorum. 441.1.c. quomodo omnes nos fieri possimus Bethlehem. 2.a. est ad Austrum respectu Ierusalem, in ea nasciturus prædicitur Christus. 547.2.d

Bethlehem princeps opido Bethlehem nomen qua occasione imposuerit, eius stirps numerosa. 434.2.c

Bethon & Bethauen idem est. 1142.b

Bethulia sita erat è regione maris Tiberiadis. 219.1.d

Betis Gazæ præfectus, ab Alexandro, vrbe expugnata, circum vrbem raptari iussus est. 713.1.c

Bezeta erat noua vrbs & extima Ierusalem. 780.1.d

Bias quid responderit sceleratis Deos in tempestate inuocantibus. 574.1.d

Bibacitas nonnullorum. 535.2.b

Bibere in Scriptura dupliciter sumitur. 318.2.d

Biblia sunt liber sacerdotalis. 808.2.c. eorum interpretatio LXX. interpretum Alexandria procurante Ptolemæo rege adornata est. 502.1.b

Bibliotheca Alexandrina quot librorum millia habuerit, à quo instituta & aucta. ibid.

Bisarionis monachi misericordia. 1262.d

Bona Ecclesiarum non sunt in laicorum vsu impendenda. 337.2.c. è bonis damnatorum sacrificabant Gentiles. 271.1.c. bona præsentis sæculi lenia sunt, & sensu paruulos oblectant; sapientibus autem celestia, contemptibilia sunt. 326.1.d. vix vno die durant. 395.1.a. ea sæpè Deus dat hostibus suis, negat amicis. 511.1.d. ad bona temporalia Iacob dilectus fuit præ Esau. 793.1.b. quæ bona nobis præstet & præstiterit Iesus. 562.2.a. bonorum spiritualium quanta futura copia tempore Euangelij. 347.2.c. quæ sint bona spiritualia Ecclesiæ & animæ sanctæ, quæ peccando ipsa amittit. 220.1.a

Bonum Hebræi vocant id, quod prosperum & iucundum est. 413.2.c.415.1.c. item pro consolatorio. 644.1.a. omne bonum nostrum à Deo pendet. 457.2.b. bonum omne omnium creaturarum, in Deo totum collectum est in simplicem vnitatem. 63.2.a. qui bonum operantur ob inanem gloriam & quæstum sordidum, ventum seminant, & turbinem metunt. 145.2.b. summum bonum, summè est beneficium. 125.2.c.d. bonum orbis est Iesus & Maria. 435.1.b. bonum summum quas conditiones habeat. 588.2.b. bonum oritur ex integra causa.

Bellum externum & pax interna. 502 a.

causa. 626.2.a
Amosij de presbyteris sui aui sententia. 824.2.b
Amph Imp. vinositas. 104.1.b
Anus vir est velut lex vitæ. 147.2.c. bonus sæpè caput pro suauis & miti. 464.2.a. bona verba & sermones sunt velut flores animæ sanctæ. 349.1.a
Anuj sacerdotes Iaponiorum, suis scelerum omnium immunitatem spondent. 100.2.a
Aperib herba fullonum vbi crescat, & quis eius vsus. 823.1.d
Aratro assuetus significat Iudæos legi subditos. 546.1.c. & sua indole, stupidos, obstinatos, sæuos. 546.1.d. boues in calidis regionibus communiter sunt rufi. 639.1.a. inter bouem & asinum in præsepio reclinatus est Christus. 544.2.b. bobus in Palæstina maurant. 164.2.a. & hi de granis pabulum capiunt. ibid. vide Triturare.
Bosphorus est terminus Græciæ & Thraciæ. 362.2.d eur hebraicè dicatur Sepharad. ibid. est propriè angustum mare quod à bobus tranari potest. 363.1.a. 364.1.a. est duplex, vnus in Propontide, alter Cimmerius. 636.1.a. an eousque relegati sint Iudæi. ibid.b.d. Bosphori Cimmerij quæ latitudo. 2.a. Bosphorus Hispanicus est fretum Herculeum. ibid. Bosphorus item commune nomen est, & in genere omnem angustiam maris denotat. 364.1.a
Bosra vrbs Idumææ, vnde dicatur, est & alia Bosra in Arabia, & tertia in Moab. [illegible] 266.1.a
Brabantiæ vrbium præcipuarum epitheta. 406.1.c
Brachia hominis sunt velut alæ. 521.1.b. brachium proicere est oratorum. 807.1.b
Brissa quid sit potus. 75.1.a
S. Brictius S. Martino aduersarius initio, postea ei in episcopatu successit. 744.2.c
S. Brigitta assidue passionē Domini recolebat. 759.2.c
Bruchus & quid propriè significet. 230.1.a
Bruchus hebraicè dicitur ligurio, quòd herbas lingat, & comestor. 210.2.c. quale animal sit bruchus. ibid.d. est parua locusta siue pullus locustæ. 211.1.a. minima germina quæque vsque ad radices stirpitus depascitur. ibid.b. bruchus semper penè iungitur cum locusta, quasi proles cum matre. ibid. vox bruchus vnde formatur. ibid.d. eius forma. ibid. & 2.a. nomen bruchi subinde extenditur ad alias locustarum species. 2.b. quare vocetur aculeatus. ibid.b.d. significat minimam locustæ speciem, cùm cetera species omnes enumerantur; cùm verò illæ subticentur, pro illis substituitur. ibid.d
S. Brunonis conuersionis occasio. 185.2.c
Brutis similes sunt qui de peccatis non ingemiscunt, & si quid ventri deest, dolent. 220.2.c. bruta phantasia instinctum sequuntur quasi legem naturæ sibi inditam. 340.1.b. quomodo & cur ieiunent, in publica pœnitentia. 390.2.b
Bruxellensis fossa Antuerpiam vsque commoditas. 778.1.a
Bubali in Iudæa erant indomiti: in Italia verò subiugales sunt. 312.1.c
Buccina differt à tuba. 114.1.c
Bucephalus fuit equus Alexandri Magni, an fuerit rufus, vnde dictus. 639.1.a. eius descriptio. 732.2.a
Bucolica, sunt carmina ruralia pastorum. 322.2.c
Bulla est cordis symbolum: cur eam nobiles in pectore gestarent, vnde dicatur. 138.1.b
Byssus olim seruiebat scribentibus. 527.2.b
Byblus vrbs ad Libanum sita, fert vinum præstantissimum dictum Byblinum. 206.2.b

Cadauer contactum olim omnia tangentia polluebat. 626.1.c. cadauera comburebant Hebræi, Græci & Romani: hac de re diuersa sapientum fuere sententiæ. 310.1.d. Christiani cur ea sepeliant in terra. 2.b. idem etiam fecere Iudæi, regum verò corpora cremabant, curat Israelita plebeiorum ossa cremabant. ibid.c
S. Cæcilia Martyr quàm sollicitè cum angelo Custode & Deo ambularit. 458.1.b. apiconfertur. ibid. parua corpore exstitit. 675.1.c
Cælestiu gloriæ iucunditas. 250.1.b.2.b. eius typus fuit Settim. 1.d. & seqq. eius descriptio. 833.2.d
Cæli quomodo à Deo exaudiantur. 88.a.d. & quomodo id mysticè fiat. 89.1.b. cælum quomodo in die iudicij commouendum. 247.2.d. cælum empyreum cur dicatur confessio & laus Dei. 251.1.c. cur Ierusalem. ibid. cælum dicitur quasi cælatum stellis. 665.1.b. est templum Dei, in quo habitat. 536.2.c. cæli commotio quæ facta nascente Christo. 615.2.c. cæli & stellarum nulla vis est ad danda & tollenda regna. 552.1.b. cælum quomodo claudi dicant Hebræi. 830.1.c. cælum cur vocetur symbolicè mons vmbrosus; & Pharan, id est os videntis. 540.1.c
Cæsariem Gentiles in funere tondebant, cur. 411.1.b
Calamitas oportuna est ad audiendum verbum Dei. 638.2.b. calamitas publica ieiunio auertitur. 701.1.a
Calami candelabri cur vocentur rostra. 678.2.d. eorum descriptio. 667.1.b
Calcei immissione olim capiebatur possessio. 346.2.d
Caleb ex Ephrata vxore primogenitum habuit Bethlehem. 435.1.c
Caligulæ Imp. crudelitas. 261.1.b. Iouem ad duellum prouocauit. 287.2.d. inter auri aceruos subinde volutabatur. 338.1.b. quàm in nobiles Romanos iniurius fuerit. 433.1.b
Caliphæ Mahomedanorum pontifex Babylone inter auri aceruos volutans fame interiit. 338.1.b
Calix voluptatis in calicem sellis transit. 369.2.a. calicum certamen in conuiuiis quod sit. 535.2.b
Callimachus statuarius cur dictus κακιζόπχνος. 668.1.d
Calor quid conferat ad aliquid componendum & concipiendū. 27.1.b. facit mobiles & pugnaces. 502.2.c
Caluariæ mons est pars montis Moria. 705.1.d. olim erat extra Ierusalem ad Occasum, iam intra vrbem est. 772.1.c. iuxta eum Titus vrbem obsedit. 2.d
Caluini blasphemia in Habacuc Prophetam. 519.2.a. eius paralogismus. 626.2.a. negat limbum patrum. 718.1.c. eius feralis mors. 781.2.c. eius placita meræ insaniæ sunt. 279.1.b
Caluinismus in publicum ciuitatum ac prouinciarum grassatur incendium. 185.1.b
Caluitium erat Iudæis signum maximi luctus. 333.2.d. 410.2.d. est propriè capitis. 411.2.c
Calumnia Hebræis est oppressio à quocumque vim aut iniuriam faciente. 116.1.b
Cambyses, Amasidis regis Aegypti iam defuncti cadauer effodi & flagris cædi iussit. 268.1.b. Cambyses & Magi Persarum reges templi fabricam impedire volentes monti magno comparantur. 671.1.c
Campanæ sunt propriè Christianorum: hæ initio fuere minores; pace Ecclesiæ reddita, paulatim grandiores factæ: vnde dictæ. 226.2.a
in Canariis insulis quomodo triturentur. 162.2.a. 431.1.d
Canathus fons apud Argiuos fabulosus Iunonem quotannis

tannis virginem reddere ferebatur. 728.2.a
Candelabrum quod Zacharias vidit, non erat idem cum Mosaico. 666.2.a. erat vnum è tribus præcipuis vasis templi. ibid. ipsum describitur. ibid. c.d. & seqq. 678.1.d.2.a. 679.1.a. erat octocalamum. 667.1.a. eius lucernæ, calami, infusoria. ibid. b c.d. quid per ipsum repræsentetur. 668.1.d. & seqq. propriè repræsentat Deum, eiusq; prouidentiam. 2.c. 669.2.b. item est symbolum vitæ, diuinæ generationis, animi puritatu, amoris, famæ, gloriæ, diuinitatis. 668.2.d. repræsentat quoque restaurationem templi & reip. Iudæorum. 666. 2.a. 669.1.b.c.d. id à Tito Iudæis fuit ademptum. 669.1.c. cur Zacharias id extra templum videat. 2.c. allegoricè repræsentat Christum eiusq; Ecclesiam. ibid. 670.1.c. 2.b. 666.2.b. septem eius calamorum orificia, in culmine eorum exstantia, habebant speciem oculorum. 676.2.d. eius rostra quæ dicantur & eorum situs. 678.1.d. 2.c.d
Candor Prælatis & principi necessarius. 741.2.c. sinceri animi est symbolum, nigror maligni. 343.1.c
Canis piscis Ionam deglutiuit: eius descriptio. 378.2.a. b. eius magnitudo. ibid.b
Cantharus vocari potest contextus trabium culmen domus sustinentium. 533.2.c
in Cantico Habacuc allegoricus sensus præcipuè intentus est à Spiritu sancto. 540. est id partim oratio partim & magis canticum. 1.a. an ipse in eo deprecetur veniam sui peccati, an verò peccatorum populi. 2.b. canticum Beatorum in cælo. 85.2.d
Cantores templorum in cantu grauitatem seruent. 299.2.a b. cantorum præfectus cur vocetur hebraicè vincens. 564.1.b
Cantus Ecclesiasticus grauis sit. 299.2.a. ei respondeat affectus. ibid.b. & seqq. cantus, etsi lugubris, hoc ipso quo cantus, aures delectat. 414.1.a
Capillos resectos veteres diis consecrabant. 411.1.d
Capistrum quomodo exaltetur super maxillas boum & equorum. 174.1.c.d
septem Capitalia peccata designantur per septem gentes Iudam persequentes. 266.2.d
nudo Capite incedebant Romani & Hebræi. 308.2.c. caput maximè sentit totius corporis noxam. 358. 2.c. à capite ruinam trahunt monasteria, collegia, Ordines, respubl. 521.2.a. capitis commotio super afflicto, signum est condolentiæ. 501.1.a
Capitum distributio in nouo Testamento, in vltimis Græcis interpretibus inuenitur penè similis nostræ. 31.1.b. ea quæ nunc est diuisio, quando primùm inducta. ibid. capitum S. Scripturæ distinctio non est facta à Prophetis, sed recentior est. 2.d
Cappadoces occuparunt Palæstinam, exclusis ab ea Heuæis primis incolis. 343.2.b
Caprificus alia est arbor à sycomoro. 324.1.a
Captiui qui Romam ducebantur in triumphum, post triumphum iugulabantur. 340.1.d
è Captiuitate Babylonica multi Israelitæ cum Iudæis missi redierunt. 189.2.c. 197.2.a.d. eius anni LXX. quando incipiant & desinant. 643.1.b. & seqq.
Caracalla Imp. Getam fratrem à se occisum in diuos retulit, etiam cæsus est. 264.2.d
Carbunculus in vitibus quid sit. 286.1.b
Carcharias piscis cur inter cete recenseatur. 378.2.a. & seqq. is fuit, à quo Ionas absorptus. ibid.b. eius vastitas. ibid. velocissimus est. 381.2.a
Cardinales cur purpurâ vestiantur. 401.2.c. Cardinales septem diaconi, & septem Cardinales Episcopi instituti ad imitationem septem oculorum, qui Zachariæ lapidi incisos vidit. 663.1.c. Cardinalium qualis vita esse debeat. 2.c
Cardiognostes dicitur Deus. 112.1.d
Cardo dicitur quasi cor ianuæ. 336.1.d
Cardineam deam coluerunt Romani. 2.a
Carioth metropolis fuit Moab, vnde dicta. 268.1.d
Carmeli montes sunt duo: vnus in Iudæa, alter in Israel: vterque fuit fertilis. 257.1.c. 339.2.d. Carmelus symbolum fertilitatis est & latitiæ. 257.1.c. 2.a. 469.2.a
Carmen funebre continebat victorias & virtutes defunctorum. 192.c. carmen Ionæ simile est Psalmo 68. Dauidis. 380.2.b. carmina σκολιὰ, id est obliqua, quæ dicerentur. 308.1.c
Carmenes lingua Punica vel Arabica, villa pulcherrimæ in Batica dicuntur. 257.1.d
Carnales deliciæ in quo à spiritualibus distent. 168.1.d. carnales homines non habent cor hominis, sed brutale. 138.2.a
Caro capitur pro homine. 233.2.c. intolerabilis dominus est. 365.2.c. carnibus abstinuerunt homines ante diluuium. 11.2.a eas comederunt Apostoli. ibid.c. carnem nostram sibi Christus velut coniugem copulauit. 57.1.b. hæc illius diuinitatem tegebat. 123.1.a. caro & spiritus per asinam & pullum, quibus Christus insedit, repræsentantur. 717.1.a.b. diuersa requirunt. 22.1.a.b. caro humana præ carne aliorum animalium est aruminosa, misera. 657.2.c. caro filet à vi gratiæ Christi. 652.1.d
S. Caroli Borromæi de via perfectionis sententia. 13. 2.d. certam de Dei ope spem habebat in Dei causa. 530.1.b. actionum suarum duos seros inspectores constituit. 792.1.a
Carolus Magnus quomodo Imperium Roman. auxerit. 695.2.b. mirus Rom. Ecclesiæ & Pontificis cultor fuit. 699.2.a
B. Carolus Flandriæ Comes monopolia frumentariorum inhibens Martyr occubuit. 330.2.b
Carolus V. Imp. abdicato Imperio in solitarium locum se recepit. 80.1.b. quàm celeriter bellum Germanicum confecerit. 515.1.a. eius annulus horologium integrum inclusum habuit. 619.2.c
Carpenta ferrata super hostes stratos agebant victores aliquando. 260.2.a.c. 432.1.d
S. Carpi zelus indiscretus contra peccatores. 394.1.b. vidit in spiritu voraginem inferni. 774.2.b
Carthago Hebræis vocatur Tharsis. 371.1.b
Carthusiensis Ordo ob silentium, solitudinem, & visitationem Superiorum in vigore permansit. 81.2.d
S. Casimiri Poloni erga Ven. Eucharistiam affectus, breue vitæ eius compendium & miracula. 729.1. b.c. maluit mori quàm castitatem amittere. ibid. b 832.1.b
Casleu mensis respondet nostro Nouembri. 701.1.c
S. Cassius Episcopus Narniensis quotidie celebrabat. 727.2.c
Deus antequàm Castiget, præmonet. 275.2.c. 277.2. a.b
Castitas est velut martyrium. 183.1.d
Casti sunt angeli, etiam inter illustrissimos. 819.1.a
Castra aggere, vallo & fossa muniri solent. 517.2.a
Catalacus militibus Ven. Eucharistiæ communio insignem de hostibus retulit victoriam. 726.1.d
Catarractæ vocari potest foramen in pariete fabricatum per quod fumus egreditur. 193.1.a. catarractæ vocantur aquæ ex alto defluentes magno impetu, item loca

lotæ in quibus aquæ retinentur. 830.1.b. *an in cælo sint cataractæ.* ibid.c

S.Catharina Alexandrina fuit, & ibidem decollata lac pro sanguine dedit. 502.1.b

S.Catharina Senensis spurcis cogitationibus agitata, post victoriam meruit videre Christum. 597.1.c. *cur Pontifici, vt bellum Turcis inferret, suaderet.* 502.1.a. *eius cor præ amore fissum est.* 725.1.a. 728.2.d. *eius orexis erga Ven.Eucharistiam.* 725. 1.d. *quos ea in ipsa effectus ediderit.* 728.2.a.b. *eius cum Christo familiaritas, erga eum amor, stigmata.* ibid.b c.88.1.a.b. *iussa est à Christo semper eius recordari.* 62.2.d

M. Cato gulosi cur familiaritatem detestaretur. 103.2.d. *de tribus dolebat.* 465.1.d. *quomodo adtensuram euectus sit.* 733.2.c. *cur de Dei prouidentia dubitaret.* 510.2.b

Catuli leonum audaciores sunt & ferociores, cur. 118. 1.a. *eorum edendi rabies.* ibid. 276.2.a

Caucasi montis quæ sint portæ ferreæ. 692.2.c

Cauda piscibus velut temo est. 521.1.b

Causon quis ventus sit & morbus. 185.1.a

Cedron torrens est inter Ierusalem & montem Olineti, per vallem Iosaphat decurrens. 573.2.c

Cedrus æternitatis symbolum est. 205.1.b. *item Pontificum & principum.* 737.2.c

Celeritas in prælijs conficiendis multum valet. 514.2.d

Cella bona varia. 80.2.c.& seqq.

Cera olim tabulæ scriptoriæ inducebantur. 527.2.c

Cerdo proprij commenta non sunt populo venditanda. 8.2.c

Cerethim vox vnde deducatur, & quid significet. 581. 1.d. *an omnes Philisthini vocentur Cerethim, an certa eorum regio.* 2.a. *ita vocati milites prætoriani Dauidis.* ibid.b.c. *an ab his habitata sit & nominata insula Creta, an verò hi orti à Cretensibus.* ibid.d

Cerema athletarum fiebat è luto & oleo, cur. 532.1.a

Ceruisia sit ex aqua in farina tritici cocta. 75.1.a

Cerui velociores sunt ceruis, cur. 563.1.d. *prudentia illarum in qua consistat.* ibid. *hinnulum assuefaciunt quò refugere debeat; quomodo pro eo pugnent.* 2.a. *ceruus mas cùm pinguerit, secessum petit.* 1.d. *cerui halitu serpentes è cauernis extrahũt.* 470.2.a

Cetus nomen est commune ad omnes pisces grandes & cetaceos: cetus quis propriè sit. 378.1.b. vide *Carcharias. ceti amant profundum maris.* 380.2.a. *& loca montosa.* 381.2.c

Cheronei ex omnibus diis maximè coluere sceptrum Agamemnonis. 558.2.d

Chalanne vrbs fuit potens condita à Nemrod, dicta postea Ctesiphon. 305.1.b

Chaldaica paraphraseos in Biblia quinam auctores. 6.a. *subinde iudaizat.* 561.2.c

Chaldæi in vocibus Hebraicis S literam commutant in T. 94.1.d. *Monarchiam Assyriorum ad se transtulere.* 446.2.b. *locustis comparantur Iudæam depascentes.* 216.2.a.b. *eorum regibus & castris præferebatur ignis.* 221.2.b. *eorum Ierusalem inuadentium descriptio.* 1.b.2.b.c.& 222.1.c. *eorum dexteritas in pugnando, saltando, &c. & audacia.* 222.2.a. *quomodo vocentur milites Dei.* 223.1.b. *& eius sacerdotes, indeq; vocantur sanctificati ab eo.* 570.1.b. *cur equis rufis assimilentur.* 693.1.b. *in conuiuiis aliorum se crapula, nuditate ac fœditate oblectabant.* 534.2.c. *eorum sæuities, voracitas, rapacitas.* 516.2.b. *comparantur aquilæ, pardo, lupo.* ibid.b.c. *quomodo Tyrum expugnarint.* 317. 2.a. *eorum imperium corruit in Balsasare.* ibid. c.2.a.d. *eorum Niniuen expugnantium viua hypotyposis.* 491.1.a.& seqq. 492.1.a.2.d. 498.2.d

Cham primus regnauit in Aegypto, quæ inde dicta est terra Cham. 558.1.b

Chambalu Tartariæ principis sedes, quot milliaria ambitu suo complectatur. 386.2.c.

Chanaan nomine, vocantur Israelitæ impij. 187.2.d

Chananæi an per Germaniam dispersi. 362.2.b. *eos omnes, etiam infantes, cur iuberet Deus occidi.* 271, 2.d. *erant auari & ob maris viciniam mercaturæ, & in ea dolis vacabant.* 187.2.d. 788.1.a. *hinc Chananæus idem est quod mercator.* 364.2.c. 574. 2.b. *peste, fulgetris, & igneis sagittis protriti ante aduentum Hebræorum.* 551.1.c.2.a

Charientismi figuræ Rhetoricæ quis vsus. 31.2.a. *eius exempla aliquot in S.Script.* ibid.b.

Charitatis actus nobiliores sunt actibus religionis. 125. 2.d. *malogranato assimilatur.* 780.1.b. *Prælatos & principes maximè decet.* 741.2.c. *fidelium vinculum est.* 633.1.a. *ea in Sanctis ob concupiscentias sæpè refrigescit.* 776.2.d. *charitas quo pacto in Eucharistia exerceatur.* 803.1.a. *charitas Christi incarnati repræsentatur per Austrum calidum.* 547.2.d

Chartæ vsus olim incognitus fuit. 525.2.b.681.1.d. *vnde fiat: papyro veterum successit.* 525.2.b

Cherubim an sint Theraphim. 94.1.d. *Iudæis in veneratione erant.* 95.2.a. *Cherubim duo propitiatorij, an rectè vocentur duo animalia.* 544.1.c

Chiliastarum deliria & somnia. 244.2.a.248.1.c

Chomer est onus asinarium, & mensura triginta modios continens. 92.1.c

Chorea Beatorum in cælo. 841.1.d. *eius definitio.* 2.b. *chorea mundana descriptio.* ibid.

Christianus mysticè vocari potest separator. 714.1.c. *Christianus verus est testis fidelis Dei.* 181.2.d

Christiani omnes per Christum ducem morti insultant. 199.2.a. *semper iis est pugnandum.* 365.1.a. *patrem suum imitentur Deum, eiusq; mores.* 66.2.b. *eorum seruitus longè præstat regum opibus.* 234. 2.d. *assimilantur Israelitis in deserto agentibus.* 79.2.d. *eos Iudæi habent vt Idumæos.* 352.1.d. *sunt peculium Dei.* 833.1.d. *quomodo dicantur sancti.* 788.2.b. *cur se inuicem amare debeant.* 811.2.d. *orant conuersi ad Orientem.* 772.1.b. *in primitiua Ecclesia habebant omnia communia.* 665.2.a. *eos cur Deus sub Decio exagitari permiserit.* 823.1.a. *Christiani quo viso animati Ierusalem de Saracenis ceperint.* 773.2.c. *virtute Ven.Eucharistiæ insignes victorias retulerunt.* 726. 1.d. *eos afflictos ex Diocletiani persecutione Deus per Constantinum Imp. iuuit.* 85.1.b. *Christianorum in terra sancta victoria, post solemne omnium ieiunium.* 390.2.d. *Christiani primi Ierusalem & Iudæa variè afflicti fuere.* 430.1.c

Chronologica harmonia XII. Prophetarum. 32.1.a

Chrysaorij horribilis mors. 237.1.b

Chrysolithus gemma quia coloris marini est, ab Hebræis dicta est Tharsis. 370.2.c

Chus cum filiis Arabiam incoluit, non Abyssiam. 593. 2.d. *eorum posteri tamen se per Abyssiam propagarunt.* 594.1.a

Cibi spiritualis penuriam sæpè patiuntur gulosi & diuites. 334.1.b. *cibus iumentorum, id est hominum, est Christus iacens in præsepio.* 546.1.c.d. *sine cibo multi vixere.* 726.2.c

Cicero senescens in Tusculo philosophatus est. 82.1.b. *eius*

eius mysteriſmus in Verrem. 19.1.d
Ciconia quia pia, ſymbolum eſt pietatis. 688.2.a
Cidaris erat tiara veterū pontificis. 659.1.b
Cilices populi orti ſunt à Tharſis nepote Iaphet. 370.2.b
Cilicia cur vocetur Tharſis. 371.1.b
Cilicium erat veſtis Prophetarum. 11.1.a.764.2.c
Cimmeria regio dura erat & aſpera 363.1.c. Cimmerius Boſphorus vbi ſitus. ibid.b. eius latitudo. 2.a. cur in Cimmeria inferni ſedem collocent poëtæ. 1.c
Cinis ex herbæ quadam Arabicæ combuſtæ quas habeat vires ad purgandum. 583.1.c
Circe nauigantes ſuo cantu illectos in beſtias mutabat. 299.1.d
Circenſium aurigarum variæ factiones: eorum quatuor colores: quas apud Romanos & Græcos turbas excitarint 694.1.c.d. eorum coloribus repræſentantur quatuor elementa, eorumq; diſſidia. 2.a. horum ludorum origo. ibid.
Ciſtercienſes monachi propter negotia nimia ruralia à primæua ſanctitate deciderunt. 81.2.c
Ciuitates multæ dirutæ, poſtea non eodem loco, ſed alio vicino ædificatæ ſunt. 754.2.d. ciuitas inferior Ieruſalem cur dicatur filia Sion. 572.2.a.d. an bene voceturpila. 573.2.a
Clades quas Deus Iſraeli immiſit, antè denunciauit, quàm infligeret. 275.2.c.277.2.b.c
Clamore excitabantur dij Gentilium quaſi dormientes. 536.2.a.b
Clangere proprium eſt aquilarum. 141.2.c
Clangori tubæ prophetia comparatur. 277.1.a
S. Clara iugiter Chriſti paſſionem meditabatur. 759.2.c.760.1.d
S. Clara de Monte Falco cordi crucifixi Chriſti figuræ inſculpta fuit. 759.2.c
Clareuallenſes monachi olim de defectu aliquo moniti pro reprehendente erare ſolebant. 792.2.a
Claudianus cur de Dei prouidentia dubitaret. 510.2.b
Claudicans per metalepſin, idem eſt quod dolens, fatigatus, afflictus. 427.1.a.b
Clauſtra regularium ſæcularibus videntur carceres mortis, at Religioſis ſunt portus. 382.1.a.
Clauus Chriſti fræno Conſtantini Imp. additus. 785.2.a.b. eorum quatuor diſtributio. ibid.c.d. miraculum quoddam circa frænum ex eis confectum. 786.1.a
Clementiâ virtus Deo propria eſt. 177.1.d. clementia vindictam temperet, imò ſuperet. 365.2.a. potiſſima regentium virtus eſt. 741.2.b
Clerici auro inhiare non debent. 575.1.d. prælaturas ambientes taxantur. 144.1.a. eorum cupiditas fouet auaritiam ſæcularium. 337.2.a. ipſa ſugillatur. ibid.b. eorum lautitias quàm immeritò carpant malenoli. 77.1.b
Climax figura Prophetis frequens. 29.2.b. qualis ſit figura. ibid.d
Clupias piſcis creſcente luna albeſcit, decreſcente nigreſcit. 557.2.a
Clyſteris vſum docuit ibis auis. 180.1.b
Coccineus color erat militaris. 491.1.c. & cur. ibid.d.2.a.b. coccus nobilium ac regum erat veſtis. ibid.1.b
Cocytus quis fluuius, & vnde dictus. 24.1.b
Cœnatoriæ veſtes quæ dicerentur. 308.2.a. cœnatorij lecticuli quinam eſſent. 270.2.a
Cœtus Prophetarum quis & qualis eſſet. 13.1.b
Cogitationes intimas nouit & peruidet Deus. 112.1.c. cogitationes ſunt veſtes animæ. 816.1.b
Cognitionem qualem habeat Deus piſcium, cuiuſcunq; & rerum vilium. 525.1.c. ad Dei cognitionem duplici viâ pertingimus. 519.1.b. cognitio ſui eſt via ad cognitionem Dei. 167.1.d. cognitio Dei perfecta, beata vita eſt. 97.1.b
Colare quid propriè ſit. 814.1.c
S. Coleta aſſiduè in vulneribus Chriſti commorabatur. 759.2.c
Collecta dies quis eſſet in veteri Synagoga. 218.1.a
Collectionis nomine Scriptura cur exponat mortem, defectionem, interitum. 98.1.d.568.1.a.b
Colligari in faſciculo viuentium quomodo dicerentur pij viri cùm vitâ decederent. 560.2.a
Collo & capite myſticè quomodo rex & paſtor ſuper ſubditos eminere debeat. 750.1.b
Coloni Hiſpani tempore ſiccitatis publicas ſupplicationes & diuerberationes inſtituunt. 285.2.b
Color purpureus animos in hoſtes commouet. 491.2.b. amoris eſt ſymbolum. 760.2.c. color rufus ardorem animi notat & acuit, ignis ſplendorem refert. 693.1.c
Commiſerationis affectus potiſſimè eſt è paſſione Domini eliciendus. 760.1.c
Columbæ vecordi comparantur Iſraelitæ. 136.2.d.388.1.a. ea, eſto ſemper pulli ſibi aſſerantur; ſemper ad eundem nidum redit. 137.1.a. ob obiectam eſcam ſponte in retia incurrit, à columbi alterius columbarij illecta. ibid.d. pellit patrem à conſertio matru.2.d. in colorum varietate mire ſibi placet, alis inter ſe colliſis excitat accipitres. ibid. apud Aſſyrios ſacra erat. 180.1.d. natura rectè & conſtanter volat. ibid. timida eſt, & vel ad accipitris vmbram celeriter auolat. 2.a. vnicè amat ſuum columbare, ac pullos, & abducta aliò celeriter eòdem reuolat. ibid. columbis vſi priſci vt tabellarijs ibid.b.c. maxime id verum in columbis Syria & Paleſtinæ. ibid.c. iis ibi vtuntur mercatores, vt merces aduectas domi nuntient. ibid.d
Comeſſationes mentem homini eripiunt. 103.1.d
Commentatores Prophetarum minorum. 5.2.a
Comminatio clementi miſeratione mollienda. 392.2.d
Commotio cæli & terræ & maris cur facta in Chriſti incarnatione, redemptione, legiſlatione. 615.2.c. & ſeqq.
Communicantium piè orationes & ſoſpiria ſunt veluti thymiama. 801.1.a
Communicatio gratiæ & donorum Dei prouenit à Spiritu ſancto. 235.1.d
poſt Communionem fideles olim ſacra canebant cantica, & ſubinde arcana myſteria eructabant. 727.1.c. a communione meditetur communicans quo dono donatus ſit. 725.2.b. frequens communio ſignum & cauſa prædeſtinationis eſt. 726.1.a
Compati oportet Chriſto tormenta paſſo. 760.1.c
Complexio intima eſt naturæ diuinæ & humanæ in Verbo per vnionem. 664.1.c
Conceptum mentis iuuat calor. 27.1.b. conceptus mundanorum quam mendaces ſint. 409.2.b.c
Concilium Romanum ſub Vigilio Papa damnauit errores Theodori Mopſueſteni. 7.1.a. vti & Conſtantinopolitanum II. generale. ibid.d
Concionator bene docens, & nihil præſtans ſimilis eſt cupreſſo frondoſæ, ſed infrugiferæ. 207.2.b. pauca conuertens, qua re ſe conſoletur. 462.1.c. cum rudibus & duris agens, ſenſim eos imbuere debet. 324.1.d. concionatores nonnulli abutuntur ſacra Scriptura. 7.2.a. animas à fornicatione peccati

Cœna Dnica V. Eucharistia.

Clysteri vsum. 190.2.d.

Commiseratio cum Seipsis. 58.b.in.2

uersus Christo despondeant. 57.2.c. dum plausum, lucra aut commoda aucupantur, filios spirituales non gignunt. 156.1.a. nouissimorum terrore auditorio suo incutiant. 388.2.b. opportunitatem commodam suos monendi captent. 604.1.b. praedicent tam manu quàm ore. 2.a. verbo Dei audientes mensam Dei polluunt. 797.2.d. sint vt speculator. 566.2.c. sunt angeli & nuntij Dei. 612.2.d. in arguendis vitiis non cessent, donec audientes permoueant ad illa exstirpandum. 613.2.b. symbolicè sunt nues, nubes, venti, fulgura. 731.1.c.d.2.a. sunt quasi sigillum Dei. 632.1.c

Concordia quantâ sustineat onera. 592.2.b. concordia fratrum quàm sit suauis. 264.2.d.265.1.d

Conscientiae sedes & instrumentum sanguis est. 97.1.d. eam peccato meruimus: auferetur in resurrectione. 200.2.a. concupiscentia adulterij non contingitur ipso adulterij actu. 133.1.b. concupiscentia ex Adamo contracta fons omnis peccati est. 686.1.d.2.d. eius quanta sit vis. 511.2.b. est filia Dei alieni. 813.1.a

Conscitor res alicuius quis dicatur. 29.2.a

Consecratione nuptiae apud Romanos contrahebantur: hac denotabat vitae communionem. 92.1.c.d

Confessarij omnia animae vulnera & lepras detegendae. 196.2.d. confessarij sunt vicarij Christi in iudicando, leuiter hoc peragere iudicium non debent. 823.2.d. quales ii sint, ex poenitentibus agnoscitur. 824.1.a

Confidentes proprie Christi capti, qui sibi nimis fidunt, in tormentis deficiunt. 413.2.a. in tormenta se dantes spe gloriae aeternae, sunt vincti spei tropologice. 719.1.c. per equos varios mystice repraesentantur. 692.2.b.

Configere, vrere, secare in Script. per catachresin significant quemuis grauem dolorem. 764.2.c

Congregari ad populum suum dicebantur fideles & sanctis cum diem suum obirent. 560.2.b

Congregatio cur vocetur mors. 98.1.d

Coniugatio Hitpael Hebraeorum significat actionem reflexam, qua agens agit in seipsum. 432.1.a

Coniuges tempore publicae poenitentiae, supplicationis, quadragesimae abstineant copula. 227.1.c. coniugum amor quantus esse debeat. 814.2.d.& seqq.

Coniugij praeses priscis erat Iuno. 814.1.a. coniugium Oseae cum fornicaria fuit stabile, non temporarium. 54.1.b.c. id repraesentat simile, sed mysticum Christi coniugium. 57.1.b

In Consanguineos indignos officia & beneficia conferentes, aedificant Sion in sanguinibus. 422.2.d

Conscientia pacem habens, Christum in anima habet. 247.1.a. conscientia cuique sua est colenda vt prima. 348.2.b.c.& seqq. conscientia mala non potest habere latitiam. 150.2.b.373.2.c. eius remorsus est velut aquilae rostro tundens. 511.1.c.574.1.d. ea in die iudicij peccatorem accusabit. 576.2.b. est vestis animae. 816.1.d. conscientia bona elegium. 633.2.d

Consecrationis templi ritus quinque, Ecclesiae & Religiosis domibus accommodantur. 632.2.a.b

Consensio veteris testamenti cum nouo magnam Ecclesiae fidem conciliat. 783.1.d

Consilium diuinum per sortes exquirendum non est. 374.2.b

Consolatio angelica quo indicio à diabolica illusione secernatur. 9.2.a. consolationes caelestes hominem quàm agilem reddant. 563.2.c

in Conspectu Dei viuere quid sit. 122.1.b.c

Constans vir est immutabilis, quasi Deus terrestris. 827.2.d.828.2.a

Constantiae symbola sunt alectoria gemma, amiantus lapis, salamandra. 182.2.d.& seqq.

Constantinopolis quo pacto diuinam olim vindictam euaserit. 388.2.d

Constantinus Imp. clauo crucis Christi frenos equi sui ornauit. 785.2.a. ipse symbolice frenum est Domino consecratum. 786.1.a iam Christianus basilicas augustissimas erexit. 607.1.d. cur erexerit templum Ara caeli nuncupatum. 616.1.c. pacem plenam Ecclesiae attulit. 600.2.a.b.c

Constantinus Copronymus Imp. foeda lue percussus animam efflauit. 607.2.d

S. Constantius Mansionarius paruae fuit staturae. 675.1.b

Constantius Imper. militibus sacro viatico instructis Magnentium profligauit. 726.1.d. postea factus Arrianus, sacro igne percussus interiit. 607.2.d

Consuetudinis quanta sit vis. 165.1.b. eius vincula rumpenda volenti è carcere peccati egredi. 419.1.a

Consuetudo peccandi est velut massa plumbea. 687.2.d

Consulentes daemonem quantopere decipiantur. 731.2.c

Consultoria sors illicita est, nisi Deus inspiret illa vtendum. 374.2.b

Contemplatio quid sit. 553.1.b

Contemptus sacrorum apud Iudaeos post reditum è captiuitate vnde proueniret. 803.1.d.2.a. contemptus mundi omnem supprimit spem. 645.2.c contemptum sacrorum & sacerdotum punit Deus per tyrannidem principum. 196.1.d

Contentus suis animus, diues est. 523.2.d

Contraria contrariis curanda sunt. 329.1.d

Contus est fudes & hasta longior. 282.2.d

Conuersio plena ad Deum quae sit. 202.2.a. fit per efficax voluntatis propositum de vita mutanda. 223.2.c. conuersio Indiae vtriusque ab Abdia prophetata est. 363.2.d. conuersio omnium gentium ad fidem promittitur per Prophetas. 346.1.b.c. conuersio omnium Iudaeorum fiet in fine mundi. 735.1.a. conuersio Gentium per Apostolos vocatur praedatio & spolium. 652.1.c. haec Deo accepta est instar sacrificij. 721.1.a

Conuersus ad bonam vitam à mala, tropologicè dici potest torris erutus de igne. 657.1.d

Conuertere captiuitatem Hebraeis est è captiuitate liberare. 129.2.d. conuertere cor patrum ad filios quid sit. 844.2.d.& seqq. an obligemur primo instanti vsus rationis conuerti ad Deum. 637.2.a

Conuiuae coronabantur rosis, myrto, & aliis floribus & herbis, cur. 308.2.a. eorum quis esse debeat numerus. 483.1.b. conuiuae maledici suggillantur. ibid.

Conuiuium à communione victus & cibi dicitur. 109.1.a. 483.1.c. iis olim adhibebatur musica, cur. 307.2.d. sepè causa excidij fuere. 483.1.a. vocantur spinae tribus de causis. ibid.a.b. in iis olim mos fuit circumlato myrti ramo conuiuas ad cantandum excitare. 639.2.a

Conuoluulus flos rudimentum naturae est. 2.2.c

Copia frumenti & vini an per frumentum electorum Iudaeis promittatur. 723.1.a

Coquus & pistor priscis idem erat. 133.1.b

Cor in Scriptura significat interiora omnia. 193.2.b. eius est bulla pectoris. 138.1.b. est quasi focus &

Grelfi. V. Ceretim.

arx corporis. 2.1.c. cur dicatur simul minimum & maximum. ibid.d. cordis recèns nati in puero pondus sunt duæ drachmæ. 180.1.b. corde qui carere dicantur. 138.1.b. ex corde impio impietatis semina oriuntur. 168.1.b. cor cuiusdam diuitis auari in arca nummaria repertum. 138.1.c. cor maris, est profundum maris. 480.2.a. cor terræ, est limbus patrum ibid. cor origo est sensus communis, rationis & sapientiæ. 608.2.c. totum Deo dandum. 706.2.d. id paruum habent generosa animalia, magnum timida. 515.2.a. id habent pisces situm vt homo. 522.1.b. ex corde lætitiæ & mœroris motus exoritur 561.1.b. cor regum in manu Dei est. 603.1.c. cordis deliquium quos causetur effectus. 496.1.d. corda hominum saxea per Christi necem ad pœnitentiam commota sunt. 247.2.c

S. Cornelius Papa suis subditis ad martyrium dux erat. 824.2.d

P. Cornelij Vishauæi dogma de humilitate. 674.2.a

in Cornibus fortitudo taurorum est. 313.2.c. cornu capitur pro fortitudine & animositate. ibid. 550.1.b. cornua lucis quomodo & cur Mosi addiderit Deus. 549.2.d. cornua Christi est crux & fortitudo crucis. 550.1.c. item charitas & humilitas. 2.a. cornua quatuor Zachariæ visa quid denotent. 644.2.c. quid mysticè. 645.2.b. & seqq.

Corona triplici cur coronetur Rom. Pontifex. 697.1.b.c. repræsentat regnum Christi. ibid. adumbrata illa fuit in coronis Iesu pontificis. 2.a. vocatur regnum. 696.2.d. coronam gerit rex vt Deus quidam terrestris. 697.2.a. coronæ olim erant deorum. ibid. coronæ cuius rei regem & Pontificem moneant. ibid.b. corona Iesu pontificis è donariis Iudæorum facta, an è tribus partialibus facta fuit, & cur. 696.2.c. coronæ ouantium, subinde & triumphantium erant myrteæ. 640.2.d. coronæ dabantur conuiuis ad delicias. 483.2.a

Corporale linteum in Sacro repræsentat fascias, quibus Christus recèns natus est inuolutus. 441.1.b

Corpus mysticum Ecclesiæ, figura est corporis naturalis Christi. 171.1.b. corpus Christi est tabernaculum Dauid, quod Deus tertia die à morte ad vitam gloriosum suscitauit. 345.2.d. corpus nostrum est lutum & later. 504.1.d. vestis est anima. 816.1.b. eius resurgentis sanitas est octuplex. 839.2.b. corpora Beatorum in die iudicij gloria donabuntur. 653.2.a

Correptor vitiorum alienorum quomodo monere debeat. 792.1.a

Correptus corripientem benignè audiat. ibid.a.d

omnibus ineft aliquid, quo Corrumpi possint. 212.2.d

Corruptio est filia voluptatis. 58.1.d

Corus mensura erat 30. modios Italicos continens. 92.1.b. 331.2.a

Corui vox stragis non rarò præsentit futuras. 586.1.b

Crapulæ voluptas ilico in sordes, vomitum & excrementa vertitur. 535.1.d

M. Crassus spoliato templo Hierosol. sacrilegij pœnas dedit. 753.2.b

Creaturæ omnes sunt Dei exercitus. 290.1.a. sensu naturali sentiunt vocem sui creatoris, & eius offensam. 332.1.d. respectu creatoris sunt vmbræ rerum, & nihil. 314.1.c. inuitæ seruiunt impijs hominibus. 77.1.a. ad quid illa creatæ sint. ibid. libenter hominibus piis in vsum cedunt. ibid.b. in fine mundi impios insurgent. ibid.c. earum conspiratio cum suo creatore. 88.2.c. creaturæ omnes suæ commotione, Christi humilitatem in eius incarnatione obstupuerunt 617.1.d. per eum restauratæ sunt. ibid. eas inuitemus, vt nos in gratiis Deo agendis adiuuent. 565.2.a. creaturarum omnium quæ fuerunt, sunt & erunt, perfectiones continet Deus in se eminenter 518.1.a. singula abundant essentiæ Dei guttam vnam essentiæ hauriunt. 537.2.c. in iis dum quis fidit, ab iis decipitur. 88.1.d. est quoque in iugi metu & motu. 828.1.b. earum silentiū est scala qua ad Deum ascendamus. 519.1.b

Credo Hebræis quid significet. 9.1.c. credere in Deo, vel in Deum, Hebræis idem est quod credere Deo, credere in Deum Latinis plus significat. 389.1.b

Creta insula an sit colonia Phœnicum, & nominata à Cerethim 581.2.d. primitus habitata est, nullum habet animal noxium, optimi vini ferax est. 581.1.a

Cretenses re nautica excelluere & bellica. ibid.b

Cribri vsus, pro vanno, in Italia & alibi est. 303.2.d

Crista rubras cur gestarent in galeis milites. 491.1.c

Crucifixus Deus portentum est à sæculis inauditum. 765.2.b

Crudelitas aliena à Deo est 177.1.d. 178.2.a. crudelitas & Deo & hominibus exosa est. 260.2.d

Crura duo & extremum auriculæ, quæ pastor de ore leonis eruat, quid symbolicè denotent. 279.2.c.d

Crux Christi firmauit Rom. Imperium. 172.1.a. Ixionis moro assimilatur. 324.1.c. crux fidelium breuis est. 121.1.d. ea Christi velut sigillum est. 631.2.b. est vexillum eius. 652.1.d. ea velut cornibus dæmonem & mortem superauit. 558.1.d. 658.1.b. crucis cornua fuerunt arma & cornua Christi. crux quomodo fuerit in manibus eius. 550.1.d. crux super Olineti montem apparens tempore Constantij Imp. quid portenderet. 773.1.c. crux omnis Christianorum gloria, adeoq; eis ambienda. 716.1.b. cruces amantium exempla. 767.1.b

Ctesiphon vrbs à Parthis aucta ad exhauriendam Babylonem. 305.1.b vide Chalanne.

Cucurbita magnam & frigidam facit vmbram. 394.2.a. cur pro cucurbita S. Hieron. hederam verterit. ibid.b. eius vmbra mundi vanitatem notat. 395.1.c

Culmus euanidus & germen farinam non habens denotat hypocritas. 146.1.a.b

Culpa per pœnitentiam tollitur, sed non pœna. 216.1.b. 467.1.d. 2.a. hæc & illa cognata inuicem sunt. 518.1.a

Cultores & curatores sunt qui iugiter Deo famulantur. 218.2.a

Cultus Christi semper in vna lingua floruit. 591.1.b. cultus Dei est semen omnis felicitatis. 706.1.c. cultum sacrorum post reditum è captiuitate Iudæi neglexere. 657.2.b

Cupiditates sunt dij peccantium. 76.2.a. sunt velut panis subcinericij eius. 136.1.a. cupiditas est charybdis insatiabilis, ardens febris, fera effera. 531.1.d. cupiditates quasi vinum inebriant hominem. 539.2.c. eas contrarijs pœnis punit Deus. 806.1.d

Cupressi pulchræ quidem sunt & sublimes, nullum tamen edunt fructum. 207.2.b. cur dicantur æternæ. 205.1.b

Curam rerum minimarum an habeat Deus. 525.1.b

Curatio, Curator, Curati quid significent. 218.2.b

Currus tropologicè est anima. 556.1.c. currum falcatorum, & ardentibus tedis instructorum vsus olim in bello erat. 492.1.a. currus cherubicus, quo Deum vehi conspexit Ezechiel, cur è templo in montem Olineti euolare visus sit. 774.1.b

Dardanarii damasc. 330.2.b.

Cathedra mysticè est secretum, status, gradus & officium. 526.2.c.& seqq. custodia, dicitur præceptorum & rituum observatio, lex. 659.1.c.102.1.c

Cedar Hebræis vocatur præfectus, rex, dominus. 504.2.2. custodem angelum quisque homo habet. 525.1.c

Cethæi sunt Assyrij, à Salmanasar in Samariam translati: coluere Deum verum simul & idola. 64 2.b. 701.1.d. propriè non habitarunt in Samaria, vrbe dicta, sed in ciuitatibus ei olim subiectis. 402.1.b

Cyaxares rex Medorum Niniuen cepit & euertit. 487.2.b.488.2.c. eius pater & filius. 487.1.c. Cyaxaris vox vnde formetur. ibid.c. Scythas Medià expulit. 2.a. despondit filiam suam Nitocrin Nabuchodonosori, vt se in obsidio Niniues adiuuaret. ibid. quamdiu regnarit. 488.2.c

S. Cyprianus audita mortis sententia, Deo egit gratias. 200.1.a.S. Cornelij Pontificis auctoritatem tuetur contra Schismaticos. 144.1.b

Cypselus quod genus auium sit. 585.1.d

Cyrene duplex est: vna in Libya, altera in Media. 262.1.d. vnde vox Cyrene formetur. 2.a

Cyrillus diaconus Heliopoleos quale martyrium subierit. 713.1.a

S. Cyrillus præcipuus antagonista Nestorij hæretici fuit. 646.2.b

Cyrus Balthasarem regem Babylonis per suos septem principes occidit, & Iudæos inde liberauit: septem eius principes qui fuerint. 447.2.c. cur vinum non hauriret. 104.1.b. pacem Israeli dedit contra Assyrios, dum Chaldæos vicit victores Assyriorum. 446.2.b. Cyrus fuit typus Christi liberatoris. 528.1.d. ipse & Persa asinis assimilantur. 544.1.c. vnde dicatur mulus. ibid. quare vocetur Christus. 557.1.d. Cambysem filium admonuit, vt ad Deum in omni rerum tractatione confugeret. 607.2.b. quo anno monarchia soluerit captiuitatem Babylonicam. 643.1.a. tantùm triennio fuit monarcha. ibid.b.

Dagon an idem deus cum Dercete. 524.2.b. quomodo pingeretur. ibid.

Damascus vrbs antiquissima, fuit caput Syriæ: elogium eius. 711.2.a. quando illa Domini requies facta sit. 1.d. eius strages facta à Teglatphalasar. 261.2.c. eius fines. 303.2.a.b.305.2.d.& seqq. cur vocetur vallis idoli ab Amos. 262.1.a.b. an in eius agro creatus Adam, & Abel occisus. ibid.c.d.

Damnandi ante præuisa demerita non sunt positi in sorte damnandorum. 176.2.d. damnati ex inferno numquam liberabuntur. 200.1.b.843.1.a. mortem optant, & mori nequeunt. 162.2.d. sua tribuunt mala voluntati, non Dei prædestinationi, quòd damnati sint. 178.2.b.c. sunt velut pisces in stagno gehennæ natantes. 522.2.c. in die iudicij erabant manere in inferno, ne cogantur venire ad iudicium. 653.1.a

Damnatis ad mortem olim faciès velabatur. 441.2.c. in à familiaribus propinabatur vinū forte. 171.1.b

Damnatio est ex homine peccante, seq; in peccatis vsq; ad finem vitæ obdurante. 194.1.d

Dan terminus Iudæa erat ad Septemtrionem. 292.1.b

Danaidum labor irritus apud inferos. 609.1.d

Daniel sub Euilmerodach rege in lacum leonum conclusus est. 507.2.c. vtrumque templum vidisse potuit. 614.1.b. cum sociis prima Nabuchodonosoris expeditione in Iudæam, captiuus abductus est. 524.1.b. cur vocetur vir desideriorum. 618.2.c. quousque vitam extenderit. 696.2.c. an ipse cum sociis tribus, fuerit postea legatus à Iudæis in Ierusalem. ibid. 699.2.d. multa Chaldaica vsurpat vocabula. 27.1.d

Dardanij ab admissam Eutychetis hæresin terræ motu concussa, multa eius oppida demersa. 256.2.b

Darius perscè significat prudentem. 636.1.c. Darius, sub quo prophetauit Aggæus, quis fuerit. 602.1.c. Darius Medus præcessit Cyrum. 2.b. camelo, & Medi quibus imperabat, camelis assimilantur. 544.1.c

Darius Hystaspis à Græcis ad Marathonem profligatus est. 643.1.a. quando Babylonem expugnarit rebellantem post Cyrum. 649.2.c. sub hoc Aggæus prophetauit. 603.1.b. dedit Iudæis è Babylone reuersis facultatem reædificandi templi. 360.2.b.601.1.c. hinnitu equi electus est rex Persarum. 447.2.a.642.1.b. eius symbolum fuit accipiter. 180.1.a

Darius Codomannus vltimus Persarum monarcha ab Alexandro iuxta Arbellam victus est. 695.1.b.2.c. aperuit sepulcrū Nitocris ex auri cupiditate. 487.2.b

Datinus sæpè apud Hebræos per paragogen redundat. 29.2.b

Datorem hilarem Deus diligit. 150.2.c

Dauid rex Salomoni cultum Dei commendauit. 159.2.b. fuit Bethlehemites. 438.2.d. quàm sollicitè cum Deo ambularit. 458.1.a. Ammonitas, ob legatos suos violatos, ferrauit, diuisitq; cultris. 260.2.c. musicam adhibuit ad Dei laudes. 307.2.c. passim orat à Deo in suis operibus dirigi. 413.1.c. ei peccanti Deus remisit culpam scelerum, sed non pœnam. 226.1.c.467.2.a. eius regnum per varias rupturas cecidit. 345.2.a. eius tempore maximè floruit, imò cœpit, gloria Israelis. 346.2.c. Dauidis nomine sæpè in Script. intelligitur Christus. 95.2.b. hinc ei promissit quod in Christo implendum erat. 628.2.c. Salomoni filio quot millones auri pro templi fabrica reliquerit. 624.1.d. eius familia cur in Christi morte plangere debuerit. 761.2.a. ei cur promittatur Christus ex eius semine nasciturus. 628.2.a.764.1.a

Debelaim fuit socrus Oseæ. 58.1.c. an fuerit quoque fornicaria. ibid.c. nomen eius quid significet, & quid symbolicè. ibid.

Decaluatio totius hominis magnum est probrū. 558.2.c

Decimæ Deo dandæ, quibus de causis. 830.2.d. dandæ de meliori parte frugum. 798.1.b. decimam quam frugum iuberentur Hebræi tribus festis præcipuis ad templum ferre. 284.1.c

Decij Imp. persecutionem permisit Deus ad Christianorum torporem acuendum. 823.1.a. eius immanitas & mors. 261.2.a

Decor virgæ, Zachariæ pastoris, significat regimen suaue per amorem & beneficia. 739.2.c.740.1.d. quid ad literam significet. 740.1.a

pro Defunctis orandum. 20.1.c

Deitas filij Dei probatur. 651.1.d.820.1.c

Delassant impij suæ improbitate Deum. 816.2.b

Delectare nos debēt futura & Deus, nō præsentia. 187.1.d

Delicia quàm noxiæ. 103.2.a. fugaces & euanidæ sunt. 307.2.c.480.2.d. eas sequitur saturitas, violentia, excidium. 309.1.c. effeminant animos, & adigunt ad omnia scelera. 308.2.c. peccatori in hora mortis in dolores vertentur. 333.2.d. inter corporales & spirituales quod sit discrimen. 168.1.d. illæ ilico in sordes & vomitus vertuntur. 535.1.d

Deliquium & Languor amoris quod sit. 135.1.b

Delphicum oraculum siluit sub ortum Christi. 616.2.b

Delubra vox vnde deriuetur, & quæ dicātur. 148.2.a

Demolio *actiuum est*, & demolior *passiuum aliquando, apud veteres.* 222.2.a
Demosthenes pretij enormitate deterritus, à Thaide meretrice recessit. 102.2.c
Denarius numerus significat læta. 682.1.d. *item rei perfectionem.* 2.a
Dentes in fame, contrahentibus se ginginis & neruis, obstupescunt. 284.2.d. *dentes leonis cur dentur exercitui dæmonis in fine mundi.* 216.1.c. *dentes leoni grandæuo sæpè comminuuntur vel excidunt. ibid.c. dentes priores ad cibi scissionem & masticationem acuti sunt.* 521.2.d
Depilatio apud Gentiles & Iudæos erat signum luctus. 410.2.d. *depilatio est totius corporis.* 411.2.c
Dercete Semiramidis mater, an in piscem conuersa, quomodo pingeretur, & eius templum. 524.2.b. *an eadem cum Dagon deo Palæstinorum. ibid. erat dea Syrorum. ibid.d*
Desolatio Iudæorum ob occisum Christum adhuc durat, & durabit. 334.1.c.d
Desperatio extrema tentans, sæpè stimulus & causa victoriæ est. 85.1.c. *est spei mater. ibid.b. ea vitanda in rebus desperatissimis.* 466.2.c
Detractio propriè vocatur nigredo. 343.1.c. *in conuiuiis valdè frequens est.* 483.1.b
Detractor cur vocetur locusta. 216.2.a *canum naturam imitatur.* 268.1.c
Deus Pater puteo assimilatur, non cisternæ, cur. 51.2.b. *cum Filio spirat & mittit Sp. sanctum.* 232.2.d
Deus in minimo eminet maximus. 2.1.b. 315.2.d. 351.2.c. *magna gaudet imminuere.* 2.1.b. *vniuersum totum in homine collegit. ibid. per Prophetas conatus est Israelem ab idololatria reuocare. ibid.d. quomodo & quid animæ deuotæ loquatur.* 25.1.c. 2.a. 80.1.b. 83.1.d. *quod eius hieroglyphicum apud Aegyptios* 48.2.d. *an possit dispensare vt fornicatio sit licita.* 53.1.b. *in nullo præcepto legis naturæ directè dispensare potest. ibid.c.d. sed indirectè, & in præceptis secundæ tabulæ, non primæ. ibid. & seqq. & in matrimonij vinculo, vt non sit perpetuum.* 2.d. *eius iussio absterserit à connubio Oseæ omnem turpitudinem.* 55.2.b. 56.2.d. *in eo non est obliuio, quomodo tamen obliuisci dicatur.* 62.2.b. *nec memoria, sed visio.* 833.1.a. *in eo nulla est passio, sed sola virtus.* 63.1.b. *in eo est verus actus misericordiæ & aliarum virtutum. ibid.c. eius essentia describitur & bonitas. ibid.d. essentia eius per se præstat sola, quod in creaturis præstant plurimæ & diuersissimæ virtutes, sed modo eminentissimo.* 2.b. *eum habere patrem quanta felicitas.* 65.1.b. 66.2.b. 68.2.b. 69.1.b. *eius erga nos charitas in iustificatione.* 67.1.a.b. *substantialiter nouo modo inest iusto.* 2.b. 233.2.b.c. 63.2.c. *eius præsentia vbique præ oculis habenda.* 62.2.d. 68.2.b. 187.1.c. *eius in Israelitas miseratio.* 73.2.d. 172.1.b. 2.a.b. 452.2.a.b. 578.2.c. *quomodo vias peccandi peccatoribus obstruat.* 75.2.b. *quomodo suos lactet.* 79.1.a. *suos in silentio & à turba secretos alloquitur.* 82.2.c. *quomodo eos consoletur.* 83.1.b. *eos ad extrema redigi permittit, & tunc demum auxiliatur.* 85.1.a. 2.a. 379.2.d. 466.2.b. 238.1.b. *Iudæis est dominus, Christianis vir & sponsus.* 86.1.d. *parentum & maritorum peccata punit prolium & vxorum peccatis.* 105.2.b. *peruidet intimas cogitationes, propensiones, intentiones, &c.* 112.1.d. *ira eius comparatur leænæ, cur.* 117.2.c. 258.2.c. 276.1.b. *quid plagis suis spectet.* 118.2.a. *eius oculi soli comparantur.* 122.2.a. *est sine patre & matre.* 123.1.c. *non est causa perditionis hominum, sed eam omnimodis auertere conatur.* 123.2.c. *cur misericordiam præferat sacrificio.* 125.1.c. & *seqq.* 2.c. *est radix regnorum & rerumpubl.* 156.2.c. *eius liberalitas in eleëmosynarios.* 166.2.c. 830.2.a. *quomodo hominem ad se trahat.* 172.2.c.d. *pauliariter apud & inter Hebræos habitabat.* 176.2.a.b. *eius in peccatores clementia, dignatio patientia. ibid.c.* 224.1.c. 2.d. 225.1.c. 511.1.c. *neminem reprobat ex se ante præuisa demerita.* 176.2.d. 177.1.a. 178.1.b. *dedit homini liberum arbitrium.* 178.1.c.d. *electionis alicuius plures habet causas nobis incognitas.* 2.c. *omnibus nobis vbique præsens est.* 187.1.c. *varias formas assumpsit per Prophetas, vt Israelitas ad emendationem permoueret.* 190.1.a. *nullum peccatum impunitum relinquit.* 191.2.a. *eius amor in fideles & filios.* 122.1.d. 193.2.a.c. 560.1.a. *neminem reprobat ideo vt pereat, sed omnem reprobum ideo reprobat quia peccauit.* 194.2.d. 195.1.b.c. *peccatorum rarò auferit dulcia & prospera.* 213.2.d. *cum clementia quot numeris iustitiæ præstet.* 225.1.a. *omne bonum ei placet, malum omne displicet: præuidet & prouidet omnia. ibid.b. quam sit patiens: est summè iustus. ibid.c. est in omnibus rectus: communicat ex suo, quidquid communicabile est. ibid.d. pœnitentibus offensas ita condonat, vt numquam earum recordetur.* 2.a. 597.1.a. *benignus etiam qui ipsum grauissimè offenderunt.* 225.2.a. *pauis lacrymis, gemitu, imò corde dolente contentus est: verax est in dictis & promissis.* 2.b. & 177.1.b. *non est acceptor personarum.* 225.2.c. 234.2.c. *nulla re turbatur, sed æquanimis est semper: non quærit suum, sed bonum creaturarum.* 225.2.d. 92.2.d. *bene facit omnia in operibus naturæ atque gratiæ: non bis punit idipsum.* 226.1.a. 402.1.a. *omnia dona sunt fruges & omnia bona naturalia.* 232.2.d. *solus menti illabi potest.* 233.2.a. *se suaq; tempora attemperat conditioni hominum.* 234.2.d. *quàm ei grata sit sui inuocatio.* 238.1.b. *est electorum spes & fortitudo.* 248.1.a. 493.2.a. *est in cælo Beatis omnia in omnibus.* 251.1.c. *infirma mundi eligit vt confundat fortia.* 2.1.d. 217.1.a. 254.1.d. 323.1.a. 324.1.a. 755.2.c. *superbos & scrilegos quàm acriter puniat.* 255.2.d. 555.1.c. 2.a. *cur dicatur* ter maximus, ter felix, ter sanctus. 258.2.b. *peccatori cuilibet sufficiens ad conuersionem dat auxilium.* 177.1.a. 260.1.c. *displicet crudelitas.* 260.2.d. *animarum vnam ab aliis causatam quàm sentiat.* 193.2.c. 266.2.a. *familias honorat, & iis benedicit, dum aliquos ex iis ad Religionem vocat.* 272.1.b. *cum gemit, non est signum animi imbecillis, sed excitantis se ad plagam.* 272.2.d. *eius stridor in peccatores.* 273.1.d. *nullum malum suis immittit, nisi priùs eos moneat per prædicatores.* 52.1.c. 275.2.c. 277.2.a.b. *ambulare cum peccatore non potest si ille peccatum defendat.* 276.1.a. *mala publica & priuata infligit.* 277.1.b. *omnes creaturæ sunt eius exercitus.* 290.1.a. 477.2.a. *dicitur mundus exemplaris.* 290.1.a. *est princeps temporum quasi sol.* 2.b. *sæpè infirmos roborat, vt prædicant fortibus.* 295.1.d. 315.1.d. *in nullo est prædicamento.* 314.2.a. *attributa omnia in eo habent vnum esse. ibid. pœnam fingit adæquatam culpæ.* 2.d. *cum rempubl. vel animam aliquam sibi reliquit, se ei iratum ostendit.* 319.1.c. *sua condemnatione*

Desideratq; Iesus. 619.1.c.d.

ge peccata, cùm verò calcem & trullam ponit, permittit peccatorem hostibus. 2.b.c. quomodo dicitur mandare pesti, gladio, fame, pisci. 340.1.b. quàm sit terribilis iudex & omnipotens. 2.a.b. 320. 2.337.1.b. eius magnificentia colligitur ex cæli & terræ fabrica. 341.1.c.d. 2.c. 478.1.c.d. 479.1.b. 2. à semper clementiâ vindictâ temperat & superat. 682.1.d. 365.2.a. quomodo regnet in anima. 385. 2.b. etiam Gentium curam gerit, etiamsi corruptissimæ sint. 369.2.b. eius manus nemo effugere potest. 370.1.c. 373.1.d. facies eius ibi dicitur esse, vbi hominibus se exhibet. 371.2.a. ei vocanti obediendum. ibid.d. sæpè per sortes voluntatem suam declarat. 374.2.b. & seqq. eius summa maiestas. 457. 2.a. hæc maximè à nobis timorem & reuerentiam exigit. 376.1.b. etiam subinde in populo innoxio peccata aliquorum occulta punit. ibid.d. eius si vocationem fugiamus, mains ab eo fugientibus instat periculum. 384 2.a. eius magnificentia perficitur in infirmitate & obedientia hominis. ibid.d. in eum non cadit pœnitentia. 392.2.a. est longè clementior homine etiam sancto. 396.2.c. quomodo dicatur de cælo descendere. 400.1.c. proprium eius opus est benefacere, punire alienum. 2.a. bonus & clemens est piis, malus & rigidus impiis. 415.1.d. eius obscuritas & caligo. 428.1.b. eius æternitas. 443 1.b.c. eius cum Israelitis ingratis expostulatio. 452.2.a. & seqq. quàm de nobis sit sollicitus 457.1.a. ab eo pendet omne bonum nostrum. 2.b. ignis consumens est, hinc sollicitè cum eo amplectamur oportet. ibid.d. 86.2.a. non considerat in operibus nostris quantum, sed ex quanto. 458. 1.d. licet peccatori pœnitenti condonet culpam, non tamen illico condonat omnem pœnam. 226.1.b. 467 1.c. eius ira duplex est. 467.1.c. adfuit Iudæis è Babylonica captiuitate redeuntibus. 469. 2.c. summum eius est opus peccatoris iustificatio. 472.1.a. quæ Dei sunt, & maxima & perfectissima sunt. 385.2.b. est tardus ad vindictam, sed tarditatem supplicij grauitate compensat. 170.1.c. 475.2.a. 681.1.c.d. eius zelus contra tyrannos. ibid.b. 479.1.b. 276.2.d. eius zelotypia in suos filios. 475.2.c. est dominus iræ suæ. 476.1.a. quàm fortis sit animo in offensionibus hominum & repulsa toleranda. ibid.c. & 2.c. nouit suos, ignorat hostes. 480.1.a. quos in hac vita punit, non punit in futura. 402.1.a.2.a. an curaret res humanas, cur multi dubitarint. 510.2.a.b. cur sinat pios affligi, impios prosperari. ibid.d. & seqq. 816.2. c.d. eius longanimitas, impassibilitas, celsitudo. 510.2.d. peccatum mortale odio odit infinito. 519.2.b. eius sanctitas infinita est. ibid.d. an habeat curam particularem piscium. 524.1.b. ab æterno simul & semel omnia futura cognouit. ibid.c. non tantam habet curam piscium, quantam habet hominum, ex parte effectus. ibid.c. eius cura generalis de minimis qualis sit. 2.b. potiùs casto silentio quàm exili nostro præconio venerandus est. 537.1.c. est omnia, & omnium causa finalis, conseruans & efficiens. ibid.d. eius essentia in immensum omnem creaturarum intellectum, conceptum & vocem transscendit. 2.b.d. est sol immensus gloriæ, à quo singuli homines & angeli radiolum suum lucis emendicant. ibid.c. perfectiones omnes in eo sunt infinitæ & augustissimæ. 538.1.a. eum quomodo vicerit amor. ibid.b. in attributis omnibus est positivè infinitus. ibid.d. in infinitum transscendit omnes res possibiles & imaginarias, quæ sunt infinitæ, in infinitum. ibid. ei immensæ debetur reuerentia, cultus, amor & latria. 2.a. est nobis super omnia summo amore diligendus. ibid.b. 795.1.d. eius descriptio compendio tradita. 539. 1.a. ad eius cognitionem duobus modis pertingimus. ibid.b. ipse incarnatus opus stupendum est. 541.1.c. cur ab Austro & dextro venire dicatur. 547.2.d. eius quæ sint cornua. 549.2.d. solus ipse regna dat & imperia. 552.1.c. est præses temporum, dominus æternitatis. ibid.d. vocatur auum æuorum. 2.c. antonomasticè cur dicatur salus. 562.1.b. est fortitudo nostra, quomodo. 563. 1.b. ei infinitæ gratiæ infinitis modis debentur. 564.2.d. in die iudicij scrutabitur arcana cordium. 575.2.a. eius lucerna increata & creata quæ. ibid.d. ipse summum bonum est. 583.2.b. est omniscius. 589.2.a. in dilectione sua stabilis est. 579.1.b. cur in tribulatione suorum dissimulet. ibid. mirè delectatur nostra virtute. 2.a. eius in manu cor regum est. 603.1.c. rogandus est vt pios det reges & principes. ibid. eius inspirationes quanti faciendæ sint. 604.1.d. in anima sancta, Religione, & Ecclesia quomodo colatur. 633.1.d. in ea quomodo præsideat. 2.b. eius in homines pietatis officia. 627.1.d. vindictam post castigationem conuertit in auctores. 644.1.c. est per Christum gloria Ecclesiæ. 649.1.b. quomodo Iudæis dormierit & somnum excusserit. 652. 2.c. est totus oculus. 662.2.c. eius prouidentia per candelabrum repræsentatur. 668.2.c. 669.2.b. magna à paruis orditur. 674.1.b. ei ignis & lampades præferuntur. 677.2.b. mensurâ præscriptâ peccatorum impletâ punit. 684.2.a. est mundi oculus. 685.2.b. quàm ardenter cupiat esse cum hominibus. 729.1.a. eius fœdus quod fuerit cum Iudæis. 743.1.c.d. Ierusalem contra Ethnicos sæpius defendit. 753.1 d & seqq. Deus in cruce est prodigium à sæculis inauditum. 765.2.b. eius dignatio carnem humanam assumentis. 657. 2.c. Iudæis Christum obiecit vt ipsi eum occidant, vt sua morte genus humanum is redimeret. 767.2.b.c. descendit cum angelis in auxilium fidelium. 775.2.d. quibus titulo pater & dominus eorum sit. 795.1.c.d. Eucharistiâ summè honoratur. 802.1.b. & seqq. semper petit optima. 804.1.b c.2.a. eius maledicere & benedicere est efficax. 806.1.c.2.c. est nuptiarum conciliator & vindex. 813.2.c.d. quomodo non affligitur peccatis impiorum. 816.2.b. hunc Ethnici velut ignem concipiebant. 821.1.d. est immutabilis octupliciter. 225.1.a. 816.2.c. huius immutabilitatis variæ causæ. 827.1 c. & seqq. naturæ eius plenitudo & perfectio. ibid. est actus purus, nihil habens admixtum potentialitatis. ibid. d. est simplicissimus. 2.a. est ipsum esse. ibid.b. quod vult, hoc ab æterno voluit. ibid.c. omnia ei sunt præsentia ibid.d. à peccatore, peccato configitur velut sagitta. 829.2.c. 830.2.a. in memoria sua conscribit singulorum hominum dicta & facta. 832.2.c

Deiformes quomodo euasuri simus. 68.1.b. 554.1.c

Dij quilibet ab Hebræis vocabantur Baalim. 171.2.d. deos tutelares vrbes, Gentiles eam obsidentes carmine aliquo euocabant. 400.2.a. quàm hi impotentes essent. 95.1.b.c

Dextera capitur in Script. pro parte Australi. 547. 2.d. item est symbolum egregij alicuius conatus & operis. 655.1.b

Diabo-

Diabolus peccatores suis vitiis alligat. 109.2.c. *Dei simia est.*107.1.d. *sæpè facit vt maniaci diuinent.* 27.1.c. *ei competit vindemia, Christo vix racematio.*462.1.b. *eius operâ potest quis rapi in ecstasin quasi naturalem.*25.1.b. *est tyrannus Aquilonaris,cur.*229.2.a. *est homini leo in hac vita,vrsus in morte,coluber in gehenna.* 298.1.c. *semper sitit sanguinem.*133.1.c.222.2.c. *abutitur anima peccatoris pro sua libidine ad omnem malitiam.*217.1.c. *sanguinis humani auidus homines sibi immolari petebat.*192.2.b. *quomodo vires animæ eneruet.*136.1.b. *omnes pietatis fructus in ea euertit instar locustarum.*216.2.c. *formidat animos viriles,sæuit in molles.*313.2.a. *cogit animam ad desperationem.*89.1.d. *eorum alij huic,alij illi vitio præsunt,& ad ea homines sollicitant.*104.2.d. *est eorum regnum in anima tyrannicum.* 365.2.b. *in sortibus iis tribuitur prænotio futurorum, quæ soli Deo propria est.*374.2.c.d. *quomodo fleterit à dextris Iesu pontificis.*654.2.c.& *seqq. quomodo à dextris Iudæ proditoris.ibid.d. impedire voluit fabricam templi.* 655.1.a. *cur sit à dextris impiorum.ibid.b. an quisque diabolum habeat à quo tentetur.*2.b. *quomodo eum Deus pro Iesu increparit.* 656.1.c. *allegoricè lupus vespertinus est.*516.1.b. *sæpè etiam se in lupum transformat.ibid.c. hominem cur & quando mutum reddat.ibid.d. in quo hyænæ assimilatur.*2.a. *ipse somnum,Christus vigiliam inducit.* 505.2.a. *quare fulgur dicatur.* 551.1.d. *ceto voraci assimilatur.*521.1.a. *templi fabricam impedire satagens monti magno assimilatur.*671.1.c. *item christianismo se opponens.*2.a. *diaboli idolo assistebant quasi animæ idoli,dabántque responsa.*764.1.d. *eaq; falsa & noxia.*731.2.c. *repræsentantur per Aethiopes.*554.2.c. *& tales hominibus apparent.*584.1.c. *in iudicio peccatorum occultissima quæque pandent.* 576.1.b. *per Eucharistiam profligantur.* 726.1.b

Διάψαλμα *quàm diuersimodè vertatur.* 548.2.c.d. *in eo necessariò inueniebatur & cantorum, & concentus,& sententiæ mutatio.* 549.1.c.d

*Dies excidij Hierosolymæ est typus diei mortis & iudicij.*223.1.d. *quos dies quis quotannis solenniter celebrare debeat.* 71.1.b. *dies quinam sint magnæ virtutis Dei.*70.2.d.71.1.a. *dies magnos quos Romani vocarent.ibid. dies Balaim tropologicè qui dicantur.* 77.2.d. *quos dies Hebræi festos habuerunt.* 71.2.b. dies *apud Hebræos sæpè significat annum.*284.1.c. *sæpè capitur pro clade insigni quæ tali die contigit.*542.1.b. *dies Domini dicitur dies vltionis, qua aliquas gentes perdit.ibid. dies continuus erit post iudicium peractum.*777.1.b. *dies parui & magni qui dicantur.* 70.1.a.673.1.d. *dies ante diem iudicij quomodo futuri nubili & frigidi.* 777.1.a. *dies fabricæ templi cur vocentur parui.* 673.1.d.& *seqq.*

Diffarreatio est dissolutio matrimonij confarreatione contracti. 92.1.c

Difficultates omnes in via Christi occurrentes generosè perfringendæ sunt. 419.1.a

Dissidentia oritur ex defectu fidei; quàm illa Deo contumeliosa sit. 588.1.d

Digitus angelicus quis sit. 619.1.d

*Dignatio Christi summa erga genus humanũ.*233.2.d

Dignitates huius sæculi aureus vapor sunt. 170.1.d

Δὶς καὶ *Græcis significat res quatuor.* 199.1.a

Dilectio Dei est efficax,& fons omnis boni. 792.2.b

Diluuium triplex. 481.1.c. *diluuium Deucalionis finxerunt poëtæ ex diluuio Noë.* 373.1.b

Dimidium in dubiis melius est toto. 525.1.c

Diocletianus & Maximianus Christi fidem se exterminaturos iurarant,at non potuere. 753.2.d

Diodorus Siculus errauit in rege sub quo factam scribit Tigris inundationem qua Ninive obruta. 482.2.b

Diogenes quàm vestium luxum & leuitatem carperet. 571.1.a. *cur à simulacris petere aliquid soleret.* 131.2.b

Diphthera est membrana è pelle capræ Iouis. 681.1.c

Dipsas serpens auaritiæ symbolum est: ab eo percussi inextinguibili siti enecantur. 318.2.c

Dirigi *in Scriptura est prosperè agere.* 186.1.a

Disceptatio Christi cum impijs in die iudicij qualis futura sit. 240.2.c

*Disciplinæ monasticæ abiectio quomodo à Deo punietur.*329.2.a. *eius obseruantia quantopere alios ad imitationem alliciat.* 709.2.b

Discordia fraterna à Deo sæpè punita. 264.2.d

Discus quale athletarum instrumentum esset. 753.2.c

Dispensare an possit Deus vt fornicatio sit licita,& in quibus præceptis dispensare possit. 53.1.b.c

*Dispositio ad prophetiam prima,est mentis quies.*9.2.c. *secunda,mentis abstractio.*2.a. *tertia,vitæ sanctitas.ibid.c. maximè humilitas.*10.1.d. *dispositio optima quæ sit ad Ven. Eucharistiam sumendam.* 725.2.a

Dispunctio verborum,capitum, & sententiarũ S. Scripturæ, multum valet ad eius genuinum sensum capiendum. 50.2.c

Dissidium inter consanguineos propter Euangelium quale enatum sit. 465.2.d

Diuagatio quanta sit hominum mundanorum, maximè mercatorum. 521.1.b

Diuersitas animorum ablata per aduentum Christi. 592.1.d

*Diuinare prophetias adhuc futuras quatenus liceat.*30.1.c.d. *diuinandi vis non est in anima moribunda vel maniaci.* 26.1.c

Diuinatio non sit naturaliter. vide.

Diuinatoria sors quæ,& quatenus illicita sit. 374.2.c

*Diuini quomodo fieri possimus.*225.1.a. *diuini,vocantur somniatores.* 731.1.d

Diuinitatis quod sit hieroglyphicum & ænigma. 551.2.b. *eius puritas,amor,ardor,trinitas personarum, æternitas duplex.ibid.b.c. diuinitas Christi semper,etiam in morte,manfit tam corpori quàm animæ eius coniuncta.*121.1.d. *diuinitas omnes perfectiones in se continet.* 63.1.d

Diuisoria sors quæ,& an licita sit. 374.2.a

Diuites in christianismo non est quòd se pauperibus præferant, quia maiora habent virtutum impedimenta quàm pauperes. 755.2.a

*Diuitiæ sunt diuitis idolum, rapina, robur. spes, requies.*189.1.c. *non extinguunt habendi sitim.*133.1.c. » vide *Aurum, Pecunia.*

*Doctor superbus aquilis assimilatur.*354.1.d. *doctor bene docens, & nihil faciens similis est cupressi.* 207.2.b. *doctor arrogans conuertitur in arcum prauum.* 140.1.b. *doctorem iustitiæ, qui à Ioele promittitur,ostenditur fore Messiam.*30.2.d. *Doctores Ecclesiæ hyadibus assimilantur.* 194.1.c. *mysticè per equos nigros Zachar. repræsentantur.* 692.2.a. *sunt quasi sigillum Dei.*632.1.c. *Doctores quatuor Ecclesiæ intelliguntur per fabros Zachariæ visos.* 645.1.d

Doctrinam legis diuinæ vendere pecunia, est simonia

Ecce q̄ notd. 821.2.d.

433.1.c. doctrina cur Hebraïs vocetur ros vel pluuia.130.2.b.204.1.c.730.2.a. doctrina consentiat cum opere.604.2.b.c. doctrina Christi pretiosa est.660.2.b. sycomoro comparatur.324.1.c. eius paradoxa.30.1.a. doctrina Euangelica semper in vna lingua floruit.593.1.b. doctrina Christi & Apostolorum an sit fons patens domui Dauid,quem describit Zacharias. 762.2.c

Dolare in Prophetis suis,cur,& quomodo se dicat Deus. 124.1.b.c

Domestici sunt maximè inimici hominis. 466.1.a.b

S. Dominicus viuens fuit velut angelus terrestris. 11.2.d

Dominus fidelium,quare sit Deus. 795.1.c

Domitiani inutilis occupatio in captandis muscis. 525.2.d.599.1.c. ei sortes interitum denuntiarunt. 374.2.d

Domus pulueris,est terra,item corpus mortale. 405.2.b domus æstiua & hiemalis,quid sint mysticè.281.2.b domus eburnea Achab.ibid. domus spiritualis partes.348.1.a. domus ædificandæ in calo duraturæ, non in terra,mox casuræ.387.2.a. domus Domini symbolicè erat Israel & Iuda.141.2.b.156.1.d domus Dauid vocantur posteri Dauidis, eorumq; familiæ.755.1.c. allegoricè Apostoli viriq; Apostolici.ibid.d. domus est quasi magnus quidam homo ciuilis.558.1.d. domus quoque symbolicè est familia & resp.2.a. domus spiritualis fundamentũ, parietes & tectum quæ sint.610.2.c. domus, in quibus immane aliquod scelus est patratum,solent destrui vsque ad fundamenta. 683.2.b

Dona Spiritus sancti plenissimè fuerunt in anima Christi.663.1.a. eorum copia magna in fideles effunditur.233.1.a. ea ipse indifferenter in omnes effundit.234.1.b. donis sponsi olim vxores sibi coëmebant.91.2.d. hinc vocantur dona sponsalia vel ingalia.92.1.a. dona templorum data olim meretricibus. 403.1.b

Donatilla è qua Scriptura suæ sectæ in Africa natæ patrocinium quærerent. 548.1.c

Dormire in lectuli plaga quid sit. 280.1.a.2.d dormisse & excitatus à somno quomodo dicatur Deus populo suo. 652.2.c.d

Dorotheus qui vitas Prophetarum scripsit,non fuit Episcopus Tyrius & Martyr sub Iuliano.13.2.b. hic grandæuus Martyr obiit. 350.1.a

Dos Dei,animam sibi despondentis,quæ.87.1.b. dotes Prophetæ,robur,iudicium & efficacia.422.1.b. dos æquitatis per pedes seruorum à Propheta exponitur. 563.2.c. dotes Beatorum ex visione Dei manantes anagogicè vocari possunt fontes. 778.2.b

Draco cum elephante pugna & planctus. 403.2.d

Dromades cameli sunt velocissimi. 408.1.d

Duci militari captandus sol & ventus est. 517.2.b

Duellum Christi & diaboli. 658.1.b

S. Dunstanus Eduinum Angliæ regem precibus ab inferno liberauit. 757.2.c

Duplex tribulatio qua dicatur.481.2.b. duplicia bona quæ reddat Christus suis.719.1.d. duplex sæpe capitur pro multiplex. 2.a

Duranus Episcopus Tholosanus cur à morte apparuerit tumentibus labris & spumoso ore. 600.1.b

Durata est triplex,tempus,æuum,æternitas. 443.2.c

EBrietas voluntaria insania est.104.1.d. quæ mala causetur.580.1.d. & seqq. ebrietas capitur aliquando pro rerũ omnium abundantia.206.1.a. ebrietas spiritualis quæ sit, & quam optanda. 609.1.c

Ebrius sæpè ob nuditatem suam se omnium ludibrio exponit.535.1.a. ebrius omnia videntur moueri & apparent duplicia. 752.1.b

Ecclesia cur Origenem damnarit.8.1.b. eius hieroglyphicum & exordium.37.1.a.b. eam Christus sibi copulavit vt coniugem. 57.2.a. eius quis sit magnus dies,& fuerit.71.1.b. est vna & sola.79.2.c. varias ob causas vocatur solitudo. ib.& seqq. eam quando & quomodo Deus sit consolatus.83.1.a ob scelera impiorum punitur & turbatur. 84.2.d eius bonis locupletari volentes grauiter peccant.100.1.c. vinea ob varias analogias comparatur.138.1.b.& seqq. item oliua 205.2.a. quatuor eius bona spiritualia,sunt præcepta,exercitia,virtutes & charismata.220.2.a. quod eius etymon 238.1.a Arcturo sideri assimilatur.294.1.d. est velut fasciculus Dei.342.1.a. est tabernaculum Dauidis, id est Christi & Christianorum. 345.1.c.d. 764.1.a materialiter & reipsa est regnum Christi. 345.2.a fundata est super petram.348.2.a. est domus Domini in monte ædificata. 452.a. transcendit omnes doctrinas,leges,institutiones,scholas,religiones Iudæorum & Philosophorum.ibid.c. ad eam gentes terrenas venire quàm miraculosum sit. ibid.d. eius pastor est Christus.445.1.d.2.a. cur sit turris gregis,& Ophel: cur vocetur Ierusalem filia,& Sion. 238.1.c.428.2.b.c.d.596.1.d.824.1.c. linebellis esse nequit,cum sit militans. 446.2.d. ei pacem quomodo Christus attulerit.447.2.d. persecutionibus crescit.470.1.a.754.2.d. à fidelibus inter se consociatis constituitur.632.2.d. orta tantùm post Christi recessum sicut luna post solis occasum.557.1.c in monte Sion inchoata est. 624.2.c. eius maior gloria est quàm Synagogæ.ibid. est allegor. lapis oneris,quem cuncti tollere & abijcere volentes malè periere.431.1.a.753.2.d. allegoricè cur Alexandria populorum est.503.1.c. eius lapides sunt fideles mortificatione expoliti.632.2.d. quomodo posita sit Gentilibus & Iudæis quasi superliminare crapulæ. 752.1.a. exteriùs deformis, introrsum pulchra est.ibid.d. eius typus est candelabrum, cur. 676.2.a.699.2.c. est mysticum Dei templum. 820.1.d. est firmamentum veritatis. 705.1.c. eam quàm validis vallis Deus communiat. 715.1.a. allegoricè est terra desiderabilis.831.1.c. eius quanta sit amplitudo,& capacitas.648.1.a.b. est paradisus Dei.ibid.d. durabit in æternum, donec in statum beatum mutetur.780.2.b. ex ea quando & quomodo impietas expelli dicatur in Babylonem. 689.2.d. eius restauratores quouis sæculo Deus excitauit.612.1.a. Ecclesia Catholica vasis sacris abundat.786.2.b.787.2.b. multos ritus ex Zacharia & Apocalypsi,& similia symbola mutuata est in officijs Ecclesiasticis.663.1.c. Ecclesia Iudæorum & Christianorum eadem est.596.1.d. hæc illi vt prælata sit, & propinquior facta soli iustitiæ. 772.1.a. Ecclesia Græca prima pene in orbe efflоruit, deditq; primos Doctores.720.2.a. Ecclesiam triumphantem nulli aduersarii affligere, nulli immundi polluere poterunt.249.1.a. Ecclesia vetus Iudæorum per multas rupturas cecidit. 345.1.a

Ecclesiastes cur hebraicè fœminè vocetur cohelet. 612.2.c

Ecclesiasticus non texit elogia omnium virorum illustrium. 790.1.d

Ecclesiasticus opibus quas ex beneficio percepit, cognatos laicos non locupletet.337.2.c. beneficia beneficiis non

Edom tarris. 428. 1. b.
Egestas pœna auaritiæ. 806. 1. d

non accumulent. ib. & seqq. eorum cupiditate fouetur valdè auaritia laicorum. ibid. a

Ἔκλειψις, quid propriè sit. 496. 1. q.

Eclipsis solis facta in passione Christi, allegoricè indicata per Amos. 333. 2. c

Ecnephias ventus quis sit, quàm in Italia sit procellosus. 517. 1. a

Ecstasis differt à prophetia, & quid propriè sit. 24. 2. c. d aliquando contingit sine alienatione mentis à sensibus. 25. 1. a. b

Eden regio, in qua situs erat paradisus terrestris. fuit in Mesopotamia & locis vicinis. 262. 1. b

Educatio prolium à matre maximè pendet. 56. 1. c. d

Eduinus Angliæ rex precibus S. Dunstani ab inferno liberatus. 757. 2. c

Effeminati quinam & quales essent. 106. 1. b. cur ita dicerentur. ibid. erant Priapo consecrati. ibid. c

Effusio donorum Spiritus sancti vocatur in Scriptura baptismus. 233 1. a. quanta eius donorum copia sit. ibid. b

Egredi quomodo cælo Deus dicatur ad aliquid operandum. 400 1. c. d. inter egredi sermonem, & egredi hominem quæ sit differentia. 443. 1. a

Egressus Christi triplex est, temporalis, æternus, & partim temporalis & partim æternus. 441. 2. b

ἔλαφος, id est cervus. græcè vnde dicatur. 470. 2. a

Elapidare locum aliquem quid sit. 401. 2. d

Elcesæus, hebraicè idem est quod serotinus, tardus: cognomen est Nahum à patria. 475. 1. d

Electores S. R. Imperij in inauguratione Imperatoris quæ Imperij insignia gestent. 327. 1. a

Electorum cœtus in mente Dei colligatus, est velut fasciculus. 343 1. a. ante opera præuisa non sunt ad gloriam prædestinati. 176. 2. d. in die iudicij prospiciet in tartarum 774. 2. b. sunt peculium Christi. 833. 1. d. 2. b. item sors Sanctorum & regnum Christi. 2. c. quàm Deo sint chari. ibid. 834. 2. a

Eleëmosynæ præstantia & vis. 125. 2. c. d. eius quantus sit prouentus. 166. 2. c d. solet vocari iustitia. 309. 1. a. pœnitentiam tollit in cælum. 456. 1. b. eam dans dat eam Deo de suo. 620. 2. d

Eleëmosynariorum opes Deus multiplicat. 331. 1. a. b

Elementa nostra non habent primæuam puritatem in qua condita sunt, sed multis rebus terrestribus permista sunt. 520. 2. d. post iudicium purgata erunt. 777. 1. c. eorum dissidia repræsentantur per quatuor colores aurigarum in ludis Circensibus. 694. 1. d

Eliacim pontifex tempore Iudith, etiam bellorum curã gessit. 696. 2. d

Elias Abbas qua ratione donum castitatis à Deo obtinuerit. 384. 1. a

Elias & Henoch indices sunt resurrectionis mortuorum futuræ. 385. 1. a. quamdiu in fine mundi prædicabunt. 674. 1. b. sunt duo filij olei. 680. 1. c

Elias in fine mundi promittitur venturus. 842. 2. b an hoc nomine Iohan. Baptista intelligendus sit. ibid. ostenditur verum Eliam venturum. ibid. c. & seqq. est futurus præcursor secundi aduentus Messiæ, nec primi fuit. 843. 1. a. similis in zelo, prædicatione & sanctitate fuit ei Iohan. Baptista. ibid. b. 819. 2. c. eum auidè exspectant Iudæi. 843. 2. a cur Iudæi aliquem circumcidentes ei sellam ponant. ibid. solis assimilatur. ibid. 844. 1. d. cur ipse potiùs, quàm quis alius in fine mundi venturus sit. 843. 2. b. eius zelus. ibid. c. 844. 2. d. missus fuit ad tollendum schisma Ieroboam. 843. 2. c ob zelum calcitem raptus in cælum est. 884. 1. a fuit virgo. ibid. fuit Prophetarum dux & antesignanus. ibid. b. cur apparuerit in transfiguratione Christi. ibid. fuit Israelis custos, Propheta, doctor, protector. ibid. in quo fuerit typus ascensionis Christi in cælum. ibid. d. & beatæ resurrectionis. 2. a. quomodo cor patrum ad filios sit conuersurus. 2. d. & seqq. Iudæos in fine mundi quomodo conuertet. 845. 2. c. faciet pacem inter Iudæos & Gentes, erit reformator cleri & populi. ibid. d

Elimelech maritus Noëmi fuit Bethlehemites. 438. 2. c

Elisabetha regina hæresim in Angliam inuexit, quò regnum stabiliret. 131. 1. c. 133. 2. d

S. Elisabetha ex aspectu Christi crucifixi ad vitam perfectam conuersa est. 757. 2. a. 759. 1. d. precibus adolescentem vanũ ad Religionem impulit. 757. 1. b

Elisæus solus Dei iussu, in Prophetam ab Elia vnctus est. 10. 2. d

Elul Hebræorum mensis partim nostro Septembri, partim Augusto respondet. 603. 2. c

S. Elzearius Comes Arriani quo intuitu omnes iniurias æquo animo perferret. 759. 2. a. in vulneribus Christi tantùm inueniri volebat. 767. 1. b

Emanatio æterna Christi cur vocetur à Propheta egressus in plurali. 442. 2. b

Emath vrbs vnde dicta, vbi sita, quotuplex fuerit: an duplex; vna magna, altera minor. 305. 1. c. ostenditur tantùm esse vnam, sc. Antiochiam. 2. a. 712. 1. a

Emendatio vitæ non est procrastinanda. 585. 2. d

Enallage personæ crebra est apud Prophetas. 76. 1. b 437. 2. b. item temporis. 503. 1. d

Encæniorum diem cur Iudæi celebrarint. 71. 2. b

Engaddi vinea fertilissima fuit. 85. 2. c

Epaminondas hostis fuit deliciarum. 308. 2. c

Ephebiam qualem Iason impius pontifex Hierosolymis excitarit. 752. 2. b. 753. 2. c

Ephi erat communis Hebræorum mensura, hinc sæpè pro mensura in genere capitur. 331. 2. a. 684. 1. d

Ephod erat primaria vestis pontificis. 94. 1. a

Ephraim quid significet. 201. 1. b. c. Ephraim tribus dedit primum regem Israel, & multos eius successores. 113. 1. d. sic vocantur decem tribus. 4. 1. c. ea inter decem erat fortissima. 735. 1. a

Ephrata dicta, est priùs Bethlehem. 435. 1. b. d. Ephrata etymon. ibid. imò tota regio à fertilitate dicta Ephrata. 2. a

Ephrata vxor Caleb fuit abauia Bethlehem. ibid. 1. c. an eadem sit cum Maria sorore Mosis. ibid.

ad Epicuræos cur multi ex aliis sectis deficerent, ex his ad alias nemo. 103. 2. d

Epicuri discipuli eius imaginem in annulis gestabant. 629. 2. a

Epiphania vrbs an sit Emath minor. 305. 1. c. quatuor Epiphaniæ sunt in diuersis prouinciis. 306. 1. b

Episcopi quando & quomodo subditis fiant rete. 111. 2. b. aduigilent, ne noui Scripturæ sensus proferantur. 9. 1. b. episcopatu arcendi si carent scientia S. Scripturæ. 99. 2. a. quomodo ordinandos examinare debeant, & quare. 825. 1. a. quomodo suis sanctitate præluceré debeant. 750. 1. b. c. sint vigiles & attenti. 749 2. c. vide Prælati.

Episcopatus in quo consistat. 663. 2. b. episcopatui Romano annexus est pontificatus. ibid. 1. d

Epistola Hebræis vocatur liber. 475. 1. a

Epistolæ Paulinæ non exstant eo ordine quo scriptæ. 5. 1. d

Epitaphium orbis vniuersi, & commune omnium Prophetarum quod sit. 19. 2. c. epitaphiorum quatuor sunt causæ. ibid. d

Episcopum. III. 1. c

Equus

Equus multarum rerum symbolum est. 638.2.d.
Equi comparatur humanitas Christi, cur. 556.1.a.
Equi hieroglyphicum Apostoli, viriq; Apostolici. 556. b.731.2.a.
Equi multi hostium à Machabæis in acie percussi & exacerbati sunt. 754.1.c.
Equis alternandis prisci planè dediti erant. 785.1.c.491.2.d.
Equi vehi cur fingantur angeli. 691.2.b.
Equi bellici veloces sunt pernicitate, sanguine effuso gaudent. 516.2.c.
Equorum Chaldæorum generositas. ibid.
Equorum copia Iudæis vetita. 203.2.a.
Equi eos petere solebant ex Aegypto. ibid.
Equo rufo cur insideat vir Zachariæ apparens. 638.2.d.
Equi quatuor Iohannis in Apocal. visi designant 4. vniuersales Ecclesiæ persecutiones: qui quas. 646. 1.b.2.a.
Equi rufi, albi & varij Zachariæ visi quas gentes repræsentent. 641.2.b.c.
Equos angelos dicunt. 642.1.a.
Equi albi, Græcorum monarchiam repræsentant. 693.2.a.
Equi rufi an denotent monarchiam Romanorum, an Assyriorum & Chaldæorum 1.b.
Equi rufi quid egerint hi, incertum. ibid.d
Equi nigri Persas repræsentant. 2.a.
Equi varij Romanos, non Aegyptios. ibid.c.
Equi rufi denotant mysticè Apostolos & Martyres. 692.2.a.
Equi nigri Prophetas & Doctores. ibid.
Equi albi virgines. ibid.b.
Equi varij Confessores. ibid.
Equi quid hi quatuor aliud repræsentent. 644. 1.b
Eremitica vita bona, delicia & encomia. 80.2.a.b
Erinaceus quod sit animal. 585.1.d.
Erinaceus est symbolum furis. 2.a
Eruca vermis est, qui post pluuiam nascitur. 210.1.d.
Eruca vnde nomen deriuetur: quomodo colligi & quando debeat. ibid.
Eruca an vermiculus sit, qui crescens fiat bruchus, ac deinde locusta. 215.1.b
Esau dum viueret, potentior fuit Iacobo fratre. 185.2.d.
Esau odio habitus propter peccata. 195.1.b.
Esau dictus est quasi vanus. 271.2.c
Esau item Edom & Seir. 352.1.c
Esau à Iacob odio habitum à Deo quomodo intelligatur. 792.2.d.
Esau cur vocetur Seir. 794.1.d
Esaui & Idumæi multi saluati sunt. 793.1.b
Esdras an idem qui Malachias. 789.2.a.b. & seqq.
Esdræ ætas & anni. ibid.d.
Esdras vitam penè egit in Babylone, sutq; pincerna Artaxerxis. 790.1.b.
Esdras fuerit scriba Concilij collecti à Iudæis. ibid.
Esdras cur non meminerit Malachiæ. ibid.c.
Esdras quando Ierusalem venerit. 2.a.
Esdras idem cum Malachia populo suasit. ibid.b.
Esdras primus templum vidit, quamdiu vitam prorogarit. 614.1.b.
Esdras fuit patruus Iesu pontificis. 605.2.b.
Esdras alienigenas vxores abstulit à Iudæis e Babylone reuersis. 655.2.d
Essæi Alexandriæ quotidie ieiunabant. 11.2.b
Esse omne in Deo est. 537.2.c
Essentia Dei infinita virtutis est. 63.1.c. identificatur cum actibus & potentijs diuinis, tum circa se, tum circa creaturas. 2.a
Esther ob gratiam & pulchritudinem vocata Edissa. 609.2.b. quando vixerit, an fuerit vxor Darij Hystaspis. ibid.
Esurientes iustitiam sunt beati. 101.2.b.c
Ethanim quis Hebræis esset mensis. 603.2.c
Eua à serpente decepta columbæ assimilatur. 134.2.a
Euaporatoria in candelabro Zachariæ quæ sunt. 679. 1.b
Euangelica doctrina & lex est velut pluuia serotina. 712.2.a. quomodo sit frumentum & vinum. 723. 2.c. à Ierusalem per totum orbem diffusa fuit. 778. 1.d.& seqq. est propriè bonus nuntius. 821.1.d. vide Lex.
Euangelio Christi inobedientes vel iniurios quomodo Deus puniat. 450.1.a. id per Meridiem ceteras orbis plagas peruasit. 364.1.b. ipsum est lex pacis, amoris, concordiæ. 426.1.d. eius prædicatio est quasi sacrificium 721.2.a. eius vis & energia. 720. 2.b. dupliciter vocari potest onus. 710.2.b
Euangelistæ quatuor per quatuor fabros Zachariæ repræsentari queunt. 645.2.d. Prophetas subinde citant non quoad verba, sed quoad sensum. 746.1.d. eorum capita quomodo olim Patres Græci & Latini distinxerint. 31.1.a
Eucharistia complementum bonorum est. 95.2.d. eius sacrificium in specie panis & vini institutum à Christo, cur. 150.1.b. est funiculus amoris. 173.1.b ipsa cur rori comparetur. 204.1.d. est memoria & memoriale inge Christi. 206.2.c. panem cælestem nobis manducandum exhibet sub specie panis tritici. 205.2.d. in ea Christum deuotè suscipientes fiunt Bethlehem & præsepe Domini. 441.2.a. ei cur faces præferantur, & ante eam ardeant lampades. 677.2.b. est frumentum electorum. 723. 2.c. item bonitas & pulchritudo Christi. ib.d.& seqq. est conuiuium, in quo Christus nobiscum cōuiuatur. 724.1.b. est omne bonum & pulchrum Dei & Christi, æquè ac nostrum. ibid.d. in ea est quasi noua mundi creatio ibid. est manna supernaturale, est quasi noua Christi incarnatio, & viua repræsentatio mortis Christi. 2.a. in ea Deus omnia vetera miracula renouat & superat. ibid.b. est summum sacrificium, quo Deus summè honoratur. ibid.c. est panis transsubstantiatus & supersubstantialis. ibid.b. eius operationes. ibid. 727.1. b.c.d.2.c.d. 728.1.b.c. 729.1.d. est ignis diuini amoris, ardorem charitatis in nobis excitans. 725. 1.a. vnde hominibus vilescat. ibid.b. eius fames & desiderium optima ad eam dispositio est. ibid.d. quanta ad eam auditate accedendum sit. ibid.d. quomodo post eam sumptam se gerat homo. 2.b. facit iuuenes validos. ibid.d. facit vt à Deo eligamur ad vitam æternam. 726.1.a. ea Martyres se muniebant in certaminibus: hinc à Christianis domum deferebatur. ibid. eius vi fideles vim dæmonum elidunt. ibid.b. dat opem in prælijs. ibid.c. & seqq. vires corporales adauget. 2.b. multi eius solius sumptione vitam duxerunt. ibid.c. inebriat mentes. 206.1.b. 727.1.c. 728.1.a. eius virtute resurgemus. 727.2.c. quomodo eam vocent Patres. ibid. germinat & efficit virgines. ibid.d. reprimit libidinem. 728.1.b. olim mox à baptismo cur daretur. 729.2.a. subinde à Patribus vocatur oratio & liturgia. 799.2.d. Sacramentum non tantùm est, sed & sacrificium. ibid.d. quomodo sit sacrificium, & mundum. 800.1.a.b. & seqq. eius sacrificium Dei nomen mirè celebrat. 2.c. cur vocetur incensum vel thymiama. ibid.d. tripliciter dicitur munda. 801.2.a. eminenter complectitur in se tres species sacrificij Iudæis præscripti. ibid.b. ea summè honoratur Deus octo de causis. 802.1.b. & seqq. est miraculum miraculorū. ib.d. per eam participat tam offerens quàm assistens omnia merita Christi. 2.b. per eam omnis gratia cum suo auctore ad nos deriuatur. ibid. cur vocetur Eucharistia. ibid.c. quàm eam reuereantur angeli. ibid.c.d. in ea omnes virtutes exercentur. 724.2.b. 803.1.a. cur eam Deus instituerit. 803. 1.a. est velut manna. ibid.b. eam indignè sumentes polluunt mensam Domini. 797.3.d
Eucherius Emissenus an auctor homiliarum, quæ eius nomine circumferuntur. 383.1.d

Cornel. in Proph. Min. fol. 303.2.c. 369.1.b.

Est Sacrificium. 799.

S.Eucherius Lugdunensis Episc.quàm insignis mundi & rerum mundanarum fuerit contemptor. 500.2.b. eius sancta familia & miracula. ibid.d

Eudemus philosophus annulos fecit contra dæmones & serpentes. 629.2.b

Euersores templorum & sacrorum euerterunt pariter remp. aquè ac se,& suam stirpem. 607.2.c

Euphemismus figura est boni ominis captatio. 31.1.d

Euphrates fuit limes terræ sanctæ, statutus à Deo, ad Orientem.468.2.c.717.2.a. eius diuersione capta Babylon à Cyro. 480.1.d.551.1.b

Europæ terminus ad Occidentem est Hispania. 364.1.a. c. maiori ex parte mari alluitur. ibid.c

Eurus ventus caliduſ & torrens est. 295.2.b

Eusebius Episcopus,ecclesiam in Pelusio ex oppressionibus pauperem adificans sugillatur. 422.2.d

S.Eustochium Romæ Bethlehem prætulit. 439.2.a

Eutyches vnam naturam in Christo constituebat, damnatus fuit à Concilio Chalcedonensi. 646.2.b

Eutychius quomodo ad Patriarchatum Constantinopol. euectus sit. 825.2.a

Excelsa, erant fana & altaria dijs dicata. 321.1.a. excelsa Isaac quæ vocet Amos. ibid.

Excessus mentis aliquando fit sine alienatione à sensibus. 24.2.d

Excestus Phocensium rex habuit annulos magicos.629.2.b

Excidium mundi repræsentatur excidio Niniues. 494.2.b

Execrationem Hebræi tam horroris, quàm boni ominis causa,subticent. 331.1.d

Exempla bonorum ante oculos sibi statuat is qui bonus euadere cupit.451.1.c. exempla quàm ad mouendum potentia sint.709.2.b.c. exempla & virtutes Sanctorum velut lucernæ sunt.576.1.d. exempla principum reip.statum fundant. 673.1.b

Exercitus Niniuen & Assyrios inuadentium vocatur diluuium,cur.480.1.c. exercitus est vnus collectiuè,sed multus distributiuè.490.2.c. exercitus etiam significat multitudinem.365.1.b. dictus ab exercendo. 364.2.d

Exhumare mortuos inhumanum est. 268.1.a.b

Exossare agros quid sit. 190.2.d

Expectare aliquando pro timere capitur. 528.1.c

Ezechias quando solemne suum pascha instituerit.485.1.b. imminentibus vrbi Assyrijs, domos pauperum muris vicinas destruxit.422.2.b. Michæam prophetam reueritus est,eiusq; oraculis compunctus 399.2.b. non est is dominator, quem nasciturum in Bethlehem prædicit Michæas. 438.1.c

Ezechiel cur iussus stercore boum vesci. 55.2.a

FAber communiter ferrariũ significat,nisi vox distinguens addatur.645.1.c. fabri quatuor Zachariæ visi, sunt angeli Iudææ & Ierusalem tutores. ibid.a. fabri mysticè qui.2.b.c.d. fabri turris Babel fuere figura Iudæorum impietatem suam & Antichristum exaltantium. 689.2.c

S.Fabianus indicio columbæ à Deo designatus est Pontifex. 825.1.c

S.Fabiolæ Romanæ pœnitentia, quòd marito adultero repudiato inscia alteri nupsisset. 217.1.d

Fabrica domus spiritualis quomodo sit construenda. 634.2.b

Fabula tres habet partes,fabulam,profabulationem, assabulationem.275.1.c. ad fabulæ poëticas subinde alludunt Prophetæ.23.2.b. fabularũ vtilitas.ibid. fabulis scatet doctrina Iudæorum. 598.2.b

Facere veritatem & mendacium in Scriptura quid sit.131.2.c. facere Latinis est sacrificare. 761.1.d. facere aurum & argentum,est illud calare, polire, aut efformare. 2.a

Faces Imperatori præferri solitæ quomodo distinguerentur ab ijs quæ Imperatrici & Patriarchæ præferebantur. 678.1.a

Faciei aspectus ad amorem,commiserationem & odium multùm mouet.798.1.d.810.2.d. facies destituta cordis influxu,palleſcit.496.2.a. facies, id est præsentia Dei,cur dicatur esse in templo & in Iudæa. 371.2.c.d

Facta doctrinæ respondeant. 604.2.a.b.

Factio tollenda sublato capite. 309.2.a

Facultates temporales sunt homini vt pellis, caro, ossa. 420.2.b. sunt diuitum robur & fortitudo.431.2.c

Fœces à vino cur amoueantur. 576.2.c

Famam venanti duci,mors parui facienda. 491.1.a. famam mortuorum ladere,quantũ sit nefas.268.1.c.

Fames Iudææ septennis, quam Elisæus sub Ioram rege prædixit,an à Ioële significata sit.212.2.b. an fames biennalis,quam prædixit Amos.ibid.c. famem sapiũ Israelitis ob idololatriam Deus immisit. 281.1.a. fames Ven.Eucharistiæ, optima est ad eam suscipiendam dispositio. 725.1.c

Familia est magnus quidam ciuilis homo.558.1.d. per familiam Dauid quæ in Christi morte planxerit, qui intelligantur,& quiper familiam Semei & Nathan. 761.1.d. & seqq. cur ea plangere debuerint 2.a.b. familia Esther cur myrteis comparetur. 639.2.b. in familia Heber mansit cultus Dei & lingua Hebræa. 593.1.b. familiæ multæ potentes,sed impiæ,sæpe ad nihilum rediguntur. 683.2.d

Far erat victima priscorum Gentilium. 801.1.c

Fasciculus Dei quis dicatur. 341.1.b.c. mundus sublunaris septupliciter fasciculus est. ibid.d. mysticè Ecclesia,& anagogicè electorum cœtus.342.1.a fasciculus viuentium est numerus prædestinatorum. ibid.c

Fauces hiantes signum famis.128.1.c. fauces dicuntur stricti ingressus vallium aut collium. ibid.d

Febris tertiana vocatur causon. 185.1.a

S.Felicitas septem filios ad martyrium obtulit 804.2.d

Felicitas mundana facilè immutatur. 506.1.a. felicitas summa est ad Deum accedere.588.2.b. felicitatis omnis semen est religio & cultus Dei.706.2.c. felicitas sequentium Deum & fidelium. 208.1.a

Feminæ omnium penè animalium magis lasciuæ sunt quàm mares, quæ huius rei ratio physica. 108.1.d. femina est quasi dimidium viri,quomodo. 814.2.d. 815.1.c. feminæ apud Hebræos & Græcos separabantur à viris in conuiuijs, oratione, alijsq; actibus publicis.761.1.b. feminæ pisces maiores sunt maribus,sed ad cibum minùs præstantes. 522.1.c. vide Mulier,Vxor.

Fenella Kemethum regem Scotorum occidit porrigens ei pomum aureum,è quo multa tela prosiliebant. 140.1.a.327.1.c

Feræ Deo & Sanctis seruiunt. 378.1.a

Fermentatum nihil inferri poterat altari,at panes fermentati pro sacerdotibus. 283.2.a

Fermentum est symbolũ corruptionis & malitiæ. ibid.b

Ferrei sæculi descriptio.463.1.a.c. ferreis plaustris triturabant Hebræi.269.2.b. tale plaustrum describitur. ibid.a

Feruere & ardere quomodo currus dicantur. 498.2.a

Festa Christianorum cur à Zacharia vocentur nomine festi tabernaculorum.783.1.d. hæc repræsentatur per festa Iudaica.ib. festum tabernaculorũ per septẽ dies

celebrabatur.ib.c. festa varia Iudæorum. 71.2.a festa futura apud eos publica præconis voce publicabantur. 245.2.b

Fiber animal amphibium est homini inimicū. 585.1.d

Ficus ægyptia quæ dicatur.323.1.d. ficus gemina(quas Delelaum significat) quid tropologicè & litteraliter denotent.58.1.d. ficus arbores sunt biferæ.462.2.a per eas denotantur apud Prophetas Iudæi & Iudæa. 216.1.b. primæ quia auidè expetuntur, significant rem valdè desiderabilem. 153.1.a. in Palæstina non sunt omnium fructuum primi.462.2.a. ficus primæ dicuntur flores ficulneæ.503.2.c. ficus spirituales quæ. 665.2.b

Fidelis quem diem magni facere debeat. 71.1.b. sit sanctus in verbis & operibus.207.2.b. est lilium ob septem analogias.204.2.a. peccatis inquinatus est vas immundum.146.1.d. quando habeat labium electum. 593.2.b. est sigillum Dei dupliciter. 631.2.d. fideles crescunt crescente Ecclesia.557.1.d. per spem promissæ liberationis ærumnas fortiter tolerāt. 529.1.c. charitate dum flagrant, sunt quasi coccinei. 491.2.c. tropologicè sunt sacerdotes mystici.824.2.b. ipsis Deus difficultates omnes complanat ad exterpanda vitia inolita.671.2.b. eorum planctus ob mortem Christi,quam quotannis recolunt. 759.1.c. 762.1.a. fideles omnibus rerum temporalium mutabilitate superiores sunt. 114.1.c. sunt in baptismo Domino consecrati. 787.2.c

Fidelis primi fuerunt ex Iuda & Israel.72.1.b. hi fratres vocabant eos qui ex Samaritis & Gentibus conuertebantur. ibid. eorum sensim quale fuerit incrementum.69.2.d. cur à Propheta dicantur claudicantes.600.2.b. quomodo à Iudæis & Gentilibus exagitarentur.ib. pauperes erant & humiles. 596.1.a. eorum sanctimonia.ib. fideles Iudæi ante Ierusalem excidium à Deo moniti illud euasere. 768.2.b

Fidem dam Deo.85.1.a.c. ei fidentes semper iuuantur, &c. 85.2.a.

Fides initio Ecclesiæ maximè inculcanda fuit. 87.2.c. eius solitudo in Ecclesia est.79.2.c. eam non habent parvuli.396.2.b. fides vera est omne regnorum firmamentum.131.2.d. fides nostra est eadem quæ Dei.519.2.a. fidei quanta sit virtus,& qui eius effectus.ibid.b. est fundamentum omnis sanctitatis. 614.2.b. ipsa quomodo in Eucharistia exerceatur. 803.1.a. fides thaumaturga ex oratione prouenit. 757.2.b

Fides in Deo est fidelitas & constantia in promissis. 87.2.a. fidem qui Deo non seruat, nec homini seruabit. 132.1.b

Fides, Spes & Charitas sorores fuere & martyrio & sanctitate & sanguine. 265.2.a

Filia latronis,idem est quod latrociniis dedita. 432.1.a quæ gentes per eam Propheta intelligat. 2.a

Filia Sion dicebatur ciuitas inferior Ierusalē. 572.2.a.c

Filiatio Dei quanta sit dignitas.66.2.b.68.2.b. quomodo hæc fiat.66.2.c. fit per Spiritum sanctum,qui personaliter datur filiis Dei. ibid.d

Filius ex vxore accipere, Hebræis idem est,quod procreare.53.2.d. filij Oseæ cur vocentur.filij fornicationū. 54.2.b.55.2.c.& seq. eos non adsciuit ab alio procreatos,sed ex fornicaria ipse procreauit. 54.2.c. 55.2.d. filius meretricis quis dicatur.56.2.a. filij matris qui dicantur.179.1.c.d. qui filij obedientiæ,superbiæ,diffidentiæ.56.1.b. qui filij Titan. 23.2.d. qui filij Prophetarum.13.1.b. filij Sion sunt omnes fideles & Christiani.230.1.d. filijs indigentibus præstat dare sua quàm monasteriis.125.2.b. filium Dei esse maius est, quàm cæli terræq; dominum aut angelum.69.1.b. tales quomodo reddamur.68.1.a.b & filii Dei adoptiui.ibid.d. filij olei duo,sunt Iesus & Zorobabel.679.1.d.& seqq. filij Prophetarū qui dicerentur,quod eorum officium.761.1.d. filio prodigo in gratiam recepto cur detur annulus. 629.1.c.

Filius Dei est medius inter Patrem & Sp.sanctum. 543.1.c. ipse est nexus,vinculum & centrum rerum omnium.ibid. in ipso omnia creata sunt.ibid. ipse in veteri testamento præcæteris personis SS.Trinitatis apparuit,aut seipsum reuelauit, quasi præludens suæ incarnationi.817.2.d.820.2.c. ei appropriatur salus,liberatio & redemptio.63.2.c. vide Christus.

Fines fidelium,& sanctorum latiores & meliores quàm impiorum sunt. 306.2.a

Flagellorum nomine cur vocentur tribulationes.499.1.d

Flamen Dialis hederam tangere non poterat. 395.1.b

Flere non posse maxima flendi causa. 99.1.b

Flora meretrix diues pop. Romanum scripsit heredem: qua occasione dea florum facta sit. 403.2.a.b

Flores spirituales virtutum quinam sint. 349.2.a.b

Flumen subinde vocatur fluxus aquarum.380.2.b.554.2.d. flumina quomodo metaphoricè dicantur confundi.736.2.a. eorum nomine Script.etiam fossas comprehendit.595.2.d. fluuiorum ductilium commoditas. 778.1.a

Fodere per metalepsim significat emere,comparare. 91.2.b

Fœdus duplex Dei cum Noë & Abraham,an repræsentetur per duas virgas Zachariæ. 740.1.a.743.1.b

Fœnum aliquando capitur in Scriptura pro frumento spicato,& manipulis tritici.431.1.c. fœnum cordum quod sit. 316.1.d

Fœnus Hebræi vocant vulnus & morsum.336.2.d. est anima fœnus.188.1.d. dabatur ad calendas.330.1.b

Fœtor Iudæorum natiuus, baptismo tollitur. 146.2.a

Fomes peccati vocatur aliquando mors: hic in resurrectione & gloria cælesti auferetur. 200.2.a

Fons de domo Domini sanctos inebrians,quis. 249.2.b. fons Cupidinis Cyzici potantes facit amorem deponere.728.1.d.764.1.a. fons Iesu in Aegypto vbinam situs.794.1.c. fons oleo fluxit Romæ tota die sub natiuitatem Christi.616.2.b.763.2.c. fons patens domui Dauid quis sit; ostenditur esse Christum incarnatum.762.2.c.& seqq. fontes plurimos habuit Ierusalem. 777.2.d

Fornicatio & in nouo testamento est prohibita, & in veteri fuit.53.1.a. eius congrua pœna est ἀτεκνία. 155.2.b. frequentata pellicit ad continuum concubinatum.454.2.d. fornicatio significat apud Prophetas idololatriam. 52.2.d.55.1.a.b.58.1.a.73.1.c. 163.1.d.499.1.a. fornicatione colebatur Priapus, & omnia idola.102.1.b. fornicatio tum corporalis, tum spiritalis hominem facit vecordem,& cæcum.2.a.b fornicatio Israelitarum cum Madianitidibus quàm continua fuerit. 454.2.b.c

Fortes Dauid quinam & quales essent,& eorum domus & palæstra vbi esset. 756.1.c

Fortitudo Christi abscondita fuit in infirmitate humanitatis,passionis & crucis.550.2.d. fortitudo nostra Deus est, & quid hæc eius fortitudo in nobis faciat. 563.1.c. fortitudo inuicta Christi & S.Petri.320.2.c.d

Frena aurea olim faciebant milites. 783.1.d. frenos suos clauo Christi Constantinus ornauit. 2.a

Framea telum oblongum est, & vnde dicatur. 767.2.c.

S.Franciscus cur suos dici voluerit Minores.1.1.b. noluit eos ad Ecclesiasticas dignitates promoueri. ibid.

quomodo vitâ suâ omnes ad cælum vocarit. 12.1.b. totum se Deo resignarat.397.2.b. vnde S.Scripturam intellexerit. 15.1.c. mira deuotione cum paruulo de Bethlehem in typica sua Bethlehem est dissuauiatus.441.1.c. quantopere sacerdotes suspiceret.810.1.d. absens suus apparuit quasi sol in curru igneo.844.2.c. visu per visionem Pontifici sustentare ruentem basilicam Lateranensem.612.1.b. triplicem Ordinem fundauit ibid.c. eius humilitas. 674.2.b. eius deuotio erga Ven. Eucharistiam. 725.1.b. quo eam affectu sumeret. 727.2.b

Franc. Dauid nouorum Arrianorum choragus. 442.2.d

Franc. Lucas apologiã scripsit Targum Chaldaici.6.1.b

Franc. Vatablus ab hæreticis impressoribus est vitiatus. 6.1.a

S.Franciscus Xauerius fuit velut homo cælestis, & angelus terrestris.12.2.a.& seqq. præfectum Malacensem in vallem Iosaphat citauit. 241.2.b. qualibus cum nautis in Iaponiam profectus sit. 375.1.c. eius animus intrepidus in periculis pro Dei nomine suscipiendis. 384.1.b. quam Iohanni Lusitaniæ regi,& in eo omnibus principibus, meditationis materiam præscripserit. 327.1.b

Frater est ferè alter : fratrum officia: fratres in fratres iniurij acriter à Deo puniti.264.1.d.& seq. fraterni amoris bona.2.d. eius bases quinque. 265.1.c. frater Hebræis etiam cognatus est,item soror.812.1.b

Fraternam societatem colentes fortes sunt. 791.2.c

Fretum Gaditanum est Bosphorus Hispanicus. 363.2.b

Frigus vrere quomodo dicatur.286.1.a. frigore etiam torquendos damnatos in inferno censent multi.241.2.c. frigus in Script. symbolum est calamitatis & afflictionis. 776.1.d

Frondator tripliciter accipi potest. 323.1.c

Frondosa vitis quæ dicatur. 157.1.b

Fructum mendacij comedit omnis peccator. 168.1.c

pro Frugum prouentu institutæ quatuor temporum ieiunia. 708.1.c

Frumentarius olim erat, qui nunc veredarius vel nuncius appellatur. 361.1.d

Frumentum cur carius circa tempus messiu. 330.1.d. eius monopolas quàm acriter Deus puniat.2.b. sæpè eorum frumentum deperditur.ibid.d. frumentum electorum propriè quid sit. 723.2.a.& seqq.

Fuga mundi suadetur.650.1.b. fuga vnicum fornicationis remedium.103.1.b. fugæ lonæ quæ fuerint causæ. 370.1.d.2.a

Fugere licet in persecutione tyrannum.373.1.d. fugiens à facie Dei blandientis, incidit in faciem eius vlciscentis. 371.2.d

S.Fulgentius quo motiuo Religionẽ professus sit. 650.2.b

Fulgur in Script. symbolum est terroris.492.2.d. cur vocetur phantasia.730.2.b. fulgura sunt Dei prænuntia,eumq; præcedũt.677.2.b.c. ijs & tonitruis cõparantur Apostoli.731.2.a. sunt arma Dei, quæ in inimicorum suorum caput eiaculatur. 479.1.c

Fumus à vapore quomodo differat. 235.2.b

Fundamenta etiam templi Salomonici à Chaldæis euersa.610.2.a. ea Herodes tantùm soluit, cùm templum Zorobabelis ampliaret.623.2.d. ea Iudæi cur conseruarent.ibid. fundamenta templi secundi quãdo iacì cœperint perfectè. 627.2.b

Fundibularij olim primi prælium inibant. 720.2.c.

Fundos suos quomodo veteres limitarent. 115.1.a

Funeri veteres cur adhiberent lamentatrices & tibicines.414.1.a. in funere Gentiles & Iudæi cæsariem tondebant. 411.1.b

Funiculi Adam quid propriè significent. 172.1.d.seqq. funiculi,spatia itinerum Aegyptijs sunt. 249.2.d. funiculo pro virgis mensorius,ad terram diuidendam, olim vtebantur.115.2.b.325.1.a. hinc significat sortem hereditariam cuiusq;. ibid. 581.1.c.739.2.d. funiculus coccineus Christianis pueris olim ex collo suspendebatur ad auertendum fascinum. 491.2.a denotat cœtum & congregationem.739.2.d. funiculus architectorum quem vsum habeat. 647.1.a

Furari numquam licet. 53.2.a

Furor triplex,sacerdotum, vatum,& amantium.809.1.d

S.Furseus accusatus ad tribunal Christi est, quòd peccantes non corripuisset. 297.1.a

Futura contingentia omnia, omnesq; actus voluntatis liberos præcognoscit Deus.112.2.b. hac prænotione dos propria Deo,& nota diuinitatis.26.2.c.d. futurum iunctum participio vel gerundio eiusdem verbi Hebræis significat actus vehementiam & continuationem.58.1.a. futurum Hebræis sæpe significat consuetudinem actionis. 109.1.a.

GAbaitarum stuprum in vxorem Leuitæ contigit statim post tempora Iosue. 163.1.c

Gabaonitæ damnati ad seruilia templi ministeria.783.2.a

Gabriel angelus est curator populi Dei. 647.1.d

Gabriel vox idem est quod fortitudo Dei. 735.1.a

Gadatæ & Gobrias Cyri principes Balthasarem regem occiderunt. 447.2.c

Galaad mons erat terræ sanctæ,qui cessit in sortem tribubus Ruben & Gad, in eo ædificata ciuitas dicta quoque est Galaad.127.2.d.190.1.d. in ea erant aromata optima & medici. 131.1.a

Galeis cur cristæ rubræ adderentur,& fulgetra.49.2.d

in Galgal Israelitæ abiecerunt omne regimen Dei.156.1.c. ea vrbs vbi sita,& ad quam tribum pertineret.106.2.d.190.2.a 454.1.c. sunt miracula & religione patrum illustria.106.2.d. quæ mira in ea contigerint.ibid.& 107.1.a.b.c. cur ibi idololatræ idola statuerint. 107.1.a

Galilæa vnde nomen acceperit. 144.1.c

S.Galla S.Eucherij vxor totam se pœnitentiæ & rigori dedit. 500.2.d

Galli & effeminati probrosa vocabula. 106.1.b.c

Galli per tres significant superlatiuum. 258.2.c

Gallia cur Iudæis sit Sarepta.362.2.b. à quibus ad Christum conuersa.ibid.c. vt sana sit & pacifica, sanguinem quolibet decennio mittat oportet.501.2.a

Ganea est tropologice superliminare crapulæ. 752.2.b

Garrulitas Christiano,& fideli cauenda est. 599.2.a.b

Gaudere in Domino quid propriè sit. 562.1.a

Gaudium de Dei gloria & maiestate vnde in nobis oriatur.538.2.c. gaudium Christi est tolerantia & virtus fidelium.597.2.a. è gaudio repentino multi obierunt. 561.1.a

Gaza vrbs Philisthijm vnde dicatur.262.2.c.580.2.c Pomp.Mela in eius etymo error.262.2.c. est & altera Gaza Mediæ ciuitas.ibid.d. eius idolum fuit Marnas.713.1.d. eius capiendæ ab Alexandro portentum. ibid.c. aliæ eius expugnationes. ibid.d

Gedeon vnde dictus Ierobaal & Ierubbaal.117.1.d 163.1.c. dictus est etiam Arbel. 169.1.a

Geminatio verbi eiusdem apud Hebræos significat actionis vehementiam & gradum superlatiuum. 513.2.c

Gemmayz quæ sit in Syria arbor, eius vilitas. 323.2.d

Generatio Christi duplex est, temporalis & æterna. 441.1.a

441.1.a. 661.2.a. vtraque cum aurora comparatur. 122.2.d

Gennadius Patriarcha Constantinop. Purgatorium cõtra Græcos astruxit. 823.1.c

Gentes ascitæ per fidem in familiam Abrahæ, benedictionum eius factæ sunt participes & heredes. 234.1.b.245.2.c.65.2.c.66.1.b.312.1.d. quomodo se coram Iudæis, & postea coram Christianis humiliarunt.470.1.c.d. serui erant ante Christum, sed per Christum in filios cooptatæ sunt. 234.2.c. earum conuersio per Prophetas promittitur. 65.2.b.c. & sqq.89.2.a.583.2.d.594.1.d. se inuicem hortatæ sunt, vt turmatim ad Ecclesiam Christi transirent, cur.425.2.d. 705.2.d.708.2.d.709.1.d. earum vota & sapientia cessarunt Euangelio.713.1.c. eas quomodo Christus suo ortu commouerit. 617.2.d. vsis doctrinis paradoxis legis eius ab ea refugerant, at interiori pulchritudine eius visâ eam amore cæperunt.752.1.d. quin & eam promouerunt. 760.2.d. conuersæ ad eam omnes suas opes in Ecclesiam contulere, item omnes scientiæ & artes.782.2.d. gentes quæ & quales Christi ortum desiderarunt.619.1.b. quomodo & quàm ardenter Christum cognouerint. 618.2.b.c

Gentilissima fuere Iudæorum in multis ritibus.411.2.a. ad imitationem eorum Seraphim colentium, effinxerunt suos Teraphim.95.2.a. multas de suis fabulis è veris sacris Script. historijs confinxere.373.2.b.c. hostium deos pariter hostes suos æstimabant, & vt hostes concidebant. 402.2.b. in afflictione deos quasi eius auctoribus, maledicebant. 311.2.a. magno vlulatu deorum opem exposcebant. 139.1.b.

Gentiles pauci in lege veteri Deum verum agnouerunt.799.2.c. multi eorũ quando legem Iudaicam susceperint.708.2.c.709.1.c. eorum multi fuere cultores & solicolæ.369.1.d. putabant Deos suos solide dormire, & à somno debere excitari.536.2.a. hinc oraturi, eos inclamando excitabant vt preces suas audirent.ibid. erãt in victimis seligendis & adornandis diligentes.796.2.c. eorum persecutionẽ contra Ecclesiam designat equus rufus Iohanni visus. 646.1.b. primum Salomonis templum honorarũt, secundum Zorobabelis profanarunt. 623.1.a.b. nonnunquam oblationes obtulere in templo Hierosolymitano. 652.2.a

Genu vnum curuare, est Deum orando velut irridere, examinari. 455.1.d

genua languescunt in cordis deliquio. 496.1.c. ea cur tristitia & mœror statim occupet. 561.1.b

S. Gerardi mors læta & felix. 199.2.c

Germania an sit Chananæa ex opinione iudaizantium.362.2.b. vnà cum veste fidem mutauit. 571.1.c

Germanitas Iudæ & Israel quomodo & quando dissoluta sit. 747.1.a

Gerundia suis verbis iuncta eorumdem significationem adaugent, & actionem complent. 18.1.d

Gestus & vox Prophetarum qualis fuerit. 11.1.c.d

Geth duplex est vrbs, vna in Philistæa, altera in tribu Zabulon.367.2.a. Geth cur fidem Israelitis datam fefellerit. 408.2.d.409.1.b

ad Gigantum fabulam alludit Scriptura in Iudith.23.2.d

Gihon fons duplex est, superior & inferior. 778.1.a

Gladius Dei siccitas, fames, bella in Script. vocantur. 611.1.c.d

Gladius Imperatori in manu tradi solitus cum cruce ei infixa quid significet.327.1.a.676.1.d. globus aurei coloris visus Romanis è cælo in terram descendere.paulo ante ortum Christi.615.2.d. globus terræ vocatur fasciculus ob sex causas. 341.1.d

Gloria Dei est scopus sacerdotis 806.1.c. gloria Dei quando & quomodo operuerit cælos. 549.2.a. allegoricè.ibid.b. gloria Ierusalem erat Deus & arca fœderis.649.1.a.b. gloria mundi quàm sit breuis & fugax.145.2.b c.716.1.a. gloriæ, quæ patientes manet, quanta sit magnitudo. 511.2.d

Gomer vocata fuit, vxor Oseæ.58.1.b. quid nomen id symbolicè significet.ibid.c. an post susceptas ex eo proles adulterata sit. 90.1.b.93.1.c

S. Gorgonia soror Gregorii Nazianzeni, virtute Ven. Eucharistiæ à paralysi liberata est. 727.1.a

Gothi Romanorum imperium mirè auxerunt; postea ipsum variè attriuerunt. 695.1.d.2.a

Gradatio Prophetis frequens. 29.2.b

Gradus nouem impietatis sunt. 129.1.d. peccati & peccantium sunt tres.63.1.b. & alii quatuor peccati 267.2.a. gradus quatuor ad æternitatem, lectio, meditatio, oratio, contemplatio. 554.1.d

Græca lingua primùm Apostoli cœperunt propagare fidem Christi: hæc post tempora Alexandri magnam Orientis partem occupauit. 593.1.a

Græci in ordine Prophetarum à Latinis dissentiunt.5.1.b. vndè factum, quòd Græci codices Bibliorum, & Patres Græci, censeant Ionam dixisse in sua prædicatione, Adhuc tres dies, cùm dixerit, Adhuc quadraginta dies.387.2.d. an vtraque lectio retineri possit. 388.1.b.c

Græci dormientes in pelle arietis Ioui immolati captabant eius responsum. 270.2.c. eorum victoria ad Thermopylas. 128.1.d. eorum monarchia quando planè deleta sit. 695.1.c. repræsentatur per equos albos. 693.2.a. Iudæis post reditum è captiuitate continuò negotium facessuere. 720.1.d. 753.1.d. ab Apostolis Christo subacti fuere.720.2.d. Græci milites an cocco induerentur.491.1.c. Græci baptizatis dant Eucharistiam. 729.2.d

Gratia iustificans non est vna simplex qualitas, sed multa Spiritus sancti dona complectitur. 67.2.b. gratia Spiritus sancti, quos in anima effectus pariat. 250.1.c.294.2.c.400.2.d. priuatio gratiæ, argumentum superbiæ est: at eius copia signum humilitatis.156.1.b. gratiæ plenitudo animæ Christi infusa fuit in primo conceptionis eius instanti.123.1.b gratiæ omnis vigor, qua spiritualiter crescimus, à Christo deriuatur.156.1.a. gratia exæquans gratiam quæ dicatur.672.1.b. & seqq. gratiam pro gratia accipere quid sit. 2.c.d. gratia maior data homini lapso per Christum, quàm data Adæ in statu innocentiæ. 625.1.a

Gratias quas Deo manè & vespere agere Christianus debeat.795.2.a. idq; infinitis modis.564.2.d. etiam ob data omnia dona naturalia. 232.1.d

Grauis ponitur interdum pro magno, id est multo. 498.2.b.532.1.a

S. Gregorius Magnus indicio fulgidæ columnæ agnitus ad pontificatum euehitur.825.1.d. in inguinaria lue litanias publicas indixit, & ita pestem auertit.388.1.d

S. Gregorij Nazianzeni studium vt sui pacem colerent, cùm propter se turbati essent.377.1.a. omnia opera sua conclusit versibus triginta millibus.31.1.c. primarius Macedonianorum aduersarius fuit. 846.2.b. eius parentes in morbo virtute S. Syriaci conualuere.726.2.d. corpore paruo fuit. 675.1.b

Grex propriè est minorum animalium. 322.2.d. gregis dominum Deus à pastore reposcit. 750.1.a
Grossi duplices in ficubus sunt. 503.2.c
Gryllus est locusta cineri coloris. 211.2.a
Gulæ summum fauces vocantur, extremum stomachus. 128.2.a. gulæ symbolum sunt Philisthiim. 364. 2.b. & bruchus. 214.2.c
Gulosi emblema quod sit. 139.2.a. in sordibus & vomitu suo computrescit. 220.1.a. ei quomodo adcibum & potum Deus viam obstruat. 75.2.c. sæpè punitur penuria cibi spiritualis. 334.1.b
Gundesindus Episcopus Compostellanus precibus matris à Purgatorij pœnis ereptus. 758.1.a
Guttatus color est idem qui varius. 693.2.d
Gygis annulus venera magicus fuit. 619.2.b
Gynæconitis dicebatur apud Græcos pars domus feminis deputata. 761.1.b

Habacuc nomen significat luctatorem cum Deo: quàm bene Prophetæ nomen hoc conueniat. 507. 1.a. an fuerit hic filius Sunamitidis, quem Elisæus vitæ restituit. ibid.b. vnde ortus, & quando prophetarit. ib 33.2.b. videtur esse vnus de Prophetis, quos ad Manassem Deus misit. ibid.c. ex professo prophetat contra Iudæ, consequenter Chaldæorum per Persas interitum prædicit. 2.a. à Cyro assurgit ad Christum. ibid. prophetauit ante excidium Hierosolymæ: non est idem Habacuc, qui Danieli in Babylonem prandium attulit. ibid. catalogo Sanctorum adscriptus est. 308.2.a. quomodo conqueratur de prauitate sui ævi. ibid.b. cur Deum orans totius populi personam induat. 519.1.b
Habitus exterior Prophetarum quis esset. 11.1.a. 764. 2.c
Hadrach nomen est loci vicini Damasco, vbi sit, incertum: an sit opidum Cœlesyriæ. 711.1.a.b
Hadrianus Imp. priuatas iniurias vlcisci noluit. 176.1.c quomodo Bethlehem profanarit. 440.2.a.b
Hadrianus VI. Pontifex neminem suorum ad honores promouit. 422.2. eius epitaphium. 741.2.b
Hæresis assert dolos & fraudes. 132.1.b.c.d. eam politici principibus suadent, vt statum suum tueantur. 131.1.b.d. ea quomodo in Hollandiam inuecta. ibid.c. hæresis Caluini quot mala inuexerit in Europam. 185.1.b. hæresis est, sacræ Script. alienos & contrarios sensus affingere. 8.1.c. est vestis peregrina quam assumant Nouantes. 571.1.c
Hæreticorum descriptio genuina. 76.1.d. transgredientes terminos religionis à patribus sancitos, hæresin assumunt quasi idolum. 115.2.b. pacifica omnia promittunt, sed paulatim occultè sua docent. 133 2.c sunt arcus dolosus, & conuertuntur in arcum prauum. 140.1.c. quare ventum dicantur seminare. 145.2.c. vt excutiant iugum Catholicorum, Turcarum opem implorant, sed ab ijs opprimuntur. 147. 1.d. 409.2.a. habent verba mortifera, quibus iniquitatem loquuntur contra Dominum. 150.2.a. peiores sunt idololatris. 157.1.c. comparantur vaccis Basan. 108.2.c. 282.2.a. 283.2.d. item erucis & bruchis. 216.2.c. item sirenibus. 404.2.b. inter hos perpetua sunt iurgia, quæ parit superbia. 159.1.a. pessimo dæmonum spiritu continentur. 185.1.b. sunt Chananæi, cur. 188.2.c. eorum figmenta, insaniæ sunt. 279.1.b. Catholicos sacerdotes apud reges calumniantur quasi reos perduellionis. 321.2.b. hominem excoriant & exossant. 420.2.c. docent peccata baptismo tantùm regi per iustitiam imputatiuam. 471.1.c. cur sint lupi vespertini. 516.2.a. per Aethiopes repræsentantur. 581.1.b. eorum coniugia dissuadenda. 815.1.c. eos morte plectere, non tantùm licitum, sed & præceptum est à Deo. 764.2.b. negant sacrificium legis nouæ propriè dictum. 366.2.c. hæreticorum persecutionem contra Ecclesiam repræsentat equus niger à Iohanne in Apocal. visus. 646.2.a
Halitus fœtidus Iudæorum. 146.2.a
Hamus instrumentum aduncum est, cui esca appenditur. 523.2.d
Hannibalis, eiusq; vxoris cruenta vox. 261.1.a
Harmonia inter Prophetas Maiores & Minores. 18.1.c. Harmonia chronologica 12. Prophetarum. 32.1.a
Hebdomades 70. Danieli expresiè fuerunt reuelatæ, ante eum tamen erant in mente Dei decretæ, qui eas confusè alijs Prophetis reuelauit. 542.2.d
Hebræi nomen vnde primò inductum. 375.2.d. primò ita dictus Abraham. 376.1.a. id nomen olim fuit glorioſum. ibid. Hebrææ linguæ an in cælo sit vsus. 593.2.b. ea iam valdè accisa est. 598.1.d
Hebræi per pleonasmum exprimunt relatiuum cum suo antecedente. 477.1.a. 541.2.c. 187.2.c. solas consonantes in verbis attendunt. 487.1.d. futura sæpè ponunt pro actionis continuatione, more & consuetudine. 498.2.a. 589.2.d. item pro præsenti. 589. 2.d. enallage personæ est illis frequens. 503.1.b. 590.2.b. 760.1.b. item generis & numeri. 529. 1.a. 679.1.c. cùm volunt significare animal teneri, ei adiungunt nomen matris. 505.1.c. verba contactus construunt cum in regente ablatiuum, vel accusatiuum. 512.1.c. 569.2.b. in Script. multis in locis aliter scribunt, aliter legunt. 512.2.d. verbum idem cum geminant, significant actionis vehementiam & gradum quasi superlatiuum. 513.2.d. quamlibet terram, vocant puluerem. 517.2.b. omnem sententiam insignem vocant parabolam, prouerbium vel ænigma 531.1.d. rebus inanimis metaphoricè dant vitam. ibid.d. filium vocant ben, quasi domum. 558.1.d. ventrem vocant quidquid à collo ad vsque inguina est. 561.1.b. non solùm insulas maris Mediterranei, vocabant insulas, sed & omnes Europæ prouinciæ trans mare sitas. 370.2.d. 583.2.d. carent gradu comparatiuo, & eius vice vtuntur positiuo cum præpositione plusquam. 621.1.a. 115.1.c. articulos multiplicant per pleonasmum. 612.1.b. cur pupillam vocent filiam vel viunculum. 652.1.a.b. vtuntur genere femineo pro neutro quo carent. 673.2.b. sæpè notam similitudinis omittunt. 171.2.a. 694.2.b. litteræ seruiles non rarò apud eos per enallagen inter se commutantur. 655.1.a. ordines verborum imperfectorum sæpè confundunt. 736.2.b. 164.1.a. 218.1.a. per vnam temporis differentiam sæpè omnes significant. 792.2.b. faciem capiunt pro persona. 810.2.c. quia carent verbo præsenti, ideò illud exprimunt per præteritum. 826.2.c. eum quem alloquuntur, sæpè compellant in tertia persona. 130.2.b. vrbes ob speciem, opes & gloriam vocat virgines. 291.1.c. tempus omne diuidebant per menses & sabbata. 329.2.d. res præstantissimas compellant pluraliter. 442.2.b. de se loquuntur in tertia persona. 63.2.b. eorum verba nunc actum perfectum, nunc continuatū, nunc inchoatum, nunc destinatum significant. 29.1.c. item duo contraria. 421.2.c. verba actiua iis sæpè agendi vim & potentiam notant. 22.2.c. similitudinem exprimunt, sicut apponendo vtrique rei simili. 101.1.a. sumunt verba pro aduerbijs. 112. 2.c. infinitiuis vtuntur pro præterito. 116.1.d. carent

cent tabus. 144.2.b. suppositiũ è circumstantiis suppleendum relinquunt. 159.1.d. imperativum vsurpant pro futuro. 166.1.a. & vice versa. 171.d. per in significant pretium. 191.1.b. ipsis propositio in sæpe idem valet quod propter. 113.2.a. sæpe numeros cardinales sumunt pro ordinalibus. 281.b. in rhythmis solent posteriore hemistichio quasi idem dicere, quod dictum prius. 270.1.b. in monumentis execratoriis non exprimunt quænam sint imprecentur. 287.2.b. idem habent pronomen respectivum & absolutum. 289.1.b. sæpè futurum pro iussivum exponunt. 357.2.c. præceptum vocant omnem dispositionem. 378.1.a. idem nomen iteratum in genitivo, significant in eo genere eximiũ. 413. 2.d. futurũ subinde vsurpant pro participio. 414.2.c. illustri sententiæ præfigere solent ki, id est quia. 446.1.b

HEBRAICARVM VOCVM EXPOSITARVM SYLLABVS.

Ahah interiectio dolentis est & desperantis. 218.2.b. item ru. ibid.c

Ahalim varia significat. 457.1.b

Aleph & he litteræ quia primæ gutturales, sæpè inter se commutantur. 585.1.d. 672.1.d. 765.1.b

Amutsim & fortes & veloces significat, sed capitur interdum pro chamutsim, id est cinerei. 694.1.a.b

Anach ampla significationis est. 319.2.d

Arrotam cedrum significat, quàm attenuabo. 586.1.c

Asçar & calumniari & opprimere significat. 703.1.b

Asçar quid significet. 159.1.c

Auen significat vanum, inutile, iniquitatem, rapinam. 731.2.c. 314.2.c

Belial significat inobedientiam, impietatem, apostasiam, & ipsos inobedientes & apostatas, ac ipsum diabolum. 485.2.b. vnde vox deriuetur. ibid.d

Berosç & abietem, & iuniperum, & cupressum significat. 207.1.d

Bezalim quem propriè colorem denotet. 693.2.d

Beth significans in varie sumitur. 52.2.c

Betsa significat diuersa. 222.2.d

Bicurra sunt ficus præcoquæ & primitiuæ, non grossi & immaturæ. 462.2.b

Cabod quàm varia significet. 410.2.a

Capitoc quid propriè sit. 336.1.c

Cara significat fodere & emere. 91.2.d

Chamm tantùm vsitatum est in numero duali, vnde in m & singularem, & dualem, & pluralem vitam significat. 546.2.c

Charaç significat operari, arare, fabricare, machinari. 165 2.c. 168.1.a

Charuts multiplicem & variam habere significationem potest. 246.2.a

Chathin & ciconiam, & per antiphrasin miluum significat. 688.2.a

Chazir quàm diuersa sit significationis. 730.2.b.c

Chec quid sit & chaka. 128.2.a

Chel robur & opes significat. 502.2.d

Chemdat significat non quale quale, sed ardens & ingens desiderium. 618.2.c

Cherem propriè & cõmuniter significat exterminium, non rectè, nisi abusiuè. 463.1.a 708.2.a. 846.1.b

Chet & ain litteræ sono sunt vicinissimæ, hinc subinde permutantur. 585.2.c

Chesed propriè significat pietatem tum in Deum, tum in homines. 117.1.c

Chotam est tam annulus quàm sigillum. 629.1.b

Chusim per paragogen idem est quod chus. 554.2.a

Deber, id est pestis, per catachresin significat quidquid instar pestis exitiale est. 286.1.d

Elil significat rem vanam & nihili, item idolum per diminutiuum ab el. 748.2.d

Et articulus ordinariè accusatiuo, rarò nominatiuo seruit. 614.2.a

Gaal & redimere & inquinare significat. 587.2.c.d

Galal, & Galgala, & Gilgal, & Golgol quid significent. 107.1.a

Gazam dicitur eruca, id est tonsor, rosor. 210 1.d

Geon & superbiã & magnificentiã significat. 489.2.d

Gor, vel gorer, vel gara, quid propriè sonet. 139.1.d

Gulla in candelabro erat vas concauum & sphæricum ad capiendum oleum; quod latinè vocari posset gula. 666.2.c. eius descriptio. ibid.d

Halichot propriè perambulationes & transitus significat. 552.1.d

He litteræ mysteria, quòd in verbo eccabeda apud Aggæum ipsa deficiat. 610.2.d. & seqq.

Iegudenu non tantùm accinctum significat, sed & vnitum & coniunctum. 560.2.b

Iotser & figulum, & monetarium, & statuarium significat. 744.2.d

Isç, id est vir, deriuatur ab esç, id est ignis, vel ab iesç, id est, est, cur. 86.2.a

Kaba quam incertæ & multiplicis significationis. 829. 1.d

Kal significat leuem, velocem, facilem, vilem. 484.2.d

Katob significat luem subitò exscindentem. 199.1.b

Kedesça famosa est meretrix & publica, zona quælibet. 106.2.a

Kelub quale sit instrumentum. 325.1.c.2.b

Kemarim & thurificatores, & atros significat, item alia. 568.2.b.c. & seqq.

Ketseph est varia significationis. 162.1.d

Ki coniunctio quàm diuersa in Script. significet. 22.1. c.d. sæpè non causam significat, sed enclitica est, & ornatus causa additur. 156.1.c. 161.2.a. 574.2.c. sæpè est assertiua & admiratiua. 69.2.d. 583.2.c. sæpè ponitur pro igitur, & est initiũ orationis. 292.1.a

Kikaion quæ sit herba in Palæstina. 394.2.b. S. Hieron. vertit, hederam: Septuag. cucurbitam: an idem sit cum ricino. ibid.c.d. est commune arbustis quæ breui crescunt, & frondes producunt facientes vmbram. 395.1.a

Kippod an sit auis, an quadrupes, an natatile. 585.1.d

Kium & keuan quale sit idolum. 301.1.d. & seqq. cur dictum Rephan, à Persis Kiuan vel Keuan. 2.c. 302.1.a.b

Konen significat præparat, instaurat, fulcit, erigit, firmat, ædificat. 534.1.a

Kos significat colligere & aceruare. 579.1.c

Lamed litteræ subinde seruit nominativo, item accusatiuo. 564.1.c. interdum & genitiuo. 779.2.d

Labat quid significet. 106.2.b

Lacach, id est accipio, amplissimæ significationis est. 56.1.a

Lamnatseach & in finẽ, & victori significat. 564.1.a

Lets quid propriè significet. 134.2.a

Mamzer idem est qui spurius, qui extra matrimonium alieno patre natus est. 713.2.d. item alienigena. 714.1.a

Maoz hebraicè significat fortitudinem, locum fortem, præsidium, arcem. 479.2.d

Matseba quàm amplam significationem habeat. 94. 1.a

Matsor propriè arcem significat. 526.1.c

Matte per metaphoram tribum significat. 459.2.b

Me-

Meghilla *est liber, membrana, charta.* 681.1 *b*

Megura *dicitur à* gur, *id est habitare, quia in germine quasi habitat semen, id est arista & granum proturberans ex semine.* 627.2.*c*

Meic *significatio amplè se extendit.* 273.1.*b*

Min *sæpè* propter, *subinde* ad *significat.* 695.1.*a*

More *quam habeat significationem.* 230.2.*c*

Muctar *etiam per metalepsin significat sacrificare, propriè est suffumigare.* 800.2.*b.d*

Muggas & *offertur & applicatur significat.* 801.1.*b*

Nun *littera in multis verbis est formatiua nominis.* 716.1.*c*

Nachon *quintuplicem habet significationem.* 425.2.*b*

Nasa & *suscipere & auferre significat.* 798.2.*b*

Nebiim *tam Prophetas, quàm garrulos significat.* 764.2.*a*

Nezer *est corona, diadema, coma, consecratio, separatio, nazaræatus.* 504.2.*d* 721.1.*c.d*

Nib *vocatur & fructus & sermo, qui germen linguæ est.* 764.2.*a*

Nicka *significat innocentem esse vel declarari, item nocentem declarare & punire.* 251.2.*c.* 683.1.*d*

Nihia *vnde deducatur.* 414.1.*a.b*

Nocham *significat consolationem, commiserationem, pœnitentiam.* 200.2.*c*

Noked *est punctator & inuisor, id est armentarius, qui pecudes suas proprijs notis inurit.* 254.1.*c*

Nora *terribile est, mirabile & glorioſum.* 514.1.*d.* 236.2.*a*

Noſca *tam est passiuum saluatus, quàm actiuum saluator, idemq; quod* Ieſcua & Ieſu. 716.1.*b*

Nuge *vox vnde deducatur, & quid propriè significet.* 598.1 *a.d.*2.*a*

Olam *significat sæculum, mundum, æternitatem, cur.* 552.1.*c.d.* 442.1.*b.c.*2.*d.* *aliud* olam Dei, *aliud hominum.* 553.1.*c*

Piſſatbar *quid propriè significet.* 206.1.*c*

Pochazim *quàm varia significet.* 589.1.*b.* & *seqq.*

Pura *hebraicè torcular proprie, per catachresin quamlibet vini mensuram denotat.* 627.1.*c*

Raal *significat tremorem, crapulam, soporem, venenum, stuporem, concussionem.* 751.1.*d*

Reſceph *nonnisi metaphoricè diabolum significat.* 551.1.*d*

Reſiſin *amplæ significationis est.* 312.1.*b*

Roſç *varia significat.* 160.1.*c*

Sala *significat calcare, vrgere, insistere;* ſalal *attollere, eleuare.* 548.1.*d.* 549.1.*d*

Santerot *quàm amplæ & distinctæ significationis sit.* 978.2.*b*

Saph *significat limen & superliminare, & poculum.* 751.1.*d*

Sarera *significat vaccam lasciuia vel œstro agitatam.* 108.1.*c*

Scadai *est nomen Dei, eumq; vel misericordem vel potentem significat.* 219.1.*d*

Scelach *diuersa Hebræis significat.* 221.2.*b*

Scalom *non tantùm pacem, sed & integrum & perfectum significat.* 706.2.*a.* 707.1.*c*

Seet & *decretum, & magnificentiam, & onus, & tributum significat.* 514.1.*d.*2.*c*

Selah *videtur esse nota cantus ad vocem eleuandam, vel producendam.* 548.1.*d.* *est nota nunc optantis, nunc affirmantis, & applaudentis.*2.*a* *varia eius interpretatio.ibid.* *insinuat item insignem aliquem affectum quo psallens promouente spiritu afficiebatur.* *ib.c.* *cur id tam confuse in psalmis positum inueniatur, alibi verò, vbi illustriores videntur sententiæ, omittatur.ib.* *ad verbum non significat semper, est taxat nota carminis & musices.ib.d.* *quàm vera carminis fuerit.ibid.& seqq.* *denotat saltem mutationem aliquam in cantu.* 549.1.*a*

Serukim *quis color Hebræis sit.* 641.1.*d*

Sigionot *quàm diuersimodè accipiatur.* 540.1.*a.b*

Saga *significat errare, ignorare.* 2.*a*

Thaplar *vnde deriuetur & quid significet.* 505.1.*a.b*

Tirghelet *Hebræis nutrix est.* 172.1.*a*

Tſade & ſamech *litteræ affines sunt.* 661.1.*b.* *item* tſade & ſcin. 169.1.*a* 426.2.*b*

Tſara *quid propriè significet.* 418.1.*d*

Tſemach *propriè est germen vel surculus.* 661.1.*a*

Tſeror *ambiguæ est significationis.* 344.1.*b*

Tſiltſel & *cymbalum & frænum significat.* 784.2.*a*

Vau *sæpè est aduersatiuum, significans* ſed. 736.2.*a*

Vau *conuersiuū, vertit præteritū in futurum.* 792.2.*a*

Zera & Zeroa *quomodo differant.* 806.2.*d*

Zona *est propriè caupona, quæ prostituit edulia vel merces, vel operas suas, vel etiam corpus.* 242.2.*d*

Hederam vertit S. Hier. Hebræum verbum kikaion, & *cur.* 395.2.*b.est quædam hederæ species quæ nō scandit, sed per se consistit.ib.c.* *hedera symbolum est vanitatis mundi, omnisq; rei mundanæ.* 395.1.*a* *item voluptatum mundanarum.ibid.b.* *eam cur tangere fœminis Dialis Romæ nefas esset.ibid.* *hedera vnde dicatur: est in tutela Bacchi.ib.a.& 394.2.a.* *capitis grauedinem discutit.* 394.2.*a*

H'δονὴ Græcis deductum videtur ab Hebræo edon, *id est voluptas.* 262.2.*b*

S. Hedvvigis Ducissa Poloniæ quasi angelos sæculo venerabatur. 810.1.*d.* *iugiter passionem Christi meditabatur.* 759.2.*a*

Helem vnus fuit è legatis à Iudæis Babylonijs in Ieruſalem, ad aurum deferendum missu. 299.2.*b.* *alio nomine vocatur Holdai.* *ibid.*

Helenæ Lacenæ quod fuerit sigillum. 631.2.*a*

S. Helena Imp. quomodo clauos Christi distribuerit. 785.2.*b.c.d.* *stabulum Christi basilica exornauit.* 435.1.*a.* 440.2.*d*

Heliodorus templi Hieroſol. ærarium expilans ab angelis cæsus est. 752.2.*a*

Heliogabalus Imp. à matre hausit suam spurcitiam. 56.2.*a.* *quare omnes aranearum telas Roma colligi iusserit.* 303.1.*b.* 386.2.*d*

Heliopoli qua occasione Iudæi templum simile Hierosolymitano erexerint. 784.1.*b*

H'λιος quod habeat etymon. 837.2.*d*

Henoch & Elias primogeniti sunt nostræ resurrectionis. 844.2.*a.* vide Elias.

Henrici VIII. Angliæ regis funesta catastrophe. 608.2.*a.* *eius incestum coniugium.* 100.2.*b*

Herba fullonum maculas è lana eluens qualis sit. 826.2.*d*

Hercules monstrorum domitor, non alius est quàm fortis Sãson. 373.1.*b.* *à balena deuoratus & exanimatus rediisse fingitur.* 379.2.*b.* *mulieribus seruiuit.* 815.2.*b*

Herinaceus animal quale sit. 385.1.*a*

Herodes fuit Ascalonita. 713.2.*c.* *cur templū magnificū exstruxit.* 623.1.*c.* *eius potentia.*2.*b.* *primo templū tantùm ampliauit.ibid.c & seqq.* *suum priorem fundamentis inædificauit.* 745.2.*a.* *ne quidem eam porticum Salomonis instaurare potuit.* 624.2.*a* *inuasit regnum Iudæorum.* 748.1.*a.c.* *eius vmanitas.* 262.1.*a.* 435.2.*b.* 388.2.*c*

Heroum animæ dicebantur lucos incolere. 449.2.*d*

Hesperus stella culta à varijs gentibus vt Deus. 302.2.*d*

Heuila filius Chus habitauit versus Indiam. 549.2.*d*

Hiatus grandis montis Oliueti de quo Zacharias, quid

Heruleis Rom. 382.1.c

per-

parabolicè & anagogicè significet. 774.2.a
Roma Iudæa & Romæ modica est. 604.1.c
Hieroglyphicum prophetiæ. 6.2.a. hieroglyphicis quibus Deum Aegyptii exprimerent. 290.1.b. hieroglyphica Prophetarum Minorum. 34.1.c
Hieronymus in solitudinem Bethlehem sese abdidit, & illam alios inuitauit. 80.2.a. 546.2.a. eam laudauit. 439.2.a. eius memoriæ lapsus. 169.2.a. cur nouam versionem Bibliorum ex Hebræo condiderit. 171.2.a. ad Christi tribunal citatus tremuit, quòd Ciceronem præ Scriptura legeret. 15.2.257.1.c.452.1.d. seipsum reprehendit, quòd primo sensum mysticum attulerit, omisso litterali, 331.2.a. eius corpus Romæ iuxta præsepe Domini translatum est. 546.2.a. fuit parua statura. 675.2.b. an censeat Deum rerum minimarum curam non habere. 525.1.b.2.a
Hieronymus Sauanarola quæ de Florentia & Italia prædixerit; quem exitum habuerit. 30.1.d
Hilarion Eremita quomodo fuerit Propheta. 3.2.d
Hilarius mutuatus multa ex Origene est. 31.1.c
Hirsutus sanguine an comminuatur adamas. 320.2.a
Hispani nouum orbem ad Christum conuerterunt 363.2.d. an orti ab Ibelis vel Iberis incolis Ponti Euxini. ibid.b. nullum habuere cum gentibus Orientis commercium ibid.c. cur ad extera bella vel noua colonias ducendas emittantur. 502.2.a. eorum reges à Gothis prognati sunt, quomodo sensim suum imperium propagarint. 695.2.a.b
Historia à Rabbinis semper vocatur Sepharad. 361.2.a. ponitur à Geographis vltima pars orbis. ibid.
Historia tota Ionæ Prophetæ Christo applicatur. 383.1.c.d. historia Iudith contigit post captiuitatem Babylonicam, regnante Cambyse, vel Dario Hystaspis, vel Xerxe eius filio. 229.1.d. historia de Osee fornicarum ducente verè contigit. 55.1.d
Historici prisci sæpè non errant in rerum narratione, sed in personis & temporibus. 480.2.c
Hæreticis vno verbo, Ecclesiæ capite relicto, hodie inter se veros hæresibus digladiantur. 131.1.d
Holocaustum quid propriè sit. 881.2.b. in eo requiritur victima mascula. 804.1.c
Holofernes Iudæos è Babylone reuersos, missus à Nabuchodonosore rege Assyrio, inuasit, sed est cæsus. 229.1.c quando hoc contigerit. ibid.d
Homicidium Scriptura vocat sanguinem. 97.2.a
Homicidas punire quàm vindicta pia & salutaris sit. 352.1.c.2.a
Homo & Deus diuersimodè se gerunt in condonandis offensis. 176.1.a.b. homo post peccatum est merum ludibrium tentationum & calamitatum. 142.2.a eius vita quàm breuis, fragilis & incerta. 326.2.b. 317.2.a.b.c. puluis & cinis est. 405.2.c. microcosmus est, & microœcus. 558.1.d. reptile est ob tres analogias. 523.1.d. velut arbor inuersa est. 538.1.c. per peccatum factus est iumentum. 546.1.d. eius descriptio moralis. 520.2.a. habet homo omnia vnde se extollat & humiliet. 793.1.d
Homines bellua crudelitate superant. 261.1.d eorum secundùm prudentiam politicam viuentium vanitas. 142.2.a.b. homines cur vitulis aureis immolarentur. 192.2.a.b. homines piscibus assimilantur in variis analogias. 520.1.c.& seqq eorum varij status ordines, gradus, complexiones, linguæ, familiæ, genera. ibid. eorum in mundo iactationes & tentationes. ibid.d. eorum multi catharro vel pituita enecantur. 2.a. potentiores opprimunt minùs potentes. 521.1.a. quantumuis sapientes, coram Deo obmutescunt. ibid. homines quomodo sentiant angeli fiant. ibid.b. à ratione & voluntate primùm putrescunt. 2.a. quàm variabiles sint. 828.1.b.c
Honor parentibus debitus quatuor complectitur. 795.1.b honor rebus maior ex longinquo est. 13.1.d. honores mox vt nati, emoriuntur. 395.1.a.480.2.d
Hor mons situs est in Arabia. 468.2.d
Hordeum cibus erat seruorum & pauperum, etiam adulterarum apud Hebræos. 92.2.b. id antiquissimum est in cibis. 1.b
Hormisdas architectus Imp. Constantii de Roma quid sentiret. 387.2.a
Horologia an dicantur Theraphim. 94.1.d
Horribile significat interdum reuerendum & sacrum. 805.1.a
Horti pensiles Babylone à Nitocri regina constructi sunt orbis miraculum. 487.2.a
Hosee vltimus Israelis rex fœdus cum Assyriis iniit, deinde contra eos opem implorauit Aegypti. 185.1.c.d. ab iis in captiuitatem est abductus. 156.2.c.
Hostem vincendi optima ratio est, eum vincere amore & beneficiis. 173.1.c. hosti fugienti aureus pons sternendus. 89.1.c. inter hostes acerrimos nos vbique obseruantes vt supplantent, versamur. 457.2.a. hostium aduentum non rarò præeunt locustæ, bruchi & eruca. 213.2.b. hostes Ecclesiæ Dei cur vocentur Aegyptij, Assyrij, Chaldæi, in Scriptura. 736.1.b
Hostia pro peccato quæ diceretur. 801.2.b
S. Hugo Cluniacensis Abbas quàm seria dum viueret tractaret. 600.1.a
Humana omnia merum sunt somnium. 847.1.b. item vmbra hederæ sunt. 37.1.a. reguntur à mutabilitate, & citò pertranseunt. 114.1.b
Humanitas Christi, videns se Verbo vniri, obstupuit & etiamnum stupescit. 541.2.a. fuit velut equus, cui inequitauit diuinitas. 556.1.a. est lucerna cælestis Ierusalem. 576.2.b. quàm perfectè diuinitati vnita fuerit. 664.1.c. in quo lapidi stanneo assimiletur. 676.2.a. Patri & Spiritui sancto affinis est. 768.1.b.c. mysticè Christi fuit templum. 820.1.d
Humiles & mansueti soli iram Dei lenire possunt. 580.1.a. humilis anima Dei velut iumentum est. 716.2.d
Humiliare nos quare coram Dei maiestate debeamus & deprimere in abyssum nostri nihili. 538.2.a. humiliatio via est ad humilitatem. 223.2.c.460.2.b.
Humilitas conuoluula est rudimentum animæ. 2.2.c ea ad reuelationem Dei animam maximè disponit. 10.1.d. eius effectus. ibid. mater, conciliatrix & conseruatrix est gratiarum cælestium. 156.1.b. est tegmen virtutum. 216.2.b. ea cum doctrina magni apud Deum est. 354.2.a. eam quantopere Christus tota vita dilexerit. 439.1.b. est congrua via ad scientiam diuinam. 679.1.d. quàm deceat Prælatos & principes. 741.2.b
Humor dulcis multus in marinis aquis mixtus est. 520.2.a. humor phlegmaticus, crudus, lentus & viscosus quomodo calorem naturalem alere valeat. 2.d. humore viuunt, aqueo pisces, aëreo homines. ibid. humor melancholicus, frigidus & ater tristes cogitationes parit. 417.1.c
Hunni, Alani, Gothi, VVandali, & modò Turcæ, quasi eruca, locustæ, bruchi & rubigo sibi succedentes orbem Christianum depopulati sunt. 216.2.c
Hyæna lupi species noctu prædas exercet: eius natura descri-

*describitur.*515.1.*b.c.d* *hyæna Arabica qualis sit.* *ibid.d* *hyæna etsi proprie non sit lupus, ad lupos tamen refertur.*2.*b* *an vocetur lupus vespertinus* *ib.d*

Hydrus crocodilum interficiens symbolum est resurrectionis Christi & nostræ. 198 2.*b*

Hymni deorum olim canebantur in conuiuijs. 308.1.*b*

Hypocrisis est tropologicè vestis peregrina. 571.1.*d*

Hypocritæ sunt culmus germen non habens. 146.1.*b* *quàm multos greges vitiorum alant.* 586.2.*c*

*Hyrcanus Simonis Machabæi filius, Idumæos ad circumcisionem compulit.*783.1 *b* 794 1.*b* *cum Aristobulo de pontificatu decertans in causa fuit cur à Romanis subactus sit.* 739.1.*b*.747.1.*b*

IAcob nascens Esau plantas tenens, quid denotaret. 185.2.*c* *promissiones ei factæ, in posteris eius impletæ sunt.*471.2.*d* *moriens quædam prædixit quæ paulò pòst, quædam quæ post longum tempus euenerunt, quædam in fine mundi euentura.* 236.1.*a* *cur dictus Israel post luctam cum angelo.* 401.1.*a.c.* 186.1.*a* *timens fratrem contra se venientem cum lacrymis petijt ab angelo benedictionem.* 186.1.*c* *ei apparuit Deus scalæ innixus.*2.*a* *bis ei apparuit.* *ibid.c* *exemplum vigilantis pastoris est.* 749.2.*d* *eum dilectum fuisse præ Esau quomodo intelligatur.* 792.2.*d* *Iacob & Esau fuere vno partu editi.*264.1.*c* *Iacob nomine decem tribus nominantur.* 4.1.*c.* 751.1.*b*

S. Iacobi Apostoli zelus indiscretus in Samaritas. 394.1.*b* *solus Iudæis in Hispania prædicauit.* 364.1.*d* *quàm paucos ibi ad fidem conuerterit.* 674.2.*d*

S. Iacobus frater Domini quo loco de pinna templi præcipitatus sit 573.2.*d* *vinum non bibit, nec carnes comedit.* 11.2.*b*

*B. Iacoponus quomodo tentationem gulæ superarit.*146.2.*b*

Iactura temporis grauissima est. 606.2.*d*

Iaddus pontifex fuit filius Iesu. 605 2.*b*

Ianum an Augustus bis, an ter clauserit. 616.1.*d* *Ianus biceps est Noë, qui duo vidit sæcula.* 373 1.*c*

Iapones deos in aduersis etiam flagellant. 311.2.*a*

Larcha septẽ annulos dedit Apollonio Thyaneo. 629.2.*a*

*Iason mala via pontificatum inuadens fuit pastor stultus.*737.1.*d*.748.1.*b* *ephebiam qualem in Ierusalem excitarit, in qua libidini & crapulæ vacabatur.*752.2.*b*.753.2.*c* *eius funesta mors.* 755.2.*a*

*Ibis in Aegypto solùm reperitur.*180.1.*b* *triquetram formam habet in rostro, & incessu.ibid.* *erat sacra Mercurio, & cordis symbolum, huic mirè confert: duas drachmas ponderat.ibid.* *docuit vsum clysteris, hinc sanitatis est symbolum.ibid.* *serpentium inimica est.ibid.* *luna non apparente non comedit.* 557.1.*d*

Ictericus morbus est morbus regius. 286.1.*c*

ἰχθὺς vox Græca continet litteras initiales horum verborum Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ. 521.1.*c*

Idolum vocatur labor & dolor, quia eius est causa. 114.2.*b* *est Deus mendax.* 86.2.*b*.131.2.*a* *est idea & phantasia artificis.*192.1.*d* *ea olim fabricata ex mercede meretricum.*403.1.*b* *ea an coluerint Hebræi in deserto.*301.1.*a.b* *à Script. vocantur sordes & stercora.* 94.2.*c*.116.2.*a* *item vanitas, res vanæ, leuicula, ludicra, deiecti.* 321.1.*b*.382.1.*d*. 412.2.*c* *cur vocentur amaritudines Dei.* 191.1.*b* *item abominationes.*714.2.*a* *ea Iudæi non coluerunt post captiuitatem Babylonicam.*319.1.*d* *vide Iudæi.* *idola dantia oracula habebant altum & patulum os.* 302.1.*b* *vocantur amasii.* 75.1.*a* 402.2.*b.d* *fornicatione olim colebantur.* 302.2.*b* *ipsis Iudæi ædificabant domus & templa, eaque in iis collocabant.* 689.1.*c*

*Idololatræ stupidi sunt similes suis idolis.*153.1.*d* *sunt meretrices tropologicè.* 402.2.*b.c* *in suis sacrificijs & festis epulari & inter præsentes vinum diffundere solebant.* 512.2.*a*

Idololatriam arguere Hebræorum, est argumentum Minorum Prophetarum. 2 2.*d* *eius exitium peractum est per Apostolos Christi.* 383.2.*b*

Idumæa perpetuò fuit æmula populi Dei. 251.1.*b*.446.2.*d*.466.2.*d* *quomodo ab eodem attrita.* 347.2.*a*.351.1.*a* *vnde dicta Theman, mons Seir, Edom.* 547.1.*c* *mansit post captiuitatem deserta & desolata.*793 2.*c* *postea vnde homines in ea propagati sint.* 794 1.*a*

*Idumæi & Israelitæ quomodo sint fratres.*264.1.*a* *& tamen hos exosos habuere illi, & cur.*1.*ibid.* *Idumæorum excidij à Chaldæis quæ fuit causa.* 351.2.*d* *quando eos Chaldæi inuaserint.*351.1.*a* *hos adiuuerũt in exscindenda Ierusalem, & ideò excisi sunt.ibid.* 357.2.*a*.358.2.*b* *cur se inuictos putarent.* 554.2.*a.b* *quomodo penitus à Chaldæis expoliati & victi sint.*356 1.*a b.c.*357 1.*d* *non plane ab eis cæsi sunt.*357 1.*d* 359.1.*b* 794.1.*a.b* *quomodo euadent manus Gog & Magog tempore Antichristi.*55.2.*a.*612.2.*c* *iam plane deleti sunt.*359 1.*b.*612.*b.*794.1.*b* *venêre Iudæis à Tito obsessis auxilio.* 360.2.*c.*794.1.*b* *in captiuitate Babylonica manserunt.* 793.1.*c* 2.*a* 794.1.*a* *fuere Iudæorum deinde serui & tributarij.* 794.1.*b* *quando & a qua iussi circumcisionem accipere.*783 1.*b* 794.1.*b.c.* 2.*c.*361.2.*b* *apud eos viguit sapientia.* 516.2.*a* *Iudæi censent Romanos esse Idumæos.* 352.2.*a*

*Iechonias impius rex cur in Hebræo diminute vocetur Conias.*437.1.*a* *eum quomodo à se proiecerit Deus.* 629.2.*d* *fuit annus Zorobabelu.*630.1.*a* *non reliquit post se filium regem.* 484.2.*a.*609.2.*a*

Iecur sedes amoris est & concupiscentiæ. 195.2.*b*

Iehoua *nomen continet in se SS. Trinitatem, cur aliter* he *contineat.* 611.2.*d*

Iehu permisit idololatras sensim virus idololatriæ purgere. 133.2.*a* 134.1.*c* *eum Deus iussit exstinguere eam: qua de causa id ipse non fecerit.*130 2.*d*.131.2.*d* *eius dissimulatio.* 132.1.*c* *inuasit regnum Achab.* 58.2.*d*

Ieiunia quatuor temporum adũbrata sunt per 4 solemnia ieiunia Iudæorum. 708.1.*b* *ea quatuor in causis sunt instituta.* *ibid.c.&* *seqq.* *ieiunij commoda & effectus.* 702.1.*a* *ieiunio in calamitate publica Deus conciliandus.* *ibid.* *quale ieiunium Deo placeat.ibid.d* *duplici modo sanctificatur.*2.*b.* 1.*c.d* *eius alæ sunt oratio & iustitia.* 226.2.*d* *ieiunia extraordinaria Iudæorum quæ essent, quæ ordinaria.* 701.2.*c*.707.1.*b.d* *qui sibi ieiunent.* 702.2.*a* *cur Iudæi ieiunarent die decima mensis septimi, & decimi decima.* 707.2.*a* *ieiunare templo & vrbe ædificata cur eos iubeat Deus.* *ibid.c.d.&* *seq.*

Ieremias quando cœperit prophetare. 566.2.*b* *eius abbreuiator est Sophonias.* *ibid.*

*Ieroboam an speculatores constituerit in Galaad, qui populum cogerent adorare vitulos.*110.2.*d* *quando primùm idola induxerit.*133.2.*d* *fuit auctor schismatis à Roboam, & stirpe Dauid & Deo.*1.2.*d.*42.2.*b* *an fuerit rex, an tyrannus, an à Deo creatus & populo, an verò à solo populo.ibid.b.c.&* *seq.* *populum eum creans peccauit, vt & ipse regnum inuaserit.*

Jer 2 Kal. 169. 1. c.

143.1.d cur vocatur aliquando Ephraim. 192.1. eis eum dedit Deus in ira, quomodo. 195.2.d
Ieroboam II. rex quando regnare cœperit, eius anni adaequatur annis Oziæ regis Iuda. 255.1.c. & seqq. sub eo prophetauit Osee. 52.1.a
Ierusalem sita erat in loco alto. 245.2.a censetur esse medium terræ. 240.1.d quadragesimo anno à prædicatione Christi euersa est. 388.1.c est filia latronis occidens Christum. 433.2.b eius propterea puncta. ibid. cur vocetur metonymicè turris gregis. 428.1.b.d cur item nebulosa. ibid.d triplex ei natiuitas, quia iuxta templum Septemtrionem versus in tres regiones erat distributa. 13.2.a.572.2.a. 780.1.d quinam in singulis habitarent. 572.2.b.c erat super duos colles condita contrarijs frontibus se mutuo spectantes, interueniente valle discretos. 573.2.b vocatur Libanus. 535.2.c.757.1.b quomodo porrecta sit in superliminare crapulæ. 751.2.a.b quomodo id fecerit Deus. 752.2.c eius reædificandæ quanta amplitudo futura promittatur. 647.2.a.d. 648.1.a ferè semper in Scriptura figura est Ecclesia. 648.1.b quare vocetur pila actiuè & passiuè 573.1.d.574.1.b post reditum è Babylone quomodo vocetur ciuitas veritatis, & mons Domini. 705.1.b.d eius felicitas. 2.a.& seqq. est obsessa à Romanis iuxta montem Caluariæ. 772.2.d Ierusalem moderna alio est in loco quàm fuerit vetus. 754.2.c quàm hæc deserta & inculta sit. 684.1.a fœtura est sedes regni Antichristi, ibiq; ab eo occidendus Henoch & Elias. 770.2.a
Ierusalem calestiu elogia varia: eius ciues sentient, quòd ipse in ipsis habitet Deus. 248.2.d ipsa est mons sanctus, cur dicatur sancta. ibid.d eius delicie & omnium bonorum vbertas. 249.1.b.c eius habitatio futura perpetua. ibid.c calum cur vocetur Ierusalem. 251.1.c
Iescui est Iesu, Iescui est Iesus meus. 562.1.b
Iesum Christum Prophetæ sæpè ad literam repræsentant. 7.1.a.& seq. an in vita comederint carnes. 11.2.c pene omnes Prophetæ in eo desinunt. 20.2.a. 21.1.a eius in calice passionis bibendo promptitudo. 21.2.b ab eius parte ad nostram iustificationem nihil deest. 19.1.d eius in orbe sibi subigendo potentia. 37.2.a est lumen de lumine. 51.2.b iniit connubium cum carne humana, & cum Ecclesia. 57.1.b. 2.a eius in hoc dignatio & misericordia. 2.c an recte possit allegoricè Iezrahel. 60.1.d euangelizare tam Israelitis, quàm Iudæis. 65.2.b antequam prædicationem inchoaret, in desertum à Spiritu sancto ductus est. 80.2.a ter Ecclesiam sibi desponsit. 87.2.d ipse bonum nostrum est. 95.2.d amarum tribulationis calicem bibit, quòd nos ab eo non deterreamur. 115.2.b eius aduentus promittitur Iudæis in tribulatione positis, & quidem breui futurus. 120.2.c quomodo nos tertia die viuificet. ibid.d in resurrectione plenè nos viuificauit. 2.c cur die tertia resurrexerit. 121.1.b.d tres eius aduentus sunt 122.1.a eius ortus est instar auroræ. 2.d noctu ante luciferorum natus est. ibid. creuit ætate, sapientia & gratia apud Deum & homines. 123.1.a bis natus debuit. ibid.c comparatur imbri serotino & temporino. 2.a viuum misericordiæ fuit speculum. 127.1.a in Ægypto vbi exularit. 764.1.c reuertendus ab Osee prædicitur. 172.1.c quomodo nos traxerit in funiculis Adam. 175.1.b. maximè in Euchariistia. ibid. quomodo à nobis iugum peccati, dæmonis & concupiscentiæ auferat. 174.2.b eius redemptio sufficiens fuit ad omnes saluandos. 177.2.b.c vult omnes homines salvos fieri. ibid.c euangelizans tum per se, tum per Apostolos comparatur leoni. 179.1.c est antesignanus Martyrum. 181.2.d eius incarnatio & passio variis Prophetarum figuris fuit repræsentata. 190.1.b resurgens patres ex inferno & morte liberauit, secúmque resurgere fecit. 197.2.a.b. 199.1.d.418.1.c.718.1.b quomodo fuerit mors mortis, & morsus inferni. 198.1.b.& seqq. 199.2. b.551.1.d.558.1.c suo ad inferos descensu nullos damnatorum liberauit. 200.1.b ibi primum dedit iubileum. ibid.c eius descensus in carnem roris descendenti comparatur. 123.1.a.204.1.c lilio assimilatur. 204.2.b.c.d. vocatur radix Dauid, quin & Dauid. 205.1.b.345.2.d omnis eius sermo & doctrina, vita eius mysteria, mors, resurrectio, & Sacramenta boni odoris sunt. 206.2.c.549.2.c Austro calido comparatur. 201.2.a.229.2.a est doctor iustitiæ & doctor doctorum. 230.2.d eius aduentus docuit humilitatem. 232.1.b quæ prodigia in eius vita & morte acciderint. 235.1.b.c.737.2.c eius gloria in die iudicij. 236.1.d.2.a descendet ad iudicium in aërem valli Iosaphat vicinum. 240. 2.b est stella oriens in cælo illuminans Beatos. 250.2.d est iustus iustorum. 296.1.c vili pretio à Iuda est venditus. 2.b est Dei Patris meditatio, conceptio, dictio & eloquium. 389.1.b est finis & scopus legis & Prophetarum. ibid.d. 20.2.a.21.1.b.120.1.d.464.1.a eius lictor in die iudicij erit ignis. 319.1.a adamanti assimilatur. 320.2.c.d restituit regnum Dauid patriæ suæ. 345.2.c.661.1.c per reges Christianos dominatur etiam ciuiliter toti orbi Christiano. 346.2.a ab inferno & morte nos redemit. 363.1.d eius patientis & resurgentis figura est Ionas. 368.2.c.373. 2.d.379.1.c.2.c.383.1.c.384.2.b.385.1.c item ex eo quòd columba est. 369.2.c secutus est Patrem vocantem ad prædicandum & moriendum. 372.2.a somnum eius in naui orta tempestate repræsentat somnus Ionæ. 373.2.d eius resurrectionis optimus testis esse poterat Ionas. 384.2.c est vermis vetus testamentum corrodens. 395.2.a. in vtero Virginis, pulueri nostro se inuoluit. 405.2.b fuit perfectus Iudæorum redemptor & dux. 418.1.a.b.2.b.466.2.d viam nobis in cælos aperuit. 418.2.b.d est natus sub Augusto. 426.1.d cur sit turris gregis & nebulosa. 429. 1.d natus est in antro, cur: & rure. 435.1.a digna illo fuit ipsa sui demissio. 438.1.b est dominator in Israel, quem in Bethlehem nasciturum prædixit Michæas. ibid.d cur natus sit in Bethlehem. 439.1.a eius concio è præsepio ad homines. ibid.b.548.1.d mundi panis est & manna cæleste. 439.1.c eius egressus est triplex. 441.2.b vt homo bis egressus est. ibid.c variæ eius pro hominum salute expeditiones. ib.d. duplex eius natiuitas, vna temporalis altera æterna. 442.1.a.& 371.d. quomodo dicatur agnus occisus ab origine mundi. 442.1.d. eius æternitas probatur. 2.a.b. ideo natus est tempori, vt nos viuamus æternitati. 443.2.c. stat à dextris Patris vt Ecclesiam propugnet. 445.2.a. est pax causalis triplex. 446.2.a. c.d. eius in Iudæos & Christianos ingratos imperia. 453.2.b.c.c Iudæis paucos dum vineret, conuertit. 462.1.b. venit gladium mittere, non pacem. 465.2.d eius satisfactio an ita sufficiens sit, vt nos pro nostris peccatis satisfacere nō debeamus. 482.1.d. eius sanguis cogitatus Christianos exstimulat ad fortiter pugnandū. 491.1.d. factus homo. factus est velut piscis huius sæculi, eius nomē fuit ἰχθύς, id est piscis. 521.1.a. cur Apostolos

los piscatores elegerit. ibid.d vocari à Prophetis solet Veniens. 528.1.b suo aduentu robur & regnum diaboli euertit, & fideles eruit è captiuitate. ibid.b.c.d.596.2.c in templis, & corporaliter in Eucharistia, inhabitat. 536.2.d quomodo ab amore se vinci passus sit. 538.1.b est hostia infiniti pretij. 2.b incarnatus est tempore calamitosissimo. 542.2.b.c & in consummatione annorum à Deo præstitutorum. ibid.c passus est in medio vltimæ hebdomadis Danielis. ibid.d item anno ætatis XXXIV. quæ est media vitæ humanæ. ibid.546.2.c natus est durante lege Mosis, quæ media inter legem naturæ & gratiæ. 543.1.a item tempore gratiæ, quod medium inter tempus legis & gloriæ. ibid. est medium totius vniuersi & sæculorum omnium, æquè ac redemptionis nostræ mediator. ibid.c assumpsit naturam humanam, vt esset mediator Dei & hominum. ibid.d eius typus fuit arbor vitæ in medio paradisi collocata. ibid. medium locum semper elegit. 2.a in quorum animalium medio sit & fuerit cognitus. 544.1.d in præsepio reclinatus est inter bouem & asinum. 2.b varia causæ, cur sit reclinatus in præsepio. ibid.d & seqq. est verus pastor & bonus. 545.1.b.747.2.b.428.2.d.445.1.d. 2.a.b.c.447.2.c.d.448.1.c regnum eius consistit in mundi contemptu. 545.1.b eius paupertas ditissima fuit. 2.b quomodo factus sit iumentum nobis. ibid.c factus est Gentibus & Iudæis cibus. 546.1.b est medium duarum vitarum quadrupliciter. 2.b.c cur à dextris venire dicatur, & filius dextræ vocetur. 547.1.d quomodo ab Austro venisse dicatur. 2.d quam omnis eius vita & doctrina glorioſa fuerit. 549.2.a.b cornua eius est fortitudo crucis. 550.1.c crux quomodo in manibus eius fuerit. ibid.d eius in nos charitas. 2.a. 178.2.a passus est ex valida dilectione. 551.1.a.b sceptra impiorum quomodo perfregerit. 559.1.b summus fuit Princeps, Pontifex, Propheta & Doctor Ecclesiæ. 605.2.d.697.1.d.699.1.c est iustitia sempiterna. 605.2.d templum corporis sui quomodo in resurrectione ædificarit. ibid.d eo veniente in carnem cur facta cæli terræq; commotio, & qualis. 615.2.c.d.& seqq. super eum baptizandum Sp. sanctus in columbæ specie descendit. 616. 1.a angeli ei sæpè ministrarunt. ibid. sponte glorioſus in cælum ascendit. ibid.b est maris & procellarum dominus. 617.1.b est principium, centrum, vita, felicitas totius vniuersi. 2.c est antistes totius mundi. ibid.d portat omnia verbo virtutis suæ. 618.1.a vocatur desiderium collium æternorum. ibid. & electa Gentium. ibid.c cur sit desiderium Gentium. ibid.& seqq. in cælo est desiderium Beatorum & angelorum. 619.1.b est omne quod desiderari ab homine potest. 2.c.d vocatur gloria templi secundi. 621.1.a.624.2.b.c pacem attulit credentibus sibi. 625.1.c natus est ex familia & stirpe Zorobabel. 628.1.b.d.2.b eius regnum quietum & æternum futurum est. 629. 1.a quomodo & quare sit annulus Dei patris, quem digito suo inseruit. 630.2.a.b est sigillum in manu Patris passiuum & actiuum. ibid.c.d idq; quadrupliciter, qua homo. ibid.d est sigillum regni diuini quintupliciter. 631.1.b Patri, Ecclesiæ, angelis & toti orbi honori est. ibid.c est legatus Patris ad homines: est eiusdem & mundi totius deliciæ: & sapientia Patris increata & creata. ibid.d nos sua cruce & gratia obsignat. ibid.d est reconciliatio mundi totius. 632.2.d designatur per virum inter myrtea stantem. 639.1.b est gloria Ierusalem. 649.2.b eius deitas probatur. 442.1.d.651.1.d.820.1.a propriè eius gloria est humanitas, & opera in ea patrata. 651.2.a terram sanctam sanctificauit magis, quàm omnes Patriarchæ & Prophetæ. 653. 2.c eius in die iudicij maiestas, & ira in impios. 240.2.b.c.247.2.a.273.2.a.653.1.a.776.1.& 822. 1.a.c. pugnauit contra Luciferum in deserto sic tentantem. 654.2.a.655.2.a carne humana vestitus repræsentatur per Iesum pontificem sordidis vestibus indutum. 657.2.b cur sordidus fuisse dicatur. ibid.d cruce & patiendo vicit diabolum. 658.1.b resurgens indutus est mutatorijs. 659. 1.a est portentum sæculorum. 660.1.d eius incarnatio opus est omnium Dei operum maximè stupendum. ibid. 571.1.c est germen. 661.1.a.& seqq. à primo conceptionis instanti fuit Deo consecratus. ibid.d. duas habet generationes. 2.a. quæ bona nascens orbi attulerit. ibid.b.1351.c.d. 2.a est lapis angularis & fundamentalis in fabrica Ecclesiæ. 661.2.d.672.1.a.733.1.a plena eius prouidentia circa Ecclesiæ fabricam. 698.2.c. 662.2.b omnia Spiritus sancti dona habuit. 663. 1.a.& seqq. eius corpus quomodo in passione incisum & calatum fuerit. ibid.b.664.1.b.d sua ortu non tantùm attulit opes spirituales, sed & temporales. 665.2.b candelabro repræsentatur. 665. 2.c.& seqq. eius initia exilia & parua fuerunt. 661.1.c.674.1.a quomodo vocetur lapis flammeus allegoricè. 675.2.c.& seqq. per quatuor Sanctorum genera orbem subiecit. 692.2.a cum quomodo bonis operibus coronemus. 697.2.c recte oriatur oriens, & cur. 661.2.d.698.1.b.c.2.a sibi & ex eo orta multitudo fidelium. 698.1.c gloriam promissam quando plenè sit adepturi. ibid.d quomodo sit oculus, tam videns omnia, quàm in quem videant omnes. 711.2.c prædicauit etiam Sidonijs & Tyrijs. 712.2.c quomodo diu potest separator. 714.1.b cur cum pompa Ierusalem in die palmarum inuectus est. 713.2.c.& seqq. eius regnum magis spirituale quàm temporale est. ibid. per agnum paschalem quomodo præfiguratus sit. ibid.d in suo triumpho sedit super asinam, non asinum, cur. 716.2.c eius sanguis cur vocetur sanguis testamenti. 717.2.b triduo ibi mansit. 718. 1.d symbolicè quomodo vocetur area Iudæ. 719. 2.c quomodo sit pulcher & speciosus. 724.1.a ad passionem iturus cur Eucharistiam instituerit & sumpserit. 728.1.c venditus fuit triginta argenteis. 744.1.c.d pathetica eius oratio ad patrem & acedos. 746.2.b ei qui resistunt ab illo opprimuntur. 754.1.a an appareat in cruce anima eius post in morte iudex. 758.2.b quæ familiæ in eius morte planxerint. 761.1.b.c & cur quælibet illarum plangere debuerit. 2.a.b est fons patens domui Dauid. 762.2.c.& seqq. effudit in nos Spiritum sanctum. 763.1.a peccata omnia abluit, eorumq; scaturigines tollit. 764.2.b eius pathetica vox ad animam pœnitentem. 766.1.d.2.c.d vulnera cur resurgens resumere voluerit, & in cælo seruet. 767. 1.c.d ipsum cur Deus Pater Iudæis obiecerit, vt ab ipsis occideretur. 2.b quomodo sit vir cohærens Deo Patri. 768.1.a eius humanitas Patri, & Spiritui sancto affinis est. ibid.b in monte Oliueti quæ gessit. 771.2.a.b. ex eodem Antichristum deturbabit in tartara, & illuc ad iudicium descendet. ib.d.774.2. c. ex eodem ascendit in cælum. 772.1.a facie eius a

*Hierusalem crucifixus est, & ascendit in cælum. ibid.
dicum ipse, tempore christianismi, solus colendus vt Deus. 779.1.a.b quomodo sit facies Patris, &c. 818.1.a.b cur quæ ipse facit, Patri ascribat. ibid.c in eo quidem vna persona est, sed hæc vnitate duplex est. 2.a in templo Hierosolymitano docuit & fecit miracula. 820.1.c est angelus & legatus tam noui quàm veteris testamenti. 2.c. & seqq. 421.1.b. 313.2.b quintupliciter fuit angelus veteris testamenti. 821.1.a summis votis à patribus sancto dato fuit desideratus. 2.a. 123.1.d est ignis conflans quintupliciter. 822.2.a comparatur herbæ Solanum, cur. 823.2.a quà Deus, omnia videt; quæ bona, omnia cognoscit per scientiam infusam & beatificam. 826.2.a est sol iustitiæ ob quinque analogias. 836.2.a maximè in die iudicij futurus est sol iustitiæ. ibid. nomen solis Græcum ἥλιος secundùm omnes deriuationes ei accommodatur. 837.1.c per Samsonem adumbratus fuit. 2.a vetus amictus est. ibid.b.c quomodo sit sanitas in pectore eius. ibid.a. 839 1.c.d verè sol est, Adam tantùm bona. 838.1.a eius morientis & resurgentis typus est phœnix 839.1.b. 44.2.a oriens in animis fidelium. quos ibi effectus operetur. 839.1.d
Iesus nomen multis antè annis prænominauit Habacuc. 621.d significat id nomen omnia bona ab eo nobis donari. ibid. & seqq. non tantùm significat salutem quam nobis dedit, sed & modum quo nos saluauit. 2.c ei quomodo viuere debeamus. ibid.d
Iesus filius Sirach fuit Christi typus. 605.2.d
Iesus & Zorobabel cur vocentur filij olei. 679.1.d. & seqq. comparantur Cherubinis templi. 2.c
Iesus filius Iosedec pontifex fuit tum nomine, tum officio typus Christi Iesu. 605.2.c.d. 654 1.a. 660.2.c. 670.1.b eius elogium. 605.2.c vixit, cùm populus è captiuitate Babylonica rediret. 653.2.c confessus reus coram S. Michaele, accusante Satana. 654. 1.c cur Satan stet à dextris eius. 2.c.d quod eius fuerit peccatum, cuius accusatur. 655.2.d eius filij alienigenas duxerunt vxores, non autem ipse, nec mirum. 656.1.a cur ei Satan aduersatus. ibid. b eius partes Deus defendit. ibid.c cur dicatur servus erutus dirigne. 657.1.b quæ eius vestes sordidæ. 1.a.b hu indutus repræsentat Christum carne humana vestitum. ibid.b cur ab angelo opem expostulat. 658.1.c mutatorijs & cidari induitur. 2.a eluuit actum contritionis de peccato suo. ibid.b est cum socijs vir portenti quintupliciter. 660.1.a.b ei reuelatus est Christi ortus. 662.1.a
Iezabel regina iniquitas erga Naboth, & castigatio diuina. 463.2.c
Iezrahel vox quadruplex habet etymon. 58.2.a hoc nomine cur dicantur decem tribus. 4.1.c Iezrahel vrbs erat metropolis decem tribuum, eius situs, agri eius fertilitas. 58.2.b Iezrahel fuit primus Oseæ filius. ibid.a cur ita vocari puer hic iubeatur. ibid.c. 59.2.a Iezrahel allegoricè est Ecclesia Christi. 70. 1.b dies Iezrahel quis dicatur. ibid.d
S. Ignatij Martyris zelus & ardor. 844.2.c quàm ardenter Christum desideraret. 619 2.a
Ignatius Azpeditius è Soc. Iesu à Caluinistis piratis cæsus. 1.1.b
S. Ignatij Soc. Iesu fundatoris, in mulierculis à turpi quæstu auocandis studium. 93.1.a eius zelus in diuinam gloriam promouenda. 382.1.b totum se Deo resignauit. 397.2.b lectione vitarum Sanctorum à vita seculari conuersus est. 451.2.b eius de spe in Deum gnoma. 530.1.b
Ignifer capitur pro valido milite. &c. 361.1.a
Ignis regibus & castris Chaldæorum & aliorum præferebatur, eumq; Chaldæi & Persæ, vt Deum colebant. 822.1.d. 677.2.c.d. 221.2.b. 302.2.d ignis conflagrationis mundi à Christo præmittetur, vt omnem mundi concupiscentiam perdat. 205.2.b quid is in die iudicij sit facturus. 835.1.b quàm is futurus terribilis. ibid.c is perdet impios vsque ad radicem. 836.1.a igni comparatur amor. 135.1.a Scriptura phrasi capitur pro excidio & strage. 261. 2.c. 263.1.d. 264.1.a. 402.2.c. 611.2.d item pro vi ac robore. 361.1.a ignis zeli quis mystice sit. 37.2.b potentia & vis ignis in auro conflando. 822.2.a Christus igni comparatur. ibid. & seqq. cur Deo præferatur. 677.2.b vocatur à poëtis purpureus, cur. 491.2.b ignis sacer in secundo templo non defuit. 611.1.b hunc sacerdotes Iudæi & aliarum gentium custodiebant. 568.1.c igne consumentur, in fine mundi, omnes oppressores iustorum. 497.2.b ignis gehennæ quàm sit futurus grauis. 835.2.c pice & sulphure ardet. 823.2.b ignis magnus an sit ante cælum in æthere, per quem transire debeant omnes in cælum euntes. 648. 2.c
Ignorantia semper aliqua peccato coniuncta est. 540. 2.a
Illusio diabolica vnde dignoscatur. 9.2.a
Illustrationes diuinas sæpè sentiunt spirituales in oratione. item peccatores. 25.2.d sunt quædam gratiæ præuenientes, & à Deo petendæ. 261.1.a illustratio peccatorem in iustitia promouens, & ad perfectionem deducens, est velut imber serotinus. 231.2.a
Imaginem eius quem diligebant, in annulis gestabant amici. 629.1.d imagines sacræ Iudæu vetitæ non erant, sed tantùm profanæ. 941.1.b hinc eas non faciebant nisi idolis. 2.b eas Astrologi loquentes conficiebant, & quomodo. 1.c imagines vetustissimæ Christum quasi pastorem depingunt. 428.2.d
Imber temporaneus in Palæstina in autumno cadit, serotinus in vere. 123.2.a. 231.1.c vide Matutinus & Serotinus.
Immisericordia est genuina voluptatis filia. 307.2.d
Immolatio Christi in cruce fuit pulcherrima & Deo dignissima. 724.1.b
Immunditiam Iudæi ex mortuo quomodo contraherent. 150.2.a
Immutabilitatem Dei quomodo Sancti imitentur. 225. 1.a ipsa est origo æternitatis. 443.2.c eius quæ sint causæ. 827.1.c & seqq.
Impedire pietatis opera quàm sit malum. 129.1.c
Imperatores Rom. recèns creati noua nomina capiebant. 65.1.a impij ob libidines & fastum sobole penè caruerunt. 155.2.c triplici corona coronantur. 697.1.b ipsis olim cur ignis prælatus. 677. 2.d quomodo vocentur reges Iudæorum. 739. 1.b Imperatores Ethnici christianismo se opponentes, montibus magnis comparantur. 671.2.a ij qui pietatis curam habuere, opibus, victorijs & regnis à Deo donati sunt. 607.2.a item qui Pontificibus Rom. morigeri fuere. 699.2.a
Imperium Rom. vrbis cruce Christi firmatum. 132.1.a
Impietas quomodo in Babylone sedem stabilem figat. 684.2.d cur federe fingatur. 687.1.a ipsa animam occidit. ibid.d impietas Iudæorum duplex, idololatria, & occisio Christi. ibid.c. 689.2.c impietatis nouem sunt gradus. 129.1.d
Impius punitus est lex viua, inclamãs ceteris vt impietatem

tem fugiant. 147.2.c impijs Deus aliquando dat donum prophetiæ.9.2.c sunt plectendi & expellendi.84.2.d per impios Deus impios castigat.196.1.c. 223.1.c item pios. 511.1.b sunt plerique illiberes. 155 2.b in oneribus, quibus in vita grauantur, gustare incipiunt æterni carceris supplicia. 147.2.a anteprauisionem operum non reprobant::r. 177.1. b.c.d quomodo maturi sint, vt à falce diuini iudicij demetantur.245.2.c.d breuia æternis, terrena cælestibus præferunt.306.2.a appropinquant solio Luciferi. 2.d si in pios immites,acriter in die iudicij punientur. 243.2.d.246.2.a. vocantur maledicti.682. 2.b.eorũ corpora & mentes sunt tentoria damonum. 554.2.c peccatũ succendunt sibi ignem inferni.835. 2.a affligunt & delassant Deum.816.2.b eorum de Dei prouidentia querela.ibid.c.d eorum vexatio quàm paruo duret tempore.675.1.d eos sæpè dominari, pios premi finit Deus.748.1.a.510.2.a cur 510.2.d.& seqq. cur plangent mortem Christi in die iudicij.761.2.d in inferno quomodo futuri quasi cinis. 841.2.d

Impinguationi animalium conducit quies & obscuritas. 307.2.a

Implere arcum est plenè intendere. 719.2.d

Impossibilia aliquando fieri videmus possibilia. 312.2.c

Improbitas modica magnam virtutem inficit. 616.2.c

Improperia Christi in Parasceue vnde petita sint. 453. 2.a.b

Impunitas, grauis Dei punitio est. 260.1.d.509.1.a

In Hebræis est nota iurantis. 377.1.d. 282.2.b

Inamabilis capitur pro inuiso,odioso. 579.2.b

Inania quàm auidè consectetur homo. 599.2.c.d

Incarnatio filij Dei est opus omniũ operum Dei maximè stupendum. 541.1.c.660.1.d fuit infinita humiliatio.519.2.c quam gratiarum actionem à nobis exigat.565.1.a facta est tempore oportunissimo. 542. 2.b. eius tempus,est magnus dies Iezrahel. 70.2.d

Incendium animæ quàm noxium. 185.1.a

Incessus pompaticus suggillatur à Propheta. 304.2.c.d incessu magna cura habenda,quia ex eo colligitur animus. 305.1.a

Incipientes in fide & virtute, quando prophetent moraliter. 234.2.a

Increpare vẽtum quid in Scriptura significet. 656.2.d

Indi peccata sua scripto exarata in flumen iactant,vt æterna præmiantur oblitione. 471.1.b

India Orientalis & Occidentalis conuersio ab Abdia prædicta est.363.2.d illa quomodo in Scriptura vocetur Aethiopia.594.1.c eius,& regionum vicinarum conuersio à Sophonia prædicta est. ibid.& 2.d

Indoles prolium à mare potissimùm pendet. 56.1.c

Inebriari capitur in Scriptura pro satiari. 609.1.b

Infamia ex lucro iniusto contracta apud bonos numquam eluitur. 188.1.d

Infantes nutricum indolem sugunt.56.2.a infans penè miraculosè in vtero matris viuit. 379.2.a

Infernus quomodo inter fratres diuidat.201.1.b vocatur terra silentium. 329 1.c comparatur torculari vuis & botris pleno. 246.1.c ei comparatur ambitiosus & auarus. 531.1.a cur vocetur orcus. ibid.b an infernus & mors aliquando pro vna re sumantur.ibid. cur vocetur Iupiter Summanus. ibid.c ibi impietas cum omnibus impijs quasi in amphora constipata est.687.2.d est anagogicè pila.574.1.d item Babylon. 689.2.b

Infidelium opera omnia non sunt peccata.626.2.a mysticè sunt Idumæi. 352.2.c

Infirma mundi eligit Deus vt confundat fortia. 323.1. a.324.1.a infirma contra eos quibus Deus iratscitur,robusta sunt. 216.1.d in his suum robur ostendit. 755.2.c

Infirmitatem proximi portet fidelis. 633.1.a

Infortunia dextrè ferre felicioris est ingenij, quam ingentem prosperitatem regere prudentia. 511.1.a

Infusoria candelabri quidnam essent;eorum numerus status,descriptio.667.1.c.d.& seqq.668.1.b septem infusoria mysticè sunt septem Sacramenta. 667. 2.c

Ingenia præcocia rarò ad maturitatem perueniunt.146. 1.a ingenium in calore consistit. 27.1.b

Ingrati in benefactores columbis comparantur. 137.2.d

Ingratitudo quanta animæ mala adferat. 156.1.b

de Ingressu Christi in die Palmarum in Ierusalem, glorioſa prædicit Zacharias. 715.1.d

Inimicos diligere est cumulus perfectionis. 225.2.b

Initio operis Dei opem implorant serui Dei. 413.1.d

Initium Script.vocat id quod erat ante tempora. 443.1.a, Initia v. tenuia. 674.1.b.

Iniurias remittere & obliuiſci diuinum est. 176.1.a.b iniuriæ acceptæ species oculis obiecta acuit animos in hostem.491.2.a iniuria in venditione Christi quanta sita fuerit. 744.2.a.b.745.1.a

In medio annorum quomodo viuificarit Deus opus suum. 541.2.d.& seq.

Inscriptio legis & disciplinæ religioſæ fit in cinere Christo. 632.2.a

Inspirationes Dei quanti faciendæ sint. 604.1.d

Instrumenta pastoris stulti quæ sint. 747.2.c & quomodo hæc à boni pastoris instrumentis differant. ibid.

Intellectus res intellectas per species sibi imprimit. 154. 1.a

Intentio praua est velut statera dolosa.188.2.d intentionem dirigentes ad creaturas, sunt arcus dolosus. 140.2.a

Interpres Vulgatæ immeritò ab hæreticis vt illatinus suggillatur. 220.1.a

Inuenire gratiam in oculis Dei quid sit. 757.1.a

Inuidia per aspidem adumbratur. 649.1.a

Inuocare nomen Dei apud Hebræos significat omnem Dei cultum.237.2.d Deus semper innocandus. 238.1.b

Inutile cur vocetur idolum & peccatum. 579.2.b

Ioachimi Abbatis Floriacensis quales sint prophetiæ. 30.1.d

S.Ioannes Baptista puer secesſit in desertum. 80.1.d. 819.1.b se humilians, à Christo exaltatus est. 323.1.a cur dictus sit angelus. 612.2.d.816.2.c præparauit viam ante Christum. 119.1.b.817.2. c.818.1.a.b missus tam à Christo quàm à reliquis personis ante faciem Christi.818.1.b.c est medius totius S.Trinitatis. ibid.d eum angelum incarnatum fuisse censent Iudæi & Origenes. 2.a.b sed fuit verè homo.ibid.c vir est missus à Deo.ibid. c tantùm sex menses habuit infantiæ: in vtero matris sanctificatus fuit, penè sine cibo aut potu vixit.ibid.d purissimus & castissimus fuit. 819. 1.a pro castitate Martyr occubuit.ibid.b numquam peccauit,saltem deliberatè & grauiter. ibid. c eius vitæ austeritas.ibid. quomodo Iudæos docuerit & conuerterit.ibid.d varia eius elogia. 2.a. & seqq. à solo Spiritu sancto in deserto edoctus fuit. 2.b fuit instar Cherubini ibid. superauit officio, virtute & sanctitate omnes inferiores angelos. ibid. fuit typus Eliæ,& Elias ipsius.ibid.c in quo à cæteris Prophetis differat.820.1.a vocatur plusquam Pro-

Insania 279.1.

Ihesta à Deo. 315.2.d

Prophetæ à Christo. ibid. b fuit horizon & fibula
quatuor miracula in ceto circa eum facta sunt. 379.
2. a quid nomen eius hebraice sonet. ibid. c pressus angustijs ad Deum redit. ibid. d. & seqq. mox eius opem sensit. 380. 1. d spondet se iturum ad templum ad Deo gratias agendas. 2. d an a ceto vectus & eiectus sit in mari Rubro. 381. 1. d eius angustia similis fuit angustiæ Christi in horto 382. 1. b gerit curam pro salute nautarum. 2. b. c eiectus est circa Ioppen, & cur. 383. 1. b an fuerit è sanctis qui cum Christo resurrexere. 368. 2. d. 384. 2. c est index resurrectionis mortuorum. ibid. è ceto liberatus statim adijt templum, vt vota persolueret. 385. 1. b eius sepulcrum non fuit in Ninive, sed in Palæstina. 387. 1. c quomodo viam triduj vnius dies declinatione compleuerit. 2. b tertiam Niniues partem prædicando obiuit die primo. ibid. d videns oraculum suum frustrari, cur sit afflictus 393 1. a. b laborauit indiscreto honoris proprij amore. 2. a optans Niniuitas puniri indiscreto zelo, peccat venialiter. ibid. post XL. diem prædicationis suæ afflictus egressus est Niniue, euentum exspectans. 394. 1. c videns nullam cladem sequi, murmurauit. ibid. quomodo Niniuæ valedicens in Iudæam redierit. 397. 1. c cum dixit iuxta Septuag. Adhuc triduum & Niniue subuertetur, innuit mysterium resurrectionis; & iuxta textum Hebraicum, Adhuc quadraginta dies, innuit mysterium ascensionis Christi. 513. 1. c

Ionathas Iudæ Machabæi frater, quas Philistinorum vrbes ceperit. 713. 2. b. 714. 1. b quomodo sit separator Azoti. 714. 1. b

Ioppe celeberrimus portus est totius Iudææ. 372. 2. d eius descriptio. ibid. 381. 2. c quantum distet a mari rubro. 1. d

Iordanis fuit medium terræ sanctæ. 468. 2. c

Iosaphat rex an sepultus in Sion, an in valle Iosaphat. 239. 1. d

Iosaphat rex Indiæ quod Barachiæ sibi in regno succedenti præceptum dederit. 126. 1. c

Ioseph cur vocentur decem tribus. 4. 1. c. 734. 2. d Ioseph quàm in fratres peccantes fuerit benignus. 394. 1. c

Iosephus historicus è spelunca extractus ad Vespasianum deductus est. 575. 1. d eius fides sæpè vacillat. 623. 2. b. 624. 1. a

Iosias fuit rex pijssimus. 566. 1. c. 2. b eius mortem Iudæi planxere. 759. 1. a 760. 1. d an in eius morte succisum punicetum dictum Adadremmon, & hæc succisio luctū auxerit. 760. 2. c eius filij tres an sint tres pastores à Deo succisi. 742. 1. b eorum misera sors. 570. 2. a

Iosias filius Sophoniæ, fuit aurifex, hinc eius nomen coronæ quam fecit, fuit incisum. 696. 2. b an fuerit quartus dona offerentium. ibid. alio nomine dicitur Hem. 699. 2. c

Iosue vt victoriam prosequeretur, stitit solem & lunam. 556. 2. b typus fuit Christi. 605. 1. d. 2. c. 562. 1. c. 50. 1. a Iosue idem est quod Oseæ. 50. 1. a

Iouis quædam statua trioculata. 662. 2. c

Ira cur vocetur ignis. 578. 2. b ira Dei quàm sit æstimanda. 117. 2. c. 479. 1. b ipse iræ suæ dominus est, homo seruus. 476. 1. b dies iræ est dies iudicij, cur. 577. 2. c ira quomodo hominem dementet. 115. 2. c rubiginì æquiparatur. 214. 2. c quædam velut insanita est. 224. 2. a iræ Dei euidens signum est, cùm ipse rempubl. vel animam cuiusque deserit 319. 1. c ira Dei in peccatorem duplex est. 467. 1. c

Irato occidit sol mentis & rationis. 333. 2. c. 838. 1. b. c

Iris an hauriat & bibat aquas è mari. 295. 1. b

Isaac fuit figura Christi Iesu, etiam inquantum medius fuit

fuit inter Abraham & Iacob. 543.2.b
an Isaias in visione audierit terræ motum, quem Amos indicat. 255.2.a.b quare nudus & discalceatus per Ierusalem incesserit. 55.2.a.403.2.b quando ediderit oraculum de Christo nascituro. 438.2.b
S. Isidorus Hispalensis laborelongo doctrinam sibi paravit. 324.2.a
Ismael quare à domo Abrahæ pulsus sit. 264.2.a
Israel vox vnde deducatur. 186.1.b.187.1.c Israel peculiaris populus Dei erat. 170.2.c.d.274.1.d.2.a.b ex Aegypto vocatus, fuit figura Christi pueri inde reducti. 171.1.c.d erat typus fidelium. 242.1.c Israel & Iuda distinguuntur post schisma Ieroboam, vsque ad captiuitatem Babylonicam. 22.2.b.c post eam pro eodem sumuntur, & Israelis nomen ad solas duas tribus transiit. ibid. 269.1.a.751.1.b.c
Israel cur vocentur decem tribus. 4.1.c eorũ regnum à Deo accisum fuit. 60.2.d.62.1.b numquam omnes ex Assyria redierunt, nisi perpauci mixti Iudæis. 93.2.c.348.1.d.346.1.a.b.706.2.b.717.1.c quomodo comparentur matulæ. 146.1.d & onagro solitario. 147.1.a quomodo Tyro vrbi. 154.2.d & vecordi columbæ. 137.1.a.b.& seqq. à Roboam desciscendo & Ieroboam creando peccarunt contra ius diuinum. 143.1.c.2.a.b cur à Prophetis Chanaan vocentur. 187.2.c.d cur vocentur non populus Dei. 64.2.b eorum quæ sit nuditas. 73.2.d arbori priùs frondosæ, at postea exarescenti comparantur. 156.2.a item viti nullas proferenti vuas. 157.1.b.2.d eorum excidium denotatur per adulteram quam Osee iubetur diligere. 89.2.d eas cur Deus minetur cædendas in valle Iezrahel. 59.2.c.d.& seqq. à primo rege Ieroboam ad vsque vltimum Hosee coluere idola. 63.1.a non tantùm per vitulos Bersabee iurabant, sed & per viam quæ ad eos ibatur. 334.2.c.d erexerunt templum simile Hierosolymitano. 336.1.a petentes à Samuele regem, simul ab eo petierunt iudices. 195.2.b quando saluati; & qui. 65.1.d factum id sub Christo, & ab Apostolis, & in fine mundi fiet. 2.b non pauci pij Ieroboami idololatriam fugientes, ex Samaria fugientes in Iudæa sedem fixerunt. 64.1.c multi quoque Deo vero Israel sacrificabant, sed imperfectè. 150.1.b.c quando eorum multi ad Deum redierint, relicta idololatria. 179.1.a.b. nullum iustum & pauperem vendidisse leguntur, nisi tempore Christi. 269.1.a veri Israelitæ qui sint. 241.1.c. vide Hebræi, Iudæi.
Isthmus est terra angusta inter duo freta. 364.1.a
Italiæ vrbium primariarum elogia. 406.1.c
Itinera æternitatis Dei quæ sint ad literam. 552.1.a sunt itinera temporis, putà præteritum, præsens & futurum, quæ sub æternitate decurrunt. 2.c mysticè autem misericordia & veritas. 553.1.c
Iubileum primum Christus resurgens animabus in Purgatorio dedit. 200.1.c.d
Iuda vocatur interdum tota gens Iudaica complectens tres tribus, & alios ex alijs. 732.1.c.d
Iudæa cur dicatur terra desiderabilis. 703.2.c.831.1.b quomodo facta in stupore omnibus. 703.2.d. eius fines. 312.1.b.314.2.d.361.2.d.468.2.d.229.1.c.2.d. 717.2.a.735.2.b.737.1.b.778.1.d.779.1.b. eius lõgitudo. 305.2.b.682.2.a. respectu Babylonis Australis est. 362.2.d.363.2.a. in ea cur Deus semper censeretur esse. 371.2.c.d olim fertilissima, hodie lapidosa & sterilis est. 190.2.d.323.2.b cur dicatur terra sancta. 652.2.b eius felicitas & fertilitas totapendebat ab imbre matutino & serotino. 784.1.a longior duplo est quàm lata. 682.2.a in eam quomodo Deus fuerit austerus simul & clemens. 711.1.c
Iudæus aliquando mysticè capitur pro fideli & Christiano. 709.1.a
Iudæi frumentum triturarunt cribrabant. 343.2.d in festis conuiuia albati celebrabant. 308.2.a erant in imaginum adorationem propensissimi. 94.2.a tubis populum conuocabant. 226.1.d cur non vescerentur sanguine. 98.1.a quæcumque dira, in salsum mare demergebant. 471.1.b solebant in blasphemia, & luctu vestes scindere. 224.1.b etiam in vallibus habebant lucos & idola. 451.2.d erant immisericordes in proximos, at propensi ad oblationes externas. 123.1.b.d post dedicationem tabernaculi & consecrationem Aaronis, rarò obtulere sacrificium solemne in deserto. 300.1.d ibi prones fuere in murmur, & ad idola quæ in Aegypto coluerant, redire. 2.a eorum cum filiabus Moab fornicatio. 454.2.a.b.& seq. in lectulis conuiuaturi iacebant. 270.2.a sub graui onere legis presti magnis votis Christi natiuitatem requirebant. 445.2.a quomodo sanguinem sanguini miscuerint. 98.1.a eorum saluatores qui fuerint. 365.1.c.d quomodo Auster vel ad Austrum sint. 362.1.a eorum victoriæ tempore Machabæorum ibid.b.c Christo quasi victori in die palmarum, ramos oliuæ prætenderunt. 205.2.b multi captiuitate Babylonica afflictæ sipuere. 471.1.a multi per vastationem Iudææ alias oras dispersi, sub Cyro & Machabæis redierũt. 364.1.d.594.2.a.c.d multi quoque fugêre in Hispanias. 364.1.d in Babylone habuere pontificem, legem, iudices, regem, altare, sacerdotes, &c. 93.2.a Christo docẽti pauci credidere. 65.2.d.207.2.b post captiuitatem Babylonicam ad idola non sunt relapsi. 54.2.b.268.2.d.449.1.c.685.1.a.687.2.b.689.2.a.696.1.a.780.2.b. eorum in excidio Ierusalem per Titum calamitas. 162.2.b eorum è Babylone per Zorobabel liberatio prædicitur. 417.2.d eorum peruicacia. 262.2.d. Idumæi assimilantur. 264.1.d Iudæi Hispani, auditis prodigijs Christi & Apollolorum, misêre legatum ad eos, qui aliquos exijs ad se mitti deposceret. 364.1.d eorum excidium per Titum, ob occisum Christum. 61.1.d.218.2.d eorum multi à Christo in Ecclesiam collecti sunt, in fine mũdi verò caso Antichristo omnes salui fient. 96.1.a. 288.1.a.427.1.b à Romanis ad stercora exportanda damnati, & stabularij facti sunt: eorum fœtor. 583.2.a.146.1.d Iudæi contemptores Prophetarum fuerũt typus Iudæorum spernentium Christum, & excidium illorum per Chaldæos præfiguratexcidiũ horum per Romanos. 513.2.b 514.1.a. eos per Cyrũ è captiuitate Babylonica liberandos Habacuc predixit. 528.1.a sibi persuadere non poterant templum ac sanctam ciuitatem à Deo tradendam impijs Chaldæis. 514.1.b è Babylone redire quantopere optarent, & aggregari patribus suis in Palæstina sepulcris. 560.2.d eorum nequitia tempore Amos. 508.2.b cum veste peregrina sæpè Gentilium mores & idololatriam assumebant. 570.2.c à Prophetis vocantur Chananæi ob impietatem. 574.2.c. multi in Babylone fixere sedes è captiuitate reliqui. 649.2.b. cur eos Prophetæ tam studiosè & seriò hortentur vt fugiant è Babylone. ibid.c. 651.1.a.684.2.d.& seq. qui Iudæi Ierusalem obsederint & oppugnarint. 633.1.a quomodo suis in epitaphijs defuncti apprecarentur. 548.2.a cur ceteris Gentibus inuisi essent. 57.2.c quando Philisthæam subegerint. 582.2.a

seqq.

sæpiùs Script. vocantur nominibus gentium quarum mores & cultum imitabantur. 590.1.c censebant Iudæum esse vltimos hominũ. 594.2.a eos Christus humilitatem docuit. 595.2.d ob vana bona verè à lege Dei recesserunt. 598.1.b LXX. annis in captiuitate Babylonica mansere, Cyro permittente redire 601.1.b.603.1.d.687.2.b duplicem habebant annum & menses. 603.2.a vtebantur mensibus lunaribus. ibid.b ex captiuitate in Ierusalem reuersi, constituerunt ducem Zorobabelem. 605.2.a regimen summum ipsorum post captiuitatem mansit penes pontifices. ibid. 659.2.a.697.1.a cur in templo reædificando segnes fuerint. 606.1.c.d ipsi templum reædificantibus an dederit Deus opes Cyrus. 623.1.b quàm pacificè templi fabricam absoluerint. 625.1.b.c ipsis promissus fuit Christus. 643.2.a olim scribebant in membrana oblonga, quæ circa cylindrum conuoluebant. 681.1.b eorum impietas duplex, idololatria & occisio Christi. 687.1.c quando impleuerint mensuram impietatis suæ. ibid.d violatæ religionis conuicti quas pœnas olim darent. 2.c cur ieiunabant quotannis die decima Iulij. 701.2.c templo restaurato petunt num adhuc ieiunare debeant. ibid.d.707.2.c eorum sanctificatio sita erat in ieiunio & abstinentia. 702.1.a dum Chaldæos fugerunt, sparserunt se per Syriam, Persidem, Mediam, Aegyptum. 703.2.a.705.2.d.735.2.a quando redierint in Ierusalem. 705.2.c pauci à Chaldæis in Iudæa relicti sunt ad colendam terram. 703.2.b varia eorum ieiunia variis de causis. 707.2.b.c.d post reditum è captiuitate restituerunt lapides terminales ab Idumæa destructos. 722.1.a. à pastoribus suis decepti fuere. 733.1.a.b.738.2.c.d pugnabant vt plurimum pedites. 735.2.b an sicco pede transierint Bosphorum Thracium. 736.2.d quomodo vocentur pecora occisionis. 738.2.b qua occasione à Pompeio subacti fuerint. 738.1.b.747.1.b eorum mutabilitas. 742.2.b.c fuerunt murmurationibus dediti, & eorum propterea punitio. ibid.c apostatantes à iudaismo visis Machabæorum victoriis rediere. 533.2.c multi eorum Christi in crucem acti commiseratione tacti pectora percussere. 758.1.c.d quomodo ejus mortem planxerint. 306.1.c ipsi qui contribules erant Christi & fratres, eum confixere. 766.1.b eorum quot millia in excidio Ierusalem occisa & capta. 770.2.c quot sub Antiocho Epiphane. ibid.d multi ei partim metu, partim malitia consenserunt. ibid. 759.1.a.782.1.d è captiuitate reduces aqueductus vrbis restaurarunt. 777.2.c vnde symbola & parabolis sua exprimere assueuerint. 783.2.b qua occasione Heliopoli in Aegypto templum exstruxerint. 784.1.b in eo peccarunt. ibid.c cur reges post captiuitatem reiecerint, & alienigenas contra legem ducerint. 811.2.a.812.1.a.813.1.d ipsos vt peculium suum elegit Deus. 811.2.d.812.2.b.813.1.d Deo teste nuptias contrahebant. 813.2.c cum Græcis continuò ipsis negotium fuit post reditum è captiuitate. 720.1.d vide Hebræi, Israelitæ.

Iudæorum hodiernorum seruitus & miseria. 93.2.c.d auro furuque inhiant. 317.1.d carent iam rege, rep. sacerdotio & altari, ob occisum Christum, & non ob idololatriam. 93.2.b.561.2.c.817.2.b.684.1.b.689.2.b.688.2.b.736.2.d etiamnum existimant Deum tantum apud se habitare. 176.2.a sunt dolosi in stateris. 188.1.b & hoc nomine sæpè à Prophetis suggillati. 459.2.d Christum vbique deprimere conantur. 436.2.d eorum in Christianos odium. 264.1.d eorum permulti in Aegyptum fugerunt. 148.1.c eorum pauci in Hispania ad Christum fuere conuersi. 364.1.d exspectant suum Messiam, qui deleat Romanos, & alias gentes Iudæis & sibi subigat. 244.1.d.248.1.c.352.2.a 561.2.c eumq; potentem & magnificum. 715.2.a.769.1.c. & seq. à Romanis è cloacis & sepulchris sunt ad necem extracti in excidio vrbis. 575.1.d quomodo plangant vrbis & regni sui euersionem. 578.2.d probrosa eorum nomina. 598.2.a nugis & fabulis scatent. ibid. aiunt tertium templum à suo Messia erigendum, & ipsum glorioſius Salomonico. 621.1.c. 2.d.622.1.c.d qua ab eo portenta exspectent. 735.2.c sæpè templum conati sunt reædificare post Christum. 622.2.b.684.1.b sunt quasi torris erutus de igne. 657.1.c lucernis sua festa & sabbata celebrant. 669.1.c Christo & christianismo aduersantes montibus magnis assimilantur. 671.2.a sunt in totius mundi oculis. 685.2.d nec cælum eos recipit, nec terra. 688.2.b Antichristo adhærebunt quasi idolo impietatis. 689.2.c in fine mundi ad Christum conuertentur. ibid. 735.1.a.845.2.d eorum cognationes iam obscuræ sunt. 747.1.b eorum blasphemia de lacrymis Dei ob reiectum populum suum. 817.2.a eorum Messias refutatur. 820.2.a erit is Antichristus. ibid. putant Eliam fore præcursorem primi aduentus Messiæ. 843.1.b.c eum auidè exspectant. 2.a cur ei in circumcisione sellam ponant. ibid. ij qui Christo credidere, in excidio vrbis tam animâ quàm corpore seruati sunt. 747.1.c paucissimi horum Christo credidere. 768.2.a.775.1.c

Iudæ tribus in Dei cultu permansit. 181.1.c.2.a cur acriùs castigari meruerit, quàm Israël. 60.2.b eius cur Deus sit misertus. 63.1.a.b Israele in captiuitatem abducto, vt proximus heres, eius terram occupare poterat. 115.1.c

Iudas Patriarcha primus post Mosen mare rubrum ingressus dicitur. 181.2.c

Iudæ proditoris Christum inimicis vendentis ingratitudo. 744.2.b cur argenteos in templo proiecerit. 745.2.a

Iudas Machabæus Idumæos ad circumcisionem compulit. 360.2.c ante prælium semper opem Dei inuocabat. 413.2.a.734.2.a.754.1.d quas opes ex spoliis Græcorum collegerit. 782.1.d vnde dictus à Ieremia aureum gladium accepit missum à Deo. 734.2.a

Iudas Galilæus fuit stultus populi pastor. 748.1.c

Iudicant homines præ affectu, & quod virtutis est, vitio; quod vitij est, virtuti deputant. 823.2.b.c Iudicare sæpè in Script. idem est quod vindicare. 365.1.c interdum idem quod accusare. 73.1.b

Iudices pauperes opprimentes suggillantur. 270.1.c ædificant Sion in sanguinibus. 422.2.d iudices homicidas puniendo quantum boni præstent. 252.2.a iudicis partes sunt tueri iustos & iustitiam, ac punire iniustos eorumq; iniurias. 87.1.d.475.2.c iudices rapaces lupis assimilantur. 516.2.a.589.1.a

Iudicium vocantur peccata, item pœna & condemnatio. 596.2.b capitur aliquando pro iustitia, sanctitate, debito & officio virtutis. 292.2.d.313.2.a.456.1.d.589.1.a iudicium quando & quomodo assequatur suum finem. 510.1.b iudicia Dei non sunt scrutanda. 2.a iudicium particulare cuiusque peragit Christus vel per se vel per angelos. 758.2.c.d in eo quisque animæ suæ causam agit. 452.1.c Iudicium vocare ad ignem quid sit. 319.1.a iudi-

ctum senum est & in frigore. 27.1.b
Iudicij dies quæ signa præcessura sint. 235.2.a cur is sit dies magnus. 236.1.d dici potest magnus dies Iezrahel. 70.2.c tunc omnes gentes congregabit Deus in vallem Iosaphat, & iudicabit. 239.2.a de eo loquuntur Prophetæ quasi de die prælij. 245.1.d eius horror. 336.2.c 237.1.d. & seqq. 577.2.b semper hic præ oculis habendus. 237.2.c in eo an totus orbis è cardinibus suis conuellendus sit. 336.2.b tunc Deus scrutabitur exactè secretæ cordium. 575.2.b cur is dies dicatur esse propè. 577.1.d cur vocetur amarus. 2.a erit dies iræ, tribulationis, angustiæ, calamitatis, necessitatis, perditionis, tumultus, tenebrarum, turbinis, tubæ, desolationis, iubilationis, nebulæ & procellarum. ibid. c.d & tunc impij Christum videbunt in quem confixerunt. 758.1.d ille propriè nec dies, nec nox dicitur, cur; sed vespera. 777.1.c propriè Domini dies est, reliqui hominū. 570 1.a 358.2.b erit ut igne duplici succensus. 835.1.c cur vocetur dies resurrectionis Christi. 591.2.a ostendet hic Christum esse verum Deum. ibid.d tunc Christus futurus propriè sol iustitiæ. 836.2.a. & descendet in montem Oliueti, ac eum sua maiestate concutiet. 774.1.c tunc is opprimet suos aduersarios. 754.1.a tunc impij plangent mortem Christi. 761.2.d tunc Christus & Sancti cingentur igne conflagrationis mundi. 648.2.c tunc Deus omnia regna mundi Christo subijciet. 628.2.d tunc silebit omnis caro à facie eius. 653.1.a tunc quoque peccatores quasi igne excoquentur. 823.1.b
Iuge sacrificium quale & quod esset. 800.1.b
Iugum Christi quomodo graue sit. 710.2.b iugum quomodo super maxillas exaltetur. 173.2.d
Iugurtha fratres suos regno exclusit. 264.2.c
Iulia Augusti filia libidinum paternarum fuit æmula. 56.2.b
Iulianus Apostata sagitta cælitus ictus perijt. 607.2.d
Iulij Cæsaris ambitio. 526.1.a eius in bellis celeritas. 514.2.d non ausus fuit Aegyptum facere prouinciam. 695.1.c à Virgilio vocatur Daphnis. 66.2.d eius statuæ vertici cur stella appingeretur. 302.2.b Alexandrum Magnum sibi imitandum proposuerat. 451.2.a Iudæis est Idumæus. 352.1.d.2.a
Iulij decima die combustum fuit templum à Chaldæis. 701.2.c.707.2.b nona verò die murus fuit perfractus. ibid.
Iumentum tropologicè quid denotet. 545.2.c
Iuniperus egregiam præstat vmbram, suauem vigilanti, sed grauem dormienti. 207.1.d
Iuno prisci erat coniugij præses: hinc ei sacrificantes cur fel victimæ diuulsum abijcerent. 894.1.a.b
Iuramentum est actus latriæ. 107.2.d. 569.2.a iuramentum execratorium quomodo Hebræi proferant. 31.1.d
Iurans sæpè, facilè peierat. 683.2.a iurare per regem quomodo sit licitum. 569.2.b iurandi consuetudinem cur toties coarguat S. Chrysostomus. 613.2.b
Iurgio obtinent impudentes, quod iure non possent. 509.2.d
Iustus myrto ob varias analogias assimilatur. 629.2.a. 640.1.c. & seqq. iusti vita & rectitudo in duobus consistit. 529.1.b iustis omnia quæ aggrediuntur, bene cedunt. 706.2.a soli ambulant in vijs Domini rectis. 207.1.d iusti pœnitentes portant iram Dei. 467.2.c symbolicè vua & botri vocantur. 462.1.a ipsis datur Spiritus sanctus in propria persona. 67.2.c.d quæ rei huius moralis sit ratio. ibid.d vide Sancti.
in Iustificatione SS. Trinitatem substantialiter recipimus. 671.c.d quid inde boni consequamur. 2.a iustificatio impij maius Dei opus est, quàm cæli terræq; creatio. 472.1.b iustificationis exordium in adultis à Dei præueniente gratia capitur. 829.1.a in iustificatione peccator ater dealbatur. 595.1.b
Iustinianus Imp. pretiosissimam mensam templo S. Sophiæ dono dedit. 797.2.a
Iustitia & scelerum vindicta quàm Deo chara, cura & honori sit. 570.1.c. 696.1.b iustitia diuina quomodo in Iudæos sæuierit. 698.1.d.2.a iustitia sæpe inde capitur pro munditie. 836.1.c iustitia suis iudicij est. 510.1.b iustitia, per quam iustificamur, multa complectitur. 67.2.b iustitia triplicem patitur significationem. 455.1.a capitur interdum pro iustificatione. 87.1.c interdum pro misericordia. 166.2.b cùm iustitia & iudicium iunguntur in Script. significant duo officia iusti iudicis. ibid.d
Iuuenibus cur visiones dandæ dicantur, non senibus. 234.1.d

Κλήματα vitium sunt pampini & palmites, vel sarmentorum vitis. 157.2.b
Kosachi vino adusto cur se ante prælium impleant. 735.1.c

Labia cur statim gaudiū ac mœror occupet. 561.1.b labium vnum electum quomodo attulerit Christus suo in orbem aduentu. 592.1.d.2.d labium electum quod sit. 593.1.a
Labor in Script. vocatur omne peccatum, & maximè vis & iniuria, cur. 509.2.a.b labores quos nostri nostri causa Christus suscepit. 562.2.c.d labores tenati qui sint. 213.2.a
Laborandū hic, vt postea accipiamus præmiū. 167.1.a.b
Lacedæmonij cur essent sortes in bello. 56.1.d & in eo vterentur vestibus rubris. 693.1.c eorum vnanimitas ciuitati pro muro fuit. 592.2.d
Lachis vrbs Iuda aduentante Sennacherib, missi legatos cum muneribus ad Geth vrbem Philisthym. 408.2.c primò inuasa est à Sennacherib, cultum idolorum prima suscepit. 2.d
Laconis cuiusdam adolescentis generositas. 146.2.b
Lacrymis compunctionis & pœnitentiæ crescit iustus. 640.1.c
Lactare quid propriè sit, & vnde deriuetur. 78.2.b.c
Lacum Prophetæ vocant infernum & limbum. 718.1.d lacus mirabilis iuxta Neapolim canem & exanimãs & viuificans. 751.2.c
Læta miscentur tristibus in hac vita. 682.1.d
Lætitia vehemens hominem sæpè emori facit. 561.1.a
Laicorum reformatio inchoanda à reformatione sacerdotum. 795.2.d laici coniugati cur præ Monachis lectioni S. Scripturæ vacare debeant. 15.1.d eorum propriè est opes coacernare pro familiæ sustentatione & liberis. 337.2.b
Lamentatores tibijs canentes funeri adhibebantur olim. 414.1.a
Lamia piscis fuit qui Ionam deuorauit. 376.2.b eius descriptio & magnitudo. ibid. vnde dicatur. 379.1.a lamia Aristotelis an alia à vulgari. ibid.b
λαμπαδεύχειν quis ritus apud priscos. 361.1.b
Lampas capitur in candelabro Zachariæ pro vase cauo oleum continente. 666.2.b eius descriptio. ibid.c.d lampades cur Deum præcedere dicantur. 677.2.b lampades multæ Romam sepulcra Martyrum ad aliquot sæcula arserunt sine olei affusione. 669.1.a

Lapidatio erat pœna adulteriÿ apud Iudæos. 431.1.a
Lapilli addantur frumento cribrando. 344.1.c lapilli an bene significent plebeios. ibid.d
Lapis primarius Ecclesiæ est Christus. 672.1.a lapis limitaris & terminalis quis sit. 671.2.d.721.2.d lapis fanneus quis dicatur. 675.2.b lapis primus fossæ alicuius magna cum solemnitate poni solet. 664.1.b lapis de pariete clamabit, adagium quid significet. 533.1.c lapis oneris quis dicatur; talis solebant poni in opidis Iudææ ad exercendas vires. 713.1.b lapis calatus quomodo vocetur Christus. 664.1.a lapides XII. post transitum Iordanis à Iosue electi sunt typus XII. tribuum & Apostolorum. 307.1.b.721.2.b lapides in victoriæ, triumphi & rei alicuius memoriam solent erigi. 721.2.b lapides vsuales qui. ibid.d lapides sancti & separationis quomodo fuerint Apostoli virig; Apostolici. 1.c.d
Larga est spinosa, flosculum habet aculeis plenum; est virgosa, velut intra se germinat. 151.2.a
Lapsu semper ad maiorem gratiam resurgit. 232.1.a
Lares domestici erant theraphim. 95.1.a
Larentum locus erat, in quo lares & dei domestici colebantur & seruabantur. 95.1.d
Lateranensis basilica constructa à Constantino Magno expulsato Laterano. 322.1.c.493.2.d eius Episcopus proprius est Pontifex; in ea est cathedra eius. 663.1.c eius dignitas. 2.a
Latina lingua omnes fideles sub Rom. Pontifice Deum & Christum colunt. 597.1.b.c
Latrones duo inter quos pependit Christus, an significentur per duo illa animalia, quorum in medio eum agnoscendum ait Propheta. 544.2.a latronum nomine olim vocabantur milites: quid latro significet. 132.1.c latrones Syri quales fuerint, à quibus exagitati Israelitæ. ibid.
Latus Christi vtrumque in cruce perfossum fuit lanceæ. 769.1.d id an sit fons patens domui Dauid, quem vidit Zacharias. ibid.a ex eo aperto fluxere omnia Sacramenta. ibid.b.c vulnus eius quàm patens & vastum fuerit. ibid.c
Laudari solent ab vrante dotes eius, à quo aliquid petitur. 540.1.a
S. Laurentius Iustinianus fuit atlas Venetiarum. 846.2.d
Laurentum in Italia integri pagi turmatim confluunt. 709.1.a
Laurus denotat prudentiam, dicata Apollini. 680.2.a
Leæna leone ferocior est, maximè cùm peperit, alitq; catulos. 117.2.c.193.1.c
Lebes omnis quomodo sit sanctificatus Domino. 787.2.d lebetes in templo cui rei seruirent. 786.1.d.2.d sunt phialis pauciores & minùs sacri. ibid.a.b earum multitudo, quam Zacharias in templo prædixit fore, quomodo ad literam intelligenda. ibid.c.d
Lectio duplex cùm est in textu Hebræo, vtraque mysteria admiranda præfert. 513.1.c
Lectus auri est mammona, superbi honor, guloſi mensa, luxuriosi cubile, acedi torpor & somnus. 281.1.b in lectis cœnabant Hebræi. 270.2.a lecti dicti à legendo herbis, è quibus fiebant. 307.1.d lecti plaga quæ dicatur. 280.1.a & seq.
Legiones Gentilium quænam essent. 270.2.c
Legumen Hierosolymis cur daretur annulus. 629.1.c
Legumen prætorianæ Dauidis vnde dictæ Cerethi & Phelethi. 381.2.b.c quod eorum officium. ibid.c erant Philisthæi. ibid.
Lemma, id est assumptio, Septuag. cur vocent onus. 473.2.c.508.1.c
Lenones omnem animæ ornatum dissipant. 517.2.c
S. Leoni Papæ impositionis manuum culpa quare non sit dimissa. 825.1.b præcipuus antagonista Eutychetis hæretici fuit. 646.2.b
Leo rugit cùm famet & prædam videt, & cùm eam capit. 276.1.c ita se infarcit, vt ad triduum non esuriat, eius halitus ex ingluuie grauis est. ibid. quartana cur iugiter laborat, & hanc abstinentiâ superat. 117.2.c leoni comparatur Christus euangelizans per se, & per Apostolos. 179.1.c oculis semper excubat. 677.1.d dilaceratam prædam diuidit catulis suis. 497.1.b leonibus tyranni comparantur. 588.2.c leones plurimi in saltibus Iudææ erant. 738.1.c leones quàm placidos se S. Sabæ exhibuerint. 781.1.a
Leui quidam fuit proauus Christi. 761.1.c Leui familia cur in Christi morte plangere debuerit. 2.b
Leuia verba & opera signum sunt animi leuis. 599.1.c
Leuitæ in tabernaculo excubare dicuntur. 102.1.d Leuitæ multi ad Christum conuersi, facti sunt sancti. 824.1.d
Leunculorum dentes acuti & firmi sunt. 216.1.c eorum animositas. 118.1.a
Lex Dei vocatur argentum. 620.2.c lex Domini in die iudicij peccatorem coarguet. 576.1.c legem ponunt pij super cor, impij sub corde. 806.1.b leges sunt anima ciuitatis. 733.2.d lex Mosis est velut pluuia matutina. 730.2.a.316.2.b ex eius iugo Christus ita nos eduxit, vt è profundo quodam lacu. 718.2.b lex Euangelica est lex vltima, & eâ finitâ venturum est iudicium. 615.2.a quomodo dicatur perpendiculum. 676.1.a est lex amoris, quietis & concordiæ. 426.2.a in ea sunt verè & propriè sacerdotes & sacrificia. 800.1.c est velut pluuia serotina. 316.2.b in ea omnes sunt pares, sed pauperes tenent primas. 755.1.d legem perfectam attulit Christus in orbem veniens. 592.2.a in lege naturæ Deus nequit dispensare. 53.1.d lex scripta est commentarius vitæ sanctorum. 147.2.c lex Dei significatur sæpè per iudicium. 293.1.a leges debent esse vincula charitatis. 173.1.c leges cur tabulis lapideis inscriptæ à Mose. 147.2.b leges, tum veteres, tum Christianorum, sunt velut funiculi Adam. 173.1.c
Libanus vinum fert præstantissimum: & botri, è quibus id exprimitur, ingentes sunt. 206.2.a.b ipse mons situs in regione calida, frugifera & montosa. ibid.a olim cedris abundabat, iam penè ijs caret. 323.2.b capitur interdum pro thure. 205.2.b erat terminus Iudææ, & initium Gentium versus Aquilonem. 468.2.c.737.1.b per eum designatur templum aliquãdo & Ierusalem cur: vnde dictus. 535.2.c.737.1.c è Libano ligna succidit pro templo Salomon, & Zorobabel & Iudæi pro eiusdem restauratione. 610.2.a
Libatio, erat oblatio libaminis, putà vini & olei, quo sacrificia condiebantur. 150.1.a.217.2.c
Libella cur vtantur architecti. 644.1.d
Liber significat Dei mentem, voluntatem & decretum. 681.2.c liber memoriæ Dei est liber vitæ & cæli. 832.2.c liber memoriæ Summi Pontificis quis sit. 833.1.c libri multi sacri & profani periere. 343.2.a libros, veteres æstimabant numero versuum, non capitum. 31.1.c
Liberalibus dat Deus opes ad exercitationem humanitatis. 620.2.d
Liberalitas de inimicis amicos facit. 741.1.d liberalitate suorum non vincitur Deus. 830.2.a
Liberatio Iudæorum è Babylone fuit typus liberationis homi-

Legatj C. 359. 2. b.

hominum per Christum è seruitute peccati, diaboli, & inferni. 507.2.a.559.1.d quando illa facta sit. 542.2.a

Liberatores varij Israelis, Christi fuere typi. 507.2.b

Libertas corripiendi in sacerdotibus requiritur. 808.1.b libertas est vita moralis & ciuilis. 120.1.c

Libidinosis quomodo peccandi viam Deus obstruat. 75.2.c

Libido non exstinguitur ipso actu venereo. 133.1.b est pœna superbiæ. 113.1.c mater est idololatriæ æquè ac hæresis. 163.1.d eruca assimilatur. 214.2.c homini etiam sapienti mentem eripit. 102.2.b eam sectantes sæpè fiunt athei. 599.1.a

Licentiosa vita monasteriorum quomodo à Deo puniatur. 329.2.a

Ligna settim erãt imputribilia; vnde sic dicta. 249.2.d

Lilio assimilatur fidelis ob septem analogias. 204.2.a illius proprietates describuntur. ibid.

Limbus cur vocetur lacus sine aqua. 718.2.a

Lingua vna & seruo fuit in statu innocentiæ. 592.2.d lingua Assyria & Chaldaica vicinæ sunt. 262.2.a

Linguæ continentia dicanda est Deo, eaq; frano repræsentatur. 786.1.b

Linigeri cur dicti sacerdotes Aegypti sint. 568.2.c

Liptote quæ figura Rhetorices sit. 412.2.c

Litanias septemplices Romæ in inguinaria lue indixit S. Gregorius Papa. 226.2.b.388.1.d earum vsus priscus astruitur. 226.2.a litanias Maiores sanxit Concilium Moguntinum. ibid.b

Loca aliquot Scripturæ, in quibus Septuaginta versio plane à Vulgata differt. 513.1.a.b

Locuples vox vnde deriuetur. 337.1.b

Locustarum exercitus 213.1.a Aegyptijs erant hieroglyphicum famis: eas multi Sancti precibus suis abegerunt. ibid.b sæpe prænunciant hostium aduentum & bellorum stragem. 2.b.c an nascantur ex eruca. 215.1.b.c comparantur equis & equitibus. 216.1.a.221.2.d nihil eis inuium. 222.1.d earum acies. ibid.c arrodunt plerumque cortices arborum. 216.2.a locusta locustarum, est soboles locustæ, sc. attelabus. 505.1.b

Locutio angelorum quomodo fiat. 758.2.c locutio Dei ad animam quomodo fiat. 25.1.c

Longi, amentes sunt; breuiores, ingeniosiores. 351.2.a

Longinus an sit is miles qui lanceæ Christi latus aperuit, eumq; filium Dei esse agnouit. 759.1.b

Lõgitudo iusta debet esse dupla ad latitudinem. 682.2.a

Loqui ad cor quid sit Scripturæ phrasi. 82.2.d

Lora, est lota acina. 91.1.b

Lucerna in Script. vocatur generis propagatio. 361.1.b lucerna increata Dei est eius mẽs, intellectus, perspicacia, scientia. 575.2.d quæ eiusdem lucernæ creatæ. 576.1.b ad lucernam quærere quid sit adagialiter. 575.1.d lucernas accendunt Iudæi in festis. 669.1.c lucernas septem laterales habebat candelabrum Zachariæ visum. 667.1.b earum descriptio. ibid.c.d

Lucerna piscis per noctem relucet. 669.1.a

Lucifer est noster tyrannus, eius iacula ignita sunt, eius milites sunt dæmones plurimi. 493.1.a contra eum perpetim in terra pro Ecclesia depugnat S. Michael. 654.1.d est tentator Summi Pontificis. 2.a inuenit superbiam. 214.2.d ex eo è cœlis deturbato Gentiles finxerunt Aten a Ioue cœlo depulsam. 373.1.c

Luciferum vel stellam Veneris Hebræi vt vocarint: eam vt reginam cœli coluere variæ gentes. 302.1.d cur dicatur arabicus Bacham, Hebræis Kiun. 2.a eam cur coluerint Hebræi in deserto. ibid. quomodo hanc efformarint. ibid.b est symbolum variæ fortunæ. 303.1.a lucifer oriens est doctrina Christi. 15.1.a

Lucro turpi nemo ditatur: ipsum euitandum Christianis. 403.1.d est lucranti inutile: ad vsus honestos impendi non potest, à templo suo id repellit Deus. 1.a lucrum Deo duce collectum prosperatur. 609.2.a temperatum à Deo venit, excessiuum sæpè peccatum includit. 198.1.b. 620.2.b

Lucus vnde dicatur, non erat caduus, & ideo sacer. 443.2.c eos cur succidi vt superstitiosos Deus iusserit. ibid.d

S. Ludouicus rex Deo se per omnia conformauit. 397.2.a quid filio suo moriens circa cultum Ecclesiæ præceperit. 699.2.a

Ludouicus Pius Imp. XL. dies ieiunus transegit Ven. Eucharistiam quotidie sumens. 716.2.a

Lugere quando metaphoricè dicantur agri. 267.1.a

Lumborum concisio sequitur ex cordis deliquio. 496.1.a in lumbis & renibus consistit maxima pars roboris hominis. ibid.d. 489.2.a ij confortantur, si stragantur. 489.2.a

Lumen Euangelij successit post tenebras gentilismi. 774.2.b lumen propheticum quid propriè sit. 25.2.a est necessarium, non liberum menti. ibid.a

Luna symbolicè quomodo in sanguinem conuertatur. 256.1.a quomodo tropologicè. ibid.c luna crescente crescunt animalia. 557.1.d

Lupus in fame lupum vorat. 497.1.a luporum an sit duplex genus. 515.1.b lupis congeneres sunt hyæna, lynces, pantheræ, lycaones, thoës. 2.b generosi, insidiosi, feroces, voracissimi & insatiabiles sunt: vnde vox lupus deriuetur. ibid.d noctu grassantur, & cur. ibid. eorum oculi lucem noctu eiaculantur. eã etiam manè ad prædam exeunt. 516.1.a luporum noctu quæ sit ferocitas. ibid.b lupi an veneficia pelant. ibid.a

Lusitanis accepta ferenda conuersio Orientalium. 363.2.d

Lutheri dogmata, meræ insaniæ sunt. 279.1.b eius insciti a probantis imagines esse vetitas. 94.1.b

Luti nomine cur vocetur ceroma athletarum. 532.1.a opes sunt lutum densum. ibid.a

Lux ex oleo quasi filius nascitur, lactatur & nutritur. 679.2.b lux perpetuæ gloriæ, & renouationis mundi futuræ post diem iudicij. 777.1.b lux symbolum prosperitatis, iucunditatis, felicitatis & gaudij. 293.2.c.333.2.c.421.2.a 467.1.b.776.1.c.d luce cœlesti est opus ad Prophetas intelligendos. 15.1.a

Luxuriæ schema basiliscus est. 646.1.a ipsa & auaritia sunt duæ filiæ diaboli semper insatiabiles. 133.1.c luxuria est pœna arrogantiæ. 113.1.c vide Libido.

Luxuriosi in fœtoribus libidinis suæ computrescunt. 215.2.c ipsi & gulosi in die iudicij maximè à Deo iudice exagitabuntur. 244.1.a

Luxus prouinciarum depræ datione & desolatione punitur. 309.1.b 319.2.a

Lycanthropi qui sint, & quàm noctu sæuiant. 516.1.c

Lychnis lapillus crescente luna edit sonum modulatum. 537.2.a

S. Lydvina iugiter in Christi crucifixi vulneribus habitabat. 739.2.a

Lyra in conuiuijs conuiuis tradebatur olim, quam vocem propinationes resignabant. 308.1.d

Lysias Antiochi dux qualiter à Deo percussus. 781.2.a

Lysimachi superbia. 354.2.b

Macedonius negabat Spiritus sancti diuinitatem. 288.1.d à Concilio Constantinopolitano damnatus est. 646.2.b

Macha-

Machabæorum victoriæ prædicuntur à Prophetis. 362. 1.b 431.2.a sub ijs maximè floruit religio, & formula Iudæorum, & erant legitimi principes. 93.2.b Machabei tres, Iudas, Ionathas, Simon intra triginta annos à Deo sublati. 742.1.b restaurarunt & vrbem templum & vrbem Ierusalem. 777.2.d. 779.2.c.780.1.c.d.786.2.a eorum victoria significata symbolicè per fontes. 778.1.c.d fuere & pontifices & principes populi. 696.2.d quomodo Damascum vsque victorias extenderint. 710. 1.c ignis generosis assimilantur. 732.1.c.d eorum pietas. 733.1.b.c robur. 734.1.d pugnabant pedites in equites. 2.b eos angeli in prælijs adiuuant. 781.2.a.785.1.d.775.2.d.773.1.b.771.1.a.756.1.b in persecutione fugerunt ad montes. 773.1.c viribus & victorijs Dauidem superarunt. 756.1.b facti sunt quasi asylum diuinum. ibid. quomodo vocentur Iudæi & domus Dauid, cùm essent oriundi ex Leui. ibid. 732.1.c eorum intentio erat non tantùm terminos Iudææ, sed & religionem genti suæ propagare. 714.1.b Machabæorum mater masculum animum habuit. 804.2.d

Machera & framea quomodo inter se differant. 767. 2.d

Madianitarum, insequente Gedeone, pauor. 169.2.a

Madianitides quamdiu Israelem ad fornicationem & idololatriam pellexerint, & quas pœnas dederint, sæpè à Iosue. 454.2.b.554.2.c in Scriptura vocantur Æthiopes, nempe Orientales. 554.2.b.593.2.c

Magi dæmonem inuocant, sed ij tandem ab eis animam & corpus extorquet. 409.2.b dæmones familiares habent in annulis. 629.2.c mala suadent & faciunt. V. Rex 731.2.c

Magistratus officium quod sit. 733.1.c medico solerti assimilatur. 2.b quid meminisse debeat. ibid.

Magister sententiarum error circa angelorum merita. 451.2.c

Magna lapsus patent & ruinæ. 535.2.a à paruis initijs exordium capiunt. 674.1.b magni plerumque timidi sunt. 2.1.c magni esse qui volunt, se humilient. 2.1.c Magnus dies Iezrahel quis sit Osee. 70.1.a magnus dies quos vocarint Romani, & qui Mathematicis magnus annus. ibid. 236.2.a

Magnanimi communiter statura pusilli sunt. 2.1.c

Magnanimitas mundana in offensis non condonandis, diabolica est. 176.1.a magnanimitas illustris principum & Prælatorum est virtus. 741.2.b

Magnates quomodo corripiendi. 31.2.c

Magnificare sumitur pro insultare. 358.1.c

Mahometanorum persecutionem contra Ecclesiam adumbrat equus pallidus Iohanni in Apocal. visus. 616.2.a vide Turcæ.

Maiestas Dei quàm augusta, sublimis & tremenda. 457. 1.b quam illa exactè à nobis seruiri velit. ibid.d

Malorum omnia tum publica, tum priuata à Deo infligunntur. 277.1.b nihil propriè malum est nisi peccatum. ibid.c mala tria quorumlibet peccatorum, ignorantia, concupiscentia & miseria. 219.1.b malum an, Deo dispensante, sit non malum. 53.1.c malum oritur ex singulis defectibus. 626.2.a

S. Malachias Hiberniæ Archiepiscopus in quo Malachiæ Prophetæ similis fuerit. 791.2.b Hiberniæ pisces nocuit. 98.2.b

Malachias fuit vltimus Prophetarum, nec post eum Iudæos alium vsque ad Christum habuere. 614.2.d. 789.2.c.790.1.d non fuit angelus in carne humana. 789.1.a cur vocetur angelus. ibid.d.791. 1.a an sit idem cum Esdra sacerdote. 789.2.a.& seqq. iuuenis obijt. 790.1.a præfuit cum alijs Concilio Iudæorum collecto ad conficiendum canonem librorum sacrorum. ibid.b prophetauit sub Dario Hystaspis, & deinceps. ibid.d item post consummatam fabricam templi. 2.a.34.2.a.b eius argumentum. 790.2.b.& seqq. est sententijs breuis, sed mysterijs fœcundus: noui testamenti mysteria multa pranunciat. ibid.c Martyrologio Rom. asscriptus est. 79.2.a

Malchus philosophus cur dein dictus Porphyrius 65.1.a

S. Malchus monachus herum fugiens intra sepulchrum se abdidit. 162.2.c

Maledictionem Hebræi contrario nomine vocant benedictionem. 31.1.d. 87.2.b

quomodo Maledicat benedictionibus nostris Deus. 806. 2.a maledicere Dei est malefacere. 682.2.b.558. 2.c.806.1.c.2.c maledicere interdum capitur pro supplicia inferre. 682.2.b quomodo improbos in fine mundi & die iudicij Christus maledicturus sit. 847.1.a

Malitia dici potest statera dolosa. 189.1.a

Malogranata apte repræsentât sanguinem Christi. 760. 2.b sunt symbolum optimatum, item charitatis. ibid. videntur vua pomi. ibid.

Maniaci quomodo diuinent. 27.1.a

Manichæi cur damnent Oseæ factum & connubium. 55. 2.b.57.1.a matrimonium omne damnabant. ibid. solem adorabant vt Deum, & censebant esse ipsummet Christum, item nauim triangulam. 837.1.a.b

Manipuli sacerdotalis vsus & origo. 228.1.a idem is est cum sudario. ibid. hic moneat sacerdotem deuotionis priscorum sacerdotum. ibid.b

cum Manna an depluerit vos qui manna tegeret. 204. 1.d ei conferuntur cælestia eloquia. 6.1.c

Mansuetudo facit morum compositionem. 580.1.b

Manubiæ hostium in templis a principibus consecrantur. 785.1.a

Manus organum est organorum. 190.1.a.604.1.d. 703.1.d.791.2.d capitur pro ore. 703.1.d in manibus Christi quomodo fuerit crux & cornua crucis. 550.1.d manum arcu implere quid sit. 720.1. a.b.c manum osculari solebant idololatræ, si non possent idolum. 192.2.c manus Dei nemo effugere potest. 370.1.c

S. Marcella à S. Hier. in Bethlehem inuitatur. 440.1.a semper mortis meminit. 586.1.a

Marcion censuit Christum suo ad inferos descensu omnes animas damnatas liberasse. 200.1.b

S. Marcus fuit velut parens Religiosorum. 13.1.c. Alexandriam ad fidem Christi conuertit. 502.1.a

Mardochæus vtrumque templum vidisse potuit. 614.1.c

Mare Mediterraneum & mortuum fuere termini Iudææ. 227.2.d.717.1.d mari qui dominatur, dominari potest & terræ. 717.1.d commotiones in mari variæ sub tempus Christi factæ sunt. 617.1.b in mari salso quomodo dulcis liquor fit. 520.2.a mare docet orare. 579.2.d cur quiescat admisso iona. 377. 2.a.b mare Orientale Iudæi vocant mare Mortuum. 229.2.d mare in Script. significat Occidentem. 179.1.c vnde hebraicè Tharsis dicatur. 370. 2.c.d

Maresa fuit vrbs subiecta Gethæi. 408.2.c alius est locus à Morasthi patria Michææ. 398.1.c.409.1.d

S. Maria mater Dei fons est, ex quo manauit fluuius, irrigans torrentem peccatorum. 250.1.c passa est martyrium cordis. 183.2.c quantum orbi boni præstet. 453.1.b est nobis cynosura. ibid.d vocatur pariens & mater antonomasticè. 441.2.c Esthert assimi-

similantur, item myrto. 639.2.c.d & seq. suis clientibus opem & consolationem adfert. ib.d est gratia plena. 640.1.a est quasi mons virtutum, ceteris Sanctis excelsior. 548.1.a lampadi comparatur & candelabro. 670.1.d per eam Sancti omne suum lumen à Christo habent. 2.a ex ea Christus creatus velut germen è terra, irrorante rore cœlesti. 661.1.b ipsa infantem vlnis gestans Augusto Imp. visa est. 616.1.b. auctoris ad eam votum. 847.2.d. B. Maria in columna celebris Cæsaraugustæ locus. 674.2.d

S. Maria Aegyptia S. Synaxim secum accepit in eremum vadens. 727.2.b tot annis passa est tentationes libidinis, quot in ea vixerat. 78.1.a. 467.2.c annos 47. in solitudine pœnitens egit. 472.1.c

S. Maria Magdalena confertur cum vxore Osee. 57.2.d post peccatorum remissionem, totam vitam in eremo, in lacrymis & crucifixi amore egit. 80.1.a. 472.2.b. 767.1.a ante mortem S. Eucharistiam à S. Maximino accepit. 727.2.c quomodo facta sit è lebetephiala. 787.1.c

S. Maria Oigniacensis in morbo sola Ven. Eucharistiæ viuebat. 726.2.d

Mariti ob vxoris pollutionem, dolor grandis est. 324.2.d ius in eam habet, succeditq; in locum patris. 87.1.c maritos suos Hebræa vocabant Baali, id est Domine mi. 87.1.a

C. Marij ambitio impotens. 526.2.a

Marnas idolum fuit Gazensium, cuius fanum Marnæum celebre fuit, à quo id successum. 713.1.d.2.a

Maroth dupliciter sumi potest. 407.2.a tropologicè gehennam significat. 408.1.b

Martialis poëta pater nugarum est. 599.1.a

S. Martinianus Eremita quomodo ignem concupiscentiæ extinxerit. 103.1.b

S. Martinus quàm patienter Brictionem clericum tolerarit. 744.2.c

Martyres olim ex vnco suspendebantur, & vnco lacerabantur. 326.1.b tormentis & morti gaudentes insultarunt. 199.2.d. 597.2.b. 716.1.b sunt testes Dei fideles. 182.1.a.b quomodo à Christo olim lactarentur. 79.1.b. 840.1.a eorum dignitas, gloria, bonus odor. 182.2.c sunt Martyres item qui ex caritate morbidis ministrantes emoriuntur. 184.1.a in tormentis semper Deo fisi sunt. 588.2.a sunt purpurei Christi milites. 491.2.b mystice designantur per equos rufos Zachariæ visos. 642.1.b. 692.2.a ipsis cur olim Eucharistia daretur. 726.1.a eorum visa constantia multos spectantium ad martyrium subeundum animauit. 709.2.c. Martyres Tyrij quàm constanter martyrium subierint. 713.1.a Martyres in Iudæa occisi repræsentantur per equos rufos aliò non egressos. 693.1.d Martyris cuiusdam in corde, Christi crucifixi imago reperta. 759.2.b

Martyrium est fructus vineæ Ecclesiæ. 158.2.c eius varia elogia è sanctis Patribus. 182.2.a.b. & seqq. exhortatio ad ipsum. 183.1.c

Mascula debebat esse hostia votiua. 804.1.c talem tropologicè qui offerant. 2.c masculum capitur pro forti, egregio, generoso. 1.c

Masspha vrbs Iudæ satis celebris; quæ in ea gesta. 110.2.b an duplex fuerit vrbs, vna in Iuda, altera in Israel. ibid.c

Massa plumbea in ore amphoræ à Zacharia visa quomodo concipienda sit. & quid significet. 687.2.a

S. Maternus à morte resuscitatus tot annis postea superuixit, quot diebus in sepulchro iacuit. 385.2.a

Mathematici planetarij vera si dicant, casu fit, non arte. 26.2.b

Matheſis quantopere Alexandriæ floreret. 502.2.a

Matres regum cur tam studiosè Scriptura in libris Regum nominet. 56.1.d matres cur magis proles amẽ, quàm patres. ibid. ijs proles corpore & moribus sunt similiores, quàm patribus. 2.c

in Matrimonij vinculo quomodo Deus dispensare posit. 53.2.d matrimonium Osee cum meretrice bonestauit Dei iussio. 55.2.b matrimonij vinculum sanxit Deus. 814.1.d

S. Matthæus an in historia venditionis Christi, citet verba Zachariæ, an Ieremiæ. 746.1.b.c

Matula vocatur homo vilissimus. 146.1.d matulæ obsequium quam vile. 2.b

Matutinus imber in Iudæa quis sit & quando veniat. 123.2.a. 231.1.c. 285.2.b. 316.1.c. 730.1.b

Mauritius Imp. maluit in hac vita à Deo puniri, quàm in futura. 237.1.c. 467.2.d. 482.2.c

Maxillæ percussio prouerbialiter dicitur de graui ignominia. 433.1.b super maxillas boum quomodo iugum exaltetur. 173.2.d & seqq.

Mediatores meritò vocantur filij Dei. 543.2.d

Mediocritatẽ totâ vitâ suâ nos docuit Christus. ibid.c.d

Meditatio est clauis S. Scripturarum. 15.2.d

Medium sæpè capitur pro summo. 542.1.a an aliquando pro optimo. ibid.b medium est extremorum centrum, vnio, finis, perfectio. 2.c. 543.2.d mediũ locum Christus semper elegit nascens, viuens, moriẽs. 543.2.d

Mediwfidius erat Ethnicis fidei præses. 814.1.c

Μεσόμφαλα propriè appellatur subrisio. 296.1.a

Melanaëtos aquilæ species in petru nidificat. 354.1.a inuidia expers non clangit. 141.2.d

Melancholici tristia suspicantur. 417.1.c

Melania Romana in totum orbem beneficia fuit. 110.2.d

Melchom erat idolum Ammonitarum. 266.2.c

Melitenses multas habent voces mutuatas ab Arabibus & Syris. 363.1.a

Meminisse Dei summa benedictio est. 637.1.a

Memoria non est in Deo, sed visio. 833.1.a memoriam æternam ambiunt omnes. 20.1.b

Memphis vrbs Aegypti, fuit ab alia parte Nili Cairo opposita. 151.1.c eius magnitudo. 386.2.c

Mendacium triplex est, mentis, oris & operis. 131.1.d mendacium fructum comedit omnis peccator. 168.1.c in Script. sæpe significat quodlibet peccatum. 589.2.b

Mendici Dei sumus quotquot sumus. 417.2.b

Menelai Pontificis Iudaici scelera. 748.1.b

Mens post communionem cũ Deo vnienda. 725.2.b. mens fixa in Deo sit immutabilis. 828.2.a mens fidelis mystice lebes est. 787.1.b mens in cognitione vitæ phantasmatibus. 25.1.a in ea Deus loquitur per se, in phantasia per angelos. 2.a suas habet aures & oculos. 399.2.b mentis solitudo cum corporis solitudine semper coniungenda. 81.1.d eius veritas & mendacium quæ sit. 131.1.d

Mensam pretiosam Iustinianus Imp. templo S. Sophiæ dedit. 797.2.a item Ptolemæus Philadelphus templo Hierosolym. ibid.b

Mensiũ nomina Hebraica, videntur esse Chaldaica. 658.2.a. mẽsis apud Hebræos tripliciter accipitur. 329.2.d

Menstruum typus peccati est. 704.1.c

Mentiri numquam fas est. 53.2.a mentiri quando dicantur fructus. 168.1.c

Mercatorum fraudes in vendendo & emendo. 330.2.c. 331.2.a.b. 332.1.a. vocari possunt Chananæi. 187.2.d an Deo placere possint. 188.1.c lucri studium temperent. 2.b quantopere lucro inhient. 330.1.a.b eorum mercimonia sæpè incassum cadunt ob neglectum Dei cultum. 609.2.a

Mer-

Pecuniæ lucra citò dilabuntur. 481.1.b
Pecus capitur subinde pro lucro operæ. 706.1.b
Peculium sordes & fœtor. 500.1.c. tales ducere, vt nepos vitæ finem imponant, sanctum est. 55.2.b. inidem suam prolis communicant. 56.1.c. sunt vitula lasciuientes. 165.1.a. earum in turpitudine perseuerantia. ibid. ex meretricio non ditescunt. 403.1.d. auferunt homini cor. 102.2.a.b. amasios etiam plangendo detinent. 404.2.b. meretrices cum viri dici possint ob abusum libidinis. 106.1.d. eum primitias lucri Veneri consecrabant. 403.1.a. in delubrum deorum donaria. ibid.b. sunt dæmonum matulæ. 146.2.b
Phasa rex Moab qua occasione immolarit suis manibus proprium filium, non regis Edom. 267.1.d
Poppæa Claudij Imp. vxor fuit infamis. 56.2.d
Porcus Iudæorum refutatur. 346.1.a.450.2.a.769.1.c. eum mutationem quamdam miram in frumento facturum agnoscunt Rabbini. 206.1.c. eius lex & atas in Scriptura vocatur nouissima. 232.2. 1.225.1.c. moriturus probatur, ideoq; ab Hebræis vocatur filius caducus. 345.2.d. eum venisse contra Iudæos conuincitur. 618.1.d 621.1.b.d 622.2. a.846.1.a. hi qualem eum exspectent, & quando. 2.c.561.2.c.715.2.c
Porcum parum inferunt in horrea qui Dei cultum negligunt. 608.2.d
Præpositiones crebræ sunt apud Prophetas Minores. 18.2.a
Præterius Martyr an sit auctor libri prophetici, qui eius nomine circumfertur. 30.2.a
Præsumptio crebra Prophetis æquè ac Poëtis. 18.1.c
Præsus pallorem membris inducit, & linguæ silentium. 355.2.d. leuis pallorem, grauis nigrorem. 222.1.a
Priapus idolum erexit in vrbe Dan. 163.1.b.2.d
Prophetæ Prophetæ suppar est Isaiæ, & ad verbum idem fere secum eo dicit. 19.1.a.398.2.c.399.2.c.424. 1.b. quando cæperit prophetare, & quid prophetarit. 13.1.b.d.398.1.b.399.2.a. Michææ fuere duo. 398.1.b. Prophetæ fuit Morasthites. ibid. eius sepulcrum fuit in Morasthi. ibid.c. fuit ex tribu Iuda. ibid. Martyr occubuit, & martyrologio ascriptus est: eius corpus sub Theodosio seniore repertum. 2.a. eius argumentum. ibid.b. nomina eius etymon. 399.1.c. eius erga populum suum zelus. 393.2.d.417.1.b. concisus est & plenus assiduus. 417.2.a. an nudus & spoliatus incesserit, & quare. 403.2.b. qua ratione se filiis noui testamenti annumeret. 426.2.b. in se repræsentauit paruitatem & magnitudinem Bethlehem, & Christi nati in Bethlehem. 436.2.d. quando ediderit oraculum de Christo in Bethlehem nascituro. 438.2.b. idq; post vastationem per Assyrios. 434. 1.d
S. Michael Luciferum principem dæmonum habet antagonistam. 654.2.a. tuetur & custodit Summum Pontificem. ibid. & seqq. est defensor Iesu pontificis. 656.2.b. cur vocetur Deus. ibid.b.c. sint angelus stans inter myrteta, & cur ibi steterit. 639.2.d. & seqq. 640.2.a.b. 641.1.c. 642.1.c. cum suis archangelis est præses Synagogæ. 643.1.a.447. 2.b.647.1.a.654.1.c
Milites Christi omnes sensus & animæ potentias in aciem ducere debet. 365.1.b. milites olim dicebantur lauum. & vnde. 132.1.d. eos diuersimodè Romani exercuerant. 364.2.d. Romani & Græci olim coccineis vestiebantur. 491.1.c. & omnes suas opes ponebant in adornandis equis & armis. 785.1.c
Militia cali cur vocentur astra. 569.1.c. eam Iudæi astricolæ in domorum tectis cur adorarent. ibid.
Mille anni in oculis Dei velut dies vnus. 120.2.a
Millenarij putabant post diem iudicij sanctos in terra cum Christo victuros in omnibus deliciis per mille annos. 248.1.c
Milo Crotoniates in certaminibus inuictus fuisse perhibetur, quòd alectoria gemma vteretur. 181.2.d
Mina & pœna præsentes nonnisi stilla sunt, cum pœnis inferni collatæ. 324.2.c. mina Prophetarum comparantur rugitui leonis, reti aucupis & clangori tubæ. 276.2.d
Mincha significat propriè sacrificium farreum ex farina vel pane. 799.2.d.801.1.b.c. est typus Eucharistiæ. 801.1.b. ei thus imponebatur. 800.2.b. sal, oleum & thus cum eo adolebantur. 801.1.c
Minerua dea sapientiæ, fingitur à Poëtis & Gentilibus, oleæ inuentrix. 253.1.c. eius quædam lampas toto anno sine oleo arsit. 668.2.d
Minimarum rerum curam an habeat Deus. 525.1.b. hæ non habent angelos custodes, & alia Dei auxilia. ibid.c. minimum, est numerorum, magnitudinum, elementorum, corporumq; omnium basis. 674.1.d. eius paradoxa axiomata. ibid.
Ministrantes morbidis, & in eo ministerio emorientes, Ecclesia Martyribus annumerat. 184.1.a
Minores fratres vnde sic nominati. 1.1.b
Minos legislator nouennio cum Ioue agens, est noster Moses diu in Sina cum Deo colloquens. 373.1.c
Sine Miraculis gentes non tenebantur credere Apostolis prædicantibus. 389.1.d. miraculum deuorationis & eiectionis Ionæ, propter Niniuitas factum est. 379.1.d. quatuor miracula contigerunt Ionæ in ceto concluso. 2.a. quanam in Eucharistia peragantur. 724.2.b. miracula quotidiano vsu talia videri desinunt. 725.1.b
Misericordia significat opera charitatis, aliarumq; virtutum indebita. 125.2.b.456.1.d. est virtus diuina, & propria Deo. 125.2.c. pluris est eam facere, quàm templa condere. 126.1.a. cur præstet sacrificio. 125.1.c.d. ea cessante, cessat opum prouentus, & agrorum. 96.2.c. in Script. sæpè capitur pro sanctitate & iustitia. 166.1.b. ipsa propria Sanctorum virtus. ibid. 309.1.a misericordia in Deo est, non quæ passio, sed in hominibus virtus & passio est. 63.1.b. misericordia & veritas sunt itinera æternitatis & æterni Dei. 553.1.c. misericordia Dei in peccatores, est eius vindicta quam de iis sumit. 592.1.a
Misericors in pauperes est sapiens. 386.2.d. Deo fœnerat. 125.2.d. misericors est Deus in peccatores. 224.1.d
in Missa cur olim omnes præsentes communicare voluerit Anacletus Papa. 726.1.b
Mithridatis in Romanos crudelitas & mors. 261.1.c
Mitibus tropologicè oritur sol. 838.1.b
Moabitæ quando Idumæos inuaserint. 356.1.d. eorum restaurationem quomodo promittat Deus. 346.1.c. cur regis Idumæorum mortui & sepulti ossa effoderint. 267.2.c. quando id factum sit, non constat. ibid.d. eos quando Iudæi diripuerint. 583.1.d. quando hi ad Dei veri cultum compulsi. 2.b. symbolum sunt blasphemorum. 581.1.b
Modestia per nigrum colorem denotatur. 694.1.c
Modicum omne sæculum est in oculis Dei. 615.1.c
Modios 48. hordei ad annuum victum Romani assignabant seruis & aliis. 62.2.a. modius Italicus duplus est ad Hispanicum. 331.2.a
Mœchari numquam licet. 53.2.a.b
Mœron

Mœror caliginem oculis æquè ac menti inducit. 333.2. b. conscientia mala parit mœrorem. 373.2.c

Mola pura est sacrificium farreum, vel farina qua victimæ immolandæ caput aspergebatur. 800.1.b. mola salsa quæ diceretur. 801.1.d

Moloch erat Deus Ammonitarum, summus deorum. 266.2.c.300.2.c. eum Hebræi in deserto coluere vnà cum Beelphegor.301.1.a.b. & eum in tabernaculo secum circumferebant.ibid.c. non idem est cum Rempham,sed cum sole. 302.2.c

Monachi cuiusdam eleëmonis misericordia. 126.2.d. alius quomodo libidinis tentationem vicerit. 146. 2.b. monachi solitudinem colant. 82.2.a

Monarchiæ IV. an designatæ per erucas, locustas, bruchos & rubiginem. 214.1.a. depingi eæ solent per IV.bestias & quadrigas.ibid.694.1.b. monarchiæ Assyriorum & Chaldæorum per equos rufos significatur. 693.1.b. monarchia Persica anni supputantur. 701.1.b

Monasteriis maximè dæmon insidiatur. 107.1.d

Monetæ corrosores quomodo castigarentur. 687.2.c

S.Monicæ post sacram communionem ardor. 727.1.d

Monitor vitiorum,est angelus. 791.2.d. quomodo is monere debeat. 792.1.a

Monopolas frumenti acriter insectatur S. Ambrosius. 331.1.c. eos principes plectant.330.2.b. eorum merces sæpè Deo permittente depereunt. ibid. d

Mons Sion quomodo dicatur sanctus.360.1.d.595.2.c. montium fissuræ sunt extremæ montium. 381.2.c. sunt quasi fundamenta terræ. 451.2.d. magnæ in rerum natura virtutis nomen obtinent. 452.1.a. montes quomodo Deus citet,in quibus Israelita peccarant. 450.2.c. montes symbolicè notant principes & magistratus. 451.1.b. mons vmbrosus,à quo descendit Christus, typicè B.Virginem denotat. 548.1.a. item Deum Patrem vel cælum. ibid.b. mons magnus cur vocentur templi fabricam impedire volentes. 671.1.c.d. montes duo erant in Ierusalem,& duo extra eam. 772.1.c

Monstra peccatorum quando parit anima. 74.2.a

Morasthi patria Michææ,viculus in tribu Iudæ,est alius locus à Maresa. 398.1.c.409.1.d

Morbi sæpè peccatorum flagella sunt.467.2.d. eorum vi potest quis alienari à sensibus. 25.1.b. iis item laborant pisces,non tamen pestilentia.522.1.a. morborum animi curandorum quæ sit ratio. 792.1.d

Moria mons, sanctus dicitur ob quatuor causas. 705. 1.d. erat ad Septemtrionem Ierusalem,in quo ædificatum erat templum. 772.1.c

Moribundi an diuinent. 26.1.c

Mors cur vocetur congregatio.98.1.c. mors tyrannorum plerumque cruenta est.261.1.b. mors quomodo homines viuos retineat.379.1.d. quare vocetur nihil. 334.1.a. per Adæ peccatum in orbe inducta,omnibus eius posteris dominabatur. 198.1.d. sed Christus à morte & inferno resurgens, de vtrisque triumphauit.2.a.& seqq.384.2.b. expugnat etiam validissimos.199.2.b. velut vncinus pomorum est, quæ omnes hominis dotes, virtutes & vitia attrahit. 326.2.a. ei insultant Christiani per Christum.199.2.a. eius hieroglyphicum.327.2.d. in ea sapit quislibet insipiens.136.1.d. quædam putredo est.561.1.b. morti comparatur ambitiosus & auarus.531.1.a.b. ascendit per fenestras.573.1.a. in morte an quilibet videant Christum crucifixum. 738.2.b

Mortale peccatum odit Deus odio infinito. 519.2.b

Mortificantes vitia, passiones & membra, plangunt tropol.Christum crucifixum. 762.2.a

Mortificatio continuum martyrium est.383.1.d.& seq. ea præmittenda ad orationem accidenti. 227.2.d. est lebes mysticè. 787.1.d

Mortuum tangentes Iudæis immundi erant. 130.1.d. mortuos exhumare inhumanum est. 268.1.a

Morum imago viuacior,quàm verborum. 10.2.a

Morus arbor scribitur Græcis per omicron & per ω: est arborum prudentissima. 324.1.a.b

Mosciua vrbs quàm magna & frequens. 386.2.d

Moses in Aethiopas castra moturus, quomodo à serpentibus illæsus fuerit..80.1.c. eos an ad pacem egerit.343.1.d. Deum vocantem secutus est.372.1.d. Aethiopissam ducens figura fuit Christi carnem nostram assumentis. 57.2.b. liberans Hebræos & cædens Pharaonem, typus fuit Cyri liberatoris Iudæorum per cædem Balthasaris, & vterque typus Christi liberatoris fidelium per stragem diaboli. 559.1.d. de Dei promissis cur dubitarit.742.2.c. eius posteri non fuerunt sacerdotes. 807.2.c. Moyses, Aaron & Maria, an sint tres pastores à Deo missi. 742.1.a. Moses & Elias an intelligantur per duo illa animalia, in quorum medio cognoscendum Christum ait Propheta.544.2.b. hi ambo assistentes Christo vocantur filij olei. 680.1.b

Moses Cretensis quomodo Iudæis imposuerit. 748.2.c

Motio Dei catachrestice vocatur legatus. 353.1.d

Mor&,id est terunda,medicis quadruplex est.119.1.c

Motus orbium cælestium an rectè vocentur itinera æternitatis. 552.1.a

Mugitus & vox bouum,per catachresin animalibus aliis, homini,terræ & mari tribuitur. 813.2.a.b

Mula pariente expugnata est Babylon à Dario Hystaspu.649.2.d. muli erant frequentes apud Iudæos. 219.2.b.c

Mulier inconstans est & garrula. 465.1.c. multa riros perdiderunt.ibid. earum quanta potentia.103. 1.b.815.2.b. mulier in amphoræ medio cur sedeat apud Zachariam, & quomodo id concipiendum. 686.1.c. quid hoc significet.ibid. quid denotet topologicè.2.d.& seqq. mulieres duæ impietatem in Babylonem deferentes quid significent. 688.1.a.& seqq. mulier symbolum est infirmitatis & concupiscentiæ.686.1.d. est metropolis omnium scelerum: variæ de mulierum improbitate & periculo gnomæ. ibid.& seqq. earum,etiam denotatarum, fuga suadetur. 815.2.d

Mundana omnia in comparatione Dei nihil sunt. 538. 2.d. mundani censent pietatem vanitatem esse.125. 1.d.831.2.d. eorum mania studia & contentiones. 650.1.d. in rebus diuinis pauci sunt,sed in iis quæ spectant pompam aut ventrem,profusi. 284.2.c

Mundare sanguinem significat vindicare eum. 252. 1.b.c

Mundus est domus mendacij, & omnis mundana beatitudo.præsertim iniquè acquisita. 409.2.a.& seqq. est tyrannicus dominus. 363.2.b.c. eius mutabilitas. 387.1.b. omnis eius gloria est stella cadens. 303.1.a. eius vanitas est instar puncti breuissimi. 410.1.a.b. mundi huius fallacia descripta. 500.2.a.497.2.b.506.1.a.b. totus in maligno positus est. 498.1.d. eius illecebræ blandè ingrediuntur, sed miserè tandem hominem in interitum demergunt.530.2.d. eius,opes,pompa,prosperitatem nobis contemnendæ sunt.511.1.d. ex eo velut è Babylone fugiendum. 650.1.b. Ninive comparatur,quoad pompam,opes,vires,gloriam,vanitates & excidium.505.2.c. est canticum Dei.190.2.d. mun-

mons dicebat. 771.2.a

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

templum Dei. 617.2.d. mundus sublunaris vocatur globus elementaris & fasciculus. 341.2.d. est quasi magnum quoddam animal. 556.1.d. quamdiu duraturi ex traditione Hebræorum. 542.2.a. 543.1.a. qua conflagrationis peribit. 843.2.d

Mores hamata quæ dicantur. 524.1.a

Mora Dei non est contra Deum punientem. 316.1.b

Muri ædificatus à Tito Ierusalem obsidente vt eam altrema redigeret. 772.2.d. muro triplici distinguebantur tres regiones eius versus Septemtrionem. 772.b

Museum Serapium & Isæum fuit Alexandriæ. 501.2.d

Myrra quomodo præstantior sole sit. 351.2.b. regi assimulatur. 2.1.b

Mulcam veteres conuiuiis adhibuerunt. 307.2.d

Mulsa vrbs Tigri adiacens an sit Niniue vetus. 387.1.c

Musculum statim hominis cerebrum occupat, & eius vires. 103.1.d. 158.2.a. 7.1.a

Mutari cur nequeat Deus. 827.1.c. & seqq.

Mutatio officij & loci sæpè homines à suis cupiditis amouet. 576.2.c. mutatio omnis quædam est mors. 578.1.c. mutationes cordis peruersi in melius minutulo potiores sunt. 294.2.d

Mutatoria vestes quæ dicantur & sint. 658.2.a. quid symbolicè repræsentent. ibid. & d

Mures primi sunt fructus Palæstinæ, similes ficubus, sed bus longiores. 462.2.a

Mysticus creber apud Prophetas est. 19.1.c

Myrtum vinum quas vires habeat. 640.2.b

Myrtus ò sucitatem amat loca irrigua. 639.1.c. 640.1.c. est hilaritatis indicium. 639.2.a. myrti ramo circumlato olim mos erat conuiuas ad cantandum excitare. ibid. in quo iustorum sit symbolum. ibid. ex ea fiebat corona principum. 2.c. symbolum quoque est felicitatis ibid.d. ac B. Virginis. ibid.c.d. item omnium iustorum. 640.1.c. & seqq. crescit iuxta aquas. ibid. ex eius baccis fit vinum, eius odor. ibid.c.d. fuit Veneri dicata. ibid.a.d. semper viret, eius oleum astringit. ibid.d. in festis Romani eâ tempora cingebant. 2.a. ea horti & villæ sepiri solebant. ibid.b. eius succus quàm sit præstans, eius baccis olim propipere vtebantur: valet ad conciliandos dissidentium animos. ibid.c. aliæ eius proprietates traduntur. ibid.d. & seqq. est breuis vitæ, sed celeris fructus. 641.1.b. sacris olim adhibebatur. ibid.c

Naas rex Ammon in quo typus sit diaboli. 655.1.d

Nabuchodonosor senior, aliter dictus Nabonassar vel Nabopolassar, an euerterit Niniuen: fuit pater Nabuchodonosoris magni. 487.2.c

Nabuchodonosoris iunioris vel magni quatuor in Iudæam expeditiones notantur per erucas, locustas, bruchos, rubiginem. 214.1.c. tredecim annis Tyrum obsidit. 264.1.a. brucho comparatur. 317.1.a. in inferno & morti. 531.1.a. ac leoni. 402.2.b. 433.1.a. capta Ierusalem inuasit Ammon, Moab, Edom, Tyrum. 266.2.c. 488.2.b. an Hispaniam subegerit, & eò Iudæos transtulerit. 363.2.c. fuit auctor monarchiæ Babyloniæ translatæ ab Assyriis. 487.1.d. eius anni subducuntur. 488.2.c. typus fuit diaboli. 517.1.c. ob superbiam mutatus in belluam est. 2.c. est piscator Dei. 520.1.a. eius insatiabilis capacitas. 523.2.c. eius exercitus vocatur hamus, sagena, rete. 524.1.a.c.d. tres expeditiones in Iudæam fecit. ibid.b. piscatori cur comparetur. 2.a. 525.2.c. item ebrio. 530.2.b. vlciscens oppressionem pauperum an fuit typus Christi. 528.1.d. quando subegerit Aethiopas. 584.1.a. typus qua in re sit Antichristi. 689.1.b

Nabuzardan & Nabuchononosor denotantur per duas mulieres impietatem in Babylonem abripientes. 688.1.c.2.b

Nænia etiam per parabolam significatur. 413.2.c

Nahum Propheta qua occasione contra Niniuen prophetet. 473.1.a. & quo tempore. ibid.c. 33.1.d. 507.1.b. post Ionam quot annis. 473.2.a. quando eius prophetia completa. ibid.b. eius ostenta quæ prodantur. 474.1.a. eius nomen hebraicè quid sonet. 2.a. misit prophetiam suam ad Niniuitas per epistolam. 475.1.a. vocat eam onus & visionem, cur. ibid.d. ortus fuit ex Elcese vículo Galilææ. ibid. eius prophetia contra Niniuen comparatur pluuiæ serotinæ, & Ionæ pluuiæ matutinæ. 2.a

Nares latas & patulas qui habent, tardi ad iram sunt; qui arctas, cholerici sunt. 224.1.c. 476.1.c

Naso suspendere quid sit. 19.1.c. nasus index iræ & irrisionis. ibid.

Nathan Propheta fabricam templi Dauidi ex seipso prædicens errauit. 29.1.a

Nathan quidam fuit è maioribus Christi. 761.1.c

Natiuitatem duplicem Christus habet. 442.1.a

Natura humana peccato Adæ collapsa vocatur tabernaculum Dauid. 345.2.d. est vinculum omnium, & cum omnibus partem habens cum omnibus delectatur 543.1.d. eius in peccato iacentis profunditas mysticè per lacum repræsentatur, è quo Christus vinctos eduxit. 718.2.a

Naues fabricare didicerunt homines à natatu piscis. 521.1.b

Nauigantes haud procul à periculo absunt. 372.1.a

Nautæ infideles crebrò vtuntur sortibus 375.1.c. omnes in tempestate qua Ionas iactatus est, quisque suum Deum inuocabat. 373.2.a. cur miserint sortes dormiente Iona. 374.1.c. quid à Iona percontati sint. 375.2.b. cur timerent timore magno. 376.1.c. eorum zelus in eo saluando. ibid. & seqq. an ad verum Deum conuersi. 377.2.c. & vota vouerunt. ibid.d

Nazaræi crinem suum Deo comburebant. 411.2.a. erant Religiosi veteris legis, abstinebant vino, gestabant cæsariem intonsam. 272.1.a. 727.2.d. per comam quam alebant, à vulgo separati, & quasi Deo consecrati erant. 505.1.a

Nebula magnam Dei potentiam & sapientiam ostendit: nebulæ mirabilia. 289.2.b.c.d

per viam Negationis meliùs ad Dei cognitionem peruenitur, quàm per viam affirmationis. 539.1.b.c

Nemrod primus orbis rex dominabatur Assyriæ, imperij sedem posuit Babylone: fuit auctor turris Babel. 446.2.c

Neomenia erat Hebræis prima dies mensis & Kalendæ. 114.1.b. & ita dicebatur ipse mensis. 329.2.d

Nero ex aurea pyxide barbam Ioui Capitolino consecrauit. 411.2.a. eius crudelitas. 261.1.a

Nesroch templum Niniues in eius excidio solo tenus dirutum est. 493.2.c

Nestorius ponens duas personas in Christo succisus fuit à Concilio Ephesino. 646.2.b. eius lingua à vermibus corrosa cantabuit. 781.2.b

Niger vocatur, detractor, calumniator. 343.1.b. quibus nigra est cauda, de hu gustari vetabat Pythagoras. ibid.b. nigris clerici & multi monachi vestiuntur. 694.1.c

Nigror symbolum est rei contemptæ. ibid.

in Nihilo lætatur peccator. 313.2.d. nihil sine Deo factum est. 314.1.a

Nilus septem ostiis influit in mare: quotannis exundans, oblimat Aegyptum vice pluuiæ. 332.2.b.784.1.d. eius incrementa.332.2.c. totam Aegyptum euerrit. ibid.d. vocatur turbidus.314.2.d. & niger.595.1.d

Niniue quid sonet, & vnde vox dicta. 369.2.a.584.2.d. quandoque vocatur Ninus, quandoque Nina. 369.2.a 436.2.b. in ea Assyrij monarchiæ sedem fixere: est ad Tigrim sita: à quo condita.369.2.a.b. 385.2.b. eius scelera vindictam clamabant.370.1.a. an in eam à ceto Ionas eiectus: eius distantia à mari. 381.2.d. in eam à Iudæa facilis est via. 383.1.b. eius magnitudo quanta.385.2.c.387.1.a. ipsa iter tridui continens quid mysticè repræsentet. 387.1.b. quomodo collapsa & destructa sit. ibid. eius subuersio à Iona prædicata, fuit conditionata. 388.2.c. non est excisa ob primam in scelera recidiuam, sed ob aliam posteriorem: quando ab Arbace Medo & Beloso Babylonio subacta: postea reflorescens potentes habuit reges.473.1.b.486.2.b. aliud ei excidium intentat Nahum.473.1.b. id describitur.477.1.b.c. ad id variæ gentes confluxerunt. 480.1.c.d inundatione Tigris capta & obruta est.ibid.d. dum conuiuaretur, oppressa fuit. 483.1.a.d. quando id contigerit.584.2.d.473.2.b.486.2.b. à quibus excisa sit.487.1.b.& seqq. an ante, an post excidium Hierosolymæ id factum sit. 2.b. expugnata fuit post excidium huius 488.2.a. sæpius rebellans capta est à Medis & Chaldæis regibus. ibid.b.c. quamdiu à Cyaxare obsessa sit.487.1.d. 489.1.b. eius imperium quot annis steterit.489.1.d. à Deo castigata, quia Israelitis sæpè iniurias irrogauit.490.1.b.c. condita fuit loco humido & paludoso.494.2.b. eius opes. ibid.d. erat velut lustrum leonum. 496.2.a. gentes sibi subditas coëgit ad idola sua, & eas vendidit in mancipia. 499.1.b. est imago mundi perituri & exscindendi.505.2.c.d. cur vocetur ciuitas Ionæ. 588.1.b

Niniuitæ regem suum imitati, ventri & veneri vacabant. 368.1.d. quomodo ad prædicationem Ionæ crediderint in Deum. 389.1.b.d. indixere ieiunium publicum. 390.2.b.c. id quadraginta diebus seruarunt. ibid.c. hac pœnitentia multi eorum fuere iustificati, & saluati quicumque in iustitia perstiterunt. 391.1.c. Deus iis pœnam condonauit & culpam.ibid.d. fuere verè contriti.2.a. dubitant de remissione non culpæ, sed pœnæ, dicentes: Quis scit si, &c. 392.1.c. quanta fuerit vis pœnitentiæ ipsorum. 2.b. an statim ad prædicationem Ionæ pœnituerint. ibid.c. sed pòst ad vomitum redeuntes à Chaldæis excisi sunt. 368.2.a. 473.1.a

Ninus est Assur, hic ædificauit Niniuen.369.2.b. quot annis ante Abraham vixerit, & quamdiu eius monarchia in Niniue steterit. 489.1.d

Niobe in lapidem mutata est ob interfectos ab Apolline filios septem & totidem filias. 155.2.c

Nisan erat primus mensis anni sacri, & mensis pascha lis. 603.2.b.707.2.b

Nitocris hortos pensiles in Babylone construxit, eius sepulcrum. 487.2.a

Nix cur vocetur visio & apparentia.730.2.c. niues terram diu obsidentes eam fœcundant & dant frugum copiam. 731.1.b. niues vocantur mystice Apostoli & prædicatores. ibid.c

No primò dicta est Alexandria. 501.2.a

Nobiles in christianismo non est quòd se ignobilibus præferant.755.1.d. maiora habent impedimenta virtutis exercendæ quàm ignobiles. 2.a. nobiles Romani & Chaldæi toti erant in armis & equis & frænis adornandis. 491.2.d

Nocturnæ preces & vigiliæ cur dictæ fuerint. 237.2.c

Noë cur centum annis arcam fabricarit. 277.2.b. Noë idem sonat quod Nahum. 474.2.d

campanulæ vnde dictæ Nolæ. 226.2.d

Nomen in Confirmatione vel ingressu Religionis mutare fas est: & cur id fiat. 765.1.a. nomina Christiana danda pueris, non Gentilium. 304.2.a. nomine Christi vocari, quàm sit glorioſum. 347.1.d. nomen Domini est ipse Dominus, qui per nomen inuocatur. 238.1.a. & symbolicè eius virtus, gloria, & omnis perfectio. ibid. in funeribus inuocare solebant Iudæi nomen Domini. 311.1.d. nomen Dei quo Christus suos pascit, quotuplex. 445.2.d. nomina Hebræa, præsertim animalium, gemmarum, arborum, lapidum, multa significant. 212.1.d.364.1.b.394.2.d. nomen Iesu vide Iesus. Nomen sæpè significat personam nominatam. 779.1.a. nomina parentum Hebræi sæpè sumunt pro posteris. 95.2.c. nomina patrum aliquando iuuant ad Prophetæ intelligentiam.4.2.b. in nominibus propriis Prophetæ alludunt ad eorum significata. 17.1.b

Non vltrà, non amplius in Scriptura non significant æternitatem. 29.1.b.229.1.a

Nosse Deum beata vita est. 97.1.b

Nouacula acuta quam vidit Isaias, quid denotet. 315.2.b

Nouale est nouus ager, cùm is excisis herbis noxiis primò colitur. 167.1.c

Nouatianus antipapa fuit tantùm idolum pastoris. 749.1.b

cur in Nouembri magna cæli inconstantia. 294.1.b

Nouitij Religionum quàm feruentes sint.563.1.c. nouitiis in Religione nihil dicendum quo ad sæculum repetendum moueantur. 133.2.a

Nouum mundum fidelium Christus instituit.247.2.c. noui orbis conuersio Hispanis & Lusitanis gloria est. 363.2.d

Nox visionibus accipiendis aptior est. 638.2.a

Nubentes Romæ non tangebant limen domus.227.2.a

Nubes quomodo vocentur flumen aëreum. 380.2.b. sunt pluuiæ vehiculum. 109.2.a. quadriga sunt Dei. 555.2.b. iis assimilantur Apostoli & viri Apostolici. 731.1.d

Nuces duri corticis an pomorum nomine comprehendantur. 325.2.b

Nudare in Scriptura subinde tondere significat. 558.2.b

Nudipedes erant qui aliorum ossa legebant. 312.1.b

Nudus vocatur lacer & pannosus. 403.2.d

Nugacitas hominum quanta sit. 599.2.c

Nugæ quantopere fideli vitandæ sint. ibid.a. nugæ vox ab Hebræo nuge deriuata est, idemq; significat. 598.1.a.2.a. nugæ vocantur homines, & res nugaces & nihil. 1.a.37.2.c

Numa populum Rom. ferum religionis institutione & vtilibus legibus domuit. 159.2.d.607.2.a

Numantia ob discordiam excisa. 592.2.a

Numerus cardinalis sæpè capitur pro ordinali. 604.1.c. per numerum nominum diuinabant veteres. 374.2.d

Numinis metus & reuerentia homines à peccato auocat, & ad bonum impellit. 97.1.a

Nuptiarum conciliator & vindex est Deus. 813.2.c. earum ritus apud Gentiles.814.1.a.b. earum diffi-

nitio. 92.1.c

ætis earum præses Iuno. ibid.a. ab iis abesse debet rixa & iracundia. ibid.b
Natricum Ephraim cur se vocet Deus. 171.2.d
Natricum indolem & mores sugunt infantes. 56.2.c

OBediendum Deo vocanti. 371.2.d
Obedientia vera in qua re sita sit. 612.2.a. manca qua sit. 798.1.c. eius symbolum oliua est. 205.2.a. ipsa martyrium est. 183.1.d
Oblatio tristi animo oblata Deo displicet. 160.2.c. oblatio mystica quænam hæreticis sit. 799.2.c. oblatio munda quæ nomini Dei offerenda promittitur, quænam sit. ibid.a.b. ostenditur esse Eucharisticum sacrificium. ibid.d.& seqq.
Obstinatio in peccatis designatur anagogicè per talentum plumbi. 687.2.d
Occasiones peccatorum non vitantes quàm stolidi sint. 117.2.c
Occidit impios Deus, dum eos facit pios. 449.1.b
Octo primates homines quos Michæas intelligat. 447.1.b.& seqq.
Oculus corporis in Script. significat oculum mentis. 182.a. oculus hominis centum morborum genera habet. 327.2.c. oculus baculo insistens hieroglyphicum Dei est. 48.2.d.662.2.b.c.576.1.a. oculus quanta cura custodiatur. 652.1.a. angeli cur vocentur oculi. 662.2.c. oculum dextrum quomodo nobis eruat diabolus. 655.1.d. ab iis quæ odiosa nobis sunt oculos auertimus, & contrà. 519.1.c. oculorum porta quomodo dicatur porta peccati. 573.1.a. quàm lubrici ii sint. 522.1.c. oculi in candelabro Zachariæ quid sint. 676.2.c.d. quid significent. 677.1.c.d. oculi septem lapidis à Zachar. visi, an ei incisi vel affixi fuerint, an verò à lapide separati, sed in eum respicientes. 662.1.a. ostenditur ei fuisse affixos vel incisos. ibid.c. qualiter in lapide concipiendi sint. ibid.d. quid significent. 2.a. bi typolog. sunt septem dona Spiritus sancti. 663.1.a
Odia fraterna cur sint acerrima. 264.2.c. odium Dei nullatenus potest esse bonum aut licitum. 53.2.a. odij Iudæorum in Christianos quæ sit causa. 352.2.a. odium vxoris non erat Iudæo repudium licitum. 815.2.d. odium aliquando in Script. vocatur minor amor. 793.1.a. odio infinito Deus peccatum omne odit. 519.2.b
Odolla vrbs fuit antiqua, magna & regia. 410.1.c
Odoratus rebus vires in animi syncope maximè restaurantur. 520.2.c.640.2.b
Oeconomia vitæ Christi plena est paradoxis. 30.1.a
Officium præuenire, quam decorum sit. 176.1.a.b
Officium hominis est bonum facere, & mala declinare. 456.2.a
Oleu abundantes regiones an præ aliis viros sapientes gignant. 153.1.c. olea deditionis, subiectionis & ebeuntiæ symbolum est. 771.2.b.d. item æternitatis. ibid.c. item pacis studium denotat, hinc Palladi sacra. 680.2.a
Oleum misericordiam Dei symbolicè repræsentat. 205.2.a. 801.1.c. habet nitorem, ignis fomentum, & pinguedinem. 679.2.b. olei fons Romæ è terra profluxit per totum diem ante Christi ortum. 616.2.b. 763.2.c. eo in loco erecta Ecclesia. 616.2.c. olei proprietates Pontificibus ac regibus adaptantur. 679.2.c.d. oleum Samariæ excellebat, vti hodie Tiburtinum: eo carebat Aegyptus. 185.1.d
Oliua symbolicè Ecclesiam & Sanctum quemlibet designat. 205.2.a. oliuæ duæ apud Zachariam quid symbolicè diuersimodè accipiuntur. 679.1.d.680.1.b.& seqq. earum descriptio. 667.2.d.& seqq. quid symbolicè denotent. 668.2.d.669.1.d.2.d.& seqq. oliuæ paruæ sunt Romæ. 676.1.c
Olireti mons qualis & vbi situs, vocatur sanctus & inclytus: quid in eo gestum. 771.2.a.772.1.c.773.1.c.& seqq. est symbolum Ecclesiæ Gentilium 771.2.b. ex eo Christus in cælum ascendit, inde Antichristum deturbabit, & illuc ad iudicium veniet. 2.d. quomodo & quando scissus sit. 771.1.d. & seqq.773.1.a.774.1.c
Olla atra diabolus est mysticè, & in eo spem reponentes. 496.2.a. olla succensa à Ieremia visa quid denotaret. 315.2.b
Olympias neptis Ablauij omnia sua in pauperes erogauit. 127.1.a
Olympiades cœperunt anno XL Oziæ regis. 32.2.a. ab iis cœpit apud Græcos historiæ fides constare. ibid.
Olympij Abbatis in cruciatibus corporeis tolerantia. 482.2.c
Omen ex Scriptura captare quatenus liceat. 30.1.c
Omnia in omnibus est Deus. 187.1.d
Onager mas zelotypus est. 146.2.d. agmine seminarum stipatus incedit. ibid. significat typicè gentes exleges ante Christum. 546.1.b
Onias factus pontifex à Iudæis qui in Aegyptum fugerant, Heliopolitani templi. 786.1.c
Onion appellatur templum, vrbs & regio Heliopoleos, qua occasione id ædificatum. ibid. quamdiu id steterit. ibid.
Onocrotalus auis similis est cygno, dicta à sonorein ingluuies, cur vocetur gutturosa, quare concbis se repleat, eratimmunda Iudæis est gulæ symbolum, dicitur quoque pellecanus, est amans solitudinis. 585.1.b.c
Onus vocari potest Euangelium dupliciter. 710.2.b. onus vocatur prophetia tristis, minax, odiosa & calamitosa. 474.2.c.508.1.b.710.1.c.751.1.b. 791.1.d.24.1.d. cùm prophetiis præponitur, ipsa partim lætæ, partim tristes sunt. 24.2.a
Operariorum labores sæpè incassum cadunt ob neglectum Dei cultum & gratiam. 609.2.a
Opes quàm vanæ sint, & indignæ quibus homo cor apponat; quàm noxiæ. 495.1.b. ab iniustis possessoribus ad iustos auolare gestiunt. 504.2.c. dicuntur lutum ob vilitatem. 532.1.c. item quia iniquè collecta animam conspurcant. ibid.d. vocantur in Script. propagines. 490.2.a. opes suas templis & personis Deo dicatis offerre, Deo gratum. 699.2.c. auaro sunt idolum, rapina, robur, spes & requies. 189.1.c. vide Aurum.
Ophel erat turris excelsa in Sion, eius descriptio. 427.2.d.528.2.c. ab altitudine dicta est Ophel, id est tenebræ. 418.1.a. non erat turris Psephina. ibid. significat symbolicè caliginem Dei. ibid.b
Ophiomachus locusta fit, dum mole corporis & alis perficitur. 211.1.a
Optationes extremorum malorum in viris sanctis accipiuntur pro prophetiis eorumdem. 202.1.b
Optimates, capita sunt vrbium. 304.1.d. dicuntur hinc montes & excelsa terræ. 400.2.b
Opus primum Dei Patris fuit æterna generatio Filij: & primum redemptionis nostræ fuit eius incarnatio. 122.2.d. opus bonum, semen est melioris. 166.2.d. operis veritas in quo consistat. 251.1.d. quod sit operis mendacium. 2.a. opus bonum debet habere omnes suas circumstantias positiuas & negatiuas. 626.2.a. opere prius concionandum quàm ore. 604.2.a. opus

oliua est fructus quem olea producit. 561.2.d. opus Dei, per excellentiam est redemptio generis humani. 541.2.c

Opera perfectè faciendi praxis. 458.2.a. opera bona & vitæ mutatio Deum ad clementiam flectunt. 391.1.b. hæc amissa per lapsum, post pœnitentiam redeunt. 232.1.a. opera nostra omnia in Deum tendant. 14.1.a. etiam corporalia quantumcumque lenia, sollicitè facienda sunt. 458.1.d. opera bona sunt semina beatæ æternitatis. 167.1.a. ea impedire quantum sit scelus. 129.1.c. iis Christum coronamus. 697.2.b.c. ea peccatis sordidans, ea perdit, item qui ea ob ostentationem facit. 609.2.b.c. opera omnia infidelium & impiorum non sunt peccata. 626.2.a. opera principum magis reip. statum fundant quàm edicta & minæ. 673.1.b. opera SS. Trinitatis ad extra sunt tribus personis communia. 818.1.b

Optima Deo danda. 797.1.d. 798.1.a.b. 894.2.a

Oracula sua Prophetæ scribunt & hominibus sui ævi, & secuturis. 364.1.c. ea sunt ceu literæ è calo delatæ. 15.2.c. multæ eorum cur non exstent. 1.2.a. oracula etiam falsa vendere auro, simoniæ est. 423.1.c. oracula sua Deus attemperat conditioni hominum. 234.1.d. deorum oracula in somnis captabantur in delubris iuxta sepulcra magnatum. 148.2.a. item dormiendo super stragula. 270.2.c. ea Christus suo ortu sustulit non tantùm apud Christianos, sed & apud Gentiles. 449.2.b. 616.2.b. planè defecerunt in morte Christi. 538.1.c. oraculum rationalis diu apud Iudæos cessarat. 611.1.c

Orandum subditis maximè, tam pro regibus quàm pro toto populi cœtu. 196.1.b

Oratio ad Deum pro principibus, est optima. 132.2.d. orationis facta vel neglecta, quanta sit vis. 413.2.b. ea magis intelligitur S. Scriptura quàm studio. 15.1.a. cælos penetrat vbicumque effusa. 379.2.d. donum orationis ingens Dei & Spiritus sancti donum est. 757.1.c.2.a. est fistula cælestis, per quam à Deo per Christi merita omnem gratiam sugimus. 2.a. subinde vocatur laus. 540.1.b

Oratio Christi ad impios in die iudicij. 240.2.c.d

an totus Orbis Christo iudice in valle Iosaphat sedente concutiendus & conuellendus sit. 247.2.b

Orbitas filiorum congrua pœna est fornicationis. 155.1.c.2.b

Ordinandi olim cælitus aliquando à Deo designabantur. 825.1.c

Ordinationes sacerdotum quando communiter fiant. 708.1.d

Ordines Religiosi quibus de causis à primæua sanctitate deciderint. 81.2.c

Oriens est Christus. 661.1.a.d. Orientem respiciunt Christiani orantes & templa. 772.1.b

Orientales natura calidi sunt. 502.2.c. olim in tabernaculis degebant. 345.1.c. Orientalis ventus vrens est & noxius. 184.2.c

Origenes sci ipsit in Cantica versus ferè 20. millia. 31.1.c. putabat angelos in hominum custodia mereri vel demereri 451.2.c. item damnatos omnes aliquando saluandos. 200.1.b. sensus mysticos Script. semper sectatur. 8.1.b. eius in ea volutanda assiduitas. 16.1.c. nimis fisus ingenio est. ibid.d. eius lapsus. 354.2.d. putauit Malachiam, Aggæum & Iohannem Baptistam fuisse angelos incarnatos. 789.1.a. 818.2.b. præfuit schola Alexandrina. 502.1.a

Originale peccatum generatione transfunditur: per menstruum symbolicè intelligitur. 764.1.c

Orion sidus est meridionale ante Taurum: vnde dicatur; eius descriptio. 293.2.d. & seqq. ei Martyres comparantur. 294.2.a

Ornatu templorum, altarium, vasorum sacrorum Deus honoratur & delectatur. 797.1.d

Orpheus diu in solitudine vixit, vt superùs intenderet. 9.2.c

Os Hebræis sæpè significat capacitatem, proportionem, mensuram. 45.1.a. 166.1.a.2.b. subinde voluntatem. 166.2.b. oris veritas & mendacium qua sint. 131.1.d

Osculari solebant idololatræ idolum in signum venerationis. 192.2.d

Osee vsque ad annum ætatis XC. prophetauit. 1.1.b. 51.2.c. dictus est communicus, & quasi per sententias loquens. 1.2.c. 2.1.a. 51.1.a. fuit primus Prophetarum. 5.1.b. 32.1.d. 50.1.c. 52.1.d. in nonnullis cum Isaiæ conuenit. 19.1.a. quando cœperit prophetare. 32.2.b. & sub quibus regibus, & quid. ibid.c. 50.1.c. oraculis, factis, moribus & nomine Christum præfigurat. 50.1.a. vnde id nomen deriuetur, & quid significet. ibid.b. prophetat Iudæ & Israeli. ibid.b. 2.a. 51.2.c. fuit synchronus Isaiæ. 50.1.c. an ipse angelus, de quo Apocal. 5. ad literam. 2.b. cur dicatur angelus fortis: an quercum in 12. partes vi verborum diuiserit. ibid.c. Sanctorum catalogo ab Ecclesia asscriptus est. 51.2.c. an fuerit Issacharita. ibid.b. vidit excidium tribuum à se prædictum. ibid.c. cur solum Ieroboam nominet è regibus sub quibus prophetauit. 52.1.a. cœpit 90. annis ante excidium Samariæ, & 124. ante excidium Ierusalem. ibid.c. cur iubeatur à Deo fornicariam vxorem ducere. 2.c. 55.1.d. 56.2.b. non iubetur fornicari, sed meretricem in vxorem accipere. 53.1.a.b. an cum ea sit fornicatus sine peccato. ibid.b. vera eius vxor fuit. 2.d. stabile hoc eius coniugium fuit. 54.1.c.d. sibi filios adulterinos procreauit. 2.c. non duxit idololatram. ibid.d. verè eam duxit, non verò per visionem imaginariam. 55.1.c. cur eius filij vocentur filij fornicationum. 2.c. & seqq. eius caritas in fornicaria ducenda. 56.2.d. & obedientia. 57.1.a. hanc cùm duxit, iuuenis fuit. ibid.b. eius connubium cum Christi connubio comparatur. ibid. & 2.a. eius prima proles dicta est Iezrahel. 58.2.a. secunda Lo rachuma. 61.2.b. tertia Lo ammi. 64.2.a. iubetur quoque à Deo adulteram domum abducere, & cur. 89.2.d. 90.2.b.c. habuit eam vt ancillam, ad hoc vt adulteriis abstineret. 90.2.b. 91.1.a.2.d. quas adulteræ huic conditiones, dum eam conduceret, proposuerit. 92.2.d. & seqq.

Ossa sunt schema virtutum duriorum. 420.2.c. ossa Prophetarum quomodo pullulare dicantur. 3.1.c. ossium dispersionem insigniter impiis minatur Deus. 268.1.a. ossa crematorum quomodo colligerentur. 310.2.c.d. & seqq.

Ostentatio multis causa est interitus. 138.1.a. prætor ostentatio scientiæ, virtutis, virium, & ingenij non peruenit ad felicem exitum. 146.1.a

Ostiensis Episcopus inter Cardinales primus est. 663.2.a

Otto Imper. vi Ven. Eucharistiæ hostes suos profligauit. 726.1.c

Ouæ piscium feminarum non perficiuntur ad generationem sine mare. 522.1.c

Oues tondentur sub æquinoctium vernum. 316.1.b

Ouidius

Oëlias in Poloniam relegatus fuit. 779.1.b
Oza mortuus quo anno mundi regnare cœperit, qui sub eo prophetarint. 32.1.d. dictus est & Azarias. 255. 1.b. eius regni anni. ibid.c. eius factus quomodo à Deo punitus. 2.d. quando eius lepra contigerit. 256.1.b.c.

Pacificatissima quæ diceretur. 299.1.d.801.2.b. poterat esse femina, si esset voluntaria; secùs si virtus 804.1.c. pacificus cum proximo ambulat cum Deo. 808.1.c
Pactum Dei cum Leuitis quale fuerit. 807.2.a. pactum Dei cum Iudæis initum quomodo cum omnibus populis initum dicatur. 743.1.c
Palæstina quanta sit ariditas. 285.1.d
Palæstram qualem Iason pontifex Hierosolymæ excitauit. 752.2.b.753.2.c
Palatia superba & ampla detestatur Deus. 309.2.d
Palumba columba & anas quæ dicatur. 137.2.b
Palurus est genus spinæ asperæ & acutæ. 464.1.c
Palladium fatale è cælo decidit in Troiam, eius miracula, eo sublato Troia capta. 95.1.c. in arce situm erat. 493.2.d
Pallium cilicinum erat vestis exterior Prophetarum. 764.2.c. id cilicio suo superiniiciebant. 11.1.b. id olim assumebant conuersi à gentilismo. ibid.c
Palma duæ iugiter fumantes an sint in valle Iosaphat. 290.1.c
Palæstratur Deus à Gentilibus. 538.1.b. Pan quomodo ab Amore in lucta sit victus. ibid.
Panis subcinericius cur vocetur Israel. 135.2.c. talis panis describitur. ibid. per panem Hebræi intelligunt quemlibet cibum. 75.1.a.796.2.b. panis lugentium vocantur sacrificia Deo displicentia. 150. 1.d. panis pollutus aliquando victima polluta vocatur. 796.2.a. panis supersubstantialis est Eucharistia. 724.2.d. panis & vinum sunt materia Eucharistiæ. 150.1.b.801.2.b. panes propositionis quales esse deberent. 796.1.d
Pantænus schole Alexandrinæ fuit præfectus. 502.1.c
Papyrus arbor est in Aegypto, eius tabulæ olim chartæ vsum præbuere. 527.2.b
Parabola vox Hebræis latè patet. 413.2.c.531.2.d. eius tres sunt partes. 275.1.c. parabolis cur Minores Prophetæ vtantur. 6.1.c
Paradoxa crebra sunt apud Prophetas. 29.2.d. maximè cum de Christi incarnatione, vita, passione, resurrectione vaticinantur. 30.1.a
Paraphraseos Chaldaicæ in Biblia quis auctor: hac vsque in locis corrupta est. 6.1.a. in nonnullis fauet religioni Christianæ. ibid.b
Parcæ rudè dicantur, & quæ sint. 834.1.b
Parcere quid propriè Latinis significet. ibid.c. capitur quoque pro misereri. ibid.d
Pardus animal fœdum & maculosum est. 514.2.c. ex arboribus in viatores subitò insilit, hinc vocatur ob celeritatem fulmineus. ibid.d
Parentalia sunt sacrificia pro mortuis parentibus. 150.1.d
Parentes non impediant proles ad Religionem aspirantes. 272.1.b. eorum vitia in filios transfunduntur. 56.1.c. filiorum orbitate puniuntur, dum ipsi matrimonio turpiter abutuntur, vel prolibus impiè abutuntur. 155.2.b. parentes extremæ laborantes inopiæ deserendi non sunt religionis præcepto. 413.1.b
Paria aliquot fratrum & sororum, & sodalium sanctorum enumerantur. 265.2.a.b
Parietes duo fabricæ inuicem oppositi physicè consentiũt paralleli, mathematicè non sunt. 644.2.a
Parisiensis vrbis magnitudo. 386.2.d
Παροικος & aduenam & accolam vel incolam significat. 582.1.a
Parturientis dolores quando & quomodo peccatori accidant. 196.2.d
Partus Deiparæ matris fuit nobilissimus, cæloq; & terræ optatissimus. 444.2.c
Parui cur sint acutiores. 351.2.a. parua plus vitæ & vigoris habent quàm magna. ibid.b. non paruam gloriam includunt & artem. 2.1.a.b. & seqq. magnam habent industriam. 2.a. parui dies qui dicantur in Scriptura. 70.1.b. 673.1.d. & seqq. paruos Deus ad celsa euchere satagit. 674.2.c.d
Paruulos allidere ad saxa summæ crudelitatis argumentum est. 503.1.d. paruuli in baptismo non eliciunt actum fidei, qua iustificentur. 396.2.a. paruuli etiam vagitu suo Deum ad misericordiam flectunt. 227.1.a
Pascha quo mense celebrarent Iudæi. 603.2.b
Pascor verbum commune est. 184.1.c
Pascuum, & substantiuum est, & adiectiuum: vox pascua, in substantiuum transit. 220.1.b. 496. 2.d
Passionis Christi pauci participes sunt. 21.2.d. eius tempus est magnus dies Iezrahel. 70.2.b. per eam pax reddita orbi. 377.2.b. eius balneum lampade ab oleo nutrita denotatur. 670.1.a. in ea fuit Christus quasi lapis cælatus. 664.1.d. & per eam cælaturam omnes eius virtutes fuere velut expolitæ. 2.a. eam qui semper præ oculis habuerint & habeant. 765.2.c.d. in ea quomodo Christus fuerit sordidatus. 657.2.d
Passiones animæ quatuor, per quatuor cornua repræsentantur. 645.2.b. quatuor plagis Ioëlis repræsentantur. 215.1.a. hæ continuò iactant animam peccatoris. ibid. hominem dementant. 2.b. sunt turbines & tempestates. 477.2.b. sunt velut quadrigæ. 499.2.b. illis obsequentes, imbelles velut mulieres sunt. 501.1.b. illis subsidentibus anima sit diuina. 824.1.c. earum feræ rumpendæ è carcere peccati & diaboli egredi cupienti. 419. 1.a
Pastor sit oculus & vigilans. 749.2.c.d. item sanctitate suis antecellat. 750.1.b. pastoris boni & mali discrimina. 747.2.c.d.749.1.b.& seqq. hunc & illum creat Deus. 748.1.a. pastoris sanctæ mores. 2.a.b.& seqq.750.2.b.c. pastoris vmbræ & idolum quis sit. 748.2.d. pastor mysticus & symbolicus fuit Zacharias Propheta. 738.2.a. 739.2.a.740.2.a.743.1.a. duo officia veri pastoris. 749.2.c. & seqq. pastores bonos Iudæis plurimos Deus misit, sed hi vel munus pascendi reliquerunt, vel tædio consumpti, vel ab eis occisi sunt. 742.1.c. pastores malos quos Iudæi habuerint, Deo nauseam mouentes. 2.a.b.748.1.b. pastores turris Eder primi Christi ortum didicerunt per angelum. 429.2.a. pastores septem suscitandi sunt septem angeli principes Synagogæ tutores. 447.2.b. pastores quando subditis fiant rete. 111.2.b. velut vinitores sunt. 84.1.a
Pater apud homines quis propriè dicatur. 68.1.b.2.a. pater iustorum quomodo sit Deus. ibid.795.1.c. patres Prophetarum ab ipsis in titulis nominati an Prophetæ etiam fuerint. 4.2.a. patres in limbo

anagogicè vocari possunt vincti spei. 719.1.c. eos è limbo quomodo Christus eduxerit. 718.1.b
satius hîc est Pati quàm in futuro. 561.1.d
Patientes quàm esse Prælati debeant & principes. 741.2.c
Patientia est vera potentia. 476.2.d. propria Sanctorum virtus est. 225.1.c
Patria cur in nonnullis Prophetis recensetur. 4.2.c
Patriarchæ primi Deo sua sanctitate fuere gratissimi. 462.2.c. vocari possunt radix Israel. 156.2.c. maximè prophetarunt morti vicini. 9.2.b. hinc & Prophetæ fuerunt. 4 1.a. quomodo vocentur christi Domini. 558.1.a. Patriarchas Christianos olim præibat lampadarius. 677.2.d
Pauci ad Christum ab Apostolis, viriſq; Apostolicis conuersi sunt.. 347.1.a
S. Paula Bethlehem Romæ prætulit. 439.2.a. ibidem feminarum tria condidit monasteria, & vnum virorum. ibid. mortua ibi est, eius epitaphium. 440. 1.b. continua fuit Martyr. 183.2.c. quomodo vitæ prioris delicias planxerit. 217.2.b
S. Paulinus Nolæ Episcopus ex humilitate in S. Script. commentari noluit. 1.1.c. ei quàm miraculosè frumentum à Domino multiplicatum. 330.2.d. quàm in pauperes & egenos effusus fuerit. 331.1.a
S. Paulus corpore pusillus fuit, sed sapientia gigas. 675. 1.b. 2.1.a. fuit Propheta 3.2.d. & perfectionis magister: an fuerit abstemius. 11.2.a. fuit angelus terrestris. 12.2.c. in raptu non vidit diuinam essentiam. 25.1.a. sæpè phrasin vsurpat Ciliſſam, quia Cilix. 27.2.a. mysterium vocationis Gentium vbique valdè stupet. 71.1.a. in tribulationibus exultat. 83.1.a. est signifer testium fidelium Dei. 182.1.a. gladium persecutionis vertit in vomerem Euangelij, iam conuersus. 245.1.b. Arabiam ad Christum conuertit. 362.1.d. intrepidus se ingerebat periculis. 384.1.d. 419.2.a. eius zelus pro Iudæis. 394.1.c. 721.1.a. 844.2.b. amorem legis patriæ velut stramineum ligamen discussit. 419.1.a. conuersionem suam à iudaismo ad christianismum quantopere deprædicet. 472.2.a. in quo fuerit sigillum Christi. 632.1.b
Pauor, cùm Deo tribuitur, in Script. significat summam reuerentiam. 95.2.c. caliginem oculis aquè ac menti inducit. 333.2.b. vide Metus, Mœror.
Pauper est, qui plura cupit. 523.2.d. pauperes sæpè ob inopiam peccant. 683.1.a. 830.2.b. eos Christus quàm diligeret. 416.1.a. 755.2.a. pauperes gregis, vocantur inopes in populo. 739.2.b. eos opprimunt, qui sua quærunt commoda. 309.1.b. eorum oppresso enormis crimen. 269.1.b. & seqq.
Paupertas voluntaria martyrij genus est. 183.2.a. eam quantopere Christus dilexerit. 439.1.b. 544.2.d. paupertas populi, est paupertas principis. 420.1.d. paupertas mater & amica est humilitatis. 566.1.a. 617.1.d. eius typus. 545.1.c. vera paupertas esse debet expedita, nuda, patiens, confidens, opulenta, secura. ibid. c. d. paupertas Christi ditissima est. 2.b
Pax Hebræis significat bonorum omnium affluentiam. 249.1.a. 680.1.a. eius symbolum est oliua. 205. 2.a. pacem cum Deo, cum anima, cum proximis qui cupit, Christum adeat. 446.2.d. eam triplicem attulit Christus. ibid.a. pax quæ bona pariat. 706.1.c. & seqq. eius emblema. 680. 1.a. sub Christi regno quomodo florebit. 717.1.c. est vna de dotibus sacerdotis. 808.1.c. pax domitis concupiscentiis, in anima quantum bonum adferat. 625.1.c.d. in tali anima habitat Deus. ibid. d. ea necessaria volenti in virtute proficere. ibid. c. anima est quasi signaculum. 632.1.c. pacem in peccatis habens propè est obdurationi. 687. 1.b. pacem nos docuit Christus, dum medium vbique locum elegit. 543.2.d
Paxillus est symbolum principis. 735.1.b
Peccanti nemini, ne sancto quidem, parcit Deus. 191. 2.a. peccantibus non est conniuendum, aut adulandum. 100.1.d.2.d
Peccator adhærens creaturis, nil nisi turbulentum in iis inuenit. 372.1.b. non homo est, sed bestia. 165.1.d. eius lethargus. 373.2.d. quàm inania consectetur. 91.1.d. edit fructum mendacij. 168.1.c. videtur non habere cor. 138.1.c. comedit panem lugentium. 150.2.b. per peccatum omni decore virtutum & gratiarum spoliatur. 412.1.a. hîc bibens calicem voluptatis postea bibet calicem vltionis Dei. 359.2.a. per fraudes parans sibi opes & dignitates, telas aranearum sibi texit. 145.1.a. lætatur in rebus nihili ob septem rationes. 313.2.d. 314.2.b. concipit peccatum cum breuissima voluptate, sed parit cum longo dolore. 197.1.b. an aliquando, ob grauitatem & frequentiam scelerum, nequeat conuerti. 200.1.c. carni & veneri indulgens fit quasi vitulus. 161.1.b. eius cùm Deus obliuiscitur, ingens id illius est pœna. 62.2.b. eius stultitia quanta sit. 77.2.a. 747. 2.b. ei à Deo se auertenti, opem suam subtrahit Deus. 421.1.a. ei quomodo viam peccandi Deus obstruat. 75.2.b. ei duplici ira irascitur. 467. 1.c. cum eo sua peccata defendente non potest ambulare. 276.1.a. cupiditates suas facit sibi deos. 76.2.a. Deo reconciliatus, identidem ei pro beneficio iustificationis gratias agat. 472.2.c. iusto Dei iudicio, in morte tot curis opprimitur, vt Dei obliuiscatur, maximè si pœnitentiam differat in mortem. 311.2.b. eum Deus assiduè ad pœnitentiam inuitat. 123.2.d. 124.1.d. eius conuersionem quàm auidè Deus expetat. 462.2.c. non fouendus peccata dissimulando. 100.1.d. non aduertens quò eat, in Iona fugiente repræsentatur. 370.1.c. in se immisericors est. 302.1.d. cùm orationis studium negligit, à Deo deseritur. 413.1.c. polluit templum Dei quod in anima eius habet. 812.2.a. peccando polluit octuplicem Dei sanctitatem. ibid. c. cùm Deus ei suam reuelat turpitudinem & sordes voluptatis, magna est gratia. 500. 1.c. eius pœnitentia prior est, quàm sit eius iustificatio; tamen prior est gratia excitans Dei, quæ pulsat mentem peccatoris, vt pœniteat. 829.1.a. paruo pretio Deum amittit & vendit. 744.2.a.c. peccando Deum velut cruci affigit. 829.2.c.d. omnia quæ tangit, peccato illicò non inficit. 626. 2.b. eum satius est in præsenti sæculo puniri, quàm in futuro impunè habeat. 482.1.b.c. è statu damnationis educitur velut è lacu profundo, dum ad gratiam reuocatur. 718.2.b. iustificatus fit ex æthiope candidus. 595.1.b. conuersus est velut torris erutus de igne. 657.1.d. ei commiserandum est. 586.2.b. peccatores cur vocentur nugæ, & nugaces. 589.1.a. eorum conuersio opus est Spiritus sancti. 670.2.c. in die iudicij quasi igne excoquentur. 823.1.b. illis semper imminet Dei vltio. 681.2.d. obstinati sunt velut Æthiopes. 584.1.c. vide Impij.
Peccatum quomodo clamet in cælum. 370.1.a. eius voluptas quàm sit vana & insipida. 91.1.c. sæpè desolationis est causa. 202.1.c. eius acerbitas. ibid. d.

Ira enormitas in se. 472.1.b. *eius pondus & dolor omnium grauissimus.* 431.1.d. *vocatur in Script. fel & amaritudo, fel & absinthium.* 293.1.a. *item labor & dolor.* 509.2.c. *item nihil, & peccatorem ducit ad nihil.* 313.2.d. 314.2.c. *cur appelletur sanguis.* 97.2.b. & *seqq. in Scriptura tripliciter sumitur.* 100.1.a.2.a. 517.2.d. *eius actus transiens post se in anima relinquit maculam habitualem peccati.* 154.1.a. *eius gradus quatuor.* 259.2.b. *in idem peccatum quater vel sapiùs recidentes difficilè conuertuntur. ibid.d. peccatum vnum mortale quanta Dei sit iniuria.* 93.1.b. *peccatum omne punit Deus.* 191.2.a. *quo diutiùs confessario tegitur, eo difficiliùs expellitur.* 196.2.b. *cur vocetur ignorantia.* 540.2.a. *quantum sit sacrilegium.* 812.2.c. *eius emblemata varia.* 686.2.a. *eius propria descriptio.* 511.2.c. *est mendacium practicum.* 589.2.b. *est sagitta configens Deum.* 829.2.c. *eius typus menstruum est.* 764.1.c. *eius splendor externus, internus fœtor.* 500.1.c. *eius radix pœnitenti euellenda.* 823.2.d. *peccatum Iesu pontificis quod fuerit, ob quod à Satana accusabatur.* 655.2.c.d

Peccata fœno & stipulæ comparantur. 273.1.b. *sunt instar panis subcinericij.* 136.1.a. *cur vocentur amaritudines Dei.* 191.1.b. *ipsis assueti quàm ægrè ab iis auellantur.* 265.1.c. *in Sacramento baptismi & aliis verè exstinguuntur.* 471.1.c. *eorum tres sunt gradus.* 65.1.b. *creant turbinem, qui peccatores tandem deturbet in tartara.* 110 1.a. *eorum remissio quantum Dei sit beneficium.* 472.2.a.b. *peccata patrum & maritorum punit Deus peccatis filiorum & vxorum.* 105.2.b. *peccata populi sacerdotes tripliciter comedunt.* 100.1.b. *peccatorum præteritorum recordatio, stimulus est ad sollicitam cum Deo ambulationem.* 457.1.d. *solus Deus ea aufert & condonat.* 658.2.b. *ea omnia abluit Christus, & eorum scaturigines tollit.* 764.1.b. *in occulto patrata Deus educit in lucem.* 686.1.a. *quando peccatorum Iudæorum mensura ab ipsis impleta fuerit.* 684.2.b. 685.1.c. 687.1.d

Peccatrix occisionis quomodo Iudæi à Propheta vocentur. 738.2.b

Pecunium Romanis erat quidquid alicuius labore & industria comparatum erat: vnde deriuetur vox. 833.2.a. *eius vsus & definitio. ibid.*

Pecunia est diuitum robur, item neruus belli. 431.2.b. *item anima, sanguis, vita.* 420.1.b. *est occultus hominis tyrannus.* 189.1.c. *auari idolum est.* 537.1.c. *olim omnis, præsertim cùm rudis esset, semper ad pondus annumerabatur.* 331.2.b. 744.1.b. vide *Aurum, Opes.*

Pedum vsus quid homini præstet. 521.2.c. *pedis immissione in agrum vel locum olim fiebat vsucapio.* 553.1.b. *pedes Domini tropologicè qui sint.* 478.1.a

S. Pelagia in monte Oliueti tugurio erecto pœnitentiam egit. 241.2.a

Pelagius hæresiarcha in senio hæresin suam detexit. 136.2.b. *vnde lapsus.* 354.2.d. *in paruulis actuala peccata esse docebat.* 396.2.c

Penates domestici erant theraphim. 95.1.a. *eos etiam post excidium vrbis secum peregre asportabant. ibid.b. vnde dicti. ibid.d*

Pentateuchus olim vnus continuus fuit tractatus. 31.1.a

Percussio cardinis templi Bethelini, Amos menti obiecta quid significaret. 336.1.c

Perditio suiipsius quisque est. 195.1.c.d. *perditio est ex homine peccante, seq; in peccatis obdurante.* 194.1.d

Peregrini sumus super terram. 783.2.a.c.d

Pellecaprina vtitur Iupiter loco libri. 681.1.c. *pellis hyænæ an hominem tutum contra hostes reddat, & alia eius mira.* 515.1.d

Pelta vox vnde deducatur. 581.2.c

Peltati milites qui dicantur. ibid.b

Pennæ solis, sunt eius radij. 838.1.d

Perambulare in principibus, idem est quod regere. 642.2.b

Perdere & parcere *contraria sunt.* 834.1.d

Perfectio diuinæ naturæ est in causa, cur nequeat Deus mutari. 827.1.c. *perfectiones omnes in Deo infinitæ & augustissimæ sunt.* 538.1.a

Perfecti in fide & virtute quomodo mysticè somnia videant. 234.2.a. *perfecti quomodo imperfectos regere debeant.* 83.2.a

Perire dicuntur ea quorum non est vsus. 568.1.c

Perpendiculo cur architecti vtantur. 644.1.d. *perpendiculum Israelis quando Deus deponat.* 319.2.d

Persarum reges solis nomen sibi aut imaginem assumebant. 302.2.d. *hinc & ignem sibi præferri curabant. ibid.* 221.2.b. *Persæ Iudæos non afflixere, sed potiùs iis propitij fuere.* 214.1.a. 644.1.d. 651.1.c. 693.2.a. *cur vterentur vestibus rubris in bello.* 693.1.c. *per equos nigros repræsentantur.* 2.a. *an veste atra vterentur. ibid. equis pollebant, vti etiamnum equitatu contra Turcas pollent.* 642.1.b. *quomodo requiescere fecerint viam Dei in Chaldæos irati* 692.2.c. 695.2.d. *Deum censuerunt esse ignem.* 822.1.d. *ipsis Alexander & Græci monarchiam extorsere.* 618.1.c. 695.1.b. *eorum imperij sedes erat Babylone.* 695.1.b. *eorum reges habebant principes, qui dicebantur oculi & aures regis.* 662.2.d

Persecutione crescit Ecclesia. 470.1.a. *persecutio infidelium, contra Christianos tempore legis nouæ, quanta fuerit.* 466.1.a. *persecutio prima Ecclesiæ fuit à Iudæis.* 753.1.a. *ea excitatur Christianorum ardor & puritas.* 823.1.a. *persecutiones & persecutores vniuersales Ecclesiæ per quatuor cornua Zachariæ visa symbolicè denotantur.* 646.1.b

Persecutores Ecclesiæ Deus ei subiecit. 756.2.c

Persicum pomum veneni vim habere dicitur, in Italiam transmissum naturam mutauit. 326.2.d

in tertia Persona loquitur de seipso Deus honoris causa. 287.1.d. *personarum acceptio non est apud Deum.* 225.2.c. 234.2.c. *personæ tres diuinæ sunt velut montes rebus omnibus creatis eminentes.* 249.1.d. *tres dies mysticè sunt.* 121.2.a

tempore Pestis licet forte sacerdotem eligere, qui Sacramenta conferat. 374.2.a. *pestis Israelitarum quam memorat Amos, quando acciderit.* 286.1.d. *quanta fuerit pestis Aegypti tempore Mosis.* 2.b. *eam cur Deus Chananæis immiserit.* 551.1.c

Petosyris esse dicitur tractatus de diuinatione vitæ & mortis, qui Ven. Bedæ ascribitur. 375.1.a

Petræ scissæ sunt patiente Christo. 617.1.a

S. Petrus quomodo dicatur filius Ionæ, cuius pater fuit veritas. 369.1.d. *vixit herbis & oleribus.* 11.2.b. *audiens galli cantum resoluebatur in lacrymas, memor suæ negationis.* 472.2.a. *adamanti comparatur.* 320.2.c.d. *SS. Petrus & Paulus oliuis comparantur.* 669.2.d. *sunt duo filij olei.* 680.1.b

B. Petrus

B. Petrus Damiani, Cardinalis & Episc. Ostiensis, cardinalatu relicto intra monasterium suum se recepit. 81.1.c

P. Petrus Faber maluit obedire quàm vitæ consulere. 183.1.a

S. Petrus Martyr quomodo populos ad pœnitentiam animaret. 12.1.d. 388.2.a

Petrus Telonarius vidit se ob immisericordiam in pauperes iudici Christo sisti. 237.1.c

Phadaia frater fuit Salathiel, habuit quoque filium Zorobabelis nomine. 605.1.c

Phaëthontis incendium contigit sub Mose; quale ipsum fuerit, an solum terræ siccitas. 318.1.d. Phaëthon vnde dictus. ibid.

in Phantasia loquitur Deus per angelos, in mente per se. 25.2.a

Pharan deduci potest à peer, id est gloria. 548.1.c. Pharan mons in quo gesserit typum missionis Spiritus sancti in Apostolos. 547.2.c. symbolum est cæli. 548.1.c

Pharao typus est Balsasaris regis, & vterque diaboli. 559.1.c.d. ille cum omnibus suis in mari rubro periit. 558.1.c. 559.1.a.c

Pharisæi fuere pastores mali. 742.2.b.c. eorum intolerabilis superbia. 595.2.b

Pharus insula vicina Alexandriæ turrim habet, quæ nauigantibus igne collucet. 501.2.c

Phenenna contra Annam proteruia ob proles quomodo suppressa. 155.2.b

Phialarum in templo triplex erat vsus. 786.1.d. magna earum illic erat copia. ibid. est phiala lebete sacratior. 2.b. & seqq. omnes erant templi & sacræ. ibid.c

Philippus diaconus Azoti primus Euangelium prædicauit. 714.1.c

Philippi III. Hispaniarum Regis pietas in vita, & in morte timor de Dei iudicio. 80.1.c

Philippus Macedo quomodo detractorem sibi beneficiis deuinxerit. 173.1.d

Philisthæa quinque habuit vrbes & satrapias. 262.2.b. 580.2.c. erat pars terræ Chanaan. 582.1.b quando ad iudaismum, & deinde ad christianismum transierit. 2.a

Philisthini fuere itrati, & penè perpetui hostes Iudæorum. 262.2.c. 243.1.d. eorum omen superstitiosum Deus direxit in bonum. 375.1.b. quando Iudæos captiuos Idumæis vendiderint. 263.1.c. ipsi & Gentiles cum Iudæis per Christum in vnam Ecclesiam coaluere. 417.2.c

Philomelæ raptis pullis lugubre melos edunt. 404.2.c

Philosophi nulli sua dogmata per ænigmata & symbola tradiderunt. 6.1.c

Philosophia est animi reditus è tenebrosa vita. 777.2.a. eam venalem qui habeant. 604.2.d

Phinees cur Deus pontificatum in perpetuum consignarit. 807.2.b. an idem sit cum Elia, & etiamnum viuat. ibid.b.d

Phocas Imp. Deo permittente ad Imperium euectus, vt improbos castigaret. 196.1.c

Phœnices orti ab accolis maris Rubri. 381.2.a. Veneri donum dabant de prostitutione filiarum. 403.1.a. inuentores literarum ferebantur. 712.1.c.

Phœnicium mare & Tyrium, quomodo vocari possit Rubrum vel Erythræum. 381.2.a

Phœnix non est aliud quàm sol. 838.2.b.d. est symbolum Christi morientis & resurgentis. 839.1.b. 198.2.a.

Phraortes pater Cyaxaris in obsidione Ninives interiit cum copiis. 487.1.d

Phrasis duodecim Prophetarum est symbolica. 6.1.c

Pietas à mundanis putatur vanitas. 831.2.d

Pignerare sibi aliquem, est eum sibi mancipare. 270.2.d

Pignora iudicialia quænam à Iurisperitis dicantur. 271.1.a

Pij IV. Pontificis emblema, fuit virga & laurus cum hoc lemmate Pœna & præmium. 252.2.c

Pij plangunt Christi necem in eius funere, impij plangent in die iudicij. 761.2.d. pios sæpè opprimi, impios dominari sinit Deus. 510.2.a.d. & seqq. piorum afflictio non erit perpetua. 838.2.b. 840.1.b. vide Iustus, Sanctus.

Pila est mortarium: vnde dicta vox. 573.1.c. Pila nomen proprium vrbis, quis sit locus: an vrbs Tiberias. ibid. esse dicitur vallis & vorago Mille. 2.b.c

Pinnæ piscibus sunt instar alarum. 521.1.b

Pisces solent agminatim & congregati natare. 98.1.c. iis assimilantur homines. 520.1.c. eorum varia sunt species. ibid. quique suos habent duces. ibid.d. sunt aquei, & humore luxuriant. ibid. in aqua viuunt, & ex ea & humore aluntur. 2.a. maiores deuorant minores. 521.1.a. muti sunt. ibid. pinnas iuxta caput habent quibus mare sulcant. ibid.b. sunt aliqui semiames. ibid. ventre incubant aquis. ibid.c. saliri debent ne putrescant. 2.a. facilè ab esca illici se sinunt: quàm vagi sint & errent. ibid.b. pedibus carent, sed pinnulas habent vt natent. ibid.c. nonnulli respirant & dormiunt, & qui. ibid. ad multam etiam ætatem perueniunt: multos habent dentes, eosq; acutos & ferratos. ibid.d. morbis laborant, non tamen pestilentia. 522.1.a. piscibus commodiores sunt imbres assidui, & hiemi serenæ. ibid.b. habent cor, eiusq; situm qualem homo. ibid. generant vt homines. ibid.c. voraces sunt, item fœcundi: lubricos habent oculos. ibid. habent memoriam, & vitam agunt rationi humanæ vicinam. ibid.d. cur piscibus victitarint prisci homines temperantes. 2.a. quorundam piscium astutia. ibid. an mansuescant. ibid.b. vocantur reptilia. 572.1.c. 523.2.a

Pistilla inferni sunt punctura conscientia. 576.1.d. Pistillo retusior, nudior, caluior prouerbialiter de quo dicatur. 2.b

Pistor & coquus priscis idem erat. 133.1.b

Pittacus amplas donationes Mitylenæorum despexit. 674.1.c

Plagis, quas immittit Deus, hominum superbiam sternere satagit. 118.2.a. illis peccata punit, & hic illas adæquat. 316.1.a. plagæ quatuor, quas describit Ioël, eruca, locusta, bruchi & ærugine, quid significent. 212.2.b. significant Iudææ sterilitatem. ibid. vel hostes Iudæam vastaturos, & clades cladibus successuras. 213.1.c. an quatuor monarchias repræsentent. 214.1.a. an solos Assyrios & Babylonios. ibid.b. per eas denotatur Nabuchodonosor, aut quatuor eius in Iudæam expeditiones. ibid.c. quatuor hæ plagæ adaptantur quatuor Iosiæ filiis. 2.a. allegoricè per eas accipiuntur quatuor à diuersis excitatæ persecutiones Ecclesiæ. ibid.b. symbolicè verò quatuor passiones animæ. 215.1.a. plagæ quæ Chananæis & Chaldæis immissæ. 550.1.c. 551.1.c. 2.a. plagæ pijs ad coronam, impijs ad pœnam sunt. 781.2.c

Plaga aliquando capitur pro latere & extremitate. 280.1.a. vox hæc desumpta est à Græcis. ibid.

rem pro assumento & commissura tapetis aut ve-
te. 2.c
Planctum quod crimen sit. 269.2.a. vetitum id lege
diuina & humana. ibid.
Planctus draconis quis sit, & qua occasione draco plan-
git. 403.2.d. planctus Iudæorum super morte Io-
siæ regis & Christi. 759.1.a.b. 760.1.d. planctus
fidelium ob mortem Christi. 759.1.c. quem hi quo-
tannis renouant. 761.2.d. planctus Adadremmon vel Iosiæ est prouerbium significans ingen-
tem planctum. 1.a
Plantes aptæ vrbibus ædificandis. 779.1.d
Plato primò dictus est Aristocles. 64.2.d. volebat om-
nes quærendis liberis operam dare. 360.1.b. mul-
ta fabulis suis ex Mosis Geneſi est mutuatus. 373.
2.c. vnde dictus Socrates minor. 451.2.a. remp.
imaginariam in libris de Republ. describit. 643.2.
b. historia de Platone Christiano cuidam appareni-
fabulosa est. 200.1.b
Plaustrum magis stridet onustum re leui quàm graui.
273.1.a
Plebs assimilantur collibus. 348.1.c. vocantur valles.
420.1.b.c
Plumbo aurum & argentum expurgatur. 676.1.b. an
adamantem frangat. ibid.c.d
Plutonis ferorum præses vnde dicatur. 531.1.a. non est
idem cum inferno. ibid.c
Pluuia donum Dei est. 478.2.a. pluuiæ tempus du-
plex in Iudæa, primum post æstatem, posterius ante
æstatem. 231.1.c. 730.1.c. vide Matutinus.
Pœna pontificia erat vsque ad pedes demissa. 658.2.d
Pœna infernalis quanta sit grauitas. 512.1.a. pœna
respondere & commensurari debet culpæ ac pecca-
to. 113.1.b. 316.1.a. pœna & præmio stant respu-
blicæ. 252.2.c
Pœnitentia non cadit in Deum. 392.2.a
Pœnitentia lapso pœnitenti omnes priores virtutes &
meritæ restituit. 232.1.a. addit ei nouam gratiam.
ibid. aperit ostium spei & salutis. 85.1.a. eius ope-
ra non est nuda resipiscentia, sed gemitus, saccus, ci-
nis, ieiunium. 390.1.d. eius schema est aquila se
deplumans & renouans. 441.2.d. eius quanta vis sit
& potentia. 391.2.d. eius actus & gestus exprimi
solebat more qui sint. 225.2.d. eius fructus. 228.
2.b. an per eam tollatur omnis offensa ex animo
Dei, ita vt amplius peccatori non sit offensus. 467.
1.d. pœnitentiâ voluntariâ peccata punire debe-
mus, ne ea Deus puniat in futuro. 482.2.b. omne
genus gaudium. 645.2.b
Pœnitentes intra solitudinem se abdant. 80.1.a
Pœnitere nemo potest nisi per gratiam Dei ad pœniten-
tiam excitetur. 658.2.c. pœnitentes post peccatum
seipsi sunt fortiores quàm ante lapsum. 625.1.
c. 753.2.d. pœnitentium consolatio in suis mortifi-
cationibus. 840.1.b
Pœnæ vocentur nugæ. 598.1.b
Pœnæ principibus hæresin suadent, qua statum suum
fulciant. 131.1.b
Pœnæ regum regnum debent S. Adalberto. 749.2.b.
Pœni equites cur luporum exuuias induant. 515.
2.d
Pœnitentia qua tangit polluit. 626.1.d
Pœnitentiarius ferax Deo fuit vitis. 158.1.d
Pompeius Magnus quas pœnas violati templi Hierosol.
dederit. 753.2.b. qua occasione Iudæam inuaserit.
759.1.b. eius insatiabilis ambitio. 526.1.a
Pompeii Mela error de denominatione vrbis Gazæ. 261.
2.c
Pomo comparatur vita hominis. 326.2.b. pomum
rotundum speciem gerit orbis. 2.d. pomi vox ge-
neralis significat omnem fructum qui molliori cor-
tice est. 153.1.a. 325.1.b. vox pomum vnde dici-
tur. 326.2.c. poma apta quæ decerpantur, symbo-
lum sunt punitionis tempestiuæ. 325.2.c. pomorum
custodia quid sit. 402.1.d. pomum vetitum Ada-
mi videtur fuisse ficus. 504.1.a
Ponere messem est metere, non demeti. 130.1.a
Ponere super cor Hebraïs quid sonet. 805.2.c
Pontifex Rom. cur gestet crucem ex adamantibus 320.
2.c. etiam tyrannicè regens, non potest à populo &
clero deponi. 143.1.d. se seruum seruorum Dei
nominat. 234.2.d. eius auctoritatem egregiè con-
tra schismaticos tuetur S. Cyprianus. 144.1.b. eius
corona è tribus partialibus constat. 697.1.b. cur
talem coronam gestet. ibid. est sponsus & prin-
ceps Ecclesiæ, regem Christum repræsentat quasi
eius vicarius. ibid. tribus orbis partibus præest: æqui-
tas summa in eo requiritur. ibid. est sacerdos SS.
Trinitatis, & omnes virtutes in eo esse debent. ibid. c
cuius rei illum corona moneat. 2.b. rectè pontifi-
catu si fungatur, imponit coronam pontificiam ca-
piti Iesu Christi. ibid. est custos Ecclesiæ. 659.2.a.
eius domestici quales esse debeant. 660.1.b. proprius
Episcopus est Ecclesiæ Lateranensis. 663.1.c. eius
ideæ & norma quæ. 734.1.c. custodem & tutorem
habet S. Michaelem, tentatorem Luciferum. 654.2.
a. animatur ad generosè contra hunc certandum.
ibid. pontificem angelicum qualem promittat Hie-
ron. Sauanarola. 654.1.b
penes Pontifices Iudæos post reditum è captiuitate fuit
regimen populi. 659.2.a. pontifices sceleratiposti
tempora Zachariæ vocantur pastores stulti. 748.
1.b.c
in Pontum Euxinum cur crebrò pisces migrare soleant.
520.2.b. ei dominabantur Assyrij, & inde pete-
bant milites. 363.1.b. in eum an Ionas iectus.
383.1.a. eius distantia per mare à Ioppe. ibid.
Pontici milites duri & asperi cur essent. 363.1.b
Popilius Lænas quàm generosè Antiochum Epiphanem
bello in Ptolemæos abstinere iusserit. 157.2.c
Popina tropologicè appellari potest superliminare cra-
pula. 752.2.b
Populosæ regiones, vt se in pace conseruent, otiosos, in-
quietos, & pugnaces, foras emittant. 502.2.a
Populi peccata pontifici imputantur. 655.2.c. 656.1.b.
populus adducit turbam, turba tumultum. 502.1.d.
populus vnus vnum hominem repræsentare potest.
171.1.d. populus Dei sunt qui in Christum cre-
dunt, tam ex Gentibus quàm ex Israelitis. 66.1.
b.c
Porcelli testamentum vetus quale sit. 598.2.c
S. Porphyrius Gazensis Episcopus Marnæ idolium in-
cendit, quo prodigio monitus. 713.2.a
Porphyrius philosophus vnde nomen traxerit. 65.1.a
in Porta Hebræi iudicia exercebant. 296.1.d. ibi
quoque erat forum ciuile & rerum venalium. 2.a.
hinc capitur pro iudicio quod in porta exerçebatur.
ibid. porta Beniamin erat in noua vrbe Ieruſa-
lem. 780.1.d. porta piscium in Ieruſalem quæ
diceretur & vnde, eius situs; alia eius nomina: an
ad Occidentem vrbis sita. 572.1.b.c.d. 574.1.a. per
hanc Chaldæi primò Ieruſalem sunt ingressi in eius
excidio. ibid. porta gregis erat in Sion, & super eam
turris. 428.1.c. an hæc dicatur turris gregis. ibid. d.
cur dicatur filia Sion & gregis. 2.a. per hanc Chri-
stus in die palmarum vrbem est inuectus. 429.1.c.
qua

qua sit porta secunda.572.2.a. portæ priscæ templi quæ latitudo & longitudo.682.1.c. portæ templi apertæ fuere moriente Christo. 737.2.c

Portentum fuit Christus in vita, morte & doctrina. 660.2.b

Porthmus sunt angustia maris inter duas continentes. 364.1.a

Porticus cur addita templo Salomonis. 227.1.d

Potentia regum & regnorum imbellis est, nisi Dei ope & cultu fulciatur.159.2.b. potentiarum animæ inter se consociatio. 633.1.c

Potentiores opprimunt infirmos. 523.2.a

Præceptum negatiuum obligat pro semper. 637.2.c

Præcoquæ ficus quæ dicantur. 462.2.a.b

Prædestinationis diuinæ signum est Deum vocantem sequi.372.2.b. non est ex præuiis prædestinati meritis, sed ex Deo prædestinante. 194.2.a. eius quod sit signaculum. 632.1.b

licet in Prædestinatis non sit causa cur prædestinentur, tamen in non prædestinatis est cur non prædestinentur. ibid. prædestinatorum numerus cur dicatur fasciculus viuentium. 342.1.a

Prædicantes hæreticorum sunt tantùm idola pastorum. 749.1.b

Præelectio Iacobi præ Esau magis ad posteros eius spectabat, quàm ad ipsum Iacob. 185.2.d

Præfica voce, gestu & tibiæ sonitu planctum in funeribus ciebant.297.2.b. vti ad luctum, ita & ad gaudendum commouebant. 404.2.b

Præsidentia sæpè causa est ruinæ & excidij. 483.1.a

Prægnantes sæpè ab hostibus dissinduntur, & paruuli ad parietem eliduntur.202.1.d. hoc quia Ammonitæ in Israelitas commisere, excidio à Deo destinantur. 266.1.c. prægnantes Galaad secare mysticè quid sit. ibid.d

Prægustum æternæ vitæ multi Sancti in pia Eucharistiæ sumptione sentiunt. 553.2.d

Prælati animas è puro zelo dum quærunt, proles multas pariunt spirituales; at, cùm plausum & lucra aucupantur, nullas gignunt.156.1.a. non debent vt reges dominari in clerù.428.2.d. velut vinitores sunt. 84.1.a. eorum quod sit officium. 733.1.c. quales esse debeant. 734.1.a. ipsis se eleuantibus eleuatur Ecclesia, quasi luna sequens solem.557.2.b. debent esse portenta sanctitatis.660.1.c.2.d. sunt quasi sigillum Dei.632.1.c. rarò liberi sunt à culpa subditorum.606.1.b. tolerent & curent subditos rebelles. 744.2.b. Prælati mali per lupos vespertinos denotantur. 589.1.a

Prælaturam triplicem Christus habuit. 605.2.d

Præmia generalia electorum in cælo duo sunt. 834.2.b

Præmonstratenses quam ob causam à primæua sanctitate deciderint. 81.2.c

Prænotio futurorum contingentium est dos propria Deo & index diuinitatis. 26.2.c

Præsentia Dei vbique nobis efformanda. 187.1.c

Præsentia Deo sunt omnia. 827.2.d

Præsepe Domini quomodo exornatum à S. Helena fuerit. 440.2.a. in eo cur reclinatus sit Christus. 544.2.d. quæ eius tropologica causa. 545.2.d. præsepij Christi septem symbola.546.2.a. est id Romam delatum. ibid.b

Præstabilis est Deus super peccatores. 224.1.d.2.b. quàm verbum hoc sit elegans, eius etymon. 2.a.c. hæc præstabilitas vnde in Deo oriatur. ibid.d

Præstigiatores frequentes erant apud Iudæos. 449.2.b

Præsumptio intolerabilis est, Deum assiduè offendere, & indubitatam eius opem sperare. 423.1.d

Prasinus quis color, constatur ex giluo & nigro. 694.1.d. repræsentat terram. 2.a

Pretium quod Christus à Iudæis pro suo pastoratu & doctoratu exigat.743.2.d.& seqq. pretium venditionis Christi quod fuerit. 369.2.b.744.1.d

Preto-ioannes Imperator Abassinorum vtriusque Æthiopiæ dominum se scribit. 144.1.d

Priapus per obscenas libidines & fornicationes colebatur. 102.1.b.173.2.c

Prima doctrina & prædicatio, quæ peccator conuertitur, est velut imber matutinus. 321.2.a

Princeps metaphoricè vocatur angulus & turris. 731.2.d. item paxillus & arcus. 733.1.b. eius officium.ibid.c. qualis erga suos esse debeat.676.2.d. principes quomodo esse debeant filij olei. 679.2.d. eorum prima dos prudentia est.637.1.a. illis quæ virtutes necessariæ sint. 741.2.b & seqq. audiant Ecclesiam & Pontificem.699.1.d. sunt quasi sigillum Dei. 632.1.d. eorum opera & vita fundant reip. statum. 132.2.d.673.1.b. sunt quasi aurigæ reipubl. 462.1.c. item pastores.420.1.c. olim myrto coronabantur. 639.2.c. quidam fato & natura ceterorum dominos constitutos putant. 732.1.b. bene principatu fungentes coronant Christum. 697.2.b. eorum symbola & descriptiones.43.2.a. non castigent nisi ex prudentium consilio. 365.2.b. suos nec expilent nec deglubant. ibid.d. symbolicè vocantur montes & fundamenta terræ. 451.1.b. eorum rebus ne se immisceant subditi. 463.2.a. principes impij à Deo dantur, ad sumendum de impio populo pœnas. 196.1.c. pij magnam in cœlo gloriam sunt adepturi: impij verò in gehenna graviter sua & subditorum scelera luent.401.2.c. legitimi à Deo dantur. 144.1.c. principes peruersi Iudæorum vocantur pastores stulti. 748.1.a.b. principes septem primarios habebant reges Persarum. 662.2.d. principes vrbium olim vocabantur reges. 713.1.c. vide Rex.

Probatica piscina vnde diceretur. 428.2.c

Procellæ sæpè à Deo immittuntur ob scelera quæ in nauibus fiunt, aut antea facta sunt. 374.1.d. symbolum sunt horrendi prælij, stragis, supplicij, vindictæ. 578.1.c. Apostolos repræsentant. 731.1.d

Processionum vsus fuit etiam in veteri testamento. 226.2.a. ipse quoque Christus Dominus eas fecit. ibid.b

Proclus Episcopus Constantinop. Theodosio iuniori contra Scythas pugnanti accommodauit ea, quæ in Script. dicuntur de Gog & Magog.30.1.c. in terræ motu populo litaniam indixit. 216.2.b

Prodigium quid dicatur. 235.1.a. prodigia quæ acciderint in vita & morte, & post mortem Christi. ibid.c.& 37.2.d. quæ in excidio vrbis per Titum. 235.1.d. quæ in fine mundi euentura sint. 2.a. quænam euentura prophetet Ioël. 1.a.2.c.d. quæ vrbis Ierusalem capiendæ à Romanis. 737.2.b

Prodigiorum viri qui & quales dicuntur. 660.2.b

Profano anno vtebantur Iudæi ad commercia & reuiuiles.603.2.b. quando is inciperet. ibid.

Proficientes in fide & virtute quando moraliter visiones videant. 234.2.a

Profunditas capitur interdum pro calliditate. 111.2.d

Proles sequuntur affectum matris.56.1.c.d. & matri sunt quàm patri corpore & moribus similiores. 2.c. ab ea vitia sugunt. 1.c. iusto Dei iudicio parentum scelera imitantur.105.2.b.c. proles Oseæ prima cur filius, & secunda filia sit. 61.2.d. quidnam eius proles designent. 62.1.a.64.2.a

Prom-

Promethei ludi quomodo celebrarentur. 361.1.b
Prometheus est pyrophorus, cur. ibid.c
Promissiones vltimæ hominis canæ sunt. 136.1.d
promissio Dei cur vocetur misericordia & veritas. 472.a.b
Propagines vrbium sunt vel suburbia, pagi, oppida, vel familiæ & tribus, vel filij & nepotes, vel opes & nassci. 490.2.a
Prophetare in Scriptura amplè capitur. 234.1.c.
quomodo prophetarint multi in nouo testamento. ibid.
Prophetæ appellari possunt, verè religiosi. 3.2.b. & *patriarcha veteres.* 4.1.a. *Prophetarum interna dispositio ad prophetiam.* 9.1.c. *sunt pictores virtutu.* 10.1.a. *quis eorum habitus exterior fuerit.* ibid. *omnes sacro oleo vncti non fuere.* ibid. *eorum victus & gestus.* 11.1.b. *erant angeli terrestri.* 2.d. *cur à populo secederent.* 13.1.c. *sunt os & oracula Dei.* 14.1.a. *sunt veluti mundi soles.* 2.c.d. *eorum qualis scientia fuerit.* 1.b.2.a. *sunt paranymphi Christi.* 15.2.b. *in iis quærenda est sapientia, non eloquentia.* 2.d. *eorum quanta sit obscuritas.* 16.1.b. *in nominibus propijs cur alludant ad eorum significata.* 17.1.b. *metonymia crebrò vtuntur.* 18.1.c. *item metalepsi.* 2.a. *cur soleant post oracula excidij submittere carmen funebre.* 19.2.b. *pro scopo habent Christum.* 20.2.a.21.1.a. *eorum verba diuersis, imò contrarios subinde habent sensus.* 21.1.b. *sæpè vtuntur apologis.* 23.1.b. *subinde alludunt ad fabulas poëtarum.* 2.b. *præguslum quemdam habuere beatitudinis.* 24.2.b. *sæpè viderunt futura sine exstasi, subinde fuerunt alienati à sensibus.* ibid.c.475.1.b. *excipientes Dei reuelationem, fide diuina tenebantur credere, sua oracula esse à Deo.* 15.2.c. *cùm ad certas gentes prophetant, ritus, merces, quin & voces illis propria vsurpant.* 27.1.d. *sæpè alludunt ad historias sui temporis, quæ iam incognitæ sunt.* 2.a. *aliquando quædam ex se proferunt, & in iis aliquando errant.* 29.1.a. *in quo veri à falsis differant.* ibid. *in ipsis sæpè est gradatio.* 2.b. *abundant paradoxis.* ibid.d. *antecesserunt omnem historiam Gentilium.* 32.2.b. *cur prophetiæ suis titulos præfigant.* 51.1.b. *an Prophetæ, qui nomen patriæ non præferunt, sint Hierosolymitæ.* 2.b. *sunt vinitores vineæ Domini.* 8.2.c. *ad Christum plerumque assurgere, & subitò velut anolare solent.* 120.1.d.230.1.d.268.1.d.269.1.d. 360.1.b. 541.1.d. *cur vocentur veri spiritus.* 151.2.d. *suas prophetias solebant confirmare iuramento.* 160.1.a. *repræsentant personam Dei, vt eius legati.* 190.1.a.612.2.d. *cur tristibus læta subiungant.* 197.2.d. 346.1.d. 479.2.b.507.1.a. *multa prædicunt & comminantur, quæ quando acciderint, incertum est.* 212.2.c. 340.1.d.243.2.c.626.1.b. *sub sceleribus sui ævi carpunt similia posterorum crimina, maximè commutenda contra Christum.* 268.1.d. *inuitè prophetant mala.* 277.2.d. *Deo per eos loquente tacere non audent, nec possunt.* 278.1.b. *in publico, & portu, sua oracula prædicabant.* 296.1. *à quomodo sua oracula à Deo intelligerent.* 315.1.d. *prophetiæ spiritum non habebant perpetuò, sed erat in transiens.* 28.2.d. 322.2.b. 394.1.a. *eorum visiones communiter erant imaginariæ.* 335.2.d. *per plurimos annos prophetarunt.* 286.2.d. *omnium miseriarum finem & liberatorem statuunt Christum.* 289.1.d. *non scripserunt omnes prophetias suas, vel, si scripserint, aliquæ perierunt.* 367.2.a. *eorum tres sunt dotes, robur, iudicium & efficacia.* 422.1.b. *qui Iudæ prophetarunt directè, indirectè quoque respexerunt Israelem, & vice versa.* 287.1.c. *cuiuscumque Prophetæ pater aut auus in titulo ponitur, an ipsi quoque Prophetæ fuerint.* 567.1.d. *Prophetæ falsi cur se spiritu prophetico agi simularent.* 589.2.b. *veri solebant viua voce concionari, ac deinde eadem in libro scribere, vt ab auditoribus repeti, & à posteris legi possent.* 475.1.a. *visio eorum qualis esset.* ibid.d. *personas sæpè mutant.* 462.2.a. *loquuntur de futuro per præteritum ob futuri certitudinem.* 514.1.a. *vocantur manus & organum Dei.* 604.1.d. *in suis minis & oraculis identidem iterant, hæc dicit Dominus* 607.1.a. *omnia tempora, æquè ac sæcularia, videntur ipsis modicum quid, imò momentum dumtaxat.* 615.1.c. *sæpè non distinguunt tempora quibus prophetias suas habuerunt.* 653.2.b. *saliunt & resiliunt à typo ad antitypum.* 672.1.a. *per equos nigros repræsentantur mysticè.* 692.2.a. *de Christo vaticinaturi non ex abrupto ad eum transeunt, sed gradatim, & cur.* 710.2.c. *vocantur Videntes.* 745.1.c. *multa eorum quæ scribunt in visione ipsis ostensa, alia reipsa per eos & in eis facta sunt.* ibid.d. *eorum vestis exterior erat pallium è pilis animalium contextum.* 11.1.b. 764.2.d. *loquuntur parabolicè, symbolicè & ænigmaticè, cur.* 783.2.b. *omnes homines fuere, nulli verò, angeli.* 789.1.c. *cur angeli vocentur.* ibid.c. *cur in Christi morte plangere debuerint.* 761.2.b
Prophetæ Minores, cur vocentur Minores. 1.1.a. *multa prophetarunt quæ scripto non tradiderunt.* ibid.b. *cur adeò pauca scripserint.* 2.a. *argumentum eorum idem est quod Maiorum.* 2.2.d. 18.2.c.d. *eos sæpè in nouo testamento Christus citat.* 3.1.a. *etiam Christianis eorum oracula adaptari possunt.* ibid.b. *sunt* XII. *numero* ibid. *sunt antitypi* XII. *Apostolorum.* ibid.c. *quibus prophetarint, id ipsi in suis prophetiis indicant.* 4.1.b. *minantur Israelitis captiuitatem Assyriacam, Iudæis Babylonicam, & sub vtraque Romanorum.* ibid.d. *cur aliqui horum patres suos nominent, alij taceant.* 2.a. *cur in aliquibus nomen patriæ recenseatur.* ibid.c. *aliqui eorum non notant tempus prophetiæ; alij è contrà id exprimunt.* ibid.d. *qui id non exprimunt, an prophetarint sub illis regibus, sub quibus prophetauit præcedens, qui tempus præfert.* ibid. *probabile est eos penè omnes in Bibliis ordine temporis quo prophetarunt, esse collocatos.* 5.1.a. *quis eorum sit ordo.* ibid.b. *vnus confirmat oracula alterius.* 2.a. *abundant parabolis, symbolis, ænigmatibus.* 6.1.c. 115.2.a. *aliquando ad literam loquuntur de antiquis populi Iudaici liberatoribus, allegoricè de Christo; aliquando ad literam de Christo, etsi cum allusione ad illos.* 6.2.d. *an aliqui horum fuerint è cœtu Prophetarum.* 13.1.d. *certas sedes non habuerunt & domos.* ibid. *nominum eorum etymologia.* 2.a. *quis eorum fuerit in prophetando finis.* ibid.c. *eorum obscuritas.* 16.1.b. *affectibus abundant.* 20.1.d. *eorum harmonia chronologica.* 32.1.a. *cur prophetare inceperint circa exordia vrbis Romæ.* 33.1.b. *qui prophetarint ante captiuitatem*

ptinitatem Babylonicam, qui post reditum ex ea. 2.c. prophetarunt omnes per 300. annos. 34. 2.b

Prophetiæ hieroglyphicum quod sit. 6.2.a. vera à falsa quatuor indicijs dignoscitur. 10.2.c. certior visione est. 14.2.c. eius donum aliquando etiam impijs datur. 9.2.d. continua non datur nisi Sanctis, ob tres causas. ibid. eam assequendi modus. 10. 1.b. qua via eam anachoretæ acceperint. 2.a. exposcit lumen supernaturale. 25.2.a. propriè donum Dei est. 26.2.c. eius definitio. ibid.d. nunc dicitur visio, nunc verbum Domini. 369.1.b. 352. 1.c. 399.2.b. 638.2.a. per catachresin ad præteritum & præsens tempus se etiam extendit. 27.2.b. eius octo modi & species sunt. ibid.c.d. vnde dignoscantur, quòd lætæ vel tristes, vel mixtæ sint. 24. 2.a. eam Deus sanctioribus subinde negat, minùs sanctis verò, imò impijs, eam communicat. 790.1.c olim de auis transibat in filios 637.1.b. pleræque Prophetis per interualla varijs diebus, quin & annis, à Deo fuere reuelatæ. 653. 2.b. pleræque veteres adimpletæ sunt vel ante Christum, vel per Christum. 30.1.b. quæ de vocatione Gentium ad Ecclesiam quando impleta sit. 346.2.b. prophetia Ionæ de Niniues subuersione fuit conditionata. 388.2.c

Propheticum lumen quid sit. 25.2.c. est necessarium, nõ liberum menti. 26.1.a. prophetici spiritus saltus & resultus, qui. 672.1.b

Propositum deliberatum peccandi est velut statera dolosa. 189.1.a

Proselyti ad iudaismum facti multi per victorias Machabæorum. 783.1.a

Prosperitas sæpè opprimit eum à quo habetur. 511.2.a. ea stultus efficitur stultior. 1.a.b

Prostibulum latinè & lupanar, & meretricem sonat: eadem etiam prostibula femininè dicitur. 242.2.b

Protagoras ex baiulo lignorum factus est philosophus. 341.2.c.d

Prouidentia Providentia Dei circa pueros. 525.1.b. diuina symbolum. 38.2.b. 290. 2.b eius laqueos nemo potest euadere. 276.2.c. eius duæ partes sunt, sapientia & decretum, siue præordinatio & executio. 692. 2.c. ipsa est triplex. 667. 2.d. est veluti testudo sanctorum, sub qua latitant. 204.2.c. 493.2.a. illa in Deo æterna est. 827.2.d. de ea cur dubitarent multi. 510.2.a. obscura nobis est. 640.1.c. per candelabrum repræsentatur. 668.2.c.d. 669.2.b. 677.1.c.d. 678.1.a. oculus & sol mundi est. 662. 1.d. 685.2.b

Proximus, cur Hebræis sit socius & amicus. 707.1.c

Psalmi qui Aggæi & Zachariæ nomine inscribuntur, an ab ipsis compositi. 602.2.a. psalmi cuiusq; affectus psallens induere debet. 299.2.b. eos Iudæi in templo in laudem Dei canebant. 1.c. idq; voce, & instrumentis musicis. ibid.d. mentem excitant, eleuantq; ad sublimia. 9.2.b

Pseudopastores cur vocentur hirci. 732.1.b

Pseudopropheta cur sibi stigmata infligerent. 765.1.d. comptuli incedebant. 421.2.b. à veris quibus signis dignoscantur. Matth. 7. 15. 16. 20. 10.2.c.d

Ptolemæus Philadelphus Bibliothecam Alexandrinam mirè auxit, ipsius auspicijs adornata interpretatio Bibliorum Græcorum. 502.1.b. 735.2.b. multa Iudæorum millia ex Ægypto libertate donata domũ remisit. 735.2.b. qualem mensam templo Hierosolymitano obtulerit. 797.2.b

Ptolemæus Philopator templi Hierosol. sancta Sanctorum ingredi volens, pœnas dedit. 753.2.a

Puella quædam Tullensis triennio toto omni cibo abstinuit. 726.2.c

Pueri plerumque patrissant, & parentum vitia imitantur. 105. 2.c. vide Proles. in primo instanti vsus rationis non tenentur ad Deum per amorem Dei super omnia conuerti. 637.2.a. puer capitur pro ministro. 647.1.d. puerorum maxima habenda est cura. 748.2.b

Pugnam vitiorum & virtutum tropolog. repræsentat contentio Esau & Iacob. 794.1.c

Pulcheria Augusta elogium. 265.2.a

Pulchrum & pulchritudo Christi quomodo sit Eucharistia. 723.2.a

Pullus asinæ cui Christus insedit, quid symbolicè repræsentet. Zach. 9. 9. 716.2.d

Puluis pedum Dei, quem eis Nahum attribuit, tria denotat. Nahum 1. 3. 477.1.b.c

quos Punit Deus in hac vita, non puniet in futura. 482.1.a. puniuntur seuerè Dei castigationem non æstimantes. 60.2.a. punire est actus iustitiæ vindicatiuæ. 177.2.b

Pupilla nihil magis custoditur, cur Hebræis dicatur filia. 652.1.a

Pupilli in Deo Deíque protectione habitant. 203. 2.c

è Purgatorio verisimile est à Christo liberatas fuisse animas in eius ad inferos descensu. 200.1.c.d. eius ignis post hanc vitam astruitur. 823.1.c. est murus ignem paradisi cælestis. 648.2.c

Puritas angelica in sacerdotibus requiritur. 801.2.c. puritas omnimoda dicitur sanctitas. 519.2.d. nascitur ex amore & adhæsione ad Deum, rerq; diuinas & cælestes. 520.1.a

Πυρόφορος, id est, frumentarius: quod eius officium. 360.2.d. vel ignifer. 361.1.a. potius est antesignanus castrorum, qui laurum, corollas & lampada præferebat. ibid.c. erat inuiolabilis: hinc significat residuum. ibid.d

Purpureas cristas galeis cur adderent milites. 491. 1.c. purpureis vestibus vtebantur Chaldæi. ibid.b. 693.1.c. purpureus color index ignei animi est; dicitur quasi purus vrens, id est ignis. 491.2.b

Purus est qui toto affectu adhæret Deo. 520.1.a

Pusillanimes tristia de se & alijs semper ominantur. 17.1.c

Pusilli homines ingenio & arte præstant. 351.2.a

Puteos sibi quisque in Mesopotamia lociq; vicina ob terræ ariditatem fodiebat. 91.2.b

mors cur vocetur Putredo periphrasticè. 561.1.b

Pyretorum magorum in Cappadocia quod esset officium. 568.2.c

Pythagorici per symbola sua dogmata tradebant. 6. 1.c. per numerum nominum diuinabant. 374. 2.d

QVadragenarius numerus symbolum est pœnitentiæ. 388.1.a

Quadragesimale ieiunium qui seruant, Deo anni velut decimas per abstinentiam dependunt. 708. 2.b

Quadragesimo post Christi mortem anno Ierusalem à Romanis excisa est. 737.2.c

S. Quadraginta Martyres quibus se vocibus ad constantiam animarint. 777.2.a

Quadriga Dei sunt nubes. 555.2.b. quadriga quatuor

quid Zachariæ vidit, quid significent. 691. 2.a.b. repræsentant 4. monarchias, & cur. 692.1.b.c. in quadriga depugnabant veteres; hinc belli, & regni vllo parti est symbolum. ibid.d. mysticè quadrigæ Zachar. sunt quatuor genera Sanctorum. 2.a. intra assimilantur.

Quæ vrbs regnum Christi, est idem quod ab eo possideri. 147.1.b. Deum quinam quærant, & quomodo. 569.2.c

Quatuor capitur in Scriptura aliquando pro quarum. 258.1.b. idq; ad auxelin. ibid. quatuor scelera Damasci an definitè, an indefinitè, accipienda sint. ibid.d. quatuor temporum ieiunia adumbrata per quatuor solemnia Iudæorum ieiunia. 708. 1.b. ob quatuor causas ea instituta. ibid.c. & seqq.

Quercus symbolum sunt diuitum. 736.2.d. item fortitudinis & constantiæ. 271.2.c. 680.2.a

Querela impiorum de Dei prouidentia. 816.2.c

Quies in Deo quàm suauis sit. 699.2.d. quies mentis est prima dispositio ad prophetiam. 9.1.c. eius vis & effectus. ibid. quies eorum qui ad Dominum conuerti incipiunt. 84.2.a

Quercai Tartariæ vrbs complectitur iter tridui & amplius, & eius descriptio. 386.2.b

Quippe ponitur interdum pro quamuis. 712.1.b

Rabba metropolis fuit Ammonitarum, postea dicta Philadelphia. 266.1.b

Rabbini censent Messiam suum mutationem quamdam rerum in frumento facturum. 206.1.c

Raconatio competit Christo, diabolo plena vindemia. 452.1.b.c

Radices Hebræa sunt trilitteræ: quadrilitteræ sunt peregrinæ, vel ex duabus radicibus Hebraïs conflatæ. 364.1.b. radices iacere vel mittere quid sit. 205. 1.c. radix Israel significat fœcunditatem illi à Deo indatam, vel reges eius. 156.2.b.c

Radix lucis cur vocentur cornua. 549.2.d

Ramiri regis Castellæ de Saracenis victoria virtute Eucharistiæ parta. 726.2.a

Ramoth Galaad, vel Ramatha quæ vrbs esset. 127.2.d

Raphæ fuit pater gigantum. 302.1.c

Raptus mentis an fiat naturaliter. 25.1.b. sit aliquando sine alienatione mentis à sensibus. 24.2.c

Rasin Syriæ rex à Teglatphalasar rege Assyriorum occisus fuit, & Damascus euersa. 261.2.c

Ratio hominis est velut lucerna, & eum accusabit in die iudicii 576.1.b. rationem quàm exactam in die iudicii exacturus sit Deus. 575.2.b

Rationale pontificis Hebræi an haberet duo simulacra dantia responsa consulentibus. 94.1.a

Raucum an hominem lupus reddat. 516.1.d

Recitata vrbs an sit Emath minor, & Epiphania. 305. 1.c

Reditus cur dicatur aquilarum vox, eiúsque vis. 141. 1.d

Reges maleficorum pœnis eisdem subiacent quibus ipsi malefici. 373.2.b

Reliquam habere animam est rectè de Deo sentire. 528. 2.d

Reliquiis quæ sint dotes & virtutes necessaria. 741.2.b. & seqq. sunt atlantes reipubl. 656.1.b

Redemptio Christi fuit sufficiens ad homines omnes saluandos. 177.2.c. per antonomasiam opus Dei est. 341.2.c

Redditus bonorum operum post pœnitentiam adstruitur. 252.1.a

Reformatio laicorum inchoanda à reformatione sacerdotum. 795.2.d

Refractarij faciem auertunt. 703.1.c

id Regimen optimum est, in quo suauitas cũ fortitudine miscetur. 448.2.c. regimen duplex Dei erga Iudæos post tempora Zachariæ, vnum amoris, alterum terroris. 43.2.b. 740.1.d. regimen lene longè potentius & durabilius est duriori. 2.b. regimen summum Iudæorum post captiuitatem mansit penes pontifices. 605.2.b

Regina Saba venit ex Abyssia. 594.1.a

Regiones olim desertæ, per fidem Christi redditæ sunt habitabiles. 779.2.a. in regionibus piscosis post admissam hæresin pisces aliò commigrarunt, vel emortui sunt. 96.2.b. regionum natura & feracitas perit vel immutatur. 323.2.b. regiones suburbicariæ quæ Romæ dicerentur. 386.1.d

Regius morbus quis sit, & vnde dicatur. 286.1.b

Regna mortalia, meræ somnia sunt. 170.2.a quàm breui ea concidant. 497.1.b. qua ratione habeant naturam ventorum. 694.2.c. remotâ iustitiâ, sunt magna latrocinia. 432.1. c. eorum fundamentum, est vera religio. 132. 1.a. 156.2.c. regnum animæ est primum & maximum. 429.2.d. regnum Christi est Ecclesia, sed spirituale. 345.2.a.b. quàm id amplum sit. ibid. c. in die iudicij id perficietur. 346.2.a. regnum Dei in anima quàm excellens sit. 365.2.b. consistit in gratia & virtutibus. ibid. d. dirigitur ad animæ quæ regitur, vtilitatem. ibid. facit subditos suos nobiles. 366. 1.a. regnum Dauidis mobile fuit & temporaneum, Christi immobile est & æternum. 345. 1.d. illius rupturæ variæ. 2.b. regnum Israel Deus non instituit, sed regnum Iuda. 143.2.c. regnum Hebræorum non tantùm humanum erat, sed & spirituale. 143.1.d. in regno Christi desinunt monarchiarum symbola à Prophetis visa. 693.2.c. 698.2.d. 715.2.c. id magis spirituale quàm temporale est. 715.2.c. regnum omne sub alio grauiore est regno 645.1.d. regnum Iuda & Israel an litteraliter significent duæ virgæ pastoritia Zachariæ. 740.1.c

Religio Christiana semper in vna lingua floruit. 593. 1.b. religionis virtutem quomodo in Eucharistia exercere possimus. 803.1.a. ipsa mater est omnis felicitatis. 706.2.c. quantopere Deo placeat. 628.2.b. religio vera regni firmamentum est. 131.2.d. 156.2.c

Religionis status, & vita in ea, & vocatio ad eam opus Dei est. 272.1.a. religiones in quibus viget disciplina, sunt horti malogranatorum. 759. 1.d. eæ quantopere ambiantur. 705.2.b. sunt velut domus Dauid, & cur. 756.2.a. in iis non minùs colitur Deus quàm in templo votis, oblationibus, sacrificiis. 633.1.d. in eũ Deus præsidet. 2.b

Religiosi non se immisceant rebus secularibus. 133.2.c. nam tunc robur spirituale paulatim amittunt. 135.1.c. sint familiares Deo, & cum eo ambulent. 458.2.d. suum ament Ordinem vt columba columbare. 181.1.a. Superiori suo omnem conscientiæ statum aperire debent. 196.2.a. non frequentantes orationem sunt velut mortui. 458.2.d. tepidi non omnes gratias simul, sed modò hanc, modò illam amittunt. 116.2.c. in morte exultant. 199.2.d. mysticè Prophetæ sunt. 3.2.b. eos satius est carni non parcere,

quàm mundanos in stercore suo cõputrescere. 219.2.d. dici possunt filij Prophetarum. 13.1.c. vocari possunt Nazarei. 272.1.a. eorum lautitias quàm iniustè suggillent maleuoli. 77.1.b.c. velut sortes Dauides sunt. 756.2.a. sunt angelis familiares. 2.a. quomodo plangant mortem Domini. 759.1.c. Deo per vota ligati sunt velut sacrum quoddam vas. 804.2.b. sunt Dei holocaustum. ibid. eorum vita quàm alta & à vulgo separata sit. 722.2.a. eos parit vita religiosa. 709.2.a. sunt gloria Ecclesiæ. 755.1.d. esse debent portenta sanctitatis & prudentiæ. 660.2.d. velut connubium ineunt cum Deo. 811.2.c. opibus coaceruandis non inhient. 575.1.d. cur sæpè sedes suas mutent. 576.2.d. religiosi veteres vocabantur filij Prophetarum. 761.1.d

Reliquiæ Idumæorum cur dicantur à Propheta. 347.1.a. reliquiæ Iudæorum in fine mundi per Eliam & Henoch conuertentur. 445.1.c

S. Remigius calitus Episc. Rhemensis designatus est. 825.1.d

Remissio peccatorum summum Dei donum est. 472.1.a.b. de remissione peccati sui ex parte sua, quomodo dubitare pœnitens possit. 392.2.a

Remmon duplex fuit vrbs, vna in tribu Simeonis, altera in Iuda: vtriusque situs. 779.2.d. vnde locus dictus. 780.1.b

Remora pisciculum ingentes naues valido vento actas remoratur. 351.2.b

Remphan vel Rephan quid sit. 301.1.d. vnde vox illa Græcè deriuetur. 2.b. an vox sit Hebræa vel Arabica. ibid. quale sit idolum. 302.1.a. an sit Hercules vel lucifer. ibid.c.d

Renegati robur Turcæ, sunt infensissimi Ecclesiæ hostes. 782.1.d

an in Deo sit Reprobatio damnandorum, non ob eorum demerita, sed ex mero Dei beneplacito. 176.2.d. & seqq. 178.1.a. est ex homine peccante, seq; in peccatis ad finem vsque vitæ obdurante. 194.1.d. ipsa non est causa peccati, sed potiùs eius effectus. 2.d. necessariò peccatum vindicandum quasi obiectum proprium præsupponit. ibid. eius signum & causa est, nolle Deum sequi, sed suas voluntates, & cupidines. 372.2.b

Reptile animal quod dicatur. 523.1.a. ea in terra degunt, & in suis antris quàm primùm deprehenduntur; nullum habent ducem, solitaria viuunt, tardigrada sunt. ibid.b. iis comparantur homines. ibid.c.d

Repudium vxorum multis argumentis dissuadetur. 814.1.c. & seqq. non erat id olim licitum ob vxoris odium. 815.2.d. id, Deo dispensante, Iudæis fuit licitum. 54.1.a

Resignare nos totos Deo debemus. 397.1.b

Respondere capitur nonnumquam pro incipere loqui. 678.1.b

Resp. est quasi magnus quidam homo politicus. 558.1.d. resp. firmamentum, decus & gloria sunt regnum, sacerdotium, & militia. 733.2.b. respublicæ hæreticæ sacerdotes Christianos exterminantes, illis, Christo, sibi iniuriæ sunt. 99.2.a

Restauratio qualis gentium captiuarum per Prophetas promittatur. 346.1.b.c

Restauratores Ecclesiæ suæ semper excitauit Deus. 612.1.a

Resurrectio est effectus Eucharistiæ. 727.2.c. Christus quomodo in die resurrectionis prædatus sit gentes, limbum, & infernum. ibid.c. in ea quomodo sordidas vestes velut exuerit. 659.1.a. ea post passionem successit, quasi lux post tenebras. 776.2.c eius aptissimus testis & præco poterat esse Ionas. 384.2.b. in ea Christus plenè nos viuificauit. 120.2.b. certam ex ea nos fidem & spem resurrectionis nostræ habemus. ibid.d. eius symbolum est phœnix & hydrus. 199.2.a. ante eam qui ibant in mortem, ibant pariter in infernum. 197.1.c.199.1.c. resurrectio ad gloriam denotatur per aquilam se renouantem. 412.2.a. in vniuersali resurrectione omnes ad vitam reuocabimur. 197.2.a.b. 199.1.d.2.b. in ea quomodo sit futura lux. 776.2.d. & seqq. vocatur dies iudicij resurrectio Christi. 591.2.a

Rete diuinæ prouidentiæ nemo euadere potest. 276.2.c

Reuelationes spirituales assiduæ mentem mirè illustrant. 553.2.d

Reuerentia quomodo generet horrorem & stuporem. 805.2.a

Rex græcè cur dicatur βασιλεὺς. 451.1.b. rex est qui cupiditatibus suis, potentiis animæ, & appetitibus, sensibus, linguæ & omnibus membris dominatur. 366.1.a. 429.2.d. rex Niniues publicum suis indixit ieiunium ad prædicationem Ionæ. 389.2.a.b. quis ille fuerit. ibid.b. rex missi Ierusalē ingressurus, quem prædicit Zacharias, non est Zorobabel, nec Alexander Magnus, sed Christus. 715.1.d. rex quidam, toti orbi dominaturus, ex Oriente venturus, à Sibyllis prædictus, est Christus. hoc oraculum Gentiles ad Vespasianum detorserunt. 616.2.a

Reges sunt pastores populi. 420.1.c. ambitiosi non regnant ex Deo. 143.2.d. sed legitimi. 144.1.c. ab Homero dicuntur Iouis alumni. ibid. eorum potentia sine Deo inualida est. 159.2.b. sunt Christi, quia vncti oleo in inauguratione. 447.1.c. illorum est prodesse omnibus, nocere nemini. 365.2.a. ab ijs pendet regni fides vel infidelitas. 401.2.b. auroræ comparantur quæ aurea videtur, sed mox euanescit. 170.1.d. 407.1.b. per eorum lapsus castigantur populi. 196.1.d. pro ijs Deum qui orat, optimè orat. 132.2.d. impij non regnant ex Deo. 143.2.d. hi sunt pistores dæmonis. 135.2.a. regum cor est in manu Dei. 603.1.c. sunt filij olei. 675.2.c. aurigis comparantur. 692.1.c. reges suos tributis grauantes ex ijs non ditantur. 609.1.c. reges summā habeant potentiā, sapientiam, bonitatem, & curā. 741.1.c. sunt Dei simulacrum. ibid. soli comparantur, cordi, & medico. ibid.c.d. regum liberalium exempla 2.a. eorum dotes variæ. ibid.b.c. olim in palatiis habebant templa deorum tutelarium suorum. 493.2.d. Reges Assyriorum & Persarum septem penes se habebant intimos consiliarios. 447.1.d reges Israel quomodo dederit Deus in ira sua. 195.2.c.d. hi Assyriis munera & tributa soluerunt. 147.1.c. omnes idololatræ fuerunt. 156.1.a. hi toti populo causa idololatriæ fuere. 401.2.a. regum Israel alij regnum tyrannicè inuasere, alij quomodo à Deo electi. 142.2.a.b. 143.2.c. reges Iuda sibi continuò succedentes sub quibus prophetarunt Prophetæ. 32.1.a. regibus variis olim lampades & facem præferebant. 677.2.c. 678.1.a. regibus pijs Deus difficultates omnes complanat ad exstirpandam hæresin. 671.1.a. reges barbari vxoribus ciuitates donabant. 497.1.b.c. reges varij Babylonij recensentur. 488.2.b.c. reges Iudæorum & duces vel iniustis, an per duplicem Zachariæ virgam significentur litteraliter. 740.1.b. vide Principes.

Reges pares Pontificij. 699.1.c

Sint Dei ministri, et jugiter et assidue debeant. 16. gravando inter homines agere debeant. 809.2. eorum potestas. 16. Sint majores regibus. 16. impiis justo Dei judicio contemptu et ludibrio Sint. 810.2.a immunis tactu rei sacre, non sanctificetur, sed potius eam fodiant. 814.1.c baptismum non vitiant. 16. populum sanctitate tueantur. 750.1.b inter angelos versantes 839.2.a esse debent in vita perfectiori. 16. et Sacerdotes in primitiva Ecclesia, pene omnes ad mortem rapidissime, exuste divite ad martyrium. 874.2.b

Sacerdotia triapi cum sua prosititione celebrant. 105.2.

Sacerdotio pendent debiti populi fides cultus et religio. [illegible] oblatio ingens Dei castigatio est. [illegible]. 16id.

Sacramenta ex ope operato, non operantis, justificant. 796.1.d

Sacrificij nomine intelligitur omnis Dei cultus, interdum 122.2.d alius sacrificij, ut manat à religione et devotione interna, melior est culti misericordia, quam sacrificium externum, qd Deo non placebat nisi ex ope quantis, non ex ope operato fuit placet Sacrificium legis nove. misericordiam enim Deus placet q fe. 125.1.d etc. 299.a Sacrificium erat divini consortium Dei. 150.2.a in sacrificio laudis offerri laudem non paternum, contra alios Sacrificantes. 298.2.a Sacrificia Salvatorum erant anima, non carnalia. 16. Sacrificia quo fiunt an Deo displicerent. 150.1.a ea offerabant Gentiles cum arborum esset, cum metuerent cum stramenta calcanda. 179. ea sacrificiis adhibet, ad idolum quo consulebant, cornuti hominum. 975.1.d

Sacrificium est cultus Dei. 796.2.d. ejus tres species à Deo Judeis prescripte erant anno olim crebrabat. 800.1.d. eorum fuit oblatio Isaiæ. 558.2.d Sacrificia Judeorum placebat et celebrant ex ope operantis nostrum Sacrificat Deo Sanctis, ex opo operato. 798.1.885.2. et se offerunt Aaronica. 16. sine omnium Sanctificium 724.2.b.c. Sacrificium mysticum animæ sanctæ sit. 833.2. Sacrificium Christianorum sit cultus spiritualis est, aut spiritualis et mentale. 788.2.b

Sacro anno utebantur Judæi à festa et res sacras. 607. 1.1. quod ejs initium. 16.

Sacrificium Dei assistens et temperantiam ab vocabit ma ria. 179.1.d.

Saffelar nomen Dei est qa ipso abundat. 830.1.b.c.d

Saga Dermonis filii magistria. 409.2.2.b.

Sagana est rete ming. 523.2.d ita vocabit Belg Gallicorum 16. item insignia militaria et arma Fabii Bononiens. 16id.

per sagittas (272.1.c promodo reteres divinarent, et ita per eas Bononiens fortes quæsivit. 19.1.2.1. *

Sal alius est marinum alius fluviatile quod ex terra, per bituminis à terra effodiatur. 581.2. ex crystallus 1 putrefactione. 524.1.2 Sale asperso terra sterilescit 583.1.2 Symbolum est commutationis fœdus. 16. ideo æternitas vid aptatur Sacrificio ex Scripto. 16.

Salamandra constantiæ Symbolum est eam pro insigni sumpsit Franciscus I Galliæ Rex. 182.2.d.

Salmana Madianitarum princeps à Gedeone cæs. 168.2.c.d.

Salmanasar Rex Assyriæ defectionem Israelitarum, tu à Deo quem à se ipse ultus est, et vitulos ad populi in Assyriam abduxit. 162.1.a

Salathiel, an fuerit binomius. 634.2.b an fuerit Jechonias pater, an avus, an pater ejusdem Zorobabelis. 16. moritur est in Babylone. 16.

Salomonis Fabella de pisce masculo et fœmina devorante. 388.1.b.c

Salomon Rex ubi gemina, ita re ipsa postea fuit Christi 445. quod mulierum amoribus frequenter vicatq, fortasse à matre adultera Bathsabe Salomon gestat figuram Christi. 639.2.a fuit annalium fatalem Sapientiæ 639.2.a

Salvantur pauci, pauci plurimi. 961.1.2. Salvantur nisi per Evangelium. 238.2.b.

Salvatio Judæorum è captivitate Babylonica umbra Salutationis, quam attigit plenam fuit Christi Domini. 360.1.2.

Salvatio Dominum, sive Salvator Dei et Hominis. 111.2.c. Salvandos sanctitas. 768.2

Salviani, Episcoporum appellati magistri. 750.

Salutatio tantummodo ex Deo quamvis Sit. 195.1.2

Salutatio Christi et Apostolorum ex vita Hebræum erat Pax vobis. 705.1.c

Samaria urbs in monte Somer ædificata indeq, arbibus et ab ea, utpote metropoli regio dicta est Samaria: Amri Rex condita in Augusti honorem vocavit Sebasten quam à fundamentis instauravit et munitissimo circumdedit. 138.2.d.

Samaria cur vocatur plaga vel angulus Galilææ. 16. vocatur à Matthæa emporia Sapphir, Saanan. 407.2.d. cur vocatur virgo Israel ab Amos. 303.2.d. Samaritæ nunc cur vocantur decem tribus. 1.c restitutionem quamvis promittat Deus modo in accessum Gentium completa 701.2.c quando fidem Christi accepit ejus incolæ cum idolis celebrant pascha Deum eis Sacrificabant, postea multi eorum vos Christi credidere, Salvarent, in Ægyptum Pilgrimi evocati martyrii sunt. 16id.

Samuel ei sin littera equipollent. 310.1.

Samson unde dicatur fuit typus Christi. 837.

Samuel est Prophetæ fidelium Deum. 18.

Sanballatis cum Samaritis templi reædificationem impediens mens mendo bene emendata 67

Sanguinea, calida et spiritosa complexio ad cogitationes bonas valet, ad malas 47

Sanguis Christi quomodo visitavit discipulos domum Jesu. 59.1.c sanguis Christi effundendo. 268.1. Sanguis innocentis clamat vindictam, et vindictam exigit. 272.1.c Sanguis in Scriptura 4 significat cidium, omnem contaminationem, vitationem, et per Synecdochen 271.1.) Sanguis Imaginem Christo sanguinem percutiam vocabit Sanguis obtrectationis Ingressus. 16. Vid ☉

Sancta cur dicatur cœlestis Jerusalem.

Sanctis viris omne bonum placet, malum omne fugiunt, tentationes vel provident 229.1.b inimicos tantis tolerant, fidei amant, et beneficia ere student: summa justi sint. 16

Scala. 554. 1. d.
Scapa sunt in agris, quod ossa in homine. 1902. c.
Scandala Sanctes pusillos homicida sunt animarum. 265. 1. d.
Scandalum mulierum Moab contra Hebræos quomodo se extenderit de Belim usq; ad Balgalam. 497. 2. a
Scelera quatuor Israëlis, quæ ignovit Amos, quæ sint ex sententia Rabbinorum, 268. 2. b, c
Scelerum gravitas et multitudo veris Sanctis obstruit os ne quo minus se deprecatores pravis interponere audeant. 509. 1. c, d.
Sceptra olim gestabant universi principes ac magistratus 558. 2. f. eadem vocatur ea Zebere et clavicula, his, sine per ea jurabant. lb. capitulum interdum pro ipsa lege. lb.
Scientia revelata et significativa regnitur præter naturales, in Propheta. 13. 2. c. Scientia Dei quæ sit. 17. 1. a ejus species. lb. Scientia Dei practica, ea quæ sit, et quomodo ea in terra nascitur. 963. c
Scissmatis regni Syllaici unde fuit rex Jeroboam. 28. 2. 2. 747. 1. a
Scita allegoriarum quam celebris, Feriæ. 502. 1. a
Scin a Sade litera vicina N. immutabiles sunt; ultra nam Sigma inclytil. 164. 2. d.
P. Scipio Africanus militem quendam agro et domo privavit. 103. 2. d ad ministerium sui progenitoris Xenophontis. 452. 2. Solitudines mirè amant. 32. 1. a, b.
Scissio montis Oliveti quam Zacharias indicat, quo spatio, et quomodo ea facta intelligenda 772. 1. c, quando ea contigerit. lb.
Σκωλεξ. V. D. Scala et ea secutus. ibid. et.
Scorpiones sunt flagella è spinis et aculeis. 283. 1. c
Scorta earum sunt reginæ 102. 1. d. ea similia sunt vino Bethaliæ venenis tempato. lb. sunt hominum, imò diabolé malitia. 14. 6. 1. b
Scortatores plerumq; carent prolibus, et ait, si habeant, Scopo. V. sunt miseræ ac brevis ævi. 101. 2. c.
Scriba et Pharisæi unde ei quos nach sunt. 611. d. eos in monte Sinaëi plectere debuisse. lb. hinc exorti Judæorum Pastores. 748. 1. b. 742. 2. c. eorum intolerabile flagitium. 595. 1. d. si fuisset (inquit) tribus similes Apostoli. lb.
Sacram Scripturam quomodo sensionatores quidam in suos conceptu torqueant. 7. 2. a
ejus sensus genuinus pertanq; 7. 8. ejus sensus sunt conceptu ipsis Spiritu Sancti. 9. 2. b, c.
est Dei epistola ad nos missa. 16. 1. a. est clarissimi cali. 16. ejus obscuritas. 17. cum exercitatio Dei, magis significat ea, quæ facere potest, quam quæ reipsa facit. 24. cur fabulis Gentilium aliquando utatur. 25. solet tempus adventus Missiæ, etsi aliquoties sat longum, ut breve reputare. 120. 1. d. solet integros numeros ponere, etiamsi alius aliqui desit vel supersit. 300. 2. a. pro judicium et misereri, quam solet significare omne virtutis opus, etiam et omne opus benum. 455. 1. a, b, c.
Sacra Scriptura est liber vivi, quæ in eo scripta continentur. 681. 2. b ipsa quot Ecclesiæ est tribus Christo, et electæ fœminam Christi etiam ea communicarem. 591. 2. 27. 2. a sæpe ea facta vel futura dicit, quæ fieri oportet aliquando. Stre qua fiant Jonathas postulat, vel quo ut fiat justa gravissima causa detur. 761. 1. d justa Sacram plagas minuit cessigrare. solet 695. 1. b utiliter computu sumi sacra, ne pleni 627. 2. c 629. 2. d. cum ego quidam sumi pleno deri, nec alibi ut, cogitans sibi intelligit. 810. 1. b Sanctionis modo. 527. 2. b, c.
Solet q tempo rei gestum significare 634. 2. f. q omnes gentes vel omnem terram 758. 2. b. intelligit ejus provincias, de
Scriptura ea rem allatis, tatus est Christo, se velut mos imbrevio Scriptubi omnes cogitationes in die Scutellia vocant Idolatria. 402. 2. Scythum cum Jasone pugnasse in Phœbin quo loco spectaret. 251. 1. b
Scriba et pharisæi sepulchris acriter dimicarunt. Sear datis filii Matte cui ita dicatq. 64. 2 Secessum nonnunquam captent q ad vita alios Secreta q tacita velit, prius faceat. 405. Secretum mystica vocat Asyria. 526. 2. f Secunda porta Jerusalem erat, quæ erat in de muro 572. quæ de ea capta à Chaldæis Sectribalem gentissimum quo passi exprimat Secundo Zamolxi Lapteas ut divinat. 824. 1. Sectionis mala: nascitur à tumidi. 502. 1. d Seductor Dominum accusat de quod. 402. Segetes Judæum quasi Babel dicam, cujus arena minutie, massa Sagæ et magis. 231. Selang ejus dominatus sanè fuit pacies. 732. Seir mons, in quo exacta fuit benedictio, gestit cubitis Christi. 548. 2. c. Selementa, omnis amoris est remissum. 728. Seleucus Nicæ Rex tuguriola regia vasis templo se solvit hinc. 652. 1. d. Semei qui fuit à majoribus Benjamin. 761. 1. Semen tribus Levitæ Sacerdotium. 11. a quomodo sacerdos S. Sanctus. lb. Seminare veritatem in Scriptura qui. 175. 1. c Semiramis Ninum filium ad Bactrum invitat. 58. 2. b. c cum ea bellarunt Assyrii in Persia. 190. 1. quæ in Bactrianam mutata vocabula. 58. Semen Eude deuta fit Babylone. 688. b. judæi vocant quemdam [illegible] edomitem circumcisum et gentilium. lb.
Senatus Rom. quoad religionem olim facetus. 607. Seneq cum prudentiores ad preces et vota 227. 1. a etiam fassis cum Hyperbolen formula dicat. 234. 1. d.
Sennacherib eladem quomodo patiatur. 10. dicitur Assyrii. 1062. tyrannido mortuus. 947. 1. b comparatus Lucifer, cui. Sepulcra Samaria à Salmanasar, quid à Sepulcra Jerusalem obscuri, secabatur ossa. Sensum genuinum S. Scripturæ rationem vocum ejus conjunctio vel disjunctio, vel diastole. 30. c is maxime scitus. Sensus literalis primarius. lb. Sensus spiritualis. lb. An de omnia in Scriptura contineri debeat, quidam negant. 171. 1. totamille S. Scripturæ sensus. lb. ex centum ostenditur 1. Sensus mystici multiplices quomodo. 247. 1. Sepulcra Hebræa et ea, vel velut ejus Sibyllæ positum. 5. 2. Sentelia in fidelium in Scriptura solutus à sententiis electus fidelium. 22. Sentiri de ea Scriptura Zelus et Nisbeam quæ non fuit propheta Jeremiæ, sed Sepulcra. 424. Sedes sententiæ erat de quo Romanus. lb. Separatus Christi quomodo specie Angelus Mariabas, et objectio Christi. 714. 1. Sepulcri sex desiderantur Sabbatici in Patria. 553. Sepulcrum unde dedicatum. 362. qui ejus cui lb. 364. quo negligere. lb. et Sepulcra accipiter Hispania. lb. etc easdem Sabbatarum quas Dracum Specida, quomodo Grammia vocatus. lb. Sepulcrum nomen Assyriacum persequimur. lb. quam varia Sepulcrum significet. lb. an post tempora Hispania vocata sit Sepharad, et a Hebræis Rabbinis. lb. 610 etc.

Sepharuaim vrbs an iuxta Bosphorum sita, & vnde dicta. 363.1.a

Sephera est nomen proprium regionis campestris Iudææ. 361.2.d

Septem angeli principes regit Deus Ecclesiam & orbem. 447.1.d. septem principes intimos habebant reges Assyriorum & Persarum. ibid.

Septenarius numerus in Script. symbolum est multitudinis. quòd si addatur octonarius, magnam multitudinem significat. 258.1.a.447.1.d. eius mysteria. 663.2.a. ũ Iudæis erat solemnis. 330.1.d.

Septimus mensis, id est September, totus penè Iudæis sacer erat. 329.2.d.330.1.c

Septuaginta interpretum versio procurante Ptolemæo Philadelpho Alexandriæ facta & cusa est. 502.1.b. 715.2.b. non sine Sp. sancti instinctu aliter quædam verterunt quàm sint in Hebræo. 513.1.c. an fuerint quasi Prophetæ & scriptores hagiographi. ibid.d. nonnulla addunt in sua versione quæ non sunt in Hebræo. 544.1.b. quædam etiam omittũt. 571.2.a. quædam aliter vertunt. 301.2.c. ain literam sæpè vertunt in G. 580.2.d. posuerunt & ipsi numerum XL. dierum in prædicatione Ionæ, sed eorum numerus depravatus est. 388.1.b

Septuaginta annis captiuitatis Babylonicæ vnde inchoandis. 32.1.b. 603.1.d. alij sunt à septuaginta annis desolationis templi & vrbis. 643.1.b.c.2.a

Sepulcra veterum fuere apud flumina, cur. 24.1.a. intra sepulcra se abdebant, qui calamitatem declinabant. 192.2.b.c. sepulcra mortuorum violanda non sunt. 268.1.a.b. sepulcrum Ionæ in Assyria an sit. 310.1.d. 387.1.c

Seraphim an idem sint cum Theraphim. 94.1.d. vnde dicantur. 310.1.c

Serapion monachus panem furari solitus, mox vt peccatum confessus est, à tentatione omni & fame liberatus est. 196.2.c

Seraphi erat vitulus corpore nigro, candida fronte, habens in tergo album notam. 161.1.b. vide Apis, Vacca, Vitulus.

Sergius Risius Maronita, Archiepiscop. Damascenus vertit Biblia Arabica in Latinum. 5.2.d

Sericum color quis dicatur. 641.1.d

Series damnandorum & eligendorum an sit infallibilis & certa. 178.2.b.c

Septimus imber in Palæstina est qui in vere cadit ad segetes incrassandas. 123.2.a.231.1.c.285.2.a.316.1.b.730.1.c

Serorum qua industria Charatinos expugnarit. 517.2.b

Seruitus Hebræorum in Aegypto fuit typus captiuitatis Babylonicæ; & vtraque tyrannidis peccati & concupiscentiæ. 599.1.d

Seruus Dei honorificus titulus est. 234.2.c. qui serui Dei vocati sint, & se sic vocarint. ibid.d. serui olim à dominis detondebantur. 411.1.a. curui & depressi incedunt. 69.1.b. seruis perpetuis olim solebant aures perforari. 91.2.d. serui & ancillæ etiam Spiritum sanctum accipiunt. 234.2.b.c

Seruus seruorum Dei titulus Pontificis est. 741.2.a

Settim qui locus, & eius situs. 249.2.d.454.1.c. arbores in eo nascentes dicta sunt ligna settim. 249.2.d. fuit typus cæli ob 7. analogias. 250.1.d.

Seuerus Abbas sola propè Eucharistia vitam duxit. 726.2.c

Seuum an mutet hyæna alternis annis. 515.2.a.

Sigmata est apud Hebræos iurantis & signum iuramentis executorij. 332.1.c. capitur vel propriè vel impropriè. ibid.

Sibylla Cumæa sub Tarquinio Superbo vixit. 616.1.c. Erythræa quando floruerit. 438.2.c

Sicera vnde fieret. 75.1.a

Sichem vrbs vnde dicta, tempore Christi dicebatur Sichar, deinde Neapolis, hodie Napolosa, eius situs. 128.2.d. eius celebritas. ibid.

Siclus valebat florenum Belgicum. 92.1.b. ponderare debebat quatuor drachmas. 744.1.b. vnde vox deriuetur. ibid. 331.2.b

Sidonij tempore Christi Iudæis coniuncti vel associati erant, subacti à Machabæis. 712.2.c. fuere acres, & ferè perpetui Iudæorum hostes. 243.1.d

Sigillum veterum erat in pala annuli. 629.1.b. sigillum Christi, crux est, diaboli voluptas. 631.2.b. sigillum Dei dupliciter est fidelis. ibid.d

Signa propriè quæ dicantur. 235.1.b. signa veri prophetæ quæ sint, quæ falsi. 10.2.c.d

Signabant veteres omnia annulo. 629.1.b

Silentio potiùs profundo veneranda est Dei maiestas, quàm exili præconio. 537.1.c. silentium reuerentiæ, timoris, & stuporis est indicium. 569.2.d. id conducit religioni. 81.2.d. silentio punit Deus strepitum & turbam. 329.1.d. silentium vocatur infernus. ibid.c. id ponitur per metalepsin pro desolatione. ibid.a. silentij otiosi etiam Deo reddenda erit ratio. 384.2.a

Silere est reuereri, timere, obstupescere. 536.2.c. silent omnia à facie Dei. 537.2.d.538.1.d.2.d.539.2.b.c

Siloë fons quis fuerit, & vbi situs. 763.1.c. fluit cum silentio: quæ in eo mira contigerint: eius aqua etiam Saracenis hodie in pretio est. 2.b. nomine & virtute sua repræsentat Christum. ibid.c

S. Simeon Salus, atlas fuit orbis. 846.2.b

Simeon quidam auctor Scribarum & Pharisæorum. 761.1.b

Simiæ orbes oculorum dilatantur crescente luna, & contrà. 557.2.a

Simile per omnia non est simile. 54.1.d

Simon pontifex vixit tempore Ptolemæi Philadelphi. 777.2.d

Simon Machabæus Gazam expugnauit. 713.1.d

Simoniacus rerum sacrarum nundinator est, & licitè esse non potest. 789.2.a

Simplicitas Dei quanta sit. 827.2.a

in Sina monte quàm gloriosum se exhibuerit Deus. 549.2.a.c. typum gessit Sionis, in qua data est lex noua in pentecoste. 547.2.c

Sinarum conuersionem prædixit Isaias, eosq; vocat Sinim, esto eius ævo non habuerint hoc nomen. 364.1.c

Sion mons sanctus dicitur ob quatuor causas. 705.1.d quæ in eo contigerint. ibid. & seqq. ibi Christus Ecclesiam inchoauit, vti Salomon in eo corporale templum ædificauit. 425.2.a. Sion propriè significat superiorem vrbis partem, in qua erat templum & arx Dauid. 423.2.a.772.1.c. cur vocetur turris gregis metonymicè. 428.1.c.d. de Sion quomodo egressa sit lex Euangelij Christi. 426.1.a.b

Sirenum fabula quid significet: fuerunt ipsæ partim volucres, partim virgines. 404.2.a. vbi habitauerint: has Vlysses cur declinaret. ibid. vox Siren vnde dicatur. ibid.b. sciebant & plangere. ibid. illis similes sunt mulieres. 103.1.b

Smilax, siue volubilis quæ herba: duæ eius sunt species. 483.2.a

Sociatio fidelium Ecclesiam integrauit. 632.2.d. societas peccatorum quàm noxia sit. 373.2.b.463.2.d

Socrates cur vocetur nugarum antistes. 598.1.b

Soda-

Sodalitatis nequam incommoda. 650.1.d
Sodomæ restitutio quomodo promittatur. 346.1.b
Sodomitæ ex deliciis crudeles euasere. 309.1.a. *sunt puniti hic & in futuro.* 482.1.b
Sol quomodo in tenebras symbolicè conuertatur. 236.1.a.b. *quomodo tropologicè.ibid.b. quomodo tropologicè in meridie occidat.* 333.2.b.c. *solem aliquando obtegunt agmina locustarum.* 222.1.c.2.d. *sol, luna & stellæ an reuera in die iudicii obscurandæ.* 247.1.b. *allegoricè id de Christo, B. Virgine & Sanctis exponitur.ibid.d. & tropologicè.ibid. sol est rex stellarum.* 302.2.c. *ipse trinus & vnus est quomodo.* 836.2.d. *dictus est sol, quia solus in mundo.ibid. eum Manichæi adorabant, & censebant esse nauim triangulam.* 837.1.a. *eius elogia ex Plinio.ibid.c. est typus veri amici.* 2.b.c. *eius pennæ sunt radii, cur.* 838.1.d. *quanta eius velocitas.* 2.a. *oriens radios expandit in figuram auis.ibid. Aegyptii eum vocarunt phœnicem, cur. ibid.b.d. & seqq. quomodo sit in eius pennis sanitas.* 839.1.c.2.a. *sua luce fugat serpentes & feras noxias.* 1.d. *in passione Domini quomodo sit obscuratus.* 616.1.b. *eum vt Deum veteres colebant.* 569.1.d. *signa in sole quæ visa sint paulò ante ortum Christi.* 615.2.d. *sol stetit & luna pugnante Iosue contra Amorrhæos.* 556.2.b.d. *sol oriens Christus est.* 661.1.d.2.a.b. *item sol iustitiæ in primo suo aduentu ob quinque analogias.* 836.1.d
Solitudo cur vocetur Ecclesia. 78.2.b. & seqq. *solitudo quantopere prosit ad bonum religionis.* 81.2.d. 82.2.a. *mentem disponit ad percipienda diuina oracula.* 9.2.c. *spiritalis magis sectanda, quàm corporalis.* 81.1.d. *verè pœnitentibus necessaria.* 80.1.a.b. *eius bona.ibid.b.2.a. eius elogia.* 2.a. & seqq. *in quam solitudinem sit ductus Israel à Deo.* 79.1.b
Solium iniquitatis quod dicatur ab Amos. 306.2.c
Sollicitudo ambulandi cum Deo quos effectus pariat. 14.1.a. *quid hæc à nobis requirat.* 456.2.c. *etiam ad laicos & coniugatos spectat.* 458.1.c
Somnia aliqua diuina sunt. 234.1.d. *senibus cur somnia tribuantur.ibid. quando somnium visione sit perfectius.* 2.a
Somnus ab ecstasi quomodo differat. 25.1.b. *mœrorem sepelit.* 373.2.c. *somnus Ionæ repræsentat somnum Christi in naui orta tempestate.ibid.d somnum diabolus inducit, Christus vigiliam.* 505.2.a
Sophonias quid hebraicè significet: eius maiores, & locus natalis. 566.1.a.b. *Sanctorum catalogo adscriptus est.ibid.c. quo tempore prophetarit.ibid. & 33.2.c. prophetat solis duabus tribubus; eius argumentum.* 2.a.c. *an prophetarit primis octodecim annis Iosiæ.ibid.b. Ioëli in stylo similis est: est abbreuiator Ieremiæ.ibid.c. eius illustris prosapia, maiorum eius nomina exponuntur.* 567.1.d. *an fuerit abnepos Ezechiæ regis.* 2.d
Sordidatus cur dicatur fuisse Christus Iesus. 657.2.b
Sortes cur miserint nautæ quibuscum nauigabat Ionas. 374.1.c. *sors est triplex: diuisoria, consultoria, diuinatoria.* 2.a. *sortes quales in lure canonico vetentur.ibid.c. duplex in diuinatorijs peccatum cõmittitur.ibid. sortes Domitiano interitum, Alexandro Seuero imperium denuntiarunt.ibid.d Pythagorica sors qualis fuerit.ibid. sortem nautarum Ionæ superstitiosam Deus ordinauit in bonum.* 375.1.b. *item sortem Philisthæorum, item sortes Saulis.ibid.*
Spadix quis sit color, & is maximè in equo commendatur. 639.2.a
Species, quas Prophetarum imaginationi obiicibat Deus, symbolicè repræsentabant res futuras vel actas. 381.2.d
Speculator sit concionator oportet. 566.2.c. *item pastor.* Speculatio. M.1.a. 567.2.a
Spelunca natalis Christi quantopere à Constantino & eius matre S. Helena Impp. fuerit exornata. 435.2.a. 440.2.a
Spes concepta de plurimorum doctrina & conuersatione quàm sæpè vana sit. 611.2.b. *spes quomodo in Eucharistia exerceatur.* 803.1.a. *spei quanta sit virtus, & qui eius effectus.* 529.2.b. *non confundit.* 74.2.c. *sæpè ex desperatione oritur.* 85.2.a. *numquam ea deponenda.ibid.c. eius symbolum lilium.* 204.2.b. *spes omnes mundanorum mendaces sunt.* 409.2.d
Spicæ cur vocentur rami pleni oliuis. 678.2.a
Spinis electorum viæ quomodo sepiantur. 75.2.b. & seq. *spina Arabica acuta & densa est.ibid.*
Spiritualem partum impedientes homicidæ sunt animarum. 266.2.a. *spirituales hostes quinam sint, & quæ damna inferant.* 231.2.d. *spiritualia commodè Christus per symbola corporalia Iudæis exposuit.* 785.2.a
Spiritus Dei, quem effundendum prædixit Ioël super omnes, quis sit. 132.2.a.b. *spiritus propheticus Prophetis non erat habitus permanens, sed aliquando abiit recedebat.* 28.2.d. 322.2.b. *spiritus singulis vitæ præsunt.* 104.2.d. *spiritus capitur interdum pro arte architectonica.* 615.1.a. *spiritus Dei multiplex est.* 614.2.b. *spiritus prorum quis sit, eius effectus.* 757.1.c. *spiritus in Script. significat motus impetum ac vehementiam.ibid.d. spiritus increatus Dei duplex est: prior in Deo essentialis, alter notionalis.* 614.2.b. *spiritus creatus sunt dona spiritus increati.ibid.*
Spiritus sanctus non est semen Dei. 57.1.d. *sponte sua se annexuit suis donis, hinc in iustificatione animæ dat seipsum substantialiter.* 67.1.b.c. 2.b. 233.2.a.b 633.2.c. *quæ rei huius moralis sit ratio.* 68.1.a. *fideles per desertum huius vitæ deducit.* 79.2.d. *est primum & increatum bonum.* 95.2.d. *inopes ignorantes & miseros ad summam scientiam, dignitatem & gradũ euehere potest.* 254.1.d. *eius effusio in pentecoste in Apostolos, & deinde in alios futura à Ioële prædicitur.* 232.2.c. *primò fusus est, deinde infusus, tertiò effusus in Apostolos.* 233.1.b. *quàm necessarius in homines effundi debuerit.ibid.c. partitur suos fideles sua dona ibid.d. est verè Deus, non minus quàm Pater & Filius.ibid. mittitur à Filio de propria ipsius substantia.* 2.c. *quomodo super omnem carnem effusus sit.ibid.d. etiam in Gentes.* 234.2.b. *in omnes indifferenter beneficus est.ibid. & 2.b. in nobis inhabitans causa est adoptionis qua in filios Dei adoptamur.* 68.1.b. *Prophetas informat.* 422.1.c. *eius quanta sit efficacia.* 158.2.a. *dedit Apostolis donum linguarum, quo ab omnibus intelligerentur, & vicissim omnes intelligerent.* 395.1.d. *non intelligitur ab Aggæo per desideratum omnibus gentibus.* 618.2.a. *hunc pauci Iudæi cognouere, Gentes ferè nullæ.ibid. est murus igneus Ecclesiæ.* 648.2.b. *eius principales effectus duo.* 757.1.c. *est spiritus veritatis.* 705.1.c. *super Christum baptizandum in specie columbæ descendit.* 616.1.a. *ei peccantium conuersio accepta referenda.* 687.2.a. *quàm eam suauiter peragat.ibid. est spiritus mansuetudinis.* 671.1.a

Idolia vitarent Deo dicant. 784.2.d
Idonea quales adolescentibus quærenda. 56.1.c.
cur annulum in digito annulari gestent. 629.1.d
Idonea anima Deus est. 812.2.d. sponsi olim sponsas emebant muneribus. 91.2.d
Idoria proles impudicarum matrum bene ab iis auellantur. 56.2.c. iure Canonico arcentur à sacerdotio. ibid.b.
Idriotrophia Romæ multa sunt. ibid.c.
Ilectrum & plumbum sæpè pro eiusdem naturæ metallo capitur, est tamen inter vtrumque discrimen. 676.
2. stanni tres proprietates. ibid.b.c
Ilectrio græcè est filius Hebræus. 331.2.d. eius pondus & valor: trat & areus & aureus eiusdem ponderis, sed pro materia diuersi pretij. ibid.
Ilsana multa Romæ ad terram concidêre nascente Christo. 616.2.d
Ilsaronum nomẽ referri potest & ad sigulum & ad conflatorem. 745.1.a
Ilsatus Religionis est opus Dei. 272.1.a. de statu vitæ deliberanti secessus & solitudo quærenda sunt. 81.1.b. statui, ad quem quis vocatus est Deus, conuenientia dat media. 384.1.d
Ilsella Magis in Bethlehem apparuit, ibique stetit. 440.1.d. stellis comparantur electi & reprobi; illi fixis, hi cadentibus. 355.1.a. stella Lucifer habita à Syris vt regina cæli. 302.2.c.d. & seq. stella insoliti splendoris apparuit nato Christo. 615.
2. stella Deum præcedere quomodo dicantur. 677.1.a. ea: cur veteres adorarent. 569.1.c. regna & res humanas non regunt. 552.1.b. peccatorem in die iudicij coarguent & exprobrabunt. 576.1.d
S. Stephanus Hungariæ rex Martyr fuit. 749.2.b
Stephanus monachus quomodo in agone mortis cum dæmonibus disputarit. 452.1.d
Sterorum nomine vocantur idola à S. Scriptura. 116.
1.d
Sterilitas naturale & ordinarium Dei flagellum est. 212.2.d. sterilitate puniuntur scortantes. 101.
2.d. 111. 155.2.
Stigmata crucifixionis in Christi corpore post resurrectionem remanserunt. 758.2.a
Stillare Hebræis, maximè Prophetis, est loqui & prophetare. 324.1.d. 414.2.c
Stimulus ad omnem virtutem exercendam addit, exẽpla prædecessorum intueri. 451.1.c
Stirpem Dauidis suo ortu Christus restituit. 661.1.c
Stomachi paradoxa qua. 30.1.b
Stomacho comparantur sacerdotes, cur. 796.1.b
Strages Iudæorum impiorum vocatur sacrificium solenne, eius partes per omnia applicantur rei significatæ. 570.1.b. strages Pharaonis in mari, & Chaldæorum in Babylone, typus fuere peccatis prostratis à Christo. 559.1.c. stragem ingentem qua phrasi Græci exprimerent. 361.1.d
Strangulæ vocari possunt plagæ, id est anguli, quia angulata sunt. 280.1.a
Stupor silentio punitur. 329.1.d
Struthionum quis gemitus dicatur. 404.1.b. feminæ magis clamosæ sunt quàm mares, cùm pullos perdunt: sunt valdè amantes pullorum: quomodo capiantur. ibid. cur dicantur crudeles in eos. ibid.c. vocantur struthiones tantùm in calidis terris: cur dicantur struthiocameli. ibid.
Stultus pallor quis dicatur. 747.2.b. stultus quis proprie sit. ibid.
Stulta mundi elegit Deus, vt confundat per ea sapientes. 271.2.c.
Stultitiam Israelis quam suggillent Prophetæ. 77.1.d
Stupor est alienatio vel mentis, vel sensuum. 285.1.b
Sturninus quis color sit. 642.1.b. 694.1.a
Stylus erat instrumentum scriptorium. 527.2.d. stylis à discipulis suis compunctus fuit S. Cassianus. ibid.
Stylus Prophetarum Minorum qualis sit. 6.1.c
Suauitate Ecclesiam gubernat Deus. 670.2.d
Subcinericeus panis cur vocetur Israel. 135.2.c
Subditi à Superioribus correpti non sunt defendendi. 535.1.b. eorum peccata Superioribus & pastoribus ascribuntur. 656.1.b
Subleuare animam est eam erigere in spem. 100.2.c
Subrisus subinde signum iræ despicientis aduersarium. 295.1.d
Subsannatio fit vel sibilando, vel manus complodendo. 586.2.a
Subter vitem & ficum sedere quid Hebræis sonet. 663.2.b
Suburbia Romæ olim quàm latè patuerint. 386.1.c
Sudarium cur adhibeatur in sacrificio Missæ. 228.1.a ipsum vocatur mappula vel amaphæ. ibid.
Sufficiens auxilium ad conuersionem quilibet peccator, quantumlibet magnus, à Deo accipit. 260.1.c
Suffaforia candelabri quæ dicerentur. 679.1.a
Sulphur ardore suo omnia purificat. 823.2.a. & seqq.
Superbia mater est omnis sceleris & confusionis. 595.2.b ea in Ecclesia & Religione maximè Deo displicet. ibid.d. eius pœna est luxuria. 113.1.c. ruina est omnium virtutum. 156.1.b
Superbiens ob Dei dona & gratias, deseritur à Deo, donisq; priuatur. 155.2.d
Superbi astris se æquant. 354.2.b. eorum fastus & lapsus. ibid.c. colunt Luciferum stellam, cur. 302.2.d. potissimùm in die iudicij exagitabuntur. 244.1.a. tunc futuri vt stipula. 836.2.c
Superiores quantum onus in regimine sustineant. 656.1.c. ab iis animas exiget Christus iudex. ibid. sunt velut atlantes. ibid. & 846.1.c
Superliminare crapulæ vel tremoris quod dicatur respectu Ierusalem. 751.2.a. 752.1.a. quid hoc tropologicè significet. 751.2.a.b
Supernaturales rationes nobis sectandæ sunt in vita agenda. 142.b
Supplicium quod dicatur, & supplicationes. 271.1.c. supplicationes rogationum cur institutæ. 212.1.a.
Supplicia quæ Deus in domos facinorosorum immittit, eas vsq; ad fundamenta comminuunt. 683.2.d
quæ Supra doctrinam, vires, & ingenium sunt & fiunt, non perueniunt ad maturitatem. 146.1.a
Suscitatio tabernaculi Dauidis, ab Amos prædicta, de tempore Christi intelligenda est. 344.2.c.d
Suspendium animæ quid sit. 553.2.b
Sycaminus arbor quæ, ipsa vox vnde formetur. 325.2.b. eius descriptio. ibid.b.c
Sycomorus vel sycomorea arbor describitur: dicitur & ficus satua, vel ficus Aegyptia: non in sola Aegypto reperitur, in Iudæa etiam frequens erat. 323.1.d.2.c.d. eius vilitas. 2.c. eius fructus amari sunt, vt dulcescant, inciduntur. ibid. est alia à caprifico. 324.1.a alia vocis huius deriuatio inconcinna. ibid.b. vno anno septies fert fructus. ibid. symbolicè est crux & doctrina Christi. ibid.c. respondet arbori scientiæ boni & mali. ibid.
L. Syllæ crudelitas. 261.1.a. 268.1.b
Symbolis cur vtantur minores Prophetæ. 6.1.c. symbola, quæ ostendant clementiâ vindictam temperandam.

dam.365.2.a. *in symbolis quæ adduntur, non omnia rei significatæ conueniunt.* 745.2.d
Symbolici sunt Zachariæ, Daniel, Ezechiel. 635.1.b
Symmachus Vrbis præfectus laudatur à neruosa styli breuitate. 2.1.b
Symmachus interpres Bibliorum fuit Ebionita Christi diuinitatem negans. 517.2.d
S. Symphorosa septem filios & maritum Getulium ad martyrium obtulit. 805.1.a
Synagogæ ortus & initia. 73.2.d. *dies eius iuuentutis, qui sint.* 86.1.a. *ipsa tamdiu afflicta est, donec Deipara Christum saluatorem Israelis peperit.* 444.2.c.d. *cur vocetur claudicans.* 427.1.a.c. *eam Deus in fine mundi iterum assumet.* 93.1.c. *Synagogæ viri scripta Mosis per capita & libros digesserũt.* 434.2.d
Synopsis Dorotheï de vitis Prophetarum plena fabulis est. 13.2.c
Syri quàm grauiter Israelem sub Ioachaz attriuerint. 286.2.a.d. *inter eos & Israelitas perpetua fuere bella.* 260.2.a. *sæpè latrociniis vexarunt Iudæam.* 432.2.b. *olim malè audiebant ob morum mollitiem.* 343.2.c. *columbis pro veredariis vtuntur, & cur.* 137.1.c
Syria ab Aram filio Sem vocata est Aram, deinde à Cyrenensibus, Kiria, indeq; euphoniæ causa Syria. 343.2.b. *olim hortis abundabat.* 348.1.c. *item columbis pernicibus.* 137.1.b.180.1.d

TAbernaculum Mosis in deserto erat typus Ecclesiæ militantis.345.1.d. *tabernaculum Dauidis, quod suscitandum promittit Amos, propriè significat, domum eius regiam & thronum regium.* ibid.c. *cur vocetur tabernaculum.* ibid.d. *tabernaculum capitur pro quauis domo.* 755.1.a. *tabernaculi Mosaici symbolica adaptatio.* 669.2.c. *in festo tabernaculorum cur Iudæi iubeantur gestare ramos myrteos.* 641.1.c
Tabes tyrannorum & hæresiarcharum. 781.1.d. & seqq.
in Tabulis ligneis, maximè buxeis, olim scribebatur. 527.2.b. *ijsq; vel nudis vel cera obductis.* ibid.c. *tabulæ legis quas Moses à Deo acceperat, lucis radios longè eiaculabantur.* 549.2.d
Talentum plumbi apud Zachar. amphoram occludens quid symbolicè denotet. 686.1.a.b. *quid tropolog & anagogicè significet.* 687.2.d. *talentum auri & argenti, quot aureos contineret.* 624.1.c
Tamerlanes Baiazete Turcarum Imp. pro scabello vtebatur, dum equum conscenderet. 165.2.b
Tammus Hebræis erat quartus mensis, respondens partim Iunio, partim Iulio nostro. 707.2.b
Tammuz, id est Adonis, idolum Alexãdriæ erat. 501.1.d
Targum in Prophetas auctor fuit R. Ionatham, at Targum Pentateuchi R. Aquila, cæterorum R. Ioseph cæcus. 6.1.a
Tarquinius Superbus capita Gabinorum de medio tollenda, quo facto ostenderit. 309.2.a. *quo anno Darij Hystaspis vrbe à Romanis pulsus.* 642.2.d
Tarsum Ciliciæ Ionas fugere voluit. 371.1.c
Tarteſſum in Hispania an Ionas fugere voluerit, dum in Tharsis fugere vult. 371.1.b
Tebet mensis decimus Hebræorum partim Decembri, partim Ianuario respondet: cur die huius X. Iudæi ieiunarent. 707.2.c
Tecta domorum in Iudæa & Syria etiamnum plana sunt. 569.1.c
Teglatphalasar igni comparatur omnia inuadenti. 318.2.d. *quas tribus in Assyriam captiuas abduxerit.* ibid. *quando Syros exciderit.* 26[illegible]
Telas aranearum sibi texit quilibet per fraudes decipere cupiens. 14[illegible]
Tempestas est symbolum horrendi prælij, conflictus, pugnæ, supplicij, vindictæ. 578.1.c. *tempestas vehemens maris facta tempore nati Christi.* 61[illegible]
Tempestiuus imber quis in Palæstina sit. 123.2[illegible] 1.c
Templorum lapides clamabunt contra hæreticos quia demoliti sunt, in die iudicij; item contra sacerdotes qui in ipsis scandalũ fidelibus dederunt. 533.2.c. *rũ fabrica quàm Deo placeat.* 628.2.a. & seq. *templum primò erigendũ in vrbis fabrica.* 607.1.d. *domus Dei.* 659.1.d. *ipsum decet sanctitudo.* [illegible] 2.b. *arroganter non est adeundum.* 751.2.a. *inter ipsum & animam sanctam octo analogia.* 63[illegible] a. *Christiana templa superant templum Salomonicum numero & gloria.* 624.2.d. *respiciunt Orientem.* 772.1.b. *templum non admittit turpe lucrum.* 403.2.a. *templum, in quo Christus Dominus in Missa offertur, repræsentat Bethlehem.* 44[illegible] 1.b. *dici potest sanctitas, cur.* 360.[illegible]
Templum Salomonis cur dicatur Ophel. 428.1.c. *priè tantùm duas continuit partes, Sanctum & Sanctum sanctorum, sed ante se habebat porticum.* 22[illegible] 1.d. *eius partes explanantur.* 2.b.c. *cur vocetur superbia potentium.* 332.1.c. *eo quomodo Deus gredi dicatur.* 400.1.d. *cur dicatur Libanus.* [illegible] 2.d. *videbatur eminus esse mons niueus.* ibid. *eo solo Hierosolymis Deo immolari poterat.* 784.[illegible] *subterraneis aquæductibus refertum fuit.* 778.[illegible] *erat locus orationis æquè ac oraculi.* 701.2.b. *qua in re secundo præstaret.* 614.1.a. 621.[illegible] *vtrumque multi viderunt.* 614.[illegible]
Templi secundi fundamenta iacta, & parietes erecti à Cyro, sub Dario peracta contignatio. 610.2.[illegible] *quo anno Darij Hystaspis inchoatum & perfectum fuerit.* 603.1.b. *huic quinque defuerunt, quæ primo fuerunt.* 611.1.a.b. 621.1.d. *tamen prioris gloriosum fuit ex eo, quòd Christus in eo Deo Patri oblatus & versatus sit, miracula patrarit, &c.* 611.[illegible] a.2.b. 622.1.a. 623.1.a. *diutiùs duraui quam primum.* 622.2.c. *eius gloria est Christus Iesus.* 62[illegible] 2.a. *in eo iacta sunt Ecclesiæ Christianæ fundamenta.* ibid.c. *fuit longè impar primo in structura, pretio & gloria.* 623.1.c. 624.1.b.c.d. *sapiùs à diuersis fuit pollutum.* 622.2.d. *commendatur ab aggæo, quòd Christus illud sit ingressus.* ibid.d. 624.2.d. *an ipsum restauratum ab Herode.* 623.1.c. *in eius fabrica cur populus tergiuersaretur.* 603.2.b. *hac rebus sacris in computu mensium annumeratur.* 601.2.c. 604.1.a. *cœpta hac est in mense Augusto.* 604.2.b. *eius portæ sponte apertæ quid significarint.* templorum ornatus 797.1.d 737.2.d
Templum vtrumq; quàm diu durarit. 621.2.d *templum Herodis an fuerit augustius Salomonis.* 623.1.c. & seqq. 624.1.b. *non id exstructum, dirato Zorobabelico, sed tantùm hoc ampliatum.* 623.2.c. *templa tria sibi promissa esse dicunt Iudæi pertinaces.* 621.1.d.2.d. 622.1.d
Temporanea pluuia in Palæstina quæ sit. 750.1.[illegible]
Tempus legis gratiæ cur Osee vocet diem tertiam. 122.2.b. *tempore gratiæ vtendum est dum datur.* 167.2.d. *tempus habet finem suum ac principia.* 443.2.c. *est intrinseca mensura vitæ hominum.* ibid. tempus, in quo parturiens pariet, quid à Propheta dicatur. 444.1.c. & seqq. tempo[illegible] tocos

Tabellarij vitæ odiũbæ [illegible] 160.2.a.b.
Talmud. 647.1.c.

vetum christianismi, vocatur magnus dies Iezrahel in Scriptura. 70.1.d temporum princeps est Deus quasi. 190.2.b tempus præsens vitæ, est tempus meriti vel demerendi. 511.2.d tempus Euangelij est medium inter tempus legis & tempus gloriæ. 543.1.a tempus omne oportunum est ad bene agendum & pœnitendum. 606.2.b.c est mensura non otij, sed negotij. ibid.c eius quantum sit pretium. ibid.d tempus docet prudentiam. 627.2.a

Terrenis dormiunt veriùs quàm viuant. 104.1.a

Tenebræ, falsitatis & mendacij, cladis & calamitatis sunt symbolum. 421.2.a.776.2.d item tristitiæ, afflictionis, carceris & captiuitatis. 221.1.c.298.2.333.2.467.1.b. Aegyptiæ vnde ortum habuerint. 506.2.c

Tenacula sunt dæmonum iacula. 493.1.a

Tenera sunt, quæ præter opinionem sunt, & humanam consuetudinem excedunt. 235.1.b

Tentyra vouit se in qualibet re facturam id quod optimum esset. 804.2.c eius de humiliatione sui sententia. 674.2.b

Terebinthus vestit insolescens Alexandro Magno ludibrio fuit. 571.1.b

Terminus erat limes agrorum, & Romæ Deus hoc nomine, festa dicebantur Terminalia. 715.1.a

Ternarius numerus familiaris est S. Scripturæ, & primus numerus multitudinis. 258.2.a quando verò ternario additur vnitas, tunc maxima multitudo significatur. ibid.b item typus est æquitatis summæ. 637.2.c ea Gentiles vtebantur in arcanis, velut sacris. ibid.c eius mysteria varia. ibid.& seqq. numeri cuique Deo inseruit. 259.1.a

Terra aluntur & viuunt plantæ, reptilia, serpentes. 502.1.d in terra quæ commotio facta sit nascente Christo. 616.1.a.& seqq. in passione Domini vniuersali motu concussa fuit. 336.2.a.617.1.a terra arida cur plura generet monstra. 74.1.d terra Assur est Ninive & Assyria. 448.1.c terra Nemrod est Babylon, cur. ibid. terra sancta tota erat quasi vna familia Dei. 156.1.d typus est cæli. 250.1.d terra recipiens sanguinem iniustè effusum censetur polluta, à qua pollutione mundatur, dum à iudice homicida puniuntur. 251.2.d.252.1.b quomodo in die iudicij commouenda sit. 247.2.c.d

Terremotus Constantinopolitanus publica supplicatione & litania indicta cessauit. 228.1.b terræ motus dies quis, quando, & qua de causa fuerit. 255.2.a.b.c contigit ob fastum Oziæ, quo is victorijs insolens arrogauit sibi munus sacerdotale. ibid.d terræ motu sunt pœnæ schismatis, hoc enim punit terra sæpe. 256.2.a.b

Terrena homines multi toti cogitant. 523.1.d

Terribilia in alios caueat multos. 260.2.d

Tertia pars relinquenda, duabus dispersis, quænam intelligatur. 768.2.a.b tertia hominum pars non salvabitur. ibid.b

Tertulliani lapsus. 354.2.d. impropriè sanctum Spiritum vocauit Dei semen. 57.1.d

Testamentum vetus velut imber matutinus est, nouum est serotinus. 231.2.a vnum alteri per omnia concordat. 18.2.d sunt velut duo montes. 693.1.a hæ animalia intelligantur per duo illa animalia, in quorum medio cognoscendum Christum ait Propheta. 544.2.a an repræsententur per duplicem Zachariæ virgam ad literam. 740.1.b testamentum in Script. sæpè significat pactum. 820.2.b veteris prophetiæ pleræque omnes impletæ vel ante Christum, vel per Christum; pauca excipiuntur. 30.1.b testamentum Grunnij Porcelli. 598.2.c testamentum nouum quomodo sanciuerit Christus, eiusq; sit angelus. 821.1.a.b

Testes fideles Dei sunt Apostoli, Doctores & Martyres. 181.2.c testium Dei acies ibid.d

Testudinis bellicæ descriptio. 493.1.d erat testudo duplex, vna arietaria, altera militaris. 2.a testudo animal vocatur à testa quam se contegit. 1.d

Thabor mons est in medio Galilææ omni ex parte miræ æqualitate rotundus; eius descriptio. 111.2.a

Thalmud Iudæorum videtur cento fabularum. 598.2.b

Tharsis dictæ sunt omnia loca vicina Ciliciæ, mare Mediterraneum, quoduis mare, & Oceanus ipse. 370.2.b.c item gemma chrysolithus, quia coloris marini. ibid.c Tharsis quoque significat Carthaginem vel Tunetum. 371.1.b propriè Tarsum Ciliciæ vrbem. ibid.b.d

Thebæ vrbs Aegypti centum portas aut aulas habuit. 386.2.d

Thecue opidum an compascuum fuerit. 253.1.b an terra Thecue ob olearum copiam viros sapientes gignat. ibid.c eo loco postea multi sancti monachi egerunt. ibid. eius situs & descriptio. 254.2.b.c quid mysticè sonet. ibid.c aliquando sycomoris abundauit, postea ijs caruit. 323.2.b

Theman nepos Esau dedit nomen regioni Idumææ 547.1.c significat Theman quoque plagam Australem. ibid. vox Theman an deriuetur à iamin, id est dextera. ibid.

Theman vrbs Idumææ: eius situs: in ea viguit studium sapientiæ: eius rex fuit Eliphaz amicus Iob. 266.1.a.356.2.d

S. Theodorus prece suâ locustas agros populantes enecauit. 213.1.b

Theodorus Mopsuestenus iudaizans, omnia augusta de Christo oracula ad litteram referri volebat ad priscos duces, ab Euangelistis verò accommodari ea Christo sensu tantum allegorico. 7.1.a.715.1.d damnatur vt hæreticus. 7.1.b.d.345.1.a

Theod. sius Imp. senior miraculosè de Eugenio tyranno victoriam retulit. 477.1.c.578.1.c benignè audiuit corripientem Ambrosium. 792.2.a

Theodosii Imp. iunioris lucubrationes & Lampas artificiosa. 669.1.a

Theodotion interpres Bibliorum Ebionita aduersatus est Christi diuinitati. 557.2.d

Theologia μυθικὴ celebris fuit apud veteres. 23.2.c

Theophrastus ab eloquentia ita dictus. 64.2.d

Theotimus maluit oculos amittere, quàm ab vxore abstinere. 103.1.a

Θεοσεβείας & Ἀσεβοῦσαι, quid Græcis significet. 218.2.a

Theraphim significant imagines siue simulacra. 94.2.b sumuntur pro idolis. ibid.b.c.d vnde vox deriuetur. ibid.c videntur vocati à Gentilibus à Cherubim & Seraphim, quos videbant Iudæos in magna veneratione habere. 95.2.a

Theseus ex pueris excedens Apollini Delphico comam consecrauit. 411.2.a

Thoës ex lupo & hyæna generantur. 515.2.b

Thomas à Kempis quantus solitudinis cultor. 82.2.b

Thrasybulus Periandro Corinthio quid ad regnum stabiliendum suaserit. 309.2.a

Thrips vermiculus est ligni innascens. 213.2.a

Thurificare est quoddam sacrificare. 568.2.d

Thus omnium gentium ritu Deo adoletur. 800.2.b id Iudæi imponebant omni sacrificio carneo. 569.1.a

Thy-

Thymiama bis quotidie Deo in altari thymiamatis adolebatur. 569.1.a hoc nomine cur vocetur Eucharistia. 800.2.d id etiam pro thure capitur & ambra. 1051.b

Tiburtinum oleum præstantissimum. 185.1.d

Tigris in vrbem inundatione capta est Niniue. 493.2.c. 494.2.a.480.1.d.2.a Tigris & Euphrates cur vocentur flumina Aethiopiæ. 594.1.c

Tigurina versio Leonis Hebræi & Zvvinglianorum, limâ & censurâ in multis locis indiget. 6.1.a

Timere in S. Scriptura est colere, reuereri, adorare. 569.1.d

Timor Dei in Scriptura significat venerationem & cultum Dei. 161.1.c 376.1.b 470.2.b is est prima sacerdotis dos. 808.1.a timor Dei, iudicij & gehennæ peccatori excordi restituit cor. 102.2.a timor sanguinem reducit ad cor, vnde extremæ partes palescunt. 222.1.a timor seruilis & filialis est pondus cordis. 806.1.a talis timor domino à seruo debetur. 795.1.c

Timus an sit tantùm productio nominis in verbis in timus desinentibus. 568.2.a

Tineæ ex puluere, situ & putredine enascuntur. 116.2.c. tineæ voluptas assimilatur ob quatuor analogias. ib.d. instar tineæ familias, vrbes & prouincias sceleratas Deus sensim consumit. ibid.b

Tintinnabula cur mulis appendantur. 784.2.c

Tirones in armis omnigq; labore & austeritate castrensi exercendi. 364.2.d

Tisri mensis Hebræorum septimus erat, respondens nostro partim Septembri, partim Octobri, huius die tertia Iudæi ieiunabant. 603.2.c. 707.2.c erat is plenus solemnitatibus. 603.2.d

Titio ad ignem prouerbium quid significet. 657.1.c

Titulus crucis Christi est è buxo, littera ei nudæ incisæ sunt. 527.2.c ex titulo prophetiæ sæpè colligere est, qualis ipsa sit futura, an tristis, an læta. 24.1.d

Titi Imp. benignitas in coniuratos. 144.1.c qua parte Ierusalem obsederit. 772.2.b.c in expugnatione eius Iudæis candelabrum ademit. 669.1.c

Tobias iunior quando mortuus, an viderit excidium Niniues. 487.1.c.488.1.a.489.1.b

Tolerantiâ nostrâ mirè delectatur Deus. 597.2.a

Tonitrua aërem & terram totam commouent. 223.1.a

Torcularia mysticè sunt gymnasia, monasteria, collegia & cæteria, persecutiones, tribulationes. 231.2.b item corda inter spem & timorem posita. ibid.c

Torcular calcare in Script. significat vlcisci, & acres de reo pœnas sumere. 246.1.c torcularia regis quis locus in Ierusalem. 780.2.a

Torrens spinarum quis sit. 249.2.c torrens Aegypti quis sit. 314.2.d torrens voluptatis cælestis inebriat Beatos. 249.2.a.c

Torris erutus de igne symbolicè significat Iesum pontif. populumq; in Babylone ita tostum, vt penè consumptus sit. 657.1.c

Tori dicti sunt à tortis herbis, quæ accumbentium humeris supponebantur. 307.1.d

Totum qui cupit, perdit totum. 523.2.c

quomodo dicatur quis Tradi vt faciat malum. 499.1.c

Trahis ferratis nonnullis in locis grana excutiuntur ex aristis. 246.2.a vide Triturare.

de Traiani anima ex inferno precibus S. Gregorij liberata, historia apocrypha est. 200.1.b

Transfiguratio Christi symbolicè demonstratur. 680.1.b

Transire in Scriptura significat punire. 165.2.b

Transitus Israelis per aquas maris rubri & Iordanis celebratur. 555.1.a.b

Transsubstantiatio est velut quædam creatio. 724.1.d eam futuram sub Messia agnoscunt Rabbini. 206.1.c

Tremor maximè inuasit labia, genua, cor. 361.2.d

Tres iuuenes in fornace Babylonia an sint viri poetici. 660.1.b tres Pastores, quos Deus succidit, quinam sint. 742.1.a tres dies quibus à Deo vinificatis mus, quales sint. 121.2.a.b tria sunt omnia ex mente Aristotelis. 258.2.a tria & quatuor scelera Damasci quæ & quot sint. 257.2.d tria parua, scilicet ficacia. 2.d

Trias à Pythagoræis dicitur iustitia & virtus. 258.2.d

Tribulatio est telum Dei, quo fugientes ad se retrahit, & vitia nostra curat. 119.2.a est velut aratrum quo malarum herbarum cogitationum euellit. ibid.c eam Sancti omnes salutarem esse censuerunt. ibid.d quia dat exercitium, probationem & præmium. 120.2.d in ea vicinus adest Deus. 382.1.a velut flagellum Christi est. 631.2.b item velut pila, in qua Deus peccatores tundit, vt pœnitentiæ gemitu exundet. 574.1.c nos ea excoquit Deus quasi igne. 822.2.d quàm sit vtilis. 206.1.d.731.1.c.768.2.d ipsa à Deo colantur. 824.2.d fortiter tolerata animam fidelem Deo de nouo quasi vnit. 597.1.d tribulationes mundi, sunt flagella Niniues. 499.1.d quæ sit duplex tribulatio. 481.2.d

ad Tribunal Dei confugere satius est, quàm ad hominum. 396.2.d

Tribus decem cur vocentur Ephraim & Ioseph, Samaria, Iezrahel, Israel, Iacob, Bethel. 4.1.b.c ex Assyriaca captiuitate non redierit. 64.1.a quando nomen apud Prophetas dicuntur ex ea rediisse, intelligendum est de libertate spirituali. ibid. & seqq. literaliter tamen non pauci ex ijs cum Iudæa in Ierusalem, verum Deum colentes excisa Niniue confugere. ibid.b alij etiam antea illuc confugerunt, alij etiam in Israele relicti fuut. ibid.c an licitè fecerint schismata a domo Dauid. 142.2.c.d abductæ sunt à Salmanasar in Babylonem, etiam trans Babylonem in Mediam, Persiam & alias regiones. 303.2.b vide Israelitæ. tribus duæ post reditum è captiuitate, Israelis nomen sibi cur vendicarint. 791.2.c.d.791.2.d 735.1.a tribus Iuda post captiuitatem Babylonicam pro omnibus capiebatur tribubus. 22.2.d

Triclinium dictum à tribus lectis: ea instrerni & ornari solebant ebore, auro & argento. 307.2.d

Tridui iter quomodo Niniue complecteretur. 385.2.d triduum resurrectionis Christi in Script. expressum est. 121.1.a.b quomodo ipsum computetur. ibid.d cur die tertia resurrexerit. ibid.d

ante Trigesimum annum apud Hebræos ordinarie nemini docere aut prophetare licebat. 508.2.a

SS. Trinitatis mysterium à Zacharia indicatur. 651.2.d.656.2.a eius symbolum est sol. 836.2.d et sanctissima ac maxima, infinita in se bona complectitur, eaq; ternarijs à se creatis communicat. 2.2.b tota personaliter venit in animam quæ iustificatur & adoptatur, in eaq; quasi in templo & throno inhabitat. 67.1.c.d.2.b.233.1.a.634.2.c.d quantum inde boni nobis accedat. 67.2.a

Trisagio hymno cantato cessauit terræmotus Constantinopoli. 226.2.b

Tristitia per erucam scitè adumbratur. 215.1.a tristitia vicina luctui est, & gaudio carens, sine causa tristis est. 24.1.c tristitia spirituum omnium pessimus est. 150.2.d

Triticum bibitur in cereuisia. 106.1.a

Triturandi modus apud varios varius. 164.1.a.262.2.b.246.2.a.431.1.d

Triumphantes cur quadriga vehérentur. 692.1.d

Triumphus S. Crucis quale festum in Hispania, & qua occasione institutum. 726.2.a

Triplex magnorum ducum multi excitati duces præclare fecere. 735.1.c

Trullæ instrumentum cementariorum. 319 2.a. trullam manu Dei stantis super murum litum mystice quid sit. ibid. quid trullam deponere. ibid.c

Tubæ Iudæi vtebantur ad populum conuocandum. 226. 2.d

Tunetum Africæ vrbs an intelligatur per Tharsis, ad quam fugit Ionas. 371.1.b

Turba quantopere honesta vitæ noceat. 82.1.b sæpè causa ruinæ est. 502.2.b

Turcæ cur bellum inferri pellet à Christianis S. Catharinæ Senensis. 502.2.a.b quocumque pedem inferunt, feritatem inferunt. 323.2.c eorum amici & socij sunt hæretici. 147.1.d. 409.2.b eorum aduentum in Italiam præsignificarunt agmina locustarum. 23.2.c

Turpe videtur deriuari à voce Chaldæa. 94.2.c

Turris gregis est locus in quo Iacob pauit greges: eius descriptio. 427.2.b fuit iuxta Bethlehem, & ibi angelus pastoribus Christi ortum annunciarunt. ibid.c dicta est turris gregis etiam ante Iacob tempora. ibid.c d turris designat symbolicè principem. 733.1.a turris Hananeel erat vltima ciuitatis veteris Ierusalem, & inde capit angeri ciuitas, adiecta vrbe noua. 780. 1.d

Tutelares Dei Gentes secum per vias duxere. 301.1.c

Tybis flatura pusilla, at animus magnus. 2.1.a

Typus per omnia non respondet antitypo. 743.2.d

Tyrannus Ecclesiæ grauiter à Deo percussi. 781.1.d sunt Dei instrumenta, & lictores, vt vel pios defendant, vel impios castigent. 196.1.c. 511.1.b. 695.1.a ipsi dum nituntur aliena, iusto Dei iudicio perdunt sua, & interent cum sua stirpe. 484.1.d eorum celer ortus est & interitus. 497.1.b regna ædificant & elangent per cædes, rapinas & bella iniusta. 422.2.c non regnant ex Deo. 143.2.d eorum mors plerumq; crudelis. 261.1.b

Tyri pene perpetui fuere Iudæorum hostes. 243.1.d quando eos captos Idumæis vendiderint. 263.2.c

Tyropœon vocabatur vorago Mello. 573.2.b

Tyrus quando à Nabuchodonosore vastata sit. 264.1.a. 2.d typus superborum & superbiæ est. 266.2.d cur vocata sit rupes. 712.1.d eius sapientia in qua re sita fuerit. ibid. tria portenta eius vastanda per Alexandrum. 2.b est item à Machabæis subacta: tempore Christi Iudæis associata erat. ibid.c eius tria robora dissecta per Euangelium Christi. ibid.d quos habuerit Martyres sub Dioclesiano. 713.1.a ex insula facta peninsula per Nabuchodonosorem & Alexandrum. ibid.b duplex est, noua & vetus. 754.2.d

Vacca petulantiæ symbolum est: magnam cum Venere affinitatem habet, hinc ei in Ægypto immolabatur: eius libido. 282.1.b vacca cur potiùs Israelem Prophetæ comparent, quàm cani vel asino. 108. 2.a vacca Basan significant mulieres Samariæ lascivas & imperiosas. 282.1.a etiam viros opulentos. ibid.c etiam sacerdotes vitulorum. ibid.d vaccæ Bethauen sunt vituli, quos erexit Ieroboam in Bethel & Dan. 160.2.d verisimile est fuisse vaccas, non boues, quia Ægyptijs vacca sacra erat. 161.1.a contraria sententia non est improbabilis. ibid.b

Valens Imp. in tugurio à Gothis concrematus est. 607. 2.d

Valentinianorum dæmones triginta potiùs nominum portenta sunt, quàm numina. 598.2.b

Valeriani Imp. immanitas & misera sors. 261.2.a

Vallis Achor quis locus. 83.2.c eius situs: vnde dicta. 84. 1.a.2.d vallis Gethsemani facta est credentibus spes & ianua vitæ æternæ. 85.2.c vallis Iezrahel quanã diceretur. 28.2.b. 61.1.a.b vallis Iosaphat, ad quam congregabuntur omnes homines, an sit incertus aliquis locus, sed indefinitè significet locum iudicij. 239. 1.b an certa sit vallis, quæ ab euentu nominanda sit vallis Iosaphat, id est iudicij Domini. ibid.c est nomen vallis certæ sitæ inter Ierusalem & montem Oliueti. ibid.d eius descriptio. ibid. 573.2.c in ea est hortus in quo Christus captus est à Iudæis, in eadem sepulta B. Virgo est. 240 1.a vnde dicta sit. ibid. in hac idololatræ & idola à pijs regibus combusti sunt. ibid.b fuit cœmeterium Ierusalem: ibi quoque Molocho infantes cremabantur. ibid.c an in ea sint fauces inferni. ibid. cur vocetur vallis concisionis. 246. 2.a.b.c in quam vallem Iosaphat, & quas gentes deducendas à Deo dicat Ioël. ibiq; iudicandas. 239 1.b. & seqq. ipsa est vallis Cedron. 573.2.c quando dicatur vallis Siloë. ibid. vallis Ierusalem quousq; pertingat: cur hæc vocetur Pila à Sophonia. ibid.b vallis Mello & Tyropœon erat inter montes Sion & Moria. 772.1.c. 775.1.a vallis Settim significat anagogicè locum Beatorum in cælo. 250.1.a valles quasi terræ sunt fundamenta & radices. 451.2.d minùs terræmotu quatiuntur quàm montes. 774. 2.d

Vana gloria per locustam designatur. 114.2.c bona opera decorticat & vastat. 216.2.d

Vandregisilus nomen proprium, è tribus conflatum, idem est quod è tribus socijs vnus. 463.2.b

Vanitas vrbium & omnium rerum mundanarum. 387. 1.b auri, geminarum & byssi. 496.1.a vanitas omnis splendoris mundani. 500.2.a

Vapor à fumo quomodo distinguatur. 235.2.b

Varius color quis dicatur. 641.2.a.b. varij equi Zachariæ visi denotant gentes varias Iudæi vicinas, eis partim amicas, partim inimicas. ibid.b an Romanos repræsentent. ibid.c

Vasa sacra semel consecrata Deo manent in æternũ sacra. 787.2.a vasis sacris abundat Ecclesia Catholica. 786.2.b. 787.2.b

Vates pyrophori qui Græcis essent. 361.1.d

Vaticanus mons Romæ cur dicatur aureus. 246.2.c

Vbera meretrices oriuant, vt amasios illiciant. 73. 2.b

Vdonis Antistitis Magdeburgensis iudicium & condemnatio. 236.2.d

Ve particula in compositis significat vel intensionem, vel minutionem. 227.2.a

Vectigalia iniqua imponentes ædificant in sanguinibus dominia. 422.2.c

Vectis capitur pro porta & robore. 262.1.a

Vellicare arbores tripliciter accipitur. 323.1.b

ex eadem Vena sæpè prodit primò stannum, deinde argentum, postea plumbum. 676.2.a

Venditus Christus fuit quindecim florenis Brabant. 744.1.d

Venenata omnia ab animis effugenda. 349.2.a

Venenatarum rerum quæ occasione coaluerit. 349.1.a

Venetus color est cæruleus, siue marinus. 694.1.d repræsentat mare & aquam. 2.a

Venter Hebræis est quidquid à collo ad inguina est. 561. 1.b venter cæci, quomodo dicatur infernus. 380.1.d venter gulosi & luxuriosi aliud non est quàm matu-

la, latrina, cloaca. 146.2.b. æstuans mero despumat in libidinem. 307.1.c
Ventosus dicitur de iactabundo & mendace. 417.1.c
Ventriculus in victima pacifica sacerdoti cedebat. 807.1.c
Ventus Orientalis in Iudæa vehementissimus est. 517.1.a ventorum carcer & constrictio. 692.2.d ipsis comparantur Apostoli & prædicatores. 731.1.d ostendunt Dei potentiam & magnificentiam. 288.2.a eorum mirabilia. ibid.b.c angelos repræsentant. ibid.b item Deum, cur. 290.2.a ipsis ala dantur per metaphoram. 109.2.a ventus vrens vel vredo, est Eurus vel Boreas. 286.1.a ventum seminare est inanem operam sumere. 145.1.c.d venti nomine in Scriptura denotatur opus inane & sterile. ibid.d
Venus cur diceretur myrtea. 640.1.a eius sacerdotes apud Babylonios, Cyprios, Phœnices erant femina. 494.1.c cur Vulcano nupta dicatur. 135.1.b fuit incesta, quia incestuosissimi Iouis fuit filia. 56.2.b veneris actus videtur mera epilepsia. 103.1.b
Verbum idem est quod oraculum & missio. 51.1.c verba activa Hebræorum sæpè non effectum, sed agendi virtutem, vim & potentiam notant. 22.2.c nunc actum perfectum, nunc continuatum, nunc inchoatum, nunc destinatum. 29.1.c verba contactus Hebræi construunt cum in. 97.2.a verborum imperfectorum ordines apud eos sæpè commutantur. 118.2.a. 218.1.a verba Scripturæ diuersos, imò contrarios, subinde habent sensus. 21.1.b verba multa secundæ apud Latinos coniugationis coniugantur & in tertia. 483.2.d
Verbum Domini acre est in peccatores, molle & clemens in iustos. 711.1.b ipsum quanti faciendum sit. 607.1.b est velut lucerna. 576.1.c verba leuia signum sunt animi leuis. 599.2.d
Verbi Dei filiatio, exemplar est filiationis nostræ cũ Deo. 96.2.c Verbum abbreuiatum est Deus infans. 2.2.b Verbum cur dicatur factum caro, non anima aut animatus homo. 233.2.d
Veritas triplex in Script. est, mentis, oris, & operis. 130.1.d veritas aliquando significat iustitiam. 456.2.a veritatis filius quomodo sit Christus. 369.1.d est vna de præcipuis sacerdotum dotibus. 808.1.b ipsa amara est, adulatio blanda. 640.2.d veritas prima & increata Dei, est ratio formalis credendi in fide. 529.2.a
Vermes minatur Deus Balsasari. 532.2.a vermis qui hederam Ionæ erosit, fuit extraordinarius aliquis, nostris mordacior. 395.2.a
Verriculum retis genus vnde vocetur; idem est cum sagena. 524.1.c
Versio Bibliorum LXX. interpretum in Græcum sermonem quando adornata sit. 708.1.a versio Arabicorum Bibliorum duplex est. 5.2.d versionum antiquarum varietas seruit ad S. Scripturæ claritatem, & copiam. ibid.
Verticis nomine appellari possunt reges & regum palatia, item imperium & potentia. 257.1.d
Vesperi quomodo sit futura lux, allegoricè, symbolicè & anagogicè. 776.2.b.& seqq.
Vespertini lupi qui dicuntur ab Habacuc. 515.1.b.2.d
Vestalium virginum quod esset officium. 568.2.c
Vestis rei sacræ contactu sanctificata an sanctificet omne id quod tangit. 626.1.a.b vestis conuiualis erat alba. 693.2.b vestem peregrinam quam vocet Propheta. 570.2.b.c vestis coccinea tutos præstare in periculis credebatur. 491.2.a vestium nouitatem & luxum Deus punit. 570.2.c vestes sordidæ Iesu pontificis quid ad literam, symbolicè & allegoricè denotent. 657.2.a.b.c vestes mutatorie, quas is induit, sacræ fuere. 658.2.d candidæ symbola sunt balneorum, & compotationis. 308.2.a vestes Prophetarum olim erant saccus & pallium. 1.1.d eas scindebant Iudæi in blasphemia, aut simili atroci scelere, aut in graui luctu. 224.1.b
Vestibulum cur additum templo Salomonis. 217.1.d eius altitudo. 2.b erat id templo connexum. ibid.d vnde dicatur & formetur vox vestibulum. ibid.a
Via in cælum obstructa vi perfringenda. 418.2.d via in Scriptura rem, negotium, ius & causam significat. 270.1.a.b item actum, opus, eius successum, modum viuendi, vitæ tenorem. 101.2.a. 608.1.c via Samaritarum in Ægyptum communis olim erat. 286.2.b. viæ quomodo dicantur viuere, florere, mœstæ, lugere. 334.2.c via Bersabee multis repleta erat aris & sacellis idolorum. ibid. vias Domini & viam cælum, pauci norunt. Vide pl. 307.1.c. 207.1.d
Victima Gentilium priscorum erat far, non caro. 800.1.c 798 victima cæca & clauda symbolicè quæ sit. 798.1.b victimæ spirituales quæ. 787.2.d victimæ piaculares mentem à culpa expiare non possunt. 626.1.c victimæ in Script. vocantur cibus & panis Dei. 150.1.b tristi animo Deo oblatæ displicerent. 1.c
Victoria omnis de hostibus tam corporalibus quàm spiritualibus, ascribenda est Deo. 431.2.d. 564.2.d sæpè dependet à bono duce. 517.1.c victoria Iosuæ de Amorrhæis quàm miraculosa fuerit. 556.2.b victoria Christianorum naualis de Turcis ad Naupactum à Deo venit ventum propitium Christianis dante. Videre Deum quomodo quis possit. 477.1.d
Victus Prophetarum fuit sobrius & vilis. 11.1.c.d
Videre Deum quomodo quis possit. 809.2.b
Vigilantia & cura gregis primaria pastoris dos. 749.2.c.d eius emblema quod. 678.1.a
Vigilantius hæreticus nolait lampades ante reliquias Sanctorum accendi. 677.2.b
Vigiliam Christus inducit, diabolus somnum. 505.2.a
Vinacea sunt solliculi vuarum. 91.1.b sunt symbolum verum vanarum & futilium. ibid.c
S. Vincentius Ferrerius precibus suis locustas fugauit. 213.1.b fuit atlas orbis. 846.2.b
Vincti spei sunt duplices; erantq; Iudæi fideles exspectantes redemptionem Israel per Christum, & aly. 719.1.a.b
Vincula charitatis sunt leges tum Iudæorum, tum Christianorum. 173.1.c vinculo triplici anima Deo colligatur. 73.2.a
Vindemia & vinum cur iungatur messi tam apud Ieremiam loquentem de messoribus, quàm apud S. Iohannem in Apocalypsi. 462.1.b. 146.1.a
Vindicare apud veteres significabat defendere. 117.2.d seq. quomodo de impijs vindicet Deus. 592.1.a.b
Vindicta Dei dicitur quandoque ebrietas. 752.1.c etiam Domini solemnitas. 151.1.a.b vindictæ de improbis patienter exspectandæ pijs. 813.1.a idem in peccatores descendit. 681.2.c. 682.1.a semper ei imminet. 681.2.d est ineuitabilis. ibid. vindicta sceleratum quàm Deo grata sit & sancta. 696.1.b ea expiatur terra & sanguis innocens effusus. 252.1.a.b vindicta iustæ est, vt qui aliena rapuit, perdat sua. 296.2.c est per clementiam temperanda. 365.2.a
Vinea pulcherrimum erat prædium antiquis, præsertim patriarchis. 158.1.c eam solebant in atrio domus

Veneris & Regina. 302 1.d.

Videntes dicti Iro C. 745.1.c pla-

plantare ad vmbram & ad amœnitatem : est quid malum inter hortum & agrum: est quæstuosa & delicosa, maximè fructifera est. ibid. iucunda est. 2. *a* vinea Engaddi fertilissima est. 83.2.*b* vinea Domini olim erat Synagoga, iam est Ecclesia. *ibid.c* vinea Naboth sita. 58.2.*c*

Vinum fugiens quod dicatur. 109.1.*b* vinum sorte cur propinaretur damnatis. 271.1.*b* est animi speculum. 104.2.*c* lac senum, lignum vitæ, imò vita hominis, dicipotest. 158.1.*d* id non bibebant Nazarei. 272.1.*a.c* eius vsum interdixit Tatianus Encratitarum princeps. *ibid.c* id in sacrificio in Dei honorem vel in terram effundebatur, vel à sacerdotibus bibebatur. 150.1.*b* quomodo hominem in omnia vitia præcipitet: ipsum mox vt à Noë inuentum, ab omnibus auidè arreptum est. 103.1.*d* eius vsum in omnes propè linguas transiit. 2.*a* vinum Libani erat præstantissimum. 206.2.*b* vinum Libani vario sensu accipitur. *ibid.d* vinum Cretense. 532.1.*a* vinum aromaticum quod dicatur. 207. 2.*a* vinum nardinum, myrrhatum, foliatum quid: vinum cur condiatur: vnum crocenm olim Romæ in theatru spargebatur. *ibid.* vini vires. 530.2.*d.* 727.1.*b* eius mala & effectus. 728.1.*c* accendit animos in prælia, & hominem interritum reddit. 313.2.*b.* 492.1.*b.* 735.1.*c* ei comparantur cupidates. 530.2.*c* vinum germinans virgines quod sit. 727.1.*c.d* quotidie in ingi sacrificio agni libabatur. 801.1.*c*

Vir dicitur à virtute. 86.2.*a* vir dolorum, misericordiæ, &c. quomodo ab Hebræis sumatur. 52.2.*c* vir sanguinem est latro & homicida. 97.2.*c* vir, cur vocari velit Deus à Synagoga, non, dominus. 86. 1.*b* vir Zachariæ apparens fuit angelus Michael vel Gabriel. 638.2.*d* viri Apostolici equo generoso assimilantur. 732.1.*d.* 2.*a* sunt filij & posteri Apostolorum. 595.1.*a* terrena nonnisi modicè & necessitate coacti tangunt. 721.1.*c* viri prodigij qui & quales dicantur. 660.1.*a.b* vires eximios Deus corpore paruos formauit. 675.1.*a*

Virga vigilans visa à Ieremia, quid designaret. 315.2.*b* virgæ quibus centuriones cædebant delinquentes missæ à sarmentis vitium fiebant. 157.2.*b* virgæ duæ Zachariæ, quarum vni nomen Decor, alteri Funiculus, quid significent. 739.2.*c.d.* & *seq.*

Virgilij versus quam elaborati sint. 6.2.*c* in quomodo Enæum legerit. 8.1.*b*

Virginitas amissa nullo modo recuperari potest. 291.2.*b*

Virgo viridi colore floresces, iuuentæ numquam senescit, & vitæ immortalis est symbolum. 158.2.*b.* 727.2.*c* virginum nomine vocant Hebræi vrbes & regna ob speciem, opes & gloriam. 291.1.*c* virgines mystice designantur per equos albos Zachariæ visos. 641.1.*b.* 692.2.*b* earum status similis est angelis. 819.1.*a*

Virtus est animæ sobrietas & sapientia. 215.2.*d* difficultatibus obsidetur. 204.2.*d* tria ad proficiendum in ea media. 13.2.*d* virtutes variis floribus accommodantur. 349.2.*a* virtutes & bona opera sunt velut vuæ in anima vinea crescentes. 349.1.*a* externa & interna pelle & carne denotantur. 420. 2.*c* eius profectus e quibus signis colligatur. 359.2.*d* eá vitium potentius est. 626.2.*c* facit angelos, imò Deos & Dei filios. 819.1.*a* eius tres sunt gradus & intensiones respectu eam habentium. 822.1.*c* virtutes quasi vitia nonnumquam tradantur. 823.2.*c* virtutes quatuor Apostolicæ denotantur per quadricolores equos Zachariæ. 694.1.*b* virtutes quasnam homo in Eucharistia exerceat. 724.1.*b.* 803.1.*a*

Viscera misericordiæ Dei quæ sint. 87.2.*a.* 170.2.*c*

Visio pacis est Ierusalem. 249.1.*a* ad visionem propheticam requiritur res futura quæ præuidetur, lumen propheticum mentem Prophetæ eleuans, & visio & cognitio rei futuræ. 25.2.*a.b* visio, qua sit vigilanti, in se perfectior est somnio quod fit dormienti: quando verò somnium visione perfectius sit. 234. 2.*a.* visio vel verbum Domini cum præponitur prophetiis, ipsa latæ sunt ordinariè. 24.2.*a.* visio Prophetarum erat intelligentia mentalis, qua intelligebant ea quæ Deus ipsis reuelabat. 275.1.*d*

Visitare in Scriptura quid propriè significet. 59.2.*b* capitur subinde pro condemnare, punire, exscindere. 185.2.*b.* 732.1.*b*

Visus, forma reliquorum sensuum cur dicatur. 24.2.*b*

Vita triplex, naturæ & culpæ, gratiæ & gloriæ. 21.2.*b* vita bona magis prodest ad peccatores conuertendos quàm verba. 101.*a* vita Apostolorum simili fuit vitæ Prophetarum. 11.2.*a* vita Christianorum debet esse cælestis. 69.2.*c* vita fidelis tota martyrium est. 183.2.*d* vita capitur pro gloria, fortitudine, sanitate. 122.2.*b.* vitæ brevitas suadet vt æternis inhiemus. 328.1.*a* eam quisque habet velut stadium in quo vsque ad mortem decurrat. 178.1.*c.d* est velut pomum ob varias analogias. 326.2.*b* vita solitaria bona & elogia. 80.1.*a.b.* 2.*a.* & *seqq.* de vitæ statu deliberanti sæpe est necessarius est. 81.1.*b* vitas Sanctorum sibi proponat ad perfectionem aspirans. 45.1.2.*a* vita hæc mortalis meræ sunt tenebræ. 776.2.*d* vitam diuinam & humanam in se complexus est Christus. 546. 2.*b* hic vitæ infernalis & beatæ arbiter est. *ibid.d* vita sacerdotis esse debet angelica. 659.2.*b* eius ideæ & speculum. 810.2.*b* vita religiosa parit Religiosos. 709.2.*a* vita sanctitate Prophetæ prophetiæ donum accipere meruere. 604.2.*a* ad vitam beatam anhelantis suspiria. 840.1.*d* vita Sanctorum & Christi velut lucerna est, hæc arguet in die iudicij nequitiam peccatorum. 576.2.*a* vitæ Sanctorum quàm altæ & separata sit. 722.2.*a.* & *seqq.*

Vitellij Imp. crudelitas & mors. 261.1.*b.* 326.1.*b*

Vitia septem capitalia fidelis per septem virtutes contrarias, septem dona Sp. sancti, septem petitiones orationis Dominicæ, septemq; primas beatitudines expugnare debet. 364.2.*a* vitia qui sanat, noctem in diem conuertit. 294.2.*c* vitia Superiorum & principum manant ad subditos. 337.1.*d* vitia omnia quomodo iustus expugnet. 641.1.*a* vitia quatuor maximè maximè Ecclesiam & fideles impetentia, sunt vt quatuor cornua Zachariæ visa. 645.2. *d* vitia publica non principibus à concionatore imputanda, sed populo. 606.1.*c* vitio vno abeunte alterum nos oppugnat, vt residuum quod prius reliquit, posterius depascatur. 214.2.*c* vitium quodlibet est animæ ebrietas & insania. 215.2.*d* vitium virtute potentius est. 626.2.*c* vide Peccatum.

Vitis centurionalis quæ dicatur. 157.2.*b*

Vituli aurei quos effermauit Ieroboam, fuit Apis Aegypti. 144.2.*c* eos cur in Israelem inuexerit. 2.2.*d* erecti erant in Dan & Bersabee, quasi in duobus regni limitibus. 335.1.*a* duo erant, non vnus. 160.2.*d.* cur vocentur hi modò vituli, modo vitulæ vel vaccæ. *ibid.* per vitulos labiorum quid intelligatur. 203.1.*c.d* vituli quàm & quare petuleí sint. 840.2.*c* vitulus de armento quis dicatur. *ibid.d* vide Vacca.

Viuere debemus Christo, qui suam pro nobis vitam dedit, & ob quem viuimus. 563.1.a

de Vmbra asini fabulam cur Demosthenes narrarit. 395.2.d

Vncinus pomorum quid propriè sit. 325.1.c *quid hic Propheta Amos viderit, symbolicè designet.* 2.b.c. 326.1.c *quid tropologicè.* ibid.d *alludit ad vncum reorum.* ibid.a *vncis olim vincti trahebantur, vel etiam feriebantur rei.* 326.1.b *id exemplis Martyrum probatur.* ibid.

Vnguenta in conuiuijs adhibebantur olim ad voluptatem & ad sanitatem. 308.1.d

Vnio Dei cum anima sancta quanta sit. 233.2.a.b *vnio animorum quam sit ad aduersa toleranda potens.* 592.2.b

Vnitas linguæ multum facit ad vnionem & consociationem Ecclesiæ. 593.1.c

Vnus homo potest representare totum populum ex se generandum, vel sibi subditum. 171.1.d

Vnusquisque alios in aliquo superat. 793.1.d

Vocales olim & puncta in textu Hebræo non erant. 512.2.c

Vocatio Gentium à Prophetis prædicta est. 700.1.c *vocatio Dei sequenda.* 372.1.b *vocatio non est ex præuijs prædestinatorum meritis, sed ex Deo vocante.* 194.2.a vide *Prædestinatio.*

Volumen quid sit. 681.1.b *cur videat Zacharias volumen volans, & in eo quæ scripta sint.* ibid.c.2.a.b *cur vocetur compendium.* 2.a *cur volet, variæ dantur causæ.* ibid.c.d *cur longum XX cubitis, latum decem.* 682.1.c.d

Voluntas Dei est mensura & regula omnis sanctitatis. 519.2.d *ipsa æterna est.* 827.2.c *ea per preces, considerationes, eleëmosynas, ieiunia, exquirenda, & ea cognita ilico exequenda.* 372.2.b *ei nos per omnia accommodare debemus.* 379.2.a *voluntas nostra naturâ suâ omnium rerum speciem quasi induit, quibus se per amorem applicat.* 153.2.a

Voluptas pomum aureum est, & illecebrosa. 327.1.d *timeæ assimilatur.* 116.2.d *item Hypani fluuio.* 359.2.b *eius tædia, dolores, fastidia & furiæ vltricis conscientiæ.* ibid. *est insatiabilis.* 101.2.b *voluptas peccati insipida & inanis est.* 91.1.c *hydræ multorum capitum est.* 686.1.d *est mater omnis peccati.* 2.d *est sigillum diaboli.* 631.2.b *ea quæ nec ex Deo, nec in Deo est, voluptatis excrementum est.* 573.1.d *voluptates sæpè hominem enecant.* 395.1.b *citò transeunt vt fœnum.* 273.1.a.b.313.2.d *mentem inebriant ac dementant.* 215.2.b *earum fuga disponit ad prophetiam.* 9.2.c *voluptatibus licitis abstinens ex Epicteti sententia, diuinæ naturæ consors est.* 168.2.b *earum sectatores non possunt ædificare templum Dei.* 608.1.a

Vorago ingens è fissione montis Oliueti in die iudicij, improbos missura in tartara, erit profundissima 774.2.b *vorago Mello cur vocetur pila.* 573.2.b

ad Votorum suorum violationem clerici & Religiosi non sunt pelliciendi. 272.1.c *ea esse debent perfecta.* 804.2.a *votum Deo dolo eludens peccat contra iustitiam & religionem.* ibid.

Votiuæ hostiæ esse debebant perfectæ. 804.1.b

Vox Dei est tonitru. 223.1.b *vox fortis signum est animi fortis, remissa timidi.* 355.2.c

Vpupa canens ante tempus vitium, magnam vini bonitatem & copiam prænunciat. 206.2.a

Vrbanitas Prælatos & principes maximè decet. 741.2.d

Vrbis etymon. 423.2.c *vrbis condenda & diruendæ ritus erat aratrum circum eam ducere.* ibid. *vrbes Israelis quomodo distributæ erant per tribus.* 437.1.d *vrbes aliquot magnæ & populosæ censentur.* 385.2.c.& 386.1.b.& seqq. 387.2.b *vrbium magnarum quanta sit vanitas.* 387.2.a *vrbes rupibus impositæ vocantur nidi.* 354.2.a *quomodo decaluentur.* 411.2.b *solent vocari filiæ vel virgines, cur.* 436.1.d

Vredo morbus segetum interdum vocatur aurugo, ergo, rubigo. 285.2.c

Vrim & tummim in rationali pontificis an dici possint Theraphim. 94.2.a *id pluribus annis in secundo templo defuit.* 611.2.d

Vrsa mira est sæuitia raptis catulis, quia mirus illorum eos amor, & cur. 193.1.d

Vsura mala & damna. 188.1.c.d *eam Hebræi vocant vulnus & morsum.* 336.2.c

Vsurarij plerique nullos conscientiæ remorsus sentiunt. 189.1.d

Vterus Virginis matris mysticè fuit templum Christi. 820.1.c

in Vtopia Mori quàm aurum sorderet. 495.2.a

Vulcanus cur claudus à Poëtis fingatur. 549.1.d

Vulgatæ interpres solet subinde pro nomine proprio eius significatum reddere. 584.2.d

Vulgus mobile, ad regum libitum, mutat fidem & religionem. 332.2.c

Vulnera Christi quinque fuere quasi fontes gratiæ & sanguinis. 763.1.b.c *in illis tuta quies est.* 2.a *medentur omnibus animi morbis.* 764.1.d *cur ea resurgens resumere voluerit, & in cælo seruet.* 767.1.c

Vultus Christi iudicis quàm futurus terribilis. 653.1.a V. Furies

Vxor Oseæ fuit famosa meretrix. 52.2.c *fuit figura idololatrantis Synagogæ.* ibid.d.54.1.d.55.1.a *vxorem non ducere quomodo Pacuuius Attio amico suo suaserit.* 31.2.c.d *vxores maritos in scelere imitantur, idq; iustâ Dei vindictâ.* 105.2.b *vxores Hebrææ maritos suos vocabant* Baali, *id est Domine mi.* 86.1.b *apud priscos, etiam Hebræos, per munera à sponsis emebantur, & ipsæ dando dotem vicissim maritos ea cœmebant.* 91.2.d *vxorum suarum quibus nominibus Iudæi amare teneantur.* 8.1.2.a.b.& seqq. *earum repudium multis argumentis dissuadetur.* 814.1.c.& seqq. *vxor pubertatis legenda.* ibid.d

Xenophon in Cyri padiæ ideam insignis regis describit. 643.2.b

Zacharias tres illustres fuere, & quis illorum inter templum & altare sit occisus. 227.2.d.636.1.a *Zacharias filius Ieroboam rex Israel occisus est à Sellum, qui regnum ab eius familia ad suam transtulit.* 321.1.d

Zacharias Propheta coæuus fuit Aggæo. 33.2.d.635.2.a. 636.2.c *eius symbola.* 635.1.a *eius etymon.* ibid.b *eius argumentum.* ibid.c *cur vocetur memoria Domini.* 2.b *Martyrem fuisse censent nonnulli.* ibid.c *eius miracula.* 636.1.a *eius sanctitas.* 2.b *quando mortuus.* 34.2.a *an ortus è tribu Leui.* 635.2.b *eius corpus quando inuentum.* 636.2.b *quomodo in visione pretium pastoratus sui à Iudæis poposcerit, ac triginta argenteos ab eis datos ad statuarium proiecerit.* 743.2.c.745.1.c *fuit Iudæis in honore & veneratione.* 745.1.c *an tantum per visionem representata ei sit venditio Christi.* ibid.

b.c pretium paruum pro pastoratu cur ei à populo sit assignatum.2.a illius pretij accepto & proiecto, cum Christi pretio à Iuda accepto & proiecto comparatur. ibid.d ipse & Malachias vltimi fuere Prophetarum. 5.1.b

Zacharias pater Iohannis Baptistæ fuit Propheta æquè ac filius. 637.1.c

Zelosi sunt adlantes orbis. 846.1.c.d

Zelotæ in obsidio vrbis per Titum, suis contentionibus vrbem exhausere. 739.1.b

Zelotes gloria sua Deus est. 232.1.d

Zelus ignis Dei in sponsam Synagogam. 87.2.c zelus ingens tum salutis animarum, tum gloriæ diuinæ requiritur in concionatoribus & sacerdotibus. 10.1.a.808.1.d zelus indiscretus displicet Deo.393.2.a zelus fuit zelus Ionæ optantis Niniuen subuerti. ibid.b item SS.Iacobi & Iohannis ignem in Samaritas mitti optantium, & S.Carpi.394.1.b zelus est ingens amor rei amatæ.705.1.b.duos actus contrarios complectitur. 475.2.b zelus Eliæ quantus fuerit. 843.1.b.c zelus gloriæ Dei vnde in viris sanctis oriatur.538.2.c quanta sit virtus & quanti à Deo fiat 844.2.b zelus Christi erga peccatores & impios.592.1.b zelus Dei pro Ierusalem quis sit.644.1.a.b zelus maritorum pro vxoribus. 578.2.c

Zona vnius militis dicuntur excellentes bello. 132.1.d

Zopyrus se deformauit, vt Dario regi suo Babylonem expugnaret.649.2.d Darij de eo elogium.650.1.a Zoroastres in solitudine vixit,vt diuinis intenderet.9.2.a

*Zorobabel non est dominator in Israel, quem in Bethlehem nasciturum prædixit Michæas.438.1.c vnde dictus Zorobabel.ibid.605.1.c fuit filius Salathiel. 605.1.a.630.1.a alius est Zorobabel filius Phadaiæ 605.1.b eius ducatu successere filij & posteri vsque ad Christum.2.a.b quomodo in solutione problematis coram Dario propositi palmam tulerit,& quam propterea mercedem sit consecutus. 606.1.d. 630.1.d quomodo populum ad fabricam templi sit cohortatus. 606.1.a an Deus ei promittat per Aggæum, eum cum suis ab inuasione Gog & Magog indemnem fore, aut à Persis nullum damnum passurum.628.1.d eius ex semine promittitur Christus nasciturus. 2.a.& seqq. quod auo eius Iechoniæ Deus abstulit,hoc ei restituit ob pietatem. 630.1.a quomodo & quare sit annulus Dei. ibid.b c.& seqq. eius stirps quomodo à Deo conseruata.ibid.b quomodo Deo fuerit honori & ornamento.ibid.c fuit Dei legatus ad regem Darium & ad populum, fuit quoque Deo carus. ibid.c quomodo sit quasi gener Dei.ibid. eius sapientia.ibid.d in Babylonem redux ibi defunctus est. ibid. qua in re fuerit typus Christi Iesu.605.1.d.630.2.b.670.1.b fuit princeps rerum ciuilium & reip.668.1.d oliuæ comparatur.2.d.669.2.a.670.1.a 678.1.d 679.1.d significatur per lapidem primarium. 671.2.c an à Zacharia rectè vocetur oriens. 698.1.a

---

INDEX MATERIARVM MORALIVM AD EVANGELIA DOMINICARVM AC FESTORVM ALIQVOT ET Feriarum per annum,accommodatarum, in gratiam concionantium.

DOMINICA I. ADVENTVS.

ERVNT SIGNA IN SOLE ET LVNA ET STELLIS. Signa Deus solet præmittere, & feriendos præmonere, antequam feriat. 277.1.d. Quæ signa diem iudicij præcessura sint. 235.2.b.247.1.a. Vnum è signis erit ignis conflagrationis, qui totum orbem succendet; ignis duplex.835.1.c. Eius conflagrationis horror describitur. 319.1.a.2.b. Hoc igne peccatores excoquentur. 823.1.b. Eliæ & Henoch aduentus describitur. 842.2.b.& seqq. Eliam cur Christus tunc missurus sit. 843.2.b.& seqq. Hic multos Iudæos ad fidem Christianam conuertet. 845.2.c.

IN SOLE. Christus est Sol, Adam nonnisi luna. 838.1.a.

VIRTVTES CÆLORVM MOVEBVNTVR. Virtutes cælorum & terra quomodo tunc commouendæ sint. 247.2.b.

ET TVNC VIDEBVNT FILIVM HOMINIS VENIENTEM. Christus iudex hoc die erit propriè sol iustitiæ ob rationes varias.836.1.d. Eius ad iudicium venientis maiestas. 693.1.a. Cùm omnibus angelis & Sanctis ad iudicandum veniet. 776.1.b. Dies iudicij auferet impijs spem salutis vmquam consequendæ. 836.1.b. Christi iudicis quanta tunc futura perspicacitas. 826.1.d. Tunc scrutabitur conscientias velut ad lucernam. 575.2.a. Eius diei horror ex varijs epithetis ostenditur. 577.2.b.& seqq.239.2.b. Homini Christiano is semper præ oculis habendus. 247.1.a. Cur vocetur magnus.236.1.d. *Vide notata Dominica vlt. post Pentecost.*

DOMINICA II. ADVENTVS.

CVM AVDISSET IOHANNES IN VINCVLIS. Consuetu-

quietudinum malarum & passionum vincula rumpenda sunt è carcere peccati & diaboli in libertatem filiorum Dei egredi volentibus. 419.1.a.

PAVPERES EVANGELIZANTVR. Quia pauperes Deo curæ sunt, hinc grauiter peccant aduocati & iudices qui eos opprimunt. 270.1.c. Pauperes, abiectos & infirmos Deus eligit & euehit, cur. 254.1.d *Vide in Indice rerum Verbo* Pauper.

TV ES QVI VENTVRVS ES, AN ALIVM EXSPECTAMVS? Iudæi post Christum suum Messiam frustra exspectant. 346.1.a.450.2.a. Erit is Antichristus, qui ipsorum erit idolum & numen.689.2.c. Huius mores,& imperium describitur. 748.1.d. Quomodo is in fine sæculi destruendus à Christo sit.781.2.c. Messiam iam dudum venisse contra illos ostenditur. 618.1.d. 621.1.b.

ARVNDINEM VENTO AGITATAM. Mutatio omnis est quædam mors. 828.1.c. Contrà mens in Deo fixa fit immutabilis.ibid.d. Vir constans est quasi Deus terrestris. 827.2.d

HOMINEM MOLLIBVS VESTITVM. Vestium luxus, nouitas & mollities reprehenditur. 570.2.c.d. Vestis peregrina vocari potest hæresis & hypocrisis. 571.1.c.

ECCE EGO MITTO ANGELVM MEVM. Iohannes Baptista quomodo missus ante faciem Christi. 818.1.a.b. An fuerit angelus incarnatus. 2.a. Vocatur angelus ob octo analogias. ibid.c.789.1.b. Eius infantia,abstinentia,castimonia, secessus in eremum,vitæ innocentia. 818.2.d.& seqq. Elogia varia eiusdem.819.2.a. Doctus est à Spiritu sancto,ibid.b. Est alter Elias.ibid.c. Missus est vt Christum iam missum indicaret.820.1.a. Fuit horizon & fibula legis veteris & nouæ. ibid.b. Ei similis fuit & futurus est Elias zelo,officio, prædicatione,& sanctitate.843.1.b. Quomodo corda patrum ad filios conuerterit, & incredulos ad prudentiam. 845.1.d.

DOMINICA III. ADVENTVS.

PROPHETA ES TV? Prophetarum tres sunt dotes, robur, iudicium & efficacia. 422.1.a. Prophetæ omnes in Christo desinunt,& ad eum anolant. 20.2.a. Prophetæ veteres fuere velut angeli terrestres. 11.2.d. *Vide Indicem rerum verbo* Propheta.

Iohannes in deserto locustis victitans fuit imago veterum Prophetarum, quorum victus sobrius fuit,vestitus asper & vilis. 11.1.d.

TV QVIS ES? Ita seipsum quilibet interrogare potest; ita enim ad Dei cognitionem perueniet. 167.1.d.

FERIA IV. QVATVOR TEMP. ADVENT.

Christus carnem assumens, vt humanam naturam liberaret,est vindex orbis.837.2.a. Vt sic,est sigillum Patris quadrupliciter.630.2.d. Repræsentatur per Iesum pontificem sordidis indutum. 657.2.b. Humanitas hæc fuit quasi equus, cui inequitauit diuinitas 556.1.a. *Vide notata in festo Annunciationis B. Virgin.*

DOMINICA IV. ADVENTVS.

PRÆDICANS BAPTISMVM POENITENTIÆ. Pœnitentia non est in solo dolore de peccatis sita, sed & in susceptione operum pœnalium, & satisfactione per eadem pro illis.482.2.b. Pœnitentia publica sæpè publicas clades auertit.388.1.d. Niniuitarum pœnitentia.390.2.a. Eorum plurimi per pœnitentiam suam sunt iustificati, & qui in ea ad mortem vsque perseuerarunt,saluati. 391.1.c. Pœnitentia animæ pristinum suum decorem restituit.217.1.d. Pœnitentiæ elogia. 228.2.b. Eiusdem vis & effectus 232.1.a.391.2.d. Pœnitentium & pœnitentiæ schema est aquila penna veteres abijciens,& nouas assumens.411.2.d. *Vide Dominicam 1. Quadragesimæ, & Indicem rerum verbo* Pœnitentia.

PRAEDICANS. Concionator prædicet ore & manu,vt fecit Iohannes Baptista.604.2.a. Constans sit in vitijs arguendis,nec deficiat. 615.2.b.

ERVNT PRAVA IN DIRECTA. Rectitudo animæ duabus in rebus sita est. 529.1.b.

IN FESTO NATIVITATIS DOMINI.

ORtus IESV Christi elogia. 437.2.b. Eius egressus triplex;æternus,temporalis,& partim temporalis & æternus.441.2.b. Christus ortus & generatus est quasi aurora ante diem exoriens. 121.2.d. Eo nascente,& ante natiuitatem eius commotio facta est in cælo & in terra.615.2.c.& seqq. Quæ in mari. 616.1.b. Cur tres hæ commotiones factæ sint. ibid.d. Gentium quæ tunc facta sit commotio. 2.b. Quomodo eius aduentum Gentes omnes desiderarint.618.2.a.& seqq. Est angelus tam veteris quàm noui testamenti. 820.1.c.& seqq. Eius initia quàm parua fuerint. 674.1.a.

RECLINAVIT EVM IN PRAESEPIO. In quorum animalium medio Christus cognitus sit. 544.1.a. & seqq. In præsepio quare sit reclinatus. 2.d. Causa tropologica cur in eo iacuerit.545.2.d. Septem symbola huius præsepij. 546.2.a.

QVIA NON ERAT EI LOCVS IN DIVERSORIO. Locus natalis Christi fuit stabulum, eius descriptio. natus est rure.435.2.d.& seq. Eius concio è præsepio.439.1.b.545.1.c. Stabulo natali Christi similia sunt templa Catholicorum.441.1.b. Cur natus in Bethlehem.439.1.a. Eam profanauit Hadrianus Imp.erecto illic Adonidis simulacro, sed coheerestauit eam Imperatrix Helena, eiusque filius Constantinus. 440.2.a.b. Bethlehem descriptio, situs, elogia. 434.2.b.& seqq. Cur dicatur & sit domus panis.434.2.b. Quomodo nequaquam sit minima in principibus Iuda. 435.2.d.

PASTORES ERANT CVSTODIENTES VIGILIAS SVPER GREGEM SVVM. Turris gregis quis sit locus, iuxta quem pastores hi oues suas custodiebant. 427.2.b.429.2.a.

ERAT LVX VERA. Christus Dominus primo suo in mundum aduentu fuit sol iustitiæ ob quinque analogias. 836.2.a. Eius,in quantum sol est,elogia. 837.1.c.& seq. Oriens ex Virgine est velut germen oriens. 661.1.a. Item sol post tenebras exoriens,& stellæ in tenebris lucentes.ibid.d. Hinc & per candelabrum & lucernas repræsentatur. 669.2.d.

DEDIT EIS POTESTATEM FILIOS DEI FIERI. Filiatio Dei in quo consistat, & quanta bona secum trahat. 66.2.a.68.2.b.& seqq.

PLENVM GRATIAE ET VERITATIS. Gratia qua ipse plenus est, hinc & nos gratia & virtute obsignat,vt sigillum ceram. 631.1.d.

IN FESTO S. STEPHANI.

OMNIS SANGVIS IVSTVS QVI EFFVSVS EST. Sanguis innocens effusus terram polluit, qui simul & terra expiantur,dum vindicta de homicidis sumitur. 251.2.b.

IERVSALEM QVAE OCCIDIS PROPHETAS. Ierusalem occidens Prophetas, & ipsum principem Prophetarum Christum, est filia latronis. 433.2.b.

IN FESTO SS. INNOCENTIVM.

Quia magna Herodis infanticidæ hoc in facto fuit crudelitas, agi poterit de crudelitate, quamq; ea Deo & hominibus exosa sit. 260.2.d

ET FIGE IN ÆGYPTVM. Fons Iesu in Ægypto quis sit, & vbi fuerit. 784.1.b.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

ANNA VIDVA NON DISCEDEBAT DE TEMPLO DIE AC NOCTE. Deum vbique & semper in memoria præsentem habere nos oportet. 62.2.c.187.1.c.

IN FESTO CIRCVMCISIONIS.

QVID VOCATVM EST AB ANGELO. Nomina olim ab eventu vel præsenti vel futuro accipiebantur. 64.1.c. Ea in Confirmatione vel ingressu Religionis cur immutari aliquando soleant. 65.1.a

VOCATVM EST NOMEN EIVS IESVS. Nomen Iesu quàm amabile & reuerendum, eius significatio & effectus. 562.1.d. Varij præferentes nomen Iesu, fuerunt typus Iesu Christi. 605.2.c. Aspirationes piæ ad Iesum. 619.2.a.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ.

APPARVIT ANGELVS IN SOMNIS IOSEPH IN ÆGYPTO. Christum ex Ægypto reuocandum esse, prædixit iam antè Oseas Propheta. 170.2.c.d.

IN FESTO EPIPHANIÆ.

Occasione Magorum qui primi è Gentilibus ad Christum venêre, agi poterit de vocatione Gêtium ad fidem & Ecclesiam Christi. Gentes ergo Ecclesiam construxere. 700.1.c. Quantus earum fuerit ad eam confluxus fuerit. 705.2.d. Quomodo hæc accessio facta sit. 774.1.a.

STELLAM EIVS. Stella hæc describitur & alia prodigia nascente Christo facta. 615.2.c.& seqq. Stellas cur veteres adorarent. 569.1.c. *Vide in Indicem verbo* Bethlehem & Stella.

OBTVLERVNT MYRRHAM. Myrrha typus mortificationis est, & hæc species martyrij. 183.1.d.

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

EXISTIMANTES ILLVM IN COMITATV ESSE. Vt hinc colligere est, viri à feminis in oratione, & actibus publicis separabantur. 761.1.b.

ET ERAT SVBDITVS ILLIS. Omnis obedientia tam parentibus quàm alienis præstita, species martyrij est. 183.1.d.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

NVPTIÆ FACTÆ SVNT. Maritus succedit in ius patris, quem sponsa reliquit, vt totum amorem & studium in maritum transferat. 87.1.c. Sponsa quales quærendæ & eligendæ adolescentibus. 561.c. Nuptiæ Dei cum anima sancta quomodo contrahantur. 812.2.d. Earum conciliator & vindex est Deus, & earum ritus apud Gentiles. 813.2.c. Septem argumenta à repudio & adulterio euocantia. 814.1.c. Fidei coniugalis symbolum est annulus. 629.1.d. Eius vsus & symbola plurima. ibid.b.c. Vir vxori cur debeat amorem. 814.2.c 815.1.b.

Deus Christianis velut sponsus est & vir. 86.2.b.

Parentum vitia, præsertim matrum, in proles transfunduntur. 56.1.c. Peccata maritorum punit Deus peccatis vxorum & filiorum. 105.2.b.

Scortorum quanta sit turpitudo & infamia. 146.2.b. Scortantes & impij plerumque sterilitate à Deo puniuntur. 155.2.b. Fornicatio homini mentem simul & opes eripit. 102.2.b. Spiritus fornicationis an sit dæmon aliquis specialis ad libidinem incitans. 104.2.d. Superbiæ pœna libido est. 113.1.c.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

IN TENEBRAS EXTERIORES. Hæ tenebræ quia inferni typus sunt, hinc de eo agi poterit. Infernus est velut pila, in qua tunduntur damnati. 574.1.d. *Vide Domin. 19. post Pentecost.*

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

ECCE MOTVS MAGNVS FACTVS EST. Virtutum & vitiorum quanta inter se sit pugna. 794.1.c. Passiones animæ quatuor sunt velut impetuosi turbines. 215.1.a.477.2.b. Hæ hominem dementant. 215.2.b. Item velut quatuor equi indomiti hominem in diuersa raptantes. 499.2.b. Mundus quàm sit turbulentus, ideo cymba nostra quamprimum ex eo subducenda. 650.1.b. Cupiditas est charybdis insatiabilis. 531.1.d. Qui creaturas sectatur, in perpetuo motu & metu est. 828.1.a. Quia nonnullorum interpretum opinio est, hanc maris tempestatem, occasione Iudæ proditoris excitatam fuisse, videre est, quàm sit malorum Deoque exosorum societas noxia. 373.2.b.463.2.d.

ET SVRGENS IMPERAVIT. Quomodo Deus mox adsit se inuocantibus, & sperantibus in eo. 466.2.b. Et increpet mare & ventos. 478.1.b.

MODICAE FIDEI. De Deo in aduersis numquam desperandum. 588.1.c. Spes & fides de Dei ope omnia aduersa superat. 529.2.b.

FACTA EST TRANQVILLITAS MAGNA. Creaturæ omnes tum cælestes, tum terrestres silent in cõspectu Dei. 539.1.b. Quies mentis quanta lateat in famulatu Dei. 699.2.d. Potentiam omnem aduersam statim Deus subridendo velut despicit. 295.1.d.

VENTI ET MARE OBEDIVNT EI. Venti ostendunt Dei magnificentiam & maiestatem. 288.2.a. Sunt eius exercitus, & ad eius nutum militant. 290.1.a.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

VNDE ERGO HABET ZIZANIA? Nulla mala homini nisi per Deum infliguntur. 277.1.b.

VIS IMVS ET COLLIGIMVS EA? Indiscretus zelus quàm peruersus sit, Deoque displiceat. 393.2.a.b.

ET AIT, NON. Clementior est Deus homine etiam sancto & zeloso. 396.2.c.

ALLIGATE EA IN FASCICVLOS. Elementorum conglobatio & globus elementaris, quomodo sit fasciculus in manibus Dei. 341.1.d.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

SIMILE EST REGNVM CAELORVM. Regnum diuinum quomodo per Christum Deus in terra stabiliat. 631.1.b.

FERMENTO. Vitium statim malignitatem suam affricat, non ita virtus, etsi magna. 626.2.c. Sicut fermentum totam pastam sapidam reddit, sic voluntas omnium rerum speciem & faciem quasi induit, quibus se per amorem iungit. 153.2.a.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

CONDVCERE OPERARIOS. Omnia opera infidelium & impiorum non sunt peccata. 626.2.a.

Vir-

Virtutum, & bonorum operum tres sunt gradus. 821.2.c. Operibus bonis coronamus Christum. 697.2.b. Bona opera quinam amittant. 609. 2.b.

OPERARIOS. Operariorum labor sæpè in irritum cadit, quia Dei cultum negligunt. ibid.

QVID STATIS HIC TOTA DIE OTIOSI? Acedi à Christo quomodo fugillentur. 746.2.b.

ITE ET VOS IN VINEAM MEAM. Ecclesia vinea est, vti & anima, ob varias analogias. 158.1.b.& seqq. 748.2.c. Vindemia plena competit diabolo, racematio Christo. 462.1.b. Anima sancta hortus & paradisus Dei est. 349.1 a.b.

AN OCVLVS TVVS NEQVAM? Impij conqueruntur de Dei prouidentia. 816.2.c. Christus est oculus actiuus & passiuus. 711.2.c

MVLTI SVNT VOCATI, PAVCI VERO ELECTI. Quàm pauci viam ad cælum ducentem agnoscant. 207.2.d. Deus neminem reprobat ex se ante præuisa demerita. 176.2.d. Vult omnes homines saluos fieri, ac neminem reprobari. 178. 1.b. Reprobatio, obduratio, perditio, damnatio non est per se ex Deo reprobante, obdurante, perdente & damnante, sed ex homine peccante, seque in peccatis ad finem vsque vitæ obdurante. 194.1.d. Contrà prædestinatio, vocatio & gratia non est ex præuijs prædestinatorum meritis, sed ex Deo prædestinante, vocante, & gratia sua prædestinatos præueniente. 2.a.& seqq. Electio Iacobi præ Esau quomodo intelligenda sit. 795.1.b.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

EXIIT QVI SEMINAT SEMINARE SEMEN SVVM. Opera bona semina sunt æternæ vitæ. 167.1.b.

ET HI RADICES NON HABENT. Peccator omnis edit fructum mẽdacij, id est inanem & euanidum. 168.1.c. Quæ supra vires & ingenium tentantur, non sunt durabilia. 146.1.a.

A VOLVPTATIBVS VITAE SVFFOCANTVR. Consuetudinis malæ, & præsertim fornicariæ, quanta sit vis & arctæ compedes. 165.1.b.

VT VIDENTES NON VIDEANT. Peccator quàm sibi malè consulat dum Dei obliuiscitur. 62.2. c.d. Occasiones videndi & audiendi illicita, etiam oblatæ, euincendæ, & cur. 571.2.d. Peccator in malo obstinatus Æthiopi colorem non exuenti comparatur. 584.1.c. Peccandi consuetudo & obstinatio in peccatis est vt talentum plumbi. 687.2.d.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA.

FILIVS HOMINIS TRADETVR. Venditio & traditio Christi triginta argenteis à Prophetis prædicta fuit. 268.2.d.

QVI PRAEIBANT INCREPABANT EVM VT TACERET. Impedire opera pietatis, & tendentes ad salutem remorari, quantum sit scelus. 119.1.c

IPSE VERÒ MVLTO MAGIS CLAMABAT. Sancti viri quàm ad Iesum & Deum ardenter clament & anhelent. 619.1.d.

Quia autem hisce diebus multi, pro dolor! ob Bacchanalia ventri & gulæ indulgent, inuehi in libidinem & crapulam concionator potest. Libido ergo pœna superbiæ est. 113 1.c Voluptas est tinea ob varias analogias. 116.2.d Deliciæ corporales merum sunt mendacium. 168.1.d. Voluptuosus & omnis peccans non videtur habere cor intra se. 138.1.c. Gulosorum sordes & probrum. 146.2.b.535.1.c.d. Comessationes mentem homini eripiunt, ac libidinem inflammant. 103.2.b.c. Peccator omnis cum pectis & idolis suis, quasi cum vitulis vitulatur. 18. 1.b. Improbi vita sua nequam delassant & affligunt Deum. 816.2.b. vili pretio & parua voluptatula Deum vendunt. 744.2.c. Bacchanalia sugillantur. 752.2.d. Ebrietatem sequitur destructio fortitudinis corporalis. 580.2.d. In Bacchanalibus quodammodo impletur peccatorum mensura cuiusque. 690.1.a.b. Chorea mundanæ descriptio. 841.2.b. Peccatoribus omnibus celer imminet vindicta. 681.2.c. Impunitas illorum luctuosa est. 509.1.a. Peccatibus commiserandum est. 586.2.b. *Vide Indicem rerum verbo* Luxus, Peccator, Peccatum, Vinum.

IN DIE CINERVM.

MEMENTO HOMO QVIA CINIS. Hominum vilitas & fragilis conditio. 523.1.c.

DOMINICA I. IN QVADRAGESIMA.

DVCTVS EST A SPIRITV IN DESERTVM. Secessus & quies parit sapientiam. 824.1.c. Ibi loqui Deus animæ solet. 526.2.c. Solitudo quanta bona adfert, quàm multiplicibus eam colentes à Deo donis compleantur. 80.1.a. Collectio sui intra solitudinem exercenda de vitæ statu eligendo deliberanti. 81.1.b.

ACCEDENS TENTATOR. Diabolus est Aquilo, omnia virtutum germina adurens; Christus autem Auster, ea crescere faciens. 229.2.a. Diabolus quomodo sit à dextris impiorum. 655.1.b. Dæmones sunt velut atri Æthiopes. 584.1.c.

ET CVM IEIVNASSET. Ieiuniũ corporale abstrahit mentem à vitijs, nosque Deo conciliat. 702. 1.a. Ieiunia quatuor temporum quæ Christiani seruant, quatuor de causis sunt instituta. 708. 1.b.c. Quadragesimale ieiunium obseruantes, Deo quodammodo anni totius decimam dant. 2.b. Ieiunium dupliciter sanctificatur. 218.1.c. Ieiunium Niniuitarum. 390.2.b.

SVSTVLIT ILLVM IN PINNACVLVM TEMPLI. Pinnaculum templi quod fuerit, & quod eius vestibulum. 227.2.b.

SI CADENS ADORAVERIS ME. Diabolus in omnibus rebus & ritibus Dei est simia. 107.1.d. mendax est, & omne mendacium eum parentem habet: mendacium triplex est, mentis, oris, operis. 131.2.a.

OSTENDIT EI OMNIA REGNA. Regna & potentatus huius mundi cur ventis comparentur. 694.2.c. Regnum omne sub alio potentiore regno est. 645.1.d. Regna huius mundi quàm fluxa sint & citò transeant. 91.1.c.480.2.d.457. 1.b. Regnorum omnium auctor & protector est Deus. 691.1.b.

REGNA MVNDI. Mundana omnia, quantumuis magna, præ Deo nihil sunt. 306.2.a.538.2.d. Mundus quàm fucatus & fallax sit. 500.2.a.505.2. c.& seqq.

ANGELI MINISTRABANT EI. Suos in afflictionibus & tentationibus præliantes Deus intuetur. 597.1.b.

FERIA VI. QVAT. TEMP. QVADRAGES.

PISCINA PROBATICA. Siloë fons, à quo Piscina hæc dependet, describitur. 761.1.c.

DOMINICA II. IN QVADRAGES.

RESPLENDVIT FACIES EIVS SICVT SOL. Christus splendore suo omnium oculos offuscat, 821. 1.b.

1.b. Deus oculus & sol mundi est. 685.2.b. *Vide notata de sole in Natiuitate Domini, & Indicem rerum v.* Sol.

ABTARVERVNT MOSES ET ELIAS. Hi duo cur vocentur filij olei. 680.1 a. *De Elia vide alia notata in Domin. I. Aduent. & in Indice rerum v.* Elias. Elias similis erit officio, zelo, prædicatione, & sanctitate Iohanni Baptistæ, & hic illi. 843.1.b. Cur apparuerint cum Mose in hac transfiguratione. 844.1.b. Ob zelum raptus est in cælum. ibid. a. Elias elogium. ibid. b.c. Quomodo conuersus sit cor patrum ad filios. 2.d.& seqq.

DOMINICA III. IN QVADRAGES.

OMNE REGNVM IN SE DIVISVM DESOLABITVR. Concordia quantæ sit potentiæ causa. 592.2.b. Linguæ vnitas quantum ad ciuilem concordiam conferat. 593.1.c. Discordia, lites & bella, quantopere Deo displiceant, & acriterab eo puniantur. 364.1.d.

DOMINICA IV. IN QVADRAGESIMA.

VE panes in manibus Apostolorum multiplicati fuere, ita eleemosynariorum opes, per benedictionem diuinam, adaugentur. 125.2.c.& seqq. Eleemosynæ defectus sæpè causa est paupertatis, sterilitatis agrorum, & luis pestiferæ. 96.2.c. Eam dare dat Deo suum. 620.2.d

FERIA II. POST DOMIN. IV. QVADRAG.

QVADRAGINTA ET SEX ANNIS ÆDIFICATVM. Templum tam Salomonis quàm Zorobabelis quot annis durarit. 622.1.b. Templum ab Herode exstructum an magnificentius Salomonico fuerit. 632.1.c. Templum Salomonis cur vocetur Libanus. 737.1.c. *Vide reliqua de templis notata in Dedicat. Ecclesiæ, & in Indice verbo* Templum.

FERIA III.

VADE ET CORRIPE EVM. Qui alium de vitijs monet, angelus est. 791.2.d. Hoc qui facit veri amici officium præstat. 792.1.a.& seqq.

DOMINICA PALMARVM.

INVENIETIS ASINAM. Christus cur cũ solemni pompa Ierusalem sit ingressus. 715.2.c. Sedit super asinam & eius pullum, non simul, sed successiuè. 716.2.c. Quid duo hæc animalia symbolicè denotent. ibid.d.

EIECIT VENDENTES. Quare eos Dominus hodie templo eiecerit. 795.2.d. Ira Dei in peccantes quàm ardens sit. 479.1.b.

Quia Ecclesia hodie fidelibus passionem Domini proponit, de ea tractari poterit. Christus patiendo & cruce sua vicit diabolum. 658.1.b. Venditus fuit triginta argenteis. 744.1.d.& seqq. Hinc meruit esse pretium peccati. ibid. Iudæ enim vendentis ingratitudo. 766.1.c. Christus vt Deus, in crucem actus, est portentum sæculorum. 765.2.b. Ei passo compati debemus. 760.1.c. Facie auersa à Ierusalem crucifixus est, Romam versus conuersus. 772.1.b. Tenebræ unde factæ sint in passione. 776.2.c. His visis & Christi morte Iudæi corde compuncti sunt. 758.1.c. Planctus fidelium ob eius mortem quotannis. 739.1.c.d. Clauo crucis Dominicæ frenos equi sui ornauit Constantinus Imper. 785.2.b. Quo tempore Christus sit passus. 542.2.d.

IN FESTO PASCHATIS.

SVRREXIT, NON EST HIC. Resurrectio vniuersis adstruitur in fine mundi futura. 197.2.a. Resurrectionis tum Christi, tum nostræ futuræ symbolum est phœnix & hydrus serpens. 198.2.a.& seqq. 839.1.b. Christus ad inferos descendens fuit inferno velut morsus, & moriens morti mors. 198.1.a.& seqq. 718.1.b. 719.1.a. Aliquot eum animas tunc è Purgatorio liberasse verisimile est. 200.1.c. Morti insultant Christiani, sicut & Christus mortem occidit, & ei mors fuit resurgendo. 199.2.a. Christus tertia die resurgens quomodo nos viuificarit. 120.1.d. Ipse ob sex causas tertia die resurrexit. 121.1.b. Christus patiens & resurgens figuratus est in Iona Prophetа qui triduo in vtero ceti fuit. *Vide in Indice rerum verbo* Ionas. Eius quanta fuerit post resurrectionem gloria. 698.2.d. Christus à morte gloriosus resurgens, indutus quodammodo vestibus mutatorijs est. 659.1.a. Corporis resurgentis sanitas est octuplex. 839.2.b. In resurrectione vniuersali in fine mundi erit lux æternæ claritatis, nunc verò nox est. 776.2.d.& seqq. Cur tunc resurgere Christus dicatur. 591.1.c.

FERIA II. POST PASCHA.

QVI FVIT POTENS IN OPERE ET SERMONE. Christianus & docere debet & facere. 604.2.a. Vitia populi magis exemplo quàm castigatione tollenda sunt. 673.1.b.

NOS SPERABAMVS. Sperandum est Deum in aduersis auxiliaturum, & ea ablaturum. 529.2.b. Vitæ alterius spem habent iusti. 832.1.a. *Vide in Indice rerum verbo* Spes. Ex desperatione oritur spes. 85.1.a. Christianus semper sperare debet, numquam desperare. ibid.

IESVS APPROPINQVANS IBAT CVM ILLIS. Sollicitudo ambulandi cum Deo, quid requirat. 456.2.c. Varij ad eam stimuli. 457.1.a & seqq. Modus & praxis ambulandi cum Deo per sex alas. 458.1.d.

FERIA III. POST PASCHA.

STETIT IN MEDIO DISCIPVLORVM. Christus est medium vniuersi, ac semper dum vixit, medium locum elegit. 543.2.a.& seqq. Et quare. ibid.d. Quomodo ipse sit medium duarum vitarum. 546.2.b.

PARTEM PISCIS ASSI. Christus factus homo est piscis huius sæculi, at in crucis craticula assatus est. 521.1.c.

DOMINICA IN ALBIS.

PAX VOBIS. Pacis quod sit emblema. 680.1.a. Pax animæ & serena conscientia inuitat Deum ad habitandum in ea. 625.1.d. Pacis semen quintuplex est. 706.1.c. *Vide rerum Indicem v.* Pax.

OSTENDIT ILLIS MANVS ET LATVS. Vulnera manuum, lateris ac pedum, cur Christus à resurrectione resumere voluerit, & adhuc in cælo seruet. 763.1.c. Sancti iugiter in his commorantur. 759.2.a.& seqq. In his tutissima quies & statio est. 763.2.a.b.

MITTE IN LATVS MEVM. Ex hoc latere perforato omnia Sacramenta & gratiæ effluxere. 763.1.a.c. Vulnus hoc quàm ingens fuerit: vtrumque latus lancea militis apertum fuit. ibid. c.d.

DOMINICA II. POST PASCHA.

EGO SVM PASTOR BONVS. Christus pastor oues suas semper pascit & protegit. 445.1.d. Nomen Dei, quo suas oues Christus pascit, quadru-

druplex est. 433.1.d

PASTOR BONVS ANIMAM SVAM DAT. Bonus pastor quomodo à malo differat. 747.2.c.& seqq. 749.1.b. Vero pastori duo sunt necessaria, vigilantia & eminentia sanctitatis.749.2.c *Vide Indicem rerum verbo* Pastor.

MERCENARIVS FVGIT, QVIA MERCENARIVS. Prælati & pastores quomodo fiant subditis rete & laqueus. 111.2.b

DOMINICA III. POST PASCHA.

MVNDVS AVTEM GAVDEBIT. Peccanti risus & impunitas luctuosa est.509 1.a Mundi gaudium & voluptas mendax est. 409.2.a

VOS VERO CONTRISTABIMINI. Deus pios opprimi,impios dominari permittit,cur. 510.2.a. & seqq.

TRISTITIA VESTRA CONVERTETVR IN GAVDIVM. Pœnitentijs sese macerantes & lugentes qua se spe solentur. 840.1.b. Deus flagellans suos per tyrannos, mox in flagella pro suis conuertitur.475.2.c.644.1.b. Quos in hac vita punit & tristari facit, in altera ridere faciet & præmiabit. 481.2.d

DOMINICA IV. POST PASCHA.

ARGVET DE PECCATO. Peccati emblema quod sit. 686.2.c. Peccatum & impietas ob sex causas sedere fingitur. 687.1.a. Eius grauitas & pœna,talento plumbeo repræsentatur. 686.1.a. Peccatum est sagitta Deum configens. 819.2.c. Odit id Deus odio infinito.519.2.b. Ob quatuor analogias vocatur sanguis. 97.2.d. Peccatum nullum relinquit Deus impunitum. 191.2.a. Eius amaritudo & absinthium. 293.1.a. Amaritudo quanta peccati voluptatem sequatur. 359. 2.a. *Plura vide in Indice rerum v.*Peccatum,*& notata Dominica in Quinquagesima.*

DE IVSTITIA.Sceleratorum castigatio & iustitia acceptissimum Deo sacrificium est. 570.1.c. 696.1.b.

DE IVDICIO.Iudicia hominum quàm falsa sint & malè fundata. 823.2.c.

IN LITANIIS MAIORIBVS.

Quia Litaniæ hæ institutæ sunt ad sterilitatem & plagas agrorum auertendas, hinc agi poterit de locustis,bruchis, ærugine & eruca, quæ segetes & germina depascuntur.214.2.b. Sterilitas agrorum Dei inuocatione auertenda est. 285.2.b. Litaniæ publicæ quàm antiquæ fuerint & solennes,earum recitatio quæ commoda attulerit. 216. 2.a. Punit Deus,quia peccant homines. 315. 2.d.

PETITE, ET DABITVR VOBIS. In clade publica ieiunio & precibus Deus placandus est. 702. 1.a.

OMNIS QVI PETIT ACCIPIT. Semper opem Dei in arctis petere debemus. 238.1.b. Oratione quoque opus est ad sacras Scripturas intelligendas.15.1.a. Oratio clauis regni cælorum est.ibid. d. Eius commoda,& neglectæ incommoda.413. 1.b.

QVANTO MAGIS PATER VESTER DE CAELO DABIT SPIRITVM BONVM. Bona omnia naturalia, fruges, escæ & supernaturalia, dona Dei sunt, & cùm accipiuntur, Deo ascribenda. 232.1.d

IN VIGILIA ASCENSIONIS.

VT COGNOSCANT TE SOLVM DEVM. Beatitudo summa in hac vita est nosse Deum. 97.1.b.

IN FESTO ASCENSIONIS DOMINI.

Mons Oliueti, è quo Christus in cælum ascendit,qualis sit,quæque in eo ipse gesserit. 772.1.d. Est symbolum Ecclesiæ Gentium.2.b. Olea earum rerum sit symbolum. ibid. Ascendit hic Christus in cælum facie ab Ierusalem auersa, & Romam versus conuersa.772.1.b. Is mons quomodo scissus.ibid.d. Quæ in eo apparitiones factæ.773.1.b & seqq. Hic Antichristo & in eo iudicij dehiscet. 774.1.c.& seqq. Qua nouo potissimùm ad Deum ascendere valeamus. 5192 b. Vt Dominus vi sua in cælum ascendit, & Christiano cuilibet via in cælos vi perfringenda est. 418.1.d

DOMINICA INFRA OCT. ASCENS.

ABSQVE SYNAGOGIS FACIENT VOS.Nihil nouum hoc Christiano,qui se hac in terra peregrinum esse putat. 783.1.b.2.c.

ET VOS TESTIMONIVM PERHIBEBITIS. Testes fideles Dei sunt Apostoli, Doctores, Martyres. 181. 2.c.d.

DOMINICA PENTECOSTES.

PARACLITVS AVTEM SPIRITVS SANCTVS. Spiritui sancto appropriatur amor. 614.2.c. Spiritus sancti diuinitas adstruitur. 233.1.d. Mittitur à Filio de propria eius substantia. 2.c. Quæ prodigia facta sint Spiritu sancto super Apostolos descendente.235.2.d. Per Spiritus sancti gratiam plenè ad Deum conuertimur: & hoc quomodo fiat. 202.2.a.213.2.d. Spiritus sanctus in animam, cùm iustificatur, illabitur realiter, personaliter, substantialiter. 67.1.b.233. 2.a. Septem eius dona sunt velut septem oculi. 663.1.a. Ea diuisim & diuersimodè data sunt. 792.1.d. Ea auro emere volens,merus mercator est. 788.2.a. Spiritus sanctus specie igneorum linguarum descendit: nam Deus ignis est. & ei ignis præfertur. 648.2.b.677.2.a. Quomodo etiam Christus sit ignis conflans quintupliciter. 822.2.a. Linguarum quale donum Spiritus sanctus Apostolis dederit.593.1.d. *Plura vide in Indice rerum verbo* Spiritus.

AD EVM VENIEMVS. Iusto & iustificato SS.Trinitas ineest substantialiter nouo quodam modo. 67.1.a.& seqq.233.2.a.633.2.c. Anima cùm in Deo manet,& Deus in illa, serenata est, & quieta huic mansio illa pariat bona. 9 1.c. Deo terra desiderabilis est. 831.c.

PACEM MEAM DO VOBIS. Christus est pax essentialis triplex. 446.2.a. Ipse quoque est pax nostra.ibid.d. Per Spiritus sancti gratiam in filios Dei adoptamur : quas hæc adoptio gratias animi infundat.67.1.a.68.1.a. Fimus quoque spes Dei.87.2.c. Sion mons,in quo Spiritus sanctus datus,cur dicatur Sanctus.705.1.d. *Vide Indicem rerum v.*Sion *&* Sina.

FERIA II. POST PENTECOSTEN.

SIC DEVS DILEXIT MVNDVM. Charitas & humilitas Christi sunt eius cornua. 550.2.a.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

DOCETE OMNES GENTES. Animas curantes & lucrantes periculis à Deo eximuntur. 384.2.d. Doctores fidelium plausum non captent è nouarũ sensuum S.Scripturæ productione.7.2.a. Sensus verus S.Scripturæ pro concione adferendus. 8.2.b.c. Sanctitas vitæ quantum conducat ad

abo

alios conuertendos, & veram S. Scripturæ intelligentiam acquirendam. 912.c.d. Quanta dissidia occasione Euangelij enata sint inter domesticos, parte dissentiente ab Euangelio, filio assentiente, & matre à filia. 465.2.d. Religio est mater felicitatis. 706.2.c. Ea velut aqua per totum orbem deriuata est. 778.1.d. Fides Christiana effecit vt regiones olim desertæ coli cœperint. 779.2.a

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Ternarius numerus schema est SS. Trinitatis, eius elogia & mysteria. 258.2.a.& seqq. Eum cuique rei Deus inseruit, vt imaginem sui ipsius, qui trinus in personis, & vnus in essentia. 253.1.a.b. Deus est immutabilis octo de causa. 826.2.c.& seqq. Quæ huius immutabilitatis causa. 827.1.c.& seqq. Dei essentia describitur. ibid.& seqq. Virtutes omnes in eo sunt eminentissimæ, & ipse in suis attributis infinitus est. 538.1.a.c. Lucerna Dei increata est eius mens & perspicacia. 575.2.d.& seqq. Omnibus in rebus constans est. 828 1.a. In eo non est memoria, sed rerum visio. 833.1.a. Noster & dominus & pater est, & vtroque titulo debetur ei amor. 795.1.c.d. Eius sanctitas octuplex est. 812.1.d. Diuinitatis quod sit emblema. 552.2.b. Eius maiestas est silentio veneranda. 537.1.b. Quàm illa augusta, sublimis, & immensa sit. 2.b.c

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

ESTOTE MISERICORDES SICVT PATER VESTER MISERICORS EST. Quomodo sit Deus præstabilis super peccatores. 224.1.c.d. Quomodo eam tum in misericordia, tum in aliis quatuordecim attributis imitari possimus. 225.1.a. & seqq.

NOLITE IVDICARE. Mundani iudicant pietatem meram esse vanitatem. 831.2.d

PERFECTVS AVTEM ERIT. Perfectos Deus per internas locutiones dirigit. 83.1.c. Quomodo ad eos loquatur. 25.1.c. Sunt Deo familiares. 418.2.c. Vitæ perfectio in Religione seruata alios ad eam sectandam allicit. 709.2.a. Vitæ perfectio in quo consistat. 519.2.d. Tria media in ea proficiendi. 13.2.d

EADEM MENSVRA QVA MENSI FVERITIS. Cupiditates pœnis contrariis putiuntur. 806.1.d

IN FESTO VENER. SACRAMENTI.

Ven. Eucharistiæ sacrificium in pane & vino est à Christo institutum, cur. 150.1.b. Est funiculus amoris. 173.1.b. Cur rori comparetur. 264.1.d. Est memoriale iuge Christi. 206.1.c. Ipsa fideles spiritualiter inebriat. 1.b.c. In ea Christum deuotè suscipientes, fiunt Bethlehem & præsepe. 441.2.a. Est bonum & pulchrum Christi. 723.2.d. Compendium est mirabilium Dei. 724.1.d. Omnes eius proprietates, effectus & dignitates exponuntur. ibid.& seqq. 727.2.c. 728.1.b. Quo ad eam affectu accedere oporteat. 725.1.d. Quomodo post eius sumptionem se homo gerere debeat. 2.b. Facit hominem velut iuuenescere & fortem. ibid.d. Martyres per eam ad conflictum animantur. 726.1.a. Alij eius effectus. ibid.b. & seqq. Variorum Sanctorum erga eam affectus. 727.1.d.& seqq. Quos effectus in S. Catharina Senensi operata sit. 728.2.a. Germinat virginitatem. 729.1.b. Olim mox à baptismo dabatur. 2.a. Ea Deus summè honoratur. 802.1.b.& seqq. Ei quanta debeatur reuerentia & honor. 536.2.d. Sacrificium Eucharisticum præstantius Aaronico est. 788.1.b. 825.2.d. Ipsum vocatur oblatio munda. 799.2.b.d. 801.1.b. 2.a. Cur item incensum vel thymiama. 800.2.d. Continet in se eminenter tres species sacrificiorum Iudaicorum. 801.2.b. *Vide in Indice v.* Eucharistia.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

VILLAM EMI. Bona præsentis sæculi, quæ tanto labore mortales congerunt, quàm fugacia sint. 168.2.a. 316.1.d. Auaritia quomodo sit in capite omnium. 336.2.c.& seqq. Eius mala & damna varia recensentur. 336.1.b. Lucri nimia auiditas sæpè hominem extra iuris & iustitiæ metas rapit. 188.1.b. Auaritiæ imago est mulier in amphora sedens. 690.1.c.& seqq.

HABE ME EXCVSATVM. Peccator detinetur rebus friuolis, quo minùs ad Deum redeat. 315.2.d. Creaturæ quæ illum detinent, sunt tantùm vmbræ rerum; solus Deus est ipsa essentia in se. 314.1.c.d.

VXOREM DVXI. Lasciuia feminarum vnde naturaliter proueniat. 108.1.d. Vxori secreta non sunt reuelanda. 465.1.c. Mulieres in fœtore & sordibus suæ libidinis computrescunt. 219.2.d. Deliciæ carnis & mundi vanæ sunt. 168.1.d. Mulier quorum sit malorum causa. 686.1.c.d. Mulierum, etiam deuotarum, fuga suadetur. 815.2.a.

DOMINICA III. POST PENTECOST.

ERANT APPROPINQVANTES AD IESVM PECCATORES. Conuersio peccatoris quomodo fiat. 670.2.c. Peccator polluit octuplicem sanctitatem Dei. 812.2.c. *Videnotata suprà Domin. III. Aduentus, & Dominica in Quinquagesima.*

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

IN NAVIM QVÆ ERAT SIMONIS. Nauis hæc typus est Ecclesiæ, cuius caput est S. Petrus. Ecclesia Catholica vocatur solitudo, quia colit vnum Deum, & quia in ea solitudo religionis est, apud sectarios pluralitas. 791.2.b. Quomodo eam Apostoli & Apostolici viri protegant. 447.2.c. Ipsa est regnum Christi, cuius imago est regnum Dauid. 345.1.c. Quomodo dicatur turris gregis. 428.2.d. Ei semper de reformatoribus Deus prouidit. 612.1.a. Eius typus est candelabrum Zachariæ. 666.2.2.669.2.d. Huius candelabri infusoria septem sunt septem Sacramenta. 667.2.c. Ecclesiæ quæ sint valla & munimenta. 715.1.a. Eius maior est gloria quàm Synagogæ. 624.2.d. Ipsa est terra desiderabilis. 831.1.d. Est exterius horrida, introrsum pulchra. 757.1.d. Ecclesia ac religio maximè semper in vna lingua floruit. 593.1.b.c. Ecclesiæ florentis typus est Ierusalem florens. 648.1.a.b. *Vide in Indice verbo* Ecclesia.

PER TOTAM NOCTEM LABORANTES, NIHIL CEPIMVS. Bona opera quinam amittant. 609.2.b. Mundanorum inania, vana, laboriosa studia & contentiones. 395.1.a. 509.2.a. 650.1.d.

PISCIVM MVLTITVDINEM. Homines sunt in hoc mundo velut pisces, ob varias analogias. 520.1.c.& seqq. Post labores sequitur fructus. 324.1.d.

DOMINICA V. POST PENTECOST.

VADE PRIVS RECONCILIARI FRATRI TVO. Offensum præuenire, quàm decorum & meritoriuma

rium sit. 176.1.a. Quomodo in eo Dei & hominum sit dispar sensus. ibid.

QVI IRASCITVR FRATRI SVO, REVS ERIT. Talionem quomodo Deus tyrannis iustos affligentibus reddat. 484.1.d.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

MISEREOR SVPER TVRBAM. Fons omnis misericordiæ & bonitatis est Christus. 763.2.c. Huius fontis aqua omnia peccata nostra emundantur. 764.1.a.b.

QVIA IAM TRIDVO SVSTINENT ME. Tolerantia & virtutibus nostris mirè delectatur Deus. 597.2.a.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

ATTENDITE A FALSIS PROPHETIS. Hæretici falsi sunt prophetæ, quorum dogmata meræ sunt insaniæ & deliria. 279.1.b. *Vide Indicem rerum v.* Hæreticus & Hæresis. Hæretici nasum cereum S. Scripturæ affigunt, eamque detorquent in alienos sensus. 8.1.c. Chananæis fraudulentis similes sunt. 188.2.c. Horum plerique vindice Dei manu percussi. 781.2.b.

INTRINSECVS SVNT LVPI RAPACES. Lupi vespertini qui dicantur. 515.1.b. Talis est diabolus & gula. 516.1.b.d. Hæretici lupis vespertinis assimilantur. 2.a.

A FRVCTIBVS EORVM COGNOSCETIS EOS. Hæreticorum fructus sunt sacrilegia, contra quos clamabunt lapides & ruinæ in die iudicij. 533.2.d. Eorum mores. 420.2.c.

DOMINICA VIII. POST PENTECOST.

QVASI DISSIPASSET BONA. Bona Dei sunt creaturæ, quarum vsum hominibus concedit, quæ impiis inuitæ seruiunt, piis libenter. 77.1.a. & seqq. Vti villicus hic, factus inops, iniquis artibus rem suam augere voluit, ita pauperes sæpè ex inopia peccant. 830.2.b.

SCRIBE. Aduocati, scribæ, iudices pauperem opprimentes sugillantur. 270.1.c. Liber memoriæ Dei est velut liber prædestinationis, vitæ & cæli. 831.2.c

QVINQVAGINTA. Villicus hic dimidium sibi seruauit, sic dimidium melius est cum certitudine, quàm totum cum incertitudine. 523.1.c.

DE MAMMONA INIQVITATIS. Aurum quàm indignum, cui homo cor suum apponat. 495.1.b. & seqq. Auari cor habent in opibus, quæ eorum idolum sunt. 573.1.a. Ebrio, morti & inferno similes sunt. 531.1.a. Opes densum lutum cur vocari queant. 532.1.b. Eleëmosynariorum opes à Deo adaugentur. 330.2.c. *Vide notata in Dominic. IV. Quadragesimæ.*

VILLICVM INIQVITATIS. Peccatores quomodo sint arcus dolosus. 140.1.c.

FILII HVIVS SÆCVLI PRVDENTIORES, &c. Columbæ, cui filij lucis simplices assimilantur, simplicitas pluribus deducitur. 137.1.a. & seqq. Qui cor habeant, & qui eo carere dicantur. 138.1.b.

DOMINICA IX. POST PENTECOST.

VIDENS CIVITATEM. Anima cuiusque est velut vrbs: eius fabrica & ruina. 291.2.d

NON RELINQVENT IN TE LAPIDEM SVPER LAPIDEM. Ierusalem est à Tito obsessa iuxta montem Caluariæ. 772.2.d. Eam Deus antequam exscinderet, exspectauit plenam peccatorum eius mensuram. 684.2.b.c. Eius mox capiendæ prodigia. 737.2.b. Gentes eam iniquè capientes & templum profanantes quas Deo pœnas dederint. 753.1.d. & seqq. Ierusalem descriptio. 780.1.d. Supplicium semper capiti scelesti imminet. 681.2.d. Anima peccato infecta est velut vrbs euersa & pessumdata. 424.2.a. Vrbes magnæ & potentes Deo permittente tandem concidunt, vti & omnis mundi pompa. 387.1.b.

EÒ QVOD NON COGNOVERIS TEMPVS VISITATIONIS TVÆ. Dei gemitus ex fastidio, & ex offensione suspirium quo se excitat ad anhelatam plagam in impios. 272.2.d. 273.1.d. Iudæi quomodo tempus hoc non cognouerint. 93.2.a.b. Temporis & opportunitatis quanta ratio habenda. 606.2.c.

COEPIT EIICERE EMENTES ET VENDENTES IN ILLO. Lucrum turpe à templo suo arcet Dominus. 403.2.a.

VOS AVTEM FECISTIS. Improperia Christi ad hominem ingratum. 453.2.a.

DOMINICA X. POST PENTECOST.

VT ORARENT. Orationis spiritus à Deo venit. 757.1.c. Quantum ea Dei sit donum. 2.a. Sancti sæpè suis precibus hominem à damnatione liberant. ibid. & seqq.

IEIVNO BIS IN SABBATO. Bonum operantes ob inanem gloriam vel quæstum, ventum seminant. 145.2.b. Anima Dei donis superbiens à Deo deseritur. 155.2.d.

NOLEBAT NEC OCVLOS AD CÆLVM LEVARE. Homo quomodo se coram Deo deiicere debeat. 538.2.b.c.

QVI SE EXALTAT, HVMILIABITVR. Superbia quomodo semper à Deo retundatur, quamque ei omnis superbus exosus sit. 354.2.b.c. Superbi colunt Luciferum. 302.2.d. Incessus non sit pompaticus nec fastuosus, sed modestus. 304.2.d.

OMNIS QVI SE HVMILIAT EXALTABITVR. Humilitas conducit ad diuinas illustrationes accipiendas. 10.1.d.

DOMINICA XI. POST PENTECOST.

SOLVTVM EST VINCVLVM LINGVÆ EIVS. Linguæ continentia Deo dicanda est. 786.1.b.

LOQVEBATVR RECTE. Nugæ & nugacia verba quantopere fideli cauenda sint. 599.2.a.b. & seqq.

DOMINICA XII. POST PENTECOST.

MVLTI PROPHETÆ VOLVERVNT VIDERE QVÆ VOS VIDETIS. Prophetæ quomodo omnes sint & fieri possint. 3.2.b.

IN LEGE QVID SCRIPTVM EST? Leges sunt velut vincula charitatis. 173.1.c. In decalogi lege an possit Deus dispensare, & in præceptis legis naturæ. 53.1.b. & seqq.

DILIGES DOMINVM DEVM TVVM EX TOTO CORDE. Amorem quantum Deo debeamus. 138.2.c.

PROXIMVM SICVT TEIPSVM. Amor fraternus quantum sit bonum. 264.2.d. Paria fratrum & sororum mutuò se secundùm carnem & spiritum diligentium. 265.1.d. Amor telum est violentissimum. 173.1.c.

SACERDOS QVIDEM DESCENDERET. Sacerdotis huius immitis occasione, agi poterit quomodo sacerdotum sit eleëmosynas largiri, non auaritiæ studere. 337.1.d. & seqq. Amicos suos ditare non debent, aut iis facultates ex Ecclesiæ prouentibus partas relinquere. ibid. 2.c.d. Eorum est plorare peccata populi. 227.2.d. Qua ratio-

ne comedant peccata populi, dum in iis connivent.100.1.b. Eorum vita licentiosa reprehendatur, cùm se à populo vitæ sanctitate discriminare deberent.101.1.b.c. Inter angelos versantur.659.2.b. Esse debent portenta sanctitatis. 662.1.b. Sunt filij Dei tribus titulis. 795.2.b. Aliorum reformatione inchoanda reformatio luorum.ibid.d. Stomacho comparantur.796. 1.b. Eorum quanta esse debeat puritas.801.2.c. Quanta eorum sit dignitas.803.1.b. Variæ ipsorum dotes.808.1.a.& seqq. Eorum est scire & docere legem Dei. 2.c. Angeli sunt variis titulis.809.1.c. Apes sunt ob octo analogias. 810. 1.b. Vitæ illorum idea & speculum.2.b. *Vide* *Indices* 7.Sacerdos.

UNXERUNT OLEUM. Oliua quilibet Sancti sint, & cur.205.2.a.670.1.a.Oleum quarum rerum sit symbolum. 771.2.b. *Vide Indicem rerum verbo* Olea & Oliua.

VADE, ET TU FAC SIMILITER. Exempla virorum magnorum sibi ob oculos ponere, acer est ad omnem virtutem stimulus. 451.1.c. Exemplorum quanta sit vis. 709.2.a.b

DOMINICA XIII. POST PENTECOST.

OSTENDITE VOS SACERDOTI. Quia peccatum infert lepræ animam inficit, hinc Euangelium hoc non ineptè peccatoribus adaptari poterit. *Vide Indicem rerum v.* Peccator & Peccatum. Conscientia penitus confessario à laicis detegenda, & à Religioso Superiori suo: quæ commoda & quies conscientiæ hinc sequatur. 196.2.a. Confessarij quomodo se gerere in pœnitentibus audiendis debeant. 823.2.d

GRATIAS AGENS. Infinitas Deo gratias agere oportet pro eius in nos beneficiis, idque infinitis modis. 564.2.b.c.

DOMINICA XIV. POST PENTECOST.

PATER VESTER CÆLESTIS PASCIT ILLA. Ergo Sancti se Dei prouidentiæ committant, vtpote quæ fortissima testudo est. 493.2.a. Ea est velut candelabrum aureum. 669.2.b. Prouidentiam particularem piscium an habeat Deus. 525.1.b.

NE SOLICITI SITIS QVID MANDVCETIS. Frumenti monopolæ penuriam & sterilitatem sperantes, fugillantur. 530.2.b.

CONSIDERATE LILIA AGRI. Fideles ob septem analogias lilio comparantur. 204.2.a.

QVÆRITE PRIMVM REGNVM DEI ET IVSTITIAM. Virtutibus ante omnia incumbendum, nam per eas anima & per cruces cælatur Deo. 664.2.b. Hominum quorumdam inania studia & contentiones neglectis rebus seriis. 599.2. c.d.& seqq.

DOMINICA XV. POST PENTECOST.

DEFVNCTVS EFFEREBATVR. Cadauera olim alia comburebantur, alia terræ mandabantur: ossilegij quis esset ritus.310.1.d.& seqq. Concupiscentia nobis inhærens velut mors est. 200.2.a.

FILIVS VNICVS MATRI. Quia adolescens hic in flore ætatis exstinctus est, agi poterit de vitæ breuitate. 326.2.b. Vita ipsa quàm sæpè parua relinquatur & violetur. 327.2.c

DOMINICA XVI. POST PENTECOST.

CVM INVITATVS ERIS AD NVPTIAS. Conuiuia & mensalis detractio fugillatur. 483.1.b.

QVOMODO PRIMOS ACCVBITVS ELIGERENT. *Carnel.in Proph.Min.* Ambitionis & studij præeminentiæ quanta sit vis. 525.2.d.

DOMINICA XVII. POST PENTECOST.

SEDE A DEXTRIS MEIS. Dextera symbolum bonorum est. 655.1.b.c.

DOMINICA XIX. POST PENTECOST.

SIMILE EST REGNVM CÆLORVM HOMINI REGI. Quomodo homo regnum Dei fiat, & quanta regni huius sit excellentia. 365.2.b.429. 2.d.

QVOSCVMQVE INVENERITIS. Iudæis ad fidem venire renuentibus, Gentes in magna copia venerunt. 65.2.b.c.

AMICE QVOMODO HVC INTRASTI? Amici veri typus sol est ob quinque analogias; & talis amicus Christus est. 837.2.b.c. Amici beneficentia comparantur. 741.1.d.

IN TENEBRAS EXTERIORES. Per hasce intelligitur infernus, qui allegoricè Babylon, confusio & obscuritas est.689.2.b. Puniti in hac vita satius est quàm in die iudicij vel apud inferos. 561. 1.d.

DOMINICA XX. POST PENTECOST.

NISI SIGNA ET PRODIGIA VIDERITIS. Miracula Ionæ in ventre ceti. 379.1.d.

DOMINICA XXI. POST PENTECOST.

DEBITVM DIMISI TIBI. Peccatori confitenti Deus culpam quidem remittit, at pœnam reseruat, quam luat oportet aut hoc in sæculo, aut in Purgatorio. 467.1.c.d.

TENENS SVFFOCABAT EVM. Non ita Deus, sed semper vindictam clementia temperat. 365.2.a. Homo homini hodie quàm inimicus & durus sit, quamque parua in iis sit fides. 465.1.a.b.

DOMINICA XXII. POST PENTECOST.

VIAM DEI IN VERITATE DOCES. Veritas triplex est, mentis, oris, operis. 131.1.d.

QVID ME TENTATIS HYPOCRITÆ? Hypocrisis est velut vestis peregrina. 571.1.d.

COGNITA IESVS NEQVITIA EORVM. Cogitationes & propensiones intimas peruidet & præuidet Deus. 112.1.c.d. Iudæorum sub Christo quanta fuerit obstinatio. 775.1.c.

DATE CÆSARI QVÆ SVNT CÆSARIS. Reges sunt pastores populi. 410.1.c. Ab iis pendet regnorum pietas & fides. 401.2.b. Regum & regnorum vis sine Dei cultu & ope inualida est. 159. 2.b. Tyranni per vim & bella iniusta dominia sua ædificant & adaugent. 309.1.b. 422.2.c. Principes exemplo suis præeant. 132.2.c. Ambitiosi ex Deo non regnant. 143.2.d. At boni & legitimi reges à solo Deo dantur. 144.1.c. Impios plectit Deus, dando eis reges scelestos. 195. 2.d. Cor regum in manu est Dei.603.1.c. Reges templorum & honoris Dei curam habentes, quomodo ab eo opibus & victoriis aucti sint. 607.2.a. Regibus olim cur præferretur ignis. 677.2.d. Sunt filij olei tripliciter. 679.2.c. Sunt atlantes regni & ciuitatum. 636.1.b. Audiant Rom.Pontificem.699.1.d. Sunt anguli, paxilli & arcus populo. 733.1.b. Quomodo se in populi regimine gerere debeant.ibid.c. Variæ eorum dotes.741.2.b.& seqq. Clementia quantopere eos deceat. 740.2.c.& seqq. Regendi quæ sit optima ratio.ibid.b. *Plura vide notata in Domin.1.in Quadrag & in Indice rerum verbo* Tyranni, Rex, Princeps.

DOMINICA XXIII. POST PENTEC.

MVLIER QVÆ SANGVINIS FLVXVM PATIEBATVR, ACCESSIT. Tribulatione trahit Deus homines ad se refugientes à se. 119.2.a.

SI TETIGERO TANTVM VESTIMENTVM. Christus sanat vt sol variis modis. 839.1.c.& seqq.

CVM VIDISSET TIBICINES. Olim in funeribus adhibebantur tibicines & lamentatores. 414.1.a.

ET TVRBAM TVMVLTVANTEM. Tumultus & strepitus pœna est altum silentium & solitudo. 329.1.d.

NON EST MORTVA. Mortuorum fama non est lædenda. 268.1.b.c. Mortuis cur erigantur epitaphia. 19.2.d. Animæ immortalitas. 298.1.d.

DOMINICA VLTIMA POST PENTEC.

ERIT TVNC TRIBVLATIO MAGNA. Excidium Niniues est typus excidij mundi sub diem iudicij. 497.2.b.

SICVT FVLGVR EXIT. Fulgura sunt arma indignantis Dei. 479.2.c.

ET QVI IN TECTO. Tecta domorum Iudææarum erant plana. 569.1.c.

SOL OBSCVRABITVR. Sol,& luna,& stellæ quomodo in die iudicij obscuranda sint. 247.1.a. & seqq. *Vide notata in Dominica I. Aduentus.*

VIDEBVNT FILIVM HOMINIS VENIENTEM IN NVBIBVS. Homines omnes iudicandi in valle Iosaphat conuenient, vbi iudicem Christum videbunt: vallis huius descriptio. 239.2.b.& seqq. Cur iudicium futurum prope Ierusalem. 240.1.d. Christi disceptatio cum impiis in die iudicij quænam futura. 2.c. Eiusdem tunc stridor contra illos. 273.1.d.

CÆLVM ET TERRA TRANSIBVNT. Terræ motus ob schismata contingere Deo permittente solent. 256.2.a. Quia Beati post iudicium in cælum assumentur, agi poterit de cælo: vnde varia eius nomina & elogia *Vide pag. 246.2.d. & notata in festo omnium Sanctorum.* Eius typus fuit Settim locus ob varias analogias. 250.1.d.

ITE MALEDICTI. Hæc vltima maledictio quàm sit metuenda. 846.2.d. Tunc quasi lapis oneris impios opprimet. 754.1.a. Eorum tunc planctus ob mortem Christi. 761.2.d.

IN IGNEM ÆTERNVM. Æternitatis vera & viua hypotyposis. 847.2.a. Itinera æternitatis quæ sint. 552.1.a. Itinera ad æternitatem quæ sint. 553.1.d.& seqq. Gradus ad æternitatem qui sint. 554.1.d. Æternitatis origo est immutabilitas, differt ab æuo & tempore. 443.2.c.d.

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

ASCENDIT IN ARBOREM SYCOMORVM. Sycomorus quæ sit arbor, & vbi inueniatur. 323.1.d. & seqq.

QVIA STATVRA PVSILLVS ERAT. Paruos & parua quomodo Deus euehat, & in paruis magnificentiam suam & artem patefaciat. 1.2.d. Magnitudinem suam ad parua contrahit. 2.2.b. Pusilli homines ingenio & arte præstant. 351.2.a.b.

DECIMAS DO OMNIVM QVÆ. Decimæ dari cur iubeantur. 830.2.d.

Facies Dei in templo speciatim dicitur esse. 371.2.b. Quia templo Salomonico perfecto, nebula impleuit illud, agi hic poterit de commodis nebulæ matutinæ. 289.2.b.c. Anima fidelis est templum & domus Dei, eius partes & fabrica. 348.2.a. Cantus Ecclesiasticus quàm esse debeat grauis. 299.2.a. Ecclesiæ typus est candelabrum Zachariæ. 666.2.a. 669.2.c. Templum Hierosolymit. qui profanarunt, quas Deo pœnas dederint. 753.2.a.& seqq. Analogiæ octo inter templum materiale & animam sanctam. 632.2.a. Ecclesia primò erigenda in vrbis fabrica. 607.1.d. Sacrorum & templorum neglectus vnde proueniat. 797.1.b. Templorum ornatus & fabrica quantopere placeat Deo. 628.2.a. 767.1.d. Spolia de hostibus relata & manubias victores in templis suspendunt. 785.1.a. Ritus consecrationis templorum quinque sunt. 632.2.a. Eorum euersores omnes semper malè perierunt. 607.2.c.d. Ædituorum quod sit officium,& olim Hierosolymis esset. 568.2.b.d.

IN FESTO CONVERSIONIS S. PAVLI.

APPROPINQVARET DAMASCO. Damasci situs,elogia,celebritas. 711.1.d. Conuersio peccatoris quomodo fiat. 670.2.c. S.Pauli zelus. 721.1.a.

DOMINE QVID ME VIS FACERE? Dei voluntas assiduè per preces homini exquirenda, & quid à se fieri velit, & quo in statu officioque ab eo sibi seruiri. 372.2.b.c. S.Paulus suum peccatum vbique & passim in epistolis propalat, vti & reliqui Sancti peccatores gratiam iustificationis semper deprædicant. 472.2.a.b. Putant hi omne malum quod in orbe contingit, ob sua peccata accidere. 467.2.c.d.

IN FESTO PVRIFICATIONIS B. V.

VT SISTERENT ILLVM. Christus templum ingrediens suo id introitu illustrauit. 621.1.a.

OFFERRENT HOSTIAM ET DVOS PVLLOS. Victimas masculas cur requirat Deus. 804.1.c. Meliora & optima semper Deo danda & vouenda. 2.a. 797.1.d. 798.1.a.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

TV ES FILIVS DEI VIVI. Christi diuinitas astruitur. 651.1.d.

TV ES PETRVS, ET SVPER. Prælati ac Pontificis qualis esse vita debeat. 733.1.c.& seqq. 734.1.a. Prælati Ecclesiæ esse debent monstra sanctitatis. 660.2.d. Sunt annulus Dei. 632.1.c. Cardinales septem Diaconi per septem oculos repræsentantur. 663.1.c. Cardinalium & Episcoporum qualis esse vita debeat. 2.c. Romani Pontificis custos est S. Michael, tentator Lucifer. 654.2.a. Cur triplici corona coronetur. 697.1.b.

SVPER HANC PETRAM. S.Petri Apostoli fides & constantia in fide, inuicta fuit vt adamas. 320.2.c.

IN FESTO S. MATTHIÆ.

SORS CECIDIT SVPER MATTHIAM. Triplex est sors, diuisoria, diuinatoria, & consultoria, & quæ ex his & quatenus licita. 374.2.a.b. Ordinandos in Episcopos & Pontifices sæpè Deus cælitus designat, vti S. Matthiam per sortes in Apostolum designauit. 815.1.c.

IN FESTO ANNVNT. B. VIRGINIS.

CONCIPIES IN VTERO. Christus in vtero hoc conceptus, est symbolicè vir in myrtetis stans. 639.1.b. E charitate ardenti incarnatus est. 548.1.d. Hoc incarnationis opus est maximè stupendum. 54.1.c. 660.1.d. Vnde & ipsam humanitas Christi hoc obstupuit. 541.2.a. Christus in incarnatione & passione est velut lapis cælatus. 664.1.a.b. Cum carne humana hac die con-

ontemnium iniit, velut cum muliere fornicaria. 55.1.b. Incarnatio eius quomodo peracta. ibid.d. Christi Iesu incarnati diuinitas diuersimodè contra hæreticos astruitur. 7.1.a. & seqq. *Vide notata feria IV. Quatuor temporum Aduentus.*

IN FESTO INVENTIONIS S. CRVCIS.

SICVT MOSES EXALTAVIT. Crux sigillum Christi est. 631.1.c. Cornua crucis sunt & Christi cornua. 550.1.d.

IN NATIVIT. S. IOHANNIS BAPTISTÆ.

Vide notata in Dominica II. & III. Aduentus.

IN FESTO B. MARIÆ MAGDALENÆ.

S. Maria Magdalena passionem Domini assiduè recoluit. *Ex mor. Greg. 17. 2. d.* 766.2.d.

OLEO CAPVT MEVM NON VNXISTI. Olim in cæmiteriis flores & vnguenta nardina adhibebantur. 508.1.c. Adhibitus quoque fuit cantus & musica. 307.2.d.

REMITTVNTVR EI PECCATA MVLTA, QVIA DILEXIT MVLTVM. Pœnitentia post lapsum Deo grator, quàm segnis innocentia ante lapsum. 631.1.a. Christi ad pœnitentem pathetica vox. 766.1.d. In iustificatione Deus Æthiopes, id est peccatores, velut dealbat. 595.1.b. Remissio peccatorum summum Dei donum est, hinc iustificatus perpetuò huius debet meminisse, vti S. Maria Magdalena. 472.2.a.b.

IN FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

DICVT SEDEANT. Ambitionis quanta sit vis. 535.2.d.

POTESTIS BIBERE CALICEM, QVEM EGO? Christi alacritas in passionis calice ebibendo. 21.2.b.

POTESTIS BIBERE CALICEM? Sic Episcopi ordinandos seriò antè examinare debent. 825.1.a.

S. Iacobus Apostolus quàm paucos in Hispania conuerterit. 364.1.d. 674.2.d. Iacobus & Iohannes vocantur filij tonitrui, quia zelosi erant; hinc ostendi poterit quàm ingens virtus sit zelus, quantique Deus zelosos faciat. 844.2.b. Fuit hic zelus indiscretus. 394.1.b. Zelosi Sancti sunt orbis atlantes. 846.1.c.

IN FESTO ASSVMPTIONIS B. VIRGIN.

Maria virgo velut myrtus est. 639.2.c. Quàm sæpè Deum iratum propitium nobis reddat. 640. 1.a. Lampas Ecclesiæ est. 670.1.c. Per eam Sancti omnes lumen suum à Christo accipiunt. 2.a. Cælum ascendens innixa Iesu filio dilecto suo velut basi, est vnà cum filio basis & omne bonum orbis. 453.1.b.

IN FESTO S. MATTHÆI.

MISERICORDIAM VOLO, ET NON SACRIFICIVM. Multis de causis misericordia præstat sacrificio. 225.1.c.d.

SECVTVS EST EVM. Mox vt Deus vocat, obediendum & sequendum. 371.2.d. Emendationem vitæ procrastinantes clamant cum coruo, *cras.* 585.2.d. Peccatori dum suam Deus turpitudinem ostendit, magnam illi gratiam præstat. 500.1.c.

IN FESTO DEDIC. S. MICHAELIS.

NISI EFFICIAMINI SICVT PARVVLI. Viri magni & illustres vt plurimùm paruo sunt corpore, sed animo & corde magno. 675.1.a. Parua plerumque sunt initia rerum maximarum. 674.1.b. Deus in paruis suam magnificentiam & artem profecit. 1.2.c. & seqq. 351.2.a.b. Quomodo magnitudinem suam ad parua contrahat. 2.2.b.

PARVVLI. An pueri statim ac ratione vti incipiunt, teneantur ad Deum conuerti. 637.2.a.

QVI SCANDALIZAVERIT VNVM DE PVSILLIS. Scandalizantes pusillos sunt veri homicidæ animarum. 266.2.a.

ANGELI EORVM. Angelum quisque an habeat à quo ad malum impellatur, vt à Custode impellitur ad bonum. 655.2.b.

Michael vocatur Deus aliquando in Scriptura, quia legatus Dei est. 656.2.a. Est custos Ecclesiæ & Romani Pontificis. 654.2.a. Angeli septem primarij stantes ante thronum Dei repræsentantur per septem lampades & septem Agni oculos. 677.1.c. Per hosce septem exercet Deus suam prouidentiam. 668.2.c. Eorum vis & potentia in regna, reges & principes. 645.1.d. Sunt murus igneus Ecclesiæ & fidelium. 648.2.a.

IN FESTO OMNIVM SANCTORVM.

Felicitas Beatorum in cælo describitur. 248. 2.d. 833.2.d. Eorum præmium duplex erit. 834. 2.b. Eorum quæ sit sanitas. 839.2.c. Agilitate pollebunt admirabili. 841.1.a.b. Hæc pedibus ceruorum assimilatur. 563.2.c. Eorum chori & choreæ circum Agnum quales futuræ. 841.1.c. Quàm felices illi futuri sint in die extremi iudicij. 847.1.c. Eorum in cælo & angelorum desiderium est Christus Agnus. 619.1.b.c. Seruiunt in cælo Deo labio vno, an lingua Hebræa eum laudent. 593 2.a. Eorum memoria quamdiu maneat, mundanorum quàm breuis sit. 833. 1.b. Sunt peculium Dei. ibid.d. Item sors sanctorum, & regnum Christi. 2.b. Pia ad vitam cælestem viri pij anhelantis suspiria. 840.1.d. Vita Sanctorum in terra adhuc viuentium quàm eleuata sit. 722.2.a. Sanctorum & perfectorum virorum graphica descriptio. ibid.b.c. Sancti illustres velut lampades sæculi sunt. 670.1.c. myrto comparantur. 640.1.c. & seqq.

BEATI PAVPERES. Pauperum solatium est, quòd ducem habeant Christum, cuius vita paupercula & obscura fuit. 657.2.d. Pauperes, sub christianismo cur potiores sint diuitibus. 755.1.d. Paupertas Christi ditissima fuit. 545.2.b. Paupertatis typus. 1.c. *Vide in Indice rerum v.* Pauper & Paupertas.

BEATI MITES. Mansueto & miti oritur sol, irato occidit. 838.1.b.

BEATI QVI LVGENT. Afflictorum & mœrentium quæ sit in luctu consolatio. 840.1.b.

BEATI QVI PERSECVTIONEM PATIVNTVR. Aduersa & persecutionem tolerantes qua spe sese solentur. 840.1.a. In omni aduersitate ad Iesum recurrendum est, quia ipse est omne quod sperare possumus. 619.2.c. Tribulationibus velut igne depuramur. 768.2.d. 822.2.d. 824.2.c. Annus tribulationum est annus meritorum. 731.1.c. Tribulatio velut mortarium est, in quo tunduntur peccatores. 574.1.c. Tolerantia aduersitatum signum est rectitudinis animæ. 529.1.b.

BEATI ERITIS CVM MALEDIXERINT VOBIS HOMINES. Peccatoribus per odia, persecutiones impiorum, ærumnas, morbos, damna, vias ad peccandum obstruit Deus, & à peccatis eos reuocat. 75.2.b.

IN COMMEM. FIDEL. ANIMARVM.

Purgatorium contra hæreticos modernos & Græcos astruitur. 648.2.c. 823.1.c. An cuique morienti singillatim appareat Christus iudex. 758.2.b. Christus ad inferos descendens, haud

dubiè animas aliquot iam penè, aut plenè purgatas secum assumpsit, & è Purgatorio liberauit. 200.1.c.

IN COMMVNI APOSTOLORVM.

Apostoli sunt velut equi Christi. 556.1.a, 732.2.a. Eorum quatuor virtutes primariæ, sanctitas, zelus, sapientia, modestia repræsentantur per quatuor Zachariæ equos. 694.1.b. Ipsi sunt arcus Dei. 720.1.c. Iis, etsi infirmis instrumentis, mira Deus perfecit. 674.2.b.c. 755.2.c. Sunt niues, nubes, venti, fulgura. 731.1.c. Apostoli infirmi & indocti confudere fortia. 323.1.a. An comederint carnes. 11.2.c.

IN COMMVNI PONTIFICVM.

Quia Pontifices Rom. vulgò sese vocant seruos seruorum Dei, tractari potest, quàm sit honorificum nomen, Seruus Dei. 234.2.c. Pontifices & Prælati sunt annulus Dei. 632.1.c. *Vide in Indice rerum v.* Prælatus.

IN COMMVNI MARTYRVM.

Martyrij & Martyrum pro fide elogia. 182.2.a. & seqq. Martyres quomodo omnes quotquot viuimus, esse possimus. 183.1.d. Morbo lethali laborantibus ministrantes, & ex eo obsequio morbum contrahentes & emorientes, ab Ecclesia inter Martyres recensentur. 184.1.a. Martyres qua spe seipsos in tormentis solarentur. 840.1.a. Multæ Martyres in sexu fragili animum masculum prætulere. 804.2.c.d. Patientia vera potentia est. 476.2.d.

IN COMMVNI CONFESSORVM.

NEGOTIAMINI VSQVE DVM VENIO. Mercaturæ lucra quàm citò aufugiant. 480.2.d.

Religiosi sunt domus Dauid mysticè. 758.2.a. Cur se mundos custodire debeant. 804.2.b. Concionatores & Doctores sunt annulus Dei. 632.1.c. Religio templo confertur. 632.2.a. Septem vitia capitalia fidelis luctator habitans in specula mentis & contemplationis, supplantat. 364.2.b.c. Religiosorum typus erant Nazaræi. 272.1.a.

IN COMMVNI ABBATVM.

Cœtus & filij Prophetarum, qui fuerint. 13.1.b.

IN COMMVNI VIRGINVM.

Amorem carnalem virgines superarunt, eiusque ardorem extinxerunt: Amoris passio quàm sit vehemens, quantusque eius ardor. 135.1.a.b. Quæ post voluptatem carnalem sequatur in conscientia afflictio & amaritudo. 359.2.a. Virginitatis & virginum quæ sit dignitas. 819.1.a. *Vide in Indice verbo* Virgo & Virginitas.

FINIS.

